00030922

THE
ASIATIC SOCIETY OF BOMBAY
Town Hall, Bombay.

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 01 June, 2019



Matthæi Pariſienſis hiſtorici (qui obijt 1259)
vera effigies ex Libro ejus Chronicorum M.S.
olim ſui ipſius, nunc Regio, deſumpta.

Geo. Gleane-Turberville
921

MATTHÆI PARIS Monachi Albanenſis ANGLI, HISTORIA MAJOR.

Juxta Exemplar *Londinenſe* 1640, verbatim recuſa;

ET CUM

ROGERI WENDOVERI, WILLIELMI RISHANGERI, AUTHORISQUE Majori Minorique Hiſtoriis, Chroniciſque MSS, In Bibliotheca Regia, Collegii *Corporis Chriſti Cantabrigiæ, Cottoniáque*, fideliter collata.

Huic Editioni acceſſerunt,

Duorum OFFARUM *Merciorum* Regum; & viginti trium Abbatum S. *Albani* VITÆ.

B. 2454

Una cum Libro ADDITAMENTORUM.

Per eundem Authorem.

30922 al

Editore WILLIELMO WATS *S.T.D.*

Qui & *Variantes Lectiones*, *Adverſaria*, vocúmque barbararum *Gloſſarium*, adjecit: ſimul cum *Rerum, Nominumque, Indicibus* locupletiſſimis.

TT65
LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH OF THE ASIATIC SOCIETY

LONDINI,
Impenſis *A. Mearne, T. Dring, B. Tooke, T. Sawbridge, & G. Wells.*
MDCLXXXIV.

00030922

NOVI EDITORIS

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

EN tibi, Lector amice (quiſquis aut cujas es) *Matthæum Pariſienſem* noſtrum, hic denuo recuſum damus: Et non recuſum modo, ſed & correctum, adauctum, adornatumque *Adornatum* (ſi forte) Indicibus, *Adverſariis*; *Gloſſarioque* noſtris. *Adauctum* vero, *Vitarum*, *Additamentorumque* acceſsione. *Correctum*, inſuper; ſed non ex ingenio ſive conjectura noſtra; aſt ſecundum Manuſcriptorum fidem. *Recuſum* denique, juxta veteris editionis *Londinenſis* prototypum. Immo & verbatim, *Anno*
aliquantillum enim vel ibi temere demutaſſe, religioſum duximus. *1571.* Scilicet, ſi manifeſtiſsima excipias orthographiæ errata typographica, quibus prior editio non raro ſcatebat. Exempli cauſa, pro *Andegravius*, reſtituimus *Landegravius*, pro *Aldemarus*, repoſuimus *Waldemarus*: & ſi plura ejuſdem generis leviuſcula occurrebant, quæ manifeſtiſsima emendatione indigere videbantur. Correctiones autem majoris momenti alias, nos Textui Authoris, in hac impreſsione non inſeruimus: ſed in *Variantes Lectiones* ad calcem Libri rejecimus.

Si juſſeris deinceps, ut particularius tecum (Lector) ageremus; Bibliopolas, ſcias, Librum typis mandare incepiſſe, & uſque ad initium *Henrici* ſecundi operas progreſſas eſſe, antequam opellam noſtram (qualem qualem) implorarunt. Nihil, interim, aut nobis aut illis ſuſpicantibus, quin liber impreſſus, accurate ſatis cum codicibus manuſcriptis, per omnia concordaret. Nos vero editionem adornare in nos ſuſcipientes, conſultius, omnino duximus, ut folia illa Sybillina, Manuſcriptorum, ſcilicet, codicum exemplaria originalia, a nobis etiam inſpicerentur. *Rogeri* igitur *Wendoveri Chronica*, cum *Pariſienſis* noſtri *Hiſtoria Majore* MSS: ex inſtructiſsima, nimirum, illa Domini *Thomæ Cottoni* Baronetti Bibliotheca, humaniſsime accomodatis; ad collationem earundem cum *priore editione*; me totum cum Amanuenſi meo jam accingo. Acceſsit nobis in adjutorium, Tranſcriptum illud idemmet papyraceum, quod

pro exemplari ſuo anterioris editionis Typographi habuerunt. Exemplificatum utpote ex codicibus *Aglionbeiano Cecilianoque* [a] qui jam adhuc in Archivis Collegii S. *Benedicti*; ſive *Corporis Chriſti* celeberrimi, reconduntur. His etiam adjungo, pulcherimum illud & egregium ſane *Chronicorum Matthæi* noſtri volumen MS. in Bibliotheca Regia ad Sancti *Jacobi* reſervatum: una cum *Hiſtoriæ Minoris*, exemplari papyraceo.

[a] *Vide Præfationem editionis prioris.*

Sed priuſquam de editione ipſa, verba ulterius faciam, ordo naturæ a me videtur flagitare, ut de *Authoribus* ipſis aliquid præfarer. A *Wendovero*, igitur, decet ut incipiam, utpote non ſolum antiquiore, ſed & qui facem *Matthæo* noſtro prætulerit, in hac ipſa *Hiſtoria* conſcribenda.

Omittens igitur, quæ de eo ſcripſerunt alii, ea duntaxat impræſentiarum commemorabo, quæ in his ipſis Manuſcriptis inventa, ab aliis fuiſſe prætermiſſa obſervavi. Nomen illi, *Rogerus Wendovre* de *Wendovre*: ut in M S. *Cottoniano* diſerte reperii. Quod arguit illum generoſa familia fuiſſe procreatum. Quia, ſcilicet, agnomen traxerat gentilitium (ut moris eſt noſtratibus) ab agro ſive opido rurali, progenitoribus ſuis ab olim hæreditario. Alios, inſuper, hoc cognomento gaviſos fuiſſe; hæc ipſa indicat Hiſtoria. Memoratur enim *Richardus* de *Wendovre*, Epiſcopus *Roffenſis* [b]. *Rogerus* autem noſter, Monachus primo *Ordinis nigri* ſive *Benedictini* in Cœnobio *Sanct-Albanenſi* attonſus, exigentibus poſtea meritis, non ſolum ſacerdotio cenſebatur dignus, ſed & ad Prioratum *Cellæ* de *Bealvair* in diſtrictu *Lincolnienſi*, eſt promotus. Ita enim in M S. prædicto inſcribitur, *Rogerus Wendovre* de *Wendovre*, *Prior* de *Bealvair*.

[b] *Hiſtoriæ p. 168. l. 52.*

Neſcio, ſane, an inimicitiæ aliquæ inter eum *Mattheumque* noſtrum, aliquando ſint exortæ: & an æmuli odio, vel amore veritatis, & pro nativa ſua increpandi libertate, iſta de eo ſic commemoraverit. Nimirum, quod *Willielmus* Sanct-*Albanenſis* Abbas, *cum viſitaſſet Cellam de Bealvair, audivit arcanas querelas de Priore illius domus Domino* Rogero *de* Wendovra; *quaſi diſſipaſſet bona Eccleſiæ in prodigalitate incircumſpecta. Correptus igitur ſuper hoc ab Abbate Prior, ſe promiſit talia profecto emendaturum. Tamen Abbas ad horam diſſimulans, obſervabat omnia hæc reponens in corde ſuo* [b]. Immo diſſimulavit Abbas, revera: nam non multo poſt, *Rogerum* noſtrum Prioratu exuit; & loco *Rogeri* de Wendovra Prioris de Bealvero, *Martinum* de Boderſham *Cellararium ſubſtituit* [c]. Atque hæc triennio fere vel quadriennio, ante mortem, *Rogero* noſtro

[b] *Vitæ Abbatum p. 119. l. 34.*

[c] *Ibid. p. 112. l. 1.*

noſtro contigerunt: non multum, ſcilicet, ante perſecutoris ejus, Abbatis *Willielmi* finem. Obiit autem Abbas, ſexto Kalendas Martii, ſive 24 Februarii, Anno Domini 1235. Cui non ultra biennium ſuperſtes *Rogerus, ſecundo nonas*, ſive die ſexto Maii, anno 1237. *Sacerdos demoritur*. Ita enim de utriſque propria manu ſua ſcriptum reliquit *Matthæus* noſter, in *Additamentorum* ſuorum libro: ubi dies *Obitus*, ſingulorum Monachorum S. *Albani*, nominatim commemorantur. Hinc apparebit, quod præſulatu licet *Wendoverus* ſit exutus, & Ex-prior factus, non tamen ab Hiſtoria conſcribenda ſeipſum omnino continuerit: illam enim uſque deceſſum perſecutoris ſui (vel circiter) continuans, ſub medium anni 1235, manum de tabula retraxit.

Huic autem in opere Hiſtoriographo ſuccenturiatus eſt Author *Matthæus*, inquam, ſive *Paris*, de Paris, Pariſius, de *Pariſio*, de *Pariſiis*, vel *Pariſienſis*, agnominetur. Omnibus autem hiſce cognominibus, aut ille ſemetipſum aliquando nuncupavit, aut ab aliis nuncupatum obſervavi. Ubi, vero, aut unde ortus, neſcitur. *Anglus* utcunque erat; & ab extero nemine, pro populari vel compatriota ſuo vendicatus. Hoc primum certi de eo reperi. utpote quod propria manu ſua inter *Obitus* Monachorum prænotatos, de ſeipſo ſub his verbis memoriæ commendavit. *Hoc anno* (1217.) *ego Frater* Matthæus Pariſienſis, *habitum ſuſcepi religionis, die Sanctæ* Agnetis (Januarii 21.) *Qui hæc ſcripſi, ut vivant Fratrum nomina in æternum.*

Quam canonice in Monaſterio converſatus, & quantam ſanctitatis famam ſit inde conſecutus; vel hinc eſt conjiciendum. Quod, ſcilicet, cum Monaſticæ ſeveritas diſciplinæ, in Norwegiæ Regni Monaſteriis jam fere in deſuetudinem abiiſſet: nominatim à *Norwegis Matthæus* poſtulatus, & nominatim a Papa *Innocentio* eo demandatus; priſtinum rigorem ordinis cum laude reſuſcitavit ([a].)

Fama autem eruditionis integritatiſque ejus adeo per *Angliam* inclareſcebat; ut ad continuandam *Anglicarum* rerum Hiſtoriam, mandato ſumptibuſque Regiis, ut creditur ([b],) accerſeretur. Quam vero familiariter a Rege *Henrico* III. ſit *interpellatus, juxtaque eum ſedere juſſus*: & quomodo *ea quæ tunc vidit, Hiſtoriæ commendaret*, a Rege ſit edoctus ([c]:) quomodo, inſuper, *cum Rege continue erat in menſa, in palatio, & in thalamo*: & ut *Rex ſcribentis calamum ſatis diligenter & amicabiliter direxerit*; ipſe eſt ſibi teſtis ([d].) Quanta, vero, eum Rex dignatus

a Hiſtoriæ p. 756. l. 32. & 42.

b Vide prioris Editionis Præfationem.

c Hiſt. p. 736. l. 52. & p. 737. l. 1. & 3.

d Ibid p. 945. l. 8.

dignatus eſt gratia, ut pro *Oxonienſi* Univerſitate interceden-
e Hiſt. p.945. l. 24. tem exaudierit ([e]:) immo, & quanta apud eundem Regem utebatur libertate, cum *illum* in faciem *imperterritus* aliquando
f Hiſt. p.783. l.43. redarguerit, ipſe ſibi ferat teſtimonium ([f].)

Aſt non *Angliæ* duntaxat notus, verum ad exteros etiam Principes & fama ejus pervolavit. Tantæ enim æſtimationis apud *Francorum* Regem *Ludovicum* extitit: ut ei quaſi Legato ſuo, Literas *Norwegorum* Regi *Haconi* deferendas, commiſe-
g Hiſt.p.741. l.12. & 26. rit ([g].) Quam charus denique & ipſi *Haconi* Regi, & quid *pro*
h Hiſt. p.753. l.51. *amore ejus fecerat*; ille ipſe vos edocebit ([h].)

Quot & qualia ſcripſerit, *Lelandus*, *Balæus*, *Pitſæuſque* noſtrates, exteros edocuerunt. Plurium, ſane, non ille ipſe meminit, quam *Vitæ Sancti Ædmundi, inter Hiſtoriales libros Sancti*
i Hiſt. p.869. l.29. *Albani* ([i].) Illam *S. Ædmundi Vitam* jam olim deperiiſſe conjicio: & niſi per *Hiſtoriales* illos *libros ſancti Albani*, has ipſas *Majorem Minoremque* Hiſtorias; cæteriſque quas ſcripſiſſe dicitur *Vitis*, ſignificarit; non mihi licet augurari.

Quod vero & additamenta conſcripſerit, palam de ſe ipſo
k P.100.b. col.1. in eorum libro M S. profitetur. Ita enim [k] ibi inveni Auctenticum Papale, quo dominus *Matthæus Pariſienſis, qui & hæc ſcripſit, deſtinatus eſt & conſtitutus (licet invitus) reformator ordinis* Sancti *Benedicti*, & *Viſitator nigrorum Abbatum & Monachorum eo-*
l Vide Hiſt. p.756. *rundem in Regno* Norwegiæ [l]. Et alibi etiam, in eodemmet
m P. 121. b. col.2. ipſo M S. [m] *Hoc privilegium inſigne impetratum tempore* Matthæi Pariſienſis *horum ſcriptoris. Abſit quod in futurum Abbates illo temere abutantur, ſicut plerumque contingit.* Atque hæc verba propriiſſima *Matthæi* manuſcripta fuiſſe conjicio.

Stilus utcunque, & in pluribus, *Wendoverum* imitatur; ſed comptior plærunque incedit & Latinior: & ſi *Willielmos, Malmeſburienſem Neubrigenſemque* atque *Ædmerum* excipias; omnium Hiſtoriographorum noſtratium antiquorum, latiniſſimus (immo Coryphæus facileque princeps) merito eſt cenſendus. Quod, vero, turgidius aliquoties intumeſcat, & poſt unam alteramve periodum, languidule & ſibi jam factus inequalis, ſtylum demittat: immo, & quod dictio ejus ſtribiliginem ætatis ſemibarbaræ aliquoties oleat; non illi, ſed illius ævo imputabunt Criticaſtri. Atque hæc jam prælibavi, ut delicatulorum aut arcerem, aut inhiberem nauſeam magiſtellorum: qui ut aliquantillum delibarunt minus *Ciceronianum*, ambabus protinus horrent auribus, tumidiſque expuere buccis moliuntur. Aſt utcunque erat hic noſter in ſententiis, in ſenſu tamen non adeo hebetem fuiſſe obſervabis: immo potius aciebus cuſpideque

trucem

trucem ſatis atque præacutum in omni fere pagina experti ſunt alii. Omnes enim ſecat, univerſos pungit; ac ſi nulli omnino mortalium aut parcere, aut condonare, rigidiſſime ſibi propoſuiſſet. Non Epiſcopis, ſcilicet, non Magnatibus; non Regibus, non Imperatoribus; immo nec ipſi Papæ, aut Abbati proprio. Aſt tanquam furioſus quiſpiam in quadrivio, ex quacunque plaga viator ſupervenerit, *Tros* ſit *Tyriuſve*, hoſpes an hoſtis; ſi illi non placuerit, flagris miſellum adoritur, loriſque male multatum procul arcet abigitque.

Atque hinc eſt, quod hominem tam acriter ſugillarint Scriptores Pontificii: doctiſſimi nimirum, Cardinales *Baronius* & *Bellarminus*; uti & *Poſſevinus*, *Coeffeteaus*, [a] aliique, quaſi in Pontificem *Romanum* iniquiorem. Aſt pace tantorum virorum dico, quod *Romanæ* rapacitates Curiæ, tam frequenter, tantaque cum declamandi libertate, *Matthæus* redarguerit: id ſane patriæ ſuæ zelatæ miſeratorique, omnino eſt condonandum. Non ſannas enim calumniaſque immeritas, quaſi Papæ gratis deſtomachatus eructavit; ſed *Angliæ* planctus, ſuſpiria gemituſque; nec eos atramento depingendos, ſed ſanguine lacrymiſque. Liberius, fateor, avaritiam *Romanæ* Curiæ venalitatemque carpit *Matthæus*; ſed non e noſtris is ſolus: *Ædmerum* [b], teſtor, *Malmesburienſem* [c], atque *Newbrigenſem* [d]. Immo, ſi Pontificii in *Wendoverum* incidiſſent, non uni *Matthæo* inimicarentur. Audacter dico, quia expertus dico; vix unam aut alteram ejus generis querelam, apud *Matthæum* inveniri, quæ non etiam apud *Wendoverum* reperiatur. Immo & *Weſtmonaſterienſis* illas ipſas fere retinuit: pluresque poſt illum *Walſinghamus* addidit. Adjicio, non *Angli* duntaxat, ſed & *Galli*, ſed & *Germani*, ſed & *Alii*, adverſus *Romanam* Curiam gutture ſane non rauco, ſed ſtentoreo; immo plenis, quod aiunt, buccis, rictibuſque patulis non ſemel eboarunt. Non nos *Angli*, ſed *Exteri* profecto, *Planctus* illos, *Onera*, *Gravamina* & *Deplorationes Eccleſiæ* vel *Imperii* ediderunt. Quæ non ideo nunc inculco, ut vulnera quæ (Deo gratias) nec ſentimus nec timemus, recrudeſcere faciam, aut *Romanos* ut irritem; ſed ut *Matthæum* excuſarem: utpote de oppreſſionibus quas eſt perpeſſus, ſibi patriæque humanitus condolentem.

In iſtis autem, quicquid a prioris Editionis Evulgatore mutatum ſuſpicantur Pontificii, a me, bona fide, in *variantibus* meis *lectionibus* invenient reſtitutum. Tu, Lector, ſi placet, earum conſule *Præfationem*. Scias enim, me dolo malo nihil omnino vel mutaviſſe vel ſubſtituiſſe. Quod & ſancte dico. Si quid igitur

[a] Vide Notas *D. Seldeni.*

[b] Papæ (*inquiunt*) quid dicemus? ſi aurum & argentum *Roma* præponit juſtitiæ; quid ſubventionis, quid conſilii, quid ſolaminis ibi deinceps in ſua oppreſſione reperient, qui pro adipiſcenda cauſæ ſuæ rectitudine, non habent quod dent? *Ædmer.* l. 2. p. 32. l. *ult.*

[c] Romani ſanctiùs & ordinatiùs cenſent, ut Eccleſiarum omnium ſumptus ſuis potiùs ſerviant marſupiis, *&c. Malmsb.* de geſtis pontificum, l. 2. p. 136. a. lin. 21.

[d] *Romanum* Pontificem adierunt, & quæſtionem tantò gratiorem, quantò ponderoſiorem *Romanis* auribus intulerunt, Et alter quidem in cauſa præſtantior, neuter verò niſi exhauſto ſacculo reverſus eſt. *Neubrigens.* l. 1. c. 10. p. 35.

igitur ullibi in his peccatum animadvertes, illud omne aut oſcitantia aut ignorantia mea (Coadjutorem enim omnino non habui) fuiſſe præterlapſum, non erubeſco profiteri. Ex Theologorum enim, ſive Confeſſionis *Anglicanæ* Sacerdotum Collegio ſum: nec partibus ſtudeo ſed veritati. Licet enim occaſione Schiſmatis (quod doleo) lites non raro de dogmatibus inter partes oriantur: & cum conſcius mihi ſim multa in *Matthæo* noſtro inveniri (utpote qui ſub indocto vixerit ſeculo) pro *Romanis* potius quam pro noſtris facientia; ſprevi tamen vel unicam lineam literamve, aut deleviſſe aut demutaſſe. Immo, etiamſi pro certo confidiſſem, me unico dolo (eoque ab omnibus celato) viciſſe potuiſſe: & non tantum partes noſtras egregie defenſiſſe, ſed & in æternum Adverſariis ora obturaſſe. Turpiſſima Theologo aut victoria eſt aut gloria, quæ cum fraude mala, & non ſine ſacræ præjudicio veritatis, non eſt acquiſita ſed ſurrepta.

Habes ingenuitatem meam Lector, & opellam: utriſque cum bono Deo, in otio & ſanitate tuo fruare; mihique jam votis faveas, juveſque orationibus.

PRIORIS EDITIONIS ANNI 1571.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUum neceſſariò non ſit faciendum, libenter nolui, nec debui præfari pluribus, amice Lector, de ſummo ſtudio, de fideli diligentia, de aperta & ſimplici veritatis narratione, quas hic Author (quem in manibus habemus) *Matthæus Paris* exhibuit. Certò ſpondere & polliceri audeo, teipſum ſtudioſum hujus hiſtoriæ & aſſiduum Lectorem, hunc Authorem ſatis laudaturum, cùm ipſum per ſe opus laudatiſſimum ſit. Author verò ipſe ſingularis fidei teſtimonium reliquit, quod temporibus illis iniquis, cùm omnia mendaciis & fabulis depravata eſſent, tam æquabile tamen & temporatum judicium ſervaverit, ut quod geſtum fuiſſe ipſe audiverit, ſimpliciter enarraverit: apud hunc cauſæ & veritati omnia deferuntur: perſonis, affectui, tempori omnia denegantur. Illud verò eſt admirandum, quod in hoc opere auſus ſit tam ſæpè, tam maneſeſtè, tam vehementer & intrepidè notare, & ſimul deteſtari arrogantem ſuperbiam, inſatiabilem divitiarum cupiditatem, tyrannidem, & injuſtum inperium *Romani Pontificis*, quod in omnes hujus celeberrimi Regni Principes, Nobiles, plebeios exercuit. Hìc mirari ſatis non poſſumus hujus temporis ſtuporem & cæcitatem, aut ſi mirari deſinamus, juſtum & graviſſimum Dei judicium, quòd hujus florentis Regni tam nobiles & ſapientes Principes, tam doctus & eruditus Clerus, aut noluerint videre, aut non potuerint cernere tam iniquam dominationem. Homines enim Angli, honorati, prudentes, & (quod maximè repugnat) magno & elato animo fortiſſimi, nullum ſervitutis jugum recuſarunt, Papæ mancipia, & verè Romani aſini effecti ſunt, qui omnia illius onera quantumvis dura, cum applauſu etiam portarent & ſuſtinerent. Hoc illud irati Dei ſeveriſſimum judicium in nationem hanc noſtram exiſtebat, quòd ab oculis & mentibus illorum abſconditus erat homo iſte peccati, filius perditionis, adverſarius, qui effertur adverſus omne quod dicitur Deus aut Numen; adeò ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſemetipſum quaſi ſit Deus. Hic tamen (ut prædixerat *Paulus*) aliquando tempore ſuo detegendus fuit & revelandus; qui illis temporibus operabatur myſterium iniquitatis. At *Paulus*, ut prænovit, ſic præmonuit, Iniquum hunc manifeſtandum eſſe: quem (inquit ille) Dominus conficiet ſpiritu oris ſui, & abolebit claritate adventus ſui per Evangelium, quantumvis aſtutè & callidè omnia perfecerit ſecundum operationem Satanæ in omni potentia & ſignis, ac prodigiis mendacibus, & in omni deceptione injuſtitiæ. *Paulus* etiam cauſam aperit: Quoniam (inquit ille) dilectionem veritatis non ſunt amplexi, ut ſalvi fierent, propterea miſit illis Deus efficaciam illuſionis, ut crederent mendacio, qui non crediderunt veritati, ſed oblectati

oblectati ſunt in injuſtitia. At nos, qui hodie vivimus, nos, inquam, Angli (quos ad hæc fœlicia tempora reſervavit Deus, ut eſſemus, ſi non impiè ingrati in Deum, & ampliſſimi accepti beneficii immemores) ſtudioſi & aſſidui ſimus in hoc noſtro Chriſtiano officio Deo perſolvendo, nimirum in gratiarum actione, & divinorum erga nos benefactorum perpetua celebratione: quoniam elegit nos Deus in ſalutem per ſanctificationem ſpiritus, ac fidem veritatis, ad quam vocavit nos per Evangelium. Quare per excellentem & egregiam hanc vocationem, ego vos hortor, Lectores chariſſimi, (ut Apoſtolus *Paulus*, Theſſalonicenſes ſuos) ſtare, & tenere inſtitutiones, quas didiciſtis, & permanere in illis. Pudeat, pudeat hujus noſtri ſæculi homines mentè corruptos, non ſolùm plebeios, ſed quoſdam primarios, qui de Evangelica veritate, oh, gloriantur in primis, ut iſtud divinum lumen religionis Evangelicæ tam palàm dedecoroſis moribus contaminent, tam petulantibus linguis in ſuis publicis cœtibus, in menſis communibus, abſentium hominum famam, nihil malè de illis commerentium, lædere & conſpurcare pro ludo habeant, homines quos ſuis coloribus graphicè depingit *Judas* Apoſtolus. Sed hic ceſſo, & precor, ut Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, & Deus & Pater, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, conſoletur corda noſtra, & ſtabiliat nos in omni ſermone & opere bono, uſque dum venerit Dominus, qui judicabit occulta cordium, & tunc laus erit unique à Deo. Amen. Nunc ut plenius & interius Authorem hunc noſtrum recognoſcamus, ſciendum eſt hunc *Mattheum* profeſſum Monachum fuiſſe in Monaſterio Albanenſi, qui ob egregium virtutum comitatum, ob eruditionem, & ſapiens judicium, magno in pretio & honore habebatur in primis ab *Henrico* ejus nominis Tertio, quo tempore vixerat: hoc manifeſtè & liquidius apparebit, ſi ſtudioſè expendantur, quæ legis in anno Domini 1247. & huic operi inſerta, pagina 736. linea 43. Sed ſicut hic *Mattheus* in ſatis amplam & optatam gratiam aſcriptus fuit, & approbatus à Principe ſuo *Henrico*, à reliqua Nobilitate hujus Regni, & ab omnibus ſubditis, qui Deum purè caſtéque coluerunt, & ſacroſanctam ipſius veritatem ſuſpiciebant: ita pro nuda & ſimplici veritatis deſcriptione, qua uſus eſt, pro ſtyli ac orationis ſuæ nimia (ut putabatur) ſeveritate, (in primis contra Papam, & illius ſedis uſurpatum & tyrannicum imperium) à Romanenſibus non ſatis pro dignitate probatus erat, ſed illum malitioſè calumniabantur, in ſuſpicionem, vel potius in odium adduxerunt, neque volebant permittere hanc hiſtoriam per ora & manus hominum volitare, & liberè pervulgari: quod vel ex eo ſatis conſtat & comprobatur, quòd rara ſint & pauciſſima hujus hiſtoriæ exemplaria quæ hodie extant, quum paſſim plura ſint & numeroſa exemplaria *Gaulfridi* Monumetenſis, *Henrici* Huntingdunenſis, *Guilielmi Parvis*, *Guilielmi* de Malmesbery, *Ranulphi Ceſtrenſis*, *Florilegi*, & ſimilium, quamvis manca, mutilata, & in multis locis miſerè & turpiter depravata, quod ex variis collatis codicibus manifeſtè depræhenditur. Hic *Matthæus Paris* non ſolum ſingulari ſcientia & cognitione præditus fuit in antiquitatis monumentis eruendis, & hiſtorica rerum geſtarum ſerie continuanda, ſimpliciter & cum ſumma libertate memoriæ committens, quæ ad illum à Rege & Senatu Nobilium deferebantur: Sed etiam bene exercitatus & expertiſſimus fuit in pluribus ingenuis & docto ac libero homine dignis virtutibus, (& juſtam habet venerationem quicquid excellit, ut inquit ille) ut in pulcherrima & aptiſſima ſcriptione Textuali (ut vocant) manu, in exquiſita pictura, & deſcriptione rerum geſtarum, in ſua propria forma, & membrorum ac partium omnium juſta proportione, peritiſſimus fuit, ut quidam Author ejuſdem Cœnobii teſtatur, in Regiſtro Benefactorum ejuſdem Cœnobii, fol. 50. cujus artis ſuæ egregium experimentum reliquit in

primo

primo exemplari hujus hiſtoriæ ſua manu ſcripto: in quo ſæpè hiſtoriam quam verbis explicaverat, viva etiam & concinna rerum ipſarum delineatione ob oculos poſuit: ſimul etiam in eodem opere in margine adjunxerat variorum Principum ac nobilium ſtemmata & honoris inſignia, propriis ſuis coloribus & imaginibus expreſſa: quæ omnia adhuc diligentiſſimè reſervabuntur, pro majori authoritate & confirmatione unverſorum & ſingulorum quæ in hoc opere imprimuntur. Jam verò, quodcunque tandem judicium perhibuerunt de hoc noſtro Authore quidam recentiores, ut quos libros ediderat, quorum verus eſſet & indubitatus Author, ubi exorſus ſit hiſtoriam ſuam, & quouſque eandem continuaverat, quos imprimis fidos, & vetuſtiores Hiſtoricos ſequutus ſit, quando à ſcribendo ceſſaverat: illud tamen, ut ſingulæ hæ dubitationes terminentur, firmiſſimum putare debemus, (ut ex omnibus veriſimilioribus conjecturis colligi poteſt, quæ paſſim in libris ſuis inveniuntur) quòd planè eodem modo & ordine ſcripſerit omnia, ut in Præfatione *Matthæi Weſtmonaſterienſis* latius exprimitur. Quos Annales iterum in unam hiſtoriam reduximus, auxilio videlicet manuſcripti codicis clariſſimi viri D. *Guilielmi Cecill*, Militis, & primarii Secretarii illuſtriſſ. Principis *Dominæ Elizabethæ* Angliæ Reginæ. Cujus exemplar exorditur ab anno Domini 1066. & uſque ad annum Domini 1208. progreditur, annum ſcilicet Regis *Johannis* decimum. Nonnulla etiam petita ſunt è vetuſto quodam codice *Edovardi Aglionby* de Balſal Temple Armigeri, quantum ad priorem partem hujus integræ hiſtoriæ Magnæ, quæ continuatur ab exordio mundi uſque ad annum Domini 1189. Deinceps verò ab anno prædicto uſque ad annum domini 1254. uſi ſumus manu ſcripto codice præclari viri *Henrici Sidnæi*, Garterii ordinis Equitis aurati, Præfecti Hyberniæ, & Walliæ Præſidis. Cujus quidem codex manu ipſius *Matthæi* ſcriptus, etiamſi per fraterculum aliquem turpiter admodùm in aliquot foliis mutilatus, & in plurimis locis eraſus ſit, per aliud tamen honeſti cujuſdam hominis exemplar in integrum reſtitutus eſt. Poſtremò, adjuti ſumus per poſteriorem partem cujuſdam Minoris hiſtoriæ exemplaris prænobilis viri D. *Henrici Comitis Harundellii*, ab anno Domini prædicto 1254, ad annum ultimum Regis *Henrici tertii*. Et quomodocunque hujus *Matthæi* libri à ſeipſis diviſi & diſcerpti, ſimúlque perperam colligati fuerunt, at putandum eſt illum Authorem fuiſſe hujus ingentis ac amplæ hiſtoriæ continuatæ ab *Adamo* uſque ad Regnum *Guilielmi* Ducis Normanniæ Conquæſtoris: quæ tamen non rectè (ni fallor) cum titulo & nomine *Matthæi Weſtmonaſterienſis* inſcribitur. Inde ſcilicet à tempore *Guilielmi Victoris*, hic *Matthæus Paris* continuo ordine ſuccedentibus temporibus hiſtoriam hanc contexuit, & produxit ad annum Domini 1250, ubi apud ſeipſum conſtituerat conſiſtere. Et hujus propoſiti rationes plures eo anno adduxit, & ſibi ipſi his verſibus eodem anno ſcriptis locutus eſt:

> *Siſte tui metas ſtudii, Matthæe, quietas*
> *Nec ventura petas, quæ poſteà proferet ætas*, &c.

Attamen poſt illud tempus plures annos literis mandavit, ante tempus illud quo ex hac vita & luce migraverat, quod fuit anno Domini 1259. Quæ reliqua eſt & altera pars hiſtoriæ hujus, quæ orditur paulò ante annum 1260. & diſtenditur ad finem & terminum regni *Henrici* tertii, ſcilicet in anno 1273, à quibuſdam aſſcribitur *Guilielmo Riſhanger*, in eadem æde Albanenſi Monacho. Atque hic, quamvis hoc teſtimonium ferat Florilegus (quem ſecutus eſt *Balæus*) *Rogerum* de *Windeleſhor*, paulò ante hujus ætatem ſcriptorem, in Monaſterio Albanenſi abſolviſſe ſuam hiſtoriam in anno Domini 1235, & *Matthæum Paris* in anno tum proximè ſequenti incepiſſe: tamen certum eſt *Matthæum*

thæum non ſolùm inſtituiſſe, ſed produxiſſe & ampliâſſe hanc Majorem hiſto-
riam ab initio rerum & mundi creatione, ad annum Domini ferè. 2260. Sa-
nè ſtudioſius eum hanc provinciam in ſe ſuſcepiſſe credibile eſt, quòd lege &
communi decreto cautum erat apud nos Monaſteria & Collegia eccleſiaſtica,
in primis verò & præ cæteris Albanenſe Cœnobium, quaſi communem the-
ſaurum & receptaculum debere eſſe, ubi reponerentur ac fideliſſime reſerva-
rentur omnia hiſtorica geſta hujus Regni, & quæcunque memoria ac fama
digna eſſent: quod & notavit *Ponticus Virunius*, in hiſtoria ſua Britannica, in
qua hoc teſtatum relinquitur, morem & conſuetudinem Occidentalium Prin-
cipum fuiſſe, ſemper apud ſe domi habere tales eruditos & doctos viros, qui
ſua & ſuorum dicta & facta egregia, verè poſſent & memoriter ſtatim expe-
dire; nolebant tamen hæc ſua magnifica & heroica geſta in publicum prodire
& evulgari, quamdiu aut ipſi aut ipſorum filii viverent. Semper verò hæc
illuſtria & nobilia exempla in Principum regeſtis diligentius cuſtodiebantur,
ut hinc inſequens poſteritas ad majorum ſuorum excellentes virtutes, & imi-
tationem faciliùs informarentur. Pro graviori teſtimonio hujus antiqui &
perveteris moris in hac Anglia noſtra, (quod his noſtris diebus valde opta-
bile eſſet, ut ſervaretur accuratius) memoriæ mandatum eſt ab illo qui
ſcripſit *Scotichronicon*, libro 16. cap. 39. *Statutum eſt* (inquit) *convenienter
in Anglia (ut audivi) quòd unumquodque Monaſterium à Regibus fundatum, haberet
de ipſo loco ſuum certum ſcribam, vel ſcriptorem, quò omnia notabilia tempore Regis,
ſaltem in Regno, vel è vicinis contingentia, ſecundum quod veritas facti ſe haberet,
cum data annotarentur: ad proximum generale Concilium, poſt obitum Regis, omnes illi
Chronographi convenirent, & ſua verè dicta, ſive ſcripta, in medium producerent, &
dilectis à Concilio ſagacioribus, & in talibus peritis & expertis, ſcripta examinarent,
& diligenti habita collatione, de congeſtis ſummarium extraherent, & Chronicam com-
pingerent, ac in Cœnobicis Archivis librariorum, pro authenticis Chronicis, quibus fides
daretur, ſcripta reponerent, ne temporum labilitate memoriæ geſtorum in Regno deperi-
rent.* Hæc ille. Hic mos continuabatur, & ſtudioſe obſervabatur à pluribus
Cœnobitis, ſed maximè ab illo Monacho Albanenſi, *Thoma Walſingham*, qui
in ſummam & compendium congeſſerat omnia memoratu digna, quæ gere-
bantur ab ultimo anno *Henrici* tertii, ad annum primum *Henrici* ſexti: cujus
hiſtoria (ſi hic labor noſter quod ſperamus, ſatis tibi probabitur, amici Le-
ctor) à nobis poſthac fortaſſe in ordinem rectius compoſita adducetur, &
prelo etiam in tuum commodum committetur. Interim in hoc opere habes
octo Regum à conqueſtu res geſtas celebriores, videlicet *Guilielmi* primi, qui
in anno 1067. incœpit, ut in pagina 5. *Guilielmi Rufi*, in anno Domini 1088.
pag. 14. *Henrici primi*, in anno 1100. pag. 55. *Stephani*, in anno 1135. pag. 99.
Henrici ſecundi, in anno 1154. pag. 121. *Richardi primi*, in anno 1189. pag.
153. *Johannis*, in anno 1199 pag. 197. *Henrici tertii*, in anno 1216. pag. 289.
Tandem, ut de hoc opere ſtatuamus, ſicut hic *Matthæus* hujus Majoris hiſto-
riæ author fuit, ſic etiam & breviorem ipſe hiſtoriam ſcripſerat, quæ à
Regno *Guilielmi* Ducis Normanniæ Victoris, ad annum Domini 1250 perdu-
citur: (ut reliquos tres annos ſub eodem compendio deſcripſit) hanc multò
preſſius & brevius contraxerat, quàm in hac Majori & fuſiori hiſtoria fecit:
quamvis multa ſingularia, quæ in hac Majori hiſtoria non habentur, ſcripta
ſunt. Illam autem Minorem collegiſſe ſcribit ipſe *Matthæus Paris*, quemad-
modum in Prologo ſuo illi operi præfixo teſtatur, ſic incipiente: *Conſiderans
prolixitatem chronicorum Angliæ, hæc ſub ſuccincta brevitate ac compendioſa*, &c.
& hæc hiſtoria fortaſſis poſthac prelo committetur, niſi ipſemet D. *Harun-
dellus* apud ſemetipſum conſtituerit ſuum exemplar in manus hominum emit-
tere. Jam ſi horum breviorum annalium flores quoſdam decerpere deſideras
(ſtudioſe

(ſtudioſe Lector) comparato tibi librum illum Argentini impreſſum, anno Domini 1562, cui titulus eſt, *Catalogus teſtium veritatis contra Papam*: qui ab anno 1094, ad annum 1259. guſtum illius ſcripti tibi præbebit, hæc in illo invenies pagina 366. Hic codex ſcriptus Minoris hiſtoriæ quomodocunque ad eum Scriptorem ex anglia tranſerebatur, quondam mutuatus fuit, ut opinor, è publica Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis *Divi Pauli Londini*. Si hæc de Authore & opere, tanquam levis armaturæ primo excurſio noſtra, deſiderio tuo ſatisfecerit (amice Lector) ipſe tum quoque abundè mihi ipſi ſatisfacio in iſtis meis veriſimilibus conjecturis, quas in hoc brevi diſcurſu meo in medium adduxi. Et (ut finis ſit) ſi tu alia magis exquiſita & perfectiora habeas exemplaria, quæ ad fidem faciendam his annalibus accommodatiora fuerint, ſi hoc nobis perutile adjumentum impertiri volueris, cum nobis imprimis acceptum & pergratum officium feceris, tum ab omnibus (idque ſummo merito tuo) debitam & maximam gratiam inibis. *Vale.*

DE MATTHÆO PARISIENSE, UTI ET DE ROGERO de WENDOVER

(Cujus Annales eiſdem fermè verbis eſcripſit MATTHÆUS)

ET DE

GUILIELMO RISHANGERO.

(Cui *Matthæi* continuatio ſeu excuſorum pars poſtrema tribui ſolet) Inſigniora, tum è *Proteſtantium* tum è *Pontificiorum* Scriptis TESTIMONIA.

PROTESTANTIUM Teſtimonia.

JOHANNES LELANDUS, in Collectaneorum tomo quarto, autographo; qui eſt de *Angliæ* Scriptoribus illuſtribus; In publica Bibliotheca *Oxonienſi*, p. 207.

MATTHÆUS PARISIUS *Albanenſis cœnobii Monachus, meo quidem videre dignus eſt, qui inter Noſtræ gentis Scriptores numeretur. Noſtratem autem fuiſſe, quamvis Pariſius dictus ſit, mihi quidem conſtat. Nam Pariſiorum cognomen, olim apud Anglos erat, quemadmodum & nunc celebre. Niſi quis ſentiat illum à vulgo Pariſienſem nominatum, quòd aliquando Luteſiæ Pariſiorum ſtuduerit: Sed in hac re utpote incerta nihil volo ſtatuere, multò rectiùs auſpicaturus à re perinde memorabili ac certa, quæ præſens negotium bellè ornet ac illuſtret.* Canutus *magnus Danorum, ſimul & Anglorum, Princeps duo præclariſſima monachorum cœnobia à fundamentis erexit: Quorum unum apud Fennicolas, octo aut eo amplius paſſuum millibus à Nordovico principe, non modò Nordovolgiæ, verumetiam, excepto Londino, totius Britanniæ civitate diſtans, hodie floret, & à vulgo Fanum Benedicti appellatur; Quanquam antiquitus* Holmus, *quòd inſulæ ſitum referret, dicebatur: Cui Cœnobio nunc præeſt* Repſius *Epiſcopus* Nordovicenſis, *vir profectò candidiſſimus, & mihi familiariter cognitus, tum præterea Theologus ad unguem doctus. Alterum verò ejuſdem nominis in Norwegia conſtruxit.* Holmus *Britannicus Religionis normam quam diligentiſſime obſervabat, Norwegiano paulatim ad luxum declinante: id quod cum* Innocentio *Pontifici Romano innotuiſſet, ſtudebat morbo quotidiè invaleſcenti opem ferre. Jamque de medico cœpit ſollicitè agere. Quo tempore* Matthæus Pariſius, *tum literarum, tum præcipuè virtutis calculo ei commendatus eſt. Scripſit igitur ad Albanenſis cœnobii præſidem, ut* Matthæum *in Nordovegiam ad* Holmenſes *Monachos tranſmitteret, quo illic Religio conſpurcata, priſtinæ reſtitueretur puritati. Ille verò Romani mandata facere, &* Matthæum *honeſto inſtructum viatico, mari ac ventis commendare. Nolo hic longa oratione lectori brevitatis forſan amatori moleſtiam adferre*

ferre. Pervenit ille quidem ad Holmenſes *ſalvus, & incolumis, Religionis puritatem ad priſtinum ſtatum revocavit, magnamque meritò gratiam apud Monachos inivit. Poſteaque patriam repetiit, exceptus magno cum Albanenſium applauſu. His modis primus illi ad immortalitatem gradus adcrevit. Reſtat modò ut de ſecundo gradu, qui totus ex literis conſurrexit, aliquid dicam. Domum reverſus aſſiduè, quemadmodum & ante fecit, ſtudiis vacabat, ac doctos viros, quotquot tunc temporis in Britannia claruerunt, impenſiſsimè coluit, unde variam ſibi multarum rerum cognitionem pariebat. Quid dixi ſibi pariebat? Immò patriæ potiùs & poſteritati. Nam cum prudens vidiſſet Hiſtoriam rem eſſe cordatis hominibus in primis neceſſariam, auſpicatus ab ultimo anno* [1] *imperii* Henrici *ſecundi Anglorum Regis, acta noſtræ gentis uſque ad* xxxvii Henrici *tertii maxima cum diligentia juxta ac fide perſcripſit; cui & poſtea multarum rerum ſcientia auctus Appendicem, titulo Additamentorum, annexuit. Simili quoque diligentiâ in illuſtrandis memorabilibus viginti duorum Abbatum Albanenſium factis uſus eſt: Incipiens videlicet à* Vilogodo *primo Albanenſis Cœnobii Abbate, & in* Gulielmo, *cujus tempore calamum non ſegniter exercuit, operi ſummam manum imponens. Atque adeò hinc fateor me didiciſſe bonam partem antiquitatis Verolamienſis municipii. Scripſit etiam vitam* Edmundi Richii *Cantiorum Archiepiſcopi, omnia tamen à* Richardo Vicario & Rogero Bacone *prius edoctus. Hîc plura conantem dicere de* Matthæo Pariſio *materia deſerit.*

Joannes Balæus de Scriptoribus Britanniæ, Cent. 4. Script. 26.

MAtthæus Paris, *ſeu Pariſius, ad Fanum divi Albani, quod olim Verolamium dicebatur,* Benedictini *Monachus inſtituti, liberalibus literis ab infantia eruditus, ſtudiis continuis vacabat, ac viros doctos impenſiſſimè coluit. Et cum prudens vidiſſet, hiſtoriam rem eſſe cordatis hominibus in primis neceſſariam: auſpicatus à Conqueſtu, ut vocant,* Guilhelmi *Normannorum ducis, per octo regum tempora, acta noſtræ gentis uſque ad annum 35* Henrici *tertii Anglorum Regis, annum ſcilicet Domini* 1251. *maxima cum diligentia juxta ac fide perſcripſit. Cui & poſteà multarum rerum ſcientia auctus, continuationes novem ferè annorum, & appendices Additamentorum titulo annexuit. Simili quoque diligentia in illuſtrandis memorabilibus* 22. *Albinenſium factis, uſus eſt, incipiens à* Vilogodo *primo, uſque ad* Guilhelmum *perduxit, cujus tempore calamum exercuit. Ob eximias corporis, & animi dotes multis erat acceptus, Regi* Henrico *præcipuè, qui juſsit ut ſui temporis geſta conſcriberet, quod & fecit. In quibus quorundam Romanorum Pontificum avaritias, fraudes, mendacia, dolos, pompas, impudentias, tyrannides, & artes peſſimas ita depinxit, ut nullus unquam* Apelles *melius. Fœditates & turpitudines Antichriſti, pedum oſculis non honoravit, ſed vivis reprehenſionibus detexit, deriſit ac damnavit, ut & illas deteſtaretur poſteritas. Congeſſit* Matthæus

Hiſtorias à Conqueſtu [2]	*Lib.*	8.	*De Chronographia locuturi primò*
Continuationes hiſtoriarum [3]	*Lib.*	1.	*Dominus Rex fuit apud Winton*
Deſcriptionem mundi [4]	*Lib.*	1.	*Câſtrum Doverenſe in ipſa rupe.*
Hiſtorias Hibernenſium [5]	*Lib.*	1.	*Magnus* Patricius *Hibernorum.*
Hiſtoriam à mundi origine	*Lib.*	1.	
Geſta 22 Abbatum	*Lib.*	1.	
Additamenta Chronicorum [6]	*Lib.*	1.	
Vitam divi *Guthlaci*	*Lib.*	1.	
Vitam *Wolſtani* Epiſcopi	*Lib.*	1.	
Vitam *Ædmundi* Archiepiſcopi	*Lib.*	1.	
De paſſione D. *Amphibali*	*Lib.*	1.	
Chronica majora D. *Albani*	*Lib.*	1.	

Et

Et alia nonnulla. Ab Innocentio *quarto Romano Pontifice juſſus, ut* Lelandus *habet, in Nordovicenſi dioceſi conſpurcatum monachiſmum à multis inquinamentis olim purgavit. Obiit eo anno, quo Chronica finiebat, Anno ſcilicet noſtri Servatoris* 1259. *ad fanum Albani ſepultus,* Henrico *tertio regnante.*

Idem *Johannes Baleus* in Catalogo quodam ſcriptorum *Anglicanorum* manu ipſius exarato, * quem ex diverſis autoribus, ut operi ſuo de ſcriptoribus *Angliæ* ſibi prævius eſſet, ſummâ contexuit induſtriâ.

* In Bibliotheca *Jo. Seldeni.*

MAtthæus Pariſius *monachus ad fanum Albani, ſcripſit Hiſtoriam ſeu opus Chronicorum lib.* 1. *atque alia quædam. Claruit anno domini* 1248.

Ex *Boſtoni Burienſis* † Catalogo.

Matthæus Paris *ſcripſit in magno volumine tempora trium Regum,* Richardi, Johannis *&* Henrici *tertii, lib.* 1. *anno Dominicæ Nativitatis* 1189. *Rex Henricus, &c.*

Durat hoc Chronicon ab anno,&c. 1189. *uſque ad* 1251.
Supplementum ſui Chronici lib. 1.
Chronicon Regum ab Alphredo *lib.* 1.
Atque alia nonnulla. Claruit ſub Henrico *prædicto.*

† De eo videſis *Baleum* Cent. 7 ſcript. 48. & *Jo. Pitſeum Ætat.* 15. ſcript. 760.

Ex *Talboto* * Sacerdote, Antiquario.

Matthæus Paris *juſſu Romani Pontificis Monachos nigros in Norwegia reformat atque in Anglia ad Fanum divi Albani & ad fanum* Edmundi Martyris *in* Bury. 1248.

* Vide *Jo. Baleum* Cent. 9. ſcript. 49. & *Jo. Pitſeum* ætatis ſcript. 975.

Ex Chronico Reginaldi Mohun.

Matthæus Paris, *ſuum auxit Chronicon ad annum fere* 1260. *& tandem obiit ad fanum divi Albani anno domini* 1259.

Ex eodem Chronico Reginaldi fol. 217.

Matthæus Paris *Monachus ad fanum divi Albani ſcripſit Hiſtoriam Anglorum à conquiſitione per* Guilielmum Normannorum *ducem complectentem octo Regum tempora uſque ad annum domini* 1250. *libros* viii. de Chronographia id eſt temporum deſcriptione locuturi primo detractoribus invidis *liber incipit,* Anno Dominicæ incarnationis 1067. Interempto. *Deſcriptionem mundi lib.* 1. Caſtrum Dovorenſe in ipſa rupe. *Continuationem Hiſtoriæ lib.* 1. Dominus Rex fuit apud Wintoniam ad natale anno domini 1251. qui eſt annus regni.

Ex Bibliotheca Domini Regis.

In alio volumine habetur Hiſtoria ab origine mundi uſque ad annum domini 1189. *in quo ſequitur continuatio ab eo anno.*

Ex ſcriptis marginalibus ejuſdem.

Matthæus Paris *eò fidelius hæc ſcripſit quo ex præcepto Regis accepit fol.* 129.

Compoſuit vitam Ædmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi, anno Domini 1253. *ut erat edoctus à* Richardo Wyche *Epiſcopo Ciceſtrenſi & à Magiſtro* Roberto Bacon † *Dominicano. lib.* 1.

Geſta Abbatum Divi Albani *Lib.* 1.
Vitam *Wulſtani* Epiſcopi *Lib.* 1.
Hiſtorias Hibernenſium *Lib.* 1. *Magnus Patricius,* &c.
Chronica D. Albani Majora *Lib.* 1.
Additamenta Chronicorum *Lib.* 1.

† Vide *Baleum* Cent. 4. ſcript. 4. & *Jo Pitſeum Ætat.* 13. ſcript. 343. unde legendum *Roberto Bacone* in leland. Teſtimonio ſuperiùs allato.

De Paſſione S. *Amphibali* *Lib.* 1.
Vitam Sancti *Guthlaci* *Lib.* 1.

Ex Chronico ejuſdem Matthæi.

Hic uſque ex Catologo illo M. S. *Johannis Balæi.*

MAGDEBURGENSES CENTURIATORES Æt. 13. c. 10.

MAtthæus Pariſius, *Monachus ordinis Benedicti in cœnobio D. Albani quod aliàs Verolamium olim dictum eſt, vir imprimis eruditus fuit qui & ſingulari fide & dexteritate hiſtoriam Anglorum conſcripſit. Vidit in eo Rex* Henricus *tertius inſignes virtutes, quam ob cauſam ipſum dilexit plurimùm. Romanenſium avaritias, fraudes, mendacia, dolos, pompas, libidines, tyrannides, blaſphemias graviter depinxit. In Nordovecenſi diœceſi juſſu Pontificis* Innocentii *quarti Monachos reformavit.*

Scripſit Hiſtorias à conqueſtu, & cætera quæ in Balæo. *Et alia nonnulla. Obiit anno* 1259. *& in Monaſterio S. Albani ſepultus eſt.*

Conradus Geſnerus in bibliotheca à *Joſia Simlero* aucta.

Matthæus Pariſius *Anglus ad fanum D. Albani Benedictinus Monachus, ſcripſit de Albani fani antiquitatibus & de rebus Geſtis Anglorum lib.* 1. *Claruit anno* [7] 1340.

Adjicitur paulò poſt

Matthæus Pariſienſis *Anglicus Hiſtoricus in Compendium redegit Hiſtorias Angliæ ſeu flores inde decerpſit. Illyricus* [8] *duos integros termiones ex ejus libro inſeruit Catalogo teſtium veritatis. Vixit circa annum* 1259.

Matthias Flaccius Illyricus in Catalogo Teſtium Veritatis, *lib.* 16.

MAttheus Pariſienſis *Anglicus Hiſtoricus floruit ante annos* 350. *& redegit in compendium hiſtorias Angliæ ſeu præcipuos flores inde decerpſit. In eo opere valde multa narrat de graviſſima* Papæ *tyrannide, qui miris artibus omnia Eccleſiarum jura, electiones, Inveſtituras, ſeu confirmationes ad ſe rapuerit; imò & quam miris ac multiplicibus artibus Angliam penitus ſit deprædatus, expilaverit & exuxerit.* Narrat *idem multa & de certaminibus Scholæ Pariſienſis cum Monachis quæ ordine adſcribam, ſepoſitis minùs ad ſcopum noſtrum pertinentibus. Adſcribam verò etiam ipſa verba* [9] *prædicti hiſtorici, majoris fidei gratiâ,* &c.

Iſaacus Caſaubonus in Epiſtolarum Appendice ad *Benjamin Carierum*, ſeu Epiſt. 1.

QUis neſcit ſanctiſſimam Paparum autoritatem dudum verſam eſſe in horribilem tyrannidem? Jam elapſa ſunt multa ſecula cum omnes boni hoc vident & gemunt. Unus* Matthæus Paris *probationi ejus rei ſatis ſuperque fuerit.* Londini x. Kal. Sept. CIƆDCXIII.

Idem ibidem Epiſt. 99.

Vidi his diebus Coiſetelli *vaſtum opus; laudo diligentiam, fidem deſidero. Eò videlicet totum opus ſpectat ut jugum* R. P. *imponatur Regibus. Tuetur facta Paparum tam mala quam Bona. Rapinas eorum quæ omnem fidem, omnia exempla ſuperant, aut diſſimulat aut excuſat. In uno* Gregorio ix. *quam multa pervertit!* Matthæum Pariſienſem *accuſat. Eſto. Sed quod ait corruptum ab hæreticis qui ediderunt, mihi conſtat ipſum & ante ipſum* Baronium & Bellarminum *imprudentiſſimè mentitos eſſe. Habeo nunc in Muſæo meo ipſum exemplar quod ille Monachus ſuæ Abbatiæ dederat quodque nunc ſervatur in Regis Bibliotheca. Legi etiam in bibliotheca Cottoniana ejuſdem*

libros

libros de vita Abbatum S. Albani. Ibi quoque eædem querelæ de Fraudibus, Sceleribus & Rapinis inexplicabilibus Paparum. Idem Cottonus habet brevem Hiſtoriam ejuſdem Matthæi ubi acrius invehitur in Romanam tyrannidem quam in editis. Atque hæc omnia in membranis ſcripta ejus ætatis qua ipſe vixit aut circiter. Quæ igitur impudentia eſt, aut flagitia Paparum excuſare aut Proteſtantes falſi accuſare? Hæc non tacebuntur in Prolegomenis. Si veritas odium paritura eſt, agnoſco fatum illius. xvii. Febr. CIↃDCXIV.

Idem in Prolegomenis ad exercitationes ſuas Baronianas.

In Anno C. MXCVI. facta (à Baronio) mentione Matthæi Pariſienſis, quo nemo vixit unquam neque Papiſmi ſuperſtitionibus addictior, neque rapinarum horribilium, quas Papæ in Anglia exercuerunt, fidelior teſtis & expoſitor: affert Baronius conjecturam ſuam, niſi, inquit, probra illa fuerint additamenta potiùs ejus qui edidit Novatoris hæretici hominis, quum peculiare ſit illis libros quos potuerint depravare. Sed ſi libros veteres depravare certa eſt hæreſeos nota; quis tam impudens erit qui negare audeat, certiſſimos illos eſſe hæreticos qui tot hodie artibus veteres patres mutilant, depravant, expurgant? res omnibus nota: de qua ſi Deus volet, plura alibi dicentur à nobis. Neque verò difficile erit probare, conſarcinatores indicum expurgatoriorum bellum cum auctore ſcripturarum, cum Patribus, cum omnibus bonis, cum ipſa denique veritate nefarium quotidiè gerere. Quid ipſe diſcipulus Nerii? an ille penitus ab hoc crimine integer? an difficile eſt loca veterum autorum obſervare in eis Annalibus depravata in gratiam Papæ contra fidem veterum exemplarium? ſed eo omiſſo, de Matthæo Pariſienſi breviter reſpondeo. Conjectura Baronii quæ à Bellarmino nuper eſt allata, vana, falſa, ridicula eſt. Extant in hoc regno (ſcripſit Iſ. Cauſabonus in Anglia, ſub Jacobo Rege) vetera exemplaria ejus ſcriptoris quæ vaniſſimæ vanitatis eam conjecturam arguant; omnia enim illa habent, propter quæ fides editorum hodie in dubium vocatur. Habeo ipſe jam in meo Muſæo codicem Matthei in membranis deſcriptum eleganter è Regis ſereniſſimi bibliotheca promptum: Ejus vetuſtatis ut credatur ille ipſe liber [10] eſſe qui ab auctore in Bibliotheca S. Albani fuerat dedicatus. In eo codice nullam nos adhuc diverſitatem obſervavimus, quod ad illa attinet quæ de Paparum rapinis ſcribuntur. Extant etiam in Bibliothecis Anglicanis alia ejuſdem Auctoris ſcripta nondum edita, ut Hiſtoria Minor, de vitis Abbatum S. Albani; à quibus ſimilia etiam graviora de rapacitate Romanorum lamentabiliter deſcribuntur. Legi ipſe nonnulla ejus generis in vetuſto libro vitam Abbatum illorum continente, quem mihi in ſua libraria oſtendit inter plurimos alios ſcriptos manu libros præſtantiſſimus eximiæ vir probitatis & eruditionis, Robertus Cotton, Bruceus, Baronettus. Non igitur illa ſunt à Proteſtantibus Matthæi libris inſerta, ſed juſtiſſimas illas querelas rei veritas extorſit ab homine alioquin, ut dicebamus, ſuperſtitioſiſſimo. Quare falſiſſima eſt Baronii & Bellarmini conjectura.

Melchior Goldaſtus de Bohemiæ Regni, &c. juribus & privilegiis, lib. 3. cap. 5. p. 287.

MAtthæus Paris in hiſtoria majori diſſerens de electione Richardi Cornubiæ Comitis in Regem Romanorum, ſcribit in hunc modum; Hi ſunt maximi in Alemania ad quorum nutum pendet electio ipſius Regni, &c. Rex Bohemiæ, Comes Palatinus de Rheno, Dux Auſtriæ, Dux Sueviæ, qui & Comes Bavariæ, Dux Poloniæ, Marchiſius de Micle, &c. In hoc tantum fallit homo exterus & archanorum Imperii noſtri Imperitus, quod putat omnes eos quos viderat ad electionem vocari & conventui electorio intereſſe ſimul, etiam ſuffragium definitivum habuiſſe, quod ſolis ſeptemviris officialibus imperii competebat. Cæteri, ut Duces Auſtriæ, Sueviæ, Brabantiæ, Poloniæ ſive Sileſiæ, &c. jus nominandi vel (ut tum loquebantur) prætaxandi ſeu præſentandi habebant, non autem eligendi.

Degoreus

Degoreus Whear Prælector Camdenianus, in Methodo legendi Hiſtorias Civiles, Sect. 29.

His etiam [Ædmero & ſuperioris ævi hiſtoricis, hiſtoriarum ſtudioſus] *adnectat veram illam & fidelem* Matthæi Pariſienſis *Hiſtoriam quæ anno Chriſti* 1067. [*quo inaugurabatur* Guilielmus 1. *Conqueſtor dictus*] *auſpicata in mortem* Henrici III. *continuatur, h. e. in annum* 1273.

Gerardus Johannes Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. 51.

MAtthæus Paris *ſive Pariſius*, (*familiæ id cognomentum eſt*) *patriâ Anglus, cœnobii Albanenſis monachus, congregationis Cluniacenſis, cum aliquantò ante, tum imprimis in pretio erat poſt annum* CIↃCXLV. *uſque ad annum* CIↃCCLIX. *quo migravit è vita. Hic ab oblivione nomen ſuum abundè vindicavit hiſtoria majori : quam fere omnes cenſent fuiſſe olim bipartitam. Prior pars, ut ajunt, ab* Adamo *erat, uſque ad* Guilielmum, *Normanniæ ducem, angliæ Regem, cognomine Conqueſtorem. Addunt, eandem extare in bibliotheca Sidneiana ; verum pars iſta fuerit* Matthæi Paris, *an alterius, viderint qui viderunt. Altera autem pars, quam hujus eſſe* Matthæi *certò conſtat, Cantabrigiæ adſervatur in collegio S. Benedicti : uti & in bibliotheca* Baronis de Lumleio : *ac primùm Londini, poſt Tiguri typis divulgata fuit atque id fide bonâ, ut* M. S. *quos dixi, codices cuivis fidem fecerint. De hoc auctore tale eſt judicium Baronii ad annum* IↃCCCXCVI. Quam fuerit animo infenſiſſimo in Apoſtolicam ſedem quivis facilè poterit intelligere : niſi probra illa fuerint additamenta, ejus qui edidit. Quæ ſi quis demat, aureum ſanè dixeris commentarium : utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregiè contextum, & coagmentatum inveniatur. *Incipit hic ſcriptor à conquiſitione Angliæ per* Guilielmum *Normanniæ Ducem : deſinit autem in anno Chriſti* CIↃCCL : *ubi hæc legas* ; Hic terminantur fratris *Matthæi Pariſienſis*, Monachi S. Albani, Chronica. *Subjicit autem verſus hoſce* :

Virginis à partu jam mille volumina Phœbus
Cum bis Centenis & quinquaginta peregit, *&c.*

Cæterùm, quia annus iſte jubilæus eſſet & tali anno Iſraelitæ ab agricultura quieſcerent, Deoque agerent annum ſanctum : *verſiculis iſtis opus ſuum concluſit* :

Terminantur hic *Matthæi*
Chronica. Jam jubilæi
Anni diſpenſatio.
Tempus ſpondet requiei
Detur ergo quies ei
Hic & cœli ſolio.

Item hiſce

Siſte tui metas ſtudii, *Matthæe*, quietas :
Nec ventura petas, quæ poſtera proferet ætas.

Sed etſi hic priùs Chronicis ſuis finem feciſſet : nihilominus illa poſtea continuavit, uſque ad annum ultimum CIↃCLIX. *quo vivere deſiit, ut ex* Balæo *diximus. Quæ igitur exinde conſequuntur uſque ad annum ultimum* Henrici III. *hoc eſt annum gratiæ* CIↃCCLXXIII.

cIↃCCLXXIII. *ea ab alio addita fuerunt : quem plerique arbitrantur fuiſſe* Guilielmum Riſhanger, *in eodem fano Albanenſi monachum. Hoc ſi vidiſſet* Arnoldus Wion, *non ſcripſiſſet*, Matthæum *vixiſſe uſque ad annum* cIↃCCLXX. *Præterea compoſuit hiſtoriam minorem : quâ preſſe, & ſuccinctè, omnia eſt perſecutus, quæ fuſiùs prodiderat in hiſtoria majori : ſic tamen ut nonnulla inſerat haut aſpernanda, quæ prætererat in hiſtoria fuſiùs ſcriptâ. Hujus minoris hiſtoriæ exemplum, antiquo charactere exaratum extat in bibliotheca Comitis* Arundelii. *Item Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Ac luculentum inde locum* Flaccius *adducit in opere, quod Veritatis Teſtes inſcripſit. Compoſuit quoque* Paris *hic opus Additamentorum : ad quæ ſæpius provocat* Matthæus *Weſtmonaſterienſis in florilegio ſuo : imò & ipſe lectorem eò relegat in hiſtoria ſua ad annum* cIↃCCXIX. *atque ea ad S. Albani repoſita eſſe, teſtatur ad annum* cIↃCCLII. *Sed neque liber ille hactenus lucem adſpexit. Etiam deſcribendi orbis laborem ſuſcepit. Tum autem nomen exornavit ſuum hiſtoriâ rerum Hibernienſium, ac Chronicis majoribus cœnobii Albani, & geſtis* XXII. *Albanenſium Abbatum, à* Viligodo *primo uſque ad* Guilhelmum, *ſui temporis Abbatem. Illuſtrior etiam redditus eſt, ſcriptis mandando vitas* B. B. Guthlaci, Wolſtani *epiſcopi, &* Ædmundi *Archiepiſcopi. Ad hæc gloria eum auxere, quæ de* B. B. *Albani, atque* Amphibali *paſſione edolavit & alia nonnulla.*

D. *Rogero de Wendover* de *Wendoure, Wyndore* & interdum etiam perperam de *Windleſhora*, dicto.

Johannes Balæus Centuria 12. Script. 57.

ROgerus Wyndore [11] *Monachus ad Albani fanum Benedictinus ac præcentor, inter alios ejus loci & ordinis homines à teneris annis bonarum artium vel ſtudioſiſſimus fuit. Illud Catyeuchlanorum oppidum in Hartfordienſi patria celebre, quod nunc ab Albano cognominatur, civitas olim erat,* Ptolemæo *teſte, primaria, Verolamium dicta & Romanis ſcriptoribus nota. In eo Monachi erant qui ſucceſſione quadam conducti Regum geſta conſcripſerunt. Quorum unus hic* Rogerus *extitit, & in ſua ſorte* [12] *ante* Matthæum Pariſium *concinnavit.*

Chronicon quoddam lib. 1.

o *Ejus Chronici mentionem facit Catalogus vetuſſimus doctorum ac librorum, quorum nomina Alphabetico ponuntur ordine.*

* In bibliotheca *Jo. Seldeni.*

Idem *Balæus* in catologo M. S. * quem prævium Centuriis ſuis fecit.

Rogerus *de* Wyndore, *Monachus ad fanum Albani ſcripſit Chronicon lib.* 1. *Ex Catalogo Nordovicenſi.*

Conradus Geſnerus in Bibliotheca.

† Boſtonus.

ROgerus *de* Windore, *Anglus, Monachus ad fanum D. Albani ſcripſit Chronic. lib.* Boſconus † Burienſis.

Gerardus Johannis Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. 58.

ROgerus *de* Windeſhora, *Anglus, Monachus Fani ejus, quod* S. *Albani erat, vivebat ſub* Henrico *tertio anno* cIↃCCXXXV. *quo uſque & contextum à ſe Angliæ Chronicon perduxit. Meminit* Matthæus *Weſtmonaſterienſis. Item vetus catalogus ſcriptorum ſecundùm ſeriem literarum & ex hoc* Balæus *centuria* 12 *atque ex illo* Jo.

Pitſeus: *Diligentiam ejus in indagandis rebus geſtis commendat Stoüs ſive Stowus; qui in pretio erat tempore Concilii* Baſileenſis *eidemque interfuit ſed huic vocatur* Rogerus Windoverus. *Quo deceptus* Pitſeus *pro diverſis habet*, Rogerum *de* Windover *&* Rogerum *de* Windleſhora. *Nonnullis &* Rogerus *de* Windleſher *aut de* Windore *appellatur.*

De Guilielmo Riſhanger.

Jo. Balæus Cent. 4. Script. 94.

GUilhelmus Riſhanger, *Benedictiorum inſtituti ad ſanctum Albani Monachus & Chronographus, Regis* Henrici *tertii ſtipendio, poſt* Matthæi Pariſii *mortem conductus, eidem in eo ſucceſſit officio. Mos enim & conſuetudo occidentalium mundi Regum ſemper erat ſecum habere eos qui geſta eorum veritate præcipua notarent: Sed nec viventibus ipſis nec filiis aperire. Et deinde in Regalibus archivis ad poſteros cuſtodiebant: ut in Britanniarum hiſtoria Ponticus* Virunnius *habet. Hoc certe officium annis multis Albanenſis hujus Cœnobii Monachis in Anglia delegatum fuit qui Regum facta per annos ſingulos ſcripſerunt. In ea functione præſens hic* Guilhelmus, *ad* Johannem *ejus loci Abbatem ab anno Domini* 1259. *ad ſuam ætatem uſque inſigni labore compoſuit,*

Chronicorum opus	*Lib.* 1. Sunt quædam vetuſtatis indicia.
De Bellis Lewes *&* Eveſham	*Lib.* 1. Quam plurimorum prava inolevit con.
Super electione Scotorum Regis	*Lib.* 1. Ad Regiæ Celſitudinis Angliæ.
De Joanne Balliolo *Rege*	*Lib.* 1. Convenientibus apud Norham Du.
De jure Regis Anglorum ad Scotiam	*Lib.* 1. Sanctiſſimo in *Chriſto* Patri *Bon.*
Continuationes Matthæi Pariſii	*Lib.* 1. Rex *Henricus* componit cum Rege.
Annales Edwardi *primi*	*Lib.* 1. Anno Domini 1300. ſeptimo nonas.

Sed & alia plurima edidiſſe dicitur quorum non novi titulos. Claruit anno à Chriſti Jeſu *natalitio* 1312. *annos ætatis habens* 62. *in monachatu verò* 41. *ſub* Edwardo *ſecundo, in ſuo tandem Cœnobio ſepultus.*

Conradus Geſnerus in Bibliotheca, idem de *Riſhangerii* operibus habet.

Gerardus Johannes Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 3. cap. 9.

GUilielmus Riſhanger, *Anglus, Monachus Benedictinus, in honore habebatur, tum temporibus* Henrici III. *Regis Anglorum, cujus & Chronographus fuit, tum &* Edvardi II *ac* III. *Condidit hiſtoriam Anglorum ab anno* cIɔccxxxix. *uſque ab ſua tempora; inſcripſit autem opus Chronicorum: atque id* Johanni Abbati *ſuo dedicavit. Ac cenſet* Pitſeus *eſſe collectionem eam quæ* M.S. *Cantabrigiæ adſervatur in collegio S. Benedicti. Quod opus* Thomas Walſinghamus *annotavit ad annum* cIɔcccxxii. *ſuo tempore extitiſſe in Monaſterio Sancti Albani. Præterea ut ſuperiùs quoque dictum, continuavit* Matthæum Pariſium *ab anno* cIɔcclx. *uſque ad annum ultimum Regis* Henrici III. *Ea appendix unà cum* Matthæo *prodiit: at* M. S. *extat in Bibliotheca Baronis* Lumleiana. *Ad hæc reliquit Annales* Edvardi I. *item opus de bellis* Lewes *&* Euſham. *Ad hæc de* Joanne Bailleolo *Rege. Librum inſuper de electione Regis Scotorum. Item aliud de jure Regis Angliæ in Regno Scotiæ. Hiſtoricum ſatis bonum meritò appellat* Brianus Twinus *lib.* 11. *de Antiq. Acad. Oxon. Obiit temporibus* Edwardi *ſecundi circa annum* cIɔcccxii.

PONTIFICIORUM TESTIMONIA.

Cæſar Baronius Annal. Eccleſiaſt. tom. 10. ann. *996*. num. *63*.

MAtthæus Pariſienſis, *Monachus S. Albani in Anglia, Anglicam hiſtoriam aggreſſus eſt ſcribere ab anno Redemptoris milleſimo ſexageſimo ſexto, perduxitque eam uſque ad annum ducenteſimum quinquageſimum ut in fine ipſe teſtatur his verbis.* Hic terminantur fratris *Matthæi Pariſienſis* monachi S. Albani Chronica quæ pro utilitate poſteritatis ſubſecuturæ Dei pro amore & S. Albani Anglorum protomartyris honore, ne memoriam eventuum modernorum vetuſtas aut oblivio deleat, literis commendavit. *His vero mox ſubjecit verſus iſtos*

Virginis à partu jam mille volumina *Phœbus*
Cum bis Centenis & quinquaginta peregit
Annua; ſed viſum non eſt [11] ſub tempore tanto,
Aprilis ſexto fuerit quòd Paſcha Calendas,
Dum quinquagenus orbem percurreret annus:
Hoc tamen evenit anno, cui terminus hic eſt.

Addit verò. Fluxerunt uſque ab incarnatione Domini viginti & quinque annorum quinquagenæ, &c. *hæc ad tempora autoris cognoſcenda quibus vixit & ſcripſit, dicta ſunto. Qui ſuis ſcriptis quam fuerit animo infenſiſſimo * in Apoſtolicam ſedem (juxta illud* † loquela tua manifeſtum te facit) *quivis facile poterit intelligere, (niſi probra illa fuerint additamenta potiùs ejus qui edidit Novatoris, hæretici hominis, cum peculiare ſit illis libros quos potuerint depravare) dum nulla in eo libro prætermittitur occaſio carpendi Romanos Pontifices, imò & ſine occaſione, omnia ipſorum facta in deteriorem accipiens partem, cordis ſecreta rimans, & in malum ſenſum ſemper interpretans, in eos eorumque miniſtros acerbiſſimè invehitur ſemper, nec parcit unquam, ut planè de illo ſit jure meritoque dicendum;* Malus homo de theſauro ſuo profert multa. *Cum & ſecundum illud dictum Salvatoris acciderit ipſi* * ſi oculus nequam fuerit totum corpus tenebroſum erit. *Dum etiam quæque ſancta quæque juſta ac pia in pravum ſenſum accipiens, ſugillat pariter & infamat. Sed quid accidit? Cum liber iſte indignus luce à majoribus judicatus, occultatus lateret in angulo, his ipſis temporibus noſtris magno præconio, tanquam prævia face, emerſit in lucem, Novatoris opera editus Londini in Anglia, anno Redemptoris milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo. A quo libro ſi quis demat calumnias, invectivas, dicacitates & blaſphemias in Apoſtolicam ſedem frequenter iteratas, aureum ſanè dixerit commentarium, utpote quod ex publicis monumentis totidem verbis redditis (ut dictum eſt) egregie contextum & coagmentatum inveniatur.*

* Adde Severum Binium Concil. tom. 3. part. 2. p. 470. edit. Colon. 1618.
† Mat. 26.
* Mat. 12.

Idem Tom. 12. ann. 1197. num. 16, & 17.

Monachos à Cœleſtino Papæ diplomate, quod integrum exhibet, ſuæ eccleſiæ Coventrenſi redditos ait, quam in rem etiam *Rogerium* (*Hoveden* citat) & dein: *hæc* Rogerius *ejus temporis ſcriptor: ex quibus atque imprimis ex Cœleſtini recitato diplomate mendacii redarguas* Matthæum Paris, *qui carpendi tantum causâ Romanos Pontifices, ſcribendi hiſtoriam viſus eſt ſuſcepiſſe provinciam, more ſuo*

Innocen-

Innocentium Papam Cœleſtini ſucceſſorem ſuo ipſius Pontificatus exordio perſtringens, quod primò negaverit ejuſmodi monachorum reſtitutionem, deinde metu prænunciatæ mortis coactus tandem indulſerit. Sed audite fabulam.

Morabatur ea tempeſtate Curia Romana monachus quidam Coventrenſis cœnobii *Thomas* nomine, *&c.* (*uſque ad* 5. *Kl. Februarii* monachos introduxit, *in hac editione, pag.* 258.) *Vidiſti lector, cum legiſti,* Paris *ingenium, animique male compoſiti malam ſententiam; res fingere, verbaque formare indigna Romano Pontifice: ut ab hoc uno tam patenti mendacio cætera diſcas videaſque, qua tunc ſit homo fide dignus, cum totus eſt in carpendis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus.*

Abraham Bzovius ex ord. prædicatorum tom. 13. an. 1239. num. 5.

P*Etrus* de Vineis Frederici Cancellarius, *&* Matthæus Paris, *Anglus, parùm Eccleſiæ æquus, ac nonnulli Germanorum* Frederico *turpiſſimè ſervierunt; ut æthiopem illum candidarent,* &c.

Robertus Bellarminus Cardinalis libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, an. 1245.

M Atthæus Paris, *ſive potiùs* Pariſienſis (*ſic enim vocatur in ipſo ejus libro & in indice libri*) *fuit monachus Albanenſis in Anglia tempore Regis* Henrici *tertii, Regis Anglorum. Scripſit hiſtoriam Anglicanam à* Willielmo. 1. *Uſque ad annum triceſimum quintum* Henrici III. *id eſt ab anno Dom.* 1067. *uſque ad an.* 1250 *& hoc ipſo anno habentur hæc verba* (*Hic terminantur fratris* Matthæi Pariſienſis *Monachi S. Albani Chronica*) *& ibidem inſinuatur ejus mors. Continuavit autem aliquis alius* [13] *uſque ad obitum* Henrici III. *id eſt, ad annum Dom.* 1273.

OBSERVATIO.

Hæc Hiſtoria multa habet ſcitu digna, præſertim de rebus Eccleſiaſticis, de Concilio Lugdunenſi, de diſſidio inter Eccleſiam & Imperium. Sed quoniam edita eſt ab hæreticis Tigurinis, cautè legenda eſt. Non pauca enim leguntur tum in ipſo libro, cum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab hæreticis ad invidiam conſlandam Eccleſiæ Romanæ. Hactenus Bellarminus.

Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro.

M Atthæus Paris *Anglus, monachus Monaſterii S. Albani in Anglia, Congregationis Cluniacenſis, ſcripſit de antiquitatibus Templi S. Albani ac de rebus geſtis Anglorum. Floruit anno* 1340. Arnoldo *autem Wioni* 1270. (Sed uterque palam fallitur ut mox liquebit.) *videndum autem ne is qui Londini editus eſt,* 1579. (lege 1571.) *fuerit ab hæreticis corruptus, cum & quos inde Terniones Flaccus Illyricus damnatæ memoriæ cuidam ſuo Catalogo Teſtium non veritatis ſed Mendacii, idipſum ut ſuſpicer, faciunt.*

Johannes Pitſeus Relationum Hiſtoricarum de rebus Anglicis Æt. 13. Script. 367.

M Atthæus Paris, *Pariſius, vel Pariſienſis, ſic enim cognominatum lego à familia, non à patria, uti &* Johannes Paris, *de quo in appendice, fuit enim uterque natione Anglus. Et hic quidem* Matthæus *ordinis S. Benedicti Monachus ad S. Albanum congregationis Cluniacenſis, ab ipſa, uti videtur, adoleſcentia quaſi Deo dicatus, & monaſticæ diſciplinæ traditus, egregiam, quam natura dederat indolem, omni laudabiliori eruditione perpolivit, omni virtute ornavit. Manuarius, ſcriptor, pictor non vulgaris,*

omnes

omnes denique mechanicas artes, quantum & qua parte liberale ingenium decere poſſunt, ſufficienter didicit. Artes autem liberales accuratè calluit. Poeta elegans, orator facundus, dialecticus acutus, Philoſophus ſubtilis, Mathematicus non contemnendus, Hiſtoricus percelebris, Theologus ſolidus, & quod omnium caput eſt, morum integritate purus, vitæ innocentia clarus, ſimplex, candidus. Innocentii *Papæ quarti juſſu Nordowicenſis diœceſis monachos nonnihil in obſervantia regularis diſciplinæ claudicantes reformavit.* Ex *mandato etiam ejuſdem Papæ Anno Domini* 1248. *miſſus eſt in Norvegiam, ut monaſticam diſciplinam in cœnobio de Holm labefactam reſtauraret, uti fecit. Acerrimus vitiorum reprehenſor, patriorum privilegiorum ſtrenuus propugnator, & defenſor. Ita zelatus zelum ſuæ gentis, & Eccleſiæ Anglicanæ, ut nimias ſummi Pontificis exactiones redargueret nimis, & durum ejus jugum in clerum Angliæ ſcripto confidenter taxaret. Anno etiam Domini* 1250. *cum Rex* Henricus *tertius fratres ſuos uterinos, & multos alios exteros in favorem dictorum fratrum, poſtpoſitis Anglis, in Anglia ad maximas dignitates tum Eccleſiaſticas, tum ſæculares eveheret, hic* Matthæus *ſuæ gentis deplorans in hac parte miſeriam graviter conqueſtus eſt, quòd vix Anglus aliquis, vel in aliis exteris regionibus aliquod officium, vel beneficium poſſideret, cum tamen in Anglia tum Itali, tum alii multi externi maximis in utroque genere ditarentur reditibus, & ſubjungit in hæc verba :* profectò peccata noſtra nobis gravamina meritò talia præpararunt. *Hæc tamen & ſimilia utrùm ab ipſo ſic ſcripta, an ab aliis illi falſo aſcripta fuerint, nihil auſim certò affirmare, maximè cum quorundam ſit opinio, multa ejus ſcripta recentiùs edita, incorrecta, imò corrupta, & nonnihil depravata in lucem prodiiſſe. Virtutis & doctrinæ titulis Principibus & proceribus regni, ipſique Regi* Henrico *tertio mirè charus erat. Rex eum ad maximas quaſque ſolennitates, quæ in Aula frequenter habebantur, advocavit; ut omnia præſens oculis contemplaretur, & poſtea ſecuriùs, atque fideliùs ſcriptis mandaret ſingula. Erat enim ad hiſtorias ſcribendas ingenio ſatis accommodato. Quo nomine à ſuis multùm laudatur, & inter ſui cœnobii benefactores non ultimo loco numeratur. Sanè in ejus ſcriptis immenſos labores & incredibilem ſedulitatem videre eſt, quibus etiam accedunt ingenium & judicium. Antiquorum enim ſcripta diligenter perlegit, quæ ad ſuum propoſitum faciebant, ſagaciter ſelegit, omnia in bonum methodum compendio redegit, deduxitque ingenti hiſtoriarum volumine res geſtas ab* Adamo *mundique exordio, uſque ad ingreſſum* Guilielmi *Normanni in Angliam. Deinde ſcripſit hiſtoriam, quam vocat Majorem, incipiens ab* Haraldo, *& præfato* Guilielmo, *hoc eſt, ab anno* Chriſti 1066. *& perſeverans uſque ad annum Domini* 1250. *ubi ſubſiſtere conſtituerat, propter quaſdam rationes, quas ipſe non obſcurè verſibus his ſequentibus inſinuavit in hæc verba :*

Siſte tui metas ſtudii, *Matthæe*, quietas,
Nec ventura petas, quæ poſtera proferet ætas.

Nihilominus tamen vel ſua ſponte vel ex majorum præſcripto, mutatâ ſententiâ, penè decem alios adjunxit annos. Nam non niſi anno gratiæ 1259. *ſcribendi ſimul & vivendi finem fecit. Sed interea multa alia edidit opera, & hanc ipſam Majorem Hiſtoriam preſſe in breve redegit compendium, & Minorem vocavit; habetque in hac ſingularia non pauca, quæ apud alios vix, aut ne vix quidem reperias. Sed jam titulos ſcriptorum ejus ſubjiciamus. Scripſit*

Hiſtoriam ab initio mundi, *lib.* 1. M. S. in Bibliotheca Sidneiana.
Deſcriptionem mundi, *lib.* 1. Caſtrum Doverenſe in ipſa rupe.

Hiſtoriam Majorem à Guilhelmo Normanno *uſque ad finem regni* Henrici *tertii; libros ſeu reges octo. De Chronographiâ, id eſt, temporum deſcriptione locuturi.* M. S. *Cantabrigiæ in Collegio S Benedicti. Item in privatâ Baronis de* Lumleio. *Extat anno* 1606.

Additamenta Chronicorum, *lib.* 1. Conſiderans prolixitatem *Chronicorum Angliæ.* M. S. *Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Item in privatâ bibliotheca Comitis Arundelii.*

Chronica

Chronica majora cœnobii S. Albani *Lib.* 1.
Geſta viginti duorum Abbatum S. Albani *Lib.* 1.
Vitas & martyria ſanctorum Albani & Amphibali *Lib.* 2.
Vitam S. *Edmundi* Archiepiſcopi *Lib.* 1.
Vitam S. *Guthlaci Lib.* 1.
Vitam S. *Wolſtani* Epiſcopi *Lib.* 1. & alia quædam.

Obiit anno Dominicæ incarnationis 1259. Henrico *tertio Regni Anglicani clavum tenente.*

Severnius Binius in Concil. Tom. 3. part. 2. pag. 733. edit. Col. 1618.

VErba faciens de Epiſtolis *Alexandri* Papæ iv. *plures* inquit, *reperiuntur apud additamentum* Matthæi Paris; *quod cum apud me ſuſpectæ fidei ſit ex eo quod* Matthæus Paris *fateatur anno* 1250. *in fine ſe ultra illud tempus nil ſcripturum, parum vero quæ ibidem recenſentur.*

Nicolaus Coeffeteau ex ordine Prædicatorum, Theologus Pariſienſis, Parte 2. pro ſacra monarchia Eccleſiæ Catholicæ, & Romanæ adverſus Rempublicam Antonii de Dominis quondam Archiepiſcopi Spalatenſis pag. 433.

MIrè *illi placent fabulæ quas fecit* Matthæus Paris: *fabulas dico verè ſannionis ac irriſoris monachi commenta, quibus maledicam hiſtoriam ferè totam fœdavit odio Pontificum, penes quos eſſe pinguiorum quorumcunque beneficiorum in Anglia diſpoſitionem homini illi doleret. Verùm ut hæc acriùs Anglos urgerent moleſtiaſque faceſſerent, ſannis, irriſionibus, & probris agendum non fuit, multò minùs calumniis oneranda ſumma poteſtas, cum tamen id unum conſtitutum fuiſſet* Matthæo *illi, ut Pontificem dehoneſtaret, ac ejus miniſtros illi inviſos redderet, quod illis perſpectum eſt qui illum triverunt, quod etiam monuimus. Certè ipſi Angli Pontificiæ autoritatis hoſtes, multa in annalibus illis eſſe defendunt, quæ videntur ad ſpeciem eſſe compoſita, ut quæ de* Roberto *illo Lincolnienſi ſanctiſſimo Antiſtite inducuntur*, &c.

Aubertus Miræus Bruxellenſis *S. R. E.* Protonotarius, Decanus Antuerpienſis in Auctario de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 403.

MAtthæus Paris *ſeu Pariſius, monachus ad S. Albanum in Anglia, ſcripſit Hiſtoriam Anglicanam ab anno milleſimo ſexageſimo ſeptimo uſque ad milleſimum ducenteſimum ſexageſimum. Alius quiſpiam addidit Appendicem uſque ad annum ducenteſimum ſeptuageſimum tertium.* Bellarminus *in catologo monet hiſtoriam iſtam cautè legendam, utpote à Tigurinis hæreticis vitiatam. Scripſit inſuper* Matthæus *res geſtas Abbatum S. Albani, & alia.*

Fabianus Juſtinianus Genuenſis in Indice univerſali, Romæ 1612. pag. 23.

DE *Anglica Hiſtoria* Matthæus Paris, *qui cautè legendus. Scripſit à* Guilielmo *Conqueſtore, uſque ad ultimum annum* Henrici *tertii.*

Clemens Reynerus in Apoſtolatu Benedictinorum in Angliam: tract. 2. pag. 119.

CErtè Matthæus Paris *diligentiſſimus rerum noſtrarum ſcriptor*, &c.

De

De Regero de Wendover.

Jo. Pitſeus Æt. 13. ſcript. 313.

ROgerus Windoverus *ſeu de* Windover *Hiſtoricus Anglus & ut autor eſt* Johannes Stoüs, *diligens earum rerum, quæ ſua ætate geſtæ ſunt, indagator. Omnia namque ſui temporis illuſtriora facinora quæ vel ipſe vidit, vel à fide dignis relata accepit, fideliter ſcriptis mandavit & integrè poſteritati tradidit. Et inter cætera ſcripſit accuratiùs aliis tanquam oculatus multarum rerum teſtis*

Chronica ſui temporis, libros plures.

De aliis ejus ſcriptis nihil habeo comperti. Claruit anno Domini 1217. *dum in Anglia rerum potiretur* Johannes.

Idem Ætate 13. ſcript. 332.

Rogerus Windeſorus *ſeu de* Windeſhora *natione Anglus, ordinis ſancti Benedicti monachus & præcentor in Cænobio S. Albani, Congregationis Cluniacenſis. Vir pius & eruditus, utpote qui ab ipſa penè pueritiâ in obſervantiâ regulari & bonarum literarum ſtudiis ſemper fuerit educatus. Tandem eo pervenit doctrinæ ut vix cuiquam commilitonum ibidem ceſſerit. Argumento eſt, quod cum Angliæ Reges ſemper in illo & quibuſdam aliis monaſteriis habere ſoliti fuerint ex Monachis doctiſſimum aliquem qui patrias Hiſtorias & Regum geſta ſcriberet, hic tanquam iſti muneri aptiſſimus, electus fuerit hiſtoricus regius. Unde & in hoc genere laboris deſudans, erudita confecit gentis noſtræ Chronica, & ſeriem rerum in Anglia geſtarum optimè deduxit uſque ad annum Chriſti* 1235. *Atque hæc plæraque decerpſi ex* Matthæo Weſtmonaſterienſi *& ex fragmento cujuſdam Catalogi veteris Alphabetico ordine ſcripti, cujus initium eſt Abbas* Joachim. *Porro titulum operi quod edidit indidit.*

Chronicon Angliæ, lib. 1.

De aliis nihil habeo comperti. Claruit anno Domini 1235. *ſub Angliæ Rege* Henrico *tertio.*

Antonius Poſſevinus in apparatu ſacro.

ROgerus *de Windleſher* (Wendoverium planè innuit) *Anglus Monachus S. Albani ſcripſit Hiſtoriarum lib.* 1. *uſque ad annum* 1235. *quo vixit.*

De Guilielmo Riſhanger.

Jo. Pitſeus Ætate 14. Script. 458.

GUilielmus Riſhangerus, *natione Anglus à teneris annis in bonarum literarum ſtudiis & timore Dei enutritus anno ætatis ſuæ viceſimo primo apud* S. *Albanum Divi Benedicti Regulam amplexus in illorum fratrum contubernium admiſſus eſt. Hic cum eſſet Doctus & ſtudiis maximè hiſtoriarum & antiquitatis delectatus factus eſt pro eo Monaſterio Regius Chronographus ſub* Henrico *tertio* Edwardo *primo & ſecundo. Nam id in noſtra Britannia ſemper moris erat ut in quolibet ex majoribus monaſteriis unus ex Monachis eſſet Regis Hiſtoricus qui res in Regno geſtas fideliter & diligenter per ſingulos annos ſcriberet. Compilavit igitur hic* Guilielmus *Hiſtoriam Anglorum ab anno Domini* 1359. *Uſque ad ſuum tempus, quam* Johanni Abbati *ſuo nuncupavit, cui titulum hunc præfixit.*

Chronico

Chronicorum opus *Lib.* 1. Sunt quædam vetuſtatis indicia.

Quod opus puto eſſe illam collectionem Hiſtoricorum tractatuum quæ habetur MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Quod opus ſcribit Thomas Walſinghamus *ad annum* 1322. *ſuo tempore aſſervatum fuiſſe in Monaſterio S. Albani. Scripſit etiam* appendicem ſeu continuationem Matthæi Pariſienſis ab an. 1260. uſque ad ultimum annum *Henrici* Regis tertii, *lib.* 1. Rex *Henricus* componit cum Rege. *MS. in* bibliotheca Lumleiana.

Annales *Edwardi* primi *Lib.* 1. Anno Domini 1300. ſeptimo nonas
De bellis *Lewis* & *Eveſham Lib.* 1. Quam plurimùm prava inolevit conſ.
De *Joanne Baileolo* Rege *Lib.* 1. Convenientibus apud Norham Dn.
Super electione Scotorum *Lib.* 1. Ad Regiæ Celſitudinis Angliæ
De jure Regis Anglorum ad Scotiam, *Lib.* 1. Sanctiſſimo in Chriſto patri.

Scripſit etiam alia plura quorum ne titulos quidem jam invenimus. Grandævus tandem & plenus dierum necnon abundans bonorum operum in ſuo cœnobio ex hoc corporis ergaſtulo evolavit ad cœleſte præmium, licet corpus ibidem quieſcens expectet extremæ ſonitum tubæ. Mortuus eſt autem circa annum à plenitudine temporis 1312. *dum* Edwardus *ſecundus in Anglia rerum potiretur.*

Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro.

IDem ille de operibus Riſhangeri, *quod habet ſuprà* Joannes Balæus.

NOTÆ.

1 AB ultimo anno Imperii HENRICI ſecundi] *Nondum igitur viderat* Joannes Lelandus, *initia aut finem; nedum corpus* Hiſtoriæ, Annalium, *aut* Chronicorum Matthæi Pariſienſis; *ut, tum ex ſcriptis ejus, tum ex eis quæ inſequuntur, manifeſtum eſt.*

2 Hiſtorias à Conqueſtu] *Triplices, quantum video, conſcripſit Annales, Hiſtorias vulgò dictas,* Matthæus *hic. Primi, ab origine rerum in poſteriora* Henrici *tertii tempora deducti ſunt. Unde & meminit* Balæus *paulò poſt,* Hiſtoriæ ejus ab origine mundi. *Secundi, & Tertii; ab initiis* Normannorum in Anglia (*Conqueſtum appellitamus*) *in eundem terminum. Prior pars Primorum, totidem fermè verbis exſcripta habetur in priore parte Florilegii* Matthæi Weſtmonaſterienſis, *non ſemel typis editi.* Flores Hiſtoriarum *opera ſua hæc, vocavit monachus uterque. Generis primi pars poſterior, eſt ea ipſa, quæ jam tertiùm prodit nomine* Hiſtoriæ Pariſienſis Majoris, *quæ potiùs ejus quæ Major eſt, pars fuerit dicenda. Sanè & Majoris nomine inſignita eſt Hiſtoria illa * antequam typis edita eſt. Secundum genus Tertium (quorum neutrum hactenus typis editum) compendioſiora plerunque ſunt multò; ſed quam plurima tamen habent ſubinde inſerta, quæ editis deſunt, etiam interdum explicatiora ea quæ illis inſunt. Secundum genus appello Codicem M. S. bibliothecæ Regiæ ad D.* Jacobi, *qui non immeritò creditur ipſius fuiſſe* Matthæi Pariſienſis *codex quem cœnobio ſuo dicavit: quantum ſcilicet ipſius* Matthæi *eſt. Nam compinguntur etiam idque ſeculis putò proximè* Matthæum *hunc inſequentibus, Annales qui* Guilielmo Riſhangero, *ut ſucceſſori ejus, tribui ſolent. Codex perpulcher eſt, octo Regum quorum res geſtas tradit, figuras habens præmiſſas, etiam ſcutis procerum gentilitiis non raro in margine ornatus idque* Matthæi *ævo; quo proculdubiò exaratus, eſt. Seorſim item præfigitur Calendarium in quo charactere ejuſdem ævi miniato legitur;* Hunc librum dedit *Matthæus Pariſienſis* . . . . Anima *Matthæi* & animæ omnium fidelium requieſcant in pace, Amen. *Et in parte folii, in quo leguntur hæc, anteriori, ſedens ſanctiſſima Virgo* Maria *ſplendidè veſtita & coronata, Filiolum velut à papilla jam ſe erigentem oſculo excipit; ad cujus pedes proſtratus jacet autor hic habitu monachali indutus cui adſcribitur, ex parte altera* Frater Matthias Pariſienſis: *ita tamen ut ſupra literam penultimam τῦ* Matthias *ponatur* u, *quaſi dubitandum foret utrum* Matthias *an* Matthius *dicendus eſſet. Nec ſanè in loco illo altero, unde* Matthæus *jam ante deſcripſimus, nomen ſic habetur integrum. Sed tantùm ad hunc modum* Maths, *trajectâ ut mos eſt, ubi literæ omittuntur, per* h *virgulâ.*

* Jo. Balæus Cent. 12. ſcript. 33.

Ad alteram autem proſtrati figuræ partem legetur velut ex ore ejus adclamatio; O felicia oſcula lactentis labris impreſſa, cum inter crebra indicia reptantantis infantiæ, utpote verus ex te filius, matri alluderet, cum verus ex patre Deus dei genitus imperaret. *Diu ante monaſteriorum apud nos, adeoque S. Albani cœnobii, excidium eraſa ſunt verba quæ lacunam, quam ſuprà vides occuparunt. Sed crediderunt proculdubio monachi Albanenſes, eraſa verba fuiſſe* Abbati & monachis, *ſeu* monaſterio S. Albani *ſeu* Deo & S. Albano. *Inde enim ſibi aſſerere voluere Codicis hujus dominium, de quo controverſia inter eos &* Joannem Ruſſellium, *regnante* Richardo *tertio, Epiſcopum Lincolnienſem & Angliæ Cancellarium* * *orta eſt. Rem elicere ex ſcripto hoc ea de re quod codici ſua manu præpoſuit ipſe Epiſcopus, dum ejuſdem poſſeſſor erat. Sic ſe habet.* Si is liber probari poſſit pertinuiſſe & pertinere debere ad proprietatem monaſterii S. Albani Lincolnienſis dioceſis juriſdictionis tamen exemptæ, declaro hanc fore mentem meam, ut in eo caſu ego hoc libro tanquam ex precario ſub eis utor qui monachi ipſius loci pro tempore fuerint. Alioquin juxta conditionem ſub qua is liber in poſſeſſionem meam venerat; volo ut pertineat Collegio Beatæ *Mariæ Winton* in Oxonia de fundatione *Willielmi Wykham* quondam Wintonienſis Epiſcopi.

* *Thomas Morus* in *Richardo* 3. & *Jo. Pitſeus* in Appendice Cent. 4. ſcript. 30.

Scriptum per manum meam
propriam apud Bukdene
x. die Junii, an. 1488.

Jo. Lincoln.

Qui deleverit ſeu corruperit hoc ſcriptum anathema ſit. *Sic Epiſcopus ille. Perductis autem in hoc codice Annalibus ad finem ipſum quem in editis his habes pag.* 847. *ſeu in annum* 1259. *poſt illud quod ſic ibi incipit,* Sciendum eſt quod hucuſque, &c. *totidem verbis ſive à* G. Riſhangero *ſive alio qui in Chronographi regii munus Pariſienſi ſucceſſit, minio ſubſcriptum, non ineleganter depingitur item ipſe in lecto moribundus, capiti ſuperſcripto,* Hic obit Matthæus Pariſienſis; *cubito innitente codici cui inſcribitur,* Liber Chronicorum Matthæi Pariſienſis; *atque hiſce ex ore verbis exeuntibus,* In manus tuas commendo ſpiritnm meum, redemiſti me Domine Deus veritatis. *Hinc Genus hoc Annalium ejus Secundum (cui & in codice hoc Regio præfigitur prologus qui in editorum ſeu Majoris Hiſtoriæ, id eſt, generis primi, partis poſterioris frontem ab editore inde tranſlatus eſt) meritiſſimò Chronica ejus vocamus & aliquoties in ſequentibus vocabimus. Nec puto alia fuere Chronica Majora* D. *Albani, ei à* Balæo *aliiſque tributa. Tertium genus eſt, quod Hiſtoriam ejus Minorem nuncupant ſcriptores. Præfationis ejuſdem initium eſt* Conſiderans prolixitatem, *&c. vide calcem præfationis primæ, Majoris hujus Hiſtoriæ, editioni præfixæ.*

3 Continuationes hiſtoriarum] *Eæ ſunt quæ incipiunt anno* 1251. *pagina hujus editionis* 618. *Scilicet anno* 1250, *ut* Rogeri *Wendoverii non ſecutor ſolùm ſed & imitator, terminum annalibus ponere quidem ſibi ſtatuerat; quod & memorat* Matthæus *Weſtmonaſterienſis anno* 1250. *Sed dein in* 1259. *nihilominus, propoſitum immutans, continuavit. Quod tam in Chronicis quam in editis manifeſtum eſt.*

eſt. Unde & anni qui ſequuntur Auctarii nomine Joanni Balæo, aliis indigitantur. Initium autem quod adſcribitur in Balæo nempe Dominus Rex fuit apud Wintoniam eſt ipſe titulus quo ſectio prima ejuſdem continuationis in M. S. inſignitur. Neque omnino erat cur Severino Binio aliiſve ejus ſequacibus, Annales Matthæi annum 1250. ſequentes ſuſpectæ haberentur fidei.

[4] Deſcriptionem mundi] Tabula quidem Geographica hæc ſeu chorographica eſt, ſed immane quantum rudis. Depingitur in columnis ac paginis aliquot quæ præfiguntur Chronicis ejus M. S jam memoratis. Primum occupat locum Caſtrum Dorobernenſe ſeu ipſa Dorovernia; cui ſubſcribitur. Le Chaſtel de doure, l'entree e la clef de la riche iſle de engleterre, quod ipſum eſt initium heic latinè verſum. Nam & cetera ferè quæ adſcribuntur omnia Gallica ſunt.

[5] Hiſtorias Hibernenſium] Has non alias omnino exiſtimo præter illam de S. Patricii ſpelunca ſeu Purgatorio in editis inſertam, pag. 73. l. 6. ex Hiſtoriis ſeu fabulis Hibernicis à Rogero Wendoverio, aliis, ante hauſtam. De qua videſis etiam vitam † Henrici Saltereynſis monachi & Tundali Magi. † Jo. Balæus Cent. 2. ſcript. 77. & Cent. 14. ſcript. 87. J. Pitſeus æt. 12. ſcript. 199.

[6] Additamenta Chronicorum] qualia hæc fuerint, rectè ita dicta (nam continuatio Annalium ab anno 1250. hoc nomine, heic non venit) & quæ eorum lectu digna primùm exhibet hæc editio.

[7] Anno 1340.] Planè Matthæus ille Pariſius & Pariſienſis idem eſſe debuit Geſnero. Neque locus heic huic anno. Nam certiſſimum eſt eum obiiſſe 1259. ut & de Pariſienſi hoc rectè ait ipſe Geſnerus. Occurrit quidem etiam Matthias Pariſienſis, apud Geſnerum. Cujus item opuſculum de Periculis Eccleſiæ Baſileæ primo ante annos 80. aut circiter prodiit. Sed is Bohemus erat, non noſter. Et ævi recentioris.

[8] Inde Illyricus] verba illa uſque ad vixit, &c. deleri è Geſnero voluit Index expurgatorius inquiſitorum Hiſpanicorum Madriti 1612. vide notam proximam.

[9] Ipſa verba] Atque inde tunc ſequuntur Terniones, illi de quibus tum Geſnerus tum Poſſevinus; & quorum velut inde reverà non exſcriptorum, ſaltem non exſcribendorum, memoriam è Geſnero deleri voluerunt Patres Hiſpanici. Verba quidem ipſa nec in Majori Pariſienſis Hiſtoria nec in Chronicis habentur, ſed in Minori ejus Hiſtoria, de qua conſulas calcem præfationis primæ editionis Annalium quæ jam eduntur. Senſum autem tum in aliis ejus ſcriptis tum apud alios veterum obviam legere licet.

[10] Ille ipſe liber] Non alius is ab eo ipſo codice de quo ſupra monuimus, Chronicorum nomine inſignito. Nam veteres Paparum in Anglia rapinæ ſingulis in Matthæi hujus annalibus graphicè, fuſiùs, & expreſſiſſimè depinguntur.

[11] Rogerus Wyndore] Windore & Windleſhore, & Windeſore, & quæ ſimilia alibi Rogero huic ſunt cognomina, propagines ſunt ex incuria librariorum degeneres à Wendover. Nomen ſcilicet illud oppidi eſt non incelebris in agro Buckinghamienſi, ubi videtur natus hic ſcriptor. Certè illud verum eſſe cognomen ejus ſcimus ex Annalibus ejus M S. in bibliotheca Cottonianâ. Prior erat ille Cœnobii Belvair * ſeu Beauvoir dicti, quod in agro Lincolnienſi, Monaſterio S. Albani ſubjacuit. * Cod. M. S. hiſt. Majoris Matthæi Paris fol. 19. Margine in bibliloth. Cotton.

[12] Et in ſua forte ante Matthæum Pariſium] Annales ſuos Rogerus de Wendover in Chriſti natalibus inceptos continuavit in annum 1235. ſeu 19. Henrici tertii. Ibi in M. S. Hucuſque ſcripſit Chronica dominus Rogerus de Wendover; quibus ſubjicitur hoc diſtichon

Cernis complêtas hic noſtro tempore metas,
Si plus forte petas, tibi poſtera nunciet ætas.

Quod

Quod & imitatus eſt Pariſienſis cum annum 1250. poſtremum annalibus ſuis facere fruſtra decreverat; ut videre eſt, hujus editionis pagina 618. Atque hinc natum eſt quod legitur in editis Matthæi Weſtmonaſterienſis ad finem anni 1235. Hucuſque Rogerus de Windleſhore (pro Wendover) Chronica ſua digeſſit. Sed gloſſema eſt atque è margine illuc irrepſit. Neque enim habetur in codicibus ejus manuſcriptis vetuſtiſſimis, quorum alterum in bibliotheca Weſtmonaſterienſi, alterum in Arundelliana conſuluimus. Chronica digeſſit ſua Rogerus in capita. Et paſſim ferme eadem habet ipſa quæ Matthæi Pariſienſis & Weſtmonaſterienſis in intervallo illo quod Guilielmi Normanni initia antevertit. Caput autem Rogeri 86. ad hunc modum incipit; Anno Domini MLXVII. Dux Normanniæ Willielmus urbem London, adiens, &c. Quæ ſequuntur ipſiſſima habentur apud Pariſienſem ferè univerſa verba uſque in annum quem diximus 2235, id eſt, in editione hac pag. 352. l. 23. Imperialibus nuptiis omnibus indigniſſima judicatur, quæ poſtrema ſunt Wendoverii vocabulæ. Ferè dixi. Nam nec deſunt quæ prætermiſit Pariſienſis, maximè de fanatica Aſtrologorum Toletanorum quadam prædictione in anno apud Wendoverium 1229. collocata. Sed pauciſſima ſunt quæ prætermiſit aut mutavit, tametſi ſubinde occurrunt quæ interſeruit. Adeo etiam retinuit Wendoverii verba Pariſienſis ut non ſolùm in Annalium contextu quo tertia perſona uſurpatur, illius adhibeat ſyllabas paſſim fermè tranſcribendo ipſiſſimas; verùm etiam, ubi prima perſona uſus eſt Wendoverius, eâdem ipſâ velut Wendoverii perſonam induens per intervallum illud utatur. Verbi gratia, Matthæus heic in editione hujus [pag. 82. l. 60. Hæc inquit de beato Thoma qualis ante promotionem extiterit prælibavimus, &c. quæ ipſa ſunt Wendoverii. Sic pag. 114. l. 14.. Et nos ad alia feſtinantes à lectore veniam poſtulamus, & pag. 127. l. 1. Leges autem quas idem Rex ad utilitatem regni ſtatuit, hoc in loco ſcriberem, ſi lectorem offendere, &c. non dubitarem, atque illud pag. 145. l. 11. aliis narrandum relinquo, ejuſmodi alia, verba primò fuere Wendoverii, & à Pariſienſe retenta. Quod cum intuemur, neceſſe eſt ut ſtatuamus, Pariſienſem Wendoverio in munere Chronographico ſuccedentem illius primò ſibi ſumpſiſſe Annales, maximè qui Normannorum initia ſequuntur, totidemque verbis deſcripſiſſe, ut deinceps continuaret. Ita tamen ut heic illic prout aliunde de illo intervallo alia ediſcere potuit, diligenter poſtea (ut florum faſciculo floſculos alios) interſereret; vocabula tamen priſtina, velut ſuperſtitione intereà quadam plerunque retinens. Exemplum eſt manifeſtum & illuſtre in narratione illa de legatione Joannis' Regis ad Amir Elmummenin (quem corruptè, ut fieri amat, ille Admiralium Murmelium vocat) ſeu in Mahumediſmo Principem Orthodoxorum apud Africanos; quæ in editione hac habetur pag. 204. l. 32. Ex eis qui munus illud obierant, unus erat Robertus quidam Clericus, qui Cœnobii Albanenſis alumnis & miniſtris aliquot gemmas ſuas & alia ſecreta revelavit ſibi à dicto Admirallio collata & dicta, audiente Matthæo qui & hæc ſcripſit & enarravit, pag. 206. l. 6. Ubi palàm eſt, Pariſienſem autorem eſſe. Neque enim ejuſdem rei veſtigium reperitur in Wendoverio, quemadmodum nec aliarum aliquot ſubinde inſertarum, retentis paſſim ferme, ut diximus, Wendoverii aliàs ſyllabis.

[12] Sed viſum non eſt ſub tempore tanto] Iidem verſiculi & totidem quæ circumſtant verba leguntur etiam in Matthæo Weſtmonaſterienſi & in Chronicis Pariſienſis ſeu codice quem diximus regio pag. 278. ubi & in margine; Paſcha in ſuo loco, anno quinquageſimo evenit, hoc nunquam antè. Hiſce autem, formula illa confutationis breviſſimâ, mentiris, ibi ſubſcribitur manu, ut palàm eſt, Joannis Ruſſellii Epiſcopi Lincolnienſis de quo ſupra, not. 1. Et paulò inferiùs ad hæc verba, ſed viſum non eſt, &c. adjicitur ſatis magiſtralitèr eâdem manu. Erras Matthæe erras nimis; quia is idem caſus accidit anno Domini CLXXXVI, & an. Dom. DCCXVIII. & anno Domini CCCLXV. & anno Domini DCCCXCVII, & multis aliis annis. Mirum eſt quod Matthæus ita voluit ſcribere, quia inſpecto Kalendario in menſe martii patet quod quotieſcunque B, eſt litera dominicalis &

luna

luna currit per XVI. per V. per XIII. aut II. oportet ut Paſcha cadat VI. Kalendas Aprilis ubi ſcribitur reſurrectio Domini ; per hanc regulam

Poſt nonas Martis, ubi ſit nova luna requiras
Inde dies Domini tertia Paſcha tenet.

Jo. Lincoln.

Cæterùm non erravit nimis, nec omnino heic erravit Matthæus, *ſed inclementer quidem nimis cum eo agit Epiſcopus, & palàm immerentem calumniatur. Neque enim ſimpliciter dicit ille nondum viſum eſſe Paſcha in ſexto Kalendas Aprilis, ſed nondum viſum eſſe dum quinquagenus orbem percurreret annus. Nimirùm nullo in anno qui quinquagenus erat ſeu Jubilæi veteris imitator, in periodis annorum à Chriſti natalibus, Paſcha in* VI. *Kl. Aprilis id eſt* XXVII. *Martii ſeu ipſam Reſurrectionem (ut vulgo creditur) Domini incidiſſe. Et exempla ab Epiſcopo allata eam ad rem ſic nihil attinere vident qui computo Eccleſiaſtico non planè alieni. Certè in eundem ipſum diem inciderat Paſcha anno ante undecimo quod nec ignorare quibat aut non meminiſſe* Matthæus. *Id eſt anno Chriſti* 1239. *Tunc enim Terminus Paſchalis erat* XXII. *martii* D. *litera Dominicalis* B, *Cyclus Lunæ* V. *& ſolis* XVI. *Nec, ſi bene calculum ineo, ante annum Chriſti* MDCCCCL. *reperietur ab ipſius natalibus annus quinquagenarius quo Paſcha* VI. *Kl. Aprilis occupabit. Eo autem annò Terminus Paſchalis erit Martii* XXIV. F, *litera Dominicalis* B, *Cyclus Lunæ* XIII. *ſolis* XXVII. *Unde neceſſe eſt ut in* XXVII. *Martii incidat Paſcha.*

[13] Aliquis alius] *hallucinatio manifeſta eſt ; quod ex jam oſtenſis liquet.*

MATTHÆI PARIS,

IN MAJOREM HISTORIAM ANGLORUM POST CONQUISITIONEM ANGLIÆ, A Duce Normannorum WILLIELMO.

PROLOGUS.

DE CHRONOGRAPHIA, id eſt Temporum deſcriptione loquuturi, primò quidem detractatoribus invidis, & noſtrum laborem deputantibus inanem, reſpondebimus: deinde benevolis & id expectantibus, imò depoſtulantibus, rerum cauſam præſenti Prologo deſcribemus, ac breviter aperiemus. Delatores enim dicunt: Quid neceſſe eſt vitas vel mortes hominum, diverſoſque mundi caſus literis commendare, prodigia rerum diverſarum ſcriptis impreſſa perpetuare? Noverint quid dicat Philoſophus: Omnis ſiquidem homo naturaliter ſcire deſiderat: &, Homo ſine literis, & præteritorum reminiſcentia, in beſtialem dilabitur ſtoliditatem, & ejus vita, vivi hominis reputanda eſt ſepultura. Et ſi tu mortuorum antiquorum & præteritorum contemnendo obliviſceris, quis tui reminiſcetur? Hæc eſt imprecatio Pſalmiſtæ, dicentis, Diſpereat de terra memoria illius. Et ejuſdem adoptiva benedictio: In memoria æterna erit juſtus, & cum benedictione evehet nomen ejus in æternum: Injuſtus autem cum maledictione & ignominia recitabitur. Ut igitur perverſorum devitentur greſſus, bonorum (quorum geſta deſcribimus) veſtigia ſequamur pedetentim, ecce fructus ſcripturarum, ecce ſpeculum humanæ conditionis! Hac de cauſa (licèt aliæ non deſint) *Moyſes* Legiſlator in Veteri Teſtamento innocentiam *Abel*, invidiam *Cain*, doloſitatem *Jacob*, negligentiam *Eſau*, ſimplicitatem *Job*, malitiam undecim filiorum Iſrael, bonitatem duodecimi, ſcilicet *Joſeph*, pœnam quinque civitatum, pœnitentiam Ninivitarum manifeſtat, & ſcripturis commendando nititur perpetuare. Ut ſic ſcilicet bonos imitemur, malorum autem eſſe pediſſequos, abhorreamus. Ad hoc anhelantes ſancti Evangeliſtæ, Theologi, *Joſephus* Hiſtoriographus Hebræus, *Cyprianus* Carthaginenſis Epiſcopus & Martyr, *Euſebius* Cæſarienſis, *Hieronymus* Sacerdos, *Sulpitius Severus*, *Fortunatus*, *Beda* Presbyter venerabilis, & *Proſper* Aquitanicus, geſta Dei ſcripſerunt, & antiquorum. Et ut ad modernos veniam, *Marianus Scotus* Fuldenſis Monachus, & *Sigisbertus* Gemblacenſis Monachus, & quidam alii pectoris profundi, chronica veraciter ediderunt. Et hic nos incipimus Anglorum Chronica, à Duce Normannorum *Willielmo*, qui ab *Haraldo* Anglorum Rege perfido & perjuro laceſſitus, ipſum à Regni ſolio depulit diffiduciatum: cujus facti cauſam lectoribus breviter intimabo.

Quibus de cauſis hiſtoria humanæ vitæ neceſſaria eſt.

Pſal. 33. 111.

Marianus, *Scotus*, Sigisbertus Gemblacenſis, *chronicorum ſcriptores.*

NAVIGANS autem idem *Haraldus*, dum adhuc juvenis eſſet, aſpirans ad Regnum Angliæ, & ſponte ſpaciatus, navigando raptus eſt invitus vi ventorum, & dum Flandriam credidit ſe attigiſſe, compulſus venit in Pontinam Provinciam: quem captum Conſul Ponticus *Willielmo* Normannorum Duci præſentavit. At *Haraldus* aſſerebat ſe hæc omnia ſponte feciſſe, ut clàm veniens in Normanniam confœderaretur Duci, filiam ejus in ſponſam accepturus. Quod & juravit ſuper Sanctorum multorum reliquias ſe fideliter ad quendam terminum completurum. Tantò igitur majori honore ſuſceptus eſt, quantò ſecretiùs advenaſſet, fuerant enim antè inimici ad invicem. Juravit inſuper ſe poſt mortem Regis *Edwardi*, qui jam ſenuit ſine liberis, Regnum Angliæ, Duci, qui in Regnum jus habuit, fideliter conſervaturum. Conſummatis igitur aliquot diebus cum ſumma lætitia, amplis muneribus ditatus, in Angliam reverſus eſt *Haraldus*. Sed cùm in tuto conſtitueretur, jactitabat ſe laqueos evaſiſſe hoſtiles, perjurii crimen elegendo. Adveniente igitur termino, quo cuncta compleri deberent promiſſa, & jam elapſo, nihil fecit. Miſit igitur Dux ad eum nuncios ſolennes, cauſam quærens: ſed *Haraldus* mendax & ſuperbus, omnia prælocuta procaciter denegando, nuncios turpiter laceſſitos, jumentis mutilatis, remiſit. Dux igitur meritò provocatus, Regem Francorum, & omnes vicinos, parentes, & amicos ſuos ad ultionem tantæ injuriæ excitavit. Sed Dux *Willielmus*, Domino ultionem juvante, Angliam, ipſo contrito, (ſicut ſubſequens narrat Hiſtoria) ſibi conquiſivit.

Haroldus *in Pontinam provinciam navi delatus appulit.*

Perfidia Haroldi.

ANNO gratiæ M.LXVI. pacificus Rex *Edwardus*, Anglorum decus, Regis *Ethelredi* filius, poſtquam viginti quatuor annis regnaſſet, in vigilia *Epiphaniæ* Domini, feria quinta, pro regno temporali commutavit æternum. Defunctus autem Rex beatiſſimus, in craſtino ſepultus eſt *Londini*, in Eccleſia, quam ipſe novo compoſitionis genere conſtruxerat, à qua poſt multi Eccleſias conſtruentes, exemplum adepti, opus illud expenſis æmulabantur ſumptuoſis. In hoc denique Rege, linea Regum Angliæ defecit, quæ à Cerdicio primo Weſtſaxonum Rege, ex Anglis, quingentis & ſeptuaginta uno annis, non legitur interrupta,

Edwardus *ultimus ex genere Anglorum Regum, moritur.*

præter paucos Danos, qui peccatis exigentibus gentis Anglorum, aliquamdiu regnaverunt.

Anglia Rege destituta, à multis, ut Haroldo, Willielmo *Conquæstore, & aliis, ambitur.*

Defuncto itaque *Edwardo* Anglorum Rege ſanctiſſimo, in quo linea Regum Angliæ defecit, fluctuabant Proceres Regni, quem in Regem præficerent & Rectorem. Quidam enim *Willielmo* Normannorum Duci, quidam Comiti *Haraldo Godwini* filio, alii autem favebant *Eadgaro* filio *Edwardi*. *Edmundus* autem Latus ferreum Rex naturalis de ſtirpe Regum, genuit *Edwardum*: *Edwardus Eadgarum*, cui de jure debebatur Regnum Anglorum: ſed *Haraldus*, vir callidus & aſtutus, intelligens quòd nocuit ſemper differre paratis, in die *Epiphaniæ*, qua Rex *Edwardus* ſepultus eſt, extorta fide à majoribus, ſibi Regnum, (ut injurias ſuas cumularet ampliores) Diadema, ſine Eccleſiaſtica authoritate imponendo, aſſeruit: Unde Papam *Alexandrum* & omnes Angliæ Prælatos ſibi creavit inimicos. *Haroldum* quoque Regem Norwagiæ, cùm mille navibus adverſarium ſibi occurrentem, Rex *Haraldus* devicit, unde ſuperbia elatus, ſuos oppreſſit. Jam factus Rege Tyrannus, nihil de pacto inter ſe & ducem *Willielmum* Normannum olim Sacramentis firmato, cogitabat. Auxit autem ſecuritatem ejus mors filiæ *Willielmi*, quam infra nubiles annos deſponderat. Audito præterea eo quod idem *Willielmus* Ducum conterminorum bellis fuerat implicatus, minas ejus nunquam ad factum erupturas ſperabat. Sacramentum verò quod in neceſſitate fecerat, aſſeruit non eſſe tenendum, cum Regnum non poſſet (*Edwardo* adhuc Rege vivente) nec dare, nec ipſo illud cuiquam concedere inconſulto.

Dux Normannorum, Haroldum *de pacto redarguit.*

Sed aliud *Haroldus*, & *Willielmus* aliud cogitavit. Nam protinus cùm *Haroldum* cognovit Diademate redimitum, per nuntios illum leniter de rupto fœdere increpavit, affirmans comminando, ante annum ſeſe debitum exacturum: contrà *Haroldus* per eoſdem legatos prædictos *Willielmo* duci remiſit excuſationes. Legati autem inaniter revertentes ad propria, ducem Normannicum conveniunt in hæc verba: Nunciat vobis Rex Anglorum *Haroldus*, quod veraciter neceſſitate compulſus, (quando filiam veſtram deſponſaverat in Normannia) regnum tibi juravit Anglicanum: Sed contra hoc aſſerit, coactum juramentum non eſſe obſervandum. Nam ſi votum vel jusjurandum quod in domo patris parentibus inconſultis, puella de corpore ſuo ſcienter fecit, revocatur in irritum, multò magis juramentum quod ipſe ſub virga regis poſitus, ipſo neſciente coactus fecerat, debet (ut aſſerit) irritari. Affirmat præterea nimis præſumptuoſum fuiſſe, quod abſque generali conſenſu, regni hæreditatem vobis juraverat alienam. Addidit etiam injuſtum eſſe petere, ut à regno diſcedat, quod tanto principum favore ſuſceperat gubernandum.

Adventus ducis Normannorum Willielmi *in Angliam.*

HIS *Willielmus* Dux Normannicus aſſertionibus auditis, vehementer cœpit indignari, & ne juſtam bellandi cauſam temeritas deformaret, ad Papam *Alexandrum* nuntios deſtinavit, ut ſuſceptum negotium auctoritate Apoſtolica firmaretur. Unde Papa, conſideratis utrinque litigantium cauſis, vexillum *Willielmo* in omen regni tranſmiſit. Quo ille accepto, apud Liſſebonam conventum procerum congregans, ſuper dicto negotio ſingulorum ſententias requiſivit. Cumque omnes progreſſum ejus magnis promiſſionibus animaſſent, ita ab invicem diſceſſerunt, ut menſe Auguſti ad portum ſancti *Walerici* cum equis & armis convenirent, mare illico tranſituri. Congregatis igitur ad terminum præfixum univerſis, fœlix aura quæ illos in Angliam transferret defecit. Dux itaque corpus ſancti *Walerici* pro vento deprecando foras portari juſſit, & ſub dio reponi, & ſine mora ventus optatus vela ſinuavit. Tunc omnes naves ingreſſi, poſt prandium, curſu rapido *Haſtingas* appulerunt. Dux verò *Willielmus* in egreſſu navis pede lapſus eſt, Caſum in melius commutavit miles qui prope ſtabat, dicens: O Dux inquit, Angliam tenes, Rex futurus. Qui mox ut applicuit, omnem exercitum à præda cohibuit dicens: Rebus, quæ ſuæ erant in brevi futuræ, eſſe parcendum. Adeò ſeſe per dies quindecim continuos quietè agebat, ut nihil minus quàm bellum cogitare videretur, ſed caſtellulum protinus ibidem conſtruxit.

Haroldus *venit contra* Willielmum.

HAROLDUS interea de pugna Noricorum reverſus, cum adventum *Willielmi*, cognoviſſet, rariſſimo ſtipatus milite, *Haſtingas* pertendit. Nam præter ſtipendiarios milites & conductitios, ex provincialibus admodum habebat paucos, ut levi negotio bello poſſent à ſupervenientibus ſuperari. Præmiſit tamen nuntios *Haroldus*, qui vires hoſtium & numerum æſtimarent. Quos inter caſtra Dux *Willielmus* deprehenſos, circumduci ut acies viderent, & largis dapibus refectos, incolumes domino jubebat remitti. Reverſos autem illos percunctatur *Haroldus*, quid rerum reportent. At illi magnificam ducis confidentiam diſtinctè proſecuti, ſeriò affirmabant, omnes exercitus illius milites Presbyteros videri, eò quod faciem totam cum utroque labio raſam haberent. Rex fatuitatem referentium irridens nuntiorum, dixit non eſſe Presbyteros ſed milites, animis validos, & armis invictos. Ad hæc frater regis, *Gurth* nomine, vir ultra ætatem, ingentis ſcientiæ & virtutis, rapuit ſermonem ex ore ejus dicens: Cum inquit tantam Normannorum prædices fortitudinem, inconſultum exiſtimo cum ipſis confligere, quibus inferior merito & robore habearis: Nec enim contradicere vales, quin Duci *Willielmo* ſacramentum feceris voluntariè, vel invitus, unde conſultius ages, ſi in inſtanti neceſſitate te ſubtrahas, ne perjurus decertans, vel fugam vel mortem incurras. Sed nos omnino à juramento expediti, juſtum ſuſcipiemus bellum, pro patria pugnaturi: Nobis enim pugnantibus ſolis, cauſa tua melius ſuccedet, dum nos fugientes reſtituere, vel mortuos valeas vindicare. Noluit autem *Haroldi* temeritas aurem placidam præbere

monenti,

monenti, inglorium exiſtimans, & vitæ præteritæ opprobrium, cuiquam hoſti terga denudare.

Monachus à Duce Willielmo miſſus Haroldo tria proponebat.

CUM hæc dicti fratres ad invicem ſermocinarentur, ſupervenit monachus quidam à Duce *Willielmo* tranſmiſſus, qui ex parte *Willielmi Haroldo* tria proponebat, ut vel à regno juxta ſuum ſacramentum decederet, vel ſub eo regnaturus, regnum teneret, vel denique ſpectante amborum exercitu, ſoli rem gladiis ventilarent. Hæc audiens *Haroldus*, legatum *Willielmi* nec bono vultu reſpicere, nec placido ſermone voluit admittere, ſed illum indignanter abigens, hoc ſolum precabatur, ut inter ſe & *Willielmum* Dominus judicaret. Ad hæc monachus audacter reſpondens poſtulavit: Quod ſi jus *Willielmi* negare velit, judicio ſedis Apoſtolicæ, vel prælio ſi maluerit, *Willielmum* probare paratum. *Haroldus* quoque contra has omnes aſſertiones, ſolo quod ſuprà dictum eſt, reſponſo contentus, Normannorum animos exacuit ad pugnandum.

Prælium apud Haſtingas committitur.

DEINDE partes adverſæ, acies diſponunt. Sed Angli, qui noctem totam inſomnem cum cantibus & potationibus conſumpſerant, mane adhuc ebrii, contra hoſtes incunctanter procedunt, pedites omnes cum bipennibus, conſerta ante ſe ſcutorum teſtudine, cuneum impenetrabilem ordinarunt. Quod profectò illis ea die ſaluti fuiſſet, niſi Normanni more ſuo fuga ſimulata, conſertas acies diſſolviſſent. Rex *Haroldus* pedes juxta vexillum ſtabat cum fratribus ſuis, ut in communi & æquato periculo, nemo de fuga cogitaret: è contra Normanni nocte tota confeſſioni peccatorum intendentes, mane dominici corporis & ſanguinis munimine ſaginati, audacter hoſtes ſupervenientes expectabant. Primam aciem, que ex peditibus erat, *Willielmus* cum arcubus & ſagittis munivit, equites retro diviſis alis conſtituit. Dux vultu ſereno & clara voce ſuæ parti utpote juſtiori Deum affuturum pronuncians, arma depoſcit, moxque miniſtrorum tumultu, inverſam indutus loricam, caſum riſu correxit: Vertetur inquiens fortitudo ducatus mei in regnum. Tunc Rolandi cantu inchoato, ut animos bellatorum accenderet, Deique auxilio inclamato, prælium commiſerunt. Bellatum eſt acriter hinc & inde, neutris cedentibus in multam horam diei. Quo comperto, *Willielmus* innuit ſuis, ut ficta fuga ſe campo ſubtraherent. Quo commento exercitus Anglorum diſſolutus quaſi à tergo hoſtes cæſurus fugientes, ſibi exitium maturavit. Normanni converſis agminibus adoriuntur Anglos, eos illico in fugam cogentes. Angli demum cumulo quodam occupato, Normannos calore ſuccenſos acriter ad ſuperiora nitentes, in vallem dejiciunt, & levi negotio in hoſtes tela retorquentes, & lapides in eos rotantes, multos ex eis proſternunt. Item Angli foſſam quandam præruptam ex voto ſibi vi occupantes, tot ibi Normannos contriverunt, ut cadavera campi planiciem cumulo coæquarent. Valuit hæc viciſſitudo, modo iſtis, modo illis vincentibus, quamdiu *Haroldi* ſpiritus corpori jungebatur. Qui non contentus alios adhortari, ſed & militis officium ſedulus exequebatur: Sæpe hoſtes cominus venientes feriendo, ut nullus impunè accederet, quem non ſtatim uno ictu, ſive peditem ſive equitem, trucidaret. E contra *Willielmus* clamore ſuos exhortans, inter primos diſcurrebat, & conſertos hoſtes invadere non ſinebat. Dum autem ubique ſævit & ubique frendet, tres equos electiſſimos eodem die ſub ſe confoſſos, amiſit. Et quamvis familiari ſuſurro à cuſtodibus ſui corporis increparetur, perſtitit tamen magnanimi Ducis vigor indefeſſus, donec *Haroldus* ictu ſagittæ cerebro perforato, occubuit, & moriens victoriam Normannis conceſſit. Jacentis autem fœmur regis, unus militum gladio præcidit. Unde à *Willielmo* turpitudine notatus, quod rem pudendam feciſſet, militia pulſus fuit. Fuga autem Anglorum uſque ad noctem duravit, quouſque plenum ab hoſtibus triumphum (ut prædictum eſt) Normannis, nox ſuperveniens, donavit. In hac procul dubio pugna, ducem *Willielmum* divina manus protexit: Dum tot jaculis illa die percuſſus hoſtes de corpore nihil ſanguinis elicere potuerunt. Dux igitur *Willielmus* omnibus benè completis, ſuos ſepelire honeſtè curavit, atque hoſtibus abſque calumnia, ſi qui vellent, idem præbuit licentiam exequendi. Corpus regis *Haroldi*, matri petenti, ſine prætio miſit, licet illa multum per nuncios obtuliſſet. Quod acceptum apud Waltham, ſepelivit in Eccleſia, quam ipſe ex proprio conſtruxerat in honorem ſanctæ crucis, & Canonicis ſæcularibus deputaverat. Hanc quoque regni ſubverſionem, & ſanguinis effuſionem cometa ingens ſanguineus & crinitus in exordio illius anni apparens præſignavit, ut quidam dixit:

Anno milleno ſexageno, quoque ſeno.
Anglorum metæ flammas ſenſere cometæ.

Actum eſt autem hoc bellum apud Haſtingas, in die ſancti Calixti Papæ, pridie Idus *Octobris*

1067.

WILLIELMUS CONQUÆSTOR.

Willielmus regno inauguratur.

ANNO Domini M.LXVII. Dux Normanniæ *Willielmus*, urbem Londinarum adiens, in magna exultatione à clero & populo ſuſceptus, & ab omnibus Rex acclamatus, Dominicæ nativitatis die ab *Aldredo Eboracenſi* Archiepiſcopo regni diadema ſuſcepit. Timuit enim hoc munus conſecrationis à Stigando Cantuarienſi Archiepiſcopo ſuſcipere, eo quòd non legitimè occupaverat illius excellentiam dignitatis. Deinde homagiis à magnatibus, cum fidelitatis juramento, obſidibuſque acceptis, in regno confirmatus, omnibus qui ad regnum aſpiraverant, factus eſt terrori. Civitatibus quoque diſpoſitis & caſtellis, propriiſque *miniſtris impoſitis*, ad Normanniam cum obſidibus Angliæ & theſauris innumeris navigavit. Quibus incarceratis & ſub ſalva cuſtodia deputatis, ad Angliam denuo properavit, ut commilitonibus Normannis, qui in bello Haſtingenſi patriam ſecum ſubjugaverant, terras Anglorum & poſſeſſiones, ipſis expulſis, manu diſtribueret affluenti: Et modicum illud quod eis remaneret, ſub jugo poneret perpetuæ ſervitutis. Unde nobiliores regni indignati, partim ad regem Scotorum *Malcolmum* confugerunt, partim loca deſerta & nemoroſa petentes, ibique diu feralem ducentes vitam, Normannis ſæpe infeſti fuerunt. Receſſerunt ab Anglia comites *Edwinus* & *Morcardus* fratres, *Mertherus* & *Weltherſus*, nobiles, cum epiſcopis, clericis, & aliis multis, quos longum eſſet exprimere nominatim, qui omnes ad regem Scotorum *Malcolmum* fugientes, ab ipſo honorificè ſunt recepti. Tunc etenim *Eadargus Etheling* regni Anglorum hæres legitimus, cernens res patriæ undique perturbari, aſcenſa navi, cum *Agatha* matre ſua & ſororibus *Margareta* & *Chriſtina*, in Hungariam, ubi natus fuerat, conabatur reverti: Sed tempeſtate ſuborta, compulſus eſt in Scotiam applicare. Hac quoque occaſione actum eſt, ut Margareta regi *Malcolmo* nupta traderetur, cujus vitam laudabilem & mortem precioſam liber inde æditus inſinuat evidenter. Soror autem ejus *Chriſtina* ſanctimonialis benedicitur, & cœleſti ſponſo copulatur. Nati ſunt denique Reginæ Margaretæ ſex filii & duæ filiæ, quorum tres, *Eadgarus* ſcilicet, *Alexander*, & *David*, juxta generis ſui nobilitatem, reges fuerunt, ex quibus regum Angliæ nobilitas à propriis per Normannos expulſa finibus, ad reges eſt devoluta Scotorum. Sed hoc infrà.

Nobilitas & clerus Angliam deſerit.

Angli primò Chriſti nomine, uſum armorum intermittentes, deinde impietati ſtudentes à Normannis ſuperantur.

ECCE regni Angliæ dulcis patriæ excidium dolendum, cujus olim regis primo ſui adventus tempore, vultu & geſtu barbarico, uſu bellico, ritu prophano incitati, omnes ad omnia provocabant, omnes armis & aſtutia edomabant. Sed poſtmodum Chriſti fide ſuſcepta, paulatim religioni operam dantes, armorum exercitium neglexerunt: Siquidem reges tunc habitu mutato, quidam Romæ, quidam in patria, cœleſte regnum lucrati, pro temporali commutabant æternum. Multi tota vita ſua mundum amplectentes, Eccleſias & cœnobia fundabant, theſauros pauperibus erogabant, & ut breviter dicatur, miſericordiæ opera adimplebant. Martyribus, confeſſoribus, & ſacris virginibus, inſula adeò plena refulget, ut vix aliquem vicum famoſum prætereas, ubi alicujus novi ſancti nomen inſigne non audias. Sed poſtmodum, refrigeſcente charitate, & aureo ſæculo in luteum mutato, religionis ſtudia obſolverunt: Sicut prius in adventu Danorum, & nunc in expulſione Anglorum à Normannis, peccatis exigentibus, exterminium acceſſit incolarum. Nam optimates gulæ & Veneri ſervientes, more chriſtiano Eccleſiam mane non petebant, ſed in cubiculis & inter uxorios amplexus, matutinarum ſolemnia, ac miſſarum à Preſbytero feſtinante, auribus tantummodo prælibabant. Clerici quoque & ordinati adeò literatura carebant, ut cæteris eſſet ſtupori, qui grammaticam didiciſſet. Potabatur ab omnibus in commune, & tam dies quàm noctes in hoc ſtudio productæ ſunt. In cibis urgebant crapulam, in potibus vomicam irritabant. Veruntamen hæc mala non de omnibus dicta intelligas, cùm multos cujuſlibet conditionis homines & dignitatis, in eadem gente conſtet Domino placuiſſe.

Luxus Anglorum.

EODEM tempore Rex *Willielmus* urbem Oxoniam ſibi rebellem obſidione vallavit. Super cujus murum quidam ſtans nudato inguine ſonitu partis inferioris auras turbavit, in contemptum videlicet Normannorum. Unde *Willielmus* in iram converſus, civitatem levi negotio ſubjugavit. Deinde Eboracum petens, eam penitus delevit, civibus flamma ferroque necatis. Qui autem ab hac clade evadere potuerunt, ad regem *Malcolmum* in Scotiam confugerunt, qui omnes Anglos profugas libenter recipiebat, & ſingulis tutamentum, in quantum poterat, impendebat, propter ſororem *Eadgari Margaretam*, quam ſibi fecerat conjugalem: Cujus cauſa conterminas Angliæ provincias rapinis & incendiis infeſtabat. Quapropter Rex *Willielmus* coacta militum & peditum multitudine copioſa, aquilonares Angliæ partes petens, totius regionis urbes, vicos, agros & oppida conteri, & fruges jubet igne conſumi, maritima maximè cùm propter recentem iram, tum quia Cnutonem Danorum regem adventare rumor aſſerebat: Ut nihil circa maris crepidinem vitalis ſubſidii prædo piraticus inveniret. *Malcolmus* quoque Rex ad manus veniens, ſeditionem fecit. Deinde Rex *Willielmus* compoſitis in Anglia civitatibus & caſtellis, propriiſque miniſtris impoſitis, ad Normanniam transfretavit, obſides Angliæ cum immenſa pecunia ſecum ducens. Sed non multo

Oxonia obſeſſa & capta.

Eboracum deletum.

Malcolmus Rex Scotorum Angliam invadit.

poſt

poſt ad Angliam rediens, commilitonibus ſuis qui bello *Haſtingenſi* Regionem ſecum ſubjugaverant, terras Anglorum & poſſeſſiones affluentiori manu contulit, illudque parum, quod remanſerat, ſub jugo poſuit perpetuæ ſervitutis. Unde receſſerunt à regno *Eadgarus Etheling* filius *Edwardi*, legitimus hæres regni, *Morcardus*, & *Eadwinus* fratres, *Mertherus* & *Weltherſus* Northanhumbrorum comites; exceptis Epiſcopis & Clericis, aliiſque nobilibus multis, quos longum eſſet exprimere ſigillatim.

Willielmus poſt reditum ex Normannia Anglorum poſſeſſiones commilitonibus ſuis diſtribuit.

HOC igitur tempore, duobus Romæ, *Alexandro* & *Cadelo* de Papatu contendentibus, Mantuæ ſynodus colligitur, & mediante *Annone Colonienſi* Archiepiſcopo, *Alexander*, (cum ſe de ſymonia purgaſſet) in ſede Apoſtolica ſtatuitur, & *Cadelus* expellitur, ſymoniacus comprobatus. Eodem tempore ad ſeptem millia hominum orandi gratia *Hieroſolymam* petentium ab Arabibus in Paraſceue obſeſſa ſunt in quodam caſtello, & tot ex eis vulnerati vel occiſi, ut de omnibus vix duo millia ſint elapſa.

Super Papatu contentio.

Peregrinorum Hieroſolymitanorum deletio.

ANNO Domini M. LXVIII. natus eſt regi *Willielmo* filius in Anglia, & vocatus eſt *Henricus*. Nam primogenitus *Willielmus Rufus* & *Robertus*, in Normannia nati fuerunt, antequam pater eorum Angliam ſubjugaret. Eodem anno Rex *Willielmus Roberto* comiti dedit Northanhumbriæ comitatum, cui ſtatim homines illius regionis adverſantes, ipſum cum nonagintis viris peremerunt. Sed Rex *Willielmus* ſuperveniens, omnes hujus rei actores uſque ad unum delevit.

Henricus tertius, filius Willielmi *in Anglia naſcitur.*

ANNO Domini M. LXIX. venerunt quidam ad Regem *Willielmum*, *Dunelmenſem* Epiſcopum *Agelricum*, de ejus proditione accuſantes. Qui in villa quæ Burgum dicitur, à miniſtris regis captus, ad Weſtmonaſterium adductus eſt, ſub carcerali cuſtodia detinendus. Et poſtea *Auguſto* menſe, frater ejus *Egelwinus*, ejuſdem loci factus Epiſcopus, fuit in exterminium relegatus. Eodem verò tempore inter duo feſta beatæ *Mariæ* in Autumno, venerunt filii *Swani* & frater ejus *Oſbernus* de regno Danorum, cum navibus trecentis in Angliam, ut Regem *Willielmum* ab Anglia exturbarent. Quorum adventus cum divulgatus fuiſſet, exierunt illis obviam *Eadgarus Ethelin* filius *Edwardi*, & *Waltheofus* comes, cum multis millibus armatorum, cupientes ſuo auxilio Regem *Willielmum* capere, & carceri illum perpetuo mancipare. Tunc fœdere confirmato, junctis viribus ad Eboracum venientes, urbem cum caſtello illico occupârunt, & multa ibidem hominum millia peremerunt. Deinde majores urbis & provinciæ vinculis conſtringentes, tam diu eos crudeliter torquebant, quouſque omnes facultates eorum ab eis extorſiſſent. Tunc ibi inter duo flumina Vaſam & Trentam hyemantes, omnes regionis incolas immiſericorditer affligebant. Sed *Willielmus* hyeme tranſacta, cum maxima armatorum copia ſuperveniens, fortiores hoſtium fugavit, & minores uſque ad unum, in ore gladii trucidavit. Veruntamen *Waltheofus* amplæ proſapiæ comes, in eadem pugna, plures Normannorum ſolus detruncaverat: Singulos per Caſtelli portas decapitans gradientes. Sed *Willielmus* tandem victoriam adeptus eſt, adverſariis penitus profligatis. Tunc *Eadgarus Etheling* ad Regem *Willielmum* veniens, pacem ab eo & miſericordiam poſtulans, impetravit, & ei fidelitatem fecit.

Dunelmenſis Epiſcopus in carcerem truditur.

Dani veniunt in Angliam.

Eboracum expugnatur.

Eadgarus Etheling recipitur à Willielmo.

ANNO Domini M. LXX. Rex *Willielmus* peſſimo uſus conſilio, omnia Anglorum monaſteria auro ſpolians & argento, inſatiabiliter appropriavit, & ad majora ſanctæ Eccleſiæ opprobria calicibus & feretris non pepercit. Epiſcopatus quoque & Abbatias omnes quæ baronias tenebant, & eatenus ab omni ſervitute ſæculari libertatem habuerant, ſub ſervitute ſtatuit militari, inrotulans ſingulos Epiſcopatus & Abbatias pro voluntate ſua, quot milites ſibi & ſucceſſoribus ſuis, hoſtilitatis tempore, voluit à ſingulis exhiberi. Et rotulas hujus eccleſiaſticæ ſervitutis ponens in theſauris, multos viros eccleſiaſticos huic conſtitutioni, peſſimæ reluctantes, à regno fugavit. Sub hac tempeſtate *Stigandus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Alexander* Lincolnienſis, facto ad *Scotos* diffugio, moram ad tempus fecerunt ibidem. Solus inter omnes Angliæ prælatos, *Egelwinus* Dunelmenſis Epiſcopus exul & proſcriptus, zelum dei habens, excommunicavit univerſos eccleſiæ invaſores, & rerum eccleſiaſticarum raptores.

Eccleſia Anglicana in ſervitutem redigitur.

Epiſcopi fugiunt in Scotiam.

EODEM anno depoſito apoſtata Archiepiſcopo *Stigando*, qui prius (data pecunia) fuerat Epiſcopus *Helmhamenſis*, ac deinceps *Wintonienſis*, & noviſſimè Cantuarienſis (ut ſuperius dictum eſt) quos honeres non intuitu religionis, ſed cupiditatis ſimul tenebat: Succeſſit ei electus *Lanfrancus*, priùs Monachus *Beccenſis*, & poſtmodum Abbas *Cadonienſis*, in Archipræſulatum Cantuarienſem, qui in Epiſcopatu annis octodecim laudabiliter converſatus, ſucceſſoribus ſuis præbuit bonæ converſationis exemplum. Eodem tempore *Eadgarus Etheling*, regis *Willielmi* deditiius, facto ad *Scotos* transfugio, jusjurandum maculavit. Sed ibi cum aliquot annos degiſſet, Regis *Willielmi* liberalitatem experiri volens, ad eum in Normaniam navigavit, à quo ſatis honorificè receptus, & donativo non modico honoratus, libram argenti pro quotidiano ſtipendo à Rege ſuſcepit.

Stigandus *Archiepiſcopus Cantuarienſis deponitur, cui ſucceſſit* Lanfrancus.

Etheling *fugit ad Scotos.*

ANNO Domini M. LXXI. *Eadwinus*, *Mercherus*, & *Siwardus* comites, cum *Egelwini Dunelmenſi* Epiſcopo, & multis millibus clericorum & laicorum, deſerta religionis loca & nemoroſa petiêrunt, regis *Willielmi* indignationem ferre non valentes. Cumque multa mala ad injuriam Regis in locis diverſis perpetraſſent, ad *Elienſem* inſulam tandem venientes, locum manſionis illuc & refugii elegêrunt. Qui ſæpius inde hoſtiliter exeuntes, duce *Herewardo*,

Multi nobiles Angliæ loca deſerta petierunt.

de

1072. de gente Anglorum, viro nobiliſſimo ac ſtrenuo, regionem illam, in Regis diſpendium, non mediocriter affligebant. Caſtrum quoque ligneum in ipſis paludibus conſtruxêrunt, quod uſque in hodiernum diem, caſtellum *Herewardi* à conprovincialibus nuncupatur. Quo divulgato, Rex *Willielmus*, cum univerſa ſuæ ditionis fortitudine veniens ad Inſulam, navali, pedeſtri, & equeſtri exercitu eam circumcinxit. Deinde vias immenſæ longitudinis in ipſis paludibus, & pontes valde ſumptuoſos conſtruens, voragines profundas & aquoſas, beſtiis & hominibus reddidit permeabiles, & caſtellum, in loco qui *Wiſeberum* dicitur, à fundamentis erexit. Quod cùm adverſarii ejus cognoviſſent, omnes, præter ſolum *Herewardum*, qui ſocios ſuos ab inſula potenter eduxit, ad manum venientes, *Willielmo* ſeſe præſentârunt, quodlibet ſupplicium ſubituri. Tunc, Rex *Egelwinum* Epiſcopum ſub cuſtodia tradens, aliorum quoſdam interfecit, quoſdam redemit, & nonnullos perpetuo carceri mancipavit. *Herewardus* verò quam diu ſuperfuit, regi *Willielmo* paravit inſidias exquiſitas.

Rex Willielmus, *regis Scotorum homagium cepit.*

ANNO Domini M.LXXII. Rex *Willielmus Scotiam* hoſtiliter adiens, ſperavit aliquos ibi ex ſuis hoſtibus invenire. Sed cum regionem illam perluſtraſſet, & nullum penitus inveniſſet, accepto tandem regis Scotorum cum obſidibus homagio, ad Angliam remeavit. Hoc etiam anno *Egelwinus* Epiſcopus *Dunelmênſis*, apud Weſtmonaſterium ſub cuſtodia regis detentus, obiit, & ibidem in porticu Sancti *Nicolai* ſepultus eſt.

De duobus clericis confœderatis narratio importuna.

CIRCA eoſdem quoque dies, in civitate Britanniæ *Mannetis* nomine, duo clerici degebant, qui ab ipſis pueritiæ rudimentis adeò erant amicitiæ fœderibus conſtricti, ut ſi neceſſitas ingrueret, etiam mortis periculum pro invicem ſuſtinerent. Unde die quadam in hoc pariter conſenſerunt, ut quiſquis illorum prius obiret, vivo dormienti vel vigilanti, infra dies triginta appareret, ſocium certificaturus, qualis ſit futuri ſæculi ſtatus, quæ animarum de corpore egreſſarum foret conditio, ut inde ſufficienter inſtructus, agnoſceret, quæ ex diverſis de anima philoſophorum opinionibus eſſet imitanda. Tradunt enim *Platonici*, quod mors corporis animam non extinguat, ſed eam, ad Deum principium ſuum, tanquam è carcere, remittat. Aſtruunt è contra Epicuræi, animam de corpore ſolutam, in aërem evaneſcere, & in auras effluere & diſſolvi. Theologi quoque de anima aliter ſentientes, tres aſſerunt eſſe animarum poſt mortem corporis manſiones, unam in Cœlo, alteram in purgatorio, tertiam in inferno. Sed ſicut animæ quæ in inferno ſunt non ſalvabuntur, ita illæ quæ in purgatorio exiſtunt miſericordiam conſequentur. Itaque data fide inter ſocios, & accepta cum juramento, non multum tempus præteriit, & ecce unus eorum, ſubito abſque confeſſione & viatico expiravit. Remanſit alter in ſæculo, & de fide data ſedulò cogitans, terminum præfixum, per dies triginta, inaniter expectabat. Quibus evolutis, dum deſperatus aliis animum negotiis applicaſſet, ecce mortuus, ſodali apparens viventi, ipſum prius in hunc modum affatur: Agnoſcis me inquit? Et ſocius, Agnoſco, reſpondit: Et alius, Adventus meus amice inquit, valde tibi erit (ſi volueris) neceſſarius, mihi omnino autem infructuoſus. Nam prolata contra me à Deo ſententia, deputatus ſum miſer ſuppliciis ſempiternis. Cumque vivus ad ereptionem mortui, omnia ſua monaſteriis ſe daturum, & egenis promiſiſſet, ſeque dies & noctes jejuniis & orationibus continuaturum ſpoſpondiſſet: Fixum eſt inquit mortuus quod dixi. Nam quia è vita ſine pœnitentia deceſſi, juſta ſunt judicia Dei, quibus in ſulphuream voraginem inferni ſum demerſus, ubi dum rotat aſtra polus, & pulſat littora pontus, pro criminibus meis torquebor. Et ut aliquam ex pœnis meis innumerabilibus experiaris, protende manum tuam ut guttam ſaltem unam ſtillantem de ſudore meo ſanioſo recipias. Quæ à vivo recepta, cutem & carnem, ficut ignito cauterio perforavit, foramen nucis avellanæ capax efficiens. Socio doloris magnitudinem clamore teſtante, Hoc, inquit mortuus, erit tibi quàm diu vixeris, & pœnarum mearum grave documentum. Et nihil neglexeris ſalutis tuæ ſingulare remedium. Quapropter dum potes muta habitum, muta & animum, quò poſſis iram effugere tui conditoris. Ad hæc verba vivo reſpondere nolente, mortuus eum oculo ſeveriore perſtrinxit, dicens: Si dubitas miſer, converte, lege literas iſtas. Et ſimul cum verbo manum expandit tetris literis inſcriptam, in quibus Sathanas & omne contubernium infernorum omni eccleſiaſtico cœtui gratias emittit, quod cum in nullo ſuis voluptatibus deeſſent, tantum numerum ſubditarum ſibi animarum ſuæ prædicationis incuria, paterentur ad inferna deſcendere, quantum ſæcula nunquam retro acta vidêrunt. Et his dictis, imago defuncti diſparuit. Tunc vivens, bonis ſuis omnibus per eccleſias & egenos diſtributis, ſanctum *Melanum* adiit, & habitum mutavit: Omnes audientes admonens. Videntes autem ſubitam converſionem ſuam, dixêrunt: Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi.

Ventilatio cauſæ inter eccleſiae Cantuarienſem & Eboracenſem.

EODEM anno apud *Windleſhoram* ex præcepto *Alexandri* Papæ, Rege etiam *Willielmo* annuente, in præſentia *Huberti* Romanæ eccleſiæ legati, ventilata eſt cauſa de primatu eccleſiæ Cantuarienſis, ſuper eccleſiam Eboracenſem. Ubi tandem antiquarum auctoritatibus ſcripturarum probatum eſt, & oſtenſum, quod Eboracenſis eccleſia debeat ſubjacere eccleſiæ Cantuarienſi, & ipſius Archiepiſcopi, ut Primatis totius Britanniæ diſpoſitionibus, in omnibus quæ ad Chriſtianam pertinent religionem, fideliter obedire: Ita quod ſi Archiepiſcopus Cantuarienſis concilium tenere voluerit, ubicunque ſibi utile viſum fuerit *Eboracenſis* Archiepiſcopus, cum omnibus ſuis ſuffraganeis & ſubjectis clericis, ſui præſentiam exhibeat, ejuſque canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat. Benedictionem etiam Epiſcopalem

ab

ab ipſo debet accipere, & ei Canonicam profeſſionem, addito juramento, præſtare. Huic igitur conſtitutioni conſenſerunt Rex præfatus & *Lanfrancus* Archiepiſcopus Cantuarienſis, & *Thomas* Archiepiſcopus Eboracenſis, cum prædicto Cardinali, & omnibus Epiſcopis & Abbatibus regni. 1075.

ANNO Domini M.LXXIII. Rex *Willielmus* in Normanniam (factam jam ſibi rebellem) tranſiens in manu potenti, eam ſubjugavit. Sed Angli in hac expeditione, urbes, vicos & vineas cum frugibus depopulantes, omnem provinciam debiliorem ſimul & pauperiorem, multò poſt tempore reliquerunt. Deinde benè omnibus ibi diſpoſitis, ad Angliam transfretavit. In hoc ſiquidem anno, duobus annis magnis revolutis, à quinto decimo anno *Tiberii Cæſaris*, omnia ſecundum curſum Solis & Lunæ concordant, illi anno, quo baptizatus eſt Chriſtus Ieſus, id eſt, octavo Idus Januarii, die *Epiphaniæ* & die Dominica, initium jejunii ejus in ſecunda feria, tentatio ejus, decimo quinto Kalendas Martii feria ſexta. Habet autem magnus annus cycli Paſchalis, decies nonies annos viginti octo, qui ſimul juncti, faciunt annos quingentos triginta duos. Eodem anno invaſerunt Monachi ſancti Audoeni *Johannem* Archiepiſcopum Rothomagenſem, Miſſam celebrantem in feſtivitate ejuſdem ſancti, cum armata manu virorum: Unde judicatum eſt in Concilio in eadem civitate congregato, præſidente Rege Anglorum *Willielmo*, Monachos hujus criminis reos, per Abbatias carceribus retrudi, & perpetuam agere pœnitentiam, ſuper tam gravi delicto.

Rex Willielmus *Normannos rebelles domuit.*

Monachi ſancti Audoeni Johannem *Archiepiſcopum Rothomagenſem occidunt.*

ANNO Domini M.LXXIV. *Gregorius* ſedit in cathedra Romana annis duodecim, menſe uno, & tribus diebus, qui *Hildebrandus* vocatus antea fuerat. Iſte Papa in Synodo generali ſymoniacos excommunicavit, uxoratos ſacerdotes à divino removit officio, & laicis Miſſas eorum audire interdixit, novo exemplo, & (ut multis viſum eſt) inconſiderato judicio, contra ſanctorum patrum ſententiam, qui ſcripſerunt, quòd ſacramenta, quæ in eccleſia fiunt, Baptiſma, Chriſma, Corpus Chriſti & Sanguis, ſpiritu inviſibiliter cooperante, eorundem ſacramentorum effectum habeant, ſeu per bonos, ſeu per malos intra Dei eccleſiam diſpenſentur: Tum quia ſpiritus ſanctus myſticè illa vivificat, nec bonorum meritis amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur. Ex qua re tam grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore, ſancta eccleſia graviori fit ſchiſmate diſciſſa: His pro juſtitia, illis contra juſtitiam agentibus. Porrò paucis continentiam obſervantibus, aliquibus eam cauſa lucri ac jactantiæ ſimulantibus, multis incontinentiam perjurio mutipliciori adulterio cumulantibus: Ad hæc, hac opportunitate laicis inſurgentibus contra ſacros ordines, & ſe ab omni eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus, laici ſacra myſteria temerant, & de his diſputant, infantes baptizant, ſordido aurium humore pro ſacro chriſmate utentes & oleo, in extremo vitæ viaticum Dominicum, & uſitatum eccleſiæ obſequium ſepulturæ, à Preſbyteris uxoratis accipere parvipendunt. Decimas etiam Preſbyteris debitas, igne cremant, corpus Domini à Preſbyteris uxoratis conſecratum, pedibus ſæpe conculcant, & ſanguinem Domini voluntariè frequenter in terram effundunt.

Papa Hildebrandus *malorum in eccleſia ſeminarium.*

EODEM anno, Comes *Rodulphus*, cui Rex *Willielmus* dederat Angliæ Conſulatum, conſilio *Weltheofi* & *Rogeri* Comitum, Regem *Willielmum* à regno expellere moliuntur. Duxit enim *Rodulphus* ſororem præfati *Rogeri* comitis, in cujus nuptiis hanc proditionem facere conſpirabant. Erat autem *Rodulphus* ex matre *Wallenſi*, & patre Anglico generatus, & (ſicut diximus) inſtante die nuptiarum, utriuſque partis amici in villa Norwicenſi cùm congregatı fuiſſent, & poſt refectionem lautiſſimam vino inebriati eſſent, cœperunt unanimiter in Regem proditionem voce clamoſa conſpirare: Aſſerentes hominem in adulterio natum, tanto regno talibuſque viris præeſſe, rationi minimè convenire. Erant enim hujus factionis complices *Rogerus*, *Weltheofus*, & *Rodulphus* Comites, plures Epiſcopi & Abbates, cum Baronibus & bellatoribus multis, qui communiter ad Regem Danorum nuncios dirigentes, auxilium ejus inſtantiùs flagitabant. Deinde *Wallenſibus* ſibi confœderatis unuſquiſque in ſua poteſtate, igne accumulato, in villis Regiis, rapinis indulgebat. Sed caſtellani, qui caſtra Regis cuſtodiebant, cum populis provincialibus eis obviam venientes, ipſorum irritare propoſitum laborabant. Tunc Rex *Willielmus* ſubitò de Normannia rediens, *Rogerum* Comitem cognatum ſuum, & *Weltheofum* cepit, & vinculis conſtrictos, ſub carcerali cuſtodia deputavit. Quod Comes *Rodulphus* cùm cognoviſſet, ab Anglia tremebundus receſſit: Deinde Rex *Willielmus* ad Norwicum exercitum mittens, tam diu uxorem *Rodulphi* Comitis obſedit in caſtello cum familia ſua, quouſque (deficientibus ſibi alimentis) præſtita cautione juratoria, quòd ab Anglia recederet, non denuò reverſura, recepiſſet. *Wallenſium* verò, qui præfatis interfuerant nuptiis, Rex *Willielmus* quoſdam luminibus juſſit privari, quoſdam in exilium cogi, nonnullos verò fecit patibulo ſuſpendi. Et his ita geſtis, venerunt ex Dacia, *Cnuto* filius *Swani*, & *Hacon* Comes, cum navibus ducentis, armata manu repletis: Sed audientes, quæ fautoribus ſuis acciderant, retortis velis, ad Flandriam navigarunt, cum *Willielmo* congredi non audentes. Eodem anno *Editha* Regina, decimo quinto Kalendas Januarii apud Wintoniam migravit ad Dominum, & jubente Rege, apud Weſtmonaſterium ſepulta eſt, juxta virum ſuum Regem *Edwardum*.

Conſpiratio in Regem Willielmum.

Rogerus *Comes, &* Weltheofus *capti.*

Cnuto *filius* Swani *Angliam accedere metuens, in Flandriam contendit.*

ANNO Domini M.LXXV. Rex *Willielmus* præcepit *Weltheofum* Comitem, in Wintonia pœna capitis puniri, & extra civitatem in bivio ſepeliri. Sed proceſſu temporis, corpus ejus effoſſum,

Weltheofus *capitis pœna punitur.*

1077.

Bellum inter Regem Francorum & Willielmum Conquæſtorem.

effoſſum, ad ſepeliendum cum magno honore Croilandiam deportatur. Ac deinde Rex per Armoricanam Britanniam tranſiens, Dolenſe caſtrum obſedit: Sed Rex Francorum hoſtiliter ſuperveniens, omnem commeatum eis ſubtraxit. Unde Rex obſidione dimiſſa, in receſſu ſuo, milites multos & equos cum opibus ibidem amiſit. Nec multò pòſt Reges præfati (licet brevi tempore duraverit) concordiam inierunt. Eodem anno, idem *Willielmus*, die ſancto Paſchæ, in eccleſia Fiſthanni, filiam ſuam Ceciliam obtulit Deo conſecrandam. Per idem tempus *Robertus*, *Willielmi* Regis filius, Normanniam hoſtiliter invadit, quam Rex antequam Angliam ſubjugaret, coram *Philippo* Rege Francorum ei dederat. Quia verò pater filio eam poſſidere non permittebat, *Robertus Franciam* adiit, & auxilio ejuſdem Regis

Robertus filius Willielmi in patrem bellum movit.

magnam frequenter ex Normannia prædam agebat, villas comburebat, homines perimebat, & patri ſuo non modicam anxietatem & moleſtiam inferebat. Unde Rex *Willielmus*, contra *Robertum* filium ſuum bellum agens, apud Gerberai caſtrum Galliæ, equo pulſus eſt, & *Willielmus* filius ejus vulneratus, & multi de ſua familia interfecti: Quapropter Rex maledixit *Roberto* filio ſuo, quam maledictionem, antequam obiret, expertus eſt evidenter.

Walteri Dunelmenſis epiſcopi mores.

EODEM quoque tempore, *Walterus Dunelmenſis* Antiſtes, contra dignitatem pontificalem, curis ſe immiſcens ſecularibus, à *Willielmo* emit Northanhumbriæ Comitatum. Et Vicecomitis agens vices, laicali ſe foro immiſcuit, atque ab omnibus provincialibus, tam nobilibus quàm ſervis, inſolenter extorſit pecuniam infinitam. Populus tandem aſſiduis Epiſcopi ac miniſtrorum ejus exactionibus ad extremam perductus inopiam, indignabatur valde, ſeſe ad tam gravem ſolutionem ſine intermiſſione compelli. Unde provinciales communiter omnes ad ſecretum convenientes colloquium, decreverunt unanimiter, ſinguli & univerſi, ut occultè armati venirent ad Placita Comitatus, ad propellendas injurias, ſi neceſſitas immineret. Cumque paulò poſt ad Placita conſueta omnes comprovinciales (ut præloquutum fuerat) ſatis animosè adveniſſent, & de diverſis injuriis ſibi juſtitiam fieri exegiſſent: Epiſcopus nimis crudeliter reſpondit, quod de nulla injuria vel calumnia ipſis juſtitiam exhiberet, niſi antea ſibi libras quadringentas, monetæ optimæ, numeràſſent. Tunc unus eorum pro omnibus loquens, licentiam poſtulavit ab Epiſcopo, ut ſuper exactione præmiſſa, poſſet cum aliis conferre, quò habita deliberatione, ipſi poſſit conſultiùs reſponderi. Quare

Epiſcopus Dunelmenſis interfectus.

accepta licentia conferendi, cùm pauliſper ſeſe ſubtraxiſſent, unus ex illis, cujus arbitrium omnes expectabant, præcipitanter patria lingua dixit: **Short red, good red, ſlea ye the Biſhoppe.** Alii verò unanimiter, verbo prolato, ad arma convolantes, Epiſcopum crudeliter peremerunt, & centum homines cum eo, juxta flumen Tine, ubi * placita lœtifera ab Epiſcopo tenebantur.

Placita, ſunt loca in quibus judicia exercentur: Capitur etiam pro actionibus.

Annus magnus Dionyſii corrigitur.

ANNO Domini M.LXXVI. erat annus decimus tertius primi decemnovenalis cycli, in repetito anno magno *Dionyſii*, duobus magnis annis à paſſione Domini revolutis, in quo omnia, quæ ad curſum ſolis & Lunæ ſpectabant, cum anno Dominicæ Incarnationis concordabant. Unde manifeſtum eſt, quòd *Dionyſius* non rectè annos Domini cyclo ſuo annexuit. Quia enim ab anno Domini quingenteſimo trigeſimo ſecundo, cyclum ſuum ordinavit: Intendit nimirum Chriſtum fuiſſe natum, anno ſecundo prioris magni anni: & per hoc, hic annus, anno Dominicæ paſſionis concordans, debuit eſſe magni cycli annus, non decimus tertius, ſed trigeſimus tertius: Quia is fuit annus paſſionis Domini. Et per hanc conſequentiam (cum videlicet ſolaris curſus & lunaris concordent evangelicæ veritati) *Dionyſius* poſuit nativitatem Chriſti viginti & uno anno tardiùs quàm debebat.

Paulus monachus Cadonienſis, eccleſiam beati Albani condecoravit.

ANNO Domini M.LXXVII. *Paulus* Monachus Cadomenſis, quarto Kalendas Julii, Eccleſiam beati Anglorum Protomartyris Albani, regendam ſuſcepit: Qui eam in brevi, conſilio *Lanfranci* Cantuarienſis Archiepiſcopi & auxilio, multipliciter ampliavit. Novam Eccleſiam cum clauſtro & omnibus regularibus officinis eleganter conſtruxit, ordinem in ea Monachorum jam pene collapſum reformavit, Cœnobiumque in honorem beati martyris Albani conſtructum, libris divinis & ornamentis multipliciter adornavit. Eodem anno *Herlewinus* Abbas *Becci* primus, vita decedens, fœlicem animam ſuo reddidit creatori. Quo etiam anno, in die Palmarum, circa horam ſextam, ſereno cœlo, ſtella ingens apparuit, prope ſolem.

Herlewinus Abbas Becci, moritur.

Diſſidium inter Imperatorem & Papam.

EODEM anno, *Henricus* imperator, collecto Wormaciæ viginti quatuor Epiſcoporum & multorum concilio principum, decerni jubet, omnia decreta & facta *Gregorii* Papæ (qui prius *Hildebrandus* dicebatur) debere irritari: Ibique omne concilium, præter paucos, *Hildebrandum* abjuravit. *Hildebrandus* è contra excommunicavit Imperatorem, ſub hoc obtentu, ut primates regni, quaſi ex cauſa, Imperatori excommunicato contradicant. Poſtea *Hildebrandus* (à ſententia excommunicationis principibus relaxatis) ipſum etiam Imperatorem in Longobardia ſub falſa pace abſolvit. Quo facto, omnes, qui priùs *Hildebrandum* abjuraverant, Imperatorem abjuraverunt, & *Rodolphum* Burgundiæ ducem ſuper ſe Regem ſtatuêrunt, miſſâ ei corona à Papa, cui erat inſcriptum:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Rodolphum, *Sigifredus* Maguntiæ Archiepiſcopus, in regem benedixit. Facta verò à Maguntinis contra eos ſeditione, *Rodolphus* cum Archiepiſcopo noctu aufugit. *Hildebrandus* omnes Imperatori adverſantes abſolvit. Imperator autem *Alpium* aditibus contra ſe munitis,

ubique

1085.

ubique omnibus eorum fruſtratis inſidiis, per Aquileam Ratiſponam contendit, & ibi *Rodolphum* hoſtiliter adorſus, compulit in fugam: Et iterata expeditione, Suaviam devaſtat.

Dedicatio Eccleſiæ Becci.

ANNO Domini M.LXXVIII. Eccleſia Becci, decimo Kalendas decembris, in honorem beatæ Mariæ dedicata eſt, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi Lanfranco: Cujus operis, ipſe, poſt Abbatem *Herlewinum*, primum in fundamento lapidem projecit.

Turſtini Abbatis immane ſcelus.

ANNO Domini M.LXXIX. Rex Anglorum *Willielmus* in Walliam duxit exercitum copioſum, & eam ſibi ſubjugavit, & à Regulis illius ditionis, homagia & fidelitates accepit. Odonem fratrem ſuum de proditione in ſe accuſatum, cepit, & incarcerari præcepit. Eodem anno *Turſtinus* Abbas Glaſtonienſis turpe ſcelus commiſit: Tres enim Monachos ſub altari poſitos, occidi fecit, & octodecim viros ita vulneravit, quòd ſanguis eorum ab altari ſuper gradus, & à gradibus in pavimentum profuſus, cucurrit. Eodem anno Imperator *Henricus*, in die Pentecoſtes, in concilio Maguntiæ habito *Wibertum Ravennæ* urbis Epiſcopum, Papam fore deſignat. Eodem anno Antiochia caput Syriæ capitur à Paganis, cum tota provincia adjacenti, & aliis regionibus multis.

Vaticinium Hildebrandi.

ANNO Domini M.LXXX. *Hildebrandus* Papa (qui & *Gregorius*) quaſi ſibi divinitùs revelatum, prædixit, falſum Regem hoc anno eſſe moriturum. Et verum quidem prædixit, ſed fefellit eum de falſo rege conjectura, ſecundum velle ſuum interpretata ſuper Imperatore *Henrico.* Imperator enim *Henricus* contra Saxones gravi prælio decertans, regem falſum, ſcilicet *Rodolphum*, cum multis Saxoniæ principibus interfecit.

Rodolphus *à* Hildebrando *conſtitutus Imperator interficitur.*

Terræ motus.

ANNO Domini M.LXXXI. *Willielmus Rothomagenſis* Archiepiſcopus, tenuit concilium apud Liſſebonam, præſente Rege *Willielmo*, cum principibus & Epiſcopis multis. Eodem anno factus eſt terræ motus magnus cum gravi terræ mugitu, prima noctis hora, ſexto Kalendas Aprilis.

ANNO Domini M.LXXXII. *Marianus Scotus*, à nativitate Chriſti chronica ſua incipiens, uſque-ad hunc annum perduxit, multum laborans, ut errorem de annis domini corrigeret, qui in cyclo *Dionyſii* invenitur, ſicut viſu clarum eſt. Hinc poſuit annos Domini, ſecundum cyclum *Dionyſii* altrinſecus, juxta veritatem evangelii.

Matildis *uxor* Willielmi *moritur.*

Graviſſima pecuniarum exactio.

ANNO Domini M.LXXXIII. *Matildis* Regina *Baldwini* comitis Flandrenſis filia, & uxor *Willielmi* Regis Anglorum, diem clauſit ſupremum, & apud Cadonum, in monaſterio ſanctimonialium, quod ipſa conſtruxerat, honorificè traditur ſepulturæ: Matrona admodum nobilis & religioſa, de cujus largiflua liberalitate, ſancta lætatur Eccleſia. Eodem tempore, Rex *Willielmus* miſit juſticiarios per omnes Angliæ comitatus, & inquirere fecit, quot agri vel Jugera terræ uni Aratro ſufficerent per annum in ſingulis villis, & quot animalia poſſent ſufficere ad unius hydæ culturam. Fecit etiam inquiri, quem cenſum urbes, caſtella, villæ, vici, flumina, paludes, ſylvæ redderent per annum, & quot milites eſſent in unoquoque comitatu regni. Quæ omnia in ſcriptum redacta, & ad Weſtmonaſterium delata, in theſauris regum uſque hodie reſervantur. Deinde de unoquoque aratro, id eſt, hyda terræ totius regni, ſex ſolidos cepit argenti.

Hildebrandus *à Papatu abdicatus.*

Deſiderius Papa moritur.

ANNO Domini M.LXXXIV. Romani Imperatorem *Henricum* receperunt, & à Papatu abjudicatur eorum judicio, *Hildebrandus.* In cujus ſedem, *Wibertus Ravennenſis* urbis Archiepiſcopus inthronizatur, & *Clemens* nominatur, ac juſtè omnes *Hildebrandum* fuiſſe depoſitum conclamant, tanquam læſæ majeſtatis reum, qui contra Imperatorem alium ordinaverat. Illi autem qui contra ſentiebant, reclamantes, aſſerebant paucorum & laicorum judicio Papam amoveri non poſſe: Et quod gravius eſt, in loco viventis epiſcopi, non debere alium ordinari. *Henricus* tamen in Imperio reſtitutus eſt, & à Papa *Clemente* benedicitur patricius Romanorum. Eodem quoque anno *Caſſinenſium* Abbas *Deſiderius*, contra *Clementem*, Papa efficitur, ſed citò poſt moritur morbo dyſenterico diſſolutus.

Eodem anno Rex Anglorum *Willielmus*, in pentecoſtes feſto, apud Weſtmonaſterium, *Henricum* filium juniorem cingulo militari donavit. Deinde cepit homagia hominum totius Angliæ, & juramentum fidelitatis, cujuſcunque eſſent feudi vel tenementi, & extortis magnæ pecuniæ copiis, ab omnibus promiſcuè, ſive per fas, ſive per nefas, in Normanniam transfretavit.

Pullulatio *telo·niorum in Anglia.*

Anglorum terra hominibus deſerta.

ANNO Domini M.LXXXV. cùm jam Dei voluntatem ſuper Anglorum gentem Normanni complevissent, nec vix aliquis princeps de genere Anglorum ſupereſſet in regno, omneſque, in memorem & ſervitutem redacti fuiſſent, ita ut Anglum vocari foret opprobrio, pullulavêrunt in Anglia telónia iniqua & conſuetudines peſſimæ: Et quanto magis principes decernebant de recto & juſtitia, tanto major fiebat injuria. Qui juſtitiarii vocabantur, omnis injuſtitiæ fuerunt authores. Cervum vel capreolum capienti, oculi eruebantur: Nec fuit qui his ſe opponerit legibus. Amabat enim ferus Rex, feras, quaſi pater ferarum. Denique nefando prorſus uſus conſilio, hoc egit, ut ubi aut vel humana erat in villis converſatio, vel Eccleſiis divina fervebat veneratio, ibi cervi & id genus ferarum petulanter diſcurrerent. Unde proverbio aſſeritur, quod per triginta & eò amplius miliaria, terra frugifera in ſaltus ſit redacta, & luſtra ferarum. Ad caſtra quoque conſtruenda, Rex anteceſſores ſuos omnes ſuperabat. Normannia, ſibi, hæreditario jure provenerat, Cenomanniam armis adquiſierat, Britanniam Armoricanam acclivem ſibi fecerat, in Anglia

C ſolus

1087. ſolus regnabat, Scotiam & Walliam ſubjugabat, pacis autem tantus amator erat, quod puella auro onuſta, impunè poſſet totam pertranſire Angliam.

Remigius Fiſcamnii *Dorkeceſtriæ præſulatum à* Willielmo *obtinet.*

REX *Willielmus* paulo ante, *Remigio Fiſcamni* monacho, dederat Dorkeceſtriæ præſulatum: Sed Epiſcopo valde diſplicuit, quod urbs illa modica illi data eſſet: Cùm in eodem epiſcopatu civitas Lincolniæ, ſede epiſcopali dignior videretur. Mercatis igitur in ipſo montis vertice prædiis, Eccleſiam ibidem conſtruxit. Et licet *Eboracenſis* Archiepiſcopus, locum & Civitatem ad ſuam dioceſim aſſereret pertinere, aſſertiones tamen ejus *Remigius* parvi pendens, opus inchoatum non ſegniter peregit, peractumque, clericis, doctrina & moribus probatiſſimis decoravit. Erat quidem *Remigius* ſtatura parvus, ſed animo magnus, colore fuſcus, ſed non operibus, de Regia quoque proditione aliquando accuſatus, ſed famulus ſuus igniti judicio ferri dominum purgans, regio amori reſtituit, & maculam dedecoris pontificalis deterſit. Hoc autem authore, hoc tempore, & his de cauſis incepta eſt, Eccleſia moderna Lincolnienſis.

Eccleſia Lincolnienſis ædificatur.

Inundatio aquarum.

ANNO Domini M.LXXXVI. Nimia aquarum inundatio, multis in locis periculoſa fuit & damnoſa: Ita quod Rupes multæ liquefactæ, plures obruerunt ſua ruina villas. Circa eoſdem dies, Rex *Willielmus* duo *Cœnobia* fundavit, unum in Anglia in honorem ſancti *Martini* apud *Haſtingas*, quod de Bello nuncupatur, quia ibi conſertum legitur prælium inter ipſum & *Haroldum*. Quo in loco monachos inſtituit, ut pro anima Regis *Haroldi* & aliorum ibidem occiſorum, divina celebrarent. Cœnobiumque illud congruis poſſeſſionibus ampliavit. Aliud Monaſterium in Normannia apud *Cadomum* conſtruxit, quod in honorem ſancti *Stephani* prothomartyris conſecratum, prædiis opportunis & donariis magnificis inſignivit. Ex regina *Matilda* liberos multos procreavit, *Robertum*, ſcilicet, *Ricardum*, *Willielmum*, & *Henricum*: Quorum primogenitus *Robertus*, adhuc patre vivente Normanniam negari moleſtè ferens, in Italiam abiit ira ſuccenſus, ut filia *Boneſacii Marchionis* in uxorem ducta, patri, affinibus adjutus, bellum moveret. Sed hac petitione fruſtratus, *Philippum Francorum* Regem, contra patrem ſuum excitavit. Quare benedictione & hæreditate paterna orbatus, in Angliæ regnum, poſt mortem patris ſui, non ſucceſſit, ducatum Normanniæ autem vix retinuit. Rex magnificus & bonæ indolis adoleſcens, primævæ florem juventutis acerba morte prævenit. Tradunt enim ipſum in Nova ſylva cervos inſequentem, morbum lethalem incurriſſe, in loco videlicet, quem Rex pater ejus, deſtructis villis (ut ſuprà dictum eſt) & Eccleſiis ſubverſis, in ſylvam redegerat denſiſſimam, & habitaculum beſtiarum. Filiæ verò illi quinque erant, quarum *Cecilia Cadomi* Abbatiſſa fuit: *Conſtantia* comiti Brittanniæ *Alano* erat in conjugium data: Tertia nomine *Adala*, *Stephani Beccenſis* comitis uxor, viro tandem defuncto apud *Mercenniacum*, ſanctimonialis habitum ſuſcepit: Quartæ & quintæ, *Alfonſo Galaciæ* regi deſponſatæ, nomina penitus non audivi. Rex præterea *Willielmus* in adoleſcentia prima caſtitatem adeò reſpuit, ut publicè diceretur, ipſum in fœminas quidvis poſſe. Veruntamen ex procerum ſententia, Matrimonio addictus ita ſe habuit, ut pluribus annis nullius probri ſuſpicione notaretur. Subjectis humilis apparebat & facilis, inexorabilis erat rebellibus. Diebus ſingulis Miſſæ aſſiſtebat, *Matutinos* hymnos & *Veſpertinos* diligenter cum horis regularibus audiebat. Et hæc de motibus ejus dicta ſufficiant. Eodem Anno *Gregorius* Papa (qui & *Hildebrandus* dicitur) apud *Salernum* moritur, & moriens, cardinalibus advocatis, confeſſus eſt, ſe valde peccaſſe in cura paſtorali, & ſuadente diabolo, contra humanum genus, iram Dei & odium concitaſſe. Succeſſit ei in cathedra Romana, *Clemens*, cui poſt paucos dies defuncto, *Caſſinenſium* Abbas *Deſiderius* ſucceſſit, & Victor nuncupatus fuit.

Battel Abbaye.

Proles quas Willielmus *Conquæſtor ex* Matilda *uxore ſuſcepit.*

Willielmi *conquæſtoris mores.*

Hildebrandus *Papa moritur.*

ANNO Domini M.LXXXVII. Rex Anglorum *Willielmus* in natali Domini curiam ſuam apud Gloverniam tenens, tribus capellanis ſuis, *Mauritio* ſcilicet Londonienſem, *Willielmo Norwicenſem*, *Roberto Ceſtrenſem* dedit præſulatum. Eodem anno obiit *Wiſcardus* dux Apuliæ, & ſucceſſerunt ei duo filii ejus, *Rogerus* & *Boamundus*. Hoc etiam anno dum Veneti meditabantur auferre corpus ſancti *Nicolai* à *Myrrea Liciæ* civitate à Turcis deſolata, præoccupaverunt idem corpus cives *Barenſes* numero quadraginta ſeptem, ab Antiochia *Myrream* venientes: Qui à quatuor monachis tandem ibidem inventis, oſtendi ſibi ſancti tumbam extorſerunt. Qua confracta, oſſa ſancti *Nicolai* in olei liquore natantia, numero integro extraxerunt, & Barum cum gloria detulerunt. Facta eſt autem hæc tranſlatio anno ſeptingenteſſimo, quadrageſſimo ſexto, poſt obitum ejuſdem ſancti pontificis *Nicolai*.

Wiſcardus *dux Apuliæ moritur.*

EODEM tempore *Berengarius Turonenſis* Archiepiſcopus prolabitur in hæreticam pravitatem. Hic panem & vinum in altari poſita, poſt conſecrationem ſacerdotis, verum & ſubſtantiale corpus Domini eſſe, ſicut ſancta & univerſalis Eccleſia prædicat, denegabat. Imprimis autem afficiebatur omnis Gallia ejus doctrina: Siquidem per egenos ſcholares, quos quotidianis ſtipendiis ſuſtentabat, eandem paſſim divulgabat. Unde Papa *Leo*, qui Victori ſucceſſerat, ſoliditati Eccleſiæ Catholicæ providens, *Vercellis* concilium ſtatuit contra ipſum, ubi tenebras nebuloſi erroris ejus, evangeliorum teſtimoniorum fulgore detexit. Sed licet primum juventutis calorem, aliquarum hæreſium defenſione infamaverit, ævo maturiore tamen ita reſipuit, ut citra controverſiam à quibuſdam ſanctus habeatur, utpote in multis operibus bonis, & maximè humilitate & eleemoſynarum largitionibus approbatus.

Berengarii *de ſacramento altaris ſententia, ejuſque vita.*

Hoc

Hoc tempore in provincia Walliarum quæ Ros vocatur, inventum eſt apud ripam maris *Walweii* ſepulchrum, qui fuit *Arturi* magni Regis Britonum ex ſorore nepos, longitudinem habens quatuordecem pedum. Regnavit autem *Walweius* in ea parte Britanniæ quæ hucuſque *Walwethai* vocitata eſt. Vir militia & omni civilitate nobiliſſimus, ſicut ſuperiùs (ubi de geſtis Britonum tractatum eſt) luculenter expreſſum eſt. 1088.

Walweii ſepulchrum inventum.

Eodem anno Rex Anglorum *Willielmus* in Normannia moram faciens, aliquantiſper ſe continuit à bello, quod in regem Francorum cogitabat. Rex autem Francorum *Philippus* abutens ipſius patientia, opprobrioſè fertur dixiſſe, Rex (inquiens) Anglorum jacet *Rothomagi*, cubile fovens inſtar parturientium fœminarum: Sed cum poſt partum ſeſe purificaturus exierit, centum millia candelarum cum eo veniam in eccleſiam oblaturus. His igitur, & his ſimilibus convitiis Rex irritatus, adveniente menſe *Auguſto*, quando ſegetes in agris, botri in vineis, & poma in viridariis copiam ſui oſtendebant, coacto exercitu copioſo, Franciam infeſtis armis aggrediens, omnia conterit, & omnia depopulatur. Nihil erat quod animum commoti regis placaret, ſed injuriam contumelioſè acceptam, multorum diſpendio ſolari nitebatur. Poſtremo Mediantum civitatem, injectis ignibus, concremavit, ſuccenſa ſimul ſanctæ *Mariæ* eccleſia cum duabus recluſis veſtalibus, quæ nec in tali neceſſitate putarunt ſuas fore ædiculas deſerendas. Quo actu exhilaratus rex, ſuos invitavit, ut igni adjicerent pabula: Sed dum nimium flammis appropinquat, ignis calore, & imprimis autumnalis æſtus inæqualitate, morbum incurrit. Auxit præterea ægritudinis ejus moleſtiam, quod præruptam foſſam equus Regis tranſiliens, interiora diſrupit inſidentis. Quo dolore acriter afflictus, *Rothomagum* remeavit. Cumque languor per dies ingraveſceret, decumbit lecto, morbi neceſſitate compulſus. Conſulti autem medici, ex urinæ inſpectione, mortem citiſſimam prædixerunt. Reſumpto tamen pauliſper ſpiritu, officio Chriſtiani in confeſſione & viatico perfunctus, Normanniam filio ſuo *Roberto*: Angliam, poſſeſſiones maternas cum theſauris, *Willielmo Rufo* legavit. Vinctos omnes liberari carceribus & ſolvi, theſauros efferri, & eccleſiis diſpertiri præcepit. Pecuniam ſufficientem ad reparationem baſilicæ ſanctæ *Mariæ* nuper crematæ, aſſignavit. Ordinatis igitur ritè rebus omnibus, octavo idus ſeptembris deceſſit, anno regni ſui vigeſimo ſecundo, ducatus verò quinquageſimo ſecundo, vitæ ſuæ, quinquageſimo nono, Dominicæ incarnationis, Milleſimo octuageſimo octavo. Corpus defunctum Cadonum per Sequanam delatum, magna Prælatorum frequentia traditur ſepulturæ. *Robertus* filius ejus primogenitus, tempore quo pater defunctus eſt, contra patrem ex Francia bellum gerebat. *Willielmus Rufus*, antequam pater expiraſſet, in Angliam trajecit, utiliorem ſibi eam profectionem fore ducens in poſterum, quàm paternis exequiis intereſſe. Solus *Henricus* ex liberis exequiis intererat, qui & militi cuidam, ad cujus patrimonium, locus ille in quo corpus regis ſepultum fuerat, avito jure ſpectabat, quo ejuſdem calumniam compeſceret, centum contulit libras argenti. Porro *Willielmus* in Anglia in pecunia diſpergenda, neque ſegnis neque parcus, omnem theſaurum patris Wintoniæ accumulatum, in lucem proferens, monaſteriis aurum, eccleſiis parochianis argenti ſolidos quinque, unicuique provinciæ libras centum, egenis dividendas miſericorditer aſſignavit. Patris etiam ſepulturam proceſſu temporis, ingenti congerie auri & argenti, cum ſplendore gemmarum, perſpicuè adornavit. Et his ita geſtis, mox *Willielmus* volentibus omnium provincialium animis, in regem acceptus, totam Angliam pro ſuo libitu ſubjugavit, & claves theſaurorum ubique locorum obtinuit. Ad quod non parvum adminiculum *Lanfrancus* attulit, eo quòd illum nutriverat & militem fecerat, patre adhuc vivente. Hoc igitur authore, in die ſanctorum martyrum *Coſmæ* & *Damiani*, Angliæ diadema adeptus, reliquum hyemis tempus pacatè tranſegit. Veruntamen poſtea nobiles regni, fere omnes (non ſine perjurio) in *Willielmum*, in regem jam coronatum bella moventes, & *Robertum* fratrem ejus primogenitum in regnum adoptantes, in ſuis quiſque provinciis debacchantur. Eodem anno Saraceni Hiſpani, Chriſtianos invadentes, & ab *Alfonſo* rege Galaciæ, ad ſua redire compulſi, quaſdam urbes, quas olim tenuerant, amiſerunt. Hoc denique tempore rex Danorum *Cnuto*, à ſuis interemptus eſt.

Regis Francorum Philippi in Willielmum Conqueſtorem ſcomma.

Willielmus Franciam invadit.

Willielmi morbus, mors, & ejus cauſa.

Henrici tertii filii Willielmi Conqueſtoris pietas, aliorumque liberorum erga patrem defunctum impietas.

Willielmus ſecundus in regem inauguratur.

Nobilitatis in Regem Willielmum conſpiratio.

Canutus interfectus.

Anno Domini M. LXXXVIII. Cum Rex *Willielmus* ad Natalem Domini curiam ſuam Londini tenuiſſet, poſtea in initio veris bellum contra *Odonem* patruum ſuum epiſcopum *Bajocenſem* movit. Nam ille cum ſolutus à vinculis (*Roberto* nepote ſuo in ducatu Normanniæ confirmato) in Angliam veniſſet, accepiſſetque ex dono Regis Cantiæ comitatum, & omnia non pro ſuo arbitratu, ut olim, in regno geri vidiſſet, livore percuſſus, à rege diſciviт, & multos in ſuam ſententiam pertraxit. *Roberto* fratri regnum competere dixit: Siquidem eum juvenilem ſtultitiam multis jam laboribus refrenaſſe: *Willielmum* delicatè nutritum, tam animo quàm vultu eſſe ferocem, pectore timidum, omnia contra jus & fas temere fore moliturum, hinc brevi futurum, ut honores jam dudum multis ſudoribus adquiſitos, amittant. Hæc idem *Odo*, hæc *Rogerus* de monte Gomerico, hæc dixerunt *Gaufridus* Conſtantinienſis Præſul, cum comite Northumbrenſium *Roberto*, & aliis pluribus, qui omnes primò clam, & poſt palam, miſſis Epiſtolis, eadem pro virili promovebant. *Willielmus* etiam *Dunelmenſis* Epiſcopus, quem Rex *Willielmus* juſticiarium fecerat, horum perfidiæ ſuffragabatur. *Odo* inprimis prædam ingentem ad Rovenſe Caſtrum cogebat, dum regios in

Conjuratorum perfidia.

1089. Cancia fiſcos devaſtabat. Et maximè agrum Archiepiſcopi *Lanfranci*, quòd à *Willielmo* primo, conſilio hujus ſe conjectum in vincula ſuſpicabatur. Nam cum olim *Willielmus* rex ſenior, coram *Lanfranco* conquereretur, ſe ab *Odone* fratre ſuo epiſcopo deſeri, tum *Lanfrancus:* Cur (inquit) apprehenſum vinculis non coërces? Rege autem reſpondente: Quod clericus & Epiſcopus eſſet, reſpondit Archiepiſcopus: Non Epiſcopum *Baiocenſem* apprehendes, ſed Cantiæ comitem. Hujus itaque concilio *Odo* cuſtodiæ eſt. *Gaufridus* verò Conſtantinienſis antiſtes cum nepote *Roberto*, *Bathoniam* & *Berkeleiam* depopulans, in pagum Wiltenſem manubia apud Briſtollum comportabat. *Rogerus* de monte Gomerico, armata manu cum *Wallis* à Scrobeſberia diſcedens, Wigornienſem pagum deprædabatur. Sed cum Wigorniam infeſtiùs hoſtes veniſſent, regii milites pauci numero, benedictione beati *Vlſtani* Epiſcopi, cui caſtri cuſtodia commiſſa fuerat, freti, multis eorum captis & interfectis, eos fugârunt. *Hugo* autem *Bigod* apud Norwicum, & *Hugo* de Grauntemenil apud Leirceſtram, in ſuis quiſque regionibus, rapinis indulgebant.

Willielmi *ſecundi aſtutia.*

VIDENS igitur Rex *Willielmus*, omnes pene regni proceres una rabie conſpiratos, Anglos fortitudine & probitate inſignes: Faciles leges & tributorum levamen, liberaſque illis venationes promittendo, ſibi primo devinxit: Deinde, non minori aſtutia, *Rogerum* de monte Gomerico ſecum equitantem circumvenit, dicens: Se libenter regno ceſſurum, ſi illi & aliis, quos pater tutores ſibi reliquerat, utile videretur. Pecunias autem vel poſſeſſiones, pro ſuo arbitrio accipere, & prorſus quæcunque voluerint, in regno pro voluntate ſtatuere (dummodo notam proditionis non incurrant) illis ſe concedere. Idem autem illis eventurum quod ſibi, ſi ſecus quàm ratio poſtulaverit ſecum agant, pæcipuè cum idem ſe regem, qui illos comites conſtituerit. His verbis comes *Rogerus*, qui primum poſt *Odonem* hujus factionis caput fuit, convictus & commotus, primus omnium pœnitentia ductus, à ſuis defecit. Poſtea rex in deſertores ſuos profectus, duo caſtella patrui ſui *Odonis* epiſcopi, *Tunebrigge* ſcilicet & *Peveneſel*, confregit. Epiſcopum verò in poſteriori caſtello interceptum, vinculis mancipavit. Milites autem regii ad caſtrum Roffenſe illum ducentes, ab illis qui caſtro præerant, ingreſſum poſtulant: Hoc enim domini ſui velle, hoc regem abſentem jubere, dicunt. Erant autem tunc in Caſtro illo omnis fere juventutis Angliæ & Normanniæ nobilitas, tres ſcilicet filii comitis *Rogeri*, & *Euſtachius* comes *Bononiæ* junior, cum aliis multis, quos prætermitto. Illi verò qui in caſtro erant, ex muro proſpicientes, vultum epiſcopi cum militum verbis non convenire percipientes, ocyùs apertis valvis exeuntes, omnes cum Epiſcopo milites regios in Caſtellum vinctos reducunt. Cum autem rumor facti hujus ad Regias aures perveniſſet, Rex ira inflammatus, ſtipendiarios milites ſuos Anglos congregat, & abſque mora ut ad obſidionem veniant, jubet: Niſi velint ſub nomine **Nithing**, quod Latinè nequam ſonat, recenſeri. Angli (qui nihil contumelioſius & vilius æſtimant quàm hujuſmodi ignominioſo vocabulo notari) catervatim ad regem confluentes, ingentes copias conficiunt. Obſeſſi autem longiorem obſidionem ferre non valentes, caſtellum regi reddiderunt. *Odo* itaque Epiſcopus ſecundò captus, Angliam perpetuò abjuravit. Epiſcopus *Dunelmenſis* à rege prætentæ amicitiæ verecundia ducto, liber abire permiſſus, illico in Normanniam transfretavit. Cæteri fide data, dimiſſi ſunt. Sed inter has obſidionis moras, miniſtri regis mare cuſtodientes, quoſdam (quos dux *Robertus* in auxilium prædictis miſerat deſertoribus) partim cæde, partim naufragio, oppreſſerunt. Quorum quidam fugam meditantes, ne vivi caperentur, ultro ſeſe fluctibus ſubmerſerunt.

Odonis *& aliorum conjuratorum deditio.*

Odo *monachus Papa per* Henricum *Imperatorem conſtitutus.*

ANNO Domini M.LXXXIX. *Odo* ex monacho *Cluniacenſi*, Epiſcopus Hoſtienſis effectus, contra *Clementem* Papam & *Henricum* Imperatorem conſtituitur Papa, & *Vrbanus* vocatur. Hujus temporibus *Alemannicus* comes quidam *Henrici* Imperatoris perſecutor graviſſimus, cum quodam die, triſtis ad menſam reſideret, miniſtrantium ſtipatus catervis, ita repente à muribus eſt circumvallatus, ut nuſquam ſibi diffugium appareret. Tantus enim erat illarum numerus beſtiolarum, ut in Regione nulla tantam copiam eſſe credideris. Itaque famuli, fuſtibus & baculis arreptis, quum muribus occurriſſent, diu in illos ſævientes, nihil penitus profecerunt. Quin dominum ſolum dentibus, terribili quodam corroſu laniarunt. Et quamvis à miniſtris magno conatu baculis & fuſtibus percuterentur, nulli tamen damnum inferebant, quia miniſtri nec ipſas tangere beſtiolas aut lædere potuerunt. Quamvis autem cum miniſtris longiùs in pelagum navi delatus eſſet, tamen murium violentiam non evaſit. Nam illico tanta beſtiolarum multitudo inundavit in pelago, quæ navis tabulata corrodens, perforavit, ut certum naufragium, aqua per rimas ingrediens, minaretur. Sed famuli hæc videntes, puppem ad littus celeriter retorquebant: Mures autem ante navem ad terram venientes, miſerum illum in aridam devectum invaſerunt. Qui mox totus à beſtiolis illis dilaceratus, horrendam earum famem in momento refecit.

Quidam Alemannicus *comes à muribus perfidiæ cauſa devoratus.*

Lanfranci *mores & benefacta.*

EODEM anno obiit *Lanfrancus* Cantuarienſis Archiepiſcopus. Qui inter cætera quæ fecit pietatis opera, majorem eccleſiam Chriſti Cantuarienſis renovavit, officinas monachorum fabricavit, dignitates eccleſiæ, quæ anteceſſorum ſuorum incuria interciderant, reſtauravit, terras multas quæ ablatæ fuerant, revocavit, viginti quinque maneria eidem monaſterio reſtituit, xenodochia vel xenotrophia duo extra Civitatem, conſtruxit, quibus de ſuo ſufficientes annuatim redditus aſſignavit. Eccleſiam Roffenſem reſtauravit, & in ea mona-

chum

chum Becci, *Hernoſtum*, Epiſcopum ordinavit. In cujus conſecratione verſus iſte inventus 1091. eſt ſuper altare: Cito proferte ſtolam primam, &c. Quem cum vidiſſet Archiepiſcopus, prædixit eum cito moriturum. Nam ei anno nondum completo decedenti, ſucceſſit *Gundulphus Beccenſis* monachus, qui perſeveravit uſque in tempora *Henrici* Regis. Abbatiam beati Albani, Anglorum prothomartyris, ad priſtinum ſtatum reduxit. Angliam Rege abſente cuſtodivit, lectioni aſſiduè vacavit, libros Veteris ac Novi Teſtamenti, ſcriptorum vitio corruptos, corrigere ſtuduit, cujus emendationis luce, tam Anglorum eccleſia quam Gallorum ſe gaudet illuſtrari. Defuncto itaque venerabili patre *Lanfranco*, Rex *Willielmus* eccleſias & monaſteria, fere totius Angliæ, in manu ſua paſtoribus defunctis retinens, gravi omnia depopulatione vaſtabat, & inſtar firmarum laicis commendabat.

Anno Domini m. xc. Rex *Willielm.* contra *Robertum* fratrem ſuum Normannorum ducem arma movens, caſtella ſancti *Walerici* & *Albemarliæ* cepit, & milites ſuos immittens, comburere terram fraternam & deprædari incepit. Sed Anno ferè elapſo, ſolertia amicorum, concordiam inierunt, eo ſcilicet pacto, ut caſtra illa quæ Rex ſibi bello comparaverat, penes eum permanerent: Rex verò Ducem, ad omnia quæ pater ejus habuerat, præter Angliam, repetenda adjuvaret. Statuerunt præterea, ut ſi alter eorum ante alterum obiret abſque hærede, ſuperſtes, hæres illius eſſet. Quod pactum juramento confirmarunt duodecim Principes nomine regis, & duodecim Barones nomine ducis. Rex interea Scotorum *Malcolmus* nimio terrore percuſſus, homagium regi fecit Anglorum, & fidelitatem juravit. *Robertus* autem Dux poſt longas moras in Anglia, tandem in Normanniam trajecit.

Willielmi *ſecundi in eccleſiaſticos deprædatio.*

Rex Scotiæ fecit Homagium regi Angliæ.

Quoniam Regis *Malcolmi* fecimus mentionem, cujus erat animi & modeſtiæ, paucis expedire curabo. Cùm forte quendam ſummorum Procerum ſuorum, de nece ſua cum ſuis hoſtibus conveniſſe, per delatorem cognoviſſet, accuſatorem quidem ſilere imperabat, ipſe verò tacitus proditoris, qui tunc fortè aberat, adventum expectabat. Cum autem proditor ad curiam cum magno apparatu regi inſidiaturus veniſſet, jubet rex ſummo mane, cum canibus omnes venatores adeſſe. Et cum jam aurora illuxiſſet, rex cunctis proceribus & militibus advocatis, venatum ire feſtinat. Venienſque ad quandam latam planiciem, quam in modum coronæ, ſylva denſiſſima cingebat, rex ſecum in ea ſuum retinuit proditorem, ſeorſumque aliis canes & feras inſequentibus, ſolus cum ſolo permanſit. Ab omni denique remotus aſpectu, ſubſtitit rex, & reſpiciens in proditorem, dixit: Ecce ego & tu mecum, ſolus cum ſolo, ſimilibus tecti armis, equis ſimilibus vecti, non eſt qui videat, non eſt qui audiat, nec qui alteri noſtrum ſubſidium ferat: Si igitur animus tibi ſit, ſi valeas, ſi audeas, abſolve quod propoſuiſti, redde hoſtibus meis & ſociis tuis quod promiſiſti. Si me occidere ſtat animus, quando rectiùs, quando ſecretius, quando virilius? Venenum paraſti? Mulierculis id relinquito: Lectulo inſidiaris? Hoc & adulteræ poſſunt: Ferro ex inſidiis me aggredi decreviſti? Hoc ſicarii & non militis eſſe officium, nemo eſt qui dubitet. Age ergo quod viri eſt, quod militis officium eſt, ſolus cum ſolo congredere, ut ſaltem proditio tua turpitudine careat, quæ perfidia carere non poteſt. Miles autem hæc audiens, mox verbis Regis quaſi gravi percuſſus fulmine, ex equo in terram corruens, armiſque projectis, ad pedes regios cum lachrymis & tremore cucurrit. Cui Rex, noli timere, inquit, quia nihil mali à me patieris. Cumque ei de cætero ſe fidelem & amicum, præſtito juramento obſidibuſque datis, futurum promiſiſſet, tempore opportuno revertuntur ad ſocios, quæ fecerant, vel quæ dixerant, nulli penitus referentes.

Malcolmi *Regis Scotorum mores & ingenium.*

Malcolmi *magnanimitas.*

Malcolmi *clementia.*

Circa hos denique dies, *Robertus* de Molbraio Northumbrenſis comes, divina inſpiratione tactus, volens eccleſiam beati *Oſwini* de Tenemutha jamdudum deſolatam reſtaurare, atque ibi Deo & ſancto martyri *Oſwino* monachos ſervituros conſtituere, conſilio amicorum ſuorum, *Paulum* eccleſiæ ſancti Albani Abbatem convenit, petens obnixiùs & devotè, ut ex monachis ſuis aliquos, illuc tranſmittere, dignaretur: Promittens omnia quæ ad victum, & veſtitum neceſſaria ſunt, ſe eis affatim ſuppeditaturum. Petitioni quidem Abbas prædictus non defuit: Nam quoſdam illuc ex ſancti Albani monachis mitti procuravit: Quos cùm Comes præfatus maneriis, eccleſiis, redditibus, piſcariis, molendinis, & rebus omnibus locupletaſſet, & literis ſuis prædicta omnia ab omni ſæculari ſervitio exempta, & penitus libera confirmaſſet, dedit prædicto Abbati *Paulo*, ejuſque ſucceſſoribus, & eccleſiæ beati Albani Anglorum prothomartyris, eccleſiam Tinemuthanam, cum omnibus appendicibus ſuis, pro ſalute propria & omnium anteceſſorum ſuorum, ſive ſucceſſorum, in perpetuum poſſidendam: Ita quidem ut Abbates ſancti Albani (qui pro tempore fuerint) cum conſilio ejuſdem loci conventus, liberam habeant diſpoſitionem Priorum & monachorum, tam in illis conſtituendis quàm removendis, prout viderint expedire.

Roberti *de* Molbraio *in eccleſiaſticos Liberalitas.*

Anno Domini m. xci. *Remigius* Lincolnienſis antiſtes, cum Eccleſiam ſuam jam perfectam, dedicare conſtitueret, Rege preſente & Epiſcopis multis, *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus contradicebat, affirmans eam in ſua parochia eſſe conſtructam. Unde per appellationem ab Archiepiſcopo interpoſitam, & per mortem *Remigii*, quæ illico eſt ſecuta, dedicatio remanſit imperfecta. Eodem anno Methis corpus ſancti *Clementis* Epiſcopi Primi, ab Apoſtolis illic ordinati, inventum eſt, & in feretro collocatum.

Controverſia inter Lincolnienſem Epiſcopum & Archiepiſcopum Eboracenſem.

Sub

1093.

Peſtis in Monaſterium Fuldenſe graſſatur.

SUB eiſdem diebus in Fuldenſi Cœnobio, lues exitialis adeò graſſata eſt, quæ primo Abbatem,& poſt multos Monachorum extinxit. Fratres autem qui ſuperſtites remanſerant, luem metuentes præfatam, ceperunt largas eleemoſynas facere, & orationes, tam pro animabus fratrum defunctorum, quàm pro ſalute vivorum. Sed proceſſu temporis (ut fieri ſolet) cœpit devotio fratrum paulatim deficere: Cellario ſive promo conſtanter affirmante, facultates Eccleſiæ non ſufficere ad tantarum expenſarum profuſionem. Addidit etiam ſtultum videri, mortuos illud conſumere, quo vivos neceſſe eſt ſuſtentari. Itaque cum nocte quadam, idem Cellarius pro rebus neceſſariis, noctis ſoporem aliquantulum diſtuliſſet, completiſque tandem negotiis, dormitum ire feſtinaret: Ecce cum ante oſtium capituli tranſitum faceret, vidit Abbatem & fratres, qui illo anno obierant omnes, juxta conſuetudinem, in capitulo conſidere. Cellarius autem tali viſione perterritus, fugere cœpit: Sed Abbate jubente, à fratribus captus & in capitulum adductus eſt. Reprehenſo primò de avaritiæ vitio,& deinde graviter flagellis cæſo, dixit Abbas vultu ſevero: Nimis eſſe præſumptuoſum de morte alterius quempiam lucrum quærere, præcipuè cum mori omnibus ſit commune. Addidit etiam impium eſſe, cum monachus omnem vitam in eccleſiaſtico tranſegerit officio, illum ſaltem poſt mortem unius anni vitali defraudari ſubſidio. Poſtmodum inquit Abbas: Vade, & cito morieris, & fratres alios tuo corrige exemplo, quos avaritiæ corrupiſti documento. Abiit ergo frater ille ad ſocios ſuos,& nihil vanitatis ſe vidiſſe tam recentibus plagis, quam vicino ſuo obitu demonſtravit.

Willielmus ægrotus vitam ſe emendaturum promittit, ſed valetudini reſtitutus, hoc facere neglexit.

Controverſia inter Lincolnienſem & Eboracenſem deciſa.

Rex Malcolmus cum filio interficitur. Margarita Regina Scotorum moritur.

ANNO Domini M.XCII. Rex *Willielmus* junior, apud Gloverniam decumbebat ægrotus, quadrageſimali tempore. Promiſit itaque timore mortis & cruciatibus morbi, ſeſe pravas leges emendaturum, & in domo Domini pacem effecturum. Qua de cauſa dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſem, *Anſelmo* Abbati Beccenſi, viro venerabili, atque *Roberto* cognomento *Bloet* Cancellario ſuo, dedit Epiſcopatum Lincolnienſem. Sed Rex poſtquam ſanitati reſtitutus fuit, oſtendit ſe ſolito deteriorem. Doluit enim ſupra modum, quod Epiſcopatum Lincolnienſem non vendiderat, præcipuè ob id, quod *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus aſſereret contra *Robertum* Epiſcopum, urbem Lincolnienſem & provinciam Lindiſſæ totam ſpectare ad ſuam dioceſim. Nec potuit cauſa inter eos terminari, donec *Robertus* Epiſcopus Regi quingentas libras pepigerat, pro ſuæ Eccleſiæ libertate. Sed hoc primò Regi pro Symonia, poſt verò pro juſtitia deputatum eſt. Eodem anno Rex Scotorum *Malcolmus* in Angliam prædatum veniens cum filio ſuo, qui & hæres (ſi ſupervixiſſet) futurus erat, interceptus eſt, & ſubito interfectus. Quod audivit Regina ejus *Margarita*, incredibili dolore corporis & animæ affecta eſt. In Eccleſia enim confeſſione & communione peracta, & precibus ſeſe Domino commendans, ſpiritum exhalavit. Tunc Scoti elegêrunt *Duvenal*, fratrem *Malcolmi* in Regem. Sed *Dunecamnus* filius *Malcolmi*, qui obſes erat in curia Regis *Willielmi*, auxilio ſuperveniens, avunculum fugavit, & poſt patrem regnavit. Eodem anno, *Johannes*, Wellenſis præſul, natione Turonicus conſenſu *Willielmi* Regis, albo unguento manibus ejus delibatis, tranſtulit in Bathoniam, ſui cathedram præſulatus.

Reſtauratio Cardolienſis civitatis. Inundatio magna & hyemis aſperitas.

Fames & hominum ſtrages, prius per ſignum cœleſte portenta. Diſſidium inter Regem Willielmum & fratrem Robertum.

Paulus Abbas ſancti Albani moritur.

ANNO Domini M.XCIII. Rex Anglorum *Willielmus* reſtâuravit Civitatem Cardolii, jam per annos ducentos devaſtatione Danica deſolatam,& ex Auſtralibus Angliæ finibus illuc colonos tranſmiſit. Eodem anno tanta erat inundatio pluviarum, quanta poſt hominum memoriam acciderat. Deinde ſuperveniente tempore hyemali, flumina ita ſunt congelata, ut equitantibus tranſmeabilia eſſent: Sed tandem gelu reſoluto, confracti ſunt pontes, glacialium impetu cruſtorum. Hoc quoque anno ſuo, Beluacenſis præpoſitus, à Papa *Urbano* conſecratus eſt Epiſcopus Carnotenſis. Eodem anno baculus ignitus à meridie ad aquilonem per cœlum ferri viſus eſt, Kalendis Auguſti, & ſecuta eſt fames valida, famemque tanta internecio & ſtrages hominum, ut vix vivi ſufficerent mortuos ſepelire. Per idem tempus Rex *Williel.* à fratre *Roberto* incuſatus,quod jusjurandum non obſervaſſet,quod illi præſtiterat, in Normanniam trajecit. Et cùm Fratres convenirent ad colloquium, qui utriuſque nomine utrinque juraverant, culpam omnem Regi aſcripſerunt. Rex verò eos negligens & iracunde diſcedens, caſtellum Burenſe invaſit & cepit. E contra, dux caſtrum Argentonum cepit, & in eo conſulem Regis *Rogerum* Pictavenſem, & cum eo milites ſeptingentos, & deinde Hulmenſe caſtellum. Rex interim conſcribi procurat viginti millia peditum in Anglia, ut in Normanniam convenirent. Hi autem cum ad mare veniſſent tranſituri, Rex à ſingulis eorum pecuniam victualem decem ſcilicet ſolidos accipiens, omnes domum remiſit. Dux verò *Robertus* adduxit in Normanniam *Philippum* Regem Francorum, & exercitum copioſum, ut obſideret apud caſtrum de Auco, Regem *Willielmum*: Sed Rex Francorum cum ſuis copiis, pecuniæ tenebris excæcatus,rediit in Franciam. Quo viſo, Dux *Robertus* expeditionem dimiſit, & Rex *Willielmus* in Angliam rediens, eccleſias & monaſteria totius regni gravi exactione afflixit. Eodem anno, Abbas *Paulus*, Eccleſiæ ſancti Albani, facta apud Tynemutham viſitatione paſtorali, dum rediret ad Eccleſiam ſuam, in villa quæ Colewich dicitur, gravi ægritudine correptus, ex qua ibidem lecto decumbebat, & invaleſcente morbo, tertio idus Novembris diem clauſit extremum. Corpus verò ejus apud ſanctum Albanum delatum, ibidem eſt honorificè tumulatum.

EODEM

1094.

Anſelmus Cantuarienſis antiſtes conſecratur.

Controverſia inter Dorobornenſem & Eboracenſem Eccleſiam.

Eboracenſis Eccleſia Metropolitana, Cantuarienſis primas nuncupata.

EODEM anno, convenientibus totius Angliæ Epiſcopis, inter quos *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus erat, à quo *Anſelmus* Cantuarienſis electus, conſecratur antiſtes, pridie Nonas Decembris. Verùm cùm ante ordinandi pontificis examinationem, *Walkelinus* Wintonienſis Epiſcopus, eccleſiaſtico more, electionem ſcriptam legeret, *Thomas* Archiepiſcopus Eboracenſis queſtus eſt, ſcriptum ritè non eſſe factum. Nam cum diceretur: Fratres coëpiſcopi mei, vobis eſt cognitum, quantum temporis elapſum eſt, ex quo ſancta Dorobornenſis eccleſia, totius Britanniæ Metropolitana, paſtore caruerit. Reſpondit *Thomas* & dixit, Si totius Britanniæ eccleſia Dorobornenſis metropolitana eſt, eccleſia Eboracenſis, quæ Metropolitana eſſe ſcitur, Metropolitana non eſt: Et quidem eccleſiam Cantuarienſem primatem eſſe ſcimus non Metropolitanam. Quibus verbis ſanæ rationi conſentire perceptis, immutato ſcripto, pro totius Britanniæ eccleſia Metropolitana, totius Britanniæ primas ſcriptum eſt; & controverſia tota ceſſavit: Itaque conſecravit illum ut primatem totius Britanniæ. Inter ſacrandum, pro ritu eccleſiæ, codex evangelii ab Epiſcopis ſuper eum apertus tenebatur: Conſecratione autem peracta, cum codex inſpiceretur, in paginæ ſummitate hæc ſententia eſt reperta: *Vocavit multos, & miſit ſervum ſuum, & cœperunt omnes ſe excuſare.*

Herebertus Theodfordanus Transfert ſedem Epiſcopalem de Theodford ad Norwicum.

Expeditio Willielmi in Robertum Northanhumbrorum Comitem.

ANNO Domini M. XCIV. Idus Aprilis, Epiſcopatus de Theodford tranſlatus eſt Norwicum, ab *Hereberto* Loſinga. Obiit *Alwinus* fundator Bermundſhæ. *Herebertus* quoq; cognomento Loſinga Abbas Rameſienſis, empto præſulatu, factus eſt Epiſcopus Eccleſiæ Theodfordenſis: Sed poſtmodum pœnitentia ductus, Romam profectus eſt, ſymoniacum baculum & annulum Papæ reſignavit. Quibus iteratò, clementiſſimæ ſedis indulgentia receptis, domum reverſus, ſedem Epiſcopalem tranſtulit ad Norwicum, atque ibi congregationem inſtituit monachorum. Eodem anno Rex *Willielmus*, miſit *Henricum* fratrem ſuum in *Northanhumbriam* cum pecunia multa, ut eam deprædationibus paſſim devaſtaret: Quem ipſe mox ſequutus eſt. Nam *Robertus* comes Northanhumbrorum ſuperbia elatus, quòd Regem Scotorum vicerat (ut prædictum eſt) curiam Regis repudiabat adire. Promovit ergo exercitum in Northanhumbriam contra *Robertum*: In Novo caſtello, potentiſſimos quoſque familiæ Comitis cepit, & vinculis tradidit. Et inde ad caſtellum Tinemutham profectus, fratrem conſulis *Roberti* cepit, & uſque ad caſtellum Baanburgum illum ducens, comitem *Robertum* ibidem obſedit. Sed cùm caſtellum inexpugnabile advertit, ante illud, caſtellum aliud ligneum conſtruxit, quod Malvoiſin appellavit. In quo, parte exercitus ſui relicta, inde receſſit. Cumque quadam nocte Comes ab eo clam receſſiſſet, ſequutus eſt eum exercitus Regis uſque ad Tinemutham: Ubi cum defendere ſe conaretur, ſine vulnere captus eſt, & Windleſhoræ incarceratus. *Poſtea* regi caſtellum Baanburgum redditum eſt, omnes verò Comitis fautores malè accepti ſunt. Nam *Willielmus* de Auco oculis privatus eſt, & Odo conſul Campanienſis & cæteri plures, exhæredati. Eodem anno, Rex *Willielmus* in Walliam exercitum ducere feſtinavit, quod anno præterito, Wallenſes, multis Normannorum occiſis, Procerum confractis firmitatibus, caſtello montis Gomerii direpto, & habitantibus in eo interfectis, igne & ferro finitimos depopulati fuerant. Rex autem *Willielmus* omnes fines Walliæ hoſtiliter ingreſſus, cum per montium diverticula & ſylvarum denſitates ipſos perſequi non valeret, parum proficiens, conſtructis in confinio caſtris, ad propria remeavit. Eodem tempore tot ſtellæ de cœlo cadere viſæ ſunt, quòd non poterant numerari. Inter quas, cum unam magnam quidem labi in Gallia gens ſtuperet, notatoque loco aquam ibi fudiſſet, fumum cum ſtridoris ſono de terra exire, obſtupuit vehementer.

Expeditio Willielmi in Walliam.

Prodigia.

Diſſidium inter Regem Willielmum & Anſelmum.

Anſelmus Papam Urbanum appellat.

HOC igitur tempore, Rex Anglorum *Willielmus*, *Anſelmum* Cantuarienſem Archiepiſcopum circumvenire affectans, mille libras argenti ſibi dari ab eo vehementer poſtulabat. Ad hoc allegabat (ut ſibi videbatur) cauſam juſtiſſimam, quod gratis promotioni ſuæ Epiſcopali annuiſſet. Archiepiſcopus verò nihil intereſſe ducens, ante promotionem vel poſt, talem ob cauſam numerare pecuniam: Pari pœna dignum arbitrabatur utrunque. Cum autem ſaccos Regis (niſi læſa conſcientia) implere non poterat, elegit potiùs Regis indignationem quàm diſpendium famæ, & periculum in præſens animæ incurrere, & inpoſterum confuſionem & ſcandalum in Dei eccleſia ſeminare. Sed ad ſuum officium, juxta præſcriptum eccleſiæ, pleniùs exequendum, à Rege licentiam petiit adeundi pro pallio Papam *Urbanum*. Rex itaque, Papa nominato, ira ſtatim vehementi incanduit: Quia tunc temporis Eccleſia *Romana* ſchiſmate laborabat: *Wiberto Ravennenſi* Archiepiſcopo per violentiam Imperatoris *Henrici*, in Papatam nimis impudenter intruſo. Dicebat enim Imperator ſui officii eſſe, quem vellet Papam eligere, nec erat alterius Apoſtolicum etiam nominare. Rex *Willielmus* allegavit eandem rationem, quòd nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus regni ſui, curiæ Romanæ vel Papæ ſubeſſet. Præcipuè cùm ipſe omnes libertates haberet in Regno ſuo, quas Imperator vendicabat in Imperio. *Anſelmus* itaque hanc ob rem, à Rege ut læſæ majeſtatis reus poſtulatur. *Huic accuſationi* & plurimi epiſcopi, præter *Gundulphum Roffenſem* epiſcopum, ſuum calculum adjiciebant: Et facti ſunt ut canes latrare non audentes. Inimicitiis igitur à Rege Archiepiſcopo denuntiatis, *per internuncios ei denunciatum eſt*, non alia ratione pacem cum Rege illum redintegraturum, niſi proteſtaretur cum juramento, quòd *Urbani*

1095. *Urbani* Papæ non amplecteretur mandatum. Sed paucis poſtmodum elapſis diebus, venit in Angliam *Walterius Albanenſis* Epiſcopus; Archiepiſcopo pallium ferens, qui Papam *Urbanum* regi *Willielmo* reconciliavit. *Anſelmus* itaque accepto pallio, rurſus à Rege Papam *Urbanum* viſitandi licentiam exigens, tale fertur accepiſſe reſponſum: Quòd ſi cœptis deſiſteret, ſi propoſitis evangeliis promitteret, ſe nec Apoſtolorum limina viſitaturum, nec pro quovis negotio Romanæ ſedis audientiam appellaturum, tunc & ſuis & rebus ſuorum, cum omni tranquillitate poſſe uti & frui, & regni majoribus in omni donatione præeſſe: Sin ſecus ei viſum eſſet, trajicere quidem liberum eſſe, ſed inconſultè id facturum, ſiquidem nullam revertendi ſpem impoſterum ei futuram.

Anſelmus ex Anglia diſcedens, Romam pervenit.

HIS auditis, recedens Archiepiſcopus ex Concilio, venit Cantuariam, quid reportaret ex curia, publicè manifeſtans. Aſcenſuro autem navem apud Doveram, *Willielmus* de *Warenaſt* Regis familiaris irreverenter accurrit, & pecuniam, non ſolùm in ore ſaccorum, ſed in ipſius Archiepiſcopi manicis & clitellis improbus perſcrutator quæſivit, ſed quæſitam non invenit. Sed nec ſic Archiepiſcopus vel verbum retulit amaritudinis, vel notam perturbati animi, aut offenſionis ſignum oſtendit. Sed ilicò cum Archiepiſcopus transfretaſſet, publicæ poteſtatis apparitores, omnia ejus & eccleſiæ bona, fiſcalibus commodis addixêrunt, in irritum revocantes quicquid utilitatis vel honeſtatis, in eccleſia ſtatuerat Archipræſul *Anſelmus*. Viſitans ergò limina Apoſtolorum, à Papa *Urbano*, maximo cum honore receptus eſt Laterani, cum quo poſtmodum in Barenſi concilio, Græcorum à fide catholica diſſidentium confutavit errorem. Coacto deinde Concilio Romæ, cui idem Papa præſedit *Urbanus*, interfuit, in quo *Anſelmi* concilio, laicos inveſtituras eccleſiarum more priſtino conferentes, & eas à laicis accipientes, & taliter poſt adeptum honorem, munus conſecrationis impendere præſumentes, à communione fidelium, ſynodalis auctoritas decrevit exortes. A Concilio igitur rediens Archiepiſcopus, apud *Lugdunum* æquanimiter ſubiit exilium, uſque ad finem vitæ Regis *Willielmi*.

Concilium Barenſe celebratur.

ANNO Domini M. XCV. Vir vitæ venerabilis *Ulſtanus* Wigornienſis Epiſcopus migravit ad Dominum, cujus nimirum Pietas, & vitæ exigit ſanctitas, ut de ejus in hoc mundo converſatione laudabili, vel pauca ad legentium uſum, huic hiſtoriæ inſeramus. *Ulſtanus* igitur Deo gratus, in provincia Warwycenſi religioſis & piis parentibus oriundus, patre *Eſtano* & *Ulgena* matre, in literis & diſciplinis ſacris, quas in nobili monaſterio, quod Burgum nuncupatur, didicerat, mirùm in modum verſatus erat. Ejus autem parentes adeò religioni ſtudebant, ut multò ante vitæ finem, caſtitatem profeſſi, ſe ab invicem ſeparantes, in ſanctæ profeſſionis habitu, quod reliquum vitæ erat, tranſigere gauderent. Quorum exemplo, & ipſe adoleſcens incitatus (matre id maximè perſuadente) mundum reliquit, atque in Wigornenſi monaſterio, in quo & antea pater Deo ſerviveret, Monachali habitu à venerabili epiſcopo ejuſdem eccleſiæ Brithego, à quo etiam in gradum Diaconatus & Preſbyteratus poſtea promotus eſt, indutus, ſtatim in ipſo initio, arduam vitam, & omni pietate plenam amplectens, in vigiliis, jejuniis, & orationibus indefeſſus, & in omni genere virtutum apparuit ſubitò ſuſpiciendus. Hinc ob morum diſciplinam, cuſtos novitiorum, & pòſt, ob ſolertiam, eccleſiaſtici officii theſaurarius aſſignatur. Deinde nactus occaſionem Deo ſerviendi, ex cuſtodia eccleſiæ ſibi commiſſa, totum ſe contemplativæ dedidit vitæ, die nocteque orationibus, bidui triduive jejunio, membra imbecillie macerabat. Sacris quoque vigiliis adeò deditus erat, ut non modò noctem, ſed etiam perſæpe diem cum nocte, & (ſicut ab ipſius ore audivimus) quatuor dies cum noctibus ſine ſomno tranſegerit. Unde exſiccato cerebro, periculum præſens imminere videbatur, niſi viciſſim ſopore quaſi prælibato, naturæ ſatisfacere maturaſſet. Denique cum vi naturæ dormire compelleretur, non lecto autem lectiſternio membra reponebat, ſed lectione divina fatigatus, caputque ſuſtentans, pauliſper ſeſe reclinabat. Tandem poſt Priorem *Egelwinum*, *Ulſtanus* Prior & Pater congregationis ab epiſcopo ejuſdem loci *Aldredo* efficitur. Quo officio ut piè cum laude perfungeretur, prioris vitæ auſteritatem non reliquit, quin ut cæteris exemplum religionis præberet, eam variis modis auxit. Proceſſu autem temporis *Ulſtanus* (electo ad Archiepiſcopatum Eboracenſem *Aldredo*) unanimi conſenſu, tam cleri, quàm totius plebis, Rege inſuper ut quem vellent ſibi eligerent præſulem & animarum paſtorem annuente, in Epiſcopum ejuſdem loci eligitur. Contigit autem hujus electionis tempore, legatos ſedis Apoſtolicæ electioni intereſſe, qui ſummopere ejus electionem confirmare præoptantes, *Ulſtanum* electum non mediocriter offenderunt. Nam obſtinatiſſimè electioni factæ renitens, juramento affirmavit, ſe multo libentiùs periculum capitis ſubiturum, quàm tam altæ ordinationi & dignitati conſenſurum. Cumque ſæpe vir Dei *Ulſtanus*, à pluribus piis viris & venerandis hominibus, frequenter hac de cauſa interpellaretur, neque ad hoc induci ab his potuiſſet, tandem à viro Dei Wilſio recluſo, qui tunc plus quàm quadraginta annis ſolitariam egerat vitam, acriter de inobedientia reprehenſus, & oraculo divino terribiliter admonitus, cum maximo animi dolore compulſus eſt conſentire, atque in die Decollationis beati *Johannis Baptiſtæ* electione confirmata, in die Nativitatis beatæ matris Dei Epiſcopus conſecratur Wigornienſis, vita præclarus & meritis, ab *Aldredo* Eboracenſi Archiepiſcopo venerando. Erat autem eo tempore *Stigandus* Cantuarienſis Archiepiſcopus à Papa

Ulſtanus.

Ulſtani Parentes & educatio.

Ulſtanus in Epiſcopum Wigornienſem eligitur.

ſuſpenſus à divinis, qropter multas quas fecerat tranſgreſſiones, ſicut alibi dictum eſt: Sed *Ulſtanus* tamen profeſſionem fecit eccleſiæ Cantuarienſi, & ejus Archiepiſcopis Catholicè inſtitutis. Facta eſt autem hæc conſecratio, anno Regis ſancti *Eadwardi* vigeſſimo, indictione decima quinta, die Dominica. 1095.

Ulſtanus conſecratus in Epiſcopum profeſſionem facit Cantuarien. Eccleſiæ, Epiſcopo à divinis ſuſpenſo.

CLARUIT igitur beatus *Ulſtanus* in Epiſcopatu Wigornienſi annis tredecim, ſimpliciter ac pie vivendo, unicuique quod ſuum erat tribuens, uſque in tempora Regis *Willielmi*, qui Anglia ſubjugata (ut prædictum eſt) rebelles ſibi quoſque, vel à regno proſcripſit, vel vinculis mancipavit, vel in ſervitutem & extremam miſeriam induxit. Rex tandem *Willielmus* de negotiis agere conſtituens eccleſiaſticis, anno Domini milleſimo ſeptuageſimo quinto, apud Weſtmonaſterium ſynodum coëgit: Cui præſidens *Lanfrancus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, cum ſuis ſuffraganeis cepit corrigenda corrigere, clericis etiam & monachis honeſtiorem vivendi formam præbere, cumque apud hunc Archiepiſcopum, beatus *Ulſtanus*, ſimplicitatis & illiteraturæ accuſatus eſſet, & quaſi homo idiota, qui linguam Gallicanam non noverat, nec Regiis conſiliis intereſſe poterat, ipſo Rege conſentiente, & hoc dictante, decernitur deponendus. *Lanfrancus* igitur inter cætera conſilii ſtatuta, viro Dei *Ulſtano* jubet, ut baculum cum annulo reſignaret. At *Ulſtanus* nec vultu nec animo mutatus, virgam paſtoralem manu tenens, reſpondit; Verè inquit Domine mi Archiepiſcope, verè ſcio, quia nec hoc honore dignus ſum, nec oneri, nec huic par labori: Sed non æquum eſt, ut tu paſtoralem exigas virgam, quam non tradidiſti: Tuæ ſententiæ tamen cedens, baculum reſignabo. Rectiùs verò me facturum arbitror, ſi illum ſancto reddam *Eadwardo*, cujus baculum auctoritate ſuſcepi. Et his dictis, cum ſuis acceſſit ad tumbam Marmoream, qua glorioſi Regis reliquiæ claudebantur, & ſtans ante ſepulchrum ait: Tu ſcis inquit ſanctiſſime Rex *Eadwarde*, quàm invitus hoc onus ſuſceperim, quoties me, cum quærerer abſentaverim, nec diffiteor quin inſipiens factus ſum, ſed tu me coëgiſti. Nam licet fratrum non deeſſet electio, plebis petitio, voluntas Epiſcoporum, & gratia procerum, his tamen omnibus tua præponderabat auctoritas, tua voluntas. Sed ecce nunc, novus Rex, nova lex: Novus pontifex, novas ſententias promulgat: Te erroris arguunt, qui me pontificem feciſti: Me arrogantiæ & confidentiæ, qui conſenſi. Non tamen illis, qui exigunt, quod non dederunt, ſed tibi baculum reſigno, qui dediſti, tibi curam eorum dimitto, quos mihi commendaſti. Et cum hæc dixiſſet, elevata paululum manu, in lapidem, quo corpus ſanctum tegebatur, impreſſit baculum: Accipe inquiens Domine mi Rex, & cui placuerit trade illum. Et ſic deſcendens ab altari, pontificalibus exutus, inter monachos ipſe jam monachus ſimplex reſedit. Quid plura? Admirabantur omnes, intuentes virgam paſtoralem ſilici impreſſam, quaſique in marmore radices habentem: Nec enim declinabat ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Tentabant illam quidam evellere, ſed illa immobilis permanebat. Cumque res deferretur in ſynodum, *Lanfrancus* dictis fidem non adhibens, accerſito *Roffenſi* epiſcopo *Gundulpho*, jubet, ut accedens ad tumbam, baculum quem depoſuerat *Ulſtanus* in ſynodum reportet. Paret dictis *Gundulphus*, baculum tentat evellere, ſed virtus *Ulſtani* baculum ſilici facit immobiliter adhærere. Tunc *Lanfrancus* novitatem rei admirans, Rege comite, ad tumulum properabat, facta oratione manus apponit, baculum trahit, ſed optato caret effectu. Exclamat Rex, luget pontifex, & beatum *Eadwardum* in promotione *Ulſtani* non erraſſe advertunt: At *Lanfrancus* ad ſanctum accedens *Ulſtanum*, Verè inquit, cum ſimplicibus graditur Deus, & in humilibus requieſcit: Deriſa eſt à nobis frater tua ſancta ſimplicitas, ſed væ tenebris noſtris, quibus excæcati, dicimus malum bonum, & bonum malum. Auctoritate igitur qua fungimur, imo Dei judicio quo convincimur, curam qua te inconſultiùs exuimus, iterum tibi committimus, ſcientes prævalere ſimplicitatem, quæ cum fide & dilectione operatur, ſapientiæ ſæculari, qua multi per avaritiam abutuntur. Accede nunc frater mi, accede ad baculum: Credimus enim quòd ſancta Regis dextera, quæ illum nobis negavit, tibi facile reſignabit. His auditis, ſanctus pontifex *Ulſtanus*, ſua ſimplicitate uſus, paruit humiliter imperanti, & accedens ad tumbam ſancti dixit: Jam domine mi Rex, cujus me commiſi judicio, & cui baculum, quem commiſeras reſignavi, quid nunc tibi placet oſtende. Servaſti dignitatem tuam, purgaſti innocentiam meam, & ſi adhuc de me tua ſtat antiqua ſententia, redde baculum, vel ſi mutata eſt, cui tradatur oſtende. His quoque dictis, levi tactu tentat ſanctus virgam accipere, quæ mox manum ejus ſequuta exilliit, ac ſi in molli luto fuiſſet impreſſa. Accurrunt rex & pontifex, proſtrati veniam *Ulſtanum* depoſcunt, atque ſancti precibus ſe commendant. At ille, qui didicerat à Domino mitis eſſe & humilis corde, ipſis æquè proſtratus, à tanto Archipræſule benedictionem præcatur. Tunc Rex *Willielmus* amore cognati ſui ſancti *Edwardi* inflammatus, ſanctiſſimum ejus ſepulchrum, auro & argento fabrè factum, miro ſtudio decoravit.

Synodus celebratur Weſtmonaſterii.

Ulſtanus privatur ſuo Epiſcopatu.

Ulſtanus iterum ſuo Epiſcopatui reſtituitur.

Humilitas Ulſtani.

ALIO autem tempore *Ulſtanus* in concilio Wintoniæ coacto, Rege *Willielmo* jubente, & *Alexandro* Papa conſentiente, poſſeſſiones plurimas ſui Epiſcopatus, reſtitui ſibi magnopere petiit, nuper ab *Aldredo* Eboracenſi Archiepiſcopo violenter retentas: dum ab eccleſia Wigornenſi, ad Eboracenſem commigrat, quæ *Aldredo* Archiepiſcopo defuncto, in regiam devenerant poteſtatem. Et cum ſuper hoc juſtitiam ſibi fieri flagitaret, pronuntiatum eſt tandem, ut ipſa querela in eodem ſtatu remaneret, donec Eboracenſis eccleſia, Epiſcopum,

Controverſia inter Ulſtanum nomine eccleſiæ Wigornenſis & Eccleſiam Eboracenſem mota, & à Proceribus regni deciſa.

1095. qui pro eadem intercederet, haberet. Et non multo poſt, *Thoma* Regis capellano ad Eboracenſem eccleſiam Archiepiſcopo conſecrato, mota eſt iterum querela reverendi *Ulſtani* Wigornenſis Epiſcopi, in concilio apud Pedredam celebrato, coram Rege & Archiepiſcopo Dorobornenſi, atque primatibus totius regni adjudicantibus terminata eſt: Cunctis tamen allegationibus falſis, quibus *Thomas* ejuſque fautores, Wigornienſem eccleſiam deprimere, & eam eccleſiam Eboracenſi ſubjicere ſatagebant, juſto Dei judicio refutatis, & in nihilum evaneſcentibus per ſcripta evidentiſſima. *Ulſtanus* non ſolùm poſſeſſiones revocavit petitas, ſed & eccleſiæ ſuæ, rege concedente, eam libertatem comparavit, quam fundatores illius Rex *Alfredus*, & filius ejus *Eadwardus*, & ſucceſſores ejus, ipſi quondam conceſſerant. Tunc *Thomas* Archeipiſcopus, beato *Ulſtano*, omnibus poſſeſſionibus & libertatibus reſtitutis, virum Dei ſanctiſſimum multis precibus ſollicitabat, ut non ſolùm ſuam eccleſiam pacificè poſſideret, ſed & parochiam Eboracenſem viſitare, & ſuos ſubjectos piis informare moribus dignaretur. Vixit autem poſtea beatiſſimus Antiſtes *Ulſtanus*, omni genere virtutum plenus, uſque ad annum præſentem, id eſt, divinæ incarnationis, Milleſimum nonageſimum quintum, quo utique (ut prædictum eſt) anno decimo tertio Kalendas Februarii, ex hac vita tranſiens, pro rebus tranſitoriis commutavit æternas. Cujus mortis hora *Roberto* Herefordenſi Epiſcopo, in oppido quod Crikkela dicitur, in viſione apparuit, & illi ut ad ſe tumulandum Wigorniam properaret mandavit. Annulum quoque cum quo pontificalem ſuſceperat conſecrationem, nemini à digito extrahere permiſit, ne poſt mortem ſuam ſuos fallere videretur, quibus prædixerat ſæpiſſimè, illum nec vita comite ſe perdere velle, nec etiam die ſuæ ſepulturæ.

Mors ſancti Ulſtani.

EODEM anno, id eſt, Dominicæ incarnationis M.XCV. Dominus Papa *Urbanus* apud *Clarum montem* civitate Arverniæ concilium tenens, hæc quæ ſequuntur capitula conſtituit, & univerſali eccleſiæ tradidit obſervanda. Quòd eccleſia Catholica ſit in fide caſta, & ab omni ſeculari ſervitute libera. Ut Epiſcopi vel Abbates, vel aliquis de clero, aliquam eccleſiaſticam dignitatem de manu Principum vel quorumlibet laicorum, non recipiat. Quod clerici in duabus eccleſiis, vel Civitatibus, præbendas non habeant. Quòd aliquis, ſimul Epiſcopus & Abbas eſſe non poſſit. Quod eccleſiaſticæ dignitates à nullo emantur vel vendantur, Quod nullus cujuſlibet ſacri ordinis carnali commercio utatur. Quod eis, qui ignorantes Canonum prohibitionem, beneficia emerint, ignoſcatur. Quod eis, qui ſcienter emptas à ſe, vel à parentibus ſuis, præbendas poſſiderunt, auferantur. Quòd nemo Laicorum à capite jejunii, nemo Clericorum à quinquageſima uſque in paſcha, carnes comedat. Quòd omni tempore, primum jejunium quatuor temporum, prima hebdomada quadrageſſimæ fiat. Quòd ordines, omni tempore, vel in veſpere ſabbati, vel perſeverante jejunio in Dominica celebrentur. Ut in ſabbato Paſchæ, niſi poſt horam nonam, officium celebretur: Et jejunium ſecundum, in hebdomada Pentecoſtes celebretur. Ab adventu Domini uſque ad octavas *Epiphaniæ*, & à quadrageſima uſque ad octavas Paſchæ, & à prima die Rogationum uſque ad octavas Pentecoſtes, & a quarta feria occidente ſole, omni tempore, uſque ad ſecundam feriam oriente ſole, induciæ cuſtodiantur. Quòd qui apprehenderit Epiſcopum, omnino exlex fiat. Quòd qui ſacri ordinis viros, vel eorum famulos apprehenderit, anathema ſit. Quòd qui Epiſcoporum vel clericorum morientium bona rapuerit, anathema ſit. Quòd qui uſque ad ſeptimam generationem, conſanguinitati ſe copulaverit, anathema ſit. Quod nemo in Epiſcopum eligatur, niſi Preſbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, & cui natalium dignitas ſuffragatur, niſi maxima neceſſitate & licentia Papæ. Quòd filii Preſbyterorum, vel Concubinarum, ad Preſbyteratum non promoveantur, niſi priùs ad vitam religioſam tranſierint. Quòd qui ad eccleſiam, vel ad crucem confugerint, data membrorum impunitate, Juſtitiæ tradantur, vel innocentes liberentur. Quòd unaquæque eccleſia, decimas ſuas habeat, nec ad aliam transferantur. Quòd laicus, decimas non emat nec vendat. Quòd pro ſepultura mortuorum, prætium non recipiatur. In hoc concilio Papa *Urbanus*, *Hildebrandi* decreta renovat: *Philippum* regem Francorum, qui vivente Regina ſua, ſuperduxerat alterius viventis, *Fulconis* ſcilicet *Andegavenſium* comitis uxorem, excommunicavit.

Oratio exhortatoria Papæ ad cruce ſignatos habita.

IN fine autem concilii, quod menſe Novembri actum eſt, Papa memoratus, de negotio crucis, ſermonem ad Populum faciens (qualem tantum decebat ſacerdotem) exorſus eſt in hunc modum. Fratres mei (inquit) & filii chariſſimi, Reges dico, Principes, Duces, *Marchiones*, Comites, Barones, & Milites, cum ordinatis & populis univerſis, qui redempti eſtis corporali paſſione & ſanguinis effuſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, audite querelas ipſius Dei, vobis omnibus lacrimabiliter fuſas, ſuper ejus injuriis & ineffabilibus detrimentis, Poſt lapſum Angelorum, Deus terram in tres partes, ſcilicet Aſiam, Europam, & Africam diſtinxit, & homines ad reparationem damnorum ſupercœleſtium in eis conſtituit, ut ſibi famulantes, dictas mundi partes, cum creaturis univerſis (dum viverent) poſſiderent, & poſt mortem, cœleſtia ſine fine regnaturi, conſcenderent regna. Sed heu (ut paucis dicam) cùm temporis decurſu omne genus humanum, à præceptis divinis per inobedientiam & delictorum abundantiam à deo deſcivit, ut inter homines non inveniretur qui faciat bonum: Nec ſaltem uſque ad unum. Ecce enim mundi latitudo Paganis infidelibus Dominum blaſphe-

blaſphemantibus, & ligna lapideſque colentibus plena ſcatet & abundat, qui nec citra pudorem paucorum, qui adhuc ſuperſunt, Chriſtianorum, Syriam Armeniamque, ac poſtremò Aſiam minorem (cujus provinciæ ſunt Bithynia, Phrygia, Galatia, Lydia, Caria, Pamphylia, Yſauria, Lycia & Cilicia) occuparunt. Illi inſuper alteram Aſiam, id eſt, tertiam mundi partem, quaſi nidum inhabitant hæreditatium, quæ à majoribus noſtris, duabus reſiduis partibus, & tractuum longitudine, & provinciarum magnitudine, non immeritò, par eſſe æſtimata eſt, ubi olim Apoſtoli omnes, præter duos, mortes ſuas Domino conſecrarunt: Ubi jam Chriſtiani (ſi qui ſuperſunt) ſceleſtis illis vectigal ſolvunt. Præterea Aphricam, alteram orbis partem, ducentis jam annis & eo amplius, armis poſſeſſam detinent, quæ dudum terra præclarorum fuit nutrix ingeniorum, quæ in literis divinis omnem à ſe infidelitatis errorem deterſit, ut conſtat cunctis, qui literas norunt latinas. Tertium mundi clima eſt Europa, cujus quantulamcunque partem nos Chriſtiani inhabitamus, quam & Turci & Saraceni bellis premunt continuis, & jam ab annis trecentis Hiſpania & inſulis Balearibus ſubjugatis, quod reliquum eſt, ſpe devorarunt, Illyricumque & terras omnes inferiores incurſitant inſolentes, uſque ad mare quod brachium ſancti *Gregorii* nuncupatur. Quid? Quod Dominicum monumentum, ſuæ vendicant ditioni, & ſanctæ Urbis introitum, peregrinis noſtris vendunt, qui ſolis Chriſtianis patere deberet, ſi aliquid divinæ virtutis veſtigium ineſſet. Accingimini ergo viri potentes, & aggredimini memorandam in crucis inimicos expeditionem, & Chriſtianitatem propagaturi, ſignaculum crucis humeris veſtris inſuite, in teſtimonium fidei, ardorem foris prætendentes. Arma, quæ cæde mutua in bellis illicitè, & torneamentis cruentaſtis, in hoſtes convertite fidei & nominis Chriſtiani. Rapinas, furta, homicidia, fornicationes, adulteria, incendia, quibus Dominum ad iracundiam provocaſtis, in hac expeditione redimite, & fratribus veſtris, qui in Hieroſolymis & finibus ejus habitant condolentes, Barbarorum inſolentias compeſcite, quibus propoſitum eſt nomen deprimere Chriſtianorum. Nos autem de omnipotentis Dei maximè, & beatorum Apoſtolorum ejus *Petri* & *Pauli* auctoritate confiſi, ex illa quam nobis (licet indignis) Deus ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem, omnibus qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint, & expenſis, plenam ſuorum peccatorum, ſi veraciter fuerint corde contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione juſtorum, ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Hujus quoque remiſſionis concedimus eſſe participes, qui ad ſubventionem iſtius itineris, de bonis ſuis congruè miniſtrabunt, aut circa prædicta conſilium & auxilium impendent opportunum. Ite ergo ſtrenui per orbem, Chriſti milites, timorem mortis penitus omittentes: Non enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Hæc præſentibus præcipimus, abſentibus mandamus, terminumque proximum ver figimus. Aderit enim Deus euntibus, ut bonus eis arrideat annus, tum in copia frugum, tum in ſerenitate elementorum. Morituri cœlorum intrabunt triclinium, victuri, Dominicum videbunt ſepulchrum. Fœlices ſunt qui ad hanc expeditionem vocantur, ut videant loca ſancta, in quibus cœlorum Dominus cum hominibus converſatus eſt, & pro hominibus natus, crucifixus, mortuus, ſepultus, & reſuſcitatus eſt. Et his dictis, præcepit his qui aderant eccleſiarum Prælatis, ut ad propria reverſi, cum omni inſtantia & ſollicitudine, plebem ſibi ſubjectam, ad expeditionem præmiſſam exhortarentur. 1095.

CUMQUE clerus & populus hujus orationis tenorem auribus percepiſſent, conſenſu mutuo, (faventes ſermocinanti) clamore proteſtantur peregrinationem. Et protinus in concilio, proceres nonnulli, Papæ genibus advoluti, ſe & ſua Chriſti militiæ conſecrarunt: Quorum primus fuit *Aimerus Podienſis* epiſcopus, qui crucis ſignaculo de manibus Papæ accepto, *Willielmum Auraſienſem* præſulem habuit ilico ſectatorem, cum aliis fidelibus innumeris, diverſæ conditionis & ætatis. Finito igitur concilio, ſinguli in ſua diſceſſerunt, & negotium efficaciter expeditum eſt. Hujus facti fama totum diſperſa per orbem, non ſolum mediterraneas provincias ad hanc peregrinationem commovit, ſed & omnes, qui vel in ultimis inſulis vel inter barbaras nationes audiverant nomen Chriſti. Suſceperunt itaque crucis ſignaculum, *Hugo* magnus, *Philippi* Francorum regis, frater, Dux *Lotharingorum Godefridus*, Comes *Tholoſanus Reimundus*, Dux Normannorum *Robertus*, *Boamundus* loco *Apulus*, & gente Normannus, Comes Flandrenſis *Robertus*, *Carnotenſis* comes *Stephanus*, Fratres ducis *Godefridi Baldewinus* & *Euſtachius*, item alius *Baldewinus de Burgo*, item *Garnerus* comes *Degres*, *Baldewinus Hamaucorum* Comes, *Podienſis Hiſoardus*, Comes de Foreis *Willielmus*, Comes de *Albamarlia Stephanus*, Comes *Perticenſis Rotrodus*, Comes *Hugo de ſancto Paulo*, *Henricus de Aſca*, *Rodolphus de Baugentiaco*, *Hebrandus de Puſaco*, *Willielmus Amanen*, *Gentonius de Bar*, *Gaſtus de Beders*, *Willielmus de Monte Peſſulano*, *Girardus de Roſſeillon*, *Geraldus de Cereſiaco*, *Rogerus de Barnevilla*, *Guido de Poſſeſſa*, *Guido de Garlandia*, *Thomas de Sprea*, *Galo de Calvo monte*, *Stephanus* comes *Bleſenſis*, hi omnes quaſi Capitanei & Principes militum, cæterorumque fidelium, expectantes tempus opportunum, cum ingentibus armatorum copiis, ad militiam Chriſti præparati erant, & ſe tantæ peregrinationis laboribus, devotè, pro Chriſtiano nomine manciparant.

Nomina magnatum cruce ſignatorum.

INFLAMMABAT animos non mediocriter ad hanc Chriſti militiam, & ad obſequium crucifixi, prædicatio *Petri Heremitæ*: De quo ut arbitror non erit inutile, ſi divinam revelationem

1096. velationem ei factam, ſuper hoc negotio, ignorantibus, inthimavero, ad hiſtoriæ claritatem. Sacerdos quidam *Petrus* nomine & Heremita profeſſione, de regno Francorum, paululo ante hos dies peregrinationis voto tractus, Hieroſolymam pervenit. Hic juxta legem Chriſtianis, civitatem ſanctam ingredi volentibus, à Saracenis propoſitam, dato tributo, urbem ingreſſus, in hoſpitio cujuſdam Chriſtiani ſuſceptus eſt. A quo de miſera conditione credentium ſub poteſtate Paganorum converſantium, ad plenum edoctus, quicquid calamitatis audivit, fide poſtmodum oculata conſpexit. Audiens verò quòd *Symeon*, Patriarcha civitatis, vir eſſet religioſus, ac timens Deum, acceſſit ad ipſum, & mutuis ſunt confabulationibus recreati. At Patriarcha, ex verbis *Petri* colligens, quòd vir eſſet circumſpectus, familiariùs cœpit exponere univerſa, quæ populum Dei in civitate commorantem acriùs affligebant. *Petrus* autem fraternis commotus miſeriis, cum lacrymas cohibere non poſſet, Patriarchæ reſpondit: Noveris pater ſancte, quòd ego, eccleſia Romana & Principes Occidentis, pro remedio animarum noſtrarum (auctoritate Dei) parati ſumus ærumnarum veſtrarum immenſitati ſuccurrere, & ad remedium procurandum univerſos & ſingulos invitare. Placuit ſermo oculis, tam Patriarchæ, quàm aſtantium populorum: Et habitis gratiarum actionibus, viro Dei ſcriptum porrigunt poſtulatum. Accidit autem die quadam, cùm prædictus Dei famulus, de reditu ad propria, pro implenda legatione aſſumpta, ampliùs ſolito eſſet ſollicitus, quòd eccleſiam Dominicæ reſurrectionis ingreſſus, ad fontem cum tota devotione, recurrit, ubi pernoctans vigiliis & orationibus fatigatus, in pavimento decubuit, ut ſomno ſatisfaceret irruenti. Sopore autem interceptus, vidit ſibi aſtare, Dominum Jeſum Chriſtum, qui injungens ei legationem præmiſſam dixit: *Surge Petre, & propera, & intrepidus perage quæ tibi ſunt injuncta, ego enim tecum ero. Tempus eſt enim, ut purgentur ſancta, & meis ſubveniatur ſervis.* Experrectus *Petrus*, & viſione *inflammatus*, atque admonitionem divinam amplectens intrepidus, impiger, moras rumpit: Et facto oratione, ad mare feſtinus viator deſcendit. Ubi navem aſcendens, proſpera navigatione ad Barum pervenit, & inde Romam profectus, Papam *Urbanum* reperit, & Patriarchæ literas, fideliumque, qui Hieroſolymis erant, porrigens, eorum miſerias, & terræ ſanctæ calamitates, tam fideliter, quàm prudenter expoſuit. Quem Papa memoratus, benignè ſuſcipiens, ſuam operam ei rei, congruo tempore, addixit. At *Petrus* omnem perluſtrans Italiam, alpes tandem tranſcendit, & omnes Principes Occidentales, cum maxima ſollicitabat diligentia, ne loca ſancta, quæ Dominus propria dignatus eſt illuſtrare præſentia, infidelium permitterent ſpurcitiis diutiùs prophanari. Nec viſum eſt ſibi hoc ſufficere, niſi etiam plebem, & inferioris conditionis homines, ad ipſum, piis exhortationibus animaret. Sic denique Heremita *Petrus*, cum ingenti armatorum multitudine, quam tum ex regno Francorum, tum ex Imperio multo labore contraxerat, prædictæ ſe jungens militiæ, opus crucis inſtantiſſimè ſtuduit promovere.

Revelatio Petro heremitæ facta.

Petrus Heremita per Italiam in Patriam revertitur.

Prima expeditio cruce ſignatorum per Walterum virum nobilem ſuſcepta.

ANNO Domini M. XCVI. Menſis Martii octavo die, *Walterus* cognomento Senſavior, vir nobilis & ſtrenuus, cum ingenti multitudine pedeſtrium armatorum (ut qui paucos habebat equites) primus omnium cruce ſignatorum, iter. peregrinationis arripiens, & regna pertranſiens, Theutonicorum & Hungarorum, uſque ad fluvium Maroc pervenit. Quibus ſuperatis, cùm ad Bulgarorum fines ingrediens, ad locum venit qui Bellogravia nuncupatur: Quidam ſuorum ſociorum apud Malam villam, (ipſo ignorante) ut cibos emerent, remanentes, à Bulgaris comprehenſi, nudati & verberibus afflicti, ablatis omnibus, ad ſocios ſunt remiſſi. *Walterus* igitur à Duce Bulgarorum emendi neceſſaria licentiam poſtulans, & impetrare non valens, ante urbem Bellograviam caſtrametatus eſt. Ibique exercitum, ciborum inopia laborantem, cohibere non valens, grave nimis populi ſui ibidem ſuſtinuit detrimentum. Nam cum nihil à gente nefanda venale obtinere potuiſſent, in greges Bulgarorum, & armenta irruentes, cœperunt ea in caſtra ſua deferre. Quod *Bulgari* audientes, arreptis armis, prædam excutere decreverunt. Et bellum raptoribus inferentes & victores exiſtentes, centum & quadraginta ex eis, à Sociis ſejunctos in oratorio quodam, quò ſe gratia conſequendæ pacis intulerant, igne appoſito combuſſerunt: Cæteris in fugam coactis. At verò *Walterus* cum reliquis agminibus ſuis, Straliciam Daciæ Mediterraneæ metropolim perveniens, Præſidi civitatis de injuria ſibi & ſuis à *Bulgaris* illata, conqueſtus, plenam eſt juſtitiam conſequutus. Inde igitur ad urbem Regiam profectus, & in conſpectum Alexii Imperatoris adductus, poſtulavit, ut uſque ad adventum *Petri Heremitæ*, de cujus mandato iter arripuerat, exercitum ſuum in locis urbi vicinis, indulta ſibi emendi vendendique licentia, permitteretur habere. Quod ei Imperator benignè conceſſit.

Walterus aliquibus ſociis in Bulgaria amiſſis, per Straliciam Conſtantinopolim pervenit.

Expeditio ſecunda per Petrum Heremitam.

POST *Walterum*, *Petrus Heremita*, primus viam peregrinationis expediens, tranſcurſa Lotharingia, Franconia, Bavaria, & Auſtria, cum quadraginta millibus bellatorum fines attigit Hungarorum. Qui tandem ad Malam villam pervenientes, audierunt Chriſtianos, qui *Walterum* ſequuti, præceſſerant, ſtragem ibi non modicam pertuliſſe. Et videntes ſpolia & arma eorum in muro civitatis, quaſi pro trophæo pendentia, juſta ſuccenſi ira, ad arma proſiliunt, & urbem violenter confringentes, incolas pene omnes aut gladio interimunt, aut in flumine vicino demergunt. Sic urbe ſubacta, quinque diebus manſerunt in ea. *Petrus* verò audiens, quod Rex Hungariæ ad vindictam ſuorum, militares copias convocaret, legiones

ſuas

1096.

ſuas omni celeritate ultra flumen, quod vicinum erat, transferri præcepit, cum armentis & manubiis civitatis. Et inde octo dierum itinere tranſcurſo, ante urbem Niz, turribus & muro fortiſſimam pervenit, & ponte fluminis tranſito, caſtra fixit ibidem. Indeque iter expediens, cum pars major exercitus tranſiſſet, quidam turbati capitis de regione Teutonicorum, aliquantulum ab agminibus præcedentibus remoti, ſeptem molendina juxta pontem memoratum igne concremarunt. Erant autem viri quaſi centum, qui ut ſuo furori ſatisfacerent, quorundam domicilia in ſuburbio poſita, igne ſimiliter ſuccendentes, commiſſo ſcelere, exercitui præcedenti ſeſe jungere properabant. At verò regionis illius Dominus, quod factum fuerat indignè ferens, cives evocat, & arma arripere monet, & ipſe cum ingenti tumultu hoſtes inſequutus, antequam ad præcedentem exercitum attigiſſent, atrociter illos invadens omnes morte digniſſima peremit. At *Petrus* hæc omnia penitus ignorans, ut qui præeuntem ducebat exercitum, dum ex referentibus caſum per quendam equo invectum velociſſimo, cognoviſſet, concilio ſuorum ilico reverſus, fratrum interemptorum funera, non ſine lacrymis conſpexit, ſcire ſollicitè cupiens, quæ cauſa extiterit tantæ tranſgreſſionis. Miſſi itaque legati ad majores civitatis, retulerunt mortuos juſta de cauſa & indignatione ab incolis eſſe occiſos. Sed quorundam peregrinorum auſu temerario, legio tota concitata eſt, ut injuriam quam pertulerant, vindicarent. Erant autem viri quaſi mille, qui ad hanc prorueſrant temeritatem. Contra quos quidam ex urbanis egreſſi, prælium ingens cum noſtratibus commiſerunt. Deinde cives reſeratis valvis, egreſſi, quingentos ex noſtris ſuper pontem peremerunt, reliquis penè omnibus dum fluminis vada neſcirent, ſubmerſis. Exercitus autem *Petri*, tantam ſuorum non ferens injuriam, ad arma convolat, & confligentibus inter ſe agminibus, ceciderunt ex peregrinis quaſi decem millia virorum, & *Petri Heremitæ* pecunia tota à *Bulgaris* capta eſt, retento ejus curru cum omnibus quæ habebat. Die autem quarta, recollectis viris, qui diſperſi erant per fugam, quaſi ad triginta millia, rurſus ſe ad iter accingentes, viam, licet cum magna difficultate, continuant, & maturato itinere, Conſtantinopolim pervenerunt. Ubi *Petrus* Imperatoris colloquio fretus, cum per dies aliquot exercitum ibidem recreaſſet, ex Imperatoris mandato, tranſito Helleſponto, in Bithyniam, quæ prima eſt Aſiæ provincia, deſcenderunt. Deinde ad locum ſupra idem mare ſitum, cui nomine *Cinitoth*, venientes, caſtrametati ſunt ibidem.

Petrus Heremita, *militibus inſolenter agentibus decem millia ſuorum, & omnem pecuniam in Bulgaria amiſit.*

ERAT autem locus ille in confinio Turcorum poſitus, rerum omnium & præcipuè victualium opulentus. Cumque ibidem quaſi duobus menſibus conſediſſet exercitus, ceperunt Latini ad decem millia virorum regionem perluſtrare, & greges pariter contrahere & armenta, atque verſus Nicæam urbem, ordinatis agminibus profecti, cum præda maxima, ſine ſuorum diſpendio ſunt reverſi. Porro Teutonici videntes quod illud negotium Latinis proſperè accidiſſet, decreverunt & ipſi ſimile aliquid attentare. Unde ad decem millia peditum cum equitibus ducentis, verſus Nicæam tendentes, ad oppidum quoddam, quatuor milliariis à Nicæa diſtans, venerunt, & facto impetu vehementiſſimo, repugnantibus acriter oppidanis, ſed nihil proficientibus, Teutonici oppidum occupant violenter. Tandem habitatoribus omnibus interemptis, & manubiis cunctis occupatis, caſtrum muniunt, & loci opulentia ſimul & amœnitate delectati, uſque ad principum adventum ibi commanere proponunt. Sed *Solymannus* regionis illius dominus, audiens quòd Teutonicorum gens, oppidum ſuum expugnatum, præſumeret detinere, cum omni feſtinatione illuc contendit, & caſtrum obſidens, violenter expugnat, omneſque, quos in eo reperit, gladio interemit. Venit interea rumor in caſtris, Teutonicorum cohortes, in manibus *Solymanni* incidiſſe. Unde veritate comperta, reluctantibus majoribus, exercitus ad arma proſiliunt univerſi, & peditum triginta quinque millia cum equitibus quingentis, ordinatis agminibus, ad partes Nicæas contendunt, & in quodam campo *Solymannum* cum innumera Turcorum multitudine invenientes, irruunt potenter in hoſtes: Sed Turci ſcientes, quod res pro capitibus ageretur, graviſſimum peregrinis reddidêre conflictum, & noſtri tandem oppreſſi, dum pondus prælii ferre diutiùs non valerent, fugam ineunt, agminibus diſſolutis. Turci autem gladiis inſequentes, ſtragem non modicam noſtratibus intulerunt. Ceciderunt ibi de exercitu *Petri*, nobiles, *Walterus Senſavior*, cum *Reginaldo de Breis*, & *Fulchero Aurelianenſi*, & de triginta millibus peditum, qui de caſtris egreſſi fuerant, ſimul & equitibus quingentis, vix vel unus ſuperfuit, qui carcerem evaderet vel mortem. Ecce prælium inobedientiæ quem finem habuit, dum contra præceptum Imperatoris, populus cervicoſus, arma moverat temeraria, qui conſuluit indoctum vulgus, ut pacificè apud Conſtantinopolim expectaret, uſque ad adventum Principum illos ſubſequentium, qui prudentiores ipſis erant, & ad plenum in militia eruditi. *Solymannus* verò, non ſufficiente, quod factum fuerat, in caſtra irruit violenter, & ſenes valetudinarios, monachos, & ordinatos, matronas, puellas, & pueros in ore gladii interemit multos. Quoſdam tamen, ætas, pro quibus ipſa intercedebat, & facies, ad hoc reſervabat illæſos, ut perpetuæ ſubjiceret ſervituti. Erat autem prope caſtra fidelium, ſecus littus maris, vetus quoddam præſidium habitatoribus vacuum, in quo neceſſitate compulſi, ad tria millia peregrinorum ſe contulerant, ſalutem ſe ibi poſſe conſequi arbitrantium. Cumque eos *Solymannus* obſideret, illi verò ſe viriliter defenderent: *Petrus* ad Imperatorem veniens, fuſis humiliter precibus, obtinuit, ut miſſo illuc milite, reliquias populi incolumes reduceret.

Exercitus Petri Heremitæ *&* Walteri Senſavior *Nicæam properans, interemptus.*

Mors Walteri Senſavior *& aliorum.*

Quod

1096. Quod cum factum fuiſſet, remanſit *Petrus* apud Conſtantinopolim cum reliquiis exercitus, Principum expectans adventum.

Tertia expeditio cruce ſignatorum per Godeſcalcum Teutonicum.

SEQUUTUS eſt autem hos cruce ſignatos, peregrinationis voto obſtrictus, ſacerdos quidam nomine *Godeſcallus*, & natione Teutonicus, qui gratiam habens exhortationis, ad quindecim millia de regno Teutonicorum ad opus crucis in Hungariæ fines conduxit. Ubi cum exercitu ſuo venalia, mandato Regis, bonis conditionibus ab Hungaris accepiſſent, alimentorum opulentia abutentes & ebrietati vacantes, ad enormes proruperunt injurias, prædas agentes, & ſtragem in populum committentes, necnon cum uxoribus Hungarorum & filiabus, rem illicitam violenter perpetrantes. Unde Rex ira ſuccenſus digniſſima, populum ad arma concitat, in ultionem tantæ tranſgreſſionis. Tandem apud Bellegraviam prædictorum multitudinem furioſorum reperientes, & ad reſiſtendum ſe præparare videntes (erant quippe viri fortes & uſum armorum habentes) tentant dolo vincere, quos viribus nequiverunt. Miſſa igitur legatione ad *Godeſcallum* & primates exercitus, convenerunt eos verbis pacificis dolo dicentes: Pervenit ad dominum noſtrum Regem gravis querimonia, quòd populo ſuo enormes nimis intuleritis injurias, mala pro bonis nequiter rependendo. Novit præterea Rex, quod ſunt inter vos viri prudentes & timentes Deum, quibus invitis & renitentibus commiſſa ſunt enormia, quæ Regem merito ad iracundiam provocarunt: Unde crimen quorundam in omnes refundere verens, decrevit peregrinis parcere in præſenti, ſed unum vobis denunciat (ut ejus omnino quieſcat indignatio) ut & perſonas veſtras & ſubſtantiam cum armis omnibus, in manibus ejus, ſine conditione tradatis, alioquin nec unus ex vobis mortem evadet, cùm poteſtatem non habeat populus fugiendi. *Godeſcallus* igitur & Principes legionum, regiæ benignitati nimis confidentes, populum totis viribus renitentem induxerunt, ut armis & bonis ſuis in Regias manus traditis, ſatisfacerent conquerenti. Quo facto veniam expectantes, mortem incurrerunt. Irruerunt enim in populum proditores illi, armorum ſolatio deſtitutum, non diſtinguentes juſtum ab impio, & ſtragem immaniſſimam inferentes, locum polluerunt univerſum, ex cruore interemptorum, & funeribus occiſorum. Evaſerunt tamen aliqui hoc commune periculum, & ad propria reverſi, ſuorum ſtragem, aliis, qui peregrinationis voto aſtricti fuerant, referentes: Quos ſollicitè admonuerunt, ut perfidiam prædicti populi nequam præ oculis ſemper habentes, prudentiùs incederent, & cautiùs iter expedirent.

Peregrinorum inſolentia.

Hungarorum dolus in Peregrinos.

Exercitus Godeſcalci *cæſus.*

Peregrini Judæos perſequuntur, & interficiunt.

PER idem tempus convenerunt ex finibus occidentis, ad ducenta peditum millia, & equitum quaſi tria millia, inter quos erant viri nobiles *Thomas* de feria, *Clarenbaldus* de Vendolio, Comes Hermannus, & Carpentarius *Willielmus*. Hi omnes furiis incitati, populum Judæorum in oppidis & civitatibus, per quas eis erat tranſitus, quærentes multa ex eis millia, obtruncabant. Et hoc præcipuè factum eſt in Maguntia & Colonia civitatibus, ubi etiam comes *Emico* nomine, vir potens, & in eadem regione præclarus, eorum cœtibus conjunctus, maleficiorum erat particeps, & flagitiorum author. Tandem omnes, ſuperata Franconia & Bavaria, cùm fines Hungariæ attigiſſent, arbitrati ſunt quod liceret eis regnum liberè introire, ſed apud Meezeburc clauſum reperientes aditum, circa pontem ſubſtiterunt. Porrò Rex, terræ ingreſſum, tranſire volentibus, prohiberi mandaverat: Verens ne admiſſi, injuriarum, quas *Godeſcalci* legionibus intulerat, memores, in ultionem arma movere inciperent. Unde petita à Rege licentia tranſeundi pacifice, eáque ſibi jam penitus denegata, proponunt terras, quas circa fluvios & paludes Rex poſſidebat, depopulari, ſuburbana ſuccendere, & in bona regia hoſtiliter deſævire. Accidit ergo die quadam, quòd ſeptingenti ex Regiis militibus navigio tranſeuntes (ut occultò à peregrinorum injuriis, regionem tuerentur) caſu hoſtibus ſubitò obviarent, à quibus pene omnes interfecti ſunt, exceptis paucis, qui in carectis & paludibus incolumes remanebant. Hac freti victoria Peregrini, accingunt ſe etiam, ut pontibus fabricatis, præſidium quoddam expugnent, & iter gladiis præparantes, regnum intrent violenter. Deinde pontibus ad hoc conſtructis & mœnibus admotis, ſedula eorum opera ad id perventum eſt, ut jam pateret ipſis introitus. Sed ecce ſubitò cœlitus incuſſo victoribus timore, verſi ſunt in fugam, cauſam penitus ignorantes: Deinde peccatis exigentibus, terga hoſtibus oſtendentes, contulerunt audaciam civibus deſperatis, qui illos fugientes viriliter inſequuti, mortem eis inevitabilem intulerunt. Ex quibus comes *Emico*, legionibus fugiens diſſolutis, in ſuam vix patriam eſt reverſus. Alii verò nobiles, quos prænominavimus, per Thariciam exitium declinantes, ad Italiam pervenerunt. Unde & quidam ex Principibus, idem iter agentibus, cùm Dyrrachium navigare propoſuerant, ſe in Græciam contulerunt.

Expeditio cruce ſignatorum, Duce Godefrido *ſuſcepta.*

Catalogus comitum Godefridi.

ANNO ſupradicto, qui eſt annus Domini M. XCVI. menſis Auguſti decima quinta die, Lotharingiæ Dux *Godefridus*, vir illuſtris, poſt *Petri* Heremitæ, *Godeſcalci*, aliorumque progreſſum infortunatum (ut prædictum eſt) convocatis itineris ſociis, iter aggreſſus eſt. Erant autem qui ſe illi conjunxerunt viri nobiles: *Baldewinus* Ducis frater uterinus, *Baldewinus* Hammacorum Comes, Comes *Hugo* de ſancto *Paulo*, & *Engerannus* filius ejus, Comes de Gres Garnerus, *Reginaldus* comes Tullenſis, & frater ejus *Petrus*, *Baldewinus* de Burgo, *Henricus* de Haſcha, cum *Godefrido* fratre ſuo, *Dodo* de Cons, *Cono* vel *Conanus* de Monte acuto: Quos ſequebantur Friſones, Lotharingi, & quicquid gentium jacet inter fluvios Rhenum

1096.

Rhenum & Garumnam. Hi omnes individuo comitatu incedentes, per Auſtriæ provinciam & Hungariam, Regi datis obſidibus, ad Belligraviam Bulgariæ oppidum, & inde ad Niz & Straliciam pervenerunt: Inde ad Daciam mediterraneam, quæ alio nomine Meſia dicitur, & ad clauſtra Sancti *Baſilii* deſcendentes, Philippolim, urbem nobilem & divitem, attigerunt. Cumque ibi cognoviſſent, quòd *Hugo* magnus, *Philippi* regis Francorum frater, cum aliis quibuſdam ab Imperatore *Alexio*, in vinculis teneretur, dux magnificus *Godefridus*, miſſis legatis, rogat ut viros prædictos & cruce ſignatos, ſolutos abire permittat. Erat autem *Hugo* vir illuſtris, qui & quaſi ex primis iter aggreſſus, Alpibus tranſcenſis, in Apuliam per Italiam deſcenderat, & cum exiguo comitatu, Dyrrachii, mare tranſiens, ſubſtiterat, peregrinos qui ſequebantur expectans. Quem Præſes regionis captum & vinctum Imperatori tranſmiſit: Rex tanquam prædonem & homicidii reum, detinebat eum in carcere. Sed cum nunciis Ducis præcicè hoc negaretur, communi conſilio, per octo dies, regionem totam cum legionibus ſuis depopulantes, affligunt. Hoc audiens Imperator, nuncios ad ducem dirigit, rogans ut à præda ſe cohibens, nobiles recipiat expeditos. Dux igitur pacatis legionibus, Conſtantinopolim pervenit, ubi etiam prædictos nobiles incolumes ſuſcepit. Erant autem cum *Hugone* magno, *Drogo de Neella*, *Clarenbaldus de Vendolio*, *Willielmus Carpentarius*, qui omnes Duci de ſua liberatione gratias exolverunt. Eodem anno ſtellæ viſæ ſunt labi de cœlo in partibus occidentalibus, in ſignum dictæ ſtragis & confuſionis.

Hugo *Magnus cum aliis nobilibus ab Imperatore* Alexio *captivus detinebatur.*

Hugo *Magnus cum ſuis, interceſſione* Godefridi, *carcere liberati.*

ALEXIUS autem Imperator Græcorum vir nequam & ſubdolus, cum eſſet in palatio Nicofordi prædeceſſoris ſui ſummus & princeps militiæ, contra dominum ſuum malicioſè recalcitrans, quinto vel ſexto ante hanc expeditionem anno, domino depulſo, imperium invaſerat, & invaſum nequiter detinebat. Hic ſemper propoſitum habens fallendi, ſæpe cum peregrinis verba pacifica loquebatur in dolo, ſuſpectam jugiter habens multitudinem cruce ſignatorum, & militiæ probitatem. Unde ſi quandoque nocere ceſſavit, non hoc virtutis extitit, ſed timoris. Nam cùm dux *Godefridus* ante urbem Conſtantinopolitanam tentoria fixiſſet, advenerant nuntii Imperatoris, ipſum Ducem invitantes, ut ad Imperatorem cum paucis introire feſtinaret. Dux verò habito concilio, illuc ire diſtulit: Unde indignans Imperator, forum rerum venalium Ducis legionibus interdixit. Porrò Principes alimentorum metuentes defectum, per ſuburbana longè latéque hoſtiliter diſcurrentes, greges undique contrahunt & armenta: & tantam in caſtra alimentorum deferunt opulentiam, ut uſque ad ſatietatem etiam minores abundarent. Unde Imperator compulſus, commercium reſtitui iteratò præcepit.

INTEREA dum hæc apud Conſtantinopolim geruntur, dominus *Boamundus*, *Roberti Guiſcardi* filius, princeps Tarentinus, qui ante hyemem, cum ſuo exercitu Adriaticum mare tranſiens, Dyrrhachium uſque pervenerat, per deſerta Bulgariæ ad ſuos qui ejus ſequebantur caſtra, pedetentim appropians accedebat. Aderant autem ei viri nobiles & potentes, quorum hic in parte nomina ſupponemus; *Tancredus Willielmi* Marchionis filius, *Richardus* de principatu, & *Rainulphus* frater ejus, *Robertus* de Anxa, *Hermannus* de Karvi, *Robertus* de ſurda valle, *Robertus Turſtani* filius, *Humfridus* filius *Radulphi*, *Richardus* filius Comitis *Ranulphi*, Comes de Ruſſillo, & fratres ejus, *Boeleis Carnotenſis*, *Alberedus* de Cognano, *Humfridus* filius ejus. Hos autem ſequebantur populi Italici, & quicunque Tyrrheno & mari Adriatico includebantur. Hi omnes uſque ad urbem Caſtoream, *Boamundi* vexilla ſequuti: Cum à civibus venalia populo non exhibebantur, contrahere greges & armenta compulſi ſunt violenter. Indeque progreſſi, in regione Pelagonia caſtra ſtatuerunt. Ubi audientes quod in vicino erat municipium ſolis hæreticis habitatoribus refertum, illuc ſub celeritate contendunt, & caſtrum violenter occupantes, & ædificia igne conflagrantes, prædam immenſam & opima inde ſpolia abſtulerunt.

Expeditio Domini Boamundi.

Socii Boamundi.

SUBSEQUUTI ſunt peregrinos prædictos Comes *Tholoſanus Ramundus*, & epiſcopus Podienſis Aimerus. in negotium crucifixi. Erant autem cum eis in gente ſua viri generis præclari: *Willielmus* Auraſienſis epiſcopus, & Comes *Bainbaldus*, *Gauſtus* de Bediers, *Girardus* de Roſſillo, *Willielmus* de monte Peſſulano, *Willielmus* Comes Forenſis, *Reimundus Pelez*, *Gentonius* de Barr, *Willielmus Amanen*. Hos ſequuti ſunt Gothi, & Waſconies, & quicunque cruce ſignati inter Pyrenæum & Alpes diffunduntur. Hi omnes præfatos ſubſequentes cruce ſignatos, per Italiam & Longobardiam, & per regionem, quæ forum Julii dicitur, in Hiſtriam, & tandem in Dalmatiam deſcenderunt. Cumque per dies quaſi quadraginta, omnem Dalmatiam multò pertranſiſſent periculo, demum Dyrrachium pervenerunt. Ubi & Comes literis Imperatoris exhilaratus, iter arripuit, & penetratis montibus, ſylvis & univerſa Epyrotorum regione, demum in pagum cui Pelogania nomen eſt, copiis omnibus redundantem, tentoria ſtatuerunt. Cumque ibi venerabilis Podienſis Epiſcopus longiùs à caſtris tentoria fixiſſet, hoſpitandi commoditate ductus, à Bulgaris irruentibus captus eſt. Sed dum unus ex prædonibus aurum quæreret, ipſum contra cæteros tuebatur. Inter quos excito tumultu per voces decertantium, exercitus commotus eſt univerſus, & armis arreptis, irruentes in maleficos prædictos, ex eorum manibus Epiſcopum eruerunt. Denique reſumpto itinere, peregrini Theſſalonicam tranſeuntes, & omnem Macedoniam, continu-

Expeditio Comitis Tholoſani.

Socii Comitis Tholoſani.

Epiſcopus Podienſis à Bulgaris captus, & poſtea liberatus.

atis

1097. atis laboribus apud Rodeſtum urbem maritimam, ſuper Helleſpontum ſitam, itinere dierum quatuor diſtantem à Conſtantinopoli pervenerunt. Ubi Legati principum, qui præceſſerant, Comiti occurrentes, monuerunt inſtantiùs, obnixè cohortantes, ut peractis apud Imperatorem negotiis, ipſos ſubſequi maturaret. Victus igitur comes tam Imperialium quàm Principum petitione, relicto exercitu ſub cuſtodia epiſcoporum & virorum nobilium qui in caſtris erant, ipſe cum paucis Conſtantinopolim properans, ad Imperatorem ingreſſus eſt. Cum autem ipſum Imperator cum omni reverentia ſuſcepiſſet, & plurimùm exhortaretur, ut ſibi fidelitatis juramentum, ſecundum formam aliorum Principum, qui eum præceſſerant exhiberet, negavit planè: Unde indignatus Imperator, inſidiabatur illi, & ejus exercitui. Præcepit itaque militibus ſuis, ut repente in legiones Comitis irruentes, omnes penitus delerent. Centuriones autem Imperatoris & quinquagenarii, agminibus militaribus præfecti, domini juſſionem exequentes, clam & de nocte in Comitis irruunt caſtra, aliquoſque non præmunitos invenientes, peremerunt. Comes verò hæc audiens, Imperatori proditionis objecit infamiam. Imperator facti pœnitens, Boamundum, qui adhuc in ulteriore maris littore cum ſuis reſidebat, ad ſe facit evocari, ut per ejus & principum ſuorum interventum, Comitis ſibi animum reconciliare poſſit. Qui ad ejus vocationem venientes (licet multùm diſpliceret quod factum fuerat) cùm viderent quod non eſſet ultionis locus, cùm ad majora properarent, controverſiam, quæ inter ipſos erat, compoſuerunt. Comes verò juxta formam fidelitatis, ab aliis factam, juramentum exhibens, in plenam gratiam reverſus, donis ingentibus eſt honoratus. Forma autem fidelitatis hæc eſt, in quam omnes conſenſerunt totius occidentis principes: Quod civitates & caſtella cum poſſeſſionibus aliis, quæ ad jus Imperatoris ſpectare videbantur, ſi ea poſſent ſubjugare, ſibi redderent ſtatim, reſervatis principibus, manubiis omnibus in eiſdem inventis. Quod quibuſdam ex nobilibus *nimis* videbatur iniquum, ut ſui ſanguinis effuſione, mercarentur commodum alienum. Imperator autem quò ſatisfaceret peregrinis, juravit quòd ipſis auxilium fidele impenderet & conſilium, quibus poſſent inimicos fidei debellare. Venit interea Conſtantinopoli comitis exercitus, qui ſtatim mandato ipſius ad eos qui ſe præceſſerant tranſiens, cæteris legionibus eſt conjunctus.

Comes Tholoſanus juramentum Imperatori præſtare recuſat.

Inimicitiæ intra comitem Tholoſanum & Imperatorem, interceſſione Principum, compoſitæ.

Expeditio Roberti *Normannici.*

Socii Roberti *Normannici.*

HOC denique tempore *Robertus* Dux Normanniæ cruce ſignatus, iter Hieroſolymitanum, omnium peregrinorum noviſſimus arripiens, poſuit Normanniam in vadimonium fratri ſuo Regi Willielmo, acceptis ab eo decies mille libris argenti. Junxerunt autem ſe ejus agminibus, *Robertus* Comes Flandrenſis, *Euſtachius* Comes Bolonienſis, *Stephanus* Comes Bleſenſis, Comes Carnotenſis, Comes *Stephanus* Albemarlenſis, *Bothrodus* Comes Perticenſis, *Rogerus* de Barnevilla, de Britannia viri magni, *Fergandus* & *Conanus*. Hos quoque ſequebantur Angli, Normanni, Flandrenſes, Britones, Andeganenſes, Galli occidentales, & omnes populorum cunei, qui ab oceano Britannico uſque ad Alpes mediterraneo tractu degebant. Iſti omnes in negotium crucis profecti, in Apulia & Calabria, circa hyemis ingruentis initium, nivium & glacierum vitantes incommoda, expectabant, donec aura felicior arrideret. Circa idem tempus fundata eſt eccleſia Norwicenſis, & in ea pro clericis, monachi ſurrogati ſunt.

Eccleſia Norwicenſis fundata.

Pietas cruce ſignatorum.

Petrus Heremita Principibus occurrit.

ANNO Domini M. XCVII. Dux *Godefridus* cum ſuis legionibus apud Conſtantinopolim, dux *Boamundus* cum ſuis apud urbem Caſtoream, comes Tholoſanus cum ſuis apud Pelagoniam, celebres Dominicæ nativitatis dies tranſigentes, decreverunt, unuſquiſque in loco ſuo, intuitu religionis, manus à præda & qualibet injuria cohibere. Poſtea omnes in vere ſequenti, compoſitis ſarcinis, vehiculis & clitellis iter aggredientes, verſus Nicæam urbem pedetentim incedunt. Qui tandem ad Nicomediam, quæ Bythiniæ metropolis eſt venientes, habuerunt obvium venerabilem ſacerdotem *Petrum* Heremitam, qui cum paucis, qui ſibi ſuperfuerunt, venientibus legionibus occurrens, eorum cœtibus conjunctus eſt. Deinde principibus ſalutatis, ab iis benignè ſuſceptus eſt, qui & de ſuorum amiſſione plurimùm condolebant, & multa ei donaria conferebant. Multiplicatis igitur armatorum copiis, & moderamine congruo iter expedientes, Nicæam per Dei gratiam attigerunt. Ubi caſtris in gyrum diſpoſitis, loca tamen venturis reſervantes, urbem menſis Maii decima quinta die, in die videlicet dominicæ Aſcenſionis, obſiderunt. Comes verò Tholoſanus negotiis pertractatis, ſumpta ab imperatore licentia, ad urbem prædictam velox pervenit, & cæteris ſe principibus Nicæam obſidentibus, cum legionibus conjunxit.

Comes Tholoſanus *ad Nicææ obſidionem venit.*

Robertus *dux Normannorum præſtito Imperatori Conſtantinopoli juramento, ad obſidionem Nicææ feſtinat.*

AUDIENS autem dux Normannorum *Robertus*, Nicæam urbem à principibus, qui ipſum præceſſerant, jam eſſe obſidione vallatam, convocatis itineris ſociis, ſarcinisque compoſitis, ad mare deſcendit. Et moram, quam fecerat in Apulia ſarcire cupiens, cum omni tranquillitate, Illirico, Macedonia, & utraque Thracia tranſcurſis, Conſtantinopolim pervenit. Ubi ab Imperatore vocatus, more aliorum principum, fidelitatem tam ipſe quàm comites qui cum eo venerant, fecerunt: Unde & majorem conſequuti favorem, aurum, veſtes pretioſas, vaſa tam artificio quàm materia admiratione digna, holoſericum quoque inauditæ æſtimationis, cum plurimis aliis donis ſuſceperunt, qualia prius non viderant: Et quæ ipſis etiam receptoribus ſtuporem inferrent: Siquidem rerum antea viſarum excederent dignitatem. Deinde ſumpta ab Imperatore licentia, traiectoque Helleſponto, cum ſuis legionibus Nicæam perve-

1097.

perveniente, à principibus, qui eos prævenerant, magnæ devotionis amplexu ſuſcepti ſunt. Hi verò locum ſibi in obſidione reſervatum obtinentes, caſtra magnificè ſtatuerunt. Hîc igitur primum ex diverſis agminibus factus Dei viventis exercitus, ubi legionibus numeratis, inventa ſunt peditum ſexcenta millia, equitum verò loricatorum centum millia. Hi itaque in gyrum urbem obſidentes, laborum ſuorum propoſitum, cum omni devotione Domino conſecrarunt.

Chriſtianorum numerus & exercitus conjunctus.

NICÆA urbs magna, & rerum omnium opulentiſſima, una eſt ex civitatibus Bithyniæ, cujus civitatis & totius Regionis dominus erat quidam Turcorum potentiſſimus, nomine *Solymannus*, quod lingua Perſarum Rex interpretatur. Hujus autem anteceſſores ab Imperatore Conſtantinopolitano, Romano nomine, qui ante hunc *Alexium* erat tertius, has bello obtinuerant regiones, quas ut ſucceſſori huic tradiderant *Solymanno*. Poſſidebat autem *Solymannus* & provincias reliquas omnes à Tharſo Ciliciæ, uſque ad Helleſpontum: Ita ut in confinio Conſtantinopolitanæ civitatis procuratores ſuos haberet, qui tributa & vectigalia totius regionis in commodum domini ſui colligerent, & collecta confiſcarent. Ipſe autem cum multitudine copioſa armatorum ex montibus viciniis, vix ab obſidione decem milliaribus diſtantibus, opportunitatem quærebat, qua urbem poſſet cruce ſignatorum moleſtiis liberare. *Solymannus* itaque ut cives obſeſſos conſolaretur, duos ad illos miſit nuncios, qui navigio per lacum ad urbem deſcenderent, & mandata ſibi injuncta, ad cives obſeſſos occultè perferrent: Ex quibus unus à noſtris captus eſt, alter verò gladio confoſſus. Principes autem nuncium, qui vivus captus fuerat, in carcerem detrudentes, didicerunt ab eo, quòd *Solymannus* ſequenti die veniret, ut obſidionem ſolveret, & obſeſſos inſtanti periculo liberaret. *Solymannus* igitur ſtatuto die circa horam tertiam (ut nuncius prædixerat) cum quingentis armatorum millibus, ex montibus ad plana deſcendens, præmiſit decem millia equitum ad portam meridianam, quæ Comiti Tholoſano commiſſa fuerat, ut cum impetu maximo in eas irruerent legiones. Quibus invadentibus, noſtriſque viriliter reſiſtentibus, conatus inimicorum mirabiliter confracti ſunt: Ut aciebus diſſolutis, jam ſe in pedes conjicere cogerentur. Sed *Solymannus* cum majoribus ſuperveniens copiis, illos, qui diſſoluti erant, iterum reducens, in noſtros redire compellit. At verò Dux *Godefridus* & dominus *Boamundus*, comeſque Flandrenſis cum ſuis ad unguem armati, videntes comitis exercitum ſupra vires fatigari, irruunt conſtanter in hoſtium legiones, & interfectis ex eis ad quatuor millia, & nonnullis captis, in fugam reliquos compulerunt. Noſtri quoque hac prima potiti victoria, obſidionem continuant, diſpoſitis in gyrum militaribus catervis in hunc modum. Ad portam orientalem ſedit dux *Godefridus*, cum duobus fratribus ſuis, & eorum catervis: Ad portam Septentrionalem dominus *Boamundus* cum *Tancredo* & aliis principibus ſuis: Ad portam Auſtralem comes *Raimundus* & Epiſcopus *Podienſis*: Ad portam occidentalem dux Normannorum *Robertus*, & comes Flandrenſis cum ſuis armatis. Ex omni itaque parte urbs cincta eſt militibus ſtrenuis: Ita quidem quòd antea non perluſtrarunt radii ſolares milites præclariores. Deinde principes noſtri ad terrorem civium obſeſſorum, capitibus occiſorum amputatis, ex iis mille capita machinis immenſis in urbem projecerunt, quoſdam autem captivorum ad Imperatorem miſerunt.

Anteceſſores Solymanni regiones m. ltas Imperatori Conſtantinopolitano eripuerunt.

Chriſtianorum victoria & Turcorum poſt quatuor millium internecionem fuga.

Caſtrorum Chriſtianorum ſitus.

HIS ita geſtis, placuit principibus, ut petrarias aliaſque machinas, ad muros urbis applicarent. Dumque in hoc attentiùs artifices laborarent, & urbem frequentibus impugnarent congreſſionibus, curriculo ſeptem hebdamodarum, quadam die condicto de more inſultu, duos nobiles *Baldewinum* videlicet Calderon, & *Baldewinum* de Gant, unum jactu lapidum, alterum jactu ſagittæ (dum animoſius in urbis expugnatione decertarent) noſtri miſero infortunio amiſerunt. In alio quoque ſimiliter conflictu, principum conſilio iterato, comes *Willielmus* de Foreis, & *Galo* de inſula, ſagittis confixi ceciderunt. *Guido* præterea de Poſſeſſa vir nobilis, ibidem carne ſolutus eſt, gravi infirmitate prius correptus. Quadam iterum die, dum principes univerſi machinas ſuas certatim ad murum applicarent, comes *Hermannus* & *Henricus* de Aſcha Teutonici, inſtrumentum quoddam ſatis artificioſè compoſuerunt, in quo equites viginti componentes, ad murum applicuerunt. Quæ tandem, inſtantibus ad defenſionem civibus, magnorum impulſu lapidum, ita contrita eſt, ut eos qui infra erant comprimeret univerſos. Fervebant autem alii nihilominus in opus inceptum, & aſſiduis inſultibus requiem civibus ſubtrahebant. Lacus tamen civitati adjacens, noſtrorum præcipuè impediebat opus: Nam cives per eum liberiùs navigantes, victum & alimentorum copiam, in nocumentum noſtrorum principum, inferebant in urbem. At principes, adhibitis ad lacum navibus, & armatis impoſitis, commeatum civibus ſubtraxerunt. Ad turrim quoque quandam, (quæ erat in parte Auſtrali civitatis, cæteris omnibus eminentior & fortior) expugnandum, cùm omnia deficerent media, tandem adhibuerunt ſuffoſſores, qui eam cum multo labore ſuffodientes, pòſt ligneis materiis adimplerunt, & cum ſuppoſito igne (quò ligna conſumerentur) materia in cineres redacta eſſet, turris cum tanto fragore corruit, ut inſtar terræmotus, audientium corda perturbans, non modicum ingereret ſua ruina terrorem. Ad ſonitum igitur tantæ ruinæ, excitatæ legiones ad arma convolant, animos acuunt, quaſi urbem protinus ingreſſuri.

Oppugnatio Nicææ.

Solertia Teutonicorum.

Vehemens cujuſdam turris ruina.

1097.

Solymanni uxor cum duobus filiis capti.

SOLYMANNI verò uxor, ex turris ruina deſperatione concepta, navibus cum ſuis per lacum devecta, ab urbe clam egreditur, ſed noſtri, qui in lacu erant navibus ad explorandum dimiſſi, fugientem capiunt, & captam principibus præſentant: Capta quoque cum duobus filiis ſuis adhuc tenellis, ſub arcta cuſtodia deputatur. Dux magnificus *Godefridus*, Turcum quendam, qui multos ex noſtris telis confoderat, & inſuper principes verbis probroſis afficiebat, viſa opportunitate, ſagitta cerebro perforato, extra murum in foſſam præcipitem dedit. Unde undique omnes ad inſultum animati, lituis perſtrepentibus & tubis, aggrediuntur urbem: Repletur aër clamoribus, non proſunt obſeſſis ſagittæ, non tela ignita, non lapides aut ligna, non vires, non arma, non miſſilia congeſta.

Deditio Nicææ civitatis.

Quare ad deditionem compulſi, dederunt urbem Tatino cuidam Imperatoris miniſtro: Quod noſtris principibus, ad majora properantibus, ſatis placuit, ſecundum initas cum Imperatore conditiones. Receperunt tamen peregrini ſclavos ſuos omnes, tum illos qui durante obſidione capti erant à civibus, tum illos qui de exercitu *Petri* à *Solymanno* capti fuerant, ut ſuperiùs eſt relatum. Principes igitur nuncios ad Imperatorem mittentes, adhortati ſunt magnopere, ut ad partes illas, tot ex ſuis principibus mittat, qui ſufficiant ad cuſtodiam civitatis: Præſentaveruntque ei uxorem *Solymanni* & filios, quos gratanter acceptavit. Imperator autem lætabundus & gaudens, ex familiaribus ſuis quoſdam miſit, qui urbem cum omni captivorum ſubſtantia, auro & argento, & omni genere ſuppellectilis ſuſciperent, per quos etiam ſingulis peregrinis donaria tranſmittens ingentia, tam literis, quam viva voce, benevolentiam ſingulorum captabat, & pro tam laborioſo ſervitio, & imperii ſui tanto incremento, gratias referebat copioſas. Capta eſt autem urbs Nicæa anno Domini milleſimo nonageſimo ſeptimo, menſis Julii vigeſimo die.

Cruce ſignatorum progreſſus.

SOLUTA igitur obſidione, iterum mandato Principum cruce ſignatorum ad proficiſcendum invitatur exercitus, & compoſitis ſarcinis, tertio Kalendas Julii iter arripuit: Et pontem quendam tranſeuntes, in duo exercitum diviſerunt: Dominus *Boamundus* & Dux Normannorum *Robertus*, comes Bleſenſis *Stephanus*, *Hugo* de Sancto Paulo, & *Tancredus*, cum ſuis cohortibus lævam ſequuti in vallem, cui nomen eſt *Gorgoni*, pervenerunt: Reliqui verò omnes dextram verſus proficiſcentes, caſtris illorum duobus diſtantes milliaribus, diem produxerunt. *Solymannus* verò illatæ memor injuriæ, ſequenti diei circa horam die ſecundam, adeſt, cum Turcorum agminibus infinitis, quorum numerus ducentorum millium ſummam excedere dicebatur. Noſtri verò, per exploratores, eorum adventu præcognito, ſarcinas & Turcos captivos, cum debilibus ſuis, ſecus arundinetum in vicino poſitum, collocarunt, & ipſi ad arma convolantes, equos præparant, quaſi cominus pugnaturi. Et miſſis nunciis ad alium exercitum, à quo temerè receſſerant, hortantur magnopere, ut auxilium conferant ſuis legionibus deſperatis: ſed interim noſtris invitis, prælium committitur horribile & damnoſum, in quo Chriſtiana contrita ſunt agmina vehementer. Nam equi eorum inſolitum non ferentes clamorem Turcorum, buccinarum clangorem, ictuſque taburcinorum, calcaribus non parebant. Dum igitur Chriſtiani fugam inire cogerentur, ſupervenit magnificus Dux Normannorum *Robertus*, clamans & dicens, quò fugitis milites? Quo fugitis? Equi Turcorum noſtris velociores ſunt: Unde fuga præſidio non eſt. Melius eſt autem bene mori, quam turpiter vivere: Mecum ſentite, me ſequimini. Hæc cum dixiſſet, in quendam Turcorum Regem lanceæ direxit aciem, quæ ſcutum ilico & loricam cum corpore perforavit. Secundum quoque, & tertium ſimiliter, in momento confoſſos, proſtravit. Tunc animus rediit Chriſtianis, pugnaque graviſſima committitur & horrenda.

Willielmus Tancredi frater, Godefridus de monte, Robertus Pariſienſis cæſi.

Ceciderunt in illo conflictu ex noſtris duo principes: Quia *Willielmus Tancredi* frater, dum regem quendam Turcorum lancea transfigit, ejuſdem regis lancea perforatur. *Godefridus* quoque de Monte, dum caput cujuſdam Pagani amputat, ſagitta perforatur. Tertius Pariſienſis *Robertus*, eodem mortis genere vitam finivit. Ceciderunt autem in hoc conflictu ad duo millia peregrinorum, deficientibus agminibus & in fugam compulſis. Sed cùm ſic afficeretur populus Chriſtianus, ecce alius exercitus, quem ducebat Dux *Godefridus*, cum quadraginta millibus armatorum ſupervenit. Qui omnes acriter in acies irruunt inimicorum, & atrociter ſatis & animoſè, decertantes, Turcos infideles (qui tot hoſtes ſuperveniſſe conſpicientes, quaſi cœlum ſuper ſe ruiturum verebantur) cum duce ſuo *Solymanno* terga dare coëgerunt. Quos fugientes, Chriſtiani tanta perſequuntur diligentia, ut per quatuor milliaria ultra eorum caſtra continuam operarentur ex eis ſtragem. Et captivos omnes, quos Turci ceperant, reducentes, ad caſtra eorum ſunt reverſi: Ubi reperientes copiam auri, argenti, jumentorum, cum gregibus, armentis, & victualibus, collectis & papilionibus & tentoriis, cum equis pariter & camelis, in caſtris à propriis ſunt recepti. Cecidiſſe autem dicuntur ea die de numero hoſtium, & apud ſuos virorum potentium ad tria millia. Actum eſt itaque hoc prælium die Kalendarum Juliarum, pugna multum diſſimili: Cùm Turcorum centum quinquaginta millia, contra Chriſtianorum quinquaginta millia decertarent.

POSTQUAM autem per triduum moram, ſibi & equis neceſſariam, in loco certaminis protraxiſſent, lituis monentibus, ſe iterum ad iter accingunt. Et tranſcurſa Bithynia univerſa, Piſidiam ſunt ingreſſi. Ubi caſu in provinciam arentem, & inaquoſam deſcendentes,

ibidem

1097.

ibidem fixis caſtris, importunitate ardoris & moleſtia, cœpit populus ita deficere, ut pluſquam quingenti ſpiritum exhalarent. Tandem his erepti periculis, deſcenderunt in regionem uberrimam, juxta Antiochiam minorem, quæ Piſidiæ metropolis eſt. Dehinc quoque turmas quaſdam miſerunt in diverſas provincias, ut eas explorarent, poſſentque ad principes ſuos earum conditiones perferre. Turmæ à caſtris diviſæ, Heracleam Lycaoniæ urbem prætereuntes, ad Iconium ejuſdem regionis metropolim, pervenerunt, quam omni habitatore vacuam, invenerunt. Turci enim civitates & caſtella deſerentes, cognito peregrinorum adventu, non habebant fiduciam reſiſtendi. Indeque Maratiam urbem tranſeuntes, Ciliciam ſunt ingreſſi. Habet autem Cilicia ab oriente Cœloſyriam, ab occidente Yſauriam, à Septentrione juga montis Tauri, ab Auſtro Cypricum mare. Habet etiam duas urbes metropolitanas, Ananarzan & Tharſum, doctoris gentium *Pauli* natale ſolum, quæ civitas ſubdita eſt *Baldwino* fratri ducis *Godefridi.*

Tharſum captum.

Robertus Normannorum dux. quandam cepit urbem Azena vocatam, & dedit eam ſuo militi *Simeoni.* Dux *Boamundus* & comes *Reimundus* ceperunt aliam urbem, quam *Petro* de Alpibus contulerunt. Inde ad Oxan profecti, urbem obtinuerunt, & *Petrus* de Roſſillo, cepit Ruſam, & plurima caſtella ſubegit.

Oxa civitas capta.

Guelfus quidam, natione Burgundus, Adama urbem ſubjugavit, & *Tancredum* ſupervenientem, in ea benignè ſuſcepit.

Adama urbs capta.

Tancredus inde profectus, Maunſtram venit, & Turcis interfectis, urbem ſubjugavit.

Maunſtra capta.

Inde ad minorem Alexandriam deſcendens, urbem obtinuit, & provinciam ſibi totam ſubegit. *Baldewinus* frater ducis *Godefridi*, ad majorem reverſum exercitum (aſſumpta militia) in partes Septentrionales deſcendit, & regionem totam uſque ad Eufratem, in ſua jura recepit. Exiit ergo fama ejus ad cives Edeſſanos, qui trans flumen habitabant, quòd tantus princeps de gente occidentis advenerat, qui vocantes eum humiliter rogabant, ut ſibi & ſuæ civitati præeſſe dignaretur.

Ediſſæ deditio.

Eſt autem Ediſſa nobilis Meſopotamiæ civitas, quæ alio nomine Rages appellatur, ad quam *Tobias* ſenior, *Tobiam* filium ſuum miſit, ut à *Gabelo* cognato ſuo, repoſceret decem talenta. Ad hanc veniens *Baldewinus*, à Duce urbis & populo univerſo, cum gloria ſuſcipitur & honore. Inde urbem Samoſatum accedens, cùm vidiſſet eam quaſi inexpugnabilem, datis aureorum decem millibus, emit eam à duce civitatis, & in ſua jura recepit. Et inde ad Sororgiam tranſiens, obſedit illam, & cepit.

Sororgia capta.

Quod cum factum fuerat, liber commeatus ab Ediſſa uſque ad Antiochiam, tranſire volentibus, patebat. Major interea exercitus ad urbem Mareſeam profectus (quam Turci præ timore, vacuam reliquerant) Chriſtianos in ea ſolummodò invenerunt. Inde miſerunt *Robertum* Ducem Normannicum ad urbem Artaſiam, cum Comite Flandrenſi, quorum adventum, cùm cives cognoverunt, Turcos omnes, qui eos multo jam elapſo tempore oppreſſerant, occiderunt, & extra urbem omnium capita projecerunt. Diſtat autem hæc civitas ab Antiochia milliaribus quindecim, quæ etiam Calquis alio nomine nuncupatur.

His ita geſtis revocatæ ſunt omnes legiones diſperſæ per diverſas provincias, & exercitu redintegrato, generale fit interdictum, ut nullus de cætero niſi juſſus, præſumat ab exercitu ſe ſeparare.

Tranſitus ejuſdam pontis & Antiochiæ obſidio.

Mane autem facto, acies verſus Antiochiam dirigunt, ſed quoniam fluvius Orontes, qui & vulgari appellatione Fer dicitur, in via medius erat, ſuper quem pontem audientes validiſſimum eſſe, miſerunt *Robertum* ducem Normannicum, cum ſociis expeditis, qui itinera priùs explorarent, & ſi quid difficultatis emergeret, Principes ſequentes, ſuper eo redderent certiores. Præcedebat ergo Dux majores legiones, donec ad prædictum pontem pervenit. Erat autem pons lapideus, in utraque fronte turres habens validiſſimas, in quibus centum viri armis ſtrenui, baliſtarum uſum habentes, erant collocati, qui pontem, vel fluminis vadum, volentes tranſire violenter arcerent. Advenerant præterea ab Antiochia equites ſeptingenti, qui in ulteriori fluminis ripa conſtituti, tranſitum noſtris impedire pro viribus decertabant. Cùm hunc pontem tranſire non poterat Dux *Robertus*, ab hoſtibus prædictis impeditus, ibidem cùm ipſis certamen init, quod uſque ad adventum majoris exercitus, non ceſſabat. Poſtquam ergò univerſæ convenerant legiones, lituis perſtrepentibus & tubis, pontem invadunt, viribus totis hoſtes repellunt, & alii interim vado reperto, flumen potenter tranſeunt, & ripam ulteriorem hoſtibus fugatis, attingunt. Deinde trajecto exercitu univerſo, caſtra ſtatuerunt, & die ſequenti inter montes & fluvium, viam regiam ſequentes, ante urbem infra milliare unum, caſtra fixerunt. Eſt autem Antiochia civitas præclara, ab Antiocho filio *Alexandri Macedonis* dicta, eò quòd illam caput ſtatuerat regni ſui. In hac poſtmodum Apoſtolorum princeps, cathedram tenuit pontificalem, ſub *Theophilo* viro venerabili, qui erat in civitate potentiſſimus, à quo etiam fuit *Theophilis* nuncupata. Hæc quoque priſcis temporibus dicta eſt Reblata, ad quam *Sedechias* rex Judæ ad *Nabuchodonoſor* regem ductus, oculis privatus eſt. Sita eſt autem in provincia Cœloſyria, quæ majoris Syriæ pars eſſe dignoſcitur, habens agros uberrimos, rivis ac fontibus delectabiles, & amœnitate ſingulares. Erat autem dominus civitatis quidam *Auxianus*, natione Turcus, ex familia magni Soldani Perſarum, nomine *Belſecho*, qui provincias illas omnes, ſuo expulſis Chriſtianis, ſubjugavit imperio. Placuit itaque principibus occidentis, ut ad urbem accedentes, eam obſidione vallarent: Unde urbi appropinquantes, decimo quinto Calendas Novembris, acies in gyrum in hunc modum diſponunt.

Cruce ſignati Antiochiam obſidione cinxerunt.

Cùm quinque eſſent portæ civitatis, quarum duæ, propter fluminis vicinitatem non poterant obſideri, demiſit

illas

1097. illas exercitus inobſeſſas, reliquis tribus obſidione vallatis. Superiorem igitur portam obſedit *Boamundus*, cum his qui ab initio fuerant ejus caſtra ſequuti. Juxta eum ſedit dux Normannorum *Robertus*, & Comes Flandrenſis cum ſociis ſuis, qui à caſtris *Boamundi* uſque ad portam Canis agmina conjunxerunt. Juxta illos conſidebat Comes *Tholoſanus*, & epiſcopus Podienſis *Aimerus*, cum aliis nobilibus, qui eorum fuerant vexilla ſequuti. Juxta eos conſedit Dux *Godefridus*, cum fratribus ſuis *Euſtachio* & *Baldewino*, & aliis legionibus multis, quæ ipſum quaſi rectorem fuerant ſubſequutæ.

Boamundus *cum ſuis victualia quærens, multis* Turcis *interfectis, in caſtra rediit.*

CIVITATE itaque in hunc modum obſeſſa, collocarunt machinas in locis opportunis, petrarias ſcilicet, trubuculos & mangovellos, ex quibus crebros lapides emittebant, & damna, quæ civibus incluſis terrorem non minimum incuſſerunt. Caſtellum etiam ligneum latum componentes, in altum Baliſtinarios in eo locaverunt, qui in inſidiis conſtituti, telis igneis & venenatis, multos neci ex hoſtibus tradiderunt. *Turci* è contrario machinas pro machinis conſtruentes, tela pro telis, & lapides pro lapidibus, in peregrinorum perniciem remiſerunt. Tandem innumeris hinc & inde interfectis,& maximè ex eis qui victualia quærebant, deficientibus alimentis, dominus *Boamundus*, & Comes *Flandrenſis*, & *Robertus*, de communi conſilio, ut pabula quærerent, exierunt. Audientes autem Turcos eſſe in quodam caſtello & villa magna, in regione hoſtium, bonis omnibus referta, profecti ſunt illuc cum legionibus ſuis,ubi multis (Deo volente) à paucis trucidatis,ſpolia multa in ſuos uſus receperunt. Cognoverunt autem prædicti principes, per exploratores ſuos; Turcorum multitudinem in proximo conſtitutam, contra quam comitem Flandrenſem direxit *Boamundus* cum viris armatis, ipſe majoribus copiis ſtipatus ſequuturus. Comes autem in opere Martio vir ſtrenuus, in hoſtes acriter irruens, centum ex eis gladio peremit. Dumque victor ad ſocios rediret, ecce alii exploratores multò fortiores, nunciant adventare ex alio latere inimicos. Contra quos viribus multiplicatis incedentes, prævia dei gratia, omnes in fugam compulerunt, & quaſi per duo miliaria inſequentes eos, ſtragem non modicam hoſtibus intulerunt. Indeque cum triumpho ad caſtra revertentes, cum equis, mulis, camelis, aſinis, armentis & ſpoliis uberrimis quæ contraxerant, agros repleverunt circumpoſitos, & principes, victus penuria laborantes, immenſa lætitia perfuderunt. Sed quoniam tantæ multitudini vix per dies paucos præda ſufficere potuit præfata, prævaluit in brevi adeò fames in populo, quòd innumera hominum multitudo, ab obſidione recedens, juramentorum, voti, & profeſſionis immemores, clam ad patriam repedarent. Inter quos etiam & *Tatinus* quidam homo ſubdolus, & Imperatori *Alexio* familiariſſimus, peregrinorum oppreſſionem metuens, ut quocunque modo fraudem palliaret, relictâ in obſidione familia cum tentoriis, receſſit non denuo reverſurus. Hoc quoque tempore *Swanus* Danorum regis filius,& cruce ſignatus, cum viris mille quingentis optimè armatis, ad obſidionem properans Antiochenam, non longè ab urbe *Nicæa* Turcorum perpeſſus inſidias, cum ſuis omnibus interfectus eſt. Sed tamen diu & viriliter hoſtibus reſiſtentes, ne inulti animas effundere viderentur, cruentam poſt ſe proditoribus victoriam reliquerunt.

Strenuitas Comitis Flandrenſis.

Swanus Danorum Regis filius, ex inſidiis à Turcis cum ſuis cæſus.

Fames & lues in Caſtris Chriſtianorum.

PER idem tempus in obſidione, cùm fames de die in diem invaleſceret, & ex fame lues ſequeretur, de mandato Domini *Podienſis*, qui legatione ſedis Apoſtolicæ in exercitu fungebatur; ſtatutum eſt: Ut triduanum indiceretur jejunium in populo: Videbatur enim prudentioribus viris & literatis, quòd peccatis exigentibus, prædicta incommoda acciderant. Decreverunt pariter, meretrices omnes ab exercitu ſequeſtrari, adulteria, fornicationes, ebrietates, comeſſationes, aleas, fallaces jurationes, ſimul & omnes fraudes interdicere univerſis: Ut omni ſpurcitia eliminata, adeſſe ſibi divinam miſericordiam humiliter implorarent. Factum eſt autem, ut per gratiam dei ſuperabundantem, populo ad frugem vitæ melioris revocato, ex parte quieſceret ſævior ira Dei. Movebantur autem ſupra modum ex hoc peregrini, quòd ſciebant exploratores eſſe in exercitu, ex omnibus orientis Regionibus in quibus converſabantur increduli: Dum unuſquiſque eorum, de proprio ſtatu ſolicitus ſcire volebat, qualiter ſe, contra tantam expeditionem defendere poſſet. Nec enim erat difficile hos exploratores inter noſtros latere, cùm mercatores in exercitu victualium, alii Græcos, alii Syrianos, alii Armenios, ſe eſſe affirmarent. Timuerunt autem peregrini, quòd hujuſmodi exploratores, famem invaleſcere ſimul, & luem conſpicientes in exercitu, tantam calamitatem paſſim diſſeminarent, & Gentiles collectis militaribus copiis, ſupervenientes, peregrinos obruerent univerſos. Cumque principes contra hoc nullum potuiſſent remedium invenire, *Boamundus* vir perſpicacis ingenii, circa primam noctis ſequentis veſperam (cum alii ſodales per caſtra, pro apparatu cœnæ de more eſſent ſolliciti) adduci præcepit Turcos aliquot, quos habebat in vinculis, & tradens eos carnificibus, mandat jugulari, & copioſo igne ſuppoſito, quaſi ad opus cœnæ aſſari. Juſſit etiam ſuis, quod ſi ab aliquibus eſſent interrogati, quid ſibi vellet talis cœnæ apparatus, dicere ſic eſſe decretum, ut quotquot ex hoſtibus deinceps exploratores caperentur, omnes in prandiis principum & populi, modo ſimili conſumerentur. Audientes autem qui in expeditione erant, tam admirabile factum, & quòd in caſtris domini *Boamundi* talia agerentur, accurrerunt univerſi, & rei novitatem admirantes, qui affuerunt exploratores, totum ſeriò fuiſſe factum, & abſque ſimulatione credebant. Timentes itaque ne quid ſibi ſimile accideret, de caſtris furtim

Stratagema Boamundi.

egreſſi,

egreſſi, ad propria ſunt reverſi: Illis qui eos miſerant dicentes, quòd populus iſte omnium ferarum ſylveſtrium excedat ſævitiam: Cui non ſufficit ſibi urbes & caſtella ſubjugare, vel omnimodam hoſtium ſubſtantiam diripere, vel homines captivos inclementiùs torquere & occidere, niſi inſuper & de carnibus eorum ventrem ſuum impleant, & inimicorum ſanguine ſaginentur. Perveniens ergò rumor iſte ad partes orientis remotiores & longè poſitas, perterruit nationes. Civitas quoque Antiochena tota contremuit, hujus facti perterrita novitate. Hæc autem contulit Deus populo ſuo per ſtudium & operam domini *Boamundi*, & per hoc exploratorum peſtis in parte quievit.

ATTULIT præterea exercitui ingentem lætitiam, convaleſcentia Ducis *Godefridi*, qui ex valida ægritudinis moleſtia plenè reſtitutus eſt ſanitati. Receperat namque apud Antiochiam minorem vulnus fere letiferum, ab urſo quodam ſibi inflictum: Dùm ibi animi recreationis gratia, ſilvam quandam ingreſſus, pauperem peregrinum invenit ligna arida comportantem: Quem cùm urſus ingente & horrendo corpore fugientem inſequeretur ut devoraret, periculum imminens, pauper clamore indicabat. Dux verò pauperem clamantem, & rapido curſu fugientem animadvertens, condolet peregrino jam à bellua devorando, & velociter educto gladio ut opem ferat patienti, ad urſum feſtinat. Videns ergo urſus Ducem gladio inſtantem, ſpreto peregrino, quem prius perſequebatur, dentibus armatis & unguibus in hoſtem ſe contulit fortiorem. Tandem dux equo crudeliter vulnerato, pedes effectus, gladio rem agebat. Urſus autem patulo oris rictu & murmure occurrens horrido, Ducis conſtantiam parvipendens, contempto gladio, nititur ſe ingerere cominus repugnanti. Porrò Dux irruentem à ſe belluam propellere gladio totis niſibus inſtans, mucrone eam perfodere laborabat: Sed urſus gladium declinans, & ducem brachiis amplexum conſtringens, in ſolum dejicere conabatur, ut ſub ſe poſitum dente poſſet faciliùs & unguibus laniare. Verùm miles ſtrenuus & in armis egregius, læva belluam complectente, dextra impingit aciem, & capulo tenus immerſo gladio mortem ingerit reluctanti. Saucius itaque Dux & cruore reſperſus, periculoſiſſimè quoque vulneratus, cruentam nimis victoriam reportavit. Unde nimia ſanguinis effuſione debilitatus, ad ſodales non potuit remeare. Tandem verò, prædicto paupere, qui ejus beneficio mortem evaſerat, proclamante & caſum indicante, accurrunt legiones univerſæ, & lectica impoſitum cum gemitu omnium & lacrymis detulerunt ad caſtra, & chyrurgicorum ſollicitudini illum commiſerunt, quò convenientibus remediis priſtinam poſſet conſequi ſanitatem. Nunc igitur (ut prædictum eſt) priſtinæ ſanitati reſtitutus, gaudium contulit legionibus univerſis.

Dux Godefridus, urſum magnum poſt longam cum eo luctam occidit, unde & graviſſimè læſus eſt.

Dux Godefridus reſtitutus ſanitati.

EODEM anno, *Anſelmus* Cantuarienſis Archepiſcopus, conſecravit *Sampſonem* in Epiſcopum Wigornienſem Londoniis, in Eccleſia ſancti *Pauli* die Dominica, decimo ſeptimo Kalendas Julii.

Sampſon Epiſcopus Wigornienſis.

EODEM anno, *Richardus* de Exaquio, Abbas Eccleſiæ ſancti Albani Anglorum protomartyris creatus, rexit eam magnificè, annis viginti duobus interiùs religionem reformando: Et exteriùs, in cellis, plurimis terris, poſſeſſionibus & rebus multimodis ampliando.

Richardus de Exaquio, Abbas ſancti Albani.

ANNO Dominicæ Nativitatis M. XCVIII. peregrini, qui erant in obſidione Antiochiæ dies Natalicios in obſequiis divinis, & eleemoſynarum exhibitionibus, magnificè celebrarunt: Quo tempore etiam cives Antiocheni, de ſuo ſtatu ſatis ſolliciti, principes infideles tam vicinos quàm longe ſemotos, in ſui ſubſidium evocarunt. Factum eſt autem per eorum inſtantiam diligentem, quòd à Damaſco, Hieruſalem, Cæſarea, Alapia, Haman, Emiſſa, Hierapoli, & conterminis regionibus multis, congregati referuntur circa caſtrum, cui nomen eſt Hareg (quod ab Antiochia vix quatuordecim milliaribus diſtat) ad viginti octo millia bellatorum. Omnes autem ejus animi erant & ſententiæ, ut ex improviſo in peregrinos irruerent, dum circa urbis inſultum eſſent occupati. Sed principes noſtri, quos eorum doli non latebant, pedites omnes exercitus in obſidione relinquentes, equites in primo noctis initio, armis inſtructos, ſine tumultu, & cum ſilentio caſtris eduxerunt, & inter lacum quendam & Orontem fluvium (qui quaſi unius milliaris ſpatio à ſe diſtant) nocte illa quieverunt. Mane autem facto, cum feſtinatione ad arma convolantes, in ſex acies ſuum diſponunt exercitum, ſingulis earum certis ducibus aſſignatis. Turci verò non longè conſtituti, ſcientes quòd noſtri in vicino eſſent, de ſuis copiis duas acies præmiſerunt, reliqua turba comminus ſubſequente. Accidit autem ut noſtri, qui vix ſeptingenti erant, ſuſcepto cœlitùs incremento, infinita millia viderentur. Appropinquantibus itaque paulatim ſibi invicem legionibus, cœperunt primæ acies hoſtium in noſtros, cum magno impetu irruere, & immiſſa ſagittarum grandine, ad ſuos recurrere. Noſtri autem comminus accedentes, vibratis more ſolito lanceis & gladiis incumbentes, eos omnes in unam turbam cogunt. Conſtringentibus quoque illos, hinc lacu, illinc fluvio, ſe recipiendi licentiam non habebant. Unde Chriſtianorum ferre non valentes vires, in ſola fuga conſtituunt ſpem ſalutis. Dantibus ergò tergis infidelibus, noſtri eos certatim inſequuntur uſque ad caſtrum ſupradictum, quod à loco certaminis milliaribus decem diſtabat. Videntes autem oppidani ſuorum fugam, & gladiis multos ſuorum cecidiſſe, ſuccenſo Hareg caſtro, & ipſi fugam capeſſunt. At verò Armenii & alii fideles regionis, prædictum occupantes municipium, illud noſtris principibus reddi-

Turci cæſi à Chriſtianis.

1098. reddiderunt. Ceciderunt autem die illa ex hoſtibus ad duo millia, ex quibus, quingenta capita reportantes, cum mille equis optimis & manubiis copioſis ad caſtra reverſi ſunt, multas gratiarum actiones Domino perſolventes. Cives quoque interea per portam civitatis certatim egredientes, ferè tota die noſtris graviſſima intulerunt certamina, donec noſtrorum audientes adventum, in civitate ſeſe receperunt. Principes itaque victores ad obſidionem reverſi, ducenta capita Turcorum in ſignum triumphi, & doloris hoſtium incrementum, machinis jaculatoriis in urbem præcipitari fecerunt: Cætera verò ante urbem palis confixa ſtatuerunt, ut tam hæc quàm illa eorum moleſtias adaugerent.

Peregrini trecenti à Turcis proſternuntur.

CUMQUE principes omnes ad obſidionem reverſi fuiſſent, invadunt acriter univerſi mœnia civitatis. Contra quos cives acerrimè rebellantes, ſigniferum Podienſis Epiſcopi & multos alios peremerunt. Tandem cum in menſem quintum ſe protraheret obſidio, venerunt naves Januenſium, Peregrinos & victualia ferentes, & frequentibus nunciis exigentes, ut miſſis aliquot de principibus, ſecurè eos ad caſtra conducerent. Quod audientes peregrini, qui in obſidione erant, & victus penuria vexabantur, infinitus eorum numerus ad mare deſcendit: Ubi peractis negotiis, ad caſtra redire proponunt. Eliguntur itaque de principibus dominus *Boamundus*, Comes *Tholoſanus*, *Everardus de Puſato*, & Comes *Garnerus de Gres*, ut peregrinos, qui in portu erant, tam eos, qui nuper advenerant, quàm alios, qui ad mare deſcenderant, incolumes ad caſtra reducerent. Audientes autem Antiocheni, quòd prædicti principes ad mare deſcenderant, Miſſis quatuor millibus expeditorum militum, illis obviam proceſſerunt, ut parantes peregrinis inſidias, eos interficere laborarent. Factum eſt autem, cum plebei peregrini cum victualibus & jumentis onuſtis inermes redirent ad caſtra, Turci ab inſidiis erumpentes in ipſos non ſegniter irruperunt. Contra quos cùm Principes præfati diu decertaſſent, videntes tandem imparem nimis conflictum contra tantam Turcorum multitudinem, cum illis, qui eos ſequi poterant recedentes, ad caſtra de loco certaminis redierunt. Ceciderunt autem ibi ex pauperibus peregrinis, quaſi trecenti promiſcui ſexus & ætatis.

VENIT interea rumor in caſtra, quòd peregrini, qui de mari advenerant, per hoſtium inſidias omnes repentino impetu corruiſſent. Sed dum hæc inter ſe Principes condolentes ruminarent, ecce *Boamundus*, & pòſt paululum comes *Tholoſanus* ad caſtra revertuntur, caſum, qui acciderat, Principibus exponentes. Auxianus itaque dominus civitatis cognoſcens, quòd ſui victores erant, præcepit portas urbis aperire, ut cives revertentes, liberum haberent ingreſſum. Sed Principes noſtri confratrum ſanguinem ulciſci cogitantes, ad arma convolarunt, & diſpoſitis aciebus, hoſtibus occurrunt, & ſolita gladiis incumbentes conſtantia, in Turcos irruunt, qui præ timore agminibus diſſolutis, pontem civitatis certatim obtinere contendunt. Sed dux Lotharingiæ *Godefridus*, cum ſuis pontem occupans, aut intrare volentes, gladiis obtruncat, aut in principes, illos inſequentes redire perituros compellit. Sic ergò cùm nec hìc nec alibi Principum impetus & armorum inſtantiam, ictuſque importabiles ſuſtinere diutiùs valerent, ſalutis unicum remedium fuga erat, quo fruſtrati penitus, gladiis paſſim cæduntur & pereunt. Auxianus autem populum ſuum penitus deficere videns, portas præcipit omni celeritate aperiri, ut eorum ſaltem reliquias ſub tuto permitteret collocari. Reſerato igitur aditu, tanta ſuper pontem fugientium conglobata eſt turba, tantuſque factus tumultus, ut ſe invicem comprimendo, in fluvium præcipitaretur eorum numerus infinitus.

Strenuitas ducis Godefridi *& ducis* Roberti *Normannici.*

Dux quoque *Godefridus* poſtquam in hoc conflictu multorum capita loricatorum ſine ictus repetitione, ſolita fultus virtute amputaverat, unum ex Turcis in noſtros proterviùs inſtantem, licet lorica indutum, per medium gladio diviſit, ita ut pars ab umbilico ſuperior ad terram caderet, reliqua parte ſuper equum, cui inſederat, in urbem curſu rapido introducta. Equus autem hinniens inter Turcos huc illucque, ac ſi diabolica eſſet invectus furia, diſcurrens ſeſſoris corpus ab umbilico deorſum gerens, omnes, qui viderunt illius rei perterruit novitate. Dux etiam Normannorum *Robertus*, alium ſibi nimis infeſtum in capite percutiens, galeam & clypeum, caput, dentes & collum (ut ſolet ovicula à carnifice) uſque in pectus deorſum diffidit. Quo ruente in terram, ait *Robertus*: Omnibus tartareis miniſtris per omnia tuam cruentam animam commendo.

Duo millia Turcorum cæſa.

Ceciderunt quoque illa die ex hoſtibus quaſi ad duo millia Turcorum, & niſi nox ſuperveniens bellum dirupiſſet, finem proculdubio illa die Antiochenum negotium habuiſſet. Compertum eſt fideliter à noſtris per captivos Turcos, quòd duodecim ex majoribus eorum cum aliis corruerunt. Cives de nocte ſuorum corpora defunctorum ſepulturæ tradiderunt, ſed noſtri funera eorum effodientes, aurum, argentum, & veſtes precioſas ex ſepultis canibus extraxerunt, quæ omnia in uſus pauperum peregrinorum ceſſerunt.

POST hanc autem victoriam divinitùs Peregrinis conceſſam, ut caſtra nova quædam & machinas ad expugnationem urbis conſtruxiſſent, audierunt quòd cives defectu pabuli, ad locum quendam paſcualem, equos ſuos conſueverant deſtinare, qui vix ab urbe quatuor miliaribus diſtare videbatur.

Duo millia equorum præter mulas & reliqua à cruce ſignatis capta.

Quod noſtri cognoſcentes, & ad locum paſcualem properantes, occiſis qui armentis præerant, exceptis mulis & mulabus, duo millia equorum nobilium ad caſtra deduxerunt. Per idem quoq; tempus *Baldewin.* ducis *Godefridi* frater, qui (ut prædictum eſt) *Edeſſam* ſubjugaverat civitatem, audiens quòd peregrini magna rerum laborarent inopia, miſſis

donis

1098.

donis ingentibus, auro, argento, ſericis & equis pretioſis, res Principum ſingulorum reddidit ampliores. Inſuper autem & Duci fratri ſuo de terra, quam circa Eufratem poſſidebat, omnes redditus in frumento, vino, hordeo & oleo, necnon & aureorum quinquaginta millia deſtinavit. Eodem tempore nunciatum eſt principibus, quòd Sultanus Perſarum dominus, Antiochenorum inſtantia, & ſuorum poſtulationibus aſſiduis, innumerabiles armatorum copias in Syriam tranſmiſerat, quæ jam imminere, quaſi præ foribus, dicebantur. Hujus quoque famæ diſſeminatio, adeò principes noſtros perterruit, ut *Stephanus Carnotenſium* Comes, ægritudine ſimulata, & ſumpta à fratribus licentia, cum quatuor armatorum millibus, ab obſidione, non rediturus abſceſſit. Quo facto tam notabili, tamque funeſto, principes, qui in caſtris erant, conſternati, cœperunt anxiè deliberare, quomodo huic morbo poſſent occurrere, ne hoc exemplo pernicioſo alii ſimile aliquid attentarent. Placuit ergò omnibus, ut quicunque ſe à caſtris, ſine Principum licentia ſubtraheret, tanquam ſacrilegus aut homicida in excercitu haberetur. Unde factum eſt, ut omnes pariter, tanquam viri clauſtrales, principibus ſuis obedientiam, voluntate ſpontanea, exhiberent.

Stephanus *Carnotenſium Comes cum ſumma ignominia ab exercitu ſe ſubtraxit. Interdictum ne quis de cætero ſine licentia ab exercitu ſe ſepararet.*

SOLET autem divina clementia ſervis ſuis, deficientibus aliis mediis, ſubvenire, nec etiam ſuos ultra quàm ſuſtinere poſſunt, tentari permittere. Ut in urbe Antiochena contigit, quòd vir quidam genere præclarus, & Chriſtiana profeſſione inſignitus, *Emyſer* nuncupatus, homo potens nimis, & *Auxiano* urbis domino multa familiaritate conjunctus, ita quidem, ut in ejus palatio notarii officio fungeretur, vir prudens & induſtrius, audiens quòd *Boamundus* princeps eſſet illuſtris & magnificus, ſtatim poſt obſidionem urbis per internuntios fideles, ejus ſibi gratiam concilians, civium & urbis ſtatum diebus ſingulis denudabat, & nimis (licet occultè) amicum in omnibus agendis diligentiùs inſtruebat. *Boamundus* quoque verſa vice, amici ſui occultabat arcanum, ita ut nullus internuntiorum hinc inde miſſorum, alicujus ſecreti poſſet colligere ſuſpicionem. Cumque jam quaſi menſibus ſeptem, hæc ſe inter eos continuaſſet amicitia: Plerumque habitus eſt ſermo inter eos, quomodo Chriſtianæ religioni civitas redderetur. Et cùm ſuper hoc à *Boamundo Emyſer* ſæpiùs eſſet conventus, ſemel ei per filium ſuum, qui ſecretorum erat lator, dicitur reſpondiſſe: Si patriam priſtinæ reſtituere libertati, & excluſis canibus immundis, quorum violenta dominatione premimur, populum Chriſtianum poſſem introducere, certus ſum, quòd cum ſanctis animabus æternæ beatitudinis præmia poſſidebo. Si verò rem inceptam conſummare nequivero, proculdubio domus mea & præclaræ nomen familiæ meæ delebitur, ita ut non memoretur nomen illius ultrà. Sed ſi tu hoc poſſes apud tuos ſocios obtinere, quòd civitatem, meo tibi ſtudio traditam, tuam facere, & in tuos uſus convertere poſſis, ego tui gratia ad opus prædictum me accingam, & turrim meam munitiſſimam hanc (ut vides) tibi tradam: Unde Principibus veſtris, liber in civitatem patere poterit ingreſſus. Ad hæc, noveris, quòd *niſi hoc in proximo fiat, in perpetuum differetur:* Veniunt enim in ſubſidium civitatis, ex omni oriente, equitum ducenta millia, qui jam circa Eufratem caſtra ſtatuerunt. Hæc audiens *Boamundus* venit in caſtra, & majores principes à turba ſeorſum vocans, ita alloquitur dicens: Video vos fratres dilectiſſimi, adventu illius multitudinis armatorum, & illorum ducis *Corboranni* nimia ſollicitudine macerari, qui jam obſidionem Obeſſe civitatis, ubi per tres ſeptimanas conſederunt, ad hoc reliquerunt, ut civibus Antiochenis ſubſidium ferant. Videtur mihi, quòd ad hoc deberet omnis noſtra feſtinare intentio, ut ante hujus adventum multitudinis, civitas in noſtram traderetur poteſtatem. Quòd ſi modum quæritis, quo id perfici valeat, in promptu eſt nobis via, qua facilè ad finem perveniamus optatum. Habeo enim in civitate amicum fidelem, qui turrim habet in ſua poteſtate firmiſſimam, quam certis promiſſionibus, ſi illam ab eo exegero, fide mediante reſignare tenetur. Si ergò vobis id utile videatur, ut civitas mea ſollicitudine ſubjugata, in meam perpetuò & ſucceſſorum meorum tranſeat poteſtatem, paratus ſum pacta complere: Sin autem ſecus, elaboret veſtrum aliquis ad idem præſtandum facere, ego illi meam concedo partem, & renuntio juri meo.

Emyſer *vir nobilis & prudens amicitiam cum* Boamundo *init.*

HIS itaque dictis, gaviſi ſunt Principes gaudio magno, & petitioni factæ omnes, præter Comitem *Tholoſanum*, grato concurrentes aſſenſu, datis dextris compromiſerunt, quòd ſibi creditum nemini revelarent arcanum. *Boamundum* autem attentiùs monent, quatenus ad rei conſummationem viribus totis intendat. Soluto igitur conventu, *Boamundus* propoſitum urgens amico ſignificavit, quòd apud Principes pro voto cuncta impetraverat, ipſumque per fidem amicum invitat, ut nocte proxima ſequente, res effectui tradatur. *Emyſer* è contrario *Boamundo* denunciat, ut circa horam nonam, principes omnes egrediantur, tanquam hoſtibus obviam profecturi ex caſtris, & circa primam noctis vigiliam cum ſilentio revertentes, parati ſint hora noctis media, juxta ejus monita ſe habere. Quod cum ita factum fuiſſet, jam nocte media adveniente, cum ſe civitas univerſa quieti dediſſet, *Boamundus* interpretem domeſticum ad prædictum dirigit amicum, ut ab ipſo inquirat, utrum ſibi adhuc Domini ſui familiam adeſſe velit. Cum autem nuntius ille, ei verba Domini ſui expoſuiſſet, reſpondit ei *Emyſer:* Sede hîc quietus, & tace donec revertar ad te. Ipſe verò paululùm expectans, quouſque magiſter vigilum, qui ter vel quater in nocte muros cum lucernis circuire conſueverat, ſi quos ex miniſtris inveniret ſomnolentos exploraturus, protinus

Principis omnes præter comitem Tholoſanum, Boamundo Antiochiam *addicunt.*

viſa

1097.

viſa opportunitate,ad nuncium reverſus ait: Vade citò & dic Domino tuo, ut feſtinus adveniat cum viris electis. Qui citiùs ad Dominum recurrens, invenit eum cum principibus paratum, & ilico ſicut inſtructi erant, ante turrim prædictam, quaſi vir unus cum maximo ſilentio aſtiterunt. *Emyſer* interea turrim ingreſſus,fratrem reperit ſomno gravatum. Cujus mentem à ſuo propoſito ſciens alienam,timens ne per eum inceptæ rei impedimentum eveniret,gladio tranſverberabat ipſum,facto eodem,pius & ſceleratus exiſtens. Poſt hæc autem rediens & principes paratos conſpiciens, funem demittit inferiùs,quò ſcalam ad ſe pertrahat ſublevatam. Erecta igitur ſcala,nemo repertus eſt, qui ad vocem ſuperioris vel ad vocem *Boamundi* præſumeret aſcendere, proditionem omnes verentes. Quod videns *Boamundus*, aſcendit ilico ſcalam intrepidus. At *Emyſer* tenens manum ejus in turrim traxit, dicens: Vivat hæc manus: Et ducens eum interiùs, oſtendit ei fratrem, quem pro opere tam ſancto occiderat, amico cauſam exponens. *Boamundus* conſtantiam ejus admirans, ruit in oſcula viri, & reverſus ad ſcalam,hortatur ſuos ut aſcendant. Sed nullus aſcendere auſus eſt, donec *Boamundus* per ſcalam ad ſuos rediens, incolumitatis dedit evidens argumentum. Deinde certatim aſcendentes, in momento turrim repleverunt, & non ſolum turrim illam, ſed & de collateralibus, nonnullas occuparunt, quæ fuerunt numero decem,earum cum ſilentio, interfectis cuſtodibus. Et deinceps portam unam, quæ adulterina erat aperientes, principes, qui erant præ foribus introducunt. Crevit eorum numerus, qui intus erant ita, ut ad portam quæ Pontis dicitur, concurrentes, cæſis ejus cuſtodibus, eam aperirent violenter. Cumque auroram percepiſſent, cornibus & lituis cœperunt perſtrepere, ad urbis ingreſſum illos, qui in caſtris erant animantes. Vexillum quoque Domini *Boamundi* in una Turri eminentiore ejuſdem miniſtri collocantes, captam eſſe denuntiant civitatem. Cives autem ex tanto tumultu expergefacti, dubitabant, quid ſibi velit clamor ille inſolitus. Qui tandem videntes armatorum diſcurſus, & plateas occiſorum ſcatere funeribus, domibus relictis, cum uxoribus & liberis effugere tentabant, ſed fugientes imprudenter, ſtragem undique incurrerunt. Qui autem in urbe habitabant Chriſtiani diverſarum regionum, arreptis armis, noſtrorum cœtibus ſe adjungunt, & ſtragem civibus non minimam intulerunt. Ædificiis igitur omnibus cum penetralibus & apothecis ubique confractis, aurum, argentum, veſtes pretioſas, gemmas, vaſa impretiabilia, cum tapetis & holoſericis inter ſe æqua ſorte diſtribuerunt: Et qui priùs eſurientes in exercitu mendicabant,tunc bonis omnibus abundabant. Cæſi referuntur in civitate pluſquam decem millia Turcorum, quorum corpora per plateas civitatis miſerabiliter inſepulta jacebant. Equi inventi ſunt in civitate qui ad arma facerent quingenti, omnes macie confecti & inedia tabeſcentes, quia nec etiam vel equis vel hominibus in urbe fuerat aliquid alimenti repertum. Ipſo eodem anno *Ciſtercienſe Cœnobium* incœptum eſt.

Amicitia & fides Emyſeri.

Cruce ſignati Antiochiam occupant.

Initium Ciſtercienſis *ordinis.*

AUXIANUS Antiochiæ dominus, videns urbem ſubjugatam, ſolus abſque comite per poſticum egreſſus, & præ doloris anguſtia amens effectus, errabundus aufugit. Qui caſu Armenios quoſdam obvios habens, cum cognitus eſſet, ab eis violenter in terram dejicitur, & proprio educto gladio, caput præcidentes, in urbem intulerunt, principibus illud coram populo offerentes. Quidam verò civium nobiles in tanto rerum diſcrimine, quid agerent ignorantes, in præſidium ſuperius ſe recipere decreverunt. Dumque illuc tota intentione properarent, caſu contigit, quòd noſtros à parte ſuperiori haberent obviam, à quibus, inter locorum intercepti anguſtias, ut neque aſcendere neque propter montis devexitatem deſcendere valerent, (noſtris deſuper inſtantibus) dum fugere nituntur, præcipitati ſunt cum equis & armis, confractis cervicibus, numero trecenti. Alii autem ad montana fugere decreverunt, quos noſtri cominus inſequentes, partim ceperunt, vinculis eos mancipantes: Alii quoque equorum beneficio ad montana elapſi, vitæ conſuluerunt & ſaluti. Capta eſt itaque Antiochia, annô ex quo ſubacta eſt à Paganis, decimo quarto: Ab incarnatione Domini Milleſimo nonageſimo octavo, menſis Junii tertia die.

POST captam autem Antiochiam, cùm civitatis tumultus, jam ſedatis omnibus, quieviſſet, convenerunt principes in unum, communi decreto ſtatuentes, ut montem, qui urbi imminebat aſcenderent, & ſitum in eo præſidium expugnarent. Quo pervenientes, cum illud conſtaret omninò eſſe inexpugnabile, niſi fame premeretur, ad alia ſe argumenta converterunt. Erat autem in illo præſidio dominus & magiſter *Senſabolus*, *Auxiani* ſive *Garſiani* ſupradicti filius, cum copiis Turcarum multis, qui in Corboranni & Perſarum multitudinis adventu ſpem ponens (cùm ipſum ad partes Antiochenas adventare cognovit) fugit ad eum cum lacrymis de morte patris & Antiochiæ deſolatione querelam deponens. Cui Corborannus inquit, Si volueris ut totis viribus pro te contendam, caſtellum tuum in manu noſtra committe, & cùm ego de te ſecurus fuero, plebeculam illam totis niſibus impugnabo. *Senſabolus Corboranni* petitionibus adquieſcens, caſtellum in ipſius poteſtatem tradidit. *Corborannus* itaque accepto caſtello,ſuos impoſuit, & *Senſabolo* auxilium fidele promiſit. Audientes itaque principes quòd *Corborannus* finibus Antiochenis appropinquaſſet, die altera poſt captam urbem, cùm circa ejus cuſtodiam, & pro alimentis inferendis nimis eſſent ſolliciti, ecce equites trecenti, de exercitu *Corboranni*, venientes ante urbem ſatis laſcivè,

Senſabolus Auxiani *filius præſidium quoddam cum ſuis reſervavit contra Antiochenos.*

Senſabolus Corboranno *præſidium ſuum tradit.*

1098.

laſcivè, noſtros ad exitum provocabant. Quod videns *Rogerus* de Barnevilla, miles in armis ſtrenuus de gente *Roberti* ducis Normannici, quindecim ſumptis conſociis, in prædictos irruit animoſius: Sed dum illi doloſè fugerent, uſque ad ſocios, quos habebant in inſidiis conſtitutos, & *Rogerus* illos inſequeretur emerſerunt: Alii qui inſidiis latebant, & in noſtros ardenter irruentes, eos compulerunt in fugam. Noſtri quoque numero impares & viribus, dum ad urbem fugere contendebant, equorum hoſtilium velocitate præventi ſunt: Ubi *Rogerus* ſagitta confoſſus interiit, cæteris in urbem reverſis: At pagani, viri memorabilis capite amputato, ad ſuos venerunt indemnes.

Corborannus *Antiochiam obſidit.*

DIE autem tertia, ex qua capta eſt Antiochia, *Corborannus* princeps Perſarum, cum militaribus copiis infinitis, ante urbem caſtrametatus, à porta orientali uſque ad occidentalem, univerſum auſtrale latus obſidione vallavit. Erat autem ſecus portam orientalem præſidium quoddam, quod *Boamundo* traditum fuerat ad cuſtodiendum. Circa illud, cùm hoſtes caſtra locaſſent, & aſſultus creberrimos ibi facerent, *Boamundus* non ferens eorum inſolentiam, egreſſus eſt contra eos. Sed egredienti Duci, occurrit Turcorum multitudo, cujus impetum dux perferre non valens, inita fuga, ſe recepit in urbem. Ubi hoſtibus protervè inſtantibus, dum plebs in introitu præſidii comprimeretur, ducenti ex ea ceciderunt. Altera verò vice, Turci in quoddam præſidium, noviter conſtructum, acriter irruentes, niſi ab aliis, qui in urbe erant citiùs ſubventum fuiſſet, illud expugnaſſent. Sed adveniens *Robertus* Normannorum dux, cum ſuis agminibus, pluribus ex hoſtibus interemptis & captivis, reſiduos terga dare coëgit. Alio die, cùm Turci quidam noſtros ad conflictum provocarent, contigit, ut ex equis deſcendentes, iis qui in muro ſtabant, armis inſtantes, ad vindictam excitarent: Quamobrem *Tancredus* per portam orientalem egreſſus, antequam hoſtes ad equos poſſent habere recurſum, multos ex eis interemit, aliis per fugam elapſis.

CREVIT interea in civitate fames miſerabilis, & populus gravi ſupra modum inedia fatigatus eſt. Factum eſt autem hoc, exigentibus peccatis multorum, qui in deſperationem lapſi, juramentorum & voti immemores, clàm, funibus & ſportis per murum demiſſi, relictis in periculo fratribus, aufugerunt ad mare. Erant autem qui ſic receſſerunt, deſperantes de Dei bonitate & miſericordia, non ſolum plebei & pauperes, ſed etiam viri nobiles & multa generoſitate inſignes: *Willielmus* videlicet de *Grantemenil Apulus*, & *Albericus* frater ejus, *Willielmus Carpentarius* & *Guido* frater ejus, *Lambertus* & alii multi cum eis. Alii de ſubventione deſperantes, ad hoſtes crucis ſe contulerunt, Chriſti fidem, facti impii, denegantes, Erant & alii multi, qui fugam meditabantur ſollicitè, ſed per Epiſcopum Podienſem & ducem *Boamundum* fuerunt revocati, & quòd de negotio Chriſti non recederent, per juramentum conſtricti, quouſque bellum futurum ſperabatur eſſe completum. Fames præterea adeò in civitate omnes afflixit, ut præ alimentorum defectu, plebs ad turpia nimis incommoda declinaret. Gallina ſolidis quindecim vendebatur, ovum ſolidis duobus, nux denario, arborum folia, cardui, equorum & aſinorum coria, paſſim devorabantur. Morticina quoque & carnes mulorum, equorum, aſinorum, canum, immundáque abſorbentes, pro ſummis deliciis reputabant. Erat autem miſerabile viſu, viros priùs robuſtos & generis nobilitate præclaros, præ nimia tunc debilitate, baculis innixos, & arma movere non valentes. *Willielmus* interea *Grantemeiſius*, & *Stephanus Carnotenſium* Comes, & alii, qui cum ipſis aufugerunt, miſerias, quas apud Antiochiam patiebantur Chriſtiani, omnibus exponunt, & ne ipſi ob levem cauſam & tanquam timidi ſocios deſeruiſſe viderentur, afflictionem eorum, licet incomparabilis eſſet, ſtudioſa tamen relatione efficiunt majorem: Cùm de magnis majora loquuntur. Præterea venientes ad Imperatorem (qui cum quadraginta millibus Latinorum, exceptis copiis, quas ex nationibus univerſis contraxerat) Antiochiam proficiſcentem, quò noſtris ſubſidium ferret, illi diſſuaſerunt ne procederet, per hæc verba: Fideles tui principes Imperator potentiſſime, capta Antiochia, rem eſſe credebant conſummatam: Sed urbe jam recepta, factus eſt error noviſſimus pejor priore. Vix enim ab urbe capta dies elapſa fuerat, cum ecce *Corborannus* Perſarum Princeps potentiſſimus, cum orientalium copiis infinitis, quarum multitudo omnem numerum excedere videtur, eandem urbem obſidione vallavit. Noſter autem populus fame, frigore, æſtu, cædibus & clade plurimùm ſuccubuit, in civitate autem nec tantum eſſe dicitur alimentorum, quo unius diei neceſſitati valeant ſubvenire. Unde nos qui hìc ſumus viri nobiles, videntes fratrum negotia corrigi non poſſe, eos monuimus ſæpius, ut ſibi conſulerent, & rem impoſſibilem deſerentes, ſibi per fugam, abſque contamine providerent. Sed cùm eos à ſuo non poſſemus revocare propoſito, noſtræ curavimus proſpicere ſaluti: Et nunc ſi placeat, ſi ita tuis conſiliariis utile viſum fuerit, procedere deſiſte, ne tuæ, quas tecum trahis expeditiones, paribus periculis involvantur. Teſtis eſt eorum, quæ loquimur vir prudens *Tatinus*, tuæ celſitudini fidelis, quem nobiſcum direxiſti, qui noſtrorum cognoſcens defectum, ab eorum ſe ſubtraxit collegio, ut hæc tuæ nota faceret majeſtati. His auditis Imperator de conſilio ſuorum, retortis umbonibus, ad propria, legionibus dimiſſis, cum lacrymis remeavit. Rumor autem de receſſu Imperatoris cùm Antiochenis divulgatus fuiſſet, ſpem & lætitiam Paganis, & deſperationem attulit Chriſtianis. Erat enim in populo Dei tantus alimentorum defectus, tantus

Plurimi cruce ſignatorum deſperantes de incolumitate ſociorum clàm aufugiunt.

Graviſſima fames Antiochiæ.

Imperator ſuppetias cruce ſignatis ferre volens à fugitivis interpellatur.

1098. famis afflictio, talis tam exteriùs quàm interiùs hoſtium importunitas, ut nuſquàm ſolatium appareret. Majores & minores paribus involuti miſeriis, nullam ſibi conſolationis lætitiam ad invicem impendebant. Et memores uxorum, nobilium & liberorum, quos domi reliquerant, & ampliſſimorum, quæ ob Chriſti charitatem demiſerant, patrimoniorum, quaſi de divina conquerebantur ingratitudine: Qui labores eorum & devotionis ſinceritatem non reſpiciebat, ſed quaſi alienum populum, tradi in manus hoſtium patiebatur.

Famis in caſtris cruce ſignatorum.

CUM ergò ſic affligeretur Dei populus, reſpexit illum Dominus, & gemitus eorum audivit, mittens eis conſolationem de ſede majeſtatis ſuæ. Venit enim ſacerdos quidam peregrinus & pauper, de exercitu, ad Principes & peregrinos occidentis, ita dicens: Audite fratres mei, audite & amici chariſſimi, viſionem, quam vidi. Cùm in eccleſia Dei genetricis pernoctare decreviſſem, pro noſtris calamitatibus dominum rogaturus, vigilans vel ſemiſopitus neſcio, Deus ſcit, vidi Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, nec tamen agnovi eum, aderat etiam ſanctiſſima ejus genetrix, & Princeps Apoſtolorum *Petrus*, quos aſpiciebam, nec tamen eos cognoſcebam. Dixit autem mihi Dominus, Agnoſcis mene? Cui ſtatim ego, nequaquam Domine mi. Interim crux ſplendida ſuper caput ejus reſplenduit appoſita. Iterum interrogavit me ut priùs: Et ego, Domine mi, ſi bene percipio ex ſigno crucis capiti tuo impoſito, crucifixum & redemptorem noſtrum te eſſe intelligo: Qui reſpondit, ita eſt planè, ut dicis: Et ego perfuſus genas lacrymis, ad pedes ejus ſingultiens, cecidi inquiens: Domine, Domine miſerere noſtri, Domine memor eſto populi tui, Domine adjuva nos. Et Dominus ad me, Ego huc uſque vos juvi, nam & Nicæam vos obtinere permiſi, & in multis vos præliis contexi, meque duce viciſtis, & Antiochiæ prævaluiſtis, & in obſidione ipſa multa pro voto veſtro vobis indulſi: Vos autem beneficiis meis ingrati, contra me intumuiſtis, & tanquam ex adipe iniquitas veſtra prodiit, méque gens injurioſa gentiliter exacerbaſti, dum cum mulieribus vel alienis vel veſtræ profeſſionis, ſed illicitis fornicati eſtis. Iſte quidem ſingularis fœtor cœlos aſcendit, & oculos meos à vobis avertit: Retribuam igitur ego veſtræ ingratitudini, nec parcam proſtitutæ & lupananti multitudini. Tunc mater miſericordiæ, *Petruſque* beatus, ad pedes miſericordis ceciderunt redemptoris, & ſuis ſupplicationibus iram mitigabant minitantis dicentes: Domine tot annis gens pagana domum iſtam, quæ domus erat orationis, obtinuit, ſuiſque ſpurcitiis eam (proh dolor) maculavit, & ecce paucorum exigentibus culpis, omni Chriſtianitati tuæ, quæ domum iſtam exinde ſanguine ſuo liberare nititur, jam deleturus iraſceris: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in perditionem, ut dominentur eis nationes. Adquievit igitur ſanctus ſanctorum Deus ſupplicantis matris & Apoſtoli precibus, jamque vultu factus jucundior, dixit mihi: Vade & dic populo meo, lupanar & proſtibulum, & omnem à vobis removete abuſum, & veſtra fletibus abluite facinora, & ad me revertimini, & ego revertar ad vos: Et infra quinque dies opportunum vobis providebo auxilium: Quia Deus nihil habens immiſericordiæ ego ſum: Decantent quotidie interim: Congregati ſunt inimici noſtri & gloriantur in virtute ſua, contere fortitudinem illorum Domine & diſperge illos, ut cognoſcant quia non eſt alius, qui pugnat pro nobis, niſi tu Deus noſter. Hæc & alia cùm dixiſſet, populus omnis ſtatim ad lamentum convertitur, & de reatus ſui confeſſione alius alium cohortatur. Videres profuſas lacrymis Chriſtianorum genas, capitibuſque cineratis, & nudis pedibus paſſim orationis gratia omnis ætas, iter per eccleſias maturabat. Petunt conſilium, rogant auxilium de ſuperius. Tum dixit *Boamundus* vir in conſilio quaſi ſingularis: Optimates judici juremus omnes ad invicem, quòd nullus noſtrum de iſto ſancto, quoad vixerit, ſubterfugiet collegio: Niſi ſepulchro Domini, pro quo viam hanc aggreſſi ſumus, deoſculato. Placuit conſilium univerſis, & expleto juramento, animata eſt tota fidelium fortitudo, & magnificè confirmata.

Eſtaſis cujuſdam ſacerdotis peregrini.

EADEM quoque hora clericus quidam nomine *Petrus*, de regione, quæ Provincia nuncupatur, accedens ad Epiſcopum *Podienſem* & comitem Tholoſanum, aſſerens, quòd beatus Apoſtolus *Andreas* ſibi in ſomnis apparuerat, & eum ter vel quater commonuerat attentiùs, quatenus ad Principes occidentis loquens nunciaret, ut lanceam, qua Domini noſtri Jeſu Chriſti latus fuerat perforatum, in eccleſia principis Apoſtolorum occultè repoſitam, perquirerent, locum certiſſimis indiciis manifeſtans. Accedens ergò ad viros prædictos, verbum ſicut ei injunctum fuerat, ex ordine revelavit: Aſſerens ſe ab eodem Apoſtolo multis terroribus ad hoc fuiſſe compulſum, nec id poſſe abſque mortis periculo declinare. Hi autem cùm id cæteris principibus communicaſſent, ad locum, quem eis in eccleſia deſignaverat, convenerunt, & effoſſa aliquantulum terra in altum, lanceam, ſicuti prædixerat, reperiunt. Quod audiens populus, ad eccleſiam concurrit, oblationibus & oſculis tam prætioſum venerantes inventum: Cœperunt à ſuis anguſtiis reſpirare, & fortiores in divinis obſequiis apparere.

Alia eſtaſis.

CONVENIENTES itaque in unum Principes & populi inter ſe convenerunt, immiſſo divinitùs fervore, de communi decernunt conſilio bellum indicere *Corboranno* in craſtino futurum: Quod cùm ei per miniſterium *Petri Heremitæ* fuiſſet indictum, ſummo diluculo omnes per eccleſias divinis interfuerunt obſequiis. Quibus cum ſumma devotione peractis, ſacerdotes peregrinos admonent, ut facta omnium peccatorum confeſſione puriſſima, Domi-

Cruce ſignati Corboranno prælium indicunt.

1098.

Dominici corporis & ſanguinis perceptione ſe communiant, & ſic audacter contra hoſtes crucis ad pugnam procedere non formident. Quarto igitur Kalendas Julii, invocato de ſuperius auxilio, acies inſtruunt, & procedendi ordinem inſtructis aſſignant. In prima acie *Hugonem* magnum ductorem conſtituunt, & eidem *Anſelmum* de Riburgis monte, cum aliis nobilibus multis, quorum nec numerum nec nomina tenemus, conjungunt. Seundam moderabantur Comes Flandrenſis, & *Robertus Friſo* cum aliis, qui ab initio ejus fuerant caſtra ſequuti. Tertiam rexit dux Normannorum *Robertus*, cum *Stephano* comite Albamarlenſi, & potentiores qui in ejus adhærebant comitatu. Quartæ præerant *Aimerus* Epiſcopus Podienſis, & comes *Tholoſanus* cum ſuis familiis, dominicam ſecum lanceam deferentes. Quintam ducit *Reinardus* comes Tullenſis cum *Petro* de *Stadeneis*, *Garnero* de *Greis*, *Henrico* de *Haſcha*, *Galterius* de *Domedart*, & aliis multis. Sextæ aciei præfecti fuerunt *Reinbaldus* Comes de *Oringis*, *Lodowicus* de *Maſcoris*, *Lambertus* filius *Conis* de monte acuto. Septimam rexit dux magnificus *Godefridus* cum fratre ſuo *Euſtachio* venerabili viro. Octavæ præfuit miles inſignis *Tancredus*. Nonam duxit Comes *Hugo* de ſancto *Paulo* cum *Egelranio* filio ſuo & *Thoma* de *Feria*, *Baldewino* de *Burgo*, *Roberto* filio *Gerardi*, *Reginaldo Beluacenſi* & *Galone* de *Calvo* monte. Decimæ præfuerant *Rotredus* Comes *Perticenſis*, *Everardus* de *Puſato*, *Drogo* de *Monti*, *Radulphus* filius *Godefridi*, & *Conanus* de *Brito*. Undecimam rexerunt *Hyſcardus* Comes *Dienſis*, *Reimundus Piletus*, *Gaſtus Biternenſis*, *Girardus* de *Roſſillone*, *Willielmus* de monte *Peſſulano*, & *Willielmus Amane*. In acie duodecima, quæ noviſſima erat, & cæteris fortior, moderator fuit *Boamundus*, ut iis, qui fortiùs ab hoſtibus gravarentur, auxilium impenderet opportunum. Comitem Thoſolanum, qui valida ægritudine gravabatur, in urbe reliquerunt ad ejus cuſtodiam, ne iis, qui erant in præſidio ſuperiori adhuc rebelles, in abſentia principum urbem invenientes vacuam, indebiles & infirmos, & populum imbecillem irruptiones facilè molirentur. Erant autem permixti præcedentibus turmis ſacerdotes & levitæ amicti ſtolis albis, ſignum crucis mirabile in manibus bajulantes, & qui in urbe remanſerant, ſacris induti veſtibus, in lacrymis & oratione perſeverantes, muros urbis aſcenderunt, pro ſalute populi Domino ſupplicantes. Accidit nimirum in exitu noſtrorum ab urbe, quod ros quidam ſuaviſſimus, de ſuperius ſuper exercitum ita placidus deſcendit, ut quaſi in eo benedictionem ſuam & gratiam videretur Dominus infudiſſe. Nec ſolùm hominibus ſed & equis vigor inſolitus ita infuſus eſt, ut qui antea per dies multos non niſi folia & cortices arborum habuerant pro pabulo, tota die illa, equos hoſtium celeritate vincerent & labore.

Acies cruce ſignatorum.

Comes Tholoſanus cum ſuis præſidio urbi Antiochenæ propter ægritudinem relinquitur, reliqui vero egrediuntur.

Acies & Duces Corboranni.

CORBORANNUS interea intellecto noſtrorum egreſſu, diſponit acies, agmina inſtruit, præficiens eis amiralios & Reges viginti novem, quorum nomina hæc fuerunt, *Meleduchac*, *Amirſolymam*, *Amirſolendais*, *Amirhegible*, *Amirinatoanc*, *Amirmahumet*, *Camyath*, *Cotoloſeniar*, *Magalgo*, *Telon*, *Batulius*, *Boeſach*, *Amirbiach*, *Axian*, *Sanſodole*, *Amirgoian*, *Ginabadole*, *Amirtidinguin*, *Amiruathap*, *Sogveman*, *Boldagis*, *Amirilias*, *Geliſaſſam*, *Gigremis*, *Amygogens*, *Artabeth*, *Amirdalis*, *Amirtacaor*, *Amirmoſſe*. His omnibus *Corborannus* ad pugnam animatis, diſtrictè præcepit ſub obtentu gratiæ ſuæ, quatenus ſolitæ virtutis memores, frivolum reputent quicquid inermis populus, vulgus famelicum, plebs imbellis & indocta moliri conatur. *Solymannus* præterea Nicænorum Princeps ſtudiosè diſponit agmina, & qui præcedere debeant ſive ſubſequi, diligenter diſtinguit. Occupaverunt interim Principes noſtri univerſa ante urbem & montes campeſtria, quæ à civitate diſtare videbantur quaſi milliaribus duobus, & monentibus lituis, & tubis, buccinîſque perſtrepentibus, gradatim in hoſtes pocedunt, & facto impetu, tres primæ acies in eos potenter irruunt, lanceis & gladiis comminus inſtantes. Sed & noſtri pedites, qui arcubus utebantur & baliſtis, equitum manipulos præcedentes, vocibus ardentibus hoſtes arcere ſtudebant, quos ſequentes equitum turmæ viriliter in agone deſudabant. Tandem cum omnes legiones, excepta noviſſima, cui præerat *Boamundus*, cum hoſtibus fortiter decertarent, ita ut jam pluribus interfectis, pene agminibus diſſolutis, Turci in fugam verterentur, ecce *Solymannus* cum duobus millibus ex locis maritimis adveniens, in aciem *Boamundi* cum multo impetu à tergo irruit, & tantam ſagittarum grandinem immiſit, ut totam fere aciem operiret. Moxque arcubus relictis, malleis inſtabant & gladiis ita ardenter, ut *Boamundus* eorum vix impetum ſuſtinere valuiſſet, niſi dux *Godefridus*, & cum eo *Tancredus* advolaſſent, quorum adventus & admiranda inſtantia necem hoſtibus & vulnera letifera intulerunt.

Cruce ſignati Turcos graviſſimo vincunt prælio.

Stratagema Solymanni.

Tunc *Solymannus* ad alia ſe convertens argumenta, fœnum multum & ſtipulam, quæ ad artem nocendi ex adverſo congregaverat, juſſit ſuccendi: Et licet flammam darent modicam, tetram tamen atque denſam fumi caliginem miniſtrarunt. In hac quoque fumi caligine, hoſtes de peditibus noſtris occidêrunt nonnullos: Sed tandem ventorum moderator Deus, ventum in Paganos retorquens, excæcavit eos fumo illo, quo & in fugam præcipites ſunt converſi. Quos Principes militiæ Chriſti acriter inſequentes, ad ſua agmina priùs diſſoluta, violenter recurrere compulerunt, cædentes eos abſque pietate, uſque ad eorum tentoria, ubi majorem ſuorum fortitudinem eſſe ſciebant. Obſtabant Turci, ibidem omni qua poterant virtute: Fit ibi hinc & inde graviſſimus conflictus, reſonabant æneæ caſſides tanquam percuſſæ incudes, ſcintillæ ex ictuum colliſione prorumpebant, enſes velut tonitrua mugiebant, homi-

1098. homines eliſo cerebro, humi procumbebant. Loricæ rumpebantur: Exta fundebantur, equi fatigati ſudabant, nulla equitibus requies præſtabatur. Agmina conferta tenui armorum diſcrimine, vix à ſeipſis jam diſtabant, alii alios cominus impetebant, & manus manibus, pedes pedibus, corpora corporibus repellebant. Tandem cum utrinque victoria fluctuaret incerta, ecce ab ipſis montibus viſus eſt exercitus deſcendere invincibilis, cujus bellatores equis albis inſidentes, vexilla in manibus candida præferebant. Cognoverunt ergò principes ex inſpectione vexillorum, ſanctum *Georgium*, ſanctum *Demetrium*, & ſanctum *Mercurium* ſua ſigna ſequentes præcedere: Quæ viſio ſicut Saracenis incuſſit terrorem, ita Chriſtianis ſpem contulit ampliorem. Hoc non omnes videre potuerunt, ſed quibus Deus ſuum arcanum voluit revelare. Revelavit autem Turcis ad confuſionem, aliis ad inſtantis triumphi oſtentionem. Cognito enim (ut diximus) ſigno, Turci velociter aufugiebant tremuli, ſuppellectilem nimis precioſam relinquentes. Viſi ſunt etiam à nonnullis Angeli in aëre volitantes, & ſuper Turcos fugientes, ignem flammineum jaculantes. *Corborannus* autem ab initio certaminis turbam declinans, in colle quodam conſtitutus, cùm repente diſſipatas conſpicit legiones, relictis ſuis, trans Eufratem fugit: Et ut ſibi conſuleret, & liberiùs fugere poſſet, equos fatigatos deſerens, novem alternatim mutavit. Noſtri verò principes equorum metuentes defectum, non multùm inſequuti ſunt fugientes, excepto *Tancredo* & aliis paucis, qui uſque ad ſolis occaſum ſternendo eos perſequuntur. Tantum enim pavorem eis virtus divina immiſerat, ut nec reſiſtere, nec à ſe inſectantium poſſent injurias propulſare. Decem enim ex noſtris, decem millia videbantur eis.

Corborannus fugit.

Spolia in caſtris Turcorum inventa. CONSUMMATO itaque glorioſo tanto certamine, reverſi ſunt principes noſtri ad caſtra hoſtium, ubi tantam rerum omnium in auro, argento, gemmis, holoſericis, veſtibus precioſis & vaſis impreciabilibus invenerunt opulentiam, ut neque numerus eſſet neque menſura. Equorum etiam, armentorum, gregum, annonæ, victualium, ſervorum, ancillarum & puerorum cum tentoriis & papilionibus nimiam invenerunt abundantiam, & ſecum in urbem omnia detulerunt. Inter cætera verò admirabile tabernaculum repererunt in modum civitatis, turribus & mœnibus cum propugnaculis ex optimo ſerico variis coloribus contextum: à cujus medio, quaſi à triclinio principali, in partes diverſas dependebant diverſoria, quaſi per vicos diſtincta, in quibus commodè poſſent duo millia hominum conſidere. Turci autem, qui erant in præſidio ſuperiori, videntes quod ſui omnes defecerant, principibus noſtris illud tali conditione reſignant, ut liberè liceat ſibi recedere cum ſalute. Acta autem ſunt hæc anno Domini Milleſimo nonageſſimo octavo, menſis Junii vigeſima die.

Deditio præſidii vicini Antiochiæ.

PRINCIPIBUS itaque de prælio reverſis, & urbe in omni tranquillitate compoſita, placuit omnibus, & præcipuè epiſcopo Podienſi, ut majorem eccleſiam, olim in honorem principis Apoſtolorum dedicatam, cum aliis civitatis eccleſiis, in priſtinum reformarent decorem, & miniſtri in eis inſtruerentur, qui diebus & noctibus Domino militarent. Dominum quoque Patriarcham nomine *Johannem*, in priſtina cum honore maximo reſtituerunt: Per urbes finitimas, quæ Cathedralem habere conſueverant dignitatem, epiſcopos ſtatuebant. Urbis autem dominium *Boamundo* omnes conceſſerunt, qui & apud ſuos nomine & dignitate princeps dictus erat: Hinc obtinuit conſuetudo, ut de cætero Antiochiæ dominus, Princeps vocaretur. Eſt enim civitas pulcherrima & munitiſſima, habens intra ſe quatuor montes ſatis altos, in quorum uno caſtellum eſt, quod omni præeminet civitati: Deorſum vero civitas eſt decenter ædificata, & muro duplici circumcincta. Murus autem interior amplus & in aëra porrectus eſt, in quò turres quadringentæ & quinquaginta formoſis mœnibus & propugnaculis munitæ. Murus exterior non tantæ eſt celſitudinis, ſed tamen admirandæ venuſtatis. Continet in ſe trecentas & quadraginta eccleſias, cujus Patriarcha centum quinquaginta tres epiſcopos habet ſubjectos: Quatuor montibus ab oriente clauditur. Ab occidente habet flumen, quod quidam Farſar, quidam Orontem eſſe contendunt. Octoginta & quinque Reges eam conſtruxerunt, quorum primus Antiochus fuit, à quo extat Antiochia nuncupata. Obſederant eam Chriſtiani antequam caperetur per octo menſes & diem unum: Captam autem obſederunt iterum gentiles per tres ſeptimanas, priuſquam exierunt ex ea ad prælium Chriſtiani. Requieverunt igitur in illa menſibus quinque & novem diebus: Quo tempore ex cauſis occultis, tanta clades populum afflixit, quòd intra dies paucos ad quinquaginta millia hominum utriuſque ſexus deperirent. Inter quos & dominus *Aimerus* Podienſis antiſtes, qui quaſi pater plebis erat & moderator defunctus, cum lacrymis omnium in baſilica principis Apoſtolorum, in loco quo inventa fuerat lancea Salvatoris, ſepelitur. Ceciderunt in illius cladis acerbitate *Henricus* de Aſcha, *Reginaldus* de Armeſbach, viri generis nobilitate præclari, inde principes cæteri, ut inſtantis cladis declinarent periculum, ab invicem ea conditione diviſi ſunt, ut in Kalendis octobris iterum convenientes, hominibus recreatis & equis, votum peregrinationis communiter expedirent. Reimundus cognomento Piletus, cum ſuis legionibus equitationem faciens, cepit caſtrum, quod Thalamania eſt vocatum. Inde Marram veniens, ad urbem Saracenis repletam, pugnavit contra cives, qui obviam ei cum impetu exierunt: Qui primò à noſtris in fugam compulſi, tandem in fine vicerunt, & magnam fidelibus ſtragem intulerunt.

Johannes Patriarcha Antiochenus.

Deſcriptio civitatis Antiochenæ.

Strages Antiochiæ.

CUM

1099.

Cum hæc ibidem agerentur, *Hugo* Magnus à principibus ad Imperatorem Alexium miſſus, non mediocriter famam præteritam denigravit: Dum expleto negotio, ad eos qui eum miſerant nec reſponſa detulit, nec redire curavit, illud Juvenalis ad memoriam non reducens:

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò major qui peccat habetur.

Hugo magnus miſſus ad Imperatorem non revertitur.

Comes *Tholoſanus* interea Abbaram urbem ditiſſimam obſedit & cepit, atque in ea *Petrum* quendam genere Narbonenſem epiſcopum ordinari fecit. Deinde Kalendis Novembris, cùm jam omnes principes ex condicto eſſent congregati, accingunt ſe ad iter Hieroſolymitanum, & quarto Kalendas Octobris ad Marram venientes, obſederunt eam. Diſtabat autem ab Antiochia quaſi trium dierum itinere, habens cives, præ multitudine divitiarum ſuarum, nimis arrogantes. Nam cruces ſuper turres & mœnia civitatis figentes, ſputis & aliis modis probroſis, in contumeliam noſtrorum, afficiebant. Unde majorem noſtri indignationem concipientes, urbem aggrediuntur, & poſt multorum dierum infeſtationes, applicatis ad murum ſcalis, mœnia violenter aſcendunt, urbemque ſine omni obſtaculo ingreſſi, vacuam invenerunt, cujus & obtinuerunt clàm & abſque tumultu ſpolia univerſa. Cives autem ad ſpeluncas ſe ſubterraneas conferentes, ſuæ ſaluti ad tempus providerunt: Sed mane facto, noſtri ad ſpeluncas ignibus applicatis, eos ad deditionem compulerunt, & quibuſdam capitibus amputatis, reliquos vinculis manciparunt. Undecimo die Decembris, moritur ibidem Auraſienſis antiſtes, vir religioſus & juſtus, ac timens Deum. Manſerunt autem in urbe illa peregrini per menſem unum, & dies quatuor.

Abbara capta. *Marra capta.* *Auraſienſis Epiſcopus moritur.*

Eodem anno Rex Anglorum *Willielmus* cognomento *Rufus*, fuit in Normannia curis deditus hoſtilibus, populos interim Anglorum exactionibus & tributis non abradens modò, ſed potius excorians, omnibus infeſtus & moleſtus. Eodem tempore obiit *Walkellinus* epiſcopus Wintonienſis, & *Hugo* Salopesberienſis, ab Hybernienſibus occiſus eſt; cui frater ſuus *Robertus* Debeleaſmo ſucceſſit.

Anglia exactionibus vexata.

Anno Domini m. xcix. Principes occidentis & peregrini crucifixi, dies natalitios apud Marram ſolemniter celebrarunt. Ubi inter *Boamundum* & Comitem *Tholoſanum* orta eſt diſſenſio: Sed quia non pertinet ad hoc negotium, ad cætera tranſeamus. Populus itaque nimis moleſtè tulit, quòd principes moras facerent inutiles, & pro ſingulis civitatibus captis, jurgia inter ſe excitarent: Principali interim propoſito omnino neglecto. Comes igitur *Tholoſanus* ut populo ſatisfaceret, aſſumptis decem millibus armatorum, & equitibus trecentis & quinquaginta, arripuit iter Hieroſolymitanum, ſequentibus eum duce Normannorum *Roberto*, & *Tancredo*, cum quater viginti equitibus & peditum multitudine numeroſa. *Poſt dies autem aliquot, media* regione tranſcurſa, in campeſtria urbis, non longè à mari ſitæ Archis, nuncupatæ, deſcendentes, juxta eandem caſtra ſtatuerunt. Eſt autem una ex urbibus Phœniciæ regionis, ad radices Libani ſita, quam (ut habent veterum traditiones) Aracheus ſeptimus filiorum Chanaan fundaſſe dicitur, & eam de ſuo nomine Archis appellaſſe, & poſtmodum per corruptionem nominis Anchis dictam fuiſſe. Hanc noſtri longa obſidione prementes, nihil omnino profecerunt. Renovata eſt ibi quæſtio de lancea, qua Dominicum latus fuerat perforatum: Aliis dicentibus, quòd ipſa erat in veritate, & per divinam inſpirationem revelata, ad conſolationem plebis, aliis contendentibus malitioſè, quòd verſutia eſſet Comitis *Tholoſani*, & gratia quæſtus inventio eſſet ficta. Accenſo igitur rogo copioſo, cujus incendii magnitudo etiam circumſtantes terrere poterat, & conveniente populo univerſo in ſexta feria, quæ ſanctum Domini Paſcha præcedit, clericus quidam nomine *Petrus*, cui inventio illius lanceæ fuerat revelata, examen ſubiit periculoſum. Nam facta oratione, aſſumpta ſecum lancea, per medium ignem tranſivit illæſus. Sed quoniam poſt dies paucos idem clericus vita deceſſit, non plenè ſuis æmulis ſatisfecit. Per idem tempus dux *Godefridus* & principes alii, qui apud Antiochiam remanſerant, ad inſtantiam plebis ſe ad iter expedientes, in Kalendis martiis ad Laodiceam Syriæ cum viginti quinque millibus armatorum virorum fortium pervenerunt. Ubi dux *Godefridus* à Præſide civitatis, quæ Chriſtianos habebat habitatores, Guenemerum Bolonienſem, quem tenebat in vinculis, ſibi petiit reſtitui: Cum autem verbis Ducis non auſus eſſet contraire, reddidit eum illi cum ſociis univerſis, & claſſem ejus totam duci tradidit. Nam idem Guenemerus cruce ſignatus, cum armatorum claſſe valida illuc applicans, imprudenter captus ibi fuerat à civibus, & vinculis mancipatus. Illum Dux ſuæ claſſi præficiens, alios per terram gradientes, ſequi præcepit.

Diſſidium inter comitem Tholoſanum & Boamundum. *Quæſtio de lancea dominica.* *Guenemerus Bolonienſis captus à Laodicenſibus interceſſione ducis Godefridi liberatur.*

Principes inde maritima legentes, ad urbem Gabulenſam (quæ alio nomine Gibellum dicitur) pervenerunt. Diſtabat autem à Laodicea milliaribus quaſi duodecim. Cùm caſtris in gyrum locatis, urbem aliquandiu obſediſſent, qui urbi præerat Sultani Ægyptiorum domini procurator, aureorum ſex millia Duci obtulit, cum aliis donariis multis, ita ut obſidionem amoveret. Quem cùm flectere nequiviſſet, ad Comitem *Tholoſanum* dirigens internuntios, dictam pecuniam pollicetur, ſi eam à ducis poſſet manibus expedire. Ille oblata clàm ſuſcepta pecunia, miſit ad Ducem Albarienſem Epiſcopum, anxiè ſollicitans eum, ut dimiſſa obſidione ad ſe non differat properare, propterea quòd hoſtium multitudo à tractu adveniret Perſico, ut injurias ultum iret, quas apud Antiochiam perpeſſa fuerat

ſub

1099.

Comitis Tholoſani fraus.

ſub præſide Corboranno. Hæc confirmabat, omnibus dicens ſe recepiſſe fide dignos nuntios. Dux & principes cæteri, dictis ejus fidem adhibentes, ſoluta protinus obſidione, urbem Valentiam tranſeuntes & Maradleam, quæ prima eſt ex urbibus Phœniciæ provinciæ ſimiliter relinquentes, Tortoſam pervenerunt, & inde ad urbem Archenſem progredientes, caſtra ibidem locaverunt. Quibus occurrens Tancredus, fraudem comitis *Tholoſani* detexit. Unde & ipſi longè à tentoriis ejus ſeorſum ſua tabernacula ſtatuerunt. Videns autem comes animos Principum à ſe alienatos, miſſis muneribus, omnes præter Tancredum ſibi reconciliavit. Deinde Principes relicto in obſidione Archenſi, *Abarienſi* Epiſcopo,aliiſque viris nonnullis, verſus Tripolim agmina direxerunt. Quò pervenientes, præſidem loci illius cum univerſa multitudine civitatis, ordinatis agminibus repererunt: Unde indignantes noſtri, irruerunt in eos acriter, & in primo impetu diſſolutis catervis, eos ad urbem redire compellunt, ſeptingentis ex eis gladio interfectis. Ibique ante Tripolim celebraverunt Paſcha peregrini, quarto Idus Aprilis. Tunc præſes Tripolitanus cognoſcens, quòd non poſſit cum noſtris pari vi contendere, miſſa legatione, à principibus obtinuit, ut datis quindecim aureorum millibus, cum equis, mulis, ſericis & vaſis precioſis, greges, & armenta etiam conferens plurima, ut eorum fines pacificè pertranſirent. Tunc noſtri maritima ſequentes, juga montis Libani à ſiniſtris habentes, Biblumque percurrentes, ſuper ripam maris, in loco cui nomen eſt Emaus caſtra ſtatuerunt. Inde die tertia ante urbem Britenſium caſtrametati, ſequenti die Sydonem attigerunt. Et in craſtino percurſa Sarepta, prophetæ Heliæ nutricia, ad illius regionis metropolim Tyrum pervenerunt, & dehinc profecti Achon, & ab Achon progreſſi Galilæam à læva deſerentes, inter* Carmelum & mare, Cæſaream Paleſtinæ metropolim, quæ & Turris Stratonis alio nomine appellatur. Quidam autem principes per caſtrum Bethelon tranſeuntes, applicuerunt ad urbem Baruthe, in die Dominicæ aſcenſionis. Inde ad ſagittæ jactum diſtantem Ateam & Caipham tranſeuntes, diem Pentecoſtes omnes pariter congregati, apud Cæſaream quarto Kalendas Julii ſolemniter celebrarunt.

Tripolitani à cruce ſignatis prælio ſuperantur.

Præſes Tripolitanus muneribus, cruce ſignatorum animos placat.

Baſilica ſancti Georgii ab infidelibus deſtructa.

PERACTA itaque ibi trium mora dierum, relictis à dextra locis maritimis Antipatride & Joppe, Eleutheriam tranſeuntes, Liddam, quæ Eliopolis dicitur, ubi *Georgii* martyris egregii corpus requieſcit, pervenerunt. Cujus eccleſiam hoſtes fidei paulò ante adventum peregrinorum dejecerant, metuentes ne trabes baſilicæ, quæ multæ proceritatis erant, in machinas vellent convertere, & urbis inde mœnia expugnare. Profecti inde Comes Flandrenſis & *Robertus*, Ramulam perveniunt, & portas quas patentes inveniunt, ingredientes, urbem vacuam repererunt. Nocte enim præterita, Turci noſtrorum cognoſcentes adventum, abeuntes, ſibi conſulere procurabant. Principes verò alii in craſtino illuc venientes, omnem abundantiam frumenti, vini & olei repererunt, atque per triduum ibi moram facientes, *Robertum* quendam genere Normannicum ejuſdem civitatis epiſcopum conſecrarunt, & ei Liddam, Ramulamque urbes, cum ſuburbanis adjacentibus poſſidendas jure perpetuo contulerunt. Inde iter proſequentes noſtri, Nicopolim pervenerunt. Eſt autem Nicopolis civitas Paleſtinæ, quæ olim dum vicus eſſet, Emaus dicebatur. Ante hanc urbem, ubi Chriſtus cum *Cleopha* ambulaſſe poſt reſurrectionem cognoſcitur, fons quidam eſt ſalutaris, in quo homines infirmi ſimul & jumenta abluta, à diverſis languoribus emundantur. Nam Chriſtus tempore quodam, cum diſcipulis ſuis per fontem tranſiens, dicitur in eo pedes ſuos lavaſſe, ex quo facta eſt aqua diverſarum medicamen paſſionum.

Obſeſſio Hieroſolymitana.

TURCI interim qui in Hieruſalem habitabant, peregrinorum cognoſcentes adventum, urbem communire cum omni ſollicitudine ſatagebant. A fidelibus quoque cunctis, qui in urbe habitabant, univerſa quam habebant extorta pecunia, & quicquid habere videbantur, tam à Patriarcha qui urbi præerat, quàm à populo toto quatuordecim aureorum millia abſtulerunt. Quibus bonis omnibus ſpoliatis, univerſos ab urbe, exceptis ſenibus & infirmis mulieribus & parvulis, depulerunt. Peregrini interea quibus mora procedendi periculoſa videbatur, ſummo diluculo cum fervore piæ devotionis iter aggredientes, & è vicino urbem ſanctam Hieruſalem contemplantes, cum gemitu & lacrymis præ gaudio fuſis, nudis veſtigiis cœpto itineri ferventiùs inſtiterunt, atque ſubitò ante urbem convenientes, octavo Idus Junii eam obſidione vallaverunt. Dicitur autem fuiſſe numerus obſidentium, quaſi millia quadraginta peditum, equites verò mille quingenti præter ſenes & valetudinarios inermeque vulgus. In urbem autem dicebantur eſſe Turcorum fortium & optimè armatorum quadraginta millia, tam ut urbem Regiam ab inſtantibus tuerentur periculis,quàm ut propriæ conſulerent & ſuorum ſaluti. Principes itaque perſpicuè conſiderantes, quod neque ab oriente, neque ab occidente, neque ab auſtro, propter quarundam vallium profunditatem proficerent, à ſeptentrione eam obſidere decernunt. Ab ea ergô porta, quæ ſancti Stephani dicitur,& ad aquilonem reſpicit, uſque ad illam quæ turris *David* dicitur, & in parte civitatis occidentali ſita eſt, caſtra noſtri principes locaverunt. In quorum ordine dux *Godefridus* primus ſedit, & juxta eum dux Normannorum *Robertus*, & Conſul Flandrenſis. Circa turrim quæ ab angulo quodam dicitur Angularis, Dominus *Tancredus* & alii quidam cum eo nobiles conſederunt. Ab alia autem turri uſque ad portam occidentalem, comes *Tholoſanus* cum ſuis legionibus urbem obſedit, partem ſuorum agminum

ſuper

super montem, in quo civitas ædificata eſt, inter urbem & eccleſiam quæ dicitur Syon, & ab urbe diſtat quantum arcus ſemel jacere poteſt, in plaga ſeptentrionali locavit. Is enim locus erat in quo ſalvator cum diſcipulis cœnaſſe aſſeritur, & eorum pedes laviſſe. Ibi etiam ſpiritus ſanctus ſuper diſcipulos deſcendit in igneis linguis: Ibi Dei genitrix humanæ naturæ debitum ſolvit, & beati *Stephani* protomartyris ſepulchrum uſque hodie ibidem veneratur. 1099.

LOCATIS igitur in gyrum caſtris, die quinta poſt adventum eorum, lituis, buccinis & tubis perſtrepentibus, omnes ut urbis invadant mœnia, invitantur. Qui armis omnibus inſtructi, à majore uſque ad minimum convolantes ad murum, tanta inſtantia & virtute continuabant congreſſum, ut civibus invitis, antemuralibus confractis, cogerent defenſores intra muros interiores ſe recipere, & de reſiſtendo deſperare. Et ſi in illo pugnandi fervore ſcalas aut machinas habuiſſent, proculdubio die illo negotium conſummaſſent. Videntes tandem quòd per ſeptem diei horas in ipſo ardore perſtitiſſent, & quod abſque machinis non multum proficere poſſint, diſtulerunt opus ad tempus, & cum immenſo labore ligna ad hoc idonea & artifices invenerunt. Quibus cum ſumptu graviſſimo ad urbem delatis, & ſubjecta materia caſtella, petrarias, tribunculos & arietes, cum ſcrophis ad murum ſuffodiendum, conſtruxerunt. Pro nihilo enim reputabant quicquid antea actum fuerat, ſi in hoc negotio, pro quo tam laborioſam peregrinationem aſſumpſerant, deficere cogerentur. Cum igitur circa machinas conſtruendas, crateſque & ſcalas connectendas totus noſter deſudaret exercitus, protrahitur obſidio, & cum locus civitati adjacens aridus eſſet, & inaquoſus, rivos & fontes ac puteos non haberet niſi remotos, ab urbe quinque vel ſex milliaribus diſtantes, intolerabiliter populus fatigabatur. Turci autem Chriſtianorum audientes adventum, ſi quæ fuerunt aquæ, jactu pulveris & aliis modis eas oppilaverant, ut obſidio moleſtior redderetur. Sed & Siſternas & pluvialium aquarum receptacula aut diſſipaverant, ut aquas non valerent retinere, aut occultaverant, ut remedium ſubtraherent populo ſitienti. Diſperſus itaque populus per loca diverſa, ut aquas quæreret: Dum exierunt cum paucis & latices reportarent, alii idem habentes propoſitum multò plures ſupervenerunt, & inventis fontibus litem adeò conteſtati ſunt, ut nonnunquam inter eos ſeditio oriretur. Equi præterea & muli, aſini, greges & armenta ſiti ariditateque conſumpta, moriebantur, interiùs liquefacta. Unde in caſtris fœtor erat intolerabilis & peſtilens nimis aëris corruptela. Venit interea nuncius ad caſtra, qui claſſem Januenſium in portu Joppenſi applicuiſſe nuntians, petiit à principibus, ut militia dirigeretur ad eos, ſub cujus conductu accedere poſſent ad urbem. Mittitur igitur à domino Tholoſano, Galdemarus quidam, in armis ſtrenuus, cum triginta equitibus & peditibus quinquaginta, conjungens eis ne deficerent, *Reimundum Piletum* & *Willielmum* de Sabulo, cum equitibus quinquaginta. Qui venientes ad Campeſtria Liddæ & Ramulæ civitatum, habuerunt obviam Turcos ſexcentos, qui protinus in noſtros irruentes, quatuor equites & pedites plures noſtrorum peremerunt. Sed noſtri demùm prævalentes, cæſis ducentis ex numero Turcorum, reliquos in fugam compulerunt. Ceciderunt tamen ex noſtris viri nobiles, *Gilibertus* de Crena, & *Aicardus* de Monte Merla. Alii autem qui apud Joppen erant incolumes evaſerunt, & ſic inde cum omni ſubſtantia ſua Hieroſolymam ſunt conducti. Ubi à legionibus cum gaudio excepti, conſolationem caſtris non modicam attulerunt.

Prima oppugnatione cruce ſignati obtinuerunt antemuralia.

Defectus aquarum in caſtris cruce ſignatorum.

Januenſis claſſis Joppæ applicat.

Ducenti Turci cæſi.

CUMQUE per menſem unum circa machinas laborantes, ad negotii conſummationem perveniſſent, placuit Epiſcopis & ſapientibus exercitus, ut inter omnes pax reformaretur, jejunia fierent & proceſſiones etiam cum orationibus devotis. Die verò ſtatuto his omnibus ritè peractis, affuit peregrinorum armis inſtructa ad urbem opugnandam copioſa multitudo, unum omnes habentes propoſitum, ut animas pro Chriſto ponere, aut urbem Chriſtianæ reſtituere libertati. Accedentes igitur ad pugnam univerſi, muro nitebantur machinas applicare, ut ipſos Turcos, qui in turribus & propugnaculis reſiſtebant, poſſent liberiùs impugnare. At cives viriliter reſiſtentes, telorum jactu, ſagittarum imbre, lapidum contorſione ex machinis jaculatoriis cum horrendo impetu utebantur. Noſtri è contrario protecti clypeis, & cratibus objectis, tam arcubus quàm baliſtis tela remittebant, frequentia & pugillaria contorquentes ſaxa, ad murum accedere nitebantur, iis qui in turribus erant requiem ſubtrahentes & audaciam reſiſtendi. Alii verò infra machinas & caſtella conſtituti, cum petrariis & tribunculis molares maximos, & lapides damnoſos ad mœnia dirigentes, ipſa colliſione aſſidua & ictibus ingeminatis debilitare, & ad caſum impellere ſatagebant. Alii cum minoribus machinis lapides leviores ad illos, qui in propugnaculis ſtabant, contorquentes, à noſtrorum infeſtatione compeſcere nitebantur, ſed nec ſic multùm proficere comprobantur. Nam Turci, qui intus erant, à propugnaculis ſaccos ſtramine & palea plenos, reſtes & tapetia, trabes ingentes, culcitras bombice refertas, à turribus & muro aliquantulum demiſerant, ut per eorum molliciem & mobilitatem, contortorum molarium ictus eluderent & noſtrorum laborem inanirent. Lapides etiam ex machinis damnoſos, & tela ex arcubus non ſegniter retorquentes, noſtros ab opere deterrebant incepto. Noſtris verò, ut vallum jactu ruderum, lapidum fructicum & terræ implerent, & ad mœnia pararent acceſſum, cura erat propenſior: Sed obſeſſi è converſo, ut eorum propoſitum irritarent, in

Hieruſalem opugnatur ſecundò.

1099. ipſas machinas torres incenſos, tela ignita, ſulphure & oleo paſta, ut eos exurerent, jaculabantur certatim. Principes autem noſtri injectis ignibus occurrentes, ſabulum deſuper & aquas copioſè fundebant, ut incendiorum reprimerent actionem. Erat quidem noſtris par labor & idem periculum in tribus partibus civitatis, ſub duce videlicet *Godefrido*, ſub duce Normannorum *Roberto*, ac demum ſub comite Tholoſano. Continuabant quoque conflictum à mane uſque ad veſperam, atque ancipitem utriuſque partis laborem, ſuperveniens nox diremit.

Oppugnatio Hieroſolymitana nocte dirimitur.

MANE autem facto, cum jam diei aſpirantis aurora nuntiaret exortum, cum omni aviditate exivit populus ad conflictum, revertentibus ad officium ſingulis, cui heſterna die fuerant deputati. Quidam enim ex machinis molas aſinarias ad mœnia contorquebant, quidam caſtella ad murum dirigere ſatagebant, alii arcubus & baliſtis, Turcos qui in turribus erant, ne manum poſſent exerere, trajicientes, indefeſſo ſtudio operam dabant, alii ſagittis & jactu lapidum cives à propugnaculis repellebant. Cives æquipollenter tela remittebant, & lapides atque ignem in ollis fragilibus cum ſulphure, pice, aruina, adipe, ſtuppa, cera, lignis aridis & ſtipula impoſitis, ut noſtras machinas incenderent, & alia inſtrumenta bellica retorquebant. Fiebat itaque ex utroque populo ſtrages non modica, dum alii lapidum jactu conterebantur in fruſta, alii trans loricas & clypeos confodiebantur telis, alii funda & lapide ſternebantur: Nec erat facile diſcernere, uter cum majore ſtudio populus decertaret. Erat tamen una ex machinis noſtris, quæ ſaxa miri ponderis in urbem, multa violentia remittebat, contra quam cum nulla arte poſſent proficere, duas adduxerunt maleficas, ut eam faſcinarent, & arcubus magicis redderent impotentem. Quæ dum ſuis inſtarent præſtigiis, ſuper murum, & incantationibus ex eadem machina, molaris emiſſus, utramque illarum cum tribus ancillis quæ cum illis fuerant egreſſæ civitatem, repente contrivit, & ex muro inferiùs exanimes in foſſatum dejecit. Unde in caſtris factus eſt plauſus ingens, exultatio, & è contrario civibus mœſtitia ingens accrevit. Cum igitur uſque in horam diei ſeptimam ſine certa victoria protractum eſſet negotium, deſperantes noſtri & ſupra vires fatigati, habuerunt propoſitum, & caſtella machinas alias jam igne recepto fumantes, longius à muris arcere, & uſque in diem craſtinum conflictum differre: Cum ecce virtus divina affuit, & rebus deſperatis ſolamen donavit. Nam de monte Oliveti miles quidam ſplendidum & ſatis refulgentem ventilando clypeum, ſignum dedit noſtris legionibus, ut redirent ad conflictum, & congreſſionem iterarent. Hoc ſigno dux *Godefridus* exhilaratus, magnis clamoribus populum revocavit, tanto fervore ad pugnam reverſus eſt, ut de novo prælium incipere videretur. Auxit præterea vires omnium & lætitiam, ſolitarius quidam, qui in monte Oliveti habitabat, qui confidenter promiſerat peregrinis, illa die urbem fore capiendam. Hæc quoque ſigna omnes accenderant fideles vehementer & ſecuriores reddiderant de victoria obtinenda. Ducis igitur *Godefridi* & comitum legiones prævia Dei gratia eo uſque profecerant, ut vallo repente complanato ad murum haberent, civibus defatigatis, acceſſum. Hortante itaque duce, in culcitras bombice plenas, & ſaccos ſtramine refertas, quæ in caſtello erant, ignem injecerunt, quæ flante Borea accenſa fumum infra urbem caliginoſum retorſerunt, Quo protervius inſtante, qui murum intus tenebantur defendere, ora vel oculos non valentes aperire, muri cuſtodiam reliquerunt. Quo comperto, dux ſub omni celeritate trabes, quas hoſtes in muris ad noſtrum appenderant nocumentum, aſſumpſit, & caput unum cum machina poſitum & firmiter clavatum, aliud ſuper civitatis murum locavit. Deinde pontem, qui in machina erat, ſuper ipſas trabes demittens, ipſe dux primus omnium ut miles ſtrenuus urbem audacter intravit. Quem frater ejus *Euſtachius*, dux Normannorum *Robertus*, & comes Flandrenſis, cum *Litolfo* & *Gilberto* fratribus ſunt ſequuti, & conſequenter infinita multitudo tam equitum quàm peditum, ita ut pons ſuſtinere eos non poſſet. Videntes autem quòd noſtri jam murum occupaverant, & Dux etiam ſuum introduxerat vexillum, turres deſerentes & mœnia, ad vicorum ſeſe anguſtias contulerunt. Porrò alii cognoſcentes, quòd maxima pars nobilium turres occupaverant civitatis, ſcalas ad murum certatim applicant, per quas aſcendentes mutuum, cæteris ſe conjungunt. Tunc Dux *Godefridus* quoſdam ad portam ſeptentrionalem, quæ hodie ſancti Pauli dicitur, direxit, ut eam aperientes, populum introducerent præ foribus expectantem. Qua ſub omni celeritate reſerata, ingreſſus eſt exercitus univerſus, ſexta feria, hora nona, menſis Julii decima die. Capta eſt igitur civitas Hieruſalem, anno gratiæ milleſimo nonageſimo nono, menſis Julii decima die, ſexta feria circa horam nonam, anno tertio ex quo fidelis populus tantæ peregrinationis ſibi onus aſſumpſit: Præſidente ſanctæ Romanæ eccleſiæ domino *Urbano* ſecundo, Romanorum Imperium adminiſtrante *Henrico*, Græcorum verò Imperatore *Alexio*; in Francia regnante *Philippo*, in Anglia *Willielmo Rufo*, regnante in perpetuum in omnes & ſuper omnia domino noſtro Jeſu Chriſto, cui honor & gloria per ſæcula infinita.

Signa futuræ victoriæ.

Stratagema ducis Godefridi.

Expugnatio urbis Hieroſolymitanæ.

Strages interfectorum in Hieroſolymis.

CAPTA igitur civitate ſanctiſſima, Dux *Godefridus* & fideles omnes, qui cum eo erant, per plateas ſtrictis gladiis diſcurrentes, quotquot de hoſtibus reperiunt, gladio indifferenter proſternunt. Tanta quoque interemptorum ſtrages erat, & præciſorum acervus capitum, ut jam nemini via pateret aut tranſitus, niſi per corpora peremptorum. Latebant autem adhuc hæc omnia comitem Tholoſanum & principes alios, qui circa montem Syon

viriliter

1099.

viriliter decertabant: Sed audito noſtrorum & Turcorum clamore, & civium ſtrage, cognoverunt urbem violenter effractam, & noſtrarum victoriam legionum. Qui ſtatim ſcalas ad murum aptantes, nemine obſtante, urbis mœnia tranſierunt, ſtragem in illa parte non modicam operantes, & cum impetu populum univerſum velociſſimè introducunt. Factum eſt autem, quòd Turci, qui à Duce & ſuis agminibus aufugerant, ad partes illas declinantes, hos obviam haberent, & Scyllam evitantes Charybdim multò periculoſiorem inciderent. Nam tanta exinde per urbem ſtrages facta eſt, ut etiam ipſis victoribus tam horrenda ſanguinis effuſio, tædium ingereret & horrorem. Audiens autem *Tancredus*, quòd intra ſepta templi Turcorum ſe incluſerat multitudo, contulit ſe illuc cum ingentibus copiis armatorum, & templum violenter ingreſſus, poſt ſtragem multiplicem, infinitam auri & argenti copiam inde ſecum dicitur abſtuliſſe. Quod reliqui principes audientes, intromiſſo equitum & peditum multitudine, quotquot ibi reperiunt, gladiis trucidantes, univerſa ſanguine repleverunt. Cecidiſſe referuntur intra templi ambitum ad decem millia Turcorum, exceptis aliis, qui paſſim per urbem truncabantur, quorum minor non fuiſſe numerus ferebatur. Nam noſtri per vicos & diverticula diſcurrentes, occulta perluſtrantes univerſa, patremfamilias cum uxore & liberis & familia tota, ex ſecretis domiciliis & cœnaculis occultis extrahentes, in publicum, aut gladiis tranſverberabant, aut præcipitio dabant, ita ut confractis cervicibus interirent. Et quicunque domum vel palatium confringere vel primus intrare poterat, eam ſibi cum univerſa ſubſtantia jure perpetuo vendicabat. Sic enim inter Principes convenerat, ut urbe expugnatâ, id, quod quilibet adquireret, jure hæreditario poſſideret. Unde quicunque primus domum vel ædificium quodcunque occupaverat, vexillum vel clypeum, vel aliud armorum genus in introitu configebat, ut eſſet ſignum accedentibus, ne greſſum ibi figerent, ſed domum præterirent, quaſi ab aliis occupatam.

Pactum initum inter cruce ſignatos.

CIVITATE itaque ſubjugata, & ſpoliis à peregrinis victoribus collectis, ſedatoque tumultu, cœperunt depoſitis armis, in ſpiritu humilitatis cum gemitu & lacrymis, nudis pedibus, loca venerabilia (quæ Servator propria erat dignatus ſanctificare præſentia) cum omni devotione circumire, & ſpecialiter eccleſiam ſanctæ reſurrectionis & dominicæ paſſionis. Intueri erat ſanè jucundiſſimum, fideles utriuſque ſexus tanta devotione, tantâ mentis exultatione & dulcedine ſpirituali, fuſis ubertim lacrymis, ad loca ſancta accedere, tantas gratias Deo agere, qui tantæ eis peregrinationis conſummationem ad effectum producere conceſſerat, & ex fructu laborum ſuorum, & exhibitæ militiæ, dignatus erat illis ſupra merita ſtipendia numerare. Fuit autem omnibus una mira futuræ retributionis fiducia, & per collationem donorum præſentium, firma erat eis expectatio futurorum, ut per eam, quæ hic peregrinatur Hieruſalem, ad eam perveniant, cujus extat participatio in id ipſum. Porrò Epiſcopi & ſacerdotes, eccleſias civitatis & præcipuè templi ambitum, à cadaveribus occiſorum & ſordibus univerſis mundantes, & loca venerabilia Domino conſecrantes, & ſacra miſſarum ſolennia populo celebrantes pro collato ſibi beneficio, omnibus gratias exhibebant. Viſus eſt autem ea die, in ſancta civitate à multis, vir in omnibus commendabilis *Aimerus* Podienſis Epiſcopus, qui apud Antiochiam (ut prælibavimus) obierat, ita ut viri plurimi de exercitu fide digniſſimi, eum ſuper murum primum omnium referrent aſcendiſſe civitatis, & cæteros ad ingreſſum animaſſe. Qui etiam oculis corporeis ſe ipſum vidiſſe aſſerebant, cum Principibus loca ſancta circumeuntem manifeſtiſſimè. Alii autem plures, qui in peregrinatione, piam in Chriſto dormitionem acceperant, in eadem civitate apparuerunt multis, loca ſancta cum aliis devotiſſimè requirentes. *Petrus* quoque heremita venerabilis, qui quinto antea anno à Patriarcha civitatis & clero populoque fideli viſus fuerat, & per cujus ſollicitudinem principes occidentis ad hanc peregrinationem inducti extiterant, cum eſſet jam à cunctis recognitus, flexis genibus & cum lacrymis illum venerabantur, gratias ei multiplices exolventes, quòd tam ſedulò & fideliter eorum legationem fuerat executus, quodque Principes & Reges induxerat ad tantos labores pro Chriſti nomine tolerandos. His igitur omnibus ritè peractis, Principes ad domos & hoſpitia, quæ interim eis ſua familia præparaverat, reverſi urbem reperiunt omnibus bonis refertam, unde à majore uſque ad minimum cœperunt copioſiùs abundare. Reperiebantur enim in ædificiis & domibus confractis, auri & argenti, gemmarum & precioſarum veſtium complurium, frumenti, vini, & olei, & aquarum, quarum in obſidione maximam fuerant penuriam perpeſſi, ingens copia, unde & ipſi qui ſibi domos vendicaverant, poterant indigentibus ad ſufficientiam fratribus miniſtrare. Factum eſt autem ſecundo poſt victoriam die & deinceps, ut in foro publico rerum vænalium, optimis conditionibus exhiberentur commercia, ita quidem, ut plebs inferior neceſſariis omnibus abundaret.

Princeps loca ſancta inviſunt.

Spolia & bona in Hieruſalem inventa.

CUMQUE per dies ſeptem principes in ſancta civitate in quiete lætitiaque ſpirituali tempus exegiſſent, convenerunt Principes octava die, tractaturi per gratiam ſancti ſpiritus, ut aliquem de ſuo elegerent collegio, qui præſit regioni, & in ſancta civitate regiam obtineat dignitatem. Qui omnes unanimiter poſt multas hinc & inde diſceptationes, in ducem *Godefridum* conſonantes, ipſum eligerunt, & electum ſepulchro Domini, cum laudibus, hymnis & canticis repræſentant. De patriarcha quoque conſtituendo in ſancta civitate principes

Godefridus *in regem* Hieroſolymitanum *eligitur.*

G tracta-

1099. tractatum habentes, favore ducis Normannorum *Roberti*, epiſcopus quidam *Maturanenſis* de *Calabria*, *Arnulphum* ſibi familiarem quendam ſacerdotis filium, & inter peregrinos incontinentia & nimia levitate notatum, in ſedem Patriarchalem contruſit. Sed idem *Arnulphus* cita morte interveniente, temerè ſuſceptam coactus eſt deponere dignitatem. Poſt illum autem, vacante ſede per menſes quinque, principes, qui præſentes fuerunt, poſt multam deliberationem, virum venerabilem *Daibertum* in throno Patriarchali, & in cura collocant paſtorali. Fuit autem antea epiſcopus *Piſanæ* eccleſiæ, vir ad plenum eruditus, & in agendis eccleſiaſticis à puero enutritus.

Arnulphus Patriarcha Hieroſolymitanus, & ejus mors.

Daibertus Patriarcha Hieroſolymitanus.

Sultanus Ægyptiorum Elaſdalium cum copiis contra cruce ſignatos mittit.

URBE autem ſancta recenter adhuc fidelibus ſubjugata, *Sultanus* Ægyptiorum & Damaſcenorum Princeps, inter omnes orientales potentiſſimus, cùm civitatem ſanctam Hieruſalem à fidelibus captam cognoviſſet, vocato ad ſe principe militiæ ſuæ *Elaſdalio*, præcepit ut univerſum robur *Ægypti*, & omnes imperii ſui vires colligens, in Syriam aſcendat, & populum temerarium de ſuperficie terræ deleat, ut non memoretur nomen ejus ultrà. Erat quidem *Elaſdalius* iſte, natione *Armenius*, à Chriſtianis parentibus originem habens, ſed præ immenſitate divitiarum apoſtataverat à fide: Et qui in fonte regenerationis *Emyrcius* dicebatur, factus apoſtata, *Elaſdalius* nuncupabatur. Aſſumptis igitur, hic crucis inimicus, univerſis viribus Ægypti, Arabiæ, & Damaſci, venit Aſcalonem, & ibi cum copiis ſuis univerſis caſtra locavit, inde *Hieroſolymam* profecturus. Propoſuit enim ut fideles in Hieruſalem obſideret, & poſt victoriam, dominicum funditùs dilapidaret ſepulchrum. Tunc peregrini crucis, qui nihil minus optabant quàm obſidionis ærumnas denuo experiri, convenerunt ad invicem clerus & populus univerſus ad arma ſpiritualia, priùs ad ſepulchrum Domini corde contrito & cum fletibus humiliter profecti & orantes in terram proſtrati, à Domino poſtulabant, ut populum ſuum miſericorditer ab imminentibus periculis liberaret. Deinde ſumpta ex Dei parte audacia, ab urbe verſus Aſcalonem procedunt, audacter hoſtibus occurrentes. Portabant autem ſecum partem ligni Dominicæ crucis, quam civis quidam *Hieroſolymitanus* nomine *Syrus*, principibus nuper propalaverat, ab antiquis à ſe temporibus cuſtoditam. Dux verò qui & Rex erat *Hieroſolymitanus*, cum cæteris principibus peregrinis, *Ramulam* perveniens, edoctus eſt ibi pleniùs, quòd prædictus *Emyrcius* apud *Aſcalonem* cum ſuis copiis conſediſſet. Præmiſit itaque dux equites ducentos, qui viam & ſtatum hoſtium explorarent: Sed cum aliquantulum proceſſiſſent, invenerunt armenta boum, equorum, & camelorum, cum paſtoribus animalibus curam præſtantibus. Ad quos cum noſter perveniſſet exercitus, fugerunt tam paſtores quàm qui paſtoribus præerant, equites, gregibus & armentis ſine cuſtode relictis. Capti ſunt tamen quidam ex eis, quorum relatione de hoſtium propoſito edocti, cognoverunt, quòd princeps prædictus, qui juxta eos ad ſeptem milliaria caſtra ſtatuerat, poſt biduum & noſtrum delere exercitum cogitabat. Erant autem ex noſtris numero quaſi mille equites & ducenti, pedites verò quaſi ſex mille numerati, qui omnes de prælio certi, novem acies inſtruunt, quarum tres præponunt, tres locant in medio, & tres ſequi præcipiunt, ut undequaque ad eos hoſtium fiat acceſſus, triplicem ibi reperiant ordinem acierum objectum. Sic itaque obtenta ſine contradictione præda memorata, quæ præ nimia multitudine numerum excedebat, noctem illam ibi tranſegerunt gaudentes. Mane autem facto, lituis & tubis bellum indicitur, & inſtructis ordinibus, Domino rei exitum commendantes, in hoſtes quaſi vir unus procedunt, ſpem in eo victoriæ collocantes. Procedentibus igitur legionibus, juxta militaris ordinis diſciplinam, lento gradu ad pugnam, viſa ſunt ſuperno (ut creditur) inſtinctu, pecora cornibus erectis & caudis, acierum lateribus à dextris & à ſiniſtris comitari, nec ulla poſſe violentia præpediri. Quod hoſtes eminus intuentes, ſolaribus radiis hebetatis luminibus, ante prælium, animis conciderunt, credentes innumeram eſſe multitudinem armatorum, quamvis & ipſis magna militaris copia non deeſſet. Comes quoque Normannorum *Robertus*, qui Dux erat & ſignifer acierum (pro re bene geſta ſæpe dicendus) Admiraviſi ſtandardum eminus conſiderans, quod in ſummitate haſtæ pomum habebat aureum, haſta verò argento cooperta albicabat, ipſum deprehendens ibi eſſe, audacter per medias acies in eum irruens, ad mortem graviter vulneravit. Quod factum non mediocrem Gentilibus incuſſit timorem.

Copiæ cruce ſignatorum inimicis obviam procedunt.

Cruce ſignati ingenti præda potiuntur.

Fortitudo ducis Roberti.

Admiraviſi querela.

ADMIRAVISUS autem vix palpitans, lethaliter vulneratus, altè ingemuit, & hujuſmodi planctum emiſit: O omnium Creator, quid hoc eſt? Quid accidit? Quod fatum nobis infeſtum nocuit? Heu mihi quàm ineffabile dedecus, quàm diuturnum improperium genti noſtræ prævaluit. Unde hæc? Conventione (proh dolor) facta, adduxi huc militum ducenta millia, & peditum quorum multitudo numerum excedit: Quos toti mundo prævalituros credebam, nunc autem, ut non mentiar, à minus quam mille equitibus & paucis peditum millibus, tam indecenter ſunt ſuperati. Aut proculdubio illorum Deus omnipotens eſt, & pro eis pugnat, aut noſter nobis iratus eſt, & nos nimis auſtero furore redarguit. Quicquid continget, hoc erit, quod me non erigam, ſed ad Patriam meam ignominioſus, donec vixero, revertar. His dictis luctuosè conquerebatur, & lamentabatur ſuſpiriis lacrymoſis. Turcis autem fugam meditantibus, eques quidam *Lotharingus*, qui in agmine extremo cum Duce erat *Godefrido*, à lateribus equitans, libertatem fugæ & campos abſtu-

Turcorum exercitus cæſus.

1099.

abſtulit omnes. Unde ipſi à duce Normannorum (qui in prima acie erat) cum equitibus & ſagittariis penetrati, & ab extremis incluſi, cæſi ſunt ad fidelium voluntatem. Admiravisus autem dromedario impoſitus, rapido curſu ejus evaſit. Collata igitur fidelibus ſupernè victoria, in hoſtium caſtra noſter pervenit exercitus: Ubi tantam auri, argenti, variæ ſuppellectilis, gemmarum, divitiarumque peregrinarum, quarum cognitio noſtris regionibus eſt ignota, copiam invenit, ut uſque ad nauſeam ſatiati, mella faſtidirent & placentas; & minimus dicere poſſit Inopem me copia facit. Dux autem *Robertus* emit ſtandardum ab iis, qui illud retinuerunt, dum ille hoſtes inſequeretur, viginti marcis argenti, & dux illud juxta ſepulchrum Domini in monumentum tam memorandi triumphi poſuit. Aliuſque enſem ejuſdem emit Admiraviſi, bizantiis quadraginta. Sic igitur fugientibus adverſariis, palma noſtris cœlitùs conceſſa, cum ingenti gaudio reverſi ſunt in Hieruſalem, manibus onerati prædam inauditam ſecum trahentes.

HIS ita benè geſtis, dux Normannorum *Robertus* & comes Flandrenſis, conſummato fœliciter peregrinationis voto, ad propria ſunt reverſi. Tradunt autem quidam, quòd duci *Roberto* eo quod regnum *Hieroſolymitanum* ſibi oblatum recipere noluerit, offenſo in eum Deo, nihil deinceps proſperum dum vixit, accidiſſe, ſicut ſequens hiſtoria declarabit. Principibus igitur ad propria revertentibus, Rex *Godefridus* detento ſecum viro nobili *Tancredo*, & de *Gres* comite Garnero, & aliis quibuſdam viris occidentis, commiſſum ſibi à Deo regnum, adminiſtrabat ſtrenuè & prudenter. Conceſſit autem jure hæreditario poſſidendam urbem *Tyberiadenſem*, ſuper lacum Geneſar ſitam, cum comitatu toto Galileæ & Caypham, quæ alio nomine Porphyria dicitur, urbem maritimam Domino *Tancredo*, in quo principatu ita Deo placere ſtuduit, quòd uſque in præſentem diem eccleſiæ regionis illius, de ejus patrocinio glorientur. Qui infra biennium pòſt, multis exigentibus, ad principatum vocatus Antiochenum, illam nobilitavit eccleſiam à temporibus glorioſam, plurima largiendo. Sed & principatum pluribus ſubjugatis urbibus & caſtellis, longè latèque finibus dilatatis ampliavit.

Robertus Normannorum Dux & Comes Flandrenſis in patriam revertuntur.

Tancredus Tyberiadem & alia oppida à Godefrido accipit dono.

CIVITATEM ſanctam Hieruſalem in ſublimibus eſſe montibus ſitam, & in ſorte *Benjamin* novimus conſtitutam. Habet autem ab occidente tribum *Symeonis*, terram Philiſtinorum, & mare mediterraneum, ubi Joppe oppidum ſitum eſt, à quo viginti quatuor milliaribus diſtat, inter ſe & prædictum mare habens caſtellum Emaus. *Modin* etiam ſanctorum Machabæorum præſidium, & *Noben* viculum ſacerdotum, & Diſpolim quæ eſt *Lidda*, ubi *Petrus Æneam* paralyticum ſaluti reſtituit, & ubi apud *Symonem* coriarium hoſpitatus, *Cornelii* nuntium ſuſcepit, ſicut apud Joppen diſcipulam *Tabitam* nomine ſuſcitavit. Ab oriente quoque Jordanis habet fluenta, & ſolitudinem filiorum prophetarum quaſi ad milliaria quatuordecim, & vallem ſylveſtrem, & mare mortuum. Citra Jordanem verò Jericho habet, & Galgala domicilium *Heliſæi*. Ultra verò Jordanem Galaad, Baſan, *Amon*, & *Moab*, quod poſtmodum *Ruben*, *Gad*, & dimidia tribus *Manaſſe* ſuſceperunt in ſortem, quæ hodie regio, generali appellatione Arabia nuncupatur. Ab auſtro verò habet ſortem Judæ, in qua eſt Bethleem, fœlix Dominicæ nativitatis locus, & Thecua urbs prophetarum *Abacuc* & *Amos*, & Hebron quæ eſt Cariatharbe, ſanctorum patriarcharum ſepulchrum. A ſeptentrione quoque habet Gabaon, *Joſuæ* filii *Nun* victoriam inſignem, & tribum Effraim, & Sylo: Sichar quoque & Samariæ regionem & Bethel peccati *Jeroboam* teſtem, ſed & *Sebaſteam*, Heliſei & Abdiæ ſepulchrum, & baptiſtæ *Johannis* martyrium, quæ olim à monte Somer dicta eſt Samaria, ſicut & regio tota, quæ & thronus fuit regum Iſrael. Habet etiam Neapolin vel Nicopolim, ubi filii *Jacob*, *Symeon* & *Levi* in ultionem ſtupri, quod *Sichem* filius *Emor* ſorori eorum *Dinæ* intulerat, ipſum & filios ejus in ore gladii percuſſerunt, urbem eorum igne ſuccendentes: Eſt autem Hieruſalem Judeæ metropolis, quæ juxta veteres hiſtorias primum dicta eſt *Salem*, à *Sem* filio *Noe* primogenito, qui eam fundavit, & in ea regnavit. Hic poſtmodum dictus eſt *Melchiſedech*, qui revertenti *Abrahæ* à cæde quatuor regum obtulit panem & vinum. *Melchiſedech* autem rex juſtitiæ interpretatur, quem Deus à diluvio reſervavit, ut Chriſtus ex ejus ſemine naſceretur. Erat quidem eo tempore alia civitas, juxta Hieronymum *Salem* appellata, in qua idem *Melchiſedech* ſicut & alia regnavit, cujus ruinæ uſque hodie juxta fluenta Jordanis cernuntur. Deinceps regnante in ea Jebuſæo, dicta Jebus, & ſic ex Jebus & Salem dicta eſt Jebuſſalem. Unde pòſt dempta *b* littera & addita *r*, dicta eſt Hieruſalem: Poſtea expulſo Jebus à *David*, dicta eſt civitas *David*. Deinde verò *Salomone* filio ejus, vocata eſt Hieroſolyma, quaſi Hieruſalem *Salomonis*. Hanc poſtea quadraginta duobus annis poſt Paſſionem Domini, Judæorum exigentibus peccatis, *Titus Veſpaſiani* filius, Romanorum princeps magnificus, obſedit, & expugnatam dejecit: Ita ut juxta verbum Domini, non remaneret in ea lapis ſuper lapidem. Illam verò poſtea Elius Adrianus, quartus ab ipſo Romanorum Auguſtus, reparavit, & de ſuo Eliam nuncupavit. Et cum priùs in clivo præcipiti montis eſſet ſita, ita ut partem in orientem, & in Auſtrum tota devexa reſpiceret in latere tam montis Syon quàm Moriæ montis conſtituta, & ſolum templum & caſtellum cui nomen erat Antonia, in ſui haberet faſtigio, ab eodem Imperatore in montis verticem tota tranſlata eſt, ita ut dominicæ paſſionis & reſurrectionis locus, qui priùs extra urbem fuerat, urbe reædificata, intra murorum ambitum clauderetur.

Hieroſolymarum deſcriptio.

Egregia ſanè nominis Hieruſalem etymologia.

1100.

Loci venerabiles circa Hieruſalem.

HÆC autem ſancta & Deo dilecta civitas, & minor maximis eſt & mediocribus major, forma quidem oblonga, & parte altera longiore tetragona, vallibus profundis in tribus partibus circumſepta. Nam ab oriente vallem habet *Joſaphat*, in cujus imo ſita eſt eccleſia ſanctæ Dei Genetricis, ubi ſepulta creditur, & glorioſum ejus monſtratur ſepulchrum. Sub qua eſt torrens Cedron, ex aquis pluvialibus ortus, de quo dicitur: Egreſſus ejus trans torrentem Cedron, & cætera. Ab auſtro habet vallem Ennon, prædictæ valli contiguam, quæ ſortis *Benjamin* & *Judæ* fuit in funiculo diſtributionis. Et inde ſe erigens ad verticem montis, qui eſt contra Beennon ad occidentem, in qua eſt Acheldemach, hoc eſt ager ſanguinis, emptus de pretio Domini, in ſepulturam peregrinorum. Ab occidente verò ejuſdem vallis habet partem, in qua ſita eſt vetus piſcina, quæ celebris fuit temporibus regum Juda, & inde protenditur ad piſcinam ſuperiorem, quæ Patriarchæ dicitur, juxta cœmeterium, quod eſt in ſpelunca quæ cognominatur Leonis. A ſeptentrione verò plano itinere ad urbem acceditur, in quo locus eſt ubi Protomartyr *Stephanus* dicitur lapidatus. Patriarcha quoque hujus ſanctæ civitatis quatuor habet Archiepiſcopos, unum Cæſarienſem, alium Tyrenſem, tertium Nazarenſem, quartum Petracenſem, id eſt montis regalis. Primus eſt in regione Paleſtinæ, alius in regione Phœnicis, tertius Galileæ, quartus in provincia Moabitarum. Cæſarienſis ſuffraganeum habet epiſcopum *Sebaſtenum:* Tyrenſis ſuffraganeos habet epiſcopos Anconenſem, Sydonenſem, Bericenſem, & Bellinacenſem, quæ eſt Cæſarea Philippi. Nazarenus habet ſuffraganeum, Tiberiadenſem. Petracenſis unum habet ſuffraganeum, Græcum in monte Synai. Habet præterea Patriarcha nullo mediante epiſcopos ſuffraganeos, Bethleemitanum, Liddenſem, & illum de Ebron, ubi ſepulti fuerunt *Adam* & *Eva*, cum *Abraham*, *Iſaac* & *Jacob*. Sunt autem in urbe loca venerabilia, ut eccleſia Dominicæ reſurrectionis in Calvaria ſive in Golgota, ubi ſunt canonici nigri ſub Priore, templum Domini, in quo ſunt milites, aliud templum in quo ſunt clerici. In eccleſia montis Syon ſunt Canonici regulares ſub abbate. In eccleſia montis Oliveti ſunt Canonici regulares ſub abbate. In eccleſia vallis *Joſaphat*, monachi nigri ſunt ſub abbate. In eccleſia Latina, ſunt monachi nigri ſub abbate. Iſti omnes mitrati ſunt, & cum epiſcopis prædictis in miniſterio Patriarchæ aſſiſtunt. Sunt præterea aliæ civitates, quæ non habent epiſcopos, ut Aſcalon, quæ eſt ſub epiſcopo Bethleem, Joppe, quæ eſt ſub Canonicis Dominici ſepulchri, Neapolis, quæ eſt ſub clericis templi, *Cayphas*, quæ eſt ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi. Nazareth locus eſt, in quo *Maria* mater Domini nata eſt, & in quo filius altiſſimi in uterum virginis deſcendit. Bethleem in quo natus eſt panis cœleſtis. Jordanis fluvius eſt, in quo *Jeſus Chriſtus* baptizatus apparuit. Locus alius, in quo *Chriſtus* jejunavit, & à Diabolo tentatus eſt. Stagnum Geneſareth, ubi *Chriſtus* diſcipulos vocavit, & multa miracula fecit. Mons Thabor, in quo idem Chriſtus transfiguratus apparuit. Intra ſanctam civitatem templum eſt, in quo *Chriſtus* extitit præſentatus. Mons Syon, in quo ſalvator cum diſcipulis cœnavit, & ſpiritus ſanctus ſuper diſcipulos venit, materque Domini ex hoc mundo migravit. Calvaria, ubi crucem & mortem ſuſtinuit, Sepulchrum, in quo quievit, & ibidem tertia die ſurrexit. Mons Oliveti, ubi in aſina ſedens, à pueris honoratur, & unde in cœlum aſcendit. Bethania, ubi Lazarum reſuſcitavit. Siloe, ubi cæco nato viſum reſtituit. Gethſemani, id eſt, vallis *Joſaphat*, ubi *Chriſtus* à Judæis captus, & *Maria* ſepulta fuit. Eccleſia ſancti *Stephani*, ubi lapidatus occubuit. *Sebaſtea*, ubi *Johannes Baptiſta* ſepultus fuit, cum Prophetis *Helyſæo* & *Abdia*. Et hæc de terra Hieroſolymitana & civitate ſancta dicta ſufficiant.

Curia Weſtmonaſterienſis conſtructa.

EODEM anno, id eſt, Dominicæ nativitatis, M. XCIX. Rex Anglorum *Willielmus* à Normannia in Angliam rediens, tenuit primò curiam ſuam apud Weſtmonaſterium in nova aula. Quam cùm inſpecturus cum multa militia introiſſet, cùm alii eam dixiſſent magnam nimis eſſe, & æquo majorem: Dixit Rex eam debitæ magnitudinis dimidia parte carere, nec eam eſſe niſi thalamum ad palatium quod erat facturus. Deinde paulo poſt cùm venaretur in Nova foreſta, venit ei nuntius à Cænomannia dicens ſuam ibi familiam obſideri. Qui protinus ad mare veniens, navem feſtinus introivit: Cui nautæ, cur Regum maxime in tanta tempeſtate maris alta penetras? Et mortis periculum non formidas? Quibus Rex: De Rege fluctibus ſubmerſo loqui non audivi. Mare itaque tranſiens, nihil dum viveret egit, unde tantam famam tantumque gloriæ decus haberet. Cænomanniam enim petens, Heliam conſulem inde fugavit, & obtenta civitate, ad Angliam transfretavit. Eodem anno Rex *Willielmus* dedit epiſcopatum Dunelmenſem pacitatori *Ranulpho* viro peſſimo, & *Oſmundus* Saresberienſis antiſtes diem clauſit extremum. Hoc quoque anno in æſtate viſus eſt ſanguis ebullire de terra apud Fiſchamſtedam in pago Bercenſi, & poſt hæc apparuit cœlum tota nocte rubeum, tanquam arderet.

Rex Willielmus *Cænomanniam petiit.*

Ranulpho *datur Epiſcopatus Dunelmenſis.*

Willielmus Rufus à Waltero Tyrel *ſagitta occiditur.*

ANNO Domini MC. Rex Anglorum *Willielmus*, cognomento *Rufus*, cùm glorioſè curiam ſuam ad natale apud Gloverniam, ad Paſcha apud Wintoniam, & apud Londonias ad Pentecoſten tenuiſſet, in craſtino ſancti *Petri* ad vincula perrexit venatum in novam Foreſtam: Ubi *Walterus Tyrell* cum ſagitta cervo intendens, inſcius Regem percuſſit. Rex autem in corde percuſſus, corruit in terram, nec verbum edidit, ſed vitam crudelem fine miſero terminavit. Ejus quoque mortem ſigna plurima prævenerunt. Nam idem Rex pridie ante

1100.

Prodigia & inſomnia quæ ante obitum Regis Willielmi *acciderunt.*

ante necem ſuam, vidit per ſomnum ſeſe fleubotomiæ ictu ſanguinem emittere, & radium cruoris in cœlum uſque extentum, lucem obnubilare, & Dei interpellare claritatem. Rex autem ſancta *Maria* invocata & ſomno excuſſus, lumen inferri præcepit, & cubicularios à ſe diſcedere non permittens, reſiduum noctis inſomne peregit. Mane verò cùm aurora illuxiſſet, Monachus quidam tranſmarinus, qui pro eccleſiæ ſuæ negotiis Regis curiam ſequebatur, *Roberto* filio Hamonis viro potenti & Regi familiari ſomnium retulit, quod nocte eadem viderat mirificum & horrendum. Vidit enim per ſomnum Regem in quandam venire eccleſiam, geſtuque ſuperbo & inſolenti (ut ſolebat) cœpit deſpicere circumſtantes, ubi crucifixum dentibus apprehendens, brachia illius corroſit, & crura pene detruncavit. Quod crucifixus cùm diu toleraſſet, Regem demum dextro pede ita depulit, ut caderet in pavimentum ſupinus: Et ex ore jacentis tantam exire flammam conſpexit, & ita diffuſam, ut fumorum nebula quaſi chaos magnum uſque ad ſydera volitaret. Hanc viſionem cùm *Robertus* Regi retuliſſet, cachinnos ingeminans ait: Monachus eſt, & lucri cauſa monachiliter ſomniavit: Da ei centum ſolidos, ne videatur inaniter ſomniaſſe. Item videbatur Regi per ſomnium nocte proxima ante diem mortis ſuæ, quòd vidit unum infantem pulcherrimum ſuper altare quoddam, & cupiens & eſuriens ſupra modum, adiit & corroſit de carne infantis, & videbatur ei prædulce, quod guſtaverat: Et volens plus avidiùs ſumere, infans torvo aſpectu & voce minaci ait: Deſiſte, nimis accepiſti. Expergefactus à ſomno Rex, conſuluit mane ſuper hæc quendam epiſcopum. Epiſcopus autem ſuſpicans judicium vindictæ, ait: Deſine Rex bone à perſecutione eccleſiæ, præmonitio enim hæc Dei eſt, & benigna caſtigatio: Nec ut propoſuiſti, venatum eas. Rex contemnens ſalutaria monita, *in ſylvas venatum ivit. Et ecce caſu, cervus magnus cùm ante eum tranſiret,* ait Rex cuidam militi, ſcilicet *Waltero Tyrell:* Trahe diabole. Exiit ergò telum volatile, de quo bene & verè potuit dici, & vaticinio denotari:

Et ſemel emiſſum volat irrevocabile telum.

Et obſtante arbore, in obliquum reflexum faciens, per medium cordis Regem ſauciavit, qui ſubito mortuus corruit. Sui autem, & præcipuè miles ille, in partes fugerunt. Aliqui tum redeuntes, corpus in ſanguine ſuo circumvolutum & tabefactum, ſupra bigam cujuſdam carbonatoris impoſuerunt fragilem, & macilentiſſimo jumento uno tractam. Ruſticulus igitur coactus corpus ad civitatem tranſportare, dum tranſiret per quandam profundam & lutoſam viam, fracta biga ſua debili, corpus, immo cadaver rigidum & fœtens, in luto circumvolutum, volentibus aſportare, dereliquit. Eadem hora comes Cornubiæ, in ſylva, ab illa in qua hæc acciderant per duas dietas diſtante, dum venatum iret, & ſolus caſu à ſuis ſodalibus relinqueretur, obviavit magno piloſo & nigro hirco, ferenti Regem nigrum & nudum per medium pectoris ſauciatum. *Et adjuratus hircus* per Deum trinum & unum quid hoc eſſet, reſpondit, Fero ad judicium ſuum Regem veſtrum, immo tyrannum *Wellielmum Rufum.* Malignus enim ſpiritus ſum, & ultor maliciæ ſuæ, qua deſævit in eccleſiam *Chriſti*, & hanc ſuam necem procuravi, imperante protomartyre Angliæ beato *Albano*, qui queſtus eſt Domino, quòd in inſula Britanniæ, cujus ipſe fuit primus ſacrator, ſupra modum graſſaretur. Comes igitur hæc ſociis ſtatim narravit. Infra triduum autem hæc omnia vera reperit, per mediatores oculata fide expertus. Ejus præterea mortem miſeram ut prædictum eſt, ſanguis de terra ebulliens præſignavit: Licet experimenta alia non deeſſent. Nam *Anſelmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus ob illius tyrannidem per triennium trans mare pulſus, à Roma Marcenniacum venit circa Kalendas Auguſti, ut ſancti *Hugonis Cluniacenſis* abbatis colloquio frueretur. Ubi cùm de Rege *Willielmo* inter eos ſermo haberetur, Abbas ille venerabilis Archiepiſcopo reſpondens, ſub teſtimonio intulit veritatis: Proxima nocte præterita, vidi Regem illum ante thronum Dei adductum & accuſatum, & à juſto Judice damnationis in illam ſententiam promulgatam. Sed quomodo illud ſciret, nec ipſe tunc expoſuit, nec Archiepiſcopus propter illius eminentiam ſanctitatis, nec alius audientium quilibet percontatus eſt. Item ſequenti die, cùm Archiepiſcopus, inde progreſſus Lugdunum veniſſet, & nocte ſequenti, monachi, qui cum *Anſelmo* erant, matutinos ipſo præſente decantaſſent, ecce juvenis quidam ornatu ſerenus ac vultu, clerico cuidam ipſius Archiepiſcopi, qui prope oſtium thalami in lecto jacebat, & nec dum dormiens, oculos tamen clauſos tenebat, aſtitit, & vocans eum nomine ſuo dixit: *Adam* inquit, dormis? Cui cùm clericus reſponderet, Non, ait: Vis audire nova? Libenter reſpondit. Et ille: Pro certo (inquit) noveris, quòd totum diſſidium inter Archiepiſcopum & Regem *Willielmum* exortum, jam pœnitus eſt ſopitum. Ad hoc clericus alacrior factus, caput erexit: Sed oculis apertis neminem vidit. Item cùm nocte proximè ſequente, unus ex monachis ejuſdem Archiepiſcopi ad matutinos ſtaret & cantaret, ecce quidam illi chartulam admodum parvam exhibuit ad legendam, quam intuens *monachus*: Obiit Rex *Willielmus*, in ea ſcriptum invenit. Qui confeſtim oculos aperiens, præter ſocios nullum vidit. Nec multò pòſt elapſo termino, duo ex monachis ejus ad ipſum venientes, & Regis mortem nunciantes, hortati ſunt attentiùs, ut ilico ſedem ſuam repetere dignaretur.

Videtur Mattheus *has futiles confirmationes quæſtus gratia adducere.*

JURE autem Rex in medio totius injuſtitiæ ſuæ præreptus occubuit, qui ſupra hominem erat, & conſilio perverſorum, quicquid mali poterat, id ſemper agebat. Et ſuis nequam, alienis

Vitia Willielmi *ſecundi.*

1100. alienis nequior, ſibi nequiſſimus, ſubjectos omnes continuis geldis & talagiis vexabat, vicinos werris & exactionibus aſſiduis provocabat, nec reſpirare poterat Anglia, ſub ipſo miſerabiliter ſuffocata. Ipſe namque, & qui ei famulabantur, omnia rapiebant, omnia conterebant, & ſubvertebant, adulteria violenter & impunè committebant, quicquid fraudis & nequitiæ antea non erat, his temporibus pullulavit. Inviſus namque Rex nequiſſimus Deo & populo, die qua obiit, in proprio tenebat Archiepiſcopatum Cantuarienſem, epiſcopatus Wintonienſem & Sariſberienſem, cum duodecim Abbatiis, quas aut vendebat, aut in firmam dabat, aut in manu ſua tenebat. Nec luxuriæ ſcelus exercebat occultè, ſed ex impudentia coram ſole. Quid plura? Quicquid Deo, Deumque diligentibus placebat, hoc Regi Regemque diligentibus diſplicebat. Sepultus eſt autem in craſtino perditionis ſuæ, apud Wintoniam, in cujus ſepultura lacrymæ locum præ gaudio non habebant, cum regnâſſet annis tredecim.

HENRICUS PRIMUS.

DEFUNCTO itaque Rege *Willielmo*, cùm magnates Angliæ ignorarent quid actum eſſet de *Roberto* duce Normannorum, Regis defuncti fratre primogenito, qui jam per quinquennium in expeditione Hieroſolymitana moram pertraxerat, timuerunt diu ſine regimine vacillare. Quod *Henricus* fratrum ultimus & juvenis ſapientiſſimus, cùm calidè cognoviſſet, congregato Londoniis clero Angliæ & populo univerſo, promiſit emendationem legum, quibus oppreſſa fuerat Anglia tempore patris ſui & fratris nuper defuncti, ut animos omnium in ſui promotionem accenderet & amorem, & ut illum in Regem ſuſciperent & patronum. Ad hæc clero reſpondente & magnatibus cunctis: Quòd ſi animo volente ipſis vellet concedere, & charta ſua communire illas libertates & conſuetudines antiquas, quæ floruerunt in regno tempore ſancti regis *Edwardi*, in ipſum conſentirent & in Regem unanimiter conſecrarent. *Henrico* autem hoc libenter annuente, & ſe id facturum cum juramento affirmante, conſecratus eſt in Regem apud Weſtmonaſterium, in die Aſſumptionis beatæ *Mariæ*, favente clero & populo, cui continuò à *Mauritio* Londinenſi Epiſcopo, & à *Thoma Eboracenſi* Archiepiſcopo corona capiti imponitur. Cùm fuerat diademate inſignitus, has libertates ſubſcriptas in regno, ad exaltationem ſanctæ eccleſiæ & pacem populi tenendam conceſſit. Hoc tempore apud Berkſyre in quodam pago, in villa Humeſtede, ſanguis emanavit de terra, continuis quindecim diebus, tam copioſè, ut amplum ſtagnum tingeret & inficeret.

Abſente Roberto Normannorum duce, & in crucis expeditione impedito, Rex Henricus in Regem eligitur & coronatur.

HENRICUS Dei gratia Rex Angliæ, *Hugoni de Boclande* vicecomiti, & omnibus fidelibus ſuis, tam *Francis* quàm Anglicis in Herefordſyre ſalutem. Sciatis me Dei miſericordia & communi conſilio Baronum regni Angliæ Regem eſſe coronatum. Et quia regnum oppreſſum erat injuſtis exactionibus, ego reſpectu Dei & amore, quem erga vos omnes habeo, ſanctam Dei eccleſiam liberam facio, ità quòd nec eam vendam, nec ad firmam ponam, nec mortuo Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel Abbate, aliquid accipiam de dominio eccleſiæ, vel de hominibus, donec ſucceſſor in eam ingrediatur. Et omnes malas conſuetudines, quibus regnum Angliæ injuſtè opprimebatur, inde aufero, quas malas conſuetudines in parte hic pono.

Emendatio legum conſuetudinum Anglicanum.

Si quis Baronum meorum, comitum vel aliorum, qui de me tenent, mortuus fuerit, hæres ſuus non redimet terram ſuam, ſicut facere conſueverat tempore patris mei, ſed juſta & legitima relevatione relevabit eam. Similiter & homines Baronum meorum, legitima & juſta relevatione relevabunt terras ſuas de dominis ſuis. Et ſi quis Baronum vel aliorum hominum meorum, filiam ſuam tradere voluerit, ſive ſororem, ſive nepotem, ſive cognatam, mecum inde loquatur, ſed neque ego aliquid de ſuo pro hac licentia accipiam, neque defendam ei, quin eam det, excepto ſi eam dare voluerit inimico meo. Et ſi mortuo Barone vel alio homine meo, filia hæres remanſerit, dabo illam cum conſilio Baronum meorum cum terra ſua. Et ſi mortuo marito, uxor ejus remanſerit, & ſine liberis fuerit, dotem ſuam, & maritagium habebit, & eam non dabo marito, niſi ſecundum velle ſuum. Si verò uxor cum liberis remanſerit, dotem ſuam & maritagium habebit, dum corpus ſuum legitimè ſervabit, & eam non dabo niſi ſecundum velle ſuum, & terræ liberorum cuſtos erit, ſive uxor ſive alius propinquior, qui juſtus eſſe debet. Et præcipio, ut homines mei ſimiliter ſe contineant erga filios & filias, & uxores hominum ſuorum. Monetagium commune, quod capiebatur per civitates vel comitatus, quod non fuit tempore *Edwardi* Regis, hoc ne à modo fiat, omninò defendo. Si quis captus fuerit ſive monetarius ſive alius, cum falſa moneta, juſtitia recta inde fiat. Omnia placita & omnia debita, quæ Regi fratri meo debebantur, condono, exceptis firmis meis, & exceptis illis, quæ pacta erant pro aliorum hæreditatibus, vel pro illis rebus, quæ juſtiùs alios contingebant. Et ſi quis aliquid pro hæreditate ſua pepi-

pepigerat, illud condono, & omnes relevationes, quæ pro rectis hæreditatibus pactæ erant. 1100.
Et ſi quis Baronum vel hominum meorum infirmabitur, ſicut ipſe dabit vel dare diſpoſuerit, pecuniam ſuam: Ita datum eſſe concedo. Quòd ſi ipſe præventus vel armis, vel infirmitate, pecuniam ſuam nec dederit, nec dare diſpoſuerit, uxor ſua ſive liberi aut parentes & legitimi homines ſui pro anima ejus eam dividant: Sicut eis meliùs viſum fuerit. Si quis Baronum vel hominum meorum foris-fecerit, non dabit vadium in miſeria pecuniæ ſuæ, ſicut faciebat tempore patris vel fratris mei: Sed ſecundum foris-facturæ modum: Nec ita emendabit ſicut emendaſſet retro tempore patris mei vel fratris. Quod ſi perfidiæ vel ſceleris convictus fuerit, ſicut culpa, ſic emendet. Murdra etiam retrò ab illa die, qua in Regem coronatus fui, omnia condono, & ea quæ à modo facta fuerint, juſtè emendentur, ſecundum lagam Regis *Edwardi*. Foreſtas communi conſilio Baronum meorum in manu mea ita retinui, ſicut pater meus eas habuit. Militibus qui per loricas terras ſuas defendunt, terras dominicarum carucarum ſuarum quietas ab omnibus geldis & omni proprio dono meo concedo: Ut ſicut tam magno gravamine alleviati ſunt, ita equis & armis benè ſe inſtruant, ut apti & parati ſint ad ſervitium meum, & ad defenſionem regni mei. Pacem firmam pono in toto regno meo, & teneri à modo præcipio. Lagam Regis *Edwardi* vobis reddo, cum illis emendationibus, quibus pater meus eam emendavit, conſilio Baronum ſuorum. Si quis aliquid de meo, vel de rebus alicujus, poſt obitum Regis *Willielmi* fratris mei cepit, totum citò reddatur abſque emendatione: Et ſi quis inde aliquid retinuerit, ille ſuper quem inventum fuerit, graviter mihi emendabit. His teſtibus, *Mauricio* Londonienſi epiſcopo, *Willielmo* Wintonienſi electo, *Girardo* Herfordenſi epiſcopo, *Henrico* comite, *Simone* comite, *Waltero Giffard* comite, *Roberto* de Monte forti, *Rogero Bigod*, & aliis multis. Factæ ſunt tot chartæ quot ſunt comitatus in Anglia, & Rege jubente, poſitæ in abbatiis ſingulorum Comitatuum ad monumentum.

REX itaque *Henricus* in Regem (ut dictum eſt) coronatus, dedit epiſcopatum Wintonienſem *Willielmo Giffard*, & continuò de poſſeſſionibus cunctis ad epiſcopatum pertinentibus, illum, contra novi ſtatuta concilii, de quo ſuperiùs mentionem fecimus, inveſtivit. Deinde de conſilio totius eccleſiæ Anglicanæ, miſit ad partes tranſmarinas nuncios ſolennes, ad *Anſelmum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, ſummopere illum ſolicitans, ut cum feſtinatione ab exilio rediens, ſedem ſuam repetere non moraretur. Rediit interea dux *Robertus* frater Regis, expleta magnificè peregrinatione Hieroſolymitana, in Normanniam, in qua jam per quenquennium ferè fuerat demoratus, ubi cum lætitiâ & honore ſuſceptus eſt ab univerſo populo regionis, præcipuè à Normannis. Tenuit autem eo tempore Rex in cuſtodia *Ranulphum Dunelmenſem* epiſcopum, hominem perverſum, & ad omne ſcelus paratum, quem frater ejus Rex *Willielmus* epiſcopum fecerat *Dunelmenſem*, & regni Anglorum ſubverſorem. Qui cum Regi jam dicto nimiùm eſſet familiaris, conſtituerat eum Rex procuratorem ſuum in regno, ut evelleret, deſtrueret, raperet, & diſperderet, & omnia omnium bona ad Fiſci commodum comportaret. Sed mortuo Rege iniquo, & *Henrico* coronato, de communi conſilio gentis Anglorum, poſuit eum Rex in vinculis, à quibus cum cuſtodibus ſuis pecunia corruptis, evaſiſſet, transfretavit clàm in Normanniam, & ſua exhortatione Ducem *Robertum* commovit in Regem fratrem ſuum. At dux *Robertus* literas occultè ad Angliæ magnates tranſmittens, allegavit, quòd eſſet primogenitus filiorum Regis *Willielmi* primi, qui Angliam armis ſubjugaverat, & hac ratione de jure ſibi regnum competere affirmabat. His auditis, multi nobiles de regno Angliæ cauſæ illius favorem præbentes, fidele conſilium ei pariter & auxilium promiſerunt. *Robertus* verò interim paravit viam, ut jus ſuum proſequeretur: Sed quia nuper de peregrinatione terræ ſanctæ pauper redierat, diſtulit ad tempus negotium mente conceptum, ut tempore congruo illud effectui manciparet. Eodem tempore defuncto *Thoma* Eboracenſi Archiepiſcopo, *Gerardus* ſucceſſit: Et *Sigisbertus Gemblacenſis* monachus, huculque chronica ſua ſatis eleganter digeſſit.

Dux Robertus *in Normanniam reverſus.*

Epiſcopus Dunelmenſis Ranulphus, Robertum *Normannorum ducem in Regem* Henricum *concitavit.*

Sigisbertus Gemblacenſis *chronicorum ſcriptor.*

EODEM anno defuncto Papa *Urbano*, Paſchalis ſedit in cathedra Romana poſt eum, annis decem & octo. Eodem anno Rex Hieroſolymarum *Godefridus*, ad inſtantiam quorundam Baronum ſuorum, Jordanis flumine tranſito, in regione Ammonitarum, quam tunc Arabes inhabitabant, ingentem gregum & armentorum contrahens prædam, cum manubiis infinitis fœliciter remeavit. Quo audito, Princeps quidam de gente Arabum præclarus & potens, atque in diſciplina militari ferventiſſimus, per internuntios pace impetrata, ad Regem *Godefridum* cum ejuſdem gentis nobili comitatu acceſſit. Audierat enim multorum relatione de Regis & populi occidentis viribus & magnificentia, qui per tot terrarum ſpatia univerſum ſibi ſubegerant orientem. Unde ſtudio cum ferventiſſimo videre geſtiens, ad Regis præſentiam adductus, reverenter illum ſalutavit. Et cùm diu Regem intuitus, corporis ejus diſpoſitionem admiraretur, cœpit eum multa precum inſtantia rogitare, ut in conſpectu ejus gladio ſuo camelum maximum, quem ad illum uſum adduxerat, percutere dignaretur. Rex verò non ad jactantiam, ſed ut barbaris nationibus timorem incuteret, evaginato gladio camelum percuſſit, & caput belluæ tanquam res eſſet perfragilis, gladio amputavit. Quo viſo Arabs, obſtupuit: Sed in mente ſua, id enſis acumini adſcribebat. Unde

Papæ Urbano *Paſchalis ſuccedit.*

Rex Godefridus *regionem Ammonitarum invadit.*

Fortitudo ducis Godefridi.

1101. Unde impetrata licentia, ut confidentiùs loqueretur, quæſivit propenſius, ſi id poſſit cum alterius gladio operari. At Rex ſubridens Arabis gladium ſibi dare præcepit. Quo arrepto, alium camelum ſibi præſentatum percuſſit, & caput illius ſine difficultate præcidit. Sicque Arabs, quod de Regis virtute audierat, verum eſſe comperiens, multis in auro, argento, equis, ac rebus precioſis muneribus collatis, ejus ſibi gratiam comparavit, & reverſus ad propria, Regis fortitudinem omnibus prædicavit. Deinde idem Rex Hieroſolymarum magnificus menſe Julio incurabili morbo correptus, ægrotare cœpit, & aſſumpto humanæ ſalutis viatico, confeſſor Chriſti diem clauſit extremum, cum beatis ſpiritibus vitam poſſeſſurus æternam. Obiit autem decima quinta Kalendas Auguſti anni præſentis, & ſepultus eſt in eccleſia Dominici ſepulchri, ſub loco Calvariæ, ubi & ſucceſſoribus ejus uſq; in præſentem diem, pro ſepultura locus eſt deputatus. Tandem cùm per tres menſes regnum vacaſſet Hieroſolymitanum, judicio principum univerſorum, & cleri citatus eſt Dominus *Baldewinus*, frater ex utroque parente defuncti Regis, ut poſt eum cum feſtinatione accederet (ſicut jus dictaret) regnaturus.

Rex Godefridus *moritur.*

Baldewinus *fratri* Godefrido *in regnum Hieroſolymitanum ſuccedit.*

ANNO Domini M. CI. *Baldewinus* comes *Edeſſanus* & frater Regis *Godefridi* uterinus Hieroſolymam veniens, in die ſancto Nativitatis dominicæ, per manum Patriarchæ *Diaberti*, in Regem Hieroſolymarum inunctus eſt, & Regio diademate laureatus. *Tancredus* autem vir nobilis & omni laude digniſſimus, veteris injuriæ (de qua ſuperiùs dictum eſt) à *Baldewino* nondum in Regem coronato ſibi illatæ non immemor, ſumpta ab eo recedendi licentia, reddidit ei urbes Tyberiadenſem, & *Caipham*, quas ex dono Regis *Godefridi* ſuſceperat, & Antiochiam veniens, à populo civitatis benignè ſuſceptus eſt: Fuerat enim paulò ante, *Boamundus* princeps civitatis, apud Meletemiam Meſopotamiæ urbem, à *Damſiva* Turco quodam captus, & nondum à vinculis deliberatus: Unde & *Tancredus* à principibus Antiochenis ſæpe vocatus, ut præeſſet eis, donec *Boamundus* à vinculis ſolveretur, adquievit petitionibus eorum, & tam urbis quàm regionis adminiſtrationem ſuſcepit. Contigit autem eo tempore Regem *Baldewinum* Jordanem tranſire, & ut regionum finitimarum exploraret infirma, deſcendere in Arabiam ejuſdemque provinciæ intima hoſtiliter perluſtrare. Ubi de nocte ſubitò ſuper Turcos ruens non præmeditatos, in ipſorum tabernaculis, viros multos, mulieres cum parvulis univerſis, & omnem eorum ſubſtantiam ſibi fecit in prædam, trahens ſecum ſpolia infinita, camelorum quoque & aſinorum multitudinem inauditam. Viri autem velocitate equorum fugientes, uxores & liberos cum manubiis impreciabilibus, noſtris reliquerunt in prædam. Rex autem rediens cum ſpoliis, fœminam quandam, uxorem cujuſdam principis potentis pregnantem & in partu jacentem invenit. Quod videns Rex, fecit de ſpoliis lectum parari, pro tempore idoneum, datoque cibo, & utribus aqua plenis, lactiſque copia, & ancillis ad ejus cuſtodiam aſſignatis, mantello, quo erat Rex indutus, involvit eam, & exercitu inde tranſivit. Die verò ſequenti, magnus ille Arabum princeps de uxore admodum triſtis, de more noſtrorum ſequens exercitum, in uxorem caſu incidit, ſic jacentem. Videns ergò princeps ille & ſtupens humanitatem, quam Rex erga eam exhibuerat, cœpit nomen Regis uſque ad ſydera extollere, & eidem ſpoſpondit omnibus diebus vitæ ſuæ obligatum.

Expeditio Baldewini *in Arabiam.*

Humanitas Baldewini.

EODEM anno, *Anſelmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus in Angliam veniens, deſponſavit *Matildam* filiam *Malcolmi* Regis Scotorum, & Sanctæ Margaretæ Reginæ, novo Regi Angliæ *Henrico*. Ipſa verò invita nupſit ei, ſed parentum & amicorum conſiliis vix adquieſcens; tandem tædio affecta, adquievit. Inſtantes enim importunè, dicebant: O mulierum generoſiſſima ac gratiſſima, per te reparabitur Anglorum genialis Nobilitas, quæ diu degeneravit, & fœdus magnorum principum redintegrabitur, ſi matrimonio prælocuto conſentias. Quod ſi non feceris, cauſa eris perennis inimicitiæ gentium diverſarum, & ſanguinis humani effuſionis irreſtaurabilis. Videns igitur virgo clementiſſima, quòd tot & tantorum conſiliis urgentibus adquieſcere oportuit, quæ cum Chriſtiana matertera ſancta ſanctiſſimè in clauſtro religionis educata fuerat, & votum virginitatis Deo ſpoſponderat, & ut multi perhibent, velum ſuſceperat profeſſæ religionis: Irata in mentis dixit amaritudine: Ex quo ſic oportet fieri, utcunque conſentio, ſed fructum ventris mei, quod eſt horribile dictu, diabolo commendo. Me enim Deo vovi, quod non finiſtis, immo ſponſum meum, quem elegi, auſu temerario, immemores cauſæ ſancti *Matthæi* Apoſtoli, *Zelotipatis*.

Henricus *ducit* Matildam *filiam Regis Scotorum.*

SIC igitur nuptiæ magnificæ (ut decuit) celebrantur: Et tantò ardentius exarſit Rex in ipſius amorem, quantò ſceleſtius adamavit. Secundum illud poëticum: Nitimur in vetitum ſemper. Peccato igitur exigente, facta eſt commotio ſubitò in regno, cauſa *Roberti* ducis Normanniæ, non modica. Qui (ut rumor afferebat ventilatus) ad hoc venit cum exercitu copioſo, ut ſibi Angliam ſubjugaret. Quo cognito, Rex *Henricus* conſcientiam habens multipliciter cauteriatam, miſit navalem expeditionem contra fratrem venientem, ſed pars major exercitus, quia Rex jam tyrannizaverat, *Roberto* adhæſit venienti. Cùm ergo apud Porteſmotham ante Kalendas Auguſti applicuiſſet, & Rex obviaret ei hoſtiliter, principes utrinque fratrum non ferentes diſſidium, colloquium inierunt, cum pio & circumſpecto conſilio, mutuum ac generale: Et concordiæ fœdus inter eos tali pacto firmaverunt, quòd Rex *Roberto* annis ſingulis, tria millia marcarum argenti daret ex Anglia, & qui eorum

Turbatum regnum per fœdus pacificatur.

diutiùs viveret, hæres eſſet alterius ſi abſque filio moreretur. Hoc autem cùm per duodecim magnates juratum eſſet utrinque, Dux *Robertus* perendinavit cum fratre uſque ad feſtum ſancti *Michaelis*, & poſtea ad propria transfretavit. Eodem anno, *Henricus* Romanum adeptus Imperium, imperavit annis triginta quinque. Eodemque tempore Rex *Henricus* dedit Epiſcopatum Herfordenſem *Reinelmo* cuidam, ſine electione facta, & contra novi decreta concilii, ipſum publicè inveſtivit.

ANNO Domini M. CII. Rex Anglorum *Henricus* obſedit caſtellum Arundel, quod erat juris *Roberti* de Beleaſmo contra Regem illud retinentis. Sed cum difficile eſſet expugnatu, caſtellum aliud ligneum contra illud conſtruxit, & interum caſtellum de Bruges obſedit & cepit, donec redditum erat ei caſtellum Arundel: Et capto municipio, Rex *Robertum* de Beleaſmo ex Anglia proſcripſit. Eodem anno *Anſelmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus concilium tenuit Londoniis in eccleſia ſancti *Pauli*, præſente Rege, & ſuffraganeis Epiſcopis circa feſtum ſancti *Michaelis*. In hoc concilio ſacerdotes concubinarios excommunicavit, niſi eas de cætero amoverent. Hoc autem bonum quibuſdam viſum eſt, & quibuſdam periculoſum: Ne dum mundicias viribus majores expeterent, in immunditias laberentur deteriores. Deinde Regi, quæ Romæ decreta in concilio generali acceperat de inveſtituris eccleſiarum plano ſermone deſcripſit: Quòd videlicet nullus eccleſiarum Prælatus, Epiſcopus, vel abbas, vel clericus, inveſtituras alicujus eccleſiaſticæ dignitatis de manu ſuſcipiat laicorum. Unde idem Archiepiſcopus degradavit Abbates quoſdam, qui de manu laicorum, & data pecunia, Abbatias obtinuerant: Inter quos fuerunt *Richardus* Elienſis, *Aldewinus* Remeſienſis, Burgenſis, *Tamſtokenſis*, *Cernelenſis*, & *Middletunenſis*, quorum nomina non tenemus. Et quoniam ad juſſionem Regis quoſdam Epiſcopos, qui inſtitutiones à Rege ſuſceperant, conſecrare noluit, vel eis communicare, Rex vehementer iratus præcepit *Girardo* Eboracenſi Archiepiſcopo, ut eos conſecraret: Sed *Willielmus Giffardus* Wintonienſis electus, qui conſecrari debuit, *Girardi* ſprevit conſecrationem: Quare Regis judicio eliminatur à regno. *Reinelmus* verò Herefordenſis antiſtes, eo quòd à Rege inſtitutionem acceperat, ei ſuum reddidit præſulatum. *Conſilium habitum Londoni.*

ANNO Domini M. CIII. *Anſelmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, poſt multas tribulationes & injurias, quas à Rege perpeſſus fuerat, Romam perrexit, ſicut inter ipſum & Regem convenerat, ducens ſecum degradatos Abbates, & *Willielmum Wintonienſis* electum. Qui Romam veniens, à Papa Paſchali ſuſceptus eſt reverenter. Dehinc die pro Regiis conſtituto negotiis, *Willielmus* de Warenaſt clericus & procurator Regis Anglorum cauſam ipſius in medium tulit, ac inter alia conſtanter allegavit, quòd nec ipſe pro Regni amiſſione inveſtituras eccleſiarum amittere velit: Et hoc verbis minacibus affirmavit. Ad hæc Papa: Si quemadmodum dicis, Rex tuus nec pro regni amiſſione donationes eccleſiarum amittere pateretur, ſcias præciſè, coram Deo dico, quia nec pro mei capitis redemptione eas illi impunè permitterem obtinere. In his ergò Regis negotio terminato, *Anſelmus* Archiepiſcopus pro Epiſcopis & Abbatibus degradatis multa precum inſtantia, dominum Papam rogare cœpit, ut cum illis miſericorditer diſpenſaret, ut poſſent amiſſas recipere dignitates. Tunc ſedes clementiſſima, quæ nulli deeſſe conſuevit (dummodo albi aliquid vel rubei intercedat) præſcriptos Pontifices & Abbates ad priſtinas dignitates miſericorditer revocavit, & cùm gaudio ad proprias ſedes remiſit. Eodem anno *Robertus* dux Normannorum, cauſa fratris ſui & Regis verſutia, tria millia marcarum argenti, quas Rex illi ſingulis annis reddiderat, condonavit. In Anglia peſtifera mortalitas animalium, maxima quoque hominum hoc tempore fuit. Anſelmus *Romam ſecum duxit degradatos.* *Romæ omnia auro & argento etiam tunc temporis erant venalia.*

CIRCA dies iſtos, multi nobiles de finibus occidentis cruce ſignati ad iter ſe accingentes, Duces habuerunt nobiles viros & potentes, *Willielmum* Aquitaniæ ducem, *Hugonem* magnum comitem Viromadenſem, qui nuper ab eadem peregrinatione redierat, *Stephanus* Carnotenſis & Bleſenſis comes, cum *Stephano* comite Burgundenſi. Hi omnes uno eodemque deſiderio accenſi, cum turba non modica Conſtantinopolim pervenerunt. Ubi ab Imperatore Alexio reverenter, ſed doloſè ſuſcepti, invenerunt ibi comitem *Tholoſanum*, qui ſemel peregrinatione incepta nunquam ad propria redire propoſuit. Qui omnes ſumpta ab Imperatore licentia, comitem *Tholoſanum* quaſi productorem habentes, tranſito Helleſponto, Nicæam Bithyniæ urbem attigerunt. Tunc Imperator Alexius & proditor nequiſſimus noſtrorum invidens ſucceſſibus, Turcis infidelibus per quorum terras peregrini tranſituri erant, crebras tranſmiſit epiſtolas, exhortans attentiùs ne tantum Chriſtianorum populum liberè tranſire in ſuam perniciem paterentur. Noſtri autem nimis inconſultè agentes, & nihil ſiniſtri ſuſpicantes, diviſis agminibus incedebant, vinculum charitatis non habentes: Unde dati ſunt in manus inſidiantium Turcorum, ita quod ex eis una die ceciderunt in ore gladii plus quàm quingenta millia peremptorum. Quibus autem conceſſum eſt hoſtium manus effugere, amiſſis omnibus, apud Tharſum Ciliciæ convenerunt, & defuncto ibi *Hugone* magno, & in eccleſia doctoris gentium ſepulto, Antiochiam profecti ſunt, indeque Hieroſolymam feſtinantes Tortoſam pervenerunt, urbemque obſidione vallantes, infra dies paucos obtinuerunt eam, civibus interemptis, aut mancipatis perpetuæ ſervituti. *Nobiles multi Imperatoris dolo perierunt.* *Tortoſa expugnatur.*

H UB

1104.

Rex Hieroſolymarum tres civitates ſubegit. Aſur oppidum expugnatum.

SUB his quoque diebus in portu Joppenſi magna Januenſium claſſe appulſa, & in Paſchali ſolennitate Hieroſolymam aſcenderunt. Horum Rex Hieruſalem *Baldewinus* fultus auxilio, Aſur oppidum maritimum obſedit, & illud potenter ſubjugavit, & in eo cuſtodibus relictis, Cæſaream uſque pervenit. Quam Rex cum magno labore ſuorum effractam ingreſſus interfectis civibus, ſpolia ibidem impreciabilia obtinuit, quæ ſuis auxiliariis largiter erogavit. Erat autem in una parte hujus civitatis templum deorum, ad quod populus cauſa obtinendæ ſalutis confugerat, ſed illo confracto, tanta ibi ſtrages facta eſt, ut horror eſſet occiſorum multitudinem intueri. In illo autem oratorio vas viridiſſimi coloris repertum eſt, in modum paropſidis formatum, quod Januenſes ſmaragdinum reputantes, pro magna pecuniæ ſumma receperunt, & pro ornatu precioſo ſuæ illud eccleſiæ obtulerunt. Adducti ſunt autem coram Rege procurator civitatis, qui lingua eorum Emyr dicebatur, & Juridicus qui Cadmus appellabatur, qui ob ſpem maximæ redemptionis ſunt compedibus mancipati. Rex verò conſtituit ibi Archiepiſcopum *Baldewinum* quendam, qui cum duce *Godefrido* illuc advenerat, & relicto ad cuſtodiam civitatis præſidio militari, ad Ramulam feſtinavit. Miſit eo tempore Calyphus Ægypti principem militiæ ſuæ contra Regem *Baldewinum*, cum undecim millibus equitum, & viginti millibus peditum, præcipiens, ut populum inopem & mendicum à ſuis (ut dicebant) finibus propulſarent.

Baldewinus Ægyptios prælio ſuperat.

Quos cùm Rex advenire cognoviſſet, obviavit illis intrepidus cum equitibus ducentis & ſexaginta, & peditibus nongentis: Et invocato de ſupernis auxilio, viriliter irruerunt in hoſtes, quibus in fugam compulſis, inſequuti ſunt eos fideles uſque Aſcalonem, ſtragem operantes non modicam, per octo milliaria: Et nocte illa victores in campeſtribus quieverunt. Ceciderunt quoque ex hoſtibus quinque millia virorum, & ex noſtris equites ſeptuaginta, pedites autem plures, quorum tamen certus numerus non habetur. Principibus interim occidentis, de quibus ſuprà retulimus Hieroſolymam feſtinantibus, Rex Hieruſalem obviam eis adveniens in ſanctam Civitatem cum gaudio introduxit.

Diſſidium inter Henricum primum & Ducem Robertum.

ANNO Domini M. CIV. Surrexit inter Regem *Henricum* & *Robertum* Normanniæ ducem fratres, cauſis intercedentibus, diſcordia, unde Rex miſſa in Normanniam expeditione militari, eaque à quibuſdam proditoribus Ducis recepta, prædis & combuſtionibus non modicam cladem rebus Ducis ſubitò intulit. Sed *Willielmus* comes Moretonii cauſa perfidiæ nuper à Rege proſcriptus ab Anglia, animo perfecto, ut vir ſtrenuus, regalibus turmis audacter bellum indixit. Sed dux *Robertus* fratris ſui divitias metuens, caſtella ſua, & terræ infirmiora in quantum potuit communivit. Eodem anno, apparuerunt in meridie circa ſolem quatuor circuli albi coloris.

Anſelmus Angliam adire cogitans per Regium procuratorem impeditur.

HOC quoque tempore, Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus à Roma rediens, cum Lugduno appropinquaſſet, *Willielmus* de Warenaſt Regis Anglorum procurator, de quo ſuperiùs mentionem fecimus, interdixit ex parte domini ſui, ne rediret in Angliam, niſi omnes patris ac fratris ipſius conſuetudines ſe ei fideliter promitteret ſervaturum. Quod ille audiens admiratus eſt, ſciens ſe alia conditione ab Anglia receſſiſſe. Perveniens autem Lugdunum reſedit cum Hugone Archiepiſcopo civitatis, omnibus quæ Dei ſunt diligenter intendens. Rex autem *Henricus*, ut comperit tam Papam quàm Archiepiſcopum in ſua perſtare ſententia, mox Archiepiſcopatum in dominium ſuum redegit, & Anſelmum bonis omnibus ſpoliavit.

CIRCA dies iſtos Arabitæ cum Ægyptiis fines Chriſtianorum apud Lyddam, Sauranam, & Ramulam ingreſſi, ad numerum viginti millium, prædis ibi inſtabant & rapinis. Quod ut Regi Hieruſalem *Baldewino* nunciatum fuiſſet, præter morem nimis inconſultè agens, non convocatis ex urbibus finitimis militaribus copiis, ſed de ſua virtute præſumens, vix ducentos ſecum habens equites, contra hoſtes prorupit.

Temerarium prælium Baldewini regis.

Sed noſtrorum paucitas à tanta infidelium multitudine oppreſſa, cæſis pluribus, in fugam eſt compulſa. Qui autem evadere potuerunt, ad Ramulam oppidum confugerunt. Ceciderunt ibidem uterque comes *Stephanus*, qui nuper advenerant, & alii nobiles multi, quorum nomina ſcripta habentur in libro vitæ. Rex verò licet de oppidi ſecuritate non multum confideret, tamen ut mortis diſpendium declinaret, illud ingreditur, ſpem non habens aliam evadendi.

Baldewinus beneficio Arabis cujuſdam hoſtes evadit.

Cumque de vita deſperans, in craſtino metueret ab hoſtibus obſideri, ecce intempeſtæ noctis ſilentio affuit ſupradictus ille princeps nobilis de Arabia, cujus uxori (ut præmiſimus) Rex tantam exhibuerat humanitatem, dum in partu laboraret: Et voce ſuppreſſa iis qui in muro erant, hoc modo loquebatur: Verba habeo (inquit) ad Regem ſecretiora, quæ perfero, facite ut introducar ad ipſum. Qui coram Rege adductus, inſtruit eum, ut de oppido egrediatur, promittens ſecurè, quòd ipſum ſub tuto conſtituet, ſi ſine tumultu exeat & cum paucis. Conſilium enim inierant Arabes (ut teſtabatur) quòd ſummo diluculo caſtrum obſiderent. Tandemque egreſſus Rex cum paucis, amicum ſequens, ad montana conſcendit. At vir nobilis ille ab eo digrediens, opportunum Regi tempore congruo promiſit obſequium. Rex verò duobus ſociis comitatus, per medias hoſtium inſidias *Aſſur* uſque pervenit: Ubi à ſuis cum gaudio exceptus eſt, & ſumpto cibario confortatus.

Ramula ab hoſtibus fidei capitur.

Hoſtes autem victoria potiti, in craſtino Ramulam obſederunt: Quam violenter ſubjugantes, fideles qui in præſidio erant, partim neci, partim tradiderunt perpetuæ ſervituti. Venit interea *Hugo* de ſancto Audemaro, cui

1106.

Victoria Baldewini.

cui Rex dederat urbem Tiberiadenſem, apud Aſſur ad Regem cum equitibus octoginta. Quorum Rex fretus auxilio, aſſumptis ſecum Joppitis cum equitibus nonaginta, in ſpem bonam erectus, decrevit hoſtibus occurrere, & injurias eis refundere cum uſuris. Erant autem prope Hoſtes quaſi ad tria milliaria, & ecce Rex cum ſuis, infuſa de ſupernis virtute & divina gratia præeunte, in hoſtes potenter irruens, eorum agmina diſſolvit, & interfectis ex eis non paucis, cæteros compulit fugam inire. Deinde in caſtra hoſtium reverſi fideles, ſpolia cum aſinis, camelis, papilionibus, & tentoriis, alimentorumque copiis colligentes, quaſi per menſes ſeptem imbelles, poſtea quieverunt. Eodem tempore dominus *Tancredus*, Appamiam Cæloſyriæ metropolim obſedit & cœpit. Inde Laodiceam tranſiens, illam recepit in ſuam. His autem urbibus ampla nimis cum oppidis, ſuburbanis multis territoria adjacebant. Eodem etiam tempore *Boamundus*, Antiochenorum princeps, poſt annos quatuor ſuæ captionis, pretio interveniente redemptus, Antiochiam eſt reverſus.

Boamundus *poſtquam quadriennio vinculis detentus fuiſſet, liberatur.*

EODEM anno Rex Hieruſalem *Baldewinus*, Ptolomaidam civitatem maritimam, provinciæ Phœnicis, obſidione vallavit. Hæc autem urbs portum habens infra mœnia & extra, tranquillam præbere poteſt navibus ſtationem. Hanc gemini fratres *Ptolomæus* fundaſſe & *Achon* perhibentur, quam inter ſe dividentes, & muris eam ſolidis per gyrum vallantes, à *Ptolomæo*, Ptolomaidam, & ab *Achone*, Achon ſive Acharon vocabulum indiderunt. Obſeſſa igitur civitate per terram à Rege ſuiſque principibus, & à claſſe Januenſi navibuſque roſtratis, quas galeias appellant, per mare, introitum civibus & exitum auferebant. Machinis tandem circumpoſitis, crebris aſſultibus, tàm à Rege per terram, quàm à claſſe, per oram maritimam, multos ex civibus, variis eventibus peremerunt. Cumque per dies viginti continuos, noſtri oppugnando, illique injurias à ſe propulſando deſudaſſent, hac conditione Regi civitatem tradiderunt, ut qui egredi vellent, cum uxoribus, liberis & rebus omnibus, liberum haberent exitum: Et qui in domibus manere eligerent, data Regi ſingulis annis bonis conditionibus pecunia, ſub illius protectione manerent ſecuri. Hic primùm per mare accedentibus ad terram ſanctam, patuit ſecura tranquillitas, littore ab hoſtibus aliquantulum expedito. Eodem anno *Boamundus*, & *Baldewinus* comes, cum *Tancredo* & *Jocelino* eorumque legionibus univerſis, Euphratem tranſeuntes, Carram civitatem, de qua in geſtis *Abrahæ* legitur, obſederunt. Cives autem de ſubventione diffidentes, noſtris civitatem obtulerunt: Sed ſtimulante invidia, effuſa eſt contentio inter *Boamundum* & *Baldewinum*, quis eorum urbem obtineret in ſuam. Et differentes uſque mane, urbem oblatam occupare, donec de illa quæſtione frivola plenius diſcuteretur, antequam dies illuceſceret, tanta hoſtium adfuit multitudo, ut noſtri de vita etiam deſperarent. Patriarchæ autem qui affuerunt, verbis exhortatoriis noſtris animos addere nituntur: Sed gratia deſtituti divina, nec verbis nec admonitionibus adjuvantur. Nam ſtatim in primo conflictu, noſtri ignominiosè terga oſtendentes, caſtraque cum ſarcinis deſerentes, fuga ſalutem quærebant, quam non poterant invenire. Capti ſunt ibi comes Edeſſanus *Baldewinus*, & conſanguineus ejus *Jocelinus*, fugientibus *Boamundo* & *Tancredo* cum duobus Patriarchis, donec ad urbem Edeſſam incolumes pervenerunt. Tunc tradita eſt civitas Edeſſana & provincia tota ſub cuſtodia Domini *Tancredi*, donec *Baldewinus* à carcere ſolveretur.

Ptolomaide *obſeſſa.*

Deditio Ptolomaidæ.

Cruce ſignati Carram obſidentes, ſuperveniente inteſtino diſſidio & externis hoſtibus in fugam compelluntur.

ANNO Domini M.C V. Rex Anglorum *Henricus*, transfretavit in Normanniam, contra fratrem ſuum ducem Normannicum certaturus. Conquæſivit igitur *Cadomum* & *Bajocum* conſulis auxilio Andegavenſis, cum aliis caſtellis multis: Et omnes ferè ſeſe Regi Normanniæ principes ſubdiderunt. Eodem tempore *David* frater Reginæ Anglorum *Matildis*, venit in Angliam, ut ſororem ſuum viſitaret. Qui cùm nocte quadam in Thalamum ejus ab ipſa vocatus veniſſet, domum invenit leproſis plenam: Et Regina in media ſtans, depoſito pallio, linteo ſe utriſque manibus præcinxit, & aqua impoſita, cœpit lavare pedes eorum, & extergere linteo, & utriſque manibus conſtrictos, cœpit devotiſſimè oſculari. Cui frater: Quid eſt quod agis? O Domina mea! Certè ſi Rex ſciret iſta, nunquam dignaretur os tuum leproſorum pedum tabe pollutum, ſuis labiis oſculari. Et illa ſubridens ait: Pedes Regis æterni, quis neſcit labiis Regis morituri, eſſe præferendos? Ecce, ego idcirco vocavi te frater chariſſime, ut exemplo meo talia diſcas operari: Fac rogo quod me facere intueris. Cui cum frater reſpondiſſet, ſe nullo modo talia facturum, illa cœptis inſiſtente, *David* ſubridens remeavit. Eodem anno Rex *Henricus* diſpoſitis in Normannia rebus neceſſariis ad Angliam transfretavit, ut multiplicatis viribus, fortior remearet.

Rex Henricus *in Normanniam trajecit.*

Pietas Reginæ Matildis.

Rex Henricus *reverſus in Angliam majoribus comparatis copiis in Normanniam rediit.*

ANNO Domini M. C VI. dux Normannorum *Robertus* venit ad fratrem ſuum apud Northamptonam, amicabiliter petens ab eo, ut ablatam ſibi fraternam redderet gratiam: Sed Deus eorum concordiæ non conſenſit. Rex itaque *Henricus* ſentiens conſcientiam ſuam in obtento regni cauteriatam, erat quippe eleganter literatus, utpotè à primæva ætate præcepto patris addictus literis & jam in jure, quod audierat ſecretò expeditus, cœpit in ſemetipſo impetus inſurgentium formidare, & Dei judicium in ipſum fulminare, eo quòd fratri ſuo primogenito, cui jus regni maneſeſtè competebat, temerè uſurpando, injuſtè nimis abſtulerat. Sed plus timens homines quàm Deum, regni nobiles primo ſubdolis

1107. pollicitis inclinando conciliavit, cogitans poſteà per fundationem Abbatiæ, quam conſtruere propoſuerat, de tanta injuria Deo ſatisfacere. Magnatibus igitur regni ob hoc Londonium edicto Regio convocatis, Rex talibus allòquiis ſuper mel & favum, oleumque mellitis & mollitis blandiens, dixit:

Oratio Regis Henrici ad Anglos.

Amici & fideles mei indigenæ ac naturales, noſtis veraci fama referente, qualiter frater meus *Robertus*, electus, & per Deum vocatus eſt, ad regnum *Hieroſolymitanum* fœliciter gubernandum, & quàm frontosè illud infœliciter refutaverit, meritò propterea à Deo reprobandus. Noſtis etiam in multis aliis ſuperbiam & ferocitatem illius: Quia vir bellicoſus, pacis impatiens eſt, voſque ſcienter quaſi contemptibiles, & quos deſides vocat & glutones, conculcare deſiderat. Ego verò Rex humilis & pacificus, vos in pace in antiquis veſtris libertatibus, prout crebriùs jurejurando promiſi, geſtio confovere, & veſtris inclinando conſiliis, conſultiùs ac mitiùs, more manſueti principis, ſapienter gubernare, & ſuper his (ſi provideritis) ſcripta ſubarata roborare, & iteratis juramentis prædicta certiſſimè confirmare, omnia videlicet, quæ ſanctus Rex *Edwardus*, Deo inſpirante, providè ſancivit, inviolabiliter jubeo obſervari. Ut mecum fideliter ſtantes, fratres mei, immò & mei & totius regni Angliæ hoſtis cruentiſſimi injurias potenter, animosè ac voluntariè propulſetis. Si enim fortitudine Anglorum roborer, inanes Normannorum minas nequaquam cenſeo formidandas. Talibus igitur promiſſis, quæ tamen in fine impudenter violavit, omnium corda ſibi inclinavit, ut pro ipſo contra quemlibet uſque ad capitis expoſitionem dimicarent. Dux autem in Normanniam iratus perrexit, & Rex ipſum ſecutus eſt uſque in Herchebrai caſtellum, trahens ſecum omnes ferè proceres Normanniæ & Andegaviæ, robur Angliæ & Britanniæ, ut fratrem debellaret.

Robertus dux Normannorum victus & captus.

Venit itaque dux *Robertus* Normannicus & cum eo *Robertus* de Beleaſmo, & conſul *Moretonii*, & alii fautores ejus, ut obſidionem ſolverent inchoatam: Ubi fautores Ducis in caſtellum munitiſſimum ſeſe receperunt. Duce verò declinante, milites ipſius obſidionem Regis imperterritè expectârunt, ſe viriliter defendentes. Tandem *Robertus* buccinis perſtrepentibus, cum paucis multos audacter invaſit. Erat enim expertus in *Hieroſolymitanis* congreſſionibus, unde regales aggreſſus acies, fortiter eas repulit & horrendè. *Willielmus* nihilominùs Comes Moretonii, aciem Anglorum de loco in locum perturbans, promovit, & ferè in fugam compulit: Sed Rex *Henricus* cum ſuis aciebus equeſtribus, & aliis infinitis, qui pedites erant, ut conſtantiùs pugnarent, fugam prohibuit omnium, & eos ad pugnam animavit. Tandem acies equeſtris Britonum in aciem Ducis ex adverſo irruens, eam potenter diffidit, & quaſi mole magnitudinis oppreſſa, gens Ducis diſſoluta eſt & victa. In hoc opere potiſſimè, potentiſſimus laudandus fuit *Willielmus* de Albenejo Brito, qui gladio diſcurrens inter acies extracto, belli negotium conſummavit. Capti ſunt itaque dux Normannorum fortiſſimus, & conſul Moretonii *Willielmus*: *Robertus* verò de Beleaſmo fuga ſibi conſuluit, cùm complices ſuos retentos conſpexit, octavo Kalendas Maii. In hoc quoque facto reddidit Deus vicem *Roberto*, quem cùm in actibus *Hieroſolymitanis* glorioſum reddidiſſet: Oblatum ſibi reſpuit regnum, magis eligens quieti & deſidiæ in Normannia deſervire, quàm Domino regum omnium in ſancta civitate famulari.

Prodigia ante captivitatem ducis Willielmi viſa.

In hujus rei ſignum eodem anno cometa apparuerat, à ſole diſtans quaſi cubito uno, ab hora tertia uſque ad horam nonam, radium ex ſe longum emittens. Viſæ ſunt etiam in cœna Domini lunæ binæ & plenæ, una in oriente, & altera in occidente. Sicque impletum eſt, quod Rex *Willielmus Henrico* filio ſuo moriens dixit.

Vaticinium Willielmi Conqueſtoris.

Nam cùm *Roberto* Normanniam & *Willielmo* Angliam legaret, cum lacrymis ad patrem ait: Et mihi pater quid tribuis? Cui pater, Quinque millia librarum argenti de theſauris meis tibi dabo. Ad hæc *Henricus*: Quid faciam de theſauro, ſi locum habitationis non habuero? Cui Rex: Æquanimis eſto fili, & comfortare in Domino, pacificè ſuſtine, ut fratres tui majores te præcedant, tu autem tempore tuo honorem totum, quem adquiſivi, habebis, & fratribus tuis divitiis & poteſtate præcelles. Hic conſtitutus eſt ordo Canonicorum Sareſbiriæ.

Anſelmus in Angliam redit.

ANNO Domini M. CVII. cùm Rex *Henricus*, deletis vel ſubjectis hoſtibus, pro voluntate Normanniam diſpoſuiſſet, venit apud Beccum ad *Anſelmum* Cantuarienſem Archiepiſcopum: Ubi intervenientibus utrorumque amicis, in pacem & concordiam convenerunt. Et Archiepiſcopus rogatu Regis in Angliam rediens, priſtinam ab eo obtinuit dignitatem. Rex autem Archiepiſcopum ſequutus in Angliam, *Robertum* fratrem ſuum & *Willielmum Moretonii* conſulem perpetuo carceri mancipavit. Eodem tempore dux *Robertus* immemor illius boni conſilii, Humiliamini ſub potenti manu, in ampulloſa verba & minas prorupit, falſis pollicitis & præcipuè comitis Ceſtren. animatus. Deceptis igitur cuſtodibus, conatus eſt evadere: Sed fugiens ab eiſdem captus eſt, incidens ſuo manno in Bitumen profundum. Fuerat autem reverenter in libera cuſtodia detentus.

Dux Robertus luminibus privatur.

Quod cum Regi nunciaretur, juſſit eum arctiori carceri & cuſtodiæ mancipatum, fulgenti obſtaculo oculorum luce privari. Mutatoria autem quaſi ſua, ei non ſubtraxit. Dux verò ex illa hora uſque ad mortem, mente & corpore inconſolabili dolore contabuit. Rex verò ex omni ſuſpicione liberatus, dedignabatur, quæ promiſerat magnatibus ſuis adimplere, minas minis accumulando, qui omnes conqueſti ſunt coram Deo ultionem Domino. Dedit autem Deus Rex omnipotens Regi *Henrico* tria munera, ſapientiam ſcilicet, victoriam & divitias, quibus

ad

1109.

ad omnia proſperans, omnes ſuos prædeceſſores præceſſit, ſed in his omnibus factus eſt Deo ingratiſſimus. Eodem anno factus eſt conventus epiſcoporum & Abbatum pariter & magnatum Londoniis in Palatio Regis, præſidente Archiepiſcopo *Anſelmo*, cui innuit Rex *Henricus* & ſtatuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per donationem baculi paſtoralis vel annuli, quiſquam de epiſcopatu vel Abbatia per Regem vel quamlibet laicam manum inveſtiretur in Anglia: Conſedente Archiepiſcopo, ut nullus ad Prælationem electus, pro homagio, quod regi faceret, conſecratione ſuſcepti honoris privaretur. Eodem anno conſecrati ſunt epiſcopi, *Willielmus* Wintonienſis, *Rogerus* Sariſberienſis, *Reinelmus* Herefordenſis, *Willielmus* Oxonienſis, & *Urbanus* Clammorganenſis, ab *Anſelmo* Cantuarienſi Archiepiſcopo apud Doroberniam, die Dominica, tertio Idus Auguſti. Obiit etiam eodem tempore *Mauritius* epiſcopus Londonienſis eccleſiæ ſancti *Pauli* fundator, & Rex Scotorum *Eadgarus*, cui ſucceſſit frater ejus *Alexander*. Normannus Prior, fundavit eccleſiam Chriſti Londonenſis, ſub ordineque ſancti *Auguſtini* Canonicos collocavit.

Pactum inter Regem Henricum & Anſelmum Archiepiſcopum.

Mauritius epiſcopus Londonienſis eccleſiæ ſancti Pauli fundator & Eadgarus Rex Scotorum moriuntur.

ANNO Domini M. CVIII. defuncto *Girardo Eboracenſi* Archiepiſcopo, *Thomas* Regis capellanus, ad illius eccleſiæ eligitur prælulatum. Sed continuò facta electione, *Anſelmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus interdixit ei, ne curam paſtoralem in aliquo exerceret, donec ſibi & eccleſiæ Cantuarienſi ſubjectionem faceret, & obedientiam canonicam, quam ſibi fecerant prædeceſſores ejus, *Thomas* & *Girardus*, ex conſuetudine debita & antiqua: Quod ſi hæc inquit facere nolueris, omnibus Britanniæ epiſcopis ſub anathemate interdicam, ne ullus eorum tibi manus ad promotionem imponat, nec, ſi ab exteris promotus fueris, pro epiſcopo te ſuſcipiant, vel pro epiſcopo communicando te habeant. Eodem anno *Richardus* de Beaumeis Londonienſis electus, conſecratur ab *Anſelmo* Cantuarienſi Archiepiſcopo apud *Pagham*, præſentibus ſuffraganeis multis. Eodem tempore Regi Francorum *Philippo* defuncto, *Lodowicus* ſucceſſit.

Authoritas Archiepiſcopi Cantuarienſis.

ANNO Domini M. CIX. *Anſelmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus & Chriſti philoſophus, in Quadrageſima octavo Kalendas Maii, ſcilicet die ſancti Marci, diem clauſit ſupremum: Cujus vitam laudabilem, cujus actus eximios, cujus tranſitum ab hac luce cœleſtem ad patriam, crebra ejus miraculorum inſignia perſequuntur. Anno quoque eodem celebris habebatur epiſtola, quæ dicebatur cœlitùs miſſa in manus cujuſdam Prælati, dum miſſam celebraret, ad temperandas Romanorum enormitates, quæ indies ſuccreverunt. Excitabitur Roma contra Romanum, & Romanus ſubſtitutos, Roman Romano imminuet. Allevabuntur vires paſtorum, & ſolatium eorum erit in otio. Turbabuntur ſeduli & orabunt, & in lacrymis multorum erit requies, humilis alludet furibundo, & furor extinguens palpabitur. Novus grex ſperet ad cumulum, & qui intitulantur, tenui cibo cibabuntur. Fruſtrata eſt ſpes ſperantium, & requieſcit ſolatium, in quo parat fiduciam. Qui in tenebris ambulant, ad lucem redibunt: Quæ erant diviſa & diſperſa, conſolidabuntur. Non modica nubes incipiet pluere, quia natus immutator ſæculi, leoni ſubſtituitur agnus, & agni in leones deprædabuntur. Surget furor contra ſimplicem, & ſimplicitas attenuata, ſpirabit. Decor convertetur in dedecus, & gaudium multorum erit luctus. Eodem anno miſſi ſunt nuntii ſolennes, ab Imperatore Romanorum *Henrico*, in Angliam, filiam *Matildem* in domini ſui conjugium poſtulantes. Tenuit itaque Rex apud Weſtmonaſterium in Pentecoſtes, curiam ſuam, qua nunquam tenuerat ſplendidiorem, & ſacramenta de conjugio filiæ ſuæ, ab Imperatoris legatis petiit & accepit. Data eſt igitur filia Regis Imperatori, ſicut decuit: Ut breviter dicatur, Rex cepit ab unaquaque hyda terræ totius Angliæ, tres ſolidos. Eodem anno convenerunt, Rege jubente, Londini in eccleſia beati *Pauli*, *Richardus* Londonienſis, *Willielmus* Wintonienſis, *Radulphus* Roffenſis, *Herebertus* Norwicenſis, *Radulphus* Cíceſtrenſis, *Ranulphus* Dunelmenſis, & *Herveus* Bagornenſis epiſcopi, quinto Kalendas Julii, die Dominica, ad conſecrationem *Thomæ* Eboracenſis electi: Ubi eccleſiæ Cantuarienſi & epiſcopis ejus catholicè ordinatis, facta canonica obedientia, conſecratus eſt à *Richardo* Londonienſi. Eodem anno, Rex *Henricus Helienſem* abbatiam ad epiſcopalem tranſtulit ſedem, & *Herveum* ibi fecit epiſcopum ordinari. Nam defuncto *Richardo*, qui ultimus fuit Abbas in inſula & comitatu de Cantabregge, epiſcopo Lincolnienſi ſubtracto, huic novo pontifici lege dioceſanâ, ſubjicitur comitatus.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis moritur.

Epiſtola cœlitùs mittitur.

Matildis Regis Henrici filia Imperatori Henrico deſponſatur.

Thomas Eboracenſis canonicam obedientiam eccleſiæ Cantuarienſi præſtat.

CIRCA hos denique dies, *Boamundus* Antiochenorum princeps memor injuriarum, quas *Alexius* Imperator, vir malicioſus & nequam, peregrinis *Hieroſolymam* tranſire volentibus, ſine intermiſſione irrogabat, communem volens ulciſci querimoniam, equitum quinque millia & peditum quadraginta millia virorum fortium congregavit, & terram dicti Imperatoris hoſtiliter ingreſſus, univerſas penè maritimas urbes in direptionem dedit: Deinde Epirum depopulatus eſt, tam primam quàm ſecundam. Et tandem Brachium obſidens Epiri primæ Metropolim, regionem undique incendiis conſumpſit, & rapinis. Quod audiens Imperator, cum ingenti militia in ſuccurſum venit: Sed intervenientibus amicis, Imperator fœdus iniit cum eo, interpoſitis juramentis, quòd ultra Chriſti fidelibus in Orientem tranſire volentibus, ſine fraude conſilium ad iter peragendum miniſtraret. Et ſic fœdere confirmato, idem *Boamundus* in Apuliam deſcendit, familiaribus negotiis evocatus. Sequente verò æſtate dum Antiochiam redire diſponeret, copiis militaribus undique collectis, valida

Expeditio Boamundi in Imperatorem Conſtantinopolitanum.

Boamundus in Apuliam redit.

ægri-

1107. ægritudine correptus, in fata conceſſit, relicto filio nomine *Boamundo*, quem ex *Conſtantia* genuerat, filia Regis *Philippi* Francorum. Obiit autem eodem tempore, idem Rex Francorum *Philippus* vir illuſtris, & ſucceſſit ei filius ejus *Lodowicus*, viginti octo annis. Per idem tempus *Baldewinus* comes Edeſſanus & *Jocelinus* conſanguineus ejus datis pro redemptione obſidibus, à Turcorum vinculis liberantur: Et poſt dies paucos iidem obſides ad propria ſunt reverſi, cuſtodibus interfectis. Eodem anno *Bertrannus* comes *Tholoſanus*, comitis *Reimundi* filius, apud urbem Tripolitanam cum claſſe Januenſium applicans, Biblum urbem maritimam Phœnicis regionis obſedit & cepit, & Chriſtianæ reſtituit unitati. Deinde poſt dies paucos, Rex *Hieruſalem Baldewinus*, auxilio ejuſdem comitis & claſſis prædictæ Tripolim ſubjugavit, & eam Comiti Bartranno donavit.

Boamundus *moritur, cui ſuccedit* Boamundus *filius.* Philippus *Rex Francorum moritur, cui* Lodowicus *ſuccedit.* *Biblum à Comite* Tholoſano *& Tripolis à* Baldewino *Rege capta.*

ANNO Domini M. CX. Rex Anglorum *Henricus* exhæredavit *Philippum* de Brauſia, *Willielmum* quoque Malet, & *Willielmum Binard*, & alios proditores ſuos, atque *Heliam* Cœnomanniæ Comitem, qui comitatum illum de Rege tenebat, vita privavit. Quod audiens comes *Andegavenſis Gaufridus*, ſuſcepit filiam ejuſdem *Heliæ* cum comitatu illo, & tenuit illum contra Regem *Henricum*. Luna quoque quaſi extincta facta eſt. Eodem anno *Richardus* Abbas ſancti Albani, precioſas beatiſſimi Regis & martyris *Oſwini* reliquias, cum magno cleri & populi tripudio, in novam Dei genetricis *Mariæ* tranſtulit baſilicam apud *Tinemutham*, ab antiquo ejuſdem Dei genetricis oratorio, in quo corpus ejus ſanctiſſimum fuerat primùs inventum, & in novo feretro collocatum. Facta eſt autem hæc tranſlatio in die paſſionis ejuſdem martyris, decimo Kalendas Septembris, ſecundum Rotulam Cancellarii. Rex *Henricus* dedit filiam ſuam *Matildem* Imperatori *Alemanno*, anno eodem. Eodem etiam anno ſanctus *Godricus* apud *Finchale* vitam heremeticam inchoavit, quam per annos ſexaginta laudabiliter complevit, carne tandem ſolutus, cœli palatium conſcendit, æternalibus deliciis ibidem fruiturus cum ſanctis. Hoc etiam anno Cometa apparuit more inſolito: Nam cum ab Oriente ſurgens, in firmamentum aſcendiſſet, non progredi, ſed regredi videbatur. Eodem verò tempore Rex Hieruſalem *Baldewinus*, Beritum civitatem Phœnicis regionis maritimam potenter ſubjugatam, catholicæ reſtituit unitati. Eſt autem ſita inter Biblum & Sydonem civitates.

Filia Regis Henrici, *Imperatori nubit.*

Beritum civitas ſubjugata.

ANNO Domini M. CXI. Rex Anglorum *Henricus* pergens in Normanniam contra comitem Andegavenſem, qui Cœnomanniam eo tenebat invito, werræ leges contra eum ferro ſimul & incendio conſtanter exercuit, ipſumque & terram ejus totam gravi depopulatione contrivit. Mortalitas tunc erat animalium maxima, famès valida in Normannia. *Henricus* Rex *Teutonicus*, *Paſcalem* Papam in cuſtodiam poſuit.

Paſchalis *Papa ab Imperatore carceribus traditur.*

EODEM tempore *Rogerus* Sariſberienſis epiſcopus dedit locum in Oxonia, in quo corpus beatæ *Fredeſwithæ* virginis requieſcit, cuidam canonico nomine *Wimundo*, qui multos ibi Canonicos regulariter viventes, Deoque famulantes devotiſſimè inſtituens, ſuper illos vices gerebat Prioris. Fuerat autem antiquitùs pro reverentia beatæ virginis ſanctimonialibus deputata, quæ ſponſi cœleſtis amore, ſponſum contempſit terrenum. Nam cùm Regis cujuſdam filius, ad virginis nuptias animum applicuiſſet, precibus tandem & blanditiis inaniter conſumptis, violenter contendit rem agere cum puella. Quo comperto, *Fretheſwitha* in ſylvam quandam latenter confugit: Nec tamen latibulum latere potuit amatorem, quia deſidia non defuit, quin diligentiùs quæreret fugientem. Virgo igitur iteratò juvenis furore comperto, per occultos tramites, Deo comitante, Oxoniam, de nocte fugiens, pervenit. Cumque mane illuc curioſus amator advolaſſet, puella de fuga jam deſperans, ſimulque de laſſitudine nuſquam progredi valens, Dei tutelam ſibi, & perſecutori pœnam anxia imprecatur: Jamque juvenis ille, cum comitibus portas urbis ſubibat, cum cœleſti plaga irruente, cœcitatem incurrit. Intellecto igitur pertinaciæ ſuæ delicto, juvenis luce privatus, & *Fretheſwitha* ut miſereretur per nuntios exortata, eadem facilitate lumen recepit, qua imprecante puella, incurrerat cœcitatem. Hinc Regibus Angliæ timor inolevit, illius urbis ingreſſum, & hoſpitium cavere, quòd feratur peſtifera eſſe illis, cum non velint rei veritatem ſuo damno & periculo experiri. Tunc virgo beata conſtructa ibidem monaſterio, virginibus congregatis, uſque ad exitum vitæ ſuæ Deo placens, illis præfuit nomine Abbatiſſæ. Hoc autem monaſterium, tempore Anglorum Regis *Ethelredi*, Danis neci adjudicatis, & cauſa ſalutis in illud confugientibus, diſcurrentibus flammis, cum eis conſumptum eſt: Sed non multò pòſt ab eodem Rege conſtructum, & competentibus eſt prædiis ampliatum. Obiit hoc anno *Robertus* Comes Flandrenſis, qui itineri *Hieroſolymitano* præclariſſimo interfuit: Unde memoria non tranſiet in æternum: Factus eſt autem Conſul poſt eum filius ejus *Baldewinus*. Eodem anno, Sydon civitas in maris margine poſita, obſidetur & capitur à Rege Hieruſalem magnifico *Baldewino*.

Caſtitas Fretheſwithæ.

Robertus *Comes Flandrenſis moritur, cui ſuccedit* Baldewinus *filius.*

ANNO Domini M. CXII. facta eſt contentio Romæ, inter Papam *Paſchalem* & *Henricum* Imperatorem, hac de cauſa: Imperator uti voluit privilegio anteceſſorum, habito annis trecentis ſub Romanis pontificibus ſexaginta, qui licitè dederant epiſcopatus & abbatias per annulum & baculum paſtoralem. E contra cenſebant Romani pontifices, nec poſſe nec debere dari per virgam, vel annulum, epiſcopatum, vel aliquam inſtitutionem eccleſiaſticam à manu recipere laicali. Facta eſt pax inter Imperatorem *Henricum* & Papam *Paſchalem*,

Controverſia inter Henricum *Imperatorem & Papam* Paſchalem *ſopitur.*

1115.

ita ut Epiſcopi deinceps & Abbates inſtitutionem accipiant ab Imperatore & ſuis ſucceſſoribus per virgam & annulum, & priùs faciant epiſcopo, ad quem pertinent, canonicam obedientiam, & conſecrationem accipiant conſuetam. Acta verò ſunt hæc ante altare Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, in oculis omnium, & ſic Papa corpus Chriſti dedit Imperatori. Obiit eodem anno *Tancredus* vir illuſtris, & in actibus *Hieroſolymitanis* magnificus, qui Princeps erat Antiochiæ & comes Edeſſanus: Cui ſucceſſit *Rogerus* filius *Richardi*, vir nobilis, ea conditione, ut quandocunque *Boamundus* junior Antiochiam repoſceret, illi ſine contradictione reſignaret. Hoc anno facta eſt hominum mortalitas maxima.

Tancredi mors.

ANNO Domini M. CXIII. Rex *Henricus* dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſem *Rodulpho* Londonienſi epiſcopo, & illum per annulum & paſtoralem baculum inveſtivit. Obiit eodem anno *Thomas Eboracenſis* Archiepiſcopus, & ei *Thurſtanus* ſucceſſit. Orta eſt autem inter *Rodulphum* Cantuarienſem & *Thurſtanum Eboracenſem* Archiepiſcopos magna diſſenſio, eo quòd *Eboracenſis* ſubjici noluit Archiepiſcopo Cantuarienſi de more, ſicut ejus anteceſſores facere ſolebant. Cauſa autem ſæpe coram Rege & Domino Papa ventilata eſt, ſed nondum ſine debito terminata. Eodem anno Rex *Henricus* exercitum ducens in Walliam, ſubdidit ſibi Wallenſes pro arbitrio Regiæ voluntatis. Eodem anno menſe Maio Cometa ingens apparuit: Et pòſt paululum, terræmotus partem urbis Mamiſtre proſtravit, non longè ab Antiochia, cum duobus caſtellis, Triphalege ſcilicet, & Mariſcum. Ipſo etiam anno Menduc Perſarum princeps, fines Chriſtianorum ingreſſus, tantam ſecum traxit armatorum copiam, ut nequirent ſub numero comprehendi. Qui regionibus multis tranſcurſis, circa pontem, ſub quo Jordanis effluit, caſtra compoſuit. Quod audiens Rex Hieruſalem *Baldewinus*, *Rogerum* principem Antiochenum in ſuum ſubſidium evocavit: Sed Rex temerarius, antequam ejus auxilia conveniſſent, impetuosè nimis, & de ſua virtute præſumptuosè confidens, hoſtibus obviam cum paucis proceſſit. Et inſidiis, quas ei paraverant, neſcienter intruſus, ex hoſtium multitudine repente oppreſſus, in fugam compellitur, & neceſſitate compulſus, in loco certaminis relicto vexillo, aufugit. *Arnulphus* quoque Patriarcha & alii principes, qui cum illo erant, relictis caſtris ac rebus omnibus, turpiter quoque aufugerunt. Ceciderunt ibi ex noſtris equites triginta, & pedites mille quingenti. Turci verò ſcientes reliquas regni partes militia carere, miſſis copiis ſuorum, cœperunt in variis partibus univerſam terram perluſtrare, cædes paſſim & incendia operari, effringere ſuburbana, captivare colonos, ex villis & oppidis prædas ſecum & manubia contrahentes. Rex autem *Baldewinus* caſtellum quoddam, quod ſui juris erat, fugiens ingreſſus, tam diu in eo ab hoſtibus obſidione vallatus eſt, quouſque eo pacto redderet eis, ut cum ſuis ad propria liber ſineretur abire.

Diſſenſio inter Cantuarienſem & Eboracenſem.

Wallenſes à Rege Henrico *domiti.*

Cometa & Terræmotus.

Rex Baldewinus *primus cum ſuis à Menduc Perſarum principe devictus.*

ANNO Domini M. CXIV. Rex Anglorum *Henricus*, fecit omnes ſuæ poteſtatis magnates, fidelitatem jurare *Willielmo* filio ſuo, quem pepererat ei *Matildis* Regina ſua. Eodem anno, menſe Decembris, cœlum repente rubens apparuit, ac ſi arderet, & luna eclipſim paſſa eſt. Quarto Kalendis Aprilis Tameſis exiccatus eſt, & mare ad duodecim milliaria, per duos dies. *Rodulphus* epiſcopus Roffenſis eligitur ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem, ſexto Kalendas Maii. Eodem quoque tempore tempeſtates multæ perſonuerunt, Cometa apparuit menſe Maii, dedicatur eccleſia Cantuarienſis.

Prodigia.

Eccleſia Cantuarienſis dedicata.

ANNO Domini M. CXV. Conſecratus eſt *Rodulphus* Cantuarienſis Archiepiſcopus Cantuariæ, ab *Anſelmo* domini Papæ legato, quinto Kalendas Julii, & pallium ab eo ſuſcepit. Et eodem die, idem Archiepiſcopus *Theophilum* Wigornienſem, & *Bernardum* Menevenſem, antiſtites conſecravit. Deinde poſt dies paucos, cum *Turſtannus* Eboracenſis electus, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi moneretur, ut more ſolito, benedictionem ab eo ſuſciperet, & ſibi obedientiam faceret & eccleſiæ Cantuarienſi: Reſpondit, ſe benedictionem ad ipſo ſuſcepturum libenter: Sed profeſſionem, quam exigebat, ſe nullo modo facturum. Quod audiens Rex *Henricus*, proteſtatus eſt manifeſtè, quòd niſi eccleſiæ Cantuarienſi, juxta morem anteceſſorum ſuorum, faceret quod debebat, ipſum Eboracenſi epiſcopatu cum benedictione funditùs cariturum. Sicque ab Archiepiſcopo Cantuarienſi interpoſita appellatione, ne ab alio quam à ſe conſecrationem acciperet, ab invicem receſſerunt.

Diſſidium inter Archiepiſcopum Cantuarienſem & Eboracenſem.

ANNO Domini M. CXVI. in contermino præteriti & ſubſequentis anni, Rex *Henricus* cum regina ſua ad natale Domini, die ſcilicet Innocentium interfuit dedicationi eccleſiæ S. Albani, quam dedicavit Archiepiſcopus *Rothom. Gaufridus*. Sed cum præ magnitudine eccleſiæ fatigaretur, ſubiit onus *Robertus* Lincolnienſis, ſub Abbate ejuſdem loci *Richardo* viro venerabili requiſitus. Interfuerunt autem huic dedicationi cum Rege & Regina ejus *Matilde*, Rothomagenſis Archiepiſcopus *Gaufridus*, Londonienſis epiſcopus *Richardus*, Saliſberienſis *Rogerus*, Dunelmenſis *Ranulphus*, cum comitibus Angliæ & Normanniæ multis, *Richardo* Abbate ipſi Regi & aliis omnibus, neceſſaria largiter procurante. Et Rex *Henricus* dedit eccleſiæ præfatæ, Biſſopeſcote in dotem perpetuam, & charta ſua ſolemniter confirmavit. Eodem anno ſurrexit diſcordia magna inter Reges Francorum & Anglorum, & hac de cauſa *Theobaldus* comes Bleſenſis nepos *Henrici* Regis, contra Regem Francorum arma promoverat. In cujus auxilium Rex *Henricus* militiam ſuam miſit, & Regem *Lodowicum* non mediocriter afflixit. Turbatus ergò Rex Francorum, convocavit in ſuum auxilium, comites Andegavenſem & Flandrenſem, qui pariter juraverunt ſe Regi *Henrico* Normanniam ablatu-

Diſſidium inter Reges Anglorum & Francorum.

Comes Flandrenſis & Andegavenſis Regis Gallorum, Comes Britanniæ Anglorum partes tenent.

1119. ablaturos, & eam *Willielmo* filio ducis *Roberti* fratris *Henrici* Regis daturos, cui juſtiùs competebat. Rex autem Anglorum, ut vir ſapiens & providus, adſcivit in ſuum præſidium comitem Britanniæ & *Theobaldum* prædictum, cum Anglis, Normannis, & Britannis, & adverſariorum ſuorum præſtolabatur adventum. Rex verò Francorum cum præfatis comminatoribus & exercitu copioſo Normanniam ingreſſus, cum in ea vix pernoctaſſet, Regis Anglorum formidans adventum, imbellis ad propria remeavit. Eodem anno, pro neceſſitate Regia, Anglia fuit variis exactionibus depreſſa.

Tempeſtas.

ANNO Domini M. CXVII. Tonitrua, grandines, & terræmotus in Longobardia eccleſias, turres, arbores, ædificia, & homines contriverunt. Luna facta eſt quaſi ſanguinea, tertio Idus Decembris. *Robertus* prior cum paucis fratribus, Meretonam primò habitare cœpit. Eodem anno venerabilis vir vitæ *Yvo*, Carnotenſis antiſtes, & in ſcripturis ſacris ad plenum eruditus, diem clauſit extremum.

Papa Gelaſius moritur. Matildis Regina moritur.

ANNO Domini M.CXVIII. Defuncto Papa *Paſchali*, *Gelaſius* antipapa, anno uno ſucceſſit, cui ſucceſſit orthodoxè *Calixtus*. Obiit etiam eodem anno *Matildis* Regina Anglorum, cujus corpus apud Weſtmonaſterium, quietem ſepulturæ accepit, & anima ejus ſe cœlum poſſidere evidentibus ſignis & miraculis crebris oſtendit. Hæc autem Regina beatiſſima, apud urbem Londoniarum domum ædificavit leproſorum, cum oratorio & ædificio competenti, quod uſque hodie hoſpitale *Matildis* nuncupatur.

Ordo militiæ Templi.

CIRCA dies iſtos viri quidam nobiles de equeſtri ordine, religioſi ac Deum timentes, in manus Patriarchæ Hieroſolymitani, Chriſti ſe ſervitio mancipantes, more Canonicorum regularium in caſtitate & obedientia propriæque voluntati renuntiantes, perpetuò vivere ſunt profeſſi. Quorum primi fuerunt viri venerabiles, *Hugo* de Paganis, & *Godefridus* de ſancto Audemaro. Qui cum certè non haberent domicilium, Rex *Baldewinus* in palatio ſuo, quod ſecus templum Domini ad auſtralem habebat plagam, eis habitaculum conceſſit. Canonici verò templi Domini, platæam, quam circa prædictum habebant palatium, ad officinas conſtruendas conceſſerunt. Patriarcha quoque & Rex cum ſuis proceribus & aliis eccleſiarum Prælatis, de propriis dominicis ſuis pro victu & veſtitu certa eis beneficia contulerunt. Prima eorum profeſſio erat, ut in remiſſionem peccatorum ſuorum, vias & itinera ad ſalutem peregrinorum, contra latronum inſidias pro viribus conſervarent. Tandem poſt novem annos in concilio Trecis celebrato, inſtituta eſt eis regula & habitus albus, à Papa *Honorio* aſſignatus, & decurſis ferè novem annis (qui priùs novem fuerunt tantummodo) cœpit eorum numerus augeri, & poſſeſſiones invaleſcere. Poſtmodum verò tempore *Eugenii* Papæ, cruces de panno rubeo ſuis aſſuerunt mantellis, ut à cæteris poſſent hoc ſigno diſcerni. Numerus autem eorum in brevi ita multiplicatus eſt, ut in conventu pluſquam trecentos habeant equites, exceptis fratribus aliis, quorum fere numerus cernitur infinitus. Poſſeſſiones verò tam citra quàm ultra mare adeò immenſas habere dicuntur, ut jam non ſit in orbe Chriſtiano provincia, quæ eis bonorum ſuorum portionem non contulerit, & regiis hodie divitiis præſtantiores exiſtant. Qui quoniam juxta templum Domini manſionem habent, fratres militiæ Templi dicuntur, & cùm diu in honeſto ſtarent propoſito, nunc adeò profeſſionis ſuæ humilitate neglecta, domino Patriarchæ, à quo ordinis inſtitutionem, & prima beneficia ſuſceperant, ſe ſubtraxerunt, obedientiam & eccleſiis Dei decimas ſubtrahentes, facti ſunt cunctis valde moleſti. Eodem anno obiit rex Hieruſalem *Baldewinus* primus, vir magnificus, qui urbes Achon, Cæſaream, Heritum, Sydonem, Tripolim, Arſuthe, cum terris Arabum uſque ad mare rubrum, ſuo Imperio potenter adjecit. Succeſſit ei alius *Baldewinus* comes *Edeſſanus*, & coronatus eſt in Regem, menſis Aprilis ſecunda die.

Divitiæ Templariorum.

Baldewinus Rex Hieroſolymarum moritur, cui Baldewinus comes Edeſſanus ſuccedit.

ANNO Domini M. CXIX. Defuncto Papa *Gelaſio*, ſucceſſit ei *Calixtus* annis decem, menſibus totidem & diebus tredecim. Fuerat autem epiſcopus Viennenſis *Wido* priùs vocatus, & in Papam conſecratus, vocatus eſt *Calixtus*. Hic *Remis* concilium tenuit, ad quod Rex *Henricus* quoſdam Angliæ & Normanniæ epiſcopos deſtinavit. *Turſtanus* quoque Eboracenſis electus, illuc veniendi à Rege licentiam impetravit, interpoſita fide, quòd benedictionem ab eo non reciperet. Qui ad concilium veniens, Romanos (ſicut mos eſt) in ſuum favorem largitatis beneficio tranſtulit, & per eos, ut à Papa conſecraretur, impetravit. Quod ut Regi Anglorum innotuit, omnem ei locum ſuæ dominationis interdixit. In hoc concilio idem Papa errorem magiſtri *Gilberti Poretæ*, qui in capitulis quatuor erraſſe dicitur, condemnavit. Primò dixit, quòd divina natura, quæ divinitas dicitur, Deus non ſit, ſed forma, qua Deus eſt: Sicut humanitas, non eſt homo, ſed forma, qua eſt homo. Concilium: Credimus ſimplicem naturam divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu catholico poſſe negari, quin divinitas ſit Deus. Sic verò ubi dicitur Deum ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate eſſe Deum: Credimus non niſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe, non niſi ea magnitudine quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe, non niſi ea æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe, non niſi ea unitate, quæ eſt ipſe, eſſe unum, non niſi ea divinitate Deum, quæ in ipſo eſt, id eſt, in ſeipſo ſapientem, magnum, æternum, unum, Deum. Secundò dixit, quòd non unus Deus, vel una ſubſtantia, aut unum aliquid ſit perſonæ, id eſt, pater, & filius, & ſpiritus

Hæreſis Gilberti Poretani concilio condemnata.

ſanctus:

1121.

ſanctus: Ipſæ verò tres perſonæ tria ſunt differentia, & numero, ac ſi tres homines humanitatem unam numero habere invenirentur. Concilium: Cùm de tribus perſonis loquimur, patre, filio, & ſpiritu ſancto, ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe fatemur, & è converſo. Cùm enim de uno Deo, una divina ſubſtantia loquimur, ipſum unum Deum, & unam divinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas profitemur. Tertiò dixit *Gilbertus*, quòd ad proprietates perſonarum, relationes quædam æternæ ſunt, quæ non ſunt quidem, quod ipſæ perſonæ, ſed diviſæ numero, & diviſa ſubſtantia, & habeant tres unitates, & ſic multa æterna ſunt, quorum nullum ſit Deus. Concilium: Credimus ſolum Deum Patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum æternum eſſe, nec aliquas omnino res (ſive relationes, ſive proprietates vel unitates dicantur) adeſſe Deo, quæ ſunt ab æterno, quæ non ſint Deus. Quartò dixit, quòd divina natura non ſit incarnata. Concilium: Credimus ipſam divinitatem ſive ſubſtantiam divinam, ſive naturam divinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in filio.

EODEM anno, actum eſt campeſtre prælium, inter *Lodowicum* Regem Francorum, & *Henricum* Regem Anglorum, in hunc modum. Rex autem Francorum duabus aciebus ordinatis, poſuit in prima acie *Willielmum* filium ducis *Roberti* fratris Regis *Henrici*, ipſe verò Rex cum viribus maximis erat in ſequenti agmine conſtitutus: Rex verò Anglorum *Henricus*, tribus aciebus diſpoſitis, in prima proceres Normanniæ collocavit, in ſecunda, ipſe Rex cum propria reſidens familia, in tertia, filios ſuos cum ſummis viribus pedites ordinavit. Concurrentibus igitur hinc inde catervis, prima Francorum acies proceres Normannorum penetrans, ab equis eos depellens, diſperſit. Deinde in aciem, cui Rex *Henricus* præerat, erumpens, ipſam etiam potenter diſſipavit. Sed Rex Anglorum agminibus ſuis potenter reſarcitis, reſpiravit: Fit conflictus graviſſimus, concurrentibus hinc inde regalibus turmis: Haſtæ confringuntur, mutuo gladiis res agitur. *Willielmus Criſpinus* conſul Ebroicenſis, quem culpis ſuis exigentibus, paulò ante Rex *Henricus* proſcripſerat, caput ejuſdem Regis gladio bis percuſſit. Et licet lorica & galea eſſent impenetrabiles, ictuum tamen pondere lorica ipſa capiti Regis inſerta eſt, ita ut ſanguis erumperet abundanter. Rex verò *læſum* ſe ſentiens, ira incanduit vehementi, & percuſſorem ſuum ita repercuſſit, quòd equum & equitem uno ictu in terram proſtravit, & mox ante pedes Regios captus eſt, & vinculis mancipatus. Tunc acies pedeſtris, in qua filii Regis erant, quæ intacta adhuc fuerat, lanceis inclinatis, ex adverſo prorupit in hoſtes, cum impetu adeò ponderoſo, quòd *Galligenas* acies omnes coëgit in fugam. At illi ſubitò liquefacti, terga oſtendentes, Regi *Henrico* victoriam conceſſerunt. Qui potenter in campo perſtitit, donec optimates hoſtium, Rege Francorum fugiente, capti ſunt, & Regi victori præſentati. Comes verò Flandrenſis lethaliter vulneratus, ad ſua eſt in lectica adductus. Rex verò *Henricus* Rothomagum reverſus, in ſignorum ſonitu & cleri concentu receptus, devotiſſimè Dominum exercituum benedixit.

Prælium inter Reges Francorum & Anglorum.

Franci in fugam compulſi.

Comes Flandrenſis vulneratus.

EODEM anno, *Richardus* de Albeneio, Abbas eccleſiæ ſancti Albani, diem clauſit extremum. Cui ſucceſſit *Gaufridus* de Gorham Prior, ejuſdem eccleſiæ Abbas decimus ſextus. Eodem anno obiit *Herebertus* Norwicenſis antiſtes, & Comes Flandrenſis *Baldewinus*, per vulnus, quod cepit apud Aucum in Normannia, cui ſucceſſit *Karolus*, *Cnutonis* filius Regis Danorum. Eodem tempore Papa *Calixtus* venit in Normanniam ad Regem *Henricum*, & collocati ſunt aput Giſortium, magnus Rex & ſummus ſacerdos.

Comes Flandrenſis ex vulnere moritur.

PER idem tempus *Rogerus* Princeps Antiochenus, cum equitibus trecentis & peditum tribus millibus, contra tres Principes, Turcorum ſcilicet, Damaſcenorum, & Arabum, qui ſecum trahebant armatorum ſexaginta millia, prælium nimis inæquale committens, interfectus eſt cum ſuis omnibus, ita quod nec unus evaſit, qui caſum fidelibus nunciaret. Indeque progredientes, Turci oppida *Cerepum* & *Sardonas* potenter ceperunt. Hoc quoque factum cum fuiſſet à *Baldewino* Hieroſolymarum Rege compertum, hoſtibus obviam audacter proceſſit, atque in loco qui Mons *David* dicitur contra multos cum paucis decertans, ex hoſtibus quatuor millia peremit, & tres Principes prædictos in fugam compellens, oppida *Cerepum* & *Sardonas* in ſuis uſibus revocavit. Hoſteſque fugientes inſequutus, uſque ad noctis initium proſternere non ceſſavit.

Rogerus Antiochenus Princeps cum ſuis Turcis caſus.

Rex Baldewinus ſecundus Turcos fudit.

ANNO Domini M. CXX. Rex *Henricus*, omnibus in Gallia domitis, & cunctis in Normannia pacificatis, cum gaudio ad Angliam transfretavit. Sed filii ejus *Willielmus* & *Richardus*, ac filia ejus ac neptis, *Richardus* quoque conſul Ceſtrenſis, Dapiferi, Camerarii, Pincernæ Regis, ac multi proceres cum eis, in mare naufragium pertulerunt, ſeptimo Kalendas Decembris, qui omnes vel ferè omnes Sodomitana labe impliciti dicebantur. Ita igitur miſerabiliter, cuncti perierunt, quod communi fidelium ſepultura caruerunt, atque mors improvida immundos abſorbuit, mari tranquillo exiſtente.

Naufragium quorundam Aulicorum.

ANNO Domini M. CXXI. Rex *Henricus* duxit Adelicium, vel Adeliſam, Ducis Lovaniæ filiam, cauſa pulchritudinis & excellentis decoris, quæ à *Radulfo* Cantuarienſi Archiepiſcopo, Regina conſecrata, in Pentecoſte apud Londonias cum Rege ad menſam reſedit, magnificè coronata. Inde autem cùm Rex ad Walliam tenderet cum exercitu copioſo, Wallenſes ei ſuppliciter obviantes, concordati ſunt cum ipſo juxta ſuam magnificentiam

Rex Henricus ſecundam ducit uxorem, Ducis Lovanii filiam, walli componunt cum rege Henrico.

1125. voluntatis. Eodem anno Papa *Calixtus*,Mauricium quendam, quem *Henricus* Imperator Antipapam conſtituerat, cepit, & eum monachum ordinavit. Luna hoc anno obtenebrata eſt. Apud Radingum monachi ordinem inceperunt obſervare Monaſticum, & eccleſia conſtructa eſt.

ANNO Domini M. CXXII. *Radulphus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Johannes* Bathonienſis antiſtes, humanæ naturæ debita perſolverunt. Et eodem tempore,*Balac Amiralius* cepit *Jocelinum* comitem *Edeſſanum* & ejus conſanguineum *Galeranum*.

ANNO Domini M. CXXIII.Rex Anglorum *Henricus* ad Natale Domini apud Duneſtapliam, feſto celebrato apud Berechameſtude, inde perrexit. Erat autem ibi cum Rege quidam Cancellarius ejus, nomine *Ranulfus*, per annos jam viginti, gravi infirmitate decoctus: Sed tamen ad omnia ſcelera promptus, qui innocentes libenter opprimens, terras multorum diripiens, occupabat. Erat ei pro magno, quod dum corpore languit, animo deſæviret. Cùm igitur Regem duceret ad ſecum hoſpitandum, & in ipſo montis vertice, unde caſtellum Regis proſpiciebatur, elatus mente, ex equo corruit, & Monachus quidam de ſancto Albano, cujus poſſeſſiones malè occupaverat, improvidè equitavit ſuper eum, ita quòd miſer ille poſt dies paucos vitam flagitioſam terminavit. Eodem anno *Richardus* Lincolnienſis epiſcopus obiit, & *Alexander* ſucceſſit. Eodem anno Rex *Henricus* dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſem, *Willielmo* de Corbolio Priori de Chiche, & Epiſcopatum Bathonienſem *Godefrido*, Reginæ capellano. Quo etiam tempore *Robertus* de Medlent comes receſſit à Rege, & Rex obſedit & cœpit caſtellum ejus, quod Pontaudemer appellatur. Et tempore eodem Rex circa turrim Rothomagenſem murum latum & altum, cum propugnaculis conſtruxit, turrim caſtri Cadomenſis firmavit. Caſtra etiam de Archis, de Giſortio, de Faleſia, de Argentomo, de Daufronte, de Oximo, de Ambretas,de Waverii, de *Vira*, & turrem Veruonis inexpugnabiliter communivit.

Caſtellum Pontaudemer obſeſſum à rege.

Baldewinus ſecundus Hieroſolymarum Rex captus.

EODEM anno, Rex Hieroſolymarum *Baldewinus* cum exercitu in terram comitis Edeſſani deſcendens, dum nocte quadam incautus & agmine incederet diſſoluto, *Balac* princeps Turcorum in inſidiis conſtitutus, in eum ſubitò irruit & ipſum cepit, & in caſtro, cui Quartapi nomen erat, vinculis mancipavit. Detinebatur etiam in eodem præſidio comes *Jocelinus* Edeſſæ civitatis, & ejus conſanguineus *Galerannus*, pro quorum liberatione ad partes illas, Rex deſcendit. Principes autem Regni Hieroſolymitani, audito caſu miſerabili capti Regis, conſtituerunt regni procuratorem quendam *Euſtachium Grenet*, virum providum & diſcretum, qui in Regis abſentia regni negotia ordinaret. *Balac* interea Princeps prædictus, cum ſexdecim armatorum millibus, Joppen obſidione vallavit. Quo audito Patriarcha Hieroſolymitanus & regni procurator *Euſtachius* cum aliis Principibus, prævia Domini miſericordia, cum ſeptem millibus armatorum ſupervenientes, hoſtes omnes in fugam coëgerunt, & ex eis ſeptem millia peremerunt, atque ſpolia impreciabilia ibidem obtinentes, inter ſe æqualiter diviſerunt. Eodem anno *Willielmus* Cantuarienſis electus, Romam profectus, pallium ſuſcepit, & reverſus in Angliam, conſecratus apud Cantuariam à *Willielmo* Wintonienſi epiſcopo: Quia paulò ante obierat *Richardus* Londonienſis antiſtes, ad quem illa conſecratio de jure ſpectabat.

Euſtachius procurator regni Hieroſolymitani & ejus victoria.

Robertus de Medlent cum ſuis captus.

Tyrus expugnata.

ANNO Domini M. CXXIV. *Robertus* de Medlent comes, aſſociatis ſibi *Hugone* de Mountfort, ſororio ſuo, & *Hugone Gervaſii* filio, hoſtiliter Normanniam intravit: *Willielmus* verò de Tankervilla Regis camerarius, aciebus diſpoſitis, contra illos decertans, cepit eos, & Regi *Henrico*, & Rex carceri præſentavit. Eodem anno, defuncti ſunt, *Theophilus* Wigornienſis, & *Ernulfus* Roffenſis epiſcopi. Eodem anno, Tyrus Syriæ metropolis, à *Michaele* Duce Venetiæ obſidione vallata eſt per mare, atque per terram à principibus Regni Hieroſolymarum, quinto Kalendas Martii, & tertio Kalendas Julii capta eſt, Chriſtianitati fœliciter reſtituta. Eodem anno Rex Hieruſalem *Baldewinus*, datis obſidibus, à vinculis Turcorum liberatus eſt, & incolumis ad propria remeavit. Calixto Papæ ſucceſſit Honorius. Juſtitia de monetariis fit Wintonii.

Controverſia inter Archiepiſcopum Cantuarienſem & Eboracenſem.

Alexander Rex Scotorum moritur.

ANNO Domini M. CXXV. *Johannes* Cremenſis, Apoſtolicæ ſedis Cardinalis, de licentia Regis Anglorum veniens in Angliam, perendinavit per epiſcopatus & Abbatias, & non ſine magnis donariis, ad Nativitatem beatæ *Mariæ* apud Londonias ſolenne Concilium celebravit. Ubi igitur de concubinis ſacerdotum ſeveriſſimè tractaſſet, dicens ſummum eſſe ſcelus de latere ſurgere meretricis, ad corpus Chriſti conficiendum: ipſe cùm die illa corpus *Chriſti* conſecraſſet, poſt veſperam fuit in meretricio interceptus: Res notiſſima negari non potuit,dum magnum decus in ſummum dedecus commutavit. Eodem anno,Rex *Henricus* dedit *Simoni* clerico Reginæ,Wigornenſem, *Johanni* Archidiacono Cantuarienſi, Roffenſem,*Sifredo* Abbati Glaſtonienſi,Ciceſtriæ præſulatus.Quo utique anno diſceptarunt *Willielmus* Cantuarienſis,& Turſtanus Eboracenſis archipræſules, de primatu, quis eorum eſſe dignior videretur. Obiit eodem anno Rex Scotorum *Alexander*,& ſucceſſit ei *David* frater ejus,vir magnæ ſanctitatis,& mirificæ largitatis. Illo præterea anno,Rex *Henricus* omnes Angliæ monetarios,eo quòd monetam furtivè corruperant,fecit turpiter ementulari,& manus dextras præcidi.

CIRCA eoſdem dies, Borſequinus Princeps quidam Orientis potentiſſimus, adjuncto ſibi Damaſcenorum Rege Doldequino, tranſito Euphrate fluvio, partes depopulans Antiochenas,

chenas

1128.

chenas, Caphardan caſtrum obſedit & cepit. Indeque progreſſus, Harſad oppidum obſidione vallavit. Quo auditu Rex *Baldewinus*, qui tam regni Hieroſolymitani quàm Antiochiæ principatus curam gerebat, cum copiis militaribus illuc cum feſtinatione deſcendit. Repertiſque in obſidione præfata hoſtibus memoratis, diſpoſitis aciebus in ipſos irruit vehementer, & divina annuente clementia, omnibus in fugam compulſis, fœlicitur triumphavit. Ceciderunt ibi ex hoſtibus, ad duo millia virorum, & ſepulti ſunt in inferno. Rex autem pecunia illic viribus obtenta, filiam ſuam quinquennem, quam pro ſua liberatione priùs obſidem poſuerat, à Turcorum vinculis liberavit: Et inde reverſus, circa Aſcalonem prædas egit: Ubi Turcos non paucos, quos obviam habuit, interfecit, & victor ad propria remeavit.

Rex Baldewinus *duo millia hoſtium cecidit, reliquis fugatis.*

ANNO Domini M. CXXVI. *Henricus* Romanorum Imperator, diem clauſit extremum. Cui ſuccedens *Lotharius*, qui annis duodecim imperavit. Tunc Imperatrix *Matildis* ad patrem ſuum Regem *Henricum* reverſa, habitavit in thalamo ejus cum Regina. Diligebat enim eam Rex valde: Quia unicam illam habebat hæredem. Et circa feſtum ſancti *Michaelis*, rediens in Angliam, duxit ſecum filiam ſuam, tanto viro (ut prædictum eſt) viduatam. Et continuò, juſſu Regis, omnes Angliæ & Normanniæ optimates, tam Regni Angliæ quam ducatus Normanniæ, juraverunt ei fidelitatem, & primus omnium Comes Bleſenſis *Stephanus*, ex *Adala* ſorore Regis *Henrici* & *Bleſentiæ* comite generatus.

Henricus *Romanorum Imperator moritur.* Matildis *Imperatrix in Angliam revertitur.*

ANNO Domini M. CXXVII. Rex *Henricus* ad Natale tenuit curiam ſuam apud Windleſhoram: Ubi cum Turſtannus Eboracenſis Archiepiſcopus, in præjudicium *Willielmi* Cantuarienſis Archiepiſcopi Regem vellet coronare, judicio omnium repulſus eſt, & lator crucis ejus, quam in capellam Regis ante ſe fecit deferri, extra capellam cum cruce ejectus eſt. Venerunt autem ibi ad regem legati dicentes: Carolus comes Flandrenſis tibi dilectiſſimus, à proceribus ſuis, proditione nefanda, eſt occiſus, in templo apud Brugas. Et Rex Francorum dedit comitatum *Willielmo* filio fratris tui, nepoti tuo & inimico, in quo jam valdè roboratus, diverſis cruciatibus omnes proditores *Caroli* interfecit. Super his itaque Rex *Henricus*, nimis anxius erat, eò quòd eſſet juvenis ille ſtrenuus ſatis & animoſus, & comminaretur ſe Regi *Henrico*, tam Angliam quàm Normanniam ablaturum, quæ ſibi (ut dicebat) jure hæreditario debebantur. Eodem tempore defuncto *Richardo* Londonienſi epiſcopo, *Gilebertus* univerſalis ſucceſſit & à *Willielmo* Cantuarienſi Archiepiſcopo, munus conſecrationis ſuſcepit.

Diſſidium inter Eboracen[illegible] & *Cantuarienſem Archiepiſcopum.*

Rex Francorum Willielmo Roberti *Normannorum Ducis filio Flandriam* Carolo *Comite à ſuis interfecto, concedit.*

EODEM anno, *Fulco* comes Andegavenſis, Hieroſolymam ſine animo revertendi profecturus, dedit comitatum ſuum *Gaufrido* filio, cognomento Plantageneſt, adoleſcenti elegantiſſimo: Et peregrè profectus, Hieroſolymam cum proſperitate pervenit. De cujus adventu Rex Hieruſalem valdè lætus, dedit ei filiam ſuam primogenitam, cum ſpe regni poſt mortem ſuam. Quod cùm à Rege Anglorum *Henrico* compertum fuiſſet, transfretavit in Normanniam, & filiam ſuam Imperatricem, præfato *Gaufrido* Andegavenſium comiti, matrimonio copulavit. Tunc obiit *Richardus* Herfordenſis antiſtes. Eodem tempore *Boamundus* magni *Boamundi* filius, in Syriam tranſiens, à Rege Hieroſolymarum *Baldewino* Antiochiam paternam hæreditatem ſuſcepit, & Rex dedit ei filiam ſuam ſecundam matrimonio copulatam. Deinde idem *Boamundus* Caphardan caſtrum obſidens, cepit, & Turcos omnes in illo inventos trucidavit. Circa eadem annorum tempora, die ſancti *Johannis* Evangeliſtæ ſcilicet in natali, exierant ab Abbatia ſanctæ *Mariæ* Eboraci, licentia Abbatis, Prior & Supprior ejuſdem domus, cum plurimis obedientiariis, ita quòd tredecim erant, quærentes ſibi manſionum idoneam, volentes vitam arctare, & habitum mutare, ſicut fecerunt illi nigri monachi, qui Ciſtercienſem ordinem inchoaverunt, quibus dictum eſt deſuper, Cieſtanus (quod eſt dictum) hîc manete: & cùm dicti tredecim veniſſent ad quendam locum horroris & vaſtæ ſolitudinis, ſcilicet in convallem profundam & opacam, quæ ferè tribus milliaribus diſtat à Ripun, cœperunt ibidem habitare in ſumma paupertate, & eccleſiam fabricare, & propter quoſdam fontes quos repererunt, nomen impoſuerunt. De fontibus, & indies numero & poſſeſſionibus mirabiliter creverunt.

Imperatrix Matildis Gaufrido *Andegavenſium Duci nubit.*

ANNO Domini M. CXXVIII. Rex Anglorum *Henricus* hoſtiliter perrexit in Franciam, eo quòd Rex Francorum *Lodowicus* tuebatur Comitem Flandrenſem nepotem Regis hoſtem. Perendinánſque apud Heſpardum octo diebus, tam ſecurè acſi in regno proprio fuiſſet, Regem Francorum Comiti Flandrenſium auxilia negare coëgit. Ubi cùm à quodam clerico de gente Francorum perito, originem & procurſum Regis *Lodowici* quæreret, reſpondit: Regum potentiſſime inquiens, ſicut pleræque gentes Europæ, ita Franci à Trojanis originem duxerunt. Et cùm à gemino ovo omnem Regum Franciæ genealogiam texendo replicaſſet, ad ultimum ſubjunxit: *Philippus* Rex Francorum genuit *Lodowicum*, qui regnat in præſenti, qui ſi probitatis anteceſſorum ſuorum viſtigia teneret, tam ſecurè in regno ejus non quieſceres: Tunc Rex ſubridens, in Normanniam remeavit. Adverſit autem eodem tempore, à partibus Germaniæ, dux quidam *Theodoricus*, Rege *Henrico* procurante, hoſtiliter in Flandriam, quoſdam proceres Flandrenſes ſecum trahens. Sed comes *Willielmus* obviam venit cum paucis agminibus ordinatis. Pugnatum eſt utrinque viriliter: ſed Conſul Flandrenſis numerum ſuorum, cùm pauci eſſent, invincibili probitate ſupplebat.

Henricus *Anglorum Rex Francum Flandro ſuppetias negare cogit.*

Victoria Comitis Flandrenſis.

1132. Cruentus enim in armis, enſe fulmineo cuneos hoſtium findebat, nec potuerunt hoſtes perferre terribile pondus brachii juvenis, fugæ dediti, & horribiliter diſſipati. Victorioſus igitur comes *Willielmus*, dum caſtrum Angi contra Regem *Henricum* obſediſſet, & in craſtino reddi debuiſſet, hoſtibus jam penè ſubjugatis, parvo vulnere idem juvenis in manu telo percuſſus, interiit: Sed tamen mortuus, famam promeruit æternam. Eodem anno *Ranulphus* Dunelmenſis, & *Willielmus* Wintonienſis epiſcopi obierunt, & Magiſter *Hugo* de ſancto Victore, chronica ſua huc uſque digeſſit.

Willielmus Comes Flandrenſis moritur.

ANNO Domini M. CXXIX. *Honorius* ſedit in cathedra Romana, annis quinque & menſibus duobus. Eodem anno Rex Anglorum *Henricus* tenuit Concilium magnum apud Londonias, in Kalendis Auguſti, de ſacerdotum focariis prohibendis. Affuerunt Concilio illi, *Willielmus* Cantuarienſis, & *Turſtanus* Eboracenſis Archiepiſcopi, cum ſuis ſuffraganeis, quos omnes, ſimplicitate Cantuarienſis Archiepiſcopi, Rex *Henricus* decepit. Conceſſerunt namque Regi Juſtitiam de focariis ſacerdotum, quæ res poſtea cum ſummo dedecore terminabatur. Accepit enim Rex pecuniam infinitam de presbyteris pro ſuis focariis redimendis. Tunc, ſed tardè, pœnituit epiſcopos de conceſſa licentia, cum pateret in oculis omnium deceptio prælatorum, & depreſſio ſubjectorum. Eodem anno *Henricus* Abbas Glaſtonienſis, nepos *Henrici* Regis, creatus eſt epiſcopus Wintonienſis, *Robertus* Herefordenſis, & *Robertus* Lincolnienſis. Eodem anno *Philippus* filius Regis Francorum, qui nuper patre defuncto, diademate fuerat inſignitus, dum equum ludens agitaret, obvium habuit porcum, qui cùm pedes equi currentis offenderet, cecidit Rex novus in terram, & fractis cervicibus, expiravit. Eodem anno, venit in Normanniam avium innumerabilis multitudo, quæ gregatim volantes, & longiſſima aëris ſpacia occupantes, horribiliter ſeſe deplumantes pugnabant, portendentes fortaſſe ſchiſma futurum, inter duos paulò pòſt Apoſtolicos, de papatu contendentes.

Concilium Londini celebratum ab Henrico *Rege.*

Philippus *Francorum Rex moritur.*

ANNO Domini M. CXXX. Defuncto Papa *Honorio*, Romani in duo diviſi, duos elegerunt: Quidam *Innocentium*, & alii *Anacletum*. Sed *Anacletus* propter fratres ſuos, qui erant viri potentes, & caſtri *Creſcentionis* habebant principatum, in urbe remanſit. *Innocentius* verò ad *Ciſalpinos* tranſivit, expulſus à Romanis. Qui veniens in Galliam, apud Carnotum à Rege Anglorum *Henrico*, honorificè receptus eſt. Et pòſt Paſcha iterum recepit Papam eundem apud Rothomagum, & auxilio ejus per totam Galliam admiſſus eſt, & Papa ab omnibus acclamatus. Et ſic Rege Anglorum procurante, *Lodowicum* fratrem *Philippi* Francorum Regis defuncti, *Remis* coronavit in Regem. Dedicata eſt eccleſia Chriſti Cantuarienſis, *Hugo* Abbas Redingenſis in Archiepiſcopum Rothomagenſem eligitur. Deinde in Nativitate beatæ *Mariæ*, reddidit Rex filiam ſuam Imperatricem, viro ſuo comiti Andegavenſi *Gaufrido*.

Honorio *defuncto Schiſma oritur propter Papatum, hinc* Anacleto, *inde* Innocentio *contendente.*

EODEM anno, *Rodoam Halapiæ* princeps, fines Antiochenos hoſtiliter ingreſſus, *Boamundum* Antiochiæ Principem ſibi occurrentem, ut ipſum reprimeret, gladio confoſſum peremit. Rex Heruſalem ab Antiochenis vocatus, ut tantæ calamitati ferat auxilium, feſtinato itinere illuc pervenit, & Rodoam potenter fugato, dedit filiæ ſuæ pro dote Laodiceam & Gabulum civitates, filiæ verò *Boamundi* parvulæ poſt mortem ſuam fecit jurare Antiochiæ principatum, & ſic Hieroſolymam remeavit.

Boamundus *Junior interficitur.*

ANNO Domini M. CXXXI. Synodus generalis habita eſt Remis. Obiit *Innocentius* Papa, ſucceſſit *Innocentius* Papa ſecundus, Dedicatur ab eodem eccleſia Cluniacenſis, Rex Hieruſalem *Baldewinus* miles egregius, & in gravem ægritudinem prolapſus, cùm ſenſiſſet ſibi diem mortis imminere, vocatis ad ſe genero ſuo, & filia cum filio eorum jam bimulo, nomine *Baldewino*, regni curam & plenam eis tradidit poteſtatem. Ipſe verò executis omnibus quæ Chriſtiani ſunt, tradidit ſpiritum, cum piis prædeceſſoribus ſuis præmia percepturus æterna. Coronatus eſt autem in Regem Fulco, gener ejus, miles magnificus, & in die exaltationis ſanctæ Crucis regni diadema ſuſcepit.

Innocentius *primus Papa moritur, cui ſuccedit* Innocentius *ſecundus.* Baldewinus *ſecundus moritur, cui ſuccedit* Fulco.

ANNO Domini M. CXXXII. Rex *Henricus*, novum fecit epiſcopatum, apud Carleolum in limbo Angliæ & Galwalliæ, & poſuit ibi primum epiſcopum nomine *Athelulfum*, ſancti *Oſwaldi* Priorem, cui peccata erat ſolitus confiteri. Hic autem creatus antiſtes, in eccleſia ſedis ſuæ canonicos poſuit regulares, & jam multis honoribus ampliavit. Eodem anno, natus eſt *Gaufrido*, cognomento Plantageneſt, Comiti Andegavenſi, ex filia Regis *Henrici*, filius, & vocatus eſt *Henricus*. Quod cùm Rex cognoviſſet, convocatis regni Principibus, filiam ſuam & Hæredes ex ea naſcituros, ſibi conſtituit ſucceſſores. Eodem anno defunctus eſt *Robertus* Ceſtrenſis epiſcopus cognomento Peccatum, qui Rege *Henrico* concedente, ſedem cathedralem tranſtulit ad Conventreiam, & locum illum caput conſtituit Merciorum: Succeſſit ei *Rogerus* Archidiaconus Lincolnienſis. Habet autem epiſcopatus ille uſque hodie tres ſedes, Ceſtrenſem, Lichilfeldenſem, & Coventrenſem.

Henricus *ſecundus naſcitur.*

EODEM anno, infinita Turcorum copia, tranſito Euphrate fluvio, caſtra ſtatuerunt in partibus Antiochenis. Contra quos *Fulco* Rex Hieruſalem, ab Antiochenis vocatus, exercitum ducens, ſubitò impetu in hoſtes facto, tria ex eis millia interfecit, & qui vivi evaſerant, in fugam ſunt compulſi. Noſtri igitur victores, ex hoſtium ſpoliis uſque

Victoria Fulconis *Regis Hieroſolymarum.*

ad

ad nauſeam ſunt onuſti, Antiochiam remeantes. Patriarcha verò Hieroſolymitanus, interea cum civibus ſuis juxta Nobe, quæ vulgari appellatione Betonoble dicitur, caſtrum *Bernardi* conſtruxit. 1135. Per idem tempus *Reimundus* Pictavenſium comes, *Conſtantiam Boamundo* junioris filiam ducens, effectus eſt Princeps Antiochenus. Et eodem tempore reædificatur à *Fulcone* Rege Hieruſalem, Berſabea urbs antiqua, quæ ab Aſcalona duodecim milliaribus diſtare videtur.

Berſabea urbs reædificatur.

ANNO Domini M. CXXXIII. Tenebræ factæ ſunt in Anglia, & terra mota eſt, Sol ſimilis factus eſt lunæ tertiæ. Rex *Henricus* extremò transfretavit, & manum ſancti *Jacobi* miſit Radingum. Eodem anno ſcholaris quidam gravi ægritudine afflictus diebus ac noctibus, ut mulier parturiens, flens & ejulans, beatam Dei genetricem anxius jugiter invocavit. Qui nocte dum quadam graviter angeretur, vidit ſibi aſſiſtere beatam virginem Dei matrem: Quæ invocata, affuit ei albis induta veſtimentis, & manum porrigens laboranti, tetigit membra paventis, & priſtinæ eum reſtituit ſanitati. Eodem anno interfecti ſunt omnes milites Templi Domini. Eodem anno, defuncto *Harveo* Elienſi epiſcopo, dedit Rex epiſcopatum *Nigello*, & Dunelmenſem *Gaufrido* cancellario.

Templarii omnes interfecti.

ANNO Domini M. CXXXIV. *Matildis* Imperatrix peperit filium, quem vocavit *Gaufridum*. Unde Rex *Henricus* primus in Normanniam tranſiens, moratus eſt ibi præ gaudio nepotis ſui. Eodem tempore defuncti ſunt in itinere Romano, epiſcopus Landavenſis, & *Gilebertus* epiſcopus Londinenſis. Et eodem anno, cùm Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui neminem perire deſiderat, jam Duci *Roberto* ſatis amplum ſpatium pœnitentiæ & humiliationis conceſſerat, videlicet jam ferè triginta annorum in orbitate tranſactorum & carcere, abuſus eſt illo Dei beneficio, intumuit enim ſuperbia nimis & detractionibus, maledictionibus & querimoniis, cùm potiùs divinis jugiter obſequiis & precibus aſſiduis incubuiſſe teneretur, utpote diu afflictus & jam ſenex, quem frequenter cum lacrymis dicere potiùs decuiſſet: Merito hæc patior, immo graviora promerui, qui procaciter jugum Domini quod eſt ſuave, & onus ejus quod eſt leve, de collo meo, in terra ſancta excuſſi, & oblatum cœlitùs honorem refutavi. Sed nil horum in ore arrogantis perſonuit. Contigit igitur una dierum feſtivorum, cùm Rex novam robam de ſcarleto ſumens (aſſuetus de eodem panno quoties & ille ſumpſerat, fratri ſuo reverenter tranſmittere) capam cõnaretur induere, quòd invenit introitum capucii, qui gulerum vulgariter gallicè appellatur, nimis arctum: Inde contigit, quòd unam futuræ puncturam tantum confringens, eam depoſuit, & ait: Hæc capa deferatur danda fratri meo duci, qui argutiùs me caput habet. Quæ cum ipſi delata fuiſſet induenda, invenit illam jam dictam puncturam, quæ per incuriam inciſoris, quia minima erat, relinquebatur non refuta. Ait dux: Unde hæc, quam ſentio, fractura? Et nuntius quæ contigerant ſeriatim Duci referebat. Et dux quaſi alto vulnere ſaucius, irrugiit dicens: Heu heu nunc nimis vivo, quid adhuc infœlicem vitam pertraho? Ecce frater meus, immò proditor meus, & ſupplantator, minor natu, & ignavus clericulus, ac injurioſus regni mei poſſeſſor, qui me incarceravit, & incarceratum excæcavit, qui tot armorum titulis clarui, jam adeò me ſpernit & vilem habet, ut mihi tanquam præbendario ſuo, pro eleemoſyna ſuos veteres tranſmittat, & diſſutos panniculos. Flens igitur & ejulans devovit manducare, necunquam poſtea voluit manducare vel bibere, in ſemetipſo deſæviens & deficiens. Quod cùm Rex audiſſet, non multùm condolens, juſſit corpus in eccleſia conventuali Gloverniæ reverenter ſepeliri. Jacuit autem eo tempore Imperatrix filia Regis, graviter infirmata, propter difficultatem partus filii ſui, quem nuper genuerat, ſed matrona prudens, theſauros ſuos, viduis, orphanis, eccleſiis, ac monaſteriis, larga manu diſtribuens, periculum mortis evaſit.

Cauſa mortis Ducis Roberti.

Mors Roberti Ducis Normanniæ.

ANNO Domini M. CXXXV. Rex moratus in Normannia, cùm die quadam à venatu rediiſſet, apud ſanctum *Dionyſium* in ſylva Leonum, carnes comedit murenarum, quæ ei ſemper nocebant, & eas ſemper ſupra modum amabat. Et cùm medici eas comedere prohiberent, non acquievit Rex conſilio ſalutari. Hæc igitur comeſtio peſſimi humoris illatrix, & conſimilium vehemens excitatrix, ſenile corpus lethaliter refrigidans, ſubitam & ſummam perturbationem effecit. Contra quam natura retinens, febrem excitavit acutam, ad impetum materiei graviſſimæ diſſolvendum. Cùm autem reſiſtere vi nullâ potuiſſet, deceſſit Rex magnus, cùm regnaſſet triginta quinque annis ac tribus menſibus, prima die Decembris. Illius autem obitum ventus vehemens præſignavit, qui in vigilia Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, turres & ædificia dejecit, & arbores uſquequaque ſubvertit, ita ut mundus ſolvi putaretur. Luna etiam eclipſim paſſa eſt eodem anno, quarto Kalendas Auguſti. Cœnobia fecit Rex, de Radingis, de Cirenceſtre, de Prato ante Rothomagum, & de Mortuo mari. Municipia verò, præter turres & Caſtella, viginti quinque, opere ſumptuoſo conſtruxit. Corpus autem Regis apud Rothomagum diu jacebat inſepultum, ubi viſcera ejus, cerebrum & oculi ſunt humata. Reliquum verò corpus cultellis inciſum, & multo ſale reſperſum, cauſa fœtoris qui magnus erat & circumſtantes inficiebat, in coriis reconditum eſt taurinis: Unde & medicus ille, qui magno pretio conductus, & caput ejus ſecuri diffiderat, ut cerebrum extraheret, nimio jam fœtore corruptum, quamvis lintheaminibus multis involutum eſſet caput ejus, cauſa tamen fœtoris extinctus eſt, pretio ſibi pacto malè gaviſus,

Mors Regis Henrici primi.

1136. gaviſus. Hic autem ultimus fuit ex multis, quos Rex *Henricus* occidit. Inde quoque corpus Regium deportatum eſt apud Cadomum, ubi pater ejus requieſcit. Cum autem eſſet in eccleſia poſitum ante patris tumbam, cepit continuò humor niger & horribilis coria tauri penetrare, qui in vaſis ſub feretro à miniſtris ſuſceptus, magnum intuentibus inculcavit horrorem. Tandem cadaver Regis in Angliam allatum, in diebus Natalitiis, apud Radingum, in eccleſia, quam ipſe fundaverat, regaliter eſt ſepultum, præſentibus Archiepiſcopis, epiſcopis, & magnatibus regni.

STEPHANUS.

DEfuncto, ut dictum eſt, Rege *Henrico* primo, antequam corpus ejus ſepulturæ traderetur, *Stephanus* nepos ejuſdem Regis ex ſorore *Adala*, uxore ſcilicet *Theobaldi* comitis Bononiæ, & frater *Theobaldi* junioris comitis Bleſenſis, vir magnæ ſtrenuitatis & audaciæ, quamvis ſacramentum fidelitatis Imperatrici de regno Angliæ juraſſet, diadema tamen, Deum tentans, invaſit. Congregatis enim Londoniis regni magnatibus, meliorationem legum promiſit, juxta voluntatem & arbitrium ſingulorum. *Willielmus* quoque Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui primus ſacramentum ex omnibus Imperatrici fecerat de regno Angliæ, *Stephanum* in regem conſecravit, vigeſimo ſecundo die poſt mortem avunculi ſui. Quid ergò? Omnes (ut breviter dicatur) tam præſules quàm Comites & Barones, qui filiæ Regis & ſuis hæredibus juraverant fidelitatem, conſenſum *Stephano* præbuerunt: Dicentes fore nimis turpe, ſi tot nobiles, fœminæ ſubderentur. *Hugo* prætereà *Bigot*, *Henrici* ſeneſcallus Regis, præſtito juramento, probavit coram Archiepiſcopo Cantuarienſi, quòd dum Rex ageret in extremis, Imperatricem exhæredavit: Et *Stephanum* igitur conſtituit ſucceſſorem. Igitur in die ſancti *Stephani*, omnium favore, *Stephanus* ſæpè dictus, per miniſterium *Willielmi* Cantuarienſis Archiepiſcopi apud Weſtmonaſterium diadema ſuſcepit, & Rex ab omnibus acclamatus, & regale feſtum ſplendidè celebravit. Coronatione itaque magnificè completâ, homagiis receptis, perrexit Rex *Stephanus* ad Oxoniam, ibi confirmavit pacta, quæ Deo & populo, atque eccleſiæ ſanctæ, in die coronationis ſuæ conceſſerat, quæ hæc fuerunt: Primò, cum juramento vovit, quòd defunctis epiſcopis, non retineret eccleſias in manu ſua, ſed ſtatim electioni canonicæ conſentiens, electos continuò inveſtiret. Secundò vovit, quòd nullius clerici vel laici ſylvas in manu ſua retineret, ſicut Rex *Henricus* fecerat, qui ſingulis annis eos inplacitaverat, ſi vel venationem cepiſſent in ſylvis propriis, vel ſi eas ad proprias neceſſitates diſtraherent, vel minuerent, quod nefandi genus Placiti adeò fuerat execrabile, quòd ſi viſores, alicujus ſylvam, quem eſſe pecunioſum ſciebant, à longè conſpicerent, ſtatim vaſtum in ea prohiberent, ſive eſſet, ſive non, ut eum ſine merito redimere potuiſſent. Tertiò vovit, quòd anteceſſores ejus accipere conſueverant, in æternum annis ſingulis condonaret. Hæc autem ſpecialiter, & alia multa generaliter, ſe ſervaturum juravit: Sed nihil horum, quæ Deo promiſerat, obſervavit. Eodem anno combuſta eſt eccleſia ſancti *Pauli* Londonenſis, ab igne qui accenſus eſt ad pontem, qui perrexit uſque ad eccleſiam Danorum. Die quo applicuit idem *Stephanus*, contra naturam hyemis, horrendum intonuit ſuper omnem terram tonitruum, cum fulgure horribili, ita ut mundus in antiquum Chaos redigi videretur. *Stephanus* quoque Rex, præſentibus Archiepiſcopo cum duobus epiſcopis, ſcilicet, Wintonienſi & Sariſberienſi, totum theſaurum, quem Avunculus ſuus congeſſerat, occupavit, ſcilicet centum libras, exceptis vaſis aureis & Argenteis, & gemmis.

Juramentum Regis Stephani.

ANNO Domini M.CXXXVI. Corpus Regis *Henrici* Mauſoleo regali conditum, reponitur, præſente Rege *Stephano*, *Willielmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, *Henricus* Wintonienſis epiſcopus, abſtulit manum ſancti *Jacobi* de Redinge. Eodem anno, poſt paſcha, Comes Gloverniæ *Robertus* nomine, venit in Angliam, cujus prudentiam & potentiam Rex *Stephanus* verebatur: Poſt cujus adventum, epiſcopi juraverunt fidelitatem Regi, & Rex juravit libertates eccleſiaſticas & bonas leges ſe obſervaturum, & inde chartam ſuam fecit, & Comes *Robertus* ſibi homagium fecit ſub conditione, ſcilicet, ſi dignitatem ſuam ſibi ſervaret illibatam, ſecundùm illud antiquum proverbium: Quàmdiu habebis me pro ſenatore, & ego te pro Imperatore.

Henricus *primus ſepelitur.*

Comitis Gloverniæ prudentia.

PER idem tempus, *David* Rex Scotorum, qui Imperatrici fidelitatem fecerat, in Angliam hoſtiliter veniens, Carleolum & Novum caſtellum ſuper Tynam cepit, & ſuos impoſuit. Promovit igitur Rex *Stephanus* contra eum exercitum copioſum, & Regi Scotorum apud Dunelmum occurrens, concordatus eſt cum eo, quia reddidit ei Rex *David* Novum caſtellum, & Carleolum retinuit Regis *Stephani* voluntate. Rex tamen Scotorum homagium Regi *Stephano* non fecit, quia fidelitatem fecerat filiæ Regis *Henrici* & nepoti ſuæ. Filius autem Regis *David*, homo Regis *Stephani* effectus eſt, & dedit ei Rex jure perpetuo Hun-

Rex Scotorum David *Imperatrici, filius vero ejus Regi* Stephano *homagium fecit.*

Huntendonam de ſe tenendam. Rediens verò Rex ad propria, tenuit curiam ſuam apud Londonias in ſolennitate Paſchali, qua nunquam in Anglia fuerat ſplendidior, tam in auro & argento, quàm in gemmis & veſtibus precioſis, Deinde in feſto Dominicæ aſcenſionis, divulgatum fuit per angliam, Regem eſſe mortuum: Unde maxima perturbatio ſurrexit in regno. Nam *Hugh Bigod* caſtellum Norwicenſe ingreſſus, noluit reddere illud, niſi Regi, & hoc invitus. Cœpit ergò deinceps Normannorum proditio pullulare, ſed Rex eis viriliter reſiſtens, cepit primò caſtellum de Batintona cujuſdam *Roberti* proditoris ſui. Indeque Oxoniam obſidens, quam tenebat *Baldewinus* de Redvers contra eum, ſed ſerò tamen, & cum difficultate redditum eſt caſtellum cum civitate. Rex autem pravo uſus concilio, non exercuit vindictam in proditores ſuos: Unde poſteà reſtiterunt ei, & plurima contra eum nequiter firmaverunt. Perrexit inde ad Wectam inſulam, & abſtulit eam *Baldewino* de Redvers prædicto, & ipſum ab Anglia proſcripſit. Rex igitur his proſperè geſtis, venit venatum apud Brantonam, non longè ab Huntendona, & ibi de foreſtis procerum ſuorum & venationibus plantavit, & votum, quod Deo & populo fecerat, violavit. 1138.

Comes Andegavenſis caſtella Normanniæ occupat.

EODEM tempore, *Gaufridus* Comes Andegavenſis & uxor ejus *Matildis*, ſine difficultate aliqua, caſtella Normanniæ obtinuerunt cum firmitatibus cunctis *Willielmi Taleuaz*, quas Rex habuerat in manu ſua, proſcripto *Willielmo*. Inde menſe Auguſto, cùm apud Rothomagum perveniſſent, peperit *Matildis* ibi comiti *Gaufrido* filium ſuum tertium, quem vocavit *Willielmum*. Proceres verò Normanniæ ſuper hoc indignantes, miſerunt pro *Theobaldo* comite Bleſenſe fratre Regis *Stephani* ſeniori, ut veniret ad eos, Normanniam recepturus. Qui veniens Luxonias, in jejunio decimi menſis, audivit ibi *Stepanum* fratrem ſuum jam in regem Angliæ coronatum: Unde comes Gloverniæ *Robertus* reddidit *Theobaldo* Faleſiam, aſportata priùs pecunia non modica de theſauro Regis *Henrici*. Eodem anno *Willielmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, *Willielmus* Exonienſis, & *Johannes* Roffenſis epiſcopi obierunt.

Filius Regis Stephani Regi Francorum homagium fecit Normanniæ cauſa.

ANNO Domini M. CXXXVII. Rex Anglorum *Stephanus* transfretavit in Normanniam, fugiente à facie ejus comite Andegavenſi: Ubi Martiis actibus indulgens, omnia, quæ incepit fœliciter conſummavit: Hoſtium cuneos depulit, hoſtilia caſtella ſubruit, & egregiè reſplenduit inter ſummos. Concordiam cum Rege Francorum compoſuit, & filius ejus *Euſtachius*, homagium ei de Normannia fecit. Hoc videns conſul Andegavenſis *Gaufridus*, cujus uxori idem Rex ſacramentum fecerat, Angliam ab eo requirebat. Sed tum cùm vidiſſet ſe vires Regias ad præſens non poſſe ſuperare, cepit inducias, acceptis ab ipſo Rege pro bono pacis, quinque millibus marcarum ſingulis annis. *Theobaldo* etiam fratri ſuo comiti Bleſenſi conquerenti quòd injuſtè Angliam invaſerat, cum eſſet ætate minor, duo millia marcarum pepigit annuatim: Et ſic fratres pacificati, ab invicem receſſerunt. Cunctis igitur ibidem proſperè geſtis, ad Angliam tranfretavit. Eodem anno, obiit Rex Francorum *Lodowicus*, & ſucceſſit ei filius ejus *Lodowicus*: Hic duxit uxorem *Alienor*, filiam ducis Aquitanniæ, ex qua duas filias generavit, quas, duo filii magni comitis *Theobaldi* Flandrenſis, *Henricus* & *Theobaldus* duxerunt uxores: Primogenitus primogenitam, & minor natu juniorem.

Conradus Imperator.

ANNO Domini M. CXXXVIII. *Conradus*, Romanum adeptus Imperium, annis quindecim imperavit. Eodem anno Rex Anglorum *Stephanus*, in ipſis diebus Natalitiis, Bedefordenſe caſtrum obſedit, dicens nulla hora pacem eſſe hoſtibus concedendam. Sed antequam ei caſtrum redderetur, Rex *David*, Scotorum in Northanhumbriam exercitum ducens, tam ipſe, quàm ſui, rem nimis execrabilem peregerunt. In ultionem enim Imperatricis, cui idem Rex fidelitatem juraverat, mulieres gravidas findebant, & fœtus anticipatos ab uteris extrahebant: Parvulos ſuper lancearum acumina projiciebant, preſbyteros ſuper altaria trucidabant, Crucifixorum capita præcidebant, & fracta cæſorum corpora reponebant, capita occiſorum mutuantes, ſuper crucifixos collocabant. Quæcunque igitur Scoti contingebant, plena horroris & inhumanitatis erant. Aderat clamor mulierum, ejulatus ſenum, deſperatio vivorum. Rex igitur *Stephanus*, exercitum grandem promovit in Scotiam: Sed antequam illuc perveniret, Rex Scotorum ſeſe in ſua recepit, & inexpugnabilia loca petivit: Sed Rex Anglorum auſtrales Scotiæ partes igne cremavit, & ſic in Angliam remeavit. Exarſerat namque rabies tanta procerum contra eum, ut ferè ab omnibus quateretur: *Willielmus* enim Talebot, Herefordenſe caſtrum tenuit contra Regem, *Robertus* conſul Gloverniæ, Ledes & Briſtollum (hic erat filius nothus Regis *Henrici*) *Willielmus Luvell* tenuit contra caſtrum de Cari, *Pagavellus Ludeblawe*, *Willielmus* de Moiun, caſtellum de Duneſtor, *Robertus* de Lincolnia, caſtra de Warham, *Euſtachius* filius *Johannis*, caſtellum de Meltona, *Willielmus* filius *Alani*, *Saloperbery*, quod Rex per vim cepit, & captorum in eo nonnullos ſuſpendit. Quod audiens Walkelinus, qui caſtrum Dovorenſe tenebat, illud Reginæ reddidit obſidenti.

Crudelitas Scotorum.

Qui à Rege Stephano deſciverunt.

Expeditio in Scotos.

OCCUPATO itaque Rege *Stephano* circa partes Auſtrales Angliæ, Rex Scotorum innumerabilem exercitum in Northanhumbriam promovit, contra quem proceres regni Boreales, juſſu & admonitione *Turſtanni* Eboracenſis Archiepiſcopi, fixo apud Alvertonam ſtandardo Regio inſigni, viriliter reſtiterunt. Hujus autem pugnæ principes fuerunt, conſul

Williel-

1139.

Exhortatio Rodulphi Dunelmenſis ad ſuos.

Willielmus Albemarliæ, *Willielmus* de Notingeham, *Walterus Eſpec*, & *Gilebertus* de Laſci. Archiepiſcopus verò, cùm ægritudinis cauſa huic pugnæ intereſſe non poſſet, miſit loco ſuo *Rodulphum* Dunelmenſem epiſcopum, ad populum exhortandum. Qui ſtans in acie media, in loco eminenti, uſus eſt hujuſmodi incentivo: Proceres Angliæ clariſſimi Normannigenæ, contra quos audax Francia contremiſcit, ferox Anglia à vobis capta ſuccumbit, dives *Apulia* vos ſortita refloruit, Hieruſalem famoſa, & inſignis Antiochia, utraque ſe vobis ſuppoſuit, nunc Scotia, vobis ritè ſubjecta, repellere vos conatur, inermem præferens temeritatem, aptior rixæ quàm pugnæ. Nullus igitur ſit verendi locus, ſed potius verecundiæ, quòd illi, quos ſemper in patria ſua petivimus & vicimus, nunc in patriam noſtram, rita tranſverſo, dementes & ebrii convolârunt. Quod tamen ego præſul vobis divina factum providentia denuntio: Ut hi qui in hac patria templa Dei violârunt, altaria polluerunt, preſbyteros occiderunt, nec pueris nec prægnantibus pepercerunt, in eadem, condignas ſui facinoris luant pœnas. Attollite igitur animos viri elegantes, hoſtes nequiſſimos patria virtute, immò Dei præſcientia conterite, qui ſciunt in bello armari, nec caſus belli dubios ſuſpicemini. Tegitur vobis loricâ pectus, galeâ caput, ocreis crura, & clypeo totum corpus, ubi feriat hoſtis, non reperit, quem ſeptum armis undique cernit. Quid igitur inermes dubitatis & inertes? Sed jam finem loquendi conferunt hoſtes inordinatè proruentes, diſperſi confluentes, quod animo meo ſatis placet. Si quis denique veſtrum pro Deo pugnans & patria occubuerit, abſolvimus eum ab omni pœna peccati, in nomine Patris, cujus creaturas fide, horribiliter peremerunt: Et Filii, cujus altaria polluerunt: Et Spiritus ſancti, cujus gratiam immania perpetrantes & enormia, contempſerunt. Ad hæc autem reſpondit omnis populus gentis Anglorum, & reſonuerunt montes & colles: Amen.

Prælium inter Anglos & Scotos, quo Scoti ſuperati ſunt.

TUNC clamorem audientes Scoti, vociferati ſunt omnes in modum muliercularum inſigne patrium Albani: Sed extinctus eſt clamor, ictuum immanitate & horrore concurrentium acierum. Turma Loeventium, qui gloriam primi ictus à Rege vix impetraverant, augmentatis miſſilibus & lanceis longiſſimis, ſuper aciem equitum Anglorum loricatorum potenter irruunt, ad quos quaſi murum ferreum offendentes, impenetrabiles invenerunt. Viri autem ſagittarii gentis Anglorum, equitibus permixti, imbre ſagittarum Scotos obnubilantes, penetrabant eos, quos repererunt inermes. Tota namque gens Anglorum, & decus Normannorum, circum ſtandardum conglobata, manebat immobilis, quaſi in acie, una percuſſoque caſu ſagitta ſummo Loeventium Duce corruit ipſe, & gens ejus tota eſt in fugam converſa. Offenſus namque Deus excelſus erat in eis, unde omnis virtus eorum, tanquam aranearum tela confracta periit & defecit. Quod videns acies Scotorum major, quæ ex parte altera acerrimè confligebat, animo defecit, & fugæ incunctanter indulſit. Regalis autem acies, quam ex diverſis gentibus conſtituerat, ſimul ut hæc vidit, cœperunt primò ſigillatim, deinde verò catervatim fugere, rege ſolo adhuc perſiſtente. Quod amici regis intuentes, coëgerunt eum equo aſcenſo fugere, cujus filius in armis ſtrenuus, aliorum fugam non attendens, ſed ſoli gloriæ virtuti inhians, acies hoſtium impetu ardenti percuſſit: Licet illius agmina, contra equites loricatos reſiſtere non valerent. Sed tandem armatorum violentia, potenter in fugam nimis damnoſam ſunt compulſi & turpiter in diverſa diſperſi. Undecim Scotorum millia fama refert occiſa, exceptis illis, qui in ſegetibus & ſylvis inventi ſunt lethaliter vulnerati. Noſtri verò ſanguine vix fuſo, fœliciter triumpharunt, licet ex omnibus equitibus, frater *Gileberti* de Laſci, ſolus inveniebatur occiſus. Actum eſt autem bellum hoc menſe Auguſto, ex comprovincialibus tranſhumbranæ gentis. Eodem anno menſe Octobris, *Gaufridus* comes Andegavenſis, Oximenſes ſubjugavit, & Baiocenſes & Faleſiam obſidione vallavit.

Theobaldus Abbas Beccenſis in Archiepiſcopum Cantuarienſem eligitur.

EODEM anno, *Albericus* Hoſtienſis Epiſcopus, & Eccleſiæ Romanæ Legatus, in Angliam veniens, in adventu Domini, Londoniis Concilium celebravit in Eccleſia ſancti *Pauli*. Ubi ipſo jubente legato, *Henricus* Wintonienſis epiſcopus, *Richardum* de Beaumeis diaconum ordinavit. Et ipſa die dum ordines celebrarentur, *Theodbaldus* Abbas Beccenſis in Archiepiſcopum Cantuarienſem ab Epiſcopis electus eſt, Priore eccleſiæ Cantuarienſis *Hieremia* præſente: Qui ab epiſcopo conſecratus, cum legato Romam profectus eſt, ubi à Papa *Innocentio* pallium ſuſcepit.

Pax inter Scotos & Anglos.

ANNO Domini M.CXXXIX. Rex Anglorum *Stephanus*, poſt natale Domini, caſtello de Leides capto, perrexit in Scotiam, & cum rem ibi ageret, ducibus *Marte* & *Vulcano*, Rex Scotorum coactus eſt concordare cum ipſo. *Henricum* igitur filium Regis obſidem ſecum ducens in Angliam, Ludehlawe caſtellum obſedit. Ubi idem *Henricus*, ab incluſis unco ferreo equo abſtractus, penè intra muros projectus eſt. Sed Rex ipſe ab hoſtibus eum, ut miles egregius, laudabiliter retraxit. Inde ad Oxoniam, ſubjugato caſtello, profectus, cepit ibi in curia ſua nimis pernicioſè *Rogerum* Sariſberienſem epiſcopum, & *Alexandrum* Lincolnienſem ipſius nepotem violenter, nihil rectitudinis recuſantes. Ponens igitur ibi in carcerem antiſtitem *Alexandrum*, Sariſberienſem ſecum duxit ad caſtellum ejus, quod Diviſe vocatur, quo non erat ſplendidius intra fines Europæ. Afflictus igitur fame, & collo filii ejus, qui Cancellarius fuerat, laqueum annectens ut ſuſpenderetur, hac arte caſtellum obtinuit, atque arte eadem Sireburnenſe oppidum in ſua poteſtate recepit. Accipienſque theſauros

Ponti-

Pontificis, comparavit inde *Euſtachio* filio ſuo, *Conſtantiam* ſororem *Lodowici* Regis Francorum, matrimonio copulandam. Inde quoque recedens Rex, ſimiliter egit de *Alexandro* Lincolnienſi Epiſcopo, donec reddidit ei caſtella de Neowere & Latſorda. 1140.

EODEM verò tempore, *Matildis* filia Regis *Henrici*, quæ fuit Imperatrix, cui Anglia erat, cum comite *Roberto* fratre ſuo in Angliam venit, & ad portum Arundel applicans, à *Willielmo* de Albeneto, qui Reginam duxerat Adelizam, quæ caſtellum de Arundel & comitatum à Rege *Henrico* pro dote habebat, recepta eſt cum lætitia & exultatione. Comes autem Gloverniæ *Robertus* cum decem militibus & totidem ſagittariis equeſtribus, per mediam terram Regis *Stephani* tranſiens, Wallingefordiam pervenit, & inde Gloverniam, nuntians adventum Imperatricis, *Brieno* filio comitis, & *Miloni* de Glovernia, & quòd eam apud Arundel reliquerat, cum uxore ſua & aliis impedimentis. Qui lætati ſunt valdè de adventu illius, & ſeſe ſolerter præparaverunt ad pugnam. Eodem anno Wintonienſis Epiſcopus, invitatos ad prandium quoſdam nobiles, coëgit ad deditionem aliquorum caſtrorum indignans. Cum *Theobaldo* Archiepiſcopo & aliis Epiſcopis & Prælatis Angliæ, Concilium apud Wintonienſem celebravit, tertio Kalendas Septembris, ad quod Regem fratrem ſuum vocari fecit, qui comitem *Albericum* de Ver, in cauſarum varietatibus exercitatum miſit ad concilium de captione dictorum epiſcoporum: Super qua erat imperitus, ſe ſic de jure facere poſſe allegantem, & factum Regis defendentem, & licet aliter viſum eſſet Concilio ſuper querelis in epiſcopos motis, & verbis hinc inde propoſitis, Kalendis Septembris ſolutum eſt concilium. Eodem anno obiit *Rogerus* Sariſberienſis antiſtes, tam ſenio quàm mœrore confectus: Poſt mortem cujus, Rex *Stephanus* proſcripſit *Nigellum* Elienſem Epiſcopum, quia nepos erat *Rogeri* Sariſberienſis epiſcopi, à quo, in ejus perniciem traxerat incentivum. Ceſſaverunt autem ab hoc tempore in Anglia, curiæ regis feſtivitates ſolennes, pax nulla erat, cædibus & incendiis omnia exterminabantur, clamor, luctus, & horror undique reſonabant. Tunc defuncto *Turſtano* Eboracenſi Archiepiſcopo, *Willielmus* ejuſdem eccleſiæ theſaurarius ſucceſſit.

Matildis in Angliam revertitur.

ANNO Domini M. CXL. Rex Anglorum *Stephanus* inter dies Natalitios, urbem Lincolniæ obſedit, cujus firmitates, *Ranulphus* Ceſtrenſis comes receperat paulò ante: Qui Regem *Stephanum* arcuit à civitatis ingreſſu, uſque ad purificationem ſanctæ *Mariæ*. Tunc comes præfatus cum *Roberto* filio Regis *Henrici*, & comite Glovernienſi ſocero ſuo, & militia magna nimis Lincolniam venit, ut obſidione ſolveret, atque paludem ferè intranſmeabilem audacter tranſivit, & ipſa die, aciebus diſpoſitis, Regi bellum indixit. Ipſe autem cum ſuis, ut vir admirandæ probitatis, aciem primam conduxit, ſecundam illi, quos rex *Stephanus* exulaverat, tertiam comes Glovernenſis *Robertus* cum ſuis regebat. Rex interea *Stephanus*, miſſam in tanta ſolennitate devotus audivit: Ubi cùm de more cereum, regio honore dignum, Deo offerens, manibus *Alexandri* epiſcopi imponeret, ſubitò confractus eſt, & extinctus, quod regi contritionis ſignum fuit. Cecidit etiam ſuper altare Euchariſtia, cum corpore Chriſti, rupto filo, præſente epiſcopo, quod regi ruinæ pronoſticum erat. Porrò rex magnificus, cum ſolicitudine ſumma, acies diſponit, ipſe pedes omnem loricatorum multitudinem circa ſe, abductis equis, inſtructiſſimè collocavit. Conſules omnes, cum ſuis, in duabus aciebus equis inſtituit pugnaturos: Sed acies eorum admodum parvæ exiſtentes, paucos ſecum fictos & factioſos comites habuerunt. Acies tamen regalis maxima erat, unico vexillo ſolummodo inſignita. In principio autem pugnæ, acies exhæredatorum, quæ præibat, aciem percuſſit regalem, in qua erant comes *Alanus*, comes *Robertus Demeſlent*, *Hugo Bigod* comes Eaſtanglorum, comes *Symon* cum illo de Warenna, tanto impetu, quòd alii eorum occiſi, alii capti, alii ſunt per fugam elapſi. Acies quoque, cui præerat comes Albemarlenſis, & *Willielmus* Yprenſis, percuſſit Wallenſes, qui à latere procedebant, & eos abegit in fugam. Sed & acies comitis Ceſtrenſis irruit in cohortem prædictam, & ſicut acies prior diſſipata eſt in momento. Fugerunt igitur omnes equites Regis, & *Willielmus* Yprenſis vir conſularis, atque alii qui fugere non potuerunt, omnes capti ſunt & vinculis mancipati. Accidit autem res mira, & præ omnibus admiranda, dum Rex *Stephanus*, ut leo rugiens, ſolus in campo perſiſteret, & nullus ad eum accedere auderet, ſtridens dentibus, & apri ſylveſtris more ſpumans, turmas in ſe irruentes, cum bipenni, quam tenebat repellens, ac hoſtium præcipuos potenter conſternens, laudem ſibi perpetuam comparavit. O ſi centum ei ſimiles adeſſent, non captionis jacturam rex incurriſſet, cùm ipſe ſolus, vix potuit à tot hoſtibus ſuperari. Capitur autem Rex Anglorum *Stephanus*, in die purificationis beatæ *Mariæ*, & ad Imperatricem ducitur, atque in turri de Briſtollo, cuſtodiæ mancipatur. Eclipſis ſolis facta eſt per totam Angliam horribilis & tenebroſa.

Proſcripti regem Stephanum bello petunt.

Prælium.

Rex Stephanus captus.

HIS itaque geſtis, Imperatrix penè ob omni Anglorum gente ſuſcipitur in dominam, exceptis Kentenſibus, ubi Regina regis *Stephani*, & *Willielmus* Yprenſis, qui contra eam pro viribus decertabant, ſuſcepta eſt, priùs ab *Alberico* legato Romano, & poſt à *Willielmo* Wintonienſi Epiſcopo, & Londonienſium civitate: Sed mox ſive ſubdolorum inſtinctu, ſive Dei nutu, à Londonienſibus expulſa, Regem *Stephanum* in compedibus poni præcepit. Et ſic poſt dies paucos, cum avunculo ſuo Rege Scotorum, & fratre ſuo comite *Roberto*, & aliis armatorum copiis, turrem Wintonienſis epiſcopi obſedit: ſed epiſcopus mittens pro

Imperatrix Matildis ab Anglis recepta.

1142. Regina & *Willielmo* Yprenſi, ac cæteris Angliæ, qui *Stephano* Rege favebant, proceribus, eos in ſuum auxilium evocavit. Et facto gravi impetu in exercitum Imperatricis, compulerunt omnes, qui in obſidione erant, in fugam, & fugientes viriliter inſecuti, ceperunt inter cæteros *Robertum* comitem & fratrem Imperatricis, in cujus cuſtodia rex *Stephanus* tenebatur: Cujus ſola captione, rex poterat à carcere liberari. Captus eſt autem in die exaltationis ſanctæ Crucis, ſed incontinenti datus eſt rex pro eo, & ſic ambo ſunt à vinculis abſoluti. Per idem tempus *Weleramnus* comes de Meſlent, qui omnibus Normanniæ præerat proceribus, cum comite concordiam fecit Andegavenſi *Gaufrido*, & dedit ei caſtellum Montis fortis, & caſtellum Faleſiæ, & ſic ſubdiderunt ſe ei omnes viri potentes circa flumen Sequanæ, uſque ad ripam Riſle, & fidelitatem ei fecerunt. Eodem anno *Gileberto* Londonienſi epiſcopo, qui Univerſalis dicebatur, *Robertus* de ſigillo ſucceſſit. Eodem anno *Galfridus* de Mandevilla firmavit Turrim Londonienſem. Idibus Maii *Albericus* de Ver Londonenſis, occiditur. *Aldewinus* fundator fuit Malverniæ.

Imperatricis exercitus diſſipatur. Rex Stephanus à vinculis liberatus.

ANNO Domini M. CXLI. *Robertus* comes Glovernenſis transfretavit in Normanniam, ducens ſecum quoſdam obſides magnatum Angliæ, qui Imperatrici favebant, ut comes Andegavenſis eos coſtodiret, & inſuper ad ſubjugandum regnum Angliæ transfretaret. Sed comes ad tempus facere renuit, propter rebellionem Andegavenſium, & aliorum hominum ſuorum, qui illum infeſtabant: Sed tamen tradidit ei *Henricum* primogenitum filium ſuum, ut cum ipſo ad Angliam tranfretaret. Ipſe verò, præſente adhuc *Roberto* comite, cepit Alnei & Moritonium, Tenerchebrai, & Cerenches, caſtella comitis Moretonii & Abrincacenſis: Et Conſtantinienſes ſeſe ſubdiderunt ei. Eodem anno, cùm Rex Anglorum *Stephanus* apud Wintoniam caſtellum quoddam firmaret, ſupervenit hoſtium ſuorum innumerabilis multitudo, & impetum facientes in eum, coëgerunt illum in fugam. In hac autem pugna captus eſt *Willielmus Martel* dapifer Regis *Stephani*, & apud Wallingeford adductus, ſub cuſtodia *Brieni* filii comitis fuit deputatus: Qui ſibi carcerem fecit ſpecialem, & vocavit *Cloere Brien*. Qui antequam exiret de carcere, reddidit Imperatrici Sireburnienſe caſtellum pro liberatione ſua.

Rex Stephanus in fugam compellitur.

AUDIENTE autem eodem tempore rege *Stephano* Imperatricem eſſe apud Oxoniam, in caſtello cum parvo comitatu, collegit exercitum copioſum, & poſt feſtum ſancti *Michaelis* illuc profectus, dictam Imperatricem, uſque ad adventum Domini, continua obſidione vallavit. In tanto autem termino cùm vidiſſet Imperatrix ab amicis ſe fuiſſe neglectam, & omni ſuccurſu alienam, exploratores regis caſtrum obſidentes arte fœminea deludens, nocte per Thamenſem fluvium, glacie conſtrictum ac nive dealbatum, albis circumamicta veſtibus, cum quibuſdam ſodalibus, de caſtello exivit, atque reverberatione nivium, & ſimilitudine veſtium oculos ſe intuentium fefellit. Abiit ergò nocte illa ad caſtellum de Wallingeford, ad *Brienum* filium comitis, ut ſe ſalvaret ab hoſtibus: Et ſic caſtellum Oxonienſe regi redditum eſt.

Imperatrix obſeſſa fuga dilabitur.

ANNO Domini M. CXLII. *Willielmus* Wintonienſis epiſcopus, & ſedis Apoſtolicæ legatus, in media Quadrageſima apud Londoniam Concilium Rege præſente & epiſcopis, celebravit. Nullus enim honor vel reverentia ferebatur Dei eccleſiæ vel ejus ordinatis, à prædoniis ſceleratis, ſed æquè clerici & laici capiebantur, redimebantur, & in vinculis tenebantur. Sancitum eſt ergò ibi, & generaliter conſtitutum, ne aliquis, qui eccleſiam, cœmiteriúmque violaverit, vel in clerico aut viro religioſo manus injecerit violentas, ab alio, quàm ipſo Papa poſſit abſolvi. Statutum eſt etiam, ut aratra in campis cum ipſis agricolis, talem pacem habeant in agris, qualem haberent in cœmiterio ſi extitiſſent. Excommunicaverunt autem omnes, qui contra hoc decretum venirent, candelis accenſis, & ſic milvorum rapacitas aliquantulum conquievit. Eodem tempore, Rex *Stephanus* cepit *Willielmum* de Mandevilla apud ſanctum *Albanum*, unde reddidit regi turrem Londoniarum, cum caſtellis de Waldene & de Pleſſiz, antequam à vinculis ſolveretur. Qui carens poſſeſſionibus paternis, invaſit Abbatiam Rameſienſem, atque monachis expulſis, raptores immiſit. Erat autem vir magnæ ſtrenuitatis, ſed maximæ in Deum obſtinationis.

Concilium Wintonienſis epiſcopi.

EODEM tempore, cum *Fulco* rex Hieroſolymitanus campos pertranſiret Acconenſes, contigit ut leporem excitaret ſedentem. Quem cum clamor omnium inſequeretur fugientem, Rex arrepta lancea, ut leporem inſectaret, equum calcaribus inconſultè urgebat: Qui præceps corruens in terram, Regem ita contrivit, ut cerebrum ejus, tam per aures, quàm per nares terribiliter emanaret. Univerſi autem qui aderant, opem ferre volentes accedunt, ſed Regem exanimem invenerunt. Obiit igitur idibus Novembris, corpuſque ejus Hieroſolymas delatum, ſepultum eſt in eccleſia dominici ſepulchri, cum lacrymis aſtantium populorum, per miniſterium patriarchæ *Willielmi*. Cùm autem Regis obitus in finibus infidelium diſſeminatus fuiſſet, *Sanguineus* Turcorum vir potentiſſimus, cum innumera armatorum copia, Edeſſam obſidens civitatem, diuturno eam labore ſubegit, atque Chriſtianos omnes in ea inventos, ſine miſericordia trucidavit, non parcens ſexui vel ætati. Sic itaque urbs antiquiſſima, & Chriſtiano nomine inſignita, ac *Thadæi* Apoſtoli prædicatione converſa, nunc (proh dolor) ſub infidelium eſt poteſtate redacta. In hac enim dicitur corpus beati *Thomæ* Apoſtoli, unà cum corporibus ſancti *Thadæi* ſupradicti, & beati Regis

Fulco Rex Hieroſolymitanus moritur.

Edeſſa civitas à Turcis capta.

Abgari

1146.

Abgari ſepultum. Hic autem eſt *Abgarus* ille Toparcha illuſtris, cujus Epiſtolam ad Dominum miſſam, *Euſebius* Cæſarienſis commemorat, in hiſtoria Eccleſiaſtica, quem & Domini dignum reſcripto docet, utriuſque ponens Epiſtolam, & in fine ita ſubjungens. Hæc in archivis publicis Edeſſæ urbis, in qua tunc prædictus *Abgarus* regnavit, ita deſcripta reperimus, in his chartis, quæ geſta Regis *Abgari* ſervata antiquitùs continebant. Hæc prætereà civitas ſæpe legitur poſtmodùm à Chriſtianis ſubacta, & iterum à Saracenis poſſeſſa.

Cæleſtinus Innocentio *Papæ ſuccedit.*

EODEM anno, defuncto Papa *Innocentio*, *Cæleſtinus* ſucceſſit; qui cum ſediſſet in Cathedra Romana menſibus quinque, diem clauſit extremum. Qui ſuccedens *Lucius*, Romanam rexit eccleſiam menſibus undecim, & diebus tredecim. Eodem anno obiit *Willielmus* Wintonienſis præſul, & *Henricus* ſucceſſit. Huic verò *Henrico*, *Lucius* Papa pallium miſit, volens apud Wintoniam novum Archiepiſcopum conſtituere, & ſeptem ei epiſcopos aſſignare. Hoc quoque anno magiſter *Willielmus* Malmeſberienſis monachus, Anglorum hiſtoriam terminavit.

Lucius *Papa moritur, cui ſuccedit* Eugenius.

ANNO Domini M. CXLIII. defuncto Papa *Lucio*, *Eugenius* ſedit in cathedra Romana annis octo, menſibus quatuor, & diebus viginti uno. Eodem anno, Rex Anglorum *Stephanus*, Lincolniam obſedit, & cùm conſtrueret municipium contra caſtellum, quod tenebat comes Ceſtrenſis *Ranulphus*, operarii ejus ferè octoginta à comite præfato interfecti ſunt, & ſic re imperfecta receſſit. Eodem anno, *Robertus* Marmimi vir bellicoſus, qui monachos Coventrenſes à ſuo monaſterio expulerat, & de eccleſia illa caſtellum fecerat, dum contra hoſtes decertaret, inter prædones ſuos, ante ipſum monaſterium, ſolus peremptus eſt, & excommunicatus morte depáſcitur ſempiterna. Eodem verò tempore *Gaufridus* conſul de Mandevilla, qui idem ſcelus patraverat in monaſterio Rameſienſi, ante ipſam eccleſiam inter conſortes ſuorum acies, à pedite quodam viliſſimo ſolus ſagitta percuſſus, occubuit interfectus. Eccleſia autem illa, dum pro caſtello teneretur, à ſuis parietibus ſanguinem ubertim emiſit, indignationem divinam manifeſtè declarans. *Arnulphus* etiam ejuſdem comitis filius, qui poſt mortem patris eccleſiam illam pro caſtello tenebat, à Rege captus eſt, & proſcriptus. Princeps quoque militiæ ejus ab equo corruens, fuſo cerebro expiravit. Magiſter peditum *Reinerius*, qui monaſteria incendere ſolebat & frangere, cùm proſcriptus mare tranſiret, navis inter undas immobilis permanebat, Qui tertiò ſorte data, & ſibi ſortita, miſſus eſt in ſcapham cum uxore & liberis, & pecunia ſua tota, ſed navicula ſtatim fluctibus ſubmerſa eſt, & miſeri perierunt. Magna verò navis, mari pacato, æquora ſine impedimento ſulcavit. Eodem anno *Gaufridus* comes Andegavenſis, à civibus Rothomagenſibus ſolenniter ſuſceptus eſt, & exinde dux Normanniæ appellatus eſt.

Prodigium.

Comes Andegavenſis dux Normanniæ appellatus.

ANNO Domini M. CXLIV. Rex Anglorum *Stephanus*, cômitem Gloverniæ cum multis aliis inimicorum ſuorum, à conſtructione Fareudumenſis caſtri fugavit, & municipium illud in ſua poteſtate recepit.

Comes Gloverniæ fugatur.

ANNO Domini M. CXLV. Rex Anglorum *Stephanus*, cepit *Arnulphum* Ceſtriæ Comitem, ad ſe pacificè venientem apud Northamptonam, & eum in carcere tenuit, quouſque reddidit ei caſtellum Lincolnienſe cum cæteris, quæ ſuæ fuerant ditionis: Et ſic Rex apud Lincolniam ſolenniter coronam portavit.

ANNO Domini M. CXLVI. *Henricus* ducis Andegaviæ filius & Imperatricis *Matildis*, in Normanniam tranſiens, in die Dominicæ Aſcenſionis, apud Beccum honorificè receptus eſt à conventu. Quo utique anno *Willielmus* de ſancta Barbara, decanus Eboracenſis, factus eſt epiſcopus Dunelmenſis. Eodem anno obiit, reverendæ memoriæ *Gaufridus* Abbas eccleſiæ ſancti *Albani* protomartyris Anglorum, poſtquam annis viginti ſex laudabiliter rexerat monaſterium præfatum. Vacavit autem eccleſia à pio paſtore viduata, à quinto Kalendis Martii, uſque ad rogationes proximè ſequentes, quo tempore monachi elegerunt *Radulphum Gubium* monachum de Gremio eccleſiæ ſuæ, virum literatum, & bonis moribus adornatum. Facta igitur electione, Rex *Stephanus* in die dominicæ Aſcenſionis apud ſanctum *Albanum* veniens, aſſenſum præbuit, & gratanter *Radulphum* memoratum in Abbatem ſuſcepit. Eodem anno defuncti ſunt, pontifices, *Aſcelinus* Roffenſis, *Rogerus* Ceſtrenſis, & *Robertus* Herefordenſis: *Aſcelino* autem ſucceſſit *Walterus* Archidiaconus Cantuarienſis, *Rogero*, *Walterus* Prior Dorobornenſis, *Roberto*, *Gilebertus* Abbas Glovernenſis. Eodem anno, poſt *Turſtannum* Eboracenſem Archiepiſcopum, *Henricus* Ciſtercienſis monachus illum obtinuit præſulatum. Circa idem tempus, Cometa multis diebus apparuit in occidente, vicinum aërem ſpaciis circumquaque diffuſis coruſcantibus radiis illuminans immenſum.

Cometa viſus.

EODEM anno, Papa *Eugenius* Pariſiis veniens, conſecravit *Petrum* quendam Aimerici eccleſiæ Romanæ cancellarii nepotem, in Archiepiſcopum Bituricenſem, contra *Lodowici* Regis Franciæ voluntatem. Quod Rex in injuriam ſuæ dignitatis factum, vehementer indignans, propoſitis publicè ſacroſanctis reliquiis, in præſentia multorum juravit, quòd Archiepiſcopus præfatus, quamdiu ipſe viveret, civitatem Bituricam non intraret. Sic per triennium Regis perſona ſubjacuit interdicto. In quamcunque civitatem, vicum vel caſtellum intrabat, ſuſpendebatur celebratio divinorum. Tandem *Bernardo* Abbate Clarevallenſi

Rex Francorum Lodowicus *à* Papa Eugenio *excommunicatur.*

1147. perſuadente ad hoc, eſt cor Regis inclinatum, ut Archiepiſcopum reciperet, & pro tranſgreſſione perjurii, Hieroſolymam ſe promitteret profecturum. Igitur per totam Galliam ſit exactio generalis, nec ſexus, vel ordo, aut dignitas, quempiam excuſavit, quin auxilium Regi conferret. Unde factum eſt, ut ejus peregrinatio, multis imprecationibus perſequeretur, ſicut ſequens relatio declarabit.

Imperator Conradus cum Rege Francorum cruce ſignatus ad terram ſanctam proficiſcitur.

EODEM tempore, in majore Letana, cùm Papa *Eugenius* apud ſanctam Genoveſam ſolenni fuiſſet proceſſione receptus, ſervientes clericos eccleſiæ Domini Papæ ac miniſtros fuſtigaverunt, & intra parietes eccleſiæ eorum ſanguinem effuderunt. In ultionem igitur illius exceſſus, ſervientium eccleſiæ ædificia ſunt ſubverſa, & expulſis canonicis ſæcularibus, loco eorum regulares ſunt canonici introducti. Papa verò inde Remos profectus, tenuit ibi Concilium, in quo damnata eſt hæreſis Eudonis pſeudoprophetæ, de cujus incantationibus & phantaſiis, melius eſt ſilere quàm loqui. In hoc quoque Concilio conſtituit prædicatores de negotio terræ ſanctæ, quæ eo tempore adeò erat à Saracenis oppreſſa, quòd liberis diſcurſibus & ſine contradictione, eam ubilibet pervagarentur. Igitur ad prædicationem *Bernardi* Abbatis Clarevallenſis, *Conradus* Romanorum Imperator cruce ſignatus eſt, & cum eo innumera hominum multitudo. Menſe autem Maio proximo ſequente, dictus Imperator iter peregrinationis arripiens, duxit ſecum ad ſeptuaginta millia equitum loricatorum, exceptis peditibus & parvulis mulieribus equitibuſque levis armaturæ. Sequutus eſt illum quoque *Lodowicus* Rex Francorum cum non minori numero armatorum, qui propoſitum habentes ſegregatim incedere, ut commodiùs ſibi vitæ neceſſaria & jumentis pabula non deeſſent, profecti ſunt. Transſcursâ itaque Bavariâ & Danubio Flumine, Auſtriâ, Hungaria & utraque Pannonia, Bulgarorum etiam provinciis, Meſiâ & Daciâ, tandem in Thraciam deſcenderunt. Inde Conſtantinopolim pervenientes, cum Imperatore Manuele colloquium habuerunt. Inde tranſito Helleſponto Europæ termino, in Bithyniam, quæ primâ eſt ex Aſianis provinciis, in pago Chalcedonenſi caſtra ſtatuerunt. Tunc Imperator *Conradus* tranſiectis Boſphorum legionibus ſuis, & relinquens à læva Galatiam & Paphlagoniam & utrumque Pontum, à dextris autem Phrygiam, Lydiam, & Aſiam minorem, per mediam Bithyniam iter agens, Nicæamque à dextris deſerens, Lycaoniam pervenit.

SOLDANUS autem Yconenſis, audito tantorum principum adventu, à multo retrò tempore ex ultimis Orientis finibus, militaria convocaverat auxilia, & quomodo ab imminentibus hoſtium periculis ſe poſſit eximere, curam propenſiorem gerit. Congregatis igitur copiis militaribus, in finibus Lycaoniæ expectabat, ut loco & tempore hoſtibus tranſeuntibus, impedimentum ne procederent, procuraret. Tradiderat quoque Conſtantinopolitanus Imperator, Imperatori Romanorum viæ duces, propter locorum abuſum, & itineris difficultatem, qui ipſum præcederent: Sed illi conſuetâ Græcorum uſi malitiâ, de mandato (ut dictum eſt) Imperatoris, qui ſemper Latinòrum ſucceſſibus invidebat, cœperunt ex induſtria trahere legiones, in quibus locus eſſet hoſtibus, regionis ignaros & ſimplices populos opprimendi. At Soldanus videns Chriſtianos in anguſta ſolitudinis loca demerſos, irruit in eos, ſcilicet non præmeditatos, quum tam ipſe quàm ſui acriùs inſtantes in equis velocibus, quibus pabula non defuerant, Romanos lentos & armis onuſtos equos habentes, fatigatos & afflictos fame, nec hoſtibus reſiſtere, nec cum eis congredi valentes, vicerunt, & ſtragem ex eis miſerabilem confecerunt. Factum eſt autem occulto, ſed juſto tamen Dei judicio, quod de ſeptuaginta millibus equitum loricatorum, & de tanta peditum manu, quorum erat quaſi numerus infinitus, ut vix decima pars evaderet, aliis fame, aliis gladio, nonnullis etiam vinculis mancipatis. Evaſit tamen Imperator cum paucis principibus ſuis, & cum difficultate nimia Nicæam uſque pervenit. Indeque Conſtantinopolim profectus, ibi uſque ad ſequentis initium veris perendinavit.

Conradi Imperatoris exercitus cæſus à Turcis.

ANNO Domini M. CXLVII. Imperator *Conradus*, hyeme tranſcursâ, navibus devectus cum ſuis, portum attigit Achonenſem, & inde Hieroſolymam profectus, à Rege *Baldewino*, clero civitatis ac populo cum hymnis & laudum canticis, in ſanctam perducitur civitatem. Quo utique tempore, *Lodowicus* Rex Francorum Imperatorem ſecutus, poſt longos viæ labores ad vada Menandri cum ſeptuaginta millibus loricatorum militum præter claſſem quæ eum ſequebatur, pervenit. Ubi Francis accedere ad aquas volentibus, ex adverſa fluminis ripa hoſtes inveniunt infideles, qui aquæ uſum eis & tranſitum interdicere ſatagebant. Sed vadis demum inventis, hoſtibus invitis & pluribus neci traditis, ac vinculis quibuſdam mancipatis, omnes in fugam compellunt, & eorum ſpolia rapientes, facti ſunt de victoria lætiores. Inde Laodiceam tranſeuntes, montem quendam arduum & aſcenſu difficilem, in itinere repererunt. Erat autem conſuetudo Francorum, ut quoſdam de illuſtribus viris aſſignarent, qui agmina præirent, & qui à tergo ſequerentur, ad cuſtodiam imbellis populi ſarcinarum, qui etiam cum principibus de modo viæ & diætæ tractarent. Præibat autem illa die, vir nobilis *Gaufridus* de Raucona, qui cum agminibus montem aſcendens, ad ejus faſtigium pervenit. Quod Turci cognoſcentes, qui exercitum illum à latere inſidiantes ſequebantur, in Francos non præmeditatos potenter irruunt, & eorum legiones diſſolvunt.

Francorum clades.

Cecidit

1150.

Cecidit autem die illa, caſu miſerabili, gloria Francorum & virtus, qui fortè peccatorum tenebris involuti, myſtica ſecum Domino munera non ferebant. Nec tamen Rex propter caſum adeò ſiniſtrum à propoſito potuit revocari, quin peregrinationem proſequeretur inceptam, ſed ardenti deſiderio cum Regina ſua Alienor, ad iter ſe accingens, Hieroſolymam tandem pervenit. Ubi à Rege honorificè ſuſceptus & populo, de caſu, qui acciderat ei,non mediocriter condolebant.

COMPLETIS tandem de more orationibus, convenerunt ad colloquium Imperator Romanus, cum Regibus Hieroſolymarum & Francorum, ut de fructu tantæ peregrinationis, & terræ ſanctæ agerent incremento. Tandem omnes in hoc communiter conſenſerunt, ut Damaſcum urbem, fidelibus nimis damnoſam, obſiderent: Et ſicut fuerat prælocutum,ad urbem accedentes,pomœria occupant ſuburbana, quibuſdam ibi ex hoſtibus interfectis. Inde ad flumen, quod urbem lambebat accedentes, ut ſitis anguſtias relevarent, invenerunt ſecus ripam tantam hoſtium multitudinem, quæ eis aquæ uſum auferre volebant; quòd nec regem Hieroſolymarum vel Francorum cum eorum legionibus accedere permiſerunt. Quo cognito, Imperator *Conradus* ira vehementi ſuccenſus, per medias Francorum acies cum ſuis principibus ad certaminis locum pervenit, & cuidam ex Turcis fidelibus viriliter reſiſtenti & ſtrenuè dimicanti, caput galeatum collum & humerum loricatum, brachium ſiniſtrum cum ſubjecto latere, à reliquo corpore, educto gladio ſeparavit. Quod factum hoſtes ita deterruit, quod verſus urbem, flumine relicto, fugere decertarent. Obtento itaque flumine, fideles ad urbem liberiùs accedentes, eam obſidione cinxerunt: Unde cives poſt longam obſidionem fidelium virtutem metuentes & numerum, compoſitis ſarcinis, clàm & de nocte de civitate fugere decreverunt. Sed priùs noſtrorum animos, quorum corpora vincere nequibant, corrumpere tentantes, dederunt quibuſdam principibus ex noſtris de partibus orientis pecuniam infinitam, qui inde proditoris vicem gerentes, obſidionem ſolvere conarentur. Inſtantibus autem ad hoc proditoribus memoratis, loquebantur cum Imperatore & Rege Francorum in dolo, inceptæ obſidionis difficultatem allegantes, & ob hoc aliis erant de proditione ſuſpecti. Unde eorundem principum malitiam manifeſtam attendentes, & fraudem Orientalium deteſtantes, omnes quotquot erant de partibus Occidentis, prævio Imperatore & Francorum Rege, ad regna ſua, eâdem viâ qua venerant, ſunt reverſi. Qui deinceps non ſolùm illos qui huic proditioni interfuerunt, ſed & omnium Orientalium Principum abominabantur conſortia, & alios ad hujus peregrinationis amorem minùs efficiebant ferventes. Eodem anno *Robertus* de Chaiſneio Archidiaconus Legeceſtrenſis, poſt *Alexandrum* creatus eſt Lincolnienſis antiſtes, per manum *Theodbaldi* Archiepiſcopi Cantuarienſis, poſt jejunium menſis ſeptimi epiſcopus conſecratus.

Damaſci obſeſſio.

Conradus *Imperator & Rex Francorum perfidia cruce ſignatorum Orientalium principum, ad ſua revertuntur.*

ANNO Domini M. CXLVIII. Poſt deceſſum Imperatoris & Francorum Regis de partibus terræ ſanctæ, *Norandinus Sanguinii* filius,princeps Turcorum potentiſſimus, fines Antiochenos ingreſſus, Nepam caſtrum obſidione vallavit. Contra quem *Reimundus* Antiochenus princeps exercitum ducens, inconſultè nimis, & prælio inæquali decertavit: Unde contigit, quòd ipſe cum aliis quibuſdam viris nobilibus occubuit interfectus. *Norandinus* autem, nullo obſtante, progreſſus, Harenge caſtrum obſidens, occupavit, & ſic liberè in partibus illis univerſa depopulando percurrit, donec Rex Hieroſolymarum ſuperveniens, ipſum hoſtiliter recedere, & ſua repetere potenter coëgit. Tranſlatio ſancti *Erkenwaldi* epiſcopi, decimo octavo Kalendas decembris. Eodem anno in ſolennitate Pentecoſtes, *David* Rex Scotorum militaribus decoravit armis *Henricum*, filium primogenitum *Gaufridi Plantageniſt*, nunc ducem Normannorum, & neptis ſuæ olim Imperatricis *Matildis*.

Norandinus Sanguinii *filius*, Reimundum *Antiochenum principem occidit.*

ANNO Domini M. CXLIX. *Gaufridus* dux Normanniæ,reddidit *Henrico* filio ſuo Normanniam hæreditatem ſuam ex parte matris ſuæ, contra prohibitionem Regis Francorum, unde diſcordia inter ipſum regem & ducem orta eſt. Reverſio Imperatoris Alemanni, & regis Galliæ de Hieroſolymis. Lexebona capta eſt à Chriſtianis, *Gilebertus Foliot* efficitur epiſcopus Herefordenſis.

ANNO Domini M. CL. Rex Francorum *Lodowicus*, & *Euſtachius* filius Regis *Stephani*, cum militia copioſa venerunt ante turrem de Archis, ob diſcordiam memoratam, ubi etiam adfuit dux Normanniæ *Henricus*, & Pater ejus comes Andegavenſis *Gaufridus*, cum ingenti exercitu Andegavenſium, Britonum, & Normannorum. Sed videntes utriuſque partis Principes,quòd legiones illùc nequibant ſine magna effuſione ſanguinis hoſtiliter convenire, cœperunt de pace tractare, & intervenientibus utrorumque amicis, rex Francorum cepit homagium ducis *Henrici* de Normannia, & ſic pacifici receſſerunt. Dux igitur *Henricus*, dum tractaret cum optimatibus ſuis de itinere ſuo in Angliam, pater ejus apud caſtrum Leri graviter infirmatus, ſeptimo Idus Septembris ab hac vita migravit,& ſic *Henricus* filius ejus factus eſt comes Andegavenſium, & dux Normannorum. Hoc anno, gelu cœpit à quarto Idus Decembris, durans uſque ad undecimum Kalendas Martii, & Tamiſia ſic gelata eſt, ut pede & equo tranſiretur. Rex *Stephanus* firmavit caſtellum apud Radingum. Eodem anno *Radulphus* Abbas eccleſiæ ſancti *Albani* decidens in languorem, *Robertum* de Goreham Priorem

Bellum inter Regem Gallorum & ducem Normannorum Henricum. *Mors ducis* Henrici. *Graviſſima Hyems.*

1151. Priorem eccleſiæ ſuæ, ſuum procuratorem conſtituit, per concilium conventus, & totius Abbatiæ rectorem.

Reimundus Com. Tripolitanus interfectus.

Aſſiſinorum conditio.

EODEM anno, *Reimundus* comes Tripolitanus, vir potens & in armis ſtrenuus, ab Aſſiſinis interfectus eſt. Planxerunt autem eum Rex Hieruſalem *Baldewinus* & terræ promiſſionis populus, ut qui erat valdè formidabilis infidelibus & principibus Saracenis. Eſt autem in provincia Tyrenſi, & Phœnicis regionis quidam populus circa epiſcopatum Antaradenſem in montibus habitans, & decem caſtella habens cùm ſuburbanis multis, quorum numerus ad quadraginta millia virorum, vel eo amplius excrevit. Hi non hæreditaria ſucceſſione, ſed meritorum prærogativa, ſibi ſolent magiſtrum præficere, & eligere præceptorem, quem ſpretis aliis dignitatum nominibus, Veterem de monte, ſive Senem appellant. Cui tantæ ſubjectionis ſolent & obedientiæ vinculo obligari, ut nihil ſit tam durum, tam difficile, támve periculoſum, quod ad magiſtri imperium, ardentibus animis non aggrediantur implere. Nam inter cætera, ſi quos habent principes odioſos, aut genti ſuæ ſuſpectos, data uni de ſuis ſicha, vel pluribus, non conſiderato rei exitu, vel quæ eis pœna ſequatur, illùc contendunt, quibus mandatum eſt: Et tam diu pro complendo Imperio anxii circumeunt & laborant, quouſque peragant ſibi homicidium imperatum. Hos tam Saraceni quàm Chriſtiani Aſſiſinos appellant, etymologiam nominis penitus ignorantes. Hi etiam quaſi annis quadringentis Saracenorum legem, & eorum traditiones tanto zelo coluerunt, ut reſpectu eorum, prævaricatores omnes alii viderentur. Habuerunt autem his modernis temporibus magiſtrum, virum facundum valdè, ſubtilem & diſcretum, qui præter morem majorum ſuorum, cœpit penes ſe evangeliorum libros habere, & codicem apoſtolicum, quibus continuato incumbens ſtudio, miraculorum Chriſti & præceptorum ſeriem, ſed & Apoſtolicam doctrinam multo labore fuerat conſecutus; Indeque conferens ſe ad honeſtam Chriſti, & doctrinam ſuavem, receſſit ab his quæ ſeductor *Mahumetus* ac miſer ſuis complicibus tradiderat, & cœpit abominari illius immundicias ſeductoris. Oratoria etiam, quibus ejus ſubjecti priùs uſi fuerant dejiciens juxta morem Chriſtianorum fecit eos vivere & orare, ad fidem Chriſti ſe conferre ſuſpirans. Miſit ergò unum ex fratribus ſuis, virum providum & diſcretum ad Regem Hieroſolymorum *Baldewinum*, ut per ejus conſilium Baptiſmatis ſuſciperet ſacramentum: Sed diabolus eccleſiæ ſemper invidens incrementis, hoc fieri non permiſit. Nam legatus populi memorati, antequam ad Regem perveniret, à fratre quodam de militia Templi, in magnum fuit eccleſiæ ſcandalum interemptus: Per quod negotium

Divortium inter Regem Francorum Lodowicum & Alienor uxorem ſuam.

piè inchoatum, uſque in diem hodiernum dilationem accepit. Eodem anno celebratum eſt divortium inter *Lodowicum* Regem Francorum & *Alienor* Reginam ſuam, propterea quòd diffamata eſſet de adulterio, etiam cum infideli, & qui genere fuit diaboli: Erant enim conſanguinei in quarto gradu. In Quadrageſſima Comites & Barones Angliæ fecerunt ligantiam & fidelitatem *Euſtachio* filio Regis *Stephani*.

Henricus Dux Normannorum duxit Alienoram.

ANNO Domini M. CLI. Dux Normannorum *Henricus* duxit *Alienor* quondam Reginam, quam *Lodowicus* Rex, anno præterito, propter conſanguinitatem, & propter prætactas cauſas dimiſerat, & ſic factus eſt Dux Aquitaniæ, & comes Pictaviæ, qui priùs fuerat dux Normannorum, & Conſul *Andegavenſium*. Quo audito, Rex Francorum *Lodowicus* commotus eſt vehementer contra ducem *Henricum*, eò quòd genuerat duas filias ex prædicta *Alienor*: Verebatur enim ne ab illo filios ſuſciperet, per quos exhæredarentur filiæ memoratæ. Poſt feſtum verò ſancti *Johannis*, cùm dux *Henricus* eſſet apud Barbe fluvium, ut ad Angliam transfretaret, convenerunt in unum Rex Francorum, *Euſtachius* filius Regis *Stephani*, Comes *Robertus Perticenſis*, Comes *Henricus Campanenſis*, & *Gaufridus* frater ducis *Henrici*, cum ingenti copia armatorum, ut duci *Henrico* Normanniam, Andegaviam cum Ducatu Aquitaniæ, & omnem terram ſuæ dominationis auferrent: Quam quidem quinque viri potentes inter ſe præproperè diviſerunt. Convenientes igitur omnes apud Novum mercatum, caſtrum obſidione cinxerunt, & fratrem ducis *Gaufridum* miſerunt cum manu armata, ut fratris ducis *Andegavenſis* caſtrum expugnaret. Hæc audiens dux *Henricus*, receſſit à Barbe fluvio, obſeſſo caſtello pro viribus ſubventurus. Sed antequam Dux illuc veniret, redditum eſt caſtellum Regi Francorum fraude illud obſervantium, ac ſi captum eſſet violenter. Tunc dux *Henricus* caſtrametatus ex juxta fluvium *Andellam*, & partem illam *Wilcaſini* afflixit, quæ eſt inter Iccam flumina & *Andellam*. Hæc provincia ad Ducatum Normanniæ pertinebat: Sed *Gaufridus* comes Andegavenſium, poſt mortem *Henrici* Regis Anglorum, ad tempus eam conceſſit *Lodowico*. Tradidit etiam igni caſtella inimicorum ſuorum *Baſcheruillam*, *Chitreium*, & *Sterpineium*, cum caſtello Hugonis de Gornaco, quod Feritatem appellant: Denegabat enim idem Hugo debitum famulatum. Caſtella etiam de Brueboles & aliud quod nulla nominantur, igne cremavit, & inde in Normanniam veniens, *Richerum* de Aquila graviter afflixit, qui hoſtibus ſuis ſubſidium ferebat, & municipium *Bonmulins* flammis diſcurrentibus conflagravit. Circa verò finem menſis Auguſti, ſtatutis militibus ad cuſtodiam Normanniæ, dux ad Andegaviam pergens, obſedit caſtrum montis Sorelli, ubi obſidione jugi coarctans incluſos, *Willielmum* dominum caſtri, qui partes fratris ſui fovebat, cum aliis militibus multis cepit. Hoc quoque infortunio *Gaufridus* frater ejus compulſus eſt cum ipſo concordare. Rex interea Francorum, de ducis abſentia

Bellum inter Regem Francorum cum ſuis, & ducem Henricum.

1151.

abſentia occaſionem nactus, Normanniam intravit, & partem Burgi Regularienſis cum vico quodam caſtri Vernolii voracibus flammis conſumpſit: Sed confeſtim, intervenientibus viris religioſis, ſtatutæ ſunt trugæ inter Regem & Ducem.

Hoc quoque anno, Rege Anglorum *Stephano* ad ſanctum Albanum veniente, ſuggeſtum fuit ei de Languro *Radulphi* Abbatis, ubi mediantibus epiſcopis ac cæteris Prælatis, conceſſit ut in eligendo Abbate, liceret monachis uti privilegiis ſuis. Cui cum Rex gratanter annuiſſet, communi totius congregationis aſſenſu, *Robertum* de Gorham Priorem eccleſiæ elegerunt, qui poſteà decimo quarto Calendas Julii, Abbatis benedictionem ſuſcepit. Supervixit autem prædeceſſor ejus poſt ipſius promotionem, diebus viginti novem, & tunc defunctus, ſepultus eſt in capitulo in aliorum Abbatum ordine reverenter. Illo anno, obiit *Matildis* uxor Regis *Stephani*, die inventionis ſanctæ Crucis apud Haingeam, caſtellum comitis Alberici de Ver, & in Abbatia de Feverſham, quam Rex *Stephanus* fundaverat, traditur ſepulturæ. Eodem anno, *Johannes* monachus Sagienſis, factus eſt ſecundus antiſtes Moinæ inſulæ, quæ eſt inter Angliam & Hiberniam, propinquior tamen Angliæ: Unde & epiſcopus ille, epiſcopo ſubjacet Eboracenſi. Primus autem ibi fuerat epiſcopus *Wimundus* monachus Savinienſis, ſed propter ejus importunitatem, privatus fuit oculis & expulſus. Eodem anno, obiit *Willielmus* epiſcopus Dunelmenſis. Eodem anno, *Gaufridus Arthurus* factus eſt epiſcopus ſancti Aſaph in Norwallia, qui hiſtoriam Britonum de lingua Britannica tranſtulit in latinam. Quo etiam anno, in capitulo Ciſternenſi ſtatutum eſt, ne de cætero aliqui novam conſtruerent Abbatiam: Quia numerus Abbatiarum illius ordinis uſque ad quingentas excrevit. *Johannes Papiro* Cardinalis, legatione fungens in Hybernia, quatuor ibi conſtituit Archiepiſcopos: Qui dum per Angliam tranſitum habuiſſet, Regi *Stephano* fidelitatem juravit.

Matildis *uxor Regis* Stephani *moritur.*

M*o*ina *Inſula Eboracenſi ſubjecta.*

Quatuor Archiepiſcopi in Hybernia conſtituti.

Circa dies iſtos, pullulante perverſa doctrina *Henrici* cujuſdam hæretici, & maximè in Waſconia: Suſcitavit Dominus ſpiritum puellæ junioris in illa provincia ad illam hæreſin confutandam, quam contra articulos fidei prædicabat. Jacebat enim puella in unaquaque ſeptimana per triduum abſque voce, ſenſu, atque flatu, & poſtmodùm ad ſe reverſa, dicebat beatam *Mariam* orare pro populo Chriſtiano, & beatum *Petrum* docuiſſe ſe fidem orthodoxam. Et ſic de fide catholica ſapienter diſputabat, & præcipuè hæreſin *Henrici* convincens, plures ab eo ſeductos, ad ſinum ſanctæ matris eccleſiæ revocavit.

Henricus *hæreticus.*

Eodem anno, *Conradus* Imperator vir prudens & diſcretus, diem clauſit extremum, de quo legitur, quòd dum in ſancto Pentecoſtes præſentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Imperii magnatibus in urbe quadam divinis intereſſet obſequiis, diabolo inſtigante, ſurrexit contentio inter prælatos memoratos, quis deberet eſſe dignior in primatu cathedrali, ut Imperatori propiùs conſideret. Altercantibus autem epiſcopis, circa hoc, aliiſque Prælatis, accurrunt eorundem prælatorum miniſtri cum gladiis & fuſtibus, & ſic plagis impoſitis, iſtos de ſuis ſedibus extrahentes, in eiſdem alios intruſerunt. Et lite conteſtata, mitras hinc inde, & paſtorales baculos confregerunt, ſanguinem in eccleſia non minimum effundentes. Quod videns Imperator contriſtatus eſt vehementer, & juſſit miniſtris ſuis, ut expulſis ab eccleſia ſchiſmaticis illis, ſedarent tumultum. Quod cùm factum fuiſſet, Imperator prælatos illos graviter increpans, juſſit ut violatam reconciliarent eccleſiam, ne in tanta ſolennitate à Miſſarum obſequiis defraudati, Spiritus ſancti præpedirent adventum. Sedato itaque tumultu, & eccleſiâ utcunque reconciliatâ, inchoatum eſt Miſſæ officium & licet temerè fuiſſet attentatum, ſicut rerum exitus evidenter oſtendit, tamen uſque ad Evangelii pronunciationem eſt perductum. Sed cùm chorus noviſſimum Sequentiæ verſum percantaſſet: Hunc diem glorioſum feciſti, levavit vocem ſuam diabolus in excelſis, & diſtinctè ad intelligendum, cunctis audientibus cantare cepit: Hunc diem bellicoſum ego feci. Hanc itaque vocem adeò terribilem, cùm omnes intellexiſſent, contuebantur ſeſe ad invicem ſinguli, admirantes quid hoc eſſet. Tunc Imperator, qui vir erat prudens & devotus Dei cultor, animadvertit vocem eſſe Sathanæ ſubſannantis & improperantis tam enorme diſſidium prælatorum. Et præcepit continuò, ut Archiepiſcopus, qui miſſam erat celebraturus, caſulam deponeret, donec ſuper tanta injuria Spiritui ſancto foret ſatisfactum, qui ea die ſolet, donis ſuis myſticis corda fidelium illuſtrare. Deinde famulos ſuos mittens per plateas & vicos civitatis, fecit convenire pauperes omnes & debiles infra eccleſiam violatam & extra: Eſurientes pavit, ſitientes potavit, nudos veſtivit, calceamenta neceſſitatem habentibus erogavit. De ſenibus & valetudinariis, qui in grabatis jacebant, per urbem idem fecit, Aureum ſingulis donavit, injungens cunctis, ut divinam implorarent miſericordiam, ne populo ſuo imputaret prælatorum ſuperbiam Deus, quo minùs Spiritus ſui præſtolarentur adventum. Purpuram prætereà depoſuit, ſaccum & cilicium induit, veſtigiis nudis per pavimentum incedens, pauperibus miniſtravit, exemplumque aliis præbens, omnes ad eleemoſynas & lacrymarum effuſionem commovit. Tunc magnificus Imperator videns eccleſiæ pavimentum lacrymis ubertim perfuſum, quod priùs ſanguine fuerat tabefactum, juſſit fiducialiter Miſſæ inchoare officium, & cum ſumma devotione inceptum obſequium compleverunt. Tandem cùm perventum erat ad verſum ſupradictum: Hunc diem glorio-

Mors Imperatoris Conradi.

Altercatio inter Prælatos.

1153. ſum tu feciſti, præcepit Imperator, ut verſus à choro tertio repeteretur, in contumeliam Sathanæ: Et demùm finito verſu, juſſit omnes aliquamdiu ſilere, ut audirent, ſi hoſtis antiquus, ut priùs fecerat, aliquid ſubſannando proferret. Sed cum aliquantulum expectaſſent, & nihil audiſſent: Noveritis ait Imperator, quod inimicus noſter confuſus receſſit. Tunc omnes congaudentes in Domino & exultantes, reſiduum miſſæ fœliciter peregerunt, glorificantes Spiritum ſanctum, qui Imperatori tale conſilium inſpiravit. Succeſſit ei in Imperium Romanum *Fredericus* nepos ejus.

Fredericus *Imperator.*

Eugenius *Papa moritur cui ſuccedit* Anaſtaſius. Bernardus *Clarevallenſis moritur.*

ANNO Domini M. CLII. *Eugenius* Papa diem clauſit extremum, menſe Julio, cui ſuccedens *Anaſtaſius*, ſedit in cathedra Romana, anno uno, menſibus quatuor, & diebus viginti quatuor. Eodem anno, *Richardus* de *Bemneis*, Archidiaconus Middelſerenſis, conſecratus eſt epiſcopus Londonienſis. Eodem anno *Bernardus Clarevallenſis* migravit ad Dominum, & *Henricus Murdac* Archiepiſcopus Eboracenſis.

Euſtachius *filius Regis* Stephani *moritur.*

EODEM anno, cùm *Euſtachius* filius Regis *Stephani*, in die ſancti *Laurentii* terram beati *Edmundi* martyris prædatum iret, ſubita morte præreptus eſt, & apud Feverſham in Abbatia, quam Rex *Stephanus* pater ejus fundaverat, eſt ſepultus. Obiit eodem anno, *David* Rex Scotorum, & ſucceſſit ei *Malcolmus* nepos ejus.

Dux Normannorum Henricus *in Angliam trajicit.*

EODEM anno, Dux Normannorum *Henricus*, & Aquitanorum, comes Pictavenſis & Andegavenſis, cum navibus triginta duabus, & militia magna nimis, in Angliam transfretavit, & infra octavas Epiphaniæ, Malmeſberienſe caſtellum obſedit & cepit: *Indéque* profectus, caſtellum de Cranmerſe obſidione vallavit. Sed intercurrentibus viris, inter Ducem & Regem ita convenit, quòd Rex *Stephanus* caſtrum illud propriis ſumptibus complanaret. Sicque ſoluta eſt obſidio, quæ circa caſtellum de Wallingforde fuerat, Rege *Stephano Cranmerſe* ſubvertente. Caſtella etiam de Radingis & de Bretewelle, Dux *Henricus* in ſua jura recepit. *Gimdreda* etiam Warewick comitiſſa, Regis *Stephani* militibus de caſtello ejuſdem urbis ejectis, tradidit municipium *Henrico* Duci, & ſic proſperatum eſt negotium ejus. Eodem anno natus eſt Duci *Henrico* filius ex *Alienore* uxore ſua, & vocatus eſt *Willielmus*, quod proprium nomen eſt Ducibus Aquitanorum & Comitibus Andegavenſium.

Henrico *Duci filius* Willielmus *naſcitur.*

ANNO Domini M. CLIII. Juſtitia de cœlo proſpiciente, & diligentia *Theobaldi* Cantuarienſis Archiepiſcopi, & epiſcoporum regni intercedente, Rex Anglorum *Stephanus*, & dux Normannorum *Henricus*, apud *Walingeford* in talem concordiam convenerunt: Rex *Stephanus* omni hærede viduatus, præter ſolummodò ducem *Henricum*, recognovit in conventu epiſcoporum, & aliorum regni optimatum, quòd jus hæreditarium dux *Henricus* in regnum Angliæ habebat: Et Dux benignè conceſſit, ut Rex *Stephanus*, tota vita ſua, ſi vellet, regnum pacificè poſſideret. Ita tamen confirmata eſt pax, quòd ipſe Rex & epiſcopi tunc præſentes, cum cæteris optimatibus regni jurarent, quòd Dux poſt mortem Regis, ſi illum ſuperviveret, regnum ſine contradictione aliqua obtineret. Et ſic illud propheticum *Merlini* attendatur, quod dicit: Nocebit poſſidenti, ex impiis pietas, donec ſeſe genitore induerit: Manifeſtum eſt Regem *Stephanum*, *Henricum* inſtituiſſe hæredem, quem non genuit, dum ipſum adoptavit in filium & regni participem, & poſtmodùm ſucceſſorem. In Rege quoque Ducem, & in duce omnes venerabuntur Regem. Regalia paſſim à proceribus uſurpata, Rex in ſua recipiet. Poſſeſſiones, quæ ab invaſoribus direptæ erant, ad legitimos poſſeſſores, quorum fuerant, Regis *Henrici* tempore revertentur. Caſtella adulterina, quæ tempore Regis à quocunque conſtructa ſint, diruentur, quorum numerus ad undecies centum & quindecim excrevit. Rex colonos prædiis aſſignabit, ædificia combuſta renovabit, replebit paſcua armentis, decorabit ovibus montana. Clericus debitam tranquillitatem ſe habere gaudebit, exactionibus indebitis non gravabitur. Vicecomites in locis ponentur conſuetis, & neminem ex odio perſequentur. Non gratificabuntur amicis, non indulgentiis crimina ſublevabunt, ſuum cuique ex integro reſervabunt. Metu pœnarum afficient nocentes, fures & prædones terrebuntur in furca & ſententia capitali. Milites (juxta *Iſaiam*) gladios convertent in vomeres, & lanceas in ligones, à caſtris ad aratra, à tentoriis ad ergaſteria redibunt clientes ab excubiis fatigata, in communi lætitia reſpirabunt. Relevabitur ruſticitas otio innocens & quieta: Negotiatores commercium ditabit celebrius, & publica moneta una & eadem erit in regno ex argento percuſſa. Werra igitur, quæ ſeptendecim annis ſævierat, hoc fine quievit.

Pax inter Regem Stephanum *& Ducem* Henricum.

Prophetia Merlini.

CONCORDIA itaque inter Regem *Stephanum* & ducem *Henricum*, ut dictum eſt, confirmata eſt, Miles quidam *Oënus* nomine qui multis annis ſub Rege *Stephano* militaverat, licentiâ à Rege impetratâ, profectus eſt in Hyberniam ad natale ſolum, ut parentes viſitaret. Qui cùm aliquandiu in regione illa demoratus fuiſſet, cœpit ad mentem reducere vitam ſuam adeò flagitioſam: Quòd ab ipſis cunabulis, incendiis ſemper vacaverat & rapinis, & quod magis dolebat, ſe eccleſiarum fuiſſe violatorem, & rerum eccleſiaſticarum invaſorem, præter multa enormia, quæ intrinſecùs latebant peccata. Miles igitur pœnitentiâ ductus, ad epiſcopum quendam illius regionis acceſſit: Cui cùm peccata ſua devotus per ordinem detuliſſet, increpavit eum graviter epiſcopus, aſſerens illum nimis divinam clementiam offendiſſe: Unde miles multùm contriſtatus, Deo condignam facere pœnitentiam cogitavit. Cum autem epiſcopus, ut juſtum ſibi videbatur, vellet ei injungere pœniten-

1153.

pœnitentiam cogitavit. Cum autem epiſcopus, ut juſtum ſibi videbatur, vellet ei injungere pœnitentiam, miles reſpondit: Dum igitur, ut aſſeris, factorem meum tam graviter offendi, pœnitentiam aſſumam, omnibus pœnitentiis graviorem: Et ut peccatorum meorum merear remiſſionem accipere, Purgatorium ſancti *Patricii* volo intrare. De hoc quoque purgatorio & ejus origine, quod ſequitur tradunt veteres hiſtoriæ Hybernenſes.

MAGNUS *Patricius*, dum in Hybernia verbum Dei prædicaret, & multis ibi miraculorum ſignis coruſcaret, beſtiales illius patriæ homines, terrore Infernalium tormentorum, ac Paradiſi amore gaudiorum, à mortuis ſtuduit revocare. Sed ipſi plano ſermone affirmabant, ſe non converſuros ad Chriſtum, niſi oculata fide priùs conſpicerent quæ promiſit. Unde dum beatus *Patricius* pro ſalute populi in jejuniis, vigiliis, & orationibus poſitus, Dominum precaretur propenſiùs, pius Dei filius apparens ei, duxit eum in locum deſertum, & oſtendit illi ſpeluncam rotundam obſcuram intrinſecùs, & dixit: Quiſquis veraciter pœnitens, & in fide conſtans, hanc ſpeluncam ingreſſus fuerit, ſpatio unius diei ac noctis, ab omnibus in ea purgabitur peccatis, quibus in tota vita ſua Deum offendit: Atque eam ingrediens, non ſolùm tormenta malorum, ſed in Dei dilectione conſtanter perſeveraverit, videbit & gaudia beatorum. Sic Domino diſparente, ſanctus *Patricius*, tam pro Domini apparitione, quàm pro ſpeluncæ oſtentione lætus, ſperabat miſerum Hyberniæ populum ſe ad fidem catholicam converſurum, & in loco illo confeſtim oratorium conſtruens, ſpeluncam, quæ in cæmiterio eſt, ante frontem eccleſiæ circumdedit, & januam cum ſeris appoſuit, nequis eam ſine ejus licentia introiret. Canonicos regulares loco illo introduxit, & Priori eccleſiæ clavem cuſtodiendam commiſit, ſtatuens, ut quicunque Purgatorium ingredi voluerit, ab epiſcopo loci licentiam habeat, & cum literis epiſcopi accedat ad Priorem, & ab eo inſtructus, Purgatorium intret. Multi autem in diebus *Patricii* Purgatorium intraverunt, qui reverſi, teſtati ſunt ſe tormenta gravia pertuliſſe, & gaudia magna ibidem & inenarrabilia conſpexiſſe.

Spelunca ſancti Patricii.

MILITE itaque ſupradicto, anguſtioſè nimis ab epiſcopo memorato licentiam poſtulante Purgatorium experiendi, cùm illum cognoviſſet epiſcopus inflexibilem, tradidit ei literas ſuas ad Priorem loci, mandans ut cum illo ageret, ſicut fieri ſolet cum illis qui Purgatorium ingredi depoſcunt. Prior autem viſis literis, militem in eccleſiam perduxit, ubi per dies quindecim orationibus devotus inſtabat, & illis ſic diebus elapſis, manè Miſſâ à Priore celebratâ, ſacra communione militem communivit, adductumque ſpeluncæ introitum, aqua cum benedicta aſperſit. Et aperto oſtio, dixit: Ecce nunc intrabis in nomine Jeſu Chriſti, & per concavitatem ſpeluncæ tamdiu ambulabis, donec in campum exiens, aulam invenies artificioſiſſimè fabricatam. Quam cùm ingreſſus fueris, ſtatim ex parte Dei nuncios habebis, qui tibi piè, quid facies indicabunt. Vir autem ille virilem gerens animum, ad pugnam dæmonum audacter prorupit, atque omnium ſe orationibus commendans, frontem ſuam vivificæ Crucis ſigno munivit, & intrepidus portam intravit: Et oſtio poſt eum obſerato, Prior cum proceſſione eccleſiam repetivit.

MILES itaque per ſpeluncam audacter progrediens, lumen paulàtim totius claritatis amiſit. Sed tandem parvo lumine apparente, ad campum prædictum pervenit & aulam. Lux ibi non erat, niſi qualis in veſpera hic habetur. Aula parietes non habebat, ſed columnis erat per gyrum ſubnixa, ut Clauſtrum ſolet monachorum. Ingreſſúſque eam, & intus ſedens, oculos ſtudioſè huc illucque convertit, admirans illius pulchritudinem & ſtructuram. Ubi cùm paululùm ſolus ſediſſet, ecce quindecim viri quaſi religioſi, & nuper raſi, albiſque veſtibus induti, regiam intraverunt: Et ſalutantes eum in nomine Domini, conſederunt. Tunc aliis tacentibus, unus loquebatur cum ipſo, dicens: Benedictus ſit Deus omnipotens, qui bonum tibi propoſitum inſpiravit, ut pro peccatis tuis Purgatorium hoc intrares: Sed niſi te viriliter habeas, corpore & animâ ſimul peribis. Mox enim, ut hanc domum fuerimus egreſſi, multitudo aderit Spirituum immundorum, qui tibi gravia inferentes tormenta, minabuntur inferre graviora. Promittent ſe ducturos te ad portam qua intrâſti, ſi te decipere poſſint ut revertaris: Sed ſi tormentorum afflictione victus, vel minis territus, ſeu promiſſione deceptus, aſſenſum eis præbueris, in corpore pariter & anima peribis. Si verò fortis in fide, ſpem totam in Domino poſueris, ut nec tormentis, nec minis, nec promiſſionibus eorum adquieveris, ſed corde integro eos contemſeris, ab omnibus purgaberis delictis, & tormenta malorum videbis, & requiem ſimiliter bonorum. Et quotieſcunque te cruciaverint, invoca Dominum Jeſum Chriſtum, & per invocationem hujus nominis, ſtatim liberaberis à quocunque tormento, in quo eris. Tecum hic amplius eſſe non poſſumus, ſed Deo te omnipotenti commendamus.

Miles intrat ſpeluncam Patricii.

Miles inſtruitur.

MILES itaque à viris ſolus relictus, ad novi generis militiam ſe inſtruere cœpit. Cumque intrepidus pugnam dæmonum expectaret, ſubitò cœpit circa domum tumultus audire, ac ſi omnes homines, qui in mundo ſunt, cum animalibus ac beſtiis ſtrepuiſſent. Et poſt horridum ſonum, ſequitur terribilior viſus dæmonum. Cœpit enim undique dæmonum deformium innumera multitudo in aulam irruere, & militem deridendo ſalutare. Alii homines (inquiunt) qui nobis ſerviunt, non niſi poſt mortem ad nos veniunt, ſed tu noſtram ſocietatem, cui ſtudioſè deſerviſti in tantum honorare deſideras, quod vivens corpus tuum

Miles à Dæmonibus vexatur.

1153. tuum decernis & animam commendare. Huc veniſti ut pro peccatis tormenta ſuſtineres; Habebis nobiſcum preſſuras & dolores. Veruntamen pro eo, quod nobis curioſè miniſtrasti, ſi reverti volueris ad portam quam intraſti, te ducemus illæſum, ut gaudens in mundo vivas, & omne quod corpori tuo ſuave eſt, penitùs non amittas. Hæc ideò dæmones dixerunt, quia terrore eum & blanditiis decipere voluerunt. Sed miles Chriſti nec terrore concutitur, nec blandimento ſeducitur, dum æquo animo ita eos contempſit, quod tacitè ſedens, nec unum verbum reſpondit. At dæmones ſe contemni indignantes, rogum in aula ingentis incendii ſuccenderunt, Et manus militis pedeſque colligantes, in ignem cum projecerunt, uncis ferreis, huc illucque per incendium detrahentes. Et ille in ignem miſſus, cùm priùs grave tormentum ſenſiſſet, nomen Jeſu Chriſti invocavit, dicens: Jeſu Chriſte miſerere mei. Ad hoc quoque nomen incendium rogi ita extinctum eſt, ut nec totius rogi ſcintilla unica appareret. Quod cernens miles, in animo propoſuit, ut eos de cætero non formidaret, quos invocato Chriſti auxilio, vinci conſpexit.

Secundus pœnalis locus.

RELINQUENTES verò aulam dæmones, militem diutiùs per vaſtam regionem quandam detraxerunt: Nigra erat terra, & regio tenebroſa. Traxerunt eum dæmones illuc recto tramite, quò ſol oritur in æſtate. Quò convertentes, cœpit miles quaſi vulgi totius orbis miſeros ejulatus audire. Tandem à dæmonibus tractus, in campum pervenit longum & latum, miſeriis ac dolore perplenum, cujus longitudo non potuit transvideri. Campus ille hominibus utriuſque ſexus & ætatis diverſæ, nudis & in terra jacentibus ventribus deorſum verſis, plenus erat, quorum corpora ſimul & membra clavis ferreis & ignitis in terram uſque transfixis, miſerabiliter torquebantur. Aliquando autem præ doloris anguſtiâ terram commedebant, clamantes & ejulantes: Parce parce, miſerere miſerere: Cum qui ſui miſeretur, penitùs non adeſſet. Dæmones etiam ſuper miſeros currentes, gravibus eos flagris cædebant, & militi dicebant: Hæc tormenta, quæ vides, ſentiendo patieris, niſi nobis adquieſcas, ut ad portam, per quam intraſti, revertaris, ad quam ſi volueris, pacificè deduceris. Sed ille ad mentem revocans, qualiter ipſum Deus alibi liberavit, credere eis omninò contempſit. Tunc Dæmones eum in terram proſternentes, ad modum aliorum configere conati ſunt: Sed invocato nomine Jeſu Chriſti, nihil amplius in loco illo, illi facere potuerunt. In alium campum militem trahentes dæmones, hanc ibi differentiam conſpexit, quòd ſicut in campo ſuperiori, homines afflicti ventres habuerunt deorſum verſos, ita in hoc campo dorſa ſolo hærebant. Dracones autem ignei ſuper quoſdam ſedentes, & dentibus eos igneis corrodentes, modo miſerabili affligebant. Aliorum quoque colla, brachia, & corpora ſerpentes igniti circumcingentes, aculeos oris ſui igneos eorum cordibus infixerunt. Bufones etiam miræ magnitudinis & horroris, ſuper quorundam pectora incumbentes, deformibus roſtris ſuis, eorum corda extrahere conabantur. Dæmones præterea ſuper ſingulos curſitantes, & flagris aſperrimis cædentes, miſeros graviter cruciabant, nec unquam à fletu & ejulatu afflicti, ceſſabant. Inde trahentes militem dæmones, in alium pœnalem campum, invenit ibi tantam utriuſque ſexus & ætatis diverſæ multitudinem, ut totius orbis plenitudinem vincere crederetur. Alii ibi pendebant in flammis ſulphureis, igneis cathenis per pedes & tibias immiſſis, & capitibus ad ima demiſſis, allii per manus & brachia, alii per capillos & capita. Alii pendebant in flammis igneis in uncis ferreis & ignitis, per oculos & nares, alii per aures & fauces, alii per teſticulos & mammillas. Nec inter fletus miſeros univerſorum & ejulatus, flagellum dæmonum defuerunt. Cumque militem hic ſicut in aliis pœnis, inimici torquere voluiſſent, nomen Chriſti invocavit, & illæſus evaſit.

AB illo pœnali loco, Dæmones militem impellentes, venerunt ad rotam quandam ferream & ignitam, cujus radii & canthi, uncis ferreis & igneis erant undique circumfixi. In quibus homines pendentes, à flamma tetri ſulphureique incendii, quæ à terra ſurgebat, graviter urebantur. Hanc enim rotam dæmones tanta agilitate impingebant vectibus quibuſdam ferreis, ut nullum omninò hominem, ab alio poſſis diſcernere: Quia præ nimia curſus celeritate nihil niſi ignis incendium apparebat. Nec minori tormento vexabantur hi, qui verubus transfixi, ad ignem aſſati deguttabantur à dæmonibus, ex metallis liquefactis, vel fornacibus cremabantur, ſeu illi, qui in ſartaginibus frigebantur. Vidit prætereà miles, trahentibus eum miniſtris tartareis, domum innumeris caldariis, plenumque piceis ſulphureiſque liquaminibus, ac diverſis repletam bullientibus metallis, homines conditionis & utriuſque ætatis continentem. Quorum quidam ex toto, quidam uſque ſupercilia & oculos, alii uſque ad labia & colla, alii ad pectus uſque & fœmora, alii ad genua uſque & crura, alii manum unam vel pedem, alii ambas manus & pedes in caldariis tenebant, & omnes præ doloris anguſtia vociferabant, ac miſerabiliter ejulabant. Et cum cœpiſſent dæmones militem cum aliis ſubmergere, liberatus eſt Chriſti nomine invocato.

UNDE dæmones militem in montem excelſum impellentes, oſtenderunt ei utriuſque ſexus homines & ætatis diverſæ multitudinem copioſam, qui omnes nudi ſedebant, & ſuper digitos pedum curvati, & ad aquilonem verſi, quaſi mortem perterriti, expectabant. Et ecce ſubitò ventus turbinis vehementis, ab aquilone veniens, ipſos omnes & cum eis militem arripuit, & in aliam montis partem, in flumen frigidum & fœtidum, flentes & vociferantes,

1153.

projecit. Et cum de aqua frigidiſſima ſurgere conarentur, dæmones ſuper aquam currentes, in ipſo omnes flumine ſubmerſerunt. At miles Chriſti nomen invocavit, & confeſtim in alia ſe ripa invenit. Tunc dæmones illum contra Auſtrum trahentes, & oſtendentes flammam teterrimam, & fœtore ſulphureo plenam, de puteo quodam aſcendentem, & homines nudos & quaſi igneos, velut ſcintillas igneas in aërem ſurſum compellentem, & flammarum vi deficiente, iterum in ignem & puteum relabi. At dæmones militi dixerunt: Puteus iſte flammivomus, introitus eſt inferni, ubi noſtrum habitaculum eſt: Et quoniam nobis hucuſque ſtudioſè ſerviſti, hîc nobiſcum ſine fine manebis: Et ſi hunc puteum ingreſſus fueris, in anima pariter & corpore peribis. Sed tamen ſi adhuc nobis conſentire volueris. & revertaris ad portam qua intraſti, illæſus redibis. Ille autem de Dei adjutorio confiſus, qui eum toties liberaverat, eorum exhortationes contempſit. Tunc dæmones indignati, projecerunt ſe in ignem putei, & ſecum militem intruſerunt: Et quò miles in eo profundiùs deſcendit, eò latiorem puteum conſpexit, & pœnam in illo graviorem ſenſit. In puteo quoque illo miles tantam anguſtiam ſenſit & miſeriam, ut diu oblitus ſit ſui adjutoris. Sed Deo tandem illum reſpiciente, nomen Jeſu Chriſti invocavit, & protinus vis flammæ eum in aërem ſurſum levavit, ubi in deſcenſione putei aliquandiu attonitus ſtetit. Sed ecce novi dæmones ex ore putei prorumpentes, dixerunt: Et tu qui hic ſtas, cui ſocii noſtri dixerunt, hunc eſſe infernum, non ita fore ſcias: Nam conſuetudinis noſtræ eſt ſemper mentiri, ut quos decipere non poſſumus per verum, decipiamus per falſum: Hic non eſt infernus, ſed nunc te ad infernum ducimus.

TRAHENTES igitur militem, hoſtes novi, cum tumultu horriſono ad flumen quoddam fœtidum, latiſſimum, ac totum flamma ſulphureo incendio coopertum, dæmonumque multitudine repletum, dicentium ei, quòd ſub flumine illo eſſet infernus. Pons verò protendebatur ultra flumen, in quo tria quaſi impoſſibilia videbantur: Unum, quòd ita lubricus erat, ut etiamſi latus eſſet, nullus vel vix aliquis, in eo pedem figere poſſet. Aliud quòd adeò ſtrictus erat, quòd nullus in eo ſtare vel ambulare valebat. Tertium quòd ita altus eſt, & à flumine remotus, quòd horrendum erat deorſum aſpicere. Oportet te inquiunt dæmones, ſuper pontem hunc ambulare, & ventus ille qui te projecit aliâs, flumen projiciet in iſtud. Et confeſtim à ſociis noſtris, qui in flumine ſunt, capieris, & in profundum Inferni demergeris. Sed miles invocato nomine Jeſu Chriſti, pontem audacter ingreſſus, cœpit pedetentim ſuper pontem incedere, & quo ampliùs proceſſit in eo, tanto viam largiorem invenit: Unde pontis latitudo in brevi ita crevit, ut viæ publicæ amplitudinem præferret. Porrò dæmones conſpicantes militem tam liberè ſuper pontem incedere, vocibus ſuis prophanis ita horridè aërem concuſſerunt, quòd ſtridore illo magis erat attonitus, quàm illatione tormentorum, quæ priùs fuerat à dæmonibus perpeſſus. Alii hoſtes, qui ſub ponte in flumine erant, uncos ſuos ferreos & ignitos projecerunt ad illum, ſed militem tangere nequeverunt. Et ſic demum ſecurè proceſſit, quia nihil ſibi contrarium invenit.

MILES itaque invictus jam liber factus à vexatione Spirituum immundorum, vidit ante ſe murum altum, & in aërem evectum, mirabilis & ſtructuræ impreciabilis, in quo portam unam, ſed tamen clauſam cernebat: Hæc metallis ac pretioſis exornata lapidibus, ſplendore admirabili radiabat. Ad quam cùm miles appropinquaret, contra ipſum aquæ tantæ ſuavitatis odor ei occurrens exivit, ut viribus corporis reſumptis, tormenta quæ pertulerat, ſibi in refrigerium verterentur. Egreſſa eſt autem contra eum venientem, cum crucibus, cereis & vexillis, ac velut palmarum aurearum ramis, tam ordinata proceſſio, quòd nunquam talis viſa fuerat in hoc mundo. Sequebantur prædicta de omnibus ordinibus utriuſque ſexus homines, quorum Archiepiſcopi alii, & Epiſcopi, & Abbates, Monachi & Preſbyteri, ac ſingulorum eccleſiæ graduum miniſtri, qui omnes ſacris veſtibus & ſuis ordinibus congruis induti, militem cum jucunda veneratione ſuſceperunt, atque cum concentu harmoniæ inauditæ infra portam ſecum fœliciter conduxerunt. Finito itaque concentu, duo Archiepiſcopi cum eo loquentes, benedixerunt Deum, qui tanta conſtantia in tormentis, per quæ tranſierit quæ pertulit, ejus animam confirmavit. Illis igitur militem per patriam conducentibus, invenerunt & illi oſtenderunt prata amœniſſima diverſis floribus, fructibuſque & herbarum arborumq; multiformium decorata, ex quorum ſuavitatis odore, ut ſibi viſum eſt, vivere potuiſſet. Nox illam aliquando non obnubilat, quia ſemper cœleſti quadam claritate & ineffabili ſplendore coruſcat. Tantam ibi hominum utriuſque ſexus vidit multitudinem, quantam reſiduum ſæculi credidit continere non poſſe. Chori choris per loca aſtiterunt, ac dulcis harmoniæ concentu, creatorem omnium laudaverunt. Alii quaſi Reges corona incedebant, alii amictu aureo induti videbantur, nonnulli variis indumentis erant decorati, juxta quod unuſquiſque in ſæculo utebatur. Singuli de propria fœlicitate gaudebant, ſinguli de aliorum liberatione & gaudio exultabant. Omnes qui militem intuebantur, de ejus adventu Dominum benedicebant, & de ejus ereptione à mortuis congaudebant. Non æſtum, non frigus ibi aliquis ſentiebat, nec quicquam quod offendere poſſet vel nocere, videbat.

TUNC ſancti pontifices, qui militi patriam tam præclaram oſtenderant, dixerunt ei: quoniam miſericordia Dei ad nos illæſus perveniſti, rationem à nobis audire debes, de

1153. ſingulis quæ vidiſti. Patria hæc terreſtris eſt paradiſus, unde pro peccatis ſuis ejectùs eſt homo primus, hinc verò expulſus in miſeriam illam projectus eſt, in qua homines moriuntur, ex cujus carne nos omnes propagati, & in peccato originali omnes nati, per fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam in baptiſmate ſuſcepimus, ad hunc paradiſum reverſi ſumus. Et quoniam poſt fidei ſuſceptionem, innumeris actualibus ſumus implicati peccatis, non niſi per purgationem peccatorum & afflictionem pœnarum huc potuimus pervenire. Pœnitentiam enim, quam ante mortem vel morientes ſuſcepimus, & in ſæculo non peregimus, in locis quæ vidiſti pœnalibus, juxta modum & quantitatem culparum per tormenta reſtant luenda. Omnes enim qui hîc ſumus, in locis illis pœnalibus fuimus pro peccatis. Et omnes, quos in pœnis vidiſti, præter eos, qui infra os putei Infernalis exiſtunt, ad hanc requiem pervenient, & tandem ſalvi fient. Omni namque die inde aliqui purgati ad nos veniunt, quos in hanc requiem ſicut & fecimus te introducimus venientes, nec noſtrum aliquis novit, quàmdiu hic moraturus ſit. Per miſſas verò, Pſalmos, eleemoſynas & orationes eccleſiæ generalis, & per ſpecialia amicorum auxilia, aut purgandorum tormenta mitigantur, aut de ipſis ſuppliciis ad minora transferuntur, donec pœnitùs liberentur. Ecce ut vides, hic in magna quiete ſumus, ſed nondum tamen ad ſupernam cœli lætitiam aſcendere ſumus digni. Tranſibimus hinc poſt ſpatium à Deo ſingulis conſtitutum, in paradiſum cœleſtem, ſicut Deus providerit.

DEINDE præſules venerandi, militem in montem declivem ducentes, juſſerunt ut aſpiceret ſurſum. Quo cùm aſpiceret, interrogabant, cujuſmodi coloris cœlum eſſet, reſpectu loci in quo ſtetit. Qui reſpondit: colori ſimile eſſe auri in fornace ardentis. Hoc inquiunt, quod nunc vides, introitus eſt cœli & cœleſtis Paradiſi. Quando enim aliqui à nobis recedunt, hinc in cœlum aſcendunt. Et quamdiu hic manemus, quotidiè ſemel paſcit nos cibo cœleſti Deus. Et quali hic paſcamur cibo, nobiſcum ſenties jam guſtando. Vix ſermone finito, & ecce quaſi radius flammæ ignis de cœlo deſcendens, patriam totam cooperuit, & quaſi per radios ſuper capita ſingulorum ſubſidens, flamma demum tota in eis intravit. Unde miles tantam dulcedinis in corde ſimul & corpore ſenſit ſuavitatem, quòd vix intellexit, utrum vivus an mortuus fuiſſet. Sed hora illa in momento tranſivit. Sed miles libenter ibi manſiſſet, ſi ibi iis deliciis frui licuiſſet. Sed poſt talia tantáque jucunda, ei triſtia referuntur. Quoniam inquiunt ſancti præſules, & requiem beatorum, ut deſideraſti, & tormenta malorum nunc pro parte conſpexiſti, oportet te jam, ut per eam viam, qua veneras, revertaris. Si autem, quod abſit, malè vixeris, amodò ad ſæculum reverſus, vidiſti quanta te expectant tormenta. Si verò benè vixeris & religiosè, ſecurus eſto: Quia huc ad nos pervenies, quando de corpore exibis. In iſto quoque reditu quo nunc reverteris, nec dæmonum tormenta formidabis, quia dæmones ad te non audebunt accedere, nec tormenta tibi poterunt, quæ vidiſti, nocere. Tunc miles flens & ejulans ait, hinc diſcedere non valeo, quia valdè timeo, ne per fragilitatem humanæ miſeriæ aliquid delinquam, quod me impediat huc redire. Non inquiunt, ſicut tu vis, erit, ſed ſicut ille, qui & nos & te fecit voluerit, ita fiet. Mœrens igitur & lugens miles ab eis reducitur ad portam, & eo contra voluntatem ſuam egreſſo, clauditur porta poſt ipſum.

MILES igitur *Oenus*, vìa qua venerat reverſus, ad aulam præfatam pervenit. Sed dæmones quos in ipſo reditu ſuo vidit, quaſi timentes eum fugerunt, & tormenta per quæ tranſiit, ei nocere nequiverunt. Et confeſtim cùm aulam intraſſet, occurrunt ei quindecim viri ſupradicti, glorificantes Deum, qui tantam illi contulerat conſtantiam in tormentis. Oportet te (inquiunt militi) ut quantocies hinc aſcendas, jam enim in patria tua clareſcit aurora, & niſi portam, Prior aperiens, te invenerit, de reditu tuo deſperans, obſerata porta, ad eccleſiam revertetur. Sicque miles benedictione percepta, ab eis aſcendere feſtinavit, & hora eadem, qua portam Prior aperuit, miles ei feſtinus veniens, obviavit. Quem cum Chriſti laudibus Prior ſuſcipiens, in eccleſiam perduxit, ubi cùm per dies quindecim in oratione permanſiſſet, ſignaculum crucis accepit, & in terram ſanctam devotus proficiſcens, ſepulchrum Domini cum locis aliis venerabilibus, in ſancta contemplatione petivit. Et inde expleto laudabiliter peregrinationis voto, reverſus, Regem *Stephanum* dominum ſuum adiit, conſulturus, ut ejus conſilio, in ſanctæ religionis ordine reliquum vitæ ſuæ expleret, ac Regi Regum omnium de cætero militaret. Contigit autem eo tempore, quod *Gervaſius* Ludenſis cœnobii Abbas, Rege Anglorum *Stephano* donante, locum ad Abbatiam conſtruendam in Hybernia obtineret. Qui monachum ſuum nomine *Gilebertum* ad Regem direxit, ut ab eo locum ſuſciperet, & ibi conſtrueret Abbatiam. At *Gilebertus* ad Regem veniens, conqueſtus eſt nimis, quòd patriæ illius linguam non novit. Sed inquit Rex, bonum tibi interpretem Deo auxiliante, inveniam. Et vocato milite *Oeno*, juſſit Rex ut cum *Gileberto* iret, & cum ipſo in Hybernia remaneret. Quod miles gratanter annuens, cum dicto *Gileberto* remanſus, & ſatis ei devotus miniſtrans, monachalem habitum ſuſcipere voluit: Quia ſervus eſſet, quem Dominus præelegit. Tranſeuntes autem in Hyberniam, Abbatiam conſtruxerunt: Ubi miles *Oenus*, interpres monachi, devotus extitit, & in omnibus agendis miniſter fidelis. Quandocunque verò monachus ſolus alicubi cum milite fuit, de ſtatu purgatorii & pœnis mirabilibus, quas viderat & experto didicerat, curiosè ab eo quæſivit. At

ille

ille qui nunquam audire potuit de purgatorio loqui, quin prorumperet in fletum amariſſimum, cœpit ſub ſigillo ſecreti, amico pro ædificatione, ea quæ audierat, viderat,& experimentis didicerat, enarrare: Affirmans ſeſe omnia corporeis oculis conſpexiſſe. Hujus autem monachi induſtria & diligentia, hujus militis experientia redacta eſt in Scripturam, ſimul cum relatione epiſcoporum regionis, & aliorum religioſorum, qui cauſa juſtitiæ perhibuerunt teſtimonium veritati.

1154.

ANNO Domini M. CLIV. *Anaſtaſius* Papa defuncto, ut ſupradictum eſt, *Henricum* Eboracenſem Archiepiſcopum reſtituit in ſedem ſuam Cathedralem, quem priùs Papa *Eugenius* degradaverat, donans ei pallium Romæ, & in præſentia ipſius conſecravit *Hugonem* de Puſat Regis *Stephani* nepotem, Epiſcopum Dunelmenſem. Sed paulò poſt, cùm idem Archiepiſcopus in ſua reverſus, divina celebraret myſteria, hauſto in ipſo calice (ut aiunt) veneno, obiit, & ſucceſſit ei *Rogerus* Cantuarienſis Archidiaconus. Eodem anno, dux Normannorum *Henricus* tranſfretavit in Normanniam, & revocavit paulatim in jus proprium dominia ſua, quæ pater ejus dederat, & inde profectus in Aquitaniam, rebellionem quorundam Baronum ſuorum potenter repreſſit. Eodem anno, defuncto Papa *Anaſtaſio*, ſucceſſit ei *Nicolaus* Albanenſis epiſcopus, & vocatus eſt *Adrianus*, vir quidem religioſus, & natione Anglicus, de territorio ſcilicet ſancti *Albani* procreatus. Eodem tempore facta eſt concordia inter Regem Francorum *Lodowicum* & ducem Normannorum *Henricum*, hoc modo. Rex reddidit duci Vernolium & novum mercatum, & dux dedit ei duo millia marcarum argenti, pro reſarciendis damnis, quæ Rex perpeſſus fuerat, in capiendis ac tenendis, & in eiſdem firmitatibus muniendis.

Henricus *Eboracenſis Archiepiſcopus veneno ex calice hauſto obiit.*

Adrianus *Papa* Anglus.

Pax inter Regem Francorum *& ducem* Normannorum.

EODEM anno, Rex *Anglorum Stephanus*, miles egregius & mente piiſſimus octavo kalendas Novembris diem clauſit extremum. Cujus corpus in monaſterio de *Feverſham*, quod ipſe à fundamentis conſtruxerat, traditur ſepulturæ. Ubi paulò antè *Matildis* uxor ejus, & *Euſtachius* eorum filius, ſunt ſepulti.

HENRICUS SECUNDUS.

DUx verò *Normannorum Henricus*, audito de morte Regis veridico nuntio: Venit *Barbe* fluvium, & ibi per menſem unum ad tranſfretandum ventum congruum expectavit. Erat interim in *Anglia* pax ſumma, quòd raró contingit regibus defunctis, ob amorem & timorem ducis *Henrici*, quem omnes venturum, & Regem futurum ſperabant. Dux igitur *Henricus*, ſeptimo Idus Decembris in *Angliam* veniens, cum magno cleri & populi tripudio exceptus eſt; & decimo quarto Kalendas Januarii die Dominica ante nativitatem Domini: apud Weſtmonaſterium ab omnibus Rex acclamatus, à *Theobaldo Cantuarienſi* Archiepiſcopo in Regem conſecratur: Præſentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Baronibus regni *Anglorum* & ducatus *Normannorum*. Qui continuò in Regem promotus, cœpit in jus proprium revocare urbes, caſtella & villas quæ ad coronam ſpectabant; caſtra adulterina deſtruendo; Alienigenas, & maximè *Flandrenſes* de regno expellendo; & quoſdam pſeudocomites quibus Rex *Stephanus* penè omnia ad fiſcum pertinentia minùs cautè contulerat; deponendo. Eodem anno, Rex *Hieroſolymitorum Baldewinus*, copioſo nimis exercitu congregato, *Aſcalonam* obſidione vallavit: Et diuturna urbem afflictione opprimens; tali eam conditione obtinuit: Ut *Turci, qui in ipſa erant, cum uxoribus, liberis & ſuis omnibus, liberum inde haberent receſſum.* Civitate igitur Regi reſignatâ, conceſſit eam fratri ſuo *Joppenſi* comiti, de ſe tenendam.

Rex Baldewinus Aſcalonam *expugnat.*

EODEM anno, ſanctus Anachorita & ſolitarius *Ulfricus* de *Heſelberga* migravit ad dominum, poſtquam viginti & novem annis, contra hoſtes humani generis confligens, fœlici marte victoriam reportavit: De cujus vita & virtutibus ad hiſtoriæ decorem, vel parvam utile duximus facere mentionem. Beatus vir *Ulfricus* ex mediocri *Anglorum* gente oriundus, in *Contona* villa à *Briſtollo* octo milliaribus diſtante, natus, nutritus eſt & converſatus, ibi etiam per annos aliquot ſacerdotis officium exercuit, quod in ætate juvenili, levitate potiùs mentis quàm rationis deſiderio creditur accepiſſe. Quippe nondum cognoſcebat Dominum, unde carne magis quàm ſpiritu ducebatur. Nam canum ſimul & avium curis ſolicitus incumbens, dum die quadam in hujus generis exercitio non ſegniter inſtaret, affuit vir ſubitò, vultum pauperis gerens & habitum, nummum novum ab eo ſupplex in eleemoſynam poſtulans, Habebat autem tunc temporis *Anglia* novam monetam in diebus Regis *Henrici* primi, ſed adhuc raram, præ nummiſmatis novitate. Cui cum *Ulfricus* ſe neſcire diceret, ſi novum nummum haberet: Reſpice ait, loculum tuum, & invenies in eo duos nummos & ſemiſſ. Quo ille reſponſo obſtupeſcens, inſpexit, & ita, ut dictum ſibi fuerat reperiens, quod petebatur devotus donavit. Homo autem ille, cùm denarium accepiſſet, ait: Retribuat tibi is, pro cujus amore hoc feciſti. Et ego tibi in nomine ejus denuntio, quia

Vita Ulfrici *Anachoritæ.*

1154. quia ex hoc loco in brevi ad alium migraturus es, & inde ad alium tranſiens requiem tandem invenies, ibi uſque in finem in Dei ſervitio perſeverans, & noviſſimè eris ad ſanctorum collegium evocandus.

DEINDE pòſt paululùm ut inops ſacerdos *Willielmo* domino villæ in qua natus fuerat, adhærens, panem quotidiè in menſa ejus comedit. Ubi & in fortitudine multa lumbos ſuos accingens, uſui penitùs carnium ſe abdicavit. At vir Dei toto jam deſiderio ſolitudinem ſuſpirans, à domino ſuo milite ſupradicto, ad aliam directus eſt villam, nomine *Haſelbergam*, quæ ab *Oxonia* verſus Orientem triginta milliaribus diſtare videtur, Spiritu ſancto, ut creditur, hoc dictante, ubi in cellula eccleſiæ contigua, Chriſto ſe conſepeliens, multo labore multáque carnis ac ſpiritus afflictione, Chriſti ſibi gratiam comparavit. Nam tanto jejunio & abſtinentia, tantáque vigiliarum inſtantia, membra ſua mortificabat ſuper terram, ut pellis in brevi oſſibus adhærens, non jam carnalem virum, ſed ſpiritualem in humano corpore intuentibus, exhiberet. Veſtitu ſimplici cilicio intus inhærente contentus erat, quòd cùm ex conſuetudine infra dies paucos induraverat, uſum loricæ incœpit affectare. Quod dominus ejus miles præfatus, cum cognoviſſet, loricam unam contulit viro Dei, & vas bellicum cœleſti militiæ conſecravit. Noctibus in vas quoddam cum frigore nudus aqua plenum frigida deſcendere ſolebat, in quo Pſalmos *Davidicos* Domino offerebat, & ſic aliquamdiu perſeverans, carnis incentiva, cujus acerrimos patiebatur ſtimulos, mortificabat in aquis. Humilis erat cunctis in eloquio & jucundus, cujus ſermones cœleſtem quandam harmoniam audientibus redolebant, licèt hominibus ſemper clauſa feneſtra, loqueretur.

INTER hæc vir Dei *Ulfricus* ſoli Deo cognitus, in notitiam hominum ad eorum ſalutem quaſi mane novum prorupit. Nam lorica, qua induebatur, cùm ſe genibus ejus alliderct, & genuflexionum ejus inſtantiam præpediret, militem ſui conſcium ſecreti advocat, & apud eum de nimia longitudine loricæ cauſatur. Ad quem Miles: Mittatur inquit *Londonias*, & ſicut ipſe deſignaveris, incidatur. Reſpondens vir Dei dixit: Nimiam moram haberet iſtud, nec poſſet oſtentationis nota carere. Sed tu inquit has forfices coram Deo apprehende, & manu propria hoc opus abſolve. Deditque in manibus ejus forfices, de ipſius militis domo allatas, & militi hæſitanti, & ipſum delirare exiſtimanti ait: Conſtans eſto, & vide ne trepides, ego vado pro hac re orare Dominum meum, & interim huic operi fiducialiter incumbe. Inſtat uterque miles, unus orationi, & alter inciſioni, & eſt opus meorum manibus proſperatum. Putabat enim miles non ſe ferrum incidere, ſed pannum, dum tanta facilitate in ferro forfices cucurrerunt. Sed viro Dei ante operis conſummationem ab oratione ceſſante, coactus eſt ab inciſione ceſſare. Aſtitit *Ulfricus* militi, & qualiter res profecerit, percunctatur: Benè inquit hactenus, ſed nunc, te adveniente, ruptæ forfices ſubſtiterunt. Et ille: Non te moveat hoc inquit, ſed cum eiſdem forficibus perfice quod cœpiſti. Miles itaque reſumptâ fiduciâ, facilitate quâ priùs rem fœliciter conſummavit, & quicquid inæquale erat, ſine difficultate aliqua coæquavit. Ex tunc verò vir Dei abſque forficibus, cum digitis ſuis debilibus, non minori fide, annulos loricæ, ad varia ſanitatum remedia cunctis charitativè petentibus dividens, miniſtrabat. Hanc autem miles virtutem videns, admiratione ineffabili ſtupefactus, corruit ad pedes viri Dei: quo facto *Ulfricus* confuſus, erectum militem adjuravit, ne dum viveret, alicui revelaret. Sed rei fama celebris celari non potuit, cùm plures viri religioſi de eadem lorica annulos ſe habere gauderent, & fama celebris viri Dei totius regni fines circumquaque perluſtravit.

IN Aquilonaribus *Angliæ* partibus, homo quidam erat valdè miſerabilis, qui fortunam paupertatis non æquè ferens, diabolo manus dedit, & homagium ei fecit. Diabolus autem, cùm captæ prædæ ſuæ, aliquandiu incubuiſſet, miſer ille intelligens, reatum ſuum pœnitere cœpit, circumſpiciens & deliberans, cui ſe patrono committeret, qui illum à morte animæ liberaret. Poſtremò beatum *Ulfricum* adire deliberavit, in cujus manu ſalus quieſcere dicebatur. Et de progreſſu ſuo valdè ſollicitus, cùm cuidam ſuorum id ipſum revelaſſet, aſtitit ei diabolus in effigie conſueta & nota, illum proditionis arguens, & caſtigatione crudeli ſe ipſum punire minatur, ſi quid tale de cætero attentaret. At homo ille ſibi ſilentium imponens, vidit manifeſtè, quòd inimicus ejus cogitationes cordis ſui non cognoviſſet, niſi eas priùs per verbum prodidiſſet vel ſignum. Diſſimulato itaque aliquamdiu pœnitentiæ ſuæ propoſito, iter tandem præmeditatum arripuit, ut ad *Ulfricum* Dei amicum veniret, & tranſacto longo viæ ſpatio, ad vadum quidem illius fluminis, quod extra *Heſelbergam* ſitum eſt, acceſſit, iter ſuum Domino proſperante. Vir autem ille, cùm vadum fuiſſet ingreſſus, & de beati *Ulfrici* ſubventione ſpem certam concepiſſet, ſupervenit diabolus ira gravi ſuccenſus, & manus in hominem violentas immittens, infremuit & ait: Quid eſt inquit proditor, quod facere voluiſti? Moliris pactum noſtrum diſſolvere, ſed fruſtrà, quia proditionis, qua olim Deo renunciaſti, & qua nunc mihi renunciare cogitas, ſolvere pœnas mox debes: Quia jam miſerabiliter ſubmergêris. Et tenens eum diabolus, ita immobilem fecit, quod nec procedere, nec in latus aliquod valuit declinare. Dum hæc agerentur in flumine, vir Dei *Ulfricus*, rebus quæ fiebant, à Deo ſibi per Spiritum prophetiæ revelatis, vocavit preſbyterum ſuum ad ſe *Brithricum* & ait: Accelera inquiens, & aſſumptâ cruce cum aqua bene-

1155.

benedictâ, occurre homini, quem diabolus in vado, quod extra villam eſt, captivum tenet, & aſpergens eum aquâ benedictâ, adduces ad me. At ille cum ſumma celeritate ad imperata iter arripiens, invenit ſicut ei dictum fuerat, hominem in vado equo inſidentem, ita & in aqua immobiliter fixum, quòd de loco non potuit ſe movere. Quem ut vidit *Brithricus*, protinus in virtutem magiſtri ſui aquâ benedictâ hominem profundens, in nomine *Jeſu Chriſti* prædam excuſſit, & prædonem fugavit. Sicque captivum de aquis aſſumens, cum lætitia duxit ad virum Dei, qui interim pro miſeria ejus orans, manus habebat ad Deum. Sequebatur à tergo dæmon quondam hominem ſuum, quem videns ſtantem ante virum Dei, apprehendit eum clamantem & dicentem: Serve Dei, ſuccurre mihi, ecce invadit me inimicus meus. Sanctus autem apprehendit manum hominis dextram, & diabolus ſiniſtram tenens, cum virtute trahebat. Et ſic trahentibus illis, vir domini *Ulfricus* una manu captivum tenuit, & alterâ aquâ quam benedixerat, contra faciem inimici aſpergens, ipſum valdè confuſum ab ædibus effugavit. At vir Dei hominem tremendum de faucibus mortis ereptum, in interiorem cellam ſuam duxit, tenens eum ibi, donec per confeſſionem pœnitens, ille virus quod dæmon infuderat ei, ad pedes ſancti evomuit. Tunc homo viribus reſumptis, corpus Domini à ſancto *Ulfrico* ſibi oblatum in ſpecie carnis: Et interrogatus ſi ex toto crederet: Credo Domine inquit, quia corpus & ſanguinem Domini mei in manibus tuis ſub ſpecie carnis, video ego miſer & peccator. Cui vir ſanctus, Deo gratias inquit: Nunc ſimul oremus, ut in ſpecie conſueta illum percipere merearis, Sicque communicatum hominem & in fide confirmatum, demiſit in pace. Obiit autem amicus Dei ſanctus *Ulfricus* decimo Kalendas Martii, & in oratorio ſuo ſepultus eſt apud *Heſelbergam*, quo in loco, ad laudem Dei, & gloriam ſancti, innumera fuerit miracula uſque in diem hodiernum videre.

Genealogia Henrici *ſecundi ex parte materna.*

ANNO Domini M. CLV. Natus eſt *Londoniis* pridie Kalendas Martii, *Henrico* novo *Anglorum* Regi, ex regina *Alienor* filius legitimus, & vocatus eſt *Henricus*. Fuit autem magnificus Rex *Henricus*, filius *Matildis*, quæ priùs fuerat Imperatrix *Romanorum*, & poſtea Comitiſſa *Andegavenſium*. Cujus mater fuit *Matildis* Regina *Anglorum*, uxor Regis *Henrici* primi, & filia Sanctæ *Margaretæ Scotorum* Reginæ. *Margareta* filia fuit *Eadwardi*, quam genuit ex *Agatha* ſorore *Henrici* Imperatoris *Romani*. *Eadwardus* fuit filius Regis *Eadmundi*, qui *Latus ferreum* dicebatur, cujus pater Rex *Etheldredus*, cujus pater *Eadgarus* pacificus, cujus pater *Eadmundus*, cujus pater *Eadwardus* ſenior, cujus pater nobilis Rex *Alfredus*, qui fuit Regis *Athulfi*, qui fuit Regis *Egbrighti*, qui fuit *Alcimundi*, qui fuit *Offa*, qui fuit *Coppa*, qui fuit *Ingels*, cujus frater *Ine* famoſiſſimus Rex *Anglorum*, quorùm pater fuit Rex *Kenredus*, qui fuit Regis *Ceolwaldi*, qui fuit *Cutha*, qui fuit *Cuthwini*, qui fuit *Ceaulini*, bui fuit *Cuthrici*, qui fuit *Creodda*, qui fuit *Certic*, qui fuit *Eleſa*, qui fuit *Egla*, qui fuit *Wig*, qui fuit *Frewine*, qui fuit *Freothegar*, qui fuit *Broand*, qui fuit *Beldai*, qui fuit *Woden*, qui fuit *Frethewalde*, qui fuit *Freolater*, qui fuit *Frethewlf*, qui fuit *Fringolduff*, qui fuit *Getha*, qui fuit *Tatwa*, qui fuit *Beau*, qui fuit *Seldwa*, qui fuit *Heremod*, qui fuit *Itermod*, qui fuit *Hatra*, qui fuit *Wala*, qui fuit *Bedwi*, qui fuit *Sem*, qui fuit *Noe*. Eodem anno, Rex *Anglorum Henricus* exhæredavit *Willielmum Peverell* cauſâ veneficii, quod *Ranulpho* comiti *Ceſtriæ* fuerat propinatum: In cujus peſtis conſortio, plures conſcii extitiſſe dicuntur. Eodem tempore Rex *Henricus* fecit jurare filiis ſuis de regno *Angliæ Willielmo* & *Henrico*. Eodem tempore defuncto *Roberto Oxonienſi* epiſcopo, *Robertus Sarisberienſis* decanus ſucceſſit. Per idem tempus *Henricus Wintonienſis* antiſtes, præmiſſo theſauro ſuo per Abbatem *Cluniacenſem*, atque licentiâ Regis, ab *Anglia* clàm receſſit, quaprópter Rex tria ejus complanari fecit caſtella. Circa eoſdem dies *Hugo* de *Mortuo* mari, vir arrogantiſſimus, caſtella ſua contra Regem munivit, turrim ſcilicet *Gloverniæ*, *Wiegemor* & *Bregres*: Sed rex ſuperveniens, omnia uſque ad noviſſimum cepit & ſubvertit. Sed poſteà cum Rege pacificatus eſt. Sub eiſdem diebus, *Lodowicus* Rex *Francorum* duxit filiam *Alfonſi* regis *Hiſpaniæ*, cujus regni caput civitas eſt *Toletum*: Quem, quia principatur regulis *Arragonum* & *Galatiæ*, Imperatorem *Hiſpaniarum* appellant. *Fredericus* conſecratus eſt in Imperatorem ad *Adriano* Papa: manus ſancti *Jacobi* reſtituta eſt *Redingo*. Eodem tempore *Thomas* Cantuarienſis, Archidiaconus, *Beverlacenſis* præpoſitus, & Canonicus in diverſis per Angliam Eccleſiis aſcriptus, factus eſt Regis Cancellarius.

Filia Hiſpaniarum *Regis nubit Regi* Gallorum.

Thomas *Cancellarius Regis.*

PER idem tempus, Rex Anglorum *Henricus*, nuncios ſolennes *Romam* mittens, rogavit Papam *Adrianum*, ut ſibi liceret *Hyberniæ* inſulam hoſtiliter intrare, & terram ſubjugare, atque homines illos beſtiales ad fidem & viam reducere veritatis, extirpatis ibi plantariis vitiorum. Quod Papa Regi gratanter annuens, hoc ſequens ei privilegium deſtinavit. *Adrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, illuſtri Anglorum Regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Laudabiliter & ſatis fructuosè de glorioſo nomine tuo propagando in terris, & æternæ fœlicitatis præmio cumulando in cœlis tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos eccleſiæ terminos, ad declarandum indoctis & rudibus populis* Chriſtianæ *fidei veritatem, & vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda, ſicut catholicus Princeps intendis, & ad id convenientiùs exequendum, conſilium ſedis Apoſtolicæ exigis & favorem. In quo facto, quanto altiori conſilio & majori diſcretione procedis, tanto in eo fœliciorem progreſſum te,*

Tenor privilegii quod Papa Regi Anglorum *ad* Hyberniam *occupandam conceſſit.*

parante

1156. *parante Domino, conſidimus habiturum. Significaſti ſiquidem nobis, fili in* Chriſto *chariſſime, te* Hiberniæ *inſulam, ad ſubdendum populum legibus* Chriſtianis, *& vitiorum inde plantaria extirpanda velle intrare, & de ſingulis domibus, annuam unius denarii beato* Petro *velle ſolvere penſionem: Ita & jura eccleſiarum illius terræ illibata & integra conſervare. Nos autem pium & laudabile deſiderium tuum favore congruo proſequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes aſſenſum, gratum & acceptum habemus, ut pro dilatandis eccleſiæ terminis, vitiorum reſtringendo diſcurſu, pro corrigendis moribus* & *virtutibus inſerendis, pro* Chriſtianæ *religionis augmento, inſulam illam ingrediaris, & quæ ad honorem Dei & ſalutem illius terræ ſpectaverint, exequaris: Et illius terræ populus te recipiat, & ſicut Dominum veneretur, jure eccleſiarum illibato & integro permanente, & ſalva beato* Petro *de ſingulis domibus annua unius denarii penſione. Sanè omnes inſulas, quibus ſol juſtitiæ* Chriſtus *illuxit, & quæ documento fidei* Chriſtianæ *ſuſceperunt, ad jus ſancti* Petri, *& ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ (quod tua etiam nobilitas recognoſcit) non eſt dubium pertinere. Si ergò quod animo concepiſti effectu duxeris proſequente complendum, ſtude gentem illam bonis moribus informare, & agas tam per te, quàm per illos, quos ad hoc, fide, verbo & vita idoneos eſſe, perſpexeris, ut decoretur ibi eccleſia, plantetur & creſcat fidei* Chriſtianæ *religio, & quæ ad honorem Dei & ſalutem pertinent animarum, taliter ordinentur: Ut & à Deo ſempiternæ mercedis cumulum conſequi merearis, & in terris glorioſum nomen valeas in ſæculis obtinere.*

ANNO Domini M. CLVI. in pago *Pariſiacenſi*, monaſterio *Argentoilo*, revelatione divina, tunica Salvatoris inconſutilis & ſubconfuſi coloris reperta eſt, quam ſicut literæ cum ea repertæ indicabant, glorioſa mater ejus fecerat ei, dum adhuc puer eſſet. Eodem anno Rex *Henricus* in *Normanniam* tranſiens, cepit longâ obſidione caſtella *Mirebellum* & *Chinonem*, *Loſonum* verò antea in jus ſuum receperat. Nam & paulò ante cùm frater ejus *Gaufridus*, qui expulſo comite *Britanniæ*, *Hoelovanneticam*, civibus conſentientibus, ceperat civitatem, hac conditione cum Rege pacificatus eſt: Ut Rex daret ei ſingulis annis mille libras *Anglicæ* monetæ & *Andegavenſium* duo millia: Et ſic inter eos diſcordia eſt ſopita menſe Julio. Eodem anno Rex *Siciliæ Willielmus*, civitatem *Barum* funditùs evertit, *Græcos* ſuperavit, civitates & caſtella ſibi priùs ablata, in jus ſuum revocavit, cum Papa *Adriano* pacem fecit, conſecrationes epiſcoporum regni ſui ei concedendo. Tunc *Alienor* Regina *Anglorum* peperit Regi filiam, quam *Matildem* nuncupavit.

CIRCA dies iſtos, heremita quidam vir modeſtus & ſanctus, in *Hybernia* non longè à purgatorio, de quo ſupradictum eſt, in loco deſerto degebat, in cujus horto omni ferè nocte dæmones viſibiliter convenerunt. Et ſtatim poſt ſolis occaſum congregati. Placitum ibi tenuerunt, ante ſolis inde ortum recedentes. Rationem ibi quoque reddebant dæmones principi dæmoniorum, quid mali fecerint in hominibus decipiendis, quorum confabulationes audivit vir ſanctus manifeſtè, & eorum figuras deformes viſibiliter conſpexit. Ad oſtium cellulæ ejus conveniunt, ſed quoniam intrare non poſſunt, nudas illi ſæpè mulieres oſtendunt. Sicque fit ut Heremita ille, per confabulationes eorum, vitam illius regionis multorum hominum cognoſcat. Erat autem in patria illa, ſacerdos quidam ſanctæ vitæ & honeſtæ, qui parochiam regebat, cujus conſuetudo talis, ut quotidiè manè ſurgens, cœmeterium circumiret, & pro animabus omnium, quorum ibi corpora quieſcebant, ſeptem Pſalmos devotus cantaret. Caſtè prætereà vixit, & bonis operibus atque ſanctæ doctrinæ ſollicitè ſtudium impendit. Dæmones verò in concilio ſuo multoties conqueſti ſunt de eo, quòd nullus eorum à propoſito ipſum flectere potuiſſet. Increpabat autem ſatellites ſuos princeps dæmonum, quòd tam diu presbyter inflexibilis perſtitiſſet. Tunc accedens unus eorum: Ego inquit decipiam eum, quia paravi ei mulierem, per cujus pulchritudinem ſubjicietur nobis: ſed hoc facere non potero, niſi infra quindecim annos. Si infra hunc terminum, ait magiſter, illum deceperis, magnam rem faceres. Contigit autem eo tempore, ut ſacerdos juxta conſuetudinem, manè cœmeterium circumiens, infantulam juxta crucem in cœmeterio poſitam, inveniret. Quam accipiens presbyter, pietate motus, nutrici eam commendavit, & illam in filiam adoptavit. Et quia ſanctimonialem eam facere propoſuit, literas diſcere fecit. Quæ cùm annos pubertatis attigiſſet, erat puella nimis ſpecioſa: Unde presbyter cœpit tentari in concupiſcentia ejus. Et quo ſecretiùs eo frequentiùs presbyter tentatus, nuper conſenſum petiit & invenit, nec tamen adhuc de carnis immunditia aliquid agebatur. Nocte itaque ſequenti, poſtquam puella actionem presbytero conceſſiſſet, dæmones, qui in horto Heremitæ ex more convenerant, magnum de conſenſu facto, gaudium conceperunt. Dæmon autem, qui ſacerdotem decipere promiſerat, magiſtro ſuo dicebat: Ecce, presbyter quem per mulierem me decepturum dixeram, jam feci quòd à virgine, quam in filiam adoptaverat, & ſanctimonialem facere decreverat, conſenſum ſtupri petens, impetravit, & cras horâ meridianâ opus nefarium ad effectum perducam. Gratias ergò ei magiſter egit, & viriliter ipſum feciſſe dicebat. Die itaque craſtina, presbyter puellam vocans, introduxit illam in cubiculum ſuum, & eam in lecto collocavit: Et ſtans ante lectum in tentatione poſitus, cogitavit, quid eſſet facturus. Et tandem ad ſe reverſus, juſſit ut puella expectaret, donec ad illam rediret. Et ſic ad oſtium cubiculi divertens, cultrum arripuit, & propria membra virilia abſcindens, foras projecit. Quid (inquit) putaſtis dæmones, quòd non intellexe-

intellexerim tentationes veſtras? De perditione mea vel filiæ meæ non gaudebitis, quia nec me nec ipſam habebitis. Sequente quoque nocte, cùm diabolus interrogaret diſcipulum, quid de presbytero actum fuiſſet: Reſpondit ſe omnem laborem amiſiſſe, & qualiter ſacerdos ſeipſum caſtraverat, cunctis audientibus, enarravit. Juſſit ergò magiſter, ut dæmon ille graviter flagellaretur, & ſic conventus ſolvitur ſpirituum immundorum. Sacerdos autem puellam, quam nutriverat, Deo ſervituram ſanctimonialibus commendavit. Eodemque anno, *Willielmus* primogenitus Regis *Henrici* obiit, & ſepultus eſt apud *Radingum*.

ANNO Domini M. CLVII. Rex *Anglorum Henricus* transfretavit in *Angliam*, & Rex *Scotorum Malcolmus* reddidit ei civitatem *Karleolum*, *Bamburgi* caſtrum, & *Novum caſtellum* ſuper *Tynam*, & totum comitatum *Londonenſem*. Et Rex reddidit ei *Huntendoniæ* comitatum. *Willielmus* ſimiliter filius Regis *Stephani* nothus, qui erat comes *Moretonii* & de *Warrenna*, reddidit Regi *Penneneſel* & *Norwicum*, & omnes munitiones ſuas in *Anglia* & *Normannia*, quas ex dono Regis *Stephani* poſſidebat. Et Rex *Henricus* dedit ei quicquid pater ejus Rex *Stephanus* habuit, die qua Rex *Henricus* mortuus fuit & vivus. Et eo tempore, *Hugo Bigod* caſtella ſua Regi reſignavit. Eodem anno Rex *Henricus* magnam paravit expeditionem, ita ut duo milites de tota *Anglia* tertium invenirent, ad expugnandum *Wallenſes* per terram & per mare. Intrans ergò *Walliam* Rex, extirpatis ſylvis, nemoribuſque ſucciſis, atque viis patefactis, caſtrum *Roelent* firmavit, alias munitiones anteceſſoribus ſuis ſurreptas, potenter revocavit, caſtellum etiam *Baſingewere* reſtauravit, & *Wallenſibus* ad libitum ſubjectis, cum triumpho *Angliam* repetivit. Apud *Snandunm* multorum cepit homagia, ſcilicet nobiliorum. Eodem anno natus eſt *Henrico* Regi ex *Alienor* Regina, filius apud *Oxoniam*, & vocatus eſt *Richardus*. Et hucuſque *Robertus Abbas* de *Monte ſancti Michaelis* chronica ſua digeſſit.

Expeditio Regis Henrici in Wallos.

ANNO Domini M. CLVIII. Rex *Anglorum Henricus*, in dominicæ Nativitatis die, apud *Wigorniam* coronatus eſt: Ubi poſt celebrationem divinorum ſacramentorum, coronam ſuper altare poſuit, nec ultrà coronam portavit. Eodem anno, *Alienor* Regina filium peperit, quem *Gaufridum* vocavit. Et eodem anno nova moneta fuit in *Anglia* fabricata. Eodem anno, *Thomas* Regis Cancellarius, in apparatu magno *Pariſios* venit, *Margaretam* Regis *Francorum* filiam, *Henrico* filio Regis *Anglorum*, in conjugem accepturus. Eodem anno, *Gaufrido* fratre Regis *Anglorum* defuncto, idem Rex tranſiens *Natineticam* civitatem in jus ſuum recepit. Quo etiam tempore, Rex *Henricus* à Rege *Francorum* invitatus, venit *Pariſios*, & receptus eſt in Palatium Regis, Rege *Francorum* cum Regina ſua, in clauſtro canonicorum beatæ *Mariæ* virginis hoſpitante.

Rex Henricus à Rege Francorum magnificè Pariſiis ſuſcipitur.

ANNO Domini M. CLIX. Rex *Anglorum Henricus*, duxit exercitum verſus *Tholoſam*, & cepit caſtella fortia vicina ejus, Rege *Francorum* interim in urbe jugiter commorante. Sed Rex *Anglorum* ipſam civitatem non aſſiluit, ob reverentiam Regis *Francorum*, cujus ſororem *Conſtantiam*, comes *Tholoſanus* duxerat in uxorem, & ex ea liberos ſuſceperat, qua de cauſa Reges inimici facti ſunt, ſicut exitus rerum poſtmodùm declaravit. Eodem anno, defuncto Papa *Adriano*, ſchiſma oritur inter duos, *Alexandrum* ſcilicet, & *Octavianum*. Nam Imperator cum clero ſuo receperat *Octavianum*, ſed à regibus *Francorum* & *Anglorum* conſenſum eſt in *Alexandrum*. Imperator autem ad dictos reges literas direxit, ut *Octavianum* reciperent, ſed ipſis contradicentibus, Papatum obtinuit *Alexander*.

Schiſma de Papatu.

ANNO Domini M. CLX. Rex *Anglorum Henricus* à *Tholoſa* reverſus, *Margaretam* regis *Francorum* filiam, quam in ſua cuſtodia habebat, *Henrico* filio ſuo deſponſari fecit, & caſtellum de *Giſors* diu deſideratum, recepit. Propter quod Rex *Francorum* quia præproperè factum fuerat, indignatus eſt valdè: Unde cum auxilio *Theobaldi* Comitis *Flandrenſis*, ad dedecus Regis *Anglorum*, *Calvum montem* firmavit. Sed Rex *Anglorum* feſtinus adveniens, Rege *Francorum* & comite fugatis, caſtrum obſedit, & infra dies paucos ad deditionem incluſos coëgit, Capti ſunt autem intus milites quinquaginta quinque, & ſic celebratum eſt matrimonium inter filium regis *Anglorum* ſeptennem, & filiam Regis *Francorum* triennem, autoritate ſcilicet *Henrici Piſani*, & *Willielmi Papienſis*, presbyterorum Cardinalium, & ſedis Apoſtolicæ legatorum, quarto Nonas Novembris apud *Burgum*. Eodem anno *Maria* Abbatiſſa de *Rumeſia*, filia Regis *Stephani*, nupſit *Mattheo* Comiti *Boloniæ*, ex qua ſuſtulit duas filias, propter quod peccatum, *Thomas* Regis Cancellarius, qui contrarius fuit huic contractui illicito, ad inſtar beati *Johannis Baptiſtæ*, multas paſſus eſt comitis inſidias. Eodem anno *Theobaldus Cantuarienſis* Archiepiſcopus diem clauſit extremum.

Matrimonium inter filium Regis Anglorum & filiam Regis Francorum.

ANNO Domini M. CLXI. *Bartholomæus* vir religioſus, & in Theologicis diſciplinis ad ſufficientiam eruditus, à *Waltero Roffenſi* epiſcopo conſecratus eſt Antiſtes *Exonienſis*. De hoc *Bartholomæo* venerabili viro fama refert notiſſima, quod cum lucris animarum devotus intendens parochiam viſitaret, in villa quadam campeſtri, cum ſuis clericis pernoctavit. Dormiens igitur de nocte in ſolario quodam, quòd eccleſiæ villæ ac cœmeterio imminebat, cùm circa noctis medium, ad nocturnam ſinaxim Deo perſolvendam evigilaſſet, lumen quod coram illo ardere conſueverat, apparebat extinctum. Epiſcopus autem cubicularium objurgans, quòd in tenebris dormiret, præcepit ut velociter lumen quæreret, & inferret. Intereà

1162. verò Antiſtes, dum luminis adventum vigilans expectaret, audivit voces quaſi infantum innumerabilium de cœmnterio exeuntes, plangentium & dicentium manifeſtè: Veh nobis, veh nobis, quis amodò pro nobis orabit, & eleemoſynas dabit, vel pro noſtra ſalute miſſas celebrabit? Audiens autem has voces Epiſcopus, obſtupuit vehementer, ſupra modum quid ſignarent admirans. Cubicularius quoque ejus lumen interim quærens, cùm neque in aula neque in coquina ignem reperiſſet, exivit in villam anxius, & multis jam ædibus perluſtratis, lumen optatum non invenit. Tandem cùm quærendo huc illúcque diu diſcurriſſet, vidit lumen quaſi in ultima domo villæ, & illuc ſe cum feſtinatione conferens, invenit in domo cujuſdam, hominis corpus exanime, & cum preſbytero villæ multos utriuſque ſexus homines circumſtantes, & præ dolore defuncti flentes, & capillos ſui capitis detrahentes. At cubicularius Epiſcopi, ſuper his quæ vidit non multùm ſollicitus, lumen poſuit in laterna ſua, & cum feſtinatione ad Epiſcopum reverſus, quæ ſibi acciderant per ordinem enarravit. Cantatis igitur matutinis, cùm craſtina dies illuxiſſet, fecit Epiſcopus convenire preſbyterum cum quibuſdam hominibus villæ, & ſciſcitatus ab eis diligenter, quis homo ille nuper defunctus eſſet, & qualis vitæ ante obitum in ſæculo extitiſſet. Qui omnes fatebantur de eo, quòd eſſet vir juſtus ac timens Deum, pater orphanorum & conſolatio miſerorum: ut qui omnem ſubſtantiam ſuam in pauperibus, dum viveret, & hoſpitibus erogavit. Tenuit prætereà in domo ſua preſbyterum, cui de proprio omnia neceſſaria miniſtravit, qui commendationes animarum & Miſſarum ſuffragia, diebus ſingulis pro fidelibus defunctis celebravit. Hæc autem cùm audiſſet Epiſcopus, intellexit, continuò voces quas audierat de cœmeterio emiſſas, nihil aliud eſſe, quàm voces animarum illorum corporum, qui in cœmeterio quieſcebant, plangentes de morte hominis & gementes, per quem dum vixerant eleemoſynarum & Miſſarum habere ſuffragia meruerunt. Tunc Epiſcopus, vocato ad ſe preſbytero, qui ſub viro defuncto Miſſas pro defunctis celebraverat, dedit ei portionem in eccleſia villæ ſtatuens & illi injungens, ut quàm diu viveret, Miſſam & obſequia defunctorum diebus ſingulis celebraret. Eodem tempore *Cantuaria* ferè omnis comburitur.

Pax inter Regem Francorum & Gallorum.

ANNO Domini M.CLXII. *Lodowicus* Rex *Francorum* & *Henricus* Rex *Anglorum*, armatorum copiis undique congregatis, cùm jam Campeſtre prælium inter eos imminere putaretur, prope *Ferte vallem*, amici ſubitò ſunt effecti. Eodem anno, *Alienor Anglorum* Regina apud *Rothomagum* filium peperit, & ei nomen ſuum impoſuit. Hoc etiam anno *Richardus Londonienſis* epiſcopus viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Per idem verò tempus Rex *Henricus* fecit jurare fidelitatem *Henrico* filio ſuo, de hæreditate ſua, & inter omnes magnates regni, *Thomas* Cancellarius, primus fidelitatem juravit, ſalvâ fide Regis patris quamdiu viveret & regno præeſſe vellet.

Thomas *Regis Cancellarius, eligitur in Epiſcopum Cantuarienſem.*

EODEM anno, congregato clero & populo totius provinciæ *Cantuarienſis* apud *Weſtmonaſterium*, *Thomas* Regis cancellarius electus eſt in Archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſolenniter, nemine reclamante. Facta itaque electione, ſabbato in pentecoſtes, preſbyter ordinatus eſt à *Waltero Roffenſi* epiſcopo, in eccleſia *Cantuarienſi*. Et ſequente die, dictus conſecratus eſt, ab *Henrico Wintonienſi* epiſcopo ſolenniter & inthronizatus. Nuncii igitur ad Papam directi, quem citra *Alpes* invenerunt ad *Gallias* deſcendentem, cum pallio ſunt reverſi. Quod *Thomas* Archiepiſcopus, ſolitis conſtrictus ſacramentis, ab altari ſuſcipiens, reverenter ſummi ſacerdotis veſtes induit, & habitum ſic mutavit, ut & animum permutaret. Nam curiæ curis intereſſe renuncians, eccleſiæ ſuæ negotiis & lucris ſpiritualibus intendebat. Siquidem nuncios ad Regem in *Normanniam* direxit, Cancellariæ renuncians & ſigillum reſignans. Quod in cor Regis altiùs aſcendit, in ſe ſolum cauſam reſignationis tam ſubitæ retorquens. Hæc prima fuit regalis animi perturbatio adverſus *Thomam* Archipræſulem *Cantuarienſem*.

Vita ſancti Thomæ.

Erat autem *Thomas* iſte *Londonienſis* urbis indigena, à primis adoleſcentiæ annis gratiâ multiplici decoratus. Ab ineunte enim ætate, beatam Dei genitricem, tanquam Ducem viarum ſuarum, dulciùs invocare, in illam poſt *Chriſtum*, totam ſpem ponere conſuevit. Liberalium quoque diſciplinarum ſcholas tandem egrediens, ad *Theobaldum Cantuarienſem* Archiepiſcopum ſe contulit, & induſtria promerente, in brevi dignus fuit, ut ei familiariſſimus haberetur. Quot autem & quantos ibi labores, pro eccleſia Dei pertulerit, quoties pro expediendis negotiis Apoſtolorum limina viſitaverit, quàm fœlici exitu, quæ ſibi injuncta fuerant, expedierit, non eſt facile dictu: Præſertim cùm in cauſis perorandis & decidendis, ac populis inſtruendis tota ejus intentio verſaretur. Primò igitur à præfato Archiepiſcopo in Archidiaconum *Cantuarienſem* promotus, poſt modici temporis intervallum, Cancellarius efficitur, ejus induſtriâ promerente. Cancellarii autem fungens officio, audaciam milvorum ſapienter depreſſit, qui Regi adulantes, diripere conſpiraverant, tam Provincialium quàm Eccleſiæ facultates. Hæc de beato *Thoma*, qualis ante promotionem in Archiepiſcopum, extiterit, prælibavimus, quatenus ea, quæ de ipſo ſequuntur lectori clariùs eluceſcant.

HOC anno ſopita eſt diſcordia, & amicabili fine terminata, inter eccleſiam *Lincolnienſem* & cœnobium beati *Albani* protomartyris *Anglorum*, *Roberto* de *Cheiſneto* Epiſcopo agente, & *Roberto* de *Gorham* Abbate de ſancto *Albano* defendente, in præſentia Regis *Henrici*

ſecundi,

1163.

ſecundi, & Archiepiſcoporum, *Thomæ Cantuarienſis*, & *Rogeri Eboracenſis*, & Epiſcoporum *Henrici Wintonienſis*, *Willielmi Norwicenſis*, *Jocelini Saresberienſis*, *Bartholomæi Oxonienſis*, *Hillarii Ciceſtrenſis*, *Hugonis Dunelmenſis*, *Richardi Coventrenſis*, *Gileberti Herefordenſis*, & *Godefridi* de ſancto *Aſaph*, præſente etiam *Roberto* comite *Legeceſtrenſi* Juſticiari *Angliæ*, cum Comitibus, Baronibus, Abbatibus, Archidiaconis, & innumera turba regni, apud *Weſtmonaſterium*, feria quinta proxima ante *paſſionem Domini*, in hunc modum, *Robertus Dei gratia Lincolnienſis epiſcopus, omnibus ſanctæ matris eccleſiæ filiis ſalutem. Notum ſit univerſitati veſtræ, quòd ego controverſiæ illi, quam adverſus* Robertum *Abbatem ſancti* Albani *& fratres ejus moveram, qua monaſterium ipſum ſancti* Albani, *& quindecim eccleſias illas quas in territorio ſuo privilegiatas habuit*, Lincolnienſi *eccleſiæ & mihi, ut ipſius epiſcopo, in ſubjectionem & obedientiam petebam, in præſentia teſtium prædictorum, aſſenſu Capituli mei in perpetuum renunciavi. Et ut ab ea in perpetuum conquieſcam, de manu ipſius Abbatis & fratrum ejus, villam quæ dicitur* Tinghurſt, *cum eccleſia & omnibus pertinenciis ejuſdem, pro decem libratis terræ, libere & quietè* Lincolnienſis *in perpetuum, de cætero poſſidendam aſſenſu* Domini *mei* Regis, *& fratrum noſtrorum epiſcoporum jam dictorum conſilio, Capitulo meo in hoc aſſenſum præbente, recepi: Et jus quod jam dicta Abbatia, & in perſona* Roberti *Abbatis & ſucceſſorum ejus, & jam dictis quindecim eccleſiis, eccleſiæ meæ & ſucceſſoribus meis vendicabam, in manu Domini mei Regis, pro me & ſucceſſoribus meis in perpetuum reſignavi. Sit itaque de cætero liberum, monaſterio beati* Albani *& quindecim jam dictis eccleſiis chriſma ſibi & oleum & benedictionem & cætera omnia ſine eccleſiæ noſtræ reclamatione accipere, & de cætero in manu Regis, ſicut ſua Dominica eccleſia, libera remanebit. Reliquæ verò ejuſdem eccleſiæ monaſterii paſſim per epiſcopatum* Lincolnienſem *conſtitutæ, obedientiam & ſubjectionem, quam cæteræ debent eccleſiæ, epiſcopo* Lincolnienſi *& Archidiacono exhibebunt. Quod ne de cætero poſſit in litem revocari, ſcripti præſentis atteſtatione, & ſigilli mei & Capituli appoſitione confirmavi teſtibus ſupradictis.* Hanc pacem & concordiam, cùm Rex *Henricus*, & *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus ſuis confirmaveſſant, munimentis, Papa *Alexander* eorum veſtigia ſequutus, eam privilegio eccleſiæ *Romanæ* & ſubſcriptione omnium Cardinalium communivit. Eodem anno Rex *Hieroſolymorum Baldewinus* humanæ naturæ debitum ſolvit, cui ſucceſſit frater ejus *Amalricus*,

Tenor tranſactionis litis quæ erat inter eccleſiam Lincolnienſem *& Monaſterium ſancti* Albani.

ANNO Domini M.CLXIII. Rex Anglorum *Henricus*, finibus tranſmarinis pro voluntate diſpoſitis, in *Angliam* rediit, & *Thomas*, *Cantuarienſis* Archiepiſcopus illi obvians, in oſculo receptus eſt: Sed non in gratiæ plenitudinem; ſicut ipſius Regis vultus ſtatim averſus, omnibus qui aderant patenter oſtendit. Eodem anno tranſlatum eſt corpus ſancti Regis & confeſſoris *Edwardi* apud *Weſtmonaſterium*, à beato *Thoma Cantuarienſi* Archiepiſcopo: Præſente Rege *Henrico*, qui hæc procuraverat.

Thomas *oſculo à Rege ſuſcipitur.*

EODEM anno, Rege *Anglorum* ad hoc inſtante. & *Alexandro* Papa id concedente; *Gilebertus Herefordenſis* epiſcopus, ad ſedem eccleſiæ *Londonienſis* tranſlatus eſt: Et quarto Kalendas Maii, in illa cathedra ſolenniter introductus. Eodem anno, *Robertus* de *Montforde*, cum *Henrico* de *Eſſexia*; de proditione Regis, ſingulari certamine congrediens: Victoriam reportavit. Qua de cauſa, *Henricus* notam infamiæ ſimul, & exhæreditationis jacturam incurrens; indulgentia pii Regis, apud *Radingum*, habitum monachalem ſuſcepit, Hoc etiam anno *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus, ad inſtantiſſimam Regis petitionem, Archidiaconatum *Cantuarienſem* dedit *Gaufrido Ridel*, clerico ſuo. Sed gratiam Regis ſibi priùs ſubtractam, non plenè redintegratam cognovit. Apparuit enim prima Regis perturbatio, contra *Thomam* Archiepiſcopum; cum ſigillum Regis reſignavit. Secunda, cum Regi de partibus tranſmarinis venienti occurrens; receptus eſt in oſculum, & non in gratiæ plenitudinem. Tertia in hoc loco, cùm Archidiaconatum ad ejus petitionem contulit; nec tamen gratiam ejus ſibi redintegratam, cognovit. Eodem anno *Clarenbaldus* ſancti *Auguſtini* electus; benedictionem à *Thoma Cantuarienſi* Archiepiſcopo accipere quærebat: Sed in ſua eccleſia & ſine Proceſſione; ut ſuſpicio ſubjectionis, in poſterum prorſus adempta eſſet. Conſenſit autem electus in conſuetudines antiquas in regno, eáſque conſervans, Archiepiſcopo prædicta exigenti, adverſabatur. Et in hoc loco quarto, apparuit perturbatio Regis contra ipſum. Eodem anno, facta eſt inquiſitio generalis per *Angliam*; cui quis in ſervitio ſæculari de jure obnoxius teneretur. Inventum eſt in *Cantiæ* provincia, quòd *Willielmus* de *Ros* in munere quolibet ſubeundo, Regem deberet agnoſcere; & non Archiepiſcopum: Et ſic odium perſonæ, in damnum eccleſiæ redundavit. Et hic quinto loco, apparuit perturbatio Regis contra illum. Sextò apparuit, cùm Archiepiſcopus vacantem eccleſiam de *Ainesford*, cuidam *Laurentio* contuliſſet; *Willielmus* villæ dominus & ſibi jus vendicans patronatus, *Laurentium* expulit: pro quo facto, Archiepiſcopus *Willielmum* excommunicavit. Sed quia Rege minimè certiorato feciſſet, maximam ejus indignationem incurrit. Aſſerit enim Rex, juxta dignitatem regni ſui; quòd nullus, qui de Rege teneat in capite, vel miniſter, citra illius ſcientiam ſit excommunicandus ab aliquo: Ne ſi hoc Regem lateat lapſus ignorantiâ communicet excommunicato; Comitem vel Baronem ad ſe venientem, in oſculo, vel concilio, admittens. Septimò apparuit, cum idem Rex nuncios ad curiam *Romanam* miſiſſet, ut conſuetudines regni confirmaret: Sed in nullo proficientes, nuncii

Cauſa indignationis Regiæ in Archiepiſcopum Thomam.

1164. reverſi animum Regis contra Archiepiſcopum & alios exaſperatum, non poterat mitigare.

Concilium Turonis celebratum.

EODEM anno, Papa *Alexander Turonis* Concilium congregavit in eccleſia ſancti *Mauricii*, duodecimo Kalendas Junii: Ad cujus vocationem, permiſſione Regis *Angliæ*; venerunt Archiepiſcopi, epiſcopi, & alii *Angliæ* Prælati, *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, & ad dexteram Papæ in Concilio ſedit: Archiepiſcopus *Eboracenſis Rogerus*, ad ſiniſtram cum ſolo epiſcopo *Dunelmenſi*. Eodem anno, Rex *Malcolmus Scotorum*; & *Reſus* princeps Demetiæ, id eſt *Auſtralium Wallenſium*; cum aliis Regibus & majoribus *Cambriæ*; Kalendis Julii apud *Woodeſtocke* fecerunt homagium Regi *Anglorum*; & *Henrico* filio ejus. Ipſo etiam anno *Rogerus* comes *Clarenſis*, à *Thoma Cantuarienſi* Archiepiſcopo, apud *Weſtmonaſterium* vocatus ad faciendum ſibi homagium de caſtello *Tunebredge* & pertinentiis ſuis; contradixit ei comes inſtinctu Regis; dicens, feudum illud totum in ſervicio Laicali ad Regem, potiùs, quàm ad Archiepiſcopum pertinere. Et hic loco octavo apparuit Regis perturbatoi, adverſus Archiepiſcopum *Cantuarienſem*.

ANNO Domini M. CLXIV. In præſentia Regis *Henrici* apud *Clarendonam*, octavo Kalendis Februarii; præſidente *Johannæ* de *Oxonia*, de mandato ipſius Regis: preſentibus etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus & proceribus regni; facta eſt recognitio ſive recordatiò cujuſdam partis conſuetudinum & libertatum anteceſſorum ſuorum: Regis, videlicet, *Henrici* avi ſui, & aliorum; quæ obſervari debebant in regno, & ab omnibus teneri; propter diſſenſiones & diſcordias ſæpe émergentes, inter clerum & Juſticiarios domini Regis, & magnatum regni. Harum verò conſuetudinum recognitarum, quædam pars in ſexdecim capitulis ſubſequentibus continetur.

** Sexdecim capitula conſuetudinum ſive libertatum.*

De advocatione, & præſentatione eccleſiarum, ſi controverſia emerſerit inter laicos; vel inter laicos & clericos; vel inter clericos: In curia domini Regis tractetur & terminetur. Eccleſiæ de feudo domini Regis, non poſſunt in perpetuum dari, abſque conceſſione ipſius. Cleri accuſati de quacunque re, ſummoniti à Judiciario Regis; veniant in curiam ipſis reſponſuri ibidem de hoc, unde videbitur curiæ Regis, quòd ibi ſit reſpondendum: Et in curia eccleſiaſtica, unde videbitur quòd ibi ſit reſpondendum: Ita quòd Regis Juſticiarius mittet in curiam ſanctæ eccleſiæ, ad videndum quomodo res ibi tractabitur. Et ſi clericus convictus vel confeſſus fuerit; non debet eum de cætero eccleſia tueri. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & perſonis regni, non licet exire regnum abſque licentia domini Regis: Et ſi exierint, ſi Regi placuerit, ſecurum eum facient, quòd nec in eundo nec in redeundo vel moram faciendo; perquirent malum ſive damnum domino Regi, vel regno. Excommunicati non debent dare vadium ad remanentiam; nec præſtare juramentum: Sed tantum vadium & plegium ſtandi judicio eccleſiæ, ubi abſolvuntur. Laici non debent accuſari, niſi per certos & legitimos accuſatores & teſtes in præſentia epiſcopi: Ita quòd Archidiaconus non perdat jus ſuum; nec quicquam quod inde habere debeat. Et ſi tales fuerint qui culpantur, quòd non velit, vel non audeat aliquis accuſare: Eos vicecomes requiſitus ab Epiſcopo, faciat jurare duodecim legales de Inſuero ſive de villa, coram Epiſcopo; quod veritatem ſecundùm conſcientiam ſuam manifeſtabunt. Nullus qui de Rege tenet in capite, nec aliquis Dominicorum miniſtrorum ejus excommunicetur; nec alicujus eorum terræ ſub interdicto ponantur, niſi priùs dominus Rex, ſi in regno fuerit, conveniatur. Vel Juſticiarius ejus, ſi fuerit extra regimen; ut rectum de eo faciat: Et ita, ut quod pertinebat ad Regis curiam, ibi terminetur, & de eo quod ſpectat ad curiam eccleſiaſticam, ad eandem mittatur, ut ibidem terminetur: De appellationibus, ſi emerſerint, ab Archidiacono debebit procedi ad Epiſcopum, ab epiſcopo ad Archiepiſcopum: Et ſi Archiepiſcopus defuerit in juſtitia exhibenda, ad dominum Regem perveniendum eſt poſtremò; ut præcepto ipſius, in curia Archiepiſcopi controverſia terminetur; ita quòd non debeat ultrà procedi abſque aſſenſu domini Regis. Si calumnia emerſerit inter clericum & laicum, vel è converſo; de ullo tenemento quod clericus velit ad eleemoſynam trahere, vel laicus ad laicum feudum; per recognitionem duodecim legalium hominum, juxta capitalis, Juſticiarii Regis conſiderationem terminabitur; utrùm tenementum ſit pertinens ad eleemoſynam, ſive ad laicum feudum, coram Juſticiario Regis. Et ſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in curia eccleſiaſtica. Si verò ad laicum feudum, niſi ambo tenementum de epiſcopo eodem vel Barone, advocaverint de feudo illo eundem epiſcopum vel Baronem; erit placitum in curia ipſius; ita quòd propter factam recognitionem ſaiſinam non amittat, qui priùs fuerat ſaiſitus de civitate vel caſtello vel burgo, vel dominico manerio Regis. Si ab Archidiacono, vel epiſcopo ſuper aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eis reſpondere; & ad citationes eorum noluerit ſatisfacere, benè licet eis ſub interdicto ponere eum; ſed non debent ipſum excommunicare, priuſquàm capitalis miniſter Regis villæ illius conveniatur; ut juſticiet eum ad ſatisfactionem venire. Et ſi miniſter Regis inde defecerit, erit in miſericordia Regis; & inde poterit epiſcopum ipſum accuſatum eccleſiaſtica Juſtitia coërcere. Archiepiſcopi, epiſcopi, & univerſæ perſonæ regni, qui de Rege tenent in capite; habeant poſſeſſiones ſuas de Rege ſicut Baroniam; & inde reſpondeant Juſticiariis & miniſtris Regis, & ſequantur & faciant omnes conſuetudines Regias: & ſicut cæteri Barones, debent intereſſe judiciis curiæ Regis cum Baronibus; quouſque perveniatur ad diminutionem

1164.

nem membrorum, vel ad mortem. Cum vacaverit Archiepiſcopatus, vel epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus in dominio Regis; eſſe debet in manu ipſius, & inde percipiet omnes reditus & exitus, ſicut Dominicos reditus ſuos. Et cùm ventum fuerit ad conſulendum eccleſiam, debet Dominus Rex mandare potiores perſonas eccleſiæ; & in capella ipſius Regis debet fieri electio, aſſenſu ipſius Regis, & concilio perſonarum regni, quas ad hæc faciendum advocaverit; & ibidem faciet electus homagium & fidelitatem Regi, ſicut Ligio Domino ſuo de vita ſua & de membris, & de honore terreno, ſalvo ordine ſuo priuſquam conſecretur. Si quiſquam de proceribus regni disfortiaverit Archiepiſcopo, vel epiſcopo, vel Archidiacono de ſe ſuiſve juſtitiam exhibere; dominus Rex debet eos Juſticiare. Et ſi fortè aliquis disforciaret domino Regi rectitudinem ſuam; Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Archidiaconi, debent eum juſticiare ut regi ſatisfaciat. Catella eorum, qui ſunt in Forisfacto Regis; non detineat eccleſia vel cœmiterium, contra Judiciarios Regis; quia ipſius Regis ſunt, ſive in eccleſiis, ſive extra fuerint inventa. Placita de debitis, quæ fide interpoſita debentur vel abſque interpoſitione fidei; ſint in juſtitia Regis. Filii ruſticorum non debent ordinari abſque aſſenſu Domini, de cujus terra nati dignoſcuntur. Hanc recongnitionem ſive recordationem de conſuetudinibus & libertatibus iniquis, & dignitatibus Deo deteſtabilibus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Clerus cum Comitibus & Baronibus ac Proceribus cunctis, juraverunt; & firmiter in verbo veritatis promiſerunt viva voce tenendas & obſervandas domino Regi & hæredibus ſuis, bona fide & abſque malo ingenio in perpetuum.

Thomam pœnitet ſe in leges Regis conſenſiſſe.

HIS itaque geſtis poteſtas Laica in res & perſonas eccleſiaſticas, omnia pro libitu, eccleſiaſtico jure contempto, tacentibus aut vix murmurantibus epiſcopis potiùs quàm reſiſtentibus, uſurpabat. *Thomas* igitur *Cantuarienſis* Archiepiſcopus in ſe reverſus; cùm leges iniquas & omnibus Chriſti fidelibus deteſtandas conceſſiſſet, & eas obſervare juramento firmaſſet; rem temerè perpetratam diligenter examinans; ſeipſum graviter afflixit alimentis auſterioribus, & indumentis corpus humiliavit; ſuſpendens ſe ab altaris officio, donec per confeſſionem & condignos pœnitentiæ fructus, à ſummo Pontifice meruit devotus abſolvi. Nam ilicò nuncios ad *Romanam* dirigens curiam, dum cauſam eccleſiæ, & ſuam, ad ſummi Pontificis in ſchedula conſcriptam tranſmiſiſſet cognitionem; ab obligatione, quam inconſultè injerat, abſolutionem petiit; & eam per has ſequentes literas impetravit.

Epiſtola Alexandri Papæ ad Thomam Archiepiſcopum.

ALEXANDER *epiſcopus, & cætera ad aures noſtras, fraternitas tua noverit fuiſſe perlatum; quòd occaſione cujuſdam exceſſus, à Miſſarum propoſueris celebratione ceſſare, & à conſecratione corporis & ſanguinis Domini abſtinere. Quod utique quàm grave ſit, præcipuè in tanta perſona, & quantum inde poſſit ſcandalum provenire, ſollicita meditatione conſideres; & hoc ipſum vigilantia tuæ diſcretionis attendat, Debet autem prudentia tua diligenter advertere: quòd plurimùm intereſt, quando ex deliberatione & propria voluntate, & quando ignorantia vel neceſſitate aliqua committuntur.* Nam (*ſicut legitur*) uſque adeò voluntarium eſt peccatum, quod niſi ſit voluntarium non ſit peccatum. *Si igitur aliquid recolis te commiſiſſe, de quo te debeat propria conſcientia remordere: Quicquid ſit, ſacerdoti, qui diſcretus & providus habetur, tibi conſulimus per pœnitentiam confiteri: Quo facto miſerator & miſericors Dominus, qui multò plus ad cor reſpicit quàm ad actus; tibi, conſueta pietatis ſuæ miſericordia dimittet. Et nos de beatorum* Petri *&* Pauli *Apoſtolorum ejúſque meritis confidentes; te ab eo quod eſt commiſſum, abſolvimus: & id ipſum fraternitati tuæ auctoritate Apoſtolica relaxamus; conſulentes utique & mandentes, ut poſtea à Miſſarum celebratione, propter hoc non debeas abſtinere.*

EODEM anno, Rex *Henricus* volens in ſingulis (ut dicebat) maleficia debeta cum ſeveritate punire: & cujuſcunque ordinis dignitatem ad iniquum trahi diſpendium: incongruum eſſe aſſeruit; Clericos à ſuis Juſticiariis in publico flagitio deprehenſos, epiſcopo tradere impunitos. Decrevit enim, ut poſt epiſcopi invenirent obnoxios; præſente Regis Juſticiario, exautorarent: & pòſt, curiæ Regis traderent puniendos. In contrarium ſentiebat Archiepiſcopus, ut quos exauctorarent epiſcopi, à manu laicali poſtmodùm non punirentur, quia bis in id ipſum punire viderentur. Huic controverſiæ præſtitit occaſionem *Philippus* de *Broc*, Canonicus *Bedefordenſis*; qui tractus in cauſam, propter homicidium; in Regis Juſticiarium verbum protulit contumelioſum. Quod cùm negare coram Atchiepiſcopo non poſſet; præbendæ ſuæ beneficio multatus eſt, & per biennium à regno pulſus. Et hic nono loco apparuit perturbatio Regis contra Archiepiſcopum. Defuncto *Octaviano*, *Fretbericus* alium ei ſubſtituit. Hoc anno dedicata eſt priùs eccleſia de *Radinge* ab eodem Archiepiſcopo *Thoma*; præſente Rege & epiſcopis decem.

VIDENS igitur Archiepiſcopus libertates eccleſiæ jam funditùs expiraſſe; inſcio Rege, apud *Rumene* navem aſcendit, *Romam* profecturus: Sed vento in contrarium flante, in *Angliam* rejectus eſt, ex quo facto decimo Regis offenſam incurrit. Quapropter ilico tractus in cauſam, *Johanne* Mareſchallo Regis deferente querelam pro manerio quodam, quod à multis temporibus, ut dicebatur, Archiepiſcopus inconcuſsè poſſiderat; tandem poſt graves vexationes contrariam reportavit ſententiam, & Regi judicatum ſolvi ſufficienter cavit; habita taxatione in quingentis libris. Et hic loco undecimò apparuit perturbatio Regis adverſus Archiepiſcopum; puram conſcientiam habentem. Item apud *Northamptonam*

1164. tractus in cauſam ſuper actu, quem in Cancellaria egerat; præſentiam ſuam exhibuit tertio Idus Octobris. Et quoniam Caſtellaniam de *Eya*, & de *Berchameſtede* pluribus annis liberè poſſediſſet; multùm conſentaneum rationi videbatur, ut à capite incipiens, perceptorum redderet rationem. Sed quoniam ante conſecrationem ſuam, Archiepiſopus ab *Henrico* filio Regis & hærede atq; Juſticiario Regni; liber & abſolutus ab omni ratiocinio fuit aſſignatus epiſcopus: Et ne injuſto condemnaretur judicio, ſedem Apoſtolicam appellavit; & ſub pœna anathematis, tam ſuis ſuffraganeis epiſcopis, quàm laicis univerſis, ne in patrem ſuum & judicem ſententiam proferrent iniquam, præcepit. Proceres verò & epiſcopi qui ad hoc vocati erant à Rege: in eum nihilominùs non convictum neque confeſſum, ſed privilegium eccleſiæ ſuæ & ſuam proteſtantem, ſententiam intorſerunt. Et ſic Archiepiſcopus in arcto poſitus, & opprobriis laceſſitus, omniumque epiſcoporum ſolatio deſtitutus: crucem, quam manu tenebat, in altum erexit, & à curia palàm receſſit. Sicque ſequenti nocte, villam latenter egrediens, & ab aſpectibus hominum ſe diebus ſubtrahens, & de noctibus iter expediens, poſt dies aliquot ad *Sanwici* pervenit portum, ubi in navicula fragili, in *Flandriam* eſt tranſvectus. Actus ergò in exilium Chriſti Confeſſor: à domino Papa *Alexandro Senonis* receptus eſt, & in *Pontiniacenſi* monaſterio commendatus.

Thomas *ex* Angliâ *diſcedit.*

MISSI ſunt eodem tempore nuncii à Rege *Anglorum* ad Papam *Senonis*, qui in conſiſtorio coram eo talia allegabant. Inter *Thomam Cantuarienſem* Archiepiſcopum, & Legem *Anglorum* controverſia verſabatur; de utriuſque voluntate dies præfixa eſt, ut in ea, juſticia mediante, illa controverſia terminetur. *Ad eandem diem ex præcepto regio, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & cæteri eccleſiarum Prælati convocantur: ut quanto generalior eſſet conſilii celebratio: tantò manifeſtior fieret fraudis & malitiæ denudatio. Die conſtituta, catholici principis conſpectui ſe præſentavit regni turbator in eccleſia: Qui de ſuorum meritorum qualitate non ſecurus, Dominicæ crucis armat ſe ſignaculo, tanquam ad tyranni præſentiam acceſſurus. Nec tamen Regia majeſtas offenditur; ſed cauſæ ſuæ judicium, epiſcoporum fidei committit, ut ſic ab omni ſuſpitione liberaretur. Reſtabat ut judicio epiſcopi cauſam terminarent; ut ſic diſſidentes in gratiam fœderarent, & diſſenſionis eorum materiam ſepelirent. At obviat adverſarius & objicit; quoniam coram Rege ſtare judicio, eſſet Apoſtolicæ ſedis & dignitatis diminutio: Ac ſi neſciat, quòd & ſi in illo judicio aliquantulùm derogaretur eccleſiæ dignitati; diſſimulandum eſſe pro tempore, ut pax eccleſiæ redderetur. Objicit iterum patris ſibi nomen aſcribens, quòd arrogantiam redolere videtur, quòd filii in patris damnationem minimè debuerant convenire. Sed neceſſarium erat, ut patris ſuperbiam, filiorum humilitas temperaret; ne poſt patrem in filiis, patris odium parentaret. Inſtabant autem ad hoc nuncii ſtudioſè, ut duo Legati mitterentur à Papa, qui cauſam Cantuarienſis Archiepiſcopi ac Regis, omni appellatione remota, diffinirent. Demum multis promiſſionibus Papam flectere curabant, ut conſuetudines regni *Angliæ*, & libertates, quas Rex ab avo ſuo rege *Henrico* avitas appellabat dignitates; confirmare & clementer concedere dignaretur. Sed cum reverſis Legatis, Rex in hac petitione, ſeſe cognoviſſet fuiſſe repulſum, ira vehementi incanduit; & has ſequentes literas ſingulis Angliæ vicecomitibus in hac forma direxit.

Oratio Legatorum Regis Angliæ coram Papa.

PRECIPIO *tibi, quòd ſi aliquis clericus vel laicus in balliva tua,* Romanam *curiam appellaverit, eum capias & firmiter teneas, donec voluntatem meam præcipiam. Et omnes reditus clericorum Archiepiſcopi & poſſeſſiones ſaiſias in manum meam, & omnium clericorum qui cum Archiepiſcopo ſunt, patres, matres, fratres, & ſorores, nepotes & neptes, pones per ſalvos plegios, & catalla eorum,* donec voluntatem meam inde præcipiam, & hoc Breve tecum afferas, cùm ſummonitus fueris.* Gilberto quoque *Londonenſi* Epiſcopo ſcripſit in hæc verba: *Noſti quàm malè* Thomas Cantuarienſis *Archiepiſcopus operatus eſt adverſum me & regnum meum; & quàm malè receſſerit. Et ideò mando tibi, quòd clerici ſui, qui detraxerunt honori meo, & regni, qui circa ipſum fuerunt: Poſt fugam ſuam non percipiant aliquid de reditibus ſuis, quos habuerunt in Epiſcopatu tuo; niſi per me; nec habeant aliquod auxilium vel conſilium à te.* Item Juſticiariis ſuis ſignificavit per literas ſub hac forma: *Si quis inventus fuerit ferens literas Domini Papæ vel mandatum, aut* Thomæ *Archiepiſcopi, continens interdictum Chriſtianitatis in* Anglia; *capiatur & retineatur, donec inde voluntatem meam præcipiam.* Item, *Nullus Clericus, Monachus, Canonicus, vel Converſus, vel alicujus religionis tranſfretare permittatur: Niſi habeat literas de reditu ſuo, Juſticiarii vel noſtras. Si quis aliter inventus fuerit, capiatur & retineatur. Nullus appellet ad Papam neque ad* Thomam *Archiepiſcopum, neque aliquod placitum ex eorum mandato teneatur, neque aliquod mandatum eorum in* Anglia *recipiatur: Et ſi quis tenuerit, vel receperit, vel tractaverit, capiatur & retineatur. Si Epiſcopi, Abbates, Clerici, vel Laici ſententiam interdicti tenuerint, ſine dilatione à terra ejiciantur, & tota eorum cognatio, ita quòd nihil de catallis ſuis ſecum ferant, ſed catalla eorum & poſſeſſiones in manu noſtra ſaiſiantur. Omnes Clerici, qui reditus habent in* Anglia, *ſunt ſummoniti per omnes comitatus, ut infra tres menſes præcisè ad reditus ſuos, ſicut deligunt eos & amant, in* Angliam *redeant: Et ſi ad terminum præfixum non venerint, reditus eorum in noſtra ſaiſiantur. Epiſcopi* Londonienſis *&* Norwicenſis *ſummoneantur, quòd ſint coram Juſticiariis noſtris, ad rectum faciendum, quod contra ſtatuta regni, interdixerunt*

Literæ Regis ad Vicecomites Angliæ.

Literæ ad Epiſcopum Londonenſem.

Literæ ad omnes Juſticiarios.

1165.

runt terram Hugonis *Comitis, & in ipſum ſententiam anathematis intulerunt. Denarii beati Petri colligantur, & ſervantur quouſque inde vobis Dominus Rex voluntatem ſuam præceperit.* Eccleſiam præterea *Cantuarienſem*, & omnia bona Archiepiſcopi, Rex & ſuorum confiſcari præcepit. Et quod in nullius hiſtoriæ legitur ſerie, totam ejus cognationem exilio aſcriptam addixit, ſine delectu conditionis, ſexus aut ætatis. Et cùm eccleſia Catholica, oret pro hæreticis, ſchiſmaticis, & perfidis Judæis, prohibitum eſt à Rege, ne quis Archiepiſcopum, orationum ſuffragiis adjuvaret.

Oratio Thomæ coram Papa.

BEATUS *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, Suffraganeorum ſuorum, inter tot injurias, omnium ſolatio deſtitutus: Profectus eſt ad curiam Romanam, & in præſentia Domini Papæ ſic loqui exorſus eſt. *Ad audientiam veſtram, Pater ſanctiſſime, confugio; dolens ſtatum eccleſiæ, & jura ejus in avaritiam principum diſſipari. Quapropter occurrendum credidi morbo venienti. Vocatus autem ſum coram Rege, ut de quibuſdam cuſtodiis, quas olim Cancellarius Regis exiſtens, diſpoſueram in ratiocinium, tanquam laicus computarem, qui in promotione mea ad Archiepiſcopatum à filio Regis primogenito & Juſticiario regni, ab omni ratiocinio & obligatione liber ſui epiſcopus aſſignatus. Et nunc unde mihi reſiſtendi ſuffragia ſperaveram, deſtitutus ſum. Animadverti enim dominos confratres meos epiſcopos, pro aulicorum arbitrio, in me animadvertere paratos, & cunctis incurſantibus contra me, ferè ſuffocatus, ad tuæ pietatis audientiam, quæ nec in extremis negligit, reſpiravi. Sub qua demonſtraturus aſto, me nec ibi fuiſſe judicandum, nec ab illis. Nam quid aliud hoc eſſet, niſi jura Eccleſiæ ſibi ſubtrahere? Quid aliud quàm ſpiritualia temporalibus ſubmittere? Semel hoc natum, exemplum eſſet ad multa. Sed dicunt epiſcopi: Reddenda ſunt* Cæſari, *quæ ejus ſunt. Sed ſi in pluribus obtemperandum eſt regi, in illis tamen obtemperandum non eſt, quibus efficitur ut ſit Rex. Non enim eſſent illa* Cæſaris *ſed tyranni. In quibus, etſi non pro me, pro ſeipſis epiſcopi ei reſiſtere deberent. Quæ enim hæc cauſa tanta fuit odii, ut pro me extinguendo ſeipſos extinguerent? Itaque dum ſpiritualia pro temporalibus negligunt, deficiunt in utriſque. Condeſcende ergò pater ſanctiſſime, in fugam meam & perſecutionem, & me aliquando tempore tuo reminiſcere magnum fuiſſe, & propter te injuriis laceſſitum. Utere igitur rigore tuo, coërce illos, quorum inſtinctu, nomen hujuſmodi perſecutionis obrepſit. Nec domino Regi horum aliquid imputetur, qui hujus machinationis miniſter eſt, potiùs quam repertor.*

Reſponſio Papæ

HIS auditis allegationibus, dominus Papa habita cum Cardinalibus deliberatione, *Thomæ Cantuarienſi* Archiepiſcopo tale fertur dediſſe reſponſum. *Quòd minor majorem judicare non poſſit, & præſertim eum, cui jure prælationis ſubeſſe dignoſcitur, & obedientiæ vinculo tenetur aſtrictus, tam divinæ quàm humanæ leges demonſtrant, & ſanctorum patrum ſtatutis id manifeſtiùs declaratur. Hanc ſiquidem nos, quorum intereſt errata corrigere, ſententiam ab epiſcopis & Baronibus preſumptuosè in te latam, in qua tibi jam epiſcopi dicti ac Barones, omnia mobilia tua, tam contra juris ordinem, quàm contra eccleſiaſticam conſuetudinem, abjudicârunt, præſertim cùm nulla mobilia, præterquàm de bonis eccleſiæ tuæ habueris, irritam penitùs eſſe cenſemus, & eam auctoritate Apoſtolica caſſamus: Statuentes, ut nullas in poſterum vires obtineat, vel tibi aut ſucceſſoribus tuis, ſeu eccleſiæ tuæ gubernationi commiſſæ, aliquod in poſterum valeat præjudicium generare. Caterùm ſi hii, qui in poſſeſſionibus & bonis eccleſiæ tuæ, tibi aut tuis vel violentiam vel injuriam intulerunt, legitimè commoniti vobis ablata reſtituere, & ſatisfactionem congruam exhibere noluerint, tu in eos, ſi opportunum eſſe videris, eccleſiaſticam juſticiam non differas exercere. Et nos quid inde rationabiliter feceris, ratum habebimus atque firmum. Verùm de perſona Regis ſpeciale tibi mandatum non damus, nec tamen in aliquo tibi jus pontificale, quod in conſecratione tua ſuſcepiſti, adimimus, ſed ipſum illæſum volumus conſervare.* Et his ita geſtis, *Thomas* Archepiſcopus ad Pontiniacenſe cœnobium remeavit.

Reginaldus *Archiepiſcopus* Colonienſis *in Angliam venit.*

ANNO Domini M. CLXV. *Reginaldus Colonienſis* Archiepiſcopus, qui ſchiſma *Octaviani* contra Papam foverat *Alexandrum*; venit apud *Weſtmonaſterium* ad Regem *Henricum*: accepturus in conjugem *Matildem* filiam Regis primogenitam *Henrico* duci *Saxoniæ*. Cui cum magnates *Angliæ* ſolenniter occurriſſent, *Robertus* Comes *Legeceſtriæ* & Juſticiarius Regis, illum in oſculum non recepit. Excommunicatus enim erat à Papa, & non abſolutus, unde altaria ſuper quem ille ſchiſmaticus celebravit, paſſim ſunt ſubverſa. Eodem anno, *Alienor* Regina, Regi *Anglorum Henrico* peperit filiam; quam vocavit *Johannam*. Eodem anno etiam *Godefridus* de ſancto *Aſaph*, in Baſilica ſancti *Albani* protomartyris *Anglorum* ad majus altare in Cœna Domini chriſma confecit; & oleum ſanctum, fultus auctoritate privilegiorum loci, in præſentia Abbatis *Roberti*. Eodem denique anno, *Noradinus* quidam *Turcorum* Princeps potentiſſimus, in finibus *Antiochenis*, *Hareng* caſtrum obſedit. Quo audito, *Boamundus Antiochenus* Princeps; *Reimundus* comes *Tripolitanus*; *Salamannus Ciliciæ* præſul; & *Thoros Armeniorum* Princeps, obſidionem ſolvere cupientes; ad locum accedunt; & *Noradinum* in fugam propellunt. Quem cùm temerè fugientem inſequerentur, reverſus contra noſtros ipſum inſequentes, & facta irruptione in ipſos: nobiles cepit memoratos, & eos vinculis conſtrictos, apud *Halapiam* cuſtodiæ mancipavit: caſtrum etiam quod priùs obſederat, militaribus copiis circumcingens, levi negotio ſubjugavit. Eodemque anno, terræ-motus factus eſt octavo Kalendas Februarii, in *Ely* & *Northfolc* & *Suffolc*: ita quod ſtantes proſtravit, & campanas pulſavit.

Strages Chriſtianorum in Antiochenis finibus.

ANNO

1166. *Thomas excommunicavit plurimos diſſidii autores.*

ANNO Domini M.CLXVI. Rex *Henricus* in initio Quadrageſimæ in *Normanniam* transfretavit. Quod audiens *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, de *Pontiniaco* venit *Niceliacum:* Et in die Dominicæ aſcenſionis, videntibus cunctis, qui ad diem feſtum convenerant & populo civitatis, repentè in pulpitum aſcendens, conſuetudinum, quas in regno *Anglorum* avitas appellant, obſervatores, defenſores & incentores candelis excommunicavit accenſis. Et inter cæteros nominatim *Richardum* de *Luci*, *Richardum Pictavenſem*, *Jocelinum* de *Bailul*, *Alanum* de *Nevilla*; & alios quamplures. Sed ipſi abſentes & non vocati nec convicti, ut dicebant, excommunicati; miſſis ad Archiepiſcopum Legatis, appellaverunt, & eccleſiam intraverunt. Sed non multò pòſt *Willielmus Papienſis* & *Johannes Neapolitanus* Cardinales à latere ſummi Pontificis deſtinati; apud *Muntmiral* Regem *Henricum* & *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum convocârunt. Et licèt eos in partem Regis, Archiepiſcopus inclinatores ſenſiſſet; rem tamen in judicium deduci ea ratione conceſſit, reſidentibus illis in conſiſtorio; ut ſecundùm eccleſiæ formam, tam ſibi quàm ſuis, priùs fieret plena reſtitutio ablatorum. Nec enim ſpoliatus judicium ſubire voluit, nec cogi potuit ratione. Quod cùm illi nec facere vellent nec poſſent; infecto negotio, prædictis excommunicatis priùs abſolutis, ad curiam ſunt reverſi. *Alanum* verò de *Nevilla* abſolvit *Gilebertus* epiſcopus *Londonienſis*; accepto ab eo ſacramento, quod in eundo *Hieroſolymam*, tranſiret per dominum Papam, & ejus pareret mandato. Eodem tempore *Lodowicus* Rex *Francorum* venit *Pontiniacum*; & ne quid à Rege *Anglorum* fieret in perniciem *Ciſtercienſis* ordinis; *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum, cui jam per biennium *Pontiniacenſes* monachi omnes exhibuerant humanitatem, *Senonas* ſecum duxit; & apud ſanctam *Columbam* ei per annos quatuor ſufficientiam in expenſis dedit. Per idem tempus ad ſubventionem terræ ſanctæ, de unaquaque carucata terræ totius *Angliæ*; quatuor denarii conceſſi ſunt, & collecti. Sub eiſdem diebus, quidam pravi dogmatis diſſeminatores apud *Oxoniam* tracti ſunt in judicium; præſente Rege & epiſcopis regni; quos à fide catholica devios, & in examine ſuperatos; facies cauteriata notabiles cunctis expoſuit, qui expulſi ſunt à regno. Eodem anno, *Alienor* Anglorum Regina peperit filium, & vocatus eſt *Johannes*. Eodem anno, *Robertus* Abbas eccleſiæ ſancti *Albani*, diem clauſit extremum, in feſto Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, poſtquam eccleſiam præfatam annis quatuordecim magnificè gubernaſſet. Obiit *Robertus* Lincolnienſis epiſcopus.

Litera Thomæ Archiepiſcopi ad Regem.

EODEM tempore, *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſperans ſe poſſe Regem *Henricum* humilitate vincere, hanc quæ ſequitur epiſtolam inter cæteras direxit. *Deſiderio deſideravi videre faciem veſtram, & vobiſcum loqui, multùm quidem propter me, ſed maximè propter vos, ut viſa facie mea, reduceretis ad memoriam, ſervitia, quæ dum eſſem in obſequio veſtro, exhibui vobis devotè, juxta animi mei conſcientiam: Sic me Deus adjuvet in examine ultimo, quando omnes aſtabunt ante tribunal ipſius, recepturi prout geſſerunt in corpore, ſive bonum ſive malum: Et ut moveremini ſuper me, quem oportet inter alienos vivere mendicando. Propter vos utique tribus de cauſis, tum quia Dominus meus eſtis, tum quia Rex meus, tum quia filius meus ſpiritualis. In eo quòd Dominus, debeo & offero vobis conſilium meum: Eo quòd Rex, teneor vobis ad reverentiam & commonitionem: Eo quòd Filius, ratione officii, ad caſtigationem & cohortationem. Inunguntur Reges in capite, etiam pectore & brachiis, quod ſignificat gloriam, ſanctitatem, & fortitudinem. Regibus, qui temporibus antiquis juſtificationes Dei non obſervabant, & prævaricati ſunt mandata ejus, his ſublata eſt gloria, ſanctitas & fortitudo, exemplo* Saulis *&* Salomonis. *Qui verò poſt delictum humiliaverunt ſe Domino, his Dei gratia acceſſit, ſicut* Davidi, Ezechiæ, *& aliis quàmpluribus. Audiat, ſi placeat, Dominus meus, conſilium ſervi ſui, commonitionem epiſcopi ſui, caſtigationem patris ſui, ne cum ſchiſmaticis habeat de cætero aliquam familiaritatem vel communionem nec contrahat aliquid cum eis. Memoreſque ſitis profeſſionis quam feciſtis & poſuiſtis ſcriptam ſuper altare, de ſervanda eccleſiæ Dei libertate, quando in Regem conſecrati fuiſtis. Eccleſiam etiam* Cantuarienſem, *à qua promotionem accepiſtis, in ſuum ſtatum reſtituas & dignitatem, in quibus fuit temporibus prædeceſſorum veſtrorum & noſtrorum. Alioquin pro certo ſciatis, quòd divinam ſeveritatem & ultionem ſentietis.*

EODEM anno, Suffraganei *Cantuarienſis* eccleſiæ epiſcopi, cùm audiſſent beatum *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum, conſuetudinum regni *Angliæ* iniquarum obſervatores ac defenſores, excommunicationis ſententia innodaſſe, in qua tam ipſos generaliter, quàm dominum Regem involverat, metuentes ne omnes illos, quos in genere per ſententiam ligaverat, nominatim iteratò ſpecificaret, per has ſequentes literas in vicem appellationis contra juris ordinem, proruperunt.

Appellatio Suffraganeorum.

VENERABILI *patri & domino* Thomæ *Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſuffraganei ejuſdem eccleſiæ epiſcopi, & perſonæ per eorundem diœceſes conſtitutæ, debitam ſubjectionem & obedientiam. Quoniam quorundam relatione dicimus, quod ad memoriam anxiè revocamus, vos in Dominum comminationes emiſiſſe, quum ſalutationem omittitis, quum non ad obtentum gratiæ, conſilium preceſve porrigitis, quum non amicum quid ſentitis, aſcribitis, ſed intentatis minis interdictum, aut præciſionis elogium in eum jam dicendum fore proponitis multa ſeveritate. Quod ſi quàm durè dictum eſt, tam fuerit ſeverè completum, quæ turbata ſunt, non jam ſperamus ad*

pacem

1166.

pacem redigi, ſed in perenne quoddam odium pertimeſcimus inſlammari. Inſedit altè quorundam mentibus, quòd dominus Rex vobis tam benignus extiterit, támque mente ſuſceperit, & cuncta poteſtati veſtræ adeò ſubjecerit, ut hos ſolùm beatos reputaret opinio, qui in veſtris oculis poterant complacere. Et ne gloriam veſtram mobilitas mundana poſſet concutere, vos in eis, quæ Dei ſunt voluit immobiliter radicare, ſperans ſe de cætero regnare feliciter, & de conſilio veſtro ſumma ſecuritate gaudere. Ne verò in dominum Regem & regnum ejus, ne in nos & commiſſas nobis eccleſias & parochias manum veſtram aggravare tentetis, remedium appellationis vobis popoſcimus, & qui contra metum gravaminum in facie eccleſiæ appellavimus, iteratò nunc ad Papam appellamus, per ſcriptum, & appellationis terminum, diem aſcenſionis Dominicæ aſſignamus.

THOMAS Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſuffraganeis ſuis. Fraternitatis veſtræ ſcriptum quod tamen de communi conſilio veſtro non credimus emanaſſe, nuper ſuſcepimus, cujus continentia plus habet mordacitatis quàm ſolatii: Et utinam magis emiſſum eſſet de charitatis effectu, quàm de obedientia voluntatis. Dico vobis, ſalva pace veſtra, quod multo tempore ſilui, expectans ſi fortè inſpiraret vobis Deus ut reſumeretis vires, qui converſi eſtis retrorſum in die belli, ſi ſaltem aliquis ex vobis aſcenderet exadversò, & opponere ſe murum pro domo Iſrael, & certamen iniret contra eos, qui non ceſſant quotidiè exprobrare agmini Dei: ſed non eſt qui aſcendit. Judicet ergò Deus inter me & vos, & requirat eccleſiæ confuſionem de manibus veſtris, quam, velit nolit mundus, neceſſe eſt in verbo Dei ſtare, in quo fundata eſt, donec venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad patrem. Exciditne à memoria veſtra quid ageretur mecum & cum eccleſia Dei apud Northamptonam, cùm iterum judicaretur Chriſtus in perſona mea ante tribunal præſidis, cum arctaretur præſul Cantuarienſis ob injurias ſibi & eccleſiæ Dei paſſim illatas, & cogeretur Romana audientia? Quis unquam vidit vel audivit Cantuarienſem Archiepiſcopum judicari, condemnari ad fide-juſſionem in curia Regis, & à ſuis præcipuè ſuffraganeis? Sed nobis recedentibus, ut dicitis, turbata ſunt omnia, ſibi imputet qui occaſionem dedit: quia facientis proculdubio culpa eſt & non recedentis, perſequentis & non injurias declinantis. Nobis adhuc in curia expectantibus, ſi nobis aliquid fortè opponeretur, interdictum eſt Officialibus noſtris, ne nobis in temporalibus vel in modico obedirent, vel citra mandatum Regis, vel nobis vel noſtris aliquid miniſtrarent. Proſcripti ſunt clerici noſtri cum Laicis, viri cum mulieribus, mulieres cum parvulis lactantibus. Addicta ſunt fiſco bona eccleſiæ, & patrimonium Crucifixi. Pars pecuniæ converſa eſt in uſus Regios, pars in uſus epiſcopi Londonienſis. Appellatis, ut dicitis, ſed hac appellatione auctoritatem noſtram ſuſpendere non poteſtis, ne in vos aut eccleſias veſtras animadvertamus, ſi delicti enormitas id requirat. Scimus enim quod omnis appellans, aut ſuo nomine appellat, aut alieno. Si ſuo, aut à gravamine quod ei infertur vel quod ſibi timet inferri. Certum tenemus per graciam Dei, quòd nullum gravamen adhuc vobis per nos illatum eſt, unde debeatis ad appellationis remedium convolare. Si contra metum gravaminum appellaſtis, ne quid de cætero contra vos ſtatuam, vel eccleſias veſtras, non eſt iſta talis appellatio, quod poſſit vel debeat ſuſpendere auctoritatem meam aut poteſtatem, quam in vos habemus & eccleſias veſtras. Si domini Regis nomine appellaſtis, noſſe debuerat diſcretio veſtra, quod introductæ ſunt appellationes ad propulſandam injuriam & non ad inferendam, ad ſublevandos oppreſſos, & non ampliùs opprimendos. Si verò qui ſubvertit eccleſiæ libertates, qui bona ejus occupat & invadit, appellans non auditur, multò minùs pro eo appellantes. Non ideò hoc dicimus, quod circa domini Regis perſonam vel regnum ejus, vel circa perſonas & eccleſias veſtras quicquam inordinatè fecerimus, vel facturi ſumus. Unde credebamus nos pro longa patientia magis debere culpari, quàm de ſeveritatis rigore condemnari. Inde eſt, quod breviter vobis dicimus, & conſtanter affirmamus, Dominum noſtrum Regem nullatenùs injuſtè fore gravatum, ſi adverſus eum utpotè à domino Papa & à nobis ſæpiſſimè ac legitimè conventum & ſatisfacere nolentem, proceſſerit ſeveritas & cenſura. In eiſdem ſanè literis Giliberto Londonienſi epiſcopo, in virtute obedientiæ præcepit Archiepiſcopus, Quatenus infra dies quadraginta poſt literarum ſuſceptionem, de eccleſiis ac beneficiis clericorum ejus, qui cum eo & pro eo proſcripti fuerunt à regno, & quæ in cuſtodia ejuſdem epiſcopi ſunt per mandatum Regis, quicquid inde percepit, vel in uſus eccleſiæ ſuæ converſum eſt, remotâ omni occaſione & dilatione, infra tempus prænominatum in integrum ſibi reſtituere non omittat. Epiſcopus autem cùm hujus literas ſuſcepiſſet, Regi Anglorum ſcripſit ſub hac forma.

Reſponſio Thomæ Archiepiſcopi ad ſuorum ſuffraganeorum appellationem.

PLACUIT excellentiæ veſtræ, quòd eccleſiæ clericorum Archiepiſcopi, qui in epiſcopatu Londonienſi, ſive in Cantuarienſi exiſtunt, ſub noſtra eſſent cuſtodia conſtitutæ, quod onus nos merâ (Deus ſcit) charitate ſuſcepimus: ut ſi fortè eoſdem clericos contingeret ad gratiam veſtram redire, indemnes eis conſervaremus. Archiepiſcopus autem in inſidiis ſedens, adverſus meam ſpecialiter perſonam, occaſiones quærit & maximè mihi nocere nititur, unde aliis prodeſſe ſtudebam. Qui directis literis, in virtute obedientiæ præcepit, ut quicquid ex eis ſuſcepiſſem, ſibi ſuiſque clericis reſtituere non omitterem. Hinc eſt quòd veſtræ ſublimitati ſupplico, ut cuſtodiam eccleſiarum prædictarum alii, prout expedire videritis, committatis. Pecunia verò, quam inde recepi ad ſummam centum & octo librarum, & quatuordecim ſolidorum, ſexque denariorum ſe extendit, quam peto liceat mihi penes aliquem ſub tuto reponere, donec Dominus judicaverit, ad quem res iſta exitum debeat pervenire.

Epiſtola epiſcopi Londonenſis ad Regem.

1168.

Literæ Papæ ad Thomam *Archiepiſcopum.*

ANNO Domini M. CLXVII. *Alexander* Papa, *Thomæ* Cantuarienſi Archiepiſcopo ſcripſit in hæc verba. *Prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ* Paſchalis *&* Eugenii Romanorum *pontificum veſtigiis inhærentes, tam tibi, quàm tuis legitimis ſucceſſoribus* Cantuarienſis *eccleſiæ Primatum ita plenè concedimus, ſicut à* Lanfranco *&* Anſelmo *aliiſque ipſorum prædeceſſoribus, conſtat fuiſſe poſſeſſum. Quicquid etiam dignitatis ſive poteſtatis eidem ſanctæ* Cantuarienſi *eccleſiæ pertinere dignoſcitur, præſentis ſcripti paginâ confirmamus, ſicut à temporibus beati* Auguſtini *prædeceſſores tuos habuiſſe Apoſtolicæ ſedis authoritate, conſtat.* Eodem anno, *Robertus Lincolnienſis* epiſcopus, vir magnæ humilitatis, migravit ad Dominum, ſeptimo Kalendas Februarii menſis. Eodem anno, *Simon* Prior eccleſiæ ſancti *Albani*, die Dominicæ aſcenſionis in Abbatem ejuſdem eccleſiæ electus, à *Gileberto Londonienſi* epiſcopo, ante majus altare illius cœnobii eſt ſolenniter conſecratus. Eodem itaque tempore effecti ſunt diſcordes Reges *Francorum* & *Anglorum*: unde *Calvus mons Gizortio* vicinus, ſuccenſus eſt à *Normannis*, capti ſunt milites multi & cives: ſed in illius rei ultionem Rex *Francorum* villam *Andeliaci* combuſſit. Et ipſa die reverſus in *Franciam*, pluſquam mille de ſuis in itinere amiſit. Et non multò pòſt in pago *Perticenſi* milites multi de gente *Francorum* capti ſunt à *Normannis*.

Diſcordia inter Regem Francorum *&* Anglorum.

ANNO Domini M. CLXVIII. Rex *Anglorum Henricus* motus contra Papam *Alexandrum* ex hoc quòd *Thomæ* Cantuarienſi Archiepiſcopo primatum regni *Angliæ* conceſſiſſet, *Reginaldo* ſchiſmatico *Colonienſi* Archiepiſcopo, & hoſti Papæ publico, literas in hæc verba direxit. *Diu deſideravi juſtam habere occaſionem recedendi à Papa* Alexandro, *& à perfidis Cardinalibus ejus, qui proditorem meum* Thomam *Cantuarienſem Archiepiſcopum contra me manutenere præſumunt. Unde cum conſilio Baronum meorum & cleri, magnos viros de regno meo, Archiepiſcopum ſcilicet* Eboracenſem, *epiſcopum* Londonenſem, *Archidiaconum* Pictavenſem, Richardum *de* Luci, Johannem *de* Oxonia Romam *miſſurus ſum: Qui publicè denuntiabunt, & manifeſtè ex parte mea, & totius regni* Angliæ *& omnium aliarum terrarum quas habeo, proponent Papæ* Alexandro *& Cardinalibus ejus, ne ulteriùs proditorem meum manuteneant, ſed liberent me ab eo, ut alium poſſim cum conſilio cleri inſtituere in eccleſia* Cantuarienſi. *Denuntiabunt etiam, quòd quicquid* Thomas *fecit, in irritum revocent. Hoc etiam poſtulabunt, ut coram eis Papa jurari faciat publicè, quòd ipſe & ſucceſſores ſui, & mihi & omnibus meis Regias conſuetudines* Henrici *Regis avi mei, inconcuſſas & inviolatas, quantum ad ſe, in perpetuum conſervabunt. Quòd ſi fortè alicui petitionum mearum contradicere voluerint, neque ego, neque Barones mei, neque clerus meus, aliquam eis ulteriùs ſervabimus obedientiam: immò ipſum, Papam & omnes ſuos manifeſtè impugnabimus, & quicunque in terra mea inventus fuerit qui Papæ poſthæc adhærere voluerit, expelletur à regno. Eapropter rogamus vos, ut chariſſimum amicum, quatenus fratrem* Ernaldum *hoſpitaliarium, omni occaſione remota, citò ad nos mittatis, qui ex parte Imperatoris & veſtra prædictis nunciis meis ducatum præbeat, eundo & redeundo per terram Imperatoris. Valete.* Dictum eſt autem à clericis & notariis domini Regis, quòd ad ejus petitionem has literas dictaverat *Gilibertus* Londonenſis epiſcopus in perniciem domini Papæ & *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi & eccleſiæ *Anglicanæ*: Unde contigit, quòd nocte quadam, dum idem *Gilebertus* jaceret in ſtrato ſuo, & ſtuderet circa confuſionem Archiepiſcopi, puram conſcientiam habentis, & tenorem literarum nihil præter iniquitatem continentium, audivit vocem valde terribilem deſuper emiſſam, ſibi apertè dicentem: O *Gileberte Foliot*, dum revolvis tot & tot, Deus tuus eſt *Aſtaroth*.

Epiſtola Henrici Regis ad Archiepiſcopum Colonienſem.

EODEM tempore, Dominus Papa *Alexander* ſcripſit *Gileberto* Londonenſi epiſcopo pro negotio *Cantuarienſis* eccleſiæ in hæc verba. *A memoria tua non credimus excidiſſe, qualiter chariſſimus in Chriſto filius veſter* Henricus *illuſtris* Rex Anglorum, *multa à nobis olim precum inſtantia requiſivit, ut ab* Herefordenſi *eccleſia, cui præminebas, de te in* Londonienſem *eccleſiam tranſlationem fieri pateremur. Ut autem ſuæ petitioni noſtrum impertiremur aſſenſum, neceſſitatem imminentem pariter & utilitatem proponebat, aſſerens quod civitas illa quaſi regia ſedes exiſteret: Et quia te religionis & diſcretionis virtute crederet præminere, conſilio tuo, ſuper his quæ ſaluti animarum expedirent, & ad regni augmentum pariter & conſervationem ſpectarent, temporaliter & ſpiritualiter uti volebat, & ideò magis proximum te deſiderabat habere. Unde attendentes quàm utiliter prudentia & religio tua ſaluti ejuſdem regni & Regis poſſet conſulere, & quanta inde valeat commoditas provenire, libenter ſuis precibus adquievimus, & te conceſſimus in* Londonienſi *Eccleſia promoveri. Unde quantò benigniùs ejus beneplacitum, & voluntatem complevimus & tuæ pariter exaltationi intendimus & honori, tantò probitas tua circa incrementum & conſervationem Eccleſiæ ampliùs deberet eniti, & attentiùs circa hoc laborare, ut fructum, quem idem Rex nobis propoſuit, & nos ſperamus, exhibitione operis & ipſa rerum experientia cognoſcamus. Quomodo autem Rex prædictus à devotione Eccleſiæ animum avertit, & jam in multis ſicut appellationibus & viſitationibus veſtris communicando etiam excommunicatis nominatim & ſchiſmaticis, & confœderando ſe eis, & in eo etiam, quod venerabilem fratrem noſtrum* Thomam Cantuarienſem *Archiepiſcopum de regno ſuo exire coëgit, quaſi perſequi & impugnare videtur, te non credimus ignorare. Quapropter ſolicitudinem tuam rogamus, monemus, atque mandamus, quatenus adjuncto tibi venerabili fratri noſtro* R. Herefordenſi *epiſcopo, eundem Regem ſollicitè commoneas, & ſtudioſa exhortatione inducas, ut hujus propoſito prorſus relicto, in eo quod exceſſit, ſicut dignum eſt, ſatisfaciat, à pravis actibus omninò*

Literæ ad Epiſcopum Londonenſem Gilebertum.

deſiſtat

1168.

deſiſtat, Creatorem ſuum puro corde diligat, matrem ſuam Romanam eccleſiam ſolita veneratione reſpiciat, nec eam viſitare volentibus inhibeat, appellationes ad eam factas nullo modo impediat, & prædictum noſtrum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, ad ſedem ſuam benignius revocans & reducens in beati Petri & noſtra reverentia firmus immobiliſque conſiſtat, & ad opera miſericordiæ ac pietatis intendat, ut ille, per quem Reges regnant, temporale ſibi regnum conſervet in terris, & ſempiternum largiatur in cœlis. Et niſi iſta maturiùs correxerit, timendum ſibi erit, ne & Deus ei pro hiis omnibus graviter iraſcatur, & in eum & in ſuos debeat graviùs vindicare, & nos ipſi id non poterimus diutiùs in patientia ſuſtinere. Nec iſta pro nobis, quantum pro eo proponimus, cujus gloriam & honorem totis affectibus exoptamus.

Relatio Epiſcopi Londonenſis.

MANDATUM veſtrum, pater in Chriſto chariſſime, debita veneratione ſuſcipientes, ilicò filium veſtrum chariſſimum illuſtrem Anglorum Regem adivimus, & adjuncto nobis venerabili fratre noſtro R. Herefordenſi Epiſcopo, juxta veſtri formam mandati, diligenter convenimus: Cui ſingula, quæ veſtris nobis expreſſa ſunt literis ante oculos ponentes, ipſum obſecrando, & quantum Regiam decebat majeſtatem, arguendo, conſtanter & inſtanter hortati ſumus, ut ſibi ſatisfaceret, & ſi à rationis tramite deviaverat, ad viam veritatis & juſtitiæ redire, noſtra per nos revocatus admonitione non tardaret, & ut à patre piè commonitus, à pravis actibus omninò deſiſteret, Deum puro corde diligeret, matrem ſuam ſanctam Romanam Eccleſiam ſolita veneratione reſpiceret, nec eam viſitare volentibus inhiberet. Appellationes ad eam factas non impediret, & patrem noſtrum dominum Cantuarienſem Archiepiſcopum benignè revocans & reducens in beati Petri & veſtra reverentia firmus immobiliſque perſiſteret, & pietatis intendens operibus, Eccleſias & eccleſiaſticas perſonas non gravaret, nec per ſe, nec per alium gravari permitteret; ut ille, per quem reges regnant, temporale ſibi regnum conſervaret in terris, & æternum ſibi largiretur in cœlis. Alioquin ſi monitis ſalubribus non adquieſceret, ſanctitas veſtra, quæ huc uſque patienter ſuſtinuit, ulteriùs in patientia ſuſtinere non poſſet. Ipſe verò correctionem noſtram multa gratiarum actione ſuſcipiens, multáque animi modeſtia conſequenter ad ſingula reſpondit. In primis aſſerens, mente ſua à vobis ſe nullatenùs avertiſſe, nec id unquam mentis propoſito concepiſſe, quin dum paternam ſibi gratiam exhibueritis, vos ut patrem diligat, & ſanctam Romanam eccleſiam veneretur & foveat, & ſacris juſſionibus veſtris (ſalva ſibi ſua regnique ſui dignitate) humiliter attendat & obediat. Quòd ſi vos aliquandiu non reſpexit ſolita reverentia, hanc hujus rei cauſam aſſerit eſſe, quòd cùm vobis in neceſſitate, toto corde, tota mente, totis viribus aſtiterit, ſibi poſtmodùm in neceſſitate, per nuncios recurrenti ad vos, dignè pro meritis, veſtra ſanctitas non reſpondit: ſed in omni ferè petitione ſua ſe repulſam ſuſtinuiſſe conqueritur & erubeſcit. De paterna confiſus gratia, qui filium dolentem exaudit, vultus ſperans & expectans lætiores, in beati Petri & veſtra (ut dictum eſt) fidelitate, immobili conſtantia perſeverat. Id eſt quod Sanctitatem veſtram viſitare volentem, nullum prorſus impediet, ſed nec (ut aſſerit) hactenus impedivit. In appellationibus, ex antiqua regni ſui conſuetudine, id ſibi juris vendicat & honores, ut ob civilem cauſam nullus clericorum regni ſui, niſi anteà ſua auctoritate & mandato jus ſuum obtinere nequeat ad te appellare queat. Quod ſi nec ſic obtinuerit, excellentiam veſtram, ipſo in nullo reclamante, cum volet quilibet appellabit. In quo, ſi juri veſtro vel honori præjudicatur in aliquo, id ſe totius eccleſiæ regni ſui Concilio correcturum in proximo, juvante Domino, pollicetur. Imperatorem illum, & ſi ſchiſmaticum noverit, à vobis tamen excommunicatum eſſe, uſque hodiè non reſcivit. Quod ſi denunciatione veſtra reſciverit, ſi fœdus illicitum cum ipſo vel quolibet alio iniit, & hoc eccleſiæ regni ſui judicio, ſimul in Concilio ſe correcturum promittit. Patrem noſtrum Cantuarienſem Archiepiſcopum à regno ſuo ſe nequaquam expuliſſe aſſerit: unde ſicut ultroneus receſſit, ſic ad eccleſiam ſuam, cum ſibi ſederit animo, plena pace reverti ſibi liberum erit, dum tamen in ſatisfaciendo ſibi ſuper hiis unde conqueritur, Regias ſibi in quas juratus eſt. dignitates, velit integrè conſervare. Siqua verò eccleſiaſtica perſona, vel eccleſia ab ipſo vel à ſuis ſe gravatam oſtenderit, ſatisfactioni plenæ totius eccleſiæ judicio paratus erit. Hæc à domino noſtro Rege in reſponſis accepimus, qui cauſam ſuam plurimùm ſibi juſtificare videretur, cùm in omnibus, quæ dicta ſunt, eccleſiæ regni ſui judicio, ſe pariturum promittat. Unde veſtræ ſupplicandum exiſtimamus excellentiæ, quatenus illud præ oculis habentes, Calamum quaſſatum non conteres, linum fumigans non extingues, zelum illum ſanctum, qui ad ulciſcendam omnem eccleſiæ Dei injuriam ſuccenſus eſt, ſi placet, ad tempus intra fines modeſtiæ cohibeatis, ne vel interdicti ſententiam, vel ultimum illud præciſionis elogium proferendo, eccleſias innumeras ſubverti miſerè doleatis, & tam Regem ipſum, quàm innumeros cum eo populos, à veſtra (quod abſit) obedientia irrevocabiliter avertatis. Sanguis Regius tum ſe demum permittit vinci, cum vicerit, nec verecundatur cedere cum ſuperavit. Inſipienter attamen in charitate non ficta ſic loquimur: ſi hujus rei finis extiterit, ut amiſſis omnibus, dominus Cantuarienſis exilium juge ſuſtineat, & veſtris (quod abſit) mandatis ulteriùs Anglia non obediat, fuiſſet ſatiùs patienter ad tempus ſuſtinuiſſe, quàm tanto ſeveritatis zelo deſerviiſſe. Quid enim quod pluris eſt nobis, ſi ab obedientia veſtra perſecutio ſeparare non poterit? Non deerit tamen qui genua curvet ante Baal, & de manu Idoli pallium Cantuarienſe, non habito religionis delecto, ſuſcipiat: nec deerunt qui ſedes noſtras occupantes, & cathedris noſtris inſidentes ipſi tota mentis devotione obediant. Jam multi prognoſticant ad talia, optantes ut veniant ſcandala, & directa ponantur in curva. Unde pater ſanctiſſime, non propria plangimus aut ploramus

N 2 incom-

1169. *incommoda : Niſi enim his malis celeriùs occurratis, ſecundam eccleſiæ Dei ſubverſionem pertimeſcimus : ita ut ob vitæ tædium, optemus periiſſe diem in qua nati ſumus.* Eodem anno, *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *Alanum* de *Nevilla* excommunicavit, quia *Willielmum capellanum ſuum vinculis tenuit irretitum.* Eodem utique tempore *Conanus* minoris *Britanniæ* Comes, dum in fata concederet, ex ſorore Regis *Scotorum Conſtantia* nomine, filiam reliquit hæredem, quam Rex *Anglorum Henricus Gauſrido* filio ſuo uxorem accepit, & pacis ſtatuendæ paſſim per *Britanniam* ſtudioſus fuit, animo cleri terræ illius ſibi conciliato & populi.

Literæ Papæ ad Regem Henricum.

ANNO Domini M. CLXIX. Papa *Alexander* Regi *Anglorum* pro negotio *Cantuarienſis* eccleſiæ ſcripſit in hæc verba. *Quàm paternè & quàm benignè Regiam ſæpius excellentiam convenerimus, & per literas ac nuncios frequentiùs exhortati fuerimus, ut venerabilem fratrem noſtrum* Thomam Cantuarienſem *Archiepiſcopum tibi reconciliare deberes, & ſibi & ſuis eccleſias cum cæteris ablatis reſtituere, ſublimitatis tuæ prudentia non ignorat, cùm id toti ferè Chriſtianitati publicum & manifeſtum exiſtat. Unde quoniam in hoc hucuſque minimè proficere potuimus, nec animi tui motum blandis ac levibus emollire, triſtes efficimur & dolentes, & nos ſæpè hac fiducia noſtra fruſtrari dolemus : præſertim cum te, ſicut chariſſimum filium, ſinceriùs in Domino diligamus, cui in hoc grave periculum imminere videtur. Et quoniam ſcriptum eſt :* Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum : *Duritiam tuam ; ſicut hactenus, contra juſtitiam & ſalutem veſtram non duximus ulteriùs ſupportandam, nec præfato Archiepiſcopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii ſui debitum liberè exequatur : & ſuam & eccleſiæ ſibi commiſſæ injuriam eccleſiaſticæ ſeveritatis gladio, ulciſcatur.* Item Archiepiſcopo *Cantuarienſi* idem Papa literas direxit ſub hac forma. *Regem Anglorum diutiùs in patientia & benignitate expectavimus, & blandis dulcibúſque verbis, & interdum duris & aſperrimis, ut ad ſemetipſum rediret ſæpè monuimus. Sed ſi tibi & eccleſiæ tuæ poſſeſſiones & honores ablatos non reſtituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus, ut in perſonas & eccleſias, quæ ad tuam pertinent juriſdictionem, excepta Regis perſona, uxoriſque ejus, & filiorum ſuorum, eccleſiaſticam juſticiam exerceatis, nullius appellationis obſtaculo prohibente : Providentia tamen & circumſpectione adhibita, quam modeſtia ſacerdotalis requirit.*

Literæ Papæ ad Thomam *Archiepiſcopum.*

Eodem tempore *Gilebertus Londonienſis* epiſcopus, dominica prima Quadrageſimæ, ad declinandam ſententiam *Thomæ Cantuarienſis* Archiepiſcopi, convocato clero civitatis & populo, in eccleſia ſancti *Pauli*, *Romanæ* ſedis audientiam appellavit. Fuerat enim ſæpè ab eodem Archiepiſcopo commonitus, ut clericis ſuis eccleſias & beneficia, quæ in manu ſua, ex traditione Regis tenebat, reſtitueret cum bonis inde perceptis: Sed quoniam in his & in aliis præceptis canonicis inobediens perſeveravit, Archiepiſcopus ſuper appellatione ſua minimè certioratus, in die Palmarum, ipſum ut Regiis iniquis conſuetudinibus faventem, apud Claramvallem ſolenniter excommunicavit, & literas ei ſequentes direxit.

Excommunicatur Epiſcopus Londonenſis.

THOMAS *Dei gratia Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis legatus,* Gileberto Londonenſi *epiſcopo, utinàm verò fratri, declinare à malo & facere bonum. Exceſſus veſtros dum licuit ſupportavimus, & utinam manſuetudo patientiæ noſtræ, quæ nobis ſupra modum damnoſa extitit, in totius eccleſiæ provinciam non redundet. Sed quoniam patientia noſtra ſemper abuſi eſtis, neque dominum Papam, neque nos in verbo ſalutis veſtræ voluiſtis audire : ſed obduratio veſtra ſemper in deteriora excrevit, vos, urgente neceſſitate, officio, ratione & jure ad perſuadente, ex juſtis & manifeſtis cauſis anathematis ſententiam percellentes, excommunicavimus, & à corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, donec condignè ſatisfaciatis, amputavimus. Præcipimus ergò in virtute obedientiæ & in periculo ſalutis, dignitatis & ordinis, quatenus prout eccleſiæ forma præſcribit, ab omnium communione fidelium abſtineatis, ne veſtra participatio Dominicum gregem contaminet ad ruinam, qui veſtra doctrina erudiendus, & exemplis reformandus erat ad vitam.* Epiſcopus verò *Londonenſis*, poſt appellationem, ſententiam in ipſum latam, & mandatum Archiepiſcopi humiliter præferens, ab ingreſſu eccleſiæ abſtinuit patienter. Archiepiſcopus verò Decano & clero *Londonenſi* eccleſiæ literas dirigens, præcepit in virtute obedientiæ, ut à communione ſui epiſcopi penitùs abſtinerent. Eodem anno *Alienor* filia Regis *Angliæ* nupſit *Aldeſonſo* Regi *Caſtellæ*.

Literæ Regis ad Epiſcopum Londonenſem.

PER idem tempus, cum rumor de excommunicatione *Gileberti Londonenſis* epiſcopi, ad aures Regis *Anglorum*, eodem epiſcopo illi ſignificante, perveniſſet, ſcripſit ei literas conſolatorias in hæc verba. *Audivi gravamen quod ille* Thomas *proditor & adverſarius meus intulit in te & in alias perſonas regni mei, quod non minùs ægrè fero de perſona tua, quàm ſi in meam propriam perſonam virus ſuum evomuiſſet. Et ideò pro certo ſcias, quòd ego omnem operam dabo per dominum Papam & per Regem* Francorum, *& per omnes amicos meos, quod de cætero non poterit nobis, nec regno noſtro nocere. Unde volo & conſulo, quòd tu interim nullo modo in animo tuo turberis, pro certo ſciens, quòd ſi* Romam *adire volueris, omnia neceſſaria ad viam de meo tibi honorabiliter & ſufficienter te inventurum.*

Duo Legati diſſidii quod erat inter Regem & Archiepiſcopum, componendi causâ à Papa mittuntur.

EODEM anno, miſſi ſunt duo Legati à latere ſummi pontificis, *Vivianus* & *Gratianus*, ut pacem inter Regem *Angliæ* & Archiepiſcopum *Cantuarienſem* reformarent : ſed quorum erat poteſtas æqualis, eos varius disjungebat affectus, nec finis potuit invenire concordes, qui ab initio vota ſuſceperant tam diverſa. Sed ſicut penes Regem *Gratianus* gratiam non

invenit,

invenit, ſic nec apud Archiepiſcopum *Vinianus*. Cum igitur de pace tractaturi, in *Normannia* apud *Bajocas* ſe Regis & Archiepiſcopi conſpectibus præſentarent, & poſt tractatus 1169. immenſos pacem eſſe initam ab omnibus crederetur, literas illis direxit *Willielmus Senonenſis* Archiepiſcopus, in quibus continebatur, ne ſine ipſius conſcientia, ſicut à D. Papa in mandatis acceperant, in reconciliatione procederent facienda. Sic duo legati, infecto negotio, à Regis curia receſſerunt. Noluit enim Rex cum Archiepiſcopo aliqua ratione componere, niſi ſalvis ſibi conſuetudinibus iniquis regni ſui & dignitatibus, quod etiam ipſis legatis quaſi nefas videbatur.

EODEM anno, *Gilebertus Londonenſis* epiſcopus transfretavit, ſuam domino Papæ exhibiturus præſentiam, & cauſas appellationis redditurus. Quo veniente ad Regem *Anglorum* in *Normanniam*, tractare cœperunt communiter, quomodo beatum *Thomam Cantuarienſem* Archiepiſcopum dolo circumvenirent, & cauſam ejus juſtiſſimam in conſpectu ſummi pontificis denigrarent. Tandem in hoc conſenſerunt, ut Rex *Romam* mitteret ſolennes nuncios cum literis ipſius, in quibus expreſsè Domino Papæ denunciaret, quod niſi ſuperbiam *Thomæ Cantuarienſis* Archiepiſcopi ſeveritatis pede contereret, ipſe & omnes Barones *Angliæ* cum viris eccleſiaſticis, ab ejus obedientia recederent. Literarum autem tenor hic erat, quas domino Papæ tranſmiſit. *Veſtræ Pater ſatis innoteſcit ſerenitati, quanta me & terram meam affligit moleſtia, quantis me vexaverit injuriis,* Thomas *ille adverſarius meus, cùm, teſte conſcientia, nihil meruerim, nil geſſerim tanta contumelia dignum. Nunc autem innumeris præcedentibus, novam adjecit injuriam, quum affligere non deſinit innocentem. Veſtra ſiquidem fultus auctoritate (ut aſſerit) devotos & fideles eccleſiæ* Romanæ *filios* Londonienſem, & Sareſberienſem *Epiſcopos, cum quibuſdam familiaribus meis, anathematis ſententia innodavit, nullam adverſus hos habens rationabilem cauſam. Hoc autem quàm ſit mihi intolerabile, quàmque famæ meæ & veſtræ generet læſionem, veſtræ credo non incognitum prudentiæ. Videtur mihi etiam, quòd me quaſi derelictum projecerit paternitas veſtra, cum ad ignominiæ meæ augmentum, flagitioſum in me graſſari permittit inimicum, nec reprimit injuriarum vehementiam paternæ correctionis moderatio. Veſtram igitur obſecro, ſuppliciter & adjuro (ut juſtum eſt) celſitudinem, ut quem filio debetis, operum exhibitione monſtretis affectum, & illatam mihi & perſonis meis & terræ meæ injuriam, abſque tardatione emendare dignemini, & quicquid adverſarius meus contra juris ordinem contra me & perſonas regni, clericos & laicos ſtatuit, irritum habeatis & vacuum. Petitionibus enim, quas paternitati veſtræ porrigimus, aſſenſum de jure præbere tenemini, maximè cum petitionibus veſtris, quas mihi nuncii veſtri* Vinianus *ſcilicet &* Gratianus *proponebant, quatenus ſæpè fato Archiepiſcopo* Cantuarienſi *Archiepiſcopatum ſuum & amorem noſtram redderemus, nos propoſito honore noſtro, conceſſimus coram ipſis legatis & octo Archiepiſcopis & Epiſcopis & Abbatibus multis, licèt ille abſque conſcientia noſtra, & coactione aliqua, à regno exierit, ut benè & in pace rediret, & omnes poſſeſſiones ſuas haberet, ſicut habuit quando à regno exivit, & omnes qui cum eo vel pro eo exiêrunt, ſalvis dignitatibus regni noſtri. Serenitatem igitur veſtram obnixè rogamus, quatenus attentè conſideretis honorem & utilitatem, quam vobis & curiæ veſtræ contulimus, & in futurum, niſi per vos ſteterit, conferemus, & ſic rem hanc ita temperare velitis, ne illius perfidi proditoris noſtri malitioſæ blanditiæ, ſimplicitatem noſtram circumveniant: Sed juxta petitionem noſtram eos, qui excommunicati ſunt abſolvatis, & ne in alios venenum excommunicationis effundere valeat, provideatis. Ne ſi minùs in hac juſta petitione exauditi fuerimus, tanquam de benevolentia veſtra deſperantes, aliter ſecuritati noſtræ proſpicere compellamur. Et quoniam ſingula negotia noſtra difficilè ſub ſcripto comprehendentur, mittimus ad pedes paternitatis veſtræ clericos noſtros familiares* R. *Archidiaconum* Saleſberienſem, & R. Barre, *qui pleniùs vobis cuncta quæ geſta ſunt, & alia negotia noſtra, exponent.*

Litera Henrici Regis ad Papam.

NUNCII igitur Regis ad *Romanam* pervenientes curiam, literas ejus domino Papæ cum aliis negotiis ſibi impoſitis oſtenderunt, donariis ſimul & blandis ſermonibus ſummoperè ſtudentes ad favorem Regium illius animum inclinare. Sed quid ibi egerint nuncii, literis Apoſtolicis, quas viciſſim beato *Thomæ Cantuarienſi* Archiepiſcopo direxit, continetur expreſſum. In primis literis Papa eidem ita ſcribit, *Novit induſtria tua, quàm ferventem diſpoſitionem circa regni ſui gubernationem, chariſſimus in Chriſto filius noſter* Henricus, *illuſtris Rex* Anglorum *impendat, & eandem ut firmior habeatur, vult auctoritate* Romanæ *eccleſiæ roborari, petens ut antiquas regni ſui conſuetudines, & dignitates conſervemus illæſas. Item cum legationis officium totius* Angliæ *poſtulaſſet inſtantiùs,* Eboracenſi *Archiepiſcopo indulgeri, penſantes tempora periculoſa, legationis literas præfato Archiepiſcopo concedendas eidem Regi conceſſimus, licèt antequàm inclinaremur ad conſenſum, nuncii ejus nobis in verbo veritatis promiſerunt, & ſuper hoc juramentum obtulerunt, quòd nunquam ſine voluntate veſtra literæ* Eboracenſi *Archiepiſcopo redderentur.* In aliis autem literis ſuis idem Papa dedit in mandatis Archiepiſcopo memorato, in virtute præcipiens obedientiæ, ne in ipſum Regem aut regnum ejus, vel perſonas regni, interdicti ſeu excommunicationis vel ſuſpenſionis ſententiam promulgaret, niſi idem Rex in ſua pertinacia perſeverans, ante initium quadrageſimæ ſibi gratiam ſuam non redderet, & bona omnia ſibi & ſuis reſtitueret, pro animæ ſuæ ſalute & regni ſui, ſimiliter & hæredum ſuorum perpetua tranquillitate.

Papæ Litera ad Thomam Archiepiſcopum.

1169.

Literæ Papæ ad Soldanum Yconii.

DIEBUS autem ſub eiſdem, dominus Papa hanc elegantem epiſtolam miſit Soldano *Yconii*, proponenti Baptiſmi ſacramentum ſuſcipere, & in lege Chriſtiana inſtrui cupienti. *Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei* Soldano Yconii, *veritatem agnoſcere, & agnitam cuſtodire. Ex literis tuis & nunciorum fideli relatione cognovimus, quòd in votis habeas ad* Chriſtum *converti. Cùmque jam receperis, ut audivimus, Pentateuchum* Moyſis, *Prophetiam* Eſaiæ & Hieremiæ, Pauli *epiſtolas, atque* Johannis *Evangelium &* Matthæi, *poſtulas tibi mitti virum aliquem orthodoxum, per quem in lege* Chriſti, *quaſi vice noſtra pleniùs inſtruaris. Nos autem petitioni tuæ plurimùm in Deo commendabili grato occurrentes aſſenſu, tales excellentiæ tuæ procurabimus deſtinare, qui apud te in doctrina ſana, & ſalutaribus monitis vices Apoſtolicæ auctoritatis ſuppleant. Quorum etiam mores & merita ab honeſtate & munditia eruditionis evangelicæ, non diſcordent. Quandam verò noſtræ fidei ſeriem & tenorem literis tibi ſupplicas aperiri: Nos tuis congratulantes deſideriis, illam ſub quodam compendio & quaſi digito tenus intimamus. Illud igitur piè credas & fideliter teneas, quia unus Deus eſt, ſic tamen ut in aſſignatione deitatis, ſit unitas in ſubſtantia, & trinitas in perſonis. Eſt enim Deus pater, Deus filius, Deus ſpiritus ſanctus. Sed Pater & Filius & Spiritus ſanctus unum ſunt. Eſt autem ea diſcretio in perſonis, ut nec Pater ſit Filius, nec Filius ſit Spiritus ſanctus, nec Spiritus ſanctus ſit Pater aut Filius. Res quidem difficilis eſt intellectu, & aciem rationis humanæ tranſcendit: Sed tantò elegantiùs habet fidei meritum, quanto difficilior eſt ad credendum. Porrò licet nihil inveniatur, quod expreſſam habeat unitatis, quæ in Deo eſt ſummæ trinitatis imaginem, nec verba etiam inveniantur, quibus, poſſimus de illa eſſentia dignè loqui, quod poſſumus tamen faciemus. Et quaſi balbutientes per verba rebus accommodata tranſitoriis, rem tibi ineffabilem aperiemus.* Paulus *Apoſtolus dicit, quia* inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellectu conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus & divinitas. *Vide ergò mentem hominis, corpus etiam Solare conſidera, & videbis qualitercunque, licèt tenuiter & quaſi oculo conniventi quandam ſimilitudinem Trinitatis. Eſt in mente hominis intelligentia, memoria, & voluntas. Mentem autem vocamus memoriam, mentem dicimus intelligentiam, mentem dicimus voluntatem. Memoria intelligentia & voluntas, ſunt una mens. Sed nec memoria eſt intelligentia vel voluntas. In eodem corpore Solis radium video, ſentio calorem, & agnoſco ſplendorem: hæc tria unius ſunt eſſentiæ, & nullum tamen illorum eſt alterum. Sic in illa ineffabili & incircumſcriptibili gloria deitatis eſt Filius à Patre, & Spiritus ſanctus ab utroque. Cùmque Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ejuſdem ſubſtantiæ, ejuſdem potentiæ & gloriæ ſunt, non ſunt tamen tres dii: Sed in tribus perſonis ſunt una ſubſtantia, & unius potentiæ, & in una ſubſtantia, tres perſonæ. Hæc fidei noſtræ profeſſio non tantùm à* Chriſto *& ejus ſequacibus traxit exordium, ſed à* Moyſe *& Patriarchis & Prophetis, ſuum habuit fundamentum. In libro* Moyſis *divinæ eſſentiæ unitas declaratur, ubi dicitur:* Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt: *& iterum:* Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, non erunt tibi dii alieni præter me. *Pluritatem perſonarum ibi patenter inſinuat, ubi dicit: Faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem. Cùm enim verbum Dei ſit filius Dei, ſicut* Johannes *teſtatur dicens:* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Vides quòd ad Filium & Spiritum ſanctum, ſermo patris dirigitur, cum hæc duo pluraliter dicat,* Faciamus, & Noſtram. *Per verbum enim & Spiritum ſanctum Dominus Deus univerſa operatus eſt, ſicut* David *Propheta commemorat:* Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus, &c. *Idem etiam Propheta miniſterium Trinitatis eleganter inſinuat, ubi ter hoc unum, Deus, in eodem verſiculi repetit & inculcat dicens:* Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. *Prænominatus* Johannes *in epiſtola ſua canonica dicit:* Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & hii tres unum ſunt. Eſaias *autem Propheta, quem recipis, ſe audiviſſe teſtatur* Seraphin clamantia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabbaoth. *Quare tertiò replicat* ſanctus? *Niſi ut in Domino Deo exercituum trinitatem inſinuet perſonarum. Eſt itaque in ſumma & beatiſſima Trinitate, Pater, qui filium genuit, Filius, qui genitus eſt à Patre, Spiritus ſanctus, qui progreditur ab utroque. Nec in illa genitura vel proceſſione damnum defectionis vel minutionis paſſa eſt in Patre vel Filio, divina ſubſtantia. Sicut enim lumen à lumine ſumitur ſine imminutione luminis à quo ſumitur, ſic æqualis à Patre filius, & utrique coëqualis procedit ab utroque Spiritus ſanctus. Modum tamen geniture aut proceſſionis iſtius, humana ratio non attingit. Unde cùm* Eſaiæ *de filii generatione conſtaret, modum generationis enarrabilem eſſe ſciens,* Generationem ejus *inquit,* quis enarrabit? David *Propheta in perſona Filii de hac generatione ſic loquitur:* Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodiè genui te. *Filius etiam* David Salomon, *qui dicta, ſcientia & intellectu mirabiliter illuſtravit, in perſona* Chriſti, *qui eſt, ſicut* Paulus *dicit,* Dei virtus, & Dei ſapientia, *in libro Sapientiæ, ſi tu eum recipias, ita dixit:* Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequàm faceret ab æterno, ordinata ſum, antequàm terra fieret, nec dum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, quando præparabat cœlos aderam, quando appendebat fundamenta, cum eo eram, cuncta diſponens. *Apoſtolus etiam* Paulus *Spiritui ſancto, immò toti Trinitati teſtem perhibet dicens:* Miſit ſpiritum filii ſui in corda noſtra, &c. *& alibi:* Si ſpiritus ejus qui Jeſum ſuſcitavit,

habitat

1169.

habitat in vobis, vivificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem ſpiritum ejus in vobis. Si Chriſti teſtimonium de unitate eſſentiæ & perſonarum trinitate deſideras, ipſe in evangelio dicit: Ego & Pater unum ſumus. Chriſtus diſcipulis ſuis dixit: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Cùm igitur homo perdidiſſet propter inobedientiam paradiſum, & Infernales miſerias perpetuò meruiſſet, miſſus eſt à Patre Filius: dignúmque fuit ut mitteretur Filius & non Pater. Cum enim à nullo eſſet Pater, Filius ab aliquo, convenientius erat, ut haberet in tempore matrem qui ab æterno habuerat patrem. Cùm autem ſcriptum eſſet in Pſalmo David: Non eſt qui te redimat, non eſt qui ſalvum faciat, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: non eſt qui det placationem pro anima ſua, ne dum pro anima aliena, miſſus eſt à Deo Patre filius, ut homo pro homine moreretur, pro homine captivo tributum mortis tanquam homo exolveret, eúmque tanquam Deus cæleſtis poteſtate redimeret. Hujus adventum deſideraverant Patriarchæ, prædixerunt Prophetæ: atque illius dilationem impatienter ſuſtinentes querelà continuatâ dicebant: Quando veniet? Quando videbimus? Da Domine mercedem ſuſtinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur. Utinam, dicit Eſaias, dirumperes cœlos & venires. Et David, Domine inclina cœlos & deſcende. Sed & teſte Eſaia, Angeli pacis pro dilatione noſtræ ſalutis amarè flebant. Idem verò Eſaias, de Chriſti nativitate manifeſtiùs loquens ait: Ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel. Cum autem Maria de Jeſſe originem traxerit, idem Propheta Nativitatem Mariæ, & per Mariam Chriſti, atque plenitudinem gratiæ ſpiritualis in Chriſto manifeſtè declarat dicens: Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcit ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & timoris Domini, & replevit eum ſpiritu timoris Domini. Natus eſt itaque Filius Dei de virgine incorrupta, ſicut plaſmatus eſt, primus Adam de terra virgine & inviolata, Spiritu ſancto in ea operante, noſtræque ſalutis negotium ineffabiliter procurante. Abyſſus enim inſcrutabilis eſt incarnationis Dominicæ ſacramentum: plurima tamen antiquis Patribus acciderant, in quibus hujus nativitatis figura præceſſit. Quòd enim vellus Gedeonis rore cæleſti completum eſt, cùm area circumquaque arida remaneret: Rore Spiritus ſanctus deſignatur in virgine, quæ ad hæc, propter humilitatem ſuam ſpecialiter & ſingulariter à Domino eſt electa, cui Pſalmiſta concordat dicens. Deſcendit ſicut pluvia in vellus. Quòd Moyſi ignis in rubo apparuit, & non eſt rubus igne corruptus, virginitatis integritas in Maria demonſtratur. Quòd virgis aliarum tribuum remanentibus ſiccis, virga Aaron, de cujus ſtirpe virgo beatiſſima traxit originem, fronduit & floruit, florémque de virga Jeſſe edidit, quam vaticinaverat Eſaias, partum ſcilicet incorruptæ Virginis indicavit. Cùm inimici Dei eſſemus, per adventum Chriſti reconciliati ſumus, ſicut Propheta prædixerat: Et pax (inquit) orietur in terra dum venerit. Ideóque Angeli in ipſius nativitate glorioſè pacis canticum cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nova etiam ſtella Magis apparuit. Atque hiſtoriarum teſtimonio, Romæ fons olei de terra fluxit in Tyberim. Templum etiam, quod Idola non ruiturum prædixerant, donec virgo pareret, eadem nocte funditùs corruit diſſipatum. Probatica quoque piſcina, quæ Hieroſolymis erat, ad adventum Angeli moveri & ſanitatis conferri cœpit. Vehementiſſimè nobis nocuit vetus Adam, ſed plus profuit nobis novus. Ampliùs nobis contulit hujus humilitas, quàm ſuperbia illius abſtulerit. Nam Paulo Apoſtolo teſte, non ſicut delictum, ita & Donum: damni enim æſtimationem, beneficii magnitudo tranſcendit. Quem priùs habuimus terribilem Deum & Dominum, nunc habemus humilem fratrem & proximum. Chriſtus itaque curſum mortalitatis noſtræ tranſigens in fame & ſiti, in laſſitudine & dolore, & in univerſis hujus miſeriis vitæ, traditus à diſcipulo, & tanquam vile mancipium venditus, flagellatus, conſputus, ſpinis coronatus, illuſus, clavis affixus ſtipiti, & morte turpiſſima condemnatus, quæ non rapuit, ſolvit. Sponte autem morti ſe obtulit, quia in humilitate ſuſtinuit, ſicut Eſaias commemorat: In humilitate (inquit) judicium ejus ſublatum eſt. Sicut Agnus ad occiſionem ductus eſt, & ſicut ovis coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum. Qui ergò puerulus à juſto Simeone ſemel oblatus in templo fuerat in tempore legis, & ceremoniarum redemptione, pro noſtra liberatione in cruce manus ſuas ad Patrem levavit, juxta illud Davidicum: Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Sic reatus, quem Adam per ſuperbiam ligni delectatione contraxerat, mortis amaritudine & humilitate Chriſti ſublatus eſt, fuſóque ſanguine ſine culpa, omnium culpæ à ſervitutis chirographo ſunt deletæ. Alium ſiquidem redemptionis modum poterat dominus procuraſſe, ſed nullus ſuæ bonitati noſtræque ſaluti congruentior occurrebat. Cùm enim homo juxta ſuæ prævaricationis exigentiam captus à Diabolo teneretur, poſtulabat juſtitia, ut non eriperetur per violentiam. Sed quia per ſuperbiam lapſus eſt, ſua ſi poſſet, ſed quia ſua non poterat aliena ſalvus humilitate reſurgeret. Ita Chriſtus innocens, quem agnus Paſchalis in lege ſignificaverat, ſe pro nobis hoſtiam obtulit ſalutarem. Cúmque lex Moyſis capram vel ovem conſtituiſſet pretium ad redemptionem hominis à peccato, Chriſtus per quem gratia & veritas facta eſt, attendens umbratiles legis ceremonias non ſufficere ad ſalutem, hominiſque æſtimationem pluris faciens, quam ſanguinem alicujus hirci, aut vituli ſanguinem, & mortem ſuam pro noſtra ſalute contulit. Et ſic ſemel introivit in ſancta, ſummus & verus pontifex, æterna redemptione inventa. Aperuit itaque librum, & ſolvit ſignacula ejus leo de tribu Juda. Et quòd hoſtiæ legales non potuerunt, gladium amovit verſati-

1169. *verſatilem, & Paradiſi, qui omnibus antiquis clauſus fuerat, reſeravit ingreſſum. Sic olim in monte ſummi pontificis, ſolet illi qui ad civitates refugii confugeret, ſecurus ad propria reditus indulgeri. Olim conſueverat homo cauſari & dicere: Cur exigit à me dominus amplius quàm à cæteris creaturis? Quid pro me fecit? Quid pro me laboravit? Dixit & factus ſum ſicut jumenta & arbores, & cætera univerſa, ſic ſuæ potentiæ nutu ſolóque juſſionis arbitrio, me creavit. Sed jam obſtructum eſt os loquentium iniqua, & jam homini diſſimulare non licet, quanta pro eo Dominus fecerit, qui ut ſervum redimeret, proprio filio non pepercit. Porrò in hac noſtræ ſalutis diſpenſatione, dilectio* Chriſti *nobis medullitùs intimata eſt, qui cum in lege* Moſaica, *dilectionem* D*ei & proximi dederit in mandatis, eandem in ſchola evangelicæ diſciplinæ, frequentiùs & fortiùs verbis, & tandem exhibitione operis inculcavit. Majorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponet quis pro amicis. Dedit itaque materiam diligendi ſe, qui in ſuis dilectionibus nos prævenit, nec aliud à nobis exigit, niſi ut ipſum diligamus ex corde. Sanè inhumanus eſt & crudelis, qui ejus miſericordiam non recolit, qui Dominum tam clementem ex affectu non diligit, qui ſe pro eo ſi opus eſt, mortis periculo deſiderabiliter non exponit.* Chriſtus *autem mortuus & ſepultus, tertia die reſurgens à mortuis, ſicut diſcipulis vivus prædixerat, eiſdem poſteà frequenter apparuit, & cum ipſis loquens & comedens, oſtenſis vulneribus manuum, pedum, ac lateris, in cordibus quorundam, qui adhuc hæſitabant in fide, oſtentione vulnerum, vulnus dubitationis amovit. Quadraginta itaque diebus cum eis viſibiliter converſatus, eiſdem comitantibus venit in montem* Oliveti, *& videntibus illis, in cœlum elevatus eſt: aſcendit ad Patrem, ubi eum eſſe in Patris coëqualitate credimus, atque in communi reſurrectione, ipſum vivorum & mortuorum judicem expectamus. Ut igitur Dominus noſter* Jeſus Chriſtus *voluit & debuit ad horam mori: quia homo, potuit & debuit poſt mortem reſurgere: ut qui hominem ſuperaverat Diabolus, ab homine ſuperaretur, & ſuperatus confunderetur. Erubeſcant infideles & prævaricatores, qui inordinatè in hæc prorumpunt deliramenta: Si* Chriſtus *Deus fuit, quomodo potuit mori? Si homo, quomodo reſurgere? Fuit nempe Deus & homo: quia homo, debuit mori: quia Deus, potuit reſurgere. Utile quoque nobis fuit, quod ſub iniquo judice ſponte mori dignabatur, valuit & voluit reſurgendo mortem ſuperare. Et ſicut Diabolus per ſuos miniſtros in Dominum ſuum manus auſu temerario injecit violentas, ita juſtè ac judicialiter Dominium & tyrannidem quam in hominem exercuerat, amiſit in æternum. Et hoc modo competenti, qui hominem vicerat, ab homine vincebatur: & qui in ligno ſuperaverat, in ligno ſcilicet crucis potenter & prudenter ſuperatus fuit à Deo & homine* Chriſto Jeſu: *ut quaſi frater ab homine amaretur, & quaſi Deus timeretur. Cæterùm neceſſarium fuit, ut ille idem qui nos creavit, & nos recrearet: qui nos fecit, redimendo reficeret, ac perditos repararet: ne unum Deum tanquam creatorem obligaremur adorare, & alium veluti redemptorem venerari teneremur, & ita duobus Dominis famulari. Et quòd Filius, non Pater, non Spiritus ſanctus incarnaretur, neceſſe fuit & conveniens: quia filio aſſimilari præſumpſit homo ſcilicet* Adam, *aſpirans & volens ſcire bonum & malum ut Deus. Videbatur igitur filius eſſe in cauſa, ſicut ſanctitas* Abel *invidiæ* Cain, *& ſic mortis ipſius. Dixit igitur filius quaſi noſter* Jonas (*quum ait*) *ego ſum qui peccavi, projicite me in mare. Non ſufficit exile ſacrificium & holocauſtum, ad tanti ſceleris quod patraverat homo, expiationem.* Ecce venio: ego ipſe venio quia in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: *ecce adſum immolandus. Iterum, ſi tantum negotium, ſcilicet hominis redemptio, Angelo committeretur, non eſſet tutum: quia in Lucifero, ſuperbia Angelum reddidit infamem & ſuſpectum. Si homini, non foret ſimiliter ſecurum: cùm primum hominem, ſcilicet* Adam *inobedientia culpabilem meritò condemnavit. Angelus inſufficiens, homo deficiens, unus imbellis, alter imbecillis. Convenienter igitur procuratum eſt, ut homo hominem, adjutus numinis adminiculo, à Diaboli faucibus liberaret: ne tam arduum, tam nobile commercium vacillaret, immò potiùs irrefragabiliùs finem proſperum ſortiretur, & ordo Angelicus, qui per lapſum Luciferi, & ſuorum complicum fuerat mutilatus, feliciter reſtauraretur. Magna igitur & omni laude digniſſima fuit, mater & virgo* Maria *beatiſſima, quæ tantum Dei & hominis mundo edidit mediatorem, & noſtrum parere meruit ſalvatorem. Quæ inter omnes, quas mundus habuit mulieres, nec primam nec ſimilem meruit, nec ſequentem habere. Concepit nempe ſine pudore, peperit ſine dolore, & hinc migravit ſine corruptione, juxta verbum Angeli, immò Dei per Angelum, ut plena non ſemiplena eſſe gratiæ probaretur, & Deus Filius ejus, antiquum quod pridem docuit mandatum, fideliter adimpleret, videlicet patrem & matrem honore prævenire. Et ne caro* Chriſti *virginea, quæ de carne matris virginis aſſumpta fuerat, à tota diſcreparet. A prædictis igitur* Chriſtianæ *fidei, venerabile ſurgit in celſa culmina fundamentum: hæc eſt catholicæ religionis ſcala, per quam homini datur aſcendere ad æternæ patriam claritatis. Si ergo habes in deſiderio, de tenebris prodire in lucem, & amplecti ſaluberrimam legem* Chriſti, *relictis* Machometi *ſpurcitiis, ad eccleſiæ quoque quæ ſinum pandit omnibus refugii aſylum, confugere: tuæ converſationis primitias neceſſe eſt Baptiſmali lavacro conſecrare. *Quatenùs depoſita in aquis regenerationis vetuſtate peccati, in novam animæ innocentiam & vitæ infantiam renaſcaris: ut illius gloriæ cœleſtis particeps efficiaris, quam auris non audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit, tam copioſa, ut non poſſit annullari, magna, ut non poſſit comprehendi, multa, ut non poſſit numerari, pretioſa, ut non poſſit æſtimari, diuturna, ut non poſſit terminari: quam repromiſit Deus diligentibus ſe, & ſua ſequentibus*

tibus

tibus veſtigia pedetentim. Soldanus igitur hiis informatus ſalubribus admonitionibus, baptiſmi ſuſcepit clanculò ſacramentum. Primates enim ſui, qui *Romæ* tot ſcaturiunt enormitates, dicebant: Quomodo ex uno fonte, aqua dulcis & ſalſa poterit emanare? Ubi *Chriſtiani* fontem juſtitiæ haurire tenerentur, inveniunt laticem toxicatum. 1170. Soldanus *clam baptizatur.*

NESCITUR quomodo rerum præſagio vel eventu contigerit, quòd multa beato *Thomæ* die Martis mirabilia contigerunt. Die enim Martis, ſcilicet die *Thomæ* Apoſtoli natus extitit, propter quod *Thomas* ex voto matris in baptiſmo appellabatur. Benè in mundum intravit die Martis tanquam contra Diabolum præliaturus: Mars enim ſecundùm Poëtas, Deus belli nuncupatur. Vita namque beati *Thomæ*, ſecundùm illud *Job: Vita hominis militia eſt ſuper terram:* tota fuit contra hoſtem bellicoſa. Paſſus quoque fuit die Martis, & tranſlatus die Martis: Ut talis dies eiglorioſè deſerviret, qualis ejus paſſioni tormentum impendet. Die Martis ſederunt Principes apud *Northamptonam*, & adverſus eum loquebantur. Actus eſt etiam die Martis in exilium. Die Martis apparuit ei Dominus apud Pontiniacum dicens: *Thoma Thoma*, eccleſia mea glorificabitur in ſanguine tuo. Die inſuper Martis, reverſus eſt ab exilio. Martyrii quoque palmam die Martis eſt adeptus. Præter etiam humanam providentiam accidit, Dei gratia procurante, quòd anno quinquageſimo paſſionis ipſius, qui etiam annus remiſſionis eſt, annus videlicet Domini Milleſimus ducenteſimus vigeſimus, venerabile corpus ejus die Martis gloriam Tranſlationis ſuſcepit, & eodem die *Henricum* Regem, ſub quo paſſus eſt, ſinus terræ ſuſcepit, ſed hæc in ſequentibus locis ſuis declarabuntur. *Quæ die Martis Thomæ acciderant.*

HÆC beato martyre *Thoma* prædicta cogitante, & arrham paſſionis præaccipiente, antequàm adhuc eſſet paſſione confoſſus, *Thomas* confeſſor invictus martyrium, quod nondum ſuſcepit in corpore, ſervavit in mente. Videns enim illum, qui caput eſſe debuit eccleſiæ militantis, quòd ſe non oppoſuit murum, ut ſtaret pro ea in die prælii: Sed converſus eſt retrorſùm, velut aries cornua non habens, omni humano deſtitutus ſolatio, ad divinum confugit auxilium, inceſſanter pro ſtatu eccleſiæ orans, corpus ſuum in vigiliis & jejuniis macerans, pro ſe perſequentibus & odio habentibus preces fundens, lacrymoſis ſuſpiriis Deum ſollicitare ſtuduit, ut eccleſiam conſervare dignaretur quam redemit, & proprio ſanguine conſecravit. Quis enim hujus viri Dei anguſtias & mentis poterit exprimere paſſiones? Cujus pater & mater, fratres & ſorores, nepotes & neptes, clerici & miniſtri pro eo ſunt in exilium pulſi, & ipſe qui tam reverenda erat in eccleſia Dei perſona, panem ſuum in terra aliena cum dolore compulſus eſt mendicare. Sed fortaſsè, quia nemo repentè fit ſummus, hæc ejus fuerunt tormenta præcurrentia ad illius animum ſolidandum & perferendas injurias, quouſque ſtrictis enſibus ad martyrii gloriam pertingere mereretur, cui nondum certus fuerat locus martyrii deputatus.

EODEM anno, infra octavas beati *Martini*, procurante ſummo pontifice, habitum eſt colloquium prope *Pariſios* inter Reges *Francorum* & *Anglorum*, ubi præſens fuit Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, ſed ſe conſpectui Regis *Anglorum* minimè præſentavit. Ubi cùm diu tractatum fuiſſet de pace reformanda inter Regem *Anglorum* & Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, idem Archiepiſcopus per concilium Regis *Francorum* & Epiſcoporum & procerum, qui affuerunt, petitionem ſuam in ſchedula redactam Regi *Anglorum* tranſmiſit hæc verba continentem. *Hæc petimus à Domino noſtro Rege, juxta conſilium & mandatum Domini Papæ quatenus pro amore Dei & Domini Papæ, & honore ſanctæ eccleſiæ & ſalute ſua & hæredum ſuorum, recipiat nos in gratiam ſuam, & concedat nobis & omnibus, qui pro nobis & nobiſcum exierunt de regno ſuo, pacem ſuam & plenam ſecuritatem de ſe & ſuis, ſine malo ingenio. Et reddat nobis eccleſiam* Cantuarienſem *in ea plenitudine & libertate, in qua eam meliùs habuimus poſtquàm facti ſumus Archiepiſcopus. Et omnes poſſeſſiones, quas habuimus ad habendum & tenendum, ita liberè & quietè & honorificè, ſicut eccleſia & nos ea liberiùs habuimus & tenuimus, poſtquàm in Archiepiſcopum promoti ſumus, & ſimiliter omnibus noſtris, cum eccleſiis omnibus & præbendis ad Archiepiſcopum pertinentibus, quæ vacaverunt poſtquàm exivimus de terra, ut faciamus de eis, ſicut de rebus noſtris, prout nobis placuerit & noſtris.* Rex autem *Anglorum* duobus articulis non plenum præbuit aſſenſum: Non enim nomine reſtitutionis, cùm Archiepiſcopum non expulerit, juxta dignitatem regni ſui quicquam ſolvere tenebatur, nec vacantium eccleſiarum poſſeſſiones, quas jam certis dederat perſonis, in irritum revocare. Sed coram Rege *Francorum* (ut aſſerebat) Archiepiſcopo ſatisfacere paratus erat, vel ſi contendere vellet, judicium in palatio *Pariſienſi* ſubire, *Gallicana* Eccleſia ponente partes ſuas, ſeu ſcholaribus diverſarum provinciarum æqua lance negotium examinantibus. Et ita Rex *Angliæ*, qui priùs odium in ſe plurimorum conflaverat, per hæc verba plurimum adeptus eſt favorem. Itaque mediantibus amicis, in qualemcunque concordiam conveniſſent Rex & Archiepiſcopus, niſi quòd Rex oſculum pacis dare Archiepiſcopo negavit, paratus omnem aliam ſecuritatem præſtare. Archiepiſcopus autem pacem inire noluit, niſi firma poſſet ſtabilitate gaudere. Rex Francorum *diſſidium quod erat inter Regem & Archiepiſcopum componere conatur.*

ANNO Domini M. CLXX. Rex *Anglorum Henricus* in Natali tenuit curiam ſuam apud urbem *Navecenſem*, præſentibus epiſcopis & baronibus *Britanniæ* minoris: Ubi fidelitatem omnes juraverunt ſibi & filio ſuo *Gaufrido*, & in Quadrageſima ſequenti ad *Angliam* tranſfretavit, cum omnibus ſuis in mari ferè ſubmerſus.

O Quo

1170. QUO etiam anno *Gilebertus Londonenſis* antiſtes, dum alpibus tranſcenſis *Romam* tenderet, apud *Mediolanum* veniens, literas domini Papæ in hæc verba ſuſcepit. *Rothomagenſi Archiepiſcopo & Epiſcopo Exonienſi dedimus in mandatis, ut recepto abs te ſacramento, quo noſtro ſtares judicio ſuper his pro quibus in te lata erat ſententia, noſtrate vice abſolvat.* Ita quidem, ut pro eo quòd excommunicatus fueras, nullum ordinis aut dignitatis periculum aut infamiæ notam debes ſuſtinere. Epiſcopus igitur ad abſolutionem aſpirans, apud *Rothomagum* in die Paſchæ eſt ſolenniter abſolutus.

EODEM quoque anno, venerabilis heremita *Godricus* ex hac luce tranſiens, pro vita temporali commutavit æternam. De cujus vita & actibus admirandis ac fine glorioſo, huic hiſtoriæ vel pauca referre lubet: Quoniam injuriam hoc eſſet facere ſancto, ejus opera tam præclara ſub ſilentio præterire. *Vita Godrici.* Amicus Dei *Godricus* in pago *Norſolkenſi*, patre *Ailwardo*, matre verò *Radwenna* generatus, villa quæ *Walmpol* nuncupatur, à prædictis parentibus educatus eſt, & ibidem cum eis aliquamdiu converſatus. Ubi puerilibus annis innocenter tranſactis, mercator efficitur, & primò minoris pretii merces exercens, tandem cum ſociis mercatoribus nundinas cœpit publicas exercere. Hic die quadam, cùm in maritimis ſolus ambularet, tres in ſicco delphines invenit, quorum duobus adhuc palpitantibus, tertius mortuus apparebat. Ille motus pietate, viventes reliquit intactos, & de mortuo partem ſumens, onuſtus receſſit. Sed fluctibus maris de more revertentibus, primò pedes & tibias & demum abyſſus caput ejus vallavit. *Godricus* autem fortis in fide, & ſub aquis diutiùs incedens, Domino ducente, ad ſiccum pervenit, & parentibus piſce dato, cuncta quæ ſibi acciderant enarravit. Solebat autem interdum ſolus agens, de cœleſtibus meditari, & orationem Dominicam cum ſymbolo frequentiùs ruminare. Sanctum *Andream* in *Scotia* orationis gratia devotus petivit, nec minori devotione ductus *Romam* perrexit. Inde demùm reverſus, quibuſdam negotiatoribus adjunctus eſt, & cum eis navigio aggreſſus eſt mercaturam. Et divitias congerens, unius navis dimidium, & alterius quartam habebat. Erat autem corpore robuſtus & animo ſtrenuus: Unde per regiones diverſas navigando, loca ſanctorum multa viſitabat, & eorum ſe patrocinio commendabat.

GODRICUS itaque cùm jam navalibus lucris ſedecim annorum tempus compleverat, divitias, quas multis laboribus congregaverat, in obſequiis divinis expendere diſponebat. Signum itaque vivificæ Crucis *Hieroſolymam* petiturus, accepit, & Dominicum Sepulchrum devotiſſimè viſitavit, & inde per ſanctum *Jacobum* in *Angliam* remeavit. Qui iterùm poſt aliquod temporis ſpacium, pia devotione ſuccendebatur, ut Apoſtolorum lumina viſitaret, & propoſitum ſuum parentibus indicavit. Mater verò cùm ſe itineris comitem futuram aſſereret, ſi liceret, filius gratanter annuit, & genetrici humiliter obſequens, humeris eam portabat, quotiens aſperitas id itineris exigebat. Illis autem urbem *Londonenſium* prætergreſſis, acceſſit ſubitò mulier quædam magni decoris, & hujus peregrinationis comitem fieri humiliter ſupplicavit: quod illi alacriter annuerunt. Erat quidem eis comes individua, & in eorum obſequiis diligens & devota. Nam pedes eorum lavabat, oſcula pedibus imprimebat, & aliis cunctis obſequentior habebatur. Ita per totum iter in eundo ſe gerebat, nec ab aliquo interrogata fuit quæ eſſet, vel unde, nec illa id ipſum aliquando indicabat. Cùm autem repatriantes *Londoniis* appropinquabant, impetravit licentiam recedendi, & in ſuo receſſu hæc verba dixit: Tempus eſt ut illuc redeam, unde ſum digreſſa, vos autem benedicite Deum, qui ſperantes in ſe non deſerit, ſcientes quoniam illud eveniet, quod *Romæ* ab Apoſtolis poſtulaſtis. Hanc autem mulierem de comitatu nemo vidit, niſi *Godricus*, & mater ejus.

CUMQUE patri ſuo matrem reſtituiſſet incolumem, omnia vendidit quæ habebat, & eorum benedictione percepta, profectus eſt ab eis, vitam heremiticam præ omnibus concupiſcens. Venit tandem in extremis *Angliæ* finibus, ad civitatem quæ *Karleolum* nuncupatur, ubi quoſdam homines ſibi conſanguinitate conjunctos inveniens, ab uno eorum Pſalterio ſancti *Hieronymi* ipſo donante ſuſcepit, quod in brevi didicit, & memoriter recitavit. Tunc ſylvas, ignorantibus amicis, petens, ſylveſtribus herbis ibi & fructibus aliquandiu victitavit. Ad quem ſerpentes & feræ accedentes, ipſum diu intuebantur, ſed mox cum omni manſuetudine recedebant. Ille ſolus in herêmo diebus multis converſatus, nunc genuum flexionibus, nunc manibus in cœlum elevatis, nunc humi proſtratus, dominum aſſiduè precabatur. Tandem ſolitarium quendam inveniens, & ſpeluncam ſenis ingrediens, ab ipſo confeſtim audiunt, benè venias frater *Godrice*: & tu benè valeas pater *Ailrici*, cum anteà prorſus eſſent ignoti. Tu inquit ſenex, ad hoc miſſus es à Deo, ut corpus ſenili ſepulturæ tradas. Itaque ſoli per biennium commanſerunt, nullam omninò ſubſtantiam poſſidentes. Sene tandem graviter infirmato, *Godricus* debilem ſublevat & tranſportat, cibos ori ejus applicat, preſbyterum adducit, qui ei facta confeſſione, Euchariſtiam ſubminiſtraret. *Ailricius moritur.* Videns ergò *Godricus* quòd morbus invaleſceret, dixit: O ſpiritus, qui ad imaginem Dei creatus es, adjuro te per Deum omnipotentem, ut me neſciente, ex hoc corpuſculo non recedas. Sene autem ſine mora animam exhalante, vidit in ſimilitudinem venti urentis & fervidi formam quaſi ſphæricam, quæ inſtar vitri lucidiſſimi, tota reſplenduit, & illam undique incomparabilis candor obduxit: Licèt modum qualitatis animæ nemo valeat explicare.

care. Audito autem obitu viri ſancti, ſocii ejus, qui erant in curia beati *Cuthberti*, inter quos fuerat juvenis converſatus, ſepeliêrunt eum in cœmiterio *Dunelmenſi*. 1170.

SEPULTO itaque fratre jam dicto, *Godricus* revertitur ad deſertum, hæſitans quid de ſe divinæ ſit placitum voluntati. Dum igitur ſuper hoc attentiùs Deum oraret, vox lapſa de cœlo dixit ei: Expedit tibi ire *Hieroſolymam* & reverti. Sed & ſanctus confeſſor Chriſti *Chuthbertus* ei apparuit dicens: Vade *Hieroſolymam* cum domino crucifigi, & ego tibi ſum futurus adjutor in omnibus, & patronus. Et itineris hujus labore conſummato, ſub mea protectione apud *Finchale* Domino militabis. *Godricus* autem *Dunelmum* reverſus, ſignum crucis cum preſbyteri benedictione ſuſcepit. In hoc itinere erat ei cibus panis hordeacus, & aqua potus, non veſtes mutavit nec abluit, non calceamenta depoſuit vel mutavit aut emendavit, antequàm ad loca ſancta veniret. Ad ſepulchrum Domini, & ad alia loca ſancta veniens, devotè oravit, lachrymas fudit, ſolo adhæſit, oſcula fixit, ita devotus exiſtens ut vix cuilibet credibile videretur. Ad *Jordanis* fluenta procedens, cum cilicio & cypho quem in pera portabat, & cruce modica quam ſemper in manibus ferebat, aquas fluminis introivit, quæ omni pòſt tempore quo vixit habuit chariora. Tunc primò veſtes exuit, de qua lotus aſcendit, calceamenta depoſuit & dixit: Deus omnipotens, qui in hac terra nudis pedibus ambulâſti, & eos pro me in patibulo clavis transfigi permiſiſti, ego deinceps calceamenta pedibus non opponam. Exacto igitur peregrinationis voto, in *Angliam* repedavit.

REVERSUS autem in Aquilonares *Angliæ* partes, locum in ſylva tenuit ſecretum *Eſchedale* nuncupatum, & hunc ſibi competere judicabat. Hîc de lignis caſulam conſtruxit, & ceſpitibus eam texit, ibique per annum & menſes aliquot habitavit. Sed cùm ibi à dominis fundi moleſtias ſuſtinuiſſet, diſceſſit, & *Dunelmum* pervenit: Ubi Pſalterium ex integro diſcens, tantum in brevi profecit, quòd in pſalmis, hymnis & orationibus eruditus eſt, quantum ſibi ſufficere videbatur. Igitur divina admonitione inſpiratus, die quadam ad vicinum nemus proceſſit, ubi audivit paſtorem quendam ſic dicentem: Eamus in *Finchale*, greges adaquare. Hæc audiens *Godricus*, dedit ei ſolum quem habuit obulum, ut illum duceret ad hunc locum: Ubi ad interiorem ſylvæ denſitatem progrediens, occurrit lupo miræ magnitudinis ſævienti, qui in illum irruit, ac ſi vellet dilaniare fruſtatim, intelligens autem *Godricus* verſutiam fore hoſtis antiqui, crucis ei oppoſuit ſignum dicens: Adjuro te in nomine ſanctæ Trinitatis, ut feſtinanter recedas, ſi meæ ſervitutis obſequium, quod in hoc loco exhibere Domino propoſui, ſit acceptum: Et his dictis, fera ſe impiis pedibus proſtravit, quaſi veniam precaretur.

ADVERTENS igitur mente quòd ibidem eſſet domino ſerviturus, de licentia *Ranulphi Dunelmenſis* epiſcopi, juxta ripam *Weri* fluminis caſulam compoſuit in terra defoſſam, quam ceſpite contexit, & cœpit ibi habitare, ſerpentum ſocius & ferarum. Magna quidem & horribilis aderat ſerpentium multitudo, mitiſſimas ſe tamen viro Dei, palpabileſque & ſanctis obtemperantes juſſionibus exhibebant. Nonnunquam verò eo ſedente ad ignem, ſe inter ipſius tibias extendebant, & quandoque in diſco aliquo vel ſcypho rotundo, ſe ſchemate componebant. Cumque hæc annis aliquibus pertuliſſet, viſum eſt ſibi, quòd ejus orationes impediebant, & die quadam illos ſolito more reperiens, juſſit ne ampliùs domum ſuam intrarent, & mox totum illud vermium genus ita diſceſſit, quòd nec ultra limen tranſire præſumpſit. Munera quoque ſibi oblata, planè reſpuit, & cibaria. De laboribus manuum vivere diſponens, ramos & radices herbarum in cineres redegit, quos cum farina hordei ita commiſcuit, ut partem tertiam cineres continerent. Inſultus libidinis lacrymis, vigiliis, arcebat & jejuniis, ita quòd plerúmque per ſex dies abſtinuerit à cibo. Poſt fortia luxuriæ tentamenta, cónatus eſt eum diabolus, nunc apparens in urſo vel leone, nunc in tauro vel lupo, nunc in vulpe vel bufone, terrere: ſed ille fortis in fide, omnia contemnebat. Ut autem carnis incendia ſuperaret, cilicio carnem edomabat aſperimo, & lorica per quinquaginta annorum curricula utebatur. Lapidem latum habuit pro menſa, ſuper quem panem collocabat prædictum, quem nunquam comedit, niſi gravi neceſſitate compulſus. Potus illi fuit guſtus aquæ permodicus, nec hunc ſumebat, niſi valida ſiti coactus. Nunquam jacebat in lecto, ſed in humo nuda ſuper cilicio fatigatus decubuit, capite ſuppoſito lapide, quem pro menſa habebat. Luna lucente, operibus inſiſtebat, & ſomno ita diſcuſſo, orationibus incumbebat. Hyeme gelu & nive rigenti, nudus flumen ingreſſus, nocte ibi tota, vivam ſemetipſum domino hoſtiam immolabat, & uſque ad collum ſubmerſus, orationes & Pſalmos, cum lacrymis profundebat. Dum vir ſanctus ſtaret in aquis, apparuit ei ſæpè diabolus, membrorum univerſitate diſtortus, & cum in eum vellet irruere, ſigno ſanctæ crucis illum confuſum fugavit. Veſtes ejus quas in ripa reliquerat aſportavit, quem *Godricus* its clamore deterruit, quòd cuncta relinquens, effugit.

DIE quadam, dum vir Domini *Godricus*, in oratorio ſuo ſedens, pſalterium ruminaret, vidit ex ore imaginis crucifixi puerulum exire, qui ad imaginem beatæ virginis, quæ in parte Aquilonis ſtabat in eadem trabe, deſcendit, & gremio ipſius inſedit, Illa verò manus contra venientem extendens, amplexum ferè per tres horas brachiis confovebat. Puer quoque quàm diu ſedebat in gremio matris, ut vivens in corpore ſe movebat, & ad ejus adventum

1170. pariter & diſceſſum tota ſacræ virginis imago ita contremuit, ut in trabe ruinam minari videretur. Putabat autem amicus Dei *Godricus* imaginis membra vitali ſpiritu compleri, & puerum non aliud eſſe, quàm *Jeſum* credidit *Nazarenum*. Deinde puer eodem modo quo venerat in os rediit crucifixi.

ALTERA vice, cùm vir ſanctus, coram altari beatæ virginis & Dei genetricis oraret, vidit duas puellas quaſi ætate teneras ſtantes ad duo cornua ipſius altaris ſpecie pulcherrimas, quarum veſtes erant niveo ſplendore fulgentes. Quibus diu invicem ſe contemplantibus, tacuit *Godricus* non auſus ſe movere, ſed ſæpiùs in eas oculos convertebat, & quandoque cernuus orabat. Tunc virgines ad *Godricum* accedentes, illa quæ à dextris erat altaris, illum taliter eſt affata: Nunquid me *Godrice* cognoſcis? Et ille, Domina hoc nemo poteſt, niſi cui tu volueris revelare: & illa: Verè dixiſti, quia mater *Chriſti* ſum, & per me ipſius gratiam obtinebis. Iſta eſt autem Apoſtolorum Apoſtola *Maria Magdalene*. Et *Godricus* pedibus Dei genetricis advolutus, tibi me Domina mea (inquit) committo, ut me perpetuò cuſtodire digneris. Tunc utraque manus ſuper caput ejus impoſuit, & cæſariem complanantes domum odore dulciſluo compleverunt. Poſt hæc autem Dei genitrix canticum quoddam coram illo muſica modulatione præcinuit, & ipſum cantare edocuit, quod frequenter repetens *Godricus*, memoriæ firmiter commendavit, eſt autem canticum illud *Anglico* idiomate compoſitum ſic. **Seinte Marie clane virgine Moder Jeſu Chriſtes Nazarene onfo ſcild thin Godrich on fang bring baali widh the in Godes rich. Seinte Marie Chriſtes bur, Meidenes clenhad, Moderes flur, dilie mine ſennen, rixe in min mod, bringe me to pinne widh ſelfe God.** Hoc canticum poteſt hoc modo in *Latinum* transferri. *Sancta Maria Chriſti thalamus, virginalis puritas, matris flos, dele mea crimina, regna in me, duc me ad fælicitatem cum ſolo Deo.* Præcepit itaque mater *Chriſti Godrico*, ut quoties dolori, tædio vel tentationi ſubcumbere formidaret, hoc ſe cantico ſolaretur. Nam me (inquit) ſic invocans, meum ſenties conſtanter auxilium. Deinde ſignum crucis capite ejus imprimens, ipſo cernente, in cœlum aſcendunt, odorem ei ſuaviſſimum relinquentes.

Canticum beatæ Mariæ Anglicum.

FUERUNT die quadam apud hominem dei, vir cum uxore ſua, ipſum miſericorditer obſecrantes, ut reſuſcitare filiam ſuam mortuam dignaretur. Et corpus exanime de ſacco excutientes, coram ipſo illud projecerunt. Vir autem Domini, qui ad tantæ virtutis opus ſe judicabat indignum, nihil reſpondit, ſed in agrum proceſſit ut conſuetum exerceret laborem. Illi autem commoti receſſerunt, corpus relinquentes in oratorio, & dicentes: Habeat cadaver & infodiat, vel illud vitæ reſtituat, quia poſſet ſuſcitare ſi velit. *Godricus* veſperi domum rediens in angulo oratorii corpus invenit. Ad Deum igitur tota cordis intentione converſus, orationibus cœpit inſtare, ut Deus omnipotens, qui vita omnium eſt & ſalus, puellam ad vitam revocare dignaretur. Tribus autem diebus & binis noctibus hoc agere non ceſſavit: ſed die tertia, cùm adhuc eſſet in lacrymis, ante altare procumbens, vidit puellam ad altare venientem, & vocatis cum feſtinatione parentibus, reddidit eis puellam incolumem, jurantibus illis priùs, quòd ſecretum hoc, dum *Godricus* viveret, nemini revelarent. Alio quoque tempore viro Dei puer mortuus à parentibus clàm oblatus eſt, quem juſſit ſuper altare in oratorio beatæ virginis ponere, & parentes conſolans lacrymantes ait: Ne putetis (inquit) puerum eſſe mortuum, ſed mecum flexis genibus divinam pro puero clementiam exorate. Oratione igitur completa, præcepit ut eum tollerent de altari, & accedentes, viventem reperiunt & ridentem. Móxque illos ſacramentis conſtrinxit, ne hoc opus ante ipſius obitum propalarent.

HABUIT autem vir ſanctus Monachos *Dunelmenſes* valdè familiàres, ſed tamen inter cæteros, monachum quendam nomine *Nicolaum* ſpecialiùs diligebat. Hic autem, cùm à multis rogatus fuiſſet, ut vitam & virtutes ſancti *Godrici* poſteris profuturas, literis commendaret, ipſe pro rerum veritate certiùs inquirenda, acceſſit ad virum Dei, volens ab eo quid ſcribere deberet, familiariùs erudiri. Reſidens autem ad pedes ſancti dixit, quòd libenter ſcriberet vitam ipſius ſi annueret, proteſtans quàm utile fore, ſi actuum ejus notitia ad poſteros deveniret. Ille verò quaſi commotus, vultum convertens ait: Vitam *Godrici*, amice talem eſſe cognoſcas. *Godricus* primò ruſticus pinguis, fornicator, immundus, fœnerator, falſarius, deceptor, perjurus, adulator, diſcurrens, petulans, & guloſus, modò pulex mortuus, canis fœtidus, vilis vermiculus, non heremita, ſed hypocrita, non ſolitarius, ſed mente diffuſus, devorator eleemoſynarum, faſtidioſus, deliciarum cupidus, & negligens, ocioſus & ſtertens, prodigus & ambitioſus, & qui non eſſet dignus aliis ſervire, quotidiè ſibi miniſtrantes verberat & objurgat. Hæc autem & his pejora ſcribere poteris de *Godrico*. Et his dictis obticuit: & monachus cum nonnulla confuſione diſceſſit. Interjectis autem deinceps aliquot annis, nihil de ipſius vita monachus auſus fuit inquirere, donec ipſe quaſi miſertus ejus, & velut de prædicta pœnitens injuria, ultrò cœpit diſcere quod volebat. Adjuravit tamen Monachum per dilectionem qua ei conjunctus erat, ut eo vivente, nemini libellum oſtenderet.

ALTERA vice cùm idem Monachus propter feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* illuc veniret, ut viro Dei Miſſam celebraret, ſedens extra limen oratorii, illum intùs canentem audivit. Deinde

1170.

Deinde poſt veſperas interrogavit eum frater, qualis eſſet exitus animarum ex hoc mundo: ad quod tale fertur accepiſſe reſponſum. Sancta (inquit) anima leniter exit à corpore: ſed peccatrix anima velut immatura, multis flagris ad exitum perurgetur. Egreſſa verò ad aëris faſtigium ſine mora conſcendit, & ibi moram quandoque facit, expectans quid Deus de illa facere velit. Eſt autem ibi quaſi quædam porta terrea & anguſta, hinc inde ſpirituum bonorum & malorum cuſtodiis circumcincta, per quam animæ juſtorum levi tranſitu admittuntur, injuſtorum verò graviter anguſtantur & cruciantur, & ad inferiora miſerabiliter deprimuntur. Hodiè verò cônſpexi animam cujuſdam juſti liberam tranſvolare per eam, & ideò cum Angelis eam deferentibus, cœpi præ gaudio cantare, quod & tu admirans audiſti.

MONACHUS idem iterum illuc reverſus, quæſivit ab homine Dei, ſi unam Miſſam vellet audire: qui reſpondit: Hodiè de ſancta Trinitate Miſſam audivi, & communionem de manu viri cujuſdam candidati ſuſcepi: qui de cœlo deſcendens, iterum in cœlum aſcendit, & ut peccata confiterer admonuit, & de meis exceſſibus dixi ei quicquid mihi occurrit, ſic autem abſolutus, ab illo Euchariſtiam de manu ipſius reverenter percepi. Officio quoque peracto, elevatis manibus eſt elevatus in cœlum. Laudas ne fili ut poſt hæc à te modo diſciplinam vel communionem accipiam? Et ille reſpondit, quod hoc facere non auderet: ſed quæſivit ab eo, quis ſanctorum ille fuiſſet: & vir Dei dixit: hunc fuiſſe *Petrum* Apoſtolum, qui miſſus fuerat à Domino, ut ipſum abſolveret à peccatis. Tu Miſſam (inquit) in honorem beatæ virginis celebrato, ut ejus interventu, filium ipſius habere propitium mereamur. Et monachus Dominum laudans, lætus paruit imperanti.

SANCTUS Heremita & amicus Dei *Godricus*, cùm annos ſexaginta in Heremo apud *Finchale* ſtrenuè peregiſſet, morbo confectus & ſenio, ad tranſitum propinquabat. Nam per octo ferè annos in lecto languidus decubuerat, nec unquam niſi alienæ manus auxilio ſe in latus aliquod declinabat. Quo utique tempore tot ſuſtinuit ægritudinum tentationúmque moleſtias, quot nec lingua poſſent vel calamo comprehendi. Venerunt ad eum duo Dæmones, deferentes lecticam & dicentes: Huc venimus ut te ad Inferos deportemus, quia ſenex delirus es, & de ſapienti factus inſipiens: ille crucis ſignaculo ſe munivit, & orans, protinus Dæmones effugavit.

POSTEA verò cùm vir Dei vice quadam in lecto ſolus jaceret, miniſtri, qui foris erant, vocem illos vocantem audierunt, & accurrens unus eorum feſtinanter, invenit eum corpore nudum jacentem in oratorii pavimento, & illum in lecto reponens, quæſivit ab eo, quare ſic jaceret. Et ille: Diabolus, inquit, mihi aſtitit, & videns me poſt quietem ſomni tepidiùs agentem, ſubitò de lecto me pepulit improviſum, & ſcamno caput meum alliſit. Et oſtendens gibbum in capite, hæc verba ſubjunxit: Ita ſubitò me prævenit inimicus, ut ſigno crucis me non potui præmunire, & ait: En *Godrice* ruſtice, de quo non valui hactenus per meos ſatellites triumphare, dum lecti mollia quæris, & ſica à me modò occideris. Cogitet ergò unuſquiſque quàm periculoſum corpori adhibere, & mollitie delectari, cùm non poſſit Deus in finibus ſuaviter viventium inveniri. Obiit autem venerabilis pater *Godricus*, duodecimo Kalendas Junii, in octavis ſcilicet Dominicæ Aſcenſionis, cujus vita & virtutes, ſupra homines eſſe, & impoſſibilia relatu videntur. Sepultus eſt autem in oratorio ſuo, ad plagam Septentrionalem, ante gradus altaris ſancti *Johannis Baptiſtæ*, cujus ſepulchrum uſque in diem hodiernum coruſcat miraculis glorioſum.

Coronatio Henrici tertii.

EODEM tempore, id eſt anno Domini M.CLXX. Idibus Julii, convenerunt ad mandatum Regis Anglorum *Henrici*, apud *Weſtmonaſterium*, *Rogerus Eboracenſis* Archiepiſcopus, & omnes ſuffraganei *Cantuarienſis* eccleſiæ epiſcopi, ad coronationem *Henrici* filii Regis primogeniti, qui patre jubente, coronatus eſt ſolenniter à *Rogero Eboracenſi* Archiepiſcopo, quarto decimo Kalendas Julii, contra prohibitionem domini Papæ, qui literas ipſi Archiepiſcopo, & aliis epiſcopis regni in hæc verba direxit. *Univerſitati veſtræ auctoritate Apoſtolica penitùs inhibemus, ne quiſquam veſtrum novo Regi coronando, ſi fortè caſus emerſerit, abſque aſſenſu* Cantuarienſis *Archiepiſcopi & eccleſiæ* Cantuarienſis *conniventia, contra antiquam ejus conſuetudinem & dignitatem, manum apponere qualibet occaſione præſumat, aut id aliquatenùs attentare.* Sed hæc fruſtra, quia antequàm literæ eſſent promulgatæ, negotium fuerat conſummatum. Et Rex ſtatim poſt coronationem filii ſui mare tranſiens, convenit ad colloquium Archiepiſcopi *Cantuarienſis* apud *Muntmirail*, ubi præſens erat Rex *Francorum*: & poſt diutinum de pace tractatum inter eos, cum perventum fuiſſet ad oſculum, quia Archiepiſcopus dixit ad Regem: *In honore Dei vos oſculor*, Rex receſſit ab oſculo, quaſi conditionaliter involutus. Nam Rex ſemper in verbis Archiepiſcopi conſcientiam habentis purimam, quaſdam clauſulas cauſabatur: videlicet nunc *ſalvo honore Dei*, nunc *ſalvo ordine meo*, nunc *ſalva fide Dei*: Archiepiſcopus verò Regis cautelas habuit ſemper ſuſpectas, ne ſi concordiam abſolutè iniret, iniquas *Angliæ* conſuetudines Regi concedere videretur.

Pax inter Regem & Archiepiſcopum Cantuarienſem.

CONVENERUNT iterum Rex *Francorum* cum Rege *Anglorum*, & *Willielmo Senonenſi* Archiepiſcopo & Epiſcopo *Nivernenſi*, apud *Fractam vallem*. Cum autem Rex & Archiepiſcopus in partem ſeceſſiſſent, biſque deſcendiſſent, & bis equos aſcendiſſent, bis habenam

30922

1170. Archiepiſcopi Rex tenuit, cum equum aſcendiſſet: ſed tandem apud *Ambazium* procurante *Rotuſdo Rothomagenſi* Archiepiſcopo, Rex & *Thomas* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* concordiam inierunt. Et pace confirmata, Rex *Henricus* ſcripſit *Henrico* filio ſuo novo Regi literas in hæc verba. *Sciatis quòd* Thomas *Cantuarienſis Archiepiſcopus, pacem mecum fecit ad voluntatem meam, & ideò præcipio, ut ipſe & omnes ſui pacem habeant, & faciatis ei habere & ſuis qui pro eo exierunt ab* Anglia, *omnes res ſuas benè & in pace & honorificè, ſicut habuerunt tribus menſibus antequam exierent ab* Anglia. *Et faciatis venire coram vobis de melioribus & antiquioribus militibus de* Saltiunde, *& eorum juramento faciatis recognoſci quid ibi habetur de feudo Archiepiſcopatus* Cantuarienſis: *& quod recognitum fuerit eſſe de feudo ejus, ipſi faciatis habere. Valete.* His ita geſtis, *Thomas* venerabilis *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, antequàm ad *Angliam* transfretaret, *Romam* miſit, domino Papæ denuncians, quòd cum Rege *Anglorum* pacificè convenîſſet. Papa autem Deum glorificans, literas ei reſcripſit, quæ ſequuntur. *Anxietate cordis & amaritudine premimur, cùm anguſtias, onera, & gravamina, quæ zelo juſtitiæ & pro libertate eccleſiæ manutenenda, æquo animo & invicta fortitudine toleraſti, ad memoriam reducimus, & meditatione ſedula cogitamus: veruntamen ut in te virtutis perfectionem adimpleres, non potuiſti frangi adverſis, nec à tuæ conſtantiæ propoſito amoveri, tuam ſuper hoc admirandam commendamus virtutem, & tibi ſuper tanta patientia in Domino plurimùm congaudemus. Cæterùm quoniam Regem* Anglorum *diutiùs in patientia & benignitate portavimus, & blandis dulcibúſque verbis, & interdum duris & aſperis, ut ad ſe rediret ſæpè monuimus, ſi pacem, quam tecum fecit, executione operis non impleverit, & tibi ac tuis & eccleſiæ tuæ poſſeſſiones & honores ablatos non reſtituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus, in perſonas & in loca quæ ad tuam legationem pertinent, eccleſiaſticam juſtitiam exercere, nullius obſtaculo appellationis obſtante.*

HAC igitur ſecuritate tam à Papa Quàm à Rege accepta, in *Angliam* rediit, & in Kalendis Decembris ad portum applicuit *Sandwicenſem.* Qui ſtatim, ut nihil de contingentibus omitteret, quibus martyrii gloriam, quam ardenter ſitiebat, impediret, miſit literas domini Papæ *Eboracenſi* Archiepiſcopo, hæc verba continentes. *Cùm filium ſuum Rex veſter coronari voluerit, contempto* Thoma Cantuarienſi *Archiepiſcopo, ad cujus officium de antiquo jure dignoſcitur pertinere, per manum tuam frater Archiepiſcope, in aliena provincia diadema regni ei fecit imponi. In coronatione verò illius, nulla ex mora de conſervanda eccleſiæ libertate, cautio juratoria eſt præſtita, nec (ſicut ajunt) à vobis exacta: ſed potiùs juramento aſſeritur confirmatum, ut regni conſuetudines iniquas, ſub quibus dignitas periclitatur eccleſiæ, illibatæ debeant omni tempore conſervari. In quo & ſi multùm prænominati Regis vehementia nos conturbat, ampliùs tamen de veſtra & aliorum coëpiſcoporum veſtrorum poſſumus infirmitate moveri, qui, quod dolentes dicimus, facti ſunt arietes non habentes cornua, abiiſtis abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Et ſi fortè hoc licere tibi, frater* Archiepiſcope, *in propria potuiſſet provincia, quomodo tamen in aliena & illius præcipuè, qui exulare pro juſticia & ſolus exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuerit, nec de ratione poſſumus, nec de ſanctorum patrum conſtitutionibus invenire. Unde & poſt tam iniquas conſuetudines juramento firmatas, non adjeciſtis ſumere ſcutum fidei, ut ſtaretis pro domo domini in die prælii. Ne autem, ſi diutiùs tacuerimus, unà vobiſcum in die judicii damnationis ſententia involvamur, authoritate ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ, cui authore Deo miniſtramus, ab omni vos officio epiſcopali ſuſpendimus dignitatis.*

Literæ Papæ quibus Archiepiſcopum Eboracenſem à divinis ſuſpendit.

Item ſanè *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus per alias Domini Papæ literas, epiſcopos *Londinenſem, Sariſberienſem, Oxonienſem, Ceſtrenſem, Roffenſem,* de ſancto *Aſaph,* & *Landavenſem,* cum alii qui præfatæ coronationi miniſterium præbuerunt, ab omni epiſcopali dignitate, per has literas ſubſcriptas ſuſpendit. *Quæ cauſa venerabilem fratrem noſtrum* Thomam Cantuarienſem *Archiepiſcopum, & ſedis Apoſtolicæ legatum, à ſua ſede exulare compulerit, non opportet præſentibus annotare: quoniam & vos præſentialiter aſpexiſtis, & id per totàm ferè Occidentalem eccleſiam fama celebris divulgavit. Cùm autem piæ memoriæ* Theodbaldus Cantuarienſis *Archiepiſcopus prædeceſſor hujus Archiepiſcopi Anglorum Regi coronam impoſuerit, ac per hoc* Cantuarienſis *eccleſia quaſi poſſeſſionem hujus dignitatis habuerit, vos nunc novi Regis coronationi, Archiepiſcopo non præmonito, in ejus provincia miniſterium præbere (literis Apoſtolicis id prohibentibus) præſumpſiſtis. Et qui relevare ejus exilium qualibuſcunque ſolatiis debuiſtis, aggravaſtis potiùs cauſam ejus, & ſuper dolorem vulnerum ejus (quod mærentes dicimus) addidiſtis. In quo facto, ſi contra perſonas veſtras, non quantum culpa exigit, moveamur, pertranſire tamen hoc ſub ſilentio non debemus, ne fortè, quod Dominus avertat, & nos & vos ſententiæ divinæ ſeveritatis addicat, ſi ea, quæ in eccleſiis omnium perperam acta ſunt, neglexerimus vindicare. Noveritis itaque vos, tam diu ab epiſcopali officio, commiſſa nobis à Deo auctoritate ſuſpenſos, donec ad ſedem Apoſtolicam, de tanto exceſſu ſatisfacturi, accedatis, niſi præfato Archiepiſcopo ita ſatisfacere curaveritis, ut pœnam iſtam ipſe judicet relaxandam.*

Literæ quibus Epiſcopus Londonenſis cum ſuis à divinis ſuſpenditur.

POSTQUAM autem *Thomas* venerabilis, *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, ad eccleſiam ſuam cum magna cleri & populi devotione ſuſceptus pervenit, illum incontinenter adierunt Regis Officiales, denunciantes ex parte ipſius Regis, ut ſuſpenſos epiſcopos & excommunicatos abſolveret: quià quicquid contra eos factum fuerat, ut ajebant, in Regis

redundabat

atredundab injuriam, & everſionem conſuetudinum regni. Quibus reſpondit Archiepiſcopus, quòd epiſcopi excommunicati, ſi jurare vellent in forma eccleſiæ ſe mandato domini Papæ pariturus, ipſe pro pace eccleſiæ, & reverentia domini Regis eos abſolveret. Quod cùm epiſcopis referretur, reſponderunt: juramentum hujuſmodi, niſi ex voluntate Regis, ſe non præſtare debere. Et cum paulò pòſt Archiepiſcopus tenderet ad videndum faciem novi Regis, qui tunc apud *Woodſtocke* morabatur, venerunt ad eum nuncii ipſius Regis, interdicentes ex parte ejus, ne ultrà procederet, ſed ad ſuam eccleſiam rediret. Quibus cùm comminationes multiplicarent, obtemperavit: nondum enim venit hora ejus. Moram igitur faciens aliquot diebus apud *Harwes* manerium ſuum, quod diſtat à cœnobio beati *Albani* circiter ſeptem milliaribus, ibi pauſavit faciens feſtum. O ſapientia, nec ullam faciem turbidam oſtendit ipſe athleta Dei! Cui cùm Abbas ſancti *Albani* in eſculentis & poculentis nobile miſiſſet xenium, regratians Archiepiſcopus dixit ſatis civiliter: Accipio ejus præſentias, id eſt xenia, mallem tamen præſentiam. Cui miniſter ejus, Domine ecce apparet veniens in foribus. Cui occurrit Archiepiſcopus uſque ad oſtium. Venit enim dictus Abbas *Simon* nomine, & recepto eo in oſculo, habuerunt multas diu confabulationes. Deinde petiit Archiepiſcopus Abbatem, ut iret ad *Woodſtocke* ad juvenem Regem, admoneretque dulcibus, quibus abundaverat efficacibus ſermonibus, ut rigorem conceptum leniret. Obtemperans igitur Abbas ipſum adiit feſtinanter: ſed cùm nihil niſi ſuperbiam & indignationem inveniret, rediit, infecto negotio. Quod cùm cuncta rediens Archiepiſcopo renunciaret, vultu demiſſo ac triſti, reſpondit Archiepiſcopus ſuſpirans: *Sine modò, ſine modò*: & movens caput, addidit quaſi ſpiritu prophetico: *Siccine, Siccine adeſſe feſtinant tempora conſummationis?* Abbas autem non intellexit verbum, ſed poſteà omnia patuerunt. Et intuens ipſum Abbatem oculo piiſſimo, & ferè lacrymanti ait: Domine Abbas, grates tibi refero ac uberes de labore tuo licèt inutili:

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger;
Interdum valida plus valet arte malum.

Et ſubjunxit: ſed & ipſe portabit ſine dilatione judicium, & reſpiciens clericos circumſedentes addidit dicens: Ecce amici mei quid contigit, plus fecit mihi nunc obſequii & civilitatis iſte Abbas, qui in nullo mihi tenetur obligatus, quàm omnes confratres & ſuffraganei mei epiſcopi: præceperat enim Abbas recedens apud *Woodſtocke* cellario ſuo, ut quotidiè ipſum Achiepiſcopum, qui propè erat munificè viſitaret. Cum igitur Abbas domum rediturus, peteret Archiepiſcopum, obnoxiùs, junctis manibus, ut dignaretur charitatis intuitu, domum ſancti *Albani*, ad Natale quod imminebat, ſua deſideratiſſima præſentia illuſtrare, & tenere ibidem feſtum *Chriſti* Nativitatis, & *Angliæ* Protomartyris: reſpondit, obortis lacrymis Archipræſul: O quàm libenter vellem, ſed multò aliter definitum eſt: vade in pace pater chariſſime, vade ad eccleſiam tuam, quam Dominus conſervet: vado autem ad meam ſufficientem excuſationem, quare tecum non venio. Sed tu potiùs, ſi fieri poteſt, mecum veni, ut meus ſis conviva, & in tribulationibus, quibus abundo, conſolator. Quod cùm renuiſſet (quia oportuit eum ſolenniis ſuæ intereſſe eccleſiæ in tanta feſtivitate,) accepta benedictione Abbas receſſit. O quantis lamentis, quantiſque ſuſpiriis Abbas poſtea cor ſuum cruentavit: quia non datum fuerat ei deſuper, in tanti martyris conſortio gloriam ſuſcepiſſe. Archiepiſcopus autem ad eccleſiam ſuam iter maturavit, dies Natalicios celebraturus, & infra octo dies illos ad Dominum migraturus.

ANNO Domini M.CLXXI. Beatus *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus, ſermonem habiturus ad populum in die Dominicæ Nativitatis, pulpitum aſcendit, & ſermone completo, *Nigellum* de *Sackevilla*, eccleſiæ de *Herges* violentum incubatorem, & ejuſdem vicarium eccleſiæ, *Robertum* quoque de *Broc*, qui equum quendam ipſius Archiepiſcopi victualia deferentem, ad dedecus & ignominiam ejus decurtaverat, ſolenniter excommunicavit. Quibus ita geſtis, quanta die Dominicæ Nativitatis, circa horam veſpertinam, cùm Archiepiſcopus cum clericis ſuis in thalamo reſideret, *Willielmus* de *Traci*, *Reginaldus* filius *Urſi*, *Hugo* de *Marvilla*, & *Richardus Brito*, de *Normannia* venientes, tanquam furia injecti, ſubitò in thalamum irruperunt, denunciantes ex parte Regis, ut Epiſcopos *Angliæ* ſuſpenſos officio ſuo reſtitueret, & excommunicatos abſolveret. Quibus reſpondit Archiepiſcopus, non eſſe judicis inferioris, ut à ſententia ſuperioris abſolvat: & quod nulli hominum infirmare licet, quod ſedes Apoſtolica decreverit ſtatuendum. Attamen ſi *Londonenſis* & *Sariſburienſis* epiſcopi, & alii excommunicati ſuo mandato ſe pariturus jurare vellent, eos pro pace eccleſiæ, & reverentia Domini Regis abſolveret. Illi verò ira incandeſcentes, & ſcelus nefarium, quod in mente conceperant, ad effectum perducere properantes, cum impetu receſſerunt. Archiepiſcopus verò, monentibus clericis ſuis, & hora diei veſpertina urgente, in majorem intravit eccleſiam, veſperas cantaturus. Quatuor itaque ſatellites nefandi ſupradicti, armis interim induti militaribus, Archiepiſcopum eveſtigiò ſunt ſequuti. Qui cum ad eccleſiam perveniſſent, oſtia ejus, ut præceperat Archiepiſcopus, invenerunt aperta. Neque enim (ait) *Chriſti* eccleſiam, quæ cunctis debet eſſe refugium, ordine turbato commutabimus in caſtellum. Turbis quoque undique confluentibus, præfati quatuor milites eccleſiam irreverenter ingreſſi, clamare cœperunt: *Ubi eſt proditor Regis, ubi eſt proditor*

Thomas ad filium Regis amicitiæ recuperandæ cauſa properans, non admittitur.

Archiepiſcopus Thomas *interficitur.*

1171. *ditor Regis, ubi eſt Archiepiſcopus?* Ille autem cùm audiſſet nomen Archiepiſcopi, à tertio vel quarto presbyterii gradu quem jam aſcenderat, eis obviàm regreſſus eſt, dicens: Si quæritis Archiepiſcopum, ecce me in promptu habetis. Quibus acerba proponentibus ei, ac mortem comminantibus, ait: Ego mori paratus ſum, vitæ præferens aſſertionem juſticiæ & eccleſiæ libertatem. Rogo tamen ut mei non ſunt obnoxii pœnæ, ſicut non fuerunt incentores cauſæ. Dum autem nefandi carnifices ſtrictis ei inſurgerent enſibus, ait: Deo & beato *Mariæ* & ſanctis hujus eccleſiæ patronis, & beato *Dionyſio* meipſum & eccleſiæ cauſam commendo. Immolatus itaque martyr glorioſus ante altare beati *Benedicti*; lethale vulnus recepit, in illa corporis parte, qua olei ſacri perfuſio ſpecialiùs illum Domino conſecraverat. Nec ſatis fuit eis ſanguine ſacerdotis,& nece eccleſiam prophanare, & diem ſacratiſſimum incœſtare, niſi corona capitis amputata, funeſtis gladiis jam defuncti ejicerent cerebrum, & pavimentum crudeliſſimè ſpargerent cruore.

TRANSLATO ad cœleſtia martyre glorioſo, nefàndi lictores cum ſuis complicibus ſupellectilem martyris & clericorum ejus veſtes & miniſtrorum officinarum omnium utenſilia pœnitùs rapuerunt. Corpus autem ſanctiſſimum,quod in eccleſiæ decubuit pàvimento, ante majus altare eſt ſub ipſius diei crepuſculo deportatum. Ubi quod priùs ad notitiam ſolius cubicularii devenerat, aſtantibus tunc cunctis, venit in lucem. Licèt enim Archiepiſcopus habitum monachalem, quem à tempore ſuæ promotionis occultè portaverat, habitu canonicali ſuppreſſiſſet, carnem tamen cilicio attritam cum fœmoralibus cilicinis, quod fuerat à ſæculis inauditum, carnem curaverat edomare: Et ut aliqua breviter perſtringamus, quæ concurrunt: die Martis Archiepiſcopus apud *Northamptonam* à curia Regis receſſit, die Martis receſſit ab *Anglia* exilium ſubiturus, die Martis præcepto domini Papæ revertens in *Angliam* eſt appulſus, & die Martis martyrio conſummatus. Sequente verò die *Mercurii* ſummo diluculo rumor increbuit, quòd nefandi carnifices corpus Archiepiſcopi abſtrahere ab eccleſia condixerant, & extra muros civitatis illud projicere, avibus & canibus diſcerpendum. Sed Abbas de *Boxleia* cum Priore & conventu eccleſiæ *Cantuarienſi* illud maturiùs tradiderunt ſepulturæ: nec abluendum fore illis videbatur, præſertim cùm longanimi abſtinentia fuerat maceratum, cilicio abſterſum, & proprio ſanguine conſecratum. In hoc ſanè multa notabilia occurrunt martyrio. Primò, quòd paſſus eſt pro aſſertione juſticiæ & eccleſiæ libertate. Secundò, quòd in eccleſia non qualicunque, ſed in illa quæ mater eſt omnium eccleſiarum gentis *Anglicanæ*. Tertiò, quòd non in quolibet tempore, ſed in diebus Natalitiis, in quibus homicidæ & rei læſæ majeſtatis habent pacem & gaudium. Quartò, non ſimplicem ſacerdotem peremerunt, ſed utique talem, qui in regno *Angliæ* erat ſummus in populo, & pater omnium ſacerdotum. Quintò, quòd non paſſus eſt in quolibet membro, ſed in eo corporis loco, quo tonſuram acceperat, ut in ſortem Dei admitteretur, & quem ſacri perfuſio olei Domino conſecravit.

Thomas ſepelitur.

REX Anglorum *Henricus* tunc temporis in *Normannia* morabatur, apud *Argentonium*, quando rumor infauſtus ad eum, quibuſdam perferentibus, penetravit, Qui in primis ad omnia lamentationum ſe convertens genera, Regiam majeſtatem prorsùs in cinere & cilicio commutavit, omnipotentem Deum teſtem invocans, quòd opus nefarium, nec ſua voluntate vel conſcientia commiſſum eſt, nec ſuo artificio perquiſitum, niſi fortè ex hoc reus ſit, quòd Archiepiſcopum minùs diligere videretur. Super hòc quoque ſe judicio eccleſiæ prorſus expoſuit, & humiliter ſe ſuſcepturum, quicquid in eum foret ſtatuendum, ſalubriter compromiſit. Miſit ergò nuncios ad ſummum pontificem, qui eum excuſarent, & ejus innocentiam allegarent, quos nec dominus Papa videre voluit, nec ad pedes, vel ad oſculum admittere dignabatur. Sed nuncios qui ſecundò miſſi fuerunt, aliqui Cardinalium ſuſceperunt, ſed verbis tantum. Inſtante tandem quinta feria ante Paſcha, in qua de conſuetudine *Romanæ* eccleſiæ, ſolet Papa publicè vel abſolvere vel excommunicare, quibuſdam domini Papæ Silentiariis ad aures nunciorum Regis perferentibus, devenit, quòd Papa eadem die decreverat in Regem *Angliæ* nominatim, & in omnes terras ſuas de communi fratrum ſuorum conſilio interdicti ferre ſententiam, & eam, quæ lata fuerat in Archiepiſcopum *Eboracenſem* & alios *Angliæ* epiſcopos, confirmare. Sic nuncii Regis in arcto poſiti, quibuſdam Cardinalibus domino Papæ ſuggerentibus, quòd iidem nuncii à Rege *Anglorum* acceperant in mandatis, ut jurarent Regem *Anglorum*, ejus & Cardinalium judicio ſtaturum, & per omnia pariturum. Sicut etiam nuncii Regis petierunt, ita juraverunt & interdicti ſententiam declinarunt. Nuncii verò *Eboracenſis* Archiepiſcopi & aliorum epiſcoporum *Angliæ* idem fecerunt. Eadem tum die Papa excommunicavit ſceleratiſſimos interfectores beati *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi & martyris, & omnes qui conſilium,auxilium vel conſenſum præbuerunt, & omnes qui eos in terra ſua reciperent, aut faverent. Ipſi tamen moram fecerunt in Caſtello Regis apud *Cuaresburc* per annum.

Legati ab Anglorum Rege Romam mittuntur, quò Regem de morte Thomæ *Archiepiſcopi purgent.*

EODEM anno, circa Paſchalem ſolennitatem, Dominus Jeſus Chriſtus, qui in ſanctis ſuis ſemper eſt & ubique mirabilis, glorioſiſſimi martyris ſui *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi vitam laudabilem & inſuperabilem in morte conſtantiam,crebris cœpit irradiare miraculis: ut qui pro tuenda libertate periclitantis eccleſiæ, ſuam ſuorumque proſcriptionem tot annis ſuſtinuit patienter, dignum pro meritis cognoſcatur ab omnibus reportaſſe triumphum. De

ſepulchro

1173.

ſepulchro quoque martyris glorioſi, nullus in fide accedens, recedit vacuus, quacumque ſit infirmitate gravatus. Nam reſtituitur ibi claudis greſſus, ſurdis auditus, cœcis viſus, loquela mutis, ſanitas leproſis, vita mortuis, & non ſolùm utriuſque ſexus homines, verùm etiam aves & animalia de morte reparantur ad vitam. Eodem quoque anno Rex Anglorum *Henricus*, octavo Idus Auguſti in *Angliam* rediens, viſitavit *Henricum* Wintonienſem epiſcopum, jam in extremis agentem. Qui pro morte *Thomæ* martyris glorioſi duriſſimè ipſum increpans, multa ipſum prædixit adverſa paſſurum. Epiſcopus autem plenus dierum, octavo Idus Auguſti migravit ad Dominum.

Rex Anglorum Hyberniam hoſtiliter intrat.

PER idem tempus Rex Anglorum *Henricus* decimo quinto Kalendas Novembris hoſtiliter *Hiberniam* intravit, ubi Archiepiſcopi & Epiſcopi ipſum in Regem & Dominum receperunt, & ei fidelitatem juraverunt. Regulus de *Limelie*, Regulus de *Chore*, & Regulus qui Monoculus dicebatur, ei homagium juraverunt. *Rodericus* autem Regulus de *Comnat*, quia regio quam inhabitabat, inacceſſibilis eſt, paludibus nimiis interjacentibus, in quibus nec vada commoda, nec pontes pervii, nec navigatio tuta habetur, Regi occurrere ſuperſedit. Eodem anno in feſto ſancti *Nicolai*, apud *Albemarliam*, *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus, præſtito juramento, quòd ante coronationem novi Regis literas prohibitionis à domino Papa nequaquàm ſuſceperat, & quòd ſe Regi de conſuetudinis regni obſervandis non obligaverat, quódque mortem *Thomæ* glorioſi martyris, nec verbo, nec ſcripto, nec facto ſcienter procuraverat, ad officii ſui eſt plenitudinem reſtitutus.

POST mortem beati *Thomæ* martyris ferè anno integro, ecclesia *Cantuarienſis* à divinis ceſſans obſequiis, continuis perſtitit in lamentis, ſubverſum eſt eccleſiæ pavimentum, ſonus eſt campanarum ſuſpenſus, nudati ſunt parietes ornamentis, & ſic quaſi in cinere & cilicio exequias in triſtitia & mœrore perſolvit. Sed tandem ad matris ſuæ *Dorobornenſis* eccleſiæ vocationem, in feſto ſancti *Thomæ* Apoſtoli, ſuffraganei convenerunt epiſcopi, ut eccleſiam, longa ſuſpenſione conſternatam, juxta mandatum domini Papæ, in ſtatum priſtinum reformarent. *Bartholomæus* igitur *Exonienſis* epiſcopus, ad petitionem conventus, Miſſam celebraturus ſolennem, & ſermonem ad populum habiturus, ſic exorſus eſt. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificant animam meam.*

Qui Regem Henricum juniorem adverſus Patrem inflammarunt.

ANNO Domini M. CLXXII. in nocte Natalis Domini, tonitrua audito ſunt generalia, in *Anglia* ſcilicet, *Hybernia* & *Gallia*, ſubita & horribilia, orbem fortaſsè ad nova beati *Thomæ* martyris miracula, ex diverſis partibus invitantia, ut ſicut ſanguinem ſuum pro univerſali perfudit eccleſia, ita ejus paſſio ſit generaliter ab omnibus piis deſideriis recolenda. Eodem tempore, Rege *Anglorum* moram faciente in *Hybernia*, *Hugo Deſemtemore*, & *Radulphus* de *Faie* avunculus *Alienor* Reginæ, conſilio ipſius (ut dicitur) Regis *Henrici* junioris animum cœperunt avertere à patre ſuo: aſſerentes incongruum videri, Regem quemlibet eſſe, & dominationem in regno debitam non habere. Sed Rex pater antequàm ab *Hybernia* rediret, apud *Liſſemor* Concilium congregavit, ubi leges *Angliæ* ab omnibus ſunt gratanter receptæ, & juratoria cautione præſtita, confirmatæ. Urbes & caſtella, quæ Rex in ſua receperat, ſub fideli cuſtodia deputavit. Et quoniam varia ipſum trahebant negotia, in die Paſchæ ſub ipſius diei crepuſculo navem aſcendens, in craſtino applicuit in *Walliam*. Et inde *Porceceſtriam* veniens, navigatione fœlici in *Normanniam* eſt tranſvectus. Et confeſtim ad Cardinales à Papa miſſos, *Albertum* & *Theodivum* accedens, poſt longos tractatus, in præſentia eorundem Legatorum juravit, mortem *Thomæ* martyris glorioſi, nec voluntate ſua vel conſcientia perpetratam fuiſſe, nec ſuo artificio perquiſitam.

Quibus conditionibus abſolutionem Rex Henricus impetravit.

Sed quoniam malefactores, ex verbis, quæ Rex iracundiæ calore ſuccenſus, minùs cautè protulerat, & quoniam videlicet nequiſſimos commilitones educaverat & clientes, qui ipſum in proditorem ſuum Archiepiſcopum voluerunt vindicare; occaſionem virum Dei ſumpſerant perimendi: Rex cum ſumma humilitate abſolutionem poſtulans, impetravit. Promiſit igitur Rex ad mandatum Legatorum, quòd tantum daret de pecunia ſua, unde ducenti milites ad defenſionem terræ ſanctæ poſſent ſuſtentari per annum. Promiſit inſuper, quòd permitteret deinceps appellationes liberè fieri, & quòd conſuetudines, quæ ſuis erant introductæ temporibus contra libertates eccleſiæ, in irritum revocaret, & quòd poſſeſſiones *Cantuarienſis* eccleſiæ, quæ poſt receſſum Archiepiſcopi ablatæ fuerant, integræ redderentur. Promiſit prætereà, quòd clericis & laicis utriuſque ſexus, qui pro beato martyre de regno exierant, cum pace ſua recipere bona omnia, & liberè redire licebit. Et hoc totum promittere & jurare ac facere ex parte domini Papæ Regi injunctum eſt, in remiſſionem omnium peccatorum. Rex verò juvenis, quicquid Rex pater juraverat & promiſerat, ipſe juravit & promiſit. Et his ita geſtis, Rex juvenis cum ſponſa ſua *Margareta*, menſe Auguſti in *Angliam* transfretavit, & duodecimo Kalendas Septembris apud *Wintoniam*, præfatam *Margaretam Rothrodus Rothomagenſis* Archiepiſcopus, in Reginam *Angliæ*, miniſtrantibus ſibi quibuſdam ſuffraganeis *Cantuarienſis* eccleſiæ, conſecravit. Eodem anno, *Gilebertus* Londonienſis epiſcopus, præſtito juramento quòd mortem beati *Thomæ* martyris nec verbo, nec facto, nec ſcripto ſcienter procuravit, ſuo eſt officio reſtitutus.

ANNO Domini M. CLXXIII. Rex Anglorum *Henricus*, *Johanni* filio ſuo, cognomento *Sine terra*, vix ſeptennem filiam *Huberti* comitis de *Moriana* primogenitam, quam ex

1173. relicta *Henrici* ducis ſuſtulerat, in ſponſam accepit. Eodem etiam anno *Robertus* Abbas *Becceñſis*, pridiè Nonas Martii apud *Lamehitham*, præſentibus ſuffraganeis eccleſiæ *Cantuarienſis*, in Archiepiſcopum præfatæ eccleſiæ eſt electus. Sed Abbas ille electioni factæ penitùs contradixit, utrùm puſillanimitis intuitu, an religionis, incertum eſt.

Rex Henricus *juvenis, à Patre deficit.*

EODEM anno, Rex *Henricus* juvenis in conſilio abiens impiorum, animum ſuum à patre divertit, & ad ſocerum ſuum Regem *Francorum* ſucceſſit. Quo facto, *Richardus* dux *Aquitanniæ* & *Gaufridus* comes *Britanniæ*, conſilio matris ſuæ (ut dicebatur) *Alienor* Reginæ, fratrem potiùs elegêrunt ſequi, quàm patrem. Fiunt undique conjurationes, fiunt rapinæ & incendia, & ſic ut creditur, in ultionem beati *Thomæ* martyris ſuſcitavit Deus viſcera Regis *Henrici* contra eum, videlicet filios ſuos, qui ipſum uſque ad mortem perſequuti ſunt, ſicut ſequens hiſtoria declarabit. Eodem anno *Radulphus* de *Warnevilla*, ſacriſta *Rothomagenſis* & theſaurarius *Eboracenſis*, conſtitutus eſt Angliæ *Cancellarius*. Per idem tempus, ad inſtantiam Cardinalium *Alberti* & *Theodivi*, Rex Anglorum *Henricus* liberas fieri electiones vacantium eccleſiarum conceſſit. Porrò *Richardus* Pictavienſis Archidiaconus ad *Wintonienſem*, *Gaufridus* Archidiaconus ad *Helienſem*, *Gaufridus Lincolnienſis* Archidiaconus ad *Lincolnienſem*, *Reginaldus Sariſberienſis* Archidiaconus ad *Bathonienſem*, *Robertus Oxonienſis* Archidiaconus ad *Herefordenſem*, & *Johannes Ciceſtrenſis* Decanus ad *Ciceſtrenſem* eccleſias ſunt electi; Regis Juſtitiario aſſenſum præbente.

Richardus *Prior* Dovernenſis *in Archiepiſcopum* Cantuarienſem *eligitur.*

EODEM anno, pridiè nonas Julii, ſuffraganei *Cantuarienſis* eccleſiæ, & ejuſdem loci ſenior pars conventus de electione Archiepiſcopi tractantes, elegerunt *Richardum* Priorem *Dovernenſem*. Igitur electione facta, electus ille, Regi fidelitatem juravit, ſalvo ordine ſuo, nulla prorſus habita mentione de regni conſuetudinibus conſervandis. Acta autem ſunt hæc, apud *Weſtmonaſterium* in capella ſanctæ *Katherinæ*; juſtitiario aſſenſum præbente. In hoc quoque concilio, recitatæ fuerunt literæ domini Papæ: in audientia epiſcoporum omnium ac Baronum, hæc inter cætera continentes. *Univerſitatem veſtram monemus, & authoritate qua fungimur diſtrictè præcipimus, ut natalem* Thomæ *martyris glorioſi* Cantuarienſis *olim Archiepiſcopi, diem videlicet paſſionis ejus ſolenniter ſub annis ſingulis celebretis, & apud eum, votivis orationibus ſatagatis peccatorum veniam promereri: ut qui pro* Chriſto *in vita exilium, & in morte virtutis conſtantia martyrium pertulit paſſionis fidelium jugi ſupplicatione interpellatus, apud Deum pro nobis intercedat.* Apicibus autem vix perlectis, levaverunt vocem omnes in ſublime dicentes: *Te Deum laudamus.* Et quoniam ſuffraganei ejus debitam patri reverentiam aut exulanti, aut ab exilio revertenti, vel etiam reverſo non exhibuerant, ſed potiùs fuerant perſecuti, ut ſuum publicè omnibus confiterentur errorem, & iniquitatem, ex ore unius epiſcopi, omnium epiſcoporum eſt expreſſa confeſſio dicentis: *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, ut qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, beati* Thomæ *martyris tui atque pontificis interceſſione liberemur.* Eodem anno, *Maria* ſoror ejuſdem martyris, Rege jubente, facta eſt Abbatiſſa *Berkingenſis*. Per idem tempus Rex *Henricus* juvenis, caſtrum *Gornaci* obſedit, & cepit in eo *Hugonem* dominum caſtri, & filium ejus, cum viginti quatuor militibus, caſtrum ſuccendit, & burgenſes ad redemptionem coëgit. Quo etiam tempore *Robertus* comes *Legeceſtrenſis*, & cum eo *Willielmus* de *Tankervilla*, cum multis Comitibus & Baronibus, Regem patrem relinquentes, ad Regem filium transfugium fecerunt. Ipſo anno quoque vir prudens & religioſus *Willielmus* Abbas *Redingiæ* aſſumptus eſt in Archiepiſcopum *Burdegalenſem*.

Rex Francorum Normanniam *depopulans monitus à Rege* Anglorum *repetit* Galliam.

EODEM anno, Rex *Francorum Lodowicus* ad *Normanniam* penitùs devaſtandum, innumerabilem exercitum congregavit. Qui quantocius *Normanniam* ingreſſus, caſtrum *Albaremalenſe* cepit, & *Willielmum* ejus dominum cum comite *Simone* & pluribus aliis ad ditionem coëgit. Demùm cepit caſtrum *Driencourt*, & cuſtodiæ deputavit. Indéque ad caſtrum *Archis* progrediens, amiſit in itinere *Bononiæ* comitem: unde comes *Flandrenſis* de morte comitis fratris ſui animo nimis conſternatus, ad própria remeavit.

Patientia Regis Henrici.

Rex *Henricus* ſenior, inter hæc omnia *Rothomagi* morabatur, æquo animo, ut populo viſum eſt, ferens ea quæ fiebant, & ſolito frequentiùs venatui indulgens, ad ſe venientibus vultum hilariorem prætendit. Dilabebantur autem ab eo hi, quos ab annis puerilibus educaverat: credentes dominationem filii ilicò imminere. Sedente quoque Rege *Francorum* cum Rege filio Regis, in obſidione *Vernolii*, Rex pater nuncios direxit ad Regem *Francorum*, mandans ut cum feſtinatione à *Normannia* recederet, alioquin ipſum eo die hoſtiliter viſitaret. Quod audiens Rex *Francorum*, cum ſciret Regem *Anglorum* eſſe potentiſſimum, & animo amarum, fugam inire potiùs quàm pugnare decrevit, & ſic à facie Regis *Anglorum* fugiens, intra *Galliam* ſe cum feſtinatione recepit.

Legeceſtria *capitur.*

EODEM anno, quinto Nonas Julii, Rege jubente, obſeſſa *Legeceſtria* dicitur, eo quòd comes dominus urbis, Rege patre relicto, ad Regem filium confugit. Sed urbe tandem pro maxima parte combuſta, cives de pace tractaverunt, datis Regi trecentis libris, ut haberent, quò vellent, licentiam abeundi. Conceſſa eſt ergò eis tali conditione licentia, ut in urbibus Regiis vel Caſtellis locum ſuſciperent habitandi. Diſperſi ſunt nobiles civitatis: & quia Regem nimis in defenſione ſuæ civitatis offenderant, locum tuti refugii quærebant, ut minas & gravamen Regis evaderent. Tunc igitur ad terram ſancti *Albani* Anglorum proto-

1174.

ptotomartyris, & ſancti *Eadmundi* Regis & martyris, quaſi ad ſinum protectionis confugerunt. Quia tunc temporis tanta fuit eorum reverentia, ut eorum Burgi, omnibus transfugis, aſylum & tutam protectionem ab hoſtibus præbuerint. Illis autem abeuntibus, ſubverſæ ſunt portæ civitatis, pars murorum deſtructa eſt, militibus caſtello incluſis dantur induciæ uſque ad feſtum ſancti *Michaelis*, & ſic quinto Kalendas Auguſti obſidio eſt ſoluta. Quo facto, Rex *Scotorum Willielmus*, provinciam *Northanhumbrorum*, quæ *David* Regi avo ſuo data fuerat, & longo tempore poſſeſſa, à Rege repetens, repulſam invenit. Qui exercitum congregans tam *Wallenſium* quàm *Scotorum*, per fines epiſcopi *Dunelmenſis* ſecurum habuit tranſitum, donec villis quàm pluribus ſuccenſis, mulieribus & parvulis interfectis, prædam inæſtimabilem congregavit. Ad propulſandam ergò tantam injuriam, magnates *Angliæ* occurrentes, Regem *Scotorum* ad ſua redire compulerunt. Qui ejus veſtigia inſequentes, totum *Londoneſium* incendio tradiderunt. Quicquid extra muros reperiunt, *Anglis* ceſſit in prædam, & ſic ad inſtantiam Regis *Scotorum*, datis uſque ad feſtum ſancti *Hilarii* induciis, magnates *Angliæ* cum victoria remearunt.

Aſyla Angliæ.

Scoti Angliam *depopulantes ad ſua redire coguntur.*

AUDIENS autem *Robertus* comes *Legeceſtrenſis*, quæ de civitate ſua facta fuerant; tractus dolore cordis intrinſecùs, cum uxore in *Angliam* reverſurus, per *Flandriam* tranſitum fecit. Ubi *Normannorum* & *Flandrenſium*, tam equitum quàm peditum, plurima ſibi ſuffragante caterva, naves aſcendit, & velis in altum expanſis, applicuit in *Suthfolca* apud *Waletunam*, tertio Kalendas Octobris. Qui navibus cum feſtinatione egreſſus, caſtrum ejuſdem villæ obſedit, ſed nihil omninò profecit. Indéque progrediens, tertio Idus Octobris caſtellum de *Hagenet* invaſit, cepit & ſuccendit, & milites triginta intus captos ad redemptionem coëgit. Regrediens inde ad *Framingham*, cùm mora ejus onerosa *Hugone Bigod* caſtelli Domino videretur, neceſſitate ductus, animum direxit, & greſſum ad *Legeceſtriam* viſitandum. Iter igitur arripiens, propoſuit *Burgum* ſancti *Eadmundi* ex induſtria itinerans, ſiniſtrare. Quod exercitum Regis *Angliæ*, qui ad patriæ illius cuſtodiam fuerat aſſignatus, non latebat. Stipatus ergò comes *Legeceſtrenſis* milite copioſo, qui paratus ad pugnam erat in tribus millibus *Flandrenſium*, quos viæ participes tunc habuit, non minimùm confidebat. Inito itaque certamine, & ictibus ictuum aſſiduitate compreſſis, poſt belli varios eventus, Comes & Comitiſſa, *Flandrenſes*, *Normanni*, & *Franci*, & qui cum eis venerant omnes capiuntur, decimo ſexto Kalendas Novembris, & vinculis mancipantur. Comitiſſa verò ſuperba nimis annulum habens in digito cum gemma pretioſiſſima, in amnem propè fluentem præ indignatione projecit, nolens hoſtes ſuos de ſua captione tantum habere proventum. Tandem pars major *Flandrenſium* occiditur, pars quædam ſubmergitur, pars minima ad vincula trahitur ſubeunda, quò carcerali cuſtodiæ deputetur.

Comes Legeceſtrenſis *cum copiis ſuis in* Angliam *trajicit.*

Comes cum ſuis ſuperatus & captus.

REGE *Anglorum* patre apud *Rothomagum* commorante, nunciatum eſt ei, electam Regis filii ſui militiam apud *Dolenſem* urbem à ſuis à *Brebanciis* & ruptariis circumcluſam. Qui continuò equos aſcendens, ſequenti mane ad urbem pervenit memoratam, & militiam filii ſui, ſibi repugnantem per dies paucos comprehendit. Sed priuſquam veniret, hoſtium ſuorum maxima multitudo à ſuis ruptariis fuerat interempta. Captus eſt ibidem comes *Ceſtrenſis Ranulphus*, qui nuper tranſfugium fecit ad filium ſuum dominum Regem juniorem. *Radulphus* quoque de *Fulgeriis*, *Willielmus Patricius*, *Radulphus* de la *Haie*, *Haſculphus* de ſancto *Hilario*, & cum iſtis milites viginti quatuor. Eodemque tempore magnates *Angliæ* cum exercitu infinito ad *Hugonis Bigod* ſuperbiam reprimendam, contra ipſum profecti ſunt, & cum de facili poſſet expugnari, ſicut omnibus videbatur, interventu pecuniæ, datis & acceptis induciis uſque ad Pentecoſten, quatuordecim millia *Flandrenſium* armatorum ſtipendiariorum ſtipato agminibus, per *Eſſexiam* & *Cantiam* ſecurum epiſcopi præbuerunt conductum, & apud *Doveram* naves ad transfretandum paraverunt. Sed nunquam ultra illud tempus comes ad plenum reſpiravit. Eodem anno electus *Cantuarienſis Romam* proficiſcens, habuit in comitatu *Bathonienſem* electum.

ANNO Domini M. CLXXIV. *Rogerus* de *Molbraio* à fidelitate Regis ſenioris recedens, in inſula *Axiholm* caſtellum ab antiquo dirutum reparavit. Ad quem multitudo *Lincolnienſium* navigio tranſvecta, caſtellum obſedit, Conſtabularium & milites omnes ad deditionem coëgit, & caſtellum ſubvertit. Eodem tempore, pridiè Kalendas Maii, Rex *Anglorum* ſenior, cùm audiſſet militiam *Richardi* filii ſui urbem *Xantonicam* occupaſſe, ſumptis ſecum *Pictavienſibus*, ad ejus liberationem proceſſit. Milites illi nec Deo nec ſanctæ eccleſiæ reverentiam exhibentes, majorem ingreſſi eccleſiam ipſámque in caſtellum redigentes, armis & victualibus impleverunt. Cùm autem Rex hoſtes in tribus munitionibus confidere edoctus fuiſſet, ad eos invadendum operam impendit. Duobus igitur munitionibus ilicò ſubjugatis, ad majorem eccleſiam militibus armatis & latrocinatoribus refertam, acceſſit, ita ut non eam impugnaret, ſed à ſordibus liberaret. Capti ſunt autem tam in eccleſia, quàm in aliis locis milites ſexaginta, cum baliſtariis quadringentis. Poſitis igitur in ſecuritate finibus illis, Rex in *Normanniam* reverſus eſt, neceſſitate compulſus. *Philippus* enim Comes *Flandrenſis*, præſente Rege *Francorum Lodowico* & majoribus regni illius; tactis ſacroſanctis reliquiis, juraverat, quòd infra dies quindecim, poſt inſtans feſtum ſancti *Johannis*, in manu robuſta *Angliam* intraret, & Regis eam juvenis ſubjiceret poteſtati. Qua fiducia Rex junior

1174. tractus, pridiè idus Julii apud *Witſant* venit, *Radulphum* de la *Haie* in *Angliam* cum multa militia tranſmiſſurus. Comes *Flandrenſis* trecentos & octodecim milites probatiſſimos ad transfretandum præmiſit: ſed poſtquàm apud *Arewellam* in *Angliam* ſunt appulſi, decimo octavo Kalendas Julii, ſociis eorum maxima ex parte periclitatis, *Hugonum Bigod* comitem ſecum ilicò aſſumpſerunt. *Norwicum* invadentes ceperunt, & infinitam inde pecuniam ſuſtulerunt, multos abduxerunt captivos decimo quarto Kalendas Julii, & ad redemptionem graviſſimam compulerunt. Quod videntes Juſticiarii Regis, de conſilio communi miſerunt ad Regem, *Richardum Wintonienſem* electum, qui pericula, quæ *Angliæ* imminebant, fideliter intimaret. Qui celeriter in *Normanniam* tranſvectus, omnia quæ fiebant in *Anglia*, remota falſitate, narravit.

Norwicum captum.

Rex Henricus *in* Angliam *trajicit.*

REX autem talem nuncium debita cum veneratione ſuſcipiens & ſe ad transfretandum præparans, Reginam *Alienor*, Reginámque *Margaretam*, filium & filiam *Johannem* & *Johannam*, ſecum adduxit. Comitem quoque *Legeceſtrenſem*, & comitiſſam, alióſque quàm plures, quos habebat in vinculis, ante faciem ſuam *Barbeſluvium* præmiſit. Ubi navibus congregatis, cum innumera armatorum copia impiger naves conſcendit, ſed ventus in contrarium veniens, tranſitum ea die nautis reddebat ſuſpectum. Cùm autem mare Rex turbulentum cognoviſſet, erectis in cœlum luminibus, palam cunctis audientibus ait: *Si ea quæ ad pacem ſunt cleri & populi habeam in propoſito, ſi pacem in adventu meo dare Rex cœlorum diſpoſuerit, tunc pro ſua miſericordia indulgeat mihi portum ſalutis. Si autem adverſus fuerit, & regnum Angliæ in virga furoris viſitare decreverit, nunquam mihi concedat fines attingere regionis.* Oratione itaque completa, ipſa die tranquilla navigatione cum rerum indemnitate, ad portum *Hamonis* applicuit. Deinde in pane jejunans & aqua, ab ingreſſu civitatum abſtinuit, quouſque vota orationum perſolveret mente concepta beato *Thomæ Cantuarienſi* Archiepiſcopo, ac martyri glorioſo. Cùm autem *Cantuariæ* appropinquaſſet, equo deſiliens, & Regiam majeſtatem prorſus deponens, nudus pedes, faciem peregrinantis, pœnitentis & ſupplicantis aſſumens, tertio Idus Junii feria ſexta, ad eccleſiam majorem pervenit, & cum gemitibus & ſuſpiriis alter *Ezechias* lacrymarúmque affluentia, petiit ſepulchrum martyris glorioſi. Ubi toto corpore proſtratus, manibúſque in cœlum expanſis, diutiùs in oratione permanſit. Interim per os epiſcopi *Londonenſis* ſermonem ad populum habentis, Rex Deum & martyrem beatum in animam ſuam invocans, publicè proteſtatus eſt, quod mortem martyris nec mandavit, nec voluit, nec ſuo artificio perquiſivit. Sed quoniam interfectores martyris glorioſi, ex verbis ejus non ſatis circumſpectè prolatis, occaſionem ſumpſerant Archiepiſcopum perimendi, ab epiſcopis, qui tunc præſentes erant, abſolutionem petiit, carnémque ſuam nudam diſciplinæ virgarum ſupponens, à ſingulis viris religioſis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos excepit. Veſtibus igitur reſumptis, muneribus pretioſis martyrem honoravit, aſſignans inſuper annui cenſus quadraginta libras, ad luminaria circa ſepulchrum martyris continuanda, reliquúmque diei ac noctis ſequentis, in amaritudine mentis tranſegit. Orationibus igitur, vigiliis & jejuniis deditus, uſque in diem tertium ab alimentis abſtinuit. Unde beatum martyrem ſibi reddens placabilem, ipſa die ſabbathi, quia ſibi ab eo indulgentiam dari poſtulabat, tradidit Deus Regem *Scotiæ Willielmum* in manus ſuas, apud *Richemont* Caſtellum, cuſtodiæ mancipatum. Ipſa etiam die Sabbathi Rex filius ejus, navibus, quas congregaverat ad transfretandum in *Angliam*, ut eum ſubjugaret, diſſipatis penitùs, & ferè ſubmerſis, coactus eſt ad *Galliam* redire.

Diſciplina Henrici *ſecundi.*

Rex Scotorum *capitur.*

DE captione Regis *Scotorum*, ut breviter dicatur, dum *Northanhumbriam* intraret, ſicut in anno præterito, ut eam ſubjugaret, & ſuo regno hoſtiliter copularet, occurrerunt ei magnates regionis, & commiſſo campeſtri prælio, ipſum ceperunt, & vinculis arctioribus conſtrinxerunt. De formicis autem *Scoticis* tot interfectæ referuntur, quòd numerum omnem excedere dicebantur. Rege autem apud *Richemont* caſtellum carcerali cuſtodiæ deputato, videtur impleta *Merlini* Prophetia dicentis: *Dabitur Maxillis ejus frænum, quod in Armorico ſinu fabricabitur.* Sinum *Armoricum* vocans caſtellum de *Richemont*, ab *Armoricis* principibus, & tunc ab antiquis temporibus hæreditario jure poſſeſſum. Ut autem veraciter perſtringamus beneficia, quæ Regi *Henrico* Deus poſt ſatisfactionem, quam ſibi exhibuit & beato martyri, & in articulo temporis præſtitit per ejuſdem ſancti interceſſionem, intelligamus ea quæ ſequuntur. Rex autem *Henricus* votis orationum completis, à *Londonienſibus* ſuſceptus eſt reverenter. Inde ad *Huntendonam* progrediens, caſtellum obſedit & ſubjugavit, decimo quarto Kalendas Auguſti. Ubi milites *Legeceſtriæ* ad Regem accedentes, reddiderunt Caſtella de *Grobi* & *Muntſorell*, ut cum Domino ſuo mitiùs ſe haberet, Undecimo Kalendas Auguſti, proceres *Norenſes*, ducem habentes electum *Lincolnienſem*, Regis videlicet filium, *Maleſſart* Caſtellum *Rogeri* de *Molbraio*, viribus ſubjugarunt. Rex *Henricus*, turmis militaribus undique ad eum confluentibus, cùm apud ſanctum *Eadmundum* copioſum congregaſſet exercitum, duo caſtella *Hugonis Bigod*, *Bungeie* & *Framingham* obſidere decrevit. Comes autem non habens fiduciam reſiſtendi, datis mille marcis cum obſidibus, pacem Regis obtinuit, octavo Kalendas Auguſti. Tunc multitudo *Flandrenſium*, quam *Philippus* comes in *Angliam* miſerat, ut præmiſſum eſt, præſtito juramento,

Prophetia Merlini.

quòd

quòd fines *Angliæ* ampliùs hoſtiliter non intrarent, cum licentia Regis ad propria remeavit. Militia etiam Regis juvenis, cui præerat *Radulphus* de la *Haie*, abſque impedimento ab *Anglia* receſſit. *Robertus* comes de *Ferrariis*, & *Rogerus* de *Molbraio*, quorum Caſtella *Treſe* & *Stutebiri*, tunc obſidebantur à Rege, miſſis ad Regem legatis, pacem ejus impetrârunt. *Willielmus* comes *Gloverniæ*, & *Richardus* comes de *Clare*, Regi occurrêrunt, ſuo mandato in omnibus pariturì. Sic Rex magnificus per interceſſionem martyris glorioſi, hoſtibus ſuperatis, & rebus *Angliæ* pacificatis, ſeptimo Idus Auguſti in *Normanniam* transfretavit, ducens ſecum Regem *Scotorum*, Comitem *Legeceſtrenſem*, & *Hugonem* de *Caſtello*, quos in vinculis retinebat. 1175.

CUM autem Rex *Henricus* tertio Idus Auguſti applicuiſſet, invenit *Rothomagenſem* civitatem obſeſſam. *Lodowicus* enim Rex *Francorum* & *Henricus* Rex juvenis, cum comite *Flandrenſi Philippo*, in abſentia Regis *Anglorum*, cum exercitu copioſo ſupervenerant, & requiem non dederant civibus obſeſſis. Sed Rex *Francorum*, cùm *Anglorum* Regem ſupervenire didiciſſet, ſuccenſis machinis, non ſine famæ diſpendio receſſit: atque in ejus fuga milites *Anglorum* arma plurima & inſtrumenta bellica rapuerunt. Eodem anno Archiepiſcopus *Cantuarienſis* à *Roma* rediens, pallium & primatum *Angliæ* reportavit. Veniens apud *Londonias* tertio Kalendas Septembris, vacantium eccleſiarum perſonas principales quæ ſibi paſtores elegerant, convocavit. Ubi electionibus confirmatis, *Wintonienſem*, *Helienſem*, *Herefordenſem* & *Ciceſtrenſem* electos pariter conſecravit. *Gaufridus* verò *Lincolnienſis* electus, quia nondum electio ejus fuerat confirmata, transfretavit in propria perſona, *Romam iturus*, vel ad ipſam nuncios tranſmiſſurus.

Rothomagum obſeſſum.

ANNO Domini M.CLXXV. *Lodowicus* Rex *Francorum* & comes *Flandrenſium*, ſumptibus tædioſis affecti, quos pro Rege *Anglorum* juvene impenderant, & damna ſibi ac ſuis illata, & interfectiones ad memoriam revocantes, promiſerunt ſe velle ab infeſtatione *Normannorum* animum revocare. Unde filios Regis *Angliæ*, quos paternam maledictionem, odium cleri, populorum imprecationem noverant incurriſſe, ut ad patris gratiam redire poſſent, ſummoperè ſatagebant. Rex *Angliæ* igitur per internuncios omnes adverſarios ſuos ad pœnitentiam revocatos intelligens, ipſos apud *Cœnomanniam* ad ſuum venire colloquium procuravit: ubi à *Gaufrido* primitùs, & *Richardo* filiis ſuis homagium & fidelitatem accepit. Poſt dies autem paucos, apud *Burum* in *Normannia* venit ad eum Rex filius ejus, cum Archiepiſcopo *Rothomagenſi*, & aliis epiſcopis & baronibus multis, & cum multa lacrymarum effuſione ad pedes patris proſtratus, miſericordiam precabatur. Rex autem formam induens patrisfamilias, redeunte filio ſuo prodigo, motus pietate ſuper filio, quem totis viſceribus diligebat, intelligens eum ex corde loqui, iram & omnem ei indignationem remiſit, atque ejus homagium, addito juramento, ſuſcepit. Omnibus igitur benè pacificatis, & oſculis undique ex corde collatis, Rex pater milites nongentos & ſexaginta novem, quos tempore belli ceperat, ſine redemptione à vinculis ſolvit, paucos verò, quorum facinus enorme principem manſuetiſſimum ad iracundiam provocaverat, arctiori cuſtodiæ tradidit mancipandos. Rex verò filius, eodem modo milites quos jure belli ceperat, quorum numerus ad centum & eo ampliùs excreverat, ſine pecunia relaxavit. Tunc Rex pater, literas in omnes fines ſuæ dominationis formam hujus pacis continentes direxit, ut omnes quos generale diſcrimen belli afflixerat, communis lætitia recrearet. Continebant inſuper literæ, quòd omnia caſtella quæ munita fuerant tempore belli contra ipſum, ad illum redigerentur ſtatum in quo erant, quando guerra incepit. Eodem anno Concilium generale habitum eſt apud *Weſtmonaſterium*, quinto decimo Kalendas Julii; præſidente *Richardo Cantuarienſi* Archiepiſcopo & Apoſtolicæ ſedis legato. *Rogerus* verò *Eboracenſis* Archiepiſcopus, Concilio noluit intereſſe. Obiit quoque *Reginaldus* Comes *Cornubiæ*: *Hugo Petroleonis* diaconus Cardinalis, venit Legatus in *Angliam*; & præſtitit authoritatem tradendi clericos ante judicem ſæcularem, pro foriſfacto foreſtæ & laico feudo in favorem Regis.

Pax inter Henricum tertium & Patrem.

EODEM anno, *Willielmus* Rex *Scotorum* apud *Falcſiam* tentus in vinculis, cùm Rege *Anglorum* pacem fecit in hunc modum, ſexto idus Decembris. *Rex Scotorum devenit homo ligius Regis Anglorum, de regno Scotiæ & omnibus terris ſuis, & homagium fecit ei & ligeantiam ut Domino ſuo ſpeciali, &* Henrico *filio ejus, ſalva fide patris ſui.* Et ſimiliter omnes epiſcopi cum Comitibus ac Baronibus de regno *Scotiæ*, de quibus Rex *Anglorum* homagium voluit & fidelitatem habere. Et non ſolùm ſibi, ſed & ſucceſſoribus Regis, ipſe & ſucceſſores ſui in perpetuum, ſine malo ingenio, caverunt. Hæc eſt forma chartæ vera, quæ eſt in theſauro, ubi appenſa ſunt omnia ſigilla epiſcoporum & Baronum *Scotiæ*. *Rex præterea Scotorum & omnes homines ſui, nullum amodò fugitivum de regno* Angliæ *receptabunt in* Scotia, *nec in alia terra ſua: ſed Rex* Scotiæ *& homines ejus eum capiunt, & illum Regi* Anglorum *vel ſuis Juſticiariis reddent.* Pro hac autem conventione & ſine firmiter obſervando, dedit Rex *Scotorum* Regi *Anglorum* & ſucceſſoribus ſuis Caſtella de *Berwicke*, de *Rokesburc* in perpetuum poſſidenda. Et ſi Rex *Scotorum* aliquo tempore contra hoc venire tentaverit, epiſcopi *Scotiæ* cum Comitibus & Baronibus contra Regem ſuum tenebunt, & epiſcopi terram ejus ſub interdicto ponent; donec ad Regis *Anglorum* obſequium revertatur. Igitur Rex

Conditiones quibus Rex Scotorum carcere liberatus, pacem obtinuit.

Scotorum

1176. *Scotorum* datis obſidibus, rediit in *Angliam*, ſub libera deputatus cuſtodia, donec Caſtella, quæ Regi pepigerat, pro illius arbitrio redderentur. Caſtella verò per *Angliam* & *Normanniam* multorum, quæ tempore diſcriminis inter patrem & filium conſtructa fuerant, paſſim everſa ſunt; Rege jubente, filióque non contradicente.

ANNO Domini M. CLXXVI. Reges *Anglorum*, pater & filius, in *Angliam* venientes, per dies ſingulos in eadem menſa ſunt refecti, & idem thalamus fomenta quietis eiſdem de noctibus miniſtravit. Et properantes ſimul, ut beatum *Thomam* martyrem egregium viſitarent, cum omni humilitate orationum & manſuetudine vota peregerunt. Indéque per *Angliam* pariter profecti, pacem ſingulis, & juſticiam tam clericis quàm laicis promiſerunt, & id opere compleverunt. Eodem anno, *Willielmus* de *Branſia* multitudine *Wallenſium* in Caſtello de *Bergamini* callidè convocata, prohibuit, ne quis gladium ferret viator, vel arcum. Sed illis hujuſmodi decreto contradicentibus, capitali omnes ſententia condemnavit. Qui (ut proditionis ſuæ nequitiam quaſi ſub velamine honeſtatis palliatam intelligas) hoc fecit in ultionem avunculi ſui *Henrici* de *Hereford*, quem ipſi in ſancto ſabbato Paſchæ anteà peremerunt. Eodem anno, *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſcopus in dioceſi ſua, quæ ab antiquis temporibus uno tantum fuerat Archidiacono contenta, ultimis his diebus, tres Archidiaconos conſtituit, *Savaricum* ſcilicet, *Nicolaum*, & *Herebertum*. Eodem anno, *Johannes* Decanus *Sarisberienſis* conſecratus eſt antiſtes *Norwicenſis*. Nec multò pòſt rex *Anglorum* fecit complanari caſtella de *Legeceſtria*, *Huntendonia*, *Waletonia* de *Grobi*, & *Stutesberie*, de *Haie* & de *Trec*, & alia quàm plurima; in ultionem injuriarum, quas ipſi frequenter intulerant dominis caſtellorum. Deinde idem Rex per conſilium filii ſui & epiſcoporum, conſtituit Juſticiarios per ſex partes regni, in qualibet parte tres, qui juraverunt, quòd cuilibet jus ſuum conſervarent illæſum.

Tres Archidiaconi per dioceſim Cantuarienſem *conſtituuntur.*

VENIENTE eodem tempore in Angliam *Petro Leone* legato ſedis Apoſtolicæ, quatuor ei Rex conceſſit capitula, quæ ſequuntur in regno *Angliæ* obſervanda. Primò, quod de cætero clericus non trahatur ante judicem ſæcularem perſonaliter pro aliquo crimine vel tranſgreſſione; niſi pro foreſta & laico feudo, unde Regi vel alii domino ſæculari laicum debetur ſervitium. Secundò ut Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, vel Abbatiæ, non teneantur in manu Regis ultra annum, niſi pro cauſa evidenti vel neceſſitate urgente. Tertiò conceſſit, ut interfectores clericorum convicti vel confeſſi, coram Juſticiario regni, præſente epiſcopo puniantur. Quartò quòd clerici duellum facere non cogantur. Eodem anno *Johanna* filia Regis *Siculo* Regi nuptura, quinto Idus Novembris apud ſanctum *Ægidium*, in conſpectu virorum illuſtrium, tradita eſt marito. Quo utique tempore, univerſæ *Angliæ* caſtella ſunt ad imperium Regis cuſtodiæ deputata. Hoc quoque tempore *Willielmus* comes *Glovernia*, cùm filium non haberet, ægrè ferens hæreditatem inter filias dividendam, *Johannem* ſine terra Regis filium ſibi conſtituit ſucceſſorem. *Hugo Petro Leonis* legationis ſuæ curſu cancellato, transfretavit. Rex *Henricus* dedit filiam ſuam juniorem Regi *Apuliæ*, & ſexto Kalendas Septembris transfretavit. Obiit *Richardus* comes de *Strigoil*, comes etiam *Willielmus* de *Arundel* obiit quarto Idus Octobris apud *Waverle*, & ſepultus eſt apud *Wimundham*; cellam ſcilicet eccleſiæ ſancti *Albani*, cujus cellæ patronus fuiſſe dignoſcitur. *Walterus* quoque Prior *Wintonienſis* factus eſt Abbas *Weſtmonaſterienſis*.

Rex Legato Papæ conceſſit quatuor capitula.

CIRCA dies iſtos, *Aldefonſus* Rex *Caſtellæ*, gener Regis *Angliæ*, & *Sanctius* Rex *Navarorum* avunculus ejus; diſcordes ad invicem, miſſis ad Regem *Angliæ* Legatis, ſe ſtaturos illius arbitrio juraverunt. Nunciis quoque apud *Weſtmonaſterium* in præſentia Regis, Epiſcoporum, Comitum, Baronum conſtitutis; illi qui cauſam *Aldefonſi* Regis tuebantur, proponebant: *Santium* Regem *Navarorum* memorato Regi *Caſtellæ*, dum adhuc pupillus eſſet & orphanus, caſtella & terras *Legionum*, videlicet *Navarret*, *Anthlena*, *Aptel*, & *Agoſen*; cum pertinentiis ſuis, quæ pater ſuus, die qua deceſſit, & ipſe pòſt aliquot annos quietè poſſederat, injuſtè & violenter abſtuliſſe: Unde domino ſuo reſtitutionem fieri poſtulabant. Illi autem quibus cauſa *Santii* Regis commiſſa fuerat, nihil eorum quæ ab aliis propoſita fuerant, contradicentes; aſſerebant *Aldefonſum* præfatum, *Santio* prænominata caſtella *Legin* ſcilicet, *Portel*, & caſtellum quòd tenet *Godin*, per guerram & injuſtè abſtuliſſe. Parte altera in nullo ſibi contradicente eorum domino ſuo reſtitutionem fieri pari inſtantia flagitabant. Nuncii prætereà in jure confeſſi ſunt palam, inter Regis præfatos, treugas uſque in ſeptennium fide interpoſita, fuiſſe firmatas. Rex igitur *Anglorum*, habito cum epiſcopis, Comitibus & Baronibus Concilio ſuper querelis prætaxatis, hinc inde violenter & injuſtè ablatis, cùm nihil contra violentiam utrinque propoſitam à parte alterutra reſponderetur alterutri, nec quicquam quo minùs reſtitutiones quas petebant, faciendæ eſſent, allegaretur; plenariam utrique parti ſupradictorum, quæ in jure petita erant, reſtitutionem judicavit. Adjunxit etiam treugas præfatos inter eos fide firmatas, uſque ad conſtitutum terminum eſſe inviolabiliter obſervandas. Judicavit etiam pro bono pacis, ut Rex *Aldefonſus* donet liberaliter *Santio* Regi ſingulis annis uſque ad decennium, tria millia *Marabotinorum*, & ſic pacem haberent ad invicem, & perpetuam amicitiæ firmitatem. In eiſdem ſanè diebus, nuncii *Manuelis Conſtantinopolitani* Imperatoris, nuncii Romani Imperatoris *Frederici*, nuncii *Willielmi Treverenſis* Archiepiſcopi, nuncii Ducis *Saxonici*, nuncii *Flandrenſis*

Aldefonſus Caſtellæ, & Santius Navarræ, *interceſſione Regis* Anglorum *pacem ineunt.*

Sapientia Regis Henric.

comitis

comitis *Philippi*, quos varia trahebant negotia, tanquam ex condicto, pridiè Idus Novembris in curia Regis *Anglorum*, ſimul apud *Weſtmonaſterium* convenerunt. Hæc ideò dicimus, ut notum ſit omnibus, quantæ Rex *Henricus* ſapientiæ fuerit, quantæque magnificentiæ, ad cujus audientiam totius ferè orbis conſilia, & dubia principum diſcutienda, judicio pervenerunt. 1178.

ANNO Domini M.CLXXVII. amotis ab eccleſia *Walthamenſi* canonicis, quos ſeculares vocant, introducti ſunt regulares, authoritate ſummi pontificis, in vigilia Pentecoſtes, Rege procurante *Henrico* & præſente. Et eadem die *Radulphus* Ciceſtrenſis canonicus, de manu *Londonienſis* epiſcopi curam eccleſiæ prædictæ ſuſcipiens, ipſi tanquam Diœceſano de canonica ſubjectione ſervanda, verbis ſe obligavit expreſsè. Et fratribus cum eo introductis, Prior eſt ab eodem epiſcopo aſſignatus, & in ſua ſede ſolenniter collocatus.

EODEM quoque anno, *Philippus* Comes *Flandrenſis*, & *Willielmus* de *Magna villa*, profecti ſunt *Hieroſolymam*. *Fredericus* Imperator venit ad pedes *Alexandri* Papæ: audivit enim & certificatus eſt ſuper hoc, quòd cùm fugeret à perſecutione Imperiali, & non erat ei tutus tranſitus per terram, immò per mare, exorta tempeſtate, aſſumpſit omnia ornamenta Papalia in navi, quaſi celebraturus, & ſtans imperavit mari & ventus vice *Jeſu Chriſti*, cujus vicarius erat, ut ait; & ſtatim facta eſt tranquillitas magna. Quo audito, Imperator ſtupefactus, humiliatus ſatisfecit illi per omnia, timens tamen plùs Deum quam hominem, & ſic ceſſavit ſchiſma. Quo etiam tempore Rex *Anglorum*, regno pro ſua voluntate diſpoſito; decimo quinto Kalendas Septembris in *Normanniam* transfretavit. Et confeſtim inter Regem *Francorum* & ipſum habito colloquio, hoc modo concordiam ineunt. *Ego* Lodowicus *Rex* Francorum, *& ego Rex* Anglorum *volumus ad omnium notitiam pervenire, nos, Deo inſpirante, promiſiſſe, & juramento confirmaſſe, quòd ſimul ibimus in ſervitium crucifixi, & ituri* Hieroſolymam, *ſuſcipiemus ſignaculum ſanctæ crucis: & amodò volumus eſſe amici ad invicem, ita quòd uterque noſtrûm alteri conſervabit vitam, & membra & honorem terrenum, contra omnes homines. Et ſi quæcunque perſona alteri noſtrum malum facere præſumpſerit, ego* Henricus *juvabo* Lodowicum *Regem* Francorum *dominum meum contra omnes homines: & ego* Lodowicus *juvabo Regem Anglorum* Henricum *contra omnes homines, ſicut fidelem meum; ſalva fide, quam debemus hominibus noſtris quamdiu nobis fidelitatem ſervabunt.* Acta autem ſunt hæc apud Mnantcourt, ſeptimo Kalendis Octobris.

Pax inter Imperatorem Fredericum & Papam.

Forma pacti inter Anglorum *&* Gallorum *Regis initi.*

ANNO Domini M.CLXXVIII. *Richardus* de *Luci*, *Angliæ* juſticiarius, tertio Idus Junii, fundamenta jecit ad conſtruendam eccleſiam conventualem in honorem beati *Thomæ* martyris in loco qui vocatur *Weſtwode*, in territorio *Roffenſi*. Eodem anno, Rex Anglorum *Henricus*, cùm per omnes provincias ſuæ poteſtatis, quæ vel *Francorum* liminibus vel montibus *Pyrenæis*, vel *Britannico* vicinantur Oceano, munitiones obtinuiſſet, & omnia pro velle diſpoſuiſſet, Idibus Junii, beatæ *Thomæ* martyris viſitavit ſepulchrum. Et paucis inde diebus evolutis, *Gaufridum* filium ſuum, octavo Idus Auguſti, apud *Woodſtocke*, cingulo militari donavit. Nix maxima & diuturna: animalia maritima involuta ſunt fluctibus: Sol paſſus eſt ecclipſim ſexto Idus Januarii.

EODEM anno, vir quidam beati *Albani* martyris Burgum inhabitans, & loci illius indigena, inter convicaneos ſuos ſine querela vixit. Hic ab ineunte ætate, quantum ſubſtantiæ mediocritas permittebat, honeſtè vivens, devotus eccleſiæ extitit frequentator. Dum igitur una noctium in ſtrato jaceret, circa gallicinium intravit quidam decorus vultu & eleganti, ſtatura procerus, thalamum ſuum interiorem: Qui veſtibus indutus candidis, virgam in dextra pulcherrimam bajulabat. In cujus ingreſſu domus confeſtim tota reſplenduit, & *quaſi claritas ſolaris*, interiora cubiculi perluſtravit. Qui lecto appropinquas jacentem vocavit, & ſi dormiret, leniter requiſivit: *Roberte* (inquit) dormis? Expavit autem *Robertus* timore vehementi, & ſupra modum admirans, ait: Quis es domine? Et ille. Ego ſum martyr *Albanus*, qui ad hoc venio, ut annunciem tibi domini voluntatem, de magiſtro meo (inquit) clerico, videlicet illo, per quem fidem Chriſti ſuſcepi, de quo inter homines ſermo frequens habetur, & ſpes fidelium ſit, quòd futuris temporibus debeat revelari, licèt locus jam ſepulturæ ab omnibus ignoretur. Surgens ergò velociter, circunda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me, & oſtendam tibi ſepulchrum pretioſis ejus reliquiis inſignitum. Surgens ergò *Robertus*, velociter veſtitus & calceatus, ſequutus eſt eum, & verſus Aquilonem in ſtrata publica gradientes perrexerunt pariter, donec ad planiciem quandam ab antiquo incultam, quæ ſita eſt juxta viam Regiam, pervenerunt. Obiter colloquebantur, ut ſolet amicus cum amico coitinerante, tum de mœniis dirutæ civitatis, tum de amne diminuto, tum de ſtrata communi adjacente civitati, tum de adventu beati *Amphibali* magiſtri ſui in civitatem, tum de receſſu ab invicem lamentabili, tum de utriuſque paſſione. Et quæcunque *Robertus* interrogare volebat, martyr prompta reſponſione diſſerebat. Contigit autem, ut inter loquendum, quoſdam mercatores de *Dunſtaple* haberent obvios, qui manè intereſſe foro in pago ſancti *Albani*, pro negotiis feſtinabant. Quorum adventum prædicens, ait martyr: Divertamus pauliſper, donec pertranſierint adventantes, ne fortè iter noſtrum impediant percontando, iter enim ab eo coruſcavit. Quod & factum eſt. Cum autem perveniſſent ad medium circiter itineris, ubi duæ arbores in medio ſtratæ fuerant, ait

Amphibalus.

1178. ait martyr: Hucuſque duxi magiſtrum meum beatum *Amphibalum*, cùm ultimò in hac via mundali lacrymabiliter colloquebamur, tunc ab invicem receſſuri. Et niſi ſplendor, qui à martyre procedebat, obtutus *Roberti* reverberaſſet, & timor cum ſimplicitate refrænaſſet ipſum *Robertum*, de multis tam futuris quàm præteritis ſanctus certificaſſet. Habebat autem locus ille gratam planiciem, tam paſcuis quàm foſſis, in via hominibus ad pauſandum aptam, in villa quæ *Redburnia* nuncupatur, tribus fermè milliaribus à ſancto diſtans *Albano*. In hac ſanè planitie duo colliculi eminebant, qui Colles vexillorum dicebantur, eò quòd circa illos populares fiebant concurſus, quando populus fidelis, ex antiqua traditione, ſolennem annuatim proceſſionem eccleſiæ ſancti *Albani* debita cum veneratione perſolvere conſuevit. Tunc ſanctus *Albanus* à via paululùm declinavit, & apprehenſa manu viri, duxit eum ad unum de colliculis, qui ſepulchrum beati martyris continebat. Deinde converſo ad eum vultu: hic (inquit) locus magiſtri mei reliquias tenet, hic ejus oſſa contegit, & conſervat. Et ſic fatus, pollice viri terram adinſtar crucis aperuit, & everſa ceſpitis modica portione, quoddam ſcrinium reſeravit. Ex quo ſplendor nimius exiens, orbem Occiduum illuſtravit, & primò lucis ſuæ radios in mundi latitudinem copioſè diffudit. Quo facto, capſula recluditur, & loci planicies in ſtatum priſtinum reformatur. Stupet vir ille, & quid ſibi ſuper iis ſit agendum, à ſancto poſtulat edoceri. Ad quem beatus *Albanus*: Signa locum diligenter, ut quæ in eo tibi ſunt revelata myſterio, firmiùs adhæreant menti tuæ: veniet enim è proximo tempus, quandò hæc inſtructio tua ſpecialis, generali profectui militabit, multíſque proderit ad ſalutem. *Robertus* verò aërje & planiciei viſum dimetiens, lapides quoſdam, qui ibi jacebant, collegit, & ibidem quodam ſchemate locavit dicens: His metis de hoc ſancto loco cras pleniùs edocebor. Et his dictis, ſurge, eamus hinc, & ad locum unde receſſimus, revertamur. Illis autem per viam, qua venerant, revertentibus, cùm venirent ante portam eccleſiæ, erat domus *Roberti* remotior, ſanctus ſuam intravit eccleſiam, & homo ille domum ſuam ingreſſus, proprio ſeſe lecto recepit. Iſtud, non ut quidam fingunt detrahentes veritati, non ut ſomnium evenit, ſed in veritate. Cui teſtimonium perhibet finalis rei eventus, & cujuſdam fratris videlicet Monachi eccleſiæ ſancti *Albani Gileberti* de *Siſſeverne* teſtimonialis aſſertio, qui frequenter à prædicto *Roberto* rei ſeriem ſciſcitabatur, & diligenter veritatem ſub atteſtatione tremendi judicii, utpotè vir prudens & literatus, medullitùs exploravit.

VIR autem manè expergefactus, in ancipiti poſitus, fluctuabat, utrùm ſub ſilentio præteriret, an aliis quæ non viſu ſed re, ſine aliqua hæſitatione corporaliter geſta didicerat, revelaret. Si enim ſileret, peccare metuebat in Deum: ſi rem publicaret, ſannas hominum verebatur. Iſta tandem animo ſæpè revolvens homo, timore Dei timorem humanum abſorbuit: & licèt adhuc verbum hoc communibus eſſet auribus abſconditum, domeſticos tamen ſuorum & privatos effecit conſcios ſecretorum. Illi autem quod dicebatur in tenebris, in lumine proferebant: & quod in aure audierant, ſuper tecta prædicabant. Factum eſt autem, ut hoc anno verbum iſtud per totam diſſeminaretur provinciam, adeò quidem, ut ipſius frequentia monaſterii beati martyris *Albani* clauſtrum intraret. Denique fama deſiderata, quibuſdam perferentibus, ad Abbatem *Simonem* aſcenderat, cujus poſt Deum authoritate negotium illud robur erat ſpecialiter habiturum. Qui protinus gratiæ Dei laudes perſolvit, & communicato conſilio, electos de conventu fratres aliquot, ad locum quem vir ille oſtenſurus erat, eodem viro prævio, deſtinavit. Conventus domi devotis orationibus incumbebat, & fratres ductorem ſuum ſequentes, videre martyrum reliquias properabant. Quò demùm pervenientes, invenerunt ibidem fidelium multitudinem, quos ſpiritus ſanctus, de diverſis provinciis in unum proſpero prognoſtico collegerat, ut inventioni martyris intereſſent. Illis eventum rei præſtolantibus, ſæpè dictus homo præcedebat, fratribus planiciem oſtendens ſanctorum corpora continentem. Erat autem feria ſexta ante ſolennitatem beati *Albani*, quando hæc facta ſunt: qua ejuſdem ſancti paſſio celebratur. Ab illo ergò die, uſque quo elevati fuerunt ſancti, loco illi cuſtodia non defuit, ſed fratres jugiter cum laicis affuerunt. Conventus interim abſtinentiam vitæ ſuſcepit arctioris, & ſtatuto cum proceſſione orationum ſuffragio, ſolenne jejunium populo prædicatur. Jam locus ille futuræ inventionis, nundinarum ſimilitudinem præferebat, & recedentibus aliis, quos fervor devotionis adduxerat, alii quotidiè ſuccedebant.

Duabus mulieribus ibi curatis, dum ſanctus quæritur.

PORRO ſignorum initia, quæ adhuc ſancti martyres in corde terræ latentes in auſpicium ſpei melioris patrabant, multorum poterunt teſtimonio confirmari. Mulier namque quædam de *Gateſdene*, ſcapularum & renum debilitate per decem annos detenta, jam propter ægritudinis turpitudinem marito deſpectui habebatur: quæ proprios egreſſa fines, & per *Redburniam* tranſitum faciens, juxta ſanctorum martyrum decubuit ſepulturam; nec de loco ſurrexit, donec ſanitati priſtinæ redderetur. Altera de *Dineſtaplia*, nomine *Cecilia*, in hydropiſis ægritudine annis ſedecim tranſactis, habentis in utero ſimilitudinem præferebat. Hæc ad loca prædicta ſuæ ſalutis avida perveniens, ilicò optatam recepit ſanitatem. Item puella quinquennalis, quæ nunquam à nativitate pedes inceſſerat, ſemper parentum miniſterio portabatur: hæc, quod multi fidelium conſpexerunt, juxta locum prætaxatum collocata, cùm paululùm obdormiſſet, exiliit & inceſſit, parentúmque ſuſpiria in lætitiam commutavit.

ILLUXIT

1178.

Miraculo dolii, & diligentia quærendi.

ILLUXIT interea ſancta ſolennitas beati *Albani* martyris conſecrata, quam in ſe claram, iſtorum publicatio miraculorum reddidit clariorem. Admonentur fideles ad eleemoſynas largiores, ſingulis uſus parcior alimentorum indicitur, & iterata in craſtinum proceſſio inſtauratur. Sed interpoſiti quoque dies nequaquam ocioſo tranſiêre diſcurſu, ſed uſque in horam inventionis ſanctorum, miraculis evidentibus coruſcabat. Nempe vir quidam de *Kyngesberia*, fodientes & ſanctos quærentes irridens, nocte cum aliis venit ad locum, pari quidem via, ſed voluntate diverſa. Qui confeſtim arreptus à Dæmonio, furioſum evidenter expreſſit, & veſtes dirumpens, abjecit: & qui alios deridens, ſpectare venerat fodientes, ſpectaculum omnibus eſt effectus. Cúmque cunctis videntibus, diutiùs torqueretur, corripientis Dei manus ceſſavit, & demùm caſtigatus, incolumis ad propria repedavit. Alius autem ſanctos quærentes verbis ſubſannatoriis illudens, ſtatim divinæ ſubjacuit ultioni. Nam inter loquendum gravi correptus incommodo, in brevi blaſphemum ſpiritum exhalavit. *Algarus* de *Duneſtaplia*, cùm ad locum eundem dolium cerviſia plenum, ad vendendum rheda portari feciſſet, acceſſit ad eum æger quidam & pauper, rogans ſimpliciter ob martyris amorem, cujus inventionem populus expectabat, ut ſitim, qua premebatur, potu modico relevaret. Incanduit *Algarus* ad verba ægroti ira vehementi, aſſerens ſe illuc non cauſa martyris adveniſſe, ſed ut lucrum quocumque modo augeret. Adhuc illo pauperem in hunc modum convitiante, & ecce utroque fundo dolii impetuoſè evulſo, in platea cerviſia fundebatur, ſicque factum eſt, ut cujus portiunculam, martyris nomine ſpreto, negaverat, procurante ſancto, non ſolum pauper ille, ſed & alii multi cum eo, fixis in terram genibus, ſufficienter, nullo prohibente, potarent. Repreſſa igitur, martyre procurante, perverſorum nequitia, devotio fidelium recipit, quod meretur. Nam tribus continuis, quæ ſequebantur diebus, decem utriuſque ſexus homines, à diverſis infirmitatibus, ad laudem Dei & beati martyris, receperunt priſtinam ſanitatem.

Inventio ſancti Amphibali *cum novem ſociis ſuis.*

CLARESCENTE interim die, quam ſanctorum inventio conſecrabat, venerabilis pater *Simon* Abbas locum adiit ſanctiſſimum, & celebratis in capella ſancti *Jacobi*, loco illi contiguo, in venerationem beati martyris *Albani*, noſtræ redemptionis myſteriis, monachis, qui aderant, ut diligenter quærerent, & pluribus adhibitis foſſoribus, ut cœptis inſiſterent, imperavit. Fuerat autem capella illa antiquitùs in honorem martyris fabricata; propter frequentes cæleſtis radios lucis, qui paſtoribus vigilias noctis ſuper gregem ſuum agentibus ibidem apparuerant. Quæ in honorem ſancti *Jacobi* principaliter, & ſanctorum, pro quorum veneratione fulgor cœleſtis apparuit, ibidem fabricata, venerabatur. Unde dictus Abbas in eodem loco divina celebrans ſacramenta, ſuper inſtanti negotio beati martyris auxilium imploravit. Reverſo itaque domum Abbate, & jam cum conventu ad prandium ſedente; legebatur paſſio beati martyris, quem quærebant & ſociorum ejus, per quam carnis ergaſtulo ſoluti, promeruerunt gloriam ſempiternam. Dum igitur ſævitia judicis, lictorum immanitas, martyrum patientia, & mors prolixiùs recitata, pias mentes conventus in fletus & ſuſpiria commoviſſet, beatum *Amphibalum* cum tribus ſociis ſuis repertum, accurrens aliquis nuntiavit. Quid ergò? Suſpiria mutantur in laudes, & triſtitiæ ſucceſſit lætitiæ magnitudo. Exurgens à menſa congregatio, ad eccleſiam feſtinanter procedit, & lætitiam corde conceptam, elevatis laudibus proteſtatur. Inventus eſt autem beatus martyr *Amphibalus*, inter duos ſocios medius, & collateralis ambobus, tertio ſocio quaſi ex tranſverſo & ab oppoſito locum ſolitarium occupante. Inventi ſunt autem prope locum illum numero ſex ex ſociis martyrum prædictorum, ita quòd beatus martyr *Amphibalus* decimus habebatur. Inter reliquias athletæ *Chriſti Amphibali*, cultelli duo magni inventi fuerunt, unus in teſta capitis, & alter circa præcordia: ut verum eſſe inſinuent, quod in libello paſſionis ejus ſcripto antiquis temporibus continetur apud ſanctum *Albanum*. Ut enim habet paſſionis illius textus, alii occubuerunt gladiis cæſi, ipſe verò viſceribus primo patefactis, & inteſtinis ejectis, & pòſt lanceis confoſſus & cultellis, occubuit, tandem lapidibus conquaſſatus: unde nullum ferè ex oſſibus ejus integrum apparebat, cum ſociorum ipſius oſſa illæſa penitùs extitiſſent.

Reliquiæ ſancti Amphibali *apud ſanctum* Albanum *Tranſlatæ.*

ABBAS autem, ut diximus, audito nuntio deſiderato, adjuncto ſibi Priore cum aliquot fratribus de conventu, ſanctorum celeriter adiit ſepulturas, & effoſſas reliquias erigens, in linteaminibus idoneis collocavit. Metuénſque ſupra modum fraudem plebis & vim turbæ undique confluentis, quam à compreſſione inventi theſauri arcere non poterat, placuit Abbati, ut martyres ſancti in beati *Albani* baſilicam portarentur, ubi cuſtodia diligenter & ſecuritas amplior poterat adhiberi. Quid multa? Redeunt cum Abbate fratres ſeparatim, ſanctorum pignora proceſſionaliter deferentes. Procedit martyribus obviàm cum proceſſione conventus, corpus ſecum beati *Albani* martyris deportantes. Quod cum aliquoties conſuevit, prout ejus portatoribus conſtat, ſatis exiſtere ponderoſum, tantam ſui facilitatem illa hora exhibuit, ut volare potiùs, quàm humeris ferentium incumbere videretur. Occurrit ergò martyr martyribus, magiſtro diſcipulus, & jam palàm magiſtrum recepit revertentem, quem habebat olim clàm fidei doctorem in tugurio latitantem. Sed miraculum quod in elementis ſuis Dominus oſtendere dignatus eſt, cùm obviantes ſibi penitùs reliquiæ pariter convenêrunt, non debet ſub ſilentio præteriri. Cum enim ſiccitas prolixior,

1179. exuſtis herbis & fructibus diutiùs perduraſſet, & agricolas deſperatos reddidiſſet, eodem momento, cum in aëre nec minima appareret nubecula, tanta pluviarum inundatio prorupit, ut & copioſè deſcendentes imbres terram decorarent, & deſperatæ meſſis ſpem promitterent lætiorem. Inventus eſt autem pretioſus martyr *Amphibalus* cum ſociis ſuis, & in eccleſiam beati *Albani*, cum canticis & laudum præconiis ſolenniter delatus eſt; anno à paſſione ſua trecenteſimo octuageſimo ſexto, ab incarnatione domini, Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, die ſabbati, ſeptimo Kalendas Julii. In præſentia autem ſanctarum reliquiarum ipſius, necnon & loco ſepulturæ ejus, ad laudem Dei & gloriam martyris, à diverſis infirmitatibus ſanantur ægroti, membra paralytica ſolidantur, multorum ora ad loquendum laxantur, cæcis tribuitur viſus, ſurdis auditus, claudis firmatur greſſus, & quod magis magnificum eſt, arrepti à dæmonio liberantur, epileptici ſanantur, leproſi mundantur, & ad vitam mortui revocantur. Si quis autem miraculorum, quæ per ſanctos ſuos divina operatur clementia, notitiam habere deſiderat, libellum legat, qui de ſignis ejus & virtutibus clarus habetur, & nos ad alia feſtinantes, à lectore veniam poſtulamus.

Juvenis Rex Henricus *Torneamenta exercuit.*

ANNO Domini M.CLXXIX. *Henricus* Rex *Anglorum* junior, mare tranſiens, in conflictibus *Gallicis* & profuſioribus expenſis, triennium peregit, regiáque majeſtate prorſus depoſita, totus eſt de Rege tranſlatus in militem, & flexis in gyrum frænis, in variis congreſſibus triumphum reportans, ſui nominis famam circumquaque reſperſit. Sic igitur cùm nil ei deeſſet ad gloriam, rediit ad patrem, & ab eo honore debito eſt receptus. Eodem anno, *Lodowicus* Rex *Francorum*, beatum *Thomam* martyrem orationis gratia viſitare decernens, *Angliam*, quam nec ipſe nec ſuorum aliquis anteceſſorum, aliquo tempore viſitaverat, devotus intravit. Rex autem *Anglorum*, navem apud *Doveram*, egredienti *Francorum* Regi, undecimo Kalendas Septembris feſtinanter occurrit. Cui quicquid honoris ab aliquo excogitari potuit vel impendi, tam ipſi quàm ſuis comitibus eſt impenſum. Concurrentibus enim Archiepiſcopo cum ſuis ſuffraganeis epiſcopis, cum Comitibus & Baronibus, cum clero & populo ſolennis proceſſio in tanti adventum Principis, majorem eccleſiam illuſtravit. Quantum auri vel argenti *Gallicanæ* nobilitati Rex *Henricus* contulerit, quantúmque in vaſis & lapidibus pretioſis omnes honoravit, cùm non ſit qui hoc ſciat, deſit qui ſcribat. Centum vini Modios Rex *Francorum* annuatim in perpetuum *Pariſiis* ſolvendos, ob reverentiam martyris glorioſi, in uſus Collegii *Cantuarienſis* convertit. Rex autem *Henricus* gazas totius regni ſui, & quicquid ipſe & anteceſſores ejus in divitiis congeſſerant, Regi *Francorum* & ſuis expoſuit: ſed ne *Franci* aliud, quàm martyrem quæſiſſe viderentur, manum à munere cohibentes, martyrem forſitan oblatis præferentes inventum. Sic Rex *Francorum*, cum in vigiliis, jejuniis & orationibus *Cantuariæ* triduum compleviſſet, & xeniola quædam parva à Rege *Anglorum* in ſignum dilectionis accepiſſet, ſeptimo Kalendas Septembris, ad *Galliam* transfretavit. Eodem anno, *Rogerus Wigornienſis* epiſcopus obiit, quinto Idus Auguſti. *Richardus* de *Lici Wintonienſis* epiſcopus. Puer quidam martyrizatus eſt apud *Woodſtocke*.

Concilium Romæ *habitum præſidente Papa* Alexandro.

EODEM anno, habitum eſt Concilium generale trecentorum & decem epiſcoporum, decimo quarto Kalendas Aprilis, in Patriarchio *Lateranenſi*, cui præſedit dominus Papa *Alexander* tertius; cujus ſtatuta omni laude digniſſima, ſub viginti octo, quæ ſequuntur, capitulis continentur. De electione ſummi pontificis. De hæreticis *Albegenſibus*, & diverſis eorum appellationibus. De ruptariis & brabantiis prædonibus, qui fideles affligunt. Quòd nullus promoveatur in epiſcopum vel ad aliquem ordinis gradum, niſi legitimæ ſit ætatis, & de legitimo matrimonio ſuſceptus. De viventibus perſonis eccleſiæ conferantur, nec illis defunctis, ultra ſex menſes vacent. De appellationibus. Ne intra ſacros ordines conſtituti, vel qui eccleſiaſticis ſuſtentantur ſtipendiis, rebus ſe immiſceant ſæcularibus. De treugis ſtatuendis, & temporibus treugarum. Quòd clerici unam habeant tantùm eccleſiam, & quòd epiſcopus, ſi aliquem ſine certo ordinaverit titulo, tam diu neceſſaria inveniat, donec ei in aliqua eccleſia ſtipendia aſſignet. Ne patroni vel quilibet laici eccleſias opprimant, aut eccleſiaſticas perſonas. Ne *Judæi* vel *Saraceni Chriſtiana* mancipia permittantur habere; ſed ad fidem *Chriſti*, ſi converti voluerint, à poſſeſſoribus ſuis nullatenus excludantur. Ut leproſi, ſi excluduntur à cohabitatione hominum, oratorium habeant & proprium ſacerdotem. Ne bona eccleſiaſtica in uſus alios convertantur, nec Decani pro certa pecuniæ quantitate, juriſdictionem exerceant epiſcopalem. Et in electionibus vel eccleſiaſticis ordinationibus conſequatur effectum, quod à majoris & ſenioris Concilii parte fuerit conſtitutum. Quòd uſurarii manifeſti ad communionem altaris non admittantur, nec Chriſtianam habeant ſepulturam. Et Agricolæ & viatores, & omnia quæ ſua ſunt, plena ubique pace & ſecuritate lætentur. Ut ordinationes ſchiſmaticis factæ, irritæ habeantur & inanes, & beneficia ab eis collata revocentur. Ne pro eccleſiaſticis inſtituendis perſonis, ſeu mortuis ſepeliendis, aut nubentibus benedicendis, vel aliis eccleſiæ ſacramentis, aliquid exigatur. Ne viri religioſi vel quilibet alii, eccleſias vel decimas præſumant de manu ſuſcipere laicorum, ſine authoritate epiſcoporum, & non ſemel in anno Templarii ſive hoſpitarii eccleſias ſub interdicto poſitas, aperiant, nec corpora ſepelire tunc præſumant. Ne quis

interventu

interventu pecuniæ habitum religionis uſurpare præſumat, nec converſus peculium habeat, nec facti Prælati, non niſi pro dilapidatione vel incontinentia degradentur. Ne *Chriſtiani*, *Saracenis* arma vendant, nec patientes naufragium, quiſquam ſpoliare præſumat. Ut clerici intra ſacros ordines conſtituti, continenter vivant, & ſi in illa continentia, quæ contra naturam ſit, deprehenſi fuerint laborare, excommunicentur & à clero abjiciantur. Ut Archiepiſcopi parochias vel eccleſias viſitantes, quadraginta vel quinquaginta equorum numero ſint contenti, epiſcopi viginti vel triginta. Legati, viginti quinque, Archidiaconi, quinque vel ſeptem, Decani, duarum evectionum numerum non excedant. Ut nullus Torneamenta exercere præſumat, & mortui in torneamentis *Chriſtiani* careant ſepultura. Quòd unaquæque cathedralis eccleſia magiſtrum habeat, qui pauperes ſcholares & alios docet, nec pro licentia docendi aliquis pretium exigat. Ut Prælati unam tantùm regant eccleſiam, & quòd patroni ab eccleſiis in ſuo fundo conſtitutis, exactiones non faciant. Ne epiſcopi ſeu viri eccleſiaſtici ſtare compellantur judicio laicorum; nec laici laicis decimas conferre præſumant. Si quis ab aliquo, commodata pecunia, poſſeſſiones in pignus acceperit, ſi deductis expenſis, ſortem ſuam receperit ex fructibus poſſeſſionis, pignus reſtituat debitori. 1179.

RELATUM fuit præterea ejuſdem Papæ Apoſtolatui, quòd magiſter *Petrus Lombardus*, in quibuſdam ſcriptis ſuis, ab articulis fidei deviavit. Unde *Willielmo Senonenſi* Archiepiſcopo literas ſub hac forma direxit. *Alexander* epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, *Willielmo Senonenſi Archiepiſcopo ſalutem. Cùm in noſtra olim eſſes præſentia conſtitutus, tibi viva voce injunximus, ut ſuffraganeis tuis* Pariſiis *tibi aſcitis, ad abrogationem pravæ doctrinæ* Petri *quondam* Pariſienſis *epiſcopi, qua dicitur: quòd* Chriſtus, *ſecundùm quod eſt homo, non eſt aliquid, omninò intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde ſiquidem eſt, quòd fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, quod tibi cum præſens eſſes præcipimus, ſuffraganeos tuos* Pariſios *convoces, & unà cum illis & aliis viris religioſis & prudentibus, præſcriptam doctrinam ſtudeas penitùs abrogare, & à magiſtris ſcholaribus ibidem in Theologia ſtudentibus,* Chriſtum *ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore conſiſtentem, præcipias edoceri: univerſis firmiter & diſtrictè injungens, quòd doctrinam illam de cætero nequaquam docere præſumant, ſed ipſam penitùs deteſtentur.* Epiſtola Papæ Alexandri *contra hæreſim* Petri Lombardi.

SCRIPSIT etiam eiſdem diebus, contra eundem *Petrum Lombardum*, Abbas *Joachim Florenſis* cœnobii, libellum, vocans eum hæreticum & inſanum: eo quòd in libro ſententiarum, quem compoſuerat, idem *Petrus* de unitate ſive eſſentia Trinitatis dixit: quoniam quædam ſumma res eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans neque genita, neque procedens. Contra hanc aſſertionem oppoſuit Abbas præfatus, quòd non tam Trinitatem aſtruebat in Deo, quàm quaternitatem, tres videlicet perſonas & illam communem eſſentiam quaſi quartam manifeſtè proteſtans; quòd nulla res eſt quæ ſit Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nec eſſentia, nec ſubſtantia, nec natura. Quamvis concedat, quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt una eſſentia, una ſubſtantia, & una natura. Et hanc ſuam aſſertionem idem *Joachim* his quæ ſequuntur authoritatibus affirmat. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hii tres unum ſunt.* Et *tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua & ſanguis: & hii tres unum ſunt.* Item: *volo Pater ut ſint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus.* Unde videtur, quòd ſæpe dictus *Joachim* hujuſmodi unitatem non veram & propriam, ſed quaſi collectivam & ſimilitudinariam eſſe fateatur: quemadmodum multi homines dicuntur unus populus, & multi fideles una eccleſia. *Libellus Abbatis, quem ſcripſit contra* Petrum Lombardum.

STETIT autem hæc indeterminata altercatio à diebus *Alexandri* Papæ, uſque in tempora *Innocentii* Papæ per annos multos, ſedentibus inter eos in cathedra *Romana*, *Lucio*, *Gregorio*, *Clemente*, & *Celeſtino* pontificibus *Romanis*. Quibus ſuccedens *Innocentius* tertius, anno Domini Milleſimo, ducenteſimo, decimo quinto, *Romæ* generale Concilium celebrans, libellum *Abbatis Joachim*, quem contra *Petrum* & articulum ediderat prædictum, his verbis damnavit. *Nos (inquit) ſacro & univerſali approbante Concilio, credimus & confitemur cum* Petro, *quòd una quædam ſumma res eſt incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſigillatim quælibet earundem. Et ideò in Deo ſolummodò Trinitas eſt, & non quaternitas; quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, ſubſtantia, videlicet eſſentia ſeu divina natura: quæ ſola eſt univerſorum principium, præterquam quòd aliud inveniri non poteſt. Et illa res non eſt generans, neque genita, neque procedens, ſed eſt pater qui generat, & Filius qui gignitur, & ſpiritus ſanctus qui procedit: ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura. Licèt enim alius ſit pater, alius filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud: Pater enim ab æterno filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, juxta quod ipſe teſtatur:* Pater quod dedit mihi, majus omnibus eſt. *Et dici non poteſt, quòd partem ſuæ ſubſtantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi: cùm ſubſtantia patris indiviſibilis ſit, utpotè ſimplex omninò. Sed nec dici poteſt, quòd pater in filium tranſtulerit ſuam ſubſtantiam generando illum, quaſi ſic dederit eam filio, quòd non retinuerit ipſam ſibi, alioquin deſiiſſet eſſe. Subſtantiam patris integram naſcendo accepit, & ità pater & filius eandem habuit ſubſtantiam, & eadem res eſt pater & filius, necnon & ſpiritus ſanctus ab utroque procedens,* *Papa* Innocentius *libellum* Joachim *damnavit.*

1181. *& in utroque manens. Non enim (ut ait* Abbas Joachim *) fideles* Chriſti *ſunt unum, id eſt, una quædam res, quæ communis ſit omnibus, ſed ſunt unum in unione charitatis, in gratia: pro perſonis verò divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura. Damnamus igitur, & reprobamus libellum* Joachim, *ſive doctrinam, ita ut ſi quis ejus ſententiam in hac parte defendere vel approbare præſumpſerit, tanquam hæreticus ab omnibus habeatur.* De hoc Papa, & Concilio memorato, latiùs ſuo loco dicetur.

Philippus *conſecratur in Regem* Francorum.

EODEM anno, *Philippus* filius *Lodowici* Regis *Francorum*, in ſolennitate omnium Sanctorum, per manum *Willielmi Remenſis* Archiepiſcopi, in eadem civitate conſecratur in Regem, Patre adhuc vivente, & tantæ coronationi omnia neceſſaria miniſtrante. Eodem tempore, *Caldwallanus* princeps *Wallenſium*, coram Rege *Anglorum* tractus in cauſam, & multorum querelis impetitus; dum ſub Regis conductu remeaſſet, in itinere hoſtium perpeſſus inſidias, interfectus eſt, decimo Kalendas Octobris. Quod plurimùm in Regis redundavit ſcandalum, licèt non deliquerit: unde authores cædis graviter puniri præcepit.

Fœdus inter Regem Francorum *&* Anglorum.

ANNO Domini M. CLXXX. habito inter *Francorum Philippum* nuper coronatum, & Regem *Anglorum Henricum*, colloquio, inter *Giſortium* & *Triam*; ſic convenit inter eos. *Ego* Philippus *Dei gratia Rex* Francorum, *& ego* Henricus *eadem gratia Rex* Anglorum, *ad omnium volumus pervenire notitiam, quòd fœdus & amicitiam, fide media innovavimus, & ſacramento: & ut omnis amodò inter nos auferatur occaſio diſcordiæ, conceſſimus ad invicem, ut de terris noſtris & poſſeſſionibus, & de omnibus aliis rebus, quas habemus modò alter adverſus alterum, nihil amodò petit, excepto de* Arvernia, *de qua inter nos eſt contentio: & excepto feudo de caſtro* Radulphi, *& exceptis minutis feudis noſtris, & diviſis terrarum noſtrarum de* Berri. *Si autem ſuper his, quæ excepta ſunt, per noſmetipſos convenire non poterimus, ego* Philippus *tres elegi Epiſcopes & Barones, & ego* Henricus *totidem, qui inter nos dicent, & nos eorum judicio ſtabimus firmiter & bona fide.* Eodem tempore *Lodowicus* Rex *Francorum, Pariſiis* diem excluſit extremum, decimo quarto Kalendas Octobris, & ſepultus eſt in monaſterio *Ciſtercenſis* ordinis; *Barbellum* quod nuncupatum eſt, quod etiam propriis ſumptibus inchoatum, idem Rex laudabiliter conſummavit.

Caſtellum Taileburum *obſeſſum.*

PER idem tempus, *Aquitannorum* dux *Richardus*, & *Henrici* Regis filius, per ſuperbiam *Gaufridi* de *Rancona*, multis ſæpè laceſſitus injuriis, collectis undique militaribus copiis, *Taileburum* caſtellum ejuſdem *Gaufridi* obſidione vallavit: opus deſperatiſſimum, & quòd ſuorum nullus anteceſſorum attentare præſumpſit. Caſtrum enim illud ante dies illos hoſtium cuneis prorſus incognitum, triplici foſſato, totidemque mœniis veſtitum, ſeris, armis & repagulis ſufficienter inſtructum, turribus per intervalla diſpoſitis inſignitum, comportato lapide in propugnaculis munitum, abundans in victualibus, refertum militibus, & hominum millibus ad pugnam idoneis, ducis *Richardi* non expavit adventum. Sed poſtquam dux ipſe leonibus audacior, regionem hoſtiliter introivit; fructus prædiorum abduxit, vites ſuccidit, villas ſuccendit, omnia demoliendo contrivit, prope caſtellum tentoria fixit, machinas prope murum erexit, oppidanóſque nil tale ſuſpicantes, exercuit vehementer. Incluſis autem (quia res ignominiæ plena videbatur, tot elatæ mentis, tot probatæ virtutis milites, intra muros ſine reclamatione valida circumcingi) placuit de conſilio communi, ut foras erumperent & impeterent ducis exercitum improvisè. Quod cùm animosè ſatis attentaſſent, dux ſuos in armis ruere docuit, & retrorsùm cedere compulit oppidanos. Sed in illo portarum ingreſſu, cùm dux inſequeretur terga dantes, fit graviſſimus hinc inde conflictus, dum ibi quid equus, quid lancea, quid enſis, quid arcus, quid galea, quid baliſta, quid umbo, quid lorica, quid ſudes, quid clava certantibus conferant experitur. Oppidanis itaque aſſultus ducis acerrimos ultra ferre non valentibus, ſed intra mœnia ſe recipientibus, dux impiger certatim ſe pariter intra villam immiſcet cum hoſtibus, & cum ipſis nuſquam locus pateret diffugii, per plateas hinc inde diſcurritur, rapinis inſiſtitur & incendiis, & ab iis oppidanis, quos à mortis diſcrimine fœlix fortuna eruit ad Caſtellum confugitur principale. Caſtelli dominus ad deditionem compellitur, facies murorum pulcherrima complanatur, alia paſſim caſtella rebellionis conſcia, par infra menſem ſubiëre diſcrimen. Omnibus igitur ad votum completis, dux transfretavit in *Angliam*, maximo cum honore receptus à patre. Nova moneta in *Anglia* facta eſt. *Johannes* epiſcopus *Ciceſtrenſis* obiit.

Rex Francorum Philippus *regnum ſuum ſub diſpoſitione Regis* Angliæ *commiſit.*

ANNO Domini M. CLXXXI. cùm Rex *Francorum Philippus* cum quibuſdam de ſuis ſibi ad memoriam reducentibus, cognoviſſet qualiter Rex *Anglorum* regnum ſuum tam latè diffuſum, à tam barbaris nationibus, *Scotis* ſcilicet & *Wallenſibus* pacificè protegeret; de communi conſilio domeſticorum ſuorum, prædicti Regis diſpoſitioni, omne regnum ſuum & ſeipſum commiſit. Hoc etiam exemplo Rex *Anglorum* ductus, cùm totam *Normanniam* filii ſui Regis diſpoſitioni ſupponeret, octavo Kalendas Auguſti in *Angliam* tranſiens, beatum *Thomam* martyrem orationis gratia viſitavit. Eodem anno, *Rogerus Eboracenſis* Archiepiſcopus diem clauſit ſupremum, duodecimo Kalendas Decembris: qui adhuc vivens, à Papa *Alexandro* privilegium impetraverat; ut ſi clericus ſuæ juriſdictioni ſuppoſitus, agens in extremis, teſtamentum conficeret, & propriis manibus bona ſua moriens non diſtribueret; Archiepiſcopus haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti. Et quoniam, quod

Rogerus Eboracenſis *Archiepiſcopus moritur.*

quiſque

quiſque juris in alterum ſtatuerit, uti debet eodem: poſt mortem Archiepiſcopi, quæcunque reperta ſunt in theſauris ejus, juſto ſunt Dei judicio confiſcata. Quorum ſumma undecim millia librarum argenti, & aurei trecenti, cuppa aurea, & argenteæ ſeptem, cyphi argentei novem, tria ſalſaria argentea, tres cuppæ murtinæ, cochlearia quadraginta, octo ſcutellæ argenteæ, pelvis argentea, & diſcus magnus argenteus. 1183.

CIRCA eoſdem dies, Papa *Alexander* ſcripſit *Presbytero Johanni Indorum* Regi, in hæc verba. *Alexander epiſcopus, chariſſimo in Chriſto filio ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Audieramus jampridem, referentibus multis, quomodo cùm ſis* Chriſtianam *religionem profeſſus, piis velis operibus incumbere diligenter. Sed dilectus Filius noſter* Philippus *medicus, qui de intentione propria & propoſito tuo, cum magnis & honorabilibus viris tui regni ſe in partibus illis verbum habuiſſe proponit, ſicut vir providus, conſtanter nobis retulit: ſe manifeſtiùs ab his audiviſſe, quòd tuæ voluntatis ſit & propoſiti, erudiri in catholica & Apoſtolica diſciplina, & ut ad hoc ferventer intendas, ut tu & cuncta plebs tuæ ſublimitati commiſſa, nihil unquam videatur in fide veſtra tenere, quod à doctrina ſedis Apoſtolicæ diſſentiat. Illud etiam ad commendationem tuæ virtutis accedit, quòd ſicut prædictus* Philippus *ſe à tuis aſſerit audiviſſe, ferventi deſiderio cuperes in urbe habere eccleſiam &* Hieruſalem *altare aliquod, ubi viri religioſi de regno tuo, & prudentes manere poſſent, & Apoſtolica plenius inſtrui diſciplina: per quos tu & homines tui doctrinam ipſam faciliùs reciperent & tenerent. Nos autem vos ab hiis articulis, in quibus erratis à* Chriſtiana *& catholica fide, revocare volentes, præfatum* Philippum *ad tuam mittimus magnitudinem: per quem de articulis fidei* Chriſtianæ, *in quibus tu & tui à nobis diſcordare videmini, in proximo, per fidei gratiam eruditi, nihil prorſus timere poteritis, quòd de errore tuam vel tuorum ſalutem præpediat, vel in vobis nomen* Chriſtianitatis *offuſcet.* *Epiſtola Alexandri Papæ ad* Johannem *presbyterum Regem* Indorum.

EODEM anno, obiit Papa *Alexander*, poſtquam ſediſſet in Cathedra *Romana* annis duodecim. Succeſſit ei *Hunbaldus Hoſtienſis* epiſcopus, & vocatus eſt *Lucius* tertius ſedens in eccleſia Apoſtolica annis quatuor. Eodem tempore, *Philippus* Rex *Francorum* duxit uxorem *Margaretam* filiam *Baldewini* Comitis *Hamaucenſium*, ex *Margareta* ſorore *Philippi* Comitis *Flandrenſis* ſuſceptam. *Papæ* Alexandro Lucius *ſucceſſit.*

EODEM anno, Monetâ veteri in *Anglia* reprobatâ; nova ſucceſſit in feſto ſancti *Martini*. *Nova Moneta.*
Eodem anno, *Baldewinus Fordenſis Ciſtercienſis* ordinis ſucceſſit *Rogero* epiſcopo, ad eccleſiam *Wigornenſem*.

ANNO Domini M. CLXXXII. *Gaufridus Lincolnienſis* electus & Regis *Anglorum* Filius, cùm ejus electio eſſet à domino Papa confirmata; poſtquam per ſeptennium eidem eccleſiæ pacificè præfuiſſet, præſente Rege & epiſcopis regni, in Epiphania Domini apud *Marlebergiam* electioni renuntiavit, nemine compellente. Eodem tempore, Rex *Henricus* apud *Waltham*, in præſentia procerum regni, ad ſubventionem *Terræ ſanctæ*, quadraginta duo millia marcarum argenti, & quingentas marcas auri liberaliter aſſignavit, & ſic in *Normanniam* transfretavit. Quibus utique diebus, Dux *Saxonum Henricus* & gener Regis, ab Imperatore in exilium pulſus, in *Normanniam* venit ad Regem; ducens ſecum Duciſſam & duos filios ejus, *Henricum* & *Othonem*; & per tres annos exhibitus eſt à regali munificentia in omnibus vitæ neceſſariis abundanter. Eodem anno, *Walterus* de *Conſtantiis* Archidiaconus *Oxonienſis*, conſecratus eſt epiſcopus *Lincolnienſis*, à *Richardo Cantuarienſi* Archiepiſcopo; *Andegavis*, in eccleſia ſancti *Laudi*. Eodem anno obiit *Walterus Roffenſis* epiſcopus. Gaufridus Lincolnienſis *electus, renuntiavit electioni.*

ANNO Domini M. CLXXXIII. defuncto *Simone* Abbate de ſancto *Albano Warinus* ejuſdem eccleſiæ Prior, ſucceſſit, & in die Nativitatis Dei genetricis, Abbatis benedictionem ſuſcepit. Simon *Abbas moritur cui ſucceſſit Warinus.*

CIRCA dies iſtos, Rex *Henricus*, diligentem operam impendit, ut filii ejus *Gaufridus*, de *Britannia*, & *Richardus* de ducatu *Aquitanniæ* homagium facerent filio ſuo primogenito Regi *Henrico*. Quod quidem pater petiit, *Gaufridus* de comitatu *Britanniæ* gratanter complevit. *Richardus* verò cùm rogatus à patre id ipſum facere debuiſſet, ira incanduit vehementi: incongruum eſſe dicens, cùm eodem patre & ex eadem matre ducerent originem; ſi patre vivente, fratrem primogenitum aliqua ſubjectionis ſpecie ſuperiorem agnoſcerent. Sed ſicut fratri primogenito bona debentur paterna, ſic in bonis maternis *Richardus* ſucceſſionem legitimam vendicabat. Hæc audiens Rex Pater, iracundiæ calore ſuccenſus, adverſus *Richardum* dura propoſuit; & ut Rex junior, ad edomandam fratris ſuperbiam, totus inſurgeret, conſtanter induxit. Habitis inter ſe colloquiis frequenter, cùm nulla ſpes de pace haberetur, Rex juvenis undiquè copioſum congregavit exercitum, & dum congredi cum fratre ſuo decreviſſet, præciſa eſt, velut à texente, vita ejus, qui ſpem multorum deficiens, præcidit. Siquidem in flore juventutis ſuæ, cùm annum ætatis vigeſimum octavum compleviſſet, intra *Gaſconium*, in illo tractu terræ quæ *Torroinna* dicitur, apud Caſtellum *Martel*, in feſto ſancti *Barnabæ* Apoſtoli, Rex junior è medio eſt ſubtractus. Corpus autem in lineis veſtibus, quas habuit in conſecratione ſacro chriſmate delibutas, regaliter involutum; apud *Rothomagum* delatum eſt: & in eccleſia cathedrali, prope majus altare, cum honore tanto principi congruo, tumulatur. Eodem anno, *Girardus* cognomento *Mors* Henrici *Regis junioris.*

Puella,

1184. *Puella*, conſecratus epiſcopus *Coventrenſis*, qui, cùm decem ſeptimanis ſediſſet, in fata conceſſit. Eodem tempore *Walterus* de *Conſtantiis*, *Lincolnienſis* antiſtes, in *Angliam* veniens, in ſua ſede eſt ſolenniter collocatus.

Richardus Cantuarienſis *Archiepiſcopus*.

ANNO Domini M.CLXXXIV. *Richardus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, apud *Halingum* villam *Roffenſis* epiſcopi, diem clauſit extremum. Eodem anno, Rex *Henricus* duxit in *Angliam Saxoniæ* ducem cum familia ſua, & infra dies paucos, duciſſa apud *Wintoniam*, peperit filium, quem vocavit *Williėlmum*. Eodem anno, *Baldewinus* epiſcopus *Wigornienſis*, electus eſt Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & *Walterus Lincolnienſis* electus eſt Archiepiſcopus *Rothomagenſis*. Qui ſuſceptis Palliis, in ſuis ſunt ſedibus ſolenniter collocati. Eodem tempore *Philippus* Archiepiſcopus *Colonienſis*, & *Philippus* Comes *Flandrenſis* venerunt in *Angliam*; vota orationum beato *Thomæ* martyri ſoluturi. Quibus Rex *Anglorum* occurrens, petiit ut *Londonias* venirent, viſuri Regiam civitatem. In quorum adventu (quod ante non erat viſum) civitas coronata reſplenduit, gaudium & tripudium per omnes plateas civitatis introivit. Archiepiſcopus verò Colonienſis, & cum eo Comes *Flandrenſis* in eccleſia ſancti *Pauli* ſuſcepti ſunt proceſſione ſolenni; & die eodem ſimili honore ſibi exhibito, tandem per quinque dies in Palatio Regis expenſis ſunt effuſiſſimis hoſpitati. Sed an multis muneribus donati receſſerunt, quærere ſuperfluum videretur. Eodem anno, obiit *Jocelinus Saresburienſis* epiſcopus.

Saraceni Hiſpaniæ Chriſtianos *invadentes, cum ignominia receſſerunt.*

HIS denique diebus, circa feſtum beati *Johannis* Baptiſtæ, Rex *Saracenorum* qui ſunt in *Hiſpania*, *Gamius*, duxit Regem Regum *Saracenorum* nomine *Macemunt* intra fines *Chriſtianorum* cum Regibus triginta ſeptem. Qui imprimis obſederunt ſanctum *Hirenæum*, & tribus diebus cum totidem noctibus pugnaverunt, & tandem, dejectis mœniis, intraverunt. Qui autem interiùs muros defendebant, ſe intra Turrim receperunt, ut protegerentur ibidem. Nocte verò ſequenti, venit antiſtes *Portugalenſis* cum filio Regis, & quindecim millia peremerunt *Saracenorum* & Regem *Gamium*: & poſuerunt corpora defunctorum ubi murus dejectus erat, ut per ea loco muri defenderentur. In craſtino autem, in die ſcilicet ſanctorum *Johannis* & *Pauli*; Archiepiſcopus ſancti *Jacobi*, viginti millia conduxit armatorum, & in aurora diei, ex *Saracenis* triginta millia interfecit. In die poſteà beatæ *Margaretæ* apud *Alcubaz*, peremerunt *Saraceni* decem millia mulierum & infantium: ſed illi qui fuerunt in oppido *Alcubaz* exeuntes, tres Reges cum omni eorum exercitu percuſſerunt. Poſteà in vigilia beati *Jacobi*, Rex *Macemunt* audivit, quòd Rex *Galiciæ* venerat, ut ſolus cum ſolo dimicaret. *Macemunt*, cum præpararet ſe ad pugnam, dum equum vellet aſcendere, ter ab eo lapſus, interiit. Quo mortuo, totus ejus exercitus fugit, omni pecunia relicta. Rex verò *Portugalenſis*, ex captivis *Saracenis* dedit ſervos, qui cementariis miniſtrarent ad eccleſias reparandas: & de pecunia ſancto *Vincentio* auream fecit thecam. Venerunt poſtmodùm galeiæ infinitæ *Saracenorum* apud *Ulixebonam*, ducentes *Dromundum*, in quo talis erat machina; quod per ipſam *Saraceni* poterant ire & redire ultra muros civitatis armati: ſed Deo diſponente, quidam in aqua ſe *Dromundo* ſuppoſuit, & eo perforato, ſubmerſit. *Saraceni* autem, ſe deluſos eſſe cognoſcentes, fugerunt, omnia quæ ſua fuerant, relinquentes.

Baldewinus Amalrici *Rex* Hieroſolymitanus.

REGNAVIT ſub iis diebus in *Hieruſalem*, *Baldewinus Amalrici* quondam Regis filius, qui ab initio regni elephantino laborans incommodo, jam lumen amiſerat; & putreſcentibus membrorum extremitatibus, pedes ei & manus ſuum officium denegabant. Regiam tamen adminiſtrationem, licet corpore debilis eſſet, animo fortis, ſupra vires nitebatur implere. Convocatis itaque principibus, matre præſente & Patriarcha; *Guidonem* de *Liſiniaco* comitem *Joppenſem* & *Aſcalonitanum*, regni conſtituit proviſorem. Habuit idem *Guido* ſororem Regis uxorem nomine *Sibillam*; quæ priùs *Marchiſio* de *Monte Ferrato* matrimonio copulata; filium ex illo ſuſceperat nomine *Baldewinum*: ſed cùm aliquanto tempore, *Guidone* procuratore exiſtente, *Hieroſolymitanum* non proſperaretur regnum; Rex, amoto eo, *Reimundo* comiti *Tripolitano*, regni curam commiſit.

Salaadinus Soldanus Babylonis, *plures civitates* Chriſtianorum *deſtruxit.*

CONTIGIT hac tempeſtate, ut *Salaadinus Soldanus Damaſci*, ſubjugatis omnibus Regibus *Saracenis* in finibus totius Orientis; diceretur Rex Regum & dominus dominantium: cum ei obedirent omnium gentium nationes. Adjiciens ergò ut univerſam ſibi *Chriſtianitatem* ſubjugaret, initio Julii menſis, *Jordanem* tranſivit, terram circa caſtrum *Crach*, quod antiqua appellatione *Petra* deſerti dicebatur, devaſtavit, cibaria collegit. Deinde *Neapolim* tranſiens, villam ſpoliavit, & poſtea concremavit. Inde progrediens, ad urbem *Sebaſtæam* pervenit, ubi epiſcopus civitatis villam & eccleſiam ſuam octoginta captivis redemit. In *Arabiam* veniens, eam deſtruxit, viris & mulieribus captivatis. Ad magnum inde *Gerinum* tranſiens, caſtrum diruit, & quibuſdam captivatis, mulieres & parvulos interfecit. Inde ad parvum *Gerinum*, quæ villa eſt templi, eam vaſtavit. Et recedens per caſtrum quoddam hoſpitale, quod *Belverium* dicitur, quibuſdam captis & quibuſdam interfectis, receſſit.

MORTUO interea *Baldewino* Rege *Hieroſolymorum* leproſo, regnavit pro eo *Baldewinus*, puer quinque annorum, nepos ejus ex ſorore *Sybilla*, & *Willielmo* Marchione *Montis Ferrati* genitus; qui ſtatim coronatus in Regem, *Reimundo* comiti *Tripolitano* committitur

1187.

Rex Anglorum *eligitur in Regem* Hieroſolymorum.

committitur nutriendus. Videntes igitur clerus & populus, regnum in eum deveniſſe ſtatum, in quem non poſſet diu ſubſiſtere, quid facto opus ſit, diligenter pertractant. Et cùm pax *Salaadini* haberetur ſuſpecta, & de Rege puero nihil remedii ſperaretur, tandem unum erat omnibus conſilium, ut ad *Henricum* Regem *Anglorum* Legatos mitterent; qui ei ex parte univerſitatis, *Hieroſolymitanum* regnum & claves ſanctæ civitatis & Sepulchri domini ſanctæque reſurrectionis ſolenniter deportarent. *Heraclius Patriarcha*, officium legationis rogatus ſuſcepit, qui adjuncto ſibi magiſtro hoſpitalis & quibuſdam aliis, mediterraneum mare tranſivit, & *Romam* uſque perveniens, ad Regem *Anglorum* literas à Papa *Lucio* precatorias impetravit.

Heraclius *Patriarcha in* Angliam *veniens Regi electionem factam publicavit.*

Anno Domini M. CLXXXV. *Heraclius* Patriarcha ſanctæ reſurrectionis, & dominus *Rogerus* magiſter Hoſpitalis domus *Hieruſalem*; venerunt ad Regem Angliæ *Henricum* apud *Redingum*. Qui, cùm ſui itineris cauſas, cum literis Apoſtolicis expoſuiſſent, ſanctæ civitatis *Hieruſalem* & terræ promiſſionis deſolationem per ordinem enarraſſent; Regem & omnem multitudinem, quæ convenerat, in lacrymas & ſuſpiria provocarunt. Deferebant enim ad Regem memorabilia ſuæ petitionis ſigna, Nativitatis Jeſu Chriſti, Paſſionis, Reſurrectionis, Turris *David*, ſanctique Sepulchri claves; & vexillum regni: quæ omnia Rex non mediocriter honoravit. Literæ verò domini Papæ, hæc inter cætera continebant.

Epiſtola Lucii *Papæ ad Regem* Anglorum.

Lucius, *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c. Cùm cuncti prædeceſſores tui, præ cæteris terræ principibus armorum gloria & animi nobilitate longè retrò claruerunt, eóſque fidelium populus habere in ſua didicerit adverſitate patronos; meritò ad te, non tantum regni, ſed paternarum hæredem virtutum, quadam ſecuritate præſumpta, recurritur; ubi populo* Chriſtiano *imminere periculum, imò exterminium formidatur, ut per brachium Regiæ magnitudinis, ejus membris impendatur præſidium; qui te ad tantæ gloriæ apicem pervenire ſua pietate conceſſit; & te contra ſui nominis impugnatores nefarios, murum inexpugnabilem ordinavit. Porrò noverit veſtra ſerenitas, quòd* Salaadinus *ille, ſancti nominis crucifixi immaniſſimus perſecutor, ita nunc in ſpiritu furoris contra* Chriſti *fideles terræ ſanctæ adeò invaluit, quòd niſi immanitatis ejus impetus, objectis obicibus reprimantur, habet fiduciam, quòd influet* Jordanis *in os ejus*, &c.

Rex Henricus *regnum* Hieroſolymorum *recuſavit.*

His auditis, convocato clero regni ac populo, convenerunt *Londoniis* apud *Fontem clericorum*, decimo Kalendas Aprilis, Rex cùm univerſa nobilitate regni, ubi dictus Rex, audientibus Patriarcha & magiſtro domus hoſpitalis, omnes fideles ſuos multis adjurationibus aſtrinxit, quatenus proferrent in medium, quid ſuper his ſaluti animæ ſuæ viderint expedire. Ad hoc, aſſerit animum ſuum inclinatum, ut quod ex eorum conſilio acciperet, modis omnibus obſervaret. Tunc concilio univerſo ſuper præmiſſis colloquenti, ſanius viſum eſt, & animæ Regis multò ſalubrius, ut regnum ſuum debita moderatione gubernet, & illud à barbarorum irruptione tueatur; quàm Orientalium conſulat in propria perſona ſaluti. De filiis Regis quidem, quorum petiit aliquem Patriarcha, ſi Rex venire recuſaret, quicquam ſtatuere, cum eſſent abſentes, incongruum videbatur. Eodem anno, *Johannes* filius Regis à patre militaribus accinctus armis, apud *Wyndleſhoram*, pridiè Kalendas Aprilis, in *Hyberniam* transfretavit. Quo facto, Rex *Henricus* cum Patriarcha mari tranſito, diem Paſchæ apud *Rothomagum* celebravit. Rex *Francorum*, audito Regis *Anglorum* adventu, cum feſtinatione venit apud *Vallem Ruil* caſtellum: ubi Reges in colloquiis familiaribus triduo perſtiterunt, & in eorum præſentia multi nobiles cruce ſignati ſunt. Sed ipſi Reges Patriarchæ nihil aliud in reſponſis dederunt, niſi quòd uterque terræ ſanctæ feſtinum promitterent auxilium: non enim leve eis videbatur, ab extremis finibus Occidentis, rem tam arduam attentare. Patriarcha verò, cujus negotium in arcto erat poſitum; ſpe fruſtratus, ad propria remeavit. Eodem anno, *Hugo* de *Lacio*, dominus provinciæ, quæ *Media* dicitur, interfectus eſt, octavo Kalendas *Auguſti*. Eodem tempore, comite *Huntendon* abſque liberis decedente; Rex *Anglorum* dedit comitatum illum Regi *Scotorum Willielmo*, cum pertinenciis ſuis. Eodem anno, *Gilbertus* de *Glamulla* Archidiaconus *Luxonienſis*, conſecratus eſt Epiſcopus *Roffenſis*, tertio Kalendas Octobris. Eodem tempore, obiit *Lucius* Papa, ſucceſſit *Urbanus* ſecundùm quandam hiſtoriam. In eodem tempore, dux *Saxonum Henricus* licentia Imperatoris rediit ad propria, ſuo tantùm patrimonio contentus.

Baldewinus Cantuarienſis *Archiepiſcopus Pallium & legatiam ſuſcepit.*

Anno Domini M. CLXXXVI. *Baldewinus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, pallium cum Legatione in provincia ſibi ſubdita, accepit. Eodem anno, *Willielmus* de *Ver* in feſto beati *Laurentii*, *Herefordenſis* eſt conſecratus antiſtes. Eodem anno, *Gaufridus* comes *Britanniæ* & Regis filius *Angliæ*, diem clauſit ſupremum, decimo quarto Kalendas *Septembris*, & ſepultus eſt *Pariſiis*, in Eccleſia beatæ *Mariæ*, in Choro Canonicorum. Reliquit autem duas filias, quas genuerat ex *Conſtantia* uxore ſua, filia ſcilicet *Conani* comitis *Britanniæ*; quæ etiam tempore, quo vir ejus obiit, gravida fuit, quæ poſteà filium pariens, *Arturum* illum vocavit. Eodem anno, *Hugo* genere *Burgundus*, & Prior *Carthuſienſis* ordinis in *Anglia*, conſecratus eſt epiſcopus *Lincolnienſis* in feſto ſancti *Matthæi*. Et eodem die, *Willielmus* de *Norchale* conſecratus eſt *Wigornienſis* epiſcopus. Eodem anno, ſcilicet in confinio temporis quo annus anno continuatur, ſcilicet diebus nataliciis Domini, defuncto Papa *Lucio*,

Urbanus

1187.

Urbanus ſucceſſit. Per idem tempus, *Johannes* præcentor *Exonienſis*, ejuſdem eccleſiæ conſecratus eſt antiſtes.

Papa Urbanus Baldewino Cantuarienſi *Archiepiſcopo conceſſit ut conſtrueret eccleſiam apud* Akintonam.

EODEM tempore, Papa *Urbanus Baldewino* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* ſcripſit in hæc verba. *Præſentium tibi authoritate mandamus, ut liceat tibi eccleſiam in honorem beatorum martyrum* Stephani *&* Thomæ *conſtruere, & de idoneis jam ornare perſonis, quibus beneficia, quæ ad eorum ſuſtentationem conſtitueris, canonicè debeas aſſignare. Item fraternitati tuæ mandamus, ut quarta parte oblationum, quæ ad reliquias beati* Thomæ *martyris offeruntur, monachorum uſibus conceſſa; quarta fabricis eccleſiæ deputata, quarta pauperibus erogata, quartam portionem liceat tibi in alios uſus bonos, pro tuæ voluntatis arbitrio, erogare.* Circa eadem tempora, obiit maxima mulierum, venerabilis domina *Matildis*, filia Regis *Anglorum Henrici* primi, Imperatrix & uxor *Henrici Romanorum* Imperatoris: & mater *Henrici* ſecundi *Anglorum* Regis maximi. Unde ejuſdem *Matildis* epitaphium.

Matildis *Imperatrix moritur.*

Ortu magna, viro major, ſed maxima partu,
Hic jacet Henrici, *filia, ſponſa, parens.*

Sybilla *in Reginam* Hieroſolymorum *coronatur.*

CIRCA dies iſtos, *Baldewino* puero Rege *Hieroſolymorum* defuncto, non erat qui ei in regnum ſuccederet, præter *Sybillam* uxorem *Guidonis* comitis *Joppenſis*; quæ ſoror erat Regis leproſi, & Regis pueri nuper defuncti mater. Sed tempus inſtabat, ut treugæ inter *Salaadinum* & populum *Chriſtianum* conſtitutæ ſolverentur; regni proviſio jam in arcto poſita erat; nec differri potuit, quin de illius ordinatione ilicò tractaretur. Convocato igitur procerum Concilio, in hoc pariter conſenſerunt, ut *Sybilla Guidonis* uxor tanquam hæres juſtiſſima Regum prædictorum, coronaretur in Reginam; & *Guidonem*, qui regno inſufficiens erat regendo, ſolenniter repudiaret. Reſpuit *Sybilla* regnum ſibi ſub tali conditione oblatum, donec proceres id generaliter illi conceſſerunt, & juramento firmaverunt, ut quem ipſa maritum eligeret, omnes ipſi ſicut Regi obedirent. *Guido* etiam vir ejus ſuppliciter poſtulabat ne pro ſuo damno, regni proviſio differretur. Ita tandem cum lacrymis adquieſcens, coronata eſt ſolenniter in Reginam; & omnium fidelitatem, adhibito juramento, ſuſcepit; & *Guido* vir ejus, ſine ſpe conjugis & regni, ad ſua divertit. Nunciatur interea *Salaadini* hoſtilis adventus, quod nec à verò diſtabat: unde Regina convocatis edicto Regio viris eccleſiaſticis & ſæcularibus, de Rege habuit eligendo tractatum. Et quum id ſibi prius ab omnibus conceſſum fuerat, ut quem vellet maritum eligeret, expectantibus rei exitum univerſis, Regina *Guidoni*, qui inter alios aſtabat, voce clara dixit: domine mi *Guido*, ego te in maritum eligo, & me ſimul cum regno tibi tradens, te Regem futurum publicè proteſtor. Ad hanc vocem omnes ſtupefacti, admirabantur valdè, quòd tot viros prudentes una mulier ita ſimplex deluſit. Laudabilis planè fœmina, & tam pudicitiæ quam prudentiæ præconiis extollenda: ſic enim negotium temperavit, ut regnum viro, & ſibi virum obtineret. Factus eſt his diebus, per orbem univerſum, terræmotus magnus & horribilis, ita ut etiam in *Anglia* ubi raró contigit, multa ædificia ſubverterentur. Contigit autem his diebus matrem *Salaadini*, ab *Ægypto* in partes tranſire *Damaſcenas*, in apparatu magno & divitiis copioſis. Quæ de fide treugarum præſumens, per fines regionis quæ trans *Jordanem* ſunt, ſecurè perrexit. In cujus comitatum *Reginaldus* de *Caſtellione* temerè irrumpens, divitias diripuit univerſas: verùntamen mater *Salaadini* fuga periculum declinavit. Commotus inde *Salaadinus*, reſtitutionem ablatorum, & ſuper injuriis ſatisfactionem, ſub pactione fœderis poſtulavit. Conventus autem ſuper hiis, *Reginaldus* de *Caſtellione* à *Salaadino* durè nimis & contumelioſè reſpondit. *Salaadinus* verò ſupra modum lætus, quòd in parte *Chriſtianorum* diruptæ erant treugæ, ad vindictam provocatus, accingitur ad certamen. Imago pueri *Jeſu* lapidea fracta, ſanguine manavit. Reges *Angliæ* & *Franciæ* ſuſceperunt Crucem decimo tertio Kalendas Februarii. Mater eccleſia *Ciceſtrenſis*, & tota civitas comburuntur, decimo quarto Kalendas Novembris. *Hugo* de *Nunant Ceſtrenſis*.

Salaadinus *terram ſanctam depopulatur.*

ANNO Domini M. CLXXXVII. *Salaadinus* contra *Chriſtianos* indignatione ſuccenſus, Parthos, *Bedewinos*, *Turcos*, *Saracenos*, *Arabes*, *Medos*, convocat & *Cordinos*, & his omnibus cum *Ægyptiis* ſtipatus, fines *Chriſtianorum* conterit & conturbat. Et jam non contentus parvis quibuſdam in *Galilæa* præſidiis, *Calvariam* obſidere proponit. Cum omnium igitur machinarum genere illuc properaret, magiſtrum militiæ templi cum fratribus LX. & *Chriſtianorum* multitudine itinerando peremit, & cum palma martyrii ad cœleſtia regna tranſmiſit. Hac igitur *Salaadinus* victoria exhilaratus, ad obſidionem *Calvariæ* feſtinans contendit. Rex autem *Hieruſalem*, ut urbem audivit obſidione vallatam, & incluſos vehementer affligi; edicto Regio, omne regni robur convocavit; illis ſolummodo in caſtrorum præſidio relictis, quos ætatis & ſexus infirmitas armorum prorſus habebat immunes. Caſtra igitur moventes à fonte *Sephoritano*, ubi convenerant, ſtipati militum viginti millibus inceſſerunt. Præfecto itaque exercitui *Reimundo* comite *Tripolitano*, verſus *Tiberiam* ſunt profecti. Cumque funeſta dies certaminis inſtaret, camerario Regis viſio tremenda contigit: videlicet quòd aquila quædam *Chriſtianum* tranſvolaret exercitum, quæ miſſilia ſeptem gerens in pedibus, voce terribili perſonaret: Væ vobis *Hieruſalem*, væ vobis *Hieruſalem* inhabitantibus. Ad hujus viſionis expoſitionem ſufficere nimirùm credimus, quod Spiritus ſanctus de reprobis loquitur per Prophetam: *Tetendit Dominus arcum ſuum, & in eo paravit vaſa mortis.*

AUDIENS

1188.

AUDIENS autem *Salaadinus*, quòd Rex in ſuccurſum veniret obſeſſorum, venientibus audacter occurrit, & cum eos ſcopulis anguſtis & præruptis incluſos cognoviſſet non longè à *Tiberia*, in loco qui *Mariſcallia* dicitur, in Regis exercitum irruit confidenter. Igitur *Chriſtiani* hoſtes viriliter exceperunt, quantum locorum anguſtiæ permittebant. Pugnatum eſt acriter hinc & inde, & corruerunt interfecti: tamen exigentibus *Chriſtianorum* peccatis, prævaluit tandem pars adverſa. Nam (ut aiunt) comes *Tripolitanus* militiæ princeps, vexillum Regis in terram proditiosè demittens, *Chriſtianos* fecit fugam meditari. Sed quo fugerent? Niſi in hoſtes, non habentes quo ſe conferrent. Rex *Guido* captus eſt cum cruce ſancta, & omnis multitudo eorum capta fuit vel gladiis interfecta. Evaſerunt tamen ab hac clade, comes *Tripolitanus* licèt omnibus ſuſpectus, dominus *Reginaldus Sydonis* patronus, atque dominus *Balianus* cum paucis fratribus militiæ templi. Facta eſt autem hæc miſera belli congreſſio, quinto & quarto Nonas Julii, infra octavas Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Evaſit etiam ab hac clade, *Theodoricus* magiſter militiæ templi: qui tamen ipſa die, ducentos & triginta de fratribus amiſit. Comes *Tripolitanus* quod ſine ſanguinis effuſione evaſerunt, in argumentum ſumebatur contra ipſum quòd in Regem & populum Dei proditiosè egiſſet. Capti ſunt etiam cum cruce, ejus bajulatores epiſcopus *Aconenſis* & præcentor Dominici ſepulchri: ille cæſus, & iſte captus pariter cum ipſa ſuccumbunt. Sicque capitur crux ſancta propter peccata hominum, & quæ nos à veteri captivitatis jugo abſolvit, pro nobis captiva ducitur, & prophanis *Gentilium* manibus contrectatur. *Captio ſanctæ crucis & Regis Hieruſalem à Saladino.*

SALAADINUS itaque victoria potitus, *Tiberiam* revertitur & ſolo præſidio quod ſuperat capto. Regem cum cœteris quos ceperat, *Damaſcum* tranſmiſit. Deinde *Galilæam* invadens, univerſa pro libitu occupavit. Et veniens *Ptolomaidam*, ſine ſanguinis eam effuſione ſuſcepit: Inde *Hieroſolymam* feſtinans, urbem obſidet, machinas in gyrum locat. Cives quas poſſunt defenſiones objiciunt, ſed arcus baliſtæ, petrariæ effectu carent, & inutiliter contrectantur. Vulgus verò pavidum, ad Patriarcham & Reginam, qui tunc urbi præerant flebiliter ſupplicans inſtat, ut cum *Salaadino* de urbe tradenda conveniant; pactio tandem intercedit magis dolenda quàm memoranda. Nam ſinguli capitis ſui cenſum ſtatuentes, vir biſantios decem, mulier quinque, infans unum perſolveret, & quiſquis qui ad hæc non ſufficit, teneretur captivus. Erant autem in civitate quatuordecim millia utriuſque ſexus hominum, qui ad hoc non ſufficientes, jugum ſubierunt perpetuæ ſervitutis. Reddita eſt civitas ſancta inimicis *Chriſti*, & Sepulchrum poſſident qui perſequuntur Sepulchrum: crucem tenent, qui Crucifixum blaſphemant. Ingreſſus itaque civitatem cum ſtrepitu tympanorum & tubicinum, ad templum properabat, & cruce quæ in eo erecta ſtabat diſpoſita, ejectiſque quæ *Chriſtiani* venerabantur; templum intùs & extrà aqua luſtrabat roſacea, & ſic erroris ſui ſuperſtitiones per quatuor angulos templi magno fecit ſtrepitu conclamari. Eccleſiam ſanctæ reſurrectionis & Sepulchrum Dominicum cum locis aliis venerabilibus quibuſdam *Syrianis*, ſub certo conſtituit tributo. Et inde feſtinanter progreſſus urbes omnes circumquaque poſitas & oppida ſubjugavit; præter *Aſcalonem* & *Tyrum*, & *Crach* ultra *Jordanem*, quod alio nomine dicitur *Mons regalis*. *Sancta civitas cum tota ferè terra Hieroſolymitana à Saladino ſubjugatur.*

EODEM anno, Papa *Urbanus* ſcripſit *Baldewino Cantuarienſi* Archiepiſcopo, pro negotio conventus Eccleſiæ ejuſdem, in hæc verba, *Dilecti filii noſtri Prior & Conventus Eccleſiæ tibi commiſſæ, ad noſtram præſentiam literas & nuntios deſtinantes, propoſuerunt de Eccleſia quam ædificare cœpiſti, ſibi & Eccleſiæ diſpendium proventurum, & niſi fuerit ab ejus conſtructione ceſſatum, præſcripta Eccleſia ſuæ honeſtatis & ſtatus miſerabile ſuſcipiet detrimentum. Nos autem ſolicitè providere volentes, ne inter te & fratres tuos materia remaneat jurgiorum (cùm non poſſunt convenienter intendere divinis obſequiis, qui ſunt in contentionibus) de conſilio fratrum noſtrorum, monemus fraternitatem & diſtrictè præcipimus, quatenus (donec cauſa cognita, ſtatuamus quid de ipſa fieri debeat) omni occaſione & appellatione poſtpoſita, ab illius eccleſiæ conſtructione deſiſtas: literis aliis non obſtantibus à ſede Apoſtolica impetratis.* Eodem anno, mortuo Papa *Urbano*, *Gregorius* ſucceſſit: qui cum ſediſſet duobus menſibus, defunctus eſt, & *Clemens* tertius, decimo tertio Kalendas Januarii ſurrogatur. Eodem anno *Gilebertus Londonienſis* epiſcopus naturæ debitum ſolvit. Eodem anno, *Richardus* comes *Pictavienſis* cùm audiſſet calamitatem terræ ſanctæ & de capta cruce; non expectata alicujus prædicatione, vel patris ſui conſilio aut voluntate primus inter proceres tranſmarinos ſignaculum crucis ſuſcepit de manu Archiepiſcopi *Turonenſis*. Eodemque anno, *Hugo* de *Minant*, factus eſt epiſcopus *Ceſtrenſis*. *Prohibitio Papæ ne eccleſia Akintona conſtruatur.*

ANNO Domini M. CLXXXVIII. *Fredericus Romanorum* Imperator ad prædicationem *Henrici Albanenſis* epiſcopi & Apoſtolicæ ſedis Legati, qui à Papa *Clemente* miſſus fuerat; crucem Chriſti ſuſcepit. Et eodem tempore, Rex *Francorum Philippus* & Rex *Anglorum Henricus* in *Normannia*, pro ſubventione terræ ſanctæ, ad colloquium venientes; inter *Triam* & *Giſortium*, poſt longos tractatus, præſente comite *Flandrenſi Philippo*, in hoc pariter conſenſerunt; ut ſumpto crucis ſignaculo, iter *Hieroſolymitanum* ſocialiter expedirent. Rex igitur *Anglorum* primò crucis ſignaculum ſuſcepit de manibus Archiepiſcoporum *Remenſis*, & *Willielmi Tyrenſis*; quorum ultimus à domino Papa, ſuper negotio crucis officium legationis ſuſceperat in partibus Occidentis. Deinde Rex *Francorum* & *Philippus* *Prædicatione crucis, multi cruce ſignantur.*

1188. comes *Flandrenſis* crucem ſumentes; exemplum aliis potiſſimum præbuerunt. Unde tam in imperio, quàm de utroque regno Regum prædictorum, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Marchiones, Barones, milites & mediæ manus homines vulgúſque promiſcuum, Crucem animoſiùs ſuſceperunt. Proviſum eſt etiam inter eos, ut omnes de regno *Francorum* cruces rubeas, de terris Regis *Anglorum* albas; de terra comitis *Flandrenſis* virides haberent cruces. De terris autem, catallis & rebus omnibus uſque ad peractam peregrinationem; & quilibet eorum in terra ſua quadraginta diebus moram feciſſet; omnia eſſent in eo ſtatu, quo fuerunt in die qua crucem ſuſceperunt.

Quare Richardus *comes* Pictavenſis *animum ſuum à patre alienaverit.*

CIRCA dies iſtos, *Gaufridus* de *Liutziaco*, quendam *Richardo* Comiti *Pictavenſis* familiarem; ſtructis inſidiis interfecit. In tanti verò ultionem delicti, comes ad arma provocatur: ſed acceptæ crucis non immemor, omnibus hominibus *Gaufridi* crucis ſignaculo inſigniri volentibus pepercit; alios in ore gladii interfecit; & in deditionem plura caſtella ſuſcepit. Sed *Gaufridus* Regis *Anglorum* fultus pecunia & auxilio (ut dicebatur) *Richardo* comiti reſtitit, & parùm profecit: unde idem comes animum ſuum à patre alienavit. *Gaufrido* itaque ſuperato, comes terram comitis *Tholoſani* hoſtiliter ingreſſus, injuriatus ab ipſo, intra breve temporis ſpatium, caſtella ejus ſeptendecim ſubjugavit. Rex autem *Francorum* indignè ferens, quòd comes *Richardus* terram comitis *Tholoſani* ingreſſus fuiſſet; eo non certiorato, caſtellum *Radulphi* latenter ingreſſus eſt, & omnes in illo repertos ad fidelitatem ſibi faciendum coëgit. Quod factum tanto principi ignominioſum videbatur: cum præſertim Rex *Anglorum*, poſt crucem ſuſceptam, tranſiturus in *Angliam*; Regi *Francorum* totius terræ ſuæ cuſtodiam tradidiſſet. Deinde Rex *Francorum* caſtellanos quoſdam Regi *Anglorum* ſubjectos; in ſuum favorem tam minis quàm promiſſis attraxit: & ſic inſtinctu diabolico, poſt crucem ſuſceptam Reges diſcordes effecti, mutuis ſeſe damnis ad invicem afflixerunt. Unde Rex *Anglorum Francorum* ingreſſus regnum, à *Vernolio* uſque *Meduanam* univerſa contrivit. Eodem anno, *Richardus Wintonienſis* epiſcopus obiit undecimo Kalendas Januarii; & *Wintoniæ* ſepultus eſt.

Epiſtola Frederici *imperatoris* Romani *ad* Salaadinum.

EODEM anno, *Fredericus Romanorum* Imperator *Salaadino* ſcripſit pro negotio terræ ſanctæ, ſub hac forma. Fredericus *Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, & hoſtium Imperii magnificus triumphator*; Salaadino Saracenorum *præſidi*, Hieruſalem *fugere exemplo* Pharaonis. *Quoniam terram ſanctam nuper prophanaſti, cui æterni Regis Imperio imperamus, in tanti ſceleris præſumptuoſam plectibilemque audaciam, debita animadverſione decernere, Imperialis celſitudo & officii ſolicitudo nos admonet. Quapropter, niſi occupatam terram & omnia reſtituas, adjuncta ſatisfactione ſacris conſtitutionibus pro tam nefandis exceſſibus taxata (ne legitimum minimè videamur indicere bellum) à capite Kalendarum Novembrium, evoluto anni ſpacio, terminum conſtituimus, ad experiendam belli fortunam in Campo* Thaneos, *in virtute mirificæ Crucis & in nomine veri* Joſeph. *Vix enim credere poſſumus hæc te latere, quod ex ſcriptis veterum & in hiſtoriis noſtri temporis factum redolet. Numquid ſcire diſſimulas, ambas* Æthiopias, Mauritaniam, Perſiam, Syriam, Parthiam, Judæam, Samariam, *maritimam* Arabiam, Chaldæam, Ægyptum, *&* Armeniam, *cum innumerabilibus terris noſtræ ditioni eſſe ſubjectas? Norunt hæc Reges, qui cruore gladii* Romani *ſunt crebriùs inebriati. Et tu quidem, authore Deo, intelliges, quid noſtræ victrices aquilæ, quid cohortes diverſarum nationum, quid furor* Theutonicus *etiam in pace arma movens, quid caput indomitum* Rheni; *cujus juventus nunquam novit fugam; quid procerus* Bavarus, *quid* Suevus *aſtutus, quid* Franconia *circumſpecta, quid in gladio ludens* Saxonia, *quid* Thuringia, *quid* Weſtphalia, *quid agilis* Brabantia, *quid neſcia pacis* Lotharingia, *quid inquieta* Burgundia, *quid* Alpinæ *ſalices, quid* Friſonia *in momento prævolans, quid* Bohemia *ultra morem gaudens, quid* Polonia *ſuis feris ferior, quid* Auſtria, *quid* Stiria, *quid* Burgeſia, *quid partes* Illyricæ, *quid* Leonardia, *quid* Tuſcia, *quid* Archaritana, *quid vetus* Proretha, *quid* Spinacius *nauclerus. Denique dextram noſtram, quam ſenio arguis, qualiter gladium vibrare didicerit, dies illa lætitiæ plena & jocunditate triumpho Chriſti præfixa te docebit.*

Reſponſio Salaadini.

ILLI *Regi ſincero amico, magno, excelſo* Frederico *Regi,* Alimanniæ, *in nomine Dei miſerentis, per gratiam Dei unius potentis, exuperantis, victoris perennis, cujus non eſt finis. Gratias ei agimus perennes, cujus gratia eſt ſuper omnem mundum, deprecamur eum, ut infundat orationem ſuam ſuper Prophetas ſuos, & maximè ſuper inſtructorem noſtrum nuncium ſuum* Mahumet *Prophetam, quem miſit pro correctione rectæ legis, quam faciet apparere ſuper cunctas leges. Notum faciemus Regi ſincero, potenti, magno amico, amicabili Regi* Alemanniæ, *quòd homo quidam* Henricus *nomine, venit ad nos dicens, ſe eſſe nuncium veſtrum, & detulit nobis quandam chartam, quam eſſe dixit veſtram. Nos legi fecimus chartam, & audivimus eum viva voce loquentem, & verbis, quæ ore dixit, verbis reſpondimus, & hoc eſt reſponſum chartæ. Quod computatis qui vobiſcum concordant, veniendi ſuper nos, & nominatis, & dicitis: Rex talis terræ, & Rex alterius terræ: & comes talis, & tales: & tales Archiepiſcopi, & Marchiones & milites: ſed ſi nos vellemus dinumerare eos, qui ſunt in noſtro ſervitio, & qui ſunt intendentes noſtro præcepto & prompti noſtro ſermoni, & qui dimicarent coram noſtris manibus, non poſſent in ſcriptum redigi. Et ſi* Chriſtianorum *computatis nomina,* Saracenorum *ſunt plura & abundantiora, quàm* Chriſtianorum. *Et ſi inter vos & eos, quos nominaſtis* Chriſtianos;

1188.

mare eſt, inter Saracenos, qui non poſſunt æſtimari, non eſt inter eos & nos mare, vel ullum impedimentum veniendi ad nos. Et nobiſcum habentur Bedewini, quos ſi opponeremus inimicis noſtris, ſufficerent. Habemus & Turkemannos, quos ſi effunderemus ſuper inimicos noſtros, deſtruerent eos. Habemus ruſticos, qui dimicarent ſtrenuè, ſi juberemus, contra gentes quæ venturæ ſunt ſuper terram noſtram, & ditarentur de eis & exterminarent eas. Habemus ſoldarios bellicoſos, per quos terram apertam habemus & adquiſitam & expugnatos inimicos: & hi & omnes Reges paganiſmi, non tardabunt, cùm eos ſummonuerimus & vocaverimus. Et vos, cùm fueritis congregati, ſicut charta veſtra dicit, & ducetis multitudinem veſtram, ut narrat nuntius veſter, obviabimus vobis per potentiam Dei, & obtinebimus terras fortitudine Dei. Nam ſi veneritis, cum toto poſſe veſtro venietis, & præſentes eritis cum omni gente veſtra. Et ſcimus quod nullus remanebit in terra veſtra, qui ſe defendere poſſit vel terram tueri: & quando Deus victoriam nobis ſua fortitudine donaverit, nihil amplius erit, quàm ut terras veſtras liberè capiamus fortitudine ſua & voluntate. Adunatio enim legis Chriſtianorum bis venit ſuper nos, in Babylone; una vice apud Damietam, & altera apud Alexandriam, & noſtis qualiter Chriſtiani utraque vice redierint, & ad qualem exitum venerint. Et Deus adunavit nobis regiones affluentiùs, & adunavit eos longè latéque ſub poteſtate noſtra, Babyloniam cum pertinenciis ſuis, terram Damaſci & maritimam, Hieruſalem, terram Gethſure & caſtella ejus, terram Roaſiæ cum pertinentiis, regionem Indiæ cum pertinentiis. Et per gratiam Dei, hoc totum eſt in manibus noſtris. Et reſiduum Regum Saracenorum noſtro eſt imperio ſubjectum. Nam ſi mandaremus excellentiſſimis Regibus Saracenorum; non retrahent ſe à nobis. Et ſi ſummoneremus Calipham de Baldac, quem Deus ſalvet, de ſede excelſi imperii ſui exurgeret, & veniret in auxilium excellentiæ noſtræ. Et nos per virtutem Dei obtinuimus Hieruſalem & terras ejus, & remanent adhuc in manibus Chriſtianorum, tres civitates, Tyrus, Tripolis, & Antiochia; & de hiis non eſt aliud, niſi ut capiantur. Attamen ſi bellum vultis, & ſi Deus voluerit, ut ſit per voluntatem ſuam, & quòd totam terram Chriſtianorum adquiramus, obviabimus ſicut ſcriptum eſt in charta veſtra. Verùm ſi nos de bono pacis requiſiveritis, mandabitis procuratoribus iſtorum trium locorum prædictorum, ut ea nobis ſine contradictione reſignent, & vobis ſanctam Crucem reddemus, & liberabimus omnes captivos Chriſtianos qui ſunt in tota terra noſtra, & permittemus vobis ad Sepulchrum unum ſacerdotem, & reddemus Abbatias quæ ſolebant eſſe in tempore Paganiſmi; & bonum eis faciemus, & permittemus venire peregrinos in tota vita noſtra, & habebimus vobiſcum pacem. Charta hæc ſcripta fuit, anno adventus Prophetæ noſtri Mahumet, Quingenteſimo octuageſimo quarto, gratia Dei ſolius.

Guido Rex Hieroſolymorum à carcere liberatur.

EODEM anno, *Guido* Rex *Hieroſolymorum*, cùm apud *Damaſcum* per annum detentus fuiſſet in vinculis, *Salaadinus* ſub tali illum pactione abſolvit: ut abjurato regno, mare quàm citiùs proſcriptus tranſiret. Hanc pactionem caſſandam clerus regni deliberat, nec ibi fidem eſſe ſervandam, ubi periclitatur religio, dum terra promiſſionis omni ſolatio deſtituta, caput non habeat nec rectorem, nec peregrini venturi ductorem, nec populus defenſorem. Rege itaque à vinculis ſoluto, confluxerunt ad eum multi peregrini, qui nuper advenerant cum populo regionis, & copioſum exercitum confecerunt. Qui *Tyrum* ingredi volentes, à *Marchiſio* admittuntur: licet eo pacto civitas ei commiſſa fuiſſet, ut Regi repetenti & regni hæredibus redderetur. Sed poſt dies paucos, eodem *Marchiſio* defuncto, hæc peſtis ceſſavit. Mortuus eſt etiam eodem tempore, *Reimundus* comes *Tripolitanus*; cui imputabatur totus ſiniſter eventus terræ promiſſionis, quò minùs *Chriſtianè* (ut dicitur ex mentis alienatione) in extremis viaticum non percepit. Et his ita geſtis, Rex cum exercitu Baronum regni, qui ſibi adhæſerant, ſociatis ſibi Templariis & Hoſpitalariis; *Venetianis* etiam qui nuper advenerant & *Januenſibus* peregrinis, iter verſus *Ptolomaidam*, quæ alio nomine *Achon* dicitur, arripuit; cujus robur veraciter innumeratum, ad novem millia armatorum excrevit. Rex itaque *Hieroſolymitanus* cùm *Ptolomaidam* perveniſſet, fecit omnes ſuos in collem aſcendere civitati vicinum, quem eò quòd inſtar *Turris* erectus ſit in ſublime & rotundus, *Turonum* à vulgo nuncupatur. Mons autem iſte à parte urbis Orientali conſurgit editior, & in circuitu longè proſpectum in plana diffundit. Die igitur tertia poſt ſuum adventum, urbis à *Chriſtianis* obſeſſio facta fuit, quæ poſtea non defecit uſque ad tempus quo capta fuit à Regibus *Francorum* & *Anglorum*, *Philippo* & *Richardo*. Adeò quidem peregrini ſimplices & mediæ manus homines bellatores, concepto devotionis fervore; ducuntur, quòd ſuis Regibus vel Dominis non expectatis, ab extremis mundi partibus confluunt Domino ſervituri.

Salaadinus ab Achon cum ignominia receſſit.

REX autem *Hieroſolymorum*, peregrinorum multitudine vallatus; fecit ſuos omnes de *Turono* deſcendere; & unà cum peregrinis, qui nuper advenerant, ante civitatem caſtra locavit. Poſt dies autem paucos, ſuperveniens *Salaadinus* in manu robuſta, impetum in *Chriſtianos* fecit acerrimum; ut qui putabat eos inſultu primo vincendos. At fideles in unum conglobati, quaſi pro animabus decertantes, viriliter reſtiterunt: quos *Salaadinus* circumcingi jubens, pro impoſſibili, quod ex omnibus pes unus evaderet, judicabat. Sed aliter viſum eſt ei qui diſſipat conſilia reproborum. Nam cùm per triduum inſultus Infidelium undique venientium pertuliſſent, & jam quaſi debilitati ab hoſtibus deficere cœpiſſent,

1188. ecce aſpiciunt claſſem cum duodecim *millibus Danorum* & *Friſonum* velis ſinuantibus accedere ad portum: quem Deo opitulante, cum proſperitate optata intraverunt. His & hujuſmodi, quæ fiebant aſſiduè, viſionibus permotus *Salaadinus* confuſus ad terræ ſuæ inferiora deſcendit.

Magnum impedimentum terræ ſanctæ.

ACCESSIT autem his diebus, ad terræ ſanctæ magnum impedimentum diſcordia; quæ nuper & poſt Crucem ſuſceptam, inter Regem *Francorum* & Comitem *Pictavienſem Richardum* ex una parte; & *Henricum* Regem *Anglorum* ſurrexit, ex altera: adeò quidem, ut mutua ad invicem caſtella ſurriperent, & multa mala in homicidiis & ſpoliis perpetrarent. Qui tandem pro bono pacis in *Normanniam* ad colloquium convenientes; Diabolo ſuperſeminante zizania in medio tritici, diſcordes ab invicem receſſerunt, &c.

REX *Henricus* in partibus tranſmarinis moram faciens, infeſtationes, quas ſibi Rex *Francorum Philippus* & comes *Pictavorum Richardus* filius ejus faciebant; graviter nimis & moleſtè ferebat. Fuit autem ad Natale Domini, in *Andegavia* apud *Saumur*; & ſolenne feſtum ibi tenuit: licet quamplures de Comitibus & Baronibus ſuis ab eo receſſiſſent, & *Richardo* filio ſuo adhæſiſſent. Poſt feſtum ſancti *Hilarii* ruptis treugis quæ erant inter Reges: *Philippus* Rex *Francorum* & comes *Richardus*, congregatis copiis militaribus, intraverunt terras Regis *Anglorum*, & ea feraliter devaſtare cœperunt. *Britones* etiam, relicto eo, *Richardo* comiti adhæſerunt. Sed Papa *Clemens* admirans nondum pacem inter Reges fuiſſe reformatam; miſit *Johannem* de *Agnanio* Cardinalem cum plena poteſtate, ad lites Regias dirimendas. Qui cùm ad eos veniſſet, & ipſos nunc aſperis, nunc blandis ſermonibus, ad pacem commoviſſet; ipſi tandem Reges, præſtita cautione juraverunt, quòd ſtarent judicio *Bituricenſis*, *Rothomagenſis*, & *Cantuarienſis* Archiepiſcoporum: ita ſcilicet, ut ſi quis eorum deficeret, quò minùs inter eos pax ſolida firmaretur, & iter *Hieroſolymitanum* expediretur: in eum tanquam in dominicæ crucis, & totius *Chriſtianæ* religionis ſubverſorem; domini Papæ ſententiam excommunicationis promulgarent. Statimque Cardinalis ſententiam tulit, in omnes tam clericos quàm laicos; per quos ſtaret, quò minùs pax fieret inter Reges; ſalvis tantummodò regum perſonis eorundem.

Epiſtola filii Marchionis de oppreſſione terræ ſanctæ.

EODEMQUE tempore, tranſmiſſa eſt hujuſmodi epiſtola *Cantuarienſi* Archiepiſcopo. *Cantuarienſi Archiepiſcopo* Baldewino, Conradus *filius* Marchionis *de* Monte ferrato, *ſalutem. Turbantur elementa, & catholicæ fidei derogatur, cùm ſedes* Hieroſolymitana *Apoſtolicæ ſedi ſubtrahitur. Periit enim* Hieroſolyma, *& inertia* Chriſtianorum *à* Saracenis *viliſſimè pertractatur. Fœdant namque Dominicum Sepulchrum, deſtruunt* Calvariæ *locum, nativitatem* Chriſti *contemnunt, & beatæ Virginis eradicant ſepulchrum. Sedes* Conſtantinopolitana, Romanæ *ſedi nullam exhibet reverentiam*; Antiochena *quidem laborare dignoſcitur in extremis. Hæc autem omnia* Chriſtianorum *conſtat deſidia contigiſſe. Lugenda eſt civitas* Hieruſalem *atque lugubriter lamentanda; quæ ſuis cultoribus ſpoliata, qui* Chriſto *per horas diei ac noctis conſtituti, Deo cantando & orando, famulabantur: nunc (proh dolor)* Mahometh *excelſa voce laudatur, ritibus polluta* Saracenicis. *Veſtræ igitur celſitudini preces cum lacrymis porrigo commixtas, quatenùs calamitatum terræ ſanctæ miſereri dignemini, ut confortetis Reges, commoneatis fideles, ut canibus expulſis à patrimonio* Jeſu Chriſti, *miſericorditer ſubveniant, vincula ſolvant, prophanata mundent, ut terra ſanctis* Chriſti *pedibus calcata, de poteſtate Infidelium potenter liberetur.*

Conſpiratio Imperatoris Conſtantinopolitani *&* Salaadini *contra* Chriſtianitatem.

ACCEDIT etiam ad cumulum iniquitatis, ad opprobrium & deſolationem *Chriſtianitatis*; familiaritas quæ viget inter *Salaadinum* & Imperatorem *Conſtantinopolitanum*; cui idem *Salaadinus* tradidit omnes eccleſias terræ promiſſionis, ut in eiſdem ſerviatur ſecundùm ritum *Græcorum*. Inſuper etiam & idem *Salaadinus* miſit Idolum ſuum *Conſtantinopolim* Imperatoris aſſenſu, ut ibi publicè coleretur: ſed per gratiam Dei, captum eſt in mari à *Januenſibus*, & cum ipſa navi perductum eſt *Tyrum*. Nuper etiam exercitus conſtructus eſt copioſus ante urbem *Antiochiæ*, & dictus Imperator promiſit centum Galeias *Salaadino*. *Salaadinus* quoque dedit ei totam terram Promiſſionis, ita ſcilicet, ut impediat viam *Chriſtianorum*; maximè autem *Francorum*, ad ſuccurſum terræ ſanctæ properantium. Nec eſt aliquis apud *Conſtantinopolim*, qui crucem accipiat, quin ſtatim capiatur & incarceretur. Hoc autem nobis ſolatium eſt, quòd nuper frater *Salaadini* & filius ante *Antiochiam* capti ſunt, & ſub ſalva cuſtodia deputati.

Quibus de cauſis Richardus *comes* Pictavenſis *à fidelitate patris receſſerit.*

EODEM quoque anno, poſt Paſchalem ſolennitatem inter Reges *Francorum* & *Anglorum* habitum eſt colloquium prope *Feritatem Bernardi*: ſed ad ultimum in hebdomada Pentecoſtes, ibidem convenientes, tractatum diligentem habuerunt: ſuper hoc poſtulavit utique Rex *Francorum Aleſiam* ſororem ſuam, quam Rex *Angliæ* habuit ſub cuſtodia ſua; donari *Richardo Pictavienſium* comiti in uxorem, & aliquam ſecuritatem ſibi fieri de regno *Angliæ*, poſt deceſſum ſuum. Petiit inſuper, ut *Johannes* filius ejus crucem ſuſciperet, *Hieroſolymam* profecturus. Nam *Richardus* frater ejus, iter illud nullatenùs ſine ipſo arriperet. Sed quia Rex *Angliæ* huic petitioni aſſenſum præbere noluit; diſcordes ab invicem receſſerunt.

Comminatio Cardinalis & reſponſio Regis Francorum.

HOC utique colloquio Cardinalis memoratus, conſtanter aſſerebat; quòd niſi Rex *Franciæ* & comes *Ricardus* cum Rege *Anglorum* ad plenum componerent; omnes terras eorundem,

1188.

eorundem, ſub interdicto concluderet. Cui Rex *Francorum* reſpondit, ſe ipſius ſententiam nullatenùs formidare: cùm nulla æquitate fulciretur. Addidit etiam, ad eccleſiam *Romanam* minimè pertinere, in Regem aliquem, maximè *Francorum* per ſententiam animadvertere: ſi Rex idem in homines ſuos demeritos, indómitos & regno ſuo rebelles ulciſcendi cauſa, inſurgere diſpoſuerit. Adjunxit inſuper, quòd Cardinalis prænominatus, jam deſiderabiles Eſterlingos Regis *Angliæ* olfecerat; quorum odore attractus, ipſi plùs æquo (*Romanorum* more) extitit favorabilis: unde ipſum judicem ſuſpectum habebat. Comes etiam *Ricardus* vix ſe continuit, vixque magnatum manibus retentus eſt, quin extracto gladio, in ipſum Cardinalem furibundus irruiſſet. Unde Cardinalis retrocedens, latuit tremulus, & verba continuit ampulloſa. Archiepiſcopi verò aliique magnates impetum comitis refrenantes, aſſeruerunt Cardinalem de negotio crucis & *Chriſtianitatis* honore ſollicitare. Et ſic, repoſito gladio, ſpiritus commoti comitis, fœlicior conquievit. Datum eſt igitur Regi *Angliæ* conſilium, ut petitionibus filii ſui præberet aſſenſum. Dignum enim eſſe, conſiliarii ſui dicebant, ut filio ſuo & hæredi legitimo, militique tam ſtrenuo, aliquam ſecuritatem faceret gaudenter de hæreditate ſua habendâ; ſi ipſi, Deo ordinante, ſupervixiſſet. Quibus reſpondit Rex incontinenti, ſe nullatenùs hoc in tali ſtatu facturum; quia id coactus potiùs quàm ſpontaneus feciſſe videretur. Comes igitur *Ricardus* commotus vehementer, cùm talia cognoviſſet; videntibus cunctis, fecit homagium Regi *Francorum* de toto tenemento patris ſui, quod ad regnum *Franciæ* pertinebat; ſalvo patri tenemento, quamdiu viveret; & ſalva fide, quam patri debebat. Sicque ſoluto colloquio, reges & tota receſſit multitudo.

REX igitur *Francorum*, cum Comite *Richardo* in hunc modum recedens, cepit *Feritatem Bernardi*, *Montem fortem*, *Baalverque* caſtella Regis *Angliæ*, ope & opera comitis. Et poſt captionem illam, moram trium dierum fecit ibidem. Deinde *Cænomanniam* veniens, fingens ſe *Turonum* iturum, proxima die lunæ, cùm Rex *Angliæ* ſuique viderentur ibidem eſſe ſecuri; Rex *Francorum* acies ſuas diſpoſuit, in civitatem *Cænomanniæ* inſultum facturus. Quod videns *Stephanus* de *Turnham*, tunc *Andegaviæ* Regis *Anglorum* Seneſchallus; in ſuburbio ignem conjecit: ſed ignis accenſus muros tranſcendens, ferè civitatem totam in flammas redegit. Hoc autem *Franci* cognoſcentes, ad quendam pontem lapideum pervenerunt: ubi *Gaufridus* de *Broilim* & multi cum eo, ex parte Regis *Angliæ*, eis occurrerunt, pontem diripere cupientes: factóque conflictu maximo, multi hinc & inde gladio corruerunt. In quo cruentiſſimo certamine, captus eſt *Gaufridus* memoratus, in cervice graviter vulneratus, cum aliis quàm plurimis. Cæteri autem volentes in civitatem fugere, cùm catervatim ruerent, *Franci* unà cum illis ingreſſi ſunt civitatem. Quod videns Rex *Anglorum*, de ſe deſperans, cum militibus ſeptingentis ilicò aufugit. Rex verò *Francorum* & *Richardus* comes *Pictavorum*, per tria illum milliaria raptim inſequuti ſunt. Et niſi vadum, per quod tranſitum fecerunt, altum fuiſſet & immenſum, omnes de familia Regis *Angliæ*, qui tunc fortè per ducem peritum impunè tranſierant, milites capti fuiſſent. In illa verò fuga multi ſunt *Wallenſium* interfecti. Rex autem *Anglorum Turonum* cum paucis veniens; ibi ſe in munitionem recepit: reſidui verò qui manſerant de ſuis, in Turrim ſeſe *Cænomanniæ* receperunt. Rex *Franciæ* ilicò Turrim obſedit. Et per effoſſores ſuos & machinarum inſultus, infra diem tertium reddita eſt ei Turris cum militibus triginta, & ſervientibus quadraginta: indéque recedens, cepit Montem duplicem per deditionem. Deinde reddita ſunt ei caſtella *de Troia*, de *Rupibus*, *Mentarium*, *Caſtrum Carceris* & de *Leir*, *Calvimontis*, *Ambaciæ*.

Rex Francorum quatuor caſtella Regis Angliæ cepit ipſumque à Cœnomannia fugavit.

EODEMQUE anno, multæ naves à partibus Aquilonis *Britannicum* mare ſulcantes; cum peregrinis *Angliæ* fœdus inierunt. Itaque de conſilio communi, decimo quinto Kalendas Junii de *Dorceſmuthe* exeunte, naves videlicet multùm oneriferæ numero triginta ſeptem, ſeſe pelago commiſerunt. Rex autem *Portugalenſis* intelligens, quod naves præmunitæ eſſent, cum poſt varios rerum eventus, *Ulixebonam* perveniſſent, tam armis quàm hominibus roboratæ, ſupplicavit ut ei venirent in auxilium, ad ſibi ſubjugandam civitatem nomine *Sylviam*. Promiſit etiam eis in adjutorium galeas triginta ſeptem, & alias naves plurimas; & pactum cum eis iniit, præſtito ſacramento, quod quicquid auri vel argenti, vel cujuſcunque generis lucri, civitate ſubacta, poſſent adquirere, in uſus ſuos redigentes, urbem tantum Regi concederent. Igitur ab *Ulixibona* recedentes, velis proſperis in brevi portum *Sylviæ* intraverunt: impulſique ad terram navibus, tentoriiſque fixis, urbem obſidione vallarunt. Erat autem numerus *Chriſtianorum* ad pugnam præparatorum tria millia & quingenti. Deinde die tertia muris appropinquantes, inſultum fecerunt acerrimum, ſuburbium irruperunt, fontem etiam duplici muro circumdatum, habentem barbecanum novem turibus circumſeptum, à quo cives haurire ſolebant aquæ abundantiam, terra, fimo & lapidibus obſtruxerunt. Gentiles verò aquæ penuria laborantes, animo ſunt conſternati. Princeps verò civitatis *Alchad* nomine, Regem adiit *Portugalenſem*, reddidítque ei civitatem, ignorantibus *Chriſtianis*.

Captio Sylviæ civitatis.

SUBACTA igitur mirabiliter urbe à peregrinis Crucifixi, inventa ſunt in illa Paganorum pluſquàm ſexaginta millia; qui omnes in ore gladii, præter ſolummodò tredecim millia

Tria millia Chriſtianorum, ſexaginta millia paganorum peremerunt.

1188. millia utriuſque ſexus, perierunt. Sicque omnipotentis virtute, ſine damno Chriſtianorum triumphatum eſt de Paganis glorioſè; & civitate ſordibus Idolatriæ emundata, *Portugalenſis* epiſcopus *Mahomariam* magnam in honorem Dei Genetricis dedicavit: præficiens ibidem epiſcopum quendam de partibus *Flandriæ*, qui gratia peregrinationis illuc advenerat.

Henricus Rex cum filio ſuo Richardo pacem coactus init.

EODEMQUE anno, in craſtino Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, Comes *Flandriæ Philippus*, & *Willielmus Remenſis* Archiepiſcopus, & *Hugo* dux *Burgundiæ*, venerunt apud *Saumur* ad Regem *Anglorum*; ad componendum inter eum & Regem *Francorum* & *Richardum* Comitem *Pictavorum*. Habuit autem comes *Richardus Britones* confœderatos, cum *Pictavienſibus*: qui à Rege *Francorum* literas patentes acceperant; quòd ipſe nullatenus cum Rege *Anglorum* componeret: niſi & ipſi in pace fuiſſent comprehenſi.

Turonum capitur à Rege Francorum.

INTEREA verò Rex *Francorum* & *Richardus* comes *Pictavorum*; civitatem *Turonicam* obſidione vallarunt, proxima die lunæ poſt feſtum præfatum. Et ex parte *Ligeris* fluminis, præ modicitate aquæ, ſcalis muro applicatis, violenter civitatem ceperunt, in eáque milites ſexaginta novem, & centum ſervientes. Tunc Rex *Anglorum* in arcto conſtitutus; pacem ſibi turpiſſimam facere compulſus eſt in hunc modum. Rex *Anglorum* ſe poſuit ex toto in conſilio Regis *Francorum*; ita ut quicquid idem Rex provideret vel fieri judicaret, Rex *Angliæ* ſine contradictione compleret. Tunc Rex Anglorum Regi *Francorum* fecit homagium: quia in principio hujus guerræ homagium ſuum reddiderat Regi *Franciæ*. Proviſum eſt inſuper ut *Aleſia* ſoror Regis *Franciæ*, redderetur in cuſtodia comitis *Richardi*, uſque ad reditum ſuum de peregrinatione terræ ſanctæ, ut tunc ipſam duceret in uxorem. Proviſum eſt etiam, quòd comes *Richardus* acciperet homagia hominum de omnibus terris patris ſui, citra mare, & ultra; & nullus Baronum ſive militum qui in guerra adhæſit comiti *Richardo*, redibit ad Regem *Angliæ*; niſi in ultimo menſe, ante motionem Regum verſùs terram ſanctam, cujus terminus in media quadrageſima erit. Dabit prætereà Regi *Francorum* pro laboribus ſuis in obſequio comitis *Richardi* impenſis; viginti millia marcarum argenti. Et rex *Francorum* & comes *Richardus* tenebunt civitates *Cænomannicam* & *Turonicam*; cum caſtellis de *Troia*, de *Leir*; donec omnia fiant, quæ ſunt prælocuta.

Prophetia Merlini.

IN hoc autem eventu, videtur prophetia (vel prognoſticum dici debeat) *Merlini* completa, quæ dicit: *Dabitur maxillis ejus frænum, quod in Armorico ſinu fabricabitur:* frænum maxillis ejus videlicet Regis *Angliæ Henrici* eſt datum: dum quod prædeceſſores hæreditario jure tenuerant, dominio ſubjecit alterius, dúmque transfugas ſuos *Gaufridum*, ſcilicet de *Meduana*, *Guidonem* de *Valle*, *Radulphum* de *Fulgeriis* intra ſinum habitantes *Armoricum*, id eſt *Britannicum* (qui ſinus tranſitum facientibus à *Britannia* verſus *Franciam*, ſe pacificum & commeabilem offerebat, vitatis finibus *Normannorum*) in ligantiam & poteſtatem filii ſui *Richardi*, vellet nollet, tranſire conceſſit. Sed ut veriùs dicatur, potiùs creditur divina fuiſſe ultio, & ſanguinis beati *Thomæ* martyris reclamatio: quia quòd Deo & ſanctæ eccleſiæ Rex palàm promiſit, præcipuè contra libertatem eccleſiæ bona vacantium eccleſiarum inſiſcando, minimè adimplevit. Circa dies iſtos, in feſto ſancti *Georgii*, *Fredericus Romanorum* Imperator loca Dominicæ paſſionis viſitaturus, peregrinationis ſuæ iter arripuit apud *Reineſburgh*, tranſitum per *Hungariam* & *Bulgariam*, ut propoſuerat, habiturus.

De morte Regis Henrici.

REX autem *Henricus* de colloquio mœſtus valdè ad *Chinonem* veniens: gravi tactus incommodo, maledixit diei in qua natus fuerat. Et ſic in angaria poſitus, infra triduum poſt concordiam factam, diem clauſit extremum. Obiit autem poſtquam regnaverat annis triginta quatuor, menſibus ſeptem & diebus quinque; in octavis Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. In craſtino autem dum portaretur ad ſepeliendum, regio indutus apparatu, coronam in capite habens auream, & chirothecas in manibus, calceamenta auro texta in pedibus & calcaria, annulum magnum in digito, & in manu ſceptrum, accinctúſque gladio, diſcooperto vultu jacebat. Quod cùm *Richardo* filio ſuo nunciaretur, feſtinaliter ei venit obviàm, malè ſibi conſcius. Quo ſuperveniente, confeſtim erupit ſanguis ex naribus Regis mortui; ac ſi indignaretur ſpiritus in adventu ejus, qui ejuſdem mortis cauſa eſſe credebatur, ut videretur ſanguis clamare ad Deum. Quod videns comes abhorruit, & amariſſimè flere cœpit, & inæſtimabili perturbatus anguſtia, uſque ad fontem feretrum ſequens, corpus patris ſui ab Archiepiſcopis *Turonenſi*, & *Treverenſi*; Divinis ſolenniter (ut decuit) celebratis, fecit honorificè tumulari.

ET quoniam idem Rex adhuc vivens dicere conſueverat, ex animi magnificentia orbem univerſum uni non debere pro voto Principi magnifico ſufficere, inſcriptio tumuli talis extitit.

Epitaphium Regis Henrici ſecundi.

Rex Henricus *eram, mihi plurima regna ſubegi,*
Multiplicique modo, Duxque Comeſque fui.
Cui ſatis ad votum non eſſent omnia terræ
Climata, terra modo ſufficit octo pedum.
Qui legis hæc penſa, diſcrimina mortis, & in me
Humanæ ſpeculum conditionis habe.
Sufficit hic tumulus, cui non ſuffecerat orbis.

Leges

Leges autem quas idem Rex ad utilitatem regni ſtatuit, hoc in loco ſcriberem, ſi lectorem offendere pro prolixitate non dubitarem. Per idem tempus, *Matildis* uxor ducis *Saxoniæ*, & ejuſdem Regis filia; præ dolore hujus dicti infortunii (ut dicitur) defuncta eſt. 1188.

Comes Richardus *ducatum* Normanniæ *accepit.*

DEFUNCTO itaque Rege *Henrico* ſecundo, *Richardus* filius ejus ſtatim injecit manus in *Stephanum* de *Thurnham* Seneſcallum *Andegaviæ*; & mittens eundem in cuſtodia, exigit ab eo caſtella & theſauros patris ſui, quos habebat. Deinde omnes ſervientes patri ſuo, quos fideles noverat, honorificè ſecum retinuit, & unicuique ſervitium, quod patri ſuo longo tranſacto tempore fecerat, ſecundùm cujuſque meritum recompenſavit. *Johannem* verò fratrem ſuum ad ipſum venientem, honorificè ſuſcepit. Tunc pergens in *Normanniam*, *Rothomagum* venit; atque decimo tertio Kalendas Auguſti, præſentibus epiſcopis, Comitibus, Baronibus, ac militibus per miniſterium Archiepiſcopi, de altari beatæ Virginis *Mariæ*, ducatus *Normanniæ* gladium ſuſcepit. Receptáque fidelitate tam cleri quàm populi; *Johanni* fratri ſuo omnes terras, quas pater ſuus ei dederat in *Anglia*; terram videlicet quatuor millium marcarum cúmque Comitatu toto *Moretonii*, liberaliter confirmavit. Conceſſit etiam *Gaufrido* fratri ſuo eccleſiæ *Lincolnienſis* electo, Archiepiſcopatum *Eboracenſem*: qui continuò, miſſis clericis ſuis cum literis ducis, accepit Archiepiſcopatum in manu ſua, expulſis cuſtodibus Regis, & *Huberti Walteri*, ejuſdem eccleſiæ *Decani*. Dux igitur tertia ſui ducatus die, habuit colloquium cum Rege *Francorum*, inter *Calvum Montem* & *Trie*: in quo colloquio Rex *Francorum* poſtulavit *Giſortium* caſtellum, & totam provinciam adjacentem: ſed quoniam dux acceptutus erat *Aleſiam* ſororem Regis in conjugem ſuſtinuit ad tempus, promiſſis à duce quatuor millibus marcarum, præter ſupradictam pecuniam, quam promiſerat pater ſuus.

Rex Richardus *matrem ſuam à longo* carcere *liberavit.*

INTEREA mater ejus Regina *Alienora*, quæ per annos ſexdecim à thoro patris ſeparatâ, ſub arcta cuſtodia tenebatur; ſtatuendi quæ vellet à filio poteſtatem accepit. Datúmque eſt regni principibus in mandatis, ut omnia diſponerentur ad votum Reginæ. Quæ continuò accepta poteſtate, omnes captivos per *Angliam* à carceribus liberavit, ſicútque experimento didicerat, carcerales cuſtodias hominibus nimis eſſe moleſtas. Hiis profectò diebus, venit in lucem Prophetia *Merlini*, ubi dicitur: *Aquila*: ſiquidem Regina illa eſt appellata: quia duas alas ſuper duo regna, *Francorum* videlicet & *Anglorum* expandit: & præterea propter rapacitatem, quia tam animas quàm corpora ſua rapuit ſpecioſitate. Hæc à Rege *Francorum* disjuncta fuit propter conſanguinitatem, per divortium à Rege *Anglorum* propter ſuſpitionem & cuſtodiæ carcerali deputata. Sic igitur *Aquila* rupti fœderis utrobique fuit. Quod autem addidit, & tertia nidificatione gaudebit, ſic intelligi poteſt: Primogenitus Reginæ filius nomine *Willielmus*, in puerili ætate deceſſit: *Henricus* tertius in Regem ſublimatus, hoſtiliter cum patre congreſſus, naturæ debitum perſolvit: *Richardus* filius ejus tertius, tertia nidificatione denotatus, matri gaudium fuit, qui eam (ut dictum eſt) à carceris ſqualore liberatam, reverenter ut matrem honoravit.

HIIS ita diſpoſitis, dux *Richardus* ſingulis hominum ſuorum jura ſua reddens, uſque ad *Barbe* fluvium venit: Ibique naves aſcendens, apud *Porteſmuthes*, Idibus Auguſti applicuit. Cujus adventus, cùm eſſet per *Angliam* divulgatus, gaviſi ſunt clerus & populus de adventu ipſius. Et licèt quidam moleſtè tuliſſent mortem patris illius, ſolatium tamen illis fuit, quod quidam ait:

Mira canam, Sol occubuit, nox nulla ſequuta eſt.

Dux Richardus *in* Angliam *coronandus venit.*

Statim autem dux ut applicuit, *Wintoniam* veniens; fecit ponderare & in ſcriptum redigere omnes theſauros patris ſui. Et inventa ſunt plura quàm nongenta millia librarum in auro & argento, præter utenſilia & jocalia, & lapides pretioſos. Deinde apud *Sariſburi* veniens; & inde de loco ad locum pergens; unicuique jus petitum reddidit; & multis terras non habentibus, liberaliter conceſſit & dedit. Dedit prætereà *Johanni* fratri ſuo, filiam *Roberti* comitis *Gloverniæ*, cum comitatu illo, & caſtellis de *Marleburgh*, de *Lutegareſhale*, de *Pec*, de *Boleſonores*, de *Notingham*, & de *Lancaſtre* cum honoribus ad ea pertinentibus cum onere *Willielmi Peverel*; & ei omnia confirmavit. Quo facto, Comes *Johannes* deſponſavit præfatam comitis filiam, contra prohibitionem *Baldewini* Cantuarienſis Archiepiſcopi: eò quòd parentes erant in tertio gradu conſanguinitatis. Eodem tempore, *Gaufridus* Elienſis epiſcopus, duodecimo Kalendas Septembris, inteſtatus deceſſit: unde ex reliquiis ejus confiſcata ſunt tria millia marcarum argenti, cum ducentis marcis auri, excepto theſauro ſuo in vaſis, jocalibus, & auro.

1188.

RICHARDUS PRIMUS.

DUX RICHARDUS, omnibus neceſſariis ad coronationem ſuam præparatis, *Londonias* venit; ubi congregatis Archiepiſcopis *Cantuarienſi*, *Rothomagenſi*, & *Treverenſi*, à quibus abſolutus fuerat in partibus tranſmarinis, eò quòd arma moverat contra patrem ſuum, poſt ſuſceptam crucem. Affuit etiam & Archiepiſcopus *Dublinenſis*, cum omnibus Epiſcopis, Comitibus, Baronibus & regni magnatibus. Congregatis igitur omnibus, ordine ſubſcripto, diadema ſuſcepit. In primis venerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates & clerici, cappis choralibus induti, prævia cruce, aqua benedicta, & thuribulis, uſque ad oſtium thalami interioris, & duxerunt ipſum Ducem in eccleſiam *Weſtmonaſterienſem*, uſque ad majus altare, cum proceſſione ſolenni. In medio autem epiſcoporum & clericorum procedebant quatuor Barones, portantes candelabra cum cereis accenſis, poſt quos veniebant duo Comites, quorum primus portabat ſceptrum regale, in cujus ſummitate ſignum erat aureum, & alter portabat virgam regalem, habentem in ſummitate columbam. Et poſt illos veniebant duo Comites, & tertius in medio eorum, portantes gladios in vaginis aureis, de theſauro Regis ſupradicto. Sequebantur autem illos ſex Comites & Barones, portantes ſcaccarium unum, ſupra quod poſita erant regalia inſignia & veſtes, ſequente eos comite *Ceſtriæ*, in excelſo coronam auream mirificè gemmatam portante. Ad ultimum autem venit dux *Richardus*, habens epiſcopum à dextris, & alium à ſiniſtris, & ſupra illos portabant quatuor Barones umbraculum de ſerico, ſuper quatuor haſtas auro pictas, & ad altare pervenientes, coram clero & populo, propoſitis ſacroſanctis evangeliis cum plurimorum ſanctorum reliquiis, juravit; quòd pacem, honorem ac reverentiam, omnibus diebus vitæ ſuæ, portabit Deo & ſanctæ eccleſiæ & ejus ordinatis. Juravit etiam, quòd populo ſibi commiſſo rectam juſtitiam exercebit, & quòd malas leges & iniquas conſuetudines, ſi aliquæ fuerint in regno ſuo, delebit; & bonas obſervabit. Deinde exuerunt eum omnibus indumentis ſuis, præter bracças, & camiſiam quæ in ſcapulis diſſuta erat, propter unctionem. *Baldewinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſandaliis calceatum, auro textis, in tribus locis eum in Regem unxit, videlicet in capite, in ſcapulis, & in brachio dextro, cum orationibus ad hoc conſtitutis. Poſito deinde ſuper caput ejus panno lineo ſacrato, pileum deſuper poſuit. Et regalibus indutum veſtimentis, cum tunica & dalmatica, tradidit ei Archiepiſcopus gladium ad malefactores eccleſiæ reprimendos. Quo facto, duo Comites calceaverunt ei calcaria, indutúſque mantea, conjuratus eſt ab Archiepiſcopo ex parte Dei; & prohibitus ne hunc honorem accipere præſumat, niſi in mente habeat ſacramenta tenere, quæ fecit. Et ipſe reſpondit, ſe per auxilium Dei, bona fide obſervaturum omnia ſupradicta. Deinde coronam de altari accipiens, Rex tradidit Archiepiſcopo, quam ipſe capiti Regis impoſuit, ſceptrum in manu dextera, & virgam regalem in ſiniſtra bajulantem: & ſic coronatus, ductus eſt ab Epiſcopis & Baronibus, præcedentibus candelabris, cruce & tribus gladiis ſupradictis, ad ſedem ſuam. Et incœpta eſt ilicò ſolennis feſtivitas Miſſæ celebrandæ. Et cum perventum fuiſſet ad offertorium miſſæ; præfati duo epiſcopi, duxerunt eum ad offerendum, & iterum reduxerunt, ſimiliter ad Pacem. Tandem Miſſa gaudenter cantata & omnibus ritè peractis; ſæpè dicti duo epiſcopi reduxerunt coronatum, ſceptrum in dextra, regalem verò virgam in ſiniſtra bajulantem: & ordinata proceſſione, in chorum reverſi ſunt. Quo cùm perveniſſet Rex, depoſitis regalibus indumentis, leviores, coronam & veſtes reſumens, perrexit ad prandium: Ubi Archiepiſcopus *Cantuarienſis* in eminentiori loco ſcilicet à dextris Regis, & poſteà alii Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Comites & Barones, ſecundùm ſuum ordinem & dignitatem, cum clero & populo ad menſam collocati, epulabantur ſplendidè, Baccho per pavimentum & parietes palatii diſcurrente. Acta autem ſunt hæc die Dominica, tertio Nonas *Septembris*. Officia Prælatorum & magnatum, quæ & ab antiquo jure & conſuetudine in Regum coronationibus ſibi vendicant, & facere debent, in rotulis Scaccarii poterunt reperiri.

Strages Judæorum.

HUIC coronationi multi *Judæorum* interfuerunt, contra Regis prohibitionem. Die itaque præcedenti, communi interdictum eſt edicto, ne *Judæi* aut mulieres intereſſent propter magicas artes, quæ ſolent in Regum coronationibus exerceri: de quibus *Judæi* & aliquæ mulieres ſunt infames. Curiales autem quamvis occultè aliqui *Judæorum* (quorum proprium eſt prohibita perpetrare atque facere) illuc infœliciter veniſſent; injectis manibus, ſpoliaverunt eos. Regales egregiè baculatos, & ab Eccleſia illos ejicientes, ſemivivos reliquerunt. Audiens autem vulgus civitatis, quòd curiales ita ſæviebant in *Judæos*, irruerunt in illos communiter qui in civitate remanſerant: multíſque utriuſque ſexus ex eis interfectis, & domibus ſubverſis, & ſuccenſis, aurum eorum & argentum, chartas & veſtes precioſas rapuerunt. Qui autem evaſerunt, fugerunt ad Turrim *Londonii*, & domos amicorum ſuorum, in locis tutioribus latitantes. Hæc perſecutio in ortu Jubilæi ſui, quem

annum

1188.

annum Remiſſionis appellant antiqui, vix per annum conquieſcere potuit, & factus eſt *Judæis* annus confuſionis. In craſtino autem cùm Rex talem cognoviſſet eis illatam injuriam, quam propriam reputabat: tres culpabiles, & alios proterviores fecit comprehendi & ſuſpendi: unum verò, quia furtum fecerat de re cujuſdam *Chriſtiani*, duos, quia incendium fecerunt in Civitate, unde domus *Chriſtianorum* ſunt combuſtæ. Audientes autem *Chriſtiani* per *Angliam* in locis diverſis conſtituti quod apud *Londinum* actum eſt de *Judæis*; irruerunt in eos ubique: maximámque ex eis ſtragem facientes, & eorum ſpolia diripientes, multos immiſericorditer peremerunt. Sed Rex in craſtino coronationis ſuæ, cum homagia & fidelitates à regni magnatibus ſuſcepiſſet, prohibuit eis forisfacere. Sed pacem ſuam habeant per omnes *Angliæ* civitates. Omnia verò commercia rerum vænalium, per totum regnum conſtituta ſunt legaliter & irrefragabiliter, unius ponderis & menſuræ. Magnificus autem Rex *Richardus* ac munificus; monachis *Ciſtercienſibus* ad Capitulum generale, de diverſis terris & longinquis venientibus & convenientibus; centum marchas argenti annuatim percipiendas contulit. Quod & charta ſua eiſdem confirmavit: & hoc de Eccleſia, quam habent in *Scardeburga*.

REX *Richardus* in craſtino exaltationis ſanctæ Crucis apud *Pipwelle*, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & aliorum magnatum ſuorum fretus conſilio; benignè conceſſit *Gaufrido* fratri ſuo Archiepiſcopatum *Eboracenſem*, *Godefrido* de *Lucy* Epiſcopatum *Wintonienſem*, *Richardo Alienſi* Archidiacono *Londonienſem*, *Huberto Waltero Saresburienſem*, *Willielmo* de *Longo campo Elienſem*: qui ritè electi, in Epiſcopos conſecrantur. Notandum tamen, quod *Baldewinus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* factis electionibus; prohibuit *Gaufrido Eboracenſi* electo, ne ab aliquo alio quàm à ſe ordinem ſuſciperet ſacerdotalem vel conſecrationem Epiſcopalem, & ſuper hoc ſedem Apoſtolicam appellavit.

Quos paſtores conceſſit Eccleſiis vacantibus.

EODEM tempore, Rex *Richardus* depoſuit à Balivis ſuis *Ranulphum* de *Glanvilla* juſticiarium, & ferè omnes vicecomites *Angliæ* & miniſtros eorum, quos omnes ad gravem coëgit redemptionem. Et ut terram promiſſionis ab infidelium dominatione eriperet, omnia eis jam vænalia expoſuerat: donationes videlicet, caſtella, villas, ſylvas, prædia, vicecomitatus, & hiis ſimilia. Unde factum eſt, quòd *Hugo* de *Puſaz Dunelmenſis* epiſcopus, vir pompoſus & ſæcularis; emit ſibi & Eccleſiæ ſuæ villam Regis quæ *Seggesfeld* appellatur, cum vapintakio & omnibus pertinentiis ſuis, ac *Northumbambriæ* comitatum, in vita ſua. Qui à Rege gladio comitatus accinctus, nomen ſibi comitis uſurpavit. Quo gladio accincto, Rex cum cachinno aſtantibus dixit; Juvenem feci comitem, de epiſcopo veterano. Tandem verò ad cumulum ſubſannationis dedit epiſcopus eidem Regi, mille marcas argenti, ut eſſet Juſtitiarius *Angliæ*; & ut ab itinere terræ ſanctæ remaneret. Et ne à quoquam redargui poſſet, data pecunia infinita, à ſede Apoſtolica, quæ nulli deeſt pecuniam largienti; licentiam impetravit remanendi: qui tamen priùs votum ſpontaneus fecerat peregrinandi. Sicque Crucem Dominicam terrenarum ambitu rerum, Epiſcopus ſeductus depoſuit. In hoc quoque epiſcopi facto, prodiit in lucem ſancti *Godrici* heremitæ Prophetia, qui eidem epiſcopo in ſuæ promiſſionis initio ad ſe venienti, de ſtatu ſuo futuro, & vitæ ſuæ longævitate quærenti, tale fertur dediſſe reſponſum. De ſtatu veſtro futuro, & de vitæ veſtræ diuturnitate diffinire, Dei eſt & ſanctorum Apoſtolorum, & eorum conſimilium & non meum: quia pro peccatis meis hic ago pœnitentiam, & adhuc me miſerum & peccatorem eſſe doleo. Sed illud vobis dico, quòd ante mortem veſtram, per ſeptennium dolendam incurres cœcitatem. Epiſcopus autem à viro Dei recedens, ſæpiùs in animo revolvit ea quæ audivit: & quaſi ſecurus de dictis ſancti effectus, cum maxima ſollicitudine medicorum, oculis medicinas conſervativas adhibuit, ut tam vita quàm viſu diuturniore frueretur. Sed tamen cùm multorum annorum curricula invaletudine qua & mortuus eſt, preſſus jaceret, & à medicis quid ſibi eſſet agendum curioſè requireret; unanimi omnes conſenſu epiſcopo dederunt conſilium, ut animæ ſuæ ſalubriter provideret, & eò diligentiùs, quò ſe ſciret feſtinanter moriturum. Quod audiens epiſcopus, ait: Decepit me *Godricus*, qui ſeptennem mihi cæcitatem ante mortem promiſit. Cui ſapientes ejus amici reſponderunt; Meritò cœcus & dicebaris & fuiſti; qui exiſtens pontifex & animarum paſtor, data pecunia Comitis & Juſticiarii, vanus ac ſuperbus tibi nomen comparaſti: curis ſæcularibus te immiſcens, peregrinationem tuam temerè poſtponendo. Et ſic verum tibi dixit ſanctus, ut cæcus fieres; imò totus factus es tenebroſus, mente ſcilicet potiùs quàm corpore, quæ cæcitas damnoſior eſſe meritò comprobatur. Eodem anno, obiit in multorum dolorem, *Willielmus* de *Mandevilla*: Noniſque *Martii* factus eſt tonitrus horribilis nimis, cum damnoſis coruſcationibus.

Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, data pecunia, nomen Comitis obtinuit.

EODEM anno, quarta die menſis *Octobris*, bellum inter *Chriſtianos* & *Saracenos* commiſſum eſt in hunc modum. Rex *Hieruſalem*, *Templarii*, *Hoſpitalarii*, Marchio de *monte Ferrario*, *Francigenæ*, *Theobaldus* præfectus & *Petrus Leonis*, *Landegravius* cum *Theutonicis* & *Piſanis*; ſimul omnes collecti quatuor millia militum & centum peditum in exercitu *Chriſti* fuerunt: *Salaadinus* autem habebat è contrario centum millia militum, & peditum multitudinem numeroſam. *Chriſtiani* verò ſigno ſanctæ crucis armati, circa horam diei tertiam,

Pugna inter Chriſtianos & Paganos.

1188.

bellum inchoantes; Deo parti illorum favente, Paganos uſque ad tentoria fugaverunt: & in ore gladii eos inſequuti, ſeptem acies Infidelium turpiter confringendo, diſſipaverunt; *Baldewinum Salaadini* filium interfecerunt, *Thacaldinum* fratrem ejus lethaliter vulneraverunt; quingentos præter eos *Salaadini* milites peremerunt. Dum in hunc modum laudabiliter pugnaverunt, quinque millia militum ex improviſo exeuntes, inſultum in *Chriſtianos* fecerunt: *Salaadinus* verò hoc viſo, vires ſuas vehementer exacuit: *Chriſtiani* verò ex utroque latere angariati à *Paganis*, vellent nollent, ſeſe in tentoriis viriliter receperunt: magiſter tamen *Templi*, & plures *Chriſtianorum* eodem die perempti ſunt.

Willielmus *Rex* Scotorum *fecit homagium Regi* Richardo.

TEMPORE quoque ſub eodem, Rex *Scotorum Willielmus* fecit homagium Regi *Anglorum Richardo* de jure ſuo in *Anglia*. Et rex reddidit ei Caſtella de *Berewick*, & *Rokeſburg*, Et pro hac redemptione caſtrorum, & quieta clamatione; fidelitatis & ligianciæ de regno Scotiæ, & chartæ ſuæ confirmatione; dedit Regi *Anglorum* memoratus Rex *Scotorum*, decem millia marcarum argenti. Eodem tempore, Rex *Richardus* dedit fratri ſuo *Johanni*, Comitatum de *Sumerſete* & de *Dorceſtre*: dedit etiam *Alienoræ* matri ſuæ, dotem ſuam conſuetam, & in augmentum, terras multas & honores.

Nuntii ex parte Regis Franciæ *venerunt ad Regem* Richardum, *poſtulantes ut peregrinationem terræ* ſanctæ *ſimul expedirent.*

MENSE *Octobris Rotrodus* Comes *Perticenſis*, ex parte Regis *Francorum* venit in *Angliam*, ad Regem *Richardum*, nuncians ei & Baronibus *Angliæ*, ipſum & proceres regni *Franciæ* in generali conventu *Pariſiis* juraſſe; quòd idem Rex cum ſuis Baronibus immutabiliter, Deo volente, erit apud *Mizeliacum* ad clauſum Paſcha: inde *Hieroſolymam* profecturus. Et in teſtimonium hujus ſacramenti, idem Rex miſit chartam ſuam Regi *Anglorum*; petens ut ipſe ſimiliter cum ſuis magnatibus faciat eum ſecurum, ad illum terminum de ſuo itinere proſequendo. Unde Rex *Angliæ*, convocatis epiſcopis & regni proceribus, apud *Weſtmonaſterium*, à nunciis prædictis, accepto ſacramento; in animam Regis *Francorum*, quòd immutabiliter iter ſuum expediret, fecit jurare *Willielmum* comitem & Mareſchallum ſuum in animam ſuam, quòd ipſe, Deo volente, ad terminum præfixum erit apud *Nigiliacum* contra Regem *Francorum*, ut inde ſimul peterent terram promiſſionis. Quo facto, nuncii ad propria ſunt reverſi.

Rex Richardus *in* Normanniam *transfretavit.*

EODEM tempore, quinta die Decembris, Rex *Richardus* à civitate *Cantuarienſi*, ubi vigiliam faciens, jejunia, orationes, & oblationes, certiſſimè promiſit omnia (pro quibus dimicavit uſque ad mortem Sanctus martyr) ad honorem eccleſiæ, ſecundùm martyris deſiderium adimplere. Profectus eſt autem *Doveram* ad transfretandum, in vigilia ſanctæ *Luciæ* virginis; & in vigilia ſanctæ *Luciæ* tranſfretavit in *Flandriam*. Et in mari promiſit votum, martyri faciendo unam capellam fabricare in honorem ipſius in terra ſancta, ubi ei dux eſſet & tutor in terra & mari: quod adimplevit poſteà apud *Achon*, prout dicetur: & receptus eſt in *Flandria* cum gaudio & lætitia à comite *Philippo*, quem etiam Rex in *Normanniam* ſecum duxit. Rex autem diviſit cuſtodes regni *Angliæ*; *Hugonem Dunelmenſem* epiſcopum & *Willielmum Elienſem* Cancellarium ſuum; *Hugonem Bardulphum*, *Willielmum Bryvvere*, qui tenerent Leges *Angliæ* & conſuetudines rectas; unicuique conquerenti rectam juſtitiam exhiberent. Sed inter cæteros præminebant *Hugo Dunelmenſis* & *Willielmus Elienſis* epiſcopi: quorum epiſcopus *Dunelmenſis* habuit juſticiariam à magno flumine uſque ad *Scotorum* mare: *Willielmus* verò *Elienſis* obtinuit juſticiariam à flumine prædicto, ad plagam Auſtralem; uſque ad mare *Gallicanum*, cum ſigillo Regis & Turris *Londonenſis*. Quod *Hugo Dunelmenſis* epiſcopus nimis moleſtè ferebat, tunc primò intelligens, quòd Rex illum Juſticiarium fecerat, non zelo juſtitiæ, ſed ut pecuniam (ut prædictum eſt) ab eo extorqueret: unde ipſe & Cancellarius in paucis erant unanimes, Secundum illud.

Omniſque poteſtas impatiens conſortis erit.

Eodem anno Kalendis Novembris *Godefridus* de *Lucy Wintonienſis* & *Hubertus Walteri*, *Sariſburienſis* electi, apud *Weſtmonaſterium* in capella ſanctæ *Katharinæ*, per manum *Baldewini Cantuarienſis* Archiepiſcopi, munus conſecrationis ſuſceperunt.

Archiepiſcopus Cantuarienſis *terram* Johannis *fratris interdixit.*

PER idem tempus, *Johannes* frater Regis, coram Legato & epiſcopis, gravem depoſuit querimoniam; quòd Archiepiſcopus poſt appellationem ad ſedem Apoſtolicam factam, totam terram ſuam poſuerat ſub interdicto, quia filiam comitis *Gloverniæ*, in tertio gradu conſanguineam ſuam, duxerat in uxorem. Quod audiens Legatus, appellationem ſuam confirmavit, & terram ſuam ab interdicto relaxavit. Eodem tempore, decima pars rerum mobilium generalis, conceſſa per *Angliam* (ut collecta ad ſubventionem *terræ ſanctæ* impenderetur) tam clerum quàm populum exactione violenta perterruit, quæ ſub eleemoſynæ titulo, vitium rapacitatis incluſit. Præter illud autem gravamen, quod *Anglia* tunc pertulit; Rex avidus ad pecuniam acquirendam, fingit ſe amiſiſſe ſigillum ſuum, & novum fecit fabricari. Quod publicari fecit, & in quolibet comitatu acclamari; & quicumque ea, quæ priùs in charta verat, ſecuriùs tenere deſideraret, ad novum ſigillum venire non pigritaret. Unde oportuit multos, qui ipſum in *Anglia* non invenire poterant, ad ipſum transfretare, & ad ejus voluntatem finem facere; ut ſcripta priùs ſignata, novo ſigillo ſignarentur. Eodem tempore, *Richardus Londonienſis* & *Willielmus Elienſis* electi; pridiè Kalendas Januarii, apud *Lambeatham* munus conſecrationis acceperunt.

ANNO

1190.

Rex Anglorum & Francorum confœderati ſunt ad transfretandum.

ANNO Dominicæ Nativitatis M. CXC. Rex *Anglorum Richardus* ad Natale Domini fuit in *Normannia* apud *Burum*; & ibi tenuit ſolenne feſtum cum primatibus terræ illius. Et poſt natale, habitum eſt colloquium inter Reges *Anglorum* & *Francorum*, ad vadum ſancti *Remigii*, ubi inter eos convenit, quòd iter *Hieroſolymitanum* ſimul, ducente Domino, expedirent. Forma autem pacis, in feſto ſancti *Hilarii*, præſentibus epiſcopis & magnatibus utriuſque regni, cautione juratoria firmata eſt, & in ſcriptum in hunc modum redacta. *Ego* Philippus *Rex* Francorum, Richardo *Regi* Anglorum *bonam fidem ſervabo, ut fideli meo & amico, de vita & membris & honore terreno. Et ego Rex* Anglorum Richardus, *id ipſum Regi* Fancorum *facere promitto, de vita & membris, ut domino meo & amico. Statuimus etiam, quod uterque noſtrum alteri auxilium faciet, ſi neceſſe fuerit, ad terram ſuam defendendam, ſicut alter noſtrum propriam defenderet & illibatam ſervaret.* Comites & Barones utriuſque regni juraverunt, quòd à fidelitate Regum non diſcederent, nec guerram moverent; donec de peregrinatione redierint: & per dies quadraginta in terris ſuis cum pace moram fecerint. Et idem uterque Regum pro ſe ipſo juravit. Archiepiſcopi, & Epiſcopi utriuſque regni juraverunt, quòd in tranſgreſſores hujus pacti, excommunicationis ſententiam promulgarent. Statutum eſt prætereà, quòd ſi alter Regum in itinere deceſſiſſet, alter qui ſupervixerit, pecuniam defuncti & gentes haberet, ad Dei ſervitium faciendum. Hæc conſtitutio inter Reges habita, quia ad terminum præfixum robur firmitatis habere non potuit; diſtulerunt negotium uſque ad feſtum Nativitatis ſancti *Johannis* Baptiſtæ; ut iter tam Reges quàm univerſi cruce ſignati, immutabiliter apud *Nizeliacum* conveniant, peregrinationem *terræ ſanctæ* expleturi. Si qui autem contrà hanc conſtitionem noſtram venire attentaverint, terræ eorum eccleſiaſtico ſubjicientur interdicto, & perſonæ pœna excommunicationis punientur. Hiis itaque geſtis, à colloquio receſſerunt. Tempore quoque ſub eodem, *Baldewinus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* celebravit Concilium apud *Weſtmonaſterium*: ibique valedicens fratribus, iter arripuit, *Hieroſolymitanum* magnificè præparatus.

Willielmus, Elienſis epiſcopus Legatiam Angliæ impetravit.

REX *Anglorum Richardus*, cum nunciis *Willielmum Elienſem* epiſcopum ad Papam *Clementem* deſtinavit; à quo reſcriptum hujuſmodi impetravit. *Clemens*, epiſcopus, &c. *Juxta commendabile deſiderium chariſſimi in Domino filii noſtri* Richardi *illuſtris* Anglorum *Regis, fraternitati tuæ legationis officium in tota* Anglia *&* Wallia, *tam per* Cantuarienſem, *quàm per* Eboracenſem *Archiepiſcopatum: & in illis Hiberniæ partibus, in quibus nobilis vir* Johannes *Comes* Moretonii, *frater ipſius Regis poteſtatem habet & dominium: authoritate Apoſtolica duximus committendum. Datum nonis* Junii, *pontificatus noſtri anno tertio.*

De interitu Judæorum diverſis in locis.

EODEM anno, multi per *Angliam Hieroſolymam* properantes; priùs in *Judæos* inſurgere decreverunt. *Judæi* igitur, quotquot inventi ſunt, in domibus propriis apud *Northwicum* trucidati ſunt: quidam verò habuerunt refugium ad caſtellum. Deinde Nonis *Martii* apud *Stanford*, tempore nundinarum multi perierunt. Item quinto decimo Kalendas *Aprilis*, apud ſanctum *Edmundum*, quinquaginta ſeptem jugulati dicuntur. Itaque ubicunque reperti ſunt *Judæi*, manibus cruce ſignatorum percuſſi ſunt, præter illos, qui municipalium præſidio tuebantur. Sed necem *Judæorum* tam exitiabilem, viris prudentibus placuiſſe credendum non eſt: cùm ſcriptum ſit, Ne occidas eos nequando obliviſcantur populi mei.

Judæi apud Eboracum miſerabiliter interfecti.

EODEM anno, tempore Quadrageſimali, decimo ſeptimo Kalendas Aprilis, *Judæi Eboracenſis* civitatis, numero quingenti, exceptis parvulis & mulieribus; timentes impetum civitatis, aſſenſu vicecomitis & caſtellani ipſius turri ſeſe incluſerunt. Quam cum cuſtodes repetiſſent, *Judæi* eam reddere noluerunt. At illis inſultum in Turrim facientibus diebus & noctibus, *Judæi* in ſe reverſi, obtulerunt pecuniam magnam pro vita habenda, ſed populus eam recipere recuſavit. Tunc ſurgens quidam legis peritus ait: *Viri Iſraelitæ, audite conſilium meum. Melius eſt nobis mori pro lege noſtra, quàm incidere in manus inimicorum noſtrorum, ſicut lex noſtra præcepit.* Omnes itaque aſſenſum illi præbuerunt, & accedens unuſquiſque paterfamilias cum novacula acuta, inprimis inciderunt guttura uxorum & filiorum & filiarum ſuarum, & inde totius familiæ ſuæ. Projeceruntque mortuos ſuos, quos ſacrificaverunt Dæmoniis, ſuper *Chriſtianos* extra murum. Cæteros autem interfectos, & ſeipſos incluſerunt in domo Regia, & appoſito igne, ſeipſos cum domibus Regis combuſſerunt. Quo facto cives & milites ædificia *Judæorum* concremantes; cum chartis debitorum, theſaurum eorum ſibi retinuerunt.

Gaufridus Eboracenſis electus presbyter eſt ordinatus.

CIRCA dies iſtos, *Willielmus* epiſcopus *Elienſis*, Regis Cancellarius, & *Angliæ* juſticiarius; cepit ad opus Regis de ſingulis civitatibus *Angliæ* duos palefridos, & totidem ſummarios, & de Abbaciis ſingulis unum Palefridum & ſummarium unum. Eodem tempore *Johannes* epiſcopus *Canclide caſæ Eboracenſis* Eccleſiæ ſuffraganeus; *Gaufridum Eboracenſem* electum in preſbyterum ordinavit. Per idem tempus, electus prædictus *Gaufridus*, à Papa *Clemente* confirmatur; qui inter cætera, quæ Capitulo *Eboracenſi* ſcripſit, in fine ſubjunxit: *Monemus igitur univerſitatem veſtram, & per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi ceu prælato veſtro reverentiam & honorem præbere ſtudeatis, ut propterea valeatis apud Deum*

1190.

& homines meritò commendabiles apparere. Datum nonis Martii, *pontificatus noſtri anno tertio.*

De diſpoſitione exercitus Chriſtianorum *in obſidione urbis* Achon.

EODEM tempore, exercitus *Chriſtianorum* ante *Achon* in hunc modum locatus eſt. Ante montem *Muſareli* ſupra mare *Genuenſes*, poſt illos *Hoſpitalarii*; poſt quos Marchio *Montis Ferrarii*. Deinde comes *Campaniæ Henricus*, poſt illum *Guido Duinpere*, poſt illum Comes *Brenenſis*, deinde Comes de *Barro*, poſt illum comes *Calunſis*, poſt quem *Robertus* de *Drius* & epiſcopus *Beluacenſis*, poſt illos epiſcopus *Beſencenæ*. Juxta quem verſus planum Comes *Theobaldus*, & Comes de *Claro monte*, & *Hugo* de *Gornai* & *Otho* de *Treſoni*, *Florentius* de *Haugi*, & *Walkelinus* de *Ferrariis*. Deinde *Florentini*, poſt eos epiſcopus *Cambracenſis* juxta quem epiſcopus *Sarisberienſis*, & cum eo omnes *Angli*. Deinde Dapifer *Flandriæ* cum *Johanne* de *Neele*, & *Odone* de *Hame*, & *Flandrenſibus*. Poſt eos Dominus *Hiſſoldone* & vicecomes *Turoniæ*, juxta eos Rex *Hieruſalem*, & *Hugo* de *Tabari* cum fratribus eorum; deinde *Templarii*, *Jakes* de *Avennes*, præter eos *Landegravus* & comes *Gelres* cum *Alemannis*, *Dacis*, *Theutonicis* & *Friſonibus*. Inter quos ad *Mahumeriam* poſuit tentoria ſua, Dux *Suaviæ* pòſt, ſuper Turrem Patriarcha & epiſcopus *Acharon* & epiſcopus *Bedleem* & vicecomes de caſtello *Eraud*, & Regi de ſagitta, *Amfridus* de *Turona* Eſcambiatores. Ad extremum, ſuper portum Archiepiſcopus *Piſanus* cum *Piſanis*; tandem *Lombardi*. Circa dies iſtos, cum primùm obſeſſa fuiſſet *Achon*, Capellanus quidam nomine *Willielmus* natione *Anglicus*, *Radulphi* de *Cliſeto Londonenſis* Decani familiaris; dum tenderet *Hieroſolymam* votum vovit: quod ſi proſpero curſu portum *Achon* intraret, beato Martyri *Thomæ* ſumptibus ſuis capellam conſtrueret, & procuraret ibidem ad honorem martyris, cœmeterium conſecrari, quod ita factum eſt. Multis igitur ad capellæ ſervitium undique concurrentibus judicio *Chriſtianitatis* idem *Willielmus* Prioris nomen accepit. Qui ut ſe militem *Chriſti* devotum oſtenderet; pauperum præcipuè curam gerebat, & ſepeliendis corporibus, tam fataliter diſcumbentibus quàm gladio interfectis, operam diligenter impendere ſatagebat.

De principibus exercitus Saladini.

IN *Achon* civitate, ſub *Saladino* hi principes fuerunt. *Caracos*, quem *Corbaran* in obſidione *Antiochiæ* militem fecerat; qui etiam *Saladinum* nutrivit, & cum eo *Gemaladin*, *Gurgi*, *Suchar*, *Simcordoedar*, *Belphageſſemin*, *Fecardincerus*, & *Cerantegadin*. In exercitu autem ejus hii principes fuerunt: quatuor fratres ejus *Saphachin*, *Felkedin*, *Seſelſelem*, *Melcallade*: tres filii *Saladini*, *Melealet Miralis*, *Melcalethis*: duo nepotes ejus, *Nechaedin*, *Beneſemedin*, *Conlin*, *Elaiſar*, *Bederim*, *Muſtop Hazadinnerſel*. Hii omnes ſunt in ſua poteſtate, has provincias, *Joramenſes*, *Rotaſienſes*, *Birenſes*, *Perſas*, *Turcos*, *Hemſienſes*, *Alexandriam*, *Damietam*, *Halapitos*, *Damaſcenos*; totam terram ultra *Euphratem*, uſque Mare rubrum & ultra. Verſus *Barbariam*, *Methalech*, ſub ſe habet *Babyloniam*, & quatuor fratres *Saladini* habent ſub ſe *Abeſiam*, *Leemen*, & *Mauros*, & *Nubiam*, *Caiſar*, *Aſcalonie*, *Amiras*, *Bedredin*, *Amiras*, & *Nazared*, & *Neopolin*, & *Ramele*, *Muſtoplice*, & *Manith*: *Hazadinnerſel* Montem Regalem & *Gracci*, *Coriſin*; cujuſdam partis *Armeniæ*. Et his omnibus præeſt & dominatur *Saladinus*.

ut machinæ Chriſtianorum *à* Saracenis *ſunt combuſtæ & de proditoribus* Chriſtianitatis.

EODEM anno, ignis Græcus à *Saracenis* intra *Achon* civitatem obſeſſis, extra projectus tres machinas quas *Chriſtiani* magnis ſumptibus conſtruxerant, ad urbem ſubjugandam; in momento temporis breviſſimi, funditùs concremavit; & omnia tertio Nonas Maii, in cinerem redegit. Eodem tempore *Anſerius* de *Monte Regali*, proditionem fecerat ipſe & epiſcopus *Beluaſenſis*, Comes *Robertus* frater ejus, *Guido dunpere*, *Landegravius*, & Comes de *Geldres*: unde ceperant à *Saladino*, triginta millia *Bizantiorum*, & centum *Marcas* auri. Et prætereà *Landegravius* habuit quatuor Camelos, duos Leopardos, & quatuor accipitres: hiis & aliis donis corrupti; diſtulerunt inſultum, & Caſtella ſua comburi permiſerunt. Eodem tempore *Richardus* Rex *Angliæ* omnibus fidelibus ſuis per *Angliam* conſtitutis, literas in hæc verba direxit. Richardus *Dei gratia, &c. Mandamus vobis & præcipimus, quod ſicut nos & regnum noſtrum diligitis & vos ipſos, & omnia quæ poſſidetis, ſitis omninò intendentes dilecto & fideli Cancellario noſtro* Elienſi *epiſcopo, ſuper omnibus quæ ad nos ſpectant, & pro ipſo faciatis, ſicut pro nobis faceretis, ſi eſſemus in regno, de omnibus quæ vobis ex parte noſtra dixerit. Teſte meipſo apud* Bajonam.

De rectoribus Navigii Regis Richardi *& legibus in tranſgreſſores ſtatutis.*

CIRCA dies iſtos, *Richardus* Rex *Anglorum* per conſilium magnatum ſuorum elegit *Girardum* Archiepiſcopum *Auxienſem*, *Bernardum* Epiſcopum de *Barvia*, & *Robertum* de *Sabulis*, *Richardum* de *Canvilla*, *Willielmum* de *Fortz*; & conſtituit eos juſtitiarios ſuper totum navigium *Angliæ*, *Normanniæ*, *Britanniæ*, & *Pictaviæ*, quod iturum erat ad terram ſanctam; & tradidit illis chartam ſuam in hac forma. Richardus *Dei gratia*, *Rex* Anglorum, *omnibus hominibus ſuis per mare ad terram ſanctam ituris, ſalutem. Sciatis nos de proborum conſilio virorum, has juſticias ſtatuiſſe. Qui hominem in navi interfecerit, cum mortuo ligatus projiciatur in mare: ſi in terra interfecerit quemquam, cum mortuo ligatus confodiatur. Si quis convictus fuerit, quòd cultellum ad alium percutiendum extraxerit, aut quòd alium ad ſanguinem percuſſerit, pugnum perdat. Si autem palma percuſſerit, tribus vicibus mergatur in mari. Si quis in ſocio opprobrium, convitium, aut odium Dei objecerit, quot vicibus ei convitiatus fuerit, tot uncias argenti reddat. Delato & convicto de furto, pix bulliens ſuper caput excutiatur ad cognoſcendum eum, & in primam terram cui naves applicuerint, projiciatur.* Has autem conſtitutiones

ſtitutiones ab omnibus fore obſervandas, & quòd ſinguli præfatis Juſticiariis obedirent, fecit ſacramento confirmari. Quo facto, præcepit rectoribus navigii ſui, ut protinus mare ſulcantes, apud *Marſiliam* venirent ad eum. 1190.

EODEM tempore, duos Reges, *Francorum* videlicet & *Anglorum*; convenerunt apud *Nizeliacum*, ubi corpus beatæ *Mariæ Magdalenæ* requieſcit, in octavis ſancti *Johannis Baptiſtæ*: & per duos dies ibi moram fecerunt. Et Rex *Anglorum* ibi peram recepit & baculum, in eccleſia ſancti *Dionyſii*. Deinde Reges cum tota multitudine profecti, venerunt ad *Lugdunum* ad *Rhodanum*: ubi cum ipſi & maxima pars exercitus ſui pontem *Rhodani* pertranſiſſent, pons ille corruit, & multos utriuſque ſexus ſubmerſit. Poſteà verò Reges diviſi ſunt ab invicem propter nimium hominum multitudinem: non poterant enim loco uno contineri. Unde Rex *Francorum* verſus *Genuenſem* civitatem iter arripuit; & Rex *Anglorum* verſus *Meſſanam*. Quò cum perveniſſet, invenit ibi multos peregrinos, qui jam propter diuturnam moram quam ibi fecerant, totum æs ſuum expenderant, quorum multos Rex *Richardus* retinuit, & illos exercitui ſuo conjunxit. Cùmque Rex ibidem per dies octo moram feciſſet, ſperans quotidiè adventum navigii ſui, fraudatus à deſiderio ſuo, buccas decem magnas, novem *Galeias* benè armatas conduxit; quas propter moram navigii anxius intravit. Et ne otioſus interim eſſe videretur, tranſivit cum manu armata & robuſta per inſulam ſancti *Stephani*, & per *Aquileiam*, & per *Montem nigrum*, per inſulam ſancti *Honorati*, per civitatem de *Meis*, & per civitatem quæ dicitur *Wintilminie*. Deinde tranſitum fecit per caſtellum, quod *Senie* nuncupatur; & eodem die locutus eſt cum Rege *Francorum*, qui ibi infirmabatur. Quarta decima die menſis Auguſti, venit Rex *Anglorum* ad portum *Delphini*, & ibi per dies quinque moram fecit. Et ibi miſit ad eum Rex *Francorum*, rogans ut accommodaret ei quinque *Galeias*, & Rex *Anglorum* obtulit ei tres; quas Rex *Francorum* recuſavit. Deinde vigeſima quarta die Auguſti, venit Rex ad portum, qui *Portiſwere* vocatur, qui media via eſt inter *Marſiliam* & *Meſſanam*: ſicque loca pertranſiens diverſa, intravit *Tyberim*, ad cujus introitum turris pulcherrima ſita eſt. Et ibi venit ad Regem *Octavianus Hoſtienſis* epiſcopus; rogans eum ex parte domini Papæ, ut illum viſitaret: quod facere renuens Rex improperavit illi turpia de *Symonia*, & concupiſcentia *Romana* & alia convitia multa; dicens quod acceperant ſepties centum marcas pro conſecratione epiſcopi *Cœnomanniæ*, & pro legatione *Willielmi Elienſis* epiſcopi, Mille & quingentas marcas argenti; nec non ab Archiepiſcopo *Burdegalenſi*, qui à clericis ſuis accuſabatur de crimine, pecuniam infinitam. Sicque *Romam* viſitare renuens, prope *Capuam Apuliam* intravit.

Rex Richardus *apud* Nizeliam *peram & baculum ſuſcepit.*

PER idem tempus, Rex *Siciliæ Tancredus*, qui *Willielmo* Regi ſucceſſerat; ut Regi *Richardo* pacificaretur; dedit eidem Regi pro relaxatione omnium rerum quas petebat, viginti millia unciarum argenti, & totidem uncias auri, pro quieta clamantia teſtamenti, quod Rex *Willielmus* fecerat *Henrico* Regi patri ſuo: & pro matrimonio, quod erat contrahendum inter *Arthurum* ducem *Britanniæ*, & filiam Regis *Tancredi*. Ubi etiam Rex conſtituit eundem *Arthurum* hæredem ſuum legitimum ſi ſine hærede moreretur. Quo facto, Rex viam ſuæ peregrinationis explere maturavit. Eodem tempore, Regina *Alienora* filii ſui Regis iter proſecutura, & tranſitum faciens per montem *Jani*, & per *Italiæ* plana; tandem ad filium pervenit. Cum quo quatuor dierum moram faciens, licentia verſus *Angliam* receſſit, relinquens ibi *Beringariam* filiam Regis *Navarræ*; quam idem Rex ducturus erat in uxorem. Dederat namque Rex *Richardus* decem millia librarum Regi *Francorum*, pro quieta clamantia de ſorore ſua ducenda. Quo etiam pacto Rex *Francorum*, calumniam quam habebat in caſtello de *Giſorz* & de toto *Vegeſin*, in perpetuum relaxavit. Eodem anno, *Fredericus Romanorum* Imperator annum agens Imperii quadrageſimum, dum per *Bulgariam Hieroſolymam* tenderet: & ab *Iconio* verſus *Antiochiam* tranſitum faceret: in fluvio qui *Saphet* appellatur, exercitu ſuo ſalubriter tranſeunte, ſolus equo decidens, ſubmerſus eſt.

Rex Richardus Arthurum *nepotem ſuum hæredem ſibi conſtituit.*

EODEM anno, navigium Regis *Angliæ*, per mare multis fatigatum periculis, cùm verſus *Ulixebonam* velificarent; & præteriſſent *Britanniam*, habentes ſanctum *Matthæum* de finibus terræ in ſiniſtra parte, & mare magnum quo itur *Hieroſolymam* in dextera; dimiſerunt *Pictaviam* & *Waſconiam* in ſiniſtra parte navigii. Et cum veniſſent in mare *Hiſpanicum*, die Dominicæ Aſcenſionis; invaſit navigium tempeſtas valida & horribilis, & ſeparatum eſt ab invicem in momento. Et dum tempeſtas ſæviret, & omnes, dum tribularent, clamarent ad Dominum, beatus martyr *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus per tres vices, tribus perſonis, quæ erant in nave *Londonienſium*, viſibiliter apparuit, dicens eis: Nolite terreri: Ego enim & beatus martyr *Edmundus*, & ſanctus confeſſor *Nicolaus* conſtituti ſumus à Domino hujus navigii Regis *Angliæ* defenſores. Et ſi homines & hujus navigii rectores, à pravis operibus ſe cuſtodierint, de præteritis pœnitentiam egerint; dabit illis Dominus proſperum iter, & in ſemitis ſuis greſſus eorum dirigerentur. Hiis itaque ſub trina repetitione auditis, beatus *Thomas* evanuit, & protinus tempeſtas ceſſavit. Fuerunt autem in hac navi, *Willielmus* filius *Osberti*, & *Gaufridus* aurifaber, & cum eis cives *Londonienſes* multi: qui jam prætererant *Ulixebonam*, & caput ſancti *Vincentii*; & pervenerant prope civita-

Beatus martyr Thomas *Rectoribus navigii Regis* Richardi *apparuit.*

1190. tem *Sylviæ*, quæ tunc temporis ultima erat *Chriſtianitatis* in *Hiſpania*; & erat ibi adhuc *Chriſtiana* fides novella, utpotè quæ in anno proximo præterito facta eſt Chriſticola, & de manibus *Paganorum* erepta. Cúmque prope civitatem navigaſſent; cognoverunt per indicia notiſſima, quod *Chriſtiani* ibi habitarent; navis *Londonenſis* illò ſe contulit, & cum magno honore ab epiſcopo & aliis omnibus recepti ſunt. Erant autem in navi illa plus quàm quater viginti juvenes bene armati, quos retinuit in ſervitio ſuo præ timore Imperatoris de *Maroch*, populus civitatis & Rex *Portingalenſis*, facientes eis omnimodam ſecuritatem de ſtipendio pro voto competenti, & inſuper quod ex abundanti magnam eis munificentiam providerunt. Decem præterea naves Regis *Angliæ* nimis cum ſuis rectoribus huc atque illuc diſſipatæ, tandem, Domino ducente, ad civitatem *Ulixebonam* pervenerunt, aſcendentes per fluvium, qui *Tagus* nuncupatur. Deinde Archiepiſcopus *Anxienſis*, *Roberto* de *Sabulis*, *Richardus* de *Canvilla*, & *Willielmus* de *Fortz*, tranſeuntes cum navigio, inter *Affricam* & *Hiſpaniam*; poſt tempeſtates plurimas, in octavis ſanctæ *Mariæ*, ad *Marſiliam* pervenerunt, cum toto navigio ſibi commiſſo; ubi *Anglorum* Rege invento, moram fecerunt propter quoſdam navium neceſſarios apparatus.

Baldewinus Archiepiſcopus & quidam alii apud Tyrum applicuerunt.

EODEM tempore, *Baldewinus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *Hubertus Saresburienſis*, & *Ranulphus* de *Glanvilla*, quondam *Angliæ* juſticiarius, qui venerant ad Regem *Angliæ* verſus *Hieroſolymam*: itinere recto tendentes, à ſiniſtro *Siciliam* reliquerunt, & poſt pericula multa, tandem circa feſtum ſancti *Michaelis*, apud *Tyrum* applicuerunt. *Johannes* verò *Norwicenſis* epiſcopus Papam adiit; pecuniam obtulit, quam dominus Papa, aperto ſinu accepit. Et ſic de facili impetrata licentia, evacuatis clitellis, ne nimis ponderarent, in *Angliam* rediit, abſolutus: fœda relinquens veſtigia, & pernicioſum exemplum populo militari.

De conflictu inter Regum milites apud Meſſanam.

EODEM tempore, Rex *Francorum Philippus*, decimo ſexto Kalendas Octobris, apud *Meſſanam* applicuit; & hoſpitatus eſt in palatio Regis *Tancredi*. Rex verò *Richardus* ſuperveniens nono Kalendis ejuſdem menſis, ingreſſum civitatis habere non potuit: *Franci* enim metuebant, ne victualia duobus Regibus ſufficerent, quos multitudo copioſa ſequebatur exercituum. Quod cùm Rex *Richardus* cognoviſſet, miſit Mareſcallos ſuos ad majores civitates, petens ut exercitui ſuo victualia venderent foro legitimo, ne inedia deficeret. Cives autem tanto principi portas ſuas aperire, & ipſum honorificè recipere voluerunt. At *Franci* ſuperbi (quia omnis ſuperbus impatiens conſortis erit) contradicentes, non permiſerunt, ſed armati muros aſcenderunt, & omnes aditus defendere conabantur. Rex autem *Richardus* ad iram nec immeritò provocatus, juſſit exercitui ſuo, ad arma convolari, & ſibi ſuiſque, hoſtibus invitis, violenter aditum præparare. Qui ilicò Regiis præceptis obtemperantes, valvas viriliter invaſerunt, multiſque ex *Francigenis* interfectis, violenter intraverunt: atque prævio Rege *Richardo*, omnes in fugam compulerunt. Hujus autem facti, cum ad aures per querulos Regis *Francorum* rumor perveniſſet; maximam contra Regem *Richardum* indignationem concipiens & occultans, nunquam eam in vita ſua mitigavit vel depoſuit: ſed inimico humani generis fomitem cum flamma miniſtrante, ſemper, licèt diſſimularet, infelix ſuſcepit incrementum.

Rex Richardus quaſdam munitiones ſibi ſubjugavit.

TEMPORE quoque ſub eodem, octavo ſcilicet Kalendas Octobris, Rex *Francorum* naves aſcendit: ſed quoniam ventus ei erat contrarius, ipſa die *Meſſanam* rediit. Et Rex *Richardus* pridiè Kalendas Octobris tranſiit fluvium qui *Far* dicitur: & cepit in *Calabria* locum munitiſſimum qui *Lemba* maris appellatur. Poſuit in eo ſororem ſuam *Johannam* quondam *Siciliæ* Reginam. In craſtino autem cepit Caſtellum inter *Calabriam* & *Meſſanam*, quod Monaſterium *Gryfonum* appellatur: ubi *Gryfones* inſultum facientes in *Hugonem Brunum* comitem *Marchiæ*, à Rege *Richardo* repulſi ſunt. Qui januis clauſis civitatis, ad propugnacula murorum ſe conferentes, homines & equos Regis multos occiderunt, & quàm plures vulneraverunt. Tunc Rex iratus, portas Civitatis confregit, & Civitatem violenter cepit, hominéſque ſuos in ea poſuit quarto Nonas Octobris; & tertio Nonas ejuſdem obſides dederunt ei de pace obſervanda, majores Civitatis. Quo facto, firmavit ibidem caſtrum, quod *Mategrivum* appellavit. Tunc quoque temporis habitum eſt Concilium provinciale apud *Weſtmonaſterium*, præſidente *Willielmo Elienſi* epiſcopo, & Apoſtolicæ ſedis legato, Idibus Octobris, in quo pauca vel nulla proviſa ſunt de ædificatione eccleſiæ *Anglicanæ*.

Quomodo eccleſia Normannica à ſervitutis jugo fuerit liberata.

CIRCA dies iſtos, eccleſia Dei in *Normannia*, de longo ſervitutis jugo liberata eſt; glorioſo Rege *Richardo* annuente, & omnia diſponente. In primis terminatum eſt, & à Rege conceſſum; de clericis, quod nulla occaſione à ſecularibus capientur poteſtatibus, ſicut fieri conſueverat; niſi pro homicidio, furto, incendio, & hujuſmodi enormi flagitio. Qui continuò, cum requiſiti fuerint à judicibus eccleſiaſticis, quietè & ſine mora reddentur in curia eccleſiaſtica judicandi. Item generaliter omnes de fidei læſione vel juramenti tranſgreſſione quæſtiones, in foro eccleſiaſtico tractabuntur. Item quæſtiones de dote vel donatione propter nuptias, quando mobilia vel ſe moventia petuntur, ad eccleſiam referuntur. Item in eccleſiis conventualibus, Abbates vel Priores aut Abbatiſſæ, cum aſſenſu ſui epiſcopi eligantur. Item nulla fiet recognitio in foro ſæculari, ſi charta vel alio modo,

1191.

eleemoſynatam eſſe poſſeſſionem viri eccleſiaſtici probare poterunt, ſed ad eccleſiaſticos judices remittuntur. Item diſtributio rerum quæ in teſtamento relinquuntur, authoritate eccleſiæ fiet; nec decima pars, ut olim, ſubtrahetur. Item de bonis clericorum, & ſi dicantur fuiſſe uſurarii, vel quocunque mortis genere præventi; nihil pertinet ad ſæcularem poteſtatem; ſed epiſcopali authoritate in opera pietatis diſtribuentur. Item quicquid laici in vita ſua donaverint, vel quocunque titulo à ſe alienaverint, & ſi uſurarii fuiſſe dicantur; poſt mortem non revocabitur. Quæ verò poſt mortem non alienata invenientur, ſi cognitum fuerit ipſos tempore mortis fuiſſe uſurarios, confiſcabuntur. Item ſi mortuus habuerit aliquod vadium, unde ſortem ſuam percepit; portio ipſius libera ad eum qui invadiavit, vel ad hæredes ipſius, revertetur. Idem fiet de portionibus uxoris & filiorum ejus poſt mortem ipſorum. Si quis enim ſubitanea morte, vel quolibet caſu præoccupatus fuerit, ut de rebus ſuis diſponere non poſſit, diſtributio bonorum ejus eccleſiaſtica authoritate fiet.

De morte Baldewini Archiepiſcopi Cantuarienſis.

DIEBUS etiam ſub eiſdem, *Baldewinus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, dum apud *Achon* in extremis laboraret, omnia ſua ad ſubventionem *terræ ſanctæ* legavit. Poſt cujus deceſſum *Hubertus Sareſburienſis* epiſcopus, ab eo executor conſtitutus, fideliter bona ipſius pia erogatione diſtribuit. Et de caſtrorum excubiis ſummoperè ſollicitus; militibus *Chriſti* viginti, ſervientibus quinquaginta, ſicut decreverat idem Archiepiſcopus adhuc vivens, per dies plurimos perſolvit. Civitas verò *Achon Chriſtianis*, poſt multos & varios inſultus, fortiter reſtitit: quia muris, gentibus, & victualibus, ſatis erat communita: *Salaadino* circa obſidentem exercitum, cum exercitu copioſo ſemper inſidiante, & ut potuit, damnificante. Unde *Chriſti* exercitus diſpendium toleravit. Ibi, ſi credi dignum eſt, ſuſcepit Rex *Richardus* xenia & arcana dona à *Salaadino*; videlicet gemmas prætioſiſſimas, aurum non modicum, obrizum primum & puriſſimum, & quod erat chariſſimum: unum *Alcattonem* ſatis levem, nulli ſpiculo penetrabilem. Veruntamen Rex *Richardus* ſuam in hoc excuſans avaritiam; ſuis dixit domeſticis: *Sinite ipſum, quæ ſua ſunt, prodigaliter conſumere.*

Superbia Willielmi Elienſis epiſcopi & Angliæ Cancellarii.

SUB hiis diebus *Willielmus Elienſis* epiſcopus, Angliæ juſticiarius & Apoſtolicæ ſedis legatus; fecit Turrim *Londoniarum* foſſato profundiſſimo circumcingi, ſperans ſe poſſe *Tamiſiæ* fluenta in urbem ducere: ſed poſt multos de fiſco ſumptus ſe laboraſſe inutiliter comprobavit. Erat idem Cancellarius maximus inter omnes occidentales, Rex & ſacerdos in *Anglia*, qui omnia pro nihilo ducebat: cum epiſcopali tantùm dignitate non contentus, nimis alta ſe ſperare denotavit. In prima namque literarum ſuarum fronte, vanitatem & elationem expreſſit, cum dixit: *Willielmus Dei gratia Elienſis epiſcopus, domini Regis Cancellarius, totius* Angliæ *juſticiarius, & Apoſtolicæ ſedis legatus, ſalutem, &c.* Has autem dignitates, quas prætio obtinuerat, immoderato exceſſu exercuit: volens locellos, quos in earum impetratione evacuaverat, reficere. Pecuniam ſuam diſtribuit ad menſam, ut iterum rediens, cum uſuris utique extorqueret illam. Nam legationis officium, quod mille fuſis argenti libris adquiſierat, adeò immoderatè peregit, ut omnibus *Angliæ* eccleſiis tam conventualibus, quàm cathedralibus fieret oneroſus. Siquidem mille & quingentis per *Angliam* evectus equitaturis, clericorum ſtipatus catervis, militúmque vallatus agminibus; omnia ferè, quæ epiſcopali reverentiæ congruunt, prætermiſit. Illi omnes filii nobilium aſtabant in menſa, quos ſuis neptibus & conſanguineis puellis copulavit per matrimonia: fœlices ſe æſtimantes, quos familiares habebat. Non fuit terra vænalis, quàm non emeret: eccleſia vel Abbatia vacans, quam non daret, aut retineret: cuſtodia caſtellorum aut villarum, quam vel metu vel pretio non obtineret. Hiis autem, & hiis ſimilibus multis terrorem incuſſit. Siluit regnum *Angliæ* à facie ejus, nec fuit qui obmurmuraret: cum ſibi in *Anglia* nihil ad expugnandum reſtaret. Sequebantur illum

Ambubajarum collegia, Pharmacopolæ
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne:

Ut illi omni muſicorum genere & modulationibus vocum obſequeretur in terris: ſicut *Angeli* ſancti, omnipotenti Deo obſequuntur in cœlis. Hoc autem totum fecit, ut cum Domino à pari contendere videretur. Sed hæc omnia quem finem ſint habitura, ſequens relatio, cum id tempus obtulerit, non tacebit. A Papa *Angliæ* legationem adeptus, *Londini* apud *Weſtmonaſterium* Concilium celebravit. Obiit *W. Wigornienſis* epiſcopus, & *W.* Abbas *Weſtmonaſterii*, quinto Kalendas Aprilis.

Mors multorum magnatum apud Achon.

ANNO Dominicæ Nativitatis, M. C X C I. Poſt mortem venerabilis viri *Baldewini* Cantuarienſis Archiepiſcopi, in obſidione *Achon* defuncti ſunt nobiles ſtrenuiſſimi: *Randulphus* de *Fulgeres*, Comes *Robertus Perticenſis*, *Theobaldus Blecenſis*, Comes *Stephanus* frater ejus, Comes & filius Imperatoris *Frederici*, comes de *Ferrariis*, comes *Robertus Leyceſtrenſis*, *Radulphus* de *alta ripa*, & alii innumerabiles. Eodem anno, *Clemens* Papa, cum ſediſſet anno uno, & menſibus duobus, diem clauſit extremum: cui ſucceſſit, *Cæleſtinus*, qui anteà *Hyacinctus* vocabatur.

EODEM

1191.

Rex Francorum Philippus, & Rex Anglorum Richardus apud Meſſanam naves aſcendunt.

EODEM anno, quarto Kalendas Aprilis, Rex *Francorum* apud *Meſſanam* naves aſcendit, atque verſus *Hieroſolymam* via recta vela direxit. Rex verò *Richardus*, quarto Idus Aprilis, in magna gloria illum ſequutus; habuit in comitatu ſuo tredecim buccas, triplici velorum expanſione velificatas: habuit prætereà centum naves onerarias & *L.* Galeias triremes. Qui circa diem vigeſimam *Rhodon* inſulam ſubintrans, decurſis decem diebus apud *Cyprum* applicuit. *Curſac* autem Dominus inſulæ, qui ſe Imperatorem nominavit, in manu forti & armata, Regi portum prohibiturus, occurrit; & homines naufragos Regis quam plurimos cepit, ſpoliavit, & in carcerem fame perituros recluſit. Unde Rex *Anglorum* magnificus ira ſuccenſus, iniit cum hoſte jam dicto congreſſum; à quo feſtinam adeptus victoriam, ipſum victum & vinctum retinuit, & filiam ejus unicam, totámque *Cypri* inſulam cum univerſis munitionibus ſuæ ſubdidit ditioni. *Curſac* cum Rege pactum iniit, ne ferreis detineretur in vinculis; quod Rex pactum obſervans, eum compedibus fecit arctari argenteis, & in caſtello propè *Tripolim*, quod *Margeth* appellatur, retrudi præcepit: filiam autem ejus retinuit, cum duabus Reginis in thalamo ſuo, honorificè cuſtoditam. Rex autem ſapientiſſimus, ob ſui ſuorúmque recreationem, ac victualium aggregationem recentium, poſt tædioſam maris vexationem, ibi ſine alicujus diſpendio pauſare decreverat. Sed præfatus *Curſac* videlicet interdixit, ne fines ſuos ingredi attentaret. Interdixit inſuper, ne quis ſuorum exercitui Regis *Anglorum* victualia venderet, aut exponeret res vænales. Unde Regis animum ad iracundiam provocans, compulit illum, ut præfatam ei injuriam irrogaret. Tandem verò cùm totius inſulæ theſaurum obtinuit, & ibidem omnia pro voto diſpoſuiſſet, deſponſavit ibi filiam Regis *Navarræ*, nomine *Beringariam*; quam Regina *Alienor* ad eundem Regem adduxerat in *Sicilia* commorantem. Eodem tempore, Papa *Cæleſtinus* conſecravit Imperatorem *Henricum*, filium *Frederici* Imperatoris, in *Paſchali ſolennitate*, feria quarta. Eodem tempore, Comes *Flandrenſis Philippus* cum Rege *Francorum* in terram ſanctam proficiſcens, abſque liberis obiit.

Gaufridus Eboracenſis Archiepiſcopus apud Doveram incarceratus fuit.

PER idem tempus, ex mandato ſummi pontificis, *Bartholomæus Turonorum* Archiepiſcopus, *Gaufridum Eboracenſem* electum conſecravit. Qui poſt conſecrationem ſuam, ad *Angliam* tendens; apud *Doveram* cum ſuis applicuit. *Matthæus* de *Clere* vicarius illius comitatus paulò antè literas *Willielmi Elienſis* Epiſcopi Cancellarii ſuſceperat in hæc verba. *Præcipimus tibi, quòd ſi* Eboracenſis *electus ad aliquem portum in baliva tua applicuerit, aut aliquis nuntiorum ejus; eum retinere facias, donec mandatum noſtrum inde receperis. Et ſimiliter præcipimus, quòd omnes literas domini Papæ, aut alicujus magni viri, qui illùc venerint, facias retineri.* *Matthæus* igitur, cùm Archiepiſcopi adventum cognoviſſet, non ſegniter ſibi injuncta cum conſilio ſororis epiſcopi *Elienſis*, quæ tunc caſtellum cuſtodiebat, peragens; per ſex dies cum armatorum multitudine venerat ad eccleſiam præfatam, cum fuſtibus & armis irruens in Archiepiſcopum, indicénſque ut de regno ſine mora in *Flandriam* navigaturus, exiret. Et tandem captus & tractus eſt in caſtellum, & detruſus in carcerem; & per octo dies ſub arcta cuſtodia ſervatus. Quod audiens epiſcopus *Londonienſis*, cum feſtinatione venit ad cancellarium; à quo poſt multas ſupplicationes, vix tandem obtinuit liberationem Archiepiſcopi, epiſcopatu ſuo toto quaſi pignore obligato. Carcerem egrediens Archiepiſcopus, *Londonias* venit, ubi ab epiſcopo *Londonienſi* & clero & populo honorificè ſuſceptus eſt cum proceſſione ſolenni. Excommunicavit igitur Archiepiſcopus omnes illos injuriatores, qui jam manus violentas in ipſum injecerant, turpiter contrectantes.

Eclipſis Solis.

EODEM anno, menſe Junii, in vigilia ſancti *Johannis Baptiſtæ*, die Dominica, eclipſis Solis apparuit circa diei horam ſeptimam, & perduravit uſque ad octavam. Luna vigeſima ſeptima, Sol in ſigno Cancri exiſtente.

Rex Richardus navem quam Dromundam appellant, cepit.

CIRCA dies iſtos, Rex *Francorum Philippus*, duodecimo Kalendas Aprilis, apud *Achon* applicuit: quem Rex *Richardus* ſequutus cum magna victualium copia, apud *Cyprum* naves aſcendit, Audiens autem exercitum Domini magna fame & inedia laborare apud *Achon*; ita ut ſextarius frumenti ſexaginta marcis venderetur; onuſtis navibus multis alimentorum copiis, tantæ calamitati miſeriæque ſuccurrere maturavit. Quúmque proſperè verſus *Achon* velificaret, octavo Idus Junii apparuit ei navis quædam permaxima, quam Dromundam appellant, miſſa à *Salaadino* fratre *Salaadini Soldano Babyloniæ* de civitate *Baruch* immenſis referta divitiis; quæ obſeſſis infra urbem *Achon* paganis, opem erat allatura. Erat námque in illa ignis *Græcus*, ſerpentumque ignotorum plurima vaſa plena; & bellatores mille quingenti. Inſtructis igitur in momento temporis Regis *Richardi* ad bellum agminibus, Galearum concurſu undique fit inſultus accerrimus: ſed navis adverſatrix ventorum deſtituta ſolatio, immobilis permanebat. Tandem à quibuſdam Regis *Richardi* merſoribus, ipſam ſubtus aquam invadentibus; locis quàm plurimis terebratur. Aqua autem ebulliente, repletur *Dromunda*; non tantum carina & ſentina; ſed & limbus ejus propugnaculatus & area. Spe igitur perdita evadendi, mille trecentos præcepit Rex in mari ſubmergi, & ducentos vivos ad cautelam reſervavit.

REX

1191.

Rex Richardus apud Achon applicuit, & de captione ejuſdem urbis.

REX *Richardus* cùm ſpolia navis omnia collegiſſet, proſpero curſu ad portum *Achon*, quo tendebat, appropinquavit. Denique ſexto Idus Junii, Rege portum intrante, lituorum ſtridor, clangor tubarum, ſtrepitus cornicinum horribilis, littora repleverunt, terra per circuitum reſonabat. Quod factum *Chriſtianos* animavit ad pugnam; & *Saracenis* obſeſſis terrorem incuſſit, magnum principem adveniſſe declarans. Tunc Rex *Richardus* animi ſui generoſitatem omnibus exponens; famelico exercitui victualia miniſtravit. Duo igitur Reges, militaribus catervis ac populari ſtipati, circa urbem petrarias & machinas alias locaverunt. Qui cum lapidum ponderoſitate & uſu aſſiduo, diebus videlicet & noctibus muros civitatis attriviſſent; in ſtuporem converſi ſunt infideles, nullam deinceps habentes fiduciam reſiſtendi. Unde tandem inito conſilio, de pace tractare cœperunt; talibus initis pactionibus, quòd *Salaadinus* pro redemptione eorum, veram crucem quam in bello cœperat, reſtitueret; & captivos *Chriſtianos* mille quingentos, quos eligere vellent, redderet; & inſuper ſeptem millia Biſantiorum ad pactionem præfatam augerent. Sic civitas cum armis & omnibus quæ in ea erant, ſalvis tantummodò corporibus *Saracenorum*; duobus Regibus reddita eſt, quarto Idus Julii. Veniente autem die ſolutionis ſtatuto, *Salaadinus* nihil horum quæ debuerat, adimplevit. In tanti igitur ultionem exceſſus circa duo millia & ſexcenta *Saracenorum* capitis animadverſione mulctata ſunt; paucis de nobilioribus retentis, pro diſpoſitione Regum, vinculorum pondere coarctatis.

Rex Francorum invidia ductus, ad propria remeavit.

SUBJUGATA itaque civitate, Rex *Francorum* ad propria redire diſpoſuit, quaſi toto negotio conſummato. Anxiebatur enim ſupra modum, eò quòd univerſa, quæ in exercitu *Chriſtianorum* fiebant, Regi *Richardo* aſcribebantur. Prætendens igitur Rex æris inopiam & paupertatem; dixit ſe ibi diutiùs immorari non poſſe. Quod cum magnificus Rex *Anglorum Richardus*, cui ardens inerat deſiderium, negotium Crucifixi promovere, cognoviſſet; promiſit ſe Regi *Francorum*, communicaturum omnium quæ in auro, & argento, victualiúmque congregatione, atque in equis, armis, navibus poſſideret, medietatem: ita videlicet ut inimicos *Chriſti* ſimul de terra ſancta diſperdere laborarent. Sed quoniam idem Rex *Franciæ* reditum ſuum juraverat & immutabiliter ordinaverat; ſuis conſtanter reclamantibus, totóque exercitu graviter conſternato, cum paucis ſuorum repatriaturus; naves aſcendit. Suborta fuit inſuper inter Reges occulta diſſenſio: ita quod Rex *Franciæ* urbem *Achon* & reliquas quas capturi erant urbes, caſtra & terras; tradere Marchiſio de *Monte Ferrato* voluerat ac firmiter propoſuerat; & Regem eum conſtituere *Terræ ſanctæ*. Habuit namque idem Marchiſius uxorem filiam Regis *Almarici*; ſororem ſcilicet Reginæ *Hieruſalem*, quæ jam defuncta fuerat. Cujus voluntati Rex *Richardus* prorſus obſtitit; oſtendens rationabiliter juſtius fore Regi *Guidoni* regno jam pridem ſpoliato, regnum ſuum reſtituere, quàm illo vivente, alium ſubrogare: cum conſtaret, illum non per ignaviam regnum amiſiſſe; ſed potiùs per ſtrenuitatem in gravi belli certamine, ob hoſtium numeroſitatem & exercitus ſui paucitatem, ſimul cum cruce à *Saracenis* captum fuiſſe. Hoc nimirùm inter prædictos Principes diſcordiæ ſeminarium dignoſcitur extitiſſe: cum tamen hæc diſcordia primò apud *Meſſanam Siciliæ* primitiva, ſed occulta, pullulaverit; & poſtea per *Cannarum* haſtiludium infœlix ſuſcepit paulatim incrementum. Dimiſit tamen ibi ducem *Burgundiæ* cum mille armatis, quaſi in adjutorium Regis *Richardi*, proditorem nequiſſimum: quem & inſtruxit de proditione. Hiis omnibus ſtimulum, addidit mors Comitis *Flandriæ*; cujus terram Rex *Franciæ* plurimùm concupivit, ut reditum maturaret. Juratoria igitur præſtita cautione, ne terram Regis *Angliæ* vel Principum qui cum eo remanebant, violenter invaderet; receſſit. Quo recedente, Rex *Richardus* fecit foſſata *Achon*, & murorum ſciſſuras optimè reparari; & hominibus & armis communire.

Progreſſus Regis Richardi.

HIIS ita geſtis, glorioſus Rex *Richardus*, in vigilia Aſſumptionis beatæ *Mariæ*; ad obſidendum & expugnandum maritimas civitates, de portis *Achon* primus cum ſuis commilitonibus audacter progreditur; figíque tentoria juſſit, ſpectante è vicino exercitu *Salaadini*: ubi duo millia & ducenta *Saracenorum* damnaverat ſententia capitali, ex hiis quos in *Ptolomaida* ceperant Reges, ut ſuperiùs eſt relatum. Quod ubi *Saracenis* innotuit, qui urbes maritimas occupaverant; metuentes ne ſimili rabie in eos ſicut in *Ptolomaidenſes* debaccharet, diffidentéſque de ſubventione *Salaadini*, qui pro redemptione cæterorum poſtulata negaverat; relicta urbe vacua, diffugerunt ſtatim, cum Regis adventum audierunt. Hoc idem illi, qui in *Caypha* & in *Cæſarea*, in *Aſſis*, & *Jope* & *Gaza* & *Aſcalonia* habitabant, egerunt. Sícque Deo volente, actum eſt, ut omnis illa Regio maritima verſus plagam illam caperetur; & capta à *Chriſticolis* inhabitaretur, licèt non ſine gravi certamine belli: cum exercitus *Salaadini* ſemper à latere exercitum *Chriſtianorum* ſubſequeretur; atque acies extremas in locis anguſtioribus graviter infeſtaret: unde & de utroque exercitu plurimi ſæpius corruerunt. Munitis igitur civitatibus jam dictis, Rex magnificus *Richardus Achon* rediit cum triumpho.

SED hæc quæ diximus clariùs elucescent, ſi epiſtolam Regis quam *W. Rothomagenſi* Archiepiſcopo direxit; pro eodem negotio, hic ponamus. Richardus *Dei gratia Rex* Angliæ, *&c. Noveritis dominum Regem* Francorum *ad propria remeaſſe*; *& ruinis ſciſſuriſque* Achon *civitatis reparatis*, *ad promovendum* Chriſtianitatis *negotium*, *& proſequendi voti*

 noſtri

1191. *noſtri propoſitum, apud* Jopen *iter arripuimus, & nobiſcum dux* Burgundiæ *cum* Francigenis, *comes* Henricus *cum ſuis, & multi alii Comites & Barones. Cúmque inter* Achon, *&* Jopen *plurimum eſſet ſpatium, & tractus viarum prolixior; apud* Cæſaream *tandem, cum multo ſudore gravique labore noſtrorum deſcendimus; & ipſe* Salaadinus *in eodem itinere, de ſuis quàm plurimos amiſit. Cum populus Dei ibidem aliquantulùm repauſaret apud* Jopen; *ſumus iter propoſitum proſequuti. Et noſtra cuſtodia præeunte, & caſtra apud* Aſſuram *metante;* Salaadinus *cum vehementi* Paganorum *incurſu ſuper ultimam cuſtodiam noſtram impetum faciens, divinæ miſerationis gratia favente, à quatuor ſolummodò aciebus, quæ in fronte ei oppoſitæ erant, compulſus eſt in fugam: ipſúmque fugientem per leucam unam ſunt proſequutæ; tantámque ſtragem de nobilioribus* Saracenis *illa die, in vigilia beatæ* Mariæ, *prope* Aſſuram *fecerunt; quantam* Salaadinus *quadraginta annis tranſactis, non ſuſtinuit una die. Deinde* Jopen, *Deo ducente, pervenientes; villam foſſatis & muris firmavimus; in propoſito habentes, ubicúmque poterimus attingere,* Chriſtianitatis *negotium pro poſſe noſtro promovere. Poſt diem verò prædictæ confuſionis, non eſt auſus* Salaadinus *cum* Chriſtianis *cominùs congredi; ſed ad trucidandos crucis amicos, ſicut oves occiſionis inſidiatur occultè; quaſi Leo in ſpelunca ſua. Audito autem quòd nos ad* Aſcalon *maturo greſſu tenderemus; ipſam evertit, & ad terram funditùs proſtravit: totámque* Syriam, *quaſi totius conſilii & auxilii beneficio deſtitutus; jam deſerit & contemnit: unde bonæ ſpei ſumimus argumentum, quod in brevi, Domino annuente, pleniùs recuperabitur hæreditas Domini. Valete, valete.*

ut Rex Richardus Henrico *nepoti ſuo, regnum* Hieruſalem *dederit.*

REVERSO igitur (ut prædictum eſt) apud *Ptolomaidam* Rege *Richardo*; dedit *Henrico* nepoti ſuo regnum *Hieroſolymitanum* cum uxore Marchiſii de *Monte Ferrareo*; utpotè hærede totius regni, ſorore ejus Regina *Hieruſalem* jam defuncta. Huic quoque libenter annuit *Guido* de *Lezinant*, olim Rex ejuſdem regni; pro ſtabilitate pacis, collata ſibi inſula *Cypri*, quam à Rege inſulæ ejuſdem, nuper guerra Rex *Anglorum* obtinuerat, ejus homagio inde recepto. Marchiſius autem nuper ab Aſſeſinis *Saracenis* interfectus eſt apud *Tyrum*; unde regnum *Hieroſolymitanum* uxori ſuæ (ut jam dictum eſt) jure hæreditario debebatur.

Quomodo Rex Richardus *omnes terræ ſanctæ reliquias redemit.*

GUIDONE Rege *Hieroſolymorum* in bello cum cruce Dominica olim capto; mox *Salaadinus* urbem *Hieruſalem* obſidione vallavit. Cives verò, qui in ea remanſerant, ex infortunio animo conſternati; ſeque *Salaadino* poſſe reſiſtere deſperantes, urbem ei protinùs tradiderunt: at ipſe neminem ex urbe egredi permiſit, niſi ſe priùs quilibet decem biſanciis redemiſſet. Divitibus autem ſe continuò redimentibus, inventa ſunt quatuordecim millia hominum in urbe, qui unde ſe redimerent non habebant: quorum calamitati cæteri compatientes, unanimi conſilio acceperunt cruces aureas, & argenteas, calices, & philaterna, & Dominicum decruſtaverunt Sepulchrum; ac cætera quæ in eccleſiis ornamenta reperiebantur, & pauperes redemerunt. Collegerunt & jam omnes reliquias ſanctorum, quas in locis ſacroſanctis poterant invenire; & poſuerunt eas in quatuor magnis eburneis capſellis, quas *Salaadinus* inter cætera, quæ civitate ſubacta occupaverat, intuens; & quid in eis contineretur, diligenter inquirens; juſſit deferri apud *Baldach*, & tradere *Chaliphe*; ne *Chriſtiani* de oſſibus mortuorum gloriarentur ulteriùs, & crederent eos habere interceſſores in cœlis, quorum oſſa venerabantur in terris. Princeps autem *Antiochenus*, & Patriarcha, cæteríque fideles, tanto theſauro nullo modo defraudari volentes; promiſerunt ſub juramento, ſe eaſdem reliquias redempturos quinquaginta duobus millibus biſanciorum, & ſi pecuniam præfatam tempore conſtituto perſolvere nequirent, eaſdem ei reliquias reſignarent; unde factum eſt, ut Princeps *Antiochenus* prædictas reliquias ſecum tolleret ſigillatas, & idcirco cuncti fideles *Chriſtianitatis* magno dolore & animi mærore conſternati ſunt: quia terminus à *Salaadino* præfixus jam inſtabat princépſque præfatus reliquias ſanctas ſecum detulerant, ut eidem, ſicut eas receperat, redderet ſigillatas, Quod glorioſus Rex *Anglorum Richardus* cum eſſet apud *Furbie*, intelligens; & rem geſtam ex ordine recognoſcens; mox pecuniam prænominatam, pro ſanctis reliquiis *Salaadino* perſolvit, & ſanctorum pignora devotus retinuit, quatenus ſancti Dei, quorum oſſa de manibus impiorum redemit in terris, ipſi ſuis interceſſionibus animæ ejus ſubvenirent in cœlis. Erat autem capſella tantæ capacitatis, tantæque erat ponderoſitatis, ut vix à quatuor viris diutiùs portaretur.

Inventa Arthuri *Regis* Britum *famoſiſſimi.*

EODEM anno, inventa ſunt apud *Glaſconiam* oſſa famoſiſſimi Regis *Britanniæ Arthuri*, in quodam vetuſtiſſimo recondita ſarcophago, circa quod duæ antiquiſſimæ pyramides ſtabant erectæ, in quibus literæ erant exaratæ: ſed ob nimiam barbariem & deformitatem, legi minimè potuerunt. Inventa ſunt autem hâc occaſione. Dum enim ibidem effoderent, ut monachum quendam ſepelirent, qui hunc locum ſepulturæ, vehementi deſiderio in vita ſua præoptaverat; quoddam reperiunt ſarcophagum, cui crux plumbea ſuperpoſita fuerat, in qua exaratum erat: *Hic jacet inclytus Britonum* Rex Arthurus, *in inſula* Avalonis *ſepultus.* Locus autem ille paludibus undique incluſus, olim inſula *Avalonis*, id eſt, pomorum inſula eſt vocatus. *Anno quoque ſub eodem, *Robertus* Lincolnienſis eccleſiæ canonicus, & *Willielmi Normanniæ* Seneſcalli filius; *Cantuariæ* conſecratus eſt *Wigornienſis* epiſcopus, à *Willielmo* Apoſtolicæ ſedis Legato.

CIRCA

1191.

Rex Richardus Cancellarium ſuum ſuſpectum habuit.

CIRCA dies illos multiplicatæ ſunt querimoniæ graviſſimè coram Rege, de ſuperbia Cancellarii; & de injuriis quas multis irrogavit. Scripſit igitur Rex magnatibus *Angliæ* in hæc verba: *Rex* Angliæ Richardus Willielmo *Mareſcallo*, G. filio Petri, H. Bardolf, *&* W. Briwere *patribus ſalutem. Si fortè Cancellarius noſter cui negotia regni noſtri curanda commiſimus, fideliter non tractaverit; præcipimus, ut ſecundùm diſpoſitionem veſtram de omnibus agendis regni, tam de eſchaetis quam de aliis diſponatis.* Per idem tempus, *Willielmus Rothomagenſis* Archiepiſcopus, in *Angliam* veniens literas Regis tulit, iſta continentes: Richardus *Dei gratia Rex* Angliæ, Willielmo *Mareſcallo*, *& aliis* Angliæ *patribus ſalutem. Sciatis quòd nos venerabilem patrem noſtrum*, Willielmum Rothomagenſem *Archiepiſcopum deligimus quem de peregrinatione ſua de conſenſu ſummi pontificis revocatum, propter defenſionem & conſilium regni noſtri, ad vos duximus tranſmittendum. Unde vobis mandamus, & firmiter præcipimus quatenus in procurandis negotiis noſtris, ejus conſilio omnia operemini; volentes & præcipientes, quòd quàm diu in peregrinatione erimus, ipſe cum conſilio veſtro, & vos cum ſuo, omnia diſponatis.* Hoc anno, obiit *Clemens* Papa, cui ſucceſſit *Celeſtinus*; à quo *Henricus* Imperator coronatus eſt in vigilia ſancti *Johannis Baptiſtæ*.

De turpiſſimâ Cancellarii dejectione.

HUGO itaque de *Nonaunt*, expulit Monachos de eccleſia *Coventrenſi*, inſtituens ibidem clericos ſeculares. Eodem tempore, ad inſtantiam Comitis *Johannis* fratris Regis *Angliæ*, convenerunt apud pontem de *Loedone* inter *Radingum*, & *Windleſhores*, die ſabbati proxima, poſt feſtum ſancti Michaelis ad colloquium magnates *Angliæ*, de magnis & arduis Regis & regni negotiis tractaturi. In craſtino autem, tam Archiepiſcopus *Rothomagenſis* quàm *Eboracenſis*, & epiſcopi omnes qui apud *Radingum* convenerant ut colloquio intereſſent: omnes illos qui conſilium, vel auxilium aut mandatum dederant, ut Archiepiſcopus *Eboracenſis* ab eccleſia extraheretur, indignè tractaretur, in carcerem traderetur: terribiliter candelis accenſis excommunicaverunt, & nominatim *Albertum* de *Marines*, & *Alexandrum Puintil.* Deinde die Lunæ proxima, comes præfatus, quia Cancellarius ejus impetum metuebat, ad omnem ſuſpitionem tollendam, in loco tutiſſimo prope caſtellum de *Windleſhores*, ſicut idem Cancellarius petierat; ad colloquium venire propoſuit; facta ei priùs ſecuritate per manum epiſcopi *Londonenſis*. Sed Cancellarius hac ſecuritate non contentus, confeſtim fugiens; intra turrim *Londoniarum* ſeſe recepit. Audiens autem Comes quòd fugerat Cancellarius; venit & ipſe *Londonias*. Sed cum ingredi vellet civitatem, obvios habuit plures de familia Cancellarii milites armatos: qui gladiis exertis, ipſum & ſuos acriter invadentes, *Rogerum* de *Planes*, virum nobilem, peremerunt. Sequenti verò die Martis, idem Comes cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus & Baronibus in capitulo ſancti *Pauli* convenerunt; ac præſente Cancellario, poſt longos tractatus, *Richardo* Regi fidelitatem juraverunt. In primis Comes *Johannes*, ac deinde duo Archiepiſcopi, & omnes epiſcopi; & quotquot convenerant, Comites & Barones. Deinde die Jovis proxima, habitum eſt colloquium ab Orientali parte Turris *Londonienſis*, præſentibus magnatibus præfatis; ubi aſſenſu communium diffinitum eſt: ut talis de cætero in regno *Angliæ* non dominaretur, per quem eccleſia Dei ad ignominiam, & populus ad inopiam trahebatur. Ipſe enim Cancellarius, & ſatellites ejus, omnes regni divitias ita exhauſerant; ut nec viro baltheum argento redimitum, nec fœminæ monile, nec viro nobili annulum, vel *Judæo* relinquerent theſaurum, vel quidlibet pretioſi. Theſaurum quoque domini Regis adeò evacuaverant ut in ſcriniis ipſius aut clitellis, nihil præter claves & vaſa vacua poſſent, de elapſo biennio inveniri. Proviſum eſt etiam, ut omnia caſtella, quæ pro libitu ſuo idem Cancellarius cuſtodiæ ſatellitum ſuorum commiſerat, redderentur; & in primis ipſa Turris *Londonienſis.* Hæc autem omnia Cancellarius ſe facturum juravit. Hiis itaque geſtis, die *Jovis* proxima ſequente, cum omni ſuppellectile ſua, Turrim egrediens, apud *Bermundeſeiam* per *Thameſin* fluvium tranſivit: dati ſunt obſides, *Henricus* & *Osbertus* fratres ejus, quouſque caſtella redderentur. Nam & ipſe juravit, quòd ante caſtrorum redditionem, non exiret à regno. Deinde *Cantuariam* veniens, & crucem ſanctæ peregrinationis ſuſcipiens, crucem legationis depoſuit; quam per annum & dimidium poſt mortem Papæ *Clementis* portaverat, in præjudicium tam *Romanæ* quàm eccleſiæ *Anglicanæ*. Quo facto, *Doveriam* perrexit, habens in comitatu *Gilebertum Roffenſem* epiſcopum & vicecomitem *Cantiæ Henricum* de *Cornhelle*; ubi latenter excæcare nautarum oculos ſe poſſe exiſtimans, novum fraudis genus invenit, virum in fœminam convertit: dum veſtem ſacerdotis in meretricis habitum commutavit. Tunica viridi fœminea indutus: capam habens ejuſdem coloris, peplum in capite muliebre portans, pannum lineum quaſi ad vendendum gerens, ad mare deſcendit. Talibus deformatis Antiſtes, cum ſederet in littore ſuper petram, auram expectans fœliciorem: nauta quidem cum muliere ludere volens, in fœmina ſtupens, braccas invenit. Et vociferare incipiens dixit: *Venite omnes, venite*, inquit, *& virum in fœmina mecum admiramini.* Accurrunt mulierculæ multæ, & pretium panni quem ferebat vænalem, ſolerter inquirunt. Cumque nihil reſponderet, ut qui *Anglicanam* non noverat linguam: cœperunt inter ſe confabulari, & dolum ſuſpicantes, manus injecerunt in peplum, quo fauces tegebantur. Et ſummittentes à naſo uſque deorſum, faciem hominis viderunt nigram, & nuper raſam. Clamorem utique ad ſydera tollentes ad invicem: *venite* inquiunt, *& lapidemus hoc monſtrum,*

1192. *quod ſexum utrumque deformavit.* Et factus eſt ilicò concurſus virorum ac mulierum; extrahentium de capite peplum, & trahentium eum proſtratum, ignominioſè per manicas & capicium, per arenam & ſaxa, non ſine pontificis læſione. Servientes ejus tandem occurrunt, ut dominum liberarent, ſed non potuerunt. Nam populus cum inſatiabili corde illum perſequens; verbis, alapis & ſputis dehoneſtatum: per plateas diſtractum in quodam cellario ſub carcerali cuſtodia includunt. Sic utique factus eſt in deriſum omni populo; qui utinam ſe ſolum & non ſacerdotum inquinaſſet. Tractus eſt, qui Archiepiſcopum *Eboracenſem* traxerat; captus qui ceperat; lignatus qui lignaverat; incarceratus qui incarceraverat: ut ſecundum quantitatem culpæ, quantitas pœnæ commenſurabilis haberetur. Tandem ſpretis obſidibus atque juramento quod fecerat, ſe non receſſurum à regno *Angliæ*, antequàm caſtella redderentur: idem Cancellarius, quarto Kalendas Novembris, in *Normanniam* transfretavit.

Nota rem inauditam.

EODEM anno, juvenis quidam de domo epiſcopi *Londoniarum*, Niſum quem habuit docuit cercellas propenſiùs affectare; itaque ad ſonitum illius inſtrumenti, quòd à ripatoribus *Thabur* nominatur, ſubitò Cercella quodam alarum perniciter remigio evolavit. Niſus autem illuſus, Lupum quendam & Lucium in undis natantem intercepit, invaſit, & arripuit; & ſuper aridam, per ſpatium, ſicut videbatur, quadraginta pedum, ſeſe cum nova præda recepit. Epiſcopus autem inſoliti caſus novitate ſtupefactus Niſum & Lupum futuris ſæculis memorabilem, undecimo Kalendas Novembris, *Johanni* Comiti tranſmiſit.

De morte Reginaldi Cantuarienſis *electi.*

ANNO Dominicæ Incarnationis M.CXCII. *Reginaldus Bathonienſis* epiſcopus, à Monachis *Cantuarienſibus* in Archiepiſcopum electus: decurſis à die denominationis ejus quadraginta novem diebus, Nativitatis Domini die, diem clauſit extremum. Sepultus eſt autem *Bathoniæ* in eccleſia ſua, prope majus altare.

ut Rex Francorum *de peregrinatione* Pariſios *venerit.*

PER idem tempus, Rex *Francorum* à peregrinatione rediens, ſexto Kalendas Januarii, *Pariſiis* ſolenni proceſſione receptus eſt.

Quomodo Rex Richardus Darum *ceperit.*

EODEM anno, poſt paſcalem ſolennitatem, Rex *Richardus Darum* adiit Caſtellum *Chriſtianitatis* ultimum verſus *Babyloniam*: quod diebus quinque obſidens, armata manu cœpit; atque obſeſſos gravi pretio redemptionis abire permiſit.

ut Rex Richardus *ſeptem millia camelos opibus onuſtos ceperit.*

POST hanc victoriam, venit ad Regem *Anglorum* Dux *Burgundiæ* cum *Francorum* militia: cui authoritate Regis *Francorum* præerat, quaſi dux & cuſtos ſummus. Cui etiam in præcedenti ſolennitate dederat Rex *Richardus* triginta millia *Biſantiorum*; ut fideliter ſtaret cum eo, ad expugnandum hoſtes *Chriſti*; & conſilio inito, ſtatuerunt irrefragabiliter *Hieroſolymam* adire. Cúmque Rex *Richardus* cum univerſo exercitu ſuo perveniſſet ad caſtrum *Ernaldi* & *Bethonople* juxta *Emaus*; ecce quidam *Bedewini*, qui ſe Regi obligaverant, nunciant maximam multitudinem negotiatorum ex *Babylonia* verſus *Hieroſolymam* tendere cum ſeptem millibus camelorum diverſis opibus onuſtis: & hanc numeroſitatem viri quinque ſtrenuiſſimi *Salaadini* exercitus electi, conducebant. Quibus cum Rex obviam proceſſiſſet cum paucis armatis, juxta *Turbatam* ciſternam omnes occupavit: camelóſque cum ſuis oneribus diripiens, exercitui ſuo cum magna liberalitate diſtribuit; maximè tamen *Normannis*, quos præ cæteris dilexit nationibus. Deinde ad præfatum caſtrum regrediens, præſidium armatorum in ſingulis civitatibus & caſtris prudenter collocavit.

Cauſa captivitatis Regis Richardi.

CIRCA idem tempus, venit dux *Auſtriæ*, ut in *Terra ſancta* votum ſuæ peregrinationis perficiendo, in exercitu *Chriſtiano* Deo fideliter militaret; & ſalvatoris veſtigia ibidem adoraret. Cúmque prævii ejus Mareſcalli ſibi hoſpitium accepiſſent & neceſſaria præpararent; ſupervenit præcipitanter quidam miles de familia Regis *Richardi*, natione *Neuſter*, & more ſuæ gentis ebulliens ſtultitia cum jactantia, aſſerebat ſe majus jus in illo hoſpitio habere, quàm aliquis alius: cum priùs illuc adveniens, ſibi ſuiſque ſociis illud aſſignaſſet. Multiplicatis convitiis utrobique clamor ad aures Regis pervenit. Rex autem nimis cauſæ *Normanni* favorabilis & credulus, in iram excanduit contra familiam Ducis; & non perpendens civiliter moderamen Dominicum, ſcilicet: *Deſcendam & videbo*, præcepit præcipitanter & ſecùs quàm deceret, ut vexillum Ducis in eodem hoſpitio pro ſigno affixum, in cloacam dejiceretur. Quod factum, cùm dux hoſpitio privatus & turpiter à *Normannis* garrulis laceſſitus, cognoviſſet; Regem querulus adiit: ſed nihil niſi ſannas reportavit. Unde dux à Rege ſpretus, ad Regem Regum ſe convertens, dominum Deum invocavit in ultionem cum lacrymis, ut quemque ſuperbum frangens, tantam paſſium injuriam conſolaretur, qui ait: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Dux autem citò poſt reditum ad propria, confuſus & verecundus maturavit. Hoc facto, Rex *Richardus* poſteà non mediocriter exprobratus, erubuit.

REX autem *Richardus*, cum præda univerſa ad caſtellum *Ernaldi* victor lætus reverſus; quod ab *Hieruſalem* tribus tantum diſtat milliaribus, ſingulos potentes diligenter adhortatur, ut *Hieroſolymam* adeant & obſideant: dum tanta rerum omnium copia victualium ſcilicet & animalium, ad ſubvehenda onera, eis ſuppetit: memorando quanta beneficia illis in ſua peregrinatione clementia divina contulerit. Præterea non mediocriter Regem animabat

1192.

De quadam muliere quæ favit Chriſtianis præcipuè Regi Richardo.

animabat mulier quædam religioſa, natione *Syra*, in civitate *Hieroſolymitana* degens; quæ Regi omnia civitatis ſecreta mandaverat; qualiterque omnes *Saraceni* timidi effecti ſint, propter ejus adventum & animo conſternati & quomodo omnes civitatis portæ territæ erant, præter portam ſancti *Stephani* ad portam Aquilonarem, contra quam exercitum ſuum collocare conſuluit & ſuadebat, mittens quandam Regi clavem, qua valvas poſſet reſerare. Cúmque univerſi *Hieruſalem* obſidere decreviſſent, Dux *Burgundiæ* cum fratribus Templi & cum *Francigenis* conſilium iniens; à propoſito revocatus eſt: qui aſſerebant ducem cum omnibus *Francigenis*, maximam domini ſui Regis *Francorum* offenſam incurſurum; ſi per eorum ſubventionem de tanta & tam famoſa civitate, Rex *Richardus* triumphaſſet; nec aliqua laudis victoria ipſi duci vel *Francigenis* adſcriberetur, ſi ab eis tanta civitas caperetur.

Quomodò dux Burgundiæ *donariis* Saladdini *corruptus* à Terra ſancta *receſſerit.*

NUNCII interim à Duce ad *Salaadinum* diriguntur: ſed quid egerint, acta & quæ ſequuntur opera, manifeſtant. Nam nocte quadam Rege *Anglorum* apud caſtrum præfatum commorante, & duce cum ſuis apud *Bethonoble* exiſtente; explorator Regis *Richardi Jumans* nomine, audivit ſonitum gradientium camelorum & hominum, de monte deſcendentium. Quos latenter ſubſequutus, comperit eoſdem à *Salaadino* tranſmiſſos uſque ad caſtra Ducis, cum quinque Camelis, auro & argento & opibus onuſtis, panniſque ſericis & aliis donariis multis. Explorator autem ad Regem concito greſſu regrediens, hæc illi omnia nuntiavit, accipiénſque quoſdam de familia Regis, ad viam per quam nuncii illi reverſuri erant, cautè inſidiando progreditur; revertentes nuntios comprehendit, comprehenſos Regi præſentavit. Quorum unum Rex in arcto ponens, & diutiùs torquens, omnia quæ Duci *Salaadinus* tranſmiſerat vel mandaverat, invitus confitetur. Amotis autem nuntiis, ac aurora illuceſcente, fecit Rex accerſi ducem & Patriarcham, atque Priorem de *Bethleem*. Quibus in loco ſecreto adunatis, protinùs in eorum præſentia ſuper ſanctas reliquias juravit, ſe paratum exiſtere cum exercitu ſuo adire, & *Hieroſolymam* expugnare, ac civitatem *Baruch*, ſine qua Rex *Hieroſolymitanus* coronari non poteſt: ſicut inter eos jam facere decreverant, & juramento fuerat confirmatum. Cumque Rex juraſſet, hortatur ut dux ſimile juramentum præſtaret, quo abnuente, confeſtim Rex nimio furore ſuccenſus, traditorem eum appellat, exprobrando ei varia munera, quæ à *Salaadino* ſuſceperat: & de occultis nuntiis quos ad invicem miſerant, & mandatis? Duce autem hæc omnia abnuente & defendente, præcepit Rex, ut nuntii illi quos in via explorator ceperat; in eorum præſentiam ducerentur: cúmque introducti fuiſſent, & omnia illis ſecreta denudaſſent; præcepit Rex ſervis ſuis, ut in conſpectu totius exercitus ſagittarent eos, utroque exercitu cauſam tantæ crudelitatis ignorante, aut quid egiſſent viri illi, vel unde veniſſent. Dux autem proditor deprehenſus, nimióque pudore confuſus, & furore ſuccenſus; cum exercitu *Francorum* quantocyùs iter verſus *Achon* arripuit. Sed hoc cernens Rex *Richardus*, cuſtodibus civitatis mandavit, ut neminem eorum intrare permitterent: at illi tentoria ſua extra urbem poſuerunt.

De quodam heremita qui Regi Richardo *prædixit* Hieruſalem *non eſſe ſubjugandam.*

DUCE igitur in hunc modum regreſſo, venit nocte ſequenti religioſus quidam ad Regem, & mandatum cujuſdam ſancti heremitæ ad eam detulit: qui Regi ſignificavit, ut ad eum viſendum properaret. Rex autem de nocte conſurgens, aſſumptis ſecum ſociis quingentis, ad virum Dei pervenit. Hic verò per longum tempus apud ſanctum *Samuelem* in monte manſerat; qui & ſpiritu prophetiæ pollebat. Hic à die illa, qua crux Dominica capta eſt, & terra amiſſa, nihil niſi herbas comederat & radices: nec ullo utebatur tegumento, capillis tantummodò operiebatur, barbáque prolixa: quem Rex diutiùs admirando intuens, ſciſcitabatur, quid vellet. Ille verò de Regis adventu gaviſus, ipſum in oratorium ſuum adduxit, eruenſque de muro lapidem quendam, crucem ligneam & cubitalem extraxit de muro, & Regi devotè porrexit: affirmans proculdubio hanc crucem de ligno domini fuiſſe. Regi etiam inter alia dixit, quod nequaquàm hac vice terram illam obtineret, quamvis ſtrenuiſſimè ubique egiſſet. Et ut Rex certiùs dictis ejus fidem accommodaret, aſſerebat ſeipſum ab hoc ſæculo die ſeptima migraturum. Quem Rex ſecum ad caſtra perduxit, ut dictorum ejus comprobaret eventum: qui ſicut prædixerat, die ſeptima ab hac luce migravit.

De morte peſſima ducis Burgundiæ.

HIIS ita geſtis, die ſequenti caſtra movit; ac ducem ſequutus extra urbem *Achon* prope ducem tentoria fixit. Ubi cum feſſo exercitu vix per triduum quieviſſet, adſunt flebiles nuntii à *Jope* uſque ad Regem directi, nuntiantes; *Salaadinum* cum univerſo exercitu ſuo *Jopen* obſediſſe; civitatémque celeriter fore capiendam, omnéſque milites & ſervientes, quos ob cuſtodiam ibi collocaverat, trucidandos: niſi celeri ſubventione præſidium ferat obſeſſis: quo audito, omnis *Chriſtianorum* exercitus valdè perterritus eſt, graviter ingemiſcens. Rex autem *Richardus*, cum aliis conſternatus animo, ducem *Burgundiæ* offenſum, tùm per ſe, tùm per alios, ad concordiam & pacem revocare ſtuduit: obnixiùs rogans, ut tantæ calamitati aliquod ferat ſubſidium. Quorum preces dux audire dedignans, eorumque poſtulatione inquietari nolens: nocte illa cum ſuis, verſus *Tyrum* iter arripuit. Quò dum veniſſet, confeſtim divino terribiliter percuſſus judicio, mentéque alienatus, morte miſerabili vitam terminavit.

REX

1192.

Rex Richardus Salaadinum *ab obſidione* Jope *fugavit.*

REX autem *Richardus*, poſt mortem Ducis turpiſſimam, cum pauco comitatu, naves roſtratas citus advolator conſcendens, obſeſſis apud *Jopen* ſubvenire maturavit: ſed naves vi ventorum ac ſævitia fluctuum in contrarium retortæ, verſus *Cyprum* diutiùs impelluntur. Quod videntes qui apud *Achon* remanſerant, repatriare ſuſpicabantur. Rex verò & qui cum illo erant, contra rabiem ventorum remigio violento æquora ex obliquo ſulcantes; cum tribus tantum navibus tertia die, aurora jam rutilante, in portu *Jope* appulerunt. *Salaadinus* interim crebris aſſultibus urbem jam ceperat; atque omnes infirmos ac vulneratos qui ibidem præ laſſitudine ſubſtiterant, milites peremerat; & audaciores quinque quos Rex ibidem ob civitatis cuſtodiam poſuerat, urbem deſerentes; in caſtellum ſeſe receperunt, ac inter ſe de reddendo caſtello tractaverunt, antequàm violenter per aſſultum caperentur. Quod & celeriter feciſſent, niſi à Patriarcha qui inter utrumque exercitum liberè progrediebatur; præmoniti fuiſſent, exercitum *Salaadini* devoviſſe omnes fore occidendos (ob vindictam amicorum & parentum ſuorum, quos Rex *Anglorum*, pluribus jam in locis, immiſericorditer detruncaverat-) etſi liberam à *Salaadino* abeundi licentiam accepiſſent. Ob hoc in magno mortis diſcrimine conſtituti, quid agerent hæſitabant; hoſtium numeroſitatem ac ferocitatem, ſuorumque paucitatem, necnon & de ſubventione Regis diffidentes. Sed cum Regem appuliſſe cognoverunt, audaciores effecti, ſeſe viriliter defendebant. Rex autem, ut ex gravi conflictu obſidentium pariter & obſeſſorum caſtellum civitatis nondum fuiſſe captum cognoviſſet; protinus cum ſuis de navi armatus, agili ſaltu proſilivit: atque inter medias hoſtium catervas, velut Leo furibundus à dextris & ſiniſtris proſternens, ſe audacter ingeſſit. Cujus ſubitaneum impetum *Turci* non ferentes; reputantes & illum numeroſiorem adduxiſſe exercitum, ab obſidione concito gradu diffugiunt: mutuò ſe ad fugam cohortantes, & adventum inimici Regis inopinatum adinvicem nunciantes. Unde factum eſt quod à fuga cohiberi non poterant, donec ingrederentur *Ramulam* civitatem: *Salaadino* in curru ſuo, curſu rapido præcurrente. Rex autem, hoſtibus fugatis, audacter tentoria figi præcepit, extra urbem in quadam planicie, ad inopinatam lætitiam obſeſſorum.

Rex Richardus *cum paucis ſexaginta duo millia* Paganorum *ſuperavit.*

SEQUENTI verò die, cùm nunciatum eſt *Salaadino* Regem cum pauciſſimo adveniſſe exercitu; nec amplius quàm octoginta milites, exceptis baliſtariis ſuis quadringentis in comitatu habere: nimio furore ſuccenditur, multáque indignatione erga exercitum ſuum promovetur; quòd tot millia hominum à tam paucis fugari ac fugere debuiſſent. Unde ad ſuorum confuſionem ibidem exercitum dinumerans; ſexaginta duo millia, Imperiali edicto præcepit, ut ad *Jopen* quantociùs redirent; ipſumque Regem vivum captum ſibi in craſtino præſentarent. Rege autem in tentoriis nocte illa cum ſuis quieſcente, nihilque ſiniſtri ſuſpicante; ecce ſummo diluculo tota gens nefanda adveniens, caſtra Regis in circuitu vallavit. Et ne ullus ſubterfugiendi in civitatem pateret aditus, maxima multitudo ſeſe intra urbem & Regis tentoria oppoſuit. Ex quorum Rex magnificus ſtrepitu & clamoribus, omnéſque *Chriſtiani* expergefacti & attoniti; nimia admiratione concutiuntur: cum ſe undique cernunt ab inimicis *Chriſti* præcluſos. Rex autem ſubitum & inopinatum cernens periculum, loricam confeſtim induit, ac velut pennigero volatu equum conſcendit; omnique horrore mortis depoſito, atque ex hoſtium numeroſitate factus audacior, ſuos ad pugnam verbis excitatoriis animabat: ſinéque mora ipſe cum undecim equitibus (qui ſoli ex omnibus equos habebant) in hoſtiles acies prorupit intrepidus; enſem ociùs de vagina extraxit, lancea confracta, atque circa galeata capita ictuum colliſione tinniendo, fulminat: equóſque *Arabicos* propriis ſeſſoribus evacuans, militibus ſuis qui pedites erant, largiter erogavit. Quos illi agili ſaltu aſcendentes, Rege ſemper prævio hoſtium catervas à dextris & à ſiniſtris proſternendo diſſipant, & ſibi quoſque obvios immiſericorditer trucidant. *Pagani* verò corruentes miſerandis clamoribus mugiunt; animáſque cum ſanguine ad tartara remittunt. Præibant ſemper baliſtarii in hac congreſſione potiſſimùm laudandi: quorum incomparabili virtute hoſtilis præcipuè pellebatur impetus, audacia ac ferocia paulatim ſternebatur. Nam dum eorum ſpicula quiſque cautiùs præcavebat, aſſilientis hoſtis congreſſionem circumſpectiùs poterat evitare. In hoc autem belli certamine, quantum virtus Regis enituerit, quantúmque ſuorum probitas claruerit; quótque hoſtium millia de prælio fugaverit, incredibile relatu videtur, niſi virtus divina attendatur. Quis enim unquam crederet octoginta milites, contra ſexaginta duo millia, ferè per totum diei ſpacium; ita inſuperabiliter potuiſſe congredi, tot miſſilium ictibus impeti, tot jaculis lanceari; ut non ſolùm illæſi evaderent, ſed nec à prima ſtatione ſua per unius pedis ſpatium retrocederent; quin & adverſarios undique profligarent, lætam & inopinatam victoriam, fugatis hoſtibus, reportarent; niſi divina virtute ſubnixi crederentur, cœleſtique protectione ſuffulti. Denique illi qui in urbe *Jopen* ob cuſtodiam remanſerant, Regis ſuorúmque fortitudinem invincibilem attendentes; de urbe audacter prorumpunt, & hoſtes à tergo invadunt ſubita invaſione: Regiſque ac ſuorum indefeſſa congreſſione hoſtes compulſi, cum magna ſui confuſione ſuorúmque amiſſione, fugiendo terga dederunt; & in antris delituerunt & cavernis.

1192.

Exercitus Chriſtianorum *Regi* Richardo *ſuppetias tulit.*

INTEREA nunciatur exercitui, quem apud *Ptolomaidam* Rex reliquerat; apud *Jopen* Regem ab inimicis undique vallatum, & niſi celeriùs ei ſubveniatur, in periculo eſſe conſtitutum: unde timor & mœror omnes invaſit, ita ut fugam meditarentur univerſi. Convenerunt tamen viri ſtrenuiſſimi exercitus, ſimul colloquentes: ſi fortè Regi aliquid ſubſidii ereptione conferrent. *Cæſaream* itaque unanimiter proficiſcuntur, præ timore hoſtium ulteriùs progredi non audentes. Sed cum eis ibidem inopinata Regis victoria nunciaretur; immenſa perfuſi lætitia, ereptori omnium Deo præconia exolvebant. Facta eſt autem hæc belli congreſſio, in feſto ſancti *Petri*, quod ad vincula nuncupatur. Eadem hora *Salaadinus*, quaſi in ultionem, juſſit ſibi quendam *Chriſtianum* captivum, longo carcere maceratum, Principem ſcilicet quondam *Antiochiæ* in propatulo præſentari. Quem torvo oculo intuens, ſic eſt affatus: Sic te juvet Deus, quid ageres, ſi me ut ego te vinctum haberes? Et cum pauliſper ſubticuiſſet vinctus, iterum adjuravit illum *Salaadinus*, ut veritatem non diffiteretur. Tunc vinctus palàm in hunc ſermonem prorupit dicens: Ecce ſententia capitali punireris: quia Domino inimiciſſimus, nullo auro redimendus: & quia in lege tua canina perſiſtis, quanquam Rex & non inferior me, tamen caput tuum amputarem. At *Salaadinus:* Nunquam te talem habiturum poteſtatem arbitror, ore tuo autem te judico, & ego ipſe incontinenti caput tuum amputabo. Juſſit ergò adferri ſibi gladium evaginatum. At vinctus alacriter proſiliendo, & læto vultu ipſi appropinquando, extendit ei collum, dicens: hoc eſt quod optavi, ecce caput, nihil amplius aſportabis: gaudeo de cauſa mortis & de ferientis authoritate. *Salaadinus* autem ſtatim caput ipſum, manibus à tergo vinctis, decollavit. Quis autem ipſum martyrem eſſe glorioſum dubitaverit?

Rex Richardus *de repetenda patria conſulit.*

POST hanc Regis victoriam inauditam, cum idem Rex apud *Jopen* per ſeptem hebdomadas moraretur; quidam morbus peſtifer ex aëris corruptione proveniens, ipſum Regem & omnes ferè ſuos perniciosè invaſit: & quotquot ex hac morbi contagione percuſſi ſunt, citiùs interierunt; excepto Rege, Domino illi ſoſpitatem conferente. Cernens itaque Rex theſaurum ſuum, quem larga nimis manu inconſultè militibus diſtribuerat, paulatim deficere; exercitúmque *Francorum* & aliorum, quem multis ſumptibus datis jam per annum conduxerat, ſecúmque retinuerat, mortuo Duce *Burgundiæ*, velle ab eo recedere; nec non & proprium exercitum peſtifera ægritudine atque hoſtili congreſſione minui: hoſtilem quoque numerum indies augmentari; Fratrum *Templi* & hoſpitalitatis ac principum qui cum eo erant conſilio, ad horam repatriare diſpoſuit: ut iterùm numero multiplicato & militum & pecuniarum, fortiùs & inſtructiùs ad ſanctam Civitatem obſidendam regrederetur: juratoria ſuper hoc præſtita cautione. Hiis autem potiſſimum omnibus illud prævaluit, quod intimabatur ei, quòd Comes frater ejus, quem in *Anglia* reliquerat, moliebatur *Angliam* ſibi ſubjugare; quod ipſum velle facere, rei poſtmodùm comprobavit eventus. Et quia tanti principis tantique exercitus diſceſſio, non abſque ibidem remanentium gravi periculo, terræque ſubjugatæ diſpendio fieri non potuit; treugæ inter *Chriſtianos* & *Paganos*, utriuſque exercitus petitione & conſilio, ſunt conſtitutæ; à Paſcha videlicet ſubſequenti, uſque ad terminum trium annorum: quod multùm Deo diſplicuit, eò quòd ſchiſma *Chriſtianorum* erat in cauſa.

Rex Richardus *de Peregrinatione redit.*

TEMPORE igitur Autumnali, navibus præparatis, omnibúſque ritè diſpoſitis; Rex *Richardus* & Regina ſua, cum Regina *Siciliæ* ſorore ſua *Johanna*, cæteriſque proceribus ſuis mare Mediterraneum tranſierunt. Quibus mare ſulcantibus, ilicò ſubortæ ſunt inſolitæ tempeſtates, & in terram applicantibus illatæ perſecutiones: nonnulli naufragium ſunt perpeſſi, quidam in littore, navibus confractis, vix nudi, amiſſis opibus, evaſerunt; pauci verò ad deſtinatum ſalutis portum appulerunt. Qui autem maris evaſerant periculum, hoſtiles acies contra eos in terra ubique conſurgere reperiunt: à quibus immiſericorditer capiuntur, ſpoliantur; & nonnulli gravi redemptionis debito affliguntur. Nullus ſubterfugiendi erat locus; quaſi tellus & mare contra fugitivos crucis conſpiraſſent. Unde ſatis manifeſtum eſt ipſorum receſſum, nequaquàm Domino fuiſſe acceptum, nondum expleta peregrinatione; qui ipſos poſt modicum tempus in terra illa magnificare decreverat, omnes inimicos eis ſubjiciendo, & terram pro qua tam laborioſam peregrinationem aſſumpſerant, contribuendo. Nam illis abſentibus, in ſequenti Quadrageſima *Chriſtianitatis Terræque ſanctæ* invaſor *Salaadinus* vitam flagitioſam morte miſerabili terminavit. Qui ſi tunc præſentes fuiſſent, facillimè *Terram ſanctam* obtinuiſſent: filiis ejuſdem *Salaadini* ac propinquis inter ſe diſſidentibus & decertantibus pro regno paterno.

Rex Richardus *multorum inimicorum ſuorum inſidiis liberatus fuit.*

REX *Richardus* cum nonnullis ſuorum nimia maris tempeſtate vexatus, per ſex ſeptimanas, cùm deveniſſet verſus *Barbariam*, trium velificatione dierum à *Marſilia* diſtans; & fama crebreſcente jam cognoviſſet Comitem ſancti *Ægidii*, necnon & cunctos principes, per quos tranſiturus erat, contra eum unanimiter conſpiraſſe; ſeque ei ubique inſidias tetendiſſe, diſpoſuit per *Germaniam* latenter repatriare: veliſque retortis, cum paucis ſuorum, *Baldewino* videlicet de *Bethun*, & magiſtro *Philippo* clerico ſuo, *Anſelmóque* Capellano ejus, cum quibuſdam fratribus *Templi* in partibus *Slavoniæ* ad villam quandam nomine *Gazaram*, appulerunt. Qui ſtatim nuncium ad proximum dirigentes caſtellum; pacem & conductum à Domino provinciæ illius (qui nepos extitit *Marchiſii*) expetierunt. Rex autem in reditu

1193. ſuo tres lapides pretioſos, carbunculos ſcilicet, quos vulgus *Rubin* appellat, à quodam *Piſano Bizantiis* comparaverat nongentis. Quorum unum, dum eſſet in navi in annulo aureo incluſum, Domino caſtelli per dictum nuncium tranſmiſit. Percunctatus verò nuncius à Domino loci, quinam eſſent, qui conductum petebant, reſpondit, Peregrinos eſſe ab *Hieroſolyma* redeuntes. Deinde nomina eorum inquirens, nuncius, reſpondit: unus eorum *Baldewinus* de *Betun* appellatur, alter verò *Hugo* mercator, qui & vobis annulum tranſmiſit. At dominus ille diutiùs annulum intuitus: non inquit *Hugo*, ſed Rex *Richardus* appellatur. Et adjecit: licèt ipſe juraverim me omnes Peregrinos de partibus illis venientes comprehenſurum, nec munus aliquod ab eis accepturum; tamen pro dignitate muneris & mittentis, illi qui me ignotum ita honoravit, & munuſculum remitto, & liberam abeundi licentiam concedo. Reverſus itaque nuncius omnia hæc Regi intimavit. At illi valdè trementes, media nocte, equis comparatis, de villa prædicta occultè exierunt, & per terram illam diutiùs liberè proceſſerunt. Sed dominus ille latenter poſt eos ad fratrem ſuum exploratorem tranſmiſit, ut Regem in terram ſuam comprehenderet venientem. Ubi cum Rex adveniſſet, & urbem in qua frater domini prædicti morabatur, ingreſſus fuiſſet; confeſtim ille, accerſito ad ſe quodam homini ſuo fidiſſimo, *Rogero* nomine, *Normannico* genere, de *Argentonio*, qui cum eo per annos viginti extiterat; & neptem ſuam ei maritaverat: precepit, ut domos ubi peregrini hoſpitarentur, diligenter perſcrutaretur ſi fortè Regem per loquelam vel aliud ſignum explorare poſſet, promittens ſe ei medietatem urbis daturum, ſi Regem intercipere potuiſſet. Quo ſingulorum hoſpitia peregrinorum inquirente, tandem Regem reperit: ſed eo diutiùs diſſimulante quòd ipſe erat; demùm importunitate precum & lacrymarum pii inquiſitoris compulſus, confitetur quòd erat. Qui ſtatim cum lacrymis fugam accipere adhortans, equum peroptimum Regi tradidit. Poſteà verò ad Dominum reverſus, dicit frivolum eſſe, quod audierat de adventu Regis: ſed eſſe *Baldewinum* de *Betun*, & Comites ejus qui de peregrinatione redibant. At ille furibundus juſſit omnes comprehendi: ſed Rex latenter cum *Willielmo* de *Stagno* & puero quodam, qui linguam *Theutonicam* intelligebat, de urbe egrediens, per tres dies & noctes ſine cibo in via permanſit. Deinde fame urgente, ad quandam villam nomine *Gynatiam* in *Auſtria* prope *Danubium* divertit: ubi tunc temporis, ad cumulum omnium malorum Dux *Auſtriæ* morabatur.

Rex Richardus *à Duce* Auſtriæ *capitur, & incarceratur.*

Appulso itaque in *Auſtria* Rege *Richardo*, miſit puerum ſuum ad eſcambium in civitatem *Gynatiam*, ut cibos famelicis compararet. Ille autem ad eſcambium veniens, cum plures Bizantios proferret, nimiſque curialiter ac pompaticè ſe haberet, à civibus ilicò comprehenſus eſt: ac requiſitus quiſnam eſſet: ſervum cujuſdam ditiſſimi mercatoris ſe eſſe reſpondit, qui poſt triduum, ad urbem illam erat venturus. Sicque tunc ab eis dimiſſus, ad ſecretum Regis hoſpitium clanculò divertit, fugamque quantocyùs hortatur: denuncians Regi quæ ſibi acciderant: ſed Rex poſt nimiam maris vexationem, in urbe prædicta per dies aliquot requieſcere cupivit. Dum autem puer præfatus ſæpiùs neceſſariis emendis ad forum publicum regreditur, accidit quod die ſancti *Thomæ* Apoſtoli, chirothecas domini Regis ſub zona incautiùs ſecum geſtaret: quas urbis magiſtratus intuentes, puerúmque iterum apprehendentes, diriſſimè torquent, variis cruciatibus afficiunt, vulnera infligunt, linguam amputare minantur, niſi confiteatur quantocyus veritatem. Puer autem intolerabili cruciatu compulſus, eiſdem, ut res ſe habebat intimavit. At illi continuò hæc omnia Duci intimantes; hoſpitium Regis circumvallant; & ut ſpontè ſe reddat, acriter inſiſtunt. Rex autem ad tumultuantium barbariem vocum imperterritus manens, ſuam probitatem non prævalere contra tot Barbaros ſentiens; juſſit adeſſe Ducem, ipſi ſoli ſe redditurum, promittens. Duci autem ilicò adventanti Rex obviàm proceſſit, ſeque ei cum gladio tradidit. Dux autem hilaris effectus, Regem ſecum honorificè adduxit, quem deinde ſtrenuis militibus cuſtodiendum tradidit; qui die noctuque ſtrictis enſibus eum ubique arctiſſimè cuſtodierunt. Quod miſerabile infortunium non abſque Omnipotentis Domini judicio, licèt nobis occulto, eveniſſe arbitrandum eſt; ſive pro ipſius Regis lubricæ ætatis erratis caſtigandis, ſive pro ſubditorum ſuorum culpis feriendis; vel ut idem Rex ad pœnitentiam & ſatisfactionem congruam revocaretur, ſuper exceſſu, quo patrem ſuum carnalem *Henricum* Regem lecto decumbentem, tam auxilio quàm conſilio Regis *Francorum*, apud urbem *Cænomannicam*, obſidione vallavit. Et licèt eum corporaliter ferro non mactaverat; tamen crebris eum aſſultibus inde recedere coëgit: quæ omnia mortis ejus cauſam ingeſſiſſe non eſt ambigendum. Eodem anno, *Savaricus Northamptonienſis* Archidiaconus electus eſt in epiſcopum *Bathonienſem*: qui *Romam* profectus, ibidem eſt preſbyter ordinatus; & decimo tertio Kalendas Octobris, ab *Albano Albanenſi* Epiſcopo munus conſecrationis ſuſcepit.

Dux Auſtriæ *Regem Angliæ Imperatori vendidit.*

Anno Dominicæ Nativitatis M. CXCIII. Rex *Richardus* remanſit in cuſtodia ducis *Auſtriæ*, donec ipſum vendidit Imperatori *Romanorum Henrico*, pro ſexaginta millibus librarum Argenti ad pondus *Colonienſium*. Quem feria tertia, poſt Ramos palmarum adducens; diligentiſſimè cuſtodiri facit. Et ut Regem ad immoderatam redemptionis pecuniæ impelleret quantitatem, retrudi eum præcepit in Triballis, à quo carcere nullus ante dies iſtos

1193.

iſtos exivit, qui ibidem intravit: de quo *Ariſtoteles* libro quinto: Bonum eſt mactare Patrem in Triballis: Et alibi

Sunt loca, ſunt gentes, quibus eſt mactare parentes.

Ubi ſub copioſa militum & ſervientum multitudine, quievit in locis omnibus nec defuere qui etiam die noctêque ſtrictis comitarentur gladiis. Lectum autem Regis ambiebant deputati, neminémque ſuorum cum eo pernoctare permiſerunt. Hæc omnia ſereniſſimi principis nunquam obfuſcare vultum potuerunt; quin hilaris & jucundus in verbis, quin ferox & audaciſſimus in factis; prout tempus, locus, cauſa, perſona exigebat, ſemper appareret. Quoties autem cuſtodes ſuos joculando deturpavit; quoties eos inebriando ludificavit; quoties tam immanium vires corporum quaſi ludendo aggreſſus fuerit, aliis narrandum relinquo.

Rex Richardus *variis ab Imperatore objectis prudentiſſimè reſpondit.*

IMPERATOR autem iratum animum ac ferocem contra Regem diutiùs præferens nullatenùs eum in præſentia ſua convocare vel alloqui dignabatur: ſed ipſum in pluribus contra eum & ſuos graviter accuſans; calumnias multas eidem Regi prætendit. Tandem hinc inde mediantibus amicis, & præcipuè *H. Cluniacenſi* Abbate & *Willielmo* Regis Cancellario; Imperator, convocatis Epiſcopis, Ducibus & Comitibus ſuis, Regem in præſentia ſua accerſiri juſſit, eúmque in pluribus articulis, coram omnibus, accuſavit. In primis ſcilicet, quod per ejus conſilium & auxilium, regnum *Siciliæ* & *Appuliæ*, quod ſibi jure hæreditario debebatur, defuncto Rege *Willielmo*, amiſerit. Pro quo adipiſcendo exercitum permaximum, data pecunia infinita, conduxerat: cum idem Rex ſibi auxilium præſtiturum fideliter ſpoſpondiſſet, ut à *Tancredo* regnum illud obtineret. Deinde cauſabatur de Rege *Cypri*, qui ei affinitate conjunctus fuerat; quod eum injuſtè ab imperio ejecerit, & carcerali cuſtodiæ deputaverit; & terram ejus cum theſauris violenter invaſerit, & inſulam cuidam alieno vendiderit. Poſtmodùm verò accuſavit ipſum de morte *Marchiſii* de *Monte Ferrato* hæredis ſui: quòd videlicet per ejus proditionem & machinationem ab *Arſacidis* peremptus ſit. Quòd & miſerat ad perimendum Regem *Francorum* Dominum ſuum; cui nullam fidelitatem, ut debuerat, ſervavit in communi eorum peregrinatione; ſicut juramenti ſacramento inter utroſque fuerat confirmatum. Deinde conqueritur, quod ſignum ducis *Auſtriæ* conſanguinei ſui, ob ejus contemptum apud *Jopen*, in cloacam projici juſſerit; & *Theutonicos* ſuos in *Terra ſancta*, verbis probroſis & factis ubique dehoneſtaverit. Super hiis & hujuſmodi calumniis Rex *Anglorum* ab Imperatore conventus; protinus, in medio ſtans, contra ſingulas objectiones ita luculenter & argumentosè reſpondens, peroravit; ut omnibus admirationi & venerationi haberetur, ita ut nulla ſuſpitio de hiis, in quibus accuſabatur in cordibus audientium ulteriùs remaneret. Nam dictorum veritatem & ordinem veridicis quibuſdam aſſertionibus & argumentatione probabili, ita in lucem propalavit; ut omnes ſuſpiciones falſas, quibus impetebatur, omnimodis allegationibus caſſaret, & geſtorum veritatem non taceret: Proditionem quoque omnimodam, vel alicujus principis necis machinationem, conſtanter depellebat: aſſerens ſe ſemper fore paratum, ad ſuam innocentiam purgandam, ſuper talibus objectionibus, prout Imperatoris Curia rationabiliter judicaret. Cúmque diutiùs coram Imperatore & Principibus ejus diſertiſſimè (ut erat facundiſſimus) allegaſſet; Imperator admirans tantam Regis facundiam, ſurrexit, & accerſito ad ſe Rege, ejus in oſcula ruit: ac deinceps blandè leniterque cum eo agebat. Ab illo denique die cepit Imperator mitiùs agere, & Regem familiariter honorare.

Rex Richardus *pro redemptione ſua centum & quadraginta millia marcarum argenti perſolvit.*

HIS ita geſtis, amicis hinc inde mediantibus, pro redemptione Regis diutiùs tractatum eſt. Tandem ad hoc eſt perventum, ut pro redemptione ejus, Imperatori darentur centum & quadraginta millia marcarum argenti ad pondus *Colonienſium*; quæ omnia ante liberationem ſuam ſolveret, abſque expenſis tam ipſius quàm aliorum, ob illam cauſam, antequàm convenirent factis. Præſtitum eſt autem ab Epiſcopis, Ducibus & Baronibus juramentum die Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*; ut quùm prænominatam pecuniam Rex perſolviſſet, continuò liber proprium regrederetur ad regnum. Perlata autem in *Angliam* hujus concordiæ ſententia à Regis Cancellario *Willielmo Elienſi* epiſcopo; qui literas domini Regis, & Bullam auream Imperatoris ſecum detulit; continuò exiit edictum à Juſtitiariis Regis, ut omnes Epiſcopi, Clerici, Comites & Barones, Abbatiæ & Prioratus, quartam partem redituum ſuorum, ad redemptionem Regis conferrent. Et inſuper ad illud pietatis opus, calices aureos, & argenteos ſuſtulerunt. *Johannes* verò *Norwicenſis* Epiſcopus per totam Dioceſim ſuam, dimidium precii de calicibus ſumpſit, & dimidium de rebus habitis, Regi donavit. Ordo *Ciſtercienſis*, qui hactenus liber ab omni exactione extiterat, lanam ſuam univerſam, ad Regis redemptionem dedit. Nulla denique eccleſia, nullus ordo, nullus gradus vel ſexus eſt prætermiſſus, qui non cogeretur ad liberationem Regis. Hujus autem calamitatis præſagia extiterant, inſolitæ tempeſtates, aquarum inundationes, tonitrua horrenda & hyemalia ter vel quater in quolibet menſe, cum coruſcationibus terribilibus, per totum anni iſtius circulum: unde ſequuta eſt infœlicitas fructuum atque frugum.

1193.

Ceſtrenſis epiſcopus bonis omnibus ſpoliatur.

EODEM tempore, *Hugo Ceſtrenſis* Epiſcopus cum magnis xeniis, quæ ſummo præparaverat ſtudio, Regem videre maturavit: ſed prope *Cantuariam*, de nocte quieſcens, comprehenſus eſt, & bonis omnibus ſpoliatus. *Matthæus* de *Clera*, municeps *Dovernenſis*, prædonibus favorem præſtitit: unde ab Archiepiſcopo excommunicatus eſt, ſi autem ſatisfecerit, ignoratur.

Mors Salaadini *cui ſucceſſit* Saphadinus.

PER idem tempus, *Salaadinus* veritatis & Crucis publicus inimicus, divina animadverſione percuſſus; apud *Nazareth* inter epulas ſubitò expiravit: cujus regnum *Saphadinus* frater ejus ilicò uſurpavit. Fuerunt autem cum eo ſeptem filii *Salaadini*; contra quos filii *Noradini*, quos *Salaadinus* de regno paterno expulerat, cum multitudine *Perſarum* aſcenderunt. De iſtis autem fratribus *Salaadino* videlicet & *Saphadino* & eorum progenie & filiorum ſucceſſione, ad hiſtoriæ claritatem, pauca dicenda ſunt; qui in omni verſutia, in Paganiſmo, omnibus præminebant. Mortuo, ut dictum eſt, *Salaadino*, qui novem reliquit filios regni ſui hæredes; *Saphadinus* minor natu, omnes nepotes ſuos interfecit, præter unum qui *Noradinus* vocabatur. Hic tenet terram *Halape*; cum omnibus viciniis civitatibus & caſtris & villis & aliis munitionibus, quæ ſunt pluſquàm ducentæ. *Saphadinus* autem fraterno potitus regno & nepotibus interfectis; quindecim filios habuit: ex quibus ſeptem, in regnis homicidio acquiſitis, hæreditavit. Primus filiorum ejus *Melealim* vocabatur: cui dedit in hæreditatem de ſe tenendam *Alexandriam*, *Babyloniam*, *Kayram*, *Damietam* & *Caniſiam* cum terra *Ægypti*: ſed filius ejus nomine *Coradinus*, tenet *Damaſcum*, *Hieruſalem* & totam terram *Chriſtianorum* inter civitates & munitiones & caſtra, pluſquàm trecenta, præter villas. Tertius filius ejus *Melchiphais* tenet terram quæ dicitur *Gemella* cum tota provincia; ubi ſunt pluſquàm quadringentæ inter civitates & munitiones, præter villas pluſquàm ſexcentas. Quartus filius *Mehemodain*, tenet regnum *Aſiæ*; quod habet munitiones pluſquàm quingentas. Quintus filius ejus nomine *Methiſemaphat*; tenet terram de *Sarcho*, ubi *Abel* mortuus fuit; in quo regno ſunt inter civitates & munitiones & caſtra, præter villas, nongenta vel amplius. Sextus filius ejus nomine *Machinoth*, tenet terram de *Baldach*, ubi habitat Papa *Saracenorum* qui *Calyphus* appellatur; & timetur in lege eorum & adoratur, ſicut Pontifex *Romanus* apud nos. Hic non poteſt videri niſi bis in menſe. Progreditur autem cum diſcipulis ſuis, quos habet, ſicut Papa & Cardinales, ad *Mahumeriam*: ubi eſt *Machometus* Deus *Agarenorum*; & inclinato capite & facta oratione, ſecundùm legem eorum, antequàm exeunt de templo, comedunt & bibunt, & poſteà ad Palatium revertitur coronatus. Iſte *Machumetus* viſitatur & adoratur, ſicut à populo *Chriſtiano Chriſtus* Crucifixus. Eſt autem civitas de *Baldach* (ubi eſt *Mahumetus* & *Calyphus*) caput gentis *Agarenorum*, ut *Roma* in populo *Chriſtiano*. Septimus filius *Saphadini* nomine *Salaphat*; non habet terram hæreditalem; ſed eſt cum fratre ſuo *Melealim*, & portat vexillum ſuum; cui unuſquiſque fratrum ſuorum annis ſingulis mille *Saracenos* tranſmittit & centum Bizantios & duos Dextrarios benè paratos. *Saphadinus* pater eorum, quando viſitabat filios ſuos; velato capite incedebat, cum uno ſerico rubeo, cui omnes filii quatuor vicibus capite ad terram inclinato & pede oſculato occurrunt: & recipit eos ad oſculum & ad manum, & cum unoquoque eorum moram facit per triduum ſemel in anno: & quilibet eorum, habet annulum in digito, in quo patris imago ſculpta eſt. Et quando equitat, non oſtendit faciem ſuam; niſi decies in anno. Quando recipit nuncios ab aliquo principe, primo die recipit eos in palatio ſuo; per ſervos ſuos armatos; ſecunda die dicitur eis reſponſum ſecundùm cauſam; & ante diem tertiam non datur licentia accedendi ad eum. Octo autem filii ejus, de patris ſui conſtitutione, vivunt in hunc modum. Duo ex eis cuſtodiunt Sepulchrum Domini; & eis datur quicquid ad Sepulchrum offertur; & ipſi hoc dividunt inter ſe. Valet autem reditus eorum viginti millia *Saracenorum*. Quatuor filii habent reditus de *Nilo*: & reditus illorum valet pluſquàm quadraginta millia *Saracenorum*. Alii duo fratres minores ſunt quotidiè ante *Mahumetum* pro caſtitate; & eis datur quicquid ad pedes ejus offertur; quod valet triginta millia *Saracenorum*. *Saphadinus* quindecim habet uxores & totidem hæredes, cum uxoribus ſingulis dormit: cui cum aliqua filium parit, cum illa cunctis videntibus dormit; & cum aliqua illarum quindecim mortua fuerit, de legis ſuæ conſuetudine, ſtatim aliam introducit. Habent enim legem ſcriptam à *Mahumeto* ſibi traditam, & hic liber dicitur *Alcoranus*: nam, *al*, *Arabicè* eſt totum, *choran* autem *lex* dicitur. Cujus libri præcepta illa gens nefaria ita inviolabiliter obſervat; ſicut nos *Chriſtiani* textum Evangelii obſervamus.

Johannes *frater Regis regnum ſibi occupare nititur.*

REGE autem *Richardo*, ut dictum eſt, ab imperatore detento; Comes *Johannes* frater ejus, audito Regis infortunio, atque de ejus regreſſu diffidens, fœdus amicitiæ cum *Philippo Francorum* Rege iniit: ſiniſtróque uſus conſilio, in *Anglia* pro fratre diſpoſuit coronari; ſed *Anglorum* virtute laudabili fuit impeditus.

Rex Francorum Normanniam *occupare tentavit.*

REX *Francorum Philippus* in illius diebus, inimicitias ubique contra Regem *Anglorum* exercens; *Normanniam* maximo exercitu aggreditur; nec ordini, nec ſexui, nec ætati parcens. *Gilebertus de Vaſcuil*, accerſito ad ſe Rege prædicto; *Giſortium* ei per traditionem tradit: ſicut prius convenerat inter eos. Deinde idem Rex totum *Vegeſinum Normannicum* & Comitatum *Albemalle* uſque ad *Diepe* & *Vallem* de *Ruil* cum caſtellis præcipuis; partim

proditione

1194.

proditione, partim expugnatione, ſibi ſubegit. Terram etiam *Hugonis* de *Gurnai*, qui ſe cum quibuſdam aliis Regi *Francorum* ſubdiderat, ſubjugavit. *Rothomagum* militariter obſidione vallavit: ſed Comitis *Leiceſtriæ* magnifica virtute ac civium probitate; cum ſuorum amiſſione & confuſione ab Urbe receſſit. Civitatem *Eboracenſem* idem Rex cepit; & eam Comiti ad cuſtodiendum commiſit.

Rex Francorum *ſororem Regis* Daciæ *duxit, quam ilico repudiavit.*

PER idem tempus, Rex *Francorum* ſororem Regis *Daciæ Ingelburgam* nomine, puellam mirabili decore præditam, accepit in uxorem: quam poſt nuptias repudians, inter ſanctimoniales apud *Sueſſionem* collocavit: Dacóſque omnes, qui cum illa venerant, repatriare præcepit. Eodem anno, *Hubertus Walteri Sareſberienſis* Epiſcopus, in Archiepiſcopum *Cantuarienſem* canonicè electus eſt; & in craſtino ſancti *Leonardi* in ſua ſede eſt collocatus. Cujus induſtriæ, ex præcepto Regis *Richardi*, regnum *Angliæ* & ejus adminiſtratio commiſſa eſt; amoto *Waltero Rothomagenſi* Archiepiſcopo: qui vocatus à Rege tranſiit in *Alemanniam*; cum quo & Regina *Alienor* mater Regis proficiſcens, filium videre maturavit.

Rex Richardus *à carcere liberatus, in* Angliam *venit.*

ANNO Dominicæ Nativitatis, M.CXCIV. Rex *Richardus*, maxima jam parte ſuæ redemptionis perſoluta, obſidibúſque datis pro parte reſtabat ſolvenda; die Purificationis beatæ *Mariæ*, ab omni cuſtodia Imperatoris liber effectus, permiſſus eſt redire ad regnum. Qui cum matre ſua & Cancellario per terram Comitis *Lovaniæ* ad mare *Britannicum* perveniens; in die Dominica poſt feſtum ſancti *Georgii* proximi, in *Angliam*, cum ingenti omnium gaudio ad portum applicuit *Sandwicenſem*. Hora autem qua Rex cum ſuis applicuit, hora ſcilicet diei ſecunda, ſole clariùs rutilante; apparuit ſplendor quidam ſereniſſimus & inſolitus, non longiùs à ſole remotus; quàm ad longitudinem & latitudinem humani corporis, candorem perfulgidum, atque rubedinem, quaſi ſpecies Iris, habens: quem ſplendorem plures intuentes, pronunciabant Regem in *Angliam* fore appulſum. Rex autem confeſtim *Cantuariam* profectus, beatum *Thomam* devotus petivit; deinde *Londonias* veniens, cum maxima lætitiæ pompa exceptus eſt; univerſa civitate contra Regis adventum, innumerabilium varietate opum decorata ac multipliciter adornata. Audito autem adventu Regis; nobiles pariter & ignobiles Regi venienti cum ingenti alacritate occurrunt: cernere plurimùm cupientes à captivitate regreſſum, quem nunquam timuerant reverſurum. Cui adventanti occurrit apud *Weſtmonaſterium* ex parte abbatis ſancti *Albani Warini*, quidam ex ejus ſervientibus *Gaufridus* cognomento *Hakeſalt*: adferens eidem Regi ex parte dicti Abbatis munera non modica ex auro & argento: quæ meritò regalem non tantùm pacare, ſed & exhilarare poterant magnificentiam. Ipſe autem Rex, penſans affectum cum muneribus; eidem Abbati gratias retulit aduberes, veluti amico indefeſſo, & patri, qui filii ſui immemor eſſe non ſuſtinet: ipſum enim Abbatem de conſuetudine, quia amiciſſimus erat ei; patrem appellavit chariſſimum. Ex tunc igitur de amico amicior factus Rex; Abbati in omnibus agendis extitit favorabilis auxiliator. Rex verò cum vix per diem unum apud *Weſtmonaſterium* commoratus eſſet; ad ſanctum *Eadmundum* gratia orationis progreditur, indéque *Notingeham* properavit; obſeſſurus eos & expugnaturus, qui contra eum conſpiraverant, & ſe *Johanni* Comiti obligaverant. Exercitus *Angliæ* omnia nimirùm caſtella præfati Comitis jam ceperat; iſto ſe ſolo tenente & adhuc viriliter defendente & ſemel aſſiliente. Ut certiùs cognoverunt obſeſſi inſperatum Regis adventum; caſtellum ei reddiderunt; ſeipſos cum ſuis omnibus voluntati Regis, & miſerationi ſupponentes. Quorum quoſdam in carcerem detruſit; quoſdam digno pretio redemit; in tali neceſſitate, avidè concupiſcens pecuniam ſingulorum. Duæ quidem præcipuè eum cauſæ vehementer urgebant; ut, ſcilicet, obſides pro ſe traditos, erga Imperatorem liberaret; & ut exercitum copioſum contra Regem *Francorum* ſtatim conduceret; qui terram ſuam incendiis & rapinis undique devaſtabat. Quapropter ſi avidiùs, quàm Regiam deceret majeſtatem, in tanta neceſſitate à ſubditis pecuniam exquirebat; ignoſcendum potiùs erat, quàm neceſſitati Regiæ derogandum.

Rex Richardus *coronam portavit, & ſtatim in* Normanniam *trajecit.*

SUBACTIS igitur in brevi omnibus adverſariis ſuis in *Anglia*, Rex *Richardus* conſilio procerum ſuorum, in octavis Paſchæ, licèt aliquantulùm renitens, apud *Wintoniam* coronatus eſt; *H.* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* miſſam celebrante; & *Willielmo* Rege *Scotorum* præſente. Deinde in feſto ſanctorum *Nerei* & *Achillei*, apud *Porteſmuthe* navem aſcendens, in *Normanniam* appulit, & apud *Bruis* nocte illa quievit. Ubi Comes *Johannes*, frater ejus optimo uſus conſilio; Regi occurrit ſupplex; & ſe ad pedes ejus humiliter cum militibus multis proſternens, miſerationem fratris ſui, profuſis lacrymis, imploravit: ſéque in multis accuſans inſipientiam ſuam & conſilium malum non malitiam; & ſic neceſſe factum fuiſſe, quò irrevocabilis foret Rex, confitetur. At Rex, ut erat pius, fraternæ calamitati compaſſus, non ſe potuit à lacrymis cohibere: ſed fratrem in terra proſtratum erigens, in priſtinam gratiam recepit: veruntamen terras ſuas ei ablatas non continuò illi reſtituit.

Rex Richardus *Regem* Francorum *à* Vernolio *fugavit.*

AUDIENS autem Rex *Richardus*, Regem *Francorum Vernolium* obſidione vallaſſe; nec in petrariis erigendis, vel magnis lapidibus comportandis, vel murorum ſubfoſſionibus excavandis, vel in corporibus obſeſſorum affligendis, per dies octo ceſſaſſe; illùc cum feſti-

1195. natione pertendit. Inſtabat enim magnus ille dies Pentecoſtes; ſed ne die ſancto, *Galligenæ* ſe victoriam reportaſſe jactarent; audierunt ſub noctis ipſius crepuſculo, quod Rex *Anglorum* accinctus eſſet ad pugnam; & ſummo diluculo adventurus. Quo *Francigenæ* rumore perterriti, ut qui audaciam ejus ſæpiùs experti fuerant; elegerunt potiùs fugere, quàm pugnare; cum ſuorum magno damno & opprobrio, recedentes à caſtris.

Herebertus Pauper Epiſcopatum Sarisberienſem accepit.

PER ipem tempus, *Herebertus* cognomento *Pauper Cantuarienſis* Archidiaconus in epiſcopum *Saresberienſem* canonicè electus; ſabbatho in Pentecoſte breſbyter eſt ordinatus; & in craſtino ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi H.* apud *Weſtmonaſterium* epiſcopus eſt conſecratus. Eodem tempore, Rex *Francorum* à *Vernolio* recedens; ne nil agere videretur caſtellulum quod fontes appellatur, furibundus ſubvertit; & ſic cum qualiquali victoria ad propria remeavit.

Rex Richardus Caſtrum de Luches cepit.

HIIS ita geſtis, Rex *Richardus Turonem* veniens; à *Novi caſtelli* Burgenſibus, ubi beatus requieſcit *Martinus*; duo millia marcarum argenti nomine xeniorum ſuſcepit. Tendens inde inter fines *Turoniæ*; caſtellum de *Luches*, quod Rex *Francorum* nomine obſidatus à Balivis Regis *Angliæ* receperat, dum in vinculis teneretur, ne conventionem ejus infringerent, & ſexaginta quinque militibus, ſervientibus quater viginti, cum victualium ſufficientia cuſtodiendum commiſerat: Rex *Anglorum* obſedit, & intra dies paucos viriliter expugnavit. Tunc venit in auxilium Regis *Anglorum* filius Regis *Navarræ*; copioſum ducens exercitum; & quinquaginta baliſtarios additis, centum, habens in comitatu: & terram *Gaufridi* de *Ravenna*, terrámque Comitis *Engoliſmi* penitùs devaſtavit.

Rex Richardus Regem Francorum de finibus Turoniæ fugavit.

HIIS prætereà diebus, Rex *Francorum Philippus*, fines *Turoniæ* intrans, prope *Undecimum* tentoria fixit. Quo cum Regem *Anglorum* per exploratores ſupervenire cognoviſſet; ſummo mane tentoriis evulſis, *Fractam Vallem* cum feſtinatione petivit. Rex autem *Anglorum* illum inſequutus; quadrigas ejus, necnon Comitum & Baronum ſub eo militantium, ſarcináſque omnes ſub captione concluſit. Aurum & argentum, baliſtas & tentoria, aliáſque res innumeras cepit & ſecum reduxit. Sícque in *Pictaviam* tranſiens, intra dies paucos, *Taileburg* caſtellum terrámque omnium adverſariorum ſuorum, Comitis videlicet *Engoliſmi* & *Gaufridi* de *Ravenna*, ſua ſub poteſtate recepit; ita ut à Caſtello *Vernolii*, uſque ad *Crucem Caroli* nullus ei rebellis exiſteret.

Rex Francorum Regem Richardum circumvenire tentavit.

CIRCA hos denique dies, Rex *Francorum* nuntios quatuor miſit ad Regem *Anglorum*, verbis utens pacificis in dolo: petens ut populis utriuſque Regis poteſtati ſubjectis (quorum ipſi Reges tam aurum quàm argentum, bellicis cladibus loculos hauriendo evacuaverant, & ſanginem nobilium utriuſque regni profuderant) ſalubriter parcentes; ſub examine quinque virorum, hinc inde dirimerentur quæſtiones amborum; conſidentibus regni utriuſque principibus, & rei eventum expectantibus, donec conflictu terminato, adjudicarent, quid utrique Regum cedere de jure deberet. Placuit ſupra modum proviſio iſta *Anglorum* Regi dummodò Rex *Francorum* quintus inter ſuos, & Rex *Anglorum* itidem inter ſuos quintus appareat: ut paritate ſervata, corporum & armorum æqua lance confligant: quod Rex *Francorum* in ſubſannationem multorum agere recuſavit. Hoc quoque anno, captus eſt *Robertus* Comes *Legeceſtrenſis* à Rege *Francorum* & Comite *Partienſe*. Eodem anno, *Henricus Mareſcallus* frater *Willielmi Mareſcalli* ſenioris, fit epiſcopus *Exonenſis*. Tandem mediantibus viris religioſis; treugæ ſtatutæ ſunt inter Reges *Francorum* & *Anglorum*: ſed commeatui negotiatorum hinc inde interdictum eſt.

Rex Richardus per Angliam Torneamenta fieri ſtatuit.

EODEM tempore Rex *Richardus* in *Angliam* tranſiens; ſtatuit per loca certa torneamenta fieri, hac fortaſſis inductus ratione: ut milites regni utriuſque concurrentes, vires ſuas flexis in gyrum frenis, experirentur: ut ſi bellum adverſus Crucis inimicos vel etiam finitimos movere decreverunt, agiliores ad prælium & exercitatioras redderentur. His etiam diebus, *Alexius* quidam, *Manvelis* quondam *Conſtantinopolitani* Imperatoris filius, multitudine armatorum congregata; *Curſac* tunc Imperatorem *Conſtantinopolitanum* hoſtiliter aggreſſum, cepit & excœcavit: atque tandem ementulatum perpetuo carcere damnavit, ejuſque imperium occupavit.

Rex Anglorum de captivitate ſua de Duce Auſtriæ Domino Papæ querelam depoſuit.

ANNO Dominicæ Nativitatis M.CXCV. Rex *Richardus* ad ſedem Apoſtolicam nuntios direxit: qui in præſentia domini Papæ conſtituti; talem depoſuerunt querelam. *Pater ſanctæ, ſalutat excellentiam veſtram dominus noſter Rex* Anglorum Richardus, *& poſtulat ſibi juſtitiam exhiberi de duce* Auſtriæ, *qui ipſum de peregrinatione ſua tam laborioſa revertentem cepit, & aliter quàm tantum Principem decuit, afflixit, Imperatori, ac ſi bos eſſet vel aſinus, vendidit: qui poſtmodum ambo regnum ejus intolerabili redemptionis debito contriverunt. Ipſi inſuper à* Chriſtianæ *fidei legibus non alieni, in tali caſu Regi detento; graviora exercuerunt judicia, quàm ipſe* Salaadinus *faceret, ſi in manibus ipſius per ſimile infortunium incidiſſet; contra quem ipſe Rex à finibus terræ, relicto regno nuper adepto, relicta patria, parentibus & amicis dimicaturus aſcendit. Sciret forſitan Regis generoſiti ſimul & probitati, ſive majeſtati nimirùm deferre: cui illa gens Barbara & cervicoſa deferre neſcivit. Sed fortaſſe hoc fecerunt, ut ſibi tanti Regis captio, pro laudabili victoria imputaretur: cum nunquam ipſum bello appetere præſumpſiſſent, ſi bellicoſo ſuo exercitu vallatus fuiſſet. Nec ſibi Regis dejectionem exiſtiment imputari, ſed divinæ potius diſpenſationi, ad cujus nutum rota etiam fortunæ, hunc humiliat*

&

& hunc exaltat, hunc dijicit & hunc attollit. Movet prætereà non mediocriter Dominum noſtrum Regem, quod ſub pace & protectione veſtra; omnibus peregrinis uſque ad triennium conceſſa & in pœnam excommunicationis inflicta & firmata, ipſum à Peregrinatione venientem, & iterum redire diſponentem, ceperunt; atque ſub cuſtodia carcerali detrudentes, ad graviſſimam redemptionis ſummam coegerunt. Jubeat ergò excellentia veſtra, ut obſides domini noſtri Regis, qui adhuc pro parte redemptionis, quæ ſolvenda reſtat, detinentur in vinculis liberos exire Dux ille permittat; & pecuniam illam quàm à domino noſtro excommunicatus recepit, ex integro reſtituat; nec non ſibi ſuiſque illatam injuriam digna ſatisfactione emendet. 1195.

Excommunicatur Dux Auſtriæ inſtante Rege Richardo.

CUMQUE hæc & alia multa, coram ſummo Pontifice Regii nuncii allegaſſent; dominus Papa ilicò, poſt trinam admonitionem quam Dux exaudire recuſavit; ſurgens cum ſuis Cardinalibus, ipſum Ducem nominatim excommunicavit; & in genere omnes qui in Regem & ſuos manus injecerant violentas. Terrámque Ducis totam eccleſiaſtico ſupponens interdicto; *Veronenſi* Epiſcopo dedit in mandatis, quatenus hanc interdicti & excommunicationis ſententiam, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, per totum *Auſtriæ* Ducatum, faceret publicari. Quod ſi idem dux mandatis noſtris parêre decreverit, in virtute Dei eidem præcipias, ut obſides Regis *Anglorum* univerſos abſolvat; pactiones omnes relaxet; & ablata ſibi per eum & ſuos, & quæ de ipſius Regis iniqua redemptione percepit, univerſa reſtituens; eoſdem obſides faciat cum ſecuritate ad propria remeare. Et amodò talia non attentans, nihilominùs etiam de injuria & damnis congruè ſatisfaciat irrogatis.

Miſerabilis mors Ducis Auſtriæ.

HIS omnibus prefato Duci ab epiſcopo *Veronenſi* ritè denuntiatis; dum idem Dux mandati Apoſtolici aſpernator exiſteret: percuſſa eſt terra illius ſterilitate inaudita fame nihilominùs & peſte graſſante. *Danubius* etiam fluvius, in parte quadam terræ ipſius plùs ſolito inundans; inopinato eventu, hominum decem millia ſubmerſit. Sed cum in his omnibus non ſit averſus furor Ducis, imò in deterius aggravatus: ipſe divino judicio terribiliter percuſſus eſt. Die ſiquidem ſancti *Stephani*, cùm equitando luſum pergeret, ſociis comitantibus; equus, cui Dux inſidebat, violenter pedem offendens tibiam ſedentis cum pede inſanabiliter contrivit. Nam tibia cum pede protinùs conjuncta nigredine quadam intumeſcens, nullò medicorum potuit cataplaſmate ſedari; quin igni, quem Infernalem vocant, tumori admixto, intolerabiliter cruciaretur. Quem Dux cruciatum ferre non valens, pedem à crure fecit detruncari: ipſo interim dolabrum tenente, cæteris omnibus præ nimio horrore hoc facere renuentibus. Sed non ſic doloris cruciatus evaſit: nam ilicò fœmur cum corpore reliquo igne illo execrabiliter depaſcebatur. Tandem verò culpam recognoſcens iniquam, quam in Regem & ſuos malitioſè exercuerat; ſuadentibus epiſcopis qui aderant, obſides abſolvit; & reſiduum pecuniæ de redemptione Regis & quod receperat ſe redditurum ſpoſpondit; atque eccleſiaſticæ cenſuræ ſe deinceps pariturum promiſit. Tunc epiſcopi qui aderant, videntes eum in tanta miſeria & calamitate conſtitutum, à ſententia excommunicationis abſolventes; ad communionem fidelium admiſerunt: & ſic cum intolerabili cruciatu ſpiritum exhalavit. Cujus corpus diutiùs jacuit inhumatum, donec horribilibus ſcateret vermibus: eò quòd filius ejus mandatum exequi nollet: ſed tandem ab amicis compulſus, obſides abſolvit, & repatriandi licentiam conceſſit.

Henricus imperator regnum Apuliæ ſibi ſubjugavit.

IMPERATOR *Henricus* hiis diebus ſubjugavit ſcilicet regnum *Apuliæ* & *Siciliæ*: mortuo *Tancredo*, qui *Willielmo* injuſtè ſucceſſerat. Duxerat enim in uxorem ſororem Regis *Willielmi*; cui regnum iſtud juſtiùs debebatur.

De horribili adventu Paganorum in Hiſpaniam.

CIRCA dies iſtos, Rex de *Maroch* potentiſſimus, quem *Mirabilem mundi* vulgus, vel quod melius *Admiralium Murmelin*, id eſt, *Admiralium Bellicoſum* & victorioſum nominavit: cum triginta Regulis & innumerabili exercitu, in *Hiſpaniam* applicuit; terrámque Regis dictæ petens *Hiſpaniæ* vaſtavit. Alias quoque provincias plures incendiis depopulans & rapinis; ſexui, ordini vel ætati non pepercit: niſi eis tantummodò, qui ſe ipſius veſaniæ ſubdiderunt. Habebat enim in exercitu ſuo ſexdecies centum pugnatorum millia. Ex quorum inopinato adventu, tota *Chriſtianitas* contremuit conturbata. Iſtam autem Dei iram aquarum diluvium præſignavit; quæ ſegetes ſuffocans, validam famem generavit.

Guarinus Abbas ſancti Albani moritur, cui ſuccedit Johannes.

EODEM anno, magiſter *Guarinus* ſcientia & moribus præditus, Abbas eccleſiæ beati *Albani* cum ſediſſet annis undecim, menſibus octo, totidémque diebus, tertio Kalendas Maii diem clauſit extremum: cui ſucceſſit magiſter *Johannes* dictus de *Cella*, vir maxime religionis & ſcientiæ; monachus ejuſdem eccleſiæ & Prior *Cellæ* de *Walingeford*, decimo tertio Kalendas Auguſti in Abbatem electus: qui tertio Kalendas ejuſdem, à *Richardo Londonienſi* Epiſcopo munus benedictionis accepit. Sub eodem tempore, Prior Hoſpitalis *Hieruſalem*, factus eſt Epiſcopus de *Bangor*. Eodémque anno obiit *Hugo* de *Puſaz* Epiſcopus *Dunelmenſis*; & *Henricus* Epiſcopus *Wigornenſis*.

Legatio Huberti Cantuarienſis Archiepiſcopi.

PER idem tempus, Papa *Cæleſtinus* omnibus *Angliæ* Prælatis ſcripſit in hæc verba. Cœleſtinus *Epiſcopus, venerabilibus fratribus* Eboracenſi *Archiepiſcopo & univerſis Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus & aliis eccleſiarum Prælatis, per regnum* Angliæ *conſtitutis, ſalutem, &c.*

Cùm

1195. *Cùm omnibus Eccleſiis ex Commiſſo nobis paſtoralis ſollicitudinis officio, providere tenemur: ſpecialiter tamen ad præſens* Anglicanam *Eccleſiam paternæ conſiderationis acie intuentes, ad ſalutem ipſius communi fratrum noſtrorum conſilio, decrevimus; ut venerabilis frater noſter* Hubertus Cantuarienſis *Archiepiſcopus (de cujus meritis & virtute, ſapientia pariter & doctrina eccleſia congaudet univerſalis) miniſterio legationis accepto; vices noſtras ad honorem eccleſiæ, totius regni ſalutem & pacem per totum regnum* Angliæ, *non obſtante privilegio vel exceptione, tibi aut eccleſiæ tuæ frater Archiepiſcope vel alii facto, liberè exequatur. Præſentium igitur authoritate univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo, mandamus, quatenùs eidem, tanquam Apoſtolicæ ſedis Legato reverentiam impendatis debitam & honorem.*

Admonetur à Papa Rex Francorum *Nomine repudiatæ uxoris.*

EADEM quoque tempeſtate, Papa *Cæleſtinus Senonenſi* Archiepiſcopo, inter cætera ſcripſit in hæc verba. *Nos itaque, qui ipſum Regem* Francorum *ſpecialiter in viſceribus noſtris charitatis diligimus, per dilectum filium noſtrum* C. *Subdiaconum Apoſtolicæ ſedis Legatum, ad hoc ſpecialiter miſſum, rogavimus eundem, ut Reginam ſuam, quam à ſe conſilio iniquo amoverat, affectu maritali tractaret: nec illis aures accommodaret, qui pro lucro reputant, ſi poſſunt inter aliquos odium & diſcordiam ſeminare. Inde eſt, quod illam divortii ſententiam, contra Juris ordinem prolatam, de fratrum noſtrorum conſilio, penitùs irritantes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus firmiter & præcipimus; quatenùs ſi prædictus Rex, iſta vivente, aliam ſuperducere voluerit, vos authoritate Apoſtolica, id eidem inhibere curetis.*

Admonentur Epiſcopi Anglicani *ſuper negotio* Terræ ſanctæ *à Papa.*

CIRCA dies iſtos, Papa *Cæleſtinus Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo ejúſque Saffraganeis pro negotio *Terræ ſanctæ*, ſcripſit inter cætera in hunc modum. *Vos autem fratres Archiepiſcopi & epiſcopi, quibus cura animarum & ſollicitudo commiſſa eſt, precibus inſtantes ad Dominum inceſſanter ſubditos vobis populos inducatis; ut aſſumpto Crucis ſignaculo, ad confutandos fidei* Chriſtianæ *perſecutores accingantur. Speramus ſiquidem, & vos ſperare debetis, quòd Dominus in verbo prædicationis & orationis veſtræ, rete laxabit in capturam. Et tales ad defenſionem Orientalis Provinciæ, propitius excitabit, quorum potiùs exigentia meritorum quàm armorum fiducia exurget Deus, & inimici ejus diſſipabuntur, & fugient à facie ejus qui oderunt eum. Nos autèm in illis, qui pro divinitatis amore, hujus peregrinationis laborem aſſumere, & quantum in ſe fuerit, implere ſtuduerint; de indulto nobis à Domino authoritatis officio, illam remiſſionem impoſitæ pœnitentiæ per ſacerdotale miniſterium facimus, quam prædeceſſores noſtri ſuis noſcuntur temporibus ſtatuiſſe: ut videlicet qui corde contrito & humiliato ſpiritu laborem hujus peregrinationis aſſumpſerint, & in pœnitentiam peccatorum hoc iter expedierint; ſi in fide deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam & vitam conſequentur æternam. Bona quoque ipſorum, ex quo Crucem acceperint cum familiis ſuis ſub* Romanæ *eccleſiæ; necnon & Archiepiſcoporum aliorúmqum eccleſiæ Prælatorum protectione conſiſtant. Et nullam de hiis, quæ in ſuſceptione Crucis quietè poſſederunt (donec de ipſorum reditu vel obitu certiſſimè cognoſcatur) jacturam vel perturbationem ſuſtineant vel queſtionem: ſed bona ipſorum integra remaneant interim & quieta. Illi autem qui in ſubſidium* terræ *illius de bonis ſuis illùc tranſmiſerint; de peccatis ſuis veniam conſequentur, juxta ſua moderamina Prælatorum. Hæc tibi frater Archiepiſcope oneris hujus laborem duximus injungendum: mandantes ut apud chariſſimum in* Chriſto *filium noſtrum illuſtrem* Anglorum *Regem, qui* Terram ſanctam *ſub trium ſtatuit treugis annorum; ut ad defenſionem illius* Terræ *milites & pedites benè inſtructos tranſmittat. Aſſiduiſque exhortationibus elabores, provinciam circumiens* Anglicanam; *opportunis & importunis prædicationibus inſtes, ut pro defenſione* Chriſtianitatis, *aſſumpto Crucis ſignaculo,* terram *viſitent Tranſmarinam.* Cum hæc autem ad Regis notitiam perveniſſent, ipſe prompta devotione animatus, alios ſtrenuos ad opus Crucis, maximè quos multipliciter exaltaverat, alacriter animabat. Perſuadens ut tam pro ipſius Regis ſalute, quàm eccleſiæ promotione, & propriarum animarum ſalute; ad laborem prædictum accingi non pigritarent. Et ut quoſdam huic ſalubri admonitioni rebelles, civiliùs reprehenderet, Prædicatoris formam induens, hanc frequenter parabolam circumſidentibus replicavit.

TUNC verò temporis contigit de quodam cive *Veneto*, divite ſcilicet & avaro, quiddam relatu digniſſimum: quod propter ingratorum multitudinem, huic paginæ duximus inſerendum. Civis igitur memoratus nomine *Vitalis*, cum daturus eſſet filiam ſuam nuptui, ut menſam præpararet lautiorem; venatum ivit in quandam foreſtam vaſtiſſimam & deſertam, mari conterminam. Et cum per devia erêmi ſolus vagaretur, arcum extentum bajulans cum ſagittis, cupiditate ferinæ ductus, incidit fortè in foveam, & pedicam, Leonibus, urſis & lupis ſubtiliter præparatam. A qua, cum os ſtrictum eſſet, & pavimentum profundum & amplum, nullo modo potuit aſcendere vel evadere. Invenit autem in ea, quæ eodem caſu in ipſam inciderant, duo crudelia animalia, Leonem & unum magnum ſerpentem: ſed ipſum *Vitalem*, qui ſe ſigno crucis præmunivit, nequaquàm invaſerunt; licèt famelici nimis & protervi. Morabatur ergò illic tota illa nocte & die ſequenti, clamans & ejulans; & mortem ſuam tam probroſam lamentando deplorans. Accidit autem, ut quidam pauperculus carbonatorum ſylvicola, dum pergeret, quiſquilias ibidem lignorum colligendo; audiret

clamorem

clamorem & planctum quaſi ſubterraneum; & vocem ſequens, pervenit ad os putei, & introſpiciens ait: Quis es? Quem audio? Et *Vitalis* expergefactus & gaviſus ſupra id quod dici poteſt, reſpondit alacriter dicens: Ego quidem miſer *Vitalis* cognomento, *Venetus*; qui ignarus pedicarum & muſcipularum harum, in foveam iſtam feris nocivis incidi devorandus, qui fame & timore contabeſco. Sunt enim hîc duo, quæ nimiùm pertimeſco, animalia, Leo ſcilicet quidam & anguis: ſed adhuc, Domino protegente, cujus ſigno me communivi, me non invaſerunt; tibi reſervatus ſum, ut tibi beneficiam. Erue me, & benè tibi erit: ecce tibi dimidium bonorum meorum concedo, videlicet quingenta talenta: ſunt enim mihi mille. At pauper: ſi dictis facta compenſes: faciam quod deſideras & hortaris. At *Vitalis* dicta ſua multis & magnis juramentis, Domino interpoſito pro fide-juſſore; & fide media, confirmavit. Et cum colloquerentur Leo, motu caudæ ſaltûque jucundo, & ſimiliter Anguis blando ſibilo & totius corporis volubilitate eidem pauperi applauſerunt: quaſi liberationem ſuam cum *Vitale* poſtulantes. Et ſtatim pauper domum ſuam feſtinus abiit, ſcalámque quandam cum funiculis quos noverat neceſſarios, cum ſumma feſtinatione præparavit, & rediens demiſit eam in puteum ſolus. Et ſtatim, imò raptim & certatim Leo & Anguis per gradus ſcalæ aſcendentes ipſi pauperi applauſerunt; & circumeuntes pedes ejus, volutabantur coram eo lætabundi, quaſi gratiarum actiones, pro liberatione ſua, referentes eidem. Poſtea verò pauper ipſius *Vitalis* aſcendentis manum apprehendit, & deoſculans ei dixit: Vivat manus hæc, eia eia gaudio planè, quia voti compos effici merui: & duxit eum donec ad notitiam itineris perveniret: Et *Vitali* recedenti ait *Sylvanus* pauperculus: Quando & ubi perſolves mihi debita? Et *Vitalis*: Intra diem quartum in *Venetia*, videlicet in palatio meo; quod quidem famoſum eſt & reperire non eſt difficile. Rediit *Sylvanus* ad domunculam ſuam, ut pranderet. Quo ſedente ad menſam, ecce Leo quem liberaverat, apportans hinnulum intravit, & appoſuit menſæ prandentis blandus & manſuetus; quaſi offerens illud pro præmio beneficii & liberationis, & applaudens, mitiſſimus ſine rugitu & ira aut alicujus læſione receſſit. Et ſequebatur eum *Sylvanus* ludentem coram eo & lingentem pedes ejus, ut ſciret ubinam foret cubile ejus (admirabatur enim vehementer Leonis tantam manſuetudinem.) & poſteà rediit ut pranderet. Et cum cibum ſumeret, ecce ſerpens liberatus adfuit; gemmam pretioſam in ore deferens, appoſuítque eidem *Sylvano*, tanquam liberatori ſuo; & illam in diſco ſuo repoſuit, ſeſéque ſpiris volubilibus ante ipſum volutans & ludens applauſit; quaſi grates referens ei pro impenſo ſibi beneficio: & blando emiſſo ſibilo, nullum lædens receſſit. Quem ſimiliter ſequebatur *Sylvanus*, pro admiratione ut de caverna ejus certificaretur. Elapſis igitur duobus vel tribus diebus, *Sylvanus* deferens ſecum gemmam ſuam pretioſam, quam videlicet ſerpens ſuus ſibi attulerat, *Venetiam* adiit: ut à *Vitali* promiſſa reciperet. Et invenit eum cum concivibus vicinis ſuis, præ gaudio liberationis ſuæ, convivantem. Quem *Sylvanus* ſeorsùm evocans, & ſecretiùs alloquens (quia ignotum ſe ſimulavit) dixit: Amice, redde quod debes. At ipſe torvo vultu reſpondit: Quis tu? Quid exigis? At ille: quingenta talenta mihi à te pro beneficio tibi facto, ex pacto promiſſa. At *Vitalis*: Ita tam leniter velles lucrari, quæ ego per longa tempora laborioſè acquiſivi? Et præcepit familiæ ſuæ ut caperetur quaſi delirans, pro tanta temeritate incarcerandus. Quod *Sylvanus* intelligens, repentino ſaltu à domo exilivit; & veniens ad Prætorium, hæc omnia judicibus civitatis ſeriatim intimavit. Qui cùm non planè crederent, narravit incredibile, oſtendens gemmam ſibi à ſerpente gratiarum loco datam: & ilicò unus civium, quem virtus lapidis non latebat, ipſum magno pretio comparavit. Ut autem omnes inde redderet certiores; *Sylvanus* aliquos de civibus duxit ad latibula Leonis & Serpentis: qui adhuc ipſi *Sylvano* tanquam liberatori, applauſerunt. Certificati igitur judices civitatis de rei veritate, compulerunt *Vitalem* reddere quæ promiſit, & ſatisfacere pro injuria. Hæc referebat Rex *Richardus* munificus, ingratos redarguendo. 1196.

Pactio inter Regem Francorum & Anglorum.

ANNO Dominicæ Nativitatis, M. CXCVI. Rex *Anglorum Richardus* ad Natale Domini, fuit apud *Pictavienſium* civitatem. Et deinde poſt feſtum ſancti *Hilarii*, convenerunt ad colloquium *Philippus* Rex *Francorum* & *Richardus* Rex *Anglorum* apud *Loviers*: ubi inter eos convenit in hunc modum. Rex *Francorum* quietum clamavit Regi *Richardo* & hæredibus ſuis *Yſſoudum* cum pertinentiis ſuis; & totum jus quod habuit in *Berri* & *Alvernia* & *Guaſconia*. Et reddidit ei quietè caſtellum de *Archis*, & Comitatum de *Aubemarle*; aliáque caſtella multa, quæ occupaverat, poſt reditum ſuum de peregrinatione *Terræ ſanctæ*, ad quam adhuc redire propoſuerat. Et Rex *Anglorum* quietum clamavit Regi *Francorum* caſtellum de *Giſortio*, ad totum *Normannicum Vigeſtnum*. Et hæc omnia ut rata haberentur & firma, fidejuſſoribus adinvicem munierunt, & pœnam quindecim millium marcarum argenti inter ſe ſtatuerunt. Procedente verò tempore, cum Rex *Richardus* prædicta omnia poſſideret; pœnituit Regem *Francorum* tale feciſſe commercium: & magnum congerens exercitum *Albamarliam* obſidione vallavit. Quo facto, Rex *Anglorum* præcepit ſaiſiari in manu ſua, omnes res & poſſeſſiones Abbatum majoris monaſterii de *Cluniaco*, de ſancto *Dionyſio*, & Prioris de *Charitate*: qui fidejuſſores extiterant Regis *Francorum* ſuper pactione memorata, & ſic proloquuta: quòd ſi Rex *Francorum* conventi-

onem

1196. onem non ſervaret, ipſi darent Regi *Anglorum* pecuniam: graviter Regem *Francorum* de enormi fidelitatis læſione redarguentes. Cepit interim Rex *Francorum* caſtellum de *Albamarlia*; & ſubvertit illud. Rex *Anglorum* autem dedit ei triginta millia Marcarum argenti de pecunia præfata, pro redemptione militum & ſervientium ſuorum: ut ſalvis equis & armis, liberi ſinerentur abire. Deinde Rex *Francorum* nimis elatus & glorioſus; cepit ilicò *Nunantcurt*: & Rex *Richardus* cepit Caſtellum de *Gymmeges*. Et ſic indies crevit, ſeminante humani generis inimico odii lolium, & diſcordiæ zizania, inter Reges & Regna, bellum cruentiſſimum.

CIRCA dies iſtos, ſurrexit contradictio & rixa in civitate *Londoniarum* inter pauperes & divites, ob conturbationem tallagii, quod à Regiis miniſtris exigebatur ad Fiſci commodum: voluerunt enim excellentiores civium (quos Majores & Aldermannos dicimus) facta communicatione in ſuo *Huſtingo*, ſeipſos ſervare indemnes; aut ſaltem ſine gravamine, & pauperiores vehementer exagitare. *Willielmo* itaque filio *Roberti*, cognomen cum *Barba* (cujus genus avitum ob indignationem *Normannorum* radere barbam contempſit) recalcitrante, & Majores civitatis, pro jam dicta cauſa, Proditores domini Regis vocitante: orta eſt ſeditio gravis in civitate uſque ad arma capeſſenda. *Willielmus* autem infinitos de pauperioribus & mediocribus contra Majorem & Aldermannos exacuit & excitavit. Sed per puſillanimes & degeneres, diſſipatum eſt conſilium civium *Willielmo* confœderatorum; ad reſiſtendum ipſorum injuriæ. Enervatis igitur civibus mediocribus & pauperioribus, totum refuderunt Rex & Regii miniſtri & excellentiores civitatis crimen in *Willielmum*. Cúmque circundarent eum Regales, ut ipſum caperent armati (erat enim *Willielmus* generoſus & clariſſimus in civitate, & corpore magnus, & viribus integer & ſtrenuus) elapſus eſt invitis omnibus, ſola fica ſe defendens. Et fugiens in eccleſiam ſanctæ *Mariæ* de *Arcubus*, ſeſe, ut ibidem ab imminente morte & captione liberaretur recepit, poſtulans pacem & protectionem Domini & *Beatæ Mariæ* & ſanctæ eccleſiæ: aſſerens ſe non propter aliud iniquo judicio potentum reſtitiſſe, niſi ut omnes pari pondere premerentur, & ſinguli juxta ſuas facultates contribuerent. Sed cùm non exaudiretur, & prævaleret pars majorum; præcepit Archiepiſcopus, non ſine multorum admiratione, ut ab eccleſia violenter extraheretur, judicium ſubiturus, qui ſeditionem movit in civitate, & tantum populum perturbaverat. Quod cum *Willielmo* nunciaretur, ſe feſtinus in Turrim eccleſiæ recepit: noverat enim jam quòd Majores, quibus contradixerat, animam ejus quærebant. Protervi autem inſtantes, ſuppoſito igne, magnam eccleſiæ partem combuſſerunt, ſacrilegium tantum non abhorrentes. Coactus eſt igitur *Willielmus* à Turri deſcendere, calore & fumo penè ſuffocatus. Captus eſt igitur & ab eccleſia violenter extractus, expoliatus, & vinctis manibus poſt tergum & pedibus, ad caudam equi trahitur ad Turrim *Londonienſem* incarcerandus. Et citò pòſt ſic volente Archiepiſcopo & ad id eum ſtimulantibus eminentioribus civibus & miniſtris Regiis, iterum rapitur à Turri, & ligatus ad caudam equinam, ad Ulmetum per medium *Londini* trahitur, miſerum concivibus ſuis præbens ſpectaculum, & generi ſuo; quod præclarum habuit in Civitate; & ſuſpenſus eſt per catenam in patibulo. Et ſic *Willielmus* dictus *Barbatus* vel *Barba*; pro aſſertione veritatis, & pro cauſa pauperum tuenda morti traditur à concivibus ſuis ignominioſè. Unde cùm conſtet cauſam Martyrem facere; inter Martyres videtur meritò computandus. Suſpenſi autem ſunt cum eo novem ejus vicini vel de ejus familia, cauſam ejuſdem *Willielmi* confoventes. Anno ſub eodem, *Johannes* decanus *Rothomagenſis*, in epiſcopatum *Wigornienſem* ſublimatur: qui munus conſecrationis decimo tertio Kalendas Novembris à *Cantuarienſi* Archiepiſcopo ſuſcepit.

Mors Williel*mi civis Londonienſis.*

EODEM quoque anno, Rex *Anglorum Richardus* firmavit caſtellum novum in Inſula de Andelii, contra voluntatem *Walteri Rothomagenſis* Archiepiſcopi: & quoniam ſæpiùs admonitus, noluit ab incœptis deſiſtere, ſtimulante *Francorum* Rege, Archiepiſcopus præfatus *Normanniam* totam ſub interdicto concluſit, & ſic curiam adiit *Romanam*.

Normannia *interdicitur.*

TEMPORE ſub eodem, Imperator legavit Capitulo *Ciſtercienſium* tria millia marcarum argenti, de redemptione Regis *Richardi*, ad Thuribula per totum ordinem facienda argentea. Sed Abbates tam ipſum Imperatorem quàm donum ejus deteſtantes; renuerunt de turpi quæſtu adquiſitum donum ejus recipere. Quod cum Rex *Richardus* audiviſſet: dictum & factum Abbatum, quod ſolita caruit avaritia, commendavit.

Abbates renuerunt recipere donum Imperatoris quia turpiter adquiſitum.

EODEM quoque anno, facta congreſſione inter phalanges Regum *Francorum* & *Anglorum*; captus eſt *Hugo* de *Calvo monte*, Regi *Francorum* valdè charus & familiaris; & Regi *Anglorum* eſt præſentatus. Quem *Roberto* de *Ros* cuſtodiendum committens; præcepit, ut quaſi vitam cuſtodiret. *Robertus* autem ipſum cuſtodiendum *Willielmo* de *Spineto*, ſervo ſuo, confidenter commiſit. *Hugo* autem *Willielmum* corrumpens muneribus & promiſſionibus amplioribus; de nocte per murum dimiſſus, in magnum Regis damnum prudenter evaſit: caſtellúmque de *Bona* villa ſupra *Tuke*, ubi cuſtodiebatur; lætus & ridens ſuas cuſtodes, à tergo ſalutavit. Unde Rex *Anglorum* verſus *Robertum* de *Ros* meritò nimis iratus; cepit ab illo mille & ducentas Marcas; videlicet quantum ipſe *Hugo* captivus pro ſua erat liberatione redditurus; pro ſua negligentia & præcepti Regii trangreſſione: & *Willielmum* de *Spineto* juſſit patibulo præſentari.

Captio Hugonis *de* Calvo monte.

DIEBUS

DIEBUS quoque ſub eiſdem, Comes *Johannes*, frater Regis *Richardi*, quem Rex ad arma licèt non deſidem animarat, & cruentiſſimi ruptarii, quibus ſanguis humanus pro nullo reputabatur vel præda vel incendium; *Markadeus Algais* & *Lupeſcarus*, natione *Provinciales*, terras Regis *Francorum*, Rege jubente *Richardo*, exterminio lethali vaſtaverunt, eccleſiæ, ætati vel conditioni minimè parcentes. Inſidiabantur autem maximè epiſcopo *Belvacenſi Philippo* & ejuſdem Archidiacono; qui metas ordinis ſui impudenter tranſgredientes, bellicis negotiis vigilanter indulſerunt: unde non mediocriter Regem *Richardum* damnificarant. Trahentes enim exercitum copioſum, caſtra nonnulla Regis *Richardi* violenter occupaverant; milites ac ſervientes interceperant, & multos eiſdem reſiſtentes trucidaverant; nec ceſſarunt die vel nocte, talibus jugiter indulgere: erant namque ſtrenui, generoſi & potentes. Una igitur dierum dum dicti *Marcadeus* & *Lupeſcarus*, qui duces fuerunt catervæ (quam *Ruttam* vocamus) militante ſub Comite *Johanne* fratre Regis *Richardi*, equitationem facerent impetuoſam ante civitatem *Belvacenſem*; prædæ intendentes & captionibus, indignantes vehementer ſuper hoc, Civitatis ipſius epiſcopus *Philippus* & ejuſdem Archidiaconus, cum plebe multa ipſius civitatis eleganter ad unguem armati, exierunt contra eos, ut tantam injuriam repellerent & potenter vindicarent. *Willielmus* quoque de *Merlo*, Regi *Francorum* meritò propter ſuam chariſſimus probitatem; cum militia ſtrenua ac numeroſa, additus eſt illis in auxilium, licèt non indigere viderentur, militia & manu pedeſtri ordinata & benè armata: & facto impetu cruentiſſimo, ceciderunt multi utrinque. In quo tandem certamine *Franci* calculum deteriorem reportarunt: capti ſunt enim univerſi nobiliores, & ex catervis pedeſtribus pars maxima eſt interfecta: quidam ſpiculis, quidam lanceis vulnerati vel gladiis, quidam autem equinis pedibus interierunt conculcati. Capti ſunt autem in illo conflictu à *Markadeo*, Epiſcopus *Belvacenſis* & ejus Archidiaconus, & armatos præſentavit eos idem *Markadeus* dicens: *Cepi & do tibi ô Rex cantorem & reſponſorem, repone eos & conſerva, ſi ſcis.* Dominus autem Papa, cui propoſita fuit ſuper hæc per Capitulum *Belvacenſem* gravis querimonia, amicabiliter ſcripſit Regi *Richardo* pro epiſcopi liberatione; quem in epiſtola ſua chariſſimum vocavit fratrem, & filium ſuum & Eccleſiæ; ut ſic protinus flecteret Regem ad parcendum. Præcepit igitur Rex ob reverentiam Papæ, ut lorica epiſcopi exuta, ipſi Papæ præſentaretur & diceretur: *Vide an tunica filii tui ſit annon?* Cui Papa: non filius meus eſt vel eccleſiæ, ad Regis autem voluntatem redimatur: quia potiùs *Martis* quàm *Chriſti* miles judicatur. Sequana eodem anno, metas ſolitas tranſgreſſa; adeò *Pariſienſes* exterruit; ut Rex palatium relinquens, cum filio *Ludowico* apud Sanctam *Genoveſam* hoſpitaretur, & Epiſcopus *Mauritius* apud ſanctum Victorem. 1196. *Captio Belvacenſis epiſcopi & Willielmi de Merlo.*

CIRCA dies illos Monachus quidam de *Eveſham* in languorem decidens per annum & tres menſes, vehementi corporis moleſtia vexabatur. Qui cibi potúſque alimentum adeò abominabatur, ut per novem aliquando dies, nil præter modicam aquæ tepidæ portionem ſuſceperit. Nulla ei medicorum induſtria poterat ſubvenire; ſolo ſpiritu vivebat, mortiſque ſimulachrum videbatur: medicinæ contraria vel nihil operabantur. Languebat igitur lecto decubans, & viribus corporis penitus deſtitutus; loco moveri non potuit, niſi labore vectus miniſtrantium. Imminente denique Dominicæ Reſurrectionis die, leviùs ſe habere incipiens, per cellam infirmorum, innixus baculo, incedebat. Cúmque nox adeſſet, cui Dominicæ Cœnæ dies proximè ſuccedit; ad majorem Baſilicam, neſciens ſive in corpore ſive extra corpus, magnæ devotionis inſtinctu, baculo juvante, perrexit. Ubi dum Conventus nocturnales conſuetas laudes Domino perſolveret; tantam divinæ miſerationis & gratiæ cœleſtis compunctionem percepit, ut ipſius ſancta devotio modum excedere videretur; unde nec à fletibus, nec à Domini laudibus à media noctis hora uſque ad ſextam diei ſequentis horam, ſeſe potuit continere. Tunc accerſiri ad ſe fecit duos de fratribus, unum poſt alterum (quos viri religioſi Confeſſores vocant) & utrique eorum, omnium culparum etiam minimarum & quarumlibet trangreſſionum Ordinis ſive præceptorum Domini confeſſionem purè & in ſumma cordis contritione & lachrymarum effuſione fecit, & abſolutionem vehementi deſiderio quæſitam percepit: ſicque in ſancta devotione & Domini laudibus, totum diem exegit. *Quædam viſio mirabilis.*

SEQUENTI verò nocte, modico prælibato ſopore, cum ad *Matutinas* tabula convocarentur; lecto ſe excutiens, iter ad Eccleſiam arripuit: ſed quid fecit, ſequens ſermo declarabit. Mane autem facto ſequentis diei, id eſt, Paraſceven, cum fratres ad primam conſurgerent, & verſus eccleſiam ante Capitulum tranſitum facerent, conſpiciunt fratrem eundem ante ſedem Abbatis, ubi fratres veniam petere ſolent, nudis pedibus jacere proſtratum, vultu ſolo tenus defixo; quaſi à quolibet Præſidente veniam poſtularet. Quo viſo, omnes ſtupefacti fratres accurrerunt: & volentes eum erigere, velut exanimem & ſine aliquo membrorum motu reperiunt, oculiſque in profundiora ſubverſis & ipſis luminum ſedibus ac naſo multo ſanguine madeſcentibus. Expiraſſe eum proclamant univerſi, dum motus venarum, multo intercurrente ſpatio, penitùs amiſiſſet. Sed cum tandem anhelitum, licet perexilem in eo deprehendiſſent, cervicem, pectus & manus aqua frigida diluerunt. Primò autem eum corpore toto trementem viderunt, ſed mox quieſcens, omninò immobilis *Ut idem Monachus inventus ſit ut mortuus.*

1196. permanebat. Diutiùs quid agerent hæſitabant; dum nec penitùs exanimatum, nec reconvaleſcentem in aliquo cernebant. Inito demùm conſilio, in Infirmariam illum deferunt, in lecto ſuo collocantes: ubi adhibitis cuſtodibus, pervigili diligentia ſervabatur. Pectora denique ejus emplaſtro alligarunt, acubus plantas pedum punxerunt: ſed nihil in eo quod animati hominis eſſe videretur, invenire potuerunt. In hunc igitur modum per biduum, i.e. à media noctis hora Pareſceves, uſque ad horam Completorii ſequentis Sabbathi lecto decumbens, immobilis omnino permanſit. In hora autem magni Sabbathi, qua Conventus ad Completorium eſſet conventurus, cilia oculorum prædicti fratris cœperunt paululùm agitari, ac demùm humor quidam lacrymarum more in genas leniter defluebat, & quemadmodum dormiens quis plorat, crebra ab imo pectoris viſus eſt ingeminare ſuſpiria, & poſt modicum, de profundo ſono vix audibili in gutture verba quædam revolvere videbatur. Deinde ſenſim redeunte ſpiritu, invocare cœpit ſanctam *Mariam* dicens: O ſancta *Maria*, O Domina ſancta *Maria*, pro quo peccato perdo gaudium tam immenſum? Hæc & alia ſæpiùs in hunc modum repetens, privationem alicujus magni gaudii aſtantibus indicabat. Deinde quaſi de gravi evigilans ſomno, caput excuſſit, & nimis amarè flens, defluentibus jugiter lacrymis, ſingultire cœpit. Manibuſque comploſis ac conſertis digitis, erexit ſe ſubito, & reſedit: & caput in manibus & ſuper genua deponens lamentabilem nimis planctum diutiùs continuare, ſicut cœperat, non ceſſabat. Tunc à fratribus multùm rogatus, ut poſt tam prolixum jejunium & laborem aliquid ſumeret; exigua panis portione potitus, pervigil in oratione permanſit. Requiſitus autem ſi ſe de infirmitate ſperaret evaſurum, *reſpondit:* Satis vivam, quia de infirmitate jam plenè convalui. *Deinde nocte ſequenti, id eſt Dominicæ* Reſurrectionis; cum ad Matutinas ſigna pulſarentur; ipſe *nullo* uſus *ſuſtentamine*, eccleſiam adiit, & quod undecim menſium ſpatio anteà non fecerat, Chorum ingreſſus eſt. In craſtino autem, divinis ritè celebratis obſequiis, ſacræ communionis participatione meruit ſaginari.

Monachus prædictus viſionem quam viderat, exponit.

HIS ita geſtis, idem frater, religioſa Monachorum ſolicitudine propenſiùs convenitur; obnixiùs poſtulatur, ut quæ ſibi dormienti acciderant, & quæ viderat, ædificationis gratia intimaret: multa enim ſibi oſtenſa fuiſſe ex ſignis evidentibus, quæ viderant, intelligentes; qui verba ejus expergiſcentis pridiè audierant, & lacrymas ejus indeſinentes videbant. Quo aliquandiù ſe facturum diſſimulante, cum illi petendo vehementer inſtarent: quæ inferiùs digeſta ſunt, influentibus jugiter lacrymis, & gemitu vocem crebriùs abſorbente, narravit. Cum, inquit gravi & prolixa, ſicut vidiſtis, corporis infirmitate deficerem, & Dominum ore ac mente benedicerem, gratiáſque illi referrem, quòd me indignum famulum, paterno verbere caſtigare dignaretur; poſtpoſita omni ſpe ſoſpitatis recuperandæ, cœpi, prout potui, meipſum præparare, quo citiùs futuri ſæculi calamitates evaderem, dum eſſem è corpore evocandus. Dum hæc mecum ſedulus agerem, incidi in tentationem, ut Dominum poſtularem, quatenus mihi quocunque modo revelare dignaretur, qualis eſſet futuri ſæculi ſtatus; quæ animarum de corpore exemptarum poſt hanc vitam foret conditio: quatenùs his cognitis liquidiùs dignoſcerem, quid mihi in brevi, ut putabam, migraturo ſperandum, quid metuendum exiſteret, ut perinde in amore divino proficerem, dum in hac vita ancipiti fluctuarem. Continuis itaque votis meis ſatisfieri cupiens; nunc Domini mundi ſalvatorem, nunc Matrem ejus virginem glorioſam, nunc ſimul omnes electos Dei invocabam, licet ſpecialiter per interceſſionem piiſſimi ſanctique Confeſſoris *Nicolai*, ſperarem conſequi piæ petitionis effectum. Et ecce nocte quadam, imminente Quadrageſimæ initio quàm proximè tranſegimus mihi dormienti aſtitit quædam reverenda perſona & omninò decora; quæ me verbis dulciſſimis in hunc modum aggreditur: O fili inquiens chariſſime, multa tibi eſt precandi devotio, magnaque intentionis tuæ perſeverantia; nec poterit apud clementiam Redemptoris inefficax eſſe tam continuus orationis tuæ conatus. Veruntamen amodò animo quietiori eſto, & orationi devotus inſiſte: quia proculdubio piæ petitionis celerem conſequeris effectum. Et his dictis, alloquentis imago cum ipſo eſt ablata ſopore.

Ut idem Monachus Crucem Domini adorans eam ſanguinolentam conſpexit.

EVIGILANS autem, viſionem fixo ſervavi animo; decurſoque jam ſex hebdomadarum ſpatio, cum in nocte Dominicam Cœnam præcedente, ad Matutinas ſurrexiſſem, & à vobis diſciplinas, ſicut meminiſtis, accepiſſem: tantam inter hæc mentis dulcedinem mihi ſenſi infuſam, quòd die ſequenti flere jugiter dulciſſimum habui: ſicut vos propriis oculis conſpexiſtis. Deinde nocte proxima, Paraſceve, inſtante jam hora, qua ad Matutinas ſurgendum erat, placidum fui reſolutus in ſomnum. Tunc vocem hanc neſcio cujus miniſterio delatam audivi: *Surge, & ingreſſus Oratorium, accede ad altare, quod in venerationem ſancti Laurentii conſecratum eſt; & retrò aram ipſam invenies crucem, quæ in die Paraſceves à Conventu adorare ſolet: quia niſi hoc modo feceris, à te die craſtino nil poterit adimpleri: grandis enim tibi reſtat via; Crucémque ipſam in memoriam Salvatoris adorans, cordis contriti & humiliati ſacrificium offer; ſciturus certiſſimè acceptum Domino fore tuæ devotionis holocauſtum: cujus ibidem pinguedine donaberis affluenter.* Sic diſcuſſo ſopore, evigilavi; & cum fratribus, ut mihi videbatur, Matutinas auditurus perrexi. Quibus à Conventu initiatis, ſeniorem quendam veſtibus albis indutum, in veſtibulo eccleſiæ obvium habui; qui unus ex

illis

illis erat, à quo nocte præcedenti diſciplinas accepi: qui nutu ſolito ad dandam mihi diſciplinam me invitavit. Capitulum ingredimur, & voti compotes effecti, ad Oratorium redimus. Tunc ſolus ad altare mihi in ſomnis demonſtratum progrediens, calceamenta depoſui, genibúſque in pavimentum flexis, ad locum tetendi, ubi inveniendam audieram Crucem Salvatoris. Inveni eam, ſicut prædictum mihi fuerat, & mox totus in lacrymas reſolutus, corporéque toto in terram proſtratus, ipſam devotiſſimè adoravi. Denuò genibus impreſſis ad vultum imaginis, oréque & oculos eam deoſculans; in frontem mihi ſentio guttas quaſdam ſuaviter inſtillari: & digitos admovens, ex rubore ſanguinem deprehendi. Vidi præterea ex Crucifixo tantum cruoris emanare; ut ſolet vivi hominis vena phlebotomia inciſa. Suſcepta autem manu mea, quot neſcio, guttas diſtillantes, & iis oculos, aures & nares devotè linivi. Poſtremò, an in hoc peccaverim ignorans, unam ejuſdem ſanguinis guttam, ex nimio cordis deſiderio deglutivi; reliquas verò, quas pugillo receperam, ſervare decrevi. 1196.

CRUCE Dominica in hunc modum adorata; mox retrò me ſonitum audivi à ſene venerando, à quo nocte præcedenti diſciplinas accepi. Tunc relictis juxta altare calceamentis, & baculo, quo ordine neſcio; in Capitulum deveni; & poſt diſciplinas ſex vicibus, ut priùs, iteratas, abſolutionem percepi. Ipſo itaque in ſede Abbatis denuò reſidente, proſtravi me coram eo, & accedens ad me hoc ſolùm dixit: Sequere me, Cúmque me erexiſſet ut ſtarem, tenebat manum meam dexteram tam firmiter quàm leniter: habuimúſque manus conſertas omni tempore, quo ſenſibus corporis & mente abſens fui, Incedebamus igitur per viam planam, recto Orientes tramite, quouſque pervenimus in Regionem quandam nimis ſpatioſam; viſu horrendam, paluſtri ſitu & luto in duritiem inſpiſſato deformem. Erat ibi hominum ſive animarum tanta multitudo, quantam nemo ſufficeret æſtimare; variis & inenarrabilibus expoſita immanitatibus tormentorum. Ibi erat utriuſque ſexus, univerſæ conditionis, profeſſionis & ordinis turba innumerabilis, omniumque peccatorum admiſſores diverſis addicti ſimpliciis pro varietate profeſſionum & generibus delictorum. Vidi & audivi per lata illius campi ſpatia, cujus metas nulla circumſpiceret acies oculorum; miſerorum choros miſerabiliter nimis turmatim collectos, & gregatim criminum parilitate, & profeſſionum ſimilitudine conſtrictos; pariter & æſtuare & diſſimiliter ſub pœnarum cumulis ejulare. Quoſcumque vidi pro quibuſcumque peccatis afflictos, liquidò advertebam & peccati eorum genus & modum & ſatisfactionis qualitatem; qua vel de reatu ſuo pœnitendo, vel aliorum remediis meruiſſent in illo pœnali exilio, ad ingreſſum cœleſtis patriæ præparari. Univerſi itaque ibi conſtituti, capeſſendæ ſalutis aliquando ſpem habebant. Quoſdam verò graviora cernebam æquo animo perferre ſupplicia, & quaſi de conſcientia ſibi repoſitæ mercedis; horrenda quæ perferrebant tormenta, levia reputare. Nonnullos conſpiciebam de loco, quo torquebantur, ſubitò exilire; & viam ad ulteriora tendentem, ociùs feſtinando carpere: Quos repentè emergens ab imis flamma, duriſſimè conflagratos cum tridentibus & flagris & apparatu vario tormentorum (accurrentibus denuò tortoribus) pœnis reſtituebant, in eos ſævitiam omnem iterum exacturi. Nihilominùs ſic cæſi, ſic uſti, & cædendo præcordialiter diſcerpti; denuò evadente, ſimili ſemper conditione ulteriùs tendebant & de graviſſimis ad tolerabilia jugiter ſuccedebant. Quibuſdam verò de atrociſſimis ad crudeliora non profectis, miſerabilis reſtabat defectus, ſinguli tractabantur ſecundùm puod priſtinis juvabantur vel impediebantur meritis; vel bonorum operum beneficiis amicorum. Infinitæ erant, quas vidi, ſpecies pœnarum. Hi ad ignem torrebantur; hi in ſartagine frigebantur; hos ungues ignei ad oſſa uſque & compagum diſſolutionem radendo ſulcabant; hos balnea pice & ſulphure cum fœtore horrifico & liquaminibus æris & plumbi, cum aliis metallorum generibus, extorquebant. Iſtos monſtruoſi vermes venenoſis rodebant dentibus; illos denſo ordine ſubſtrati ſudes, flammatis aculeis recipiebant. Tortores unguibus diſtrahebant; flagellis horribilibus cædebant; diroque cruciatu laniabant. Multos pridem agnitos mihique in ſæculo familiares, ibidem exitu vario afflictos conſpexi: quorum alii epiſcopi, alii Abbates fuerunt, alii in dignitatibus diverſis; quidam in clero; quidam in ſœculari foro; quidam in Clauſtro: quos omnes quantum in vita priori minoribus fuerant honorum ſuffulti privilegiis, tantùm illos pœnis levioribus viſebam, addictos. In veritate dico, quod ſpeciali quadam acerbitate pœnarum, præ cæteris univerſos angi perſpiciebam; quos judices aliorum vel Prælatos noſtra ætate noveram extitiſſe. Longum nimis eſſet, quid ſinguli meruiſſent, quidvè paterentur; licèt hoc mihi de omnibus foret conſpicuum. Sed teſtis mihi Deus eſt, quod ſi quempiam, qui omnes charos meos & carnaliter amicos occidiſſet, talibus viderem ſuppliciis deputatum; millies, ſi fieri poſſet, pro ejus ereptione, mortem ſuſpicerem temporalem; præcipuè cum omnia, quæ ibi pœnalia ſunt, doloris & anguſtiæ, amaritudinis & miſeriæ modum excedant & menſuram.

At idem Monachus de corpore eductus primum locum pœnalem intraverat.

POSTQUAM hoc pœnale tranſivimus exercitium, ego & dux meus ex tranſverſo prætermeavimus illæſi; ſicut & alios fines tormentales quos inferiùs memorabo. Poſt hunc igitur ad alterum devenimus locum Tormentorum: mons enim nubibus ipſis celſitudine ſua penè contiguus, locum diſterminabat utrumque: cujus nos juga tam facili greſſu tranſegimus,

De ſecundo loco pœnali Purgatorii.

1196. mus, quàm veloci. Erat itaque ſub remoto montis ipſius latere vallis profundiſſima & tenebroſa, altrinſecùs rupium jugis eminentiſſimis cincta; cujus latitudinem nullius ſuperaret aſpectus. Ima vallis ipſius (fluvium an ſtagnum neſcio) amplitudine tenebat latiſſimum, & terterrimo latice horrendum; quod nebulam intolerabilis fœtoris jugiter exhalabat. Imminens verò ex hac parte ſtagni montis latus, rogum ad ipſos uſque cœli cardines emittebat. Ex oppoſito autem promontorii collis ejuſdem, tanta frigoris immanitas, certatim nivis & grandinis ſævientibus procellis rigebat; ut illo eatenùs algore nihil pœnalius me putaverim conſpexiſſe. Tractus vallis præſcriptæ & utriuſque montis latera, quæ frigoris igniſque facies horrenda invaſerat; tanta multitudine fervebat animarum, ut ſolent alvearia crebro apum examine referta ſcatere. Quibus fuit generale hoc ſupplicium, quòd tunc in amne fœtido mergebantur; tunc inde erumpentes, obviis ignium voluminibus vorabantur; ac demum fluctuantibus flammarum globis, tanquàm fornacis ſcintillæ in editum ſublatæ & alterius ripæ profundæ loca demiſſæ; turbinibus ventorum frigoribúſque nivium & aſperitatibus grandinum reddebantur: inde præcipitatæ & quaſi violentia tempeſtatum refugientes, iterum fœtoribus fluvii, & incremationibus debacchantis incendii, trudebantur. Quoſdam flammæ, quoſdam frigora diutiùs cruciabant; & quidam in amnis fœtore moram ducebant largiorem; alios, quaſi oleas in prælo, in flammis comprimi, (quod dictu horribile eſt) & indeſinenter arctari viſebam. Omnium igitur, qui illic cruciabantur, iſta fuit conditio; quòd ad perficiendam purgationis ſuæ plenitudinem, omnia illius laci à principio uſque ad finem permeare ſpatia cogebantur. Maxima tamen & multiformis erat ibi afflictorum diſtinctio: quia iſtis levior & ocyor indulgebatur pro meritorum qualitate; & collatorum ſibi poſt funera beneficiorum quantitate, tranſitus, & majoribus obnoxii reatibus, & reſtrictoribus adjuti remediis ſupplicio graviori & diutino tenebantur. Omnibus verò quanto plùs ad finem laci illius accedebant, eò mitior cruciatus reſtabat. Crudeliſſimam enim in principio conſtituti, pœnam ſentiebant: licèt non omnes eam æqualiter pertuliſſent. Leviſſima loci iſtius tormenta immaniora fuerunt, quàm loci ſuperiùs inſpecti immaniſſima. In hoc verò pœnali loco, multò plures notorum meorum, quàm in Purgatorio ſuperiori reperi & agnovi. Quibuſdam tamen utrobique locutus ſum: inter quos aurificem quendam mihi in ſæculo notiſſimum conſpiciens, agnovi. Ductor autem meus cernens me illum diligentiùs intueri, ſciſcitatus eſt, ſi ipſum cognoſcerem. Audiens quoque illum mihi fuiſſe notiſſimum, ait: Si eum noſti, loquere illi. Ipſe verò intuens nos & recognoſcens; ineffabili geſtu lætitiæ applaudebat viro, qui me ducebat; expanſiſque manibus à crebra totius corporis inclinatione illum veneratus, atque pro impenſis ſibi beneficiis ſalutans, inexplicabiles gratiarum retulit actiones. Cúmque tandem frequenter repeteret: *Sancte Nicolài miſerere mei*, quem vultum præferre angelicum multoties admirabar; nihil mihi dulcius eatenùs audivi, quàm cum ductoris mei ſancti *Nicolài*, quem ſemper amavi, colui & dilexi, nomen celebre recognovi; à quo ſalutem tam corporis quàm animæ obtinere ſperabam. Tunc à me requiſitus aurifex, quomodò tam citò adeò immania pertranſiſſet tormenta, quæ eum tranſmeaſſe conſpexeram, reſpondit: Tu chariſſime & omnes noti mei in ſœculo, qui ante mortem temporalem meam, vidiſtis omnia fidei Chriſtianæ denegata mihi ſubſidia, velut confeſſionem & viaticum; pro perdito me habuiſtis; neſcientes præſentis Domini miſericordiam, ſancti videlicet *Nicolài*, qui me infelicem ſervum ſuum non eſt paſſus meritam perpetuæ damnationis mortem ſubire. Nam modò & ſemper, ex quo hiis pœnis ſubactus fui, cum graviori angebar ſupplicio; ipſius ſum viſitatione clementiſſima recreatus. In aurificio autem, quia fraudes in ſæculo nonnunquam commiſi; nunc atrociſſimè luo: dum frequenter in cumulum nummorum ardentium præcipitatus, intolerabiliter exuror; ipſóſque denarios ignitos ore vorare hianti frequenter compellor, quæ omnia interiora mea comburunt. Sæpiùs inſuper eos numerare coarctor, ex quibus digitos manúſque peſſundatas me habere condoleo & combuſtas. Inquiſivi denique ab eo, ſi homines quovis remedio tam horrendum poſſint evitare ſupplicium. Ad quod ille ſuſpirans ait: Si quotidiè ſcriberent in frontibus & circa locum cordis digito: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, fideles proculdubiò conſervarentur immunes; & poſt mortem loca ipſa decore clariſſimo illuſtrarent. Hæc & alia multa ab iſto audivi, ſed ad alia ſcribenda feſtinantes, quæ modò dicta ſunt, ſufficiant.

De tertio loco pœnali & multiplici varietate tormentorum.

RELINQUENTES, ego ſcilicet & dux meus, jam dictam verè lacrymarum vallem; quam ſecundo audivimus loco, perveniamus ad campum maximum in demerſo quodam terræ gremio ſitum: qui ab univerſis præter terrores dæmones & animas tortas ſequeſtratus videbatur acceſſu. Tegebat autem ſuperficiem illius, chaos maximum quoddam & horrificum; quo permixti rotabantur fumus ſulphureus, & intolerabilis nebula fœtoris, cum flamma picea nigredine permixta; quæ montium inſtar hinc inde conſurgens, per inane illud horribiliter ſpargebatur. Planities loci illius multitudine vermium conſtrata ſcatebat; ut junco ſolent domorum areæ operiri. Et hii ſuper omnem æſtimationem horridi, deformes & monſtroſi, terribili oris rictu & naribus ignem ſpirantes execrabilem; turmas miſerorum voracitate inexatiabili lacerabant. Quos jam aſſumptos dæmones ubique diſcurrentes, inſanientium more in miſeros ſævientes; nunc eos fruſtatim ignigeris truncabant ferramentis, nunc

1196.

nunc omnem carnem ad oſſa funditùs abradebant, nunc igni injectos, ut ſolent metalla, liquefaciebant eos, & in modum ignis ardentis eos candentes reddebant. Parùm eſt; Dominum teſtor, imò nihil quod refero de pœnis loci illius: novit enim Deus quod in breviſſimo temporis ſpatio, centum vel ampliùs omnimodis pœnarum diverſitatibus annullatos & mox reſtitutos, iterúmque in nihilum penè redactos ac denuò redintegratos intuebar; quos eo loco vita perdita cruciari cogebat. Quarum viciſſitudinum nullus erat finis; nec meta aliqua, nec terminus ullus. Ignis enim illius tam edax fuit incendium, ut quaſi tepere crederes in comparatione illius, quicquid comburere ſolet vel fervere. Vermes autem dirupti & mortui ac in fruſta comminuti ſub infœlicibus in congeriem glomerabantur; qui putredinis illius fœtore tabéque execranda adeò univerſa replebant, ut fœculenta illa omnem prædictarum pœnarum excederent cruciatum. Reſtat adhuc quod hiis omnibus magis exoſum, grave pariter ac verecundum; damnati in loco illo, tolerare cogebantur. Omnes enim qui ibi premebantur, ſceleris, quod nec nominare licet *Chriſtiano*, ſed & nec ab Ethnico quolibet vel Pagano, in ſæculo fuerant patratores. Hos itaque monſtra quædam ingentia, igneam qualitatem præferentia; viſu autem ſuper omnia, quæ excogitari valent horrida & horrendè terribilia, jugiter impetebant; & quamvis renitentes ac multùm refugientes, ſibi genere abuſionis damnabili, permiſceri cogebantur. Ita enim inter nefandos complexus, præ nimio dolore, palpitabant, rugiebant & ejulabant, & deinde velut exanimati & in mortem deficientes collabebantur; excipiendi mox cruciatibus innovatis. Horreo referens & ſceleris obſcœnitate in memetipſo ſupra modum confundor: dum mihi eatenùs inauditum fuerat & inopinabile, utrumque ſexum talibus immunditiis fuiſſe aliquatenùs depravatum. Et proh dolor, talium caterva tam innumerabilis quàm miſerrimè miſerabilis reperiebatur ibidem. Perſonas multorum illo in loco nec aſpexi nec agnovi: quia tormentorum, & obſcœnitatis enormitas, ac fœtoris immanitas nimium mihi ingerebat horrorem. Unde mihi ſupra modum moleſtum fuit, vel ad breve momentum ibi conſiſtere; vel quæ ibidem fiebant, intueri. Denique inter lamentabiles querimoniarum ululatus, dum clamaret unuſquiſque eorum væh mihi, quare peccavi, quare pœnitentia peccata non correxi; adeò illos ſupliciorum dolores ingeminabant ſinguli, ut plangentium clamorem vociferatione continua putares in toto mundo audire.

De quadam Leguleo & ejus cruciatu.

VERUM licet quantum potui, quæ ibi fiebant refugerem intueri; unius tamen clerici, quem olim agnoveram, non valebam evitare conſpectum. Hic ſuo tempore, eorum, quos Legiſtas & Decretiſtas appellant, peritiſſimus habebatur: unde in reditibus eccleſiarum ampliatus, affluentioribus indies opibus abundavit. Hunc in pœnis execrabilibus reperiens, multùm calamitatis pondus, quo premebatur, mirabar. Et cum inquirerem, utrùm miſericordiam ſe aliquando conſequuturum ſperaret, reſpondit: væh mihi, væh mihi, ſcio quòd ante diem Judicii omninò miſericordiam non merebor: an autem vel tunc, incertum habeo: quia ſemper ex quo in hæc mala devolutus ſum, deterioratur pœna mea, trahens me de peſſimis ad pejora. Cui ego: & quare in extremis non es confeſſus peccata tua, nec egiſti pœnitentiam? Et ille: quia recuperandæ ſanitatis ſpem habebam, & fallente Diabolo, erubui tam turpia confiteri facinora, ne deſpectior haberer inter eos, in quibus glorioſus & malè ſplendidus apparebam. Levia enim quæque peccata confeſſus ſum presbytero; & interroganti, an aliorum eſſem conſcius peccatorum? Præcepi ut tunc abiret, ut iterum, ſi quid memoriæ occurreret, ſibi denuò intimarem. Quo recedente & non longiùs progreſſo, incipiebam mori: ille à miniſtris meis reaccerſitus, jam me invenit hominem exuiſſe. Nihil igitur de mille generibus pœnarum, quas omni die perfero, ſic me excruciat; quàm erroris mei, quo tenebar in ſæculo nefanda repræſentatio: quia cogor actualiter turpitudini antiquæ paſſionis deſervire. Præter enim ſupplicii indicibilis vehementiam, confuſione intolerabiliùs premor, dum in conſpectu omnium, de tantis flagitiis execrabilis exiſto. In momento autem, dum hæc diceret, innumeris eum modis excruciari conſpexi, & in ipſis cruciatibus velut in nihilum redigi, & inſtar plumbi in liquidum per vim caloris diſſolvi. Sanctum etiam, qui aſtabat, *Nicolaum* ſciſcitatus ſum, ſi poſſent talia tormenta aliquo remedii genere relevari. Et ille: Cum venerit inquit dies Judicii, tunc *Chriſti* fiet voluntas: ipſe enim novit corda omnium ſolus, & tunc quod juſtum viderit, retribuet univerſis. Cùm autem poſteà reverſus ſum ad corpus, venit ad me Sacerdos ille, cui levia tantum confeſſus fuerat: Dominum teſtans coram multis, veriſſima eſſe quæ dixi, cum nullus præter ipſum iſta cognoverit. De pœnis autem multorum quas vidi, hìc prætermitto inſerere: timens nè ſi plura ponerem, lectoribus ad alia tendentibus, faſtidium generarem. Hæc enim pauca de multis breviter excerpta ſufficiant.

De viſione quam idem Monachus vidit de æterna gloria beatorum.

EXECUTUS, pro parte, hæc quæ de pœnis & locis pœnalibus vidimus miſerorum; reſtat nunc ut de ſolatiis quieſcentium & æterna gloria Beatorum, quæ fide occulata perſpeximus, proferamus. Poſtquàm diutius per diverſorum genera ſuppliciorum incedentes (ut ſuprà memoravimus) varios miſerorum labores inſpeximus; nobis ad interiora tendentibus, lumen cœpit paulatim apparere gratiſſimum: hinc odoris ſuaviſſimi fragantia, inde campi multimoda florum jucunditate vernantis amœnitas, incredibilem nobis præſtitit voluptatem. In hoc campo hominum ſive animarum millia reperimus infinita; poſt excurſa

1196. curſa ſupplicia, in fœlici lætantium quiete lætantes. Quos autem in prima illius campi margine invenimus, albis quidam ſed non ſatis nitentibus utebantur veſtibus; nigredinis aut cujuſlibet maculæ nihil eis videbatur ineſſe, licèt minoris gratia candoris pollerent. Inter quos pleróſque mihi dudùm notos conſpexi. Nam Abbatiſſam quandam de pœnis nuper egreſſam ibidem recognovi; quæ veſtibus immaculatis, parùm tamen candidis utebatur. Priorem quoque ibidem quendam vidi & agnovi; cum ſpiritibus juſtorum beata quiete, pœnis omnibus exemptum; certa expectatione divinæ viſionis, qua erat remunerandus, incomparabiliter lætiorem. In eiſdem locis vidi quendam Sacerdotem; qui cum bonæ vitæ exemplis, ita gratiam prædicationis habebat conjunctam, ut non ſolùm in parochiis quos regebat, ſed & populum longè poſitum à criminibus mortiferis revocabat; atque Deo cooperante; aliis per eum multis ac ſibi inenarrabilis gloria reſtabat.

De ſecundo loco quietis.

HINC autem ad interiora prædictæ amœnitatis loca pergentibus; major ſemper & lucis claritas, & odoris ſuavitas, candórque ibidem degentium, & jucunditas arridebat. Omnes verò, quos locus iſte tenet, ſupernæ *Hieruſalem* cives ſunt adſcripti; qui pœnas univerſas tam facilè tranſierant, prout vitiis mundanis minùs fuerant irretiti. Et quæ jam progreſſi vidimus, nec lingua retexere, nec dignè valet humana infirmitas explicare. Quis enim dignè verbis exponat, qualiter in medio Spirituum beatorum, quorum millia infinita ibi circumſtabant; velut præſentialiter in hac ſacra ſolennitate paſſionis Dominicæ, pius humani generis redemptor, tanquam in Crucis ſtipite appenſus, flagellis toto corpore cuentus, ſputis dehoneſtatus, ſpinis coronatus, clavis confoſſus, lancea perforatus, viſebatur: Per manus & pedes rivi purpurei coloris defluebant, ex ſacro latere ejus ſanguis ſtillabat & aqua? Hinc Mater non jam triſtis & anxia, ſed gaudens & vultu ſereniſſimo, tanto támque ineffabili adſtabat ſpectaculo. Jam verò quis unquam mente conceperit, quanta cum alacritate ad hoc ſpectaculum undique concurrebatur? Quæ intuentium erat devotio? Quis adorantium concurſus? Quantæ pro tantis beneficiis gratiarum actiones? Hæc mihi altius revolventi, dolor neſcio an devotio animum diſtrahebant infelicem; ſtupor & admiratio me mente quodam modo alienum reddebant & abſentem. Quid verò devotionis; quòd his contumeliis Diabolus vincitur; Tartarus debellatur; arma ejus diripiuntur & ſpolia; homo perditus reparatur, & præda Dæmonum inferni erepta ergaſtulo, in cœlo choris inſeritur Angelorum: Multa quæ hic vidi & audivi, referre pertimeſco; eò quòd inſolita & multis incredibilia videantur. Denique poſt moram non modicam in tam beata viſione expletam, viſio ipſa repentè diſparuit; & loco ubi gloria tanti ſacramenti ſteterat adorato; ſinguli ad ſedes proprias cum lætitia redierunt. Et ego Ducem meum inter manſiones beatorum plenus admiratione, ad interiora ſequebar. Hîc jam conſiſtentium candor, hîc odoris fragrantia, hîc erat ineſtimabilis laudes Deo canentium harmonia.

De tertio amœnitatis loco & viſione Dei.

MULTO inter hæc jam emenſo viæ ſpatio, & creſcente ante nos locorum jucunditate; vidi eminùs quaſi murum cryſtallinum; cujus altitudo pervideri non potuit, nec meta longitudinis comprehendi. Cui jam appropinquantibus nobis, portam vidi introsùs lucidiſſima claritate micantem; apertúmque ejus vidi aditum, ſed Crucis unius obice ſignatum. Accedebat illùc multitudo eorum catervatim, qui viciniores erant ingredi exoptabant. Crux verò in medio portæ ſita, nec ſe attollens ad ſuperiora, latum adventantibus pandebat ingreſſum; ima denuò petens intrare cupientibus negabat inceſſum. Quàm lætanter ingrediebantur admiſſi, vel quàm reverenter ſubſiſtebant excluſi; Crucis elevationem iterum poſtulantes, exprimere non ſufficio. Subſtitit hic mecum aliquamdiù ductor meus: ſed tandem, accedentibus nobis, crux erigitur, iter ingreſſurus patet: ſocius liberè ingreditur, ſubſequebar & ego. Verùm crux ex improviſo deſcendit ſuper manus noſtras, méque à Ducis mei conſectatu arcebat. Quod cernens ego nimiùm pertimeſcens, iſta ductoris mei monita audivi: Ne paveas, fidem tantùm habeto in dominum, & ſecurus ingredere: & redeunte fiducia, crux ingreſſum conceſſit, & intravi. Quantus verò fulgor inæſtimabilis claritatis, quantáque luminis gratia interiùs univerſa repleverit; à me nemo requirat: hoc enim non ſolùm verbis exprimere, ſed nec mente ſufficio recordari. Splendor ille blandus & coruſcus ſic intuentem in ſe rapiebat; ſic nitoris immenſitate ſuper ſe efferebat; ut nihil in ejus comparatione eſſe crederem, quicquid me contigit eatenùs inſpexiſſe. Nam ſplendor ille quamvis inæſtimabilis eſſet; intuentis tamen non reverberabat, ſed potiùs acuebat obtutum. Inferiùs autem intuenti, nihil aliud occurrebat niſi lux & murus, ut dictum eſt, cryſtallinus. Erant quoque ab imo uſque ad ſummitatem, ejus gradus mira pulchritudine diſpoſiti; per quos aſcendebant lætantium agmina, mox ut erant per januam intromiſſi. Nullus fuit aſcendentium labor, difficultas nulla, nec aliqua in aſcenſu mora: quia ſemper ſuperior quàm inferior gradus alacriùs ſcandebatur. Ad altiora verò oculos dirigens, conſpexi in throno gloriæ reſidentem Dominum & ſervatorem noſtrum in ſpecie humana; & in circuitu aſcendentes, & cum gratiarum actione adorantes eum (ut mihi videbatur) quingentorum vel ſeptingentorum ſpiritus beatorum; qui nuper, itinere, quo prædictum eſt, ad locum throni conſcenderant. Mihi autem certiſſimè conſtat, quod locus ille, quem videbam; non erat cœlum cœlorum, ubi videbitur Deus deorum in Sion ſicuti eſt in majeſta-

1197.

majeſtate ſua: ſed inde, remota jam omni difficultate & dilatione, aſcenditur ad cœlum illud, æternæ Deitatis viſione beatum. In hac tamen viſione tantum lætitiæ & gaudii, tantum jucunditatis animo concepi & exultationis; ut quicquid humana explicari poteſt induſtria, minus ſit ad exprimendum cordis mei gaudium, quod ibidem percepi.

ut idem Monachus ad corpus reductus fuerit.

HIS igitur & aliis muneribus viſis & auditis; ſanctus *Nicolaus* mihi breviter eſt loquutus: Ecce, inquiens, fili jam pro parte, ut petiſti, ſæculi ſtatum, pericula errantium, ſupplicia malorum, purgatorum quietem, gaudia eorum, qui jam ad cœli curiam perveniunt, paſſionis Dominicæ myſteria, ut tibi fuit poſſibile, conſpexiſti. Jam tibi ad tuas ſæculi redeundum eſt pugnas: percipies autem, ſi perſeveraveris in timore Domini, quæ oculis tuis vidiſti; & multò his majora, ſi corpore immaculato & corde innocenti ultimæ vocationis diem tuæ ſtudueris præſtolari. Dum adhuc mecum talia loqueretur, ſubitò audire cepi claſſicum miræ ſuavitatis, quaſi totius mundi campanæ, vel quicquid ſonorum eſt, una ſimul pulſatione concuteretur. In hoc claſſico mirabilis ſuavitas & varia melodiæ permixtio; magnitudine an dulcedine neſcio plùs ſtupenda fuit. Ad tam inſolitum autem auditum, ſolicitè intentus ac nimiùm animo ſuſpenſus; mox ut deſiit audiri, à ducis mei comitatu deſtitutus fui. Viribúſque corporis redeuntibus, & oculis in uſum videndi patefactis; priſtinæ ægritudinis moleſtia funditùs deleta ac debilitate penitùs excluſa; validus & fortis licèt mœſtiſſimus & anxius, coram vobis reſedi. Redditus itaque mihi, cum à fratribus audivi jam Paſchalem adeſſe feſtivitatem; res certiùs animadverti, claſſicum illud non ſine ineffabili jucunditate atque feſtiva celebritate recolitur ſalutis humanæ myſterium, quod in ſolennitate Paſchali operatus eſt in medio terræ; qui eodem momento olim cœlum & terram ex nihilo creavit *Jeſus Chriſtus* Dominus noſter; Cui eſt cum Patre coæterno & Spiritu ſancto, honor & imperium; per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Mors Henrici *Regis* Hieroſolymorum.

EODEM tempore, *Henricus* de *Campana*, Rex *Hieroſolymorum*, qui Regi *Guidoni* ſucceſſerat; de feneſtra eminentiori cujuſdam cœnaculi in plateæ pavimentum corruens, fracta cervice, expiravit. Erat autem nepos Regum *Francorum* & *Anglorum*; *Philippi* videlicet & *Richardi*, ex filia *Ludowici* Regis *Francorum* patris *Philippi*; quem ſuſceperat ex *Alienora* Regina ſua; quam & Rex *Anglorum Henricus* pater Regis *Richardi* poſtmodùm duxit in uxorem. Defuncto itaque Rege jam dicto, ſtatus *Terræ Sanctæ* neceſſariò Regem exigebat. Unde unanimi conſenſu cleri & Populi, electus eſt vir quidam illuſtris de regno *Francorum* *Johannes* de *Breines* in re militari experientiſſimus; qui & in Regem coronatus eſt: ſub cujus induſtria regni negotia ſunt plurimùm proſperata.

Rex Richardus *nuncios miſit* Romam *contra Archiepiſcopum* Rothomagenſem.

ANNO gratiæ M. CXCVII. Rex *Anglorum Richardus* fuit in *Normannia* apud *Burum* nimia confuſus anguſtia; eo quod Archiepiſcopus *Rothomagenſis* in *Normanniam* ſententiam tulerat interdicti. Jacebant enim corpora defunctorum inſepulta, per plateas civitatum & vicos; quæ viventibus fœtorem non minimum incuſſerunt. Miſit ergò Rex *Willelmum Elyenſem* Epiſcopum Cancellarium ſuum, Epiſcopóſque *Dunelmenſem* & *Lixonienſem* ad curiam *Romanam*; ut cauſam ſuam defenderent contra Archiepiſcopum memoratum. *Sed Willielmus* Epiſcopus *Elyenſis Romam* tendens, apud *Pictaviam* diem clauſit extremum. Sepultus eſt autem in Abbatia de Pinu *Ciſtercienſis* ordinis, quarto Kalendas Februarii. Socii autem ejus, epiſcopi videlicet ſupradicti, iter propoſitum expedientes, *Romam* perveniunt. Convenientibus autem partibus in præſentia domini Papæ, illiſque diligenter auditis; poſt diutinam deliberationem Dominus Papa & Cardinales attendentes damna & importunitates quæ Regi in *Normannia* poſſent accidere, niſi locus ille *Andeliaci* firmaretur; dederunt Archiepiſcopo conſilium, ut cum domino ſuo Rege amicabiliter componeret; & ab eo reciperet ſufficientem ablatorum recompenſationem, juxta proborum æſtimationem virorum. Aſſerebant enim, benè licere cuilibet potenti, & conſequenter Regi *Anglorum* terræ ſuæ infirmiora munire; ne illi per hoc neglectum, damnum eveniat, aut gravamen. Sub hac autem pacis forma, nuncii tam Regis quam Archiepiſcopi revertentes; impetraverunt interdicti ſententiam relaxari.

Forma pacis initæ inter Regem Richardum *& Archiepiſcopum.*

FORMA autem pacis & concordiæ inter dominum Regem *Angliæ* & Eccleſiam *Rothomagenſem* & Archiepiſcopum ſæpè dictum; in hunc modum ſe habet. *Richardus Dei gratia Rex Angliæ, &c. Cum ſacroſancta eccleſia ſponſa ſit Regis æterni, & unica ipſius dilecta, per quem Reges regnant & Principes gubernacula poſſident, tantò ampliorem ei volumus devotionem & reverentiam exhibère; quanto citiùs non regiam tantùm, ſed omnem à domino* Deo *eſſe credimus poteſtatem. Unde ſicut venerabilis eccleſia* Rothomagenſis, *quæ inter univerſas terrarum noſtrarum plurima celebritate dignoſcitur eminere, ſic nos ejuſdem matris noſtræ commodis & augmentis digna compenſatione dignè duximus reſpondere. Sanè villa de* Andeli *& quibuſdam aliis adjacentibus locis, quæ erant* Rothomagenſis *eccleſiæ minùs ſufficienter firmatis; inimicis noſtris in terram noſtram* Normanniæ *per eadem loca patebat ingreſſus: per quæ incendiis & rapinis, necnon & aliis hoſtilitatis ſævitiis, in eandem terram nonnunquam licentiùs graſſabantur. Quocirca venerabili Patri noſtro* W. *Archiepiſcopo & Capitulo* Rothomagenſi, *debitum habentibus ad noſtra & prædictæ terræ noſtræ damna reſpectum; facta eſt permutatio inter eccleſiam* Rothomagenſem *& Archiepiſcopum* W. *ex una parte; & nos ex altera de manerio de* Andeli *in hac forma. Quòd, videlicet, idem Archiepiſcopus de conſcientia & voluntate Domini Papæ*

Cæleſtini

1197. *Cœleſtini tertii, & de aſſenſu Capituli* Rothomagenſis *eccleſiæ, conceſſit & in perpetuum quietum clamavit, nobis & hæredibus noſtris, prædictum Manerium* de Andeli; *cum novo Caſtello de* Rupe, *& cum foreſta, & cum omnibus aliis pertinentiis & libertatibus ſuis, exceptis eccleſiis & præbendis militum, & excepto Manerio de* Fraxinis *cum pertinentiis ſuis. Quæ omnia idem Archiepiſcopus eccleſiæ* Rothomagenſi *& ſibi & ſuis ſucceſſoribus retinuit cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis; & cum omni integritate ſua in perpetuum. In Eſcambium autem Manerii prædicti de* Andeli *cum pertinentiis, conceſſimus & in perpetuum quieta clamavimus Eccleſiæ* Rothomagenſi *& prædicto Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis; omnia molendina quæ nos habuimus apud* Rothomagum, *quando hæc commutatio facta eſt, integrè cum omni ſequela & molitura ſua, ſine aliquo retinemento eorum quæ ad molendinum pertinent, vel ad molituram: & cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus, quas ſolent & debent habere. Nec alicui licebit ibidem molendinum facere ad detrimentum molendinorum prædictorum. Conceſſimus eis inſuper villam de* Diepe, *& villam de* Buteiles, *cum omnibus pertinentiis & libertatibus, cum manerio de* Loures, *& foreſta de* Haliermunt, *cum feris & omnibus aliis pertinentiis & libertatibus ſuis. Hæc autem omnia in Eſcambium habebunt prædicti manerii de* Andeli *eccleſia* Rothomagenſis *& Archiepiſcopus prædictus & ſucceſſores ſui in perpetuum. Factum eſt autem hoc Eſcambium apud* Rothomagum, *anno gratiæ Milleſimo Centeſimo nonageſimo ſeptimo & anno Regni noſtri octavo.* Iſtis diebus ſurrexit in *Francia*, quidam Prædicator egregius, per quem Dominus virtutes palàm operari dignatus eſt; qui uſuram in *Francia* maximè conatus eſt extirpare, quæ uſura in *Francia* ab *Italia* tranſiens, nimis pullulaverat, & nobile regnum *Francorum* jam maculaverat. Nomen Prædicatori *Fulco* fuit; qui in *Angliam* quendam Religioſum ad deponenda tempora commercii diebus Dominicis Abbatem de *Flai* deſtinavit. Qui veniens, illud inconveniens in multis locis delevit. Eo quoque tempore *Robertus Salopesbiri* conſecratus eſt in Epiſcopum de *Bangor*.

Rex Richardus *Corpus ſancti* Walerici *in* Normanniam *tranſtulit, & naves combuſſit.*

EODEM tempore, ſuggeſtum eſt Regi *Richardo*, quòd naves ex *Anglia* venire conſueverant apud ſanctum *Walericum*: ad deferendum victualia Regi *Francorum* & aliis inimicis ſuis. Facta itaque illuc equitatione, villam combuſſit, Monachos deſtruxit, feretrum ſancti *Walerici* cum reliquiis in *Normanniam* tranſvexit. In portu autem illo, naves ex *Anglia* invenit frumento & victualibus onuſtas; quarum nautas ſuſpendi præcepit: navibúſque combuſtis, victualia ſuis militibus erogavit.

Rex Richardus *Comitem* Flandrenſem *& alios ſibi obligavit.*

PER idem tempus, Rex *Richardus*, datis muneribus, omnes de regno *Francorum* potentiores in ſui favorem allexit: *Baldewino* Comiti *Flandriæ* pro auxilio quinque millia Marcarum argenti contulit; & ipſe Regi obſides tradidit, quod ſine ipſo non componet cum Rege *Francorum*. *Campani* cum *Britonibus*, relicto Rege *Francorum*; Rege *Richardo* adhæſerunt. *Willielmus Crepin* Conſtabularius de *Angi*, Regi *Anglorum*, vi compulſus, idem caſtellum reddidit; quod Rex confeſtim munivit: & Rex *Francorum* exercitu congregato, illud obſedit. Et dum hæc fierent, Rex *Anglorum* in *Alverniam* hoſtiliter progrediens; decem caſtella Regis *Francorum*, & magnam multitudinem hominum ſuorum cepit: ſed antequam Rex *Anglorum* rediret in *Normanniam*, Rex *Francorum* cepit *Dangu* caſtellum; conceſſis militibus, qui in ejus præſidio erant, pro quinquaginta marcis argenti, vita & membris, cum equis & armis: & Rex caſtellum retinuit, illúdque firmavit.

Rex Francorum *in* Flandria *circumventus.*

INTEREA Comes *Flandrenſis*, caſtellum *Arras* obſidione vallavit: quo audito Rex *Francorum* illuc venit cum exercitu copioſo; in cujus adventu Comes obſidione relicta, abiit in terram ſuam, inſequente eum Rege *Francorum*. Cum autem Rex longiùs proceſſiſſet inter paludes & receſſus maris, Comes *Flandrenſis* fecit confringere ante & poſt eum Pontes; & aquæductus aperire: ita quidem quòd neque procedere neque redire potuit, nec ad eum poterant victualia deferri. Tunc Rex in arcto poſitus, Comiti ſignificavit, quòd ea intentione illuc venerat, ut cum eo vel amicabiliter componeret, vel ipſum à fidelitate Regis *Anglorum* revocaret. Nunciavit inſuper ei, quod Ligius homo ejus erat: unde nec debuit nec decuit illum coronam ſuam impugnare. Sed tandem, antequam ei Comes licentiam abeundi concederet, juravit Rex: quod tam ipſi Comiti, quàm Regi *Anglorum* omnia quæ per bellum occupaverat caſtella, aliáque jura ſua eis redderet: & ad hujus pacti executionem ſtatuit diem, ut tam ipſe quàm Rex *Anglorum* venirent ad colloquium inter *Wailum* & *Adeliacum*, feria quarta poſt exaltationem ſanctæ Crucis. Et ſic liberatus à captione Comitis, idem Rex ad propria remeavit. Reverſus autem *Pariſios*, conſilium habuit à ſuis, ut à pacto reſiliret: nec enim ad obſervationem juramenti, quod de neceſſitate atque coactus fecerat, extitit obligatus.

De quibuſdam conſtitutionibus Regis Richardi.

EODEM anno, conſtitutum eſt à Rege *Richardo*, ad inſtantiam *H. Cantuarienſis* Archiepiſcopi & *Angliæ* Juſticiarii, in die ſancti *Eadmundi* Regis & Martyris, apud *Weſtmonaſterium*; ut omnes menſuræ per totam *Angliam* in bladis & leguminibus, tam in civitatibus quàm extra, ejuſdem ſint quantitatis: & maximè menſura olei, vini & ponderum mercatorum. Conſtitutum eſt etiam, ut lanei panni ubicunque in regno fiant, duas ulnas habeant latitudinis infra liſuras; & ſint in medio ut lateribus ejuſdem bonitatis. Statutum eſt inſuper, ne

ne quis mercator prætendat Seldæ ſuæ rubeos vel nigros pannos, vel aliquid aliud, unde viſus intuentium decipiatur ad pannum bonum eligendum. Exiit prætereà edictum, quòd nulla tinctura niſi ſolummodò nigra fiat alicubi in regno, niſi in capitalibus civitatibus aut burgis: & ſi quis in aliquo iſtorum tranſgreſſor convictus fuerit, corpus illius capiatur & in carcerem detrudatur, & omnia quæ ipſius ſunt, ad Fiſci commodum ſaiſiantur. Eodem anno, *Philippus* clericus Regis, natione *Pictavienſis* & *Dunelmenſis* electus, à Papa *Cæleſtino* apud *Lateranum* munus conſecrationis ſuſcepit.

1198.

ANNO gratiæ M.CXCVIII. qui eſt annus regni Regis *Anglorum Richardi* nonus, procurante eodem Rege, *Otho* nepos ejus *Aquiſgrani* in Regem *Alemanniæ* ſive *Germaniæ* coronatus eſt. Qui ſtatim filiam Ducis *Lovaniæ* in uxorem ducens; in die coronationis ſuæ ſedit ſimul cum ea in cathedra ad menſam: ſed non tunc coronata. Eodem anno, defuncto Papa *Cæleſtino*, *Innocentius* tertius ſucceſſit, in die Cathedræ ſancti *Petri*, Papa conſecratus & in *Petri* cathedra collocatus. Cujus favore exortum eſt in *Italia* novum genus Prædicatorum, qui *Jacobitæ* voluerunt appellari; eò quòd vitam cœperunt Apoſtolicam imitari. Iſti in victu & veſtitu ſatis tenues, aurum & argentum vel aliud quid proprii non poſſidentes; ibant per civitates & vicos & caſtella, verbum Evangelii prædicantes. Multiplicati ſunt autem in brevi per orbem univerſum, propter ſpontaneam paupertatem: habitantes deni & ſepteni ſimul in urbibus capitalibus, nihil de craſtino cogitantes, nec quicquam uſque mane retinentes. De evangelio quoque juxta regulam Evangelicam vivebant; & ſi quid ſibi in menſa ex eleemoſynarum largitione ſuperabundabat; hoc continuò pauperibus erogabant. Ibant autem calceati in præparatione Evangelii, veſtiti dormiebant; mattis proſtratis utebantur; ſaxeis cervicalibus capitibus ſubnixis.

Admiranda pœnitentia Hugonis Ceſtrenſis Epiſcopi.

EODEM anno, *Hugo* de *Nunant Coventrenſis* ſive *Ceſtrenſis* Epiſcopus, *Romam* tendens; in *Normannia* cœpit graviter infirmari: cúmque ingraveſcente ægritudine, mortem ſibi vicinam cognoviſſet, fecit accerſiri viros religioſos totius *Normanniæ* quos habere poterat Abbates & Priores: & audientibus cunctis, voce clamoſa confeſſus eſt purè, & maxima cordis contritione ac lacrymarum jugiter effuſione, omnia peccata, ſcelera & enormitates omnes, quæ ſuæ memoriæ occurrebant. Tanta autem contritus erat & commotus pœnitentia, quòd omnes aſtantes & ſe intuentes ad lacrymas & ſingultus commovit. Denique flens & ejulans, manibúſque conſertis, Prælatos omnes in virtute Dei adjurabat; quatenùs ſibi pœnitenti ſuper tot & tantis flagitiorum exceſſibus, pœnam infligerent & ſatisfactionem condignam. Audientes autem viri religioſi, qui lecto aſtabant; in Epiſcopo vitam adeò flagitioſam, ſimul & admirabilem cordis contritionem, ad invicem ſeſe contuentes, obmutuerunt univerſi, neſcientes quid darent conſilii, vel quid tam ſubitò reſponderent. Quod cernens Epiſcopus dixit eis: *Scio, ſcio, quod tantis enormitatibus auditis, hæſitatis inter vos, quid mihi pro pœnitentia infligatis*: ſed obſecro vos in nomine *Jeſu Chriſti* Domini noſtri, quatenùs in loco pœnitentiæ & remiſſionem peccatorum meorum injungatis mihi, ut ſecundùm voluntatem Dei ſim in pœnis Purgatoriis uſque in diem judicii: ut tunc per miſericordiam Redemptoris noſtri, qui ſemper miſericordiam exaltat ſuper judicium, ſalvus fiam. Placuit hoc conſilium univerſis, ſalva ſemper ſibi clementia divina, quæ *omnes ſervari deſiderat & neminem vult perire*. Tunc Epiſcopus, audientibus cunctis, cum ingenti mœrore recognovit; qualiter expulſis monachis *Coventrenſibus*, ad cumulum omnium malorum in loco eorum irreligioſos clericos introduxit. Ad cujus flagitii ſatisfactionem aliud genus correctionis non invenit; niſi ut eorum habitu vitam finiret, in quos, diabolico ſpiritu exagitatus, dum potuit, perſequutionem excitavit: mendicare coëgit, quantum in ſe erat odio mortali afflixit. Sicque cum magno ejulatu Abbatem *Becci*, qui inter cæteros aderat, deprecans adjuravit: quatenùs intuitu charitatis, ad Diaboli confuſionem, habitum ſibi concederet monachalem; ut illos haberet patronos in ſæculo futuro, quos perſequutus fuerat in hoc mundo. Quod cum impletum fuiſſet, omnia quæ poſſidebat in auro & argento, in gemmis & vaſis pretioſis, domibus religioſis & pauperibus erogavit. Et ſic in ſpe bona omnium aſſiſtentium, & jugi lacrymarum effuſione, ſine inſperato quievit.

De revocatione Conventus eccleſiæ Coventrenſis & expulſione Clericorum.

MORABATUR ea tempeſtate in curia *Romana*, Monachus quidam *Coventrenſis* Cœnobii, *Thomas* nomine; qui ab Epiſcopo præfato cum cæteris fratribus expulſus (ut ſuperiùs relatum eſt) Monachos circumquáque diſperſos, ſimul cum cœnobio, authoritate ſummi Pontificis in ſtatum priſtinum ſtuduit reformare. Quidam autem Fratrum ejus obierant; quidam tædio & paupertate affecti, à curia receſſerant: ipſo ſolo in negotio perſeverante, ac paupertate nimia compellente, panem ſuum multoties mendicante. Sed cum nuper de morte Epiſcopi *Coventrenſis* nuncios deſideratos accepiſſet; exaltatum eſt cor ejus in Domino, qui dat in ſe ſperantibus & perſeveranter agentibus bonitatem. Quadam verò die, cum *Innocentius* Papa nuper creatus, cum Cardinalibus ſuis in conſiſtorio ſederet, Monachus memoratus audacter prorupit in medium, & petitionem ſui negotii indicatione Papæ porrexit. Quam cùm ille perlegiſſet, incontinenti Monacho reſpondit: *Frater, nónne iſta petitio à prædeceſſoribus noſtris Clemente & Cæleſtino ſæpiùs repulſa eſt, me audiente & vidente? Et tu, qui illos non potuiſti, me quoque delirum vis circumvenire? Et iratus*

Y adjunxit:

1198. adjunxit: Recede Frater, recede, certè inaniter hic expectas. Monachus autem hæc audiens, cum lacrymis amariſſimis, reſpondens ait: Pater ſancte, petitio mea juſta eſt & omninò honeſta, & ideò inaniter non expecto. Expecto enim mortem veſtram, ſicut feci mortem anteceſſorum veſtrorum. Succedit enim vobis, qui petitionem meam exaudiet cum effectu. Papa verò hæc audiens, & ſuprà quàm dici poteſt admirans, aſſidentibus ſibi Cardinalibus dixit: Nonne audiſtis, quid Diabolus iſte dixit? Expecto (inquit) mortem veſtram, ſicut feci mortem anteceſſorum veſtrorum. Et conversus ad Monachum ait: Frater, per ſanctum *Petrum*, mortem meam non hìc expectabis, exaudita eſt enim petitio tua. Et continuò antequàm cibum ſumeret Papa, *H. Cantuarienſi* Archiepiſcopo dedit in mandatis, ut continuò, viſis literis, ad Eccleſiam *Coventrenſem* perſonaliter accederet; & expulſis clericis, monachos inveſtiret. Sicque Archiepiſcopus memoratus, amotis Clericis præfatis, ſummi Pontificis authoritate roboratus; decimo quinto Kalendas Februarii, Monachos introduxit. Et quoniam Prior illius loci, monachis exulantibus, defunctus fuerat; præfecit eis Priorem nomine *Joibertum*, natione *Normannum*; qui propter eminentiam prudentiæ ſæcularis, tres Prioratus, de *Davintre* & *Weneloc* & *Bermundeſeia* ſuſceperat ad regendum. Qui continuò cum concilio Monachorum de electione Epiſcopi tractare incipiens; communi deliberatione *Gaufridum* de *Muſchamp* elegerunt. Eodem tempore, mortuo Priore de *Bermundeſeia*, *H. Cantuarienſis* Archiepiſcopus, ut *Joiberti* ſupradicti avaritiæ ſatisfaceret: tribus Prioratibus ſuis hunc quartum adjecit.

De Conſecratione quorundam Epiſcoporum.

PER idem tempus, Dominica qua cantatur *Lætare Hieruſalem*, *Euſtachius Sarisberienſis* Decanus *Elyenſis* Epiſcopatus munus conſecrationis ſuſcepit, per manum *Huberti Cantuarienſis* Archiepiſcopi apud *Weſtmonaſterium* in Capella ſanctæ *Katherinæ*. Deinde *Gaufridus Coventrenſis* electus, ab eodem Archiepiſcopo *Cantuariæ* conſecratus eſt, undecimo Kalendas Julii; quo tempore & Idibus Maii pluit ſanguis undatim, ſuper ædificantes turrim apud *Andeliacum* in *Normannia*: mortem fortaſsè Regis *Richardi* denuntians in brevi futuram. His denique diebus, *Gaufridus Eboracenſis* Archiepiſcopus, Regi *Richardo* in *Normannia* pacificatus eſt: erat enim commotus in eum, propter dejectionem *W. Cancellarii* ſui; dum idem Rex ab Imperatore in vinculis teneretur.

Hubertus Cantuarienſis *Archiepiſcopus ab Officio juſticiarii amotus eſt.*

CIRCA dies iſtos, ſurrexit diſſenſio & iniquitas inter Epiſcopum *Cantuarienſem* & Monachos ſanctæ Trinitatis *Cantuariæ*; propter eccleſiam, quam idem Archiepiſcopus apud *Lambeiam* de novo conſtruxerat: timuerunt enim Monachi, ne ſedem illùc Cathedralem transferret. Unde *Romam* profecti, *Innocentio* Papæ conqueſti ſunt, quòd Archiepiſcopus contra ordinem dignitatis ſuæ, gerebat ſe Juſticiarium *Angliæ* & Judicem ſanguinis, ita quòd omiſſis eccleſiaſticis negotiis, ſæcularibus plùs æquo intendebat, contra conſilium Apoſtoli dicentis: *Nemo militans Domino implicet ſe negotiis ſæcularibus.* Impoſuerunt inſuper ei, quòd ex illius mandato fuerat eccleſia ſanctæ *Mariæ* de Arcis *Londini* violata: & *Willielmus cum Barba* ab illa extractus, & equorum caudis alligatus, & per plateas civitatis diſtractus; & tandem patibulo ſuſpenſus. Sicque Monachi, multo ibidem ære effuſo, famam Archiepiſcopi non mediocriter denigrabant. His Papa auditis, Regi *Anglorum* dedit in mandatis; quatenus ſtatim, viſis literis, ſub pœna interdicti præfatum Archiepiſcopum ab officio Juſticiarii removeret: præcipuè cùm non liceat Epiſcopis negotiis ſæcularibus ſe implicare. Amoto igitur Archiepiſcopo, Rex *Richardus* loco ipſius *Gaufridum filium Petri* ſubrogavit.

De Prælio Campeſtri inter Anglos *&* Walenſes.

EODEM tempore, Rege *Richardo* in partibus transmarinis moram faciente; *Gaufridus filius Petri*, *Angliæ* Protojuſticiarius, magno exercitu congregato, profectus eſt in *Walliam* ad ſuccurrendum hominibus *W.* de *Branſe Wanunnbem*; quos Rex *Walliæ* obſederat in Caſtello *Matildis*. Quò cum perveniſſet, campeſtre prælium commiſit: *Wallenſes* verò *Anglis* reſiſtere non valentes, in fugam compulſi ſunt: & projicientes arma ſua, ut meliùs fugerent, *Angligenis* audaciam præbuerunt. Occiſi autem referuntur ex eis pluſquàm tria millia & ſeptuaginta armatorum, exceptis retentis & lethaliter vulneratis. Ex *Anglis* verò unus ſolummodò, ex ictu ſagittæ inopinato incautè à quodam ſocio ſuo directæ, vulneratus interiit.

Rex Richardus *facto congreſſu cum Rege* Francorum *cepit milites viginti.*

PER idem tempus, Rex *Francorum Philippus* & Rex *Anglorum Richardus*, congreſſi ſunt inter *Games* & *Vernonem*. In quo congreſſu, Rex *Francorum* & ſui perfugam ſibi conſulentes, rapido equorum curſu *Vernonem* pro refugio petierunt. Sed antequàm caſtellum ingredi potuerunt, Rex *Richardus* illos in ore gladii inſequutus; cepit ex eis viginti milites, & ſervientes pluſquàm ſexaginta. Eodem tempore, *Richardus Londonenſis* epiſcopus debitum humanæ naturæ perſolvit.

Admiranda Regis Richardi *victoria.*

CIRCA hos denique dies, magnificus Rex *Anglorum Richardus*, omnibus viribus congregatis, cepit per inſultum tria caſtella Regis *Francorum*, *Sirefontanum* videlicet, *Burris* & caſtrum de *Curteles*, laudabili fultus virtute *Anglorum*. Rex autem *Francorum Philippus*, cum militibus quadringentis, & ſervientibus multis, & omnibus communibus ſuis de *Nantua* exiens, profectus eſt ad ſuccurrendum *Caſtro* de *Curteles*; quod nondum credebat eſſe captùm. Quod cum audiſſet per exploratores ſuos Rex *Richardus*, venit ex adverſo ei obviàm: & inter *Curteles* & *Giſortium* campeſtre cum illis prælium commiſit. In hoc autem congreſſu,

congreſſu, Rex *Francorum* pondus prælii ferre non valens; coactus cum ſuis ad *Giſortii* caſtellum aufugit: & cùm fugiendo pontem de *Giſors* aſcendiſſent fugientes, confractus eſt pons ille præ multitudine intrantium cum impetu pontem, & ipſe Rex cum equo & armis cecidit in fluvium de *Eethe* cum aliis innumeris de regno *Francorum:* ubi Rex ille in cœno jacens volutatus, à mortis diſcrimine vix ereptus eſt. Sed intereà acies quædam *Francigenarum* electiſſima, ut dominus eorum liberiùs per fugam ſibi conſuleret; & Regis eum inſequentis manus evaderet; reverſi de fronte, contra Regem *Richardum*, impetum in eum fecerunt acerrimum; ſeſe pro domini ſui ereptione mortis periculo exponentes. Tunc prælium utrobique accenditur, enſes fulminant circa capita galeata; ictibus ingeminatis ignes extorquent, lancearum rigor hoſtes hinc inde proſtravit: fabulis vacare non eſt locus, nec furor ceſſavit accenſus; donec Rex *Anglorum* arcem præfatam in ſe converſam ſub captione concluſit. In quo conflictu, Rex *Richardus* tres electos milites, *Matthæum* ſcilicet de *monte Morecino*, *Alanum* de *Ruſci*, & *Fulconem* de *Gilernallis*, ab equis ad terram proſtravit; proſtratos retinuit; & cum eis nobiliores de regno *Francorum* Barones, quorum hîc nomina prænotantur. *Gallis* de *Porta*, *Girardus* de *Chori*, *Philippus* de *Nantinl*, *Petrus* de *Eſchans*, *Robertus* de *ſancto Dionyſio*, *Theobaldus* de *Wallanggardum*, *Cedunal* de *Trie*, *Rogerus* de *Meetlent*, *Aim Triers*, *Reginaldus* de *Aſci*, *Baldewinus* de *Lerim*, *Thomas* de *Aſgent*, *Ferrius* de *Parriſiis*, *Petrus* de *Latonia*, *Guido* de *Nevers*, *Frumentinus Campanenſis*, *Theodoricus* de *Anceis*, *Anfricus* de *Baalim*, *Eborardus* de *Muntini*, *Funcardus* de *Rupe*, *Walterus Ruſus*, *Ernulſus* de *Kerni*, *Willielmus* de *Banceto*, *Jokenus* de *Brai*, *Petrus* de *Pinci*, *Denebertus* de *Augi*, *Puncardus* de *Caſtello*, *Willielmus* de *Merlen*, *Johannes* de *Gangiis*, *Theobaldus* de *Breun*, *Rogerus* de *Beaumont*, *Gilbertus* de *Brai*, *Petrus* de *Maidul*, *Johannes* de *Cerni*, *Alardus* de *Loviers*, *Radulphus Valencel*, *Ferri* de *Bonnai*, *Thomas* de *Caſtele*, *Willielmus* de *Rochmont*, *Theobaldus* de *Miſci*. Et præter jam dictos, cepit Rex memoratus milites centum; equóſque ferro coopertos numero ducentos; ſervientes, equites & pedites & baliſtarios tot ibidem ſub captione concluſit, quòd numerus eorum crevit in immenſum. His ita geſtis, victorioſiſſimus Rex *Anglorum Richardus*, direxit epiſtolas ad omnes amicos ſuos de Regno *Angliæ*; Archiepiſcopos videlicet, Epiſcopos, Abbates, Comites & Barones, implorans attentiùs, & devotione: quatenùs unà cum ipſo Dominum glorificarent, qui talem conceſſit ab hoſtibus reportare triumphum. 1198.

VIDENS igitur Rex *Francorum Philippus* vires Regis *Anglorum* indies excreſcere; propriáſque paulatim deficere: neceſſitate compulſus, nuncios lætanter ad ſummum Pontificem deſtinavit; proponens per procuratores ſuos, ſe velle libenter cum Rege *Anglorum* componere, vel per inducias belli diſcrimen ad tempus differre: ut per inducias ipſius authoritate firmatas, Cruce ſancta ſignati utriuſque regni, vota ſuæ peregrinationis Deo perſolvere; & *Terram promiſſionis* ab hoſtibus Crucifixi liberare, ipſius cooperante gratia, poſſint. Et hoc ſecuritate & ſtabili firmitate fieret; poſtulavit Rex, ut aliquem Cardinalem tranſmitteret cum poteſtate plenaria ad partes Occidentis; qui poſſet, ſi neceſſitas cogeret, per ſententiam vel interdictum in alterutrum eorum animadvertere, quem ad concordiam & pacem inveniret rebellem. His & aliis multis in hunc modum propoſitis, *Innocentius* Papa, qui negotium Crucis plurimùm affectabat, plùs pretio quam precibus inductus; miſit *Petrum* de *Capua* Cardinalem, ut pacem inter Reges memoratos reformaret. Qui cum perveniſſet ad Regem *Francorum*; ipſius conſilio aſſumpſit ſecum quoſdam epiſcopos utriuſque regni; venienſque ad Regem *Anglorum*, expoſuit ei quanta ſiniſtra in Regno utriuſque Regis acciderant; quantáque ventura erant, niſi inter eos pax maturiùs firmaretur. Rex autem *Richardus* reſpondit cum indignatione, dicens ſe de jure non teneri pro ipſo Papa quicquam facere: maxime cum ab eo multoties requiſitus, ut per cenſuram Eccleſiaſticam Regem *Francorum* compelleret; ad reddendum ſibi terras ſuas & caſtella quæ idem Rex injuſtè occupaverat; ſpreto juramento, dum ipſe in Terra Promiſſionis inimicos Crucis depellere, & loca ſancta ad ſtatum debitum ſtuduerat revocare. Quapropter in hæreditate ſua adquirenda; pro ipſius Papæ defectu, compulſus eſt maximam pecuniæ ſummam effundere. Unde Rex præfatus, non ſolùm perjurium, verùm & ſententiam excommunicationis incurrit: nec etiam ſibi conſtat, ſi Rex *Francorum* in induciis voluerit conſentire. Tunc Cardinalis, Rege *Anglorum* ſeorſum advocato, recognovit eidem ſub ſigillo ſecreti; quòd ad inſtantiam ipſius Regis miſſus fuerat à Papa, ut componeret inter eos. Deditque Regi conſilium, ut hac vice petitioni domini Papæ acquieſceret; ſciturus pro certo, quòd dominus Papa, ipſum tam de Rege *Francorum*, quàm de omnibus aliis ſuis agendis exaudiret. His itaque geſtis, Rex *Richardus*, qui promotionem *Othonis* nepotis ſui nuper in Regem *Alemannorum* coronari ſupra modum effectaverat; ut faciliorem haberet à Papa ad Imperialem conſecrationem acceſſum; omnium victus precibus, adquievit. Regéſque in unum convenientes, inducias tali pactione juraverunt quinquennes. *Quòd ſubditis utriuſque Regis, & mercatoribus per terras alterius & nundinas pacificè ire & redire: emere ſimul & vendere liceret.* Quo facto, Rex *Anglorum* Abbatem *Certeſheienſem* & *Reimundum* monachum ſancti *Albani* (qui eodem tempore pro variis negotiis eccleſiæ

Induciæ inter Reges Francorum & Anglorum.

1199. eccleſiæ ſuæ ad Regem tranſmiſſus fuerat in *Normanniam*) *Romam* miſit; ut ibidem negotia præloquuta perducerent ad effectum. Et ad hæc negotia perficienda, cepit Rex de unaquaque Carucata terræ ſuæ hida totius *Angliæ* quinque ſolidos. Eodem anno, die ſanctæ *Margaretæ*, fuit Tonitrum, coruſcatio, & pluvia qualis anteà non viſa fuit. Circáque feſtum ſancti *Michaëlis*, etiam mutatæ ſunt chartæ, quas priùs fecerat Rex *Richardus* novo ſigillo ſuo.

H. Cantuarienſis *Archiepiſcopus eccleſiam de* Lamheia *Complanat.*

ANNO gratiæ M. CXCIX. *Hubertus Cantuarienſis* Archiepiſcopus eccleſiam de *Lamheia*, quam *Baldewinus* prædeceſſor ſuus in honorem beati *Thomæ* Martyris fundaverat; & ipſe ferè conſummaverat; procurantibus Monachis *Cantuarienſibus*, ſummóque Pontifice imperante; propriis ſumptibus, ad ſui & multorum ignominiam, complanavit.

EODEM tempore, ſtatutis ut dictum eſt induciis inter Regem *Francorum Philippum*, & Regem *Anglorum Richardum*; idem Rex *Anglorum* in quoſdam Barones *Pictaviæ* ſibi rebelles, vexilla direxit & arma. In Civitates eorum & oppida ignem accumulavit; vineas & pomeria ſuccidit; nonnullos etiam ex adverſariis ſuis, immiſericorditer trucidavit. Tandem in *Aquitanicum* perveniens Ducatum, & in territorio *Lemovico*, *Chaluz* caſtellum obſidione vallavit: ubi ſeptimo Calendas Aprilis à *Petro Baſilii*, telo (ut dicebatur) veneno percuſſus eſt; quam percuſſionem quaſi pro nihilo reputaverat. Denique diebus duodecim quibus ſupervixit, caſtellum acriter invaſit & cepit; militéſque & ſervientes ſub arctiori cuſtodia mancipavit: Impoſitis autem in Caſtello miniſtris ſuis, illud ſufficienter munivit. Vulnus autem quod ibidem receperat, malè interim cuſtoditum tumeſcere incipiens, & nigredo quædam tumori permixta, locum vulneris circumquáque inficiens, Regem intolerabiliter torquebat. Tandem Rex ſapientiſſimus, cum periculum ſibi cerneret imminere, exitum ſuum cordis contritione, oris pura confeſſione, corporis & ſanguinis Domini communione munivit: & necis ſuæ Authori *Petro* ſcilicet qui eum percuſſerat, mortem ſuam condonavit; atque liberatum à vinculis abire præcepit. Corpus verò ſuum apud *Fontem Ebrandi*, ſecus pedes patris ſui, cujus proditorem ſe confitebatur, ſepeliri jubens; Eccleſiæ *Rothomogenſi* inexpugnabile cor ſuum legavit. Sicque apud caſtrum præfatum, viſcera ſua in Eccleſia recondi præcipiens; hæc pro munere *Pictavienſibus* conceſſit. Quare, igitur, de corpore ſuo talem fieri diſtributionem decreverit; quibuſdam familiaribus ſuis ſub ſigillo ſecreti revelavit. Patri autem corpus ſuum ratione prædicta aſſignavit: *Rothomagenſibus* propter incomparabilem fidelitatem, quam in eis expertus fuerat: cor ſuum pro xenio tranſmiſit. *Pictavienſibus* quoque, propter notam proditionis, ſtercora ſua reliquit, quos non alia ſui corporis portione dignos judicavit. Et his dictis, tumore ad cor ejus ſubitò perveniente; octavo Idus Aprilis die Martis (vir Martiô operi deditus) apud caſtrum prædictum ſpiritum exhalavit. Sepultus eſt autem apud *Fontem Ebraudi*, ſicut ipſe adhuc vivens ordinaverat: cum quo, multorum judicio, decus & honor militiæ pariter ſepulta ſunt. De cujus morte ſimul & ſepultura quidam Epitaphium edidit in hunc modum.

Mors Regis Richardi.

Pictavus exta Ducis ſepèlit telluſque Chalutis,
Corpus dat Claudi *ſub marmore* Fontis Ebraudi,
Neuſtria *túque tegis cor inexpugnabile Regis*,
Sic loca per trina ſe ſparſit tanta ruina:
Nec fuit hoc funus cui ſufficeret locus unus.

Aliúſque ſuper hoc damnoſo & irreſtaurabili funere, ſic ſatis eleganter ait verſificator.

Ad Chalus *cecidit Rex regni cardo* Richardus,
His Ferus, his Humilis, his Agnus, his Leopardus.
Caſus erit lucis Chalus *per ſecula nomen*
Non intellectum fuerat, ſed nominis omen
Non patuit, res clauſa fuit, ſed luce cadente
Prodiit in lucem, pro caſu lucis adeptæ.

Geſta Regis Johannis *& aliorum qui tunc temporis in viv is agebant.*

VICTORIOSISSIMO *Anglorum* Rege *Richardo*, viam univerſæ carnis, ut dictum eſt ingreſſo; *Johannes* frater ejus Comes *Moretonii*, ſervos fratris ſui univerſos militéſque ſtipendiarios cum honore retinuit; multa eis dona promittens. Et protinùs *Hubertum Cantuarienſem* Archiepiſcopum & *Willielmum Mareſchallum* in *Angliam* direxit, ad pacem ſuam ibidem denunciandam & cuſtodiendam: unà cum G. *filio Petri* juſtitiario & aliis optimatibus Regni. Quò cum perveniſſent, fecerunt homines jurare fidelitatem Comiti *Johanni*: atque unà cum *Gaufrido filio Petri* apud *Northamptoniam* convenientes; convocaverunt Proceres univerſos, de quibus magis dubitabant: & fecerunt illis fidem, quod Comes *Johannes* jura ſua redderet univerſis. Sub tali igitur conventione Comites & Barones Comiti memorato fidelitatem contra omnes homines juraverunt. *Willielmo* verò Regi

Scotorum per *Euſtac*[illegible]*m* de *Veſci* denunciaverunt; quod in reditu ſuo in *Angliam*, eidem ſatisfaceret de jureſ[illegible] *Anglia*: & ei interim fidem ſervaret & pacem. Et ſic ab omnibus in Regno *Angliæ*, lis & contentio conquievit. 1199.

Quidam magnatum Comiti Johanni, *quidam verò* Arturo *adhæſerunt.*

COMES verò *Johannes*, dum hæc in *Anglia* agerentur, perrexit ad *Chinonem* ubi theſaurus erat Regis defuncti; quem *Robertus* de *Turmham* in cuſtodia habens, reddidit ei cum caſtellis de *Chinone* & de *Savim* & aliis caſtellis ſub ipſius cuſtodia deputatis. *Thomas* verò de *Furneis* nepos ipſius *Roberti*, tradidit *Arturo* Comiti *Britanniæ* civitatem *Andegavis* & caſtellum: & eidem *Arturo* adhæſit. Principes *Andegaviæ*, *Cænomanniæ* & *Turoniæ*; *Arturo* ſicut Ligio Domino adhæſerunt: dicentes judicium eſſe & conſuetudinem illarum Regionum, ut *Arturus* filius fratris ſenioris in patrimonio ſibi debito & hæreditate avunculo ſuccedat; quem videlicet *Gaufridus* pater ejuſdem *Arturi* eſſet habiturus, ſi Rege *Richardo* defuncto ſupervixiſſet. *Conſtantia* præterea mater *Arturi* ad Regem *Francorum Turonem* veniens; tradidit ei *Arturum* memoratum; quem Rex continuò miſit *Pariſios* ſub cuſtodia deputatum; & accepit in manu ſua civitates omnes & caſtella, quæ *Arturi* erant. Sed *Johannes* Comes & mater ejus *Alienora*, exercitu copioſo ſtipati; *Cænomanniam* venientes, civitatem & caſtellum ceperunt, domos in ea lapideas ſubruerunt: eò quòd *Arturo* adhæſerant: & cives captivos educentes, ſub carcerali eos cuſtodia incluſerunt.

Comes Johannes *Ducatum* Normanniæ *ſuſcepit.*

HIS ita geſtis, Comes *Johannes* fuit in die Paſchæ in *Andegavia* apud *Bamfort*; & in craſtino miſit *Alienoram* Reginam cum *Marchadeo* ad *Andegavenſium* civitatem: quò hoſtiliter accedentes, devaſtaverunt eam, & cives captos turpiter abduxerunt. Et interim Comes *Johannes Rothomagum* veniens, in octavis Paſchæ gladio ducatus *Normanniæ* accinctus eſt, in matrice eccleſia, per miniſterium *Walteri Rothomagenſis* Archiepiſcopi: ubi Archiepiſcopus memoratus, ante majus Altare in capite ejus poſuit circulum aureum; habentem in ſummitate per gyrum roſulas aureas artificialiter fabricatas. Et Dux coram clero & populo juravit ſuper reliquias ſanctorum, & ſuper evangelia ſacroſancta; *quòd ipſe ſanctam Eccleſiam & ejus dignitates bona fide & ſine malo ingenio defenderet; & ordinatos honoraret*. Juravit etiam quòd *leges iniquas, ſi quæ eſſent, deſtrueret, & bonas ſurrogaret*. Eodem tempore, *Willielmus* genere *Normannus*, & Eccleſiæ ſancti *Pauli Londoniarum* Canonicus; apud *Weſtmonaſterium* per manum *Huberti Cantuarienſis* Archiepiſcopi, in Capella ſanctæ *Catharinæ* Epiſcopus *Londonienſis* conſecratus eſt, decimo Kalendas Junii.

JOHANNES.

PEr idem tempus, Dux *Normanniæ Johannes*, transfretavit in *Angliam*; & apud *Sorham* applicuit octavo Kalendas Junii; & in craſtino in vigilia videlicet Dominicæ Aſcenſionis, *Londonias* venit, ibidem coronandus. Congregatis itaque in adventu ejus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus & Baronibus atque aliis omnibus, qui ejus coronationi intereſſe debuerant; Archiepiſcopus ſtans in medio omnium, dixit: *Audite univerſi. Noverit diſcretio veſtra, quòd nullus prævia ratione alii ſuccedere habet regnum, niſi ab univerſitate Regni unanimiter, invocatâ Spiritus gratiâ electus, & ſecundùm morum ſuorum eminentiam prælectus, ad exemplum & ſimilitudinem* Saul *primi Regis inuncti, quem præpoſuit Dominus populo ſuo, non Regis filium, nec Regali ſtirpe procreatum. Similiter poſt eum* David Jeſſæ *filium: hunc, quia ſtrenuum & aptum dignitati Regiæ; illum quia ſanctum & humilem. Ut ſic qui cunctos in regno ſupereminet ſtrenuitate, omnibus præſit & poteſtate & regimine. Verùm ſi quis ex ſtirpe Regis defuncti aliis præpolleret, proniùs & promptiùs in electionem ejus eſt conſentiendum. Hæc idcirco diximus, pro inclyto Comite* Johanne, *qui præſens eſt, frater illuſtriſſimi Regis noſtri* Richardi *jam defuncti; qui hærede caruit ab eo egrediente, qui providus & ſtrenuus & manifeſtè nobilis, quem nos, invocatâ Spiritus ſancti gratiâ, ratione tam meritorum quàm ſanguinis Regii unanimiter elegimus univerſi.* Erat autem Archiepiſcopus vir profundi pectoris; & in regno ſingularis columna ſtabilitatis & ſapientiæ incomparabilis. Nec auſi erant alii ſuper his adhuc ambigere; ſcientes quòd ſine cauſa hoc non ſic diffiniverat. Verum Comes *Johannes* & omnes hoc acceptabant; ipſumque Comitem in Regem eligentes & aſſumentes, exclamant dicentes: *Vivat* Rex. Interrogatus autem poſteà Archiepiſcopus *Hubertus*, quare hæc dixiſſet: reſpondit ſe præſaga mente conjecturare, & quibuſdam oraculis edoctum & certificatum fuiſſe, quòd ipſe *Johannes* Regnum & coronam *Angliæ* foret aliquando corrupturus, & in magnam confuſionem precipitaturus. Et ne haberet liberas habenas hoc faciendi, ipſum electione non ſucceſſione hæreditaria, eligi debere affirmabat. Archiepiſcopus autem imponens capiti ejus coronam, unxit eum in Regem apud *Weſtmonaſterium*; ſcilicet in Eccleſia principis Apoſtolorum, Dominicæ aſcenſionis die, ſexto Kalendas

1199. Kalendas Junii: *Philippo Dunelmenſi* Epiſcopo appellante, ſed non obtinente, te coronatio illa fieret in Abſentia G. Archiepiſcopi *Eboracenſis*. In hac coronatione Rex *Johannes* triplici involutus eſt ſacramento: *Quòd videlicet ſanctam Eccleſiam & ejus ordinatos diligeret, & eam ab incurſione malignantium indemnem conſervaret: & quòd perverſis legibus deſtructis, bonas ſubſtitueret, & rectam juſtitiam in Regno Angliæ exerceret. Deinde adjuratus eſt* ab eodem Archiepiſcopo ex parte Dei, & diſtrictè prohibitus, ne honorem hunc accipere præſumeret, niſi in mente habeat opere, quod juraverat, adimplere. Ad hoc ille reſpondens, *promiſit ſe per auxilium Dei, bona fide, ea quæ juraverat, ſervaturum.* In craſtino autem, homagiis & fidelitatibus acceptis, beatum *Albanum* Protomartyrem *Angliæ*, orationis gratia, devotus petivit. Et ſic breviſſimam in *Anglia* moram faciens; ea quæ ſtatuenda erant in regno, cum conſilio magnatum ritè peregit.

Rex Johannes *in* Normanniam *tranſiens multorum amicitiam ſibi conciliat.*

INSTANTE verò deinceps feſto beati *Johannis Baptiſtæ*, qua ejus Nativitas celebratur; in *Normanniam* transfretavit. Et cum veniſſet *Rothomagum*, confluebat ad eum multitudo equeſtris exercitus & pedeſtris; quos in ſervitio ſuo omnes lætus retinuit. Deinde habitum eſt colloquium inter Regem *Francorum* & ipſum; in quo ſtatutæ ſunt induciæ uſque in craſtinum Aſſumptionis beatæ *Mariæ*; ut medio tempore de pace tractarent. Venit intereà ad Regem *Johannem*, Comes *Flandrenſis* apud *Rothomagum*, & alii multi nobiles de regno *Francorum*; & pepigerunt fœdus amicitiæ cum eo, ſicut fecerant cum Rege *Richardo* contra Regem *Francorum*: factâque ſecuritate ad invicem, unuſquiſque in propria ſeſe recepit.

Reges ad colloquium venientes, diſcordes receſſerunt.

EODEM tempore, Rex *Francorum Arturum* Comitem *Britanniæ* cingulo militari donavit in craſtino Aſſumptionis beatæ *Mariæ*; & idem *Arturus* continuò fecit homagium Regi *Francorum* de *Andegavia*, *Pictavia*, *Turonica*, *Cœnomannia*, *Britannia*, & *Normannia*: & Rex promiſit *Arturo* fidele auxilium ſuum ad hæc omnia perquirenda. Deinde Reges ſæpè dicti die ſequenti conveniunt ad colloquium inter *Butanant* caſtellum, & *Wailim*; ubi ſegregatis omnibus utriuſque regni magnatibus collocuti ſunt ore ad os, quaſi unius horæ ſpatio: nemine præter ipſos duos eorum colloquium audiente. In quo colloquio petiit Rex *Francorum*, ad opus ſuum totum *Vegeſinum*, id eſt quicquid continetur inter Foreſtam *Lunis* & *Sequanam*, ex una parte; & riveras de *Andeli*, & de *Cethe* ex altera: dicens quod *Gaufridus Plantagenest* Comes *Andegaviæ* avus ejus, dederat illud *Lodowico Croſſo*, pro auxilio ſuo habendo contra Regem *Stephanum* in *Normanniam* acquirendo. Poſtulavit prætereà ad opus *Arturi*, *Pictaviam*, *Andegaviam*, *Cænomannicam*, *Turonicam* & *Normanniam*; & alia multa quæ Rex *Johannes* concedere noluit nec debuit: & ſic ſoluto colloquio, diſcordes ab invicem receſſerunt. Requiſitus igitur à ſuis Rex *Francorum*, quare ſe adeò iratum exhibuit adverſus Regem *Johannem*, qui nunquam illi malum fecerat; reſpondit, quòd ſine licentia ejus occupaverat *Normanniam* & cæteras terras ſupradictas: cum imprimis, mortuo Rege *Richardo*, debuerat ad eum veniſſe, & de jure ſuo illi homagium obtuliſſe. Recedente in hunc modum *Francorum* Rege, *Willielmus* de *Rupibus* vir nobilis, *Arturum* callidè de cuſtodia Regis *Francorum* eripiens; pacificavit eum cum Rege *Anglorum*; tradens eidem Regi *Cœnomanniæ* civitatem, quam Rex *Francorum* prædicto *Willielmo* in cuſtodia tradiderat, cum *Arturo*. Sed die eadem dictum fuit *Arturo*, quod Rex *Anglorum* ipſum caperet, & perpetuo carceri manciparet, unde idem *Arturus* denuò ad *Francorum* Regem latenter receſſit.

Rex Otho Romam *veniens Imperium ibidem obtinuit.*

CIRCA dies iſtos, caſſata electione ducis *Suaviæ* & aliorum omnium; *Otho* Rex *Alemannorum* ab *Innocentio* Papa & *Romanis* omnibus electus eſt; & ad *Romanum* Imperium admiſſus. Confirmata igitur à domino Papa electione, *Philippus* dux *Suaviæ* excommunicatus eſt & omnes fautores ejus; niſi ab *Othonis* perſequutione deſiſtant. In Capitolio autem & per totam urbem declamatum eſt: *Vivat & valeat Imperator Otho.* Tunc ab omnibus confirmatus, ad memoriam revocans, quòd per Regem *Richardum* ad tantum fuerat promotus honorem; Regi *Johanni* ſignificavit, ut ipſe differret cum Rege *Francorum* amicabiliter componere: quia Domino volente, ipſe in brevi ſuccurſum ſibi talem providebit, qualem Imperialem decet Celſitudinem providere.

Regnum Francorum *interdictum.*

PER idem tempus, *Petrus* de *Capua* Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis Legatus, regnum *Francorum* ſub interdicto concluſit; propter captionem fratris *Petri* de *Duaii Cambracenſis* electi: ſed antequàm ſententia relaxaretur, Rex *Francorum* præfatum electum ab omni cuſtodia liberavit. Eodem quoque tempore idem Legatus ad Regem *Anglorum* veniens, ſub pœna interdicti rogavit, ut epiſcopum *Belvacenſem*, qui jam per biennium ſub crudeliſſima carceris cuſtodia detentus fuerat; liberam concederet licentiam abeundi. Sed quoniam idem epiſcopus contra ordinis ſui dignitatem, captus fuerat in armis ut miles vel ruptarius; non priùs eſt abire permiſſus, donec ſex millibus argenti marcis ad pondus ſterlingorum numeratis, & fiſco commendatis; Regiæ concupiſcentiæ ſatisfecit. Quo facto, juravit epiſcopus memoratus, quòd nunquam in vita ſua contra *Chriſtianos* arma geſtaret.

HOC

Hoc anno deciſa eſt cauſa vetuſtiſſima inter eccleſias *Turonenſem* & *Dolenſem*, *Romæ* à Papa *Innocentio*: per ſententiam diffinitivam Archiepiſcopo *Turonenſi*, ab Epiſcopo *Dolenſi* *ſubjectionem exigente*; & Epiſcopo *Dolenſi* contradicente. Eſt autem *Dolenſis* eccleſia *Minoris Britanniæ* metropolis; cujus pontifices, temporibus ſancti *Martini* & antè & multo poſt tempore, ſicut alii omnes minoris *Britanniæ* Præſules, *Turonenſis* eccleſiæ Suffraganei fuerunt. Sed qualiter poſtmodum ab illius eccleſiæ ſubjectione deſciverint, hæc cauſa eſt. Tempore quo gens *Anglorum* in *Majorem* venit *Britanniam*, ut eam ſubjugaret; & Rex *Britonum* **Interprendragon* apud *Verolamium* infirmitate graviſſima detentus, lecto decumberet; ita ut nec ſibi nec regno ſuo contra Barbarorum rabiem ſubvenire potuiſſet: fertur *Anglorum* ſuperſtitio in tantum prævaluiſſe, quod vaſtata ferè à mari uſque ad mare inſula; eccleſiæ ſacræ ad ſolum uſque complanarentur. Pontifices verò & eccleſiarum Prælati, cernentes patriæ deſolationem, ſimul & eccleſiæ ſanctæ ſubverſionem, receſſerunt ad loca tutiora: decernentes communiter ſanius eſſe Barbarorum rabiem ad tempus declinare, quàm inter fidei *Chriſtianæ* rebelles ſine fructu reſidere. Inter quos ſanctus *Sampſon Eboracenſis* Archiepiſcopus eximiæ vir ſanctitatis, ad ſuos concives in minorem aufugiens *Britanniam*, qui ex eodem genere erant & gente; pallium quod à Romano ſuſceperat Pontifice, ſecum portavit. Quò cum perveniſſet, & à ſuis concivibus honorificè ſuſceptus fuiſſet; ad *Dolenſis* eccleſiæ Præſulatum, quæ nuper fuerat paſtore viduata, communi omnium deliberatione epiſcopus electus eſt: & Rege concedente, licèt multum renitens inthroniſatus. In illa autem eccleſia quoad vixit, pallio quod ab *Eboracenſi* monaſterio detulerat, uſus eſt; & ſucceſſorum ejus multi poſt illum. Deinde verò Reges illius provinciæ cùm in regno proprio Archiepiſcopum habuerunt; non permiſerunt epiſcopos ſuos, qui antea ſemper Suffraganei fuerant eccleſiæ *Turonenſis*, præfato Archiepiſcopo *Turonenſi* debitam impendere obedientiam: ſtatuentes, ut de cætero *minoris Britanniæ* Præſules, alium Metropolitanum quàm *Dolenſem* Archiepiſcopum non haberent. Poſtmodùm autem elapſis trecentis vel eo ampliùs annis, Papa *Nicolaus* ad inſtantiam *Turonenſis* Archiepiſcopi hunc volentes revocare errorem: *Salamoni Britonum* Regi ſcripſit epiſtolam, quæ in decretis *Gratiani* continetur *Cauſa* 3. q. 6. ſub hac forma.

1200.

Controverſia inter Eccleſias Turonem & Dolenſem deciſa.

* Uterpendragon.

Hæc *quippe eſt dicti patris tui ordinatio, & hæc eſt lex eccleſiæ matris tuæ videlicet ut omnes epiſcopos regni tui ad* Turonenſem *Archiepiſcopum mittere non detractes, ipſiúſque judicium poſtulare non dedigneris. Ipſe enim eſt Metropolitanus, omneſque epiſcopi regni tui, ejus ſuffraganei ſunt, ſicut conſcriptiones prædeceſſorum meorum evidenter oſtendunt: qui prædeceſſores tuos, quia ab ejus jure ſe ſubtraxerunt, forti inventione corripere ſtuduerunt: quamvis nec noſtra ſcripta ſuper hac re miſſa deeſſe videantur.* Et infra: *quia verò magna quis ſit Metropolitanus apud* Britannos *contentio eſt, nulliúſque teneat memoria, vos in veſtra regione ullam habuiſſe Metropolim eccleſiam; tamen ſibi libet, poſtquàm Deus omnipotens pacem inter te & dilectum filium noſtrum* Carolum *Regem glorioſum conſtituerit, facilè hoc poteritis advertere. Quòd ſi adeò contentioſiùs agere creditis, ad Apoſtolatum deſtinare contendite; quatenùs noſtro libramine, quæ ſit apud vos antiquitùs Archiepiſcopalis eccleſia, luce clariùs innoteſcat: & deinceps omni ambiguitate reciſa, quam ſequi Epiſcopi veſtri debeant incunctanter agnoſcant.* Tali itaque Regi præfato facta admonitione, non ideò deſtitit ab incœptis, ſed ſemper deinceps tam ipſe quàm ejus ſucceſſores perſtiterunt rebelles: Atque inter Epiſcopos *Turonenſem* & *Dolenſem* lis continua & contentio perduravit: donec anno præſenti, ut prædictum eſt à Papa præfato ſententialiter diffinitum eſt, ut tam *Dolenſis* quàm cæteri *Britanniæ* Epiſcopi, Archiepiſcopo *Turonenſi* ſubjaceant; & in perpetuum præceptis ejus Canonicis acquieſcant. Unde Papa memoratus in pronuntiatione ſententiæ diffinitivæ (ut qui in ſcientia erat magnus, audax ſimul Juriſperitus) ita exorſus ait: *Doleat Dolenſis, & gaudeat Turonenſis.*

Epiſtola Nicolai Papæ de eadem re.

Anno gratiæ M. CC. Rex *Francorum Philippus* & Rex *Anglorum Johannes*; poſt feſtum ſancti *Hilarii* inter *Wailum* & *Butanant* caſtella ad colloquium convenerunt. Ubi convenit inter eoſdem Reges cum conſilio principum utriuſque Regni; quod videlicet *Lodowicus* filius Regis *Francorum* & hæres, duceret uxorem filiam *Aldefonſi* Regis *Caſtellæ* & neptem Regis *Johannis*: & Rex *Anglorum* pro hoc matrimonio contrahendo, daret *Lodowico* cum nepte ſua nomine *Blanca*, in maritagio civitatem *Ebroicarum*, cum toto comitatu; & inſuper triginta millia marcarum argenti. Petiit prætereà Rex *Francorum* ab *Anglorum* Rege; ut faceret ſibi ſecuritatem, quod nullum *Othoni* nepoti ſuo faceret auxilium, neque hominibus neque pecunia ad imperium obtinendum. Dictum eſt enim, quod Dux *Suaviæ Philippus*, per convenientiam Regis *Francorum* & auxilium præfatum; *Othonem* perſequutione graviſſima infeſtabat; nec propter excommunicationis ſententiam, qua fuerat à Papa innodatus, ab ejus impugnatione ceſſabat. Denique inter Reges, ut præmiſſum eſt, fœdere confirmato; terminum ad ſequens feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* ſtatuerunt; ut tunc ea quæ præloquuta ſunt, irrefragabiliter ſortiantur effectum. Sicque ſoluto colloquio, Rex *Johannes* ſperans ſe per hoc matrimonium diutina pace gaviſurum; miſit matrem ſuam *Alienor* Reginam propter puellam memoratam; ut ſalvo conductu cum ipſa ad terminum præfixum rediret, Rex *Anglorum* interim transfretavit in *Angliam*; & cepit de unaquaque caruca-

Alienor Regina pro Blanca puella Lodowico mittitur maritanda.

1200. carucata terræ totius *Angliæ* tres ſolidos de auxilio: expletíſque aliis negotiis in *Normanniam* iterum transfretavit.

ut Lodowicus *filiam Regis* Aldefonſi *Regis* Caſtellæ *duxit*.

His ita geſtis, rediit *Alienor* Regina cum præfata puella *Lodowico* maritanda; & eam *Anglorum* Regi præſentavit. Deinde Reges conveniunt ad colloquium inter *Gulutune* & *Butunant*. 11. Kalendas Julii: ubi Rex *Francorum* reddidit Regi *Anglorum* civitatem *Ebroicarum*; & totum Comitatum atque terras univerſas quæ bello occupaverat in *Normannia*, & aliis terris Regis *Anglorum*: & Rex *Johannes* incontinenti inde fecit homagium Regi *Francorum*; & ſic dedit univerſa illa *Lodowico* cum nepte ſua in maritagio, & homagium inde à *Lodowico* ſuſcepit. Quo facto, puella in craſtino deſponſata eſt *Lodowico* apud *Purmor* in *Normannia* ab Archiepiſcopo *Burdegalenſi*. Erat enim tunc regnum *Francorum* interdictum, propter *Botildam* Reginam, quam Rex *Francorum* dimiſerat. Atque protinus poſt deſponſationem, *Lodowicus* duxit *Pariſios* ſponſam ſuam in lætitia & exultatione; tam cleri quàm populi utriuſque regni.

Rex Johannes Iſabel *Reginam deſponſavit.*

Eodem tempore, celebrato divortio inter Regem *Anglorum* & uxorem ſuam *Hawiſam* Comitis *Gloverniæ* filiam; eò quòd affines erant in tertio gradu conſanguinitatis; duxit idem Rex, conſilio Regis *Francorum*, *Iſabel* filiam Comitis *Engoliſmi*; quam priùs ſuſceperat in ſuam *Hugo* cognomento *Brunus*; Comes *Marchiæ*; & Dominica proxima ante feſtum ſancti *Dionyſii*, apud *Weſtmonaſterium* conſecratur in Reginam, quæ copula poſtmodùm Regi & regno *Angliæ*, magno detrimento fuit. Nec multò pòſt, convenientibus ad colloquium apud *Vernonem* Regibus; *Arthurus* ibidem fecit homagium Regi *Anglorum* de *Britannia* & aliis terris ſuis: ſed timens proditionem Regis *Johannis*, remanſit in cuſtodia Regis *Francorum*.

Mandatum Domini de cœlo ſuper obſervatione diei Dominicæ.

Circa dies iſtos, Epiſtola de cœlo veniens in *Hieruſalem*, appenſa eſt ſuper altare ſancti *Simeonis* in *Golgotha*, ubi crucifixus eſt *Chriſtus* pro redemptione mundi; quam, per tres dies & totidem noctes, homines ex alto dependentem aſpicientes, corruerunt in terram; rogantes Domini miſericordiam, ut ipſe eis dignaretur ſuam oſtendere voluntatem. Die verò tertia, poſt horam diei tertiam, erexit ſe ab oratione Patriarcha & Archiepiſcopus *Zacharias*; & expandentes Infulam ſuper altare ſanctum, ſanctam Dei epiſtolam acceperunt. Quam cum inſpexiſſent, iſtud inveniunt ſuperſcriptum. *Ego Dominus, qui præcepi vobis, ut obſervaretis ſanctum diem Dominicum, in quo requievi ab operibus meis, ut eſſet requies cunctis mortalibus in æternum, & non cuſtodiſtis eum, & de peccatis veſtris non pœnituiſtis. Sicut dixi per Evangelium meum:* Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. *Feci vobis prædicare pœnitentiam vitæ & non credidiſtis. Miſi ſuper vos* Paganos *& gentes, qui effuderunt ſanguinem veſtrum in terra, nec tamen credidiſtis. Et quia ſanctum diem Dominicum non cuſtodiſtis, per paucos dies habuiſtis famem, ſed citò dedi vobis ſaturitatem, & poſteà pejùs feciſtis. Volo ergo, ut nemo ab hora nona Sabbathi, uſque ad Solem ſurgentem diei Lunæ, aliquid operetur, niſi quod ſit bonum, & ſi quis fecerit, cum pœnitentia emendet. Et ſi huic mandato meo non obedieritis, amen dico vobis, & juro vobis per ſedem meam, & thronum meum, & Cherubin qui cuſtodiunt ſedem meam, quia non mandabo vobis aliquid per aliam epiſtolam: ſed aperiam cælos, & pro pluvia, pluam ſuper vos lapides & ligna & aquam calidam per noctes, ut nemo præcavere poſſit, quoniam deſtruam omnes homines malos. Hoc dico vobis morte moriemini, propter diem Dominicum ſanctum & alias feſtivitates ſanctorum meorum, quas non cuſtodiſtis. Mittam vobis beſtias habentes capita* Leonum, *capillos mulierum, & caudas camelorum, & ita famelicæ erunt, quòd carnes veſtras devorabunt, & vos deſiderabitis fugere ad ſepulchra mortuorum, & abſcondere vos propter metum beſtiarum. Et tollam lumen Solis ab oculis veſtris, & mittam ſuper vos tenebras, ut occidatis vos invicem non videntes; & auferam à vobis faciem meam, & non faciam vobiſcum miſericordiam. Incendam enim corpora veſtra & corda illorum, qui non cuſtodiunt diem Dominicum. Audite vocem meam, ne pereatis in terra, propter diem ſanctum Dominicum. Recedite à malo & penitentiam agite de malis veſtris. Quod ſi non feceritis, quaſi* Sodoma *&* Gomorrah *peribitis. Nunc ſcitote, quod ſalvi eſtis per orationes ſanctiſſimæ Genetricis meæ* Mariæ *& ſanctorum Angelorum meorum abundanter; qui orant pro vobis quotidiè. Dedi vobis frumentum & vinum abundanter, & inde non obediſtis mihi. Nam viduæ & Orphani clamant ad vos quotidiè, quibus nullam facitis miſericordiam:* Pagani *habent miſericordiam, vos autem non habetis. Arbores quæ fructificant, ſiccari faciam pro peccatis veſtris, flumina & fontes non dabunt aquam. Dedi vobis legem in monte* Sinai, *quam non cuſtodiſtis: Dedi pòſt per me legem, quam non obſervaviſtis: pravi homines, diem Dominicum reſurrectionis meæ non cuſtodiſtis. Tollitis res alterius, & de hac nullam conſiderationem habetis: propter hoc mittam ſuper vos beſtias pejores, quæ devorabunt mamillas mulierum veſtrarum. Maledicam illis, qui injuſtè agunt versùs fratres ſuos, maledicam illis qui pauperes & Orphanos malè judicant. Me autem dereliquiſtis, & principem hujus ſæculi ſequimini. Audite vocem meam, & habebitis miſericordiam bonam: vos autem non ceſſatis ab operibus malis, nec ab operibus Diaboli, quia facitis adulteria & perjuria, & ideò circumdabunt vos gentes, & devorabunt ut beſtiæ.*

1200.

Prædicatio Euſtachii *Abbatis de* Flai *ſuper mandato memorato.*

CUM autem Patriarcha & Clerus omnis *Terræ ſanctæ*, hunc epiſtolæ tenorem diligenter examinaſſent; communi omnium deliberatione decretum eſt, ut epiſtola ad judicium *Romani* Pontificis tranſmitteretur; quatenùs, quicquid ipſe agendum decreverit, placeat univerſis. Cúmque tandem epiſtola ad domini Papæ notitiam perveniſſet, continuò prædicatores ordinavit; qui per diverſas mundi partes profecti, prædicaverunt ubique Epiſtolæ tenorem; Domino cooperante & ſermonem eorum confirmante, ſequentibus ſignis. Inter quos Abbas de *Flai* nomine *Euſtachius*, vir religioſus & literali ſcientia eruditus, regnum *Angliæ* aggreſſus; multis ibidem miraculis coruſcavit. Qui non longè à civitate *Dorobornenſi* appulſus, in villa quæ *Wi* appellatur, officium prædicationis incepit. Cúmque fontem quendam ibidem benedixiſſet, Dominus ipſius meritis tantam in eo infudit gratiam; ut ex ſolo illius guſtu, cœci viſum, claudi greſſum, muti loquelam, & ſurdi cœlitùs, receperunt auditum; & quilibet debilis ex fonte cum fiducia bibens, gaviſus eſt ſe recepiſſe ſanitatem. Venit itaque ad eum mulier quædam à dæmonibus obſeſſa, & quaſi hydropico morbo inflata; petens ab eo ſibi ſanitatem. Cui ille: Confide filia, & vade ad natatoria fontis de *Wi*, quem benedixit Dominus, & bibe ex eo; & recipies ilicò ſanitatem. Abiit mulier, & juxta viri dei monita bibit, atque protinus in vomitum prorupit: : ubi cunctis, qui ad fontem gratia curationis venerant, cernentibus, exierunt ex illa duo bufones magni & nigerrimi, qui ut ſe dæmones oſtenderent, ſtatim transformati ſunt in canes immenſos & nigros, & poſt paululùm in formam converſi ſunt aſininam. Mulier autem ſtabat attonita, & poſt illos cucurrit furibunda, volens eos apprehendere. Sed vir *quidam*, qui ad fontis cuſtodiam fuerat deputatus; aquam fontis inter mulierem & monſtra aſpergens, fugavit illa in aërem ſurſùm: ubi evaneſcentes, fœda poſt ſe veſtigia reliquerunt.

ut prædictus Abbas Fontem dulcis aquæ emanare fecerit.

IN Villam de *Rumeſuel* prædicando perveniens idem vir Dei ubi erat aquæ dulcis defectus, ad preces populi in eccleſia ejuſdem villæ baculo ſuo petram percuſſit, & fluxerunt latices in abundantia; quarum hauſtu multi à diverſis languoribus curabantur. Deinde à loco ad locum, à provincia in provinciam, de civitate in civitatem tranſiens; multos ad uſurarum relaxationem induxit, Crucem ſumere Dominicam admonuit, ad pietatis opera multorum corda, prædicando, permutavit. Nundinas verò & mercata Dominicæ diei adeò interdixit; quòd omnia ferè, quæ diebus Dominicis per *Angliam* fieri conſueverant, conſtituerentur in una hebdomadæ ſequentium feriarum: Sicque Dominicis diebus, fidelis populus divinis ſolummodò vacans obſequiis, omne opus ſervile penitùs abdicavit. Veruntamèn tempore procedente, pleríque ut canes ad vomitum, ſunt reverſi. Rectoribus quoque eccleſiarum & preſbyteris cum populis ſibi ſubjectis admonendo indixit, ut in eccleſia ante Euchariſtiam continua lux arderet; quatenùs ille, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, pro luce temporali lucem eis concederet ſempiternam. Divitibus autem & magnatibus univerſis & præcipuè civibus & mercatoribus prædicabat, ut ſemper in menſa diſcum Chriſti pro pauperibus haberent; quatenùs aſſueta ſuperfluitate ſubtracta, indigentium inopiam ſublevarent. Diem verò Sabbathi poſt nonam, ſicut diem Dominicum ab omni opere ſervili cuſtodiri mandavit; & deinceps diem Dominicum cum nocte ſequenti, qui dies dicitur naturalis, & requiem innuit per figuram noſtræ perpetuæ quietis.

Miraculum aliud.

EODEM tempore, mulier quædam de provincia *Norfolcenſi* viri Dei monita ſpernens, una die Sabbathi poſt nonam, pannos lavare perrexit. Quæ cùm laborioſo conatu ad inchoatum jam opus inſtaret, acceſſit ad eam vir quidam reverendæ ætatis ſibi penitùs ignotus, ſciſcitans increpando; qua temeritate, poſt viri Dei prohibitionem, auſa ſit poſt nonam pannos lavare, & ſanctum diem Sabbathi opere illicito violare? Addidit inſuper, quòd niſi celeriùs ab incœptis deſiſteret, ſciret ſe profectò iram Dei cùm cœli ultione quantociùs incurſuram. At illa viro ſibi ſermocinanti, urgentem prætendens inopiam, dixit ſe hujuſmodi labore vitam miſeram eatenùs perduxiſſe: & ſi ab opere conſueto ceſſaret, periculum de vitæ ſubſidio dubitaret. Denique cum ſubitò vir ille ab oculis ejus evanuiſſet, propenſiùs quàm priùs fecerat, pannos ſuos lavare, & ad Solem ſiccare maturavit. Sed hiis omnibus ultio divina non defuit: namque ilicò mamillæ mulieris ſiniſtræ, quaſi porcellus colore nigerrimus ſubitò adhærens, nullo conatu potuit avelli: ſed aſſiduè ſugendo, ſanguinem eliciens, totum ferè corpus miſeræ mulieris in brevi conſumpſit. Tandem ad ſummam perducta inopiam, diu panem mendicare oſtiatim compulſa eſt; quouſque multis intuentibus, & divinam ultionem admirantibus, vitam miſeram miſerabiliter terminaret.

Aliud Miraculum.

EADEM tempeſtate, in provincia *Northanhumbrorum*, plebeius quidam uxori ſuæ præcepit, ut quadam die Sabbathi, panem in craſtino comedendum pararet. Quæ viri præceptis obtemperans, cùm panem illum viro ſuo in craſtino comedendum obtuliſſet, & ille panem incidere cœpiſſet; res mira contigit & ſæculis inaudita: ſiquidem ſanguinis recens cultellum viri panem incidentis ita ſequutus eſt, acſi de beſtia nuper occiſa perfluxiſſet. Hic autem caſus multos ad hujuſmodi operibus compeſcuit, cum ad notitiam hominum perveniſſet.

1200.

Gaufridus Eboracenſis Archiepiſcopus, omnibus bonis ſpoliatur.

SUB diebus iſtis, *Gaufridus Eboracenſis* Archiepiſcopus, ex mandato Regis *Johannis*, ſpoliatus eſt omnibus bonis ſui Archiepiſcopatus. *Jacobus* autem Vicecomes *Eboracenſis* & miniſtri ejus, maneria illius ſimul & Clericorum virorúmque religioſorum poſſeſſiones violenter aggreſſi, bona eorum diſtrahere præſumpſerunt. Unde idem Archiepiſcopus *Jacobum* præfatum nominatim excommunicavit; & in genere omnes hujus violentiæ authores: quique Regem adversùs eum in iram & indignationem commoverant. Cauſa enim Regiæ perturbationis contra eum multiplex erat, primò, quòd non permiſit præfatum Vicecomitem colligere Carucagium in ſua diœceſi ad opus Regis; ſicut ei fuerat generaliter per *Angliam* conceſſum. Secundò, quòd noluerit transfretare cum ipſo in *Normanniam*, ad faciendum maritagium inter *Lodowicum* & neptem ſuam, & componendum cum Rege *Francorum*. Tertiò, quòd excommunicaverat Vicecomitem memoratum; & totam provinciam *Eboracenſem* eccleſiaſtico ſuppoſuerat interdicto.

PER idem tempus, Rex *Johannes* poſt completa negotia in partibus tranſmarinis; transfretavit in *Angliam*; ſponſámque ſuam ſecum ducens, applicuit apud *Doveram* octavo Idus Octobris. Venientes autem *Londonias* apud *Weſtmonaſterium*, *Huberto Cantuarienſi* Archiepiſcopo & magnatibus Regni præſentibus; *Gaufridus Eboracenſis* Archiepiſcopus cum Rege pacificatus eſt. Quo & tempore Rex *Johannes* ſignificavit *Willielmo* Regi Scotorum, ut veniret ad eum apud *Lincolniam*; ut ibidem ſibi de jure ſuo ſatisfaceret, in craſtino ſancti *Eadmundi*.

Vita ſancti Hugonis Lincolnienſis epiſcopi.

CIRCA dies iſtos, *Hugo* reverendæ memoriæ *Lincolnienſis* Epiſcopus de partibus veniens tranſmarinis; *Londonias* apud vetus templum quartanis febribus graviter infirmatus; decimo ſexto Calendas Decembris laudabilis vitæ curſum glorioſo fine complevit. Cujus inter homines converſatio ſancta, quæ mortalibus & informatio morum extitit & exemplum piæ actionis; compellit ut de eo vel pauca huic operi inſeramus. Hic vir ſanctus in remotis *Burgundiæ* partibus oriundus, moribus clarior quàm parentela refulſit: qui ab annis puerilibus, ſtudiis literarum addictus, decennis effectus, Canonicis regularibus traditur diſciplinis cœleſtibus informandus. Inter quos tam moribus quàm ſcientia regulariter imbutus; poſt circulum ſedecim annorum, in quadam Cella officium Prioris ſuſcepit. Ubi cum cuncta ſibi proſperè ſucceſſiſſent, lubricos carnis motus fortiùs cohibere decernens; ad ordinem *Carthuſienſem*, Domino diſponente, tranſivit. Cúmque ſe benignum ibidem cunctis & affabilem, religioſa gravitate ſervata, exhiberet; modico elapſo tempore, totius domus effectus eſt procurator. Intereà cùm illuſtris *Anglorum* Rex *Henricus*, domum quandam *Carthuſienſis* ordinis in *Anglia* conſtruxiſſet; qui viri Dei promotionem ardenti deſiderio ſitiebat; vix precibus obtinuit, ut ad regimen illius domus animum ejus inclinaret. Cúmque ad prioratus officium vocatus fuiſſet; priorem ſanctitatem indies ſtuduit ampliare: unde Regis gratiam, qui frequenter ejus colloquio fruebatur, ſanctæ converſationis merito non mediocriter obtinebat. Tenuerat autem Rex Eccleſiam *Lincolnienſem* in manu ſua, per multos annos, paſtoris ſolatio viduatam: quem volens exceſſum redimere, honeſtè procuravit, ut per electionem vir prædictus ad illius eccleſiæ regimen vocaretur. Quo facto, cum viro Dei electio denuntiata fuiſſet, reſpondit, quod Pontificalis officii non ſuſciperet dignitatem: niſi ſibi priùs, de communi *Lincolnienſis* eccleſiæ Canonicorum conſenſu & de licentia *Carthuſienſis* Prioris conſtaret. Cúmque ſuper his ſufficienter fuerat ſatisfactum, Decanus *Lincolnienſis* cum majoribus eccleſiæ, ad Dei virum acceſſit; qui inter prima colloquia ſic eorum ſibi gratiam conciliavit, ut eum paſtorem & Patrem ſpiritualem ſinceræ devotionis optarent effectu. Sed ut illi certiùs eorum conſenſus innoteſceret, ibi eum denuò elegerunt: & tunc primò conſenſit. Tandem verò, cùm conſecrationis munus ſuſcepiſſet, prima noctis quiete, qua in Epiſcopatu membra ſopori dediſſet, pòſt devotas orationes, audivit vocem dicentem ſibi: *Egreſſus es in ſalutem populi tui, & in ſalutem cum Chriſto tuo.*

Virtutes ſancti Hugonis.

CONSECRATUS autem Dei ſervus *Hugo*, eccleſiam ſuam adeò meritorum titulis illuſtravit; ita populum ſibi commiſſum verbis informavit & exemplis; ut epiſcopi nomen ſibi rectè competere declararet. Atque in eccleſia Cathedrali electas collocando perſonas; vivis ex lapidibus Deo habitaculum conſtruxit. Poteſtatis autem ſœcularis in rebus Eccleſiæ ſævientis impetus adeò conſtanter elidere conſuevit; ut & rerum & corporis ſui periculum contemnere videretur. In quo & adeò profecit, quòd & jura revocavit amiſſa; & eccleſiam ſuam à ſervitute graviſſima liberavit. Prætereà vir ſanctus domos Leproſorum, per quas tranſitum faciebat, ingredi conſuevit; & viros omnes leproſos, quantumcumque deformes, oſculari, & largas eleemoſynas conferre ſolebat. Unde bonæ memoriæ *Willielmus* ejuſdem eccleſiæ Cancellarius, volens experiri, utrùm propter hoc elatio tangeret animum viri, dixit ad eum: *Martinus* leproſum oſculando ſanavit, vos leproſos, quos oſculamini non ſanatis. Cui Epiſcopus incontinenti reſpondit: Oſculum *Martini* carnem Leproſi ſanavit: oſculum verò Leproſi animam meam ſanat. In mortuis ſanè ſepeliendis tam diligens humanitatis obſequium exhibere conſueverat, ut nullum mortuum præteriret, cujus ſepulturæ miniſterium ſibi competens videretur. Accidit autem quodam tempore, dum vir ſanctus circa gregis ſui curam vigilans, Parochias viſitaret; & ad villam quandam

Alcmun-

Alcmundsberi nominatam perveniret; parentes cujuſdam Infantis, ipſum parvum penè exanimem deferentes, auxilium pontificis lachrymabiliter poſtulabant. Epiſcopo verò requirenti quid vellent, mater pueri reſpondit: *Iſte parvulus filius noſter, partem cujuſdam laminæ ferreæ habentem in longitudine & latitudine pluſquàm pollicem unum, manu recepit, & more parvuli ad os mittens, deglutivit: quæ gutturi ejus firmiter adhærens, puerum mori compellit. Miſit itaque te Dominus, Pater ſancte, ut filium noſtrum nobis reſtituas in ultimo vitæ articulo palpitantem.* Quem reſpiciens Epiſcopus, guttur ejus tangens, benedixit, inſufflavit, & crucis charactere ſignavit ac dimiſit. Cúmque parentes parùm ab Epiſcopo receſſiſſent, ferrum continuò ſanguinolentum de gutture ejus exilivit: & ſanatus eſt puer ex illa hora. Alio quoque tempore, dum vir ſanctus per villam quæ *Ceſtrebunte* appellatur, tranſitum faceret; ſupplicaverunt eum parentes cujuſdam furioſi, qui per tres hebdomadas ſine vinculis detineri non potuit, ut eum viſitare, & ei benedicere dignaretur. Quo audito, vir ſanctus ex equo deſiliens, ad furioſum acceſſit. Erat autem caput ejus ligatum ad poſtem, manus verò ejus & pedes hinc inde ad paxillos. Epiſcopus aqua benedicta à ſe facta, infirmum linguam emittentem & quaſi ipſum deridentem, aſperſit; & Evangelium, *In principio erat verbum*, ſuper furioſum legit; benedictionem dedit & receſſit. Quo recedente, cœpit ægrotus dormitare, & evigilans ilicò reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati. Circa illud tempus Pius pontifex in die Paraſceves, cum eſſet *Lincolniæ*, & ad fabricam Matricis eccleſiæ, quam nobiliter à fundamentis extruxerat, lapides & cœmentum humeris ſuis in quodam cophino (ſicut ſæpiùs conſueverat) ferret; claudus quidam ex utraque parte, duobus innixus baculis, totis viſceribus deſiderare cæpit eundem cophinum deferre: ſperans quòd per merita beati viri ſanitatem eſſet recepturus. Tandem à magiſtro operis dari ſibi cophinum impetravit, in quo lapides & cœmentum cum ſuis baculis ferre cæpit. Elapſis verò paucis diebus, unum dimiſit baculum, ac deinde reliquum; & poſt modicum temporis, ſanus & erectus, nullo ſuffultus baculi adminiculo, eundem cophinum, ad opus eccleſiæ deportabat. Quem cophinum cum eſſet ſanus adeò dilexit, ut à ſe ſeparari nullatenùs ſuſtineret. Alio quoque tempore accidit in eadem civitate, quod civis quidam in tantam incidit amentiam; quòd octo viri fuerunt ad ipſius cuſtodiam deputati. Qui in vinculis detentus, tanto agebatur furore; quòd uxorem & liberos proprios minabatur dentibus laniare. Tandem in biga ligatus, ad virum Dei adductus eſt. Quem cum inſpexiſſet Epiſcopus, ſtatim aqua benedicta illum aſperſit; & ſpiritum malignum adjuravit, ut ab eò exiret, ipſúmque ulteriùs non vexaret. Æger verò incontinenti, morienti ſimilis corruit in terram; ſuper quem vir ſanctus aquam benedictam in magna quantitate effudit; ſtatímque furioſus ſurrexit, & manus ligatas ad cœlum erigens, Deo & beato Pontifici gratias egit, & ilicò vinculis ſolutis, ſanus receſſit. Quædam matrona *Lincolniæ* duos habuit filios, quorum alter dum adhuc puer eſſet, in dextro latere tumorem habuit grandem; de cujus ſalute mater deſperans, ſanctum Epiſcopum adiit, & ut ei benediceret, impetravit. *Ille verò ſuper locum morbi manus poſuit, & dimiſit.* Quo facto, ita tumor ſubitò ſedatus eſt, ut ab illa hora parvum non ampliùs vexaverit; nec ulteriùs mater tumorem viderit. Alio tempore contigit, ut alius ejuſdem Matronæ filius Ictericiam deſperabiliter pateretur; illa autem prioris memor refugii, & hunc benedicendum ſancto Epiſcopo præſentavit: qui accepta benedictione, infra triduum eſt priſtinæ reſtitutus ſaluti. 1200.

SANCTUS *Hugo* Epiſcopus, completo in Epiſcopatu anno decimo quarto; à *Chartuſia* principali ejuſdem ordinis domo (viſitatis ex longo deſiderio Priore & fratribus ejuſdem domus) in *Angliam* rediens, in urbe *Londinenſi* apud Vetus templum, quartanis febribus cæpit graviter ægrotare. Venit ergo ad eum Rex *Johannes*, ut eum viſitaret: ſed antequàm recederet, ad viri Dei prædicationem teſtamentum ipſius confirmavit; & in Domino promiſit, quòd de cætero rata haberet teſtamenta rationabilia Prælatorum. Cúmque indies languor ingraveſceret, nunquam alicujus conſilio, cilicium quo jugiter utebatur, ad horam permodicam deponere voluit: ſed uſque ad mortem magis *Chartuſienſis* ordinis rigorem obſervare decernens; tandem, vocante Domino, fœliciter ab hac vita migravit ad Dominum. Cúmque viri ſancti corpus à civibus *Londinenſibus* deferretur apud *Lincolniam* tumulandum; mirabile dictu, accidit, quòd cum cerei in exitu Civitatis ante corpus fuiſſent accenſi, per quatuor dies jugiter arſerunt, ita quòd non fuit hora in qua lux in aliquo cereorum non fuiſſet; licèt tempus, ex aëris intemperie, multoties eſſet vento & pluvia turbulentum. Unde dubium non eſt, quin Dominus animæ ipſius lucem præparaverit perpetuam: qui pro corporis veneratione non permiſit temporale lumen extingui. Obiit autem ſervus Dei *Hugo Lincolnienſis* Epiſcopus, anno verbi incarnati Milleſimo, ducenteſimo, decimo quinto Kalendas Decembris. *Mors ſancti Hugonis.*

CONVENERUNT intereà ad colloquium apud *Lincolniam*, Rex *Anglorum Johannes* & Rex *Scotorum Willielmus*; cum univerſa nobilitate tam cleri quàm populi utriuſque regni, undecimo Kalendas Decembris. Ubi Rex *Johannes*, contra conſilium multorum intravit Civitatem intrepidus, quòd nullus anteceſſorum ſuorum attentare auſus fuerat: perveniénſque ad Eccleſiam Cathedralem, obtulit calicem aureum ſuper altare ſancti *Johannis* *Baptiſtæ*, *Ut corpus Sancti Hugonis delatum ſit Lincolniam ad tumulandum.*

1200. *Baptiſtæ*, quod eſt in novo opere à ſancto præfato à fundamentis mirabiliter fabricato. Et eodem die, convenerunt ipſe & Rex *Scotorum* extra civitatem in montem arduum; & ibi in conſpectu omnis populi, *Willielmus* Rex *Scotiæ* fecit homagium Regi *Johanni*, de omni jure ſuo; & poſteà juravit ei fidelitatem, ſuper Crucem *Huberti Cantuarienſis* Archiepiſcopi; de vita & membris & honore terreno, contra omnes homines, coram cunctis magnatibus Regni. Et eodem die, perlatum eſt ibidem, corpus ſanctiſſimi *Hugonis* Epiſcopi tumulandum: cui occurrentes Reges memorati & tres Archiepiſcopi, *Hubertus* videlicet *Cantuarienſis*, *Gaufridus Eboracenſis*, & *Bernardus Raguenſis*, cum tredecim Epiſcopis, Comitibus & Baronibus, & clericis infinitis; corpus ſanctiſſimum ſuſceperunt. Quod ipſi Reges cum Comitibus & cæteris principibus portaverunt in humeris ſuis, uſque ad atrium Cathedralis eccleſiæ. Ad oſtium autem Eccleſiæ ſuſceperunt illud Archiepiſcopi præfati & Epiſcopi: & ſic per miniſterium Prælatorum perlatum eſt uſque in Chorum, ubi eſt honorificè pernoctatum. Solebat autem Pontifex ſanctus, dum viveret, in mortuis ſepeliendis tam diligens humanitatis officium exhibere; ut nullum mortuum præteriret, cujus ſepulturæ miniſterium ſibi competens videretur. Unde Dominus qui novit retributione condigna juſtorum merita remunerare; tam honorabilem ei exhibuit ſepulturam, ut honorem illum retribuiſſe ſupradicto merito videatur. Ante ſanè viri Dei ſepulturam, dum pro eo exequiæ mortuorum agerentur; & ipſe more Pontificum diſcooperta facie jaceret, mitram habens in capite, chirothecas in manibus, annulum in digito, cum cæteris pontificalibus ornamentis; miles quidam Canonicis Eccleſiæ notiſſimus, cujus brachium cancer adeò corroſerat, quòd jam os carne nudatum apparebat, idem miles brachium ſuum ſuper corpus Epiſcopi poſuit, & faciem ejus gratia curationis frequenter cum lacrymis tetigit: ſtatímque ei à Domino, meritis ſancti ſui, reſtituta eſt miſerabiliter brachii ſui tam caro quàm cutis. Unde miles Deo & ſancto Præſuli gratias agens ſe ſanum Decano Eccleſiæ aliiſque viris fide dignis ſæpiùs præſentavit. Eadem hora, mulier quædam quæ per ſeptennium ex uno oculo cæca fuerat; videntibus cunctis & admirantibus, viſum recepit. Eadem hora, quidam burſarum inciſor, in compreſſione illa & tumultu populari, qui circa Dei famulum concurrebat, crumenam cujuſdam mulieris incidit: ſed cum per merita beati pontificis, qui ſe non mortuum ſed vivum oſtendit, ambæ manus ejus cohiberentur, & digiti furis nefandi, volis manuum illius firmiter conſtringerentur; projecit furtivam rem, quam retinere non potuit, in pavimentum eccleſiæ, & hominis furioſi ſimilitudinem aſſumens, omni populo factus eſt in deriſum. Sicque poſtquàm à ſpiritu maligno diutiùs agitaretur, tandem ad ſe reverſus, ſtetit immobilis, & acriter flere cœpit; cunctiſque audientibus turpiſſimam ſui ſceleris offenſam audire volentibus denudavit. Tandem cum aliud non haberet refugium, converſus ad Clerum dixit: Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici Dei. Abrenuncio enim Sathanæ & operibus ejus, quibus huc uſque deſervivi; & orate pro me ad Dominum, ne me pœnitentem confundat, ſed mecum potiùs miſericorditer agat. Et continuò facta oratione ad Dominum pro eo; ſoluta ſunt vincula Sathanæ, quibus manus ejus conſtrictæ fuerant: & ſanus effectus, Deo & ſancto præſuli gratias egit.

Sepultura ſancti Hugonis.

VIGILIIS autem circa corpus Pontificis ritè celebratis, cùm dies craſtinus illuxiſſet; Archiepiſcopi cum epiſcopis memoratis, corpus ſanctiſſimum poſt miſſarum ſolennia, in Eccleſia nova, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat in honorem Dei genetricis *Mariæ*, juxta altare ſancti *Johannis Baptiſtæ* decenter tradiderunt. Illud verò officium tam diligenter exequi ſtuduerunt; ut videretur divinitùs ordinatum, quòd propter hoc ſpecialiter conveniſſent. Sepultus eſt autem octavo Kalendas Decembris; ad cujus tumbam divina non deſinunt celebrari miracula; ſi cum fiducia à quoquam requiratur. Nam poſt glorioſam viri Dei ſepulturam, puer quidam de partibus *Lincolniæ* per quindecim dies ægrotans, invaleſcente morbo, pervenit ad ad mortem; cujus corpus adeò repentè diriguit, ac ſi per dies multos mortuum extitiſſet. Quo viſu, mulier quædam accedens, oculos clauſit; & membra mortuorum more diſpoſuit. Cúmque ſub hoc ſchemate, à tempore Gallicantus uſque ad diluculum jacuiſſet; mater, cujus fides inter lacrymas cum filio extincta non fuerat, cum multa fiducia ad corpus acceſſit, acceptis candelis faciendis idoneè, puerum in omni dimenſione menſurare cœpit. Quo facto, fiducialiter cum lacrymis dixit: Etiamſi ſepultus eſſet filius meus, poſſet illum Dominus reſtituere per merita ſancti *Hugonis*. Creſcente verò die, fecerunt orationes & eleemoſynas pro anima parvi; & miſerunt ad vocandum ſacerdotem ad funus, matre jugiter reclamante. Sed antequàm preſbyter vocatus veniſſet, mater circa filii ſalutem ſedula, parvum vivum reperit; Deúmque & beatum Præſulem, cujus meritis hoc miraculum adſcribebat, magnificare non ceſſavit. Hæc pauca de multis de vita viri Dei expreſſa, ad alia tendentibus ſufficiant. Hac tempeſtate, *Gilo* de *Branſe* conſecratur in Epiſcopum *Herefordenſem*, octavo Kalendas Octobris, apud *Weſtmonaſterium*. *Maugerus* factus eſt Epiſcopus *Wigornienſis*, *Johannes* de *Grim*, *Norwicenſis*.

De quinque Lunarum apparitione.

EODEM menſe, paulò ante Nativitatem Dominicam, apparuerunt de nocte quinque lunæ in cœlo, circa primam Vigiliam noctis: Prima apparuit in Aquilone, ſecunda in Meridie,

ridie, tertia in Occidente, quarta in Oriente, quinta apparuit in medio illarum quatuor Lunarum, habens ſecum ſtellas multas; quæ cum ſtellis ſuis circuibat quinquies vel ampliùs, præfatas quatuor Lunas. Hæc autem apparitio multis videntibus & admirantibus, quaſi per ſpacium unius horæ facta eſt. 1202.

ANNO gratiæ M. CCI. Rex *Anglorum Johannes*, celebravit Natale Domini apud *Guildeford*; ubi multa militibus ſuis feſtiva diſtribuit indumenta. *Hubertus* verò *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, quaſi cum Rege à pari contendens, eodem modo fecit apud *Cantuariam*: unde Regis animum non mediocriter ad indignationem commovit. Deinde in *Northanhumbriam* Rex profectus, maximam pecuniæ ſummam à comprovincialibus Regionis illius extorſit. Reverſus itaque *Cantuariam* Rex cum Regina ſua, die Paſchæ proximè ſequenti, coronati ſunt ambo ibidem; ubi Archiepiſcopus *Cantuarienſis* copioſas eis, ne dicam ſuperfluas, miniſtravit expenſas. Sequenti poſteà Dominicæ Aſcenſionis die, apud *Theokesberi* generale propoſuit edictum; ut Comites & Barones & omnes qui militare ſervitium ei debebant, parati eſſent ad *Porteſmuthe*, cum equis & armis, ad transfretandum cum eo ad partes tranſmarinas in die Pentecoſtes jam inſtante. Veniente autem die ſtatuto, multi impetratâ licentiâ remanſerunt, dantes Regi de quolibet ſcuto duas Marcas argenti.

Ut Rex Anglorum & Regina apud Cantuariam coronam portaverint.

IPSIS quoque diebus, quidam magiſter *Pariſienſis* natione *Francus*, nomine *Simon*, cognomento *Churnai*; ingenio capaciſſimus & memoria tenaciſſimus, cum per decennium ſcholas Artium nobiliſſimè rexiſſet, utpote in trivio & quadrivio, id eſt in ſeptem liberalibus artibus peritiſſimus, ſe contulit ad Theologiam; in qua cum paucos annos deſudaſſet, adeò profecit, quòd digniſſimè cathedram aſcendit magiſtralem. Legit igitur ſubtiliter valdè, & ſubtiliùs diſputavit; quæſtiones difficillimas & inauditas ſolvendo, & eleganter dilucidando: Tot habuit auditores, quot ampliſſimum palatium potuit continere: una igitur dierum cum nimis profundis rationibus in medium propoſitis, de Trinitate ſubtiliſſimè diſputaſſet, & dilata fuiſſet determinatio uſque in craſtinum; omnes Theologi ſcholares in civitate præmuniti ad audiendum tot quæſtionum inexplicabilium ſolutiones, ad ipſius famoſam ſcholam certatim ac catervatim confluxerunt. Determinavit igitur magiſter omnes prætactas quæſtiones; & quæ videbantur omnibus inenodabiles, tam dilucidè, tam eleganter, tam catholicè, ut omnes auditores redderet ſtupefactos. Et poſt determinationem acceſſerunt quidam ipſius familiariores, & ad diſcendum avidiores, poſtulantes à magiſtro, ut eo dictante, quæſtiones literis commendarent: dixerunt namque indignum eſſe & jacturam irreſtaurabilem, ſi memoria tantæ ſcientiæ deperiret. Quibus ipſe elatus, & major ſibi ſe, ait oculis ſublevatis, & temerè ſolutus in cachinnum, *O Jeſule, Jeſule, quantum in hac quæſtione confirmavi legem tuam & exaltavi: profectò ſi malignando & adverſando vellem, fortioribus rationibus & argumentis ſcirem illam infirmare, & deprimendo improbare.* Et hoc dico, elinguis penitùs obmutuit, non tantùm mutus, ſed idiota & ridiculosè infatuatus, nec poſteà legit vel determinavit, & factus eſt in ſibilum & deriſum omnibus, qui hoc audierant. Vir igitur intra biennium didicit literas cognoſcere, & ultione aliquantulum mitigata; à filio ſuo quodam diligenter edocente, vix potuit *Pater noſter* & *Symbolum* diſcere, retinere & balbutiendo pronunciare. Hoc igitur miraculum multorum ſcholarium ſuppreſſit arrogantiam; & jactantiam refrænavit. Hæc vidit magiſter *Nicolaus* de *Fulii*, vir magnæ authoritatis; qui poſteà Epiſcopus *Dunelmenſis* factus fuit; ex cujus relatu & certo teſtimonio hæc literis commendavi, ne vetuſtas tantùm miraculum aboleret, eodem Epiſcopo ſuadente. Et eſt ſermo omni acceptione digniſſimus.

Magiſter Simon de Churnai.

CELEBRATA igitur apud *Porteſmuthe* ſolennitate Pentecoſtes, Rex cum Regina ſua in craſtino naves aſcenderunt; & licèt cum labore, in *Normanniam* tandem applicuerunt. Deinde conveniunt ad colloquium Reges *Anglorum* & *Francorum* prope inſulam *Andeliaci*; & pacificè convenit inter eos. Et poſt triduum, Rex *Johannes* ad petitionem Regis *Francorum* venit *Pariſios*; & ibi in Palatio Regis hoſpitatus eſt; Rege *Francorum* ſe aliò recipiente. Et cùm ibi honorificè, & ut Regem decebat, eſſet receptus; inde recedens venit ad *Chinonem*. Eodem tempore, ut pax inter Reges firmior haberetur; ſtatutum eſt & ſcriptis confirmatum, quòd ſi Rex *Francorum* pacem in aliquo violaverit prælocutam, Barones de Regno *Francorum*, quos Rex fidejuſſores invenerat, ſoluti eſſent à fidelitate ejus, & venirent ad Regem *Anglorum* ad impugnandum Regem *Francorum*, & compellendum eum ad pacem prælocutam. Eodem modo factum eſt in parte Regis *Anglorum*. Hoc anno horrendæ tempeſtates, tonitrua, coruſcationes, grandines & pluviarum inundationes, mentes hominum concuſſerunt; & damna multa in locis plurimis intulerunt. Circa dies iſtos, ad inſtantiam *Innocentii* Papæ, data eſt quadrageſima pars redditum omnium eccleſiarum, ad ſubveniendum *Terræ Promiſionis*; & tam magnates quàm plebeii, qui Crucis ſignaculum depoſuerant, diſtrictione Apoſtolica reſumere ſunt compulſi.

Rex Johannes cum Regina in Normanniam tranſfretavit.

ANNO gratiæ M. CCII. Rex *Anglorum Johannes*, celebravit Natale Domini apud *Argentonium* in *Normannia*; & in quadrageſima ſequente habitum eſt colloquium inter Reges *Francorum* & *Anglorum* juxta Caſtellum de *Guletune*; ubi Rex *Francorum* contra

Diſcordia inter Reges Francorum & Anglorum.

Regem

1202. Regem *Anglorum* mortali armatus odio, præcepit indignanter, quatenùs incontinenti redderet *Arthuro* comiti *Britanniæ*, univerſas terras quas tenebat in partibus tranſmarinis; *Normanniam* videlicet, *Turonicam*, *Andegaviam* & *Pictaviam*; multáque alia exegit ab eo, quæ Rex *Anglorum* ſe minimè facturum reſpondit. Itaque colloquium cùm ſucceſſus non haberet, die ſequenti Rex *Francorum* ſubitò irruit in Caſtellum de *Butavant*, cum impetu militari; & illud ſolo tenùs ſubvertit. Inde progrediens, cepit in manu forti villam de *Augi*, cum Caſtello de *Limis*; & alia Caſtella quàm plurima. Caſtellum de *Radepont*, per dies octo obſedit; ſed Rege *Anglorum* ſuperveniente, confuſus receſſit. Poſt dies paucos acies ſuas ad *Gurnai* convertit; & fracto ſtagno per impetum aquarum, maximam murorum partem, qua villa cingebatur, poſtravit: unde fugientibus cunctis, qui in villæ præſidio erant conſtituti, ſine omni contradictione Rex *Francorum* villam intravit, & eam ſubjugavit. Reverſúſque *Pariſios*, *Arthurum* ſub tutoribus deputavit; tradens ei milites ducentos de Regno *Francorum*; qui cum illo hoſtiliter irent in *Pictaviam*, ut bellicis incurſionibus Regiones illas *Arthuro* ſubjugarent. Illis autem pompoſo tumultu progredientibus, nunciatum eſt eis, Reginam *Alienor* in caſtello quod *Mirebellum* dicitur, paucorum ſtipatam præſidio commorari. Qui communi omnium deliberatione furoris ſui impetum illùc convertentes, caſtellum obſidione vallaverunt. Quod nullo defenſorum munimine reſiſtente, ad deditionem compulerunt. Turrem verò in qua *Alienor* Regina cum paucis armatis ſeſe receperat, non poterant obtinere. Obſidione igitur in orbem Turris diſpoſita; venerunt ibi in auxilium *Arthuri* omnes *Pictaviæ* primates & nobiliores milites; & præcipuè Comes de *Marchia Hugo*, cognomento *Brunus* (qui Regi *Anglorum* publicus erat inimicus, propter *Iſabel* Reginam; quam idem Comes per verba de præſenti in ſuam receperat, antequam Regi *Anglorum* deſponſaretur) & ſic grandem exercitum confecerunt nec ceſſaverunt inſultus acerrimos facere, ut quantociùs deſiderata victoria potirentur.

Admiranda victoria Regis Johannes *apud* Mirebellum.

REGINA verò in arcto poſita, nuncios ad Regem, qui tunc temporis in *Normannia* erat, ſub celeritate direxit; rogans obnixiùs & obteſtans, ut pietatis obtentu, matri ſuccurreret deſolatæ. Quo audito, Rex cum feſtinatione in manu potenti die noctúque ſpatium prætervolans itineris longioris; citiùs quàm credi fas eſt, ad *Mirebellum* caſtrum pervenit. Quod cùm *Francigenæ* cum *Pictavienſibus* cognoviſſent; exierunt obviàm Regi, pompoſo congreſſu cum ipſo pugnaturi. Sed cum diſpoſitis aciebus, hinc inde concurriſſent; Rex ſuperbis eorum conatibus viriliter reſiſtens, omnes in fugam coëgit. Atque tam pernici curſu equorum fugientibus inſtitit inimicis, ut unà cum illis Caſtellum intraret. Factus eſt autem intra præfati ambitum caſtri conflictus duriſſimus; ſed virtute *Anglorum* laudabili in brevi finitus. Nam in illo conflictu capti ſunt ducenti milites Regni *Franciæ*; & cum ipſo *Arthuro* omnes nobiles *Pictavienſes* & *Andegavenſes*; ita quòd nec unus pes ex omnibus evaſit, qui poſſit redire & caſum aliis indicare. Ligatos igitur captivos in compedibus & manicis ferreis, vehiculiſque bigarum impoſitos; novo genere equitandi & inuſitato, Rex partim tranſmiſit in *Normanniam*, partim in *Angliam*; ut caſtris fortioribus detruſi, abſque metu evaſionis ſervarentur. *Arthurus* verò apud *Faleſiam* ſub cuſtodia vigilanti remanſit.

Rex Francorum *obſidionem caſtri de* Archis *cum dedecore reliquit.*

CUM hæc apud caſtrum *Mirebellum* agerentur, Rex *Francorum* cum exercitu copioſo ad Turrem de *Archis* ſe contulit; illámque obſidione vallavit. Diſpoſitis igitur in gyrum Rex machinis ſuis, per dies quindecim Petrariarum uſu & Baliſtarum, muros diſſolvere laboravit. Obſeſſi è contrario viriliter reſiſtentes; crebra lapidum & telorum emiſſione hoſtes longiùs arcere inſtiterunt. Sed cum tandem de captione *Arthuri* ſociorúmque ipſius rumor ad aures Regis *Francorum* pervolaſſet; ſub maxima celeritate ab obſidione furibundus receſſit. In quo receſſu ſibi obvia quæque conterendo ſimul & igne comburendo conſumpſit; virorum religioſorum monaſteria flammis diſcurrentibus, in favillas redegit. Deinde *Pariſios* veniens reſiduum anni illius imbellis peregit.

Arthurus *comes Britanniæ moritur.*

ELAPSO deinde aliquo tempore, Rex *Johannes*, ad caſtrum *Faleſiæ* veniens; fecit ſibi *Arthurum* nepotem ſuum præſentari. Qui cum eſſet coram eo adductus, cæpit eum Rex blandis alloqui verbis, & multos honores promittere; exhortans ut à Rege *Francorum* recederet, & ſibi ut Domino & avunculo fideliter adhæreret. *Arthurus* verò ſtulto uſus conſilio, Regi cum indignatione & comminatione reſpondens; exegit ut redderet ſibi regnum *Angliæ*, cum terris omnibus, quas Rex *Richardus* habuit in poſſeſſione ſua, die qua deceſſit. Et quia hæc omnia ſibi jure hæreditario debebantur; affirmavit cum juramento, quòd niſi celeriùs ſibi jam dicta omnia reſtitueret, nunquam diutina pace frueretur. Audiens autem hæc Rex *Johannes*, perturbatus eſt valdè; præcepítque ut *Arthurus* apud *Rothomagum* mitteretur; & ibi in arce nova retruſus, ſub arctiori cuſtodia ſervaretur. Sed non multò pòſt, idem *Arthurus* ſubitò evanuit; modo ferè omnibus ignorato; utinam non ut fama refert invida. Eodem anno, cum *Innocentius* Papa ad expeditionem *Terræ ſanctæ*, ut dixit ad occultandam ſuam avaritiam; infinitam pecuniam ab ordine *Ciſterſienſi* propoſuiſſet extorquere; à beata Virgine correptus, ab exactione ceſſavit, timore percuſſus. Generaliter verò per *Angliam*, quadrageſſimam partem pecuniarum redituum mandaverat

erogari,

erogari, ad iter Cruce ſignatorum. His temporibus obiit vir nobilis *Willielmus* de *Stutevilla*. Eodem anno *Johannes* veniens in *Angliam*, apud *Cantuariam* coronatus eſt, per manum *Huberti Cantuarienſis* Archiepiſcopi; decimo octavo Kalendas Maii, & ilicò in *Normanniam* transfretavit. Quò cum perveniſſet increbuit opinio per totum Regnum *Francorum* de morte *Arthuri*, & per omnes regiones transmarinas: adeò quidem ut Rex *Johannes* ſuſpectus haberetur ab omnibus, quòd illum manu propria peremiſſet. Unde multi animos avertentes à Rege; ſemper deinceps, ut auſi ſunt, nigerrimo ipſum odio perſtrinxerunt. 1203.

De Aſſiſa panis ſecundùm diverſum pretium frumenti.

Eodem anno, Rex fecit generaliter acclamari, ut legalis aſiſa panis inviolabiliter ſub pœna Colliſtrigiali obſervaretur. Quæ probata fuit per piſtorem *Gaufridi* filii *P.* Juſticiarii *Angliæ*, & piſtorem R. de *Thurnam*; ita quòd piſtores poterint ſic vendere, & in quolibet quarterio lucrari tres denarios; exceptis brennio & duobus panibus ad furnarium, & quatuor ſervientibus, quatuor obolos, duobus garcionibus, unum quadrantem, & in ſale obolum, & in geſta obulum, & in candela quadrantem, & in buſca tres denarios, & in buletello obolum. Quando frumentum venditur pro ſex ſolidis, tunc ponderabit panis de quadrante, albus & benè coctus, ſexdecim ſolidos de viginti lora: & panis de toto blado, debet eſſe bonus & benè coctus, ita quòd nihil ſubtrahatur, & ponderabit viginti quatuor ſolidos. Quando frumentum venditur pro quinque ſolidis & ſex denariis, albus panis ponderabit viginti ſolidos, & de toto blado viginti octo ſolidos. Quando frumentum venditur pro quinque ſolidis, albus panis ponderabit viginti quatuor ſolidos; & panis de toto blado triginta duos ſolidos. Quando frumentum venditur pro quatuor ſolidis & ſex denariis; albus panis ponderabit triginta duos ſolidos, de toto blado quadraginta duos ſolidos. Quando frumentum venditur pro quatuor ſolidis, albus panis ponderabit triginta ſex ſolidos, de toto blado quadraginta ſex ſolidos. Quando frumentum venditur pro tribus ſolidis & ſex denariis, albus panis ponderabit quadraginta duos ſolidos, de toto blado quinquaginta quatuor ſolidos. Quanto frumentum venditur pro tribus ſolidis, albus panis ponderabit quadraginta octo ſolidos, de toto blado ſexaginta quatuor ſolidos. Quando frumentum venditur pro duobus ſolidis & ſex denariis, albus panis ponderabit quinquaginta quatuor ſolidos, de toto blado ſexaginta & duodecim ſolidos. Quando frumentum venditur pro duobus ſolidis, albus panis ponderabit ſexaginta ſolidos, de toto blado quatuor libras. Quando frumentum venditur pro octodecim denariis, albus panis ponderabit ſexaginta & ſeptendecim ſolidos, de toto blado quatuor libras & octo ſolidos. Et hoc per totum regnum eſt proclamatum.

Magnates Angliæ Regem Johannem in Normannia deſeruerunt.

Anno gratiæ M.CCIII. *Johannes* Rex *Angliæ* celebravit Natale Domini apud *Cadomum* in *Normannia*: ubi poſtpoſitis incurſionibus bellicis, cum Regina epulabatur quotidiè ſplendidè; ſomnóſque matutinales uſque ad prandendi horam protraxit. Peracta deinde ſolennitate Paſchali, Rex *Francorum* magno exercitu congregato, cepit plurima Caſtella Regis *Anglorum*: quorum quædam ſolo tenùs complanavit, fortiora autem integra reſervavit. Venientibus denique ad Regem nunciis, & dicentibus: Rex *Francorum* terram veſtram hoſtiliter ingreſſus cepit jam illa & illa Caſtella, & Caſtellanos veſtros caudis equorum turpiter alligatos abducit, atque de rebus veſtris pro lubitu ſuo ſine contradictione diſponit. Rex *Johannes* tale dedit reſponſum: *Sinite illum facere, ego quicquid modò rapit, unâ die recuperabo.* Sic nec iſti nec alii ſibi ſimilia denunciantes, aliud habere potuerunt reſponſum. Comites verò & Barones & alii de Regno *Angliæ*, nobiles, qui ei catenùs fideliter adhæſerant, talia audientes, ejúſque deſidiam incorrigibilem intelligentes; impetrata licentia, quaſi ilicò reverſuri, remearunt ad propria; Rege cum paucis admodum militibus in *Normannia* derelicto. *Hugo* de *Gurnai* caſtellum de *Monte forti* (quod Rex *Johannes* cum toto honore illi præfato *Hugoni* contulerat) Regi *Francorum* reddidit; & clàm de nocte ipſius milites introduxit: ſicque Domini ſui ligii fidelitate ſpreta, ad Regem *Franciæ* convolavit. Rex *Anglorum* intereà apud *Rothomagum* morabatur ſecurus: ita quòd ab omnibus diceretur ipſum fore ſortilegiis vel maleficiis infatuatum; hilarem cunctis inter tot damna & opprobria, exhibebat vultum, ac ſi nihil ſibi deperiiſſet. Intereà Rex *Francorum* ingentibus copiis collectis, venit ad villam de *Ruil* nobile caſtellum; & illud cuneis militaribus circumcinxit. Sed machinis in orbem diſpoſitis, antequàm inſultum aliquem inciperet, *Robertus* filius *Walteri* & *Saerus* de *Quinci* nobiles, in quibus caſtri illius cuſtodia commiſſa fuerat; ipſum caſtrum Regi integrum reddiderunt: & ſicut de caſtro illo non erat contritus minimus lapillus, ita de capitibus defendentium non periit minimus capillus. Unde Rex *Francorum* contra eos graviter iratus, juſſit vinculis arctiſſimis illos conſtringi; & apud *Compendium* ſub arcta cuſtodia deputari: ubi turpiter uſque ad graviſſimam redemptionem ſunt detenti. Deficiente igitur in *Normannia* & in aliis terris transmarinis, omnimoda defenſione; Rex *Francorum* per diverſas regiones liberè & ſine contradictione diſcurrens, caſtella plurima ſub ſua poteſtate recepit. Obſedit etiam eò tempore, caſtellum optimum de *Rupe Andeliaci*, quod Rex *Richardus* à fundamentis conſtruxerat; ſed probitate *Rogeri* de *Laſci* & fidelitate incomparabili, cui caſtri illius tutela commiſſa fuerat; in illa obſidione parùm profecit; niſi quòd obſeſſis egreſſum denegans, ſubſidium vitale illis ſubtraxit

1204. traxit. Dum hæc ſic agerentur, *Normannigenæ* quidam à Rege *Anglorum* penitùs receſſerunt; quidam ei fictè adhæſerunt.

Rex Johannes à magnatibus maximam pecuniæ vim extorſit.

VIDENS tandem Rex *Johannes* defectum ſuum, ſeſéque omni militari ſubſidio deſtitutum; naves ſub celeritate conſcendit, & in die Sancti *Nicolai* apud *Porteſmuthe* applicuit. Deinde in Comites & Barones occaſiones prætendens, quòd ipſum inter hoſtes reliquerant in partibus tranſmarinis; unde Caſtella & terras ſuas pro eorum defectu amiſerat; cepit ab eis ſeptimam partem omnem mobilium ſuorum: nec etiam ab hac rapina in eccleſiis Conventualibus vel parochialibus manus coërcuit violentas. Siquidem habuit hujus rapinæ executores in rebus Eccleſiaſticis ſcilicet *Hubertum Cantuarienſem* Archiepiſcopum: in rebus autem laicis, *Gaufridum* filium *Petri Angliæ* Juſtitiarium; qui in executione jam dicta, nulli pepercerunt. Rex verò *Francorum*, cùm Regem *Anglorum* à partibus tranſmarinis receſſiſſe cognoviſſet; venit in fortitudine gravi ad ſingulas Civitates & Caſtella terrarum prædictarum, oſtendens Civibus & Caſtellanis ſe à domino ſuo fore derelictos. Propoſuit etiam ſe principalem eſſe dominum illarum Regionum: quas ſi jam Rex *Anglorum* per ignaviam deſeruerit; ipſe quod ſuum erat, videlicet principale dominium, ſibi indemne voluit reſervari. Unde amicabiliter ſupplicavit, ut ipſum in Dominum reciperent, dum alium non haberent: Quòd ſi hoc gratanter facere voluiſſent, affirmavit cum juramento, quòd ſi contra eum certamen inirent, & ipſe eos hoſtiliter ſubjugaret; omnes patibulo ſuſpenderet, aut illos vivos decoriaret. Tandem pòſt multas hincinde diſceptationes conſenſerunt unanimiter, ut darent obſides Regi *Francorum* pro unius anni induciis: quibus evolutis, ſi à Rege *Anglorum* ſuccurſum non haberent; ipſum deinceps ut Dominum recognoſcerent, Civitatéſque ei redderent & Caſtella. Et his ita geſtis Rex *Francorum* ad propria remeavit.

Promotio Willielmi Lincolnienſis Epiſcopi.

EODEM anno, magiſter *Willielmus* eccleſiæ *Lincolnienſis* Præcentor & Canonicus; ejuſdem Eccleſiæ conſecratus eſt Epiſcopus, in die Sancti *Bartholomæi* Apoſtoli apud *Weſtmonaſterium*, à *Willielmo Londonienſi* Epiſcopo, *Gilleberto Roffenſi* Epiſcopo appellante, ſed non opponente: Archiepiſcopus enim *Cantuarienſis Hubertus*, jacebat tunc gravi infirmitate detentus.

Militaria auxilia Regi Anglorum generaliter conceſſa.

ANNO gratiæ M.CCIV. Rex *Johannes* Natale Domini celebravit apud *Cantuariam*, *Huberto Cantuarienſi* Archiepiſcopo omnia neceſſaria feſtivitati Regiæ miniſtrante. Deinde in craſtino Circumciſionis convenerunt ad colloquium apud *Oxoniam* Rex & magnates *Angliæ*: ubi conceſſa ſunt Regi auxilia militaria, de quolibet ſcuto ſcilicet duæ marcæ & dimidia. Nec etiam Epiſcopi & Abbates, ſive eccleſiaſticæ perſonæ, ſine promiſſione receſſerunt.

De oleo imaginis Genetricis mirabiliter incarnato.

EODEM anno, feria tertia ante Paſchalem ſolennitatem, contigit miraculum omni laude digniſſimum, de oleo imaginis matris Dei apud *Sardenai* in hunc modum. Accidit in carcere militum *Chriſtianorum* in Caſtro *Damaſceno*; quòd miles quidam extraheret de armario ſuo fiolam unam, in qua poſuerat de oleo illo quod de iconia Dei Genitricis apud *Sardenai* diſtillat. Sed cùm diligenter fiolam illam inſpexit, in qua oleum repoſuerat lucidiſſimum & velut aquæ fontis perſpicuum; apparuit in ea oleum incarnatum, ſed in duas partes diviſum. Hærebat namque jam pars olei in inferiori parte fiolæ, & altera ſuperiori. Miles autem accipiens cultellum ſuum, voluit conjungere partem ſuperiorem cum inferiori: ſed continuò ut acies cultelli oleum illud incarnatum tetigit, videntibus capellanis militibúſque captivis & cæteris univerſis, guttæ ſanguinis inde cunctis admirantibus effluxerunt. Et quoniam plerique de hac matris Dei imagine veritatem ignorant; digniſſimum eſt ut quam habuit originem, ad laudem ejuſdem matris Dei neſcientibus referamus.

De initio memoratæ imaginis & quibuſdam miraculis ejuſdem.

FUIT apud *Damaſcum* metropolim *Syriæ* civitatem venerabilis quædam matrona; quæ ſanctimonialis habitum ſuſcipiens, Deo devotiſſimè ſervire ſtudebat. Et ut liberiùs divinis vacaret obſequiis, civilem declinans tumultum; ſex ab urbe prædicta milliariis, ad locum *Sardenai* appellatum receſſit. Ibique domum ſibi & oratorium in honorem ſanctæ Dei genetricis *Mariæ* ædificans; hoſpitalitatis officium devotè peregrinis & pauperibus exhibebat. Contigit autem monachum quendam de urbe *Conſtantinopolitana* orationis gratia & ſacra *Hieruſalem* loca viſitandi venire: qui à Sanctimoniali præfata in hoſpitium eſt charitativè receptus. Quem cum cognoviſſet ad ſanctam tendere Civitatem; rogavit eum humiliter & devotè, ut rediens adferret ſecum de ſancta civitate *Hieruſalem* iconiam quandam, id eſt, quandam tabulam depictam, quam in *Oratorio* ſuo poneret, & quæ ſibi oranti Dei genetricis imaginem repræſentaret. Ille verò fideliter promiſit ſe iconiam illi delaturum. Qui cùm *Hieroſolymam* perveniſſet, expletis orationibus ſuis, ſui immemor promiſſi, redire diſpoſuit. Cúmque iter arripiens, à Civitate fuiſſet egreſſus, ecce vox emiſſa de cœlo dixit ad eum: *Quomodò ſiccine redis? Ubi eſt iconia quam te Sanctimoniali delaturum promiſiſti?* Et tunc promiſſi memor monachus effectus, in Civitatem reverſus eſt. Et veniens ad locum ubi iconiæ vendebantur, unam quæ ſibi placuit, comparavit; & ſecum rediens portavit. Et cùm veniſſet ad locum qui *Gith* appellatur, ubi *Leo* ferox & hominum devorator

tor

tor in ſpelunca latebat; monacho venienti occurrens, humiliter cœpit lambere pedes ejus: & ſic divina eum protegente gratia illæſus evaſit. Deinde latronum perpeſſus inſidias, cùm manus in eum violentas extendere decreviſſent; angelica eos voce increpante, adeò perterriti ſunt, quòd nec loqui nec ſe movere aliquatenùs potuerunt. Tunc monachus iconiam quam tenebat diligenter inſpiciens, aliquid divinæ virtutis in ea latere cognovit. Et ſecum deliberans, ut iconiam ad ſuam deferret patriam Sanctimonialem defraudando, inaniter laborabat. Tunc veniens ad *Achon* civitatem, navem intravit, volens repatriare, ſi poſſit. Cùmque dies aliquot velis cucurriſſent patentibus, ecce ſubitò tempeſtate ſuborta, adeò periclitari cœperunt, ut ſinguli, quæ ſua erant, in mare projicerent. Monachus autem cùm ſuum ſacculum inter alios vellet undis committere, dixit ad eum Angelus Domini: Vide ne feceris: ſed leva iconiam manibus tuis vehementer ad Dominum. Qui Angeli obtemperans juſſionibus, iconiam in altum levavit, & continuò tempeſtas quievit. Ignorantibus autem illis quò pergerent, ad *Achon* civitatem reverſi ſunt. Tunc monachus de imagine Dei intelligens voluntatem, ſuiſque promiſſionibus ſatisfacere cupiens, ad Sanctimonialem rediit, & ab ea beneficium hoſpitalitatis ſuſcepit. Ignotus tamen ei erat propter frequentiam, & ideo iconiam ab eo non requiſivit; Monachus verò hoc ipſum advertens, cogitavit cum iconia ad propria remeare. Mane autem facto, cùm abeundi licentiam impetraſſet, gratia orationis Oratorium intravit; & cùm facta oratione exire voluit, oſtium invenire non potuit. Ponens ergò quam tenebat imaginem ſuper altare Oratorii, oſtium vidit apertum: & cùm iterum aſſumpta iconia ab Oratorio exire moliretur, quà egrederetur non invenit. Videns tandem monachus circa iconiam divinam virtutem, poſuit eam in Oratorio ſuper Altare; & rediens ad Sanctimonialem fœminam, omnia per ordinem retulit, quæ de iconia mirabiliter, ut ſuperiùs relatum eſt geſta ſunt. Dixit ergò divinam eſſe voluntatem, ut iconia ibi remaneret; & debito ibidem veneraretur obſequio. Accepit ergo imaginem Sanctimonialis; benedicens Dominum ejuſque Genetricem de omnibus quæ ſibi monachus revelavit. Monachus quoque in eodem loco reſiduum vitæ ſuæ peragere decrevit, propter virtutes, quas Dominum feciſſe cognoverat per imaginem ſuæ ſanctæ Genetricis. Cœpit iconia deinceps valdè ab omnibus venerari, & cœperunt omnes in ea Dei magnalia admirari. 1204.

Imago Dei.

His ita geſtis, fœmina Sanctimonialis locum præparans, ut ſibi videbatur, honeſtiorem, in quo imaginem poneret; rogavit presbyterum quendam tanquàm ſe digniorem & morum honeſtate præditum (ut credebat) ut veſtibus ſacris indutus, ad imaginem accederet, & eam ad locum prænominatum transferret. Ille autem verebatur nimis eam tangere: quia à tempore illo, quo ſuper Altare poſita fuerat, ſudare cœpit, & liquorem olei lucidiſſimum emittere non ceſſavit. Quam deſudationem fœmina Sanctimonialis priùs cum ſindone munda detergens; poſteà vaſculum paravit æneum, & liquorem recepit. Quem cum in nomine Domini ejuſque Genetricis infirmis tribuiſſet, à variis languoribus ilicò ſanabantur; & hucuſque ſanantur. Presbyter autem prædictus ad imaginem temerè accedens, & ut eam transferret, protinùs cùm liquorem ex ea manantem tetigit, arefactæ ſunt ejus manus; & poſt triduum migravit ad Dominum. Poſteà verò nullus præſumpſit imaginem, præter ſolam Sanctimonialem, tangere, vel eam de loco movere. Tunc fœmina religioſa ſubter imaginem vaſculum præparavit vitreum; in quo liquor ab imagine reciperetur, & infirmorum neceſſitatibus ſervaretur.

Imago mammillas carnis produxit.

Procedente denique tempore, res dictu mirabilis contigit & hactenus inaudita: nam imago præfata, admirantibus cunctis, cœpit paulatim mammillas carnis emittere, & mirabiliter carne veſtiri. Unde hucuſque à mammillis deorſùm carne videretur induta à quo liquor ille inceſſanter diſtillat. Quem liquorem fratres *Templi* ad domos ſuas deferunt, cum inducias habent à *Paganis*; ut Peregrinis orationis gratiâ adventantibus inde diſtribuant, qui honorem Dei Genetricis in diverſis mundi partibus reverenter attollant. Sunt autem monachi in quadam monaſterii parte, divinum agentes officium; ſed dignitas & magiſterium Sanctimonialium eſt, propter reverentiam prædictæ mulieris, quæ locum illum priùs inhabitavit; & in honorem ſanctæ *Mariæ* Dei Genetricis oratorium fabricavit.

Soldanus per imaginem viſum recipit.

Contigit in illis diebus, *Soldanum Damaſcenorum*, qui monoculus fuerat, oculo qui reſtabat, infirmari, ut viſum penitùs amittens, cœcus effectus ſit. Qui audiens de imagine memorata, per quam Deus tanta operabatur miracula, venit ad locum, & Oratorium intravit: & licet paganus eſſet, fidem in Domino habuit, quòd per imaginem ſuæ Genetricis ſibi ſanitas redderetur, & procidens in terram, diu proſtratus oravit. Surgens autem ab oratione, vidit ignem in lampade ardentem, quæ ante imaginem Dei Genetricis *Mariæ* pendebat; & viſum ſe recepiſſe gaviſus eſt. Glorificavit ergò Dominum, & omnes qui hoc cum ipſo viderunt: & quia primò lucem viderat in lampade coruſcantem, vovit Domino votum, quod annuatim deinceps daret ſexaginta metretas olei ad luminaria ejuſdem Oratorii, in quo per merita beatæ Dei genetricis viſum receperat. Hoc anno Eclipſis Lunæ facta eſt poſt mediam noctem, per longum tempus, decimo ſexto Kalendas Maii. *Simon* de *Welles* factus eſt epiſcopus *Ciceſtrenſis*: *Baldewinus* Comes *Flandriæ* factus eſt Imperator

1205. *Conſtantinopolitanus* : & Abbatia *Belli loci* Regis fundata eſt: Civitas *Rothomagenſis* quæ data pecunia, anteà ſub induciis pendebat, tunc penitùs in ditionem ceſſit *Francorum*. Circa dies iſtos, exercitus Regis *Francorum*, qui jam ferè per annum caſtellum de *Rupe Andeliaci* obſederat; per ſubfoſſores, magnam murorum ſtraverat portionem. *Rogerus* verò *Ceſtrenſis* Conſtabularius, vir magnificus & bellicoſus; *Francigenis* caſtrum intrare volentibus ingreſſum fortiter denegabat. Sed tandem victu ſibi deficiente, cùm ad tantam fuiſſet perductus inopiam, quòd nec unicam haberet alicujus pabuli refectionem, maluit armis quam fame mori; unde ipſe & commilitones ſui armati ad equos convolantes, de caſtro exierunt, multiſque ex obſtantibus interfectis, cum magna demùm difficultate capti ſunt. Ceſſit ergo caſtellum de *Rupe Andeliaci* in uſus Regis *Francorum*, pridiè Nonas Martii: & *Rogerus* de *Laſci* cum ſuis omnibus in *Franciam* adductus, Rege *Francorum* jubente, propter probitatem ſuam quam in caſtri cuſtodia fecerat, ſub libera cuſtodia detentus eſt. Quo facto Caſtellani omnes de regionibus tranſmarinis cum civibus & aliis Regi *Anglorum* ſubjectis, nuncios direxerunt in *Angliam*, Regi denunciantes ſub qua erant angaria conſtituti, & quòd tempus inſtabat induciarum, quo oportebat eos civitates & caſtella Regi *Francorum* reddere; vel obſides quos illi dederant ad perdendum tradere. Quibus Rex *Johannes* reſpondit, & per nuncios ſignificavit omnibus, ut nullum ab ipſo expectarent auxilium, ſed facerent ſinguli quod ſibi melius videbatur. Sic omnimodò deficiente conſolatione cum ſuccurſu, tota *Normannia*, *Turonica*, *Andegavia* & *Pictavia*, cum Civitatibus, Caſtellis & rebus aliis, præter *Rupellam*, *Toarz* & *Niorz* caſtella, ſunt in Regis *Francorum* dominium devoluta. Quod cum Regi *Anglorum* nunciatum fuiſſet, omnimodis cum regina ſua vivebat deliciis; cum qua ſimul ſe credidit omnia poſſidere. Habebat prætereà ſpem in immenſitate pecuniæ, quam collegerat; quòd per ipſam poſſet, terras quas amiſerat revocare.

Mors Godefridi Wintonienſis *Epiſcopi & ſucceſſio* Petri *de* Rupibus.

EODEM anno, Kalendas Aprilis, in prima noctis vigilia, tantus rubor in cœlo apparuit in parte aquilonari & orientali, ut verus ignis ab omnibus crederetur. Et quod mirandum eſt, in ipſo rubore vehementiſſimo ſtellæ micantes apparuerunt. Duravit autem hæc viſio uſque ad noctis medium. Eodem tempore *Godefridus Wintonienſis* Epiſcopus diem clauſit extremum: cui ſucceſſit *Petrus* de *Rupibus* vir equeſtris ordinis, & in rebus bellicis eruditus; qui procurante Rege *Johanne*, ad Epiſcopatum electus, *Romam* profectus eſt: ubi magnis xeniis liberaliter collatis ad eccleſiam *Wintonienſem* maturavit Epiſcopus conſecrari. Eodem etiam anno fuit ultimum Paſchæ, in die videlicet ſancti *Marci* Evangeliſtæ.

Quædam digna notatu.

ANNO gratiæ M. CCV. Rex *Johannes* celebravit Natale Domini apud *Theokesberi*, vix per ſpatium unius diei. Et eodem menſe Januarii terra vehementiſſime congelata, à decimo nono Calendas Februarii, uſque ad undecimum Calendas Aprilis agriculturam ſuſpendit: unde in æſtate ſequenti, Suma frumenti duodecim ſolidis vendebatur. Eodem anno circa Pentecoſten, Rex *Johannes* congregavit exercitum grandem, quaſi mare tranſiturum: & prohibente ſibi *Cantuarienſi* Archiepiſcopo & aliis multis, apud *Porteſmue* navium multitudinem copioſam coadunari fecit. Deinde Rex cum parvo comitatu, idibus Julii naves aſcendit; & velis patentibus Neptuno ſe committens, mutato conſilio, die tertia apud *Stodlandt* juxta *Warrham* applicuit. Reverſus autem Rex, cepit de Comitibus, Baronibus, militibus, & viris religioſis pecuniam infinitam; occaſiones prætendens, quòd noluerunt ipſum ſequi ad partes tranſmarinas, ut hæreditatem amiſſam recuperaret. Eodem tempore redditum eſt Caſtellum de *Chinun*, in vigilia ſancti *Johannis Baptiſtæ*.

Mors Huberti Cantuarienſis *Archiepiſcopi & ſucceſſio Supprioris* Cantuarienſis *eccleſiæ*.

EODEM tempore, *Hubertus Cantuarienſis* Archiepiſcopus apud *Tenham* diem clauſit extremum; tertiò Idus Julii: Rege admodùm gaudente, quia de Regis *Francorum* nimia familiaritate ſuſpectus habebatur. Defuncto itaque Archiepiſcopo, antequàm corpus ejus ſepulturæ traderetur; adoleſcentes quidam de conventu *Cantuarienſis* eccleſiæ, Regis conſenſu requiſito, *Reginaldum* Suppriorem ſuum in Archiepiſcopum elegerunt; & media de nocte, poſt factam electionem, Hymno *Te Deum laudamus*, cantato, priùs ſuper majus altare, ac deinde in Archiepiſcopali cathedra poſuerunt. Verebantur enim, quòd ſi electio, ſine Regis conſenſu ad ipſius aures perveniſſet, ipſe proceſſum negotii impedire laboraret. Unde nocte eadem idem Supprior, præſtita cautione juratoria, quod ſine licentia & literis ſpecialibus Conventus ſe electum non gereret, vel literas Conventus de rato quas habebat, alicui promulgaret; aſſumptis ſecum de Conventu quibuſdam monachis, curiam *Romanam* adivit. Hoc autem totum factum eſt, ut electio illa Regem lateret, donec probarent ſi rem inchoatam in curia *Romana*, poſſent perducere ad effectum. Sed electus præfatus, ſtatim ut in *Flandriam* applicuiſſet, ſpreto quod fecerat juramento, ſe *Cantuarienſem* eſſe electum clara voce confitetur; & ad hoc *Romanam* ſe adire curiam, ut factam electionem confirmaret. Literas inſuper Conventus, quas de rato habebat, quibuſlibet oſtendit: credens in hoc cauſæ ſuæ meritum non mediocriter promovere. Tandem verò *Romam* perveniens, electionem ſuam Domino Papæ & ejus Cardinalibus ilicò publicavit; literáſque ſuas de rato palàm omnibus oſtendens, conſtanter à Domino Papa exegit,

exegit, ut electionem factam, benignitate Apoſtolica confirmaret. Papa verò cum feſtinatione reſpondens, dixit ſe velle deliberare, donec majorem haberet certitudinem de præmiſſis. 1206.

PER idem tempus ad monachos Eccleſiæ *Cantuarienſis* contuendos, Papa *Innocentius* ejuſdem eccleſiæ Suffraganeis ſcripſit ſub hac forma. *Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Venerabilibus fratribus univerſis Suffraganeis* Cantuarienſis *Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum tempore legis* Moſaicæ, *quæ legitur ad perfectum neminem adduxiſſe, carnales parentes apud carnalem populum in ea reverentia fuerunt & honore, ut qui eis malediceret, morte mori de mandato Domini juberetur: multò magis ſub lege gratiæ conſtitutos, quâ pretioſiſſimo* Chriſti *ſanguine rubricata portas aperit paradiſi, ne legi tranſgrediendo mandata mortis damnationem incurrant, tanto convenit diligentiùs præcavere, quanto noſcitur ampliùs formidandum animæ quàm corporis incurrere detrimentum. Si ergò carnales parentes tanta ſint reverentia proſequendi, quid eſt de ſpiritualibus præſumendum? Niſi ut ſicut corpus ſpiritus ſuperat dignitate, ſic reverentia & honore ſpirituales parentes carnalibus præferantur. Hæc autem nos Fratres præmiſiſſe noveritis, quia cùm veſtram debeamus deſiderare ſalutem, veremur ne præſens tribulatio, quæ vobis (ut dicitur) procurantibus ſuſcitata eſt; matrem* Cantuarienſem *Eccleſiam, quam utique velut matrem tenemini revereri, vobis periculum generet animarum: & eidem eccleſiæ tantum pariat detrimentum, ut quod diſpendioſa contentio generabit, vix poſſit prolixiori temporum ſpatio reſtaurari. Quocirca univerſitatem veſtram monemus attentiùs & hortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenùs diligentiùs attendentes, quid ſuper his honori veſtro expediat & ſaluti, non moleſtetis indebitè* Cantuarienſem *Eccleſiam matrem veſtram: cujus honores & jura fidelitatis debito tenemini defenſare, ne de vobis merito conqueratur & dicat:* Filios enutrivi & exaltavi, ipſi verò me non ſolummodò non cognoſcunt, ſed & ſeveriſſimè perſequuntur. *Non autem per ea quæ præmiſimus, vos à veſtra proſequenda juſtitia dehortamur; ſed pia nos facit affectio trepidare, ne terminis ſtatutis à patribus non contenti, alii faciatis injuriam ea occaſione reperta, quòd velitis proſequi jura veſtra. De cætero fratres, omnipotens Dominus illuminet mentes veſtras, ut remota omni contentionis materia, debitam matri veſtræ non negetis obedientiam vel honorem: nec contra divinum nec naturale mandatum aliis faciatis, quod vobis fieri non velitis. Datum* Romæ *apud ſanctum* Petrum, *ſexto Idus Decembris: Pontificatus noſtri anno octavo.*

Electio Johannis Norwicenſis *Epiſcopi* in *Archiepiſcopum* Cantuarienſem.

MONACHI intereà *Cantuarienſes*, cum de Supprioſe ſuo cognoviſſent, quòd violato Juramento quod fecerat, ſtatim ut in *Flandriam* applicuiſſet ſe electum geſſerat, eorum detegendo ſecretum, commoti ſunt vehementer contra eum; & continuò quoſdam de conventu monachos miſerunt ad Regem, requirentes ab eo licentiam, paſtorem ſibi idoneum eligendi. Quibus Rex protinùs, abſque omni conditione, benignè annuit quod petebant; & ſecretius eis alloquens oſtendit eis Epiſcopum *Norwicenſem* magna ſibi familiaritate conjunctum fore; ipſúmque ſolum ex omnibus *Angliæ* Prælatis ſecretorum ſuorum eſſe conſcium. Unde ſibi & regno ſuo magnum aſſerebat provenire commodum, ſi eum ad Archiepiſcopatum *Cantuarienſem* transferre potuiſſent. Rogavit igitur monachos, ut unà cum clericis ſuis, quos miſſurus erat ad Conventum; hanc petitionem ſuam exponerent illis, multos Conventui promittens honores, ſi ipſum exaudire decreviſſent. Monachi verò ad propria reverſi, Conventui per ordinem retulerunt, ea quæ ſibi à Rege fuerant imperata. Conventus autem ut Regem quem offenderant, ſibi reconciliarent, convenientes in Capitulo, *Johannem Norwicenſem* Epiſcopum unanimiter elegerunt; & ilicò quoſdam de Conventu monachos ad electum dirigentes (qui tunc pro agendis rebus Regis, apud *Eboracum* erat) mandantes ei, ut *Cantuariam* cum feſtinatione veniret. Nuntii quoque præpoſitum iter expedientes, Epiſcopum jam dictum apud *Notingham* invenerunt. Qui Regis expletis negotiis, ad partes Auſtrales properabat; veniénſque ad Regem, *Cantuariam* ſimul profecti ſunt, atque die ſequenti, maxima multitudine in Eccleſia Metropolitana concurrente, Prior *Cantuarienſis*, Rege præſente, electionem factam de *Johannis* de *Grai* Epiſcopo *Norwicenſi*, palàm cunctis pronunciavit: & aſſumentes eum monachi, cum hymno *Te Deum laudamus*, portaverunt ad majus altare, tandem in Cathedra Archiepiſcopali illum collocantes, & hoc fuit ſeminarium totius ſequentis diſcordiæ, quæ per ſæcula detrimentum *Angliæ* generavit, & damnum irreſtaurabile. Quo facto, Rex videntibus cunctis, miſit electum illum in poſſeſſionem rerum omnium ad Archiepiſcopatum pertinentium: & ſic ſinguli ad propria ſunt reverſi. Sicque in hac electione factus eſt noviſſimus error pejor priore, ſicut rerum exitus evidenter oſtendit.

De controverſia inter Epiſcopos Cantuarienſis *Eccleſiæ Suffraganeos, & monachos ejuſdem eccleſiæ de Archiepiſcopo eligendo.*

ANNO gratiæ M.CCVI. Rex *Johannes* celebravit diem Dominicæ Nativitatis apud *Oxoniam*; quo etiam tempore idem Rex miſit ad curiam *Romanam* quoſdam *Cantuarienſis* Eccleſiæ monachos, inter quos præcipuus erat magiſter *Helias* de *Brantefeld*: quibus de fiſco copioſas Rex miniſtravit expenſas; ut electionem de epiſcopo *Norwicenſi* factam, impetrarent à domino Papa confirmari. Miſerunt autem eodem tempore, epiſcopi *Cantuarienſis* eccleſiæ Suffraganei procuratores *Romam*, gravem coram domino Papa querelam proponentes. Quòd videlicet monachi *Cantuarienſes* ſine illis electionem temerè Archiepiſcopi præſumpſiſſent celebrare: cùm ipſi unà cum illis de jure communi & conſuetudine antiqua

electioni intereſſe debuiſſent. Allegârunt etiam procuratores memorati ſuper præmiſſis, decreta & exempla; quoſdam teſtes producentes, & literas teſtimoniales exhibentes: quibus oſtendere nitebantur, quod ipſi Suffraganei unà cum monachis tres Metropolitanos elegerunt. Monachi verò è contrario aſſerebant, quòd privilegio ſpeciali *Romanorum* Pontificum, & de conſuetudine approbata & antiqua, ſine Epiſcopis electiones facere conſueverant: quod etiam per teſtes idoneos docete promiſerunt. Auditis hinc inde allegationibus, teſtibúſque admiſſis & diligenter examinatis; præfixus eſt dies à domino Papa, partibus duodecimo ſcilicet Calendas Januarii ad pronunciandum, ut tunc venirent, quod Jus dictaverit, recepturi.

Rex Johannes Pictaviam *tranſiens, caſtrum* montis Albani *ſubegit.*

EODEM anno, Rex *Anglorum Johannes* in hebdomada Pentecoſtes exercitum grandem apud *Porteſmue* congregavit: & ſeptimo Calendas Julii naves conſcendens, ſeptimo Idus Julii ad *Rupellam* applicuit. Quo audito, congratulabantur incolæ terræ illius; & quantociùs ad Regem convolantes, opem ei & auxilium certis aſſertionibus promiſerunt. Securiùs ergò inde progrediens, partem ſibi non modicam terræ illius ſubjugavit. Veniens tandem ad *Montem Albani*, caſtellum nobiliſſimum, in quo tota militaris nobilitas illius regionis, & præcipuè ipſius regni inimici tenebantur incluſi; illud protinùs militaribus cuneis circumcinxit. Cùm igitur per dies quindecim, caſtellum continuò Petrariarum inſultu & Baliſtarum fundarúmque jactu in maxima jam parte contriviſſent; militia *Angliæ* in hoc potiſſimùm opere laudabilis, muros aſcendere, ictúſque importabiles dare & recipere feſtinabat. Prævalentibus tandem *Angligenis*, & incluſis deficientibus; captum eſt caſtellum munitiſſimum de *Monte Albani*: quod obſidione ſeptenni *Carolus magnus olim ſubjugare non* potuit. Nomina autem magnatum & virorum illuſtrium: qui in *caſtello* cum equis & armis & ſpoliis innumeris capti ſunt, Rex *Anglorum* Juſticiariis & Epiſcopis *Angliæ*, cæteríſque nobilibus per literas ſignificavit. Captum eſt autem Caſtellum in die ſcilicet ſancti *Petri*, quod dicitur ad vincula.

De Legatione Johannis Ferentini *in* Angliam.

EODEM anno, *Johannes Ferentinus*, Apoſtolicæ ſedis Legatus, veniens in *Angliam*, eámque perluſtrans; magnam pecuniæ ſummam congeſſit: & tandem apud *Radingum* in craſtino ſancti *Lucæ* Evangeliſtæ concilium celebravit. Quo facto, ſarcinulis cum magna cautela diſpoſitis & prudenter commendatis; feſtinus viator ad mare perveniens, *Angliam* à tergo ſalutavit. Eodem tempore, viri religioſi de partibus tranſmarinis, inter Reges pro pace reformanda ſollicitè diſcurrentes; in feſtivitate omnium Sanctorum, biennales inducias impetrarunt. Rex igitur *Johannes* reverſus in *Angliam*, apud *Porteſmue* applicuit pridiè Idus Decembris. Eodem anno *Willielmus Lincolnienſis* Epiſcopus, vigilia Aſcenſionis, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Quo etiam anno *Jocelinus Wellenſis* creatus eſt apud *Radingum* Epiſcopus *Bathonienſis*; & per miniſterium *Willielmi Londonenſis* Epiſcopi munus conſecrationis ſuſcepit.

Sententia definitiva Innocentii *Papæ pro monachis* Cantuarienſis *Eccleſiæ.*

CIRCA dies iſtos, Papa *Innocentius*, Suffraganeis *Cantuarienſis* Eccleſiæ Epiſcopis ſententiam definitivam ſub hac forma direxit. *Majores eccleſiæ cauſas ad ſedem Apoſtolicam referendas; & Canonica tradit authoritas, & approbata conſuetudo declarat. Cùm igitur inter vos & dilectos filios noſtros Priorem & monachos* Cantuarienſis *eccleſiæ, ſuper jure illius Archiepiſcopi eligendi controverſia verteretur: proponentibus vobis quòd tum ex jure communi, tum ex antiqua conſuetudine, unà cum illis debetis ipſius Archiepiſcopi electionem celebrare. Illis autem è contrario reſpondentibus, quòd de jure communi & privilegio ſpeciali, & de conſuetudine approbata & antiqua;* Cantuarienſem *Archiepiſcopum eligere deberent ſine vobis: lite coram nobis per procuratores idoneos ſuper hoc legitimè conteſtata, diligenter audivimus, quæ partes in præſentia noſtra proponere curaverunt. Pars ſiquidem veſtra & decreta pariter & exempla ſtuduit allegare; quoſdam teſtes producens, & teſtimoniales literas exhibens, quibus oſtendere nitebatur, quod vos tres, Metropolitanos elegeratis unà cum illis: cùm per literas & atteſtationes ſit probatum, vos & alio loco & alio tempore non ſine illis, electiones hujuſmodi celebraſſe. Teſtes autem producti ex parte monachorum, legitimè probaverunt, quod Prior & Conventus* Cantuarienſis *eccleſiæ, à longis retrò temporibus electiones Epiſcoporum in Capitulo ſuo, ſine vobis uſque ad hæc tempora celebrarunt: & eaſdem obtinuerunt à Sede Apoſtolica confirmari. A nobis etiam & prædeceſſoribus noſtris, per privilegii paginam eſt ſtatutum; ut decedente Archiepiſcopo* Cantuarienſi, *nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur: niſi quem communi conſilio major pars monachorum conſilii ſanioris, ſecundum dominum & ſacrorum Canonum ſanctiones providerit eligendum. Nos igitur his & aliis, quæ coram nobis allegata ſunt, auditis & perſpicaciter intellectis; quia conſtat evidenter, quod vos ſine illis ſecundùm aſſertionem veſtram eligere non debetis, monachis excluſis, veſtra non valet electio: & electio monachorum ſine vobis celebrata, quia à Sede Apoſtolica meruit confirmari, valebat. Cúmque neceſſarium fuerit alterutrum confirmare; de communi Fratrum noſtrorum conſilio, vobis & ſucceſſoribus veſtris ſuper jure* Cantuarienſem *Archiepiſcopum eligendi, ſilentium perpetuum imponimus; & monachos* Cantuarienſes *ab impetitione ac moleſtatione veſtra & ſucceſſorum veſtrorum per ſententiam diffinitivam abſolvimus. Authoritate Apoſtolica decernentes, ut monachi* Cantuarienſis *Eccleſiæ & ſucceſſores, eorum de cætero Archiepiſcopum eligant ſine vobis. Datum* Romæ *apud Sanctum* Petrum, *duodecimo Kalendas Jaunarii; Pontificatus noſtri anno nono.*

HOC

Hoc anno, vir quidam in Epiſcopatu *Londonienſi* in villa quæ *Tidſtude* dicitur degens; 1206.

De quadam viſione Purgatorii & pœnis malorum & gaudiis bonorum.

ſimplex operique aſſuetus rurali, & juxta facultatum mediocritatem hoſpitalitati deditus; dum poſt horam veſpertinam in Vigilia Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, agellum ſuum, quem eadem die ſeminaverat, ab aquarum inundatione per rivulos laticem deducendo, evacuaret; oculos ſubitò ſurſum erigens, videt hominem quendam ad ſe eminùs properantem. Quem cum aſpexiſſet, & orationem Dominicam inchoaſſet: ecce protinùs ei aſſiſtens, hortatus eſt, ut finita quam inchoaverat oratione, ſecum loqueretur. Completa autem oratione, ſe invicem ſalutârunt. Tunc ille qui ſupervenerat percunctatur, ubi nocte illa, inter vicinos poſſit congruentiùs hoſpitari. Cúmque requiſitus quorundam vicinorum ſedulitatem in hoſpitalitate collaudaſſet, requiſitor nominatorum quorundam hoſpitalitatem reprobavit. At ille intelligens virum qui advenerat, vicinorum ſuorum habere notitiam, rogavit inſtantiùs, ut ſecum hoſpitari dignaretur. Cui ille: Conjux tua duas mulieres pauperculas hoſpitalitatis gratia jam recepit, & ego hac nocte ad domum tuam divertam: ut te ad dominum tuum, ſanctum videlicet *Jacobum* perducam, quem nunc devotè adoraſti. Ego enim ſum *Julianus* hoſpitator; qui miſſus ſum propter te, ut ſecreta quædam, quæ homines in carne degentes latent, tibi divinitùs oſtendantur. Perge ergò domum quantociùs; & ad iter te præparare ſtude. Quo dicto, diſparuit ilicò vir, qui cum illo loquebatur. *Thurcillus* autem (hoc erat enim viro nomen) concito gradu domum pergens, caput & pedes lavit; duáſque mulierculas hoſpitio receptas comperit, ſicut ſibi ſanctus prædixerat *Julianus*. Deinde in ſtratu ſuo, quem ſeorſum ab uxore, ob continentiam præparaverat in domo, extra thalamum ſe collocans obdormivit. Cúmque omnes de familia ſopori membra dediſſent, ſanctus adfuit *Julianus*, virúmque ſomno excutiens ait: Ecce adſum ſicut promiſeram; tempus enim eſt ut eamus. Quieſcat in ſtratu corpus tuum: ſola enim anima tua mecum eſt itura. Et ne corpus videatur extinctum, vitalem in te flatum dimittam. Sicque ambo à domo recedentes, *Thurcillus* ſanctum *Julianum* præeuntem ſequebatur.

Ut Thurcillus ad quandam Baſilicam in qua erat cœtus animarum pervenerit.

Cumque ad mundi medium (ſicut ductor viri fatebatur) contra Orientem præpararent; intraverunt quandam baſilicam miræ ſtructuræ, quæ tribus tantùm columnis, in tecti faſtigio nitebatur. Erátque baſilica grandis nimis & ſpacioſa: ſed abſque parietibus per gyrum dependens ut clauſtrum monachorum. Verum à parte Aquilonari murus erat non nimis altus, ſed quaſi ſex pedum baſilicæ à faſtigio per tres columnas dependenti conjunctus. In medio Baſilicæ erat quaſi ingens quoddam Baptiſterium, de qua maxima flamma non comburens; ſed totam Baſilicam & loca vicina per circuitum, mirabiliter quaſi ſplendor meridianus indeſinenter illuſtrans conſurgebat. Hic autem ſplendor de decimatione juſtorum proveniebat, ſicut à ſancto edoctus eſt *Juliano*. Intrantibus autem illis Baſilicam, ſanctus *Jacobus* quaſi infulatus occurrit. Qui videns Peregrinum ſuum, pro quo miſerat; ait ſancto *Juliano* & ſancto *Domnio*, qui cuſtodes illius erant loci; ut oſtenderent Peregrino ſuo, loca pœnalia malorum, ſimul & manſiones juſtorum. Et his dictis pertranſiit. Tunc ſanctus *Julianus* intimavit educto illi, hanc Baſilicam eſſe locum omnium animarum à corpore nuper exeuntium; ut ibi ſortiantur manſiones & loca, ſecundùm merita ſua, ſibi divinitùs deſtinata; tam damnandæ quàm per purgatorii pœnas ſalvandæ. Locus enim iſte per interceſſionem glorioſæ virginis *Mariæ*, à Domino Servatore miſericorditer eſt conſtitutus; ut ibidem omnes animæ in Chriſto renatæ, mox ut à corpore exierint, abſque ulla dæmonum invaſione conveniant; & judicium ſecundùm opera ſua recipiant. In hac ergo Baſilica ſanctæ *Mariæ* (quæ *Congregatio animarum* dicitur) multas vidi animas juſtorum ex omni parte candidas, vultúſque quaſi adoleſcentium habentes. Extra murum aquilonarem eductus, conſpexi animas plurimas muro viciniùs aſtantes; maculis albis & nigris reſperſas: quarum quædam plus candoris quàm nigredinis; quædam à contrario ſimilitudinem præferebant. Illæ verò quæ candidiores erant, muro viciniùs adhærebant; & quæ longiùs à muro diſtabant, nihil in ſe candoris habentes, ex omni parte deformes apparebant.

De juſtis decimationibus.

Erat autem juxta murum putei gehennalis introitus, qui indeſinenter fumum cum teterrimo fœtore per quaſdam cavernas circumquaque in vultus aſtantium exhalabat; qui fumus ex decimis injuſtè detentis proveniebat, & de frugibus injuſtè decimatis: qui fœtor circa omnium præcordia, qui tali reatu culpabiles erant, anguſtiam incomparabilem ingerebat. Unde & ille qui eductus erat, bis eundem ſentiens fœtorem, tantum ei moleſtiæ intulit; ut cogeret eum anguſtioſiùs bis tuſſire: & ſicut aſſiſtentes circa corpus aſſerebant, corpore ejus eadem hora bis ſimiliter tuſſiente. Cui ſanctus *Julianus*: Apparet, inquit, te non rectè meſſem tuam decimâſſe; & ideò hunc ſenſiſti fœtorem. Cúmque ille cauſaretur paupertatem, ait Sanctus: Agrum ſuum fructum uberiùs prolaturum, ſi rectas decimas perſolviſſet. Præcepítque ſanctus, ut hunc reatum in eccleſia palàm cunctis confiteretur; atque à ſacerdote abſolutionem expeteret.

De igne & ſtagno & Ponte purgatorii & de quadam Baſilica in monte gaudii.

In orientali parte Baſilicæ jam dictæ, erat ignis quidam purgatorius permaximus; inter duos muros conſtitutus: murus enim unus à parte ſeptentrionali conſurgebat, & alter ab auſtrali, ab invicem amplo ſpatio in latitudine diſtantes: qui in longitudinem diutiùs protendebantur versùs orientem, uſque ad ſtagnum quoddam, multa capacitate ampliſſimum;

in

1206. in quo immergebantur animæ per ignem purgatorium tranſeuntes. Erátque aqua ſtagni illius incomparabiliter ſalſa & frigida; ſicut educto illi poſtmodùm eſt oſtenſum. Reſtabat deinde pons magnus, aculeis & ſudibus per totum affixus; quem pertranſire quemlibet opportebat, antequàm ad montem guadii perveniret. In quo monte gradatim ſita eſt tam grandis eccleſia & ſtructuræ mirabilis; quæ capere ſufficeret (ut ſibi videbatur) omnes habitatores orbis. Conduxit ergo beatus virum eductum per ignem præfatum omninò illæſum, uſque ad ſtagnum jam dictum: incedentéſque pariter per viam, quæ medias inter flammas à Baſilica protendebatur. Hæc enim aliqua lignorum materia, igni memorato fomitem miniſtravit; ſed flamma quædam exurgens ſicut in clibano vehementer ſuccenſo cernitur, per totum illud ſpatium æqualiter diffundebatur; quæ animas nigras & maculoſas, ſecundùm modum culparum, breviùs aut diuturniùs exurebat. Animæ verò quæ ignem evaſerant, in ſtagno illo frigidiſſimo ac ſalſiſſimo, ad nutum beati *Nicolai*, qui huic Purgatorio præerat, deſcendebant: quarum quædam uſque ad verticem, quædam uſque ad collum, quædam ad pectus uſque & brachia, aliæ & umbilicum & renes, quædam ad genua, & nonnullæ vix uſque cavillam pedum immerſæ fuerunt. Poſt ſtagnum reſtat tranſitus pontis, qui eſt ad atrium ante faciem eccleſiæ prædictæ, in occidentali parte. Pontem autem hunc, quædam animæ laborioſè nimis & tardè, quædam leviùs atque velociùs: nonnullæ verò liberè & ociùs pertranſibant, nullam moram in tranſitu vel anguſtiam ſentientes. Nam quidam ignem tardiùs tranſeuntes, annis multis in eo morabantur. Et qui nullis ſpecialium miſſarum ac eleemoſynarum ſuffragiis adjuvantur, vel nullis miſericordiæ operibus erga pauperes ſtuduerunt peccata redimere dum vivebant; hi nimirùm cùm ad *Pontem* præfatum pervenerint tranſire, cupientes ad requiem deſtinatam, nudis pedibus per ſudes & clavos præacutos & ponti affixos, nimis anguſtioſè incedunt; & cum vehementem doloris cruciatum in plantis pedum diutiùs sufferre nequeunt, manus ſuas ſuper clavos quaſi adnitentes deficiendo imponunt. Quibus ilicò perforatis ex vi doloris & anguſtiæ, ventre ac toto corpore ſimul ſuper clavos volutantes, paulatim ad Pontis inferiora repunt, horribiliter cruentati, & ex omni parte transfixi. Sed cùm ad atrium eccleſiæ jam dictæ pervenerint, felicem introitum ibidem præſtolantes, omnium vehementiam cruciatuum minimè recordantur.

Sanctus Michael *&* *Apoſtoli* Petrus *&* Paulus *loca animabus largiuntur.*

HIS igitur inſpectis, redeunt denuò per medium flammæ ſanctus *Julianus* & vir ille eductus, ad baſilicam beatæ *Mariæ*: ibíque cum candidis animabus, quæ nuper advenerant ſubſtiterunt: animæque illæ à ſancto *Juliano* & ſancto *Domnio* aqua benedicta aſperguntur, ut candidiores fierent. Ecce circa horam primam illuceſcentis Sabbathi, ſanctus *Michael* archangelus & Apoſtoli *Petrus* & *Paulus*; ut animabus quæ intùs & extra eccleſiam erant congregatæ, loca ſibi divinitùs ordinata, pro meritis largirentur. Sanctus enim *Michael*, omnes animas candidas per medias ignis flammas purgatorii; & per cætera loca pœnalia illæſas tranſire fecit, uſque ad introitum illius magnæ baſilicæ, quæ eſt in monte gaudii, habens portam in parte occidentali ſemper patentem. Animas verò maculis albis & nigris reſperſas, extra Baſilicam muro ſeptentrionali innitentes; ſine aliqua operum diſcuſſione, per portam quandam, quæ erat in orientali parte Baſilicæ, beatus *Petrus* introduci fecit in ignem purgatorium; ut à maculis quas à contagione peccatorum contraxerant, per aduſtionem poſſent debacchantis incendii emundari.

Ponderatio Bonorum & malorum.

BEATUS quoque *Paulus* Apoſtolus, ad finem muri ſeptentrionalis reſidere cæpit, intra Baſilicam; & extra murum ex oppoſito Apoſtoli, diabolus cum ſuis ſatellitibus reſidebat. Puteus autem flammivomus, qui os erat putei gehennalis; ſecus pedes diaboli erumpebant. Quædam verò libra æqua lance dependens, affixa erat ſuper murum inter Apoſtolum & diabolum; cujus pars media dependebat ante conſpectum diaboli exteriùs. Habebat itaque Apoſtolus duo pondera, majus & minus, omninò nitida & quaſi aurea; & diabolus ſimiliter duo fuliginea & obſcura. Acceſſerunt ergò animæ ex toto nigræ, cum magno timore & trepidatione una poſt alteram; ſingulæ ponderationem operum ſuorum ibidem viſuræ bonorum & malorum. Nam pondera prædicta ponderabant ſingularum opera animarum; ſecundùm quod fecerant bonum ſive malum. Cum ergò ſtatera ſe versùs Apoſtolum inclinaret, per ſuorum librationem ponderum, tollebat Apoſtolus animam illam, & introduxit eam per portam orientalem, quæ conjuncta erat Baſilicæ, in ignem Purgatorium; ut illic crimina expiaret. Cùm verò pars ſtateræ ſe ad diabolum inclinaret & præponderaret; mox ille cum ſatellitibus ſuis animam miſeram nimis ejulantem, patrémque ſuum ac matrem, qui eam ad æterna genuerant tormenta maledicentem, rapientes: cum multo cachinno, præcipitabant in foveam profundam & flammivomam, quæ ſecus pedes diaboli librantis erat. De hujuſmodi libratione bonorum & malorum, in ſanctorum Patrum ſcriptis ſæpiùs reperitur.

De quadam anima quam Diabolus in equinam formam transformavit.

DIE verò Sabbathi circa horam veſpertinam, dum eſſet ſanctus *Domnius* cum ſancto *Juliano* in baſilica præfata; ecce à parte aquilonari dæmon quidam venit, equum nigerrimum præcipiti curſu obequitans; ipſúmque per multos anfractus, cum multo ſubſannationis plauſu deducendo perurgens. Cui multi ſpirituum malignorum, deducta præda ad invicem cachinnantes; cum magno tripudio obviàm proceſſerunt. Sanctus quoque *Domnius* dæmoni

mandat

mandat equitanti, ut ad ſe quantociùs veniat; & cujus ſit anima quam adduxerat edicat. Quo diutiùs diſſimulante præ immenſo gaudio, quod de miſera anima habebat; Sanctus confeſtim flagellum arripiens, dæmonem graviter verberavit; ſicque ſanctum ſequutus eſt uſque ad murum aquilonarem, ubi libratio extiterat animarum. Deinde ſanctus interrogat dæmonem, cujus ſit illa anima quam ſic equitando torſerat. Qui ait, hunc unum fuiſſe ex proceribus Regni *Angliæ*; qui nocte præcedenti abſque confeſſione & Dominici corporis perceptione obierat. Et inter cætera flagitia quæ commiſerat, præcipuè erga homines ſuos crudelis exiſtens, ad extremam inopiam multos perduxit: quòd maximè inſtinctu uxoris ſuæ fecerat, quæ eum ſemper ad ſævitiam incitavit. In equinam formam illam transformavi, quia damnatorum animas licet nobis in formas quaſlibet transformare. Et nunc deſcendiſſem cum ea in ſupplicium æternum, niſi nox Dominica inſtaret; in qua ludis noſtris theatralibus vacare nos oportet, & vehementiores cruciatus animabus miſeris adaugere. Cúmque hæc dixiſſet, defixit aſpectum propenſiùs in virum eductum, & Sancto dixit; Quis eſt agreſtis iſte qui ſtat tecum? Cui ſanctus, Nonne cognoſcis illum? Et dæmon, hunc hominem vidi in *Eſſexia* in Eccleſia de *Tidſtude*, in feſto dedicationis ejuſdem. Ait Sanctus: In quali habitu eccleſiam ingreſſus es: In habitu inquit muliebri: ſed cum proceſſiſſem uſque ad Baptiſterium, volens intrare cancellum; obvius mihi fuit Diaconus cum aſperſorio aquæ benedictæ; qui me illius aquæ aſpergine ita præcipitanter effugavit, ut clamorem emittens, ſaltum fecerim ab eccleſia uſque ad pratum; quod ferè per duo ſtadia ab eadem eccleſia eſt ſeparatum. Affirmabat autem vir ille eductus, ſed & plerique parochianorum idipſum teſtabantur; ſe clamorem illum audiſſe, ſed cauſam penitùs ignoraſſe. 1206.

HIS ita geſtis, ſanctus *Domnius* ad dæmonem ait: volumus tecum ire ut ludos veſtros videamus. Cui dæmon: ſi mecum vultis ire, cavete ne agreſtem hunc vobiſcum adducatis: qui cum ſuis redditus eſſet, actus noſtros ac ſecreta pœnarum genera apud viventes detegeret, & multos à noſtris operibus revocaret. Cui ſanctus: feſtinanter procede, nam ego & ſanctus *Julianus* te ſequimur. Præcedente itaque dæmone ſequebantur ſancti; virum illum eductum ſecum latenter deducentes. Perrexerunt ergò ad plagam aquilonarem, quaſi montem aſcendendo; & ecce in deſcenſu montis domus erat ampliſſima & fuliginoſa, muris veternis circumdata: erántque in ea quaſi multæ plateæ, innumeris ſudibus ferreis & ignitis circumquaque repletæ. Sedes autem candentibus circulis ferreis & ex omni parte clavatis; ſuperiùs & inferiùs, à dextris & à ſiniſtris extructæ erant: atque homines in eis diverſæ conditionis & ſexus, miſerabiliter reſidebant. Ex omni namque parte candentibus clavis perforabantur; atque ex circulis ignitis undique conſtringebantur & exurebantur. Tanta erat ſedium illarum multitudo, & hominum in eis reſidentium; quòd lingua nulla eas dinumerare ſufficeret. Erant muri ferrei & nigerrimi in circuitu Platearum, & ſedes aliæ juxta muros, in quibus reſidebant dæmones per circuitum; quaſi ad lætum ſpectaculum, de cruciatibus miſerorum ad invicem cachinnantes, & peccata priſtina illis retractantes. Juxta introitum hujus deteſtandi ſpectaculi, in deſcenſu montis, ſicut diximus; erat murus quidam altitudine quinque pedum, ex quo perſpicuè videri poterat quicquid in illo pœnali loco agebatur. Ad hunc igitur murum, ſancti prædicti de foris ſtabant; cernentes quicquid intùs miſeri perferebant. At vir ille eductus inter ſanctos deliteſcens, clarè proſpexit omnia quæ interiùs agebantur.

De ludis theatralibus dæmonum.

RESIDENTIBUS ad ludibrioſum ſpectaculum miniſtris tartareis, Princeps illius nefandæ cohortis, ſatellitibus ſuis ait: Abſtrahatur de ſedili ſuo ſuperbus violenter, & ludat coram nobis. Abſtractus autem à Dæmonibus & veſte nigra indutus; omnem geſtum hominis ſupra modum ſuperbientis, coram Dæmonibus ad invicem applaudentibus recitavit. Cervix erigitur, vultus attollitur, oculi cum arcuatis ſuperciliis ſurgunt in obliquum, imperioſè tumidis intonat verbis; ludunt humeri, vix brachia ferre præ faſtu non valentes, in pectus extenditur, collum ſupinat, vultu candet, ignitis oculis iram prognoſticat, naſúmque digito percutiens, magna minatur. Sic ventoſa ſuperbia de facili turgens; riſum præbebat ſpiritibus monſtruoſis. Et cùm de veſtibus gloriaretur, manicáſque conſuendo conſtringeret, ſubitò in igneam formam veſtes converſæ, totum corpus miſeri hominis exurebant. Dæmones denique ira incandeſcentes, tridentibus, uncíſque ferreis & ignitis, miſerum membratim diſcerpunt. Unus autem ex eis adipem cum pice & aliis liquaminibus in ſartagine ferventi torrens; ſingula membra diſcerpta reſperſit cum illo unguine bullienti; & ad ſingulas dæmonis reſperſiones, membra ſtridorem immittebant; velut in aqua frigida ponitur in ſanguine bullienti. Cúmque membra ſic torrefacta, denuò ſimul fuiſſent compaginata; ſuperbus ille rediit in ſtatum priorem. Móxque ad miſerum acceſſerunt malleatores herebi, cum malleis & tribus laminis ignitis, triplici ordine clavatis: duáſque laminas in anteriori parte corporis ad dextram & ad ſiniſtram applicuerunt, & cum clavis candentibus crudeliter cum malleis affixerunt. Hæ autem laminæ à pedibus incipientes, deducebantur per tibias & femora uſque ad humeros; & ita recurvabantur in collo. Tertia verò lamina à genitalibus incipiens, per ventrem uſque ad verticem attingebat. Cúmque miſer ille præſcriptis diutiſſimè affligeretur tormentis; truculenter in ſedem priſtinam

De ſuperbo, & ejus cruciatu.

1206. nam trudebatur. In qua repoſitus, undique clavis candentibus, quinque digitorum in longitudinem protenſis; crudeliter ex omni parte torquebatur. Illóque ſic ab hoc loco pœnali ſublato; in ſede propria, quam ſibi vivens fabricaverat, repoſitus eſt denuò cruciandus.

De quodam Sacerdote. SACERDOS quidam ex cathedra ſua ignita, à miniſtris iniquitatis in hoc ludibrium crudeliter extractus; coram larvis ſiſtitur monſtruoſis. Cujus linguam protinùs per medium ſecti gutturis violenter extrahendo, radicitùs amputârunt. Hic populum ſibi commiſſum, nec ſermone ſanctæ exhortationis, nec exemplo piæ actionis pro bonis temporalibus ab eo receptis, orationum aut miſſarum ſuffragia, dum potuit, rependebat. Poſteà ſicut de ſuperbo jam diximus, membratim illum diſcerpentes, & iterum redintegrantes; in tormentali cathedra locaverunt.

De quodam milite. POST hunc adductus eſt miles quidam, qui vitam ſuam in cædibus innocentium & torneamentis peregerat & rapinis. Hic omnibus armis militibus armatus, equo nigerrimo inſidebat; qui piceam flammam cum fœtore & fumo per os & nares, cùm urgeretur calcaribus, In ſupplicium ſui ſeſſoris efflabat. Sella equi clavis igneis & prælongis erat undique præfixa; lorica & galea, ſcutum & ocreæ, ex toto flammantia nimio ſui pondere militem graviter onerabant: ſed non minori cruciatu eum medullitùs exurebant. Miles autem poſtquam equum curſu præcipiti agitaverat, haſtámque contra dæmones ſibi obviantes eique illudentes vibraverat; priores militiæ ſuæ geſtus replicando, ab ipſis equo dejectus, membratim diſcerpitur, membráque execrabili liquore ſupradicto torrentur; torrefacta verò & ad invicem compaginata, modo quo ſuperiores, tribus laminis conſtringuntur. Sícque redivivus in ſedem propriam violenter retruditur.

De quodam Legiſta. POST militem verò adducitur in medium quidam legum mundanarum peritiſſimus, à ſuo ſedili cum cruciatu magno abſtractus; quod ſibi per longum tempus malè vivendo fabricaverat, & judicia. Hic autem per totius *Angliæ* fines inter ſummos famoſiſſimus habebatur: ſed anno quo hæc viſio contigit, vitam miſerabiliter terminavit. Nam ſine omni teſtamenti executione ſubitò decedens; ab alienis quicquid rapaci ingluvie acquiſierat, diſtracta ſunt penitùs & conſumpta. Ad ſcaccarium enim Regis reſidere conſueverat, ubi ab utraque litigantium parte dona frequenter acceperat. Hic quoque cum in ludibrium theatrale coram ſpiritibus nefandis adduceretur; inſultantibus larvis, coactus eſt actus vitæ priſtinæ replicare. Nam modò à dextris, modò à ſiniſtris ſe divertens, illos de cauſa proponenda, iſtóſque in cauſis contradictoriis inſtruebat; nec inter hæc manus à munere cohibens, nunc ab hiis, nunc verò ab illis acceptam pecuniam numerabat; numeratámque in loculis reponebat. Cúmque diutiùs dæmones miſeri hominis geſtum ludificando conſpexiſſent; nummi ſubitò velut ardentes effecti, miſerum miſerabiliter exurebant; quos in os ſuum ardentes projicere, atque in ore receptos, compulſus eſt deglutire. Quibus abſorptis, acceſſerunt duo dæmones, cum rota plauſtri ferrea, verubus & clavis in orbem confixa; & ſuper dorſum peccatoris eam truculenter revolventes, dorſum totum crebro & flammanti rotatu contriverunt; nummóſque quos ore hianti anguſtioſè degluiverat, anguſtioſiùs per vomitum rejicere compulerunt. Quos cùm evomiſſet, juſſit eos colligere dæmon, ut de illis ſimili modo iterum cibaretur: poſteà verò miniſtri tartarei in furorem verſi, omnia quæ ſupradicta ſunt tormenta in eum expenderunt. Uxor verò ejus in ſede quadam ignita & aculeata compreſſa ſedebat; eò quòd in pluribus eccleſiis, pro quodam annulo excommunicari fecerat, quem in ſcrinio ſuo ignoranter poſuerat, & furatum eſſe dicebat. Ab quo tranſgreſſionis piaculo nunquam fuerat abſoluta, à diræ mortis ſubita neceſſitate præventa.

De Adultero & Adultera. ADDUCTUS eſt poſt illum ad ſpectaculum furioſorum dæmonum, adulter cum adultera; qui fœda pariter conjuncti copula, turpiſſimos motus venereos, geſtúſque impudicos; cum multa ſui confuſione ac dæmonum exprobratione, palàm omnibus replicarunt. Deinde quaſi in inſaniam verſi, alternatim ſe corrodendo lacerabant, illúmque ſuperficialem amorem quem priùs habere videbantur, in crudelitatem commutarunt & odium. Poſtmodùm verò membris omnibus à turba furioſa diſſectis; pœnam ſortiti ſunt ſimilem prædictorum. Similibus autem omnes qui aderant fornicatores, affligebantur tormentis; quæ pro ſui ſuppliciorum immanitate, ſcriptori ſilentium imponunt.

De detractoribus. INTER alios quoque miſeros, duo de collegio detractorum, in medium ſunt adducti. Quorum ora ad auriculas uſque diſtorquendo dehiſcentes, verſis ad inviſem vultibus, torvis ſe oculis perſtringebant. Appoſita autem ſunt duo capita cujuſdem haſtæ ardentis in ore utriuſque; quam commaſticantes ac ore diſtorto corrodentes, celeriter ad medietatem haſtæ appropinquantes, pervenerunt; ſicque ſeſe mutuò laniantes, vultum ſuum totum maſticando cruentabant.

De Furibus & incendiariis. ADDUCTI ſunt inter cæteros, fures, incendiarii, & ſacrorum violatores locorum; qui à miniſtris tartareis poſiti ſunt ſuper rotas ferreas & ignitas, aculeis ſudibúſque affixas; quæ ex nimia ſuccenſione imbrem igneum ſcintillabant. Super has itaque miſeri volutati, cruciatum horrificum perferebant.

VIDIT

VIDIT præterea eductus ille, ſecus introitum Inferni inferioris, quaſi quatuor plateas; quarum prima innumeras fornaces habebat & caldarias amplas & latas; pice ferventi & aliis liquaminibus, ad ſummum uſque repletas. In ſingulis, autem, animæ congeſtæ acriter bulliebant; quarum capita velut nigrorum piſcium in ferventi liquamine, ex vi ebullitionis, nunc ſurſum præminebant, nunc deorſum ruebant. Secunda platea ſimiliter caldarias habebat, ſed nive & gelida glacie refertas; in quibus animæ horrido frigore & cruciatu intolerabili torquebantur. Caldariæ verò quæ in platea tertia erant, aqua ſulphurea bullienti, & cæteris rebus quæ fœtorem emittere ſolent cum fumo fœtido, repletæ erant; in quibus animæ in fœtore libidinis vitam finientes, ſpecialiter torquebantur. Quarta verò platea habebat caldarias aqua ſalſiſſima & nigerrima plenas; cujus aquæ auſteritas, ex ſua ſalſedine quodlibet lignum in illa demerſum, confeſtim decoriaret. In his autem caldariis multitudo peccatorum, homicidarum, furum, raptorum, veneficarum mulierum, & divitum, qui homines ſuos injuſtis exactionibus opprimebant, indeſinenter bulliebant; quos miniſtri iniquitatis undique aſtantes, cum furcis ferreis candentibus, ne liquaminum ardorem effugerent, introrſum comprimebant. Illi autem qui in ferventi liquore per dies ſeptem bullierant, die octava in frigus illud horridum, quod in ſecunda platea erat deponebantur: & è converſo, illi qui afflicti fuerant in frigore, ponebantur in liquamine bullienti. Similiter, qui in aqua ſalſa bullierant, in fœtoribus torquebantur. Has verò mutationum viciſſitudines, per octo dies ſemper obſervabant. 1206

De puteo gehennali, & caldariis pœnalibus.

HIS itaque inſpectis, illuceſcente jam Dominicæ diei aurora; ſancti memorati, cum viro educto perrexerunt ad montem gaudii per ignem Purgatorii, & per ſtagnum ac pontem aculeatum; donec pervenerunt ad atrium quod erat in parte occidentali templi prædicti, quod ſitum erat in monte. Eratque ibi porta quædam ſpecioſa & ampla ſemper patens; per quam inducebantur à ſancto *Michaele* animæ ex toto candidatæ. In hoc enim atrio, congregabantur animæ expiatæ; ſub magno expectationis deſiderio, fœlicem illius introitum poſtulantes. In auſtrali quoque plaga templi exteriùs, perſpexit eductus ille animas infinitas; quæ omnes verſis vultibus ad Baſilicam, cum magnæ fatigationis expectatione ſuffragia viventium deſiderabant amicorum; per quæ Baſilicæ illius ei introitum mererentur. Et quantò ſpecialiùs juvabatur, tantò Baſilicæ viciniùs adhærebat. In hoc loco, multos de notis ſuis recognovit; necnon & omnes illos, quorum notitiam in ſeculo habuerat vel exilem. Sanctus verò *Michaël* de ſingulis animabus, quas ibi cernebat vir ille eductus, intimabat quod Miſſis unaquæque anima potuit liberari, & ad templi ingreſſum admitti. Animæ quoque quæ ibidem expectabant ingreſſum, nulla pœnalitate afficiebantur; niſi quòd præſtolabantur aliquod ſpeciale ſuffragium amicorum. Verumtamen omnes animæ quæ ibi ſubſiſtebant, per generalia univerſalis Eccleſiæ ſuffragia, de die in diem ad Baſilicæ introitum appropinquant.

De Baſilica in monte gaudii & de ſuffragiis animarum.

VIR autem ille à ſancto *Michaële* introductus in templum, conſpexit ibi multos utriuſque ſexus, quos in ſæculo viderat candidos; qui omnes templum conſcendebant, & magnæ fœlicitatis gaudio fruebantur. Et quantò magis per gradus templi verſus orientem animæ conſcenderant; tantò candidiores & nitidiores fiebant. Multæ manſiones præclariſſimæ in illa magna viſebantur Baſilica; in quibus juſtorum animæ, nive candidiores manſitabant; quorum vultus & coronæ, velut lux aurea rutilabant. Singulis diebus certis horis, cantica de cœlis audiunt; velut ſi concordi melodia omnia muſicorum genera concreparent. Quæ ita omnes templum inhabitantes, ſuavi quadam dulcedine demulcet ac refovet; velut ſi omnium reficerentur deliciis ferculorum. Illæ verò quæ exteriùs, in atriis Baſilicæ conſiſtebant; nullum de hoc cœleſti concentu ſonum merebantur audire. Hic autem, pleríque ſanctorum quaſi propria habebant domicilia; qui ſpecialiter ſibi poſt Dominum in aliquo famulantes, feliciter recipiebant, eos poſtmodum præſentaturi ante conſpectum Dei.

De diverſis manſionibus Baſilicæ memoratæ.

DIVERTENTES autem ad plagam templi prædicti orientalem, pervenerunt ad locum amœniſſimum herbarum, florúmque varietate ſplendidum, arborum fructuúmque fragrantia refertum; ubi conſpexit eductus ille fontem lucidiſſimum, qui ex ſe quatuor rivulos diverſi liquoris & coloris emittebat. Super hunc, fontem erat arbor pulcherrima, miræ magnitudinis & immenſæ proceritatis; quæ omnigenûm abundantia fructuum ac ſpecierum redolentia affluebat. Sub hac arbore propè fontem, requieſcebat homo quidam venuſtæ formæ, ac gigantei corporis; qui à pedibus uſque ad pectus, indutus erat quodam veſtimento varii coloris, & mira pulchritudine contexto. Ex uno oculo autem ridere, ex altero verò lugere videbatur. Hic, inquit ſanctus *Michaël*, eſt primus parens generis humani *Adam*; qui per oculum ridentem innuit lætitiam, quam habet de filiorum ſuorum ſalvandorum ineffabili glorificatione; & per alium lachrymantem, denunciat triſtitiam, quàm habet de quorundam filiorum ſuorum reprobatione, & juſto Dei judicio damnandorum. Veſtimentum quo tegitur, ſed nondum ex tota ſtola; eſt immortalitatis & veſtis gloriæ, qua in primaria prævaricatione fuerat ſpoliatus. Nam ab *Abel* juſto filio ſuo, uſque nunc, cœpit hanc veſtem recuperare, per totam filiorum ſuorum juſtorum ſucceſſionem. Et ſicut variis virtutibus enituerunt electi, ita hæc veſtis colore vario picturatur. Cùm verò

De paradiſo & Adam primo parente.

1207. verò completus fuerit electorum numerus filiorum; tunc *Adam* ex toto ſtola immortalitatis & gloriæ veſtietur; & ſic mundus finem ſortietur.

ut vir ille eductus, ad corpus redierit.

Ex hoc tandem loco paululùm progredientes, pervenerunt ad portam quandam ſpecioſiſſimam; gemmis ornatam & lapidibus precioſis. Murus per gyrum quaſi aureus rutilabat. Statim ut portam intraverunt, apparuit templum quoddam aureum multò magnificentius priori; in omni pulchritudine, ſuavitatis dulcedine, & luminis coruſcantis ſplendore; ita ut loca priùs viſa, nullius amœnitatis reputarentur ad iſtius loci reſpectum. Cúmque templum hoc introiiſſent, conſpexit à latere ædiculam quandam mirabili decore refulgentem; in qua reſidebant tres virgines inedicibili pulchritudine coruſcantes. Hæ autem erant, ſicut ab Archangelo edoctus eſt, ſancta *Catharina*, ſancta *Margareta*, & ſancta *Oſitha*. Quarum pulchritudinem cùm admirando contemplaretur, ſanctus *Michael* ait ſancto *Juliano:* Reduc feſtinanter ad corpus ſuum virum hunc; quia niſi citiùs reductus fuerit, aquâ frigida quam in os ejus aſtantes injicere moliuntur, ipſum ex toto ſuffocabit. Et his dictis continuò; quo ordine neſciens, ad corpus reductus, in ſtratu ſuo reſedit. Jacuerat autem in ſtratu ſuo, quaſi in exceſſu mentis, duobus diebus cum totidem noctibus; id eſt, ab hora veſpertina ſextæ feriæ, uſque ad veſperam Dominicæ diei ſequentis, velut gravi ſopore depreſſus. Mane ſiquidem facto, ad eccleſiam properabat; & poſt miſſæ celebrationem, ſollicitabat eum preſbyter cum aliis Parochianis, qui illum velut exanimem paulò antè viderant; ut ea quæ ſibi revelata fuerant, illis intimaret. Ille verò præ nimia ſimplicitate viſionem referre diſſimulabat; donec nocte ſequenti ſanctus *Julianus* apparens ei præcepit, ut omnia quæ viderat, revelet; quia ad hoc eductus fuerat, ut ea quæ audierat & viderat, publicaret. Qui juſſis Sancti obtemperans, in die omnium Sanctorum & deinceps, viſionem conſtanter & apertè lingua *Anglica*, cunctis audientibus & admirantibus inſolitam viri eloquentiam; cùm anteà præ nimia ſimplicitate ruſticanus ſemper extiterit & elinguis. Nec priùs deſtitit ab inſpectæ viſionis narratione, donec multos ad lamenta & gravia ſuſpiria commovit.

Gaufridus Eboracenſis Archiepiſcopus exulat.

Anno gratiæ M. CCVII. Rex *Johannes* celebravit Natale Domini apud *Wintoniam*, præſentibus magnatibus Regni. Deinde in Purificatione beatæ *Mariæ*, cepit per totam *Angliam*, tertiam decimam partem ex omnibus mobilibus & rebus aliis, tam de laicis quàm de viris eccleſiaſticis & prælatis; cunctis murmurantibus, ſed contradicere non audentibus. Solus *Gaufridus* Archiepiſcopus *Eboracenſis* non conſentiens, ſed planè contradicens; clanculò receſſit ab *Anglia*; & in receſſu ſuo omnes, ſpecialiter qui in Archiepiſcopatu *Eboracenſi* hanc rapinam facerent, & in genere univerſis eccleſiæ ſive rerum eccleſiaſticarum invaſores, anathematis ſententia innodavit. Eadem tempeſtate circa noctem mediam, ventus vehemens & repentinus ſuperveniens; ædificia diruit, arbores proſtravit, oves & armenta exaggeratis nivibus, ſexto Kalendas Februarii interire coëgit. Eodem anno Imperator *Otho* venit in *Angliam*; & habito colloquio cum Rege avunculo ſuo, rediit in terram ſuam; acceptis à Rege prædicto quinque millibus marcarum argenti.

De ordine Minorum.

Sub his diebus Prædicatores, qui appellati ſunt *Minores*, favente Papa *Innocentio*, ſubitò emergentes; terram repleverunt; habitantes in urbibus & civitatibus deni & ſepteni, nihil omninò poſſidentes, de evangelio viventes; in victu & veſtitu paupertatem nimiam præferentes, nudis pedibus incedentes; maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt. Diebus autem Dominicis & feſtivis, de ſuis habitaculis exeuntes, prædicaverunt in eccleſiis parochialibus Evangelium verbi; edentes & bibentes quæ apud illos erant, quibus officium prædicationis impendebat. Qui iſti rerum cœleſtium contemplatione tantò perſpicaciores ſunt inventi, quantò à rebus præſentis ſeculi & carnalibus deliciis comprobantur alieni. Nullum genus alimenti penès eos uſque in craſtinum reſervatur; ut paupertas ſpiritus qui viget in mente, actu ſicut & habitu omnibus innoteſcat.

De caſſatione electionis Epiſcopi Norwicenſis *& Supprioris* Cantuarienſis.

Circa dies iſtos, ſteterunt *Romæ* coram domino Papa, monachi *Cantuarienſis* eccleſiæ; turpem admodum cauſam ad invicem agitantes. Nam quædam pars eorum, per literas Conventus de rato præſentaverunt *Reginaldum* Suppriorem *Cantuarienſem*, ſicut multoties fecerant electum ad Archiepiſcopatum; inſtantius poſtulantes, ut ejus electio confirmaretur. Altera verò pars eorundem Monachorum, per literas ſimiliter de rato, præſentaverunt *Johannem* Epiſcopum *Norwicenſem*; multis rationibus oſtendentes, electionem de Suppriore nullam eſſe; tum quia facta erat de nocte, & ſine ſolennitate & aſſenſu Regio; tum quia à majori & ſaniori parte conventus, non fuerat celebrata. Sicque his rationibus propoſitis, petierunt ut illa electio confirmaretur; quæ clara luce diei, Rege præſente & conſentiente, cum teſtibus idoneis extitit celebrata. His auditis, & perſpicaciter intellectis; procurator Supprioris allegavit ſecundam electionem irritam eſſe & inanem; quia qualiſcunque eſſet prima electio, ſive juſta ſive injuſta; debuerat prima caſſari, antequam ſecunda celebraretur electio. Unde conſtanter poſtulabat, ut prima electio rata haberetur. Denique poſt longas hinc & inde diſceptationes; cum dominus Papa intellexiſſet partes in unicam perſonam non poſſe convenire, atque utramque electionem vitiosè & non ſecundum ſacrorum Canonum ſanctiones celebratam fuiſſe; de conſilio Cardinalium ſuorum ambas caſſavit; partibus definitione apoſtolica interdicens, & per ſententiam definitivam ſtatuens; ne de

cætero

1207.

cætero ad Archiepiſcopatus honores, alteruter electorum aſpiret. Summatim, hæc fuit cauſa & ſeminarium erroris. Rex poſuerat verbum ſuum in ore duodecim monachorum *Cantuarienſium*; ut quemcunque eligerent, ipſe acceptaret. Convenerat autem inter Regem & eos, præſtito juramento & fidei interpoſitione; quòd nullo modo alium, quàm *Johannem* Epiſcopum *Norvicenſem* eligerent. Habebant & ſimiliter Regis literas. Sed ipſi Monachi, poſtquàm intellexerunt electionem dicti *Johannis*, Papæ nimis diſplicere & caſſari; ſuggerentibus Cardinalibus & Domino Papa, & affirmantibus licere eis eligere quemcunque vellent, ut ſecretè electionem celebrarent, ſi ſtrenuum & præcipuè *Anglicum* eligerent; elegerunt per conſilium Papæ magiſtrum *Stephanum* de *Langeton* Cardinalem; quo non erat major in Curia, imò nec ei par in moribus & ſcientia. Ex tunc, igitur, non potuit ei Papa in multiformi tribulatione deeſſe.

De promotione & conſecratione magiſtri Stephani *de* Langeton.

CÆSSATIS itaque electionibus memoratis, Dominus Papa nolens diutiùs ſuſtinere, ut gregi Dominico cura deeſſet paſtoralis; perſuaſit monachis *Cantuarienſis*, qui Procuratores coram eo conſtituti fuerant pro negotio eccleſiæ *Cantuarienſis*, ut eligerent magiſtrum *Stephanum* de *Langeton* preſbyterum Cardinalem; virum (ut diximus) in literali ſcientia eruditum, diſcretum, & moribus ornatum; aſſerens ipſius promotionem, tam ipſi Regi quàm univerſæ Eccleſiæ *Anglicanæ*, plurimùm profuturam. Monachi verò ad hæc reſpondentes, aſſerebant ſibi non licere præter conſenſum Regium & ſui Conventus; Canonicam electionem celebrare. At Papa, quaſi rapiens verbum ex ore ipſorum dixit: Sciatis vos plenariam habere in Eccleſia *Cantuarienſi* poteſtatem; nec & ſuper electionibus apud ſedem Apoſtolicam celebratis, ſolet aſſenſus principum expectari. Unde vobis qui tot & tales eſtis, quòd plenè ſufficitis ad electionem; in virtute obedientiæ, & ſub pœna anathematis præcipimus; ut illum in Archiepiſcopum eligatis, quem nos damus vobis in Patrem & paſtorem animarum veſtrarum. Monachi, quoque, excommunicationis ſententiam incurrere metuentes; licèt inviti & cum murmuratione, aſſenſum tamen præbuerunt. Solus ex omnibus monachis, Magiſter *Helias* de *Brantefeld*, qui pro parte Regis & Epiſcopi *Norvicenſis* advenerat, noluit conſentire. Cæteri autem omnes cum hymno *Te Deum laudamus*, electum memoratum ad altare detulerunt. Deinde decimo quinto Kalendas Julii, in Civitate *Viterbii*, à Papa præfato, munus conſecrationis ſuſcepit.

SUB eiſdem diebus, *Innocentius* Papa cupiens in propoſito ſuo Regem *Johannem* habere favorabilem; quia cognoverat eundem *Johannem* cupidum eſſe & diligentem inquiſitorem & acquiſitorem gemmarum pretioſarum, miſit ei hanc epiſtolam cum tali xenio, quod in eadem poteſt perpendi. Innocentius *Papa tertius*, Johanni *Regi* Anglorum, *&c. Inter opes terrenas, quas mortalis oculus concupiſcit & quaſi cariora deſiderat, aurum obrizum & lapides pretioſos principatum credimus obtinere. Licet autem his & aliis divitiis, veſtra Regalis abundet excellentia; in ſignum tamen dilectionis & gratiæ, quatuor annulos aureos cum diverſis lapidibus pretioſis, tuæ magnitudini deſtinamus. In quibus te volumus ſpecialiter intelligere formam, numerum, materiam & colorem, ut myſterium potius quàm donum attendas. Rotunditas enim æternitatem ſignificat, quæ initio caret & fine. Habet ergo regalis diſcretio quod in forma requirat: ut de terrenis tranſeat ad cœleſtia, de temporalibus ad æterna procedat. Quaternarius autem qui numerus eſt quadratus, conſtantiam mentis ſignificat; quæ nec deprimi debet in adverſis, nec in proſperis elevari: quod tunc laudabiliter adimplebit, cum quatuor virtutibus principalibus fuerit ordinata; videlicet Juſtitia, Fortitudine, Prudentia, Temperantia. Intelligas ergo in primo Juſtitiam, quam exerceas in judiciis; in ſecundo Fortitudinem, quam exhibeas in adverſis; in tertio Prudentiam, quam obſerves in dubiis; in quarto Temperantiam, quam in proſperis non demittas. Per aurum verò, ſapientia deſignatur: quia ſicut aurum præminet metallis univerſis; ſic ſapientia donis omnibus antecellit, Propheta teſtante:* Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, *&c. Nihil eſt autem quod Regem magis oportet habere. Unde Rex ille pacificus* Salomon, *ſolam à domino ſapientiam poſtulavit, ut populum ſibi commiſſum perinde ſciret gubernare. Porrò* Smaragdi *viriditas, fidem; Saphiri ſerenitas, ſpem; Granati rubicunditas, charitatem; Topatii claritas, operationem bonam ſignificat, de qua dominus,* Luceat lux veſtra. *Habes igitur in Smaragdo quod credas, in Saphiro quod ſperes, in Granato quod diligas, in Topatio quod exerceas, ut de virtute in virtutem aſcendas, donec Dominum deorum videas in Sion.* Hæc autem cum ad Regis præſentiam perveniſſent, primò gratanter ei complacuerunt; ſed poſt non multos dies ſubſequentes, aurum obrizum in ſcoriam & deriſum, gemmæ in gemitus, amor in rancorem, ſicut ſequens ſermo declarabit, ſunt flebiliter commutata, ut ex ſequentibus conſtiterit.

Papa Innocentius *Regem* Anglorum *adhortatur ut* Stephanum *de* Langetune *reciperet in Archiepiſcopum conſecratum.*

HIS ita geſtis, Papa *Innocentius* regi *Anglorum* literas direxit, exhortans humiliter & devotè; *ut magiſtrum* Stephanum *de* Langetune, *ſancti* Chryſogoni *presbyterum Cardinalem, ad Archiepiſcopatum* Cantuarienſem *canonicè electum, benignè ſuſciperet: & qui de regno ſuo originem ducens, non ſolum in ſecularium ſcientia literarum magiſtri nomen promeruit; ſed & Doctor eſſe in Theologicis diſciplinis. Et cum præcipuè vita ipſius & mores, ſcientiæ magnitudinem excedant; ejus perſona tam animæ ſuæ quàm corpori, erit, non mediocriter profutura.* Denique cum multis in hunc modum verbis tam blandis quàm perſuaſoriis Regem ad conſenſum inducere perſtitiſſet, Priori & Monachis *Cantuarienſibus* per literas in virtute

1207. ſanctæ obedientiæ præcepit, ut Archiepiſcopum jam dictum, in paſtorem ſuſciperent: eique in temporalibus ſimul & ſpiritualibus, humiliter obedirent. Cúmque tandem literæ domini Papæ ad Regis *Anglorum* notitiam perveniſſent; iratus eſt Rex vehementer de promotione magiſtri *Stephani*, pariter & *Norwicenſis* caſſatione: crimenque proditionis, in monachos *Cantuarienſes* refundere ſatagebat. Dixit, enim, quod in præjudicium ſuæ libertatis, ſine ipſius licentia Suppriorem ſuum elegerant & poſtmodùm, ut quod malè geſſerant, quaſi ſibi ſatisfaciendo palliarent, elegerunt Epiſcopum *Norwicenſem*: & pecuniam de fiſco accipientes ad itineris expenſas, ut electionem de Epiſcopo memorato factam apud ſedem Apoſtolicam impetrarent confirmari: in cumulum iniquitatis ſuæ elegerunt ibi *Stephanum* de *Langetune* inimicum ſuum publicum; eúmque fecerunt in Archiepiſcopum conſecrari. Ob hanc quoque cauſam, idem Rex in furorem verſus & indignationem; miſit *Fulconem* de *Cantelou*, & *Henricum* de *Cornbelle* milites crudeliſſimos & humanitatis ignaros, cum miniſtris armatis: ut monachos *Cantuarienſes*, ſicut criminis læſæ majeſtatis reos, à regno *Angliæ* expellerent, vel ſententia capitali condemnarent. Illi autem mandatum Domini ſui non ſegniter exequentes, *Cantuariam* ſunt profecti, & nudatis enſibus monaſterium ingreſſi, voce furioſa Priori & monachis ex parte Regis præceperunt, ut velut Proditores Regiæ majeſtatis, incontinenti de Regno *Angliæ* exirent. Et ſi hoc facere noluiſſent, affirmaverunt cum juramento, quod ipſi injecto igne, tam in ipſo monaſterio, quàm in aliis officinis; omnes illos cum ipſis ædificiis concremarent.

Monachi Cantuarienſes *proſcripti.*

MONACHI verò nimis inconſultè agentes, ſine violentia & omni manuum *injectione*, receſſerunt omnes: præter tredecim valetudinarios, qui in domo infirmorum *jacentes*, incedere non valebant. Et protinùs trajecti in *Flandriam*; in Abbatia ſancti *Bertini honorificè* recepti ſunt, & in aliis monaſteriis tranſmarinis. Deinde jubente Rege, ſubſtituti *ſunt in* eccleſia *Cantuarienſi* monachi quidam de ſancto *Auguſtino*, ad miniſtrandum ibidem, *Fulcone* præfato procurante, imò omnia bona eorundem monachorum diſtrahente & confiſcante: terris tam Archiepiſcopi quàm monachorum remanentibus incultis. Exierunt autem monachi ſæpè dicti, de monaſterio ſuo in exilium.

Rex Anglorum *literas comminatorias Papæ miſit.*

EXCLUSIS hoc ordine monachis *Cantuarienſibus* Rex *Anglorum Johannes* ad Papam nuncios cum literis direxit, in quibus expreſsè & quaſi comminando ipſum arguebat, *quòd electione* Norwicenſis *Epiſcopi turpiter repulsâ*, Stephanum *quendam de* Langetuna *ſibi penitùs ignotum, & in Regno* Francorum *inter hoſtes ſuos publicos diutiſſimè converſatum; fecerat in* Cantuarienſem *Archiepiſcopum conſecrari. Et quod magis in præjudicium & ſubverſionem libertatum ad coronam ſuam ſpectantium redundat; ipſius conſenſu à monachis qui illum poſtulâſſe debuerant, nec ritè requiſito, eundem* Stephanum *temerè promovere præſumpſit. Unde aſſerebat ſe ſufficienter admirari non poſſe, quòd tam ipſe Papa quàm univerſa Curia* Romana *ad memoriam non reducunt, in quantum ejus dilectio* Romanæ *ſedi fuerit hactenùs neceſſaria; in hoc rationis oculum non figentes, quòd uberiores ſibi fructus perveniant de Regno ſuo* Angliæ, *quàm de omnibus Regionibus citra* Alpes *conſtitutis. Addit inſuper, quòd pro libertatibus coronæ ſuæ ſtabit, ſi neceſſe fuerit uſque ad mortem: immutabiliter affirmans ſe non poſſe ab electione ſimul & promotione* Norwicenſis *Epiſcopi, quam ſibi utilem intelligit, revocari.* Tandem negotii ſummam in hoc concluſit, *Quòd ſi de præmiſſis non fuerit exauditus, omnibus Romam petentibus, maris ſemitas anguſtabit: ne terra ſua divitiis evacuata, ipſe minùs ad hoſtes ab ea depellendos ſufficiat. Et cùm Archiepiſcopi, Epiſcopi & alii eccleſiarum Prælati, tam de Regno* Angliæ *quàm aliarum terrarum ſuarum, in omnium ſcientiarum plenitudine ſufficienter abundent: ſi neceſſitas coëgerit, extra terras ſuas juſtitiam vel judicium ab alienigenis non emendicabit.*

Reſcriptum Papæ ad Regem Anglorum.

CUMQUE hæc omnia ad domini Papæ audientiam per Regis nuncios perveniſſent, Regi *Anglorum* ſcripſit in hæc verba, *Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, chariſſ. in* Chriſto *filio*, Johanni *illuſtri* Anglorum *Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſuper negotio* Cantuarienſis *eccleſiæ nos tibi ſcripſerimus, humiliter, diligenter, benignè exhortando ac rogando, tu nobis, (ut ſalva pace tua loquar) reſcripſiſti quaſi comminando & exprobrando, contumaciter & protervè. Et cùm nos tibi ſupra jus deferre curemus, tu nobis ſecundùm jus deferre non curas; minùs quàm deceret attendens. Quod ſi tua nobis devotio plurimùm eſt neceſſaria, noſtra tamen tibi non parùm eſt opportuna. Cúmque nos in tali caſu, tantum honorem nulli Principum detulimus quantum tibi; tu noſtro tantum derogare attendis honori, quantum in ſimili caſu nullus Princeps derogare præſumpſit: quaſdam frivolas occaſiones prætendens, quibus aſſeris, quòd electioni de dilecto filio noſtro magiſtro* Stephano *titulo ſancti* Chryſogoni *presbytero Cardinali, à monachis* Cantuarienſibus *celebratæ, non potes portare conſenſum: quia videlicet inter tuos eſt converſatus inimicos, & perſona ejus eſt tibi prorsùs ignota. Porrò juxta proverbium* Salomonis: fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum, *cùm intelligamus illud ei non eſſe imputandum ad culpam, ſed ad gloriam potiùs adſcribendum; quòd* Pariſiis *diu vacans liberalibus ſtudiis, in tantum profecit, ut meruerit eſſe Doctor, non ſolùm in liberalibus facultatibus, verum & in* Theologicis *diſciplinis. Ac ſi per hoc cum vita concordet doctrina, dignus eſt habitus præbendam obtinere* Pariſienſem. *Unde mirabile gerimus, ſi vir tanti nominis de tuo regno ducens originem, tibi potuit eſſe ſaltem quoad*

famam

famam, ignotus; præſertim cùm ter ſcripſiſſes illi, poſtquàm à nobis extitit in Cardinalem promotus: quòd, licèt diſpoſueris eum ad tuæ familiaritatis obſequium evocare; gaudebis tamen quòd ad majus erat officium ſublimatus. Sed illud potiùs te attendere decuiſſet, quòd in terra tua natus eſt, de parentibus tibi fidelibus ac devotis, quódque in Eboracenſi *Eccleſia fuerat præbendatus; quæ longè major & dignior quàm* Pariſienſis *exiſtit. Unde non ſolùm ratione carnis & ſanguinis, verùm & obtentu eccleſiaſtici beneficii & officii; te ac regnum tuum, affectu ſincero diligere comprobatur. Nuncii verò tui cauſam nobis aliam expreſſerunt, quare non præſtitiſti ejus electioni conſenſum: quia videlicet nunquam fuerat requiſitus ab illis, qui eum à te debuerunt poſtulare; aſſerentes, quòd literæ illæ, quibus mandavimus, ut ſuper hoc negotio procuratores ad nos idoneos deſtinares, ad te minimè pervenerunt. Et monachi* Cantuarienſes, *quamvis pro aliis negotiis, ad tuam præſentiam acceſſiſſent; pro poſtulando tamen conſenſu, nec literas nec nuncios direxerunt. Unde iidem nuncii cum multa inſtantia nobis ſupplicàrunt, quatenùs ex quo nobis complacuit hanc tibi honorificentiam reſervare, ut monachi* Cantuarienſes *regium poſtularent aſſenſum; quoniam hoc factum non erat, dilationem congruam concedere dignaremur; infrà quam poſſet id fieri, ne juri tuo contingeret derogari. Contra perſonam electi quiddam ad ultimum proponentes, quod cùm manifeſtè factum ſit, oſtium oris claudere debuiſſent: præſertim cùm ſi verum eſſet, promotionem ejus jam impedire non poſſet. Licèt autem ſuper electionibus apud ſedem Apoſtolicam celebratis non conſueverit aſſenſus Principum expectari; duo tamen monachi fuerunt ſpecialiter deputati, ut ad te pro requirendo aſſenſu venirent, qui apud ** Ydivoriam *fuerant retenti, ut injunctum ſibi mandatum exequi non valerent; & præfatæ literæ de Procuratoribus ad noſtram præſentiam deſtinandis, tuis fuerunt nunciis aſſignatæ, ut eas tibi fideliter præſentarent. Nos quoque qui ſuper eandem eccleſiam* Cantuarienſem *plenitudinem poteſtatis habemus, regium ſuper hoc dignati ſumus implorare favorem. Et curſor noſter qui Apoſtolicas tibi literas præſentavit; literas quoque Prioris ac monachorum, qui ex mandato totius capituli* Cantuarienſis *celebraverant electionem memoratam, ſuper aſſenſu petendo Regiæ ſublimitati porrexit. Ideòque non vidimus oportere denuò poſt hæc omnia, Regium poſtulare conſenſum: ſed illud diſpoſuimus, non declinantes ad dextram vel ad ſiniſtram, quod ſanctorum Patrum canonicæ ſanctiones ſtatuunt faciendum: ut videlicet, nihil moræ vel difficultatis, rectis diſpoſitionibus auferatur; nè gregi dominico diu deſit cura paſtoralis. Quocirca vel diſcretioni tuæ vel regali prudentiæ ſuggeratur à quoquam, quod aliquatenùs valeat à conſummatione hujus officii revocari: quoniam abſque vi & dolo, canonica ſit electio de perſona idonea concorditer celebrata; ſine damno famæ, & periculo conſcientiæ, differre non poſſemus. Tu ergo fili chariſſimè, cujus honori ſupra jus deferri curavimus, ſecundùm jus, noſtro ſtudeatis honori deferre; ut gratiam divinam & noſtram uberiùs merearis: nè fortè, ſi ſecus egeris, in eam te difficultatem inducas, de qua non facilè valeas expediri: cùm tandem oporteat eum vincere, cui* flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum; *cujus nos vices in terris, licet immeriti, exercemus. Ne igitur eorum conſiliis adquieſcas, qui tuam ſemper turbationem deſiderant; ut meliùs poſſint in aqua turbida piſcari; ſed noſtro beneplacito te committas, quod utique tibi cedet ad laudem, gloriam & honorem. Quia non eſſet tibi tutum, in hac cauſa Deo & Eccleſiæ repugnare; pro qua beatus martyr & Pontifex glorioſus* Thomas, *ſanguinem ſuum recenter effudit: præſertim ex quo pater & frater tuus claræ memoriæ, tunc reges* Anglorum, *in manibus legatorum Apoſtolicæ ſedis illam pravam conſuetudinem abjurârunt. Nos autem ſi nobis humiliter acquieveris, ſufficienter tibi & tuis providere curabimus; ne ſuper hoc valeat vobis aliquod præjudicium generari, Data Laterani, Pontificatus noſtri anno decimo.* Circa dies iſtos, *Simon Ciceſtrenſis* epiſcopus obiit. Confiſcatis omnibus bonis monachorum *Cantuarienſium*, die tranſlationis ſancti *Swithuni*. 1208.

* *Devoriam.*

GALFRIDUS verò Archiepiſcopus *Eboracenſis*, transfugit clam; nolens conſentire exactioni tertiæ decimæ. Sol eclipſim paſſus eſt, ab hora ſexta uſque ad nonam; necnon Luna eodem anno ſimiliter.

Eclipſis Solis.

EODEM anno, in die ſancti *Remigii*, *Iſabel Anglorum* Regina peperit *Johanni* Regi filium ſuum primogenitum; & vocatus eſt nomine avi ſui, *Henricus*: litera dominicali exiſtente G. luna verò undecima die lunæ.

Iſabel Regina peperit filium.

ANNO Domini M.CCVIII. Rex *Johannes* celebravit Natale domini apud *Windleſhores*; ubi multa militibus ſuis feſtiva diſtribuit indumenta. Ac deinde in craſtino Purificationis beatæ *Mariæ*, luna eclipſim paſſa eſt; primò ſanguinea, & poſteà teterrimi coloris apparens. Eodem tempore *Philippus Dunelmenſis*, & *Galfridus Ceſtrenſis* epiſcopi, humanæ naturæ debitum perſolventes; eſſe corporaliter deſierunt. Eodem anno *Iſabel Anglorum* Regina, peperit *Johanni* Regi filium legitimum, quæ vocavit *Richardum*.

Eclipſis Lunæ.

EODEM anno, *Innocentius* Papa, cum Regis *Johannis Anglorum* cor adeò induratum didicerat, quod nec blandis ejus admonitionibus, nec aſperis comminationibus adquieſceret; ut *Stephanum Cantuarienſem* Archiepiſcopum recipere vellet; tactus dolore cordis intrinſecùs, *Willielmo Londinenſi*, *Euſtachio Elyenſi*, & *Malgero Wigornienſi* Epiſcopis, de conſilio Cardinalium ſuorum dedit in mandatis, ut accedentes ad Regem memoratum, ipſum pia ſollicitudine pro negotio *Cantuarienſis* eccleſiæ convenirent. Salubriter exhortantes in domino, quatenùs eo pacto ſe vinci à Deo permitteret; ut victus domini vinceret;

Admonetur à Papa Rex Anglorum.

1208. ret; ipſúmque cui ſervire, regnare eſt, in ſui favorem provocaret. Quòd ſi fortè ipſum contumacem; ſicut hactenùs extitit, invenirent & rebellem; Regnum *Angliæ* totum ſub interdicto concluderent; authoritate ei apoſtolica denunciantes: quod ſi per hoc pertinaciam ſuam non duceret corrigendam, ipſe manum adhibere curaret graviorem, cum neceſſe ſit, eum vincere, qui pro ſalute eccleſiæ ſanctæ diabolum & Angelos ejus debellans, clauſtra Tartarea ſpoliavit. Suffraganeis quoque *Cantuarienſis* Eccleſiæ Epiſcopis, aliiſque illius Dioceſis Prælatis; in virtute obedientiæ per ſedis Apoſtolicæ literas expreſſit, ut Archiepiſcopum præfatum in patrem ſuſciperent & Paſtorem; eique charitate debita obedire curarent.

Anglia *generali interdicto concluſa.*

LONDONIENSIS, *Elyenſis* atque *Wigornienſis* Epiſcopi, ex injuncto ſibi delegationis officio, Regem *Johannem* adeuntes; mandatúmque ſibi Apoſtolicum per ordinem exponentes; humiliter, lacrymiſque profuſis ſupplicabant; quatenùs dominum habens præ oculis, Archiepiſcopum *Cantuarienſem* & monachos ad Eccleſiam ſuam revocaret, honoraret & eos charitate perfecta diligeret, ſcandalum interdicti evitare curaret; ut per hoc retributor meritorum, & potentiam ſibi multiplicare dignaretur temporalem, & gloriam poſt mortem largiretur ſine fine manſuram. Cúmque iidem Epiſcopi pro ejus ſalute vellent protrahere ſermonem, Rex quaſi in furiam verſus, contra dominum Papam & ejus Cardinales in verba blaſphemiæ prorupit; jurans per dentes Dei, quod ſi ipſi vel alii quicunque auſu temerario terras ſuas ſupponeret interdicto, ipſe incontinenti univerſos *Angliæ* Prælatos, clericos pariter & ordinatos, ad Papam mitteret; & bona eorum omnia confiſcaret. Addit etiam quod *Romanos* quoſcunque, ſive in quibuſcunque terris ſuis reperiri potuiſſent, erutis oculis naribuſque præciſis, *Romam* deſtinaret: ut hiis interſignis à cæteris poſſent nationibus ibidem diſcerni. Ipſis inſuper Epiſcopis expreſsè præcepit, quatenùs cum ſumma feſtinatione à ſuo conſpectu recederent; ſi ſuorum corporum vellent ſcandali diſcrimina evitare. Recedentes autem Epiſcopi memorati; cùm fructum pœnitentiæ in Rege non invenerunt, in Quadrageſima ſequenti, executionem ſibi à ſummo pontifice demandatam exequi non verentes, prima die Lunæ in paſſione domini, quæ tunc contigit decimo Calendas Aprilis, ſub generali interdicto totam *Angliam* incluſerunt: quod ſicut in authentico domini Papæ, expreſſum habetur, non obſtantibus privilegiis, ab omnibus eſt inviolabiliter obſervatum. Ceſſaverunt itaque in *Anglia* omnia eccleſiaſtica ſacramenta, præter ſolummodò confeſſionem & viaticum in ultima neceſſitate, & baptiſma parvulorum. Corpora quoque defunctorum de civitatibus & villis efferebantur, & more canum in biviis & foſſatis ſine orationibus & ſacerdotum miniſterio ſepeliebantur. Quid plura? Receſſerunt latenter ab *Anglia*, *Willielmus Londonenſis*, *Euſtachius Elyenſis*, *Malgerus Wigornienſis*, *Jozelinus Bathonienſis*, & *Egidius Herefordenſis* Epiſcopi: ſatiùs arbitrantes ſævitiam commoti Regis ad tempus declinare, quàm in terra interdicta ſine fructu reſidere.

Rex Johannes *ob cauſam interdicti bona clericorum præcepit confiſcari.*

REX igitur *Anglorum* ob cauſam interdicti mente nimis confuſus, miſit Vicecomites ſuos & alios iniquitatis miniſtros in omnes fines *Angliæ*; præcipiens, tam Prælatis ſingulis quam eorum ſubjectis cum comminatione terrifica, ut incontinenter à Regno exirent; & ſuper hac injuria peterent ſibi à Papa juſtitiam exhiberi. Epiſcopatus inſuper; Abbatias, Prioratus ſub Laicorum cuſtodia deputans; univerſos redditus eccleſiaſticos confiſcari præcepit. Sed in hoc ſibi cautè proſpiciebant Prælati generaliter omnes totius regni; quòd de monaſteriis ſuis exire noluerunt, niſi per violentiam expellerentur. Quod cùm à Regiis miniſtris fuiſſet compertum, noluerunt alicui ingerere violentiam; ſicut nec à Rege præceptum habuerunt: ſed bona eorum omnia in uſus Regis convertentes, victum eis & veſtitum parcè ex rebus propriis miniſtrabant. Horrea clericorum, Rege jubente, obſerata ſunt ubique; & ad commodum fiſci diſtracta. Presbyterorum & clericorum focariæ, per totam *Angliam* à miniſtris Regis captæ ſunt; & graviter ad ſe redimendum compulſæ. Viri religioſi ſive quicunque ordinati, qui itinerantes reperti ſunt in via; ab equis ſuis projiciebantur, ſpoliabantur; & à Satellitibus Regis turpiter tractabantur, nec fuit qui eis juſtitiam exhiberet. Venerunt ea tempeſtate in confinio *Walliæ* ad Regem, miniſtri cujuſdam Vicecomitis; ducentes prædonem unum, manibus à tergo vinctis, qui ſacerdotem quendam in via ſpoliaverat & interfecerat; quærentes à Rege quid ſuper tali eventu ſibi fieri placeret. Quibus incontinenter reſpondit, dicens: Inimicum meum interemit, ſolvite illum & ſinite abire. Parentes quoque Arciepiſcopi & Epiſcoporum, qui *Angliam* ſub interdicto poſuerunt, jubente Rege capiebantur; atque bonis omnibus ſpoliati, in carcerem trudebantur. Inter hæc omnia mala, perendinabant Pontifices præfati in partibus Tranſmarinis, omnimodis viventes in deliciis; & ſeſe murum pro domo domini non opponentes, ſecundùm Redemptoris ſententiam, cùm *Lupum viderunt venientem, dimiſerunt oves, & fugerunt.*

Rex Johannes *Homagia à magnatibus ſuis accepit.*

INTER hæc & conſimilia opera impietatis, Rex *Johannes* in ſe reverſus metuebat; ne dominus Papa poſt interdictum manus in eum extenderet graviores; *illum* nominatim excommunicando, vel magnates *Angliæ* ab ejus fidelitate abſolvendo. Unde ne regni jura amittere videretur, miſit manum militarem ad omnes regni potentes, & quos præcipuè

ſuſpectos

ſuſpectos habebat; exigens obſides ab eis, quibus poſſet eos, ſi fortè proceſſu temporis ab ejus fidelitate abſolverentur, ad debitum revocare obſequium. Adquieverunt multi regiis juſſionibus: & alii filios, alii verò nepotes & carnaliter propinquos nunciis tradebant. 1209. Venientes tandem ad *Willielmum* de *Brauſe* virum nobilem, & obſides ab eo, ſicut ab aliis fecerant exigentes; repagulum conditionis invenerunt. *Matildis* enim uxor ejuſdem *Willielmi* procacitate muliebri verbum rapiens ex ore viri, nunciis reſpondit: pueros meos domino veſtro regi *Johanni* non tradam, quia *Arthurum* nepotem ſuum, quem honorificè cuſtodiſſe debuerat, turpiter interfecit. Quod verbum, cum vir ejus audiſſet, increpavit eam & dixit: *Quaſi una ex ſtultis mulieribus* contra dominum noſtrum regem locuta es. Nam ſi ipſum in aliquo offendi, paratus ſum & ego, domino meo & ſine obſidibus ſatisfacere, ſecundùm judicium Curiæ ſuæ & Baronum parium meorum, certo mihi aſſignato die & loco. Nuncii autem ad Regem reverſi, cum ei quæ audierant, retuliſſent, Rex graviter perturbatus, miſit milites ſuos & ſervientes latenter, qui ipſum *Willielmum* cum tota ſua familia comprehenderent; & ſibi ſub omni feſtinatione præſentarent. Sed idem *Willielmus* ab amicis ſuis præmonitus, cum uxore ſua & filiis, & propinquis ad *Hyberniam* aufugit. Eodem anno albi monachi in principio interdicti ceſſantes, poſteà ad mandatum Abbatis ſui principalis, divina celebrare præſumpſerunt: ſed hæc præſumptio, cum ad ſummi Pontificis notitiam perveniſſet, ad majorem ſui confuſionem denuò ſunt ſuſpenſi. Eodem anno *Philippus* dux *Suaviæ*, qui contra *Othonem* de Imperio contendebat, occiditur.

Rex Anglorum Othoni Imperatori nepoti ſuo magnam pecuniæ vim tranſmiſit.

ANNO Domini M.CCIX. Rex *Anglorum Johannes* ad Natale Domini fuit apud *Briſtollum*; & ibi capturam avium per totam *Angliam* interdixit. Deinde venit in *Angliam* dux *Suaviæ Henricus*, ex parte *Othonis* regis *Alemannorum* ad regem *Anglorum*: à quo non modica pecunia ad opus præfati *Othonis* recepta, repatriare maturavit.

EODEM anno, procurante *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo, indultum eſt Eccleſiis conventualibus in *Anglia*, ſemel in hebdomada celebrare divina. Albi autem monachi hac privabantur indulgentia; eò quòd in principio interdicti ceſſantes, poſtmodùm ad juſſionem ſui Abbatis principalis, Papa inconſulto, celebrare præſumpſerunt. Per idem tempus, *Lodovicus* filius *Philippi Francorum* regis primogenitus & hæres legitimus, apud *Compendium* à patre cingulo militari donatus eſt; & centum alii nobiles cum eo. Ad feſtum quoque ſancti *Michaëlis*, amotum eſt ſcaccarium à *Weſtmonaſterio* uſque *Norhamptun*, per regem, in odium *Londinenſium*.

Rex Anglorum Johannes cum Rege Scotorum fœdus amicitiæ init.

CIRCA dies iſtos, Rex *Johannes* magno exercitu congregato, versùs *Scotiam* vexilla direxit & arma. Veniens autem in provinciam *Northanhumbrorum* ad caſtellum quod *Norrham* appellatur, acies ibidem contra Regem *Scotorum* inſtruxit ad pugnam. Quod cum regi præfato nunciatum fuiſſet; timuit valdè impetum ipſius; quoniam pronum ad omnem ſævitiam cognovit; veniénſque ei obviàm, de pace tractare diſpoſuit. Sed Rex *Anglorum* in furorem verſus improperavit illi acriter, increpando quod fugitivos ſuos, & hoſtes publicos in regno ſuo receptaverat; eiſque in ſui præjudicium auxilium præſtiterat, & favorem. Sed cum hæc & alia multa, Rex *Anglorum* præfato regi impoſuiſſet; tandem procurantibus utriuſque regni amicis, talem concordiam inierunt: Quòd videlicet Rex *Scotorum* daret Regi *Anglorum*, pro bono pacis undecim millia marcarum argenti; & inſuper ad majorem ſecuritatem, traderet ei duas filias ſuas in obſidatum: ut per hoc inter eos pax firmior haberetur. Recedente itaque *Anglorum* Rege, quarto calendas Julii, à caſtello memorato; præcepit per foreſtas totius *Angliæ* ſepes comburere, & foſſata complanare; datis frugibus circumquaq; beſtiis ad devorandum. Deinde cepit homagia de omnibus hominibus liberè tenentibus; & etiam duodecim annorum pueris totius regni, quos omnes poſt fidelitatem factam, in oſculum pacis recepit ac demiſit. *Wallenſes* verò quod anteactis temporibus fuerat inauditum, apud *Wodſtoke* venientes ad Regem, homagia fecerunt; ibidem licèt tam divitibus quàm pauperibus eſſet oneroſum. Eodem anno, *Otho* filius ducis *Saxoniæ* & nepos Regis *Angliæ*; à Papa *Innocentio* tertio in Imperatorem *Romanum Romæ* eſt conſecratus, quarto nonas Octobris.

PER idem tempus, clericus quidam apud *Oxoniam*, liberalibus vacans diſciplinis, mulierem quandam caſu interfecit: quam cùm mortuam deprehendiſſet, per fugam ſibi conſuluit. Præfectus autem urbis & multi alii accurrentes, cùm mulierem exanimem invenerunt, ceperunt quærere homicidam illum in hoſpitio ſuo; quod cum tribus ſociis ſuis clericis locaverat: & facti reum non invenientes, cœperunt tres ſocios ejus clericos memoratos, & de homicidio penitùs neſcios; & eos in carcerem retruſerunt: Deinde poſt dies paucos, Rege *Anglorum* jubente, in contemptum eccleſiaſticæ libertatis, extra villam educti, ſuſpendio perierunt. Quod cùm factum fuiſſet, receſſerunt ab *Oxonia* ad tria millia clericorum, tam magiſtri quàm diſcipuli, ita quòd nec unus ex omni univerſitate remanſit: quorum quidam apud *Cantabrigiam*, quidam verò apud *Radingum* liberalibus ſtudiis vacantes, villam *Oxoniæ* vacuam reliquerunt. Eodem anno, *Hugo* Archidiaconus *Wellenſis* & Regis Cancellarius, ad epiſcopatum *Lincolnienſem*, eodem Rege procurante, electus eſt: qui continuò poſt factam electionem, totius epiſcopatus à Rege liberam diſpoſitionem accepit.

SUB

1209.

Rex Johannes nominatim excommunicatur.

SUB his denique diebus, cùm Rex *Anglorum Johannes*, jam ferè per biennium ut dictum eſt, generaliter per totam *Angliam* perſecutionem graviſſimam ratione Interdicti tam contra viros eccleſiaſticos quàm laicos nonnullos infatigabiliter continuaſſet; & de correctione ſimul & ſatisfactione omnibus ſpem omnimodam ademiſſet: Papa *Innocentius*, ipſius rebellionem diutiùs inultam diſſimulare non potuit. Unde de conſilio fratrum ſuorum Cardinalium, ad extirpandum radicitùs eccleſiæ ſcandalum, *Londonienſi*, *Helyenſi* & *Wigornienſi* epiſcopis dedit in mandatis, ut Regem memoratum nominatim excommunicatum pronunciarent: & ſententiam ſingulis diebus dominicis & feſtivis, in omnibus eccleſiis Conventualibus per totam *Angliam* ſolenniter publicantes, ipſum facerent ab omnibus arctiùs evitari. Sed cùm epiſcopi, jam dicti confratribus ſuis, qui in *Anglia* remanſerant epiſcopis, aliiſque eccleſiarum Prælatis publicationem ſententiæ authoritate apoſtolica commiſiſſent: effecti ſunt univerſi metu regio vel favore canes muti non audentes latrare. Unde injunctum ſibi officium exequi diſſimulantes, in mandatis Apoſtolicis ſecundùm juris ordinem minimè proceſſerunt. Veruntamen ſententia in brevi facta omnibus notiſſima in viis & plateis, necnon in aliis hominum conventiculis, confabulatione licèt ſecretiſſima, omnium ora replevit. Inter quos cum die quadam ſederet apud *Weſtmonaſterium* ad Scaccarium *Gaufridus* archidiaconus *Norwicenſis* regiis intendens negotiis, cœpit ſecretiùs ſermocinari cum ſociis ſuis aſſidentibus de ſententia in Regem lata; dicens non eſſe tutum viris beneficiatis in obſequio Regis excommunicati ulteriùs immorari. Et his dictis, ad propria, non licentiatus receſſit. Sed cùm poſt paululum, ea quæ facta fuerant ad Regis notitiam perveniſſent, non mediocriter perturbatus, miſit *Willielmum Talebot* militem, cum armata manu, qui ipſum Archidiaconum comprehenſum, & vinculis aſperrimis conſtrictum, ſub carcerali cuſtodia recluſerunt; ubi poſt dies paucos, Rege præfato jubente, capa indutus plumbea, tam victualium penuria, quàm ipſius capæ ponderoſitate compreſſus, migravit ad dominum.

De conſiliis iniquis magiſtri Alexandri *Nequioris.*

INGESSIT ſe hac interdicti tempeſtate conſiliis Regiis pſeudotheologus quidam, magiſter *Alexander*, dictus *Cæmentarius*; qui ſuis iniquis prædicationibus, Regem non mediocriter ad crudelitatem commovit. Dixit enim illud generale flagellum *Angliæ* non ex culpa Regis, ſed ex ſubditorum flagitiis proveniſſe. Affirmavit etiam ipſum Regem *virgam eſſe furoris domini*; & ad hoc, principem conſtitutum, ut *regat populos* alióſque ſubditos *in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringat univerſos. Ad alligandos potentes in compedibus, & nobiles ſuos in manicis ferreis.* Ad Papam quoque non pertinere de Regum ſive de quorumlibet potentum laica poſſeſſione: vel ſubditorum regimine, veriſimilibus quibuſdam probavit argumentis. Cùm præcipuè principi Apoſtolorum *Petro*, nihil à domino, niſi eccleſiæ tantùm ac rerum eccleſiaſticarum ſit collata poteſtas. His igitur & his ſimilibus fallaciis, Regis adeò favorem pormeruit; ut plurima à viris religioſis beneficia per ejuſdem Regis violentiam obtineret. Sed cùm tandem ipſius perverſitas ad ſummi Pontificis aures pervolaſſet; ipſo Papa procurante, bonis ac beneficiis omnibus ſpoliatus, ad tantam demùm miſeriam perductus eſt, ut in habitu pauperrimo & cultu neceſſitate compulſus ſit panem ſuum cum dolore oſtiatim mendicare. Quem videntes multi ſubſannando dixerunt: *Ecce homo qui non poſuit dominum adjutorem ſuum, dum ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua. Fiat ergo nunc contra dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria ejus pro eo quod non eſt recordatus ut faceret miſericordiam. Propter eà Deus deſtruet eum in finem, & oratio ejus erit in peccatum, ut eradatur habitatio ejus de terra viventium.*

Conſecratio Hugonis Lincolnienſis *Epiſcopi.*

EODEM tempore, *Hugo Lincolnienſis* electus, impetrata à Rege licentia ad partes transfretandi *Gallicanas*; ut ab Archiepiſcopo *Rothomagenſi* conſecrationem acciperet, continuò ut *Normanniam* applicuit, contulit ſe ad *Stephanum* Archiepiſcopum *Cantuarienſem*; & facta ei canonica obedientia, decimo tertio calendas Januarii, munus ab eo conſecrationis accepit. Sed cùm id à Rege compertum fuiſſet, ſuſcepit in manu ſua Epiſcopatum jam dictum, atque omnia illius emolumenta in uſus ſuos convertit. *Waltero* quoque de *Gray* ſigillum ſuum tradens Rex, fecit eum Cancellarium, qui in omnibus regni agendis, Regis ſtuduit facere voluntatem.

Judæi *ad redemptionem graviſſimam compelluntur.*

ANNO Dominicæ Nativitatis M. CCX. Rex *Johannes* fuit ad Natale apud *Windleſhores*; præſentibus omnibus *Angliæ* magnatibus & communicantibus ei, non obſtante ſententia qua fuerat innodatus: quæ licèt non publicata, omnium tamen partium *Angliæ* climata pervolavit, & aures ſubintravit. Omnibus enim ſeſe ſubtrahentibus Rex nocivè inſidiabatur. Deinde Rege jubente, capti ſunt *Judæi* per totam *Angliam* utriuſque ſexus & incarcerati; pœniſque graviſſimis afflicti; ut de pecunia ſua Regis facerent voluntatem. Quorum quidam graviter torti, dederunt omnia quæ habebant: & plura promittebant, ut ſic poſſent evadere tot genera tormentorum. Inter quos, unus apud *Briſtollum* variis dilaceratus tormentis, cùm ſe redimere nec finem facere voluiſſet; juſſit Rex tortoribus ſuis, ut diebus ſingulis unum ex molaribus excuterent dentibus: donec Regi decem millia marcarum argenti perſolviſſet. Cùmque tandem per dies ſeptem tot dentes cum intolerabili cruciatu excuſſiſſent; & die octavo ſimile opus agere tortores jam incepiſſent: Judæus ille utilium

tardus

tardus proviſor, dedit pecuniam memoratam; ut ſeptem dentibus evulſis, octavum ſibi ſalvare liceret. 1211.

CIRCA dies iſtos *Otho Romanorum* Imperator, memor ſacramenti quod fecerat, cùm à Papa ad imperium fuerat ſublimatus; quòd videlicet dignitates imperii conſervaret, & jura diſperſa pro poſſibilitate ſua revocaret: fecit per ſacramentum legalium hominum Imperii, dominica caſtella ſua, & alia jura ad dignitatem imperialem ſpectantia perquiri; & quæcunque per recognitionem ad jus imperii ſpectare dedicerat, in uſus ſuos convertere laborabat. Hac autem de cauſa, orta eſt diſſentio graviſſima inter Dominum Papam & Imperatorem memoratum; eò quòd tempore quo vacabat Imperium, idem Papa caſtella plurima cum rebus aliis occupaverat, quæ ad dignitatem Imperii pertinebant. Unde Imperator, quia quod ſuum erat revocare ſtuduit; ipſum Papam ſine merito ad odium provocavit. *Fredericum* quoque Regem *Siciliæ*, idem Imperator graviter perſequutus eſt: qui ſimiliter dum vacavit Imperium, quaſdam munitiones occupatas detinuit. Unde Papa memoratus ipſum Imperatorem per nuncios & literas frequenter admonere ſtuduit, ut tam à perſecutione *Romanæ* eccleſiæ, quàm à Regis *Siciliæ* ac tutelæ commiſſæ ſedi Apoſtolicæ exhæredatione ceſſaret. Imperator autem nunciis domini Papæ tale perhibetur dediſſe reſponſum: Si (inquit) ſummus Pontifex Imperii jura injuſtè poſſidere deſiderat, à ſacramento quod tempore conſecrationis meæ ad dignitatem Imperialem me jurare compulit, abſolvat: quòd videlicet diſperſa imperii jura revocarem. Denique cum Papa ipſum Imperatorem à præſtito juramento quod omnes Imperatores in ſua conſecratione, inſpectis ſacroſanctis Evangeliis jurare tenentur, abſolvere noluit; & Imperator è contra, Imperii jura, quæ jam parte maxima in manu potenti revocaverat, reddere contempſit; idem Papa in ipſum Imperatorem ſententiam excommunicationis tulit; atque univerſos tam *Alemanniæ* quàm imperii *Romani* magnates, ab ejus fidelitate abſolvit. Et hinc odium Regis *Johannis*, & iram efficaciter obduravit. *De excommunicatione Othonis Imperatoris.*

EODEM anno, Rex *Anglorum Johannes* apud *Penbroc* in *Wallia* copioſo exercitu congregato; profectus eſt in *Hyberniam*: & ibi applicuit octavo idus Junii. Cùmque veniſſet ad *Dublinenſem* civitatem, occurrerunt ei ibidem pluſquàm viginti Reguli illius Regionis: qui omnes timore maximo perterriti, homagium ei & fidelitatem fecerunt. Pauci tamen ex Regulis ſuperſederunt, qui ad Regem venire contempſerunt; eò quòd in locis inexpugnabilibus habitabant. Fecit quoque Rex ibidem conſtruere leges & conſuetudines *Anglicanas*: ponens vicecomites alióſque miniſtros, qui populum regni illius juxta leges *Anglicanas* judicarent. Præfecerat autem ibidem *Johannem* de *Gray* Epiſcopum *Norwicenſem* juſtitiarium; qui denarium Terræ illius, ad pondus numiſmatis *Angliæ* fecerat fabricari: & tam obolum quàm quadrantem rotundum fieri præcepit. Juſſit quoque Rex, ut illius monetæ uſus tam in *Anglia* quàm in *Hybernia* communis ab omnibus haberetur: & utriuſque regni denarius, in theſauris ſuis indifferenter poneretur. De hac autem rotunditate, *Merlinus* vates prophetavit dicens: *Findetur forma commercii, dimidium rotundum erit.* His ita geſtis, Rex in manu forti progrediens, cepit plurimas hoſtium ſuorum munitiones fugientibus à facie ejus *Waltero* de *Laſci* viro nobili cum aliis multis, qui in manus ejus incidere metuebant. Tandem veniens in provinciam Regionis illius, quæ *Mide* nuncupatur; *Matildem* uxorem *Willielmi* de *Brauſe*, & *Willielmum* filium ejus, cum uxore ſua, in quadam munitione obſedit & cepit: à quo clàm evadentes, & poſteà rurſus capti inſula de *May*, Regi ſunt præſentati, vinculis conſtrictos aſperrimis, miſit in *Angliam*, & in caſtello de *Windleſhores*, ſub arcta cuſtodia deputavit; qui omnes Rege jubente famæ perierunt. Rex denique *Johannes* cùm in parte maxima de tota *Hybernia* pro libitu ſuo diſpoſuiſſet: naves cum triumpho ingreſſus, in *Angliam* applicuit tertio Kalendas Septembris. Deinde *Londonias* cum feſtinatione properans, fecit omnes *Angliæ* prælatos in ſua præſentia convenire. Venerunt autem ad hanc generalem vocationem, Abbates, Priores, Abbatiſſæ, Templarii, Hoſpitalarii, Cuſtodes villarum ordinis Cluniacenſis, & aliarum regionum tranſmarinarum, cujuſcunque dignitatis & ordinis: qui omnes ad tam gravem cumpulſi ſunt redemptionem, ac rerum eccleſiaſticarum dilapidationem, quòd ſumma extortæ pecuniæ excreviſſe fertur ad centum millia librarum ſterlingorum. Albi quoque monachi de regno *Angliæ*, aliis exceptis, quadraginta millia librarum argenti, in hoc tallagio (vellent nollent) caſſatis privilegiis, Regi perſolverunt. Cujus rei ſeriem ſi quis plenius proſequeretur; lacrymas excuteret Tyrannorum, & animos audientium perturbaret. Eodem an *Walterus* de *Grai* electus eſt in Epiſcopum *Ceſtrenſem*; *Henricus* archidiaconus *Stafford*, in *Exonienſem*. *Judæi* pro nimia eorum afflictione multi à regno aufugerunt. *Rex Johannes in Hiberniam contendit.* *Merlini vaticinium.*

ANNO gratiæ M. CCXI. Rex *Anglorum Johannes* fuit ad Natale domini apud *Eboracum* præſentibus Comitibus & Baronibus regni. Quo etiam anno idem Rex apud *Album* monaſterium, magno exercitu congregato, profectus eſt in *Walliam*, octavo idus Julii: ubi in fortitudine gravi, *Walliæ* interiora perluſtrans, ad *Snaudunam* uſque, obvia ſibi quæque conterendo penetravit. Reges omnes & nobiles, ſine contradictione ſubjugavit. De ſubjectione in poſterum, obſides viginti octo ſuſcepit; ac inde cum proſperitate in die Aſſumptionis beatæ *Mariæ*, ad *Album* monaſterium remeavit: veniénſque apud *Norhamptonam* *Rex Johannes Reges Wallenſes ſubjugavit.*

1212. *nam* nuncios domini Papæ ibidem cum mandatis Apoſtolicis obvios habuit. *Pandulphum* videlicet ſubdiaconum, & domini Papæ familiariſſimum, ac de militia *Templi*, fratrem *Durandum*. Qui ad hoc venerunt, ut pacem inter regnum & ſacerdotium reformarent. Rex autem ad exhortationem nunciorum gratanter conceſſit, ut Archiepiſcopus *Cantuarienſis* & monachi, atque omnes Epiſcopi ab *Anglia* proſcripti; cum pace ſua redirent ad propria. Sed quia de damnis datis, & de bonis eorum confiſcatis, Rex Archiepiſcopo & Epiſcopis ſatisfacere noluit; nuncii infecto nogotio ad *Gallias* remeârunt. Quo facto, Rex *Johannes* cepit à militibus, qui exercitui in *Wallia* non interfuerunt; de quolibet ſcuto duas marcas argenti. Eodem anno, vir nobilis & miles egregius *Rogerus Ceſtriæ* Conſtabularius vitam finivit.

Rex Francorum Reginaldum Boloniæ comitem proſcripſit.

EODEM tempore *Reginaldus* comes *Boloniæ*, vir ſtrenuus & in arte militari probatiſſimus; à *Philippo* Rege *Francorum* de comitatu ſuo injuſtè expulſus, & bonis omnibus privatus eſt. Quo expulſo, Rex *Francorum* dedit *Philippo* filio ſuo comitatum illum, cum filia & hærede legitima Comitis memorati; jure perpetuo poſſidendum. Comes verò *Reginaldus* in *Angliam* veniens, à Rege *Johanne* honorificè ſuſceptus eſt. De cujus liberalitate, idem Comes trecentas libratas terræ larga diſtributione ſuſcipiens; Regi memorato homagium & fidelitatem fecit. *Leolinus* princeps *Nortwalliæ* compellitur ad deditionem. Obiit circa hoc tempus *Robertus* de *Thunam*.

Mors Willielmi de Brauſa.

PER idem tempus *Willielmus* de *Brauſe* ſenior, qui à facie Regis *Anglorum Johannis* ab *Hybernia* ad partes fugerat *Gallicanas*; apud *Ebulam* vigilia ſancti *Laurentii* obiit; cujus corpus delatum eſt *Pariſios*, in abbatiáque ſancti *Victoris* honorificè ſepultum. Eodem anno *Innocentius* Papa, cùm Rex *Anglorum Johannes*, nunciis ejus ſibi monita prædicantibus ſalubria, acquieſcere contempſiſſet; multimodam ipſius contumaciam ſupra modum admirans, *Reges & alios omnes tam pauperes quàm potentes, ad coronam* Angliæ *ſpectantes, à Regis fidelitate & ſubjectione abſolvit: diſtrictè & ſub pœna excommunicationis prohibens univerſis & ſingulis, quatenùs ipſum in menſa, conſilio & colloquio arctiùs evitarent.* Habuit autem Rex hac interdicti tempeſtate conſiliarios iniquiſſimos; quorum nomina pro parte hic ponere non omittam. *Willielmus* quoque frater Regis & Comes *Sareſburienſis*, *Albericus* de *Ver*, comes *Oxonienſis*, *Gauſridus filius Petri Angliæ* juſticiarius. Tres Epiſcopi curiales, *Philippus Dunelmenſis*, *Petrus Wintonienſis*, & *Johannes Norvicenſis*, *Richardus* de *Mariſco* Regis Cancellarius, *Hugo* de *Nevilla* protoforeſtarius, *Willielmus* de *Wrotham* cuſtos portuum maris, *Robertus* de *veteri Ponte*, & *Yvo* frater ejus, *Brienus* de *inſula*, & *Gauſridus* de *Luci*, *Hugo* de *Bailul*, & *Bernardus* frater ejus, *Willielmus* de *Cantelu*, & *Willielmus* filius ejus, *Fulco* de *Cantelu*, & *Reginaldus* de *Cornhelle* vicecomes *Cantiæ*, *Robertus* de *Braibroc*, & *Henricus* filius ejus, *Philippus* de *Uletotes*, & *Johannes* de *Baſſingburne*, *Philippus Marci* caſtellanus de *Notingham*. *Petrus* de *Maulei*, & *Robertus* de *Gaugi*, *Gerardus* de *Atie*, & *Ingelardus* nepos ejus, *Falco* & *Willielmus Brivere*, *Petrus* filius *Hereberti*, & *Thomas Baſſet*: & alii multi quos longum eſſet enumerare: qui Regi in omnibus placere cupientes, conſilium non pro ratione, ſed pro voluntate dederunt. Tempore quoque ſub eodem, migraverunt à ſæculo *Gauſridus Eboracenſis* Archiepiſcopus; cui ſucceſſit *Walterus*. Obiit quoque Comes de *Albamarla*, & Abbas ſancti *Edmundi Sampſon*; qui aquæductum, & multa bona fecit Ecclæſiæ ſuæ.

Rex Anglorum filium Regis Scotiæ Alexandrum cingulo militari donavit.

ANNO domini M. CCXII. Rex *Johannes* fuit ad Natale apud *Windleſhores*; & in Quadrageſſima ſequenti, Dominica qua cantatur, *Lætare Hieruſalem*, idem Rex *Alexandrum* filium Regis *Scotorum*, & hæredem legitimum, *Londoniis* apud ſanctam *Brigidam*; hoſpitale de *Clerkenwel* tenens feſtum; in menſa cingulo militari donavit. Eodem anno *Malgerus Wigornienſis* Epiſcopus, ob libertatem eccleſiæ *Anglicanæ*, & executionem juſtitiæ, exul & proſcriptus de Regno *Angliæ*; apud *Pontiniacum* diem clauſit extremum.

EODEM tempore, *Wallenſes* de latibulis hoſtiliter prorumpentes, ceperunt quædam caſtella Regis *Anglorum*; atque omnes quos in eis invenerunt milites & ſervientes, amputatis capitibus peremerunt; villáſque quamplurimas injecto igne combuſſerunt, ac demùm prædam maximam & ſpolia congerentes, in ſua ſeſe ſine ſui diſpendio receperunt. Quod factum, cùm ad Regis *Anglorum* notitiam perveniſſet, indignatus eſt valdè; & congregans exercitum innumerabilem militum, equitum ſimul & peditum; omnes fines *Wallenſium*, cum ipſis *Wallenſibus* exterminare diſpoſuit. Cúmque Rex tandem ad *Notingham* cum multo hominum tumultu perveniſſet, antequàm cibum ſumeret, fecit viginti octo pueros, quos anno præterito à *Wallenſibus* ſuſceperat obſides, in ultionem jam dictæ tranſgreſſionis; patibulo ſuſpendi. Deinde cum ſediſſet ad menſam, cibis intendens & potibus, venit nuncius ad Regem ex parte Regis *Scotiæ*, qui ei literas ſuæ proviſæ proditionis porrexit. Quo facto, venit alius nuncius ex partæ filiæ ejuſdem Regis uxoris, videlicet *Leolini* Regis *Walliæ*, qui Regi alias literas, prioribus diſſimiles tradidit; dicens ſecretum eſſe quod literæ continebant. Rex verò poſt prandium divertens ad locum ſecretum, juſſit ſibi tenorem exponere literarum. Literæ verò licèt de regionibus venirent diverſis, unam tamen eandémque ſententiam continebant. Cúmque adhuc ſpretis hiis comminationibus, ad *Ceſtriam* veniſſet, iterum venerunt ad eum nuncii & literæ: quòd videlicet Rex, ſi bellum

Rex Anglorum de ſui proditione admonetur.

aggrederetur

1212.

aggrederetur incœptum, aut à ſuis magnatibus perimeretur, aut hoſtibus ad perdendum traderetur. Rex autem cùm talia audiſſet, perturbatus eſt valdè, & animo conſternatus; atque cùm intellexiſſet magnates *Angliæ* à ſua eſſe fidelitate abſolutos, majorem literis ſibi deſtinatis fidem adhibuit. Unde propoſitum utiliter commutans, juſſit omnem exercitum ad propria remeare; veniénſque ad urbem *Londoniarum*, miſit nuncios ad magnates univerſos ſibi de fidelitate ſuſpectos, exigens obſides ab eis; ut probaret qui vellent & qui nollent ejus obtemperare præceptis. *Illi* verò Regiis juſſionibus reſiſtere non audentes, remiſerunt filios, nepotes & cognatos ſuos ad libitum Regis; & ſic indignatio ejus aliquantulùm conquievit. Veruntamen *Euſtachius* de *Veſci*, & *Robertus* filius *Walteri*, de proditione memorata accuſati; & Regi nimis ſuſpecti, receſſerunt ab *Anglia*; *Euſtachius* videlicet in *Scotiam*, & *Robertus* ad *Gallias* divertentes.

De Petro heremita & ejus prophetiâ.

SUB hiis quoque diebus, erat in provincia *Eboracenſi*, heremita quidam *Petrus* nomine, qui eò quòd multis futura multa prædixerat, ſapiens dicebatur. Hic inter alia quæ ſpiritu prophetiæ tactus viderat de Rege *Johanne*; palàm coram cunctis aſtantibus & audire volentibus, illud prædicando publicè aſſerebat, *quod non foret Rex in die Dominicæ Aſcenſionis proximo ſequentis nec deinceps*; *ſed die illa, coronam* Angliæ *ad aliud transferri prædixit*. Cujus aſſertio cùm ad Regis notitiam deveniſſet, & ipſo jubente, ad ejus præſentiam adductus fuiſſet: quæſivit ab eo Rex, *ſi die illo eſſet moriturus, vel quo ordine à regni ſolio privaretur.* Qui reſpondit: *Noveritis certiſſimè quòd die prædicta Rex non eris. Et ſi de mendacio convictus fuero, de me quod placuerit faciatis.* Cui Rex, fiat inquit ſecundùm verbum tuum. Tunc Rex tradidit illum *Willielmo* de *Harecurt* cuſtodiendum; quem idem *Willielmus* cuſtodibus & arctioribus vinculis conſtrictum, apud *Corruum* incarceravit, donec probaret quem exitum res haberet. Quod verbum in brevi per remotas provincias ita diſſeminatum eſt, quòd ferè omnes qui hoc audierunt, dictis ejus adeò fidem adhibuerunt, acſi aſſertio illius de cœlo ſonuiſſet. Erant inſuper hac tempeſtate multi nobiles in regno *Angliæ*, quorum Rex uxores & filias illis murmurantibus oppreſſerat: alii quos indebitis exactionibus ad extremam inopiam perduxerat; nonnulli quorum parentes & carnales amicos exulaverat, eorum hæreditates in ſuos uſus convertens. Unde factum eſt, ut idem Rex tot ferè habuit hoſtes, quot habuit magnates. Unde hoc inſtanti tempore, cùm ſe cognoviſſent ab ejus fidelitate ſolutos gaviſi ſunt valdè; ita quòd ſi famæ creditur, miſerunt Regi *Francorum* chartam ſingulorum eorundem procerum ſigillis munitam, ut ſecurè veniret in *Angliam*, regnum ilicò recepturus, & cum gloria & honore coronandus.

Rex Anglorum Johannes à regno abjudicatur.

CIRCA hos denique dies, *Stephanus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, *Willielmus Londinenſis* & *Euſtachius Elyenſis* Epiſcopi, *Romam* profecti; innuerunt domino Papæ multimodas rebelliones & enormitates quas fecerat Rex *Anglorum Johannes*, à tempore interdicti uſque in præſentem diem: manus ſævitiæ & crudelitatis, contra dominum ſanctámque eccleſiam infatigabiliter aggravando. Unde humiliter domino Papæ ſupplicabant, ut *Anglicanæ* Eccleſiæ, jam quaſi in extremis laboranti, dignaretur piæ miſerationis intuitu ſubvenire. Tunc Papa gravi mœrore propter deſolationem regni *Angliæ* confectus, de conſilio Cardinalium, epiſcoporum, & aliorum virorum prudentium, ſententialiter definivit, ut Rex *Anglorum Johannes* à ſolio regni deponeretur: & alius, Papa procurante, ſuccederet qui dignior haberetur. Ad hujus quoque ſententiæ executionem, ſcripſit dominus Papa potentiſſimo Regi *Francorum Philippo*; quatenùs *remiſſionem omnium ſuorum peccaminum, hunc laborem aſſumeret: & Rege* Anglorum *à ſolio regni expulſo, ipſe & ſucceſſores ſui regnum* Angliæ *jure perpetuo poſſiderent.* Scripſit inſuper omnibus magnatibus, militibus, aliiſque bellatoribus per diverſas nationes conſtitutis, ut *ad regis* Anglorum *dejectionem, ſeſe cruce ſignarent*; *Regémque* Francorum *in hac expeditione ducem ſequentes, vindicare injuriam univerſalis eccleſiæ laborarent.* Statuit præterea, *ut quicunque ad expugnandum regem illum contumacem opes impenderint vel auxilium*; *ſicut illi qui ſepulchrum domini viſitant: tam in rebus quàm in perſonis & animarum ſuffragiis in pace eccleſiæ ſecuri permaneant.* His ita geſtis, miſit dominus Papa à latere ſuo *Pandulphum* ſubdiaconum, ad partes *Gallicanas*, cum Archiepiſcopo & Epiſcopis ſupradictis; ut in ipſius præſentia, ea quæ ſuperiùs digeſta ſunt, exequatur. Sed *Pandulphus* à Papa recedens, remotis omnibus, ſecretiſſima allocutione ſciſcitatus eſt; ſi fortè in Rege *Anglorum* fructum pænitentiæ inveniret, ita quòd vellet ſatisfacere domino & eccleſiæ *Romanæ*, atque aliis omnibus ad illud negotium ſpectantibus, quid ſibi inde fieri placeret. Tunc Papa *Pandulpho* quandam pacis formam evidenter expreſſit; cui ſi Rex aſſentire decreverit, apud ſedem Apoſtolicam poterit gratiam invenire. Hæc autem pacis forma inferiùs deſcripta continetur. Per idem tempus Rex capi fecit *Galfridum* de *Norwic* clericum ſuum fidelem, prudentem & elegantem, & in caſtro de *Notingham* pœna excogitata, uſque mortem torqueri. Quod videns magiſter *Willielmus* de *Neccoto* ſocius dicti *Galfridi*; vir non minoris valoris, fugit in *Franciam*, & apud *Curbolium* diu latitavit; ne ſicut *Galfridus* immeritò necaretur. Ipſo eodem tempore, Rex *Johannes* factus de Rege tyrannus, qui quendam armigerum *Falconem* impoſuerat cuſtodiæ cuidam in *Marchia Walliæ*; ſciens illum nullum facinus abhorrere: vocavit ipſum ut in Barones baccharetur. Erat autem ruptarius nequiſſimus; *Neuſter* natione, & ſpurius. Sed & ipſe

1213. ipſe multò crudeliùs quàm ei juſſum fuit, in ipſos deſævit, ſicut dicetur inferiùs; propter quod Rex factus ei propitius, dedit ei nobilem dominam *Margaretam* de *Ripariis*, cum omnibus terris eam contingentibus. Hoc anno combuſta eſt eccleſia ſanctæ *Mariæ* de *Suwerc Londinenſis*; & pons *Londinenſis* inter tres columnas: & capella ſimiliter ſuper pontem cum magna parte civitatis & parte villæ de *Suwerc*, igne *Tamiſiam* tranſiliente: perieruntque circiter mille homines cum mulieribus & pùeris; in nocte ſcilicet tranſlationis ſancti *Benedicti*.

Reditus Cantuarienſis *Archiepiſcopi & Epiſcoporum à ſede apoſtolica: & de morte* Galfridi Eboracenſis.

Anno domini M. CCXIII. Rex *Johannes* ad Natale domini tenuit Curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium*; cum pauco admodùm militum comitatu. Quo etiam tempore *Galfridus Eboracenſis* Archiepiſcopus, poſtquàm per ſeptennium pro libertate eccleſiæ, & executione juſtitiæ exilium paſſus eſt, diem clauſit extremum. Eodem anno menſe Januario, redierunt à curia *Romana Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *Willielmus Londinenſis*, & *Euſtachius Elyenſis* Epiſcopi; & habito in partibus tranſmarinis concilio, Regi *Francorum* & epiſcopis *Gallicanis*, cum clero pariter & populo, ſententiam, quæ in Regem *Anglorum Romæ* pro contumacia lata fuerat, ſolenniter promulgârunt. Deinde ex parte domini Papæ, tam Regi *Francorum* quàm cæteris univerſis, in remiſſionem ſuorum peccaminum injunxerunt; ut omnes pariter ad *Angliam* hoſtiliter accedentes, *Johannem* Regem à regni ſolio deponerent: & alium qui dignus eſſet, auctoritate apoſtolica ſubrogarent. Tunc Rex *Francorum* rem diu deſideratam intelligens, accinxit ſe ad pugnam; atque omnes ſuæ ditionis homines, duces videlicet, comites & barones, milites & ſervientes, cum equis & armis juſſit in octavis Paſchæ ſub nomine *Culvertagii* apud *Rothomagum* ita potenter convenire, ne crimine læſæ Majeſtatis damnum exhæredationis incurrere viderentur vulgariter ſub nomine *Felonis*. Fecit præterea omnes naves ſuæ poteſtatis, & alias multas quas colligere poterat, frumento, vino, carne, & diverſis armamentis optimè muniri: ut in omnium copiam rerum, tam numeroſus exercitus abundaret. Tunc temporis quoque, Rex vulpina calliditate ab omnibus religioſorum domibus ad excuſandum excuſationes in peccatis, chartas exegit; quibus teſtarentur ſe gratis contuliſſe, quæcunque ab eis violenter extorſit.

Rex Johannes *ſuis hoſtibus obviare conatur.*

Rex *Anglorum Johannes*, de omnibus quæ in tranſmarinis partibus agebantur, per exploratores edoctus; cogitavit qualiter callidè inſidiis ſibi paratis reſiſtere potuiſſet. Fecit itaque menſe Martio idem Rex, inbreviare omnes naves de univerſis portubus totius *Angliæ* per hoc breve: quod ſingulis portuum Bailivis in hæc verba direxit. Johannes *Rex* Angliæ, *&c. Præcipimus tibi, quatenus ſtatim viſis literis iſtis, eas in propria perſona una cum Bailivis portuum ad ſingulos portus de Bailiva tua, & facias diligenter inbreviare omnes naves ibi inventas, quæ poſſunt ferre ſex equos vel plures, & præcipias ex parte noſtra magiſtris omnium navium illarum, & illis quorum naves ſunt: quòd ſicut ſe & naves ſuas & omnia ſua diligunt, habeant illas apud* Porteſmue *in media Quadrageſima, benè adornatas bonis & probis Marinellis & benè armatis, qui ituri ſunt in ſervitium noſtrum ad liberationes noſtras, & tunc habeas ibi memoriter & diſtinctè inbreviatum quot naves in ſingulis portubus inveneris, & quorum ipſæ ſint, & quot equos quælibet ferre poſſit. Et tunc facias nobis ſcire, quot & quæ naves non fuerint in portubus ſuis die dominica proxima poſt cineres, ſicut præceperamus. Et habeas ibi hoc breve, teſte meipſo apud novum Templum, tertia die Martii.* His ita geſtis de navibus, miſit Rex alias literas, ad omnes Vicecomites Regni ſui ſub hac forma. Johannes *Rex* Angliæ, *&c. Summone per bonos ſummonitores, comites, barones, milites, & omnes liberos homines & ſervientes, vel quicunque ſint, & de quocunque teneant, qui arma habere debeat, vel arma habere poſſint, & qui homagium nobis vel ligantiam fecerunt. Quod ſicut nos & ſeipſos & omnia ſua diligunt, ſint apud* Doveram *ad inſtans clauſum Paſcha, benè parati cum equis & armis, & cum toto poſſe ſuo ad defendendum caput noſtrum, & capita ſua, & terram* Angliæ. *Et quod nullus remaneat qui arma portare poſſit, ſub nomine* Culvertagii *& perpetuæ ſervitutis. Et unuſquiſque ſequatur dominum ſuum, & qui terram non habent & arma habere poſſint, illùc veniant ad capiendum Solidatas noſtras. Et tu omnem attractum victualium, & omnia mercata Bailivarum tuarum venire facias, ut ſequantur exercitum noſtrum, ita quòd nullum mercatum de Bailivis tuis alibi teneatur: & tu ipſe tunc ſis ibi cum prædictis ſummonitoribus. Et ſcias quòd ſcire volumus, quomòdo venerint de Bailivis tuis, & qui venerint & qui non. Et videas quod tu ita effortiatè venias cum equis & armis, & hæc ita exequaris, ne inde ad corpus tuum nos capere debeamus. Et tu inde habeas rotulum tuum, ad nos certificandum qui remanſerint.* His ergo literis per *Angliam* divulgatis, convenerunt ad maritima in locis diverſis, & regi magis ſuſpectis; videlicet apud *Doveram*, *Fevereſham*, & *Gipeſwicum*, homines diverſæ conditionis & ætatis, nihil magis quàm opprobrium *Culvertagii* metuentes. Sed cùm poſt dies paucos, tantæ multitudini victus defuiſſet, remiſerunt ad propria Principes militiæ ex inermi vulgo multitudinem copioſam, milites ſolummodò ſervientes & liberos homines, cum Baliſtariis & Sagittariis juxta maritima retinentes. Venit prætereà de *Hybernia Johannes* Epiſcopus *Norwicenſis*, cum militibus quingentis & equitibus multis ad regem; & ab ipſo gratanter ſuſceptus eſt. Omnibus igitur congregatis ad pugnam, æſtimati ſunt in exercitu apud *Barhamdonam* inter milites electos & ſervientes, ſtrenuos

ſtrenuos & benè armatos, ſexaginta millia virorum fortium; quibus ſi erga Regem *Angliæ* & defenſionem patriæ, cor fuiſſet & anima una, non fuiſſet Princeps ſub cœlo, contra quem regnum *Angliæ* ſe non defenderet. Conſtituit prætereà Rex cum adverſariis navale prælium conſerere; ut eos pelago ſubmergeret, antequàm terram occuparent. Habebat namque claſſem uberiorem quàm Rex *Francorum*: unde maximam ſecuritatem concepit hoſtibus reſiſtendi. 1213.

Adventus Pandulphi ad Regem.

DUM autem Rex *Anglorum* cum innumera armatorum copia, circa maritima, Regis *Francorum* præſtolaretur adventum; applicuerunt duo fratres de Militia Templi apud *Doveram*; & venientes amicabiliter ad Regem, dixerunt ei: Miſſi ſumus ad te, ô Rex potentiſſime, ex parte *Pandulphi* ſubdiaconi, ac domini Papæ familiaris; qui pro utilitate veſtra & Regni veſtri, vobiſcum petit habere colloquium: proponet enim quandam tibi pacis formam, qua poteris Deo & eccleſiæ reconciliari: licèt in Curia *Romana* à jure Regni *Angliæ* abjudicatus fueris, & ſententialiter condemnatus. Rex verò cum *Templariorum* verba intellexiſſet, miſit *Templarios* memoratos propter *Pandulphum* quantociùs transfretare. Venit ergo *Pandulphus* (ut dictum eſt) invitatus ad Regem; & apud *Doveram* cum ipſo loquutus eſt dicens: Ecce Rex *Francorum* potentiſſimus, in oſtio *Sequanæ* fluminis cum innumera navium multitudine, & maximo militum, equitum, peditúmque ſtipatus agmine ad hoc expectat; ut majoribus adhuc vallatus catervis, ſuper vos & Regnum veſtrum hoſtiliter veniat, & quaſi Domino & ſummo Pontifici rebellem, à Regno te violenter depellat; atque authoritate ſedis Apoſtolicæ, Regnum *Angliæ* perpetuo jure poſſideat. Veniunt & cum illo omnes Epiſcopi dudum ab *Anglia* proſcripti, cum clericis & Laicis exulantibus: ut *ipſo* duce, ſedes Epiſcopales cum rebus aliis, te invito recipiant, & obſequium vobis olim & anteceſſoribus veſtris *exhibitum*, ipſi de cætero reverenter impendant. Jactat ſe prætereà idem Rex, chartas habere omnium fere *Angliæ* magnatum de fidelitate & ſubjectione; unde plenam concipit ſecuritatem, ad finem optimum rem perducere inchoatam. Conſule ergò ſaltem nunc quaſi in extremis agenti, utilitati tuæ; ut ad pœnitentiam redeas, & Dominum quem contra te ad vindictam provocaſti graviſſimam, placare ne differas. Si enim ſufficientem volueris præſtare cautionem, judicio eccleſiæ parendi, & humiliari pro ipſo, qui ſe pro te humiliavit; poteris ex clementia ſedis Apoſtolicæ Regnum recuperare, à quo pro contumacia *Romæ* abjudicatus fuiſti. Nunc autem ne ſupergaudeant de te inimici tui, revertere ad cor tuum; cavens ne te in talem difficultatem inducas, de qua te volens expedire non valeas.

Rex Johannes ad pœnitentiam revocatur.

REX denique *Johannes* his auditis ac medullitùs intellectis, confuſus eſt valdè: & mente nimis perturbatus, videns undique ſibi periculum imminere. Erant enim quatuor cauſæ principales, quæ ipſum ad pœnitentiam ſimul & ſatisfactionem compulerunt. Prima, quod jam per quinquennium excommunicatus permanſerat, Deúmque & S. Eccleſiam in tantum offenderat, quòd de ſalute animæ penitùs deſperabat. Secunda, quod Regis *Francorum* adventum metuebat; qui circa maris litora cum innumera armatorum copia expectans, inſidias ſuæ dejectionis parabat. Tertia, quòd ſi forte cum hoſtibus ſupervenientibus belli certamen iniret; verebatur ne à magnatibus *Angliæ* & propria gente, ſolus in campis relinqueretur, aut inimicis ad perdendum traderetur. Quartam verò cauſam aliis plus omnibus timebat: Inſtabat enim dies dominicæ aſcenſionis, in qua juxta prophetiam *P. Heremitæ*, de quo ſuperius relatum eſt, cum ipſa vita Regnum tam temporale quàm æternum amittere verebatur. His autem & conſimilibus cauſis in deſperationem prolapſus, perſuaſionibus *Pandulphi* acquievit; & ſubſcriptam pacis formam non ſine dolore conceſſit. Juravit ergo Rex, tactis ſacroſanctis Evangeliis in præſentia *Pandulphi, ſe judicio Eccleſiæ pariturum; & ſexdecim cum eo Comites & Barones ex potentioribus regni in animam ipſius Regis. Quòd ſi fortè facti pœniteret, ipſi cum pro poſſibilitate ad ſatisfactionem compellerent.*

CONVENERUNT apud *Doveram* decima tertia die Maii, videlicet die Lunæ proxima ante Aſcenſionem Domini, Rex & *Pandulphus*, cum Comitibus, Baronibus & turba multa nimis: ubi in ſubſcriptam pacis formam unanimiter conſenſerunt.

Charta Regis Johannis, qua Archiepiſcopo Cantuarienſi & Monachis & aliis Angliæ Prælatis ſatiſfacere promittit.

Johannes *Dei gratia Rex* Angliæ, *omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem. Per has patentes literas, ſigillo noſtro munitas, volumus eſſe notum, quod nobis præſentibus hi quatuor Barones noſtri,* Willielmus *ſcilicet Comes* Sariſberiæ *frater noſter &* Reginaldus *Comes* Boloniæ, Willielmus *Comes* Warenne, *&* Willielmus *Comes de* Ferariis, *juraverunt in animam noſtram, quod nos ſubſcriptam pacis formam bona fide per omnia curabimus obſervare. In primis itaque ſolenniter & abſolutè juravimus ſtare mandatis Domini Papæ, coram ejus Legato aut nuncio, ſuper omnibus, pro quibus excommunicati ſumus ab ipſo; & veram pacem & plenam ſecuritatem præſtabimus venerabilibus viris,* Stephano *Cantuarienſi Archiepiſcopo,* Willielmo *Londinenſi,* Euſtachio *Elienſi, Ægidio Herefordenſi,* Jocelino *Bathonienſi, &* Huberto *Lincolnienſi Epiſcopis, Priori quoque & monachis* Cantuarienſibus, *&* Roberto *filio* Walteri, *&* Euſtachio *de Veſci, nec non & cæteris clericis & laicis ad negotium contingentibus: præſtando ſimul coram eodem Legato vel Delegato publicè juramentum; quòd ipſos cum ſuis nec lædemus, nec lædi faciemus, vel permittemus in perſonis vel rebus, illiſque dimittemus omnem indignationem, & in gratiam noſtram eoſdem recipiemus, ac tenebimus bona fide: quódque præfatos Archiepiſcopum*

1213. pum & Epiſcopos non impediemus, nec faciemus, nec permittemus aliquatenùs impediri, quo minùs ipſi liberè ſuum exequantur officium, & plena juriſdictionis ſuæ authoritate, prout debent, utantur. Et ſuper his, tam Domino Papæ, quàm ipſi Archiepiſcopo & ſingulis Epiſcopis, noſtras patentes literas exhibebimus, facientes ab Epiſcopis & Comitibus & Baronibus noſtris, quot & quos præfati, Archiepiſcopus & Epiſcopi poſtulant juramenta, & eorum patentes literas exhiberi, quòd ipſi bona fide ſtudebunt, ut hæc pax & ſecuritas firmiter obſervetur. Et ſi fortè, quod Deus avertat, per nos ipſos vel alios contra venerimus, ipſi pro Eccleſia, contra violatores ſecuritatis & pacis, mandatis Apoſtolicis inhærebunt, nóſque perpetuò vacantium eccleſiarum cuſtodias amittamus. Quòd ſi fortè nequiverimus ad hanc ultimam partem juramenti eos inducere, videlicet quod ſi per noſmet ipſos, vel alios contra venerimus; ipſi pro Eccleſia contra violatores pacis & ſecuritatis, mandatis Apoſtolicis inhærebunt. Nos propter hoc Domino Papæ, ac Eccleſiæ Romanæ per noſtras patentes literas obligavimus omne jus Patronatus, quod habemus in Eccleſiis Anglicanis. Et ſic omnes literas quæ pro ſecuritate prædictorum ſunt exhibendæ, præfatis Archiepiſcopo & Epiſcopis ante ſuum ingreſſum in Angliam tranſmittemus. Si verò nobis placuerit, ſæpè fatus Archiepiſcopus & Epiſcopi præſtabunt, ſalvo honore Dei & Eccleſiæ, juratoriam cautionem & literatoriam, quòd ipſi nec per ſe nec per alium contra perſonam noſtram vel coronam noſtram aliquid attentabunt, nobis prædictam eis pacem & ſecuritatem ſervantibus illibatam. De ablatis autem plenam reſtitutionem, & de damnis recompenſationem ſufficientem omnibus impendemus, tam clericis quàm laicis ad hoc negotium pertingentibus, non ſolùm rerum, ſed omnium libertatum, & reſtitutas conſervabimus libertates. Archiepiſcopo quidem & Epiſcopo Lincolnienſi à tempore ſuæ conſecrationis; aliis autem à tempore diſcordiæ inchoatæ. Nec obſtabit aliqua pactio vel promiſſio ſeu conceſſio, quo minùs & damna recompenſentur & reſtituantur ablata, tam vivorum quàm & defunctorum. Nec aliquid retinebimus prætextu ſervitii, quod nobis debuerat impendi, ſed poſteà nobis debita pro ſervitio, recompenſatio tribuetur. Statimque omnes quos detinemus Clericos, faciemus abſolutos dimitti, ac reſtitui propriæ libertati, cum laicis qui hujus occaſione negotii detinentur. Incontinenti quoque, poſt adventum illius qui nos debet abſolvere, faciemus de parte reſtitutionis ablatorum octo millia librarum legalium Eſterlingorum pro ſolvendis debitis, & faciendis expenſis nunciis prædictorum Archiepiſcopi & Epiſcoporum & monachorum Cantuarienſium aſſignari; ſine impedimento quolibet per poteſtatem noſtram ad eos liberè deferendorum, ut expediti veniant in Angliam honorificè revocati; videlicet Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo, duo millia & quingentas libras; Willielmo Londonenſi ſeptingentas & quinquaginta libras, Euſtachio Elienſi ſeptingentas & quinquaginta libras, Jocelino Bathonienſi ſeptingentas & quinquaginta libras, Huberto Lincolnienſi ſeptingentas & quinquaginta libras, Priori & monachis Cantuarienſibus mille libras. Et protinùs poſtquàm pacem illam duxerimus acceptandam, aſſignari faciemus abſque mora, Archiepiſcopo & Epiſcopis, clericis ac Eccleſiis univerſis, in manibus nunciorum vel procuratorum ipſorum, mobilia omnia cum adminiſtratione libera eorundem, & in pace dimitti. Interdictum verò utlagatio vulgariter nuncupatum, quod proponi fecimus contra eccleſiaſticas perſonas, publicè revocabimus, proteſtando per noſtras patentes literas Archiepiſcopo tribuendas, id ad nos nullatenùs pertinere: quódque illud de cætero contra eccleſiaſticas perſonas, nullatenùs faciemus proponi: revocantes prætereà utlagationem laicorum ad hoc negotium pertinentium, & remittentes omnia quæ poſt interdictum recepimus ab hominibus eccleſiaſticis, præter regni conſuetudinem & eccleſiæ libertatem. Si verò ſuper damnis vel ablatis, aut eorum quantitate vel æſtimatione, quæſtio fuerit de facto ſuborta; per Legatum vel delegatum domini Papæ, receptis probationibus terminetur. Et his omnibus ritè peractis, relaxabitur ſententia interdicti. Super cæteris autem capitulis, ſi quæ fuerint dubitationes ſubortæ, de quibus meritò debeat dubitari, niſi per Legatum vel delegatum domini Papæ, de partium fuerint voluntate ſopitæ, ad ipſius referantur arbitrium, ut ſuper his quæ ipſe decreverit, obſerventur. Teſte meipſo, apud Doveram, decima tertia die Maii. Anno regni noſtri decimo quarto.

PER idem tempus, Rex *Johannes* arguens *Robertum* filium *Walteri* proditionis & rebellionis; ſternere fecit caſtrum *Baynardi* Londinenſe in craſtino ſancti *Hilarii*, per manus *Londinenſium*, ſcilicet die Lunæ. Die verò Jovis proximè ſequenti, *Nicolaus Thuſculanus* Epiſcopus, legatus in *Angliam* venit, accedens primò ad *Weſtmonaſterium*; & moram ibidem faciens per octodecim dies, diligentem tractatum habuit cum Conventu ipſius eccleſiæ, de reformatione ſpiritualium & temporalium. Idem verò apud *Eveſham* in feſto Sancti *Edmundi* veniens, *Rogerum* ejuſdem eccleſiæ Abbatem, manifeſtis ex cauſis depoſuit; ſubſtituens ibi *Radulphum* priorem *Wigornienſem*. Eodem quoque tempore obiit *Gaufridus* filius *Petri*, *Angliæ* Juſticiarius.

Rex Johannes *regnum & coronam* Angliæ *Papæ* Innocentio *reſignat.*

REBUS, ut jam dictum eſt, expeditis, convenerunt iterum Rex Anglorum, & Pandulphus cum proceribus regni, apud domum militum Templi, juxta Doveram, decimo quinto die Maii; in vigilia ſcilicet dominicæ Aſcenſionis: ubi idem Rex, juxta quod Romæ fuerat ſententiatum, reſignavit coronam ſuam, cum regnis Angliæ & Hyberniæ, in manus domini Papæ; cujus tunc vices gerebat Pandulphus memoratus. Facta autem reſignatione, dedit Papæ & ejus ſucceſſoribus regna prædicta; quæ & charta ſubſcripta confirmavit. Johannes Dei gratia Rex Angliæ, & cætera omnibus Chriſti fidelibus hanc chartam inſpecturis, ſalutem in domino. Univerſitati

veſtræ

1213.

veſtræ per hanc chartam ſigillo noſtro munitam, volumus eſſe notum, quòd cùm Deum & matrem noſtram ſanctam Eccleſiam offenderimus in multis, & proinde divina miſericordia plurimùm indigeamus, nec quid dignè offerre poſſimus, pro ſatisfactione Deo & eccleſiæ debita facienda, niſi noſmetipſos humiliemus & regna noſtra: volentes noſipſos humiliare, pro illo qui ſe pro nobis humiliavit uſque ad mortem, gratia ſancti Spiritus inſpirante, non vi interdicti, nec timore coacti, ſed noſtra bona ſpontaneâque voluntate, ac communi conſilio Baronum noſtrorum conferimus, & liberè concedimus Deo & ſanctis Apoſtolis ejus Petro & Paulo & *ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ matronæ noſtræ; ac domino Papæ* Innocentio, *ejúſque catholicis ſucceſſoribus; totum regnum* Angliæ & *totum regnum* Hyberniæ, *cum omni jure & pertinentiis ſuis, pro remiſſione omnium peccatorum noſtrorum, & totius generis noſtri, tam pro vivis quàm pro defunctis; & amodò illa ab eo & eccleſia* Romana, *tanquam ſecundarius recipientes & tenentes; in præſentia prudentis viri* Pandulphi *domini Papæ ſubdiaconi & familiaris. Exinde prædicto domino Papæ* Innocentio, *ejúſque catholicis ſucceſſoribus, & eccleſiæ* Romanæ, *ſecundùm ſubſcriptam formam fecimus & juravimus, & homagium ligium in præſentia* Pandulphi; *ſi coram domino Papa eſſe poterimus, eidem faciemus: ſucceſſores noſtros & hæredes de uxore noſtra in perpetuum obligantes, ut ſimili modo ſummo Pontifici qui pro tempore fuerit, & eccleſiæ* Romanæ, *ſine contradictione debeant fidelitatem præſtare, & homagium recognoſcere. Ad indicium autem hujus noſtræ perpetuæ obligationis & conceſſionis, volumus & ſtabilimus, ut de propriis & ſpecialibus redditibus noſtris prædictorum regnorum, pro omni ſervitio & conſuetudine, quæ pro ipſis facere debemus, ſalvis per omnia denariis beati* Petri, *eccleſia* Romana *mille marcas Eſterlingorum percipiat annuatim: in feſto ſcilicet ſancti* Michaëlis *quingentas marcas, & in Paſcha quingentas: Septingentas ſcilicet pro regno* Angliæ, & *trecentas pro regno* Hyberniæ: *ſalvis nobis & hæredibus noſtris, juſtitiis, libertatibus, & regalibus noſtris. Quæ omnia, ſicut ſupra ſcripta ſunt, rata eſſe volentes atque firma; obligamus nos & ſucceſſores noſtros contrà non venire; & ſi nos vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum contra hæc attentare præſumpſerit, quicunque ille fuerit, niſi ritè commonitus reſipuerit, cadat à jure regni. Et hæc charta obligationis & conceſſionis noſtræ, ſemper firma permaneat. Teſte meipſo, apud domum militum Templi juxta* Doveram, *coram* H. Dublinenſi *Archiepiſcopo,* Johanni Norwicenſi *Epiſcopo,* Galfrido *filio* Petri, W. *comite* Sariſberie, Wellielmo *comite* Penbroc, R. *comite* Boloniæ, W. *comite* Warenne, S. *comite* Winton. W. *comite* Arundel, W. *comite* de Ferrariis, W. Briwere, Petro *filio* Hereberti, Warino *filio* Geroldi, *xv. die Maii, anno regni noſtri decimo quarto.*

CHARTA itaque Regis in ſcriptum, ut dictum eſt, redacta, tradidit eam Rex *Pandulpho, Romam* Papæ *Innocentio* deferendam; & continuò cunctis videntibus, homagium fecit ſubſcriptum. *Ego* Johannes *Dei gratia Rex* Angliæ, & *dominus* Hyberniæ, *ad hac hora & in antea, fidelis ero Deo & beato* Petro & *Eccleſiæ* Romanæ, & *domino meo Papæ domino* Innocentio, *ejúſque ſucceſſoribus catholicè intrantibus. Non ero in facto, in dicto, conſenſu vel conſilio, ut vitam perdant vel membra, vel mala captione capiantur. Eorum damnum ſi ſcivero, impediam, & remanere faciam ſi potero: alioquin eis quàm citiùs potero intimabo, vel tali perſonæ dicam, quam eis credam pro certo dicturam. Conſilium quod mihi crediderint, per ſe vel per nuncios ſuos ſeu literas ſuas, ſecretum tenebo; & ad eorum damnum nulli pandam me ſciente. Patrimonium beati* Petri, & *ſpecialiter regnum* Angliæ, & *regnum* Hyberniæ *adjutor ero ad tenendum & defendendum, contra omnes homines pro poſſe meo. Sic me adjuvet Deus, & hæc ſancta Evangelia. Amen.* Acta autem ſunt hæc, ut prædictum eſt, in vigilia dominicæ Aſcenſionis, præſentibus epiſcopis, comitibus & magnatibus ſupradictis. *Pandulphus* autem pecuniam, quam in arrham ſubjectionis Rex contulerat, ſub pede ſuo conculcavit; Archiepiſcopo dolente & reclamante. Inſtabat autem dies Aſcenſionis domini in craſtino, futurus non ſolùm regi, ſed & aliis omnibus tam abſentibus quàm præſentibus, nimis ſuſpectus propter aſſertiones *Petri* hæremitæ; qui, ut prædictum eſt, eidem regi prophetaverat, quod in die Aſcenſionis domini, nec deinceps, erat Rex futurus. Sed cum diem præfixum ſanus & incolumis preteriſſet; *Petrum* præfatum, qui in caſtello de *Corf*, in vinculis tenebatur, juſſit Rex caudis equorum alligatum, ad villam de *Warrham* per plateas trahi; & ibidem cum filio ejuſdem *Petri* patibulo ſuſpendi. Unde multis videbatur indignum, quòd tam crudeli morte, pro aſſertione veritatis puniretur. Si enim ea quæ ſuperiùs geſta leguntur, ſubtiliter perpendantur; comprobabitur, ipſum mendacium non dixiſſe.

Homagium Regis Johannis, *factum Papæ* Innocentio, *& eccleſiæ* Romanæ.

Petrus *& ejus filius ſuſpenduntur.*

HIS it geſtis, *Pandulphus* cum chartis memoratis, transfretavit ad *Gallias*, octo millia librarum Eſterlingorum ſecum gerens: ut Archiepiſcopo & Epiſcopis, monachíſque *Cantuarienſibus*, ac cæteris cauſa interdicti exulantibus in parte reſtitutionis faceret ablatorum. Cum autem tenor chartarum & præfatæ pacis forma, illis omnibus placuiſſet; perſuaſit diligenter *Pandulphus*, ut pacificè redirent in *Angliam* Epiſcopi ſupradicti; reſiduum reſtitutionis ilicò percepturi. Deinde Regem *Francorum* diligenter admonere cœpit, qui jam paratus fuerat in manu violenta ad *Angliam* hoſtiliter transfretare; ut deſiſteret à propoſito, & ad propria pacificè remearet: non enim potuit ſine offenſione ſummi Pontificis, terram *Angliæ*, vel ipſum Regem infeſtare; cum ille paratus ſit Deo, & ſanctæ eccleſiæ, ejúſque

Pandulphus *cum parte reſtitutionis damnorum ad* Gallias *transfretavit.*

1213. ejúſque ordinatis ſatisfacere, atque domini Papæ catholicis juſſionibus obedire. Hæc audiens Rex *Francorum*, iratus valdè dixit, ſe jam in apparatu navium, victualium & armorum pluſquàm ſexaginta millia librarum expendiſſe, & ex præcepto domini Papæ laborem præfatum & in peccatorum remiſſionem ſuſcepiſſe. Et ut verum fateamur, idem Rex ſuggeſtionibus *Pandulphi* aſſenſum nullatenùs prebuiſſet, niſi ſolus comes *Flandrenſis Philippus* ipſum ſequi contradixiſſet. Fuerat enim Regi *Anglorum* confœderatus; & ideò contra pactum ſuum venire noluit. Dixit præterea idem comes, injuſtum fuiſſe idem bellum, quod ad debellandum Regem *Anglorum* ſuſceperat: cùm nullus anteceſſorum ſuorum, jus aliquod ſibi hactenus in regno *Angliæ* vendicaſſet. Adjunxit inſuper, quòd Rex *Francorum* terras ſuas & caſtella injuſtè occupaverat; & occupatam hæreditatem ſuam contra juſtitiam detinebat, quare cum ipſo ad *Angliam* venire nolebat.

Rex Francorum Flandriam *invadit.*

CUMQUE Rex *Francorum* à comite *Flandrenſi* talia audiſſet, ira vehementi incanduit: ipſúmque diffidens, à curia ſua confeſtim recedere præcepit. Juravítque dicens per ſanctos *Franciæ*: *Vel Francia erit Flandria, vel Flandria Francia.* Quo recedente, Rex *Francorum* terram comitis ingreſſum, igne ac ferro quæque ſibi obvia depopulando conſumpſit. Nautis præterea & claſſis ſuæ cuſtodibus, qui in oſtio *Sequanæ* fluminis, ut prædiximus, expectaverant cum victualibus & armis, ſignificavit, quatenus dilatione poſtpoſita, versùs *Swine Flandriæ* portum vela dirigerent; atque in eum illùc venire quantociùs feſtinarent. Quod ita factum eſt. Comes verò *Flandrenſis* impetum ſæpedicti Regis plurimùm timens; citiſſimo volatu Regi *Anglorum* nunciavit, quæ circa eum facta fuerant. Implorans diligenter, ut militare illi ſubſidium mittere dignaretur. Quo audito, Rex *Anglorum* deſtinavit in ſuccurſum comitis memorati; fratrem ſuum *Willielmum* comitem *Sareſberienſem*, *Willielmum* ducem *Houtlandiæ*, & *Reginaldum* comitem *Bononiæ*, bellatores electos, cum navibus quingentis & militibus ſeptingentis & familia multa nimis tam equeſtris, quàm pedeſtris ordinis; qui velis proſperis verſus *Flandriam* properantes, per portum *Swine* tranſitum faciebant. Ubi tantam navium multitudinem ſtupefacti intuentes, & non mediocriter admirantes; cognoverunt, miſſis exploratoribus, claſſem eſſe Regis *Francorum*, quæ illùc nuper advenerat, & in ipſa omni ferè cuſtodia, exceptis paucis Marinellis, carere. Exierant enim ad prædandum milites quibus navigium fuerat commiſſum, ut terram comitis *Flandrenſis* depopulando vaſtarent. Quod cum principes militiæ Regis *Anglorum* cognoviſſent, ad arma proſiliunt, claſſem acriter invadunt: & in brevì nautis ſubjugatis funibus navium præſciſſis, trecentas ex eis, frumento, vino, farina, carne, armis, ac rebus aliis onuſtas, verſus *Angliam* Neptuno committunt. Naves præterea centum vel eò amplius, quæ in ſicco ſtabant, injecto igne, combuſſerunt: & earum ſpolia rapuerunt. In hoc autem caſu, Rex *Francorum* & tota ferè tranſmarina nobilitas amiſerunt, quod in rebus humanis dulcibus poſſederunt. Deinde comites animoſitate quaſi ſuperflua incitati, cum equis & armis navibus erumpentes, *Francos* qui ab hac aufugerant clade, viriliter inſequuntur. Sed Rex *Francorum* qui ab hoc conflictu non longè aberat miſit milites armatos, de quibus plurimùm confidebat: ut hoſtes ſupervenientes longiùs arcerent, & qui eſſent ſagaciter explorarent. Qui continuò proſilientes ad arma, adverſariis quantociùs occurrerunt. Commiſſóque ex adverſis partibus prælio, comites prædicti, non ſine ſuorum damno, ad naves vix elapſi, fugam capeſſunt. Illis autem naves ingreſſis *Francigenæ* ad ſuos revertuntur. Rege verò *Francorum*, ſciſcitante à militibus quid actum fuiſſet, ac illi qui ſupervenerant unde eſſent: dixerunt exercitum eſſe Regis *Anglorum* in auxilium comitis *Flandriæ* deſtinatum: caſúmque ſuæ claſſis ac damnum irreparabile quod acciderat, Regi per ordinem referebant. Rex quoque *Philippus*, cùm hujuſmodi cognoviſſet eventum, à *Flandria* cum magno ſui ſuorumque diſpendio confuſus, receſſit.

Abſolvitur Rex Anglorum *ab excommunicatione.*

REX *Anglorum*, cum ea quæ in *Flandria* geſta fuerant, à referentibus didiciſſet, gaviſus eſt valdè, ac aliquantulùm mente elatus, ob hoc quod adventum Regis *Francorum* ad tempus noverat ſuſpenſum, præcepit magnatibus & univerſæ multitudini, quam ad defenſionem patriæ circa maritima collocaverat, ut ad propria remearent. Deinde miſis militibus ſuis qui erant in *Flandria*, magnam pecuniæ ſummam: promittens & eis auxilium Imperatoris: ut terram Regis *Francorum* hoſtiliter ingreſſi, incendiis ibidem vacarent & rapinis. Ipſe quoque Rex apud *Porteſmue* exercitum congregavit immenſum, ut ad Pictaviam tranſfretaret; diſponens à parte occidentali, ſicut illi qui erant in *Flandria* à parte orientali, regem & regnum *Francorum* inquietare: necnon cum omni niſu, terras amiſſas ad ſuum dominium revocare. Sed aliter accidit quàm ſperabat: magnates enim *Angliæ* ipſum ſequi noluerunt; niſi priùs à ſententia excommunicationis abſolveretur. Hac ergò diſtrictione Rex compulſus, miſit cartas viginti quatuor Comitum & Baronum ad Archiepiſcopum & Epiſcopos præſcriptos, ad majorem ſecuritatem; ut omni metu depoſito, venirent in *Angliam*; omnia ſita & ablatorum damna; ſecundam præſcriptæ pacis formam, ilicò percepturi. *Pandulpho* itaque mediante, neceſſariis omnibus ad repatriandum paratis, aſcenderunt naves, *Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *Willielmus Londinenſis*, *Euſtachius Elyenſis*, *Hubertus Lincolnienſis*, *Egidius Herefordenſis* Epiſcopi, cum cæteris clericis & laicis cauſa interdicti exulantibus;

1213.

exulantibus; & apud *Doveram* decimo ſeptimo calendas Auguſti applicantes, in die beatæ *Margaretæ* virginis, *Wintoniam* ad regem venerunt. Rex autem cùm eorum adventum cognoviſſet, venit obviàm illis; & viſo Archiepiſcopo & epiſcopis, cecidit pronus in terram ad pedes eorum, lacrymis profuſis, obſecrans ut de ſe ac regno *Angliæ* miſericordiam haberent. Videntes ergo Archiepiſcopus & epiſcopi tantam regis humilitatem, cum lacrymis illam de terra levaverunt; ducentes à dextris & à ſiniſtris, ad oſtium eccleſiæ cathedralis; ubi cum pſalmo quinquageſimo, videntibus magnatibus cunctis, & ubertim præ gaudio flentibus, ſicut mos eſt eccleſiæ, illum abſolverunt. Et hæc abſolutio facta fuit in capitulo *Wintonienſi*. In hac autem abſolutione juravit Rex, tactis ſacroſanctis evangeliis, *quòd ſanctam eccleſiam ejuſque ordinator diligeret, defenderet, & manu teneret, contra omnes adverſarios ſuos pro poſſe ſuo: quòdque bonas leges anteceſſorum ſuorum, & præcipuè leges* Edwardi *reges revocaret, & iniquas deſtrueret, & omnes homines ſuos, ſecundùm juſta Curiæ ſuæ judicia, judicaret: quòdque ſingulis redderet jura ſua.* Juravit etiam *quòd omnibus ad interdicti negotium pertingentibus, infra proximum Paſcha plenariam reſtitutionem faceret ablatorum; ſin autem, in* priſtinam excommunicationis ſententiam revocaretur. Juravit præterea *Innocentio Papæ, ejuſque catholicis ſucceſſoribus, fidelitatem & obedientiam, ſicut ſuperiùs* in ſcripto redactum continetur. Deinde Archiepiſcopus ducens illum in eccleſiam, miſſam celebravit. Et miſſa peracta ad menſam cum rege reſidentes; Archiepiſcopus cum Epiſcopis & magnatibus univerſis: epulabantur in lætitia & jocunditate. In craſtino autem miſit Rex literas ad omnes Vicecomites regni *Angliæ* præcipiens ut de ſingulis dominicorum ſuorum villis, quatuor legales homines cum præpoſito, apud ſanctum *Albanum*, pridiè nonas Auguſti facerent convenire: ut per illos & alios miniſtros ſuos, de damnis ſingulorum epiſcoporum & ablatis certitudinem inquireret, & quid ſingulis deberetur. Inde verò apud *Porteſmue* cum feſtinatione veniens, ut transfretaret in *Pictaviam*, *Galfrido filio Petri*, & epiſcopo *Winton.* regnum *Angliæ* commiſit: præcipiens ut cum conſilio *Cantuarienſis* Archiepiſcopi, omnia regni negotia ordinarent. Quo facto, venerunt ibidem ad regem numeroſa militum multitudo; conquerentes, quòd in diutina quam ibi fecerant, expectatione; omnem pecuniam ſuam conſumpſerant; unde ipſum ſequi nequiverant, niſi de fiſco illis neceſſaria miniſtrarentur. Quod cum Rex facere recuſaſſet, iratus cum privata familia naves aſcendit; & poſt triduum apud *Gerſeæ* inſulam applicuit, magnatibus ſuis domum reverſis: ubi cùm Rex ſeſe derelictum cernebat, neceſſitate compulſus, ad *Angliam* remeavit.

Legum & libertatum denunciatio.

DUM hæc agerentur, interfuerunt concilio apud ſanctum *Albanum Galfridus filius Petri*, & epiſcopus *Wintonienſis* cum Archiepiſcopo & epiſcopis, & magnatibus regni: ubi cunctis pace regis denunciata, ex ejuſdem Regis parte, firmiter præceptum eſt, quatenùs leges *Henrici* avi ſui ab omnibus in regno cuſtodirentur; & omnes leges iniquæ penitùs enervarentur. Denunciatum eſt præterea Vicecomitibus, Foreſtariis, aliiſque miniſtris regis, ſicut vitam & membra ſua diligunt, ne à quoquam aliquid violenter extorqueant; vel alicui injuriam irrogare præſumant; aut ſcotalla alicubi in regno faciant, ſicut facere conſueverunt. Rex verò *Johannes*, cum ſe à quibuſdam magnatibus (ut prædictum eſt) quaſi derelictum cognoviſſet; magnum congregavit exercitum, ut rebelles ad conſuetum obſequium revocaret. Cúmque arma movere incepiſſet, venit ad eum Archiepiſcopus apud *Norhamptonam*, dicens, plurimum in injuriam ſui ſacramenti, quod in abſolutione ſua præſtiterat, redundare, ſi abſque judicio curiæ ſuæ contra quempiam bellum moveret. Quod audiens Rex, cum ingenti ſtrepitu dixit ſe regni negotia propter Archiepiſcopum non differre; cùm laica judicia ad ipſum non pertineant. In craſtino autem ſummo diluculo iter furibundus arripiens, versùs *Notingham* properavit. Sequutus eſt quoque regem Archiepiſcopus memoratus; conſtanter affirmans, quòd niſi ab incœptis celeriùs deſiſteret, omnes, omnes qui versùs quempiam ante relaxationem interdicti, hoſtiliter arma geſtarent; præter ipſum ſolum, anathematis vinculo innodaret. Sicque ab incœptis regem revocans Archiepiſcopus; non priùs ab eo receſſit, donec diem competentem ad curiam regis veniendi, & ibidem juri parendi Baronibus impetraſſet.

Comitum, & Baronum contra Regem Johannem *conſpiratio.*]

EODEM anno, octavo calendas Septembris, convenerunt in civitate *Londoniarum* apud ſanctum *Paulum*, *Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus; cum epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis & Baronibus regni: ubi Archiepiſcopus indulſit tam eccleſiis conventualibus, quàm preſbyteris ſæcularibus, ut horas canonicas in eccleſiis ſuis, audientibus Parochianis, ſuppreſſa voce cantarent. In hoc colloquio (ut fama refert) Archiepiſcopus memoratus, convocatis ſeorſum quibuſdam regni proceribus, cœpit affari eos ſecretiùs in hunc modum. Audiſtis, inquit, quomodo ipſe apud *Wintoniam* regem abſolvi, & ipſum jurare compulerim; quòd leges iniquas deſtrueret, & leges bonas, videlicet leges *Edwardi* revocaret, & in regno faceret ab omnibus obſervari. Inventa eſt quoque nunc, charta quædam *Henrici* primi regis *Angliæ*; per quam, ſi volueritis, libertates diu amiſſas, poteritis ad ſtatum priſtinum revocare. Et proferens chartam quandam in medium, fecit eam, audientibus cunctis, in hunc modum recitari; cujus tenor erat talis. *Henricus Dei gracia Rex Angliæ, Hugoni de Boclande juſtitiario Angliæ, & omnibus fidelibus ſuis, tam* Francige-

1213. nis *quàm* Anglis *in* Hertfordſire *ſalutem. Sciatis me Dei miſericordia & communi conſilio Baronum regni* Angliæ, *ejuſdem regni Regem eſſe coronatum. Et quia regnum oppreſſum erat injuſtis exactionibus, ego reſpectu Dei & amore, quem erga vos omnes habeo, ſanctam Dei eccleſiam inprimis liberam facio: ita quòd nec eam vendam nec ad firmam ponam, nec mortuo Archiepiſcopo vel Epiſcopo ſive Abbate aliquid accipiam de dominio eccleſiæ, vel de hominibus; donec ſucceſſor in eam ingrediatur. Et omnes malas conſuetudines, quibus regnum* Angliæ *injuſtè opprimebatur, inde auſero; quas malas conſuetudines, in parte hîc pono. Si quis Baronum meorum, comitum vel aliorum, qui de me tenent, mortuus fuerit, hæres ſuus non redimet terram ſuam, ſicut facere conſueverat tempore patris mei: ſed legitima & juſta relevatione relevabit eam. Similiter & honores Baronum meorum, legitima & juſta relevatione relevabunt terras ſuas, de dominiis ſuis. Et ſi quis Baronum vel aliorum hominum meorum, filiam ſuam tradere voluerit; ſive ſororem, ſive neptem, ſive cognatam, mecum inde loquatur; ſed neque egò aliquid de ſuo pro hac licentia accipiam, neque defendam ei quin eam det: excepto ſi eam dare vellet inimico meo. Et ſi mortuo Barone vel alio homine meo, filia hæres remanſerit: dabo illam cum conſilio Baronum meorum, cum terra ſua. Et ſi mortuo marito, uxor ejus remanſerit, & ſine liberis fuerit; dotem ſuam & maritagium habebit, dum corpus ſuum legitimè ſervabit: & eam non dabo marito, niſi ſecundùm velle ſuum; & terræ liberorum cuſtos erit ſive uxor, ſive uxor, ſive alius propinquior juſtiùs eſſe debet. Et præcipio ut Barones mei ſimiliter ſe contineant erga filios ſuos & filias, vel uxores hominum ſuorum. Monetagium commune quod capiebatur per civitates vel comitatus, quod non fuit tempore* Edwardi *Regis; hoc ne amodò fiat, omninò defendo. Si quis captus fuerit ſive monetarius ſive alius cum falſa moneta; juſtitia recta inde fiat. Omnia placita & omnia debita quæ regi fratri meo debebantur, condono: exceptis firmis meis, & exceptis illis quæ pacta erant pro aliorum hæreditatibus; vel pro illis rebus, quæ juſtiùs aliis contingebant. Et ſi quis aliquid pro hæreditate ſua pepigerat, illud condono: & omnes relevationes, quæ pro rectis hæreditatibus pactæ erant. Et ſi quis Baronum vel hominum meorum infirmabitur; ſicut ipſe dabit vel dare diſpoſuerit pecuniam ſuam, ita datam eſſe concedo. Quòd ſi ipſe præventus, vel armis vel infirmitate, pecuniam ſuam nec dederit nec dare diſpoſuerit: uxor ſua ſive liberi aut parentes & legitimi homines ejus, pro anima ejus eam dividant, ſicut eis melius viſum fuerit. Si quis Baronum vel hominum meorum foris-fecerit, non dabit, vadium in miſericordia pecuniæ ſuæ, ſicut faciebat tempore patris & fratris mei; ſed ſecundùm foris-facturæ modum: nec ita emendabit, ſicut emendaſſet retrò tempore patris mei, vel aliorum anteceſſorum meorum. Quòd ſi perfidiæ vel ſceleris convictus fuerit; ſicut erit culpa, ſic emendet. Murdra etiam retrò ab illa die, qua in regem coronatus fui, omnia condono: & ea quæ amodò facta fuerunt, juſtè emendentur ſecundùm Lagam Regis* Edwardi. *Foreſtas communi conſilio Baronum meorum in manu mea ita retinui; ſicut pater meus eas habuit. Militibus qui per Loricas terras ſuas defendunt, terras dominicarum carucarum ſuarum quietas ab omnibus geldis, & ab omni opere propria, dono meo concedo: ut ſicut tam magno gravamine alleviati ſunt, in equis & armis ſe benè inſtruant; ut apti & parati ſint ad ſervitium meum, & ad defenſionem regni mei. Pacem firmam pono in toto regno meo, & teneri amodò præcipio. Lagam Regis* Edwardi *vobis reddo, cum illis emendationibus, quibus pater meus eam emendavit conſilio Baronum ſuorum. Si quis aliquid de meo vel de rebus alicujus, poſt obitum regis* Willielmi *fratris mei cepit, totum citò reddatur abſque emendatione; & ſi quis inde aliquid retinuerit, ille ſuper quem inventum fuerit, graviter mihi emendabit. Teſtibus* Mauritio Londonienſi *epiſcopo,* Willielmo Wintonienſi *electo,* Gerardo Herfordenſi *epiſcopo,* Henrico *Comite,* Simone *Comite,* Waltero Giffard *Comite,* Roberto *de* Monteforti, Rogero Bigod, *& aliis multis.* Cùm autem hæc charta perlecta, & Baronibus audientibus intellecta fuiſſet, gaviſi ſunt gaudio magno valdè: & juraverunt omnes in præſentia Archiepiſcopi ſæpè dicti, quòd viſo tempore congruo, pro hiis libertatibus, ſi neceſſe fuerit, decertabunt uſque ad mortem. Archiepiſcopus verò promiſit eis fideliſſimum auxilium ſuum, pro poſſe ſuo: & ſic confœderatione facta inter eos, colloquium ſolutum eſt.

Hæreſis Albigenſium.

CIRCA dies iſtos, hæreticorum pravitas, qui *Albigenſes* appellantur, in *Waſconia, Arumpnia* & *Albegeſio,* in partibus *Tholoſanis,* & *Arragonum* regno adeò invaluit; ut jam non in occulto, ſicut alibi, nequitiam ſuam exercerent: ſed errorem ſuum publicè proponentes, ad conſenſum ſuum ſimplices attraherent & infirmos. Dicuntur autem *Albigenſes* ab *Alba* civitate; ubi error ille dicitur ſumpſiſſe exordium. Cúmque tandem illorum perverſitas adeò divinam contempſit ſeveritatem, ut videntibus Epiſcopis & preſbyteris, libros evangeliorum in ſentinas projicerent, & calices cum vaſis ſacris in deſpectum corporis & ſanguinis *Chriſti,* enormiter dehoneſtarent: Papa *Innocentius,* his auditis, non mediocriter condoluit. Qui miſſis prædicatoribus ad omnes Regiones occidentis, principibus, aliiſque populis *Chriſtianis* in ſuorum remiſſionem peccatorum injunxit, ut ſe cruce ſignarent ad hanc peſtem extirpandam; atque tantis cladibus ſe opponentes, viribus & armis tuerentur populum *Chriſtianum.* Addidit etiam authoritate ſedis Apoſtolicæ, ut quicunque ad expugnandum eos, laborem ſibi injunctum ſuſceperit; ſicut illi qui ſepulchrum Domini viſitant, tam in rebus quàm in perſonis, ab omni hoſtium incurſione manerent ſecuri. Ad hanc autem prædicationem, tanta Cruce ſignatorum multitudo convenit; quanta non creditur in noſtro climate aliquando conveniſſe.

OMNIBUS

1213.

Cruce ſignati contra Albigenſes decertant.

OMNIBUS igitur congregatis, & ad pugnam viriliter accinctis, Archiepiſcopus *Narbonenſis*, & Apoſtolicæ ſedis in hac expeditione legatus cum principibus militiæ; Duce videlicet *Burgundiæ*, Comite *Nivernenſi*, & Comite *Montis fortis*, caſtra moventes, depoſuerunt *Bituricenſem* adire & expugnare civitatem. Sed antequàm ad illam venirent, domini quorundam caſtrorum, tanquam malè ſibi conſcii, ante faciem exercitus aufugerunt. Milites quoque & reliqui fideles eorundem caſtrorum, ad exercitum tanquam catholici fiducialiter accedentes, ſe & ſua & ipſa caſtra dederunt in manus Cruce ſignatorum; & in vigilia beatæ *Mariæ Magdalenæ*, tradiderunt cuidam Monacho nobile caſtrum *Cervianum*; fugiente Domino, cui plurima caſtra, & ipſa admodùm fortia, appendebant. Significaverunt autem civibus *Bituricenſibus* per Epiſcopum civitati ſub pœna excommunicationis, ut de duobus alterum eligerent, ut traderent ſcilicet hæreticos & bona eorum in manus Cruce ſignatorum; & ſi hoc non poſſent, facerent ut exirent de medio eorum: alioquin eſſent excommunicati, & ſanguis eorum ſuper capita eorum. Quod ipſi facere contemnentes confœderati cum hæreticis; juraverunt ſibi mutuò de civitate defendenda, & fide concepta, ſperaverunt quòd inſultum Cruce ſignatorum, poſſent per multum temporis ſuſtinere. Obſeſſa igitur civitate in feſto ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, tractaverunt Barones de liberatione eorum, qui erant Catholici inter eos. Sed *Ribaldi* interim & viles perſonæ, non expectato principum mandato vel ordinatione, fecerunt inſultum in civitatem: & mirantibus *Chriſtianis*, dum clamaretur *ad arma*, exilientibus fidelibus undique ad inſultum; illi de intùs qui muros defendebant, librum Evangeliorum extra muros projecerunt, blaſphemantes nomen Domini, & aſſilientibus inſultantes. Ecce, inquiunt, Lex veſtra, non curamus de ea: veſtra ſit. Ad quas blaſphemias fideles accenſi & contumeliis provocati; quaſi ſub trium horarum ſpatio, foſſata atque muros tam potenter quàm mirabiliter, duce domino tranſcenderunt. Capta itaque civitate, ipſa die ſpoliata & ſuccenſa; facta eſt ultione divina ex infidelibus ſtrages maxima. De catholicis verò, ſervante Domino, pauciſſimi ceciderunt. Exactis itaque ibidem diebus paucis cum rumor tanti miraculi diffunderetur per terram, diſſipavit Deus ante faciem Cruce ſignatorum, quaſi ſine eis, illos qui blaſphemaverant nomen & legem ejus. Uſque adeò autem deterriti fuerunt pravitatis hæreticæ ſectatores, ut ad montium latibula fugientes, credantur reliquiſſe pluſquàm centum caſtra vacua inter *Biturum* & *Carcaſonam*, referta cum cibariis & varia ſupellectile; quam fugientes ſecum nequiverant aſportare.

Captio Civitatis & caſtri Carcaſonæ.

CASTRA denique inde moventes Cruce ſignati, in feſto ſancti *Petri* ad vincula, pervenerunt proſperè *Carcaſonam*; ad civitatem utique populoſam, & in ſua perfidia, tam multitudine divitiarum, quam fortitudine loci admodùm munitiſſima, hactenus gloriantem. In craſtino verò Catholici facto inſultu, intra duarum aut trium horarum ſpatium, prima foſſata atque muros inæſtimabiliter tranſcenderunt: inter tela baliſtarum, inter lanceas & gladios defendentium impiorum. Ac poſtmodùm erectis machinis, octava die captum eſt ſuburbium majus; interfectis utrobique quàm plurimis, qui ſe inter hoſtes minùs prudenter ingerebant. Demolitum eſt penitùs ſuburbium, quod utique majus eſſe videbatur corpore civitatis. Concluſis itaque hoſtibus inter anguſtias civitatis, cum interiùs tam præ multitudine, quàm præ inedia ſupra quàm crederet quiſquam laborarent; obtulerunt ſe & ſua omnia cum civitate Cruce ſignatis: ut tantummodò vita eis ex miſericordia ſervaretur, & deducerentur ſaltem una die ſecurè. Habito ergò conſilio, Barones quaſi compulſi, civitatem ſub forma prædicta receperunt; tum quia apud homines inexpugnabilis videbatur, tum quia ſi civitas penitùs deleretur, non inveniretur de nobilibus viris exercitus, qui regnum terræ illius ſuſciperet: cum non remaneret locus in terra ſubjugata ubi reſideret. Ut igitur terra, quam dedit Dominus in manus ſervorum ſuorum ad honorem Dei & profectum *Chriſtianitatis* ſervaretur, de communi conſilio Prælatorum ac Baronum electus eſt in principem terræ illius, vir nobilis *Simon* de *Monte forti*, Comes *Leiceſtriæ*; in cujus manus traditus eſt captivus vir nobilis *Rogerus* vicecomes & dominus quondam ipſius terræ, cum tota provincia illa: videlicet pluſquàm centum caſtris quæ infra menſem unum dignatus eſt Dominus catholicæ reſtituere unitati. Inter quæ erant plurima adeò nobilia, ut quemlibet exercitum, juxta æſtimationem humanam, modicùm formidarent. His ita peractis, cum Comes *Nivernenſis* & plurima pars exercitus ad ſua redirent; illuſtris dux *Burgundiæ* & reliqui magnates cum exercitu reſiduo, ad extirpandam pravitatem hæreticam, proceſſerunt, & plura caſtra admodùm fortia, ſive amore ſive timore, poſtmodùm tradiderunt in manus *Simonis* comitis *Montis fortis*.

Nuncii Tholoſam verſus à Cruce ſignatis mittuntur.

QUONIAM civitas *Tholoſana*, tanquam graviter polluta hujuſmodi peſte ex diu peſſimè diffamata fuerat; miſerunt Barones ad cives illius civitatis ſolennes nuncios, cum literis ſuis, ſcilicet Archiepiſcopum *Santionenſem*, epiſcopum *Forulenſem*, vicecomitem *ſancti Florentii*, & dominum *Accaldum* de *Ruſſilone*, mandantes eis ut traderent hæreticos civitatis exercitui Cruce ſignatorum, & bona eorum. Quod ſi fortè dicerent ipſos non eſſe hæreticos, venient illi qui notati fuerant, & nominatim expreſſi, coram omni exercitu; fidem ſuam ſecundùm *Chriſtianam* conſuetudinem purgaturi. Et ſi hoc facere recuſarent, excommunicaverunt per eaſdem literas Conſules & conſiliarios eorum, & totam villam *Tholoſanam*, cum appenditiis ſuis, eccleſiaſtico interdicto.

1213.

Portentum.

SUB ejuſdem anni curriculo, in æſtate ſequenti, ſubortus eſt in *Francia* error quidam ſæculis inauditus. Quidam enim puer, hoſte humani generis procurante, qui verè puer ætate fuit, ſed moribus pervilis, per civitates vadens & caſtella in Regno *Francorum*, quaſi à Domino miſſus, cantillabat Gallicè modulando: *Domine Jeſu Chriſte, crucem ſanctam nobis reſtitue*; additis multis aliis adjectionibus. Et cum ab aliis pueris coætaneis videretur & audiretur, ſequebantur eum infiniti; qui præſtigio Diabolico penitùs infatuati, relictis patribus & matribus, nutricibus & amicis univerſis, cantantes modo conſimili, quo eorum cantabat pædagogus: nec eos poterat (quod mirum eſt dictu) vel ſera retinere, vel parentum perſuaſio revocare, quin ſuum magiſtrum memoratum ſequerentur versùs mare Mediterraneum, quod trajicientes, proceſſionaliter & turmatim modulando progrediebantur. Non enim poterat aliqua civitas eos præ multitudine jam comprehendere. Magiſter autem eorum in curru ponebatur pallis adornato, ſtipatus cuſtodibus circumſtrepentibus & armatis. Tantus autem eorum erat numerus, ut ſe invicem præ nimia numeroſitate comprimerent. Beatum enim ſe reputabat, qui de veſtibus ſuis fila vel pilos diſcerptos poterat reportare. Sed tandem antiquo impoſtore Sathana machinante, vel in terra vel in mari perierunt univerſi.

De morte Gaufridi *filii* Petri.

ANNO verò ſub eodem, *Gaufridus filius Petri* totius *Angliæ* Juſticiarius, vir magnæ poteſtatis & authoritatis; in maximum Regni detrimentum diem clauſit extremum, ſecunda die Octobris. Erat autem firmiſſ. Regni Columna; utpote vir generoſus, legum peritus, theſauris, reditibus, & omnibus bonis inſtauratus: omnibus *Angliæ* magnatibus ſanguine vel amicitia confœderatus. Unde Rex ipſum præ omnibus mortalibus ſine dilectione formidabat: ipſe enim lora regni gubernabat. Unde poſt ejus obitum facta eſt *Anglia quaſi in tempeſtate* navis ſine gubernaculo. Cujus tempeſtatis initium fuit mors *Huberti Cantuarienſis* Archiepiſcopi, viri magnifici & fidelis: nec poſt mortem iſtorum duorum potuit *Anglia* reſpirare. Cum dicti *Petri* mors, Regi *Johanni* nunciaretur, cachinnando dixit: cum venerit in Infernum, ſalutet *Hubertum Cantuarienſem* Archiepiſcopum, quem proculdubiò ibi inveniet. Et converſus ad circumſedentes, ſubintulit dicens; *Per pedes Domini nunc primò ſum Rex & dominus* Angliæ. Habuit igitur ex tunc poteſtatem liberiorem, juramentis ſuis & pactis, quæ cum ipſo *Gaufrido* dolente fecerat, contraire; & initæ pacis vinculis, quibus ſe involverat, denodare. Pœnituit igitur ipſum graviter & amariſſimè, quòd ad prædictæ pacis conſenſum inclinaretur.

Rex Johannes *deſperans miſit nuncios ad Admiralium* Murmelium.

MISIT ergò nuncios ſecretiſſimos cum feſtinatione ſumma, videlicet *Thomam Herdintonum*, & *Radulphum filium Nicolai* milites, & *Robertum* de *Londino* clericum, ad *Admiralium Murmelium* regem magnum *Aphricæ Marrochiæ* & *Hiſpaniæ*, quem vulgus *Miramumelinum* vocat: ſignificans eidem, *quòd ſe & regnum ſuum libenter redderet eidem, & dederet & deditum teneret ab ipſo, ſi placeret ei, ſub tributo. Nec non & legem* Chriſtianam *quam vanam cenſuit, relinquens, legi* Mahometi *fideliter adhæreret.* Quod cum dicti nuncii ſecretiùs relaturi, ad Curiam dicti Principis perveniſſent, invenerunt ad primam portam aliquot milites armatos, introitum arctiùs cuſtodientes, gladiis evaginatis. Ad ſecundum verò oſtium ſcilicet Palatii, plures invenerunt milites ad unguem armatos, & prioribus elegantiùs, enſibus ſtrictis ingreſſum diligenter cuſtodientes, ac aliis fortiores & nobiliores. In oſtio verò thalami inferioris, multò ſecundùm apparentiam robuſtiores & ferociores, & plures prioribus. Cum autem pacificè introducti, ex licentia ipſius Admiralii, quem Regem magnum vocant, ipſi nuncii & vice domini ſui Regis ſcilicet *Angliæ*, reverenter ſalutaſſent; expoſuerunt cauſam adventus ſui pleniùs, chartam Regiam ei porrigentes: quam quidem interpres, qui præſens, vocatus aderat, evidenter patefecit. Quo intellecto, & Rex librum quem inſpexerat, clauſit: ſedítque enim ad pulpitum ſuum ſtudens: vir ætate & ſtatura mediocris, & geſtu maturus, & verbis facundus, & circumſpectus. Et cum pauliſper quaſi ſecum deliberans reſpondiſſet, modeſtè dixit. *Modò inſpexi librum in Græco ſcriptum cujuſdam Græci ſapientis &* Chriſtiani, *nomine* Pauli, *cujus actus & verba mihi optimè complacent, & accepto: Unum tamen de ipſo mihi diſplicet, quod in lege ſub qua natus erat non ſtetit, ſed ad alia tanquam transfuga & inconſtans, avolavit. Et id dico de domino veſtro* Anglorum *Rege, qui relicta piiſſima & mundiſſima lege* Chriſtianorum, *ſub qua naſcebatur cereus & inſtabilis gliſcit tranſmeare.* Et addidit. *Novit qui nihil ignorat Deus omnipotens, ſi exlex eſſem; illam præ omnibus eligerem, & acceptans amplexarer.* Poſteà verò ſciſcitabatur, cujus conditionis eſſet Rex *Angliæ* & Regnum ejus: reſpondit *Thomas*, utpotè nunciorum facundiſſimus: Egregiè & ingenuè atavis Regibus magnis procreatus, terra ejus opulenta & ſuis contenta bonis, culturis, paſcuis & ſilvis abundat. Ex ea etiam omne genus metallorum, ſtudio conflatili eliquatur. Gens noſtra ſpecioſa & ingenioſa, tribus pollet idiomatibus erudita, ſcilicet *Latino*, *Gallico* & *Anglico*, & omni arte libreali & mechanica pleniùs erudita. Veruntamen vinearum aut olivarum copiam ex ſe terra noſtra non producit, nec abietem, ſed ea ex vicinis Regionibus commercio ſibi acquirit abundanter. Aër ſalubris & temperatus, inter occidentem ſita & ſeptentrionem: ab occidente calorem, à ſeptentrione ſumens frigiditatem, temperiem ſortitur gratiſſimam. Undique mari vallatur, unde inſularum regina meruit appellari. Regnum etiam ab injuncto & coronato gubernatum, ab

antiquo

antiquo liberum eſſe dignoſcitur: & ingenium, ad nullius, præterquàm Dei ſpectans dominationem. Eccleſiæ etiam & noſtræ cultus religionis, pluſquàm in aliqua mundi parte ibidem proſperatur, ac Papalibus & Regiis legibus pacificè gubernatur. Tracto igitur ab alto præcordiali ſuſpirio, reſpondit Rex: Nunquam legi vel audivi, quod aliquis Rex tam proſperum regnum poſſidens ſubjectum & obediens, ſuum ſic vellet ſponte peſſundare principatum: ut de libero faceret tributarium, de ſuo alienum; de fœlici, miſerum; & ſe alterius tanquam ſine vulnere victum, dedere voluntati. Quinimò de multis legi & audivi, quòd multi ſanguinis effuſione & profluvio, ſibi libertatem (quod laudabile fuit) compararent: modò autem audio, quod dominus veſter miſer, deſes & imbellis, qui nullo nullius eſt: de libero ſervus fieri deſiderat, qui omnium mortalium miſerrimus eſt. Poſteà verò, ſed cum contemptu inquiſivit cujus ætatis eſſet, ſtaturæ ac ſtrenuitatis. Cui reſponſum eſt, quòd ætate fuit quinquagenarius, & omninò canus, corpore fortis, nec procerus, ſed potius compactus, & formæ ad robora convenientis. Quod cum audiſſet Rex, reſpondit: Virtus ejus juvenilis ac virilis tepuit jam & refrigeſcit. Infra decennium, dato quòd tam diu victurus ſit, virtus ejus deficiet, antequàm arduum quid conſummaverit, ſi nunc inciperet in defectum declinaret, nec aliquid valeret. Quinquagenarius enim decidit occultè, ſexagenarius manifeſtè: Pacem de cætero ſibi adquirat & quieſcat. Colligens ergò omnia inquiſita & reſponſa nunciorum, poſt parvum ſilentium, facta ſubſannatione, in ſignum magnæ indignationis, ſprevit ille Admiralius Regem *Johannem* dicens: nullius eſt Rex ille, ſed regulus jam deſipiens & ſeneſcens, nec curo de eo: Indignus eſt mihi confœderari: & conſpiciens *Thomam* & *Radulphum* torvo vultu, ait: Non redeatis iterum ad meam præſentiam, nec videant oculi veſtri ampliùs faciem meam. Fama, ſed potius infamia domini veſtri jam Apoſtatæ deſipientis, fœtorem exhalat in conſpectu meo teterrimum. Recedentibus igitur cum rubore nunciis, intuebatur Rex ille *Admiralius Robertum* clericum, qui tertius erat nunciorum; qui parvus erat & niger, unum brachium longius habens reliquo, & digitos inordinatos, ſcilicet duos ſibi cohærentes, & faciem *Judaicam*. Perpendens igitur Rex, quòd tam deſpicabilis perſona, ad tam arduum negotium declarandum non deſtinaretur, niſi ſaperet ut callidus & intelligeret; videns ejus coronam & tonſuram, & inde diſcernens quod eſſet clericus, juſſit eum ad ſe evocari: quia aliis loquentibus adhuc tacuerat, ſtans remotus. Ipſo igitur retento & ſpretis aliis, Rex cum eo multa loquebatur ſecretiùs, quæ poſteà ipſe *Robertus* amicis ſuis patefecit. Inquiſivit autem dictus Rex ab eodem, ſi Rex *Angliæ Johannes* aliquibus polleret moribus; & ſi liberos ſtrenuos procreaſſet; & ſi potens eſſet in vi generativa. Addiditque, quòd ſi *Robertus* ſuper his interrogatis mentiretur, nunquam, præcipuè clerico, crederet *Chriſtiano*. Tunc *Robertus* ſub atteſtatione legis *Chriſtianæ* ſe promiſit ad omnia interrogata veraciter reſponſurum. Dixit igitur affirmativè, quod potiùs fuit Tyrannus quàm Rex; potiùs ſubverſor quàm gubernator; oppreſſor ſuorum & fautor alienorum. Leo ſuis ſubditis, agnus alienigenis & rebellibus, qui per deſidiam ſuam *Normanniæ* ducatum & alias multas terras amiſerat; & inſuper *Angliæ* regnum amittere vel deſtruere ſitiebat. Pecuniæ extortor inſatiabilis; poſſeſſionum ſuorum naturalium invaſor & deſtructor. Paucos vel potius nullos ſtrenuos generavit, ſed patrizantes. Sponſum habet ſibi exoſam & ipſum odientem, inceſtam, maleficam & adulteram; & ſuper hæc ſæpiùs convictam. Unde Rex ſponſus ejus, comprehenſos laqueo juſſit ſuper ſtratum ejus ſuffocari. Ipſe Rex nihilominùs multos procerum ſuorum & etiam conſanguineos zelotipavit violenter; ac filias corrupit nubiles, & ſorores. In cultu autem Chriſtiano, prout audiſtis fluctuans & diffiſus. Hæc cùm audiſſet Rex *Admiralius*, non tamen ſicut priùs, ipſum ſprevit, ſed deteſtabatur & in ſua lege maledixit & ait: Quare permittunt miſeri *Anglici* talem ſuper ſe regnare & dominari? Verè effœminati ſunt & ſerviles. Reſpondit *Robertus* patientiſſimi hominum ſunt *Anglici*; donec ſupra modum offendantur & damnificentur. Nunc autem ſicut leo vel elephas, cum læſum ſe ſenſerit vel cruentum, iraſcuntur, & excutere colla de ſub jugo opprimentis, etſi ſerò, proponunt & conantur. Et cum hæc omnia ipſe Rex *Admrialius* audierat, *Anglorum* nimiam redarguit patientiam; quam formidoloſitatem, recta interpretatione fuiſſe, interpres aſſeruit, qui ad omnia præſens extiterat. Multos autem præter hos tractatus & confabulationes habuit idem Rex cum eodem *Roberto*, quæ poſteà amicis pleniùs in *Anglia* declaravit. Collatis igitur ipſi *Roberto* muneribus precioſis, in auro & argento, gemmis variis & holoſericis; ipſum in pace dimiſit. Recedentes autem, nuncios alios nec ſalutavit, nec aliquibus muneribus honoravit. Cúmque autem ad propria remeaſſent nuncii, & quæ viderant & audierant domino ſuo renunciaſſent; doluit dominus eorum Rex *Johannes* vehementer uſque ad ſpiritus amaritudinem; quòd ſic ab ipſo Rege *Admiralio* contemnebatur, & quòd in propoſito ſuo impediebatur. *Robertus* autem de extraneis donis ſibi collatis, Regem liberaliter reſpexit, ut ſaltem ſic perciperet, quòd favorabiliùs aliis audiretur, licèt primò repulſus tacuiſſet. Unde ipſe Rex ipſum pluſ aliis honoravit, & quaſi pro præmio cuſtodiam Abbatiæ S. *Albani*, quamvis non vacaret, improbus exactor conceſſit; ut ſic de alieno clericum ſuum fidei tranſgreſſor remuneraret. Ipſe igitur *Robertus*, inconſulto, imò potiùs invito Abbate, qui pro tempore fuit, videlicet *Johanne* de *Cella*, viro religioſiſ. & literatiſ. omnia quæ in eccleſia & curia fuerunt,

1213.

1223. fuerunt, po libitu diripuit, & ſibi appropriavit. Et in qualibet baliva, quas obedientias appellamus conſtituit (maximè in janua) janitorem omnium diligentem exploratorem & protervum: unde pluſquàm mille marcas ab eadem domo aſtutè nimis emunxit *Robertus* clericus memoratus. Hic tamen quoſdam Abbatis miniſtros præcipuos cum quodam S. *Albani* monacho, videlicet dominum *Laurentium Seneſcallum* militem, & *Laurentium* clericum, & magiſtrum *Walterum* monachum pictorem dilexit & habuit familiares; quibus gemmas ſuas & alia ſecreta revelavit, ſibi à dicto *Admiralio* collata & dicta, audiente *Matthæo*, qui & hæc ſcripſit & enarravit.

Rex Johannes *cogitat* Angliæ *Regnum, Papali ditioni ſubjicere.*

Ex tunc igitur Rex *Johannes* præconceptum propoſitum ſuum à quo credidit reſilire, & ſuam cœpit conditionem deteriorare; & deterioratam in perniciem regni ſolidare. Oderat quippe quàſi virus vipereum, omnes Regni generoſos, præcipuè tamen *Saerum de Quency*, *Robertum* filium *Walteri*, & *Cantuarienſem* Archiepiſcopum *Stephanum*. Noverat autem, & multiplici didicerat experientia, quòd Papa ſuper omnes mortales ambitioſus erat & ſuperbus, pecuniæque ſititor inſatiabilis; & ad omnia ſcelera pro præmiis datis vel promiſſis cereum & proclivum. Miſſis igitur ſub omni feſtinatione nunciis, magnam theſauri ſummam ipſi tranſmiſit; & promiſit ampliorem, ſpoſpondítque ſuum ſe eſſe & ſemper fore ſubjectum tributarium; ea conditione, ut nacta ſubtiliter occaſione, *Cantuarienſem* Archiepiſcopum confundere niteretur, & Barones *Angliæ*, quos priùs foverat, excommunicaret. Et hoc ſitienter deſiderabat, ut in excommunicatos exhæredando, incarcerando & necando poſſet malignari. Quæ igitur nequiter ſubarraverat; nequiùs, ut in ſequentibus dicetur, ſolidavit.

Rex Johannes *de fide malè ſentiens.*

DIEBUS quoque ſub eiſdem adeò deſipiebat Rex *Johannes*, ut de mortuorum reſurrectione futura, & aliis fidem *Chriſtianam* contingentibus, malè ſentiret; & quædam irrecitabilia diceret deliramenta, quorum unum duximus memorandum. Contigit, ut venatu capto cervo quodam pinguiſſimo, in præſentia Regis cum excoriaretur, Rex ridens & deridens diceret: *O quàm proſperè vixit iſte, nunquam tamen Miſſam audivit!*

Admiralius Murmelinus *victus aufugit.*

PER idem tempus, ipſe Rex ſive *Admiralius Murmelinus*, de quo ſupradictum eſt; cum infinito quem conflaverat exercitu, non ſine, ut dicitur, Regis *Johannis* aſſenſu; fines *Hiſpaniæ* potenter conſtituit occupare: cui magnam audaciam contulerat, nutans fides Regis *Johannis* ſupradicti; & regni ejus interdictum. Quod cum cognoverunt Regis *Hiſpaniæ* Chriſtiani; additis quibuſdam prælatis, viriliter reſtiterunt, & univerſo diſſipato exercitu ſuo, à finibus ſuis fugaverunt, & primogenitum filium ſuum capto Regali vexillo interemerunt. Ubi Rex *Arragonum* immortalem laudem promeruiſſet, ſi non in ſuperbiam elatus, ſtatim à *Simone* de *Monte forti*, totam terram quam ſuper *Albiginenſes* acquiſierat de ſe tenendam; contra prohibitionem Papæ; qui id idem poſtulaverat, procaciter exegiſſet: unde guerram gravem ſibi ſuſcitavit.

HIS quoque temporibus, poſt dicti Regis *Arragonum* coronationem ab *Innocentio* Papa factam *Romæ*; & inhibitionem diſtrictam, ne inimicis fidei auxilium vel favorem pararet, ſpreta patris correptione, poſt victoriam de Admiralio *Murmelino* obtentam, cœpit recalcitrare, nocens quantum potuit *Simoni* memorato. Hæreticis utique *Albiginenſibus* confœderatus, aſſociatis ſibi Comitibus; fugit & convenit cum *Tholoſanis*. *R.* quoque de *Beders*, cum ſuis *Bederanis*, & de provincialibus innumeris convocatis, exercitu magno congregato; feria iii. poſt Natale b. *Mariæ*, *Murelli* caſtrum obſedit. Quo audito, patres venerabiles *Tholoſanus*, *Nemanſenſis*, *Agathenſi*, *Biterenſis*, *Uticenſis*, *Lothenenſis*, *Carcaſonenſis*, & *Elmenſis*, necnon *Magalonenſis* epiſcopi; & de *Claraco* & *Magna villa*, & ſancti *Egidii* Abbates, & alii multi præclari viri, quos Archiepiſcopus *Narbonenſis*, Apoſtolicæ ſedis tunc Legatus Papæ, in ſanctæ Crucis negotium fecerat congregari; unà cum *Simonis Montis fortis*, & exercitu Cruce ſignatorum iter arripiunt ad obſeſſum caſtrum viriliter ſuccurrendum. Et cum die martis infra octavas ſupradictas, veniſſent ad caſtrum, quod dicitur *Savardinum*; miſerunt nuncios epiſcopi memorati, ad capitaneos, qui in obſidione caſtri *Murelli* erant; dicentes ſe ad hoc venire, ut cum eis de pace tractarent, ſibique dari ducatum ſecurum petebant. In craſtino autem, quia res ſic exigebat; exercitus Cruce ſignatorum, à *Savarduno* recedens, feſtinavit ad *Murelli* ſuccurſum celeriter advenire. Epiſcopi verò prædicti, morari propoſuerant apud quoddam caſtrum *Alta ripa* vocatum; quod medium inter *Savardinum* & *Murellum* diſtat, ab utroque duabus leucis, ut ibi miſſos nuncios expectarent. Qui ibidem ad epiſcopos redeuntes, dixerunt ex parte Regis *Arragonum*, quòd ducatum non præberet eis; quia cum tanto exercitu advenerant, quòd non indigebant conductu. Verum hæc audientes epiſcopi, *Murellum* cum exercitu Cruce ſignatorum intraverunt; die Mercurii intra octavas memoratas. Et ſolicitudine non pigri, duos viros religioſos ad Regem & cives *Tholoſanos* deſtinarunt; qui à Rege, cum deriſione tale habuerunt reſponſum: quòd propter quatuor ribaldos, quos epiſcopi ſecum adduxerant, petebant habere colloquium cum ipſo. *Tholoſani* verò prædictis nunciis reſponderunt, quòd Regi *Arragonum* erant confœderati; & nil facerent niſi Regis tantummodò voluntatem. Quòd cùm redeuntes nuncii, epiſcopis retuliſſent, idem epiſcopi cum Abbatibus diſcalceati ad Regem venire propoſuerunt, Sed cum adventus eorum in hunc modum Regi nunciatus fuiſſet, januis

patefactis,

1213.

patefactis cum comes *Montis fortis*, ac cruce ſignati inermes eſſent, pro eo quod epiſcopi de pace loquerentur; hoſtes Dei fraudulenter & ſuperbè vicum ſubintrare cum impetu attentarunt: ſed per Dei gratiam, à ſuo fuerunt deſiderio defraudati. Quorum ſuperbiam comes & cruce ſignati videntes; per cordis contritionem & oris confeſſionem, ſalubriter à peccatis mundati, armis ſe viriliter accinxerunt. Venientéſque ad epiſcopum *Tholoſanum*, qui authoritate domini *Narbonenſis* jure legationis hoc officio fungebatur; exeundi licentiam contra hoſtes fidei, humiliter poſtularunt. Qua (quoniam negotium in arcto erat conſtitutum) conceſſa, in nomine ſanctæ *Trinitatis*, tribus diſpoſitis aciebus, hoſtes fidei è contrario multas habentes acies jam munita armis tentoria ſunt egreſſi; quos licèt multos nimis reſpectu Cruce ſignatorum clientes *Chriſti* de ipſius auxilio confidentes, armati virtute ex alto, viriliter ſunt aggreſſi. Statímque virtus altiſſimi per manus ſuorum hoſtes ſuos confregit; eos comminuens in momento. Terga enim vertentes, in fugam verſi ſunt, tanquam pulvis ante faciem venti, contriti: alii mortis diſcrimen fugientes evaſerunt; alii gladios evitantes, aquæ periculo perierunt; nonnulli autem in ore gladii perierunt. De illuſtri quoque *Arragonum* Rege, qui cum interfectis occubuit, plurimum dolendum eſt: qui hoſtibus fidei conjunctus, eccleſiam catholicam improbè perturbavit. Per exploratores noverat Comes *Simon*, quòd Rex *Arragonum* ſe paravit (tam ſecurus fuit) ut ad menſam ſederet pranſurus: unde comes jocosè dixit ſuper hoc certificatus cum exiret: *certè ſerviam ei de primo ferculo.* Unde primus ipſe Rex *Arragonum* gladio tranſfoſſus, antequam tres buccellas panis deglutiret, interemptus occubuit. Certus interfectorum numerus, nullatenùs ſcribi potuit: de militibus autem Cruce ſignatis unus ſolus, cum ſervientibus paucis, occubuit. Facta eſt autem hæc belli congreſſio feria 6. poſt octavas Nativitatis beatæ *Mariæ*; anno Domini Milleſſimo, ducenteſſimo, decimo tertio, menſe Septembri.

Nicolaus Thuſculanus *Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus,* Angliam *ingreditur.*

EODEM anno, circa feſtum ſancti *Michaëlis*, venit in *Angliam Nicolaus Thuſculanenſis* epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus, ut diſſentiones inter regnum & ſacerdotium, authoritate Apoſtolica reformaret. Et licèt terra interdicta fuiſſet; ubique tamen cum proceſſione ſolenni, & cantuum modulatione, & indumentis feſtivis, honorificè receptus eſt. Cúmque ad *Weſtmonaſterium* perveniſſet; *Willielmum* Abbatem dilapidatione & incontinentia à Monachis ſuis accuſatum, ilicò degradavit. Venerunt autem ad eum *Oxoniæ* burgenſes, quorum inſtinctu & præſumptione, duo clerici (de quibus ſuperiùs fecimus mentionem) ſuſpenſi fuerant; abſolutionem poſtulantes. Quibus indicta pœnitentia, inter cætera præcipit ut ad ſingulas civitatis eccleſias, depoſitis indumentis, pedibúſque nudis, flagella portantes in manibus, euntes à preſbyteris parochianis abſolutionis beneficium cum pſalmo quinquageſimo impetrarent. Nec licuit eis niſi diebus ſingulis, ſingulas petere eccleſias; ut tam ipſi quàm alii talia præſumere formidarent. Legatus itaque cum ſeptem tantum equitaturis in *Angliam* veniens; quinquaginta in brevi & familia multa ſtipatus inceſſit. Conveniente tandem Archiepiſcopo *Cantuarienſi* cum epiſcopis & magnatibus regni; *Londonii* in præſentia Regis & Cardinalium tractatum eſt ibidem per triduum inter regnum & ſacerdotium, de damnis Epiſcoporum & Abbatis, facta ex parte Regis oblatione Epiſcopis præfatis ad plenariam reſtitutionem, centum millia marcarum argenti continuò numerandarum. Et ſi verò poſt inquiſitionem inveſtigari poſſit, cuſtodes eccleſiarum alióſve Regis miniſtros ampliùs abſtuliſſe; juratoriam obtulit Rex & fide-juſſoriam cautionem, quòd pro Epiſcoporum & ipſius Legati arbitrio, infra ſequens Paſcha ſatisfactionem plenam omnibus faceret ablatorum. Ad hoc autem Legatus conſenſit, volens inſtanter hoc fieri; indignè ferens quòd non ſtatim ſuſcepta fuit oblatio. Unde protinùs ſuſpicatum eſt, Legatum plùs æquo parti Regiæ conſentire. Epiſcopi quoque negotium protrahentes, oblatis conditionibus obviabant. Habito conſilio ut priùs inquirerent de ablatis & damnis, & ſummam diligentiùs Regi inquiſitam oſtenderent; & ſic ſimul acciperent quod quærebant. Audiens itaque Rex dilatationem ſibi dilectam, præbuit ilicò conſenſum. Et ſic eo die, infecto negotio receſſerunt.

Rex Johannes *coronam* Angliæ *&* Hyberniæ *in manus Legati reſignavit.*

VENIENTE verò die craſtina, convenerunt omnes iterum ad ſanctum *Paulum* in Eccleſia Cathedrali: ubi poſt multos & varios de interdicti relaxatione tractatus, ante majus altare coram clero & populo exacta eſt à Rege & innovata, illa non formoſa ſed famoſa ſubjectio; qua in manum domini Papæ diademate cum regno reſignato, tam dominium *Hyberniæ* quàm regnum ſubdidit *Anglicanum*. Charta quoque Regis, de qua ſuperiùs diximus, quæ priùs cera ſignata fuerat & *Pandulpho* tradita; nunc auro bullata eſt, & Legato ad opus domini Papæ & *Romanæ* eccleſiæ reſignata. Super ablatorum verò reſtitutione, tertio Nonas Novembris apud *Radingum* diem ſtatuerunt. Cúmque die jam prælibato, omnes ut ſuperiùs, conveniſſent; Rex die illa non comparuit, ſed die tertia apud *Wallingeford* iterùm pariter convenerunt. Ubi Rex ut ſuprà de omnibus ablatis, Epiſcopis & aliis univerſis ſe ſatisfacturum gratanter ſpoſpondit. Sed hoc illis quorum caſtella diruta, domus ſubverſæ, pomeria cum nemoribus ſucciſa fuerant, parùm videbatur. Unde Rex & Epiſcopi in hoc pariter conſenſerunt, ut in arbitrio quatuor Baronum ſe ponerent; & ſic ipſorum judicio ſatisfaceret univerſis. Convenerunt iterum Rex cum Legato, Archi-

epiſcopus

1214. epiſcopus cum epiſcopis, magnatibus ac omnibus viris religioſis; ad interdicti negotium contingentibus, apud *Radingum*, octavo Idus Decembris: ubi ſinguli chartam porrexerunt in publicum, omnium ablatorum pariter & damnorum ſummam continentem. Sed Legato Regi favorem præbente, ſolutio omnium dilationem accepit; excepto quòd Archiepiſcopus & Epiſcopi dudum ab *Anglia* proſcripti, ibidem quindecim millia Marcarum argenti perceperunt.

Qualiter Innocentius *Papa* Nicolao Tuſculano *pro vacantibus eccleſiis in* Anglia *ſcripſerit.*

EODEM tempore *Innocentius* Papa, *Nicolao* Apoſtolicæ ſedis Legato, literas ſub hac forma direxit. *Cùm non poſſit eccleſiis Domini meliùs provideri, quàm ſi eis paſtores præficiantur idonei, qui non tam præeſſe cupiant quàm prodeſſe; fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenùs Epiſcopatus & Abbatias* Angliæ *nunc vacantes, facias cum tuo conſilio de perſonis idoneis per electionem vel poſtulationem canonicam ordinari; qui non ſolùm vita, ſed & ſcientia ſint præclari, verùm etiam Regi fideles & regno utiles, necnon ad auxilium & conſilium efficaces, aſſenſu Regio requiſito. Cùm ergò vacantium eccleſiarum Capitulis, noſtris literis demus in mandatis, ut tuo conſilio adquieſcant; tu Dominum habens præ oculis, conſulas ſuper his viros providos & honeſtos, qui plenè norint merita perſonarum; ne te cujuſdam aſtutia circumveniri contingat. Si qui verò contradictores fuerint vel rebelles, tu eos per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas. Datum* Laterani *Calendis Novembris, Pontificatus noſtri anno decimo ſexto.* Legatus verò cùm hujuſmodi authenticum à domino Papa accepiſſet, factus de Rege tyrannus; ſpreto Archiepiſcopi & epiſcoporum Regni conſilio, cum clericis Regis & miniſtris ad vacantes accedens eccleſias, ordinationes earum, ſecundùm antiquum *Angliæ* abuſum, de perſonis minùs idoneis celebrare præſumpſit. Nonnullos verò diverſi ordinis, pro gravamine manifeſto ad audientiam ſummi Pontificis appellantes, ſuſpenſos ad Curiam *Romanam* deſtinavit. Quibus adeò ſe inhumanum exhibuit; quòd de rebus propriis, nec quidem denarium unum ad expenſas itineris portare permiſit. Parochiales inſuper eccleſias in locis diverſis vacantes, clericis ſuis diſtribuit; patronorum conſenſu minimè requiſito. Unde multorum indignationem, & multorum maledictionem pro benedictione promeruit: dum juſtitiam in injuriam, judicium in præjudicium commutavit.

Appellatio Cantuarienſis *Archiepiſcopi pro ordinatione vacantium eccleſiarum.*

ANNO Domini M.CCXIV. Rex Anglorum *Johannes* ad Natale curiam ſuam tenuit apud *Windleſhores*; ubi multa magnatum ſuorum multitudini feſtiva diſtribuit indumenta. Deinde poſt octavas Epiphaniæ convenerunt apud *Duneſtapliam Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, cum ſuis Suffraganeis; ut de negotiis eccleſiæ *Anglicanæ* tractarent ibidem. Moleſtè enim ſupra modum ferebant, quòd Legatus ſupradictus, ut prædiximus, illis inconſultis, Regiis favens voluntatibus, in eccleſiis vacantibus prælatos minùs ſufficientes poſuerat, intruſione magis quàm electione canonica. Tandem cùm hinc inde varia ſorte tractaſſent, Archiepiſcopus *Cantuarienſis* duos Clericos, apud *Burtonam* ſuper flumen *Trente*, ubi tunc Legatus erat, miſit, qui eidem ex parte domini *Cantuarienſis* interpoſita appellatione prohibuerunt: ne contra dignitatem ſuam ad quam ordinatio eccleſiarum ſuæ diœceſis de jure ſpectabat, prælatos in eccleſiis vacantibus inſtituere præſumeret. Legatus autem appellationi factæ non deferens, miſit aſſenſu regio *Pandulphum* jam ſæpè dictum, ad Curiam *Romanam*; ut Archiepiſcopi & epiſcoporum propoſitum irritaret. Quò cum perveniſſet, famam Archiepiſcopi *Cantuarienſis* in conſpectu ſummi Pontificis non mediocriter denigravit: Regémque *Anglorum* tantis ibidem extulit laudum præconiis; aſſerens ſe Regem tam humilem támque modeſtum eatenùs non vidiſſe, ut in oculis domini Papæ idem Rex gratiam admirabilem obtineret. Reſtitit autem *Pandulpho* ibidem magiſter *Simon* de *Langetuna*, frater Archiepiſcopi *Cantuarienſis*. Sed quoniam charta Regis auro bullata, domino Papæ de ſubjectione & tributo Regni *Angliæ* & *Hiberniæ*, à prædicto *Pandulpho* nuper delata fuerat; magiſter *Simon* in ſuis contradictionibus non potuit exaudiri. Aſſerebat præterea *Pandulphus* memoratus, in præſentia domini Papæ; Archiepiſcopum & epiſcopos in exactione, & ablatorum reſtitutione tempore interdicti, nimis eſſe rigidos & avaros: quódque ipſum Regem & Regni libertates plùs æquo deprimebant. Et ſic propoſitum Archiepiſcopi & epiſcoporum ad tempus accepit dilationem.

Rex Johannes *in* Pictaviam *trajicit.*

EODEM anno, Rex *Anglorum Johannes*, miſit principibus militiæ ſuæ qui erant in *Flandria*, pecuniam magnam nimis: ut Regem *Francorum* inquietarent, & terras cum caſtris incurſione bellica devaſtarent. At illi Regis exhortationibus obtemperantes, terram Comitis de *Gyſnes*, ferè totam ferro flammíſque diſcurrentibus contriverunt; caſtrum de *Bruncham* obſidentes proſtraverunt: ubi milites & ſervientes multos, ad deditionem compulſos, in vinculis abduxerunt. *Arriam* quoque obſidione vallantes, ſubjugaverunt, & igne combuſſerunt. Caſtrum autem de *Liens* per inſultum ceperunt, & multos ibidem peremerunt; & nonnullos captos in carcerem detruſerunt. Terrámque *Lodovici* filii Regis *Francorum* in partibus illis, gravi depopulatione affixerunt. Rex autem *Johannes*, in die Purificationis beatæ *Mariæ* miſſis *Romam* pro relaxatione interdicti nunciis; apud *Porteſmuth* Regina comite, naves aſcendit: & infra dies paucos in manu forti & exercitu magno applicuit apud *Rupellam*. Quo audito, venerunt ad eum multi barones *Pictaviæ* & fidelitatem ei juraverunt. Deinde Rex in brachio extento progrediens, plurima caſtella inimicorum ſuorum

potenter

1214.

potenter ſubjugavit. Sed quæ ibi geſta ſunt, qui pleniùs noſſe deſiderat, literas quas Juſtitiariis ſuis de Scaccario direxit, legere non omittat.

Epiſtola Johannis de geſtis ſuis in Pictavia.

JOHANNES *Dei gratia*, &c. *Sciatis quòd cùm inſtaret terminus treugarum, quas conceſſeramus Comitibus* Marchiæ, *& de* Augi; *nec inveniſſemus in eis pacem nobis expedientem; tranſtulimus in die veneris proxima ante Pentecoſten cum exercitu noſtro uſque* Mierevent *caſtrum* Gaufridi *de* Lerinan: *& licèt crederemus, quòd capi non poſſit per inſultum, in craſtino tamen, in vigilia ſanctæ Pentecoſtis ſolo inſultu à mane uſque ad horam primam illud cepimus violenter. Die verò Pentecoſtes, obſedimus aliud Caſtrum ipſius* Gaufridi, *quod* Novent *dicitur; incluſo in eo ipſo* Gaufrido *cum duobus filiis ſuis: & cum jam per tres dies uſi fuiſſemus continua petrariarum noſtrarum verberatione, in tantum ut immineret nobis opportunitas captionis ipſius caſtri: venit ad nos Comes de Marchia, efficiens quòd dictus* Gaufridus *ſe reddidit in miſericordiam noſtram, cum duobus filiis ſuis, & caſtro ſuo, & omnibus quæ in eo erant. Et dum adhuc ibi fuimus, nunciatum fuit nobis quod filius Regis* Franciæ Lodowicus, , *quoddam caſtellum ipſius* Gaufridi *obſiderat, quod* Muneuntur *dicitur. Quibus auditis, nos ſtatim versùs partes illas divertimus, ut ei occurreremus: ità quòd in die ſanctæ* Trinitatis *fuimus apud* Parthenai; *ubi comes de* Marchia, *comes de* Augi *ad nos venerunt cum dicto* Gaufrido *de* Lerinan, *facientes nobis homagium & fidelitatem. Et quia priùs tractatum erat inter nos & comitem* Marchiæ, *de filia noſtra* Johanna, *filio ſuo danda in uxorem, id ei conceſſimus; licèt Rex* Francorum *eam ad opus filii ſui peteret, ſed fraudulenter. Memores enim fuimus neptis noſtræ,* Lodovico *filio* Franciæ *Regis datæ; & illius rei eventus: ſed utinam det dobis deus majorem de hoc maritagio proventum, quàm de illo fuimus conſecuti. Nunc autem gratia Dei data eſt nobis opportunitas, ut extra* Pictaviam *in capitalem inimicum noſtrum Regem* Francorum *inſurgamus. Et hæc vobis mandamus, ut de ſucceſſibus noſtris gaudeatis. Teſte meipſo apud* Parthenai; *anno Regni noſtri decimo ſexto.* Eodem tempore obiit *Gilbertus Roffenſis* Epiſcopus, octavo Calendas Julii.

Literæ Innocentii Papæ pro relaxatione interdicti.

CIRCA dies iſtos, Papa *Innocentius*, *Nicolao Thuſculanenſi* Epiſcopo, pro relaxatione interdicti, ſcripſit in hæc verba. Innocentius *Epiſcopus*, &c. *Venerabilis Frater noſter* Johanes Norwicenſis *epiſcopus, & dilectus filius noſter* Robertus *de* Mariſco *Archidiaconus* Northanhumbriæ, *& nobiles viri* Thomas *de* Hundintuna *&* Adam, *nuncii noſtri chariſſimi in* Chriſto *filii noſtri* Johannis *Regis* Angliæ *illuſtris ex una parte; magiſter* Stephanus *de* Langetuna A. *&* G. *clerici nuncii venerabilis fratris noſtri* Stephani Cantuarienſis *Archiepiſcopi ex altera parte, in præſentia noſtra conſtituti, aſſeruere concorditer & conſtanter: quòd pro vitando grandi rerum diſpendio & gravi periculo animarum, expediebat quamplurimùm tam Regno quàm ſacerdotio, ut ſine dilatione relaxetur ſententia Interdicti. Unde nos pro affectu paterno, ſollicitè inter eos ad ſalutem & utilitatem ſuper his quæ pacis ſunt, cum illis tractavimus diligenter: & tandem ipſis adquieſcentibus, formam invenimus & ſtatuimus infrà ſcriptam. Sanè prædictus Rex tantam pecuniam Archiepiſcopo* Cantuarienſi, Londonienſi, *&* Elyenſi *epiſcopis vel aliis, quos ad hoc aſſignare voluerint, faciat aſſignari: computatis his quæ idem Rex noſcitur perſolviſſe, quòd ſumma impleat quadraginta millia marcarum. Quibus ſolutis, & cautione præſtita inferiùs adnotata; protinus ſublato cujuſlibet Appellationis & conditionis obſtaculo, relaxes ſententiam interdicti. Ac deinde ſingulis annis duodecim millia marcarum in duobus terminis; in Commemoratione videlicet omnium ſanctorum ſex millia marcarum, & totidem in feſto Dominicæ Aſcenſionis, apud eccleſiam ſancti* Pauli Londonenſis, *eiſdem faciat exhiberi; donec tota ſumma fuerit perſoluta. Et hoc fideliter exequendum, obligavit ſeipſum, ipſe Rex per proprium juramentum, & per literas patentes, ſigillo ſuo communitas: necnon per fide-juſſionem* Wintonienſis *&* Norwicenſis *Epiſcoporum,* Ceſtrenſis *&* Wintonienſis, *&* Willielmi Mareſchalli *comitum: ita quòd tàm hæredes ipſius Regis, quàm ſucceſſores eorum tenebuntur aſtricti. Quocirca per Apoſtolica tibi ſcripta præcipienda mandamus, quatenùs ſecundùm formam præſcriptam procedere non poſtponas, niſi de mera & libera voluntate partes aliter duxerint compōnendum. Datum* Laterani.

De reſtitutione Ablatorum.

TEMPORE verò, quo *Nicolaus Tuſculanenſis* Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus, per nuncios memoratos domini Papæ, authenticum acceperat; Rex *Anglorum* erat in partibus tranſmarinis. Sed quoniam idem Rex in receſſu ſuo ab *Anglia*, Legato jam dicto, & *Willielmo Mareſchallo*, vices ſuas in hoc negotio commiſerat: idem Legatus in urbe *Londonenſi* apud ſanctum *Paulum*, grande congregavit Concilium: Ubi congregatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, & aliis ad hoc negotium interdicti ſpectantibus, propoſuit coram omnibus formam reſtitutionis, ſuper ablatis & damnis, à domino Papa, partibus conſentientibus, Romæ proviſam: præcipiens conſtanter, ut certificaretur de quantitate ſolutæ pecuniæ, epiſcopis & aliis quibuſlibet, à miniſtris Regis cauſa interdicti; quatenùs per pecuniam ſolutam, ſciret quantum unicuique ad ſolvendum reſtaret. Probatum eſt igitur ibidem certa computatione, Archiepiſcopum, & Monachos *Cantuarienſes*, ſimul cum *Londonenſi, Elyenſi, Herefordenſi, Bathonienſi, Lincolnienſi*, antequàm ab exilio in *Angliam* redirent; per manum *Pandulphi* duodecim millia marcarum legalium Eſterlingorum accepiſſe. Poſt adventum quoque eorum in concilio, ſeptimo Idus Decembris, apud *Radingum* celebrato; quindecimmillia marcarum: idem epiſcopi cum

1214. monachis ſupradictis, inter ſe dividenda perceperunt, ita quòd tota ſumma ſimul conjuncta, viginti ſeptem millium marcarum facit complementum. Reſidua autem tredecim millium marcarum, quæ ad ſupplementum quadraginta millium marcarum prædictarum ſolvendæ reſtant; ſub fide-juſſione *Wintonienſis* & *Norwicenſis* Epiſcoporum remanſerunt, additis literis Regis patentibus, ad majorem ſecuritatem, juxta quod in literis domini Papæ continebatur expreſſum.

Relaxatio interdicti.

HIS ita geſtis, *Nicolaus Thuſculanenſis* Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus, in die Apoſtolorum beati *Petri* & *Pauli*, in eccleſia Cathedrali, relaxavit *ſententiam ſolenniter* Interdicti, poſtquàm duraverat ânnis ſex, menſibus tribus, & *diebus* quatuordecim: ad irreſtaurabile damnum eccleſiæ, tam in temporalibus quàm in *ſpiritualibus*. Qua relaxatione facta, gaudium per totam terram pulſando, & hymno *Te Deum laudamus* cantando, exortum eſt.

Dilatio reſtitutionis ablatorum per Legatum.

RELAXATO itaque (ut dictum eſt) Interdicto, venerunt ad Legatum Abbates, Priores, Templarii, Hoſpitalarii, Abbatiſſæ, Moniales, Clerici & Laici. ſ. innumera multitudo: petentes de damnis & injuriis interdicti tempore ſibi illatis, fieri reſtitutionem. Aſſerebant enim, quòd licet ab *Anglia* non exierint; remanſerant tamen in continua Regis & miniſtrorum ejus perſequutione, corporum ſuorum & rerum non indemni fatigatione. Legatus verò univerſæ multitudini conquerenti ita reſpondit, quòd, videlicet, de damnis eorum & injuriis in literis domini Papæ nulla mentio facta fuerat. Unde nec debuit, nec de jure potuit mandati Apoſtolici fines præterire. Sed tamen *conſilium dedit, ut de injuriis &* damnis coram domino Papa querelam deponerent: & peterent ſibi *juſtitiæ plenitudinem* exhiberi. His igitur auditis, univerſitas illa conquerentium Prælatorum, *ſine ſpe melioris* proventus ad propria ſunt reverſi. Eodem tempore *Johannes* Abbas eccleſiæ ſancti *Albani*, in die beati *Kenelmi* Regis & martyris, decimo nono anno prælationis ſuæ, plenus dierum, ſanctitatis & religione inſignis, ſcientia ad plenum eruditus; in ſenectute bona, ſanctiſſimè diem clauſit extremum. Illis diebus per prædictum legatum depoſitus eſt *Radulphus* de *Arundel* Abbas *Weſtmonaſterienſis*, in craſtino ſancti *Vincentii*; per *N.* Abbatem de *Waſtham*, miſſum ex parte Legati, fracto ipſius ſigillo in capitulo; cujus loco ſubſtitutus eſt *Willielmus* de *Humes* Prior *Frontoniæ* monachus *Cadonenſis*.

Rex Johannes *exercitum ſuum in* Britanniam *promovit.*

SUB diebus iſtis, *Johannes* Rex *Anglorum* promovit exercitum ſuum à *Pictavia* in minorem *Britanniam*; continuans tribus diebus cum totidem noctibus. Veniens tandem prope civitatem quæ *Nantes* ab incolis nuncupatur; eam debellare diſpoſuit: ſed cives & milites, quos in ejus præſidio Rex poſuerat *Francorum*, cùm Regis *Anglorum* adventum cognoviſſent; exierunt obviam ei, & in introitu cujuſdam pontis, qui non longè ab urbe diſtabat, cum exercitu Regis *Anglorum* congreſſi ſunt. Sed Rex *Johannes*, Marte ſibi propitio, victoriam tandem adeptus; viginti milites in illo conflictu cepit; & inter cæteros filium & hæredem comitis *Roberti* de *Druis* & avunculi *Francorum* Regis, vinculis conſtrictum, ſecum rediens abduxit. Deindè idem Rex ad *Rupem* monachi cum exercitu ſuo ſe conferens, caſtrum obſidione vallavit. Quod audiens *Lodowicus* Regis *Francorum* filius, ad hoc à patre miſſus, ut Regis *Johannis* refrænaret incurſus; cum exercitu non modico illùc properavit, ut ſubveniret obſeſſis. Cùmque adventum ipſius Rex *Anglorum* cognoviſſet, miſit exploratores ab exercitu ſuo, qui numerum, & vires hoſtium ſupervenientium ſagaciter æſtimarent. Nuncii verò injuncto ſibi officio celeriter peracto, revertentes dixerunt Regem *Anglorum* multò majorem habere numerum bellatorum. Unde Regi conſtanter perſuaſerunt, ut campeſtre prælium cum hoſtibus confereret: quia hoc faciens, proculdubiò ab hoſtibus optatum reportaret triumphum. Animatus autem Rex dictis nunciorum ſuorum, juſſit quantociùs milites ad arma convolare; ut occurreret *Lodowico* campeſtre prælium commiſſurus. Sed Barones *Pictaviæ* Regem ſequi contemnentes, dixerunt ſe ad campeſtre prælium non eſſe paratos. Tunc Rex ſolitam proditionem *Pictavienſium* habens nimis ſuſpectam, cum captio caſtri illius immineret; maximo mœrore confectus, ab obſidione receſſit. *Lodowicus* itaque cum audiſſet Regem *Anglorum* caſtra movere, timens ne ipſum invaderet, fugit à tergo *Johannis* Regis: ſicque uterque exercitus ignominioſa dilapſus fuga, alter alterum à tergo ſalutavit.

Rex Francorum *copias Regis* Anglorum *quæ in* Flandria *erant hoſtiliter inſequitur.*

HIS quoque diebus, exercitus Regis *Anglorum* qui erat in *Flandria*, adeò debacchando invaluit; ut plurimis depopulatis provinciis, jam pagum ingreſſus *Pontivenſem*, crudeli nimis ibidem rabie deſæviret. Erant enim in hac expeditione viri bellicoſi & in re militari experti; *Willielmus* dux *Hollandiæ*, *Reginaldus* quondam comes *Bononiæ*, *Ferrandus* comes *Flandriæ*, *Hugo* de *Boves* miles ſtrenuus, ſed crudelis & ſuperbus; qui tanta in partibus illis rabie ſæviebat, ut nec quidem ſexui muliebri, nec ætati parceret parvulorum. Rex autem *Johannes* conſtituerat *Mareſchallum* illius exercitus, *Willielmum* comitem *Sareſberienſem* cum militia Regni *Anglorum*: ut cum ipſis militaret, atque aliis militantibus de fiſco ſtipendia miniſtraret. Habuerunt prætereà idem bellatores, *Othonis* Romani Imperatoris auxilium pariter & favorem: cum toto poſſe Ducis *Lovaniæ* & *Brabantiorum*, qui pari tyrannide in *Francigenas* ſæviebant. Cùmque denique hæc omnia ad notitiam *Philippi* Regis *Francorum* deveniſſent, perturbatus eſt valdè; timens ne ſufficeret ad illius partis defen-

defenſionem: qui nuper *Lodowicum* filium ſuum cum exercitu copioſo in *Pictaviam* direxerat contra Regem *Anglorum*; ut ejus incurſus bellicos refrænaret. Et licèt idem Rex ſæpius revolveret vulgare proverbium, 1214

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus:

Tamen exercitu magno congregato, Comitum, Baronum, militum & ſervientium, peditum & equitum, cum communibus villarum & civitatum, in fortitudine gravi, adverſariis occurrere maturavit: præcipiens Epiſcopis, viris religioſis, clericis & ſanctimonalibus eleemoſynas dare, preces ad Deum fundere, & pro ſtatu Regni ſui divina myſteria celebrare. Quo facto, cum exercitu ſuo audacter proceſſit in hoſtes. • Audiens autem idem Rex hoſtes memoratos uſque ad Pontem de *Bovines* in territorio *Pontivenſi* ſitum, jam hoſtiliter perveniſſe; illùc vexilla direxit & arma; atque ad Pontem jam dictum perveniens, illius aquæ fluenta cum exercitu ſuo toto pertranſiens, ibidem caſtrametatus eſt. Erat enim ardor ſolis permaximus, ſicut ſit in menſe Julio: unde prope flumen *Francigenæ* quieſcere decreverunt, propter refugium tam hominum quàm equorum. Venerunt quoque ad dictum flumen, quadam die Sabbathi circa horam veſpertinam: atque ordinatis à dextris & à ſiniſtris bigis & quadrigis & omnibus vehiculis, quibus victualia & arma cum machinis & bellicis inſtrumentis allata fuerant; totus ille exercitus adhibitis circumquaque cuſtodibus, nocte illa quievit.

Præparatio ad congreſſum Belli.

MANE autem facto, cum Principes militiæ Regis *Anglorum* de adventu Regis *Francorum* certificati fuiſſent; habito tractatu diligenti, decreverunt communiter campeſtre prælium cum hoſtibus conſerere: ſed quia dies Dominica erat, viſum eſt ſapientioribus de exercitu, & maximè *Reginaldo* quondam Comiti *Bononiæ*, inhoneſtum eſſe in tanta ſolennitate bellum committere; & tantum diem homicidio & effuſione ſanguinis humani violare. Placuit conſilium Imperatori *Romano*; qui conſtanter affirmavit, talis diei conflictu ſe nunquam lætum reportare triumphum. His itaque auditis, *Hugo* de *Boves* in vocem blaſphemiæ prorumpens, *Reginaldum* comitem proditorum nequiſſimum appellavit: improperans ei terras & poſſeſſiones largas, quas ex dono Regis *Anglorum* perceperat. Adjiciens etiam, quòd ſi die illa bellum differatur, in damnum irreparabile Regi *Johannis* redundabit: nocuit enim ſemper differre paratis. Comes verò *Reginaldus Hugoni* reſpondens, dixit cum indignatione: Hodierna dies me eſſe fidelem, & te proditorem comprobabit. Ego enim hac Dominica die ſtabo pro Rege in prælio, ſi neceſſitas coëgerit, uſque ad mortem, & tu more ſolito, hodierna die de prælio fugiendo, te eſſe proditorem nequiſſimum, cunctis aſtantibus, declarabis. His denique verbis blaſphemiæ dicti *Hugonis* conſimilibus, omnis multitudo ad campeſtre prælium exacerbati ſimul & provocati, ad arma proſiliunt, & ſeſe omnes ad pugnam viriliter accingunt. Armatis autem cunctis, tres acies diſponunt, in quarum prima Comitem *Flandriæ Ferrandum*, Comitem *Bononiæ Reginaldum*, & Comitem *Sariſberienſem Willielmum*, capitanos præfecerunt. In acie quoque ſecunda, *Willielmum Hollandiæ* Ducem, & *Hugonem* de *Boves* cum *Brabantiis* ſuis prærogantes; tertiæ aciei *Othonem Romanum* Imperatorem *Alemannis* pugnatoribus prætulerunt. Sicque moderato greſſu in hoſtes progreſſi; uſque ad *Francorum* agmina pervenerunt. Videns Rex *Francorum* adverſarios ad campeſtre fore prælium paratos, juſſit pontem qui à tergo ſui exercitus erat confringere: ut ſi fortè aliqui de exercitu ſuo fugam inire proponerent, quò niſi in hoſtes fugerent, non haberent. Remanſit idem Rex, diſpoſitis aciebus infra ambitium bigarum & quadrigarum ſuarum, ſicut ſupradictum eſt; inſultum adverſariorum ſuorum ibidem expectans. Non mora perſtrepentibus hinc inde buccinis, acies cui comites ſupradicti præerant, tanto impetu acies *Francorum* irrupit, ut in momento agminibus eorum diviſis, uſque ad ſtationem Regis *Francorum* penetrarent. At Comes *Reginaldus*, qui ipſum exhæredatum à comitatu ſuo ſuo expulerat, cognoviſſet, lanceam direxit in eum, Regémque in terra poſtratum, gladio interficere ſatagebat. Sed miles quidam, qui cum aliis ad Regis cuſtodiam fuerat deputatus, ictibus dicti Comitis ſe opponens, pro Rege interfectus eſt. Videntes autem *Francigenæ* Regem ſuum proſtratum, acceſſerunt cum impetu ad eum cum numeroſa militum multitudine: & licèt cum labore, equo ſuo reſtituunt. Quo facto, bellum accenditur utrobique; enſes quaſi fulmen emicant circa capita galeata. Fit graviſſimus hinc inde conflictus. Sed Comites ſæpè dicti cum acie cui præerant, à commilitonibus ſuis nimis remoti eſſent, præcluſa eſt eis via ad ſocios redeundi. Unde factum eſt, quod pars eorum *Francorum* ferre vires non valens, nimis oppreſſa defecerit. Sicque comites memorati, cum acie tota cui præerant, poſt maximam probitatem & utrobique cruentam fatigationem capti ſunt, & vinculis mancipati.

Magnus conflictus.

Concluſio belli.

DUM hæc circa Regem *Philippum* agerentur, *Campanienſis*, *Perticenſis*, & de ſancto *Paulo* Comites, cum aliis multis nobilibus de Regno *Francorum* in acies ſupradictas impetum facientes; *Hugonem* de *Boves* cum univerſo populo ex diverſis provinciis collecto, in fugam compulerunt. Quibus improbè nimis fugientibus, inſequuti ſunt eos in ore gladii *Francigenæ* uſque ad ſtationem Imperatoris, in quem ſine mora omne pondus prælii converſum eſt. Circumvallantes enim eum Comites ſupradicti, conati ſunt ut interficerent eum aut ad deditionem compellerent. Sed ipſe cum gladio quem tenebat, ad modum ſicæ

1214. ex una parte acutum, hoſtibus ictus importabiles hinc inde junctis manibus imprimens, quoſcunque attingebat, vel attonitos reddebat, vel ſeſſores cum ipſis equis ſolo tenùs proſternebat. At hoſtes propiùs accedere metuentes, lanceis ſub ipſo tres equos peremerunt. Sed commilitonum ſuorum laudabili probitate novis ſemper equis reſtitutus, hoſtibus acriùs inſurgebat. Tandem invictus ab adverſariis dimiſſus, cum ſuis ſine ſui ſuorúmque læſione de bello receſſit. Rex autem *Francorum* de tam inopinata victoria lætus; gratias Deo exolvit; qui ſibi talem conceſſit ab adverſariis portare triumphum. Tres quoque Comites ſupradicti, cum militum & aliorum numeroſa multitudine, vinculis conſtricti; abducti ſunt carcerali cuſtodiæ mancipandi. In adventu autem Regis tota civitas *Pariſiaca* facibus & lanternis, cantibus & plauſibus, claſſicis & laudibus die & nocte ſequente; ſericis & variis ornata pannis, ſolenniter exultabat. Facta eſt autem hæc belli congreſſio menſe Julio, ſexto Calendas Auguſti. In hoc autem caſu Rex *Anglorum* quadraginta millia marcarum, quam tempore interdicti à monachis *Ciſtercenſibus*, conſilio *Richardi* de *Mariſco* & conſimilium aulicorum impudenter abſtulerat, inaniter conſumpſit, ut fidem faceret proverbio, quo dicitur,

Non habet eventus ſordida præda bonos.

SED cùm tandem notitia hujus rei ad Regis *Johannis* audientiam perveniſſet, animo nimis conſternatus, aſtantibus dixit: "*Poſtquam Deo reconciliatus, me ac mea Regna, proh dolor, Romanæ ſubjeci eccleſiæ, nulla mihi proſpera, ſed contraria omnia advenerunt.* Eodem tempore, *Johannes Norwicenſis* epiſcopus à Curia *Romana* rediens, in Territorio *Pictavienſi* diem clauſit extremum: cujus corpus in *Angliam* delatum, apud *Norwicum* in eccleſia eſt honorificè ſepultum.

Induciæ inter Francorum & Anglorum Reges.

HIS ita geſtis, procurantibus viris Religioſis, ſtatutæ ſunt Treugæ in partibus tranſmarinis, inter *Philippum* Regem *Francorum*, & *Johannem* Regem *Anglorum*; ſub hac forma. *Philippus* Dei gracia Rex *Francorum*, omnibus has literas inſpecturis ſalutem. Noveritis nos Regi *Johanni Anglorum* & hominibus ſuis, qui apertè guerraverunt pro ipſo, de hac ultima guerra uſque ad diem Jovis proximum, poſt exaltationem ſanctæ Crucis in Septembri, dediſſe veras treugas de nobis & hominibus noſtris, qui apertè guerraverunt pro nobis, uſque ad inſtans Paſcha, quod erit anno domini Milleſimo ducenteſimo decimo quinto, & ab eodem Paſcha in quinque annos continuos & plenos: ſalvis tamen nobis perſonis noſtris, quas penes nos habemus, & ſalvo juramento quod villæ *Flandriæ* & *Henou* nobis fecerunt, & ſalvis ſimiliter *Johanni* Regi *Anglorum* perſonis quas penes ſe habet. Nos autem & homines noſtri erimus in eadem tenura, in qua eramus prædicta die Jovis, uſque ad completos prædictos annos. Iſti ſunt dictatores & emendatores prædictæ Treugæ inter nos & Regem *Angliæ* datæ; ex parte noſtra *P. Savari*, *Guido Turpin* Abbas majoris Monaſterii, *G. Archidiaconus Turonenſis*. Ex parte Regis *Anglorum*, *H.* de *Burgo* ſeneſchallus *Pictaviæ*, *R.* de *Pontibus* abbas ſancti *Johannis Angeliaci*, Decanus *Ciſtatonenſis*. Et omnes iſti juraverunt bona fide, quòd pro diffidiis & querelis omnibus; quæ fortè emergerent in *Pictavia*, *Andegavia*, *Britannia* vel *Turonica*; convenient ad Abbatem de *Fulcireles*; & pro aliis querelis quæ fortè orirentur in *Bitureſio*, *Arvernia*, in comitatu *Marchiæ* & *Lemovico*, convenient in partibus illis ad corrigendum exceſſus. Eodem tempore, *Richardus Saresberienſis* Decanus, ad *Ciceſtrenſem*, *Walterus* de *Grai*, *Angliæ* cancellarius ad *Wigorniam*; Epiſcopi, conſecrati ſunt, per manum S. *Cantuarienſis* Archiepiſcopi. His etiam diebus Rex *Anglorum Johannes*, expletis agendis ſuis in partibus tranſmarinis, rediit in *Angliam*, xiv. Calendas Novembris.

Conventus Baronum.

SUB eadem tempeſtate convenerunt ad colloquium apud ſanctum *Eadmundum* Comites & Barones *Angliæ*, quaſi orationis gratia; licèt in cauſa aliud fuiſſet. Nam cùm diu ſimul & ſecretiùs tractare cœpiſſent, producta eſt in medium charta quædam Regis *Henrici* primi: quam idem Barones à *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo, ut prædictum eſt, in urbe *Londoniarum* acceperant. Continebat autem charta quaſdam libertates & Leges Regis *Eadwardi*, ſanctæ eccleſiæ *Anglicanæ* pariter & Magnatibus Regni conceſſas: exceptis quibuſdam libertatibus, quas idem Rex de ſuo adjecit. Itaque convenerunt univerſi ad Eccleſiam ſancti *Eadmundi*, & incipientibus majoribus juraverunt ſuper majus Altare, *Quòd ſi Rex Leges & Libertates jam dictas concedere diffugeret, ipſi ei guerram tam diu moverent, ut ab ejus fidelitate ſe ſubtraherent, donec eis per chartam ſigillo ſuo munitam confirmaret omnia quæ petebant. Atque in hoc tandem communiter conſenſerunt, ut poſt Natale Domini ſimul omnes ad Regem venientes, libertates præſcriptas ſibi peterent confirmari. Atque interim in equis ſibi & armis taliter providerent. Quòd ſi fortè Rex à proprio vellet juramento (quòd benè credebant) reſilire propter ſuam duplicitatem; ipſi protinùs per captionem caſtrorum ſuorum, eum ad ſatisfactionem compellerent.* Et his ita geſtis, unuſquiſque ad propria remeavit.

Willielmus Abbas ſancti Albani.

EODEM anno, *Johanni* Abbati eccleſiæ ſancti *Albani* ſucceſſit *Willielmus*, monachus, de gremio ipſius eccleſiæ ſumptus; Beati *Eadmundi* celebri luce, feria quinta ſolenniter electus, in die ſancti *Andreæ* Apoſtoli; dominica videlicet prima adventus domini, in eccleſia beati *Albani* ante majus Altare, ab *Euſtachio Elyenſi* epiſcopo pontificaliter & ſolenniter

munus

1215.

munus Benedictionis ſuſcepit. Cujus quoque promotio ante electionem factam, quibuſdam de fratribus ipſius monaſterii in viſione nocturna dicitur præoſtenſa. Primus autem Abbas eccleſiæ ſancti *Albani Anglorum* Prothomartyris *Willegodus* fuit; quem *Offa* Rex *Marciorum* potentiſſimus anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo nonageſimo quarto, Calendis Auguſti, corpore martyris invento, monachis introductis, eccleſiæ nondum fabricatæ, Abbatem præfecit; & ſub vita regulari vivere ordinavit. *Willegodo* ſucceſſit *Eadricus*; *Eadrico Wulſinus*, *Wulſino*, *Aelfricus*; *Aelfrico Aeldredus*; *Aeldredo Eadmarus*, *Eadmaro Leofricus*; qui propter ſuas virtutes factus Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, *Leofrico* verò, *Alfricus* frater ipſius *Leofrici* uterinus; *Alfrico* autem ſucceſſit *Leofſtanus*, *Leofſtano Fredericus*, *Frederico Paulus*, *Paulo Richardus*, *Richardo Gaufridus*, *Gaufrido Radulphus*, *Radulpho Robertus*, *Roberto Simon*, *Simoni Garinus*, *Garino Johannes*, *Johanni Willielmus* Abbas vigeſimus ſecundus; anno Regni Regis *Johannis* decimo ſexto.

Exactio libertatum Angliæ à Baronibus facta.

ANNO gratiæ M. CCXV. qui eſt annus Regis *Johannis* decimus ſeptimus; idem Rex tenuit curiam ſuam ad Natale Domini apud *Wigorniam* vix per ſpatium unius diei: Deinde cum feſtinatione *Londonias* veniens, apud Novum *Templum* hoſpitio ſeſe recepit. Venienteſque ad Regem ibi ſupradicti magnates, in laſcivo ſatis apparatu militari; petierunt quaſdam libertates & Leges Regis *Eadwardi* cum aliis libertatibus, ſibi & Regno *Angliæ* & Eccleſiæ *Anglicanæ* conceſſis, confirmari; prout in Charta Regis *Henrici* primi & Legibus prædictis aſcriptæ continenter. Aſſerebant prætereà, quod tempore ſuæ abſolutionis apud *Wintoniam*, illas leges & libertates antiquas promiſerat, & ad obſervationem earum ſit obligatus per proprium juramentum. Audiens autem Rex Baronum in hac exactione conſtantiam, metuebat quàm plurimùm impetum eorum, quos vidit paratos ad prælium, reſpondit magnam eſſe rem & difficilem quam petebant: unde: poſtulabat inducias uſque ad clauſum Paſcha, ut habita deliberatione, & ſibi & coronæ ſuæ poſſit ſatisfacere dignitati. Sed tandem multis hinc & inde propoſitis, Rex licèt invitus, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, Epiſcopum *Elyenſem*, & *Willielmum Mareſchallum* fidejuſſores invenit; quòd die præfixa, ratione mediante, ſatisfaceret univerſis. Quo facto, magnates ad propria ſunt reverſi. Rex autem interim volens ſibi præcavere impoſterùm; fecit ſibi ſoli contra omnes homines fidelitatem per totam *Angliam* jurare, & homagia renovare. Et ut ſibi meliùs provideret, in die Purificationis beatæ *Mariæ* Crucem Domini ſuſcepit, timore potiùs quàm devotione (in dubiis pro meliori parte interpretandum eſt) ut ſcilicet Crucis protectione tutior efficeretur. Eodem anno *Euſtachius Elyenſis* Epiſcopus, vir tam divina quàm humana eruditus ſcientia; apud *Radingum* viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

Qui Principes fuerunt in exactione libertatum.

PER idem tempus, in hebdomada Paſchæ, convenerunt apud *Stamford* magnates ſæpedicti, cum equis & armis, qui jam in ſui favorem univerſam ferè totius regni nobilitatem attraxerant; & exercitum inæſtimabilem confecerunt, eò maximè quòd Rex exoſum ſe omnibus exhibuit. Æſtimati autem ſunt in exercitu illo duo millia militum; præter equites, ſervientes & pedites, qui armis erant variis præmuniti. Fuerunt autem principes præſumptionis & incentores, *Robertus* filius *Walteri*, *Euſtachius* de *Veſci*, *Richardus* de *Parcy*, *Robertus* de *Ros*, *Petrus* de *Bruis*; *Nicolaus* de *Stutevilla*, *Saerus* comes *Wintonienſis*, *Robertus* comes de *Clare*, *Henricus* comes de *Clare*, R. comes *Bigod*, *Willielmus* de *Munbrey*, *Rogerus* de *Creiſſi*, *Ranulphus* filius *Roberti*, *Robertus* de *Ver*, *Fulco* filius *Warini*, *Willielmus Mallet*, *Willielmus* de *Monte acuto*, *Willielmus* de *bello campo*, S. de Kime, *Willielmus* juvenis *Mareſcallus*, *Willielmus Maudut*, *Rogerus* de *Monte Begonis*, *Johannes* filius *Roberti*, *Johannes* filius *Alani*, G. de *Laval*, O filius *Alani*. *W*. de *Hobrug*, *O*. de *Vallibus*, *G*. de *Gant*, *Mauritius* de *Gant*, *R*. de *Brackeſle*, *R*. de *Muntfichet*, *W*. de *Lanvalei*, *G*. de *Mandeville* Comes *Eſſexiæ*, *Willielmus* frater ejus, *Willielmus* de *Huntinfeld*, *Robertus* de *Greſlei*, *G*. Conſtabularius de *Meutum*, *Alexander* de *Pointum*, *Petrus* filius *Johannis*, *Alexander* de *Sutuna*, *Osbertus* de *Bobi*, *Johannes* Conſtabularius *Ceſtriæ*, *Thomas* de *Mulutune*, *Comanus* filius *Heliæ*, & alii multi. Iſti communes conjurati & confœderati, *Stephanum Cantuarienſem* Archiepiſcopum capitalem conſentaneum habuerunt. Erat autem Rex eo tempore apud *Oxoniam*, magnatum expectans adventum. Die Lunæ igitur proxima poſt octavas Paſchæ, Barones memorati, in villa de *Brackeleie* pariter convenerunt. Quod cum eſſet à Rege compertum, miſit ad eos Archiepiſcopum *Cantuarienſem* & *Willielmum Mareſchallum* comitem de *Penbroke*, cum aliis quibuſdam viris prudentibus; ſciſcitans ab eis, quæ eſſent Leges & libertates quas quærebant. At illi nunciis prælibatis ſchedulam porrexerunt, quæ ex parte maxima Leges antiquas & regni conſuetudines continebat; affirmantes quod niſi Rex illas incontinenti concederet, & ſigilli munimine confirmaret; ipſi per captionem Caſtrorum ſuorum, terrarum & poſſeſſionum ipſum Regem compellerent, donec ſuper præmiſſis ſatisfaceret competenter. Tunc Archiepiſcopus cum ſociis ſuis ſchedulam illam ad regem deferens, capitula ſingula coram ipſo memoriter recitavit. Rex autem cum Capitulorum tenorem intellexit, cum indignatione maxima ſubſannans ait: "*Et quare cum iſtis* "*iniquis exactionibus Barones non poſtulant Regnum? Vana ſunt inquit, & ſuperſtitioſa quæ pe-* "*tunt, nec aliquo rationis titulo fulciuntur.* Affirmavit tandem cum juramento furibundus, "*Quòd nunquam tales illis concederet libertates, unde ipſe efficeretur ſervus.* Capitula quoque legum

1215. legum & libertatum quæ ibi magnates confirmari quærebant, partim in Charta Regis *Henrici* ſuperiùs ſcripta ſunt; partimque ex legibus Regis *Eadwardi* antiquis excerpta; ſicut ſequens Hiſtoria ſuo tempore declarabit.

Caſtellum Norhantunæ *à Baronibus obſidetur.*

Cum itaque Archiepiſcopus & *Willielmus Mareſchallus* Regem ad conſenſum inducere nullatenùs potuiſſent, ad juſſionem Regis, ad Barones ſunt reverſi; omnia quæ à Rege audierant per ordinem referentes. Quæ cum magnates cognoviſſent, conſtituerunt *Robertum* filium *Walteri* principem militiæ ſuæ, appellantes eum *Mareſchallum exercitus Dei & Eccleſiæ ſanctæ*; & ſic ſinguli ad arma convolantes, verſus *Norhantunam* acies direxerunt. Quò cum perveniſſent, ilicò caſtrum obſidione vallaverunt. Cúmque per dies quindecim inaniter ibidem moram portraxiſſent, & parùm, immò nihil perfeciſſent; caſtra inde movere decreverunt. Nempe abſque petrariis & aliis bellicis inſtrumentis advenientes non ſine confuſione, infecto negotio, ad Caſtrum de *Bedefordt* perrexerunt. Veruntamen vexillifer *Roberti* filii *Walteri* cum quibuſdam aliis, capite ſpiculo baliſtæ terebrato; non ſine multorum dolore interiit miſerabiliter.

Civitas Londinenſis *ſe reddit Baronibus.*

Cumque dictus exercitus ad Caſtrum de *Bedefordt* perveniſſet, à *Willielmo* de *Bello campo* reverenter ſuſcepti ſunt. Venerunt itaque ad eos ibidem nuncii ab urbe *Londoniarum*, ſecretiùs eis indicantes; quòd ſi vellent urbis ingreſſum habere, cum feſtinatione illùc venirent. At Barones deſiderato exhilarati nuncio; caſtra protinùs moventes, ad *Wares* uſque venerunt. Deinde nocte tota iter agentes, ſummo diluculo ad civitatem venerunt; atque januas urbis reperientes apertas, nono Calendas Junii, Dominica videlicet ante Aſcenſionem Domini proxima, dum Cives miſſarum intereſſent ſolenniis; *Londonenſium* civitatem ſine aliquo tumultu intraverunt. Favebant enim Baronibus divites civitatis; & ideò pauperes obloqui metuebant. At Barones civitatem ingreſſi per portam de *Alegat*, janitores ſuos ad ſingulas urbis portas ſtatuerunt; omnia deinceps in ea pro libitu ſuo diſponentes. Et à civibus jam dictis accepta ſecuritate, miſerunt literas ad Comites, Barones, & milites illos, qui adhuc per *Angliam* (Regi licèt fictè) adhærere videbantur: exhortantes eos cum comminatione, ut ſicut omnium rerum ſuarum & poſſeſſionum indemnitatem diligebant, Regem perjurum deſerentes, & ſibi fideliter adhærentes; ſimul cum eis pro libertatibus & pace Regi immobiles ſtarent, & efficaciter decertarent. Quòd ſi hoc facere contempſiſſent; ipſi in omnes illos, quaſi in hoſtes publicos, arma dirigerent & vexilla, caſtráque eorum ſubvertere, domos & ædificia comburere, vivaria, parcas & pomeria deſtruere non omitterent. Hæc autem in parte nomina eorum ſunt, qui nondum juraverunt libertates prædictas, *Willielmus Mareſchallus*, Comes de *Penbrock*, *Ranulphus* Comes *Ceſtrenſis*, *Willielmus* Comes *Saresburienſis*, *Willielmus* Comes *Warennæ*, *Willielmus* Comes *Albemarlenſis*, *H.* Comes *Cornubiæ*, *W.* de *Albineto*, *Robertus* de *Veteri Ponte*, *Petrus* filius *Huberti*, *Berienus* de *Inſula*, *G.* de *Luci*, *G.* de *Furnival*, *Thomas Baſſet*, *Henricus* de *Braibrock*, *Johannes* de *Baſſingebrane*, *Willielmus* de *Cantelu*, *Henricus* de *Cornhulle*, *Johannes* filius *Hugonis*, *Hugo* de *Nevile*, *Philippus* de *Albineto*, *Johannes Mareſchallus*, *Willielmus Bruwerre*. Hi omnes cùm mandatum Baronum accepiſſent, maxima pars eorum *Londonias* profecti, confœderati ſunt magnatibus ſupradictis, Regem penitùs relinquentes. Temporibus ſub eiſdem, Rex occultum odium versùs Barones, facie pallians ſub ſerena & ultionis excogitans, fecit adulterari; id eſt vulgariter contra facere omnia ſigilla Epiſcoporum, & ſcripſit vice eorum omnibus nationibus, quòd *Anglici* omnes erant Apoſtatæ, toti mundo deteſtabiles. Et quicunque vellet eos quaſi Apoſtatas hoſtiliter impetere, Rex eorum, & Papæ aſſenſu, & authoritate, conferret eis terras & omnes eorum poſſeſſiones. Quòd cùm audiſſent exteræ nationes, noluerunt fidem talibus adhibere: quia conſtabat *Anglos* omnium Chriſtianorum eſſe præclariſſimos; & comperta veritate, talia facinora & commenta deteſtabantur, & ſic cecidit Rex in laqueos quos tetendit.

Colloquuntur Barones cum Rege apud Runingemund.

Rex autem *Johannes*, cum ſe ferè ab omnibus cerneret derelictum, ita quòd vix ſibi ſeptem equites ex omni multitudine regia ſupereſſent; timuit valdè ne Barones in caſtra ſua impetum facientes, illa ſine difficultate ſibi ſubjugarent, cùm præcipuè nullum obſtaculum invenirent. Cepit autem adversùs Barones in corde odium inexorabile. Simulavit autem in dolo pacem ad tempus facere cum magnatibus ſæpè dictis; ut cum fortior ſurrexiſſet, in diſſipata agmina acriùs ſe vindicaret: & qui in omnes non poterat, in ſingulos deſæviret. Mitténſque ad eos *Willelmum Mareſchallum*, Comitem de *Penbrock* cum aliis nunciis fide dignis; mandavit quòd pro bono pacis & ad exaltationem regni ſui & honorem, gratanter eis concederet leges & libertates quas petebant. Mandavit etiam eiſdem magnatibus per nuncios prædictos, ut diem & locum providerent congruum, ubi convenire poſſent, ad hæc omnia proſequenda. Nuncii verò Regis ad urbem *Londoniarum* cum feſtinatione venientes; univerſa quæ ſibi impoſita doloſè fuerant, ſine dolo Baronibus explicârunt. At ipſi immenſo gaudio recreati, ſtatuerunt Regi diem, ut veniret contra eos ad colloquium in pratum inter *Stanes* & *Windleſhores* ſitum, decimo quinto die Junii. Convenerunt itaque die & loco præfixo ad colloquium condictum, Rex & magnates: at partibus ſeorsùm conſidentibus, cœperunt de pace diutiùs & libertatibus tractare ſæpedictis. Fuerunt autem quaſi ex parte Regis, *Stephanus Cantuarienſis* & *H. Dublinenſis* Archiepiſcopi, *W. Londonenſis*,

P.Win-

P. *Wintonienſis*, *H. Lincolnienſis*, *J. Bathonienſis*, *Willielmus Wigornienſis*, *W. Coventrenſis*, & *Benedictus Roffenſis* Epiſcopi; Magiſter *Pandulphus* domini Papæ familiaris, & magiſter militiæ *Templi* in *Anglia*, Frater *Almaricus*, viri nobiles, *W. Mareſchallus*, Comes *Penbrock*, Comes *Sareſberienſis*, Comes *Warennæ*, Comes *Arundel*, *Alanus* de *Galeweia*, *W.* filius *Geroldi*, *Petrus* filius *Hereberti*, *Thomas Baſſet*, *Matthæus* filius *Hereberti*, *Alanus Baſſet*, *Hugo* de *Nevile*, *Hubertus* de *Burc* ſeneſchallus *Pictavienſis*, *Robertus* de *Roppeleia*, *Johannes Mareſchallus*, *Philippus* de *Albineio*. Illos quoque qui ex parte Baronum affuerunt, qui innumerabiles fuere, non eſt neceſſe numerare: cùm tota *Angliæ* nobilitas in unum collecta, quaſi ſub numero non cadebat. Tandem igitur cùm in varia ſorte tractaſſent, Rex *Johannes* vires ſuas Baronum viribus impares intelligens, ſine difficultate leges ſubſcriptas & libertates conceſſit; & charta ſua hunc in modum confirmavit. 1215

Charta libertatum à Rege Johanne conceſſarum.

JOHANNES *Dei gratia Rex* Angliæ, *&c. Sciatis nos intuitu Dei, & pro ſalute animæ noſtræ & anteceſſorum omnium & hæredum meorum, & ad honorem Dei & exaltationem S. eccleſiæ & emendationem regni noſtri, per conſilium venerabilium patrum noſtrorum* Stephani Cantuarienſis *Archiepiſcopi totius* Angliæ *Primatis & ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ Cardinalis*, Henrici Dublinenſis *Archiepiſcopi*, Willielmi Londinenſis *epiſcopi*, Petri Wintonienſis, Jocelini Bathonien. *&* Glaſtren. Hugonis Lincolnien. Walteri Wigornen. Willielmi Coventrenſis, Benedicti Roffenſis *epiſcoporum*, *& magiſtri* Pandulphi *domini Papæ ſubdiaconi & familiaris*, *fratris magiſtri militiæ* Templi Angliæ, *& nobilium virorum* Willielmi Mareſchalli *comitis* Penbroc, W. *comitis* Sareſberienſis, Willielmi *comitis* Warrennæ, Willielmi *comitis* Arundel, Alani *de* Leweia *Conſtabularius* Scotiæ, Warin filii Gerardi, Petri filii Hereberti, *&* Huberti *de* Burgo *ſeneſchalli* Pictaviæ, Hugo *de* Novilla, Matthæi filii Hereberti, Thomæ Baſſet, Alani Baſſet, Philippi *de* Albeni, Roberti *de* Ropeſle, Johannis Mareſchalli, *&* Johannis filii Hugonis, *& aliorum fidelium noſtrorum, in primis conceſſiſſe Deo, & hac præſenti charta noſtra confirmaſſe pro nobis & hæredibus noſtris in perpetuum; Quòd* Anglicana *eccleſia libera ſit, & habeat jura ſua integra, ſuas & libertates illæſas, & ita volumus obſervari, quod apparet ex eo, quòd libertatem electionum quæ maxima & magìs neceſſaria reputatur eccleſiæ* Anglicanæ, *mera & ſpontanea voluntate, ante diſcordiam inter nos & Barones noſtros manifeſtè motam, conceſſimus, & charta noſtra confirmavimus, & eam obtinuimus à domino Papa* Innocentio *Papa tertio, confirmari: quam & nos obſervabimus, & ab hæredibus noſtris in perpetuum bona fide volumus obſervari. Conceſſimus etiam & omnib. liberis hominibus noſtris Regni* Angliæ, *pro nobis & hæredibus noſtris in perpetuum, omnes libertates ſubſcriptas; habendas & tenendas eis & hæredibus ſuis de nobis & hæredibus noſtris. Si quis Comitum vel Baronum noſtrorum ſive aliorum tenentium de nobis in capite per ſervitium militare, mortuus fuerit, & cum deceſſerit, hæres ſuus plenæ ætatis fuerit & relevium debeat; habeat hæreditatem ſuam per antiquum relevium; ſcilicet hæres vel hæredes Comitis de Baronia Comitis integra per centum libras; hæres vel hæredes Baronis de Baronia integra centum marcas; hæres vel hæredes militis de feudo militis integro per centum ſolidos ad plus; & qui minus debuerit minus det, ſecundum antiquam conſuetudinem feudorum. Si autem alicujus hæres talium fuerit infra ætatem, & fuerit in cuſtodia, dominus ejus non habeat cuſtodiam ejus nec terræ ſuæ antequàm homagium ejus ceperit, & poſtquam talis hæres fuerit in cuſtodia & ad ætatem pervenerit, ſcilicet viginti & unius anni, habeat hæreditatem ſuam ſine relevio & ſine fine: ita tamen quòd ſi ipſe, dum infra ætatem fuerit, fiat miles, nihilominus terra remaneat in cuſtodia dominorum ſuorum uſque ad terminum prædictum. Cuſtos terræ hujuſmodi hæredis, qui infra ætatem fuerit, non capiat de terra hæredis, niſi rationabiles exitus, & rationabiles conſuetudines, & rationabilia ſervitia: & hæc ſine deſtructione & vaſto, hominum vel rerum. Et ſi nos commiſerimus cuſtodiam alicui talis terræ vicecomiti vel alicui alii, qui de exitibus terræ illius nobis debent reſpondere, & ille deſtructionem de cuſtodia fecerit vel vaſtum: nos ab illo capiemus emendam, & terra committatur duobus Legalibus & diſcretis hominibus de feudo illo, qui ſimiliter nobis reſpondeant, ſicut prædictum eſt. Cuſtos autem quamdiù cuſtodiam terræ habuerit, ſuſtentet domos, parcos, vivaria, ſtagna, molendina, & cætera ad illam terram pertinentia, de exitibus terræ ejuſdem. Et reddat hæredi, cum ad plenam ætatem pervenerit, terram ſuam totam inſtauratam de carucis & omnibus aliis rebus; ad minus ſecundùm quod illa recepit. Hæc omnia obſerventur de cuſtodiis Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Eccleſiarum, & dignitatum vacantium, quæ ad nos pertinent: excepto quod cuſtodiæ hujuſmodi vendi non debent. Hæredes maritentur ſine diſparagatione: ita tamen quòd antequam contrahatur matrimonium, oſtendatur propinquis de conſanguinitate ipſius hæredis. Vidua poſt mortem mariti ſui, ſtatim & ſine difficultate aliqua habeat maritagium ſuum & hæreditatem ſuam; nec aliquid det pro dote ſua vel pro maritagio ſuo vel hæreditate ſua, quam hæreditatem maritus ſuus & ipſa tenuerunt, die obitus ipſius mariti. Et maneat in capitali meſuagio mariti ſui per quadraginta dies, poſt obitum ipſius mariti, infra quos aſſignetur ei dos ſua, niſi ei priùs fuerit aſſignata: vel niſi domus illa fuerit caſtrum, & ſi de caſtro receſſerit, ſtatim provideatur ei domus competens, in qua poſſit honeſtè morari, quouſque ei dos ſua aſſignetur, ſecundùm quod prædictum eſt, & habeat rationabile eſtoverium ſuum interim de communi. Aſſignetur autem ei pro dote ſua, tertia pars totius terræ mariti ſui, quæ ſua fuit in vita; niſi de minori dotata fuerit ad oſtium eccleſiæ.*

Nulla

1215. *Nulla vidua deſtringatur ad ſe maritandum, dum voluerit vivere ſine marito; ita tamen quòd ſecuritatem faciet, quòd ſe non maritabit ſine aſſenſu noſtro, ſi de nobis tenuerit; vel ſine aſſenſu domini ſui de quo tenuerit, ſi de alio tenuerit. Nos verò vel Ballivi noſtri non ſeiſiemus terram aliquam, nec reditum pro debito aliquo, quamdiu catalla debitoris præſentia ſufficiunt ad debitum reddendum: & ipſe debitor paratus ſit inde ſatisfacere. Nec plegii ipſius debitoris deſtringantur, quamdiu ipſe capitalis debitor ſufficiat ad ſolutionem debiti. Et ſi capitalis debitor defecerit in ſolutione debiti, non habens unde reddat, aut reddere nolit cum poſſit, plegii reſpondeant de debito: & ſi voluerint, habeant terras & reditus debitoris, quouſque ſit ei ſatisfactum de debito, quod antè pro eo ſolvitur; niſi capitalis debitor monſtraverit ſe inde eſſe quietum verſùs eoſdem plegios. Si quis mutuò acceperit aliquid à* Judæis, *plus vel minus, & moriatur antequàm debitum illud perſolverit; debitum illud non uſuret quamdiu hæres fuerit infra ætatem, de quocunque tenet: & ſi debitum iſtud incidat in manus noſtras, nos non capiemus niſi catallum contentum in charta. Et ſi quis moriatur, & debitum debet* Judæis, *uxor ejus habeat dotem ſuam, & nil reddat de debito illo. Et ſi liberi ipſius defuncti qui fuerunt infra ætatem remanſerint, provideantur eis neceſſaria ſecundùm tenementum quod fuerint defuncti, & de reſiduo ſolvatur debitum; ſalvo tamen ſervitio dominorum, Simili modo fiat de debitis, quæ debentur aliis quàm* Judæis. *Nullum ſcutagium vel auxilium ponam in regno noſtro, niſi per commune conſilium Regni noſtri, niſi ad corpus noſtrum redimendum, & ad primogenitum filium noſtrum militem faciendum, & ad primogenitam filiam noſtram ſemel maritandam. Et ad hoc non fiet niſi rationabile auxilium. Simili modo fiat de auxiliis de civitate* Londinenſi*: & civitas* Londonienſis *habeat omnes antiquas libertates & liberas conſuetudines ſuas, tam per terras quàm per aquas. Præterea volumus & concedimus, quòd omnes aliæ civitates & burgi & villæ, & Barones de quinque portubus, & omnes portus, habeant omnes libertates & omnes liberas conſuetudines ſuas, & ad habendum commune conſilium Regni de auxiliis aſſidendis aliter quàm in tribus caſibus prædictis: & de ſcutagiis aſſidendis, ſubmoneri faciemus Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Comites & majores Barones regni ſingillatim per literas noſtras. Et præterea faciemus ſubmoneri in generali, per vicecomites & Ballivos noſtros, omnes alios qui in capite tenent de nobis, ad certum diem; ſcilicet ad terminum quadraginta dierum ad minus, & ad certum locum, in omnibus literis ſubmonitionis illius, cauſam ſubmonitionis illius exponemus; & ſic facta ſubmonitione, negotium procedat ad diem aſſignatum, ſecundùm conſilium eorum qui præſentes fuerint, quamvis non omnes ſubmoniti venerint. Nos non concedimus de cæterò alicui, quòd capiat auxilium de liberis hominibus ſuis, niſi ad corpus ſuum redimendum; & ad faciendum primogenitum filium ſuum militem, & ad primogenitam filiam ſuum ſemel maritandam; & ad hoc non fiat niſi rationabile auxilium. Nullus diſtringatur ad faciendum majus ſervitium de feudo militis, nec de alio libero tenemento quod inde debetur. Communia placita non ſequantur curiam noſtram, ſed teneantur in aliquo loco certo. Recognitiones de nova diſſeiſina, & de morte anteceſſoris, & de ultima præſentatione, non capiantur niſi in Civitatibus ſuis, & hoc modo. Nos (vel ſi extra regnum fuerimus) capitalis Juſticiarius noſter, mittet Juſticiarios noſtros per unumquemque comitatum ſemel in anno, qui cum militibus Comitatum, capiant in Comitatibus aſſiſas prædictas; & ea quæ in illo adventu ſuo in Comitatibus per Juſticiarios prædictos, ad prædictas aſſiſas capiendas miſſos, terminari non poſſunt, per eoſdem terminentur alibi in itinere ſuo; & ea quæ per eoſdem propter difficultatem articulorum aliquorum terminari non poſſunt, referantur ad Juſticiarios noſtros de Banco. Aſſiſæ de ultima præſentatione eccleſiarum, ſemper capiantur coram Juſticiariis de Banco, & ibi terminentur. Liber homo non amercietur pro parvo delicto, niſi ſecundùm modum ipſius delicti; & pro magno delicto, ſecundùm magnitudinem delicti; ſalvo contenemento ſuo. Et mercator eodem modo, ſalva marchandiſa ſua. Et villanus alterius quàm noſter, eodem modo amercietur; ſalvo Wannagio ſuo, ſi inciderit in miſericordiam noſtram. Et nulla prædictarum miſericordiarum ponatur, niſi per ſacramentum proborum & legalium hominum de * Viſneto comitatus. Comites & Barones non amercientur niſi per pares ſuos; & non niſi ſecundùm modum delicti. Nulla eccleſiaſtica perſona amercietur ſecundùm quantitatem beneficii ſui, ſed ſecundùm laicum tenementum ſuum; & ſecundùm quantitatem delicti. Nec villa nec homo deſtringatur facere pontes ad riparias; niſi qui de antiquo & jure facere debent. Nulla riparia de cætero defendetur, niſi illa quæ fuerat in defenſo tempore* Henrici Regis *avi noſtri. Nullus Vicecomes, Conſtabularius, Coronator, vel alii Balivi noſtri, teneant placita Coronæ noſtræ. Omnis Comitatus & Hundredi & Wapentag & Threthingi, ſint ad antiquas firmas abſque ullo incremento, exceptis dominicis maneriis noſtris. Si aliquis tenens de nobis laicum feudum, moriatur: & vicecomes vel Ballivus noſter literas noſtras oſtendat patentes de ſubmonitione, non de debito quod defunctus nobis debuit: liceat vicecomiti vel Ballivo noſtro attachiare & imbreviare catalla defuncti inventa in laico feudo, ad valentiam illius debiti per viſum legalium hominum; ita tamen quòd nihil inde amoveatur, donec perſolvatur debitum nobis quod clarum fuerit, & reſiduum relinquatur executoribus ad faciendum teſtamentum defuncti. Et ſi nil nobis debeatur ab ipſo, omnia catalla cedant defuncto; ſalvis uxori ejus & pueris ſuis rationabilibus partibus. Si aliquis liber homo inteſtatus deceſſit, catalla ſua per manus propinquorum, parentum & amicorum ſuorum per viſum eccleſiæ diſtribuantur; ſalvis unicuique debitis, quæ defunctus ei debebat. Nullus Conſtabularius*

* Vicineto.

1215.

vel Ballivus noſter capiat bladá vel alia Catalla alicujus, qui non de villa ubi Caſtrum ſitum ſit, niſi ſtatim inde reddat denarios, aut reſpectum inde habeat de voluntate venditoris: ſi autem de villa ipſa fuerit, infra quadraginta dies pretium reddat. Nullus Conſtabularius deſtringat militem aliquem ad dandum denarios pro cuſtodia caſtri, ſi ipſe eam facere voluerit in propria perſona ſua, vel per alium probum hominem; ſi ipſe eam facere non poſſit per rationabilem cauſam. Et ſi nos duxerimus eum vel miſerimus in exercitum, erit quietus de cuſtodia, ſecundùm quantitatem temporis quo per nos fuerit in exercitu, de feudo pro quo fecit ſervitium in exercitu. Nullus Ballivus noſter vel vicecomes, vel alius, capiat equos vel caretas alicujus pro cariagio faciendo, niſi reddat liberationem antiquitùs ſtatutam; ſcilicet pro careta ad duos equos, decem denarios per diem: & pro careta ad tres equos, quatuordecim denarios per diem. Nulla careta dominica alicujus eccleſiaſticæ perſonæ vel militis, vel alicujus Dominæ capiatur per Ballivos prædictos; nec nos nec Ballivi noſtri nec alii capiemus boſcum alienum ad caſtra vel agenda noſtra, niſi per voluntatem illius cujus Boſcus ille fuerit. Nos autem non tenebimus terras eorum, qui convicti fuerint de Felonia, niſi per unum annum & unum diem; & tunc reddantur terræ dominis feudorum. Omnes Kidelli de cæterò deponantur penitùs per Tamiſiam & per Medeweſiam & per totam Angliam; niſi per coſtam maris. Breve quòd vocatur Præcipe, de cæterò non fiat alicui de aliquo tenemento, unde liber homo perdat cauſam ſuam. Una menſura vini & cerviſiæ ſit per totum regnum noſtrum, & una menſura bladi, ſcilicet quarterium Londinenſe. Et una latitudo pannorum tinctorum & ruſſeccorum & haubergetorum, ſcilicet duæ ulnæ infra liſtas. De ponderibus verè ſit ut de menſuris. Nihil detur de cæterò pro brevi inquiſitionis, ab eo qui inquiſitionem petit de vita vel membris; ſed gratis concedatur & non negetur. Si aliquis teneat de nobis per feudi firmam vel ſocagium vel burgagium, & de alio teneat terram per ſervitium militis; nos non habebimus cuſtodiam hæredis vel terræ ſuæ; quæ eſt de feudo alterius, occaſione illius feudi, firmæ, vel ſocagii vel Burgagii; nec habebimus cuſtodiam illius feudi, firmæ, vel ſocagii vel burgagii, niſi ipſa feudi firma debeat ſervitium militare. Nos non tenebimus cuſtodiam hæredis vel terræ alicujus, quam tenet de alio per ſervitium militare, occaſione alicujus parvæ ſerganteriæ, quam tenet de nobis per ſervitium reddendi cultellos vel ſagittas vel hujuſmodi. Nullus Ballivus ponat aliquem de cæterò ad Legem nec ad juramentum, ſimplici loquela ſua; ſine teſtibus fidelibus ad hoc inductis. Nullus liber homo capiatur vel impriſonetur aut diſſeiſietur de aliquo libero tenemento ſuo, vel libertatibus vel liberis conſuetudinibus ſuis, aut utlegetur aut exulet, aut aliquo alio modo deſtituatur; nec ſuper eum ibimus, nec eum in carcere mittemus, niſi per Legale judicium parium ſuorum, vel per legem terræ. Nulli vendemus, nulli negabimus, aut differemus rectum vel juſtitiam. Omnes Mercatores, niſi publicè prohibiti fuerint, habeant ſalvum & ſecurum exire de Anglia & venire in Angliam, & morari & ire tam per terram quàm per aquam, ad emendum vel vendendum ſine omnibus toltis malis per antiquas & rectas conſuetudines, præterquàm in tempore Werræ, & ſi ſint de terra contra nos Werrina: & ſi tales inveniantur in terra noſtra in principio Warræ, attachientur ſine damno corporum vel rerum; donec ſciatur à nobis vel à capitali Juſtitiario noſtro, quomodo Mercatores terræ noſtræ tractentur in terra contra nos Werrina; & ſi noſtri ſalvi ſint ibi, alii ſalvi ſint in terra noſtra. Liceat unicuique de cæterò exire de regno noſtro, & redire ſalvò & ſecurè per terram & per aquam, ſalva fide noſtra; niſi in tempore guerræ per aliquod breve tempus propter communem utilitatem regni; exceptis impriſonatis & utlegatis, ſecundùm Legem regni & gente contra nos guerrina & Mercatoribus, de quibus fiat ſicut ſupradictum eſt. Si quis tenuerit de aliqua eſcheeta; ſicut de honore Walingefordiæ, Bononiæ, Lancaſtriæ, Notingham vel de aliis eſcheetis, quæ ſunt in manu noſtra, & ſint Baroniæ & obierit; hæres ejus non det aliud relevium, nec faciat nobis aliud ſervitium quàm faceret Baroni, ſi illa Baronia eſſet in manu Baronis: & nos eodem modo eam tenebimus, quo Baro eam tenuit; nec nos occaſione talis Baroniæ vel Eſchætæ habebimus aliquam Eſchætam vel cuſtodiam aliquorum hominum noſtrorum, niſi alibi tenuerit de nobis in capite ille qui tenuit Baroniam vel Eſchætam. Homines qui manent extra Foreſtam, non veniant de cæterò coram Juſticiariis noſtris de Foreſta per communes ſubmonitiones; niſi ſint in placito, vel plegii alicujus vel aliquorum qui attachiati ſunt propter Foreſtam. Omnes autem boſci qui fuerunt afforeſtati per Regem Richardum fratrem noſtrum, ſtatim deafforeſtentur; niſi fuerint domini boſci noſtri. Nullus liber homo de cæterò det ampliùs alicui, vel vendat de terra ſua, quàm ut de reſiduo terræ ſuæ poſſit ſufficienter fieri domino feudi ſervitium ei debitum, quod pertinet ad feudum illud. Omnes patroni Abbatiarum, qui habent chartas Regum Angliæ de advocatione, vel per aliquam antiquam tenuram vel poſſeſſionem, habeant earum cuſtodiam cùm vacaverint; ſicut habere debent, & ſicut ſuprà declaratum eſt. Nullus capiatur vel impriſonetur, propter appellationem fœminæ, de morte alterius quàm viri ſui. Nullus comitatus teneatur de cæterò, niſi de menſe in menſem; & ubi major terminus eſſe ſolebat, major ſit: nec vicecomes aliquis vel Ballivus ſuus faciat terminum ſuum per Hundredum, niſi bis in anno, & non niſi in loco debito & conſueto; videlicet ſemel poſt Paſcha, & iterum poſt feſtum ſancti Michaëlis. Et viſus ſimiliter de Franco plegio, tunc fiat ad illum terminum ſancti Michaëlis ſine occaſione, ita ſcilicet quòd quilibet habeat ſuas libertates, quas habuit & habere conſuevit tempore Henrici Regis avi noſtri, vel quas poſteà adquiſivit. Fiat autem viſus de Franco plegio ſic, ut pax noſtra teneatur, & quòd tethinga integra ſit ſicut eſſe conſuevit; & quòd vice-

1215. *comes non quærat occaſiones; & quòd contentus ſit de eo quod vicecomes habere conſuevit de viſu ſuo faciendo, tempore* Henrici *Regis avi noſtri. Non liceat de cætero, alicui dare terram ſuam domui religionis; ita quòd illam reſumat tenendam de eadem domo. Nec liceat alicui domui religionis terram ſic accipere, quòd tradat eam illi à quo illam recepit tenendam. Si quis autem de cætero terram ſuam ſic dederit domui religioſæ, & ſuper hoc convincatur; donum ſuum penitùs caſſetur, & terra illa domino ſuo illius feudi incurratur. Scutagium de cætero capiatur, ſicut capi tempore Regis* Henrici *avi noſtri conſuevit, & quòd vicecomes non quærat occaſiones, & quòd contentus ſit de eo quod vicecomes habere conſuevit. Omnes autem conſuetudines prædictas & libertates quas conceſſimus in regno noſtro tenendas, quantum ad nos pertinet erga omnes homines noſtros de regno noſtro, tam clerici quàm Laici noſtri obſervent, quantum ad ſe pertinet erga homines ſuos; ſalvis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Templariis, Hoſpitalariis, Comitibus, Baronibus, militibus, & omnibus aliis tam eccleſiaſticis perſonis quàm ſæcularibus, libertatibus & liberis conſuetudinibus, quas priùs habuerunt. His teſtibus,* &c. Libertates verò de Foreſta & liberæ conſuetudines, quæ cum libertatibus præſcriptis in una ſchedula pro ſui capacitate contineri nequiverant, in hac charta ſubſcripta continentur ſub hac forma.

JOHANNES *Dei gratia Rex* Angliæ, *&c. Sciatis quod intuitu Dei, & pro ſalute animæ noſtræ, & animarum anteceſſorum & ſucceſſorum, ad exaltationem ſanctæ eccleſiæ, & emendationem regni noſtri; ſpontanea & bona voluntate noſtra dedimus, conceſſimus pro nobis & hæredibus noſtris has libertates ſubſcriptas, habendas & tenendas in regno noſtro* Angliæ *in perpetuum. In primis omnes foreſtæ, quas Rex* Henricus *avus noſter afforeſtavit, videantur per probos & legales homines; & ſi boſcum aliquem alium quàm ſuum dominicum afforeſtaverit ad damnum illius, cujus boſcus fuerit, ſtatim deafforeſtetur. Et ſi boſcum ſuum proprium afforeſtaverit, remaneat foreſta ſalva communia de herbagio & rebus aliis in eadem foreſta, illis qui eam priùs habere conſueverunt. Homines qui manent extra Foreſtam, non veniant de cætero coram Juſticiariis noſtris de Foreſta per communes ſubmonitiones; niſi ſint in placito, vel plegii alicujus vel aliquorum qui attachiati ſunt propter Foreſtam. Omnes autem boſci qui fuerunt afforeſtati per Regem* Richardum *fratrem noſtrum, ſtatim deafforeſtentur; niſi fuerint dominici boſci noſtri. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Comites, Barones, milites & liberè tenentes, qui boſcos habent in foreſta; habeant boſcos ſuos, ſicut eos habuerunt tempore primæ coronationis prædicti Regis* Henrici *avi noſtri; ita quòd quieti ſint in perpetuum de omnibus, Purpreſturis, vaſtis & aſſartis factis in illis boſcis poſt illud tempus, uſque ad principium ſecundi anni coronationis noſtræ. Et qui de cætero vaſtum purpreſturam vel aſſartum facient ſine licentia noſtra in illis boſcis; de vaſtis purpreſturis & aſſartis reſpondeant. Regardatores noſtri eant per foreſtas, ad faciendum regardum, ſicut fieri conſuevit tempore primæ coronationis prædicti Regis* Henrici *avi noſtri, & non aliter. Inquiſitio vel viſus de expeditione canum exiſtentium in foreſta de cætero fiat, quando fieri debet regardum; ſcilicet de tertio anno in tertium annum; & tunc fiat per viſum & teſtimonium legalium hominum, & non aliter. Et ille, cujus canis inventus fuerit, tunc non expeditatus de pro miſericordia, det tres ſolidos; & de cætero nullus bos capiatur pro expeditione. Talis autem expeditatio ſit per aſſiſam communiter, quòd tres ortilli abſcindantur de pede anteriori ſine poleta. Non expeditentur canes de cetero, niſi in locis ubi expeditari ſolent tempore primæ coronationis prædicti* Henrici *Regis aut noſtri. Nullus foreſtarius vel budellus, faciat de cætero ſcotallum, vel colligat garbas, vel avenam, vel bladum aliud, vel agnos vel porcellos, nec aliquam collectam faciat; & per viſum & ſacramentum duodecim regardatorum quando facient regardum, tot foreſtarii ponantur ad foreſtas cuſtodiendas, quot ad illas cuſtodiendas rationabiliter viderint ſufficere. Nullum ſuanimotum de cætero teneatur in regno noſtro, niſi ter in anno; videlicet in principio quindecim dierum ante feſtum ſancti* Michaëlis, *quando Agiſtatores veniant ad agiſtandum dominicos boſcos; & circa feſtum ſancti* Martini, *quando Agiſtatores noſtri debent accipere panagium ſuum. Et ad iſta duo ſuanimota, convenient foreſtarii, viridarii & agiſtatores; & nullus alius per diſtrictionem. Et tertium ſuanimotum teneatur in initio xv. dierum ante feſtum ſancti* Johannis Baptiſtæ *pro fœnatione beſtiarum noſtrarum; & ad iſtum ſuanimotum convenient Foreſtarii, viridarii, & non alii per deſtrictionem. Et præterea ſingulis quadraginta diebus, per totum annum, convenient viridarii & Foreſtarii ad videndum attachiamenta de Foreſta, tam de viridi quàm de venatione per præſentationem ipſorum Foreſtariorum, & coram ipſis attachientur. Prædicta autem ſuanimota non teneantur, niſi in Comitatibus in quibus teneri conſueverunt. Unuſquiſque liber homo agiſtet boſcum ſuum in Foreſta pro voluntate ſua; & habeant pannagium ſuum. Concedimus etiam quòd unuſquiſque liber homo poſſit ducere porcos ſuos per dominicum boſcum noſtrum, liberè & ſine impedimento; & ad agiſtandum eos in boſcis ſuis propriis vel alibi ubi voluerit. Et ſi porci alicujus liberi hominis una nocte pernoctaverint in Foreſta noſtra, non inde occaſionetur; ita quòd aliquid de ſuo perdat. Nullus de cætero amittat vitam vel membra pro venatione noſtra; ſed ſi aliquis captus fuerit & convictus de captione venationis, graviter redimatur, ſi habeat unde redimi poſſit: & ſi non unde redimi poſſit, jaceat in priſona noſtra per annum unum & unum diem. Et ſi poſt annum unum & diem unum plegios invenire poſſit, exeat à priſona; ſin autem, abjuret regnum noſtrum* Angliæ. *Quicunque Archiepiſcopus, Epiſcopus, Comes vel Baro*

Baro veniens ad nos per mandatum noſtrum tranſierit per Foreſtam noſtram, licet illi capere unam vel duas beſtias per viſum Foreſtarii ſi præſens fuerit; ſin autem, faciat cornari, ne videatur hoc furtive facere. Item licet in redeundo idem eis facere ſicut prædictum eſt. Unuſquiſque liber homo de cætero ſine ocaſione faciat in boſco ſuo vel in terra ſua, quàm habet in Foreſta, molendinum, vivarium, ſtagnum, marleram, foſſatum vel terram arabilem, extra coopertum in terra arabili; ita quòd non ſit ad nocumentum alicujus vicini. Unuſquiſque liber homo habeat in in boſcis ſuis, Ærias accipitrum, ſpervariorum, falconum, aquilarum & hieronum; & habeant ſimiliter mel quod inventum fuerit in boſcis ſuis. Nullus Foreſtarius de cætero, qui non ſit Foreſtarius de feudo, reddens firmam nobis pro Balliva ſua, capiat cheminagium; ſcilicet pro careta per dimidium annum, duos denarios; & per alium dimidium annum duos denarios; & pro equo qui portat ſummagium, per dimidium annum unum obolum; & per alium dimidium annum, unum obolum; & non niſi de illis qui extra ballivam ſuam tanquàm mercatores veniunt, per licentiam ſuam in Ballivam ſuam, ad buſcam meiremium corticem vel carbonem emendum, & alias ducendum ad vendendum ubi voluerint. Et de nulla careta alia vel ſummagio, aliquod cheminagium capiatur; non capiatur cheminagium, niſi in locis illis ubi antiquitùs capi ſolebat & debuit. Illi autem qui portant ſuper dorſum ſuum Buſcam, corticem vel carbonem ad vendendum, quamvis inde vivant; nullum de cætero dent cheminagium. De boſcis aliorum, nullum detur cheminagium Foreſtariis noſtris, præterquàm de dominicis boſcis noſtris. Omnes utlagati pro Foreſta, à tempore Regis Henrici avi noſtri, uſque ad primam coronationem noſtram, veniant ad pacem ſine impedimento; & ſalvos plegios inveniant, quòd de cætero non forisfacient nobis de Foreſta noſtra. Nullus Caſtellanus vel alius teneat placitum de Foreſta, ſive de viridi ſive de venatione; ſed quilibet Foreſtarius de feudo attachiet placita de Foreſta, tam de viridi quàm de venatione, & ea præſentet viridariis provinciarum: & cum rotulata fuerint & ſub ſigillis viridariorum incluſa, præſententur capitali Foreſtario cùm in partes illas venerit ad tenendum placita Foreſtæ, & coram eo terminentur. Omnes autem conſuetudines prædictas & libertates, quas nos conceſſimus in regno tenendas, quantum ad nos pertinet erga noſtros, omnes de regno noſtro tam laici quàm clerici obſervent, quantum ad ſe pertinet, erga ſuos. 1215.

CUM autem pro Deo & ad emendationem regni noſtri, & ad meliùs ſopiendam diſcordiam inter nos & Barones noſtros, hæc omnia conceſſimus, volentes ea integra & firma ſtabilitate gaudere, facimus & concedimus õis ſecuritatem ſubſcriptam: Videlicet, quòd Barones eligant viginti quinque Barones de regno noſtro quos voluerint, qui debeant pro totis viribus ſuis obſervare, tenere, & facere obſervari pacem & libertates quas eis conceſſimus, & hac præſenti charta noſtra confirmavimus, ita ſcilicet, quòd ſi per nos vel juſticiarium noſtrum erga aliquem in aliquo deliquerimus, vel aliquem articulorum pacis vel ſecuritatis tranſgreſſi fuerimus, & delictum fuerit oſtenſum quatuor Baronibus de viginti quinque Baronibus; illi quatuor Barones accedent ad nos, & ad Juſticiarium noſtrum, ſi fuerimus extra regnum, & proponentes nobis exceſſum, petent ut ſine dilatione faciamus emendari. Et ſi nos exceſſum non emendaverimus (vel Juſticiarius noſter ſi fuerimus extra regnum) inter tempus quadraginta dierum, computando à tempore quo monſtratum fuerit nobis, prædicti quatuor Barones referent cauſam illam ad reſiduos de illis viginti quinque Baronib. Et illi Barones cum communa totius terræ, deſtringent & gravabunt nos modis omnibus quibus poterunt: ſcilicet per captionem caſtrorum, terrarum, poſſeſſionum, & aliis modis quibus potuerint; donec fuerit emendatum ſecundùm arbitrium eorum: ſalva perſona noſtra, & Reginæ noſtræ, & liberorum noſtrorum. Et cùm fuerit emendatum, intendent nobis ſicut priùs fecerunt. Et quicunque voluerit de terra, juret quòd ad prædicta omnia exequenda parebit mandatis prædictorum viginti quinque Baronum: & quòd gravabit nos pro poſſe cum ipſis. Et nos publicè & liberè damus licentiam jurandi cuilibet, qui jurare voluerit; & nulli unquam jurare prohibebimus. Omnes autem illos de terra noſtra, qui per ſe & ſponte ſua voluerint jurare viginti quinque Baronibus de diſtringendo nos, & gravando nos cum eis; faciemus jurare eoſdem de mandato noſtro, ſicut prædictum eſt. In omnibus autem iſtis, quæ viginti quinque Baronibus committuntur exequenda, ſi fortè in aliquo inter ſe diſcordaverint, vel aliqui ex eis ſubmoniti noluerint vel nequiverint intereſſe; ratum habeatur & firmum, quod major pars eorum providerit vel præceperit, acſi omnes viginti quinque in hoc conſenſiſſent. Et viginti quinque Barones jurent, quòd omnia antedicta fideliter obſervabunt, & pro toto poſſe ſuo facient obſervari. Et nos nihil impetrabimus per nos nec per alium, per quod aliquid iſtarum conceſſionum & libertatum revocetur aut minuatur. Et ſi aliquid tale fuerit impetratum, irritum ſit & inane; & nunquam eo utemur per nos vel per alium. Et omnes malas voluntates, & indignationes, & rancores ortos inter nos & homines noſtros Clericos & Laicos à tempore diſcordiæ, plenè omnibus remiſimus & condonavimus. Et ad meliùs diſtringendum nos, quatuor Caſtellani, de Norhanton ſcilicet, de Kenillewurche, de Notingham, & de Scardeburck, erunt jurati viginti quinque Baronibus; quòd facient de Caſtris prædictis quod ipſi præceperint & mandaverint, vel major pars eorum. Et tales ſemper Caſtellani ponantur in illis Caſtris, qui fideles ſint, & nolint tranſgredi juramentum ſuum. Et nos amovebimus omnes alienigenas à terra, Parentes omnes Girardi de Athies, Engelardum ſcilicet, Andream, Petrum, Gyonem de Chanceles, Gyonem de Cigvini, uxorem prædicti Girardi cum omnibus liberis ſuis, Gaufridum de Martenni, & fratres ejus, Philippum Marc, & fratres ejus, & G. ne-

1215. G. *nepotem ejus*, Falconem, *&* Flandrenſes *omnes & ruptarios, qui ſunt ad nocumentum Regni. Præterea omnes tranſgreſſiones factas occaſione hujus diſcordiæ à Paſca tranſacto, qui fuit annus decimus ſextus, uſque ad hanc pacem reformatam, plenè remiſimus omnibus clericis & laicis, & quantum ad nos pertinet, plenè condonavimus. Et inſuper fecimus illis fieri literas teſtimoniales & patentes domini* Stephani Cantuarienſis *Archiepiſcopi, domini* Henrici Dublinenſis *Archiepiſcopi, domini* Pandulphi *Subdiaconi & domini Papæ familiaris, & Epiſcoporum prædictorum, ſuper ſecuritate iſta conceſſionibus præfatis. Quare volumus & firmiter præcipimus, quòd* Anglicana *Eccleſia libera ſit, & quod omnes homines de regno noſtro habeant & teneant omnes libertates præfatas, jura & conſuetudines benè & in pace, liberè & quietè, plenè & integrè, ſibi & hæredibus ſuis, de nobis & hæredibus noſtris, in omnibus rebus & locis in perpetuum, ut prædictum eſt. Juratum autem eſt tam ex parte noſtra, quàm ex parte Baronum, quòd hæc omnia ſupradicta, bona fide & ſine malo ingenio, obſervabimus: teſtibus ſupradictis, & multis aliis. Data per manum noſtram in prato quod vocatur* Riningemade, *inter* Stanes *&* Windeleſhores, *decimo quinto die Junii, Anno regni noſtri decimo ſeptimo.* Conceſſit inſuper eodem anno Rex *Johannes*, ut proniùs corda Prælatorum & magnatum ſibi conciliaret, liberas in omnibus Eccleſiæ *Angliæ* electiones. Et procuraverunt tam ipſe Rex, quàm Magnates & Prælati; ut illa ſua ſimiliter hac charta & conceſſio, à Papa confirmaretur: unde ad majorem ſecuritatem, Regalis charta in Papali confirmatione inſeritur bullata. Hi autem ſunt xxv. Barones electi: Comes de *Clare*, Comes *Albemarle*, Comes *Gloverniæ*, Comes *Wintonienſis*, Comes *Herefordenſis*, Comes *Rogerus*, Comes *Robertus*, Comes *Mareſchallus* junior, *Robertus* filius *Walteri* ſenior, *Gilebertus* de *Clare*, *Euſtachius* de *Veſci*, *Hugo Bigod*, *Willielmus* de *Munbray*, Major de *Londonio*, *Gilebertus* de *Laval*, *Robertus* de *Ros*, Conſtablius *Ceſtria*, *Richardus* de *Perci*, *Johannes* filius *Roberti*, *Willielmus Malet*, *Gaufridus* de *Say*, *Rogerus* de *Munbray*, *Willielmus* de *Huntingfilde*, *Richardus* de *Muntfichet*, *Willielmus* de *Albineto*. Iſti viginti quinque Barones juraverunt in animabus ſuis, Rege hoc diſponente, quòd omni inſtantia his obſequerentur, & Regem cogerent, ſi fortè reſipiſci vellet, hoc tenere. Sequentes autem juraverunt, quòd obſequerentur mandato xxv. Baronum: Comes de *Clare*, Comes de *Arundel*, Comes *Warennie*, *Henricus Doili*, *Hubertus* de *Burg*, *Matthæus* filius *Hereberti*, *Robertus* de *Pinkeni*, *Rogerus Huſcarlus*, *Robertus* de *Neuburg*, *Henricus* de *Ponte Audomarli*, *Radulphus* de la *Haie*, *Henricus* de *Brentefeld*, *Garim* filius *Gerold*, *Thomas Baſſet*, *Willielmus* de *Rokelant*, *Willielmus* de *Sanctiohan*, *Alanus Baſſet*, *Richardus* de *Ripariis*, *Hugo* de *Beneval*, *Jordanis* de *Saukvill*, *Ra. Muſgard*, *Ri. Sibſtenvaſt*, *Robertus* de *Ropele*, *Andr.* de *Beucamp*, *Walterus* de *Duneſtable*, *Walterus Folioth*, *Faukes*, *Johannes Mareſchallus*, *Philippus* de *Albeni*, *Willielmus* de *Parca*, *Radul.* de *Normanville*, *Willielmus* de *Parci*, *Willielmus Agoilun*, *Engerus* de *Prateſt*, *Willielmus* de *Cirent*, *Rogerus* de *Zucha*, *Rogerus* filius *Bernardi*, *Godefridus* de *Cracumbe*, qui omnes juraverunt quòd obſequerentur mandato viginti quinque Baronum.

Rex Johannes literis mandat libertates obſervari.

HIS ita geſtis, Rex *Anglorum Johannes* miſit literas ſuas patentes in omnes fines *Angliæ*, præcipiens firmiter Vicecomitibus univerſis totius regni, ut facerent jurare de Ballivis ſuis homines cujuſcunque conditionis, quod leges & libertates prædictas obſervarent, & quòd ipſum Regem pro poſſe ſuo per captionem caſtrorum ſuorum diſtringerent & gravarent ad præfata omnia exequenda ſicut in charta continebatur. Quo facto, venerunt ad regem multi nobiles de regno, exigentes jura ſua terrarum & poſſeſſionum, cuſtodiáſque caſtrorum; quæ ut dicebant, ſibi jure hæreditario debebantur. Sed Rex negotium illud diſtulit, donec ſacramento legalium hominum probatum fuiſſet, quid de jure ſingulis deberetur. Et ad hoc pleniùs exequendum, conſtituit omnibus diem apud *Weſtmonaſterium* decimo ſeptimo Calendas Auguſti. Veruntamen *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo reddidit caſtrum *Roffenſe*, cum quibuſdam aliis; quæ ad ejus cuſtodiam de jure antiquo ſpectabant. Et ſic ſoluto colloquio, Barones cum chartis præfatis ad urbem *Londoniarum* reverſi ſunt.

Literæ Papæ confirmantes conceſſionem Regis Johannis.

VOLENS autem Rex *Johannes* ad majorem ſecuritatem & robur diuturnitatis hæc inviolabiliter obſervari; miſit ad dominum Papam *Innocentium*: rogans conſtanter, ut huic piæ conceſſioni & confirmationi ſuæ favorem dignaretur exhibere, & eandem bullæ munimine confirmare. Quæ quia jam factus fuit obſequens Papæ vaſſallus & Rex Apoſtolicus; meruit quæ petiit citiùs impetrare ſub hac forma. Innocentius *epiſcopus*, &c. *Venerabilibus fratribus & dilectis filiis univerſis eccleſiarum prælatis per* Angliam *conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dignis laudibus attollimus magnificentiam creatoris, poſtquàm idem, qui eſt mirabilis & terribilis in conſiliis ſuper filios hominum, aliquamdiu toleravit ut perflando diſcurreret per* * *areolam horti ſui ſpem tempeſtatis quaſi ludens, taliter in orbe terrarum, ut ſic oſtenderet infirmitatem & inſufficientiam nobis, ſtatim cum voluit, dixit &* Aquiloni, da, & Auſtro, noli prohibere, *imperánſque ventis per mare ſtatuit procellam in aura, ut nautæ portum inveniant præoptatum. Cùmque enim inter regnum & ſacerdotium* Anglicanum, *non ſine magno periculo atque damno, ſuper electionibus Prælatorum gravis fuerit controverſia diutiùs agitata; illo tandem, cui nihil impoſſibile eſt, quique* ubi vult ſpirat *mirabiliter operante, chariſſimus* Johannes *Rex* Anglorum *illuſtris, liberaliter ex mera & ſpontanea voluntate, de conſenſu communi Baronum ſuorum, pro ſalute animæ ſuæ & prædeceſſorum ſuorum & ſucceſſorum, nobis conceſſit,*

* *Areolam.*

conceſſit, & ſuis literis confirmavit; ut de cætero in univerſis & ſingulis eccleſiis ac monaſteriis, cathedralibus & conventualibus totius regni Angliæ, *in perpetuum liberæ ſiant electiones quorumcunque Prælatorum, majorum & etiam minorum. Nos igitur hoc gratum & ratum habentes, conceſſionem hujuſmodi vobis & per vos eccleſiis & ſucceſſoribus veſtris, prout in eiſdem literis Regis perſpeximus contineri, authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.* Ad majorem autem firmitatem & perpetuam memoriam hujus rei, præfatas Regis literas ſuper hoc confectas, præſentibus miſceri fecimus, quarum tenor talis eſt. 1215.

JOHANNES, *Dei gratia Rex* Angliæ, *dominus* Hyberniæ, *Dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *Comes* Andegavenſis, *Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, Militibus, Ballivis & omnibus has literas viſuris, ſalutem. Quoniam inter nos & venerabiles patres noſtros,* Stephanum Cantuarienſem *totius* Angliæ, *Primatem & ſanctæ eccleſiæ* Romanæ *Cardinalem,* Willielmum Londonienſem, Euſtachium Elyenſem, Ægidium Herefordenſem, Johannem Bathonienſem *&* Glaſtonenſem, *&* Hubertum Lincolnienſem *Epiſcopos, ſuper damnis & ablatis eorum tempore interdicti, per Dei gratiam de mera & libera voluntate utriuſque partis plenè convenit; volumus non ſolùm eis quantùm ſecundùm Deum poſſumus ſatisfacere, verùm etiam toti eccleſiæ* Anglicanæ *ſalubriter & utiliter in perpetuum providere. Inde eſt quòd qualiſcumque conſuetudo temporibus noſtris & prædeceſſorum noſtrorum hactenus in eccleſia* Anglicana *fuerit obſervata, & quidquid Juris nobis hactenus vendicaverimus: de cætero in univerſis & ſingulis eccleſiis, & Monaſteriis, Cathedralibus & conventualibus totius Regni* Angliæ, *liberæ ſint in perpetuum, electiones quorumcumque Prælatorum, majorum & minorum: ſalva nobis & hæredibus noſtris, cuſtodia Eccleſiarum & Monaſteriorum vacantium, quæ ad nos pertinent. Promittimus etiam, quòd nec impediemus nec impedire permittemus per noſtros, nec procurabimus, quin in univerſis & ſingulis Monaſteriis & eccleſiis, poſtquàm vacaverint prælaturæ, quemcumque voluerint liberè ſibi præficient electores paſtorem; petita tamen à nobis priùs & hæredibus noſtris licentia eligendi; quam non denegabimus nec differemus. Et ſi fortè accidat quòd denegaremus, vel differremus; nihilominùs procedant electores ad electionem Canonicam faciendam. Et ſimiliter poſt celebratam electionem, noſter requiratur aſſenſus, quem non denegabimus, niſi adversùs eandem rationale propoſuerimus & legitimè probaverimus, propter quod non debemus conſentire. Quare volumus & firmiter jubemus, ne quis vacantibus eccleſiis vel monaſteriis, contra hanc noſtram conceſſionem & conſtitutionem in aliquo veniat vel venire præſumat. Si quis verò contra hoc aliquo tempore veniat, maledictionem Dei omnipotentis & noſtram incurrat. His teſtibus* Petro Wintonienſi *epiſcopo,* W. Mareſchallo, *Comite* Penbroc, Willielmo *Comite* Warenniæ, R. *Comite* Ceſtriæ, S. *Comite* Wintonienſi, G. *de* Mandevilla *Comite* Gloverniæ *&* Eſſexiæ, W. *Comite de* Ferrariis, G. Briewere, W. *filio* Geraldi, W. *de* Cantelupo, H. *de* Novilla, Robertus *de* Wer, W. *de* Huntingefeld. *Datum per manum Magiſtri* Roberti *de* Mariſco *Cancellarii noſtri, decimo quinto die Januarii, apud* novum templum Londini; *anno regni noſtri decimo ſexto. Nulli ergo omninò homini liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum* Petri *&* Pauli *Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum* Laterani, *tertio Calendas Aprilis; Pontificatus noſtri anno decimo octavo.* *Litera Regis.*

HIS peractis, & ex utraque parte approbatis, exultaverunt omnes; credentes Deum miſericorditer cor Regis tetigiſſe, cor ab eo lapideum abſtuliſſe, & cor carneum addidiſſe; & ut in eo fieret optima dexteræ excelſi permutatio. Speraveruntque omnes & ſinguli, *Angliam* quaſi Ægyptiaco jugo, quo diu antè premebatur, per Dei gratiam ſuis temporibus liberatam, tam per *Romanæ* eccleſiæ protectionem, cujus alis ſe credebant obumbrari, & ſic velut ſub clypeo divinæ militiæ, cui ſervire regnare eſt, pace & libertate gaudere: tum propter Regis humiliationem deſideratam, quam ſperaverant omni manſuetudini & paci fœliciter inclinatam. Sed longè aliter, proh pudor & proh dolor! & nimis diſſimiliter quàm ſperatum fuit, evenit. Credebatur fortuna arridendo nectar propinaſſe; cum fellita pocula & venena præparavit. Ecce enim filii *Belial* (diabolo procurante) qui ſucceſſibus hominum ex antiqua ſua conſuetudine, videlicet ruptarii nequiſſimi, qui bella potiùs quàm pacem voluerunt, regiis auribus verba diſcordiæ ſuſurrando inſtillarunt. Dixerunt enim grunniendo & deriſionibus multiplicatis ſubſannando: Ecce vigeſimus quintus Rex in *Anglia:* ecce jam non Rex, nec etiam regulus, ſed Regum opprobrium: malle deberet non Rex, quàm ſic Rex eſſe. Ecce Rex ſine regno: Dominus ſine dominio: Ecce *Alficus* nauci & angularis, rota quinta in plauſtro: Regum ultimus, & populi abjectio. Heu miſer & ſervus ultimæ conditionis, ad quam ſervitutis miſeriam devolutus es? Fuiſti Rex, nunc fæx: fuiſti maximus, nunc minimus. Nihil infœlicius quàm fuiſſe fœlicem. Et ſic iram provocantes, addendo flammam vento ab igne ſulphureo ſcintillas excitarunt.

TUNC Rex nimis credulus ſuſurris abominabilium Ruptariorum, quos ex conſuetudine in propriam perniciem nimis libenter, abjectis naturalibus ſuis hominibus, educaverat, animum ſummutavit; & cor ejus peſſimis conſiliis inclinavit: leve eſt enim fluctuantem movere, & proclivum ad mala, ad flagitia præcipitare. Tunc Rex ab alto ducens ſuſpiria, *Averſio cordis Regis.*

conceptæ

1215. concepta indignatione maxima, cæpit in ſeipſo tabeſcere, & lamentationibus multiplicatis conquerendo dicere: Ut quid me genuit mater mea infœlix & impudica? Ut quid genibus exceptus, ut quid uberibus ablactatus, infauſtum accepi incrementum? Ferrum mihi potiùs quàm alimentum debuit præparari. Cœpit frendere dentibus, oculis torvis intuitum retorquere, arreptos baculos & ſtipites more furioſi nunc corrodere, nunc corroſos confringere. Et inordinatorum geſtuum plurimis argumentis, conceptum dolorem imò furorem manifeſtare. Et ſtatim in ipſa nocte clanculò confectis literis, miſit ad *Philippum Marc* conſtabularium caſtri de *Notingham*, natione *Pictavenſem*. Similiter & ad omnes ſuos alienigenas, in quibus maximè confidebat anima ſua; ut caſtra ſua victualibus munirent, foſſatis ambirent, ſervientibus ſtipendiariis roborarent, baliſtas & machinas pararent, ſpicula fabricarent; cautè tamen & ſine prorumpentibus comminationibus, ne Barones id fortè comperientes, repagulorum impedimenta, ne furor regius procederet, præpararent. Sed cùm nihil occultum quod non reveletur, per commeantes citò magnatibus hæc mala præmeditatio & periculoſa machinatio, innotuit. Et aliqui de prudentioribus eundem adierunt; ut ſi vera eſſent quæ dicebantur diligenter explorarent. Et conſolationibus ſalubribúſque conſiliis indignationem ejus averterent; & eam ab iniquo propoſito, antequàm nequiter inciperetur, revocarent. Sed Rex ſereno vultu, virus intrinſecum coram magnatibus palliando, ſe nihil ſiniſtrum meditari jurando per pedes Dei, conſtanter affirmavit. Et ſic murmur jam exortum, per falſa commenta, & faciendo cachinnos ex adverſo ſedentes, ſubdolè pacificavit. Veruntamen quia difficilè ſe capit furioſus plurimis ſignis, ipſi magnates antequàm ipſum Concilium ſolveretur, perceperunt, quod cor Regis averſum eſſet ab eis, & decidiſſet vultus ejus, & continua mente præſaga futuros eventus ponderabant; dicentes, væ nobis, immò toti *Angliæ* carenti Rege veraci, & oppreſſæ tyranno ſubdolo, & ſummis conatibus regnum miſerabile evertenti. Nos jam *Romæ* ſubjecit & *Romanæ* Curiæ, ut protectionem ab ea conſequeremur; timendum eſt ne injurioſas ſuppeditationes in poſterùm inveniamus. Nunquam audivimus de aliquo Rege, qui nollet colla ſervituti ſubtrahere, iſte ſponte ſuccumbit. Et ſic lamentantes Regem recedendo reliquerunt; ad propria revertentes.

Rex Johannes *ad* Vectam *inſulam clàm aufugit.*

RECEDENTIBUS, ut dictum eſt, de colloquio Baronibus, Rex *Anglorum Johannes* ſolus remanſit; ut vix ſibi ſeptem equites de propria familia ſupereſſent. Qui nocte illa in craſtino de *Windleſhores* ſine quiete quieſcens; ante lucem confuſus & animo nimis conſternatus, ad *Vectam* inſulam latenter confugit. Ubi in angaria mentis aliquandiu conſtitutus, exquiſitis verſutiis excogitavit, quo contra Barones ultionis genere uteretur (ille ira excandeſcens, de qua dicit ſanctus quidam: *Ira eſt libido ulciſcendi*) cupiénſque dummodò ultus, cum confuſis confundi. Tandem poſt meditationes diverſas, in duobus gladiis, cum *Petro* Apoſtolo, id eſt in ſpirituali & materiali, ab hoſtibus vindictam quærere prælegit: ut ſi in uno non poſſit, in altero fiducialiter triumpharet. Ut autem in gladio ſpirituali percuteret, miſit ad curiam *Romanum Pandulphum* domini Papæ ſubdiaconum, cum aliis quibuſdam nunciis; immemor tam profundi jurisjurandi adhuc recentis, ut Baronum propoſitum authoritate Apoſtolica irritarent. Miſit etiam *Walterum Wigornienſem* epiſcopum & *Angliæ* Cancellarium, *Johannem* epiſcopum *Norwicenſem*, *Richardum* de *Mariſco*, *Willielmum Gernun*, & *Hugonum* de *Boves* ad omnia finitima regna tranſmarina, cum ſigillo ſuo propter militare præſidium; promittens eis terras, poſſeſſiones amplas cum pecunia *non* modica; & ad majorem fidem, ſi neceſſe eſſet, facerent omnibus venire volentibus chartas de ſecuritate & ſtipendio militari; terminúmque eis præfixit, quatenùs cum univerſis quos attrahere poterant, venirent ad ipſum apud *Doveram* ad feſtum ſancti *Michaëlis*. Miſit prætereà literas ſuas, ad majorem ſui & totius regni perniciem & confuſionem, ad omnes Caſtellanos de ſuo regno *Angliæ*; præcipiens ſingulis, ut caſtella ſua omni victualium & armorum genere, cum præſidio militari ita munirent, ut ſufficeret eis ad defenſionem, ſi contingeret illos in craſtino obſideri. Ipſe autem Rex interim cum paucis miniſtris, quos de familia *Norwicenſis* epiſcopi emendicatos habebat, piratæ exercens officium; nautarum ſibi quinque portuum gratiam reconciliare vacavit. Sícque in inſula prædicta & circa maritima, quaſi ſub dio latens, omni regio tumultu poſtpoſito, per tres menſes inter undas & nautarum collegia, in contemplatione proditionis vitam agebat ſolitariam. Veruntamen interim diverſa de eo diverſorum verſabatur ſententia; præcipuè cum à quibuſdam piſcator, ab aliis mercator, & piraticus prædator, à nonnulli verò Apoſtata diceretur. Et cum propter ejus tam diutinam abſentiam quæreretur à multis & non inveniretur, undis eum crediderunt ſubmerſum; vel alio quocunque mortis genere, per ſe vel per alium peremptum. Rex autem omnia hæc conferens in corde ſuo, tacitè nunciorum ſuorum, quorum quoſdam ad curiam *Romanam*, nonnullos propter militare præſidium deſtinavit; hoſtilium amicorum, & amicabilium hoſtium, præſtolabatur adventum.

Barones ad Torneamenta ſe præparant.

BARONES intereà qui in urbe *Londoniarum*, quaſi toto negotio completo; condixerunt inter ſe, ut apud *Stanford* ad *Haſtiludium* convenirent: unde *Willielmo* de *Albineto* viro nobili & per omnia laudabili, ſub hac forma literas direxerunt. Robertus *filius* Walteri, *Mareſchallus exercitus Dei & ſanctæ eccleſiæ, & alii magnates ejuſdem exercitus, nobili*

viro

1215.

viro Waltero de Albineto *ſalutem. Benè ſcitis, quam magnum commodum ſit vobis & nobis omnibus, ſervare Civitatem* Londoniarum, *quæ eſt receptaculum noſtrum; & quantum dedecus eſſet & damnum nobis, ſi per defectum noſtrum eam amitteremus. Sciatis etiam certiſſimè, quod præmoniti fuerimus, quod quidam ſunt, qui nihil aliud expectant, niſi quòd receſſiſſemus à civitate prædicta, ut ita eam ſubitò poſſent occupare. Et ideò per commune conſilium prolongavimus Torneamentum, quod captum fuit apud* Stanfort, *die Lunæ proxima poſt feſtum Apoſtolorum* Petri & Pauli, *uſque ad diem Lunæ proximam poſt octavas prædictas. Erit autem Torneamentum juxta* Londinum *in* Bruera *de* Stanes, *& villam de* Hundeſlawe*: & hoc fecimus propter ſecuritatem noſtram & civitatis prædictæ. Et ideò mandamus vobis & rogamus diligenter, quod ad Torneamentum prædictum, cum equis & armis ita providè veniatis, quòd honorem inde habeatis. Qui meliùs ibi faciet, habebit urſum, quem domina quædam mittet ad Torneamentum. Valete.* Talibus frivolis & otioſis actibus indulſerunt, neſcientes laqueos ſubdolos ſibi præparari.

Vocatio ad Concilium generale.

EODEM anno, vocati ſunt à Papa *Innocentio Romæ* ad Concilium generale, Prælati univerſalis eccleſiæ; Patriarchæ ſcilicet, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Primicerii, Archidiaconi, Decani cathedralium eccleſiarum, Abbates, Priores, *Templarii* & *Hoſpitalarii*; ut comparerent in præſentia domini Papæ in urbe *Roma*, Calendas Novembris, ſicut canonicam vitare voluerint ultionem.

Allegationes nunciorum Regis Angliæ *apud Papam.*

PER idem tempus ſteterunt *Romæ* in præſentia domini Papæ, nuncii Regis *Anglorum*; allegantes coram eò rebelliones & injurias, quas Barones *Angliæ* excitaverant adversùs Regem memoratum, exigentes ab eo quaſdam leges & libertates iniquas, quas dignitatem Regiam non decuit confirmare. Et cùm poſt motam inter eos diſcordiam, Rex & Barones de pace tractaturi multoties conveniſſent; idem Rex publicè proteſtatus eſt coram eis, Regnum *Angliæ* ratione dominii ad *Romanam* eccleſiam ſpecialiter pertinere. Unde nec potuit nec debuit præter conſcientiam domini Papæ de novo aliquid ſtatuere, vel quicquam in ejus præjudicium in Regno immutare. Quocirca cum interpoſita appellatione, ſeipſum & omnia jura regni ſui ſub protectione ſedis Apoſtolicæ ſuppoſuiſſet; dicti Barones appellationi factæ non deferentes, civitatem *Londoniarum*, quæ caput regni ſui eſt, proditione ſibi traditam occupârunt, & adhuc detinent occupatam. Quòd cùm factum fuiſſet, ad equos convolantes & arma, exegerunt à Rege libertates præſcriptas ſibi confirmari. Ipſéque eorum metuens impetum, quod petebant non auſus eſt denegare. Porrexerunt ergò nuncii memorati domino Papæ quædam capitula de charta prædicta, in ſcriptum redacta; quæ cauſæ Regis magis videbantur congruere. Quæ cum diligenter inſpexiſſet, cum admiratione reſpondit, rugis contractis indignationem teſtantibus: *Nunquid Barones Angliæ Regem cruce ſignatum, & ſub protectione ſedis Apoſtolicæ conſtitutum, à ſolio regni nituntur expellere, & dominium Romanæ eccleſiæ ad alium transferre? Per ſanctum* Petrum, *hanc injuriam non poterimus præterire impunitam.* Tunc Papa habita deliberatione cum Cardinalibus, chartam ſæpè dictam de libertatibus Regni *Angliæ* conceſſis, in perpetuum per ſententiam diffinitivam damnatam caſſavit; & in illius rei teſtimonium, Regi *Anglorum* privilegium ſubſcriptum tranſmiſit.

Irritæ factæ ſunt à Papa Libertates Angliæ.

INNOCENTIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis* Chriſti *fidelibus hanc paginam inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi chariſſimus in* Chriſto *filius noſter* Johannes Rex Anglorum *illuſtris, Deum & eccleſiam vehementer offenderit; unde nos eum vinculo excommunicationis innodavimus, & regnum ejus eccleſiaſtico ſubjecimus interdicto; ipſe tamen (illo miſericorditer inſpirante qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat,) tandem converſus ad cor, Deo & ecclêſiæ humiliter ſatisfecit; in tantum, quòd non ſolùm recompenſationem pro damnis, & reſtitutionem exhibuit pro ablatis, verùm etiam plenariam libertatem contulit eccleſiæ* Anglicanæ. *Quinimò utraque ſententia relaxata, regnum ſuum tam* Angliæ *quàm* Hyberniæ, *beato* Petro *& eccleſſæ* Romanæ *conceſſit: recipiens illud à nobis in feudum ſub annuo cenſu mille marcarum, fidelitatis nobis inde preſtito juramento, ſicut per privilegium ejus apparet aurea bulla munitum. Adhuc etiam omnipotenti Deo amplius placere deſiderans, ſignum vivificæ Crucis reverenter accepit, profecturus in ſubſidium* Terræ ſanctæ; *ad quod ſe magnificè præparabat. Sed humani generis inimicus, qui ſemper conſuevit bonis actibus invidere; ſuis callidis artibus adversùs eum Barones* Angliæ *concitavit; ita ut ordine perverſo in illum inſurgerent, poſtquàm converſus eccleſiæ ſatisfecit, qui aſſiſtebant eidem quando eccleſiam offendebat. Orta ſiquidem inter eos diſſentionis materia, cum plures dies ſtatuti fuiſſent, ad tractandum de pace; utrumque interim ſolennes nuncii ad noſtram fuerunt præſentiam deſtinati. Cum quibus habito diligenti tractatu, poſt plenam deliberationem ſcripſimus per eoſdem* Stephano Cantuarienſi *Archiepiſcopo & Epiſcopis* Anglicanis; *præcipiendo mandantes, ut ad reformandam inter utroſque veram & plenam concordiam diligens impenderent ſtudium & operam efficacem, omnes conjurationes & conſpirationes, ſi quæ fuerant fortè præſumptæ à tempore ſubortæ diſcordiæ inter Regnum & ſacerdotium, Apoſtolica denunciantes auctoritate caſſatas; & per excommunicationis ſententiam inhibentes, ne talia de cæterò præſumerentur à quoquam. Magnates & nobiles* Angliæ *monendo prudenter, & efficaciter injungendo; ut per manifeſta devotionis & humilitatis indicia, ipſum Regem ſibi placare ſtuderent: ac deinde ſiquid ab eò ducerent poſtulan-*

1215. poſtulandum, non inſolenter ſed humiliter implorarent; regalem conſervantes ei honorem, & exhibentes ſervitia conſueta, quæ ipſi & predeceſſores eorum ſibi & prædeceſſoribus ſuis impenderunt: cùm ab eis ipſe Rex non debet abſque judicio ſpoliari, ut ſic quod intenderent, poſſent faciliùs obtinere. Nos enim eundem Regem per literas noſtras rogavimus & monuimus, & per præfatos Archiepiſcopum & epiſcopos nihilominùs rogari & moneri mandavimus, in remiſſionem ſibi peccaminum injungentes; quatenùs prædictos magnates & nobiles benignè tractaret, & juſtas eorum petitiones clementer admitteret; ut & ipſi congaudendo cognoſcerent, eum in meliorem ſtatum divina gratia eſſe mutatum, ac per hoc ipſi & hæredes eorum ſibi & hæredibus ſuis deberent promptiùs & devotiùs familiari: plena eis in veniendo, morando & recedendo ſecuritate conceſſa; ita quòd ſi fortè nequiret inter eos concordia provenire, in curia ſua per pares eorum, ſecundùm leges & conſuetudines regni ſuborta diſſenſio ſopiretur. Verùm antequàm nuncii cum hoc provido & juſto mandato rediiſſent, illi juramento fidelitatis omninò contempto: cùm etſi Rex eos injuſtè gravaſſet, ipſi tamen non debuiſſent ſic agere contra eum: ut in cauſa ſua iidem judices & executores exiſterent vaſſalli contra dominum, & milites contra Regem publice conjurantes; non ſolùm cum aliis, ſed cum ejus manifeſtiſſimis inimicis præſumpſerunt contra eum arma movere; occupantes & devaſtantes terras illius; ita quoque, quòd civitatem Londinenſem, quæ ſedes eſt regni, proditione ſibi traditam invaſerunt. Interim autem præfatis nunciis revertentibus, Rex obtulit eis ſecundùm formam mandati noſtri juſtitiæ plenitudinem exhibere; quam ipſi omninò ſpernentes, cœperunt manus extendere ad pejora. Unde Rex ipſe ad audientiam noſtram appellans, obtulit eis exhibere juſtitiam coram nobis, ad quem hujus cauſæ judicium ratione dominii pertinebat: quod ipſi ſunt penitùs aſpernati. Deinde obtulit illis ut tam ab ipſo quàm ab illis quatuor viri eligerentur prudentes, qui unà nobiſcum ſubortam inter eos diſcordiam terminarent; promittens quòd ante omnia revocaret univerſos abuſus, quicunque fuiſſent in Anglia ſuo tempore introducti: ſed nec hoc illi dignati ſunt acceptare. Tandem illis Rex propoſuit, quòd cum regni dominium ad Romanam eccleſiam pertineret, ipſe non poterat nec debebat, abſque noſtro ſpeciali mandato, quicquam de illo in noſtrum præjudicium immutare. Unde rurſus ad noſtram audientiam appellavit; ſeipſum ac regnum cum omni honore ac jure ſuo Apoſtolicæ protectioni ſupponens. Sed cum nullo modo proficeret, poſtulavit ab Archiepiſcopo & epiſcopis, ut noſtrum exequeretur mandatum. Jus eccleſiæ Romanæ defenderent; ac tuerentur eundem ſecundùm formam privilegii Cruce ſignatis indulti. Porrò cùm ipſi nihil horum facere voluiſſent, videns ſe omni auxilio & conſilio deſtitutum; quicquid illi auſi ſunt petere, non eſt auſus ipſe negare. Unde compulſus eſt per vim & metum, qui cadere poterat in virum etiam conſtantiſſimum, compoſitionem inire cum ipſis, non ſolùm vilem & turpem, verùm etiam illicitam & iniquam; in nimiam derogationem ac diminutionem ſui juris pariter & honoris. Quia verò nobis à domino dictum eſt in Propheta: Conſtitui te ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtrues, ædifices & plantes. Itémque per alium Prophetam: Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes. Nos tantæ malignitatis audaciam diſſimulare nolentes in Apoſtolicæ ſedis contemptum, Regalis juris diſpendium, Anglicanæ gentis opprobrium, & grave periculum totius negotii Crucifixi; quod utique immineret, niſi per authoritatem noſtram revocarentur omnia, quæ à tanto Principe Cruce ſignato taliter ſunt extorta, & ipſo volente ea ſervare, ex parte Dei omnipotentis Patris & filii & Spiritus ſancti, authoritate quoque Apoſtolorum ejus Petri & Pauli ac noſtra, de communi fratrum noſtrorum conſilio, compoſitionem hujuſmodi reprobamus penitùs & damnamus; ſub intimatione anathematis prohibentes, ne dictus Rex eam obſervare præſumat, aut Barones cum complicibus ſuis ipſam exigant obſervari; tam chartam, quàm obligationes ſeu cautiones quæcunque pro ipſa vel de ipſa ſunt factæ, irritantes penitùs & caſſantes; ut nullo unquam tempore aliquam habeant firmitatem. Datum Agnaniæ, nono Calendas Septembris, Pontificatus noſtri decimo octavo.

Injunctio Papæ in Barones.

CASSATIS hunc in modum libertatibus prædictis, idem Papa Baronibus *Angliæ* ſcripſit in hæc verba. *Innocentius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, nobilibus viris* Angliæ, *ſpiritum conſilii ſanioris. Utinam in perſequutione quam temerè commoviſtis adverſus dominum veſtrum Regem, attendiſſetis prudentiùs fidelitatis priſtinæ juramentum; jus Apoſtolicæ ſedis, noſtræ proviſionis mandatum, & privilegium Cruce ſignatis indultum. Quia proculdubiò non ſic proceſſiſtis ad factum, quin omnes qui illud audiunt, quaſi facinus deteſtantur; præſertim cum in cauſa veſtra, vos ipſos judices & executores feceritis; eodem Rege parato in Curia ſua, vobis per pares veſtros ſecundùm leges & conſuetudines regni, juſtitiæ plenitudinem exhibere; vel coram nobis, ad quem hujus cauſæ judicium ratione dominii pertinet, vel etiam coram arbitris eligendis, hinc inde, unà nobiſcum in ipſo negotio proceſſuris. Unde cum nihil horum dignati fueritis acceptare, ad noſtram audientiam appellavit; ſeipſum ac regnum cum omni honore & jure ſuo Apoſtolicæ protectioni ſupponens; publicè proteſtando, quòd cùm ejuſdem Regni dominium ad* Romanam *eccleſiam pertineret, ipſe non poterat nec debebat quicquam de illo in noſtrum prejudicium immutare. Cum igitur illa compoſitio qualiſqualis ad quam per vim & metum induxiſtis eundem, non ſolùm ſit vilis & turpis, verùm etiam illicita & iniqua, ut meritò ſit ab omnibus reprobanda, maximè propter modum: nos qui tam Regi quàm regno tenemur & ſpiritualiter & temporaliter providere, per Apoſtolica ſcripta vobis præcipiendo mandamus, & in recta fide conſulimus, quatenùs facientes de neceſſitate virtutem, renuncietis compoſitioni hujuſmodi per vos ipſos,*

1215.

ipſos, & ſatisfaciatis eidem Regi ac ſuis de damnis & injuriis irrogatis; ut idem Rex per manifeſta devotionis & humilitatis indicia placatus à vobis, per ſeipſum emendet quicquid de jure fuerit concedendum. Ad quod etiam & nos ipſum efficaciter inducemus. Quoniam ſicut nolumus, quod ipſe ſuo jure privetur; ita volumus ut ipſe à veſtro gravamine, deſiſtat: ne per conſuetudines pravas & exactiones iniquas, ſub noſtro dominio Regnum Angliæ *opprimatur. Eritque firmum & ſtabile in perpetuum, quod tali modo fuit ordinatum. Inſpiret igitur vobis ille, qui neminem vult perire, ut adquieſcatis humiliter noſtris ſalubribus conſiliis & mandatis: ne ſi ſecùs egeritis, in eum incidatis articulum neceſſitatis, quem tandem evadere ſine multo gravamine non poſſitis. Quemadmodum ut de cæteris taceamus, nulla ratione diſſimulare poſſemus grave periculum totius negotii Crucifixi; quod utique immineret, niſi per authoritatem noſtram revocarentur omninò, quæ à tanto Principe Cruceſignato taliter ſunt extorta, & ipſo volente illa obſervari. Quare dum apud nos Archiepiſcopus & epiſcopi* Angliæ, *præſentes extiterint in concilio generali, quod ad expediendum Crucis negotium principaliùs intendemus celebrare; procuratores idoneos ad noſtram præſentiam deſtinetis, ſecurè vos beneplacito noſtro committentes: quia nos ea, favente domino, ſtatuemus per quæ gravaminibus & abuſibus de regno* Angliæ *prorſus excluſis,* Rex *ſuo ſit jure & honore contentus; & tam clerus quàm populus univerſus debita pace ac libertate lætetur. Datum* Agnaniæ *nono Calendas Septembris Pontificatus noſtri anno decimo octavo.* Cúmque tandem, Rege *Anglorum* procurante, magnates *Angliæ* has literas tam commonitorias quàm comminatorias accepiſſent; noluerunt deſiſtere ab incœptis: ſed adhuc inſurgentes, eum acriter infeſtabant, dicendo de Papa illud propheticum: *Væ qui juſtificatis impium*, &c.

Willielmus de Albineto Roffenſe caſtrum militibus munivit.

INTEREA cum vir nobilis *Willielmus* de *Albineto* literas Magnatum *Londini* commorantium frequenter accepiſſet, & quòd advenire diſtulerit, non mediocriter increpatus fuiſſet; in feſto ſancti *Michaëlis* caſtrum de *Bealvero* omni genere victualium & armorum ſatis ſupérque munitum, fidelium ſuorum cuſtodiæ deputavit. Deinde *Londonias* veniens, cum ingenti Baronum lætitia ſuſceptus eſt; qui ſtatim communicato conſilio, viam Regi præcludere cogitantes, ne ex parte aliqua pateret ei aditus *Londonias* obſidendi, manum validam elegerunt; cui præficientes dictum *Willielmum* de *Albineto*, utpotè virum animo ſtrenuum & in rebus bellicis expertum, eos ad occupandum *Roffenſe* caſtrum deſtinaverunt. Erat autem paulò antè Caſtrum illud à Rege Archiepiſcopo fiducialiter commiſſum: veruntamen qua conſcientia neſcio, dominus ſcit, illud regiis tradiderit inimicis. Qui cum fuiſſent ingreſſi, invenerunt locum non ſolùm armis & alimentis, verùmetiam omni genere bonorum, præter illa, quæ ſecum detulerant, deſtitutum. Unde multi nobiles pœnitentia ducti, caſtrum deſerere cogitabant. Sed hortante *Willielmo* de *Albineto*, & ſocios animante; incœpta deſerere ſordidum eſſe perſuadebantur. Itaque dictis ejus omnes viriliter animati, in caſtrum illud, ſola ea victualia quæ in villa *Roffenſi* reperire poterant, abraſerunt; importantes quæ poterant. Et cùm eſſent milites numero ſepties vigeſies cum ſequela ſua; non ſuppetebat temporis ſpatium quò poſſent vel prædam in provincia agere, vel in aliquo ſibi munimine providere.

Rex Johannes Roffenſe *municipium obſidet.*

CUMQUE, ut dictum eſt, *Willielmus* de *Albineto* & ſocii ejus prædictum caſtrum fuiſſent ingreſſi; Rex *Anglorum Johannes* poſt trium menſium moram, ex *Vecta* prorumpens inſula, *Doveram* uſque navigavit: ubi ejus nuncii, quos ad partes miſerat tranſmarinas, ad eum venientes, conduxerunt ſecum ex partibus diverſis militum & armatorum multitudinem, quod omnibus eos intuentibus timorem pariter & horrorem incuſſit. Venerunt enim ex partibus *Pictaviæ* & *Waſconiæ* viri nobiles & bellatores: *Savaricus* de *Maloleone*, *Gaufridus* & *Oliverius* de *Butevilla* fratres; cum maximis militum & armatorum copiis comitati, fidele Regi obſequium promiſerunt. Venerunt igitur ex regionibus *Lovaniæ* & *Brabantiorum* viri ſtrenuiſſimi, *Walterus Buck*, *Gerardus Sotinni* & *Godeſchallus*; cum tribus armatorum & baliſtariorum legionibus; qui nil potiùs quàm humanum ſanguinem ſitiebant. Advenerunt prætereà ad dictum Regem, de regione *Flandrenſium* & aliarum regionum tranſmarinarum; omnes qui alienis inhiabant, * *viſpiliones* & exules, excommunicati, homicidæ, quibus patria fuit exilium, non refugium; & Regi deſperato ſpem maximam reſiſtendi præbuerunt, eidem adhærentes. Rex autem *Johannes* cùm *Willielmum* de *Albineto* & ejus ſocios *Roffenſe* municipium ingreſſos cognoviſſet; cum omni multitudine prædicta illùc ociùs avolavit, & die tertia poſtquàm caſtrum ingreſſi ſunt, obſeſſis exeundi facultatem auferens, ipſos obſidione vallavit. Cúmque Rex petrarias & alias machinas circa caſtrum collocaſſet, incluſos lapidibus aſſiduis & crebris telorum jaculis acriter infeſtabat. Incluſi quoque inſultus eorum æquo ferentes animo, ſeſe viriliter defendebant; hoſtes à muris longiùs repellentes. Et ſi eis ſufficerent inſtrumenta defenſionis obſeſſis, ſicut obſidentibus; impetus eorum pro nihilo habuiſſent.

* Veſpertiliones.

Mors Hugonis *de* Boves.

VENIT intereà *Hugo* de *Boves* miles ſtrenuus, ſed ſuperbus & iniquus, ad portum *Caleſiæ* in *Flandria*, cum innumera multitudine armatorum, in auxilium Regis *Anglorum*: ùbi cum tota multitudine ſua naves ingreſſus, verſùs *Doveram* vela dirigere ſatagebat. Sed ſubita tempeſtate ſuborta, antequàm deſideratum perveniſſet ad portum, naufragium perpeſſi, omnes in mari ſubmerſi ſunt. Projectus eſt in ſiccum prædictus *Hugo* non longè à portu de

1215. *Jernemeve*, cum aliis innumeris militibus & ſervientibus; atque in locis diverſis in illa maris parte in portubus ſingulis tanta hominum & mulierum multitudo inventa eſt, quòd etiam aërem ipſum ſua putredine inficerent. Inventa eſt prætereà parvulorum innumera multitudo, quæ in ſuis cunabulis ſubmerſa eſt, & in terram projecta; quod multis in horribile ſpectaculum præbuit. Dati ſunt denique omnes beſtiis maris & cœli volatilibus ad devorandum; ita quòd nec unus de quadraginta millibus hominum vivus evaſerit. Heu, heu, quot fuit cauſa ruinæ ille *Johannes* Rex *Angliæ*; bonorum diſſipator, & diſcordiæ ſeminator? Venit ergo ad hoc omne hominum in *Angliam* cum mulieribus & parvulis; ut expulſis indigenis à regno & penitùs exterminatis, ipſi jure perpetuo terram poſſiderent. Dederat namque Duci eorum prædictus crudelis Rex, imò cruentus ille Tyrannus, dicto *Hugoni* de *Boves*, ſeductori, fugitivo, provincias de *Norfolc* & *Suffolc* (ut fama refert) per chartam ſuam: ſed gratia divina eorum conſilium in melius commutavit. Eorum autem caſus cùm ad Regem perveniſſet, ira vehementi ſuccenſus, die illa cibum nullum ſumpſit; ſed uſque ad veſperam quaſi furia invectus, vix ſe potens capere, in amaro fremitu ſeipſum corrodebat. Eadem nocte qua periit *Hugo* de *Boves*, facta eſt tempeſtas inaudita, qualis non prævidebatur; ſcilicet venti, pluviæ, tonitrus, & coruſcationes. Contigit ut ex virtute obedientiæ oportuit quendam monachum de ſancto *Albano*, manentem apud *Binham*, *Robertum* nomine de *Weſtuna*, ut iret ad *Norwicum*, & cùm in medio itineris eſſet, orta eſt illa tempeſtas, & medium noctis erat, & vidit exercitum innumerabilem equitantium, equos maximos & nigros cum candelis ſulphureis, quorum non erat numerus, qui & ipſi Monacho adhærebant ſecundùm quendam ordinem.

Captio Caſtri Roffenſis.

EODEM tempore, cùm Barones *Angliæ Willielmum* de *Albineto* & ejus ſocios in caſtro *Roffenſi* cognoverunt obſeſſos, perturbati ſunt valdè: quia antequam dictus *Willielmus* caſtrum ingredi vellet, juraverant dicti Barones, tactis ſacroſanctis Evangeliis, quòd ſi ipſum contingeret obſideri, ipſi omnes obſidionem pro poſſe diſſolverent. Unde ipſi incluſi ſupra modum anguſtiati, ſæpè cum lamentabilibus ſuſpiriis dicebant: *O perjure, O perfide* Roberte *fili* Walteri! *ubi ſunt fallaces promiſſiones tuæ, aſſertiones cum jurejurando?* Ut ergò aliquid agere viderentur propter juramentum & fidei ſponſionem, ad arma, ſed nimis ſerò communiter convolarunt: & ad villam de *Dertefort* iter arripientes, quaſi obſidionem regiam ſoluturi. Sed obſtante frontibus eorum clementiſſimo Auſtrali vento, qui nulli moleſtus eſſe conſuevit; quaſi gladiis obviantibus repercuſſi, expeditionem deſerunt inchoatam. Et cùm maximè non ſit omni flatui credendum, *Willielmo* tum obſeſſo ejúſque ſociis, terga vertentes, ad nota latibula remearunt. Reverſi verò in civitatem *Londinenſem*, Epicœnicè prandentes, & bibentes, ad damnoſam ludentes aleam, & voluntatibus indulgentes *Roffenſes* obſeſſos reliquerunt diſcrimini mortis, in omni miſeriarum genere conſtitutos. Nempe cùm fuiſſet à Rege compertum, quàm pompoſè Barones ad diſſolvendum obſidionem advenerant, & quàm turpiter & ignominiosè redierant, ut quaſi mus à monte parturiente naſcebatur, audacior effectus; miſit prædones undique, qui victualia ad ſuſtentationem exercitus undique congregarent: nec interim diebus aut noctibus requies ulla dabatur incluſis. Nam inter lapides petrariarum & fundarum flagellantium, inter ſagittariorum & baliſtariorum à militibus & ſervientibus creberrimi fiebant inſultus: ita quòd iſtis modò laſſatis, alii recentes inſurgebant ad inſultus renovatos, ut inter viciſſitudinum mutationes obſeſſi requiem non haberent. Incluſi verò de Baronum ſubventione penitùs deſperati, imminentem ſibi mortem differre ſatagebant. Timuerunt enim non mediocriter ignobilem Regis tyrannidem, quæ non novit parcere ſuperatis. Unde ne inulti occumberent, imò cruentam de ſe victoriam relinquerent; animos quaſi leones læſi, ferociſſimos nacti, ſtragem non modicam aſſilientibus intulerunt. Protrahitur quidem multis diebus obſidio, præ nimia incluſorum probitate & audacia; qui lapides pro lapidibus, tela pro telis alacriter emittentes, hoſtes à muro & propugnaculis longiùs alacriter repulerunt. Denique cùm innumera turba ex Regis multitudine corruiſſet, & omnia inſtrumenta eorum bellica parùm profeciſſent, Rex ſuffoſſores adhibuit, qui tandem magnam murorum portionem proſtraverunt. Denique alimentis incluſis deficientibus, equos ſuos dextrarios & pretioſos de neceſſitate comedere cogebantur. Tunc Regii milites ad murorum ſciſſuras potenter convolantes, inſultus acerrimos agentes & continuos, non tamen ſine ſuorum damno, incluſos caſtrum deſerere coëgerunt. Quibus turrim ingreſſis, Regii milites ad ſciſſuras murorum caſtrum intrantes, hoſtibus acriter inſurgebant. Sed *Willielmus* de *Albineto* cum commilitonibus ſuis, multis ex eis interfectis, exire de caſtro audacter coëgit. Deinde Rex adhibitis ad turrim ſuffoſſoribus, & muris licèt cum difficultate diſſolutis, aſſilientibus paraverunt ingreſſum. Et ad hoc cùm Regis exercitus plurimùm niteretur, incluſi eorum laceratis agminibus, retrocedere compulerunt. Demùm cùm *Willielmo* de *Albineto* & aliis viris nobilibus, qui cum illo erant, nec unica refectionis buccella ſuperfuiſſet: turpe ſibi nimis videbatur fame perire, cùm armis ſuperari non poſſent. Unde communicato conſilio omnes ferè illæſi, excepto uno milite ſolo, qui telo percuſſus interiit; exeuntes de turri in die beati *Andreæ* Apoſtoli, ſeſe Regi præſentaverunt. Duraverat autem obſidio tribus ferè menſibus: unde Rex tum propter multitudinem interfectorum, tum propter infinitam pecuniæ

cuniæ ſummam, quam in obſidione conſumpſerat, nimio furore ſuccenſus, univerſos nobiles illos, ſine miſericordiæ conſideratione, patibulo ſuſpendi præcepit. Sed vir nobilis *Savaricus* de *Mallo* leone, in faciem Regi reſiſtens, ait: Domine Rex, guerra noſtra nondum finita eſt, unde nobis diligenter conſiderandum eſt, quàm varios eventus bella ſortiantur. Nempe ſi nobis iſtos nunc ſuſpendio tradatis, Barones adverſarii noſtri, vel me fortè vel alios de exercitu veſtro nobiles intercipere potuerunt; & conſimili caſu in brevi & exemplo veſtri ſuſpendio tradere, quod abſit à vobis, ne contingat: quia tali conditione nullus in veſtro obſequio militaret. Tunc Rex, licèt invitus, conſilio ejus & aliorum virorum prudentum adquieſcens, *Willielmum* de *Albineto*, *W.* de *Lancaſtre*, *W.* de *Emeford*, *Thomam* de *Muletun*, *Oſbertum Giffard*, *Oſbertum* de *Bouhi*, *Odinellum* de *Albineto*, & alios nobiliores miſit ad caſtrum de *Corf* ſub arcta cuſtodia deputandos. *Robertum* verò de *Chaurna*, & *Richardum Giffart*, cum *Thoma* de *Lincoln* apud caſtrum de *Nothingham*, alióſque per loca diverſa carcerali cuſtodiæ mancipandos direxit. Servientes verò omnes, præter baliſtarios, qui multos in obſidione milites & ſervientes interfecerant; patibulo ſuſpendi præcepit. His ita geſtis, pars Baronum non erat mediocriter infirmata. 1215.

Una dierum dum obſidio caſtri *Roffenſis* duraret, Rex & *Savaricus* circumibant caſtrum, ut infirmiora ejus conſiderarent. Quos cùm cognoviſſet quidam optimus arcubaliſtarius *Willielmi* de *Albineto*, ait illi: Placeat tibi, domine mi, ut occidam Regem hoſtem noſtrum cruentiſſimum ſpiculo hoc, quod habeo promptum? Cui ille: Non, non, abſit gluto peſſime ut in ſanctum Domini mortem procuremus. Et ille: Non parceret tibi in conſimili caſu. Tum *Willielmus*: Fiat Domini beneplacitum. Dominus diſponet, non ille. In hoc ſimilis erat *David* parcentis *Saul*, cùm occidiſſe potuit. Hoc poſteà non latuit Regem, nec ob hoc voluit parcere capto, quin ipſum ſuſpendiſſet, ſi permiſſum ei fuiſſet.

Excommunicatio generalis Baronum Angliæ.

EODEM tempore, Papa *Innocentius*, videns Baronum rebellionem, quòd videlicet à perſecutione Regis deſiſtere contempſerunt, excommunicavit eoſdem: atque ſententiæ executionem Epiſcopo *Wintonienſi*, Abbati de *Redinge*, & *Pandulpho* Eccleſiæ *Romanæ* Subdiacono, ſub hac forma commiſit. Innocentius *Epiſcopus, &c.* P. Wintonienſi *Epiſcopo, Abbati de* Redinge *&* Pandulpho *Eccleſiæ* Romanæ *Subdiacono, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Miramur plurimùm & movemur, quòd cùm chariſſimus in* Chriſto *filius noſter* Johannes *illuſtris Rex* Angliæ, *ſupra ſpem Domino & Eccleſiæ ſatisfecerit; & præſertim fratri noſtro* Stephano Cantuarienſi *Archiepiſcopo, & Epiſcopis ejus, quidam eorum minùs quàm oportuerit & decuerit ad ſanctæ Crucis negotium, Apoſtolicæ ſedis mandatum & fidelitatis præſtitæ juramentum debitum, imò nullum habentes reſpectum; ei contra perturbatores Regni, quod ad* Romanam *Eccleſiam ratione dominii pertinere dinoſcitur, auxilium non præſtiterint vel favorem, quaſi conſcii, ne dicamus ſocii conjurationis iniquæ: quia non caret ſcrupulo ſocietatis iniquæ: qui manifeſto facinori deſinit obviare. Ecce qualiter patrimonium* Romanæ *eccleſiæ Pontifices præfati defendunt? Qualiter Cruceſignatos tuentur; imò qualiter ſe opponunt his, qui deſtruere moliuntur negotium Crucifixi? Pejores proculdubio* Saracenis *exiſtentes; cùm illum conantur à regno depellere, de quo potiùs ſperabatur quòd deberet ſuccurrere terræ ſanctæ. Unde ne talium inſolentia, non ſolùm in periculum Regni* Angliæ, *verùm etiam in perniciem aliorum Regnorum, & maximè in ſubverſionem totius negotii Crucifixi valeat prævalere: nos ex parte Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus ſancti, authoritate quoque Apoſtolorum ejus* Petri *&* Pauli, *ac noſtra; omnes hujuſmodi perturbatores Regis ac regni* Angliæ *cum complicibus & fautoribus ſuis, excommunicationis vinculo innodamus, & terras eorum eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto: præfato Archiepiſcopo & coëpiſcopis ſuis in virtute obedientiæ diſtrictiſſimè injungentes, quatenùs noſtram ſententiam ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis ſolenniter per totam* Angliam *publicare procurent; donec ſatisfecerint Domino Regi de damnis & injuriis irrogatis, & ad ejus obſequium fideliter revertantur. Univerſis inſuper ejuſdem Regis Vaſallis in remiſſionem peccatorum ex parte noſtra injungentes, ut contra perverſores hujuſmodi, præfato Regi tribuant conſilium & juvamen. Si quis autem Epiſcoporum hoc noſtrum præceptum neglexerit adimplere, ſciat ſe ab Epiſcopali officio ſuſpenſum, & ſubjectorum obedientiam eſſe ſubtractam: quia juſtum eſt ut eis inferiores non obediant, qui ſuo ſuperiori obedire contemnunt. Ne igitur mandatum alicujus tergiverſatione valeat impediri, excommunicationis cauſam prædictorum, cum cæteris quæ ad hoc negotium pertinuerint, vobis duximus committendum: per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenùs protinùs omni appellatione poſtpoſita, procedatis ſicut videretis expedire.*

Infauſta electio magiſtri Simonis *de* Langetuna *ad nobilem Eccleſiam* Eboracenſem.

CIRCA dies iſtos, Canonici *Eboracenſis* Eccleſiæ, multo jam tempore paſtore viduati, impetrata à Rege licentia, ad electionem faciendam pariter convenerunt. Et licèt à Rege multis precibus fuiſſent rogati, ut *Walterum* de *Grai Wigornienſem* Epiſcopum ſibi ſuſciperent in paſtorem; tamen reclamantes, illiteratum ipſum eligere diſtulerunt. Veruntamen in electione procedentes, elegerunt magiſtrum *Simonem* de *Langetona*, fratrem Archiepiſcopi *Cantuarienſis*: ſperantes in eo ſcientiam, quam appellant ſapientiam, ſcilicet morum aromate conditam ſcientiam, inſuper favorem domini Papæ obtinere. Sed cùm facta electio ad Regis audientiam perveniſſet, miſit nuncios ad curiam *Romanam*, qui contra electionem illam in præſentia domini Papæ exceptiones hujuſmodi induxerunt. Allegabant enim

1215. Archiepiſcopum *Cantuarienſem* Regiſ *Angliæ* hoſtem eſſe publicum; ut qui Baronibus *Angliæ* incentivum contra Regem eundem præbuit & conſenſum. Unde ſi dictus *Simon*, qui frater ejus eſt Archiepiſcopi memorati, ad Archiepiſcopatum *Eboracenſem* promoveretur; pax Regis & Regni diu ſtare non poterit. Hæc igitur & ſimilia allegantes incommoda, Papam ad conſenſum induxerunt: unde Capitulo *Eboracenſi* ſcripſit in hæc verba: Innocentius *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei*, &c. *Cùm magiſter* Simon de Langetona, *cum quibuſdam aliis Canonicis* Eboracenſibus, *in noſtra nuper eſſet præſentia conſtitutus; nos ei viva voce interdiximus, ne ad obtinendum Archiepiſcopatum* Eboracenſem *intenderet; quia id certis ex cauſis minimè pateremur, & ipſe quidem, quantum verbis expreſſit, huic annuit reverenter. Unde mirari cogimur & moveri, ſi ipſum ambitio adeò excæcaverit, ut cùm ſciret ſe poſt noſtram prohibitionem & ſuam promiſſionem expreſſam de jure eligi non poſſe; ſi tali præſtiterit electioni conſenſum, quam, nullo alio contradicente, nos irritam haberemus. Sed ne hac occaſione fiat in* Anglia *noviſſimus error pejor priore, vel* Eboracenſis *Eccleſia diutiùs maneat paſtore viduata, de communi fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus, quatenùs electione hujuſmodi non obſtante appellatione, cùm inſolentias & machinationes hujuſmodi ſuſtinere nolumus, nec debemus, omni occaſione ac tergiverſatione ceſſantibus; aliquos ex vobis cum communi omni poteſtate ad inſtans Concilium deſtinetis; qui ſaltem uſque Kalendas Novembris noſtro ſe conſpectui repræſentent, perſonam idoneam, cum noſtro electuri vel poſtulaturi conſilio in paſtorem. Alioquin ex tunc nos ipſi curabimus de idoneo vobis Præſule providere; contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles, per diſtrictionem Canonicam graviter punituri. Si verò præfatus* Simon *electioni de ſe factæ conſenſit, nos pœnam, in pœnam ſuæ præſumptioni ſtatuimus: ut ineligibilis fiat, ne de cætero, abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ ſpeciali, ad Pontificalem eligi valeat dignitatem. Datum Idibus Septembris, Pontificatus noſtri anno decimo octavo.*

Suſpenſio Stephani *Archiepiſcopi* Cantuarienſis.

HAC præterea tempeſtate, *P. Wintonienſis* Epiſcopus, & magiſter *Pandulphus*, ad Archiepiſcopum *Cantuarienſem* perſonaliter accedentes; ex parte domini Papæ firmiter præceperunt, ut ſententiam ſedis Apoſtolicæ in Barones *Angliæ Romæ* generaliter latam, Suffraganeis *Cantuarienſis* Eccleſiæ committeret publicandam: & ipſemet, quantum ad ipſum ſpectabat, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis per totam *Cantuarienſem* dioceſim faceret publicare. Erat autem jam idem naves ingreſſus, ut *Romam* ad Concilium properaret. Unde poſtulavit inducias, quouſque domini Papæ colloquio frueretur: ad ſententiam publicandam conſtanter affirmans, quòd tacita veritate, ſententia fuerat in Barones lata; & ideò nullo modo ſe illam publicaturum reſpondit, donec ſuper præmiſſis, viva voce ſummi Pontificis cognoſceret voluntatem. At memorati hujus rei executores, cùm Archiepiſcopum domini Papæ præceptis inobedientiam cognoviſſent, authoritate qua fungebantur uſi, ipſum ab eccleſiæ ingreſſu ac divinorum celebratione ſuſpenderunt. Quam ille ſuſpenſionem humiliter obſervans, ſedem Apoſtolicam ſuſpenſus petivit. Tunc Epiſcopus *Wintonienſis* cum conjudice ſuo *Pandulpho*, Barones *Angliæ* omnes, qui Regem à regno depellere moliebantur, excommunicatos denuncians; ſingulis diebus Dominicis & feſtivis latam ſententiam innovavit. Sed magnates, quoniam in authentico Domini Papæ nullus eorum fuit nominatim expreſſus, dictam ſententiam non obſervantes, inanem & nullam reputabant.

Concilium generale à Papa Innocentio *celebratum.*

EODEM anno, id eſt, Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo decimo quinto, celebrata eſt *Romæ* ſancta & univerſalis Synodus in Eccleſia Sancti Salvatoris, quæ *Conſtantiana* appellatur, menſe Novembri: præſidente Papa domino *Innocentio* tertio, Pontificatus ejus anno xviii. In quo fuerunt Epiſcopi quadragenti & duodecim. Inter quos fuerunt de præcipuis, Patriarchæ duo, *Conſtantinopolitanus*, & *Hieroſolymitanus*. *Antiochenus* verò gravi languore detentus, venire non potuit; ſed miſit pro ſe vicarium ſuum *Antidenſem* Epiſcopum. *Alexandrinus* verò ſub *Saracenorum* dominio conſtitutus, fecit, quod potuit, mittens pro ſe *Germanum* Diaconum ſuum. Primates verò & Metropolitani lxxvii, Abbates & Priores ultra octingentos: Procuratores quoque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, & Capitulorum abſentium, tantus non fuit numerus. Legatorum verò Imperatoris *Conſtantinopolitani*, Regis *Siciliæ* in *Romanorum* Imperatorem electi, Regis *Franciæ*, Regis *Angliæ*, *Hungariæ*, *Hieroſolymitani*, *Cypri*, *Arragonum*; necnon aliorum Principum & magnatum civitatum, & aliorum locorum, ingens adfuit multitudo. His omnibus congregatis in ſuo loco præfato, & juxta morem Conciliorum generalium, in ſuis ordinibus ſingulis collocatis; facto priùs ab ipſo Papa exhortationis ſermone, recitata ſunt in pleno Concilio capitula lx. quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa. Tandem de negotio Crucifixi & ſubjectione *Terræ ſanctæ* verbum prædicationis exorſus, ſubjunxit dicens: *Ad hoc ſanè in negotio* Jeſu Chriſti *de contingentibus verò non omittatur. Volumus & mandamus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, & alii, qui curam obtinent animarum, ſtudioſè proponant populis ſibi commiſſis verbum Crucis: obſecrantes per Patrem & filium & Spiritum ſanctum, unum ſolum verum & æternum Deum, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & Barones, aliôſque Magnates, nec non communia civitatum, villarum, & oppidorum; ut ſi perſonaliter non acceſſerint in ſubſidium* Terræ ſanctæ, *competentem*

conferant

conferant numerum bellatorum cum expenſis ad triennium neceſſariis, ſecundùm proprias facultates, in remiſſionem peccatorum ſuorum, prout in literis generalibus eſt expreſſum. Sed etiam illos hujus remiſſionis volumus eſſe participes, qui propter hoc opus naves ſtuduerunt fabricare. Renuentibus autem, & ſi qui ingrati fuerint; proteſtentur illos ex parte noſtra, ut ſciant ſe ſuper hoc nobis in tremendo judicio diſtricti Judicis reſponſuros. Conſiderantes tamen priuſquàm qua conſcientia, quâve ſecuritate comparere poterunt coram unigenito Deo & Dei filio; cui Pater omnia dedit in manus, ſi ei pro illo Crucifixo ſervire renuerunt in hoc negotio, quaſi proprio ſibi filio; cujus munere vivunt, cujus beneficio ſuſtentantur, cujus & ſanguine ſunt redempti. Nos verò aliis exemplum præbere volentes, triginta millia librarum in hoc opus concedimus & donamus: præter navigium, quod Cruce ſignatis de hac urbe atque vicinis partibus conferemus. Aſſignantes nihilominùs tria millia marcarum argenti, quæ apud nos de quorundam fidelium eleemoſynis remanſerunt. Cupientes autem alios Eccleſiarum Prælatos, nec non & Clericos univerſos & in merito & in præmio habere participes & conſortes; ſtatuimus, ut omnes, tam ſubditi, quàm Prælati vigeſimam Eccleſiaſticorum proventuum uſque ad triennium conferant in ſubſidium Terræ ſanctæ, *illis exceptis qui aſſumpto vel aſſumendo Crucis ſignaculo ſunt perſonaliter profecturi. Nos autem & fratres noſtri Sanctæ* Romanæ *Eccleſiæ Cardinales plenariè decimam perſolvemus. Statuimus etiam, ut omnes clerici ſive laici poſt Crucem aſſumptam, ſub Beati* Petri *ac noſtra protectione ſecuri maneant; necnon ſub Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac omnium Prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione, & eorum bona omnia conſiſtant; ita autem donec de ipſorum obitu vel reditu certiſſimè cognoſcatur, integra maneant ac quieta. Si qui verò proficiſcentium ad præſtandas uſuras juramento tenentur aſtricti, creditores eorum, ut remittant eis præſtitum juramentum, ab uſurarum exactione deſiſtant, Eccleſiaſtica diſtrictione compellantur. De* Judæis *hoc idem ſtatuentes per ſæcularem poteſtatem, ut ad hoc faciendum inducantur. Porrò Eccleſiarum Prælati, qui in exhibenda juſtitia Cruce ſignatis & eorum procuratoribus aut familiis negligentes extiterint, ſciant ſe graviter puniendos. Cæterùm de vivorum prudentum conſilio definimus, ut ita ſe Cruce ſignati præparent, ut in Calendis Junii ſequentis poſt proximum, & qui diſpoſuerint tranſire per mare, conveniant in Regnum* Siciliæ; *alii apud* Brunduſium, *alii apud* Meſſanam: *ubi & nos, per Dei gratiam, perſonaliter adeſſe diſpoſuimus; quatenus noſtro auxilio & conſilio exercitus* Chriſtianus *ſalubriter ordinetur, cum benedictione Dominica & Apoſtolica profecturus. Nos autem de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Apoſtolorum* Petri & Pauli *auctoritate confiſi, ex illa, quam nobis, licèt indignis, Deus ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem; omnibus qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint & expenſis, plenam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, ore confeſſi, veniam indulgemus; & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in propriis perſonis illuc acceſſerint, ſed in ſuis expenſis, juxta facultatem ſuam viros idoneos deſtinaverint; & qui alienis expenſis in propriis perſonis acceſſerint; plenam concedimus ſuorum veniam peccatorum. Hujus quoque remiſſionis concedimus eſſe participes, qui ad ſubventionem ipſius* Terræ *de bonis ſuis congruè miniſtrabunt, aut circa prædicta conſilium & auxilium impenderunt opportunum. Omnibus etiam proficiſcentibus in hoc opere, ſancta & univerſalis Synodus beneficiorum ſuorum ſuffragium impertitur, ut eis dignè proficiat ad ſalutem.* Amen. 1215.

In hoc Concilio ſteterunt contra *Stephanum* Archiepiſcopum *Catuarienſem*, procuratores Regis *Anglorum*; Abbas videlicet de *Bello loco*, *Thomas* de *Hardintone*, & *Godefridus* de *Craucumbe*, milites; conſtanter accuſantes eum de conniventia Baronum *Angliæ* quódque ipſius favore & conſilio iidem Barones dictum Regem à ſolio depellere molirentur. Et cùm à ſede Apoſtolica literas accepiſſet, ut dictos Magnates per cenſuram Eccleſiaſticam à perſequutione Regis refrænaret, ipſe id facere diſſimulans, ab Epiſcopo *Wintonienſi* & ſuis conjudicibus à divinorum celebratione & ingreſſu Eccleſiæ eſt ſuſpenſus: ſicque ad Concilium properans, manifeſtis indiciis ſe fuiſſe præceptis Apoſtolicis rebellem oſtendit. His & aliis multis in hunc modum allegatis, Archiepiſcopus quaſi convictus & non mediocriter confuſus, nihil reſpondit; niſi quòd à ſuſpenſione petiit abſolvi. Cui Papa cum indignatione tale fertur dediſſe reſponſum: Frater, per Sanctum *Petrum* non ita de facili beneficium abſolutionis impetrabis, qui non ſolùm ipſi *Anglorum* Regi, verùm etiam *Romanæ* Eccleſiæ, tot & tales injurias irrogaſti. Volumus quoque cum plena fratrum noſtrorum deliberatione decernere, qualiter tam temerarium puniamus exceſſum. Tandem habito ſuper hoc cum Cardinalibus tractatu, ſuſpenſionis ſententiam in ipſum Archiepiſcopum ſubſcriptis literis confirmavit. *Accuſatio Stephani Cantuarienſis Archiepiſcopi.*

Innocentius *Epiſcopus, univerſis* Cantuarienſis *Eccleſiæ Suffraganeis, Salutem. Ad communem volumus notitiam pervenire, quòd nos ſuſpenſionis ſententiam, quam venerabilis frater noſter* P. Wintonienſis *Epiſcopus, & dilectus filius P. Subdiaconus, & familiaris noſter* Norwicenſis *electus in* Stephanum Cantuarienſem *Archiepiſcopum auctoritate Apoſtolica protulerunt, ratam habemus; & præcipimus inviolabiliter obſervari, donec idem Archiepiſcopus, qui eam humiliter ſervat mereatur ab ipſa, juxta formam Eccleſiæ Canonicè præſtitam, relaxari, uno vinculo in aliud commutato. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandamus quatenùs & vos Epiſcopi præſcriptam ſententiam firmiter obſervetis, cùm interim nullam* *Confirmatio ſuſpenſionis.*

1215. *nullam eidem debeatis obedientiam exhibere. Datum* Laterani, *pridiè Nonas Novembris.* His ita geſtis, Canonici *Eboracenſis* eccleſiæ præſentaverunt Domino Papæ Magiſtrum *Simonem* de *Langetona*; poſtulantes ut ejus electionem confirmaret. Quibus Papa: Noveritis quòd ipſum non habemus pro electo, quia illum ad tantam dignitatem promoveri, certis de cauſis non patimur. Et cùm præcipuè contra prohibitionem noſtram iſta ſit electio celebrata, nos eam caſſamus penitùs, & in perpetuum damnamus; decernentes utique ut ineligibilis fiat, ne abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ ad Pontificalem eligi valeat dignitatem. Caſſata igitur electione prædicta, dominus Papa Canonicis præcepit, ut ſtatim in electione procederent; ſin minùs, ipſe eis paſtorem provideret idoneum. Tunc Canonici, ſicut priùs proviſum fuerat, poſtulaverunt *Walterum* de *Grai*, Epiſcopum *Wigornienſem*, propter carnis munditiam, ut aſſerebant: ut qui ab utero matris virgo permanſerat uſque in præſentem diem. Ad hoc dicitur Papa reſpondiſſe: Per Sanctum *Petrum* virginitas magna virtus eſt, & nos eum damus vobis. Itaque accepto pallio, Epiſcopus memoratus rediit in *Angliam*: obligatus in Curia *Romana* de decem millibus librarum legalium eſterlingorum. In fine autem, ſoluto Concilio, extorſit Papa de unoquoque Prælato infinitam pecuniam: quam cum viaticis cogebantur ab uſurariis ſuis mutuò duris conditionibus ſumere. Quo facto, redierunt in *Angliam Thomas* de *Hundintona*, & G. de *Craucumbe* milites; venientéſque ad Regem, qui jam *Roffenſe* caſtrum ſubjugaverat, ut prædictum eſt, lætiſſima ei nuncia retulerunt. Audiens autem Rex Barones *Angliæ* eſſe excommunicatos, Archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſuſpenſum, *Simonem* fratrem ejus caſſatum, *Walterum* de *Grai* promotum, & quòd de caſtro *Roffenſi* pro lubitu diſpoſuiſſet: elevatum eſt *nimis* cor *ejus*: & continuò caſtra movens, apud S. *Albanum* cum feſtinatione perrexit. Quò cùm perveniſſet, præſente Conventu Capitulum intravit, literas de ſuſpenſione *Cantuarienſis* Archiepiſcopi fecit manifeſtè recitari; conſtanter exigens à Conventu, quatenùs ſub teſtimonio ſigilli ſui præfatæ ſuſpenſionis confirmatio ad omnes *Angliæ* eccleſias, tam Cathedrales quàm Conventuales, publicanda mitteretur. Juxta illud Poëticum: *Stricto ſupplicat enſe potens.* Quod cùm ei à Conventu conceſſum fuiſſet, fortè invito, continuò poſt capitulum in clauſtro cum paucis Conſiliariis ſeorſim recedens, diſpoſuit qualiter inimicos ſuos, Magnates ſcilicet *Angliæ* confunderet; & quemadmodum exteris nationibus, quæ ſub ipſo militabant, ſtipendia provideret. Tandem Rex duos ordinavit exercitus; ut, videlicet, ex uno Baronum irruptiones *Londini* morantium reprimeret; ex altero, ipſe Aquilonares *Angliæ* provincias igne ſimul & ferro, quæque ſibi obvia conterendo, deleret. Acta autem ſunt hæc apud Sanctum *Albanum*, decimo tertio Calendas Januarii. Præerant itaque exercitui, quem reliquit, viri bellatores, *W.* Comes *Sareſberienſis*, frater ipſius Regis, *Falcaſius* ſine viſceribus miſericordiæ, *Savaricus* de *Mallo leone* belliger & cruentus, cum ſuis *Pictavienſibus*; *Willielmus Briwere*, Martius & expertus, cum toto poſſe ſuo; *Walterus Buck*, ſicarius, & vir ſanguinum, cum *Flandrenſibus* & *Brabantiis* ſuis ſpurciſſimis & ignobilibus, omni genere facinorum commaculatis. Fuerunt & alii cum illis, quos cauſa prolixitatis ad tempus exprimere prætermitto.

Rex Johannes *Aquilonares partes* Angliæ *vaſtavit.*

REX igitur *Johannes*, factus de Rege Tyrannus, imò de homine in beſtialem prorumpens feritatem, à villa Sancti *Albani* receſſit, ducens ſecum versùs Aquilonem *Willielmum* Comitem *Albemarliæ*, *Philippum de Albineto*, *Johannem Mareſchallum*; & ex regionibus tranſmarinis *Girardum* de *Sotini*, *Godeſchallum* cum *Flandrenſibus*, & baliſtariis, & aliis nationibus perverſis; qui nec Deum timebant, nec homines reverebantur. Qui cùm nocte illa apud villam de *Duneſtaple* pauſulùm quieviſſet, ante lucem ſurgens, versùs *Northantunum* iter arripuit: vaſtando omnes domos, & ædificia Baronum diviſis agminibus hoſtiliter ſuccendebat, ſpolia cum animalibus rapiebat; atque ſibi quæque deſtruens, miſerabile ſpectaculum cunctis hæc intuentibus præbebat. Et ad cumulum deſolationis & maliciæ ſuæ, præcepit Rex incendiariis ſuis ſedes in itinere villáſque injecto igne comburere, ut ex damnis inimicorum ſuorum (ſi inimici ſui appellandi ſunt, qui eum ad manſuetudinem & juſtitiam manſuetam introducere voluerunt) viſum ſuum reficeret, & de rapina iniquitatis miniſtros quos habebat nequiſſimos ſaginaret. Capti ſunt omnes cujuſcunque eſſent conditionis, ætatis, vel ordinis homines, quicunque extra Eccleſiam vel cœmeterium reperiebantur, & variis cruciatibus afflicti, ad graviſſimam redemptionem cogebantur, ſecundùm illud Poëticum, *Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi.* Ira principum in pauperum innocentiam redundabat. Caſtellani, qui in munitionibus Baronum erant, cùm adventum Regis cognoviſſent, caſtra vacua relinquentes, & ſibi ſalutíque corporum conſulentes, ad latibula confugerunt: victualia hoſtibus cùm ſpoliis & varia ſupellectile deferentes. Rex autem in caſtris vacuis ſuos imponens modo prædicto; ad *Notingam* cum ſatellitibus ſuis nefandiſſimis properavit.

Depopulatur Auſtralior Angliæ *pars.*

INTERIM *Willielmus* Comes *Sareſberienſes* & *Falcaſius* cum bellatoribus ſuis ſupradictis, quos Rex apud Sanctum dimiſerat *Albanum*; aſſignaverunt Caſtellanos de *Windleſhores*, de *Hartford*, de *Berchameſtude*, cum manu valida & armata, qui ad obſervandum intrantes civitatem *Londinenſem* & egredientes operam darent, & Baronibus victualia præcludere curarent. Quo facto ipſi per provincias de *Eſſex* & de *Hertford*, de *Middleſex*, de *Cantebrige*

tebrige

1216.

tabrige & de *Huntenduna* pervagantes; prædis & rapinis, exemplo *Holofernis* ducis exercitus *Aſſyriorum*, vacabant, villas tributarias efficiebant, homines capiebant, ædificia Baronum comburebant, parcos & vivaria deſtruebant, pomaria ſuccidebant: atque tandem uſque in ſuburbio *Londinenſi*, injecto igne, prædam inæſtimabilem abduxerunt. Cúmque nuncii ex locis diverſis venientes hæc omnia retulerunt Baronibus, intuentes ſe mutuò, dicebant: *Dominus dedit, Dominus abſtulit:* forti animo hæc ſunt toleranda. Et cùm inter cætera abominabilia à Rege perpetrata & ſuis ſpurciſſimis complicibus, audierunt etiam uxores & filias ſuas ludibrio expoſitas, ingemiſcentes dicebant: Hæc facit chariſſimus in *Chriſto* filius Papæ, qui ſuum Vaſſallum tam liberum & nobile regnum inaudita novitate ſubjugantem tuetur. Proh dolor! Qui mederi mundo languenti deberet, venenum maniſeſtè in congregatione pauperum, quos debemus Eccleſiam appellare, effundit. *Tantò conſpectius in ſe Crimen habet, quantò qui peccat major habetur.* His & aliis verbis lamentabilibus, ponentes os ſuum illicito modo conquerebantur. Eodem tempore *Falcaſius* cepit municipium *Willielmi Mandut* de *Hamſlape*, & proſtravit quarto Cal. Decem. Eodem die capta eſt munitio de *Tuneburge* Comitis de *Clare* à *Roffenſibus* caſtellanis. Per idem tempus *Falcaſius* ad caſtellum de *Bedeford* veniens, à cuſtodibus illud exigit: qui tandem ſeptem dierum acceptis induciis, cum domino *Willielmo* de *Bello Campo* infra dies memoratos non haberent ſuccurſum, reddiderunt caſtellum *Falcaſio* prædicto, quarto Nonas Decem. Rex autem nimis acceptans tyrannidem *Falcaſii*, fáſque nefáſque confundentis; dedit eidem caſtrum *Bedeford* & nobilem mulierem *Margaretam de Ripariis* in uxorem, cum omnibus poſſeſſionibus eam contingentibus, & terras multorum Baronum *Angliæ* ut omnium iram in ſe aggravando provocaret. Eodem anno conſecrati ſunt in epiſcop. *Willielmus* de *Cornehull* die Converſionis S. *Pauli* in *Ceſtrenſem*: Magiſter *Benedictus* præcentor S. *Pauli Londinenſis*, viii. Calen. Martii in *Roffenſem*: Magiſter *Richardus* Decanus *Saresburienſis*, in *Ciceſtrenſem*.

ANNO gratiæ M. CCXVI. qui eſt annus regni Regis *Johannis* xviii. idem Rex fuit in die Dominicæ nativitatis apud Caſtrum de *Notingham*; & in craſtino caſtra movens, ad villam de *Langar* venit, & ibidem pernoctavit. Mane autem facto, miſit nuncios ſolennes ad caſtrum de *Belvero*, & ab incluſis ſibi reddi, & cum minis exegit. Erant autem cuſtodes caſtri prædicti, *Nicolaus* Clericus filius *Willielmi* de *Albineto*, *Willielmus* de *Stodham*, & *Hugo* de *Charneles*, milites: qui protinùs à commilitonibus ſuis conſilium quæſiverunt, quid ſibi foret agendum. Dictum namque eis erat ex parte Regis, quòd ſi unicam haberet de caſtro reddendo conditionem, *W.* de *Albineto* de cæterò non comederet, ſed morte turpiſſima moreretur. Fuerunt itaque incluſis anguſtiæ undique; & quid agerent, ignorabant. Sed tamen communi omnium deliberatione in hoc conſenſerunt, ut dominum ſuum caſtello reddendo à morte ignominioſa liberarent potiùs, quàm retinendo, dominum ſuum etiam cum ipſo caſtro amitterent. Tunc *Nicolaus* de *Albineto* & *Hugo* de *Charneles*, aſſumptis ſecum caſtelli clavibus, apud *Langar* venientes ad Regem, tali conditione caſtellum reddiderunt: ut cum domino ſuo miſericorditer ageret, & ipſi ſalvis ſibi equis & armis ſub protectione & pace ſecuri permanerent. Rex autem in craſtino, in die ſcilicet Sancti *Johannis* Evangeliſtæ, ad caſtellum veniens, tradidit illud *Gaufrido* de *Buteville* & *Olivero* fratribus, & natione *Pictavienſibus*; accepto ab omnibus, qui in illo erant, fidelitatis juramento de fideli obſequio, literáſque patentes de indemnitate omnium rerum ſuarum & poſſeſſionum, fecit omnibus exhiberi. *Caſtrum de Belvero Regi Johanni traditur.*

INTEREA quidam de exercitu Regis ad *Duvintonam* municipium *Johannis* de *Laſci* venientes, vacuum illud invenerunt; quod continuò jubente Rege complanatum eſt. Quo facto, Rex diviſis cuneis nefandis, partes Aquilonares penetrantes; ignem in ædificiis Baronum ſupponendo, prædas animalium agendo, ſpolia rapiendo, omnia ferro vaſtando, quæque ſibi obvia (dominum & miſericordiam de pauperibus poſtponendo) contrivit. *Tyrannis.* Cooperuerunt enim ſicut locuſtæ ſatellites Sathanæ, miniſtri Diaboli, qui ad hoc erant etiam à remotioribus partibus congregati, faciem terræ. Sufficiebat ad cauſam mortis ſimplicibus incolis, ſi aliquid habere credebantur; & qui nihil habebant, fateri habere cogebantur: & qui non habebat, habere, ut perſolveret, pœnis exquiſitis diſtringebatur. Diſcurrebant ſicarii cæde humana cruentati, noctivagi, incendiarii, filii *Belial*, ſtrictis enſibus, ut delerent à facie terræ ab homine uſque ad pecus, omnia humanis uſibus neceſſaria. Eductíſque cultellis, villas, domos, cœmiteria, eccleſias perluſtrabant, omnes ſpoliabant; ita quidem quòd nec muliebri ſexui, nec parvulorum vel decrepitorum parcerent ætati. Et quod conſumere non valebant, incendio tradebant; vel diſpergentes, inutile humanis uſibus reddebant. Et quos nulla nota premebat, inimicos Regis vocantes, ubicunque reperiebantur, raptim trahebantur in carcerem pœnalem, vinculis mancipati; & tandem ad graviſſimam coacti redemptionem. Sacerdotes quoque ipſis altaribus aſtantes, ſignum ſanctæ Crucis manibus bajulantes, vel ipſum Dominicum corpus tractantes, ſacris veſtimentis venerabiles, altaribus aſtantes religione deferendi; irreverenter capiebantur, cruciabantur, ſpoliabantur, vulnerabantur; nec fuit Pontifex, Sacerdos, vel Levita, qui vulneribus inflictis oleum infunderet vel vinum. Milites verò & alios cujuſcunque conditionis homines

1216. mines pecuniæ cauſa pari pœna affligentes; quoſdam per renes & membra ſecretiora, alios per pedes & crura, nonnullos per manus & pollices & brachia ſuſpendentes, expuebant in oculis miſerorum ſalem aceto permixtum, omninò non intelligentes quòd eſſent ad imaginem Dei creati, & *Chriſti* charactere inſigniti. Alios in tripodibus & craticulis ſuper candentes prunas applicantes, ac demùm in aqua ſub glacie aſſata corpora mergentes; ut quaſi infernalibus pœnis tranſirent de calore nimio ad frigus nivium, animas vel exhalare vel vix trahere compulerunt. Et dum in cruciatu clamarent miſerabiliter conſtituti, & gemerent horribiliter præ nimia pœnarum anguſtia; non erat qui miſericordiam adhiberet, nec tortores aliud quàm pecuniam, quam non habebant patientes, exigebant, nec credebatur afflictis. Alii qui nil habebant, multa promittebant: ut ſic ſaltem per ſpatium temporis breviſſimum experta differrent ſupplicia. Hæc fuit in *Anglia* perſecutio generalis; dum patres à filiis, fratres à fratribus, cives à civibus ad ſupplicia vendebantur. Nundinæ cum mercimoniis ceſſabant, res venales in cœmiteriis agebantur: nec tamen hoc ſine multis perturbationibus. Agricultura quievit. Inter hæc omnia quæ Baronibus inferebantur convitia, jacebant ipſi *Londinenſes* more mulierum puerperarum in puerperio jacentium: ſolicitè cogitantes de cibariis & poculis, & ſi quid eis apponeretur inſolitum gulæ irritamentum, quod ſublato faſtidio illis novum generaret appetitum. Sed *illis* dormientibus, Rex non dormiendo pigritavit; dum terras eorum & poſſeſſiones omnes, caſtra & municipia à mari Auſtrali uſque ad mare *Scoticum*, in ſuam reciperet poteſtatem. Cúmque Rex, ut dictum eſt, de rebus Baronum pro libitu diſpoſuiſſet; totam terram inter flumen *Theiſe* & *Scotiam* cum rebus & caſtris tradidit *Hugoni* de *Bailliol* & *Philippo* de *Hukecotes*; aſſignatis illis militibus & armatis, qui ad illius patriæ defenſionem ſufficerent. In pago *Eboracenſi* rerum & caſtrorum cuſtodes conſtituit, *Robertum* de *Veteri ponte*, *Brienum* de *Inſula*, & *Gaufridum* de *Luci*, cum armatis ſibi aſſignatis. *Willielmo* comiti *Albemarliæ*, tradidit caſtrum de *Rokingham*, de *Sauveia*, & caſtellum *Willielmi* de *Collevilla*, quod *Biham* appellatur. *Falcaſio* commiſit caſtrum de *Oxonia*, de *Norhantona*, de *Bedeford*, & de *Cantabruge*. *Ranulpho Teuthonico* tradidit caſtellum de *Barkameſtude*: & caſtrum de *Hertford*, *Wal.* de *Godarville*, militi de familia *Falcaſii*. His, itaque, & aliis omnibus totius regni *Angliæ* dedit Rex in mandatis; ut ſicut corpora propria & ſua omnia diligebant, res omnes Baronum, caſtra ſcilicet, ædificia, villas, parcos, vivaria, ſtagna, molendina, pomœria, quemadmodum ipſe jam inceperat, ipſi rem inceptam ſimili rabie conſummarent. At illi Regiis non auſi repugnare mandatis, in rebus ſibi injunctis ita ſæviebant, quòd de Magnatum ædibus ac bonis aliis, cunctis cernentibus, lamentabile ſpectaculum præbuerunt; ut qui non peſſimus fuit, bonus videbatur; & qui quantùm potuit nocere non nocuit, prodeſſe videbantur. Deinde Rex ira ſuccenſus vehementi, apud partes *Scotiæ* tendebat ciſmarinas; & captis caſtris de *Berewic* & aliis, quæ videbantur inexpugnabilia, improperavit Regi *Alexandro*, & quia erat rufus ſignificavit ei, dicens: *Sic ſic fugabimus rubeam vulpeculam latibulis ſuis.* Multam igitur ibidem ſtragem & exterminium exercuiſſet; niſi eundem neceſſitas magna dilationem non capiens revocaſſet. Sicque Rex de partibus rediens Aquilonis, ita ſuæ voluntati omnia diſpoſuit, quòd vix duo municipia, ſcilicet, *Muntſorel*, & aliud quod fuit *Roberti* de *Ros* in *Eboracenſi* provincia, in poteſtate Baronum remanſerunt. His omnibus regionibus miſerabili cæde ſubactis, per confinia *Walliæ*, Auſtrales tendebat ad partes: ubi in cunctis ſibi adverſantibus crudeliter deſæviens, plura inimicorum ſuorum caſtra obſedit & cepit; quorum quædam ſubvertit, quædam impoſitis armatis, ſub ſua tenuit poteſtate.

Excommunicatio ſpecialis in Barones Angliæ.

CIRCA dies iſtos, ſummus Pontifex Barones *Angliæ*, quos priùs excommunicaverat in genere; ad inſtantiam Regis *Anglorum*, per ſubſcriptas literas excommunicavit nominatim & in ſpecie. Innocentius *Epiſcopus*, &c. *Abbati de* Albendune, *Archidiacono* Pictavienſi, & *magiſtro* Roberto Officiali Norwicenſis *Eccleſiæ*, *ſalutem*. *Ad veſtram volumus pervenire notitiam, quòd nos nuper in generali Concilio conſtituti, excommunicavimus & anathematiſavimus ex parte omnipotentis Dei Patris & Filii, & Spiritus ſancti, authoritate quoque Beatorum* Petri & Pauli *Apoſtolorum ejus, ac noſtra, Barones* Angliæ *cum adjutoribus & fautoribus ſuis, qui* Johannem *illuſtrem Regem* Anglorum *Cruce ſignatum & Vaſſallum* Romanæ *Eccleſiæ perſequuntur; molientes ei regnum auferre, quod ad* Romanam *Eccleſiam dignoſcitur pertinere. Inſuper excommunicamus & anathematiſamus omnes illos, qui ad occupandum vel invadendum regnum ipſum, aut impediendum euntes in ejuſdem Regis ſuccurſum, operam vel opem impenderunt; & terras eorundem Baronum eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto. Aggravamus etiam in eoſdem fortiùs manus noſtras, ſi nec ſic à ſuo deſtiterint iniquo propoſito, cùm in hac parte pejores ſint* Saracenis*: decernentes, ut ſi quis Clericus cujuſcunque dignitatis aut ordinis, prædictas excommunicationis aut interdicti ſententias violare præſumpſerit, anathematis ſe ſciat mucrone percuſſum: & ni quantociùs reſipuerit, ab omni officio & beneficio deponendum. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs per totam* Angliam *publicare faciatis præſcripta: eadémque faciatis authoritate noſtra, ſublato cujuſlibet conditionis & appellationis obſtaculo inviolabiliter obſervari. Volumus etiam nihilominùs & mandamus, ut quoſdam Barones* Angliæ, *quos venerabilis frater noſter* Wintonienſis *Epiſcopus, &*

dilecti

1216.

dilecti filii Abbas de Reding, *& magiſter* Pandulphus *Subdiaconus & familiaris noſter, delegati à nobis, excommunicatos perſonaliter nominaverunt, quia ipſos in præſcriptis culpabiles invenerunt, videlicet, cives illos* Londinenſes, *qui fuerunt principales prænominatæ perverſitatis auctores; &* Robertum filium Walteri, S. *Comitem* Wintonienſem, R. *filium ejus*, G. *de* Mandevilla, *&* Willielmum *fratrem ejus*, *Comitem de* Clare, *&* G. *filium ejus*, H. *Comitem de* Hereford, R. *de* Percy, E. *de* Veſci, I. *Conſtabularium* Ceſtriæ, Willielmum *de* Mumbray, Willielmum *de* Albineto, W. *filium ejus*, R. de Ros, *&* W. *filium ejus*, P. *de* Brus, R. *de* Creſſi, Joannem *filium ejus*, Ranulphum *filium* Roberti, R. *Comitem* Bigod, H. *filium ejus*, R. *de* Ver, Fulconem *filium* Warini, W. Malet, W. *de monte acuto*, W. *filium* Mareſchalli, W. *de* bello campo, S. *de* Kime, R. *de monte* Begonis, Nicólaum *de* Stutevilla: *necnon & alios in prædictorum præjudicium ſententia nominatim expreſſos, cum complicibus & fautoribus eorundem, auctoritate Apoſtolica excommunicatos per totam* Angliam *publicè denunciare faciatis: & ab omnibus arctiùs evitari, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis ſolenniter innovari hujuſmodi ſententiam facientes ac denunciantes inviolabiliter obſervari: civitatémque* Londinenſem *eccleſiaſtico ſuppoſitam interdicto, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Magiſtrum etiam* Gervaſium Londinenſem *Cancellarium, qui ſicut à Judicibus præfatis accepimus, dicti Regis & ſuorum manifeſtiſſimus extitit perſecutor, excommunicatum publicè denuncietis: ac ſuſpenſum, graviori etiam pœna, niſi congruè ſatisfecerit, puniendum. Quòd ſi nos omnes*, &c. *Datum* Laterani. *xvii. Calendas Januarii, Pontificatus noſtri anno decimo octavo.*

CUMQUE omnes Judices prædicti literas memoratas accepiſſent, ſcripſerunt omnibus *Angliæ* eccleſiis Cathedralibus ſive Conventualibus ſub hac forma. Innocentius *Epiſcopus*, &c. *Hujus igitur authoritate mandati, vobis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs Barones* Angliæ *cum omnibus adjutoribus & fautoribus ſuis, qui dominum* Johannem *Regem* Angliæ *perſequuntur; & omnes illos qui ad occupandum vel invadendum regnum ipſum, vel impediendum euntes in ejuſdem Regis ſuccurſum operam vel opem impenderunt, excommunicatos denuncietis; & terras eorundem Barónum eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitas publicetis. Denuncietis etiam excommunicatos omnes Barones, qui in præmiſſo domini Papæ reſcripto perſonaliter nominantur; cum aliis omnibus in prædictorum Judicum ſententia nominatim expreſſis. Videlicet*, Walterum *de* Nortuna, Osbertum *filium* Alani, Oliverium *de* Vallibus, H. *de* Braibrock, R. *de* Ropeſle, W. *de* Hobruge, W. *de* Mauduit, Mauritium *de* Gaunt, R. *de* Berkele, Adam *de* Lincolana, R. *de* Mandevilla, W. *de* Lanvaleie, Philippum *filium* Johannis, Willielmum *de* Tuintuna, W. *de* Huntingfeld, Alexandrum *de* Pointuna, R. *de* Munfichet, R. *de* Greſlei, Galfr. *Conſtabularium de* Meutuna, W. *Archidiaconum de* Hereford, I. *de* Fereby, R. *Capellanum* Roberti *filium*, W. Alexandrum *de* Suttuna, W. *de* Coleville, R. *filium ejus*, Oſbertum *de* Bobi, Oſbertun Giffard, Nicolaum *de* Stanevile, Tho. *de* Muletune, Cives illos *Londinenſes*, magiſtrum G. Cancellarium, & civitatem *Londinenſem* eccleſiaſtico ſuppoſitam interdicto, publicè denuncietis. *Has verò excommunicationis & interdicti ſententias in eccleſiis noſtris tam Conventualibus quàm Parochialibus ad nos pertinentibus publicari; ac ſingulis diebus dominicis & feſtivis faciatis ſolenniter innovari, ita diligenter ſingula capitula mandati Apoſtolici exequendo & quantum ad vos pertinet firmiter obſervando, ne in pœnam canonicam & contumacibus debitam incidatis. Valete.* His igitur excommunicationis & interdicti ſententiis per totam *Angliam* in brevi publicatis, cùm ad omnium notitiam perveniſſet; ſola civitas *Londinenſis* per contumaciam multiplicem illas adeò contemnendo deſpexit; quòd nec eas Barones obſervare, nec Prælati publicare decreverunt. Dicebant enim generaliter, omnes literas falſa ſuggeſtione fuiſſe impetratas, & ideò nullius eas eſſe momenti; & ex hoc maximè, quòd non pertinet ad Papam ordinatio rerum laicarum: cùm *Petro* Apoſtolo & ejus ſucceſſoribus non niſi eccleſiaſticarum diſpoſitio rerum à Domino ſit collata poteſtas. Ut quid ad nos ſe extendit *Romanorum* inſatiata cupiditas? Quid Epiſcopis Apoſtolicis, & militiæ noſtræ? Ecce ſucceſſores *Conſtantini*, & non *Petri:* non imitantur *Petrum* in meritis vel operibus, nec aſſimulandi ſunt in poteſtate: juſtus enim eſt Deus in meritorum recompenſatione. Proh pudor! marcidi ribaldi, qui de armis vel liberalitate minimè norunt; jam toti mundo propter excommunicationes ſuas volunt dominari, ignobiles uſurarii, & Simoniales. O quantùm diſſimiles *Petro*, qui ſibi *Petri* uſurpant partem? Sic igitur blaſphemantes & recalcitrantes; ponentes os in cœlum, ad interdicti ſive excommunicationis ſententiam nullum penitùs habentes reſpectum; per totam civitatem celebrarunt divina ſigna, pulſantes & vocibus altiſonis modulantes.

Executio ſententiæ prænominatæ.

EODEM tempore *Walterus Buuk* cum *Brabantiis* ſuis verſus *Herebeie Elyenſem* intrans inſulam; ab omnibus eccleſiis in illa conſtitutis homines rapiens, crudeliſſimo cruciatu ad graviſſimam coëgit redemptionem. Nec patebat refugium, ubi vel ſubſtantiam vel corpus proprium à periculo liberaret. Comes namque *Sariſburienſis* & *Falcaſius* cum *Savarico* de *Mallo leone* è regione venientes; per pontem de *Stunteneia*, inſulam ingreſſi, & pontes glacie faciente: omnia depopulando, eccleſias omnes ſpoliando, prædictorum prædonum reliquias penitùs rapuerunt. Cathedralem denique ſtrictis enſibus ingreſſi eccleſiam; poſt

Depopulatio Elyenſis inſulæ.

1216. graviſſimam ſpoliationem & irreverentem, ne igne concremaretur, Prior loci eam ducentis & novem marcis argenti vix redemit. Dominus etiam *Stephanus*, vir facetus & dapſilis, & per omnia laudabilis, ab eccleſia violenter extractus; nobilis ab ignobilibus, pius ab impiis, omnia perdidit quæ habebat, equos, libros, utenſilia, & vaſa omnia. Corpus quoque proprium, quod eſt miſerabile relatu, datis centum marcis, ab exquiſito pœnarum cruciatu vix liberavit. Milites quoque numero xv. in inſula capti ſunt: cum aliis hominibus multis diverſæ conditionis. Ditiores milites & nobiliores, (licèt cum labore) ſuper glaciem evadentes; vel latuerunt, vel *Londinum* aufugerunt. Quidam autem eorum, deficientibus equis, in via præ laſſitudine capti ſunt, iter peragere non valentes. Et ſic omnia, quæ in Inſula erant, prædonum rapinis ceſſerunt, & nobiles & generoſæ mulieres ludibrio exponebantur.

Barones Angliæ in Regem eligunt Ludovicum *Regem* Galliæ.

CIRCA hos dies, cùm denique Barones, qui jam omnia amiſerant, quæ propenſiùs in hoc mundo diligebant, & ſpem boni melioris penitùs non habebant; ut per ſe recuperarent amiſſa, tacti ſunt dolore cordis intrinſecùs, & quid agerent, ignorabant: maledicentes Regis verſutiam, tergiverſationes & fidelitatem, & dicentes ſuſpiria geminando. Veh tibi *Johannes* Regum ultime, *Anglorum* Principum abominatio, Nobilitatis *Anglicanæ* confuſio! Heu *Anglia* jam vaſtata, & ampliùs vaſtanda! heu *Anglia*, *Anglia!* omnibus bonis hactenus Princeps provinciarum, facta es ſub tributo; non tantùm flammæ, fami & ferro, ſed ſervorum ignobilium & advenarum imperio ſubjecta & ſubpeditata: cùm nihil infelicius quàm ſervorum ſubjici ſervituti. Legimus quòd multi alii Reges, imò & Reguli, uſque ad mortem pro liberatione terræ ſuæ ſubjectæ dimicarunt: ſed tu *Johannes* (lugubris memoriæ pro futuris ſæculis) ut terra tua ab antiquo libera, ancillaret, excogitaſti, & operam impendiſti, & ut alios tecum traheres in ſervitutem, qua cauda ſerpentina medietatem ſtellarum à firmamento teipſum primò depreſſiſti. Factus de Rege liberrimo, tributarius, firmarius & vaſallus ſervitutis, terrarum nobiliſſimam chirographo ſervitutis æternæ *obligaſti*; nunquam à compede ſervili liberandam, niſi miſeratus ille, qui nos & totum mundum, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenuit, dignetur quandoque liberare. Et quid de te Papa? Qui pater ſanctitatis, ſpeculum pietatis, tutor juſtitiæ, & cuſtos veritatis toti mundo deberes lucere in exemplum; tali conſentis, talem laudas & tueris? Sed hac cauſa exhauſtorem pecuniæ *Anglicanæ* & exactorem Nobilitatis *Britannicæ* tibi inclinantem defendis, ut in Barathrum *Romanæ* avaritiæ omnia demergantur: ſed hæc cauſa & excuſatio eſt ante Deum, culpa & accuſatio. Et ſic Barones lacrymantes & lamentantes, Regem & Papam maledixerunt, imprecantes inexpiabiliter: cùm ſcriptum ſit: *Principi non maledices*, & veritatem & reverentiam tranſgredientes, cùm illuſtrem *Johannem* Regem *Angliæ* ſervum aſſeruerunt; cùm Deo ſervire, regnare ſit. Tandem decretum eſt, ut aliquem potentem in Regem eligerent, per quem poſſint ad poſſeſſiones priſtinas revocari; credentes quòd nullus *Johanne* vel durior poſſit dominari, & tale miſerabile ſtatuentes argumentum,

Exclamatio in Regem.

Exclamatio in Papam.

——*Fortuna miſerrima tuta,*
Nam timor eventus deterioris abeſt.

Cúmque aliquamdiu, quem eligerent hæſitaſſent, demùm in hoc pariter conſenſerunt, ut *Lodovicum* filium *Philippi* Regis *Francorum* ſibi præficerent; & ipſum in Regem *Angliæ* ſublimarent. Ratio autem eorum erat, quòd tranſmarina multitudo, quibus Rex *Anglorum* vallatus inceſſit, ſi per *Lodovicum* & patrem ſuum, de quorum poteſtate maxima pars eorum fuit, privatus eſſet; dum à ciſmarino dictus Rex privaretur & deſtitueretur ſubſidio: ipſe quaſi ſolus remaneret imbellis, & faciens de neceſſitate virtutem, ſalubrioribus obtemperaret conſiliis. Cúmque omnibus communiter hæc ſententia placuiſſet, miſerunt per ſolennes nuncios, ſcilicet, dominum *S.* Comitem *Wintonienſem*, & *Robertum* filium *Walteri*, ad Regem *Philippum* & *Lodovicum* filium ejus, literas, omnium Baronum ſigillis munitas: obnixiùs implorantes, patrem, ut filium mitteret in *Anglia* regnaturum; & filium ut veniret ilicò coronandus. Nec mora; nuncii cum feſtinatione ad Regem *Francorum*, & filium ejus *Lodovicum* venientes, literas ei prædictas porrexerunt. Quibus diligenter inſpectis, & ſagaciter intellectis; Rex nunciis reſpondit ſe filium ſuum non miſſurum, antequàm à Baronibus ad majorem ſecuritatem optimos haberet obſides, xxiv. ad minus, de nobilioribus totius regni. Nuncii verò hæc audientes, citiſſimo volatu Baronibus reſponſum, quod acceperant, remiſerunt. At illi aliud refugium non habentes, Regi *Francorum* pro libitu ſuo obſides direxerunt numero ſupradicto. Quibus receptis, & apud *Compendium* ſalva cuſtodia deputatis; animatus eſt aliquantulùm *Lodovicus*; itérque ſuum diſponere cum feſtinatione vacavit, quod ſuper omnia affectabat. Sed quoniam motio ipſius *Lodovici* ad tam arduum expediendum negotium fieri præcipitanter non potuit, miſit quoſdam præcurſores ſuos in *Angliam* ante faciem ſuam; per quos Baronibus ſpem conferret, & fidelitatem eorum experiretur. Nomina autem eorum hæc ſunt: Caſtellanus de *S. Audomaro*, Caſtellanus de *Atrebato*, *Hugo Chacun*, *Euſtachius* de *Nevilla*, *Baldewinus Bretel*, *W.* de *Wimes*, *Egidius* de *Melun*, *W.* de *Bello monte*, *Egidius* de *Hers*, *Bijec* de *Ferſi*. Hi omnes cum ſequela magna militum & clientum, per *Thamiſiæ* fluvium aſcendentes; cum ingenti

Baronum

Baronum lætitia *Londinum* venientis, recepti ſunt tertio Cal. Martii. Eodem tempore, *Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *Romæ* data cautione quòd ſtaret judicio domini Papæ de rebus ſuperiùs expreſſis; à ſententia ſuſpenſionis abſolutus eſt: ita tamen, quòd ante pacem inter Regem & Barones *Angliæ* plenè reformatam, *Angliam* non intraret. 1215.

Innovatio ſententiæ excommunicationis in Barones pro contumacia.

PER idem tempus, inſtante feſto Paſchali, cum Abbas *Abbendunenſis* & conjudices ejus, contumaciam Baronum & *Londinenſis* civitatis cognoviſſent; manus ſuas in eoſdem extendentes, iterato edicto, omnibus *Angliæ* eccleſiis conventualibus dederunt in mandatis, ut latam ſententiam ſub hac forma publicarent. H. *Dei gratia Abbas* Abbendunenſis, *&c. Exequentes mandatum Apoſtolicum nobis ſic impoſitum, ſicut tenor literarum noſtrarum, quas nuper vobis tranſmiſimus, vobis pleniùs intimavit: Sancti* Pauli, *Sanctique* Martini *Capitulis*, G. *de* Boclande *ejus eccleſiæ Decano, & Conventui ſanctæ Trinitatis* Londinenſis, *literas noſtras domini Papæ, reſcripti verba continentes, non ſolùm ſemel, ſed ſæpè miſimus: eis authoritate Apoſtolica diſtrictè præcipientes, ut excommunicationis & interdicti ſententias latas in perſequentes dominum Regem & civitatem* Londinenſem, *diligenter publicantes, inviolabiliter obſervarent. Qui adeò irreverenter Apoſtolicum vilipendere mandatum præſumunt, quòd eaſdem ſententias publicare vel etiam obſervare per contumaciam contempſerunt: in divinis obſequiis excommunicatis ſcienter communicantes, ſententiarum domini Papæ violatores, & mandati ejus contemptores manifeſtos omninò ſe in omnibus exhibendo. De quibus per patentes literas Capituli ſancti* Pauli *ſanctique* Martini, *Clericos & nuncios ejuſdem Decani nobis ſpecialiter deſtinatas; & per alias ſufficientes probationes plenam habentes certitudinem, conſtiterit. Præterea de regno* Francorum *quidam nobiles advenerunt, cum armata manu militum & clientum; quos omnes proculdubio eadem excommunicationis ſententia volumus eſſe ligatos. Nam contra dominum Regem & ſanctam* Romanam *eccleſiam invadunt regnum* Angliæ *quotidiè deprædantes illud, & pro parte detinent occupatum; quod eſt cunctis in* Anglia *& multis alibi manifeſtum. Quocirca jam dictos nobiles, Caſtellanum ſcilicet de S.* Audomaro *cum ſuis ſociis, qui contra Regem ad occupandum vel invadendum regnum* Angliæ *opem vel operam impenderunt. Inſuper prædictum Decanum, necnon & omnes Canonicos, & Clericos, cujuſcunque dignitatis aut ordinis, de eccleſiis præfatis & civitate, ad quorum notitiam mandatum pervenerit, vel qui ſe abſentaverunt, vel quocunque modo procuraverunt, quò minùs perveniret ad illos; authoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, denunciamus excommunicatos: vobis eadem authoritate injungentes, quatenùs omnes prædictos excommunicatos publicè denuncietis, & faciatis per totam Parochiam veſtram publicari, tam Decanum, quàm nobiles ſupradictos perſonaliter nominando. Ita & circa hoc & illud quod in primis literis vobis directum continetur mandatum, ſolliciti exiſtentes, ne penès ſummum Pontificem quod abſit, poſſitis redargui negligentiæ, ſed potiùs de diligentia commendari. Valete.*

Lodovicus conſolatur Londinenſes literis.

HAC quoque tempeſtate, *Lodovicus* Baronibus & civibus *Londini* commorantibus in hæc verba ſcripſit. Lodovicus *filius* Philippi *Regis primogenitus, univerſis fidelibus & amicis ſuis qui ſunt* Londini, *ſalutem & ſinceram dilectionem. Sciatis certiſſimè, quòd ipſa Dominica inſtantis Paſchæ erimus apud* Caleſiam, *parati per Dei gratiam transfretare. Super eo quòd vos in omnibus negotiis meis ſtrenuè & viriliter habuiſtis, vobis refero gratias copioſas; vos attentè rogantes, & attentiſſimè requirentes, quatenùs ſicut ſemper feciſtis, adhuc vos fortiter & ſtrenuè teneatis. Volumus enim quòd certi ſitis, quòd in brevi habebitis nos in ſuccurſum veſtrum. Et vos attentè rogamus, ut ſuper his, nullis aliis ſuggeſtionibus, vel literis aut nunciis credatis: credimus enim, quòd ſuper his falſas literas habebitis, aut nuncios ſeductores. Valete.* Eodem tempore exierunt ab urbe *Londinenſi* Barones cum militibus, qui de regno *Franciæ* nuper advenerant, ad equeſtrem ludum, quod haſtiludium vel Torneamentum dicitur, cum haſtis tantùm & lineis armaturis. Cùmque equos curſim agitantes, & ſe mutuò cum haſtis ludendo percutientes, diem aliquantulùm protraxerunt; quidam ex *Francigenis* haſtam quam tenebat ludendo, dirigens in *Gauſridum* de *Mandeville*, Comitem ipſum lethaliter vulneravit. At idem Comes mortem ſuam ſuo percuſſori poſt dies paucos, in dolorem & querimoniam multorum, moriens condonavit.

Walo legatus ad Regem Francorum à Papa mittitur.

SUB his diebus magiſter *Walo* à domino Papa miſſus, venit in *Franciam*; ut *Ludovici* progreſſum in *Angliam* authoritate Apoſtolica impediret. Qui cùm ad Regem *Philippum* perveniſſet, porrexit ei literas ex parte domini Papæ deprecatorias; in quibus continebatur, ne permitteret filium ſuum *Lodovicum Angliam* hoſtiliter adire, vel Regem *Anglorum* inquietare in aliquo: ſed ipſum, ut *Romanæ* eccleſiæ Vaſallum protegeret, defenderet, & diligeret; cujus regnum ad *Romanam* eccleſiam ratione Dominii pertinebat. Rex autem *Francorum*, cùm hæc verba intellexiſſet, incontinenti reſpondit: Regnum *Angliæ* patrimonium *Petri* nunquam fuit, nec eſt, nec erit. Rex enim *Johannes*, multis retroactis diebus, volens fratrem ſuum Regem *Richardum* à regno *Angliæ* injuſtè privare, & inde de proditione accuſatus, & coram eo convictus, damnatus fuit per judicium in Curia ipſius Regis: quam ſententiam pronunciavit *Hugo* de *Puſat*, & Epiſcopus *Dunelmenſis*. Et ita nunquam fuit verus Rex, nec potuit regnum dare. Item ſi aliquando fuit verus Rex, poſteà regnum forisfecit per mortem *Arthuri*; de quo facto damnatus fuit in Curia noſtra.

1216. Item nullus Rex vel Princeps poteſt dare regnum ſuum, ſine aſſenſu Baronum ſuorum; qui regnum illud tenentur defendere: & ſi Papa hunc errorem tueri decreverit, pernicioſiſſimum Regis omnibus dat exemplum. Tunc quoque magnates omnes uno ore clamare cœperunt, quòd pro iſto articulo ſtarent uſque ad mortem; ne videlicet Rex vel Princeps per ſolam voluntatem ſuam poſſet regnum dare, vel tributarium facere, unde nobiles regni efficerentur ſervi. Acta ſunt hæc apud *Lugdunum* die decimo quinto poſt Paſcha.

Legatus interdicit Regi Lodovico ne Angliam intret.

In craſtino itaque procurante Rege *Francorum*, ſupervenit *Lodovicus* ad colloquium, & torvo vultu reſpiciens Legatum, juxta patrem ſuum reſedit. Quo facto, Legatus multis precibus cœpit rogare *Lodovicum*, ne iret in *Angliam* ad invadendum vel occupandum patrimonium *Romanæ* eccleſiæ; & patrem ejus, ut priùs fecerat, ne ipſum permitteret ire. Rex autem *Francorum* Legato protinus reſpondit, dicens: Ego domino Papæ & eccleſiæ *Romanæ* devotus ſemper fui & fidelis, & in omnibus agendis ſuis negotia ſua omnia efficaciter huc uſque promovi. Sed nec modò per conſilium meum vel auxilium, filius meus *Lodovicus* contra *Romanam* eccleſiam aliquid attentabit. Veruntamen ſi jus aliquod de regno *Angliæ* ſibi vendicat, audiatur: & quod juſtum fuerit, concedatur eidem. Ad hæc miles quidam, quem *Lodovicus* procuratorem ſuum conſtituerat, ſurgens, audientibus cunctis reſpondit: Domine Rex, res notiſſima eſt omnibus, quòd *Johannes* dictus Rex *Angliæ*, pro *Arthuri* nepotis proditione, quem propriis manibus interemit, in curia veſtra per judicium Parium ſuorum ad mortem ſit condemnatus: ac poſtmodùm à Baronibus *Angliæ* pro multis homicidiis & enormitatibus aliis, quas ibidem fecerat, ne regnaret ſuper eos, reprobatus. Unde Barones contra eum guerram moverunt, ut ipſum à ſolio regni immutabiliter depellerent. Præterea Rex ſæpedictus, præter aſſenſum Magnatum ſuorum, regnum *Angliæ* domino Papæ contulit & eccleſiæ *Romanæ*; ut iterum illud reciperet ab eis tenendum ſub annuo tributo mille marcarum. Et ſi coronam *Angliæ* ſine Baronibus alicui dare non potuit, potuit tamen dimittere eam. Quam ſtatim cùm reſignavit, Rex eſſe deſiit, & regnum ſine Rege vacavit. Vacans itaque regnum, ſine Baronibus ordinari non debuit: unde Barones elegerunt dominum *Lodovicum* ratione uxoris ſuæ; cujus mater, Regina ſcilicet *Caſtellæ*, ſola ex omnibus fratribus & ſororibus Regis *Angliæ* vivens fuit. Tunc Legatus propoſuit, quòd Rex *Johannes* erat Cruceſignatus, unde ex conſtitutione generalis Concilii, pacem habere debuit uſque in quatuor annos; & omnia ſub protectione ſedis Apoſtolicæ ſecura permanere: unde medio tempore *Lodovicus* non debuit guerram dicto Regi movere, nec eum à regno privare. Ad hæc procurator *Lodovici* reſpondit: Rex *Johannes* ante crucem ſumptam guerram moverat domino *Lodovico*; & caſtrum de *Buncham* obſederat & illud deſtruxerat. *Ariam* ſimiliter ceperat; & ex maxima parte illam combuſſerat: & inde milites multos & ſervientes captivos abducens, adhuc detinet incarceratos. Caſtrum quoque de *Liens* obſedit; & ibi multos interfecit. Comitatum de *Giſnes*, qui de Ligio domini *Lodovici* feudo eſt, ferro & flamma devaſtavit. Et adhuc etiam poſt crucem ſumptam, in guerra eſt contra dominum *Lodovicum*: unde juſtum bellum poteſt movere contra ipſum. Legatus itaque his rationibus non contentus; prohibuit, ſicut priùs, ſub pœna excommunicationis, ne *Lodovicus Angliam* intrare præſumeret: & patrem ejus, ne ipſum ire permitteret. His auditis, *Lodovicus* patri ſuo dixit: Domine, etſi ego homo veſter ligius ſum de feudo quod mihi dediſti in partibus ciſmarinis, de regno *Angliæ* ad vos non pertinet ſtatuere quicquam: unde me ſubjicio judicio Parium meorum, ſi debetis cogere me ne proſequar jus meum; & præcipuè tale jus, de quo mihi non poteſtis juſtitiam exhibere. Rogo itaque vos ne propoſitum meum præpediatis, quin proſequar jus meum: quia pro hæreditate uxoris meæ uſque ad mortem, ſi neceſſitas coëgerit, decertabo. Et his dictis *Lodovicus* cum ſuis à colloquio receſſit. Quod videns Legatus, rogavit Regem *Francorum*, ut ſalvum ſibi conductum præberet uſque ad mare. Cui Rex reſpondit: per terram noſtram propriam conductum libenter præſtabo; ſed, ſi fortè incideris in manus *Euſtachii* monachi, vel aliorum hominum *Lodovici*, qui cuſtodiunt ſemitas maris; non mihi imputes, ſiquid ſiniſtri tibi contingat. Hæc audiens Legatus, iratus à Curia receſſit.

Lodovicus Angliam intrat.

Lodovicus poſteà in craſtino ſancti *Marci* Evangeliſtæ apud *Melun* veniens ad patrem ſuum; rogavit eum cum lacrymis, ne ſui itineris propoſitum impediret. Addidit etiam, quòd Baronibus *Angliæ* juramentum præſtiterat, quòd ipſis veniret in ſuccurſum: unde prælegit ad tempus excommunicari à Papa, quàm crimen incurrere falſitatis. Videns autem Rex conſtantiam filii ſui & animi anguſtiam, mente, voluntate, & adjutorio conſenſit: ſed prævidens futurorum eventuum pericula, palàm aſſenſum non adhibuit; & ſic non quaſi volendo vel perſuadendo, ſed quaſi permittendo licentiam conceſſit, & cum benedictione dimiſit. Tunc *Lodovicus*, miſſis ad curiam *Romanam* nunciis, qui ibi jus, quod ſibi de regno *Angliæ* vendicabat, coram domino Papa proteſtarentur: ſub omni celeritate cum Comitibus, Baronibus, militibus, & ſervientibus multis, qui ſecum iter *Anglicanum* juraverant, feſtinavit ad mare, ut Legatum in *Angliam* præveniret. Venientes igitur univerſi ad *Caleis* portum, invenerunt ibi ſexcentas naves, & quater viginti coggas bene

paratas;

1216.

paratas; quas *Euſtachius* monachus contra adventum *Lodovici* ibidem congregaverat, illáſque cum feſtinatione omnes ingreſſi, Neptuno ſeſe commiſerunt: atque velis patentibus æquora ſulcantes, in *Tanet* inſulam, in loco qui *Stanhore* dicitur, xii Calendas Junii appulerunt. Erat tunc Rex *Johannes* apud *Doveram* cum exercitu ſuo; ſed quoniam alienigenis fuit ſtipendiariis vallatus & militibus tranſmarinis, *Lodovico* applicanti non eſt auſus occurrere: ne fortè in neceſſitate belli ipſum relinquentes ad *Lodovicum* ſeſe transferrent. Unde præelegit ad tempus recedere, quàm dubium certamen inire. Fugit ergo Rex à facie *Lodovici*; relinquens *Doverenſe* caſtrum ſub cuſtodia *Huberti* de *Burgo*: nec ceſſavit, donec priùs ad *Gildeford*, ac deinde ad *Wintoniam* uſque fugiendo pervenit. At *Lodovicus* cùm neminem ſibi reſiſtere cognoviſſet; apud *Sandwicum* de navibus exiens, provinciam totam, præter *Doverenſe* caſtrum, ſibi continuò ſubjugavit: & iter versùs *Londinum* dirigens, caſtrum *Roffenſe* in ſuam recepit poteſtatem. Deinde *Londonias* veniens, cum ingenti omnium Baronum lætitia ſuſceptus eſt. Cepit ibíque homagia & fidelitatem ab omnibus Baronibus ac civibus, qui ibidem expectaverant ipſius adventum. Ille verò tactis ſacroſanctis Evangeliis juravit, quòd ſingulis eorum bonas leges redderet, ſimul & amiſſas hæreditates: & poſteà in brevi, id eſt, xviii Cal. Julii, ſe ad ulteriora terræ transferens, totam circumjacentem provinciam ſine difficultate ſibi continuò ſubjugavit. Scripſit etiam Regi *Scotorum*, & cunctis Magnatibus *Angliæ*, qui nondum ſibi homagium fecerant, ut ad ejus fidelitatem venirent, vel à regno *Angliæ* cum feſtinatione recederent. Quid plura? concurrebant ad ejus edictum *Willielmus* Comes *Warrennæ*, *W.* Comes *Arundel*, *W.* Comes *Sarisberienſis*, *W. Mareſchallus* juvenis; & alii multi cum illis, Regem *Johannem* deſerentes: quaſi plena jam ſecuritate concepta, quòd *Lodovicus* regnum *Angliæ* obtineret. Conſtituit autem dictus *Lodovicus*, magiſtrum *Simonem* de *Langetuna* Cancellarium ſuum; cujus prædicatione tam cives *Londinenſes*, quàm Barones omnes excommunicati divina celebrare fecerunt; qui etiam ipſum *Lodovicum* ad conſenſum traxerunt.

Legatus Walo, Lodowicum *ſequens, in* Angliam *venit.*

EODEM tempore, cùm *Walo* Legatus de progreſſu *Lodovici* in *Angliam* certificatus fuiſſet, ipſe ut diligens mandati executor Apoſtolici, ipſum ſequuturus transfretavit atque illæſus inter hoſtes tranſiens, apud *Gloverniam* ad Regem *Johannem* pervenit. Quem Rex cum magna alacritate ſuſcipiens, ſpem ſuam totam in eo poſuit hoſtibus reſiſtendi. At Legatus, Epiſcopis, Abbatibus, cum Clericis, quos habere poterat, convocatis; *Lodovicum* nominatim cum complicibus & fautoribus ſuis, & præcipuè magiſtrum *Simonem* de *Langetuna*, pulſatis campanis & candelis accenſis, excommunicavit, præcipiens Epiſcopis & aliis univerſis, & ſingulis Dominicis diebus ac feſtivis per totam *Angliam* ſententiam publicarent. Sed ad hæc magiſter *Simon* de *Langetuna*, & magiſter *Gervaſius* de *Hobrugge*, eccleſiæ ſancti *Pauli Londinenſis* Præcentor, cum quibuſdam aliis; dixerunt ſe pro jure & ſtatu *Lodovici* appellaſſe; unde ſententiam illam irritam habuerunt & inanem. Eodem tempore receſſerunt à Rege *Johanne*, milites omnes & ſervientes de regione *Flandrenſi* & finibus tranſmarinis, præter ſolùm *Pictavienſes*; quorum quidam *Lodovico* adhæſerunt, nonnulli verò ad propria remearunt.

Lodovicus *Auſtrales* Angliæ *partes ſubjugat.*

SUB diebus iſtis, *Lodovicus* ab urbe *Londoniarum* maximo militum exiens tumultu, *Gantiæ* provinciam hoſtiliter invaſit: eámque ſibi totam, præter *Doverenſe* caſtrum, nemine reſiſtente, ſubegit. Deinde progrediens, *Suthſexam* cum villis & munitionibus potenter obtinuit. Unde juvenis quidam *Willielmus* de *Colingeham* nomine, *Lodovico* fidelitatem facere contempſit, & congregatis mille ſagittariis, loca deſerta & nemoroſa, quibus illa abundat regio, petivit: atque toto hoſtilitatis tempore *Francigenis* nimis infeſtus, multa ex eis millia interfecit. *Lodovicus* tandem *Wintoniam* veniens, civitatem ſibi cum caſtello civitatis & caſtro Epiſcopi & tota provincia ſubjugavit. *Hugo* de *Nevilla* ad *Lodovicum* veniens, reddidit ei caſtellum de *Merleberge*, & homagium fecit. Deinde ad *Hodiam* municipium Epiſcopi *Wintonienſis* veniens *Lodovicus*, turrim obſedit. Erant autem in ea tres tantùm milites, & decem ſervientes, qui conſtanter defenſioni vacabant. Nam die tertia poſtquam *Francigenæ* machinas ſuas in orbem turris collocaſſent, & inſultus acerrimos & crebros feciſſent, exierunt de turri dicti tres milites, & tot ſervientes: atque ex adverſa parte totidem occupantes milites & clientes, ſine ſui læſione in turrim ſe receperunt. Denique completis xv. diebus, reddiderunt turrim *Lodovico*, & egreſſi ſunt numero tredecim: tantùm ſalvis ſibi equis & armis, in magna admiratione *Francorum*. Ceſſerunt igitur in poteſtatem *Lodovici* omnes provinciæ Auſtrales, præter ſola caſtella de *Dovera* & *Windleſhores*: quæ optimè militibus munita, ad *Lodovici* ſe præparabant adventum. Intereà *Willielmus* de *Mandevilla*, *Robertus* filius *Walteri*, & *Willielmus* de *Huntingefeld*, in multitudine gravi militum & clientum, provincias de *Eſſex* & de *Suffolch Lodovico* ſubjugârunt. Inter hæc omnia Rex *Johannes* caſtella de *Walingeford*, de *Corf*, de *Warham*, de *Briſtollo*, de *Diviſis*, & alia, quæ longum eſt dinumerare; militibus, victualibus, & armis optimè communivit.

Quid nuncii Lodovici Romæ *egerint.*

CIRCA dies iſtos *Lodovici* nuncii, quos ad Curiam *Romanam* miſerat, eidem ſcripſerunt ſub hac forma. *Excellentiſſimo Domino ſuo* Lodovico, *domini Regis* Francorum *primogenito*, D. *de* Corbolio, I. *de* Montevifito, *&* G. Limeth, *nuncii, ſalutem & fidele ſervitium.*

1216. *ſervitium. Noverit excellentia veſtra, quòd nos die Dominica ad menſem Paſchæ venimus ad dominum Papam, ſalvis perſonis noſtris & rebus: & eodem die intravimus ſtatim ad ipſum. Quem hilarem invenimus, ſed vultu triſtem ſe nobis exhibuit. Et præſentatis literis noſtris, & propoſita ſalutatione ex parte veſtra, ipſe nobis reſpondit: Dominus veſter non eſt dignus ſalutatione noſtra. Ego verò ſtatim reſpondi: Pater, credo quòd auditis rationibus & excuſationibus domini noſtri, invenietis eum dignum ſalutatione veſtra; utpotè* Chriſtianum, *Catholicum, vobis &* Romanæ *Eccleſiæ devotum. Et ſic illa die à præſentia domini Papæ receſſimus. Sed in receſſu noſtro benigniſſimè nobis dixit dominus Papa; quòd nos libenter audiret, quando & quoties vellemus. Sequenti die Martis, Dominus Papa miſit ſervientem quendam ad hoſpitium noſtrum, ut veniremus ad ipſum, & ſtatim venimus ante eum, & ipſe multa dixit contra nos, cùm propoſuiſſemus cauſam noſtram; & quæ videbantur impugnare factum veſtrum, & rationes veſtras. Et ſtatim finito ſermone, percuſſo pectore ſuo cum magno gemitu, infremuit ſpiritu, & dixit: Heu mihi, quia in hoc facto eccleſia Dei non poteſt evadere confuſionem. Si enim Rex* Angliæ *vincitur, in ipſius confuſione confundimur: quia Vaſallus noſter eſt, & tenemur eum defendere. Si dominus* Lodovicus *vincitur, quòd Deus avertat, in ipſius læſione læditur* Romana *eccleſia; & ipſius læſionem propriam reputamus. Securè enim ſemper habuimus, & adhuc habemus; quòd ipſe in omnibus neceſſitatibus debeat eſſe brachium, ſolatium in oppreſſionibus, & refugium in perſecutionibus eccleſiæ* Romanæ. *Et in fine dixit, quòd melius vellet mori, quàm aliquod malum vobis accideret in hoc facto. Et ſic illa die receſſimus. Præterea de conſilio quorundam Cardinalium expectamus diem Aſcenſionis, ne quid ſtatuatur contra vos: quoniam illa die ſolet Papa innovare ſententias ſuas. Dixerat enim nobis Papa, quòd ipſe expectaret nuncios domini* Walonis. *Valete.*

Objectiones Lodovici *& Baronum* Angliæ *contra Regem* Johannem.

PRIMA propoſitio contra Regem *Angliæ* fuit in Præſentia domini Papæ à nunciis ſupradictis quòd *Arthurum* nepotem ſuum propriis manibus per proditionem interfecit, peſſimo mortis genere, quòd *Angli* murdrum appellant. Pro quo facto, idem Rex condemnatus fuit ad mortem in curia Regis *Francorum*, per judicium Parium ſuorum. Ad hanc objectionem opponit dominus Papa, quòd Barones *Franciæ* non potuerunt judicare eum ad mortem; quia ſit Rex inunctus, & ita ſit ſuperior: per Barones, tanquam inferiores, non potuit ad mortem condemnari; quia major dignitas quodam modo abſorbet minorem. Et præterea incivile videtur, & contra Canones eſſe; in hominem abſentem, non vocatum, non convictum, nec confeſſum, mortis ferre ſententiam. Ad hoc nuncii ſupradicti reſponderunt: Conſuetudo eſt in regno *Francorum*, quòd Rex habet omnimodam Juriſdictionem in homines Ligios ſuos: & Rex *Angliæ* erat ſuus homo Ligius, tanquam Comes & Dux: Ergo licèt eſſet alias Rex inunctus; tamen tanquam Comes & Dux erat de Juriſdictione domini Regis *Francorum*. Sed ſi Comes & Dux in regno *Francorum* delinqueret; poſſet & deberet judicari ad mortem per Pares ſuos. Imò ſi non eſſet Dux vel Comes, vel homo Ligius Regis *Franciæ*; & deliquiſſet in regno *Franciæ*; ratione delicti in regno perpetrati, potuerunt Barones eum judicare ad mortem. Alioquin ſi Rex *Angliæ*, quia Rex erat inunctus, non poſſet judicari ad mortem: impunè poſſet intrare regnum *Franciæ*, & interficere Barones *Franciæ*, ſicut interfecerat *Arthurum*.

Hujus autem negotii veritas talis eſt: Revera non fuit Rex *Johannes* juſtè vel ritè abjudicatus à *Normannia*: quia idem Rex non judicialiter ſed violenter ſpoliatus, miſit propter reſtitutionem Regi *Francorum Phil.* nuncios ſolennes & prudentes. Videlicet, *Euſtachium* Epiſcopum *Elyenſem*, & *Hubertum* de *Burgo*, viros diſertos & facundos: ſignificans ei quòd libenter veniret ad curiam ſuam, juri per omnia ſuper illa re pariturus ac reſponſurus; ſed ut provideretur ei ſalvus conductus. Et reſpondit Rex *Philippus* ſed non ſereno vultu vel corde: Libenter. In pace ſalvus veniat. Et Epiſcopus: Domine, & redeat. Et Rex: Ita ſit, ſi Parium ſuorum judicium hoc permittat. Et cùm ſupplicaſſent omnes nuncii Regis *Angliæ*, ut liceret ei ſalvo venire & redire; Rex *Franciæ* iratus, cum juramento ſolito reſpondit: Per Sanctos *Franciæ*, non niſi mediante judicio. Et cùm adderet Epiſcopus pericula quæ poſſent contingere per adventum ejus, ait: Domine Rex non poſſet Dux *Normanniæ* ad curiam veſtram venire, niſi veniret Rex *Angliæ*; cùm una perſona ſint Dux & Rex, quod non permitteret aliquo modo Baronagium *Angliæ*, etſi ipſe Rex hoc vellet: imminerent enim pericula, ut noſtis capturæ vel cædis. Cui reſpondens Rex, dixit, Et quid hoc, domine Epiſcope? Benè ſcitur, quòd Dux *Normanniæ*, qui tenens meus eſt, *Angliam* ſibi adquiſivit violenter. Et ſi ſubdito aliquid accreſcit in honorem, perdétne per hoc dominus capitalis? Abſit. Ad quod cùm nuncii nihil poterant rationabiliter reſpondere; redierunt ad dominum Regem *Angliæ*, quæ audierant & viderant nunciantes. Rex autem noluit ſe committere dubiis caſibus & judiciis *Francorum*, qui eum non diligebant; maximè cùm timeret, ut ei de turpiſſima morte *Arthuri* objiceretur. Juxta illud *Horatii*:

——quia me veſtigia terrent,
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Magnates autem *Franciæ* nihilominùs proceſſerunt in judicium, quod ritè non debuerunt facere; ex quo judicandus abſuit, qui adeſſe voluit ſi poſſet. Unde ſi Rex *Johannes* abjudi-

abjudicatus fuerit per adverſarios ſuos, non ritè abjudicabatur. Ad hæc Papa: Multi Imperatores & Principes, & etiam *Françorum* Reges, multos in Annalibus occidiſſe leguntur innocentes; nec tamen quenquam illorum legimus morti addictum. Et cùm *Arthurus* apud *Mirebel* caſtrum, non ut innocens, ſed quaſi nocens & proditor domini & avunculi ſui, homagium & ligantiam fecerat, captus fuerit; potuit de jure morte etiam turpiſſima ſine judicio condemnari. 1216.

Secunda objectio contra Regem Johannem.

SECUNDA objectio contra Regem fuit, quòd ſæpè citatus non perſonaliter juri pariturus comparuit; nec ſufficientem reſponſalem pro ſe ad curiam *Franciæ* deſtinavit. Ad hoc dicit Papa, quòd ſi Rex *Angliæ* fuit tantùm contumax, quia citatus non venit nec miſit: ſed propter contumaciam non ſolet quis puniri ad mortem, nec debet. Ergo Barones *Franciæ* non potuerunt judicare eum ad mortem, ſed ſaltem alio modo punire eum; per ablationem ſcilicet feudi ſui. Nuncii reſponderunt: Conſuetudo eſt in Regno *Franciæ*, quòd ex quo aliquis accuſatur coram ſuo judice, de tam crudeli homicidio quod murdrum appellatur; & ille qui accuſatur non venit, verùm modo legitimo ſe excuſat; pro convicto habetur, & tanquam convictus per omnia judicatur, & etiam ad mortem, acſi præſens eſſet. Ad hæc Papa reſpondit, quòd pactio potuit eſſe inter Regem *Franciæ* & Ducem *Normanniæ*, vel antiqua conſuetudo, quòd Dux *Normanniæ*, non debet venire ad citationem Regis *Franciæ*, niſi in Marchiam: unde ſi non venit citatus, nec deliquit, nec propter hoc potuit taliter puniri. Item dicit Papa quòd ſi ſententia lata fuerit contra Regem *Angliæ*, non tamen mandata fuit executioni, quia non fuit occiſus: unde proles, quam ſuſcepit poſteà, debet ei in Regno ſuccedere: quia Rex *Angliæ* non commiſit crimen læſæ Majeſtatis, nec crimen hæreſeos, pro quibus tantùm filius exhæredatur, pro delicto patris. Ad hæc nuncii reſponderunt: Conſuetudo eſt in Regno *Franciæ*, quòd ex quo aliquis eſt damnatus ad mortem, quòd proles ſuſcepta poſt ſententiam damnationis, ſuccedere non debet: geniti tamen ante ſententiam ſuccedere debent. Sed tamen ſuper hoc, nuncii litigare noluerunt. Item dicit *Papa*, quòd licèt Rex *Anglorum* judicatus eſſet ad mortem, & etiam filii de carne ſua geniti, non ideo *Blanca* deberet ei ſuccedere; ſed propinquiores de genere ejus; videlicet proles fratris primogeniti, & ita ſoror *Arthuri*, vel *Othò*, qui fuit filius ſororis primogenitæ. Et ſi ponatur, quòd Regina *Caſtellæ* debeat ſuccedere, & ita *Blanca* filia ejus, non eſt verum: quia maſculus debet præferri, Rex ſcilicet *Caſtellæ*. Et ſi nullus eſſet maſculus, præferri deberet Regina *Legionum*, tanquam primogenita. Ad hæc nuncii dixerunt: Filii fratris non debent ſuccedere, ex quo tempore latæ ſententiæ frater non videbat; & ita neptis, ſoror ſcilicet *Arthuri*, non debet ſuccedere, quia non eſt in linea deſcendenti, cùm ſit filia fratris. Similiter tempore latæ ſententiæ mater *Othonis* non vivebat, ergo non ſucceſſit; ergo *Othò* non debet ſuccedere. Sed Regina *Caſtellæ* vivebat, quæ ſoror erat; & ideò ſucceſſit: Ergo mortua Regina *Caſtellæ*, proles ſucceſſit, & ſuccedere debuit. Ad hæc dicit Papa, quòd Rex *Caſtellæ*, ſuccedere debet, quia maſculus eſt; vel Regina *Legionum* tanquam primogenita. Nuncii dixerunt, quòd cùm plures ſint hæredes, qui alicui debent ſuccedere, & ille qui primò loco debet ſuccedere, taceat; vel hæreditatem inveſtiri debet hæreditate illa ſecundùm conſuetudinem approbatam: ſalvo tamen jure alterius, ſi reclamaverit. Et ideò dominus *Lodovicus* intrat regnum *Angliæ*, ut ſuum. Et ſi quis propinquior velit ſuper hoc reclamare, dominus *Lodovicus* faciet inde quòd debet.

Tertia objectio.

TUNC dixit Papa, quòd regnum *Angliæ* ſuum proprium eſt, & eſt in poſſeſſione dominii ratione fidelitatis, quæ ſuper hoc eſt ei facta per juramentum; & etiam ratione cenſus, qui jam ei ſolutus eſt de regno: unde cùm in nullo delinqueret, non deberet ſibi guerram movere *Lodovicus*, nec deberet eum ſpoliare à regno *Angliæ* per guerram, maximè cùm Rex *Angliæ* multas habeat terras in feudo Regis *Franciæ*, de quibus poteſt ei movere guerram. Ad hæc nuncii: Mota fuit guerra & juſtum bellum contra Regem *Angliæ*, antequàm regnum illud eſſet domini Papæ. Sed de regno *Angliæ* venit *Willielmus* de *Longa ſpata*, & multi alii cum eo, in manu valida & armata; qui damna multa & injurias intulerunt domino *Lodovico* in terra ſua propria: & ideò dominus noſter poteſt movere juſtum bellum contra Regem *Anglorum*. Ad hæc Papa dixit, quòd licet Rex *Angliæ* tanquam Vaſallus ejus *Lodovico*, non ipſe tamen deberet ei movere guerram: ſed deberet conqueri domino ſuperiori, ſcilicet Papæ, cui ſubeſt Rex *Angliæ*, tanquam Vaſallus ejus. Ad hæc nuncii reſponderunt, quòd conſuetudo eſt, ex quo aliquis Vaſſallus alterius movet guerram alicui authoritate ſua; ille cui mota eſt guerra, poteſt ei movere guerram authoritate ſua, nec tenetur conqueri domino illius. Et ſi dominus vult defendere Vaſſallum ſuum quamdiu movet talem guerram, ipſe dominus dicitur facere guerram. Item dicit Papa, quòd in generali Concilio ſtatutum eſt, quòd inter omnes diſcordantes debet eſſe pax vel treuga uſque ad quatuor annos, pro ſuccurſu *Terræ ſanctæ*: & ideò tempore medio *Lodovicus* non debet Regno *Angliæ* guerram movere. Nuncii dixerunt quòd in receſſu ſuo à *Francia Lodovicus* non fuit requiſitus de pace vel treuga: & ſi requiſitus eſſet, crediderunt tantam eſſe malitiam Regis *Angliæ*, quòd noluit pace vel treuga gaudere. Item dicit Papa, quòd Rex *Angliæ*, cruce ſignatus eſt: unde ex conſtitutione generalis Concilii, ipſe Rex & omnia ſua debent eſſe ſub protectione Eccleſiæ. Ad hoc nuncii reſponderunt, quòd Rex *Angliæ* ante

crucem

1216. crucem ſumptam guerram moverat domino *Lodovico*, & damna multa fecerat, caſtra ſua ceperat: & adhuc milites ſuos & ſervientes incarceratos retinet, & hucuſque in guerra eſt contra dominum *Lodovicum*, nec pacem vel treugam cum eo habere voluit, ſuper hoc etiam ſæpè requiſitus. Item dicit Papa, quòd de communi conſilio generalis Concilii excommunicaverat Barones *Angliæ*, & omnes fautores eorum; & ita dominus *Lodovicus* ſententiam incurriſſe videtur. Nuncii dixerunt, quòd *Lodovicus* non adjuvat Barones *Angliæ*, nec fovet eos, ſed jus ſuum proſequitur: nec etiam credit *Lodovicus*; nec credere debet, quòd dominus Papa, vel tantum Concilium, injuſtè velit aliquem excommunicare. Nam tempore latæ ſententiæ dominus Papa neſciebat, quòd *Lodovicus* haberet jus de regno *Angliæ*; & cùm hoc illi conſtiterit, non credit dominus *Lodovicus*, quòd Concilium poſſit ei jus ſuum auferre. Item dicit Papa, quòd Rex *Francorum* & *Lodovicus* filius ejus, poſt ſententiam à Baronibus *Franciæ* in Regem *Angliæ* latam, ipſum Regem appellaverunt, & pro Rege habuerunt: & cum eo tanquam cum Rege *Angliæ* treugas ſtatuerunt. Ad hæc nuncii reſponderunt, quòd poſt latam ſententiam à Baronibus in Regem, nunquam illum pro Rege habuerunt: ſed ipſum Regem depoſitum appellaverunt, ſicut, Abbas depoſitus, & quilibet alius dici ſolet. Noviſſimè verò dicit Papa, quòd ipſe ſtatuet ſuper his antequàm veniant nuncii domini *Walonis*.

Lodovicus *Orientales Angliæ provincias devaſtat.*

SUB diebus iſtis, *Lodovicus* in fortitudine gravi versùs Orientalem *Angliæ* plagam equitationem faciens, urbes & villas de *Eſſex*, *Suthfolc*, & de *Nortfolc* miſerabiliter ſpoliavit, & caſtellum *Norwici* vacuum reperiens, ſuos impoſuit; *Thomámque*, qui in illo fuit Caſtellanus, de *Burgo*, id eſt, fratrem *Hugonis* de *Burgo*, fugientem comprehendit; illáſque regiones omnes ſub tributo conſtituit. Ad villam quoque de *Len* exercitum grandem mittens, eam ſubjugavit: civéſque captivos inde abducens, ad gravem eos redemptionem coëgit. Quo facto, *Franci* cum præda & ſpoliis innumeris *Londonias* ſunt reverſi. Veniente ibidem ad *Lodovicum Gileberto* de *Gant*, comitatus *Lincolniæ* ipſum gladio donavit. Quem protinus illùc direxit, ut irruptiones caſtrorum de *Notingham* & de *Nenverc* reprimeret; quæ omnes Barones ædes ac domos incomparabiles in finibus illis ſuccenderant, & terras eorum in ſua proprietate receperant. Quo utique tempore, *Robertus* de *Ros*, *Petrus* de *Brus*, & *Richardus* de *Parci*, *Eboracum* cum tota provincia *Lodovico* ſubjecerunt. *Gilebertus* de *Gant*, & *Robertus* de *Roppelle*, urbem *Lincolniæ* ceperunt; & provinciam illam, præter caſtellum, totam ſub annuo cenſu poſuerunt. Deinde *Hollandiam* invadentes, ſpoliabant eam, & ſibi tributariam fecerunt. Rex *Scotorum Northanhumbrorum* provinciam *Lodovico* ſubjugavit totam; præter caſtella, quæ *Hugo* de *Baillucl* & *Philippus* de *Hulecotes* contra hoſtium incurſiones ſtrenuiſſimè defendebant. Hæ autem omnes provinciæ, *Lodovico* ſubjectæ erant, & juratæ. Eodem tempore, *Walo* legatus exegit procurationes per totam *Angliam* ab eccleſiis cathedralibus, & domibus religioſis; pro ſingulis ſcilicet procurationibus quinquaginta ſolidos. Omnia etiam beneficia Clericorum pariter ac virorum Religioſorum, qui *Lodovico* & Baronibus auxilium, conſilium, vel favorem impenderant, ſequeſtravit; quæ omnia in ſuos & Clericorum ſuorum uſus convertit.

Lodovicus *obſidet caſtrum* Doverenſe.

EODEM anno, inſtante nativitate ſancti *Johannis Baptiſtæ*, *Lodovicus* reprehenſus à patre, tanquam neſcius guerræ, eò quòd relicto caſtro *Dovere*, progrederetur, in fortitudine gravi militum & clientum; *Doverenſe* caſtrum obſidione vallavit; miſſo priùs ad patrem ſuum propter petrariam, quæ *Malveiſine Gallicè* nuncupatur. Qua cum machinis aliis *Franci* ante caſtrum locata, muros acriter crebris ictibus verberabant. Sed *Hubertus* de *Burgo* miles ſtrenuus & fidelis, cum aliis ſepties viginti militibus, & ſervientibus multis, qui in illo erant defenſioni inſiſtentes, multos ex hoſtibus proſtraverunt; donec *Galligenæ* comperto damno, tentoria ſua & machinas à caſtro longiùs retraxerunt. Unde *Lodovicus* nimia ſuccenſus ira; pejerando juravit, ſe non inde receſſurum, quouſque capto caſtello, incluſi omnes ſuſpendio traderentur. Conſtruxerunt quoque ibi tabernacula multa, & ædificia, ante introitum caſtri, ad terrorem incluſorum; ita ut locus ille ſimilitudinem nundinarum præ ſe ferret. Cogitabant enim eos fame & diuturna obſidione ad deditionem compellere, quos armis ſubjugare nequibant.

Caſtri Cantebrugenſis *captio.*

PER idem tempus quædam pars Baronum, qui *Londoniis* remanſerant, equitationem facientes, deprædati ſunt provinciam de *Cantebruge* totam, & munitionem illam ceperunt. Atque viginti ſervientes, quos in ea invenerant, vinculis conſtrinxerunt, & ſecum abduxerunt. Inde progredientes, provincias de *Northfolc* & *Suthfolc* perluſtrantes, ſpoliabant eas cum eccleſiis univerſis. Villas quoque *Gernemuam*, *Dunewicum*, & *Gipeſwicum* ad redemptionem graviſſimam compulerunt. Tandem per *Coleceſtriam* prædam agentes, & ibidem ſimili rabie ſævientes, ad nota *Londinarium* latibula ſunt reverſi.

Obſidio caſtri de Windleſhores.

HIS ita geſtis, iidem Barones magno exercitu congregato, caſtellum de *Windleſhores* cuneis militaribus obſederunt. Erat autem princeps militiæ illius Comes *Niverniæ* de *Guenelonis* genere proditoris. Inſtabant autem *Franci*, qui machinas ad caſtrum applicantes, muros acriter invaſerunt. Fuit itaque in caſtro cuſtos ſummus *Ingelardus* de *Achie*, vir in opere martio probatiſſimus, cum militibus ſexaginta, & eorum ſequela; qui conſtanter defenſioni

1216.

defenſioni vacantes, hoſtes à muris longiùs repellere nitebantur. Cùmque Rex *Johannes* caſtra de *Dovera* & de *Windleſhores* cognoviſſet obſeſſa, congregavit exercitum grandem de præſidiis caſtrorum ſuorum; quo ſtipatus, diſcurrit tempore unius menſis per terras Comitum & Baronum, ædes eorum cum frugibus concremando, damnum non modicum hoſtibus irrogavit. Tandem provincias de *Northfolc* & *Suthfolc* pervagatus, ſimili rabie ibidem in rebus Comitis de *Arundel*, *Rogeri Bigot*, *Willielmi* de *Huntingfeld*, *Rogeri* de *Creſi*, & aliorum magnatum deſævit. Noviſſimè autem cùm hæc omnia Baronibus, qui in obſidione caſtri de *Windleſhores* parùm imò nihil proficiebant, nunciata fuiſſent, decreverunt obſidionem ſolvere; ut Regi *Johanni*, qui jam circa maritima in *Suthfolc*, ut dictum eſt, prædas agebat & rapinas, viam præcluderent revertendi. Sicque per conſilium Comitis *Niverniæ*, qui (ut dicebatur) denariis Regis *Angliæ* corruptus fuerat, de nocte ab obſidione recedentes, relictis tentoriis, versùs *Cantebruge* cum feſtinatione iter arripiunt, ut Regem jam dictum circumſtipando concluderent. Sed ille per exploratores ſuos, quos optimos habuit, præmonitus, antequàm Barones ad *Cantebruge* perveniſſent, ipſe in villam de *Stamford* callidus ſeſe viator receperat. Deinde cùm feſtinatione partes penetrans Aquilonis, caſtrum *Lincolniæ* audivit obſeſſum, eò ſummoperè properabat. Sed fugerunt à facie ejus *Gilebertus* de *Gant* cæterique *Norenſes*, qui ad obſidionem convenerant; præſentiam ejus ut fulmina metuentes. Barones quoque, qui Regem inſequuti fuerant, cùm ſe cognoviſſent illuſos, prædis vacabant & rapinis, & rerum depopulationi curam adhibebant. Deinde cum prædis & ſpoliis *Londinum* ſunt reverſi: ubi ad cuſtodiam civitatis militis aſſignantes, apud *Doveram* ad *Lodovicum* profecti ſunt. Rex verò *Johannes* intereà versùs *Walliæ* confinia ſe conferens, caſtella Baronum ibidem obſedit & cepit; quæ omnia complanari præcepit. In ædificiis autem & pomeriis eorundem Baronum, pari crudelitate exardeſcens, miſerabile ſpectaculum intuentibus præbuit. Eodem tempore, menſe Auguſto, *Alexander* Rex *Scotorum* apud *Doveram* ad *Lodovicum* exercitu magno, propter metum Regis *Johannis*, veniens, fecit ei homagium de jure ſuo, quod de Rege *Anglorum* tenere debuit. Sed veniendo versùs *Lodovicum*, dum tranſitum faceret per caſtellum *Bernardi*, quod erat de feudo *Hugonis* de *Baillul*, in provincia de *Haliwercfolc* ſitum; dictus Rex cum magnatibus illius regionis caſtellum circumivit, ut videret ſi ex aliqua parte eſſet expugnabilis; ubi baliſtarius quidam, qui in caſtro erat, telum emittens, *Euſtachium* de *Veſci* virum nobilem & potentem in fronte percuſſit, qui terebrato jam capite, illicò ſpiritum exhalavit. Habuit autem dictus *Euſtachius* ſororem Regis *Scotiæ* in uxorem: unde idem Rex & ſui magnates, cum univerſo Baronum collegio, extiterunt nimis animo conſternati. Rex quoque, facto homagio, ut prædictum eſt, ad propria remeavit.

Rex Scotorum facit Lodovico homagium.

CONTIGIT hac tempeſtate Vicecomitem de *Melun*, virum nobilem de regno *Francorum*, qui cum *Lodovico* in *Angliam* venerat, in urbe *Londoniarum* graviter infirmari. Qui cùm mortem ſibi imminere cognoſceret, adſcivit ad colloquium ſuum quoſdam Barones *Angliæ*, qui ob cuſtodiam civitatis in urbe remanſerant; & confeſſus eſt audientibus cunctis, dicens eis. Doleo ſuper deſolationem & ſubverſionem veſtram, quòd vos, quot vobis imminent pericula, ignoratis. Juravit namque *Lodovicus* & xvi. cum eo de regno *Francorum* Comites & Barones, quòd ſi contigerit eum *Angliam* ſubjugare, & in regem coronari; ipſe omnes illos, qui nunc cum ipſo militant, & Regem *Johannem* perſequuntur ut proditores domini ſui perpetuo damnaret exilio, & omne genus deleret de terra. Et ne hoc vobis vertatur in dubium, ego qui hîc continuò moriturus jaceo, in periculo animæ meæ vobis affirmo, me unum eſſe ex illis qui hoc cum *Lodovico* juraverunt. Unde ſummoperè nunc conſulo, ut utilitati veſtræ provideatis in poſterum; & ea quæ jam vobis dixi, ſub ſigillo ſecreti teneatis. Et his dictis, nobilis ille continuò expiravit. Cùm autem verba hæc inter Barones diſſeminata fuiſſent, contriſtati ſunt valdè; dum ſe perplexos undique cognoviſſent. *Lodovicus* enim terras eorum & caſtella, quæ jam in locis diverſis ſubjugaverat, illis murmurantibus, *Francigenis* dedit; & quod magis dolebant, notam eis proditionis impoſuit. Auxit prætereà triſtitiam eorum, quòd ſingulis diebus eſſent excommunicati ſimul & omni honore terreno privati; unde in maximam corporis & animæ anguſtiam inciderunt. Cogitaverunt multi igitur eorum ad fidelitatem Regis *Johannis* redire; ſed timuerunt valdè, ne ille, quem tot talibúſque conviciis in odium ſui provocaverunt, vellet eos admittere pœnitentes.

Proditio Francorum.

TANDEM cùm *Lodovicus* apud *Doveram* obſidionem diu & inaniter protraxiſſet; Rex *Johannes* in fortitudine gravi provincias de *Suthfolc* & *Nortfolc* miſera afflictione contrivit. Veniens autem per *Burgum* & *Croilandiam*, ipſam eccleſiam deprædatus eſt; & per *Savaricum* de *Mallo leone*, & alios nefarios complices ſuos, ibidem ſcelera inaudita perpetravit. Deinde per maneria Abbatis de *Croiland* tranſiens, omnes ſegetes ejus, ſicut erant in fine Autumni congeſtæ, in favillas redegit. Noviſſimè per urbem quæ *Len* appellatur, tranſitum faciens; ab urbanis cum gaudio ſuſceptus eſt, & magnis donariis honoratus. Deinde versùs Aquilonem iter arripiens, in fluvio qui *Welleſtrem* dicitur, carretas omnes, bigas, & ſummarios, cum theſauris, vaſis pretioſis & regalibus omnibus, quæ propenſiori cura dilexit, inopinato eventu amiſit. Aperta eſt enim in mediis fluctibus terra, & voraginis

Mors Regis Johannis.

1216. abyſſus, quæ abſorbuerunt univerſa cum hominibus & equis, ita quòd nec pes unus evaſit, qui Regi caſum nunciaret. Rex tamen cum exercitu ſuo vix elapſus, nocte ſequenti apud Abbatiam quæ *Suneſheved* dicitur, pernoctavit. Ubi, ut putabatur, de rebus à fluctibus devoratis tantam mentis incurrit triſtitiam, quòd acutis correptus febribus, cœpit graviter infirmari. Auxit autem ægritudinis moleſtiam pernicioſa ejus ingluvies, qui nocte illa de fructu Perſicorum & novi ciceris potatione nimis repletus, febrilem in ſe calorem acuit fortiter & accendit. Veruntamen ſummo inde diluculo licèt cum labore recedens; ad caſtellum de *Lafort* hoſpitaturus perrexit. Ubi maxima corporis prævagatus moleſtia, in craſtino vix ad caſtellum de *Newerc* equo vehente pervenit. Quo in loco invaleſcente morbo, ab Abbate de *Croeſtuna* conſilium confeſſionis & Euchariſtiam ſuſcepit. Deinde *Henricum* filium ſuum primogenitum, regni ſui hæredem conſtituit; regnúmque *Angliæ* illi jurare fecit. Literas etiam ſigillo ſuo munitas, ad omnes Vicecomites regni & Caſtellanos direxit; præcipiens ut ei eſſent ſinguli intendentes. Et his ita geſtis, ſciſcitatus eſt ab eo Abbas de *Croeſtuna*, ſi ipſum mori contingeret, ubi vellet eligere ſepulturam. Cui Rex reſpondens, dixit: Deo & ſancto *Ulſtano* corpus & animam meam commendo. Qui poſteà in nocte quæ diem ſancti *Lucæ* Evangeliſtæ proximè ſequuta eſt, ex hac vita migravit. Cujus corpus regio ſchemate ornatum, ad *Wigorniam* delatum eſt; & in eccleſia cathedrali ab Epiſcopo loci honorificè tumulatum. Tempore verò quo apud *Newerc* idem Rex mori incipiebat; venerunt ad eum ibidem nuncii quorundam Baronum *Angliæ* circiter quadraginta cum literis, qui voluerunt ad pacem Regis redire; ſed ipſe in extremis agens, his tunc operam dare non potuit; vocabant enim eum fata ſua. Abbas igitur Canonicorum *Crokeſtoniæ* peritiſſimus in medicinis, qui Medicus Regis tunc temporis extiterat, facta anatomia de corpore Regio, ut honeſtiùs portaretur; viſcera copioſo ſale conſperſa, in ſua domo tranſportata, honorificè fecit ſepeliri. Cùm autem regnaſſet Rex *Johannes* annis octodecim, menſibus quinque, diebus autem quatuor, ab hac vita, poſt hujus ſæculi multas perturbationes, & labores inutiles, in multa mentis amaritudine ſubtractus, tranſmigravit; nihil terræ, imò nec ſeipſum poſſidens. Sperandum eſt autem, & certiſſimè confidendum, quòd quædam bona opera, quæ fecit in hac vita, allegabunt pro eo ante tribunal *Jeſu Chriſti:* conſtruxit enim Abbatiam *Ciſtercienſis* ordinis de *Bello loco*; & moriturus domui de *Crokeſtuna* decem librarum terram contulit opulentam. Epitaphium verò & ſepulturæ ejus ſuperſcriptionem quidam compoſuit in hæc verba

Ægrotatio Regis Johannis.

Johannes Rex moritur.

Hoc in ſarcophago ſepelitur Regis imago,
Qui moriens multum ſedavit in orbe tumultum,
Et cui connexa dum vixit probra manebant.
Hunc mala poſt mortem timor eſt ne fata ſequantur.
Qui legis hæc metuens dum cernis te moriturum,
Diſcite quid rerum pariat tibi meta dierum.

Quidam autem verſificator, ſed reprobus de eodem ait:

Anglia ſicut adhuc ſordet fœtore Johannis,
Sordida fœdatur fœdante Johanne *gehenna.*

Sed quia periculoſum eſt in eum ſcribere, qui de facili poteſt proſcribere; non eſt meum, quia non eſt tutum, ejus infinita reprehenſibilia vitia redarguere, prout Poëta ait Juvenalis:

——*experiar quid concedatur in illis,*
Quorum flaminea tegitur cinis atque Latina.

DE

DE PRIMA Regis HENRICI TERTII Coronatione, quæ per quendam circulum aureum facta fuit.

A qua coronatione computantur anni coronationis ejus.

DEFUNCTO *Johanne Anglorum* Rege, convenerunt apud *Gloverniam* in vigilia Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, in præſentia *Walonis* Apoſtolicæ ſedis Legati; *Petrus Wintonienſis*, *Jocelinus Bathonienſis*, & *Silveſter Wigornienſis* Epiſcopi; *Ranulphus* Comes *Ceſtrenſis*, *Willielmus Mareſchallus*, Comes *Penbroc*, *Willielmus* Comes de *Ferrariis*, *Johannes Mareſchallus*, *Philippus* de *Albeneio*, cum Abbatibus, Prioribus, & turba multa nimis, ut *Henricum Johannis* Regis filium primogenitum in Regem *Angliæ* exaltarent. In craſtino autem, paratis omnibus ad coronationem neceſſariis, Legatus ſupradictus aſſociatis ſibi Epiſcopis & Comitibus memoratis, duxerunt eum ad eccleſiam conventualem cum proceſſione ſolenni, Regem acclamando. Ubi ante majus altare conſtitutus, juravit coram clero & populo, appoſitis ſibi ſacroſanctis Evangeliis & plurimorum ſanctorum reliquiis, dictante juramentum *Jocelino Bathonienſi*; quòd honorem, pacem, ac reverentiam portabit Deo & ſanctæ eccleſiæ, & ejus ordinatis, omnibus diebus vitæ ſuæ. Juravit etiam, quòd in populo ſibi commiſſo, rectam juſtitiam tenebit: quódque leges malas & iniquas conſuetudines, ſi quæ ſint in regno, delebit, & bonas obſervabit, & ab omnibus faciet obſervari. Deinde fecit homagium ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ & *Innocentio* Papæ de regno *Angliæ* & *Hyberniæ*; & juravit quòd mille marcas, quas pater ejus *Romanæ* contulerat eccleſiæ, fideliter perſolveret, quàmdiu prædicta regna teneret. Et his ita geſtis, *Petrus Wintonienſis* & *Johannes Bathonienſis* Epiſcopi, ipſum in Regem ungentes, coronaverunt ſolenniter cum canticis & modulationibus, quæ in coronationibus Regum ſolent decantari. Tandem expletis Miſſarum ſolenniis, duxerunt Regem cum proceſſione ſolenni, Epiſcopi & Comites ſæpedicti, regalibus indutum, ad menſam; ubi omnes in ordine ſuo conſidentes, epulabantur in lætitia & exultatione. In craſtino autem Rex cepit homagia & fidelitates ab omnibus Epiſcopis, Comitibus, & Baronibus, aliiſque omnibus qui aderant; & omnes ei fideliſſimum obſequium promiſerunt. Coronatus eſt autem *Henricus* tertius anno ætatis ſuæ decimo, in die apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, ſcilicet xxviii. die menſis Octobris. Rex autem poſt coronationem ſuam remanſit in cuſtodia *Willielmi* Comitis *Penbroc*, magni videlicet *Mareſchalli*; qui protinùs miſit literas ad omnes Vicecomites de regno *Angliæ* & Caſtellanos, præcipiens ſingulis, ut Regi nuper coronato eſſent intendentes; promittens omnibus poſſeſſiones pariter ac donaria multa, ita ut dicto Regi fideliter adhærerent. Sicque Nobiles univerſi & Caſtellani, qui patri ejus ſervierant, ei multò fideliùs quàm Regi *Johanni* adhæſerunt: quia propria patris iniquitas, ut cunctis videbatur, filio non debuit imputari. Unde omnes ſeſe ad defenſionem præparantes, caſtella ſua optimè munire cœperunt. Animabat prætereà eos qui partes Regis fovebant quamplurimùm, quòd ſingulis diebus Dominicis ac feſtivis *Lodovicum* cum complicibus ejus & fautoribus excommunicari videbant.

Coronatio Henrici tertii.

CUMQUE *Lodovicus* & Barones, qui apud *Doverenſe* caſtrum obſidionem agebant, de morte Regis *Johannis* veridicos nuncios accepiſſent; invaſit omnes fallax lætitia, ut qui ſe jam confidebant Regnum *Angliæ* ſibi ſubjugaſſe. At *Lodovicus*, *Huberto* de *Burgo Doverenſis* caſtri Conſtabulario ad ſuum colloquium vocato, dixit ei: Rex *Johannes* dominus tuus mortuus eſt, nec vales tibi caſtrum hoc contra me diutiùs tenere, cùm non habeas defenſorem. Redde ergo caſtellum mihi, & ad fidelitatem meam veni, & ego magnis honoribus te ditabo, atque inter Conſiliarios meos magnus eris. Cui *Hubertus* taliter fertur reſpondiſſe: Si dominus meus mortuus eſt, habet filios & filias, qui ei ſuccedere debent: ſed & de caſtello reddendo, cum militibus ſociis meis habere volo colloquium. Sicque in caſtrum reverſus, indicavit ſociis verba *Lodovici*. Qui in hoc pariter conſenſerunt incluſi, ut caſtellum *Lodovico* negaretur; ne illud turpiter reddendo, notam proditionis incurrerent. Quod cùm *Lodovico* & Baronibus nunciatum fuiſſet, decreverunt minora per *Angliam* ſubjugare caſtella; ut levioribus ſubactis, confugerent ad majora. Denique obſidione ſoluta, ad urbem *Londoniarum* ſunt reverſi. Sed continuò poſt receſſum eorum, milites qui erant in defenſione caſtri memorati, exeuntes, combuſſerunt domos & ædificia, quæ ante caſtrum *Lodovicus* conſtruxerat: & ſic per provinciam hoſtiliter diſcurrentes, caſtrum ſuum omnibus rebus neceſſariis optimè munierunt.

Lodovicus audita morte Regis Johannis, à Dovera receſſit.

1216.

Obſidio & captio caſtri Hertfordenſis.

HIS ita geſtis, *Lodovicus* in craſtino S. *Martini* cum exercitu copioſo ad municipium de *Hertford* perveniens, illud obſidione vallavit. Erectíſque in gyrum machinis, caſtelli muros ſubvertere nitebatur. Sed *Walterus* de *Godardvilla*, miles de familia *Falcaſii*, vir ſtrenuus, cum ſuis commilitonibus defenſioni vacans; multam ex *Galligenis* ſtragem fecit. Tandem cùm à feſto S. *Martini* uſque ad feſtum B. *Nicolai* laborioſo nimis ſumptu ibidem ſediſſent, conceſſerunt *Lodovico* municipium; ſalvis incluſis rebus ſuis cum equis & armis. Reddito itaque municipio, petiit illud *Robertus* filius *Walteri*; dicens cuſtodiam illius ad eum antiquo jure ſpectare. At *Lodovicus*, cùm ſuper hæc à *Francigenis* conſilium quæſiviſſet, reſponſum eſt ei; quòd *Angli* non erant digni tales habere cuſtodias, qui proprii domini proditores fuerunt. Tunc *Lodovicus* dicto *Roberto* reſpondit, ut patienter ſuſtineret, donec regno ſubjugato, ſingulis redderet jura ſua. Eodem tempore in die B. *Catharinæ* virginis & martyris, exivit de carcere nobilis vir *Willielmus* de *Albineto*, facto priùs fine pro redemptione ſua, ſex millia marcarum numerando. Qui facto homagio Regi *Henrico*, tradidit ei idem Rex caſtellum de *Ledfort* ad cuſtodiendum, quod ille ſtrenuiſſimè cuſtodivit.

Captio caſtelli de Berchameſtede.

SUBJUGATO, ut dictum eſt, municipio de *Hertfort*, *Lodovicus* in die ſancti *Nicolai* apud *Berchamſtede* caſtellum ſe conferens; illud cuneis militaribus circumcinxit. Barones verò *Angliæ*, qui jubente *Lodovico*, à parte caſtri Aquilonari ſub foreſta tentoria ſua ſtatuerant, & circa illa ordinanda miniſtri & ſervientes eſſent ſoliciti; exierunt de caſtello milites & ſervientes cum impetu, & ſarcinas Baronum *Angliæ* & bigas invadentes, vexillum *Willielmi* de *Mandevilla* rapuerunt,& ſecum revertentes in caſtellum detulerunt; pœnitentia ducti, quòd adverſariis majora non potuerunt inferre detrimenta. Eadem quoque die, Baronibus ad menſam ſedentibus, exierunt denuò milites & ſervientes prædicti de Caſtello; & in confuſionem Baronum, vexillum, quod paulò antè rapuerant, præferentes, cogitabant dictos Barones occupare inermes: ſed aliis præmonitis, compulſi ſunt redire, & ſeſe in propria ſua receptacula properanter recipere.

Veronica, & ejus authenticatio.

DUM verò fortunalis alea ſtatum Regni *Angliæ* talibus turbinibus exagitaret, dominus Papa *Innocentius*, quem vacillantis eccleſiæ cura ſollicitabat, effigiem vultus Domini, quæ *Veronica* dicitur, ut moris eſt, de eccleſia ſancti *Petri* versùs hoſpitale ſancti Spiritus reverenter cum proceſſione bajulabat. Qua peracta, ipſa effigies, dum in locum ſuum apportaretur, ſe per ſe gyrabat, ut verſo ſtaret ordine; ita ſcilicet, ut frons inferiùs, barba ſuperiùs locaretur. Quod nimis abhorrens dominus Papa, credidit illud in triſte ſibi præſagium eveniſſe, & ut pleniùs Deo reconciliaretur, conſilio fratrum, in honorem ipſius effigiei, quæ *Veronica* dicitur, quandam orationem compoſuit elègantem; cui adjecit quendam Pſalmum, cum quibuſdam verſiculis, & eadem dicentibus, decem dierum conceſſit indulgentiam, ita ſcilicet, ut quotieſcunque repetatur, toties dicenti tantundem indulgentiæ concedatur.

PRÆSENTEM autem hiſtoriam proſequentes, referamus quid *Lodovicenſes* tunc temporis, ſpreto Dei timore & hominum reverentia, egerint. Diſcurrebant autem per villas vicinas, ab innocentibus pecuniam extorquendo. Sed eiſdem debacchantibus, *Walerannus* genere *Teuthonicus*, miles in opere martio probatus, cum ſuis commilitonibus viriliter reſiſtentes; multorum animas ex *Galligenis* excommunicatis, ad tartara direxerunt. Sed denique poſt diutinam obſidionem, ex præcepto Regis, dictus *Walerannus* & complices ejus, *Lodovico* caſtellum ſalvis ſibi equis & armis reddiderunt, xiii. Cal. Januarii. In craſtino autem impoſitis ſuis in caſtello *Lodovicus*, venit ad S. *Albanum*, in die videlicet B. *Thomæ* Apoſtoli; exigens ab Abbate ut faceret ſibi homagium. Cui cùm Abbas reſpondiſſet, ſe nolle ei homagium facere, niſi priùs abſolveretur ab homagio quod fecerat Regi *Anglorum*: *Lodovicus* vehementer indignatus, juravit ſe igne ipſam Abbatiam cum villa tota crematurum, niſi faceret quod petebat. Tandem Abbas prædictus, poſt comminationes terrificas, interveniente *S.* Comite *Wintonienſi*, finem fecit pro ſe & villa tota; datis *Lodovico* pro induciis uſque ad Purificationem Beatæ *Mariæ*, quater viginti marcis argenti. Quo facto *Lodovicus* ad urbem *Londoniarum* reverſus eſt.

De terra promiſſionis.

EODEM anno, expirante treuga inter fideles *Terræ promiſſionis* & *Saracenos*, in primo paſſagio generale poſt concilium *Lateranenſe*; congregatus eſt exercitus Domini copioſus in *Achon*, cum tribus Regibus, *Hieruſalem* ſcilicet, *Hungariæ*, & *Cypri*. Affuerunt etiam Duces *Auſtriæ* & *Moraviæ*, cum militia magna Regni *Teuthonici*, & Comitibus multis, viríſque generoſis. Affuerunt etiam Archiepiſcopi *Nichoſſienſis*, *Jovenſis*, *Argienſis*, *Hungariæ*, *Baiocenſis*, *Bavergenſis*, *Cicenenſis*, *Monaſterienſis*, & *Trajectenſis*; & cum eis vir nobilis & potens *Walterus* de *Avenis*, &c. Deinde Patriarcha *Hieroſolymitanus* cum magna humilitate Cleri & populi, tollens reverenter vivificæ crucis lignum; feria ſexta poſt feſtum omnium Sanctorum profectus eſt ab *Achon* in caſtra Domini, quæ proceſſerant ad fluvium *Jordanem*. Hoc autem Dominicæ crucis lignum, poſt *Terram ſanctam* perditam reſervatum fuit ad hæc tempora, & à fidelibus occultatum. Imminente enim conflictu *Saracenorum* tempore *Salaadini* cum *Chriſtianis*, ſicut à ſenioribus accepimus, Crux ſecta fuit; cujus pars ad prælium delata, & ibidem perdita, pars tempore reſervata extitit, quæ nunc exhibetur. Cum tali quoque

vexillo

vexillo à diebus inſtructis proceſſerunt fideles per planum *Fabæ*, uſque ad fontem *Tubanniæ*; eo die multùm laborantes. Et præmiſſis exploratoribus, videntes ab adverſariis commutari pulverem; incerti fuerunt, utrùm contra *nos*, an fugiendo properarent. Sequenti die per montes *Gelboe*, quos habuerunt ad dextram, & paludem ad ſiniſtram, profecti ſunt *Bethſanam*; ubi adverſarius noſter caſtrametatus eſt. Sed metuens adventum tam copioſi Dei viventis exercitus, & tam ordinatè procedentis, tentoria tollens & fugiens; terram militibus *Chriſti* vaſtandam reliquit. Unde in vigilia S. *Martini Jordanem* tranſeuntes, corpora ſua laverunt in eo fideles; & pacificè quieverunt ibidem per biduum, victualium copiam reperientes. Deinde ſuper littus maris *Galileæ* tres fecerunt manſiones; peragrantes loca in quibus *Salvator* noſter mirabilia operari dignatus eſt, corporali præſentia cum hominibus converſatus. Aſpexerunt *Bethſaidam*, civitatem *Andreæ* & *Petri* tunc ad modicum caſale redactum. Viderunt etiam loca ubi *Chriſtus* diſcipulos vocavit, ſupra mare ſiccis pedibus ambulavit, in deſerto turbas pavit, montem oraturus aſcendit; & ubi poſt reſurrectionem cum diſcipulis manducavit. Et ſic per *Capernaum*, *Achon* reverſi ſunt, infirmos ſuos reportantes. Deinde aliam equitationem aggreſſi fideles prædicti, perrexerunt ad montem *Thabor*; ubi primò aquarum inopiam, & poſtmodùm per defoſſionem copiam repererunt. Deſperabant autem Capitanei exercitus de aſcenſu montis; donec dictum eſt eis, caſtrum fore comprehenſibile à puero *Saraceno*. Conſilium ergo inierunt, & Dominica prima adventus, cùm legeretur Evangelium: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt*, Patriarcha præceſſit cum ſigno Crucis, Epiſcopis & Clero orantibus & pſallentibus dum exercitus clivum montis ſubiret. Et licèt mons præruptus eſſet undique, & velut impoſſibilis in aſcenſu, & extra ſemitam tortam; omnes tamen viriliter aſcenderunt. *Johannes* verò Rex *Hieruſalem* cum militia *Chriſti*, Caſtellanum ab equo ſtravit, & *Admiraldum* unum; qui primo impetu intrepidi extra portas ad montem defendendum hoſtibus occurrerunt, in ſtuporem eos convertentes & fugam. Sed Rex quantum meruit aſcendendo, tantum demeruit deſcendendo. Nam *Templarii* multi & *Hoſpitalarii* & ſæculares, quando infideles vires receperant, vulnerati ſunt; ſed pauci mortui. In hoc autem & in primo die quo duximus equitatum, multitudinem maximam virorum, mulierum, ac parvulorum apud *Achon Chriſtiani* reduxerunt; ubi Epiſcopus *Achonenſis* parvulos quoſcunque vel prece vel precio obtinere potuit, baptizavit. Fœminas verò inter ſanctimoniales diſtribuit, & literis applicare fecit. In tertio autem equitatu, cui Patriarcha cum Clero & ſigno Crucis non interfuit, multa incommoda tum per latrunculos, tum ex hyemis incommodo, perpeſſi ſunt fideles: præſertim in vigilia Nativitatis Dominicæ per viam; in qua illa nocte ſacra, tempeſtatem ventis & pluviis incommodam invenerunt. In finibus etiam *Tyri* & *Sidonis* juxta *Sarepta*, multa perpeſſi fuerunt incommoda; tam aëris intemperie, quàm moleſtia corporali. 1217.

Barones Angliæ propriam miſeriam perpendunt.

ANNO Domini M.CCXVII. juvenis Rex *Henricus* fuit ad Natale apud *Briſtollum*; præſente *Walone* Legato & *Willielmo Mareſchallo*, rectore ejuſdem Regis & Regni. Erat autem ea tempeſtate inter optimates *Angliæ* fluctuatio maxima, cui ſe Regi committerent; juvenine *Henrico*, an domino *Lodovico*. Habebant enim ex *Francigenis* talem tantúmque contemptum, quòd multi eorum conſolationem non admiſerunt. Auxit prætereà hujus perturbationis procellam, quòd *Lodovicus* ſpreto juramento, terras, poſſeſſiones, & caſtella eorundem optimatum, quæ eorum auxilio ſubegerat; illis murmurantibus, in ſuam redegerat poteſtatem, ponens in eis milites & alienigenas nationes. Cæterùm turpe ſibi videbatur, ad Regem, à quo abierant, redire, ne viderentur canes ad vomitum revertentes: ſicque hinc inde perplexi, quaſſatum nequiverunt calamum reparare. Eodem tempore, xiii. Calendas Februarii, exierunt de caſtello quod *Monſorel* appellatur, milites & ſervientes, ut prædis inſtarent & rapinis. Quod cùm per exploratores, milites de *Notingham* cognoviſſent, venerunt eis obviàm; & facto congreſſu, ceperunt ex obſtantibus decem milites & viginti quatuor ſervientes. Et ſic tribus ex hoſtibus interfectis, cum læta victoria remearunt.

Falcaſius villam S. Albani ſpoliavit.

PER idem tempus, *Falcaſius* prædo, xi. Calendas Februarii, multitudine gravi congregata de præſidiis caſtrorum de *Oxonia*, *Norhantona*, & *Bedefordia*, ſimul & *Windleſhores*, militum & ruptariorum; venit ad villam ſancti *Albani* in crepuſculo veſpertino, nocte ſcilicet ſancti *Vincentii*; atque inopinato impetu facto, villam totam ſpoliavit, homines & infantes cepit, ac vinculis eos arctiſſimis mancipavit. Ad oſtium quoque eccleſiæ beati *Albani* ſervientem quendam de curia interfecit; ad eccleſiam fugere cupientem. Et ſic opere nefario à miniſtris Diaboli conſummato, Abbati *Willielmo* ſignificavit, ut ſub omni feſtinatione mitteret ei centum libras argenti; alioquin ipſe injecto igne, villam totam cum ipſo Monaſterio & ſuis ædificiis ilicò concremaret. Abbas verò poſt multas contradictiones, aliud non habens remedium, pecuniam poſtulatam conceſſit. Quibus ita geſtis, dictus *Falcaſius* cum ſuis prædonibus excommunicatis, & ſpoliis nimis damnoſis, & captivis tractis, turpitérque vinctis & abductis; ad caſtellum de *Bedeford* citiùs convolavit. Deinde cum omni multitudine prædicta, ad foreſtam de *Walbergia* properans, cepit ibi *Rogerum* de *Colbevilla*; & plus quàm lx. cum eo, clericos & laicos de provincia illa, qui prædæ cauſa ibi

latebant,

1216. latebant. Poſteà verò quadam nocte per viſum accepit idem *Falcaſius*, quòd de turri Sancti *Albani* quoddam immane ſaxum in modum fulguris in eum irruens, eundem in pulverem contrivit. Qua perterritus viſione, & expergefactus, uxori ſuæ viſionem enarravit. Ipſa autem eum hortabatur, perſuadens quaſi virum dominum & amicum devotiſſimè quatenùs ſe Beato *Albano*, quem meritò offenderat, ſatisfactione congrua reconciliaret; intelligens hoc eſſe indicium ultionis perpetrati facinoris. Adquievit autem, ſed vix, *Falcaſius*, juxta illud Apoſtoli: *Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem.* Poſteà ut uxorem ſuam non offenderet, venit apud ſanctum *Albanum*, & intravit Capitulum, & ſpoliatus, tenens virgam, petiit & obtinuit abſolutionem, oſculans ſingulos Monachos, quaſi ſic omnes placaſſet; nihil tamen de ablatis reſtituens, vel de injuria ſatisfaciens pauperibus *Chriſti.* Steterunt autem fideles *Chriſti* ad oſtium Capituli, ſperantes in aliquo ſaltem reſtaurari: quos viſos ſprevit, & pertranſiit expectantes, neſcius illius Propheticæ comminationis ultionem, quam reſervavit ei, conquerente Beato *Albano, Deus ultionum Dominus: Veh qui prædaris, quia prædaberis.* Quod in fine didicit experimento, ſicut ſequens hiſtoria luculenter declarabit.

Treugæ ſtatutæ inter Regem Angliæ & Lodovicum.

CIRCA eoſdem dies, nuncii *Lodovici*, qui pro eo ſteterunt in Curia *Romana*, eidem *Lodovico* ſignificaverunt; quòd niſi exiret ab *Anglia*, ſententia excommunicationis, quam *Walo* Legatus in eum tulerat, in die Cœnæ confirmaretur à Papa. Hac itaque de cauſa ſtatutæ ſunt Treugæ inter *Lodovicum* & Regem *Henricum* uſque ad menſem de Paſcha: ita ſcilicet, ut omnia remaneant in eo ſtatu, quo fuerunt in die qua juratæ fuerunt Treugæ, in caſtellis & rebus aliis, uſque ad terminum conſtitutum. Transfretavit igitur *Lodovicus* tempore Quadrageſimali; eo pacto, quòd nunquam deinceps gratiam Baronum Angliæ habuit, ſicut priùs. Nam continuò venerunt ad fidelitatem Regis *Henrici*, Comes *Willielmus Sariſberienſis*, Comes *Willielmus Arundel*, Comes *Willielmus Warennæ*, & alii multi; dicto Regi deinceps adhærentes. Sed & magnus *Mareſchallus*, *Willielmum* filium ſuum primogenitum ad Regis fidelitatem revocans; partem *Lodovici* non mediocriter labefactavit.

Incidentia de terra promiſſionis.

EODEM tempore, exercitus qui erat in *Achon*, quadrifariè diviſus eſt. Rex enim *Hungariæ* brevi tempore ibidem commoratus, cum magno *Terræ ſanctæ* diſpendio receſſit. Peregrinos enim & Galeias, equos & jumenta cum armis ſecum traxit, multùm ne recederet à Patriarcha rogatus; qui tandem cum ſua ſequela excommunicatus receſſit. Alia pars pigrorum & timidorum, & eorum qui divitiis affluebant, in *Achone* remanſit. Rex verò *Hieruſalem* & Dux *Auſtriæ*, cum Hoſpitalariis Sancti *Johannis* & Epiſcopis multis, & aliis fidelibus, caſtrum in *Cæſarea Paleſtinæ* in brevi viriliter firmaverunt; licèt frequenter hoſtium nunciaretur adventus. Ibi in Baſilica principis Apoſtolorum, feſtum Purificationis Patriarcha cum ſex Epiſcopis ſolenniter celebravit. *Templarii* quoque cum domino *Waltero* de *Avenis* & aliis peregrinis, & Hoſpitali de domo *Teutonicorum*; caſtrum quod olim *Diſtrictum*, nunc autem caſtrum *Peregrinorum* dicitur, firmare cœperunt. Hoc autem caſtrum ſitum eſt inter *Caipham* & *Cæſaream*, non longè diſtans à mari. Quapropter viam ſtrictam aſcendentibus, & ad *Hieruſalem* per eam deſcendentibus, *Diſtrictum* dicebatur. Hujus caſtri prima utilitas eſt, quòd conventus *Templariorum* eductus à peccatrice & omni ſpurcitia plena civitate *Achon*, uſque ad reparationem murorum *Hieruſalem*, in hujus caſtri præſidio reſidebit. Territorium ejus piſcariis, ſalinis, ſylvis, paſcuis, agris, herbis, vineis, hortis, & pomeriis abundat. Inter *Achon* & *Hieruſalem* nullum eſt municipium, quod *Saraceni* teneant: quocircà ex hoc damnificantur multùm infideles. Inter *Hieruſalem* & *Jordanem* portum habet naturaliter bonum, ſex milliaribus diſtans à monte *Tabor*; unde *Saraceni* in campo qui interjacet, lato & longo, nec arare poſſunt, nec ſeminare, propter hujus caſtri præſidium & levamen. Firmato itaque tali caſtro, exercitus Domini reverſus eſt in *Achon*.

Signa cœleſtia quibus commota provincia Colonienſis, ad obſequium crucis properavit.

SUB his quoque diebus, menſe Maio, feria ſcilicet ſexta ante Pentecoſten, exercitata fuit provincia *Colonienſis* in obſequium Salvatoris. Nam in villa de *Bebon Friſiæ*, apparuit in aëre triplex forma Crucis: una coloris candidi versùs Aquilonem; altera versùs Meridiem, ejuſdem ſchematis & coloris; tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum, & formam hominis in eo ſuſpenſi, brachiis elevatis & extenſis; cum infixione clavorum in manibus & pedibus, & capite inclinato. Et hæc media fuit inter alias, in quibus corporis humani effigies non apparebat. Alia quoque vice & alio loco, in villa ſcilicet *Friſiæ* quæ *Fuſerhuſe* appellatur, Crux apparuit juxta Solem crocærulei coloris, & hanc plures quàm priorem viderunt. Tertia apparuit in villa de *Docham*, in qua B. *Bonifacius* martyrio coronatus eſt: ubi in feſto ejuſdem Martyris, cùm multa hominum millia conveniſſent, viſa eſt Crux magna & alba; ac ſi lignum trabis ex tranſverſo alterius trabis artificialiter conſtrueretur. Movebatur autem paulatim ab Aquilone ad Orientem; & hanc plurimi homines conſpexerunt.

Obſidio caſtri de Mountſorel.

PER idem tempus, poſt Paſchalem ſolennitatem, procurante *Willielmo Mareſchallo* Regis rectore & Regni *Angliæ*; convenerunt ad obſidendum caſtrum de *Mountſorel*, *Ranulphus* Comes *Ceſtriæ*, *Willielmus* Comes *Albemarliæ*, *Willielmus* Comes de *Ferrariis*, *Robertus*

1217.

tus de *Veteri ponte*, *Briennus* de *inſula*, *W.* de *Cantelupo*, *Philippus Marc*, *Robertus* de *Gaugi*, *Falcaſius* cum Caſtellanis ſuis, & alii multi ex præſidiis caſtrorum. Qui collocatis machinis in locis congruis, dictum caſtellum acriter invaſerunt. Erat ſummus in Caſtello *Henricus* de *Braibroc*, & decem milites cum eo ſtrenuiſſimi, cum ſervientibus multis; qui hoſtibus aſſilientibus lapides pro lapidibus, tela pro telis viriliter remiſerunt. Incluſi quoque, cùm per multos dies caſtrum defendiſſent, niſi ne fortè longa obſidione deficerent; miſerunt ad ad *Saerum* Comitem *Wintonienſem*, qui tunc *Londoniis* erat, obſecrantes, ut celeriter ſubveniret obſeſſis. Tunc Comes præfatus, cujus illud municipium erat, ad *Lodovicum*, qui nuper de partibus tranſmarinis ad urbem *Londoniarum* redierat, veniens; poſtulavit eum cum amicis obnixè, ut ſubſidium mitteret militare, per quod obſidio ſolveretur. Tandem habito tractatu ad invicem, communiter decreverunt, ut legio militum mitteretur, quæ & obſidionem ſolveret, & totam *Lodovico* provinciam ſubjugaret. Exierunt itaque ab urbe *Londonienſi* milites ſexcenti, & cum eis pluſquàm viginti millia armatorum, qui omnes aſpirabant in aliena; habentes principes illius Comitem *Perticenſem*, *Mareſchallum Franciæ*, Comitem *Wintonienſem Saerum*, *Robertum* filium *Walteri*, cum aliis multis, quos ad expeditionem hanc idoneos judicabant. Moventes autem caſtra pridiè Calendas Maii, id eſt, die Lunæ proxima ante Aſcenſionem Domini; profecti ſunt apud S. *Albanum*, quæque obvia deprædantes. Ruptarii verò & prædones nequiſſimi de regno *Francorum* villas in gyrum perluſtrantes, eccleſiis & cœmiteriis non parcebant; quin omne genus hominum caperent & ſpoliarent, ac diro & excogitato membrorum cruciatu ad graviſſimam redemptionem compellerent. Abbatia quoque ſancti *Albani*, quæ paulò ante *Lodovico* ſatisfecerat, prædonum manus vix evaſit: ſed eam vacuam omni genere cibariorum & poculorum dimiſerunt, quam omni redundantem invenerunt.

IN craſtino autem versùs villam de *Duneſtaple* caſtra moventes; eccleſiam Beati *Amphibali*, magiſtri Beati *Albani*, in villa de *Redbernia* ſitam, ubi Domino cooperante, innumerabilia miracula celebrantur, Monachos uſque ad fœmoralia ſpoliabant. Sanctorum inſuper reliquias ſuper ſanctum altare rapientes, funeſtis eas manibus polluerunt. Inter quos, & quidam ex eis, crucem quandam argenteam & deauratam, in qua portio quædam Dominicæ crucis continebatur, tollens; in ſinu ſuo ſociis ignorantibus abſcondit. Sed antequàm ab ædibus Oratorii receſſiſſet, à dæmonio arreptus, corruit in terram; dentibus ſtridens & ore ſpumans; ſurgénſque feſtinanter à dæmonio agitatus, in ſocios enſem vibrare diſpoſuit. At illi ejus miſeriæ condolentes, ligatis manibus illius, cauſam penitùs ignorantes, ad eccleſiam de *Flaſtude* perduxerunt, in ſuprema furia conſtitutum. Intrantes autem eccleſiam prædones, ut eum ſpoliarent, obviavit Preſbyter indutus veſtibus albis, ut malitiam comprimeret impiorum. Veruntamen aliquantulùm de ſocio, quem furioſum ducebant perterriti, manus cohibuerunt à rapina. Ubi vidente Preſbytero, & multis aliis, crux prædicta cecidit in terram, de ſinu exiliens furioſi. Quam reverenter ac ſtupens Preſbyter arripiens, & à terra in editum elevans, quid hoc eſſet à prædonibus requiſivit. Tandem in ſe reverſi, cognoverunt per virtutem animadverſionis divinæ, quòd à monachis, quos in proxima villa ſpoliaverant, crucem furtim ſuſtuliſſet. In ſumma igitur anguſtia prædones conſtituti, timuerunt valdè; ne etiam ipſos ſpiritus nequam invaderet, & ſicut ſocium ſuum fecerat, cruciaret. Tunc prædones nequiſſimi crucem illam cum tremore Preſbytero tradiderunt, adjurantes per virtutem Dei & in periculo ordinis ſui, ut antequàm cibum ſumeret ad locum accedens, crucem monachis reſtitueret. Preſbyter verò cum feſtinatione ad Oratorium B. *Amphibali* veniens, crucem reverenter tradidit; & omnia quæ circa illam mirabiliter acta ſunt, Priori & fratribus enarravit.

Miraculum Dominicæ Crucis.

EXERCITUS igitur *Lodovici* aç Baronum *Angliæ* apud *Duneſtapliam* perveniens, ibidem pernoctavit. Mane autem facto, versùs Aquilonem vexilla direxit & arma; ut obſidionem prædictam ſolvere maturaret. Sed Comes *Ceſtrenſis Ranulphus*, & alii qui cum illo obſidionem agebant, ab exploratoribus præmoniti, expeditione dimiſſa, ad caſtrum ſeſe de *Notingham* conferentes; decreverunt communiter, ut hoſtium ſupervenientium ibidem explorarent progreſſum. Barones itaque, cùm cunctis cœmiteriis & eccleſiis omnibus more ſolito ſpoliatis per viam, ad caſtellum de *Montſorel* perveniſſent, & obſidionem diſſolviſſent; communi conſilio decreverunt, ut versùs *Lincolniam* properarent: ubi *Gilebertus* de *Gant* cum aliis Baronibus ſupradictis diutinam obſidionem egerant, ſed inanem. Tranſeuntes igitur Barones per vallem de *Belvero*, omnia ibi in uſus prædonum ceſſerunt; quia pedites de regno *Francorum*, qui quaſi ſpurcitia & ſpuma ſuperfluens erant illius religionis, nihil omninò reliquerunt intactum. Tanta namque in eis erat paupertas & miſeria, quòd in veſtibus corporeis, quibus pudenda natéſve tegerent, facultas eis minimè adminiſtraveit. Deinde ad *Lincolniam* pervenientes, Barones inſultus acerrimos fecerunt in caſtellum; quibus reſiſtentes incluſi, lapides & tela mortifera, pro lapidibus & jaculis, pro viribus remiſerunt.

Solutio obſidionis caſtri de Montſorel, & de obſidione caſtri Lincolnienſis.

DUM hæc ibidem agerentur *Willielmus Mareſchallus* Regis cuſtos & regni, de conſilio *W. alonis* Legati & *Petri Wintonienſis* Epiſcopi, & aliorum, quorum conſilio regni gerebantur negotia, fecit convocare omnes Caſtellanos ad Regem ſpectantes, & milites, qui erant

Rex Angliæ caſtri Lincolnienſis ſolvit obſidionem.

1217. erant in præſidiis caſtrorum in partibus diverſis; præcipiens ut feria ſecunda in hebdomada Pentecoſtes apud *Newerc* ad edictum Regis convenirent, ut pariter cum ipſis obſidionem caſtri *Lincolnienſis* diſſolvere laborarent. At illi quibus erat ardens deſiderium bellum conſerere cum *Francigenis* excommunicatis, & etiam pro patria pugnare; venerunt gaudenter ad diem præfixum & locum; cum quibus utique & ipſe Legatus cum aliis Regni Prælatis, cum equis & viris bellicoſis apparuit; ut Regi inobedientes, & domino Papæ rebelles, precibus inſequerentur & armis. Habuerunt namque juſtam, ut ſibi videbatur, cauſam; cùm præcipuè innocens eſſet, & quaſi à peccato alienus, quem adverſarii ejus exhæredare per ſuperbiam laborabant. Cúmque omnes in unum eſſent congregati, recenſiti ſunt in exercitu milites quadringenti, baliſtarii fermè ducenti quinquaginta. Servientes quoque & equites tot & tales affuerunt innumeri, quòd vices militum poſſent pro neceſſitate implere. Principes autem exercitus fuerunt, *Willielmus Mareſchallus*, & *Willielmus* filius ejus, *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus in opere martio eruditus; Comes *Ceſtrenſis Ranulphus*, Comes *Sarisberienſis Willielmus*, Comes de *Ferrariis Willielmus*, Comes *Albemarlenſis Willielmus*. Affuerunt & Barones, *Willielmus* de *Albineto*, *Johannes Mareſchallus*, *Willielmus* de *Cantelupo*, & *Willielmus* filius ejus, *Falcaſius*, *Thomas Baſſet*, *Robertus* de *Veteri Ponte*, *Briennus* de *Inſula*, *Gaufridus* de *Luci*, *Philippus* de *Albineto*, cum Caſtellanis multis in opere militari exercitis. Hi apud *Newerc* triduanam moram facientes, ad reſpirationem hominum & equorum, confeſſioni interim vacabant; corporis & ſanguinis Dominici perceptione ſeſe muniebant; contra hoſtiles incurſiones Dominum protectorem habere quærentes. Sicque univerſi ad omnia parati, pro juſtitia mori vel vincere affectabant.

Exhortatur Legatus milites Regis ad pugnam.

TANDEM in hebdomada Pentecoſtes, feria ſexta, poſt divinorum celebrationem ſacramentorum, ſurgens Legatus ſæpedictus, oſtendit coram omnibus, quàm iniqua erat *Lodovici* ac Baronum ei adhærentium cauſa; pro qua fuerant excommunicati, & ab unitate Eccleſiæ ſegregati. Et ut denique exercitum illum animaret ad pugnam, albis indutus veſtibus cum clero univerſo, *Lodovicum* nominatim excommunicavit cum complicibus & fautoribus ſuis; & præcipuè omnes illos qui apud *Lincolniam* contra Regem *Angliæ* obſidionem agebant, cum tota civitate; continens ſcilicet & contentum. Eis autem qui negotium hoc in propriis perſonis expediendum ſuſceperunt, de conceſſa ſibi poteſtate ab omnipotente Deo & ſede Apoſtolica, plenam ſuorum veniam peccatorum, de quibus veraciter confeſſi fuerunt, indulſit; & in retributione juſtorum, ſalutis æternæ præmia repromiſit. Deinde collata omnibus abſolutione & Dei benedictione, ad arma convolarunt univerſi; equóſque cum feſtinatione aſcendentes, caſtra moverunt ovantes. Venientes itaque ad villam de *Stove*, quæ octo milliaribus ab *Lincolnia* diſtat, ibidem intrepidi pernoctarunt. Mane autem facto, belli ſeptem eleganter ordinatis denſis agminibus, proceſſerunt in hoſtes; nihil adeò metuentes, quàm fugam eorum ante adventum ſuum. Baliſtarii quoque eorum exercitum ſemper præibant uno ferè milliari. Sarcinæ bigarum & ſummariorum cum victualibus & rebus neceſſariis, exercitum tantundem ſequebantur à tergo; vexillis undique micantibus & ſcutis, quæ terrorem videntibus non minimum incuſſerunt.

BARONES verò, qui erant in civitate, & *Francigenæ*, tantam conceperunt ſecuritatem in cauſa ſua obtinenda; ut referentibus ſibi nunciis de adventu adverſariorum, ſannas redderent & cachinnos; non ceſſantes lapides damnoſos projicere ex mangonellis, ut caſtelli muros diſſolverent. Sanè *Robertus* filius *Walteri*, & *S.* Comes *Wintonienſis*, cum audiſſent hoſtes appropinquare civitati; exierunt ab urbe, ubi progreſſum eorum inſpicerent & bellatorum numerum æſtimarent. Qui cùm diligenter hoſtium adventantium ordinem conſpexiſſent, redierunt in urbem ad ſocios, dicentes: Ordinatè procedunt contra nos bellatores iſti, ſed nos tamen multò plures ſumus quàm illi: unde conſilium noſtrum eſt, ut exeamus contra eos obviam illis uſque ad aſcenſum montis; quia ſi ita fecerimus, capiemus omnes ſicut alaudas. Quibus Comes *Perticenſis* & *Mareſchallus* reſpondentes, dixerunt: Vos æſtimaſtis illos juxta ſcientiam veſtram, & nos exibimus modò, ut æſtimemus eos juxta conſuetudinem *Gallicanam*. Exierunt igitur ut æſtimarent exercitum Regis venientem; ſed in æſtimatione decepti fuerunt. Nam cùm primò vidiſſent à tergo exercitus bigas & ſarcinas cum cuſtodibus earum, qui cuneos jam ad bellum diſpoſitos ſequebantur; æſtimaverunt unum eſſe per ſe exercitum: quia ibi multitudinem multam cum vexillis micantibus inſpexerunt. Habuerunt enim ſinguli Magnatum duo vexilla; unum, ut jam diximus, cum ſarcinis, à tergo remotiùs cuneos ſequens; & aliud corpora ſingulorum præcedens, per quod cognoſcerentur prælia conferentes. Sicque Comes *Perticenſis* cum *Mareſchallo* illuſus, ad ſocios remeavit incertus. Dederúntque igitur conſilium iſti ſodalibus reverſi in civitatem, quorum conſilium præterire nefas erat; ut diviſis optimatibus, cuſtodirentur portæ civitatis ab eis; hoſtéſque ab ingreſſu ejus arcerentur, donec cepiſſent caſtellum, cujus captio jam imminebat. Placuit multis conſilium, veruntamen pluribus diſplicebat. Obſeratis itaque portis & cuſtodibus adhibitis, omnes ſeſe ad defenſionem parabant.

INTE-

1216.

INTEREA exercitus Regis à parte caſtelli urbi appropinquans, cùm à Caſtellanis cognitus fuiſſet, miſerunt clàm nuncium per poſticum, quod erat à tergo caſtelli, ad majores exercitus; qui eis omnia quæ fiebant interiùs nunciavit. Dixit etiam, quod ſi vellent, potuerunt ingreſſum habere per poſterulam, quæ propter adventum eorum fuerat jam aperta. At illi per eam noluerunt omnes intrare; ſed miſerunt *Falcaſium* cum agmine toto cui præerat, & cum baliſtariis omnibus, qui portam civitatis, ſaltem unam, exercitui patefacerent. Deinde omnis multitudo ad portam ſe Aquilonarem conferens, illam confringere vacavit. Nec propterea Barones ceſſabant de petrariis ad caſtellum lapides emittere ponderoſos. Sed *Falcaſius* interim caſtrum cum agmine cui præerat ac baliſtariis omnibus ingreſſus, ſtatuit eos ſubitò ſupra muros domorum & in propugnaculis caſtri; qui ilicò tela mortifera in dexterrimos Baronum dirigentes, equos cum aſſeſſoribus ſuis proſtraverunt in terram; ita quòd quaſi in ictu oculi, peditum ac militum ac Magnatum proſtraverunt multitudinem. Videns autem *Falcaſius* ex nobilioribus adverſariorum ſuorum plurimos in terram proſtratos, prorupit de caſtro cum ſuis audacter in medium hoſtium: ſed ab irruentibus in eum legionibus captus eſt & abductus; donec per probitatem baliſtariorum ac militum ſuorum liberatus eſt, & ad ſuos reductus. Intereà moles totius exercitus Regis, januis civitatis, licèt cum difficultate confractis, villam ingrediens audacter prorupit in hoſtes. Videres igitur ex ictibus gladiorum igneas proſilire ſcintillas; & ad modum tonitrus vel terræmotus totam terram reboare ex congreſſu confligentium. Sed tandem per Regales, quorum probitate equi in quibus ſedebant Barones telis confoſſi ſunt, & ad inſtar porcorum jugulati, pars Baronum fuit penitùs infirmata: nempe quando equi corruerunt in terram interfecti, ſeſſores eorum capiebantur, cùm non eſſet qui eos liberaret. Tandem cùm Regis militia, Baronibus penitùs enervatis, cepiſſet ex eis militum multitudinem numeroſam, ac vinculis omnes mancipaſſet; irruit denſis agminibus in comitem *Perticenſem*; circumvallando eum undique, & verſum eſt in eum pondus belli. Sed demùm cùm impetum irruentium ſuſtinere non potuit, hortati ſunt ut ſe redderet, ut vivus evadere poſſet. At ille cum juramento horribili affirmavit, quòd ſe *Anglico* alicui nequaquam redderet; qui proprii Regis proditores fuerunt. Et his auditis, irruit quidam de Regalibus, & per ocularium galeæ, caput ejus perforando, cerebrum effudit, & meritò, quia per cerebrum dictus ſæpè pejeravit. Et corruens in terram, nec Deum invocavit, nec etiam verbum unum edidit; ſed in ſummo rancore & ſuperbia ad inferos peregrinavit. Videntes igitur *Galligenæ*, quòd major eorum pars cecidiſſet; inierunt fugam tam pedites quàm equites, ſibi nimis damnoſam. Nam flagellum portæ Auſtralis, per quam fugerunt, quod ex tranſverſo fuerat fabricatum; fugientes non mediocriter impedivit. Etenim quotieſcunque aliquis adveniens & feſtinus nimis exire voluiſſet, oportebat eum ab equo deſcendere, & portam aperire, quo exeunte, porta ſtatim recludebatur flagello ut priùs poſito ex tranſverſo. Sicque porta illa fugientibus nimis moleſta fuit & damnoſa. Inſequuti autem ſunt milites Regis Barones fugientes & *Francos*, fracta eorum ſuperbia. Sed licèt plures in fugiendo capti fuerint, fictè inſequuti ſunt eos. Quia niſi conſenſus conſanguinitatis, qui ſe manifeſtat in articulo neceſſitatis, interveniſſet; nec pes unus ex omnibus evaſiſſet, quin per gulas univerſi caperentur. Quid plura? Capti ſunt ex Baronibus Capitaneis, *Saerus* Comes *Wintonienſis*, *Henricus* de *Boum* Comes *Herefordenſis*, Comes *Gilebertus* de *Gant*, quem nuper *Lodovicus* fecerat Comitem *Lincolnienſem*: Comes *Perticenſis*, pro pertinaci ſuperbia ſua, ibi remanſit in hodiernum uſque diem. Capti ſunt etiam Barones, *Robertus* filius *Walteri*, *Richardus* de *Munſichet*, *Willielmus* de *Mumbray*, *Willielmus* de *Bello campo*, *Willielmus Maudut*, *Oliverius* de *Harcourt*, *Rogerus* de *Creſſi*, *Willielmus* de *Colevilla*, *Willielmus* de *Ros*, *Robertus* de *Ropeſle*, *Radulphus Cheinduit*; & alii multi, quos longum eſſet enumerare. Capti ſunt etiam milites quadringenti; præter ſervientes, equites, & pedites, qui facilè ſub numero non cadebant, Comes *Perticenſis*, in pomerio hoſpitalis extra villam ſepultus eſt. *Reginaldus* etiam cognomento *Crocus*, miles de familia *Falcaſii*, vir ſtrenuus, ibi interfectus eſt; & apud Abbatiam *Cokeſdenſem* honorificè ſepultus. Interfectus eſt etiam in illo conflictu ſerviens quidam ex parte Baronum, omnibus ignotus; qui extra civitatem in quadrivio velut excommunicatus, ſepultus eſt. Iſti tres tantummodò ex omnibus in tanti diſcrimine belli occiſi referuntur.

Prælium apud Lincolniam commiſſum inter Regem & Barones.

HIS ita geſtis, invenerunt Regii bellatores in plateis civitatis bigas Baronum & *Francorum*; cum ſummariis, & ſarcinis, vaſis argenteis, & varia ſupellectili, ſimul cum utenſilibus onuſtas: quæ omnia in uſus eorum ſine contradictione ceſſerunt. Spoliata itaque civitate univerſa, uſque ad ultimum quadrantem; eccleſias omnes totius urbis conſequenter ſpoliantes, arcas omnes cum almariolis ſecuribus & malleis confregerunt: rapientes in eis aurum & argentum, pannos diverſi coloris, ac muliebria ornamenta, annulos aureos, cum ſcyphis & lapidibus pretioſis. Nec etiam eccleſia Cathedralis hanc peſtem evaſit; quin [illegible] aliarum. Datum enim erat militibus in mandatis à Legato, ut & Canonicorum [illegible] tarent ut excommunicatos: & ſicut tales qui hoſtes fuerunt *Romanæ* eccleſiæ [illegible] alli ejus ab initio guerræ motæ. Fuit autem illis pro cauſa ſufficiente, aliquid [illegible] d auferri poſſit; ſicut conſuetudo eſt *Romanis*, de levi cauſas adinvenire, ubi

De ſpoliis civitatis & rapinis

1217. materia prædæ ſubjacet malignantibus. Præcentor autem eccleſiæ illius *Gaufridus* ſcilicet de *Drepinges*, undecim millia marcarum argenti ſe inconſolabiliter doluit amiſiſſe. Tandem cùm omnia mercimoniarum genera rapuiſſent, ita quòd nihil in aliquo domus angulo remanſit intactum; reverſi ſunt ſinguli ad dominos ſuos divites effecti; atque ab omnibus pace Regis *Henrici* per civitatem denunciata, epulabantur & bibebant cum jucunditate. Facta eſt autem iſta belli congreſſio, quam in opprobrium *Lodovici* ac Baronum, Nundinas appellant, xiv. Calendas Junii; Sabbatho ſcilicet in hebdomada Pentecoſtes, habens initium hora inter primam & tertiam media; ſed ante horam nonam, à bonis negotiatoribus ſunt omnia conſummata. Verùm ex matronis civitatis, aliquæ ſubmerſæ ſunt. Quæ ut ſcandalum & ludibrium evitarent; parvas & fragiles ingreſſæ naves cum pueris & ancillis & rebus domeſticis, defecerunt in via. Sed poſteà à quærentibus inventa fuerunt vaſa argentea cum rebus aliis multis; quæ ſuis inventoribus profuerunt. Erant enim naviculæ nimis oneratæ, & matronæ regere neſcientes. Omnibus igitur hunc in modum conſummatis, præcepit *Willielmus Mareſchallus* Caſtellanis omnibus, ut cum priſonibus ſuis redirent ad propria; eóſque ſub arcta ſervarent cuſtodia, donec de illis Regis audirent voluntatem. At idem *Mareſchallus* eodem die antequàm cibum ſumeret ad Regem reverſus, retulit coram Legato omnia quæ acciderant; qui gratias Deo cum lacrymis agentes, fletum citiùs converterunt in riſum. Mane autem facto, veniunt nuncii ad Regem, qui dixerunt, milites de *Montſorel* caſtrum reliquiſſe, & aufugiſſe: unde Rex Vicecomiti de *Notingham* dedit in mandatis, ut perſonaliter accedens ad caſtellum, illud ſubverteret, & penitùs complanaret.

Fuga Baronum & Francorum à Lincolnia.

INTERFECTO, ut dictum eſt, Comite *Perticenſi*, inierunt fugam omnes, tam equites quàm pedites, verſùs urbem *Londonienſem*. Quorum primus erat *Mareſchallus Franciæ* cum Caſtellano de *Arras* & *Gallıgenis* innumeris. Veruntamen multi ex illis, & præcipuè pedites ferè omnes interfecti fuerunt; antequàm ad *Lodovicum* ſuum perveniſſent. Exierunt enim eis obviàm homines villarum, per quas fugam fecerunt, cum gladiis & fuſtibus; & multos plagis impoſitis peremerunt. Milites quoque circiter ducenti ad urbem *Londonienſem* venientes, ſuo *Lodovico* ſe præſentaverunt; luctuoſa ei damna nunciantes. Quibus ipſe ſubſannando ait, quòd per eorum fugam ſocii eorum capti fuerunt: quia ſi ipſi in prælio remanſiſſent, & ſe fortè & ſocios ſuos à captione & periculo liberaſſent. Credendùm eſt itaque confuſionem hanc *Lodovico* ac Baronibus *Angliæ*, juſto Dei judicio accidiſſe; qui jam ferè per biennium in ſententia excommunicationis inveterati, niſi per divinam plecterentur ſeveritatem, dicerent homines *in cordibus ſuis*, *Non eſt Deus*: & ſic non inveniretur qui faceret bonum, nec etiam eſſet uſque ad unum.

Mors Innocentii *Papæ.*

EODEM anno, Papa *Innocentius*, poſtquàm ſediſſet annos octodecim, menſes quinque, & dies quatuor, xvii Calen. Auguſti, humanæ naturæ debitum ſolvit. Cui ſuccedens *Honorius*, qui *Cincius* anteà dicebatur, ſedit in cathedra *Romana* annos decem, menſes ſeptem, & novendecim dies.

Lodovicus *pro ſubſidio militum ad patrem mittit.*

EODEM tempore, *Lodovicus* de infortunio quod ſibi apud *Lincolniam* acciderat, prolapſus in deſperationem, ne propoſitum ſuum ad effectum perduceret; exquiſito uſus conſilio, nuncios ſuos ad patrem ſuum & uxorem ſuam dominam *Blancam* deſtinavit; proponens eis *damna irreparabilia, quæ ſibi apud* Lincolniam *&* *Baronibus* Angliæ *contigerant; quæ magis à Deo, quàm hominibus ſibi doluit irrogata. Rex namque* Anglorum *adeò jam invaluit, quòd in manu armata omnes provincias circa urbem* Londinenſem *perluſtrans; exitum civitatis prædictæ ſibi & ſuis complicibus jam præcluſit. Deficiunt præterea nobis* (*ait*) *& noſtris in urbe omnium utenſilium genera, quæ etiam ſi abundarent in civitate, non habemus unde illa emamus. Quocirca vobis ſignifico, quòd nec habeo facultatem reſiſtendi, nec ab* Anglia *recedendi; niſi mihi provideatis potenter in ſubſidio militari.* Cúmque ad patrem de filio & ad uxorem de marito talia perveniſſent; doluerunt valdè illum in tali articulo eſſe conſtitutum. Rex autem *Franciæ* cùm hæc audiſſet, ait: Nónne adhuc vivit *Willielmus Mareſchallus*? Et dictum eſt, imò. Et Rex: Non ergo timeo de filio meo. Unde *Willielmus Mareſchallus* poſt hæc ſemper notatus fuit de proditione. Et quoniam Rex timuit filio excommunicato opem ferre, velut qui multoties de conſenſu filii fuerat acriter increpatus à Papa, ſummam negotii impoſuit uxori *Lodovici*. Quæ non ſegniter rem ſibi impoſitam exequens; milites trecentos ſtrenuos, & in rebus militaribus benè paratos, in ſubſidium viri ſui, cum multa armatorum manu, tranſmittit. Sed hæc omnia Regem *Anglorum* latere non poterant, qui jam viribus reſumptis, cum ingenti exercitu Auſtralia maris littora occupaverat: & urbem *Londonienſem* jam decreverat obſidione vallare. Aſſignavit ergo Rex de conſilio *Mareſchalli*, *Philippum* de *Albeneio*, & *Johannem Mareſchallum* ſimul cum quinque portubus; & aliis armatis multis, qui ſemitas maris ſolerter ſpeculantes, *Francorum* explorarent & præpedirent adventum.

Igitur in die Apoſtoli ſancti *Bartholomæi*, claſſis *Francorum* *Euſtachio* monacho, viro flagitioſiſſimo commiſſa eſt: ut eam ſub ſalvo conductu ad urbem *Londoniarum* [illegible]duceret, & integram *Lodovico* præſentaret. Ingreſſi itaque mare milites ſupradicti, [illegible]unt à tergo flatum turgidum, qui eos verſùs *Angliam* vehementer urgebat; ſed inſidias [illegible]

1217.

ſibi penitùs ignorabant. Cùm itaque rapido volatu multam maris viam emenſi fuiſſent, pyratæ Regis *Angliæ* ex obliquo venientes, recenſentes in parte adverſa naves quater viginti magnas, & plures de minoribus & galeis armatis benè timuerunt bellum conſerere navale cum navibus paucis, quæ inter galeias & naves alias numerum quadragenarium non exceſſerunt, computatis omnibus. Sed tandem de caſu, qui apud *Lincolniam* acciderat, in quo pauci de multis triumpharunt, animati, audacter à tergo irruerunt in hoſtes. Quod cùm *Francigenæ* cognoverunt, ad arma proſiliunt: & hoſtibus viriliter, licèt non utiliter, reſtiterunt. *Philippus* quoque de *Albineio*, & baliſtarii cum ſagittariis, inter *Francos* tela mortifera dirigentes; innumeram ex obſtantibus in brevi ſtragem fecerunt. Habuerunt præterea galeias ferro roſtratas; quibus naves adverſariorum perforantes, multos in momento ſubmerſerunt. Calcem quoque vivam, & in pulverem ſubtilem redactam, in altum projicientes, vento illam ferente, *Francorum* oculos excæcaverunt. fit graviſſimus inter partes conflictus: ſed pars *Francorum*, quorum uſus non fuerat prælium navale conſerere, in brevi erat funditùs infirmata. Nam ab *Anglis* bellatoribus & in marino prælio eruditis, telis confodiebantur, & ſagittis, lanceis perfodiebantur, cultellis jugulabantur, gladiis trucidabantur, navibus perforatis mergebantur, calce cæcabantur, ſpes auxilii & ſuccurſus penitùs evacuabatur, fuga non patebat: unde multi, ne caperentur ab hoſtibus vivi, ſeſe ſponte in maris fluctibus projecerunt; eligentes potiùs mori, quàm arbitrio & voluntate adverſariorum tractari, ſecundum illud Senecæ: *Arbitrio inimici mori, eſt bis mori.* Omnibus igitur ſubjugatis, qui vivi remanſerant ex nobilioribus *Francigenis*, victores *Angli* naves omnes viribus obtentas, funibus colligabant atque cum lætiſſima victoria versùs *Doveram* æquora ſulcantes, Deum in ſuis operibus collaudabant. Videntes ergo milites caſtelli inopinatam Dei virtutem, exierunt obviàm venientibus *Anglis*: atque *Gallos* infœlices vinculis arctioribus conſtrinxerunt. Inter cæteros autem, de fundo & ſentina cujuſdam navis extractus eſt diu quæſitus, & multùm deſideratus *Euſtachius* monachus proditor Regis *Angliæ*, & pirata nequiſſimus. Qui cùm ſe deprehenſum cognoviſſet, obtulit pro vita ſua & membris ineſtimabilem pecuniæ quantitatem: & quòd de cæterò ſub Rege *Anglorum* fideliter militaret. Quem arripiens *Richardus*, filius Regis *Johannis* nothus, ait: Nunquam de cæterò falſis tuis promiſſionibus quenquam in hoc ſæculo ſeduces, proditor nequiſſime; & ſic educto gladio, caput ejus amputavit. Spolia itaque navium in auro, argento, pannis ſericis, & armis, collegerunt regales miniſtri. Atque priſonibus ſalvo deputatis, ſignificavit Regi *Philippus* de *Albeneio* quæ geſta fuerant: qui pro victoria ſibi cœlitùs conceſſa, Dominum glorificavit, qui in rebus humanis diſponendis, ſemper eſt ubique mirabilis. Hujus autem rei eventus, cùm ad *Lodovici* notitiam perveniſſet; multò fortiùs doluit, quàm de infortunio ſibi apud *Lincolniam* irrogato.

Euſtachius monachus capitur.

MARESCHALLUS igitur Regis & regni rector, congregavit exercitum grandem militum, pariter & clientum: atque in fortitudine gravi ad urbem *Londonienſem* ſe conferens obſedit eam per gyrum; id eſt, per terram ſimul & aquam. Omneque incluſis victualium genus ſubtrahens, ad deditionem eos compellere ſatagebat. At *Lodovicus* in arcto poſitus, ſignificavit Legato pariter & Mareſchallo, quòd ipſe voluit conſilio eorum in omnibus obedire: ita tamen, quòd ſalvo honore ſuo, & ſine ſuorum ſcandalo, pacem congruam providerent. At illi, in quibus totum pendebat negotium, & qui *Lodovici* liberationem ſupra modum deſiderabant; pro corona *Franciæ*, quam etiam læſi & irati non poſſunt odiſſe, quandam pacis formam in ſcripto redactam, ei remiſerunt. Cui ſi conſentire vellet, ipſi providerent, & ad hoc ſeſe obligarent; quòd liberum ſibi ac ſuis omnibus impriſiis ab *Anglia* facerent habere receſſum ac conductum; cùm multi tamen huic miſericordiæ eſſent toto & avido conamine contradictores manifeſti: ſin minùs, ipſi ſubverſionem ipſius & ſcandalum omnibus modis ad poſſe procurarent. Hanc autem pacis formam, cùm *Lodovicus* & ejus conſiliarii inſpexiſſent, placuit valdè eis ab *Anglia* recedere; ubi ſibi videbatur dulciùs commorari. Mandavit itaque *Lodovicus* Legato & magno Mareſchallo, ut diem certum providerent & locum, ubi hæc prætexata poſſint celeriter ad effectum perduci. Partibus autem in hoc conſentientibus convenerunt ad colloquium prope villam de *Stanes*, juxta flumen *Thamiſiæ*, in quadam inſula, ad pacem reformandam, Rex *Henricus* cum Legato & magno Mareſchallo & aliis multis ex una parte; *Lodovicus* cum Baronibus & aliis impriſiis ſuis ex altera: ubi divina cooperante gratia, in ſubſcriptam pacis formam communiter conſenſerunt, tertio Idus Septembris.

Concordiam inter Henricus & Lodovicu intunt.

JURAVIT in primis *Lodovicus* & omnes excommunicati & impriſii ejus cùm eo, tactis ſacroſanctis Evangeliis, quòd ſtarent judicio ſanctæ Eccleſiæ; & quòd de cæterò fideles erunt domino Papæ & Eccleſiæ *Romanæ*. Juravit etiam, quòd incontinenti recederet cum omnibus ſuis de regno *Angliæ*; nunquam in vita ſua malo animo reverſurus. Et quòd pro poſſe ſuo patrem ſuum *Philippum* induceret, ut *Henrico Anglorum* Regi redderet omnia jura ſua in partibus transmarinis, & cùm Rex foret, ipſe in pace dimitteret. Juravit inſuper, quòd omnia caſtra cum terris omnibus, quas ipſe & ſui per guerram occupaverant in regno *Angliæ*, Regi & ſuis redderet incontinenti. Rex autem *Anglorum*, tactis ſacroſanctis Evangeliis, juravit cum Legato & Mareſchallo, quòd redderent Baronibus *Angliæ* & aliis

Forma pacis inter Regem Henricum & Lodovicum, & de pœnis excommunicatorum.

1218. omnibus de Regno; omnia jura & hæreditates ſuas, cum omnibus libertatibus antè petitis; pro quibus diſcordia fuit exorta inter *Johannem* Regem *Anglorum* & Barones. Nec nocumentum vel opprobrium objiceretur hinc vel inde, his qui huic vel alii adhæſiſſent. Inſuper priſones omnes, qui ante hanc pacem proviſam ſe redemerant, & ſuæ redemptionis jam factæ pecuniæ partem ſuis creditoribus ſolverant, quod ſolutum eſt non reddatur eis: ſed ſiquid ſuperfuerit ad ſolvendum, debitori penitùs relaxetur. Priſones univerſi, qui apud *Lincolniam* capti erant, vel in prælio navali apud *Doveram* ſive in parte Regis, ſive in parte *Lodovici*; ubicunque, ſtatim ſine omni difficultate & ſine omni redemptione & cenſu liberarentur. Et his ita geſtis, abſolutus eſt *Lodovicus* cum omnibus ſectatoribus ſuis, ſervata eccleſiæ forma. Ac deinde ſinguli ruentes in pacis oſculum, triſtem lætitiam ſub fraudis prætextu plurimi palliabant. Quo facto, *Lodovicus Londonias* reverſus eſt; ubi præ nimiâ à civibus paupertate, quinque millia librarum ſterlingorum mutuo accipiens, ſub conductu magni Mareſchalli ad mare cum feſtinatione pervenit; & cum opprobrio ſempiterno ad *Gallias* tranfretavit. Ab hoc quoque abſolutionis & pacis beneficio, excepti fuerunt Epiſcopi, Abbates, Priores, Canonici ſæculares, & clerici multi, qui *Lodovico* ac Baronibus conſilium præſtiterant & favorem; & maximè magiſter *Simon* de *Langetuna*, cum magiſtro *Gervaſio* de *Hobrugge*: qui in tantâ obſtinatione diu perſtiterant, ut *Lodovico* & Baronibus excommunicatis; divina facerent celebrare myſteria à Preſbyteris excommunicatis: unde ab omnibus beneficiis ſpoliati à Legato, *Romam* ire compulſi ſunt. Nam ilicò poſt receſſum *Lodovici* ab *Anglia*, Legatus miſit inquiſitores per omnes *Angliæ* provincias, qui quoſcunque de conſenſu etiam leviſſimo culpabiles invenerunt, cujuſcunque eſſent ordinis vel dignitatis, ſuſpenſos miſerunt ad Legatum; & ab omni beneficio ſpoliatos, qui illorum beneficia ſuis clericis abundanter diſtribuit, atque de damnis aliorum ſuos omnes divites fecit. *Hugo* quoque *Lincolnienſis* Epiſcopus in *Angliam* veniens, mille marcas pro Epiſcopatu ſuo recuperando ad opus domini Papæ, & centum marcas Legato de probata pecunia numeravit. Cujus exemplum multi tam Epiſcopi quàm viri religioſi inſequuti, ſumptibus nimis damnoſis, gratiam ſibi reconciliabant Legati. Clericorum quoque & Canonicorum ſæcularium ubique hauſtu tam immoderato loculos evacuavit; metens quod non ſeminavit, ut ex multis portionibus unum gradem acervum cumularet.

Colonienſes & Friſones ſe ad terram ſanctam accingunt.

CIRCA dies iſtos facta eſt motio maxima ex *Colonienſium* & *Friſonum* provinciis virorum fortium & bellatorum, qui à principio prædicationis crucis, poſt generale Concilium, trecentas naves magno ſtudio fabricatas ingreſſi ſunt, ut vota ſuæ peregrinationis exolverent Crucifixo. Qui ſulcantes æquora velis patentibus, major pars eorum cum magna bellatorum virtute applicuit *Liſſebonam*: ubi inter eos orta eſt diſſenſio, in obſidione cujuſdam caſtri fortiſſimi, quod *Alchacia* nuncupatur, quibuſdam procedere cupientibus, aliis ibidem volentibus hyemare. Sicque claſſe diviſa, pars apud *Cajetam* & *Tornetum* hyemavit, & pars altera duos habens Capitaneos, *Willielmum* ſcilicet *Holandiæ* Ducem, & Comitem de *Weiz Georgium*, *Alchaciam* obſedit. Qui cùm adhuc in obſidione eſſent, congregata eſt cóntra eos *Saracenorum* maxima multitudo. Contra quam fideles viriliter decertantes, virtute divina vicerunt illam infidelium multitudinem. Rex ibi unus Paganorum occiſus eſt, & multi trucidati; atque in captivitatem adducti. Caſtellum verò tandem per *Teuthonicos* captum eſt, & à *Chriſtianis* poſſeſſum.

Obſidio caſtelli de Newerc.

ANNO gratiæ M. CCXVIII. Rex *Henricus* ad Natale Domini fuit apud *Norhantonam*; *Falcaſio* Regiæ feſtivitati neceſſaria omnia adminiſtrante. Erant autem his diebus multi in *Anglia*, quibus tempore belli præteriti dulciſſimum fuerat de rapinis vixiſſe: unde poſt pacem denunciatam, & omnibus conceſſam, non potuerunt prurientes manus à præda cohibere. Horum autem principales fuerunt incentores *Willielmus* Comes *Albemarliæ*, *Falcaſius* cum ſuis Caſtellanis, *Robertus* de *Veteri* ponte, *Brihennus* de *Inſula*, *Hugo* de *Bailluel*, *Philippus Marc*, & *Robertus* de *Gaugi*, cum aliis multis; qui caſtella quorundam epiſcoporum ac magnatum cum terris & poſſeſſionibus, contra Regis prohibitionem & illorum voluntatem, detinere præſumpſerunt. Inter quos *Robertus* de *Gaugi*, poſt multas Regis admonitiones, caſtellum de *Newerc* cum villa tota & pertinentiis multis, quæ ad jus *Hugonis Licolnienſis* Epiſcopi ſpectabant, ei reddere contradixit. Ex qua re magnus Mareſchallus verſus in indignationem; jubente Rege, grandem exercitum congregavit; atque eodem Rege comitante ad caſtellum prædictum, hoſtiliter acceſſit. Et cùm tandem appropinquaſſent ad caſtellum, præmiſerunt armatos, ut incluſis exitum præcluderent; ne ſicut fieri ſolet, exeuntes villam, injectis ignibus concremarent. Quos cùm *Robertus* ejuſque commilitones venire cognoviſſent, exierunt cum impetu de caſtello; ſed ab irruentibus in eos militibus Regis compulſi ſunt denuò in caſtellum redire. Ubi *Willielmus* de *Diva*, miles de familia *Hugonis Lincolnienſis* Epiſcopi dum eis caſtellum ingredientibus inſtaret, interfectus eſt & plures alii vulnerati. Ex quo facto Rex & Mareſchallus perturbati, juſſerunt machinas collocari in gyrum caſtelli; ut muros continua petrariarum verberatione diſſiparent. Duravit autem obſidio octo ferè diebus, in quibus amici ipſius *Roberti* cum Epiſcopo *Lincolnienſi* de pace tractantes, in hoc Rege annuente, pariter conſenſerunt; ut Epiſcopus

memoratus

memoratus daret *Roberto* de *Gaugi* pro victualibus quæ erant in caſtello, centum libras ſterlingorum: & ſic obſidione ſoluta, unuſquiſque ad propria remeavit. 1218.

EODEM anno, confirmatum fuit conſilium domini Papæ *Innocentii*, ſicut proviſum fuerat in Concilio *Lateranenſi*, de introducenda *Chriſti* militia in terram *Ægyti*. Menſe enim Maio, præparatis cogonibus, galeis, & aliis navibus onerariis multis; profecti ſunt de *Achon*; *Johannes* ſcilicet Rex *Hieruſalem*, Patriarcha, cum Epiſcopis *Nicolſienſi*, *Achonenſi*, *Bethlemitano*, Duce *Auſtriæ*, Magiſtris *Templi*, & *Hoſpitalis S. Johannis*, & S. *Mariæ Teuthonicorum* ac *Chriſtianorum* multitudine copioſa. Boreâ itaque provehente, exercitus Domini proſperis velis die tertia ad portum applicuit *Damiatæ*. Applicantes autem quidam de exercitu, terram ceperunt hoſtilem ſine ſanguinis effuſione: ſed paucis ſibi occurrentibus *Saracenis* equitibus, *Friſo* quidam fixo in terram genu dextro, & manu ſiniſtra circumducens ancile; dextra lanceam vibrat & ferrum. Intuitus eum quidam *Saracenus*, exiſtimavit eum ludere; ſed ſubitò *Saracenus* à *Friſone* percuſſus, aliis fugientibus, cum equo eques proſtratus eſt in terram. Et ſic abſque omni impedimento, caſtrametati ſunt fideles inter littus maris & ripam *Nili* fluminis; & ibi tentoria fixerunt. Hoc etiam miraculum fecit Deus fidelibus ſuis, quòd in primo adventu eorum aqua fluminis mari conjuncti, dulcis hauriebatur; quæ poſtmodùm ſalſa fuit uſque ad *Caſale* quod ſurſum per miliare à *Damiata* diſtat. Itaque poſt adventum *Chriſtianorum* apud *Damiatam* facta eſt eclipſis Lunæ ferè generalis; quam in defectum *Saracenorum* interpretati ſunt *Chriſtiani*, & è converſo.

Peregrini ab Achon uſque ad Damiatam progrediuntur.

CIRCA illa tempora, Papa *Honorius* Regi deſiderans incrementum in virtutes, ſcripſit ei in hæc verba: *Honorius Regi* Anglorum. *Cùm te tanquam eccleſiæ* Romanæ *filium ſpecialem ſincero diligentis affectu, cupiamus ut apud Deum & homines proficias ſapientia & ætate, libenter ſalubribus monitis præmunimus; quæ tantò altiùs cordi tuo debent infigi, quantò ex majori noſtræ mentis affectione procedunt. Quia igitur timor Domini eſt fons vitæ, qui ſe potatos à peccato præſervans, erudit ſalutem, præſtánſque fiduciam fortitudinis quos afficit, reddit ab hoſtibus mentis & corporis tutiores. Serenitatem Regiam monemus & hortamur attentè, quatenùs ab adoleſcentia tua timori Domini aſſueſcens, in eo teneas te inſtanter; téque à vitiis continens, virtutibus imbui ſatagas ſtudioſè, ſponſámque Chriſti eccleſiam, & miniſtros ipſius, in quibus idem honorari & ſperni ſe aſſerit, humiliter venereris: ut de gratia in gratiam, & de virtute proficiens in virtutem, ſubjectum tibi populum in pulchritudine pacis & requie opulenta gubernes; & dies ſuper dies Regis adjiciens, Dominus annos multiplicet vitæ tuæ, tandémque de terreno & tranſitorio te ad regnum cæleſte provehat & æternum. Et quia mores ſolent à convictu formari, familiares habere ſtudeas providos & honeſtos; qui ſalutem & honorem tuum ſincerè zelantes, ea tibi fideliter conſulant, quæ Deo & hominibus debeant complacere.*

INTEREA temporis viderunt fideles *Chriſti* turrim quandam altam, & ex ſtructura lapidum fortem nimis & pulcherrimam, non longè ab urbe Damiatæ in medio *Nili* fluminis ſitam; à qua catena quædam ferrea & mirabiliter groſſa ex tranſverſo fluminis protendebatur, uſque ad urbem ſuper aliam ripam *Nili* fluminis conſtitutam. Hæc autem turris omnium judicio ante obſidionem *Damiatæ* fuerat ſubjuganda. Sed *Friſones* more ſolito impatientes, *Nilo* tranſito, jumenta *Saracenorum* tulerunt. Et volentes in ulteriori ripa caſtrametari, ſtabant pugnantes contra *Paganos*, qui eis obviàm proceſſerunt de civitate: ſed à Patriarcha per obedientiam revocati ſunt; quia inutile videbatur Principibus *Chriſtianis*, quòd terra relinqueretur poſt tergum eorum *Paganis* repleta. Principes intereà militiæ *Chriſti* de captione turris nimis ſolliciti, viderunt eam capi non poſſe fame, propter civitatis vicinitatem; nec ſuffuſione, propter aquæ circumfluenta; neque inſultu petrariarum, aut trebuculorum ictibus, quia cùm id eſſet multis diebus attentatum, parùm vel nihil profecerunt. Sanè in hoc tandem pariter omnes conſenſerunt fideles; ut navibus ſimul & cogonibus conjunctis, in malorum ſummitatibus ſcalas prepararent; & in eis baliſtarios ſtatuerent & armatos, ut ſuum propoſitum perducerent ad effectum. Igitur Dux *Auſtriæ* & hoſpitale ſancti *Johannis*, ſimiliter duos cogones & duas ſcalas fabricarunt; quæ circa feſtum Sancti *Johannes Baptiſtæ* contra turrim fuerunt erectæ, illam viriliter defendentibus *Saracenis*. *Hoſpitaliorum*, proh dolor! ſcala confracta; ſuos priùs præcipitavit in flumen bellatores. Secunda verò ſcala, Ducis videlicet *Auſtriæ*, ſimili modo cum malo cecidit, & milites ſtrenuos & alios armatos in *Nilum* demerſit; quorum animas pium eſt credere in cœlum ſublevari, victrici martyrio coronatas. Lætati ſunt *Ægyptii* vehementer, fidelibus ſubſannantes; & in opprobrium eorum buccinis preſtrepentes; & è converſo mœror & luctus *Chriſtianos* invaſit. Tunc *Friſones* & *Teutonici*, quorum dux fuit Comes *Adulphus* de *Monte*, vir potens & nobilis, navem quandam cum pro pugnaculis munierunt; & in ſummitate mali caſtellulo ordinato. Ipſa verò navis à bellatoribus civitatis, turris, & pontis, igne *Græco* impetebatur & jaculis vehementer. Quæ tandem igne correpta, cùm timerent *Chriſtiani* ne penitùs conſumeretur, defenſores ejus ignem viriliter extinxerunt: ac deinceps damna plurima per baliſtarios, qui intùs erant, *Saracenis* intulerunt. Sed & aliæ fidelium naves propugnaculis munitæ, hujus aſſultus tempore anchoris turri adhærebant fixæ;

Obſidio turris Damiatæ.

multa

1218. multa ſuſtinuerunt hominum & rerum detrimenta. Tunc etiam obiit Lantgravius *Thuringiæ*, vir ſcilicet S. *Elizabeth*.

Captio turris prædictæ.

TANDEM neceſſitate induſtriam docente, providentibus architectoribus *Teutonicorum* ſumptibus & *Friſonum*, & labore eorundem; duos cogones conjunxerunt fideles trabibus fortiſſimè ac funibus cohærentes, quatuor malos & totidem antennas erexerunt; & in illis in ſummitate caſtellum firmum aſſeribus & opere craticulato contextum, contra machinarum inſidias coriis cooperuerunt illud. Sub caſtello autem fabricaverunt ſcalas fortiſſimis funibus ſuſpenſas, & triginta cubitis ultra proram protenſam; opere maximo brevi tempore conſummato. Invitati ſunt ad illud videndum Principes militiæ *Chriſti*; ut ſiquid deeſſet, quod ſumptibus aut humano ingenio indigeret, ſuppleretur. Et accepto reſponſo, quòd nunquam anteà tale opus ligneum fuerat fabricatum, properandum eſſe cenſuerunt fideles, ut hoc ingenium adhiberetur ad turrim; quia crebris ictibus machinarum pons pro magna parte diſtractus fuerat, qui de civitate hoſtes fidei ducebat ad turrim. Sexta itaque feria ante feſtum S. *Bartholomæi*, nudis pedibus cum proceſſione ſolenni devotiſſimè proceſſerunt ad Crucem ſanctam fideles, clero cum pſalmis & letaniis præcedente: auxilium humiliter implorantes divinum, ut res omni careret invidia & jactantia vana de omni gente, quæ tunc in exercitu erat. Plures ad hujus negotii executionem invitabantur à majoribus, licet gens *Friſonum* & *Teutonicorum* ad naves implendas ſufficeret & regendas. Die tandem B. *Bartholomæi*, quæ tunc feria ſexta erat, cùm *Nilus* vehementer inundaſſet, & aquarum impetus negotium plurimùm impediſſet, cum multa licèt difficultate & periculo, inſtrumentum trahebatur ad turrim. Navis autem hujus machinæ ſocia velificando proceſſit. Patriarcha & clerus nudis pedibus ambulabant per littora, Domino ſupplicantes. Cùm verò ad turrim perventum fuiſſet, duplex illa compoſitio ad littus Occidentale converti non poterat, ſed aſcendendo directè ad plagam Aquilonarem applicabatur; funibus tandem & anchoris fixa manebat, licèt vis aquarum inundantium illum repellere moliretur. Quod cùm cognoviſſent *Saraceni*, machinas ſex erexerunt ſuper turres civitatis, ad inſtrumentum illud concutiendum: ſed una cæteris pernicioſior, poſt paucos ictus confracta quievit. Nec tamen ceſſaverunt, ſed ſine intermiſſione emittere cœperunt crebros lapides & damnoſos. Nec in minori periculo prior navis, hujus machinæ ſocia, ad pedem turris ſubſtitit collocata. Nam ignis *Græcus* de turri eminùs projectus, fulminis inſtar veniens, pavorem non minimum fidelibus incuſſit: ſed per liquorem acetoſum & ſabulum, & cætera extinctoria eſt ſubventum. Tunc facto inſultu acerrimo ab his qui inſtrumentum regebant ſupradictum, jacebat Patriarcha ante lignum Crucis proſtratus in terram; ſtánſque clerus nudis pedibus clamavit in cœlum. Inimici crucis & turris defenſores, extenſis lanceis anteriorem ſcalæ partem aſperſerunt oleo; ac deinde ignem Græcum adhibentes, ſcalam accenderunt; ſed fideles *Chriſti*, qui intùs erant, ad ignis ſuffocationem accurrentes, ſuo pondere caput ſcalæ depreſſerunt, ita ut pons tornatilis fronti turris appoſitus, inclinaretur deorſum. Signifer Ducis *Auſtriæ* de ſcala corruit, & *Pagani* vexillum Ducis cum irriſione tulerunt; ſe viciſſe exiſtimantes, vociferati ſunt clamore nimio, äërem verberando. *Chriſtiani* verò hoc viſo, ad ſupplicationem ſe proſternunt; comploſíſque manibus, Dominum invocare non ceſſant. Ad hanc autem populi *Chriſtiani* devotionem & manuum in cœlum elevationem; levavit ſcalam divina pietas, ignémque accenſum fidelium lacrymæ extinxerunt. Et ſicut fideles crucifixi viribus reſumptis cum defenſoribus turris lanceis, gladiis, clavis, ſagittis, aliiſque bellicis inſtrumentis viriliter pugnaverunt: juvenis quidam *Leodienſis* diœceſis, in militia expertus, turrim priùs aſcendit. *Friſo* quidam juvenculus turrim aſcendens, flagellum ferreum tenebat tale, quali granum excuti ſolet, ſed ad pugnandum paratum. Unde fortiter trans murum ad dextram percutiens hoſtes fidei & ad lævam, quendam *Saracenum* croceum *Soldani* ferentem ſignum, ſtravit, & vexillum tulit. Ac deinde alii poſt alios aſcendentes, hoſtes reſiſtentes ſenſerunt duriſſimos & crudeles. *Paganis* tandem ſuperatis, poſt fletum & gemitum, gaudium ſucceſſit fidelibus ac triumphus. Nam multi *Saracenorum* turris anguſtiam non valentes preferre, per feneſtras præcipites evadere cupiebant; quorum multi ſubmerſi perierunt, flumen ebibere non valentes: ad centum quoque ex eis vivi capti ſunt, & ad redemptionem reſervati. Tunc *Saraceni*, qui in interioribus ſeſe receperant turribus, igne ſuppoſito, ſuperficiem turris combuſſerunt. Unde *Chriſtiani* victores, calorem ſuſtinere non valentes, regreſſi ſunt ſuper ſcalam: ac deinde pontem, qui in inferiori operis parte præparatus fuerat, demiſerunt *Chriſti* milites uſque ad pedem turris, aquis profundis & undique circumfluentibus anguſtum. Sed malleis ferreis januam turris aggreſſi ſunt fideles, defendentibus eam intrinſecùs *Saracenis*. Stabat interim opus immobile Turri adhærens: ſed aſſeres ſcalæ pro parte diſcuſſi fuerunt: Ambitus tamen operis machinarum ictibus multis perforatus in locis, ab hora nona ſextæ feriæ uſque ad horam decimam ſequentis immobile perſeverabat. Tandem *Saracenis* in defenſione turris omninò deficientibus, colloquium de pace petebant; ac ſeſe ſub pactione vitæ Duci *Auſtriæ* reddiderunt. Capta itaque turri, munierunt eam fideles victualibus & armatis; ſperantes de cæterò ut ſimiliter civitatem ſibi ſubjugarent.

1218.

Mors Saphadini, *& deſtructio murorum* Hieruſalem.

POST captam itaque turrim in *Nilo* flumine ſitam; *Saphadinus* dierum malorum inveteratus, patrueliúmque ſuorum exhæredator, ac Regni *Aſiæ* uſurpator nequiſſimus; dolore cordis, ut aſſeritur, tactus intrinſecùs, mortuus eſt; & ſepultus in inferno. Cui ſucceſſit filius ejus *Coradinus*, vir crudelis & ſævus, qui ob ultionem obſidionis *Damiatæ*, *Hieruſalem* famoſiſſimam civitatem foris & intùs deſtruens; muros ejus & turres omnes, præter templum domini & turrim *David*, in acervos redegit. De ſepulchro quoque Domini glorioſo deſtruendo, conſilium habuerunt *Saraceni*. Quod per literas comminati ſunt; quas civibus *Damiatæ* ad eorum ſolatium tranſmiſerunt. Veruntamen propter tanti loci reverentiam, nemo eorum manum apponere præſumpſit. Nam in *Alcorano* libro Legis eorum ſcriptum habetur, *Jeſum Chriſtum dominum noſtrum de* Maria *virgine fuiſſe conceptum & natum, quem ſine peccato vixiſſe inter homines, Prophetámque & pluſquàm Prophetam eſſe profitentur. Cæcos enim illuminaſſe, leproſos mundaſſe, & mortuos ſuſcitaſſe aſtruunt. Verùm quoque aſſerunt eum ad cœlum aſcendiſſe.* Unde quando tempore treugarum, Sapientes eorum *Hieruſalem* aſcendebant, & poſtulabant ſibi codices Evangeliorum exhiberi, deoſculabantur ac mirabantur eos, propter munditiam, quam Chriſtus docuit: Et præcipuè propter Evangelium *Lucæ*, *Miſſus eſt Gabriel*: quod ſæpiùs retractant & repetunt literati eorum. Lex autem illorum, quam Diabolo dictante, miniſterio *Sergii* monachi apoſtatæ & hæretici, *Mahometus Arabicè* ſcriptam *Saracenis* dedit & docuit; à gladio cœpit, per gladium tenetur, & in gladio terminatur. Iſte *Mahometus* illiteratus fuit, ſicut ipſe in *Alchorano* ſuo teſtatur: qui quæ prænominatus hæreticus dictavit, ipſe prædicavit. Et quia potens erat, & *Arabum* Princeps, per comminationes ſuas legem ſtatuit obſervari. Luxurioſus autem fuit & bellicoſus; & ideò de immunditia & vanitate legem dedit, quam carnaliter viventes in partem voluptatis obſervant: & ſicut legem *Chriſt* veritas & munditia muniunt; ita errorem ipſorum timor mundanus & humanus, voluptáſque carnalis extollunt.

Pelagii *& aliorum peregrinorum apud* Damiatam *adventus.*

SUBJUGATA igitur, ut dictum eſt, turri *Damiatæ*; venerunt ad paſſagium ſanctæ Crucis, quod tunc inſtabat, de diverſis mundi partibus peregrini multi. Inter quos venerunt *Pelagius Albanenſis* Epiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus; cum magiſtro *Roberto* de *Curcum*, & *Romanis* multis. Venerunt & Epiſcopi multi cùm Comite *Nivernenſi*; qui imminente periculo, cum *Chriſtianorum* periculo receſſit. Venit etiam tunc temporis vir illuſtris Comes *Ceſtrenſis Ranulphus* de regno *Angliæ*, cum Comitibus *Saero Wintonienſi* & *Willielmo Arundelenſi*, & Baronibus *Roberto* filiò *Walteri*, *Johanne* Conſtabulario *Ceſtriæ*, *Willielmo* de *Harecurt* cum ſequela multa: & *Oliverio* filio Regis *Angliæ*. Venerunt & Comites de *Marchia* & *Barri* cum filio ſuo, *Willielmus* de *Carnato*, *Iterius* de *Tocce*, & *Henricus* de *Urſone*, & aliis multis.

Quomodo Saraceni Chriſtianos *invadant.*

SARACENI poſtmodùm in feſto beati *Dionyſii* cum galeiis & viris armatis ex improviſo venientes, & principia caſtrorum ubi *Romani* tentoria fixerant invadentes; modica manu *Chriſtianorum* repulſi ſunt, ad galeias ſuas celeriter recurrentes; ſed gladios inſequentium, ac fluminis voraginem effugere nequiverunt. Submerſi ſunt enim in *Nilo* ad viros mille quingentos; ſicut fideles poſteà à paganis didicerunt. In feſto iterum B. *Demetrii* ſummo diluculo caſtra *Templariorum* invaſerunt hoſtes; ſed modicum fidelibus damnum intulerunt: quia per expeditos eorum equites fugati ſunt ad pontem, quem procul conſtruxerant; ubi interempti ſunt à fidelibus ad numerum quingentorum.

Inundatione Nili *fluminis* Chriſtiani *damno afficiuntur.*

HIS ita geſtis, in vigilia B. *Andreæ* Apoſtoli, nocte media, intumuerunt fluctus maris, creſcentes & excurſum facientes terribilem uſque ad caſtra fidelium: quos ab alia parte fluvius inundans, occupavit incautos. Natabant tentoria, perierunt cibaria. Piſces fluviales & marini, quaſi nihil metuentes, fidelium ſe cubiculis ingerebant; quos manibus capientes, illis tamen deliciis carere maluiſſent. Et niſi ſalubri conſilio anteà proviſum fuiſſet de foſſato, (quod tamen ad alios uſus factum fuerat) mare conjunctum flumini, homines cum jumentis, naves cum victualibus & armis detraxiſſet ad hoſtes. Nec tamen hoc periculum evaſerunt quatuor cogones, ſuper quos conſtructa fuerant propugnacula ad turrim capiendam: quæ uno impetu cum quinta navi, quæ inter eas hærebat, ad oppoſitam ripam vi ventorum præcipitatæ, ante oculos eorum igne *Græco* ſunt combuſtæ. Pepercit ſiquidem Deus operibus *Friſonum* & *Teutonicorum*, quibus turris capta fuerat. Sed naves oneratæ, quæ in portu maris ſtabant, ruptis repentè funibus, perierunt.

Peſtis in exercitu Chriſtianorum *graſſatur.*

INVASIT ea tempeſtate multos de exercitu peſtis quædam: contra quam Medici nullum ex arte ſua poterant invenire remedium. Dolor enim occupavit repentè pedes & crura, in quibus apparuit caro corrupta & nigra: gingivas & dentes nigredo obdurata, potentiam abſtulit maſticandi: ſicque longo doloris tractu afflicti, multi ad Dominum migraverunt. Quidam verò uſque ad tempus Vernale laborantes, caloris beneficio mortis periculum evaſerunt. Eodem anno, procurante *Walone* Legato, *Richardus* de *Mariſco* clericus, de familia & moribus Regis *Johannis*, factus eſt *Dunelmenſis* Epiſcopus; qui nono Calendas Auguſti munus conſecrationis accepit.

ANNO

1219. *Willielmus Mareſchallus moritur.*

ANNO Dominicæ incarnationis M.CCXIX. Rex *Henricus*, quarto regni ſui anno fuit ad Natale Domini apud *Wintoniam*; cui *Petrus* Epiſcopus omnia neceſſaria miniſtravit. Quo etiam tempore *Willielmus* ſenior *Mareſchallus* Regis & rector Regni, diem clauſit extremum; & *Londini* apud novum templum honorificè tumulatur, ſcilicet *in eccleſia* in Aſcenſionis die, videlicet xvii. Calendas Aprilis. *Poſt cujus mortem memoratus* Rex in cuſtodia *Petri Wintonienſis* Epiſcopi remanſit. Epitaphium autem prædicti *Willielmi* tale fertur.

Sum quem Saturnum ſibi ſenſit Hybernia, Solem
Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.

Et enim *Hybernorum* nocivus edomitor, *Anglis* honor & gloria, *Normannis* negotiator, qui in ea multa comparavit; *Gallicis* bellicoſus & miles invincibilis. Hoc quoque anno facta eſt amicabilis compoſitio inter eccleſiam *Lincolnienſem* & eccleſiam ſancti *Albani*, ſuper vicaria de *Luitona*, tempore *Hugonis Lincolnienſis* Epiſcopi, ſcilicet ſecundi, & *Willielmi* Abbatis S. *Albani*. Quæ compoſitio pleniùs ſcribitur in libro Additamentorum.

Obſidio civitatis Damiatæ.

EODEM tempore *Pelagius* Apoſtolicæ ſedis Legatus, ardens, habénſque deſiderium civitatem *Damiatam* obſidendi: *Chriſtianos* poſt turrim captam, hortabatur ad *Nili* fluminis tranſitum. Illi autem cum magno periculo per flumen ſurſum cum navibus aſcendentes inter civitatem & turrim captam; machinis civitatis & igne *Græco* ſunt non mediocriter impediti. Unde accidit, ut una navis *Templariorum*, vi torrentis impulſa, prope ripam civitatis capta fuiſſet: quæ cùm præcipitaretur ad hoſtes, barbatis & uncis ferreis eam diutiùs impugnarunt; ignem *Græcum* ſuper eam projicientes, de turribus civitatis. Et cùm prævalere, propter defenſorum audaciam, non potuiſſent; certatim navem aſcendentes *increduli*, præcipites in eam ad *Templarios* deſcenderunt. Ubi cùm diutiùs pugnaretur, navis tandem perforata, ſive ab hoſtibus, ſive à fidelibus, ut potiùs creditur, profundum fluminis petiit, ſubmergens *Ægyptios* & *Chriſtianos*; ita ut vix mali ſummitas appareret: & ſicut *Sampſon* plures ſtravit moriens quàm vivens; ſic & iſti martyres *Chriſti*, plures ſecum in aquæ voraginem traxerunt, quàm gladiis perdere potuerunt. Deinde pontem reparantes *Pagani*, aperturam adeò reliquerunt anguſtam, ut naves fidelium ſine periculo fluminis aſcendere non valerent. Sed *Friſones* & *Teutonici*, zelo juſtæ indignationis accincti, cum majori navi, cujus miniſterio turris capta fuerat, pontem viriliter invaſerunt, auxilium nullum habentes niſi de cœlo, circiter decem viri de gente prædicta, contra omnem fortitudinem Babylonis pontem aſcendentes, ſpectante Chriſtianorum multitudine, & hanc audaciam plurimùm admirante, fregerunt eundem; & ſic cum quatuor navibus, ſuper quas erat pons fundatus, reverſi ſunt cum triumpho; liberam viam & apertam *Chriſtianis* ſurſùm velificare volentibus, relinquentes. Et his ita geſtis, *Saraceni* periculum, quod illis imminebat, attendentes; ripam fluminis fidelibus oppoſitam, foſſatis & argilloſa materia cum propugnaculis ligneis & rebus aliis munierunt, machinas cum petrariis locantes ibidem; per locum illum tranſeundi ſpem omnimodam fidelibus auferentes. A *Caſali* etiam, quod per miliare ferè diſtabat à civitate, ubi nova hæc munitio terminabatur; per tranſverſum fluminis navium fecerant ſubmerſiones, cum palis gurgiti latenter infixis. Sed *Chriſti* milites, cogones cum caſtellulis ac propugnaculis, armatis muniti bellatoribus, cum galeiis aliiſque navibus ſubſequentibus; præſcriptas ſubmerſiones, Chriſto duce, penitùs evaſerunt. Hoſtes verò fidei, omni metu diſſimulato, tres ordines armatorum ſtationi navium *Chriſtianorum* oppoſuerunt: unam peditum, ſuper ripam fluminis, cum targiis eleganter ordinatam: ſecundam poſt tergum eorum, ſimilem priori: tertiam equitum, longam & terribilem, ictibus lapidum & telorum plurimùm vexantes fidelium ſtationem. Sed fidelis Deus, qui non patitur tentari ſuos ſuper id quod poſſunt ſuſtinere, reſpiciens ad caſtra ſervorum ſuorum; mœrorem fidelium & triſtitiam, in gaudium & exultationem convertit. Nam in nocte ſolennitatis ſanctæ *Agathæ* Martyris, cùm ordinatus eſſet exercitus *Chriſti*, qui ſequenti die fluvium erat tranſiturus, pluviæ & venti magnam difficultatem Chriſticolis intulerunt: ſed nocte eadem, Deo procurante, tantus pavor *Soldanum Babylonis* & ejus exercitum invaſit; ut relictis tentoriis, ignorantibus etiam Paganis, quos ad reſiſtendum fidelibus ordinaverat, in ſola fuga ſpem haberent. Unde quidam Apoſtata, qui diu *Chriſtianorum* legem tranſgreſſus, ſub *Soldano* militaverat, ſtans in ripa fluminis, *Gallica* lingua clamare cœpit: *Quid moramini? Quid trepidatis? Soldanus receſſit.* Et hoc dicto, ſe recipi in *Chriſtianorum* naviculam poſtulavit. Sicque fidelibus fidem faciens, illos ad tranſitum fluminis animabat. Et ſummo diluculo, cùm inchoatum eſſet Miſſæ officium, *Gaudeamus omnes in Domino*, per oratoria *Chriſtianorum* nunciata ſunt hæc Regi & Legato. Itaque fugientibus *Saracenis*, *Chriſtiani* abſque ſanguinis effuſione & omni impedimento flumen tranſierunt. Sed adeò limoſa & aquis profundioribus difficilis fuit ad applicandum terra hoſtilis, ut vix eam equi aſcendere potuiſſent. *Templarii* autem prævii in aſcenſu, proſpero curſu ad civitatem feſtinaverunt: ſternentes perfidos, qui audacter de portis egreſſi, *Chriſticolis* venientibus occurrerunt. Sed illis in civitatem redire compulſis, exercitus *Chriſti* tentoria *Soldani* occupavit; ac ſpolia fugientium Paganorum. Targias multas, & galeias

galeias, cum barbotis & navibus aliis, quæ infra *Caſale* uſque ad civitatem inveniebantur, *Chriſticolæ* rapuerunt. Unde perfidorum multitudo, relictis uxoribus ac parvulis, propter fidelium inopinatum tranſitum, de *Damiata* fugerunt. Deinde per gyrum *Damiata* obſeſſa eſt; exercitu exercitui per pontis compoſitionem continuato, utramque ripam fluminis contingentem.

Impetus Saracenorum in Chriſtianos.

CIVITATE itaque obſidione vallata, hoſtes fidei, reſumptis viribus, cum *Soldano* & *Alapinis*, ac multitudine copioſa, locum occupant; per quem fideles tranſitum fecerant inſperatum. Et niſi per conſilium divinum & auxilium, prima caſtra, quæ erant inter mare & fluvium, retenta fuiſſent, & maximè per probitatem *Teutonicorum*; negotium *Chriſti* magnum periculum incurriſſet. Nam pleni anfractibus *Saraceni*, ad tantam proruperunt temeritatem; ut diluculo die Sabbathi ante Dominicam qua cantatur, *Oculi mei ſemper ad Dominum*; fidelibus ignorantibus, cum multitudine gravi bellatorum, uſque ad foſſatum ſuum ſeſe præcipitarunt; ſed peditum illorum & equitum fuerunt probitate repulſi. Fecerant enim *Chriſtiani* foſſatum à tergo ſuo latum ſatis & altum ad cautelam: ut ſi fortè hoſtes fidei impetum facere vellent in eos, hujus foſſati præſidio munirentur.

Alius Saracenorum impetus.

IN die iterum Palmarum, inimicis Crucis, collecto innumerabili exercitu, ac nimis terribili; foſſatum undique fidelium invaſerunt, & præcipuè pontem *Templariorum* & Ducis *Auſtriæ*, quem ipſi cum *Teutonicis* viriliter defendere ſtuduerunt. Sed illi cum electis militibus ſuis, ab equis deſcendentes; cum *Chriſtianis* atrociter pugnaverunt. Ceciderunt hinc inde mortui & vulnerati multi: ſed tandem adeò prævaluerunt increduli, quòd pontem aſcendentes, partem ejus combuſſerunt. Tunc Dux *Auſtriæ* præcepit ſuis, ut ſeſe retrahentes, hoſtibus darent ingreſſum: ſed illi ingredi non audebant. Mulieres quoque bellatoribus *Chriſtianis*, aquam, vinum, panem, & lapides miniſtrabant. Sacerdotes verò orationi inſiſtebant; Dominum orantes, & ſauciatorum vulnera alligantes. In ipſo die ſancto, non eſt *Chriſtianis* ſpatium datum alias geſtandi palmas; quàm baliſtas, arcus, lanceas, gladios, clypeos & ſagittas. Adeò enim inſtabant inimici eorum atrociter, ſtudio liberandæ civitatis; quòd ab ortu ſolis uſque ad horam diei decimam, fidelibus requiem non darent. Sed tandem fatigati, ſeſe cum damno maximo de loco certaminis retraxerunt. In feſto iterum Dominicæ aſcenſionis, more ſolito, per terram & aquas irruentes perfidi in *Chriſtianos*, ac multoties illos attentantes; prævalere non potuerunt. Sed prope caſtra eos provocantes, mutuò ad invicem damna pertulerunt.

Tertius impetus Saracenorum.

COLLEGERUNT denique hoſtes fidei pridiè Calendarum Auguſti, omnes quas poterant habere copias bellatorum. Qui poſt diutinos aſſultus contra foſſatum, & contra militiam *Templi*, tandem tranſeuntes, ac violenter licias dirumpentes, pedites *Chriſtianorum* in fugam verterunt: ita quidem, ut univerſo exercitui periculum immineret. Milites, equites ſimul & pedites, ter conati ſunt ipſos à foſſato repellere; ſed nihil profecerunt. Clamor exortus eſt inſultantium *Paganorum*, aucta eſt timiditas *Chriſtianorum*. Sed ſpiritus conſilii & fortitudinis, *Templarios* animavit. Nam Magiſter *Templi* cum Mareſchallo cæteriſque fratribus, per exitum ſatis anguſtum impetu facto; viriliter incredulos convertit in fugam. Dominus *Teutonicorum*, & *Friſones*, Comites & Barones, atque ex diverſis nationibus milites, videntes *Templi* militiam in periculo; per exitus ſibi expoſitos illis in auxilium proruperunt. Tunc pedites perfidorum, projectis clipeis, truncabantur ad centum; præter illos qui in foſſato præcipites perierunt. Deinde peditibus *Chriſtianis* egreſſis, per modicum ſpatium ſeſe ſubtraxerunt hoſtes. Acies hinc inde ſubſtiterunt armatæ; donec crepuſculum veſpertinum certamen diremit. *Saraceni* prius receſſerunt. Occiſorum corpora jacebant juxta foſſatum multa; præter illos qui ſauciati lethaliter ad caſtra ſunt reducti. Pauci de fidelibus per virtutem Dei, & *Templariorum* audaciam, perempti fuerunt, & captivi. Dum hæc agerentur ibidem, combuſta ſunt ferè omnia inſtrumenta fidelium, quæ erecta erant contra civitatem, à defenſoribus ejus, præter ſcalas; in magnum *Chriſtianorum* detrimentum. Poſt has igitur factas à *Soldano* invaſiones, non eſt auſus congredi cum *Chriſtianis*: ſed non longè ab obſidione, fixis tentoriis, in inſidiis permanebat.

Prælium campeſtre inter Chriſtianos & Saracenos commiſſum.

EXERCITUS autem *Chriſti*, cùm diutiùs uſu petrariarum & trebuculorum, aliarúmque machinarum, muros civitatis ſubvertere laboraſſet, nec quicquam profeciſſet, à prudentioribus populi perſpicuè deprehenſum, & veraciter eſt intellectum, non niſi ſola virtute divina *Damiatam* fore capiendam: unde inter multos ſurrexit murmuratio in caſtris, communibus exigentibus peccatis, & diſcordiæ fomentis. Nam quorundam fuit præſumptio, ut cum *Soldano*, qui non longè à *Chriſtianorum* fixis tentoriis manebat in inſidiis, campeſtre prælium confererent; ut eo ſubjugato, cum ipſo ſubjugarent & *Damiatam*. E contrario conſilium Regis *Hieruſalem* erat, & multorum cum eo; ut obſidio tamdiu ageretur incœpta, quouſque vel virtute divina, vel etiam fame incluſi deficerent. Nam quicunque per poſticum, vel de muris civitatis præcipites evadebant, inflati & fame afflicti, concivium ſuorum evidenter anguſtiam indicabant. Sed illis tandem prævalentibus, qui decreverant immutabiliter cum *Soldano* certamen inire, in die decollationis ſancti *Johannis*

1219. *Baptiſtæ* ad caſtra *Babyloniorum* ita, licèt diſcordes, confluebant; ut vix invenirentur viri, qui in obſidione urbis remanerent. Tandem inter mare & flumen, ubi dulcis aqua reperiri non poterat ad bibendum, proficiſcentes; invenerunt hoſtes fidei in tentoriis commorantes: ſed ipſi papilionibus ſublatis, fugam ſimulabant. Et cùm à fidelibus proceſſum fuiſſet adeò, quòd appareret adverſarios nolle directa fronte confligere, Capitanei fidelis populi longum inierunt conſilium, utrùm procederent, an redirent. Diſcors inter eos fuit ſententia, unde inter conſilia, ſine conſilio ſolutæ ſunt acies; præter ordinationem illorum, quos diſciplina ligavit & obedientia militaris. Equites *Cypri*, in dextro cornu conſtituti, *Saracenis* incurſum à latere facientibus, timiditatem ſuam oſtenderunt. *Romani* pedites primi fugerunt, & poſteà equites ex nationibus diverſis, cum quibuſdam *Hoſpitalariis* ſancti *Johannis*. Legatus & Patriarcha, qui Crucem portabat, multùm, ſed fruſtrà, ut reſiſterent, ſupplicabant. Æſtus ſolis vehemens erat, unde pedites armorum pondere premebantur; calor auxit laborem viæ, & qui ſecum detulerant vinum, biberunt illud purum, propter aquæ defectum, in anguſtia ſitis: qui poſt primos fugientes, anhelo curſu terga dederunt, extinctique ſine vulneribus corruerunt. Rex verò *Hieruſalem*, cum *Templariis*, ex domo *Teutonicorum*, & *Hoſpitali* ſancti *Johannis*, de *Outhlandia*, de *Wicke*, de *Saleberge*, & *Ceſtriæ* Comitibus; cúmque *Waltero Bertoldi*, *Reginaldo* de *Ponte*, *Francigenis*, *Piſanis*, & militibus ex nationibus diverſis, impetum ſuſtinuerunt *Paganorum*; & pro muro fuerunt fugientibus, quoties illi ſuas facies oſtendebant. Rex verò *Hieruſalem* igne *Græco* ferè fuit combuſtus. Capti ſunt autem in illo conflictu ex *Chriſtianis*, Electus *Belvacenſis*, & frater ejus *Andreas* de *Nantes*, Vicecomes *Belli Montis*, *Walterus* Regis *Francorum* camerarius, ac filius ejus *Johannes* de *Arcis*, *Henricus* de *Ulmo*; *Templarii* triginta tres capti ſunt vel interfecti, cum Mareſchallo hoſpitalis *S. Johannis*, & fratribus quibuſdam ejuſdem domus. Nec domus *Teutonicorum* abſque damno evaſit. Sunt præterea alii multi trucidati, & in captivitatem abducti. Militia autem *Templi*, quæ in congreſſione ſolet eſſe prima, in regreſſu fuit ultima: unde cùm ad foſſatum *Chriſtianorum* noviſſima rediret, tamdiu fortis ſubſtitit, quouſque anteriores intra mœnia fuiſſent ingreſſi. Tunc increduli reverſi ſunt ad abducendos captivos ſuos, & ſpolia colligenda. Et ſicut à perfidis poſtmodùm didicerunt fideles, quingenta capita *Chriſtianorum Soldano* præſentata fuerunt. *Chriſtianis* verò hoc certiſſimè conſtat, quòd in præcipua militia ſua damna ſibi luctuoſa ſuſtinuerunt increduli. Unde *Soldanus* unum de captivis ſuis ad *Chriſtianos* mittens, de treuga vel pace tractare cœpit. In quo tractatu reparaverunt foſſatum ſuum eleganter, & alias machinas *Chriſtiani*.

Quidam peregrinorum ab obſidione Damiatæ *recedunt.*

NAUTÆ quidam eo tempore *Chriſtianitatis* proditores, & cum eis *Chriſtiani* multi, ante tempus conſueti paſſagii, exercitum *Chriſti* in ſummo periculo reliquerunt. Qui recedentes, *Chriſticolis* mœſtitiam, *Babyloniis* audaciam contulerunt. Unde tractatum pacis intermittentes increduli, in vigilia ſanctorum *Coſmæ* & *Damiani*, & proxima die ſequenti, cum galeis & barbotis armatis, per flumen & terram, cum mangonellis, targiis, & fruticibus pro implendo *Chriſtianorum* foſſato, petierunt eos impetu conſueto, & barbarica feritate; multóſque fideles hoc ſubito impetu peremerunt. Sed triumphator in *Iſrael*, omnipotens Dominus, caſtris ſuis providit, miſſo per mare *Savarico* de *Malo leone*, cum galeiis armatis & bellatoribus multis. Tunc *Chriſtiani* hoc viſo, in illo neceſſitatis articulo, clamaverunt in cœlum, Deum laudantes, & non trepidantes: ſed in prælio hoſtibus viriliter reſiſtentes, incredulos recedere compulerunt, illius virtute qui ſalvat ſperantes in ſe.

De calamitate qua afficiebantur Damiatani.

NUNC autem de his quæ in civitate geſta ſunt, aliquid referamus. *Damiata* igitur obſidione longa, ferro, fame, & peſtilentia graviter, & ultra quàm credi vel ſcribi poſſit, afflicta, in ſpe ſola fidem habuit, quam civibus *Soldanus* promiſit: ut pro eis, ſi neceſſitas inſtaret cum *Chriſtianis* componeret, ut mortem evadere potuiſſent. Sed hoc tempore in urbe tanta fames invaluit, ut vitalis refectio deeſſet incluſis. Durabilis enim non eſt annona *Ægypti*, propter molles glebas in quibus creſcit; niſi ſuperiùs circa partes *Babyloniæ* ſervetur per annum. Poſtremò autem portas ſuas obſtruxerunt increduli, ne aliquis exiret, qui calamitatem eorum fidelibus nunciaret; quia dies afflictionis miſeros poſſederunt. Illis etiam qui foris in exercitu *Soldani* fideles obſederunt, copia pabuli decreſcere cœpit; & ita quidem, quod cætanum unum xii. bizantiis vendebatur. Inter cætera incommoda, quæ miſeri ſuſtinebant diebus ac noctibus, velut Auriſia percuſſi, oculis apertis nihil videbant. *Nilus* præterea, qui poſt feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* uſque ad exaltationem ſanctæ Crucis ſolet excreſcere, & *Ægypti* planitiem irrigare; hoc anno more ſolito non aſcendit: ſed magnam terræ partem ſiccam relinquens, terram illam nec ſeminari permiſit nec arari. Unde *Soldanus* famem timens, amore retinendæ *Damiatæ*, cum *Chriſtianis* pacificè componere cogitavit. Auxit autem propoſitum ejus ad compoſitionem, miraculoſa turris ſubjugatio; & *Chriſtianorum* conſtantia præliandi; qui toties cum admodùm paucis fidelibus, omnem *Paganiſmi* fortitudinem audacter invadentes, de prælio turpiter fugaverunt; & multa ex eis millia peremerunt.

SOLDA

1219.

Soldanus Regnum Hieroſolymitanum obtulit Chriſtianis ut à Damiata recederent.

SOLDANUS igitur, convocatis Magnatibus ſuis & Conſiliariis fideliſſimis, dum eſſet in mentis anguſtia conſtitutus; coram eis eſt loquutus hunc in modum. Deus, inquit, *Chriſtianorum* magnus eſt, fidelis, & potens in prælio, quod nos comprobavimus omnes; & maximè in hoc inſtanti articulo, in quo manifeſtè pugnat contra nos pro inimicis noſtris. Et proculdubiò inanis erit actio noſtra tota, quamdiu fideles ipſum habebunt placabilem adjutorem. Ecce, imminet captio *Damiatæ*, quæ clavis eſt totius *Ægypti*: quæ ſi capta fuerit, in maximum noſtrum & legis noſtræ proveniet detrimentum. Quia cùm multoties legatur à *Chriſtianis* obſeſſa, nunquam tamen legitur ſubjugata. Unde nobis utile reor, ut reddamus Deo *Chriſtianorum* ea quæ ſua fuerunt omnia: ne ſimul cum ſuis auferat à nobis quæ noſtra eſſe videntur. Sicque cùm juſtus ſit, & aliena non concupiſcat (ſi hanc pacem recuſarint & æquitatem *Chriſtiani*, maximè ſibi tam honorabilem) provocabunt Deum ſuum in odium ſui per concupiſcentiam iniquam; & ſic ſuperborum aſpernator ab eis recedet, habebúntque impugnatorem, quem habuerunt propitium adjutorem. Et licet hoc conſilium multis diſpliceret, miſſis tamen nunciis *Chriſtianis* obtulit veram crucem, quæ olim à *Salaadino* capta fuerat: cum captivis omnibus, qui per regnum *Babylonis* & *Damaſci* vivi poterant reperiri; cum ſumptibus neceſſariis ad reparandos muros *Hieruſalem*, & civitatem in ſtatum priſtinum reducendam. Obtulit inſuper totaliter Regnum *Hieroſolymitanum*, præter *Craccum* & montem Regalem; pro quibus retinendis, tributum obtulit; ſingulis annis videlicet xii. millia bizantiorum, quamdiu illa teneret. Sunt autem duo caſtra hæc in *Arabia*, ſeptem firmiſſimas munitiones habentia; per quæ negotiatores *Paganorum* & peregrini *Mecham* tendentes vel ab illa revertentes, tranſire ſolent. Et qui hæc tenuerit, *Hieruſalem* cum vineis graviter, & agris lædere valebit. Hanc compoſitionem eſſe acceptandam, & utilem eſſe *Chriſtianitati*, Rex *Hieruſalem*, Comes *Ceſtrenſis*, & omnes *Francigenæ*, cum capitaneis *Teutonicorum* conſtanter conſuerunt. Nec hoc mirandum eſt; cùm multò minore pace, quæ priùs ablata fuerat, contenti fuiſſent *Chriſtiani*, niſi in ſano conſilio eis fuiſſet obviatum. Legatus autem, concupiſcentia retinendæ civitatis ductus, & per eum Patriarcha cum clero univerſo, huic compoſitioni ſeſe opponunt; aſſerentes conſtanter ante omnia *Damiatam* fore capiendam. Opinio diverſa peperit diſcordiam; unde nuncii *Soldani* læti receſſerunt. Cúmque hæc *Soldano* nunciata fuiſſent, miſit clàm multitudinem magnam peditum per paluſtria ad *Damiatam*, quorum ducenti quadraginta, *Chriſtianis* dormientibus, Dominica nocte poſt feſtum omnium Sanctorum, licias eorum intraverunt: ſed per clamorem vigilum exercitus, capti ſunt, vel interfecti, quos ad centum vel plures numeraverunt ex captivis.

Captio miraculoſa urbis Damiatæ.

HIS ita geſtis, cùm populus *Chriſtianus* civitatem *Damiatæ* acerrimè invaſiſſet, perſpexerunt murorum propugnacula omni carere defenſore, unde cum feſtinatione ſcalis ad murum applicatis, civitatem certatim intraverunt fideles. Sicque Salvatore mundi procurante, Nonis Novembris capta eſt *Damiata*, ſine defenſione, abſque tumultu & violenta deprædatione; ut ſoli filio Dei victoria aſcribatur. Et cùm caperetur civitas in oculis Regis *Babylonis*, non fuit auſus more ſolito *Chriſtianos* aggredi; ſed confuſus aufugiens, propria caſtra combuſſit. *Chriſto* itaque duce, milites *Chriſti Damiatam* ingreſſi, plateas invenerunt ſtratas cadaveribus mortuorum; ex quibus eis occurrit fœtor intolerabilis, & miſerabilis humanitatis aſpectus. Mortui vivos interfecerunt. Vir & uxor, pater & filius, dominus & ſervus mutuis fœtoribus perierunt. Nec ſolùm plateæ civitatis mortuis erant plenæ, quia in ædificiis & cubiculis jacebant defuncti. Juvenes & parvuli petierunt panem, ſed non erant qui frangeret eis. Infantes ad ubera matrum pendentes, inter amplexus morientium oſcitabant. Divites delicati inter acervos tritici fame perierunt. Octoginta millia à tempore obſidionis perierunt in urbe: exceptis illis quos ſanos vel languidos invenerunt fideles, quia ad tria millia & ampliùs numerabantur. Ex his autem trecenti nobiliores, ad redemptionem captivorum ſuorum vivi reſervantur à populo *Chriſtiano*: præter baptizatos, qui crediderunt in *Chriſtum*. Hæc civitas primò à *Græcis* obſeſſa legitur; qui in ejus captione defecerunt. Secundò obſeſſa fuit à *Latinis*, ſub *Amalrico* Rege *Hieroſolymitorum*; ſed minimè profecerunt. Hac tertia vice tradidit eam ſervis ſuis, Rex Regum & Dominus dominantium, *Jeſus Chriſtus* Dominus noſter; qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum.

Spolia impretiabilia.

INVENERUNT autem in civitate fideles aurum & argentum multum nimis; pannos ſericos, veſtes pretioſas, cum ornatu ſæculari, & varia ſupellectili in abundantia magna valdè. In commune juraverunt omnes, quòd aſportata de civitate ſpolia redderentur, inter victores æqualiter dividenda. Hoc etiam ſub anathemate præceptum fuit à Legato; ſed concupiſcentia oculorum multos fures fecit. Perceperunt autem ad utilitatem Reipublicæ magnam partem divitiarum *Ægypti*, in auro & argento, perlis, pomis, ambre, filis, aureis, philacteriis, & pannis pretioſis; quæ diſtributa ſunt per exercitum Domini cum annona in civitate reperta. Epiſcopus *Achonenſis* parvulos omnes, qui in urbe reperti ſunt vivi, baptizavit; ſolvens ex ea Deo primitias animarum. Legatus quoque de maxima *Mahomeria* civitatis, fecit eccleſiam in honorem Beatæ Virginis *Mariæ* & omnium Apoſtolorum; ad gloriam & exaltationem fidei *Chriſtianæ*, & ſanctæ *Trinitatis*. Civitas

1220.

Situs & fortitudo civitatis Damiatæ.

autem *Damiata*, præter naturalem loci ſitum, quo minitur; triplici muro cingitur; habens extrinſecùs murum humilem ad cuſtodiam foſſati exterioris, ſecundum altiorem; ac tertium ſecundo eminentiorem. Murus medius xxviii. turres habet principales, binas vel ternas teſtudines continentes, quæ omnes integræ remanſerunt, præter unam; quæ crebis ictibus trebuculi Templariorum aliquantulùm concuſſa fuit. Voluit enim Deus integram tradere eam ſervis ſuis, ut clavem & antemurale totius terræ *Ægypti*. Sita eſt autem civitas inter *Ramaſſe* & campum *Taphneos* in terra *Goſhen*; ut convertere poſſunt *Chriſtiani*, paſcualis eſt, quam filii *Iſrael* tempore famis petierunt à *Pharaone*; ſicut legitur in veteri Teſtamento.

Continuatio de Terra ſancta.

CAPTA igitur *Damiata*, miſſi ſunt exploratores, ad virorum mille, in feſto ſancti *Clementis*, in naviculis per parvum flumen, quod *Taphnis* appellatur: ut de caſtellulis & villis victualia quærerent, & ſitus locorum diligentiùs explorarent. Cùm autem appropinquaſſent ad caſtrum quoddam de nomine fluminis appellatum, *Saraceni* qui in ejus præſidio erant, viſis *Chriſtianis*, exiſtimabant exercitum totum advenire: unde portis abſerotis fugerunt, *Chriſtiani* verò *Chriſtum* ibi ſolùm Capitaneum invenientes, caſtrum alacriter intraverunt. Teſtati ſunt fideles reverſi, ſe nunquam in plano caſtellum fortius inſpexiſſe. Habet enim turres ſeptem fortiſſimas, & deſuper teſtudines per gyrum; duplici foſſato cingitur, & utroque murato, habens antemurale. Lacus ſe diffundunt in latum per circuitum, unde in hyeme aditus equitibus difficilis eſt: atque in æſtate adeò impoſſibililis, ut nunquam per obſidionem à quolibet caperetur. Lacus ille valdè piſcoſus eſt: nam de piſcariis ejus quatuor millia marcarum *Soldano* annis ſingulis ſolvebantur. Avibus abundat & ſalinis. Caſalia multa per gyrum ſerviebant ei. Nam civitas ante caſtrum olim famoſiſſima fuit, ac major *Damiata*; ſed poſteà ruinoſa. Hæc eſt *Taphnis*, cujus campi in Pſalmo meminit Propheta *David* & *Eſaias*, *Stulti Principes Taphneos*, &c. In hac autem urbe *Jeremias* citur lapidatus; ut habes in veteri Teſtamento. Diſtat autem *Taphnis* à *Damiata* itinere unius diei per mare, verſùs terram promiſſionis: ut facile ſit de *Achon* vel de *Damiata* per mare vel per terram præſidium ibidem ponere, & victualia deſtinare. Damna plurima *Chriſtianis* fecit in obſidione *Damiatæ*; quando naves ad exercitum accedentes, vel ab eo recedentes, delatæ fuerunt illùc. Nam littum maris ante *Taphnis* arenoſum eſt, & ſine portu: ſinum autem habet latum, in quo naves devolutæ recedere non valent abſque vento multùm opportuno.

Taphnis.

Eodem tempore, vir nobilis *Ranulphus* Comes *Ceſtrenſis*, poſtquàm ferè per biennium in ſervitio Dei militaverat; cum Legati licentia & benedictione, & totius exercitus favore, repatriavit. Obiit autem hoc anno *Hngo* de *Maneport*, Epiſcopus *Herefordenſis*, circa Paſcha: cui ſucceſſit *Hugo Foliot*; & conſecratur *Cantuariæ* in feſto omnium Sanctorum.

Lodovicus à Tholoſa *cum ignominia recedit.*

CIRCA hæc tempora, *Lodovicus* filius *Philippi* Regis *Francorum* primogenitus; ad inſtantiam patris ſui innumerabilem collegit exercitum, ut hæreticos *Albigenſes* impugnaret: veniénſque cum omni multitudine ſua ad urbem *Tholoſanam*, cujus habitatores ex diu dicebantur hæretica pravitate fœdati, illam obſidione vallavit. Machiniſque igitur per gyrum collocatis, inſultus acerrimos crebriùs iterabant. Quod cùm cives cognoviſſent, ad defenſionem ſeſe præparabant; machináſque contra machinas erigebant. Ubi cùm *Francorum* exercitus diu & inaniter laboraſſet, facta eſt in populo fames valida; quam etiam ſubſequuta eſt dira mortalitas, tam hominum quàm equorum. *Simon* quoque Comes *Montis fortis*, qui princeps militiæ erat, ante portam civitatis lapide de petraria emiſſo, in capite percuſſus; toto contrito corpore, ſubito expiravit. Frater quoque ejuſdem *Simonis*, in obſidione cujuſdam caſtri, quod non longè à *Tholoſa* diſtat ad cumulum doloris multorum, lapide ſimiliter ictus, diem clauſit extremum. Igitur in exercitu *Lodovici*, ut prædictum eſt, ingruente fame cum hominum mortalitate & rerum omnium damnoſa nimis diminutione: idem *Lodovicus* cum reliquis populi ſui confuſus, ad *Gallias* remeavit.

Secunda coronatio Regis Henrici.

ANNO Domini M. CCXX. Rex *Henricus* fuit ad Natale Domini apud *Merlebergiam*, adhuc ſub cuſtodia *Petri Wintonienſis* Epiſcopi conſtitutus. Quo etiam anno, coronatus eſt idem Rex apud *Weſtmonaſterium*, in die ſancto Pentecoſtes, à *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo, præſente clero & populo totius regni, decimo ſexto Calendas Junii, anno regni ſui quinto. Deinde in feſto ſancti *Barnabæ* Apoſtoli, convenerunt ad colloquium apud *Eboracum* Rex *Anglorum Henricus*, & Rex *Scotorum Alexander*: ubi inter eos tractatum eſt de matrimonio contrahendo inter Regem *Scotiæ*, & *Johannem* ſororem Regis *Angliæ*; atque ibi fœdere confirmato, Rex *Scotorum* ad propria remeavit. Eodem anno conſecratus eſt in *Elyenſem* Epiſcopum, *Johannes* Abbas de *Fontibus*; apud *Weſtmonaſterium*, in craſtino ſanctarum *Perpetuæ* & *Fœlicitatis*.

Canonizatio ſancti Hugonis Lincolnienſis *Epiſcopi.*

EODEM anno & die, ſanctus *Hugo Lincolnienſis* Epiſcopus à Papa *Honorio* canonizatus eſt, & in catalogo ſanctorum admiſſus: facta prius miraculorum ejus inquiſitione à *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo, & Abbate de *Fontibus Johanne*; ſicut in hoc ſequenti domini Papæ authentico continetur. Honorius *Epiſcopus*, *ſervus ſervorum Dei*, *dilectis filiis univerſis*

verſis Chriſti *fidelibus, præſentem paginam inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Divinæ dignatio pietatis, ſanctos & electos ſuos, in cæleſtis regni fælicitate locatos, adhuc in terra miraculorum corruſcatione clarificat: ut fidelium per hoc excitata devotio, eorum ſuffragia digna veneratione depoſcant. Cùm igitur ſanctæ recordationis* Hugonem Lincolnienſem *Epiſcopum, quem ſicut nobis plenariè conſtat, divini muneris largitas, tam in vita, quàm etiam poſt veſtem mortalitatis exutam, inſignium miraculorum multitudine illuſtravit, Sanctorum catalogo aſcripſimus; univerſitatem veſtram monemus, & exhortamur in Domino, quatenùs ejus apud Deum patrocinia devotè imploretis. Ad hæc ſtatuentes, ut die depoſitionis ipſius, ejuſdem feſtivitas annis ſingulis devotè de cæterò celebretur, Data* Viterbii, xiii. *Calendas Martii, Pontificatus noſtri anno quarto.* 1221.

EODEM anno, Rex *Henricus*, *Willielmo* Comite de *Albemarlia* invito, cepit ſubitò caſtella de *Rokingeham* & *Sanneia*; in vigilia Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Veniente autem præfato Rege ad caſtello prædicta, invenit illa penitùs omnium victualium genere deſtituta; ita quidem quòd nec etiam tres panes invenirentur in eis. Sabbatho autem in vigilia Pentecoſtes, inceptum eſt novum opus Capellæ Beatæ *Virginis* apud *Weſtmonaſterium*; Rege *Henrico* exiſtente fundatore, & primum lapidem operis in fundamento ponente. *Captio caſtrorum de Saneia & de Rokingham.*

EODEM tempore, levatum eſt de lapide marmoreo corpus Beati *Thomæ* Archiepiſcopi & Martyris; à *Stephano* Cantuarienſi Archiepiſcopo; præſente Rege, & omnibus ferè Epiſcopis totius Regni, cum Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, clero & populo multo, in craſtino octavarum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Cujus corpus ſanctiſſimum collocatum eſt honorificè in pheretro, ex auro & lapidibus pretioſis mirabiliter fabrefacto. Interfuerunt etiam huic tranſlationi, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, & alii multi de Regno *Francorum*, aliarúmque diverſarum Regionum; qui ob honorem & reverentiam Beati Martyris, ut tantæ adeſſent ſolennitati, alacriter convenerunt. Nam digniſſimum omnibus videbatur, ut ſanctum Martyrem *Chriſti* generaliter honorarent & colerent; qui pro univerſali Eccleſia ſanguinem ſuum fundere, & ad finem uſque non timuit fideliter decertare. Hoc anno obierunt, *Henricus* de *Boum* Comes *Hertfordiæ*, *Saerus* de *Quinci* Comes *Wintonienſis*. *Tranſlatio S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis.*

ANNO Domini M.CCXXI. Rex *Henricus* ad Natale Domini, apud *Oxoniam* tenuit curiam ſuam; præſentibus Comitibus & Baronibus Regni. Ubi Regiis obſequiis cum lætitia & pace tranſactis, ſingulis quod juſtum erat, ſecundùm antiquam Regni conſuetudinem, diſtribuit affluenter. *Willielmus* quoque de *Foret*, volens pacem Regni turbare; ſequenti nocte non licentiatus, recedens ad caſtellum de *Biham*, cum feſtinatione perrexit. Ubi poſt dies paucos, collectis viris armatis, ad villam de *Tenham* hoſtiliter accedens, illam ſpoliavit: & bladum Canonicorum de *Bridlintona*, ad caſtellum de *Biham* aſportari fecit. Villam etiam de *Depinge*, cum aliis ejuſdem provinciæ villis, ſpoliavit, homines cepit; & poſt graviſſimum membrorum cruciatum, ad redemptionem coëgit. Habuit autem, ut dicebatur, hujus factionis incentores, *Falcaſium*, *Philippum Marc*, *Petrum* de *Maloleone*, *Engelargum* de *Athie*, & alios multos; qui clàm miſerunt ei viros armatos, ut pacem regni turbaret. Inter hæc quoque homines regionis illius ad eccleſias convolantes, bono ſua in cœmiteria detulerunt. Convenerunt interim Magnates *Angliæ* ad Regem apud *Weſtmonaſterium*; ut de negotiis regni tractarent. Comes verò, qui cum cæteris vocatus fuerat, ſimulavit ſe illò ire; ſed callidus viator propoſitum mutans, ad caſtellum de *Fotheringeia* divertit. Erat tunc caſtellum in cuſtodia *Ranulfi* Comitis *Ceſtrenſis*, à militibus ferè ac ſervientibus deſtitutum. Quod cùm Comes prædictus cognoviſſet, ſcalas ad murum applicans, armatis ſuis ingreſſum paravit. Et ſine mora, ſubjugato caſtello, paucos quos invenerunt cuſtodes, vinculis conſtrinxerunt. Deinde impoſitis in caſtello armatis, ad municipium de *Biham* celeriter convolavit. Quo facto, cum armatis ſuis totam adjacentem provinciam ſpoliavit; caſtrúmque ſuum de damnis aliorum munivit. Sed cùm tandem iſta præſumptio ad Regem & Concilium ejus perveniſſet; exercitu magno celeriter convocato, feria quarta poſt purificationem Beatæ *Mariæ*, caſtellum de *Biham* cuneis militaribus circumcinxit. Et, ne diutiùs protrahamus ſermonem, locatis in gyrum caſtelli machinis, muros ejus & ædificia diruerunt in brevi; ita quòd defuit locus incluſis, ubi ſub ſalvo capita reclinarent. Qui aliud refugium non habentes, exierunt omnes de ruina caſtelli; & ſexto Idus Februarii ſeſe Regi præſentârunt. At Rex juſſit eos vinculis mancipari, donec conſilium haberet, quid de illis ſibi foret agendum, Venit intereà Comes de *Albemarlia*, ſub conductu *Walteri Eboracenſis* Archiepiſcopi, ad Regem; & *Pandulpho* Legato impetrante, cum ipſo pacificatus eſt; eò quòd eidem Regi & patri ſuo, in guerra ſua ſervierat fideliter ac potenter. Milites etiam omnes & ſervientes ſine pœna & redemptione relaxati ſunt à Rege: qui peſſimum aliis dedit exemplum, ut contra eum hac fiducia in caſu conſimili rebellarent. *Obſidio caſtri de Biham, & perturbatio regni.*

SUB dis diebus, extorta eſt magna inter *Richardum* de *Mariſco* Epiſcopum *Dunelmenſem*, & ejuſdem Eccleſiæ monachos, diſſenſio; pro quibuſdam libertatibus antiquis & conſuetudinibus, quas iidem monachi ſe gaviſi ſunt multis retrò temporibus habuiſſe. Epiſcopus autem *Diſſentio inter Richardum Dunelmenſem Epiſcopum & monachos exorta.*

1221. autem fraudulenter monachis ſignificavit prædictis, ut venirent ad eum cum privilegiis ſuis & eccleſiæ ſuæ inſtrumentis; ut ſiquid in eis eſſet corrigendum ad perfectam eorum libertatem, ipſius arbitrio ſuppleretur. Prior verò & monachi fraudem Epiſcopi habentes ſuſpectam, inſtrumenta ſua ei nullatenùs oſtendere noluerunt. Epiſcopus itaque cum munimentorum inſpectionem habere non potuit, juravit, quòd omnia bona eorum in uſus ſuos converteret: adjiciens quòd ſi aliquem ex monachis extra portas curiæ ſuæ inveniret; non aliam quàm caput, redemptionem acciperet. Juravit etiam audientibus multis, quòd eo vivente, pacem *Dunelmenſis* eccleſia non haberet. Nec multò pòſt, cùm ſervientes Epiſcopi manachum quendam ab eccleſia quadam violenter extraxiſſent, & uſque ad ſanguinis effuſionem flagellaſſent; monacho conquerenti, & ſuper hoc coram Epiſcopo querelam deponenti, reſpondit Epiſcopus, quòd meliùs feciſſent miniſtri, ſi monachum occidiſſent. Sícque deinceps ita monachis præfatis idem Epiſcopus injurioſus extitit & infeſtus; ut neceſſitate cogente, ad præſentiam domini Papæ appellantes, ſeſe & ſua omnia ſub ejus protectione ponerent. Ac deinde *Romam* clericos mittentes & monachos, Epiſcopum accuſaverunt in multis. Contra quam accuſationem, hoc ſequens reſcriptum impetraverunt à Papa. Honorius *Epiſcopus*, &c. Sariſberienſi & Elyenſi, &c. *Epiſcopis, Salutem*, &c. *Ita nobis in odore bonæ opinionis fratrum & cooperatorum noſtrorum convenit delectari, ut in peſtilentibus vitia non palpemus: cùm non deceat pro reverentia ordinis ſuſtinere peccantes, quorum culpa tot eos dignos mortibus facit, quot ad ſubjectos perditionis exempla tranſmittunt, qui ſola quæ pravitatis exempla conſpiciunt, imitantur. Hinc eſt, quòd cùm de venerabili fratre noſtro* Dunelmenſi *Epiſcopo ſæpiùs nobis inſinuata fuiſſent, quæ ab Epiſcopali honeſtate nimiùm diſſonabant; tandem in conculcatis finibus clamoris excitati, ut non pateremur, cum perditione multorum, quieſcere ampliùs in ſuis enormitatibus Epiſcopum memoratum; de quo inſinuatio clamoſa proceſſit, quòd poſtquàm fuit ad officium Pontificale promotus, reus ſanguinis, ſimoniæ, adulterii, ſacrilegii, rapinæ, perjurii, ac dilapidationis multiplicis, eſt effectus; non formidans clericos, orphanos, ac viros religioſos opprimere, teſtamenta decedentium impedire, Regia jura, contra ſcientiam dilecti filii noſtri* Pandulphi Norwicenſis *electi, munire; ac excommunicatione ligatus, ingerere ſe divinis, Item etiam appellationibus non defert ad* Romanam *eccleſiam interpoſitis; ſtatuta generalis Concilii non obſervat; nunquam proponit populo verbum Dei, lingua & exemplo vitæ, pravum ſubditis præbet exemplum. Coram multis juravit, quòd pacem ipſo vivente,* Dunelmenſis *eccleſia non habebit. Conquerente ſibi monacho quodam* Dunelmenſi, *ſe à ſervientibus ſuis ab eccleſia quadam fuiſſe extractum, & uſque ad ſanguinis effuſionem pulſatum; reſpondit ei, quòd melius factum fuiſſet, ſi ſervientes Epiſcopi monachum peremiſſent. Ipſe inſuper Apoſtolicam regulam, continentem qualis debeat eſſe Epiſcopus, penitùs calcavit in cunctis. Nos ergo, ne alienæ culpæ ſimus authores, ſi clauſis oculis tot & tanta prædicti Epiſcopi tranſeamus errata, cùm adeò ad nos clamor ſuper his aſcenderit, ut diſſimulationi ampliùs non ſit locus; dignum duximus, ex officii noſtri debito, deſcendere, ut hæc an ita ſint, vel aliter, videamus. Quocirca fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs inquiſita ſuper his & cognita ſollicitè veritate; quæ inveneritis, veſtris fideliter incluſis ſigillis, ad noſtram præſentiam remittatis. ut authore Deo, quod ſuper hoc faciendum fuerit, ſtatuamus. Datum* Viterbii, *Pontificatus noſtri anno quarto.*

Epiſtola Honorii *ad Epiſcopos* Angliæ.

Epiſcopus Dunelmenſis *contra monachos* Romam *petiit.*

CUM autem literæ domini Papæ ad notitiam executorum perveniſſent, ex officio ſibi injuncto, vocaverunt Epiſcopum *Dunelmenſem*, cum Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, apud *Dunelmum*, ad ſuum conſiſtorium; & alios laicos & clericos illus provinciæ, quoſcunque hujus rei eſſe conſcios crediderunt. Illis autem omnibus, die ſibi & loco ſtatuto, coram executoribus comparentibus, recitatæ fuerunt literæ domini Papæ; audientibus cunctis, apertè & diſtinctè ad intelligendum. Quibus perlectis & intellectis, ſurrexerunt clerici *Dunelmenſis* Epiſcopi, quaſdam refutationes frivolas & fallaces allegantes, contra executores prædictos; atque ne procederent in inquiſitione prædicta præſentiam domini Papæ appellârunt. Et ſic facta appellatione, Epiſcopus cum clericis ſuis receſſit; diem ſtatuens adverſariis, qua contra eum in domini Papæ præſentia comparerent. Interpoſita itaque appellatione, ſæpedictus Epiſcopus *Romanam* adivit curiam, præmiſſis clericis ſuis, qui ſibi ſupervenienti domini Papæ gratiam præpararent. Unde contigit, ut antequàm monachi *Dunelmenſes Romam* veniſſent; clerici memorati actionem eorundem monachorum non mediocriter infirmaverant. Unde poſt multas hinc inde coram Papa altercationes, tam Epiſcopi quàm monachi, immoderatis profuſis expenſis, remiſſi ſunt in *Angliam* ad executores ſupradictos; ut coram eis quod juſtum fuerit, ſententialiter ſtatuatur. Duravit autem hæc diu inter eos ſemel ſuborta contentio, donec mors Epiſcopi litem, ſicut ipſe prædixerat, terminavit.

Conſtructio novi caſtelli *apud montem* Gomericum.

EODEM anno, circa nativitatem Beatæ *Mariæ*, *Lodòvicus* Rex *Walliæ* cum exercitu copioſo caſtellum quod *Buet* appellatur, obſedit. *Reginaldus* quoque de *Brauſia*, cujus illud municipium erat, Regis conſtanter imploravit auxilium; ut per eum, cùm ipſe ad hoc non ſufficeret, obſidio ſolveretur. Rex autem, qui ſuis magnatibus deeſſe non debuit, cum exercitu magno illùc tendens, fugientibus, ex more, *Wallenſibus*, obſidionem amovit. Tunc versùs montem *Gomericum* tendens cum exercitu ſuo; quæque ſibi obvia de rebus *Wallenſium*, in armis pecorum, cum ſpoliis damnoſis multis, ſecum ad ſuſtentationem ſuorum

conducere præcepit. Deinde cùm ad montem *Gomericum* perveniſſet, & loca illa vagando perluſtraſſet; deprehenderunt prudentiores exercitus locum idoneum ad caſtellum extruendum, cujus ſitus cunctis inexpugnabilis videbatur. Juſſit itaque Rex, ad ſecuritatem regionis illius, propter creberrimas *Wallenſium* irruptiones, caſtellum ibidem firmari. Et ita ſinguli, accepta licentia, ad propria remearunt; concedentibus magnatibus de quolibet ſcuto duas marcas argenti. 1222.

INTER has mundi volubilitates, hos de *Terra ſancta* aure patula rumores, à fide dignis occidentales didicerunt. *Fratri in Chriſto reverendo* N. *Dei gratia* Elimenenſi *Epiſcopo, Frater* Petrus *de* Monte acuto, *Magiſter militum* Templi, *Salutem. Quomodo autem in negotio Domini noſtri* Jeſu Chriſti, *poſt captionem* Damiatæ *& caſtri* Taphneos, *hactenùs ſit proceſſum; Paternitati veſtræ literis præſentibus declaramus. Noveritis igitur, quòd in primo paſſagio poſt captionem prædictam apud* Damiatam, *tot Peregrini applicuerunt, quòd unà cum reſiduo remanentis exercitus poſſint ſufficere ad munitionem* Damiatæ, *& defenſionem caſtrorum. Dominus quidem* Legatus *unà cum clero, promotionem exercitus* Jeſu Chriſti *præoptans, populum pluriès ac diligenter admonuit, de faciendo equitatu ſuper infideles: ſed Barones exercitus, tam tranſmarini, quàm ciſmarini, conſiderantes quòd gentes exercitus ad munitiones dictarum civitatum & caſtrorum, & ad progreſſum faciendum ulteriùs ad* Chriſtianitatis *utilitatem, non poſſent ſufficere, in hoc conſentire noluerunt.* Soldanus *enim* Babyloniæ *cum infinita perfidorum multitudine non longè à* Damiata *caſtrametatus; ſuper utrumque fluminis brachium pontes conſtruxit, ad impediendum* Chriſtianorum *progreſſum. Qui cum tanta multitudine ibidem expectat armatorum; quòd maximum periculum de ulteriùs equitando fidelibus immineret. Veruntamen civitatem prædictam & caſtra foſſatis, & littus undique munivimus; expectantes à domino conſolari per ſubſidium nobis advenientium in ſuccurſum. Sed* Saraceni *noſtrum perpendentes defectum, quàmplurimas armaverunt galeias; per aliquod tempus magnum per mare, quæ* Chriſtianis *in ſubſidium* Terræ ſanctæ *adventantibus, damna immania intulerunt. Tantus enim in exercitu noſtro erat defectus pecuniæ, quòd galeias noſtras per aliquod tempus retinere non potuimus. Comperientes igitur per prædictam* Saracenorum *multitudinem,* Chriſtianis *maximum imminere diſpendium; galeias noſtras & galiones, aliáque vaſa, incontinenti armavimus, ad prædictis galeiis reſiſtendum. Et ſciatis, quòd* Coradinus, Soldanus Damaſci, *congregata* Saracenorum *multitudine infinita, comperiens civitates* Achon *&* Tyri, *militia & populo ſibi reſiſtere valenti penitùs deſtitutas; damna illis graviſſima clàm & palàm frequenter infert. Ante prætereà caſtrum noſtrum quod* Peregrinorum *dicitur, ſæpiùs veniens, ſua tentoria fixit; diſpendia nobis multimoda inferendo. Caſtrum quoque* Cæſareæ Paleſtinæ *obſidens, ſubjugavit; quamvis plures peregrini tunc apud* Achon *morarentur. Cæterùm noveritis, quòd* Seraph, *filius* Saphadini, *frater* Soldanorum Babylonis *&* Damaſci, *contra* Saracenos *Orientales in manu forti dimicans; in potentioribus ſibi obſiſtentibus multùm prævaluit; licèt non de omnibus, quia Domino procurante, de facili non omnes poterit ſuperare. Nam ſi guerram illam poſſet ad effectum perducere, terra* Antiochiæ, *vel* Tripolis, Achonenſis, *ſive* Ægyptiaca, *ad quamcunque illarum declinaret, maximo periculo ſubjaceret. Et ſi aliquod caſtrorum noſtrorum obſidione vallaret, nullatenùs eum amovere poſſemus. Veruntamen dicta diſſentio gaudium nobis confert & ſolamen. Expectavimus jam prætereà diu Imperatorem, & nobiles alios, per quos ſperavimus relevari; in quorum adventu opus multorum manibus inchoatum, ad finem ſperabamus perducere optatum. Si verò de ſpe ſuccurſus hujus in proxima æſtate, quod abſit, fruſtraremur; utraque terra Syriæ, videlicet Ægypti, tam illa quæ nuper eſt adquiſita, quàm illa quæ diu poſſeſſa eſt, in caſu dubio ſunt conſtitutæ. Nos itaque & aliæ gentes ciſmarinæ, tot & tantis ſumptibus in exequendis* Jeſu Chriſti *negotiis adeò prægravamur; quòd ad conſuetas expenſas non ſufficimus; niſi divina clementia, & fidelium virorum ſubſidio nobis in proximo ſuccurratur.* Data Achon, xii. *Calendas Octobris.* Ipſo quoque anno, *Willielmus* de ſanctæ *Mariæ* eccleſia *Londonenſis* Epiſcopus, reſignavit ſponte Epiſcopatum ſuum in craſtino converſationis ſancti *Pauli. Euſtachius* de *Faucumberge*, tunc *Scaccarii* theſaurarius, quinto Calendas Martii, in Epiſcopum *Londinenſem* eligitur; cujus electio à Legato *Pandulpho* confirmatur, & vii. Calendas Maii apud *Weſtmonaſterium* conſecratur. Anno eodem ceſſavit legatio *Pandulphi*, ipſo *Romam* revertente. *Henricus* Rex dedit *Alexandro* Regi *Scotiæ Johannam* ſororem ſuam ſeniorem, in uxorem; quæ deſponſata fuit in craſtino ſancti *Johannis Baptiſtæ*, apud *Eboracum*; & præſentibus ipſis Regibus ſunt nuptiæ ſolenniter celebratæ. *Hubertus* quoque de *Burgo*, ſororem dicti Regis *Scotiæ*, in ipſa civitate *Eboracenſi* duxit in uxorem. Ipſo quoque anno obiit *Willielmus* de *Albeneio*, Comes de *Arundel*, in partibus tranſmarinis, à *Damiata* rediens: cujus corpus per *Thomam* monachum de ſancto *Albano* in *Angliam* tranſportatur, apud *Wimundham* ſancti *Albani* Prioratum; cujus ipſe Comes patronus fuerat, tumulandum. *Euſtachius Londinenſis* Epiſcopus, petiit ab Abbate *Willielmo* & Conventu *Weſtmonaſterienſi* proceſſionem, procurationem, viſitationem, & omnimodam juriſdictionem: propter quæ ad Papam fuit appellatum.

Epiſtola de captione caſtri Taphneos.

Willielmus Londonienſis *Epiſcopus reſignat Epiſcopatum.*

Nuptiæ celebratæ.

ANNO Domini M.CCXXII. Rex *Anglorum Henricus* fuit ad Natale apud *Wintoniam*; Epiſcopo civitatis *Petro*, omnia ſibi neceſſaria miniſtrante. Quo etiam tempore, *Philippus* de

Peregrinatio Philippi *de* Albeneio.

1222. de Albeneio, miles ſtrenuus, ac morum honeſtate commendabilis, Regíſque Anglorum magiſter & eruditor fideliſſimus; iter Hieroſolymitanum arripiens; illùc cum proſperitate ac ſine rerum diminutione pervenit. Qui protinùs ut ſtatum terræ didiciſſet, Ranulpho Comiti Ceſtriæ literas in hæc verba direxit.

Epiſtola de amiſſione Damiatæ.

REVERENDO domino & amico, R. Comiti Ceſtriæ & Lincolniæ, ſuus ubique P. de Albeneio, ſalutem & veræ dilectionis affectum. Veſtræ notifico excellentiæ, quòd in die aſſumptionis virginis Mariæ, extra portum Marſiliæ veliſicavimus; & in die Lunæ ante nativitatem ejuſdem virginis, ante Damiatam venimus. Ibique invenimus multas naves recedentes de villa; & tantum loquutus fui cum quadam barca, & tantum hominibus dedi, quòd ad nos loqui venerunt, & nobis rumores multùm triſtes narraverunt. Quòd videlicet gens noſtra de Damiata & magnates, qui intus erant; Rex ſcilicet Hieruſalem, & Legatus, Dux Bavariæ, Templum & Hoſpitale, cum aliis multis, ita quòd benè fuerunt mille milites Cruce ſignati, & alii equites quinque millia, cum quadraginta millibus peditum; fecerunt unam equitaturam erga terram Babylonis, contra voluntatem Regis Hieruſalem, ut dicitur, & iter arripuerunt ad feſtum ſancti Petri ad vincula. Et in illa equitatura per tres ſeptimanas, vel plus, morati fuerunt, & ferè in media via fuerunt Damiatæ & Babylonis. Tunc Soldanus Babyloniæ, & Coradinus frater ejus, venerunt cum quanto exercitu habere potuerunt; & ſæpiùs gentes noſtras appropinquando invaſerunt, & ſæpiùs de gentibus ſuis amiſerunt. Et quando gentes noſtræ ad Damiatam redire voluerunt, flumen excrevit; & per dies plurimos exivit. Et gentes noſtræ inter duo brachia fluminis erant, & fecerunt Saraceni de uno brachio ad illud foveam quandam retrò exercitum noſtrum; fluménque tam magnum excrevit, quòd gentes noſtræ in aqua erant uſque ad braccarios & cinctoria, ad magnam miſeriam & dolorem. Itaque mortui & capti fuiſſent, ſi Soldanus Babyloniæ voluiſſet. Treugas ſumpſerunt gentes noſtræ, uſque ad octo annos erga Soldanum, tali pacto; quòd gentes noſtræ Damiatam redderent, & omnes eſclavos, quos tenebant in civitate. Propter hanc pactionem tenendam, Rex Hieruſalem, & Legatus, & Dux Bavariæ, & alii divites, in hoſtagio remanſerunt. Soldanus verò pro jam dicta pactione ex parte ſua, viginti in hoſtagio tradidit. Quando verò hos rumores audivimus, magnum dolorem habuimus; ſicut omnes Chriſtiani habere debent. Ideóque conſilium habuimus, quia ad reddendam Damiatam eſſe noluimus; ut verſus Achon iter arriperemus; ubi in craſtino beatæ virginis Mariæ nativitatis applicuimus, & in die proximo pòſt reddita fuit Damiata ad Soldanum: & ipſe omnes eſclavos ſuos, quos tenebat, deliberavit. Item vobis ſignifico, quòd dominus Rex Hieruſalem in partes veſtras venturus eſt, ideóque devotè precor, quòd ſuper promiſſa ei facta erga Regem & alios Magnates, auxilium præbeatis. Debitum enim ejus tam magnum eſt, quòd mirum eſt enarrare. Valete.

Alia epiſtola de eodem.

FRATER P. de Monteacuto, militum Templi Magiſter humilis, dilecto fratri in Chriſto, A. Marcel, locum præceptoris tenenti in Anglia, ſalutem. Etſi quandóque proſpera, qui nobis in negotio Jeſu Chriſti ſuccedebant vobis ſignificavimus: nunc ſiniſtra, peccatis noſtris exigentibus, in terra Ægypti nobis inflicta, præſenti vobis ſcripto, ſecundùm rei ſeriem, declaramus. Sanè cùm poſt captam Damiatam, exercitus Chriſtianus ocio ibidem tempore longo vacaret gens tam ciſmarina, quam tranſmarina, ſuper hoc nobis convitia & redargutiones aſſiduas inferebat. Veniens igitur Dux Bavariæ locum tenens Imperatoris, hominibus patefecit ſe ad hoc veniſſe, ut expugnaret inimicos fidei Chriſtianæ, & non ſegnitie ibidem pigritare. Habito igitur ſuper hoc conſilio domini Legati, Ducis Bavariæ, Magiſtrorum Templi & Hoſpitalis, ac domus Teutonicorum, Comitum, Baronum, & aliorum omnium, ſuper progreſſu faciendo; omnes unanimiter conſenſerunt. Illuſtris autem Rex Hieroſolymitanus vocatus venit cum Baronibus ſuis & galeiis, navibúſque armatis, apud Damiatam; inveniens exercitum Chriſtianorum in tentoriis extra licias habitantem. Poſt feſtum verò Apoſtolorum Petri & Pauli, dominus Rex, & Legatus totúſque exercitus Chriſtianus, tam per fluvium, quàm per terram ordinatè procedentes; invenerunt Soldanum, & cum eo inimicos Crucis innumeros, ſed tamen ante faciem ejus fugientes. Sicque proceſſum eſt ſine damno, donec perventum fuit ad tentoria Soldani: flumine tamen medio, quod nequivit exercitus pertranſire; ſed in ripa fluminis fixit tentoria, præparans pontes ad faciendum tranſitum ad Soldanum. Itaque flumen Taphneos, à magno flumine Nili ſe derivans, à caſtris Soldani nos ſeparavit. Cúmque ibidem moram faceremus, receſſerunt ab exercitu multi non licentiati; ita quòd in decem millibus armatorum, & ampliùs, fuit exercitus diminutus. Soldanus interim per vallum antiquitùs factum, galeias & galiones, Nilo creſcente, miſit in flumen ad impediendum navigium noſtrum: ne nobis victualibus deſtitutis, à Damiata venirent alimenta; cùm per terram, prohibentibus Saracenis, venire minimè potuiſſent. Intercluſa itaque via tam terræ quàm fluminis, ad neceſſaria nobis deferenda; habuit conſilium exercitus de reditu faciendo: ſed fratres Soldani, Seraph & Coradinus, Soldani Alapiæ & Damaſci, atque Soldani alii; Camelæ videlicet, & Haman, & Coilandar, cum Regibus Paganorum quàmplurimis, & multitudine Paganorum, qui in ejus ſubſidium advenerant; nobis reditum denegabant. Exercitus tamen noſter de nocte recedens, & per terram, amiſit victualia, quæ ferebat in flumine & homines multos; quia excreſcente Nilo, Soldanus fecit aquam derivari per meatus occultos, & canales rivulóſque antiquitùs conſtitutos, ad impediendum regreſſum populi Chriſtiani. Cùm igitur in paludibus ſummarios, ſupellectilia, clitellas, currúſque ac

omnia

omnia ferè neceſſaria exercitus Chriſti *amiſiſſet, nec ultra procedere vel reverti, aut alicubi con-* 1222.
confugere potuiſſet, victualibus deſtitutus, nec pugnam facere cum Soldano, *propter lacum medium, inter aquas incluſus, ſicut piſcis reti includitur; fecit invitus, & in angaria poſitus, pactum de reddenda* Damiata Soldano; *& eſclavis ejus, qui inveniri poterant in* Tyro *&* Achon, *pro vera Cruce & pro eſclavis* Chriſtianis *regnorum* Babyloniæ *&* Damaſci. *Nos igitur cum aliis nunciis, de communi legatione totius exercitus,* Damiatam *adivimus; populo civitatis pactiones nobis injunctas omnibus oſtendentes; quæ Epiſcopo* Achonenſi, *Cancellario, &* Henrico *Comiti de* Mala, *quos ibidem invenimus, plurimùm diſplicebant. Voluerunt enim civitatem defendere; quòd nos multum approbaremus, ſi utiliter fieri potuiſſet. Mallemus quidem in carcere perpetuo detrudi, quàm civitas à nobis ad dedicus* Chriſtianitatis *incredulis redderetur. Sed habita per civitatem indagatione ſagaci rerum & perſonarum; nec pecuniam, nec gentem, quibus civitatem defendere potuiſſent, invenerunt. Nos itaque huic pactioni adquieſcentes, ſacramento & obſidibus eam firmavimus; treugámque firmam octo annorum ſtatuimus.* Soldanus *igitur uſque ad compoſitionem factam, fideliter tenuit quod ſpoſpondit; exercitui noſtro famelico per dies ferè quindecim panem conferens & polentam. Vos ergo noſtris miſeriis compatientes, nobis in quantum poteritis, ſubveniatis. Valete.* Hoc anno comprehenſus fuit quidam, paucis diebus ante Concilium celebratum *Cantuariæ*, à magiſtro *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo; habens in corpore & membris, ſcilicet in latere, manibus, & pedibus, quinque vulnera Crucifixi; & in dicto Concilio ſimul cum eo, utriuſque ſexus, ſcilicet Hermaphroditus; ejuſdem erroris quo prior obcæcatus fuit, cum ſuo complice præſentatus. Super quo convicti, & publicè confeſſi, judicio Eccleſiæ puniti fuerunt. Similiter & quidam Apoſtata *Judæus*, factus ex *Chriſtiano* Diaconus; qui ſimiliter eſt judicialiter punitus; quem *Falco* ſtatim arreptum ſuſpendi fecit. Eodémque anno obiit *Hugo* de *Nevilla* qui in tota juventute ſua tempore Regis *Richardi* de familia ſpeciali ejuſdem Regis extiterat. Inter cætera ſuæ probitatis & audaciæ inſignia, in *Terra ſancta* leonem interfecit; qui priùs ſagittatus in pectore, & poſteà gladio tranſverberatus, eliquato ſanguine expiravit. Unde verſus;

Viribus Hugonis *vires petiêre leonis.* *Mors* Hugonis *de* Nevilla.

Hujus corpus in Eccleſia de *Wantham* in nobili ſarcophago marmoreo & inſculpto, traditur ſepulturæ.

EODEM anno, in die ſancti *Jacobi* Apoſtoli convenerunt ad luctamen apud hoſpitale *Matildis* Reginæ extra urbem *Londoniarum* cives urbis prædictæ contra comprovinciales extra urbem poſitos, ut quis eorum videretur viribus eſſe major, luctamine decertarent. Illis autem diu decertantibus, & hinc inde tumultuantibus, cives, aliis confuſis, victoriam reportârunt. Inter alios quoque Seneſchallus Abbatis *Weſtmonaſterii* confuſus recedens; quomodo ſe ſuoſque complices vindicaret, anxius cogitabat. Tandem hunc vindictæ modum excogitans, ſtatuit arietem in die ſancti *Petri* ad vincula, denuncians per provinciam, ut omnes ad luctamen venirent ad Weſtmonaſterium & qui melior in luctamine eſſet, reportaret arietem pro mercede. Prædictus intereà *Seneſchallus* congregavit viros robuſtos, & in luctamine expeditos; ut ſic ſaltem victoria potiretur. Cives verò ex victoria iterata gaudere cupientes, in manu valida convenerunt ad ludum: atque hinc inde certamine inchoato, diu & fortiter ſe mutuò proſternebant. Seneſchallus quoque ſæpedictus, cum ſuburbanis, & comprovincialibus, potius vindictam quàm ludum quærebant; & ſine cauſa ad arma profiliebant; atque cives, qui inermes advenerant, graviter, & non ſine ſanguinis effuſione pulſaverunt. At cives turpiter vulnerati fugam arripientes cum maxima confuſione ingreſſi ſunt civitatem. Quibus ingreſſis, ſurrexit tumultus in populo, ſignóque communi pulſato, cives pariter convenerunt. Et re geſta cunctis per ordinem declarata, diverſi diverſam vindictæ ſententiam protulerunt. *Serlo* tandem Major civitatis, vir prudens & pacificus, conſilium dedit, ut Abbas *Weſtmonaſterii* ſuper illa conveniretur injuria; quam ſi vellet pro ſe ſuiſque competenter corrigere, hoc ſufficeret univerſis. Ad hæc *Conſtantius*, vir quidam magnus in civitate, cum tumultu populi ſententiam protulit; ut omnia ædificia Abbatis *Weſtmonaſterii*, & domus Seneſchalli prædicti, dirueréntur, & ſolo tenus complanarentur. Et his dictis, exivit edictum, ut quantociùs *Conſtantini* ſententia compleretur. Quid plura? Irrationale vulgus cum aliis de civitate ſine ordine procedentes; civile bellum *Conſtantino* prævio commiſerunt. Atque multis ſubverſis ædibus, damnum non modicum Abbati intulerunt, quaſi pro edito frequenter proclamante alta & reboante voce eodem Conſtantino *Montis gaudium, Montis gaudium, adjuvet Dominus & dominus noſter* Lodovicus. Et hic clamor maximè amicos Regis exaſperavit: & ad vindictam, ut inferiùs dicetur, provocavit. Sed res geſta, quæ diu latere non potuit, cùm ad aures *Huberti* de *Burgo*, *Angliæ* Juſticiarii, perveniſſet, collectis armatorum copiis, ad urbem *Londoniarum* perrexit: ac nuncios mittens in civitatem, præcepit, ut majores natu ad eum cum feſtinatione venirent. Qui cum eſſent in ejus præſentia conſtituti, ſciſcitabatur ab eis, qui factæ ſeditionis principales erant authores, ac ſubverſores Regiæ civitatis; & qui pacem Regis infringere præſumpſerant. Tunc *Conſtantinus*, qui conſtans fuit in ſeditione, conſtantior autem in reſponſione extitit; aſſerens ſe illud factum ratum habere; atque audien-

De lucta, quæ diſſidium peperit.

1223. tibus cunctis conqueritur, ſe minùs feciſſe quàm de jure fieri debuiſſet. Confidebat enim in ſacramento tam Regis, quàm *Lodovici*; ſcilicet quòd utriuſque impriſii & amici pacem haberent. Unde ſacramenti tranſgreſſio poſteà objecta fuit Regi primò facta ab eo: unde jure negavit reſtituere *Lodovicus* jura poſtulata Regi *Angliæ*. At Juſticiarius, audita ejus confeſſione, retinuit eum abſque omni tumultu, & duos alios cum eo. Et facto mane, miſit *Falcaſium* cum armatis multis, per *Thamenſem* fluvium; qui *Conſtantinum* prædictum ad ſuſpendium perduxerunt. Cùm autem laqueum collo ſuo appoſitum, & ſe omni auxilio deſtitutum conſpexiſſet, obtulit pro vita habenda quindecim millia marcarum argenti; ſed nihil omninò profecit. Suſpenſus eſt autem ille, & *Conſtantinus* nepos ejus cum quodam *Ganfrido*, qui edictum *Conſtantini* in civitate proclamaverat: & ſic civibus ignorantibus, & ſine tumultu, lata in eum ſententia executioni extitit demandata. Et his ita geſtis, ingreſſus eſt in civitatem Juſticiarius cum *Falcaſio* & aliis armatorum copiis; & quoſcunque prædictæ ſeditionis deprehendit culpabiles, capi fecit, & in carcerem retrudi: quorum truncatis pedibus, ſive manibus, illos abire permiſit. Unde multi præ timore ab urbe fugientes nunquam poſteà ſunt reverſi. Rex verò, ad majorem vindictam, omnes urbis Magiſtratus deponens; novos conſtituit in civitate Præfectos.

Tempeſtates. EODEM anno, ſexto Idus Februarii, audita ſunt tonitrua terribilia; ex quorum colliſione, fulmen exiliens, eccleſiam de *Graham* in Comitatu *Lincolniæ* ſitam, terribiliter accendit: ubi tantum ſulémque fœtorem emiſit, quòd multi, qui in eccleſia erant, fugientes fœtorem ſufferre non valebant. Tandem ſacræ candelæ illuminatione, & aquæ benedictæ aſperſione, vix ignis extinctus eſt. Veſtigia hujus rei adhuc in illo monaſterio manent. In eodem anno, in die exaltationis ſanctæ Crucis, per totam *Angliam* mugierunt horrenda tonitrua; & ſequuta eſt inundatio pluviarum, cum turbine & impetu ventorum: quæ tempeſtas, cum aëris intemperie, uſque ad purificationem beatæ *Mariæ* perſeverans, multis, & maximè colonis, moleſta fuit. In æſtate verò ſequenti, frumentum duodecim ſolidis vendebatur. Eodem etiam anno, in feſto ſancti *Andreæ* Apoſtoli, audita ſunt tonitrua per totam *Angliam* generalia; quæ eccleſias & eccleſiarum turres, domos & ædificia, caſtrorum muros & propugnacula, ſubverterunt. In villa quoque quæ *Pilardeſtuna* dicitur, in pago *Warewicenſi* ſita irruit tempeſtas illa in ædificiis cujuſdam militis, opprimens uxorem ejus, cum octo hominibus utriuſque ſexus, in admiratione multorum, qui caſum inſpexerunt. Deinde tempeſtas illa debacchando invaleſcens, turbariam quandam in eadem villa, aquis profundis & palude circundatam, quaſi in ictu oculi reddidit ſiccam quòd nec herbam nec lutum in ea relinquens, ſicci lapides tantummodò remanſerunt. Item in vigilia ſanctæ *Luciæ* virginis, ventus vehemens & repentinus ſuperveniens; crudeliùs præfata tempeſtate deſævit. Nam generaliter per totam *Angliam*, quaſi flatu diabolico agitata, ædificia diruit, eccleſias & earum turres proſtravit, arbores ſilvarum cum pomariis radicitùs evulſit; ita quidem quòd vix aliquis immunis evaſit, à cujus ſe injuria refrænaret.

EODEM anno, magiſter *Stephanus* de *Langetuna* generale Concilium celebravit apud *Oxoniam*; in quo multa fuerunt ſtatuta ad reformationem ſtatus Eccleſiæ *Anglicanæ*, & monaſticæ religionis; ſicut in dicto Concilio alias pleniùs continetur. Eodem quoque anno, obiit *Willielmus* de *Humeto*, Abbas *Weſtmonaſterienſis* xii. Calendas Maii. Cui ſucceſſit *Richardus* de *Berking*, ejuſdem eccleſiæ Prior; qui eodem anno, xiv. Cal. Octobris, à domino *Petro Wintonienſi* in eccleſia *Weſtmonaſterienſi* munus benedictionis ſuſcepit. Ipſo quoque anno *Ranulphus Cicestrenſis* Epiſcopus, aliquando Officialis, poſteà Prior *Norwicenſis*; viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Cui ſucceſſit *Radulphus* de *Novilla*, qui anteà cuſtos & bajulus ſigilli Regii extiterat, Regis fideliſſimus Cancellarius, aſſenſu totius regni; itaque ſcilicet, ut non deponeretur ab ejus ſigilli cuſtodia niſi totius regni ordinante conſenſu & conſilio: qui poſt ſuſceptum Præſulatum, manſit Cancellarius. Electus fuit circa feſtum omnium Sanctorum; ſed ſequenti anno confirmatus. Anno quoque ipſo obiit *Willielmus* de *Ely*, *Angliæ* Theſaurarius. Eodem anno ſedata eſt controverſia inter *Euſtachium* Epiſcopum *Londinenſem* & Capitulum ſancti *Pauli* ex una; & *Willielmum* Abbatem & Conventum *Weſtmonaſterienſem* ex altera parte; per *Stephanum Cantuarienſem* Archiepiſcopum, *P. Wintonienſem*, *R. Sariſberienſem* Epiſcopos, & *Thomam* de *Meretona*, & *Richardum* de *Duneſtaple* Priores. In quos ambæ partes, tanquam arbitros, & pacis ordinatores, conſenſerunt: qui monaſterium *Weſtmonaſterii* ab omnimoda ſubjectione & juriſdictione Epiſcopi *Londinenſis* penitùs exemptum declaraverunt, & ordinaverunt; quòd eccleſia de *Stanes*, cum pertinentiis ſuis, in uſus proprios eccleſiæ *Weſtmonaſterienſis* commutaretur: & manerium de *Sumnebiri* in proprietates Epiſcopi *Londonienſis*, & eccleſia ejuſdem manerii cedat in uſus proprios eccleſiæ ſancti *Pauli* in perpetuum.

Sterhanum *Archiepiſcopus* Cantuarienſis *libertates à Rege exigit.* ANNO Domini M.CCXXIII. Rex *Henricus* ad Natale tenuit curiam ſuam apud *Oxoniam*. Et poſtmodùm, in octavis Epiphaniæ, apud *Londonias* veniens cum Baronibus ad colloquium; requiſitus eſt ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & Magnatibus aliis: ut libertates, & liberas conſuetudines, pro quibus guerra mota fuit contra patrem ſuum, confirmaret. Et ſicut Archiepiſcopus oſtendit evidenter, idem Rex diffugere non potuit, quin hoc faceret: cùm in receſſu *Lodovici* ab *Anglia*, juravit, & tota Nobilitas regni cum eo; quòd

libertates

libertates preſcriptas omnes obſervarent, & omnibus traderent obſervandas. Quod audiens *Willielmus Briwere*, qui unus erat ex Conſiliariis Regis, pro Rege reſpondens, dixit: Libertates quas petitis, quia violenter extortæ fuerunt, non debent de jure obſervari. Quod verbum Archiepiſcopus moleſtè ferens, increpavit eum, dicens: *Willielme* (inquit) ſi Regem diligeres, pacem regni non impedires. Videns autem Rex Archiepiſcopum in iram commotum, dixit: Omnes libertates illas juravimus, & omnes aſtricti ſumus, ut quod juravimus, obſervemus. Et Rex protinùs habito ſuper hoc conſilio, miſit literas ſuas ad ſingulos Vicecomites Regni; ut per milites duodecim, vel legales homines, uniuſcujuſque Comitatus, per ſacramentum facerent inquiri, quæ fuerunt libertates in *Anglia*, tempore Regis *Henrici* avi ſui: & factam inquiſitionem ad *Londonias* mitterent ad Regem, in quindecim diebus poſt Paſcha. 1223.

EODEM anno, dum *Willielmus Mareſchallus*, Comes *Penbrock*, fuit in *Hybernia*, *Loëlinus* Rex *Wallenſium* in manu forti cepit duo caſtella prædicti *Willielmi*; & omnes quos in eis invenit, capitibus privari fecit: & impoſitis in eiſdem caſtellis *Wallenſibus* ſuis, receſſit. Sed cùm poſt dies paucos ad notitiam prædicti *Mareſchalli* res geſta pervolaſſet; rediit cum feſtinatione in *Angliam*; exercitu magno congregato, caſtella prædicta obſedit, & cepit. Et quia *Loëlinus* priùs omnes homines *Mareſchalli*, quos in caſtellis ceperat, capitibus amputatis interfecerat; *Willielmus Mareſchallus Wallenſibus* talionem reddens, eorum capita detruncari fecit. Et deinde, ad majorem vindictam, terram *Loelini* hoſtiliter ingreſſus; igne & ferro quæque ſibi obvia devaſtavit. Quod audiens *Loëlinus*, venit contra *Mareſchallum* in fortitudine gravi: ſed *Mareſchallus*, Marte ſibi propitio, hoſtes acriter invadens, multis ex *Wallenſibus* interfectis, omnes in fugam coëgit. Quos *Mareſchallus* potenter inſequutus, immiſericorditer trucidavit. Æſtimati ſunt autem interfecti, & vinculis mancipati, ad novem millia hominum; pauciſſimis ex omnibus per fugam elapſis. Eodem anno, circa feſtum dominicæ Aſcenſionis, *Walterus Malus*, clericus, conſecratus eſt *Carleolenſis* Epiſcopus; per manum *Walteri Eboracenſis* Archiepiſcopi. Circa idem tempus prorupit oleum lucidiſſimum in magna eccleſia apud *Eboracum*; de tumba *B. Willielmi*, ejuſdem eccleſiæ quondam Archiepiſcopi. Eodem anno *Romæ* pluit terra ſanguinea per tres dies, admirantibus multis. *Altercatio inter Wallenſes & Willielmum Mareſchallum.*

EODEM tempore, circa feſtum ſancti *Petri* ad vincula, *Philippus* Rex *Francorum* diem clauſit extremum: cujus mortem Cometa ardens & crinita, quæ paulò antè apparuerat, indicavit. Cujus obitu divulgato, *Henricus* Rex *Anglorum* miſit Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, cum tribus Epiſcopis, ad *Lodovicum* filium ejus, jam in Regem coronatum; conſtanter rogans, ut redderet ſibi *Normanniam*, cum aliis terris tranſmarinis, ſicut juraverat in receſſu ſuo de regno *Angliæ*; quando pax fuerat inter ipſum & Regem *Angliæ* facta, conſentientibus Magnatibus univerſis. Ad hæc *Lodovicus* reſpondens, dixit, ſe *Normanniam* & terras alias juſtè poſſidere; ſicut oſtendere paratus erit in curia ſua, ſi Rex *Angliæ* ad eam voluerit venire, & ibidem juri parere. Reſpondit præterea, quod juramentum in *Anglia* factum, ex parte Regis *Anglorum* fuerat violatum; dum impriſii ſui, qui apud *Lincolniam* capti fuerant, ad redemptionem graviſſimam ſunt compulſi. De libertatibus autem regni *Angliæ*, pro quibus guerra mota fuerat, quæ in receſſu ſuo conceſſæ erant, & ab omnibus juratæ, ita actum eſt; quòd non ſolùm illæ leges peſſimæ ad ſtatum priſtinum ſunt reductæ; ſed & illis nequiores per totum regnum *Angliæ* ſunt generaliter conſtitutæ. Quod audientes Archiepiſcopus & Epiſcopi, cùm aliud reſponſum habere nequiverant, ad propria ſunt reverſi; Regi *Angliæ* ea quæ audierant referentes. *Mors Philippi Regis Francorum.*

CIRCA dies iſtos, hæretici *Albigenſes* conſtituerunt ſibi Antipapam in finibus *Bulgarorum*, Croatiæ, & Dalmatiæ, nomine *Bartholomæum*. In quibus partibus error ille adeò invaluit, ut etiam Epiſcopos & alios multos regionum illarum ad ſuam allexerit pravitatem. Contra quem *C. Portuenſis* Epiſcopus & in partibus illis Apoſtolicæ ſedis Legatus, *Rothomagenſi* Archiepiſcopo ſcripſit in hæc verba: *Venerabilibus patribus, Dei gratia* Rothomagenſi *Archiepiſcopo & ejus ſuffraganeis Epiſcopis, ſalutem in Domino* Jeſu Chriſto. *Dum pro ſponſa veri Crucifixi veſtrum cogimur auxilium implorare, potiùs compellimur lacerari ſingultibus, & plorare. Ecce quod vidimus, loquimur: & quod ſcimus, teſtificamur. Ille homo perditus, qui extollitur ſuper omne quod colitur, aut dicitur Deus; jam habet perfidiæ ſuæ præambulum Hæreſiarcham, quem hæretici* Albigenſes *Papam ſuum appellant; habitantem in finibus* Bulgarorum, Croatiæ, *&* Dalmatiæ, *juxta* Hungarorum *nationem. Ad eum confluunt hæretici* Albigenſes, *ut ad eorum conſulta reſpondeat. Etenim de* Carcaſona *oriundus, vices illius Antipapæ gerens* Bartholomæus *hæreticorum Epiſcopus, Funeſtam ei exhibendo reverentiam, ſedem & locum conceſſit in villa quæ* Porlos *appellatur, & ſeipſum tranſtulit in partes* Tholoſanas. *Iſte* Bartholomæus *in literarum ſuarum undique diſcurrentium tenore, ſe in primo ſalutationis alloquio intitulat in hunc modum:* Bartholomæus ſervus ſervorum ſanctæ fidei, tali ſalutem. *Ipſe etiam inter alias enormitates creat Epiſcopos, & eccleſias perfidè ordinare contendit. Rogamus igitur attentiùs, & per aſperſionem ſanguinis* Jeſu Chriſti, *& propenſiùs obſecramus, auctoritate Domini Papæ qua fungimur in hac parte, diſtrictè præcipientes; quatenùs veniatis* Senonis *in octavis Apoſtolorum* Petri *&* Pauli *proximè futuris. Ubi & alii* *Antipapa Albigenſium.*

1223. *Prælati* Franciæ, *favente Domino, congregabuntur; parati conſilium dare in negotio prædicto; & cum aliis, qui ibidem aderunt, providere ſuper negotio* Albigenſi. *Alioquin inobedientiam veſtram domino Papæ curabimus ſignificari. Data Planium, ſexto Nonas Julii.* Sed hunc tandem tumultum mors prædicti Antipapæ celeriter terminavit.

De quibuſdam Baronibus ſchiſma excitare volentibus.

EODEM anno, ſurrexit murmuratio non modica à Magnatibus *Angliæ*, contra *Hubertum* de Burgo Juſtitiarum, qui pacem regni conati ſunt perturbare. Dicebant enim ad invicem, quòd animum Regis exaſperabat contra illos, & quòd ſimiliter non æquis legibus regnum regebat. Acceſſit pretereà ad majoris odii incentivum, adventus nunciorum Regis, quos *Romam* miſerat; qui bullam domini Papæ Archiepiſcopis *Angliæ*, & eorum Suffraganies deferebant, quæ talem continebat ſententiam videlicet, quòd dominus Papa Regem *Angliæ* plenæ ætatis adjudicaverat, quòd ex tunc negotia regni idem Rex principaliter cum ſuorum domeſticorum conſilio ordinaret. Significavit etiam executoribus prælibatis dominus Papa in literis ſupradictis, *quatenùs auctoritate Apoſtolica denuntiarent Comitibus, Baronibus, militibus, & aliis univerſis, qui cuſtodias habebant caſtrorum, honorum, & villarum, quæ ad Regis dominium ſpectabant, ut continuò viſis literis, Regi illas redderent: contradictores autem per cenſuram eccleſiaſticam ad ſatisfactionem compellerent.* Unde pars maxima Comitum & Baronum, quorum corda concupiſcentia poſſidebat; hujuſmodi præcepta indignè ferens, bellúmque ſuſcitare diſponens, convenit in unum; & conſpiratione abſque follibus conflata, ſupradictas occaſiones prætendebat, ut pacem regni perturbaret. Cuſtodias autem jam dictas, per admonitionem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, Regi reddere ſuperſedit, volens potiùs arma movere, quàm Regi ſatisfacere de præmiſſis. Sed hæc infrà.

De cruce Dominica apud Bramholm *delata.*

EODEM anno, apud *Bromholm* crebuerunt divina miracula, ad gloriam & honorem ſalutiferæ Crucis; in qua Salvator mundi pati dignatus eſt pro redemptione generis humani. Et quoniam tanto theſauro *Britannia* in Oceano conſtituta divina largitate meruit beatificari, dignum eſt, imò digniſſimum memoriis poſterorum imprimere; quo ordine à tam remotis partibus in *Britanniam* ſit delata. Verùm Comes *Flandrenſis Baldewinus*, ex Cocite *Conſtantinopolitanus* Imperator effectus; ubi per multorum curricula annorum ſtrenuè vixit, contigit illum à perfidis Regibus quodam tempore graviter infeſtari, contra quos cum impetu, & abſque deliberatione progrediens; lignum dominicum cum aliquibus reliquiis (quæ ſemper ante illum à Patriarcha & Epiſcopis deferri conſueverant, quotieſcunque adversùm inimicos Crucis prælium commiſſurus perrexit) hac vice portare neglexit quod eadem die experimento miſerrimo recognovit. Nam dum temerè cum exercitu modico, non habito reſpectu ad multitudinem Barbarorum, qui in decuplo exercitui ſuo ſuperabundabant, in hoſtes prorupit; in momento tam ipſe Imperator, quàm totus ejus exercitus ab inimicis crucifixi circumvallati; omnes aut interfecti ſunt, aut in captivitatem abducti. Pauci quoque ex omnibus qui per fugam elapſi ſunt, de Imperatore quid actum ſit, vel quò devenerit, penitùs ignorabant. Erat autem ea tempeſtate Capellanus quidam natione *Anglicus*, qui in capella Imperatoris cum ſuis clericis divina celebravit myſteria; qui unus fuit ex cuſtodibus reliquiarum, & annulorum, aliarúmque rerum dicti Imperatoris. Hic itaque cùm caſum cognoviſſet de morte, ut omnes prædicabant, domini ſui Imperatoris; ab urbe *Conſtantinopolitana* cum dictis reliquiis, & annulis, & rebus aliis multis, cum lapidibus pretioſis latenter recedens; ad *Angliam* uſque pervenit. Veniénſque ad S. *Albanum*, cuidam ibidem monacho quandam crucem argenteam & deauratam, cum duobus digitis de S. *Margareta*, & annulis aureis lapidibúſque pretioſis vendidit: quæ omnia nunc in monaſterio S. *Albani* in magna veneratione habentur. Deinde dictus Capellanus de mantica ſua quandam crucem ligneam extrahens, oſtendit eam quibuſdam monachis; de qua etiam affirmavit cum juramento, quòd indubitanter erat ex ligno illo in quo Salvator mundi pro redemptione generis humani pependit. Sed quia non credebatur dictis ejus ibidem, receſſit inde; theſaurum impreciabilem, licet ignotum, ſecum gerens. Habuit autem dictus Capellanus duos filios parvulos, de quorum ſuſtentatione & cura nimis erat ſollicitus; qua curioſitate ductus, in pluribus monaſteriis tali conditione prædictam obtulit crucem; ut ipſe & filii ejus reciperenter ad ordinem monachatus. Qui cùm multis in locis inter divites repulſam paſſus fuiſſet, venit tandem ad cellam quandam, quæ *Bromholm* nuncupatur, pauperrimum, & ædificiis commodis deſtitutam, in territorio *Forfolcenſi* ſitam; & accerſito ad ſe Priore cum quibuſdam de fratribus, oſtendit eis crucem ſuprà dictam, quæ duplici ligno ex tranſverſo fuerat fabricata, habens ferè longitudinem manus humanæ; & rogavit humiliter, quatenùs cum ipſa cruce & aliis reliquis quas habebat, ipſum & filios ſuos reciperent ad ordinem monachorum. Prior verò & fratres ejus, de tanto exhilarati theſauro, ilicò procurante domino, qui honeſtam ſemper amplectitur paupertatem; dictis Capellani adhibuerunt fidem; & lignum dominicum reverenter accipientes, detulerunt illud in oratorium ſuum; & cum quanta potuerunt devotione, in loco honeſtiſſimo ſervaverunt. Hoc denique anno, ut prædictum eſt, cœperunt divina celebrari miracula, ad laudem & gloriam vivificæ crucis, in monaſterio prædicto; ubi mortuis vita, cæcis viſus, claudis greſſum reſtituitur; leproſis caro munda donatur, obſeſſi à dæmonibus liberantur; & quicunque

infirmus

infirmus cum fide ad lignum prædictum acceſſerit, incolumis & ſanus recedit. Frequentatur autem, adoratur, & colitur crux præfata, non ſolùm à gente *Anglicana*; verùm etiam ab hominibus de regionibus longè poſitis, & qui de illa divina audierunt miracula, devotiſſimè venerantur. Tertio autem idus Auguſti mortuus eſt, ſicut prætactum eſt, Rex ſapientiſſimus *Francorum Philippus*; & apud S. *Dionyſium* ſepultus; Qui ſuſcipiens regnum patre ſuo *Lodovico* vivente, anno ætatis ſuæ xv. regnavit annis xliv. Cui ſucceſſit *Lodovicus* filius ejus, ſed multùm diſſimiles: hic vir & ille *Johannes* de *Brennes*, Rex *Hieruſalem*, & magiſter ſuperior *Hoſpitalis* fratrum *Hieruſalem*; venerunt in *Angliam* circa octavas Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*; pro auxilio poſtulando, ad ſubſidium terræ ſanctæ. Eodem anno magiſter S. de *Apulia*, Epiſcopus *Exonienſis*, circa feſtum exaltationis S. Crucis, & *Willielmus* de *Cornhulle* Epiſcopus *Ceſtrenſis*; circa idem tempus obierunt. Anno etiam eodem, per ſingulos menſes continuos anni, tanta fuit inundatio pluviarum, & eruptio aquarum, & aëris inæqualitas; ut pro tanta incommoditate temporis, frugum tardiſſima maturitas fuit; adeò ut in menſe Novembri vix fruges in horreis raptim reconderentur. Menſequoque Januarii, turres & maceriæ eccleſiarum, cum roboribus nemorum, turbine ventorum ſibi diſſidentium præcipitio quaterentur, & ruerent. Eiſdémque temporibus *Leolinus* Princeps *Norwalliæ*, & quidam *Anglici*, ſcilicet *Hugo* de *Laſcy*, & ejus ſequaces, in odium Regis ſibi cohærentes, & deſperantes, ex arbore nequam fructum bonum, id eſt, ex Rege *Johanne* bonum hæredem proventurum; crebris expeditionibus *Willielmum Mareſchallum* in primis, id eſt, ſeniorem, poſteà autem juniorem; & quoſdam alios domini Regis Barones, ad deditionem premere conabantur. Sed tota regio contra ipſos ad arma excitabatur, & ſic ipſi irreverenter coacti ſunt, & qui facti ſunt hoſtes in capite, corruerunt retrorſùm in manu hoſtium, de qua non potuerunt deinceps reſurgere.

ANNO Domini M.CCXXIV. Rex *Henricus* ad Natale tenuit curiam ſuam apud *Norhamtonam*; præſente Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, cum ſuis Suffraganeis, & militia magna nimis. Comes verò *Ceſtrenſis*, cum ſuis conſpiratoribus, apud *Leiceſtriam* tenuit feſtum ſuum; tumens, & minas contra Regem & Juſticiarium intendens; pro cuſtodiis caſtrorum ac terrarum, quas idem Rex exigebat ab illo. In craſtino autem poſt Miſſarum ſolennia, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, cum ſuis ſuffraganeis Epiſcopis, albis induti veſtibus, & candelis accenſis; excommunicaverunt omnes Regis & regni perturbatores, & S. Eccleſiæ, & rerum eccleſiaſticarum invaſores. Deinde idem Archiepiſcopus miſit ſolennes nuntios apud *Leiceſtriam* ad Comitem *Ceſtriæ* & ſuos complices; firmiter denuntians ſingulis & univerſis, quod niſi in craſtino reſignarent in manus Regis omnia caſtella & honores ad coronam ſpectantia; ipſe & omnes Epiſcopi nominatim excommunicarent illos, ſicut à domino Papa fuerat demandatum. Tunc Comes *Ceſtrenſis* & ejus complices, cùm per exploratores edocti fuiſſent, quòd Rex majorem quàm ipſi, habuit numerum armatorum, conſternati ſunt valdè: quia ſi facultas eis ſuppeteret, in Regem propter Juſticiarium potenter arma moverent. Sed cùm proprium conſpexiſſent defectum, verebantur dubium certamen inire: & prætereà timuerunt Archiepiſcopum & Epiſcopos, ne fortè illos excommunicarent, niſi deſiſterent ab incœptis. Unde ſaluberrimo uſi conſilio, venerunt apud *Norhamtonam* ad Regem univerſi, & à Comite *Ceſtrenſi* incipientes; reddiderunt ſinguli caſtella & municipia, honores & cuſtodias Regi, quæ ad coronam ſpectare videbantur. Manſit nihilominùs eorundem Magnatum indignatio adverſus Regem, quia noluit ad illorum inſtantiam Juſtitiarium amovere. Erant autem hujus diſſidii incentores, Comes *Ceſtrenſis*, Comes *Albemarlenſis*, *Johannes* Conſtabularius *Ceſtriæ*, *Falcaſius* cum ſuis caſtellanis, *Robertus* de *veteri ponte*, *Brienus* de *Inſula*, *Petrus* de *Malo leone*, *Philippus Marc*, *Ingelardus* de *Athie*, *Williemus* de *Cantello*, & *Willielmus* filius ejus; & multi alii: qui pacem regni perturbare ſummoperè conabantur.

Rex Angliæ *invitis Baronibus caſtella ſua recipit.*

EODEM anno, Rex *Francorum Lodovicus* duxit exercitum grandem ad *Rupellam*; ut & illam vel armis vel pretio ſibi ſubjugaret. Quò cùm perveniſſet, obtulit civibus non modicam pecuniam, ut villam ſuam ei reddentes, fidelitatem ſibi facerent, eſſéntque illi de cæterò intendentes. At cives, cùm à Rege *Anglorum* ſe quaſi derelictos reputaſſent; tam prece quàm precio inducti, Regi *Francorum Rupellam* tradiderunt. Tunc Rex tam in villa, quàm in caſtello milites poſuit & ſervientes; ac deinde de tota *Pictavia* ſecuritate recepta, ſine ſanguinis effuſione ad propria pacificè remeavit. Eſt autem *Rupella* portus in *Pictavia*, ubi Reges *Anglorum* & milites ad defenſionem regionum illarum applicare conſueverant; quibus nunc via præcluſa eſt, per inſidias quæ ſibi à ſuis Baronibus in *Anglia* parabantur. O innata *Pictavienſibus* proditio! Non erat qui opponeret ſe ad defenſionem Regis *Angliæ* domini ſui, præter unum civem; qui poſteà deprehenſus eſt occultaſſe ſignum Regis *Angliæ*; ubi illud proferret aliquando revocato eodem Rege *Angliæ*: qui etiam captus eſt proditione concivium & ſuſpenſus. Unde quia pro juſtitia obiit, conſtat ipſum martyrem eſſe glorioſum. Cujus filius, ſcilicet *Willielmus*, promotus eſt apud ſanctum *Albanum*; ad regimen eccleſiæ ſancti *Juliani*.

Lodovi. *Rex* Francorum Rupellam *cum reſiduo* Pictaviæ *ſibi ſubjugat.*

PER idem tempus convenerunt ad colloquium, in octavis ſanctæ Trinitatis, apud *Norhamtonam*; Rex cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, & aliis multis; de regni

De obſidione caſtri Bedefordenſis.

1224. regni negotiis tractaturi. Voluit enim Rex uti conſilio Magnatum ſuorum de terris tranſmarinis, quas Rex *Francorum* paulatim occupaverat: ſed ſecùs accidit, quàm ſperabat. Nempe fuerunt eo tempore apud *Duneſtabliam* Juſtitiarii Regis, quos Itinerantes appellamus: *Martinus* ſcilicet de *Pateſhulle*, *Thomas* de *Multona*, *Henricus* de *Braibroc*, & alii: qui ibidem tenebant placita Regis de nova deſſaiſina. Ubi *Falcaſius* inter alios, qui multos ſpoliaverat, cecidit in miſericordia Regis de pluſquàm triginta paribus literarum; de quibus ſingulis in centum libris erga Regem debuerat condemnari. Hoc itaque cùm *Falcaſio* fuerat intimatum, iratus eſt valdè. Unde nimis inconſultè agens, juſſit militibus, qui in præſidio caſtri *Bedfordenſis* erant, quatenùs in manu armata ad *Duneſtabliam* accedentes, Juſtitiarios præfatos caperent; atque vinculis conſtrictos, apud caſtrum de *Bedeford* in obſcuritatem detruderent carceralem. Sed Juſtitiarii talia cognoſcentes, receſſerunt cum feſtinatione, quò impetus eos ducebat. Iter quos *Henricus* de *Braibroc*, incautè fugiens; captus à militibus ſæpè dictis, & ſatis inhumanè tractatus, apud caſtrum prælibatum eſt carcerali cuſtodiæ mancipatus. Rumore itaque divulgato, venit uxor prædicti *Henrici Norhamtonam* ad Regem; & audiente univerſo Concilio, de viro ſuo cum lacrymis querelam depoſuit. Quod Rex factum nimis indignè ferens, quæſivit conſilium à clero ſimul & populo; quid ſibi ſuper tanta injuria foret agendum. At omnes una voce conſilium Regi dederunt; quatenùs ſine mora, & omnibus aliis prætermiſſis negotiis, in manu valida & armata ad caſtrum prælibatum accedens, tantam temeritatem ſtudeat vindicare. Cùmque domino Regi dicta placuiſſet ſententia, ipſo jubente, omnes ad arma quàm citiùs convolantes; ad caſtellum prædictum de *Bedeford*, tam clerus quàm populus pervenerunt. Miſſis igitur à Rege nunciis ad magiſtros Caſtellanos, petiit ingreſſum ſibi dari; & *Henricum* de *Braibroc* Juſtitiarium ſuum reddi mandavit. *Willielmus* quoque de *Brente*, frater *Falcaſii*, & alii incluſi, nunciis reſponderunt; ſe caſtellum non reddituros, niſi inde à domino ſuo *Falcaſio* præceptum haberent; & ob hoc præcipuè, quòd Regi de homagio vel fidelitate non tenebantur aſtricti. Quod reſponſum cùm Regi renunciatum fuiſſet, indignatus eſt valdè; & iratus juſſit caſtellum cuneis militaribus circumcingi. Illi verò, ſeſe ad defenſionem præparantes, muros & propugnacula undique defendere vacaverunt. Tunc Archiepiſcopus, & Epiſcopi univerſi, ipſum *Falcaſium*, & omnes qui in caſtelli præſidio erant; candelis accenſis, excommunicationis mucrone percuſſerunt. Obſeſſum eſt autem caſtellum xvi. Calendas Julii, die videlicet Jovis proxima poſt octavas Trinitatis. Et his ita geſtis, venerunt ex præcepto Regis bellica inſtrumenta; petrariæ ſcilicet, & mangonella: quibus in gyrum locatis, inſultus acerrimos aſſiduè faciebant. Incluſi è contrario defenſioni vacantes, tela mortifera viriliter emittebant. Quid plura? vulnerabantur mutuò multi, & occidebantur: inter quos cecidit *Giffard* miles eximius, ſpiculo baliſtæ percuſſus. Intereà Rex miſit manum armatam, ut *Falcaſium* quæreret, & inventum Regi præſentaret: ſed ille per exploratores præmonitus, ad *Walliam* uſque confugit. Unde nuntii ad Regem revertentes, ſe laboraſſe inaniter fatebantur. At Rex in iram provocatus, juravit per animam patris ſui, quòd ſi per vim caperentur incluſi, patibulo ſuſpenderet univerſos. Illi verò per minas Regis ad majores provocati injurias, prohibuerunt Regiis nunciis, ne quis eos ulteriùs de reddendo caſtello ſollicitaret. Crevit igitur hinc inde mortale odium ex multitudine peremptorum: it quòd nec fratres fratribus, nec parentes filiis pepercerunt. Tandem verò, poſt ſtragem nimiam mutuò illatam, artifices Regis caſtellum fecerunt ligneum, altum, & architectoria arte fabricatum: in quo baliſtarios colocaverunt, qui omnem caſtelli poſſent circumſtantiam perſcrutari. Nec deinceps erat aliquis in caſtello qui ab armis exiret, quin protinùs mortaliter læderetur. Nec idcircò incluſi proſternere adverſarios omiſerunt: nam in confuſionem propriam duos milites de exercitu Regis, qui ſe nimis temerè morti expoſuerunt, cum multis aliis peremerunt; undecunque in ſe adverſariorum ſuorum animos provocantes.

Rex autem interim de maneriis *Falcaſii*, & terris ubique per *Angliam* fecit fruges & armenta, cum rebus aliis, diſtrahi & infiſcari; ut inde in obſidione diutina, ex ejus damnis haberet auxilium. Tandem cùm à Regis bellatoribus duæ teſtudines, quas Gallicè *Bruteſches* appellant, non ſine multorum læſione ſubactæ fuiſſent; invaſerunt caſtellum undique conſequenter, incluſóſque vellent nollent ingredi compulerunt. At Regales caſtellum ingreſſi, equos, arma, cum victualibus multis, & innumeris rebus aliis, lucrati, hilares revertuntur. Deinde turrim aggredientes Regii victores, magnam murorum partem contriverunt. Et his ita geſtis, cùm viderent incluſi ſe diutiùs reſiſtere non poſſe; in vigilia

Captio caſtelli. aſſumptionis beatæ *Mariæ*, de caſtello quidam ex eis exeuntes, miſericordiam Regis implorabant. Quos Rex omnes vinculis juſſit arctiſſimis conſtringi; donec reſiduos ſubjugaſſet. In craſtino autem, cùm omnes vulnerati, & plagis lethiferis afflicti exiiſſent; & ad præſentiam Regis adducti fuiſſent, addicti ſunt ad ſuſpendium univerſi. Suſpenſi ſunt itaque inter milites & ſervientes, qui propter ſuperbiam ſuam, quam Regi oſtenderant in obſidione jam finita, non potuerunt miſericordiam impetrare viginti quatuor. *Henricus* verò de *Bribroc*, ſanus & incolumis ad Regem veniens; multas ei gratiarum retulit actiones. *Falcaſius* autem, ſpe falſa ſeductus, credidit ſuos per annum integrum caſtellum poſſe à captione

1224.

captione defendere : ſed tandem, cùm fratres ſuos & alios omnes ſuſpenſos certa relatione cognoviſſet ; ſub conductu *Alexandri Coventrenſis* Epiſcopi apud *Bedeford* venit ad Regem ; & corruens pronus ad pedes ejus, poſtulavit, quatenùs pro magnis obſequiis ſuis & laboribus ſumptuoſis, ſibi ac patri ſuo tempore hoſtilitatis impenſis, miſericordiam adhiberet. Tunc Rex per conſilium tradidit illum, caſtellis, terris, ac rebus omnibus ſpoliatum, ſub cuſtodia *Euſtachii Londinenſis* Epiſcopi : donec quid de illo agaret, eſſet ſententialiter definitum. Tunc claruit inflictio vindictæ ſancti *Pauli: Falcaſius* enim proditor cruentus, eccleſiam ſancti *Pauli Bedefordenſi* diruerat, ad ſui caſtri ſtructuram & munimen: qui jam in beati *Pauli* cuſtodia quaſi carcerali tenebatur. Unde Abbatiſſa de *Helneſtne*, audiens *Falcaſium* in beatum *Paulum* deſæviiſſe, ſed inde adhuc impunitum fuiſſe, auferri juſſit à manu imaginis ſancti *Pauli* gladium quem tenebat, & poſt vindictam meritò reſtituí. Et ſic quaſi in momento idem *Falcaſius* de ditiſſimo pauperrimus effectus, multis & maximè nocentibus poterit fieri in exemplum. De hoc verò caſu fortunæ quidam ſic ait :

Perdidit in menſe Falco tam fervidus enſe;
Omine ſub ſævo quicquid quæſivit ab ævo.

Uxor quoque ſæpedicti *Falcaſii*, *Margareta* ſcilicet de *Ripariis*, conſpectui ſe Regis & Archiepiſcopi repræſentans; dixit ſe in eum nunquam conſenſiſſe, ut illi matrimonio jungeretur : unde cùm tempore hoſtilitatis violenter capta eſſet, & abſque conſenſu deſponſata, divortium fieri poſtulavit. Tunc Archiepiſcopus ſtatuit illi diem, ut interim deliberationem haberet, quid agere debuiſſet. Rex verò conceſſit ei terras omnes & poſſeſſiones ſuas per totam *Angliam* ; & eam ſub cuſtodia *Willielmi* Comitis de *Warenna* deputavit. Regi verò ; pro maximis laboribus ſuis & expenſis, tam à Prelatis, quàm à laicis, conceſſum eſt per totam *Angliam Carucagium*, de qualibet caruca duo ſolidi argenti. Magnatibus item conceſſit Rex Scutagium ; videlicet de ſcuto quolibet duas marcas ſterlingorum : & ſic omnes ad propria receſſerunt. Caſtellum quoque illud fecit Rex complanari, & redigi in acervos ; atque domos dedit *Willielmo* de *Bello campo* ; & locum cum ædificiis univerſis. Eodem anno conſecrantur in Epiſcopos, magiſter *Alexander* de *Stavensby* in *Ceſtrenſem*, *Romæ* à domino Papa *Honorio* ; die Paſchæ: *Willielmus* nepos *Willielmi Bruere* ſenioris, in *Exonienſem: Radulphus* de *Neville*, in *Ciceſtrenſem*, à domino *S. Cantuarienſi* Archiepiſcopo. Qui dico *Radulphus Ciceſtrenſis*, Cancellarius domini Regis, in multis poſteà periculis fidelis expertus, & ſingularis in Regis negotiis ; columna ſtabilis fidelitatis & veritatis fuit. Sub illius temporis curriculo, *Falcaſius* de *Brente Neuſterienſis*, & ſpurius ex parte matris, atque baſtardus ; qui in vili jumento manticato ad Regis paulò antè clientelam deſcenderat, qui caſtrum *Bedefordiæ* tempore guerræ motæ inter Regem *Johannem* & Barones ſuos, pro voluntate ejuſdem Regis ſibi conceſſum, in territorio alterius ſitum, firmavit. De tali munitione & divitiis ſuis, & de quibuſdam Conſiliariis Regis ſibi confœderatis confiſus, & faciens fulcimen de baculis arundineis ; terras & poſſeſſiones liberorum hominum ſuorum & vicinorum, injuſtè auferre non formidavit : præcipuè xxxii. liberos homines in manerio de *Luituna* ſine judicio de ſuis tenementis diſſeiſinavit ; & quaſdam paſturas communes ſibi appropriavit. Super quibus cùm querela ad dominum Regem perveniſſet, Rex *Henricum* de *Braibroc* & quoſdam alios Judiciarios aſſignavit : coram quibus fieret recognitio de conquerentium diſſeiſina. Qui receptis ſecundùm conſuetudinem recognitionibus, dictus *Falcaſius*, tenementis dictis ſpoliatis judicialiter reſtitutis ; in damna & jacturam eorum extitit condemnatus: Quod non æquo ferens animo *Falcaſius*, contra pacem regni ſuper ſe levatus, dictum *Henricum* de *Braibroc* violenter cepit ; & in caſtro ſuo de *Bedeford* incarceravit. Quo audito, Rex apud *Northantonam* exiſtens, cum Magnatibus ſuis de ſubventione *Pictaviæ* tractatum habens ; mutato propoſito ex caſu incidenti, divertit ad caſtrum *Bedefordiæ:* & illud obſidione vallavit, in quo dictus *Henricus* tenebatur incarceratus. Et facta trina monitione per tres dies continuos, militibus in caſtro exiſtentibus ſuper deditione caſtri, Archiepiſcopus *S. Cantuarienſis*, & alii Epiſcopi ibi exiſtentes, cum Abbatibus & aliis Prælatis ; *Falcaſium* & ſibi conſentientes excommunicaverunt, ipſum utlagari decernentes. Per machinas igitur & varias inſultationes, Regales dictum caſtrum expugnaverunt viriliter : & corruerunt aliqui de Regiis militibus per ſpicula baliſtariorum obſeſſorum. Inter quos, *Giffard* corruit ſpiculo percuſſus ; miles elegantiſſimus. Tandem in vigilia Aſſumptionis, cùm circiter per novem ſeptimanas obſidionem continuaſſent, captum eſt caſtrum, & omnes miniſtri *Falcaſii*, qui in eo inventi ſunt : quibus præerat *Willielmus Mantel* de *Brente*, frater *Falcaſii* ; & multi *Angli* & *Normanni* nobiles, qui omnes ſuſpendio ſunt adjudicati. Sicut plenariè in antecedentibus prædictum eſt.

Baldewinus *Imperator redit Comes in* Flandriam. *Malè tractatur à filia.*

BALDEWINUS Comes *Flandrenſis*, qui & Imperator *Conſtantinopolitanus*, poſt annoſam & moroſam incarcerationem, & pœnitentialem peregrinationem, rediit in *Flandriam* : & cùm à quamplurimis viris, qui eum anteà cognoverunt, licet in multis alteratus fuiſſet, cognoſceretur ; recepit homagia & fidelitates à multis civitatibus & oppidis *Flandriæ*. Sed filia ipſius invidens, exaſperavit Regem contra ipſum ; affirmans ipſum non eſſe patrem

ſuum,

1215. ſuum, nec ipſum eſſe quem ſe fecit: procuravitque ut prædictus pater ſuus ignominioſè ſuſpenderetur, nam hinc & inde fecit duos canes veteres, ſcilicet mirgos ſuſpendi. Hoc tamen aſſerunt multi, quibus confeſſionem fecit, peccatis ſuis exigentibus præmeruiſſe, quia à carcere evaſit cum ſociis ſuis incarceratis, qui capti fuerunt cum eo in prælio, opitulante quadam puella nobili, eo pacto, ut baptiſaretur quàm citò venirent liberati in *Chriſtianitatem*. Sed *Baldewinus* Imperator cum ſuis ſociis, cùm perveniſſent cum ipſa puella in loca tutiora *Chriſtianorum*; illam quam promiſit ducere in uxorem, & *Chriſtianam* facere, & moribus *Chriſtianorum* informare; ante lavacrum generationis occultè fecit necari. Unde tam diu ad ſe reverſus fecit pœnitentiam, ut vix à familiaribus etiam cognoſceretur, Papa injungente pœnitentiam tam gravem, quia nondum baptiſatam occidit. Omnes autem qui huic conſilio aſſenſum præbuerunt, turpi morte perierunt. Quorum unus, cùm ad uxorem ſuam perveniſſet, & ab eadem, quia jam alium virum habuerat, & filios ab eodem ſuſceperat, benè cognoſceretur, præcipitatus eſt in puteum, hoc uxore clàm procurante: & ſic alii, quilibet ſuo caſu, Deo irato, qui non vult mala pro bonis ſolvi, miſerabiliter perierunt. Nec eorum ſuperior, qui pœnitentiam non continuando, in humilitate & contritione ſua perpetuò non permanſit, nec fecit fructus dignos pœnitentiæ, ſcilicet *Baldewinus* prænotatus, pœnas evaſit.

Regi Angliæ *xv pars rerum mobilium conceſſa eſt.*

ANNO Domini M.CCXXV. Rex *Henricus* ad Natale tenuit curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium*; præſentibus clero & populo cum magnatibus regionis. Solennitate igitur, ut decebat, completa, *Hubertus* de *Burgo*, domini Regis Juſtitiarius, ex parte ejuſdem Regis, propoſuit coram Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, & aliis univerſis, damna & injurias, quæ Regi illata fuerant in partibus tranſmarinis; ex quibus non ſolùm Rex, ſed & Comites multi ac Barones ſunt exhæredati cum ipſo. Et cùm multi ſunt in cauſa, multorum ſubventio erit neceſſaria. Petiit ergo ab omnibus conſilium pariter & auxilium; quibus corona *Angliæ* dignitates amiſſas ac jura poſſet priſtina revocare. Ad hoc quoque plenè perficiendum, Regi ſufficere credidit, ſi ei quinta decima pars omnium rerum mobilium totius regni *Angliæ*, tam à perſonis eccleſiaſticis quàm à laicis donaretur. His in hunc modum proſecutis, Archiepiſcopus & concio tota Epiſcoporum, Comitum, Baronum, Abbatum & Priorum, habita deliberatione, Regi dedêre reſponſum; quòd Regis petitionibus gratanter adquieſcerent, ſi illis diu petitas libertates concedere voluiſſet. Annuit itaque Rex cupiditate ductus, quod petebant Magnates: chartiſque protinùs conſcriptis, & Regis ſigillo munitis, ad ſingulos *Angliæ* Comitatus chartæ ſingulæ diriguntur. Et ad provincias illas quæ in foreſtis ſunt conſtitutæ; duæ chartæ ſunt directæ: una ſcilicet de libertatibus communibus, & altera de libertatibus foreſtæ. Iſtarum autem tenor chartarum ſuperiùs habetur expreſſiùs; ubi hiſtoria agitur de Rege *Johanne*: ita quòd chartæ utrorumque Regum in nullo inveniuntur diſſimiles. Tunc conſtitutus eſt dies certus ad menſem poſt Paſcha, ut de ſingulis Comitatibus Regni xii. milites & legales homines eligerentur; qui addito juramento, novas à veteribus diſcernerent foreſtas: ut omnes illæ quæ inventæ fuerint à foreſtate poſt primam coronationem *Henrici* avi iſtius Regis, ſtatim deafforeſtentur. Et ſic ſoluto Concilio, delatæ ſunt chartæ ſingulæ ad ſingulos Comitatus; ubi ex Regis mandato, literatorio interpoſito juramento ab omnibus obſervari jubentur. *Richardo* fratre domini Regis, milite, libertates generales tam foreſtarum, quàm aliarum libertatum, pro quibus tantum cum Rege *Johanne* decertatum fuit, licèt nil ſtabile vel ſolidum, vel pollicitum redderetur, vel obſervaretur, ſunt deceptoriæ acclamatæ.

Ut Rex Angliæ Richardum *fratrem ſuum in* Waſconiam *miſerit.*

EODEM anno, in die Purificationis beatæ *Mariæ*, *Richardus* frater Regis *Angliæ*, ab eodem Rege donatus eſt cingulo militari; & decem Nobiles cum eo, qui ad ejus ſunt obſequium deputati. Qui poſteà tempore vernali à Rege cum *Willielmo* Comite *Sariſberienſi* & *Philippo* de *Albincio* militibúſque ſexaginta in *Waſconiam* die Palmarum miſſus: velis proſperis in civitate *Burdegalenſi* omnes fœliciter appulerunt. Quorum adventus cùm Archiepiſcopo & civibus divulgatus fuiſſet, honorificè ab omnibus ſunt recepti. Deinde congregatis civibus coram Archiepiſcopo & nunciis Regis, *Richardus* frater Regis prædicti, literas fratris ſui Archiepiſcopo & civibus cunctis porrexit: in quibus Rex humiliter ſupplicavit, quatenùs omnes homines & fideles ſui de regionibus illis, fratrem ejus amicabiliter ſuſciperent; & conſilium ei pariter & auxilium preſtarent, quibus terras amiſſas revocare valuiſſet. At omnes gaudenter ipſum ſuſcipientes, Regi per illum *Angliæ* ſubjectionem fecerunt. Venerunt igitur ad eum multi de partibus illis milites & ſervientes; munera ſequentes cum retributionibus: quibus cùm ſtipendia ſufficienter miniſtraſſet, in ejus obſequio remanſerunt. Dederat ei namque Rex, antequàm illum miſerat ad partes tranſmarinas *Cornubiæ* Comitatum, cum tota *Pictavia*: unde ab omnibus Comes *Pictavienſis* vocabatur. Itaque Comes *Richardus* cum avunculo ſuo *Willielmo* Comite *Sareſberienſi*, & *Philippo* de *Albincio*, & militia copioſa, proceſſit per villas & caſtella *Waſconiæ* regionis: & quoſcunque contradictores (qui homagium Regi & fidelitatem facere noluerunt) invenit, caſtella eorum & villas obſedit, & potenter omnia ſubjugavit. Nam *Riolenſe* caſtrum, quod *Regula* nuncupatur, cum villa, longa obſidione cepit: villam *S. Macarii* cum municipio obtinuit. *Bregerac* caſtrum obſedit, & dominum ejus ad Regis fidelitatem revocavit.

Richardus *Comes* Pictavienſis.

Sed

1225.

Sed dum in longa obſidione apud *Riolenſe* caſtrum acerrimos inſultus & crebros ageret *Lodovicus* Rex *Francorum*, *Hugoni* Comiti *Marchiæ*, aliiſque *Pictaviæ* Baronibus, dedit in mandatis; quatenùs ad caſtrum præfatum hoſtiliter accedentes, Comitem *Richardum* captum ſibi præſentarent, & obſeſſos à periculo liberarent. Comes verò *Marchiæ*, junctis ſibi quibuſdam Baronibus, & militibus armatis; cum apparatu non modico ad prædictam obſidionem diſſolvendam proceſſit. Sed *Richardus* Comes cum ſociis ſuis, de adventu hoſtium per exploratores præmonitus, paravit ei inſidias: & parte exercitus ſui ad obſidionem dimiſſa, ipſe cum parte armatorum probatiſſima ad nemus quoddam, quod propè erat, divertens; hoſtes venientes expectavit ibidem. Qui dum locum inſidiarum versùs obſidionem pertranſiſſent, Comes *Richardus* & ſocii ejus cum ſtrepitu buccinarum & vibramine haſtarum irruerunt in ipſos: & diriſſimo conflictu inter partes confecto, in fugam adverſarios compulerunt. Quos Comes *Richardus* ardenter inſecutus, bigas hoſtium, & ſummarios, cum ſpoliis & vaſis argenteis, ſubegit, multis ex fugientibus interfectis. Et ſic in brevi totam ſibi *Vaſconiam* ſubjugavit. Eodem anno, *Johannes Elyenſis* Epiſcopus diem clauſit extremum: cui ſucceſſit *Gaufridus* de *Burgo*, Archidiaconus *Norwicenſis*; conſecratus in Epiſcopum, in paſſione Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, apud *Weſtmonaſterium*.

CIRCA hos quoque dies, Martio ſcilicet menſe, convenerunt apud *Weſtmonaſterium* ad colloquium Rex *Anglorum* cum Magnatibus ſuis: ubi idem Rex juſſit ſententialiter diffinire, quid de proditore ſuo *Falcaſio* foret agendum. Proceres verò in hoc pariter conſenſerunt cùm Rege; eò quòd patri ſuo multis fideliter ſervierat annis, ne de vita periclitaretur vel membris: ſed ut *Angliam* æternaliter abjuraret, omnes communiter addixerunt. Quo facto, præcepit *Willielmo* Comiti *Warennæ* Rex; ut ipſum ſub ſalvo conductu ad mare conduceret: & navi impoſitum, committeret ventis & velis. Quod cùm factum fuiſſet, dum *Falcaſius* navem ingrederetur, adjuravit Comitem prædictum cum lacrymis, ut ſalutaret dominum ſuum Regem: affirmans omnes perturbationes, quas fecerat in regno, inſtinctu majorum Regni *Angliæ* feciſſe. Sicque cum quinque tantùm ſervientibus in *Normanniam* tranſvectus, confeſtim ut applicuit, à miniſtris Regis *Francorum* captus eſt, & Regi prædicto præſentatus: & quia multos *Francorum* in *Anglia* læſerat, foret ſuſpenſus; ſed per dictum juſjurandum vix eſt ſalvatus: & quia inventus fuit cruce ſignatus, dimiſerunt eum, qui ilicò *Romam* profectus eſt, pecunia ſæpè ſpoliatus. Tandem cùm *Roberto Paſſeleawe* clerico ſuo Papæ præſentatus, ſicut ſuo loco dicetur. *De exilio Falcaſii proditoris.*

EODEM anno, ad menſem per Paſcha, dimiſſi ſunt à Rege *Angliæ Hugo* de *Nevilla*, & *Brienus* de *Inſula*, cum aliis ad hoc aſſignatis per *Angliam*: ut in ſingulis foreſtarum provinciis, xii. milites, vel liberi homines, & legales eligerentur, ad deambulandum metas foreſtarum; ut per ſacramentum eorum quæ foreſtæ remanere, ut fuerunt priùs, & quæ deaforeſtari debeant, diſcernatur. Facta itaque in brevi Regii executione mandati, licet non ſine magna contradictione plurimorum, conceſſis libertatibus ſinguli uſi ſunt, de boſcis ſuis propriis vendentes, eſſarta facientes, beſtias venantes, terram arabilem de inculta ſulcantes; ita quòd de nemoribus deaforeſtatis omnes pro libitu diſponebant. Et non ſolùm homines, verùm etiam canes, qui priùs expeditari ſolebant; has libertates ſe habere gaudebant. Communibus verò libertatibus, Magnates, milites, & liberè tenentes, adeò uſi ſunt; quòd nec iota unum in Regis charta contentum, extitit prætermiſſum. *De viſione, quæ foreſtæ deaforeſtari debeant.*

CIRCA eoſdem denique dies, quintædecimæ partis medietas totius regni omnium mobilium & rerum habitarum colligitur ad opus Regis; conceſſis induciis de altera medietate uſque ad feſtum *Michaëlis*. Eodem anno, *Hugo Bigod*, Comes *Orientalium Anglorum*, humanæ naturæ debitum ſolvit: cujus terras & honores omnes Rex ſub Juſtitiarii cuſtodia deputavit. *De collectione quintædecimæ ad opus Regis.*

EODEM anno exivit decretum ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* & Epiſcopis ejus ſuffraganeis, in hunc modum. Concubinæ ſacerdotum & clericorum, qui infra ſacros ordines conſtituti & beneficiati ſunt, eccleſiaſtica careant ſepultura: niſi ſanè ſe correxerint, & (quia ſcriptum eſt: Vivens, vivens, ipſe confitebitur tibi,) incolumes, vel tanta earum in extremis appareat pœnitentia, propter quam non immeritò cum eis debeat diſpenſari. Item non recipiantur ad oſculum pacis, nec panem benedictum percipiant in eccleſia, quàm diu concubinarii eas detinent in domibus ſuis, vel publicè extra domos. Item ſi pepererint, non purificentur, niſi priùs ſufficientem præſtiterint cautionem Archidiacono, vel ejus Officiali, de ſatisfactione in proximo capitulo, poſt purificationem earum, facienda. Item ſacerdotes, in quorum Parochiis concubinæ talium commorantur, ſi non hoc oſtenderint Archidiacono, vel ejus officiali, ſuſpendantur. Et priuſquàm relaxentur, gravi pœnitentiæ ſubjaceant. Item quæ convinci poterit, quòd ſacerdos eam carnaliter cognoverit, publicam agat pœnitentiam, & ſolennem; ac ſi de adulterio eſſet convicta, tanquam pro duplici adulterio puniatur; ne tanti reatus impunitas, aliis tranſeat in materiam delinquendi. *De concubinis ſacerdotum.*

PER idem tempus, *Willielmus* Comes *Sarisberienſis*, qui cum Comite *Richardo* militaverat in partibus tranſmarinis, ad *Angliam* tranſiturus, naves intravit. Sed cùm longo maris periculo, & ventorum turbinibus per dies plurimos & noctes in partes diverſas jactare- *Ut comes Sarisberienſis à naufragio fuerit liberatus.*

1225. jactaretur, cum ipſis nautis & aliis omnibus, qui in navi erant, de vita deſperatus, annulos precioſos & quæcunque in auro vel argento aut precioſis veſtibus poſſidebat, fluctibus pelagi commiſit: ut ſicut ad vitam nudus intravit temporalem, ita ab omni honore terreno ſpoliatus, ad patriam tranſiret æternam. Et cùm in ſuprema fuiſſet deſperatione conſtitutus, viſus eſt cereus ingens & magno ſplendore coruſcans, ab omnibus qui in navi periclitabantur, in ſummitate mali, & juxta cereum ſtantem viderunt puellam quandam nimia pulchritudine decoratam: quæ lumen cerei, quod nocturnas tenebras illuſtrabat, à ventorum pluviarúmque irruentium robore conſervaret præclarum. Et hac quoque cœleſtis viſione claritatis, tam Comes ipſe, quàm nautæ omnes ſecuritate concepta; divinum ſibi adeſſe auxilium confidebant. Et cùm univerſi qui in navi erant, quid hæc viſio portenderet, ignorarent, ſolus *Willielmus* Comes præfatus hujus benignitatis gratiam beatæ *Mariæ* virgini aſſignavit. Siquidem Comes ſæpedictus, die qua primò donatus cingulo fuerat militari, cereum unum ante altare beatiſſimæ Matris Dei aſſignavit; ut ad Miſſam, quæ diebus ſingulis in honorem ejuſdem Dei genitricis cum horis Canonicis devotè ſolet decantari, jugiter arderet; & pro lumine temporali lucem commutaret æternam.

Qualiter idem Comes hoſtium inſidias evaſerit.

HIS ita geſtis, cùm craſtina dies illuxiſſet, projectus eſt Comes cum ſociis ſuis, ventis impellentibus, ad quandam maris inſulam, quæ *Re* dicebatur, tribus à *Rupella* diſtans miliaribus: ubi brevibus ingreſſi cymbis, ad inſulam navigabant. Eſt autem in inſula illa Abbatia quædam ordinis *Ciſtercienſis* ſita; ad quam Comes nuncios dirigens, poſtulavit, ut tutus poſſet ibidem latere ab hoſtibus, donec aura ſibi fœlicior arrideret. Quod Abbas loci ſibi gratanter annuens, cum honore ipſum & ejus conſortes ſuſcepit. Erat autem inſula illa in cuſtodia *Savarici* de *Malo leone*, qui tunc temporis cum *Lodovico Francorum* Rege militabat; & maris inſulas nonnullas cum armatis non paucis obſervabat. Cujus duo ſervientes, qui Comitem plenè noverant, & cum aliis multis ad inſularum cuſtodiam fuerant deputati; amicabiliter accedentes ad eum, poſtquàm per triduum delituerat ibidem, dixerunt; quòd niſi ante lucem craſtinam ab inſula recederet, caperetur à ſuis ſodalibus, qui cum illis inſulas & maris ſemitas obſervabant. Tunc Comes datis ſervientibus prædictis xx. libris ſterlingorum, ad naves celeriter convolavit; & maris ſeſe fluctibus commendans, fere per tres menſes, antequam in *Angliam* applicaret, inter undas ſævientes continuè laborabat.

Magiſter Otto pro negotiis domini Papæ in Angliam venit.

EODEM anno, magiſter *Otto*, domini Papæ nuntius, in *Angliam* veniens; pro magnis eccleſiæ *Romanæ* negotiis Regi literas præſentavit. Sed Rex cognito literarum tenore, reſpondit, quòd ſolus non potuit diffinire, nec debuit, negotium quod omnes clericos & laicos generaliter totius regni tangebat. Tunc per conſilium *Stephani Cantuarienſis* Archiepiſcopi, datus eſt dies à Rege in octavis Epiphaniæ; ut convocatis omnibus clericis & laicis, ſuper præfato negotio tunc tractarent apud *Weſtmonaſterium*; & ibidem fieret, quod juſtum ſingulis videretur.

Idem Otto Falcaſium Regi pacificare laborat.

EODEM tempore, magiſter *Otto*, ex parte domini Papæ, Regem *Angliæ* humiliter rogavit, ut *Falcaſio* ſibi reconciliato, uxorem cum terris & omnibus rebus amiſſis ad integrum reſtitueret; & ipſum, qui patri ſuo & ſibi in guerra ſua tam fideliter ſervierat, pura, ut decebat, diligeret charitate. Ad hoc quoque reſpondit Rex, quòd propter proditionem manifeſtam ab omni clero & populo regni, per judicium curiæ ſuæ, ab *Anglia* fuerat in exilium pulſus; & licèt regni cura ſpecialiter ad ipſum ſpectare videretur, debet legis quidem & bonas regni conſuetudines obſervare. Hæc autem cùm audiſſet magiſter *Otto*, ceſſavit ulteriùs de *Falcaſio* ſollicitare Regem. Tunc idem *Otto* cepit ab omnibus eccleſiis *Angliæ* conventualibus, nomine procurationis, duas marcas argenti. Et ſciendum eſt, quòd tempore quo magiſter *Otto* venit in *Angliam*, dominus Papa miſit nuncios per orbem univerſum; exactiones ubique indebitas exigens, ſicut inferiùs dicetur.

Puella quædam ad ordinem Minorum confugit.

CIRCA eoſdem dies, erat puella quædam in finibus *Burgundiæ*, generis nobilitate præclara, quam parentes de poſſeſſionibus non modicis hæredem ſibi conſtituere decernentes, cuidam viro ex illuſtri proſapia genito, nuptam tradere voluerunt. Sed puella, quæ ab annis puerilibus ſtudiis fuerat liberalibus imbuta, in ſecreta cordis puritate virginitatem ſuam Deo dedicaverat; parentum clàm deſerens palatium, in habitu peregrino, ut ſe liberiùs à paternis conſpectibus amoveret, contulit ſe ad contubernium quorundam fratrum, de ordine Minorum: ubi, ipſa exigente, de illius rigore ordinis ad plenum erudita, calceamenta depoſuit, ſaccum & cilicium induit; atque crines (in quibus luxuria regnare ſolet) deſpicabiliter præcidit; & quibuſcunque modis potuit, naturalem quam habebat, corporis decorem, in omnem ſtuduit deformitatem transferre. Sed cùm ad hæc nimis inaniter laboraſſet, dum non potuit, prohibente natura, elegantiſſimam ſui corporis diſpoſitionem, quæ in omni dimenſitate videbatur quaſi incomparabilis; illam ſolummodò, quæ intus erat, carnis munditiam, perenni ſponſo, qui in cœlis eſt, conſecrare diſpoſuit. Et hoc propoſitum, ut liberiùs perduceret ad effectum, ſpontaneam paupertatem elegit; officium ſanctæ prædicationis aſſumpſit; veſtium aſperitatem induit; in lecto pro ſtratu mattam; pro cervicali ſaxum habuit; atque vigiliis continuatis, & jejuniis carnem affligens, orationibus inſiſtens, in rerum ſupercœleſtium contemplatione ſtuduit infatigabiliter converſari. Tandem cùm

per

per multorum curricula annorum, in omni perfectione & vitæ ſanctitate Deo placere, & Evangelium pacis per civitates & caſtella, & præcipuè ſexui muliebri prædicare ſtuduerat: invidit ejus perfectioni humani generis inimicus, & per ſeptem menſes in tot, puellam, ac talibus rerum ſæcularium tentationibus exagitare curavit; quòd niſi ei divinum affuiſſet auxilium, omnia bona vitæ præcedentis ſtudia amiſiſſet. Reduxit namque ei ad mentem Diabolus diebus ſimul & noctibus prædia parentum ſuorum quæ reliquerat fœcundiſſima, vinearum fertilium emolumenta, ſpatia pratorum amœniſſima, & florum diverſorum varietate diſtincta, fontium ſcaturientium & rivulorum ſuaviter murmurantium oblectamenta, lignorum in nemoribus proceritatem, prolis fœcunditatem, viriles amplexus, ac Veneris inter marem & fœminam delectationem, lectorum nobilium mollitiem, adſtantium joculatorum jocunditatem, annulorum ac lapidum pretioſorum decorem, piſcium & volatilium ferarûmque ſylveſtrium guſtum delectabilem & ſuavem. In his igitur tentationibus & aliis conſimilibus, puella ferè deſperata, & in diverſas meditationes inducta, utrùm derelicta repeteret, an in propoſito religionis perſeveraret; ineffabili mentis & corporis cruciatu diebus ſingulis & noctibus torquebatur. Sed miſerator & miſericors Dominus, qui ſperantes in ſe ultrà quàm poſſunt pati, non permittit tentari; oculum puellæ reſtituit rationis, ut cerneret quanta in rebus temporalibus & delectationibus ſupradictis curioſa ſit ſollicitudo, in carnali commixtione turpitudo, quanto res temporales ſudore acquiruntur, & cum quanto dolore amittuntur, quanta ſit coram domino munditia virginalis, qui matrem ſuam fœcundam eſſe voluit, & in virgintate permanere diſpoſuit, quæ merces ſequitur fructum boni operis, quæ dulcedo ſit in ſtudio ſanctæ ac divinæ contemplationis, quæ ſocietas civium ſupernorum, quàm ſuavis ſit & delectabilis ſanctarum refectio animarum, & regnare cum Chriſto. Ubi frigiditas nullum afficit, fames & ſitis neminem affligit, ira, rixa, vana gloria, invidia, ſuperbia, accidia, avaritia, cupiditas, & ebrietas nullum premit. Hæc & his ſimilia virgo beata ſæpiùs mente revolvens, & inter tentationum turbines virtutum præteritarum cuſtos exiſtens; armis accincta divinis, artes Diaboli fraudulentas omnes fœliciter ſuperavit; & ipſum ad tartara confuſum direxit. 1225.

TANDEM, poſt dies paucos, cùm puella præfata ab omnibus eſſet Diabolicis incurſionibus penitùs abſoluta, Diabolus ad eam reverſus, ſalutavit illam, & dixit: Salve (inquit) domina mea, & Deò cœlorum virgo dilectiſſima: ego verò ſum ille Sathanas, qui te jam per ſeptem menſes in tot tentationibus, licèt inaniter induxi, ut à bono te propoſito revocarem, & in eis laqueis irretirem. Sed quoniam inanibus meis fraudulentiis à te victus defeci, hoc mihi pro pœna à Domino cœli inflictum eſt, ut nunquam de cæterò mihi liceat aliquod hominum genus tentare, vel quempiam à bonis actibus impedire. Habeo prætereà madatum à Domino, cui obedire neceſſe eſt, ut quodcunque mihi præceperis, cum feſtinatione perficiam, & etiam quodcunquè ſupplicium præceperis cum feſtinatione ſine mora ſubire. Hæc audiens puella, ait ad Dæmonem: Conſervet me Deus à veſtro conſortio & famulatu, novit enim ille quòd talem miniſtrum nunquam dilexi. Et his ita geſtis, contigit puellam civitatem quandam ingredi; & gratia hoſpitandi domum cujuſdam matronæ ingreſſa, hoſpitium poſtulans, impetravit. Veſpere autem facto, juvenis quidam prædictæ matronæ filius, de negotiis conſuetis domum rediens, cùm vidiſſet virginem, quam mater ejus charitativè hoſpitaverat, cœpit admirari in habitu adeò deſpicabili, & faciei ſimul pallore & macie, omnium membrorum ejus naturalem diſpoſitionem; in qua opus naturæ in tantum laudavit, quòd à planta pedis uſque ad verticem in nullo deliquit; ſed & totius corporis ſui diſpoſitione etiam generis nobilitatem evidenter expreſſit. Quid ergo? Exarſit juvenis in concupiſcentia virginis. Et accedens ad eam, de conſenſu carnali puellam convenit. Illa è contrà juveni conſtanter quod petiit denegans, affirmavit ſe virginitatem ſuam ab ætate tenera domino conſecraſſe: & præterea, cùm voto ſuæ religionis & ordinis caſtitas ſit adnexa, votum infringere, eſſe nefarium aſſerebat. Et his dictis receſſit, ut nocturnam caperet requiem: ubi in quodam domatis angulo mattam ſub ſe, pro ſtratu, & ſaxum pro cervicali, juxta ſui ordinis rigorem, capiti ſupponebat. Tunc juvenis ille, libidinis igne ſuccenſus, ſtatuit immutabiliter in corde ſuo, quòd ſi de liberalitate à puella conſenſum obtinere nequiret, ipſe cum ea rem ageret violenter. Et veniens ad illam, expreſſit ei quid facere cogitabat. At fœmina religioſa in angaria mentis conſtituta, metuebat plurimùm ne ejus puritas virginalis per ardorem adoleſcentis in aliquo læderetur; & reducens ad mentem, quod ſibi à diabolo dictum fuerat, quòd videlicet ad nutum ejus, quicquid præciperet, ilicò adimpleret, extulit vocem, & dixit: Diabole (inquit) ubi es? Et continuò Demon reſpondit, dicens: Adſum, domina. Quid tibi placet? Et puella: Libera me (inquit) citò à nebulone iſto, qui me inquietat, ſomnum capere non permittens. Et continuò Dæmon juvenem per pedes trunculenter arripiens, non ſine læſione illum longiùs à puella projecit. Sicque ter nocte illa, Dæmone procurante, dilecta Deo puella ab adoleſcentis ardore liberata; in craſtino receſſit ab urbe, ſalva ſibi pudicitia virginali. De hac quoque puella, quem finem habuerit, quoniam nullo tradente cognovi; ea quæ dicta ſunt piis auribus, & amatoribus ſufficiant caſtitatis.

Puella liberatur per Dæmonem à quodam viro libidinoſo.

1226.

Quædam incluſa per ſeptennium non comedit.

EODEM anno, in urbe *Legre Ceſtrenſi*, obiit puella quædam incluſa religioſa; quæ per ſeptennium ante obitum, nullum omninò guſtavit cibum: niſi quòd diebus Dominicis corporis & ſanguinis Domini communionem accepit. Quod miraculum, cùm ad audientiam *Hugonis Lincolnienſis* Epiſcopi perveniſſet, fidem non adhibuit veritati. Sed incredulus planè, fecit per dies quindecim à presbyteris & clericis incluſam prædictam, arcta nimis obſervari cuſtodia: quouſque compertum fuit illam in toto termino memorato, nullo uſum fuiſſe corporis nutrimento. Faciem quoque ſemper habuit ut lilium candidiſſimam, roſeóque rubore perfuſam, ad indicium pudicitiæ & munditiæ virginalis.

Comitiſſa Sarisberienſis maritum reſpuit.

CIRCA hos quoque dies relatum eſt Regi *Anglorum*, *Willielmum* Comitem *Sarisberienſem*, ipſius Regis avunculum, dum de partibus tranſmarinis rediret in *Angliam*, in mari fuiſſe ſubmerſum. Sed cùm Rex hujus rei eventum nimis moleſtè tuliſſet; acceſſit ad eum *Hubertus*, regni Juſtitiarius, exigens ab eo, ut uxorem ejuſdem *Willielmi* daret *Reimundo* nepoti ſuo, quem honor Comitatus illius jure hæreditario contingebat, ut eam ſibi matrimonio jungeret. Rex autem, cùm petitionem ſuam annuiſſet, ſi poſſet Comitiſſam inducere ad conſenſum, miſit ilicò Juſtitiarius *Reimundum* præfatum ad Comitiſſam in nobili apparatu militari; ſi poſſit ad ejus amorem animum mulieris inclinare. Cúmque eam *Reimundus* memoratus, blandis ſermonibus & promiſſionibus magnis, ad conſenſum trahere conaretur; illa cum indignatione maxima reſpondit, ſe nuper literas accepiſſe & nuncios, qui Comitem virum ſuum ſanum eſſe & incolumen fatebantur. Reſpondit prætereà, quòd dominus ſuus Comes ſi in veritate defunctus fuiſſet, nullo modo ipſum reciperet ſponſum; quia generis ejus nobilitas id fieri prohibebat. Alibi (inquit) tibi quæras matrimonium, quia expertò reperies, te huc inaniter perveniſſe. At *Reimundus* hæc audiens, confuſus ab illa receſſit.

Quomodo dominus Papa præbendas ſibi dari exegerit.

ANNO Domini M. CCXXVI. Rex *Henricus* ad Natale Domini celebravit feſtum ſuum apud *Wintoniam*; præſentibus quibuſdam Epiſcopis, & Magnatibus multis. Solennitate itaque peracta, profectus eſt Rex apud *Merlebergiam*; ubi gravi infirmitate correptus, per multos dies deſperatus jacebat. Venit intereà terminus Concilii ad feſtum ſancti *Hilarii* apud *Weſtmonaſterium* præfixus; ubi Rex cum Clero & Magnatibus regni comparere debuerat, ut domini Papæ mandatum audiret. Multis igitur in loco præfato congregatis Epiſcopis cum aliis Prælatis & laicorum turbis; magiſter *Otto*, domini Papæ nuntius (de quo habita eſt mentio ſuperiùs) literas apertè coram omnibus recitavit. In quibus idem Papa allegavit ſcandalum ſanctæ *Romanæ* Eccleſiæ, & opprobrium vetuſtiſſimum; notam ſcilicet concupiſcentiæ, quæ radix dicitur omnium malorum; & in hoc præcipuè, quòd nullus poteſt aliquod negotium in *Romana* curia expedire, niſi cum magna effuſione pecuniæ, & donorum exhibitione. Sed quoniam ſcandali hujus & infamiæ *Romana* paupertas cauſa eſt; debent matris inopiam ſublevare, ut filii naturales. Quia niſi à vobis & aliis viris bonis & honeſtis dona reciperemus; deficerent nobis neceſſaria vitæ, quòd eſſet omninò *Romanæ* incongruum dignitati. Ad iſtud itaque ſcandalum penitùs eradicandum, per conſilium fratrum noſtrorum, ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ Cardinalium, quandam providimus formam; cui ſi volueritis conſentire, à ſcandalo matrem veſtram poteritis liberare; & in curia *Romana* ſine donorum obſequio exhibitionem juſtitiæ obtinere. Forma autem proviſa hæc eſt: Petimus in primis ab omnibus eccleſiis Cathedralibus, duas nobis præbendas exhiberi; unam de portione Epiſcopi, & alteram de Capitulo. Et ſimiliter de Cœnobiis, ubi diverſæ ſunt portiones Abbatis & Conventus: à Conventibus, quantum pertinet ad unum monachum æquali facta diſtributione bonorum ſuorum, & ab Abbate tantundem.

Commune reſponſum Prælatorum.

HIIS in hunc modum propoſitis, perſuaſit ex parte domini Papæ magiſter *Otto*, ut conſentirent Prælati; allegans ſupradicta commoda, quæ in literis continentur. Hæc autem omnia audientes Epiſcopi, & eccleſiarum Prælati, qui perſonaliter interfuerunt, divertentes ſeorsùm ad colloquendum, cùm ſuper rebus propoſitis diutiùs deliberaſſent; reſponſum ſuum in ore magiſtri *Johannis Bedefordenſis* Archidiaconi communiter poſuerunt. Qui veniens in præſentia magiſtri *Ottonis*, per hæc verba reſpondit: Domine, iſta quæ nobis proponitis, Regem *Angliæ* ſpecialiter tangunt, generaliter verò omnes eccleſiarum patronos regni: tangunt Archiepiſcopos, & eorum Suffraganeos, necnon innumeros *Angliæ* Prælatos. Cùm ergo Rex propter infirmitatem, & Archiepiſcopi nonnulli & Epiſcopi, & alii eccleſiarum Prælati ſunt abſentes; in eorum abſentia vobis reſpondere non poſſumus, nec debemus: quia ſi id facere præſumeremus, in præjudicium omnium abſentium fieret Prælatorum. Et hiis dictis, venit *Johannes Mareſchallus*, & alii nuntii Regis, ad omnes Prælatos, qui de Rege Baronias tenebant in capite deſtinati: diſtrictè inhibentes, ne laicum feudum ſuum *Romanæ* eccleſiæ obligarent, unde à ſervitio ſibi debito privaretur. Hæc autem cùm magiſter *Otto* intellexiſſet, ſtatuit his qui aderant diem ibi in media quadrageſima; dum ipſe procuraret Regis adventum & abſentium Prælatorum, ut tunc negotium ſortiretur effectum. Sed illi abſque Regis & aliorum, qui abſentes erant, aſſenſu, præfixum diem admittere noluerunt: unde ſinguli ad propria ſunt reverſi.

REX *Anglorum* intereà, cùm apud *Merlebergiam* ab infirmitate ſua plenè convaluiſſet, venit ad eum ibi *Willielmus* Comes *Sarisberienſis*; qui poſt longa maris pericula, anteà in

diebus

diebus Natalitiis in *Cornubia* cum difficultate applicuerat. Qui cùm fuiſſet à Rege in magna ſuſceptus lætitia, de Juſtitiario coram domino Rege gravem depoſuit querelam; quòd dum in remotis partibus eſſet in ſervitio ſuo, ipſe miſerat degenerem virum quendam; qui eo vivente cum uxore ſua fornicari diſpoſuit, & adulterinum cum ipſa matrimonium contrahere violenter. Addidit inſuper, quòd niſi Rex plenam ſibi de Juſtitiario faceret juſtitiam exhiberi; ipſemet quæreret de tanto exceſſu vindictam in graviſſimam regni perturbationem. Tunc Juſtitiarius, qui præſens erat, proprium confeſſus reatum in equis precioſis & donativis ingentibus, gratiam ſibi Comitis reparavit. Et ſic facta concordia, invitavit Comitem ad menſam ſuam Juſtitiarius, in qua, ut dicitur, idem Comes occulto infectus veneno, ad caſtellum ſuum *Saisberienſe* profectus, lecto decubuit, graviter infirmatus. Invaleſcente demùm ægritudine, cùm certiſſima ſuæ necis indicia cognoviſſet, fecit Epiſcopum civitatis ad ſe venire; ut ea quæ *Chriſtiani* ſunt, in confeſſione & viatico ſuſciperet, & legitimum de rebus habitis conficeret teſtamentum. Intrante autem Epiſcopo thalamum, in quo jacebat Comes, nudus omninò præter fœmoralia, contra eum corpus Domini ferentem, ex lecto proſiliens, aſperrimùmque laqueum circa collum connectens, cum jugi lacrymarum effuſione ſe proſtravit in pavimentum, ſummi Regis ſe eſſe proditorem conteſtans: nec de loco moveri voluit, niſi facta confeſſione, & vivifici ſacramenti percepta communione, ut ſe ſui ſervum oſtenderet creatoris. Et ſic per dies aliquot in ſuprema perſeverans pœnitentia, ſpiritum ſuo tradidit Redemptori. Contigit autem, quòd dum de caſtello ad novam eccleſiam per unum militare corpus ejus ad tumulandum portaretur, cerei qui cum cruce & thuribulo de more portabantur accenſi, inter pluviarum effuſiones, & ventorum turbines, lumen continuum in itinere miniſtrabant: ut apertè oſtenderent, Comitem tam arduè penitentem, ad lucis filios pertinere. Epitaphium ejuſdem *Willielmi:* 1226. *De morte laudabili* Willielmi *Comitis Sarisberienſis.*

Flos Comitum Willielmus *obiit, ſtirps Regia, longus*
Enſis vaginam cœpit habere brevem.

HOC eodem tempore venit magiſter *Romanus* ad partes *Gallicanas*, à domino Papa miſſus; ut ibi Legationis officio fungeretur. Quò cùm perveniſſet, fecit convocare Regem *Francorum* cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & clero *Gallicano* ad Concilium, cum Comite *Tholoſano*; pro quo ſpecialiter ad partes illas miſſus fuerat, ſicut ſequens relatio declarabit. Convenerunt igitur ad *Bituricam* civitatem ad Concilium, *Lugdonienſis*, *Remenſis*, *Rothomagenſis*, *Thuronenſis*, *Bithuricenſis*, *Auxianenſis* Archieqiſcopi: *Burdegalenſis* verò *Romæ* fuit, & *Narbonenſis* eccleſia vacabat. Convenerunt igitur novem provinciarum Suffraganei circiter centum, cum Abbatibus, & Prioribus, & ſingulorum procuratoribus capitulorum, mandatum ſummi Pontificis audituri. Sed quoniam *Lugdunenſis* Archiepiſcopus vendicabat ſibi primatiam ſuper Archiepiſcopum *Senonenſem*, & *Rothomagenſis* ſuper *Bithuricenſem*, *Anxianenſem*, *Narbonenſem*, & eorum Suffraganeos; timebatur de diſcordia; & ideò non fuit ſeſſum quaſi in concilio, ſed ut in conſilio. Quibus ſedentibus, & lectis in publico legationis literis, aparuerunt Comes *Tholoſanus* ex una parte, & *Simon* de *Monte forti* ex altera; qui petiit ſibi reſtitui terram *Reimundi* Comitis *Tholoſani*, quam dominus Papa & Rex *Francorum Philippus* ſibi & patri ſuo contulerunt; exhibens ſupra donatione facta utriuſque, Papæ ſcilicet & Regis, munimenta. Addiditque, Comitem *Reimundum* abjudicatum fuiſſe *Romæ* in Concilio generali propter hæreſin, quæ dicitur *hæreſis Albigenſium*; ad minus à parte majori terræ quam nunc tenet. E contrà, Comes *Reimundus* obtulit ſe facturum erga Regem *Francorum* & eccleſiam *Romanam*, quicquid facere deberet pro hæreditate ſua. Tunc cùm peteret pars adverſa ab eo, ut ſubiret judicium duodecim Parium *Galliæ*, reſpondit *Reimundus*: Recipiat Rex homagium meum, & paratus ſum ſubire: quia fortè non haberent me pro pari, ſi ſecùs fieret. Cùmque hinc inde fuiſſet plurimùm altercatum; præcepit Archiepiſcopis ſingulis Legatus cum præſentibus, ut convocatis ſeorsùm unuſquiſque Suffraganeis, cum eis deliberarent ſuper negotio præfato, & traderent Legato conſilium ſuum redactum in ſcripto. Quo facto, Legatus excommunicavit omnes qui ſuper hoc ſua conſilia revelarent; dicens ſe ea velle domino Papæ ſignificare, & *Francorum* Regi oſtendere. *De Concilio* Bituricenſi, *cui præſedit* Romanus Francorum *Legatus.*

POST hæc, Legatus dedit in dolo procuratoribus capitulorum licentiam ad propria revertendi; retentis tantùm Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, & ſimplicibus Prælatis. Unde non immeritò timuerunt, ne procurata eorum abſentia, qui majoris prudentiæ erant & experientiæ, & præ multitudine potentiores ad contradicendum; aliquid ſtatueretur in præjudicium abſentium Prælatorum. Quocirca dicti procuratores, poſt deliberationem diutinam, miſerunt ad Legatum procuratores metropolitanarum eccleſiarum; qui coram eo ſic allegaverunt: Domine, audivimus quòd habetis literas ſpeciales à curia *Romana*, de exhibendis præbendis in omnibus eccleſiis conventualibus, ſive cathedralibus. Quocirca multùm miramur, quòd non in hoc conſilio propoſuiſtis eas nobis audientibus, quos ſpecialiter tangunt. Unde rogamus in Domino, ne iſtud ſcandalum oriatur per vos in eccleſia *Gallicana*; ſcientes quòd ſine maximo ſcandalo & inæſtimabili damno, non poſſet hic ad effectum perduci. Quia eſto, quòd aliquis aſſentiret, nullus eſſet ejus aſſenſus in rebus quæ *Legatus dedit procuratoribus in dolo licentiam recedendi.*

omnes

1226. omnes tangunt; cùm ferè omnes majores, & generaliter omnes ſubditi, necnon & ipſe Rex, & omnes Principes parati ſint contradicere, & reſiſtere uſque ad capitis expoſitionem, & omnis honoris privationem; præſertim cùm videatur imminere propter hoc ſcandalum, ſubverſio regni & eccleſiæ generalis. Ratio autem noſtri timoris eſt, quòd cum cæteris regnis non habuiſtis ſermonem; & quibuſdam Epiſcopis præcepiſtis & Abbatibus, ut cùm præbendæ vacaverint, ad opus domini Papæ reſervarent.

Legatus exegit duas præbendas dari.

HIS auditis, cùm niteretur Legatus perſuadere ut omnes conſentirent, oſtendit tunc primò domini Papæ authenticum; in quo exegit à ſingulis eccleſiis cathedralibus duas præbendas; unam à Capitulo, & alteram ab Epiſcopo. Et in Cœnobiis ſimiliter, ubi ſunt diverſæ portiones, Abbatis ſcilicèt & Conventus, duas exegit præbendas; unam ab Abbate, & aliam à Conventu; æquali facta diſtributione bonorum ſuorum à Conventibus quantum pertinet ad unum monachum, (ſicut ipſe interpretatus fuerat Legatus) & ab Abbate tantundem. Tunc allegavit commoda, quæ poſſent inde provenire, illud videlicet, quòd amoveretur ſcandalum à *Romana* eccleſia, quæ mater eſt omnium eccleſiarum; concupiſcentia ſcilicèt, quæ radix eſt omnium malorum; cùm nullus pro aliquo negotio in curia *Romana* faciendo aliquid offerret, vel aliquis oblata reciperet.

Objectiones contra exactiones prænotatas.

ADHOC reſpondit procurator Archiepiſcopi *Lugdunenſis*. Domine, nullo modo volumus eſſe ſine amicis in curia, & largitate donorum. Alii æquè ſua incommoda allegabant; damna ſcilicèt rerum, conſiliorum, auxiliorum, obſequiorum, in hunc modum: *Erit enim* in qualibet Diœceſi, vel ad minus in provincia, nuncius unus continuus, procurator *Romanus*; qui non vivet de proprio, ſed graves actiones & procurationes exiget ab eccleſiis majoribus, & fortè minoribus; ut nullus remaneat impunitus, noménque procuratoris habens, Legati officio fungetur. Item dixerunt, imminere turbationes Capitulorum: fortè enim demandaret dominus Papa, cùm vellet, procuratori ſuo, vel alii, ut vice ſua intereſſet electionibus, qui eas turbaret: & ſic lapſo tempore devolveretur electio ad curiam *Romanam*; quæ in omnibus vel pluribus eccleſiis *Romanos* poneret, vel tales qui eis plurimùm eſſent devoti. Et ſic nullæ eſſent partes indigenarum Prælatorum vel Principum; cùm multi ſint viri eccleſiaſtici, qui potiùs curiæ *Romanæ*, quàm Regi vel regno providerent. Item addiderunt, quòd ſi proportionaliter fieret bonorum diſtributio, omnes in curia fierent divites, cùm multò plus eſſent recepturi, quàm Rex proprius. Et ſic majores non ſolùm divites, ſed & ditiſſimi fierent. Cùm igitur vermis divitum ſit ſuperbia, majores vix cauſas audirent, ſed eas in immenſum differrent, & minores ſcriberent inviti: cujus rei experimentum in evidenti eſt, quia & modò negotia protrahunt, etiam poſt percepta obſequia, & ſecuritate percipiendi; & ſic periclitaretur juſtitia, & oporteret conquerentes mori in januis *Romanorum*, tunc pleniſſimè dominantium. Item, cùm vix poſſibile ſit fontem cupiditatis deſiccari; quod nunc faciunt per ſe, tunc facerent per alios, & ſuis multò majora quàm nunc dari munera procurarent: modica enim nulla ſunt, in conſpectu divitum cupidorum. Item, multæ divitiæ facerent *Romanos* inſanire, & ſic inter diverſas parentelas tantæ orirentur ſeditiones, quòd poſſet timeri totius excidium civitatis; cujus etiam & modò penitùs expers non eſt. Item dixerunt, quòd licèt ſe obligarent qui modò præſentes ſunt, id non ſuſciperent eorum ſucceſſores; nec illam obligationem ratam haberent. Noviſſimè autem, ſic negotium concluſerunt: Domine, moveat vos zelus univerſalis eccleſiæ, & ſanctæ ſedis *Romanæ*: quia ſi omnium eſſet univerſalis oppreſſio, poſſet timeri ne immineret generalis diſceſſio, quod Deus avertat. His auditis, reſpondit Legatus (ut videbatur, plurimùm commotus in his omnibus) ſe cùm eſſet in curia nunquam huic exactioni conſenſiſſe; & ipſum literas accepiſſe, poſtquam *Galliam* fuerat ingreſſus; & ſe multùm ſuper hæc doluiſſe. Addidit etiam, ſuper hæc quicquid præcepit, tali conditione, licèt tacita, intellexiſſe, ſi Imperium & alia regna conſentirent. Adjunxit inſuper, ſe nihil amplius ſuper hæc attemptaturum, donec per regna alia Prælati conſenſerint, quod credidit provenire non poſſe.

Commotio magna contra Comitem Tholoſanum.

EODEM anno, cùm magiſter *Otto* domini Papæ nuntius, tempore quadrageſimali ad *Northanhumbriam* profecturus, & procurationes deſideratas exacturus; *Norhamtonam* uſque perveniſſet; venerunt ad eum (*Cantuarienſi* Archiepiſcopo procurante) literæ domini Papæ; in quibus continebatur expreſſum, ut ſtatim viſis literis *Romam* veniret, ejus poteſtate penitùs enervata. Obliquo igitur oculo literis inſpectis, demiſſo vultu eas projecit in ignem. Atque ilicò propoſito mutato, clitellis vacuis ab *Anglia* receſſit confuſus: injuncto *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo, ſicut erat in literis domini Papæ expreſſum; ut convocatis Rege & omnibus *Angliæ* Prælatis, reſponſum eorum ſuper negotio, pro quo idem *Ordo* miſſus fuerat, domino Papæ tranſmittere non omittat. Magiſtro igitur *Ottone Angliam* à tergo ſalutante, *Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, vocatis ad concilium cunctis apud *Weſtmonaſterium*, poſt Paſcha, quos negotium tangebat, recitari fecit literas ſupradictas, de beneficiis *Romanæ* eccleſiæ conferendis, coram Rege & Prælatis *Angliæ*, qui ad ejus vocationem plenè convenerant. Sed illis auditis, ac diligenter intellectis, ſinguli ſingulos ad viſum monebant ſuper concupiſcentia *Romanorum*; qui illud morale non intelligunt, videlicet,

Quòd

Quòd virtus reddit, non copia ſufficientem:
Et non paupertas, ſed mentis hiatus egentem.

Tunc Rex, convocatis ſeorſùm Prælatis & quibuſdam Magnatibus, hoc Archiepiſcopo dedit reſponſum: Iſta quæ ſuadet nobis dominus Papa, univerſam *Chriſtianitatis* latitudinem reſpiciunt: & quia nos quaſi in extremis orbis conſtituti ſumus partibus, cùm viderimus qualiter cætera regna erga tales ſe habuerint exactiones, dominus Papa, cùm ab aliis regnis habuerimus exemplum in obſequiis nos inveniet promptiores. Et his dictis, conceſſa eſt omnibus licentia recedendi.

PER idem tempus facta eſt prædicatio in partibus *Gallicanis* à Legato *Romano* generaliter; ut omnes qui poſſent arma movere, ſe cruce ſignarent ſuper Comitem *Tholoſanum* & populum ejus; qui omnes hæretica fœditate dicebantur infecti. Ad ejus quoque prædicationem, multitudo maxima Prælatorum & laicorum crucis ſignaculum ſuſceperunt; plus metu Regis *Francorum*, vel favore Legati, quam zelo juſtitiæ inducti. Videbatur enim multis abuſio, ut hominem fidelem *Chriſtianum* infeſtarent: præcipuè cùm conſtaret cunctis eum in concilio, nuper apud civitatem *Bituricam* habito, multis precibus perſuaſiſſe Legato, ut veniret ad ſingulas terræ ſuæ civitates, inquirens à ſingulis articulos fidei: & ſi quempiam contra fidem inveniret ſentientem Catholicam, ipſe ſecundum judicium ſanctæ eccleſiæ, juſtitiæ ex eis plenitudinem exhiberet. Et ſi civitatem aliquam inveniret rebellem, ipſe pro poſſe ſuo eam cum habitatoribus ſuis ad ſatisfactionem compelleret. Pro ſe ipſo autem obtulit, ſi in aliquo deliquit; (quod ſe feciſſe non recoluit) plenam Deo & ſanctæ eccleſiæ ſatisfactionem, ut fidelis *Chriſtianus*: & ſi Legatus vellet, etiam fidei examen ſubire. Hæc quoque omnia Legatus contempſit; nec potuit Comes Catholicus gratiam invenire, niſi pro ſe & hæredibus ſuis, hæreditatem ſuam deſerens, abjuraret. Rex verò *Francorum* ad ejuſdem Legati exhortationem cruce ſignatus, noluit expeditionem bellicam promovere; niſi literis priùs à domino Papa impetratis ad Regem *Anglorum* inhibitoriis, ne ſub pœna excommunicationis Regem *Francorum* inquietaret, vel arma contra eum moveret de aliqua terra quam in præſenti poſſidebat, ſive juſtè, ſive injuſtè; dum idem Rex eſſet in ſervitio ſuo & eccleſiæ *Romanæ*, ad exterminandum hæreticos *Albigenſes*, & eorum fautorem & complicem Comitem *Tholoſanum*: ſed eidem Regi, ad exaltationem fidei, conſilium & auxilium impendere non tardaret. Et his ita geſtis, Rex *Francorum Lodovicus* & Legatus, omnibus cruce ſignatis, diem ſtatuerunt peremptorium: ut in Aſcenſione Domini apud *Lugdunum*, cum equis & armis, ſub pœna excommunicationis, venirent; ipſos ad expeditionem propoſitam ſequuturi.

Magiſter Otto Romam invitus revenit.

REX *Anglorum* intereà, qui ardenti deſiderio ſitiebat ad partes tranſmarinas hoſtiliter transfretare; convocatis Conſiliariis ſuis, fecit recitare literas ſibi à domino Papa tranſmiſſas; quærens ab eis conſilium, quid ſuper tali inhibitione ſibi foret agendum. Placuit itaque Prælatis & Magnatibus univerſis, ut differretur negotium deſideratum, donec conſtaret de Rege *Francorum*; qui tam difficile opus & propoſitum habebat, adeóque ſumptuoſum, quem res eſſet exitum habitura. Erat igitur Rex *Anglorum* de fratre ſuo *Richardo*, qui tunc in *Gaſconia* bellicas agebat expeditiones, valdè ſollicitus; ſupra modum ad ipſum deſiderans transfretare. Sed dum Rex circa fratrem, & de ejus ſubventione ſatis curioſus exiſteret, venerunt nuncii ejus ad Regem cum literis, dicentes ipſum ſanum eſſe & incolumem & quòd omnia ſibi proſperè ſuccedebant. Erat autem tunc inter Regis Conſiliarios, magiſter *Willielmus* cognomento de *Perepund*, in arte peritus *Aſtronomiæ*; qui conſtanter coram Rege affirmabat, quòd ſi Rex *Francorum* inchoatam expeditionem exequendam aſſumeret, vel nunquam vivus rediret, aut maximam ſui & rerum ſuarum ſuorúmque omnium ſubiret confuſionem. Rex autem ex his quæ audierat plurimùm exhilaratus, ſuorum conſilio acquievit.

Qualiter Rex Angliæ propoſitum ſuum de transfretando mutaverit.

EODEM anno, *Richardus* de *Mariſco Dunelmenſis* Epiſcopus, pro turpiſſima cauſa, quam agebat contra monachos ſuos, utpotè monachorum & religioſorum perſecutor ab antiquo; ad diem *Londoniis* conſtitutum, cum tumultu valido reboantium Legiſtarum properans, apud burgum S. *Petri* in Abbatia hoſpitatus eſt. Ubi poſt ſplendidam refectionem, cùm nocte ſequenti lecto ſeſe recepiſſet, clerici ejus, manè facto, & ſole jam in altum aſcendente, thalamum ejus intrantes, & illum excitare volentes, invenerunt eum mortuum & omninò extinctum. Qui maxima confuſione ſtupefacti celaverunt mortem ejus die illa uſque ad veſperam; eò quòd abſque confeſſione & viatico expiraſſet. Deinde verò caſum miſerabilem Priori & Conventui indicantes, fabricata cum feſtinatione lectica; corpus ad ſepeliendum ad *Dunelmenſem* Eccleſiam detulerunt. Obiit autem prima die menſis Maii à primis annis aulicus & curialis Regum ſatelles; & theolenarius domibus religioſorum exitialis, poſtquàm vixerat in Epiſcopatu annis circiter novem. Cujus Epitaphium quidam monachus Dunelmenſis fecit tale:

De morte Richardi Dunelmenſis Epiſcopi.

Culmina

1226.

Culmina qui cupi		*laudes pompáſque ſiti*	
Eſt ſedata ſi		*ſi me penſare veli*	
Qui populos regi	*tis,*	*memores ſuper omnia ſi*	*tis.*
Quòd mors immi		*non parcit honore poti*	
Vobis præpoſi		*ſimilis fueram, benè ſci*	
Quod ſum vos eri		*ad me currendo veni*	

De hoc quoque Epiſcopo nón credimus forè tacendum, quod circa biennium ante mortem ejus, Rex quondam *Anglorum Johannes* apparuit in viſione nocturna cuidam monacho de ſancto *Albano*, apud *Thinemuam* tunc commoranti: qui familiaris fuerat Regibus *Anglorum*, tam Regi *Richardo*, quàm huic *Johanni*; quòd in eorum negotiis exequendis aliquando *Romam*, aliquando in Scotiam, & ad alia loca plurima miſſus propenſioribus ſibi ſtudiis eorundem Regum gratiam comparavit, cujus nomen fuit *Reimundus*, quondam Prior eccleſiæ ſancti *Albani*. Monacho itaque in lecto quieſcente, aſtitit ei Rex præfatus in veſtibus Regalibus: de panno videlicet qui Imperialis vulgariter appellatur. Quem monachus recognoſcens, ac memoriter recolens, quòd mortuus fuiſſet, ſciſcitabatur ab eo, qualiter ſe haberet. Cui Rex: Ita me habeo, quòd nemo pejùs. Nam hæc mea quæ vides indumenta, adeò ardentia ſunt & ponderoſa ut nullus qui in ſæculo vivit, illa tangere ſufficeret præ ardore, vel propter ponderoſitatem portare, quin protinùs moreretur. Sed tamen per Dei clementiam ſpero & gratiam ineffabilem, & filii mei *Henrici* largam eleemoſynarum diſtributionem; necnon ſervitii divini honorem, quem Domino devotus impendit, me quandoque miſericordiam adepturum. Quæſo igitur obnixiùs fraternitatem tuam, ut dicas *Richardo* de *Mariſco*, nunc *Dunelmenſi* Epiſcopo; quòd niſi ante mortem ſuam correxerit flagitioſam, & eam vitam per pœnitentiam & ſatisfactionem condignam emendaverit: ſedes ejus, quæ in inferna eſt, eum expectat præparata. Et ſi his dictis tuis, & mandatis meis fidem adhibere contempſerit, per hæc interſignia omnem deponat ambiguitatem: Quòd dum ſoli eſſemus in loco illo ſibi notiſſimo dedit mihi conſilium, tam mihi, quàm ſibi nimis damnoſum; ut videlicet à monachis *Ciſtercienſis* ordinis auferrem lanam ſuam unius anni: & quòd multa alia dedit mihi conſilia iniqua, pro quibus nunc perfero inenarrabilia, quæ etiam & illi debentur tormenta. Quòd ſi adhuc dubitaverit credere mandatis meis, recolat quòd in illo loco, & hora eadem, dedit mihi unum lapidem precioſum, quem pro ingenti pecunia comparavit. Et his dictis, Rex diſparuit, & monachus expergefactus evigilavit.

Diſſidium ſuper electione Dunelmenſis Epiſcopi.

DEFUNCTO itaque *Richardo Dunelmenſi* Epiſcopo, Prior & Conventus, cùm à Rege peterent licentiam eligendi Paſtorem, Rex obtulit eis *Lucam* Capellanum ſuum: multa rogans ſupplicatione, ut illum reciperent in Paſtorem. Monachi verò ad hoc reſponderunt, quod nullum reciperent, niſi canonica electione præmiſſa. Rex autem è contra cum juramento affirmavit, ipſos futuros per ſeptennium ſine Epiſcopo, niſi præfatum *Lucam* admitterent ad Pontificatus honorem. Conventus verò illum ad tantam dignitatem indignum judicantes, de communi conſenſu fratrum elegerunt magiſtrum *Willielmum* clericum ſuum: virum literatum, & honeſtum, *Wigornienſem* Archidiaconum, & ipſum Regi præſentaverunt. Quem cùm Rex objectis quibuſdam frivolis exceptionibus, recuſaſſet; monachi quoſdam de Conventu *Romam* miſerunt ut electionem factam authoritate Apoſtolica confirmarent. Rex autem, cùm talia cognoviſſet, miſit *Romam* contra monachos; Epiſcopum ſcilicet *Ceſtrenſem*, & *Lentoniæ* Priorem ut eorundem monachorum propoſitum irritum facerent: & ſic diu illis altercantibus, negotium dilationem accepit.

Lodovicus Rex Francorum Avinionem obſedit.

VENIT intereà Dominicæ dies aſcenſionis, qui fuerat à Rege *Francorum* & Legato *Galligenis* cruce ſignatis peremptoriè conſtitutus. Rex autem, ad expeditionem neceſſariis apud *Lugdunum* ritè præparatis; cum exercitu quaſi invincibili iter arripuit; ſequente Legato cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis eccleſiarum Prælatis. Æſtimati ſunt autem in exercitu, militum & equitum bellatorum ad quinquaginta millia; præter pedites: qui quaſi ſub numero non cadebant. Legatus autem excommunicavit publicè Comitem *Tholoſanum*, & omnes ejus fautores: & terram illius totam ſuppoſuit interdicto. Profectus itaque Rex micantibus clipeis & vexillis; cujus progreſſus adeò erat horribilis, ut caſtrorum acies ordinata, in Provinciam pervenit Comitis *Tholoſani*. Tandem in vigilia Pentecoſtes, omnes *Avinionem* venientes, quæ civitas proxima illis erat de poteſtate Comitis ſupradicti: propoſuerunt eam priùs impetere & ſic terram Comitis totam, ab initio uſque ad finem cum habitatoribus ejus delere. Ubi Rex & Legatus, tranſitum civitatis in dolo à civibus poſtulantes; dixerunt ſe illùc pacificè advenisse: & non ob aliud civitatis tranſitum poſtulaſſe, niſi ut itineris compendium ſequerentur. Cives quoque ſuper hæc colloquentes, fidem eorum aſſertionibus non dederunt, dicentes, quòd plus in dolo, quàm pro viæ compendio, exigebant introitum civitatis. At Rex in furorem verſus juravit ſe inde non receſſurum, donec comprehenderet civitatem. Et machinis in locis congruis collocatis, juſſit urbem acriter infeſtari. Fit igitur ad civitatem aſſultus graviſſimus, dum petraria,

1216.

baliſta, ſcrofa, catus, funda, enſis, lancea, ſcutum, galea, clava, lorica; ſagitta, hinc inde quid valeat, experiretur. E contrà, civitas ante dies illos ab hoſtium cuneis prorſus incognita, foſſatis, mœniis, turribus, propugnaculis deforis: intùs militibus, ſervientium millibus, equis & armis, lapidibus comportatis, ſpiculis fabricatis, repagulis, & machinis aptatis & victualibus redundanter referta; hoſtium ſupervenientium non expavit incurſum. Defenſores enim urbis lapides pro lapidibus, tela pro telis, ſudes pro ſudibus, jacula pro jaculis animoſiùs remittentes, & argumenta pro argumentis excogitantes; vulnera *Galligenis* lethifera inferebant.

CUMQUE per tempus plurimum protraheretur obſidio, deficientibus alimentis, periit hominum innumera multitudo. Comes enim *Tholoſanus*, ut bellator peritiſſimus, ante *Francorum* adventum, omnia alimentorum genera, cum ſenibus, mulieribus parvulis; necnon & animalibus cum jumentis, ab eorum præſentia longiùs removens, omne eis alimentorum genus ſubtraxit. Nec enim ſolummodò homines, verùm etiam & equos exercitus & jumenta extinxit: fecerat namque Comes ſæpedictus prata arari totius regionis, nec erat jumentis pabuli ſubſidium, niſi quod ibi delatum fuerat ex partibus *Gallicanis*. Unde neceſſitate cogente, multæ legiones armatorum à caſtris recedentes, ut victualia quærerent hominibus, & pabula jumentis; multa repugnantia ſibi municipia in circuitu ceperunt: & multoties à Comite *Tholoſano*, qui cum ſuis erat agminibus in inſidiis conſtitutus, damna non modica pertulerunt. In obſidione verò *Galligenis* multa imminebant necis pericula, inter quos fervebant potiſſimùm mortalitas hominum & equorum, tela mortifera, & damnoſi lapides civium ſe viriliter defendentium; fames generalis, & præcipuè inter pauperes quibus deerat cum pecunia alimentum. Atque præter cætera miſeriarum incommoda, quæ ſine intermiſſione graſſabantur in populo; oriebantur ex cadaveribus jumentorum & hominum, quæ paſſim moriebantur, muſcæ quædam groſſæ & nigerrimæ; quæ inter tentoria, papiliones, & umbracula, ſe ſtridore abominabili ingerentes, dapes inficiebant & pocula; quas cùm nemo abigendo arcere poterat à calicibus & catinis, mortem *Galligenis* ſubitam inferebant. Confuſio Regem, & præcipuè Legatum invaſit; quia ſi tanta taliſque expeditio infecto recedere negotio cogeretur; opprobrium tam *Franci* incurrerent, quàm *Romani*. Tunc Principes exercitus, quibus in tot mortibus longa videbatur mora: minores caſtrorum cum majoribus ad urbem invadendum ſollicitant. Unde ſuper pontem quendam, qui ultra *Rodanum* fluvium ſe extendit, ad urbem tanta ſe armatorum copia ingeſſit; quòd vel à civibus, vel etiam præ pondere in eodem pugnantium, pons fractus præcipitavit in flumen rapidiſſimum ad tria millia armatorum. Quid ergo? vox & exultatio civium; dolor & confuſio fit *Francorum*. Tunc cives, viſa opportunitate, dum *Franci* ad menſam ſedentes, epulis intenderent & poculis; die quadam exierunt de civitate in fortitudine gravi & facto impetu in hoſtes non præmeditatos, ad duo millia ex *Francigenis* peremerunt. Et abſque ſuorum læſione indemnes civitatem ſuam ingreſſi, tales irruptiones fecerunt in hoſtes. At Rex *Francorum*, animo nimis conſternatus, juſſit interfectos in *Rodanum*, propter corruptionem, præcipitari: qui aliud cœmiterium in tanta cadaverum multitudine non habebant. Fecerunt prætereà inter ſe & urbem foſſatum, ſpatioſum ſatis & altum; & inſuper obſidio à civitate longiùs arcebatur. Legatus autem & omnis chorus Prælatorum; Comitem *Tholoſanum* & cives, cum univerſo populo regionis, (vindictæ genus aliud non habentes) ſub anathemate concluſerunt.

De mortalitate & fame in obſidione Avinionis.

TUNC *Lodovicus* Rex *Francorum*, ut peſtilentiam effugeret, quæ nimis fervebat in caſtris; ad quandam Abbatiam, *Muntpancier* appellatam, quæ non multùm ab obſidione diſtabat, ſe contulit; donec civitas caperetur. Ubi venit ad eum *Henricus* Comes *Campaniensis*, cùm jam xl. dies in obſidione peregiſſet; petens de conſuetudine *Gallicana*, licentiam ad propria remeandi. Cui cùm licentiam Rex vetuiſſet, reſpondit Comes: quod factis xl. dierum excubiis non tenebatur, nec voluit diutiùs intereſſe. Rex autem ad hæc nimia ſuccenſus ira, affirmavit cum juramento, quòd ſi ita recederet, ipſe terram ejus totam incendio devaſtaret. Tunc Comes, ut fama refert, procuravit Regi venenum propinari, ob amorem Reginæ ejus, quam carnaliter illicitè adamavit: unde libidinis impulſu ſtimulatus, moras ulteriùs nectere non valebat. Comite igitur taliter recedente, infirmabatur Rex uſque ad deſperationem; & pervagante ad vitalia veneno, perducitur ad extrema. Licèt alii aſſerant, ipſum non veneno, ſed morbo dyſenterico expiraſſe. Mortuo quoque Rege, *Romanus* qui affuit Apoſtolicæ ſedis Legatus, & Prælati qui aderant, ejuſdem ſecreti Conſiliarii, mortem Regis expediens decreverunt celare donec civitas redderetur: quia ſi ita ſolveretur obſidio, magnum inde ſcandalum oriretur. Finxit ergo Legatus & Prælati qui aderant, Regem gravi infirmitate detentum, ſed ex medicorum judicio citò convaliturum dicebant: denunciantes Principibus legionum, ut urbem viriliter impugnarent. Corpus autem defuncti Regis fecerunt multo ſale condiri, & in Abbatia illa viſcera tumulantes; reliquum corpus linteaminibus ceratis, coriiſque taurinis juſſerunt involvi. Et ſic Legatus cum Prælatis ad obſidionem reverſus eſt; corpore Regis in Abbatia ſub tuta cuſtodia deputato. Cùm igitur vidiſſet Legatus, quòd nihil in obſidione proficiebant, ſed diverſis incommodis prorſus deficiebant; de conſilio majorum qui erant in caſtris, nunciavit in civitatem;

De morte Lodovici Regis Francorum apud Avinionem.

1226. inſtantiùs petens, quatenùs accepta ſecuritate pacificè veniendi & revertendi, mitterent duodecim ex majoribus civitatis ad Legatum & venirent quantociùs de pace & concordia tractaturi.

Civitas Avinionis *dolo ſubjugatur.*

DATIS igitur de ſecuritate obſidibus, venerunt ad colloquium Legati cives xii. & de pacis forma diutiùs tractantes; perſuaſit civibus Legatus conſtanter, ut ſe redderent ſalvis ſibi & ſuis omnibus poſſeſſionibus & rebus, cum libertatibus univerſis, ſicut hactenus meliùs & liberiùs habuerunt. Ad hæc cives reſpondentes, dixerunt, quòd nullo modo ſe redderent, ut ſub *Francorum* viverent poteſtate: quorum multoties experti fuerant ſuperbiam & inſolentiæ feritatem. Tandem poſt multas hinc inde deceptiones, petivit Legatus, ut cum Prælatis qui aderant, poſſet ingredi civitatem, ut fidem probaret eam inhabitantium: affirmans cum juramento, ſe non ob aliud obſidionem protraxiſſe, niſi ut ſalutem quæreret animarum. Addidit etiam, quòd clamor infidelitatis, quæ in urbe invaluerat, ad Papam aſcendit: unde ſcire deſiderabat, utrùm clamorem opere compleviſſent. Tunc cives, ſuper promiſſione ſua fidem habentes, & de fraude nihil ſiniſtrum ſuſpicantes; ſub conditione prædicta, præſtito utrinque juramento, conceſſerunt Legato cum Prælatis ſimpliciter & eorum ſequelis, ingreſſum urbis: quos doloſè, ut prælocutum fuerat, *Francigenæ* apertis januis violenter ſubſequentes, ſpreto turpiter juramento, cives ceperunt, & eos vinculis conſtrinxerunt, urbem ſpoliaverunt, multos occiderunt, & doloſam ſic adepti victoriam nobiliſſimæ civitatis turres & mœnia confregerunt. Noviſſimè verò Legatus (civitate ſub *Francorum* deputata cuſtodia) ſoluta obſidione, corpus Regis defuncti cum Prælatorum tumultu *Pariſios* juſſit deferri: & in collegio anteceſſorum ſuorum more fecit Regio ſepeliri. Obiit autem Rex menſe Septembri, ut dicunt; cujus mortem per menſem, & eo ampliùs, celaverunt. De illis autem, qui ad obſidionem venerunt cum Rege, tam de interfectis & in flumine ſubmerſis, quàm de peſtilentia & morte communi defunctis; plus quàm xxii. millia perierunt; ibidem filiis & uxoribus lacrymarum cauſam & gemitum relinquentes. Unde perſpicuè conſtare videtur, bellum injuſtè fuiſſe ſuſceptum; in quo concupiſcentia magis exarſit, quàm exterminium hæreticæ pravitatis.

De coronatione Lodovici *Regis* Francorum *filii* Lodovici *defuncti.*

DEFUNCTO itaque *Francorum* Rege *Lodovico*, Regina ejus *Blanca* fecit convocari generaliter Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios eccleſiarum Prælatos cum Magnatibus coronam ſpectantibus; ut veniret ad coronationem *Lodovici* filii ſui & Regis defuncti, *Pariſios* pridiè Calendas Decembris. Sed pars maxima Optimatum, ante diem præfixum, petierunt de conſuetudine *Gallicana* omnes incarceratos, & præcipuè Comites, *Flandrenſem Ferrandum*, & *Bononienſem Reginaldum*, à carceribus liberari; qui in ſubverſionem libertatum regni jam per annos xii. ſub arctiori cuſtodia in vinculis tenebantur. Petierunt inſuper quidam eorum terras ſuas ſibi reſtitui; quas pater ejus *Lodovicus*, & avus illius *Philippus*, multo jam tempore injuſtè detinuerant occupatas. Adjiciunt etiam, quòd nullus de Regno *Francorum* debuit ab aliquo jure ſuo ſpoliari, niſi per judicium xii. Parium; nec aliquis bello premi, niſi priùs denunciaretur per annum, & præmuniretur. Et cùm hæc omnia ſibi fuerint emendata, tunc primò ad coronationem venire non tardabunt. Regina verò, de conſilio Legati, metuens ne mora periculum pareret; convocato regni clero, & paucis ex proceribus, quos habere poterat; fecit filium ſuum, puerum ſcilicet vix decennem, in Regem die S. *Andreæ* Apoſtoli coronari. Subtraxerunt ſe quidem ab hac coronatione, Dux *Burgundiæ*, Comes *Campaniæ*, Comes de *Bar*, Comes de S. *Paulo*, Comes *Britanniæ*, & ferè omnes, ut breviter dicatur, nobiles ad coronam ſpectantes: qui ſeſe potiùs præparaverunt ad pugnam, quàm ad pacis & concordiæ unitatem. Oriebatur interim rumor irrecitabilis ac ſiniſter: ſcilicet, quòd dominus Legatus ſecùs quàm deceret ſe habebat adverſus dominam *Blancam*. Sed impium eſt hoc credere, quia æmuli ejus hoc diſſeminaverunt. Benignus autem animus, dubia in melius interpretatur. Hoc etiam anno, quarto nonas Octobris, die dominico, beatus *Franciſcus*, in civitate *Aſſiſii*, de qua ortus eſt, apud ſanctam *Mariam* de *Portiuncula*, ubi fratrum Minorum ipſe ordinem initiavit; expletis xx. annis, ex quo perfectiſſimè adhæſit *Chriſto*, Apoſtolorum vitam & veſtigia ſequens; ad contemplationem cœleſtium avolavit. Qui poſteaquàm promeruit gloriam Dei, & remunerationem bonorum operum pro mercede recipiens; in dicta civitate ſepultus eſt. Cujus vita, & mores & regula in anno ſequenti, ſcilicet, M.CCXXVII. pleniùs annotatur.

Rex Angliæ *mittit Legatos in* Galliam.

REX autem *Anglorum*, audiens diffidium Procerum prædictorum, miſit ad partes tranſmarinas Archiepiſcopum *Eboracenſem Walterum*, & *Philippum* de *Albineto* militem, cum aliis ſolennibus Legatis, ad optimates *Normanniæ*, *Andegaviæ*, *Britanniæ*, & *Pictaviæ*, qui ſibi ſubjici de jure tenebantur: poſtulans cum magnis pollicitationibus, quatenùs ad eos ipſum venire cupientem, fideliter admittere dignarentur.

De morte Falcaſii, *& de præſagia mortis ejus.*

EODEM anno, *Falcaſius* exul ab *Anglia*, dum omnibus negotiis in curia *Romana*, non ſine iterpoſitis muneribus, expeditis, ad *Angliam* properaret reverti; apud ſanctum *Ciriacum* vitam flagitioſam terminavit. Dum enim adhuc viveret prædo nequiſſimus, poſtquàm villam ſancti *Albani* crudeliter ſpoliaverat, homines quoſdam interfecerat, nonnullos captivos abduxerat, & tam ab Abbate, quàm de villa tota, magnam pecuniæ ſummam extorſerat: ne ipſam Abbatiam cum monaſterio & villa igne concremaret, contigit ipſum apud S. *Albanum*

1227.

caſu venire, ut cum *Pandulpho Norwicenſi* Epiſcopo loqueretur. Quem cum vidiſſet Epiſcopus ad ſe venientem, audiente ipſo Abbate & aliis multis, quæſivit ab eo, ſi S. *Albanum* in aliquo offendiſſet. Cui cùm *Falcaſius* reſpondiſſet, ſe in nullo Martyrem offendiſſe; addidit Epiſcopus dicens: Ideò hæc à te quæſivi, quia cùm nuper in ſtratu meo nocte quadam dormirem, vidi per ſomnium me eſſe in eccleſia S. *Albani:* ubi cùm ſtarem ante majus altare, & facta oratione retrò aſpicerem, vidi te ſtare in choro monachorum. Et cùm aſpicerem ſurſùm, vidi lapidem unum de turri magnum & ponderoſum cum tanto impetu deſcendere ſuper caput tuum; quòd cum ipſo capite tuo corpus totum contrivit: & ita ſubitò evanuiſti, acſi in terram demerſus fuiſſes. Unde conſilium tibi do, quòd ſi recolis te vel in minimo Martyrem offendiſſe; antequàm lapis ſuper caput tuum deſcendat, ſibi & ſuis omnibus ſatisfacias competenter. Sed miſer ille, poſtmodùm cùm ab Abbate & Conventu de ſuis exceſſibus veniam poſtulaſſet; affirmavit expreſsè quòd nullam omninò reſtitutionem faceret, cùm tamen benè poſſet, ablatorum. Unde in evidenti eſt, quòd illa ſatisfactio nulla fuit; quia *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Iterum, cum de ſtagno ſuo, quod ad magnum detrimentum & damnum domus levaverat apud *Luitonam*, conquereretur Abbas; eò quòd aqua ſuperfluens ſegetes in proximo inſtante Autumno eſſet abſorbenda; reſpondit iniquiſſimus Falco prænominatus, quòd pœnituit eum non expectaſſe donec omnis annona in horreo collocaretur, ut redundans unda omnia conſumpſiſſet. Lapidem autem ſuper caput ſuum deſcendere ſenſit; cùm in brevi tempore deinceps apud *Bedefordiam*, poſt ſuſpenſionem fratrum & amicorum ſuorum, ipſe demùm pauper exilium ſubiit, & nunc vitam morte miſera terminavit. Utinam non adhuc conterat eum lapis iſte in inferno plurimùm formidabilis. Obiit autem veneno infectus; & quodam piſce ingurgitatus, efficaciſſimè venenato. Unde poſt cœnam cubans, inventus eſt mortuus, niger, & fœtens, inceſtatus, & ſine viatico ſalutari & omni honore, & ſubitò ignobiliter eſt ſepultus: & ſic vitam facinoroſam, colligens fructus operum ſuorum horribiliter terminavit, ſiccis lacrymis deplorandus. Eodem anno defuncti ſunt Epiſcopi *Benedictus Roffenſis*, & *Pandulphus Norwicenſis. Pandulpho* verò ſucceſſit *Thomas* de *Blundvilla*, clericus de Scaccario Regis; multùm adjutus procuratione *Huberti* de *Burgo* tunc Juſtitiarii. Et à *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo; dominica prima ante nativitatem Domini, munus conſecrationis ſuſcepit.

Quomodo negotium crucis fuerit proſperatum.

ANNO Domini M.CCXXVII. Rex *Anglorum Henricus* ad natale Domini feſtum celebravit apud *Radingum*; & in eiſdem diebus natalitiis obiit *Willielmus* Comes *Eſſexiæ*, in dolorem multorum & lamentationem, adoleſcens ſtrenuus, & in donorum largitate ſatis profuſus. Deinde Rex *Londonias* veniens, cauſatus eſt cives, quòd in ſuum præjudicium dederunt *Lodovico* Regi *Francorum* nunc defuncto, in receſſu ſuo ab *Anglia* quinque millia marcas argenti. Unde compulſi ſunt idem cives Regi perſolvere, cavillatorum conſilio eandem pecuniæ ſummam. Cepit prætereà ab eis quintam decimam partem omnium mobilium ſuorum, & totius ſubſtantiæ ſuæ, ſicut ei priùs fuerat ab *Anglia* tota conceſſum. De Burgenſibus autem & *Norhamtunenſibus*, cepit de auxilio mille libras & ducentas, præter quintam decimam; quam generaliter omnes de regno *Angliæ* perſolvebant. Compulſi ſunt etiam viri religioſi, & clerici beneficiati, hanc quintam decimam dare omnium bonorum ſuorum; tam rerum eccleſiaſticarum, quàm laicarum. Nec profuit eis appellatio ad dominum Papam interpoſita. Sed ordine turbato, Archiepiſcopi & Epiſcopi, authoritate Papali, per cenſuram eccleſiaſticam, quos laica poteſtas non potuit; ad ſolutionem; omni deſtitutos ſolatio, compulerunt.

Rex Anglorum à multis pecuniam extorſit.

EODEM tempore, Rex *Anglorum*, menſe Februario, apud *Oxoniam* conſilio congregato, denunciavit coram omnibus, ſe legitimæ eſſe ætatis: ut de cæterò ſolutus à cuſtodia, Regia negotia ipſe principaliter ordinaret. Et ſic qui priùs tutorem habuit & rectorem *Willielmum Mareſchallum*, dum viveret, & poſtmodùm *Petrum Wintonienſem* Epiſcopum; excuſſit ſe per conſilium *Huberti* de *Burgo*, Juſtitiarii regni, de conſilio & gubernatione dicti Epiſcopi & ſuorum, qui Regi fuerant priùs quaſi pædagogi; ita quòd omnes illos à curia ſua & cohabitatione removit. In eodem itaque conſilio fecit Rex cancellare & caſſare omnes chartas in provinciis omnibus regni *Angliæ*, de libertatibus foreſtæ; poſtquàm jam per biennium in toto regno fuerant uſitatæ. Hanc occaſionem prætendens, quòd chartæ illæ conceſſæ fuerant, & libertates ſcriptæ & ſignatæ, dum ipſe erat ſub cuſtodia; nec ſui corporis aut ſigilli aliquam habuerit poteſtatem: unde viribus carere debuit, quod ſine ratione fuerat uſurpatum. Facta eſt autem ſuper his in concilio ingens murmuratio: & omnes Juſtitiarium hujus perturbationis judicabant auctorem. Nam deinceps tanta Regi familiaritate conjunctus eſt; ut omnes regni Conſiliarios præter ipſum pro nihilo reputaret. Tunc verò denunciatum eſt viris religioſis & aliis, qui ſuis volebant libertatibus gaudere; ut innovarent chartas ſuis de novo Regis ſigillo; ſcientes quod Rex chartas antiquas nullius eſſe momenti reputabat. Pro quarum innovatione, non juxta ſingulorum facultatem taxatio facta eſt; ſed quicquid Juſtitiarius æſtimabat, ſolvere ſunt coacti.

1227.

Nuntii Regis è Francia inaniter reverſi.

EODEM anno, defuncto Papa *Honorio*, *Gregorius Hoſtienſis* Epiſcopus ſucceſſit, xvi. Calendas Aprilis. Per idem tempus, inſtante ſolennnitate Paſchali, Archiepiſcopus *Eboracenſis*, & Epiſcopus *Karleolenſis*, cum *Philippo* de *Albeneio* milite, nuncii Regis, reverſi ſunt in *Angliam* de partibus tranſmarinis. Miſſi quidem erant ad Magnates illarum regionum; qui de jure antiquo ad Regem *Angliæ* ſpectare tenebantur. Quibus propoſitum fuerat ex parte Regis, ut blandis exhortationibus cum promiſſionibus magnis eos inducerent; quatenùs dictum Regem ad illos venire cupientem reciperent, & recognoſcerent ut dominum naturalem. Sed ne diu & inaniter verba protrahamus, antequàm nuntii Regis ad partes illas perveniſſent, *Francorum* Rex (matre ejus partes ſuas interponente) cum Baronibus illis pacem fecerat, & eorum homagia ſuſceperat; diſtribuens ipſis affluenter terras & caſtella ad jus Regis pertinentia, faciens ſibi de *mammona iniquitatis amicos*. Comes verò *Britanniæ* (cujus filiam nuntii petebant Regi per matrimonium copulandam) nuntiis Regis dedit in reſponſis, quòd ipſe cum Rege *Francorum* pacis fœdus compoſuerat; quod nullo modo potuit violare. Nuntii autem jam ad Regem reverſi, quæ facta fuerant per ordinem indicabant. Eodem tempore, menſe Maio *Richardus* frater Regis venit in *Angliam*; qui ab ipſo Rege & Magnatibus regni cum gaudio ſuſceptus eſt. Et eodem tempore, *Henricus* de *Stanford*, *Cantuarienſis* Archidiaconus, ad *Roffenſem* epiſcopatum canonicè electus, à *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo munus conſecrationis ſuſcepit. Quo etiam anno, Nonas Februarii, *Hubertus Angliæ* Juſtitiarius, gladio accinctus eſt à Rege *Cantiæ* Comitatus.

Commotio Baronum contra Regem Angliæ.

TEMPORE eodem, vii. Idus Julii, orta eſt diſcordia inter Regem *Anglorum* & fratrem ejus *Richardum Cornubiæ* Comitem, hac de cauſa, Rex *Johannes Henrici* pater, adhuc vivens, quoddam dederat manerium *Walerano Teutonico* tunc de *Bercameſt* Caſtellano, ad *Cornubiæ* pertinens Comitatum. Audiens autem Comes *Richardus*, qui nuper venerat de partibus tranſmarinis, quòd manerium illud ad ſuum ſpectabat Comitatum; præcepit villam ſaiſiri in manu ſua; donec ſibi conſtaret, quale jus *Waleranus* inde haberet. Cúmque Præfatus *Waleranus* hæc à referentibus cognoviſſet, venit cum feſtinatione ad Regem, de fratre ſuo *Richardo* querelam deponens. Tunc Rex fratri ſuo literatoriè nunciavit, quatenùs confeſtim viſis literis, manerium redderet *Walerano*. *Richardus* verò literis inſpectis, cum feſtinatione venit ad Regem, oſtendens ſine aliquo advocato, rationabiliter, ſimiliter & eloquenter, ad jus ſuum manerium pertinere; unde paratus fuit curiæ Regiæ ſubire judicium, & Magnatum regni. Rex verò & Juſtitiarius, audientes nominare Magnates, maxima ſunt indignatione ſuccenſi. Unde Rex voce tumultuoſa, & nimis feſtinata, fratri ſuo præcepit, ut incontinenti manerium *Walerano* redderet: aut à regno *Angliæ* irrediturus exiret. Ad hæc Comes conſtanter reſpondit, quòd nec *Walerano* jus ſuum redderet; nec ſine judicio Parium ſuorum à regno exiret. Et his dictis, Comes ad hoſpitium ſuum cum feſtinatione perrexit. Tunc Juſtitiarius; ut dicitur, metuens ne Comes pacem regni turbaret, dedit Regi conſilium, ut nocte ſequenti fratrem ſuum ſopore depreſſum, à militibus armatis faceret comprehendi; & ut diuturna pace frueretur, ſub arcta cuſtodia deputaret. Sed Comes *Richardus*, ab amicis præmonitus, ab urbe feſtinanter cum uno tantùm equite clàm receſſit: nec priùs frænum cohibuit, donec *Radingum* uſque perveniret. Commilitones autem ejus ipſum manè ſequentes, in loco ſibi condicto, dominum ſuum ſanum & hilarem receperunt. Tunc Comes verſus *Merlebergiam* iter dirigens, invenit ibi *Willielmum Mareſchallum* amicum ſuum, & ſacramento confœderatum; omnia ei quæ ſibi acciderant, indicavit. Et inde ſimul ad Comitem *Ceſtriæ* profecti, ei rem geſtam per ordinem retulerunt. Qui ſimul, ut erant omnes conjurati, exercitum grandem literis diſcurrentibus congerentes, convenerunt in brevi apud *Stanfordiam* cum equis & armis, Comes *Ceſtrenſis Ranulfus*, Comes *Willielmus Mareſchallus*, Comes *Richardus* frater Regis, Comes *Glouverniæ Gilebertus*, Comes *Warenniæ Willielmus*, Comes *Herefordiæ Henricus*, Comes *Ferrariis Willielmus*, Comes *Warewitenſis Willielmus*; cum Baronibus multis, & ingenti multitudine armatorum. Significantes Regi cum minis ampulloſis, ut hanc injuriam fratri ſuo illatam, confeſtim emendaret. Cujus tranſgreſſionis culpam, non Regi, ſed Juſtitiario imputarunt. Addiderunt inſuper, Regi denunciantes atrociter, ut chartas, quas nuper apud *Oxoniam* cancellaverat, de libertatibus foreſtæ; ſibi abſque dilatione reſtitueret ſigillatas. Sin autem, ipſi illum gladiis diſcurrentibus compellerent, ut ſibi ſuper his ſatisfaceret competenter. Tunc Rex ſtatuit illis apud *Norhamtonam* iii. Nonas Auguſti diem; ut ibi faceret eis plenam rectitudinem exhiberi. Partibus igitur apud urbem præfatam die ſtatuta convenientibus, Rex, Magnatibus ad hoc inſtantibus, dedit fratri ſuo dotem totam matris ſuæ Comiti *Richardo*; addens ei terras omnes quæ ad jus Comitis *Britanniæ* pertinebant in *Anglia* cum ſuis omnibus terris, quæ fuerant Comitis *Bononiæ* nuper defuncti: & ſic pacificè ad propria receſſerunt.

Prophetia.

EODEM anno, heremita quidam in *Alpibus* habitans tranſmarinis, dum Pſalterium ſuum de more quodam die pſalleret, cum veniſſet ad Pſalmum *Exurgat Deus*; invenit ſubitò Pſalmum deletum, & in loco Pſalmi hæc verba ſcripta: *Excitabitur* Romanus *contra* Romanum *&* Romanus Romano *ſubſtituetur*. Romæ *alleviabuntur virgæ Paſtorum, & ſolatium*

erit

1227.

erit in ocio. Turbabuntur ſeduli, & orabunt, & in lacrymis multorum erit requies. Humilis alludet furibundo, & favor extinguens palpabitur. Novus grex ſerpet ad cumulum, & qui mundantur in nemore, tenui cibo cibabuntur. Fruſtrata eſt ſpes ſperantium, & requies conſolantium, in quam ſperabant fiduciam. Qui in tenebris ambulant, ad lumen redibunt, & quæ diverſa erant, per diverſa conſolabuntur. Non modica incipiet pluere nubes quia natus eſt immutator ſæculi. Conſurget favor contra ſimplicem, & ſimplicitas attenuata ſpirabit. Decus in dedecus commutabitur, & gaudium multorum in luctum. Hujus autem Prophetiæ interpretationem, ſequens rerum eventus luce clariùs declarabit, ſi ſollicitè indagentur.

Commotio magna in opus Crucis.

EODEM anno, in fine menſis Junii, facta eſt motio magna in opus Crucis per orbem univerſum cruce ſignatorum: quæ adeò fuit numeroſa, ut ex ſolo *Anglorum* regno pluſquàm ſexaginta millia proborum hominum, præter ſenes & mulieres, profecti referantur. Hoc enim profeſſus eſt magiſter *Hubertus*, unus ex prædicatoribus in *Anglia*; aſſerens veraciter tot in ſuo rotulo conſcripſiſſe. Qui omnes, & præcipuè pauperes, in quibus voluntas divina quieſcere ſolet, & negotium crucis magis proſperari; cùm tanta devotione opus crucis aſſumpſerunt, ut ſibi inde proculdubiò Tonantis favorem acquirerent, quod ſignis conſtat evidentibus declaratum. Siquidem in nocte nativitatis beati *Johannis Baptiſtæ*, oſtendit ſe dominus in firmamento crucifixum, quòd perſpicuè apparuit in cruce luciđiſſima corpus dominicum clavis & lancea perforatum, necnon cruore reſperſum, ut fidelibus ſuis patenter oſtenderet Salvator mundi, ex hac populorum devotione ſe fuiſſe propitiatum. Hanc quoque viſionem, cum multis aliis, vidit mercator quidam, qui piſcem in rheda ad vendendum tulit; non longè à vico qui *Wxebrugge* nuncupatur. Qua inſolita viſione, ſplendore quoque perterritus, & quaſi in extaſi raptus, ſtetit attonitus; & quid ageret, ignorabat. Filius verò hominis illius, quem unicum habuit ſocium; patrem confortans, hortatur ut rhedam ſiſtat, & Dominum glorificet, qui ſibi talem dignatus eſt oſtendere viſionem. In craſtino verò, & ſingulis poſteà diebus, ubicunque piſcem ſuum venalem expoſuit, viſionem cœleſtem, quam viderat, omnibus apertè prædicavit, adhibito filii ſui teſtimonio. Undè ſicut multi dictis eorum fidem adhibuerunt, ita nonnulli contempſerunt; donec per ſimiles viſiones & aſſiduas, quæ eodem tempore multis in locis diverſis apparuerunt, ad credendum inducti ſunt. In quibus ipſe Crucifixus cœlum reſerare dignatus eſt; & gloriam ſuam mirabiliter cum immenſo lumine incredulis (ſicut aliquando ad prædicationem magiſtri *Oliverii* in *Alemannia* prædicantis fecerat) revelare. Inter alios autem, qui de regno *Angliæ* exierunt in opus crucifixi, iter arripuerunt viri venerabiles, *Petrus Wintonienſis*, & *Willielmus Exonienſis*, Epiſcopi: qui peregrinationis ſuæ votum ferè per quinquennium, ad ſalutem multorum, & honorem, præcipuè omnium *Anglorum*, laudabiliter atque fœliciter compleverunt.

HOC igitur negotium crucis, qualiter in hac motione ſit proſperatum, in his ſequentibus literis, quas Papa *Gregorius* omnibus *Chriſti* fidelibus direxit, oſtenditur evidenter. Gregorius *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei omnibus* Chriſti *fidelibus, ſalutem*, &c. *Noverint univerſitas veſtra, nos de partibus tranſmarinis ſub hac forma literas ſuſcepiſſe: G. miſeratione divina Patriarcha* Hieroſolymitanus, *humilis & indignus Apoſtolicæ ſedis Legatus*, P. Cæſarienſis, N. Nazarenſis, & N. Narbonenſis, *Archiepiſcopi*, P. Wintonienſis, & W. Exonienſis, *Epiſcopi*, hoſpitalis *ſancti* Johannis, *domus militiæ* Templi, & Hoſpitalis Teutonicorum *Magiſtri, omnibus has literas inſpecturis in Domino* Jeſu *ſalutem. Univerſitati veſtræ neceſſitatem noſtram inſtantiſſimam, &* Jeſu Chriſti, *qui pro univerſis fidelibus ſanguinem ſuum fudit, negotium, cogimur intimare. Non enim abſque intimantis fervore, ac multiplici lacrymarum effuſione accidit, quòd, ſicut ſperabamus communiter, in paſſagio Auguſti nuper præteriti, ſereniſſimus vir* D. *Imperator, ut promiſerat, in* Syriam *non tranſivit. Quo audito, illi qui jam adventum ejus prævenerant peregrini in eiſdem partibus, audientes quòd dictus Imperator non venerat in paſſagio memorato; plus quàm xl. millia virorum fortium, in eiſdem navibus, in quibus tranſierant, redierunt; magis in homine, quàm in Domino confidentes. Ibi tamen, poſt eorum receſſum, Octingenti ferè milites remanſerunt, clamantes unanimiter, & dicentes: Vel treugas rumpamus, vel communiter recedamus. Qui non ſine magna difficultate detenti hac occaſione fuerunt; quia vir nobilis Dux de* Lemburgo, *ex parte domini Imperatoris, erat exercitui præficiendus. Habito igitur concilio virorum prudentium, & præcipuè domus* Hoſpitalis, & Templi, *ac* Hoſpitalis Allemanorum, *de treuga rumpenda: præfatus Dux faceret, quòd* Chriſtianitati *ac* Terræ ſanctæ *videretur potiùs expedire. Sicque accidit, quòd Dux, requiſitis ſuper hæc conſiliis, & receptis, die quadam ſpecialiter ad hoc aſſignata, comparuit coram nobis & quibuſdam nobilibus* Terræ *illius; ubi propoſuit publicè, quòd volebat treugam infringere, & qualiter utiliùs ac meliùs in hac parte valeret procedere; ipſorum auxilium & conſilium implorabat. Verùm cùm ipſi Duci & quibuſdam Conſiliariis ſuis diceretur, quod treugam periculoſum eſſet infringere, & cùm fuiſſet juramento firmata, penitùs inhoneſtum: reſponderunt, quòd dominus Papa excommunicaverat omnes cruce ſignatos, qui in iſto paſſagio non tranſirent, qui ſciebat adhuc treugam per biennium duraturam: ac per hoc intelligebant, quòd volebat treugam non ſervari, nec ipſi peregrini ibi remanere volebant aliquatenùs otioſi. Erant & multi qui dicebant, quod ſi contingeret recedere peregrinos, poſt receſſum eorum in eos inſurgerent* Saraceni, *treuga non obſtante.*

Movit

1227. *Movit præterea quoſdam, quòd* Coradinus *cum dominis de* Haman, *& de* Camele, *& de* Halaph, *graviſſimam haberet guerram: unde plùs ſolito timet, ne ipſa treuga à* Chriſtianis *frangatur. Quod ſi fieret, credebatur quòd* Coradinus, *cùm videret guerris ſe undique coarctatum, deberet inde veriſimiliter procedere verbum pacis. Habito igitur ſuper his longo deliberationis tractatu, tandem unus fuit omnibus ſpiritus, & vox una, in ſanctam tendere civitatem; quam dominus* Jeſus Chriſtus *proprio ſanguine conſecravit. Et ut facilior ad eam haberetur acceſſus, fuit communiter ordinatum, ut primò* Cæſarea, *& inde* Joppa *muniantur; quod ante paſſagium Auguſti ſequentis proculdubiò poſſe fieri ſperabatur: & tunc hyeme ſequenti in domum Domini, cum ipſius adjutorio, lætantes valeant proficiſci. Fuit autem hæc publicata proviſio extra civitatem* Acon, *inſtante feſto Apoſtolorum* Simonis & Judæ, *aſtantibus peregrinis omnibus: ubi ſolenniter eſt imperatum, ut eſſent omnes parati in craſtino Omnium Sanctorum, versùs* Cæſaream *profecturi. Quod audientes peregrini, qui conſilium ignorabant, quòd exercitus tractatum haberet, firmatis munitionibus prædictis in* Hieruſalem *procedendi, tanta ſubitò erant devotione ſuccenſi, quòd excitaverunt oculos ad abundantiam lacrymarum: ut videbatur cuilibet ſe ſpiritus ſancti gratia adeò roboratum, quòd unus poſſet mille, & duo decem millia ſuperare. Non igitur oportet, ut devotioni veſtræ multis ſupplicationibus inſiſtamus, ubi tantæ neceſſitatis evidens inſtantia pro ſe clamat, ſibique ſubvenire poſtulat indilatè: quia mora ad ſe trahit periculum, & feſtinatio plurimùm erit fructuoſa. Clamat autem ad ſingulos* Chriſti *ſanguis de terra; ſupplicat parvus & humilis exercitus, ſed devotus, ſibi celeriter ſubveniri: ſperans in Domino, & confidens, quòd negotium humiliter inchoatum, debeat ipſo concedente feliciter terminari. Univerſi igitur & ſinguli, qui* Chriſtum *induiſtis per fidem, viriliter accingimini ad* Terræ ſanctæ *ſuccurſum; cùm hìc cauſa communis agatur; veſtræ ſcilicet fidei, ac totius fidei* Chriſtianæ. *Nos enim promotioni hujus negotii, proviſore Domino & auctore, non ceſſamus intendere: ſperantes fiducialiter, quòd in manibus fidelium, fideliter perſeverantium, rex debeat proſperari. Data* Laterani, x. *Calendas Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.*

Qualiter negotium terræ ſanctæ pro defectu imperatoris fuit impeditum.

IMPERATOR autem *Romanorum Fredericus*, qui cum aliis cruce ſignatis ſub pœna excommunicationis in hoc paſſagio perſcripto, à Papa terminum habuit; ut vota peregrinationis perſolveret, ad mare mediterraneum veniens, cum parvo comitatu naves aſcendit. Sed poſtquàm per triduum ad *terram promiſſionis* tendere videretur, dixit ſe ſubita infirmitate præreptum; ita quòd maris intemperiem ſimul & aëris corruptionem non potuit mortis diſcrimine diutiùs ſuſtinere; unde retortis velis, ad portum, quo mare ingreſſus fuerat, poſt tres dies applicuit. Et his ita geſtis, peregrini, qui ex diverſis mundi partibus ad *Terram ſanctam* ipſum prævenerant, ſperantes illum ducem habere & defenſorem ad crucis inimicos debellandos; cùm audiſſent dictum Imperatorem in illo menſis Auguſti paſſagio, ſicut promiſerat, non veniſſe: animo nimis conſternati, in eiſdem navibus quibus venerant, pluſquàm xl. armatorum millia ſunt reverſi. Quod factum Imperatoris damnosè nimis redundavit in dedecus & in præjudicium totius negotii crucifixi. Ob hanc ergo cauſam, juxta multorum opinionem, oſtendit ſe, ut prædictum eſt, mundi Salvator, in cruce clavis confixum, & cruore conſperſum populo *Chriſtiano*: quaſi ſingulis & univerſis ſuper injuria ſibi ab Imperatore illata, querelam deponens.

Miraculum per S. Franciſcum.

CIRCA dies iſtos, frater quidam de ordine Minorum, nomine *Franciſcus*, qui illius ordinis fuerat inſtitutor in civitate *Aſſiſii*, cœpit miraculis coruſcare. De quo ſic narratur contigiſſe. Erat autem *Franciſcus* memoratus generis nobilitate præclarus; ſed tamen multò clarior morum probitate refulſit. Hic ſiquidem puerilibus annis ſimpliciter tranſactis, cœpit de mundi hujus illecebris, & rerum temporalium mutabilitate ſæpiùs mente revolvere: & quam nulla ſunt, quæ temporaliter defluunt, indeſinenter penſare. Nam hoc didicerat in literis & Theologicis diſciplinis, quibus ab ætate tenera incubuerat, uſque ad notitiam perfectam: quo ordine rerum labentium mutabilitatem contemneret, ac viribus totis ad cœleſtis regni deſiderium ſuſpiraret. Sed quod mente conceperat, ut liberiùs opere compleret; hæreditatem paternam non modicam, cum cunctis ſæculi oblectamentis diſpiciens; cucullam & cilicium induit, calceamenta depoſuit, in vigiliis & jejuniis carnem maceravit. Et ut ſpontaneam eligeret paupertatem, nihil omninò proprium habere decrevit; nec etiam ipſam refectionem carnalem, niſi quod de eleemoſynis fidelium ſub titulo reciperet charitatis. Et ſi fortè poſt tenuiſſimam refectionem aliquid ſuperabundaret; *nihil* in craſtinum reſervans, totum pauperibus erogavit. Veſtitus etiam de nocte dormivit, mattam pro ſtratu cubiculi habuit, ſaxum capiti pro cervicali ſuppoſuit, cuculla ſolummodò & cilicio, quibus in die veſtitus inceſſit, pro nocturnalibus operimentis contentus. Sicque in præparatione Evangelii diſcalceatus incedens, & vitam Apoſtolicam amplectens; diebus dominicis ac feſtivis in eccleſiis parochialibus & aliis fidelium conventiculis, prædicationis officium implevit. Quod tantò efficacius cordibus audientium imprimere potuit; quantò à carnalibus deſideriis & gaſtrimargiæ crapulis extitit alienus. Ut autem vir Dei *Franciſcus*, hoc ſalubre propoſitum ad effectum perduceret; articulos jam dictos, cum quibuſdam aliis, quæ à fratribus illius religionis uſque in hodiernum diem ſtrenuiſſimè obſervantur, in ſchedula conſcriptos ſedenti in conſiſtorio *Romæ*, Papæ *Innocentio* præſentavit; & ſuam petitionem confirmari à ſede Apoſtolica poſtulavit.

PAPA

1227.

PAPA itaque, in fratre memorato habitum deformem, vultum deſpicabilem, barbam prolixam, capillos incultos, ſupercilia pendentia & nigra, diligenter conſiderans; cùm petitionem ejus tam arduam, & executione impoſſibilem recitari feciſſet, deſpexit eum, & dixit: Vade, frater, & quære porcos, quibus potiùs debes quàm hominibus comparari, & involve te cum eis in volutabro, & regulam illis à te commentatam tradens, officium tuæ prædicationis impende. Quod audiens *Franciſcus* inclinato capite exivit & porcis tandem inventis, in luto ſe cum eis tamdiu involvit, quouſque à planta pedis uſque ad verticem, corpum ſuum totum cum ipſo habitu polluiſſet. Sicque ad conſiſtorium revertens, Papæ ſe conſpectibus præſentavit, dicens: Domine (inquit) feci ſicut præcepiſti, exaudi nunc, obſecro, petitionem meam. Quod factum cùm Papa admirans conſpexiſſet, contriſtatus eſt valdè, quòd illum deſpexiſſet: atque in ſe reverſus, præcepit ut lotus rediret ad eum; qui celeriter à ſordibus mundatus, reverſus eſt feſtinanter. Commotus itaque Papa ſuper eo, petitionem ejus admiſit, & per privilegium *Romanæ* eccleſiæ officium prædicationis ſimul cum ordine petito ei confirmans, cum benedictione dimiſit. Deinde famulus Dei *Franciſcus* oratorium in urbe *Romana*, in quo contemplativos meteret fructus, conſtruens; ſpirituale certamen contra ſpiritus malignos & carnalia vitia egregius bellator aſſumpſit.

Papa regulam S. Franciſci privilegio confirmat.

FRANCISCUS igitur per *Italiam* totam, & cæteras nationes, & præcipuè in urbe *Roma*, cùm officium prædicationis devotus impleret; populus *Romanus* totius bonitatis inimicus, prædicationem viri Dei adeò deſpexit, quòd nec ipſum audire, nec ſanctis ejus voluerunt exhortationibus intereſſe. Tandem cùm per dies plurimos prædicationem ejus deſpexiſſent, *Franciſcus* indurationem eorum graviter increpavit: Doleo (inquit) multùm ſuper miſeria veſtra, quòd non ſolùm me *Chriſti* famulum ſpernitis, verùm & illum in me deſpicitis, quoniam Redemptorem mundi evangelizavi vobis. Et nunc recedens ab urbe, teſtimonium illius invoco ſuper deſolatione veſtra, qui eſt teſtis in cœlo fidelis: atque in confuſionem veſtram vado evangelizare *Chriſtum* brutis animalibus, & volatilibus cœli; ut audientes ſalutifera Dei verba, obediant & adquieſcant. Sicque ab urbe exiens, invenit ſedentes in ſuburbio in morticiniis, corvos, milvos, & picas, aliáſque aves multas in aëre volitantes, & dixit eis: Præcipio vobis in nomine *Jeſu Chriſti*, quem crucifixerunt *Judæi*, cujus prædicationem miſeri *Romani* deſpexerunt; quatenùs ad me accedentes, audiatis verbum Dei, in nomine ejus qui vos creavit, & in arca *Noë* ab aquis diluvii liberavit. Et continuò ad imperium ejus univerſa illa avium multitudo illùc accedens, circumdedit eum; & facto ſilentio, omnique garritu depoſito, per diei dimidium ſpatium verbis viri Dei intendentes, de loco non ſunt motæ, ſed ſemper intuebantur faciem prædicantis. Hæc autem res admirabilis, cùm à civibus *Romanis* ſimul & ab intrantibus urbem & exeuntibus comperta fuiſſet, & per triduum à viro Dei idipſum avibus convocatis replicatum extitiſſet; exierunt de civitate clerus cum populo multo, introducentes hominem Dei cum veneratione magna in urbem. Quorum deinceps corda infructuoſa, & pertinaciter obdurata, oleo prædicationis obſecrantis emolliens, in melius commutavit. Cœpit itaque celebre nomen ejus per univerſos *Italiæ* fines ita dilatari, quòd multi nobiles ipſius exemplum ſequuti, relicto ſæculo cum vitiis & concupiſcentiis ejus, ſeſe magiſterio ſuo ſubdiderunt. Crevit igitur in brevi hic ordo fratrum prædictorum, qui Minores dicuntur, per orbem univerſum: qui in urbibus habitantes & caſtellis, deni & ſepteni exierunt in diebus illis, per villas & eccleſias parochiales, verbum vitæ prædicantes, & turbis agreſtibus virtutum plantaria inſerentes, fructum plurimum Domino obtulerunt. Nec ſolùm inter fideles, ſemen verbi Dei & rorem doctrinæ cœleſtis conſperſerunt; verùm etiam ad gentilium & *Saracenorum* nationes ſe conferentes, perhibuerunt teſtimonium veritati: inter quos etiam multi ex eis, ad martyrii gloriam pervenerunt.

De prædicatione S. Franciſci; & de fine ejuſdem admirabili.

TANDEM verò, cùm amicus Dei *Franciſcus* in urbe *Roma* ſimul & terris adjacentibus, cum fratribus ſuis per annos multos Evangelium pacis prædicaſſet, & talentum ſibi creditum, ut fœnerator optimus, cum uſuris multiplicibus ſuo largitori reſtituiſſet: venit hora ejus, ut tranſiret ex hoc mundo ad *Chriſtum*, & pro mercede laborum acciperet coronam vitæ, quam Deus ſe diligentibus repromiſit. Itaque quinta decima die ante exitum ſuum de corpore, apparuerunt vulnera in manibus ejus & pedibus, ſanguinem jugiter emittentia: ſicut in mundi Salvatore in ligno pendente apparuerant, cùm crucifigeretur à *Judæis*. Latus quoque ejus dextrum adeò apertum & cruore reſperſum apparuit; ut etiam ſecreta cordis intima perſpicua viderentur. Quid ergo? factus eſt ad eum concurſus populorum, rem tam inſolitam admirantium. Inter quos etiam ipſi Cardinales accedentes, ſciſcitabantur ab eo, quid hæc viſio ſibi vellet? Quibus ille: Hæc viſio in me idcircò oſtenſa eſt, quibus myſterium crucis prædicavi, ut credatis in eum qui pro mundi ſalute hæc quæ videtis vulnera, in cruce pertulit: & etiam ut me ſciatis ejus eſſe ſervum, quem evangelizavi vobis crucifixum, mortuum, & reſuſcitatum. Et ut omni ambiguitate remota, in hac fidei conſtantia uſque in finem perſeveretis; hæc vulnera, quæ in me ita videtis aperta, & ſanguine cruentata, ſtatim cùm defunctus fuero, adeò ſana erunt & cohærentia, ut carni cæteræ ſimilia videantur. Qui continuò abſque omni anguſtia corporis & carnis cruciatu, corpore ſolutus,

De concurſu populorum ad obitum S. Franciſci.

1227. ſolutus, ſpiritum ſuo reddidit creatori. Quo defuncto, nulla vulnerum prædictorum in latere, vel pedibus, ſive manibus, ſtigmata remanſerunt. Sepulto autem viro Dei in oratorio ſuo, *Rominus* Pontifex ipſum in catalogum *S*anctorum admiſit; & diem ejus depoſitionis ſolenniter inſtituit celebrari.

Quomodo Papa regulam fratrum Minorum limitaverit.

Dominus autem Papa videns propoſitum & opus fratrum Minorum proſperari, necnon eorum numerum diatim multiplicari; ſecundùm induſtriam ſancti *Gamalielis*, intelligens quòd Domino diſponente fœlix ſuſciperet incrementum: converſationem & regulam eorum certis terminis, ne aliquando aliis religioſis eſſent in ſupplantationem & nocumentum, limitavit. Videlicet, quòd civitates & caſtella, in præparationem Evangelii accincti, ad informationem morum circumirent; plus geſtus maturitate, & habitus vilitate docentes, quàm acri verborum correptione vel increpatione: non contemnendo comedentes, nec mollibus veſtitos aſpernando; cùm ſoli Deo corda pateant univerſorum, & paupertatem manifeſtam, quam profeſſi ſunt, evidenter proſequerentur. Nimia enim humilitas, in verba prorumpens ampulloſa, indicium latitantis eſt ſuperbiæ manifeſtum. Nec etiam aliquem prædicando tangerent corripientes; nec confeſſiones alicujus, ſi eas audire contingeret, quoquo modo detegerent, licèt ad remota tranſmigrantes loca: ne ſcandalum alicui oriatur, vel fama denigretur; nec pax eccleſiæ, quæ à ſanctis Apoſtolis & magnis ac ſanctis patribus ac doctoribus noſtris ſupra firmam petram ſtabilita eſt & ordinata, vel in temporalibus jacturam incurrat, vel quomodo libet perturbetur. Peccata autem cautè inquirant; ne ignotas & inauditas, qui ſimplices ſunt, diſcant enormitates. Nullum in abyſſum terroribus aut minis ſatyricè objurgantes demergant; ſed potiùs in ſpem erigant ſpiritualem. Fratres omnes Minores de ſeipſis, poſtremò, aliis exempla humilitatis relinquentes, viros alterius religionis, regulam vel ſtatuta, ſibi vel ſuis ſtatutis non poſtponant. Omni extremitate, vilitate, & paupertate pro *Chriſto* contenti, non extollantur; ut meliores aliis videantur. Nec ad privilegia vel dignitates, in præjudicium vel detrimentum aliquorum, aſpirent; nec ſine favorabili aſſenſu vel petitione prædicent, vel alicui conſulant, ſeſe ingerentes. Et cùm omnia pro ſe & ſuis ſequacibus irrefragabiliter *Franciſcus* novus Domini tyro ordinaſſet; dominus Papa regulam ſuam approbavit, annotavit, & confirmavit: & inviolabiliter juſſit ab ipſo & fratribus ſuis in perpetuum obſervari. Regula autem talis eſt:

Regula & vita fratrum Minorum.

Regula & vita fratrum Minorum hæc eſt, *Silicet, Domini noſtri* Jeſu Chriſti *ſanctum Evangelium obſervare; vivendo in obedientia, ſine proprio, in caſtitate. Frater* Franciſcus *promittit obedientiam & reverentiam domino Papæ N. ac ſucceſſoribus ejus, canonicè intrantibus; & eccleſiæ* Romanæ. *Et alii fratres teneantur fratri* Franciſco, *& ejus ſucceſſoribus obedire.*

Quomodo fratres in hunc ordinem recipi debeant.

Si *qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres noſtros, mittant eos ad ſuos miniſtros provinciales: quibus ſolummodò, & non aliis, recipiendi fratres licentia concedatur. Miniſtri verò diligenter examinent eos de fide Catholica, & eccleſiaſticis ſacramentis. Et ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & uſque in finem firmiter obſervare; & uxores non habent, vel ſi habent, etiam monaſterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ jam emiſſo; & illius ſint ætatis uxores, quòd non poſſit de eis oriri ſuſpitio, dicant de eis verbum ſancti Evangelii: quòd, ſcilicet,* vadant, & vendant omnia ſua, *& ea ſtudeant pauperibus erogare. Quòd ſi facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres, & eorum miniſtri, ne ſolliciti ſint de rebus ſuis temporalibus; ut liberè faciant de rebus ſuis, quicquid Dominus inſpiraverit eis. Si tamen conſilium requiratur, licentiam habeant miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes: quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſteà concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas, ſine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem uſque ad cingulum: niſi eiſdem miniſtris aliud, ſecundùm Deum, aliquando videatur. Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper & regulam obſervare: & nullo modo licebit de iſta religione exire, juxta mandatum domini Papæ. Quia ſecundùm Evangelium:* Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. *Et illi qui jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui voluerint habere. Et qui neceſſitate coguntur, licet portare calceamenta. Et fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea reparare de ſaccis & aliis peciis cum benedictione. Quos moneo & exhortor, ne deſpiciant, neque judicent homines, quos vident mollibus veſtimentis & coloratis indutos, uti cibis & potibus delicatis: ſed magìs unuſquiſque judicet & deſpiciat ſemetipſum.*

De divino officio & jejunio: & quomodo ire debeant per mundum.

Clerici *faciant divinum officium ſecundum ordinem ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ: excepto Pſalterio, ex quo poterint habere breviaria. Laici verò, dicant* xxiv. Pater noſter, *pro matutinis: pro laudibus quinque: pro prima, tertia, ſexta, nona, pro qualibet iſtarum, ſeptem: pro veſperis autem,* xii. *pro completorio, ſeptem; & orent pro defunctis. Et jejunent à feſto omnium Sanctorum, uſque ad nativitatem Domini. Sanctam verò quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania uſque in continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo ſancto jejunio conſecravit; qui voluntariè eam jejunant, benedicti ſint à Domino, & qui noluerint, non ſint aſtricti:*

ſed

1227.

ſed aliam, uſque ſcilicet ad reſurrectionem Domini, jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur, niſi ſexta feria, jejunare. Tempore verò manifeſtæ neceſſitatis non teneantur fratres jejunio corporali. Conſulo verò, moneo, & exhortor fratres meos in Domino Jeſu Chriſto, *ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent: ſed ſint mites, pacifici, & modeſti, manſueti, & humiles; honeſtè loquentes omnibus, ſicut decet. Et non debeant equitare, niſi manifeſta neceſſitate vel infirmitate cogantur. In quamcunque domum intraverint, primùm dicant:* Pax huic domui. *Et ſecundùm Evangelium, de omnibus cibis qui apponuntur eis, liceat manducare.*

Fratres non recipiant pecuniam.

PRÆCIPIO *firmiter fratribus univerſis, ut nullo modo denarios vel pecuniam aliquam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam. Tamen pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis fratribus induendis, per amicos ſpeciales miniſtri tantùm & cuſtodes ſollicitam curam gerant, ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire. Eo ſemper ſalvo, ut, ſicut dictum eſt, denarios vel pecuniam non recipiant.*

De modo laborandi.

FRATRES *illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter, & devotè: ita ſcilicet, ut excluſo otio, animæ inimico, ſanctæ orationis & devotionis ſpiritum non extinguant; cui debent cætera temporalia deſervire. De mercede verò laboris, pro ſe ſuiſque fratribus corporis neceſſaria recipiant, præter denarios vel pecuniam: & hoc humiliter, ſicut decet ſervos Dei, & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores.*

Fratres nihil habeant proprii.

FRATRES *nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Et tanquam peregrini & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos fratres, meos hæredes & reges regni cœlorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit: hæc ſit portio noſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectiſſimi fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri* Jeſu Chriſti *in perpetuum ſub cælo habere valetis. Et ubicunque ſunt, & ſe invenerint fratres, oſtendant ſe domeſticos invicem inter ſe; & ſecurè manifeſtent unus alteri neceſſitatem ſuam. Quia ſi mater nutrit & diligit filium ſuum carnalem, quantò diligentiùs debet quis etiam nutrire fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent illi ſervire, ſicut vellent ſibi ſerviri.*

De pœnitentia fratribus imponenda.

SI *quis fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccaverit, pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad ſolos miniſtros provinciales; teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quàm citiùs poterint, ſine mora. Ipſi verò miniſtri, ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordia injungant pœnitentiam: ſi verò Presbyteri non ſunt, injungi faciant per alios Sacerdotes hujus ordinis; ſicut eis ſecundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et cavere debent, ne iraſcantur & conturbentur propter peccatum alicujus: quoniam ira & conturbatio in ſe & in aliis impediunt charitatem.*

De electione generalis miniſtri, & capitulo Pentecoſtes.

UNIVERSI *fratres, unum de fratribus iſtius religionis teneantur ſemper habere generalem miniſtrum & ſervum totius fraternitatis; & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio ſucceſſoris fiat à miniſtris provincialibus & cuſtodibus in capitulo Pentecoſtes, in quo provinciales miniſtri teneantur ſemper in ſimul convenire, ubicunque à generali miniſtro fuerit conſtitutum: & hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem; ſicut à prædicto miniſtro fuerit conſtitutum & ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareat univerſitati miniſtrorum provincialium & cuſtodum, prædictum miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſervitium & communem utilitatem fratrum: teneantur prædicti fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in cuſtodem. Poſt capitulum verò Pentecoſtes, miniſtri tantùm & cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & ut eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis cuſtodiis ſemel fratres ſuos ad capitulum convocare.*

Nulli fratrum prædicare licet ſine conſenſu Diœceſani.

FRATRES *non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi; cùm ab illo, illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitùs audeat prædicare, niſi à miniſtro generali hujus fraternitatis fuerit examinatus & approbatus; & ab eo ſibi officium prædicationis conceſſum. Moneo quoque & exhortor eoſdem fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia, ad utilitatem & ædificationem populi; annunciando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum brevitate ſermonis: quia verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram.*

De admonitione & correctione fratrum.

FRATRES *qui ſunt miniſtri, & ſervi aliorum fratrum, viſitent & moneant fratres ſuos humiliter, & charitativè corrigant eos: non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & regulam noſtram. Fratres verò, qui ſunt ſubditi, recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates: unde firmiter præcipio eis, ut obediant ſuis miniſtris in omnibus quæ promiſerunt Domino obſervare; & non ſint contrarii animæ ſuæ & regulæ noſtræ. Et ubicunque ſunt fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe regulam ſpiritualiter obſervare: ad ſuos miniſtros debeant, ſi poſſint, recurrere. Miniſtri verò charitativè & benignè eos recipiant: & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſſint eis facere ſicut ſervis ſuis. Nam ita debent eſſe, quòd miniſtri ſint ſervi omnium fratrum. Moneo verò, & exhortor in Domino* Jeſu Chriſto, *ut caveant fratres ab omni ſuperbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura,*

1228. *& ſollicitudine hujus ſeculi, detractione, & murmuratione; & non current neſcientes literas literas diſcere. Sed attendant, quòd ſuper omnia debent habere ſpiritum Domini, & ſanctam ejus operationem, orare ſemper ad eum puro corde, & habere humilitatem, patientiam in perſecutione & infirmitate, & diligere eos qui vos perſequuntur, reprehendunt, & arguunt: quia dixit Dominus,* Diligite inimicos veſtros: *&*, Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

Fratres non ingrediantur monaſteria monacharum.

PRÆCIPIO *firmiter fratribus univerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia vel conſilia mulierum: & ne ingrediantur monaſteria monacharum, præter illos quibus à ſede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum: ne hac occaſione inter fratres, vel de fratribus ſcandalum oriatur.*

De euntibus inter infideles.

QUICUNQUE *fratrum divina inſpiratione voluerit ire inter* Saracenos, *vel alios infideles, petat interim licentiam à ſuis miniſtris provincialibus: miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis, quos viderint idoneos ad mittendum. Ad hæc, per obedientiam injungo miniſtris, ut petant à domino Papa unum de ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit gubernator, protector, & corrector hujus fraternitatis: ut ſemper ſubditi & ſubjecti pedibus ejuſdem eccleſiæ, ſtabiles in fide catholica paupertatem & libertatem & ſanctum Evangelium Domini noſtri* Jeſu Chriſti, *quod firmiter promiſimus, obſervemus.*

Robertus de Bingham factus eſt Epiſcopus Sariſberienſis.

EODEM anno, magiſter *Robertus* de *Bingham*, ex Canonico *Sariſberienſi*, factus eſt Epiſcopus ejuſdem eccleſiæ.

De quibuſdam novis inſtitutionibus Regis Angliæ Henrici.

ANNO Domini M.CCXXVIII. Rex *Angliæ Henricus* feſtum dominicæ nativitatis apud *Eboracum* ſolenniter celebravit: & protinùs inde recedens, versùs *Londoniam* recto tramite properavit. In hoc autem itinere, menſuras bladi, vini, & cerviſiæ falſitatis arguens; quaſdam confregit, & comburere nonnullas præcepit: & vaſa ſubſtituens capaciora, panem majoris ponderis juſſit fieri; & hujus ſtatuti contemptores pœna gravi pecuniaria mulctari præcepit.

De morte Rogeri *de* Thony *militis.*

EODEM tempore, menſe Januario, *Rogerus* de *Thony*, vir nobilis, & miles ſtrenuus, non longè à *Radingo* diem clauſit extremum. Cujus frater natu major *Radulphus* vir quidem armis ſtrenuus, genere præclarus, cupiens cum ipſo dicto *Rogero* habuiſſe, vel habere colloquium, antequàm obiret, cum ſumma feſtinatione de triginta miliaribus raptus equo velociſſimo ad eum. Sed defuncto jam fratre, quem totis viſceribus tenerrimè diligebat, nec vocem, nec ſenſum, membris jam rigentibus & algentibus, invenit. Lacrymabiliter igitur vociferabatur, dicens: Adjuro te per Dominum, ut mecum loquaris, frater chariſſime. Cúmque coram militibus ſuis & aliis multis aſtantibus clamores & obſecrationes cum ejulato ingeminaret, addidit etiam, quòd nunquam deinceps comederet, niſi ipſius colloquio frueretur. Tunc mortuus ille, per ſe reſidens, increpavit acriter fratrem, quòd ſpiritum ejus inquietans, ad corpus denuò tam importuno clamore revocaſſet. Jam (inquit) & pœnas vidi malorum, & gaudia beatorum: necnon ſupplicia magna, quibus miſer ego deputatus ſum, oculis meis conſpexi. Væ, væ mihi, quare unquam torneamenta exercui, & ea tanto ſtudio dilexi? Cui frater: Nonne (ait) tu ſalvaberis? Et ille: Salvabor, (inquit) unum enim opus, imò opuſculum, & unum munus, imò munuſculum contuli in honorem perpetuæ virginis *Mariæ*; per quod Dei miſericordia certam ſpero liberationem. Cui *Radulphus*: Nunquid ſupplicia, quibus addictus es, ut dicis, operibus bonis, Miſſis, & eleemoſynis poterunt mitigari? Ad hæc *Rogerus*: Poterunt quidem: Et ego (ait *Radulphus*) tibi in veritate promitto, me pro ſalute noſtra, & anteceſſorum noſtrorum, domum facturum religionis, honeſtis perſonis incolendam: qui pro liberatione animarum noſtrarum Dominum æternaliter invocabunt. Reſpondit *Rogerus*: Auxiliis talibus multùm indigeo. Sed nihil, quæſo, mihi promittas, niſi quod deſideras & volueris effectui mancipari. Et ſic fratri cunctíſque aſtantibus vale dicens, ſpiritum denuò exhalavit. Deinde *Radulphus* frater ejus, ſicut promiſerat, domum religionis in partibus Occidentis regni *Angliæ* conſtituens; eandem prædiis & beneficiis non modicis ampliavit.

De tranſlatione Sariſberienſis *Epiſcopi ad* Dunelmum.

EODEM anno, caſſata Romæ electione magiſter *Willielmi Scoti Dunelmenſis* electi, *Richardus Sariſberienſis* Epiſcopus ad eundem Epiſcopatum electus eſt, poſtulatus, & tranſlatus: poſt cujus promotionem Canonici *Sariſberienſes* elegerunt magiſtrum *Robertum Bingeham* Canonicum ſuum in animarum ſuarum Epiſcopum & Paſtorem. Quo utique anno deciſa eſt contentio inter monachos *Coventrenſes* & Canonicos *Licheſfeldenſes*, ſuper Epiſcopo eligendo, *Romæ* per ſententiam diffinitivam; ita ut deinceps Epiſcopos alternatim eligant; monachi primùm, & Canonici eo defuncto alterum. Hoc tamen obſervato, ut Prior *Coventrenſis* in electione primam ſemper habeat vocem. In hac autem ſententia videtur plurimùm juri monachorum fuiſſe derogatum; qui eatenùs ſemper Pontifices elegerant abſque Canonicorum conſenſu. Eodem anno, Imperator *Conſtantinopolitanus* humanæ naturæ debitum ſolvit; filium hæredem relinquens parvulum, & nondum idoneum ad Imperii dignitatem.

De ſententia in Imperatorem lata.

CIRCA dies iſtos, Papa *Gregorius*, cùm Imperatoris *Romanorum Frederici* contumaciam, ſimul & crucifixi contemptum, ut ſibi videbatur, impunitum diutiùs diſtuliſſet; tandem

ne

ne canis videretur latrare non valiens, de conſilio Cardinalium ſuorum, ipſum Imperatorem excommunicavit; & latam ſententiam per literas Apoſtolicas in diverſis mundi partibus publicari præcepit. Inter cæteros autem hujus ſententiæ publicatores, Stephano ſcripſit Archiepiſcopo in hæc verba: Gregorius Epiſcopus, Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſalutem, &c. In maris amplitudine ſpatioſa navicula Petri poſita, vel potiùs expoſita turbinibus tempeſtatum, ſic jugiter procellis & fluctibus agitatur, ut ejus gubernatores ac remiges vix contingat aliquando inter inundantium imbrium anguſtias reſpirare, vix Charybdis voragines tranſire, vix à Scilla declinare. Nam quandoque proſpero flatu plenis velis ad portum vehitur; ſubitò ventus irruens ex adverſo, impulſus ab illo cujus halitus ardere facit, ad altitudinem maris & turbulentum profunditatis Oceanum navis rapitur, quæ cincta fluctibus mergitur, nec ſubmergitur: quia in ea Dominus reſidens, diſcipulorum tandem clamoribus excitatur, dum fugat ſpiritus inſufflantes, & mari ventiſque imperat, fit tranquillum. Quatuor quidem procellæ quatiunt navem iſtam. Nam perfida Paganorum turba, Terram inclytam, Chriſti ſanguine conſecratam, impiè detinere contendunt: rabies tyrannorum, temporalia rapiens, exterminat juſtitiam, & conculcat eccleſiaſticam libertatem: hæreticorum inſania Chriſti tunicam ſcindere nititur, & ſubvertere fidei ſacramentum: falſorum fratrum & filiorum doloſa perverſitas concutit viſcera, & latus dilacerat matris ſuæ. Sicque foris pugnæ, intùs timores: extra interficit gladius, & domibus mors ſimiliter intentatur. Sicque frequenter fit, quòd Chriſti eccleſia tot anguſtiis perturbatur; dum alere credit filios, nutrit in ſinu ignem, ſerpentes, & regulos; qui ſtatu & morſu & incendio cuncta vaſtare nituntur. Hinc eſt, quòd ad monſtra hujuſmodi perimenda, & expugnandas acies inimicas, ac tempeſtatum inquietudines mitigandas; Apoſtolica ſedes his temporibus multa diligentia quendam alumnum, Imperatorem videlicet Fredericum; quem quaſi à matris utero excepit, uberibus lactavit, humeris bajulavit, de manibus quærentium animam ejus frequenter eripuit, educare ſtuduit, multis laboribus & expenſis uſque ad virum perfectum perduxit, ad Regiæ dignitatis decorem, & tandem ad faſtigium culminis Imperialis provexit; credens illum habere defenſionis virgam, & baculum ſenectutis. Ipſe autem dum in Teutonicam ſe tranſtulit, ad habenas Imperii obtinendas, jocunda, ut credebatur, auſpicia, ſed veriùs pericula matris obtutibus inferebat. Nam ſponte, non monitu, ſede Apoſtolica ignorante, crucem ſuis affixit humeris; vovens ſolenniter ſe in Terræ ſanctæ ſubſidium profecturum. Deinde ſe & alios cruce ſignatos excommunicari obtinuit, niſi certo proficiſcerentur tempore. Sed incidenter abſolutionem petiit, & accepit; de parendo ſuper hæc mandatis eccleſiæ, priùs præſtito juramento. Exuberantem autem gratiam ſuper ipſum Apoſtolica ſedes infundens, ut feſtinantiùs ad Terræ ſanctæ tranſiret ſubſidium, ipſum contra morem ad coronam vocavit; qui ad hoc non invitatus, ſed multiplicatis interceſſoribus invitari per magnificos nuncios conſuevit. Sicque idem ſub crucis vexillo uſque ad hæc tempora propria negotia pleniùs & perfectiùs conſummavit. Tandem cùm manibus fœlicis recordationis Honorii Papæ, prædeceſſoris noſtri, in beati Petri baſilica recepiſſet diadema; de manibus noſtris, tunc in minori officio conſtitutis, crucem reſumpſit, voto publicè innovato. Plures ſub ſpe ſui ſubſidii ad crucem ſumendam induxit; & certum recipit terminum transfretandi. Habito quoque poſtmodùm apud Verulas cum eccleſia Romana colloquio; juravit publicè, ſe in certo termino, à Romana ſibi eccleſia præfigendo, & tanquam Imperatorem honorificè profecturum. Exinde apud Ferentinum in colloquio ſimili, duorum annorum transfretandi elegit ſibi terminum, & præfixit: Sicque tranſiturum, & nobilem mulierem, natam chariſſimi filii noſtri in Chriſto Johannis Regis Hieroſolymorum, illuſtris ipſius regni hæredem, in conjugem recepturum, ſolenniter præſtito juramento ſpoſpondit. Adjungens, quòd per hoc ad obſequium Terræ ſanctæ, non ut cæteri peregrini, ſed ut Templarii & Hoſpitalarii ſe in perpetuum obligaret. Appropinquante itaque termino prælibato, cepit excuſationes multiplices prætendere, ſe ad tranſitum aſſerens non paratum: & ut denuò ternorum ſibi daretur terminus annorum, grandia obtulit obſequia Terræ ſanctæ, cum obligationibus ſatis magnis. Apoſtolica verò ſedes, ne tantis laboribus exufflatis, & inutiliter ſic exhauſtis, totum diſſolveretur negotium, quod huic Principi poſt Romanam eccleſiam principaliùs incumbebat: habito plurium Epiſcoporum & aliorum virorum conſilio, de contingentibus nil omittens, venerabilem fratrem noſtrum P. Albanenſem Epiſcopum, & bonæ memoriæ G. titulo ſancti Martini Presbyterum Cardinalem; ad confirmanda illa, quæ Imperator pro crucis obſequio ſpontaneus promittebat, tranſmiſit. Cùmque apud ſanctum Germanum cum pluribus Alemanniæ Principibus pariter conveniſſent, Imperator propria manu juravit; quòd inde ad biennium, id eſt, in paſſagio Auguſti, nunc proximo tranſacto, omni excuſatione & dilatione ceſſantibus, transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad ſuum ſtipendium, pro ſubſidio Terræ ſanctæ, centum millia unciarum auri, in quinque paſſagiis tunc proximò futuris, illùc deſtinaret certis aſſignanda perſonis. Et tunc Cardinales Presbyteri, de Imperatoris conſenſu, in conſpectu Principum ac populi circumſtantis, excommunicationis ſententiam publicè auctoritate Apoſtolica protulerunt; in quam incideret Imperator, ſi fortè in aliquò defecerit prædictorum. Obligavit inſuper ſe Imperator ad centum chalendras, & quinquaginta galeias ducendas & tenendas ultra mare: & quòd inſuper duobus millibus militum paſſagium crucis terminis largiretur; in animam ſuam jurari faciens, ſe iſta quæ diximus impleturum, & ſponte conſentiens, in ſe & regnum ſuum ferri ſententiam, ſi non fuerint obſervata. Qualiter autem hæc impleverit, advertas.

1228.

1228. Nam cùm ad ejus frequentem inſtantiam, multa cruce ſignatorum millia, per excommunicatio[nis] ſententiam coarctati, in termino deſtinato, ad portum Brunduſii properaſſent; quia gratiam ſuam Imperator ſubtraxerat civitatibus ferè cunctis in portubus conſtitutis, & idem à præceſſore noſtro ac à nobis frequentiùs monitus, ut diligenter pararet omnia, & fideliter quæ ſpoponderat, adimpleret: ipſe præmiſſorum, quæ ſedi Apoſtolicæ & cruce ſignatis per prædicatores & literas ſuas fecerat, de ſponſione paſſagii neceſſariorum & victus, ſuæ ſalutis immemor, tam diu in æſtivi fervoris incendio, in regione mortis & aëris corruptela detinuit Chriſtianum exercitum; ut non ſolùm magna pars plebis, verùm etiam non modica multitudo nobilium & magnatum peſtilentia, ſitis ariditate, ardoris incendio, ac multis incommoditatibus expiravit. Inter quos defecerunt bonæ memoriæ Epiſcopi Andegavenſis & Auguſtenſis. Pars verò non modica infirmitate gravata regrediens; in viis, in ſilvis, & planitiis, in montibus & ſpeluncis occubuit jam ex parte. Sanè reliqui, vix obtenta licentia, licèt galeiæ, chalendræ, ac naves ſufficientes ad tranſitum victualium, hominum, & equorum, ut promiſerat, non adeſſent; in feſto tamen beatæ Virginis cùm jam temporis inſtantia immineret, ut naves tranſmarinis partibus inciperent remeare, ſulcare maria inchoarunt: ſed pro nomine Jeſu Chriſti ſe diſcrimini commitentes, ac credentes Imperatorem cominùs eorum veſtigia ſecuturum. Idem verò, evacuatis promiſſionibus, ruptis vinculis quibus tenebatur aſtrictus, calcato timore divino, contempta reverentia Jeſu Chriſti, cenſura eccleſiaſtica vilipenſa, ac relicto exercitu Chriſtiano, expoſita infidelibus Terra ſancta; devotione populi Chriſtiani abjecta; in ſuum & totius Chriſtianitatis opprobrium retrorſùm abſtractus & illectus eſt ad conſuetas regni delicias, abjectionem corporis ſuis frivolis excuſationibus, ut dicitur geſtiens palliare. Atendite ergo, & vide, ſi eſt dolor ſicut dolor ſedis Apoſtolicæ, matris veſtræ, ſic crudeliter & toties deceptæ in filio, quem lactaverat; in quem poſuit in hoc facto ſpei ſuæ fiduciam, in quem tot beneficiorum abundantiam cumulavit. Diſſimulans interim, ne occaſione inventa, ſe averteret à Terræ ſanctæ ſubſidio, exilia Præſulum, ſpoliationes, captivitates, & injurias multiplices, quas eccleſiis, viris religioſis, clericis irrogavit; & obaudiens querelas multiplices pauperum, populorum, & nobilium, patrimonii eccleſiæ clamantium contra ipſum, quas in aures Domini Sabaoth credimus introiſſe. Et quamvis eccleſia Romana tueri debeat filium tanta diligentia educatum, & magnificentia exaltatum; nunc ipſum gemit ſine Marte victum, abſque hoſte proſtratum: & in ſuæ confuſionis opprobrium, tam ignominioſè dejectum. Non minùs gemit exterminium exercitus Chriſtiani qui non inimicorum gladiis vel virtute defecit, ſed calamitate tam miſerabili eſt conſumptus. Gemit etiam, quòd pars reſidua bellatorum, expoſita maris periculis & fluctibus tempeſtatum, abſque duce, præceptore, & principe ducitur, quò ignorat, modicum profectura Terræ ſanctæ utilitatibus. Quibus debitæ conſolationis ſolatium & opportunæ ſubjectionis auxilium, impedientibus jam maris frementis procellis, temporiſque anguſtia, juxta votum non poſſumus miniſtrare. Gemit inſuper excidium Terræ ſanctæ, quam nunc eripi de manibus Paganorum ſperabamus; quam olim, ut aſſeritur, recuperaſſet Chriſtinanus exercitus per concambium Damiatæ, niſi ſemel eis & iterum Imperialibus fuiſſet literis interdictum. Qui etiam non fuiſſet in manibus Paganorum incluſus; ſi galeiarum ſubſidium, ut ex parte ſua promiſſum fuerat, & fieri poterat, ſubſecutum eſſet. Nam Damiata, quæ, ut aſtruitur, ſuo tradita nuncio, & aquilis Imperialibus inſignita; eodem die crudeliter ſpoliata, & per ſuos deteriorata viliter & ignominioſè, per ipſos fuit infidelibus reſtituta. Recurrit etiam ad rediviva ſuſpiria, & amiſſionem præſcriptam, recolens Damiatæ tot laborum anguſtias, tot expenſarum diſpendia, tot mortes fidelium, & tot excurſus temporum, quæ inutiliter affluxerunt, ſubortis lacrymis flere non ceſſat; nec eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus, nec abſtergat lacrymas à maxillis. Cùm ergo vox ejus in Rama jam ſonuerit, & Rachel non ſolùm filios, ſed hæc omnia irremediabili lamentatione deploret; quis fidelium à gemitibus & ſuſpiriis continebit? Quis filiorum, cernens aquarum profluvia de matris oculis prodeuntia, lacrymas non effundet? Quis matris non compatietur anguſtiis? Nec immenſis ejus doloribus condolebit? Quis fidelium propter hæc non ardentiùs inflammabitur ad ſubſidium Terræ ſanctæ; ne Chriſtiana inventus ex inſperato caſu penitùs proſtrata videatur, & ignominioſè animo conſternata? Nonne viri cordati, & filii Jeſu Chriſti, debent ad ſubſidium Terræ ſanctæ tantò fortiùs animari, quantò ignominiam jam ampliùs reſultare conſpiciunt ex inſperata ruina in patrem & filium, in redemptorem atque redemptos, in Chriſtum & populum Chriſtianum? Nos igitur hoc negotium tantò ardentiùs reſumere affectamus, & profundiori conſilio alta intendimus remedia invenire; quantò magis neceſſitas & ex multis inflata doloribus noſtram grandis anguſtia pavit: & ſic cùm Dominus populo ſuo modicum oſtendit ſe iratum, de illius manu hoc tempore ſacrificium non acceptans, qui prudentiam non eſt imitatus illorum; per quem ſalus in Iſraël conſuevit. Non tamen miſericordiæ Dei ſunt conſumptæ, nec ejus miſerationes penitùs defecerunt. Sperantes namque in miſericordia Dei noſtri, qui viam nobis oſtendit, per quam in hoc opere proſperè gradiamur: & viros ſecundùm cor ſuum deſtinabit, qui præcedant in cordis puritate ac manuum munditia exercitum Chriſtianum. Ideòque fraternitatem veſtram obſecramus in Domino, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes; quatenùs hæc clero & populis vobis commiſſis fideliter exponentes, ac inducentes eoſdem ad hæc exequenda, ſuos ſtudeant animos præparare; & ipſos ad vindicandam injuriam Jeſu Chriſti ſedulis exhortationibus invitetis; ut cùm ipſos ſedes Apoſtolica habito majori tractatu ſollicitandos providerit, promptos inveniat & paratos.

1228.

paratos. Porrò, ne tanquam canes muti, non valentes latrare, videamur deferre homini contra Deum, non ſumentes ultionem de illo, qui tantam injuriam populo procuravit; Imperatorem videlicet Fredericum, *qui nec transfretavit in termino conſtituto, nec illuc in taxatis paſſagiis præſcriptam pecuniam deſtinavit, nec mille duxit miles per biennium tenendos ad ſuum ſtipendium, pro ſubſidio* Terræ ſanctæ *ibidem, ſed in tribus articulis manifeſtè deficiens, in deſcriptæ excommunicationis laqueum ultroneus ſe ingeſſit; excommunicatum, quanquam inviti, publicè nunciamus, & mandamus ab omnibus arctiùs evitari: contra ipſum, ſi contumacia ejus exegerit, graviùs proceſſuri. Confidimus tamen adhuc in pii patris clementia, qui neminem vult perire, quòd oculi mentis caligantes, hoc eccleſiaſtico delibuti collyrio, ſi non fuerit animo rebellis, lumine poterunt illuſtrari; ut ſuam aſpiciat nuditatem, & ignominiam ſuam, quam incurrit, avertat: Sicque recurrat ad medicum, & ad matrem eccleſiam revertatur, per humilitatem debitam, & ſatisfactionem congruam, ſalutis remedia recepturus. Non enim ejus ſalutem in Domino affectamus interire, quem olim ſyncerè dileximus, in minori etiam officio conſtituti. Data* Laterani, *Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

IMPERATOR itaque *Fredericus*, cùm à referentibus ſe excommunicatum cognoviſſet, perturbatus eſt valdè: & ſicut Papa per literas ſuas in omnibus *Chriſtianorum* finibus latam fecerat ſententiam publicari; ita dictus Imperator ſcripſit univerſis Regibus & Principibus *Chriſtianis*, conquerens ſententiam in eum fuiſſe injurioſè latam. Denunciavit etiam ſingulis & univerſis, ſe non frivolis excuſationibus, ſicut ei Papa mendoſè impoſuit, à peregrinatione reverſum inchoata; ſed maximæ infirmitatis cauſa; illius ſuper hoc teſtimonium invocans, qui eſt teſtis in cœlo fidelis. Affirmavit inſuper, quia quàm citiùs ſibi Deus proſperitatem præſtiterit corporalem, votum ſuæ peregrinationis (ſicut decet Imperatorem) cum honore congruo perſolvere Domino procurabit. Inter cæteros ſiquidem catholicos Reges, literas auro bullatas *Anglorum* Regi tranſmiſit; proponens in eiſdem *Romanam* eccleſiam tanto jam avaritiæ ſuccenſam incendio, & concupiſcentia manifeſta; quòd bonis eccleſiaſticis non ſibi pro voto ſufficientibus, Imperatores, Reges, & Principes exhæredare, & tributarios conſtituere non veretur. Habeat autem de præmiſſis Rex *Anglorum* ex ſeipſo exemplum, cujus patrem, Regem ſcilicet *Johannem*, tam diu excommunicatum tenuit, quouſque ipſum & regna ejus conſtituit ſub tributo. Habeant etiam generaliter omnes idem exemplum de Comite *Tholoſano*, & alios Principes multos; quorum terras & perſonas tamdiu ſub interdicto concludere ſolitur, donec illos in conſimilem redigat ſervitutem. Simonias, exactiones diverſas, & à ſæculis inauditas, quas in eccleſiaſticas perſonas inceſſanter exercent; uſuras manifeſtas, & palliatas, quibus hactenùs incognitis totum mundum inficiunt, prætermitto. Sermones tamen ſuper mel mellitos, & ſuper oleum mollitos, inſatiabiles ſanguiſugæ; dicentes curiam *Romanam* eſſe eccleſiam, matrem noſtram, ac nutricem: cùm ſit curia prætaxata omnium malorum radix & origo; non maternos, ſed actus exercens nouercales, ex cognitis fructibus ſuis certum faciens argumentum. Revolvant hæc inclyti Barones *Angliæ*, quos Papa *Innocentius* bullatis literis communitos animavit; ut in Regem *Johannem* quaſi eccleſiæ inimicum inſurgerent obſtinatum. Sed poſtquàm enormiter memoratus Rex eſt incurvatus, & ſe ſuúmque regnum eccleſiæ *Romanæ*, velut effœminatus, mancipavit; prædictus Papa Proceres, quos priùs ſuſtinuit & excitaverat, poſtpoſito mundi pudore Domini̇que timore, conculcavit morti expoſitos & miſerabiliter exhæredandos; ut more *Romano*, protervo hiatu quod pinguius erat, proh dolor, abſorberet! Et factum eſt, quòd incitante *Romanorum* avaritia, princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. Ecce mores *Romanorum*, ecce laquei Prælatorum, quibus univerſos ac ſingulos quærunt illaqueare, nummos emungere, liberos ſubjugare, pacificos inquietare, in veſtibus ovium, cùm ſint intrinſecùs lupi rapaces; Legatus huc & illùc mittentes, excommunicare, ſuſpendere, punire poteſtatem habentes; non ut ſemen, id eſt, verbum Dei ſeminent fructificandum, ſed ut pecuniam extorqueant, colligant, & metant quæ nunquam ſeminaverunt. Sicque fit, ut eccleſias ſacras, pauperum refugia, ſanctorum manſiones diripiant; quas pii ac ſimplices patres noſtri in refectionem pauperum ac peregrinorum & religioſorum ſuſtentationem fundârunt. Et nunc ad imperia & regna degeneres & ignobiles (quos ſolæ literæ faciunt inſanire) auſu temerario contendunt anhelare. In paupertate quidem & ſimplicitate fundata erat eccleſia primitiva: cùm ſanctos, quos catalogus ſanctorum commemorat, fœcunda parturiret. *Sed aliud fundamentum nemo poteſt ponere, præter illud quod poſitum eſt à* Domino *Jeſu*, ac ſtabilitum. Porrò quia in divitiis vavigant, in divitiis volutantur, in divitiis ædificant; timendùm ne paries inclinetur eccleſiæ, ne materia depulſa, ruina ſubſequatur. In nos etiam novit ſcrutator omnium, injuſtè debacchantur; dicentes nos nolle terminis tranfretaſſe conſtitutis: cùm multa me de eo & Eccleſiæ & Imperio inevitabilia ac ardua negotia, præter infirmitatis incommoda, detinebant. Quorum primum fuit rebellium *Siculorum* inſolentia. Nec videbatur nobis ſanum fuiſſe conſilium expediens *Chriſtianitati*, nos in *Terram ſanctam* tranſiſſe, bellùm inteſtinum poſt terga relinquentes: ſicut nec medico, ferro infixo vulneri, fomentum adhibere medicinæ. In concluſione quoque demùm hæc adjecit, exhortans orbis Principes univerſos ut contra tantam ſibi proſpiciant avaritiam, & iniquitatem, quia

Imperator Fredericus *promulgat ſe excommunicatum fuiſſe injuſtè.*

Tunc

1228. *Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.*

Imperator Fredericus *perſequitur Papam.*

EX hac itaque Imperator perturbatione commotus excitavit contra Dominum Papam & *Romanæ* eccleſiæ patrimonium, ſeditionem graviſſimam: invadens ejus civitates, & occupans caſtella. Sicut idem Papa per literas ſuas *Romano* Legato *Francorum* directas, evidenter expreſſit, in horum verborum tenorem.

Authenticum Papæ.

GREGORIUS *Epiſcopus*, Romano Francorum *Legato*, *ſalutem*, &c.. *Attende, quæſumus*, & vide, ſi eſt dolor ſicut dolor noſter, *quia filium quem nutrivit eccleſia* Romana *exaltavit, ſperans eum propugnatorem habere contra perfidas nationes, ecce nunc perſecutorem ſentit immanem, & hoſtem validum experitur. Et ne taceamus atroces injurias & jacturas enormes, quibus* Fredericus *dictus Imperator eccleſiam & perſonas eccleſiaſticas damnabiliter hactenus flagellavit, patrimonium Apoſtolicæ ſedis per* Saracenos *& alios impugnat: & quod deteſtabilius eſt, cum* Soldano *& aliis* Saracenis *nefandis contrahens pactiones; illis favorem,* Chriſtianis *odium exhibet manifeſtum, ad exterminandas domos* Hoſpitales *& Fratrum militiæ* Templi; *per quas reliquiæ* Terræ ſanctæ *hactenus ſunt obſervatæ, impiè annullando. De mandato enim illius inter* Saracenos *&* Chriſtianos, *fide fracta trengarum, cum* Saracenis *domorum prædictarum hoſtiliter inquietans; occiſis & captis quamplurimis, cùm prædas plures abduxiſſent,* Templarii *ex hoc moti, inſurrexerunt contra ipſos: & cùm prædas abſtuliſſent ad valorem ſexmillium marcarum,* Thomas *Comes* Atterarum, *Imperatoris bajulus, illis redeuntibus, furibundus & currens, eandem prædam ipſis non audentibus, juxta ordinis ſui inſtituta, manum armatam contra* Chriſtianos *erigere, abſtulit violenter, & reddidit* Saracenis: *præter quædam, quæ idem* Thomas *ſibi dicitur retentaſſe. Quòd ſi* Saraceni *prædam auferant* Chriſtianis, *dictus* Thomas *non ſolùm ad recuperationem ejus intendit; ſed nec patitur ut* Chriſtiani *prædam auferant aliquando* Saracenis. *Quare factum eſt, ut illi ex hoc violentiores effecti, noſtros audacter impugnent: & noſtri proditionis formidantes, minùs audeant refragari. Et ſic effuſio ſanguinis* Chriſtiani, *nonnunquam in Imperatoris damnabile lucrum cedit. Adhuc autem* Thomas *prædictus, vel potiùs Imperator per ipſum, prædictas* domos *immaniùs perſequens; ipſas domibus & poſſeſſionibus quas habebant, vi arctiori per violentiam ſpoliavit; eóſque privilegiis Apoſtolicæ ſedis privare contendens, & Imperiali ſubjicere juriſdictioni nititur; in manifeſtam ſubverſionem eccleſiaſticæ libertatis. Centum Sclavos etiam, quos domus* Hoſpitalis *&* Templi *habebant in* Sicilia *&* Apulia, *colligi faciens, eos reddidit* Saracenis: *nulla exinde recompenſatione facta* domibus *ſupradictis. Et ſic ſervis* Chriſti, *ſervos præfert* Machometi; *ut ex præmiſſis oſtenditur evidenter. Adhuc pro certo ſcias, quòd licèt dictus imperator cum paucis militibus mare dicitur intraſſe; contra patrimonium eccleſiæ magnum exercitum* Chriſtianorum *&* Saracenorum *multitudinem deſtinavit; ut de obſervatione fidei & malignitate conſtet, omnibúſque manifeſtum exhibeat argumentum. Unde, inquam, firmam ſpem fiduciámque habemus in illo, qui eccleſiam ſuam ſupra fidei petram ſtabiliens: quantumcunque irruant venti, & inundent flumina, ipſam tamen non permittet everti, vel naufragari. Dum itaque videmus eum in ſubverſione fidei* Chriſtianæ *ita nequiter machinantem, ita impiè ſævientem, poſſemus extremum periculum formidare. Sed quantumcunque impii prolongetur iniquitas, nunquam tamen in ſua poterit pravitate prævalere; ſed in ea potiùs evaneſcet. Cùm igitur ex officio, licèt indignis nobis injuncto, providere cogimur, ne miniſter* Machometi *in* Chriſti *miniſtros diutiùs valeat deſæviat; ſed ſæviens potiùs confundatur, & gloria* Chriſtiani *nominis exaltetur: dilectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs per terram Legationis tuæ hæc ſolenniter prædicans* Chriſti *fidelibus; ut pro ſtatu fidei & religionis obſervantia, ſtent ex animo, tanquam proſequentes ſinguli proprium intereſſe; ac ſalutaribus monitis effectibus eos & exhotationibus inducere non poſtponas. Datum* Laterani, *Nonas Auguſti, pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Populus Romanus tumultuatur contra Papam.

PER idem tempus, populus *Romanus* in Papam *Gregorium* ſeditionem excitavit; & in ſolennitate Paſchali illum ejecerunt ab urbe: inſequentes eum uſque *Viterbium* caſtellum ſuum. Ubi fortiter invaleſcentes, fugaverunt eum uſque *Peruſium*. Papa, aliud vindictæ genus non habens, perſecutores ſuos excommunicationis ſententia innodavit.

Victoria comitis Tholoſani *contra* Francos.

EODEM tempore, Rex *Francorum* miſit in *Provinciam* ſuper Comitem *Tholoſanum*, expeditionem non modicam militarem: ut dictum Comitem debellarent, & ab illis finibus propulſarent. Audientes autem quòd dictus Comes erat tunc apud caſtrum *Saracenum*, quod ad jus ſuum ſpectare videbatur: decreverunt eum ibidem incluſum obſidione vallare. Comes verò, de eorum adventu præmonitus, cum ingenti copia armatorum illis venientibus inſidias paravit: & in ſylva quadam, per quam *Franci* erant tranſituri, cum ſuis deliteſcens, hoſtium expectavit adventum. Venientibus autem *Francigenis* ad locum inſidiarum; irruit in eos, cum ſuis legionibus Comes, non præmeditatos: & facto hinc inde conflictu graviſſimo, capti ſunt ex *Francis* milites quingenti, & multi interfecti. Capti ſunt autem ſervientes armati ad duo millia bellatorum; quos omnes ad nudam carnem ſpoliatos, quorundam eorum fecit Comes oculos erui, aures & nares præcidi, manus ac pedes aliorum truncari: & ſic turpiter mutilatos ad propria remittens, deforme ſpectaculum *Francigenis* obtulit inimicis. Milites quoque captivos omnes, collectis priùs manubiis corundem; Comes victor ſub arctiori cuſtodia deputavit. Actum autem eſt bellum hoc xv. Calend. Junii, apud

apud caſtrum *Saracenum*. Et ut breviter dicam, ter in illa æſtate expeditionibus repetitis, *Franci* fugati vel capti ſunt & incarcerati à Comite ſæpedicto. 1228.

De obitu Stephani Cantuarienſis Epiſcopi.

EODEM anno, *Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, apud *Slindonam* manerium ſuum, vii Idus Julii diem clauſit extremum: & *Cantuariæ* ſepultus eſt pridiè Nonas ejuſdem. Quo ſepulto, monachi *Cantuarienſes* impetrata à Rege licentia, elegerunt monachum de gremio eccleſiæ ſuæ, magiſtrum *Walterum* de *Hemeſham*, iii Nonas Auguſti: quem cùm monachi præſentaſſent Regi, ipſe poſt diutinam deliberationem, eundem electum certis objectionibus refutavit. Primò quidem ipſis objecit monachis, quòd pater ejuſdem de furto convictus, patibulo ſuſpenſus fuit: ſecundò, quòd ſteterat in cauſis contra patrem ſuum Regem *Johannem*, tempore interdicti. Epiſcopi prætereà *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganei, eidem electo objecerunt: quia ſanctimonialem quandam oppreſſerat, & ex illa pueros ſuſceperat. Adjicientes inſuper, quòd electio Archiepiſcopi ſine illorum præſentia non debuerat celebrari. Electus verò præfatus, electioni factæ firmiter adhærens; poſt appellationem interpoſitam, aſſumptis ſibi monachis quibuſdam *Cantuarienſibus*, domini Papæ ſe conſpectibus præſentavit: petens inſtanter, ut electionem factam confirmaret. Sed dominus Papa, cùm cognoviſſet, quòd à Rege & Epiſcopis electio contradicta fuiſſet; diſtulit negotium, donec rei certitudinem cognoviſſet. Rex autem & Epiſcopi, cùm audiſſent, quòd electus memoratus ad curiam *Romanam* iter arripuerat: objectiones præmiſſas in ſcriptum redactas, & tam Regio quàm Epiſcoporum ſigillo roboratas, per *Roffenſem* & *Ceſtrenſem* Epiſcopos domino Papæ tranſmiſerunt; magiſtrum *Johannem Bedefordenſem* Archidiaconum hujus negotii conſtituentes patronum. Nuncii tandem *Romam* pervenientes, domino Papæ Regis & Epiſcoporum literas porrexerunt. Quibus Papa diligenter inſpectis, de conſilio Cardinalium ſtatuit partibus diem in craſtino cinerum: ut tunc mediante juſtitia cauſam ſententialiter diffiniret. Eodem anno, per totam æſtatem facta ſunt tonitrua & coruſcationes horribiles; quæ ædificia multa ſuccenderunt in locis diverſis, homines & animalia perimendo: & ſubſecutæ ſunt in Autumno ſequente pluviarum inundationes aſſiduæ, quæ in frugibus colligendis damna non modica cultoribus intulerunt.

De irruptione Wallenſium.

EODEM tempore, menſe Auguſto, milites & ſervientes de caſtello *montis Gomericii*, quod in confinio *Walliæ* ſitum eſt, exierunt cum populo regionis: ut tranſitum cujuſdam viæ non longè à caſtello poſitum, propter latrones *Wallenſes*, qui in illo loco viatores peremerunt aſſiduè, & tranſeuntes ſpoliaverunt, latius facerent & ſecurum. Venientes ſiquidem ad locum cum gladiis, ſecuribus, fuſtibus, & armis, cœperunt arbores & ligna, veprium denſitates & frutecta ſuccindere: ut viam redderent viatoribus ſpatioſam. Quod cùm à *Wallenſibus* compertum fuerat, ſupervenerunt in fortitudine gravi: & hoſtes acriter invadentes, compulerunt eos caſtellum ingredi; hinc inde quibuſdam peremptis. Et cùm caſtellum obſidione vallaſſent, incluſi continuò *Huberto Angliæ* Juſtitiario, cui Rex nuper honorem illum cum caſtello dederat, ſignificaverunt: & Rex cum feſtinatione illùc veniens, *Wallenſes* ab obſidione removit. Rex autem *Anglorum*, qui cum paucis venerat armatis, majorem expectavit exercitum: & tandem multitudine armatorum ſtipatus, ad ſylvam pervenit ſupradictam, quæ, ut dicebatur, ſpatioſa erat nimia, habens quinque leucarum ſpatium in longitudine. Sed licet magna eſſet, & præ nimia denſitate ad deſtruendum difficillima: cum ingenti tamen labore ſucciſa eſt, & ignibus concremata. Et Rex inde ad interiora exercitum ducens, venit ad quoddam habitaculum albi ordinis, *Cridia* vocatum; quod *Wallenſibus* erat receptaculum, ſicut Regi fuerat intimatum. Injecto igitur ad juſſionem Regis igne in ædificiis illis, omnia in favillas redegerunt. *Hubertus* verò Juſtitiarius, cùm ſitum loci quaſi inexpugnabilem advertiſſet, Rege conſentiente, juſſit ibi caſtellum firmari. Sed antequàm opus inceptum ad perfectionem veniret; multi utrinque interfecti ſunt: & vir nobilis *W.* de *Brauſia*, dum victualia quæreret, à *Wallenſibus* captus, & vinculis eſt addictus. Quidam etiam miles, quem Rex nuper donaverat cingulo militari, cum aliis ad victualia quærenda exierat; cùm ſocios ab hoſtibus videret præcluſos, in medios hoſtes audacter prorupit, & multis ex obſtantibus interemptis; ipſe tandem cum quibuſdam aliis de exercitu Regis occubuit interfectus. Erant autem multi ex majoribus exercitus Regis, qui cùm *Leolino* erant confœderati; Regi fictè adhæſerunt. Unde deficiente in exercitu omni alimentorum genere, Rex comperiens, quòd quidam ſuorum avertentes ſe, & non ſervando fidem ac pactum eum, in ore ſuo & corde mentiti ſunt ei; coactus eſt turpem inire concordiam: in hoc conſentiens, ut caſtellum magnis ſumptibus ferè jam conſummatum, ipſius Regis complanaretur expenſis. Et *Leolinus*, pro laboribus Regis & impenſis, daret tria millia marcarum eidem Regi, Et ſic fœdere confirmato, unuſquiſque ad propria remeavit. Sicque Rex *Angliæ*, poſtquam per tres ferè menſes in conſtructione caſtelli prædicti occupatus fuerat, & pecuniam infinitam inutiliter conſumpſerat: remanente *Willielmo* de *Brauſia* in vinculis *Leolini*, viro nobili ignominioſè: ad propria remeavit. Et tunc commovit ad riſum, quòd primò cùm conſtrueretur caſtellum, Juſtitiarius dans illi nomen, vocavit illud, *Stultitiam Huberti*: quia cùm noviſſimè viderent poſt tot labores & expenſas ſolo tenùs complanatum; Juſtitiarium non ſolùm Prophetam, ſed etiam plus quàm Prophetam affirmarunt.

EODEM

1228. EODEM anno, *Fredericus* Imperator mare mediterraneum ingreſſus, ut Domino votum peregrinationis perſolveret; in vigilia nativitatis beatæ virginis *Mariæ* apud *Achon* applicuit: venientes ei obviàm clerus terræ & populus, cum magno honore, ut tantum decebat virum, illum receperunt. Veruntamen quoniam noverant eum à Papa excommunicatum, non ei communicaverunt in oſculo, neque in menſa: ſed conſuluerunt, ut domino Papæ ſatisfaciens, rediret ad ſanctæ eccleſiæ unitatem. *Templarii* verò & *Hoſpitalarii*, in adventu ejus flexis genibus adoraverunt eum, genua ejus deoſculantes: & omnis fidelium, qui aderat exercitus, glorificabant Deum in adventu ipſius; ſperantes quòd per eum fieret ſalus in *Iſrael*. Tunc Imperator ad univerſum exercitum gravem depoſuit querimoniam, de Pontifice *Romano*, quòd injuſtam tulerat in eum ſententiam: affirmans ſe graviſſimæ infirmitatis cauſa, & aliorum arduorum negotiorum, quæ totam tangebant *Chriſtianitatem*; iter ſuum ad *Terræ ſanctæ* ſubſidium diſtuliſſe. *Soldanus* verò *Babyloniæ*, cùm ejus adventum in *Syriam* cognoviſſet; miſit ei xenia multa & precioſa: in auro & argento, in holoſericis & lapidibus precioſis, in camelis & elephantis, in urſis & ſimiis, & aliis rebus mirificis; quibus omnibus carent incolæ Occidentis. Invenit autem Imperator, tempore quo *Achon* applicuit, principes & rectores exercitus populi *Chriſtiani*, Ducem de *Lemburgo*, Patriarcham *Hieroſolymitanum*, Archiepiſcopos *Nazarenſem*, *Cæſarienſem*, & *Narbonenſem*: Epiſcopos *Angliæ Wintonienſem* & *Exonienſem*: magiſtros *Hoſpitalis* & *Teutonicorum*; qui præerant octingentis militibus peregrinis, & peditibus quaſi decem millibus; de diverſis mundi partibus congregatis. Qui omnes pari devotione ducti, *Cæſaream* & quædam munierant caſtella; ita quòd nil defuit eis: niſi ut *Joppen* reſtaurarent, & ſic in ſanctam tenderent civitatem. Imperator itaque cum ſtatum *Terræ ſanctæ* cognoviſſet; approbavit plurimùm peregrinorum propoſitum: & præparatis omnibus ad progrediendum neceſſariis, proceſſerunt feliciter prævio Imperatore, & xvii Calend. Decembris apud *Joppen* proſperè pervenerunt. Sed quoniam unuſquiſque de exercitu, neceſſaria victus ad dies plurimos ſibi & equitaturis ſuis, cum ſummariis per terram portare nequivit; & ſpecialiter propter hoc in portu *Aconenſi* naves eſſent paratæ, quæ victualium copiam exercitui deferre debebant, cùm onuſtæ velificarent: repentè ſuborta tempeſtate, & ſupra modum tumeſcentibus procellis, per ſeptem dies continuos peregrinis *Chriſti* victualia fuerant interdicta. Erat autem tunc timor magnus inter multos, ne iratus Dominus, populum ſuum delere vellet de ſuperficie terræ. Sed ineffabilis clementia Dei, *quæ neminem temptari permittet ultra quà ſuſtineri poteſt*, tandem clamoribus lacrymoſis fidelium excitatus, *imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Et continuò, ducente Domino, venit apud *Joppen* innumera navium multitudo; cum ingenti copia frumenti & hordei, vini, & omni genere victualium: ita quòd indeficiens abundantia fuit ſemper in exercitu, uſque ad perfectam reædificationem caſtri memorati; prout rerum neceſſitas exigebat.

Imperator Fredericus *in Terram ſanctam applicat.*

HOC denique anno venit in *Angliam* Archiepiſcopus quidam *Armeniæ* majoris; gratia peregrinationis: ut ſanctorum *Anglicanæ* religionis reliquias, & loca venerabilia, ſicut & per alia regna fecerat, viſitaret. Literas quoque domini Papæ ad commendationem perſonæ ſuæ, viris religioſis & Prælatis eccleſiaſticis exhibuit; ut ab ipſis cum debita reverentia reciperetur, & honorificè tractaretur. Hic demùm, cum apud S. *Albanum* veniens, cauſa orandi *Angliæ* protomartyrem: ab Abbate & Conventu reverenter ſuſceptus eſt. Ubi cùm ab itinere fatigatus, ob ſui ſuorùmque recreationem, aliquandiu perendinaret; cœpit per interpretes ſuos de ritu & religione hujus patriæ multa & moribus vivendi inquirere: & de partibus orientis plura admiranda referre. Interrogatus autem inter loquendum ab uno, qui fuit ei aſſidens collateralis, monacho, ſi in partibus ſuis conceptio beatæ *Mariæ* celebraretur: reſpondit: Celebratur utique, & hæc eſt ratio: quia Angelo nunciante, *Joachim* dolenti & inhabitanti tunc deſertum; ipſa conceptio facta eſt. Similiter & conceptio *B. Johannis Baptiſtæ*, ſimili ratione. De conceptione autem Domini, quæ facta eſt Angelo annunciante *Mariæ*, quæ concepit ex Spiritu ſancto, nulli fidelium venit in dubium.

Archiepiſcopus Armeniæ *venit in* Angliam.

HÆ tres conceptiones in partibus *Armeniæ*, ut aſſeruit, & prædictis rationibus confirmavit, celebrantur. Interrogatus ſimiliter inter cætera, de *Joſeph* viro illo, de quo frequens ſermo habetur inter homines, qui quando paſſus eſt Dominus, præſens fuit, & locutus eſt cum eo, qui adhuc vivit in argumentum fidei *Chriſtianæ*: ſi illum aliquando viderit, vel de illo quicquam audierit. Reſpondit Archiepiſcopus, aſſerens rem geſtam ſeriatim: & poſteà miles quidam *Antiochenus*, de familia ejus, qui interpres illius erat, notus etiam cuidam famulo domini Abbatis, *Henrico Spigurnel*, exponens ſermones illius, dixit lingua *Gallicana*. Benè (inquit) novit dominus meus hominem illum, & paulò antequàm iter arriperet ad partes Occidentis, idem *Joſeph* in *Armenia* comedit ad menſam domini mei Archiepiſcopi; quem multoties viderat & audierat loquentem. Et poſtmodùm interrogatus de rebus geſtis inter dominum *Jeſum Chriſtum* & eundem *Joſeph*, reſpondit: Tempore paſſionis *Jeſu Chriſti*, cùm captus à *Judæis* in prætorium adductus fuiſſet ante Præſidem *Pilatum*, ut judicaretur ab ipſo, accuſantibus ipſum conſtanter *Judæis*; cùm *Pilatus* nullam in eo

De Joſeph, *qui ultimum* Chriſti *adventum adhuc vivus expectat.*

1229.

cauſam mortis inveniſſet, dixit ad eos: *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum.* Sed tandem invaleſcentibus clamoribus *Judæorum*, *Pilatus* dimiſit illis *Barrabam* ad petitionem illorum, *& tradidit eis Jeſum, ut crucifigeretur.* Trahentibus autem *Judæis Jeſum* extra prætorium; cùm veniſſet ad oſtium, *Cartaphilus* prætorii oſtiarius & *Pontii Pilati*, cùm per oſtium exiret *Jeſus*, pepulit eum pugno contemptibiliter poſt tergum; & irridens dixit: *Vade Jeſu citiùs, vade, quid moraris?* Et *Jeſus* ſevero vultu & oculo reſpiciens in eum, dixit: *Ego vado, & expectabis donec veniam.* Ac ſi juxta Evangeliſtum diceretur: *Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de eo: tu autem ſecundùm adventum meum expectabis.* Itaque juxta verbum Domini expectat adhuc *Cartaphilus* ille, qui tempore dominicæ paſſionis erat quaſi triginta annorum; & ſemper cùm uſque ad centum attigerit ætatem redeuntium annorum, corripitur quaſi incurabili infirmitate, & rapitur quaſi in extaſim: & convaleſcens, redit redivivus ad illum ætatis ſtatum, quo fuit anno quando paſſus eſt Dominus. Ut verè poſſit dicere cum Pſalmiſta: *Renovatur ut aquilæ juventus mea.* Verùm poſt paſſionem Domini creſcente fide catholica, idem *Cartaphilus* baptizatus fuit ab *Anania*, qui baptizavit *B. Paulum* Apoſtolum; & vocatus eſt *Joſeph.* Habitat autem frequenter in utraque *Armenia*, & in aliis regionibus Orientis; vivens inter epiſcopos & alios eccleſiæ prælatos: homo ſanctæ converſationis & religionis, pauca habens verba & circumſpecta; ut qui nihil loquitur, niſi ab epiſcopis & viris religioſis fuerit requiſitus. Et tunc refert de rebus antiquitatis, & de iis quæ geſta fuerant in paſſione Domini & reſurrectione; & de teſtibus reſurrectionis: illis videlicet qui ſurrexerunt cum *Chriſto*, & venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Refert etiam de *ſymbolo Apoſtolorum*, & eorum diviſione & prædicatione; & hoc ſine riſu & omni levitate verborum, & nota reprehenſionis vel redargutionis: ut qui magìs verſatur in lacrymis & timore Domini, metuens ſemper & ſuſpectum habens adventum *Jeſu Chriſti* in igne, ſæculum judicaturi: ne ipſum in ultimo examine inveniat iratum, quem ad paſſionem properantem irridens ad dignam provocavit ultionem. Veniunt ad eum multi de remotis mundi partibus, delectantes in ejus viſione & confabulatione; quibus ſi ſint viri authentici, de rebus interrogatis breviter ſolvit quæſtiones. Munera omnia ſibi reſpuit oblata, victu moderato & veſtitu contentus. In hoc ſemper ponit ſuæ ſpem ſalutis; quia ignorans deliquit, dicente Domino, & orante: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* *Paulus* ſiquidem, per ignorantiam qui peccavit, gratiam promeruit. Similiter & *Petrus*, qui per fragilitatem, id eſt, timorem, Dominum negavit. *Judas* autem, qui per iniquitatem, id eſt, cupiditatem, Dominum tradidit; effuſis viſceribus ſe laqueo ſuſpendens, ſine ſpe ſalutis vitam infœlicem terminavit. In hac ratione ſibi ſpem *Cartaphilus* ponit indulgentiæ; errorémque ſuum quo tueatur habet. Percontatus etiam memoratus Archiepiſcopus de Arca *Noë*, quæ adhuc dicitur in montibus *Armeniæ* requieſcere, & de multis aliis; hoc idem affirmavit, teſtimonium perhibens veritati: qui propter perſonæ reverentiam, & ipſius honeſtatis bullatum teſtimonium, fidem impreſſit mentibus auditorum, & ſuam narrationem rationis ſigillo confirmavit. Hujus etiam rei eventus falſitatis nequicquam poſſe redargui, teſtatur quidam nobilis miles, & in armis ſtrenuus, *Richardus* de *Argentomio*; qui partes Orientales ſub titulo Peregrinationis devotus in propria præſentia, cum multis aliis viſitavit; & poſteà ſepelitur epiſcopus.

EODEM anno, *Euſtachius Londinenſis* Epiſcopus diem clauſit extremum. In cujus loco *Magiſter Rogerus ſucceſſit Euſtachio.* Canonici elegerunt magiſtrum *Rogerum*, cognomento *Nigrum*; virum in literatura profundi pectoris, honeſtum, ac per omnia laudabilem, religionis amatorem ac defenſorem, omni genere ſuperbiæ carentem, Canonicum de gremio eccleſiæ ſuæ: quem dominus Rex ſibi præſentatum, ſine difficultate recepit. Eodem tempore obiit *Galfridus Elyenſis* Epiſcopus, menſe Decembri; & ſepultus eſt in eccleſia cathedrali ſua, pridiè Idus menſis ejuſdem: ſicut & prædictus *Euſtachius* in ſua. Quo *Galfrido* defuncto, monachi elegerunt communi aſſenſu *Hugonem* ſancti *Edmundi* Abbatem. Qui Regi præſentatus, gratanter ſuſceptus eſt; & Epiſcopatus bonis omnibus inveſtitus.

ANNO Domini M. CCXXIX. Rex *Anglorum Henricus*, ad natale Domini tenuit curiam ſuam apud *Oxoniam*; preſentibus Magnatibus regni. *Magnates tranſmarini Regem Angliæ ſollicitant ut transfretaret.* Venit autem ad eum ibi Archiepiſcopus *Burdegalenſis*, miſſus à Magnatibus *Gaſconiæ*, *Aquitaniæ*, & *Pictaviæ*. Qui à Rege cum honore ſuſceptus, dies cum illo natalitios celebravit. Venerunt etiam & alii ſolennes nuncii de *Normannia*; quorum omnium unum atque idem erat negotium: ut videlicet ex parte Magnatum regionum prædictarum, Regem ſtudioſè ſollicitarent, quatenùs ad partes illas venire in propria perſona dignaretur, denunciantes ei, quòd univerſi ad eum cum equis venirent & armis & populo regionis; atque cum illo immutabiliter ſtarent, ut revocare poſſet hæreditates amiſſas. Rex autem, qui adhuc erat nimia ſimplicitate perplexus, à Juſtitiario ſuo, quem conſiliarium habuit unicum, conſilium quærens,: nil aliud accepit, niſi ut negotium differret, donec hora fœlicior arrideret. Nuncii verò, aliud non habentes in reſponſis, ad propria ſunt reverſi.

1229.

Papa Gregorius bellum movet contra Fredericum Imp.

CIRCA dies iſtos, Papa *Gregorius* nimis moleſtè ferens, quòd *Romanorum* Imperator excommunicatus & rebellis; ad *terram ſanctam* tranſierat: de illius pœnitentia & ſatisfactione, ut rediret ad eccleſiæ unitatem, non mediocriter deſperabat. Decrevit ergo eum, quem contumacem vidit & rebellem; ab imperiali faſtigio depellere: & alium quemlibet filium pacis & obedientiæ, loco ejus ſubrogare. Sed quoniam hujus rei certitudo nobis non niſi per alios conſtare potuit, ponemus hîc literas *Thomæ* cujuſdam Comitis, quem Imperator cum quibuſdam aliis in receſſu ſuo, Imperii tutorem conſtituit & rectorem: quas Imperatori ſuper hoc negotio in *Syriam* deſtinavit, & quas à quodam fide digno ſuſcepimus peregrino.

Epiſtola ad Imperatorem.

Excellentiſſimo domino Frederico, *Dei gratia Imperatori Romanorum, & ſemper Auguſto, ac* Siculorum *Regi potentiſſimo*; Thomas *Comes* Atteranenſis, *ſuus in omnibus fidelis ac devotus, ſalutem, & de hoſtibus triumphare. Poſt receſſum veſtrum, domine excellentiſſime,* Gregorius *Pontifex* Romanus, *& magnificentiæ veſtræ hoſtis publicus; congregato exercitu copioſo per* Johannem *de* Brennes, *Regem quondam* Hieroſolymorum, *& alios quoſdam viros ſtrenuos, quos militiæ ſuæ Principes conſtituit; terram veſtram & hominum veſtrorum hoſtiliter ingreſſus, contra legem* Chriſtianam *decrevit vos in gladio vincere materiali, quem non potuit dejicere in gladio, ut aſſerit, ſpirituali. Nam* Johannes *præfatus, de Regno* Francorum, *& aliis conterminis regionibus, militiam contrahens non modicam; ſub ſpe Imperii, ſi vos poſſit ſubigere, de theſauris Apoſtolicis, ſuis militibus ſtipendia miniſtrat. Itaque idem* Johannes, *& alii ſedis Apoſtolicæ principes militiæ, terram veſtram & hominum veſtrorum hoſtiliter ingreſſi; ignem in ædificiis & villis accumulant, ſpolia & armenta rapiunt, homines captos diverſis cruciatibus torquent, & ad graviſſimam redemptionem compellunt: nulli ſexui parcunt, nec cuiquam extra eccleſiam vel cœmiterium deferunt: vicos & caſtella capiunt, non habentes ad hoc reſpectum, quòd ſitis in ſervitio* Jeſu Chriſti. *Et ſi quis de Imperatore mentionem facit,* Johannes *de* Brennes *affirmat, non eſſe alium Imperatorem præter ipſum. Mirantur ſuper his amici veſtri, excellentiſſime Imperator; & præcipuè clerus Imperii veſtri: qua conſideratione & conſcientia talia facere poteſt Pontifex* Romanus, *& contra* Chriſtianos *arma movere. Maximè cùm Dominus direxit* Petro, *in gladio materiali percutere volenti:* Mitte gladium tuum in vaginam. Omnis enim qui percuſſerit in gladio, gladio peribit. *Vel quo jure poſſit ille, qui quaſi diebus ſingulis prædones, incendiarios, &* Chriſtianorum *tortores excommunicat, & ab eccleſiæ unitate ſeparat; talibus aſſenſum præbere, & auctoritatem præſtare, ſimiliter admirantur. Provideatis nunc obſecro, Imperator potentiſſime, ſecuritati veſtræ & honori ſuper præmiſſis: quia inimicus veſter ſæpedictus,* Johannes *de* Brennes, *omnes portus ciſmarinos cum exploratoribus armatis non paucis munivit, ut ſi fortè incautus à peregrinatione redires, ipſe vos ſub captione concluſum incarceraret. Quod Dominus avertat.*

Diſcordia orta Pariſiis inter clerum & cives.

EODEM anno, feria ſecunda & tertia ante Cineres; quibus ſolent diebus clerici ſcholares ludis vacare; exierunt quidam clerici ab urbe *Pariſiacenſi* verſus ſanctum *Marcellum*, propter aëris commoditatem: ut ludis ibi intenderent conſuetis. Quo cum perveniſſent, & in ludis componendis aliquandiu ſe recreaſſent; invenerunt ibi caſu vinum optimum in taberna quadam, & ad bibendum ſuave. Ubi inter clericos potantes & caupones de pretio vini contentione ſuborta, cœperunt ad invicem alapas dare, & capillos laniare; quouſque homines villæ accurrentes, caupones liberaverunt de manibus clericorum: ſed & vulnera repugnantibus clericis infligentes, benè fuſtigatos & egregiè, eos in fugam compulerunt. Illi autem lacerati in civitatem revertentes, commoverunt ſodales in ultionem ſuam. Qui in craſtino cum gladiis & fuſtibus ad ſanctum *Marcellum* venientes, & domum cujuſdam cauponis violenter ingredientes; vaſa omnia vinalia confringentes, vinum per domus pavimentum diffundunt. Et procedentes per plateas, quoſcunque invenerunt viros aut mulieres acriter invadunt; & plagis impoſitis ſemivivos relinquunt. Prior verò ſancti *Marcelli*, cùm tantam hominibus injuriam cognoviſſet illatam, quos defendere tenebatur; querimoniam coram *Romano* Legato & Epiſcopo *Pariſiacenſi* depoſuit: qui ſimul ad Reginam, cui tunc regni diſpoſitio commiſſa fuerat, properantes, rogabant eam, ut talem injuriam præciperet vindicari. At illa muliebri procacitate ſimul & impetu mentis agitata, præpoſitis civitatis & quibuſdam ruptariis ſuis dedit ilicò in mandatis; & ſub omni celeritate armati ab urbe exeuntes, hujus violentiæ auctores, nulli parcentes, punirent. Illi autem, qui proni erant ad omnem crudelitatem exequendam, portas civitatis cum armis egreſſi, invenerunt extra urbis mœnia clericos multos ludis intendentes; qui in violentia præfata nullam penitùs culpam habuerunt. Qui enim ſeminarium tumultuoſi certaminis moverunt, erant de partibus conterminis *Flandriæ*; quos vulgariter *Picardos* nominamus. Sed hoc non obſtante, lictores in eos irruentes, quos inermes viderant & innocentes; alios occiderunt, alios vulneraverunt: atque alios plagis impoſitis ſpoliantes, immiſericorditer tractaverunt. Quidam verò ex eis per fugam evadentes, in vineis & cavernis latitabant. Inventi ſunt autem inter vulneratos, duo clerici divites & magnæ auctoritatis interfecti; quorum unus erat genere *Flandrenſis*, & alius natione *Normannus*. Hujus autem tranſgreſſionis enormitas, cùm ad aures magiſtrorum univerſitatis perveniſſet, convenerunt omnes in præſentia Reginæ & Legati, ſuſpenſis priùs lectionibus & diſputationibus univerſaliter: inſtanter poſtulantes, de tali injuria ſibi juſtitiam exhiberi. Indignum enim

ſibi

1229.

ſibi videbatur, quòd tam levi nacta occaſione, quorundam contemptibilium clericulorum tranſgreſſio, in præjudicium totius redundaret univerſitatis: ſed pœnam daret in ultione, qui culpam perpetravit in tranſgreſſione. Sed cùm tandem omnimoda eis juſtitia tam à Regina & Legato, quàm ab Epiſcopo civitatis denegata fuiſſet, facta eſt univerſalis diſceſſio magiſtrorum & ſcholarum diſperſio, ceſſant doctorum doctrina, & diſcipulorum diſciplina; ita quòd nec unus famoſus ex omnibus in civitate remanſerit. Et remanſit orbata ſuo clero civitas, quæ ſolet in illo gloriari. Tunc receſſerunt famoſi *Anglici*, magiſter *Alanus* de *Becoles*, magiſter *Nicolaus* de *Frenham*, magiſter *Johannes Blundus*, magiſter *Radulphus* de *Maidenſton*, magiſter *Willjelmus* de *Dunelmo* & multi quos longum eſſet numerare. Quorum tamen maxima pars civitatem *Andegavenſium* metropolitanam ad doctrinam elegit univerſalem. Sic ergo à nutrice philoſophiæ & alumna ſapientiæ civitate *Pariſiaca* recedentes clerici; Legatum *Romanum* execrantes, Reginæ muliebrem maledixerunt ſuperbiam: imò eorum infamem concordiam. Recedentium autem quidam famuli, vel mancipia, vel illi quos ſolemus *Goliardenſes* appellare, verſus ridiculos componebant, dicentes:

Heu morimur ſtrati, vincti, merſi, ſpoliati:
Mentula Legati nos facit iſta pati.

Quidam autem honeſtior verſificator per apoſtrophum, id eſt, informationem perſonæ, ut ſi loqueretur urbs *Pariſiaca* clero ſub plantu, ait:

Clere tremiſco metu, quia vis contemnere me tu:
Perfundor fletu, mea damna fleo, tua fle tu.

Tandem procurantibus diſcretis perſonis, elaboratum eſt, ut factis quibuſdam pro tempore exigentibus utrobique culpis, pax eſt clero & civibus reformata; & ſcholarium univerſitas revocata.

Nuncia Regis Angliæ *inſtant* Romæ *ad dejectionem* Cantuarienſis *electi.*

EODEM tempore, inſtante die cinerum, qui electo *Cantuarienſi* & nunciis Regis *Anglorum* fuerat præfixus; ut quid de jure foret à Papa diffiniendum inter partes, procuratores dicti Regis, ſcilicet magiſter *Alexander* de *Staveneſſe* epiſcopus *Ceſtrenſis*, & magiſter *Henricus* de *Stanford Roffenſis* epiſcopus, & præcipuè magiſter *Johannes* de *Houtona*; dominum Papam & Cardinales omnes aſſiduis petitionibus convenerunt: ſed illos invenientes ex more difficiles, timuerunt valde à ſuo deſiderio defraudari. Unde habito tractatu deteſtabili ſuper præmiſſis; promiſerunt domino Papa ex parte Regis *Anglorum*, ab univerſo regno *Angliæ* & *Hyberniæ* decimationem omnium rerum mobilium, ad guerram ſuam contra Imperatorem ſuſtinendam, ut eos in Regis propoſito exaudiret. At dominus Papa, qui rebellem Imperatorem ſuper omnia æſtuabat dejicere, tantis promiſſionibus exhilaratus, trahitur ad conſenſum; & ſedens in conſiſtorio, hæc quæ ſequuntur propoſuit.

De caſſatione Walteri *monachi.*

NUPER *ad audientiam noſtram pervenit electio* Cantuarienſis *eccleſiæ, de quodam monacho* Waltero *nomine. Et poſtquàm audivimus quæ pro ſe idem monachus, & pro ſua electione propoſuit, auditis etiam ſubjectionibus & exceptionibus Epiſcoporum* Angliæ; *tam contra electionem præfatam, quam in perſonam electi, per venerabiles fratres noſtros* Coventrenſem *&* Roffenſem *epiſcopos, & dilectum filium Archidiaconum* Bedefordenſem, *in audientia noſtra propoſitis, examinationem circa electi prænominati perſonam, venerabilibus fratribus noſtris domino* Albanenſi, *domino* Thomæ *de ſancta* Sabina, *& magiſtro P. Cardinalibus, commiſimus faciendam. Cùmque electus coram illis conſtitutus, requiſitus eſſet de deſcenſu Domini ad inferos, utrum in carne, vel ſine carne deſcenderit, malè reſpondit. Item de confectione corporis* Chriſti *in altari, malè reſpondit. Item requiſitus de* Rachele, *qualiter plorabat filios ſuos, cùm primò eſſet mortua, malè reſpondit. Item requiſitus de ſententia excommunicationis contra juris ordinem lata, malè reſpondit. Item requiſitus de matrimonio ſi alter contrahentium infidelis deceſſerit, malè reſpondit. Super his omnibus articulis diligenter examinatus eſt à Cardinalibus; quem non ſolùm dicimus minùs benè reſpondiſſe, ſed peſſimè. Cùm igitur nobilis ſit eccleſia* Cantuarienſis *& nobilem habuiſſet Prælatum, virum diſcretum, modeſtum, & de gremio* Romanæ *eccleſiæ aſſumptum: & iſte modò electus, quem non ſolùm pronunciamus indignum; imò ſi de rigore juris procederemus, aliud dicere cogeremur, ita inſufficiens eſt, quòd ad tantum honorem non debet aſſumi; electionem de ipſo factam omninò caſſamus, proviſionem nobis dictæ eccleſiæ reſervantes.*

De promotione Richardi Cantuarienſis *Archiepiſcopi.*

CASSATA ſanè in hunc modum electione præfata, procuratores Regis *Angliæ* & Epiſcoporum *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeorum, literas de rato eorundem tam Regis quàm Epiſcoporum, in domini Papæ præſentia exhibentes: propoſuerunt de magiſtro *Richardo Lincolnienſis* eccleſiæ Cancellario, quòd eſſet vir eminentis ſcientiæ & literaturæ, ac converſationis honeſtæ, quòdque tam eccleſiæ *Romanæ*, quàm & regno *Angliæ* eſſet non mediocriter fructuoſus: atque modis omnibus coram domino Papa ejus perſonam commendantes, dominum Papam trahunt cum ſuis Cardinalibus ad conſenſum. Sicque memorato *Richardo* non electo ad Archiepiſcopatum, ſed dato; dominus Papa ſuffraganeis *Cantuarienſis* eccleſiæ literas in hæc verba direxit: Gregorius *Epiſcopus*, &c. *Ex commiſſa nobis à domino cura paſtoralis officii, & conceſſa, licet immeritis, plenitudine eccleſiaſticæ poteſtatis,*

1229. *cogimur eccleſiarum omnium per quotidianam inſtantiam, ſollicitudinem & curam gerere, eiſque cùm neceſſitas ingruerit, & ex juſtitiæ debito, & ex gratiæ beneficio, paterna diligentia providere. Inter cæteras autem particulares eccleſias, & metropoles univerſas ad* Cantuarienſem *eccleſiam, tanquam ad nobiliſſimum ſedis Apoſtolicæ membrum, in ejus opportunitatibus oculos conſiderationis expandimus; quam mater eccleſiarum, Apoſtolica ſedes, tantò benigniori debet favore proſequi, quantò eam inter alias divina diſpoſitio in ſpiritualium plenitudine & temporalium ubertate gratia prætulit ampliori. Hanc etenim velut paradiſum voluptatis & hortum deliciarum, ordinatione ſua plantavit altiſſimus, de qua producere valuit lignum ſcientiæ boni & mali: in inſtitutione dignitatis metropolicæ, lignum vitæ: in ordine religionis monaſticæ, & regularis obſervantiæ diſciplina, ligna pomifera: in ſuffraganeis, quæ per operationem ſanctam delectant in viſu, per fidelem doctrinam delectant in guſtu, per opinionem bonam recreant in olfactu. De eodem loco fluvius egreditur, per quem glorioſiſſimi* Thomæ *martyris ſanguinis exprimitur; qui dum vitam mortuis, ſanitatem ægrotis, libertatem ſervis & audaciam timidis contulit; inde progrediens, in quatuor proculdubiò capita derivatur. Cujus miraculorum excellentium ſigna dum ſollicita meditatione diſcutimus, raras & inſolitas divinæ plantationis delicias invenimus. Hujus itaque paradiſi cuſtodiæ, bonæ memoriæ* Stephano *quondam* Cantuarienſi *Archiepiſcopo, ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ Cardinali; viro utique pereminentiſſimè donis ſcientiæ, & munere gratiæ, ſupernis cariſmatibus delibuto, & erepto de carnis ergaſtulo, & ad Paradiſi cœleſtis jocunditatem & requiem ſicut ſperamus & credimus, evocato: dilecti filii* Cantuarienſis *conventus, electionem celebratam ab eis de* Waltero *monacho* Cantuarienſi, *nobis præſentare curarunt. Qua primò electionis merita, & examinata perſonæ literatura, juſtitia mediante, caſſata: hominem culminis, quem per vitam & ſcientiam, intellectum pariter & affectum, ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum, habentem per ſalutarem doctrinam vitæ ſpiraculum, in Paradiſo, ut operetur & cuſtodiat illum, duximus collocandum, magiſtrum* Richardum Lincolniæ *Cancellarium; quem tam ex fratrum noſtrorum, qui eum in ſcholis noverunt, quàm ex venerabilium fratrum noſtrorum* Roffenſis *&* Conventrenſis *epiſcoporum, & aliorum plurium teſtimonio, virum didicimus eminentis literaturæ, converſationis honeſtæ, famæ integerrimæ, excellentiſſimæ induſtriæ, zelatorem animarum & eccleſiaſticæ libertatis,* Cantuarienſis *eccleſiæ, de fratrum noſtrorum conſilio, præſentibus præfatis epiſcopis, præficimus in Archiepiſcopum & Paſtorem. Quapropter fraternitatem veſtram monemus, & hortamur, per apoſtolica ſcripta mandantes quatenùs tanquam charitatis filii & devotionis, ipſum ad honorem omnipotentis Dei, & Apoſtolicæ ſedis, &* Cantuarienſis *eccleſiæ, recipientes cum humilitate debita & devotione ſincera, intendatis eidem, & tanquam patri & paſtori animarum veſtrarum, & metropolitano veſtro obediatis humiliter & devotè. Gaudere quidem debitis in Domino, quòd illius gratia principaliter cooperante, qui inſpirando prævenit, & adjuvantem proſequitur, proviſum eſt laudabiliter eccleſiæ viduatæ. Data*, &c.

Terra ſancta reſtituta Imperatori Frederico.

EODEM anno, Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* Salvator & omnium ſæculorum conſolator, viſitans miſericorditer plebem ſuam; civitatem ſanctam *Hieruſalem*, & *terram* totam, quam Dominus idem & redemptor noſter Dei filius ſuo ſanguine conſecravit; precibus univerſalis eccleſiæ generaliter populo *Chriſtiano*; ſpecialiter verò *Romanorum* Imperatori reſtituit *Frederico*. Fuit autem aliquid beneplacitum Domino in populo ſuo, qui exaltat manſuetos in ſalutem; ut faceret vindictam in nationibus, & diſſentiones in gentibus *Saracenis*. Erat enim in diebus iſtis *Soldanus Babyloniæ* domeſticis undique præliis tam graviter oppreſſus; quòd ne minùs ſufficeret ad plura, coactus eſt eum Imperatore mediantibus treugis decennalibus componere, ac *Terram ſanctam* populo ſine ſanguinis effuſione reddere *Chriſtiano*. Sicque miſſum eſt à Domino bellum bonum, ut rumperetur pax mala. Sed hujus gratiæ divinæ beneficium, ut legenti clariùs illuceſcat, literas legat *Romani* Imperatoris auro bullatas, quas *Henrico Angliæ* Regi in hæc verba direxit:

Epiſtola Imperatoris Frederici *ad Regem* Angliæ.

FREDERICUS *Dei gratia* Romanorum *Imperator, ſemper* Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, *chariſſimo amico ſuo,* Henrico Anglorum *Regi, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Lætentur & exultent omnes in Domino, & glorientur pariter recti corde, qui ut notam faceret potentiam ſuam, non in equis aut curribus gloriatur, nunc dedit ſibi gloriam in paucitate virorum, ut cognoſcant & intelligant omnes, quòd ipſe ſit glorioſus in majeſtate, terribilis in magnificentia, mirabilis in conſiliis ſuper filios hominum, pro voluntate ſua tempora mutans, & diverſarum corda gentium in unum convertens; cùm in paucis diebus iſtis miraculosè potiùs quàm fortitudine illud negotium ſit peractum, quod à longè temporibus retrò actis, multi Principes & diverſi orbis potentes in multitudine gentium, nec per vires quantumcunque grandes, nec per metum aliquem facere hucuſque modo quolibet potuerunt. Ne igitur deſiderium veſtrum longus ſermo diu teneat in ſuſpenſo, ſanctitati veſtræ cupimus eſſe notum; quòd nos habentes ſpem noſtram in Deo firmiter, & credens quòd* Jeſus Chriſtus *filius ejus, pro cujus ſervitio corpus & animas expoſuimus ſic devotè; nos in tam ignotis & remotis regionibus non relinqueret, quin ſaltem pro honore & gloria & laude ſua conſilium & auxilium nobis tribueret ſalutare. In ipſius autem nomine ab* Achon *procedentes fiducialiter, quintadecima die menſis* Novembris *proximò præteriti, proſperè venimus apud* Joppen, *ut caſtro loci ejuſdem reædificato fortiter prout decebat, in* Hieruſalem *ſanctam civitatem eundi poſtmodùm, tam nobis, quàm omni populo*

Chriſtiano

Chriſtiano, non ſolùm facilior, imò brevior & ſecurior pateret acceſſus. Igitur ſub fiducia divinæ ſpei nobis apud Joppen exiſtentibus & ſuper reædificatione caſtri, prout exigebat rei neceſſitas, & cauſa Chriſti intendentibus magnificè, ut decebat, dum à nobis & peregrinis omnibus ſollicitè agerentur hæc omnia, de Soldano Babyloniæ ad nos, & à nobis ad Soldanum eundem nuncii plures & pluries venerunt & redierunt hinc inde. Ipſe etenim & alius Soldanus, qui Xaphat dicitur, frater ejus, apud civitatem Gazam diffuſum habentes exercitum, dieta una diſtabant à nobis. Ex alia verò parte in civitate Sichen, quæ Neapolis vulgò nominatur, & in campeſtribus locis ſita eſt; Soldanus Damaſci, nepos eorum, cum innumera multitudine militum & peditum gentis ſuæ, prope nos & Chriſtianos ad unam dietam ſimiliter morabatur. Et cùm de reſtitutione Terræ ſanctæ ab alterutra partium tractaretur, tandem Jeſus Chriſtus Dei filius devotam patientiam noſtram & patientem devotionem ex alto reſpiciens; compatiendo miſericorditer nobis in ſemetipſo, ſic fecit, quòd Soldanus Babyloniæ Hieruſalem civitatem ſanctam nobis reſtituit: locum videlicet ubi ſteterunt pedes Chriſti, locum etiam ubi veri adoratores in ſpiritu & veritate patrem adorant. Ut enim de reſtitutione hujuſmodi certos vos faciamus per ſingula; noveritis quòd non ſolùm reſtitutum eſt nobis corpus civitatis prædictæ, ſed contrada tota, ſicut deſcendit inde uſque ad maritamam caſtri Joppen; ut peregrini de cæterò proceſſum liberum habeant ad ſepulchrum, ſecurúmque regreſſum. Hoc tamen adjecto, quòd cùm Saraceni illarum partium in veneratione maxima templum habeant; ad adorandum, ſecundùm ritum eorum ibi in figuram peregrinorum illùc frequenter accedant, ipſos de cæterò liberè permittamus venire. Veruntamen quot voluerimus, & ſine armis: nec hoſpitabuntur in civitate, ſed deforis; & continuò facta oratione recedant. Prætereà reſtituta eſt nobis civitas Bethleem, & tota terra media inter Hieruſalem & civitatem ipſam: civitas Nazareth, cum tota terra media inter Achon & ipſam civitatem: tota terra Turonis, quæ largiſſima eſt & ampla, & valdè commoda Chriſtianis: civitas Sydonis, id eſt, Saëte, cum tota planitie & pertinentiis ſuis, quæ tantò erit de cæterò gratior Chriſtianis, quantò magis extitit Saracenis, & hactenùs fructuoſa. Maximè cùm portus ibi ſit nimis congruus; & inde arma & neceſſaria multa ad civitatem Damaſci; & de Damaſco frequenter ad Babyloniam portarentur. Et quamvis civitatem Hieruſalem ſicut meliùs unquam fuit, reædificare nobis liceat, ſecundùm pactum: necnon & caſtrum Joppen, caſtrum Cæſareæ, caſtrum Sydonis, & caſtrum ſanctæ Mariæ Teutonicorum, quod fratres ipſius domus in montana Achon ædificare cœperunt, & ab olim nullo treugarum tempore permiſſum extitit Chriſtianis. Ipſe tamen Soldanus, uſque ad finem treugarum, quæ inter nos & ipſum per decennium ſunt ſtatutæ, ædificia vel caſtra aliqua de novo facere vel ædificare non debet. Sicque die Dominica, xviii die menſis Februarii nuper præteriti, die ſcilicet in qua Chriſtus Dei filius à mortuis reſurrexit, & in memoriam reſurrectionis Dominicæ à Chriſtianis omnibus tam generaliter quàm ſolenniter colitur & veneratur in orbe concordia hujuſmodi, hinc inde extitit juramentò firmata. Verè igitur nunc nobis & omnibus illuxiſſe denuò viſa eſt dies illa, in quà Angeli cecinere Deo: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas. Ad recognitionem verò tam grandis beneficii, tantique honoris; quæ præter merita noſtra, & contra opinionem multorum, ad perennem miſericordiæ ſuæ laudem miſericorditer contulit nobis Deus, & ut in loco ſuo ſancto vitulum labiorum noſtrorum perſonaliter offeremus eidem, noveritis; quòd die Sabbati, xvii die menſis Martii hujus ſecundæ Indictionis, cum peregrinis omnibus, qui nobiſcum fideliter Chriſtum Dei filium ſunt ſequuti, intravimus ſanctam civitatem Hieruſalem; & ſtatim tanquam catholicus Imperator, adorato ſepulchro dominico reverenter, ſequenti die coronam portavimus; quam Dominus omnipotens de throno majeſtatis ſuæ nos habendam prævidens, de ſpeciali gratia pietatis ſuæ inter orbis Principes nos mirabiliter exaltavit; ut ſic proſequentibus nobis tantæ dignitatis tripudium, quæ nobis competit jure regni, magis ac magis notorium univerſis appareat, quòd manus Domini fecit hæc omnia. Et cùm miſerationes ejus ſuper omnia opera ſint ejuſdem, cognoſcant orthodoxæ fidei cultores de cæterò, & ennarrent longè latéque per orbem; quòd ille qui eſt benedictus in ſæcula viſitavit, & fecit redemptionem plebi ſuæ, & erexit nobis cornua ſalutis in domo David patris ſui. Sanè priuſquàm de civitate recedamus ſancta Hieruſalem de magnifica reædificatione ipſius turrium ac murorum ſuorum taliter ordinare propoſuimus: & ita ſuper hæc intendere volumus diligenter, quòd non minor ſollicitudo nec diligentia in abſentia noſtra habeatur inde, quàm ſi perſonaliter ſuper hoc ipſi eſſemus præſentes. Ut autem hæc præſens noſtra epiſtola exultatione ſit plena per totum, & ſic limes ejus principio ſe adaptet in gaudiis; ut regalem animum lætificet, ad incrementum lætitiæ & totius gaudii præcedentiis, amicitiæ veſtræ cupimus eſſe notum; quòd Soldanus prædictus omnes captivos illos, quos ſecundùm pactum inter Chriſtianos & ipſum habitum tempore quondam Damiatæ perditæ non reddidit: & alios, qui poſteà capti fuerunt, reſtituere nobis debet modò. Data apud civitatem ſanctam Hieruſalem, xvii die menſis Martii. Anno Domini M. CCXXIX.

FORMA Bullæ Imperatoris aureæ erat talis: Ex una parte erat imago Regia, & ſcriptum in circuitu: Frederieus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Ex una parte verò Regalis imaginis, ſcilicet ſuper dextrum humerum, ſcriptum eſt: Rex Jeruſalem. Ex alia parte ejuſdem imaginis, ſcilicet ſuper ſiniſtrum humerum, ſcriptum eſt: Rex Siciliæ. Ex alia autem parte Bullæ, inſculpitur quædam civitas, ſcilieet Roma, & ſcrlbitur in

Deſcriptio bullæ aureæ Imperatoris Frederici.

circuitu:

1229. circuitu: *Roma caput mundi, tenet orbis fræna rotundi.* Erat autem Bulla aliquantulùm major Bulla Papæ.

Exercitus Chriſtianus *intrat* Hieroſolymam.

INGRESSUS eſt igitur, ut diximus, ſanctam civitatem *Hieruſalem* exercitus *Chriſtianus*; & Patriarcha cum Epiſcopis ſuffraganeis mundificavit templum Domini, & eccleſiam ſancti ſepulchri, ſanctæque reſurrectionis ejuſdem, cum aliis eccleſiis ſanctiſque locis venerabilibus civitatis; abluentes pavimentum & parietes aqua benedicta, & agentes proceſſiones in hymnis & canticis, reconciliaverunt Deo loco univerſa, diuturnis infidelium ſordibus prophanata. Verùm, quandiu Imperator, qui excommunicatus fuerat, intra urbis mœnia moram fecit, nullus Prælatorum Miſſam celebrare præſumpſit. Magiſter tamen *Walterus*, frater quidam de ordine Prædicatorum, vir religioſus, providus, ac diſcretus, & in divina pagina eleganter eruditus, *Anglicus* natione, qui à domino Papa officium prædicationis, in quo ſingulariter floruit, expeditus, in exercitu *Chriſti* ſuſceperat; quod etiam per aliquod tempus fœliciter impleverat, celebravit divina in eccleſiis ſuburbanis: unde devotionem fidelium plurimùm excitando, ad obſequium crucifixi arctiùs animavit. Deinde Prælatis ſingulis, tam minoribus, quàm majoribus, ac viris religioſis, eccleſiis ſuis ſibi reſtitutis & poſſeſſionibus antiquis: gaudentibus cunctis ſuper beneficiis divinis, quæ præter ſpem omnium acciderant, intenderunt unanimiter cum peregrinis omnibus ad reædificationem civitatis, muros cum foſſatis, turréſque cum propugnaculis, magnis ſumptibus ac ſtudioſis laboribus reparare. Nec ſolùm acta ſunt hæc in civitate ſancta *Hieruſalem*, ſed in omnibus civitatibus & caſtellis illius *Terræ*; quam Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* ſuis ſanctorum pedum ſuorum veſtigiis conſecravit, & ſacroſancto ſanguine dedicavit. Erátque tanta in omnes *Chriſtianos* exultatio, ut viderentur terrenis cœleſtia miſceri.

De ſuperbia & invidia Templariorum *&* Hoſpitalariorum.

HIS autem ſic Deo diſpenſante ordinatis, invidente antiquo ſeminatore ſchiſmatum & diſcordiarum Sathana, incolæ terræ, præcipuè *Templarii* & *Hoſpitalarii*, invidentes factis Imperatoris, ſumpſerunt cornua ex odio Papali. Audierunt enim, quòd jam Papa Imperium hoſtiliter invaſerat. Volentes igitur omnia magnalia hæc eas aſſcribi, qui à tota *Chriſtianitate* tot proventus recipiunt, & ad ſolummodò *Terram ſanctam* defendendam, tantos redditus inglutiunt; & quaſi in voragine barathri demergunt: ſignificaverunt ſubdolè ac proditioſè *Soldano Babyloniæ*, quòd Imperator propoſuit adire flumen ubi *Chriſtus* baptizatus eſt à *Johanne Baptiſta*; ibidem *Chriſti* veſtigia, & præcurſoris ejuſdem, (*quo non major ſurrexit inter natos mulierum*) pedes & in laneis cum parvo comitatu clàm humiliter adoraturus: & ibidem poſſet ad votum eundem Imperatorem vel capere vel trucidare. Quod cùm audiret *Soldanus* memoratus, & ſuper hoc chartam noto ſibi ſigillo ſignatam conſpexiſſet; deteſtatus eſt *Chriſtianorum* verſutiam, invidiam, & proditionem, & maximè eorum qui videbantur habitum religionis cum crucis charactere bajulare: & advocans duos ſecretiſſimos ac diſcretos Conſiliarios, inſtillavit auribus illorum univerſa, oſtendens eis epiſtolam, cui adhuc ſignum adhærebat, & ait: *Ecce fidelitas Chriſtianorum*. Inſpectiſque literis, poſt longam ac diligentem deliberationem, ſic reſponderunt: Domine, inita eſt pax utrobique beneplacita, quam violare facinoroſum foret: ſed ad omnium *Chriſtianorum* confuſionem, mittatis hanc epiſtolam cum ſigno adhærenti, ipſi Imperatori; & erit vobis amiciſſimus, & meritò, quorum conſiliis *Soldanus* obtemperans, miſit dictam epiſtolam Imperatori; & omnem dolorum prælocutum ei denunciavit. Inſuper dum hæc fierent, Imperator per diligentiſſimos & expeditiſſimos exploratores ſuos commonitus, priùs hæſitabat; non credens tantam malitiam de religioſis prorupiſſe. Et dum ſic dubitaret, venit nuncius *Soldani* ad eum, dictam portans ei epiſtolam; per quam pleniùs de prædictis ſignificabatur. Gaudens igitur, quòd laqueos abſconditos evaſiſſet, omnia cautè diſſimulabat, uſque ad tempus retributionis; & quæ ad reditum in terram ſuam fuerant neceſſaria, præparavit. Et hoc fuit ſeminarium odii inter Imperatorem & *Templarios* ac *Hoſpitalarios*. Veruntamen *Hoſpitalarii* minorem notam infamiæ ſuper hoc facto contraxerunt. Ex eo igitur tempore conglutinata eſt anima Imperatoris cum anima *Soldani* indiſſolubili cemento dilectionis & amicitiæ; & confœderati ſunt, & miſerunt ſibi viciſſim munera precioſa: inter quæ miſit *Soldanus* Imperatori unum elephantem. Comperientes autem *Templarii* & *Hoſpitalarii* cum ſuis complicibus, Imperatoris peregrinationem, quam feciſſe ad flumen *Jordanis* propoſuerat, differri; intellexerunt per illud & alia indicia, dolum ſuum effectu caruiſſe. Patriarcham igitur *Hiereſolymitanum* ad ſuam attraxerunt conſpirationem; qui hanc epiſtolam ad diffamandum Imperatorem, dicitur conſcripſiſſe.

Proditio intenta Imperatori.

Soldanus *revelat Imperatori proditionem ſuorum.*

Epiſtola Geroldi *Patriarchæ* Hieroſolymitani.

GEROLDUS *Patriarcha* Hieroſolymitanus, *univerſis Chriſti fidelibus in Domino ſalutem. Quàm mirabiliter, imò miſerabiliter, ab initio uſque ad finem, in grave præjudicium negotii* Jeſu Chriſti, *& fidei* Chriſtianæ *contemptum, in partibus ciſmarinis proceſſerit Imperator, ſi plenè intelligatur; in proceſſu ipſius à planta pedis uſque ad verticem, non poterit ſanitas inveniri. Quoniam in adventu ſuo excommunicatus venit, vix ſecum ducens milites quadraginta, & ſine pecunia; ſperans quòd de ſpoliis habitatorum* Syriæ *poſſet ſuam inopiam ſuſtentare. Primòque in* Cyprum *veniens, nobilem virum* I. de Ybellino *& filios ſuos, quos ibidem occaſione negotii* Terræ ſanctæ *fecerat convenire; minùs curialiter cepit ad ſuum prandium invitatos.*

invitatos. Poſtmodùm Regem, quem ad ſe venire fecerat, retinuit quaſi captum. Sicque per violentiam & fraudem regnum penitùs occupavit. Tranſit in Syriam his peractis. Cúmque in principio verbis mirabilia ſe promitteret facturum, & ſe ſuper his coram ſimplicibus jactitaret; ſtatim ad Soldanum Babyloniæ pacis nuncios deſtinavit. Propter quod in conſpectu Soldani & ſuorum paganorum, factus eſt contemptibilis: præcipuè cùm ipſum intelligerent ſecum non tantam armatorum multitudinem adduxiſſe, quòd aliquo modo poſſent per eundem prægravari. Intereà occaſione præmuniendi Joppen, ad partes illas declinavit cum exercitu Chriſtiano, ut magis appropinquaret Soldano; & ut faciliùs poſſent diſcurrere pro pace vel treuga obtinenda. Quid plura? Poſt longum & latentem tractatum, nullius de terra conſilio requiſito; pronunciavit quadam die ſubitò, quòd pacem fecerat cum Soldano: formam pacis vel treugæ nullus vidit; quando de ſervandis conventionibus idem Imperator præſtitit ſacramentum. Quanta autem fuerit malitia, quàm fraudulentus tractatus, quorundam capitulorum tenore, quæ vobis in ſcriptis duximus tranſmittenda, cognoſcere poteritis evidenter. Quia Imperator ad magnificandam vocem ſuam, vocem tantùm habere voluit; & vocem obtinuit à Soldano. Dixit enim inter cætera, quòd ſibi erat ſancta civitas reſtituta: ad quam cùm in vigilia Dominicæ, qua cantatur, Oculi mei, cum exercitu Chriſtiano veniret; die ſequenti Dominica, ſatis ordinatè, ſatiſque confuſè excommunicatus in eccleſia Dominici ſepulchri, in præjudicium honoris ac excellentiæ Imperialis manifeſtum, ſuo capiti impoſuit diadema: Saracenis templum Domini ac templum Salomonis in manu ſua retinentibus, ac legem Machometi publicè, ſicut priùs, proclamantibus; non ſine peregrinorum confuſione maxima & dolore. Idem verò Imperator, cùm ſe firmaturum civitatem anteà multipliciter promiſiſſet, ſequenti die Lunæ ſummo diluculo, primus civitatem exivit nemine ſalutato: ſibi fratribus Templi & Hoſpitalis præſentantibus ſolenniter & inſtanter, quòd ſi vellet firmare, ſicut promiſerat, civitatem; ipſi ei, quantum poſſent, conſilium & auxilium ad id faciendum compararent. Sed ipſe, qui de corrigendo negotio non curabat, videns quòd factum illud nullius firmitatis robur obtineret, nec civitas, ſicut reſtituta erat, teneri poterat, nec firmari; ſolummodò voce reſtitutionis contentus, ipſa die versùs Joppen cum ſua familia feſtinavit. Quod cùm viderent peregrini, qui cum ipſo intraverant civitatem, poſt ipſum noluerunt remanere. Subſequenti verò die Dominica, ſcilicet qua cantatur, Lætare Hieruſalem, venit Achon; & in ipſa civitate populum ſibi alliciens, ei quandam libertatem conceſſit, ut favorem ipſius per hoc mendicaret. [illegible] quod hoc fecit, novit Deus; & ejuſdem opera ſequentia demonſtrarunt. Cùm autem paſſagium inſtaret, & omnes unanimiter peregrini, puſilli cum magnis, viſitato ſepulchro, tanquam peregrinatione peracta, pararentur ad receſſum, cùm treugam non haberemus cum Soldano Damaſci; nos videntes terram jam deſtitutam, & à peregrinis relictam, conſilium, in arcto conſtituti, inieramus; ut de eleemoſyna piæ memoriæ Regis Franciæ, milites pro communi utilitate retineremus. Quod cùm audiret Imperator, ſignificavit nobis ſe ſuper hoc admirari; cùm treugas cum Soldano Babyloniæ confirmaſſet. Reſpondimus, quòd adhuc remanebat ferrum in vulnere, ex quo treugæ vel pax non fuit inita cum Soldano Damaſci, utpotè prædicti Soldani, in hoc ei contradicentes; adjicientes, quòd invito etiam Soldano Babyloniæ, nos poſſet Damaſcenus nimis damnificari. Reſpondit Imperator, dicens, quòd ejus conſilio & licentia, qui jam Rex fuit Hieroſolymitanus; non debeant milites guerrivi retineri in regno ſuo. Ad quod reſpondimus, quòd ſuper hoc plurimùm dolebamus, quòd de his & conſimilibus conſilium ipſius excommunicati, ſine periculo animarum, non potuimus expectare. Et cùm ad hoc nil nobis Imperator remandaret; die ſequenti fecit extra civitatem per præconem publicum congregari peregrinos habitatores civitatis; ac per ſpeciales nuncios, Prælatos ſimul & religioſos in ſabulo. Inter quos ipſe perſonaliter conſtitutus, primò cæpit de nobis graviter conqueri, falſas querimonias cumulando. Secundò, ad virum venerabilem magiſtrum Templi ſermonem retorquens; famam ſuam conatus eſt publicè variis ac vanis ſermocinationibus non mediocriter obfuſcare; & ſic culpam propriam, quæ jam manifeſtabatur, intendebat in alios retorquere, addens quòd nunc ultimò milites ſtipendiarios in ſuum præjudicium & gravamen retinebamus. Propter quod ipſe jubebat omnibus militibus peregrinis, cujuſcunque eſſent nationis, ſicut ſe ſuáque diligebant, ne remanerent in terra ab illa die in antea; præcipiens Comiti Thomæ, quem Ballivum in terra relinquere diſponebat, ut quemcunque ex tunc inveniret, puniret corporaliter; adeò ut unius pœna, multis foret ad terrorem. Quibus omnibus conſummatis, nulla excuſatione vel reſponſione admiſſa; ad ea quæ tam ignominiosè fuerant divulgata, receſſit. Et ſtatim ad portas civitatis baliſtarios poni ſtatuit; præcipiens eis, ut fratres Templi exire permitterent, non intrare. Denique tam eccleſias, quàm alia loca eminentia civitatis, muniri juſſit baliſtariis; & loca ſpecialiter, per quæ ad nos & ad domum Templi habebatur acceſſus, ſciatiſque quòd nunquam Saracenis tam gravis extitit aut nocivus, vel contra eos tantùm animoſus. Cujus nos manifeſtam malitiam perpendentes, tam Prælatos quàm peregrinos duximus convocandos, excommunicantes omnes illos, qui contra eccleſiam, vel fratres Templi, & alios terræ religioſos vel peregrinos, ipſi Imperatori conſilium impenderent, aut juvamen. Quare magis intumeſcens Imperator, omnes introitus fecit diligentiùs cuſtodiri; inhibens ne ad nos, vel ad illos qui nobiſcum eſſent, victualia deferentes appropinquarent; ponens undique baliſtarios & ſagittarios, quibus nos & fratres Templi ac peregrinos graviter impugnabat. Et ut excogitatam malitiam adimpleret, fratres Prædicatores ac quoſdam Minores, qui in Ramis palmarum locis 1229.

ſtatutis

1229. ſtatutis convenerant ad prædicandum verba Domini; per ſatellites ſuos rapi fecit de pulpitis, & in terram proſterni, extrahi, & quaſi latrones per civitatem fuſtigari. Deinde cùm videret, quòd per prædictam obſidionem, quod intendebat non obtineret, fecit tractari de pace: ad quod reſpondimus, quòd noluimus pacis tractatum admittere, niſi priùs amotis cuſtodiis baliſtariorum & aliorum armatorum; ablatis etiam bonis noſtris reſtitutis, ita quòd eſſent omnia in eo ſtatu & libertate, qua erant die qua ingreſſus eſt civitatem. Ipſe tandem fieri præcipit, ſecundùm quod poſtulabamus, ſed non eſt effectui mancipatum: ſuppoſuimus igitur civitatem Interdicto. Videns igitur malitiam ſuam non poſſe procedere uſquequaque, moram in terra noluit trahere longiorem: imò ac ac ſi totum niteretur deſtruere, baliſtas & armaturas, à longo tempore pro defenſione terræ reſervatas, apud Achon fecit clàm in navibus deponi, & plura Soldano Babyloniæ tranſmitti, quaſi charo ſuo. Et mittens in Cyprum quoſdam milites ſuos, fecit non minimam ab incolis pecuniam extorqueri: & quod mirabilius nobis videbatur, galeias quas potuit ſecum trahere, deſtruxit. Quod cùm audivimus, duximus eum ſuper hoc admonendum. Sed ipſe admonitione ſpreta, ſimul & correctione; latenter feſto Apoſtolorum Philippi & Jacobi, per vicum ſecretum & portum galeiam intrans; verſus Cyprum feſtinavit, nemine ſalutato, Joppen relinquens deſtitutam, nunquam utinam rediturus. Jamjam à Ballivis dicti Soldani intercluditur exitus extra muros pauperibus Chriſtianis ac Syrianis: plures itaque in via peregrini defecerunt. Hæc & multa alia, quæ relinquimus aliis enarranda, quæ mundus novit, commiſit Imperator in Terræ ſanctæ & animæ ſuæ detrimentum; quæ Dominus miſeratus, cùm placuerit, dignetur temperare. Valete. Hæc autem epiſtola cùm ad audientiam Occidentalium perveniret, non mediocriter famam Imperialem obfuſcavit, & multorum favorem ademit. Papa autem ad ejus dejectionem, diligentiùs ſolitò inſurrexit, & collectioni pecuniæ hiavit avidius.

Quidam exceſſus, in quibus Papa accuſat Imperatorem.

Venit eodem tempore in Angliam magiſter Stephanus, domini Papæ Capellanus, & nuncius ad Regem Anglorum; miſſus ut colligeret decimas, domino Papæ à nunciis ipſius Regis Romæ promiſſas; ad guerram ſuam ſuſtinendam, contra Imperatorem Romanorum ſuſceptam. Audierat enim idem Papa de Imperatore præfato multo deteſtanda, quæ faciebat contra legem Chriſtianam: quorum tenorem in ſcriptum redigens, per diverſas orbis partes literis Apoſtolicis publicare curavit. Propoſuit autem contra eum inprimis, quòd in die Annunciationis beatæ Mariæ, cùm eſſet excommunicatus, intravit Sepulchri ſancti eccleſiam in Hieruſalem; & ibi ante majus altare propria manu ſeſe coronavit; & ita coronatus, reſedit in cathedra Patriarchatus, & ibi prædicavit populo; excuſando malitiam ſuam, & accuſando eccleſiam Romanam. Imponens ei, quòd injuſtè proceſſerat contra eum; & notabilem eam fecerat invectivè & reprehenſivè, de inſatiabili & ſimoniali avaritia. Egreſſus autem ab eccleſia, in comitatu ſatellitum ſuorum, ſine omni perſona eccleſiaſtica, portavit coronam uſque ad palatium Hoſpitalis. Item in palatio ſuo Achonenſi fecit convivari Saracenos, & fecit eis habere mulieres Chriſtianas ſaltatrices, ad ludendum coram eis; quæ etiam, ut dicebatur, commiſcebantur eis. Item, fœdus quod iniit cum Soldano, nemo ſcivit qua conditione tractatum fuit inter eos, niſi ipſe ſolus. Veruntamen manifeſtè videbatur, quòd magis approbaret (ſecundùm quod perpendi poterat, per geſtus exteriores) legem Saracenorum, quàm fidei noſtræ; quia in multis ritus eorum imitatus eſt. Item, in ſcripto quod eſt inter ipſum & Soldanum, quod lingua appellatur Arabica, Moſepha, continetur; quòd durantibus treugis, ipſe juvabit eum contra omnes homines Chriſtianos & Saracenos; & è converſo Soldanus ipſum. Item, ſpoliavit Canonicos S. Crucis in Achona quibuſdam redditibus, quos recipere debebant in portu Achonenſi. Item, ſpoliavit Archiepiſcopum Nicholſienſem in Cypro. Item, protexit quendam Epiſcopum Surianorum potentia ſæculari, contra Patriarcham, ab excommunicato & ſchiſmatico ordinatum. Item, ſpoliavit Canonicos ſancti Sepulchri oblationibus ipſius Sepulchri; & Patriarcham oblationibus Calvariæ loci, & loci Golgotha, & Canonicos Sancti Templi, oblationibus ſuis: & per manus ſatellitum ſuorum fecit omnes oblationes iſtas colligere. Propter quod factum, frater Walterus excommunicavit eum in civitate Hieroſolymorum, & omnes ſatellites ſuos. Item, in die Palmarum, prædicatores de pulpito, ubi prædicabant, viliter & violenter fecit dejici, & crudeliter tractari & incarcerari. Item, infra paſſionem Domini obſedit Patriarcham & epiſcopos Wintonienſem & Exonienſem, & Templarios, in domibus ſuis: & cùm vidit, ſe non poſſe prævalere, confuſus dimiſit. His igitur de cauſis, licèt aliæ non deſint, quicquid egit in Terra ſancta pro nihilo reputans dominus Papa, movit guerram contra ipſum; aſſerens juſtum eſſe & fidei Chriſtianæ neceſſarium, ut tam validus eccleſiæ perſecutor à faſtu Imperii depelleretur. Et quod his omnibus deteſtabilius eſt, contra matrem ſuam Romanam eccleſiam, gravem excitaverat perſecutionem; ita quòd caſtella ejus cum terris & poſſeſſionibus occupàrat; & velut hoſtis publicus detinuit occupatas.

De decimis ab Anglia Gregorio Papæ collatis.

Per idem tempus, cùm magiſter Stephanus, domini Papæ Capellanus & nuncius, Regi Anglorum negotia ipſius Papæ & ſui cauſam adventus oſtendiſſet; fecit Rex convenire apud Weſtmonaſterium, Dominica qua cantatur, Miſericordia Domini, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Templarios, Hoſpitalarios, Comites, Barones, eccleſiarum rectores, &

& qui de ſe tenebant in capite, ad locum præfixum & diem ut audirent negotia memorata, & de rerum exigentiis communiter tractarent ibidem. Omnibus igitur congregatis tam laicis quàm clericis, & eorem ſubjectis; magiſter *Stephanus* coram omnibus recitavit literas domini Papæ; in quibus exigebat decimas omnium rerum mobilium de tota *Anglia*, *Hybernia*, & *Wallia*, ab univerſis laicis & clericis, ad guerram ſuam ſuſtinendam, quam contra *Romanum* Imperatorem ſuſceperat *Fredericum*. Oſtendit autem in literis memoratis, quod ipſe ſolus hanc expeditionem ſuſceperat pro univerſali eccleſia, quam dictus Imperator, jam diu excommunicatus & rebellis, ſubvertere nititur, ſicut evidentibus apparet indiciis: unde divitiæ ſedis Apoſtolicæ cùm non ſufficiant ad ipſum exterminandum, neceſſitate compulſus, ab univerſis eccleſiæ filiis implorat auxilium; per quod expeditionem inchoatam, & in parte jam fœliciter proſperatam, perducere valeat ad deſideratum effectum. Perſuadet denique dominus Papa, in concluſione negotii, ſingulis eccleſiæ membris; quatenùs ſicut filii naturales eccleſiæ *Romanæ*, quæ mater eſt omnium eccleſiarum, potenter ſubveniant; ne, quod abſit, ipſa deficiente, membra cum capite ſuccumbere videantur. His & aliis in hunc modum in authentico domini Papæ patenter expreſſis, perſuaſit magiſter *Stephanus* omnibus qui aderant, ut conſentirent; allegans honorem & commodum, qui poſſet exinde obtemperantibus provenire. Rex autem *Anglorum*, à quo cæteri omnes ſperabant habere defenſionis auxilium, factus eſt (quia ſic oportuit fieri) baculus arundineus, cujus fragmenta vulneraverunt in ſe confidentes: qui *Romæ* per procuratores ſuos, ut ſupradictum eſt, ad decimas ſolvendas fuerat obligatus, non potuit contradicere: & cùm nihil reſponderet, viſus eſt tacendo aſſenſum præbere. Comites verò, & Barones, ac laici omnes, planè decimas ſe daturos contra dixerunt, nolentes Baronias ſuas, vel laicas poſſeſſiones *Romanæ* eccleſiæ obligare. Epiſcopi quoque & Abbates, priores & alii eccleſiarum Prælati, poſt trium vel quatuor dierum deliberationem & murmurationem non modicam, tandem conſenſerunt; metuentes excommunicationis ſententiam vel interdicti ſibi inferri, ſi mandatis Apoſtolicis obviarent. Conſentientes igitur corde quali quali, ſub quadam ſumma pecuniæ finem concluſiſſent ſibi tolerabili; niſi (ut aſſeritur) *Stephanus* de *Segrave*, Regis tunc Conſiliarius, vir quidem ſui ſolius amicus, verſus in arcum pravum, quadam ſimoniaca conventione cum magiſtro *Stephano* facto, ad talem effectum rem perduxit; quòd decimas ipſas plenariè ſibi exegit & continuit, ad damnum eccleſiæ & regni inæſtimabile. Sed juſto Dei judicio, hæc fraudulenta procuratio, prædicto *Stephano* Juſtitiario non ſucceſſit in proſperum. Tunc magiſter *Stephanus*, Prælatis omnibus literas domini Papæ procuratorias oſtendit; quibus idem Papa ipſum ad dictas decimas colligendas procuratorem conſtituerat; ut non ſecundùm taxationem factam in viceſima, quæ paulò antè Regi data fuerat pro libertatibus obtinendis; ſed ſecundùm quod meliùs poſſunt, ad commodum domini Papæ, & uberiùs, omnia bona & mobilia ſingulorum taxari. Videlicet de omnibus redditibus, proventibus, fructibus carrucarum, oblationibus, decimis, nutrimentis animalium, & fructibus, & de omnibus obventionibus eccleſiarum, vel aliarum poſſeſſionum, quocunque nomine cenſeantur; non aliquibus debitis vel expenſis aliqua occaſione deductis. Hubuit etiam ex eiſdem literis auctoritatem contradictores excommunicandi, & eccleſias interdicendi. Unde conſtitutis procuratoribus ſuis in ſingulis Comitatibus regni; omnes illos excommunicavit, qui circa decimas ipſas reddendas, vel taxationem faciendam, per ſe, vel per alium, colludium, pactum iniquum, ſubtractionem vel fraudem aliquam duxerint faciendam. Et quoniam negotium feſtinum exigebat auxilium, Prælatis omnibus, & aliis, ſub pœna excommunicationis indixit, ut vel mutuò, vel alio quocunque modo, pecuniam perquiſitam ſibi traderent indilatè, ut eam domino Papæ incontinenti tranſmitterent; eandem poſtmodùm, decimis ſingulorum ritè taxatis, plenariè recepturi. Erat autem idem Papa tot & tantis involutus debitis, ut unde bellicam, quam ſuſceperat, expeditionem ſuſtineret, penitùs ignoraret. Et ſic ſoluto concilio, murmurantibus cunctis, receſſerunt. 1229.

ET his ita geſtis, miſit incontinenti literas ſuas magiſter *Stephanus* ad ſingulos Epiſcopos, Abbates, Priores, & cujuſcunque profeſſionis viros religioſos regni; ſub pœna Interdicti & excommunicationis præcipiens, ut tali die tantam pecuniæ ſummam ſibi tranſmitterent de moneta ad pondus denarii probata, & nuper fabricata; ut inde creditoribus domini Papæ ſatisfacere poſſet, & ipſi pœnas evaderent Interdicti. Erat enim in hujus rei executione adeò improbus exactor, ut etiam de frugibus Autumni futuri, qui adhuc in herba creſcebant, ſingulos compelleret decimarum ſibi precium exhibere. Prælati verò aliud remedium non habentes, calices, phialas, philacteria, & alia ſacra altaris vaſa, quædam vendiderunt, nonnulla in pignus ſub fœnore poſuerunt. Præteria habuit idem magiſter *Stephanus* quoſdam ſecum fœneratores nequiſſimos, qui ſe mercatores appellabant, uſuram ſub nomine negotiationis palliantes; qui egentibus, & exactionibus vexatis, obtulerunt pecuniam: & urgente memorato *Stephano*, ſub pœna graviſſima, coacti multi mutuò cepêre, qui poſteà in laqueos eorum inciderunt, damna irreſtaurabilia incurrentes. Continuis maledictionibus, ſed ocultis, repleta eſt terra, imprecantibus cunctis, exactio ſuis fiat exactoribus nunquam fructuoſa. Quod juxta vota populi accidit, quia

Exactio graviſſima dictarum decimarum.

Non habet eventus ſordida præda bonos.

1229.

Comis Ceſtrenſis *denegat decimas ſolvere D. Papæ.*

Ex eo autem tempore non defuerunt in terra *Anglicana* quidam tranſmontani, qui ſe mercatores nominant, uſurarii impiiſſimi; qui nihil aliud quærunt, niſi in laqueis ſuis, præcipuè quos *Romana* curia angariat, illaqueare. Et ſic abraſor pecuniarum magiſter *Stephanus*, domini Papæ Capellanus, *Anglis* fœda reliquit veſtigia. Solus autem Comes *Ceſtrenſis Ranulphus* ſtetit viriliter, nolens terram ſuam redigere in ſervitutem; nec permiſit de feudo ſuo viros religioſos vel clericos decimas memoratas conferre; quamvis *Anglia* & *Wallia*, *Scotia* & *Hybernia* ad ſolutionem compellerentur. Hoc autem multis in hac decimatione ſolatium præbebat & levamen; quod regna tranſmarina & longè poſita, non ſunt ab hac exactione quieta. Cúmque tandem iſtarum plenitudo divitiarum ad ſummum Pontificem perveniſſet, ipſe *Johanni* de *Breſnes*, & aliis militiæ ſuæ principibus, ita affluenter eas diſtribuit; quòd graviter ceſſit in damnum Imperatoris, dum municipia ejus & caſtella in ejus abſentia ſubvertebant. Eodem anno, magiſter *Robertus* de *Bingeham*, *Sarisberienſis* electus, apud *Septoniam* munus conſecrationis ſuſcepit, vi Calend. Junii, per manum *Willielmi Wigornienſis* Epiſcopi, aſtantibus Epiſcopis *Jocelino Bathonienſi*, & *Alexandro Coventrenſi*. Qui ſatis fœlici auſpicio officium ſuſcepit Epiſcopale. Et fabricam novæ eccleſiæ, quam prædeceſſor ſuus *Richardus* tranſtulit; & auſi non puſillanimi inchoavit, viriliter eſt proſequutus, juvante Deo, Rege, & populo. Unde quidam verſificator ait ſatis eleganter:

Rex largitur opes, fert Præſul opem, lapicidæ
Dant operam: tribus his eſt opus, ut ſtet opus.

Eodem tempore Rex *Anglorum Henricus*, in die Pentecoſtes, *Johannem* filium *Huberti Angliæ* Juſtitiarium, cingulo militari donavit iii Nonas Junii.

Conſecratio Richardi Cantuarienſis *Archiepiſcopi, &* Rogeri Londinenſis, *&* Hugonis Elyenſis *Epiſcoporum.*

EODEM tempore, in die ſanctæ Trinitatis, convenientibus *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeis apud eandem civitatem, conſecratus eſt magiſter *Richardus*, *Cantuarienſis* electus; per manum *Henrici Roffenſis* Epiſcopi, ſine pallio; ita quòd licuit ei vel ordines celebrare, vel eccleſias dedicare. Conſecrati ſunt etiam cum eo eadem die, per miniſterium ejuſdem Epiſcopi, ante majus altare in eccleſia ſanctæ Trinitatis; *Rogerus* electus *Londinenſis*, & *Hugo Elyenſis*, iv Idus Junii. Eodem anno obiit *Martinus* de *Pateſhulle*, Decanus *Londinenſis*, xvii Calend Decembris; vir [illegible]æ prudentiæ, & legum terræ peritus.

De magno apparatu Regis Anglorum *ad transfretandum.*

SUB eiſdem diebus, inſtante feſto ſancti *Michaëlis*, Rex *Anglorum Henricus*, congregavit apud *Porteſmue*, totam nobilitatem regni *Angliæ*: Comites videlicet, Barones, & milites; cum tanta equitum ac peditum turba, quantum nullus anteceſſorum ſuorum aliquo creditur tempore congregâſſe. Ubi etiam venerunt ad eum de regionibus *Hyberniæ*, *Scotiæ*, *Walliæ*, & *Galæwalliæ*, tanta militum & armatorum multitudo; quòd admirationi omnibus habebantur. Propoſuit namque Rex cum tanta armatorum copia transfretare, ut terras quas pater amiſerat, in ſuum dominium revocaret. Demùm, cùm Principes & Mareſchalli militiæ Regis ad naves veniſſent, ut victualia ingererent & arma; adeò paucas invenerunt naves, ut non ſufficerent ad medietatem exercitus transferendum. Quod cùm ad Regis notitiam perveniſſet, iratus eſt vehementer; & crimen totum in *Hubertum* de *Burgo* Juſtitiarium refudit. Et audientibus cunctis, vocavit eum veterem proditorem; improperans ei, quòd hunc, ſicut priùs, procuravit defectum, pro quinque millibus marcis, quas à Regina *Francorum* acceperat, ut ſuum propoſitum impediret: & gladium, quaſi furia invectus, Rex educens, voluit Juſtitiarium interficere. Sed Comes *Ceſtrenſis Ranulfus*, & alii qui aderant, ſeſe interponentes; ipſum à mortis diſcrimine ſervârunt. At ille à Regis ſe præſentia ſubtraxit, donec ira Rex depoſita, animum mitigaret. Applicuit intereà in portu illo Comes *Britanniæ Henricus*, vir quidam animo ſeditionem parturiens, vii Idus Octobris; qui Regem conducere debuit in terram ſuam ſub ſalvo conductu, ſicut condictum fuerat inter eos, & ſacramento firmatum. Sed idem Comes, cum aliis de exercitu, dederunt Regi conſilium, ut negotium differret uſque ad ſequens Paſcha, quia periculoſum erat tempore hyemali iter tam arduum expedire. Quo audito, Rex licentiam dedit omnibus ad propria revertendi. Et Juſtitiarius cum Rege pacificatus eſt. Comes autem *Britanniæ* Regi fecit homagium contra omnes homines de *Britannia*: & Rex reddidit ei totum jus ſuum in *Anglia*. Et datis ei quinque millibus marcarum, ad cuſtodiam terræ ſuæ, remiſit eum in regionem ſuam. Eodem anno, *Richardus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, pallium ſibi à domino Papa tranſmiſſum, ſuſcepit ix Calend, Decembris; & apud *Cantuariam* in eccleſia cathedrali, præſente Rege & ſuffraganeis epiſcopis, divina cum ipſo pallio celebravit.

De quodam fœneratore malè mortuo.

ERAT hoc tempore in minori *Britannia* fœnerator quidam, qui pecuniam ſuam tribuens ad uſuram, immenſum nummorum congregavit acervum. Hic cùm multoties ab Epiſcopo loci increparetur, quòd non licebat ſibi de uſuris rem augere; noluit audire Epiſcopum: ſed licèt non rectè, ſtrenuus rem augebat. Cúmque tandem ab Epiſcopo incorrigibilis videretur, excommunicavit eum; & ab unitate fidelium ſegregavit. Quod ille parvipendens, imò vilipendens, excommunicatus, non multò pòſt vitam miſerabiliter terminavit. Quo ſine viatico & confeſſione defuncto, uxor ejus & filii venerunt ad Preſbyterum villæ,

rogantes

1230.

rogantes ut corpus defuncti more eccleſiaſtico ſepeliret. Preſbyter autem hoc facere recuſavit, eò quòd excommunicatus deceſſit; præcipiens ut in bivio extra villam ſepelirent eum. Uxor autem defuncti hoc audiens, venit ad Comitem cum filiis, querimoniam coram eo deponens, quòd Preſbyter ille, Parochianum defunctum noluit ſepelire: cauſam reticens, quòd excommunicatus obiiſſet. At Comes contra Preſbyterum in iram verſus, juſſit miniſtris ſuis, ut euntes ad Preſbyterum, ex parte ſua præciperent, quatenùs mortuum ſepeliret: quòd ſi facere contradiceret, ipſum vivum cum mortuo ſepelirent ligatum. Hoc cùm factum eſſet, omnes Epiſcopi *Britanniæ* ipſum Comitem ſub anathemate concluſerunt. Unde ſuborta inter eos diſcordia, Epiſcopi illi à Comite omnes in exilium ſunt expulſi; & Comes excommunicatus remanſit, donec ſententia confirmaretur à Papa.

Fredericus Romanorum *Imperator revertitur in Terram ſuam.*

EODEM anno, cùm *Fredericus Romanorum* Imperator *Terram ſanctam Chriſtianitati* reſtituiſſet; & treugas decennales à *Soldano Damaſci* impetratas, juramento hic inde confirmaſſet; in die Inventionis ſanctæ crucis, naves aſcendit, ut tranſito mari Mediterraneo, reverteretur in terram ſuam. Sed quoniam audierat, quòd à *Johanne* de *Brennes* inſidiæ ſibi parabantur in portubus ciſmarinis, inconſultè timuit applicare; & ne de ejus captione gauderent inimici illius, in tuto loco applicuit; præmiſſis exploratoribus ſuis, qui conduxerunt illum ad portum ſecuritatis & ſalutis. Cùm autem proſperè in *Sicilia* applicuiſſet cum modico comitatu, audivit quòd æmuli ejus jam caſtella multa ſubjugaverunt, & municipia; & quòd etiam per terras Imperii liberum haberent diſcurſum, & debaccharentur multi Papæ ſtipendarii; affluentia pecuniæ inæſtimabilis ſaginati, cùm non eſſet qui eis obviaret. Sed cùm tandem ejus divulgaretur adventus, confluebant ad eum homines imperii naturales; qui per fidelitatem ei fuerunt aſtricti. Quibus vallatis, & ex aliis adventantibus confortatus; audacter prorupit in hoſtes, & terras amiſſas ac caſtra cepit paulatim revocare.

Rex Anglorum ad natale fuit apud Eboracum.

ANNO Domini M. CCXXX. Rex *Anglorum Henricus*, ad natale tenuit curiam ſuam cum Rege *Scotorum* apud *Eboracum*, quem ad illud feſtum invitaverat; præſente Archiepiſcopo civitatis, cum Comitibus, Baronibus, militibus, & familia magna nimis. Ubi dicti Reges multa diſtribuebant feſtiva ſuis indumenta. Rex autem *Anglorum* prodiga liberalitate Regi *Scotorum* contulit equos precioſos; cum annulis multis, ac gemmis, & donativis variis. Atque feſto per triduum continuato, epulabantur quotidiè ſplendidè; tantam ſolennitatem in exultatione & lætitia celebrantes. Die autem quarta, concione ſoluta, Rex *Scotorum* in ſuam revertitur regionem; Rex *Angliæ Londinum* properabat. Contigit eodem tempore, in die ſcilicet converſionis ſancti *Pauli*, in urbe *Londinenſi*, dum Epiſcopus civitatis, ſcilicet *Rogerus*, dictus *Niger*, in eccleſia cathedrali, antè majus altare ſtaret infulatus ad celebrandum divina, præſente populo civitatis ob honorem beati *Pauli* congregato; quòd tanta ſubitò in aëre facta eſt nubium denſitas, & ſolaris obnubilatio claritatis, ut vix ſocius ſocium in eccleſia videre poſſet. Admirantibus cunctis, & diem judicii ſuſpectum habentibus, facta eſt repentè tonitrui adeò horribilis ſuper eccleſiam concuſſio, ut ipſa eccleſiæ fabrica tota cum turri eminentiſſima ſuper capita omnium ruere videretur. Ex illa autem colliſione nubium, tanta fulminis exivit coruſcatio, ut tota eccleſia intùs ignea videretur, nec defuit fœtor inter hæc omnia; ſed ita intolerabilis habebatur, ut omnes qui aderant extingui timerent. Sicque ad millia utriuſque ſexus hominum, qui in eccleſia erant, nihil veriùs quàm mortem ſuſpicantes, rapido curſu monaſterio exierunt attoniti, & corruentes in terram, ſine ſenſu aliquandiu permanſerunt. Solus ex omni multitudine Epiſcopus, cùm uno tantùm Diacono, ante majus altare ſacris veſtibus indutus remanſit; intrepidus expectans Domini voluntatem. Aëre tandem purgato, cùm omnis multitudo evadendi fiduciam concepiſſet, & eccleſiam iterum fuiſſet ingreſſa; Epiſcopus reſiduum Meſſæ complevit. Facta eſt autem ſuper occaſu totius civitatis non modica admiratio; metuentibus cunctis, ne magnum aliquid & inſolitum prognoſticaret futurum. Eodem anno, tempore quadrageſimali, Imperator *Romanus* contra hoſtes ſuos ita invaluit; quòd caſtra ſua & jura omnia ad imperium ſpectantia, potenter revocavit: quoſcunque in caſtellis ſuis ex adverſariis ſuis cepit, aut vivos excoriavit, aut patibulo ſuſpendit. *Johannes* verò de *Brennes*, qui hoſtis ejus erat, & capitaneus poſt Papam, metuens incidere in manus illius, fugit in *Gallias* ad natale ſolum, cum ſtipendiariis ſuis; quos dominus Papa rapinis religioſorum ditavit, & prædis à pauperibus captis undecunque honoravit. Et ſic mediantibus amicis & viris religioſis, ſtatutæ ſunt treugæ inter dominum Papam, & ipſum Imperatorem; quouſque in aliquam pacis formam convenirent. Per idem tempus, *Willielmus* de *Braúſa*, vir nobilis & potens, à *Leolino* Principe *Walliarum*, patibulo ſuſpenſus eſt, menſe Aprili; cum uxore ejus, ut dicebatur, in adulterio deprehenſus.

Mirabile de fulgure.

Adulterium morte punitum.

EODEM tempore, ad exactionem Regis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Priores, per *Angliam* totam Regi eidem pecuniam dederunt non modicam, quaſi per eam ſubtracta patri ſuo jura poſſet revocare in partibus tranſmarinis. Cives *Londinenſes* pro eodem negotio ad redemptionem graviſſimam ſunt compulſi. *Judæi* etiam tertiam partem rerum ſuarum omnium, vellent nollent, Regi ſub feſtinatione perſolverunt.

1230.

Rex Anglorum cum exercitu tranſit in Britanniam minorem.

REX *Anglorum Henricus*, in ſolennitate Paſchali, apud *Radingum* congregavit exercitum copioſum valdè: omnium videlicet nobilium regni, qui ſibi debebant ſervitium militare, & aliorum innumerabilium ex regionibus diverſis. Qui inde caſtra movens, ad portum de *Porteſmue* pridiè Calend. Maii, cum univerſa multitudine ſua naves aſcendit. Rex autem, procurantibus nautis ſuis, in *Britannia* applicuit apud ſanctum *Machutum*, quinto Nonas Maii. Multi quoque de exercitu, Regem ſequi non valentes, diverſis applicuerunt in locis. Sed Deo id procurante, abſque læſione, ac rerum diminutione, omnes ad Regem in *Britannia* pervenerunt. Comes autem *Britanniæ* Regem reverenter & cum honore ſuſcipiens, tradidit ei municipia regionis illius, & caſtella: nobiléſque *Britannia* multi, ad eum venientes, homagium fecerunt, & fidelitatem ei juraverunt. *Andreas* tamen de *Viteri*, & alii viri nobiles pauci, ad fidelitatem Regis venire contemnentes, munierunt caſtra ſua alimentis; & ad pugnam viriliter ſeſe præparabant. Rex autem *Francorum*, cùm de adventu Regis *Anglorum* certitudinem didiciſſet, congregavit exercitum valdè copioſum: atque micantibus undique ſcutis & vexillis, ad *Andegavenſem* pervenit civitatem. Ubi caſtra metatus, ibi moram protraxit non modicam, ut progreſſum Regis *Anglorum* in *Pictaviam* præpediret. Rex verò *Anglorum*, dum apud urbem *Nannentenſem* majorem expectabat adhuc numerum ex diverſis partibus armatorum, Rex *Francorum* cum exercitu ſuo quoddam debile municipium *Hodum* appellatum obſedit, quòd ad urbe *Nannetis* quatuor leucis vix diſtadat; atque levi conatu illud cepit, & ſubvertit, & ad *Andegavenſem* rediit civitatem. Eodem anno, facta eſt eclipſis Solis, contra morem ſolitum, ſummo mane confeſtim poſt ortum ſuum, pridiè Idus Maii, in Rogationibus, ſcilicet feria tertia: ita quòd agricolæ, & alii multi, labores manè inchoatos, propter nimiam obſcuritatem relinquentes, ſtratum repetere; & ſeſe iterum ſopori dare decreverunt. Sed tandem, quaſi poſt unius horæ ſpacium, multis admirantibus, Sol conſuetam obtinuit claritatem. Eodem tempore, Dux *Saxoniæ*, & Regis *Anglorum* conſanguineus, veniens in *Angliam*, à civibus *Londonienſibus* honorificè ſuſceptus eſt. Erat autem idem Dux homo tantæ proceritatis & longitudinis, ut cunctis admirantibus, & quaſi ad ſpectaculum accurrentibus, viſum ex ipſius intuitu refecerunt.

Diſcordia inter Barones Galliæ.

HABEBAT quoque hoc tempore guerram ad invicem omnes ferè magnates *Galliæ*, ſicut Dux *Burgundiæ*, Comes *Bononiæ*, Comes de *Drius*, Comes de *Maſcu*, Comes *ſancti Pauli*, Comes de *Bar*, *Engeramus* de *Curci*, *Robertus* de *Curtenei*, & multi alii, qui jurati & confœderati erant, ut dicebatur, Regi *Angliæ*, & Comiti *Britanniæ Henrico*: bellum induxerant Comitibus *Campanienſi* & *Flandrenſi*. Qui omnes impetrata licentia à Rege *Francorum*, completis in obſidione *Andegaviæ* quadraginta dierum excubiis, reverſi ſunt in patriam ſuam. Quos Rex, cùm illos retinere non potuit, ſecutus eſt; ut ſi poſſibile eſſet, eos diſcordes ad concordiam revocaret. Sed cùm idem Rex nobiles ad pacem reducere nullatenùs potuiſſet, ingreſſi ſunt cum equis & armis hoſtiliter Comites, terram Comitis *Campaniæ*; atque illam igne & ferro depopulari cœperunt. Comes verò *Campaniæ*, in ingenti armatorum copia hoſtibus occurrens, prælium campeſtre commiſit. At Comites tam ſibi quàm ſuis agminibus viriliter reſiſtentes, ex militibus illius ducentos ſub captione concluſerunt, & tredecim peremerunt. Quod cùm Comes *Campanienſis* cognoviſſet, campum per fugam deſeruit, omni commilitonum ſuffragio deſtitutus. Quem fugientem hoſtes acriter inſequentes, & quoſcunque attingebant in ore gladii proſternentes; non ceſſabant, donec ipſum Comitem infra portas *Pariſiacæ* civitatis curſu rapido intruſerunt. Tunc nolentes ulteriùs inſequi illum, reverſi in *Campaniam*, ſpoliaverunt eam totam, caſtra & municipia complanantes; villas & urbes igne conflagrantes, vites & pomæria ſuccidentes, extra eccleſias intactum nihil reliquerunt. Agebant namque contra Comitem Magnates, quaſi de crimine proditionis & rerum læſæ Majeſtatis; ut qui dominum Regem ſuum *Lodovicum* in obſidione *Avinionis*, ob amorem Reginæ, quam amabat, veneno necaverant, ut dicebant. Unde cùm idem Magnates, in curia Regis *Francorum*, eodem Rege præſente, querimoniam ſæpè depoſuiſſent; & ipſum Comitem per duellum convincere voluiſſent; Regina (per quam omnia regni negotia diſponebantur, propter Regis ſimplicitatem, & puerilem ætatem) noluit eos audire. Quocirca ipſi ſe à Regis fidelitate ſubtrahentes & Reginæ; *Francorum* regnum per guerram turbare cœperunt. Indignabantur enim talem habere dominam, quæ (ut dicebatur) tam dicti Comitis, quàm Legati *Romani* ſemine polluta, metas trangreſſa fuerat pudicitiæ vidualis.

Strages Hybernienſium, & captio ejuſdem Reguli.

EODEM anno, menſe Julio, Regulus quidam de *Connoth Hybernienſis*, cùm Regem *Anglorum* & *Willielmum Mareſchallum* cognoviſſet in finibus tranſmarinis bellicas agere expeditiones, atque regnum *Hyberniæ* quaſi vacuum à ſubſidio militari; congregavit undique exercitum copioſum; ſperans ſe poſſe omne genus *Anglorum* ab *Hyberniæ* finibus exturbare. Ingreſſus igitur hoſtiliter terram Regis *Anglorum*, ſpoliis & rapinis, atque incendiis, intendebat. Sed cùm hæc omnia ad aures *Gaufridi* de *Mariſco* (qui vices Juſtitiarii ſub Rege in partibus illis gerebat) veniſſent; adjunctis ſibi *Waltero* de *Laſci*, cum *Richardo* de *Burgo*, & exercitu non modico, contra hoſtes audacter prorupit: & exercitum ſuum in tres turmas dividens, duabus præfecit *Walterum* de *Laſci*, & *Richardum* de *Burgo*, tertiam

tiam

tiam ſibi retinens ad regendum. Atque duas acies inſtructas, quibus præerant prædicti *Walterus* & *Richardus*, occultavit in ſylvis quibuſdam; per quas venturi erant hoſtes, & doloſas eis inſidias præparavit. Tertiam verò, quam ipſe regebat, ſtatuit ut directa fronte adverſariis occurrens, ad campeſtre prælium eos provocaret. Tandem hoſtes ſupervenientes, cùm unam tantùm aciem gentis *Anglorum* conſpexiſſent, irruerunt in eos; quaſi ſub ſpe certa victoriæ conſequendæ. Sed acies *Anglorum* tam diu fugam ſimulavit, quouſque *Hybernienſes* illos inſequentes loca inſidiarum pertranſiſſent. At illi qui in inſidiis erant, de latibulis erumpentes, & aërem clamore horribili verberantes, à tergo & à latere irruerunt in hoſtes; & acies, quæ priùs fugerat, in *Hybernienſes* à fronte revertens, ſtragem eis miſerabilem intulerunt. Interfecti namque referuntur ex *Hybernienſibus* ad viginti millia virorum bellatorum; & Rex eorum captus eſt, & carcerali cuſtodiæ deputatus. Eodem tempore, *Fulco Paganellus* de *Normannia*, vir nobilis, & *Willielmus* frater ejus; relictis caſtellis ſuis ac terris, venerunt ad Regem *Anglorum* in *Britanniam* fidelitates ei & homagia facientes. Venerunt etiam cum eis ſexaginta milites, viri ſtrenui & potentes; qui omnes perſuaſerunt Regi, ut hoſtiliter *Normanniam* intraret, ſub ſpe certa terram ſubjugandi. Quorum Rex conſiliis libenter adquieviſſet, ſed *Hubertus* de *Burgo* id fieri non permiſit; dicens, periculoſum fore hoc modis omnibus attentare. Quod audientes milites prædicti, poſtulaverunt Regem propenſiùs, ut aſſignaret eis ducentos milites de exercitu ſuo, cum quibus *Normanniam* intrarent; certiſſimis ei aſſertionibus promittentes, quòd omne genus *Francorum* de *Normannia* exturbarent. Nec etiam id fieri permiſit *Hubertus* Juſtitiarius: aſſerens Regi non expedire, ut traderet milites ſuos ad mortem ultronea voluntate. Sicque nobiles illi miſerabiliter illuſi fuerunt: quia Rex *Francorum* incontinenti exhæredavit eos, caſtella, & omnia quæ illorum erant, potenter in ſua jura convertens.

His ita geſtis, Rex *Anglorum*, per conſilium *Huberti* de *Burgo*, cum exercitu ſuo ex *Britannia* per *Andegaviam* in *Pictaviam* tranſiens; profectus eſt in *Gaſconiam*. Ubi acceptis homagiis, & regione ſub ſecuritate diſpoſita, rediit in *Pictaviam*; ubi multorum homagia ſuſcepit. In hac quoque equitatione obſedit Rex *Mirebelli* caſtrum, & cepit laudabili virtute *Anglorum*; qui aſſultus audaciſſimos iterantes, violenter incluſos ſubegerunt, & recedentes, omnes in vinculis abduxerunt. Hoc igitur tempore, menſe Auguſti, dominus Papa *Gregorius*, & *Romanorum* Imperator *Fredericus*, mediantibus utrorumque fidelibus & amicis, in concordiam convenerunt. Veniens enim *Romam* dictus Imperator, abſolutus eſt: omnibus ad jura Imperii ſpectantibus ex integro revocatis. Comederunt ergo ſimul, magnus Sacerdos, & maximus Imperator, in pallatio ſummi Pontificis, per triduum: gaudentibus Cardinalibus & Potentatibus Imperii, de concordia tam deſperata, & tam ſubitò confirmata. Eadem tempeſtate, Comes *Ceſtrenſis Ranulphus*, munivit caſtellum apud ſanctum *Johannem* de *Beverona*, quod ad jus uxoris ſuæ Comitiſſæ jure hæreditario pertinebat; militibus, alimentis, & armis. Reddiderat enim illi caſtrum illud Comes *Britanniæ Henricus*; quando confœderatus Regi *Anglorum*, omnia jura ſua in regno *Angliæ*, Rege concedente, recepit.

Rex Anglorum in Gaſconia homagia recepit.

Amicitia inita inter Papam & Imperatorem.

Circa eoſdem dies, menſe Septembri, convenerunt ad colloquium Rex *Francorum* & Regina mater ejus, cum honorabilibus viris & Magnatibus illius regni: qui poſt mortem *Lodovici* Regis guerram habuerant ad invicem, ut eſt ſuperiùs dictum. Ubi de pace tractantes, talem concordiam firmaverunt: Proviſum eſt autem communiter à Proceribus præfatis, ut Comes *Campanienſis*, qui hujus diſcordiæ cauſa principalis extiterat, cruce ſignatus, peregrinationem *Terræ ſanctæ* ſubiret; ad militandum ibidem cum centum militibus, contra inimicos crucifixi. Et prætereà, Rex *Francorum* & mater ejus, tactis ſacroſanctis Evangeliis, juraverunt; quòd ſingulis redderent jura ſua: & quòd omnes homines terræ illius ſecundùm rectas conſuetudines, & ſingulis debitas, judicarent.

Concordia facta inter Regem Francorum, & ſuos.

Jacebat intereà Rex *Anglorum* apud urbem *Nannetenſem* cum exercitu ſuo; nihil agens niſi quòd theſauros conſumpſit ineſtimabiles. Comites verò ac Barones, cùm *Hubertus* Regis Juſtitiarius non permiſit, ut contra hoſtes arma moverent, fecerunt inter ſe convivia juxta conſuetudinem *Anglicanam*, & crapulis intendebant & poculis ad invicem, ac ſi dies natalitios celebrarent: inter quos qui pauperes erant, rebus omnibus conſumptis, equos diſtrahebant & arma, ut exinde ad tempus vitam ducerent infœlicem. Eodem tempore, *Reimundus* de *Burgo*, nepos *Huberti* de *Burgo*, miles quidem nobilis & ſtrenuus, dum ſpatiatum iret caſu ſuper ripam *Ligeris*, equum inſidens nobiliſſimum, aquam omine infœlici intravit. Cùm autem iterum ripam, quæ ardua erat, aſcendere voluiſſet, equus retrò cadens ſimul cum ſuo aſcenſore miſerabiliter eſt ſubmerſus. Tandem Rex *Anglorum*, menſe Octobri, diſpoſitis rebus neceſſariis, ad cuſtodiam terræ illius; dimiſit ibi milites quingentos, & mille ſervientes ſtipendiarios: ſuper quos Principes conſtituit Comitem *Ceſtriæ Ranulphum*, *Willielmum Mareſchallum*, & *Willielmum Albemarliæ* Comitem; cum quibuſdam aliis viris bellatoribus, & in opere martio prælectis. Sicque Rex naves conſcendens, poſt plurima maris pericula, apud *Porteſmue* applicuit, vii Calendas Novembris: conſumpta

Reditus Regis in Angliam.

pecunia

1231. pecunia infinita; & nobilibus innumerabilibus vel morti datis, vel infirmitate & fame attenuatis, vel ad extremam redactis paupertatem. Venerunt autem multi diverſæ profeſſionis homines Regi obviàm: diverſis eum xeniis honorantes. Sed Comes de *Glovernia* & de *Clare Gilebertus*, de partibus illis rediens, diem clauſit extremum. Cujus terrarum & honorum omnium Rex *Huberto* Juſtitiario cuſtodiam conceſſit.

Equitationes factæ poſt diſceſſum Regis.

POST receſſum Regis *Anglorum* ex partibus tranſmarinis, Comes *Ceſtriæ* & alii Principes militiæ Regis, cum toto ejus exercitu, fecerunt equitationem per *Andegaviam*; & per dies quindecim moram fecerunt in ea: & ceperunt caſtellum *Gunner*, & complanaverunt illud, & villam combuſſerunt. Deinde ceperunt novum ſuper *Sartam*; & illud ſubvertentes, villam incendio tradiderunt. Sicque cum inappreciabilibus ſpoliis & prædis in *Britanniam* ſunt reverſi. Nec multò pòſt *Normanniam* hoſtiliter ingreſſi, ceperunt ibi caſtellum *Ponturſun*; & eo complanato, villam combuſſerunt, & abſque rerum diſpendio in *Britanniam* redierunt. Eodem anno facta eſt eclipſis Lunæ, remanente ſibi breviſſima claritate, quaſi per ſpacium trium horarum, x Calend. Decembris; ipſa Luna decima tertia exiſtente.

Exactio Scutagii pro expeditione tranſmarina.

ANNO Domini M. CCXXXI. Rex *Anglorum Henricus*, ad natale tenuit curiam ſuam apud *Lambethiam*; *Huberto Angliæ* Juſtitiario neceſſaria omnia feſtivitati Regi procurante. Ac deinde, vii Calend. Frebruarii, convenerunt ad colloquium apud *Weſtmonaſterium* Rex cum Prælatis & aliis Magnatibus regni; ubi exegit idem Rex Scutagium, de quolibet Scuto tres marcas, ab omnibus qui Baronias tenebant, tam laicis, quàm Prælatis. Cui *Richardus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, & quidam Epiſcopi cum eo audacter reſiſtentes, dixerunt; quòd non tenentur viri eccleſiaſtici judicio ſubjici laicorum, cùm abſque illis conceſſum fuiſſet Scutagium in finibus tranſmarinis. Tandem verò, poſt multas hinc inde diſceptationes, negotium quantum ad Prælatos reclamantes pertinebat; uſque quindecim dies poſt Paſcha dilationem accepit. Omnes alii, tam laici quàm clerici, ac Prælati, favebant Regiæ voluntati.

Diſcordia inter Regem & Archiepiſcopum Cantuarienſem.

PER idem tempus, *Richardus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, ad Regem veniens, conqueſtus eſt de *Huberto* Juſtitiario; quòd caſtellum de *Tunebruge* cum villa & pertinentiis ejus, & alias quaſdam terras *Gileberti* Comitis de *Clare* nuper defuncti, quæ ad jus ſuum & eccleſiæ *Cantuarienſis* ſpectabant, injuſtè detinebat. Unde idem Comes ſibi & anteceſſoribus ſuis ipſe & prodeceſſores ſui ad recognitionem & homagium tenebantur. Qua de cauſa Regem rogavit, ut cuſtodiam dicti caſtelli cum pertinentiis ſibi reſtitueret; & jura eccleſiæ *Cantuarienſis* conſervaret illæſa. Ad hæc reſpondens Rex, dixit, Comitem præfatum de ſe tenere in capite; & vacantes cuſtodias Comitum, & Baronum, & eorundem hæredum, ad ſuam coronam, uſque ad ætatem legitimam, pertinere: unde ſibi licere propoſuit, tales cuſtodias cui voluerit vendere vel conferre. Archiepiſcopus verò, cùm aliud reſponſum habere non potuit, excommunicavit omnes invaſores poſſeſſionum prædictarum; & omnes, præter Regem, qui cum eis communionem haberent. Et tam pro his quàm aliis de cauſis *Romam* profectus; jus ſuum & eccleſiæ ſuæ proſequi maturavit. Rex verò è contrà, ut cauſam ſuam proſequeretur, magiſtrum *Rogerum* de *Cantelu Romam* cum aliis quibuſdam nunciis deſtinavit. Eodem tempore, menſe Aprili, expleta ſolennitate Paſchali, *Richardus* frater Regis deſponſavit *Iſabellam* Comitiſſam *Gloverniæ*: ſororem ſcilicet *Willielmi Mareſchalli* Comitis de *Penbroc*. Et nuptiis vix completis, idem Comes *Willielmus*, in militia vir ſtrenuus, in dolorem multorum, diem clauſit ſupremum, & *Londoniis* apud *Novum templum* ſepultus eſt, juxta patrem ſuum, xvii Calend. Maii. Rex autem, qui eum indiſſolubiliter dilexit, cùm hæc audivit, & cum vidiſſet corpus defuncti palla coopertum, ex alto trahens ſuſpiria, ait: Heu heu mihi, nónne adhuc penitùs vindicatus eſt ſanguis beati *Thomæ* Martyris?

Eruptio Wallenſium.

EODEM menſe Maio, *Wallenſes* de latibulis ſuis erumpentes, terram, quæ fuit *Willielmi* de *Brauſia*, flammis vaſtaverunt. Sed Rege *Anglorum* illo tendente cum modica manu militari; ipſi ad ſuas, more ſolito, cavernas ſunt reverſi. Rex autem partes Auſtrales repetens, dimiſit in partibus illis *Hubertum* regni Juſtitiarium, ad reprimendum impetus eorundem. Sed illi continuò ut audierant Regis receſſum, ad prædandum reverſi, non longè à caſtro *Montis Gomeritii*, provincias infeſtantes, ſævire cœperunt. Sed cùm milites, qui erant in præſidio caſtri memorati, hoc cognoviſſent, ne tam liberè ſine offenſione diſcurrerent, exierunt ad prælium contra ipſos: & viam revertendi præcludentes, multos ex eis ceperunt, & plurimos peremerunt. Cúmque illos quos vivos ceperant, Juſtitiario præſentaſſent, juſſit omnes decapitari; & Regi *Anglorum* capita præſentari. Quod factum *Leolinus* nimis moleſtè ferens, collegit exercitum copioſum; & terras Baronum, qui in limbo *Walliæ* degebant, & poſſeſſiones gravi depopulatione contrivit. Et nec eccleſiis neque perſonis eccleſiaſticis parcens; matronas quaſdam nobiles & puellas, quæ cauſa pacis & ſalutis ad eccleſias confugerant, cum ipſis eccleſiis concremavit.

Profectio Regis in Walliam.

CUMQUE hoc enorme factum ad aures Regis perveniſſet, collegit apud *Oxoniam* exercitum copioſum, tertio Idus Julii: ubi cùm tota nobilitas *Angliæ*, tam cleri quàm populi, congregata fuiſſet, Epiſcopi omnes & eccleſiarum Prelati, præſente Rege, *Leolinum* cum

ſuis

1231.

ſuis fautoribus, qui eccleſias concremârant memoratas, ſub anathemate concluſerunt. Quo facto, Rex exercitum promovens ad *Hertfordenſem* urbem cito volatu pervenit. Erat autem eo tempore *Leolinus* cum exercitu ſuo non longè à caſtello *Montis Gomeritii*, in quodam prato, quod ripariam habebat vicinam paludibus obſitam; ubi militibus caſtri memorati doloſas inſidias præparabat. Nam fratrem quendam de Abbatia *Ciſtercienſis* ordinis, quæ prope erat, *Cumira* nuncupata, direxit *Leolinus*, ut dicitur, ad caſtellum: quem cùm viderunt milites caſtelli tranſeuntem per eos, exierunt ut cum fratre loquerentur, & ſciſcitantes ab eo, ſi quid de Rege *Leolino* audiſſet: reſpondit, quòd viderat eum cum parvo comitatu in prato vicino, ubi expectabat majorem numerum armatorum. Milites verò, cùm à fratre requirerent, ſi poſſent ripariam & pratum equites cum ſecuritate tranſire: reſpondit frater: Pons qui ultra ripariam itinerantes ducere ſolebat, confractus eſt à *Leolino*, quia metuebat impetum veſtrum: ſed tamen poteritis ſecurè, ubicunque volueritis, ripariam & pratum in equis tranſire, & *Wallenſes* cum paucis equitibus vel vincere, vel fugare. Quo audito, adhibuit fidem falſis aſſertionibus fratris *Walterus* de *Godarvilla*, cuſtos caſtelli; & præcipiens commilitonibus & ſervientibus, ut convolarent ad arma, aſcenſis equis, ad locum celeriter pervenerunt. Quos *Wallenſes* cum impetu venire conſpicientes; ad ſylvam quandam, quæ propè erat, doloſam ilicò inierunt fugam. At caſtellani rapido equorum volatu eos inſequentes, in riparia præfata ac palude illius prati ſubmerſi ſunt uſque ad ventres equorum, illi præcipuè qui primi veniebant: ſed alii qui ſequebantur, ex ſociorum ſubmerſione præmoniti, de caſu commilitonum ſuorum non mediocriter condolebant. Tunc *Wallenſes*, hoſtium ſubmerſionem cognoſcentes, reverſi ſunt cum impetu ſuper eos; & cum lanceis ſuis milites & equos in cœno volutantes, crudeliter peremerunt. Factus eſt autem ibi hinc inde conflictus graviſſimus, multis utrobique peremptis, ſed tamen *Wallenſes* victoria potiuntur. Captus eſt autem ibi *Ægidius*, filius *Richardi* de *Argentomio*, miles ſtrenuus; cum quibuſdam aliis, quorum nomina non ſunt famoſa, nec audivi.

De ultione prædicti ſceleris, & conſtructione caſtri Matildis.

CUMQUE tandem caſus, qui militibus jam dictis acciderat, Regi fuerat denunciatus, cum feſtinatione ad Abbatiam, cujus frater præfatos milites prodiderat, hoſtiliter tranſiens; in ultionem tanti ſceleris, quandam grangiam illius Abbatiæ, bonis omnibus ſpoliatam, combuſſit: & ipſam Abbatiam ſimiliter ſpoliatam, omninò juſſit igne cremari. Sed Abbas loci, ut ædificia ſumptuoſis valdè laboribus conſtructa, ſalvaret; trecentas marcas Regi numeravit, & ſic ejus quievit indignatio. His ita geſtis, fecit Rex ræedificare caſtellum *Matildis* in *Wallia*, de lapide & cemento eleganter, quod à *Wallenſibus* olim proſtratum fuerat: atque magnis ſumptibus cùm eſſet opus fœliciter conſummatum, poſuit in eo Rex milites & clientes, qui incurſiones *Wallenſium* refrænarent.

Treugæ ſtatutæ inter Reges Francorum *&* Anglorum.

CIRCA eoſdem dies, menſe Junio, Rex *Francorum* promovit exercitum copioſum, ut *Armoricanam Britanniam* expugnaret. Sed cùm ejus adventum *Henricus Britanniæ* & *Ranulphus Ceſtriæ* Comites, qui in finibus illis militiæ Regis *Anglorum* præerant, cognoviſſent; Regi paraverunt inſidias venienti. Et à tergo rhedas ejus & vehicula, quæ arma ferebant cùm alimentis & machinis, invadentes, ceperunt omnia: & machinas igne concremantes, lucrati ſunt ibidem equos ſexaginta. Deinde *Franci*, cùm *Britanniam* cognoſcerent quaſi inexpugnabilem, ſimul & debile principium ſuum habentes ſuſpectum: procurantibus ex parte Regis *Francorum* Archiepiſcopo *Remenſi* & *Philippo* Comite *Bononienſi*: atque ex parte Regis *Anglorum*, Comitibus *Britanniæ* & *Ceſtriæ* in hoc conſentientibus ſtatutæ ſunt treugæ, & juramento firmatæ triennales, inter dictos Reges, iii Nonas Julii. Eodem menſe Julio, *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus, completo in *Terra promiſſionis* jam ferè per quinquennium magnificæ peregrinationis voto, reverſus eſt in *Angliam*: & in Calend. Auguſti ſuſceptus eſt cum proceſſione ſolenni in eccleſia cathedrali. Venerunt eodem tempore, poſt treugas ſtatutas, Comes *Britanniæ*, & Comes *Ceſtriæ*, cum *Richardo Mareſchallo*, ex finibus tranſmarinis in *Angliam*: & ad Regem profecti in *Walliam*, qui adhuc occupabatur in conſtructione caſtri *Matildis*, honorificè ab eo ſunt recepti. *Richardus* verò *Mareſchallus* ſe regi repræſentans, ut hæredem fratris ſui *Willielmi Mareſchalli*, obtulit Regi pro hæreditate ſua homagium ſuum: & quicquid ei de jure ſuo facere tenebatur. Cui reſpondit Rex, per conſilium *Huberti* Conſiliarii ſui ac Juſticiarii, quòd audierat uxorem fratris ſui defuncti eſſe prægnantem: unde noluit eum audire, donec rei veritas probaretur. Objecit etiam eidem *Richardo*, quòd converſatus fuerat inter hoſtes ſuos publicos in partibus *Gallicanis*: unde Rex præcepit, ut de regno citò non reverſurus exiret, affirmans quòd poſt dies quindecim, ſi inveniretur in regno, carceri perpetuo traderetur. At *Richardus*, cùm aliud non haberet reſponſum, transfretavit in *Hyberniam*: ubi omnes milites & omnes fratres ſui illum cum gaudio recipientes, reddiderunt ei omnia caſtella quæ erant fratris ſui; homagiúmque illi cum fidelitate fecerunt. Caſtellum etiam de *Penbroc* in ſua poteſtate recipiens, cum toto honore ad caſtellum pertinente; collegit multitudinem armatorum, hæreditatem ſuam, etiam invito Rege, ſi neceſſitas cogeret, ſubjugare diſponens. Tandem Rex, mutato conſilio, metuens ne pacem regni turbaret, ſuſcepit homagium ejus & fidelitatem; & ei omnia jura ſua, ſalvo ſibi relevio conſueto, conceſſit.

Wintonienſis Epiſcopus revertitur in Angliam.

VENIT

1231. *Richardus, Cantuarienſis Archiepiſcopus Romam profectus in reditu obiit.*

VENIT hoc tempore ad curiam *Romanam Richardus Cantuarienſis* Archiepiſcopus; & in præſentia domini Papæ propoſuit hæc quæ ſequuntur. Conqueſtus eſt in primis de Rege *Anglorum*, quòd ſolummodò omnia regni negotia per conſilium *Huberti* Juſtitiarii, aliis ſpretis Magnatibus, diſponebat. Item, de Juſtitiario propoſuit, quòd habuit uxorem, cujus conſanguineam priùs habuerat ſibi matrimonio copulatam: & quòd jura eccleſiæ *Cantuarienſis* invaſerat, & injuſtè detinebat. Propoſuit etiam, quòd Epiſcopi quidam ejus ſuffraganei, neglectâ paſtorali cura; ſedebant ad Scaccarium Regis, laicas cauſas ventilantes, & judicia ſanguinis exercentes. Item, conqueſtus eſt, quòd clerici beneficiati, & infra ſacros ordines conſtituti; plures habebant eccleſias, quibus adnexa fuerat cura animarum: & quòd inſuper, ſicut Epiſcopi, ab ipſis trahentes exemplum, curis ſæcularibus, & laicorum ſe judiciis immiſcebant. His autem & conſimilibus coram Papa propoſitis, petiit, ut talibus limam correctionis exceſſibus adhiberet. Cùmque hæc omnia dominus Papa diligenti ſtudio intellexiſſet, & vidiſſet, quòd univerſa quæ propoſuerat Archiepiſcopus, juſtitia fuerant & ratione ſubnixa: juſſit incontinenti, quatenùs Archiepiſcopi negotia, ſive petitiones, expedirentur, juſtitia mediante. Propoſuerunt autem in contrarium clerici Regis, pro ipſo Rege & Juſtitiario multa inaniter allegantes: ſed parùm vel nihil profecerunt. Quia, ut breviter dicatur, favor Archiepiſcopi quicquid petiit, impetravit. Erat namque ſtaturæ elegantiſſimæ, facundiæ admirabilis, ſcientia & moribus incomparabilis. Et allegavit pro eo, cauſa juſta & favorabilis. Archiepiſcopus igitur *Cantuarienſis Richardus*, cùm expletis negotiis ſuis omnibus pro voluntate ſua, repatriare maturavit; apud S. *Gemmam*, in domo fratrum Minorum, tertia dieta citra *Romam*, diem clauſit obiter ſupremum, iii Nonas Auguſti. Et ſic ipſo expirante, expirabant cum eo negotia impetrata. De quo hoc mirable accidit: quia cùm Pontificalibus, ſicut moris eſt, corpus defuncti ſepeliendum inſigniretur; de nocte venerunt homines illius patriæ, qui hæc omnia oculo faſcinante inſpexerant, aperuerunt de nocte ſepulchrum, cupientes ut annulum & alia inſignia Epiſcopalia furarentur, nulla vi vel ingenio id potuerunt. De quo, non tamen ſignato, propoſitum conſummare nequiverunt, receſſerunt confuſi, & pectora ſua, in quibus ſcelerata corda latitabant, percuſſerunt.

Rex Anglorum revocatur à nuptiis ſororis Regis Scotorum.

EODEM tempore, Rex *Anglorum*, conſtructo in *Wallia* caſtello, ſupradicto menſe Octobris, in *Angliam* remeavit. Propoſuit ſanè idem Rex eo tempore ducere in uxorem, ſororem Regis *Scotorum*; indignantibus Comitibus & Baronibus ſuis univerſis, præcipuè *Mareſchallo*. Non enim, ut aiunt, decebat, quòd Rex duceret natu filiam minorem, cùm *Hubertus* Juſtitiarius natu majorem haberet ſibi matrimonio copulatam. Sed ab hoc propoſito, cùm per *Mareſchallum* & Comitem *Britanniæ* Rex invitus revocatur; dedit eidem Comiti *Britanniæ* quinque millia marcas argenti: & ſic in ſuam rediit regionem.

Electio & caſſatio Radulfi Cantuarienſis electi.

DEFUNCTO, ut dictum eſt, *Richardo Cantuarienſi* Archiepiſcopo, decreverunt monachi *Cantuariæ Radulphum* de *Nevilla*, *Ciceſtrenſem* Epiſcopum, ſibi in Præſulem poſtulare; qui erat Regis fideliſſimus Cancellarius, & inconcuſſa columna veritatis: ſingulis ſua jura, præcipuè pauperibus ſingulis, juſtè reddens, & indilatè. In multis regni perturbationibus ſtans directè; non arundo quolibet vento agitata, nec declinans ad dextram vel ſiniſtram. Conſtanter igitur petierunt eum monachi memorati, quaſi digniſſimum & idoneum eccleſiæ ſuæ approbatum defenſorem, potentem verbo & opere; ut fœliciter beato *Thomæ* ſuccederet aſſimilatus, qui de Cancellario factus eſt Archiepiſcopus. Facta igitur ritè electione, preſentaverunt eum Regi viii Calend. Octobris. Quem Rex gratanter, quantum ad ſe pertinebat, acceptans, de maneriis & rebus aliis ad Archiepiſcopatum adjacentibus, illum protinùs inveſtivit. Et monachi *Romam* profecturi, ad electum ſuum venientes; petierunt ab illo auxilium ad expenſas itineris & ſervitium curiæ *Romanæ*, & ſi qua ſunt ſimilia. Sed ille ſentiens in animo, illud non poſſe ſine carere ſcrupulo ſimoniæ ac ambitionis, planè affirmavit, quòd propter hoc eis nec obolum unum donaret, manus tendens in cœlum, & dicens: Domine Deus omnipotens, ſi vocandus ſum, licèt indignus, ad Archipræſulatus officium, fiat hoc te diſponente. Si autem in hac ſollicitudine Cancellariæ, necnon minoris officii, cui aſſignor, regno & populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua. Monachi verò, viri conſtantiam potiùs, quàm rebellionem in hoc verbo penſantes; non ideò minùs *Romam* profecti, electionem ſive poſtulationem factam, petierunt à Papa, ut auctoritate ſua confirmaret. Dominus itaque Papa, facta, ut dicitur, à magiſtro *Simone* de *Langetuna* diligenti inquiſitione de perſona poſtulati; reſpondit, illum curialem eſſe, & illiteratum, rapidum in verbo, ac feſtinum: & quod durius eſt, ſi ad illam dignitatem premoveretur, moliri volentem, ut anhelante ad hoc Rege, cum toto regno juvante, excuteret *Angliam* de ſubjugo domini Papæ & curiæ *Romanæ*, qui eidem tenetur ſub tributo: ut ſoluto vinculo tributi, quo irretivit eam Rex *Johannes*, ſolita Deo & eccleſiæ ſanctæ ſerviret libertate. Et ad hoc vellet uſque expoſitionem capitis decertare, innixus juri & appellationibus *Stephani Cantuarienſis* Archiepiſcopi; quas fecit ſolenniter idem *Stephanus* ante altare S. *Pauli* in eccleſia cathedrali *Londinenſi*; cum reddidit coronam *Angliæ* memoratus Rex *Johannes* in manus Legati, conficiens ſcriptum toti mundo execrabile. Papa autem his auditis ſermonibus, poſtulatione

caſſata

caſſatā conceſſit, ut Conventus *Cantuarienſis* alium Archiepiſcopum, ac talem eligerent; qui ſibi eſſet paſtor animarum ſalubris, & eccleſiæ utilis *Anglicanæ*, & *Romanæ* fidelis ac devotus. Monachi igitur domum reverſi, Conventui retulerunt, quomodo fuerant à ſuo deſiderio defraudati.

SUBORTA eſt hac tempeſtate in *Anglia* maxima rerum perturbatio, imò ut verum fateamur, indiſcreta præſumptio, propter *Romanorum* inſolentiam clericorum; quæ tam nobiles regni, quàm ignobiles, ad temerariam compulit ultionem, ſicut in ſubſcriptis expreſſum continetur. *Tali Epiſcopo, & tali Capitulo, univerſitas eorum, qui magis volunt mori, quàm à* Romanis *confundi, ſalutem. Qualiter circa nos, & alias perſonas eccleſiaſticas* Angliæ, *hactenus ſe habuerint* Romani *& eorum Legati veſtram non dubitamus latere diſcretionem; beneficia regni ſuis, ſecundùm quod eis placet, conferendo, in veſtrum & omnium aliorum regni intolerabile præjudicium & gravamen. In vos etiam & coëpiſcopos veſtros aliáſque perſonas eccleſiaſticas, ad quos collatio beneficiorum pertinere dignoſcitur; quod magis dignum eſt pro confuſione notari, ſuſpenſionis ſententias fulminando, ne alicui de regno beneficia conferatis; donec quinque* Romanis *nec dum proprio nomine nominatis, imò nato* Rumfredi, *& nato talis & talis, in ſingulis eccleſiis veſtris per totam dioceſim ſit proviſum, unicuique eorum in redditu centum librarum. Alia etiam gravamina quàm plurima tam laicis & magnatibus regni ſuper advocationibus ſuis, & eorum eleemoſynis, ab eis & anteceſſoribus ſuis datis in pauperum regni ſuſtentationem; quàm clericis & aliis viris religioſis regni, ſuper rebus & beneficiis, inferendo. Nec præmiſſis contenti, ad ultimum à clericis regni beneficia quæ obtinent, ut ea* Romanis *conferant; non ſecundùm quod decet, ſed ſicut eis placet, auferre volentes, in eis illam intendunt prophetiam adimplere:* Spoliaverunt Ægyptios, ut ditarent Hebræos, multiplicando gentem ſuam, non magnificando lætitiam. *Sic dolorem dolori nobis & vobis omnibus accumulando; ut meliùs nobis videatur mori, quàm vivere ſic oppreſſis. Unde licèt* grave ſit nobis contra ſtimulum calcitrare, *tamen quia* qui nimis emungit, elicit ſanguinem; *nos ſeveritatem eorum animadvertentes, qui ab initio tanquam advenæ ſunt ingreſſi* Romam, *nunc autem nos non tantùm judicare, ſed etiam condemnare intendunt; alligantes onera importabilia, quæ nec in ſe nec in ſuos digito movere volunt. De communi conſilio magis elegimus, licèt tardè, reſiſtere, quàm eorum oppreſſionibus intolerabilibus ampliùs ſubjacere, ſeu majori ſubjici ſervituti. Hinc eſt quòd vobis mandamus, diſtrictè inhibentes, quatenùs cùm nos eccleſiam, Regem ſimiliter & regnum nitamur à tam gravi jugo ſervitutis eripere, circa eos qui de* Romanis *vel eorum redditibus ſe intromittunt, nullas partes veſtras interponere præſumatis; pro certo ſcituri, quòd ſi hujus mandati, quod abſit, extiteritis tranſgreſſores, quæ veſtra ſunt, incendio ſubjacebunt; & pœnam, quam* Romani *incurrent in perſonis, vos in poſſeſſionibus veſtris indubitanter incurretis. Valete.*

Inſolentia clericorum Romanorum.

ITEM, *religioſis & aliis, qui habent eccleſias* Romanorum *ad firmam, univerſitas prædicta ſalutem. Cùm poſt innumerabiles confuſiones, & infinita gravamina, quæ* Romani, *ut ſcitis, regno* Angliæ *inflexerunt ad præſens, in præjudicium Regis & Magnatum regni, circa advocationes eccleſiarum ſuarum, & eorum eleemoſynas, qui clericos regni ſpoliare nituntur beneficiis ſuis, ut ea* Romanis *conferant, in majorem regni & noſtri confuſionem, de communi conſilio Magnatum elegimus, licèt tardè, reſiſtere; quàm eorum oppreſſionibus intolerabilibus de cæterò ſubjacere; & eos per ſubtractionem beneficiorum ſuorum per totum regnum, quòd aliis intendebant inferre, ſic arctare, ut à regni moleſtatione deſiſtant. Hinc eſt quòd vobis mandamus, diſtrictè injungentes; quatenùs de firmis eccleſiarum, ſive de redditibus camerarum, quas de* Romanis *habetis, vel debetis eis, de cæterò non reſpondeatis. Sed dictas firmas & redditus habeatis paratos in craſtino Dominicæ, qua cantatur.* Lætare Hieruſalem, *procuratori noſtro literatoriè à nobis ad hoc dato. Abbates ſcilicet & Priores, in eorum monaſteriis: alii verò preſbyteri & clerici, vel laici, ad proprias eccleſias tradituri. Pro certo ſcientes, quod ſi hoc non feceritis; quæ veſtra ſunt incendio ſubjacebunt: & nihilominus periculum, quod* Romanis *imminet in perſonis vobis imminebit. Valete.* His ita geſtis, prædicta univerſitas miſit per milites & miniſtros literas has. novo quodam ſigillo ſignatas; in quo ſculpti erant duo gladii, & inter gladios ſcriptum erat, *Ecce gladii duo hîc.* In modum citationum ad eccleſias regni cathedrales: ut ſi quos invenirent contradictores, juxta quod proviſum fuerat, punirent eos.

Prohibitio ne redderentur firmæ vel reddit[us] Romanis.

PER idem tempus, xvi Cal. Januarii, habitum eſt apud S. *Albanum* ingens conſiſtorium Abbatum, Priorum, Archidiaconorum, cum ferè tota nobilitate regni magiſtrorum & clericorum: qui omnes ad hoc convenerunt per mandatum domini Papæ ut celebrarent divortium inter Comitiſſam *Eſſexiæ*, & virum ſuum; ſi ratio id dictaret. In craſtino autem, conſiſtorio ſoluto, cùm ſinguli redirent ad propria; clericus quidam *Romanus*, nomine *Cincius*, qui eccleſiæ ſancti *Pauli Londonienſis* erat *Canonicus*, per prædictam univerſitatem, ut creditur, non longè à villa S. *Albani* captus eſt, & abductus à viris armatis & capitibus velatis. Sed magiſter *Johannis Florentinus Norwicenſis* Archidiaconus, qui huic conſiſtorio affuit, ab hac captione evaſit; & ad urbem *Londinenſem* fugiens delituit ibidem multis diebus. *Cincius* verò poſt quinque ſeptimanas, crumenis (ut dicitur) evacuatis; ad urbem *Londinenſem* ſanus & incolumis eſt reductus.

Conſiſtorium apud S. Albanum *habitum*.

1232.

Violenta diſtractio bladi Romanorum.

ANNO Domini M.CCXXXII. Rex *Anglorum Henricus* fuit ad natale apud *Wintoniam.* Cui *Petrus* ejuſdem urbis Antiſtes neceſſaria omnia procuravit; & feſtiva tam Regi, quàm ſuis exhibuit indumenta, cum donativis. In illis autem diebus natalitiis diſtracta ſunt horrea de *Wingham* cujuſdam *Romani* ditiſſima, per prædictam univerſitatem, ut creditur; à paucis armatis ſervientibus & capitibus velatis. Procurator verò illius eccleſiæ & cuſtos, cùm talem violentiam inſpexiſſet; venit ad vicecomitem regionis; & de violata pace Regis, & injuria domino ſuo illata,, ei patenter oſtendit. At vicecomes mittens ad locum miniſtros ſuos cum militibus quibuſdam vicinis; juſſit inquiri quidnam hoc eſſet. Venientes quoque ad horrea milites memorati invenerunt homines illos armatos, & ſibi penitùs ignotos, qui jam ex maxima parte horrea evacuerant, & bladum bonis conditionibus & ad commodum totius provinciæ vendiderant; ſed & pauperibus charitativè petentibus ex animo conferebant. Milites verò qui advenerant, cum interrogaſſent eos, unde eſſent, qui pacem Regis offendere, & talia facere præſumebant: illi continuò milites ſeorsùm vocantes, oſtendebant literas Regis patentes, adulterinas & ſophiſticas, prohibentes ne quis eos præſumeret impedire. At milites hoc audientes, tam ipſi quàm alii, qui advenerant, pacificè receſſerunt. Sicque infra dies quindecim diſtractis omnibus, armati illi de loco receſſerunt, loculis plenè refertis. Tandem cùm hæc violentia ad notitiam *Rogeri Londinenſis* Epiſcopi perveniſſet; convocatis decem Epiſcopis in craſtino beatæ *Scholaſticæ Londoniis* in eccleſia beati *Pauli*, omnes hujus violentiæ auctores anathematis ſententia percuſſit: involventes etiam illos, qui in *Cincium*, *Londinenſis* excleſiæ Canonicum manus injecerant violentas, cum univerſitate prædicta; & illis omnibus qui fecerunt ſigillum & literas ſupraſcriptas.

Rex auxilium per totam Angliam ſibi dari poſtulat.

CONVENERANT eo tempore, Nonas Martii, ad colloquium apud *Weſtmonaſterium* ad vocationem Regis, Magnates *Angliæ*, tam laici quàm Prælati. Quibus Rex propoſuit, quòd magnis eſſet debitis implicatus; cauſa bellicæ expeditionis, quam nuper egerat in partibus tranſmarinis: unde neceſſitate compulſus, ab omnibus generaliter auxilium poſtulavit. Quo audito, Comes *Ceſtriæ Ranulphus*, pro Magnatibus regni loquens, reſpondit; quòd Comites, Barones, ac milites, qui de eo tenebant in capite, cum ipſo erant ibi corporaliter præſentes: & pecuniam ſuam ita inaniter effuderunt quòd inde pauperes omnes receſſerunt, unde Regi de jure auxilium non debebant. Et ſic petita licentia, laici omnes receſſerunt. Prælati verò Regi reſpondentes, dixerunt; quòd Epiſcopi multi & Abbates, qui vocati erant, non fuerunt præſentes; & ſic petierunt inducias, quouſque ad diem certum poſſent omnes pariter convenire. Præfixus eſt itaque dies, à quindecim diebus poſt Paſcha; ut omnibus congregatis, tunc fieret quod erat de jure faciendum. Eodem tempore, Conventus *Cantuarienſis* elegerunt Priorem ſuum in Archiepiſcopum & Paſtorem animarum ſuarum. Qui cùm eſſet Regi præſentatus, & ab eo receptus, profectus eſt *Romam*; ut electionem ritè factam, impetraret à ſede Apoſtolica confirmari.

Viſio de Rege Richardo.

SUB eiſdem diebus *Henricus Roffenſis* Epiſcopus, cùm in Sabbatho, quo cantatur, *Sitientes venit ad aquas.* Apud *Sidingeburniam*, præſente *Cantuarienſi* electo, ordines celebraſſet ſolennes; aſtante clero & populo, fiducialiter cùm ſermonem faceret proteſtatus eſt, dicens. Gaudete omnes in Domino fratres, qui hìc præſentes eſtis: ſcientes indubitanter, quod uno & eodem die exierunt de purgatorio Rex quondam *Anglorum Richardus* & *Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, cum uno Capellano ejuſdem Archiepiſcopi, ad conſpectum divinæ Majeſtatis. Et eadem die, non niſi tres illi de locis pœnalibus exierunt. Et ut his dictis meis fidem adhibeatis pleniſſimam & certam, quia mihi & cuidam alii tertia jam vice hoc per viſionem revelatum eſt ita manifeſtè: quòd ab animo meo omnis dubitationis ambiguitas removetur. Et quoniam hìc mentio facta eſt de magnifico Rege *Richardo*; unum de actibus ejus Deo beneplacitis, ut credimus, ad ædificationem audientium referamus.

Rex Richardus *vidit crucifixi imaginem erga militem ſuum adorantem, caput inclinari.*

REGNANTE dicto Rege *Richardo*, miles quidam de regno *Angliæ*, in *Nova* degens *foreſta*, qui longo tempore & uſu beſtias Regis furtivè venari conſueverat: quadam vice interceptus eſt cum venatione furata, & per judicium curiæ ipſius Regis in exilium relegatus. Hanc enim legem de venatione ſublata, Rex ille in pace clementiſſimus in hoc temperavit: quòd cùm apud Reges anteceſſores ejus, ſi quilibet in fraude venationis deprehenſi fuiſſent, eruebantur oculi eorum, abſcindebantur virilia, manus vel pedes truncabantur. Sed tale judicium, pio Regi *Richardo* viſum eſt nimis inhumanum; ut homines ad imaginem Dei creati, pro feris, quæ juxta legem naturalem generaliter omnibus ſunt conceſſæ, de vita vel membris periclitarentur; ut id faciendo feris ac beſtiis deterior videretur. Hoc enim ſolummodò ſufficiebat ei; ut quilibet in tali culpa deprehenſi, vel *Angliam* abjurarent, vel pœnam carceralem ſubirent, vel pœna punirentur pecuniali: ſalvis omnibus vita & membris. Miles igitur, ut dictum eſt, in exilium truſus, coactus eſt cum uxore & liberis panem inter extraneos mendicare; qui priùs exquiſitis deliciis fruebatur. Tandem in ſe reverſus miles, cogitavit à Rege miſericordiam implorare; ut in hæreditate ſublata reſtitui mereretur. Et veniens ad Regem in *Normannia*, invenit eum ſummo mane in quadam eccleſia, ut Miſſam audiret. Et miles eccleſiam tremens intravit,

non

1232.

non auſus in Regem oculos erigere; quia cùm eſſet viſu quaſi ſpecioſiſſimus hominum, quandoque tamen terribilis videbatur. Et ante imaginem crucifixi, quæ in eccleſia erat, ſe conferens, & genuflexiones cum lacrymis multoties iterans, crucifixum humiliter precabatur: ut per ineffabilem clementiam ſuam, gratiam ſibi Regis miſericorditer reconciliaret, qua hæreditatem recuperaret amiſſam. Rex autem, militem intuens ſollicitè orantem cum lacrymis, & devotione non ficta, vidit de illo rem mirabilem, & relatione condignam. Nam quotieſcunque miles (quem de familia ſua non eſſe deprehendit) genua flexit, ut imaginem adoraret; imago è contra crucifixi ad genuflexiones ejus caput & collum ſatis humiliter inclinavit; & Regem hoc cum ſtupore ſæpiùs conſpicantem, in admirationem commovit. Rex autem ſtatim officio Miſſæ completo, fecit militem ad ſuum accerſiri colloquium, & diligenter ſciſcitabatur ab eo, quis, & unde fuiſſet. At ille cum timore Regi reſpondens, ait: Domine (inquit) homo veſter ligius ſum, ſicut omnes anteceſſores mei fuerunt: & narrationem incipiens, retulit coram Rege quo ordine, cum venatione deprehenſus, exhæredatus fuerat, & cum ſua familia relegatus. Dixit ergo Rex ad militem: Feciſtine aliquando in vita boni aliquid ad ſanctæ Crucis reverentiam & honorem? At miles de actibus præteritis ſollicitè cogitans, Regi rem quam egerat ob crucifixi reverentiam enarravit.

Miles inimico pepercit ob reverentiam crucifixi.

PATER meus (inquit) & alius quidam miles, villam quandam inter ſe dimidiabant, quam jure hæreditario poſſidebant. Et cùm pater meus in omnibus divitiis abundaret, alius è contrà miles ſemper pauper erat & egenus, contra patrem meum invidia ductus, paratis inſidiis interfecit eum. Ego autem, qui tunc puer eram, cùm annos viriles attigiſſem, & in hæreditate paterna confirmatus fuiſſem; cogitavi immutabiliter in ultionem patris mei, militem illum interficere: ſed ille ſuper his præmonitus, per annos plurimos ab inſidiis, quas ei ſtudioſè paraveram, callidè cuſtodivit. Tandem cùm in die Paraſceues, qua crucem ſubiit *Chriſtus Jeſus* pro ſalute mundi, ad eccleſiam properarem ſervitium auditurus: vidi inimicum præcedere me, ut ſimiliter ad eccleſiam iret, feſtinavi poſt tergum ejus, ut eum interficerem gladio educto. Sed ille caſu retrò reſpiciens, cùm me rapido curſu advenire conſpiceret, ad crucem quandam, quæ ſecùs viam ſtabat, confugit, quia nimia ſenectute gravatus, ſe defendere non valebat. Et cùm illum qui lignum crucis inter brachia tenebat amplexatum, erecto gladio vellem perimere, & cerebrum effundere; adjuravit me per nomen crucifixi illius, qui in ligno crucis ea die pro totius mundi ſalute pependit, ne eum interficerem: votum faciens & firmiter promittens, quòd pro anima patris mei, quem occidit, Capellanum unum aſſignaret in perpetuum, ad obſequium defunctorum. Ego autem ſenem illum videns lacrymantem, commotis viſceribus, victus fui pietate; & repoſui gladium in vaginam, nolens ei nocere. Et ſic ob amorem & reverentiam vivificæ crucis, mortem patris mei, militi condonavi. Tunc Rex militi reſpondens, ait: Sapienter egiſti, quia crucifixus tibi nunc vicem pro vice ſufficienter perſolvit. Et advocans Epiſcopos & Barones, qui aderant, revelavit audientibus cunctis viſionem quam Rex viderat; quomodo, ſcilicet, imago crucifixi ad ſingulas militis genuflexiones, caput cum collo humiliter inclinavit. Et Rex continuò ad ſe vocans Cancellarium ſuum, præcepit, ut per literas ſuas patentes vicecomiti, quem miles ſibi nominaret, daret in mandatis: quatenùs viſis literis, militi terram ſuam redderet totam, in eo ſtatu quo illam recepit, quando à patria ſua miles exulavit. Et hæc miſericordia, quam fecit pius Rex *Richardus*, cum aliis hujus operibus; ipſum, ut credimus, à periculis damnationis & cruciatuum citiùs liberavit.

Patientia Regis Richardi in tribulationibus.

NEC illud de virtutibus magnifici Regis loquentes, credimus negligendum: quòd ſtatim coronatus in Regem; rectam ſemper juſtitiam cunctis exhibuit, pro munere nunquam judicium ſubverti permiſit. Epiſcopatus & Abbatias vacantes, continuo, & abſque venalitate, viris canonicè electis conceſſit; nec eas aliquando ſub laicorum cuſtodia deputavit. Prælatos omnes ordinatos, & præcipuè viros religioſos honoravit; & pro reverentia *Jeſu Chriſti* eos offendere adeò metuit, ut tempore quodam cùm ad mandatum Domini Papæ, omnes Prælati totius regni coram Rege congregati fuiſſent, ut partem viceſimam mobilium ſuorum ad ſubventionem *Terræ ſanctæ* concederent, & ſeorſùm ſederent ſuper præfato negotio colloquentes: Rex ait *Galfrido* filio *Petri*, & *Willielmo Briwerre*, qui apud pedes ejus ſedebant, voce demiſſa: Videtis Prælatos illos, qui ibi ſedent? Videmus, domine, inquiunt. Et Rex ad eos: Si ſcirent quomodo eos, ob reverentiam Dei, timeo, & quàm invitè offenderem illos; ipſi me conculcarent, quemadmodum conculcatur calciamentum vetus & dejectum. Notandum eſt etiam, quomodo regni nuper adepti delicias, pro amore Regis æterni, relinquens theſauros patris ſui, ac proprios, in obſequio crucifixi, & *Terræ ſanctæ* liberatione, effundere curavit; & quàm potenter *Terram promiſſionis* totam, præter civitatem ſanctam *Hieruſalem*, de manibus inimicorum crucis extorſit. Ubi deficientibus ſibi theſauris, terram ſub treugis triennalibus conſtituens, à *Saladino* impetravit; ut ſacerdos quidam, uſque ad treugas elapſas, apud Dominicum ſepulchrum, de cruce Miſſam diebus ſingulis, ad Regis ſtipendia celebraret. Et in hunc modum recedens Rex, ad terminum treugarum, reſumptis viribus, theſauriſque multiplicatis, redire diſpoſuit; relictis regno & rebus omnibus, quibus dominabatur in partibus Occidentis, ut in ſancta civitate

1232. *Hieruſalem* in Regem coronatus, prælia domini *Sabaoth* præliaretur; & agmina præiſet, & crucis inimicos, dum viveret, debellaret. Sed humani generis inimicus, qui bonis ſemper operibus invidet, & proſperitatibus populi *Chriſtiani*; excitavit contra Regem devotum, Ducem Auſtriæ, & Imperatorem *Romanum*, qui illi revertenti paraverunt inſidias: captus eſt ab hoſtibus, & velut bos eſſet, vel aſinus, venditus eſt Imperatori *Romano*. Incarceratus autem, & ſecùs quàm deceret tantum virum, malitiosè tractatus ad redemptionem graviſſimam eſt compulſus. Rex prætereà *Francorum*, magnifici Regis pium præpediens propoſitum; terras ejus, dum eſſet in ſervitio crucis, invaſit: & ſic undique ab inimicis præventus, martyrium, quod non ſuſceperat in corpore, ſicut propoſuerat in *Terra promiſſionis*, ſervavit in mente; qui deſiderium habuit revertendi, & mori in obſequio crucis. Acceſſit etiam ad cumulum tentationum ejuſdem Regis, quòd dum eſſet in obſequio crucis, Comes *Johannes* frater ejus, moliebatur *Angliam* ſubjugare; caſtella quædam obſidendo, & fratri ſuo guerram movendo: ſed laudabili fidelitate gentis *Anglorum*, propoſitum illius frivolum extitit, & inaniter attentatum. O admiranda magnifici Regis conſtantia! quæ nunquam in adverſis potuit frangi, ſicut nec in proſperis extolli; ſed omnibus ſemper hilarem exhibens vultum, nunquam in Rege apparuit diffidentiæ ſignum. Et ſicut rebellibus leo fuit imperterritus, ſic modeſtis agnus fuit manſuetus: leo ſuperandis, agnus ſuperatis. Hæc & his ſimilia virtutum opera, Regem noſtrum *Richardum* coram ſummo Deo reddiderant glorioſum: unde nunc meritò, cum veniſſet tempus miſerendi, quia jam venit tempus; de locis, ut credimus, pœnalibus, excocta palparum ſcoria, tranſlatus eſt ad regna ſine fine manſura: ubi militi repoſita eſt à Rege *Chriſto*, cui fideliter ſervivit *corona juſtitiæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*. Gaudent de ejus ſocietate ſancti illi, quorum ſanctas redemit reliquias à *Saladino* in *Terra promiſſionis*, pro quinquaginta duobus bizantiorum millibus: pacto interpoſito cum eiſdem ſanctis, ut apud dominum in ſuprema neceſſitate ſua, ſuis eum interceſſionibus adjuvarent. Erant enim reliquiæ memoratæ in quatuor eburneis collectæ capſellis, tempore captionis *Terræ ſanctæ* ac crucis reverendæ ab infidelibus *Saracenis*, per totam *Judeam* & *Galilæam*: & erant ſingulæ capſellæ tantæ magnitudinis ac ponderoſitatis, ut vix à quatuor hominibus portarentur. *Sed hæc ſuperiùs in geſtis hujus* Regis *Richardi* latiùs referuntur.

Diſtractio frugum clericorum Romanorum.

EODEM anno, diſtracta ſunt horrea *Romanorum* per totam ferè *Angliam*, à viris quibuſdam armatis, & adhuc ignotis, bonis conditionibus, & ad commodum multorum: & opus, licèt temerarium, in ſolennitate Paſchali inchoantes, ſine contradictione & liberè, quod inceperant, compleverunt. Largas eleemoſynas advenientibus diſtribuebant egenis; & quandoque nummos inter pauperes ſeminantes, eos colligere hortabantur. Delituerunt clerici *Romani* in Abbatiis, de injuriis ſibi illatis murmurare non audentes: quia elegerunt potiùs res ſuas amittere, quàm puniri ſententia capitali. Erant autem hujus temeritatis auctores viri quaſi quater viginti, & quandoque minùs: qui magiſtrum habentes *Willielmum* quendam cognomento *Witham* (ſive *Robertum* de *Thinge*, militem & virum generoſum ſed ſic palliatum) ejus per omnia obtemperabant præceptis. Sed cùm poſt modicum tempus, hæc quæ facta fuerant, ad ſummi Pontificis notitiam pervenerunt, indignatus eſt valdè; & miſit literas ad regem *Anglorum*, mordaces nimis, & increpatorias, quòd tales in regno ſuo fieri permiſit rapinas viris eccleſiaſticis: non habens reſpectum ad ſacramenta quæ juraverat tempore coronationis ſuæ, non ſolùm de pace eccleſiæ manutenenda, verùm etiam de recta juſtitia tam clericis quàm laicis conſervanda. Mandavit igitur in eiſdem literis Regi, ſub pœna excommunicationis & Interdicti firmiter præcipiens; quatenus diligenti facta inquiſitione, ſi quos hujus violentiæ inveniret auctores, tam graviter puniret obnoxios, ut ex pœna illorum cæteris metum incuteret & terrorem. Dedit etiam *Petro Wintonienſi* Epiſcopo, & Abbati S. *Ædmundi*, per literas in mandatis; ut in Auſtrali parte *Angliæ*, facta inquiſitione diligenti, quoſcunque hujus rei invenirent culpabiles, tam diu denunciarent eos excommunicatos, quouſque *Romam* venirent à ſede Apoſtolica abſolvendi. Similiter in parte regni Aquilonari, Archiepiſcopo *Eboracenſi*, Epiſcopo *Dunelmenſi*, & *Johanni* natione *Romano* & *Eboracenſi* Canonico; idem Papa, eadem inquiſitione commiſſa, præcepit: ut illius violentiæ tranſgreſſores *Romam* mitteret abſolvendos, appellatione non obſtante.

Inquiſitio facta ſuper diſtractione prædicta.

FACTA igitur inquiſitione de violentia memorata, tam à Rege quàm ab Epiſcopis & executoribus prædictis, & ſacramento mediante cum examinationibus & teſtibus productis; inventi ſunt multi tranſgreſſores, quidam de facto, quidam de conſenſu: quorum nonnulli Epiſcopi erant, & clerici Regis, cum quibuſdam Archidiaconis, ac Decanis; militibus etiam, & laicis multis. Quidam verò vicecomites, & eorum præpoſiti & miniſtri, pro eodem exceſſu, Rege jubente, capti ſunt, & incarcerati: & alii præ timore ſibi per fugam conſulentes, à quærentibus non ſunt inventi. Principalis autem domini Regis Juſtitiarius *Hubertus* de *Burgo*, ex hoc arguitur fuiſſe tranſgreſſor: quod prædonibus illis tam literas Regis patentes, quàm proprias exhibuerat, ne quis eos de prætata violentia præpediret. Venit prætereà ad Regem inter cæteros, *Robertus* de *Thinge*, juvenis elegans, & miles ſtrenuus, ex partibus *Angliæ* Aquilonaribus originem præclaram ducens. Qui aliis conſentientibus,

1232.

tientibus, fruges *Romanorum* vendiderat, & *Willielmum Wither* ſe nominari fecerat, quinque ſervientes armatos, & hujus violentiæ auctores circumduxerat: proteſtans manifeſtè, quòd in odium *Romanorum*, & cauſa juſtæ ultionis tranſgreſſus fuerat, qui per ſententiam *Romani* Pontificis, & fraude manifeſta, nitebantur eum ab unica, quam habuit, eccleſia ſpoliare. Addidit etiam, quòd maluit ad tempus injuſtè excommunicari, quàm à ſuo beneficio ſine judicio ſpoliari. Tunc Rex & executores præfati, militi dederunt conſilium, ut qui in canonem latæ ſententiæ inciderat, *Romam* abſolvendus properaret, & jus ſuum coram domino Papa proteſtaretur, & quòd eccleſiam juſtè pariter & canonicè poſſidebat. Dedit etiam ei Rex literas ad Papam teſtimoniales de jure ſuo: deprecans obnixè ut militem illius intuitu exaudiret.

Electio Prioris Cantuarienſis, *Romæ reprobata.*

VENIT eodem tempore *Romam* Prior *Johannes*, electus *Cantuarienſis*, in hebdomada Pentecoſtes. Et cùm literas ſuæ electionis domino Papæ exhibuiſſet; præcepit magiſtro *Johanni* de *Columna*, & aliis quibuſdam Cardinalibus, ut examinaret illum, ſi dignus eſſet ad culmen hujuſmodi promoveri. Qui cùm examinaſſent per triduum electum illum, in decem & novem, ut dicitur, articulis diligenter; proteſtati ſunt coram domino Papa, ſe cauſam in ipſo legitimæ recuſationis non inveniſſe. Veruntamen viſum eſt domino Papæ electo memorato, quòd nimis eſſet ſenex & ſimplex; & ad tantam inſufficiens dignitatem. Et cùm perſuaſiſſet ei, ut cederet; electus humiliter factæ electioni renunciavit, & licentiam petiit repatriandi. Tunc Papa, conceſſa licentia monachis ipſis præcepit, ut alium talem eligerent: cui onus ſuum communicare, & curam poſſet committere paſtoralem.

Rex Anglorum *quoſdam miniſtros ſuos à ſuis amovit officiis.*

CIRCA dies iſtos, *Leolinus* Princeps *Wallenſium*, fines Baronum *Angliæ* ingreſſus; cœpit, more ſolito, vacare incendiis & rapinis. Deceſſerunt itaque ad Regem *Anglorum*, *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus, & alii Conſiliarii ejuſdem Regis: dicentes, magnum coronæ ſuæ fore ſcandalum, quòd *Wallenſes* nullius momenti latrunculi, annis ſingulis terras ſuas & Baronum ſuorum impunè pervagantes, & incendio cuncta depopulantes, nihil relinquunt intactum. Quibus Rex reſpondit: Audivi à Theſaurariis meis, quòd redditus omnes de Scaccario meo, vix mihi ſufficiunt ad ſimplicem victum & veſtitum, & eleemoſynas conſuetas: unde paupertas non permittit, ut bellicas expediam actiones. Tunc Conſiliarii Regi reſponderunt: Si pauper es (inquiunt) tibi imputes, qui honores & cuſtodias ac dignitates vacantes ita in alios transfers, & à fiſco alienas; quòd nec in divitiis auri vel argenti, ſed ſolo nomine Rex debeas appellari. Nam anteceſſores veſtri, Reges magnifici, & in omni divitiarum gloria ditiſſimi; non aliundè, ſed ex regni redditibus & emolumentis, theſauros impreciabiles congeſſerunt. At Rex ab eis inſtructus, quos nominatim exprimere tutum forſitan non eſſet, cœpit à Vicecomitibus & Ballivis, aliiſque miniſtris ſuis, de redditibus & rebus omnibus ad fiſci commodum ſpectantibus, ratiocinium exigere: & quoſlibet de fraude convictos, à ſuis officiis deponens, exegit ab eis pecuniam ſuam, etiam cum uſuris; & tenens coarctabat eos, donec redderent debitum univerſum. *Ranulphum* etiam, cognomento *Britonem*, cameræ ſuæ Theſaurarium, ab officio ſuo deponens, cepit ab illo mille libras argenti numeratas: & conſilio *Petri Wintonienſis* Epiſcopi, jam in omni potentatu dominantis; loco illius ſubſtituit *Petrum* de *Orivallis*, genere *Pictavienſem* memorati Epiſcopi nepotem vel filium. Et ſic undique loculos Rex, jejunos licèt, in brevi gravidos & refertos reportavit.

Rex ab Huberto *Juſticiario ratiocinium exigit.*

PER idem tempus, Rex per conſilium *Petri Wintonienſis* Epiſcopi, *Hubertum* de *Burgo* Proto-juſticiarium regni, ab officio ſuo, licèt chartam Regis, ut dicitur, haberet *Ballivæ* ſuæ perpetuandæ, amovit; & *Stephanum* de *Segrave*, ſolo nomine militem, ſubrogavit iv. Calend. Auguſti. Et poſt dies paucos, Rex contra *Hubertum* nuper depoſitum perturbatus, exegit inſtanter ab eo ratiocinium de theſauris ſuis ad Scaccarium ſuum redditis; & de debitis, quæ ei debebantur de tempore patris ſui, & de tempore ſuo. Item exegit de dominis ſuis rationem, de quibus erat in poſſeſſione à die obitus *Willielmi* Comitis *Pembroc* tunc Juſticiarii & *Mareſchalli* ſui; qui ea teneant & habeant in *Anglia*, *Wallia*, *Hybernia*, & *Pictavia*. Item, de libertatibus, quas habuit tunc temporis in foreſtis, warennis, comitatibus, & aliis locis, qualiter cuſtodiæ ſint, vel alienatæ. Item, de quintadecima, & ſextadecima, & aliis redditibus, tam ad Scaccarium ſuum, quàm ad *Novum Templum Londinenſe*, & alibi. Item, de priſis factis pro jure ſuo relaxando, tam in terris, quàm in mobilibus. Item, de ipſis, quæ ipſe Rex amiſit per negligentiam *Huberti*. Item, de vaſtis factis ſine commodo ipſius Regis; tam per guerram quàm alio modo. Item, de libertatibus, quibus idem *Hubertus* uſus eſt in terris ſibi datis, & Epiſcopatibus, & cuſtodiis ſine warranto; quæ pertinent ad dominum Regem. Item, de injuriis & damnis illatis, & clericis *Romanis* & *Italicis*, & nunciis domini Papæ; contra voluntatem domini Regis, per auctoritatem ipſius *Huberti* tunc Juſtitiarii; qui nullum conſilium voluit apponere, ut illa corrigerentur; quod facere tenebatur ratione officii ſui, ad Juſticiarium pertinentis. Item, de pace Regis, qualiter ſit cuſtodita: tam versùs homines terræ ſuæ *Angliæ*, *Hyberniæ*, *Gaſconiæ*, & *Pictaviæ*, quàm alios extraneos. Item, de Scutagiis, carrucagiis, donis, & xeniis, ſive cuſtodiarum exitibus, ſpectantibus ad coronam, quid inde actum ſit. Item, de maritagiis, quæ Rex *Johannes* demiſit in cuſtodia ipſius in die quo obiit: & de aliis maritagiis ſibi traditis tempore ſuo. Ad hæc reſpondit *Hubertus*, quòd habuit patris ſui chartam, qua ipſum abſolvit ab

omni

1232. omni ratiocinio de rebus perceptis & percipiendis de theſauris ſuis: qui ejus fidelitátem in tantum expertus fuerat, quòd noluit ab eo ratiocinium audire. Tunc dixit *Petrus Wintonienſis* Antiſtes, quòd talis charta poſt obitum Regis *Johannis* non habebat vigorem: unde ad hunc Regem non pertinere propoſuit, de charta patris ſui, quin rationem exigat de prædictis. Hæc ſunt quaſi levia quædam, de quibus Rex rationem ab *Huberto* exigit: ſed ſequuntur gravia plura, in quibus idem *Hubertus* arguitur, quaſi de crimine læſæ Majeſtatis, quæ ſunt hæc.

Crimina à rege, Huberto objecta.

PROPOSUIT contra *Hubertum* idem Rex, quòd cùm nuncios ſolennes miſiſſet ad Ducem *Auſtriæ*, filiam ejus petens in uxorem; ſcripſit eidem Duci *Hubertus* per literas, in præjudicium ipſius Regis & regni, diſſuadens ne illi filiam ſuam matrimonio copularet. Item, propoſuit, quòd cùm militarem expeditionem duxiſſet ad partes tranſmarinas, ut terras revocaret amiſſas; idem *Hubertus* diſſuaſit, ne Rex *Normanniam* intrâret hoſtiliter, vel in alias terras ad jus ſuum ſpectantes: unde theſaurum ſuum inaniter conſumpſit ibidem, & magnates illi, qui cum illo erant. Item, arguit eum Rex, quòd filiam Regis *Scotorum*, quam Rex *Johannes* tradidit illi in cuſtodiam, ut eam ſibi matrimonio ſociaret, corrupit; & proditioſè concubuit cum ea, & ſub fornicatione liberos generavit ex illa, nobilémque puellam proſtituit; & cum ſpe regni *Scotorum*, ſi fratrem ſuperviveret, eam ſibi copulavit. Dixit etiam Rex, quòd lapidem quendam precioſum nimis, qui talem habuit virtutem, quòd invincibilem reddidit in bello, de theſauro ſuo furrivè ſuſtulit, & eam *Leolino* inimico ſuo, Regi *Walliæ*, proditioſè tranſmiſit. Item, ei impoſuit, quòd per literas, quas eidem *Leolino* tranſmiſerat; ſuſpenſus erat ut latro, vir nobilis, *Willielmus* de *Brauſia*, & proditioſè peremptus. Hæc omnia, ſive in veritate, ſive mendacitate malitioſa; ſunt domino Regi ab æmulis præfati *Huberti* ſuggeſta: quæ Rex inſtantia vehementi ab eodem *Huberto* exegit ſibi, juxta curiæ ſuæ judicium, emendari. Tunc *Hubertus* in arcto poſitus, cùm aliud remedium non haberet, poſtulavit inducias deliberandi ſuper præmiſſis; aſſerens res magnas eſſe & arduas, quas Rex propoſuit contra ipſum. Et ſic induciis vix à Rege commoto conceſſis, uſque ad exaltationem Sanctæ Crucis: *Hubertus* nimis perterritus, ad *Meretoniæ* Prioratum ab urbe *Londinenſi* divertit. Sic *Hubertus*, qui priùs ob Regis amorem, & regni defenſionem, omnium *Angliæ* Magnatum in ſe provocaverat odium; nunc à Rege deſertus, abſque amicis, fit ſolus, & omni ſolatio deſtitutus. Solus *Lucas Dublinenſis* Archiepiſcopus, inſtantiſſimis precibus & lacrymis rogavit Regem pro eo; ſed non potuit in tantis exceſſibus exaudiri.

Crimina graviora Huberto objecta.

CUMQUE vidiſſent multi, quòd favor Principis contra *Hubertum*, quem priùs quaſi ſingulariter dilexerat, fuerat permutatus in odium, inſurrexerunt ei, qui oderunt eum, multa enormia ei imponentes. Dixerunt enim quidam in eum, quòd duos nobiles viros, *Willielmum* Comitem *Sarisberienſem*, & *Willielmum Mareſchallum* Comitem *Penbroc*, veneno procuravit necari: & ſimili ſcelere *Falcaſium* atque *Richardum Cantuarienſem* Archiepiſcopum interfici procuravit: & per incantationes & ſortilegia Regem ad favorem & ſui ſpecialem nimis dilectionem inclinaverat: & quod in diſconfitura, quæ erat in mari, priſones multos nobiles ab nautis Regis, qui eos juſtè cæperant, ſibi cepit & retinuit ſpoliandos: alii de injuſtis exhæredationibus, vel exactionibus, vel ſpoliationibus, gravem de eo depoſuerunt querimoniam. Cives verò *Londinenſes* coram Rege conqueſti ſunt, quòd ſæpedictus *Hubertus*, *Conſtantinum* concivem ſuum fecerat ſine judicio & injuſtè ſuſpendi; de quo exceſſu ſibi poſtulant juſtitiam exhiberi. Unde factum eſt, quòd Rex fecit per civitatem *Londinenſem* communi edicto proclamare; ut omnes qui habebant querelam contra *Hubertum* de quacunque injuria, venirent ad Regem, juſtitiam ilicò recepturi. At *Hubertus*, cùm talia cognoviſſet, ad eccleſiam *Meritoniæ* fugit, inter Canonicos pavidus deliteſcens. Eodem anno, tempore autumnali, electus eſt magiſter *Johannes*, cognomento *Blundus*, clericus, apud *Oxoniam* in Theologia ſtudens, ac legens, in Archiepiſcopum *Cantuarienſem*. Qui à Rege ſuſceptus, cum monachis quibuſdam *Cantuarienſibus Romam* profectus eſt; ut electionem ſuam confirmari à ſede Apoſtolica impetraret.

Quadrageſima Regi conceſſa.

CONVENERUNT tempeſtate eadem apud *Lambeiam* ad colloquium, in exaltatione ſanctæ Crucis, coram Rege; Epiſcopi & alii eccleſiarum Prælati, cum Proceribus regni. Ubi conceſſa eſt Regi, pro debitis, quibus Comiti *Britanniæ* tenebatur aſtrictus, quadrageſima pars rerum mobilium, ab Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, clericis, & laicis; ſicut ea habuerunt frugibus congregatis in Autumno, anno regni ejuſdem Regis XVI. *Hubertus* quoque de *Burgo*, cui datus fuerat à Rege terminus ille ad reſpondendum ſuper articulis & exactionibus ſupradictis; iram Regis nimis habens ſuſpectam, non auſus eſt comparere. Suggeſtum enim ei fuerat, quòd Rex habuit conſilium, illum morte turpiſſima condemnare:

Hubertus de Burgo ad Meritonam fugit.

unde ad pacem eccleſiæ confugiens, apud *Meritonam* inter Canonicos delituit; donec ſibi aura fœlicior arrideret. Sed tandem cùm Rex ei ſignificaſſet, ut veniret ad curiam ſuam, Juri pariturus: nunciavit Regi, quòd iram ejus habens ſuſpectam, ad eccleſiam confugerat, quæ ultimum remedium eſt omnibus injuriam patientibus: & quòd inde non exiret, donec illius animum in melius cognoſceret commutatum. Tunc Rex in iram verſus, ſignificavit per literas Majori *Londinenſi*, jam hora inſtante veſpertina; quatenùs ſtatim viſis

literis,

literis, conjunctis ſibi univerſis civibus urbis, qui arma movere poſſent, iret ad *Meritonam* 1232.
hoſtiliter: & *Hubertum* de *Burgo* vivum ſibi ſeu mortuum præſentaret. At Major, ſigno communi pulſato, fecit convenire populum civitatis; & coram eis Regis literis perlectis, præcepit omnibus, ut convolarent ad arma, & Regium ſummo mane exequerentur edictum. Cives autem, cùm hujuſmodi literas intellexiſſent, gaviſi ſunt valdè; quia *Hubertum* mortali odio perſequebantur. Cùm autem majoris diſcretionis cives, videlicet *Andreas Bukerel*, & *Johannes Travers*, & quidam alii, hæc ſaniùs intellexiſſent, librantes futura ſcandala, venerunt feſtinanter ad domum epiſcopi *Wintonienſis Petri* apud *Suthwerk*; & excitantes eum à ſomno ſtupido, conſilium in hoc articulo diligenter rogitantes: imminet enim periculum tam ex parte eccleſiæ *Meretonenſis*, quàm civitatis; cùm non poſſit furor tantæ plebis inordinatæ & indomitæ, quin omnia diriperent, diruerent, nec ſanguini parcerent, refrænari. Quibus Epiſcopus cruentum dans conſilium, reſpondit: *Durum hinc, dirum inde*: veruntamen præ omnibus ut præceptum domini veſtri adimpleatis, conſulo vobis indubitanter. At ipſi obſtupefacti de tali conſilio Epiſcopali, cœptis inſiſtebant tremebundi: porrò plebs avida prædictæ vindictæ inhiabat ſitienter. Et in craſtino ante lucem exeuntes ab urbe ad viginti millia armatorum, verſus *Meretonam* vexilla direxerunt & arma; ut mandatum Regium proſequerentur effectu. Sed dum hæc audiret prænominatus *Hubertus*; ante majus altare ſe in orationibus proſternens, corpus ſuum & animam confidenter Deo commendavit. Interim dum iter agerent cives armati, frendentes in *Hubertum*, ſuggeſtum fuit Regi à Comite *Ceſtrenſi*, quòd ſi talem excitaret ſeditionem in vulgo irrationali & protervo, poſſet Rex timere, ne ſeditionem ſemel motam ſedare non valeret cùm vellet; diceretúrque per totum orbem, præcipuè inter *Francos* & alios, qui de magnis majora loquuntur, & de malis pejora, invectivè & per ironiam: Ecce qualis eſt alumnus Regulus *Angliæ*, qui in ſuis & in his qui eum ſub aliis nutrierunt, novit deſævire. Et dicatur de *Huberto*, quòd de avicula dicitur cuculum nutriente:

Alis ales alis, alium ne longius ales.

Miſſi ſunt autem duo æditui, ad revocandum populum prædictum catervatim ruentem, & ſanguinem effundere innocentem ſitienter præparatum: quorum unus, raptus equo velociſſimo, literas Regis deferens, earum auctoritate etiam primos revocavit: alter autem fictus & fraudulentus, qui odio habens Comitem *Cantiæ Hubertum*, ipſum trucidari maluit, quàm liberari: licèt juſſus accelerare, ſponte tardans, nec attigit mediocres. Unde meritò ira divina percuſſus, ad aliquod offendiculum equo ceſpitante, licèt pedetentim ambulante, in terram corruit reſupinus: & fracto collo miſerè, nec tamen miſerabiliter, expiravit. Hæc pia miſſio facta fuit per *Radulphum* Epiſcopum *Ciceſtrenſem*, tunc Cancellarium; virum juſtum, & toti regno fideliſſimum, & miſeriis *Huberti* condolentem. Viſis igitur literis, ſtetit exercitus civilis, & populus univerſus. Et ſic mutato conſilio, Rex feſtinanter nunciavit, ut promotum exercitum ilicò revocaret. At cives animo nimis conſternati, reverſi ſunt in urbem, infecto negotio execrando.

Hubertus ex quadam capella extractus, in turri Londinenſi incarceratur.

POST hæc autem Archiepiſcopus *Dublinenſis*, multis precibus impetravit inducias à Rege, *Huberto* ſæpedicto, uſque ad octavas Epiphaniæ; ut tempus haberet deliberandi ſuper exactionibus præmiſſis, quæ urgentiſſimæ fuerunt; ut habita deliberatione, Regi poſſet rationabiliter reſpondere, & ſatisfacere competenter. Tunc *Hubertus*, accepta, ut credebat, ſecuritate per literas Regis patentes; iter arripuit ad ſanctum *Ædmundum*, (ubi uxor ejus morabatur) glorioſi Regis & Martyris, rogaturus de tribulatione conſolationem. Et tranſiens per *Eſſexiam*, hoſpitatus eſt in villa quadam, quæ ad jus pertinet Epiſcopi *Norwicenſis*, in domibus Epiſcopi ſupradicti. Quod factum, cùm Regi relatum fuiſſet, ira vehementi incanduit, metuens ſi *Hubertus* ita recederet, perturbationem machinaretur in regno: unde facti pœnitens, miſit poſt eum *Godefridum* de *Cranecumbe*, militem cum CCC. armatis; præcipiens ſub pœna ſuſpendii, quatenùs illum captum reducerent, & in turri *Londinenſi* vinctum incarcerarent. At illi cum feſtinatione profecti, invenerunt *Hubertum* in quadam capella hoſpitio ſuo vicina, crucem in una manu Dominicam, & in altera corpus Domini bajulantem: (erat enim præmonitus de adventu quærentium animam ejus) & ſurgens de ſtratu ſoporatus, ad capellam nudus confugit. At *Godefridus* prædictus cum ſociis armatis capellam ingreſſus; præcepit ex ore Regis, ut exiret de capella, & veniret *Londinum* cum Rege locuturus. Sed *Hubertus* reſpondit, quòd nullo modo exiret. *Godefridus* & ejus complices rapuerunt de manibus ejus crucem & Dominicum corpus, vinculis eum conſtringentes arctiſſimis, quia non invenerunt promptum fabrum. Vocatus igitur faber quidam, ut apponeret genus quoddam compedum, qui vocantur annulli, interrogavit, cujus tibiis illos apponeret, & reſpondens quidam eorum, ait: *Huberti* de *Burc*, ſeductoris convicti & fugitivi. At faber ex alto ducens ſuſpirium, ait: Fiat de me judicium quod vobis placet, propitietur Deus animæ meæ, vivit enim Dominus, nunquam ferrea vincula apponam illi: anteà moriar quocunque diſcrimine. Nónne eſt iſte *Hubertus* fideliſſimus & magnanimus, qui toties eripuit *Angliam* à vaſtatione alienigenarum, & reſtituit *Angliam Angliæ*? Qui ſervivit tam conſtanter & fideliter in *Gaſconia*, in *Normannia*, & alibi, Regi *Johanni* ſuo domino; ita ut aliquando equos comedere cogebatur: ita etiam, quòd hoſtes

noſtri

1232. noſtri conſtantiam in eo laudaverunt mirabilem: qui nobis *Doveram*, clavem *Angliæ*, contra Regem *Galliæ* & ſuam exquiſitam potentiam per tempus diuturnum conſervavit: qui in mari proſternendo inimicos, operatus eſt ſalutem. Quid *Lincolniæ*, quid *Bedefordiæ* geſta ejus optima referam? Judicet Deus inter ipſum & vos, quia injuſtè & inhumanè eum tractatis: mala pro bonis, imò peſſima pro optimis impendentes. *Hubertus* autem his auditis, tacitus in corde conſiderabat illud Evangelicum, *Confiteor tibi pater cœli & terræ, quia abſcondiſti cauſam meam à prudentibus & ſuperbis, & revelaſti pauperibus & humilibus:* tibi revelavi cauſam meam, Deus meus. Inſurrexerunt enim in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. *Godefridus* de *Cranecumbe* autem & ſui, & qui cum eo erant, ſermocinationes has parvipendentes; prædictum *Hubertum* raptantes, loris conſtrictum equo impoſuerunt, & ad turrim *Londinenſem* ipſum ducentes, poſuerunt in carcere compeditum ſuper equum, inquam, deſpicabilem, pedibus ſub ventre equi vinctis. Quo facto, nunciaverunt Regi quod factum fuerat; & ille; qui pervigil illorum expectabat adventum, lætus ſtatim petivit.

Hubertus de Burgo reducitur ad capellam.

MANE verò facto, cùm *Rogerus Londinenſis* Antiſtes cognoviſſet, quo ordine *Hubertus* extractus fuiſſet de capella, venit celer ad Regem; increpans eum audacter, quòd pacem ſanctæ eccleſiæ violaverat; dixitque, quòd niſi ipſum cum feſtinatione à vinculis liberatum remitteret ad capellam, à qua erat violenter ejectus & extractus; ipſe omnes hujus violentiæ auctores excommunicationis ſententia innodaret. Rex autem, licèt invitus reatum ſuum intelligens, remiſit *Hubertum* ad capellam: & ubi captus fuerat à militibus armatis, reſtituitur ab eiſdem, quinto Calend. Octobris. Quo facto, Rex dedit vicecomitibus *Hertfordiæ* & *Eſſexiæ* in mandatis, ſub pœna ſuſpendii, quatenùs in propriis perſonis, & cum omnibus hominibus duorum Comitatuum, capellam obſidione vallarent; & ne *Hubertus* evaderet, vel à quoquam cibum acciperet, explorarent. At vicecomites præfati, ſicut eis præceptum fuerat, ad locum venientes, capellam cum domo Epiſcopi, quæ propè erat, obſidentes; cinxerunt capellam & locum per gyrum foſſato lato ſatis & alto, decernentes ibi quadraginta dierum excubias obſervare. Et *Hubertus* hæc omnia æquanimiter ferens, puram habens conſcientiam, ut dicebat, cauſam ſuam Deo ſecretorum conſcio commendabat; rogans jugiter divinam clementiam, quatenùs illum ab inſtanti periculo liberaret: ſicut ipſe ſuper omnia honorem Regis ſemper dilexerat, eatenùs & ſalutem. Et in prædicta capella die ac nocte precibus incumbebat indefeſſus. Sed Rex, ipſius meritis malè reſpondens, cui tanto ſervierat ſtudio, quòd Regi ſoli ſibi placere ſufficiebat; nunc in tali ſtatu conſtitutus eſt, quòd Rex omnibus generaliter prohibuit, ne quis pro eo rogaret, vel de *Huberto* in ejus præſentia faceret mentionem. Sed tamen *Lucas* Archiepiſcopus *Dublinenſis*, qui unicus ei erat amicus, Regi pro eo cum lacrymis inceſſanter ſupplicavit; ut ſaltem ſibi, quid placeret de *Huberto* facere, intimaret. Cui Rex reſpondiſſe fertur, ut ex multis eligeret unum, vel in æternùm *Angliam* abjurare, vel perpetuum carcerem ſubire, vel palàm ſe proditorem confiteri. Ad hæc reſpondit *Hubertus*, quòd nullum horum eligeret articulorum, ut qui regis conſilium nimis habebat ſuſpectum, quia nihil ſe feciſſe recolit tanta dignum confuſione: veruntamen ut domino ſuo Regi ſatisfaciat, libenter ad tempus exibit à Regno, ſed illud non abjurabit.

Ranulphus Comes Ceſtrenſis moritur.

EODEM tempore, *Ranulphus* Comes *Ceſtriæ* & *Lincolniæ*, apud *Walingeford* diem clauſit extremum; quinto Calend. Novembris. Cujus corpus delatum eſt apud *Ceſtriam* tumulandum; viſcera apud *Walingeford* tumulabantur. De cujus obitu cùm nunciaretur *Huberto* de *Burgo* rumor, & diceretur, quòd unus de maximis hoſtibus ſuis mortuus eſſet, ille aſſumpto gemitu, ait: Propitietur ei Dominus. Ille homo meus fuit de manibus ſuis, nec tamen unquam mihi profuit, ubi obeſſe potuit. Et accipiens Pſalterium, ſtetit ante altare, ſcilicet in capella, obſeſſus ubi tunc erat, & incipiens ſtando complevit uſque in finem devotè pro anima *Ranulphi* ſæpedicti. Succeſſit eidem *Ranulpho* in Commitatu *Ceſtriæ*, *Johannes* nepos ejus ex ſorore ſua, quem genuit Comes *David* frater *Willielmi* Regis *Scotorum*. Alius autem nepos ejus ex ſorore ſua, *Lincolniæ* obtinuit Comitatum; & de Barone Comes effectùs eſt. Comes quoque *Harundel*, alius nepos ejus, quingentas libratas terræ ſuſcepit. Morabatur autem poſteà *Hubertus* in capella præfata multo tempore cum duobus ſervientibus, qui ei victualia miniſtrabant; donec ex precepto Regis ſubtracta ei fuerunt omnia cibariorum genera, & ſervientes ejus de capella ejecti. Tunc *Hubertus* in arcto poſitus, cùm fame perire ſibi turpe videretur, ſponte de capella exivit; offerens ſe vicecomitibus, qui illum obſervabant. Dixit enim, ſe potiùs velle Regis miſericordiam experiri, quàm fame deteſtanda perire. Tunc vinculis arctioribus conſtrinxerunt illum vicecomites ſæpedicti; ducentes ubi Rege jubente ſub arcta cuſtodia deputaretur; in turri ſcilicet *Londinenſi*, compedibus mancipatus.

Collectio quadrageſimæ mobilium Regi conceſſarum.

EODEM tempore, miſit dictus Rex literas eis, quos idoneos decreverat collectores quadrageſimæ ſibi conceſſæ, ſub hac forma: *Henricus Dei gratia Rex* Anglorum, Petro *de* Thaneo, Willielmo *de* Culewurthe, *&* Adæ *filio* Willielmi, *collectoribus quadrageſimæ ſalutem. Sciatis, quòd Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, & Clerici, terras habentes, quæ ad eccleſias ſuas non pertinent: Comites, Barones, Milites, liberi homines, & villani de regno noſtro,*

noſtro, conceſſerunt nobis in auxilium xl. partem omnium mobilium ſuorum apparentium, ſicut ea habuerunt in craſtino S. Matthæi, *anno regni noſtri xvi. Videlicet de bladis, carrucis, ovibus, vaccis, porcis, haraciis, equis carretariis & deputatis ad wainnagium in maneriis; exceptis bonis, quæ prædicti Archiepiſcopi, Epiſcopi, & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ habent de eccleſiis parochialibus, & de eccleſiis præbendalibus, & præbendis, & terris ad præbendas pertinentibus, & eccleſias parochiales ſpectantibus. Proviſum eſt generaliter à prædictis fidelibus noſtris, quòd prædicta quadrageſima hoc modo aſſideatur & colligitur; quòd, videlicet de qualibet villa integra eligantur quatuor de melioribus & legalioribus hominibus, unà cum præpoſitis ſingularum villarum, per quorum ſacramentum xl. pars omnium mobilium prædictorum taxetur & aſſideatur ſuper ſingulos, in præſentia militum aſſeſſorum, ad hoc aſſignatorum. Et poſteà per ſacramentum duorum legalium hominum earundem villarum, inquiratur & aſſideatur quadrageſima omnium mobilium, quæ prædicti quatuor homines & præpoſiti habent: & diſtrictæ imbrevietur & apertè, de cujus vel de quorum Baroniæ qualibet villa fuerit in parte vel in toto. Et poſtquàm quadrageſima fuerit aſſiſa, & in ſcriptum redacta, rotulus omnium particularum de ſingulis villis & ſingulis Comitatibus liberetur Seneſcallo ſingulorum Baronum, vel attornato ipſius Seneſcalli, vel Ballivo libertatis, ubi aliquis libertatem habuerit; ſcilicet quòd Baro vel dominus libertatis velit & poſſit prædictam quadrageſimam colligere, & pro ea habenda diſtringere: ſi verò non velit, vel non poſſit, vicecomites diſtrictionem faciant prædictam, ita quod nil inde recipiant, ſed tota quadrageſima prædicta prædictis militibus aſſeſſoribus liberetur, in majori & ſecuriori villa ſingulorum Comitatuum. Et de qualibet villa fiat ſumma tallia inter Seneſcallum Baronis, vel ejus Attornatum, vel Seneſcallos domini libertatis, & prædictos aſſeſſores. Et deponatur pecunia per eoſdem aſſeſſores in aliquo loco tutiori ejus villæ; ita quòd aſſeſſores habeant ſigilla ſua & ſeras & claves ſuas ſuper pecuniam prædictam, & vicecomites ſimiliter ſigilla ſua & ſeras & claves ſuas: & aſſeſſores ſtatim in quo quadrageſima aſſiſa fuerit per ipſos, mittant rotulos ſuos ad Scaccarium de toto itinere ſuo. Et ſimiliter ex quo dicta pecunia ab eis collecta fuerit, mittant rotulos ſuos ad Scaccarium de recepta ſua, & prædicta pecunia reſervetur in locis ubi depoſita fuit, donec ad mandatum noſtrum deferatur uſque ad* Novum templum Londinenſe. *Nihil autem capietur ab aliquo homine nomine quadrageſimæ, qui non habuerit de hujuſmodi bonis mobilibus ad valentiam xl. denariorum ad minus. Ad prædictam ſiquidem quadrageſimam aſſidendam in Comitatu* Hertfordiæ, *aſſignavimus vos, & mandavimus vicecomiti noſtro de* Hertfordia; *quòd ſingulas villatas Comitatus ſui, certis diebus & locis, quos ei ſcire facietis, ad mandatum noſtrum coràm vobis venire faciat; & in omnibus, quæ ad dictum negotium pertinent, vobis intendant & obediant. Valete.*

1232.

Rex Anglorum theſaurum Huberti de Burgo diſtrahi præcipit.

CIRCA hos quoque dies, inſtante feſto beati *Martini*, ſuggeſtum fuit *Anglorum* Regi, quòd *Hubertus* quondam Juſtitiarius, apud *Novum templum* habuit theſaurum non modicum ſub eorundem *Templariorum* cuſtodia deputatum. At Rex, magiſtrum *Templi* ad ſuum vocans colloquium, ſciſcitabatur diſtrictiùs ab eo, ſi ita fuiſſet. At ille, non auſus Regi veritatem negare, confeſſus eſt quòd habebat pecuniam ſibi ac fratribus ſuis fideliter commendatam, ſed quantitatem & numerum penitùs ignorabat. Tunc Rex cum minis prædictam pecuniam à fratribus exegit, ut illam incontinenti ſibi redderent; aſſerens eam de theſauro ſuo dolo fuiſſe ſubtractam. Cui reſponderunt fratres, quòd nulli pecuniam traderent, ſibi in fide commiſſam, abſque illius licentia, qui illam in *Templo* commendaverat reſervandam. At Rex, quia pecunia memorata ſub protectione eccleſiæ fuerat deputata, non habuit conſilium, ut violentiam ingereret: unde Theſaurarium curiæ ſuæ, cum Juſtitiariis ſuis de Scaccario, miſit ad *Hubertum*, qui jam tunc erat in turri *Londinenſi* compeditus; ut pecuniam exigerent ab eo, Regi ex integro aſſignandam. Nuncii autem prædicti, cùm *Huberto* ex parte Regis talia præſentaſſent, reſpondit continuò; quòd ſeipſum & ſua omnia Regis ſubmitteret voluntati. Petiit ergo, ut fratres militiæ *Templi*, claves omnes ex parte ſua domino ſuo Regi præſentarent, ut de rebus ibi deputatis ſuam faceret voluntatem. Quod cùm factum fuiſſet, juſſit Rex pecuniam illam fideliter numeratam in ſuo reponi theſauro, & rerum omnium inventarum ſummam in ſcriptum redigi, & ſuæ præſentiæ exhiberi. Invenerunt autem clerici Regis & Theſaurarius cum eis in illo depoſito, vaſa aurea & argentea impreciabilia, & denarios, & gemmas multas precioſas; quæ ſi numerarentur, admirationem audientibus rei veritas generaret. His itaque divulgatis, venerunt ad Regem quidam, qui *Hubertum* perſequi non ceſſabant, accuſantes eum, & dicentes, quòd nunc de furto convictus & fraude, dignus erat morte turpiſſima condemnari. Quibus Rex, aliquantulùm ad ſe reverſus, reſpondit: *Hubertus* à pueritia priùs patruo meo Regi *Richardo*, & poſtea Regi *Johanni* patri meo, ſatis ſervivit fideliter, ut audivi; qui ſi contra me malè egerit, nunquam per me iniqua morte morietur. Malo enim Rex fatuus reputari ac remiſſus, quàm crudelis & tyrannus, ac vir ſanguinum, in eum, qui diu mihi meiſque anteceſſoribus in multis ſervivit periculis; plùs penſando mala, quæ adhuc non ſunt manifeſta ac pro vero probata, quàm multa bona, de quibus Regno & nobis conſtat univerſis, retribuere. Et his dictis, flexus in miſericordiam, conceſſit *Huberto* omnes terras, quas ex dono patris ſui vel ex emptione poſſidebat; ut inde ſibi ac ſuis neceſſaria provideret. At *Hubertus* aliquantulùm jam erectus, conſtituit providenter fidelem ac pro-

[library stamp]

1232. vidum ſupra terras ſibi conceſſas cuſtodem ac Seneſcallum, *Laurentium* ſcilicet, clericum de S. *Albano*: qui in omnibus tribulationibus eidem extitit *Huberto* ſolatium ſingulare, & immobilis columna veritatis. Et paulò pòſt, ſuſceperunt eundem *Hubertum* ſub fidejuſſione, *Richardus* Comes frater Regis, *Willielmus* Comes *Warenniæ*, *Richardus* Comes *Mareſchallus*, & *Willielmus* Comes de *Ferrariis*: & miſſus à Rege ad caſtellum de *Diviſis*, traditus eſt ſub cuſtodia quatuor militum prædictorum Comitum, ut ſub libera cuſtodia ſervaretur ibidem. Eodem anno, in craſtino ſancti *Martini*, audita ſunt tonitrua horribilia, quæ viciſſim per dies quindecim continuata, multos terruerunt: & præcipuè cives *Londinenſes*, qui hanc peſtem adeò habent familiarem, quòd ſi uſquam ſit in *Anglia*, ibi non deeſt ad conſuetudinem. Sequutum eſt autem in regno *Anglorum* inter Regem & Barones miſerabile diſſidium, ſicut ſequens hiſtoria declarabit.

Viſitatio virorum religioſorum generalis.

HOC quoque anno, Papa *Gregorius* conſtituit viſitatores ſuper viros religioſos per orbem generaliter univerſum *Chriſti* nomine inſignitum, ſub hac forma: Gregorius *Epiſcopus, venerabilibus fratribus ſuffraganeis eccleſiæ* Cantuarienſis, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Egreſſus à facie Dei Sathân, ad fortia manum mittens, de ſua calliditate confiſus, vitiorum laqueis irretire molitur electos, in ſortem dominicam evocatos: majores ibi parans ille tortuoſus inſidiator inſidias, ubi graviores conſpexerit corruptelas. Sanè cùm frequenter ad noſtram audientiam perveniſſet, quòd Monaſteria* Cantuarienſis *provinciæ in ſpiritualibus enormiter & temporalibus, per malitiam & incuriam in eis habitantium, ſunt collapſa; nos culpas eorum nolentes ulteriùs ſub diſſimulatione tranſire, ne ſi eas dimiſerimus incorrectas, ipſas noſtras efficere videamur, Monaſteriis illis, quæ ad* Romanam *eccleſiam nullo noſcuntur medio pertinere, in eadem provincia conſtitutis, viſitatores, reformatores & correctores, tam in capite quam in membris deputavimus ſpeciales. Plenaria ſibi poteſtate conceſſa, ut viſitantes eadem Monaſteria vice noſtra corrigant, & reforment; quæ in ipſis correctionis & reformationis officio noverint indigere, conſtitutionibus vel correctionibus aliis in provinciali capitulò ritè factis, in ſuo robore nihilominùs duraturis. Licèt autem nobis in plenitudinem poteſtatis aſſumptis, cura cunctorum immineat generalis; quia etiam vos, qui vocati eſtis in partem ſollicitudinis, ſuper grege vobis commiſſo ſpecialiter decet eſſe ſollicitos & attentos, ne ovis morbida pereat; univerſitatem veſtram monemus & hortamur, in virtute obedientiæ diſtrictè vobis præcipiendo mandantes; quatenus ſinguli veſtrum, tam in civitatibus quàm in diœceſibus veſtris, per voſ-ipſos, aut per viros religioſos, qui experimento rerum in hujuſmodi viſitationibus ſunt inſtructi, loca Monachorum, Monialium, & Canonicorum regularium necnon ſæcularium clericorum, vobis ſubjecta, viſitare curetis; tam auctoritate noſtra quàm veſtra, generaliter univerſa reformantes & corrigentes, in capite & in membris, omni gratia & timore poſtpoſitis, in eiſdem quæ reformanda noveritis & etiam corrigenda. Salvis his, quæ circa religioſos in provinciali capitulo providè ſunt ſtatuta, juxta conſtitutionem Concilii generalis, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: præceptum noſtrum taliter impleturi, quòd ultionum Deus, in illo tremendo judicio, qui unicuique juxta opera ſua reddet, de manibus non requirat ſanguinem eorundem, & nos ad id limam correctionis Apoſtolicæ apponere non cogamur.* Data Spoleti, *quinto Idus Junii, Papatus noſtri anno ſexto.*

Viſitatio eccleſiarum exemptarum auctoritate Apoſtolica.

ALIIS autem eccleſiis & viris religioſis, qui immediatè ad *Romanam* ſpectabant eccleſiam, non Epiſcopos, ſed Abbates, ordinis *Ciſtercienſis* maximè, & *Præmonſtratenſis*, viſitatores dedit; viros ſcilicet indiſcretos, & nimis aſperos; qui in hac viſitatione ita inſolenter & immiſericorditer proceſſerunt, quod in pluribus Monaſteriis rationis metas excedentes, compulerunt multos ad remedium appellationis confugere. Qui *Romam* profecti, poſt multas pecuniæ effuſiones & labores, viſitatores alios impetrarunt. Et ut tandem breviter dicatur, iſta viſitatio per orbem univerſum, ad ordinis potiùs deformationem, quàm reformationem proceſſit; dum omnes, qui in diverſis orbis partibus unicam beati *Benedicti* ſequuti fuerant regulam, per novas conſtitutiones ita inveniantur ubique diſcordes, quòd ex omnibus cœnobiis, vel aliis virorum religioſorum eccleſiis, vix duo habeantur in norma vivendi concordes. Verùm Abbas quidam *Montis belli*, dum in hac viſitatione procedere formidaret, conſuluit dominum Papam ſuper dubiis quibuſdam articulis: à quo, in forma procedendi, talem meruit habere reſponſionem:

Conſultatio facta ad Papam de viſitatione prænotata.

EA *quæ pro religionis honeſtate, & religioſorum ſalute providè ordinantur, Apoſtolico ſunt munimine roboranda; ut ſuſcipiantur devotiùs, & diligentiùs obſerventur. Cùm ergo per dilectum filium Abbatem* Montis belli, *quædam capitula nobis fuerint præſentata, quæ ad caſtigandum tranſgreſſiones multiplices & exceſſus, quos in quibuſdam cœnobiis invenerant, videbantur pro ſalute ac honeſtate noſtra laudabiliter ſtatuenda. Nos examinari & corrigi fecimus, & præcipimus, ut inviolabiliter obſervetis, quæ ſigillis venerabilium fratrum noſtrorum* Hoſtienſis *&* Tuſculanenſis *muniri fecimus ad cautelam. Et adhuc volumus, & præcipimus auctoritate Apoſtolica, ut viſitatores ad generale capitulum convocent Abbates & Priores non habentes Abbates proprios, tam exemptos, quàm non exemptos, qui non conſueverunt capitulum celebrare; præſidentes in ipſo capitulo generali, canonico impedimento ablato. Eos igitur qui contempſerint, vel neglexerint convenire, ceſſante cujuſlibet appellationis obſtaculo, per cenſuram eccleſiaſticam venire compellant; & uſque ad ſatisfactionem condignam, quam in eos tulerint ritè, non relaxent.*

Eadem

Eadem cenſura facturi, quæ in eodem capitulo deliberatione provida fuerint ordinata, firmiter obſervari; reddituri tam ipſi, quàm viſitatores, & alii quilibet, miniſterii Domino, in cujus conſpectu nuda ſunt omnia & aperta, & extremo examine, rationem. Sed & omnem ſollicitudinem & diligentiam, circa correctionem & reformationem ordinis ad viſitationem cœnobiorum ſtudeant adhibere. Porrò cùm viſitatores, ſecundùm ſtatuta generalis Concilii, in generali Abbatum capitulo proceſſerint ad viſitationis officium exequendum; de ſtatu Monaſteriorum & obſervandis regularibus obſervantiis; diligenter inquirant, & tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, corrigant & reforment quæ viderint corrigenda: ita quòd monachos delinquentes, per Abbates loci corrigi faciant, eiſque injungi pœnitentiam ſalutarem, juxta beati Benedicti regulam, & Apoſtolica inſtituta, & non ſecundùm normam pravæ conſuetudinis, quæ jam pro lege quibuſdam eccleſiis inolevit. Ipſi autem viſitatores, monachos quos contumaces invenerint & rebelles, juxta modum culpæ; vice noſtra, regulari cenſura compellant abſque perſonarum delectu; non parcendo rebellibus ob ſuam pertinaciam, vel potentiam amicorum: quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat oves ſanas. Si verò Abbates in corrigendis, juxta viſitatorum mandatum & regularia inſtituta, ſeipſis, ſuiſve monachis, inventi fuerint negligentes; proclamentur, corripiantur, & ita puniantur publicè in capitulo generali, quod pœna eorum ſit aliis in exemplum. Prout ſi Abbas aliquis non exemptus, fuerit à viſitatoribus nimis negligens & remiſſus inventus, id loci Dioceſano denuncient ſine mora; & per illum detur ei fidus & prudens coadjutor, uſque ad capitulum generale. Quòd ſi dilapidator inventus fuerit, aut aliàs meritò amovendus; per Dioceſanum, poſtquàm ſibi à viſitatoribus fuerit denunciatum, amoveatur abſque judiciorum ſtrepitu à regimine Abbatiæ & à Monaſterio: provideatur interim adminiſtrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipſi Monaſterio fuerit de Abbate proviſum. Quòd ſi forſan Epiſcopus hoc implere noluerit, vel neglexerit: viſitatores, vel præſidentes in capitulo generali, defectum Epiſcopi ad ſedem Apoſtolicam non differant intimare. Hæc eadem circa exemptos Abbates fieri præcipimus; depoſitione tantùm ipſorum ſedi Apoſtolicæ reſervatâ. Ita tamen, ut Abbate, qui videbitur amovendus, interim per viſitatores vel in capitulo præſidentes, ab adminiſtratione ſuſpenſo; adminiſtrator idoneus Monaſterio deputetur. Illorum autem exceſſus, & alia quæ viſa fuerint intimanda capitulis, præſidentes nobis denuncient per fideles nuncios & prudentes; quibus de communi Abbatum contributione, juxta cujuſlibet facultatem, ſufficienter miniſtrentur expenſæ. Sequentes autem viſitatores, priorum perquirant veſtigia diligenter viſitatorum; & eorum negligentias & exceſſus referant ſequenti capitulo generali, ut juxta culpam, debitam pœnam portent. Et hæc de viſitatione ſunt manifeſtata.

ITEM ſcripſit dominus Papa ſuper eadem viſitatione facienda in eccleſiis exemptis, in provincia Cantuarienſi ſitis, in hæc verba: Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis de Boxle, Ciſtercienſis, & de Bekeham, Præmonſtratenſis ordinis Abbatibus, Roffenſis & Ciceſtrenſis Dioceſum, & Præcentori eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ille callidus ſupplantator, calumniator iniquus, qui non miratur quòd flumen abſorbet, niſi & ut Jordanis influat in os ejus; eſcas concupiſcens electas, illis jacit pedicas in jacturam, qui ſtare probabiliter videbantur: eóſque variis incurſibus non deſinit attentare, qui, ut ejus effugerent laqueos, ſe in clauſtralibus caſtris receptârunt. Quare nos, & iſtius obviare malitiæ, & horum, prout intereſt noſtra, ſaluti conſulere cupientes; libenter remedia quæ poſſumus, procuramus, ut præda de illius faucibus auferatur. Intelligimus ſiquidem, quòd nonnulla Monaſteria exempta Cantuarienſis Dioceſis, in ſpiritualibus deformata, & in temporalibus ſint graviter diminuta; dum Monachi & Moniales eorum, Diabolica ſuggeſtione ſeducti, immemores pacti Domini Dei ſui, quo non ſolùm ſua, ſed ſeipſos profeſſione ordinis abnegârunt; nec Ananiæ & Saphiræ mortis ſententiam formidantes, non ſine furti nota & noxa, Monaſteriorum bona impropriè ſibi appropriant & retentant, venantur non venialiter lucra pecuniaria mercimoniis & uſuris, ſed & diſciplina Monaſtica ordinis profligati perſonæ patent contemptui, & religio blaſphematur. Ne igitur talium culpas noſtras efficere videamur, dum eas reliquerimus incorrectas; viſitationem, correctionem, & reformationem Monaſteriorum ipſorum, tam in capite quàm in membris, vobis de quorum fide ac diſcretione indubitatam fiduciam obtinemus, ſuper his & aliis committimus confidenter; conceſſa vobis ſuper prædictis, appellatione remota, plenaria poteſtate, ac ſtatutis in principali capitulo ritè factis, in ſuo robore nihilominùs duraturis. Quocirca diſcretionem veſtram rogamus, & exhortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta, in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandantes; quatenùs præmiſſa juxta ſpem noſtram taliter exequi ſtudeatis, quòd Deo gratum, & nobis poſſet eſſe acceptum. Contradictores, ſi qui fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcatis: alioquin in extremo examine de manibus veſtris requirat eorum ſanguinem Dominus ultionum. Quòd ſi non omnes his exequendis poteritis intereſſe, duo veſtrum nihilominùs ea exequantur. Data, &c.

Viſitatio eccleſiarum exemptarum.

Mandati igitur hujus executores vehementiùs, & ſecùs quàm deceret, ſe primò in Abbatiam ſancti Auguſtini Cantuarienſis ingerentes; ſéque ſupra ſe incompoſitè efferentes, præcipuè Abbas de Boxle, adeò Monachos perterruerunt, quòd ad remedium appellationis coram præſentia domini Papæ neceſſariò confugerunt: & Romam profecti, conſumpto labore & effuſa pecunia, alios viſitatores impetrârunt. Similiter & illi de Weſtmonaſterio. & illi de S. Ædmundo: quorum Abbas piæ memoriæ Richardus, cognomento de Inſula,

1233. genere clarus, ſed moribus clarior; dum ut parceret expenſis, in partibus commorans tranſmarinis, viam ingreſſus eſt carnis univerſæ. Abbas verò ſancti *Albani* & Conventus, privilegiorum eminentiis, quibus inſignita eſt eccleſia beati *Albani Anglorum* Protomartyris, innitentes; inducias ſemel & iterum petierunt. Interim piæ memoriæ *Willielmus*, Abbas ejuſdem domus, ſicut ſuo loco & tempore dicetur; in damnum magnum & ruinam eccleſiæ ſuæ, naturæ debitum perſolvit mortalibus diffinitum. Eodem anno, *Rogerus Londinenſis* Epiſcopus, accuſatus inter alios de conſenſu diſtractionis frugum clericorum *Romanorum*; profectus eſt ad ſedem Apoſtolicam, ut ſuam ibi innocentiam purgaret. Qui poſt multos labores, & ſpoliationem obiter & emunctionem loculorum in curia domum remeavit.

Rex Anglorum miniſtros ſuos naturales à curia ſua removit.

ANNO Domini M.CCXXXIII. Rex *Anglorum Henricus*, anno regni ſui decimo ſeptimo, tenuit curiam ſuam ad natale apud *Vigorniam*: ubi (ut dicitur) de conſilio *Petri Wintonienſis* Epiſcopi, omnes naturales curiæ ſuæ miniſtros à ſuis removit officiis; & *Pictavenſes* extraneos in eorum miniſteriis ſubrogavit. *Willielmum* quoque de *Rodune* militem expulit, qui in curia Regis vices gerebat *Richardi* magni* *Mareſchalli*; quod idem *Richardus* nimis moleſtè tulit. *Walterum* quoquè *Karleolenſem* Epiſcopum, idem Rex, per conſilium prædictum, ab officio Theſaurarii priùs expellens, centum libras argenti ab eo cepit; & cuſtodias quaſdam, quas ei per chartam ſuam confirmaverat dum viveret, contumelioſè ſubtraxit. Conſiliarios autem ſuos omnes, tam epiſcopos quàm Comites, ac Barones, & quoſque de regno ſuo nobiles, ita præcipitanter abjecit; quòd nulli credebat, niſi Epiſcopo memorato, & charo ſuo *Petro* de *Rivallis*: unde factum eſt, quòd expulſis caſtrorum cuſtodibus per totam *Angliam*, Rex omnia ſub ipſius *Petri* cuſtodia commendaret. Tunc *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus, ut Regis favorem liberiùs obtineret, attraxit in ſuum conſortium *Stephanum* de *Segrave*, virum flexibilem, & *Robertum Paſſeleve*; qui ſub *Petro* de *Rivallis* theſauros Regis ſervabat: & ſic contigit, ut illorum conſilio & arbitrio univerſa regni negotia ordinaret. At Rex, invitatis *Pictavenſibus* & *Britenibus* tranſmarinis; qui gentes & lucro avidiſſimè inhiantes; venerunt ad duo millia cum equis & armis milites & ſervientes: quos in ſuo retinens obſequio, poſuit in præſidio caſtrorum regni, in locis diverſis: qui homines *Angliæ* naturales & nobiles totis viribus opprimebant, proditores eos vocabant, quos etiam de proditione apud Regem accuſabant. Quorum mendaciis Rex ſimplex fidem adhibens, tradidit cuſtodias Comitatuum & Baroniarum cum juvenibus nobilibus & puellis generoſis. Horum autem utrumque ſexum turpiter degenerabant, cùm ignobiliter maritabant. Theſaurorum etiam ſuorum Rex eis cuſtodias cum legibus patriis & judiciis commiſit. Quid plura? Judicia committuntur injuſtis, leges exlegibus, pax diſcordantibus, juſtitia injurioſis. Et cùm nobiles in regno & de regno de oppreſſionibus ſibi irrogatis coram Rege cauſam deponerent; Epiſcopo impediente prædicto, non fuit qui eis juſtitiam exhiberet. Epiſcopos etiam quoſdam *Angliæ* idem Epiſcopus ita apud Regem accuſabat; quòd eoſdem quaſi hoſtes publicos devitaret.

Mareſchallus Regem increpat.

CUMQUE his & conſimilibus injuriis, *Richardus* Comes, regni Mareſchallus, vidêret tam nobiles quàm ignobiles opprimere, & jura regni penitùs deperire, zelo juſtitiæ provocatus; aſſociatis ſibi quibuſdam Magnatibus, ad Regem audacter acceſſit: increpans eum audientibus multis, quòd per pravum conſilium advocaverat extraneos *Pictavienſes*, in oppreſſionem regni & hominum ſuorum de regno naturalium, legum pariter ac libertatum. Unde Regem humiliter rogabat, ut tales exceſſus corrigere feſtinaret, quos coronæ ſuæ & regni ſui ſubverſio imminebat. Affirmabat inſuper, quòd ſi hoc emendare diffugeret, ipſe & cæteri de regno Magnates, tam diu ſe ab ipſius conſilio ſubtraherent, quàm diu alienigenarum conſortio frueretur. Ad hæc autem reſpondens *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus, dixit, quòd benè licuit domino Regi extraneos quoſcunque vellet vocare ad defenſionem regni ſui & coronæ: & etiam tot & tales, qui poſſent homines ejus ſuperbos & rebelles ad debitum compellere famulatum. Comes verò *Mareſcallus* & cæteri Magnates perturbati à curia recedentes, cùm aliud non poterant habere reſponſum: firmiter promiſerunt ad invicem, quòd pro hac cauſa quæ omnes tangebat, uſque ad diviſionem corporis & animæ, viriliter decertarent.

De tonitru hyemali.

EODEM anno, decimo Cal. Aprilis, audita ſunt tonitrua terribilia; & ſequuta eſt per totam æſtatem tanta pluviarum inundatio, quòd ubique vivaria confregit, & ſtagna atque molendina per univerſam ferè *Angliam* à ſuis ſedibus violenter evulſit. Nempè in campis arabilibus fructiferis, in partibus diverſis, & aliis inſolitis locis, proruperunt fontes per rivulos diſcurrentes: ex quibus aqua inter fruges ſtans, ad modum ſtagni collecta, admirantibus multis, piſces produxit fluviales. Molendina etiam nova in ſtationibus & ſedibus fiebant diverſis; ubi nunquam anteà viſa fuerunt.

Signum viſum in cœlo.

EODEM quoque tempore, ſexto ſcilicet Idus Aprilis, circa horam diei primam, in finibus *Herefordiæ* & *Vigorniæ*, apparuerunt in cœlo quatuor Soles adulterini, præter Solem naturalem, rubei coloris; quidam magnus circulus cryſtallini coloris, latitudine quaſi bipedali, amplitudine cingens quaſi totam *Angliam*; à cujus lateribus exibant ſemicirculi, in quorum ſectionibus apparuerunt illi quatuor Soles memorati; verò Sole exiſtente in plaga Orientali,

Orientali, & aëre puriſſimo. Et quoniam non poteſt illud prodigiale portentum verbis deſcribi, ſigno demonſtrativo figuratur; ipſo cœlo ſic circinato exiſtente exẽmplari immediatè, multi ſimilitudinem rei ſic apparentis pinxerunt, propter rei novitatem admirandam. Hæc viſio multis apparuit, ex quibus unus fuit *Johannes* Epiſcopus *Herefortenſis*; qui figuras coram ſe non feſtinanter, ſed ſpatio ſufficienti, fecit circinari; per manum capellani ſui nimis perſpicacis & ingenioſi; domini ſcilicet *Willielmi* Canonici. Et ad idem inſolitum ſpectaculum, aſtitit *Johannes* de *Munemue*, & alii innumerabiles: qui de tam incredibili miraculo, teſtimonium perhibent veritati; & verum eſt eorum teſtimonium. Sequuta eſt autem eodem anno, in partibus illis guerra crudelis; ſtrages, & humani ſanguinis effuſio terribilis: & per totam *Angliam*, *Walliam*, & *Hyberniam* perturbatio generalis. Circa idem denique tempus, menſe Junio, in parte Auſtrali *Angliæ*, viſi ſunt à multis ſecus maris litus immaniſſimi duo dracones in aëre præliantes; & poſt diutinam pugnam, unus alterum ſuperavit; & fugatum uſque in profundum abyſſi inſequutus eſt: nec ampliùs apparuerunt. 1233.



Signum in cælo admirabile, viſum in Anglia, *Anno Domini* M.CCXXXIII. *ſexto Idus Aprilis, regni verò* Henrici III. *anno xvii. Duravit ab ortu Solis uſque ad meridiem.*

Per idem tempus caſſatus eſt magiſter *Johannes Blundus Cantuarienſis* electus. Divulgatum quidem erat *Romæ*, quòd poſt electionem ſuam acceperat ex dono *Petri Wintonienſis* Epiſcopi mille marcas argenti; præter alias mille marcas, quas eidem *Johanni* crediderat, ut promoveretur: unde conſtat manifeſtè quòd magis ei nocuit quàm profuit familiaritas Epiſcopi memorati. Scripſit etiam idem Epiſcopus Imperatori, ut ſuas partes interponeret circa promotionem prædicti *Johannis* versùs Papam: unde Papa perpendens notam ſymoniæ & ambitionis, dixit in corde ſuo illud *Ovidianum*: *Caſſatio Johannis Cantuarienſis electi.*

Et ſtricto ſupplicat enſe potens.

Unde cor domini Papæ non erat benè cum eo. Præterea confeſſus fuerat *Romæ* idem *Johannes*, ut dicitur, quòd duo habebat beneficia; quibus cura annexa fuit animarum, contra ſtatuta Concilii generalis; qua præſumptione, quia carebat diſpenſatione, creditur reprobatus; licèt allegatum fuerit contrà, quod ea poſſederat ante concilium. Sed quoniam jam caſſatis tribus eccleſiæ *Cantuarienſis* electis, præfata fuit diu eccleſia à paſtore viduata, ſimilis facta *Saræ* uxori *Tobiæ* & filiæ *Raguelis*, tot viris viduatæ, dedit monachis, qui cum electo caſſato venerant, poteſtatem eligendi magiſtrum *Ædmundum* eccleſiæ *Sariſberienſis* Canonicum; virum honeſtæ converſationis, & benè literatum, in paſtorem animarum ſuarum. Cui etiam pallium tranſmiſit; ne tanta ſedes Metropolitana à Paſtore diutiùs fruſtraretur. Monachi verò nec ipſum nec alium quemlibet; niſi de conſenſu Conventus ſui recipere decreverunt.

Circa dies iſtos, cùm *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus, & complices ipſius, in odium gentis *Anglorum* pariter & contemptum, cor Regis ita immutabiliter perverterant; ut eorum exterminium modis omnibus moliretur, invitavit paulatim tot *Pictavienſium* legiones, quòd totam ferè *Angliam* repleverunt; quorum Rex agminibus quocunque pergebat, vallatus inceſſit. Nec quicquam fiebat in regno, niſi quod *Wintonienſis* Epiſcopus, & *Pictavenſium* turba, diſponebant. Tunc Rex miſſis literis ſuis, vocavit omnes de regno Comites & Barones ad colloquium; ut venirent apud *Oxoniam* ad feſtum ſancti *Johannis*. Sed ipſi noluerunt ad ejus mandatum venire: tum propter inſidias alienigenarum, tum propter indignationem, quam conceperant adversùs Regem; qui extraneos ob eorundem Baronum vocavit contemptum. Et cùm hoc Regi per nuncios ſolennes denunciaſſent, iratus eſt vehementer: & judicialiter juſſit diffiniri, quo ordine debeat eos compellere, ad ſuam curiam convenire. Tunc decretum eſt per judicium, ut ſecundò & tertiò vocentur à Rege; ut probet, ſi venire velint, an non. In hoc autem colloquio frater quidam *Robertus Bacum*, de ordine Prædicatorum, qui coram Rege & quibuſdam Epiſcopis præſentibus verbum Dei prædicaret; libra voce Regi patenter dixit; quòd nunquam diuturna pace frueretur, niſi *Petrum Wintonienſem* Epiſcopum, & *Petrum* de *Rivallis* filium ejus [aut conſanguineum] à conſiliis ſuis amoveret. Cúmque alii, qui aderant, id ipſum proteſtarentur; Rex aliquantulùm in ſeipſo ſe recolligens, cor ſuum rationi inclinavit, & cùm ſic videret eum mitigatum, quidam clericus de curia, ſcilicet *Rogerus Bacum*, jocundus in ſermone, jucundè ac lepidè, Cynicè tamen reprehendens, ait: Domine mi Rex, quid plùs nocet trans fretum navigantibus, aut quid plùs terret? At Rex: Noverunt facientes operationes in aquis multis. At clericus: Domine, dicam: *Petræ* & *Rupes*. Ac diceretur: *Petrus* de *Rupibus*. Hoc enim erat nomen Epiſcopi *Wintonienſis* cum tali cognomento. Significavit ergo Rex Magnatibus *Diſcordia inter Regem Angliæ & Magnates Regni.*

1233. natibus memoratis, ut venirent apud *Weſtmonaſterium*, quinto Idus Julii, ad colloquium: & ibi per eorum conſilium emendaret, quicquid de jure noverat corrigendum. Sed cùm audiſſent Magnates præfati, quòd paulatim applicuerunt in Regno prædones multi, cum equis & armis à Rege invitati; cùm nullum pacis vidiſſent veſtigium; ſuſpectas habentes *Pictavienſium* innatas verſutias, ſuperſederunt ad diem ſibi ſtatutum venire: denunciantes Regi per nuncios ſolennes, quatenùs omni dilatione remota, ejiceret *Petrum Wintonienſem* Epiſcopum & cæteros *Pictavienſes* de curia ſua. Sin autem nollet, ipſi omnes de communi conſilio totius Regni, ipſum cum iniquis Conſiliariis ſuis à Regno depellerent: & de novo Rege creando, contractarent.

Rex quoſdam nobiles relegat à curia.

HIS ita geſtis, Rex animo conſternatus eſt vehementer, & ejus curia tota; vultum demittentes, & non mediocriter metuentes, ne fieret error filii, patris errore deterior; quem homines ſui de faſtigio regni deponere ſatagentes, ad illud nomen, quod ei per quoddam præſagium datum eſt, ſcilicet *Johannes Extorris*, ferè detruſerunt. Tunc *Petrus* ſæpe dictus Epiſcopus conſilium Regi dedit, ut arma moveret contra rebelles homines ſuos, & caſtella corundem ac terras *Pictavienſibus* conferret, qui Regnum *Angliæ* à ſuis proditoribus tuerentur: jactitans ſe arduum & non ſcurrile velle & ſcire dare conſilium, utpote qui aliquando conſilium in partibus Orientalibus rexit Imperiale; & quòd tam *Saracenis* quàm aliis nationibus erat prudentia ejus formidabilis. Rex autem in partem jam reverſus deteriorem, inprimis iram conceptam in *Gilebertum Baſſet* virum nobilem retorquens, ſpoliavit eum à quodam manerio, quod ex dono *Johannis* Regis acceperat: qui cùm à Rege quod ejus ſuum erat repeteret, vocavit eum proditorem; comminans, quod niſi à curia ſua recederet, ſuſpendio puniretur. *Richardum* quoque *Sward*, militem ſtrenuum, qui ejuſdem *Gileberti* ſororem (aut neptem) habuit ſibi matrimonio copulatam; ſine ipſius licentia, ut dicebat, juſſit Rex capi & captum ſibi præſentari. Alios quidem omnes de regno nobiles & potentes ſuſpectos habens, obſides exegit ab eis ſignificans univerſis per literas ſuas quatenùs infra Calendas Auguſti tot & tales ſibi obſides præſentarent, quibus ab ejus animo omnem rebellionis ſuſpicionem auferrent.

Mareſchallus præmonetur de proditione.

CUMQUE Comites ac Barones *Angliæ* in magno militiæ apparatu *Londonias* tenderent, ad colloquium Calendis Auguſti ſibi præfinitis: *Richardus* Comes *Mareſchallus*, cum cæteris veniri proponens, hoſpitatus eſt cum ſorore ſua *Iſabella*, uxore ſcilicet *Richardi* fratris Regis. Quæ cum fratrem interrogâſſet, quò iter haberet: reſpondit ille, quòd ad colloquium apud *Weſtmonaſterium* conſtitutum venire feſtinaret. Cui illa: Noveris, frater chariſſime, quòd paratæ ſunt tibi inſidiæ, ſi venias, ut capiaris ab inimicis tuis; qui te Regi & Epiſcopo *Wintonienſi* præſentabunt, ut de te faciat, ſicut de *Huberto* Comite *Cantiæ* fecerunt. *Mareſchallus* verò vix credere conſenſit verbis fœmineis, erat enim vir nobilis pectoris; quouſq; modum captionis & à quo caperetur probabilibus argumentis oſtendiſſet mulier. At Comes *Mareſchallus* tunc primò dictis ſororis ſuæ fidem adhibens, nocte ſuperveniente iter arripuit; nec priùs frænum cohibuit, donec in *Walliam* feſtinus viator pervenit. Venerunt autem ad colloquium prædictum, Comes *Ceſtriæ*, Comes *Lincolniæ*, Comes de *Ferrariis*, & Comes *Richardus* frater Regis; cum aliis Comitibus & Baronibus multis. Sed nihil ibi actum fuit, propter abſentiam Comitis *Mareſchalli*, & *Gileberti Baſſet*, & quorundam aliorum abſentiam Magnatum. Unde Rex, per conſilium Epiſcopi *Wintonienſis* & *Stephani* de *Segrave*, fecit invitare per literas omnes de regno Magnates, qui ſibi ad militare ſervitium tenebantur: ut venirent apud *Gloverniam* cum equis & armis, die Dominica ante aſſumptionem beatæ *Mariæ*. Sed *Richardus Mareſchallus*, & alii multi, qui fuerant confederati, cùm venire noluiſſent ad diem ſtatutum; fecit Rex ac ſi proditores eſſent, villas eorum concremari, parcos & vivaria eorum deſtruere, caſtella obſidione vallare. Erant autem viri nobiles qui confœderati dicebantur, Comes ſcilicet *Mareſchallus* miles incomparabilis, *Gilebertus Baſſet*, & fratres ejus, viri bellatores & nobiles, *Richardus Sward*, vir Martius ab adoleſcentia, *Walterus* de *Clifordis*, miles electus; cum aliis multis non ignobilibus ſibi coadhærentibus. Quos omnes Rex *Angliæ Henricus*, abſque judicio curiæ ſuæ & parium ſuorum, exules & proſcriptos denunciari fecit, terras eorum *Pictavenſibus* dedit: addens dolorem ſuper dolorem, vulnera imprimendo vulneribus. Præcepitque ut eorum corpora caperentur, ubicunque in regno invenirentur.

Epiſcopus Wintonienſis quoſdam confœderatos Mareſchalli muneribus corrumpit.

TUNC *Petrus Wintonienſis*, qui vires Comitis *Mareſchalli* & confœderatorum ſuorum infirmare modis omnibus conabatur; Comites *Ceſtriæ* & *Lincolniæ*, datis mille marcis, corrupit: ut relicto *Mareſcallo*, & cauſa juſtitiæ, ad Regem eos retrò reſpicientes retorqueret, & partes ejus foverent. Nam *Richardus* frater Regis, diu antè ad Regem reverſus erat, qui *Mareſchallo* priùs adhærebat. Hæc cùm *Mareſchallus* cognoviſſet, confederatus eſt *Leolino* Principi *Walliæ*, & aliis proceribus regionis illius; interpoſito juramento, quod nullus eorum ſine altero concordaret. Tunc in craſtino beatæ *Mariæ* applicuerunt apud *Doveram* viri armati multi ex regionibus tranſmarinis venientes; & ex *Flandria Baldewinus* de *Gyſnes*, cum ſua cuſtodia, & ad Regem apud *Gloverniam* pervenerunt. At Rex illorum & aliorum multorum vallatus catervis, ad *Herefordenſem* urbem ſuum exercitum promovit numeroſum.

numeroſum. Hoc anno mortuus eſt *Warinus Baſſet*, in obſidione & inſultu caſtri de *Kaerdif*. 1233.

PER idem tempus, *Walterus Karleolenſis* Epiſcopus, quibuſdam injuriis à Rege ſibi, ut dicebat, illatis; apud *Doverum* navem erat ingreſſus, ut transfretaret. Supervenerunt autem quidam miniſtri Regis, ejicientes eum cum ſuis omnibus de navi: & firmiter ex parte ipſius Regis prohibebant, ne abſque illius licentia de regno exiret. Applicuit autem tempore quo hæc facta erant ibidem, *Rogerus Londinenſis* Epiſcopus à curia *Romana* reverſus: qui videns injuriam, quæ præfato inferebatur Epiſcopo, excommunicavit omnes qui in eum manus injecerant violentas. Et inde profectus ad Regem, invenit eum apud urbem *Herefordenſem* in *Wallia* cum exercitu copioſo. Ubi in præſentia Regis & quorundam Epiſcoporum, de violentia *Karleolenſi* Epiſcopo illata, ſupradictam excommunicationis ſententiam innovavit: non mediocriter Rege murmurante, & ne talem ferret ſententiam prohibente. Cum quo etiam omnes qui affuerunt Epiſcopi, illos excommunicaverunt univerſos, qui hujus perturbationis occaſionem præſtabant.

Injuria Waltero Karleolenſi Epiſcopo illata.

ET his ita geſtis, Rex de conſilio Epiſcopi *Wintonienſis*, *Mareſchallum* diffidavit per Epiſcopum Menevenſem; & ſic juſſit contra eum arma movere, & ejus caſtella obſidere. Ingreſſus igitur Rex terram Comitis *Mareſchalli*, obſedit quoddam caſtellum ipſius. Sed cùm per dies plurimos illud graviter impugnaſſet, & parùm vel nihil profeciſſet; deficientibus exercitui alimentis, cùm obſidionem ſolvere oportebat, puduit Regem illùc veniſſe: unde miſſis quibuſdam Epiſcopis ad Comitem *Mareſchallum*, exegit ab eo, quatenùs propter honorem ipſius Regis, ne videretur caſtellum inaniter obſediſſe, illud tali ſibi conventione redderet: ut infra dies quindecim illud integrum ipſi reſtitueret *Mareſchallo*, atque omnia quæ in regno erant corrigenda, interim per conſilium Epiſcoporum, qui ſuper his fidejuſſores fuerant, emendaret. Et ad hoc perficiendum, conſtituit Rex diem ipſi *Mareſchallo* ac cæteris exulibus, Dominica proxima poſt feſtum ſancti *Michaëlis*, apud *Weſtmonaſterium*: & ſic redditum eſt regi caſtellum obſidione ſoluta.

Rex Anglorum diffidat Mareſchallum, & *quoddam caſtellum illius obſidet.*

CIRCA dies iſtos, *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus, qui modis omnibus in mortem *Huberti* de *Burgo* aſpirabat, qui in caſtro de *Diviſis* in vinculis tenebatur; nulla de *Huberto* mentione facta, Regem rogavit attentiùs, ut concederet ſibi caſtri cuſtodiam memorati: hac occaſione ductus, ut copiam haberet illum (ut dicitur) perimendi. Sed *Hubertus* de his omnibus ab amicis ſuis, qui in curia Regis erant, præmonitus; duobus miniſtris, qui ei in illius caſtri præſidio ſerviebant, hoc conſilium revelavit: qui ipſius miſeriæ compatientes, ſollicitè cogitabant, qualiter illum à mortis diſcrimine liberarent. Conſiderata igitur temporis opportunitate, dormientibus caſtelli cuſtodibus, unus eorum, altero explorante; in prima noctis hora, in S. *Michaëlis* vigilia, præfatum *Hubertum* in humeris arripuit compeditum; & de turri clam cuſtodibus deſcendens, & pium furtum ferens, latitudinem caſtelli, *facto pius & ſceleratus eodem*, pertranſiit. Veniénſque ad majorem portam, per oſtium exivit, & ſic quoddam ingens foſſatum, licèt cum difficultate tranſcendens, ad eccleſiam villæ parochialem impiger viator conſcendit: nec ſarcinam priùs depoſuit, quàm ad majus altare lætus pervenit. Juvenes verò qui *Hubertum* liberaverant, ab eo recedere nolentes, pro laude ſibi futurorum reputabant & mercede cœleſti; ſi pro tanti viri liberatione mortem incurrerent temporalem.

Liberatio Huberti *de* Burgo.

EVIGILANTIBUS intereà caſtellanis, cùm *Hubertum* in loco non reperiunt conſueto, perturbati ſunt valdè: & catervatim exeuntes de caſtro cum laternis & fuſtibus & armis, omnia quærendo perluſtrabant, donec à referentibus audierunt, *Hubertum* eſſe in eccleſia compedibus liberatum. Quò cum tumultu concurrentes, invenerunt eum ante altare crucem Dominicam manibus bajulantem. Quem atrociter arripientes, & fuſtibus pariter ac pugnis impiè cædentes & pellentes, cum duobus liberatoribus ſuis illum ad caſtellum raptim reducunt; & graviori quàm priùs cuſtodiæ committunt. Sed res geſta cùm ad aures *Roberti Sariſberienſis* Epiſcopi perveniſſet, venit celeriter ad caſtellum; præcipiens ipſis Eccleſiæ violatoribus, ut *Hubertum* ad pacem eccleſiæ quantociùs reductum, in illo ſtatu quo illum invenerant, dimitterent abſolutum. Sed caſtellani tumultuosè ſatis Epiſcopo reſpondentes; dixerunt, ſe malle quòd *Hubertus* ſuſpenderetur, quàm ipſi. Et cùm illum reducere noluiſſent, Epiſcopus de commiſſa ſibi poteſtate, omnes nominatim excommunicavit qui eum detinebant, & qui in eum manus injecerant violentas. Tunc Epiſcopus ille, conjuncto ſibi *Rogero Londinenſi* Epiſcopo, & quibuſdam aliis Epiſcopis, venit ad Regem, ſuper injuria *Huberto* illata coram eo querelam deponens; nec priùs ab eo receſſit, quàm *Huberti* liberationem impetravit: & ſic in eccleſia concedente, ſed invito Rege, remiſſus eſt decimo quinto Calend. Novembris. Sed Rex iratus, Vicecomiti provinciæ illius dedit per literas in mandatis, ut eccleſiam obſideret; donec *Hubertus* in ea ex ciborum inedia moreretur.

Hubertus *violenter ab eccleſia extrahitur.*

PER idem tempus, elapſis quindecim diebus, poſtquàm Comes *Mareſchallus* Regi caſtellum ſuum tradiderat, ut prædictum eſt, ut ſibi redderet repetenti, miſit ad Regem termino evoluto; rogans, ut juxta pactum reſtitueret ſibi caſtrum ſuum, de quo fidejuſſores conſtituerat Epiſcopum *Wintonienſem* & *Stephanum* de *Segrave*; qui tunc vices Juſtitiarii gerebat

Mareſchallus *caſtellum occupat quod Regi tradiderat.*

1233. gerebat ſub Rege, quod etiam firmaverant interpoſito juramento. Rex autem cum indignatione reſpondit, quòd illud non redderet, ſed alia potiùs ejus caſtella ſibi ſubjugaret. Sed idem *Mareſchallus*, cùm neque fidem, neque juramentum vel pacem aliquam viderat à Regis Conſiliariis obſervari, collegit exercitum copioſum; & caſtellum quod ſuum fuerat, obſidione vallavit, machinas per gyrum abhibuit, & municipium illud levi negocio ſibi ſubjugavit. Erat intereà Rex apud *Weſtmonaſterium* ad colloquium, ſeptimo Idus Octobris, ſicut Magnatibus promiſerat; ut per eorum conſilium emendaret ea, quæ in regno fuerant corrigenda: ſed iniquum, quod tunc ſequebatur, conſilium, id fieri non permiſit. Plures autem qui præſentes erant, Regem humiliter rogabant in domino, quatenùs pacem faceret cum Baronibus ſuis & nobilibus. Et aliæ favorabiles perſonæ (utpote fratres *Prædicatores* & *Minores*, quos Rex ſolitò venerabatur & exaudivit) eum attentiùs hortabantur; ut ipſe debita dilectione homines ſuos naturales ſtuderet amplexari: quos abſque judicio Parium ſuorum coëgerat exulare extorres, villas eorum cremaverat, ſylvas & pomaria ſucciderat, & ſtagna deſtruxerat; & malorum malo ductus & ſeductus conſilio, fideles ſuos, quos ſanguis nativus flecti non permitteret, pro aliis ventilatis poſtponit. Et quod pejus eſt, proditores vocat; per quos pacem regni ſui & conſilia ordinare, & negotia diſponere debebat. Ad hæc reſpondens *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus, dixit, quod non ſunt Pares in *Anglia*, ſicut in regno *Francorum*: unde licet Regi *Anglorum* per Juſtitiarios, quos conſtituerit, quoſlibet de regno reos proſcribere, & mediante judicio condemnare. Epiſcopi verò hæc audientes, quaſi una voce comminabantur, quòd nominatim excommunicarent principales Regis Conſiliarios iniquos. Ex quibus in capite expreſſerunt, *Petrum Wintonienſem* Epiſcopum, & filium ejus, aut conſanguineum, *Petrum* de *Rivallis*, *Stephanum* de *Segrave* Juſtitiarium, & *Robertum Paſſeleuve* Theſaurarium. Quibus reſpondens *Petrus Wintonienſis*, allegavit quòd *Romæ* fuerat à ſummo Pontifice Epiſcopus conſecratus, & inde ex eorum poteſtate exemptus: unde ne in eum ferrent ſententiam, ſedem Apoſtolicam appellavit. Tunc Epiſcopi omnes illos excommunicaverunt, qui animum Regis immutaverant vel immutarent in odium naturalium hominum ſuorum de regno; & omnes qui perturbarent pacem regni.

Rex Anglorum exercitum colligit contra Mareſchallum & ſuos confœderatos.

IN hoc colloquio venerunt nuncii ad Regem, dicentes, quòd Comes *Mareſchallus* ceperat caſtellum ſuum in *Wallia*; & quoſdam ex militibus ſuis ibidem interfecerat & de miniſtris. Hæc audiens Rex, perturbatus eſt valdè; & præcepit Epiſcopis cunctis, ut *Mareſchallum* nominatim excommunicarent, qui caſtrum occupaverat memoratum. Sed illi è contrà communiter dixerunt, indignum eſſe illum excommunicare; quia caſtellum quod ſuum fuit, in jus ſuum aſſumptum occupavit. Tunc Rex perturbatus, miſit literas in omnes *Angliæ* fines; præcipiens cunctis, qui ſibi ad militare ſervitium tenebantur, quatenùs in craſtino feſtivitatis omnium Sanctorum apud *Gloverniam* cum equis & armis convenirent, quò ipſe vellet conducere, perfecturi. Per idem tempus, *Hubertus* de *Burgo* quondam *Angliæ* Juſtitiarius, raptus eſt ab eccleſia de *Diviſis* à viris armatis, amicis ſuis; ubi militaribus armis decenter indutus, circa horam diei primam in *Walliam* adductus eſt, ac Regis hoſtibus ſociatus, tertio Calend. Novembris.

Exules Angliæ invadunt exercitum Regis apud Groſmund.

CIRCA eoſdem dies, cùm Rex *Anglorum* apud *Gloverniam* copioſum collegiſſet exercitum, versùs *Herefordiam* in *Walliis* legiones promovit: & inde terram ingreſſus *Mareſchalli*, ad ipſius exhæredationem & corporis captionem modis omnibus anhelabat. Sed ille, ut bellator providus, ante Regis adventum armenta ſubtraxerat & victualia. Unde Rex pro alimentorum defectu moram ibi facere non valens, ad caſtellum de *Groſmund* cum exercitu ſuo divertit. Ubi cùm per dies aliquot moram pertraxiſſet, *Mareſchallus* & ejus confœderati cum proſcriptis ab *Anglia* & relegatis; miſſis exploratoribus, cognoverunt Regem infra caſtelli ambitum pernoctare, & majorem partem exercitus in tentoriis excubias celebrare. Tunc omnis multitudo, præter *Mareſchallum*, qui Regem invadere noluit, cum *Wallenſibus* & exercitu copioſo, in die ſancti *Martini* poſt crepuſculum illùc properantes, & illos qui in tentoriis ſoporati jacebant, invadentes, equos plus quàm quingentos, cum clitellis & ſpoliis ac ſupellectili univerſa occupârunt: fugientibus cæteris ferè nudis quò impetus quemque rapiebat. Nec ex eis quenquam lædere vel captum abducere voluerunt victores illi; præter duos milites, qui indiſcretè rebellantes, potiùs à ſemetipſis quàm ab aliis ſunt interfecti. Ceperunt ergo bigas & vehicula cuncta, quibus pecunia & victualia ferebantur & arma: atque ſarcinis benè diſpoſitis, ad tuta latibula ſunt reverſi. Hujus autem rei teſtes ſunt, *Petrus Wintonienſis*, *Radulphus Cicestrenſis* Epiſcopi, *Stephanus* de *Segrave*, Regis juſtitiarius, *Petrus* de *Rivallis* Theſaurarius, *Hugo Bigod* Comes de *Northfolc*, *Willielmus* Comes *Sarisberienſis*, *Willielmus* de *Bello campo*, *Willielmus* de *Albinio* junior, & alii multi: qui quaſi ſpoliati à veſpilionibus in compitis fugientes, omnia ſua illùc delata amiſerunt. Unde factum eſt, quòd multi de exercitu Regis, & illi præcipuè qui equos & arma & pecuniam, necnon & ſtratilectilia cum viaticis amiſerant recedentes, cum maxima confuſione ſunt reverſi. Tunc Rex, qui quaſi ſolus inter hoſtes remanſerat, poſuit in caſtris *Walliæ* ruptarios *Pictavenſes*, qui impetum reprimerent inimicorum ſuorum: & conſtituit principes illius militiæ viros nobiles, *Johannem Monemutenſem*, & *Radulphum* de *Thœnio*; cui

etiam

1233.

etiam reddit caſtellum *Matildis*, quod antiquitùs ſui juris erat. Et his ita geſtis, Rex *Glovorniam* eſt reverſus. Eodem tempore, in principio menſis Novembris, audita ſunt tonitrua, horribiles coruſcationes emittentia per dies plurimos, quod dirum omen ſolet ſignificare. Unde dici ſolet in antiquo ruſticorum proverbio: quia *mulier non debet lugere morte n mariti vel filiorum ſuorum, ſed potius tonitrum hyemale; quia frequenter aut famem aut mortalitatem vel tale aliquid denunciat affuturum.*

Gravis conflictus inter Mareſchallum & quoſdam tranſmarinos.

EODEM tempore, cum Comes *Mareſchallus*, terras hoſtium ſuorum ingreſſus, prædas ageret, & armenta contraheret, venit caſu ad oppidum *Monemutenſe*, quod erat ſibi contrarium: ubi jubens exercitum ſuum procedere ad expeditionem inchoatam, cum centum ſociis equitibus ad caſtellum divertit, ut ſitum ejus exploraret, quod poſt dies paucos propoſuit obſidere. Qui cùm oppidum circuiret, conſpexit eum *Baldewinus* de *Gyſnes*, *Flandrenſis* natione, miles ſtrenuus, quem Rex ſuis vocavit & tenuit ſtipendiis, & eidem illud caſtellum commiſerat cuſtodiendum cum *Pictavienſibus* & *Flandrenſibus* quamplurimis: Et intelligens quò *Mareſchallus* erat, quem vidit caſtellum cum paucis explorare, erupit, impetum faciens vehementem, cum multis viris fortiſſimis, & eleganter armatis: cupiens nomine famoſo perpetuè intitulari: & rapido equorum curſu ad illum tendens, captum cum ſuis omnibus in oppidum detrudere cogitabat. Videntes autem commilitones Comitis *Mareſchalli*, hoſtes cum impetu advenire, dederunt ei conſilium, ut ſibi per fugam conſuleret; inconſultum dicentes & temerarium, cum paucis armatis comitatum, cum tot hoſtibus dimicare. Quibus reſpondens *Mareſchallus*, dixit, ſe nunquam eatenùs in prælio hoſtibus terga dediſſe; nec ſe modò id affirmat incepturum. Exhortatur igitur omnes, ut viriliter defenſioni vacantes, hoſtiles impetus conentur propulſare. At caſtellani interim in eos fortiter irruentes, cum gladiis & lanceis rem ſtrenuè agebant. Fit graviſſimus utrobique conflictus, ſed nimis inæqualis, dum centum ſolummodò viri, mille adverſarios multo diei ſpacio ſuſtinebant. *Baldewinus* verò de *Gyſnes* tandem, aſſociatis ſibi duodecim bellatoribus fortiſſimis, impetum faciens in Comitem *Mareſchallum*, voluit ipſum ſub captione concluſum, vivum perducere ad caſtellum. Sed ille hoſtes non permiſit propiùs accedere, gladium vibrans à dextris & à ſiniſtris, eum frequenter hoſtili ſanguine inebriavit; & ſic ſolus contra duodecim, & illi contra ſolum diutiùs dimicabant. Sed demùm, cùm ad eum accedere non auderent, cum lanceis equum cui inſidebat, peremerunt. Sed ille, qui doctus & inſtructus erat in præliis *Gallicanis*, militem quendam ſibi magis importunum, per pedem arripuit fortiter, & revolvit viriliter. Quem cùm in terram proſtraviſſet, equum ipſius agili ſaltu conſcendit, & iterùm acriori vacavit defenſioni. Tunc *Baldewinus*, miles bellicoſus, indignè ferens quòd *Mareſchallus* contra tot adverſarios ſeſe tamdiu defendebat, irruit potenter in eum; & arrepta galea ipſius de capite ejus, eam ita truculenter avulſit, quòd ſanguis ex ore ejus & naribus emanavit. Et arripiens per frænum equum illius, cœpit ſeſſorem trahere versùs caſtellum, aliis à tergo illum impellentibus. Tunc ille, tanquam in arcto poſitus, enſem in gyrum vibrando, ictus importabiles hoſtibus imprimens, duos ex illis in terram proſtravit attonitos: ſed nec ſic ſeſe ob eorum manibus liberavit. Videns autem baliſtarius quidam ipſius *Mareſchalli*, dominum ſuum in periculo conſtitutum, de baliſta ſpiculum emiſit, & percutiens in pectore *Baldewinum*, qui *Mareſchallum* abducebat, armis non obſtantibus illum perforavit. Qui corruens in terram, credidit ſe lethaliter vulneratum. At ſodales *Baldewini*, hoc viſo, *Mareſchallum* relinquentes, dominum in terra jacentem erexerunt; quem quaſi ſeminecem vel magis mortuum reputabant.

Strages facta à Mareſchallo *apud caſtrum Monamuttenſe.*

ET dum hæc agerentur ibidem, nunciatum eſt exercitui ipſius *Mareſchalli*, quæ facta fuerant de illo: & venientes cum feſtinatione in auxilium ejus, hoſtes quantociùs compulerunt in fugam. At illi fugientes ad fluvium quendam, qui propè erat, ut evaderent, invenerunt pontem confractum, per quem tranſire ſperabant. Unde plurimi in flumen ſeſe mittentes, cum equis & armis ſubmerſi perierunt. Alii autem, quò fugerent non invenientes, interfecti ſunt: atque alii, ſub captione concluſi, vix redempti. Unde pauci ex omnibus qui de caſtello exierant, incolumes ſunt reverſi. Capti ſunt autem in parte *Mareſchalli*, *Thomas Sward*, juvenis in militia præclarus; cum duobus ſociis militibus, qui perducti ſunt ad caſtellum captivi. Ex caſtellanis autem capti ſunt milites quindecim, & ſervientes plurimi: quos *Mareſcallus* in vinculis cum equis & armis ac manubiis multis abduxit. In loco quidem certaminis remanſit occiſorum multitudo, tam *Wallenſium* quàm *Pictavenſium*, & tranſmarinarum nationum; atque *Baldewinus* de *Gyſnes* ad caſtellum à ſociis perducitur graviter vulneratus. Acta eſt autem hæc congreſſio belli in die beatæ *Catharinæ* virginis, apud caſtellum memoratum. Poſt hunc quoque conflictum, Comes *Mareſchallus*, cum *Gilberto Baſſed*, & *Richardo Sward*, ac cæteris exulatis, & eorum confœderatis *Pictavenſibus*, qui erant in caſtris Regis *Anglorum*, lethiferas poſuerunt inſidias; ita ut quotieſcunque aliquis eorum ad prædandum exivit, nihil aliud quàm capita ſingulorum pro redemptione ceperunt. Unde contigit in brevi, quòd tam numeroſa extraneorum multitudo in viis & locis diverſis interfecta jaceret, quòd aërem totum corrumperet regionis.

1233.

Admirabilis prudentia & zelus juſtitiæ Mareſchalli.

PER idem tempus, cùm Comes *Mareſchallus* in Abbatia de *Margan* pernoctaret, venit ad eum die Jovis proxima ante natale, frater quidam de ordine Minorum, *Agnellus* nomine: qui familiaris erat domino Regi, & Conſiliarius ipſius, ut oſtenderet ei quæ audierat in Curia Regis de eo ab ipſo Rege & Conſiliariis ejus. Ab ore autem Regis audivit, ut dicebat, quòd licèt dictus Comes *Mareſchallus* proditioſè nimis & iniquè egerit contra ipſum, ſi nulla facta narratione de aliquo opere præambulo, ſe vellet omnino ſupponere miſericordiæ domini Regis: Rex concederet ei vitam cum membris, & tantum de *Hereford-ſire*, quòd inde honeſtè vivere poſſet & convenienter. Audivit etiam à *Stephano* de *Segrave*, quòd forma miſericordiæ revelaretur duobus de amicis *Mareſchalli*, de quibus plenam confidentiam reportaret: qui *Mareſchallo* ſignificarent, quòd ſecurè ſe poſſet ponere in miſericordia Regis. Ita tamen, quòd nec ipſi *Mareſchallo*, nec alii, formam miſericordiæ revelarent; & ſic ignorans formam, hoc faceret. Ab aliis autem de curia audivit, quia expediebat *Mareſchallo* facere prædicta: debitum, utile, & tutum. Debet, quia fecit injuriam domino ſuo; qui antequàm Rex invaderet terram aut perſonam *Mareſchalli*, ipſe invaſit terram domini Regis, combuſſit, deſtruxit, & homines interfecit. Et ſi ille dicit, ſe hoc feciſſe ad tuitionem corporis ſui & hæreditatis ſuæ: dicunt, quòd non, quia in ipſius corpus aut exhæredationem non fuit unquam aliquid machinatum. Nec ob hoc tamen deberet prorumpere contra dominum ſuum, donec oculata fide cognoſceret Regem contra ipſum talia cogitare; & ex tunc liceret talia attemptare. Ad hoc reſpondens *Mareſchallus* fratri *Agnello*, dixit: Ad primum quod dicunt, debeo, quia terram Regis invaſi: non eſt verum, quia Rex ipſe, cùm ſemper paratus eſſem ſtare juri & judicio parium meorum in curia ſua, & per internuncios plures pluriès petii illud: quod ab ipſo mihi ſemper extitit denegatum, terram meam violenter ingreſſus, contra omnem juſtitiam invaſit. Cui ſperans in humilitate placere, formam pacis cum eo mihi plurimùm damnoſam gratis inii: in qua convenit, quòd niſi illa ex parte Regis mihi obſervaretur, omnia omninò ex parte mea eſſent in ſtatu, in quo fuerunt ante dictam pacem initam. Videlicet, quòd ego eſſem extra homagium ſuum, & diffiduciatus ab eo; ſicut priùs fui, per dominum Epiſcopum *Meneven-ſem*. Unde cùm ferè in omnibus articulis in forma pacis deficeret, licuit mihi, juxta conventionem meam, quod meum erat, recuperare, & poſſe ſuum modis omnibus debilitare: maximè cùm ad meam deſtructionem & exhæredationem & corporis captionem anhelaret. Et hoc pro certo didici, & ſi neceſſe eſt, probare poſſum. Et quod magis eſt, poſt pacem per dies quindecim, antequàm *Walliam* intrarem, aut ab aliquo me defenderem; ſine judicio ſpoliavit me ab officio *Mareſchalli*: quod jure hæreditario ad me pertinet & poſſedi, nec aliquo modo ad illud me reſtituere voluit, requiſitus. Unde apertè didici, quod nullam pacem voluit mihi obſervare; cùm poſt pacem deteriùs quàm antè me pertractârat. Unde homo ſuus non fui, ſed ab ipſius homagio per ipſum abſolutus; cùm ad primam diffidationem redirem, juxta dictam conventionem, ut prædictum eſt. Quapropter licuit & licet me defendere, & malitiæ conſiliatorum ſuorum modis omnibus obviare. Item dicunt Conſiliarii Regis, utile fore *Mareſchallo*, ut ſe ſupponat miſericordiæ ejus, quia Rex ditior & potentior eſt. Et ſi *Mareſchallus* confidit in auxilio alienigenarum, Rex ad unum quem ille adducet, poterit adducere ſeptem: quia offerunt ſe quidam conſanguinei Regis alienigenæ, qui non ſunt *Scoti* vel *Gallici*, aut *Wallenſes*: & ſuppeditabunt omnes inimicos ejus, qui veniunt in tanta multitudine, quòd faciem terræ cooperient. Ad hæc dicit *Mareſchallus*: Rex ditior me eſt & potentior, verum eſt: ſed non potentior eſt Deo, qui eſt ipſa juſtitia, in quem confido in conſervatione & perſequutione juris mei & regni. Nec confido in alienigenis, nec ipſorum appeto confœderationem, nec auxilium invocabo; niſi, quod abſit, inopinata & immutabili fuero compulſus neceſſitate. Et benè ſcio, quòd Rex poteſt ſeptem contra unum adducere, quem ego adducere poſſum: & credo quod nimis citò tot adducet per conſilium ſuum, quòd non habeat per quos ab ipſis regnum ſuum poſſit liberare. Nam à viris fide dignis didici, quòd *Wintonienſis* Epiſcopus obligatus ſit Imperatori *Romano*, quòd faciet totum *Angliæ* regnum ipſi ſubjugatum: quod Dei avertat providentia, & hoc à tempore quo cum ipſo fuit in partibus tranſmarinis. Et ideò guerram iſtam ſpecialiter incepit, ut ex hoc ſumpta occaſione priùs poſſe Imperatoris, & poſteà ipſum vocaret Imperatorem. Et hoc probabile videtur, quia in diſcordia Regis abceſſit ab *Anglia*, & modo aliquo prorumpens in iram, ſpiritu effræni juravit: quòd faciet venire in *Angliam* tot alienigenas, quòd cooperient totam terram. Hâ quàm ſuſpecti, quàm timendi ſunt *Pictavenſes*! ut congruat illis illud Poëticum: *timeo Danaos & dona gerentes*. Prætermitto ſub ſilentio quid ſuſpendio morituri apud *Bedeford*, de ipſo Epiſcopo *Wintonienſi* & Comite *Ceſtriæ* cum juramento affirmarunt. Item dicunt Conſiliarii Regis, tutum eſſe *Mareſchallo*, ut ſe ſupponat miſericordiæ ejus, quia poteſt in Regem confidere, & ejus Conſiliariis. In Regem, qui miſericors & deprecabilis, & tum demùm Regius ſanguis vincitur, cùm ſe viciſſe conſpexerit. In Conſiliariis dico, quia nunquam *Mareſchallo* malum procuraverunt: imò diligunt eum in veritate. Ad hæc reſpondit *Mareſchallus*, quòd benè poteſt eſſe, quòd Rex miſericors ſit; ſed ſeductus eſt conſilio eorum per quos nos graviter læſos ſenſimus: & adhuc timentes laqueos quos evaſimus. Et quòd

Rex

1232.

Rex ſic mente nobilis, ſicut & ſanguine, exorabilis, necnon & credibilis (quem Deus diu talem conſervet) verum eſt quantùm in ſe eſt: ſed quantum ad conſilium ejus pertinet, dico, quòd nulla mihi promiſſio fuit hactenùs obſervata. Quod dicitur de Conſiliariis, quòd nunquam mihi malum procuraverunt, falſum eſt: quia mala mea univerſa procuraverunt, & omnia eis principaliter imputo. Nec in hoc, quod dicunt ſe me diligere, credendum eſt, nec debeo; niſi cùm opera videro quæ nondum vidi: operibus enim credendum eſt. Plura enim ſacramenta corporaliter præſtita violaverunt: videlicet contra Comitem *Cantiæ*, cui omnes tres plura ſacramenta fecerunt, quæ omninò ſpreverunt & fregerunt; tam de forma proviſa de prædicto Comite, de qua ſimiliter pejeraverunt, quàm de ſacramento libertatum *in Magna Charta* contentarum, quas infregerunt; propter quæ excommunicati ſunt, & perjuri. Perjuri ſunt de fideli conſilio quod juraverunt domino Regi præſtituros, cùm in omnibus ei conſilium *Achitophel* & contra juſtitiam ſcienter impendebant. *Stephanus* quoque de *Segrave*, qui juravit juſtas leges obſervare, & illas corrupit, & inuſitatas introducit: & propter alia multa, pro quibus Deus aut homo non debet ei fidem aut ſuis complicibus adhibere, nónne tam ille quàm illi excommunicati ſunt?

Rumor de veteri faciet ventura timeri:
Cras poterunt fieri turpia ſicut heri.

Et alius ſapiens: *Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Item dicunt Conſiliarii Regis contra *Mareſchallum*, quòd invaſit corpus domini Regis apud caſtellum de *Groſmund*, antequàm Rex intrâſſet terram ſuam: & ſi hoc fecit, injuriam Regi fecit. Unde debet ſe ſubjicere miſericordiæ ejus, ut prædictum eſt, ut faciat honorem domino Regi; ne alii habeant exemplum inſurgendi contra ipſum. Ad hæc reſpondit *Mareſchallus* pro perſona ſua, quòd falſum eſt, quòd interfuit illi invaſioni. Et fortè aliqui de familia ſua affuerunt, familam tantùm regis invaſerunt, & non corpus Regis. Quod tamen ſi feciſſent, non eſſet mirum, cùm Rex veniret cum exercitu ſuo in terram meam ut me invaderet, & modis omnibus poſſet, gravaret: quod omnibus liquere poteſt per tenorem literarum ſuarum, quibus per *Angliam* generalem fecit convocationem in meum exitium. Et cùm prædicta ab ipſis mihi impoſita, falſa ſint; & verum eſt, quòd Rex ſe pejùs habuit contra me tempore quo ipſius miſericordiam expectavi, quàm in alio aliquo tempore, & adhuc utitur eodem conſilio, quo tunc. Et cùm præcisè nitatur ſemper conſiliis eorum in omnibus utendum, de quorum conſilio ſentio omnia prædicta gravamina mihi & meis illata; ejus nos ſubjicere miſericordiæ non debemus. Nec hoc eſſet honor Regis, quòd voluntati ſuæ conſentirem, quæ non eſſet ratione ſubnixa: imò facerem ſibi injuriam & juſtitiæ, quam ipſe in ſubditos exercere debet & conſervare. Et malum exemplum darem omnibus; videlicet deſerendi juſtitiam & juris perſequutionem, propter voluntatem erroneam, contra omnem juſtitiam, & injuriam ſubditorum. Nam ex hoc appareret, nos diligere plùs poſſeſſiones noſtras mundanas, quàm ipſam juſtitiam. Item proponunt contra *Mareſchallum* Conſiliarii Regis, quòd confederatus eſt capitaneis inimicis ejus; videlicet *Francigenis*, *Scotis*, & *Wallenſibus*: & videtur eis hoc feciſſe in odium & damnum domini Regis & regni. Ad hoc dicit *Mareſchallus*, quòd de *Francigenis* falſum eſt ſimpliciter. Quod dictum eſt de *Scotis* & *Wallenſibus*, & videtur hoc feciſſe in odium & damnum Regis, ſimiliter falſum eſt; præterquàm de Rege *Scotiæ* & *Leolino* Principe *Northwalliæ*, qui non inimici, ſed fideles ejus fuerunt; quouſque per injurias ipſis à Rege & ejus Conſiliariis allatas à fidelitate ſua inviti & coacti, ſicut & ego, alienati ſunt. Et propter hoc cum illis confœderatus ſum, ut meliùs ſimul, quàm ſeparati, jura noſtra perquiramus & defendamus; à quibus injuſtè privati ſumus, & in parte magna ſpoliati. Item proponunt Conſiliarii Regis, quòd non debet *Mareſchallus* confidere de confœderatis ſuis; quia Rex ſine aliquo diſpendio terræ ſuæ poterit confœderatos *Mareſchalli* ab amicitia ſua ſeparare. Ad hoc dicit *Mareſchallus*, quòd ſuper hoc non dubitat: ſed ex hoc maximè apparet iniquitas Conſiliariorum ſuorum, quòd aliquo modo facerent Regem ſubire diſpendium erga eos, quos ſpecialiter vocant capitales inimicos, in meam injuriam; qui ſemper fui ejus fidelis, quouſque per ipſum remaneret; & adhuc eſſem, ſi vellet mihi & meis amicis jus noſtrum redditum reſtaurare. Item dicunt Conſiliarii ſæpedicti, quòd Papa & eccleſia *Romana* ſpecialiter diligunt Regem & regnum, & excommunicabunt omnes ejus adverſarios; & hoc videtur jam eſſe in januis, quia jam pro Legato miſerunt. Ad hoc, quod de Papa & eccleſia *Romana* dicitur, placet mihi, dicit *Mareſchallus*; quia quantò plùs Regem & regnum diligunt, tantò plùs deſiderabunt, quòd regnum ſuum & ſubditos ſuos ſecundùm juſtitiam Rex pertractet. Et placet mihi, quod adverſarios regni excommunicet, quia illi ſunt qui contra juſtitiam conſilium dant, quos opera manifeſtant: quia juſtitia & pax oſculatæ ſunt invicem: & propter hoc ubi juſtitia corrumpitur, pax ſimiliter violatur. Item de Legato, placet quòd veniat; quia quantò plures diſcreti juſtitiam noſtram audierint, tantò viliùs adverſarii juſtitiæ confundentur. Et nunc, licèt gravamina mea ſpecialiter enumeraverim, idem dico de omnibus amicis meis & confederatis; de quibus ſicut de meipſo conqueror, & ſine quibus nihil omninò facere poſſum, quod ad aliquam ſtabilem conventionem pertineat.

1233.

Domus Converſorum Londini; & hoſpitale Oxoniæ à Rege conſtruitur.

CIRCA idem tempus, Rex *Angliæ Henricus*, quandam decentem eccleſiam & congregationem conventuali ſufficientem, cum quibuſdam ædificiis adjacentibus, propriis ſumptibus fabricavit; in loco ubi domum *Converſorum*, pro redemptione animæ ſuæ & Regis *Johannis* patris ſui, & omnium anteceſſorum ſuorum, conſtituit, anno regni ſui decimo ſeptimo: videlicet *Londoniis*, haud procul à veteri templo. Ad quam domum confugientes *Judiæ* converſi, relicta *Judaiſmi* cæcitate; ſub quadam honeſta vivendi regula, certum haberent in vita ſua domicilium, tutum refugium, & ſufficiens vitæ ſuſtentamentum, ſine ſervili labore & fœnoris emolumento. Unde factum eſt, quòd in brevi congregatus eſt ibidem converſorum numerus copioſus, & ibidem baptizati & *Chriſtianorum* lege inſtructi, vivunt laudabiliter; perito rectore ad hoc ſpecialiter deputato gubernati. Similiter Spiritu ſancto tactus, & pietatis intuitu compunctus Rex *Angliæ Henricus*; quoddam nobile hoſpitale *Oxoniis* conſtituit, non procul à ponte; ut ibidem infirmi & peregrini ſuæ remedium reciperent ſanitatis & neceſſitatis.

Rex Anglorum fuit apud Gloverniam ad natale Domini.

ANNO Domini M.CCXXXIV. qui eſt annus regni *Henrici* Regis *Anglorum* decimus octavus, idem Rex ad natale tenuit curiam ſuam apud *Gloverniam* cum parvo admodum comitatu; quia receſſerant ab eo Magnates multi, qui ſpoliati erant paulò antè à rebus omnibus apud *Groſmund* caſtellum, ſicut ſuperiùs habetur expreſſum. Quo utique tempore cepit terra gelu graviter conſtringi, ita quòd fruges ſuffocabantur in agris, radices herbarum in hortis; & quaſi pedibus quatuor in humo infixas radices in pomariis deſiccavit. Quod uſque ad purificationem beatæ *Mariæ* abſque nive ſe continuans, agriculturam ſuſpendit. Sequuta eſt autem in eodem anno tanta aëris & elementorum intemperies; quòd ſterilitatem rerum omnium de terra naſcentium mortalibus, quod comminabatur, miniſtravit.

Mareſchallus multos ex hoſtibus ſuis perimit.

IN craſtino quidem diei Dominicæ nativitatis, *Johannis Monemutenſis* vir nobilis, qui cum Rege militabat in *Wallia*, copioſum collegit exercitum; ut furtivum faceret impetum in Comitem *Mareſchallum*. Sed cùm hoc *Mareſchallo* eſſet intimatum, miſit ſe in quadam ſylva, per quam hoſtes venturi erant; ut eos deluderet, qui illum decipere cogitabant. Cùm igitur adverſarii memorati ad locum inſidiarum perveniſſent, *Mareſchallus* & exercitus ejus totus ſtrepitum horribilem cum tubis clangentibus erumpentes, & non præmunitos invadentes, omnes ilicò compulerunt fugam inire repentinam. Et fugientes inſequuti, interficiunt terga vertentes; ita quòd innumera ex eis multitudine perempta tam *Pictavenſium* quàm aliorum, vix *Johannes* ipſe per fugam evaſit. Et progrediens cum ſuis legionibus *Mareſchallus*, villas ejus & ædificia, cum omnibus quæ ipſius erant, ferro devaſtavit & flamma; & ſic ex divite pauperem fecit & egentem. His ita geſtis, *Mareſchallus* cum ſpoliis inæſtimabilibus & armentis in ſua ſe recepit municipia lætabundus.

Exules Angliæ perſequuntur Conſiliarios Regis.

IN ipſis præterea diebus Natalitiis bellum contra Regem & ſuos Conſiliarios graviter accenditur. Nam *Richardus Sward* conjunctis ſibi cæteris exulibus; terras *Richardi* Comitis *Cornubiæ*, fratris Regis, non longè à *Brekulle* ſitas, cum ædificiis & frugibus ac bobus in boſtaribus, caballis quoque in ſtabulis, necnon gregibus in caulis, incendio tradiderunt. *Segrave* quoque, natale ſolum *Stephani Angliæ* Juſtitiarii, per idem tempus cum domibus valdè ſumptuoſus, bobus & frugibus, combuſſerunt: equos quoque precioſos plures cum ſpoliis & rebus aliis inde recedentes abduxerunt. Villam quoque quandam Epiſcopi *Wintonienſis*, non longè ab eadem villa ſitam, igne conſumpſerunt; & ſpolia diripuerunt, cum cæteris rebus ibi inventis. Hanc autem laudabilem conſtituebant regulam generalem inter ſe bellatores prænominati, quòd nemini quicquam mali facerent, vel aliquem læderent, præter iniquos Regis Conſiliarios, per quos erant in exilium pulſi; & quæ ſua fuerant, igne concremarunt, nemora, pomaria, & ſi qua ſunt ſimilia, radicitùs extirpantes.

Expeditio militaris Mareſchalli & confœderatorum ſuorum.

DEINDE, infra octavas *Epiphaniæ*, Comes *Mareſchallus*, & Princeps *Northwalliæ Leolinus*, collectis omnibus viribus quas habere poterant, terras Regis longè ingreſſi, ferro & incendio deſtruxerunt: ita quòd à finibus *Walliæ* uſque ad *Salopesbiriam* nihil omninò reliquerunt intactum. Villam quoque *Salopebrum* in parte favillæ tradiderunt, & precioſa inde reverſi ſpolia reportârunt. Rex autem *Anglorum* inter hæc omnia quæ fiebant ab hoſtibus ſuis, apud *Gloverniam* cum Epiſcopo *Wintonienſi* morabatur imbellis; quia vires non habebat militares, quibus audebat hoſtibus obviare. Unde nimio rubore confuſus, versùs *Wintoniam* profectus eſt, regionem illam adverſariis relinquens depopulandam, ſicut intuentibus apparuit evidenter. Nam miſerabile viatoribus erat videre in provincia illa tot occiſorum corpora, quorum non erat numerus, nuda per plateas & inſepulta jacere; quæ beſtiis eſca fuere voracibus, & volatilibus cœli rapacibus: ex quibus tantæ corruptionis fœtor aërem circumquaque infecerat, quòd etiam homines ſanos mortui peremerunt. Induratum quidem adeò erat cor Regis contra *Mareſchallum*, per iniquum, quo utebatur, conſilium, quòd Epiſcopis illum admonentibus, ut pacem cum eo faceret, qui pro juſtitia decertabat, reſpondit; ſe nunquam in pacem convenire cum illo: niſi laqueum in collo gerens, & ſe proditorem eſſe recognoſcens, ejus miſericordiam imploraret.

1234.

Proditio machinata in Mareſchallum à Conſiliariis Regis.

CIRCA dies iſtos, *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus, & filius ejus, aut conſanguineus *Petrus* de *Rivallis*, & alii iniqui conſiliarii Regis, cùm ſe victos ubique cernerent à Comite *Mareſchallo*, & villas ſuas igne crematas, irremediabiliter doluerunt; cogitabant proditione ſaltem, quem armis non poterant ſuperare. Siquidem qui præter alia incommoda à ſuo deſiderio defraudati, turbam *Pictavenſium* innumeram in finibus *Walliæ* viderent interfectam: literas compoſuerunt proditionis inauditæ, & cùm earundem tenorem literarum Rex penitùs ignoraret, compulerunt eum ſigillum ſuum apponere; cum quo etiam & ipſi ſua apponentes ſigilla numero undecim, cruentum illud ſcriptum in *Hyberniam* tranſmiſerunt. Miſſa eſt autem hujus proditionis charta ad Magnates *Hyberniæ*; *Mauricium* ſcilicet filium *Geroldi*, qui vices Juſtitiarii ibidem ſub Rege gerebat; ad *Walterum* & *Hugonem* de *Laſcaio*, ad *Richardum* de *Burgo*, & *Galfridum* de *Mariſco*, & ad alios homines ejuſdem *Mareſchalli* juratos, ſed infideles; quæ hanc iniquitatem pro parte, quæ ſequitur, continebat. Inprimis ſignificaverunt Magnatibus prædictis Conſiliarii memorati, *quod* Richardus *quondam Regis* Angliæ Mareſchallus, *propter proditionem manifeſtam, per judicium curiæ ejuſdem Regis proſcriptus erat de regno* Angliæ, *& terris illius, villis ejus & ædificiis igne crematis, parcis & pomariis ſuccisis, ſtagnis cum piſcariis deſtructis; & quod his omnibus majus eſt, ab hæreditate paterna in perpetuum abjudicatus. Et cum à bonis omnibus hoc ordine ſit privatus, Regem adhuc perſequi non omittit; ſed in incepta contra eum malitia perſeverat. Significamus ergo vobis, ut fidelibus domini Regis & juratis, quatenus ſi caſu in* Hyberniam *venerit, illum vel vivum vel mortuum comprehenſum Regi præſentare corporaliter ſtudeatis. Quod ſi facere curaveritis, totam hæreditatem ejus & poſſeſſiones de terra* Hybernia; *quæ nunc in voluntate domini Regis ſunt, concedit vobis inter vos dividendas, & jure hæreditario poſſidendas. Super hac domini Regis promiſſione fideliter vobis tenenda, nos omnes, quorum conſilio Rex & regnum regitur, fidejuſſores conſtituimus; ſi rem prætaxatam perducere curaveritis ad effectum.*

Proceres Hyberniæ conſpirant contra Mareſchallum.

CUM igitur audiſſent *Hybernienſes* memorati tenorem literarum, concupiſcentia corda ſubvertit ſingulorum, & conſpirantes ad invicèm; nuncios clàm cum literis ad præfatos Regis Conſiliarios tranſmiſerunt; ſignificantes illis communiter ſigillo ſecreti, quòd ſi promiſſio in literis contenta per chartam Regis confirmaretur eiſdem; ipſi rem prælocutam ad effectum perducere conarentur. Tunc Conſiliarii ſæpedicti violentia proditioſa, ſubrepto ſigillo Regio ab *Hugone Riceſtrenſi* Epiſcopo, tunc Cancellario, non huic fraudi conſentiente; per chartam Regis Magnatibus illis omnia *Mareſchalli* jura *Hyberniæ* inter ſe dividenda conceſſerunt; ſingulorum loca, poſſeſſiones, & jura, ſingulis exprimentes. Cùmque tandem hoc damnabile ſcriptum ſigillo Regio communitum ad proditores nequiſſimos in *Hyberniam* perveniſſet; confederati ſunt protinus interpoſito juramento, quòd viſa opportunitate rem deteſtabilem perpetrarent. Et conflantes in invicèm ut perimerent innocentem, congregaverunt exercitum copioſum; & terras Comitis *Mareſchalli* hoſtiliter ingreſſi, quædam caſtella ejus ceperunt, prædas & ſpolia inter ſe dividentes; ut talibus ſaltem injuriis provocatus ac laceſſitus, in *Hyberniam*.

Hæretici Albigenſes campeſtri prælio ſuperantur.

HOC quoque anno, hæretici *Albigenſes* in partibus *Hiſpaniæ* & illis regionibus ita invaluerunt; ut ordinatis Epiſcopis hæreticis, qui ſuam prædicarent abuſionem, aſſerebant conſtanter fidem *Chriſtianam* & præcipuè incarnationis myſterium, frivolum eſſe, ac penitùs abrogandum. Et congregantes exercitum copioſum, ingreſſi ſunt hoſtiliter fines *Chriſtianorum* comburentes eccleſias, & homines *Chriſtianos* cujuſcunque ſexus vel ætatis immiſericorditer trucidantes. Sed hoc tandem divulgato, compreſſa eſt eorum ſuperſtitioſa præſumptio à fidelibus *Chriſtianis*; qui ad mandatum *Gregorii* Papæ ex diverſis regionibus Occidentis cruce ſignati advenerant ad defenſionem fidei *Chriſtianæ*. Perempti ſunt autem ab eis in campeſtri prælio, tempore vernali cum ſuis Epiſcopis hæretici memorati; ita quòd nec unus eorum evaſit. *Chriſtiani* quoque civitates eorum occupantes, repleverunt eas fidelibus *Chriſtianis*; & ordinatis in eis Epiſcopis catholicis, reverſi ſunt in patriam victores, ditati ac lætabundi.

Alia ſtrages Albigenſium in confinio Alemanniæ.

SIMILITER in partibus *Alemanniæ* fines contingentibus, hæreticos quoſdam multiplicatos conſimili miſeria involvit Dominus omnipotens; ut fidelis unus fugaret mille, & duodecem millia perſequerentur. Concluſit enim eos Dominus in quodam loco paluſtri, in quo refugium ſperaverunt, mari ex parte altera exiſtente illis pro repagulo: in quo peremptus eſt infidelium hæreticorum à *Chriſtianis* numerus infinitus. Hoc anno firmatæ ſunt treugæ, inter Regem & Comitem *Richardum Mareſchallum*.

Salubre conſilium Epiſcoporum in perturbatione regni Angliæ.

DUM hæc in remotis partibus agerentur, Rex *Anglorum* venit ad colloquium apud *Weſtmonaſterium* in Purificatione beatæ *Mariæ*; in quo quoſdam Epiſcopos & maximè *Alexandrum Ceſtrenſem* Epiſcopum graviter increpavit, de nimia familiaritate Comitis *Mareſchalli*; & quòd ipſum à regni ſolio depellere nitebantur. Epiſcopus autem ille prænominatus, Pontificalibus indutus, cùm talia ſibi objecta cognoviſſet; necnon quoſdam qui Regi ſuggeſſerunt exaſperando, Epiſcopos foventes partes *Mareſchalli* velle alium Regem creare, commotus eſt vehementer; maximè adverſus *Rogerum* de *Cantelu*, legiſtam, arguens eum ſceleris paterni; dicens, quòd patris ſui proditoris & ſuſpenſi pro eadem proditione, ſequens veſtigia

1234. veſtigia patriſſavit. Excommunicavit igitur incontinenti omnes qui contra Regem iniquitatem hujuſmodi ſceleris cogitabant, vel ſuper Epiſcopos; qui omninò de ſalute & honore Regis ſollicitabantur, malitioſè talia imponebant. Et ſic manifeſtata Epiſcoporum ac probata innocentia, confuſis diſcordiæ ſeminatoribus, ſiluit legiſta prænominatus, ab anathemate, ut vibebatur, non immunis. Sic igitur intervenientibus Epiſcopis qui aderant, pacificatus eſt *Alexander Ceſtrenſis* Epiſcopis; & quievit ſpiritus illius, nimis antè amaricatus. Affuit quidem huic colloquio magiſter *Ædmundus Cantuarienſis* electus, cum multis Epiſcopis ſuffraganeis; qui omnes Regis & regni deſolationi condolentes, venerunt ad Regem, & quaſi uno corde, animo, & ore dixerunt. Domine Rex, dicimus vobis in Domino, ut fideles veſtri, quòd concilium quod nunc habetis, & quo utimini, non eſt ſanum nec ſecurum; ſed crudele & periculoſum vobis & regno *Angliæ*; *Petri* videlicet *Wintonienſis* Epiſcopi, & *Petri* de *Rivallis*, & complicium ſuorum. In primis, quia gentem *Anglicanam* odio habent & contemnunt, vocantes eos proditores, & facientes omnes ſic vocari, & avertentes animum veſtrum ab amore gentis veſtræ, & corda noſtra & gentis veſtræ à vobis; quod apparet in *Mareſchallo*, qui melior homo eſt terræ veſtræ, quem per mendacia interſeminata à vobis elongantes perverterunt. Et per hoc idem concilium, ſcilicet per dictum Epiſcopum, amiſit Pater veſter Rex *Johannes* primò corda gentis ſuæ, deinde *Normanniam*, poſt, alias terras; & in fine totum theſaurum exhauſit, & ferè dominium *Angliæ*, & nunquam poſteà pacem habuit. Per idem concilium temporibus noſtris turbatum fuit regnum, & venit Interdictum; & denique factum eſt regnum tributarium, & princeps provinciarum facta eſt (proh dolor) ignobilibus ſub tributo. Et inita guerra & diu protelata, mortuus eſt pater veſter quaſi extorris; nec in pace regni vel animi; & ſic mortem per eos admodùm incurrit periculoſam. Per idem concilium contra vos detentum fuit caſtellum de *Bedeford*, ubi multum theſaurum & ſtrenuos homines perdidiſti: ob quam cauſam, interim *Rupellam* in ignominiam totius regni tui amiſiſti. Item perturbatio nunc imminens, toti regno periculoſa, per eorum iniquum conſilium accidit: quia ſi per juſtitiam & rectum judicium terræ tractati fuiſſent homines veſtri, non eveniſſet iſta perturbatio; & haberetis terras veſtras non deſtructas, & theſaurum inexhauſtum. Item in fide dicimus, qua vobis aſtringimur obligati, quòd concilium veſtrum non eſt pacis, ſed perturbationis terræ; quia ſic creſcere volunt, qui per pacem non poſſunt, ſcilicet per regni perturbationem, & aliorum exhæredationem. Item, quia caſtella veſtra & fortitudinem veſtram habent in manu ſua, quaſi de gente veſtra diffidere debeatis. Item, quia Scaccarium veſtrum & omnes cuſtodias & exchaëtas maximas habent in poteſtate ſua, placet talis expectatio; & quomodo vobis reſpondebunt in fine, ut credimus, comprobabis. Item, quia niſi per ſigillum veſtrum, vel præceptum ſine ſigillo *Petri* de *Rivallis*, vix aliquod magnum negotium fit in regno; quaſi vos pro Rege non haberent. Item, per idem concilium naturales homines de regno veſtro, de curia veſtra expulſi ſunt: unde timendum eſt tam de vobis quàm de regno, cùm videamini magis eſſe in eorum poteſtate, quàm ipſi in veſtra, ſicut per plurima conſtat exempla. Item, quia puellam de *Britannia* & ſororem veſtram habent ſub poteſtate ſua; & alias plures puellas nobiles, & alias mulieres nubiles, cum wardis ac maritagiis, quas dant ſuis, & diſparagant. Item, quia legem terræ juratam & confirmatam, atque per excommunicationem roboratam, pariter & juſtitiam confundunt & pervertunt; unde timendum eſt, ne ſint excommunicati, & vos, eis communicando. Item, quia non obſervant alicui promiſſionem, fidem, vel juramentum, vel ſcripturæ munimentum; nec timent excommunicationem. Unde qui à veritate receſſerunt, ſunt deſperati; ut qui in timore remanent, diffidentes. Hæc autem fideliter vobis dicimus, & coram Deo & hominibus conſulimus, rogamus, & monemus, ut tale concilium amoveatis à vobis; & ſicut eſt in aliis regnis conſuetudo, regnum veſtrum tractetis per fideles homines veſtros, & juratos de regno veſtro. Denunciamus enim vobis in veritate, quod niſi infra breve tempus iſta correxeris, in vos & in omnes alios contradictores per cenſuram eccleſiaſticam procedemus; nihil niſi conſecrationem venerabilis Patris noſtri electi *Cantuarienſis*, expectantes. Et his ita dictis, Rex humiliter breves poſtulavit inducias; dicens ſe non poſſe ita ſubitò conſilium ſuum amovere, donec theſauro ſuo illis commiſſo ratiocinium audiſſet. Et ſit ſolutum eſt colloquium; recedentibus cunctis cum fiducia concordiæ, celeriter obtinendæ.

Exules ad vindictam prorumpunt.

FINITO ſiquidem colloquio prædicto, cùm Rex gratia orationis apud *Bromholt* feſtinaret, tranſitum fecit per ſanctum *Ædmundum*. Ubi pietate motus, conceſſit uxori *Huberti* de *Burgo*, quæ ſe admodùm illi humiliavit, octo maneria de terris acquiſitis à viro ſuo; quæ tunc fuerunt ſub cuſtodia *Roberti Paſſelewe*, ex mandato ipſius Regis. Ac deinde, expleto orationis voto, partes petiit occidentis. Et cùm veniſſet ad villam de *Huntendunia*, venit *Richardus Sward* cum *Gileberto Baſſet* & cæteris exulibus ad *Alemundeburi* villam *Stephani*; omnia concremavit, & ſpolia colligavit. *Stephanus* verò, qui cum Rege erat, videns flammas ædificiorum ſuorum, regionémque totam illuſtrantes; cum manu armata feſtinavit in auxilium rerum ſuarum advenire. Sed cùm à referentibus cognoviſſet, *Richardum Sward* hujus violentiæ fuiſſe auctorem; quaſi telis obviantibus fræna retorſit, & calcaribus non parcens,

parcens, ad Regem cum ſumma celeritate refugit: unde ipſum Regem & alios qui aderant, ad riſum commovit. Per idem tempus, ipſe *Richardus* & ſocii ejus, quoſdam milites in finibus *Walliæ* ſibi adverſantes, juxta legem guerræ, quæ exlex eſt, ceperunt; & ad gravem redemptionem compulerunt. 1234.

Conſecratio Ædmundi *in Archiepiſcopum* Cantuarienſem.

EODEM anno, in eccleſia *Chriſti Cantuariæ* conſecratus eſt *Ædmundus*, ejuſdem eccleſiæ electus, à *Rogero Londinenſi* Epiſcopo, in Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, Dominica qua cantatur, *Lætare Hieruſalem*, quæ tunc fuit quarto nonas Aprilis; præſente Rege cum xiii. Epiſcopis. Et eodem die miſſam cum pallio, quod cautè ei de curia *Romana Simon* de *Legro*, ejus eccleſiæ monachus, detulerat, ſolenniter celebravit.

Rex Anglorum *Epiſcopum* Wintonienſem *& omnes alienigenas ab officiis ſuis removit.*

CIRCA eoſdem dies denique, convenerunt ad colloquium Dominica prima in paſſione Domini, quæ tunc fuit quinto Idus Aprilis, apud *Weſtmonaſterium*, Rex cum Comitibus & Baronibus; & Archiepiſcopus nuper conſecratus, cum ſuis ſuffraganeis; ut regno perturbato ſalubriter providerent. Archiepiſcopus quidem conjunctis ſibi Epiſcopis, ac cæteris qui aderant Prælatis, ad Regem veniens; oſtendit ei conſilium ſuum & Epiſcoporum, ſuper deſolatione regni & periculo imminenti; replicando ſupra-ſcripta incommoda, in colloquio ſuperiùs habito ſibi expreſſa. Denunciavit etiam ipſi expreſsè, quòd niſi celeriùs errorem dimitteret, & cum fidelibus regni ſui pacificè componeret; ipſe incontinenti cum omnibus qui aderant Prælatis, in ipſum Regem ſententiam ferret excommunicationis, & in omnes alios hujus pacis contradictores & concordiæ perverſores. Rex autem pius, audiens conſilium Prælatorum, humiliter reſpondit; quòd conſiliis eorum in omnibus obtemperaret. Unde poſt dies paucos, intelligens proprium errorem, pœnitentia ductus, præcepit *Petro Wintonienſi* Epiſcopo, ut pergens ad Epiſcopatum ſuum, curis intenderet animarum; & de cætero Regiis negotiis nequaquam intereſſet. *Petro* etiam de *Rivallis* immutabiliter juſſit, cujus *Anglia* tota diſpoſitionibus ſubjacebat; ut redditis ſibi caſtellis ſuis, & ratiocinium de theſauris incontinenti redderet, & à curia recederet; affirmans cum juramento, quòd niſi beneficiatus & in ſortem clericorum fuiſſet admiſſus, ipſe ei ambos oculos eruere faceret. *Pictavenſes* inſuper omnes, tam de curia ſua, quàm de caſtrorum præſidiis expellens, remiſit in patriam ſuam; præcipiens ut ultra faciem ejus non viderent. Ac deinde Rex, qui modis omnibus pacem ſitiebat; miſit *Ædmundum* Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, cum Epiſcopis *Ceſtrenſi* & *Roffenſi*, in *Walliam*, ad *Leolinum* & *Richardum* Comitem *Mareſchallum*, ut cum eis de pace tractarent. Et ſic Rex, dimiſſis iniquis Conſiliariis ſuis revocavit ad obſequium ſuum naturales homines de regno ſuo; ſubjiciens ſe conſilio Archiepiſcopi & Epiſcoporum; per quos ſperabat regnum perturbatum, ad ſtatum proſperum revocare.

Comes Mareſchallus *in* Hyberniam *veniens, bellum contra Regem movet.*

HOC quoque tempore, venerunt nuncii ad *Richardum* Comitem *Mareſchallum*, referentes quomodo ſæpedicti Magnates *Hyberniæ* terram ejus hoſtiliter ingreſſi, quædam ipſius caſtella ceperant; & eam pervagantes, rapinis & ſpoliis indulgebant. *Mareſchallus* autem, cùm Rex *Anglorum* poſt dies Natalitios expeditiones bellicas in *Walliis* dimiſiſſet, & Auſtrales *Angliæ* partes petiſſet; circa Purificationem beatæ *Mariæ*, cum quindecim tantùm militibus transfretavit, ut hoſtium ſuorum impetus refrænaret. Qui cùm ibidem applicuiſſet, venit ad eum *Gauſridus* de *Mariſco*, homo ejus ligius, ſenex infidelis; qui *Mauricio* Juſticiario, *Hugoni* de *Laſcio*, & *Richardo* de *Burgo*, ac cæteris inimicis ipſius *Mareſchalli* fuerat confœderatus: & adhærebat ei in dolo, conſulens ut contra hoſtes prædictos arma moveret, ut *Hyberniam* ſic ſibi totam ſubjugaret; aſſerens jus ſuum ei auxiliaturum, viribúſque Martiis non deſtituendum. Cùmque hæſitaſſet *Mareſchallus* de conſenſu proditorum, timens non vires, ſed fraudes innatas *Hybernienſibus*; & libraret rationis trutina eventus fortuitos bellorum, reſpondit *Galfridus*. Quid times? credendum eſt te nunquam fuiſſe filium victorioſiſſimi *Willielmi* veteris *Mareſchalli*, qui irrumpentibus hoſtibus nunquam dedit terga. Ecce victoria pro foribus: ecce jus tuum avitum, quod te contingit jure lineari; quod invicti anteceſſores tui, qui de *Strangbove* cognomen acceperunt, ſtrenuè conquiſiverunt. Nunquid incipis degenerare? *Mareſchallus* verò his verbis, ac ſi ratione ac fide fulcirentur, fidem adhibens, erectus in confidentiam; per totam terram ſuam profectus eſt, exercitum congregans copioſum; & hoſtes ſuos inſecutus caſtella quæ ceperant, pro parte revocavit. *Limeric* quoque famoſam *Hyberniæ* civitatem, quatriduana cepit obſidione; & ex civibus exegit fidelitatem. Deinde hoſtiliter progrediens, cepit tam Regis caſtella quàm *Hybernienſium* vel aliorum inimicorum ſuorum; accipiens à cuſtodibus juramentum, ne ejus propoſitum impedirent. Magnates autem prædicti, illi occurrere non audentes, imò quaſi fulgurantem procellam formidantes, fugerunt à facie ejus loca petentes remotiora; ubi milites & equites bellatores cum turba peditum armatorum innumera congregantes, ad campeſtre ſeſe prælium præparabant, habentes milites centum & ſexaginta, pedites duo millia, cum armis ſuis. Hos omnes, datis Regis theſauris, cum majoribus pollicitis, ita in necem *Mareſchalli* animaverant; ut eo perempto, ſe divites fieri æſtimarent. Quo facto, miſerunt ad *Mareſchallum* viros *Templarios*; mandantes quòd proditioſè nimis agebat contra dominum ſuum Regem *Angliæ*; quem ſicut in *Anglia* ita jam in *Hybernia* expugnavit. Addiderunt etiam, quòd ipſi, ſub quorum cuſtodia Rex

Strangbove.

terram

1234. terrum *Hyberniæ* commiſerat, & cujus homines erant fideles & jurati: non poterant ſine proditionis nota, hanc injuriam ſuſtinere. Poſtulaverunt ergo inducias competentes, ut interim ſcirent à Rege *Anglorum*, ſi velit *Hyberniam* defendere: quàm ſi tueri contemneret, & eam relinquendo deſerere decerneret, ipſi terram totam ei ſine lite & ſanguinis effuſione reſignarent.

Quòd juſtum bellum idem Comes contra Regem ſuſcepit.

His igitur ita ſignificatis ad ſingula ſibi propoſita Comes *Mareſchallus* reſpondit eleganter, dicens. In primis reſpondeo, quòd proditioſè non egi contra Regem; quia ſine judicio Parium meorum & injuſtè ab officio *Mareſchalciæ* me ſpoliavit, exulem per totam *Angliam* faciens denunciari: ædificia mea concremavit, terras deſtruxit, evulſit pomaria, exhauſit vivaria. Semel & iterum me diffidavit; cùm ſemper paratus eſſem in curia ſua Juri parêre, & ſtare judicio Parium meorum. Unde homo ſuus non fui, ſed ab ipſius homagio non per me, ſed per ipſum licenter abſolvebar. De cæteris autem ſibi objectis, & de induciis concedendis, ſignificavit Magnatibus prædictis per eoſdem *Templarios*; ut in craſtino venirent ad colloquium in quodam prato ſibi deſignato, de pace tractaturi: immutabiliter affirmans quòd licuit ſibi de jure quod ſuum erat repetere; & poſſe Regis & conſiliatorum ſuorum modis omnibus quibus poterat infirmare.

Conſilium proditorium Gaufridi de Mariſco.

Cumque verba Comitis *Mareſchalli* Magnatibus ſæpedictis à *Templariis* fuiſſent declarata, placuit eis vehementer ad colloquium venire; ſcientes ſe majores habere vires & armatorum copias, quàm haberet *Mareſchallus*. Habuerunt enim in propoſito, quòd ſine campeſtri prælio ad propria non redirent. *Mareſchallus* à militibus ſuper dicto negotio conſilium quærens, dixit: Sufficere mihi debet, ut concedam Proceribus iſtis inducias poſtulatas: quia juſtum mihi videtur & ratione ſubnixum quod petunt: unde timeo, ſi eis æquitatem facere negavero, ne deteriùs mihi contingat. Hoc cùm audiſſet *Gauſridus* de *Mariſco*, alter *Achitophel*, malum condens in pectore conſilium, qui *Mareſchallo* doloſè adhærebat, conſcius proviſæ proditionis ac ſocius: prorupit in vocem tergiverſationis, adverſus eum quaſi ex charitate loquens, ait. Hoc eſt quod præcinui, te ſcilicet multùm diſſimilem invicto *Willielmo* veteri *Mareſchallo*, quem vidi, quem amavi, cui ſervivi, quem dilexi; qui in pace tractabilis ac diſcretus, in bello inſuperabilis, omnes occidentales ſtrenuitate ſuperabat: Et tu modò, ut priùs dixi, timidus effectus; regnum *Hyberniæ*, quod nunc ſubjugare vales, per ignaviam obtinere contemnis. Induciæ ſiquidem, quas petunt inimici, fruſtratoriæ ſunt; ut ſic ſcilicet ingreſſum tuum & negotium tuum, quod in procinctu eſt valeant impedire. Noveris autem certiſſimè, quòd hoſtes tui omnes, cùm te viderint armatum, & ad pugnam licèt cum paucis accinctum: ut ante leonem pecudes terga vertentes, univerſi evadere conabuntur. Erant prætereà ibidem & alii milites lxxx. vel plures, qui de *Mareſchallo* in *Hybernia* terras tenebant, ab hoſtibus corrupti: qui ei conſuluerunt idipſum, proditioſè illum decipere cupientes.

Colloquium inter Proceres Hyberniæ & Mareſchallum.

Mane autem facto, venerunt ad colloquium in prato ſibi deſignato, *Mauricius* Juſtitiarius, *Hugo* de *Laſceio*, & *Richardus* de *Burgo*, cum militibus ſepties viginti fortiſſimis & & audaciſſimis, & ad unguem armatis; quos à tempore proditionis inchoatæ elegerant ex toto *Hyberniæ* regno, ut perimerent *Mareſchallum*: & ad hoc conduxerant magnis muneribus, pollicita ampliora multiplicantes; qui idcirco campeſtre prælium magis quam concordiam ſitiebant. *Mareſchallus* verò cum ſuis armatis, qui omnes ſibi ſictè adhærebant, præter quindecim milites, quos de propria familia habebat, ad colloquium veniens per unum ferè miliare ab hoſtibus diviſus, ſuam compoſuit ſtationem. Deinde *Templariis* mediantibus, qui inter utrumque exercitum verba conferebant, de pace tractare cœperunt. Sed tandem Magnates *Hyberniæ*, ut breviter dicatur, cùm cognoviſſent quòd *Mareſchallus* cum paucis advenerat, quorum figmentum & teporem pro magna parte cognoverant; ſignificaverunt ei immutabiliter & præciſè, quòd niſi prædictas concederet inducias, eum diffidabant; ut continuò gladiis emicantibus fortunam belli experirentur, quis ex illis prælio fortior haberetur. Comes verò *Mareſchallus* per conſilium *Galſridi* de *Mariſco*, & aliorum hominum ſuorum, ſed infidelium, invitus & coactus planè negavit eis treugas poſtulatas: petens conſtanter per internuncios memoratos, ut redderent ſibi quædam caſtella ſua, quæ injuſtè occupaverant & detinebant; quia injuſtum ei videbatur, inducias concedere ſpoliatus. Cúmque illi id facere denegabant, diſpoſitis aciebus ad pugnam, contra *Mareſchallum* procedunt quaſi ſecuri de victoria obtinenda. Quod videns *Gauſridus* de *Mariſco*, dixit ad *Mareſchallum*: Conſilium do tibi in fide, ut concedatis Magnatibus iſtis inducias petitas; uxor enim mea ſoror eſt nobilis viri *Hugonis* de *Laſceio* unde non poſſum in prælium contra ipſum tecum ire, cum quo conſiſto confœderatus. Ad quem *Mareſchallus*: O proditor nequiſſime, nonne modò denegavi eis inducias contra voluntatem meam per tuum conſilium? Inconſtantis hominis eſſet, tam citò concedere quod modò eis denegavi: & idipſum magis timore facere videret, quàm amore. Scio, ſcio, quòd hodierna die morti traditus ſum. Sed melius eſt mihi mori cum honore pro cauſa juſtitiæ, quàm campum per fugam deſerere; & probra militiæ in perpetuum habere impudenter. Et reſpiciens *Walterum* fratrem ſuum, juvenem elegantiſſimum, dixit quibuſdam miniſtris ſuis: Adducite fratrem meum ad caſtellum meum quòd propè eſt, nec in hoc certamine pereat imminenti,

extin-

1234.

extinguatúrque penitùs genus meum: quia in ejus probitate confido, ſi annos contigerit legitimos ſtrenuè militiam exercendi. Me autem nunc expectat belli anceps occaſio: nec patet niſi cum dedecore diverticulum. Galeatum ſerò duelli pœnitet. Proceres autem *Hyberniæ*, audaciam *Mareſchalli* ac probitatem metuentes, arma ſua militibus fortiſſimis tradiderant & ignotis, quos ad hoc conduxerant; ut perimerent innocentem. Sic eum occidere cupientes, ut non occidiſſe viderentur.

Campeſtre prælium in quo Mareſchallus *captus eſt.*

COMES verò *Mareſchallus* hoſtes multos aciebus diſpoſitis contra paucos venire conſiderans, hortatur ſuos ad pugnam, quam pro juſtitiæ cauſa & legibus *Anglicanæ* gentis & oppreſſione *Pictavienſium* aſſumpſerat, ſperans habere fideles, quos habebat proditores. In medium hoſtium audacter prorupit & aciebus eorum potenter penetratis, militibus ſuis viam ferro aperuit: quem ſolummodò quindecim milites de propria familia ſequentes, obſtantium cohortes acierum diſſipare cœperunt. Sed homines ejus jurati & milites in quibus confidebat, ſicut priùs inter proditores erat conſpiratum, hoſtibus ſeſe *Mareſchalli* non coacti, non haſtis percuſſi vel gladiis, ad vincula reddiderunt; quaſi amici ad invicem congaudentes. Quidam autem illorum abſque ſanguinis effuſione, ad eccleſias & Abbatias fugientes *Mareſchallum* cum quindecim tantùm militibus reliquerunt. Quibus inæqualiter nimis contra ſepties viginti pugnantibus, & ſeſe viriliter defendentibus; pondus prælii verſum eſt in Comitem *Mareſchallum* qui tunc primò de proditione in necem ſuam machinatam, advertit. Et ſic undique adverſariis impetum facientibus in eum, aliquot ex eiſdem ſeſe defendendo peremit. Indignatus autem ex eo miles quidam *Hybernicus* fortiſſimus, cui *Richardus* de *Burgo* arma ſua tradiderat, ut *Mareſchallum* occideret, impetum fecit in eum; volens galeam de capite ejus evellere truculenter. Quem videns *Mareſchallus*, exiſtimabat quòd eſſet *Richardus* de *Burgo*, & ait: Fuge proditor nequiſſime, ne te interficiam. Cui ille: Non à te fugiam. Et cùm manus levaſſet, ut ipſum per caſſidem arriperet, *Mareſchallus* interjecto gladio ambas manus armatas ferè præcidit. Alius autem miles ſocium læſum vindicare cupiens, rapido equi curſu ad eum venit; & omnibus utens viribus eum in capite galeato percuſſit. Sed obſtantibus armis *Mareſchalli*, nihil profecit. At Comes ſe ferientem cum gladio percutiens, corpus ejus totum trium ictuum indiſtanti repetitione diſſipavit & contrivit: unde pòſt in multo diei ſpacio nullus ad eum accedere auſus fuit. Sed hoſtes ejus principales animo conſternati, compulerúnt vulgi multitudinem, qui cum lanceis, furcis ferreis, ſecuribus advenerant & bipennibus; ut illum circumdantes opprimerent, & equum ejus eviſcerantes & enervantes proſternerent. Qui protinùs *Mareſchallum* circumvallantes; equum ejus multis vulneribus confoſſum, ſanguine eliquato ſeminecem fecerunt & exanguem. Et cùm ſic eum de equo ejicere non potuerunt, pedes ipſius equi cum ſecuribus præciderunt. Cúmque equus cum *Mareſchallo* jam in certamine ab hora diei prima uſque ad horam undecimam fatigato corruiſſet in terram; ipſi accurrentes percuſſerunt eum jam præcipitem. Quorum unus videns occiduam partem dorſi minùs armis communitam, percuſſit eum in poſteriora, loricam ſublevando: cum quodam genere cultelli, quod vulgariter *Anelacius* nuncupatur, & lethaliter vulneravit eum, cultellum uſque ad manubrium immergendo. Magnates autem cognoſcentes quòd vulneratus fuiſſet ad mortem, qui quaſi exanimis jacebat in terra, duxerunt illum vix palpitante in eo ſpiritu vitali ad caſtellum ſuum, quod *Mauricius* Juſtitiarius paulò ante ceperat, & captum detinebat: ubi ſub arcta ſervatus cuſtodia, cum unô tantùm juvene de ſuis inter hoſtes remanſit. Actum eſt autem hoc prælium prima die menſis Aprilis, in Sabbatho.

Quibus artibus Papa pecuniam extorſerit.

ET dum talia mundialis rota volvendo perturbaret in partibus vicinis; in regnis Orientalibus ſicut & in Occidentalibus conſimilis, imò moleſtior inter *Chriſtianos* miſera fuit perturbatio. Dominus enim Papa occaſionem ſumens à prædicta Imperatoris proſequutione, argumentoſas extortiones præcipuè in *Anglia* excogitans & multiplicans, Legatos ſub ſpecie ſimplicium nunciorum, poteſtatem tamen habentes Legatorum, undique deſtinavit, qui multifariàm exegerunt pecuniam: nunc prædicando, nunc ſupplicando, nunc præcipiendo, nunc comminando, nunc excommunicando, nunc procurationes exigendo; per regnum *Angliæ* infinitos extorres reddiderunt & mendicantes. Et ut efficaciùs theſauros omnium emungerent, & pecuniam quaſi ad ſuccurſum *Terræ ſanctæ* undique colligerent (cujus tamen pecuniæ voluit ſuos, quos od hoc ordinaret, eſſe collectores & diſpenſatores, nec tamen inde unquam ſenſit eccleſia promotionem), ſcripſit dominus Papa omnibus *Chriſti* fidelibus in hæc verba elegantiſſima; quæ corda hominum lapidea viderentur penetrare, niſi facta humilitati ac juſtitiæ luce clariùs adverſantia ſequerentur.

Epiſtola Gregorii *Papæ de negotio crucis.*

GREGORIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis domini noſtri* Jeſu Chriſti *fidelibus per Regnum* Angliæ *conſtitutis, ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Rachel *ſuum videns in veræ fidei cognitione principium accreſcentium in ſalutem, & filiorum dexteræ pia mater ſancta* Romana *eccleſia cujus magna eſt quaſi mare de ſuæ prolis internecione contritio; vocem lamentationis, fletus & luctus emiſit hactenus, & emittit, quam audiri cupimus in excelſo: ut per diem & noctem fidelium oculi doloris lacrymam deducentes non taceant, & donec miſereatur Dominus non quieſcant. Lamentatur autem, quia domus cœleſtis panis, mons* Syon, *unde lex exiit, civitas Regis magni, de qua dicta & ſcripta multa*

1234. glorioſa, terra quam Dei filius fuſo pro nobis ſuo ſanguine conſecravit, regni robur perdidit & fortitudinem. Flet, quia quondam libera, ſub impio tyrannidis jugo cogitur ancillari. Luget, quia ubi pacem multitudo cœleſtis militiæ cecinit, ibi preſſuræ gentis immundiſſimæ ſcandalorum ſpurcitie, abominabiles ſimultates & ſchiſmata ſuſcitavit: ac innovans exordia præliorum, miſit ad deſiderabilia manum ſuam, & ſacrorum ordinum pias leges, & ipſius naturæ jura relegans à templo Domini; diverſis ibidem ſpurcitiis deteſtabilibus & ignominioſis vitiis introductis, turpiter in ſuo ſtercore computreſcit. Et ideò Hieruſalem in ſuis deriſa Sabbathis, obſorduit quaſi polluta menſtruis ſuos inter inimicos. Nam licèt dudum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Frederico Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Hieruſalem & Ciciliæ Regi illuſtri, civitas eadem præter Templum Domini, fuerit reſtituta: tamen quia Deus omnipotens tunc magnificentiùs agere cum populo ſuo Chriſtiano non adjecit, Imperator prædictus treugas iniit cum Soldano: quarum terminus adeò eſt vicinus, quòd tempus medium præparationi vix ſufficere creditur; niſi ad quæque neceſſaria per promptitudinem, ſpem & fervorem fidei feſtinetur. Ad ejus ergo ſuccurſum, nullum tædeat peregrinari; & pro patria certare cum ſpe victoriæ, pro corona mori, pro vita, pro illo ſuſtinere dura & triſtia; qui confuſione concepta, ſputo conſperſus, cæſus alapis, flagellis afflictus, coronatus ſpinis coram Pilato ſiſti tanquam multorum criminum reus, pertulit Crucifixus ad ultimum, & potatus felle, lancea perforatus, emittens cum clamore valido ſpiritum, pro conditionis humanæ viribus reparandis, curſum præſentis vitæ ſaturatus injuriis conſummavit. Hic eſt, ut repetamus altiùs qui de paterno ſolio gloriæ, cœlis mirabiliter inclinatis, ad noſtræ mortalitatis ima deſcendens, non dedignatus eſt Deus & homo, creator fieri creatura, ſuſcipere dominus formam ſervi: ut qui non poteramus per noſtram juſtitiam ſperare veniam, conſecuti per hæc gratiam inauditam, hæredes Dei, cohæredes verò Chriſti, divinitatis conſortium, fœlicitatis æternæ participium ſortiremur. Et licèt per gratiam adoptati, quotidiè cauſas ingratitudinis cumulemus; ipſe tamen abundat in divitiis bonitatis dum propter diverſitatem voluntatum, virium facultatem delinquentibus, diverſa pro tempore ſatisfaciendi genera contulit, varia medendi languentibus remedia ſuſcitavit: dum terram, in qua naſci, mori, & reſurgere voluit, tam diu ad exercitationem fidelium ab infidelibus detineri permittit; cum non ſit abbreviata manus Domini, nec virtus ejus in aliquo diminuta, quin eam, ſicut fecit cuncta de nihilo, liberare valeat in momento. Sed illas compaſſionis & dilectionis gratias exquirit ab homine, quibus ad omnis conſummationis finem legiſque plenitudinem oſtendendam, ipſe prior homini perdito & damnato voluit miſeratus adeſſe: qui nullatenùs permiſiſſet manus impias contra pios uſque adeò roborari, niſi & ſuam vindicari de noſtra confuſione providiſſet injuriam, & ſervari noſtram de ſua victoria diſciplinam. Sub hac occaſione delicati plurimi ſatisfacere pro modo criminum non valentes, nec volentes, velut in profundo malorum penitùs deſperaſſent, niſi occurriſſet eis hæc tabula: ut per hoc compendium ſuis peccatis pro Chriſto animabus conſummati, breviter multorum temporum ſpacia complevíſſent. Multi etiam invenire locum ubi ſteterunt pedes Domini cupientes, priùs ad bravium ſine curſu, vel potiùs ad coronam ſine gladio pervenerunt; illo ſuum remunerante militem, qui ſolam conſiderat in oblatione voluntatem. Ut autem propter præmiſſa fideles efficaciter & potenter expergentur; nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, ex illa quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem; omnibus qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint & in expenſis, plenam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus: & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in perſonis propriis illùc acceſſerint, ſed in ſuis duntaxat expenſis, juxta facultatem & quantitatem ſuam viros idoneos deſtinaverint: & illis ſimiliter, qui licèt in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis acceſſerint; plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe participes, juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum; omnes qui ad ſubventionem ipſius Terræ de bonis ſuis congruè miniſtrabunt. Perſonas quoque ipſorum & bona, ex quo crucem ſuſceperunt, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Necnon & eadem ſub Archiepiſcoporum, & omnium Prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant. Statuentes, ut donec de ipſorum obitu vel reditu certiſſimè cognoſcatur; integra maneant, & ſecura conſiſtant. Porrò eccleſiarum Prælati, qui in exhibenda juſtitia crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, ſciant ſe graviter puniendos. Quòd ſi quiſquam contraire præſumpſerit, per eccleſiarum Prælatos, appellatione poſtpoſita, cenſura eccleſiaſtica compeſcatur. Si qui verò proficiſcentium illùc, ad præſtandas uſuras juramento tenentur aſtricti; creditores eorum per eccleſiarum Prælatos, ut remittant eis præſtitum juramentum, ut ab uſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtrictione compelli. Quòd ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coëgerit uſurarum, cum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animadverſione mandamus. Judæos verò ad remittendas ipſis uſuras, per ſecularem compelli præcipimus poteſtatem. Et donec illis remiſerint, ab univerſis Chriſti fidelibus, tam in mercimoniis quam in aliis, per excommunicationis ſententiam eis omninò communio denegetur. His verò, qui Judæis debita ſolvere nequeunt in præſenti, ſic Principes ſæculares utili dilatione provideant; quòd poſt iter arreptum, uſquequò de ipſorum obitu vel reditu certiſſimè cognoſcatur, uſurarum non incurrant incommoda: compulſis Judæis proventus pignorum, quos interim perceperunt, in ſortem expenſis neceſſariis deductis, computare.

Cùm

Cùm hujus beneficium non multum videatur habere diſpendii; quia ſolutionem ſic prorogat, quòd debita non abſorbet. Ut autem Terræ ſanctæ ſubſidium diviſum in plurimos faciliùs impendatur, obſecramus omnes & ſingulos per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum ſolum verum æternum Deum, poſtulantes vice Chriſti, pro Chriſto, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, Abbatibus & Prioribus, & tam Cathedralium quam aliarum conventualium eccleſiarum capitulis, & clericis univerſis; necnon civitatibus, villis & oppidis, competentem numerum bellatorum cum expenſis neceſſariis, ſecundùm proprias facultates, in ſuccurſum Terræ ſanctæ alacriter deſtinare. Et ſi ad hoc unumquodlibet non ſufficiat, plura conjungantur in unum, quia pro certo ſperamus, quòd perſonæ non deerunt, ſi expenſæ non defuerint. Poſtulantes hoc ipſum à Regibus & Principibus, Comitibus & Baronibus, aliiſque Magnatibus, qui forſitan per ſeipſos perſonaliter non acceſſerint ad obſequium Crucifixi: à civitatibus verò marinis, navale ſubſidium poſtulamus. Clericis verò ad hoc negotium neceſſariis providimus indulgendum; ut omni contradictione ceſſante, beneficiorum ſuorum proventus propter hoc valeant ad triennium pignori obligare. Ita tamen, quòd illi quibus committendos duxerint, vel etiam obligandos; infra præſcriptum tempus cum ea integritate proventus percipiant antedictos, cum qua ipſi eos perceperunt, ſi in eccleſiis, in quibus ipſos obtinent, perſonaliter reſiderent. Quia verò ſubſidium Terræ ſanctæ multùm impediri vel retardari contingeret, ſi ante ſuſceptionem crucis quemlibet examinare opporteret, an eſſet idoneus & ſufficiens ad hujus votum perſonaliter proſequendum: concedimus, ut (regularibus perſonis exceptis) ſuſcipiant quicunque voluerint ſignum crucis. Ita quòd ſi urgens neceſſitas aut evidens utilitas poſtulaverit; votum ipſum de mandato Apoſtolico poſſit commutari, aut redimi, aut differri. Univerſis autem eccleſiarum Prælatis diſtrictè præcipimus, ut ſinguli per loca ſua illos qui ſignum crucis depoſuerunt, reſumere: ac tam ipſos quàm alios cruce ſignatos, & quos adhuc ſignari contigerit, ad reddendum Domino vota ſua diligenter moneant & inducant. Cæterùm, quia curſarii & pyratæ nimis impediunt ſubſidium Terræ ſanctæ, capiendo & ſpoliando tranſeuntes ad illam, & ab illa revertentes: nos eos & principales adjutores & fautores, excommunicationis vinculo innodamus. Sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis ſcienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu: injungentes rectoribus civitatum & locorum ſuorum, ut eos ab hac iniquitate revocent & compeſcant. Alioquin, quia nolle perturbare perverſos, nihil aliud eſt quàm fovere; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſint obviare, nos in perſonas & terras eorum ſeveritatem eccleſiaſticam curavimus exercere: cùm tales non minùs quàm Sarraceni, adverſentur nomini Chriſtiano. Innovamus præterea excommunicationis ſententiam, in Laterano Concilio promulgatam adversùs eos, qui Sarracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galeiarum: quique in pyraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, vel quibuſlibet aliis, aliquod eis impendunt conſilium vel auxilium in Terræ ſanctæ diſpendium; eóſque rerum ſuarum privatione mulctari, & capientium ſervos, ſi capti fuerint, fore cenſemus. Præcipientes, ut per omnes urbes marinas, diebus Dominicis & feſtivis hujus ſententia publicè innovetur. Et talibus gremium non aperiatur eccleſiæ, niſi totum quod de commercio tam damnabili perceperint, in ſubſidium Terræ ſanctæ tranſmittant; ut æquo judicio, in quo deliquerint, puniantur. Quòd ſi fortè ſolvendo ſatisfacientes non fuerint, ſicut aliàs reatus talium caſtigare; quòd in pœna ipſorum aliis interdicatur audacia ſimilium præſumendi. Quia verò ad hoc negotium exequendum eſt permaximè neceſſarium, ut principes & populi Chriſtiani ad invicem pacem obſervent, juxta quod ſtatutum eſt in Concilio generali; volumus & mandamus, ut ſaltem per quadriennium in toto orbe Chriſtiano pax generaliter obſervetur: ita quòd per eccleſiarum Prælatos diſcordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam trengam inviolabiliter obſervandam. Et qui adquieſcere fortè contempſerit, per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras arctiſſimè compellantur: niſi tanta fuerit injuriatorum malitia, quòd non debeant pace gaudere. Quòd ſi fortè cenſuram eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immeritò formidare, ne per auctoritatem eccleſiæ contra eos tanquam perturbatores negotii crucifixi, ſæcularis potentia inducatur. Accingantur igitur omnes filii adoptionis divinæ ad obſequium Jeſu Chriſti, diſſentiones & lites in pacis & dilectionis fœdera commutantes: credendo firmiter, quòd ſi verè confeſſi fuerint & compuncti, fælici commercio laboribus ſuis, qui citò tranſeunt, æternam requiem mercabuntur. Datum Spoleti, ii. Non. Septemb. Pontificatus noſtri anno viii.

HÆC cum per Chriſtianorum climata, præcipuè per Angliam, Chriſti fidelibus innoteſcerent; & prædicatio per Prælatos, maximè verò per fratres Prædicatores & Minores fieret, quibus data fuit poteſtas cruceſignandi, & votum data pecunia relaxandi: ſeſe multi, quorum non erat numerus, cruce ſignaverunt. Sed citò in tantam nobilitatem, ne dicam arrogantiam elevabantur Prædicatores & Minores, qui ſpontaneam paupertatem cum humilitate elegerunt; ut recipi curarent in cœnobiis & civitatibus in proceſſione ſolenni, in vexillis, cereis accenſis, & in diſpoſitione veſtimentis feſtivis indutorum: & conceſſa eſt eis veniam multorum dierum ſuis conferre auditoribus, ſignatóſque hodie, cras data pecunia à crucis voto abſolverunt. Parvóque tempore ſuccedente, facta eſt tanta commutatio, tam multiformis pecuniæ exactio; nec ſciri poterat in quam abyſſum tanta pecunia, quæ per Papales procuratores colligebatur, eſt demerſa; quòd fidelium circa negotium crucis

Romanorum avaritia obfuit negotio cruciſ.

 tepuit,

1234. tepuit, imò potiùs charitas refriguit generalis. Unde negotium *Terræ ſanctæ* nunquam fœlix ſuper hoc ſuſcepit incrementum. Prætereà graviter lædebatur omnium conſcientia, & in meditatione exardeſcente ſauciabatur; quòd tota illa pecunia impreciabilis, quæ ex decima per magiſtrum *Stephanum* domini papæ clericum cumulabatur, ad conterendum Imperatorem, facta pace, (ſicut colligi poteſt per epiſtolam Papæ ſupraſcriptam) nec in minimo quadrante eſt reſtituta, nec ad aliquod eccleſiæ commune negotium vel honorem diſtributa. Imò nec dum penitùs fuit extorta vel collecta; & ecce ſubita & occulta pax eſt reformata: & poſteà facta eſt inquiſitio gravis, quis plenè vel pleniùs perſolvebat.

Mors Comitis Mareſchalli.

ET dum circa hæc eccleſiaſtici viri ſollicitarentur, Comes *Mareſchallus* in tutela *Hybernenſium* retentus; in tantum reſpiravit jam, quòd loqui, ire, comedere valuit. Exigebant igitur hoſtes ejus ab eo caſtra ſua & terras *Hyberniæ*: ut ſic ſaltem Regi reconciliaretur, qui contra Regem in prælio capiebatur, qua libuit morte puniendus. Oſtenſáque fuit charta Regis ei, ſuæ captionis præceptæ. Quod cùm oporteret facere, in tantum doluit, quòd non curavit de ſuis vulneribus. Et advocatus eſt chirurgicus proditor, qui ferro ignito tantum uſſit eum, ut in peracutam febrem cecidit. Facta igitur confeſſione & viatico ſalutis communitus; tenens crucem & adorans, ſpiritum reddidit, xvi. Calend. Maii. Et ſepultus eſt in oratorio fratrum *Minorum* apud *Kilkenni*; ubi idem ſepulturam elegerat, militiæ flos temporum modernorum.

[illegible] prædas intendunt.

INTERIM hæc ignorantes *Richardus Sward* cum ſuis complicibus, ædificiis Regalium eis adverſantium intendebat comburendi: utpote *Swaneburne*, manerium *Roberti Paſſeleve*, & *Tvinkeho* Epiſcopi *Wintonienſis*, cum frugibus & animalibus. Et inſidiis præventum *Willielmum* de *Holewere* militem, *Hertfordiæ* Vicecomitem, eò quòd affinis eſſet dicto *Roberto*, & ſororem deſponſaverat: truculenter abduxerunt & ad redemptionem gravem compulerunt. Septémque ſummarios oneratos *Stephani* de *Segrave* & Epiſcopi *Wintonienſis*, inter *Radingum* & *Walingefort* rapuerunt. Interim caſtra Comitis *Mareſchalli* rapuerunt ipſi Proceres *Hyberniæ*, occupantes & inter ſe dividentes; ſicut eis per chartam Regis fuerunt confirmata poſſeſſionibus incumbentes.

Omnes proſcripti ad pacem Regis veniunt.

PER idem etiam tempus, poſt Paſchalem ſolennitatem, cùm Rex *Anglorum* versùs *Gloverniam* tenderet, cupiens obviare Archiepiſcopo & Epiſcopis, quos in *Walliam* miſerat, ut ſupradictum eſt: venit apud *Wudeſtoc* manerium ſuum, ut pernoctaret ibidem. Venerunt autem ibi ad eum nuncii ex *Hybernia*, caſum ei referentes de morte Comitis *Mareſchalli*. Unde Rex, admirantibus cunctis qui aderant, in fletum & lamentationem prorumpens, conqueſtus eſt graviter de morte tanti militis: aſſerens conſtanter quòd nullum ſibi parem in regno moriens reliquiſſet. Et continuò vocatis Preſbyteris de capella ſua, fecit ſolenniter decantari obſequium defunctorum pro anima ejus: & in craſtino completis Miſſarum ſolenniis, largas pauperibus eleemoſynas erogabat, conſimilis in hoc *David*, caſum *Saulis* & *Jonathæ* deplorantis. Beatus ergo Rex talis, qui novit offendentes diligere: & cum lacrymis pro ſuis fidelibus, quos falſis ſuggeſtionibus exoſos habuit aliquando, exorare. Cúmque Rex inde profectus ad *Gloverniam* perveniſſet, venit ad eum ibi *Ædmundus Cantuarienſis* Archiepiſcopus cum Epiſcopis, qui cum ipſo ad *Leolinum* fuerant deſtinati: denunciantes ei, quòd cum *Leolino* de quadam forma pacis tractaverant. Ita tamen, quòd ante omnia Regi reconciliarentur viri nobiles de regno, quibus confœderatus erat idem *Leolinus*; qui per pravum conſilium ab *Anglia* exulabant: quo ritè peracto, præfata concordia pleniùs firmaretur. Dicebátque Archiepiſcopus circumſedentibus, fortè Rege audiente; quòd ad talem finem multis pervenerunt diſceptationibus, minis aliquando ex parte Regis & totius cleri intercurrentibus. Quibus minis ſic dicitur *Leolinus* reſpondiſſe: Plùs timeo eleemoſynas Regis, quàm totam ejus cum clero militiam. Tunc Rex, qui ut pax fieret modis omnibus ſuſpirabat, fecit convocare per literas ſuas proſcriptos omnes, ut venirent *Gloverniam*, Dominica proxima ante aſcenſionem Domini; quarto ſcilicet Calend. Junii; ad colloquium, plenam gratiam ipſius cum ſuis hæreditatibus recepturi. Et ut hoc facerent omni ſuſpicione remota, ſub ſalvo conductu Archiepiſcopi & Epiſcoporum ducerentur. Venerunt ergo ad pacem Regis, mediantibus Archiepiſcopo & Epiſcopis, *Hubertus* de *Burgo*, *Angliæ* quondam Juſtitiarius: quem Rex ſereno vultu reſpiciens, ſuſcepit in amplexu & pacis oſculo; gratiam ei priſtinam reſtituendo, & alii exules. Tunc *Hubertus* Comes *Cantiæ*, cum grata recordatione junctis manibus ſuſpiciens in cœlum, dixit in corde & ore: O *Jeſu* ſalvator crucifixe, quem cruentatis in cruce vulneribus aliquando dormiens conſpexi, & in craſtino ſecundùm admonitum tuum tuæ peperci effigiei, eandem venerando: nunc mihi veſtri gratia tempore opportuno, gratam rependiſti viciſſitudinem. Et ut hic apologus clariùs eluceſcat audientibus, facto parvo materiæ diverticulo, legentes certificemus.

Viſio Comitis Cantiæ Huberti.

Contigit guerra ingraſſante tempore Regis *Johannis*, quòd rapinis & incendiis attenderent more guerræ milites cum ſervientibus Regis ſtipendiis aſſignati; quibus præerat *Hubertus* memoratus. Quadam igitur nocte dum ſopitus alto ſomno in ſtratu quieſceret, apparuit ei Dominus in cruce pendens crucifixus, ſicut manibus artificum ſolet inſculptus effigiari, & ait: Cùm iterum videris meam effigiem, parce

mihi

1234.

mihi in illa, & defer ac venerare. In craſtino igitur dum iter ageret, obvium habuit unum Preſbyterum attonitum & currentem indutum alba, ſtolam habentem & manipulum, & crucem magnam cum crucifixo in humero bajulantem. Et dixit Preſbyter voce clamans lacrymabili: Domine, libera eccleſiam meam cui deſervio à ruptariis, qui patriam iſtam depopulantes, eam bonis omnibus ſpoliaverunt. Et reſpiciens *Hubertus*, vidit imaginem illam in cruce pendentem, per omnia conſimilem illi quam vidit nocte præterita, & deſcendens de equo adoravit eam: & ſtatim duce Preſbytero eodem patriam liberavit, eccleſiæ ſpoliatæ bona cuncta reſtituendo. Hujus ergo viſionis recordans Comes *Cantiæ Hubertus*, dedit laudem Deo & gloriam, Regi & Regiis amicis fidelibus reconciliatus, & à multis preſſuris & tribulationibus liberatus: quod ſoli Deo & non homini aſſcripſit venerabilis Comes *Hubertus* memoratus.

Rex reddit Gileberto Baſſet hæreditatem.

REX autem ad mentem reverſus, & conſimili pietatis ductus ſpiritu, *Gilebertum Baſſet* virum nobilem, & *Richardum Sward* militem ſtrenuum, cum omnibus qui cum eis & pro eis in exilium fuerant pulſi: in gratiam ſuam plenam & non fictam revocavit; & eis in oſculo pacis receptis, reddidit omnia jura ſua, quinto Calend. Junii. Et in eodem colloquio venit ad Regem *Gilebertus* frater *Richardi* Comitis *Mareſchalli*, proteſtans mortem fratris ſui; & poſtulavit ab eo, ut ipſum in hæreditate ſua reciperet: offerens homagium ſuum Regi, & quicquid ei ut domino facere tenebatur. Tunc Rex, interceſſione & conſilio Archiepiſcopi reddidit ei hæreditatem ſuam totam tam in *Anglia* quàm in *Hybernia*; & homagium ejus recepit. Atque poſt hæc, in die Pentecoſtes apud *Vigorniam* eundem *Gilebertum* cingulo cinxit militari; tradens ei virgam *Mareſchalciæ* curiæ ſuæ, ſicut moris eſt: & ſicut eam anteceſſores meliùs & liberiùs habuerunt. *Hubertum* quoque de *Burgo*, *Gilebertum Baſſet*, & *Richardum Sward*, inter domeſticos & familiares Conſiliarios admiſit: tunc demùm intelligens, quòd priorum fuerat ſeductus aſtutia Conſiliatorum; qui ſe jam cauteriatam habere ſententies conſcientiam, à Regis præſentia ſeſe ſubtraxerunt.

Rex citat coram ſe Petrum de Rivallis, Stephanum de Segrave & Robertum Paſſelere.

IN eodem autem colloquio, *Ædmundus Cantuarienſis* Archiepiſcopus fecit recitari exemplar literarum, de proditione *Richardo* Comiti præparata; coram Rege & univerſo conventu Epiſcoporum, Comitum pariter ac Baronum qui affuerunt: quæ à conſiliariis Regis miſſæ fuerant, ad Magnates *Hyberniæ*. Unde Rex ipſe & alii omnes, qui eas audierant, admodùm ſunt contriſtati; & uſque ad lacrymarum compuncti ſunt effuſionem. Rex autem confeſſus eſt in veritate, quòd compulſus ab Epiſcopo *Wintonienſi* & *Petro* de *Rivallis* & aliis Conſiliariis ſuis: juſſerat ſigillum ſuum apponi in quibuſdam literis ſibi præſentatis: ſed tenorem illarum ſe nunquam audiſſe cum juramento affirmavit. Ad hoc reſpondens Archiepiſcopus, dixit: Scrutamini Rex conſcientiam veſtram, quia omnes illi qui literas illas mitti procuraverunt, & hujus proditionis conſcii fuerunt, rei ſunt de morte *Mareſchalli*, acſi illum propriis manibus occidiſſent. Tunc Rex, habito conſilio, fecit vocare per literas Epiſcopum *Wintonienſem*, *Petrum* de *Rivallis*, *Stephanum* de *Segrave*, & *Robertum Paſſeleve*, ut venirent ad feſtum ſancti *Johannis*; ratiocinium reddituri de theſauris ſuis receptis pariter & expenſis. Sed & de ſigillo ſuo, quod malè tractaverant, ipſo penitùs ignorante: mandavit, ut tunc venirent reſponſuri, & Juri parituri. Sed illi, proprias conſcientias habentes ſuſpectas in omnibus; ex una parte Regem, ex altera verò fratres & amicos metuebant *Mareſchalli*; cujus necem procuraſſe videbantur. Unde ad pacem eccleſiæ confugientes Epiſcopus & *Petrus* de *Rivallis*; in eccleſia cathedrali apud *Wintoniam* latitabant, à conſpectu hominum ſeſe penitùs ſubtrahentes. *Stephanus* verò de *Segrave* in eccleſia ſanctæ *Mariæ* in Abbatia Canonicorum apud *Legeceſtriam* delituit: & qui priùs à clericatu, ad militiam per arrogantiam confugerat; ad clericatus officium reverſus, coronam quam reliquerat inconſulto Epiſcopo revocavit. *Robertus* quoque *Paſſeleve* ad latibulum divertit incognitum; ita quòd eum quærentes defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Sed multi eum *Romam* petiſſe; ad cujus curiam, viam antè ſæpè contriverat, quando fuit *Falconis* domini ſui procurator, exiſtimabant. Sed revera ad *Novum templum* ſe infirmum ſimulans, in quodam ſecreto celatus cellario latitabat; more tectus leporino. Nec etiam ad mandatum Regis excitatus, cùm ſcitæ ejus fuerunt latebræ, auſus eſt diu egredi: ſicut nec alii, ſua eos conſcientia remordente. Inde ſuſpitionis argumentum contrahentes, quòd inimici eorum, qui villas ſuas & ædificia cum horreis frugibus plenis concremaverant, non parcerent corporibus ſuis, ſi nocendi opportunitatem invenirent.

Rex Anglorum exigit ratiocinium à Petro de Rivallis.

TANDEM *Ædmundus Cantuarienſis* Archiepiſcopus (qui pacis mediator erat hujus diſſidii) impetravit à Rege; ut ſub ſalvo conductu ipſius & Epiſcoporum, poſſent ad diem certum coram illo venire: reſponſuri ſuper exactionibus prædictis, ut omnis in regno diſſenſionis occaſio ſopiretur. Statuit igitur illis diem Rex pridiè Idus Julii apud *Weſtmonaſterium*; ubi ſub protectione Archiepiſcopi & Epiſcoporum, ad Regis præſentiam ſunt perducti. Inter quos *Petrus* de *Rivallis* primus in cauſam vocatus, apparuit coram Rege in habitu clericali, cum tonſura & lata corona (anelacio tamen à lumbali dependente) Regemque reverenter ſalutavit; cum Juſtitiariis ſuis in banco ſedentem. Quem Rex torvo reſpiciens oculo: O proditor (inquit) per iniquum conſilium tuum ſigillum meum ignorans appoſui literis de proditione Comitis *Mareſchalli*. Per tuum etiam pravum conſilium,

ipſum

1234. ipſum & alios de regno meo homines naturales relegavi; & eorum animos à me pariter & amorem averti. Per pravum etiam conſilium tuum & complicum tuorum; guerram contra illos movi, in jacturam meam irreſtaurabilem,& regni opprobrium; per quam guerram, theſaurum meum & vitam multorum illuſtrium, ſimul & honorem meum amiſi lamentabiliter. Exegit igitur Rex ab eo prætereà, ratiocinium de theſauro ſuo, & cuſtodiis puerorum nobilium & eſchaëtarum; cum aliis proventibus multis, quæ ad coronam ſpectabant. Cúmque hæc & alia multa Rex ab eo ſub proditionis nomine exegiſſet, nihil omninò de objectis ſibi criminibus negavit; ſed coram Rege in terram corruens, per hæc verba ejus miſericordiam imploravit, Domine Rex (inquit) nutritus ſum à vobis, & in bonis temporalibus dives factus; ne confundas hominem quem creaſti: ſed concede ſaltem tempus deliberandi, ut de rebus exactis, competenter vobis valeam reddere rationem. Cui Rex: Mittam te in turrim *Londinenſem*, ut ibi deliberes; donec mihi ſatisfacias prævia ratione. Ad hæc *Petrus*: Domine, clericus ſum, nec debeo incarcerari, vel ſub laicorum cuſtodia deputari. Reſpondit Rex: Te ut laicum hactenùs geſſiſti, à te igitur ut à laico, cui meum commiſi theſaurum, exigo. Veruntamen, ecce præſens eſt Archiepiſcopus, qui ſi pro te fidejubere voluerit, tradam te illi, ut mihi ſatisfaciat de exactionibus ſupradictis. Ad quod cùm ſiluiſſet Archiepiſcopus, miſit Rex prædictum *Petrum* in Turrim memoratam, accipiens in manu ſua omnes laicas poſſeſſiones ejus; quia ſub habitu clericali, lorica erat indutus, geſtans anelacium ad lumbare, quod clericum non decebat: imò multi illud interpretabantur deteriùs, quàm ut dici vel ſcribi deceat. Et tunc *Petrus* flevit amarè; ſcilicet ingrediens naviculam, ducendus ad Turrim ſupradictam. Fuit autem in ea, die Jovis, & ſequenti die Veneris. Et tunc ab Archiepiſcopo liberatus, apud *Wintoniam* perductus eſt; & in Eccleſia dimiſſus cathedrali.

Stephanus *de Segrave apparuit coram Rege.*

APPARUIT autem eadem die in Regis præſentia *Stephanus* de *Segrave*, veniens ſub protectione Archiepiſcopi; de rebus ſibi impoſitis reſponſurus. Qui cùm ſtaret in judicio Juri pariturus, increpavit eum Rex ſub nomine nequiſſimi Proditoris; de omnibus articulis de quibus increpaverat *Petrum* de *Rivallis*. Hoc etiam adjiciens, quòd conſilium dederat ei, ut *Hubertum* de *Burgo* ab officio Juſtitiariæ amoveret, incarceraret, patibulo ſuſpenderet; & nobiles de regno, exilio relegaret. Cúmque hæc & alia multa ei impoſuiſſet flagitia; exegit ab eo ratiocinium ab officio Juſtitiarii, quod ſub eo miniſtraverat poſt *Hubertum* de *Burgo*; de rebus perceptis pariter, & expenſis. Super his autem Archiepiſcopus & quidam Epiſcopi impetrarunt inducias à Rege, uſque ad feſtum S. *Michaëlis*; ut deliberandi tempus haberet. De pravis quoque conſiliis ſibi imputatis alios altiores eo, medios ſcilicet inter Regem & eum, quibus neceſſe habuit immediatè reſpondere, utpote *Walterum Karleolenſem*, & *Petrum* de *Rivallis*, non me, redarguat. Et ſic de aliis umbonem faciens defenſionis, receſſit; in alios crimen retorquendo. Et ſic abſcondit ſe iterum *Robertus Paſſewe*, qui poſt *Walterum Karleolenſem* officium Theſaurarii adminiſtraverat: quòd etiam à diligenter quærentibus animam ejus, vix eſt ubi foret abſconditus revelatum. Rex autem fretus conſilio ſaniori, *Hugonem* de *Pateſhulle* clericum, filium videlicet *Simonis* de *Pateſhulle*, qui quandoquè habenas moderabatur totius regni Juſtitiarii, virum fidelem & honeſtum; loco prædictorum, quamvis renitentem, ſubrogavit. Adminiſtraverat enim idem *Hugo* officium ſcaccarii anteà laudabiliter; ſecundùm quod appellatur ſecretum ſcaccarii, ſigillum cuſtodiendo, & diffinitam pecuniam à vicecomitibus recipiendo: quare plenior fides eſt ei adhibita, paterna fidelitate teſtimonium fidei perhibente.

Hugo *de* Pateſhulle *fit Juſtitiarius* Angliæ.

Comes Britanniæ *à Rege* Angliæ *deficit.*

EODEM anno, inſtante nativitate S. *Johannis*, quo tempore erant expiraturæ treugæ in *Britannia*, inter Reges *Francorum* & *Anglorum*: Rex *Anglorum* miſit Comiti *Britanniæ* milites lx. & *Wallenſes* duo millia; qui terræ illius infirmiora communirent. Rex autem *Francorum*, treugis evolutis, congregavit exercitum copioſum ex omnibus viribus ſuis; & quoddam caſtellum Comitis *Britanniæ* obſidione vallavit. Milites quidem Regis *Anglorum* & *Wallenſes* venientibus *Francigenis* occurrentes, equos quorundam hoſtium ſuorum peremerunt; ex equitibus, pedites multos facientes: clitellarios, bigas, & vehicula, quibus victualia deferebantur & arma, invadentes ceperunt, equos & ſpolia rapuerunt: & damna eis non modica inferentes, abſque ſui læſione ad propria ſunt reverſi. At Rex *Francorum*, ex damno ſibi illato perturbatus, diviſis prudentiùs bellicis agminibus; totum exercitum ſuum admodùm numeroſum in tres diviſit legiones; ut minori trium, vix videretur Comes *Britanniæ* omnibus collatis viribus reſiſtere. Undique *Britanniam* invadendo acriter inſurgens, more leonis; qui cùm læditur, acerbiùs bacchatur in rebellem; & *Britannos* gravi afflixit contritione. Comes autem in arcto poſitus, treugas uſque ad feſtum omnium Sanctorum ſub tali forma poſtulans impetravit: ut ſciret interim ſi Rex *Anglorum*, cui confœderatus erat, corporaliter vellet in ejus ſuccurſum venire. Pro his ſiquidem treugis obtinendis, ſub tali forma tradidit Regi *Francorum* tria caſtella optima: quòd ſi Rex *Anglorum*, infra terminum memoratum ad liberationem terræ ſuæ non veniret corporaliter; ipſe tunc Regi *Francorum* terram *Britanniæ* totam, cum caſtellis & viribus, ex integro reſignaret. Treugis autem in hunc modum confirmatis, Comes *Britanniæ* milites Regis *Angliæ* & *Wallenſes* remiſit in *Angliam*: à quibus Rex præmonitus eſt, ne ultra theſauros Regni effunderet

pro

1233.

pro defenſione Comitis *Britanniæ*, quia jam verſus in arcum pravum, fœdus iniit cum Rege *Francorum*; ut diffugio à Rege *Anglorum* facto, ad ejus pacem veniret; nihil expectans, niſi ut theſauros *Angliæ* exhauſiſſet. Ipſe ſiquidem Comes parvo pòſt emenſo temporis ſpacio, in *Angliam* veniens, Regi ſuggeſſit; quòd pro treugis à Rege *Francorum* obtinendis, quicquid in auro habuit vel argento effuderat: petens ſibi reſtitutionem fieri xv. millium Marcarum, quas conſumpſerat pro defenſione terræ ſuæ, & *Anglorum* Regis honore. Ad hæc reſpondit Rex, & dixit, quòd per eum treugæ non erant obtentæ vel confirmatæ; adjiciens inſuper, quòd ad defenſionem *Britanniæ*, non ſufficiebant *Angliæ* theſauri, quod jam per triennium comprobavit; nec voluit tam laborioſis expenſis, ampliùs inutiliter fatigari. Sed ſi Comes *Britanniæ* hoc ſufficere crederet, ipſe mitteret quatuor Comites *Angliæ*, cum tot militibus & viris armatis; qui ſufficerent ad defenſionem terræ illius contra Regem *Francorum*. Hæc audiens Comes *Britanniæ*, iratus à Rege receſſit; & tranſiens in terram ſuam, continuò ad Regem *Francorum* confugit. Et ut proditionem contra Regem factam, ſub qualicunque ſchemate palliaret; venit ad Regem *Francorum* laqueum in collo gerens; & proditorem ſe eſſe recognoſcens, reddidit ei *Britanniam* totam, cum municipiis & caſtellis. Cui Rex *Francorum* dicitur reſpondiſſe: Licet proditor nequiſſime, mortem promerueris turpiſſimam, parcem tamen tuæ nobilitati ut vivas; & dabo *Britanniam* filio tuo ad vitam ſuam; ita ut poſt mortem ejus, Reges *Francorum* terræ illius hæredes exiſtant. Comes autem rebus omnibus ut proditor ſpoliatus, per internuncios Regi *Anglorum* reddidit homagium ſuum; quod ei pridem fecerat. Et Rex cepit in manu ſua omnia jura Comitis *Brittanniæ* in *Anglia*; & honores ad illum ſpectantes. Comes verò videns mala ſibi multiplicata, in ſeipſo tabeſcens præ dolore & infrendens; per mare paravit inſidias mercatoribus & aliis facientibus operationes in aquis (juxta cognomen ſuum, ſcilicet *Mauclerc*) rapinis injurioſis intendebat, pyrata factus execrabilis.

Mira avaritia cujuſdam Archiepiſcopi.

HOC denique anno, qui tertius erat ſterilium annorum; exitialis mortalitas crudeliter ubique ſæviebat & fames; quæ peſtilentiæ tam exigentibus peccatis, quàm ex præcedente aëris intemperie, & agrorum generali ſterilitate, abſque dubio provenerunt. Pauperes verò diverſis in locis ob inediam tabeſcentes moriebantur; non invenientes *Samaritanum*, qui eos ſtabulario committeret reficiendos, vel vulnera liniret oleo conſolationis. Eleemoſyna quidem, quæ etiam divitias augere ſolet, ubique deſerta languebat; dum divites, qui in omnibus bonis abundabant temporalibus, tanta cæcitate percuſſi ſunt; quòd homines *Chriſtianos*, ad imaginem Dei creatos, mori præ alimentorum inopia permittebant. Cæci quidem fuerunt, qui non ex Dono Dei, ſed propria induſtria jactant ſe divitias acquiſiviſſe. Eſt hoc quoque turpe fuit omnibus generaliter *Chriſtianis*; turpiſſimum tamen extitit Epiſcopis & eccleſiarum Prælatis. Unde inter primos ex vitio avaritiæ notabiles, *Walterum Eboracenſem* Archiepiſcopum pono cæteris in exemplum. Ad quem cùm veniſſent plurimorum maneriorum Præpoſiti pariter & miniſtri, oſtendentes quòd in locis diverſis multum habuerit bladum, quinquennali jam tempore inveteratum; quod nimis habebant ſuſpectum; ut vel à muribus eſſet coroſum, vel corruptione aliqua putrefactum. Archiepiſcopus autem, non habens in tanta neceſſitate nec ad Dominum nec ad pauperes reſpectum; præcepit miniſtris ſuis ac præpoſitis, ut traderent frumentum vetus ruſticis de maneriis ſuis; qui pro veteri novum ſibi redderent poſt Autumnum. Contigit ergò cum præpoſitus ejuſdem Archiepiſcopi, in villa de *Riſpun* bladum circuiret; extra horrea poſitum illud trituraret, apparuerunt ubique in garbis, capita vermium ſerpentium; ſcilicet colubrorum & bufonum terribilium: unde miniſtri, qui cum præpoſito ad hoc ſpectaculum convenerant, fugientes, timuerunt ne à vermibus læderentur. Cùmque omnia Archiepiſcopo fuerant intimata, miſit Seneſchallos ſuos nimio rubore confuſus; ut viderent quid inde conſultiùs foret faciendum. At illi venientes ad locum, non obſtantium vermium multitudine, ſcalas applicaverunt ad bladum: & ruſticos quoſdam compulerunt ut aſcenderent & frumentum detegerent. Qui cùm ad ſummitatem perveniſſent, exivit de blado fumus nigerrimus & fœtor quidam infernalis & intolerabilis. Unde cum feſtinatione deſcendentes, ut periculum mortis evaderent, teſtificati ſunt ſe nunquam anteà talem ſenſiſſe fœtorem. Vocem etiam audierunt ſibi dicentem, ne ad bladum manus apponerent, quia Archiepiſcopus & omnia quæ habebat, Diaboli poſſeſſio erat. Videns autem Seneſchallus & alii qui cum illo erant, ex vermium multitudine grave periculum imminere; fecerunt murum altum in circuitu bladi, & ignem adhibentes in gyrum omnia combuſſerunt; ne vermes exeuntes totam adjacentem inficerent regionem.

Miraculum de avaritia cujuſdam preſbyteri.

ERAT in eadem *Eboracenſi* provincia Sacerdos quidam & vicarius dives valdè, & in officio ſanctæ prædicationis magnus; ſed tamen avarus, qui in hac æſtate mortaliter infirmabatur, ſecundùm judicium præſentium Medicorum. Venerunt autem ad eum viſitandum propter famam religionis, quam juxta opinionem totius regionis habebat, vicini ejus Abbates & Priores: ignorantibus cunctis quòd lupus in ovicula, anguis lateret in herba. Cùm autem æger ille Prælatos ad ſe venientes reverenter ſalutaret, nullam tamen de ſalute animæ ſuæ fecit mentionem; niſi ob hoc quòd Prælatos illos diligens, legavit illis bladum non modicum, quod in curia ſua extra horrea poſitum habebat: dividens illud ſingulis, prout ſibi

1234. ſibi meliùs competere videbatur. Cúmque Abbates illi & Priores ad præceptum ægrotantis exirent, ut bladum ſibi legatum viderent; conſpexerunt juxta congeries illas, quendam hominem ſtantem, vicario quem in domo reliquerant lethaliter ægrotantem, in indumentis & forma corporis per omnia conſimilem; qui nimis acerbè loquens dicebat. Quid hîc quæritis? Sciatis certiſſimè quòd bladum hoc totum, & ille, cujus eſſe videtur, poſſeſſio mea eſt: quia vicarius, qui illud vobis legavit, homo meus eſt, & omnia quæ habet mea ſunt; ut qui junctis manibus mihi fecit homagium. Et noveritis indubitanter, quòd die quarta morte morietur; & tunc quod meum eſt plenè recuperabo, & eum quem ditavi inveniens in magna egeſtate. Audientes hoc Abbates, & qui cum eis erant, nimio terrore perculſi, reverſi ſunt ad vicarium, quem invenerunt jam in extremis laborantem, cui omnia quæ viderant & audierant per ordinem referebant. Et cùm coram illo replicaſſent, quòd ſcilicet homo diaboli eſſet: verum (inquit) dicit, quia jam elapſis xx. annis, cùm pauper eſſem, pro dignitate terrena & lucro temporali, homagium diabolo feci, qui vobiſcum nunc eſt confabulatus. Et continuò ad lamenta pœnitentiæ & confeſſionis remedium confugiens; diabolo cum omnibus operibus ſuis ac pompis renunciavit. Confeſtimq; miſeratione divina illum reſpiciente, ab omni corporali moleſtia ſanus effectus eſt, ut ſpacium haberet congruum pœnitendi. Unde manifeſtè conſtat, quòd *non vult Deus mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat.*

LICET in ſupraſcriptis duobus capitulis ſit evidenter expreſſum, in quantum avaritiæ vitium omnibus *Chriſtianis* deteſtandum exiſtat; adjiciam adhuc & tertium ad audientium ædificationem; ne res tam memorabilis, dierum vetuſtate ab humana memoria deleatur. Cùm hic annus, de quo diximus, pauperibus graviſſimus uſque ad Julium menſem proceſſiſſet, illi quos diutina fames afflixerat, ad agros frugiferos proruunt catervatim; ubi frugum ſpicas licèt non maturas carpentes, & manibus tremulis confricantes; miſeram vitam, quæ vix eorum pectoribus palpitabat, protrahere ſatagebant. Sed ruſtici quarundam villarum (qui ex avaritia inopiam ſemper habent ſuſpectam) per agros ſuos tranſeuntes; cùm hoc pium & miſerabile furtum deprehendiſſent, perturbati ſunt valdè. Unde contigit, quòd homines villæ quæ dicitur *Alboldeſlea*, in *Cantebrugenſi* provincia ſita, cùm ſequenti die Dominica, quæ tunc fuit xvii. Calend. Auguſti, ad eccleſiam conveniſſent; Presbyterum tumultuoſis clamoribus rogabant, ut incontinenti omnes illos qui ſpicas in agro carpentes bladum furati fuerant, anathematis ſententia innodaret. Et cùm ad hoc ruſtici omnes vehementer inſtarent, vir quidam ex eadem villa religioſus & pius, cùm videret Presbyterum ad ferendum ſententiam paratum; ſurrexit; & ex parte Dei omnipotentis & ſanctorum omnium, Presbyterum adjuravit; ut ipſum, & omnes quas habuit in campo fruges, ab illa ſententia ſequeſtraret. Addidit etiam, quòd bene placuit ſibi quicquid pauperes inedia compulſi de ſuis ceperant frugibus; & quòd reſiduum erat, Domino commendavit. Quid ergo? Inſtantibus pertinaciter cæteris in ſtulto propoſito ſuo, cùm Presbyter compulſus ferre ſententiam inchoaſſet; tanta ſubito exorta eſt in aëre tempeſtas, tonitrui ſcilicet ac fulminis concuſſio, ventorum ac turbinum conflatio, pluviarum ac grandinum inundatio; quòd quaſi in momento turbine & flatu diabolico agitata, fruges in agris, armenta cum arboribus ac cæteris quibuſque creſcentibus & avibus in campis ita opprimendo contrivit; quòd velut in curribus & in equis conculcata, & in terram comminuta videbantur. Et quod admiratione dignum erat, nec porci, nec aves, nec aliquod genus animalis; ſpicas vel grana, licèt matura eſſent, voluerunt urgente tamen fame guſtare. Viſi ſunt autem in aëre ingruente eadem tempeſtate, angeli Sathanæ in modum nigrorum Satyrorum volitantes; & per agros curſitantes, qui aëreæ poteſtates credebantur; quibus conceſſum terræ & fructibus nocere fuerat, aërem perturbantes. Sed cùm juſtis & piis ſtabilis ſemper ſit inventa benignitas, vir ille ſimplex & juſtus, cùm peracta tempeſtate omnibus vicinis ſuis nimis damnoſa viſitare pergeret agros ſuos; invenit prædia ſua & jugera, licet inter terras aliorum permixta, ita ab omni tempeſtate intacta & illæſa, ut nullum in eis læſionis veſtigium appareret. Unde omni luce clariùs conſtat, quòd ſicut Deo gloria in excelſis canitur ab Angelis; ita & in terra pax eſt hominibus bonæ voluntatis. Inchoavit autem hæc tempeſtas in finibus *Bedfordiæ*; & ſic per inſulam *Elyenſem* & *Northfole* ad Orientem tendens, in mare deſcendit. Sæviebant ſiquidem hoc anno multæ conſimiles tempeſtates, in locis diverſis, quæ multis tam terribiles quàm damnoſæ fuerunt; præcipuè in menſe Julio, circa feſtum ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, tanta pluviarum irruebat inundatio, quòd fœnorum cumuli omnes cum pontibus ligneis perierunt.

Diſcordia inter Papam & cives Romanos.

EODEM anno, exorta eſt *Romæ* gravis diſſenſio, inter dominum Papam & cives *Romanos*, his de cauſis. Uſurpant ſibi cives memorati ex antiquo jure, quòd *Romanus* Pontifex non poteſt aliquem ex civibus excommunicare, vel urbem pro quolibet exceſſu ſupponere Interdicto. Ad hoc dicit ſummus Pontifex, quòd minor eſt Deo, ſed quolibet homine major; ergo major quolibet cive, vel etiam Rege, vel Imperatore. Et cùm eorum ſit pater ſpiritualis, debet & de jure poteſt filios corrigere vel corripere delinquentes; ut ſibi in fide *Chriſti* ſubjectos, etiam deviare volentes in viam dirigere veritatis: unde de jure poteſt rationabilibus de cauſis eos excommunicare, & civitatem interdicere. Item, Poteſtates urbis

1235.

& Senatores, annuum tributum exigunt ab eccleſia *Romana*; quod eis tam ex novo quàm ex antiquo jure *Romani* Pontifices perſolvebant; de quo etiam ſemper uſque ad iſtius Papæ tempora, in poſſeſſione fuerunt. Ad hoc dicit Papa, quòd ſi eccleſia *Romana* temporibus perſecutionis, pro defenſione ſua, & pro bono pacis, aliquando majores civitatis in donis gratuitis liberaliter reſpexit, non debet hoc in conſuetudinem trahi: quia illa ſola conſuetudo tenenda eſt, quæ jure conſtat & ratione ſubnixa eſt. Prætereà, Comitatum ſuum, (quod inauditum eſt, nec anteà factum) metis novis & amplis, jubente Senatore, voluerunt ſibi appropriare; & appropriatum intitulare novis ſupraſcriptionibus. Ad hoc reſpondit dominus Papa, quòd infra metas illas continentur quædam prædia, & etiam civitates & caſtra; utpote *Viterbium* civitas, & *Altus* mons caſtrum, quæ infra metas illas continentur, quas Comitatui ſuo aſſignare præſumunt: ſed alienum ſibi aſcribere & uſurpare, injuſtum eſt. Et quod his omnibus majus eſt, *Chriſtus* in cruce ſuo ſanguine ita liberam fecit illam, quòd nec portæ inferæ prævalebunt adversùs eam. His igitur & aliis de cauſis, inter dominum Papam & cives *Romanos* lite conteſtata & præventilata; idem Papa cum ſuis Cardinalibus exivit ab urbe: & apud urbem *Peruſium* moram facturus divertit. At *Romani*, contra eum invaleſcentes, quædam ipſius ædificia in civitate proſtraverunt: unde à Papa excommunicabantur. Qui etiam ad ſui adjutorium, ipſum Imperatorem attrahere moliebantur. Sed ipſe potiùs contra eos congregavit exercitum copioſum, ut impetum reprimeret *Romanorum*. Tunc exercitus ſummi Pontificis, cui præerat Comes *Tholoſanus*, quærens gratiam; & Epiſcopus *Wintonienſis* (quem dominus Papa callidè vocavit ad exercitum ſuum regendum, tum propter theſauri abundantiam, tum propter militandi peritiam) & exercitus Imperatoris, ſimul convenientes; caſalia eorundem *Romanorum* per gyrum urbis poſita, numero xviii. proſtraverunt, & vineas ſucciderunt. Unde cives ipſi perturbati, exierunt ab urbe viii. Idus Octobris, viri (ut dicitur armati centum millia, ut civitatem *Viterbium*, quæ ad jus domini Papæ ſpectabat, ſpoliarent; & ſpoliatam igne concremarent. Sed cùm irrationabile vulgus civitatis abſque diſciplina militari exirent, & agminibus incederent diſſolutis: acies militares ipſius Papæ, quibus Præerant inſtructi armis & viri bellicis negotiis exercitati, ſcilicet *Ciſmontani* & acies ſimul imperatoris ab inſidiis prorumpentes, irruunt in *Romanos*, & ex eis magnam ſtragem, non tamen ſine ſuorum læſione, fecerunt. Ceciderunt autem hinc inde ad xxx. millia armatorum. Sed *Romani* tamen majorem perpeſſi ſunt ſtragem; ut qui agminibus diſſipatis, ad ſuam civitatem præcipites confugerunt. Exaſperatum eſt quidem cor eorundem *Romanorum*, nimis adversùs dominum Papam: quia in illo conflictu de civitate multi nobiles corruerunt. Duravit diu iſta diſſenſio inter eos: ſed *Romani* tamen cives ſemper aleam Martis ſibi contrariam invenerunt. Eodem tempore obiit *Hugo Folioth Herefordenſis* Antiſtes: & ſucceſſit magiſter *Robertus* de *Maidenſtan*; vir in literali doctrina famoſus, Qui ab *Ædmundo Cantuarienſi* Archiepiſcopo, munus ſuſcepit conſecrationis. Pertranſiit autem annus iſte fructibus omnibus ſterilis, fruges habens pauciſſimas: veruntamen bonas & inopinabiliter reſpondentes. *Anglia* paucas, *Gallia* pauciores, *Gaſconia* verò ferè nullas ſegetes aſſerente; cùm tamen annus huic anno proximus multas in Vere & Æſtate promiſiſſet, ſed in Autumno pluvia ſuffocatas, fruges pauciores perſolviſſet. Eodem anno capta eſt inſula *Majorica*, (ſic dicta ad differentiam *Minoricæ*, ſeu minoris inſulæ) quæ ſita eſt inter *Africam* & *Marſiliam*, *Chriſtianis* nimis nociva; ſcilicet à Rege *Arragoniæ* & civibus *Marſiliæ*.

Gregorius Papa ab urbe diſceſſit.

ANNO Domini M.CCXXXV. Rex *Anglorum Henricus* tertius, anno regni ſui decimo nono, ad Natale tenuit curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium*, præſentibus Epiſcopis & Principibus regni, quàm plurimis. Eóque tempore ſeptem *Judæi* adducti ſunt coram Rege apud *Weſtmonaſterium*, qui in *Norwico* puerum quendam (quem furto ſublatum jam per annum à conſpectu *Chriſtianorum* abſconderant) circumciderunt; volentes eum crucifigere in ſolennitate Paſchali. Sed ſuper hoc facto convicti, in Regis præſentia confeſſi ſunt rei veritatem; & ſic de vita ſua & membris, in ipſius voluntate ſub carcerali cuſtodia remanſerunt. Eodem tempore obiit *Hugo* de *Velles Lincolnienſis* Epiſcopus: Monachorum perſecutor, Canonicorum & omnium malleus religioſorum, ſeptimo Idus Februarii: & ſepultus eſt apud *Lincolniam* in eccleſia cathedrali, quarto Idus ejuſdem. Cui ſucceſſit magiſter *Robertus* cognomento *Groſſeteſte*: vir quidem nimis literatus, à primis annis ſcholis educatus. Qui apud *Radingum* ab *Ædmundo Cantuarienſi* Archiepiſcopo conſecratus eſt tertio Nonas Junii reclamantibus Monachis *Cantuarienſibus*, & allegantibus ne alibi conſecraretur, quàm in eccleſia *Cantuarienſi*. Sed id tandem hac vice permiſerunt, ne labores & expenſæ fruſtrarentur convenientium: ita tamen, quòd id in conſequentiam ampliùs non traheretur. Per idem tempus, poſt Purificationem beatæ *Mariæ*, concordati ſunt cum Rege *Stephanus* de *Segrave* & *Robertus Paſſeleve*; ſed Regi mille marcis priùs numeratis: nec tamen in priſtinam Regis gratiam, juxta ſpem ſuam, ſunt recepti. Circa eoſdem dies, *Henricus* de *Sandfordia*, *Roffenſis* Antiſtes, diem clauſit extremum, ſexto Calend. Martii: poſt cujus obitum, Monachi *Roffenſes* elegerunt magiſtrum *Richardum* de *Wendene*; virum in literali ſcientia eruditum. Qui *Ædmundo Cantuarienſi* Archiepiſcopo, ad electionem confirmandam, à præfatis Monachis præſentatus, non fuit admiſſus: unde Monachi domini Papæ præſentiam appella-

Judæi puerum Chriſtianum circumciderunt.

1235. appellarunt. Collata eſt eccleſia ſancti *Juliani* in ipſo tempore, magiſtro *Nicolao*, auctoritate domini Regis; quæ ipſo tempore vacabat.

Mors Willielmi Abbatis eccleſiæ ſancti Albani.

EODEM anno, die ſancti *Matthiæ* Apoſtoli, obiit *Willielmus* piæ memoriæ, Abbas eccleſiæ ſancti *Albani*; poſtquàm eandem rexerat annis viginti, & menſibus ferè tribus: & ſepultus eſt tertio Calend. Martii, in capitulo Monachorum. Quo ſepulto, incontinenti, ſcilicet eadem die, tres fratrum ad Regem ſunt deſtinati: ut ab eo impetrata libera ritè eligendi facultate, Abbatem eligerent. Obtinuerunt etiam fratres à domino Rege, gratiam habendi totam domum ſuam in manu ſua: exceptis exchaëtis, & eccleſiarum donationibus; à die obitus prædicti Abbatis,* uſque in annum completum. Pro qua obtenta, donaverunt Monachi Regi trecentas marcas. Deinde obtenta à Rege licentia Abbatem eligendi, die Martis poſt Annunciationem beatæ *Mariæ*, convocatis nobilibus eccleſiæ membris, ſcilicet Prioribus cellarum, & omnibus qui debuerunt & voluerunt & potuerunt commodè intereſſe: elegerunt ſolenniter *Johannem* de *Hertfordia*, Priorem de *Hertfordia* Monachum ſuum profeſſum, in paſtorem animarum ſuarum; virum pium & Monachum ordinatum: qui Regi præſentatus, ab illo favorabiliter eſt receptus Dominica in ramis palmarum. Deinde miſſi ſunt duo Monachi ejuſdem eccleſiæ & clerici (ſcilicet dominus *Nicolaus* de *Len*, & dominus *Reginaldus Phiſicus*, & magiſter *Galfridus* de *Langelia* clericus) ad curiam *Romanam*; ad quam immediatè ſpectat, ut electionem ritè factam impetrarent à ſede Apoſtolica confirmari. Ubi ſine difficultate electione confirmata, cum benedictione Apoſtolica ſunt reverſi. Inſuper approbata eſt forma electionis & progreſſus negotii admirantibus cunctis, quòd inter tot capita una fuit ſententia, & unanimis conſenſus: unde à multis dictum fuit in curia *Romana* & ab ipſo Papa; quòd non ſine nutu ſpiritus ſancti iſtud fuerat proſecutum. *Multitudinis enim credentium fuit cor unum & anima una.* Et ut audientes non lateat, hæc eſt conſuetudo eligendi Abbatem in eccleſia ſancti *Albani*.

Conſuetudo eligendi Abbatem ſancti Albani.

Confeſſores ſcilicet tres vel quatuor, jubentur diſtrictè in virtute ſpiritus ſancti (utpote qui cognoſcunt corda & renes ſingulorum) ut ipſi eligant duodecim de conventu fratres electos, ſcilicet fideles & peritos: ut ipſi vel de ſeipſis, vel de ipſo conventu eccleſiæ, vel de cellis, unum idoneum eligant in Abbatem. Ut autem eorum electio & labor deliberativus, ſuper hoc negotio irritus non habeatur; literas habent de conventu penès ſe ſigillo conventus roboratas: ut ipſe conventus illum quem ipſi duodecim eligent in Abbatem, ſine contradictione unanimiter ſuſcipient & gratanter. Unde ſeries negotii ſic proſecuta, à ſummo Pontifice & omnibus audientibus cum admiratione eſt commendata: & facta examinatione auctoritate Apoſtolica confirmata. Veruntamen, quia de perſona electi, Papæ non conſtabat, dedit ſummus Pontifex in mandatis *Elyenſi* & *Londinenſi* Epiſcopis; ut ritè facta ex perſona electi examinatione, eundem in Abbatem confirmatum benedicerent; plenè in omnem tam ſpiritualium quàm temporalium adminiſtrationem inſtituentes. Poſt hæc autem, idem electus facta examinatione, in craſtino Nativitatis beatæ *Mariæ*, in dominica die, à *Rogero Londinenſi* Epiſcopo (quia ambo negotium exequi non poterant, juxta mandatum Apoſtolicum) benedictionem Abbatis ſuſcepit. Legit autem electus, literas clauſas & bullas ante altare indutus ſolenniter; quibus anteà conſimiles non vidimus, ſcilicet, de profectione & viſitandis Apoſtolorum liminibus de triennio in triennium: quod graviter accepimus. Sed hæc poſteà pleniùs. Medio autem tempore, quo hæc omnia facta ſunt; remanſit Abbatia cum omnibus pertinentiis ſub cuſtodia conventus ex regio beneficio, hoſpitalitate integra remanente. Eodem anno *Judæi* privilegium impetrarunt à Pontifice *Romano*; ne à Regibus aut Principibus pro exactione pecuniæ turpiter tractarentur,* vel in carcere traderentur.

Petrus Wintonienſis Epiſcopus Romam adit.

PER idem tempus, *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus ad mandatum domini Papæ *Romam* profectus eſt, inſtante ſolennitate Paſchali: ut guerram ejus jam diu contra *Romanos* accenſam, ordinando juvaret. Novit enim eum ſummus Pontifex pecunia abundare; & ſi non abundaret, miniſtrante Epiſcopatu *Wintonienſi* abundaturum; & maluit eum effundere theſaurum ſuum in ſuo obſequio, quàm alieno. Præterea, idem Epiſcopus erat in obſequio Regis *Richardi* bellatoris magnifici, diebus adoleſcentiæ ſuæ; ubi plùs didicit in bello dimicare, & caſtra militum ordinare; quàm Evangelii ſemina prædicando ſeminare.

Publica prædicatio crucis.

HOC denique anno, qui eſt annus octavus poſtquàm conſtitutæ ſunt treugæ decennales in *Terra promiſſionis*, inter *Romanum* Imperatorem *Fredericum* & *Babyloniæ Soldanum*: facta eſt prædicatio crucis per urbem univerſum *Chriſtiana* fide inſignitum; ad commonitionem & inſtantiam domini Papæ *Gregorii*, qui literas in diverſas orbis partes, ſub hac forma direxit.

Authenticum Papæ.

GREGORIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis domini noſtri* Jeſu Chriſti *fidelibus per regnum* Angliæ *conſtitutis ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Rachel *videns in veræ fidei cognitione principium accreſcentium in ſalutem, & filiorum dexteræ pia mater ſancta* Romana *eccleſia, cujus magna eſt quaſi mare de ſuæ prolis internecione contritio, vocem lamentationis fletus & luctus emiſit hactenùs, & emittit, quam audiri cupimus in excelſo, ut per diem & noctem fidelium oculi doloris lacrymam deducentes*

non

non taceant, & donec miſereatur Dominus, non quieſcant. Lamentatur autem, quia domus cœleſtis panis, mons Syon, *unde lex exiit, civitas Regis magni, de qua dicta ſunt multa glorioſa, terra quam* Dei *filius fuſo pro nobis ſuo ſanguine conſecravit, regni robur & pulchritudinem perdidit. Flet, quia quondam libera, ſub impiæ tyrannidis jugo ſervit. Luget, quia ubi pacem multitudo militiæ cœleſti cecinit, ibi preſſuræ gentis immundiſſimæ, ſcandala, ſimultates & ſchiſmata ſuſcitavit; ac innovans exordia præliorum, miſit ad deſiderabilia manum ſuam, ſacerdotii & ſacrorum ordinum pias leges, & ipſius naturæ jura relegans à templo Domini, diverſis ibi ſpurcitiis & abominationibus introductis. Et ideo* Hieruſalem *in ſuis deriſa Sabbathis, obſorduit quaſi polluta menſtruis inter hoſtes. Nam licèt dudum chariſſimo in* Chriſto *filio noſtro* Frederico Romanorum *Imperatori ſemper Auguſto,* Hieruſalem & Siciliæ *Regi illuſtri; civitas eadem præter templum Domini, fuerit reſtituta; tamen quia Deus omnipotens tunc magnificentiùs agere cum populo* Chriſtiano *non adjecit; Imperator prædictus treugas iniit cum* Soldano *quarum terminus adeò eſt vicinus, quòd tempus medium præparationi vix ſufficere creditur niſi ad quæque neceſſaria per promptitudinem, ſpem & fervorem Dei & fidei feſtinetur. Ad ejus ergo ſuccurſum, nullum tædeat peregrinari; & pro patria certare cum ſpe victoriæ, pro corona mori, pro vita, pro illo ſuſtinere ad tempus dura & triſtia; qui confuſione contempta, ſputo conſperſus, colaphis cæſus, flagellis afflictus, ſpinis coronatus, coram* Pilato *ſiſti, tanquam multorum criminum reus; ad ultimum crucifixus & felle potatus, lancea perforatus, emittens cum clamore valido ſpiritum, pro conditionis humanæ viribus reparandis, curſum præſentis vitæ ſaturatus injuriis conſummavit. Hic eſt autem ut altiùs repetamus, qui de paternæ ſolio gloriæ, cœlis mirabiliter inclinatis, ad noſtræ mortalitatis ima deſcendens; non dedignatus eſt Deus homo, creator creatura fieri, ſuſcipere dominus formam ſervi: ut qui non poteramus per noſtram juſtitiam ſperare veniam; conſecuti per hæc gratiam inauditam, hæredes Dei, cohæredes autem* Chriſti, *divinitatis conſortium, felicitatis æternæ participium ſortiremur. Et licèt per gratiam adoptati, quotidiè cauſas ingratitudinis cumulemus; ipſe tamen abundat in divitiis bonitatis; dum propter diverſitatem voluntatum, virium facultatem delinquentibus, diverſa pro tempore ſatisfaciendi genera contulit, varia medendi languoribus remedia ſuſcitavit; dum terram, in qua naſci, mori, & reſurgere voluit, tamdiu ad exercitationem fidelium, ab infidelibus detineri permittit, cùm non ſit abbreviata manus Domini, nec virtus ejus in aliquo diminuta: quin etiam, ſicut fecit cuncta de nihilo, liberare valeat in momento. Sed illas compaſſionis & dilatationis gratias exquirit ab homine, quibus ad omnis conſummationis finem, legiſque plenitudinem oſtendendam; ipſe prior homini perdito & damnato voluit miſeratus adeſſe: qui nullatenus permiſiſſet manus impias contra pios uſque adeò roborari, niſi & ſuam vindicari de noſtra confuſione providiſſet injuriam, & ſervari noſtram de ſua victoria diſciplinam. Sub hac autem occaſione delicti plurimi ſatisfacere pro modo criminum aliter non valentes, velut in profundo malorum penitùs deſperaſſent, niſi occurriſſet eis hæc tabula; niſi per hoc compendium ſuis poſitis pro* Chriſto *animabus conſummati brevitate, multorum temporum ſpacia compleviſſent. Multi enim invenire locum ubi ſteterunt pedes Domini cupientes, priùs ad bravium ſine curſu, & primò ad coronam ſine gladio pervenerunt: illo ſuum remunerante militem, qui ſolam in oblatione conſiderat voluntatem. Nos autem, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum* Petri & Pauli *Apoſtolorum auctoritate ejus, confiſi; ex illa quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem, omnibus qui laborem iſtum in propriis perſonis & ſumptibus ſubierint, vel qui viros idoneos cum ſuis expenſis pro ſe deſtinaverint: ſed & illis qui in alienis expenſis in propriis perſonis acceſſerint, vel qui de bonis ſuis ad ſubventionem* Terræ ſanctæ *congruè miniſtraverint; aut qui ad prædicta negotia conſilium vel auxilium opportunum impenderint: plenam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus. Statuimus etiam, ut omnes, ſive clerici ſive laici poſt crucem aſſumptam ſub beati* Petri *ac noſtra protectione ſecuri, & eorum bona omnia permaneant: necnon ſub Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & omnium eccleſiæ Prælatorum defenſione conſiſtant; donec de ipſorum obitu vel reditu certiſſimè cognoſcatur. In quo utique termino, nullus cruce ſignatus ſive à* Judæis *ſive à* Chriſtianis, *ad præſtationem uſurarum compellatur. Datum Spoleti,* ii. *Nonas Septemb. Pontificatus noſtri anno* viii. Aſſignati ſunt autem predicatores à domino Papa, in opus crucis & animarum oberrantium lucrifactionem; per orbem univerſum, fratres de ordine *Prædicatorum* ac *Minorum*, cum magiſtris in Theologia perfectis; utpote magiſter *Johannes* de ſancto *Albano* oriundus, aliquando Decanus eccleſiæ ſancti *Quintini*, poſteà theſaurarius eccleſiæ *Sarisberienſis*; & alii viri diſcreti ac ſancti: qui in opus Evangelii profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Habuerunt autem ex mandato Apoſtolico, provinciarum Archidiaconos & Decanos; qui in locis ſingulis parochianos, viros & mulieres convenire fecerunt: ita ut nullus remaneret ſub pœna anathematis, quin eorum prædicationibus intereſſet.

CONTIGIT autem hoc anno iii. Idus Junii, in villa de *Clare*, ubi magiſter *Rogerus* de *Lewes*, frater quidem de ordine *Minorum*, pro negotio crucis Evangelium in Dominica prædicavit; ut mulier quædam omni membrorum officio jam per triennium deſtituta, pœnam metuens excommunicationis: paucum quod habuit argenti, cuidam viro ſibi vicino contulit, qui eam in humeris ſuis ad locum veheret prædicationis. Ubi cùm gemens jaceret

Miraculum per prædicationem crucis.

1235. & lugens quouſque vir Dei prædicationem abſolviſſet motus compaſſione ſuper gemitibus mulieris, quam lugentem jacere conſpexit, acceſſit ad eam, atque cauſam ad quid illùc veniſſet inquiſivit. Quæ cùm diceret, quòd metu excommunicationis ad locum ſermonis fuiſſet delata, præcepit ut iret in domum ſuam, neſciens quòd membris omnibus eſſet diſſoluta. Sed cùm aſtantes vicini ejus teſtarentur, quòd omnium erat uſu membrorum jam elapſo triennio privata; interrogabat, ſi crederet quòd Deus potens erat, ut ſibi, ſi vellet, redderet ſanitatem. Cui illa: Credo, domine. Tunc vir Dei mulierem inter brachia complectens, levavit eam fiducialiter, & ait: Sanet te Deus omnipotens, in quem credis. Et cùm mulier ad vocem jubentis ſe erigeret confidens in Domino, cœperunt oſſa ejus & nervi cum compagibus dum ſurgeret crepare; ut viſum ſit aſtantibus, quòd omnia oſſa ejus in fruſtra fuiſſent comminuta. Et ſic mulier ſanitati priſtinæ reſtituta, abiit in domum ſuam: exaltans & magnificans Dominum qui talem ſervis ſuis contulit poteſtatem.

Forma electionis Abbatis ſancti Albani ad Papam mittitur.

CUM hæc cum tempore evolvente elaberentur, nuncii electi & conventus eccleſiæ ſancti *Albani*, duo Monachi, ſcilicet magiſter *Reginaldus Phyſicus*, & dominus *Nicolaus* de ſancto *Albano*, ambo Presbyteri, viri prudentes & compoſiti, cum ſuis clericis, magiſtro *Galſrido de Langeleia*, & *Galſrido Focario*, ſerviente & aliis, habentes literas conventus procuratorias; iter arripuerunt versùm curiam *Romanam* in octavis Paſchæ, ſcilicet decimo ſeptimo Calend. Maii, precibus omnium fratrum commendati. Hæ autem fuerunt procurationes quas ſecum detulerunt: *Reverendiſſimo domino & patri in* Chriſto *chariſſimo* Gregorio, *Dei gratia ſummo Pontifici; devoti filii ſui, Prior & Conventus ſancti* Albani, *tam devotam quàm debitam cum pedum oſculo reverentiam. Noverit ſanctitas veſtra, quòd nos fratres noſtros & Monachos*, Reginaldum *&* Nicolaum, *latores præſentium, cum literis noſtris ſeriem electionis noſtræ continentibus, quam in eccleſia noſtra de fratre* Johanne *de* Hertfordia, *Monacho noſtro, fecimus canonicè celebrari, ad pedes ſanctitatis veſtræ deſtinamus: ipſóſque ad confirmationis munus à ſede Apoſtolica petendum, & ad alia dictam electionem noſtram contingentia, expedienda, procuratores noſtros conſtituimus. Ratum & gratum habituri, quod per ipſos vel eorum alterum in dicto negotio, ratione prævia, fuerit expeditum. Valeat & vigeat ſancta paternitas veſtra ſemper in Domino.* Venerunt igitur ad curiam *Romanam* apud Peruſium. Et domino Papa humiliter ſalutato, formam electionis & rei geſtæ ſeriem ſub his literis contentam, præſentaverunt: *Reverendiſſimo domino & patri in* Chriſto *chariſſimo* Gregorio, *Dei gratia ſummo Pontifici; devoti filii ſui, Prior & Conventus ſancti* Albani, *tam devotam quàm debitam cum pedum oſculo reverentiam. Cùm eccleſia noſtra per deceſſum venerabilis patris* Willielmi, *bonæ memoriæ, quondam Abbatis noſtri, qui viam univerſæ carnis ſexto Calendas Martii eſt ingreſſus, paſtoris ſolatio exiſteret deſtituta, certificato ſuper hoc domino noſtro Rege, ipſóque nobis eligendi licentiam concedente, nos prout potuimus citiùs & expeditiùs, volentes animarum periculis occurrere, & eccleſiæ noſtræ indemnitatibus providere; his omnibus priùs ſub competenti data dilatione evocatis qui debuerunt & voluerunt potuerúntque noſtræ electioni commodè intereſſe, ad eligendum nobis paſtorem, diem certum præfiximus, in craſtino Annunciationis beatæ virginis. Adveniente autem die, præſentibus his qui propter hoc fuerant evocati, aliiſque, tractare cœpimus & conferre. Et quia res prædicta eo die non potuit expediri, in craſtino, ut de eodem tractaremus, ingreſſi ſumus capitulum iteratò; & ibidem poſt Dei clementiam ſuper hoc misericorditer invocatam, tractare cœpimus de præmiſſo. Et tandem in hanc eligendi ſpem, viris bonis de collegio noſtro plenaria data fuerat poteſtas & collata; quòd ipſi pro omnibus electionem nominarent; rati habitione priùs eiſdem electoribus promiſſa, de perſona per ipſos electa, & ipſis poſtmodùm nominata. Electores ſiquidem præmiſſi ad hoc officium, cum Dei timore accedentes, cum lacrymis & orationibus Dei invocantes auxilium; diligenter & diſcretè, ſicut exitus indicavit, de hoc negotio tractaverunt; qui per omnia unanimiter & concorditer poſt traxatus & collationes ſuas ſuper hoc habitas, nobis virum per omnia idoneum, in Abbatem patrémque & paſtorem elegerunt; & poſtmodùm ingreſſi Capitulum, nobis quem elegerant nominaverunt; ſcilicet fratrem* Johannem *de* Hertfort, *noſtræ profeſſionis Monachum, inter nos ab antiquo religioſè & irreprehenſibiliter converſatum. Nos ſiquidem ibidem unanimiter congregati, in perſonam illius quem elegerant, & nobis nominaverant, concorditer conſenſimus; abſque omni diſcordia ſeu contradictione. Firmiter enim credimus, ſancte pater, quòd idem electus nobis & noſtro Monaſterio per omnia ſit idoneus; cùm in ipſo nihil cur eligi non deberet, ſciamus reprobum, nec in eo aliquid deficere perpendimus, quod canon exigit in electo. Hinc eſt, benigniſſime pater, quare nos, qui filii veſtri ſumus, & immediatè ad* Romanum *Pontificem ſpectantes; vobis in omni qua poſſumus ſupplicamus devotione, quatenùs Dei intuitu & ad levamen eccleſiæ noſtræ, quæ ſub hac vacatura in magno navigat periculo, ſub ſæculari cuſtodia conſtituta; electo noſtro abſque moræ diſpendio, officii ſui confirmationem miſericorditer impendatis. Nos autem, ut reverenda ſanctitas veſtra de præmiſſis fidem habeat indubitatam; ſigillo capituli noſtri de communi totius Conventus conſenſu has literas noſtras patentes, & rei geſtæ ſeriem continentes, fecimus conſignari.*

Reſcriptum Papæ Elyenſi *&* Londinenſi *Epiſcopis.*

HIS autem literis diligenter inſpectis, habita cum fratribus deliberatione; conceſſit ſummus Pontifex Monachis juſtè poſtulata; laboribus eorum paterno affectu compatiendo, necnon unitatem eccleſiæ ſuæ concordem, & diſcretum in hoc negotio proceſſum collaudando.

dando. Et ne res aliqua parte progreſſione uſque ad finem careret laudabili; dedit, ut prætactum eſt, in mandatis *Elyenſi* & *Londinenſi* Epiſcopis; ut examinata perſona electi, benedictionis ei beneficium largirentur, vel alteruter, ſi ambo intereſſe non valerent, ſcribens eiſdem ſub hac forma: Gregorius *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus* Elyenſi *&* Londinenſi *Epiſcopis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Monaſterio* S. Albani Lincolnienſis *diœceſis, quod ad* Romanam *eccleſiam nullo medio pertinet, Abbatis ſolatio deſtituto; dilecti filii Prior & Conventus ipſius Monaſterii, ſicut accepimus, requiſito priùs, ſicut moris eſt, aſſenſu Regio & obtento, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commodè intereſſe, de Abbatis futuri ſubſtitutione tractantes; poſt diverſos tractatus, quibuſdam de collegio eligendi ei Abbatem, poteſtatem plenariam unanimiter contulerunt. Idem verò electores, Deum habentes præ oculis, collatione ſuper hoc & deliberatione habita diligenti, & Spiritus ſancti gratia invocata; dilectum filium fratrem* Johannem de Hertford, *ejuſdem Monaſterii Monachum, virum, ut aſſerunt, providum & diſcretum, ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, & cum eis à puero laudabiliter converſatum; in Abbatem eorum & patrem concorditer & canonicè elegerunt. Quorum electionem ſolenniter publicatam, univerſi & ſinguli approbantes, nobis per dilectos filios fratres* Reginaldum *&* Nicolaum, *Monachos & nuncios ſuos ac literas humiliter ſupplicaverunt; ut cùm per eundem* Johannem, *gratia ipſi Monaſterio in ſpiritualibus & temporalibus incrementa, ſperarentur auctore Deo proventura; & rectis diſpoſitionibus nihil debeat difficultatis afferri; electionem hujuſmodi confirmare, benignitate ſedis Apoſtolicæ dignaremur. Licèt igitur prædicti nuncii, ſollicitè ſuper hoc inſtiterint & prudenter; & nos pro eodem Monaſterio libenter quod cum Deo poſſumus facere intendentes; electionem ipſam examinatam prout convenit diligenter, canonicam invenerimus quoad formam; quia tamen de perſonæ meritis plenam notitiam non habemus, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenùs quæ circa electi perſonam inquirenda fuerint, ſollicitè inquirentes, ſi eam ſufficientem inveneritis ad ejuſdem Monaſterii regimen aſſumendum, præmiſſam electionem auctoritate Apoſtolica confirmetis; & electo faciatis eidem obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, ac munus benedictionis impendi. Recepturi ab eo poſtmodùm, pro nobis &* Romana *eccleſia fidelitatis ſollicitæ juramentum; juxta formam quam vobis ſub bulla noſtra mittimus intercluſam. Alioquin ea ritè caſſata, faciatis dicto Monaſterio de perſona per electionem canonicam provideri. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Formam autem juramẽti, quod ipſe præſtabit nobis de verbo ad verbum; per ejus patentes literas ſuo ſigillo ſignatas quàm citò poteritis per proprium nuncium tranſmittatis. Quòd ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominùs exequatur. Datum* Peruſii, *&c.*

IMPETRATIS autem his literis cum aliis ſub bulla clauſis, ſalutato domino Papa & fratribus, necnon & reſpectis; redierunt nuncii prædicti cum proſperitate, poſt moram in curia factam per xv. dies. Epiſcopus autem *Londinenſis*, alio ſe excuſante, mandatum Apoſtolicum diligenter executus; examinatione ritè facta, nihil reprobum in perſona electi reperiens, munus ſolenniter benedictionis eidem impendit, in craſtino ſcilicet Nativitatis *B.* virginis, in eccleſia S. *Albani*. Ubi apertæ ſunt literæ incluſæ domini Papæ, quas, ut oportuit, electus in Abbatem benedicendus profitendo legit, in præſentia Epiſcopi & audientia Conventus, & totius populi & cleri, ſub hac forma: *Ego* Johannes *Abbas Monaſterii S.* Albani, *ab hac hora in anteà fidelis & obediens ero S.* Petro *ſanctæque Apoſtolicæ* Romanæ *eccleſiæ & domino meo Papæ* Gregorio, *ejùſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in conſilio aut conſenſu vel in facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium verò quod mihi credituri ſunt, per ſe aut per nuncios ſuos, ſive per literas; ad eorum damnum me ſciente nemini pandam. Papatum* Romanum *& regalis S.* Petri *adjutor, eis ero ad retinendum & defendendum; ſalvo ordine meo, contra omnem hominem. Legatum Apoſtolicæ ſedis, in eundo & redeundo honorificè tractabo; & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum, veniam; niſi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apoſtolorum limina ſingulis trienniis viſitabo, aut per me, aut per nuncium meum; niſi abſolvat Apoſtolica licentia. Poſſeſſiones verò ad Monaſterium meum ſpectantes, non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconſulto* Romano *Pontifice. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.*

1235.

Reditus nunciorum & benedictio Abbatis S. Albani.

EODEM anno, menſe Februario, venerunt apud *Weſtmonaſterium* duo hoſpitalis *Teutonicorum* cum militibus & aliis nunciis ſolennibus, ab *Frederico Romano* Imperatore ad Regem *Anglorum* miſſi, ferentes literas ipſius auro bullatas; in quibus poſtulavit *Iſabellam* ſororem Regis ſibi matrimonio copulandam. Venientes autem vii. Calend. Martii ad Regem, petierunt literarum & ſuæ poſtulationis reſponſum ſibi dari; ut Regis voluntatem domino Imperatori poſſent celeriter nunciare. Rex autem *Anglorum*, ſuper dicto negotio ſollicitus, cum Epiſcopis & regni ſui Magnatibus cœpit tractare per triduum: qui rem diligenter examinantes, in hoc unanimiter conſenſerunt, ut puella daretur Imperatori. Et ſic iii. Cal. Martii reſpondens, matrimonium petitum conceſſit. At nuncii cùm poſtulaſſent, ut ſibi liceret puellam videre, miſit Rex legatos fide dignos pro ſorore ſua ad turrim *Londoniarum*; ubi ſub vigilanti cuſtodia ſervabatur. Quam reverenter apud *Weſtmonaſterium* perducentes,

Imperator Fredericus *ſororem Regis* Anglorum *ſibi in uxorem petit dari.*

in

1235. in præſentia Regis puellam, viceſimum primum ætatis agentem annum; ſpecioſam nimis, flore virginitatis inſignitam, indumentis & moribus Regiis decenter ornatam, nunciis Imperialibus exhibebant. At illi, cùm in virginis inſpectione viſum aliquandiu recreaſſent, & eam Imperiali thoro digniſſimam in omnibus judicaſſent; confirmârunt matrimonium in animam Imperatoris interpoſito juramento; offerentes ei ex parte ipſius Imperatoris annulum ſponſalem. Quem cùm in ejus digito poſuiſſent, pronunciaverunt eam Imperatricem eſſe *Romani* Imperii, communiter dicentes: *Vivat Imperatrix, vivat.* Deinde cùm legati ea quæ facta fuerant, ſub omni feſtinatione Imperatori per fideles nuncios intimaſſent; poſt Paſchalem ſolennitatem miſit Archiepiſcopum *Colonienſem* & *Lovaniæ* Ducem; cum virorum nobilium multo comitatu, in *Angliam*; qui Imperatricem ad ipſum honorificè perducentes, matrimonium jam initiatum & ratum procurarent, ut in cognitione carnali fieret conſummatum.

Nuptialis ornatus Imperatricis.

ERAT autem iſtarum tantus apparatus nuptiarum, quòd quaſi Regias vel Imperiales divitias excedere videretur. Nam ad ipſius Imperatricis dignitatem, fabricata eſt corona opere ſubtiliſſimo ex auro obrizo primo & puriſſimo, & gemmis precioſiſſimis. In annulis autem & monilibus aureis cum gemmis precioſis, in ſcriniis & phaleris, & aliis muliebribus ornamentis; necnon in copioſo theſauro auri & argenti, & equis, & comitatu, quæ oculos intuentium rapere ſolent in concupiſcentiam, ut quaſi impreciabilia viderentur; non tantùm copioſè, ſed ſuperaffluenter ditabatur ab *Anglia* receſſura. Vaſa etiam omnia, tam vinaria, quàm fercularia, ex auro & argento opere excogitata fabricata innumerabilia reſplenduerunt; quorum materiam ſuperabat opus: imò etiam ollæ & vaſa coquinaria, urcei & vaſa vinaria, diſci & vaſa cibaria argentea nituerunt. Ad quorum omnium adminiſtrationem & cuſtodiam, tales deputati ſunt miniſtri curiales; qui ipſi Imperatrici & illius familiæ, more Regio miniſtrarent. Talibus autem & aliis multis puella à Rege fratre ſuffulta honoribus, & dotata muneribus, remanſit in cuſtodia Epiſcopi *Exonienſis*, & *Radulphi* filii *Nicolai*, Regis Seneſchalli; virorum nobilium ac per omnia commendabilium; & aliorum generoſorum de domeſtica Regis familia; comitantibus matronis nobilibus & puellis generoſis: qui omnes curialiter eruditi, ad Imperatricis ſufficiebant obſequium, cuſtodiam, & conductum. Et his in hunc modum diſpoſitis, Rex in die ſancti *Johannis* ante portam *Latinam*, apud *Weſtmonaſterium* tenuit ſolenne feſtum cum Archiepiſcopo *Colonienſi* & cæteris nunciis Imperatricis; & in craſtino omnes apud *Derteford* iter arripiunt; Rege comite cum magno comitatu Comitum ac Baronum, & aliorum nobilium. Equos autem tot ei & tales Rex procuravit palefridos nobiles & egregiè phaleratos, qui ſufficiebant ad Imperatricis honorem; dum ſeſſores quadam delectabili ferebant ſuavitate. Cúmque per *Roffenſem* civitatem ad Abbatiam de *Feverеſham* conveniſſent; inde *Cantuariam* profecti, ad ſanctum *Thomam* Archipræſulem & Martyrem orationis gratia pervenerunt: ubi completo devotionis obſequio, ad portum *Sandwicenſem*, quaſi tria equitum millia convenerunt. Miſerat enim Rex ad omnes Abbatias circumjacentes, imperiosè petens quemlibet Abbatem; ut ad conducendum ſororem ſuam ad mare, equos cum acceſſoribus ſuis honorabiles accommodaret. Imperatrix autem & Archiepiſcopus *Colonienſis*, cum cæteris viris nobilibus & matronis ad conductum ejus aſſignatis; quinto Idus Maii naves ingreſſi, velis patentibus ſeſe pelago commiſerunt. Nec lacrymæ defuerunt cùm frater à ſorore, Rex diſceſſit ab Imperatrice.

Imperatrix Coloniam pervenit.

NAVIGANTIBUS autem illis, poſt tres dies & totidem noctes, oſtium *Rheni* fluminis intraverunt: & completo unius diei & noctis curſu, apud *Antuerpiam* applicuerunt: in terra ſcilicet Juri Imperiali ſubjecta. Quibus applicantibus, occurrit innumera multitudo nobilium armatorum, ad cuſtodiam Imperatricis ab ipſo Imperatore tranſmiſſa; quæ diebus ac noctibus circa corpus ejus diligentes excubias celebraret. Erant enim quidam ex hoſtibus Imperatoris Regi *Francorum* confœderati, ut dicebatur, qui Imperatricem rapere moliebantur, ut matrimonium illud magnificum impedirent. Occurrunt etiam preſbyteri omnes & clerici ex regionibus circumpoſitis cum proceſſione ſolenni, in veſtimentis precioſis, cereis accenſis, agminibus compoſitè ordinatis, campanas pulſantes, & cantica lætitiæ modulantes. Inter quos ſiquidem omnes artifices, & magiſtri cujuſcunque generis Muſicæ artis cum ſuis inſtrumentis; qui in omni lætitia nuptiali per viam quinque dierum Imperatricem apud *Coloniam* conduxerunt. Ubi cognito ipſius adventu, exierunt ab urbe in occurſum ejus ad decem millia civium, cum floribus & ornamentis variis ac feſtivis indumentis; qui in equis ſedentes precioſis, ad agiles curſus calcaribus admoventibus coërcebant, dum & cannas & haſtas, quas ferebant in manibus, in alterutrum, quaſi in haſtiludio, confregerunt. Advenerunt etiam per excogitatum ingenium naves, quaſi remigantes per aridam; equis abſconditis & tectis ſericis coopertoriis illas trahentibus. In quibus navibus clerici ſuaviter modulantes cum organis benè ſonantibus, audientibus inauditas cum ſtupore fecerunt melodias. Appropians igitur civitati *Coloniæ* Imperatrix, talibus intravit comitata tripudiis, ut tota illa nobilis civitas gaudio videretur redundare. Conduxerunt etiam eam duces ejus per principales plateas civitatis, contra ipſius adventum; tum propter nobilium *Anglorum* adventum, tum ut ſic gratia Imperatoris aſpiraret, multipliciter adornatas.

Sed

Sed cùm generoſa Imperatrix cognoviſſet, quòd omnes & præcipuè nobiles matronæ *Colonienſes*, quæ in ſolariis ſedentes, & glomeratim in diverticulis vicorum convenientes, faciem ejus videre cupiebant; capellum ſuum ex capite cum peplo demiſit, ut univerſi liberum in ipſius ſerena facie aſpectum habentes, oculos cum ſtupore recrearent. In quo facto omnium intuentium animos in ipſius dilectionem adeò inclinavit; ut univerſi & ſinguli laudantes, & benedicentes ipſius humilitatem cum pulchritudine admirabili; optimam ſucceſſionis, & poſteritatis fœliciſſimæ ſpem conceperunt. Hoſpitata eſt autem Imperatrix, in nobili palatio opere cementario conſtructo Archiepiſcopi; ubi per totam noctem choreæ puellarum canentium, cum diverſis inſtrumentis Muſicis perſtrepebant: ut ipſa Imperatrix ipſo gaudio foveretur, glorians in medio juvencularum tympaniſtriarum. Nec defuit diligentia militum armatorum ſuper muros, & in ipſa civitate; propter hoſtiles inſidias, noctibus excubantium. 1234.

Imperator cum Imperatrice apud Wermeſiam matrimonium initiatum conſummavit.

TEMPORE quo Imperatrix apud *Coloniam* venit, Imperator erat bellicis expeditionibus implicatus, contra filium ſuum *Henricum* Regem *Alemanniæ* ſibi rebellem. Sed pater contra eum tam copioſum duxit exercitum, ut ſimul & ſemel decem caſtra vallaret obſidione. In quorum uno fortiſſimo cùm filium obſediſſet, ille patris metuens ſeveritatem, exivit de caſtro; & corruens in terram coram ipſo, miſericordiam ipſius cum lacrymis & ſingultibus imploravit. Sed ille non adhuc ſpiritu conceptæ iræ maximè mitigato; vinculis filium jubens conſtringi, duxit eum ſecum apud *Wermeſiam*. Laxatis autem vinculis, & loris ob Regalem reverentiam aliquantiſper diſſolutis, dicitur filius patri venenum procuraſſe. Super quo ſcelere accuſatus, vinculis iterum durioribus mancipatus; traditur cuidam Duci cuſtodiendus, qui eum oderat inexorabili odio; quia totis niſibus eum propoſuerat prædictus Rex *Henricus*, exhæredare: ſed nunc revoluta rota fortunæ, traditur Rex arbitrio Ducis incarcerandus. Miſit igitur Imperator pro Imperatrice, ut ad eum apud *Wermeſiam* properaret; poſtquàm apud *Coloniam* per ſex hebdomadas moram protraxiſſet. Archiepiſcopus autem *Colonienſis* & Epiſcopus *Exonienſis*, cum cæteris ad Imperatricis conductum aſſignatis; iter cum ipſa aggredientes, ad imperatorem eam in omni pompa ac nuptiali lætitia, ſeptem dierum itinere perduxerunt. Quò cùm perveniſſent, ſuſcepit eos Imperator in magna lætitia & honore; quia ſupra modum ſibi placuit decoris inſpectio puellaris. Illam enim, ut crebriùs audivit, natura ſpeciali quodam ſtudio decoravit. Deſponſavit ergo puellam ibidem, matrimonium initiatum conſummando ſolenniter Imperator, xiii. Calend. Auguſti, in Dominica: quæ ſi multùm placuit in ſpecie corporali, multò plùs placuit morum experientia; quam invenit prærogativa inſignitam, & eloquentiæ perita facetia eruditam. In feſto verò deſponſationis Imperatricis *Iſabellæ*, ſororis domini Regis *Angliæ*; erant tam apud *Moguntiam* quàm *Wermeſiam* quatuor Reges, & undecim Duces, & triginta Comites, & Marchiones, præter Prælatos. Nocte verò prima qua concubuit Imperator cum ea, noluit eam carnaliter cognoſcere; donec competens hora ab Aſtrologis ei nunciaretur. Conſummata autem carnali commixtione ſummo mane, deputavit eam quaſi pregnantem diligenti cuſtodiæ, dicens ei: Cuſtodi te ſapienter, quia habes in utero maſculum. Et hoc idem pro certo ſignificavit domino Regi *Angliæ* fratri ſuo, per Epiſcopum *Exonienſem*, & magiſtrum de ſancto *Ægidio*, fratrem Prædicatorem. Et ſic contigit, peperit enim maſculum, cujus nomen *Henricus* fuit. Nuptiis igitur diebus quatuor continuis magnificè celebratis, Epiſcopus *Exonienſis* & cæteri, qui cum Imperatrice advenerant; ab Imperatore licentia impetrata, ad *Angliam* cum gaudio ſunt reverſi. Miſit ergo Imperator Regi *Anglorum* tres Leopardos, in ſignum Regalis clypei; in quo tres leopardi tranſeuntes figurantur: cum aliis donariis præcioſis, quibus regiones non abundant Occidentis. Cui etiam contra Regem *Francorum* promptum conſilium & auxilium opportunum, quia jura ſua detinet violenter & injuſtè, præcipuè in perniciem Regis *Lodovici*, & animæ damnationem. Quia moriturus manifeſtè confeſſus eſt, ſe inexpiabiliter peccaſſe in Regem *Anglorum*, retinendo jura ſua, & poſteà cùm eſſet in *Anglia*, terram ſuam redditurum: quæ omnia diſſimulat Rex *Francorum* neſcire; plùs muliebre ſequutus conſilium, quàm normam juſtitiæ, timorem Domini ultionum poſtponendo. Promiſit etiam Imperator, ut ex tunc & deinceps Regem *Anglorum* præ cæteris mundi Principibus ſpecialiùs, quaſi filiali amplexaretur dilectione. Remiſſis igitur in *Angliam* ferè univerſis utriuſque ſexus hominibus, quos curia Imperatricis in patria educaverat; Imperator Imperatricem quàm plurimis *Mauris* ſpadonibus & vetulis larvis conſimilibus, cuſtodiendam mancipavit.

Tres Leopardi miſſi Regi Anglorum.

Generis nobilitas Imperatricis Iſabellæ.

ERANT autem in Imperio *Romano* quibus nimis videbatur indignum, quòd Imperator tam potens & in omnibus pollens divitiis; qui quaſi dominus & moderator totius orbis extiterat, ſororem duxerit, Regis *Anglorum*. Sed cùm omnibus ſit notiſſimum, quòd major dignitas eſt, eſſe genere nobilem, quàm divitem: ſciendum eſt, hujus Imperatricis patrem fuiſſe Regem *Anglorum Johannem*, *Henricum* Regem qui nunc regnat in *Anglia* fratrem, avunculos Reges magnificos *Henricum* & *Richardum*, ac *Britanniæ* Comitem *Galfridum*: hii autem Reges generoſitate illuſtres dominabantur in *Anglia* & *Hybernia*, unde Reges fuerunt: in *Normannia* & *Aquitania*, unde Duces: in *Pictavia* & *Andegavia*, unde Comites: præter

1235. præter *Turonicam* & *Cenomanniam*, *Berri*, & *Averniam*, quæ ad eorum proprietatem ſpectare tenentur. In his quoque regionibus vii. Archiepiſcopos habuerunt, cum Regibus *Scotiæ* & *Walliæ*, *Hyberniæ* & *Moniæ* inſulæ ſubjectos. Atque præter iſtos tot Epiſcopos, tótque Comites, Barones, ac Milites; quòd quaſi innumerabiles reputantur. Mater autem hujus Imperatricis, iſtarum terrarum omnium Regina fuit; & duæ ſorores illius, una Regina *Scotorum*, & altera *Penbrocenſis* Comitiſſa. Amitæ quidem ipſius erant quinque, quarum primam duxit Rex *Hiſpaniæ Alphonſus*: de qua nata eſt *Blanca Francorum* Regina; de qua ejus filius, qui regnat in *Gallia*; *Lodovicus*. Alteram duxit *Siciliæ* Rex *Rogerus*: [*Willielmus*, qui prole caruit, & illam dante Rege *Richardo*, duxit *Reimundus* Comes *Tholoſanus*] & tertiam, Dux *Saxoniæ Henricus*, de qua natus eſt *Otho*, poſteà *Romanorum* Imperator; & frater ejus *Henricus Saxoniæ* Dux, & Rex tandem *Terræ ſanctæ*. Quartam [vel illam Reginam *Siciliæ*, de qua prædictum eſt, ſecundum quoſdam] duxit Comes *Tholoſanus Reimundus*; & quintam Comes *Rotrodus Perticenſis*. His igitur & conſimilibus Imperatrix atavis edita Regibus, patrem, ut dictum eſt, habuit Regem *Johannem*, qui fuit filius magnifici Regis *Henrici*, qui fuit filius *Matildis* quondam Imperatricis, quæ fuit filia Regis *Anglorum Henrici* ſenioris & *Matildis* Reginæ. Hæc *Matildis* filia fuit *Malcolmi* Regis *Scotorum*, & ſanctæ *Margaretæ* Reginæ. *Margareta* filia fuit *Edvardi*, quam genuerat ex *Agatha* ſorore *Henrici Romani* Imperatoris. Iſte *Edvardus* filius fuit *Edmundi* Regis *Anglorum*, qui *Latus ferreum* dicebatur. Cujus pater fuit Rex *Ætheldredus*. Cujus pater Rex *Edgarus Pacificus*. Cujus pater Rex *Edmundus*: cujus pater Rex *Edvardus* primus: cujus pater fuit illuſtris Rex *Anglorum Alfredus*. Hujus genealogia in *Anglorum* hiſtoriis perducitur uſque ad *Adam* primum parentem. Talibus autem Imperatrix anteceſſoribus procreata, Imperialibus nuptiis digniſſima judicatur; & ſic ceſſet contra eam invidorum oblatrantium detrectatio. Hactenùs invidiæ reſpondimus,

——attrahe lora,
Fortiùs & gyro ſcriba recurre tuo.

Eodem tempore cepit Rex Carucagium, ſcilicet duas marcas de caruca; ad maritagium ſororis ſuæ *Iſabellæ*. In cujus maritagio Rex Imperatori xxx. millia marcarum, ſine ornatu Imperatricis & corona impreciabili ipſius in brevi termino numeravit.

Vindicta necis Comitis Mareſcalli Richardi.

CIRCA idem tempus, quidam clericus *Henricus Clemens*, nuncius Procerum *Hyberrienſium*; dum minùs ſapienter ſe gereret, jactitando ſe cauſam fuiſſe mortis *Richardi* Comitis *Mareſchalli*, vocando eum proditorem & cruentum inimicum Regis & Regni: miſerabiliter *Londiniis*, Rege ibidem exiſtente, eſt interfectus. De qua morte, cùm ab ipſo etiam Rege & aliis notaretur accuſatus *Gilebertus Mareſchallus*; plurimis argumentis ſuam purgavit innocentiam. Eodem tempore, procurante *Waltero Karleolenſi* Epiſcopo, Rex *Henricus* III. ſibi filiam Comitis *Vigorniæ*, Pontificis fidei interpoſitione, cum juramento ſibi ſubarravit. Sed poſteà mutato animo & conſilio, propter quaſdam Regis *Francorum* comminationes, à propoſito reſilivit, ne pater exhæredaretur: quæ maritata eſt poſteà Regi *Caſtellæ Alphonſo*, propter ſuam elegentiam.

Novæ decretales Gregorianæ.

HIS quoque temporibus, *Gregorius* Papa IX. videns Decretalium tædioſam prolixitatem, ſub quodam compendio eas eleganter abbreviatas & collectas; ſolenniter & authenticè per totius mundi latitudinem legi præcepit & divulgari. Illas autem ab auctore ipſarum, *Gregorianas* appellamus, ſic incipientes: *Rex pacificus*, &c. In quibus quædam innovavit, ne ſcilicet illegitimi in Prælatias vel eccleſiaſtica beneficia, niſi adepta à ſede *Romana* legitimationis diſpenſatione, obtineant: ſciens inde curiæ *Romanæ* pro impetratione tali, multa emolumenta provenire: ſicut ex ſtatuto *Innocentii*, pro diſpenſatione plurimorum beneficiorum obtinendorum.

Uſura Caurſinorum.

INVALUIT autem his diebus adeò *Caurſinorum* peſtis abominanda, ut vix eſſet aliquis in tota *Anglia*, maximè Prælatus, qui retibus illorum jam non illa quereretur. Etiam ipſe Rex debito ineſtimabili eis tenebatur obligatus. Circumveniebant enim in neceſſitatibus indigentes, uſuram ſub ſpecie negotiationis pallliantes: & neſcire diſſimulantes, quòd quicquid accreſcit ſorti, uſura eſt, quocunque nomine cenſeatur. Manifeſtum eſt enim, eorum accommodationes ab ordine charitatis ſequeſtrari; cùm non manum porrigant egentibus auxiliatricem, ut eis ſubveniant, ſed circumveniant: non ut alienæ ſuccurrant inediæ, ſed ut ſuæ conſulant avaritiæ, cùm

Quicquid agant homines intentio judicet omnes.

Forma Caurſinorum obligandi debitoris.

Debitores autem ſuos ſub tali obligatione ſibi obligaverunt: *Univerſis præſens ſcriptum viſuris*, N. *Prior, & Conventus* N. *ſalutem in Domino, Noveritis nos mutuò recepiſſe apud* Londinum, *pro noſtris & eccleſiæ noſtræ negotiis utiliter expediendis, ab illo* N. *& illo* N. *pro ſe & ſociis ſuis, civibus & mercatoribus civitatis* N. *centum & quatuor marcas bonorum & legalium eſterlingorum, tredecim ſolidis & quatuor ſterlingis pro marca qualibet computatis. De quibus centum & quatuor marcis, nomine noſtro & eccleſiæ noſtræ, benè nos vocamus quietos & integrè proteſtamus pacatos: exceptioni non numeratæ, non ſolutæ, & non traditæ nobis pecuniæ, ac etiam exceptioni, quòd dicta pecunia in uſus noſtros & eccleſiæ noſtræ non ſit converſa, omninò renunciantes.*

renunciantes. Quas prætaxatas centum & quatuor marcas ſterlingorum, prædicto modo & numero computandas dictis mercatoribus, vel uni ipſorum, vel eorum certo nuncio, qui præſentes literas ſecum attulerit, in feſto ſancti Petri *ad vincula, ſcilicet prima die menſis Auguſti, apud* Novum Templum Londini, *anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto, per legitimam ſtipulationem promittimus, & tenemur nomine noſtro & eccleſiæ noſtræ, nos integrè ſoluturos, & reddituros. Tali tenore adjuncto, quòd ſi dicta pecunia prædictis loco & termino, ſicut dictum eſt, non fuerit perſoluta & reddita, ex tunc in anteà ſemper tranſacto termino promittimus, & tenemur per eandem ſtipulationem, dare & reddere prædictis mercatoribus, aut uni eorum, vel eorum certo nuncio, per ſingulos menſes duos, pro ſingulis decem marcis, unam marcam dictæ monetæ, pro recompenſatione damnorum, quæ damna & expenſas ipſi mercatores ex hoc poſſent incurrere vel habere: ita quòd damna & expenſæ & ſors cum effectu peti poſſint, ut ſuperiùs ſunt expreſſa, & expenſas unius mercatoris cum uno equo & cum uno ſerviente, ubicunque fuerit mercator, uſque ad plenam ſolutionem omnium prædictorum. Expenſas etiam factas & faciendas, pro ipſa pecunia recuperanda, reddemus & reſtaurabimus eiſdem mercatoribus, vel uni eorum, vel eorum certo nuncio. Quam recompenſationem damnorum intereſſæ, & expenſarum, promittimus dictis mercatoribus in ſortem dicti debiti nullatenùs computari; ac non detinere dictum debitum ſub pretextu recompenſationis memoratæ, contra voluntatem prædictorum mercatorum, ultra terminum antedictum. Pro quibus omnibus antedictis, firmiter & plenariè adimplendis, & inviolabiliter obſervandis, obligamus nos & eccleſiam noſtram, & ſucceſſores noſtros, & omnia bona noſtra & eccleſiæ noſtræ, mobilia & immobilia, eccleſiaſtica & mundana, habita & habenda, ubicunque fuerint inventa, mercatoribus antedictis, & eorum hæredibus, uſque ad plenam ſolutionem omnium prædictorum, quæ bona ab eis precario nomine recognoſcimus poſſidere. Et volumus ſuper omnibus antedictis ubique & in omni foro conveniri, renunciando pro omnibus antedictis, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, omni juris auxilio canonici & civilis, privilegio clericatus & fori, epiſtolæ Divi* Adriani, *omni conſuetudine & ſtatuto, omnibus literis, indulgentiis, privilegiis, pro Rege* Angliæ *& omnibus regni ſui à ſede Apoſtolica impetratis & impetrandis, conſtitutioni de duabus dietis beneficio reſtitutionis in integrum, beneficio appellationis & recuſationis, literis inhibitionis Regis* Angliæ, *& omni alii exceptioni reali & perſonali, quæ poſſet objici contra hoc inſtrumentum vel factum. Omnia iſta promittimus fideliter obſervanda. In cujus rei teſtimonium, præſenti ſcripto ſigilla noſtra duximus apponenda. Acta die quinta Ælphegi, anno gratiæ M. CC, xxxv.* Talibus igitur inextricabilibus vinculis debitores ſuos *Caurſini* conſtringebant. Qui, ut verbo alludamus; verè *Caurſini*, quaſi cauſantes, vel capientes, & urſini nuncupantur. Indigentes tamen, primò ſermonibus mellitis & mollitis alliciebant; in fine verò velut jacula vulnerantes: unde multi propter verba eorum ſubſcripta arguta & à legibus extracta, cauſidicorúmque cognata fallaciis; hæc non ſine curiæ *Romanæ* conniventia fieri arbitrantur: illud Evangelicum commemorante: *Prudentiores ſunt filii ſæculi hujus, quàm filii lucis, in generationibus ſuis. Judæi* quoque novum genus uſuræ in Chriſtianis comperientes, Sabbatha noſtra non immeritò deridebant. 1235.

EODEMQUE anno, Epiſcopus *Londinenſis Rogerus*, vir quidem benè literatus & religioſus, cùm intellexit hos *Caurſinos* uſuras ſine erubeſcentia palàm frequentare; vitámque ſpurciſſimam deducere, viros religioſos variis injuriis fatigare, pecuniámque argumentoſè coacervare, & multos juga eorum coactos ſubire, commotus eſt & iratus; & zelo juſtitiæ accenſus, omnes illos quaſi ſchiſmaticos admonuit, ut à tali enormitate, ſicut animarum ſuarum ſalvationem diligerent, deſiſterent; pœnitentiam agentes de commiſſis. Quòd cum contempſiſſent, ſubſannantes & deridentes inſuper & comminantes; Epiſcopus armis accinctus juſtitiæ ſpiritualis, omnes tales generaliter involvit anathemate; & juſſit præcicè ac diſtrictè eos à civitate *Londinenſi*, quæ hactenùs talis peſtilentiæ fuit ignara, citiùs elongari; ne Dioceſis ſua tali tabe macularetur. At ipſi tumentes & ſuperbi, de Papali defenſione confidentes; ſine difficultate & moræ diſpendio, in *Romana* curia impetrarunt, ut dictus Epiſcopus, qui jam ſenuerat, valetudinarius & ægrotativus, citaretur peremptoriè in remotis partibus ultramarinis; coram Judicibus *Caurſinis* familiaribus, quos elegerant ipſi ad voluntatem ſuam: ut compareret ſuper tali injuria mercatoribus Papalibus irrogata, reſponſurus. Epiſcopus verò malens patris verenda ut *Sem* tegere, quàm ut *Cam* revelare; ſuſcitatum tumultum ſedavit pacificè: & hæc ſub diſſimulatione pertranſiens, cauſam tam arduam ſui *Pauli* patrocinio commendavit: Qui cùm de rigore fidei & juſtitiæ prædicaret, ſcripſit, dicens: *Et ſi Angelus vobis his contraria prædicaverit, anathema ſit.* *Curia Romana Caurſinis favet.*

EODEM quoque tempore, quidam de fratribus *Minorum*: necnon & aliqui de ordine *Prædicatorum*, impudenter nimis, ſuæ profeſſionis & ordinis immemores; in territoria aliquorum nobilium Cœnobiorum ſe clàm ingeſſerunt: ſub prætextu officii ſui adimplendi, & velut poſt craſtinam prædicationem receſſuri. Sed vel infirmitatem, vel quippiam aliud ſimulantes, manſerunt: & fabricato ex ligno altari, ſuperpoſitóque altariolo lapideo benedicto ſecum allato, Miſſas clandeſtinas demiſſa voce celebrarunt; confeſſiones multorum receperunt etiam parochialium, in præjudicium Preſbyterorum. Dicebant namque, ſe *Inſolentia fratrum Minorum.*

1236. talem à domino Papa ſuſcepiſſe poteſtatem: ut eis ſcilicet fideles; quæ ſuo erubeſcunt Sacerdoti confiteri, vel dedignantur; quia conſimili peccato conſtringuntur; vel timent, quia temulento, confiteantur: quibus injungant *Minores* pœnitentias, & abſolvant. Interim ad *Romanam* curiam miſſo procuratore feſtino & diligenti, contra religioſos, in quorum degebant territorio; conceſſam impetrarunt, cum aliquo adjuncto beneficio manſionem. Quòd ſi fortè adhuc eis ſatisfieri non videretur, in verba contumelioſa & comminatoria proruperunt: ordinem alium quàm ſuum reprobantes, alióſque de numero fore damnandorum aſſerentes: nec parcere callo plantarum ſuarum, donec theſauros adverſariorum ſuorum licèt multos exhauſiſſent. Unde in multis cedebant eis religioſi, deferentes propter ſcandalum, & propter potentum offendiculum. Erant enim Magnatum conſiliatores & nuncii, etiam domini Papæ ſecretarii; nimis in hoc gratiam ſibi ſæcularem comparantes. Aliqui tamen in curia *Romana* contradictores invenientes, obviis rationibus refrænati, confuſi receſſerunt. Dicente eis torvo vultu ſummo Pontifice: Quid eſt hoc, fratres? Quò prorumpitis? Nónne profeſſi eſtis paupertatem ſpontaneam, ut diſcalceati & inglorii peragrantes vicos & caſtella & loca remotiora, prout opus exigit, verbum Dei humiliter ſeminetis? Præſumitis jam invitis dominis feudorum manſiones vobis uſurpare? Jam videtur in magna ſui parte religio veſtra expirare, & doctrina refutari. Hoc audito recedentes, modeſtiùs ſe habere cœperunt, qui priùs multiplicaverunt loqui ſublimia glorantes: & infra ſepta alterius, arbitrio alieno morari & detineri recuſantes. Hoc quoque anno, *Corduba* nobilis civitas *Hiſpaniæ*, à Rege *Caſtellæ* capta eſt; fratre admirabili mundi occiſo, cum innumerabili exercitu.

Mors Roberti *filii* Walteri, *&* Rogeri *de* Sumerico.

EODEM verò anno, in Adventu Domini, quidam nobilis Baro, genere præclarus, armis ſtrenuus, nomine *Robertus*, filius *Walteri*; viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Et eodem tempore ablatus eſt de medio *Rogerus* de *Sumerico*; elegantiæ ſingularis, generis expectabilis, probitatis admirabilis, in annis ſuæ florentis juventutis. Et eodem tempore miſit dominus Imperator, in ſignum dilectionis continuandæ, Regi unum Camelum.

Rex Henricus III. *in uxorem ducit* Alienoram, *filiam* Reimundi *Comitis* Provinciæ.

ANNO Domini MCCXXXVI. qui eſt annus Regis *Henrici* III. vigeſimus; tenuit idem Rex curiam ſuam ad Natale Domini apud *Wintoniam*: ubi cum gaudio feſta natalitia celebravit. Expectabat autem ardenti deſiderio ſuorum adventum nunciorum. Solennes enim nuncios viros prudentes in *Provinciam* ad *Reimundum* Comitem ejuſdem *Provinciæ*, cum literis præcordiale conſilium ſuum continentibus; de matrimonio contrahendo cum filia ſua *Alienora*, deſtinavit. Erat autem ille prædictus Comes vir illuſtris, & in armis ſtrenuus: ſed per prælia continua ferè quicquid habuit ex ærario ventilavit. Duxerat autem idem Comes in uxorem filiam Comitis *Sabaudiæ Thomæ* jam mortui, ſororem Comitis *Sabaudiæ* adhuc viventis *Amidei*: miræ pulchritudinis mulierem, *Beatricis* nomine. Quæ ex viro ſuo prædicto Comite *Reimundo*, prolem ſuſcepit decoris expectabilis filias: quarum primogenitam Rex *Francorum Lodovicus* matrimonio ſibi copulavit, nomine *Margaretam*; hæc omnia nunciante *Johanne* de *Gates* clerico. Unde & conſequenter natu minorem virginem ſpeciei venuſtiſſimæ, jamque duodennem; Rex *Anglorum* in uxorem ſibi dari per prædictos nuncios poſtulaverat. Et ad hunc favorem exequendum, præmiſerat *Richardum* Priorem de *Hurle* ſecretè; qui negotium fideliter & diligenter cum effectu proſequebatur. Quod poſtquàm Regi rediens intimaverat, remiſit Rex alios nuncios ſimul cum eodem Priore: ſcil. *Hugonem Elyenſem* & *Robertum Herefordenſem* Epiſcopos & fratrem *Roberti* de *Sanfordia*, Magiſtrum militiæ *Templi*, ad Comitem prænominatum. Qui ad eum in *Provinciam* profecti, cum ſummo honore & reverentia ſunt recepti, & filiam ejuſdem, ſcilicet *Alienoram*, Regi *Anglorum* matrimonio aſſociandam, de manu ejus ſuſceperunt: ſub ducatu tamen domini *Willielmi* electi *Valentiæ*, avunculi ejuſdem puellæ, viri præclari & elegantis, Comitis quoque *Campaniæ*, Regis *Angliæ* conſanguinei, adducendam. Quod poſtquam Rex *Navarriæ* cognoviſſet, audiens eos tranſitum facturos per fines ſuos, occurrit lætabundus; & fuit eis dux & Comes per totam terram ſuam, ſcilicet quinque dietas & ampliùs: & ex innata ſibi munificentia, eos exhibuit in expenſis tam in equis quàm hominibus. Erant autem pluſquàm trecentas equitaturas jam habentes, ſine plebe quæ eos ſequebatur numeroſa. Cùm autem in terminos *Francorum* perveniſſent, per conductum Regis *Francorum* & Reginæ ſororis puellæ deſponſandæ, necnon & *Blancæ* matris Regis *Francorum*, non tantùm liberum, ſed honorificum tranſitum obtinebant. Intrantes igitur mare in portu *Santwici*, velis ſinuoſis ante expectatum ad portum *Doveriæ* rapido curſu pervenerunt. Applicantibus igitur proſperè, & *Cantuariam* venire properantibus, occurrit dominus Rex; & in adventantium amplexus ruit nunciorum. Et viſa puella, ſibíque accepta, apud *Cantuariam* eandem deſponſavit: ſolennitatem deſponſalium Archiepiſcopo *Cantuarienſi Ædmundo*, ſimul cum Epiſcopis qui adverant cum puella; & aliis Magnatibus, Nobilibus, cum Prælatis, decimo nono Calend. Februarii, peragente. Decimo quarto autem Calend. ejuſdem, venit dominus Rex apud *Weſtmonaſterium*; & in craſtino, ſcilicet die Dominica, facta ibidem ſolennitate inaudita & incomparabili; portavit Rex coronam, & coronata eſt Regina *Alienora*. Deſponſata fuit igitur Regi *Henrico* III. *Cantuariæ*. Nuptiæ verò celebratæ *Londini* apud *Weſtmonaſterium*, die ſanctorum *Fabiani* & *Sebaſtiani*.

1236.

Apparatus nuptiarum Regis Henrici III.

CONVENERAT autem vocata ad convivium nuptiale, tanta nobilium multitudo utriuſque ſexus; tanta religioſorum numeroſitas, tanta plebium populoſitas, tanta hiſtrionum varietas: quòd vix eos civitas *Londoniarum* ſinu ſuo capaci comprehenderet. Ornata eſt igitur civitas tota oloſericis & vexillis, coronis & pallis, cereis & lampadibus; & quibuſdam prodigioſis ingeniis & portentis: plateis omnibus à luto, fimo, & ſtipitibus, & omni offendiculo emundatis. Cives autem *Londinenſes* obviàm tum Regi tum Reginæ occurrentes, ornati & phalerati certatim celeres experiuntur equos. Et eadem die cùm à civitate ad *Weſtmonaſterium* proficiſcerentur, ut miniſterium pincernæ, (quod ad eos ex antiquo jure ſpectare dignoſcitur) Regi in coronatione perſolverent; ſericis veſtimentis ornati, cicladibus auro textis circundati: excogitatis mutatoriis amicti, inſidentes equos precioſos, lupatis & ſellis novis refulgentes, diſpoſitis per ordinem agminibus inceſſerunt. Ferebant autem trecentas & ſexaginta cuppas aureas vel argenteas; tubicinibus Regis præviis & tubis canentibus: ita ut intuentibus talis támque mirabilis novitas ſtuporem laudabilem generaret. Archiepiſcopus autem *Cantuarienſis* ex jure ad eum ſpecialiter ſpectante; coronationis officium celebriter conſummavit: aſſiſtente ei *Londinenſi* Epiſcopo pro Decano; Epiſcopis aliis in ſtationibus ſuis ſecundùm ſuum ordinem collocatis. Similiter & omnibus Abbatibus: quibus præponebatur, ſicut de jure præponendus eſt, Abbas S. *Albani*. Quia ſicut Protomartyr *Angliæ B. Albanus* primus eſt inter omnes Martyres *Angliæ*; ita & ejus Abbas, inter omnes Abbates *Angliæ* primus ſit ordine & dignitate; ſicut ejuſdem eccleſiæ authentica privilegia proteſtantur. Magnates autem, quæ ſua erant ex antiqua conſuetudine & jure antiquo, in Regum coronationibus exercebant. Similiter & quidam cives aliquarum civitatum, officia quæ ſibi de jure anteceſſorum ſuorum competebant, conſummaverunt. Comite *Ceſtriæ* gladium *S. Edvardi*, qui *Curtein* dicitur; ante Regem bajulante, in ſignum quòd Comes eſt Palatii; & Regem; ſi oberret, habeat de jure poteſtatem cohibendi; ſuo ſibi, ſcilicet *Ceſtrenſi* Conſtabulario miniſtrante; & virga populum, cùm ſe inordinatè ingereret, ſubtrahente. Magno *Mareſchallo Angliæ*, ſcilicet Comite de *Penbroc*, virgam ante Regem bajulante: & tam in eccleſia, quam in aula, iter Regi præparante; & in menſa, Regale convivium cum convivis diſponente. Cuſtodibus verò *Quinqueportuum*, pallam ſuper Regem cum quatuor haſtis ſupportantibus; quod tamen tunc ſcrupulo contentionis penitus non carebat. Comite autem *Legeceſtriæ* Regi pranſuro in pelvibus aquam miniſtrante. Comite *Warenniæ* officium cuppæ Regalis, loco Comitis *Harundelliæ* ſupplente; eò quòd adoleſcens adhuc fuerit idem Comes *Harundelliæ*, nec adhuc gladio cinctus militari. Ex officio, pincerna fuit Magiſter *Michaël Belet*. Comite *Herefordiæ* miniſterium *Mareſchalciæ* in domo Regis peragente. *Willielmo* de *Bello Campo*, officium eleemoſynariæ conſummante. Juſtitiario foreſtæ, fercula à dexteris Regis in menſa diſponente, licèt obice cujuſdam contradictionis non prævalentis, primò impediretur. Civibus *Londinenſibus*, merum abundanter cum vaſis impreciabilibus, undique largientibus. *Wintonienſibus* coquinæ & dapium curam gerentibus; & aliis ſecundùm ſtatuta antiqua quæ ſua erant procurantibus, vel procurare vendicantibus. Unde ne exorta contentione lætitia nuptialis nubilaretur, ſalvo cujuſlibet jure, multa ad horam perpeſſa ſunt, quæ in tempore opportuno fuerant determinanda. Officium Cancellariæ *Angliæ*, & omnia officia ordinata ſunt, quæ Regia ſunt, & aſſiſa in Scaccario. Unde Cancellarius, Camerarius, *Mareſchallus*, Conſtabularius, ſibi ibidem ſedem ſumpſerunt ſui ratione officii: ſicut Barones omnes in ſui creatione fundamentum in civitate *Londinenſi*, unde quilibet eorum ſuum ibi locum ſortitur. Splenduit igitur ſolennitas, clero ac militia laudabiliter ordinata. Abbas verò *Weſtmonaſterii* aquam benedictam aſperſit. Theſaurarius patenam, vices agens Subdiaconi, bajulavit. Quid in eccleſia ſeriem enarrem, Deo ut decuit reverenter miniſtrantium? Quid in menſa dapium, & diverſorum libaminum, deſcribam fertilitatem redundantem? Venationis abundantiam, piſcium varietatem, joculatorum voluptatem, miniſtrantium venuſtatem? Quicquid mundus potuit effundere voluptatis & gloriæ, eminùs ibi demonſtrabat.

Inundationes pluviarum.

CIRCA idem tempus abundabant adeò inundationes pluviarum per duos menſes & ampliùs, ſcilicet Januarium & Februarium, & partem Martii; quantam non ſe meminerat aliquis prævidiſſe. Circa enim feſtum *S. Scholaſticæ*, Luna exiſtente nova; intumuit adeò mare occurrentibus obviàm torrentibus fluvialibus, quòd fluvij omnes, præcipuè in mare cadentes, vada reddiderant intranſmeabilia, ripas ſolitas tranſcendentes; pontes quoque occultantes, molendina cum ſtagnis diſſipantes; terras cultas cum ſeminibus, prata cum arundinetis obruerunt. Inter cætera quoque inſolita, *Tameſis* fluvius conſuetos terminos tranſgreſſus, & Palatium magnum apud *Weſtmonaſterium* ingreſſus; ſe dilatando aream cooperuit; ut etiam cymbis in medio aulæ quidam navigare potuerunt, & equos aſcendentes ad thalamos tranſmearent. Et aqua in cellariis prorumpens, vix eruderari potuit & exhauriri. Signa autem tempeſtatis quæ præcedebant, tunc demùm minarum ſuarum prætendebant argumenta. Audiebatur enim tonitrus hyemalis die ſcilicet *S. Damaſi*. Et videbatur juxta ſolem, quidam Sol nothus collateralis; die Veneris proxima poſt conceptionem ſanctæ Mariæ.

1236.

Nuncius Imperatoris in Angliam venit.

CONSUMMATO autem cum gaudio nuptiali convivio, Rex recedens à *Londiniis*, venit *Meretonam*: ut ibi revocati Magnates, audito recenti Imperatoris mandato, unà cum Rege de regni negotiis contrectarent. Nuncii enim ab imperatore directi ad Regem venientes, eidem mandata cum literis detulerunt; ut ſcilicet dominus Rex fratrem ſuum *Richardum* Comitem Cornubiæ ad ipſum Imperatorem mittere non differret; ut ipſe cujus circumſpectam prudentiam fama latè prædicaverat, ſuper Regem *Francorum* militaret. Quia dominus Imperator in adjutorium illius, omnes vires Imperiales adhiberet; & hoc adeò abundanter, quòd Rex *Anglorum* nòn tantùm jura ſua tranſmarina recuperaret; ſed reſtauratis omnibus, fines priſtinos undique dilataret. Audiens autem Rex ſimul & Magnates ibi congregati, præhabita deliberatione, reſponderunt; quòd non eſſet tutum neque conſultum, tam tenellum ætate extra regum mittere & dubijs caſibus guerræ at periculis exponere: cùm unicus & manifeſtus hæres Regis & regni comprobetur; & ſpes omnium in ejus ſinu, poſt Regem reponatur. Rex enim quamvis uxoratus, liberis caret: & uxor ejus Regina, utpotè juvencula, utrùm ſit fœcunda an ſterilis ignoratur. Sed ſi placeret excellentiæ Imperiali, alium quem vellet eligere ſtrenuum ac nobilem, de majoribus regni ad hoc vocare; mandatis ejus obtemperantes, Rex & omnes amici & ſubjecti ejus, quicquid poſſent adjutorii effundere, non diſſimularent. Nuncii autem hæc audientes, ad dominum ſuum redierunt, audita relaturi.

Quædam novæ leges Regis Henrici III.

DIEBUS etiam eiſdem, Rex *Henricus* III. pro ſalute animæ ſuæ, & emendatione regni ſui; ſpiritu ductus juſtitiæ & pietatis: quaſdam novas leges conſtituit; & conſtitutas per regnum ſuum inviolabiliter juſſit obſervari.

PRIMO, de viduis, quæ poſt mortem virorum ſuorum expelluntur de dote ſua, vel habere non poſſunt dotem ſuam, & quarentenam ſuam, ſine placito, videlicèt: Quòd quicunque deforciaverit eis dotem ſuam de tenementis, de quibus viri earum obierunt ſaiſiti; & ipſæ viduæ poſteà per placitum dotem ſuam recuperaverint, & ipſi de injuſto deforciamento convicti fuerint; reddant eiſdem viduis damna ſua, ſcilicet ad valorem totius dotis illas contingentis, à tempore mortis virorum ſuorum, uſque ad diem quo ipſæ per judicium ſeiſinam recuperaverunt; & nihilominùs, ipſi deforciatores ſint in miſericordia Regis. *Item*, omnes viduæ de cætero legare poſſunt omnia blada ſua in terra, tam de dotibus ſuis, quàm de aliis terris & tenementis ſuis; ſalvis ſervitiis dominorum, quæ debentur de dotibus & aliis tenementis. Item, ſi quis fuerit diſſeiſitus de libero tenemento ſuo, & coram Juſtitiariis ſeiſinam ſuam recuperaverit per aſſiſam novæ diſſeiſinæ, vel per cognitionem eorum diſſeiſinam fecerint, & diſſeiſitus ſeiſinam ſuam per vicecomitem habuerit, ſi idem diſſeiſiatores poſt iter Juſticiarium vel infrà iterum eos diſſeiſiaverunt, & inde convicti fuerint, capiantur, & in priſona domini Regis detineantur, quouſque per dominum Regem per redemptionem vel alio modo deliberentur. Et hæc eſt forma qualiter tales convinci debeant. Videlicèt, cùm conquerentes ad curiam venerint, habeant breve domini Regis Vicecomiti directum; in quo contineatur eorum narratio de diſſeiſina facta ſuper diſſeiſina: & ideò mandetur Vicecomiti, quòd aſſumptis ſecum cuſtodibus placitorum coronæ, & aliis legalibus militibus; in propria perſona ſua accedat ad tenementum illud vel paſturam, de quibus facta fuit querela; & coram eis per primos juratores, & per alios vicinos, & alios legales homines, diligenter faciant inde inquiſitionem, & ſi ipſum diſſeiſitum invenerint, ſicut dictum eſt, tunc fiet ſecundùm prædictam proviſionem: ſin autem, tunc ſint conquerentes in miſericordia domini Regis; & alius, Quietus recedat. Eodem modo fiat de illis, qui ſeiſinam recupaverint per aſſiſam mortis anteceſſoris. Eodem modo fiat de omnibus tenementis recuperatis per juratas in curia domini Regis. Item, quia multi Magnates *Angliæ* feofaverunt milites & liberos tenentes ſuos, de parvis tenementis in maneriis ſuis, conqueſti ſunt quòd commodum ſuum facere non poſſunt de reſiduo maneriorum ſuorum, ſicut de vaſtis boſcis & paſturis, ſicut ipſi feofefati ſufficientem poſſent habere paſturam prout pertineret ad tenementa ſua; ita proviſum eſt & conceſſum: quod hujuſmodi feofefati à quibuſcunque de cæterò aſſeiſinam novæ diſſeiſinæ deferant, ſi coram Juſtitiariis cognoverint, quòd ſufficientem paſturam habeant, quantum pertinet ad tenementum ſuum & liberum ingreſſum & egreſſum de tenementis ſuis uſque ad paſturam illam, inde ſint contenti: & illi, de quibus tales conqueſti fuerint, quieti ſint de eo quòd commodum ſuum de terris vaſtis & boſcis & paſturis ſuis fecerint. Si autem dixerint, quòd ſufficientem paſturam non habuerint, vel ſufficientem ingreſſum vel egreſſum; tunc inquiratur veritas per aſſiſam. Et ſi per aſſiſam recognitum fuerit, quòd in aliquo impedimento ingreſſum vel egreſſum habeat, vel quòd non habeat ſufficientem paſturam, ſicut prædictum eſt; tunc recipiet ſeiſinam ſuam per viſum juratorum; ita quòd per diſcretionem & ſacramentum ipſorum, conquerentes habeant ſufficientem paſturam, & ingreſſum & egreſſum ſufficientem, in forma prædicta. Et diſſeiſiatores ſint in miſericordia Regis, & damna reddant; ſicut ante iſtam proviſionem reddi ſolet. Si autem recognitum fuerit per aſſiſam, quòd conquerentes habeant ſufficientem paſturam cum libero ingreſſu & egreſſu, ſicut prædictum eſt; tunc licitè faciant alii commodum ſuum de reſiduo, & recedant quieti.

De uſuris.

Item conceſſit dominus Rex ex conſenſu Magnatum, quòd de cæterò non currant uſuræ contra minorem à tempore mor-

tis anteceſſoris ſui, cujus hæres ipſe fuerit, uſque ad legitimam ætatem ſuam. Et propter hoc, non remaneat ſolutio debiti principalis. Item, de malefactoribus in parcis & vivariis tractatum fuit, quali pœna puniri debeant; ſed nondum diſcuſſum fuit, quia Magnates petierunt priſonam ſuam propriam de malefactoribus quos caperent in parcis & vivariis ſuis: ſed dominus Rex non conceſſit hoc eis, & ideò fiat ſicut priùs. 1236.

Scriptum miſſum Papæ de origine & lege Machometi.

INSTANTIBUS itaque eiſdem temporibus, miſſum fuit quoddam ſcriptum domino Papæ, ſcilicet *Gregorio* nono, de partibus Orientalibus, Per Prædicatores partes illas peragrantes. Quod cùm ad multorum audientiam perveniſſet, error, imò furor *Machometi* Prophetæ *Saracenorum*, qui in eo deſcriptus eſt, cunctos commovit in ſibilum & deriſum. Hæc autem ſuo loco, ſcilicet anno DCXXII. quando peſtis *Machometica* ſuborta eſt, prætanguntur.

SARACENI perversè ſe putant ex *Sara* dici; ſed veriùs *Agareni* dicuntur ab *Agar*; & *Iſmaëlitæ*, ab *Iſmaële* filio *Abrahæ*. *Abraham* enim genuit *Iſmaëlem* ex *Agar* ancilla, *Iſmaël* genuit *Calcar*. *Calcar* genuit *Neptis*. *Neptis* genuit *Alumeſca*. *Alumeſca* genuit *Eldamo*. *Eldamo* genuit *Mulier*. *Mulier* genuit *Eſcicip*. *Eſcicip* genuit *Jaman*. *Jaman* genuit *Avicait*. *Avicait* genuit *Atanan*. *Atanan* genuit *Maath*. *Maath* genuit *Nizas*. *Nizas* genuit *Mildar*. *Mildar* genuit *Hinclas*. *Hinclas* genuit *Materic*. *Materic* genuit *Humella*. *Humella* genuit *Karmana*. *Karmana* genuit *Melicar*. *Melikar* genuit *Feir*. *Feir* genuit *Galib*. *Galib* genuit *Lubei*. *Lubei* genuit *Muyra*. *Muyra* genuit *Heelib*. *Heelib* genuit *Cuztei*. *Cuztei* genuit *Abdimelnef*. *Abdimelnef* genuit duos filios, *Eſcim* & *Abdiſcemuz*. *Eſcim* genuit *Adelmudalib*. *Adelmudalib* genuit *Abdella*. *Abdella* genuit *Maumath*, qui reputatur Propheta *Saracenorum*, qui genuit *Abdicemuz*. *Abdicemuz* genuit *Humenla*. *Humenla* genuit *Abilaz*. *Abilaz* genuit *Accan*. *Accan* genuit *Morcan*. *Morcan* genuit *Abdelmelibe*. *Abdelmelibe* genuit *Mavia*. *Mavia* genuit *Abderacchaman*, qui ſecundùm alios *Abdimenef* dictus eſt, qui genuit *Machometh*, qui nunc veneratur & colitur à *Saracenis*, tanquam ſummus Propheta eorum. Et ſciendum eſt, quòd *Mahometh*, *Machometh*, *Macometus*, *Machomectus*, *Mahum*, *Mabo*, Idem ſignificant per diverſas linguas. Poſt *Machomectum* fuit ſucceſſor tam regni quàm ſuperſtitionis, *Catab*: poſt eum *Homar*, cui contemporaneus fuit *Goſdroë*, quem Imperator *Heraclius* interfecit.

Quibus artibus Machometh creverit.

HOMO iſte qui dicitur *Machometh Iſmaëlita*, cùm eſſet orphanus in ſinu patris ſui, nomine *Abdimenef*; quidam vir nomine *Hebenabecalip*, ſuſcepit illum mortuo patre ſuo, & aluit, ac gubernavit: qui eo tempore Idola colebat in loco qui dicitur *Calingua*, etiam & *Aliguze*. Qui cùm ad juvenilem perveniſſet ætatem, cuidam mulieri, nomine *Adige*, filiæ *Hulaeth*, mercenarius factus eſt. Hæc dedit ei à ſinum ad ſerviendum ei; ut per eum acciperet mercedem de omnibus quæ ſuper deferret ad partes Aſiæ. Cum eadem tandem fœmina occulto coitu ipſe adhæſit, eamque in uxorem duxit: quæ ſua pecunia eum ditavit valdè. Unde ille elatus, cœpit nimiùm gloriari, & ſuper omnes tribus & gentem ſuam dominari propoſuit; & Rex eorum præſumpſiſſet appellari, ſi nobiliores eo & fortiores uſurpationi ejus non reſtitiſſent. Deinde prædicabat ſe Prophetam à Deo miſſum, cujus dictis omnis populus credere deberet. Homines verò illi *Arabes*, villani, inculti, qui nunquam Prophetam viderant, eidem crediderunt. Erat autem quidam apoſtata in hæreſim lapſus & excommunicatus, qui conſimilia docebat, & doctrinam illius ſcribebat. At dictus *Machometh*, prædones & latrones quoſcunque poterat, in ſuam trahebat ſocietatem. De quibus cùm jam multitudo conveniſſet, conſtituit eos in inſidiis, locis abditis & occultis latibulis; ut negotiatores de *Aſia* venientes & redeuntes ſpoliarent. Quadam autem die, veniebat à civitatibus *Jerveth* & *Matham*, ubi invenit in via camelum viri nomine *Habige Hely*, filii *Hyeſen*: quem ipſe ſtatim rapuit, & fugit in civitatem *Macta*; cujus cives non reputantes eum Prophetam, contumeliis affectum illum, tanquam falſarium ejecerunt; & tanquam viatorum deprædatorem ac latronem, ſunt deteſtati. Venit idem iterum ad quandam civitatem deſertam, ubi erant homines in parte *Judæi*, & in parte *Pagani*, Idololatræ, pauperes, & indocti: ubi conſtituit *Machometus* cum ſociis ſuis templum, in quo figmenta ſua populis ſimplicibus exhiberet. Poſt hæc miſit ſocium *Gadimalec* ad locum *Gath*, cum xxx. militibus; ut mercatores cum ingenti pecunia venientes, ſpoliarent. Tunc obviavit eis *Abige Hely*, filius *Jeſem*, cujus camelum rapuerat *Machometh*; habens ſecum trecentos de civitate ſua: hiis viſis, latrunculi illi à *Machometh* miſſi, fugerunt; nec potuit Pſeudopropheta ille, caſum illum prævidendo præcaviſſe; non enim habebat ſpiritum Prophetiæ. Mentiuntur igitur *Saraceni*, dicentes eum ſemper ſecum habuiſſe decem Angelos, qui ei in omnibus miniſtrabant. Miſit iterum ille *Macometh* virum nomine *Gabeit*, filium *Alcharith*, cum xl. militibus, ad prædas: quibus occurrit *Abizechiem*, filius nubar, & ſocii ejus; & prævaluerunt in certamine, & diſperſi & occiſi ſunt latrunculi, & nullus Angelus *Machometh* juvit eos. Miſit tertia vice *Macometh* ſocium ſuum nomine *Gaif Ajuna car*, ſimul cum multis viris, ad locum qui dicitur *Alicar*, vel *Alevaſa*, ut raperent omnes aſinos illàc tranſituros, cum theſauris impreciabilibus & ſubſtantiis multis: ſed antequàm ad locum pervenirent, aſini & negotiatores pridiè tranſierant: quòd ſi Propheta eſſet *Machometh*, nunquam tot ac tantos ſocios illùc in vacuum miſiſſet; non enim veri Prophetæ in

ſuo

1236. ſuo Propoſito decipi conſueverunt. Exiit quarta vice cum ſociis ſuis ille dictus *Machometh*, ut arriperet aſinos cum omnibus quæ portabant; properans donec pervenit ad locum vocatum *Udeny*, ubi *Mozi* filium *Gamzual Muzeni* invenit: adversùs quem nullo modo potuit præliari, ſed victus & vacuus cum confuſione inde receſſit. Quinta vice exiit, volens perſequi jumenta onuſta mercatorum, uſque dum pervenit ad *Nath*, quæ eſt in via *Aſiæ*, ubi tunc *Immarab*, filius *Alaba Algomachi* aderat: quem cùm vidiſſet *Machometh*, expavit & fugit, & nihil utilitatis inde ſibi reportavit. Sexta vice exit idem de *Karchana*, inveſtigans aſinos *Churays*, in *Aſiam* pergentes; & pervenit ad locum qui dicitur *Maboeth*; & deceptus nihil invenit, ſed in revertendo multi de ſuis ſunt perditi & trucidati. Ecce ſex ejus egreſſiones, in quibus neque Angelos ſibi faventes, neque ſpiritum Prophetiæ comprobatur habuiſſe. Sæpè etiam per ſocios proprios ad domos inimicorum ſuorum de nocte tranſmiſſos, homines ſubdolè & furtivè occidere faciebat. Taliter enim miſit virum *Alchiliæ* filium *Ragatha Alazari*, ad occidendum *Achym* filium *Deden Ebræum Maybar*. Similiter etiam *Zely* filium *Gomahyr* ire præcepit invidiosè ad perimendum *Acuan* ſenem & defœtum; qui in ſtratū ſuo eſt trucidatus. Item, miſit *Gabdalla* filium *Geys Alapſadi*, in *Ablam* cum xii. hominibus de ſuis ſociis, ut perſcrutarentur rumores, & ei renunciarent. Qui dum pergerent, obviaverunt *Gary* filio *Macadrami*, cum multis pecuniis; quem ſtatim occiderunt, & quintam partem ſpoliorum dederunt *Machometo*. Similiter filius *Phenuſei* miſſus ab eo ivit, & viros, mulieres & pueros in quodam oppido interfecit; & de omnibus ſpoliis quintam partem reportavit *Machometo*, dicens: Talis pars debetur tibi, Propheta Dei. At ipſe prædam grantanter accepit. Poſt hæc in quodam ſuo prælio dentes ejus, in dextra parte excuſſi, & labrum ſuperius ſciſſum eſt, & gena ejus confracta. Elevavit tunc manum ſuam in tutelam ſuper eum vir nomine *Talcha*, filius *Jubei* de *Alcha*, & defendit eum, cujus digitus tunc eſt amputatus. Ipſe verò *Mochometh* nec virtutis aliquid in læſum oſtendit, nec in lædentem offendiculum; nec ipſimet læſo, Angelus aliquis aliquid ſolatii miniſtravit.

Adulterium & libido Machomethi. HABEBAT *Machometh* ſervum nomine *Zeid*. Cujus uxor ſpecioſa erat valdè, nomine *Zemah*; quam ipſe *Machometh* multùm diligebat. Sciens autem hoc ſervus ejus *Zeid*, cognoſcens domini ſui libidinem, dixit uxori ſuæ: Cave ne te videat dominus meus: ſi enim te viderit, ego ſtatim repudiabo te. Quadam autem die, abſente ſervo venit *Machometh* ad domum ejus, vocans eum; ubi cùm non reſpondiſſet, tam diu ad oſtium pulſans perſeveravit, donec mulier tædio affecta reſponderet, dicens: Non eſt hìc *Zeid*. Adveniens poſtea *Zeid*, vidit uxorem ſuam cum Domino ſuo loquentem: unde abſcedente domino, ait illi: Nónne dixi tibi, quòd ſi viderit te dominus meus loquens tecum, repudiabo te? & ſtatim ejecit eam de domo. *Macometh* autem ſtatim aſſumpſit eam. Timens autem ne de adulterio blaſphemaretur, finxit chartam ad eum de cœlo veniſſe; in qua ſibi Deus præciperet, ut hoc pro lege in populo pronunciaretur; ſcilicet, quicunque uxorem ſuam repudiaverit, & alius vir ſibi eam aſſumpſerit, uxor ſit illius, qui eam ſuſcepit. Et hoc uſque hodiè apud illos pro lege hâbetur, quæ lex inde cepit exordium.

De adultera repudiata, & uxoribus Machometh. QUIDEM vir nomine *Galy*, filius *Habytaliph*, *Machometh* de ſuis adulteriis arguebat, præ eo præcipuè, quòd adulteram præ omnibus habebat chariſſimam. Dicebat enim: O Propheta Dei, propter mulierem quam tenes, magnum incurris ab omnibus hominibus opprobrium. Victus tamen libidine illam non dimiſit, ſed fictis excuſationibus adulterium palliavit. Habuit autem *Machometh* uxores xv. duas liberas, reliquas ancillas. Prima fuit *Adige*, filia *Ulaith*. Secunda fuit prædicta illa adultera repudiata. Tertia *Zoda*, filia *Zonga*. Quarta filia *Aza*, filia *Gomar*. Quinta *Matkezelema*, Iſti uxori ſuæ conceſſit in dote ſua ſibi chariora. Sexta fuit *Zeinab*, filia *Gnar*: huic juravit iratus, quòd non intraret ad eam per menſem: ſed libidine enervatus, ante terminum neglecto juramento ad illam introivit. Septima fuit *Zeinaph*, filia *Vrynaph*. Octava *Abbap*, filia *Abiſiziel*. Nona *Mannona*, filia *Alfaritalim*. Decima *Geotheria*, filia *Alimiſitaſy*. Undecima *Zafia Hebræa*, quæ anteà vocatur *Anazalia*, filia *Haby*. Duodecima *Aculevia*, filia *Fantima*. Tertiadecima *Umaia*, filia *Aldacal*. Quartadecima, filia *Annomen*, dicta *Halæ Idia*. Quintadecima *Malicha*, filia *Gathial*. Ancillas verò, *Meriam*, filia *Ibraſi* filii ſui, & *Ramath*, filia *Simeonis*.

Lex Machomethi, & pœna tranſgreſſionis. DIXIT *Machometh* frequenter diſcipulis & auditoribus ſuis: Nolite illa credere quæ homines dicturi ſunt de me. Nullus enim Prophetarum unquam fuit, cui plebs & gens ſua non impoſuiſſet mendacium. Timeo & ego, ne mea gens de me ſimiliter dicat, mihíque falſa imponat: ideóque nolite eis credere detrahentibus, nec aliud de me ſentite, præter id quod in libro à me tradito legitis. Hæc enim dixi & feci; quod autem extra librum eſt, nec dixi, nec feci. Dicebat etiam: Non ſum cum miraculis aut indiciis ad vos miſſus, ſed in gladio rebelles puniturus. Si quis ergo meum vaticinium & mandatum non ſuſceperit, & in hanc noſtram fidem libens non introierit; ſi ſub noſtra juriſdictione fuerit, occidatur, aut tributum ſolvere pro precio ſuæ incredulitatis cogatur, & ſic vivat. Qui verò extra hanc fidem ſunt, & in aliis regionibus commorantur; prælia & ſeditiones adversùs eos ſemper inferri præcipio, donec ad fidem converti compellantur. Qui noſtræ doctrinæ conſentire noluerint, occidantur, parvuli ac mulieres eorum perpetuæ ſupponantur ſervituti.

Ecce

1236.

ECCE *Machometh* ore proprio confitetur, ſe aliquod miraculum nec feciſſe, nec eſſe facturum: unde miracula quæ de eo prædicant *Saraceni*, falſa ſunt æſtimanda. Aſſerunt enim lupum in via illi obviaſſe; contra quem cùm ille tres digitos erexiſſet, lupus fugiendo receſſit. Aiunt autem de bove, quòd cum eo loqueretur. Dicunt etiam, arborem fici ab eo vocatam, in terram ſe proſtraviſſe, & ad eum ſic acceſſiſſe. Item dicunt, Lunam per eum fuiſſe ſeparatam in partes, iterúmque conjunctam. Item dicunt, venenum illi fuiſſe appoſitum in carne agnina, per manum mulieris nomine *Zanab*, filiæ *Acharith*, uxoris *Zelem*, filii *Muzilum Ebræi*, ubi ſedebat cum eo in menſa ſocius ejus nomine *Abara*, locutus eſt agnus ad *Machometh*, dicens: Vide ne comedas ex me, venenoſus enim ſum. Comedit autem inde ſocius ejus prædictus *Abara*, & mortuus eſt. Ab illa tamen die poſt annos xviii. ipſe *Machometh* veneno interiit. Qui ſi verus Propheta fuiſſet, potuit pro ſocio mortuo oraſſe, ut viveret: vel ſaltem ſibi & ſocio illi à cibo venenato præcaviſſe, ſicut olim *Elias* & *Eliſeus* leguntur feciſſe, dicentes: *Mors eſt in olla.*

Argumentum redargutionis.

IN hora autem ſuæ mortis, cùm ipſe *Machometh* veneno ſe oppreſſum cognoviſſet, dixit parentibus & amicis: Cùm jam mortuum me videbitis, nolite me ſepelire, ſcio enim corpus meum poſt triduum in cœlum deferendum. Socii itaque ejus, eo defuncto in die Lunæ, ſervaverunt corpus uſque ad xii. dies. Videntéſque dicta ejus effectu caruiſſe, in menſe illo, qui apud Arabes dicitur, *Rabea granvil*, anno ſcilicet nativitatis ſuæ lx. ſepelierunt; cùm eum infirmum per dies xiv. tenuiſſent, & corpus ejus in diem xxx. obſervaſſent, utrùm eſſet in cœlum vel in terram transferendum, etiam poſt ſepulturam. Veritate tandem comperta, omnia quæ prædixerat, vana eſſe comprobaverunt; & ſic eum illotum, iterum in tumba occultaverunt. Sapientes, igitur, à lege ſua receſſerunt. Simplices autem & rudes populi, per prædicationem parentum & diſcipulorum ejus, qui cauſa lucri legem ejus efferebant, mandata ejus in poſterùm tenuerunt. Poſt mortem autem *Machometh* ſurrexit inter diſcipulos ejus vir nomine *Abuzer*, filius *Abubalip*, auxilio *Chatab*, nobilis inter omnes qui remanſerant. Cœpítque omnibus cum moderatione ſuadere, multáque adulatione ad ſe colligere homines ac provocare; timens ne omnes ab illa fide diſcederent, cupiénſque Principatum in lege illa vice illius in poſterùm habere. Andiens autem hæc *Achaly*, filius *Abitalip*, qui erat ſocer ipſius *Machometh*, indignatus eſt valdè; & concupiſcentia lucri honoríſque ſecularis tractus, non ceſſavit donec Principatum ab illo amoviſſet. Sic etiam quidam alius *Xenes* nomine, unus de ſociis *Machometh*, variis ingeniis & promiſſionibus curavit eos qui receſſerant, ad fidem eorum revocare; quoſdam autem metu pertrahere, alios mundanis deliciis ſeducere; donec ad eorum fidem innumerabiles reverterentur. Aliæ verò gentes, de remotis partibus, audientes luxum & omnem carnalem ſuavitatem, quam illa lex permittit ac præcipit, libenter eam receperunt; religionem & caſtitatem *Chriſtianam* nimis aſperam reputantes. Sic ergo ſeducta eſt miſerabiliter paganorum multitudo. Cauſa quidem præcipua, quare lex Machometica invaluit, dicitur fuiſſe quidam Monachus; priùs *Chriſtianiſſimus* * *Solius* nomine; qui propter hæreſim excommunicatus, extra omnem Dei eccleſiam fuit ejectus. Ille in *Chriſtianos* vindicare ſe cupiens, perrexit ad locum qui dicitur *Thenme*. Inde pervenit in deſertum *Malſe*, ubi homines duobus modis invenit credentes: major enim pars erat Hebræa, minor pars Idola colebat. Ibi cùm ille Monachus apoſtata & ſocer *Machometh* in unum conjungerentur, & pariter colloquerentur, amici facti ſunt. Mutavit autem Monachus nomen ſuum vocavítque ſe *Naſtorium*. Plurima itaque oracula & teſtificationes ex veteri teſtamento & novo, & ex dictis Prophetarum dôcuit illum, & legi *Machometh* callidè ad erroris ſui firmamentum annexit: & ita talium auxilio & ſuggeſtionibus, cœpit ille ſeductor ſuper omnes tribus exaltari. Erant autem rudes homines & inculti ac ſimplices, & ad ſeducendum faciles, & carnales. Juxto illud Poëticum:

Mors Machomethi.

* *Vel Sergius.*

Et nos in vicium prona caterva ſumus.

CREDUNT multi *Saraceni* unum Deum eſſe ómnium creatorem. De trinitate autem nihil ſentiunt, ſed omninò contemnunt. Idola autem ex documento *Machometi* deteſtantur; quia ipſe quædam honeſta inhoneſtis commiſcuit ut venenum cum melle mixtum cautiùs propinaret. Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* de *Mariæ* virgine natum per ſpiritum ſanctum aſſerunt: ſed creatorem fuiſſe virtute Dei dicunt, ſicut (ut aſſerunt) fuit *Adam*; ponunt eum ſimilem *Adæ* vel *Moyſi*, vel uni ex Prophetis. Credunt etiam eum vivum eſſe in cœlis aſſumptum dicentes, quia ſicut à Deo venit, ita ad eum rediit, & cum Deo manet. Expectant eum adhuc in terris quadraginta annis regnaturum. Crucem verò ejus ac paſſionem & mortem penitùs negant; dicentes alium hominem loco ejus ad paſſionem fuiſſe ſuppoſitum. Et ideò tenebras factas eſſe cùm paſſurus erat, ne hoc compertum eſſet. Teſtantur etiam à diebus *Noë* omnes Patriarchas & Prophetas, & ipſum *Jeſum Chriſtum*, illam legem tenuiſſe, quam ipſi tenent, & per eam eſſe ſalvatos. Aiuntque nos legem Evangelicam perverſiſſe, & nomen *Machometh* de Evangelio abraſiſſe. Scriptura namque *Saracenorum* hoc habet, quòd antequàm fieret cœlum & terra, nomen *Machometh* apud Deum conſiſtebat: & niſi fuiſſet *Machometh*, nec cœlum nec terra fuiſſet, nec paradiſus, nec infernus. Unde

Fides Saracenorum ſecundum Machometh.

1236.

Unde ex hoc ſolo verbo, tanta fatuitate pleno, poſſunt ſapientes *Saraceni* perpendere, quòd omnia alia ejus dicta plena ſunt vanitate. Sperant & credunt reſurrectionem; ſed dicunt, in die judicii nullum de ſuis periturum eſſe aut puniendum, ſed omnes ſalvandos. Dicunt enim, omnes qui tenent eorum legem, per interceſſionem *Machometh* apud Deum ſalvandos & nunquam puniendos. Credunt poſt hanc vitam temporalem, aliam vitam ducere perpetuam, & æternaliter in Paradiſo collocari; unde flumina mellis procedunt, vini & lactis, ad ſuavitatem omnis viventis, ubi quicquid aliquis ipſorum ad edendum bibendúmque petierit, velociter è cœlo ei adveniet. Item, quotquot filios maſculos aut fœminas in coitu procreare deſideraverit, tunc procreabit. Ibi etiam neque lugere, neque contriſtari aliquem profitentur: ſed univerſis varriíſque deliciis reficiendos, cum omni lætitia ſine termino temporis delectari. Credunt lucra & divitias, necnon & delicias præſentis vitæ, futuram beatitudinem non præpedire.

Matrimonia Saracenorum. SECUNDUM legem ſuam ducet homo uxores tres vel quatuor, ſi habet facultates ad hoc ſufficientes. Uxores quidem debent eſſe liberæ: de ancillis verò & concubinis tot habent, quot regere aut paſcere poſſunt. Contra illud in *Geneſi*: *Erunt duo in carne una.* Non dicit, tres, vel quatuor. Item *Lamech*, qui primò induxit polygamiam, à Deo reprobatus, & plus quàm primus homicida punitus eſt. Si alicui eorum uxor ducta diſplicuerit, aut aliqua contentio, vel rixa, vel odium inter eos acciderit: ſtatim repudiatio tam viri quàm mulieris fiat, & alter alterum liberè dimittat. * Si autem dimiſſa ſua uxore vir poſteà pœnituerit, eámque ſibi reſtitui optaverit; niſi priùs alii viro copulata fuerit, & ipſa in redeundi cauſa conſenſerit, nullo modo in uxorem ſibi recipere eam licebit: hoc ideò fit, quia inter eos nulli legitimum connubium fit. Dotem quidem, non ſecundùm legem, ſed ſecundùm morem gentilium agunt, nullo exemplo doctrinæ in hoc eruditi, nulla benedictione percepta copulantur.

Superſtitio eorum. TEMPORE jejuniorum maximè coitu utuntur, credentes ſe in hoc Deo magis placere. Uno tantùm menſe in anno jejunant; & hoc à mane uſque ad noctem: & ab initio noctis uſque ad mane, comedere non deſiſtunt. In diebus jejuniorum, non debent orare vacuo ſtomacho: ſed ſuis uxoribus tunc maximè commiſcentur, quaſi majorem mercedem conſecuturi. Si quis eorum tempore jejunii infirmatur, vel quomodolibet vexatur, aut peregrinatur: licet ei comedere, & ſanitatis tempore jejunium reſtaurare. In jejuniis autem carnibus & cunctis lautioribus cibis utuntur diligenter, excepto vino. Cum uxore prægnante non coëunt, ſed cum conceptura: prætendentes cauſam honeſtatis, ac ſi non eſſet coëundum niſi propter prolem. Orationes autem ſuas faciunt contra meridiem: & diem Veneris præ aliis diebus colunt & venerantur. In judiciis verò eorum, ſi quis de homicidio accuſatus, per qualeſcunque teſtes ſi convincitur; ſtatim ſine remedio mandatur occidi. In lege autem eorum ſcriptum eſt: *Si quis legem non tenuerit, & Machometh abnegaverit, differatur uſque in diem tertium, & ſi tunc non pœnituerit, occidatur.*

Alia de eodem Machometh. QUIA igitur de impoſtore illo, ſcilicet *Machometh*, inchoatur narratio, quam per quendam magni nominis celebrem prædicatorem, qui ejuſdem *Machometh* legem prædicando reprobavit, ad hoc ſpecialiter in partes Orientales deſtinatus, accepimus, huic paginæ duximus inſerendam. Docebat namque ſæpedictus *Machometh*, & ſcripſit in libro ſuo ſcilicet *Alcorano*, quo utuntur *Saraceni*, & authenticum habent, ſicut *Chriſtiani* Evangelium; quòd maximum & primum tam dignitate quàm tempore mandatum Dei eſt: *Creſcite, & multiplicamini.* Et qui hoc tranſgreditur, inexpiabiliter peccat. Unde ut multiplicetur gens *Saracenica*, ſicut equi & muli non habentes intellectum, præcepit & inſtituit *Machometh*, ut uxores cum concubinis quot poſſunt ſuſtinere, tot habeant: & eiſdem utantur, & ad libitum etiam abutantur *Saraceni*. Et ſi quis pauciores habeat, quàm paſcere & gubernare queat, habito reſpectu ad ejus poſſeſſiones, redarguitur tranſgreſſionis legis & avaritiæ: & judicio poteſtatum adduntur ei plures. Et ſic *Machometh* Angelicam virginitatem, quaſi ſterilem, parvipendit: continentiam velut infructuoſam, vilipendens condemnavit; non conſiderans, quòd Dominus ſolam *Evam* ſoli *Adæ* in adjutorium dedit & prolis procurationem. Sic igitur *Machometh* uxores multiplicando, conſtituit polygamiam, non admonitus exemplo *Lamech*: qui primus bigamiam introducens, pœnas luit vir ſanguinum, à Deo reprobatus, & per diluvium de ſubcœlo deletus. Hinc eſt quòd *Saraceni* enervati, & effœminati, in libidinem & immunditiam reſolvuntur; ſecundùm præceptum ſpurciſſimi Prophetæ eorum *Machometh*: qui hoc ſolummodò introduxit, ut genus & gentem ſuam propagando multiplicaret, & legem ſuam ſic per numerum roboraret, ut in eo adimpleatur quod in Apocalypſi ſcribitur: *Draco traxit ſecum medietatem ſtellarum cauda ſua de cœlo.* Verè *Machometh* draco venenoſus, beſtia multorum cæde cruentata, abſorbens flumen nec admirans, habens adhuc fiduciam *ut influat Jordanis in os ejus.* Aſſeruit etiam memoratus Pſeudopropheta *Machometh*, Deum dixiſſe ad eum: Fili hominis *Machometh*, ne eas per vias aliorum Prophetarum, qui ante te erant in miraculis, ſcilicet ſignis & prodigiis. Qui credere & credens ſalvari deſideraverit, proprio motu, non ſignis attractus, ad legem accedat, ut ex ſpontanea voluntate major ei merces accumuletur: & hoc finxit, ſciens meritum ſuum non eſſe tanti apud Deum, ut aliquid faceret pro eo Deus miraculoſum. Prætereà

dixit,

1236.

dixit, prædicavit, & ſcripſit, neſcitur qua fultus ratione vel auctoritate, tres fuiſſe tantùm Prophetas, nec plures eſſe futuros, *Moyſen*, qui ex hominibus: *Jeſum*, qui & de cœlo: & *Machometh*, qui ex terra legale ſumpſit teſtamentum. *Moyſes*, quæ ſuo tempori competebant, per legem ſibi à Deo datam inſtituit: *Jeſus* autem quæ ſuo tempore facienda fuerant, per Evangelium prædicavit & tradidit: Similiter & ipſe *Machometh*, apta ſuo tempori ſtabilivit. Evacuato igitur legis tempore ſucceſſit Evangelium: evacuato etiam tempore Evangelii, ſucceſſit lex *Machometh*; quaſi defectum ſupplens prædictorum ac præteritorum. Hinc eſt quòd *Machometh* volens placere utriuſque Teſtamenti cultoribus, quædam quæ Legem, quædam quæ Evangelium contingunt, prædicavit: de veteri teſtamento circumciſionem: de novo, baptiſmum. Circunciduntur enim *Saraceni*, & ſe in aquis currentibus abluunt, in partibus ſcilicet corporis inferioribus, ut ſic quaſi quodam baptiſmi lavacro purificentur. Item, conceptum credunt virginis & partum, ſecundùm Evangelium *Lucæ*; ſcribentis: *Miſſus eſt Angelus*, &c. ſed *Jeſum Chriſtum* Deum negant: maximum tamen Prophetarum eſſe fuiſſéque affirmant. Reſurrectionem in fine mundi mortuorum aſſerunt. Interrogatus autem *Machometh* de diluvio & arca *Noë*, & exterminio generali, facto per diluvium, ſicut ſcribit *Moyſes* in Geneſi, ſi verum fuit & credendum: reſpondit & dixit diſcipulis ſuis: *Jeſus* maximus dum prædicando partes *Hieruſalem* deambularet, ſollicitatus à diſcipulis ſuis ſuper hoc, vacillantibus mentibus talem impreſſit certitudinem: Invenit namque *Jeſus* ante pedes ejus quendam ceſpitem, & eum pede percutiens, ait: Surge *Japhet*, fili *Noë*. Et ſurrexit quaſi de ſub ceſpite *Japhet*, vir quidam magnus & procerus & canus, ſed nimis attonitus & pavidus. *Jeſu* autem interroganti, cur timuiſſet: reſpondit *Japhet*, & dixit ei: Domine, audita tuba vocis tuæ, expavi; credens vocari ad judicium generale reſurgentium. Reſpondens *Jeſus* dixit ei: Noli timere, nondum enim venit hora judicii vel reſurrectionis. Sed vocavi te ex mortuis, ut tu, qui in arca cum patre tuo fuiſti, circumſtantibus his omnem enarres ſuper his veritatem. Tunc aſſumptâ *Japhet* parabolâ, ſuam ſic orſus eſt narrationem. Inundante diluvio fuimus in arca, homines videlicet in loco uno, animalia verò, ſcilicet jumenta, in ſua triſtega, quæ erat in uno latere arcæ, & fœnum & annona in alio latere arcæ. Elapſis igitur quatuor menſibus, cœpit arca titubando vacillare, & inclinare in illam partem quæ jumenta continebat. Ipſa enim animalia, quæ fimum accumulabant, conſumpta paulatim annona, ad eſum eorum diſtributa, præponderabant. Uno igitur latere, ſcilicet annonam continente, ſublevato: alio verò, animalia ſcilicet continente, depreſſo, periclitabamur, & timuimus vehementer: nec auſi eramus aliquid grande facere Domino inconſulto. Facto igitur ſacrificio cum orationibus, placatus Dominus dixit nobis: Facite vobis cumulum vice aræ de maſſa terreſtri, collecta ex ſterquilinio provenienti ex homine & camelo: & cùm ſuper illum ſacrificium conſummaveritis, veniet vobis de veſtra tribulatione remedium. Quod cùm feciſſemus, ſurrexit ex illo cumulo ſcropha quædam, ſus ſcilicet maxima, quæ ſtatim ſe miſit in ſentinam navis, & illum magnum aggerem terreſtrem, quo priùs penè arca ſubverſa eſt, diſpergens, ſalutem nobis ſic eſt operata. Poſt dies autem aliquot, facto ſuo officio, & jam nobis inutilis, facta eſt nobis ſus nimis abominabilis, & judicio aliquorum in mare projicienda: ſed quia à Deo data, nobis ſalutem eſt operata, ſuſtinuimus, vix tamen. In vindictam igitur illius tranſgreſſionis, immiſit nobis Dominus peſtem, in hunc modum. Sus quaſi ſternutando emiſit ex naribus mures magnos & famelicos; qui diſcurrentes per arcam nobis nimis damnoſi, compages ejus, funiculos, & etiam annonam corrodendo conſumpſerunt: & ſic ſus quæ petita nobis data fuit ad auxilium, facta eſt nobis per prævaricationem noſtram ad diſpendium. Pœnitentibus igitur nobis, & ad dominum cùm tribularemur clamantibus, placatus ait Dominus: Habetis vobiſcum leonem, percutite eum in fronte cum malleo, non tamen uſque ad mortem, & fiet vobis ſalus. Quem cùm ſic juxta præceptum domini percuſſeramus emiſit ex ore cum rugitu catum. Qui exiens mures perſequendo delevit & arcam ab illorum peſte liberavit. Et ut ex fimo hominis & cameli ortam ſuem non ambigatis, evidens id comprobat argumentum. Sus enim in interioribus homini aſſimilatur, & in exterioribus cùm ſit de numero quadrupedum, camelo non diſcordat, & ſemper delectatur terreſtres maſſas & lutulentas fodiendo revolvere. Ut autem credatis ex naribus ſuis mures proſiluiſſe, ipſi mures ſemper terrenas cavant & inhabitant manſiones, unde mus ab humore terræ dicitur. Quòd autem ab ore leonis catum exiſſe non dubitetis, catus quaſi patriſſando leoni aſſimilatur, in corporis diſpoſitione & victus prædatione ac rapina. Ex illo tempore ferebatur arca ſecuriùs donec conſummaretur tempus inundationis. Sic igitur aſſeruit *Machometh*, *Japhet Chriſtum* de arca interrogantem & ejuſdem diſcipulos certificaſſe: quod cuilibet ſapienti frivolum videtur, & penitùs diſſonum veritati.

Nota ridiculoſum mendacium.

Talibus autem vanis ſermocinationibus, præſtigiator animarum *Machometh*; multorum animas infatuavit. In noviſſimis autem diebus vitæ ſuæ, cœpit exaltari nimis, & ab imo elevatus in altum per quandam nobilem mulierem *Adige* nomine; quam ſeductam idem *Machometh* occulto coitu maculaverat, & poſteà matrimonio ſibi copulaverat: incepit gloriari & ſublimari ſuper omnes potentes & ſapientes Orientis, nomen & officium Prophetæ ſibi uſurpando. Percuſſit igitur eum Dominus epilepſia irremediabili, qua ingruente, cùm ſicut

1236. moris eſt talia patientibus, frequenter cadere incepiſſet; finxit ſe, ne auctoritate ſolita privaretur, & ſic contemneretur, colloquium ad conſilium cum *Gabriele* Archangelo de ſalute hominum tractando habere, & non poſſe ſplendorem ejus ſtando ſuſtinere. Contigit igitur quadam die, quòd crapulatus epulis & vino, quibus ſicut prædicabat, faciendis maximè intendebat, cecidit ſuper ſterquilinium, morbo ſuo compellente: & (ut dicitur) veneno ſibi in cibo illa die dato cooperante, per quoſdam nobiles, qui ſuperbiæ ejus invidebant. Torquebatur igitur volutans & ſpumans, omni ſociorum ſolatio, peccatis ſuis exigentibus, tunc fortè deſtitutus. Quem cùm ſus quædam improba, porcellos habens nondum ablactatos, ſemivivum comperiſſet, refertúmque cibariis, quorum nidorem exhalavit, & nauſeæ partem emiſiſſet, ſuffocavit. Unde adhuc *Saraceni* ſues præ cæteris animalibus exoſas habent & abominabiles. Per complices autem *Machometh*, qui probra ejus in quantum potuerunt, palliârunt; lex ejus ſerpendo cœpit fines Orientales occupare. Et ut id faciliùs conſequerentur, placentia carni non ceſſabant prædicare; non virtutum inſignia, quibus homo non effœminatus erigitur ad cœleſtia. Unde admirandum eſt, quòd tot ambagibus *Machometh* ſapientes & potentes inclinavit. Sed quia Deus novit qui ſunt ejus, dedit corda eorum in reprobum ſenſum; & ejus judicia, abyſſus multa. Nec eſt qui dicere ei queat: Cur hoc facis? Cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Hæreſis Paterinorum & Bu[illegible]arorum.

CIRCA dies autem illos, invaluit hæretica pravitas eorum qui vulgariter dicuntur *Paterini* & *Bugares*, in partibus tranſalpinis; de quorum erroribus malo tacere quàm loqui, adeò quòd fidei puritatem in finibus *Franciæ* & *Flandriæ* auſi ſunt perturbando violare. Sed diligenti miniſterio & indefeſſa prædicatione *Minorum* & *Prædicatorum* & Theologorum, præcipuè fratris *Roberti* de ordine Prædicatorum (qui cognomen *Bugre* dicebatur, quia ab illo converſus, habitum ſuſcepit Prædicatoris) qui malleus hæreticorum dicebatur, confuſa eſt eorum ſuperſtitio, & error deprehenſus. Quàmplures autem ex utroque ſexu ad fidem converti refutantes, fecit incendio conflagrari: ita quòd infra duos vel tres menſes, circiter quinquaginta fecit incendi, vel vivos ſepeliri.

Diſſidium inter Imperatorem & Italos.

INCANDUIT autem circa idem tempus, ira imperatoris contra *Italicos*; adeò quòd ex diuturno incremento & ex utraque parte injuriarum additamento, ira in odium verſa eſt inexorabile. Conqueſtus eſt igitur graviter de eorum inſolentia domino Papæ; dicens & aſſerens, quòd ſuperbia eorum qui eum oderunt, aſcendebat ſemper: & quòd diligenter procuraret dominus Papa, adhibita tota curia *Romana* vigilanti diligentia, ut pax honorabilis inter eos reformetur; vel efficax impendat Papâ adjutorium, ut eos in brachio extento domitos evincat, & ſuæ debitæ ſubdat ditioni: ſicut idem Papa deſiderat adjutorium ab ipſo Imperatore ſibi impendi, ſi eccleſia auxilio ſuo fortè indiguerit: unde eccleſia *Romana* ſollicitudine & anguſtiis nimis arctabatur. De *Mediolanenſi* autem civitate graviùs conqueſtus eſt Imperator; quæ nutrix ac tutrix fuit Hæreticorum, & toti Imperio rebellium: ad quam expugnandam, eodem anno innumerabilem exercitum congregavit. Filium autem ſuum *Henricum*, de proditione adversùs patrem ſuum graviter accuſatum; in carcere arctiſſimo & vinculis detinebat.

Colloquium habitum Londini.

EODEM quoque anno, iv. Calend. Maii, congregati ſunt magnates *Angliæ Londini* ad colloquium, de negotiis regni tractaturi. Admirabantur autem multi, quòd Rex nimis & plùs quàm deceret, ſecutus eſt electum *Valentiæ*, ſpretis, ut eis videbatur, ſuis hominibus naturalibus; hoc ægro animo ferentes, Regiſque levitatem redarguentes, & ad invicem dicentes: Quare iſte electus non ſe ingerit in Regnum *Galliæ*, cùm Rex *Galliæ* primogenitam ſororem Reginæ noſtræ in uxorem duxerit, ut diſponat negotia regni *Francorum*, ratione neptis ſuæ ibi Reginæ, ſicut hìc? Et indignati ſunt vehementer. Rex autem prima die colloquii ſe in Turrim *Londinenſem* recipiens, multis ſuper hoc materiam præbuit murmurandi; & plùs de ſiniſtris quàm proſperis augurandi. Nec voluerunt magnates vel ſinguli, vel catervatim, in Turrim ad Regem ingredi, timentes ne Rex inclinans levi conſilio, in illos deſæviret, & edocti illo exemplo *Horatii*:

Quia me veſtigia terrent, Omnia te verſùm ſpectantia, nulla retrorſùm.

Veruntamen Rex fræno diſcretionis correctus, venit de Turri ad ſuum Palatium; ibidem honeſtiùs cum ſuis de inſtantibus negotiis loquuturus. Ubi cùm de multis tractaretur: unum laudabiliter conſummavit, ſcilicet, quòd amotis omnibus vicecomitibus, ſubſtituerentur alii; eò quòd nimis à tramite veritatis & juſtitiæ corrupti muneribus, exorbitârunt. Idcircò uberiores in tenementis, & abundantiores in theſauris, & genere nobiliores, loco eorum Rex ſurrogavit; ne cogerentur muneribus inhiare, & corrumpi propter retributionem. Fecit etiam eos jurare, ne reciperent munera aliqua, niſi in eſculentis & poculentis; & hoc moderatè, & abſque alicujus exceſſus nota; vel remunerationis terrenæ, per quam juſtitia corrumperetur. In eodem autem colloquio, Rex *Scotiæ* illùc nuncios ſolennes deſtinaverat; qui inſtanter jura quæ dominum ſuum Regem *Scotorum* contingebant, de quibus ſe habere chartam & multorum magnatum teſtimonium aſſerebant, à Rege poſtulabant: cujus rei diffinitio tunc cepit dilationem. Eodem quoque tempore, Rex eò quòd non potuit *Richardum* Comitem fratrem ſuum cum *Richardo Sward* in pacem reformare, eundem *Richardum* à regno ſuo, quaſi profugum relegavit; dicens ſe malle incurrere ſuam, quàm

fratris

1236.

fratris ſui indignationem. *Radulfum* quoque filium *Nicolai*, Seneſchallum hoſpitii ſui, cum quibuſdam aliis Conſiliariis ſuis & magnis hoſpitii ſui miniſtris; ab officiis ſuis amotos, à conſilio ſuo, non ſine multorum admiratione, ſequeſtravit. Sigillum quoque ſuum ab Epiſcopo *Ciceſtrenſi* Cancellario ſuo, qui officium ſuum irreprehenſibiliter adminiſtravit, exiſtens ſingularis columna veritatis in curia, exegit Rex inſtantiſſimè. Sed idem Cancellarius hoc facere renuit, videns impetum Regis modeſtiæ fines excedentem; dixitque, ſe nulla ratione hoc poſſe facere, cùm illud communi conſilio regni ſuſcepiſſet: quapropter nec illud ſimiliter ſine communi aſſenſu regni alicui reſignaret. Necnon ſub eiſdem temporibus, dominus Imperator ad Regem nuncios ſuos deſtinavit; pecuniam non minimam, quam ei cum ſorore ſua Rex promiſerat, exigentes.

Prælium in partibus Scotiæ commiſſum.

TEMPORIBUS etiàm ſub eiſdem, convenerunt multi nobiles & fortes ex diverſis partibus Occidentalium provinciarum, ſcilicet *Galeweia*, & inſula quæ dicitur *Man*, & partibus *Hyberniæ*, per *Hugonem* de *Laſcy*; cujus filiam *Alanus* de *Galeweia*, jam defunctus, ſibi matrimonio copulaverat: ut ipſe unanimiter cohærentes filio *Alani* prædicti notho *Galeweiam* reſtituerent, caſſata in manu forti Regis *Scotorum* juſta diſpoſitione; qui tribus filiabus, quas jus hæreditarium contingebat, hæreditatem diſtribuerat. Ut igitur prædicti inſolentes hanc diſtributionem in irritum revocarent, reſtituentes terram prænominato *Thomæ*, vel filio *Thomæ*, fratris *Alani*, vel ſaltem alicui de genere illo, ad arma convolârunt; & in inſolentiam prorumpentes, ſe de ſub jugo Regis ſubtrahere cupiebant. Et ut id attemptantes, ſuum certiùs conſummarent deſiderium, fœdus inauditum inierunt; quoddam genus arioiandi invenientes, ſecundùm quandam, tamen, antiquorum atavorum ſuorum abominabilem conſuetudinem. Nam omnes barbari illi & eorum duces ac magiſtratus, ſanguinem venæ præcordialis in magno vaſe per minutionem fuderunt; & fuſum ſanguinem inſuper perturbantes miſcuerunt, & mixtum poſteà ſibi ad invicem propinantes exhauſerunt; in ſignum quòd eſſent ex tunc in antea, indiſſolubili & quaſi conſanguineo fœdere colligati; & in proſperis & adverſis uſque ad capitum expoſitionem, indiviſi. Provocantes igitur Regem cum Regno ad prælium, ædes proprias & finitimas combuſſerunt; ne adveniens Rex cum exercitu inveniret hoſpitia vel victualia: intenderúntque rapinis & incendiis, injurias injuriis cumulantes. Quod audiens Rex *Scotiæ*, collectis undecunque viribus, eis obviàm perrexit; & diſpoſitis bellicis legionibus, campeſtri certamine eoſdem eſt aggreſſus. Et verſo pondere prælii ſuper *Galewenſes*, fugam inire ſunt compulſi: quos perſequentes Regales in ore gladii, multa millia eorum occiderunt. Illos verò quos Rex vel ejus commilitones vivos apprehendit, ſine redemptione, ignominioſâ morte punivit. Venientes autem ad ſuam miſericordiam, vinculis & arctæ cuſtodiæ, donec deliberatum foret judicio quid de ipſis fieret, mancipavit: omnes autem cum ſua poſteritate, non ſine ratione, exhæredavit. Qua victoria Rex potitus, Deum magnificavit, Dominum ſcilicet exercituum. Et ſano fretus conſilio, dedit in mandatis *Rogero* de *Quinci* Comiti *Wintonienſi*, *Johanni* de *Balliol*, & *Willielmo* filio Comitis de *Aubemarliæ*; quòd ſicut tres ſorores, ſcilicet filias *Alani* de *Galeweia*, ſibi matrimonio copularunt, jam in pace jura eos contingentia, ſedato tumultu poſſiderent. Facta eſt autem hæc belli congreſſio menſe Aprili, Martis favore Regi *Scotorum* propriùs aſpirante.

Perturbatio regni Francorum.

ANNO etiam eodem, Verno tempore arridente, inſurrexerunt multi magnates accincti ad prælium, ut bellum moverent adversùs regnum *Galliæ*. Indignabantur enim, quòd regnum regnorum, ſcilicet *Gallia*, conſilio muliebri regebatur. Erant autem inſurgentes viri graves & famoſi, & ad præliorum exercitia ab annis primis educati. Rex ſcilicet *Navarræ*, id eſt, Comes *Campaniæ*: Comes etiam de *Marchia*, Comes *Britanniæ*, & alii potentes quàmplurimi, fœdere & ſacramento colligati.

Mors Willielmi *de* Albineto.

TUNC quoque temporis, *Williemus* ſenior de *Albineto*, vir quidem plenus dierum, miles ſtrenuus & magnanimus, & omni præditus nobilitate; pridiè Nonas Maii, apud *Offintunam*, manerium ſuum, diem clauſit extremum: relinquens *Willielmum* filium hæredémque ſuum legitimum, in omnibus patriſſantem.

Corduba *capta*; Cepta *urbs treugas fecit.*

ANNO quoque eodem, *Genevenſes* auxilio freti *Piſanorum* & *Marſilienſium*, necnon & Regis *Arragoniæ*; civitatem *Hiſpaniæ* nobiliſſimam, *Cepte* dictam, ſubitò invaſerunt. Unde cives paganiſſimi, qui dudum prædictis invaſoribus erant nimis injurioſi ac nocivi; timentes hoſtium multitudinem, impetum tam repentinum facientem, ſeſe poteſtati eorum ſubdiderunt, pacem ſub hac forma componentes ad tempus. Quòd ſi dominus eorum, Rex ſcilicet Africæ, qui dicitur vulgariter *Admirabilis mundi*, eis ſubſidium efficax non tranſmitteret infra triennium, totam civitatem eis liberè ſeſéque redderent ſine aliqua difficultate. Liceret autem interim Regi *Arragoniæ* ſuiſque conjuratis, ſuper pontem quem ante hanc treugam vel pacem initam ſuper cives occupaverant, obtentum; pacificè quolibet trium annorum ſpacio unam turrim erigere ad placitum munitiſſimam. Unde jam capta *Corduba*, & *Cepte* ad capiendum jam parata; ſpes *Chriſtianorum* eſt erecta, & formido *Saracenos*, maximè autem Regem invaſit *Africanum*.

Portentum.

SUB eiſdem quoque temporibus, menſe Maio, non procul ab Abbatia quæ *Rupes* dicta eſt, in partibus Septentrionalibus *Angliæ* ſita; apparuerunt acies militum elegantiſſima armato-

1236. armatorum, vecti equis precioſis, vexillis ac clypeis, loricis ac galeis, & aliis munimentis militaribus adornati. Exierunt autem de terra, ut videbatur, & iterum in terram abſorpti, evanuerunt. Et hæc viſio per dies plurimos, oculos intuentium quaſi præſtigiatos detinebat. Equitabant autem diſpoſitis aciebus, & aliquando facto congreſſu hoſtiliter dimicârunt: aliquando quaſi in in haſtiludio ſuas in fragmenta minima haſtas cum fragore minuerunt. Viderunt eos incolæ, & potiùs à longè, quàm propè; quia nunquam talia ſe vidiſſe meminerunt. Multi autem hæc præſagio carere negaverunt. Hæc manifeſtiùs contigerunt in *Hybernia*, & in confinibus; ita quòd aliquando quaſi venientes de prælio, & victi, trahebant equos ſuos poſt ſe vulneratos & contractos, ſine aſſeſſore: ſed & ipſi graviter ſauciebantur cruentati. Et quod mirabilius fuit, veſtigia eorum impreſſa terræ, & herba proſtrata & conculcata, manifeſtè apparuerunt. Et multi hæc videntes, præ timore ſeſe in eccleſias vel caſtra ante eos fugientes; cùm crederent hoc non eſſe fantaſticum, ſed potiùs verum certamen, receperunt. Hæc ex relatu & veriſſima aſſertione Comitis *Glovernia* poſt aliquot annos hujus eventus, & aliorum multorum teſtimonio, ad notitiam noſtram pervenerunt.

Rex conatur quædam conceſſa revocare.

EODEM quoque tempore, *Petrus* de *Rivallis*, & *Stephanus* de *Segrave*, de quibus ſuprà fecimus mentionem; in gratiam Regis ſunt recepti. Eodémque tempore, congregati ſunt apud *Wintoniam* magnates *Angliæ* præſente Rege, ſexto Idus Junii. Ubi Rex nitebatur per authenticum domini Papæ, quædam, quæ ante matrimonium contractum, aliquibus contulerat, in irritum revocare; ac ſi eſſet impos ſui, ſine domini Papæ conniventia; ad quem, ut dicebat, jus regni ſpectabat conferre. Unde multos commovit ad admirationem; dicentibus multis, quòd magis quàm decuit, aut oportuit; regnum ſuum nitebatur Rex ejus ſubdere ſervituti, & extremis conditionibus mancipare.

Quidam magnates Angliæ *cruce ſignati.*

SUB eodem tempore, Comes *Richardus* frater domini Regis, Comes quoque G. *Mareſcallus*, Comes quoque *Johannes Ceſtrenſis*, qui & *Lincolnienſis*, Comes *Sariſberienſis*, G. de *Lucy*, frater ejus, *Richardus Sward*, & multi alii nobiles, Crucem aſſumpſerunt. Et ex tunc, Comes *Richardus* nemora ſua ſuccidi præcepit & venundari, & ex aliis quibuſcunque potuit, abradere theſaurum, in peregrinationis ſuæ ſuſtentationem coadunavit. Nec multò pòſt, per *Simonem* de *Montfort* Comitem *Legriæ*, & *Petrum* (ut dicitur) de *Rivallis*, incurrit *Richardus Sward* injuſtè Regis indignationem; ita quòd captus eſt, & retentus in cuſtodia Regis: poſteà eadem facilitate citò liberatus.

Strages Judæorum.

ILLIS quoque diebus, facta eſt ſtrages magna *Judæorum* in partibus tranſmarinis; præcipuè in *Hiſpania*. Timentéſque ciſmarini ſibi ſimilia irrogari; data Regi pecunia, fecerunt voce præconis acclamari, ne quis quicquam injuriæ vel modeſtiæ cuivis inferret *Judæorum*.

Xenium Imperatoris.

EODEM quoque tempore, dominus Imperator Regi *Anglorum* nobile xenium circa feſtum tranſlationis ſancti *Benedicti* miſit; videlicet octodecim equos precioſos, & tres mulos holoſericis & aliis precioſis donariis oneratos: & fratri Regis, Comiti *Richardo*, equos aliquot precioſos & nobiles, cum aliis rebus deſiderabilibus.

Diuturna ariditas & adeſtio ſegetum.

ÆSTATE quoque eadem, poſt jam tranſactam, ut dictum eſt, hyemem ſupra modum pluvialem; facta eſt continua ariditas cum caumate ferè intolerabili, per quatuor & ampliùs menſes continuato. Ita ut paludes profundæ cum ſtagnis ſiccarentur, molendina aquatica ſtarent inutili otio areſacta, terra rimis hiaret. Ariſtæ quoque ſegetum in locis quàm plurimis, vix bipedale ſuſceperunt incrementum.

Pacificatio magnatum Franciæ. *Quidam temerarii ſuſpenſi.*

ANNO quoque eodem, æſtivo tempore jam declinante, Nobiles illi qui *Francorum* regnum perturbare diſpoſuerant; facta quadam pacis compoſitione, in Regis gratiam ſunt recepti. Tunc quoque temporis, quidam in *Anglia* juvenes temerarii, ſtrenui tamen & nobiles, neſcitur quo ſpiritu ſeducti, ſimul conjurati; inierunt fœdus execrabile; ut prædonum more ac veſpilionum, in manu hoſtili *Angliam* devaſtarent. Sed diſſipato eorum conſilio, captus eſt hujus conſpirationis capitaneus; ſcilicet *Petrus* de *Buffera*, Regis oſtiarius, & per eum plures accuſati. Propter quos ſuſpendendos, paratum exhorribile patibulum *Londoniis*, quod vulgus *Gibetum* appellat. Ubi ſuſpenſi ſunt duo fortiſſimi, poſtquàm duello fortiter dimicaverant: unde unus in campo capite dilacerato mortuus, appenſus eſt gibeto. Alius vivus, non ſine multorum qui aderant lamentatione, in prædicto patibulo miſerabilem animam exhalavit.

Diſcordia inter cives Aurelianenſes, *& clericos.*

ANNO quoque eodem, circa dies Pentecoſtes, orta eſt diſſentio lamentabilis in civitate *Aurelianenſi*, inter clerum & cives; muliercula quadam incentivum ſeminariúmque diſcordiæ ſuſcitante. Eatenùs quoque cœpit tumultus ventilatus incrementum, quòd occiſi ſunt in civitate à civibus ſcholares, juvenes illuſtriſſimi & genere præclari. Nepos ſcilicet Comitis de *Marchia*, nepos Comitis *Campaniæ*, ſcilicet Regis *Navarræ*, propinquúſque conſanguineus Comitis *Britanniæ*; & quidam alius propinquus conſanguinitate nobili Baroni *Erkenwado* de *Burbune*, & alii multi; quorum aliqui in flumine *Ligeri* ſunt ſubmerſi, alii trucidati; alii verò, qui evaſerunt, vix in ſpeluncis & vineis & diverſis latibulis deliteſcentes, à mortis diſcrimine ſunt erepti. Quo audito, Epiſcopus civitatis accinctus zelo juſtitiæ, exiit à civitate; & ipſis malefactoribus excommunicatis, civitatem ipſam ſuppoſuit Interdicto.

dicto. Inſuper magnates prænominati, audientes ſuorum ſtragem conſanguineorum, ingreſſi hoſtiliter civitatem, multos civium ſine judicii expectatione in ore gladii trucidârunt. Alios quoque, dum à quibuſdam nundinis remearent, clitellis & ſarcinis oneratos, enſibus adhuc cruentatis in itinere detruncârunt. Nec ceſſavit mota ſeditio, donec Regium mandatum per utrarumque partium voluntates, factis compoſitionibus, tumultum prudenter temperaret. Sub eiſdem quoque diebus, plures civitates cum provinciis ſuis in regno *Francorum* ſuppoſitæ ſunt Interdicto; utpotè *Remis*, *Aminianis*, *Belvacum*, & partes aliæ, ſchiſmatibus ex cauſis variis ſuſcitatis. 1236.

Diſcordia Oxoniæ orta.

ET eodem anno orta eſt contentio inter clerum *Oxionæ* & cives; & vix procurantibus Rege & Magnatibus, Epiſcopis quoque & aliis viris authenticis, lite poſt magnum tempus ſopitâ, eſt Univerſitas priſtino ſtatui reſtituta. Eodem quoque anno, menſe Auguſto, migraverunt à ſæculo, *Wigornienſis Johannes*, & *Norwicenſis Thomas*, Epiſcopi. Et ſub eiſdem diebus diem clauſit extremum Abbas *Henricus Croilandiæ*; vir genere & religione præclarus; cùm eccleſiam ſuam, quam ferè totam cum ædificiis renovaverat, annis ferè rexerat quinquaginta.

Expoſtulatio Regis Scotiæ.

ANNO quoque eodem, Rex ſuorum conſilio fretus Magnatum, iter versùs *Eboracum* maturavit; ut conſilio fultus majorum Regni, provideret qualiter diſcordia inter ipſum & Regem *Scotæ Alexandrum*, quæ jam in odium excreverat, penitùs ſedaretur. Inconſultum enim videbatur ſapientibus, qui eventus futuros libra rationis trutinabant; quòd regnum *Angliæ* hoſtibus undique vallatum tranſmarinis, odium inteſtinum occultè generaret. Hujus autem diſcordiæ ſeminarium (ut dicitur) hæc cauſa generavit. Rex *Scotiæ* (unde ſe affirmavit habere chartas, ac multorum tam Epiſcoporum & magnorum clericorum, quàm Comitum & Baronum teſtimonium) terram *Northamhumbriæ*, quam ſibi Rex *Johannes* cum filia ſua *Johanna* contulit in maritagium, conſtanter exigebat. Indignum aſſerens & execrabile, quæ procedunt de labiis Regiis irritare; & pactum inter tam nobiles perſonas initum, annullare. Addidit quoque, quòd niſi illud quod ſuum jus tam evidens ratio eſſe comprobavit, conferret pacificè, in ore gladii illud requireret. Confidentiam autem illi præſtitit *Leolini* umbratilis & ſemper ſuſpecta concordia: *Mareſcalli* quoque *Gilberti* fœdus & affinitas; qui ſororem ſuam Margaretam puellam elegantiſſimam, matrimonio ſibi copulaverat. Necnon & tranſmarinorum ſemper in inſidiis exiſtens hoſtilitas: & quod pluris eſt, cauſa juſta Regiis monumentis conſignata. Tandem poſt multas hinc inde diſceptationes, obtulit Rex *Angliæ* Regi *Scotorum*, pro bono pacis, & defenſione Regni *Anglici*, pro poſſe ſuo, in alio loco *Angliæ*, (ne mutilarentur fines Regni ſui ex parte Septentrionali) redditus Lxxx. marcarum. Sed dum reſpectum & dilationem, donec id provideretur, & omnibus utrobique placeret negotium, caperet; ſolutum eſt colloquium, omnibus in pace ad horam quieſcentibus. Circa illos dies, nobilis ac Deo devotus in armis ſtrenuus miles, *Philippus* de *Albineto*, poſtquam militaverat Deo in *Terra ſancta* peregrinando pluriès; tandem in eadem, diem claudens extremum, & finem faciens laudabilem; ſanctam meruit in *Terra ſancta*, quod vivus diu deſideraverat, ſepulturam.

Prædicatio crucis.

EODEM quoque anno facta eſt prædicatio ſolennis tam in *Anglia* quàm *Francia*, à fratribus *Prædicatoribus* & *Minoribus*, & aliis famoſis clericis, theologis, & religioſis, per authenticum domini Papæ; cruce ſe ſignaturis plenam concedentibus peccatorum indulgentiam, de quibus confeſſi verè fuerint pœnitentes. Qui civitates, caſtella, & pagos paragrantes, & in temporalibus multa remedia promittentes, ſcilicet de uſuris contra *Judæos* ne ampliùs currerent, & protectionem domini Papæ in redditibus & rebus inpignoratis pro viaticis ſuis omnibus cruce ſignatis; infinitum populum, ad votum peregrinationis accinxerunt. Et poſteà miſit dominus Papa in *Angliam*, fratrem *Thomam Templarium* familiarem ſuum, cum authentico ſuo; ut quos vellet, & prout expedire videret, cruce ſignatos, accepta pecunia, quam ſe ducebat utiliùs ad promotionem *Terræ ſanctæ* expenſurum, à voto peregrinationis abſolveret. Quod cùm viderent cruce ſignati, admirantes inſatiatam *Romanæ* curiæ cupiditatem, magnam conceperunt mentibus indignationem; quòd tot argumentis nituntur Romani tam impudenter loculos emungere populorum. Addiderunt namque *Prædicatores*: Quòd ſi quis cruce ſignatus vel non ſignatus, qui in propria perſona iter peragere non poſſet tam laborioſum, quod facultas permitteret in bonis, in ſubſidium *Terræ ſanctæ* conferre non omitteret; & ſic pleniſſimè indulgentia gauderet prænominata. Sed hæc omnia auditores ſuſpectos reddiderunt. Dicebant namque: Ecquis diſpenſator noſter fidelis erit? Sicque factum eſt, quòd dominus Papa, concepta indignatione adversùs populum, movit guerram, nummos extorquens; collegit decimam ex omnibus regionibus, & infinitam pecuniam adunavit, ut eccleſiam defenderet. Sed citò pace compoſita, facti ſunt Papa & Imperator amici; ſed nunquam pecunia fuerat reſtituta. Et ſic diatim, multorum devotio fidéſque titubavit plurimorum.

Præparatio Imperatoris ut expugnaret Italiam.

SUB eodem tempore, dominus Papa Imperatorem literis commonitoriis inhibuit diligenter, ne *Italiam* hoſtiliter intraret. Convocaverat enim Imperator tempore æſtivali, omnes quas poterat vires Imperiales; ut *Italicos* inſolentes expugnaret, præcipuè *Mediolanenſes*. Erat enim civitas illa omnium hæreticorum, *Paterinorum*, *Luciferanorum*, *Publicanorum*, *Albigenſium*,

1236. *Albigenſium*, uſurariorum refugium & receptaculum. Videbatur enim domino Imperatori inconſultum, *Terræ ſanctæ* per præſentiam ſui & exercitus Dei tam populoſi ſuccurrere; & poſt terga falſos relinquere *Chriſtianos*, quolibet *Saraceno* deteriores. Mirabatur inſuper ſupra modum, quòd in aliquo erat dominus Papa *Mediolanenſibus* favorabilis; vel videretur in aliquo illis præſtare patrocinium; cùm deceat illum eſſe patrem piorum, & malleum impiorum. Tamen ob reverentiam tanti patris, reſpondit dominus Imperator domino Papæ modeſtè ac prudenter, in hunc modum.

Reſponſio Imperatoris ad Papam.

ITALIA *hæreditas mea eſt, & hoc notum eſt toti orbi. Anhelare ad aliena, & propria relinquere, ambitioſum eſſet & enorme: præſertim cùm* Italicorum, *præcipuè* Mediolanenſium, *me injuriis laceſſivit inſolentia; in nullo mihi debitam exhibens reverentiam. Præterea,* Chriſtianus *ſum, & qualiſcunque ſervus indignus* Chriſti, *accinctus ad crucis inimicos debellandos. Cùm igitur tot hæreſes non tantùm pullulent, imò ſylveſcant in* Italia, *& jam zizania ſegetes incipiant ſuffocare per civitates* Italicas, *præcipuè* Mediolanenſium: *tranſire ad* Saracenos *hoſtiliter expugnandos, & illos incorrectos pertranſire; eſſet vulnus infixo ferro fomentis ſuperficialibus delinire, & cicatricem deformem, non medelam procurare. Item, ſolus ſum, & homo ſum; nec ad tantum laborem ſufficio, ut inimicos crucis ſine magno comitatu adeam debellaturus incredulos; qui tot ſunt, & tam fortes, expugnando. Iterum, cùm ſine theſauris magnis ad tam arduum negotium conſurgere, per me non ſufficiam; opes ejuſdem terræ in opem & ultionem Crucifixi convertere deſtinavi. Abundat equidem* Italia *armis, equis, & opibus; hoc terra novit univerſa.*

Ingreſſus Imperatoris in Italiam, ac Mediolanum occupare.

AUDIENS igitur dominus Papa tam profundi pectoris ſermones; ne videretur eſſe his rationibus irrefragabilibus contrarius, cum ſimultate conſenſit. Et ut montes tranſiens, in *Italiam* ſecundùm propoſitum ſuum intraret; ſpoſpondit dominus Papa ei ſecundùm poſſe ſuum, in omnibus neceſſitatibus paternum indubitanter præſtare patrocinium. His igitur magis animatus Imperator, adunato qualem effundere potuit exercitu per edictum Imperiale, intravit *Italiam* milite ſtipatus copioſo. Cujus impetum horribilem cùm *Mediolanenſes* non ſine cauſa formidarent; miſerunt ad dominum Papam ab eo conſilium & auxilium efficax poſtulantes. Ipſe autem, cùm multa ei daretur pecunia, & plùs polliceretur, miſit *Mediolanenſibus* juvamen multum & conſolamen, in Imperatoris detrimentum: quod tamen multis videbatur incredibile, imò potius inopinabile, ut in tanta talíque neceſſitate pater in vitricum verteretur. Exeuntes igitur cives in multitudine gravi, circiter ad quinquaginta millia armatorum obviàm Imperatori cum ſtandardo ſuo (quod *Carrucam*, vel *Carrochium* appellant) indubitanter perrexerunt, nunciantes ſe contra eum bellaturos. Venerat autem eodem tempore quidam miles de Regno *Angliæ*, nuncius domini Regis *Anglorum*, ad dominum Imperatorem, *Baldewinus* de *Vair* dictus; ſecreta negotia tam Imperatorem quàm dominum Regem ſuum contingentia, tractaturus: qui ſuper his omnibus, diligentes auditores poſteà reddidit doctiores. Cùm autem audiſſet Imperator, *Mediolanenſes* in tantam audaciam prorupiſſe, ut levarent contra eum calcaneum; ſtatim eos prognoſticabat hunc auſum ex alio quàm proprio ſulcimine concepiſſe. Et librato inter Magnates ſuos arduo concilio, acclamatum eſt, ut omnes univerſaliter ab imò ad maximum, qui ex parte Imperatoris erant, ſine mora ad arma convolarent; & vulgo *Mediolanenſium*, quod quaſi mures exeuntes de cavernis, dominum ſuum auſum eſt ad bella provocare, & vires experiri Imperiales, hoſtiliter obviarent. Quod cùm notum eſſet *Mediolanenſibus*, reſtiterunt pauliſper. Et unus ex ſenioribus civibus, ad cujus judicium omnium pendebat ſententia, ordinatis ad modum coronæ circumſtantibus, ait. *Audite cives eximii. Adeſt Imperator in manu fortiſſima, & exercitu copioſo, qui, ut notum eſt toti mundo, dominus noſter eſt. Et ſi fiat hæc lamentabilis congreſſio, damnum inde eveniet irreparabile: in qua ſi vincamus, probroſam necnon & cruentam victoriam de domino noſtro invaſo reportabimus. Si vincamur, delebit nomen noſtrum & noſtrorum & civitatis noſtræ in æternum; & erimus in opprobrium omni nationi. Cùm ſit igitur omni caſu contingente inhoneſtum, & anceps ulteriùs hoſtiliter progredi; conſilium ſanius judico, in noſtram regredi civitatem. In qua ſi nos voluerit violenter impetere, licebit vim vi repellere. Et ſi tunc Dominus nobis conceſſerit vel pacem componere, vel eum à finibus in manu forti remotiùs arcere; ſalvabitur urbs noſtra, & fama manebit inviolata.* Quod cùm acquieſcentes feciſſent, gratum fuit in oculis Imperatoris. Et ne videretur timiditas, aut formidoloſitas, inſecutus eſt eos imperator, parans obſidionem. Et dum hæc agerentur, procurantibus vel *Romana* eccleſia, vel inimicis Imperii; mota eſt ſeditio inteſtina in finibus *Alemanniæ*, à Duce *Auſtriæ*. Ad quam ſedandam, tam literæ quàm nuncii feſtinantes, tam arduum negotium explicantes, ipſum Imperatorem urgenter revocabant. Obſidione igitur, quam jam paraverat, ſoluta, rediit in *Alemanniam*. *Mediolanenſes* autem hoc audito, quædam caſtella, quæ Imperator ceperat, & homines ſuos, quos in eiſdem cuſtodiendis poſuerat, violenter occuparunt; militibus Imperialibus & ſervientibus, quos intùs invenerant, trucidatis. Quod cùm audiret Imperator, iratus, nec immeritò, totam in auctorem hujus mali juſtam refudit indignationem. Et Ducem *Auſtriæ* inſequendo, illum honore, terris, caſtellis, & civitatibus, vix vita remanente, ſpoliavit. Ut jam tunc videretur impleta vindicta, pro peccato in Regem *Richardum* perpetrato, dum à *Terra ſancta* rediret,

dicente

1237.

dicente Propheta: Quamvis ſerò, ſcelera Deus vindicat truculenter: *qui viſitat peccata patrum in tertiam & quartam generationem.* Eodem anno, circa feſtum *Michaëlis*, rediit dominus *Baldewinus* de *Vair*, miles; vir quidem diſcretus, fidelis, & facundus: qui Regi *Anglorum* nuncium retulit Imperiale, & ſuper prædictis auditores teſtimonio reddidit certiores. Et circa idem tempus venit *Petrus Wintonienſis* Epiſcopus de partibus tranſmarinis; viribus corporeis, ingruente infirmitate, deſtitutus. Eiſdem quoque diebus, ſcilicet die Lunæ proxima, inundaverunt pluviæ in partibus *Angliæ* Aquilonaribus; adeò quòd torrentes & paludes, ſolitas metas tranſcreſcentes, pontes & molendina & alia ripis contermina damnosè ſubverterunt. Eodem anno obiit xvii. Calend. Septembris, *Thomas* de *Blundvilla*, Epiſcopus *Norwicenſis*. Et circa idem tempus obiit *Willielmus* de *Bleis*, Epiſcopus *Wigornienſis*: & *Henricus* de *Sanford*, *Roffenſis*. Obiit quoque *Thomas* Abbas *Eveſhamiæ*. Cui ſucceſſit *Richardus* Prior *Hurliæ*.

Impetuoſi venti & damnoſæ inundationes.

DEINDE in craſtino ſancti *Martini*, & infra octavas ejuſdem, eruperunt mirabiles inundationes maris noctu repentinè; perſonuitque ventus validiſſimus cum marinis ſimul & fluvialibus inundationibus magnis & inſolitis; quæ in locis, præcipuè maritimis, omnes portus, diruptis anchoris, claſſe viduavit; hominum multitudinem ſubmerſit, greges ovium & armenta boum exterminavit, arbores radicitùs evulſit, domos ſubvertit, littora diſſipavit. Et aſcendit pelagus fluctuans cum incremento, per duos dies & unam noctem intermediam, quod eſt inauditum; nec eſt ſolito more refluum aut retractum; impetu validiſſimo contrariorum ventorum (ut dicitur) impediente. Videbantur igitur inhumata corpora ſubmerſorum, in antris marinis juxta littus maris jacentia; ita quòd apud *Wiſebeche*, & in villis vicinis, & ſic juxta littus & latus maris, homines perierunt infiniti: ita quòd in una villa non populoſa, circiter centum corpora tradebantur una die lamentabili ſepulturæ. Nocte verò proxima ante vigiliam Natalis Dominici, perhorruit ventus vehementiſſimus, admixto tonitru, & pluvia inundante, qui turres concuſſit & ædificia, & ſqualor aëris perturbati tam vias terræ quàm maris reddidit immeabiles. Et ſic eo anno circa tempora æquinoctialia bis *Angliam* irreſtaurabili jactura tempeſtas iterata damnificavit. Videbatur igitur Dominus, exigentibus peccatis populi, terram diluvio quodam particulari flagellâſſe, & ut dici meritò poſſet illud in Evangelio comminatorium: Erit in terra preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum.

Rex Anglorum exigit triceſimam partem omnium mobilium totius Regni.

ANNO Domini M.CCXXXVII. qui eſt annus Regis *Henrici* III. xxvi; tenuit idem Rex curiam ſuam ad Natale apud *Wintoniam*. Miſit autem continuò per omnes fines *Angliæ* ſcripta Regalia; præcipiens omnibus ad Regnum *Angliæ* ſpectantibus, videlicet Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Prioribus inſtallatis, Comitibus & Baronibus, ut omnes ſine omiſſione in octavis *Epiphaniæ Londoniis* convenirent; Regia negotia tractaturi totum Regnum contingentia. Quod audientes Magnates, Regiis præceptis continuò paruerunt; credentes ſe vel Imperialia vel alia ardua negotia proviſuros. Venit igitur die ſancti *Hilarii*, *Londonias* infinita nobilium multitudo; ſcilicet Regni totalis univerſitas. Et cùm voluntatem Regis audituri, in regio Palatio *Weſtmonaſterii* conſediſſent; ſurrexit in medio *Willielmus* de *Kele* clericus ac domini Regis familiaris, vir quidem diſcretus & legum terræ peritus; ut quaſi mediator inter Regem & Regni Magnates, Regium propoſitum & voluntatem in publicum propalaret. Ait igitur: Mandat vobis dominus Rex, quòd hactenus quicquid fecerit, ex hoc nunc & amodò, veſtrum omnium, quaſi fidelium & naturalium hominum, conſiliis ſe ſubdet indubitanter. Veruntamen illi qui ſua tractantes, ſui theſauri cuſtodes hactenus extitêre; infideliter computum pecuniarum omnium reddiderunt receptarum. Nunc idcircò dominus Rex, pecunia penitùs deſtitutus, ſine qua Rex quilibet extat deſolatus; auxilium à vobis ſuppliciter poſtulat pecuniæ. Ita videlicet, ut illa pecunia ad beneplacitum veſtrum collecta; ſecundùm diſpoſitionem aliquorum veſtrum ad hoc electorum, in uſus Regno neceſſarios reſervetur expendenda. Quod verbum cùm omnes & ſinguli, nil tale expectantes, graviter acceperunt murmurantes, *Alter in alterius jactantes lumina vultus*, dixerunt ad invicem: *Fuderunt partum montes, en ridiculus mus.* Et indignantes reſponderunt, ſe undique & ſæpè nunc viceſſima, nunc triceſima, nunc quinquageſima gravari promittendo & perſolvendo; aſſerentes indignum nimis fore & injurioſum, permittere Regem tam leviter ſeducibilem, qui nunquam unum ex inimicis Regni, etiam minimum, repulit, vel exterruit, nec fines Regni unquam ampliavit, ſed arctavit, & alienis ſubjugavit: ut à naturalibus hominibus ſuis, quaſi à ſervis ultimæ conditionis, in detrimentum eorum, & alienorum juvamen; tantam pecuniam, tot, toties, extorqueret argumentis. Quod cùm Rex audiſſent, cupiens murmur hoc ſedare generale, pollicebatur ſub jurejurando, ſe nunquam ampliùs nobiles Regni injuriando laceſſere, vel moleſtare; dummodò ſibi ad præſens triceſima pars mobilium *Angliæ* benignè conceſſa ſolveretur: quia paulò antè multa pecunia, quam Imperatori miſerat, ſuum theſaurum in magna parte (ut aſſeruit) pro matrimonio ſororis ſuæ, & iterum in proprio, mutilaverat. Ad quod non tacitè reſponſum fuit, quòd hæc omnia ſine conſilio fidelium ſuorum fecerat; nec debuerant eſſe pœnæ participes, qui fuerant à culpa immunes. Seceſſerunt tandem in locum ſeorſum ſecretiorem, ut Regiæ exactioni contemperantes, & exigentiæ ſatisfacientes, inirent conſilium; de modo

&

1237. & quantitate juvaminis, quod exigebatur, contrectando. Secedentibus igitur illis ſeorſùm, *Gilebertus Baſſet* Regi in communi dixit audientia; minùs quàm deceret in verbo circumſpectus. Domine mi Rex, mittatis aliquem de veſtris, qui interſit illorum, ſcilicet Baronum veſtrorum, colloquio, ſedebat enim ille dum hæc diceret, Regi paucis intermediis collateralis. Ad quod ex alia parte reſpondit *Richardus* de *Percy*, qui in colloquio Magnatum extiterat, non ſine cauſa ſtomachatus: Quid eſt, amice *Gileberte*, quod dixiſti? nunquid & nos alieni, & non de Regis amicis ſumus? Et reprehenſus eſt *Gilebertus* in verbo illepido & repentino. Et ſic diſceptationibus multiplicatis, protractum eſt colloquium in moram quatriduanam.

Sub qua forma conceſſa fuerit tricesima mobilium Regi.

REX verò admodum perturbatus, ſuorum cupiens Baronum ſibi gratiam conciliare: ſe ex tunc & deinceps, quicquid factum fuerat anteà, dedit ſe conſilio fidelium ac naturalium hominum ſuorum. Præterea, de hoc quod dicebatur, quòd conabatur ea quæ conceſſerat, & chartis confirmaverat, per authenticum ſummi Pontificis infirmare; dicebat Rex, hoc falſum eſſe. Et ſi tale quid fortè fuerat ſuggeſtum ei, in irritum affirmavit, ſéque talia penitùs revocare. Præterea, ſereno vultu, & ſpontanea promiſit voluntate; libertates Magnæ chartæ ſuis fidelibus Regni ſui, ex tunc inviolabiliter obſervare. Et quia videbatur non penitùs immunis à ſententia, quam tulerat Archiepiſcopus *Stephanus* cum omnibus Epiſcopis *Angliæ*, in omnes violatores prædictæ chartæ; quam malo conſilio fretus, in parte læſerat: fecit in publico innovare ſententiam prætaxatam, in omnes ejuſdem chartæ contradictores aut violatores. Sic. Ut ſi ille per aliquem conceptum rancorem fortè eam non obſervaret, in latam ſententiam graviùs recidivaret. Unde factum eſt, ut omnium corda hæc audientium, ſibi mirabiliter in verbo illo conciliavit. Et deliberatum eſt, quòd videretur durum, ſubitò conſilium, quod in præſentiarum habuit, ab eo quaſi reprobum ſequeſtrare, oppoſitione aliquorum Magnatum additorum illud roborârunt, adjungentes ei Comitem *Warenniæ*, *Willielmum* de *Ferrariis*, & *Johannem filium Galfridi*. Et fecit eos Rex jurare, quòd nullo modo muneribus, vel aliquo alio modo à via veritatis deviarent; quin darent ipſi Regi ſanum & ſalubre Regno conſilium: ſicut antea fecerat Rex apud *Windelſhereſ*. Conceſſa eſt igitur benignè tali conditione, Regi ea vice triceſima Regni pars; omnium ſcilicet mobilium, ad theſaurum ſuum reſtaurandum: ſalvis tamen unicuique auro ſuo & argento, equis & armis, in reipublicæ utilitatem expendendis. Quæ pars triceſima, ſub hac forma per quemlibet Comitatum, diligenter colligetur. Eligendi ſunt quatuor fide digni milites, cum uno clerico; quem Rex illis addet in unoquoque Comitatu, & jurati de fidelitate unà cum clerico Regis, pecuniam colligent: & collecta reponetur in Abbatia, ſacra æde, vel caſtro. Ut ſi fortè velit Rex à propoſito, quod tamen abſit, reſilire; reddatur unicuique quòd ſuum eſt, fideliter diſtributum. Conſentientibus igitur primùm Archiepiſcopo *Cantuarienſi* cum ſuis Epiſcopis & clero; ſub hac conditione conceſſa eſt Regi triceſima mobilium Regni: ab omni Prælato, ſecundùm tenementum Baroniæ ſuæ; & milite, per totum Regnum generaliter colligendum. Sæpè tamen annexum fuit in conditione, quòd ex tunc & deinceps conſilio alienigenarum (qui ſemper ſui, non Regni amici eſſe conſueverunt, & Regni bona diſtrahere, non adunare) & omnium innaturalium derelicto, ſuorum fidelium & naturalium hominum conſiliis adhærebit. Et ſic ſoluto concilio, non ſine interiori murmuratione & multa concepta indignatione; eò quòd cum difficultate tanta Regis animum ad ſalubre conſilium contorquerent, & conſiliis eorum, à quibus omnem honorem terrenum habet, obſecundarent; ad propria quiſque remeavit.

Victoriæ Chriſtianorum *in* Hiſpania.

ET eodem anno ordinatæ ſunt eccleſiæ & Prælati in *Corduba*, civitate *Hiſpaniæ*. Quia, ſicut prætactum eſt, die Martis in hebdomada Paſchæ capta eſt magna civitas *Corduba* in *Hiſpania*. In qua ſe natum fuiſſe commemorat *Lucanus*, dicens: *Corduba me genuit.* Capta verò eſt ab *Alphonſo* Rege *Caſtellæ Chriſtianiſſimo.* Qua capta, & *Chriſtianis* dedita, cumulatum & additum eſt gaudium gaudio; ſcilicet de captione Inſulæ magnæ & opulentiſſimæ *Majoricæ* paganiſſimæ: quæ fuit pyratis & veſpilionibus referta, mercatoribus & peregrinis, præcipuè *Chriſtianis* inimiciſſima qui inter *Africanas* & *Hiſpanas* regiones tranſmeârunt. Inſula illa continet triginta duo caſtra. Et ad majoris gaudii augmentum, anno proximo præterito, capta fuit à Rege *Arragoniæ* civitas magna *Borianna*, & caſtrum inexpugnabile *Penuſcula*, per ingenium aſperrimum, arietum ad Paſcha *Paganorum* immolandorum: quia quod viribus fuit impoſſibile, ſupplevit ingenio excogitato. Capta eſt infra biennium *Corduba* civitas, *Majorica* inſula, *Borianna* civitas, *Penuſcula* caſtrum; & hæc omnia poteſtati *Chriſtianorum* in *Hiſpania* fœliciter mancipata: Deo & ejus ſanctæ eccleſiæ cedunt ad honorem. Noſtrates igitur fœlici auſpicio ſe accingunt ad expugnandam *Valentiam*, civitatem magnam & nominatiſſimam *Hiſpaniæ*: ex præteritis eventibus, audaciam & ſpem bonam continuantes. Civitáſque *Cepta*, ſimilem ſibi ruinam formidabat.

Leolinus *ſollicitat Regem* Angliæ *de fœdere confirmando.*

EODEM quoque tempore, *Leolinus* Princeps *Walliæ*, per ſolennes nuncios Regi notificavit; quòd cùm tempus ætatis ſuæ exigeret, ut omni ſtrepitu litis, & omni bellorum tumultu jam ex tunc ſedato, deinceps ſecuræ pacis gauderet tranquillitate, ſe ſuáque omnia ditioni ac tutelæ Regis *Anglorum* ſubdere decrevit: & de eo teneret terras ſuas in fide & amicitia, inito fœdere indiſſolubili. Et ſi Rex in expeditionem iturus eſſet; militia, armis

&

1237.

& equis, & theſauro, ſecundùm vires ſuas, ut ſuus fidelis, eum fideliter adjuvando promoveret. Ad hæc igitur confirmanda, miſſi ſunt mediatores *Hertfordenſis* & *Ceſtrenſis* Epiſcopi: qui negotium prælocutum diligenter conſummarent. Hujus autem cauſa mandati fuiſſe perhibetur, quòd idem *Leolinus* ſui impos, morbo paralyſis particularis ſauciatus; graves inſultus à *Griffino* filio ſuo eum impugnante ſuſtineret. Multi autem magnatum *Walliæ* fœdus initum acceptârunt, qui ſimul illud cum *Leolino* confirmârunt: nonnulli autem eorum conventionibus conſtanter contradixerunt. Sed *Wallenſium* fides, eſt fidei carentia; nec parcunt, cùm poſſunt: & amici fortunæ, occupatos de more ſuo inſequuntur. Depreſſi verò, vel fugiunt, vel humiliantur: ſecundùm illud Poëticum, nunquam tales ſunt credendi: *Timeo Danaos, & dona ferentes.*

Item *Seneca* Philoſophus: *Nunquam tutus cum inimico fœdus ineas.*

Matrimonium Comitis Gloverniæ Richardi.

CIRCA idem tempus, iteratò incanduit ira Regis adverſus Comitem *Cantiæ Hubertum de Burgo*; eò quòd puer habitus adhuc in Regis cuſtodia *Richardus* Comes *Gloverniæ*; ſibi *Margaretam* filiam Comitis *Huberti* matrimonio clanculò & abſque Regis licentia vel conniventia copulavit. Propoſuerat enim Rex eundem juvenem, ſcilicet Comitem *Gloverniæ* cum Comitatu & honore ejus toto; cuidam proximo conſanguinitate *Willielmo* electo *Valentiæ*, de *Provincia* nato, maritali fœdere (ut dicebatur) ſociâſſe. Tandem tamen, multiplicatis interceſſoribus; eò quòd aſſeruit Comes *Hubertus* hoc ſe neſciviſſe, nec per eum hoc factum fuiſſe: promiſſa quadam ſumma pecuniæ, Regalis quievit indignatio. Eodémque anno, procurante domino Imperatore *Frederico*, creatus eſt alter Senator *Romæ*: ut duorum Senatorum prudentia & fortitudine duplicata, *Romanorum* inſolentia comprimeretur; & conſiliis tutiùs pacificata urbs liberiúſque regeretur.

Inſolentia Græcorum contra Romanam eccleſiam & ſuum Imperatorem.

TEMPORIBUS eiſdem, *Græcorum* debacchante ſolita inſolentia; tam adverſùs eccleſiam *Romanam*, quàm ſuum dominum Imperatorem *Conſtantinopolitanum*; dominum Papam & omnem eccleſiam adeò exaſperavit: quòd multorum erat ſententia & voluntas, crucesignatorum exercitum ſuper eos retorquere. Imperator etiam, ut eorum furorem declinaret, in partes ſeceſſit Occidentales: auxilium à *Romana* eccleſia, & conſilium petiturus.

Papa vocat ad conſilium ſuum comitem Britanniæ.

EODEMQUE tempore, dominus Papa vocavit Comitem *Britanniæ* ad conſilium ſuum; multis ſuper hoc admirantibus: quòd hominem tali nota proditionis multiformis infamem, ad ſua ardua negotia vocaverat contrectanda. Elegerat autem eundem Comitem, & prælegerat in bello peritiſſimum, in armis ſtrenuum, genere præclarum, tam navali quàm campeſtri crebriùs commiſſo certamine expertum: ut eidem regimen & ducatum exercitus *Chriſtiani*, necnon & theſaurum in viaticis crucesignatorum, fiducialiter committeret expendendum.

Inundationes iteratò prorumpentes.

INTRANTIBUS quoque Calendis Martiis, inundaverunt pluviæ vehementer; in feſto ſcilicet ſancti *Valentini*: quæ vada & itinera confractis ripis, intranſmeabilia per octo dies continuatos reddiderunt. Et ut de aliis ſimilia intelligantur: *Thameſis* fluvius in *Anglia*, & *Sequana* in *Francia*, civitates, pontes, molendina, intumentibus gurgitibus ex arida per loca ſpacioſa ſtagnis dilatatis, diſſipârunt: ita ut vix per quindecim dies, eliquatis exuberantibus fluminibus, ſolitæ viæ in ripis apparuerunt.

Electus Valentiæ Willielmus receſſit ab Anglia, citòque rediit.

ILLIS quoque diebus, *Willielmus* electus *Valentiæ*, cui Rex totius conſilii ſui habenas commiſerat; videns quòd non immeritò Magnates terræ magnam ſuper hoc indignationem conceperant; verſus patriam ſuam iter maturavit. Terras verò ſuas & prædia, quæ ſibi Rex jam dederat opulentiſſima, ſub titulo pignoris in manu *Aaron Judæi Eboracenſis* commiſit: mutuò ab eodem recipiendo nongentas marcas novorum eſterlingorum numeratas. Summariis igitur cum plenis clitellis auro & argento & diverſis Regalibus utenſilibus, mannis inſuper concupiſcibilibus quàmplurimis, cum aliquibus equis precioſis, diſpoſitis: verſùs *Doveram* iter Rege dirigit conducente. Sic ſicque verſutè elaboratum eſt, ut Rex, relicto magnifici Imperatoris Regiſque *Francorum* providi, qui uxoribus ſuis vel earum conſanguineis vel compatriotis terga calcanda non ſubmittunt, exemplo; expers theſauri & penitùs attenuatus, Regnum ſuum factus egenus, undique permittat occaſione lacerare: & factus uxorius, terram propriam undecunque nacta, occaſione macerare. Alienigenas verò, nunc *Pictavenſes*, nunc *Alemannos*, nunc *Provinciales*, nunc *Romanos*; bonis terræ, in Regni perniciem, ſaginari. Venit igitur prædictus *Williel. Valentiæ* electus in Regnum *Francorum*; ubi Rege ſalutato & viſitata Regina ſorore ſua: ſine mora in pace dimiſſus & ut recederet eſt immunis licentiatus. Diſtributis igitur, & in partes *Provinciales*, tranſmiſſis, quæ ab *Anglia* tulerat; equis nonullis impreciabili theſauro oneratis, vacuus rediit & iteratò macilentus. Cui Rex occurrens, in oſcula ruit & amplexus cum applauſu multiplicatos.

Electio Willielmi de Cantelup & Johannis Prioris Norwicenſis.

INGRESSIS itaque viam univerſæ carnis, piæ memoriæ venerabilibus *Wigornienſi* & *Norwicenſi* Epiſcopis; elegerunt Monachi *Wigorniæ* magiſtrum *Walterum* de *Cantelupo*, filium *Willielmi* de *Cantelupo*, viri potentis & præclari, in Præſulem ac Paſtorem animarum ſuarum: quem ſine difficultate dominus Papa acceptavit, & in Epiſcopum conſecravit. *Norwicenſes* autem Priorem ſuum, virum religioſum ac diſcretum; in ſuum ſibi Præſulem elegerunt:

1237. gerunt: cujus electio, licèt ritè facta, quia tamen Regi diſplicuit, quibuſdam ridiculoſis rationibus vel exceptionibus contradicentium, fuit diu in pendulo, non ſine peccatorum ſcrupulis, impedita.

Miſerabilis ſtatus Angliæ.

TEMPORIBUS illis ingruentibus, igniculus fidei cœpit nimis refrigeſcere; ut penè in cinerem redactus, vix videretur ſcintillare. Jam enim ſimonia ſine rubore perpetrata, uſurarii manifeſtè diverſis argumentis à popularibus & minoribus, pecuniam impudenter extorquebant. Expiravit charitas, libertas eccleſiaſtica emarcuit, religio viluit ſuppeditata: & facta eſt filia *Sion* quaſi meretrix effrons, non habens ruborem. Quotidiè viliſſimæ perſonæ & illiteratæ, bullis *Romanis* armatæ, in minas ſtatim erumpentes; reditus à piis patribus in victus religioſorum & ſuſtentationem pauperum & hoſpitalitatem peregrinorum collatos, ſpretis privilegiis à ſanctis noſtris anteceſſoribus indultis, diripere non formidarunt: fulgurantibus enim ſententiis, ſine dilatione raptim poſtulata receperunt. Quòd ſi ad refugium appellationis vel privilegii, recurrerent injuriam patientes & ſpoliati: ſtatim ſuſpendentes per aliquem alium Prælatum, authentico Papæ compellente, fecerunt excommunicare. Et ſic non prece, non canonicè, ſed imperioſa exactione ſimplices ſpoliarunt. Juxta illud Poëticum: ——*Armato ſupplicat enſe potens.* Unde factum eſt, quòd ubi ſolebant nobiles & dapſiles clerici, eccleſiarum cuſtodes & patroni; circumjacentis patriæ latitudinem, ſua opulentia nobilitare, tranſeuntes ſuſcipere, pauperes recreare: ibidem abjectæ perſonæ moribus vacui, verſutia pleni, procuratores & firmarii *Romanorum*, quicquid precioſum in terra fuit & utile abradentes; dominis ſuis in remotas terras delicioſè ex patrimonio Crucifixi viventibus, & ex alieno ſuperbientibus, tranſmiſerunt. Erat igitur videre dolorem præcordialem, genas ſanctorum irrigare, querelas erumpere, ſuſpiria multiplicare: dicentibus multis cum ſingultu cruentato; Meliùs eſſet nobis mori, quàm videre mala gentis noſtræ & ſanctorum. Væ *Angliæ*, quæ quondam Princeps provinciarum, domina gentium, ſpeculum eccleſiæ, religionis exemplum, nunc facta eſt ſub tributo. Conculcaverunt eam ignobiles, & facta eſt in prædam degeneribus. Sed hæc *Anglis* flagella, multiformes reatus procurarunt: irato eo, qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, & tyrannum dominari.

Mors Regis Johannis *de* Breſne.

IPSO quoque anno ſublatus eſt de medio, immortalis memoriæ, incl[y]tus quondam Rex *Hieruſalem Johannes* de *Breſne*; jam penè culmen *Græcorum* nactus Imperiale. Qui beatam ac tranquillam in bonis vitam diebus terminaſſet, ſi non *Fredericum* magnum *Alemannorum* Imperatorem ſibi inimicum procuraſſet.

Frater Jordanus *obiit.*

Frater quoque *Jordanus*, Prior fratrum *Prædicatorum*, in confinio Hiemis & Veris; dum Auſtralium barbarorum, ut vir eximiæ ſanctitatis, & prædicator egregius, fines navigando peragraret, ut eos prædicando Deo lucrifaceret, ſuborta ſubmerſus eſt tempeſtate. Elaborantibus tamen aliquibus naufragorum, quos caſus à diſcrimine mortis eripuit, procuratum eſt, licèt cum labore & periculo, quòd corpus ad terram eſt delatum; & honorabili, ut decuit, traditum ſepulturæ. Sepelientes verò ſanctum corpuſculum, tam de veſtimentis quàm corpore miram aſcendiſſe ſenſêre fragrantiam: ita quòd odor aromaticus, manus eorum diu permanens affeciſſet. Et circa idem tempus canoniſatus eſt, & catalogo ſanctorum annumeratus, ſanctus *Dominicus*, frater de ordine *Prædicatorum*.

Mors Richardi II. Dunelmenſis *Epiſcopi.*

CIRCA idem quoque tempus, ſcilicet xvii. Calend. Maii, obiit piæ memoriæ *Richardus* II. Epiſcopus *Dunelmenſis*, vir eximiæ ſanctitatis & profundæ ſcientiæ: qui cùm tres eccleſias Epiſcopales ſtrenuè rexiſſet, ſcilicet *Ciceſtrenſem*, *Sariſberienſem*, demùm *Dunelmenſem*, cui fœliciter præfuit; ab ineſtimabili debito, quo *Richardus* I. de *Mariſco* ejus prædeceſſor obligaverat, liberavit. Summa autem pecuniæ, quam idem Epiſcopus prænominatus *Richardus* II. pro adquietatione debitorum perſolvit, pluſquàm quadraginta millia marcarum æſtimatur. Ad ejuſdem quoque ſpectat præconium immortale, quòd eccleſiam *Sariſberienſem* à loco convexo, arido, & caſtro Comitis vicino, ad locum tranſtulit competentem. Et conſilio nobilium artificum, quos à remotis convocaverat, amplum jecit fundamentum; ipſo primum lapidem componente. Ad quod opus promovendum, non tantùm Epiſcopus, imò Rex, & cum eo multi Magnates, manum porrexerunt adjutricem. Unde quidam ait:

Rex largitur opes, fert Præſul opem, lapicidæ
Dant operam: tribus his eſt opus ut ſtet opus.

Prætereà, fundavit domum ſanctimonialium de *Tarunto*, & illam dedit Reginæ, ubi ſibi elegit ſepulturam. Imminente verò hora ſuæ diſſolutionis, videns Epiſcopus quia venit hora quòd tranſiret de hoc mundo; ſermonem ſolennem populo fecit convocato, obitúmque ſuum nunciavit imminere. Et cùm in craſtino morbus ingravaret, iterum congregato populo ſermonem replicavit: valedicens omnibus, veniámque ſi quem offenderat poſtulando. Tertia verò die, convocata familia, & illis præcipuè quibus tenebatur in ſolvenda clientela diſtribuit quæ ei videbantur rationabiliter diſtribuenda; cuique ſecundùm meritum ſuum: & cùm certa deliberatione cunctis diſpoſitis & conſummatis, & amicis ſingulatim ſalutis, ſerò dicens completorium, cùm diceret verſum iſtum, *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*; Epiſcopus ipſe in domino fœliciter obdormivit.

Monachi

1237.

Monachi autem *Dunelmenſes*, invocato de ſupernis auxilio, Priorem ſuum dominum *Thomam*, virum religioſum & diſcretum; in Epiſcopum ſuum ad Paſtorem animarum ſuarum elegêrunt.

Cauſa reditus Imperatoris ex Italia.

EISDEM temporibus, dominus Imperator *Fredericus*, videns quòd malitia invidorum eum ab incœpto propoſito revocarunt in *Alemanniam*, & quòd ad opprobrium ſuum, ſoluta obſidione, à civitate *Mediolanenſi* oportuit recedere; inquiſivit qui hoc illi impedimentum procurârunt. Et comperto, quòd Dux *Auſtriæ* moto bello inteſtino in *Alemannia*, & quòd ipſe cauſa eſſet quòd impediretur à ſuo propoſito; hoſtili impetu irruit in eum, & terris & honoribus & theſauris eundem ſpoliavit.

Imperator convoca omnes Principes Chriſtianos.

EODEM verò anno, dominus Imperator *Fredericus* vocavit per ſolennes nuncios & literas Imperiales omnes Principes magnos orbis *Chriſtianos*; ut omnes in nativitate ſancti *Johannis Baptiſtæ*, apud *Vaucolur*, (quæ ſatis in confinio, vel prope confinium Imperii & Regni *Francorum* ſita eſt) convenirent; de negotiis arduis, tam Imperium quàm alia regna contingentibus, tractaturi. Ad quod colloquium, quaſi ſuſpectum, dum Rex *Francorum* congregato innumerabili exercitu illùc advenire properaret, ad locum ſcilicet & terminum omnibus præfixum; terribile nimis & perniciosum aliis exemplum præbuit; dum ad pacis tractatum, quaſi ad expugnandos inimicos, cum armatis legionibus adveniret. Rex autem *Angliæ*, cùm de adventu ſuo in propria perſona ſe rationabilibus excuſaſſet, de primis Regni ſui in pacis forma deſtinavit; ſcilicet Comitem *Cornubiæ Richardum*, fratrem ſuum; cum quibuſdam aliis Magnatibus idoneis ad tantum colloquium moderandum; ſub ductu venerabilis Archiepiſcopi *Eboracenſis*, & Epiſcopi *Elyenſis*, & aliorum fide dignorum ad hoc electorum. *Wintonienſis* autem, licèt ad hoc electus & prælectus fuerit, ire penitùs recuſavit; hanc ſuæ excuſationis cauſam nec ſine ratione prætendendo. Domine mi Rex, coram domino Imperatore de me nuper gravem repoſuiſtis querimoniam; dicendo, quòd Regnum perturbavi ſimul cum Regni Magnatibus: ſi hoc juſtè vel injuſtè feciſtis, Deus novit: ego autem in omnibus meam credo ſalvaſſe conſcientiam. Si autem nunc verbum veſtrum, in ore meo & literis veſtris confidenter poſitum, me familiarem veſtrum & fidelem aſſeruerit; cùm aliquando contrarium fuerit, tam vos quàm me de inſtabilitate redarguet: & hoc famam veſtram nimiùm, quod abſit, denigraret. Idcircò quia veſtrum dedecus ibi manifeſtum eſt, nullatenùs ibo. Et hæc reſponſio in conſpectu multorum ſatis eum excuſavit. Cùm autem omnibus paratis, ad iter illud accingerentur præparati transfretare; ecce in obviàm apparuerunt apices Imperatoris, ſcilicet quòd tunc non potuit progredi quod propoſuerat: ſed in ſequenti anno, ſcilicet ad nativitatem ſancti *Johannis*, quod tunc non potuit, per Dei gratiam conſummaretur. Et ſic ſinguli, infecto propoſito, ad propria remearunt. Eodem quoque anno, Epiſcopus *Hertfordenſis* ſanctum Chriſma in eccleſia ſancti *Albani* die cœnæ conſecravit. Et circa illos dies, Comes *Ceſtriæ Johannes*, cognomento *Scotus*, circa Pentecoſten (uxore ſua, filia *Leolini*, machinante) potionatus diem clauſit extremum. Et eodem peſtis genere, Epiſcopus *Lincolnienſis* ſeditioſè præventus; à portis mortis vix eſt revocatus. Et eodem anno, hebdomada ante Pentecoſten, in partibus *Ciltriæ*, non procul à viculo quæ *Hicche* dicitur, cecidit grando; quæ pomorum groſſitudinem ſylveſtrium excedere videbatur, oves etiam proſternendo: pluvia autem diuturna ſubſequebatur.

Mors Comitis Ceſtriæ Johannis.

Grando.

Adventus Ottonis Legati in Angliam.

EODEM quoque anno, neſciebatur ad quid circa feſtum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, dominus *Otto* ſancti *Nicholai* in carcere *Tulliano* Diaconus Cardinalis; per mandatum Regis venit Legatus in *Angliam*, neſcientibus Regni Magnatibus. Unde plures adversùs Regem magnam conceperunt indignationem, dicentes: Omnia Rex pervertit, jura, fidem, promiſſa, in omnibus tranſgreditur. Nunc enim matrimonio ſe ſine ſuorum amicorum & hominum naturalium conſilio, alienigenæ copulavit: nunc Legatum, Regni totius immutatorem, clàm vocavit: nunc ſua dat, nunc data cupit revocare. Sic ſicque de die in diem, juxta dictum Evangelicum, in ſe diviſum & diſſipatum Regnum, eſt enormiter deſolatum. Dictum eſt autem, quòd Archiepiſcopus *Cantuarienſis Ædmundus* Regem talia facientem increpavit, præcipuè de vocatione Legati; ſciens inde in ſuæ dignitatis præjudicium, magnam Regno imminere jacturam. Sed Rex, ſpreto tam ſuo quàm aliorum ſuorum conſilio, quod concepit animo nullatenùs voluit propoſitum revocare. Venit igitur in magno apparatu Legatus prænominatus, & potentia magna. Et occurrerunt ei Epiſcopi & clerici famoſi uſque ad littus; & aliqui in naviculis navigando, obviârunt ei, applaudentes & munera impreciabilia offerentes. Imò etiam *Pariſiis* in obviàm ei, obtulerunt telas eſcarleti & vaſa precioſa, nuncii diverſorum Epiſcoporum. In quo facto nimis à multis meruerunt reprehendi, tum pro dono & pro dandi modo; quia in panno & ejus colore, videbatur legationis officium & adventum acceptari. Adveniens autem munera oblata omnia non accepit, ſed aliqua: ſed quæ non recepit, juſſit ſibi reſervari. Redditus autem vacantes, ſuis quos ſecum adduxit, dignis & indignis largiter diſtribuit. Rex autem ei uſque ad confinium maris occurrit; & inclinato ad genua ejus capite, uſque ad interiora Regni deduxit officioſè. Et adventantes Epiſcopi, cum Abbatibus & aliis eccleſiarum Prælatis; eum cum omni honore & reverentia, cum proceſſionibus & campanarum claſſico, & precioſis muneribus, ut decuit, & plùs quàm decuit, receperunt.

1237. ANNO quoque eodem, venit jocundus rumor de *Terra ſancta*; quòd ſcilicet quidam magnus Orientalium hæreticorum Princeps, relicta ſuperſtitione & errore ſuo, tactus ſpiritu ſancto, ad *Chriſtianam* converſus eſt religionem; ad inſtantem & diligentem fratris *Philippi* de ordine Prædicatorum, in *Terra ſancta* prioris, Prædicationem & exhortationem. Qui ſine dilatione hoc domino Papæ, fratrique *Godefrido*, domini Papæ pœnitentiario; ut eoſdem tam jocundo rumore exhilararet, ſignificavit. Ipſe autem frater *Godefridus*, Prioribus ordinis Prædicatorum in *Anglia* & *Francia* conſtitutis, hæc omnia ſignificans, ſcripſit in hæc verba. *Venerabilibus in Chriſto patribus, fratrum ordinis* Prædicatorum Franciæ *atque* Angliæ, *ad quos literæ iſtæ pervenerint, frater* Godefridus, *domini Papæ pœnitentiarius, ſalutem & gaudium in ſpiritu ſancto. Noveritis dominum Papam literas fratris Philippi, miniſtri provincialis* Terræ ſanctæ, *in hunc modum recepiſſe:*

Literæ fratris Philippi ordinis Prædicatorum ad Papam.

SANCTISSIMO *Patri ac domino* Gregorio *divina vocatione ſummo Pontifici; frater* Philippus, *fratrum* Prædicatorum *Prior inutilis, devotam in omnibus ac debitam obedientiam. Benedictus Deus & pater domini noſtri* Jeſu Chriſti, *qui noſtris temporibus Pater ſancte, oves à tantis temporibus erroneas ſua clementia reduxit ad paſtorem. Diebus enim noſtris, annum benignitatis ſuæ demonſtravit nobis; & campos ſuos incipit replere ubertate: quia nationes, quæ ab unitate eccleſiæ diu receſſerant, ad veſtram obedientiam & ſanctæ matris eccleſiæ reducit unitatem. Nam Patriarcha* Jacobitarum *Orientalium, vir quidem venerabilis ſcientia, moribus, & ætate, cum maximo Comitatu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, necnon & Monachorum ſuæ gentis, hoc anno venit adorare in* Hieruſalem. *Cui verbum catholicæ fidei exponentes, ad tantum divina cooperante gratia pervenimus; ut in Ramis palmarum, in proceſſione ſolenni, quæ die illa in deſcenſu montis* Oliveti *in* Hieruſalem *fieri conſuevit, obedientiam ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ promitteret & juraret; omnem pariter hæreſin abjurando. Et confeſſionem ſuam nobis tradidit, in literis* Chaldæis & Arabicis, *in teſtimonium ſempiternum. Ad hoc etiam, & habitum noſtrum recepit in receſſu. Ipſe præeſt* Chaldæis, Medis, & Perſis, & Armeniis, *quas terras* Tartari *pro magna parte jam vaſtaverunt: & in illis Regnis in tantum dilatatur ejus prælatio, quòd ſeptuaginta provinciæ ei obediunt, in quibus habitant innumerabiles* Chriſtiani; *ſervi tamen & tributarii* Saraceni, *exceptis Monachis, quos liberos dimittunt à tributo. Secundùm eandem formam, fecerunt duo Archiepiſcopi: unus* Jacobinus *de* Ægypto, *& alius* Neſtorianus *in Oriente: ſuas tamen prælationes & ſubditos, habent manentes in* Syria & Phœnicia. *Et nos jam feſtinamus mittere quatuor fratres in* Armeniam, *ad linguam addiſcendam; eò quòd preces Regis & Baronum nos urgebant. De alio quoque, qui præeſt omnibus quos* Neſtoriana *hæreſis ab eccleſia ſeparavit (cujus prælatio per* Indiam *majorem, & per regnum* Sacerdotis Johannis, *& per regna magis proxima Orienti, dilatatur) jam plures recepimus literas; quòd fratri* Willielmo *de* Monte ferrato, *qui cum aliis duobus fratribus linguam illam ſcientibus, apud eum aliquandiu commoratus eſt, promiſit, quod velit obedire & redire ad gremium eccleſiaſticæ unitatis. Miſimus etiam fratres in* Ægyptum, *ad Patriarcham* Jacobitarum Ægyptiorum; *qui multò ampliùs errare ſolent quàm Orientales, aliis erroribus circumciſionem ad modum* Saracenorum *addentes: à quo ſimiliter recepimus, quòd velit redire ad eccleſiæ unitatem. Et jam multis eliſis erroribus, ſuos ſubditos prohibuit circuncidi. Huic ſubdita eſt minor* India, Æthiopia, & Lybia, *cum* Ægypto. *Sed* Æthiopes & Lybii *non ſunt ſubjecti* Saracenis. Maronidæ, *qui habitant in* Libano, *jam diu eſt quòd ad eccleſiaſticam redierunt, & perſeverant obedientiam. Et cùm omnes prædictæ nationes, doctrinæ Trinitatis & prædicationibus noſtris acquieſcant; ſoli* Græci *in malitia ſua perſeverant; qui ubique aut latenter, aut apertè, eccleſiæ Romanæ contradicunt. Omnia ſacramenta noſtra blaſphemant; & omnem ſectam à ſua alienam, pravam appellant & hæreticam. Unde videntes oſtium tantum apertum, ut veritas Evangelii dilatetur, dedimus noſmetipſos ad linguas gentium addiſcendas; & ſtudium linguarum in ſingulis conventibus ſtatuimus, laborem novum veteri apponentes. Et jam per Dei gratiam linguis loquuntur novis & prædicant, & maximè in* Arabica, *quæ communior eſt inter gentes. Sed heu! huic tanto gaudio & lætitiæ ſpirituali, de renovatione infidelium nobis ortæ, de abyſſo judiciorum ſuorum Dominus nobis amaritudinem commiſcuit, de morte magiſtri noſtri ordinis; niſi quòd mors ejus in vitam infidelium converſa eſt. Nam ſic à multis accepimus, qui præſentes fuerunt & viderunt; tanta miracula ibi dicuntur demonſtrari; quòd multò efficaciùs prædicat, mortuus in miraculis, quàm vivus prædicaret in verbis. Per omnia ſit Deus benedictus. Unde ad illos* Saracenos, *tres prædicatores tranſmiſimus; ne gratiæ Dei deeſſe videremur. Veſtrum eſt ergo, pater ſancte, adunationi & paci revertentium ad eccleſiam providere; ne fortè, ſi de brachiis nutricis ceciderint, utroque pede deteriùs inveniantur claudicantes. Quidam enim ex eis, jam magis ſuis Juriſdictionibus adverſantur. Non audeo pluribus verbis aures veſtras detinere: cætera quæ deſunt, fratres latores præſentium poterunt enarrare. Mortui ſunt cum magiſtro, ſocii ejus frater* Geraldus *clericus, & frater* Ivanus *converſus. Tibi* Jeſu Chriſte, *laus & gloria, & gratiarum actiones, honor & virtus & fortitudo in ſæcula ſæculorum. Amen. Valete.* Hæc omnia fecit Neophytus ille timore *Tartarorum*, quorum impetum formidans, auxilium *Machometi* & eorum quorum ſperavit habere patrocinium, nec habere potuit, ad *Chriſtianorum* ſacramentum convolavit, & ſic efficax & feſtinum ſenſerunt auxilium. Tempore autem proſperitatis, coactus per magnates ſuos, à fide turpiter reſilivit.

QUIA

1237.

Hæreſis Neſtorianorum.

QUIA de *Neſtorianis* mentio ſuperiùs facta eſt, dignum duximus huic libro eorum inſerere ſuperſtitionem. Sunt autem in terra Orientali barbaræ nationes, à *Græcis* & *Latinis* multùm diſſidentes; quorum alios, *Jacobitas* appellant, à quodam magiſtro ſuo dicto *Jacob*, cujuſdam *Alexandrini* Patriarchæ diſcipulo. Hi autem à multis jam temporibus, à Conſtantinopolitano Patriarcha *Dioſcoro* excommunicati,& ab eccleſia *Græcorum* ſequeſtrati, majorem partem *Aſiæ* & totius tractus Orientalis inhabitant. Quidam inter *Saracenos*, alii autem proprias uſque infidelium conſortio occupaverunt regiones; ſcilicet *Nubiam*, quæ conterminata eſt *Ægypto*, & magnam *Æthiopiæ* partem; & omnes regiones uſque in *Indiam*, plus quàm quadraginta Regna (ut aſſerunt) continentes. Omnes autem fuerunt *Chriſtiani*, à beato *Matthæo* Apoſtolo, & aliis viris Apoſtolicis, ad *Chriſti* fidem converſi. Sed poſteà inimico ſuper ſeminante zizania, lamentabili & miſerabili errore longo tempore obtenebrati, parvulos ſuos utroque ſexu, more *Saracenorum*, ex magna parte circuncidentes. Quæ prudenter non attendunt, quòd baptiſmi gratia ſuperveniens, carnis evacuavit circumciſionem: quemadmodum fructu adveniente, flores decidunt & marceſcunt. Unde & beatus Apoſtolus ad *Galatas* ſic ait: *Si circuncidimini, Chriſtus vobis nil proderit.* Et iterum: *Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitorem univerſæ Legis faciendum, evacuati eſtis à Chriſto: qui in Lege juſtificamini, à gratia excidiſtis.* Alius autem errorum ipſorum eſt non minor prædicto, quòd confeſſiones peccatorum ſuorum, non Sacerdotibus, ſed ſoli Deo latenter faciunt: ponentes thus juxta ſe in igne, tanquam cum fumo peccata [illegible]dant coram Domino. Errant miſeri, non intelligentes ſcripturas, & pereunt ex defectu doctrinæ, vulnera ſua medicis ſpiritualibus abſcondentes; quorum eſt inter lepram & lepram diſcernere, & peccatorum circumſtantias penſando, pœnitentias injungere,& ſecundùm claves ſibi traditas, ligare & ſolvere,& pro confitentibus ſibi ſpecialiter orare. Unde Dominus in Evangelio dixit leproſis: *Oſtendite vos Sacerdotibus.* Item *Jacobus*: *Confitemini alterutrum peccata.* *Salomon*: *Fili ne confundaris confiteri peccata veſtra.* Itèm, in veteri Teſtamento, confitebatur Sacerdos peccata populi ſuper caput hirci emiſſarii. Sed quomodò confitebatur, niſi priùs cognita, & ſibi confeſſa? Item alibi in novo Teſtamento, *Paulus* ad *Romanos*: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Et de beato *Johanne Baptiſta* legimus, quòd *baptiſabantur ab eo confitentes peccata ſua.* Erubeſcentia enim & pudoris anxietas, & confitentis humilitas, maxima pars eſt pœnitentiæ: proniores autem ad peccandum efficiuntur, qui turpitudines ſuas hominibus non intimant revelantes, cùm tamen ſcriptum ſit: *Qui abſcondit peccata ſua, non dirigetur: qui autem deliquerit, & confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur.* Tertius error eſt prædictorum *Jacobitarum*, ſeu *Jacobinorum*,& ignorantia craſſa,& quaſi tenebræ palpabiles; quòd plures eorum ante baptiſmum parvulos ſuos cum ferro calido adurentes & ſignantes, in frontibus imprimunt cauterium. Alii autem in ambabus genis ſeu temporibus in modum crucis infantes ſuos conſignant; perversè putantes eos per ignem materialem expiari; eò quòd in Evangelio beati *Matthæi* ſcriptum ſit, quòd beatus *Johannes Baptiſta* de *Chriſto* dixit; *Ipſe vos baptiſabit in ſpiritu ſancto & igne.* Cùm tamen omnibus fidelibus liqueat, quòd in igne ſpirituali, id eſt, in ſpiritu ſancto, fiat peccatorum remiſſio, & non igne viſibili. Unde Dominus frequenter in Prophetis arguit filios *Iſraël*, eiſdem terribiliter comminando, eò quòd more gentilium filios ſuos trajiciebant per ignem. Ait enim Dominus in *Deuteronomio* per Moyſen Prophetam: *Cave ne imitari velis abominationem illarum gentium, ne inveniatur in te qui luſtret filium ſuum aut filiam, ducens per ignem.* Et conſtat omnibus *Chriſtianis*, quòd Dominus noſter, vel ejus Apoſtoli, ſeu aliqui Patres ſancti, hujuſcemodi conſuetudinem in eccleſia non reliquerunt; neque tales aduſtiones fieri mandaverunt: horum verò, qui inter *Saracenos* commorantur, tam *Jacobinorum* quàm *Surianorum*, in brachiis aſpeximus. Ipſi autem, ad *Paganorum* diſtinctionem, & ob ſanctæ crucis reverentiam; crucis characterem ſibi imprimi offerebant. Cùm autem à *Græcis* & à *Surianis* diligenter inquireremus, ob quam cauſam *Jacobitas* deteſtentur, & eos à ſuo ejeciſſent conſortio: hanc eſſe cauſam præcipuam aſſerebant, quòd in damnatam & peſſimam hæreſin incidiſſent, unam naturam tantùm, quemadmodum unam perſonam, in *Chriſto* eſſe aſſerentes. Hujuſmodi enim hæretici, in conſilio *Calcedonenſi* excommunicati ſunt, & condemnati. Quorum quidam perversè aſſerebant, *Chriſtum* poſt humanam aſſumptionem non ex duabus naturis exiſtere; ſed ſolùm in eo divinam naturam permanere. Hunc errorem introduxit *Eutyches Conſtantinopolitanus* Abbas: alii autem, ex duabus naturis, unam in *Chriſto* aſſerunt naturam. Quidam *Alexandrini* Epiſcopi, *Theodius* ſcilicet & *Galanus*, hujus erroris auctores extitere. Conſtat autem, quòd ſecundùm naturam humanitatis, Dominus *Jeſus Chriſtus* eſurivit, ſitivit, & alias ſuſtinuit neceſſitates; mortem etiam in cruce pertulit: ſecundùm autem naturam divinitatis, mortuos ſuſcitavit, & alias virtutes operatus eſt; ſecundùm quam ipſe de ſe dicit, *Antequàm Abraham fieret, ego ſum.* Et: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Et: *Ego & pater unum ſumus.* Secundùm autem humanam naturam, idem ait: *Pater major me eſt.* Et iterum de calice transferendo: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Cùm autem diligentiſſimè à prædictis *Jacobinis* inquiſiſſem, utrùm unam in *Chriſto* naturam eſſe affirmarent; ipſi, neſcio ſi timori redargutionis vel alia cauſa ducti, negaverunt. Quærenti autem, quare uno digito

1237. digito ſe ſignarent, reſponderunt, propter unam divinam eſſentiam: tribus autem partibus, trinitatem deſignabant. In ſanctæ trinitatis & unitatis ſignificatione, in quatuor partibus, per modum crucis, ſeſe ſignaverunt. *Græci* autem & *Suriani* eis objiciebant, quod propter unitatem, quam tantummodò in *Chriſto* credebant, uno tantùm digito ſe ſignabant. Quidam autem eorum utuntur litera *Chaldæa*, alii *Arabica*, quæ *Saracenica* dicitur. Laici autem illorum ſecundùm diverſas nationes & provincias diverſis utuntur idiomatibus, linguam autem clericorum ſuorum, qua in divinis ſcripturis utuntur, non intelligunt vulgares; licèt enim litera utantur *Saracenica*, vulgare tamen *Saracenicum* non repræſentat, ſed quoddam proprium idioma, quod non niſi à literatis intelligatur.

Legati modeſtia.

DOMINUS autem *Otto* Legatus, de quo ſuperiùs mentio facta eſt, prudenter ac modeſtè ſe gerens, munera precioſiſſima ſibi oblata in magna parte reſpuens, contra conſuetudinem *Romanorum*; indignationem in toto Regno conceptam tam à clero quàm militia, citra opinionem multorum, per geſtum ſuum ordinatum temperavit.

Pacificati ſunt Magnates.

PRIMO enim quoſdam Magnates, ex quodam odio latenter concepto, ſibi diſcordes, pacificavit; & indice oſculo in bona fide confœderavit. Utpotè dominum *Petrum* Epiſcopum *Wintonienſem*, & dominum *Hubertum* Comitem *Cantiæ*, & *Gilebertum Baſſet*, *Stephanum* de *Segrave*, *Richardum Sward*; & alios quàmplures diu antè ſibi diffidentes. Quod odium ferè in lamentabile judicium proruperat, in torneamento commiſſo apud *Blie*, in initio quadrageſimæ eodem anno; ubi ſe Auſtrales Norenſibus oppoſuerunt contrarios. Sed tandem prævalentibus Auſtralibus, capti ſunt ex aliis viri magni; & commiſſum eſt non haſtiludium, ſed hoſtile bellum. Inter omnes tamen, ſtrenuiſſimè ſe habebat Comes *Bigod*. Quos poſtquàm domini Legati pacificavit induſtria, omnibus Prælatis *Angliæ* ſcripſit, ut in octavis S. *Martini Londoniis* convenirent; authenticum domini Papæ, de plenaria poteſtate legationis ſibi conceſſa vel tradita, communiter in eccleſia ſancti *Pauli* audituri; & in eadem communiter de reformatione eccleſiæ *Anglicanæ* tractaturi, & in præſentia ejus concilium celebraturi.

Strages militum Templi circa Antiochiam.

CIRCA idem tempus, increbuerunt rumores lamentabiles, totam *Terram ſanctam* confuſione perfundentes. Mortuo enim *Soldano Halapiæ*, treuga accepta inter *Templarios* & eundem *Soldanum* expiravit. Volentes igitur fines ſuos ad honorem *Chriſti* ampliare *Templarii*, accingentes ſe ad prælium, caſtrum quoddam *Guaſcum* appellatum (quòd versùs Septentrionem ab Antiochia ſitum eſt) obſidione vallare proponentes, in locis herboſis caſtro vicinis tentoria locaverunt; ducem ſibi Præceptorem *Antiochiæ W.* de *monte Ferrato*, de *Arvernia* oriundum, ſibi præponentes. Dum igitur ad idem caſtrum diſpoſitis agminibus appropinquaſſent, videntes eos captivi *Chriſtiani* in vinculis detenti, ſimul cum quibuſdam apoſtatis, exclamaverunt, dicentes: Fugite miſeri, fugite. Quid ruitis in mortem propriam? mortui eſtis omnes. Parati ſunt infiniti hoſtes veſtri cum tota provincia adjacente, in ſtragem veſtram præparati communiter, præcepto *Soldani Halapenſis*, quæ vobis inſidias præparavit. Quod audiens Præceptor *Antiochenus*, ſprevit minas exclamantium; vocans eos apoſtatas & proditores. Multi autem de militia *Templi*, librantes belli caſus fortuitos, & ſuorum paucitatem, & hoſtium multitudinem; conſilium dederunt, inſidias declinando præcavere, donec pleniùs vires hoſtium exploraſſent. Ad quod reſpondit Præceptor prænominatus, quòd noluit pavidos illos ſecum in illo ancipiti certamine habere, ut eſſent tantæ victoriæ participes; eos fictos & formidoloſos appellando. Et ſic præceps & inconſultus, reverſis multis, hoſtes ad bella provocavit. Et ante expectatum hoſtibus conglobatis, qui convenerant, & comprovincialibus vallatus, belli pondus non valens ſuſtinere; contra ordinem *Templi*, terga dedit fugitivus; & cum eo alii de ſuis, qui priùs alios animârunt. Ceciderunt autem in conflictu illo, plus quàm centum milites *Templi*, & trecenti Arcubaliſtarii; ſine aliis ſæcularibus & manu pedeſtri non minima. De *Turcis* verò, ad tria millia. Cecidit autem in illo infauſto certamine illuſtris miles *Templarius*, *Anglicus* natione, *Reginaldus* de *Argentomio*, ea die Balcanifer; qui ut alii, qui ceciderunt, cruentiſſimam de ſe reliquit hoſtibus victoriam: indefeſſus verò vexillum ſuſtinebat, donec tibiæ cum cruribus & manibus frangerentur. Solus quoque eorum Præceptor priuſquàm trucideretur, circiter ſexdecim hoſtium, abſque lethaliter vulneratis, ad inferos deſtinavit. Facta eſt autem iſta congreſſio deteſtanda menſe Junio.

Theodoricus *Prior Hoſpitalis mittitur in ſuccurſum* terræ ſanctæ.

HÆC autem audientes *Templarii* & *Hoſpitalarii*, partes Occidentales inhabitantes; accingunt ſe viriliter, ſanguinem fratrum, qui pro *Chriſto* effuſus eſt, ulciſci cupientes. *Hoſpitalarii* verò, fratrem *Theodoricum* Priorem ſuum, natione *Alemannum*, militem elegantiſſimum, cum militia & familia ſtipendaria & theſauro non minimo, in ſuccurſum *Terræ ſanctæ* deſtinarunt. Qui diſpoſitis diſponendis, à *Clerkenwelle* domo ſua, quæ eſt *Londoniis*, per medium civitatis, clypeis circiter triginta detectis, haſtis elevatis, & prævio vexillo; versùs pontem, ut ab omnibus videntibus benedictionem obtinerent, perrexerunt eleganter. Fratres verò, inclinatis capitibus, hinc & inde caputiis depoſitis, ſe omnium precibus commendârunt.

1237.

Reditus Imperatoris in Italiam cum exercitu copioſo.

EODEM etiam anno, circa feſtum ſancti *Michaëlis*, dominus Imperator, cùm ſedaſſet ſeditionem motam in *Alemannia*, & pacificatis ibi omnibus, intravit in manu forti & exercitu copioſo *Italiam*: volens omnibus modis multiformes injurias, ſibi à civibus *Mediolanenſibus* ſæpiùs irrogatas, vindicare. Dum enim ipſe paulò antè in *Alemanniam* regrederetur, cùm mota perturbatio inteſtina eſſet, quam Dux *Auſtriæ* in propriam perditionem excitaverat, agnoſcentes id ipſi cives *Mediolanenſes*; quaſi ipſum Imperatorem inexorabili odio inſequentes; ſuos quos in caſtris *Italicis* jam acquiſitis reliquerat, truculenter trucidarunt, Imperialem indignationem ſibi diatim provocantes. Et ne inobedientiæ poſſet redargui, ipſum dominum Papam, tam per chartas deprecatorias, quàm per ſolennes nuncios plures & pluriès ſollicitatis: humiliter deprecando, ut ipſe, qui erat caput eccleſiæ eum juvaret ad acquirendum potenter ſuam hæreditatem, & injurias multiplices ſibi à *Mediolanenſibus* illatas, juſtè vindicandum, & hæreticam pravitatem ab omni infami civitate *Italiæ* extirpandam. Præſertim cùm deceat eccleſiam *Romanam*, omnium talium, & ſi alii omnes tacerent, inſolentiæ refragari. Sed dominus Papa diſſimulando, hoc audito *Romam* perrexit quaſi fugiens à facie Imperatoris, nolens vel impotens eiſdem ſubvenire. *Romani* verò eum advenientem cum gaudio ſuſceperunt, ne ex tunc, ut priùs, egrederetur, ſancientes. Senſerant enim ſe per abſentiam ſuam jam decennalem, magnam pecuniæ jacturam incurriſſe.

Bellum inter Imperatorem & Mediolanenſes.

MEDIOLANENSES verò, audientes domini Imperatoris adventum, quem meritò ad iracundiam provocaverant, omnibus modis quibus poſſunt ſe ad bellum præparantes: turres annona, pharetras ſpiculis, inermes armis munientes. Et cùm appropinquaſſet Imperator cum exercitu ſuo copioſo, (qui numerum centum millium, præter *Saracenos* ſuos ſtipendiarios, dicitur exceſſiſſe) & veniſſet ad unam dietam de civitate, cives in manu hoſtili fortiſſima cum omnibus ſibi confœderatis, diſpoſitis aciebus obviam Imperatori imperterritè occurrerunt; tentoria donec dies belli determinaretur, figentes, cum ſuarum legionum multitudine, quæ ad ſexaginta millia computabatur, & Carrochium ſuum ubi robur exercitus eſſe videbatur, ſtatuentes. Quod videns dominus imperator, ſuos convocavit Conſiliarios; & animans eos verbis bellicis, ait: Ecce eminùs auſi ſunt apparere inſolentes inimici noſtri *Mediolanenſes*, non veriti me dominum eorum ad bellum provocare veritatis & eccleſiæ ſanctæ inimici, quos proprii ſceleris pondus labefactabat. Tranſite flumen. (Erat enim eis amnis, fluvius *Olei* dictus, intermedius, dividens utrumque exercitum.) Erige igitur & expande ſignifer meus impiger, victricem aquilam meam; & educite gladios veſtros formidabiles, milites mei, quos toties hoſtium ſanguine inebriâſtis, & impetite in furore veſtro mures iſtos auſos exire de cavernis ſuis, ut hodiè experiantur *Romani* Imperatoris haſtas fulgurantes. Nec mora, *Mediolanenſes* in exercitum Imperialem irruentes, *Saracenos* ſibi primò oppoſitos alacriter ſuſcipiunt in ore gladii: & in brevis horæ ſpacio trucidant proſternentes, Et procedunt cives, ſimili ſtrage exercitum conſertum ſternere proponente. Quod comperiens Imperator, cum ſuis nobilibus, magnatibus, robuſtis, & inſuperabilibus, qui omnes vires effundendo, glomeratim ſe hoſtibus infuderunt, impetum repreſſit inſurgentium. Cives verò, videntes rem agi pro capite, conceptum animum invicem exhortantes exercuerunt, vires viribus repellentes: & animoſiùs congredientes, micantes gladios in corpora inimicorum immerſerunt, & initum certamen in cruentiſſimum bellum ſuſcitârunt. Proſternuntur igitur hinc inde infiniti. Clamor congredientium bellatorum, gemitus morientium, tinnitus armorum, hinnitus equorum, aſſeſſorum ſeſe comprimentium vociferatio, ictuum fulgarantium frequens malleatio, ipſum aëra tumultibus repleverunt. Tandem poſt multa hinc inde cruenta certamina, *Mediolanenſes* non potentes ampliùs illo die pondus belli ſuſtinere, regredientes ſeſe in ſuam recepêre civitatem, in craſtino in idipſum redire proponentes; & domino Imperatori ſignificantes, ut ſummo mane fortunam belli diffinitivè viriliter experirentur; & ſecundùm voluntatem Domini exercituum, vel ipſi cives, vel adverſarii eorum, triumphali gaudio ſine majoris moræ diſpendio potirentur, nec torqueret ampliùs ſuſpenſos animos moroſa protractio. Imperator autem hæc audiens, inito conſilio, maluit providè ac cautè hoſtium furorem reprimere, quàm inconſultè dubia fata Martis ex abrupto continuando, ſe ſuóſque incertis caſibus committere fatigatos. Facta eſt igitur multorum nobilium utrobique ſtrages miſeranda, & à ſæculo deploranda. *Mediolanenſes* verò in hoc caſu deteriorem calculum reportarunt. Imperator enim tria millia de ipſis civibus nobilioribus cepit; de vulgaribus verò in ore gladii proſtravit infinitos. Poſteà verò cepit trecentos nobiles in inſidiis conſtitutos. Carrochium eorum cepit, & *Poteſtatem*, ſcilicet filium Ducis *Venetorum*, qui maluit in prælio corruiſſe: alióſque Magnates quàm plures trucidavit. Epiſcopus quoque eorum, vel in prælio cecidit, vel captus; certum nullum ex ſe apud nos reddidit relatorem. Ex tunc, igitur, dominus imperator in circuitu civitatis vias & paſſagia diſtrictè juſſit cuſtodiri; & acceſſus & receſſus inſtitutorum & agricolarum appoſitis cuſtodibus die ac nocte obſtruxit: pontes confregit, itinera cuſtodivit, ut ſic debacchantium hoſtium vires enervaret, & feritatem edomaret. Cives verò contra Deum calcaneum elevantes, verſi ſunt in arcum pravum, & quaſi deſperantes & de Deo diffidentes, in eccleſiis crucifixum per pedes ſuſpendentes, & carnes

1237. carnes ſextis feriis & in quadrageſima comedentes, & multi per *Italiam* in ejuſdem deſperationis abyſſum demerſi, conviciantes & blaſphemantes; eccleſias ſordibus, quas indignum eſt dicere, irreverenter macularum, altaria magis polluentes, viros eccleſiaſticos expulerunt. Irruit igitur formido & pavor, ſuper civitates *Italicas*. Et venerunt ex illis multi civium donaria precioſa offerentes: & ne ſimili calamitate involverentur, ſe ſuáſque civitates mancipantes, dederunt dextras Imperatori, priorum exemplis humilitati. Ita etiam factum eſt, quòd infra medium quadrageſimæ dominus Imperator totam *Italiam*, præter *Bononiam* & quatuor alias civitates, quæ non habebant poteſtatem reſiſtendi, in manu robuſta occupavit. Univerſitas autem clericorum *Bononienſium* nimis ſibi timuit: quia ſignificaverat eis anno præterito Imperator, ut in pace recederent, & obedire mandatis ejus contempſerunt.

Indignatio Nobilium Angliæ contra Regem.

CUM hæc ita in tranſalpinis partibus agerentur, Rex *Anglorum Henricus* III. perverſo fretus conſilio, ſecùs quàm deceret aut expediret, ſuorum naturalium hominum conſiliis factùs eſt extraneus, & ſuis benevolis, Regnóque ac Reipublicæ utilibus cervicoſus: ita quòd per eorum conſilium parùm aut nihil de negotiis Regni tractaret aut operaretur. Ut igitur ab eis exquiſitis argumentis pecuniam extorqueret, aſſeruit in colloquio (ad quod etiam ex longinquo Nobiles convocaverat) cum jurejurando, omni theſauro fuiſſe deſtitutum; imò penitùs indigentem. Petiit igitur inſtantiſſimè, ut ſibi Regni triceſima concederetur & daretur; ut ſtatus Regni & Regis honorabiliùs ſuſtentaretur, & firmiùs roboraretur. Quòd audientes, cùm graviter accepiſſent, reſponderunt, quòd ſæpiùs gravati, videbant alienigenas ſuis bonis ſaginari; ſtatúmque Regni præ paupertate vacillare, & multiplex periculum imminere. Veruntamen, poſt multas diſceptationes, quia ſe Rex humilians, promiſit indubitanter, ſe eorum ex tunc & deinceps ſtandum conſiliis; conceſſa eſt ei, non ſine magna difficultate, triceſima mobilium. Quam poſteà non ad Regale precium, ſed ſecundùm communem valorem colligi fecit æſtimandam. Nec ipſam, ut prælocutum & confirmatum fuit, in caſtris & cœnobiis reponendam, & ſecundum Magnatum proviſionem expendendam: ſed ſine alicujus naturalis hominis terræ conſilio, alienigenis expoſuit aſportandam. Et factus eſt quaſi ſeductus, non habens cor. Perſtrepuit igitur murmur in populo, & Magnatum indignationes incanduerunt.

Comes Richardus Regem increpat.

COMES verò *Cornubiæ Richardus*, frater Regis, primus movit quæſtionem adversùs Regem increpans eum acriter, ſuper tanta Regni per eum nata deſolatione. Et quòd de die in diem adinventis novis cauſis cavillatoriis, Nobiles ac naturales Barones ſuos ſuis bonis ſpoliavit; & quæcunque potuit abradere, inconſultè hoſtibus Regni diſtribuit, ipſi Regi & Regno inſidiantibus. Addidit etiam Comes, quòd ipſe infinitos proventus & innumerabilem pecuniam in ſuo tempore collegerat, nec erat in *Anglia* Archiepiſcopatus vel Epiſcopatus, præter *Eboracenſem*, *Bathonienſem*, & *Wintonienſem*, qui non vacaverit ſuo tempore. Similiter intulit de Abbatiis, & Comitatibus, & Baroniis, cuſtodiis, & aliis excaetis; nec tamen theſaurus Regius, qui deberet eſſe Regni robur & confidentia, ſenſerat incrementum. Sed Rex tam ejus quàm aliorum naturalium hominum ſuorum ſpreto conſilio, magìs ac magis, ut incepit, deliravit: & ſe voluntati *Romanorum*, præcipuè Legati, quem inconſultiùs advocaverat, mancipavit adeò, ut videretur quaſi veſtigia ſua adorare; affirmans ſe tam in publico quàm ſecreto, ſine domini ſui Papæ vel Legati conſenſu, nil poſſe de Regno diſponere, tranſmutare, vel alienare: ut non Rex, ſed feudarius Papæ diceretur. His igitur & aliis deliramentis, Rex omnium Nobilium ſuorum corda cruentavit. Conſiliarios quoque habuit infames & ſuſpectos, qui hujus rei fomentum eſſe dicebantur; quos idcircò magis habebant Nobiles *Angliæ* exoſos, quia de Regno ipſo duxerunt originem. Et hi erant, *Johannes* Comes *Lincolniæ*, *S.* Comes *Legriæ*, frater *G. Templarius*.

Legatus ſaginatur bonis Angliæ.

INTERIM Domino Legato offerebantur dona precioſa, tam in palefridis concupiſcibilibus, quàm vaſis precioſis, & veſtimentis mollibus & duplicibus, pellibus variis & ſylveſtribus, nummis, eſculentis, & poculentis: ita quòd unus ſolus Epiſcopus, ſcilicet *Wintonienſis Petrus*, cùm conſtaret ei quòd *Londoniis* eſſet hymeaturus; quinquaginta boves paſcuales, & centum ſummas tritici electi, & octo dolia vini meraciſſimi, tranſmiſit ei in alimentum. Alii quoque ſecundùm vires & facultates ſuas ei ſimilia contulerunt. Legatus verò, *Romanam* avaritiam temperando, non omnia, ſed aliqua oblata ſereno vultu ſuſcepit gratanter; conſiderans illud *Senecæ* Philoſophicum: *Omnia oblata recipere, avarum eſt: nulla, rebelle: aliqua, ſociale.*

Rex Comitem Provinciæ ad ſe vocat.

REX intereà Comitem *Provinciæ*, patrem Reginæ, precibus pulſavit multiplicibus, tam epiſtolis quàm nunciis multiplicatis, ut ipſe dignaretur generis ſui terram intrare, & de theſauro ſuo partem ſecum rediturus aſportare. Unde à multis credebatur, quòd proinde extorſit Rex triceſimam à terra ſua, ut ei & talibus diſtribueretur. Comes verò, tractus lucri amore, concitò venit vocatus: ſed antiquàm ad mare perveniſſet, nullis *Francorum* eſt blanditiis vel donariis detentus, licèt Rex eorum primogenitam ejus duxiſſet in uxorem. Guerræ mortæ in partibus *Provincialibus*, eundem Comitem ſub magna feſtinatione revocârunt, Quòd audiens Rex, feſtinanter miſit ei mille marcas, ad acquietanda viatica ſua, & phaleras in Regno *Francorum* comparandas.

EODEM

1237.

Colloquium inter Reges Angliæ & Scotiæ Eboraci habitum.

EODEM quoque anno ſcripſit Rex omnibus Magnatibus ſuis, ut coram eo & domino Legato, in feſto exaltationis ſanctæ Crucis, apud *Eboracum* convenirent, de arduis negotiis Regnum contingentibus tractaturi. Venerat autem eis obviàm Rex *Scotiæ*, vocatus à Rege *Angliæ* & Legato, apud *Eboracum*; ut ibi habita communi deliberatione, de pace reformanda inter eos, fœliciter componeretur: & Dei dante gratia, omnis lis mota prævia ratione ſedaretur, & de juſtè utrique debitis ſatisfieret. Ubi tandem cùm perveniſſent, ſic elaboratum eſt, ut Rex *Scotiæ* perciperet de Regno *Angliæ* trecentas libratas terræ ſine caſtri conſtructione, homagiúmque Regi *Angliæ* faceret, & fœdus inter eos amicitiæ ſanciretur: & hoc ſe fideliter facturum Regi *Angliæ*, & conſervaturum juraret: & ſic omnis querela & vendicatio ex parte Regis *Scotiæ*, conquieſceret. Volenti autem domino Legato intrare Regnum *Scotiæ*, ut ibi de negotiis eccleſiaſticis tractaret, ſicut in *Anglia*: reſpondit Rex *Scotiæ*. Non me memini Legatum in terra mea vidiſſe, nec opus eſſe aliquem eſſe vocandum, Deo gratias, nec adhuc opus eſt, omnia benè ſe habent. Nec etiam tempore patris mei, vel alicujus anteceſſorum meorum, viſus eſt aliquis Legatus introitum habuiſſe, nec ego dum mei compos fuero, tolerabo. Veruntamen, quia fama te ſanctum virum prædicat, moneo te, ut ſi fortè terram meam ingrediaris, cautè progrediaris, ne quid ſiniſtri tibi contingat. Indomiti enim & ſylveſtres homines ibi habitant, humanum ſanguinem ſitientes quos nec ego ipſe valeo edomare: qui etiam ſi in vos irruant, nequeo eos cohibere. Me etiam nuper, ut fortè audiſtis, voluerunt invadere, & à Regno expellere exhæredatum. Quibus auditis, Legatus avidam voluntatem intrandi *Scotiam* temperavit, & latera Regis ſui, ſcilicet *Angliæ* ſibi per omnia obedientis, non reliquit. Remanſit autem cum Rege *Scotiæ* quidam *Italicus* Legati conſanguineus, quem Rex cingulo militari, terram etiam conferendo, ne penitùs rebellis videretur, nobilitavit. Et ſic ſoluto concilio, Rex *Angliæ* cùm Legato ſuo versùs Auſtralia remeavit.

Faſtuoſus apparatus Legati ad concilium.

APPROPINQUANTE verò tempore concilii, juſſit ſibi Legatus ſedem parari in Occidentali parte eccleſiæ ſancti *Pauli Londoniis* faſtigioſam nimis & ſolennem, longis trabibus & ſedilibus gradatim exaltatam. Miſit igitur literas ſuas, ut vocati omnes *Angliæ* Prælati, ſcilicet Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores inſtallati, tam ſub conventus ſui vel capituli, quàm ſuo nomine, literas procuratorias deferentes; ut quicquid in concilio ſtatueret Legatus, ratum utrobique haberetur. Venerunt igitur omnes juxta mandatum domini Legati, nimis vexati & fatigati in corporibus propriis equorum & viaticis; utpotè ingruente hyeme & multiformi tempeſtate, omnes Prælati ſuæ Legatiæ, *Angliæ* tamen potiſſimè.

Ventus validiſſimus & damnoſus nimis.

ADVENERAT etiam cum aliis ad idem concilium properantibus, quidam clericus, nomine magiſter *Walterus*, cognomento *Pruz*, qui palàm aſſeruit, omnes ferè Planetas ſub uno ſigno, ſcilicet Capricorno, tunc convenientes commotionem magnam in aëre facturos, & ventos validiſſimos commoturos: peſtémque magnam animalium, præcipuè cornutorum, quæ pecudes vel pecora appellamus, ſubſecuturam pronunciabat. Et addidit quaſi jocosè: Utinam non hominum cornutorum, ſcilicet Epiſcoporum. Nec fefellit omninò hæc prædicentis opinio. Statim enim eccleſiam ſancti *Pauli*, ubi tunc erant congregati, tantus ventus concuſſit, quòd omnes, præcipuè Legatum, tremor magnus occupavit. Nocte autem ſanctæ *Ceciliæ*, nubeculæ teterrimæ, turritæ, & inordinatæ, Luna exiſtente prima, in occidente apparuerunt; & cœperunt mugire tonitrua, micare coruſcationes, venti quoque commoveri, & per totam noctem ſequentem & diem ventus inhorruit validiſſimus, qualem non ſe meminit aliquis prævidiſſe: & hic ventus per quindecim vel plures dies duravit continuatus. Corruerunt robora radicitùs avulſa, domus, turres, ædificia, motionem ſenſerunt vel ruinam; ut meritò aër perturbationi hominum videretur concordare.

Congregatio & præparatio concilii.

CUM igitur conveniſſent *Londoniis* Prælati *Angliæ*, in eccleſia ſancti *Pauli*, die prima concilio aſſignato, ſcilicet in craſtino octavarum ſancti *Martini*, non comparuit Legatus; quia Epiſcopi rogaverant eum, ut ea die daretur eis copia inſpiciendi quæ propoſuit ſtatuere, & ſecum ſuper his deliberare, ne aliquid in præjudicium eorum ſtatuere attentaret. Altera igitur die, conſtitutis in ſecretis & abditis locis militibus armatis & ſervientibus circiter ducentis, quos ei ad inſtantiam precum ſuarum dominus Rex commodaverat: timebat enim valdè ſibi, eò quòd dicebatur, eum nimis velle deſævire in eos, qui plura habebant beneficia, & præcipuè in illegitimos. Apparuit autem ſummo mane, ſcilicet diluculo, in eccleſia prædicta. Erat autem ibi tot expectantium multitudo tam compreſſa, quòd ipſi Legato erat ingreſſus difficillimus. Et ingreſſus eccleſiam, coram majori eccleſia Pontificalibus ſe induit, ſcilicet ſuperpellicio & deſuper capa chorali, pellibus variis furrata, & mitra. Et præcedentibus Archiepiſcopis *Cantuarienſi* & *Eboracenſi* eum, cum proceſſione ſolenni, cum cruce & cereis accenſis, & cum Letania, ſedem ſuam aſcendit per gradus pomposè, ut dictum eſt, præparatam, & jam pompoſiùs tapetis & pallis redimitam: collocante ſe à dextris domino *Cantuarienſi*, & *Eboracenſi* à ſiniſtris: propter quod orta eſt inter eos diſſenſio, ſcilicet de ordinatione ſeſſionis. Et appellatum eſt ex parte *Eboracenſis*, pro jure ſuo, quod ſibi vendicabat. Lecto igitur ſolenniter Evangelio, ſcilicet: *Ego ſum*

1237. *paſtor bonus*, ſicut moris eſt; dictiſque collectis propriis ab ipſo Legato, & cantato: *Veni creator ſpiritus*, appellatóque ab *Eboracenſi*, ut dictum eſt; ſederunt juxta Legatum duo Archiepiſcopi, *Cantuarienſis* à dextris, *Eboracenſis* à ſiniſtris. Quibus dixit Legatus, volens ipſam controverſiam pacificare, neutrius tamen juri derogando: In bulla domini Papæ ſtat imago *Pauli*, à dextris crucis in medio bullæ figuratæ, & *Petri* à ſiniſtris: nulla tamen inter tantos ſanctos eſt orta unquam contentio, ambo enim ſunt in coæquali gloria. Veruntamen propter *Petri* clavigeri dignitatem, & Apoſtolatus principatum, necnon & cathedralem dignitatem, cum prioratu vocationis; meritò à dextris crucis ejus imago collocanda videtur. Sed quia *Paulus* credidit in *Chriſtum*, quem non vidit; à dextris figuratur: *Beati enim qui non viderunt*, &c. Sic dominus *Cantuarienſis*, totius *Angliæ* primas, & qui præeſt antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ eccleſiæ *Cantuarienſi*, necnon & *Londonenſi*, quæ eſt ſancti *Pauli*, non ſine ratione à dextris eſt collocandus. Et ex tunc ſequentibus diebus ſedit *Cantuarienſis* à dextris, *Eboracenſis* à ſiniſtris. Secundo autem die, concilio jam incepto, miſſi ſunt ex parte domini Regis, Comes *Lincolnienſis Johannes*, & *Johannes* filius *Galfridi*, & *Willielmus* de *Ræle*, Canonicus ſancti *Pauli*; ut dicto Legato ex parte Regis & Regni inhiberent, ne ibi contra Regiam coronam & dignitatem aliquid ſtatuere attentaret. Et remanſit ibi, ut hoc obſervaretur, *Willielmus* de *Ræle*, indutus capa Canonicali & ſuperpellicio, aliis recedentibus. Eodem quoque die petiit dominus *Simon Cantarienſis* Archidiaconus dominum Legatum in audientia omnium, ut audiretur ab omnibus authenticum ſuæ Legationis, à domino Papa ſibi commiſſum: quod & factum eſt. Et eodem die, ad impetrationem domini Regis, lectum fuit quoddam privilegium, de feſtivitatibus ſancti *Edwardi* per totam *Angliam* celebrandis. Et de mandato domini Papæ, de ſanctis *Franciſco* & *Dominico* canonizatis. Et quia audierat dominus Legatus, dum adhuc in hoſpitio ſuo eſſet, multos pluribus eccleſiis beneficiatos, nobiles ſanguine & poſſeſſionibus, & illegitimos, de quibus mentionem in quodam ſtatuto concilii fecerat, contra ipſum murmuraſſe, & ei etiam inſidias præparaſſe; quoſdam Magnates, ſcilicet Comitem *Mareſchallum* G. & Comitem *Lincolniæ* I. & Comitem de *Monte forti* S. & quoſdam de familia domini Regis, cum gladiis & fuſtibus munitos, ad tuitionem ſui ſuorúmque, ſecum ad conſilium duxit & reduxit. In concilio verò, cùm ſtatutum contra eos qui plura beneficia obtinuerunt, contra concilium *Lateranenſe*, pronunciaretur, Epiſcopus *Wigornienſis Walterus*, ſcilicet de *Cantelupo*, ſurgens in medio, depoſita mitra ſua, ſic dominum Legatum eſt affatus. *Pater ſancte, cùm multi nobiles, quorum ſanguis noſter eſt, plura obtineant beneficia, cùm quibus nondum diſpenſatum eſt, quorum etiam aliqui provectæ ſunt ætatis, & uſque ad præſens honorificè vixerunt, & hoſpitalitatem ad poſſe procurando, eleemoſynas patentibus januis erogarunt, durum eſſet nimis, tales ſuis beneficiis ſpoliatos, in ignominioſam trudi paupertatem. Quidam verò juvenes feroces ac ſtrenui, maximis periculis ſe opponerent, antequàm ſuis ſe ſinerent privari beneficiis, unico tantùm retento. Quòd benè perpendo per memetipſum. Antequàm enim ad iſtam vocarer dignitatem, propoſui in animo meo, quòd ſi unicum amitterem beneficium talis prætextu conſtitutionis, omnia amitterem. Unde timendum eſt, quòd multi ad præſens in ſimili propoſito perſeverent. Quoniam igitur multitudo talium in cauſa eſt, ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicamus, quatenùs ob ſalutem veſtram & noſtram, ſuper hujuſmodi ſtatuto dominum Papam conſulatis. Præterea, cùm ſtatutum veſtrum in religione ſancti* Benedicti, *ad omnes æqualiter ſe extendat; & durum ſit multis, tum propter locorum penuriam, & præcipuè Monialibus, cùm ſint debiles & fragiles, hoc ſtatutum obſervare, neceſſe eſt huic rigori diſcretum addere temperamentum. Super quo etiam poſtulamus, ut dominum Papam ſuper his velitis conſultare.* Cui dominus Legatus reſpondit, quòd ſi omnes Prælati, ſcilicet iſti præſentes Archiepiſcopi & Epiſcopi, unà cum eo, ſuper his domino Papæ ſcriberent, libenter conſentiret. Et ſciendum, quòd quia aliqui opinabantur, ſicut datum fuit intelligi domino Legato, quod ſtatuta ſua robur niſi tantùm in tempore ſuæ Legationis non obtinerent; juſſu ejuſdem ſurrexit in medio quidam clericus ſuus, magiſter ſcilicet *Attho*, & aperto libro authentico, ſcilicet regiſtro domini Papæ, ad majorem auctoritatem, ut validiùs talium opinionem improbaret, quandam decretalem legit diſtinctè & apertè, quam dominus Legatus diſtinguens approbavit; per illam aſſerens manifeſtè, quòd etiam poſt receſſum ejus, ſua ſtatuta perpetuæ firmitatis robur debeant obtinere. Nec prætereundum, quòd primo die concilii, collocatis, ut prædictum eſt, Archiepiſcopis, *Cantuarienſi* ſcilicet a dextris, *Eboracenſi* verò à ſiniſtris, perlectóque Evangelio, *Ego ſum paſtor bonus*, dictiſque collectis ad hoc pertinentibus, indictóque ſilentio, & turba comprimente caſtigata, dominus Legatus ſedendo, quaſi tubam vocem ſuam exaltans, ſermonem ſuum inchoavit, thema ſuum ſic præordinando: *In medio ſedis & in circuitu ejus quatuor animalia plena oculis antè & retrò.* In ſermone proſequendo innuens, quòd Prælati, quaſi animalia habentia oculos antè & retrò, debent eſſe in rerum ſæcularium diſpoſitionibus providi, & in ſpiritualibus circumſpecti, priora ſequentibus cautè continuantes. Et poſt ſermonem legi fecit ſtatuta, alta voce & diſtinctè, quæ firmiter ſtatuit obſervari, quæ ſubſcripta in hoc libro duximus annotari.

1237.

QUONIAM domum Domini decet ſanctitudo & miniſtros ejus, à Domino dicitur: *Sancti eſtote, quoniam ſanctus ſum ego Dominus Deus veſter.* Satagit aſtutia humani generis inimici, ut ſanctitatem ſubtrahat vel deſtruat utrobique, dum in pleriſque locis & ne conſecrentur eccleſiæ vel retardat, & ne ſuo dignè fungantur officio, miniſtrorum mores & vitam multorum vitiat & depravat, ſanctorum patrum regulis & ſtatutis, generaliter omnibus *Chriſtianæ* religionis profectibus opponendo. Huic eſt igitur armata manu à cunctis *Chriſti* fidelibus fortiter in fide reſiſtendum, & ad ejus molimina renovatis & novis ſemper utendum viribus enervanda: ſicut *Iſaac* puteos quos foderant filii *Abrahæ*, ſed humo impleverant *Paleſtini*, priùs ſtuduit renovari, deinde alios fodere prorſus novos. Denique nos *Otto*, miſeratione divina, ſancti *Nicolai* in carcere *Tulliano* Diaconus Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis Legatus, ad partes *Angliæ* cum Legationis officio à ſede Apoſtolica deſtinati; divino fulti auxilio, & aſtantis concilii ſuffragio & conſenſu, ad roborandum & reformandum ſtatum eccleſiaſticum in partibus *Anglicanis*, ſalvis aliis canonicis inſtitutis, quæ cum reverentia volumus & cupimus obſervari, quædam ex commiſſa nobis poteſtate duximus obſervanda, quæ per certos articulos fecimus digeri & diſtingui.

Incipit concilium celebratum Londini in eccleſia ſancti Pauli à Legato Ottone.

BASILICARUM dedicatio, à veteri Teſtamento initium dignoſcitur habuiſſe, & in Novo eſt à ſanctis patribus obſervata; in quo eſt eò digniùs & ſtudioſiùs facienda, quò in illo tantùm offerebantur hoſtiæ animalium mortuorum: in iſto verò cœleſtis hoſtia viva & vera, ipſe ſcilicet unigenitus Dei filius, in altari offertur pro nobis manibus ſacerdotis. Quare ſtatuerunt providè ſancti patres, ne in aliis locis quàm Deo dicatis, niſi neceſſitatis cauſa, celebraretur officium tam ſublime. Porrò, quia vidimus per nos ipſos, & à pleriſque audivimus tam ſalubre miniſterium contemni, vel ſaltem negligi à nonnullis, dum multas invenimus eccleſias, & etiam cathedrales, quæ licèt ſint ab antiquo conſtructæ, nondum tamen ſunt conſecratæ oleo ſanctificationis. Volentes huic periculoſæ negligentiæ obviare, ſtatuimus, & ſtatuendo præcipimus, ut omnes eccleſiæ cathedrales, conventuales, & parochiales, quæ perfectis parietibus ſunt conſtructæ infra biennium, per dioceſanos Epiſcopos, ad quos pertinent, vel eorum auctoritate, per alios conſecrentur. Sicque infra ſimile tempus fiat de cæterò conſtruendis. Et ne tam ſalubre ſtatutum tranſeat in contemptum, ſi loca hujuſmodi non fuerint infra biennium à perfectionis tempore dedicata, à Miſſarum ſolenniis uſque ad conſecrationem manere ſtatuimus interdicta; niſi aliqua rationabili cauſa excuſentur. Ad hoc, ne præſumant Abbates, eccleſiarum rectores, antiquas eccleſias conſecratas, ſub prætextu pulchrioris vel amplioris fabricæ faciendæ, diruere, abſque licentia dioceſani Epiſcopi & conſenſu, præſenti ſtatuto diſtrictiùs inhibemus. Dioceſanus verò diligenter conſideret, utrùm expediat dare licentiam, vel negare; & ſi dederit, attendat & intendat, ut opus quàm celeriùs poterit, conſummetur: quod extendi ſtatuimus & volumus ad jam cœpta. De Capellanis verò minoribus, nil novi duximus ſtatuendum. Conſecrationes earum, qualiter & quando fieri debeant, diffinitionibus canonicis relinquentes.

Eccleſiarum dedicatio.

SACRAMENTA eccleſiaſtica, in quibus tanquam in vaſis cœleſtibus, ſalutis remedia continentur, necnon oleum ſanctificatum & chriſma, á miniſtris eccleſiæ purè atque devotè, qualibet excluſa cupiditatis labe, ſtatuimus & ſtatuendo præcipimus exhiberi; nulla difficultate in eis adhibita exhibendis, prætextu conſuetudinis alicujus, qua dicantur ab eis qui ea recipiunt aliquibus aliqua perſolvenda. Sacramenta verò principalia quæ ſunt, & quot, propter ſimpliciores duximus exprimenda, ſunt enim, Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema unctio, Matrimonium, atque Ordo. De quorum quolibet in ſacris canonibus eſt tractatum, & pleniùs ordinatum. Sed quia non eſt leve canonum girare & ignorare medico medicinale officium, minùs grave ſtatuimus, ut in ſuſceptione curæ animarum & ordinis ſacerdotii, examinentur de his præcipuè ordinandi. Archidiaconi quoque in decanatuum ſuorum conventibus, Sacerdotes maximè in his ſtudeant erudire; docentes eos qualiter circa Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam, & Matrimonium, debeant ſe habere.

De ſacramentis eccleſiaſticis.

AD Baptiſmum ſolenniter celebrandum, duo, ſcilicet ſabbatum ante reſurrectionem Domini; & ſabbatum ante Pentecoſten, ſunt à ſanctis canonibus propter myſterium deputata. Sed quidam, ut audivimus, in partibus iſtis diabolica fraude decepti, periculum ſuſpicantur, ſi præfatis diebus pueri baptizentur; quod arbitrari, vel utrumque metuere, ſanæ fidei penitùs adverſatur, manifeſtè convincitur eſſe falſum, cùm ſummus Pontifex perſonaliter illud myſterium ſolennizet, & diebus baptizet ſolenniter memoratis; & in aliis mundi partibus ſervet eccleſia illud idem. Quare ſtatuimus, ut à tanto errore prædicatione frequenti populus avertatur, & ad ſolennizandum præfatis diebus baptiſmum, & baptizandum pueros ſuos ſtudioſiùs meditentur. Statuimus inſuper, ut parochiales Preſbyteri formam baptiſmi firmiter addiſcentes, eam parochianis ſuis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari; ut ſi articulus neceſſitatis emergat, quo ipſos aliquem oporteat baptiſare; eam ſciant & valeant obſervare, quæ utrùm ſervata fuerint, inquirant poſtmodùm diligenter.

De Baptiſmo.

1237.

Avaritia ſacerdotum arcenda.

AUDITU horribili audivimus & relatu, quòd quidam, ſcilicet miſeri ſacerdoti, dum forſan in beneficium vicariæ vel ad firmam, ſeu quacunque alia quæſtus cauſa, proventus ex altari aut ex pœnitentia venientis recipiunt; non aliter admittunt ad pœnitentiam confitentes, niſi priùs ab ipſis in ſinu avaritiæ ſuæ quippiam reponatur. Sicque faciunt de aliis ſacramentis. Quoniam igitur qui talia agunt, regno Dei & beneficio eccleſiaſtico ſunt indigni; ſtatuendo diſtrictè præcipimus, ut inquiſitione arctiſſima per Epiſcopos de his facta, qui tale aliquid commiſiſſe repertus fuerit, & à beneficio, quod obtinet, removeatur omninò; & ab officio, quod perperàm geſſit, perpetuò ſuſpendatur.

Qui confeſſores conſtituendi.

QUOD in quodam Concilio ſtatutum invenimus approbantes, ſtatuimus; ut per quoſlibet Decanatus prudentes viri & fideles conſtituantur per Epiſcopum confeſſores; quibus perſonæ & minores clerici confiteri valeant, qui Decanis erubeſcunt confiteri forſitan & verentur. In eccleſiis verò cathedralibus, confeſſores inſtitui præcipimus generales.

Qualitas ordinandorum

SACER ordo eò eſt digno dignius conferendus, quo ab ordinato ſacramenta cætera conferuntur. Quare cùm periculoſum ſit, minùs dignos, idiotas, illegitimos, irregulares, & extraneos, aut ſine titulo certo & verò aliquos ordinari; ſtatuimus, ut antè collationem ordinum, de his omnibus per Epiſcopum indago diligens habeatur. Et ne reprobatis, qui fuerint reprobandi, approbatis, clanculò ſe valeant immiſcere reprobati; *in examinatione* ſcribatur numerus & nomina approbatorum: & qui ſcripti fuerint, poſtmodùm *in ordinationis* limine, perlecta ſcriptura, diſcretione ſollicita requirantur; ipſáque ſcriptura apud Epiſcopum vel eccleſiam conſervetur.

De firmariis & vicariis eccleſiarum.

ECCLESIAS dari ad firmas, vel generaliter conſtitui vicarium *in* eiſdem, noſtra nequaquam volumus auctoritate fulciri. *Sed propter infirmitatem multitudinis, quæ in cauſa* eſt, ne videamur potiùs laqueos injicere, quàm invenire remedia, prohibitionis edictum contra ea emittere formidamus. Quibuſdam tamen moribus ex eis *orientibus, ad noſtram* delatis notitiam, occurrere coarctamur. Accidit *enim plerumque, ut dum hi qui firmarii* appellantur, lucrari plùs appetant quàm exolvant, turpes exactiones faciunt; *quæ interdum* etiam cadunt in ſimoniacam pravitatem. Quare ſtatuendo diſtrictiùs prohibemus, ne dignitates vel officia, putà Decanatus vel Archidiaconatus, ſive proventus, ex *eccleſiaſticæ vel* ſpiritualis juriſdictionis exercitio, ſive ex pœnitentia vel altari, ſeu aliis ſacramentis quibuſlibet venientes, ad firmam de cæterò nullatenùs concedantur.

Qualiter eccleſiæ ad firmam dandæ.

CUM laicis eccleſias dari ad firmas, ſit penitùs inhoneſtum, & clericis quibuſcumque ad longum tempus, propter continuationem temporis, quæ afferre conſuevit periculum, eccleſiis poſſet eſſe damnoſum; utrumque diſtrictiùs inhibentes ſtatuimus; ut nec laicis unquam, nec perſonis etiam eccleſiaſticis ultra quinquennium eccleſiæ ad firmam concedantur, nec finito quinquennio renoventur eiſdem, niſi priùs ipſas habuerint alii mediatè. Et ut omnia ſint in tuto, præcipimus, ut præſentibus Epiſcopis vel Archidiaconis firmaria fiat conventio; ex qua plures literæ conſcribantur, quarum una remaneat penès ipſos.

De eodem.

ALICUBI audivimus contigiſſe, quòd vacante pingui eccleſia, quam quidam optabat habere, nec tamen audebat eam recipere ut perſona; ne aliis ipſo jure beneficiis quæ obtinuit privaretur; callidè procuravit, ut eccleſia illa ſibi ad firmam perpetuò traderetur; ita quòd modicum quid inde ſolveret alii nomine perſonatus, ſibíque totum reliquum retineret. Quo dante cauſam, edicto ſtatuimus; ut in tota vel in parte, ad firmam alicui ſub quocunque colore in beneficium conferatur, caſſum & inane fore penitùs decernentes, ſi contra fuerit attentatum.

Qui vicarii ordinandi.

AD vicariam ſtatuimus nullum admittendum, niſi jam Presbyterum ordinatum, vel ſaltem Diaconum, in proximis quatuor temporibus ordinandum; qui renuncians beneficiis aliis, ſi quæ habet curam animarum habentia, juret reſidentiam ibi facere, ac eam faciat continuè corporalem: alioquin inſtitutionem illius fore nullam decernimus, & vicariam alii conferendam. Sic eluditur illi dolo, quo ſæpè, aſſignato alicui nomine perſonatus modico ſimulatè dabatur illi eccleſia ſub ficto nomine vicariæ; qui timens alia beneficia perdere, metuebat eam recipere ut perſona. De jam inſtitutis verò vicariis, qui non ſunt Presbyteri, cùm vicarii teneantur perſonis & eccleſiis deſervire, ſtatuendo præcipimus; ut infra annum ad minus ſe faciant in Presbyteros ordinari. Alioquin, ſi per eos ſteterit, quo minùs infra annum, ut diximus, ordinentur; eos ex tunc vicariis eiſdem fore decernimus privatos; & de reſidentia circa eos ſtatuimus, quod de inſtituendis ſupra diximus ſtatuendum.

Ne leviter eccleſia abſentis alteri conferatur.

AD elidendum fallacias iniquorum, ſagaci eſt ſtudio laborandum cuilibet Juſtitiæ amatori; ne ſi torpeſcat rectorum induſtria, ſimplicitas à verſutia ſupplantetur, & ſuccumbat veritas falſitati. Sanè relatione accepimus plurium, quòd quidam in abſentis beneficium oculos jacientes, novos fingentes rumores, aſſerunt ſe audiſſe mortuum eſſe, vel beneficium reſignaſſe beneficii poſſeſſorem; ſicque procurant in iſtud beneficium quomodolibet ſe intrudi; & ſi forſitan reviviſcens qui mortuus fuerat, ad ſuam eccleſiam revertatur, neſcio te frater, reſpondeatur eidem, & clauditur janua contra eum. Nonnulli etiam nimia cupiditate

1237.

tate cæcati, non ſolùm in abſentium beneficium, ſed etiam in præſentium clanculò irrumpere, vel ubicumque poſſunt ea invadere, non formidant; & cùm intrò fuerint, nec proſunt ſententiæ, nec aliquid, quo valeant mitti foràs, quoniam armorum potentia ſe defendunt. In utroque igitur articulo remedium quale poſſumus adhibentes, ſtatuimus diſtrictiùs prohibentes; ne prætextu opinionis vel famæ, quæ de morte vel de ceſſione habeatur abſentis, ejus beneficium aliquatenùs conferatur: ſed Prælatus, donec pleniùs de alterutro inſtruatur, expectet. Alioquin ad reſarciendum omne damnum ex hoc inflictum abſenti, eum fore decernimus obligatum; & illum qui ſe procuravit intrudi, præter reſtitutionem bonorum, officio beneficióque ſuſpenſum protinùs ipſo facto. Quod & ad illum extendi volumus, qui beneficium eccleſiaſticum altero poſſidente auctoritate propria, vel potiùs vi, vel clàm occupare præſumit; vel poſtquàm declaratum fuerit, ad alium pertinere, armis ſe defendere nititur in eodem.

Ne eccleſia una in plures vicarias dividatur.

CUM ars artium, teſte beato *Gregorio*, ſit regimen animarum, non ceſſat antiquus ſophiſta ſuæ girare molimina fraudis, & in falſæ prætentionis ſtudere fallaciis; quo valeat concludere diſciplinis artis, & eos excludere à ſalute quos imperitos invenerit vel incautos. Hoc eſt quod facit tranſgredi mandata Dei, & ſanctorum patrum regulis contraire; dum nec ſermo divinus, nec ſanctiones canonicæ, à diſtorto itinere poſſunt reducere peccatores. Exigit enim ars noſtra catholica, ut unicus & in una eccleſia ſit magiſter perfectus, ordine, habitu, vita, ſcientia, & doctrina; & quòd pura ſit eccleſiæ ordinatio, atque ſimplex. Sed objectio diaboli, multos facit in hoc dogmate deviare; dum interdum, eo ſuggerente non uni tantùm una datur eccleſia, ſed pluribus, prætextu plurium patronorum; ut ſint plura capita in eodem corpore, quaſi monſtrum. Et interdum conſentit perſona, quæcunque ſit occaſio, ut aliquid concedatur alii nomine perſonatus abſque magiſtro: præterea eccleſia ſæpè maneat, dum nec perſona in ea, nec ſaltem vicarius invenitur perpetuus; ſed aliquis fortè ſimplex ſacerdos, qui nec jus habet, nec etiam juris imaginem in eadem. Et ſi moram forſitan perſona ibi trahat, non eſt tam perfectus ordine, quoniam non ſacerdos; nec habitu, quoniam viſus ab aliquo, non clericus, ſed miles potiùs putaretur: de vita, ſcientia, & doctrina, eſt ei modica heu cura! Ordinatio quoque eccleſiæ raro fit ſimplici oculo, ut deberet, nec enim commenta fraudis diabolicæ deſunt ibi. Nam interdum, ut audivimus, alicui confertur eccleſia hoc acto tacitè vel expreſsè, quòd aliquid ibi retineat inſtituens, vel præſentans, vel aliquam alius ex ea percipiat portionem; qui totum erat forſitan habiturus, niſi Juris impotentia, vel metu perdendi alia beneficia, dimiſiſſet. Cedit etiam quis aliquando perſonatui, & ab inſtituto inibi recipit poſtmodùm vicariam, quòd fieri non præſumitur ſine fraude. Has igitur diminutiones & particulares aſſignationes & mutationes, tanquam arti noſtræ contrarias, reprobantes, ne de cætero fiant penitùs prohibemus; firmiter ſtatuentes, ut nunquam deinceps in plures perſonatus vel vicarias, una eccleſia dividatur. Et quæ diviſæ ſunt hactenùs, quàm citiùs ſe facultas obtulerit, integrentur: niſi forſan ſic inſtituta fuerit ab antiquo, ubi eſt per loci Epiſcopum providendum, quòd cauſa redditus, quam parochia congruis inter eos portionibus & regionibus. * Provideant etiam Diœceſani, ut ſemper apud eccleſiam reſideat aliquis, qui de animarum cura ſit ſollicitus; ac ſe in celebratione divinorum & collocatione ſacramentorum exerceat utiliter & honeſtè.

De reſidentia in eccleſiis facienda.

DE reſidentia verò in eccleſiis à rectoribus facienda, videtur nobis conſulendum facto potiùs quàm ſtatuto. Extant enim concilia *Romanorum* Pontificum luce clarius loquentia ſuper eo; propter quod, major requiritur executio ſtatutorum, quàm editio ſanctionum. Idem quoque per omnia dicimus & ſentimus, de his qui plures dignitates, perſonatus, ſeu beneficia, curam animarum habentia, contra conſtitutionem concilii generalis, abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ ſpeciali præſumunt, in ſalutis ſuæ periculum, detinere.

Habitus clericorum.

QUONIAM de habitu clericorum, qui non clericalis videtur, ſed potiùs militaris, grave ſcandalum laicis generatur, firmiter ſtatuendo præcipimus; ut ad formam tam de veſtibus clericorum, quàm de ornamentis equorum, in generali concilio edita, per ſubtractionem beneficiorum ab Epiſcopis reſtringantur. ita quòd in menſura decenti veſtes habent, & capis clauſis utantur in ſacris ordinibus conſtituti, maximè in eccleſia, & coram Prælatis ſuis, & in conventibus clericorum, & ubique in parochiis ſuis, qui cum animarum cura eccleſias ſuſceperunt. Et ut poſſint Epiſcopi alios meliùs ad honeſtatem veſtium, tonſuram & coronam decentem, & equorum ornamenta idonea coarctare, provideant ut à ſuis clericis commenſalibus hæc priùs faciant obſervari; habentes eos in veſtibus, calcaribus, frænis, & ſellis, clericalis gerentes habitum honeſtatis.

Contra rectores eccleſiarum, clandeſtina matrimonia contrahentes.

INNOTUIT nobis, referentibus plurimis fide dignis, quòd multi propriæ ſalutis immemores, matrimoniis contractis clandeſtinè, retinere cum uxoribus eccleſias, & eccleſiaſtica beneficia adipiſci; de novo promoveri ad ſacros ordines, contra ſtatuta ſacrorum canonum, non formidant. Deinde proceſſu temporis, proli ſuſceptæ de tali copula expedire videtur, ipſis viventibus vel defunctis, per teſtes vel inſtrumenta probare, contracta fuiſſe matrimonia inter eos. Verùm, quia per clericos matrimonio ſeu contubernio intendentes procurari

anima-

1237. animarum perditio, negligi ſalus earum, & eccleſiaſtica diripi, ſub morbo, qui multùm invaluiſſe aſſeritur, ſic diximus occurrendum; ut ſi repertum fuerit aliquos taliter contraxiſſe; & ab eccleſiis & eccleſiaſticis beneficiis; quibus tam eos quàm quoſlibet uxoratos fore decernimus ipſo jure privatos, removeantur omninò. Et ſi quæ bona poſt hujuſmodi matrimonium qualitercunque quæſita fuerint, per ipſos vel ſubmiſſas perſonas de bonis eorum, ea nequaquam filiis vel uxoribus hujuſmodi, ſed eccleſiis quas tenuerunt, vel in quibus habuerunt beneficia, protinùs applicentur. Ipſi quoque filii, ad eccleſias & eccleſiaſtica beneficia & eccleſiaſticos ordines, velut inhabiles, nullatenùs admittantur; niſi cum eis, exigentibus eorum meritis, fuerit canonicè diſpenſatum.

De clericis concubinariis.

LICET ad profligandum à laribus eccleſiæ, putridum illud turpitudinis libidinoſæ contagium, quo decor eccleſiæ graviter maculatur, ſtuduerunt ſemper eccleſiaſtici correctores; ipſum tamen tantæ improbitatis exiſtit, ut ſemper ſe ingerat impudendum. Nolentes igitur, tantam eccleſiæ ignominiam, conniventibus præterire oculis incorreptam; ſtatuta *Romanorum* Pontificum, & maximè decretale *Alexandri* Papæ ſuper hoc edita, ſequentes; ſtatuimus & ſtatuendo præcipimus, ut niſi clerici, & maximè in ſacris ordinibus conſtituti, qui in domibus ſuis vel alienis publicè detinent concubinas; eas à ſe prorsùs removeant infra menſem, ipſas vel alias nullatenùs de cæterò detenturi, ab officio & beneficio ſint ſuſpenſi; ita quòd uſque quò ſuper hoc dignè ſatisfecerint, de beneficiis eccleſiaſticis ſe nullatenùs intromittant; alioquin ipſo jure ipſis eos decrevimus fore privatos. Volumus quoque & diſtrictè præcipimus, ut Archiepiſcopi & Epiſcopi diligentem faciant ſuper hoc per omnes Decanatus fieri inquiſitionem; & quod ſtatuimus obſervari.

De his qui patribus ſuccedunt in eccleſiaſticis beneficiis.

LICET adeò deteſtati fuerint ſancti *Patres*, quòd beneficia eccleſiaſtica jure poſſint hæreditario poſſideri, ut in eis etiam ſit interdicta ſucceſſio ſobolis benè natæ: quidam tamen de nephario coitu procreati, pede impudentiæ juris & honeſtatis auctoritatem calcantes, in beneficia hujuſmodi, quæ patres eorum nullo modo tenuerunt, irrumpere, atque auſu temerario detinere non formidant. Hoc igitur nos, qui ad relevandum honeſtatis eccleſiaſticæ caſum, ad partes iſtas venimus attendentes, ſtatuendo diſtrictiùs prohibemus, & prohibendo ſtatuimus; ut eccleſiarum Prælati aliquos tales in beneficiis hujuſmodi, quæ patres eorum quocunque titulo tenuerunt, in toto vel in partem quocunque colore vel fraude inſtituere, vel utcunque admittere immediatè, de cætero non præſumant. Illos verò, qui beneficia hujuſmodi jam illicitè ſunt adepti, eis præſenti ſtatuto decernimus fore privatos.

Contra latronum protectores.

CONTRA latronum flagitia, quibus nimis abundat regio *Anglicana*, quòd nequaquam eſſet, ut accepimus, niſi majores eos defenderent & tenerent, ſic duximus ſtatuendum; ut nemo eos protegat, vel defendat, ſeu teneat in domibus ſuis, vel in villis, quos ſciverint vel manifeſtum fuerit latrocinium exercere. Eos autem qui contrà fecerint, ſi tertiò moniti per eccleſiaſticum judicem ordinarium, ipſos à ſe non abjecerint; excommunicationi eccleſiaſticæ ſubjugamus. Monitionem autem volumus & ſtatuimus ſufficere generalem, etiam ſi fiat alicujus vel alicui nomine non expreſſo; dummodò ita publicè ac ſolenniter fiat, quòd ad eorum notitiam valeat pervenire.

De uſu carnium Monachorum.

AUDIVIMUS, & lætati ſumus, quòd religioſi viri Abbates ordinis ſancti *Benedicti*, per *Angliam* conſtituti, convenientes nuper in ſuo capitulo generali, tanquam filii, juxta ſermonem propheticum, ad ſuos terminos revertentes, providè ſtatuerunt, ut de cæterò ſecundùm beati *Benedicti* regulam, ab eſu carnium debeant abſtinere: exceptis debilibus & infirmis, quibus debet ſecundùm ejuſdem regulæ continentiam, in infirmario provideri. Quod utique approbantes, ſtatuimus inviolabiliter obſervari. Adjicimus quoque, quòd poſtquàm novitii, anno probationis finito, geſtaverint habitum monachalem; ad profeſſionem, juxta decretum vel decretalem fœlicis memoriæ *Honorii* Papæ, diſtrictione eccleſiaſtica vel canonica per Abbatem protinùs compellantur. Nec aliquis, qui profeſſionem non fecerit, in Abbatem vel Priorem aliquatenùs admittatur. Hoc autem, & quod de profeſſione, finito probationis tempore, faciendum duximus, ad canonicos regulares vel moniales duximus prorogandum. Super aliis verò, quæ ad correctionem vel reformationem tam canonicorum quàm aliorum regularium noverimus pertinere, providere intendimus; & quæ eccleſiis eorum utilia, ipſis quoque ſalubria fuerint, concedente Domino, ſtatuemus: & ſtatuta mandabimus per eorum capitula ſolenniter publicari.

Officium Archidiaconorum.

DE Archidiaconis quoque ſtatuimus, ut eccleſias utiliter & fideliter viſitent de ſacris vaſis & veſtibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis eccleſiæ ſerviatur; & generaliter de temporalibus & ſpiritualibus inquirendo: & quæ corrigenda invenerint, corrigant diligenter. Eccleſias autem ſuperfluis non gravent expenſis, ſed procurationes exigant, duntaxat cùm viſitant, moderatas: non ſecum ducant extraneos, ſed modeſtè ſe habeant tam in familia quàm in equis: nec ut non viſitent aut corrigant, ſive crimina puniant, aliquid ab aliquo recipere non præſumant: nec ſententiis aliquos involvant injuſtè, quò ab eis pecuniam poſſint extorquere. Cùm hæc enim talia ſimoniacam ſapiant pravitatem, decernimus; ut eos, qui talia agere præſumpſerint, ſic extorta, in duplum erogare in pios uſus arbitrio Epiſcopi compellantur aliàs; ſalva nihilominùs pœna canonica contra eos. Sint

1237.

autem ſoliciti frequenter intereſſe capitulis per ſingulos Decanatus: in quibus diligenter inſtruant inter alia ſacerdotes, ut benè ſciant & ſanè intelligant verba canonis & baptiſmi, quæ ſcilicet ſunt de ſubſtantia ſacramenti.

Ne quid exigatur pro pace reformanda.

CÆTERUM diſtrictiùs duximus inhibendum, ne eccleſiarum Prælati, & maximè Archidiaconi & Decani, vel officiales eorum, vel etiam quicunque alii, ad univerſitatem cauſarum vel aliqua negotia, ratione juriſdictionis eccleſiaſticæ vel officii ſpiritualis, eccleſiæ forum contingentia, delegati; quin de diſcordiis vel querelis fiat pax vel concordia inter partes præſumant aliquatenùs impedire: ſed quandocunque partes voluerint à judicio per compoſitionem recedant; dummodò ſit tale negotium, quod jure poſſit tranſigi vel componi, nec exigatur aliquid propter hoc ab eiſdem.

Officium Epiſcoporum.

QUID ad venerabiles patres Archiepiſcopos & Epiſcopos incumbat ex officio faciendum, nomen dignitatis eorum, quòd eſt Epiſcopus, id eſt, ſuperintendens, exprimit evidenter. Intendere quippe habent, & ſupra gregem ſuum, juxta verbum Evangelicum, noctis vigilias cuſtodire. Cùm igitur eſſe debeant forma gregis, ad quam ſe debent ſubditi reformare, quod nequit fieri, niſi omnibus ſe exhibeant in exemplar. Exhortamur igitur eos in Domino, & monemus, ut moram trahentes apud cathedrales eccleſias congruenter ibidem Miſſas celebrent, in præcipuis ſaltem ſolennitatibus, & diebus Dominicis in quadrageſima & adventu. Circumeant prætereà Dioceſes ſuas temporibus opportunis, corrigendo & reformando, conſecrando eccleſias & verbum vitæ in agro Dominico ſeminando. Ad quæ omnia meliùs exequenda, profeſſionem, quam in ſua conſecratione fecerunt, ſaltem bis in anno ſcilicet & in majori quadrageſſima, faciant ſibi legi.

Contra Judices imperitos.

CUM non ſolùm poteſtas, ſed diſcretio & ſcientia in diſtinguendis negotiis potiſſimùm requiratur; ſolerter ab omnibus præcavendum, ne talis judex vel cognitor deputetur; per cujus imperitiam, ſimplicitatem, vel ruditatem, inutilis feratur ſententia vel injuſta, abſolvatur nocens, & innocens condemnetur. Propterea duximus ſtatuendum, quòd matrimoniales cauſæ quæ inter cæteras maturitate magna & diligentia ſunt tractandæ, viris providis, & fide dignis, & habentibus juriſperitiam, vel ſaltem competens exercitium, committantur. Si qui verò Abbates Archidiaconum vel Decanum habent, ex privilegio vel conſuetudine approbata, quòd de matrimonialibus cauſis cognoſcant diligenter, ipſas examinare procurent: ita quòd tam ipſi quàm delegati eorum, ad diffinitivam ſententiam non procedant, niſi habita priùs deliberatione de cauſæ meritis cum diœceſano Epiſcopo diligenti ipſiúſque requiſito concilio & obtento. Ad quod etiam volumus teneri exemptos, vel ſpeciali privilegio munitos.

Juſiurandum calumniæ.

JUSIURANDUM calumniæ in cauſis eccleſiaſticis cujuſlibet, & de veritate dicendi, in ſpiritualibus quoque, ut veritas aperiatur faciliùs, & cauſæ celeriùs terminentur; ſtatuimus de cæterò præſtari in Regno *Angliæ*, ſecundùm canonicas & legitimas ſanctiones; obtenta in contrarium conſuetudine non obſtante. Huic ſtatuto utiliter annectentes, ut judiciales induciæ Judicis dentur arbitrio; juxta legitimas & canonicas ſanctiones.

De procuratoribus conſtituendis.

USUM procuratorum in obſequium Juſtitiæ introductum, ut ejus qui cauſæ ſuæ non poteſt intendere, per alium abſentia reveletur, convertit frequenter antiqui hoſtis invidia in abuſum. Ex conſuetudine namque, ut dicitur, hic habetur; ut citatus ad diem certum, procuratorem tantùm conſtituat, ad eundem abſque ut per literas ſigillo authentico non ſignatas: unde fit quòd dum talis procurator vel probare mandatum, vel fidem literis imponere non vult per teſtes, aut aliud impedimentum occurrit, nil agitur illa die. Sed nec expirante procuratoris in ſequenti, ſicque perit illa inſtantia ſine fructu. Huic igitur fallaci cautelæ clypeum opponere cupientes, ſtatuimus de cæterò, ut in cauſis eccleſiaſticis Regni *Angliæ* procurator conſtituatur ſimpliciter, ut ſi conſtituatur ad diem non unum tantùm, ſed plures continuandos, ſi opus fuerit, conſtitui volumus, & intelligi conſtitutum: mandatum etiam per ſcripturam probetur authenticam, niſi apud acta fuerit conſtitutus, aut ſigillum authenticum, de facili nequiverit conſtituens invenire.

Quomodo fieri debeant citationes.

TANTO calliditatis ſtudio perſequuntur alterutrum ſe ligantes, ut in ſupplantationem alterius, calcato Juſticiæ cultu, alter faciat quicquid poſſit. Denique à multis accepimus, quòd citatorias literas impetrantes, eas ad locum ubi morari dicitur qui citatur, per tres deſtinant garciones quas ſuper altare loci ejuſdem eccleſiæ, vel ibidem in alio loco, duo ponunt & tertius rapit ſtatim. Ex quo fit, ut duobus teſtificantibus poſtmodùm quòd illum citaverint, juxta morem ſententiæ & regionis conſuetudinem, excommunicatur, vel ſuſpenditur contumax; qui contumaciæ prorſus, utpotè citationis, expers erat. Hunc itaque abuſum tam deteſtabilem, & alios ſimiles zelo Juſtitiæ perſequentes; ſtatuimus, ut per impetrantes, vel eorum nuncios, in cauſis eccleſiaſticis Regni *Angliæ*, literæ citatoriæ de cæterò non mittantur: ſed Judex, moderatis ſumptibus impetrantis, per ſuum fidelem nuncium eas mittat, qui vocandum diligenter perquirat: quem ſi reperire non poterit, die Dominica, vel in alio die ſolenni, in eccleſia loci illius in quo degere conſuevit, dum Miſſa cantatur, publicè legi literas faciat & exponi; vel ſaltem ad Decanum in cujus Decanatu moratur qui vocandus eſt, citatio dirigatur qui à Judice miſſus, fideliter hæc proſequatur

per

1237. per ſe, aut per certos ſuos nuncios & fideles, quódque inde fecerint, eidem reſcribere Judici non omittat.

Nequis ſigillum ſuum apponat ſliteris, quarum confectioni non interfuit.

QUANTO ſcripturarum, quæ ſigillo authentico muniuntur, eſt uſus magis neceſſarius in partibus *Angliæ*, ubi publici Notarii non exiſtunt: tantò diligentius cavendum eſt, ne per aliquorum inſolertiam poſſint pertrahi ad abuſum. Conficiuntur enim, ut audivimus, literæ aſſignantur non tantùm à minoribus clericis verùm etiam à Prælatis; in quibus manifeſtè cavetur contraxiſſe aliquem contractui vel negotio affuiſſe, vel extitiſſe aliquem ad judicium evocatum: ſeu ſibi literas citatorias præſentatas, qui tamen nunquam præſens fuerat vel inventus, imò forſitan in alia provincia vel dioceſi tunc degebat. Cæterùm, cùm ſcripturæ hujuſmodi falſitatis vitium contineant manifeſtè, fieri talia vel ſimilia diſtrictiùs inhibentes, provida deliberatione ſancimus; quòd ſi fuerint in his deliquiſſe convicti, & qui talibus literis maximè in alterius præjudicium præſumpſerint ac perſeveraverint; ut ſcienter pœna falſariis & inſtrumentis falſis utentibus debita puniantur.

Qui debeant habere ſigilla authentica.

QUONIAM tabellionum uſus in Regno *Angliæ* non habetur, propter quòd magis ad ſigilla authentica credi eſt neceſſe, ut eorum copia faciliùs habeatur, ſtatuimus, ut ſigillum habeant non ſolùm Archiepiſcopi & Epiſcopi, ſed etiam eorum officiales. Item Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi, & eorum officiales, Decani rurales, necnon eccleſiarum cathedralium capitula, & cætera quoque collegia & conventus cùm ſuis rectoribus aut diviſim juxta eorum conſuetudinem vel ſtatutum; pro varietate quoque cujuſlibet prædictorum, habeat unuſquiſque ſigillum nomen, putà dignitatis, officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore, inſculptum notis & characteribus manifeſtis, ſicque ſigillum authenticum habeant. Denique illi qui temporale officium ſuſceperint, putà Decani rurales & officiales, ſigillum ſuum; quod tantùm nomen habeat inſculptum, finito officio ei à quo habeant officium, continuè & ſine mora reſignent. Sanè de cuſtodia ſigillorum curam haberi præcipimus diligentem; ſcilicet unuſquiſque per ſe illud cuſtodiat, vel uni ſoli de cujus fide confidat, cuſtodiendum committat: qui etiam juret, quòd fideliter illud cuſtodiet, alicui nec etiam ipſe aliquid inde ſigillet, ex quo poſſit alicui præjudicium generari; niſi quod dominus ejus priùs legerit & viderit diligenter, & ſic præceperit ſigillari. In facienda verò ſigilli copia, fidelis & provida ſit cautela: fidelis, ut indigentibus de facili præbeatur: provida, ut falſis & fraudulentis penitùs denegetur. In principio quoque vel in fine cujuſlibet ſcripturæ authenticæ ſufficientem datam inſeri ſtatuimus, diei, temporis & loci.

Juramentum ab Advocato præſtandum.

CLAMOREM Juſtitiæ audivimus conquerentis, quòd etiam nimis impediunt per cavillationes & verſutias advocati: negant plerunque per ignorantiam Judices imperiti, & illudunt eis per contumaciam ſæpè partes. Nam contingit aliquando, quòd miſſus in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ, ipſam retinere contendat, licèt adverſarius redeat infra annum, & Juri per omnia ſatisfacere ſit paratus. Aliquando verò, qui in poſſeſſionem miſſus fuerit, nec infra annum, nec poſt, quantumcunque verus conſtituatur poſſeſſor, valet illam poſſeſſionem, reſiſtente cum armis adverſario adipiſci. In adjutorium itaque Juſtitiæ aſſurgentes approbatione conſilii ſtatuimus; ut qui advocati officium voluerit generaliter promereri, apud dioceſanum, cujus origine vel domicilio juriſdictionis exiſtit, præbeat juramentum, quòd in cauſis quarum patronus extiterit, patrocinium fidele præſtabit: non ad differendam vel auferendam alterius parti Juſtitiam, ſed ad cauſam clientuli legibus defendendo & rationibus. Aliàs autem non admittantur in cauſis matrimonialibus & electionibus niſi juramentum ſimile voluerint præſtare in eiſdem; ſed nec in aliis coram eccleſiaſtico Judice ultra terminos tres abſque juramento hujuſmodi admittantur: niſi pro eccleſia ſua, vel domino, aut amico notoriè, vel paupere, ſeu extraneo, vel perſona miſerabili, duxit forſitan poſtulandum. Caveant omnes advocati, ne per ſe vel per alios teſtes ſubornent, vel partes inſtruant, falſum ponere, vel ſupprimere veritatem: qui contra fecerint, ipſo facto ab officio & beneficio ſunt ſuſpenſi, quouſque ſuper hoc ſatisfecerint competenter; & aliàs nihilominùs, ſi de his convicti fuerint, pœna debita puniantur. Judices quoque juris ignari, ſi dubium quid emerſerit, ex quo poſſit alterutri partium grave præjudicium generari, expenſis utriuſque alicujus conſilium advocet ſapientis.

De actis ſcribendis.

STATUIMUS inſuper, ut quantum poterunt, conſtitutionem generalis concilii, tam in ordinariis quam extraordinariis judiciis, obſervantes, acta originalia & authentica diligenter ac fideliter penès ſe cuſtodiant, vel per ſcriptores ſuos faciant cuſtodiri, ut partibus inde ut debuerint, copiam faciant: quibus omnia poſtquàm ſcripta fuerint, præcipimus & præcipiendo ſtatuimus publicari; ut ſi erratum fuerit in ſcribendo; corrigatur & ut veritas poſſit de his quæ acta fuerint, liquidò apparere.

De cautione præſtanda.

PROVIDEANT præatereà Judices, ut cùm aliquem decreverint in poſſeſſionem mittendum, ob contumaciam partis adverſæ de reſtituenda poſſeſſione cum fructibus, ſi quos inde perceperit, deductis expenſis legitimis, ſi adverſarius infra annum redierit, ad mandatum, ab eo qui mittendus fuerit, congruam recipiant cautionem. Illum quoque, qui poſſeſſionem poſſidere præſumſerit violenter, in quam ob ejus contumaciam alius miſſus fuit, & poſt annum

1237.

annum verus poſſeſſor etiam conſtitutus; jure, ſi quod habuit in ea re, decrevimus fore privatum. Hæc cùm tertia die peragerentur, incepit dominus Legatus ſolenniter, *Te Deum laudamus*, omnibus aſſurgentibus. Et poſteà incepta antiphona: *In viam pacis*, cum Pſalmo: *Benedictus Dominus Deus Iſraël.* Dictiſque collectis ſpecialibus, & data benedictione, cum parvo gaudio receſſerunt.

Literæ Imperatoris ad comitem Richardum, de victoria ſua contra Mediolanenſes.

ANNO quoq; eodem, inſtante Dominicæ nativitatis termino magnificus hoſtium ſuorum triumphator Imperator *Romanorum Fredericus*, auro ſigillatos, ut moris habet, *Richardo* Comiti *Cornubiæ*, ut eum & alios per eum de triumpho ſibi divinitùs collato in *Italia* contra *Mediolanenſes*, ut ſuperius dictum eſt, redderet certiores, apices Imperiales ſub hac forma direxit:

FREDERICUS *Dei gratia* Romanorum *Imperator*, *ſemper* Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ *Rex* Richardo *Comiti* Cornubiæ, *dilecto ſororio ſuo ſalutem & ſinceram dilectionem. Quantæ audaciæ quantæque temeritatis ſint* Ligurum *excellentiæ noſtræ rebellium factiones, ad proximos experientia detulit & loci vicinitas, ac inveteratæ fama nequitiæ pertulit ad remotos. Nec latere te credimus, quod nec mundus ignorat, tam longæ diſſimulationis noſtræ conſtantiam circa eos ut tolerantia noſtra verum patientiæ nomen amitteret; & vitioſæ notam puſillanimitatis incurreret pro decore virtutis. Animadvertentes poſtmodùm, quòd ferro ſecanda ſunt vulnera, quæ fomentorum non ſentiunt medicinam; neceſſariò nos ad arma convertimus, dormientis Imperii ſomnum excitantes. Nec anno præterito, nec præſenti poſſemus rebelles noſtros ad campeſtris pugnæ diſcrimen attrahere, ut de eis ſimul & ſemel optatum victoriam haberemus. Caſualiter tamen fœliciter contigit, ut* Mediolanenſibus *& eorum ſequacibus ad* Brixencium *præſidium evocatis, ac interjecto inter nos & eos fluminis cujuſdam obſtaculo, quo velati quodam munimine cingebantur; ultra flumen* Olei *caſtra noſtra deduximus, ac deinde populis & militibus civitatum fidelibus noſtris ad propria redeuntibus, quos inſperatæ moræ tædium, & importunitas temporis, retinere diutiùs non ſinebat; cum expedita militia tenùs ripas ex alia parte fluminis feſtini dreximus greſſus noſtros ad pontes per quos ipſi redeuntes ad propria tranſire debebant. Et ſic cùm in cavernis moram diutiùs ultra flumen, rerum ipſos arcente penuria, trahere non valerent* Mediolanenſes *& ſocii per pontes & vada fluminis* Olei *tranſeuntes, in apertam planiciem tranſierunt credentes ſe nobis per ſubſidium occultæ fugæ ſurripere, dum nos adeò propè conſiſtere forſitan non putârunt. Sed cùm de adventu noſtro terror & ſrenitus, tanquam de cœlo tonitruum ipſis intonuit, ad præmiſſas noſtræ celſitudinis acies, priùs etiam quàm Aquilarum Imperii victricia ſigna perſpicerent, in fugam ſubitò à facie noſtra contriti ſic converterunt, ut uſque ad Carrochium ipſorum, quod apud* Crucem novam *in equorum celeritate præmiſerant, nullius fugientium faciem noſtrorum inſequentium aliquis ſpectare valeret: & dum auxiliares acies, & poſt eas nos cum noſtrorum agminum robore greſſibus feſtinatis, qui in levi manu præceſſerant, neceſſario curſu ſuccurrere crederemus; quos adverſariorum pugnantium viribus credebamus arceri, equorum abſque ſeſſoribus curſitantium undique præcipitatorum militum & occiſorum ſtragibus, ſtratas invenimus impeditas: erectis tamen & ligatis in terra jacentibus, qui vivebant, per armigeros militum, qui dominos ſequebantur. Ad Carrochium tandem, qui juxta muros municipii* Crucis novæ *foſſatorum vallis circumdatum, & immenſa militum copia, & ſuorum omnium peditum mira defenſione pugnantium munitam invenimus, applicantes ad expugnationem & capturam ipſius memorabili ſtrenuitate perſtitimus: adeò quòd ſuperbo foſſati ſupercilio ſuperato, uſque ad temonem ferè Carrochii ex noſtris aliquos vidimus perveniſſe. Supervenientis tamen noctis unbroſa caligine, quam noſtrorum vota longiſſimam ſuſpirabant, tentatum aggreſſum tantiſper omiſſimus mane ſequenti, diſcinctis tantummodò gladiis ad quietem, ſed tunicis ferreis non exutis, ad indubitatam Charrochii victoriam redituri, quod advenienti luce inter aliorum vilium carrium turmas deſertum qualibet defenſione reperimus, ſummitate perticæ, ubi ſignum crucis, extiterat, detruncata, quæ crux etiam, dum videretur fugientibus oneroſa, in medio extitit derelicta. Caſtrum etiam* Crucis novæ *cujus munimine ipſos impetus noſtros evadere credebamus, cuſtodes & incolæ reliquêre. Nec* Poteſtas *eorum, Ducis* Venetorum *filius, quo duce lugubria ſigna tulerunt, manus noſtras evaſit. Et ut multa compendio concludamus, tunc capti cùm mortui, inter quos multorum* Mediolanenſis *factionis Primates & Principes corruerunt, decem millium ferè numero computantur. Quæ omnia ſignificamus vobis ad gaudium; ut provenire noveris Imperio augmentum, quod tibi duximus intimandum. Datum* Cremonæ, *quarto Decembris undecimæ Indictionis.* Quidam *Italicus* fide dignus veraciter affirmavit, quòd *Mediolanum* cum ſuis juvaminibus conflat exercitum ſex millium armatorum, cum equis ferro coopertis. *Nota.*

Scriptum Legato miſſum, de ſtatu eccleſiæ Romanæ.

EODEM quoque tempore, circa dies Domini Natalitios, quidam *Romanæ* eccleſiæ potens ac ſpecialis Conſiliarius, ſcilicet dominus *I* de *Columna* Cardinalis, Legato in *Anglia* commoranti, ſecretiùs ſcripſit in hæc verba:

Frater fratri, Levita Levitæ, dilecto dilectùs, in Chriſto *ſalutem. Si pagina exarata ſecretum valeret extraneis, & ob locorum diſtantiam non ſubjaceret diſcrimini, multa calamo commendarentur, quæ lingua ſubticet nec pandit amico. Veruntamen hæc charitati veſtræ celare non debeo, quòd nimis avidè, vel potiùs inconſultè, ſe mater immerſit fluctibus, & in fauces luporum*

1237. *ultronea ſe jactavit, duorum tantùm fuit conſilio, tertio annuente, quin veriùs greſſu præcedente conſilium, & cocis præcedentibus cum tractatu. Hinc eſt quòd libertas abjicitur, ſervitus inchoatur, ſanctuarii ſydus effunditur, ancillatur patrimonium, ſuperbia exaltatur tonantium, carcer emitur, honor contemnitur, appetitur confuſio, armatur moleſtia, tranquillitas effugatur, non curatur de fratrum & exterorum ſcandalo, irriſionibus innidetur, cæcus loco dividitur, differuntur negotia, inſtantes protracti ſermonibus, diutina expectationum laſſitudine fatigantur. Benè vobis accidit, quòd ab his tormentis abſtracti, abiiſtis ad regionem longinquam, ne videretis mala gentis veſtræ & ſanctorum, ne pulſaremini quotidianis ictibus, crebris punctionibus lacerati. Voluimus reformare ſtatum, ut ſæpè tentavimus; & ecce deformis deſtitutio ſubintravit. Incaſſùm traduntur conſilia, ubi voluntas non ſiſtitur fræno prudentiæ, ſed impetu agitata, proſilit ad proclivia, nec patitur retardari. Accedit quoque ad doloris cumulum, nobilis illa columna, quæ tam magnificè ſtructuram eccleſiæ ſuſtentabat, recolendæ videlicet memoriæ dominus* Sabinenſis, *ſubitò ſubtractus de medio; moleſtiæ primùm dolore percuſſus, ac poſtmodùm infirmitate lenta vexatus, obiit in domini potentias ingreſſurus; ruinæ caſum occaſionaliter matri relinquens cum gemitu & mœrore. Ridierunt fratres à regione diſſidente cum Principe, ſed pacis impreſſa veſtigia non apparuerunt; quia non paruerunt pacis bajulis diſcordiæ ſectatores.* Antiochenſis *à ſocietate diſtrahitur, nec à redeuntibus commendatur. Vellem quòd breviori familia ſtiparetur amicus, ne fieret aliis oneri, & obtrectantium dentibus laceretur. Et quia invaleſcentibus fluctibus ſcandalorum & plurium tempeſtatum, neceſſarius eſtis matri, vos ad reditum præparate. Datum* Viterbii, *feſto S.* Lucæ.

Græci nolunt ſubeſſe Romanæ eccleſiæ.

Hoc igitur & ſimilibus indiciis manifeſtè compertum eſt, eccleſiam *Romanam* Dei, proh dolor! indignationem incurriſſe. Ipſius enim magiſtratus & rectores, non populi devotionem, ſed marſupia plena quærunt denariorum: non animas Deo lucrifacere, ſed reditus rapere, & pecuniam congregare, religioſos oprimere, pœna, uſura, ſimonia, & aliis diverſis argumentis ſibi aliena impudenter uſurpare. Non curatur de juſtitia & honeſtate, de ſimplicium informatione; imò cum quocunque modo quis beneficio eccleſiaſtico inveſtitur, de ſumma pecuniæ, quam inde ſortire poſſunt, ſtatim ſciſcitatur; ultima verò vel nulla quæſtio oritur de ſancto vel ejus nomine, quo eccleſia intitulatur: hinc imprecatio, murmur in populo ſuſcitatur, & diatim ira Dei meritò provocatur. Viſa igitur tanta malitia & oppreſſione, erigitur *Græca* eccleſia contra *Romanam*; Imperatorem ſuum expellendo, & ſoli Archiepiſcopo ſuo *Conſtantinopolitano*, nomine *Germano*, obediendo. Qui procaciter *Græcorum* errores, non tantum veteres, imò novos & adinventos defendens, enormiter à religione catholica delirat. Eorum enim hæc eſt deſipientia: Aſſerunt *ſpiritum ſanctum* non à filio, ſed à patre ſolo procedere, eò quòd ſcriptum reperiatur: *Spiritus veritatis, qui à patre procedit.* Præterea, conficiunt de fermentator. Et in multis, *Latinis* contradicunt, & eos ſpernunt; eccleſiam *Romanam* in pluribus condemnantes, magis tamen ejus facta quàm dicta. Conſtituit igitur ſedem ſuam, quaſi alter *Lucifer*, In Aquilone, ſcilicet in *Conſtantinopoli*, *Græcorum* civitate metropolitana; filius ſcilicet degener & Antipapa, vocans eccleſiam ſuam & aſſerens digniorem, & eccleſiam *Romanam* ſororem ejus dicens eſſe, non matrem; eò quòd beatus *Petrus* Apoſtolorum princeps quondam, priùs quàm *Romam* venerat, *Antiochiæ*, quæ Imperio *Grecorum* adjacet & pertinet, ſedem conſtituit cathedralem. Addens, quòd *Antiochia* omnem quem potuit Apoſtolo *Chriſti*, & ſic *Chriſto*, exhibuit honorem & reverentiam; propter quod *Theophilis* meruit appellari. *Roma* verò eundem Apoſtolum *Petrum* & coapoſtolum ejus *Paulum*, poſt probra & contumelias, mortis ſupplicio condemnavit. Hinc honor & reverentia, illinc dedecus & inſolentia: unde *Græci* filii, *Romani* verò privigni jure meruerunt appellari. Veruntamen, ut ex tenore ſupraſcriptarum epiſtolarum perpendi poteſt, prædictus *Germanus* Archiepiſcopus convocare deſiderat *Græcos* ſuos & *Latinos*, ſcilicet *Romanos*, ut propoſitis utrinque rationibus, in unam ſententiam conveniant; quos fortiùs rationum & auctoritatum corroborat adminiculum: ut univerſalis eccleſia Deo militans, una & integra nuncupetur, & juxta Salvatoris decretum, unus ſit paſtor, & unum ovile, per totius mundi latitudinem. Scribit igitur idem *Germanus* domino Papæ in hæc verba:

Epiſtola Germani Conſtantinopolitani Archiepiſcopi ad Gregorium Papam Romanum.

SANCTISSIMO *& excellentiſſimo Pæpæ veteris* Romæ, *& Apoſtolicæ ſedis rectori,* Germanus *miſeratione divina Archiepiſcopus* Conſtantinopolitanus *novæ* Romæ. *O domine* Jeſu Chriſte, *ſalvam me fac. O Domine, benè proſperare. Te enim lapidem angularem honorificatum, precioſum, electum, in fundamentum pono hujus negociationis toto orbi ſalutiferæ. Dedici enim per Prophetam tuum* Iſaiam, *quòd omnis qui credit in te, talem lapidem exiſtentem, nullatenùs confundetur, neque à ſuæ ſpei baſe poterit commoveri. Et ita ſe habet veritas, & nullus contradicere audet; niſi patris mendacii diſcipulus fuerit. Opus autem tuum eſt, qui lapis angularis exiſtis, conjungere quæ procul ſunt, vel quæ inter ſe diſtant, & ea quæ diviſa ſunt in unitate fidei congregare. Tu enim es qui & procul & propè exiſtentibus pacem Evangelizaſti, & fines orbis terrarum per tuarum ſuper crucem exaltationem manuum ad euſebiam convocaſti, & paterno more ſuper humeros elevaſti. Tuæ igitur ineſtimabili clementiæ ſupplico, qui patris es verbum omnipotens, conſubſtantialis ſapientia Dei, ædifica in me domum hujus rei, & tu ſis*

ejus

1237.

ejus & fundamentum & tectum, qui juxta theologicam vocem Johannis Alpha & Omega diceris, tanquam omnium principium & finis incircumſcriptus. Hucuſque quæ ad orationem pertinent. Ac in primis oculos elevantes ad montes cœleſtes, unde venire nobis auxilium oravimus, deinde ad te ſanctiſſimum Papam, qui Apoſtolicæ ſedis primatum ſortitus es, ſermonis mutamus exordium; & velis diſcendere aliquantulum ab altitudine gloriæ, & incumbere verbis meis, qui miſer ſum & vita & ſermone. Si tu, inquam, aſſimilaris ei qui in altis habitat,, & humilia reſpicit Deus. Incipiam autem hinc. Inveſtigabilis ſapientia Dei, qui ex non eſſe omnia ſimul produxit ad eſſe, ſemper autem continet, & providè regit, conſuevit multoties ex minima occaſione, velut quodam fundamento diu antepoſito, magna opera poſtmodùm ſuperædificare, ad commune proficuum & ſalutem. Joſeph in Ægyptum argenteis venundatus, ſervus deducitur in lacum, & in carcerem truditur: quæ autem ſequuta ſunt poſtmodùm, quàm glorioſa, quàm honorabilia fuerint, & qualiter Deus in medio ejus glorificatus extiterit, ſapientiſſimam mentem ſacræ animæ tuæ, ſanctiſſime pater, non latet. Ad quid autem ſermo reſpiciat, & quid ſignificare vult, fratres præſentes, quos quidem periculoſus occurſus, & injuſtus carcer, fecit noſtro vultui præſentari, veſtræ ſanctitati exponent: quorum numerus prudentum virginum numero æquipollet. Nam & lampas operum ſuorum, & quod ex ea lumen exit, coram hominibus lucet in gloriam cœleſtis patris; ac prudenter oleum boni operis apponunt ſemper, ne lumen lampadis extinguatur, & ipſi ad ſomnum trahantur accediæ, & introitu regni careant. Sine baculis ſunt omnes, & veſtes ſingulas ſinguli habent, & ſine calciamentis. Nunc autem pedes eorum pulchros ſecundùm Apoſtolum exiſtimo, tanquam Evangelizantium pacem inter Græcos & Latinos; ut breviter dicantur, velut ex toto vacui, & leviſſimi & expediti curſores ad Chriſtum properantes attingere, qui omnium bonorum eſt meta. Ad quem cùm pervenerint, ſiſtent curſum, & percipient quod peroptant. Hi quidem, qui ſecundùm Deum Minores fratres dicuntur, ſic uniti in una voluntati & unanimitate, æquipollentes in quinquernario numero, in bonum ſignum apparuerunt; & ſpem bonam propoſuerunt, de unitate & concordia, annuente Domino, inter quinque Patriarchatus. Acceſſerunt autem in domum noſtram, fratres ipſi ex divina providentia, ſicut credidi, quæ cuncta diſponit in eo quod expedit: & cùm hinc inde inter nos multa verba fuiſſent exorta, vertebatur magis loquutio præ cæteris ſuper ſchimate longi temporis tunicæ inconſutilis euſebiæ deſuper contextæ; qua veſte, videlicet Apoſtolorum manus catholicam Chriſtianorum eccleſiam induerunt. Præſumptuoſæ non quidem manus militum, ſed eccleſiaſticarum perſonarum ſenſus ſciderunt & diviſerunt; & ſchiſma equidem magnum & multorum annorum; & nullus eſt qui miſereatur ſponſæ Chriſti, quæ ſic ſciſſa veſte induta eſt; aut qui ejus velit turpitudinis miſereri. Hoc ut credo, & David in libro Pſalmorum plangit, dicens: Diviſi ſunt, & non ſunt compuncti. Si enim compunctionem habuiſſemus, doleremus & contriſtaremur: & ſi tribulationem & dolorem inveniremus, nomen Domini utique invocaremus, & adhuc nobis petentibus adeſſet, ſicut in medio diſcipulorum, jampridem pacificans diſcordes, & cogitationum amphilogiam corrigens. Nunquid enim non mordentur ejus viſcera? nunquid non contriſtantur propter diſcordiam? etiam valdè. Pater enim eſt, & omnium patrum piiſſimus, & non ſuſtinet videre pignora hoſtili more ſe ad invicem evellentia & diſperdentia, & more piſcium, alterum ab altero devorari; eò quòd major contra minorem extollitur, & qui potentior eſt, opprimit infirmiorem. Siccine docuit nos piſcator Petrus hominum, qui contra naturam prioris artis, de morte ad vitam quos piſcatus eſt, traduxit? Heu, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam die ac nocte ſuper contritione novæ Hieruſalem, de gentibus eccleſiæ congregatæ? qualiter electus populus Dei, in Judam & Iſraël diviſi fuimus, & civitates noſtræ in Hieruſalem & Samariam? Ea enim quæ de Cain, & Abel, vel Eſau & Jacob contigerunt; qui fratres quidem natura erant, hoſtes quidem mente, & ſic contrarii. Piget me hæc ſermoni inſerere, ne fortè primatui fraternitatis injuriari videar, aut ſurripere velle credar primogenita. Veruntamen, nec pater meus ſenuit, nec oculi ejus caligaverunt; ſed in cœlis exiſtens, liquidè omnia videt, & his, qui injuſtè oppreſſi ſunt, benedictionem largitur. Sunt quippe hæc amara valdè, & intelligenti tinea oſſium, ſi frequenter ad memoriam deducantur. Sed quod ſequitur, vel quod dicendum eſt, amariùs, & malorum omnium eſt peſſimum, & omni gladio ſecante utrinque magis acutum, & magis reſecans, contra quoſcunque hominum fuerit adductum, ſive contra Græcos, ſive contra Latinos. Quid eſt hoc? Paulum dicentem audiamus: ſive nos, ſive Angelus de cœlis evangelizaverit vobis præter id quod evangelizavimus, anathema ſit. & non ſemel hujuſmodi gladio percutit, ſed & ſecundò, ut majorem dolorem ex ſecunda percuſſione adducat, & ad medicum quærendum exurgant, qui mortem animarum pertimeſcunt. Quid ergo dicam? Omnem curam & omnem ſollicitudinem aliam à mentibus excutiamus, velut pulverem à pedibus, & cum omni deſiderio quæramus quos tangit hic gladius biceps & terribilis, & qui ſunt quos ſeparat à compage eccleſiaſticorum membrorum, quorum caput Chriſtus eſt. Si nos Græcos, oſtendite plagam, & ſanguinem à vulnere tergite, ac emplaſtra ſpiritualia apponite, & ligamentis conſtringite, & ſalvos facite fratres in periculo poſitos, ne pereant; & Salomoni acquieſcite proverbialiter ſic dicenti: Frater in anguſtiis comprobatur. Maximè autem ipſum Dominum audiatis, qui ſapientiam ipſi tribuit Salomoni, & qui loquitur per Prophetam: Qui ſeparaverit

1237. precioſum à vili, quaſi os meum erit. Si autem nos quidem Græci ſine plaga ſumus & abſque vulnere à gladio anathematis, contra autem Italicos & Latinos acutiſſimè adducitur, & ad mactandum & perdendum quoſdam extenditur; exiſtimamus quòd non ſuſtinebitis per ignorantiam & pravam pertinatiam vos à parte Domini ſeparari: pro quo decem millia mortes, ſi foret poſſibile, quilibet veſtrum libenti animo ſuſtineret. Quòd aut diſcordia magna, & dogmatum contrarietas, & canonum deſtructio, & rituum, quos tradiderunt patres, immutatio, materia ſint ſepis, quæ ſeparat ea quæ priùs unita fuerant & conjuncta concordiæ & pacis conjunctione; totus mundus una lingua factus acclamabit, Dominus proteſtans, invocans cœlum & terram in teſtimonium: quia nos junctis manibus vobis uniri, vel vos nobis, facta diligenti inquiſitione profundæ veritatis cum invocatione ſancti Pneumatis, inſtantiſſimè poſtulamus; nec ampliùs ſchiſmatico ſcandalo immeritò deturpari, & à Latinis defamari, vel vos à Græcis depravari. Et ut veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, niſi injuſtas oppreſſiones & opum protervas exactiones & ſervitutes indebitas, quas à vobis ſubjectis extorquetis, formidarent. Hinc & crudelia bella in alterutrum, civitatum deſolatio, ſigilla januis eccleſiarum impreſſa, fratrum ſchiſmata, & ſacerdotalis miniſtrationis prorsùs vacat operatio, ne Græcorum climatibus, ut deceret, Deus collaudetur. Unum, ut credimus, quod Græcis jam pridem deſuper fuit præfinitum, hucuſque defuit; tempus ſcilicet martyrii: ſed & ipſum jam imminet, ut tribunal tyrannicum aperiatur, & ſedes tormentorum proponatur, fluat cruor inundans, & nos ad martyrii ſtadium deſcendamus, & bonum certemus agonem, coronas ab omnipotentis dextra recepturi. Novit ea quæ dico, & propter quid, Cyprus famoſa inſula; quæ novit, & quæ novos martyres fecit, & vidit milites Chriſti: qui priùs per aquam tranſeuntes, lacrymarum compunctionibus & ſudoribus loti, ex confeſſionis laboribus per longa tempora, ad ultimum etiam per ignem tranſierunt; & eduxit eos Agonithetes Deus, in cœleſte refrigerium. Bona nunquid ſunt, O Papa ſanctiſſime Apoſtoli Petri ſucceſſor? Hæc injungit Petrus mitis & humilis Chriſti diſcipulus? Siccine inſtruit ſeniores per epiſtolam ſuam, cùm ſcribat: Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ei quæ in futuro eſt, gloriæ communicator: Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei providentes, non coactè, ſed ſponte: non turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis. Et cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem æternæ gloriæ coronam. Hæc eſt Petri doctrina & videbunt, qui ei non obediunt. Nobis autem ſufficit ad conſolationem epiſtolæ pars illa, in qua gaudere præcipit contriſtatos diverſis tentationibus, ut examen fidei noſtræ multò magis precioſius auro corruptibili igne examinato inveniatur, in laudem & honorem & gloriam in revelationem Jeſu Chriſti. Sed concede veniam, ſanctiſſime domine, & omnium prædeceſſorum tuorum veteris Romæ clementiſſime; & ſuſtine verba multùm amaritudinis habentia: ſunt enim languentis cordis ſuſpiria, & datur indulgentia à diſcretis his, qui propter cordis nimiam triſtitiam in verba prorumpunt per ſingultus. Accinge igitur ſic fortitudinis lumbos tuos, & accende tuæ diſcretionis lucernam, & quære dragmam, quæ perit ſuper fidei unitate, & compatiemur ſanctitati ſuæ: etiam nos non parcemus infirmo corpori, nec fatiſcentem cauſabor ætatem, prætendendo ſenectutis excuſationem: non longam viam cauſabimur. Quantò enim laborioſius opus eſt quod incipitur, tantò magis erit cauſa plurium coronarum: unuſquiſque enim ſecundùm proprium laborem mercedem accipiet: ſicut generalis ſtadii luctator, & maximè victorioſus coronæ Paulus ait. Non ignoramus, ſanctiſſime Domine, quòd quemadmodum nos Græci nitimur in omnibus obſervare orthodoxam & euſebiam ſententiam, ut in nullo erremus à ſanctorum Apoſtolorum & Patrum ſtatutis: eodem modo veteris Romæ eccleſia benè ſcimus pro ſe nititur, ut non exiſtimet ſe falli in aliquo, neque remedio indigere ſe aſſerit vel correctione, hoc & apud Græcorum eccleſiam & Latinorum dici novimus. Nam nemo unquam in propria facie exiſtentem turpitudinem videre poteſt, niſi ſuper ſpeculum ſe inclinaverit; aut ab alio certificatus fuerit, qualiter ſe circa faciem habeat, ſive turpiter, ſive non. Habemus autem ſpecula multa & magna lucidáque; clarum videlicet Chriſti Evangelium, Apoſtolorum epiſtolas, libros theologorum patrum. Inſpiciamus in eis. Ipſa oſtendent nobis qualiter unuſquiſque ſentit, ſive nothè, ſive legitimè. Qui autem ad ſpeculum fuerit invivatus cauſâ experientiæ, cùm receſſerit, confitebitur etiam invitus ſuum vultum eſſe deformem. Deus autem pacis conterat Sathanam ſub pedibus noſtris citò, auctorem diſcordiæ: pacificus, odientem bonum: qui cauſa eſt bonorum omnium, ſcandala facientem. Et qui pacis eſt Deus mittat ad nos, qui paſtores ſumus ovium ſuarum rationabilium, Angelum pacis, gaudium magnum annunciantem; ſicut priùs in nativitate ſecundùm carnem Emanuëlis paſtoribus brutarum ovium: & dignos faciat canere illam laudem mirabilem: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & in ſancto oſculo ad invicem ſalutare. Gloria Domini noſtri Jeſu Chriſti, & pax Dei Patris, & communicatio ſancti Spiritus vobiſcum. Amen.

Epiſtola ejuſdem ad Cardinales.

GERMANUS miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ, ſanctiſſimis & diſcretiſſimis & egregiis Cardinalibus, & Apoſtolicæ ſedis decori. Magnum utique bonum eſt huic mundo, & omnibus hominibus valdè utile diſcretum conſilium, in omnibus agendis

agendis

agendis communem habere tractatum, & in ſimul convenire. Quod enim quandoque Deus uni 1237.
celavit, alii inſpiravit: & ſic quod diſpenſativè alicui bonum revelat, cùm in commune producitur, propagativè ad utilitatem ſubjectæ multitudinis transfertur. Si autem plures ſint conſiliarii, & ſint docti & circumſpecti, quantum lucrum, quantâque utilitas univerſæ plebi & populo ſubjecto provenit? Si enim vir qui ſine conſilio operatur, ſibiipſi eſt contrarius, ſicut Salomon & veritas dicit: ergo per contrarium, qui plura & bona habet conſilia, amicos ſibi multa charitate conſtringit: imò ipſos ſibi attrahit inimicos. Quòd autem hoc divinum ſit pariter & cæleſte, Propheta Eſaias teſtatur, ubi conſubſtantiale Patris verbum, & magnum conſilii Angelum, admirabilem conſiliatorem dicit & nominat: ut intelligatur videlicet, quantum quoad Dominum decet Patris concilium, ad diſtinguendam differentiam perſonarum. Nam ſecundùm naturam divinam una voluntas & velle eſt Patris & Filii & Spiritus ſancti. Magnus ergo inde provenit honor bonorum conſiliatoribus, eò quod ex hoc commune cum Domino vocabulum ſortiuntur, ſi juxta quòd ipſe acceptat conſiliati fuerint pro ſalute humana. Cùm igitur nutu ſupernæ providentiæ, quæ cuncta diſponit in eo quod expedit, magna Roma & egregia dignos ſuæ magnitudinis & gloriæ vos præfecerit, tanquam diſcretione & religione omnes prædeceſſores veſtros Cardinales alios præcellentes, ſicut religioſi fratres noſtram humilitatem certificârunt; ſupplico ſanctitati veſtræ, ut in agonem ſpiritualem ſurgatis. Induamini loricam ſpiritus, deſtruite maceriam ſepis inimicitiæ veteris, inter Latinorum & Græcorum eccleſiam exiſtentis. Arma enim veſtra fortia ſunt ad diruendas hujuſmodi munitiones; & hac ſepe deſtructa, pacificate quæ diviſa ſunt, & conjunctione pacis & charitatis & communis fidei, ea quæ à multis annis ſoluta ſunt, alligate; ac eſtote conſiliatores admirabiles & Deo acceptabiles, apud ſanctiſſimum & excellentiſſimum Papam, virum deſideriorum, ſpiritu cognoſcentes eundem pacificum, mitiſſimum, & ſecundùm nominis ſui vocabulum, vigilantem ſemper & orantem, & Dominum ſuum expectantem quando veniet, ut eum dulciſſimæ beatitudinis dignum faciat, qui in ſimplicitate cordis ſui paſcit populum Chriſti, & in intellectu manuum ſuarum ad paſcua Paradiſi deducet: manus autem, ut noſtris, in ſacra ſcriptura, operationem deſignat. Nos quidem ſpem gerentes ex vera promiſſione omnipotentis Chriſti, qui perficit veritatem ſuam in infirmitate noſtra; negotium unitatis incepimus, & ad ſanctiſſimum Papam literas dirigimus. Exoro autem Regem cælorum, qui ſervi formam induit, propter ſervos ſuos inutiles, qui exaltatus extitit ſuper crucem, & eos qui in profundum malitiæ corruerant, exaltavit ad ſe; ut ipſe deponat à cordibus veſtris omnem extollentiam cogitationum, extollentem ſe contra fraternam unitatem noſtram; & illuminet conſcientias veſtras lumine ſcientiæ, ut unum & idem dicamus, & non ſint inter nos ſchiſmata. Maneamus autem inſtructi in una eadémque mente, & non dicatur inter nos, ſicut inter Corinthios quondam, quòd ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, ego autem Chriſti. Sed ut omnes Chriſti eſſe nominemur, quemadmodum & Chriſtiani vocamur. Maneamus quoque inſtructi in una eademque mente; & charitatem, quæ ſecundùm Chriſtum eſt, ſectemur: & illam Evangelicam vocem habentes in bucca, quæ dicit: Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, liceat nobis vera confiteri; & induamini formam amicorum, ut liceat impunè de veris confiteri. Quia autem ſcriptum eſt: Verba ſapientis veridici & corripientis, ſunt quaſi clavi in altum defixi: & veritas plerunque parit inimicos, licèt verear, tamen confitebor. Diviſio noſtræ unitatis proceſſit à tyrannide veſtræ oppreſſionis, & exactionum Romanæ eccleſiæ: quæ de matre facta noverca, ſuos quos diu educaverat, more rapacis volucris ſuos pullos expellentis, filios elongavit. Quæ etiam quantò humiliores & ſibi proniores, tantò magis conculcat, & habet viliores, non attendens illud Evangelicum: Qui ſe humiliat, exaltabitur. Temperet igitur vos modeſtia, & licet innatu paulisper ſedetur Romana avaritia, & deſcendamus ad veritatis ſcrutinium: & veritatis inquiſitione approbata utrinque, ad unitatis ſoliditatem revertamur. Etenim eramus omnes, tam Italici quàm Græci, aliquando in eadem fide, & in eiſdem canonibus: pacem habentes inter nos, & pugnantes alter pro altero, & inimicos eccleſiæ confundentes. Et qui ab Oriente populus irruebat, hæreticorum tyrannide perdurante, quia fidele refugium habuit ad nos, & pars ejus ad vos, ſcilicet magnam Romam, feſtino greſſu quaſi ad turrim immobilem ſuæ confugit fortitudinis; & conſolationem recepit utrobique, & mutua charitate frater in fratris ſinu ad protectionem recipiebatur. Et cùm Roma multoties fuiſſet à gentibus occupata, Imperium Græcorum ab earum tyrannide liberavit. Agapetus verò & Vigilius ad Conſtantinopolim; propter diſſenſiones quæ Romæ erant, aliquando confugerunt; & honorificè recepti, protectione defendebantur: licet nobis grata viciſſitudine, nunquam in arcto poſitis aſylum vel auxilium præbuiſtis. Sed oportet nos etiam in gratis bonos eſſe. Nam & pyratis pacantur maria, & Solem facit Deus oriri ſuper Juſtos & injuſtos. Heu heu! quàm amara diviſione ſequeſtramur, unus detrahit alii, & alter alterius, velut animæ periculum, vetat conſortium. Quid ergo dicemus? Si nos jacemus, erigite nos. Nolite in caſum noſtrum eſſe tantummodò corporalem, ſed eſtote etiam nobis in reſurrectionem ſpiritualem, & gratiarum vobis debitores nos fortè fatebimur. Si autem culpa & initium ſcandali à veteri Roma prodiit, & à ſucceſſoribus Petri Apoſtoli; illa verba Apoſtolica legite, quæ ad Galatas Paulus ſcribit, ſic dicens: Cùm autem veniſſet Petrus Anchiochiam, in facie ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, & cætera,

1237. *cætera, quæ conſequenter* Paulus *tangentia* Petrum *ait. Sed repugnatio hujuſmodi, ut piè credendum eſt, non alicujus cauſa fuit diſcordiæ, vel correptionis amaræ; ſed potiùs indagationis & profundioris diſputationis, temporalem condeſcentiam irritantis. Vinculo enim charitatis in* Chriſto *jungebantur aſtricti, fide & doctrina conformes, nulla ambitione vel avaritia diſtracti: utinam in his illis aſſimilaremini. Mentibus autem noſtris ſcrupulum generat offendiculi, quòd terrenis tantùm inhiantes poſſeſſionibus, undecunque poteſtis abradere, aurum & argentum congregatis; diſcipulos tamen ejus vos eſſe dicitis, qui ait* Aurum & argentum non eſt mecum. *Regna vobis tributo ſubjicitis. Negociationibus numiſma multiplicatis. Actibus dedocetis, quod ore prædicatis. Moderetur vos temperantia, ut ſicut nobis & omni mundo exemplum & exemplar. Videtis quàm bonum eſt fratrem juvari à fratre. Solus enim Deus nullo eſt indigens auxilio vel conſilio alicujus: homines autem indigent alter ab altero adjuvari. Ego autem, niſi vererer magnum Apoſtolum* Petrum, *qui caput eſt Apoſtolorum* Chriſti *& petra fidei, reducerem utique ad memoriam, qualiter hæc petra modo fuit à baſe, & à muliere miſera commota fuerit, permittente* Chriſto, *judiciis quibus ipſe prævidet univerſa, cujus judicia, abyſſus multa: qui per vocem galli recordantis reduxit* Petrum *ad memoriam verbi prophetici, & à ſomno deſperationis excitavit eundem. Ille autem faciem ſuam lacrymis abluit excitatus, & confeſſus Deo & toti mundo, exemplum factus pœnitentiæ, claves portans regni cœleſtis, & coram omnibus hominibus currens & dicens: Nunquid qui cadit, reſurgitne? Qui cecidiſtis, ſurgite, intuentes in me, & obedite mihi properanti ad Paradiſum cœleſtem, cujus aperire portas accepi poteſtatem. Hæc autem ſanctitati veſtræ ſcribo ac refero pro recordatione tantùm. Novi enim quàm omni eſtis ſapientia & ſcientia prædit; &* Salomoni *acquieſcens, ad hujus verbum veni:* Da enim, *dixit,* ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia. Doce juſtum, & feſtinabit accipere. *Hoc ſolùm addam, & verbo finem imponam; quòd videlicet multæ & magnæ gentes ſunt, quæ nobiſcum ſapiunt, & nobiſcum, qui* Græci *ſumus, conveniunt in omnibus. Primi, illi qui in prima parte Orientis habitant* Æthiopes, *deinde* Syri, *& alii qui graviores ſunt, & magis virtuoſi, ſcilicet* Hyberi, Lazi, Alani, Gothi, Chazari, *innumerabilis plebs* Ruſſiæ, *& regnum magnæ victoriæ* Bulgarorum. *Et hi omnes tanquam matri noſtræ obediunt, in antiqua orthodoxia immobiles hactenùs perſiſtentes. Deus autem ſanctus, qui pro nobis homo factus eſt, & qui in caput poſitus eſt eccleſiæ de gentibus congregatæ, congreget nos iterum in unitate fidei, & dignetur* Græcorum *eccleſiam unà cum ſorore ſua & veteri* Roma *glorificare principem pacis* Chriſtum *per unitatem fidei, in reſtitutionem orthodoxiæ, in qua ab antiquitùs convenerunt. Det vobis charitatem fraternam, regat vos omnes, ſanctiſſimi Cardinales, manus omnipotentis Dei, donec ad portum tranquillum cum gaudio pervenire poſſitis. Gratia Dei cum omnibus vobis.* Amen.

Literæ Papales. GREGORIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* Germano Græcorum *Archiepiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ literis, nobis & fratribus noſtris per tuum nuncium præſentatis, qua decuit benignitate receptis, carúmque tenore pleniùs intellecto, diſpoſuimus viros religioſos & probatæ ſcientiæ ad tuam præſentiam deſtinare; qui verba vitæ deferent, & noſtram fratrúmque noſtrorum exponent pleniùs voluntatem, Verùm, quia* de comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo; *ne ex ore mortui leonis, non ſine rubore ſcribentis, à patre favus exhibitus contemnatur; pauca duximus reſcribenda, ne viderentur ſcripta deſpici, ſi contingeret non reſcribi. Audiens enim ſapiens, ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Licèt autem* Chriſtus, *ſicut tuæ ſeries epiſtolæ retexebat, primum ſit & præcipuum fundamentum fidei, quod fatemur, præter quod aliud poni non poteſt: ſecundò tamen & ſecundaria fundamenta legemus Apoſtolos & Prophetas, & fundamenta* Sion *in montibus ſanctis, & cives ſupernæ* Hieruſalem *ſuper fundamenta Apoſtolorum & Prophetarum ſuperædificati leguntur. Inter quos primus eſt præcipuus beatiſſimus* Petrus, *non ſine cauſa, ſed ex prærogativa ſpeciali, à Domino audire meruit:* Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. *Ut ſicut in capite plenitudo ſenſuum conſiſtit, à quo ad ſingula membra occultis meatibus pars aliqua, tanquam à fonte rivulus, derivatur. Sic tres fidelium ordines in eccleſia,* Noë, Daniel, *&* Job: *Prælati videlicet, continentes, & conjugati, quos* Ezechiel *vidiſſe legitur in viſione ſalvandos. A* Petro *petra, ſuper quam non domum ſaltus* Libani, *nec porticum columnarum, nec domum filiæ* Pharaonis; *ſed eccleſiam ſuam ædificavit Dominus fidelibus, velut de omni genere piſcium in ejus reti concluſis. Tanquam à primate primatum, qui de fonte dominici pectoris fluenta potavit, & ſuæ ſalutis debent poſtulare remedia; & cum omnia patientia & doctrina, non contentioſè vel ſuperbè in aliquo reſiſtentes à mentis ſuæ tenebris dubietatis ſcrupulos removeri. Nec obſtat quod aſſeris, ſi tempora locúmque diſtinguas,* Paulo Petro in faciem reſtitiſſe, *cùm diſpenſativè ab orthodoxis patribus hoc factum eſſe legatur; dum* Petrus *Legem* Moſaicam *profitendo,* Judæos *&* Paulus *circumciſionem evitans, totis viribus lucrifacere ſtuduerit ex hujuſmodi ſimulatione gentiles. Alioquin &* Paulum *perambulantem* Syriam *&* Siliciam, *cùm perveniſſet* Derben *&* Liſtram, *in eo redargues, quòd* Timotheum, *ex patre gentili ortum, fidelis viduæ filium, circuncidit. Secundò etiam & tertiò vel te vel* Paulum *argues, qui cùm navigaſſet* Syriam, *& cum eo eſſent*

Priſcilla

Priſcilla & Aquila, & caput timore Judæorum totondiſſet in Cenchris; quare comam, quam ex voto nutrierat, quod Nazaræi, qui ſecundò voverant, juxta præceptum Moyſi, facere conſueverant, ibidem totondit ex Lege. 1237. Si, frater chariſſime, dignitatis myſterium, & auctoritatis officium, pleno intellectu diſtinguens, & Petri & Pauli zelum conſideres, qui animas tantummodò ſitiebant; eos nec in morte, quos eadem fides & paſſio vere fecit eſſe germanos, neque dum viverent in doctrina invenies fuiſſe diſcordes. Licèt enim Petrus pro duræ cervicis Judaico, & Paulus pro gentili populo, lac parvulis, & eſcam provectis exhibentes, diverſis linguis & ritibus laboraverint; cùm jam plenitudo temporis adveniſſet, unum Dominum, unam fidem, unum baptiſma, & alios articulos fidei, ſecundùm gratiam ſibi datam à Domino, in uno eodémque ſpiritu prædicavit uterque. Fuit enim Paulus ex verbo Domini Petro & cæteris Apoſtolis univerſaliter ſic dicentis; Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt: cum Petro myſterium dignitatis exercens: & ex verbis ejuſdem auctoritatis ſingulariter Petro propoſitis; Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis: in Petro dignitatis officium recognoſcens. Ideóque ad eum, tanquam primatem & Evangelii Dominici fontem, venit Hieroſolymam; & poſtmodùm cum ipſo & aliis ſecundùm revelationem contulit Evangelium, ne in vacuum cucurriſſet. Quod iterum ex verbis Domini confirmatur, cùm ſoli Petro; Si frater tuus in te peccaverit, non tantùm ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties, præcipitur remittendum: & ipſi ſoli, oves indiſtinctè committentis; qui tam ſpeciali miraculorum virtute pollebat, quòd per plateas in lectulis & grabatis pòſiti, ad umbram ejus ſanabantur infirmi. Cujus auctoritas ex ejuſdem Domini verbis expreſſiùs confirmatur, cùm ſibi dictum eſt: Duc in altum, & pluraliter ſubinſertur. Laxate retia in capturam. Si igitur Petrus propter excellentiam fidei, qua in uno Chriſto duas naturas veraciter recognoſcens, cùm dixit: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi, claves regni cæleſtis in terris ſolus accepit: cùm unus ſit Dominus, una fides, unum baptiſma, unum principium, unum corpus militantis eccleſiæ: & corpus cum multis capitibus monſtruoſum, & ſine capite, acephalum cenſeatur; reſtat, ut ad regimen generalis eccleſiæ, quam idem cum Paulo & cæteris de gentibus Græcis, Latinis, & Barbaris congregavit, caput ejuſdem, & ſuum Dominus, per ea quæ præmiſſa ſunt, oſtenderet ſucceſſorem. Prævidens autem Dominus, quòd eccleſia à tyrannis conculcaretur, & ab hæreticis laniaretur, & à ſchiſmaticis ſcinderetur, dixit: Rògavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Ex quo colligitur evidenter, quòd ad ſedem Petri omnis quæſtio fidei referenda ſit. Sed, quod dolentes dicimus, ut epiſtolæ tuæ verbis utamur, præſumptuosè quidem, non per manus militum, ſed eccleſiaſticarum perſonarum ſenſus, veri Joſeph talaris tunica & inconſutilis eſt paſſa ſciſſuram. Sed quis ſciderit videamus. Cùm Græcorum eccleſia à Romanæ ſedis unitate receſſit, ſtatim privilegio caruit eccleſiaſticæ libertatis; & quæ libera fuerat, facta eſt ſecularis poteſtatis ancilla, ut juſto Dei judicio, quæ noluit divinum recognoſcere in Petro primatum, toleret invita dominium ſæculare. Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & à fraterna charitate tepeſcens; licentiùs per campum licentiæ non refrænata recurrit; ut ſine alicujus reprehenſione licitum ſub illicito palliaret, & à templo Petri recedens, à Domino quaſi atrium foris ejicitur; quod virga ſua Johannes prohibente Domino non metitur, quoniam datum eſt illud gentibus, quod jam conſpicis viſibiliter conſummatum. Quòd Samaria, quæ à templo Domini & à Juda & veræ fidei confeſſione recedens, facta idololatra, præfigurans, bellorum cladibus continuis attrita, & pondere peccatorum gravata, (licèt Helias & Heliſeus, tanquam magna luminaria, ibidem, ſicut in loco caliginoſo, refulſerunt) data eſt gentibus, projecta eſt foris in vindictam fornicationis & idololatriæ, quibus ſe à Domino ſeparavit. Quòd ſi Paulum Græcorum eccleſia ſe habere proponit; exhibeat, vel à ſucceſſore Petri & vicario Jeſu Chriſti in Apoſtolorum baſilica, quæ à Conſtantino conſtructa eſt, cum Petro exhibitum recognoſcat. Officii etiam notavit myſterium, licèt literis tuis ſub forma reprehenſionis inſertum fuerit, quòd Petrus ter motus, ad gallicantum excitatus, factus eſt oſtiarius Paradiſi. Ut videlicet qui præeſſe debuerat, pati ſciret & compati, & ex auctoritatis officio, cui ter dictum eſt, Paſce, non Paſcite oves meas, non alienas, ad ſucceſſorem tranſmiſſo exemplo veri paſtoris, ſubditorum exceſſus ad unitatem eccleſiæ redeuntium, in ſpiritu lenitatis corrigeret; & cultum Chriſtiani nominis ſponte profeſſos, ab eccleſia oberrantes, exigente contumacia, juxta verbum Apoſtoli, tradendo hujuſmodi Sathanæ in interitum carnis, ad ovile reduceret vel invitos. Si verò ex compaſſionis affectu, ad Apoſtolicæ ſedis primatem ſicut verus Iſraëlita recurris; & ſuper contritione Joſeph de ſciſſura inconſutilis tunicæ, mota ſunt tuæ viſcera pietatis, paſſioni tuæ compatimur, & dolori tuo cum Apoſtolo condolemus; & ei ad grates aſſurgimus, qui oculos cæci nati aperuit: humiliter poſtulantes, ut qui per collyrium ex felle piſcis Tobiæ oculos illuminavit, corda eccleſiæ Græcorum cum tuo illuminet, & noſtris tuiſque temporibus, ad unum ovile & unum paſtorem providentia divina reducat. Librum igitur, de quo dictum eſt Johanni in Apocalypſi, accipe frater chariſſime, & devora illum. Et ſi amaricare faciat ventrem tuum, propter contritionis aculeos, qui in principio pungunt; tamen in ore tuo erit dulcis ad inſtar mellis, juxta verbum ſponſi in Canticis: Reſonet vox tua in auribus meis;

1237. meis, vox tua dulcis. Et prudentiæ tuæ conſcientiam ſine aliqua ſuperſtitione regira, & illuminatus reperies, quòd Romana eccleſia quæ omnium eccleſiarum caput eſt & magiſtra, in ſpeculo à te propoſito, (Evangelii videlicet & Epiſtolarum, & doctrina aliorum doctorum) nil contrarium invenit, quod interpretativè vel diſpenſativè, ſecundùm ſtatuta ſanctorum patrum, in unitate fidei & ſpiritus non concordet. In cujus libri apertione invenies, quòd Romanus Pontifex, omnibus omnia factus, ut omnes ſalvi fiant; non turpis lucri gratia vel voluntariè, ſed à fratribus ſuis divina inſpiratione vocatus, ſtatim ſervus ſervorum Dei effectus, murum pro fratribus ſuis & coëpiſcopis & eorum ſubditis, contra hæreticos, ſchiſmaticos, & tyrannos, in tuitionem eccleſiaſticæ libertatis, cum ſuis fratribus ſe opponit. Et licèt quidam ſubrebant, publicè tamen ab omnium incurſibus modernis temporibus eccleſia Romana reſpirat. Sed ſi Græcorum eccleſia patienter ſuſtineat, (ut verbis tuis utamur) verba quæ mordeant, præter animarum pericula, quæ ex ſciſſura eorum proveniunt, ſatis eos vexatio dediſſe debuerat intellectum: in quorum manibus, ordo eccleſiaſticus per adverſas nationes Orientis in diverſa partitus confunditur, eccleſiaſtica libertas opprimitur, & ſacerdotalis dignitas conculcatur; & non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus, quia tanquam acephali ad caput eccleſiæ reverti contempſerunt. Revertere igitur Sunamitis, revertere: ut intueamur te: quia tunc rectè poterit frater à fratre adjuvari. Si filius, qui conſumpſit omnia diſſolutè vivens, à Domino inſpiratus, exurgat & dicat: Pater, peccavi in cœlum & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis, tunc enim pater, non ut mercenario, ſed ut filio revertenti occurrens, primam ſtolam proferens, & occidet vitulum ſaginatum, & generale convivium faciens omnibus Chriſti fidelibus, in exultatione annunciabit & gaudio; quòd & frater & filius, qui mortuus fuerat, jam revixit; & drachma, quæ perierat, inventa eſt: & ſic te in gremio matris eccleſiæ, cum honore recipientes, veritatem manifeſtè videbitis in ſpeculo puritatis, quæ non recipit maculam neque rugam. Datum Reati. &c. anno ſexto.

Aliæ literæ Papales.

GRECORIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili Archiepiſcopo Græcorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm juxta teſtimonium veritatis, occaſio ſit errorum, ignorantia ſcripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire: quia quæ in eis inſpiratio divina repoſuit pro doctrina ſequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sanè ſub Jeroboam, qui peccare fecit (ut legitur) Iſraël; præſumpta diviſio tribuum patenter ſignat ſchiſma Græcorum: & multitudo abominationum Samariæ, diverſas hæreſes multitudinis, à veneratione veri templi; Romanæ videlicet eccleſiæ, & reverentia ſeparatæ. Quod Chryſoſtomus, Nazianzenus, & magnus Baſilius, & Cyrillus, emicuerunt in cœtu diſſentientium; eadem fuit cœleſtis altitudo conſilii, qua degere voluit, inter idololatras Heliam & Heliſeum, & filios Prophetarum. Nunc igitur, quia in aliis literis, quas dudum tibi remiſimus, latiùs hanc auctoritatem & alias rationum, quæ pro Romanæ primatu eccleſiæ faciunt, materias explicavimus: illud tantùm adjicimus, quòd utrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem, ex Evangelica lectione tenemus. Etenim loquente Jeſu diſcipulis, de acquiſitione gladii ſpiritualis, illi duos ibi poſitos oſtenderunt; quos Dominus duxit ſufficere ad coërcionem, videlicet ſpiritualis & corporalis offenſæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quid in Matthæi Evangelio Dominus dicat Petro: Converte gladium tuum in locum ſuum. Dicendo tuum, materialem ſignavit gladium, quo percuſſerat ille ſervum Principis ſacerdotum. De ſpirituali, nemini venit in dubium, cum ei, id eſt, Petro, per cujuſdam ſpiritualitatis apicem, ligandi & ſolvendi commiſerit poteſtatem. Uterque igitur gladius eccleſiæ traditur: ſed ab eccleſia exercetur unus, alius pro eccleſia manu ſeculari eſt eximendus: unus à Sacerdote, alius ad nutum Sacerdotis adminiſtrandus à milite. Propter hæc ergo & alia, quæ poſt diligentem veritatis indaginem, ordinatam de ſchiſmate faciant charitatem; latores præſentium, Hugonem & Petrum, de Prædicatoribus: Haimonem & Radulphum, de minorum ordinibus fratres; viros virtutis religione conſpicuos, morum honeſtate præclaros, & ſcripturarum ſacrarum ſcientia præditos; juxta quod tibi memoratas literas intimare curavimus, ad te duximus deſtinandos. Ut ſi cum eis de omnibus quæ in quæſtionem veniunt, tractare fideliter, & ſocialiter conferre decreveris; in rota quæ infra rotam Ezechieli oſtenſa eſt, vocem poteris audire tonitrui, & in mari vitreo ſpeculari, quòd unus Adam collocatus ad opus & cuſtodiam Paradiſi, unam eſt ſortitus uxorem, una Dominum Jeſum Chriſtum in juſtitia & veritatis ſcientia creatum, & unicam ſponſam ejus eccleſiam præfigurans: quòd Lamech, qui humiliatum ſonat, dum uxorem unam diviſit in duas, ſanguinarius factus eſt, & virum in ſuum vulnus occidit: quòd alia, præter unam, arca non legitur, quæ cuncta vaſtante diluvio, ſub unius Patriarchæ remigis potentatu, paucas animas ſub perfectionis numero reſervavit: quòd Legem Dominus ſecundò dedit in alteram, ſed eandem: quod duorum Cherubin, qui propitiatorium obumbrant, non aliorſùm verſi, ſed reſpicientes erant vultus ad invicem: & unam Joſeph fuiſſe talarem tunicam, & noſtri Salvatoris inconſutilem veſtem unam. Veruntamen, ſi dualitatis ſenſum, uti Euchariſtiæ ſacramentum, veſter diverſus à noſtro ritus inducit: attende quòod non ſit aliud, nec diverſum, unius Domini noſtri Jeſu Chriſti, prius in aſſumpta propter nos carne, paſſibilis; pòſt ſicut à morte,

morte, ſic ab omni paſſibilitate prorsùs immunis : à Græcis *pariter &* Latinis, *noſtræ ſalutis myſterium frequentatur.* Græcus *ad fidem cum diſcipulo juniore ſequutus, & tantæ gratiæ non ingratus ; illius dignationis, qua Deus miſeriæ compaſſus humanæ, homo voluit eſſe paſſibilis, eligens quotidiè reminiſci, hoſtiam conſtituit fermentatam ; ut Apoſtolo dicente, quòd ex fermento maſſa corrumpitur, in fermento corruptio, cui ante reſurrectionem corpus Dominicum ſubjacere potuit, oſtendatur.* Latinus *verò cum* Petro *ſeniore ſequutus, literæ monumentum, de qua procedit ſpiritualis ſenſus, prior introiit ; & linteamina poſita, quæ ſacroſanctum corpus, quod eccleſiam ſignat, involverant, ſeparatúmque ſudarium, quod fuerat ſuper caput, aſpexit ; ſacramentum glorificati corporis celebrare miriſicentius in azymis ſinceritatis elegit. Sed uterque panis, ſimplex ante ſacrificium panis eſt ; & ideò nec fermentatus, nec azymus dici poteſt : ſed ille potiùs creditur eſſe panis vivus, qui deſcendit de cælo, & tribuit vitam mundo. Hæc & his ſimilia docuit* Petri *ſedem unctio ſpiritus, & ſanitas intellectus : utinam & tu tandem aliquando juniorem diſcipulum, qui vidit & credidit ſequutus, introëas, ut omnibus intellectis, nobiſcum pariter verè pſallas illud* Davidicum : Ecce quàm bonum & quàm jocundum habitare fratres in unum. *Datum* Laterani, xvi. *Calend. Junii*, &c. 1238.

HIS autem ſalutaribus monitis auditis, ſed non exauditis, non ſe *Græci* eccleſiæ *Romanæ* ſubdiderunt : fortè tyrannidem & avaritiam ejus pertimeſcentes ; vel erecti in contumaciam, juxta dictum Evageliſtæ, quòd invitati ad cœnam, noluerunt venire, ſe tamen excuſantes : humiles in excuſatione, ſuperbi & contumaces in operis executione. Super quo dominus Papa & Cardinales tractatum habentes diligentem ; propoſuerunt exercitum cruceſignatorum univerſalem, ſuper eos reflectere. Et facta prædicatione, ſignati ſunt nonnulli, ſuper *Græcos*, præcipuè *Conſtantinopolitanos*, profecturi. Hoc ſchiſma & diſſidium inter *Romanam* eccleſiam & *Græcam*, tale ſumpſit ſeminarium. Quidam Archiepiſcopus electus canonicè ad quendam nobilem Archiepiſcopatum in *Græcia*, vel poſtulatus, *Romam* adiit confirmandus ; nec potuit exaudiri, niſi pro impetratione illa, infinitum aurum promitteret. At ipſe deteſtans proſtantis Curiæ ſimoniam, infecto negotio receſſit ; & hoc toti *Græcorum* nobilitati nunciavit. Et alii, qui *Romam* adierant, teſtimonium de ſimilibus aut deterioribus perhibebant : Et ſic omnes à ſubjectione *Romanæ* eccleſiæ tempore *Gregorii* iſtius receſſerunt. Hebdomada verò ante Natale transfretavit Ædmundus Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & *Romam* addiit. Nec propter Legatum ipſum revocantem, voluit remanere ; unde ſibi ex tunc adverſabantur. *Græci ab obedientia* Romanæ *eccl. ſiæ receſſerunt.*

Tranſiit igitur annus ille proceloſus & turbidus in aëre, hominibus flagitioſus & ſanitati inimicus : unde non ſe meminerat aliquis, unquam tot vidiſſe febre quartana laborâſſe.

ANNO Domini MCCXXXVIII. qui eſt annus regni Regis *Henrici* III. xxii. tenuit idem Rex curiam ſuam *Londoniis* apud *Weſtmonaſterium* : ubi in craſtino Epiphaniæ, ſcilicet die Jovis, deſponſavit ſolenniter *Simon* de *Monte forti Alienoram* filiam Regis *Johannis*, ſororem Regis *Henrici* III. relictam *Willielmi Mareſchalli* Comitis de *Penbroch* : diſtante verba & Miſſam celebrante *Waltero* Capellano capellæ Regiæ ſancti *Stephani* apud *Weſtmonaſterium*, in parvula capella Regis, quæ eſt in angulo cameræ ; tradente eam Rege per manum eidem *Simoni* Comiti *Legriæ*. Qui eam gratanter accepit, tum propter gratuitum amorem, tum propter ejus elegantiam, tum propter opimos honores ipſam contingentes, tum propter ejuſdem dominæ præcellentem & Regalem generoſitatem : fuerat namque propagata ex legitimo thoro Regis & Reginæ ; Regis inſuper ſoror, Imperatricis, & Reginæ : tum ut de tam nobili domina, habita prole, ſtirps Regia. Et diſpenſavit dominus Papa cum ipſa, prout ſermo ſequens declarabit. Et eodem anno audita ſunt tonitrua terribilia xiii. Calend. Februarii ; vento vallidiſſimo & nimbis abundanter diffuſis concomitantibus. Simon *de* Monteforti Alienoram *ſororem Regis deſponſavit.*

SUB eodem tempore, *Fredericus Romanorum* Imperator, ſollicitus de progreſſu Cruce ſignatorum, & de progreſſus ordinatione, præcipuè de progreſſu Comitis *Richardi*, ſcripſit eidem Comiti in hæc verba : *Imperator* Fredericus *de Crucis negotio ſollicitus, ſcripſit Comiti* Richardo.

FREDERICUS *Dei gratia* Romanorum *Imperator, ſemper Auguſtus*, Hieruſalem *&* Siciliæ *Rex, Comiti* Cornubiæ, *dilecto ſororio ſuo, ſalutem & ſinceram dilectionem. Generalis* Terræ *commoditas* ſanctæ, *quæ à Cruce ſignatorum exequutione dependet ; nos frequenter inducit, ut de prorogatione paſſagii Cruce ſignatorum in Regno* Franciæ *& aliis partibus orbis terræ, uſque ad præfinitum treugarum tempus, videlicet à primo venturo menſe Augu[illegible]i, uſque ad ſequentem annum completum, apud ipſos monitis & precibus inſtaremus : expedire videntes illius* Terræ *ſubſidio, necnoc profectui tranſeuntium & honori, ſi à proximo feſto beati* Johannis Baptiſtæ, *uſque ad diem ſequentis anni feſtum, tranſitus tam ſtrenuæ multitudinis ordinatæ fiat tempore opportuno. Nec debuimus ſilentio præterire negotium & onus, quod præ cæteris mundi Principibus, ad ejuſdem* Terræ *liberationem, humeris noſtris incumbit ; pro qua tenemur opem & opes effundere : quin præmiſſa deliberatione conſilii, ipſis ad* Chriſti *ſervitium potenter accinctis, totius cauſæ circumſtantias plenariè ponderemus, contingentibus*

1238. *non omiſſis. Illi autem qui corda & corpora ſua Crucis obſequiis deputârunt, & utile cupiunt exhibere ſervitium Crucifixo; per nuncios & literas noſtras exinde requiſiti, conſultationi noſtræ conſultè ac providè reſponderunt, ſe uſque ad prædictum completum treugarum terminum, exequuturos efficaciter preces noſtras. Super quo dignis gratiarum actionibus, approbavimus proviſum ipſorum deliberationis conſilium & reſponſum. Ad hæc, cùm perſonam veſtram videre fraterno cupiamus affectu, & honorem veſtri paſſagii liberaliter procurare; volumus & rogamus, ut vita comite per nos & regnum noſtrum* Siciliæ *opportuno tempore tranſeatis; quia noſtræ non reſideret gratum voluntati, ſi aliunde nobis inviſis tranſitum faceretis. Maximè cùm regnum noſtrum ſit taliter conſtitutum, quod per illud ad partes tranſmarinas facilior & opportunior tranſitus præbeatur. Datum* Vercellis, *xi Februarii, undecimæ Indictionis.*

Revocatus Legatus Romam non redit.

EODEM tempore, dominus Papa & tota curia *Romana*, audiens tot tumultus in *Anglia* fuiſſe ſubortos pro alienigenarum multitudine, quam Rex inconſultè vocaverat; & pro adventu Legati in *Angliam*, quem ſimiliter in depauperationem ſuorum in *Angliam* attraxerat; multóſque contra ipſum commoveri; ſub magna eundem Legatum feſtinatione revocando, rigorem ejus temperavit, ſic ſcribens ei: *Gregorius*, &c. *dilecto filio* Ottoni, *ſancti* Nicolai *in carcere* Tulliano *Diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſic intellexerimus, quòd nonnulli clerici habentes plura beneficia ſint in regno* Angliæ, *& contra eos, propter parentum potentiam, juxta generalis ſtatuta concilii, ſine turbatione regni & ſanguinis effuſione, procedi non poſſit; attendentes quòd ſi peccatum non debeat pro ſcandalo vitando committi, bonum tamen quod agi debeat, prudenter interdum intermittitur, ut ſcandalum evitetur; diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs ſi contra dictos clericos ſine ſcandalo procedere non poteris, ſubſedere procures.* Et eiſdem, vel aliis proximis, dominus Papa timens ne quid ſiniſtri ei accideret, vocavit eum. Sed Legatus malens adhuc in *Anglia* remanere, & metere ubi non ſeminaverat; cautè procuravit, ut ſcriptum domino Papæ deſtinandum componeretur, & appenderentur ſigilla Regis & fratris ſui Comitis *Richardi*, & omnium Epiſcoporum, in teſtimonium veritatis: ſcilicet, quòd multum ùtilis eſſet mora ſua in *Anglia*, tam Regi, quàm Regno, & eccleſiæ *Anglicanæ*. Et hujus tenoris ſcriptum domino Papæ tranſmiſſum, mentem ſuam pacificavit.

Nunciat Imperator Comiti Richardo, quod natus eſt ſibi filius.

ILLIS quoque diebus, Imperator *Romanorum Fredericus*, in ſignum dilectionis, ſcripſit Comiti *Richardo*, intimans ei ad gaudium, quòd natus ei eſſet filius de ſorore ejuſdem comitis *Iſabella* Imperatrice, ſub his verbis:

Fredericus *Dei gratia* Romanorum *Imperator, ſemper Auguſtus*, Hieruſalem *&* Siciliæ *Rex*, Richardo *Comiti* Cornubiæ, *dilecto ſororio ſuo, ſalutem & omne bonum. Rem jocundam & communibus deſideriis expectatam, quæ præ cæteris hominum votis gratior ex beneficio naturæ ſuſcipitur, per quam ſceptra regnantium optata ſucceſſione beantur; tantò maturius ad tuam duximus notitiam perferendam, quantò moram non patitur novitas gaudii ſuccedentis. Adeſt enim nobis celebris inſinuationis jocunditas, quam expectationi veſtræ præſentium ſerie nunciamus; quòd diſponente providentia ſummi Regis, qui dat ortum Regibus & ſalutem, ex Auguſtæ conſortis noſtræ ſororis tuæ fœcundo gremio, datum eſt nobis octavodecimo die menſis Februarii, novus filius, & nepos novus natus eſt tibi. Cujus ortus patri & avunculo cedit ad gloriam, matri renovat gaudium; & ſpem corroborat ſubditorum. In quo mutuæ dilectionis, qua ſimul vinculo affinitatis aſtringimur, roboratur integritas, & ad proſperitatis augmentum deſideriosiùs propagatur; ac virtus, quæ contingit præmatura Cæſaribus, indolem ſuam, ad commune gaudium & honorem, proceſſu temporis gratiſſimam repromittit. Accedunt etiam nobis ejuſdem novæ prolis cum exaltatione cunabula, quæ fœlices proceſſus noſtros in* Italia *jam noſtris titulis accedente, ac victoriæ noſtræ, proſtratis hoſtibus, auſpicia felici ſidere comitante. Cúmque noſtris fœlicibus continuatis eventibus ac triumphis, ſoboles optata concurrerit; in eo confidimus, qui poſt ortum filiæ de fœcunda conſorte noſtra, ſorore tua, prolem contulit maſculinam, quòd antiquam Imperii noſtri gloriam, quæ tempore præcedenti collapſa ſub ipſius ortu reformata conſurgit, ad noſtrum & noſtræ poſteritatis honorem, liberaliter ampliavit; ut te noſtris & auguſtæ conſortis noſtræ velimus participare tripudiis, quem ad expectati nepotis originem diu novimus aſpiraſſe. Data* Taurini, *die tertio Martii, undecimæ indictionis.*

Commotio Magnatum Angliæ contra Regem.

CUM autem hæc audiſſet Comes *Richardus*; exultatione concepta, Dominum collaudavit; ſperans ſibi & Regno *Angliæ* inde proceſſu temporis gaudia proventura. Sed more mundani turbinis, ex alia parte nimis ad iracundiam provocatur. Cùm enim audiſſet hoc matrimonium clandeſtinum, eo ſcilicet neſciente, vel aſſenſu Magnatum terræ non interveniente, firmatum fuiſſe, nimia ira ſuccenſus meritò; præſertim cùm Rex ſæpiùs perjuraſſet ſe nil arduum facturum, niſi de conſilio naturalium hominum ſuorum, & præcipuè ipſius. Inſurgens igitur, Regem aggreditur verbis commonitoriis & comminatoriis; gravem movens adversùs Regem quæſtionem & calumniam; eo quòd utens conſiliis alienigenarum, quos amovere penitùs præjuraverat, etiam ardua negotia Regni perperàm tractave-

1237.

tractaverat; & *Simonem* de *Monte forti*, & *I.* Comitem *Lincolnienſem*, aliis à latere ſuo amotis, non tantùm audierat; ſed contra nobilium conniventiam, matrimonia ſubdola procuraverant. *Simon*, ut prædictum eſt, illicitè inter eum & Comitiſſam *Penbrochiæ* ſororem ſuam, & *Johannes* Comes *Lincolnienſis* inter filium Comitis *Boloniæ*; ſcilicet *Richardum* de *Clare*, & filiam ejuſdem Comitis *I.* Rege ſubducto procuraverant. Inſurgenti autem illi Comiti *Richardo*, adduntur Comes *Gilebertus Mareſchallus*, & omnes Comites & Barones *Angliæ*; cum civibus & populo generali. Et ſperabatur certiſſimè tunc, quòd ipſe Comes *Richardus* eſſet liberaturus terram, tam à *Romanorum* quàm aliorum alienigenarum miſera, qua premebatur, ſervitute, & omnes à puero uſque ad hominem ſenem, crebras in ipſum benedictiones congeſſerunt. Nec adhæſit aliquis Regi, niſi ſolus Comes *Cantiæ Hubertus*; de quo non timebatur, quòd ideò quid ſiniſtri poſſit evenire; tum quia ſe juraverat nunquam arma geſtaturum, tum propter ſenium, tum propter diſcretionem ſuam, multis experimentis examinatam. Quod comperiens Rex, animo & vultu nimis conſternatus, nobilium terræ ſingulos per nuncios ſuos interrogavit; diligenter ſciſcitando, ſi in hunc vel illum in hac jam exorta tempeſtate, poſſit de adjutorio confidere. Cui reſponderunt univerſi, præcipuè cives *Londinenſes*, aſſerendo univerſaliter, quòd honori ſuo, & commodo Regni procuratum eſt circumſpectè, quod incipiebatur ab ipſo Comite *Richardo* licèt ipſe Rex ſalubri conſilio ejus non adquieſceret; unde incœpta nullo modo impedirent. Hæc comperiens legatus, ſummam adhibuit, imminere videns pericula, diligentiam; ut Regem ſuis naturalibus hominibus reconciliaret: ſecretò admonens Comitem *Richardum* & replicans, quod ipſe qui capitaneus hujus impetus factus eſt, deinceps ab incœpto deſiſteret; promittens Regem ei ampliores poſſeſſiones collaturum, & Dominum Papam collatas confirmaturum. Addens, quòd ſi omnes terræ in Regem inſurgerent; ipſe, qui frater ejus, cum eo contra omnes ſtare haberet indefeſſus. Ad quod reſpondit Comes *Richardus*. Domine Legate, de terris Laicorum & earum confirmationibus nil ad vos de rebus autem Eccleſiaſticis curam geratis. Nec miremini, ſi ſtatus Regni moveat me; cùm ſim hæres ſolus apparens. Rex enim cùm ferè omnium Epiſcopatuum terræ, & multarum eſcaëtarum cuſtodias habuit; nullum tamen theſaurus ejus ſentit ad Regni tuitiones incrementum; cùm tamen undique variis vallemur inimicis. Prætereà, admirantur nonnulli, quòd Rex qui maximè auxilio & diſcretione indiget, diſcretorum veſtigia non ſectatur. Non Imperatoris, cui ſororem noſtram cum magna pecunia dedimus, ſperantes id nobis profuturum; qui ſola ſua conjuge retenta, duces illius nobis remiſit; nulli eorum terras vel theſaurum conferens, cùm tamen abundaret locuples & opulentus. De Rege autem *Francorum* ſimile poteſt exemplum recitari, cui ſoror Reginæ noſtræ matrimonio primogenita copulatur. Rex autem noſter *Angliæ*, è converſo, omnes uxoris ſuæ affines & conſanguineos, terris, poſſeſſionibus & theſauris ſaginavit; & ſic ſe maritavit, ut ne theſauro plùs ditaretur: imò potiùs privaretur, ne militari auxilio, ſi opus emergeret, roboraretur. Prætereà, redditus & beneficia Eccleſiaſtica, à piis prædeceſſoribus noſtris collata (præcipuè quæ contulerunt anteceſſores noſtri viris religioſis) permittit quaſi ſpolia diripi; & alienigenis, cùm abundet ipſa terra viris idoneis, diſtribui: & fit *Anglia* quaſi vinea ſine maceria, quam vindemiant omnes qui prætergrediuntur viam.

CUM autem audiſſet Legatus hos ſermones, Regem adiit, unà cum Epiſcopo *Wintonienſi Petro* monens & muniens, ut ſe ex tunc voluntati ſuorum juſtè in eum inſurgentium ſubderet & obtemperaret; nunc minis, nunc monitis, nunc precibus eundem reformantes. Rex videns impetus ſuos favoribus caruiſſe, & omnes fratri ſuo Comiti *Richardo* inclinantes; quæſivit quæ potuit diverticula: inducias deliberandi poſtulando, ut competentiùs reſponderet. Induciæ igitur ad inſtantiam petentium conceſſæ ſunt Regi (licèt cum difficultate) uſque in craſtinum Dominicæ primæ quadrageſimæ.

Legatus ſtudet pacem facere inter Regem & ſuos Magnates.

CONVENERUNT igitur Magnates die ſtatuto *Londini*, ſuper his diligenter tractaturi. Et venerunt multi equis & armis communiti, ut ſi Rex circumventus per levitatem recalcitraret ad præmiſſa complenda cogeretur. Ibi igitur poſt multas multorum diſceptationes, ſe ſubjecit Rex quorundam proviſioni de gravioribus viris; jurans ſe eorum proviſioni adquieſcere. Quod & factum eſt, & in ſcripta redactum; & appenſa ſunt tam Legati quàm aliorum Magnatum Sigilla, omnibus in communi manifeſtanda. Interim his nondum perfectis, ſed cum ſpe tamen pendentibus, *Simon* de *Monte forti* humiliavit ſe Comiti *Richardo*; & multiplicatis interceſſoribus & quibuſdam donativis, obtinuit à Comite *Richardo* oſculum concordiæ. Quod graviſſimè alii Magnates acceperunt, ſine quorum conniventia hoc fuit attentatum, quorum laboribus fuit res hucuſque deducta. Similiter Comes *I. Lincolnienſis* tam prece quàm pretio iram comitis emollivit; data tamen cautione, ſuper commiſſis ſe per omnia ſatisfacturum. Quibus enormibus factis, totum negotium in magna parte mutilatum, perfectum non ſumpſit effectum; ſed miſerias Regni continuavit;

Tota conſultatio in nihilum redigitur.

1238. tinuavit, & famam Comitis *Richardi* in magna parte denigravit; & ſic factus eſt deinceps ſuſpectus, qui credebatus baculus fortitudinis.

Mors Johannæ Scotiæ Reginæ.

TUNC verò temporis, *Johanna* Regina *Scotiæ*, ſoror Regis *Angliæ*; quæ venerat in *Angliam*, ut fratrem ſuum Regem viſitaret, diem clauſit extremum, quarto nonas Martii. Et ſepulta eſt apud *Tarente*; domum ſcilicet ſanctimonialium: quam venerabilis Epiſcopus *Richardus* II. *Dunelmenſis* à fundamentis conſtruxerat; & ejuſdem eccleſiæ *Alienoræ* II. Reginæ, quando in *Angliam* venit, conceſſerat.

Simon de Monte fortì clanculo transfretavit.

VIDENS autem *Simon* de *Monte forti*, cor Regis & cor Comitis *Richardi*, necnon & Magnatum corda omnium ab eo averſa, & matrimonium quod cum ſorore domini Regis contraxerat, quaſi jam penitùs multis viſum annullari, dolore contabuit vehementi; & arrepta galeia, clanculò transfretavit: extorta priùs undecunque potuit immenſa pecunia, ita quòd ab uno cive *Legriæ*, *Simone* de *Curle vache*, quingentas marcas emunxerat. *Romanam* curiam adiit, quam ſperavit pecunia circumvenire; ut illicito matrimonio liceret gratulari. Et priùs militans Imperatori, ut eidem placeret, literas ſuper hoc ab eo impetravit domino Papæ deferendas. Interim latuit apud *Kenilwurthe* Comitiſſa de *Penbroc*, gravida; rei exitum præſtolando.

Papæ ſententia pro Monachis Roffenſibus.

ILLO quoque anno, data eſt ſententia à domino Papa pro Monachis *Roffenſibus*, ſuper controverſia mota inter Archiepiſcopum *Ædmundum* & eoſdem Monachos, de eligendo ſide Epiſcopo: & data eſt ſententia pro eis, tam de petitorio quàm de poſſeſſorio: & confirmatus eſt electus eorum, magiſter *Richardus* de *Wendoure*, die ſancti *Cuthberti*. Convenerat autem eoſdem Monachos dictus Archiepiſcopus, expenſis & laboribus exinanitos: inſuper tranſalpinaverat, ut ſicut jus dictaret, lis tanta debito fine determinaretur. Similiter data eſt ſententia tunc temporis contra eundem Archiepiſcopum, qui tunc in Curia *Romana* præſens fuit; ſuper gravi cauſa, quæ verſabatur inter eum & Comitem *Harundelliæ*: & condemnatus eſt utrobique in expenſis, circiter mille marcarum: relaxata ſententia, quàm tulerat idem Archiepiſcopus in Comitem ſupradictum. Habuit enim adverſarium validiſſimum, *Ottonem* Legatum; qui & ad hoc etiam Regem efficaciter ſtimulavit.

Adventus Imperatoris Conſtantinopolitani in Angliam.

EODEM quoque anno, ætate adoleſcens, imperator *Conſtantinopolitanus Baldewinus*, filius Comitis *Petri Antiſſiodorenſis*, venit in *Angliam*; expulſus & proſcriptus ab Imperio, auxilium petiturus. Qui cùm apud *Doveram* applicuiſſet, dictum eſt ei ex parte domini Regis, quòd inconſultè, & ſecùs quàm deceret, ſe ingeſſiſſet in Regnum alienum, Princeps tantæ celſitudinis, Rege inconſulto, & abſque ipſius licentia, & videbatur contemptus & ſuperbia. Nec placuit adventus in conſpectu Regis & Regalium conſiliatorum. Recolebant enim memoria, quanta beneficia & honores contulerat *Anglia* Regi *Johanni* de *Brenne*, cùm in *Angliam* veniſſet: qui cùm in *Franciam* redierat, Regno *Angliæ* nequiter & more ingrati machinabatur inſidias. Sed de *Francia* recedens, cùm ad *Græcorum* Imperium infœlici ſydere vocaretur; quem conceperat contra Regnum *Angliæ* dolum, effectui minimè mancipavit. Cùm autem hæc omnia *Conſtantinopolitanus* Imperator certiſſimè cognoviſſet, pœnituit eum in *Angliam* intraſſe; maturum reditum præparando, ſuam Regi innocentiam prætendendo, & cauſam viæ humiliter oſtendendo. Quod audiens Rex, inito conſilio; ſignificavit ei, quòd cùm non veniſſet in manu hoſtili, intraret Regnum, & veniret *Londinum*, ubi & ipſe eidem cum honore occurreret. Venit ergo Imperator *Londinum*, decimo Calend. Maii. Et cùm apud *Wudeſtoc* Regi occurrens, in oſculo reciperetur; explicavit tam Regi quàm Comiti *Richardo*, cauſam adventus ſui. Et factum eſt, cùm recederet à Rege & Comite *Richardo*; cum multis & precioſis donativis ditatus, ſemptingentas circiter marcas reportavit.

Diſcordia inter Legatum & ſcholares Oxonienſes.

TUNC verò temporis, dominus Legatus cùm *Oxoniam* adventaſſet, & honore ſummo, prout decuit, reciperetur; hoſpitatus eſt in domo Canonicorum, ſdilicet Abbatia de *Oſencie*. Clerici verò ſcholares, eidem xenium honorabile in poculentis & eſculentis tranſmiſerunt ante prandii tempus. Et poſt prandium, ut eum ſalutarent, & reverenter viſitarent, ad hoſpitium ſuum venerunt. Quibus advenientibus, janitor quidam tranſalpinus, minùs quàm deceret aut expediret facetus, & more *Romanorum* vocem exaltans, & januam aliquantulùm patefactam tenens, ait: Quid queritis? Quibus clerici: Dominum Legatum, ut eum ſalutemus. Credebant enim confidenter, ut eſſent honorem pro honore recepturi. Sed janitor convitiando loquens, in ſuperbia & abuſione introitum omnibus procaciter denegavit. Quod videntes clerici, impetuosè irruentes intrârunt; quos volentes *Romani* reprimere, pugnis & virgis cædebant: & dum objurgantes ictus & convitia geminarent, accidit, quòd quidam pauper Capellanus *Hybernienſis* ad oſtium coquinæ ſtaret, & ut quippiam boni pro Deo acciperet, inſtanter, more pauperis & famelici, poſtulaverat. Quem cùm magiſter coquorum Legati (frater Legati erat ille, & ne procuraretur aliquid venenoſum, quod nimis timebat Legatus, ipſum ipſi officio præfecerat, quaſi hominum ſpecialiſſimo) audivit, nec exaudivit, iratus in pauperem, projecit ei in faciem aquam ferventem, hauſtam de lebete ubi carnes pingues coquebantur. Ad hanc injuriam

exclama-

exclamavit quidam clericus de confinio *Walliæ* oriundus: Proh pudor! ut quid hoc ſuſtinemus? Et arcum, quem portavit, tetendit, (dum enim tumultus accreverat excitatus, clericorum aliqui arma, quæ ad manus venerunt, arripuerant) & ipſe miſſa ſagitta corpus coci, quem clerici Satyricè *Nabuzardan*, id eſt, Principem coquorum, vocabant, tranſverberavit. Corruente igitur mortuo, clamor excitatur. Ad quem ſtupefactus Legatus, & nimis perterritus timore, qui poſſet in conſtantiſſimum virum cadere, in turrim eccleſiæ indutus capa canonicali ſe recepit, ſeratis poſt terga oſtiis. Ubi cùm noctis opacæ conticinium tumultum pugnæ diremiſſet, Legatus veſtimentis canonicalibus exutus, equum ſuum optimum aſcendit expeditus, & ducatu eorum qui vada ſecretiora noverunt, amnem, qui proximus erat, licèt cum periculo, tranſivit, ut ad protectionem alarum Regis ociùs avolaret. Clerici enim furia invecti, Legatum etiam in abditis ſecretorum latebris quærere non ceſſabant, clamantes & dicentes: Ubi eſt ille uſurarius, ſimonialis, raptor redditum, & ſititor pecuniæ; qui Regem pervertens, & Regnum ſubvertens, de ſpoliis noſtris ditat alienos? Inſequentium autem adhuc clamores cùm fugiens Legatus audiret, dixit intra ſe: 1238.

Cùm furor in curſu eſt, currenti cede furori.

Et patienter omnia tolerans, factus eſt ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Cùm autem (ut prædictum eſt) amnem vix pertranſiſſet, paucis, pro difficultate tranſitus, comitantibus, cæteris in Abbatia latitantibus, ad Regem anhelus & turbidus uſque pervenit; & lacrymabiliter, ſingultibus ſermones ſuos interrumpentibus, rei geſtæ ordinem, gravem ſuper hoc reponens querimoniam, tam Regi quàm ſuis collateralibus explicavit. Cujus querulis ſermonibus cùm Rex attonitus nimis compateretur, miſit properanter Comitem *Warenniæ* cum armata manu *Oxoniam*, eos qui latuerant *Romanos* eripere, & ſcholares arripere. Inter quos captus eſt truculenter magiſter *Odo* Legiſta, & ipſe cum aliis triginta vinculis & carceribus in caſtro de *Walingeford*; quòd non multùm diſtat ab *Oxonia*, ignominioſè mancipatus. Legatus verò contrito laqueo liberatus, Epiſcopis convocatis nonnullis, *Oxoniam* ſuppoſuit Interdicto; & omnes illi enormi facto conſentaneos, excommunicavit. Poſteà in bigis, more latronum, ad arbitrium Legati *Londinum* ſunt tranſvecti, & ibidem carceri & vinculis arctæque cuſtodiæ, redditibus ſpoliati, & anathemate innodati, mancipantur.

LEGATUS verò: qui versùs partes *Angliæ* Aquilonares tetenderat, flexo loro, *Londinum* reverſus eſt. Et vix auſus in Regali hoſpitio Epiſcopi *Dunelmenſis*, ubi ſolitò hoſpitabatur, commorari; ſignificavit Rex civitati *Londinenſi*, ut eundem Legatum diligentibus excubiis cum armata manu, ut pupillam oculi, cuſtodirent Major civitatis cum civium univerſitate. *Reconciliatio univerſitatis Oxoniæ cum Legato.*

Legatus igitur Archiepiſcopum *Eboracenſem* & omnes Epiſcopos *Angliæ*, auctoritate qua fungebatur, ut *Londinum* convenirent, diſtrictè convocavit; de ſtatu eccleſiæ & cleri periclitantis, decimo ſexto Calend. Junii communiter tractaturi. Quò cùm die præfixo perveniſſent, tractatum eſt diligenter per Epiſcopos, ut ſalvaretur ſtatus clericalis Univerſitatis, veluti ſecundæ eccleſiæ: quibus & Legatus condeſcendit, ſalvo tamen honore eccleſiæ *Romanæ*; ne improperando diceretur, ut qui venerat clerum cum eccleſia reformare, potiùs dèformaret. Tandem ſuggeſtum eſt Legato ab Epiſcopis & univerſitate cleri, quæ ibidem in præſenti fuit, quòd certaminis diſcrimen à familia ſua ſumpſit exordium; & in fine certaminis clerus deteriorem calculum reportavit: inſuper jam de clero pars magna, ad nutum ſuum carceri mancipatur; & pars reliqua mandato ſuo parens, parata fuit humiliter ſubire, in loco ab *Oxonia* circiter tribus diſtante dietis; ad petitionem tot & tantorum virorum, ad miſericordiam inclinare debere. Tandem elaboratum eſt, quòd hanc faceret Legatus miſericordiam, quòd comitantibus Epiſcopis pedes euntibus ſcholares omnes ibidem congregati, ab eccleſia ſancti *Pauli*, quæ ferè per unum miliare ab hoſpitio Legati diſtabat, pedes irent; ita tamen, quòd cùm venirent ad hoſpitium Epiſcopi *Carleolenſis*, illinc ſine capis & mantellis diſcincti & diſcalceati, uſque ad hoſpitium Legati procederent; humiliter veniam poſtulantes, miſericordiam & veniam conſequendo conciliarentur, quod & factum eſt. Videns autem dominus Legatus hanc humiliationem, recepit eos in gratiam ſuam, reſtituens Univerſitatem loco ſuo ipſius municipii; Interdictum cum ſententia miſericorditer ac benignè relaxando, literáſque eis conficiendo, ne illis proinde nota infamiæ aliquando procaciter objiceretur.

Eodem anno, ſtatim poſt paſcha, miſit dominus Rex *Angliæ* militare præſidium ad dominum Imperatorem juvandum contra rebelles ſuos in partes *Italicas*, ſub ducatu *Henrici* de *Trubleville*, viri in re militari peritiſſimi. Cum quo etiam miſit *J. Manſel* & *Willielmum Hardel* clericum, & civem *Londinenſem*, cum pecunia ſtipendiariis diſtribuenda. Et ſtrenuè per totam æſtatem exercitus Regis imperatori militavit; & quarundam civitatum cives, volentes obſtare, vicerunt, & imperio reddiderunt: ubi ſtrenuè ſe dictus *J: Manſel* geſſit.

Quod

1238. Quod Papa nimis moleſtè tulit. Et circa idem tempus, direxit Rex elegantem epiſtolam Papæ; petens ut mitiùs ageret cum domino Imperatore. Quod graviùs accepit Papa; ſecùs reſpondens quàm deceret; & commotus eſt in tantam iram, ut per aliquod tempus omnia negotia, præcipuè *Anglicorum*, ſuſpenderentur. Cúmque audiret electus *Valentiæ*, quòd profecturus eſſet talis exercitus in *Italiam*; cautè, quaſi dux eorum aſſociavit ſe domino *Henrico* de *Trubleville*, & cum eo transfretavit.

Eodem tempore, dominus Imperator *Conſtantinopolitanus Baldewinus*, de quo ſuprà dictum eſt, cùm quingentas marcas à Rege obtinuiſſet, & à Comite *Richardo* non minimam pecuniam; repatriavit. Sub illis quoque diebus, electus *Valentinus*, videns nulli placere moram ſuam in *Anglia*; ſponte, vel invitus, cautò tamen, quia clitellis ſuis refertis, & equis oneratis auro & argento & vaſis Regalibus, tranſretavit.

Mors Soldani *potentiſſimi.*

EODEMQUE tempore, *Soldanus* potentiſſimus, qui moriturus liberaliter legavit redditus opulentiſſimos & pecuniam multam infirmis in domo hoſpitalis *Chriſtianis* pauperibus commorantibus, & vinctos ſclavos liberos multos, & alia multa opera charitatis fecerat; animam ad multorum dolorem exhalavit. Erat autem, licèt paganus, veridicus, munificus, parcens (in quantum permiſit legis ſuæ ſeveritas, & vincinorum ſuſpicio) *Chriſtianis*. Quod cùm cognoviſſet Imperator *Romanorum Fredericus*, inconſolabiliter permultùm temporis dolens mortem ejus, planxit lugubriter. Speravit enim eum, ſicut idem *Soldanus* promiſerat, baptiſmi ſacramentum ſuſcepturum; & *Chriſtianitatem* per eum, magnum aliquando ſuſcipepere fœlicitatis incrementum.

Simon *de* Monte forti *ſe transfert ab Imperatore ad curiam* Romanam.

INTERIM *Simon* de *Monte forti*, cum gratia Imperatoris & literis ſupplicatoriis, ſe transfert ad curiam *Romanam*; & effuſa & promiſſa infinita pecunia, à domino Papa impetravit; ut quamvis votum ſolenniter factum coram *Ædmundo* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* repugnaret, liceret illicitis abuti amplexibus. Scripſitque dominus Papa Legato *Ottoni*, ut pro præfato *Simone* de *Monte forti*, ſolenniter ſententiaret. Quo audito, frater *Willielmus* de *Abendune*, de ordine *Prædicatorum*, & multi alii periti, zelum Dei præ oculis habentes; increpaverunt hanc ſententiam; ſanctitatem Papæ circumveniri, & animas periclitari, *Chriſtùmque* zelotypari veraciter affirmantes. Quia licèt, ſicut pars adverſa proteſtatur, habitum cum velo non aſſumpſerit mulier de qua agitur; annulum tamen, quo ſe *Chriſto* ſubarravit, vel potiùs deſponſavit, aſſumpſit, & ſic ſponſo *Chriſto* indiſſolubiliter copulatur; teſtante authentico ſcripto in Sententiis magiſtri *Petri*, in tractatu de voto; ſcilicet libro quarto. In quo, præmiſſis rationibus & auctoritatibus ſanctorum & canonum, ſubinfert: *Ex his apparet, virgines vel viduas voto continentiæ aſtrictas, ſive fuerint velatæ, ſive non, nullatenùs conjugium ſortiri poſſe, Quod itidem de omnibus intelligendum eſt, qui continentiam voverunt. Quod autem erat antè licitum, poſt votum erit illicitum.* Sed aliquid fortè ſubtilius, quàm nobis datum ſit intelligi, *Romana* curia ſpeculabatur.

Tartari *terras Septentrionales devaſtant.*

IN diebus illis, miſſi ſunt *Saracenorum* Legati ſolennes ad Regem *Francorum*; nunciantes & veraciter explicantes, principaliter ex parte veteris de monte; quoddam genus hominum monſtruoſum & inhumanum ex montibus Borealibus prorupiſſe, & ſpacioſas terras & opulentas Orientis occupaſſe; *Hungariam* majorem depopulaſſe, literáſque comminatorias cum legationibus terribilibus deſtinaſſe. Quorum dux ſe *nuncium Dei excelſi* affirmat, ad edomandas gentes ſibi rebelles. Hi quoque capita habentes magna nimis, & nequaquam corporibus proportionata; carnibus crudis, & etiam humanis veſcuntur. Sagittarii incomparabiles, flumina quævis cymbis de corio factis & portatilibus tranſeuntes; robuſti viribus, corporibus propagati, impii, inexorabiles; quorum lingua incognita omnibus, quos noſtra attingit notitia. Gregibus, armentis, & equitiis abundantes: equos verò habentes velociſſimos, potentes iter trium dierum uno conficere: ante, non retrò, bene armati; ne fugam ineant; ducem habentes ferociſſimum, nomine *Caan*. Hi Borealem plagam inhabitantes, vel ex *Caſpiis* montibus, vel ex vicinis, dicti *Tartari*, à *Tar* flumine; numeroſi nimis, in peſtem hominum creduntur ebullire; & hoc anno, licèt aliis vicibus exierint, ſolitò immaniùs debacchari. Unde *Gothiam* & *Friſiam* inhabitantes, impetus eorum pertimentes; in *Angliam*, ut moris eſt eorum, apud *Gernemue*, tempore halecis capiendi, quo ſuas naves ſolebant onerare, non venerunt. Hinc erat quòd halec eo anno in *Anglia* quaſi pro nihilo præ abundantia habitum; ſub quadragenario vel quinquagenario numero, licèt optimum eſſet, pro uno argento in partibus à mari etiam longinquis, vendebantur. Ille igitur nuncius *Saracenus* potens & genere præclarus, qui ad Regem *Galliæ* venerat, ex parte univerſitatis Orientalium deſtinatus nunciare talia, & petens auxilium ab Occidentalibus; ut poſſint meliùs furorem *Tartarorum* reprimere: unum à latere ſuo nuncium ad Regem *Angliæ* direxit *Saracenum*, qui hæc omnia venerat Regi nunciare; & qui diceret, quòd ſi ipſi talium impetus non poſſent ſuſtinere, quid reſtat, niſi ut & partes devaſtent Occidentalium. Juxta illud Poeticum:

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

1238.

Poſtulavit igitur ille nuncius, auxilium in tam generali & urgenti articulo; ut ipſi *Saraceni*, freti auxilio *Chriſtianorum*, injurias talium propulſarent. Cui cùm tum præſens fortè fuerat jocosè verbum ſuſcipiens, reſpondit Epiſcopus *Wintonienſis*, qui cruce quidem ſignatus erat: Sinamus canes hos illos devorare ad invicem, ut conſumpti pereant. Nos cùm ad *Chriſti* inimicos, qui reſidui remanebunt, venerimus; trucidabimus, & mundabimus terræ ſuperficiem; ut univerſus mundus uni catholicæ eccleſiæ ſubdatur, & fiat unus paſtor & unum ovile.

Mors Petri de Rupibus Epiſcopi Wintonienſis.

ANNO quoque eodem, quinto Idus Junii, obiit Epiſcopus *Wintonienſis*, *Petrus* ſcilicet de *Rupibus*. Qui cùm eccleſiam *Wintonienſem* circiter triginta duobus annis ſtrenuè rexiſſet, & laudabiliter peregrinationem ſuam in *Terra ſancta*, unà cum *Exonienſi* Epiſcopo, peregiſſet, domóſque religioſorum plurimas conſtruxiſſet; apud *Fernham* manerium ſuum, plenus dierum, facto nobili teſtamento, diem clauſit extremum. Sepultus eſt autem in eccleſia ſua *Wintonienſi*: ubi etiam dum viveret humilem elegit ſepulturam. In cujus obitu totum conſilium Regni *Anglicani*, tam regale quàm eccleſiaſticum, jacturam incurrit irreſtaurabilem. Nec prætereundum, quòd quicquid honoris & utilitatis, ſive per pacem, ſive per treugam, vel etiam guerram, in *Terra ſancta*, adveniente *Frederico* Imperatore, collatum eſt eccleſiæ; ejuſdem Epiſcopi conſilio & auxilio magnificè procuratum eſt, & prudenter effectui mancipatum. Propterea, cùm poſteà diſcordia inter dominum Papam & Imperatorem mota, toti eccleſiæ caſum minaretur; pacem inter tam nobiles perſonas per Dei gratiam fœliciter reformavit. Domorum autem religioſorum quas condidit, & conditas poſſeſſionibus, ædificiis, & redditibus inſtauravit, hæc ſunt nomina; *Hales*, de ordine *Prati monſtrati*: *Tikeford*, ejuſdem ordinis: *Seleburne*, de ordine ſancti *Auguſtini*, *Canonicorum* ſcilicet *regularium*: Hoſpitale egregium de *Porteſmue*. Item, in *Terra ſancta* eccleſiam ſancti *Thomæ* Martyris à loco importuno ad idoneum tranſferendo; ordinem fratrum ejuſdem eccleſiæ in ordinem mutavit competentiorem; ut qui anteà penitùs erant ſeculares actu & habitu, auxilio fretus Patriarchæ *Hieroſolymitani*, ordini *Templariorum*, crucem in pectore bajulantes, ſubjacerent. *Joppen*, nobile *Chriſtianorum* refugium, firmavit. Egregium nimis condens teſtamentum, cuilibet prædictorum locorum pecuniam impreciabilem legavit; ita ſcilicet, quòd domui ſancti *Thomæ Aconenſi*, cui minùs contulit, quingentas marcas aſſignavit. Præterea, Epiſcopatum opulentum ſucceſſori ſuo reliquit inſtauratum; ita ut aratrorum armentorum nulla fieret diminutio. Rex verò, audito de obitu *Petri Wintonienſis*, *Willielmum* electum *Valentinum* eidem Epiſcopatui præficere procuravit. Sed Cancellario, ſcilicet *Radulpho* de *Neville Ciceſtrenſi* Epiſcopo, contra voluntatem Regis à Conventu *Wintonienſi*, ad quem jus electionis pertinet, ritè poſtulato; Rex à conſilio ſuo & à curia poſtulatum irreverenter, ſublato ab eodem ſigillo, quod per conſilium prædicto Cancellario commiſſum fuit totius Regni, amovit; & poſtulationem ſuam per Legiſtas ſuos *Romipedas* caſſari à domino Papa, effuſa non modica pecunia, procuravit.

Obſidio urbis Mediolani.

EODEMQUE tempore anni, cum Imperator obſidionem apud *Mediolanum* continuaſſet, omnes ferè *Chriſtianorum* Principes ipſi armatorum manum miſerunt auxiliarem. Rex autem *Angliæ* ſororius ejus, centum ei milites, armis & equis decenter communitos, cum theſauro non minimo, ſub ducatu *Henrici* de *Trubleville* in auxilium deſtinavit. Ad cujus etiam auxilium cum militibus, quos illùc tam Comes *Tholoſanus* quàm *Provincialis* in auxilium Imperatoris deſtin runt, electus *Valentinus*, qui plùs de materialibus quàm ſpiritualibus armis noverat, non ſegniter properavit. Imperator autem tot nobilium agmine ſtipatus numoroſo, non ſine multorum admiratione in obſidione tempus conſumpſit ſpacioſum cum diſpendio: niſi quòd in una pugna periculari, *Henricus* de *Trubleville*, cum ſigno Regis *Angliæ* triumphali, cum ſuis *Anglicis*, quibus præerat, impetus hoſtium viriliter repreſſit; & ad fugam, citra ſpem omnium, compulit inſurgentes. Unde Imperator Regi literatoriè grates perſolvit; aſſerens impetum illum tam ſtrenuum ſalutis ſuæ cauſam fuiſſe & honoris. Non multùm pòſt temporis, ad *Brixenſium* obſidionem, qui in omnibus neceſſitatibus *Mediolanenſibus* ſuccurrebant, ſe cum ſuo exercitu contulit copioſo. Interim *Mediolanenſes* non vacantes, ſe foſſatis vallaverunt profundiſſimis; nec tamen ceſſarunt civibus *Brixenſibus* frequenter opitulari. Sic ſicque protellatum & conſumptum eſt tempus æſtivale; quòd imminente tempore hyemali, treugæ acceptæ ſunt utrorumque aſſenſu: & receſſerunt infecto negotio qui venerant ei in adjutorium. Imperator autem, quoniam non potuit *Brixenſium* civitatem, parvam aliarum reſpectu, expugnare; ſuóque ſubdere dominatui, factus eſt minùs hoſtibus formidabilis, & amicis venerabilis.

Reditus Archiepiſcopi Cantuarienſis Admundi à curia Romana.

CIRCA idem tempus, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Admundus*, à curia *Romana* rediens, venit in *Angliam*. Qui contra Monachos ſuos *Cantuarienſes*, quamvis cum gratia Conventus ab *Anglia* receſſiſſet, à domino Papa pro ſe impetravit: unde ſubdorta eſt diſcordia nimis enormis & indecens, inter gregem & paſtorem; & paſſa eſt eccleſia damna multa & dedecus, ſuſpenſionem & ignominiam. Unde vocatus Legatus ad reformationem illius deforma-

1238. deformationis, dum in Capitulo *Cantuarienſi* præſideret, propter quoddam ſcriptum, in quo privilegium quoddam, tempore beati *Thomæ* impetratum, continebatur (quod quidam imprudenter combuſſerunt) Priorem *Cantuarienſem* depoſuit; & ad diſtrictiorem ordinem, ut ibidem perpetuam ageret pœnitentiam, deſtinavit, quoſdam Monachorum diſperſit: quia (ut dicebatur) in prædicto privilegio, quæ ſibi videbantur manifeſtè adverſari, pietate minùs diſcreta, occultè abraſerat; & quæ pro eis agere appoſuerat. Et quia tales raſuræ in tam authentico ſcripto non poterant diligenter intuentes latere, ne notam infamiæ & falſarii Conventus incurreret, unus fratrum combuſſit inconſultus. Unde Legatus, cùm mentionem illius ſcripti feciſſet Archiepiſcopus, interrogaſſétque, & non inveniretur, & licèt inviti de re geſta veram facerent confeſſionem; Legatus meritò commotus, in vindictam tanti exceſſus; Priorem (ut dictum eſt) ab adminiſtratione amovens, aliquos, qui rei videbantur, diſperſit; commonens ut arctiùs viverent perpetuò pœnitentes. Poſteà, quia Prior cum ſæcularibus Capitulum intravit, contra domus approbatam conſuetudinem, ad electionem celebrandam; Conventus ſibi Priorem abſque aſſenſu Archiepiſcopi elegit. Unde hoc audito, Archiepiſcopus electionem reprobando caſſavit; totum Conventum, præcipuè electum & electores, non tantùm ſuſpenſionis, ſed etiam anathematis vinculis innodavit. Conventus autem contra Archiepiſcopum in hoc, ad præſentiam domini *Papæ* conſtanter appellavit.

Rex conatur electum Valentinum in Epiſcopum Wintonienſem eligi.

IN illis diebus, Rex omnem quam potuit, plùs & ſecùs quàm deceret, adhibuit diligentiam (quamvis priùs ſæpè juraſſet alienigenas amovere, non promovere) ut electus *Valentinus* (qui tamen vir ſanguinum eſſe dicebatur) in Epiſcopum *Wintonienſem* promotus eligeretur. Quod conſtanter Monachi, ad quos ſpecialiter ex antiquo jure pertinere dignoſcitur electio, inter ſe renuentes, ſicut moris eſt, Regem adierunt, licentiam eligendi poſtulantes. Rex autem antequàm reſponderet, eos de electione & promotione electi *Valentini*, quem ſuum vocavit avunculum, ſollicitavit. At Monachi diſſimulantes, inducias ſuper hoc deliberandi ſimul cum Conventu, ad quem pertinebat electio, poſtulârunt. Sed cùm Rex preces ſuas talibus induciis ſenſit effectu caruiſſe, divertens ad ſolitas cavillationes, petitioni Monachorum reſpondit. Intimatum eſt mihi, quòd duo Archidiaconi Epiſcopatus *Wintonienſis*, electioni veſtræ tenentur intereſſe; nec eos in præſenti video, unde petitioni veſtræ non eſt annuendum. Cui Monachi reſponderunt. Quòd etſi electioni intereſſe (quod nimis abſurdum & juſtitiæ diſſonum eſſe videtur) debeant, poſtulationi electionis intereſſe non debent. Et ita Rex, licèt diu recalcitraret; juſtæ poſtulationi eorum non potuit contradicere. Sed cùm poſteà fida relatione cognoviſſet, quòd idem Monachi communiter de *Willielmo* de *Ræle*, viro utique per omnia laudabili, diligenter tractarent, ut in Epiſcopum eligeretur, & omnes jam in eum conſenſiſſe; Rex iratus nimis procaciter reſpondit: Renuiſtis electum *Valentinum*, dicentes eum virum ſanguinum, & *Willielmum* de *Ræle*, qui multò plures lingua, quàm alius gladio trucidavit, elegiſtis. Et in ſuperbia & abuſione juravit, ſe nunquam hoc ullo modo toleraturum. Monachi igitur indignationem Regiam pertimeſcentes, declinârunt ab incepto. Interim Rex poſſeſſiones Epiſcopatus & inſtaurationes demoliendo, crebrò in maneriis Epiſcopatus jacuit, agmine ſtipatus numeroſo.

Rex Epiſcopum Ciceſtrenſem Radulphum *caſſare procurat.*

MONACHI igitur *Wintonienſes*, videntes moram deſtitutionis damnoſam; de ſibi eligendo paſtore diligenter tractaverunt. Quòd cùm cognoviſſet Rex, illùc illicò accelleravit, & inſtantiùs quàm deceret vel expediret, in Capitulum intrans; Conventum comminando & promittendo petiit, quatenùs electum *Valentinum*, avunculum ſuum, in Epiſcopum eligerent. At illi, cautè volentes Regiam indignationem declinare, impetus indiſcretos induciis emollire ſtuduerunt: & nolentes injuſtis petitionibus annuere, Epiſcopum *Ciceſtrenſem Radulphum* de *Nevill*e, Regis Cancellarium, unanimi conſenſu ſibi in Epiſcopum & Paſtorem animarum ſuarum poſtulârunt. Cùm autem videret Rex, iterum inſtantiam precum ſuarum effectu caruiſſe; juſtæ poſtulationi Monachorum adverſando, multa convicia congeſſit in eundem Epiſcopum; dicens eum impetuoſum, iracundum, perverſum; vocans omnes fatuos, qui eum in Epiſcopum poſtulârunt. Inſuper ſigillum ſuum, quod idem Epiſcopus per univerſitatem Regni receperat cuſtodiendum, Rex violenter abſtulit, & fratri *Galfrido Templario* & *Johanni* de *Lexintuna* commiſit bajulandum: emolumentis tamen ad Cancellariam ſpectantibus, Epiſcopo, quaſi Cancellario, redditis & aſſignatis. Proſequens autem Rex conceptum impetum, miſit ad curiam *Romanam*, *Simonem Normannum* & *Alexandrum* ſæcularem, Legiſtas conductitios. Qui multa data & promiſſa pecunia, virum juſtum de jure ſuo privando, & juſtum judicium ſubvertendo; prædictam poſtulationem perperàm caſſaverunt.

Mediolanenſes *cupiunt reconciliari Imperatori* Fredecrico.

IN illius temporis diebus, *Mediolanenſes* Imperialem majeſtatem formidantes, miſerunt ad dominum ſuum Imperatorem ſub omni qua potuerunt inſtantia poſtulantes, ut ipſe, quem verum dominum & naturalem palàm proteſtati ſunt, ſuam ab eis averteret indignationem; & ceſſans expugnare eos, quaſi ſuos fideles foveret, & protegeret ſub alis ſuæ magnificæ protectionis. Ipſi autem ex tunc in anteà, ipſi quaſi Imperatori & domino, cum debita

ſervirent

1238.

ſervirent reverentia. In cujus obedientiæ teſtimonio, ut in brachiis ſuæ dilectionis tutarentur, & priſtinæ rebellionis non recordaretur; omnem quam habebant in auro & argento ſubſtantiam, ipſi liberaliter conferrent. Inſuper omnia vexilla ſua ante pedes Imperiales collata, in ſignum ſubjectionis & obedientiæ & Imperialis victoriæ, concremarent. Cæterùm, eidem in obſequio Crucis in *Terra ſancta* militanti, invenirent per annum decem millia armatorum, ad promotionem eccleſiæ & ſui honorem; ea conditione ut ipſos cives ſine ſimultate diligeret, & ſalvus permaneat ſtatus civium & civitatis. Sed hæc omnia dominus Imperator procaciter refutavit, exigens irrefragabiliter, ut cives communiter cum ſua civitate & bonis omnibus, ſe ſuáque abſolutè ſuæ manciparent voluntati. Cujus tyrannidi cives communiter reſponderunt, quòd hoc nullo modo facerent, dicentes: Timemus tuam edocti experimento feritatem. Malimus ſub clypeis gladio vel lancea mori, vel ſpiculis, quàm laqueo, fame, vel incendiis. Ex tunc igitur cœpit Imperator favorem multorum amittere, quia factus eſt tyrannus inexorabilis: & *Mediolanenſes* propter ſuam humilitatem, extolli & roborari meruerunt. Juxta illud: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Cives autem videntes rem agi pro capite, ſolitò inſtantiùs ſe ſuámque civitatem armis & foſſatis, & aliarum civitatum fœdere muniêrunt.

Fratris Johannis *ordinis Prædicatorum exitus.*

CIRCA eadem tempora, quidam de ordine *Prædicatorum*, videlicet frater *Johannes*, vir benè literatus & facundus, & gratioſus in officio prædicationis, in *Italia* celeberrimus habebatur; ita ut bella inter civitates inita ſedaret, & faceret Deus miracula pro eo, & tranſivit fluvios ſicco veſtigio, & volantes in alto vultures ſolo præcepto cogeret deſcendere. Tandem, procurante Diabolo, gloria elatus eſt, & familiaritate carnalium amicorum enervatus: Dei amorem, & hominum honorem, necnon & Prælatorum amittere meruit reverentiam.

Quidam facinoroſus conatur Regem in thalamo jugulare.

EODEM anno accidit Regi periculum, omnes audientes reddens nimis attonitos. In craſtino enim nativitatis beatæ *Mariæ*, venit armiger quidam literatus, ut dicitur, ad curiam Regis apud *Wodeſtock*, ſe fingens infatuatum, dicens Regi: Reſigna mihi Regnum, quod injuſtè uſurpaſti, & diu detinuiſti. Addidit quoque, quòd ſignum Regale geſtabat in humero. Quem cùm miniſtri Regales arripuiſſent, volentes eum baculatum à præſentia Regis propellere. Rex irruentium in eum impetum compeſcuit, dicens: Sinite infatuatum ut talem decet deſipere: verba enim talium carent pondere veritatis. Media autem nocte, ecce ille idem per feneſtram Regii thalami introgreſſus, cultellum portans extractum, lectum Regis adiit furibundus: quem cùm non inveniſſet, confuſus eſt: ſed feſtinus quæſivit eum per plura thalami diverticula. Erat autem tunc temporis, Domino providente, Rex quieſcens cum Regina. Quædam autem puella Reginæ, cùm fortè vigilaret, Pſalterium pſallebat ad candelam: erat enim ſancta, & Deo devota, nomine *Margareta Biſeth*. Iſta cùm videret prædictum furibundum omnia abdita, ut Regem jugularet, perſcrutari, & voce terribili ſæpiùs, ubi Rex eſſet, percontari; attonita nimis cœpit clamitare. Ad cujus clamorem terribilem miniſtri Regales expergefacti, feſtinanter proſiliunt accurrentes: & oſtium, quod ipſe latro repagulo firmiter obſeraverat, confringunt: & ipſum repugnantem arripiunt, vinculis aſtringunt, arctant anguſtiis. Qui tandem confeſſus eſt, ſe miſſum illùc, ut Regem more aſſaſſinorum occideret, à *Willielmo* de *Mariſco*, filio *Galfridi* de *Mariſco*; alios quoque in idem facinus aſſeruit conſpiràſſe. Quo cognito, Rex eum, quaſi Regiæ Majeſtatis occiſorem, membratim laniatum equis apud *Coventre*, exemplum terribile & ſpectaculum lamentabile præbere juſſit omnibus audentibus talia machinari. Primò enim diſtractus, poſteà decollatus, & corpus in tres partes diviſum eſt. Quælibet enim pars per ſuam de Majoribus *Angliæ* civitatem pertracta eſt; & poſteà cruci appenſa latronali.

Ventus validiſſimus.

CIRCA feſtum ſancti *Matthæi*, vehemens ventus inhorruit adeò damnoſus; quod ſine aliis damnis impreciabilibus & irreſtaurabilibus, plùs quàm viginti naves ſubmerſit apud *Porteſmue*.

Redit Simon *de* Monte ford *in* Angliam.

DIE verò ſancti *Calixti*, rediit *Simon* de *Monte forti* de partibus tranſmarinis; quem Rex ſuſcepit in oſculo cum magno gaudio, & omnes Regales. At ipſe feſtinanter adiit uxorem ſuam *Alienoram*, partui proximam, apud *Kenilwurthe* commorantem.

Citantur Abbates Nigri ordinis Londini *coram Legato.*

EODEM quoque anno, dominus Legatus *Otho*, omnes Abbates *Angliæ* Nigri ordinis auctoritate domini Papæ citavit; ut coram eo apparerent *Londini* in eccleſia ſancti *Martini*: de ſtatutis, quæ Dominus Papa, habita deliberatione, ordinavit, de ordine Monaſtico reformando, tractaturi.

Statuta Nigri ordinis reformata.

ABBATIBUS igitur ordinis Nigri congregatis, exorſus eſt dominus Legatus ſermonem elegantem; & animans omnes ad patientiam, incepit ſic. In nomine Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Amen.* Cùm grande ſit opus & arduum, civitatem Dei, quæ eſt religio, novis & innovatis propugnaculi, præmunire; contra verſuti hoſtis inſidias, qui eam novis & antiquis jugiter nititur machinis debellare: Nos *Otho*, miſeratione divina, ſancti *Nicolai* in carcere *Tulliano* Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus; ex injuncto nobis Legationis officio, ad juvandum pro viribus tam favorabile

1238. opus nos obnoxios reputantes, quædam tum ex ſancti *Benedicti* patris regula, tum ex ſacris Conciliis & Canonicis ſanctionibus, tum ex ſtatutis Abbatum ordinis ejuſdem beati *Benedicti* colligi fecimus & notari: quæ ſi ſervata fuerint, ſacræ religioni erunt in ſubſidium & tutelam.

Qui admittendi ad religionem.

INPRIMIS igitur duximus ſtatuendum, quòd nullus ante vigeſimum annum completum ad profeſſionem, & decimum nonum ad probationem in *Monaſterium* de cætero admittatur.

Anno probationis completo fiat profeſſio.

Item, qui ad probationem admiſſus fuerit, profeſſionem incontinenti faciat anno probationis elapſo; vel exeat Monaſterio. Alioquin Abbas vel Prior, qui aliquem ſine profeſſione ſuſtinuerit ultra annum, per præſidentes capituli puniatur graviter & ille novitius nihilominùs profiteri cogatur, & haberi debeat pro profeſſo.

Nullus conditione vel precio admittatur.

Item, quòd ab aliquo, qui velit Monaſterium ingredi, nihil exigatur omninò: ſed purè propter Deum, & ſine aliqua pactione, qui admittendi fuerint admittantur. Recipi tamen poterit ſine culpa, ſi quid ſine pactione & exactione & taxatione aliqua, fuerit gratis oblatum.

Nullus habeat proprium vel peculium.

Item, quòd monachus de cæterò aliquid proprium non habeat: & ſi habeat, ſine dilatione ſuo Prælato aſſignet.

Nullus in maneriis vel eccleſiis ſolus commoretur.

Item, quòd aliquis monachus de cæterò ad firmam aliquod manerium poſſeſſionémve aliam, à Prælato ſuo recipere non præſumat. Alioquin ut proprietarius haberi debeat, & puniri. Item, quòd in maneriis monachi non morentur; nec etiam in eccleſiis, niſi plures fuerint, ſaltem duo.

Obedientiarii de adminiſtrationibus rationem reddant.

Item, quòd diſcreti & fide digni ad officia deputentur, qui ter ſaltem in anno Prælato ſuo, præſentibus aliquot de ſenioribus, reddant fideliter de ſuis adminiſtrationibus & officiis rationem: & tunc quicquid eis ſuperfuerit, ſive in pecunia, ſive in aliis quibuſcunque rebus conſiſtat, ſine difficultate omni, qualibet fraude remota, ſuis Prælatis reſtituant, & aſſignent: pœnam proprietariorum contrà facientibus incurſuris.

Abbas vel Prior ſimiliter rationem reddat.

Abbas quoque, vel Prior non habens Abbatem, ſaltem ſemel in anno coram Conventu, vel aliquot de ſenioribus, ad hoc à Conventu deputatis, reddat de ſtatu monaſterii, & de adminiſtratione ſua plenariam rationem.

Sententia excommunicationis in proprietarios publicè ferenda.

Item, ſtatuimus, quòd Prælati, vel ſaltem in anno, publicè in Conventu in omnes proprietarios excommunicationis ferant ſententiam: aliàs eos, ſi non reſipuerint, punientes, maximè per ignominiam ſepulturæ.

Silentium ordinatè obſervandum.

Item, ſtatuimus, quòd ſilentium ſemper in debitis locis, temporibus, & horis ſtatutis, juxta regulam, obſervetur; & ſigna ſcire ſtudeant omnes neceſſaria.

Eſus carnium interdictus.

Ad hæc, cùm eſus carnium ſit monachis Nigri ordinis per regulam beati *Benedicti*, ac ſtatutum noſtrorum, necnon & Abbatum *Angliæ* præſidentium generali capitulo interdictus ut monachis, qui conſueverunt veſci carnibus per abuſum, tollatur occaſio & materia murmurandi; præcipimus Abbatibus & Prioribus, ut loco illius cibi eis vetiti ſtudeant & procurent monachis, juxta facultatem domous, cibum alium competentem miniſtrare.

Ut ſimul dormiant Monachi.

Item, quòd monachi tam ad dorſum quàm lectum, ſecundùm regulam & facultatem domus, habeant ſufficientia & congrua indumenta; nec camiſiis lineis vel burnetis utantur.

Indumenta congrua & ſufficientia.

Item, ſimul dormiant monachi, & lectos habeant juxta regulam: nec in eorum dormitorio deſit lumen.

Hoſpitalitas obſervanda.

Hoſpitalitatem verò tam à Prælatis quàm à ſubditis, ſecundùm regulæ ſanctionem & facultatem loci, cum charitate & hilaritate obſervari ſtatuimus & mandamus, ut ſemper ad hoc monachus benignus & manſuetus deputetur. Idem quoque circa infirmos fratres ſtatuimus obſervandum.

Collationi & completorio omnes interſint.

Item, quòd omnes omnibus horis interſint divinis, & maximè collationi & completorio: niſi ex honeſta cauſa aliquis circa hoſpites occupatus, de ſpeciali licentia ſui Prælati neceſſe habuerit remanere. Numerum verò equorum & familiæ, Prælati ſtudeant in quantum poterunt moderari.

Superfluitas fugienda. Statuta iſta juxta regulam ſcribenda.

Item ſtatuimus, quòd Abbates & Priores continuè juxta regulam ſcribi faciant conſtitutiones ſummorum Pontificum, ad eos & eorum ordines præcipuè pertinentes; quæ in compilatione domini *Gregorii* Papæ noni ſub infra titulis ſcriptis continentur, videlicet: *De ſæcularibus tranſeuntibus ad rel. Ex parte. Statuimus, ne rel. De ſtatu monachorum monachi cùm ad monaſt. In ſingulis provin. Ea quæ pro rel. honeſt. De ſimonia. Quoniam ſimoniaca labes Monachi de ſent. excommunica. Univerſitas. Cum illorum abſol. De monialibus de fidejuſſorib. Quod quibuſ. De ſolu. Si quorundam.*

Omnia hæc ſæpius repetenda.

Item diſtrictè præcipimus Abbatibus, Prioribus, quòd prædictam regulam *S. Benedicti* & decretales & conſtitutiones ſupraſcriptas ſcire ſtudeant; & ea ſecum ſemper habeant: curent etiam diligenter, quòd ea ſubditi non ignorent.

Item,

1238.

Singulis diebus fiat una lectio prædictorum.

Item ſtatuimus & diſtrictè præcipimus obſervari, quòd in Conventu quorumlibet monachorum, una lectiò diebus ſingulis de prædicta regula vel ſanctionibus hora competenti legatur; & minùs intelligentibus exponatur.

Statutum Honorii.iii. de tranſeuntibus ad religionem.

Ex parte tua fuit propoſitum. *Honorius* iii. Epiſcopo *Arethen* ſcitum quòd nonnulli ſunt; qui licèt pluribus annis geſtaverint habitum monachalem, profeſſionem tamen monaſticam non fecerunt: unde cùm ſuper eo quòd habent proprium, & aliàs irregulariter vivunt, à te vel ab aliis arguuntur, non erubeſcunt dicere, ſe ad carentiam proprii, continentiam, ac alias regulares obſervantias teneri, cùm habitus non faciat monachum, ſed profeſſio regularis, *&c.* Ideo fraternitati tuæ mandamus, quatenùs quoſlibet tibi lege diœceſana ſubjectos, qui prædicto modo terram duabus viis ingredi non verentur; ut poſtquam per annum geſtaverit habitum monachalem, regulam ſecundùm formam ordinis profiteantur & ſervent, eccleſiaſtica cenſura compellas.

De iiſdem Gregorii noni.

STATUIMUS, novitios in probatione poſitos, ante ſuſceptum religionis habitum, qui dari profitentibus conſuevit, vel ante profeſſionem emiſſam ad priorem ſtatum redire poſſe liberè infra annum; niſi evidenter appareat, quòd tales abſolutè mutare vitam noluerint, & in religione perpetua Domino deſervire; cum quibus valeat ei renunciare, quod per ſe noſcitur introductum. Nihilominùs ſtatuentes ad omnem ambiguitam penitus amovendam, cùm in quibuſdam locis religioſis novitiorum habitus non diſtinguatur ab habitu profeſſorum; profeſſionis tempore benedicantur veſtes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum à profeſſorum habitu diſcernantur.

Item de eadem.

NE religioſi vagandi habentes occaſionem ſalutis propriæ detrimentum incurrant & ſanguis illorum de Prælatorum manibus requiratur; ſtatuimus, ut præſidentes capitulis celebrandis, ſecundùm ſtatutum Concilii generalis, ſeu Patres, Abbates, ſive Priores, fugitivos & ejectos de ordine ſuo requirant ſollicitè annuatim. Qui ſi monaſteriis ſuis recipi poſſunt ſecundùm ordinem regularem, Abbates ſive Priores eorum per eccleſiaſticas cenſuras compellant ad receptionem ipſorum, ſalva ordinis diſciplina. Quòd ſi hoc ordo non patitur, auctoritate noſtra, provideant, ut apud eadem monaſteria in locis competentibus ſi abſque gravi ſcandalo fieri poterit, recludantur. Alioquin in aliis religioſis domibus ejuſdem ordinis, ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ neceſſaria miniſtrentur. Si verò hujuſmodi inobedientes invenerint, excommunicent; & tamdiu faciant ab eccleſiarum Prælatis publicè excommunicatos nunciari, donec ad mandatùm illorum humiliter revertantur.

De ſtatu Monachorum.

MONACHI non precio recipiantur in monaſterio, nec peculium habeant. Non ſinguli per villas & oppida, per quaſcunque parochiales eccleſias ponantur: ſed in majori conventu, aut aliquibus fratribus, non ſoli inter ſæculares ſpiritualium hoſtium conflictum expectent, *Salomone dicente: Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non eſt qui ſublevet ipſum.* Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros ordines non aſcendat. Is verò, qui eum receperit, officii ſuſpenſione multetur. Qui verò peculium habuerit, niſi ab Abbate ei fuerit pro injuncta adminiſtratione permiſſum, à communione removeatur altaris: & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit; nec oblatio pro eo fiat nec inter fratres accipiat ſepulturam: quod de univerſis religioſis præcipimus obſervari. Abbas verò qui diligenter iſta non caverit, officii ſui jacturam ſe noverit incurſurum. Prioratus quoque ſeu obedientiæ, pretii donatione nulli tradantur: alioquin dantes & accipientes à miniſterio fiant alieni. Priores verò, cùm in eccleſiis Conventualibus per electionem capitulorum ſuorum canonicè fuerint inſtituti; niſi pro manifeſta cauſa & rationabili, non mutentur: videlicet ſi fuerint dilapidatores, incontinentes, aut tales, pro quo amoveri meritò videantur: aut ſi etiam pro neceſſitate majoris officii, de conſilio fratrum fuerint transferendi.

Item de eadem.

CUM *ad monaſt.* &c. Firmiter inhibemus, ne quis de cæterò monachorum, lineis camiſiis utatur. Prohibemus quoque diſtrictè, in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo poſſideat: & ſi aliquis aliquid habet proprium, incontinenti reſignet. Si verò poſthac proprietatem aliquam fuerit inventus habere, regulari admonitione promiſſa, de monaſterio expellatur: nec recipiatur ulteriùs, niſi pœniteat ſecundùm monaſterii diſciplinam. Quòd ſi proprietas apud quemque inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſterquilinio ſubterretur: ſecundùm quod *B. Gregorius* dicit in *Dialogo* ſe feciſſe. Unde ſi quicquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere, ſed Abbati vel Priori aſſignetur. In oratorio, refectorio, & dormitorio, continuum ſilentium obſervetur: in clauſtro quoque horis certis & locis, ſecundum antiquam conſuetudinem monaſterii. In refectorio autem nullus omninò carne veſcatur, nec in quibuſdam ſolennitatibus, ſicut aliquando conſuevit Conventus. Exeat cum Abbate, paucis ibi relictis, ut extra refectorium edant carnes: cùm in illis diebus præcipuè regularis diſciplina ſit ſtudioſiùs obſervanda. Sed nec extra refectorium, niſi in infirmitorio, eſum carnium credant ſibi licere: quanquam ex indulgentia poſſit Abbas interdum aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos, prout neceſſitas poſtulaverit, advocare, ipſóſque in camera ſua

melius

1238. meliùs & pleniùs exhibere. Porrò, debiles & infirmi, qui munitione indigent, vel aliqua medicina, non ſeorsùm in cameris, ſed omnes in infirmitorio quæ neceſſaria fuerint ſibi, tam in carnibus, quàm in aliis recipiant competenter. Quòd ſiquis eorum debilis fuerit aut etiam delicatus, ſi non poſſit communibus cibis eſſe contentus, ſic ei provideatur ſine ſcandalo aliorum, ut ſi Abbas vel Prior voluerit in refectorio miſericordiam facere ſpecialem, cibum aliquem competentem, non ante illum, ſed ante ſe faciat aſportari; de quo ille ſibi faciat pitanciam pro naturæ ſuſtentatione. Tales autem ad agenda officia Monaſterii deputentur, qui fideles ſint & diſcreti: nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda, tanquam in ſua ſibi vita locetur: ſed cùm oportuerit amoveri, ſine contradictione qualibet removeatur. Prior autem præ cæteris poſt Abbatem potens ſit opere & ſermone, ut exemplo vitæ verbóque doctrinæ fratres ſuos & inſtruere poſſit in bono, & à malo etiam revocare: zelum religionis habens ſecundùm ſcientiam, ut delinquentes corripiat & caſtiget, obedientes foveat & confortet. Abbas verò, cui omnes in omnibus obediant, quantò frequentiùs poterit, ſit cum fratribus in Conventu, vigilem curam & diligentem ſollicitudinem gerens de fratribus omnibus; ut de officio ſibi commiſſo, dignam Deo poſſit reddere rationem. Quòd ſi prævaricator ordinis fuerit, aut contemptor, ſeu negligens, aut remiſſus; pro certo ſe noverit non ſolùm ab officio deponendum, ſed etiam alio modo ſecundùm reatum caſtigandum: cùm offenſa non ſolum propria, verùm etiam aliena de ſuis manibus requiratur. Non exiſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietatis, poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare: quia abdicatio proprietate ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ Monachali; ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.

Item de eodem. IN ſigulis regnis, ſive provinciis, fiat de triennio in triennium, ſalvo jure Dioceſanorum Pontificum, commune Capitulum Abbatum, atque Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non conſueverunt tale Capitulum celebrare: ad quod univerſi conveniant, præpeditionem canonicam non habentes, apud unum de Monaſteriis ad hoc aptum, hoc adhibito moderamine; ut nullus eorum pluſquàm ſex vectiones, & octo perſonas adducat. Advocet autem hujuſmodi novitatis primordiis, duos *Ciſtercienſis* ordinis vicinos Abbates, ad præſtandum ſibi conſilium vel auxilium opportunum: cùm ſint in hujuſmodi Capitulis, ex longa conſuetudine pleniùs informati. Quòd abſque contradictione duos ſibi de ipſis aſſocient, quos viderint expedire. Ac ipſi quatuor, præſint Capitulo univerſo; ita quòd ex omnibus nullus ſibi auctoritatem prælationis aſſumat. Unde cùm expedierit, provida poſſit deliberatione mutari. Hujuſmodi Capitulum verò aliquot diebus continuè juxta morem *Ciſtercienſis* ordinis, celebretur. In quo diligens habeatur tractatio de reformatione ordinis, & obſervantia regulari: & quod ſtatutum fuerit illis quatuor approbantibus, inviolabiliter obſervetur; omni excuſatione, contradictione, & appellatione remotis. Proviſo nihilominùs, ubi ſequenti termino debeat Capitulum celebrari. Et qui convenerint, vitam ducant communem; & faciant proportionaliter ſimul omnes, communes expenſas. Ita quòd ſi omnes non poterunt in eiſdem, ſaltem plures ſimul in diverſis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem Capitulo religioſæ ac circumſpectæ perſonæ, quæ ſingulas Abbatias ejuſdem Regni, ſive provinciæ, non ſolùm Monachorum, ſed etiam Monialium, ſecundùm ſibi præfixam regulam, vice noſtra viſitare ſtudeant: corrigentes & reformantes, quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere. Ita quidem, quòd ſi rectorem loci cognoverint ab adminiſtratione penitùs amovendum, denuncient Epiſcopo proprio, ut illum amovere procuret. Quòd ſi non fecerit, viſitatores hæc referant ad Apoſtolicæ ſedis examen. Hoc ipſum *Regulares Canonicos*, ſecundùm ordines ſuos, volumus & præcipimus obſervare. Si verò in hac novitate quicquam dificultatis emerſerit, quod per prædictas perſonas nequeat expediri; ad Apoſtolicæ ſedis judicium abſque ſcandalo referatur: cæteris irrefragabiliter obſervatis, quæ concordi fuerint deliberatione præviſa. Porro, Dioceſani Epiſcopi Monaſteria ſibi ſubjecta, ita ſtudeant reformare, ut cùm ad ea prædicti viſitatores acceſſerint, plus in illis inveniant, quæ commendationem merentur, quàm quod correctionem: attentiſſimè præcaventes, ne per eos, dicta Monaſteria indebitis oneribus prægraventur. Quia ſic volumus ſuperiorum jura ſervari, ut inferiores nolimus injurias ſuſtinere. Ad hæc, diſtrictè præcipimus tam Dioceſanis Epiſcopus, quàm perſonis quæ præerunt Capitulis celebrandis; ut per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota, compeſcant advocatos, patronos, indioceſanos rectores, conſules, magnates & milites, ſeu quoſlibet alios; ne Monaſteria præſumant offendere, in perſonis vel rebus. Et ſi forſan offenderint eos, ad ſatisfactionem compellere non omittant, ut liberiùs & quietiùs Deo valeant famulari.

Item de eodem. EA *quæ pro religionis honeſtate & I.* Porrò, cum viſitatores ſecundùm ſtatutum generalis concilii ordinati, à generali Abbatum Capitulo proceſſerunt, ad viſitationis officium exequendum; de ſtatu Monachorum & obſervantiis regularibus diligenter inquirant, & tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, corrigant & reforment quæ viderint corrigenda. Ita tamen, quòd Monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciant, eiſque injungi pœniten-

1238.

pœnitentiam ſæcularem, juxta beati *Benedicti* regulam, & Apoſtolica inſtituta : non ſecundùm normam pravæ conſuetudinis, quæ quaſi pro legibus in quibuſdam eccleſiis inolevit : Ipſi viſitatores, Monachos, quos contumaces invenerint & rebelles, juxta modum culpæ vice noſtra regulari cenſura percellant, abſque perſonarum delectu ; non parcendo rebellibus ob ſuam pertinaciam, vel potentiam amicorum ; quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat ſanas oves. Si verò Abbates in corrigendis juxta viſitatorum mandatum & regularia ſtatuta, in ſeipſis ſive Monachis, inventi fuerint negligentes, proclamentur & corripiantur & ita puniantur publicè in Capitulo generali, ut pœna illorum aliis ſit in exemplum. Quòd ſi Abbas non exemptus fuerit à viſitatoribus, nimis negligens & remiſſus inventus ; ejuſdem loci Dioceſano denuncient ſine mora, ut per illum detur ei fidelis & providus coadjutor, uſque ad Capitulum generale. Si autem dilapidator fuerit, vel aliter meritò amovendus, per Dioceſanum, poſtquàm hoc ſibi à viſitatoribus denunciatum fuerit, amoveatur abſque judiciorum ſtrepitu, à regimine Abbatiæ ac Monaſterio. Provideatur interim adminiſtrator idoneus, qui temporalium curam gerat ; donec ipſi Monaſterio fuerit de Abbate proviſum. Quòd ſi forſan Epiſcopus hæc adimplere noluerit, vel neglexerit ; viſitatores, vel præſidentes Capitulo generali, defectum Epiſcopi Apoſtolicæ ſedi non differant intimare.

Hæc eadem etiam circa exemptos Abbates fieri præcipimus, per viſitatores, vel præſidentes Capitulo generali ; depoſitione ipſorum ſedi Apoſtolicæ reſervata : ita ut Abbate, qui deponendus aut amovendus videbitur, interim per viſitatores, vel in Capitulo præſidentes, ab adminiſtratione & officio ſuo ſuſpenſo, adminiſtrator idoneus interim Monaſterio deputetur. Illorum autem exceſſus, & alia, quæ viſa fuerint intimanda Capitulo, præſidentes nobis denuncient per fideles nuncios, cautos, & prudentes : quibus de communi contributione, juxta cujuſlibet facultatem, ſufficienter expenſæ adminiſtrentur. Sequentes autem viſitatores, perquirant priorum viſitatorum veſtigia diligenter ; & eorem negligentias & exceſſus referant ſequenti Capitulo generali, ut juxta culpam publicè debitam pœnam portent. Idem etiam, Abbatibus præſidentibus in generali Capitulo, præcipimus obſervari. Præcipimus quoque, ut in Monaſterio nullo recipiant ad præbendas Abbates & Monachi, Clericos ſæculares. Nec hi, qui jam recepti ſunt, locum vel vocem in Capitulo, dormitorio, vel refectorio, ſeu clauſtro, ſibi contendant vendicare ; ſeu Monachorum cœtibus importunè ſe miſcere præſumant : ſed beneficiis ſibi conceſſis contenti, converſentur honeſtè ; opportuna obſequia in Monaſteriis fideliter impendentes, nihilque ultrà in ſpiritualibus aut temporalibus in ipſis Monaſteriis exigant, vel uſurpent. Si qui verò talium à viſitatoribus inventi fuerint criminoſi, per Dioceſanum exinde in non exemptis Monaſteriis ; & per viſitatores vel præſidentes Capitulo generali, in exemptis, beneficiis priventur eiſdem. Hæc autem omnia etiam in Monaſteriis, quæ non habent Abbates proprios, ſed Priores ; necnon in Monaſteriis Monialium, quoad articulos Abbatiſſis & Monialibus congruentes, præcipimus obſervari.

De Simonia.

QUONIAM Simoniaca labes pleraſque Moniales infecit, ut vix aliquas ſine precio recipiant ſorores ; paupertatis prætextu volentes hujuſmodi intolerabile vitium & ſcandalum totius religionis palliare : Ne id de cæterò fiat, penitùs inhibemus. Statuentes, ut quæcunque de cæterò talem commiſerit pravitatem, tam recipiens, quàm recepta (ſive ſit ſubdita, ſive prælata) ſine ſpe reſtitutionis, de ſuo Monaſterio expellatur ; in aliquem locum arctioris & ſtrictioris regulæ, ad agendam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc ſynodale ſtatutum taliter ſunt receptæ, ità duximus providendum ; ut remotæ de Monaſteriis, quæ ſic perperàm ſunt ingreſſæ & receptæ, in aliis locis ejuſdem ordinis collocentur. Quæ ſi fortè, propter earum nimiam multitudinem, alibi nequiverint commodè collocari ; ne damnabiliter iterum in ſæculo evagentur, recipiantur in eiſdem Monaſteriis diſpenſativè ; de novo mutatis prioribus locis, & inferioribus deputatis & aſſignatis. Hoc etiam circa Monachos, vel alios regulares decernimus obſervandum. Verùm, ne per ſimplicitatem vel ignorantiam ſe valeant excuſare, præcipimus ut Dioceſani Epiſcopi ſingulis annis hoc faciant per ſuas dioceſes, de verbo ad verbum fideliter publicari.

De ſententia excommunicationis.

MONACHI verò & Canonici regulares, quocunque modo ſe in clauſtro percuſſerint, non ſunt propterià ad ſedem Apoſtolicam mittendi ; ſed ſecundùm providentiam ſui Abbatis, diſciplinæ ſubdantur. Et ſi diſcretio Abbatis non ſufficit ad eorum correctionem, providentia Dioceſani eſt adhibenda.

Item de eodem.

UNIVERSITATIS veſtræ conſultationem accepimus, quòd requiritis, utrùm laicus incidat in excommunicationis edictum, qui ad juſſionem aut mandatum in cujus ſervitio moratur, in Clericum, Monachum, aut Converſum, temerarias manus præſumit injicere ; maximè ſi cauſa non ſubeſt, propter quod debeat verberari. Nobis autem videtur, quod niſi cauſa regularis diſciplinæ hoc faciat, Abbas in propria perſona, vel etiam ſi neceſſitas urget, per aliquem Clericulum vel Monachum, denunciationem fieri jubeat ; quòd tam qui tales verberari præcipit, quàm illi qui verberant, etiam ſi cauſa ſubeſt quamobrem id faciant,

nunquam

1238. nunquam excommunicationis & interdicti ſententiam, donec ad ipſam ſedem Apoſtolicam veniant, nequaquam evadunt.

De eodem.

CUM illorum abſolutio, qui pro violenta manuum injectione in Clericos, labem excommunicationis incurrunt; quibuſdam caſibus à prædeceſſoribus noſtris exceptis, ſedi Apoſtolicæ reſervetur; nonnulli eccleſiaſticam ſententiam negligentes; poſiti in excommunicatione, eccleſiaſticos ordines accipere non formidant. Quid autem de his fieri debeat, Apoſtolicum ſæpiùs oraculum imploratur. Circa quos credimus diſtinguendum. Quòd tales vel ſciunt excommunicationis ſe vinculo irretitos, vel non recolunt factum, prout in latæ ſententiæ canonem inciderint; vel factum quidem ſcientes, juris ignari, neſciunt exinde ſe teneri. Primos, ſi fuerint ſæculares, ab omnibus ſuſceptis ordinibus, cenſemus in perpetuum deponendos. In reliquis caſibus, tam Archiepiſcopi, quàm Epiſcopi, abſque mandato ſedis Apoſtolicæ ſpeciali, diſpenſandi facultatem ſe noverint non habere. Quibus eſt etiam talium abſolutio interdicta; & majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora. Poterunt tamen hujuſmodi, *Romani* Pontificis auribus intimari; ut ab eo ſecundùm rigorem, vel æquitatem, reſponſum provideat, prout diſcretio ſua viderit faciendum. Quòd ſi clauſtrales hujuſmodi fuerint, licèt à domino *Alexandro* Papa fuerit conſtitutum, quod Monachi & Canonici regulares, quocunque modo ſe in clauſtro percuſſerint, non tamen ſunt ad ſedem Apoſtolicam propterea mittendi, ſed ſecundùm providentiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur. Et ſi Abbatis diſcretio ad eorum correctionem non ſufficit, providentia eſt Diœceſani Epiſcopi adhibenda. Et alibi dicat, quòd de ſæculo fugientes, qui religionis habitum in Monaſterio receperunt, & inter cætera poſtmodùm conſitentur ſe tale commiſiſſe delictum, per quod ipſo actu excommunicationis ſententiam incurrerunt; ſine licentia *Romani* Pontificis, Abbas non poteſt, nec debet, eos abſolvere; quamvis præſumptionem delinquentium, debita poſſit animadverſione punire. Nos in religionis favorem, & ut evagandi ſubtrahatur materia, majorem eis gratiam exhibere volentes; eorum Prælatis, quòd etiam talibus abſolutionis beneficium impartiri valeant, indulgemus: niſi exceſſus eorum difficilis extiterit & enormis (utpotè ſi ad mutilationem membrorum, vel effuſionem ſanguinis, præſumant in Epiſcopum vel Abbatem violenta manu injecta lædere) cùm exceſſus tales & ſimiles, nequeant ſine ſcandalo præterire. Si verò aliquis clauſtralis, in religioſam perſonam alterius clauſtri manus injecerit violentas; per Abbatem ſuum & ejus qui paſſus eſt injuriam, abſolvatur. Quòd ſi Clericum percuſſerit ſæcularis, non niſi per Apoſtolicam ſedem, (ut ſcandalum evitetur) abſolutionis gratiam poterit promereri. Si autem hos ad ordines promoveri contingat, juxta præmiſſam diſtinctionem, qui ſcienter in contemptum eccleſiaſticæ diſciplinæ ſe fecerunt ordinari; ab executione ſuſcepti ordinis & officii, decernimus manere ſuſpenſos. Circa reliquos verò, facti memoriam, vel juris peritiam non habentes, Monaſteriorum utilitate penſata, poſt injunctam regularem pœnitentiam & peractam, Abbates eorum poterunt diſpenſare, niſi grave fuerit & notabile factum; aut is qui fecit adultus fuerit & diſcretus, ut violenter contra oblivionem vel ignorantiam præſumatur. Præcipimus autem Abbatibus, ut formam iſtam diligenter obſervent: ne privilegium mereatur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.

Item de eodem.

DE Monialibus tua nobis fraternitas requiſivit, per quem eis ſit abſolutionis beneficium impendendum & contribuendum, ſi in ſe invicem, vel in converſos vel converſas ſuas, aut etiam in clericos manus injecerint temerè violentas. Super hæc conſultationi tuæ reſpondemus, & abſolutè decernimus & ſtatuimus: Ut per Epiſcopum, in cujus Diœceſi Monaſteria fuerint, abſolvantur. *Innocentius Papa tertius, in Concilio generali.*

De fidejuſſoribus.

QUOD quibuſdam religioſis à ſede Apoſtolica eſt prohibitum, volumus, & mandamus ad univerſos extendi, & ab omnibus & ſingulis obſervari. Ne quis videlicet Religioſus, abſque majoris partis Capituli & Abbatis ſui licentia, pro aliquo fide jubeat; vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat, ultra ſummam communi providentia conſtitutam. Alioquin non teneatur aut obligetur Conventus, pro his aliquatenùs reſpondere: niſi fortè in utilitatem & commodum domus ipſius, manifeſtè conſtiterit redundaſſe. Et qui contra iſtud ſtatutum aliquo modo venire præſumpſerit, aut contra fecerit; graviori diſciplinæ ſubdatur.

De ſolutionibus.

SI *quorundam, & infra*, &c. Firmiter inhibemus, ne quis præſumat eccleſiam ſibi commiſſam pro alienis gravare debitis; aut literas alicui aut ſigilla concedere, quibus poſſent eccleſiæ gravari; decernentes & firmiter ſtatuentes, quòd ſi ſecùs fuerit per aliquem attentatum, ad ſolutionem talium debitorum eccleſias non teneri. Si quis autem contra præmiſſa, de cætero venire præſumpſerit; ab adminiſtratione ſpiritualium ſe noverit ſuſpenſum.

Acceptatio ſtatutorum.

HIS igitur perlectis, Abbates & Priores Congregati, audientes quòd ſancta religio per hoc non modicum reformata, fœlix ſuſciperet incrementum; verbum quaſi hoſtiam cœlitùs miſſam cum omni alacritate & unanimi conſenſu ſuſceperunt, facientes

entes hoc in omnibus ſuis Capitulis publicari; tranſgreſſores ejuſdem, graviter diſciplina regulari percellendo. Fecerunt autem quàmplures hæc in martyrologia ſcribi; ut ſæpiùs in Capitulo recitata, ſicut ſolet regula beati *Benedicti*, audientium cordibus inhærerent.

Arctatur Valentia civitas Hiſp.

EODEMQUE anno, Rex *Chriſtianiſſimus*, magnificus, & in armis ſtrenuiſſimus, dominus Rex *Arragonum*, cum ſuis amicis, adeò urbem magnam *Valentiam* bello cruentiſſimo aggravavit, ut undique arctata, ad ſupremas conditiones eſt compulſa.

Dedicatio aliquot nobilium eccleſiarum.

CIRCA idem tempus, dedicatæ ſunt nobiles eccleſiæ conventuales, in Dioceſi *Lincolnienſi*, in *Mariſco*; videlicet *Rameſeje*, *Burg*, & *Santereje*; à venerabili Epiſcopo *Lincolnienſi Roberto*. Eccleſia *Rameſeje*, decimo Calend. Octobris; die ſcilicet ſancti *Mauricii* ſociorúmque ejus. Eccleſia de *Burgo*, quarto Calend. Octobris. Eccleſia de *Santereje*, eadem ſeptimanâ; & multæ aliæ eccleſiæ per totam *Angliam*, ſecundùm conſtitutionem *Londini* per Legatum *Ottonem* celebratam.

Baldew. Imp. Conſtantin in Græciam armata manu tendit.

EISDEM temporibus, profectus eſt in partes *Græciæ*, ad expugnandum ſibi & eccleſiæ *Romanæ* rebelles, Imperator *Conſtantinopolitanus Baldewinus*, in manu robuſta, & militia non minima; quantam & qualem, omnes ejus amici & conſanguinei potuerunt adminiſtrare.

Qui etiam, ut theſaurum accumularet & adaugeret, reliquias chariſſimas & certiſſimas vendidit Regi *Francorum*; necnon & quædam ſibi chariſſima impignoravit. Erat namque à *Francorum* Nobilibus ducens, ut prædictum eſt, originem. Cui etiam Papa, in odium & gravamen æmuli ſui Imperatoris *Romanorum Frederici*, modis omnibus, quibus ſcivit & potuit, manum extendit auxiliatricem.

Naſcitur S. de Monte forti filius.

ANNO quoque eodem, ſcilicet in Adventu Domini, dum ad domini Regis mandatum vocatus *Londinum* properaret Epiſcopus *Ceſtrenſis A. Simone* de *Monte forti* filius primogenitus, quem ſuſcepit ex gremio uxoris ſuæ *Alienoræ*, natus eſt apud *Kenilwurthe*, ad Regni robur & ſolatium. Timebatur enim ne Regina ſterilis eſſet. Et ut ſic magis ſibi gratiam dicti Regis compararet, moram ibi faciens aliquantulam, eundem filium baptizavit. Eadémque die accubuit ibidem graviter infirmatus, morbo graviſſimo, uſque ad vitæ conſummationem.

Antiochenus ſe præfert Romano Pontifici.

ANNO quoque ſub eodem, ad tantam auſus eſt protervìam impetu temerario prorumpere *Antiochenus* Archiepiſcopus (conſentiente *Germano Conſtantinopolitano* Archiepiſcopo, *Græcorum* advocato, & vices agens Antipapæ,) quòd dominum Papam cum tota ſua *Romana* eccleſia & curia, inani auctoritate excommunicavit. Et blaſphemando ſe ſuámque eccleſiam ſolenniter prædicando, tempore & dignitate domino Papæ & *Romanæ* eccleſiæ præpoſuit; & eſſe & fuiſſe, *Romana* eccleſia excellentiorem; eò quòd beatus *Petrus* Apoſtolus primò eccleſiam *Antiochenam* cum ſummo honore rexerat per ſeptennium; ibidem cum ſumma qua decuit receptus reverentia, & ſimiliter honorificè incathedratus. *Romæ* verò fuit multis injuriis & conviciis, multipliciter laceſſitus; tandémque ſub Imperatore *Nerone* paſſus, cum coapoſtolo ſuo ſancto *Paulo*, ſpeciali *Græcorum* doctore, diræ mortis ſupplicium conſummavit. Unde meritò charior & amabilior eidem, eſſe tenetur ea civitas & regio, cum ſuis civibus & omnibus incolis; quæ eidem beato *Petro* Apoſtolo honorem & reverentiam contulerunt, quàm quæ dedecus & tormenta inflixerunt. Poteſtatémque ligandi & ſolvendi, liberaliter potiùs Eccleſiæ *Græcorum* contuliſſe, quàm *Romanæ*; quam ſimoniæ & uſuræ, avaritiæ & aliorum facinorum maculis conſtat jam ſordere.

Hac & aliis rationibus ſuperficialibus, ſuas in propriam perniciem cicatrices, dictus Antipapa palliavit; & excuſationes in peccatis excuſavit. Sed columna eccleſiæ dominus Papa, verus divi *Petri* ſucceſſor, (etſi non plenè imitator) non movebatur; omnem vindictam reſervans, in tempore retributionis.

Rivi inſoliti & innaturales.

EODEM quoque anno, rivi inſoliti & innaturales, plurimis agris, ſtratis, & locis aridis & inaquoſis, impetuosè proruperunt; & in rapidos torrentes ac repentinos excreverunt, ita ut piſces educarent. Aëris quoque intemperies & ſqualor innaturalis, morbos diverſos generavit, ut aëris inclementia peſti congrueret ſæculari: & tam populares & agricolæ, quàm Milites, & Magnates, necnon & prælati, ſentirent flagellum Domini generale.

Robert. Bugre Monach. & Inquiſitor hæreticæ pravitatis, ob ſuam crudelitatem perpetuo carceri mancipatur.

CURRENTIBUS autem eorundem dierum curriculis, quidam monachus de ordine *Prædicatorum*, nomine *Robertus*, cognomento *Bugre*, vir quidem competenter literatus & doctus, & in officio prædicationis efficax & expeditus; in Regno *Francorum* multos comperit hæretica pravitate maculatos: præcipuè tamen in *Flandria*, ubi de more ſolebant incolæ, uſurarum vitio plùs cæteris nationibus diffamari. Quos omnes in fide diligenter examinatos, & vacillantes, vel exorbitantes; adjutus brachio ſæculari, & Domino Rege *Francorum* impendente ſubſidium, fecit idem frater *Robertus* incendiis incinerari. Ipſos autem nomine vulgari *Bugaros* appellavit, ſive eſſent *Paterini*, ſive *Joviniani*, vel *Albigenſes*, vel aliis hæreſibus maculati. Ipſemet enim *Robertus* memoratus, antequàm habitum religionis ſuſcipiſſet,

Bugarus

1239. *Bugarus* extiterat; quapropter omnes eorum complices noverat, & factus eſt eorum accuſator, malleus, & inimicus familiaris. Tandem verò abutens poteſtate ſibi conceſſa, & fines modeſtiæ tranſgrediens & juſtitiæ; elatus, potens, & formidabilis, bonos cum malis confundens involvit, & inſontes & ſimplices punivit. Auctoritate igitur Papali juſſus eſt præciſè, ne ampliùs in illo officio fulminando deſæviret. Qui poſteà, manifeſtiùs clareſcentibus culpis ſuis (quas meliùs æſtimo reticere) quàm explicare, adjudicatus eſt perpetuo carceri mancipari.

Fama Imperatoris Frederici obfuſcatur.

EJUSDEMQUE temporis curriculo, fama Imperatoris *Frederici* admodùm eſt obfuſcata & maculata, ab invidis inimicis & æmulis ſuis. Imponebatur enim ei, quòd vacillans, aut etiam exorbitans, in fide catholica, dixerit quædam verba, ex quibus elici & ſuſpicari potuit, non tantùm fidei catholicæ in eo imbecillitas, quinimò, quod gravius & multò pejus eſt, manifeſtæ & maximæ hæreſis & diriſſimæ blaſphemiæ enormitas, deteſtanda omnibus fidelibus, ac planè execranda. Fertur enim eundem *Fredericum* Imperatorem dixiſſe (licèt non ſit recitabile) tres præſtigiatores callidè & verſutè, ut dominarentur in mundo, totius populi ſibi contemporanei univerſitatem ſe duxiſſe videlicet *Moyſen*, *Jeſum*, & *Machometum*. Et de ſacratiſſima euchariſtia, quædam nefanda & incredibilia deliramenta & blaſphemias, impiè protuliſſe. Abſit, abſit, aliquem virum diſcretum, nedum hominem *Chriſtianum*; in tam furibundam blaſphemiam, os & linguam reſeràſſe. Dictum etiam fuit ab æmulis ſuis, ipſum *Fredericum* Imperatorem plùs conſenſiſſe & credidiſſe in legem *Machometi*, quàm *Jeſu Chriſti*: & etiam quaſdam meretriculas *Saracenas* ſibi feciſſe concubinas. Surrepſitque murmur in populum (quod avertat Dominus à tanto Principe) *Saracenis* à multo tempore ipſum fuiſſe confœderatum, & amicum fuiſſe pluſquàm *Chriſtianorum*; & id indiciis multis probare conabantur ipſius æmuli, qui famam ſuam conabantur obfuſcare. Si peccabant, vel non, novit ipſe qui nihil ignorat.

Claret Robertus Heremita.

EODEMQUE anno claruit fama Sancti *Roberti* Heremitæ apud *Knareburg*; cujus tumba, oleum medicinale fertur abundanter emiſiſſe.

Anni conditio.

TRANSIIT igitur annus ille nubilus & pluvioſus in ſui principio, ſcilicet donec Vernale tempus pertranſierat. Unde ſpes tota frugum periit ſeminatarum. Aridus verò & æſtuans ſupra modum & morem, duobus & ampliùs menſibus Æſtivis. Inſtante verò tempore Autumnali, pluvialis & humidus. Unde fruges inæſtimabiliter reparatæ, novis ſuccreſcentibus ſunt reſtauratæ. Et facta eſt ubertas magna cerealis. In fine autem Autumni metere qui tardaverant, facti frugum inopes eguerunt. Inundaverant enim tot pluviarum infuſiones & inundationes, quòd tam ſtipula quàm granum computruit; & Autumnus innaturalis diverſa morborum pericula generavit, qui ſiccus & frigidus naturaliter fuiſſe tenebatur. Hinc contigit quòd ingruente diſcraſia, non ſe meminit aliquis tot vidiſſe anteà in uno anno quartenarios. Notandum quoque, quòd eodem anno, litera Dominicali exiſtente *B.* fuit dies Paraſceves, ſcilicet dies Veneris, quæ vocatur antonomaſicè Sancta, proxima ante diem Paſchæ, dies annunciationis Dominicæ & ejuſdem paſſionis: & tertia dies ſequens, verum Paſcha, id eſt, dies reſurrectionis Dominicæ. Quia ſexto Calendarum Maii reſurrexit Dominus, & quarta die præcedenti paſſus eſt, ſcilicet octavo Calendarum Maii. Et ſic omnia hoc ipſo anno ſuis temporibus congruebant.

Diſcordia inter Regem & Comitem Mareſcallum G.

ANNO gratiæ MCCXXXIX. qui eſt annus Regni domini Regis *Henrici* tertii viceſimus tertius; tenuit idem dominus Rex *Henricus* ad natale Domini curiam ſuam apud *Wintoniam*; multis honoribus ac ſumptuoſitatibus, ut decuit, redundantem. Eccleſia enim *Wintonienſis*, adhuc tunc eidem Regi in omnibus illis expenſis convivalibus ſufficienter, imò abundanter, neceſſaria procuravit & miniſtravit: quod nec ipſe dominus Rex minimè reſpuit. In quo facto, ſi ſeverum haberet correptorem, & fidelem ac potentem correctorem, meruit vehementer reprehendi. Et niſi, quæ peccata ſolent extinguere, ut nos ſacra ſcriptura docet, ipſius eleemoſynæ, quas liberaliter ac largiter non deſinit erogare, talia delicta non redimerent; periculum ingens, irato Dei ſibi & regno graviter ſuſcitando, generaſſet. Cùm igitur die natalis Domini divina obſequia ſolenniter ac magnificè, ut decuit, peragerentur ac conſummarentur, ne mundi gaudia proveniant impermixta; quidam caſus inopinatus omnem illam feſtivalem lætitiam planè perturbavit.

Cùm enim in palatio ſuo Regio dominus Rex pranſurus appareret, Comes *Mareſcallus Gilebertus* cum ſuis commilitonibus ad januam introiturus advenit. Cui adventanti, Regii Oſtiarii & *Mareſcalli*, ipſi Comiti intrare volenti, procaciter ingreſſum vetuerunt; & ejus familiam, tenentes baculos pro virgis, impudenter convitiando repulerunt. Hæc autem cùm vidiſſet Comes, perpendit indubitanter aliquem ſuſurronem inter dominum Regem & ipſum diſcordiam ſeminaſſe; nec hoc factum fuiſſe ſine domini Regis auctoritate: & diſſimulans, ad hoſpitium ſuum in civitatem remeavit. Juſſitque lituo invitatorio, non tantùm ſuos, ſed quotquot voluerunt, ne tantæ feſtivitatis ſerenitas obnubilaretur,

ad

1239.

ad menſam ſuam pranſuros convenire. In craſtino verò, miſſis ad regem viris honorabilibus ſciſcitabatur Comes ab eo, quare ſibi ipſi & fideli ſuo, támque nobili tantam injuriam tali die ſine meritis irrogaſſet; ſéque promiſit, in omnibus judicialiter contra omnes, qui inter tam nobiles perſonas odium nequiter ſuſcitaſſent, purgaturum. Quibus dominus Rex commotus, reſpondit: Unde Comiti *Gileberto* cornua? Unde ſibi quòd contra me, contra quem durum eſt ſibi calcitrare, levat comminando, ut aiunt, calcaneum? *Richardum* fratrem ſuum, Comitem cruentum proditorem, mihi & Regno meo rebellem; in *Hybernia* lethali bello contra me cepi hoſtiliter dimicantem; qui meritò exhæreditandus in carcere ſaucius detinebatur, donec, Domino vindice, vitam terminaret. Huic autem Comiti *Gileberto*, precum importunitate Archiepiſcopi *Cantuarienſis Ædmundi*; gratia, non merito, ſuam conceſſi hæreditatem, cùm voluero ſubtrahendam. His auditis, Comes non mediocriter perturbatus, ad partes receſſit Aquilonares; Regis manifeſtam expertus indignationem. Nec poſteà ipſe vel frater ejus *Walterus*, ſincero corde Regem, ut priùs, dilexit nec fortunato caſu proſperabantur.

Die verò Sancti *Stephani*, *Edmundus* Epiſcopus *Ceſtrenſis*, diem clauſit extremum.

Obiit Epiſc. S. Ceſtrenſis.

Die verò Purificationis beatæ virginis, contulit dominus Rex Comitatum *Legriæ Simoni* de *Monte forti*, & inveſtivit; vocato priùs Comite *Almarico* primogenito fratre ejus & pacificato; ne ſuper hoc aliquando moveret quæſtionem.

Rex Comitatum Legriæ *conceddit S. de* Monte forti.

Et eodem tempore, dominus Rex *Stephanum* de *Segrave*, ad conſilium ſuum revocavit.

Revocatur S. *de* Segrave *ad conſilium Regis.*

EODEMQUE tempore vocavit dominus Legatus omnes Epiſcopos *Angliæ*, ut in die qua cantatur, *Lætare Jeruſalem*, convenirent *Londini*, de negotiis Eccleſiæ tractaturi. Et dedit ibidem cum diligenti deliberatione,quædam ſtatuta monachis *nigri ordinis*; ſub ſuccincta brevitate inviolabiliter obſervanda. In quibus,rigorem indiſcretum in multis temperavit.

Legatus convocat Abbates Nigri ordinis Londini.

SUB eiſdem temporibus caſſati ſunt, Rege procurante (eò quòd propoſitum ſuum ad votum non proceſſerat de electione *Willielmi* electi *Valentini*, electus *Norwicenſis*) Prior ejuſdem domus; vir diſcretus, & per omnia commendabilis: & poſtulatus in Epiſcopum *Wintonienſem*, Eiſcopus *Ciceſtrenſis*; ſcilicet dominus *R.* Cancellarius, vir fidelis & diſcretus; & ferè inter omnes aulicos ſingularis columna veritatis.

Caſſantur electi Norwicenſis *&* Ciceſtrenſis *Epiſcopi.*

ET tunc temporis circa feſtum Sancti *Matthiæ*, Monachi *Coventrenſes*, videntes Regem in electionibus proceſſum canonicum procaciter ſemper impedire, nec in aliquem electum ab eis conſentire, niſi cui favor Regius inclinaſſet; ne ampliùs eccleſia ſua,per diuturnam & moroſam expectationem, pateretur diſpendia & damna irreſtaurabilia; dominum *Willielmum* de *Rale*, domini Regis Clericum ſpecialem, virum diſcretum, & legum terræ peritiſſimum; in Epiſcopum ſuum & animarum ſuarum paſtorem, (utpotè eum, in quo rationabiliter nævus reprobationis vel contradictionis non apparuit) unanimiter & communi conſenſu elegerunt.

Eligitur W. *de* Rale *in Epiſc.* Ceſtrenſem.

EODEM tempore, dominus Papa audiens per crebras admonitiones & ferè quotidianas, ſcandalum jam indies magis ac magis de *Romanorum* inſatiabili cupiditate & avaritia inextinguibili oriri in *Anglia*; vocavit dominum *Ottonem* Legatum ſuum; ut cum omni feſtinatione, *Romam* reverteretur. Quod audiens dominus Legatus, convocavit omnes Epiſcopos *Angliæ*, ut *Londinum* die qua cantatur, *Lætare Hieruſalem*, convenirent; de reditu ſuo, & ſalvo conductu, communiter tractaturi. Dominus Rex verò cùm hoc audiſſet, timens ſibi de Parlamento futuro in octavis *Paſchæ*, in quo adventum ſperaverat electi *Valentini*, & confidens de præſentia domini Legati, cœpit nimis contriſtari; & timere, ne Magnates aut Proceres terræ unanimiter inſurgerent in eum,propter varios & crebros ejuſdem exceſſus & tranſgreſſiones, contra ſuas proprias conſtitutiones, toties promiſſas ac juratas. Inſtantiſſimè igitur procuravit dominus Rex, ut miſſis expeditiſſimis nunciis ad dominum Papam, moraretur dictus Legatus in *Anglia*; ut per eum imminens turbatio ſedaretur. Ipſe verò dominus Legatus, Regem id petentem nolens contriſtari, ſuſtinuit expectando.

Legatus domum vocatus manet in Anglia *Rege procurante.*

TEMPORE ſub eodem, *Petrus Saracenus*, quem dominus Imperator *Fredericus* in vinculis pro redemptione ſua detinebat; obtulit decem millia librarum bonorum eſterlingorum; ut ſic ſaltem redemptus & liberatus, gratiam mereretur Imperialem. Quod annuit dominus Imperator, ſi Rex *Angliæ* amicus ſuus pro tantæ pecuniæ ſolutione, & ne iterum Imperialem ipſe dictus *Petrus Saracenus*, vel aliquis ſuorum, læderet dignitatem occaſione nacta ex hoc, fidejuberet. Et ſcripſit etiam prædictus *Petrus Saracenus* ad dominum Papam & amicos ſuos, ut exhortarentur dictum dominum Regem *Angliæ*, per dominum Legatum & alios Regi familiares; ut, ſicut erat

Petrus Saracenus *offert Imperatori magnam ſummam pecuniæ pro ſua redemptione.*

1239. ſemper pronus & promptus, effundere pecuniam ſuam in promotionem *Romanorum*, ſeſe & Regnum ſuum obligaret ad prædicta. Cùm igitur dominus Legatus hujus negotii diligens eſſet mediator & procurator, dicebat, quòd nullo modo poſſet ſuo nuncio incarcerato deeſſe honeſtè. Dominus Rex autem, videns paratam ſibi muſcipulam, & quantum eſſet periculum regni ipſius, id ſuis *Romanis* nihil curæ eſſe, dummodò ſua ſalvarentur ſibi, proſilit in verba iracundiæ; jurans quòd pœnituit ipſum, quòd Legatum in regnum ſuum, qui bona terræ jam diſſiparet, & confundens fáſque, nefáſque relictis honeſtis viris *Angliæ*, advocaſſet. Facta eſt igitur *Anglia* eo tempore ſub talibus Potentatibus, quaſi vinea, quam vindemiant omnes qui prætergrediuntur viam; non habens ullam maceriam includentem, aut cuſtodem vel vigilem ſatis diligenter excubantem. Nam quod ſemel vetuit, permittit iterum tepor eccleſiaſticus.

Sardinia ceſſit in ditionem Imperatoris.

IPSO quoque anno, dum in *Italia* dominus Imperator hyemaret; redditæ ſunt ei opulentiſſimè Inſulæ in mari Mediterraneo ſitæ, & civitati *Piſaniæ* proximæ; ſcilicet *Sardiniæ* pars maxima, & potiſſima. Cujus inſulæ jus, ad patrimonium beati *Petri* ſpecialiter pertinere perhibetur. Imperator verò, ipſam ad imperium ſpectare ab antiquo aſſeruit; & per occupationes & alia ardua negotia Imperialia, Imperatores eam amiſiſſe; & ipſum ideò, eam ad corpus Imperii revocaſſe. Ego verò juravi, ait, ut jam novit mundus, diſperſa Imperii revocare: quod non ſegniter adimplere procurabo. Miſit igitur dominus Imperator filium ſuum, ut ſibi oblatam reciperet prædictæ Inſulæ, contra prohibitionem domini Papæ, portionem. Quod cum ſumma indignatione dominus Papa accepit, ex tunc in manifeſtam conſurgens ultionem: jacturam enim magnam reputavit. Eſt enim inſtitorum refugium, naufragorum ſolatium, profugorum aſylum inſula *Sardiniæ*; quatuor principibus, quos Judices vocant, gubernata. Jactura eſt gravis, ſed modus jacturæ multò gravior, & injuria videbatur; & odium inter eos natum, quaſi vulnus inveteratum, ſaniem generabat.

Cantuarienſis Archiepiſ. moleſtat Monachos.

Eo quoque tempore, aggravavit dominus Archiepiſcopus *Ædmundus* manum ſuam ſuper Monachos ſuos. Et interdicta eſt eccleſia Monachorum *Cantuarienſium*; & novum quem ſibi elegit Conventus Priorem, cum ipſis electoribus, ſententia excommunicationis innodavit. *Lincolnienſis* quoque Epiſcopus, religioſorum in ſua Dioceſi, factus eſt malleus & immanis perſecutor. Nimirùm in ſuos Canonicos propriæ

Contentio inter Epiſcopum Lincolnienſem & ſuos canonicos.

eccleſiæ Cathedralis, qui eundem creaverunt, inſurgens; exegit inſtanter, ut poſtpoſito Decano *Lincolnienſi*, ab ipſo Epiſcopo, contra conſuetudinem eccleſiæ infra tempus cujus non extat memoria, viſitarentur. Ipſi verò inſiſtentes appellationi, tempúſque protelantes; nimiúmque altercantes, tandem compromiſerunt in arbitros; ſcilicet; dominum Epiſcopum *Wigornienſem Walterum*, & ejuſdem Archidiaconum, & magiſtrum *A.* de *Bleccles*. Qui ſi non canonicè proceſſiſſent, liceret utrique partium, ad dominum Papam iterum appellare; ceſſante interim utraque partium à viſitatione. In qua adjectione, hoc, *Ceſſante interim utraque partium à viſitatione*, videtur pars Canonicorum periclitari: Epiſcopus enim nunquam viſitavit, nec poteſt ceſſare qui nunquam incepit; ſicut nec *Diogenes*, quæ nunquam habuit, cornua emittere. Veruntamen Decanus, pro quo Canonici certaverunt, viſitare ceſſaret, & ſic videtur poſſeſſione privari, vel ad horam: unde murmure multiplicato, cœpit oriri ſcandalum graviſſimum. Mota igitur lite & controverſia uſque ad iracundiam, non permiſerunt Canonici Epiſcopum in Capitulum, nec ullam ſuper eos facere viſitationem. Et pœnituit graviter ſuper ſe talem Epiſcopum de tam humili creâſſe, & hoc publicè coram ipſo eodem Epiſcopo proteſtabantur. Facta contentione magna, & utrobique inutiliter profuſis expenſis non modicis, appellatum eſt ad præſentiam domini Papæ; conſtituto magiſtro *Odone* de *Kinkelnr* Advocato, ex parte Capituli. Una dierum caſus contigit admirabilis. Dum unus Canonicorum, cauſam fovens capituli, ſermonem faciendo populo in medio illius nobiliſſimæ eccleſiæ *Lincolnienſis*, querimoniam repoſuit coram omnibus, de oppreſſionibus Epiſcopi, & ait: *Et ſi nos taceamus, lapides reclamabunt.* Ad quod verbum, quædam magna pars eccleſiæ corruit diſſoluta.

Inundationes pluviarum.

IMMINENTE verò tempore Vernali, ſcilicet Paſchali, ceſſârunt venti cum nimbis inundantibus; qui præcedentibus quatuor menſibus continuis non ceſſârunt de terra lutum facere, paludes ampliare, ſegetes ſuffocare, aëra perturbare.

Strages Saracenorum *in* Hiſpania.

ET eodem anno, die Martis poſt diem Paſchæ, in finibus Cordubæ facta eſt magna ſtrages *Saracenorum* per Regem Caſtellæ, fratrem *Blanchæ* Reginæ *Francorum* matris Regis.

Mors Willielmi *de* Cantelupo.

ET ſub eiſdem diebus, ſcilicet vii. Idus Aprilis, obiit nobilis Baro *Willielmus* de *Cantelupo*, pater ſcilicet Epiſcopi *Wigorniæ*, plenus dierum.

1239.

Rex tentat revocare Cancellarium.

ET tunc temporis, ſcilicet ſeptima ſequenti, Rex dolens de facto ſuo nimis enormi & indiſcreto; quòd dominum Epiſcopum *Ciceſtrenſem*, Cancellarium, qui irreprehenſibiliter officium ſuum diu antè adminiſtraverat, ſecùs quàm deceret, ablato ſigillo, à ſe & curia ſua repulerat; eundem blanditiis & promiſſis attentavit revocare. Sed ipſe malens quietem quàm curas, & emolumentum ſigilli quàm pericula; voluit incidere in laqueos quos evaſit; recordatus qualiter ipſum vocatum, & inſtanter poſtulatum ad Epiſcopatum *Wintonienſem*, caſſari perperàm procuravit dominus Rex; cui tamdiu tam fideliter, patríque ejus in alio obſequio, miniſtravit.

Rex Scotiæ filiam Engelramo de Cuſcy deſponſavit.

TEMPORIBUS verò ſub eiſdem, Rex *Scotiæ Alexander*, filiam cujuſdam nobilis Baronis de Regno *Francorum Engelrami* de *Cuſcy*, nomine *Mariam*, virginem elegantem, ſibi matrimonialiter copulavit; & nuptias die Pentecoſtes aqud *Rokesbure* ſolenniter celebravit.

Legatus non receſſit, procurante Rege.

LEGATUS quoque ad curiam *Romanam* maturando à Rege, Archiepiſcopis & Epiſcopis, civibus quoque *Londinenſibus*, in ſermone quem propter hoc ſpecialiter fecit, quaſi irrediturus, humiliter ſalutavit. Equos nobiles ſibi datos vendidit bonis conditionibus, & viles loco eorum comparavit: ſarcinas diſpoſuit, clitellas præparavit. Sed Rex credens eo abſente expirare, totis viribus elaboravit, parumper adhuc ut moraretur. Miſerat enim ad curiam *Romanam* unum Legiſtarum ſuorum, quorum magnam catervam retinuit, quaſi venator canes venaticos, ſuper electores Prælatorum diſcopulandos; videlicet *Simonem Normannum*, ut impetraret à Papa, ut daret in mandatis Legato; quòd adhuc in *Anglia*, ut multis obviaret ibidem periculis, remaneret. Nec fefellit eum ſua opinio. Ecce enim omni ſupellectili domini Legati cum aliis viaticis diſpoſitis; *Simon Normannus* venit, ei offerens literas ſecundùm deſiderium Regis impetratas. Quibus domino Legato obtemperante, Rex præ gaudio ſaltitavit. Quod comperientes nobiles, qui *Londini* infecto negotio ſuo, & timentes Legati muſcipulas, venerant; & comperientes vulpina diverticula Regis; receſſerunt indignantes, & Regis verba ſicut ſophiſmata deteſtantes.

Electio Willielmi de Rale in Epiſcopum Norwicenſem.

MONACHI quoque *Coventrenſes*, qui jam compoſuerant honeſtam formam eligendi, cum Canonicis *Lichefeldenſis* eccleſiæ; unanimi conſenſu *Willielmum* de *Relæ*, cùm, ut prælibatum eſt, ſibi in Epiſcopum ſuum elegiſſent; timentes ne ſi alium quàm Regi ſpecialem accepiſſent, Rex in faciem contradicens, eos more ſolito inquietaſſet: pendens electus idem *Willielmus* adhuc hæſitaſſet, & adhuc, utpote vir miræ prudentiæ & experientiæ, eventus futuros liberationis trutinaret: videntes Monachi *Norwicenſes*, ſe jam expectaſſe nimis, eò quòd eundem *Willielmum* in Epiſcopum ſuum non elegiſſent, in qua electione nec Regem, nec alium offendiſſent; ſtatim in unum convenientes, ipſum *Willielmum* de *Relæ* ſibi in Epiſcopum ſuum elegerunt. Ipſe verò *Willielmus*, Epiſcopatui *Norwicenſi*, ſpreto alio Epiſcopatu, quem favore ſubarravit, adhæſit, Maluit enim manere cum *Anglicis* in *Anglia*; quàm cum indomitis *Wallenſibus* in *Walliæ* contermino.

Fortificatio Turris Londinenſis.

EODEM anno, roborata eſt Turris *Londinenſis*. Quod timuerunt cives *Londinenſes* ſibi fieri in detrimentum. Quibus ſuper hoc querimoniam facientibus, reſpondit Rex civibus: Hoc non in dedecus eorum, vel periculum factum fuiſſe: ſed ſicut fratrem meum, quem fama me prudentiorem prædicat, in reædificatione caſtrorum de cæterò conabor imitari.

Incrementum iræ & odii inter Imperatorem & Papam.

EODEM anno, in Quadrageſima, dominus Papa cùm vidiſſet facta Imperatoris nimis temeraria, & dicta ſua peccatum ſuum excuſantia, ſcilicet quòd faventibus quibuſdam Magnatibus & Judicibus *Sardinicis*, terram & caſtra Epiſcopi *Sardinici* ſibi accepiſſet & tenuiſſet, & conſtanter aſſereret, ea eſſe de ſubſtantia Imperii, ſéque primo ſuo & maximo ſacramento jura Imperii ſervare pro poſſe, necnon & diſperſa congregare: ira vehementiſſima commotus contra imperatorem, graviſſimas contra eum proponens quæſtiones & reponens querimonias, ſcribens & ſcribendo conſtanter & diligenter perſuadens, per plures & pluriès nuncios ſolennes, quorum auctoritas meruit exaudiri ut ablata reſtitueret, & deſineret eccleſiam ſuis poſſeſſionibus viduare, quam conſtat diuturna temporis præſcriptione prædotari. Et more prudentis Medici, qui nunc fomentis, nunc ferro abſciſionis, nunc verò utitur aduſtione; verba intermiſcens blandis comminatoria, terribilibus amicabilia. Sed cùm Imperator procaciter renuiſſet, & ſua facta quibuſdam cauſis apparentibus ratione fultis excuſaſſet, dominus Papa cum multis tunc præſentibus Cardinalibus Dominica Palmarum, in ſpiritu ferventis iracundiæ, *Fredericum* dictum Imperatorem, ac ſi jam à culmine Imperii dejeciſſent eum, ſolenniter excommunicavit; *tradens eum Sathanæ in interitu* terribiliter poſſidendum. Et eiſdem verbis utentes, quaſi in fremitu furoris intonans; omnes audientes vehementer compulit ad terrorem:

1239.

Excommunicatio lata in Fredericum Imperatorem.

EXCOMMUNICAMUS & anathematiſamus ex parte Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli, Fredericum dictum Imperatorem, pro eo quòd contra Romanam eccleſiam ſeditionem iniit in Urbe, per quod intendebat Romanum Pontificem & fratres ſuos à ſua ſede repellere, & contra privilegia, dignitates, & homines, Apoſtolicæ ſedis libertatem, necnon & eccleſiaſticam conculcare, contra juramenta, quibus ſuper hoc eccleſiæ Romanæ tenetur, temerè veniendo. Item, excommunicamus & anathematiſamus eundem, pro eo quod venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Preneſtrenſem, Apoſtolicæ ſedis Legatum, ne in legatione ſua procederet, quam in Albigenſium partes pro corroboratione catholicæ fidei ſibi commiſimus curam, per quoſdam fideles ſuos mandavit impediri. Item, excommunicamus & anathematiſamus eundem, pro eo quòd non permittit quaſdam cathedrales, & quaſdam alias vacantes eccleſias in Regno ordinari; & hac occaſione periclitatur libertas eccleſiæ, perit fides, quia non eſt qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente paſtore. Et ſunt nomina dictarum eccleſiarum vacantium: Cathanenſis, Reginenſis, Accriviarenſis, Squilatenſis, Reſenſis, Potentinenſis, Hydrontinenſis, Policaſtrenſis, Saretinenſis, Averſanenſis, Valvenſis, Molopolitenſis, Polimanetenſis, Melfrenſis, Rapellenſis, Cributenſis, Aliſanenſis Epiſcopus, Mazarenſis, Vigiliarenſis, & Frethinenſis. Monaſteria verò ſunt iſta: Venuſinum, & ſancti Salvatoris Maſſanenſis. Item, excommunicamus & anathematizamus eundem, pro eo quòd in Regno clerici capiuntur & incarcerantur, proſcribuntur & occiduntur. Item, excommunicamus & anathematiſamus eundem, pro eo quòd in Regno eccleſiæ conſecratæ Domino, deſtruuntur & prophanantur. Item, excommunicamus & anathematiſamus eundem, pro eo quòd non permittit Soranam eccleſiam reparari. Item, excommunicamus & anathematiſamus eundem, pro eo quòd nepotem Regis Tunicii, venientem ad eccleſiam Romanam, pro ſuſcipiendo baptiſmatis ſacramento, detinet, nec venire permiſit. Item, excommunicamus & anathematiſamus eundem, pro eo quòd Petrum Saracenum, nobilem civem Romanum, ex parte Regis Angliæ ad ſedem Apoſtolicam venientem, cepit & detinet carceri mancipatum. Item, excommunicamus & anathematiſamus eundem, pro eo quòd terras eccleſiæ, ſcilicet Ferrariam, Pingnogoman, Bondoniam, Ferrarianenſem Dioceſim & Bondonenſem, Lucanenſem Dioceſim, & terram Sardiniæ occupavit; contra juramentum, quo ſuper hoc eccleſiæ tenetur, temerè veniendo. Item, excommunicamus & anathematizamus eundem, pro eo quòd terras quorundam nobilium de Regno, quas eccleſia tenebat ad manus ſuas, occupavit & devaſtavit. Item, excommunicamus & anathematizamus eundem, pro eo quòd quaſdam eccleſias cathedrales, videlicet, Mons Regalis, Cepheladenſis, Cathanenſis, Squilatenſis, & quædam Monaſteria, videlicet Millitenſis, ſanctæ Euſemiæ terræ majoris, & ſancti Johannis in Lamis, bonis ſuis ſpoliavit. Item, excommunicamus & anathematizamus eundem, pro eo quòd multæ eccleſiæ cathedrales & aliæ eccleſiæ & monaſteria de Regno, per iniquam inquiſitionem fuerunt ferè bonis omnibus ſpoliata. Item, excommunicamus & anathematizamus eundem, pro eo quòd in Regno Tenplarii & Hoſpitalarii mobilibus & immobilibus ſpoliati, non ſunt juxta tenorem pacis, integrè reſtituti. Item, excommunicamus & anathematizamus eundem, pro eo quòd in Regno eccleſiarum Prælati & Abbates Ciſtercienſis & aliorum ordinum, compelluntur per ſingulos menſes dare certam ſummam pecuniæ pro conſtructione caſtrorum novorum. Item, excommunicamus & anathematizamus eundem, pro eo quòd contra tenorem pacis, hi qui adhæſerunt eccleſiæ bonis omnibus ſpoliati exulare coguntur tanquam proſcripti, uxoribus & liberis captivatis. Item, excommunicamus & anathematizamus eundem, pro eo quòd per ipſum impeditur negotium Terræ ſanctæ, & reparatio Imperii Romani. Omnes autem qui juramento fidelitatis ei tenentur aſtricti, ab ejuſdem obſervatione juramenti decernimus abſolutos, ne ſibi fidelitatem obſervent, diſtrictiùs inhibentes, quàmdiu fuerit vinculo excommunicationis aſtrictus; ſuper oppreſſionibus & aliis gravaminibus nobilium, pauperum viduarum, orphanorum, & aliorum de Regno, pro quibus idem Fredericus aliàs juravit ſtare mandatis eccleſiæ, ipſum intendimus amovere, & in ipſo negotio, dante Domino, procedemus ſicut juſtum fuerit procedendum. Porrò, pro omnibus & ſingulis ſupradictis, pro quibus dictus Fredericus à nobis diligenter fuit admonitus, & frequenter, nec parêre curavit; eundem Fredericum excommunicationis & anathematis vinculo innodamus. Cæterùm, quia idem Fredericus, de dictis factis ſuis, multis clamantibus, per univerſum quaſi orbem, quòd de catholica fide rectè non ſentiat, eſt graviter diffamatus; nos, dante Domino, ſuper hoc loco ſuo & tempore procedemus, ſecundùm quod in talibus requirit ordo Juris.

Quantum ira Imperatoris excanduit in Papam.

HIS auditis, dominus Imperator in iram excanduit vehementem; exprobrando & multoties recitando, imponendóque eccleſiæ & ejus rectoribus, quòd omnes ſibi eſſent ingrati, rependentes mala pro bonis: recolens quòd fluctibus marinis & mille generibus periculoſum ſe ſuáque, pro promotione eccleſiæ, & catholicæ fidei incremento, oppoſuiſſet. Et

quicquid

1239.

quicquid habet honoris eccleſia in Terra ſancta; *ejus labore & induſtria affirmavit adquiſitum. Sed Papa invidens quòd per adquiſitionem alicujus laici eccleſia tam fælix ſentiret incrementum, qui tantum aurum & argentum magis quàm fidei augmentum, teſtantibus operibus, cupiens, mihi paravit ſupplantationem, & ab omni* Chriſtianitate *pecuniam extorquens, ſcilicet decimam partem, toto niſu ſuo; ut me Deo militantem & exponentem corpus telis, infirmitati, hoſtium inſidiis, priùs fluctuum ſævientium nullis parcentibus periculis, elaboravit ut me exhæredaret. Ecce quale præſidium patris noſtri! Ecce quale præſidium in preſſuris vicarii* Jeſu Chriſti! *Nec adhuc ſufficit furor perſequentis. Erexit enim contra me* Johannem *de* Breſne, *aliquando Regem* Hieroſolymitanum; *quem novit in bello ſtrenuum, & in militari diſciplina peritiſſimum, & meum validum fuiſſe inimicum, in confuſionem meam & ſubverſionem mei, talia certè non verentes. Ditavit etiam ipſum pecunia non minima, quam à pauperibus Prælatis eccleſiarum, per orbem extorſerat impudenter. Audiens autem talia per fideles meos, quot ſuſpiria, quas lacrymas, dolor iſte generavit in corde meo, non eſt facilè denodare: ſed novit, qui nil ignorat. Sed celans præcordialem dolorem ſub ſereno vultu feſtinanter, ne fortè id cognoſcentes inimici, ſuperbirent exultantes, & fierent nobis graviores, cœpi tractare de pace, & captis treugis, reditum maturavi. Et cùm repatriaſſem, inveni terram meam à Papalibus parentibus & affinibus occupatam, quorum dux fuit prædictus* Johannes *de* Breſne *& capitaneus: quos Deo vindice comprehendi, & juxta merita eorum, qui Crucifixi negotium impediverunt, puniendo recompenſavi. Judicet Deus inter me militem ſuum, & Papam ipſius vicarium. Novit enim* Chriſtus, *novit & mundus, quòd à veritatis tramite non exorbito. Ecce radix odii, & ſeminarium. Et factum eſt ſchiſma in populo. Et redintegratum eſt per præſentiam domini naturalis, ſcilicet Imperatoris, robur Imperii in temporis brevitate.*

Adventus Monachorum montis Caſſini ad Papam Romanum.

EODEM anno, venerunt Monachi *montis Caſſani* (ubi S. *Benedictus* manſionem ſibi elegit monaſticam) ad Papam, in veſtibus laceratis & veteribus: erant autem xiii. ſcilicet Conventus, & erant incompoſiti comis & barbis, & vultu lacrymabiles. Et introëuntes ad Papam, ceciderunt ante pedes ejus, conquerentes quòd Imperator ejeciſſet eos à manſione ſua ſcilicet *monte Caſſino*. Erat autem mons ille inexpugnabilis, imò inacceſſibilis alicui, niſi ex voluntate Monachorum & aliorum inhabitantium in eo: niſi tantummodò quòd *R.* G. per excogitationem, qua ſe mortuum ſimulavit, in feretro in illum delatus, caſtra Monachorum ſubitò occupavit. Quòd cum Papa audiſſet, dolorem conceptum diſſimulans, cauſam quæſivit. Cui Monachi reſponderunt: Quia obedientes vobis, dominum Imperatorem excommunicavimus. Quibus Papa: Obedientia veſtra ſalvabit vos. Et abierunt Monachi, plùs à Papa non accipientes.

Scriptum mirabile.

EODEM tempore, cuidam monacho *Ciſtercienſi* apparuit manus candida ſcribens in corporali hæc verba. *Cedrus alta Libani ſuccidetur.* Mars *prævalebit* Saturno *&* Jovi. Saturnus *verò in omnibus inſidiabitur* Jovi. *Erit unus Deus, id eſt, Monarcha. Secundus Deus adiit. Filii* Iſraël *liberabuntur à captivitate infra undecim annos. Gens quædam ſine capite reputata, vagans veniet. væ clero, viget ordo novus, ſi ceciderit: væ eccleſiæ fidei, legum, & regnorum. Mutationes erunt, & tota terra* Saracenorum *ſubvertetur.*

Eclipſis Solis.

ANNO eodem, die Junii tertio, paſſus eſt Sol eclipſim hora ſexta. Et tunc temporis vocatus eſt *Willielmus* electus *Valentinus*, procurante Papa (quia, ut dicebatur, propoſuit eum habere ducem exercitus ſui contra Imperatorem) ad Epiſcopatum *Leodienſem*; retenta procuratione *Valentini* Epiſcopatus, qua non eſſet notatus de perpetrato homicidio: unde nec mirum, ſi cum ſtupore admirarentur hæc audientes; quòd adhuc tam anhelo ſpiritu ad Epiſcopatum *Wintoniæ* aſpiravit, Regémque *Angliæ* diligentem ad hoc conſtituit procuratorem. Heu, heu, quæ numeroſa pecunia curiam *Romanam* ad conſenſum & permiſſionem inclinavit.

Nativitas Ædwardi primogeniti Regis Henrici III.

SEXTO decimo Calendas Julii, nocte ſequenti, apud *Weſtmonaſterium* natus eſt Regi filius ex Regina ſua *Alienora*. Et congratulabantur ei omnes Magnates Regni, ſed cives maximè *Londinenſes*, quia *Londini* natus eſt infantulus; ducentes choreas in tympanis & ſiſtris, & noctibus cum magnis luminaribus plateas illuminantes. *Carleolenſis* verò Epiſcopus infantem catechizavit, Legatus eundem baptizavit, licèt non eſſet Sacerdos; Archiepiſcopus autem *Ædmundus Cantuarienſis* ipſum confirmavit; & Rege ſic volente aptatum eſt ei nomen, ſcilicet *Ædwardus*. Ad hæc igitur nuncianda miſſi ſunt nuncii quàm plurimi, & reverſi ſunt onerati donariis ſumptuoſis. In quo facto Rex nimis ſuam Regalem denigravit magnificentiam. Quia cùm nuncii ſinguli reverterentur, Rex ab eis ſciſcitabatur, quid quis accepiſſet: illiſque qui minus acceperunt, licèt precioſa dona reportarent, imperavit rejicere deſpicabiliter. Nec eſt ira ejus ſedata, donec iterum cuilibet ſatisfactum fuiſſet ad libitum nunciorum. De

quo,

1239. quo, quidam natione *Neuſter* jocoſe ait: Deus hunc infantem nobis dedit, ſed dominus Rex vendit. Legatus verò quendam hoc eulogium deferentem, de alieno ſatiavit, de meſſe non parcus quam non ſeminavit. Qui dico infantulus, Regis filius, licèt præſens eſſet Archiepiſcopus, poſteà quarto die domino *Ottone* Legato in conventuali eccleſia ipſum baptizante, à dominis *Rogero Londinenſi*, *Waltero Carleolenſi* Epiſcopis, necnon & ab *Willielmo Noſwicenſi* electo, domino *Richardo* fratre Regis, Comite *Cornubiæ*, *Simone* de *Monte forti Leiceſtriæ*, *Hugone* de *Boun Hertfordiæ* & *Eſſexiæ* Comitibus, & *Simone Normanno* Archidiacono *Norwicenſi*, *Petro* de *Malo lacu*, *Almarico* de *ſancto Amando* Proceribus, à ſacro fonte eſt levatus. Mulieres quoque nobiles ibidem præſentes affuerunt.

Eodémque tempore, valedicens ſuis, tranſfretavit nobilis Baro *Radulphus* de *Thomeo* crucefignatus, cum multis nobilibus, præcipuè Regni *Francorum*; qui cum magno apparatu, ſe ad iter *Hierosolymitanum* arripiendum ſtrenuè accinxerunt; ut in æterna retributione, mercedem æternam reciperent laureati.

Electio magiſtri Nicolai *de* Fernham *in Epiſcopum* Ceſtriæ.

EODEM tempore, poſtulato ſive electo *Willielmo* de *Rale* ad regimen eccleſiæ *Norwicenſis*, & aſſenſum tam populo præbente, quàm clero; Monachi *Coventrenſes* inſtanter procurarunt in negotio ſuo, de aliquo idoneo paſtore ſibi eligendo; ne meritò reprobanda electione, ampliùs vexarentur. Elegerunt igitur magiſtrum *Nicolaum* de *Fernham*, virum optimè literatum; & quod pluris eſt, multiplici virtutum gratia decoratum, ſtatura elegantem, diſcreto ſermone facundum, vultu & geſtu maturum & modeſtum: ne nævus reprobationis propoſitum eorum poſſit impedire. Quod cùm Rex acceptaſſet, & clerus, & populus: magiſter *Nicolaus*, ut vir profundi pectoris, videns rem eſſe litigioſam, & in confinio regionis *Anglicanæ*; & reputans ſe more humilis & diſcreti, tanto oneri inſufficientem, ponderánſque tot animarum cuſtodiendarum onus periculoſum in reddenda ratione, noluit aliquo modo adquieſcere; ſed oblatum onus cum honore conſtanter refutando, reſignavit. Erat nempè res ita litigioſa inter Monachos & Canonicos, quòd affirmaret pars Canonicorum tunc debere eligere; eò quòd juxta formam, qua conquievit lis inter eos mota, celebrata electione una per Monachos, ſecunda electio ad Canonicos devolveretur. Sed Canonicis talia proponentibus, Monachi reſponderunt, electionem annihilatam ad effectum non perveniſſe, nec finem fuiſſe ſortitam, per eventum non opinatum; quem ordinatio divina, non ſua præmeditatio, quæ omnia ſecundùm voluntatem ſuam diſpenſat, diſpoſuerat. Dixerunt Canonici; Nolumus vos ignorare, quòd placet nobis electus veſter, qui etiam ad majorem dignitatem ſufficeret: ſed nobis forma diſplicet eligendi, cùm ad nos jure devolvatur electio, non ad vos; & hoc benè per factum noſtrum probavimus. Elegimus enim nobis Decanum noſtrum, in Epiſcopum & cuſtodem animarum noſtrarum. Et cùm inſonuiſſet tumultus, qui comminaretur damnoſam imminere diſcordiam, Decanus vir pius, & diſcordiam volens terminare, exaltando vocem in publico, ait: Sinite, ſinite: neſcio qua ratione me inſufficientem ad onus Epiſcopale aſſumpſiſtis, Tota mente, toto corde contradico, & cedo: ſed quieſcat iſte tumultus, & adhæreamus omnes unanimiter illi bono viro, de quo tanta bona prædicantur hac vice. Salvo tamen jure ſuæ eccleſiæ utrobique, miſerunt omnes unanimiter, tam Canonici quàm Monachi, ad dictum magiſtrum *Nicolaum*, ſignificantes, quòd omnes qui priùs diſſidebant, in unum jam convenerant, ipſúmque elegerant: ſuppliciter exorantes, ut honorem, licet oneroſum, ſibi in Domino & pro Domino oblatum, gratanter ſuſcipere dignaretur. Quibus magiſter *Nicolaus* reſpondit: Grates vobis rependo multiplices junctis manibus, vos amici & domini mei, tam Canonici quàm Monachi, in quorum oculis tanti eram, ut me qualem qualem in paſtorem vobis elegiſtis. Sed, amici mei, ſufficit mea conditio mihi, & me gravat jam commiſſum onus vehementer; & cura ac cuſtodia ratióque animarum mihi commiſſarum, ſollicitat & perterret. Quieſcite igitur, quieſcite, fratres chariſſimi, ampliùs me in hoc negotio inquietare. Dico enim vobis præcisè, ſive conſentiatis, ſive non: non adquieſco. Quod cognoſcentes alii, inito conſilio, elegerunt ſecundùm prædictam formam, dominum *Hugonem* de *Pateſhulle* (filium præclari viri domini *Simonis* de *Pateſhulle*, cujus ſapientia aliquando tota *Anglia* regebatur) Canonicum ſancti *Pauli Londinenſem*; & domini Regis Cancellarium, in Epiſcopum & cuſtodem animarum ſuarum. Ipſe verò, ut vir honeſtus & diſcretus, habita deliberatione moroſa, cogitans de illo Apoſtolico, ſcilicet: *Qui benè adminiſtrat, bonum gradum ſibi adquirit*, & alibi: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: tandem motus & miſertus ſuper eccleſiæ deſolatione, & lacrymis petentium; laboribus, curis, & expenſis, adquievit, ut triſtitia eorum in gaudium verteretur.

ET

1239.

Calamitas Judæorum.

ET eodem anno, die ſancti *Albani Anglorum* Protomartyris, & in craſtino, paſſi ſunt *Judæi* exterminium magnum & deſtructionem; eoſdem arctante & incarcerante, & pecuniam ab eiſdem extorquente *Galfrido Templario*, Regis ſpeciali Conſiliario. Tandem verò poſt angarias, tertiam partem totius pecuniæ ſuæ, tam debitorum quàm catallorum, ut vita & pace ad tempus gauderent, miſeri *Judæi* in ſuam magnam ruinam & confuſionem Regi perſolverunt. Hujus autem deſtructionis ſeminarium, ſuſcitavit quoddam homicidium in civitate à *Judæis* clanculò perpetratum. Nec diu poſt hæc, propter quendam puerum, quem *Judæi* circunciderunt, quatuor *Judæi* (quibus non erant ditiores in civitate) apud *Norwicum*, convicti manifeſtè, ſuſpendio perierunt.

Ranulphus Brito captus.

SUB ejuſdem temporis curriculo, quo Deus Regi cum exultatione, juxta petitionem ſuam & multorum deſiderium, prolem contulit maſculinam: quia nil impermixtum continet calix ſæcularis ſine fellis amaritudine; quidam Regius nuncius *Willielmus* nomine, multoties convictus de facinore multiplice, quàm plures *Angliæ* nobiles ſuis falſis accuſationibus notabiles reddidit, & de crimine læſæ Majeſtatis infames, ut vitam ſuam protraheret infœlicem: addictus enim erat morti, vinculis & carceri mancipatus. *Ranulphum* quoque *Britonem*, clericum, & eccleſiæ ſancti *Pauli Londinenſis* Canonicum, qui aliquando domino Regi fuerat familiaris, etiam theſaurarius, criminaliter accuſavit. Quem Rex, cùm hæc audiſſet, capi præcepit per literas ſuas, quas Majori *Londinenſi*, ſcilicet *Willielmo Goimero* (ſive *Girardo Bat*) deſtinavit; & in turri *Londinenſi* detrudi compeditum. Cui Major plus quàm Deo obediens, Regia percepta præcipitanter effectui mandavit. Ipſum enim *Ranulphum* à domo ſua, quæ vicina eſt eccleſiæ S. *Pauli*, truculenter extraxit; & in turri *Londinenſi* vinculis ferreis, quæ vulgariter annuli nuncupantur, incluſit mancipatum. Quo cognito, Decanus *Londinenſis*, ſcilicet magiſter G. de *Lucy*, cum ſuis Concanonicis (quia Epiſcopus tunc præſens non fuerat) ſententiam excommunicationis dedit incontinenti generalem, in omnes tantæ enormitatis præſumptores, eccleſiam S. *Pauli* ſupponens Interdicto. Rex autem admonitus per Epiſcopum, cùm errores non correxit, & mala malis comminando cumulaſſet; Epiſcopus totam civitatem *Londinenſem* ſibi ſubjectam, erat Interdicto ſuppoſiturus. Cùm autem parati eſſent tam Archiepiſcopus *Cantuarienſis* quàm Legatus, & Epiſcopus *Londinenſis*, & multi alii Prælati, manum aggravare; Rex dictum *Ranulphum*, licèt invitus, ſolvi, & in pace dimitti præcepit: Sed cùm voluiſſet addidiſſe conditionem, ſcilicet iſtam, ut reſervaretur, ut eum promptum exponerent, quando placeret ei ipſum accuſare; reſpondit eccleſia, quòd nullo modo ſub hac forma eum quaſi incarceratum cuſtodirent; ſed abſolutum reciperet eccleſia, ſicut liberum & abſolutum eum in domo ſua Regii ſatellites violenter rapuerunt. Dimiſſus, eſt igitur eo modo *Ranulphus*, edoctus experimento, quanta volubilitate Aulicos Fortuna edomat; ab aula Regia ſe retraxit caſtigatus. *Stephanus* autem de *Segrave*, licèt ſæpè ſimili preſſura vexatus, plùs quàm deceret aut expediret, ætati ſuæ non parcens' ſe curis curialibus implicuit; & factus eſt tunc temporis Regis præcipuus Conſiliarius: qui tamen innata induſtria, modeſtiùs ſolitò habenas Regii conſilii cœpit moderari. Nec multùm pòſt, prædictus facinoroſus, qui nobiles prænotatos accuſaverat, & *Ranulphum*, ut dictum eſt, diffamaverat; ignominioſè ſuper machinam illam pœnalem, quæ *Gibet* appellatur, extra *Londinum* traditur ſuſpendio. Palàm autem coram populo & tortoribus, cùm videret mortem ſibi imminentem; ſe non ob aliud prædicta commenta finxiſſe, niſi ut vitam ſuam protelaret, licèt ſerò, confitebatur.

Denunciatio excommunicationis Frederici Imperatoris.

DIEBUS autem illis, in eccleſia ſancti *Pauli Londinenſi* denunciatus eſt excommunicatus *Fredericus* dictus Imperator, ex præcepto Papæ. Similiter per totum Epiſcopatum *Londinenſem*, & poſteà per totum Regnum. Nec erat qui contradiceret, vel clypeum contradictionis opponerett: licèt Rex honeſtam cauſam haberet, præ cæteris mundi Principibus, contradicendi, propter fœdus propinquæ affinitatis.

Literæ Imperialis ad Senatum Populumque Romanum.

EODEM tempore, dominus Imperator, admirans quòd robur *Romanorum* nimis enervatum, à conſtantia ſuæ ſubjectionis debitæ & fidelitatis tam fiducialiter promiſſæ recalcitravit; permittendo in eundem Imperatorem, dominum ſuum naturalem, ſententiam excommunicationis inferri in civitate: tam curiæ *Romanæ* Cardinalibus, quàm Senatori urbis & *Romanis*, ex intimo cordis, tacto dolore præcordiali, ſcripſit in hæc verba:

FREDERICUS *Dei Gratia* Romanorum *Imperator*, *ſemper Auguſtus*, Hieruſalem *&* Siciliæ *Rex*, *Senatori Urbis*, *& ſuis* Conromanis, *ſalutem. Cùm* Roma *ſit caput noſtri & auctrix Imperii, &* Romanus *Imperator à* Romæ *vocabulo nuncupetur, ut ſibi noſtri nominis & honoris proceſſus & auſpicia debeamus: in admirationem vehementem rapimur,*

1239. pimur, ſi ubi noſtri promovendus eſt honor, & injuria repellenda, inter eos qui tenentur & debent pro culmine noſtro ſe murum defenſionis opponere inſurgentibus ex adverſo; ipſis audientibus & diſſimulantibus, contrarium patiamur. Propter quod graviter dolere compellimur, quia Romanus Antiſtes contra Romanum Principem, id quod alibi non auderet, ſicut dicitur, in Urbe præſumpſit: & Romanum Imperatorem, auctorem Urbis, & benefactorem populi Romanorum, ipſis non reſiſtentibus, impiè blaſphemavit. Ut benefactorum noſtrorum tam Proceres quam populum Romanum, quibus ſpecialiter & communiter ſtuduimus liberali & ſpontanea munificentia providere, ac eorum intendimus continuatis augmentis; rectè vocemus immemores extitiſſe, ac inerti ſomno detentos; ut de tribulo mallea non vir eſſet de tot Proceribus & turba Quiritum, vel unus de tot Romani populi millibus, qui pro nobis exurgeret, verbum unicum loqueretur, qui noſtræ injuriæ condoleret: cum nos Urbem antiquis triumphorum titulis inſignitam, novis noſtræ victoriæ ſucceſſibus honoremus: & ad reformandum Romanum nomen, ſicut in die antiquis, & exaltandum Romani ſtatum Imperii, continuis laboribus intendamus. Qua propter neceſſariò ducimur, requirere vos, inſtanter monere, pariter & exhortari; quatenùs ſi omiſſum eſt aliqua negligentia vel torpore; nunc inſtanter oſtendere debeatis, inducentes alios monitis & exemplo: ut omnes & ſinguli prompta voluntate conſurgant ad noſtram & communem injuriam ulciſcendam. Quia cùm idem blaſphematur noſter, auſus alibi non fuiſſet in noſtri nominis blaſphemiam prorupiſſe, de tanta præſumptione gloriari non poſſet, quòd volentibus & nolentibus Romanis contra nos talia perpetraſſet: cùm potius id poſſet veſtræ ingratitudini reputari, ſi quòd antè factum fuit impedire laudabiliter potuiſtis, ex poſt facto noſtram & veſtram injuriam, poſtponatis inultam. Nam cùm alterutrum teneamur, & nos Romanum honorem & Romanos defendere, non veſtrum, ſi ad hoc vos & eos negligentes invenerimus, cùm nullus timor nos coëgerit ad beneficia Romanorum, ſed gratia induxerit ſpecialis; per ingratitudinem iſtam licèt prorsùs inviti cogamur, ab univerſis exhibitam gratiam revocare. Datum Terviſii, menſis Aprilis die xx. Idem autem dominus Imperator Fredericus, Cardinalibus paulò antè præſcripſerat, & eoſdem Romanos in parte movit; ſed nunc poſtremò commovit vehementiùs. Scripſit in hæc verba Cardinalibus.

Aliæ literæ Imperiales ad Cardinales.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, univerſis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, dilectis amicis ſuis, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Cùm ſit Chriſtus caput eccleſiæ, & in Petri vocabulo ſuam fundaverit eccleſiam ſupra petram, vos Apoſtolorum ſtatuit ſucceſſores, ut Petro pro omnibus miniſtrante; vos qui eſtis candelabra eccleſiæ, ſuper montem, non ſub modio conſtituta, re vera omnibus qui ſunt in domo effectu bonorum operum luceatis; nec à publica mundi lingua ex conſcientia generali vos ſubtrahere intendatis, cùm ad ſingula quæ præſidens ſedi Petri proponit ſtatuens vel denuncianda decrevit, æqua participatio vos admittit; niſi prævius religionis eccleſiæ ſtatus, & zelus efferveſcens evitandi ſcandali generalis, vobis cautelam ſuggeſſerit adſutura. Quis enim non miretur & ſtupeat, quòd tot venerabilium Patrum congregatione munitæ eccleſiæ generali, ſedens in ſolio (& utinam juſtus Judex) velit inconſultè procedere, ac ſuis motibus excandeſcens, in Romanum tendit Principem, advocatum eccleſiæ, ac ad prædicationem Evangelii ſtabilitum, ob favorem Lombardorum rebellium, exercere gladium ſpiritualem ſi decere liceat, minùs juſtè, cùm alias quicquid ex objectis eccleſiarum gravaminibus, quæ dicuntur, objiciat, quantùmve ſpecies per individua detinentur, vel emendationem receperint, vel ex deliberata noſtri proviſione conſilii ſit in proximo, prout juſſio jam præceſſit debita, & integra emendatio ſecutura. Nam ecce per patentes literas Prælatorum, quos mandatum Apoſtolicum præſtitit monitores, ejuſdem teſtimonium declaratur: & præcedens noſtra conſtitutio ſuper revocatione Prælatorum damna paſſorum, & de præſtanda integra ſatisfactione Prælatis, jam per literas venerabilis Archiepiſcopi Meſſanenſis, vocato ad hoc aſſeſſori noſtro tranſmiſſas, evidens exhibet teſtimonium veritati. Propter quod non indignè dolemus, ſi Pater Apoſtolicus offendere tam graviter nos intendat. Unde dum in conſtantem virum tam vehemens cadit injuria, etſi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittit; quin ad ultiones quibus Cæſares uti ſolent facti violentia nos impellat. Veruntamen dum conſideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offenſoris, ſi ex æquo liceret privatas exercere vindictas, quæ in hominem per quem ſcandalum venit, & in ſui participes ſanguinis compenſare poſſemus, & in ipſum & ſuos attentata Sedis injuria redundaret, tolerabiliùs duceremus. Sed cùm nec ipſe, nec tota propter hoc ſua paſſura progenies, tanti forent, ut culmen Imperii zelaret ultionem ipſorum: cùmque Sedis auctoritas audaciæ ſibi fræna relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fovere pertinacia videatur; angit nos altiori mente turbatio, quòd dum nos intendamus à perſequente defendere, oporteat nos

defen-

defendendo graviùs offendere reſiſtentes : ſalva in omnibus eccleſiæ ſanctitate, quam cultu ſacrò & debita reverentia veneramur. Quapropter venerabilem cœtum veſtrum affectuoſiùs deprecamur, quatenùs motus ſummi Pontificis, quos ex cauſis evidentibus non tam juſtos quàm voluntarios mundus agnoſcit, ex deliberata modeſtia compeſcatis : generali ſtatui & præſenti quieti mentium, à ſcandalis providentes. Nam cùm ad ſalutem omnium veſtrum ſavorabiliter alligemur, ab injuriatorum offenſa non poterimus æquanimiter abſtinere : quin etſi obſtare principiis non poſſimus, licitè debeat injurias, quas revocare non poſſumus, injuriis propulſare. Datum Podonii, *decima die Martii, undecima Indictione.* 1239.

ET tunc temporis quædam ſcripta, quæ videbantur futurorum eſſe prognoſtica, propter imminentia pericula, & diſcordiam ortam inter tam graves perſonas, quibus non ſunt majores, imò nec pares, ad memoriam ſunt redacta, & recenter recitata. Quorum unum eſt hoc ſequens : *Quædam ſcripta prognoſtica.*

Excitabitur Roma *contra* Romanum *&* Romanus *ſubſtitutus* Romam Romano *imminuet. Alleviabuntur virgæ paſtorum, & ſolatium eorum erit in otio. Turbabuntur ſeduli, & orabunt : & in lacrymis multorum erit requies. Humilis alludet furibundo, & furor extinguens palpabitur. Novus grex ſerpet ad cumulum, & qui intitulantur in Veteri, tenui cibo cibabuntur. Fruſtrata eſt ſpes ſperantium, & requieſcit ſolatium, in quo parat fiduciam. Qui in tenebris ambulàrunt, ad lucem redibunt. Et quæ erant diviſa & diſperſa, conſolidabuntur. Non modica nubes incipiet pluere: quia natus eſt immutator ſæculi. Leoni ſubſtituetur agnus : Et agni in leones deprædabuntur. Surget furor contra ſimplicem, & ſimplicitas attenuata ſpirabit. Decor convertetur in dedecus ; & gaudium multorum erit luctus.* Hæc dicta anno gratiæ MCXIX. jam inſtare intellectas comminationes in ſcripto dicebantur. Aliud ſcriptum, quod videtur procurâſſe Imperator, fertur tamen pro vero, quod inventi ſunt hi verſiculi in cubiculo Papæ ſcripti, modus autem & auctor penitùs ignoratur :

Fata docent, ſtellæque monent, aviùmque volatus,
Totius mundi malleus unus erit.
Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Totius mundi deſinet eſſe caput.

Quos verſus cùm dominus Imperator & alii multi interpretabantur in interitum & deſolationem Papæ & *Romanæ* curiæ redundaſſe, Papa in eundem Imperatorem hos verſiculos retorquebat :

Fama refert, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tua vita brevis ; pœna perennis erit.

VIDENS autem dominus Imperator famam ſuam in hac tempeſtate periclitari, ut innocentiam ſuam manifeſtaret, procuravit ut nuncii ipſi, qui magnæ auctoritatis viri fuerant & ſolennes, ſcriberent domino Papæ, oſtendendo ſuam & Imperatoris innocentiam aç juſtitiam. *Excuſatur Imperator per admonitores.*

SANCTISSIMO *patri in* Chriſto Gregorio *Dei gratia ſummo Pontifici, ſui devoti* Herbipolenſis, Wormacienſis, Vercellenſis, *&* Parmenſis *Epiſcopi, humilem ſui commendationem & reverentiam tam debitam quàm devotam. Cum omni reverentia & devotione recepimus literas Apoſtolicæ ſanctitatis, per quas miſſi fuimus admonere Dominum noſtrum* Romanum *Principem, ſuper quibuſdam capitibus, quæ miſſa ſunt eiſdem literis incluſa. Nos autem ex obedientiæ debito, qua tenemur ad tantum debitum, hæſitantes tamen, ſi monita noſtra patienter acciperet, reverenter & devotè pervenimus ; & expoſitis ſingulis, quæ capitula continebant, ac veſtrarum per eum habita copia literarum, faciente Domino, qui gerit ac dirigit quò voluerit corda Regum, in admirabili devotione & inſperata humilitate ſe monitis noſtris pronum exhibuit, inclinata Imperialis audientia dignitatis. Ita quòd nobis exiſtentibus coram eo, præſentibus quoque venerabilibus* Panormitanenſis, Meſſanenſis *Archiepiſcopis,* Cremonenſis, Laudenſis, Navarienſis, *&* Mutinenſis *Epiſcopis, & Abbate ſancti* Vincentii, *convocatis etiam quàm pluribus ex fratribus ordinis* Prædicatorum *&* Minorum *reſpondit ad ſingula quæ propoſuimus ſeriatim, prout in ſequentibus diſtinctè ac plenariè continetur, ſicut dominationi veſtræ reſponſionem ipſius juxta ſeriem capitulorum expoſitam, ſecundùm Apoſtolicam juſſionem ſub fido teſtimonio tenore præſentium declaramus.* Propoſitio eccleſiæ ; Montis Regalis, Cephaludenſis, Catanienſis, *&* Squillatenſis *eccleſiæ,* Milletenſis, *ſanctæ* Eufemiæ *terræ majoris, & ſancti* Johannis *in* Lamis, *Monaſteria ſunt ſpoliata ferè om-* *Litera nunciorum.* *Objectiones & reſponſiones.*

1239. nibus bonis ſuis. Item, omnes ferè cathedrales & aliæ eccleſiæ ac Monaſteria ; ſunt per iniquam inquiſitionem, ferè omnibus hominibus ſuis ſpoliata. Reſponſio Imperialis: Super gravaminibus eccleſiarum, quæ indeterminatè ponuntur, quædam ignoranter commiſſa, corrigi juſſa ſunt, ſine moræ diſpendio: quædam verò jam correcta, ſicut eſt in evidenti, de fideli & induſtrio nuncio noſtro, ad hoc ſpecialiter deſtinato; videlicet magiſtro Willielmo de Tocto, Notario noſtro: qui etiam juſſus eſt tranſire per Romanam curiam, & conſulto venerabili Meſſanenſi Archiepiſcopo, juxta conſilium ſuum procedere, ad revocationem eorum, quæ inveniret notabiliter facta. Sic quòd in ingreſſu Regni, circa fines illos invenit quædam, quæ tenebantur per quoſdam de familia Imperiali, quibus non pepercit, ſed eos deſtituit, reſtituens deſtitutos: cùm tamen habuerit in mandatis, quòd ab imperiali fiſco etiam revocaret, ſi qua inveniret illicitè deprehenſa. Sic quòd fama eorum quæ geſſerat perveniente ad curiam Romanam, dominus Papa dicitur approbâſſe mittentis providentiam, & diligentiam miſſi. Qui cùm Regnum in diverſas provincias ſit diviſum, nondum potuit omnes peragrâſſe, ut quæ corrigenda invenerit, corrigantur. Item, de eccleſia Montis Regalis. R. Quòd nullum gravamen habuit per dominum Imperatorem; niſi velit notari de Saracenis, qui occupaverunt bona eccleſiæ per bellum, qui nec dominum Imperatorem, nec eccleſiam recognoſcebant, nec in aliquo pro poſſe ſuo pepercerunt; imò deſtruxerant & deprædati fuerant eam, uſque ad muros eccleſiæ, & alicui de Sicilia non parcebant; ita ut in partibus illis nullus vel rarus Chriſticola remanſiſſet. Hos re vera fatetur dominus Imperator exterminaſſe de Sicilia, cùm multis laboribus & expenſis, ſi reputant in hoc gravamen eccleſiæ, aliàs neſcit quòd unquam gravaſſet illam, nec vult gravare. Item, idem dicit de eccleſia Cephalenſi, niſi fortè tangatur de caſtro Cephalenſi, quod velut munitiſſimam arcem ſupra mare, & ſtantem in Marchia Saracenorum, tenuerunt ſemper Reges Siciliæ; & bonæ memoriæ Innocentius Papa mandavit Legato ſuo, tunc temporis pro ſervitio noſtro in Sicilia exiſtenti, ut illud reciperet ab Epiſcopo, ad cujus manus perturbationem venerat, & non de jure; & quòd Legatus tempore pueritiæ noſtræ faceret teneri & cuſtodiri pro nobis, nec Epiſcopo nec præſenti reſtituitur, nec de jure reſtitui debet, quia non habet jus in re: & aliàs, quòd falſarius, homicida, proditor, & ſchiſmaticus, publico teſtimonio comprobatur, quare ſi etiam haberet jus in re, quòd abſit, reſtitui non tenetur. Item, idem de Cathanenſi eccleſia: niſi fortè tangatur de hominibus Demanii domini Imperatoris, qui temporibus belli, propter locum ſecurum & fertilem ſe Cathaniam contulerunt. Hos fatetur Imperator ſe ad Demania ſua revocaſſe, ſecundùm formam generalis conſtitutionis Regni, per quam etiam Comites & Barones & omnes de Regno homines, de Demaniis revocant, ubicunque eos invenerint; ſive in terris eccleſiarum, ſive in civitatibus ipſius Imperatoris. Nihilominùs tamen ſuper his forma ſtatuta eſt, & meta temporis poſita, ad requiſitionem ſummi Pontificis acceptata: prout conſtat ex literis teſtimonialibus Patriarchæ Antiochenſis, & Panormitanenſis & Meſſanenſis Archiepiſcoporum. Item, quòd cum eccleſia Miletenſis & ſanctæ Euſemiæ, cum Abbate & Monachis Terræ Majoris, permutatio congrua facta ſit de voluntate Prælatorum ipſorum & conventuum, ſecundùm formam Juris; & ipſi hodiè res tenent & poſſident permutatas. Taſſale verò ſancti Severii, quod non erat in totum Abbatis terræ majoris Aconenſis, ibi quædam jura habebat, quæ tenebat in feudum ab ipſo Imperatore, per judicium fuit juſtè deſtructum; quia homines illius loci tempore perturbationis occiderunt Paulum de Longothan bajulum Imperatoris, & armenta Imperialia diripuerunt: & nihilominùs, ut dictum eſt, permutatio data eſt Abbati & Conventui pro parte ſua, & hodiè tenent. Locus Lamæ cinctus eſt per ſententiam ab Abbate ſancti Johannis rotundi; qui de eo, velut de feudali, potuit & debuit ſecundùm Jus Civile & Canonicum, in Imperiali curia conveniri. Propoſitio eccleſiæ. Templarii & Hoſpitalarii bonis mobilibus & immobilibus ſpoliati, juxta tenorem pacis non ſunt integrè reſtituti. Reſponſio Imperialis. A Templariis & Hoſpitalariis verum eſt, quòd per judicium & per antiquam conſtitutionem Regni Siciliæ, revocata ſunt feudalia & burgaſatica, quæ habuerant per conceſſionem invaſorum Regni; quibus equos, arma, victualia, & vinum, & omnia neceſſaria miniſtrabant abundè, quando infeſtabant Imperatorem; & imperatori, tunc Regi pupillo, & deſtituto, omne omninò ſubſidium denegabant. Alia tamen feudalia & burgaſatica dimiſſa ſunt eis, qualitercunque ea adquiſierunt & tenuerunt ante mortem Regis Willielmi ſecundi; ſeu de quibus haberent conceſſionem alicujus anteceſſorum ſuorum. Nonnulla verò burgaſatica quæ emerunt, revocata ſunt ab eis, ſecundum formam antiquæ conſtitutionis Regni Siciliæ, quòd nihil poteſt eis ſine conſenſu Principis de Burgaſaticis inter vivos concedi, vel in ultima voluntate legari, quin poſt annum, menſem, ſeptimanam, & diem, aliis burgenſibus ſæcularibus vendere & concedere teneantur. Et hoc propterea fuit ab antiquo ſtatutum, quia ſi liberè eis & perpetuò burgaſatica liceret emere ſive accipere, modico tempore totum

Regnum

Regnum Siciliæ, (quod inter Regiones mundi ſibi habilius reputarent) emerent, & adquirerent: & hæc eadem conſtitutio obtinet ultra mare. Propoſitio eccleſiæ: Item, quòd non permittit cathedrales & alias vacantes eccleſias ordinari, & hac occaſione periclitatur libertas eccleſiæ, perit fides; quia non eſt qui proponit verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente paſtore. Reſponſio Imperalis: Cathedrales & alias vacantes eccleſias, dominus Imperator libenter vult & deſiderat ordinari, ſalvis privilegiis & dignitatibus quæ prædeceſſores ſui Reges uſque ad ſua tempora habuerunt, & quibus ipſe modeſtiùs quàm prædeceſſores ſui hactenùs uſi ſunt; nec contra ordinationem eccleſiarum unquam fuit. Propoſitio eccleſiæ: De talliis & exactionibus quæ contra formam pacis ab eccleſiis & monaſteriis extorquentur. Reſponſio Imperialis: Talliæ & collectæ clericis & perſonis eccleſiaſticis, non pro eccleſiaſticis rebus, ſed pro feudalibus & patrimonialibus imponuntur; ſecundùm quod eſt Jus commune, & obtinet ubiquè per orbem. Propoſitio eccleſiæ: De hoc quòd Prælati non audent procedere contra uſurarios, occaſione conſtitutionis Imperialis. Reſponſio Imperialis: Apparet generalis & nova conſtitutio contra uſurarios edita per Imperatorem, per quam in omnibus bonis eorum publicè condemnantur, & lecta eſt coram Prælatis, per quam etiam non interdicitur Prælatis, audacia procedendi. Propoſitio eccleſiæ: quòd clerici capiuntur, incarcerantur, proſcribuntur, & occiduntur. Reſponſio Imperialis: De captis & incarceratis nihil novit, niſi quòd per officiales Imperatoris aliqui capti ſunt; aſſignandi juxta qualitatem exceſſuum judicio Prælatorum. De proſcriptis verò novit, quòd objecto quibuſdam crimine leſæ Majeſtatis, aliqui de Regno ſunt proſcripti. novit etiam de occiſis, quòd propter impunitatem clericorum & monachorum, Venuſina eccleſia gemit obitum Prælati ſui, à ſuo monacho interfecti: & in eccleſia S. Vincentii, monachus monachum interfecit; nec eſt inde aliqua vindicta ſive pœna canonica ſubſecuta. Propoſitio eccleſiæ: De eccleſiis Domino conſecratis, quæ prophanantur & deſtruuntur. Reſponſio Imperialis: Nihil omninò ſcitur, niſi fortè dicatur de eccleſia Luceriæ, quæ propter diutinam vetuſtatem per ſe dicitur corruiſſe; & quam Imperator, nedum quod reædificari permittat, imò paratus eſt ad honorem Dei & eccleſiæ, de ſuo pro reædificatione ejuſdem Epiſcopum congruè adjuvare. Propoſitio eccleſiæ: Quòd non permittit reparari Soranam eccleſiam. Reſponſio Imperialis: Soranam eccleſiam ſolam ædificari permittit, ſed civitatem non; ad minus diebus ſuis, quæ judicio eſt deſtructa. Propoſitio eccleſiæ: Quòd contra tenorem pacis, hi qui adhæſerunt eccleſiæ tempore turbationis, bonis omnibus ſpoliati, exulare coguntur. Reſponſio Imperialis: Adhærentes domino Papæ tempore turbationis contra dominum Imperatorem, ſecurè in Regno morantur; niſi fortè qui officia & juriſdictiones exercuerunt, metu ponendi rationem, vel aliqui, ne cauſis civilibus vel criminalibus conveniantur, morantur extra Regnum: de quibus vult dominus Imperator, quòd ſecurè redeant, ſi ſibi & aliis conquerentibus (non tamen de eo, vel ejus occaſione, quòd eccleſiæ adhæſerunt) velint facere rationem. Sed cùm de forma pacis tractatur, recordatur quòd dominus Papa contra eam & contra opinionem ferè omnem fratrum, detinet civitatem Caſtellæ. Pro qua detinenda, in præjudicium Imperii, recepit pecuniam, exiſtente domino Imperatore pro ſervitio ejus contra Romanos; & expendente proinde ultra centum millia marcarum argenti: adeò quòd magnum commodum inde eſt eccleſia conſecuta, tam de terra Romanis ablata, & ſibi reſtituta, quàm de libertate eccleſiaſtica, reformata in Urbe, occaſione ſervitii ſupradicti. Propoſitio eccleſiæ: De nepote Regis Tunicii, quem non permiſit venire ad apoſtolicam ſedem, ad ſuſcipiendum baptiſmi ſacramentum, ſed captivum detinet. Reſponſio Imperialis: Quòd nepos Regis Tunicii, non ut baptizaretur, ſed ut aufugeret mortem, quam præminabatur patruus ſuus, de Barbaria fugit in Siciliam. Non tenetur captivus, ſed liber per Appuliam vadit: & diligenter quæſitus, ſi baptizari velit, omninò negat. Si tamen vult baptizari, dominus Imperator acceptat & gaudet, prout ſuper hoc reſpondit aliàs Panormitanenſi & Meſſanenſi Archiepiſcopis. Propoſitio eccleſiæ: De Petro Saraceno, fideli eccleſiæ, quem tenet captivum, in injuriam eccleſiæ: & fratre Jordane, qui tenetur captivus. Reſponſio Imperialis: Petrus Saracenus, tanquàm inimicus domini Imperatoris & detractor ejus, tam in Urbe quàm alibi, captus eſt per eum. Item, non in negotium Regis Anglorum venit, ſed tantùm literas ipſius attulit; ut ſi fortè caperetur, capto parceremus, attentiùs ſupplicantes. Quibus non obtemperavimus, quia Rex neſcivit, quas mihi paravit inſidias. De fratre Jordane, quòd ipſum nec cepit, nec capi mandavit; quamvis eum in ſermonibus diffamaverat. Sed quia videtur à quibuſdam fidelibus ſuis, qui norunt mores & verſutias ejuſdem fratris, quòd ſtatus & mora ejus, ſi fieret in Marchia Terviſii, & Lombardia, ſuſpecta forent & nociva domino Imperatori: præſtita ſatisdatione, quòd in Marchia vel Lombardia remanere vel morari non debeat, ipſum liberari mandabat, & aſſignari eum juſſiſſet domino Meſſanenſi Archiepiſcopo; ſi dictum fratrem in prædictum modum, ſuper ſe recipere voluiſſet. Propoſitio 1239.

1239. eccleſiæ: De eo quòd ipſe ſeditionem movit in Urbe contra eccleſiam, per quam intendebat Romanum Pontificem & fratres ſuos à ſua ſede repellere; & contra privilegia, dignitates, & honores Apoſtolicæ ſedis, libertatem eccleſiaſticam conculcare. Reſponſio Imperialis: Seditio mota in Urbe contra eccleſiam per dominum Imperatorem, negatur. Sed cùm ipſe habeat fideles ſuos in Urbe, ſicut prædeceſſores ſui, tam Romani Principes, quàm Reges Siciliæ, ſoliti ſunt habere, quia Senatores aliquando electi per potentiam adverſariorum, eos offendere contendebant, aſtabat defenſioni eorum; ſicut aſtaret quoties in ſimilibus expediret. Ceſſante verò cauſa, videlicet quòd alius Senator communiter electus fuit, ceſſavit turbatio ſupradicta; prout conſtat de rei evidentia, ex teſtimonio Panormitanenſis & Meſſanenſis Archiepiſcoporum. Propoſitio eccleſiæ: De eo quòd mandavit quibuſdam fidelibus ſuis, ut Epiſcopus Præneſtinus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, detineretur. Reſponſio Imperialis: Super mandato detentionis Epiſcopi Præneſtini, reſpondit, quòd nunquam mandavit, nec etiam id ſomniavit dominus Imperator: quanquàm de eo id juſtè facere potuiſſet, tanquam de inimico ſuo. Qui, licèt miſſus per dominum Papam, tanquam vir religioſus, tamen de mandato domini Papæ, ut ipſe dixit, Lombardiam pro magna parte contra dominum Imperatorem callidè & perniciosè ſubvertit; & Lombardos contra ipſum in quantum potuit animavit. Propoſitio eccleſiæ: Quòd per eum impeditur negotium Terræ Sanctæ, occaſione diſcordiæ quam habet cum quibuſdam Lombardis: cùm parata ſit eccleſia dare opem & operam efficacem, ut ſibi & honori Imperii, ſuper his quæ commiſſa ſunt contra eum à Lombardis, congruè ſatisfiat: & Lombardi etiam ad hoc ipſum ſint præparati: moneatur ſuper his omnibus, & reſponſum ejus ſignificetur nobis. Reſponſio Imperialis: Super negotio Lombardiæ dixit dominus Imperator, quòd illud multotres commiſit eccleſiæ, nec inde eſt aliquod commodum aſſequutus: niſi quòd prima vice condemnati ſunt Lombardi in quadringentis militibus; quos dominus Papa tali modo fecit ei ſolvi, quòd ipſos contra ipſum Imperatorem miſit in Regnum. Secunda vice condemnati ſunt in quingentis militibus, quos non Imperatori, contra quem commiſſa erat injuria, ſed ſub protectione & ad requiſitionem domini Papæ & eccleſiæ, quæ offenſa non erat, ultra mare tranſmitti pronunciavit, quod etiam nunquam factum fuit. Tertia vice, ad requiſitionem Cardinalium, ſcilicet quondam Epiſcopi Sabinenſis, & magiſtri Petri de Capua, plenè ſicut dominus Papa dictavit, commiſſum fuit dictum negotium eccleſiæ, nec unquam poſteà de hoc fuit verbum; niſi quando dominus Papa novit, quòd Imperator, poſtquàm ei toties fuerat illuſum, defendere cum exercitu à Germania in Italiam ſe parabat, & tunc inſtanter petiit denuò negotium ſibi committi: & dominus Imperator, licèt in eadem commiſſione naufragium ſæpè expertus fuiſſet, voluit tamen ſibi committere ad certum diem & ſub conditione, quòd ad honorem ſuum & commodum Imperii firmaretur. Quam conditionem dominus Papa, prout per literas ſuas conſtat, admittere noluit; quanquam ad præſens per literas ſuas dicat, quòd eccleſia negotium ipſum, ſalvo jure & honore Imperii, fuiſſet definire parata. Et ex hoc patet, quòd literæ ipſæ ſibi invicem manifeſtiſſimè contradicant. Et ne prætendatur, quòd in præjudicium Terræ ſanctæ, velit dominus Imperator jura Imperii in Italiam reſtaurare, qualiter dominus Imperator negotium Terræ ſanctæ aſſumpſerit, nec duxerit negligendum, apparet per literas ſuas reſponſales Regibus orbis & Cruceſignatis in Francia ſcriptas, qui ipſum in dominum & rectorem exercitus elegerunt: per quas etiam reſpondit inſuper eiſdem, quòd negotium ipſum de conſilio eccleſiæ, tractare volebat. Denique tamen ſuper omibus gravaminibus eccleſiarum corrigendis, Notarius domini Imperatoris in ſpecialem nuncium, ſicut ſuperiùs eſt propoſitum, eſt tranſmiſſus. Addidit preterea Imperialis reſponſio, quòd id quod enormius eſt, & in admirationem & ſtuporem omnium audientium verti debet, poſt receſſum ſupramemoratorum Panormitanenſis & Meſſanenſis Archiepiſcoporum, quibus dominus Papa eccleſiæ gratiam pro domino Imperatore promiſit, & quod voluit unum & idem eſſe cum eo, domino Imperatore, prout decuit, non modicè hoc attentante, poſtquàm ſufficienter fuerat eis ad quædam capitula miſſa per eos, reſponſum, prout in eorum atteſtatione conſiſtit, poſt tergum & in confuſionem eorundem Archiepiſcoporum, eis omninò neſcientibus, miſſæ ſunt literæ iſtæ & capitula intercluſa Prælatis; quæ licèt ſpeciem admonitionis contineant, ſuggillationem tamen Imperialis famæ continent manifeſtè. Ultimò, generale verbum reſpondit & propoſuit dominus Imperator, quòd cùm ipſe diu fuerit abſens à Regno, & Regni ſtatum ignoret; quicquid unquam in gravamine eccleſiarum factum eſt, quod remaneat emendandum, integrè & ſine difficultate aliqua id emendari mandabit. Et nihilominùs, propter univerſale bonum, quod ex unione inter ipſum & eccleſiam provenit, paratus eſt omnem prorsus ſecuritatem, quæ eccleſiam & ipſum Imperium deceat, præſtare eccleſiæ; quòd ad honorem & exaltationem fidei Chriſtianæ, & ad honorem & libertatem eccleſiaſticam conſervandum, ſit unum & idem cum eccleſia, viribus & potentia ſua hoc ex toto converſis. Datum, &c.

HÆC

1239.

Imperator conqueritur de injuriis ſibi à Pontifice illatis.

Hæc poſtquàm domino Papæ intimata ſunt, in vehementem iracundiam exarſit. Et ſeipſum juſtificans, omnia hæc prædicta pro frivolis habuit & inutilibus ſermocinationibus; & ſprevit quaſi commenta contraria veritati. Scribens igitur Principibus & Magnatibus totius *Chriſtianitatis*, tam laicis perſonis quàm eccleſiaſticis, abſolvit quotquot eidem *Frederico* fidelitate tenebantur, ut non ei tenerentur quaſi domino obedire. Fecit etiam per omnes terras ſibi obtemperantes, ſententiam latam in eundem terribiliter, præcipuè autem in *Anglia*, ſolenniter publicari; eum graviter diffamando, ipſúmque inimicum manifeſtum Dei & eccleſiæ affirmavit. Quod cum dominus Imperator feſtina relatione cognoviſſet, tactus dolore cordis intrinſecùs, prorumpentibus crebris ſuſpiriis, amicis querimoniam gravem reponens, ſcripſit in hæc verba:

Literæ Imperiales.

FREDERICUS, &c. *Inviti loquimur, ſed tacere non poſſumus. Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita, & gladius ferè uſque ad animam tranſiens, labia diſſolverunt. Júſque datum ſceleri ſcribimus, & populum contumacem dexteram in viſcera propria vertiſſe condolemus. Juri præfertur injuria, & voluntas juſtitiæ dominatur. Dominum quidem* Italiæ, *populi ſceptrum contemnere conantur Imperii. Ac etiam propriæ commoditatis immemores, libertatis ejuſdem vagæ luxuriam quieti pacis imponunt; & æquitati juſticiæque prætulerunt. Nec tamen à nobis rebellionem hujus ſumpſiſſe nunc primùm exordium æſtimetis; ſed avitas & paternas proſequimur injurias; & productam jam ad alias regiones, libertatis invidioſæ propaginem nitimur ſupplantare. Sed nec iſta diſſimulaſſe aliquolibet modo hactenùs, aut conniventibus oculis pertranſiſſe credatis. Quamprimùm enim in nobis pubeſcentibus, ac mentis & corporis caleſcente virtute, ad* Romani *culmen Imperii, præter ſpem hominum, nutu ſolummodò providentiæ divinæ, conſcendimus; ac Regnum* Siciliæ, *præclara maternæ ſucceſſionis hæreditas, ad jura noſtra pervenit: aciem mentis noſtræ continuò direximus ad prædicta. Ac demùm ad conſummationem propoſiti noſtri, miſerabili caſu de amiſſione* Damiatæ *tunc temporis miniſtrante, cum venerabili patre noſtro* H. *ſummo Pontifice apud* Verulas *colloquio celebrato,* Veronæ *de communi conſilio pro negotio* Terræ ſanctæ, *& reformatione Imperii, ſolennem curiam duximus indicendam: ubi tam nos quàm prædictus Papa, condiximus intereſſe. Quo propoſito, & volubilitate conſilii, & motu rerum continuo præſentium, immutato; nos à tanto bono recedere non volentes,* Ferentini *denuò cum Papa præſtito collocatione habita, curiam apud* Cremonam *indiximus: ad quam, filium noſtrum cum multis Principibus Imperii noſtri vocavimus, cum decenti militum comitatu: nihilominus* de Italiæ *partibus ducentes nobiſcum milites, prout Imperialis excellentiæ decus, & tantum negotium condecebat. Ex quo* Lombardi *nobis & honori noſtro rebelles, in ſpiritu contradictionis aſſumpti, & reprobum ſenſum dati; palliata occaſione timoris, propterea quòd armatorum conſortio fruebamur: & nobis intendere tanquam ipſorum legitimo domino contempſerunt, & ingreſſu in* Italiam *viarum difficultate prohibito, filium noſtrum & Principes à noſtris aſpectibus ſubtraxerunt. Ad exaggerationem dein nequitiæ adhuc occultæ ac perfidiæ, malitiam manifeſtam inſolentiámque adjecerunt, quòd contra nos & Imperium conſpirantes, nobis præſentibus & contemptis, conjurationes nefarias contraxerunt. Et ſic deſiderata filii noſtri viſione fraudati, in* Apuliam *redeuntes, quia præparatio paſſagii tranſmarini, ad quod tenebamur ex voto, tunc temporis nos arctabat; cauſam ipſam de ſatisfactione nobis & Imperio facienda, arbitrio ſummi Pontificis commiſimus terminandam: per quem, in quingentis militibus pro negotio* Terræ ſanctæ, *ſub eorum ſumptibus per biennium exhibendis, fuerunt nobis arbitrali ſententia condemnati. Quos inito pacis eccleſiam & Imperium diſcordiam ſeminante, ipſos contra nos in* Apuliam *tranſmiſerunt: & ſic per contrariæ ſatisfactionis modum, præcedentes injurias geminarunt. Redeuntibus autem nobis de partibus tranſmarinis, ac inter nos & eccleſiam diſſentione ſedata; de reformatione ſtatus Imperii concepto propoſito inhærentes, apud* Ravennam *iterum de conſilio beatiſſimi patris noſtri* G. *ſummi Pontificis, indiximus curiam generalem: ſub inermi tantummodò & domeſtico comitatu, ut timor armorum & occaſio frivola tolleretur. In qua, nedum* Lombardi *prædicti devotionis & obedientiæ nobis ſigna prætenderent; imò in oculis noſtris, ferè civitatem* Veronæ & Ezelinum, *de* Romano *tunc temporis ad noſtræ fidelitatis obſequium noviter revocatos, extractis eorum Carrochiis, violenter invadere nitebantur; ad reverentiam noſtræ præſentiæ, nullo habito omnino reſpectu. Acceſſum etiam filii noſtri ad nos, vel noſtrum ad eum per terras & vias Imperii (quæ etſi noſtræ ſint propriæ, tamen omnibus ſunt communes) denuò prohibentes: ita quòd patris oculus tunc temporis etiam filium non vidiſſet; niſi quòd navali præſidio, amore paterno, qui contineri non poterat, ſtimulati, nos* Aquilegiam *ſub maris dubia ſorte, contulimus; ut prædictum filium noſtrum & Principes, qui ad nos devotè ſe contulerunt, videremus. Nec adhuc defuit clementiæ noſtræ conſtantia; quin aggreſſionis hoſtilis furore depoſito, iterum & cauſam ipſam committere-*

mus

1239.

mus arbitrio eccleſiæ terminandam. Ex eo tamen unde credidimis humanitatis eiſdem exempla protendere, cornua ipſis indevotionis ereximus : referentes ab eis pro debita fide perfidiam, & pro devotione contemptum ; nec ulla de prædictis vexatio tribuit intellectum.

Cometa apparuit.

IPSO quoque tempore, in vigilia ſancti *Jacobi*, in crepuſculo, non tamen adhuc apparentibus ſtellis, cùm eſſet aër purus & purpureus ; apparuit ſtella maxima, ut facula ; ſurgens ab Auſtro, & volans non in ſublimem nimis ſe jaculabatur aërem; & tendebat versùs Aquilonem per tractus aëreos nec raptim, nec valdè velociter, ſed ſicut ſolet Niſus volare. Cùm autem pervenerat uſque ad medium firmamenti, in noſtro hemiſpherio apparentis, evanuit ; in aëre relinquens fumum, cum ſcintillis. Erat autem ſtella illa ſive Cometa vel draco, major viſu judice, *Lucifero* ; habens formam captionis, pars anterior clariſſima, in poſteriori parte fumans & ſcintillans. Omnes videntes illud ſignum prodigiale admirantes, quid protenderet, ignorabant, Sed unum, quòd cùm diuturna pluvia ſegetes penè omnes ſuffocaverat, eadem hora in amœnitatem præclariſſimam tempus eſt ſubitò commutatum : quod fruges, falcem tantummodò expectantes, maturas ſalvavit, & colligi toleravit.

Comes Leiceſtriæ Simon *cum indignatione Regis receſſit.*

EODEM etiam tempore, ſcilicet quinto Idus Auguſti, convenerunt nobiles Dominæ *Londinum* ; ut Reginam purificatam ad Monaſterium (ut moris eſt) ituram comitarentur. Ubi cùm Comes *Legriæ S.* de *Monte forti* cum uxore ſua veniſſet, Rex eum excommunicatum vocavit : prohibuitque ne ipſe vel uxor ejus, quam ante matrimonium inter eos contractum, nequiter & furtivè maculaverat, feſtivis ſuis ſolenniis intereſſet : & cùm multiplicaret convitia, Comes confuſus cum uxore ſua ad hoſpitium ſuum (ſcilicet Palatium domini Epiſcopi *Wintonienſis* tunc defuncti, quod Rex Comiti liberaliter commodaverat) per aquam venire properavit. Sed Rex ſtatim eos præcepit ejici truculenter. Et cùm flentes & ejulantes reverterentur, veniam flagitantes, Regiam iram non ſedârunt. Dixit enim : Sororem meam ſeduxiſti ante ſponſalia ; quòd cùm comperiſſem, ut vitaretur ſcandalum, dedi ſed invitus. Et ut votum ſuum matrimonium non impediret, *Romam* adiiſti ; *Romanámque* curiam donis & promiſſis impreciabilibus, ut illicitum tibi liceret, corrupiſti. Novit tunc præſens *A. Cantuarienſis* Archiepiſcopus, qui Papæ veritatem ſuper his intimavit : ſed victa veritas *Romanæ* ceſſit avaritiæ, muneribus multiplicatis. In cujus pecuniæ ſolutione cùm defeciſti, excommunicationis ſententia innodari meruiſti. Ad cumulum etiam miſeriæ tuæ, me inconſultum & neſcium, fidejuſſorem per falſum teſtimonium interpoſuiſti. Comes verò, cùm hæc audiſſet, erubuit ; & cùm dies inclinaſſet, per *Tameſim* in cymba minima cum uxore tunc & pauca familia ad mare feſtinanter declinans, continuò transfretavit.

Concilium Londinenſe *inter Epiſcopos* Angliæ *& Legatum.*

PER idem tempus convenerunt omnes Epiſcopi *Londinum*, pridiè ſcilicet Calendas Auguſti, de oppreſſionibus eccleſiæ *Anglicanæ* tractaturi. Exigebat enim Legatus, poſt quotidianas exactiones, procurationes. Cui habito conſilio, reſponderunt Epiſcopi communiter ; quòd toties bona eccleſiæ exhauſerat *Romana* importunitas, quòd nullo modo ampliùs tolerarent : exhibeat vos, qui inconſultè vos vocavit. Et ſic non ſine querulo murmure, à concilio receſſerunt.

Ingreſſus Legati in Scotiam.

EISDEM diebus Legatus in *Scotiam* intrare feſtinavit ; diſpoſitiſque rebus neceſſariis, & ducibus *Anglicis*, qui viarum ſi fortè pararentur inſidias explorarent, iter arripuit ; hoſpitia ſumptuoſa eligens in Abbatiis & eccleſiis cathedralibus. Et antequàm Regnum *Scotiæ* intraſſet, occurrit ei Rex *Scotiæ*, non acceptans ingreſſum ſuum. Dixit enim, quòd nunquam aliquis Legatus excepto illo ſolo, in *Scotiam* intravit. Non enim, ut aſſeruit, opus erat : *Chriſtianitas* ibi floruit, eccleſia proſperè ſe habebat. Et cùm ſermones multiplicarentur, & Rex ferè ad contradicendum erigeretur, confectum eſt ſcriptum intercedentibus utriuſque Regni Magnatibus inter eos : cujus tenor fuit, ut nunquam ratione illius adventus, talis conſuetudo in conſequentiam verteretur : inſuper in receſſu ſuo, ſcriptum illud ſignaret. Et hoc procuratum eſt, ne confuſus in *Angliam* quaſi repulſus reverteretur. Veruntamen mare non tranſiit : ſed in bonis civitatibus commorans ciſmarinis, vocavit Epiſcopos & nobiles terræ beneficiatos, & de rebus eccleſiaſticis ibidem pro libitu ordinavit, pecuniam non minimam colligendo, Rege verò in interioribus terræ commorante, Legatus ſine Regis licentia clàm & ſubitò recedens, prædictum ſcriptum aſportavit.

Denunciatur Imperator in Anglia *excommunicatus.*

ET cùm versùs *Scotiam* iter dominus Legatus arripuerat, Capitulum ſancti *Albani* ingreſſus eſt : & priùs facto ſermone de Aſſumptione beatæ virginis, (hoc enim infra octavas evenit) dominum Imperatorem excommunicavit. Monachi verò ſibi de tali permiſſione, literas excuſatorias obtinuerunt. Et eiſdem diebus, pluriès in eccleſia ſancti

Pauli

Pauli Londini, idem Imperator ſolenniter eſt excommunicatus: tali Papali authentico, quod Legato tranſmiſſum eſt, compellente. 1239.

GREGORIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio ſuo* Ottoni *ſancti* Nicolai *in carcere* Tulliano, *Diacono, Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sedes Apoſtolica, ſicut totus ferè orbis facti evidentia didicit,* Fredericum *dictum Imperatorem, ex quo ipſum ex utero matris excepit genibus affectu materno proſequens, lactavit uberibus, & humeris bajulavit: quem olim omni penè deſtitutum auxilio, & dubiis tantùm derelictum eventibus, ſuo recepit patrocinio confovendum; opponens ſe potenter invaſoribus Regni ſui, qui in terram ejus oculos aviditatis injecerant. Cujus jam fines ingreſſi, eam abſque ullo defenſionis obſtaculo uſurpabant: & defendens eundem ab inſidiantibus vitæ ſuæ, qui æmuli ſaluti ipſius, conabantur animam ejus extinguere, & de terra ipſius memoriam abolere. Cùmque idem protectionis eccleſiaſticæ clypeo præmunitus, perſonæ & Regni ſui, bonæ memoriæ* G. *de* Gualganem, *Tituli ſancti* Anaſtaſii, *Presbytero, Cardinali, à ſede Apoſtolica per multos annos deputato cuſtode, majoris metas attigiſſet ætatis; tandem ad altioris dignitatis apicem per eam extitit ſublimatus. Sed diligentiæ ſtudium circa perſonam ejus impenſum, labores plurimos, quos eccleſia ſubiit propter eum, quo ad ipſum, perdidiſſe videtur; cùm tot beneficiorum ſit immemor, tantæ gratiæ ſit ingratus. Et utinam illius ingratitudinis non excederet terminos, per quam perceptorum bonorum exiſteret negatione contentus. Porrò, licèt offenſa qualibet aculeos doloris importet, illa tamen jaculo graviori percellit; in qua ingratitudo pro gratia rependitur, & pro beneficiis maleficia compenſantur. Verùm, quantumcunquè ipſum Apoſtolica ſedes dilexerit, & ſupremæ culmine poteſtatis erexerit ſecularis, ſuis tamèn exigentibus culpis, de quibus, quanquam pluriès à nobis monitus, ſatisfacere non curavit, coacti ſumus, licèt inviti, animadvertere in eundem. Nam etſi* Adam *divina providentia, excellentia dignitatis & auctoritatis extulerit, cui omnia animantia terræ ſubjecit; quia tamen ſui juſſa præteriit plaſmatoris, ejus exceſſibus non pepercit. Quæ autem à dicto* Frederico, *pro tot bonis ſibi collatis eccleſia retributionis præmia reportârit, diſcretionem tuàm volumus non latere, pauca de multis præſenti pagina declarando. In Urbe ſiquidem gravem movit ſeditionem: exinde nos & fratres noſtros, totis viribus niſus excludere; ut ſic Apoſtolicæ ſedis honorem deprimeret, ac libertatem ipſius penitus conculcaret; contra juramenta præſtita temerè veniendo. Et venerabilem fratrem noſtrum* Præneſtinenſem *Epiſcopum; dum ipſum ad partes* Albigenſium *diſponeremus, pro corroboratione fidei catholicæ deſtinare; per quoſdam ſuos fideles, in viam impediri mandavit. Cathedrales etiam eccleſias, & alias vacantes Regni ſui, nequaquam ordinari permittit; in animarum periculum, & grave detrimentum ipſarum. Eas & quaſdam alias, nihilominùs ſpoliando ferè omnibus bonis ſuis; & tallias ac exactiones indebitas Prælatis, religioſis, & aliis clericis ſæcularibus imponendo. Nobilibus, pauperibus, orphanis, & viduis, uſque ad inanitionem extremam deductis, eos ad modicum dura & crudelis exactorum ſuorum acerbitas, non patitur reſpirare: & ſic totum ferè Regnum, quod eſt ſpirituale patrimonium beati* Petri, *pro quo juramento fidelitatis Apoſtolicæ ſedi tenetur, & ipſius ligius vaſſallus exiſtit; quantum in eo eſt, in favillam quaſi & cinerem jam redegit. Quòd ſi poſtquàm monitus fuerit à nobis, non duxerit corrigendum; nos ſuper hoc, auctore Deo, ſicut expedire videbimus, procedemus, Inſuper negotium impedit* Terræ ſanctæ, *necnon etiam Imperii* Romani. *Præterea, cùm tempore concordiæ inter ipſum & eccleſiam reformatæ, in manibus ſedis Apoſtolicæ Legatorum juraverit, eccleſiæ præceptis obedire: & ipſe mandatum ab eis receptum, quòd terram eccleſiæ, vel terras eorum quas tunc ad ſuas manus tenebat, aut ipſorum perſonas nullatenùs caperet, occuparet, ſive etiam devaſtaret, adimplere contempſit, terram eccleſiæ occupando; videlicet in* Lombardia, Ferrariam, Bondoniam, Pingnogoman, *terram quidem* Sardiniæ, *&* Meſſanenſem, Lucanenſem, *Dioceſes capiendo, & dejiciendo illos quos ad manus ſuas eccleſia reſervavit, & devaſtando terras ipſorum; licèt ex tunc in eum præſentem, ipſi Legati excommunicationis ſententiam tulerint, ſi ſuper his non faceret quod mandarent. Idem etiam nepotem Regis* Tunicii *detinet, ad* Romanam *curiam & eccleſiam, pro percipiendo ſacri baptiſmatis lavacro, accedentem. Ac dilectum filium* Petrum Saracenum, *nobilem civem* Romanum, *ex parte chariſſimi in* Chriſto *filii noſtri illuſtris Regis* Angliæ, *ad ſedem Apoſtolicam miſſum, & filium ejus, carceri detinet mancipatos. Quia verò ſuper his & quàm pluribus aliis exceſſibus pluriès à nobis monitus, correctionis medelam non ſentiens; cùm ſuarum ſint ulcera indurata culparum, quotidiè deteriora committere non veretur: Nos hæc abſque* Chriſti *offenſa, præterire ſub diſſimulatione ulteriùs non valentes; de fratrum noſtrorum conſilio, ex parte Dei omnipotentis (cujus vicem in terris gerimus) licet inviti; & auctoritate beatorum Apoſtolorum* Petri *&* Pauli, *ac noſtra, in eum excommunicationis & anathematis ſententiam duximus promulgandam;* tradentes

Literæ Papales acerbæ contra Imperatorem Legato miſſæ.

ipſum

1239. *ipſum* Fredericum Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus in die Domini ſalvus fiat. *Omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab obſervatione juramenti hujuſmodi abſolutos; & firmiter prohibendo, ne ſibi fidelitatem obſervent, donec fuerit vinculo excommunicationis aſtrictus. Quocirca devotionem tuam monemus & exhortamur attentè, per Apoſtolica ſcripta tibi præcipiendo; mandantes, quatenùs prædictam excommunicationis & anathematis ſententiam, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, pulſatis campanis & candelis accenſis, ſolenniter publicari, ac abſolutionem & inhibitionem nunciari procures, & facias per totam terram tuæ Legationis, modo ſimili publicari & etiam nunciari. Mandatum noſtrum taliter impleturus, quòd devotio tua poſſit exinde meritò commendari. Cæterùm, cùm præfatus* Fredericus *de aliis magnis & gravibus ſit plurimùm infamatus criminibus, nos, dante Domino, ſuper his ſuo loco & tempore procedemus, prout in talibus negotiis natura requirit. Verùm, quia terroris ſonitus ſemper eſt in auribus impiorum, & etiam quando pax eſt, inſidias ſuſpicantur; eò quòd turbata conſcientia ſemper ſæva præſumit: idem* Fredericus, *priùs quàm ſententia excommunicationis lata eſſet in ipſum, quaſdam fratribus noſtris decrevit literas tranſmittendas, pro parte inferiùs annotatas; quæ poſt eandem latam ſententiam ipſis præſentatæ, ad noſtram & eorundem notitiam pervenerunt. Unde quia voluit Dominus occulta cordis ejus detegere, qui manifeſtat abſcondita tenebrarum, & cordium ſecreta revelat; ex ipſarum literarum tenore colligitur, quam gerat devotionem ad* Romanam *eccleſiam, matrem ſuam; quam ad ſummum Pontificem, ac fratres ejus, ac ſedem Apoſtolicam reverentiam habeat, cujus ratione Regni vaſſallus exiſtit. Contra nos enim & ipſos, conſpiraſſe videtur: ex quo, quantum & quale crimen incurrerit, ſatis patet. Inter cætera verò quæ ſua continebat epiſtola, hæc habebantur inſerta:* Propter quod non indignè dolemus, ſi pater Apoſtolicus offendere tam graviter nos intendat, ut dum in conſtantem virum tam vehemens cadit injuria, etſi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittat, quin ad ultiones, quibus *Cæſares* uti ſolent, facti violentia nos impellat. *Veruntamen dum conſideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offenſoris, ſi ex æquo liceret privatas exercere vindictas, quas in hominem per quem ſcandalum venit, & in ſui participes ſanguinis, compenſare poſſemus; ut in ipſum & ſuos attentata noſtræ ſedis injuria redundaret, tolerabilius duceremus. Sed cùm nec ipſe, nec tota propter hoc ſua paſſura progenies, tanti forent, ut culmen Imperii zelaret ultionem ipſorum: cúmque ſedis auctoritas audaciæ ſibi fræna relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fovere pertinacia videatur; angit nos altiori mente turbatio; quòd dum nos intendamus à perſequente defendere, oporteat nos defendendo graviùs offendere reſiſtentes. Datum* Laterani, *tertio Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno* xiii.

Magna iracundia Imperatoris contra Papam ejuſque gravis querimonia.

CUMQUE dominus Imperator ſuper hac diffamatione certificaretur, factus de Rege Tyrannus, non immeritò magìs ac magìs in *Mediolanenſes* & alios proditores ſuos, incanduit; quos Papa contra eum juvit efficaciter & animavit. *Mediolanenſes* verò auxilio Papali facti animoſiores, & comperientes rem agi pro capite; exierunt impetus furibundos facientes: concomitante quondam Legato de latere domini Papæ, ad eorum auxilium deſtinato, *Ferrariam* & alias civitates & caſtra Imperialia, dum ſe dominus Imperator ad loca remotiora tranſtulit, violenter occuparunt; loca vicina uſque ad exterminium & internecionem, devaſtantes. Nec invenerunt obſeſſi miſericordiam; petentes lacrymabiliter Legatum, ut civitatibus & ſubſtantia eorum omnimoda ſibi redditis ad manum, tantùm perſonis pro Deo parceretur: nec ſunt exauditi, niſi penitùs & abſolutè ſe ſuámque ſibi mancipaarent. Unde ſancti viri & religioſi regiones *Chriſtianas* inhabitantes; non minimùm admirati tam inhumanam ac cruentam ferocitatem in eccleſiaſtico Prælato, cum imprecationibus multimodis execrabantur; qui tantùm uſus gladio materiali, non eſt recordatus facere miſericordiam. Et invaſit timor & horror corda, ne Dominus Deus exercituum effunderet indignationem ſuam ſuper induratos, & eccleſia ruinam magnam pateretur: præſertim cùm non curaret pars Papalis preces vel jejunia, Miſſas & proceſſiones, nec præciperet univerſaliter humiles preces Deo fundere, & ſic iram Dei flectere; in quibus ſolet eccleſia in tribulationibus reſpirare, & triumphos de oppreſſoribus crebriùs reportare. Sed ſpem totam ponens in pecuniæ theſauris & rapinis, ad gladium & ultiones proprias irruit frontuoſa: unde dolor & deſolatio *Chriſtianorum*, Magnatum oriuntur comminationes; furor & rancor, odium & iracundia inter eccleſiam & Imperium: flebile nacta principium, exitum flebiliorem minabantur. His igitur læſus doloris aculeis dominus Imperator, ſe intendens excuſare, & dominum Papam accuſare; multis Regibus & Principibus, præcipuè Regi *Angliæ*, & *Richardo* Comiti *Cornubiæ* fratri ſuo, quaſi chariſſimis ſororiis ſuis, in quibus ſpecialiùs confidebat, ſcripſit in hæc verba.

1239.

Literæ Imperiales ad Comitem Cornubiæ Richardum.

FREDERICUS, Dei gratiâ, Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hieruſalem, &c. Siciliæ Rex, Richardo Comitæ Cornubiæ, dilecto ſororio ſuo, ſalutem & omne bonum. Levate in circuitu oculos veſtros, arrigite filii hominum aures veſtras,. orbis ſcandalum, diſſidia gentium, generale juſtitiæ doleatis exilium: exeunte nequitia Babylonis à ſenioribus populi, qui populum regere videbantur, dum judicium in amaritudinem, & fructum juſtitiæ in abſynthium convertunt. Sedete Principes & intelligite populi cauſam veſtram. A vultu Domini judicium veſtrum prodeat, & oculi veſtri videant æquitatem. Scimus etenim, & in ſupremi Judicis virtute confidimus, quòd cùm apud vos pondus & pondus, menſura & menſura non fuerint, profectò modeſtiam & innocentiam noſtram, in judicii veſtri libra præponderare videbitis; calumnioſis detrahentium labiis; & venenoſis inventionibus fictionum: ſed nec nunc primùm cauſæ noſtræ juſtitiam, & reſidentis in ſede Domini pravitatem, ad publicam mundi notitiam novimus pervenire. Quin præter agillimæ Famæ præloquium, que frequenter in maximis virginum aurium deflorat auditum. Nos ipſi, quod primitùs rumor eduxerat; ſubſequentibus poſtmodùm noſtræ ſerenitatis affatibus, firmaremus, qualiter iſte novus athleta, ſiniſtris factus auſpiciis Pontifex generalis, amicus noſter præcipuus, dum in minoribus eſſet ordinibus conſtitutus, beneficiorum omnium, quibus Imperium Chriſtianum ſacroſanctam eccleſiam ditavit, oblitus, ſtatim poſt aſſumptionem ſuam, fidem cum tempore renovans, & mores cum dignitate commutans, ac habens quodammodò de publica turbatione pruritum, in nos ſupremum & unicum filium eccleſiæ, ſuæ malignitatis aculeos acuiſſet; dum occaſione ſumpta, quòd propter imminens ſcandalum evitandum, ſacramento præſtito, & lata contra nos excommunicationis ſententia, nos ad certi temporis obligaverimus tranſitum, adverſa valetudine corporis præpeditos: adjectis plerisq; capitulis aliis, de quibus anteà nunquam fueramus muniti, vel admoniti; excuſationibus noſtris contra Deum & juſtitiam, omninò rejectis, excommunicationis ſententia nos denunciavit aſtrictos. Cui, velut in nos primitùs de noſtra voluntate prolatæ, cum humilitate paruimus, abſolutionis beneficium, priſtina nobis incolumitate corporis reddita, poſtulantes, dum nos ad tranſitum inſtanter pararemus. Quo petito ſuppliciter, & injurioſè negato, in Terræ ſanctæ ſubſidium ſub pia voti proſecutione tranſivimus, exiſtimantes vicarium Jeſu Chriſti, ad ejus negotium potiùs, quàm ad conceptæ malevolentiæ contra nos odium aſpirare. Sed is, quem ſperavimus ea ſolum modò quæ ſurſum ſunt ſapere, & viſu cœleſtia contemplantem, mente credimus in cœleſtibus habitare; ſubitò inventus eſt homo, imò per inhumanitatis opera non ſolùm à veritate ſepoſitus, ſed ab humanitate diſcretus; dum præter impedimenta, quæ nobis in Syria præparavit, per nuncios & legatos, qui Soldanum literis ſuis, quas nos captis ipſarum latoribus in teſtimonium reſervamus, ne nobis terram divino cultui & Hieroſolymitani regni juribus debitam, redderet, monuerunt: Regnum noſtrum Siciliæ violenter intravit. Sumpta occaſione, quòd R. filius olim Ducis Spoleti, præter voluntatem & conſcientiam noſtram (prout nos poſtmodùm per ipſius pœnam evidenter expreſſimus) terram eccleſiæ parabat intrare: & non prout ſancti per fidem Regna vicerunt, ſed per perfidiam & perjuria prædicans univerſis, aut ſiqui ad perjurium prædicatione ſolummodò, provocari non poterant; provocabantur extemplò; dum ipſi præfecti Papalis exercitus, quò terram faciliùs obtinerent, nos captos in Syria manifeſtè jurabant. Redeuntibus nobis de partibus tranſmarinis, & injuriam noſtram propulſantibus ſolùm, nec juxta magnificum morem Imperii prodeuntibus ad vindictam, per concordiæ medios verbum pacis libenter admiſimus. Veram matrem noſtram eccleſiam, ex agnitione catholicæ fidei reperiſſe cognoſcimus, ſed patrem ſemper invenimus ſimulatum; dum ipſa reconciliationis die viam noſtræ confuſionis excogitans, de redeundo in Italiam iterùm ſub inermi & domeſtico comitatu, nobis inſtantiſſimè perſuaſit; occaſionem ſignificans, ne velut, ex priori & armato proceſſu, timoris cauſam noſtris fidelibus præſtaremus; aſſerendo quòd nobis omnia planiſſima faceret. Cujus contrarium per literas & nuncios ſuos manifeſtiſſimè procuravit, prout conſtat teſtimonio plurium noſtrorum fidelium, qui tunc temporis erant omnium conſcii; velut ex eis quidem participes, & alii principes factionis. Propter quod, filio & Principibus noſtris ad nos de Germania venientibus; per rebelles noſtros itineribus publicis undique præpeditis; ſed & eodem filio noſtro apud Aquilegiam, navali præſidio cum ſumma difficultate recepta, ac in Teutoniam abinde deſtinato, in Regnum de neceſſitate redivimus; utpotè quos ad coercendam rebellium noſtrorum nequitiam, patris conſilium vel aſtutia potiùs miſerat imparatos. Ubi quodammodò reſpirantibus nobis, & capeſſentibus requiem poſt labores, quieti noſtræ ſanctiſſimus Pater noſter invadit, conſiliatoris ſibi formam aſſumpſit; inſtantiſſimè perſuadens, ut contra Romanos excellentiæ noſtræ devotos, & alios rebelles noſtros de Tuſcia, qui jura Eccleſiæ & Imperii detinebant, procederemus audacter; de ſuo favore ſecuri, quòd nobiſcum noſtra & Imperii pondera participare volebat. Et ſic ad multam ejus inſtantiam, Romanos, qui tunc temporis Viterbium impugnabant, in favorem eccleſiæ nos oportuit diffidare: ipſo mittente literas latenter ad Urbem, quòd hæc per nos præter ſuam conſcientiam & mandatum, faceremus in odium Romanorum. Et interim in Sicilia quadam ſeditione ſuborta, oportuit nos neceſſariò conferre Meſſanam; ut factioni ibi inchoatæ principiis obſtaremus; occaſione ſolummodò iſta prætenta, quòd tam nobilem noſtram Siciliæ inſulam noluimus amittere; nobis non requiſitis & omninò celatis, contra omne jus gentium, quod belli ſocios & participes ſtatuit non relinqui, fœdus iniit cum Romanis, per nos ad mandatum ejus, ut diximus, diffidatis; non attento, quod nos non ſine dubia vice & honoris noſtri fortuna, inter rebelles & ſeditioſos noſtros remanentes inermes, copioſam & ſtrenuam militiam armatorum in ejus ſubſidium miſeramus, quanquàm perſonaliter intereſſe nequiveramus. Ad hæc, cùm con-

1239. ſcientiæ noſtræ integritas & pura devotio, quam ad matrem noſtram eccleſiam habebamus, novercalia deliramenta patris agnoſcere filium non ſinebant; quin quod erat aſtutiæ, caſui reputantes, ſatisfactionis noſtræ cauſam in vitricantis arbitrio ſæpiùs poneremus; qui tantò nobis vice qualibet illudebat acerbiùs, quantò conſtantiùs ſpem uberioris arbitrii promittebat. Medio deinde tempore, dum de negotio Italiæ per Papam ad honorem Imperii componendo, ex præteritorum conjectura diſcriminum; nulla ſpes nobis remanſiſſet in poſterùm, vel exilis, ac perſecutionem eandem congruo tempore ſervaremus, expectantibus repentè credimus arriſiſſe fortunam, reiterata diſcordia inter eccleſiam & Romanos; in qua ſic magnificè, ſic devotè theſauros noſtros effudimus & perſonam, quòd omnem omninò conſcientiæ pravæ rubiginem, de malevolentium cordibus credebamus eraſiſſe. His etiam omnibus non contenti, ut de nobis prorsùs indubitata ſecuritas eccleſiæ præberetur, circa ipſam zelo devotionis ſummæ ſuccenſi, & incentivo perfectæ charitatis in Deo, ad præſentiam iſtius ſummi Pontificis, perſonaliter ivimus; etiam non vocati; ducentes nobiſcum Conradum chariſſimum filium noſtrum, nunc Romanum in Regem electum, & Regni Hieroſolymitani hæredem; quem nobis tunc temporis fratris ſui manifeſta tranſgreſſio, filium unicum in paternæ dulcedinis affectione reliquerat. Ac eundem, poſt oblatam eccleſiæ perſonam noſtram, in totum obſidem ſummo Pontifici nos offerre non puduit; unionem omnimodam inter nos & eccleſiam, ſub atteſtatione divini judicii humiliter poſtulantes; quam dudùm nobis anteà iſte Prælatus eccleſiæ generalis, cùm eſſet Epiſcopus Oſtienſis, inſtanter ſuaſerat expetendam. Propter quæ omnia, dum ſerenam nobis totius curiæ faciem aſſertio demonſtrata prætenderet, & verba gratiſſima tam ſummi Pontificis, quàm curialium omnium, ſinceram oſtenderent voluntatem; cum eis omnia perfeciſſe credentes, ſub intentionis noſtræ ſanctæ propoſito, nec minùs ſub obſequiorum noſtrorum fiducia, diſſenſionis cauſam inter nos & Lombardos in ſinu corrupti Judicis toties ſuffocatam, necnon & ſedationem inter nos diſcordiæ, cives & nobiles Aconenſes devotione promptiſſima duximus exponendum. Sicque de negotiorum noſtrorum omnium proſpera conſummatione ſecuri, in obſequium eccleſiæ perſonaliter alacri voluntate proceſſimus cum exercitu copioſo; quem ſub magnis ærarii noſtri ſtipendiis congregari tam de Germaniæ quàm de Italiæ partibus feceramus. Nec priùs à concepti propoſiti proſecutione deſtitimus, quàm libertatem eccleſiæ conculcatam in Urbe, & terram exteriùs occupatam; in ſtatum primum & debitum, noſtra potentia reformavit. Indubitabiliter æſtimantes, ut quod obtinere priùs favor juſtitiæ noſtræ non poterat, devotionis obſequia promererentur. Sed audite retributionem mirabilem, quam pro tanta devotione, pro tot beneficiis, pro tam indubitatæ fiduciæ firmamento, Chriſti vicarius, paſtor eccleſiæ noſtræ catholicæ, fidei prædicator, nobis in ſingulis reddere procuravit. In primis ſuper negotio ultramarino, quicquid per Ravennenſem Archiepiſcopum, dilectum Principem noſtrum, tunc Apoſtolicæ ſedis Legatum; ſecundùm formam expreſſam ab eccleſia ſibi datam, videlicet de reducendo nobis & prædicto Conrado nato noſtro, in poſſeſſionem plenam & priſtinam omnium jurium nobis ſub tractatum in Regno, fuerat rationabiliter ordinatum: ſtatim adveniente Cæſarienſe Archiepiſcopo, nec Legato prædicto, nec nunciis noſtris ad curiam venientibus expectatis, nec ulla majori mora protracta, delatos Biſantios potuit numerare, inordinatè fuit ex toto deſtructum negotium Italiæ, nedum quòd ad honorem noſtrum & Imperii, ſicut promiſerat, ordinaret, imò petentibus & inſtantibus nobis ad revocationem hoſtium noſtrorum, quòd in Lombardia & Tuſcia fideles noſtros, tunc temporis diviſim exercituum ſuorum copiis devaſtabat. Nec nos cum militibus, quos tunc in partibus ipſis, ut diximus, pro eccleſiæ provinciis habebamus, ire permiſit; nec aliquem nuncium ſeu literas voluit deſtinare, ex quibus per bella campeſtria ſunt quàmplurium ſtrages hominum, & eccleſiarum incendia ſubſecuta. Adhuc etiam tanta & ſuperiori nequitia non contentus, civitatem Caſtellæ per ipſum introactæ turbationis temporibus occupatam, quam reddi nobis forma pacis & fratrum ſuorum omnium conſilia ſuadebant, receptis libris illius monetæ ſolummodò, quæ ad quinquaginta marcarum numerum non aſcendunt; nobis cum eo permanentibus in Riata, & pro eo marcarum millia multa expendentibus, reddere recuſavit. Ecce qualiter pater noſter iſte ſanctiſſimus, nos amabat! Deinde ſuper profectibus noſtris omnibus, & ſuper pacificanda nobis Italia (maximè de qualibet patris, vel vitrici noſtri potiùs, benevolentia deſperare coacti) apprehendimus arma & ſcutum, vires de Teutonum partibus (ad quas nos diebus illis, prævaricatio filii noſtri de neceſſitate vocaverat) propter ingreſſum Italiæ congregantes: militibus ſtrenuis juſtitiam noſtram armavimus, quam aſſequi precibus minimè poteramus. Quod cùm ad notitiam ſummi Pontificis perveniſſet, ſub prætextu treugarum, pro Terræ ſanctæ ſubſidio fidelibus populis & terræ Principibus indictarum; armatum nobis ingreſſum Italiæ, per Apoſtolicas literas interdixit, Oblitúſque die eodem ipſo, quo prædictas treugas indixit; nos tanquam defenſorem & advocatum eccleſiæ requiſivit; quòd contra Romanos, quos ſibi jura eccleſiæ ſubtraxiſſe dicebat, potenter procedere deberemus: iniquum in nobis reputans, quòd domum noſtram & poſſeſſionem avitam, quam nobis infidelium noſtrorum rebellio furioſa præcluſerat, viriliter ingredi nitebamur; quod juſtum crediderat in Romanis, qui patri vel avo ſeu parentibus ſuis in nullo prorsùs extiterant obligati. Adjecit prætereà in literis antedictis, quòd de negotio Lombardiæ in ipſum præcisè ſine adjectione temporis, & conditione aliqua, nullo jure & honore Imperii reſervato compromittere deberemus; per quod, vel nos in perpetuum à juris noſtri proſecutione cujuſlibet ſuſpenderet; vel jus & honorem Imperii, liberè ſuffocaret. Quod cùm nobis nec noſtrorum conſilia Principum, nec præteritorum diſpendiorum memoria ſuaderent; ad artes alias poſtmodùm ſe convertit, mittens nobis obvium in veſtimentis ovium lupum rapacem, Epiſcopum Preneſtinenſem: per quem, apud nos literis Apoſtolicis de vita ſanctiſſima commendatum, Placentiam nobis ſubditam & noſtris amicam,

ad

1239

ad factionis Mediolanenſis revocavit perjuria; per eum firmiter æſtimans, ſic univerſaliter & in tantum fideles noſtros evertere, ut proceſſus noſtros in Italiam penitùs enervaret. Qua ſpe, faciente divina clementia, quæ ſuum tuetur Imperium, omninò fruſtratus; clamantibus apud eum rebellium noſtrorum incendiis, depopulationibus reorum ex ſtragibus occiſorum, quòd ipſum de data eis rebellionis ſecurâ fiducia, nec non de fide mentita, quòd contra nos & Imperium ipſis aſſiſtere promiſiſſet, publicis vocibus arguebant. Quia juxta petitionem ipſorum, occaſione prædicta nos excommunicare juſtè non poterat, impedimenta clandeſtina noſtris proceſſibus undique præparavit; literas & legatos per Imperium & ubique per orbem, ut quoſcunque poſſet, à fide & aſſertione noſtra ſeduceret, deſtinando. Quæ omnia cùm noſtrorum fidelium fides & amicorum affectio, conſcientiam noſtram latere non vellent, nolentes adhuc vinci à malo, ſed in bono malum vincere cupientes; ſolennes nuncios noſtros, venerabiles Petranenenſem Archiepiſcopum Flolentinum & Reginenſem Epiſcopos, magiſtrum Eandenen. de Sueſſa, magnæ curiæ noſtræ Judicem, & magiſtrum R. Portaſtellanum Capellanum; dilectos ac fideles noſtros, ad ſedem Apoſtolicam duximus deſtinandos. Quibus oblata ſibi per eos ex parte noſtra devotione omnimoda, & ratione tractata contra hæreticam pravitatem, & pro eccleſiaſtica libertate, de reformandis eccleſiæ & Imperii Juribus (dudum inter nos & eccleſiam expertitis & expectat) ſummus Pontifex de præſentium fratrum ſuorum conſilio, legatione noſtra in omnibus ſuis capitulis acceptata; per eoſdem & Archiepiſcopum Meſſanenſem, quem ad nos pro pace ſua nuncium deſtinavit, excellentiæ noſtræ promiſit, quæ ceſſari mandaret ubique locorum ab impedimentis omnibus, quæ ſe noſtris proceſſibus objeciſſe, coram fratribus ſuis & nunciis noſtris fuit profeſſus manifeſtè, prout hæc omnia per teſtimoniales Antiſtitum omnium præfatorum literas manifeſtiſſimè comprobantur. Cum qua reſponſione, nunciis noſtris & ſuo ad noſtram præſentiam redeuntibus; prius quàm per tres dietas à curia receſſiſſent, eis omninò celatis, & in confuſionem ipſorum, G. de Monte longo, quem primitùs ad nos nuncium miſerat, & contra nos poſtmodùm ad everſionem Mantuanam & aliorum fidelium noſtrorum ſtatuerat, in Lombardia legationis officium plenè commiſit; arbitratus ut quantò ſibi major daretur auctoritas, tantò majora nobis & noſtris impedimenta pararet. Quibuſdam tamen Principibus noſtris, Prælatis Italiæ & Germaniæ, nobiſcum in curia noſtra manentibus, literas deſtinavit; ſuggillationem famæ noſtræ non modicam continentes, certis capitulis intercluſis; & ſpecialiter de gravaminibus, quæ quibuſdam eccleſiis Regni noſtri dicebantur illata: ſuper quos, mandavit nos per eoſdem Principes admoneri. Quorum capitulorum omnium & reſponſionum noſtrarum ad ſingula, ſeriem vobis ſub teſtimonio publico miſimus intuendam. Quibus omnibus, coram Principibus & Prælatis ac religioſis quàm pluribus, cujuslibet ordinis ſigillatim oſtenſis (quanquàm de tanta patris inſtabilitate confuſos ſe filii reputarent, & de verecundia capitis præſentium rubor ora perfunderet) nihilominùs tamen de ipſorum conſilio, prædictos Panormitanenſem Archiepiſcopum, magiſtrum T. & magiſtrum R. Portaſtell. excellentiæ noſtræ, cum nunciis civitatum noſtrarum fidelium, ad ſedem Apoſtolicam duximus remittendos; per quos ad ſatisfactionem omnèm, mora qualibet & difficultate ſepoſitis, obtulimus nos paratos. Sed nec in his omnibus eſt averſus furor ejus, quin dictus evangelizantis pacem Chriſti vicarius, ſed actor ſchiſmatis & diſſenſionis amicus, contra traditiones ſanctorum Patrum, audiens nuncios noſtros portantes omnimodum noſtræ devotionis xenium, & metuens ne ſupervenientibus ipſis, obice vallo juſtitiæ, ſine publico ſcandalo forte procedere non valeret; præ feſtinantia nimia conceptum edidit abortivum, in nos ſupremum Chriſtianorum Principem, die Dominica Palmarum, contra ſolennem morem ſacroſanctæ matris Eccleſiæ; & in cœna Domini, poſtmodùm præcipitavit ſententiam, per quam (ſicut per famam audivimus, licèt hoc credere minimè debueramus, contradicente ſaniore parte fratrum ſuorum) de quorundam Cardinalium Lombardorum conſilio, nos excommunicationis vinculis dicitur aſtrinxiſſe; præpeditis nunciis noſtris per fautores & ſatellites ſuos, de patrimonio pauperum ſolidatos, qui jam applicuerant; ne ad allegandum juſtitiam & innocentiam noſtram, ac demùm ſatisfactionem, offerendam, etiam ad cautelam, ad præſentiam ſuam & aſpectus publicos pervenirent. De quo licèt nos ſingulari & propria ratione, propter noſtram juſtitiam, & infamiam procedentis, malle meritò debueramus, quòd perperàm & inordinate proceſſerit, cùm nequitiam ſuam editurus fuiſſet omnimodò, non forſitan anteà crepuiſſet: dolemus tamen, & ex corde dolemus, propter verecundiam univerſalis eccleſiæ matris noſtræ, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſub ſpecie virginis glorioſæ, in paſſionis teſtamento diſcipulo commendavit. Aliàs nobis per talem, quem meritò noſtrum Judicem non habemus, nullam poſſe fieri reputamus injuriam; utpotè cùm ſe priùs inimicum capitalem quæ Judicem noſtrum, & opere fuerit profeſſus & verbo, rebelles noſtros & noſtri Imperii publicè confovendo. Indignum prætereà ſe tanti coërtione Principis, & generaliter qualibet Pontificalis auctoritate judicii reddidit; dùm Mediolanenſem civitatem, quæ pro maxima parte teſtimonio religioſorum quàmplurium fide dignorum, inhabitatur hæreticis, contra nos & Imperium manifeſto favore tuetur. Et contra R. de Mandello civem Mediolanenſem, dudùm Potentatem Florentinum, & Clarentinum. Epiſcopi Florentini, viri vitæ probabilis ac famæ approbatæ, in pleriſque capitulis ſuper hæretica pravitate; ob odium noſtrum, & Mediolanenſium gratiam, non admiſit. Illum haberi prætereà Chriſti vicarium, & ſucceſſorem Petri, ac diſpenſatorem animarum fidelium indignè fatemur; non ob dignitatis injuriam, ſed ob perſonæ defectum; quòd diſpenſationes cum fratrum deliberatione maxima concedendas, in camera ſua more mercatoris cujuslibet, in libra mercationis celatis fratrum conſiliis (cum quibus ſecundùm eccleſiaſticam diſciplinam deliberare teneretur) exiſtens ſibi bullator & ſcriptor & forſitan numerator. De quibus diſpenſationes inſignes præterire ſilentio non volemus, per quas Sipham gnatam quondam Conneſtablii

Regni

1239. Regni Cypri, contra ſeparationis ſententiam latam ſuper hoc per Nicoſienſem Epiſcopum, & de non habendo ſimul præſtitum ſacramentum Balianno de Jocelino, & ſororem Johannis de Cæſaria Jacobo de Amendolia, qui priùs ſororem ipſius deſponſaverat, proditoribus noſtris, ſibi invicem gradu tertio attinentes, conceſſit uxores, accepta non multæ pecuniæ quantitate; veruntamen quod quantitati vel numero defuit, odii noſtri qualitas compenſavit. Defectum etiam & prævaricationem ejus in illo dolemus, quòd ut contra nos nobiles & potentes Romaniæ ſibi ſatellites fautores adquirat, effuſione pecuniæ non contentus; ipſis caſtra & poſſeſſiones ſanctis patribus pia fidelium devotione donata, Romanam eccleſiam noſtro patrocinio commendatam dilapidando, largitur. Itaque non miretur univerſalis eccleſia, nec populus Chriſtianus, ſi nos talis ſententiam Judicis non veremur, non in contemptum Papalis officii, vel Apoſtolicæ dignitatis (cui omnes orthodoxæ fidei profeſſores, & nos ſpecialiùs cæteris, ſubeſſe fatemur) ſed perſonæ prævaricationem arguimus; quæ ſe ſolio tanti regiminis, monſtravit indignum: & omnes Primates nominis Chriſtiani ſanctum intentionis noſtræ propoſitum, & piæ devotionis zelum in nobis agnoſcant, & quòd non ex odii fomite, ſed ex cauſa juſtiſſima, Romanus Princeps contra Romanum Antiſtitem commovetur; dum metuit ne grex Dominicus, ſub tali paſtore per devia deducatur. Ecce quòd ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, per ſanguinem Jeſu Chriſti, & ſub atteſtatione divini judicii, per literas noſtras & nuncios atteſtamur; ut generale Concilium Prælatorum, & aliorum Chriſti fidelium debeant evocare. Nunciis quoque noſtris, & reliquorum Principum accerſitis; in quorum præſentia, nos ipſi præſentes cuncta quæ diximus, ſumus oſtendere & probare parati, & his etiam duriora. Nec minus illa probabili ratione turbamur, quòd iſte rector eccleſiæ, qui deberet eſſe virtutum quarumlibet & conſtantiæ maximæ, ſine macula cupiditatis, vas electum, ne error majorum in ſubditos propagaretur cum augmento: contra promiſſionem ſuam literis ſuis de fratrum concilio nobis factam, per quas in reſtaurandis Imperii viribus, non deeſſe nobis, ſed adeſſe promiſit auxilio, conſilio, & favore, præter perſonæ noſtræ infamiam, nedum blaſphemiam, Jus Imperii nititur conculcare: præſertim cùm quantumcunque conſcientiæ noſtræ librum ſollicitè revolvamus; nullam in nobis occaſionem invenimus ad cauſam, propter quam iſte inimicus homo contra nos debuiſſet tam acriter commoveri. Niſi quòd cum ipſo contrahere, de nepte ſua deſponſanda Henrico naturali filio noſtro, nunc Regi Tunis & Gallur. noſtra magnificentia credidit indecens, & reputavit indignum. Tu igitur dilecte cum tibi dilectis, Princeps orbis terræ profuture, non nobis ſolùm, ſed eccleſiæ, quæ eſt omnium fidelium congregatio, condole: cujus caput languidum, Princeps ejus in medio eſt, quoniam leo rugiens, Propheta ejus, veſanus, vir infidelis, ſacerdos ejus polluens ſanctum, injuſtè faciens contra legem. Nobis tamen præ cæteris mundi Principibus, defectus eſt talis ſummi Pontificis meritò deplorandus: qui veluti ſibi viciniores loco, & propinquiores officio, honores congerimus, & onera perſentimus. Sed nec illud omittimus, in affinitatem noſtram affectuosè rogamus; ut contumeliam noſtram ad injuriam, veſtram revoces. Ad domos veſtras cum aqua concurrite, dum ignis accenditur in vicinis. Cauſam motus Pontificalis attendite; quòd in favorem rebellium noſtrorum procuratur. Quæ cauſa, licèt ad præſens expreſſa non fuerit, proculdubiò tamen ſubeſt: ſimilia vobis in veſtris imminere pericula timeatis. Facilis enim, & Regum & aliorum Principum omnium, humiliatio creditur, ſi Cæſaris Romanorum potentia conteratur, cujus clypeus, prima jacula ſuſtinet adverſantium. Hæc eſt namque cauſa pro vero, videlicet de Lombardis, quæ cor Papæ pungebat, & urebat intrinſecùs; licèt ipſam foris educere, propter noſtrum & audientium ſcandalum non auderet: pro qua nobis per ſpecialem ſuum nuncium fide dignum (cujus ad hoc teſtimonium invocamus) ore tenus expreſſè promiſit, quòd ſi negotium Lombardorum in ejus arbitrio poneremus, nedum quòd in aliquo magnificentiam noſtrûm offenderet, verùm etiam totius orbis decimas, Terræ ſanctæ neceſſitatibus conſecratas, noſtris utilitatibus applicabat. Nec eſt mirum. Inſtantibus enim & acutis Lombardorum aculeis pungebatur, quibus, prout per aliquorum Prælatorum confeſſionem accepimus, contra nos & Imperium, corporale præſtitit ſacramentum; cùm ipſos peregrinantibus nobis in partibus Syriæ pro ſervitio Jeſu Chriſti, tranſmiſit in Regnum. Sed cùm temporis fuerit iſta promiſſio, fidem licitè frangere poterat, & editum variare decretum. In quorum favorem, rem auditu horribilem, & diſcretione qualibet ſeu ratione carentem, facere minimè formidavit. Cum enim per G. Briziinienſem, H. Cumanum, & alios Epiſcopos, nos faceret admoneri; quòd vel ſatisfactionem Lombardorum per ipſum deberemus accipere, vel treugas pro Terræ ſanctæ negotio per quadriennium, ut diximus, indictas Lombardis; cùm ab indictarum treugarum jam quinquennium exceſſiſſet. Nóſque rem tanti conſilii, ad deliberationem noſtrorum fidelium modico temporis ſpatio ſervaremus; monitionibus ipſis de approbatione Legati prædicti G. de Monte longo (ſcilicet qui apud Mediolanenſes interim morabatur) inducias approbantibus ſupradictas, prout hæc omnia liquidò Prælatorum ipſorum teſtimonio comprobantur. Medio tempore, nec voluntatis noſtræ judicio, nec fidelium noſtrorum conſiliis expectatis, conceptum virus evomuit contra nos; prout aliquorum relatio declaravit procedendo. Poſtremò, te pro nobis, imò vos totius Optimates orbis & Principes exigimus adjurantes; non quòd ad propulſationem talis injuriæ noſtra non ſufficiant munimenta, ſed ut totus mundus agnoſcat, quòd honor omnium tangitur, quicunque de corpore Principum ſæcularium offendatur. Datum Terviſii, xx. die Aprilis, nona Indictione.

Lamentabile ſcandalum exortum.

HANC epiſtolam, mutatis tamen titulis, & paucis in fine verbis; dominus Imperator Regi Anglorum, multiſque per orbem Principibus, ut ſuam allegaret innocentiam, & Papalem manifeſtaret proterviam, deſtinavit: cœpitque ſcandalum oriri per totius mundi latitudinem.

Ipſe

1239.

Ipſe verò Papa, cùm hæc fida cognoviſſet relatione, ipſum Imperatorem magìs ac magìs diffamando, multis opprobriis laceſſivit, necnon & hæretica damnavit enormitate: prolixiorémque epiſtolam, ut ipſum damnabilem toti mundo redderet & infamem, Principibus & Prælatis terrarum tranſmiſit invectivam, in hæc verba.

Literæ Papales.

GREGORIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Suffraganeis ejus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Aſcendit de mari beſtia, blaſphemiæ plena nominibus; quæ pedibus urſi, & leonis ore deſæviens ac membris formata cæteris ſicut pardus, os ſuum in blaſphemias divini nominis aperit, tabernaculum ejus & ſanctos, qui in cœlis habitant, ſimilibus impetere jaculis non omittit. Hæc unguibus & dentibus ferreis cuncta confringere. & ſuis pedibus univerſa deſiderans conculcare, fidei occultos olim paravit arietes, & nunc apertas machinas inſtruit Iſmaëlitarum, gignaſia animas avertentia conſtruit, & in Chriſtum humani generis redemptorem (cujus teſtamenti tabulas ſtylo pravitatis hæreticæ nititur abolere, fama teſtante) conſurgit. Igitur admirari deſinite omnes, ad quos ab hac beſtia contra nos edita pervenerunt obloquia blaſphemiæ: ſed nos omni Deo ſervitute ſubjecti, detractionum ſagittis impetimur; cùm nec ab his opprobriis immunis Dominus relinquitur. Admirari deſinite, ſi injuriarum in nos mucronem exerit, quòd ad perdendum de terra nomen Domini jam aſſurgit: ſed potiùs ut ejus reſiſtere aperta veritate mendaciis, ac illius confutare fallacias, puritatis argumento poſſitis, caput medium, & finem hujus beſtiæ Frederici dicti Imperatoris inſpicite diligenter: & in ejus verbis abominationes duntaxat invenientes & ſcelera, contra ipſius dolos ſinceros animos ſcuto veritatis armate. Attendentes qualiter ſinceritatem Apoſtolicæ ſedis & noſtram, literis per diverſa climata mundi tranſmiſſis, pollutis niſus eſt maculare narratibus dictus Fredericus; figulus falſitatis, modeſtiæ neſcius, nec aliquo perfuſus rubore mentitur: Quòd nos ipſum nobis in minori officio conſtitutis, amicum priſtinum, fidem, & mores, adepto Apoſtolatus officio, relinquentes, quia ſicut ſacramento præſtito, & lata in ipſum excommunicationis ſententia, tenebatur præfixo tempore in Terræ ſanctæ ſubſidium vel ſuccurſum, infirmitate non potuit prohibente tranſire, vincula excommunicationis aſtringere poſtulatum, ab ipſo ſanitate reſumpta abſolutionis beneficium denegare, ipſumque in dictum tranſeuntem ſubſidium, per nuncios & legatos noſtros literas proceſſui contrarias Soldano mittentes, impedire curavimus, ut ſic eſſet de Regni Hieroſolymitani recuperatione concepta fruſtratus: Regnum Siciliæ, pro eo quòd Reinaldus olim filius Ducis Spoleti, præter ipſius conſcientiam, terram invaſit eccleſiæ, nos injuſtè & violenter intraſſe, ac ipſius homines provocaſſe ad perjurium, falsò conqueritur. Séque de Syria in Apuliam redeuntem, illatæ injuriæ omiſiſſe vindictam, acceptaſſe concordiam, & rediiſſe ad matrem eccleſiam gloriatur: licèt autem hæc figmenta publica notitia reprobet, quia tamen nonnunquam rectitudinis ſedem velatum occupat in aure ſincera mendacium, apud quam pro ſe veritas non invenit advocatum; ne in corda veſtra falſitas quacunque poſſit fraude ſurripere, dignum eſt, verum rei per nos geſtæ modum & ordinem non latere, qui dictum Fredericum antè & poſtquàm Apoſtolicæ noſtros ſuggeſſimus humeros ſervituti, ſub vulpe latentem, omni curavimus gratia proſequi; donec ſpe, quæ patri de filio ſolet innaſci, ſublata, idem Fredericus fremens in magnitudine ſua, & ex adepta fortitudine infronitus, matri eccleſiæ pro bonis mala retribuit; & in eam quam fucatis delinivit aliquando verborum fallaciis, virus effundere caudæ aculeo, more ſcorpionis, incepit. Nam cùm olim Terræ ſanctæ neceſſitas, prædicta ſententia, & juramentum, ac præfixus terminus tranſitum ejus expoſcerent, & illud idem multa millia Crucefignatorum ipſum Brunduſii expectantia, cum inſtantia poſtularent; idem dictos Crucefignatos inibi, donec ſub ignoti aëris intemperie diverſis lugendæ mortis caſibus periêre, detinuit, & perjurium ac excommunicationis ſententiam gratis incurrens, infirmus fide, ſed ſanus corpore, ut ſecurius Deo mentiretur, & eccleſiam falleret, omiſſo promiſſo paſſagio, in lecto ægritudinis diebus aliquot ſimulatus decubuit, ac Terram ſanctam incurſibus hoſtium Chriſti exponere minimè dubitavit, ex eo nullo dolore percuſſus, quòd ibi claræ memoriæ nobilis vir Thuringiæ Lantgravius, utinàm non veneni periculo, ſicut mundus clamat, extitit interemptus. Cúmque de conficta ægritudine & aliis præmiſſis, nobis per literas Prælatorum ibi morantium conſtitiſſet; ne diſciplinæ virga tanto ſubjecta facinori, nos & Apoſtolica ſedes redderemur inde notabiles, Crucefignatorum mortem & Terræ ſanctæ pericula deplorantes, & cupientes ſaltem in altero eccleſiæ lachrymas mœroris dextra debitæ conſolationis abſtergi, ipſum latæ ſententiæ in eum de conſenſu ſuo auctoritate bonæ memoriæ Honorii Papæ prædeceſſoris noſtri, excommunicationis ſententiæ ſubjacere denunciavimus; ſummo deſiderio poſtulantes, ut eum poſtmodum emendatum, tantorum revelatione damnatorum, optatam præſtare operam audiremus; literis noſtris offerentes eidem, quòd impartiremur ſibi juxta formam abſolutionis beneficium, quàm citò arriperet iter in præfatæ Terræ ſuccurſum. Sed ipſe, in cujus erat ſuper his pectore cura minor, claves eccleſiæ parvi pendens, non abſolutus in Syriam tranſiit. Ubi cum Soldano, ſolis ſibi mœniis Hieruſalem reſtitutis, & illi grandi ad impugnationem Chriſtianorum tranſmiſſo equorum & armatorum exercitu, ſexennale fœdus feriens, & templum Dominicum Saracenorum ibi laudes exclamantium Machometi curiæ relinquens, ex defenſore mutatus eſt in hoſtem; venerabilem fratrem noſtrum Patriarcham Hieroſolymitanum & Templarios pro viribus expugnavit. Illud autem non debet ad ſanæ mentis credulitatem accedere, quòd eum in recuperatione regni Hieroſolymitani nos vel legati noſtri, cùm ad hoc multo labore ſudaverit, grandiúmque eccleſia ſubierit onera expenſarum, ſtuduerimus impedire. Sed iſtud in notitiam omnis terræ pervenit, quòd idem Fredericus, ſicut in Syriæ partibus in

propria

1239. propria perſona Dei perſequebatur eccleſiam; ſic citra mare ipſam diverſis tribulationibus dicti Reinaldi miniſterio, quem contra conſilium noſtrum, ſuum in Regno vicarium reliquerat, affligebat. Cujus terram cum literis aurea bulla munitis, pecunia, & vaſſallis ipſius Frederici, præfatus Reinaldus invadens, nonnullos ſacerdotes & clericos ſuſpendere, mutilare, ac fuſtibus cædere; necnon ſtatu noſtro turbato, Peruſii partem ipſius terræ præoccupare, præſumpſit. Quem licèt fideles & devoti noſtri, non valentes id ulteriùs ſuſtinere, à parte terræ prædictæ, Chriſto ſponſæ ſuæ indulgente victoriam, ejeciſſent: quia tamen idem Reinaldus nequaquam ab incepta perſecutione ceſſabat, conſultiùs æſtimantes, ſi originalis militiæ venas inciderent, quàm jam excitati torrentis impetus novis replere rivulis expectarent; dictum regnum Siciliæ, quod eſt ſpirituale patrimonium eccleſiæ, ne inde nos percunctentur jacula, unde potiùs erat expectandum ſubſidium, intraverunt: multique ex ipſius regni habitatoribus obedientes Apoſtolicæ ſedi, nequaquam ob id reputari debent perjurium incurriſſe, cùm à juramento fidelitatis, quod eidem Frederico præſtiterant, ex lata in eum excommunicationis ſententia, abſoluti fuiſſent. Dicto quoque Frederico redeunti de partibus tranſmarinis, & ad ſinum matris eccleſiæ revertenti, pietatis appoſuimus Apoſtolicæ gremium; ipſique ad expetitam inclinati concordiam, abſolutionis beneficium curavimus impartiri. Ad hæc, idem mendacii filius, falſitates falſitatibus cumulans, ut quò plura mendaciorum retia orditus fuerit, eò gravioribus ſe doleat periculis irretitum; de novis mendacii ſcriptura pronunciat; quòd eidem ut Lombardiam pacificus & inermis intraret, promittentes quòd aſpera ſibi converteremus in plana, pro ſua confuſione ſubjecimus; & non permiſimus obice nunciorum & literarum noſtrarum intentionis ſuæ metas attingere. Ac deinde, quia ſibi potentia non ſuffragabatur armorum, in Regnum redire coactus, ad inſtantiam noſtram Romanos, tunc Viterbium impugnantes, diffidaſſe; & in Viterbienſium ſubſidium ſtrenuam miſiſſe militiam ſe falsò aſſerit; nóſque ſcripſiſſe Romanis, id præter conſcientiam noſtram fieri, & cum ipſis eo irrequiſito reformaſſe concordiam, in querelam adducit, novo ſibi blanditus mendacio, quòd diſſidentibus iterum ab eccleſiæ pace Romanis, idem non vocatus cum Conrado filio ſuo, quem nobis obtulerit obſidem, ad præſentiam noſtram perſonaliter veniens, & arbitrio noſtro motam inter ipſum & Lombardos diſcordiæ cauſam exponens, terram ſedis Apoſtolicæ occupatam ejus juri reſtituit, & libertatem eccleſiaſticam in ſtatum primùm & debitum reformavit. O utinam iſte falſidicus eſſet vir habens ſpiritum! O utinam hujus propoſitio falſitatis, verum habuiſſet eventum! Ipſius verò negotium, quòd per venerabilem fratrem Archiepiſcopum Ravennatem, de reſtituendis ei & dicto Conrado juribus, ipſis in Regno Hieroſolymitano ſubtractis, ordinatum fuerat, nos quàm citò delata potuit numerari pecunia, diſtribuiſſe fidelibus (quos non ſine eccleſiarum incendiis & hominum ſtragibus, hoſtilis devaſtabat inſultus) ipſius interdixiſſe ſuccurſum; & ob id nos nuncium noluiſſe vel literas deſtinare, contrarius veritati conqueritur. Ac civitatem Caſtellæ, contra formam pacis & fratrum conſilia, in ſui Juris præjudicium detineri à nobis, ſuis exarare literis ſtylo mendacii non veretur. Quanquam autem his figmentis modica veritas impermixto, aliquid coloris adjiciat; ut tamen apertiùs intelligatis, quòd tantam hujus commenti ſeriem non modica falſitatis adjectio decolorat, ſcitote pro certo, quòd cùm ſicut nunc ex temporum eventu cognoſcitur, diſcretæ menti veriſimile videretur, ipſum de Lumbardis ſuum potiùs conſequi propoſitum potuiſſe, ſi ſe illis, quos populorum numeroſitas, profunditáſque vallorum, armatorum copia, ac murorum reddit altitudo munitos, pietatis parentem exhibuiſſet, & clementiæ dominum, quàm ſi trementibus pro culpa impoſita ſubditis ultionis exerto mucrone terribilis occurreret in cuneis armatorum: ei nos, qui bona pacis procurare tenemur, bona fide ſuaſimus, ut armatæ militiæ omiſſo terrore, ſub indictarum omiſſione pœnarum, & beneficiorum oblatione, illos ad Imperii devotionem reduceret. Qui etſi in Lombardiam famulis ſtipatus inermibus acceſſit, quia tamen conſilii fidelis oblitus, in partem Cremonenſium cædis, actor factus eſt ſchiſmatis, ſciſſámque in diſcordias Lombardiam fortiùs ſcindere, & Mediolanenſes à ſe terroribus & minis abigere ſtuduit, quos tamen adverſa parte ad unitatem trahere potiùs debuit in funiculo charitatis: non eſt quòd noſtræ imputetur innocentiæ, ſi ſpe fruſtratus in Apuliam rediit, ipſo ſpei conceptæ interitum procurante. Poſt hæc, ſuper tuitione libertatis eccleſiaſticæ, ſuper extirpanda hæretica pravitate, noſtris beneplacitis paratum ſe obtulit, ad quem recurrens litera noſtra reſpondet: Quòd cùm in Regno ſuo, ubi nullus manum vel pedem abſque ejus movit Imperio, in fidem catholicam hæreſis latiùs venena diffunderet, & libertas eccleſiæ quaſi penitus conculcata jaceret; non credebatur capiti ſalutis adhibere remedium, qui pedem ſuo reddiderat contractu morboſum: ſicque reſponſum hujuſmodi lapſu modici temporis approbante, audito quòd quidam pravo ſeducti conſilio, eccleſiæ terram intrare volebant, in Siciliam, quaſi fuga capta, ne rupta promiſſio cum falſitatis argueret, protinùs abiit; ac contra illos verbo vel opere in aliquo non proceſſit, nobis improperans, quòd revertentes ad urbem Romanos filios ſpeciales eccleſiæ, ad matris devotionem paterna curavimus diligentia revocare. Idem inſuper intellecto, quòd illos ab eccleſiæ charitate ſejungere quidam iniquitatis filii nitebantur, & excogitatò, quòd faciliùs hanc & illos opprimeret, ſi præfatam charitatem acerbiùs fraude ſolita vulneraret; nobis tunc Reate præſentibus, ad ſedem cucurrit Apoſtolicam etiam non rogatus; ubi ſub multa humilitate promittens, quòd terram eccleſiæ perditam in primum ſtatum reduceret, & ipſam pro viribus defenſaret; in Tuſcia, ad quam vires ſuas contulit, recuperationem cujuſdam caſtelli, quod ad jus eccleſiæ modico reduci labore poterat, impedivit. Et cùm adhuc manus tradentis nobiſcum eſſent in menſa, cum hoſtibus eccleſiæ, ſicut ex conſequentia facti, & literis ſuis, quæ à nobis in tantæ proditionis

teſtimonium

1239.

teſtimonium reſervantur, apertè convincitur, hoc ſigno dato, inde vicarius pepigit in ipſo, certo die exinde recedente, illi ad arma iſte mons peſtifer devotionis obſequia præſtitit. Atendite quales eccleſiæ famulatus occultus hoſtis impendit, qui in eccleſiaſticum transformari non erubuit famulum, ut nobis ad nocendum fieret efficacior. Pro firmo tamen vos tenere cupimus, quòd nos his ſub diſſimulatione præteritis circa eum adhuc non permittens immutari affectum Apoſtolicæ puritatis, per dictum Archiepiſcopum, commiſſo ſibi legationis officio, jura ei & præfato Conrado in eodem regno Hieroſolymitano mandavimus ſubtracta reſtitui. Qui licèt id fecerit, quia tamen formam ſibi datam, propter quod ab eo ad nos extitit appellatum; excedens Terram ſanctam, quod eſt inauditum à ſæculo, poſt appellationem hujus ſententiæ ſuppoſuit Interdicti. Nos attendentes quòd ob id, in maximum ejuſdem Terræ periculum, peregrini ex ipſa recederent, & alii inceptos ad illam tranſitus retardarent; dictam ſententiam, quæ utpotè latam poſt appellationem legitimam, ipſo jure nulla fuerat, in omnibus aliis præfati alii Archiepiſcopi intacto remanente proceſſu ſufficienti, à Baronibus, Nobilibus, & Comitatibus Regni prædicti cautione recepta, in omni ſinceritate de fratrum noſtrorum conſilio duximus relaxandam. Quòd ergo ipſe de nobis ob hoc labiis pollutis obloquitur, veſter animus non turbetur; quia cùm ſit vas repletum vitiorum ſpurcitia, ea quæ ipſius infecerunt animum, putat in aliis criminum deſervire tormenta: ex quo cùm malorum opprobria laudem, laudes quoque opprobrium reſonent; à viro, cujus omnis lingua clamat infamiam, ſuggillationibus impeti eligimus multò fortiùs quàm laudari. Sed forſan maculam opinionis ſuæ, his credit abolere convitiis, quia ſe dum Viterbium moraretur inficiens, à facie hoſtium eccleſiæ non verecundus aufugit; & ad defenſionem ſuorum fidelium, quos ipſius hoſtes in oculis ejus obſederunt, terram nullo prohibente vaſtarent, affirmans ſuum per nos ad illos interdici progreſſum, Imperialis honoris prodigus, ſed timore prohibitus non acceſſit; ex eo innocentiam noſtram accuſans, quòd ad evidenda hujus belli diſpendia, nuncium à latere noſtro non miſimus. Sed nec mirum, cùm eo tempore ſtatus eccleſiæ multiplici fuiſſet perſecutorum afflictione turbatus. Venimus autem ad civitatem Caſtellanam, cujus cives ſe illi, violato ſacramento fidei, eccleſia ignorante prodentes, nullum jus per hoc in ſeipſis adquirere, nullum nobis circa poſſeſſionem, cùm juriſdictionem civitatis & civium quaſi poſſideret, eccleſiam prodendo, potuerunt præjudicium generare. Quia illi, à quibus alteri potiùs quàm ſibi poſſidentibus non requiritur; poſſeſſionis initium, leges poſſeſſionum evertere, & extraneis jure conferre nequivit poſſeſſorum. Necnon qui de reddendis poſſeſſionibus eccleſiæ ratione ad eum pertinentibus, pluries juramentum præſtiterat; ſatis improvidè à nobis videbatur petere, quod non poterat abſque perjurio retinere. Nec credi debet in hoc, nos ſibi omnimodam coram arbitris vel alio modo juſtitiam exhibere paratos, fratrum noſtrorum deſpexiſſe conſilium; quòd nunciis ejus inceptum judicium recuſantibus proſequi, non fuerat requirendum; quin potiùs hanc petitionem ea duntaxat fraude intentaſſe proponitur, ut ſic ei obloquendi de eccleſia, & pacem inter ipſam & eum initam, irritandi occaſio præberetur. Illud quidem quod ſuper facto Imperii inter cætera ſua deteſtabilis teſtatur epiſtola, noſter ediſſerit his literis calamus; ut quo pluribus ejus fictio cognita fuerit, eò fortiùs ex ſuo maneat commento confuſus; dum de nobis obtrectat, quod ad noſtram tranſlato notitiam eum ad recuperanda jura Imperii cum multis bellatorum intrare millibus Lombardiam, ſibi ne Italiam intraret armatus; & de negotio Lombardorum in nos præcisè compromitteret, Apoſtolico ſcripto mandavimus, ut illud perpetuò ſuſpendere, vel jus Imperii liberè ſuffocare poſſemus, contra ipſum venerabilem fratrem noſtrum Preneſtinenſem Epiſcopum, per quem ejus vacuaremus propoſitum, tranſmittens; ei impedimentis clandeſtinis per legatos & literas noſtras per orbem undique procuratis. Iſte verò, cui ne veritatem fateri, aut enarrare poſſit judicium, à divina forſan eſt indignatione negatum; ſicut obtrectationes perſonæ noſtræ non verecundatur, ex falſis aſſumere; ſic & excuſationes ſuas ex ſimilibus propoſitionibus non veritus ordinare; ſe per nuncios ſuos venerabilem fratrem noſtrum Panormitanum Archiepiſcopum, & quoſdam alios, ad Apoſtolicam ſedem miſſos, devotionem omnimodam ſuper eccleſiaſtica libertate, & reformandis eccleſiæ & Imperii juribus, obtuliſſe: Nóſque id attentantes & promittentes, à cujuſlibet ipſius impedimento ceſſare, nunciis ſuis ad eum redeuntibus, dilecto filio Gregorio de Monte Longo, Notario noſtro, in ſuorum everſionem fidelium, legationis officium commiſiſſe aſſerit; ipſóque nihilominùs præfatos Archiepiſcopum & alios nuncios ſuos, ad ſedem Apoſtolicam remittente, & offerente ſatisfactionem omnimodam, nos eum contradicente ſaniore parte fratrum noſtrorum, contra traditiones ſanctorum patrum, & ſolennem morem eccleſiæ, injuſtè excommunicaſſe falsò concludit; pro ſua confuſione ſubjungendo, nos beati Petri vicarium, non habere ligandi ſolvendique poteſtatem, quaſi velit aſſerere, nos conceſſa Apoſtolorum Principi carere clavium poteſtate. Quæſumus igitur libram rationis aſſumite, & in ea perpendatis prædictum Fredericum contra eccleſiam, exceſſibus & beneficiis, quæ ab ea recepit, appenſis, clariùs videte; quòd licèt draco iſte, qui ad illudendum nobis formatus, & in eſcam populo Æthiopum datus extiſtit; aquas perſecutionum in ſubverſionem eccleſiæ ex ore quaſi fluvium miſerit: Apoſtolica tamen ſedes ipſius nequitiam, inæſtimabili beneficiorum miſericordia ſuperavit. Nam eum olim ab annis teneris illorum morſibus, qui terram ejus & ſanguinem ſitiebant, in lacuna confuſionis expoſitum, parentum & amicorum ſolatio penitùs penè nudum videns mater eccleſia, protinus circa ipſum nutricis & bajulæ officium executa, eum pallio Apoſtolicæ ſedis operuit, de laqueo venantium eripuit, multis laboribus & expenſis ad Regni ſolium & coronam Imperii ſublimavit. Inſuper hoc ei feciſſe modicum reputans, & ſibi Hieroſolymitanum ſubjici Regnum, & illum undique per orbem exaltare procurans;

1239. *procurans; licèt ab eodem multiplici ſe læſam afflictione doleret, à paucis tamen retroactis temporibus, contra* Henricum *natum ejus (qui partem non modicam* Alemanniæ *ejus juriſdictioni ſubtraxerat) potenter aſtitit; & in afflictorum ſibi per eum oblita vulnerum, ipſum de novo quaſi in Imperatorem erigens,* Teutoniam *Apoſtolicis literis ipſius reformavit deſiderio. His & aliis, quæ non ſufficimus recordari, beneficiis ipſius conſtruens munimenta decoris; ſed iſte baculus impiorum, terræ malleus, univerſam conturbare terram, Regna conterere, & orbem deſertum ponere cupiens, libertatem Eccleſiaſticam in dicto Regno* Siciliæ *in opprobrium ſervitutis extremæ deducens, & eccleſias quas ut earum teneritudine ſuum ventrem impleret, quaſi jam penitùs exoſſavit, ſordibus, oneribus, & angariis opprimens, eas bonis ſacris, deputatis ſanctorum uſibus, ſpoliavit, perſonas eccleſiaſticas carceri mancipavit, ipſoſque in examine vetito accuſationis ſuſcipere, tallias ſolvere, & bona eccleſiaſtica, ut ſe à vexationibus redimant, exhaurire, & poſtremò exulare coarctat. Eccleſiis paſtorum ſolatio viduatis, non permittit ſibi ſponſum eligere, viduitatis veſtimenta deponere; donec alicujus adulterinis amplexibus, per compulſionem extiterint copulatæ. De* Chriſtianorum *habitaculis conſtruens mœnia* Babylonis, *& ædificia in quibus divinum nomen excolitur, illùc transferens, ubi* Machometus *perditus adoratur: turbis undique collectis, Crucifixi fidem & nomen publicè prædicari in eodem Regno prohibuit. Recuperationem* Terræ ſanctæ *& negotium impediens, ad ejus conſummationem de bonis ſuorum fidelium conferri interdixit. Contra juramentum præſtitum & pacis inter ipſum & eccleſiam reformatæ fœdera, nobiles privatos caſtris & aliis bonis ſuis, uxoribus & liberis captivatis, loca ſua proſcriptos relinquere, domicilia in aliorum transferre coloniam; nutritos in croceis, amplexari ſtercora, & ad extremam cogit inopiam devenire. Necnon dum afflictione comprimit ſimili pauperes, id tantò fortiùs Deo diſplicere putamus, quantò veriùs ipſos credimus innocentes. Quid plura? Baronibus, militibus, & aliis hominibus ejuſdem Regni* Siciliæ, *ad fortunam & conditionem ſervorum inaudita crudelitate redactis; jam pro majori parte ipſius Regni habitatores non habent de proprio unde ſtramine vili quieſcere, nuditates ſuas rudi ſacco contegere, vel ventrem penè poſſent miliatio ſaturare. Cùmque ululatus & clamores dictarum eccleſiarum & hominum, à tempore dicti* Honorii *prædeceſſoris noſtri, eccleſiæ aures continua deploratione pulſaſſent, & jam vix poſſemus eos abſque læſione conſcientiæ ſub diſſimulatione tranſire; ipſum ſuper correctione dictorum ſcelerum non ſemel, ſed pluriès, nunciis & literis monuimus, ac longa patientia temporibus expectavimus retroactis; ſi forſan oculos ſuos ad cœlos erigere, exutus veterem, novùmque indutus hominem, manus ſuas à tanta perpetratione facinorum cohiberet. De petita inſuper emendatione dubii adhuc, volentes ſtatum ejus proprio proceſſu gratulari, eo* Lombardiam *cum armis intrante, mandavimus, ut in locis pro quacunque cauſa Interdicto ſubjectis, ipſo præſente Interdictum minimè ſervaretur: & eundem* Fredericum *noſtris literis admonentes, ut ne crucis negotium, quod ad utilitatem Eccleſiæ, Imperii, & totius populi* Chriſtiani *fuerat ordinatum, impedire valeret, præciſè in nos compromitteret: ne ſi contra* Lombardos *armata manu procedens, tantam daret exempli perniciem; ut præſumeretur à pluribus, quòd cæteros eccleſia feſelliſſet. Cæterùm, quia redintegrare ſciſſuras ſchiſmatis, noſtro incumbit officio ſervitutis; pro ſedanda Imperii &* Lombardorum *diſcordia,* Preneſtinum *Epiſcopum, commiſſo ſibi legationis officio, illa conſideratione potiſſimè duximus deſtinandum; ut ſibi & quibuſcunque diſcordantibus, minori haberetur ratione ſuſpectus, quò ſuis actibus minus firmamenti odii vel amoris ingereret, qui à mundo & carne ex ſuſceptione ſanctæ religionis abſtractus, in divini amoris altitudinem evolaſſet. Noſter ſibi deſtructor reſpondeat, quid ex hoc nobis & eidem Epiſcopo poterit imputari, ſi* Placentiæ *inter patres, filios, affines, conſanguineos, & germanos, ordinata concordia, eo præſente & proteſtante, quòd id ſalvis honoribus & juribus Imperatoris & Imperii, & quorumlibet aliorum fieret, conſummationem accepit? Quinimò idem blaſphemus intelligat, ſibi ad infamiam meritò reputari, quòd cùm ad ipſius & nunciorum ſuorum inſtantiam, venerabilem fratrem noſtrum* Oſtienſem *Epiſcopum, filium noſtrum* T. *tituli ſanctæ* Sabinæ *Preſbyterum Cardinalem; pro pace juxta formam ab eiſdem nunciis inter* Lombardos *& Imperium reformanda, ad partes miſiſſemus eaſdem; idem dictis legatis petita & ampliora adimplere paratis, & deluſis nobis, reformationem pacis per ipſos noluit acceptare. Ecce, nunc intelligite, qualiter Imperii jura conculcavimus. Ex præmiſſis advertite, qualiter hic à nobis fuerit impeditus; quòd longo & inani labore ſuos & ſuorum humeros decrevit priùs conteri, quàm paſſus extiterit per nos jura Imperii reformari. Præterea, idem illatis eccleſiæ non contentus injuriis, data quibuſdam rebellibus noſtris non modica ſumma pecuniæ, ſeditionem contra nos in Urbe molitus eſt pluriès commovere; ut nobis & fratribus noſtris à ſede noſtra repulſis; & concuſſu capite, fidei quod ſuper ædificavit Dominus, impulſu ejuſdem* Frederici *rueret leviori;* Ferrariam *& quaſdam alias terras eccleſiæ, in* Lombardiam *contra juramentum præſtitum temerè veniens, occupavit. Super quo, & aliis credens detinere inanibus verbis; dictos* Panormitanum *Archiepiſcopum & alios nuncios ſuos cum literis de credentia, ad noſtram duxit præſentiam deſtinandos. Quibus offerentibus nobis ſatisfactionem, ſuper præmiſſarum offenſarum emendatione; venerabilem ante & poſt ipſorum à curia noſtra receſſum, terram* Sardiniæ *&* Maſſani Lunenſis *Diœceſim occupare, ad* Romanam *eccleſiam pertinentes, non omittens; ipſo facto, ne ultrà ejus expectaremus correctionem edocuit; ac non debere fidem ſibi vel ſuis nunciis adhiberi, operis evidentia demonſtravit. Ex quo illud ſolum in conſcientia ſua legens, quòd cor ejus ad conterendas eccleſias & catholicam fidem dirigitur, de nobis, quibus ſe jam quocunque fraudis vellere*

occultare

1239.

occultare non poteſt, non immeritò ſuſpicatur; quòd ipſius potentiam habentes juſtitiæ ratione ſuſpectam, cùm melius ſit ante tempus occurrere, quàm poſt inflicta vulnera remedium invenire, ad avertendas ſuorum progreſſuum ſemitas, officium legationis dicto Notario commiſimus: quod nequaquam juxta ipſius ſuſpicionem id fecimus, ſed ut per eum bellorum cladibus, animarum corporúmque periculis obviare poſſemus. Ex præmiſſis igitur & aliis nequeuntes de ipſius correctione ſperare, & dolentes nos ejus promiſſionibus toties & toties fuiſſe deluſos; præfatum Fredericum, de fratrum noſtrorum conſilio, ſententia excommunicationis duximus innodandum. Quanquam ex hoc perditum intellectum reſumere, & coram Deo potiùs humiliari deberet; eò tamen ampliùs inde furens, quò jam ſuam confuſionem agnoſcens, fortiùs veretur, ut eccleſiæ obſtetricante manu educatur colubris tortuoſus. Nos ex perſonæ noſtræ meritis indignos aſſerens, qualibet officii auctoritate Papalis; per nos prædicta ſententia minimè potuiſſe conſtringi, ſuis præſumptuosè literis aſſerit: & nos, qui temporibus noſtris patrimonium eccleſiæ, per gratiam Dei, non modicè ampliavimus: de dilapidatione bonorum eccleſiaſticorum, diſpenſationum proceſſu, receptione munerum, & avaritiæ vilitate redarguit. Ac contra eum, ex illo quòd contrahendis inter neptem noſtram & naturalem ejus filium, ſponſalibus petitum ſubtraxit aſſenſum, provocari falsò confingit: illud apertiùs mentiens, quòd Longobardis contra eum & Imperium corporale præſtitimus ſacramentum: ſeu quòd totius orbis decimas, Terræ ſanctæ utilitatibus reſervatas, convertere promiſerimus in ejus compendium, ſi arbitrio noſtro negotium exponeret Longobardorum. Fatemur autem, nos defectu meritorum noſtrorum indignè Chriſti eſſe vicarium: fatemur nos oneri tanto inſufficientes exiſtere, quod humana conditio non poteſt abſque divino ſuffragio ſupportare: nihilominùs tamen, vices nobis commiſſas, prout meliùs noſtra permittit fragilitas, exequentes, ſecundùm quod locorum, temporum, perſonarum, & negociorum qualitas & natura requirunt, diſponenda diſponimus: & cùm excellentibus perſonis purè & ſecundùm Deum, cùm neceſſitas id expoſcit, de noſtræ poteſtatis plenitudine diſpenſamus. Veruntamen non eſt dolor quòd ſic profundo gladio ejus feriat animum, ſicut dum terminos Regum tranſgreditur, nec poteſt aggredi officia Sacerdotum. Propter quod idem qui pro auri fame dictum Regnum Siciliæ jam redegit in cinerem, credens ſe, qui omni tempore vitæ ſuæ paucis purè, pluribus verò juſtitiam precii venalitate corruptus exhibuit; quòd in perſona ſua reſuſcitans magnum Simonem, luto temporalium maculare poſſit eccleſiæ puritatem, ut ſic in ſpiritualibus graſſari, & in ſuis permitteretur ſordibus remanere; murum integritatis eccleſiæ multis, & ſpecialiter oblatione caſtrorum, ac parentela inter ſuos & noſtros contrahenda, pro qua nos per quoſdam magnos Prælatos & nuncios ſuos pluriès requiſivit, tentavit infringere. Nunc verò quia id nulla inſtantia, nullóque ingenio, (ſicut eſt in curia noſtra quaſi notorium) à nobis potuit obtinere; quin potiùs ſe cum ſuis perditioni relictum arcium ſuarum fallaciis in pejus proficere jam agnoſcit, quia neſciat ultrà quid faciat; ſeipſum mendacio ſuo in aliorum detractione deturpat, more meretricis Ægyptiacæ, quæ Joſeph invitavit ad ſtuprum, & ab ipſo contempta, apud virum ſuum volens accuſavit invitum. Unum quidem eſt, de quo, etſi pro homine perdito ſit dolendum, lætari non modicum & Deo regratiari debetis; quòd volente Domino diutiùs occultari non patitur umbra mortis iſte, qui gaudet ſe nominari præambulum Antichriſti; non expectans propinquum ſuæ confuſioni judicium, manibus propriis effoſſo ſuarum abominationum pariete, per dictas literas ejus ſuarum producit in lucem opera tenebrarum, in eis conſtanter proponens, quòd per nos tanquam Chriſti vicarium vinculo excommunicationis aſtringi non potuit. Sicque affirmans, non eſſe apud eccleſiam à Domino, beato Petro, & ejus ſucceſſoribus ligandi atque ſolvendi traditam eſſe poteſtatem, dum hæreſim aſſerit, proprio ſibi argumento concludit: conſequenter oſtendens, quòd malè ſentiat de cæteris fidei Orthodoxæ articulis, dum eccleſiæ, ſuper quam fides fundata conſiſtit, auferre utitur, conceſſum verbo Dei privilegium poteſtatis. Sed quia minùs bene ab aliquibus credi poſſit, quòd ſe verbis illa queaverit oris ſui, probationes in fidei victoriam ſunt paratæ: quia iſte Rex peſtilentiæ, à tribus Baratatoribus, ut ejus verbis utamur, ſcilicet Chriſto Jeſu, Moyſe & Machometo, totum mundum fuiſſe deceptum: & duobus eorum in gloria mortuis, ipſum Jeſum in lignum ſuſpenſum manifeſtè proponens: inſuper dilucida voce affirmare, vel potiùs mentiri præſumpſit, quòd omnes fatui ſunt, qui credunt naſci de virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia potuiſſe. Hanc hæreſim illo errore confirmans, quòd nullus naſci potuit*, cujus conceptum viri & mulieris conjunctio non præceſſit: & homo debet nihil aliud credere, niſi quod poteſt vi & ratione naturæ probare. Hæc, & alia multa, quibus verbis & factis catholicam fidem impugnavit, & impugnat, ſuo loco & tempore, ſicut decet & expedit, manifeſtè poterunt comprobari. Quocirca, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attentè, in virtute obedientiæ per apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo; quatenus ne dictus Fredericus corda fidelium fallacibus verbis ſubvertere, vel contagione ſua poſſit quomodolibet gregem Dominicum maculare; clero & populo vobis ſubditis, ſupradicta plenè ac fideliter exponatis. Datum Laterani, duodecimo Calend. Junii, Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

Clauſula ſupraſcripta mittitur domino Regni cum literis præcedentibus, hoc modo: *Quocirca, ſerenitatem Regiam monendam duximus & hortandam, quatenùs ſupradicta tibi facias diligenter exponi, ne Regalis innocentiæ puritas poſſit verbis fallacibus maculari.* Datum *Laterani*, & cætera ut priùs.

HÆC igitur & divulgata, & multis Regibus ac Principibus & Magnatibus, mutatis tantùm titulis, tranſmiſſa per orbem, timorem & honorem, necnon admirationem cordibus fidelium incuſſerunt, & Imperialem epiſtolam ſuſpectam, licet probabilia contineret, reddiderunt: unde

Avaritia Romanorum fidem torum, elevat.

1239. unde corda multorum, qui priùs cum alterutro ſteterant fluctuantia reddiderunt. Et niſi *Romana* avaritia devotionem populorum à domino Papa pluſquàm expediret & deceret, avertiſſet: totus mundus hac epiſtola exaſperatus, in Imperatorem, quaſi in manifeſtum hoſtem eccleſiæ, & *Chriſti* inimicum, graviter & unanimiter inſurrexiſſet. Sed proh dolor! multi filii à patre ſuo Papa avulſi ſunt, & Imperatori adhærentes, aſſerebant; quòd odium inexorabile inter eos jam induratum, prædicta jurgia & invectiones excogitatas excitabat. Et injuſtè improperat dominus Papa, quòd eundem *Fredericum* dilexerit,& promoverit in novitate creationis ſuæ, hoc enim totum factum eſt in odium *Othonis*, quem eccleſia adjutorio *Frederici* uſque ad mortem perſequebatur, quia diſperſa Imperii, ſecundùm ſacramentum ſuum, viriliter congregare cœpit, ſicut qui præſens eſt Imperator *Fredericus* facere proponit. Unde hoc faciendo *Fredericus* militavit eccleſiæ & plùs tenetur eccleſia *Romana* ipſi, quàm Imperator eccleſiæ *Romanæ* rationabiliter teneatur obligatus. Sentit eccleſia occidentalis, præcipuè tamen religioſorum, & præ omnibus aliis devotiſſima Deo *Anglicana* eccleſia, oppreſſiones *Romanorum* quotidianas; nec adhuc unquam preſſuras ſenſit Imperiales. Addiditque populus: Quid ſibi vult iſtud? Retroactis temporibus impoſuit Papa Imperatori, quòd ipſe *Machometo* legique *Saracenicæ* plus conſenſit, quam *Chriſto* vel legi *Chriſtianæ*: nunc autem in ſua invectiva epiſtola imponit eidem, quòd tam *Machometum*, quam *Jeſum* vel *Moyſem*, quòd horribile eſt recitare, vocat *Baratazem*. In epiſtolis ſuis humiliter de Deo ſcribit Imperator & catholicè; niſi tantùm quòd hac ultima Papali perſonæ derogat, non officio, nec publicè prædicat; nec procaciter ſuſtinet quicquam hæreticum ut novimus adhuc, vel prophanum; non uſurarios nobis miſit, vel raptores reddituum. Et ſic ortum eſt jam ſchiſma in populis formidandum.

Robertus de Tuinge *miles* Romam *adiit.*

SUB eiſdem temporibus, quidam miles de partibus Aquilonaribus *Angliæ* oriundus, ſummo niſu renuens colla jugo ſubdere *Romanorum*, ſuper patronatu cujuſdam eccleſiæ ad eundem militem ſpectante (in quam eccleſiam per Archiepiſcopum *Eboracenſem*, manus cupiditatis injecerant *Romani*) *Romam* adiit. Et cùm gravem ſuper hoc coram Papa querimoniam repoſuiſſet, ſub hac forma ſubſcripta, meruit literas impetrare. Per quod conjici poteſt, qua devotione viros eccleſiaſticos (à quibus impunè licet ſua eccleſiaſtica bona rapere, pia patrum intentione collata, & in ſuſtentationem pauperum proviſa.) *Romana* diligit eccleſia, ſemper hians, ſemper importuna.

Magnates Angliæ *ægrè ferunt ſe privari jure patronatus eccleſiarum.*

IPSIS quoque temporibus, Comites & Barones & alii Magnates *Angliæ*, ad quos ab antiquo jus patronatus eccleſiarum ſpectare dignoſcitur, dolentes ſe privari ſua libertate, & per cupiditatem *Romanæ* eccleſiæ jure conferendi eccleſias enormiter privari; & alienigenas præcepto Papali illis ditari, quorum perſonas & conditiones penitùs ignorabant, licèt ſerò domino Papæ ſcripſerunt: & ipſam epiſtolam per dictum *Robertum* de *Thuinge* militem, qui per eandem violentiam privatus jure ſuo ſuper patronatu eccleſiæ de *Luthunum* in Dioceſi *Eboracenſi*,conqueſtus eſt graviter nobilibus Regni, quòd Archiepiſcopus ſe aſſeruit nihil poſſe, vel contra *Romanam* eccleſiam velle recalcitrare. Ipſe igitur *Robertus Romanum* curiam non ſegniter adiit, hanc Epiſtolam ex parte Magnatum *Angliæ* præſentans.

Literæ Magnatum Angliæ *ad* Papam.

EXCELLENTISSIMO *patri & domino G. Dei gratia ſummo Pontifici, devoti ſui de* Ceſtriæ *& de* Wincestriæ, *&c. ſalutem, reverentiam promptam, & paratam, ſi placet, devotionem. Mergente jam navicula noſtræ libertatis, progenitorum noſtrorum ſanguine ſubacta, prorumpentibus in nos plùs ſolitò perturbantium procellis, dormientem Dominum in navicula* Petri *cogimur excitare, acclamantes jugiter & una voce:* Domine ſalva nos, perimus. *Ut cùm judicium & juſtitia ſint correctio ſedis ejus, unicuique noſtrum jus ſuum tribuat, & conſervet illæſum. Ne ſi ſecus fieret, corruente charitate, devotionéque deleta, provocarentur filii contra patris viſcera, & mutuæ dilectionis affectus, ſubintroducta injuria, penitùs evaneſceret. Cùm igitur, ſanctiſſime pater, à prima* Chriſtianitatis *fundatione in* Anglia, *tali fuerint hactenus progenitores noſtri gaviſi libertate, quòd decedentibus eccleſiarum rectoribus, eccleſiarum patroni perſonas idoneas eligentes ad eaſdem, Diœceſanis præſentaverunt, ab eiſdem eccleſiarum regimini præficiendas: verùm veſtris temporibus, de conniventia veſtra vel voluntate neſcimus, talis contra nos invaluit adverſitas, quòd decedentibus eccleſiarum rectoribus, quidam executores veſtri, ad hoc dati, eccleſias de patronatu noſtro paſſim conferunt, in noſtræ præjudicium libertatis, & in eminens periculum juris patronalis, licèt ſuper hoc pridem cautione literarum Apoſtolicarum nobis proſpexeritis, continentium, quòd decedentibus eccleſiarum perſonis* Italicis *vel* Romanis, *auctoritate proviſionis veſtræ in eccleſiis promotis, licitè poſſemus perſonas idoneas præſentare: cujus oppoſitum videmus quotidiè demandari, de quo plurimum miramur, cùm non debeat ab uno & eodem fonte, aqua dulcis & amara defluere. Sanè licèt hæc contra nos ſit communis peſtis introducta, pro qua contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, nec non & cædes hominum poterunt fortaſſis exoriri; unius tamen comparium noſtrorum afflictionem exempli gratia producere decrevimus in medium; ut quod contra eum & juris ſui patronalis periculum hactenùs eſt improvidè procuratum, auctoritate veſtra, ſi placet, revocetur in irritum. Cùm igitur* Robertus *de* Tuinge *patronus eccleſiæ de* Luthunum *decedente* N. Italico, *ejuſdem eccleſiæ rectore; perſonam idoneam præſentaſſet ad eandem; obſtante mandato veſtro, diſtulit ipſum admittere dominus* Eboracenſis; *licèt contra perſonam præſentatam nihil inveniret quod obſiſteret, ſed ſolam inhibitionem veſtram prætenderet. Verùm, cùm in incendio vicinæ domus, noſtrarum immineat periculum; vobis tanquam patri ſupplicamus, quatenùs tam*

prædictum

prædictum Robertum *quàm nos omnes & ſingulos prædicta libertate præſentandi clericos noſtros ad eccleſias noſtras vacantes liberè uti permittatis: injungentes prædicto Archiepiſcopo, quòd* J. *clericum ad prædictam eccleſiam ab eodem præſentatum, pro quo etiam preces effundimus devotas, præſertim cùm ſit negotiis Regis & Regno noſtro neceſſarius, niſi aliquod Canonicum obſtiterit, non obſtante priori mandato veſtro, admittat. Ut ex hoc nos ad propenſiorem devotionem & famulatum eccleſiæ provocetis. Ne cùm ſit jus advocationis prædictorum feudorum, pro quibus Domino noſtro militamus, cogamur illius invocare ſubſidium, qui jura & libertates laicorum protegere tenetur & confovere. Valete.* 1239.

GREGORIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, nobilibus viris,* Richardo *Comiti* Pictaviæ *&* Cornubiæ, *& Baronibus* Angliæ, *præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & Apoſt. benedict. Cùm ex operibus noſtris, quæ plenum perhibent teſtimonium veritati, ſit liquidum univerſis, quòd nos perſonam chariſſimi in* Chriſto *filii noſtri illuſtrem Regem & Reginam, inter alios Reges & Principes Orthodoxos & Regna, in quibus nomen colitur* Chriſtianum, *in charitatis viſceribus ſpecialiter gerimus, & pacem ac tranquillitatem eorum propenſiùs affectemus: ritè præſumi non poteſt, & omninò credi non debet, quòd nos, quantum cum Deo poſſumus, agere ſeu tolerare velimus; quòd juſtè poſſit honorem Regiæ ſerenitatis offendere, aut in eodem Regno ſcandalum generare. Unde cùm intentionis noſtræ non fuerit, nec exiſtat, ut beneficia in Regno* Angliæ *conſtituta, quæ ad præſentationem pertinent ſæcularium patronorum, auctoritate noſtra cuiquam conferantur: ſicut ex quibuſdam literis noſtris, quondam in* Angliam *deſtinatis, quarum tenorem de verbo ad verbum celſitudini Regiæ ſub bulla noſtra duximus deſtinandum, colligitur evidenter. Nos comperto nuper ex ejuſdem Regis & veſtrarum continentia literarum, quòd quidam prædicti Regni miles in eccleſia de* Luthunum, Eboracenſis *Dioceſis, quam olim cuidam de partibus noſtris clerico, ignorantes quòd præſentatio ad laicum pertineret, contuliſſe dicimur, jus obtinet patronatus: prælibati Regis & veſtris precibus inclinati, conceſſionem eandem auctoritate Apoſtolica revocamus; venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo* Eboracenſi *noſtris dantes literis in mandatis, ut eum quem dictus miles ad præfatam eccleſiam duxerit præſentandum, admittat & inſtituat in eandem, diuturnitate temporis, cùm per ipſum minimè ſteterit, non obſtante, dummodò aliud ſibi rationabile non obſiſtat. Tenore præſentium diſtrictiùs inhibendo, ne alicui de cæterò liceat eccleſias prædicti Regni, in quibus laici ſunt patroni, præter eorum aſſenſum, Apoſtolicæ ſedis auctoritate conferre. Datum. &c.*

Literæ Papales ad Magnates Angliæ.

GREGORIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Legato ſalutem. Ad tuam volumus notitiam pertinere, quòd cùm intentionis noſtræ non fuerit, nec exiſtat, ut beneficia Regni* Angliæ, *quæ ad præſentationem ſæcularium pertinent patronorum, auctoritate noſtra cuiquam conferantur; nos nuper ex chariſſimi in* Chriſto *filio noſtri Regis illuſtris, & nobilium virorum Comitum & Baronum* Angliæ *inſinuatione comperto, quòd quidam regni* Angliæ *miles in eccleſia de* Luthunum, Eboracenſis *Dioceſis, quam olim cuidam de partibus noſtris clerico, ignorantes quòd præſentatio ad laicum pertineret, contuliſſe dicimur, jus obtinet patronatus; Regis & nobilium eorundem precibus inclinati, conceſſionem eandem auctoritate Apoſtolica revocantes, venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo* Eboracenſi *noſtris dedimus literis in mandatis, ut eum quem dictus miles ad præfatam eccleſiam duxerit præſentandum, admittat & inſtituat in eandem, prout pertinet ad eundem; diuturnitate temporis, cùm per ipſum minimè ſteterit, non obſtante, dummodò aliud rationabile non obſiſtat: diſtrictiùs inhibendo, ne alicui de cæterò liceat eccleſias Regni prædicti, in quibus laici ſunt patroni, præter eorum aſſenſum, Apoſtolicæ ſedis auctoritate conferre. Datum. &c.*

Idem Legato.

Per hæc, & his ſimilia, perpendi poteſt in libra rationis evidenter, quanti in his temporibus mundi ſeneſcentis conſtet juris rigor, & eccleſiæ reverentia, & pietas religionis. Solùm enim datæ ſunt in direptionem & prædam poſſeſſiones perſonarum eccleſiaſticarum, & imbellium religioſorum. Jamjam igitur in antiquum chaos mundus ruere comminatur.

PER idem tempus congregati ſunt nobiles Cruceſignati *Franciæ* & adjacentium provinciarum, in civitate nobili ſuper *Rhodanam* fluvium ſita, quæ dicitur *Agauno*, vel *Lugdunum*, vulgariter verò *Liuns*: ut ibidem de aſſumendo itinere ſuo, diligenter contractarent. Et dum conciliarentur, ecce ex parte domini Papæ Nuncius deſtinatus feſtinanter advenit, qui ſicut anteà omnes ad proficiſcendum urgenter ſtimulaverat, & ſtimulando perſuaſit, ſic vice verſa, omnes, ne iter arriperent, diſſuaſit: & ex parte domini ſui Papæ præcepit, ut ad propria quiſque properè remearet, & authenticum domini Papæ ſuper hoc monſtravit univerſis. Ad hoc unanimiter reſponderunt: unde hæc in *Romana* curia & in Papa multiplicitas? Nónne nobis hic terminus, hic locus, per Legatos & Papales Prædicatores, multo tempore tranſacto præfixus eſt ad tranſitum? Secundùm dicta & promiſſiones prædicatorum, ad iter pro Deo ſuccingimur; victualia & arma, & quæque nobis profecturis neceſſaria, paravimus: terras noſtras cum omni ſuppellectili noſtra & domibus, vel impignoravimus, vel vendidimus: amicis noſtris valediximus: theſauros noſtros in *Terram ſanctam* præmiſimus: adventum noſtrum prænunciavimus: portui appropinquavimus: & nunc, ad negotium Crucifixi impediendum, mutatis verbis, inſurgunt paſtores noſtri? Et non modicùm indignati, penè inſurrexerunt in Nuncium Papæ; ſi non Prælatorum diſcretio furorem populi temperaſſet.

Conventus Cruceſignatorum Lugduni.

Nec mora, domini Imperatoris nuncii, ne inconſultè & feſtinanter tranſirent, ſine ducatu & comitatu ipſius Imperatoris, diligenter perſuaſerunt, literas ſuper hoc Imperiales illis directas

 deferentes

1239. deferentes. In quarum tenore eleganter & ſufficienter excuſavit dominus Imperator, ſui tranſitus omiſſionem. Unde Cruceſignatorum miſerabilis facta eſt conditio. Diſſipatum eſt enim conſilium eorum, & facti ſunt ſicut arena ſine calce, aut maceria ſine cæmento. Redierunt multi ad propria murmurantes & obloquentes, & aliquorum Prælatorum falſas aſſertiones deteſtantes. Multi verò per maris diſcrimina intrantes portum *Marſiliæ*, versùs *Terram ſanctam* cum magna deſperatione velificârunt: quorum in *Sicilia* multi, majorum adventum præſtolantes, tempus verum expectârunt. Multi verò, ex licentia & benevolentia Imperatoris, per littora maris, *Italicos* ſinus à ſiniſtris relinquentes, partes petierunt *Brunduſinas*.

Congregatio Epiſcoporum Londini.

EODEM quoque tempore, convenerunt omnes Epiſcopi *Londinum*, pridiè Calend. Auguſti, credentes ſe cum Legato de oppreſſionibus *Anglicanæ* eccleſiæ tractaturos. Legatus verò nihil penitùs ſuper hoc ſollicitus, procurationes ab eis exegit novas & redivivas. Cui, habito conſilio, reſponderunt: Quòd toties diverſis argumentis bona eccleſiæ exhauſerat *Romana* ſemper hians importunitas, quòd exhauſtis jam ferè omnibus, vix poterant reſpirare vel ad modicum; nec potuerunt ullo modo tales ampliùs extortiones tolerare. Et addiderunt: Quid utilitatis contulit adhuc Regno vel eccleſiæ iſtius ſuperſtitioſa dominatio; qui tantùm fautor Regis eſt, eccleſias variis exactionibus affligens, de quibus nunc ſaltem aliquam ſperabamus conſolationem? Exhibeat eum, qui eum in Regnum ſuum ſine ſuorum naturalium conſiliis advocavit. Videns igitur Legatus talem in multis conſtantiam, ad humilitatem religioſorum converſus, ab eis pecuniam non minimam extorſit nomine procuratiæ. Solutum eſt autem conſilium, non ſine querulo murmure Prælatorum.

Adventus Comitis Flandriæ *in* Angliam.

CIRCA feſtum verò Aſſumptionis beatæ *Mariæ*, venit in *Angliam* Comes *Flandriæ*, applicans apud *Doveram*; videlicet *Thomas*, avunculus Reginæ. De cujus adventu cùm Rex certificaretur, ſecùs quàm deceret lætabundus occurrit venienti, præcipitque cives *Londinenſes* in adventu ejus omnes truncos & ſterquilinia, lutum quoque & omnia offendicula à plateis feſtinanter amovere; civeſque feſtivis veſtibus ornatos, in equis eidem Comiti gratanter occurrere phaleratis, In quo facto, Rex multorum ſibilum movit & cachinnum. Recedens verò ab *Anglia* infra paucos dies, quia licentia domini Regis *Francorum* diu non extendebatur; quingentas marcas à Rege receptas aſportavit. Reditúmque totidem annuatim, quem ſibi attinere jure antiquo à Regio Scaccario, recipiendum, pro homagio ſuo, abſque difficultate vel mora impetravit.

Papa prohibet ne cruceſignati tranſirent.

TEMPORIBUS ſub eiſdem, dominus Papa dedit in mandatis Legato, ut diſtrictè prohiberet Cruceſignatis, contra propoſitum terminum à Prædicatoribus ſibi præfixum, & intentionem & ſpem ſuam, quam ex pollicitis Prædicantium præconceperant, ne iter versùs *Terram ſanctam* arriperent, uſque ad vernum tempus & paſſagium quod eſt in Martio: ſin autem, conceſſâ ſibi pecatorum indulgentia non gauderent.

Conſecratio Willielmi *de* Ræle *in Epiſcopum* Norwicenſem.

ANNO quidem eodem, *Willielmus* de *Ræle*, ritè in Epiſcopum electus *Norwicenſem*, in eccleſia ſancti *Pauli Londinenſi*, ab *Ædmundo Cantuarienſi* Archiepiſcopo, præſente infinita Prælatorum & Magnatum multitudine, munus conſecrationis accepit. Cujus cùm prægnoſticum eſſet; *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam*, &c. omnes bonam ſpem de ipſo conceperunt: ut quaſi alter *Matthæus*, qui de telonia ad Apoſtolatum & Evangelii auctoritatem, ſic de curiali occupatione ad magnæ ſanctitatis culmen ſubvolârat.

Calumnia Regis in Comitem Canciæ H.

EODEM tempore, videns Rex quòd venerabilis Comes *Cantiæ* jam ſenuerat, debilitatus infirmitate, gravibus eum circumvenit quæſtionibus; exigens diſtrictè ab eo infinitæ pecuniæ quantitatem, & imponens ei multorum exceſſuum enormitates: hac verſutia, ut dum penderet talis calumnia, ſi fortè Comes obiiſſet, Rex omnes ejus poſſeſſiones & bona ſua irrevocabiliter infiſcaret. Improperando enim impoſuit ei, quòd nobilem virginem filiam Regis *Scotiæ*, tutelæ ſuæ commendatam, tempore patris ſui proditioſè corrupit. Amiſit etiam *Rupellam*, & totam *Pictaviam*: dum cados ſabulo plenos ad ſuccurſum civitatis & terræ tranſmiſſos, pecunia nequiter & furtivè ſubrepta, deſtinavit incluſis & obſeſſis Regiis militibus, ab *Anglia* ſolùm conſolationem expectantibus. Item, quod caſtrum *Bedefordiæ* per proditionem ejus diruit & amiſit. Item, quòd theſaurum ſuum, dum ipſe Rex in cuſtodia ejus fuit, ad ſuum libitum infideliter tractavit & diſſipavit; & in ſuos uſus convertens, ſibi redditus & terras amplas & opulentas comparavit: de quo theſauro ſibi Rex ratiocinium fieri exegit. Item, in bello moto in *Britannia* contra Regem *Galliæ*, proditione ejus magnum honorem & magnam partem exercitus, teſte Comite *Britanniæ*, amiſit irreſtaurabiliter. Item, de maritagio contracto vel contrahendo inter *Richardum* de *Clare*, & *M.* filiam ſuam clandeſtino; proditionem magnam domino ſuo Regi fuerit machinatus. Item, matrimonium inter dominum Regem & quandam nobilem mulierem nequiter impedivit: dum clanculò ſignificavit eidem mulieri & ſuo generi, quòd Rex ſtrabo & fatuus nequámq; fuerat, & ſpeciem lepræ habere, fallaxq; fuerat & perjurus, imbellis, plúſq; mulier, in ſuos tantùm ſævientem, & prorsùs inutilem amplexibus alicujus ingenuæ mulieris aſſerendo. Item, foreſtas ſuas, & nemora, ſuæ cuſtodiæ deputata, ſolo tenùs explanavit: unde novam de precio exegit rationem. Item, cùm aliquando apud *Wudeſtuc* commorarentur, ipſe Comes in Regem, cùm fortè ſolus fuiſſet in quadam camera, irruit furioſè & turbulenter; volens dominum ſuum Regem proditioſè ac nequiter cultello, quem tenebat, extracto jugulare, & clamore attonito vix à manibus ejus liberatum: unde non tantùm laqueo dignum vel ſuſpendio, ſed eum dignum diſtractione aſſerebat. Cùm autem Comes

Hubertus

1239.

Hubertus modeſtiùs reſpondiſſet, ad hoc ultimum verbum, quod graviùs, eum angebat, humilians ſe Regi, ait: Nunquam proditor fui vobis vel patri veſtro, & hoc nunc per Dei gratiam in vobis apparet. Ac ſi diceret: Si vos vellem prodidiſſe, Regnum non obtinuiſſetis. Ad omnia autem prædicta per fidelem & idoneum reſponſalem *Laurentium* ſcilicet, clericum de *ſancto Albano*, qui in omnibus tribulationibus inſeparabiliter eidem Comiti adhæſit, diſtinctè & articulatim eleganter reſpondens; omnibus auditoribus ibidem congregatis ſatisfecit, ſuam innocentiam demonſtrando & ſufficienter probando; licèt Rex cum omnibus prolocutoribus Banci, quos narratores vulgariter appellamus, in contrarium niteretur. Veruntamen, ut Regius rancor & ira adverſus Comitem ſedaretur: adjudicatum eſt, ut quatuor caſtra ſua chariſſima Comes Regi aſſignaret, pro bona pacis & priſtina charitate reformanda; videlicet *Blanchum* caſtrum, & *Groſmund* in *Wallia*, & *Skenefrith*, & *Hafeldiam*. Comes verò, cujus fidelitate priſtina & probata, *Anglis* eſt *Anglia* ſæpiùs reſervata; omnem Regis ingratitudinem & importunitatem, probra & contumelias, imò etiam omnes impetus fortunæ, æquanimiter & patienter toleravit. Si quis plenè deſiderat ſcire altercationem inter accuſantes Comitem *Cantiæ*, dictum ſcilicet *Hubertum*, & memoratum magiſtrum *Laurentium* de *ſancto Albano*, inveniet in *libro Additamentorum*.

Comes R. & alii Magnates Angliæ, *conjurant ſimul propoſitum iter arripere.*

SUB eiſdem diebus, in craſtino ſcilicet ſancti *Martini*, convenerunt Magnates *Angliæ* Cruceſignati apud *Northamton*; de itinere ſuo in *Terram ſanctum* arripiendo contractaturi. Et ne per cavillationes *Romanæ* eccleſiæ, honeſtum votum eorum impediretur, nec ad effuſionem ſanguinis *Chriſtiani*, vel in *Græciam*, vel in *Italiam*, prout inſtillatum in auribus eorum fuerat, diſtorqueretur: juraverunt omnes, ſe in *Terram ſanctam* in expeditionem eccleſiæ ſanctæ Dei illo anno migraturos. Quorum primus juravit Comes *Richardus*, omnium aliorum primitius, ſuper altare majus, in eccleſia *omnium Sanctorum*, in medio civitatis. Et poſt illum, Comes *G. Mareſchallus*, ſi poſſit anteà cum Rege concordari, idem repetiit ſacramentum. Cui Comes *Richardus*; Non idcircò omittas, chariſſime ſororie: hoc enim onus mihi aſſumo. Poſt ipſum, *Richardus Siward*: & poſt eum, *Henricus* de *Trublevilla*; & deinde nobiles multi, quos longum eſſet dinumerare. Qui omnes uno humero & animo, ſe ad obſequium Crucis viriliter accinxerunt.

Imperator & Papa invicem perſequuntur.

DIEBUS etiam illis, videns dominus Papa robur & conſtantiam Imperatoris nondum enervatam, ſibi & *Romanæ* eccleſiæ nondum incurvari; miſit per totam *Alemanniam* Prælatis, Magnificis, & aliàs manentibus, epiſtolas prolixas commonitorias; & præcepit diſtrictè, ut omnes inſurgerent in ſuum Imperatorem, Deo & eccleſiæ *Romanæ* rebellem, & eundem magnis convitiis diffamavit. Abſolvit etiam omnes, qui eidem fidelitatis juramento tenebantur aſtricti, perſuadens ut eſſent in infidelitate fideles, inobedientia in obedientes. Sed tantum promeruit *Romanæ* eccleſiæ improbitas omnibus exercanda; quòd à nullis, vel à paucis, meruit Papalis auctoritas exaudiri.

Deſolatio Bononienſium *& aliorum fautorum Papæ.*

IN ejuſdem anni Æſtate, ſcilicet circa finem Autumni, dominus Imperator volens *Mediolanenſibus* proditoribus ſuis, *Bononienſium* auxilia præcludere; in *Bononienſes* impetum fecit formidabilem. Volebant enim in favorem Papæ & *Mediolanenſium* ſuorum, exire ad debellandum exercitum Imperialem: cùm ecce repentè exeuntibus occurrit Imperator, & ſuos inter cives & civitatem armatos interpoſuit, & civium cuneos terribiliter ſubitò diſſipavit. Qui fugientes, per quædam diverticula cupientes ad urbem remeare, ſeſe in amnem, quem tranſire neceſſe habebant, præcipitaverunt: ita ut plures ſubmerſi, quàm in ore gladii cæſi, miſerabiliter perierunt. Deinde, dominus Imperator, poſtquàm *Bononienſes* illi dextras dederunt, qui in civitate remanſerunt, direxit ſuorum armatorum legiones versùs *Mediolanum*. Et in brevi temporis ſpacio, foſſata ſua, quibus ſe *Mediolanenſes* undique cinxerant, erectis machinis & applicatis pontibus multis, cum ſuo exercitu tranſiit numeroſo. Unde timor & tremor cives invaſit inopinabilis; & audito *Bononienſium* infortunio, gemitus gemitibus cumulârunt. Unde negotium illud ad votum conſummaſſet, niſi mota per Papam periculoſa perturbatio, ad partes ulteriores provocatum dominum Imperatorem tranſtuliſſet. Quod comperientes cives, facti animoſiores, extulerunt caput, & per vicinia diſcurrentes, caſtra Imperialia obſederunt. Et per quendam Legatum, quem ad conſolationem eorum illùc dominus Papa miſerat, ſolidati, *Ferrariam* obſederunt, hoſtiliter vallaverunt: nec ab eis niſi ſe abſolutè redderent, ſatisfactionem admiſerunt obſeſſorum, hoc Legato perſuadente, & cives ad hoc *Mediolanenſes* immiſericorditer compellente. Tunc etiam inventus eſt quidam ſociorum ſancti *Oſwini*.

Rex Priorem Britonem *in Conventum* Wintonienſem *intruſit.*

CIRCA idem tempus, Rex vehementer oppreſſit eccleſiam *Wintonienſem*, & quendam alienigenam, contra voluntatem totius Conventus, in eandem violenter intruſit, ut præeſſet Conventui. Qui inordinatè ſe gerens, timore Dei poſtpoſito, omnia ſubvertit, omnes pervertit; & theſaurum eccleſiæ dilapidando, ſoli Regi placere cupiebat. Unde libera electio Monachorum, dum idem Prior adulterinus ferè medietatem ſtellarum ſecum cauda ſua traxit, & multorum corda ad electionem *Willielmi* avunculi Reginæ in Epiſcopum, corrumpendo inclinavit. Rex enim ad hoc ſummo niſu anhelabat.

Mors Willielmi *electi* Leodienſis.

OMNIUM Sanctorum imminente feſtivitate, cùm *Willielmus* electus *Valentinus*, de quo ſuperiùs fecimus mentionem, à domino Papa impetraſſet, ut in Epiſcopum *Leodienſem* eligeretur, & Epiſcopatum *Wintonienſem* obtineret; apud *Viterbium* potionatus, ut dicitur, diem clauſit extremum,

1239. tremum, die omnium Sanctorum; procurante magiſtro *Laurentio Anglico*, ſed poſtmodùm e ritè purgato. Quod cùm Papa audiſſet, doluit nimis, quia propoſuerat de ipſo facere ducem militiæ ſuæ in bello ſuo contra Imperatorem; & idcircò eundem quaſi monſtrum ſpirituale, & belluam multorum capitum effecerat. Noverat eum ad ſtragem ſtrenuum, ad cædem pronum, ad incendia protervum; magiſtrum Regis *Angliæ*, amicum Regis *Francorum*, ſororium utriuſq; avunculum Reginarum, fratrem Comitis *Sabaudiæ*; & aliis multis vel affinitate vel conſanguinitate confœderatum. Sed hæc mors inopinata, omne hoc propoſitum tranſmutavit.

Dolor Regis ſuper morte Willielmi *prædicti*.

REX autem, cùm hos lugubres rumores audirit, non ſe præ dolore capiens, ſcidit veſtimenta ſua, & ea projecit in ignem; & rugitum magnum emittens, noluit alicujus admittere conſolationem. Regina quoque, quam cauſa familiarior ſtimulavit, funus avunculi deflevit tempore diuturno.

Et circa idem tempus obiit *Avelina*, mulier admirabilis pulchritudinis, Comitiſſa *Aubemarliæ*. Et duodecimo Calen. Jan. obiit ſtrenuiſſimus miles dominus *Henricus* de *Trublevilla*, in expeditionibus vir expertus, & eruditus.

Papa & curia Romana *eligunt in Imperatorem* Robertum *fratrem Regis* Francorum; *qui id conſtanter renuit*.

CIRCA dierum illorum curricula, dominus Papa ſcripſit Regi *Francorum*, ſolennes eidem Nuncios deſtinando, ſignificans eidem, ut juberet epiſtolam ſuam coram ipſo & toto Baronagio *Franciæ* ſolenniter & memoriter legi & intelligi. Cujus ſumma & tenor talis fuiſſe perhibetur. *Noverit dilectus filius eccleſiæ ſpiritualis, illuſtris Rex, & totum* Francorum *Baronagium, nos deliberatione & tractatu diligenti omnium fratrum noſtrorum condemnaſſe, & à culmine Imperiali abjudicaſſe* Fredericum *dictum Imperatorem &* Robertum *Comitem fratrem Regis* Francorum, *loco ipſius elegiſſe ſubſtituendum; quem etiam omnibus eccleſia non tantùm* Romana, *ſed univerſalis duxit non ſegniter adjuvandum, & efficaciter promovendum. Nullo igitur modo, tantum ſponte oblatam dignitatem apertis brachiis ſuſpicere ne pigritemini; ad quam opes & operam & opem abundanter effundemus conſequendam. Scelera enim prædicti* Frederici *multiplicia, ſicut jam novit mundus, eundem irreſtaurabiliter condemnârunt.* Ad quod, inito conſilio, circumſpecta prudentia Francorum reſpondit: *Quo ſpiritu vel auſu temerario Papa tantum principem, quo non eſt major, imò nec par inter* Chriſtianos, *non convictum vel confeſſum de objectis ſibi criminibus, exhæredavit, & ab apice Imperiali præcipitavit? Qui ſi meritis ſuis exigentibus deponendus eſſet, non niſi per generale Concilium caſſandus judicaretur. De tranſgreſſionibus ſuis non eſt hoſtibus ſuis fides adhibenda, quorum Papa dignoſcitur eſſe capitalis. Nobis adhuc inſons, imò bonus fuit vicinus; nec quid ſiniſtri vidimus de eo in fidelitate ſæculari, vel fide catholica. Scimus autem, quòd domino noſtro* Jeſu Chriſto *fideliter militavit; marinis & bellicis ſe periculis confidenter opponens. Tantum religionis in Papa non invenimus. Imò qui eum debuit promoviſſe & Deo militantem protexiſſe; eum conatus eſt abſentem confundere, & nequiter ſupplantare. Nolumus noſmetipſos in tanta pericula præcipitare, ut ipſum* Fredericum *tam potentem impugnemus, quem tot Regna contra nos juvabunt, & cauſa juſta præſtabit adminiculum. Quid ad* Romanos *de prodiga ſanguinis noſtri effuſione, dummodò ſuæ iræ ſatisfaceremus? Si eum per nos & alios devicerit, omnes Principes mundi conculcabit, ſumens cornua jactantiæ & ſuperbiam, quoniam ipſum* Fredericum *magnum Imperatorem contriverit. Sed ne in vacuum Papale mandatum videamur ſuſcepiſſe, licèt magis conſtet hoc ob odium Imperatoris, quàm noſtri dilectionem ab eccleſia* Romana *derivaſſe, mittemus nuncios prudentes ex nobis ad Imperatorem; qui quomodo de fide catholica ſentiat, diligenter inquirant, nos ſuper hoc certificaturos. Et ſi nil niſi ſanum invenerint, cur infeſtandus eſt? Sin autem, & ipſum, imò etiam ipſum Papam, ſi malè de Deo ſenſerit, vel quemlibet mortalium uſque ad internecionem perſequemur.* Quæ cùm audierunt Nuncii Papales, confuſi receſſerunt. Adierunt igitur dominum Imperatorem *Francorum* nuncii ſolennes, ipſi mandata quæ à domino Papa receperunt, ſeriatim nunciaturi. Quod cùm audiſſet dominus Imperator, de immanitate odii ſtupefactus, reſpondit, ſe eſſe virum catholicum, Chriſtianum; ſanè de omnibus orthodoxæ fidei articulis ſentientem. Et addidit; Non placeat domino meo *Jeſu Chriſto*, ut unquam recedam à fide magnificorum patrum, & anteceſſorum, ſequens veſtigia perditorum. Judicet autem Dominus inter me & ipſum, qui me ita per orbem tam nequiter diffamavit. Et tendens manus in cœlum, lachrymis obortis, ſingultando exclamavit: Deus ultionum Dominus reddat ei retributionem. Et converſus ad Nuncios, ait: Amici mei, & vicini chariſſimi, verè, quicquid dicat inimicus meus, ſititor ſanguinis mei & honoris ſubverſor, credo ſicut alius *Chriſtianus*: & ſi bellum mihi movere diſponitis, non miremini ſi me defendam ab inſurgentibus in me. Spero enim, quòd Deus protector innocentium, me potenter liberavit. Novit enim Deus, quòd Papa in favorem mihi rebellium, præcipuè *Mediolanenſium* hæreticorum, contra me levat calcaneum, & inſurgit iracundus. Sed vobis totus in gratiarum actiones aſſurgo, quòd voluiſtis ante aſſenſum per reſponſionem meam de præſenti cauſa certificari. Ad hæc Nuncii: Nolit Deus ut unquam aſcendat in cor noſtrum, ut aliquem *Chriſtianum* ſine manifeſta cauſa impugnemus. Nec nos pulſat ambitio: credimus enim dominum noſtrum Regem *Galliæ*, quem linea Regii ſanguinis provexit ad ſceptra *Francorum* regenda; excellentiorem eſſe aliquo Imperatore, quem ſola electio provehit voluntaria: ſufficit domino Comiti *Roberto*, fratrem eſſe tanti Regis. Et his dictis, cum dilectione & gratia Imperiali receſſerunt. Et ſic in hoc propoſito conatus Papalis irritus evaſit.

PERSUASIT

1239.

Papa ſumma diligentia pecuniam colligit pro ſua defenſione.

PERSUASIT intereà dominus Papa, & per *Prædicatorum* & *Minorum* miniſterium provocavit multiformibus argumentis; ut ſibi pecuniam undecunque abraſam in detrimentum Imperatoris adquirerent. Et facti ſunt eo tempore, *Prædicatores* & *Minores* Regum Conſiliarii & nuncii ſpeciales: ut ſicut quondam mollibus induti in domibus Regum erant, ita tunc qui vilibus veſtiebantur, in domibus, cameris, & palatiis eſſent Principum. Vocavit dominus Rex tunc temporis fratrem *J.* de *Sancto Ægidio* ad conſilium ſuum. Admirati ſunt multi, quòd preces fidelium non curavit dominus Papa, ſicut legitur de *Petro* ſervato in carcere.

Imperator perſuadet Cruceſignatis ne transfretarent.

CONSULUIT autem per epiſtolas ſuas dominus Imperator univerſitati Cruceſignatorum, quòd licet parati eſſent, & grave illis videretur; patienter tamen expectarent; nec iter *Hieroſolymitanum*, arriperent, donec quieſcente ſpiritu iracundiæ Papalis, gaudens eos comitaretur: quia parata fuit contra eos, Orientalium ad certamen armatorum infinita multitudo. Quod cùm alii contempſiſſent, indignans Imperator, prohibuit ne exercitui *Francorum* victualia de terris ſuis uberrimis finitimis, *Apulia* ſcilicet, & *Cypro*, & aliis terris ſuis venalia miniſtrarentur, vel ſub ulla forma tranſportarentur. Quo audito, *Saraceni* caput extulerunt; & *Chriſtianis* aſſumpta audacia damna multa in corporibus & poſſeſſionibus intulerunt, incendia & ſtrages audacter exercentes. Et ad cumulum dolorum, *Græcia* ſuum Antipapam *Germanum* contra *Romanam* eccleſiam erexit. Et dominus Imperator fratrem *Heliam* contra Papam oppoſuit, qui ſummus miniſter fuit aliquando ordinis *Minorum*, & prædicator nominatiſſimus; & ſic cœperunt mala multiplicari ſuper faciem terræ; abſolvit enim quos dominus Papa ligavit anathemate, & generatum eſt ſcandalum in eccleſia. Illo enim ſummo procuratore machinante, eccleſia *Romana* ſuper uſuris & ſimonia & rapinis variis reddebatur infamis, & filii in privignos convertebantur. Aſſerebat etiam ipſe prædictus frater *Helias*, dominum Papam contra jura Imperii debacchari, pecuniam tantummodò ſitire; & variis argumentis extorquere, preces, miſſas, proceſſiones, jejunia, quæ ſolent oppreſſos à perſecutionibus librare, non curare. Sicut ſcriptum eſt: Petrus *autem ſervabatur in carcere, oratio autem fiebat ab eccleſia ſine intermiſſione pro eo.* Fraudem etiam facere de pecunia collecta, ad ſuccurſum *Terræ ſanctæ*: ſcripta etiam ad beneplacitum ſuum, in camera ſua bullare clàm, & ſine fratrum aſſenſu, & etiam ſchedulas vacuas, ſed bullatas, multas nunciis ſuis tradere, ut in eis quod eis foret beneplacitum ſcriptitarent, quod erat horribile: & alia multa enormia impoſuit domino Papæ, ponens os ſuum in cœlo. Propter quod dominus Papa eundem *Heliam* excommunicavit.

Simon Normannus & frater Galfridus à conſilio Regis dejecti.

ANNO etiam eodem, dum feſta Paſchalia cum gaudio ducerentur, verſa eſt in luctum cythara magiſtri *Simonis Normanni*, & ſolennitas in lamenta; qui diu anteà non tantùm Regni Regiique ſigilli magiſter fuit, imò & Regis & aulicorum rector fuerat & diſpoſitor: ad cujus nutum omnia negotia tractabantur metens ubi non ſeminavit. Homo auſterus, nullius gratiam meritis adipiſcens ſe ſupra ſe gerens; omnium nobilium indignationem & odium, in ſe diatim provocàrat. Cujus cùm inſolentem ſuperbiam Rex ampliùs tolerare non poterat, eum juſſit à curia ſua expelli; ejectis à conclavi Regio clitellis ſuis, cum lectiſterniis & libris, & indumentis pretioſis. Ablatum eſt inſuper ab eo ſigillum Regium, & commiſſum domino *Richardo* Abbati *Eveſhamiæ*; viro fideli & prudenti, & in rebus agendis circumſpecto. Simili quoque ſpiritu exagitatus Rex, fratrem *Galfridum Templarium* à curia, quod multi deſiderabant, præcepit amoveri. Seminarium & cauſa præcipua fuit hujus iræ Regiæ, quòd idem *Simon* noluit conſignare quoddam deteſtabile ſcriptum, contra coronam domini Regis confectum. Cujus tenor talis fuit, ut Comes *Flandriæ Thomas* perciperet de quolibet ſacco lanæ delatæ ab *Anglia* per partes ſuas, telonium: ſcilicet de quolibet ſacco quatuor denariorum. Nec *Galfridus Templarius* huic enormi facto conſenſit; licet Rex ad hoc avidè nimis anhelaverit.

Monachi Wintonienſes liberam electionem à Papa impetrarunt.

DIEBUS quoq; eiſdem, Monachi *Wintonienſes* à *Romana* curia redeuntes, à domino Papa impetrarunt, ut nullam alienigenam perſonam & inviſam univerſitati Regni per Regis acerbam inſtantiam, vel imperioſas ejus preces in ſuarum animarum cuſtodem & Epiſcopum eligerent; ſed ritè, ut juſtum & canonicum eſt, quemcunq; viderent idoneum, liberè & ſine exactione in ſuum Antiſtitem ſumerent & paſtorem. Quapropter dominus Rex in vehementem iram excanduit, quaſi non potens invenire *Angligenam* illi Epiſcopatui ſufficientem. Et ex tunc Prior ille, quem Rex intruſerat diligentem curam adhibuit; ut conſtantiam Monachorum enervaret, & eorum qui pro eccleſia hactenùs viriliter ſteterunt, concordem unitatem diſſiparet.

Imperator verſus urbem iter ſuum dirigit.

SUB illis quoque diebus, cùm vidiſſet dominus Imperator, quòd Papa non tantùm ſanguinem ſuum ſitiret avidiſſimè; imò in favorem rebellium *Mediolanenſium* hæreticorum ad ejuſdem viliſſimam dejectionem anhelaret: relicto & ad horum ſuſpenſo belli quod propoſuerat negotio, Urbi, ut terribilior ſuis appareret, audacter cœpit appropinquare. Cui adventanti occurrerunt quaſi domino ſuo *Viterbienſes*; cum aliis nobilium civitatum Potentatibus & civibus reverenter cum honore, & cum numeroſa *Romanorum* multitudine. Sicut ex tenore epiſtolæ Imperialis tranſmiſſæ Regi *Angliæ* colligi poteſt manifeſtè.

Literæ Imperatoris ad Regem Angliæ.

FREDERICUS *Dei gratia* Romanorum *Imperator, ſemper* Auguſtus, Hieruſalem, & Siciliæ *Rex, Illuſtri Regi* Anglorum, *dilecto ſororio ſuo; ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum. Triplex doloris aculeus, qui cor noſtrum quotidiè pungit & ſtimulat, jam nos ultrà flere non patitur, quin dolor intrinſecùs prorumpat in gemitus, & gemitus exeant in clamores, dum per diſſenſionis novæ materiam: ad quam univerſalis eccleſiæ rector & Pontifex; violenta nos quadam compulſione coëgit, catholicæ*

1239. tholicæ fidei detrimenta cognoſcimus, eclipſim juſtitiæ manifeſtè perſpicimus, & Terræ ſanctæ diſpendium miſerabiliter deploramus. Sed illa non minùs anguſtia perurgemur, quòd Hely Sacerdotis oculi caligantes, nullum horum periculorum aſpiciunt; ſed tanta circa nos iracundia commovetur, tanta circa Mediolanenſes & eorum fautores rebelles Imperii dilectione perſtringitur; ut orbe toto dubii ſucceſſus eventibus, vel fortunæ periculis potiùs prorſus expoſito, ad conculcandam Imperii ſacri juſtitiam, & Mediolanenſium rebellium noſtrorum auxilium totus aſſurgat. Nec nos ſuper hoc læſæ conſcientiæ ſtimulo pungimur, nec lædentis famæ judicium expectamus; quin à multis retrò temporibus, periculorum iſtorum omnium divina quadam inſpiratione præſagi, præſens ſemper evitaverimus ſcandalum, iſtius ſummi Pontificis gratiam omni quocunque potuimus ingenio, licèt fruſtra, laboravimus obtinere: perſonæ noſtræ non parcendo laboribus, rerum noſtrarum non cavendo diſpendiis, & perſæpè fidelium noſtrorum vitam pro ſuis & eccleſiæ Romanæ ſubſidiis liberaliter exponendo. Sed, quod dolentes referimus, nihil penitùs cepimus toto tempore laborantes, nullam ab ipſo pro noſtris obſequiis affectionem retulimus: ſemper ſe contrarium nobis poſuit, ſemper Imperii ſacri profectibus obviavit. Imò quod crudelius ab omnibus debet reputari, exiſtentibus nobis in eccleſiæ ſanctæ ſubſidiis apud eum, civitatem Caſtellæ ſubtraxit Imperio; prout per literas ſuas, quas Caſtellani nobis noviter aſſignârunt, manifeſtè probatur. Nihil tunc temporis etiam potuimus ab ipſo de cunctis petitionibus noſtris, nobis & Imperio favorabile reportare. Legato, quem tunc ipſo tempore pro nobis ſe miſiſſe dixit in Syriam, ut Aconenſium & quorundam Regni Hieroſolymitani nobilium, nobis & filio illatas injurias emendaret; auctoritatem omnem per contrarias latentes literas, ſubſequenter ademit. Eodemmetipſo tempore Mediolanenſibus ne contra fideles Imperii Cremonenſes inſurgerent, nec Florentinis Veſenenſes fideles noſtros offenderent, potuimus aliquas literas obtinere: cùm nobis in auxilium ipſorum, ne indefenſam dimitteremus eccleſiam, procedendi licentiam denegaret. In Germaniam deinde procedentibus nobis, ad primogeniti filii noſtri malitiam reprimendam, favorem omnem promiſit ore tenùs: ſed per nuncium ſuum literas de credentia deferentem, Principibus noſtris nobiſcum præſentibus in curia Maguntina, ſub omni qua potuit atteſtatione latenter injunxit, ne electioni filii noſtri minoris vel cujuſlibet de domo & ſanguine noſtro modo quolibet conſentirent. Proceſſum noſtrum deinde in Italiam ad reformandum Imperium, in eadem per literas & nuncios ſuos, præſertim Epiſcopum Preneſtenſem, qui Placentiam & Mantuam omni qua potuit calliditatis fraude ſubjunxit, prout ſcivit & potuit, præpedivit. Tandem, cùm poſt obtentam faciente Domino de Mediolanenſium ſtrage victoriam, prodeſſe ſibi furtivas hujuſmodi legationes & literas non videret, enſe noſtræ juſtitiæ, ſuæ nequitiæ fraudibus prævalente, proceſſibus noſtris cœpit apertioribus obſtaculis obviare; manifeſtiùs inhibendo civitatibus & nobilibus Marchiæ Anchonitenſis, & vallis Spoleti, de quibus auxiliari tenebatur Imperium, non noceri, ne in Lombardiam venire vel mittere milites attentarent. Anchonitanis etiam & aliis locis maritimis, ſub excommunicationis pœnitentia, & banno decem millium marcarum, injunxit; ut Venetis excellentiæ noſtræ rebellibus, contra mandatum & interdictum noſtrum, quæque neceſſaria miniſtrarent; prout hæc omnia per literas ſuas evidentiſſimè comprobantur. Aliquibus etiam nobilibus Marchiæ Terviſinæ, quos Imperii fide debiles & vacillantes effecerat, literas deſtinavit, ut à nobis manifeſtè recederent: pro certo ſcituris, quòd niſi ordinationi & mandato ſuo negotium Lombardiæ vellemus præcisè committere, contra nos excommunicationis ſententiam fulminaret. Super quibus omnibus, dilectorum Principum & aliorum fidelium noſtrorum communicato conſilio, qui nobis in obſidione Brixiæ tunc temporis aſſiſtebant; volentes, ut diximus, inter nos & eccleſiam ſcandalum præcavere, ſolennes Legatos noſtros ad ſedem Apoſtolicam duximus tranſmittendos; per quos, & de quibuſdam aliis frivolis, quæ in regno noſtro, Siciliæ contra jus & libertatem eccleſiæ attentata dicebat, ſatisfactionem obtulimus; & deſideratam inter nos & eccleſiam unionem, nunciis & mutuis cautionibus roborandam, multoties dudùm à nobis per innumerabiles nuncios expetitam, denuò repetivimus per eoſdem. Quam cùm libenter affectare ſe diceret, modum cautionis & formam judicio noſtro committens; nunciis noſtris & ſuis cum unionis & pacis conceſſæ fiducia redeuntibus ad nos alacriter, omninò celatis, Gregorio de monte longo (quem pridem in Lombardiam ſuſpectum nobis & noſtris ſimplicem nuncium habebamus, & quem de regione ipſa promiſerat revocare) contra nos & noſtros, in eadem provincia Legationis officium plenè commiſit. Ad majoris quoque coaggerationem nequitiæ, dum nos propter unionis promiſſæ fiduciam reportaret incautos; per quoſdam Principes & fideles noſtros admoneri mandavit ſuper quibuſdam gravaminibus, quæ in Regno noſtro Siciliæ & urbe Romana contra ſe & eccleſiam per noſtros officiales & nuncios illata dicebat. Ad quæ omnia cùm domino ipſorum admonitorum, ut minùs aliorum quàmplurium religioſorum judicio, ſerenitas noſtra pleniſſimè reſpondiſſet, reſponſionibus ſingulis ad ſingula capitula non contenti, verbum generale ſubjunximus; quòd voluntatem & reſponſionem noſtram in ſingulis ſuo judicio committebamus, & totum prout hæc quàmplurium Prælatorum omni fide dignorum literis & teſtimonio manifeſtè comprobantur. Et cùm ſuper his omnibus, nuncios noſtros ſuper reſponſionibus ipſis & ſatisfactione plenaria facienda, plena noſtri culminis auctoritate munitos ad ejus proceſſus ſui faciente aſtutia præcidendam; contra nos Die Palmarum, qui proceſſibus talibus eſt prorsùs inſolitus, contra morem eccleſiæ, perperàm & injurioſè proceſſit. Nos autem, qui proceſſum hujuſmodi temeritate plenum, & juſtitia vacuum habebamus, ad fratres ſuos literas & Legatos tranſmiſimus, generale petentes Concilium convocari; in quo Judicis corrupti nequitiam, ac Imperii noſtri juſtitiam & innocentiam noſtram, argumentis arguere luce clarioribus ſpondebamus.

ſpondebamus. Super quo nedum quòd juſtitiæ noſtræ delata ratio fuerit, imò contra jus gentium, 1239 quod violari Legatos & nuncios non permittit; prædictos nuncios noſtros Epiſcopos, iſte qui ſcribitur ſervus ſervorum Dei, turpiſſimo carceri mandavit intrudi. Attendite igitur & videte, ſi ſunt iſta facta Papalia, ſi ſunt hæc opera ſanctitatis; & ſi compoſitæ prædicationi conveniat in interitum mundi deducere, conculcare juſtitiam; & diſſimulatis fidelium oculorum noſtrorum judiciis, ſecundùm infidelium Mediolanenſium faciem judicare. Sed nec in his omnibus, cùm contra nos ſpiritu oris ſui licèt perperàm procedebat, ad juſtum Imperialis vindictæ judicium movebamur; quouſque ad extremam interemptionem noſtram & manifeſtam exhæredationem Imperii ſe oſtendit temporaliter proſilire; dum nobis in Marchia Terviſina morantibus, ad pacificandam eandem (quam ob diſſenſiones continuas & antiquas paſſim ſtragibus occiſorum invenimus rubricatam.) Marchionem Eſtenſem, Comitem ſancti Bonifacii, & alios nobiles regionis, qui ad ſuggeſtionem ſummi Pontificis ſimul in necem noſtram conjuraverant; cum civitate Terviſii, non modica data pecuniæ quantitate, fecit nobis & Imperio rebellare. Civitatem noſtram Ravennæ, per Paulum Tranſurarum anteà fideliſſimum nobis, & factum poſtmodùm per corruptionem Papalis pecuniæ proditorem, tractante magiſtro Legato Cardinali, tunc Marchiæ & Imperio ſubtrahens, & ab eis ſibi & eccleſiæ, tanquam Princeps & Pontifex, ſacramenta ſuſcepit; & plateas publicas per Marchiam & Ducatum, quem ab Imperio detinebat, nunciis ad nos venientibus & neceſſaria nobis & exercitui noſtro deferentibus, præcludi mandavit; adeò quòd nonnullos ex eis, more prædonio, bonis omnibus ſpoliatos, carceri mancipare præſumpſit. Hæc omnia faciens, ut nos & milites noſtros, tam Italos quàm Germanos, vel fame perimeret; vel ab obſidione Mediolanenſium & noſtrorum depopulatione rebellium, neceſſariò revocaret. Quibus omnibus non contentus, contra nos & Imperium ſe belli ducem & Principem manifeſtè conſtituit; Mediolanenſium & aliorum infidelium proditorum cauſam, ſuam propriam faciens, & ipſorum negotium ad ſe manifeſtè convertens, præfectos Mediolanenſis, imò veriùs Papalis exercitus, ſtatuens, loco ſui Gregorium de Monte longo, prædictum, & fratrem Leonem Miniſtrum ordinis fratrum Minorum, qui non ſolùm accincti gladiis, & loricis induti, falſas militum imagines oſtendebant, verùm etiam prædicationi inſiſtentes, Mediolanenſes & alios, quicunque noſtram & noſtrorum perſonam offenderent, à peccatis omnibus abſolvebant. Hodiè quidem prædicti Legatus & Frater, contra nos & Imperium ſe ſcribunt rectores & dominos; per quod evidenter datur intelligi, quòd Papa non ſolùm ſit infidelium fautor, quos omnes pro majori parte publica mundi lingua teſtatur hæreticos; ſed in præjudicium & exhæredationem Imperii, ſibi Mediolani regimen & dominium temporaliter uſurpavit. Jam igitur ultrà juſto judicio tot provocati diſpendiis, tot injuriis laceſſiti, manus noſtras continere nequivimus; quin apprehenderemus arma & ſcutum, noſtram & totius Imperii cauſam contra publicum hoſtem publicè contra temporalem temporaliter proſequentes, filialem illi nequivimus ampliùs dilectionem oſtendere: quia nedum quòd affectionis paternæ dulcedinem nobis non redderet, nec dum injuriis exhæredationis afficeret, ſed vitam noſtram & ſanguinem crudeliter ſitiebat. Sed Liguriæ partibus, quæ in deditionem noſtram venerant, militum & baliſtariorum præſidio, non ſine multis ærarii noſtri diſpendiis, prout expedit communitis, ac in peregrinatione Tuſciæ multis Imperii juribus reformatis: præmiſſo nihilominùs H. benigno filio noſtro, illuſtri Regi Turrium & Galluris, ſacri Imperii in Italia Legato, ad Achonitanam Marchiam revocandam, nos perſonaliter verſus Ducatum Spoleti, ac partes Urbi vicinas, erectis Aquilarum noſtrarum victricibus ſignis, convertimus; totam terram noſtris proceſſibus occurrentem, uſque Viterbium, civitatibus admodùm paucis exceptis; propter tam graves & infeſtos, ingratitudinem & offenſam, ad jus & proprietatem Imperii revocantes. A Viterbienſibus autem & locis ac civitatibus circumvicinis, cum ſumma devotione recepti, dum, jam hoſti & adverſario noſtram oſtenderemus potentiam, è vicino timore terribili licèt juſtè perterritus, tamen per ſeram pœnitentiam ſibi non crederet poſſe conſulere, in profundum deſperationis immerſus, ac viribus propriis omninò diffiſus, Romano populo clamante noſtrum ad urbem gratanter acceſſum; garſones quoſdam & vetulas, necnon & paucos admodùm conductivos milites, veris præter ſolitum profuſis lachrymis exoravit, ut contra nos crucem aſſumerent; in ſua prædicatione mentitus, quòd nos ad everſionem Romanæ eccleſiæ, ac violationem ſacrarum reliquiarum beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli, procedere nitebamur. Excuſet igitur recto judicio magnificentia Regia motum noſtrum, ad quem nos adverſarii noſtri malignitas impulit; & quem, ad conſervandum non magis Imperii quàm omnium Regum & Principum terræ decus, juſtitia perſuaſit. Voſque præ cæteris orbis Regibus cauſam noſtram tantò ferventiori favore debetis aſſumere; tantóque ſecuriùs confovere; quantò velut totius oneris & honoris noſtri participes, ac per nos ad iſtarum omnium moderamen, ſi benè recolitis, confidenter aſſumpti, & ab adverſa parte contempti; innocentiam noſtram & Imperii noſtri juſtitiam puriori zelo ac ſinceriori poteſtis conſcientia confovere. Datum Viterbii.

Terror mundi univerſi; & dedicatio quarundam eccleſiarum.

His igitur per orbem auditis & cognitis, fama domini Papæ & auctoritas magnam ſubiit ruinam & detrimentum: & ſubortum eſt ſcandalum, & cœperunt viri prudentes & ſancti, timere vehementer de eccleſiæ, & domini Papæ, & totius cleri honore; & formidare ne Dominus in furore maximo populum ſuum inſanabili vulnere fauciaret. Circa idem tempus, ſcilicet quinto Idus Auguſti, die videlicet ſancti *Romani*, dedicata eſt eccleſia conventualis *Abendunenſis*, ab Epiſcopo ejuſdem loci Dioceſano, ſcilicet *Sariſberienſi Roberto*: & eodem tempore dedicata eſt ſimiliter eccleſia de *Welles*. Et eodem tempore dedicatæ ſunt eccleſiæ *Eveſhamenſis*,

1240. *Glovernenſis, Theukeburienſis, Wicumberienſis, Perſorenſis, Alenceſtrenſis,* & multæ aliæ per Regnum *Angliæ.* Et eodem anno nobilis vir *Radulphus* de *Tohom* in mari obiit circa feſtum *S. Michaëlis.* Circa eadem tempora perſequente Epiſcopo *Lincolnienſi* Canonicos ſuos, dum unus eorum ſermonem faceret in populo, conquerendo dixit: *Et ſi taceamus, lapides pro nobis clamabunt:* corruit opus lapideum novæ turris eccleſiæ *Lincolnienſis,* homines qui ſub ipſa erant conterendo: qua ruina tota eccleſia commota & deteriorata eſt; & hoc factum eſt quaſi in triſte præſagium. Sed Epiſcopus manum correctionis, efficaciter apponere ſatagebat.

Strages Tartarorum.

SUB illius temporis ſpacio, *Tartari,* gentes inhumanæ, qui ſtragem magnam exercuerant, & *Chriſtianorum* jam fines in manu hoſtili invaſerant; in majori *Hungaria* diſcurrendo, victi receſſerunt. Maxima autem pars eorum in manu fortitudinis & ore gladii cecidit trucidata; obviantibus eis in virtute ſpiritus ſancti quinque Regibus *Chriſtianis* & *Saracenis* ad hoc confœderatis. Poſt quorum internecionem, Rex *Daciæ* & Rex *Hungariæ* fines per prædictos *Tartaros* quaſi in deſertum redactos, fecerunt *Chriſtianis* populis, quos illuc miſerant, inhabitari. De quibus ex ſola *Dacia,* naves pluſquam quadraginta exierunt.

Eodem anno, mons *Caſſinus* inexpugnabilis, captus eſt à fidelibus Imperatoris; ut ſuprà latiùs enarratum eſt.

Clades Regis Caſtellæ.

EODEMQUE anno, capta *Valentia* magna in *Hiſpania* à Rege *Caſtellæ;* tranſiit idem Rex ulteriùs, ut famoſiſſimam civitatem *Sibyllam* obſideret; & ex præteritis ſumens fœlicitatis argumentum continuandæ; civitatem vallans obſidione, cives viriliter expugnavit. Et cùm una dierum, diſpoſitis militaribus legionibus, cives funeſtis inſultibus aggreſſus, exiit de civitate Princeps ipſius civitatis; ſub forma pacis, promittens reddere civitatem ipſi Regi, ea conditione, ut vitam habere cives permitterentur. Quod totum in dolo factum eſt. Rogabat etiam inſtanter, ut ſtatim civitatem quaſi ſuam intraret; homagium ab eis, quibus Regia ſerenitas parcere vellet, accepturus. Cujus verbis & lachrymoſis ſingultibus cùm fidem adhiberet Rex, civitatem intravit. Sed cives ſtatim clauſis januis, & ſubtractis pontibus, in ipſum Regem paucis ſuorum comitibus armatis ſtipatum, & nil tale veritum, gladiis eductis circundederunt. Illi verò improviſi circunſpicientes ſe fraudulenter circumveniri, & rem pro capite agi, hoſtibus quam potuerunt reddiderunt retributionem ſuperbis. Sed diutiùs, multiplicatis hoſtibus, cùm jam pondus belli ſuſtinere non valerent, cogitantes illud Propheticum in oratione, *Domine ſalvum fac Regem,* dominum per poſticum quoddam indemnem dimiſerunt. Ille autem ad exercitum ſuum, vix elapſus per poſticum, rediit, & invenit eundem ab hoſtibus ex adverſo venientibus, ſicut à proditoribus præloquutum fuerat, in magna parte mutilatum. Sed viſo Rege ſuo, quem viderant corpore integrum, reſumptis viribus de ſuis hoſtibus triumphârunt. Incluſi verò, de inimicorum ſuorum ſanguine cruentati, trucidati ſunt, vel carceri mancipati. Rex verò, cum his qui ſibi relicti fuerant, reverſus eſt inglorius in regionem ſuam; ad certamen idem cautior & fortior.

Rex Balduinum *de* Ripariis *cingit baltheo militari, & inveſtit Comitatu* Vectæ.

ANNO Domini M. CC. XL. qui eſt annus Regis *Henrici* III. xxiiii. tenuit idem Rex curiam ſuam ad Natale Domini apud *Wintoniam.* Ubi *Baldewinum* de *Ripariis,* juvenem elegantem, ſcilicet die Natalis Domini, Baltheo cinxit militari, & Comitatu *Vectæ* inveſtivit; præſente, & id procurante Comite *Richardo;* in cujus cuſtodia idem *Baldewinus* pluribus annis extiterat, & filiaſtram ſuam, ſcilicet amitiam filiam uxoris ſuæ *Iſabellæ Gloverniæ* quandoque Comitiſſæ, ſibi matrimonialiter copulaverat.

Electio Hugonis *de* Pateſhulle *in Epiſcopum* Coventrenſem.

EODEM tempore confirmata eſt electio *Hugonis* de *Pateſhulle,* electi *Coventrenſis.* Qui cùm Theſaurarius domini Regis per aliquot annos anteà fuiſſet, & ſe ibidem irreprehenſibiliter habuiſſet; ſedens ad Regis Scaccarium, acceſſit ad omnes Barones Scaccarii ſedentes ibidem, ſecundùm ſolitum ordinem ſuum, & cùm omnes aſſurgerent ei, ſolitum honorem impendentes, ait eis: Amici mei, & ſocii chariſſimi, valedico vobis, non recedens unquam à vobis, ſed à Scaccario: vocavit me Dominus licèt indignum, ad regimen animarum. Et cùm prorupiſſent in ſingultus verba ſequentia, omnes ſingulatim oſculatus eſt, pro receſſu ipſius tenerrimè lachrymantes.

Mors Iſabellæ *uxoris Comitis* Richardi.

GIRCA idem tempus, Nobiliſſima mulier *Iſabella,* Comitiſſa *Gloverniæ* & *Cornubiæ,* uxor ſcilicet Comitis *Richardi,* ictericia uſque ad mortem periclitans infirmabatur. Cujus cùm impletum fuiſſet tempus pariendi (erat enim gravida, & partui proxima) exanimata eſt; præciſis copioſarum comarum ſuarum tricis cæruleis, & facta plenariè peccatorum ſuorum confeſſione; ſimul cum puerulo adhuc vivo, ſed non vivido, & idcircò ſtatim baptizato, cui nomen *Nicolaus* aptatum eſt, migravit ad Dominum. Quod cùm Comes *Richardus,* qui tunc apud *Cornubiam* greſſus direxerat, audivit, prorumpens in gemitus lachrymabiles, doluit inconſolabiliter: & feſtinanter reverſus, corpus venerabile uxoris ſuæ venerantur apud *Bellum locum* Domum ſcilicet quam Rex *Johannes* à fundamentis conſtruxerat, & *Ciſtercienſium* ordini addixerat, fecit in præſentia ſua ſepelire.

Sonus mirabilis multis locis in Anglia *auditus.*

TEMPORIBUS ſub eiſdem, auditus eſt ſonus terribilis nimis; quaſi mons immaniſſimus projectus maximo impetu, in medio mari à ſublimi corruiſſet. Qui ſonus in eodem momento in plurimis partibus à ſe diſtantibus, non ſine magno timore audientium multorum, eſt auditus.

IN

1240.

Querimonia Epiſcoporum de oppreſſionibus eccleſiæ.

IN octavis verò Epiphaniæ, congregati ſunt *Londini* Archiepiſcopi & Epiſcopi, cum multis aliis Magnatibus, præſente etiam Legato; reponentes querimoniam graviſſimam coram Rege in curia ſua, ſuper variis injuriis & oppreſſionibus & quotidianis deſolationibus illatis eccleſiæ per iniquum Regis conſilium, contra ſuas chartas & juramenta temerè veniendo: nec patitur ſuis paſtoribus viduatas eccleſias, reſtitutas reſpirare; ſed ut ab eiſdem eccleſiaſtica bona variis argumentis extorqueat, annis plurimis eas in manu ſua detinet, nec patitur electiones canonicas celebrari. Super quibus injuriis illatis, & diatim multiplicatis, omnes ſe aſſerunt vehementer admirari, cùm ipſe Rex toties juraverit, ſe jura eccleſiaſtica illibata conſervare; ipſomet audiente, & candelam tenente, quòd omnes Epiſcopi, in violatores libertatum eccleſiaſticarum, ſimul ſententiam fulminabant: in cujus ſententiæ conſummatione, Rex, ut alii, ſuam candelam extinxit inclinando. Et erant contra Regem in querimoniis Epiſcoporum capitula circiter xxx. Et eotenùs proceſſum eſt, quòd lata ſit iterum ſententia terribiliter nimis in omnes Regis conſiliarios, qui ejus animum ad prædicta enormia conabantur inclinare.

Duplex dolor Comitis Mareſcalli G.

SUB illorum temporum curriculo, Rex Comitem *Mareſcallum* criminaliter accuſabat ſuper quibuſdam articulis, quos conſultius eſſe judico tacere, quàm recitare. Unde duplicatus eſt dolor ipſius Comitis. Hinc enim angebat eum mortis memoria præclaræ ſororis ſuæ *Iſabellæ* commemoratæ: hinc rediviva Regis perſecutio. Et datus eſt ei dies reſpondendi articulis, & objectionibus proponendis contra eum; ſcilicet in octavis Paſchæ, quod vulgariter clauſum Paſcha nuncupatur.

Cometa.

SUB ejuſdem temporis proceſſu, videlicet per totum menſem Februarium, tempore ſerotino, apparuit verſus Occidentem quædam fuſca ſtella, emittens radium verſus Orientem; quam eſſe Cometam, multi veraciter aſſerebant.

Imperator Regem reprehendit, quòd permittit pecuniam aſportari de terra ſua in damnum utriuſque.

ET nondum negotiis in Concilio prædicto perfectè expeditis, venerunt ab Imperatore duo nuncii ad Regem; per quos ei literariè ſignificavit dominus Imperator, ſe non immeritò nimis admirari, quòd ipſum ſinebat ſine aliqua contradictione in ſua *Chriſtianiſſima* terra, tam horribiliter & irrationabiliter excommunicari. Et quòd oblitus fœderis maritalis, & amicitiæ inter eos initiatæ per matrimonium *Iſabellæ* jam Imperatricis; ipſius ſupremi Principis ſtatum & famam permittebat denigrari. Quamobrem hujus rei coadjutorem, ſcilicet Legatum, quem Rex inconſultè in Regnum ſuum vocaverat, expoſcit à finibus *Angliæ* propulſari; quia ipſum inimicum ſuum, & Regni *Angliæ* eſſe veraciter affirmavit: abraſit enim undecunq; impudenter omnem quam potuit pecuniam, ut Papæ ſatisfaceret avaritiæ, & Imperialem confunderet dignitatem. Quibus nunciis Rex inito conſilio reſpondit, quòd oportuit ipſum Papalibus & eccleſiaſticis mandatis obedire proniùs cæteris Principibus mundi, præſertim cùm tributarius vel feudarius Papæ eſſe de jure comprobetur: & ſic ſe excuſando, turpiter accuſavit. Rex verò, ſperans in hoc placere Imperatori, ſcripſit Papæ; ſupplicans attentiùs, ut ipſe gratia affinitatis mitiùs ageret cum Imperatore. Quod cùm Papa audiſſet, in iram vehementem reſolutus, contumelioſè in hæc verba prorupit: Verè non invenitur in *Anglia* quis fidelis. Et ab ejus ore verbum rapuit quidam ibidem exiſtens ex parte Regis, dicens: Pater ſancte, idcircò non miremini, ſi Rex *Angliæ* ſuis *Anglicis* fidem non perhibeat, ſed alienigenis: quia vix eſt aliquis hodiè *Anglicus*, cui fides debeat perhiberi. Et qui verbum protulit, erat, ut dicitur magiſter *Simon Normannus.* Pro quibus verbis utrobiq; prolatis, magiſter *Robertus* de *Sumercote* Cardinalis, in iram magnam commotus; & ipſam, ne in jurgia prorumperet, more ſapientis compreſſit. Erat nempè natione *Anglicus*; & domino Papæ, qui eum creaverat, in omnibus adverſitatibus fideliter adhæſit.

Legatus ſæpè admonitus noluit repatriare.

REX autem, cùm ad ſe reverſus timuiſſet, ne ſibi aliquid ſiniſtri contingeret, eò quòd tam familiarem occultum inimicum Regni, ſcilicet Legatum, habuiſſet; ei conſuluit in bona fide, ne per moram ſuam in *Anglia* Imperialem magnitudinem ampliùs in iracundiam provocaret, ſed feſtinanter tranſalpinans, Papæ & ſibi conſuleret. Cui Legatus ait: Me vocaſti à curia, conductum ſalvum à te requiro, ut ſalvus redeam. Imperiales verò nuncii, de quibus mentionem antè fecimus, cùm hæc omnia cognoviſſent, ad dominum ſuum redierunt; omnia quæ viderant & audierant, ut ſagaces exploratores, nunciaturi.

Legatus indefeſſus nummorum collector.

LEGATUS intereà, ſui non oblitus, nummos & redditus non ſegniter ſibi rapuit; procurationeſque ſibi dari compellens, mittebat Epiſcopis & Archidiaconis diſtricta mandata, circa feſtum Annunciationis beatæ *Mariæ*, in hæc verba:

Litera Legati.

OTTO, *miſeratione divina, &c. Diſcreto viro, illi Epiſcopo, vel Archidiacono, Salutem. Cùm neceſſe habeamus de mandato ſummi Pontificis, moram trahere longiorem, nec poſſumus propriis ſtipendiis militare; diſcretioni veſtræ, qua fungimur auctoritate, mandamus, & quæ ſumus, ut procurationes nobis debitas in Epiſcopatu vel Archidiaconatu veſtro colligi facias noſtro nomine diligenter; eas quàm citiùs poteritis nobis tranſmiſſuri, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Proviſo quòd quælibet procuratio, ſummam quatuor marcarum aliquatenùs non excedat. Et ubi una eccleſia non ſufficiet ad procurationem hujuſmodi habendam, quæ pariter unam ſolvant. Datum* Londini *decimo quinto Calend. Martii, anno Pontificatus domini* Gregorii *Papæ decimo tertio.*

Romani *ut pecuniam emungerent, à voto Cruceſignatos abſolvunt.*

EODEM tempore, dominus Legatus accepit in mandatis domini Papæ, ut jam excogitato alio argumento pecuniam à fidelibus abraderet; hoc modo, qui per ſequens ſcriptum diligenti Lectori ſatis manifeſtatur.

Cccc 2 *Ille,*

1240. *Ille, vel ille Epiſcopus, dilectis in* Chriſto *filiis omnibus Archidiaconis per Diœceſim ſuam conſtitutis, ſalutem. Literas Domini Legati ſuſcepimus in hæc verba:* Otto. *&c. Cum, ſicut intelleximus, nonnulli Crucesignati Regni* Angliæ, *qui ſunt inhabiles ad pugnandum, ad ſedem Apoſtolicam accedant, ut ibidem à voto crucis abſolvi valeant: & nos nuper recepimus à ſummo Pontifice in mandatis, ut tales non ſolùm abſolvere, verùm etiam ad redimenda vota ſua compellere debeamus: volentes eorum parcere laboribus & expenſis, paternitati veſtræ, qua fungimur auctoritate, mandamus, & quæſumus, ut poteſtatem prædictam, à ſummo Pontifice nobis conceſſam, faciatis in veſtris Diœceſibus ſine mora qualibet publicari; ut præfati Crucesignati ad nos accedere valeant, beneficium ſuper hoc juxta formam nobis traditam accepturi. Datum* Londini. *xv. Cal. Mart. anno Pontificatus domini* Gregorii *Papæ decimo tertio.*

Comes S. accingit ſe itineri Hieroſolymit.

EODEM anno, Calend. Aprilis, venit Comes *Legriæ*, *Simon* de *Monte forti*, qui receptus eſt cum honore à Rege & Regalibus. Et divertens ad terras ſuas colligit pecuniam, venditis nemoribus & terris, ad neceſſaria viatica, quibus indiguit, iter ſuum *Hieroſolymitanum* in proximo arrepturus. Uxor autem ipſius gravida, in partibus tranſmarinis moram continuavit. Tunc vendidit Comes *Simon* nobilem ſylvam *Legriæ* Hoſpitalariis & Canonicis *Legriæ*, pro qua accepit circiter mille libras.

Diſſenſio inter cives Oxoniæ *& ſcholares.*

TEMPORE quoque eodem, orta eſt gravis diſſenſio inter Scholares *Oxoniæ* & cives, unde multi eorum ab illa civitate uſq; ad *Cantabrigiam* manſionem tranſtulerunt: ubi quaſdam libertates à Rege contra burgenſes Scholares ſunt adepti, & inde chartam Regis obtinuerunt.

Quibuſdam Caurſinis Anglia *interdicitur.*

TEMPORIBUS ſub eiſdem, oculi Regis aperti ſunt, & Caurſinis, præcipuè *Senonenſibus*, terram ſuam interdixit: qui terram ſuam mundiſſimam, iniquis exactionibus palliatæ uſuræ maculaverunt. Ipſi autem moleſtè ferentes & dolentes tales ſe paſcuas amiſſuros, data pecunia, quæ nimis ſolet impios juſtificare, adhuc pro magna parte latuerunt.

Mors Leolini & diſſidium filiorum ſuorum.

ANNO eodem tertio Idus Aprilis, ſcilicet die ſancti *Guthlati*, Princeps *Northwalliæ Leolinus*, cùm edomito *Griffino*, qui jam calcaneum ſuſtulerat, ut bellum moveret, terram *Walliæ* eum contingentem pacificaſſet, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Quo mortuo, *David*, cui pater *Walliam* pro hæreditate, conſentiente *Griffino* fratre primogenito, habendam decreverat; fratrem ſuum jam dictum *Griffinum*, ad quoddam conſilium in dolo vocavit. Ad quod ſub conductu Epiſcopi de *Bangor R.* & aliorum magnorum virorum cùm pacificus perveniſſet; *David* fraternitatis oblitùs ſimul & fidei, ipſum capi præcepit; & invitis ac reclamantibus ductoribus, carcerali cuſtodiæ juſſit mancipari.

Rex facit filium ſuum Edvardum *inaugurari.*

PER idem quoque tempus, Rex cives *Londinenſes* & *Quinque portuum* cuſtodes, & multos alios fecit jurare fidelitatem & ligantiam *Edvardo* primogenito ſuo. Percrebuerunt enim illo tempore rumores in *Anglia*, quod *Daci* diſponebant ipſam hoſtiliter invadere. Quod tamen nihil aliud erat, niſi quòd navibus oneratis hominibus utriuſque ſexus, terras à *Tartaris* vaſtatas diſpoſuerunt colere, & inhabitare, & populis reſtaurare.

Data pecunia quilibet à voto crucis abſolvitur.

Papa extorquet quintam partem bonorum ab alienigenis in Anglia *beneficiatis.*

EISDEMQUE temporibus inceperunt ipſi *Prædicatores*, fratres & *Minores*, & alii viri literati, præcipuè Theologi, Crucesignatos abſolvere à voto ſuo: accepta tamen pecunia quanta ſufficere videbatur unicuique ad viaticum ultramarinum. Et factum eſt in populo ſcandalum cum ſchiſmate. Abſurdum enim videbatur etiam ſimplicibus, quàm diverſis muſcipulis ſimplicem Dei populum ſubſtantia ſua moliebatur *Romana* curia privare, nihil petens niſi aurum & argentum.

PROPOSUIT etiam dominus Papa eodem tempore, & dignum cenſuit extorquere quintam partem bonorum, in redditibus ultramarinorùm clericorum beneficiatorum in *Angliæ*; ad ingerendum gravamen Imperatori, quem undique pericula inimicorum cingebant, quos Papa per pecuniam, ab *Anglia* collectam & extortam, ſuſtentabat. Nec deſinebat interim omnes abſolvere, qui eidem Imperatori fidelitate tenebantur: & induratum eſt odium horribile, diatim ſuſcipiens incrementum. Dicebant etiam Regi ſui fideles: Domine princeps nominatiſſime, quare permittis *Angliam* fieri in prædam & deſolationem tranſeuntium, quaſi vineam ſine maceria omni communem viatori, ab apris exterminandum: cùm habeas efficax privilegium, ut non fiant tales in Regno iſto exactiones: nec ſit dignus privilegio, qui eo conceſſo abutatur? Quibus talia perſuadentibus, ait: Nec volo, nec audeo domino Papæ in aliquibus contradicere. Et facta eſt in populis deſperatio nimis deploranda.

Perturbatio aëris.

IN craſtino verò ſanctarum *Perpetuæ* & *Fœlicitatis*, ventus ſupra modum validus & violentus, totum aëra perturbavit: qui inter cætera obſtupenda, quendam lapidem, quem homo fortis à terra vix levaret, procul ultra eccleſiam à quodam pinnaculo tranſportaret.

Legatus nititur inclinare Epiſcopos ad ſolvendam quintam partem bonorum.

EJUSDEM anni ſpacio, convenerunt apud *Radingum* omnes *Angliæ* Archiepiſcopi, Epiſcopi, & majores Abbates, & quidam Magnates Regni, Papale mandatum à domino Legato explicandum, audituri. Quò cùm perveniſſent, Legatus facto prolixo ſermone, ut ſibi corda audientium inclinaret; tandem varias preſſuras, quas pro juſtitia eccleſiæ ſuſtinuit dominus Papa, ſuſtinendo inſultus *Frederici* dicti Imperatoris, omnibus patefecit. Exigebat igitur inſtanter ex parte ipſius Papæ quintam partem bonorum ſuorum: quibus ſuffultus, injurias tam validi inimici valeret propulſare. Cui, inito conſilio, reſponderunt Epiſcopi, quòd nullo modo tam importabile onus, quod univerſalem tangebat eccleſiam, ſubirent, ſine prolixi conſilii diligenti deliberatione. Et idcircò datus eſt illis dies remotior, ſuper hoc magno mandato deliberationis.

COMES

1240.

Comes R. valedicit Epiſcopis ad Radingum congregatis.

COMES verò *Richardus*, & alii Magnates Cruceſignati, ibidem exiſtentes, illis omnibus, qui ibidem congregati fuerant, valedicebant; quia parati fuerant iter *Hieroſolymitanum* arripere. Quod cùm vidiſſent omnes Prælati, in lachrymas reſoluti, dixerunt Comiti *Richardo*: Cur nos Comes, ſpes poſt Regem unica, deſeris? aut cui nos deſolatos relinquis? Invadent nos in abſentia tua alienigenæ rapaces. Comes verò uni pro omnibus, ſcilicet Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, flebiliter reſpondit: Pater mi & domine, certè etſi non eſſem Cruceſignatus, abirem tamen, & abſentarem me, ne viderem mala gentis noſtræ, & Regni deſolationem; quam credor poſſe, cùm non poſſim, impedire.

Dedicatio novi Templi.

Decapitatio quorundam prædonum.

Mors Comitis Warenniæ.

TEMPORE quoque ſub eodem, dedicata eſt nobilis eccleſia ſtructuræ aſpectabilis novi Templi *Londinenſis*, præſente Rege & multis regni Magnatibus; qui eodem die, ſcilicet die Aſcenſionis, completis dedicationis ſolemniis, convivium in menſa nimis lautè celebrarunt, ſumptibus Hoſpitalariorum. Et in craſtino ſolemnitatis illius, allata ſunt *Londinum* decem capita veſpilionum decollatorum in *Angliæ* partibus Septentrionalibus: quorum quidam, dictus *Johannes* de *Actona*, fertur fuiſſe dux & magiſter principalis. Anno quoque in eodem, ſexto Calend. Junii, obiit *Willielmus* Comes *Warenniæ*, *Londini* infirmatus.

Reſcriptum de Banco, de hæreditate devoluta ad ſorores.

IPSO quoque anno, *Mauritius filius Geroldi*, Juſtitiarius *Hyberniæ*, miſſis ad curiam domini Regis quatuor militibus, petiit certificari de hoc caſu ſupraſcripto. H. *Dei gratia, &c. Juſtitiario* Hyberniæ, *Salutem. Milites de partibus* Hyberniæ *nuper ad nos accedentes, nobis oſtenderunt, quòd cùm hæreditas devoluta ſit ad ſorores in Regno noſtro* Hyberniæ; *Juſtitiarii noſtri in eiſdem partibus itinerantes, incerti ſunt, utrùm poſtnatæ ſorores tenere debeant de primogenita ſorore, & facere homagium de portionibus ſuis, vel de capitali domino, & ei facere homagium. Et quia prædicti milites petierunt à nobis certificari, qualiter in Regno noſtro* Angliæ *in caſu conſimili hactenùs uſitatum ſit; ad inſtantiam eorundem vobis ſignificamus, quòd in Regno noſtro* Angliæ *ſemper talis fuit lex & conſuetudo in hoc caſu: Quòd ſi quis teneret de nobis in capite, & haberet filias hæredes, ipſo patre defuncto, anteceſſores noſtri & nos ſemper habuimus homagium de omnibus filiabus; & ſingulæ earum teneant de nobis in hoc caſu in capite, & ſi infra ætatem fuerint, nos habemus cuſtodiam earum & maritagium. Si autem de aliquo alio tenuerint, quàm de nobis, & ipſæ ſorores infra ætatem fuerint, dominus illarum habebit cuſtodiam & maritagium ſingularum; & primogenita tantùm faciet homagium domino pro omnibus ſororibus: & aliæ ſorores, cùm ad ætatem venerint, ſervitia dominis feudi per manum primogenitæ. Nec poterit primogenita ea occaſione præterea poſtnatis ſororibus homagium vel cuſtodiam vel aliquam aliam ſubjectionem exigere, hac ratione: Quia cùm omnes ſorores ſunt quaſi unus hæres de una hæreditate, ſi primogenita poſſit habere homagia aliarum ſororum & cuſtodiam, tunc eſſet eadem hæreditas diviſa. Itaque quod primogenita ſoror fieret ſimul & ſemel de unica hæreditate domina & hæres, hæres ſaltem ſuæ partis, & domina ſororum ſuarum; quod quidem in hoc caſu fieri non poteſt; cùm primogenita nihil petere poſſit plusquàm minor, niſi capitale meſſuagium nomine eyneſcæ. Et præterea, cùm primogenita ſit hæres omnium aliarum ſororum, ſi obierint ſine hærede de ſe; ſi ipſa poſſet habere cuſtodiam ſororum ſuarum, vel puerorum ſuorum hoc eſſet quaſi committere agnum lupo devorandum. Et ideò vobis mandamus, quod prædictum eſt in regno noſtro* Hyberniæ *clamari & firmiter teneri faciatis.* Teſte *meipſo, apud* Norwicum, *xxx. die Auguſti, anno regni noſtri xxiiii.*

Impetratio Archiepiſcopi per Regem caſſata.

EODEM tempore, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Ædmundus*, credens & confidenter ſperans habere in domino Papa tale adjutorium, vel ſaltem aliquod, quale invenerat in piæ memoriæ Papa *Alexandro* beatus *Thomas* Martyr, ejuſdem Archiepiſcopi prædeceſſor: cœpit conqueri lachrymabiliter per epiſtolas lugubres & nuncios ſolennes, quibus credebat cor Papale lapideum in carneum convertere, quatenùs illam deteſtabilem & damnoſam conſuetudinem eccleſiæ aboleret; qua Reges, imò Tyranni, & eccleſiæ penitùs inimici & rebelles, eccleſias cathedrales & conventuales ſuo paſtore eviduatas, non ſinerent reſpirare, & eiſdem in congruis paſtoribus liberè & canonicè provideri; nec impediret Rex, motu ſuo plùs voluntario quàm rationabili earum electiones per ſuos cavillatores; quos ad hoc detinuit conductitios. Quarum ſi aliqua talis eccleſia ſuo paſtore viduaretur, vacans per ſex menſes, per Archiepiſcopum loci eidem competenter providetur. Cúmque ſe ex fallaci promiſſione curiæ *Romanæ* certiſſimè ſperaret *Ædmundus* alter fieri *Thomas*, cujus certamine glorioſo malæ conſuetudines *Angliæ* ſunt deletæ, *Gregoriúmque* Papam induiſſe *Alexandrum* beati *Thomæ* coexulis & coadjutoris, inventus eſt Papa *Gregorius* ſubitò timidus ut homo: & ad Regis *Angliæ* mandatum, qui hoc aſſerebat eſſe contra ſuam Regiam dignitatem, totum illud pium propoſitum, ſuper quo Archiepiſcopus etiam literas Papales, non ſine magnæ pecuniæ effuſione, obtinuerat, in irritum revocavit. Quo comperto, Rex ſolito tyrannior effectus, & procaciùs electionem *Bonifacii*, contra libertatem eccleſiæ *Wintonienſis*, procuravit; alias licèt ritè factas, & piè celebratas efficaciùs impediendo.

Archiepiſcopus conceſſit Papæ quintam partem reddituum.

QUIBUS diebus profluentibus, *Cantuarienſis* Archiepiſcopus primus omnium Prælatorum cùm adhuc penderet animus ſub ſpe propoſiti ſui conſequendi, videlicet in cauſa ſua mota contra Monachos, victoriam, dictæ exactioni, ſcilicet quintæ partis reddituum, licèt invitus conſenſit; faciens de neceſſitate virtutem: & ipſis Papalibus exactoribus, antequàm violenter extorquerentur, octingentas marcas numeravit. Quod videntes alii Prælati *Angliæ*, in ſimilem ruinam ſunt prolapſi.

1240.

Gaſconia periclitatur.

SUB eiſdem diebus, Seneſchallus *Gaſconiæ*, quaſi expulſus de partibus illis, venit ad Regem querulus, & gemebundus nuncians ei cum ſingultibus, quòd niſi feſtinum & efficax haberet conſilium, de ſibi tuenda illa terra proculdubiò omnia quæ ibi habuit, in proximo foret amiſſurus.

Imperator appropinquans urbi multas cepit civitates.

PROFLUENTIBUS illis diebus, captis treugis cum *Mediolanenſibus* & *Bononienſibus*, vel quali quali pace ad modicum ſuſpenſiva ; dominus Imperator partes Urbi vicinas copioſo ſtipatus exercitu conſultiùs peragravit, & urbes & oppida ſuo dominio mancipavit : exemplum à *Viterbio* civibus & oppidanis capientibus. Unde Papa ſuæ cauſæ diffidens, in abyſſum deſperationis eſt demerſus : & reliquerunt eum recedentes ab eo multi Cardinalium, ut vix eum, quem ſuo ſolo impetu videbant plùs efferri, quàm fræno regi rationis & conſilii, aliquis, præter magiſtrum *Robertum* de *Sumercote*, qui eum non potuit præ verecundia dimittere, quia ipſum creaverat, ampliùs ſequeretur.

Increpat Imperator Regem Angliæ, quòd permiſerit ſententiam contra eum in terra ſua publicari, & pecuniam colligi.

EODEM tempore, ſignificavit dominus Imperator Regi *Angliæ*, quòd mirabatur ſupra modum, quòd tam inconſultè theſaurum ſuum, in detrimentum ſuum, alienigenis diſtribuiſſet, ſcribens ei in hæc verba :

FREDERICUS *Dei gratia* Romanorum *Imperator, ſemper* Auguſtus, Hieruſalem *&* Siciliæ *Rex Illuſtri Regi* Anglorum, *ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum. Cum inter Reges orbis & Principes affinitas interdum & matrimonium contrahitur, tantò magis inter eos affectio debet vel unio potiùs ſuboriri, quanto majores aliis & in altioribus poſiti ſpeculis dignitatum, virtutum inferioribus debent exempla porrigere : quantòque per unanimes voluntates ipſorum pax & concordia firmior creſcit in populis, honores ſervantur in alterutrum, in ſuorùmque roborantur in poſterum jura Regnorum. Et cùm hujus fructum ex affinitate noſtra, nobis & vobis crediderimus hactenùs proventurum (præſertim cùm obligationem cognationis noſtræ firmaverint ſacra ſequentium pignora filiorum) totum intentioni noſtræ contrarium, quod dolentes & inviti referimus, experimur. Dum præter id quòd illatam nobis per* Romanum *Pontificem manifeſtam injuriam, quam nobis præ cæteris terræ Principibus prorſus intolerabilem credebamus, conniventibus oculis pertranſiſſe, iniquam ipſius contra nos & plenam odio carnali ſententiam permittendo vobis audientibus & ſcientibus, non ſine multa noſtri injuria, & Imperii verecundia & jactura, per Regnum veſtrum undique publicari, nunc, prout certò comperimus, eidem capitali inimico noſtro fatuè obediendo, honorem noſtrum & ſanguinem ſitienti, de eccleſiis Regni veſtri ac prædeceſſorum veſtrorum, quos reputari noſtros noſtra compellit affinitas, pia largitione ditatis, ad impugnationem noſtram pecuniaria finitis ſubſidia, tallias, & collectas miniſtrari. Attendat igitur induſtria Regia, callidis non circumventa conſiliis, ſi vos deceat & vobis expediat ſororium & fratrem, aut ſaltem amicum, ſeu poſtremò quenquam Regem, aut Principem, cui non indixeritis prælium, ſicut eſt Regni juris & moris, pecuniæ veſtræ viribus impugnari. Et quid refert auro & argento, vel armis, per vos, vel patientibus vobis, hoſtis noſtri præſidia muniantur? Præſertim cùm ab experto ſciamus, quòd majoris auxilii manum contra nos, Papæ porrigere non poſſetis, quàm ſi de regno veſtro permittatis pecuniam miniſtrari, de qua* Mediolanenſibus *& aliis proditoribus noſtris ſtipendiarios milites pollicetur ; per quam devotos & fideles noſtros à fidelitate noſtra ſeducere nititur ; adeòque quòd aliquorum debilium fidem, in evidentem infamiam, & non minùs in perpetuum eorum exitium, eſt hujus pretii vænalitate mercatus. Pro Deo, frater chariſſime, non primùm iſtud à vobis incipiat, vel contra nos ſaltem, quòd gratis Reges à Regibus impugnentur : nec ſic cervicem Regiam Papalis dominii jugum premat, ut in offenſam Evangelici dogmatis & naturæ, proximum, ſororium, & amicum, imò fratrem, vos in tantum delectet offendere : maximè cùm in inſtanti negotio non magis noſtra, quàm veſtra, & aliorum Regum & Principum, ſi ſanè diligentérque attenderitis, per conſequens res agatur. Quocirca ſerenitatem Regiam præſentium tenore affectuosè requirimus ac rogamus, quatenùs induſtriam ac potentiam veſtram talibus, ex quibus tantum obſtaculum formidamus, ſicut amorem & honorem noſtrum diligitis, tam ſtrenuè quàm viriliter opponatis ; non permittentes de redditibus, talliis, collectis, aut aliquibus aliis obventionibus Regni veſtri, pecuniam aliquam ad* Romanam *curiam deportari. Nec iſtud vos decet aut expedit, conniventia qualibet aut diſſimulatione pertranſire ; ſicut vos non velletis quòd contra vos à nobis & noſtris qualiacunque petita vel petenda ſuffragia daremus aliquibus, vel modo quolibet dari pateremur. Alioqui, ne dum ſimili, ſed juſtiori, per vos inſtruamur exemplo, & iis, qui vobis attinent, & quibus vinculo veteris dilectionis aſtringimur, hucuſque negata, contra vos & regnum veſtrum, largiremur ; dum vos Papa in proſecutione juſtitiæ noſtræ favorabiles invenerit, qui vobis in nullo penitùs attinet, niſi quòd gloriatur, quod non ſine multa verecundia dicimus, in vobis habere dominii ligii poteſtatem. Super præmiſſis autem ſingulis, & ſuper aliis omnibus ſervitiis noſtris in ipſis partibus procurandis ; ecce mittimus vobis* H. Chalbaot, *militem & fidelem noſtrum, latorem præſentium ; dilectionem veſtram rogantes attentiùs, quatenùs ea quæ vobis ex parte noſtra dixerit, ſicut perſonæ noſtræ indubitanter dilectio veſtra credat, & adimpleat cum effectu, ac per ipſum præcisè ac determinatè reſpondeat, quicquid de prædictis omnibus providerit & ordinaverit faciendum. Volumus enim in inſtantibus negotiis eſſe certi, à quibus debeamus expectare conſilium, & à quibus ſit cavendum.*

Et quia verbum domini Imperatoris poſitum fuit in ore ipſius nuntii, dicti *H. Chalbaot*, in magna parte mutilata eſt præſens amicabilis epiſtola, & multa ſunt ſub taciturnitate prætermiſſa. Rex verò reſpondit reſcribendo, quòd voluntati Papæ non eſt auſus contradicere : ſed

mirabatur

1240.

mirabatur ſupra modum, quòd ſoror ſua Imperatrix non adhuc coronam in locis & civitatibus ſolennibus, in Imperio magnificè portavit.

Adventus Comitis Flandriæ in Angliam.

ANNI quoque illius profluvio, Comes *Flandriæ Th.* avunculus Reginæ, in magno apparatu venit de licentia domini Regis *Francorum* in *Angliam*. Cui adventanti, non tantum Rex cum ſuis, ſed cum ipſo civium *Londinenſium* numeroſa multitudo in tubis & jocunditate & lætitia magna, in equis phaleratis, occurrit lætabundus: & receptus eſt *Londini* in honore, xeniis multis & muneribus. Et ſtatim Rex quingentas (aut, ut alii volunt, trecentas) marcas eſterlingorum novorum ipſi præ manibus conferens, viginti annorum ſequentium annuatim totidem à Scaccario, pro homagio quod tunc ei fecit Comes, conceſſit recipiendas. Quo negotio perfecto, proceſſit Comes apud *Windeleſhores*, ut ibidem nepotem ſuum, filium Regis, *Edvardinum* infantulum, viſitaret. Et ſtatim, quia licentia ſua à Rege *Francorum* in brevi tempore certo termino fuit limitata, in partes *Flandriæ*, aſſignato procuratore ſuo magiſtro *Henrico Flandrenſi*, qui oblata & data reciperet, remeavit. Rex verò incontinenti eidem *Henrico* clerico, eccleſiaſticos reditus contulit repentinos. Comes igitur memoratus, opimis oneratus Regis muneribus, ſtatim in partibus ſuis cœpit bellum movere; & acclamando in propatulo ſtipendiarios milites & ſervientes conductitios pro denariis convocare; & ſic in brevi conflato numeroſo exercitu, electum *Leodienſem*, qui ex parte fuit Imperatoris, & ejus conſanguineus, & quoſdam alios de Imperio, qui cum præcepto Imperatoris cum ipſo electo ſteterant, hoſtiliter impugnavit.

Comes Flandriæ impugnat Imperatorem.

QUOD cùm audiſſet magnificus Imperator, dicto Comiti terribili mandato ſignificavit, ut auſus ſuos nimis temerarios temperaret; nec ipſum quem tot ardua negotia cum Papali infeſtatione ſollicitabant, præter merita ſua, vel ſuos, præcipuè electum *Leodienſem*, amicum ſuum & conſanguineum, ritè ad illam dignitatem vocatum, ampliùs infeſtaret, vel Imperium perturbaret. Præcepit etiam dominus Imperator *Lovaniæ* & *Brabantiæ* Ducibus, & aliis Magnatibus conterminis, ut viriliter hoſtiles impetus Comitis *Flandriæ* reſiſtendo enervarent. Scripſit etiam dominus Imperator Comiti *Provinciæ*, qui de Imperio eſſe dignoſcitur; quatenùs ipſe qui fidelis ejus fuit, propoſitum & conatus Comitis *Flandriæ*, cui ipſe Comes *Provinciæ* cornua dederat, refrænaret. Quod cùm facere omiſiſſet uterque, ſcilicet Comes *Flandriæ*, & Comes *Provinciæ*; ſcripſit Imperator Comiti *Tholoſano*; commonens efficaciter, quatenùs ſub retributionis condignæ viciſſitudine, in Comitem *Provinciæ*, pro duabus Reginis filiabus ſuis erectum & recalcitrantem, nec volentem Comitem *Flandriæ* caſtigare, hoſtiliter impugnaret. Cujus etiam in gravamen Comitis *Provinciæ*, Imperator juvamen Comiti *Tholoſano* efficax miniſtravit. Cui Comes *Tholoſanus* protinùs obedivit.

Comitis Flandriæ conatus irriti.

COMES verò *Flandriæ* ſuos temerarios auſus & impetus ſperatis videns carere effectibus, & Imperiales in ſuum robur magis & magis confirmari; comminatione perterritus Imperiali, & de morte fratris ſui *Willielmi*, qui ex parte Papali electus fuit, multiformis certificatus; profuſo theſauro ſuo, & multis inimicis ſibi ſuſcitatis, bellum ſuum imprudenter inchoatum cum confuſione terminavit. Imperator autem, quia idem Comes de Regno fuit *Francorum*, quod regnum illi interponebatur, & pro clypeo opponebatur, vindictam ad horam diſſimulavit, pro tempore tamen ipſam impenſurus.

Bellum inter Comites Tholoſanum & Provinciæ.

COMES autem *Tholoſanus*, excitatus ad mandatum Imperatoris, quem antiqua damna, ipſi ſæpè à *Francis* illata, promptiorem reddiderant; irruit hoſtiliter in Comitem *Provinciæ*, damna illi inferens irreſtaurabilia. Sed Comes *Provinciæ* ſtatim ad *Francorum* cucurrit præſidia; petens humiliter, quatenùs pro honore & reverentia Reginæ *Franciæ*, filiæ ſuæ, eum efficaciter adjuvarent. Erant enim apud *Avinionem*, & partes præcipuè *Rhodano* adjacentes, qui cùm *Lodovico* Rege *Francorum* illùc advenerant; qui caſtra & municipia & civitates tunc violenter ab ipſo *Lodovico* captas, inſtinctu Papæ & adjutorio adhuc detinebant violenter *Franci* nobiles & potentes. Qui cùm audierunt, quòd pater Reginæ in hoc certamine deteriorem calculum reportabat, & ut reſpiraret, auxilium pro amore Reginæ ſibi præſtari ſuppliciter implorabat, congregati ſunt, & unanimiter in auxilium Comitis *Provinciæ* ad arma convolàrunt. Cujus rei præcius Comes *Tholoſanus*, paratis inſidiis, illis in manu robuſta obviavit, & multos ex ipſis in ore gladii trucidavit, conatus eorum ad votum reprimendo. Et ita proſperatum eſt opus bellicum in manu ejus, ut in brevi tempore circiter viginti caſtra ſuper *Francos* & Comitem *Provinciæ*, punitis graviter rebellibus, Comes *Tholoſanus* dominio ſuo priſtino mancipavit.

Rex Angliæ ſcribit Imperatori pro Comite Provin.

REX autem *Anglorum*, audito quòd Comes *Provinciæ* in hoc damnoſo diſcrimine, damna maxima pertuliſſet; inſtantia Reginæ urgentiſſima, ſcripſit domino Imperatori verbis amicabilibus, quatenùs Comiti *Provinciæ* ſocero ſuo clementia parceret Imperiali gratia affinitatis; quæ ſolet Principes maximè confœderare.

Rex Francorum bellum movet contra Comitem Tholoſanum.

FRANCORUM autem Rex potentiſſimus, cùm audiſſet talem ſuis injuriam irrogari, & credens hæc per Imperatorem ſibi damna præparari; tam adversùs Imperatorem, quàm adversùs Comitem *Tholoſanum* in iram excanduit vehementem; volens omnibus modis hæc ſibi damna cum injuriis pleniſſimè reſarciri: & ad vindictam de tanta temeritate exercendam, exercitum ſuum, quantum & qualem *Franciæ* nobilitas dinoſcitur poſſe convocare; ſub edicto Regali, & ſub terribili feſtinatione viriliter adunavit. Veruntamen ne præcipitanter ruerent ad certamen, humiliter poſtulabant & requirebant ab ipſo Imperatore, ſi hoc diſcrimen ab ipſo ſumpſerit patronatum. Interim propter jacturam militiæ ſuæ in *Terra ſancta*, ne fortuitis caſibus reliquias

1240\. liquias amitterent; ad reprimendos impetus inimicorum *Provincialium*, Rex *Franciæ* ſeptingentos milites, cum multo pluribus ſervientibus, tranſmiſit expeditos.

Purgatio Imperatoris.

SUPER his igitur cùm dominus Imperator redargutus eſſet, & quaſi criminaliter accuſatus, inficiatus eſt ſpiritu vehementiſſimo, quòd nunquam à conſcientia ſua emanavit, ut per illum in aliquo Regnum *Francorum* læderetur: imò potiùs contra hoſtes ipſius Regni paratus eſt ſtare, & viriliter ac voluntariè dimicare, non enim aliter dinoſcitur promeruiſſe: & ait, Abſit ut mala pro bonis recompenſem. Sed ſi inconſultè aliqui *Francorum*, terris Comitis *Tholoſani* affines & contermini, credentes Reginæ placuiſſe, in adverſarium patris ejus inſurgerent nimis properè, & inconſultiùs, ſine præcepto domini Regis ſui in noſtros irruiſſent, & ipſi læſi, injurias non expectatas propulſando vindicarunt, non eſt admirandum. Inſuper non eſt ambigendum, quin primò lædentes, prima pericula & injurias ſuſcitaverunt. Igitur, in quantum fieri poteſt, utrobique reſtituantur ablata, & de injuriis ſatisfiat; ne jam ſeminata ſemina diſcordiæ per inimicum humani generis, inter tam nobiles perſonas valeant ampliùs germinare, & inimici noſtri de perturbatione noſtra gratulari. Inſuper Comes *Tholoſanus*, dominum Imperatorem apud Regem *Francorum* ſuper hoc facto inſcium affirmando, excuſavit.

Regi Francorum filia nata.

Circa illa tempora, dederat Dominus Regi *Francorum* ex Regina ſua *M.* ad robur & conſolationem Regni ſui, prolem fœmininam.

Deploranda ſtrages Chriſtianorum in partibus Damaſcenis.

CUM hæc autem in partibus *Francorum* agerentur, in partibus *Damaſcenis* noſtrates lugubrem jacturam in ſuo exercitu, tam in ſuis perſonis, equis, & armis, quàm in honore ſuo, *infauſto* ſydere miſerabilitet pertulerunt. Quod dolentes referimus, talibus epiſtolis certificati.

Talis amicus, tali, ſalutem. Sciatis quòd Comes Britanniæ *fecit equitatum unum ante* Damaſcum, *& ſumpſit prædam magnam, & ſalvam conduxit ad exercitum. Super hoc inviderunt ei Comes de* Bar. *Comes de* Monte forti, *Dux* Burgundiæ, *& poſt octo dies fecerunt alium equitatum ſine conſilio Comitis* Britanniæ, *& ibidem interfectus fuit Comes de* Bar. *dominus* Simon *de* Claro monte, *dominus* Johannes *de* Barres, *dominus* Robertus Malet, Richardus *de* Beumond, *& alii innumerati. Dominus* Almaricus *Comes* Montis fortis *captus fuit & ductus in* Babyloniam; *Dux autem* Burgundiæ *fuit.* Similiter hæ literæ venerunt de Comite *Montis fortis* ad Comitiſſam uxorem ſuam, & ipſa tranſmiſit Comiti *Richardo.*

Sciatis, quòd Damaſcus non capitur, ut dictum eſt priùs; ſed redierunt omnes Acon. *Prætereà ſciatis, quòd dominus Rex* Franciæ *amovit omnem theſaurum ſuum à templo; quoniam* Templarii *nec* Hoſpitalarii, *noluerunt* Francos *in hoc diſcrimine adjuvare. Et ſciatis, quòd ſexaginta capti ſunt vivi, & poſteà in reditu, decem milites nobiles & expectabiles.*

Imperator condolet infortunio Chriſtianorum.

HÆC cùm audiſſet dominus Imperator, licèt contempto ſuo ſalubri conſilio, ne ſine ipſo transfretarent, condoluit vehementer. Et ſtatim ſcripſit comminatione terribili *Saracenis* tam *Damaſcenis* & *Babylonis*, ne auſu temerario nobiles illos *Chriſtianos* & Deo dilectos, quos in vinculis detinebant, tractarent inhumanè, ſicut vitam ſuam diligebant. Ne cùm ipſe cum formidabilibus ac victricibus Aquilis ſuis, in impetu terrifico ſuper eos venerit; vindictam ſentiant Imperialem, & *Romanorum* indignationem, ac eorum Imperatoris, quorum gladii Orientalium ſanguine toties ſunt inebriati.

Imperatoris literæ de eadem re.

FREDERICUS, *Dei gratia* Romanorum *Imperator, ſemper* Auguſtus, Hieruſalem *&* Siciliæ *Rex*, Henrico *illuſtri Regi* Angliæ, *dilecto ſororio ſuo, Salutem & ſynceræ dilectionis affectum. Communem caſum, & miſerabilem* Chriſtianitatis *eventum, in clade quorundam nobilium Crueſignatorum exercitus nuper collapſorum in partibus tranſmarinis; inopinata mobilitate fatorum, tantò affectiùs intimo dolore deſlemus, & merita lamentatione proſequimur, quantò de ipſorum periculis ante tranſitum formidantes, quadam fuimus meditatione præſagi; & per rerum ac temporum conjecturas, integro adhuc eorum ſtatu durante, præſentem caſum anxii verebamur. Sed nec ſerenitatem Regiam credimus latuiſſe, qualiter nos, verſutias* Saracenorum *in partibus ipſis præſentes experti, volentes ſollicita providentia futuris occurrere, ne rerum inſciis & votum ſuum ſine deliberatione ſequentibus, ſiniſtrum aliquid fortuna pararet; per frequentes literas noſtras & ſolennes nuncios noſtros, Crucesſignatorum omnium primos, ac deinde univerſitatem eorum fecimus exhortari, ut differrent tempus ad tranſitum: cujus nacta commoditate, vel nos ipſi perſonaliter in comitatum & ducatum accingeremur ipſorum; vel filium noſtrum cum eis expedire accinctum præſidio; quàm primùm arduum Imperii negotium, quod in* Italia *nos urgebat, aliquatenùs ſedaremus. Nec enim aliis commodè poteramus curis involvi, niſi negotiis priùs expediremur aſſumptis; ut alterutro liberi, faciliùs alterum tractaremus. Et quanquam Crucesſignati omnes & ſinguli, ſalubribus monitis & conſiliis noſtris accederent; intentioni noſtræ, quæ nihil ſimulatè conceperat, inhærentes; præſens* Romanus *Pontifex, noſtri ſermonis & operis malignus interpres, quaſi diſcrimen noſtræ religionis & catholicæ fidei in dilatione commodi temporis ageretur, crebris monitis, mandatis & minis Crucesſignatos ad tranſitum cœpit impellere:* alligans *aliis, juxta ſacræ ſcripturæ verbum,* onera gravia, quæ digito ſuo movere recuſat, *Quod cùm ad noſtram notitiam perveniſſet, eundem Antiſtitem multoties iterata prece rogavimus, ne tantum opus, ad quod deliberationem conſilii, opportunitatem temporis, & grandem apparatum rerum & hominum exigebat, volubilitati & præcipitio fortunæ committeret: nec ſervitium* Jeſu Chriſti, *&* Terræ ſanctæ *ſubſidium, quod noſtrum & tantorum animos virorum accenderat, improvida celeritate confunderet; attendens & recolens, reparationem tanti diſcriminis facilem non eſſe poſt lapſum. Demùm, pro-*

miſſionem

miſſionem ſubventionis noſtræ tanto negotio competentis, non in vanum aſſumeret, qui ſervitium Jeſu 1240.
Chriſti, & Regni Hieroſolymitani præſidium, nobis ex filii noſtri perſona ſubjecti, totis viribus proſequi ſperabamus. Illud præcipuè repetentes, quod ex præteritis prœliis per multas viciſſitudines immenſa ſanguinis Crucеſignatorum effuſio, circa hæc ferè nihil profeciſſet, aut modicum; eò quòd ſæpius obſtitit rerum defectus & hominum, & aliquando ductor potens & providus multitudini defuit, ut dum non poſſet ex diverſitate ductorum, vel unius ignavia Principis, aut tractari commoditas, plurium aut inſolentia coerceri, unde ſalubri conſilio ad commodiora tempora reſervato, & negotio conſuleret, & perſonis: ut per copioſiſſimum apparatum, neceſſarium ex unius ſtrenua perſona multitudini regimen, Chriſtiana religio ſimul & ſemel & ad votum devotè procederet, & ſecura confideret de triumpho. Sed iſte Romanus Antiſtes, hæc omnia parvipendens, ut in odium noſtrum univerſa cogeret ad ruinam, Crucеſignatis acriùs inſtitit, ut tranſirent; non attendentes, quòd Chriſtianorum reliquiæ de partibus tranſmarinis, quæ cum hoſtibus ſalutiferæ Crucis treugarum noſtrarum fœdere quieſcebant, ex motu Crucеſignatorum violato fœdere, poterant gladii periculis & famis exponi, cùm non poſſet eis de ſubventione celeri ſubveniri ac provideri. Tandem, intellecto quòd idem Papa Crucеſignatis eiſdem de tranſitu literas terribiliter iteraret, ſcripſimus eis ut per Regnum noſtrum ad tranſitum properarent; & quòd parati eramus quibuſcunque poſſemus eis hilari munificentia ſubvenire: quorum aliqui per Regnum noſtrum Siciliæ transfretarunt: alii, pro parte majori, tranſitum ſibi per Marſiliam elegerunt. Nunc itaque, quòd de tot millibus militum pro ſervitio Terræ ſanctæ manus communium hoſtium triumphavit, et in clade ipſorum & mediatoris hominum Chriſti Jeſu & totius Chriſtianitatis ignominiam doleamus; eò potiùs damna paſſis conſcientia teſte compatimur, quantò de amiſſione tam ſtrenuæ militiæ; Gallicana provincia præ cæteris damnum gravius eſt perpeſſa. carere tamen excellentia noſtra non patitur damna remediis, & conſolatione dolores. Nos enim in ſubſidium Terræ ſanctæ quicquid Imperialis eminentia poterit, & quatenus tempeſtas præſentium rerum & temporum, inconſulto Romani Pontificis calore ſuborta, permittit; hilari munificentia conferemus. Et credimus, quòd ſi ſuperviveret Soldanus Babyloniæ, quondam pater iſtius Soldani viventis; ex affectione quàm oſtendebat ad Majeſtatis noſtræ perſonam, de nobilibus militibus captivitatis in bello, ſatisfaceret votis noſtris. Nihilominùs tamen apud iſtum Soldanum ſuperſtitem, pro liberatione ipſorum nobilium captivorum, præcipuam opem & operam apponemus. Cæterùm, quicquid Willielmus de Compeſa, miles & fidelis noſter, quem ad vos pro ſervitiis noſtris nuncium deſtinamus, vobis omnibus ex parte noſtra proponet; indubitanter credatis. Datum Fogiæ, vigeſimo quinto Aprilis, Indictionis decimæ tertiæ.

HIS auditis, dominus Imperator multorum corda ſibi conciliavit; & cœperunt multi ſtare cum eo, qui in amore & reverentia ejus priùs vacillabant. *Romanorum* etiam populus, ſpretis promiſſionibus Papalibus, Imperiali celſitudini cœpit firmiter adhærere. Senatores quoque cum magnatibus urbis, præclaris ſanguine, ipſi Imperatori dextras dederunt. Creatus enim erat unus Senator *Romæ* auctoritate Imperiali, anno tertio præcedenti. Unde ex tunc congregati ſunt Cardinales, dicentes quòd noluerunt Papales impetus in periculum totius *Chriſtianitatis* amplius tolerare. Igitur ſignificaverunt Cardinales, inito prolixiori concilio, domino etiam Imperatore conſentiente & petente; quòd juxta petitionem ſuam benevolebant, ut convocaretur concilium generale, ſub quanta poſſet competenter celeritate, & ritè celebrandum. Præfixus eſt igitur dies Concilii, proximo advenientis die Paſchæ: ut ea die cum reſurgente Domino, reſurgens eccleſia valeat fœliciter reſpirare.

Imperator multorum corda ſibi reconciliat, & Concilium generale convocatur.

CIRCA illa tempora, apud *Norwicum* circunciderant *Judæi* unum puerum *Chriſtianum*; & eum circumciſum vocaverunt *Jurninum*. Reſervabant autem illum, ad crucifigendum in contumeliam Jeſu Chriſti crucifixi. Pater autem pueri, à quo *Judæi* puerum furto ſubtraxerant, puerum filium ſuum diligenter quæſitum, tandem invenit in cuſtodia *Judæorum* incluſum. Et clamoribus exaltatis indicavit filium ſuum, quem credidet amiſiſſe, in *Judæi* cujuſdam conclavi nequiter reſervatum. Cùm autem ad notitiam Epiſcopi *Willielmi*, ſcilicet de *Ræle*, viri prudentis & circumſpecti, & aliorum Magnatum perveniſſet tantum ſcelus excogitatum; ne per ignaviam *Chriſtianorum* tanta *Chriſti* injuria pertranſiretur inulta, capti ſunt *Judæi* omnes ipſius civitatis. Et cùm ſe vellent auctoritate Regali contueri, ait Epiſcopus: Hæc ad eccleſiam ſpectant, non ad Regalem curiam pertractanda, cùm de circumciſione & de fidei læſione quæſtio ventiletur. *Judæorum* igitur quatuor ſuper prædicto ſcelere convicti; priùs ad caudas equorum diſtracti, tandem in patibulo ſuſpenſi, vitæ reliquias flebiliter exhalarunt.

Puer circumciſus à Judæis apud Norwicum.

EODEMQUE tempore, *Hugo* de *Pateſhulle*, electus *Coventrenſis* & *Lichefeldenſis*, Calend. Julii, die Dominica, apud novum locum, ſcilicet Prioratum, qui non multùm diſtat à *Guldeford*, ab Archiepiſcopo *Ædmundo Cantuarienſi* munus conſecrationis ſuſcepit. *Willielmus* de *Haverulle* canonicus eccleſiæ ſancti *Pauli Londinenſis*, loco ipſius *Hugonis*, Theſaurarius ſubrogatur. Et circa illa tempora, facta eſt iniquiſſima conventio inter dominum Papam & *Romanos*, ut dicebatur; ut ſcilicet Papa quotquot eſſent in *Anglia* beneficia conferenda, præcipuè religioſorum, *Romanorum* filiis vel conſanguineis ad nutum eorum forent diſtribuenda. Ea tamen conditione, ut unanimiter in Imperatorem hoſtiliter inſurgerent, & pro poſſe ſuo eundem à culmine Imperiali non ſegniter præcipitarent, titulos antiquæ ſtrenuitatis ſibi taliter adquirentes. Unde infra paucos dies, poſteà miſit dominus Papa ſacra præcepta ſua domino

Conſecratio H. de Pateſhulle; & extorſio ridiculum.

1240. *Cantuarienſi* Archiepiſco *Ædmundo*, & *Lincolnienſi* & *Sarisberienſi* Epiſcopis, ut trecentis *Romanis* in primis beneficiis vacantibus providerent: ſcientes ſe ſuſpenſos à beneficiorum collatione, donec tot competenter providerentur. Unde ſtupor magnus corda hæc audientium occupavit: timebatúrque quòd in abyſſum deſperationis, talia audens mergeretur.

Archiepiſcopus Cantuarienſis exulat.

ET eiſdem diebus, cùm dominus Archiepiſcopus *Cantuarienſis Ædmundus*, qui jam dictæ exactioni deteſtandæ ſpontaneus vel invitus ſe ſubjecit, octingentas marcas Papæ numerando; videns Eccleſiam *Anglicanam* diatim magìs ac magìs conculcari, & bonis ſùis temporalibus deſtituam, libertatibus ſuis ſpoliari; affectus eſt tædio quòd viveret & videret mala ſuper terram. Increpánſque Regem de permiſſione, nil niſi dilationes reportavit. Variis ergo laceſſitus injuriis, exulans, tranſiit in *Franciam*; & caſtigata familia, apud *Pontiniacum*, ubi prædeceſſor ejus beatus *Thomas* exul commoratus eſt, orationibus & jejuniis, vacans aſſiduè, commoratus eſt.

Quædam hæreticæ aſſertiones.

DIEBUS illis, quidam quaſi honeſtæ vitæ ac ſeveræ vir habitum & geſtum prætendens ordinis *Carthuſienſis*, captus eſt apud *Cantabrigiam*, nolens intrare eccleſiam aliquam. Super quo deliramento cùm requiſitus, ſecùs quàm deceret, reſpondiſſet, arctiori cuſtodia reſervabatur: ita quòd poſt paucos dies ſequentes tranſmiſſus eſt ad Legatum, in turri *Londinenſi* recludendus. Palàm enim aſſeruit, dicens: *Gregorius non eſt Papa. Non eſt caput eccleſiæ. Sed alIud eſt caput eccleſiæ. Eccleſia prophanata eſt, nec debent in ea divina celebrari, niſi rededicata fuerit. Vaſa & veſtimenta ejus reconſecranda ſunt. Diabolus ſolutus eſt: Papa, hæreticus. Polluit eccleſiam, imò mundum*, Gregorius, *qui Papa dicitur*. Et præſentibus & audientibus domino Abbate *R.* de *Eveſham*, & magiſtro *N.* de *Finham*, magiſtris quoque *P.* de *Burdegali*, & *H.* de *Suſa*, & multis aliis; dixit Legatus illi deliranti: Nónne conceſſa eſt deſuper poteſtas domino Papæ ſolvendi animas atque ligandi, ut vices beati *Petri* exequatur in terris? Et cùm omnes exſpectarent, quid reſponderet, credentes judicium ab hac ſua reſponſione dependere, ait ſub interrogatione, & non ſub aſſertione: Quomodo poſſem credere, quòd cuidam Symoniali & uſurario, & fortè majoribus facinoribus involuto, concedatur talis poteſtas, qualis conceſſa fuit beato *Petro*; qui immediatè factus ejus Apoſtolus, ſequutus eſt Dominum, non tantùm inceſſu pedum, ſed virtutum claritate? Ad quod verbum erubuit Legatus, & ait quidam de circumſedentibus

Stulto rixandum non eſt, furno nec hiandum.

Reſolvit etiam labia ſua polluta in alia deliramenta, dixit enim inquirentibus: Concedo omnes articulos fidei, veruntamen dico *Chriſtum* carnem ſumpſiſſe in virgine. Et, interrogantibus, ſi crederet *Chriſtum* carnem ſumpſiſſe de virgine; hæſitando reſpondit: Hoc non dico. Unde ſi hoc aſſertivè affirmaſſet, manifeſtus hæreticus comprobaretur, cùm dicat Apoſtolus: *Factum eſt ex muliere*. Super quem locum dicit venerabilis *Beda* Presbyter: *Non ſunt audiendi, qui legendum putant: Natum ex muliere, factum ſub lege: ſed, Factum ex muliere: qui in utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, ſed materna traxit ex carne. Alioquin non verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet de homine. Et nos igitur, contra Euticben, & contra omnes tales infatuatos, clamantes dicimus, quòd non tantùm in muliere, ſed de muliere, ſcilicet virgine* Maria, *carnem ſumpſit: alioquin non venter beatus, nec ubera quæ ſuxit beatificarentur.*

Mors I. Comitis Lincolnienſis.

EODEM anno, die ſanctæ Mariæ *Magdalenæ*, ſcilicet undecimo Calend. Auguſti, Comes *Lincolniæ I.* longa vexata infirmitate, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

Rex mittit per Angliam Juſtitiarios itinerantes.

TEMPORIBUS ſub eiſdem, miſit Rex Juſtitiarios itinerantes, qui per totam *Angliam* omnes Comitatus Regi ſpectantes, peragrantes, multorúmque exceſſus corrigentes; ſub prætextu Juſtitiæ infinitam pecuniam, ad opus Regis omnia diſpergentis, collegerunt. Aſſignavit igitur dominus Rex partes *Angliæ* auſtrales, domino *Willielmo* de *Eboraco*, Præpoſito *Beverlacenſi* cum ſociis ſuis: Septentrionales verò, domino *Roberto* de *Lexintuna*, perſcrutandas; cum ſuis ſibi collegis aſſignatis. Ipſo eodem tempore, miſit dominus Legatus infinitam pecuniam domino Papæ per quendam clericum ſuum, cui nomen *Mumel*, quem dominus Papa gratanter accepit, remittens eundem ut reciperet ampliorem.

Nimis deteſtanda exactio Papalis pecuniæ.

PER eoſdem dies, venit in *Angliam* nova quædam pecuniæ exactio, omnibus ſæculis inaudita & execrabilis. Miſit enim Papa, pater noſter ſanctus, quendam exactorem in *Angliam*, *Petrum Rubeum*, qui excogitata muſcipulatione, infinitam pecuniam à miſeris Anglicis edoctus erat emungere. Intravit enim religioſorum capitula, cogens & ſeducens eos ad pecuniam promittendam, & promiſſam perſolvendam, exemplo aliorum Prælatorum; quos mentitus aſſerebat gratanter perſolviſſe: dixit enim, ille Epiſcopus, & ille: ille Abbas, & ille, jam libens ſatisfecit: quidnam vos ignavi tam moramini, ut grates cum muneribus amittatis? Fecit etiam prædictus impoſtor jurare, ut hoc genus pecuniam extorquendi nulli hominum infra dimidium annum facerent manifeſtum; quaſi eliciens hoc ex ſingulorum primitiva poſſeſſione, cùm tantùm de honeſtis ſit conſilium Papale celandum. Hoc faciendo more prædonum domeſticorum, qui fidem ab expoliatis extorquent, ut nulli pandant nomina ſpoliantium. Sed etiam ſi homines ſilerent, lapides eccleſiarum contra graſſatores clamorem levarent. Nec potuit hoc maleficium latere ſub tenebris: quomodo etenim poſſent Prælati à ſuis & ſibi ſubjectis pecuniam exigere, niſi cauſa exactionis exprimeretur?

VENERUNT

1240.

Querela Abbatum coram Rege ſuper exactione prædicta.

VENERUNT igitur Abbates vultu flebili & capite demiſſo ad Regem, ſuarum patronum eccleſiarum, dicentes: Domine Rex, ſuggillamur, nec licet nobis clamitare: jugulamur, nec poſſumus ejulare. Injungitur nobis à domino Papa impoſſibilitas, & exactio toti mundo deteſtabilis. Baronias à vobis tenemus, nec poſſumus eas depauperare ſine veſtri præjudicio: nec poſſumus vobis quæ nobis incumbunt pro illis, reſpondere, & Papæ nos inceſſanter torquenti ſatisfacere. Sic, enim, & ſic, rediviva & ſemper nova & inexpectata oritur nobis illata angaria à *Romanis* excogitata, quæ nos vel modicum non patitur reſpirare; ad aſylum veſtri conſilii, & ad ſinum veſtri patrocinii recurrimus, ſuper his deſolationibus conſilium & auxilium poſtulantes. Et qui loquebantur hæc, fuerunt, dominus Abbas de ſancto *Ædmundo*, & dominus Abbas de *Bello*. Quos Rex. cùm hæc audiret, torvo intuens aſpectu, & tumultuoſa vociferatione perterrens, clamavit ad Legatum, qui tunc fortè præſens extitit: Ecce domine mi Legate, iſti miſeri ſeductores, pandentes ſecreta Papalia, obloquuntur, voluntati veſtræ non adquieſcentes: facite de ipſis quod vobis placet. Ecce accommodo vobis unum de melioribus caſtris meis, ut eos in eo carcerali cuſtodiæ mancipetis. Quod cùm audiſſent Abbates, ſupra quàm dici poſſit confuſione perculſi, receſſerunt, Legato pro voto ſatisfacturi. Aliqui tamen, ſed pauci, non adhuc vacillantes, nolentes adhuc colla ſupponere tam odibilis conditionis ſervituti, ſteterunt; requiſita ſolvere renuentes, & ſubterfugia per inducias ſibi vix requirebant.

Conventus Epiſcoporum apud Northamtonam *ob conſimilem cauſam.*

CUMQUE ſimilia facere credebat Legatus, ipſi *Petro Rubeo* aſſociatus, Epiſcopis apud *Northamtonam* propter hoc vocatis, edocti Abbatum exemplo, reſponderunt: Habemus Archidiaconos nobis ſubjectos, qui nôrunt beneficiatorum ſibi ſubjectorum facultates, nos autem ignoramus. Omnes tangit hoc negotium, omnes igitur ſunt conveniendi, ſine ipſis nec decet nec expedit reſpondere. Datus eſt igitur eis dies reſponſionis, in octavis ſancti *Johannis Baptiſtæ*, ſcilicet nativitatis. Quo die cùm prædicti conveniſſent coram Legato & ejus complicibus, noluerunt erecta cervice prædictam exactionem tam impudenter contradicendo negare; ſed modeſta reſponſione has exceptiones, cautè contradicendo, rationabiliter propoſuerunt.

Exceptiones Epiſcoporum contra exactionem Legati.

DICUNT quòd contribuere non debent, tum quia contributio fieret contra eum qui contradixit cum Principe ſuo, tum quia fieret ad effuſionem ſanguinis *Chriſtiani*; quod patet ex forma ſcripti Apoſtolici, in quo continetur, *ad debellandum Imperatorem.* Tum, quia fieret contra libertatem eccleſiæ, quod patet ex forma ejuſdem ſcripti, ubi dicitur, *contradicentes eccleſiaſtica cenſura compeſcentes*; ecce ſervitus & compulſio. Tum, quia aliàs dederunt decimas domino Papæ, ſub hac Proteſtatione, ne de cæterò conſimilis fieret exactio; multò fortiùs nec nunc quinta pars eſt exigenda. Tum, quia timeri poſſit, ne ad conſuetudinem traheretur, cùm binus actus inducat conſuetudinem, ut eſt in codice: *De Epiſcopali audientia. Lege nemo.* Tum, quia cùm neceſſe habeant continuè diverſa negotia in curia *Romana* expedire, ad quam niſi per terram Imperatoris patet acceſſus, timendum eſſet, ne Imperator eorum captionem procuraret: ac ipſos certos de pœna graviori, carcerali cuſtodiæ manciparet. Tum, quia cùm Rex multos habeat inimicos, contra quos onus belli exſpectat ſuſtinere, timens graviora, non eſſet tutum terram magis depauperare; præſertim cùm vacuetur pro magna parte terra, nobilibus in negotium Crucis proficiſcentibus, & multum pecuniæ ad viatica ſecum aſportantibus. Tum quia hoc verteretur in patronorum eccleſiarum præjudicium; maximè cùm non conſtet, ipſos dictæ contributioni conſentire. Tum, quia generalis ſtatus eccleſiæ, ut dicitur, periclitabatur, propter quod generalis deberet fieret conſultatio; ut ſic, ſi eſſet neceſſe, generalis fieret contributio, quod non eſt in caſu iſto; fama enim percrebuit, quòd convocabitur concilium, ubi talia ſunt determinanda; neceſſe enim eſt ſic fieri, ut tollatur ſcandalum generale. Cùm autem hæc Legatus & ſocii ſui audiſſent, tacitè confuſionem ſuam diſſimulabant, nacta temporis opportunitate ad hanc vel ſimilem exactionem ſurrecturi.

Legatus congregat rectores eccleſiarum in Bercſhire.

SPERANTES autem adhuc Legatus & complices ſui, alios quoſdam ad ſuam inclinare voluntatem, ut contribuerent; videlicet rectores eccleſiarum de *Bercſhyre*, & quoſnam alios; congregaverunt eos, convenientes eoſdem multis ſermocinationibus, minas minis addentes & promiſſa promiſſis cumulantes. Quibus conſtanter reſponderunt, quòd à forma reſponſionis noluerunt recedere, rationibus eorum fulti: quibus tamen aliàs, licèt illæ ſufficiant, annectimus rationes.

Reſponſiones prædictorum rectorum ſuper contributione.

DICUNT omnes, & dicunt ſinguli rectores eccleſiarum de *Bercſhyre*, quòd contra Imperatorem non eſt contribuendum, ut contra hæreticum; cùm non ſit damnatus judicio eccleſiæ, vel convictus, licèt excommunicatus, nec pro eo quòd occupat vel impugnat patrimonium eccleſiæ *Romanæ*, eccleſia enim non utitur brachio ſæculari contra hæreticos. Item, ſicut eccleſia *Romana*, ſuum habet proprium patrimonium, cujus adminiſtratio pertinet ad dominum Papam; ſimiliter & aliæ eccleſiæ ſuum, ex largitione & conceſſione Regum, Principum, & aliorum Magnatum fidelium, quod in nullo eſt cenſuale vel tributarium eccleſiæ *Romanæ*; unde non debent prælati compelli de patrimonio ſuarum eccleſiarum contribuere. Item, licèt argumento Legis omnia dicantur eſſe Principis; non tamen dominio & proprietate, ſed cura & ſolicitudine: ſimiliter eccleſiæ ſpectant ad dominum Papam cura & ſolicitudine, non dominio & proprietate; unde dicunt, quòd non debent ad contribuendum compelli. Item, cùm dicat veritas: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam,* reſervavit ſibi proprietatem, committendo curam, ſicut patet ex verbis Evangelii ſequentibus: *Quodcunque Ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis: & quodcunque ſol. &c.* Non *quodcunque exegeris ſuper terram, erit exactum & in cælis*; unde

1240. unde dicunt, quòd ad contributionem non poſſunt, nec debent ſecundùm Dominum & juſtitiam compelli. Item, cùm ex auctoritatibus patrum ſanctorum, fructus eccleſiarum in certos uſus, putà eccleſiæ, miniſtrorum, & pauperum, ſint deputati; non debent in alios uſus converti, niſi auctoritate eccleſiæ univerſalis: unde de bonis eccleſiæ non eſt contribuendum ad pugnandum, maximè contra *Chriſtianos*. Item, cùm clericis vix ſufficiant proventus eccleſiarum ſuarum ad victus quotidianos, tum propter earum tenuitatem, tum quia nonnunquam fames in regione ingruit, meſſe deficiente, tum quia tanta ſit multitudo pauperum, & adventantium, quorum mori partem vidimus pro defectu alimentorum, tum quia nullus poteſt niſi unicum beneficium obtinere, unde pauperiores, & vix ſibi & pauperibus ſufficiunt, non debent ad talem contributionem compelli. Item, licèt eſſet bonum contribuere, omitti tamen deberet & expediret propter ſcandalum jam ſuſcitatum, & per orbem ventilatum, contra eccleſiam *Romanam*: quia dicitur publicè aliàs factæ fuerunt hujuſmodi exactiones, & clerici enormiter depauperati ſunt, & ſtatim exacta & extorta pecunia, compoſuerunt Papa & Imperator, nec eſt quadrans reſtitutus: imò ſi qua reſidua fuiſſent poſt compoſitionem & reddenda, graviter extorquebantur. Et dicit Canon: quòd licèt pro ſcandalo vitando peccatum mortale admitti non debet, bonum tamen quandoque omitti debet, ut ſcandalum vitetur: unde non debemus contribuere. Item, ſi contribuerent contra Imperatorem, non ſolùm cruciatus corporis, ſed mortis periculum immineret ſedi Apoſtolicæ pro juſtitiæ impetratione, & peregrinantibus de hac regione ad *Terram ſanctam* propter terræ liberationem: unde, &c. Item, binus actus inducit conſuetudinem: unde cùm aliàs facta fuerit hujuſmodi contributio, ſi modò fieret, verteretur in conſuetudinem: unde, &c. Item, exhæredatio principis *Angliæ* & magnatum terræ, conſiderata poteſtate Imperatoris, & debilitate, & paupertate Regni *Angliæ*, ex contributione hujuſmodi immineret manifeſta: unde contribuere non expedit, nec debemus. Item, cùm Rex *Angliæ* & Magnates, tam in jure hæreditario, quam bona & appropriata conſuetudine, habent jus patronatus eccleſiarum *Angliæ*, & rectores ad eorum præſentationem inſtituti volunt, ſic ut nec debent, nec poſſunt, in aliquam contributionem conſentire inconſultis patronis, quia ſic poſſit ex eccleſiis ſuis præjudicium generari; cùm eædem eccleſiæ ſint per eoſdem patronos terrarum ac redditunm propter hoc ſpecialiter collationibus dotatæ, aut ditatæ, ut rectores earum ſuſcipiant hoſpites tam divitum quàm pauperum, ſuſtinentes hoſpitalitatem tam laicorum quàm clericorum, ſecundùm ſuas facultates, locorum exigente conſuetudine. A quibus ſi procedat talis exactio, oportet ceſſare, & ita patroni ſuo Jure & intentione hac cauſa donandi, fraudati erunt; & ſic donata repetere, vel ſaltem alia quærent gravamina, nec iterum eccleſias de ſuis bonis fundabunt, vel conferent beneficia. Item, cùm iſtud petatur contra talem qui fœdus iniit cum Principe noſtro, præſertim per matrimonium, non debemus eo inconſulto contra eum contribuere. Item, quòd cùm nuper aliàs in priſtina contributione in caſu conſimili, promiſſum eſſet præbentibus auctoritate iſtius ejuſdémque Papæ, quòd de cætero non fieret hujuſmodi exactio; de dicto gravamine adhuc ſentientes ſe gravatos, non debent contribuere; quia timent, quòd ex frequenti contributione in ſervilem & inuſitatam trahantur conſuetudinem; præſertim cùm multi in pleriſque Regionibus, nec adhuc *Franci*, non conſentiant contributionem. Nec eſt manifeſtum vel notorium, aliquod emolumentum per hujuſmodi extorſionos eccleſiæ contigiſſe, utinam non ad detrimentum! roborantur utique & ditantur exinde hoſtes eccleſiæ, & ex validis fiunt validiores: & durum eſt nobis armis propriis perimi: quare non eſt contribuendum. Item, cùm omnes, vel ferè omnes, voto Crucis ſint aſtricti ad quæ vota vel per ſe, vel per alios competentes ſolvenda, admonitionem Papalem receperunt, & huic tam arduo & utili negotio ſimul & ſemel, etiam huic contributioni nequeunt ſatisfacere. Item, cum privilegio Crueeſignatorum ſint muniti, quibus & fructus & obventiones redditunm ſuorum ſibi integrè triennio conceduntur, ad hoc non debent contribuere. Item, cùm plures ſint per literas Papales aſtricti, ut de decimis eccleſiarum ſuarum, quæ ad jus patronatus Monachorum *Culmacenſis* ordinis ſpectare noſcuntur, vel in quibus ipſi Monachi aliquod temporale vel ſpirituale jus habent uſque ad terminum eis reſpondeant: unde non debent contribuere. Item, cùm dominus noſter Rex *Angliæ* undique habeat hoſtes capitales, ei ut dicitur nocere præparatos, ac Regnum ſit deſtitutum conſilio & auxilio proborum, in brevi peregrè proficiſci diſponentium, maximam pecuniæ ſummam qui ſecum deportabunt, nec eſſet tutum in tantum depauperare eccleſias & Regnum, quòd ad tuitionem Reipublicæ non ſufficeret, timendum foret pro certo de irreſtaurabili Regni exterminio. Item, cùm olim eſſent ditiores clerici *Anglicanæ* nationis, quando videlicet omnes habuerant, vel major pars habuerit plura beneficia ſine diſpenſatione, ac nunquam ab ipſis talis exactio facta fuit, licèt per Imperatores tyrannos tunc temporis multi Patres ſanctiſſimi exilio relegati, in ſe & in membris ſuis ac facultatibus eccleſiæ duriſſima paterentur: unde non debemus contribuere. Item, in Regno *Franciæ* multæ decimæ militibus ab Apoſtolicis patribus conceſſæ credantur, ut ipſi *Romanam* eccleſiam tueantur, nec conſtet ab eis debitum ſuffragium eſſe denegatum, nec etiam conſtat eorum ſuffragium exercitui domini Papæ fuiſſe adhuc contributum: quare non debemus contribuere.

Legatus diſſidium ſuſcitat inter prædictos rectores.

LEGATUS igitur & ſui complices, comperientes conſtantiam eorum tot fultam validis rationibus, nec ſe poſſe ipſos ſimul cohærentes frangere, cogitaverunt ſchiſma inter eos & diviſiones

ones procurare. Adiit ergo Legatus Regem, & ipſum citò enervatum ſibi inclinavit. Adierunt & complices ejus tam Epiſcopos quam eorum Archidiaconos, præcipuè tamen magiſtrum *Alanum* de *Beeles*, Archidiaconum *Subir.* aliis priùs conſtantiorem, & quoſdam alios ambitioſos, ad altiores dignitates aſpirantes; adjutorium efficax pollicentes, ut dictæ univerſitati non conſentirent: & ſic diviſis illis prævaluit pars adverſa. 1240.

Transfretatio Comitis Richardi & aliorum nobilium.

EODEM anno, Comes *Richardus*, paratis omnibus quæ ad iter *Hieroſolomytanum* neceſſaria videbantur, venit ad Abbatiam ſancti *Albani*, ubi ingreſſus capitulum, à conventu ſuffragia petiit orationum. Et poſteà *Londinum* veniens, circa dies inter Aſcenſionem & Pentecoſten, fratri ſuo Regi & Legato & aliis Magnatibus valedicens, verſus *Doveram* greſſus maturavit. Rex autem, ſuſcipiens filium ſuum *Henricum* in cuſtodiam ſuam, & poſſeſſiones ſuas ſub protectionem ſuam; & Legatus & multi Magnates, Prælati, & religioſi, proficiſcentem uſque ad mare comitantes, eum Divinæ gubernationi devotiſſimè commendârunt. Frater *Theodoricus*, Prior Hoſpitalis, adhæſit ei comes & dux indiviſus. Tranſierunt autem circa illa tempora multi nobiles *Angliæ*, ſcilicet Comes *Willielmus Longa ſpata Sariſberienſis*: & alii quàmplures, quorum nomina hìc longum eſſet recenſere. Quibus multi Barones & milites, & alii ſtrenui, quaſi capitaneis & ducibus adhæſerunt.

Rex Franciæ *magno honore afficit Comitem* Richardum.

COMES verò *Richardus*, cùm proſperè in ulteriori littore applicuiſſet, & ad partes *Franciæ* jam perveniens, Regi appropinquaſſet; Rex cum matre ſua *B.* & multis Magnatibus, Comiti venienti occurrit lætabundus & feſtivus, & hoſpitatus eſt eum in palatio ſuo, cum ipſo gratanter, quaſi cum dilecto ſanguineo ſuo, convivando; ipſum xeniis & muneribus Regiis civiliter reſpiciendo. Miſit quoque Mareſcallum ſuum tutorem & ducem, per totam terram ſuam, qui viatica & hoſpitia lautè & honorificè ſibi ſuiſque procuravit, donec *Rhodanum* lætus & ſoſpes pertranſiſſet. Cives verò *Avinionis* occurrentes ei in gaudio, obtulerunt ei hoſpitium in civitate ſuis ſumptibus gratanter procurandum. Poſteà, apud *Viennam* ingreſſus naviculas, propoſuit per *Rhodanum* uſque ad civitatem *Arelatenſem* navigare. Cives verò *Viennenſes* & alii affines rogaverunt Comitem *Richardum*, ut naviculas ſuas curſatrices eis venderet; pro quibus rei precium triplicarent. Quod cùm renuiſſet Comes, aſſerens ſe non eſſe mercatorem, cives illas violenter retinuerunt. Sed Comes, ut potuit, iter ſuum nimis offenſus continuavit, tendens & perveniens ad civitatem *Arelatenſium*. Cives verò *Viennenſes* ſuper hoc enormi facto pœnitentes, ſed ſerò, naves Comiti ablatas, eidem apud *Balcarium* remiſerunt: quas Comes, præ indignatione concepta, omnes comminuit. Et contriſtatus eſt nimis Comes *Tholoſanus*, ſuper hàc injuria Comiti *Richardo* in finibus ſuis irrogato: ſunt enim conſanguinei.

Comes Provinciæ *occurrit Comiti*. R.

COMES verò *Provinciæ*, pater ſcilicet Reginæ *Anglorum*, cùm de adventu Comitis *Richardi* certificaretur, venit obviàm ei de *Tharaſco* in gaudio & exultatione, paratus ad ejus obſequia, & pronus ad beneficia: ſperans ſubſidium ab eo ſuſcipiendum contra adverſarium, Comitem ſcilicet *Tholoſanum*, cum quo bellum gerebat, & multa pericula ſuſtinebat.

Comes Richardus S. Ægidium *viſitat.*

CUM autem comes *Richardus* illuc perveniſſet, ſciens ſe eſſe non remotum à civitate ſancti *Ægidii*, causâ orationum illùc properabat. Ut ſicut paulò antè in generali capitulo *Ciſtercienſium* veniens, humiliter orationibus eorum ſe commendavit, conferendo ex innata ſibi munificentia redditum viginti marcarum, ad refectionem congregationis; ita ſancti *Ægidii* ſuffragiis, maris diſcrimina ſecuriùs pertranſiret.

Papa Comitem R. *prohibet transfretare.*

ET cùm Comes *Richardus* ad ſanctum *Ægidium* perveniſſet, venerunt ad eum unus Legatus & Archiepiſcopus *Arelatenſis* auctoritate domini Papæ conſulentes & inhibentes, ne Comes transfretaret. Quod cùm Comes vehementer admirans redarguiſſet, aſſerens ſe credidiſſe veritatis firmitatem ineſſe dictis Apoſtolicis, & ſuis quos miſit Prædicatoribus, moleſtè tulit nimis tales inhibitiones, & dixit: Omnia mihi neceſſaria ad tranſitum præparavi, valedixi amicis, præmiſi theſaurum & arma mea, naves paravi jam meis victualibus oneratas: & nunc mutato verbo, transfretare cùm jam ad mare navem intraturus perveni, prohibet Papa, qui dicitur ſucceſſor & vicarius *Jeſu Chriſti*, qui nunquam verbi ſui tranſgreſſor fuiſſe perhibetur, ne ad ſervitium *Chriſti* properem, ad omnia jam accinctus. Et cùm viderent Legati illi, quòd tranſitum ſuum nequirent impedire, cœperunt perſuadere, ut relicto portu *Marſiliæ*, intraret mare in portu qui dicitur *Aquæ mortuæ*. Quod omnes de exercitu abhorruerunt, propter loci corruptionem & infirmitatem, & diſſuaſerunt. Comes igitur, deteſtans *Romanæ* eccleſiæ duplicitatem, cum magna mentis amaritudine *Marſiliam* tenebat, ſpretis Legatorum fallacibus & ambiguis ſermocinationibus. Et primò ad *Rokam* veniens, ibi claſſem totam ordinavit & oneravit. Miſit autem ad Imperatorem ſtatus ſui notitiam, & ſignificavit ei Papalem muſcipulationem per nuncios ſibi ſpeciales *Robertum* de *Tuinge* militem, & alios. Et in ſeptimana infra octavas nativitatis beatæ *Mariæ* ſeſe vaſto mari navigandum commendavit.

Bellum inter filios Leolini.

EODEM anno, die videlicet *S. Guthlaci*, cœpit bellum oriri inter duos filios *Leolini*. Poſteà quoque à die prænotato, quo idem Princeps viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, uſque ad finem æſtatis, ſcilicet feſtum ſancti *Michaëlis*, non defuit bellum in finibus *Walliæ*, donec uno fratrum incarcerato cæteri *Wallenſes* impetus ſuos perterriti refrænarunt. *David* enim nepos Regis, in dolo vocavit fratrem ſuum primogenitum, ſcilicet *Griffinum* ad concilium; de pace rationabiliter tractaturum. Ad quod cùm perveniſſet in conductu Epiſcopi de *Bangor*, & aliorum

1240. aliorum fide dignorum; frater ejus *David* eum capi præcepit, & carcerali cuſtodiæ mancipari.

Electio Petri de Ægeblancke in Epiſcopum Herefordenſem.

DIE verò ſancti *Bartholomæi*, electus eſt in Epiſcopum *Herefordenſem* magiſter *Petrus* de *Egeblancke*: qui aliquando familiaris clericus fuit & procurator expenſarum *Willielmi* electi *Valentini*, natione *Provincialis*. Et poſt parvum temporis intervallum, cum magno honore eſt à Rege receptus, & confirmatus ſine aliqua contradictione vel difficultate. Alius enim quidam Canonicus *Lichefeldenſis*, vir per omnia commendabilis, electus, videns dies malos imminere, & Regem nullum ferè niſi alienigenam acceptare, ceſſit; & Regimen eccleſiæ Deo & Canonicis fratribus ſuis commiſit diſponendum.

Regi Angliæ nata filia.

FESTO autem Angelico ſolennizato, Regina *Alienora* Regi peperit unam filiam. Et vocatum eſt nomen ejus *Margareta*, quod eſt nomen materteræ ejuſdem, ſcilicet Reginæ *Francorum*; & quia in diſcrimine puerperii, ſanctam invocavit *Margaretam*.

Conſecratio Andelmi in Archiepiſcopum Armachanum.

EODEMQUE tempore, ſcilicet die ſancti *Hieronymi*, magiſter *Andelmus*, natione *Colonienſis*, vir moribus & literatura commendabilis, in Archiepiſcopum *Armachanum* (quæ eccleſia Metropolis eſt totius *Hyberniæ*) apud *Weſtmonaſterium*, præſente Rege & Legato, & quampluribus Epiſcopis, *Wigornienſi* miniſterium peragente ſolenniter eſt conſecratus.

Dedicatio templi ſancti Pauli Londinenſis.

DIE vero ſancti *Remigii*, dedicata eſt eccleſia ſancti *Pauli Londini*, ab Epiſcopo ejuſdem loci *Rogero*; præſente Rege & multis Epiſcopis & Magnatibus: qui omnes ea die convivium cum ipſo Epiſcopo & Canonicis lætenter celebrârunt. Ad quam venientibus, & devotè ibidem orantibus, conceſſa eſt venia quatuordecim annorum, Quæ omnia Legatus & omnes Epiſcopi præſentes confirmaverunt.

Mors Thomæ de Muletuna.

IN ejuſdem anni æſtate, *Thomas* de *Muletuna*, miles, in armis cùm juventus ei arridebat, & cùm provectioris eſſet ætatis, abundans poſſeſſionibus, legiſque peritus ſæcularis, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Hic dum fines ſuos cupiebat ampliare, Abbatiæ ſancti *Guthlaci*, cujus prædia ſuis erant contermina, multoties intulit damnum & gravamen.

Lis orta inter Abbatem ſancti Albani, & quoſdam milites.

EODEMQUE anno, quidam milites, & alii, quibus ex ſua benignitate Abbates *ſancti Albani* licentiam venandi ad tempus conceſſerant in libera Warrenna *ſancti Albani*, conceſſa eccleſiæ longè retroactis temporibus, & à Regibus & fundatoribus ejus confirmata, ſicut teſtantur nobilia ipſius eccleſiæ inſtrumenta: gratia ſibi conceſſa abutentes & vitio ingratitudinis laborantes, ipſam gratiam in perpetuam conſuetudinem & jus continuum vendicantes, poſſidere, & eccleſiam ſuo jure privare, vel potius exhæredare nitebantur. Abbas verò *Johannes*, qui tunc temporis Abbatiam tenebat, qui de jure ſuæ poſſeſſionis, libertates læſas & poſſeſſiones diſperſas revocare tenebatur; ſuper hac injuria eccleſiæ ſuæ illata, gravem domino Regi reponens querelam, tale breve ſuper eos adquiſivit.

Proceſſus de Warenna ſancti Albani.

HENRICUS, *Dei gratia Rex* Angliæ, *&c. Vicecomiti* Hertfordiæ *ſalutem, Si Abbas de* ſancto Albano *fecerit te ſecurum de clamio ſuo proſequendo, Tunc ſubmone per bonos ſubmonitores* Galfridum *de* Childewike, Galfridum, Willielmum, Johannem, & Richardum, *filios ejus*, Willielmum *de* Gorham, Thomam *de* Wauz, Walterum & Henricum *filios ejus*, Adam *de* Sumery, David *de* Garpenvilla, *quòd ſint coram Juſtitiariis ad primam aſſiſam, cùm in partes illas venerint; oſtenſuri, quare fugaverunt & lepores ceperunt in libera warenna ſua de* ſancto Albano, *ſine licentia ſua: & habeas ſubmonitores & hoc breve. Teſte me ipſo, apud* Weſtmonaſterium *vigeſimo ſexto die Junii, anno Regno noſtri vigeſimo quarto.* Acta apud *Hertfordiam*, à die Nativitatis beati *Johannis Baptiſtæ* in unum menſem, coram *Willielmo* de *Eboraco*, Præpoſito de *Beverley*, *Henrico* de *Bathonia*, *Rogero* de *Turkebya*, *Gilberto* de *Preſtuna*, Juſtitiariis ibidem itinerantibus. Anno Regni Regis *Henrici*, filii Regis *Johannis* vigeſimo quarto.

Recitatio coram Juſtitiariis.

GALFRIDUS de *Childewike*, *Galfridus Willielmus*, & *Richardus*, filii ejus, *Willielmus* de *Gorham*, *Thomas* de *Wauz*, *Walterus* & *Henricus*, filii ejus, *Adam* de *Sumery*, *David* de *Garpenvilla*, ſubmoniti fuerunt per breve domini Regis ad reſpondendum Abbati *ſancti Albani*; quare fugaverunt & lepores ceperunt in libera warenna ſua de *ſancto Albano*, ſine licentia ſua. Et inde queritur, quòd die Mercurii proxima ante feſtum ſancti *Thomæ* Apoſtoli, ipſi venerunt cum canibus, & ceperunt lepores ſuos in Warenna ſua. Et ſimiliter, quòd venati ſunt in campis ſuis omnibus in warenna ſubſcriptis, ſcilicet in campis *ſancti Albani*, *Kyngesburia*, *parco*, *Langelia*, *Kayſo Rikemanſwurthe*, *Cudicote*, *Waldene*, *Sandruge*, *Tidenhangre*, *Barnate*, *Redburne*, & in terris ſui dominii, & ruſticorum ſuorum; contra libertatem ſuam, qua uſus eſt à tempore *Henrici* Regis ſenis, unde damnificatus eſt ad valentiam quadraginta marcarum. Et *Galfridus* & omnes filii *Adam* de *Sumery*, veniunt & defendunt vim & injuriam; & dicunt, quòd ipſi & anteceſſores ſui, à conqueſtu *Angliæ* venati ſunt in omnibus locis prædictis de jure, tempore *Henrici* Regis avi domini Regis, in temporibus Regni *Johannis*, & domini *H.* Regis, qui nunc eſt, & habuerunt venationem illam ut de jure. Offerunt domino Regi quinque marcas, per ſic, quòd inquiratur, utrùm prædictus *Galfridus* & anteceſſores ſui, *Thomas* de *Wauz* & anteceſſores ſui, *Adam* de *Sumery* & anteceſſores ſui, habuerunt venationem illam prædictam pacificè ut de jure, tempore *Henrici* Regis avi Domini Regis & ſemper poſtea, vel ſi habuerint venationem illam vi aut permiſſione prædeceſſorum prædicti Abbatis vel per eſcheatum: & recipiuntur. Et idem Abbas dat quinque marcas pro habenda eadem inquiſitione. Et datus eſt eis dies in octavis ſancti *Michaelis*, coram eiſdem Juſtitiariis, apud *Cantabrigiam*.

JURATA

1240.

Acta apud Cantabrigiam in octavis S. Michaelis coram præfatis Juſtitiariis.

JURATA de conſenſu partium venit recognitura per *Petrum* de *Thaly*, *Willielmum Revel*, *Willielmum* de *Thorleighe*, *Simonem* de *Firnelle*, *Henricum* de *Holewelle*, *Radulphum* filium *Fulconis*, *Willielmum* de *ſancto Leodegario*, *Petrum* de *Willes*, *Richardum Muſchet* & *Willielmum* de *Holewelle*. Si *Galfridus* de *Childewike*, *Galfridus*, *Willielmus*, & *Richardus* filii ejus, *Thomas* de *Wauz*, *Walterus* & *Henricus* filii ejus, & *Adam* de *Sumery* & anteceſſores ipſorum, habuerunt venationem ſuam tempore *Henrici* Regis avi domini Regis, & ſemper poſtea, in villis de ſancto *Albano*, *Kyngesburia*, *Sandruge*, *Tidenhangre*, *Parco*, *Kayſo*, *Langeleye*, *Rikemarſwurthe*, *Cudicote*, *Waldene*, *Barnate*, & *Redburne*, ut de jure ſuo, ſicut idem *Galfridus* & alii dicunt: vel ſi habuerunt venationem per vim, vel ex remiſſione prædeceſſorum Abbatis *ſancti Albani*, per eſcheccum, ut idem Abbas dicit. Qui dicunt ſuper ſacramentum ſuum, quòd intelligunt, quòd Abbates, *ſancti Albani* ſemper habuerunt liberam warennam ſuam in Prædictis villis tempore *Henrici* Regis avi domini Regis: qui dicunt, quôd inſpexerunt quandam chartam, quam idem *Henricus* Rex avus domini Regis qui eſt nunc, fecit domui *ſancti Albani*, in qua idem Rex facit mentionem de prædicta warenna habenda in prædictis villis, quam Abbates ejuſdem domus habuerunt tempore Regis *Henrici* ſenis avi ſui. Dicunt etiam, quòd ſi prædicti *Galfridus*, vel alii, vel eorum anteceſſores, cucurrerunt in prædicta warenna in prædictis villis, hoc fuit ex permiſſione Abbatum qui pro tempore fuerunt, & aliquando per contentionem: ita quod prædicti Abbates, qui pro tempore fuerunt, aliquando ceperunt canes ipſorum & homines ſuos, & homines malè verberaverunt, & malè tractaverunt; unde pugnæ aliquando factæ fuerunt in Comitatu, & canes replegiati, & pax facta inter eos de talibus contentionibus. Et præcisè dicunt, quòd nunquam cucurrerunt in prædicta warenna per aliquod jus quod in ea habuerunt, vel habere potuerunt. Et ideò conſideratum eſt, quòd Abbas & ſucceſſores ſui de cæterò habeant & teneant prædictam warrennam in prædictis villis quietè in perpetuum, abſq; clamio quod prædicti *Gaufridus* & alii vel eorum hæredes in ea habere poſſint in perpetuum. Et *Gaufridus* & omnes alii in miſericordia, & ſatisfaciant Abbati de damnis ſuis, ſcilicet de quadraginta marcis. Et præceptum eſt vicecomiti *Hertfordienſi* per breve domini Regis, quòd de terris & catallis ipſorum fieri faciat prædictam pecuniam, & ſine dilatione habere faciat prædicto Abbati.

Electio militum juratorum.

DUODECIM milites accincti gladiis fuerunt electi in aſſiſa, de conſenſu partium. Et conſenſerunt partes in decem; quia duo non comparuerunt; videlicet *Richardus* de *Boxe* & *Richardus* de *Buteille* de *Meldunia* in *Eſexia*. *J.* de *Wadentona*, Vicecómes *Hertfordienſis* & *Eſexienſis*, dilecto ſibi *Johanni* de *Beyforeia*, Ballivo ſuo, ſalutem. Mandatum domini Regis in hæc verba ſuſcepi: *H.* Dei gratia Rex *Angliæ*, &c. Vicecomiti *Hertfordiæ* & *Eſexiæ* ſalutem. Præcipimus tibi, quòd de terris & catallis *Gaufridi* de *Childewike*, *Galfridi*, *Willielmi*, & *Richardi* filiorum ejus, *Thomæ* de *Waldis*, *Walteri* & *Henrici* filiorum ejus, *Adæ* de *Sumery*, & *David* de *Garpenvilla* in *Ballіva* tua, fieri facias quadraginta marcas, & ea ſine dilatione habere facias Abbati *ſancti Albani*, pro damnis quæ idem Abbas habuit occaſione contentionis motæ inter ipſum Abbatem & prædictos *Galfridos*, *Willielmum*, *Richardum*, *Thomam*, *Walterum*, *Henricum*, *Adam* & *David*, de Warenna ipſius Abbatis. Teſte meipſo, &c. Idcircò tibi mando, quatenus mandatum domini Regis exequaris. &c. Judicium prolatum fuit in die ſancti Dionyſii, circa horam nonam.

Breve de warenna.

Status Imperatoris Conſtantinopolitani.

EODEM anno, dominus Imperator *Conſtantinopolitanus* ſignificavit domino Regi *Anglorum*, utpotè ſpeciali amico & conſanguineo ſuo, quòd cum proſperitate ad partes *Græcorum* pervenerat in manu forti, *Francorum* præcipuè ſtrenua vallatus multitudine: & quòd nomen ipſius, ſcilicet *Balduini*, factum eſt omnibus inimicis formidabile. Et quòd jam maximam civitatem obſederat, non multùm diſtantem à *Conſtantinopoli*; quam ſi ditioni ſuæ ſubdidiſſet, tota patria circumjacens per tres dietas in circuitu ſuæ cederet poteſtati; & ſine offendiculo periculi ad patres *Conſtantinopolitanos* pateret acceſſus. Bellicúmque negotium eſt in manu proſperatum.

Vocatio Legati ad curiam Romanam.

ILLIS quoque diebus, dominus Legatus per authenticum domini Papæ vocatus eſt, ut peractis negotiis inceptis, ad *Romanam* curiam, quæ generale Concilium expectabat, properaret. Ita ſcilicet, adventum ſuum pro poſſe maturando, ut cum fratribus, ſano concilio multo indigentibus, in illo arduo negotio tractatum habentibus, præſentiam ſuam exhiberet, & adventum anticiparet aliorum. Ipſe verò, quaſi obaudiens, magnum cumulum fœni, & ſtruem lignorum, & alia hyemantibus neceſſaria aggerare non ceſſabat, & procurationes à multis, quorum bona jam penè exhauſta fuerant, non ſine eorum amaricatione & magna admiratione, non ſegniter extorquere.

Adventus Petri Rufi è Scotia.

ET circa feſtum omnium ſanctorum, venerunt *Rubeus* & *Ruffinus* de partibus *Scotiæ*, afferentes ſecum tria millia librarum ad opus domini Papæ. Et ex alia parte *Mumelinus*, ſecum ducens *Romanos* viginti quatuor, beneficiandos in *Angliâ*. Unde de miſeris facti miſerrimi *Anglici*, quaſi inter duas molas hinc, inter alias duas inde, contriti volvebantur: hinc enim *Petrus Rubeus*, hinc *Mumelinus*, hinc Rex, inde Legatus ipſos Prælatos, Religioſos, & clericos exagitabant. Rex autem *Scotiæ*, illatam ſibi injuriam, quam nullus anteceſſorum ſuorum tolerabat, conniventibus oculis tranſire permittebat.

Comes G. Mareſcallus reconciliatur Regi.

IN illius anni curriculo, videlicet in æſtate, cùm Comes *Richardus* adhuc apud *Londinum* exiſtens, cum domino Rege fratre ſuo tractaret de ſuo itinere arripiendo, vel per *Italiam*, vel *Marſiliam*, & tandem conſulente & ſic ordinante fratre *Theodorico*, fratrum *Hoſpitalis* ſancti *Johannis* Priore, cum eodem fratre duce tranſire elegiſſet; & ibidem mare Mediterraneum tranſiturus,

navem

1240. navem intrare, omnia hæc in propoſito eidem Comiti reſiderent: Ecce Comes *Mareſcallus G.* obtulit ſe in præſentia dicti Comitis *Richardi*, de omni crimine à quocunque objecto purgaturum; & domino ſuo Regi de omnibus querelis legitimè & judicialiter coram tota curia ſatisfacturum. Pro quo cùm Comes *Richardus* intercederet præcordialiter, Rex ei omnem priſtinum rancorem & indignationem præconceptam liberaliter condonavit. Creditur tamen, quòd Comes *G. Mareſcallus* tam versùs Comitem *Richardum* quàm Regem, muneribus intervenientibus hoc promeruit obtinuiſſe; ſecundùm illud Poëticum: *Crede mihi, res eſt ingenioſa dare.*

Mauritius Juſtitiarius conciliatur G. Mareſcallo.

HÆC autem cùm *Mauritius Hyberniæ* Juſtitiarius fida relatione monitus præcognoviſſet, ad Regem, qui tunc *Londini* morabatur, feſtinanter venire properavit; deſiderans animum Comitis *G. Mareſcalli*, quem ſciebat commotum contra ipſum, propter mortem fratris ſui *R.* Comitis, in *Hybernia* trucidati, benigne pacificare. Venit enim primò paratus, ſe judicialiter modis omnibus coram Rege & Regia curia, à morte dicti Comitis ſecundùm judicium Procerum pugare; & legitimè infamiam illam à ſemetipſo, quem ſciebat immaculatum, propulſare. Inſuper, licèt propriam conſcientiam illæſam cognoviſſet, pro bono pacis & amicitia priſtina reformanda, cœnobium nobile & poſſeſſionibus amplis reſtaurandum, cum conventu venerabili, ſine moroſi temporis diſpendio; ſe ſpoſpondit pro anima ipſius Comitis *R.* liberaliter fundaturum. Cujus verborum conſtantiam Rex audiens, piúmque propoſitum cognoviſſet; accito Comite *G. Mareſcallo*, pacis interpretem & fidum mediatorem ſe exhibuit; allegans illud Evangelicum, de ſervo & conſervo, à domino editum judicium, competenter exemplificatum. Aſſerénſq; conſtanter per ſententiam divinam, ipſum *Mareſcallum* indignum ſua gratia, niſi ipſam ſereno corde proximo ſuo ſuppliciter poſtulanti; & de objecto Crimine purgare ſe volenti, dignaretur impertiri. Affirmavit enim coram Deo, ſe cæde illa, qua improperavit ipſum cruentari; in qua diffamatione honorem ſuum non mediocriter ſuggillavit, nullatenus maculari. Sic ſícque tandem Rege & Magnatibus procurantibus elàboratum eſt; ut inter Comitem *G.* precibus & rationi inclinatum, & *Mauritium* ſapienter humiliatum; pax & concordia amicabiliter reformabatur.

Querimonia Principis Cunnoch ad Regem.

IPSO quoque eodem tempore, venit ad Regem *Londinum* quidam illius partis *Hyberniæ* Regulus quæ *Cunnoch* nuncupatur, querimoniam gravem reponens coram Rege & curia, de injuriis ſibi à *Johanne* de *Burgo* violenter illatis; qui terras ſuas cæde & incendio non ceſſabat devaſtare. Super quibus omnibus ſibi juſtitiam poſtulabat exhiberi; & impetus ſuos temerarios Regalis potentiæ habenis refrænari. Nec permitteret fidelem ſuum, qui annuum penſum pro Regno ſuo, ſcilicet quinq; millia marcarum, poſtquàm eum Rex *Johannes* & regnum ſuum ſibi violenter inclinavit, perſolvit, in plena pace dimiſſum & confirmatum; ab ignobili (ut dicebat) adventitio injuſtè exhæredari. Rex autem juſtis poſtulationibus inclinatus, ipſi *Mauritio* in præſentia ſua conſtituto præcepit, ut ipſius iniquæ plantationis, quam Comes *Cantiæ Hubertus* in illis partibus, dum ſua potentia debaccharet, plantavit; infructuoſam ſycomorum radicitùs evulſam, non ſineret ampliùs pullulare. Scripsítque Magnatibus *Hyberniæ*, ut exterminato *Johanne* de *Burgo* prædicto, Regem in Regno ſuo conſtitutum, & in pace bona confirmatum, conſtituerent. Et ſic ex Regiis conſolationibus, Regulus commemoratus in ſpem bonam erectus, ad propria remeavit.

Papa conatur à treugis cum Imperatore ſaltis reſilire.

IN fine verò æſtatis, comperiens Legatus Papam cum Imperatore treugas uſque ad Concilium in proximo Paſcha celebrandum accepiſſe, iratus valde, ſignificavit eidem, quòd effœminatus animo, & puſillanimis frangebatur, merſus in deſperationem. Et immeritò, cùm in ſola *Francia* jam collectam adunaverat in auxilium ſuum pecuniam, unde per annum integrum bellum conſertum contra Imperatorem valeret indubitanter intrepidus continuare. Unde Papa hæc audiens, pœnitens & dolens quòd acceperat, vocavit magiſtrum *Johannem* de *Columpna*, & dominum *Reimundum*, excellentes Cardinales, dictarum treugarum mediatores, & adverſus Imperatorem interceſſores. Et dixit *Johanni*: Confundor in memetipſo quòd treugas conceſſi inimico eccleſiæ *Frederico*. Vade igitur tu, qui interpres fuiſti ſuper hoc inter nos, feſtinus ad ipſum, ipſas me nolle acceptare denuncians, me illi inimicum fore ex hoc nunc & anteà, ſub diffiduciatione audacter atteſtando. Cui *Johannes*: Abſit domine hæc levitas verborum in ore tanti viri, ad tantum Principem deſtinanda, præcipuè per nos, qui non vulgares reputamur: huic enim conſilio inſtabilitatis ac infidelitatis nequaquam conſentio, ſed conſtanter contradico. Cui Papa: Nec ego de cætero te habeo pro Cardinali. Et ait ei *Johannes*: Nec ego te pro Papa. Et ſic receſſit, de amico factus adverſarius. Juxta illud: Quidam Imperator injurioſus dixit in ira & ſuperbia cuidam ſuo Senatori; Recede, non te ampliùs pro Senatore habeo. Cui Senator intrepidus: Nec ego te pro Imperatore. Sicut ſubditus domino, ita Dominus ſubdito tenetur.

Legatus in Francia magnam pecuniam colligit.

QUOD cùm Regi *Francorum* innotuiſſet, præcepit pecuniam totam, quam in terra ſua mellitis ſermocinationibus & fellitis comminationibus ab univerſitate cleri, Rege permittente, meſſuerat, ab eodem Legato extortam, in terra ſua, donec rei exitum videret, reſervari, ut ſic ſaltem, etſi invitus, Papa fidelis, qui vicarius *Chriſti* in terris nuncupatur, inveniretur. Et ſic durabant treugæ adhuc inter eos inviolatæ, exceptis tamen Imperialibus inimicis, ſcilicet *Mediolanenſibus*, & quibuſdam aliis *Italicis*, de quibus non pertinebat ad Papam ſollicitari, ſicut fuit ab initio in treugarum compoſitione primitiva.

Callida Papæ cavillatio pecuniæ in Anglia.

PAPA verò de pecunia congreganda vigil contemplator, ab *Anglia* prædam deſideratam expectans, ſignificavit Legato, ut non ſicut prius omnem ſimul clerum convenire attemptet, ne fortè

audaciam

1240.

audaciam alterutrum accipientes, priſtinis rationibus & exceptionibus fulciantur contradicentes: imò potiùs ſingulatim quemlibet eorum conveniendo flectere conetur. Priùs tamen omnibus modis conſtantia Regis enervata, ut qui cùm clero antè ſtetit, & ei dederat cornua, effœminatus fiat ei ad ruinam.

Legati diligentia in pecuniis colligendis.

HÆC cùm intellexiſſet Legatus, de docto factus doctior ad nocendum, clerum *Angliæ* univerſaliter *Londinum*, autoritate Papæ, coram eo, in feſto omnium Sanctorum, convocavit. Ubi clerus congregatus ſimul cum religioſis, Regem invenerunt adverſantem eis, quaſi inimicum manifeſtum: & factus eſt illis baculus harundineus, in quo fulti confidenter vulnerantur per fragmenta. Videntes igitur tam Religioſi quàm Archidiaconi & Clerici beneficiati, qui ad contradicendum Legato in faciem, & ad inſtans Concilium appellandum prompto ſpiritu erecti animabantur, quòd facti ſunt velut oves traditæ rictibus luporum cruentatis, mellitis & ſuper oleum mollitis Legati ſeductionibus, quas poſteà in jacula convertit, conſenſerunt.

Monachi Dunelmenſes Romæ mortui.

EISDEM diebus Monachi *Dunelmenſes Romæ* ad confirmandam electionem ſuam commorantes, in ſuo negotio conſummando, impediente Rege, nimis damnificabantur, ita ut ſuſpenſo negotio, affecti tædio, quaſi dolore contabuerunt. Decubuerunt igitur infirmati, juxta verbum *Salomonis*, dicentis: *Spiritus triſtis exſiccat oſſa*. Et mortui ſunt qui ibidem commorabantur quatuor, qui electi de Conventu diſcretiores habebantur, cum quibuſdam in Jure peritis clericis & miniſtris, ad conſolationem eiſdem aſſignatis, & ſic periit pars Conventus potiſſima, utrum morbo eventuali, vel ſpiritu triſtitiæ, vel peſte, vel potione lethifera, ignoratur. Quòd cùm electus, ſcilicet Prior *Dunelmenſis*, cognoviſſet, ab alto ducens ſuſpiria, abhorruit, licèt Rex principalis cauſa fuiſſet, qui non permittit eccleſias viduatas ordinari, quòd ipſe videretur tanti mali occaſio, ceſſit ſpontaneus, aſſerens ſe nunquam ſtatum priſtinæ lætitiæ vel alacritatis recepturum. Monachi verò, quibus eligendi libera poteſtas relinquebatur, Regem, ut moris eſt, adierunt, ut concederet eis juſtam eligendi facultatem. Rex autem eis petita concedens, inſtantiſſimè ipſos rogavit, juxta illud Poëticum,

Imperium, promiſſa, preces, confudit in unum.

ut magiſtrum *Petrum* de *Egeblancke*, electum *Hertfordienſem*, natione *Provincialem*, vel *Bonifacium* avunculum Reginæ, ſibi poſtularent vel eligerent, quorum mores & ſcientiam penitus ignorabant: ſciebant tamen utrumque alienæ fuiſſe nationis, & tantæ inſufficientem dignitati. Nec indiget *Anglia* extra fines ſuos, in remotis regionibus, perſonas regimini eccleſiarum idoneas mendicare, quæ ſolet aliis tales ſæpiùs miniſtrare.

Saraceni ſorte inquirunt fata.

ANNO quoque eodem, tempore ad hoc idoneo, ſecundum traditiones abominabiles ſcientiæ Necromanticæ, vel artis Mathematicæ, *Saraceni* Orientales, facta immolatione & horribili invocatione Dæmonibus, ſortem jecerunt, notitiam eventuum futurorum de exercitu *Chriſtianorum*, ſuper eos hoſtiliter adventantium, habere cupientes. Quorum Antiſtes, poſt ſuperſtitionis conſummationem, Principes eorum vultu demiſſo, & voce flebili, ſic eſt alloquutus: *Noverit digniſſima excellentia veſtra, quòd fata nobis adverſantur.* Et aſſumpta parabolâ, hauſtóque ſpiritu immundo, continuavit inceptum ſermonem, dicens: *Non vos nimis efferat vel extollat nuper vobis à Diis conceſſa victoria; adſunt enim qui ſanguinem victorum de manu veſtra cum ultione magnificæ retributionis confidenter requirant.* Hæc autem audientes, vehementer obſtupuerunt. Et cum maximus illorum Principum à prædicto Ariolo ſciſcitabatur, quis in exercitu foret primicerius, accepit pro reſponſo: *Quidam adoleſcens, cujus adventus paratus imminebat.* At Princeps Sortilego: *Eſtne de genere magnifici Regis, qui quandoque totum exterruit Orientem?* At ille: *Nepos ipſius eſt, nomine ipſius intitulatus. Et qui mores? quæ potentia? Providentia hujus major, ſed minor ſtrenuitas, continuum tamen diatim ſuſcipiens incrementum.* Quibus auditis, horror cum deſperatione invaſit univerſos. Quos cùm vidiſſet prædictus Augur uberrimè flentes inconſolabiliter dolere, continuavit Augurium conceptum Aruſpex memoratus: *Nolite lacrymari; Sed orandum nobis inceſſanter & optandum, ut peccatorum retibus involuti, Chriſti Dei ſui, qui munditiam honeſtatis diligit, paratam ſibi gratiam, ſicut nuper fecerunt in partibus Damiatæ, amittant Chriſtiani.* Et ſic timor eorum aliquantulam ſuſcepit conſolationem.

Mediolanenſes comburunt hæreticos ſuos.

MEDIOLANENSES autem tunc temporis formidine pœnæ potiùs, quàm virtutis amore, hæreticos, qui civitatem ſuam pro magna parte inhabitabant, ut famam ſuam redimerent, & accuſationi Imperiali liberiùs reſponderent, combuſſerunt; quamobrem numerus civium nimis eſt mutilatus. Timebant enim ſibi, eò quòd à tranquillitate treugarum, ſicut omnes *Italici* inimici, Imperio ſequeſtrabantur. Et in ſolo Papa confidentes, qui promiſit ſe nullo modo cum Imperatore abſque mentione facta de eis compoſiturum, videntes ſe penitus deſtitutos, ſuum in inſtanti Concilio exterminium cum judiciali damnatione vehementer timuerunt.

S. Normanno omnia beneficia ablata, præter unum.

IMMINENTIBUS autem diebus illis, procurante Regis ira vindice, privatus eſt magiſter *Simon Normannus* (qui aliquot annis præterlapſis Regis ſummus extitit Conſiliarius, Regiiq; ſigilli bajulus) ab omni, præterquàm uno, auctoritate Papali, beneficio; ab Archidiaconatu *Norwicenſi* viriliter præcipitatus. Et quia diſpenſationem impetraverat plura beneficia obtinendi, obtinere meruit, ne nimis in eum manum aggravare Papa videretur, redditum ſuum uſque centum marcas annuas, licèt nullus pro ipſo interceſſor extiterit, arctando limitavit. Factus igitur opprobrium notis ſuis, fructus viarum ſuarum ſic collegit, ſecundum illud Poëticum:

—*Jam*

1240.

—Jam non ad culmina rerum :
Injuſtos creviſſe queror, Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.—

Hic eſt ille qui iniqua conſilia & Regno nociva dederat, qui Legatum in *Anglia* morari fecit ſuccinctum ad iter *Tranſalpinum*, qui ſtatutus coram Papa interrogante ab eo, cur Rex *Angliæ* omnes ſuos naturales homines non diligens, alienos ad ſe vocaverit, reſpondit: *Non eſt hodie aliquis Anglicus in Anglia probatus fidelis, cui Rex poſſit ſecurè credere.* Quod verbum plenum ingratitudinis rapuit de ore polluto magiſter *Robertus* de *Sumercote* Cardinalis, *Anglicus* natione, ipſum vehementer ſuper hoc reprehendens.

Jucundi rumores de Terra ſancta.

DIEBUS illis profluentibus, poſt triſtia & adverſa, quæ *Chriſti* adorantes veſtigia milites *Chriſtianiſſimi* in *Terra ſancta* pertulerant, conſolatus eſt Dominus populum ſuum conſolatione magna, quæ in præſentibus literis continetur: *Frater Hermannus Petragorinus, Dei gratia pauperis militiæ* Templi *Magiſter humilis, dilecto in* Chriſto *fratri* Roberto *de* Sanford, *domorum ejuſdem militiæ in* Anglia *Procuratori, ſalutem in Domino. Fraternitatem veſtram ſcire volumus, quod cùm jacuiſſet diu in ſabulo, tædio affectus & ocio,* Chriſtianus *exercitus, non per multa & crebrò celebrata concilia: heu quid eſſet tenendum, quidve faciendum, diſce nere potuiſſet? non ſuis exigentibus meritis, ſed conſuetæ miſericordiæ clementia viſitavit eum* oriens *Dominus* ex alto. *Etenim* Soldanus Damaſcenus, *non timore populi* Chriſtiani, *ſed miraculoſe Domino faciente, totam terram integrè à flumine* Jordanis *ditioni reſtituit* Chriſtianæ. *Inter* Chriſtianos *& ipſum* Soldanum *interveniente conventione hujuſmodi atque pacto, quòd unus juvabit alterum pro poſſe ſuo, ad defendendum terras ſuas contra* Soldanum Babyloniæ; *neutra parte cum eodem* Soldano *ſine altera componente, quæ ſubitò in compoſitione præſentium unanimiter conſenſerunt. Benedictus Deus per omnia, qui hæc fecit.* Hoc totum factum fertur cauſa ſiniſtræ ſortis eorum, de qua ſorte prædictum eſt in antecedenti pagina.

Ipſe autem nuncius, qui eulogium à *Terra ſancta* tranſtulit, obviam habuit claſſem Comitis *Richardi* proſperè velitantem. Nunciavit etiam, quod prædictus *Soldanus Damaſcenus* certiſſimè propoſuit, Baptiſmi ſuſcipere ſacramentum.

Epiſtola Imperatoris ad Regem Angliæ.

SUB eiſdem etiam dierum curriculis ſcripſit dominus Imperator Regi *Anglorum* in hæc verba: *Imperator Regi ſalutem. Qualiter ad multam inſtantiam* Lombardorum Romanæ *ſedis Antiſtes contra nos inconſulto calore proceſſerit, ſatis vos publica fama perdocuit. Qualiter etiam priùs quàm contra nos, religionis debito & Pontificatus gravitate depoſitis, hoſtiliter arma capiens, ſe ducem & principem noſtrorum rebellium ſtabiliret, nos univerſale Concilium, & ſpecialiter nunciorum veſtrorum præſentiam petiſſemus, ſerenitatem Regiam credimus non latere. Demùm, notitiam veſtram non latuit, qualiter ad quorundam ex fratribus ejus inſtantiam, qui pro reparatione tanti diſcriminis remedia cogitabant, præter omnium requirentium ſpem, noſtra magnificentia condeſcendit, ut* Lombardis *prorſus excluſis, permitteremus eundem ab inſuetis infeſtationibus Sacerdotum per temporale treugarum ſubſidium reſpirare, utpote qui libenter pro ſedatione ſcandali generalis, &* Terræ ſanctæ *ſubſidio procurando reperiri modos & vias patiebamur ad pacem. Sed ipſe* Lombardos *eoſdem, quibus confœderatus fuerat, à treugarum noſtrarum fœdere non eſt paſſus excludi, totius orbis diſſidio* Mediolanenſium *ac ipſorum ſequacium ſuffragia præferendo. Cui cùm aliquatenùs aſſentire nollemus, ut læſæ Majeſtatis noſtræ reos ſub prædictarum treugarum involucro pateremur involvi, vel ipſos ullo modo Papæ præſidio communiri, tandem poſtquam vidit eoſdem rebelles noſtros propria virtute deficere, nec ipſis poſſe temporalia remedia ſaltem quietis afferre, ad artes alias poſtmodum ſe convertit, ſatagens nos per venerabilem* Brixenſem *Epiſcopum, ad noſtram præſentiam accedentem, inducere, ut cùm pro reformatione pacis inter nos & eccleſiam, ut dicebat, quàmplurium Regum nuncios ac nonnullos de Occidentalibus partibus Principes & Prælatos ad Synodum intenderet convocare,* Lombardos *prædictos excellentiæ noſtræ inimicos, in treugis cum ipſo uſque in proximum feſtum reſurrectionis Dominicæ contrahendis, comprehendere deberemus, cauſam fingens, ut ex univerſalibus treugis, vocatis ad Synodum ſecuritas largior præberetur. Audite mirabilem circumventionis modum, ad depreſſionem noſtræ juſtitiæ excogitatum, dum pacem nobiſcum habere velle ſe ſimulat, ut* Lombardos, *ad tempus per treugarum ſuffragia reſpirantes, contra nos fortiùs poſtmodùm in rebellione confirmet, utque contra nos ad diſcordiam ſe medio tempore pervenientium Prælatorum advocationem ſuam ſubſidia licentiùs præparet, ſpeciem nobis concordiæ pollicetur. Et ut evidenter ad oculum videatis, quòd pro diſcordia potiùs concilium advocet, quàm pro pace, formam hujuſmodi advocationis attendite. In qua nihil omnino de futuræ pacis tractatu deſcribitur, niſi pro magnis & arduis eccleſiæ* Romanæ *negociis vocatorum præſentiam afferat opportunam. Tempus inſpicite, dum legatum nobis ante concilium, poſtquàm nos eſt aggreſſus hoſtiliter, nititur convocare. Conſiderate perſonas, dum ſpretis magnificentiæ veſtræ nunciis, per quos ſibi tractatum pacis hujuſmodi frequentiùs obtuliſtis, nunc* Provinciæ *Comitem, manifeſtum excellentiæ noſtræ rebellem, Ducem* Venetorum, *Marchionem* Oſtienſem, *Comitem* S. Bonifacii, Albericum *de* Romandiola, Biackinum, Gugſinum *de* Camino, & Paulum Traverſanum, *cum quibus in malum noſtrum, data eis pecunia, prout eſt publica voce notorium, conjuravit, vocat expreſſis nominibus ad Synodum ſupradictam. Veruntamen ob reverentiam ſummi Regis, ſic nominato Epiſcopo duximus reſpondendum, quòd nos cum ſacroſancta* Romana *eccleſia matre noſtra diſcordiam non habemus aliquam,*

ſed

ſed ab hujuſmodi Romani *Pontificis impetu juſtitiam Imperii noſtri defendimus, & injuriam propulſamus. Nihilominus tamen, cum ipſo ſemper pacem habere optavimus & optamus, per quod generale mundi diſſidium evitemus. Et ut tractatus pacis à remotioribus partibus non quæratur, per eundem Epiſcopum ac alios bonos viros, juſtitiæ noſtræ conſcios, & communis concordiæ zelatores, ad præſentem tractatum pacis, ut mala de medio citiùs auferantur, obtulimus nos paratos; treugas etiam, licèt nobis tanquam ad belli præſidia munitis infeſtas, inire conceſſimus cum eodem; ſperantes per eos, velut per quandam ſalutiferam ſcalam, poſſe facilius ad excelſa palatia pacis aſſcendi.* Lombardos *tamen excellentiæ noſtræ rebelles, à nexu treugarum hujuſmodi, ſicut ſemper excluſimus, ſic in perpetuum excludemus; nec inter nos & eum, præſente diſcrimine, vocari Concilium per eundem, velut hoſtem publicum Imperii, permittemus: Præſertim cùm nobis, Imperio, & omnibus terræ primatibus indecentiſſimum judicemus, honoris noſtri cauſam ſuſpecto foro ſubjicere, vel judicio Synodali; ſed omnibus ad Concilium ipſum convocatis, per terram noſtræ ditioni ſubjectam, in perſonis & rebus ſecuritatem denegamus. Quamobrem ſerenitatem Regiam præſentibus exhortamur, quatenus per Prælatos omnes & ſingulos Regni veſtri, edicti Regii vulgato programmate divulgetis; ut nullus ſub ſecuritatis noſtræ fiducia ad Synodum ipſam accedat. Nos enim quantumcunque Regni veſtri fidelibus, ob amorem præcipuum quem erga vos gerimus, libentiſſimè deferamus; præſumptuoſam tamen audaciam eorum, qui ad inimici noſtri vocationem accederent, nos non deceret ullatenus æquanimiter tolerare. Datum in caſtris, in obſidione* Faventiæ. xiii. Septemb. xiiii. Indict. 1240.

SUBSCRIPTIS igitur & quibuſdam aliis cauſis rationabilibus dominus Imperator turbatus, & timens ſibi laqueos præparari in Concilio celebrando, cœpit illud impedire, his admonitus cauſis pro parte prælibatis. *Cauſæ quibus Imperator motus Concilium vult impedire.*

Primò igitur dominus Imperator tempus reprehendit inopportunum, & nimis feſtinum, ad quod nunquam conſenſit præfigendum. Item, quòd ſicut præloquutum fuit, & tam Papali quàm Imperiali aſſenſu determinatum, non vocat dominus Papa vocandos ad Concilium; cùm utriuſque cauſa ſit in ipſo ſpecialiter pertractanda. Item, cùm pro pace reformanda inter eos & confirmanda vocandum fuit Concilium, & non ob aliud, in ſcripto vocationis ſuæ non facit ſuper hoc dominus Papa mentionem; niſi tantùm ſic exprimens, *pro arduis eccleſiæ Romanæ negotiis*, ſuppreſſo penitus pro qua cauſa vocari Concilium debuit principaliter: & ſic obviat Papa promiſſis utrobique formatis & firmatis. Item, dicit dominus Imperator, quòd dominus Papa ad Concilium publicos hoſtes & manifeſtos Imperii vocavit, (quorum nomina dominus Imperator in ſua epiſtola exprimit,) & eoſdem Imperialibus corrupit muneribus, ut vertantur in arcum pravum, ut traditorum nominibus in perpetuum probroſè cum ſuis generationibus deturpentur, quibus non ſunt tam ardua ſtatus Imperialis committenda. Item, dicit Imperator: *Otto* Cardinalis, Legatus in *Anglia*, & Rex *Angliæ*, omnem ferè theſaurum illius regionis, ad meam dejectionem anhelantes, exhauſerunt: & nos, non ſine Imperii magna verecundia, & famæ noſtræ ſuggillatione, in regno *Angliæ* anathematis vinculis innodari fecerunt. Quapropter ipſos, & omnes *Angliæ* Prælatos, noſtros inimicos meritò debemus reputare, qui pecuniam ſuam in noſtrum gravamen effundentes, honorem noſtrum pro poſſe ſuffocarunt; nec movit eos, quòd nunquam eis nocens, affinitatis fœdere *Anglorum* Regi conjungor ſociatus. Ipſorum igitur examen ſubire mihi foret abſurdum, & penitus diſſonum rationi. Item, dicit dominus Imperator, quòd per treugarum acceptarum moram, nobis ſuſpectam, imò diſpendioſam, & dum Concilii tractarentur negotia, (quæ finem fortè non poterunt ſortiri repentinum,) inimici noſtri poterunt reſpirare, & ad gravamen Imperii, aſſenſu & fomento Papæ, quorum ſe conſtituit principem & defenſorem, & pro ipſis bellatorem, ſurgere fortiores. Item, dicit dominus Imperator, quòd dominus Papa maximam quantitatem pecuniæ exſpectat extorquendam à Prælatis *Franciæ*, & præcipuè *Angliæ*; quam promiſit hoſtibus Imperii ſe daturum: unde ſumunt Papa & ipſi ſpem & cornua, quæ meritò ſibi imminent formidanda. Sumpſit enim hæc conſuetudo ab prædeceſſore ſuo *Innocentio* in ultimo Concilio exordium deteſtandum; ut celebrato Concilio non detur Prælatis recedendi licentia, donec Papa ſingulatim à ſingulis pecuniam extorſerit, non habito reſpectu ad labores & viatica Prælatorum, in itineribus vexatorum. Item, dicit Imperator: quòd omnes Prælati, præcipuè *Angliæ*, imò etiam Rex *Anglorum*, tenentur Papæ per ſuam profeſſionem & juramentum, tanquam domino ſententialiter obligati, & non Imperatori vel Imperio: Unde judicat Imperator, eorum arbitrium meritò ipſi fore nimis ſuſpectum & ratione formidandum, præſertim cùm Papa ejus dignoſcatur eſſe inimicus præcipuus & capitalis, membra tracturus ad conſenſum. Studet etiam, & omnem effundit peritiam & induſtriam, ut ipſum confundat Imperium cum Imperatore. Sed ſecundum illud *Ovidianum*:

Ut latro, ſic cautus præcingitur enſe viator:
Hic parat inſidias, hic ſibi præſtat opem.

Cùm igitur hæc, & alia populo incognita, ſubtili rationis trutina libraret dominus Imperator, ſciens multos callere in ipſius nocumentum; cœpit per præſcriptam epiſtolam vocatos & venientes ad Concilium, de imminentibus ſibi periculis, ſcilicet quòd noluit eos defendere per ditionem ſuam facientes tranſitum, civiliter præmunire.

1240.

Comes Richardus proſperè in terra ſancta applicat.

PER idem tempus, Comes *Richardus* navigans in *Terram ſanctam*, proſperè ac gaudenter cum tota ſua claſſe & aliena ſibi aſſociata in portu applicuit *Aconenſi*, duodecimo die poſt feſtum ſancti *Michaëlis*. Qui cum tanto gaudio in Prælatorum proceſſione & clericorum ſacris induviis ornatorum, Principum & militum ſibi reverenter occurrentium; in campanarum claſſico & cantu eccleſiaſtico, populi quoque applauſu, in tympanis & cytharis & choreis receptus eſt; quòd in ejus adventu viderentur unà conjungi cœleſtibus; & recreati omnes inæſtimabili exultationis jubilo, manus tendentes ad ſydera, clamitabant, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Et tertia die poſtquam applicuerat, voce præconia fecit in *Acon* acclamari; ut nullus *Chriſtianus* peregrinus recederet pro defectu pecuniæ, ſed ſtipendiis ejus ſuſtentandi morarentur *Chriſto* ſtrenuè militaturi.

Mors Ædmundi Cantuarien. Archiepiſcopi.

DUM igitur fortunalis rota ſic mundanum curſum volubiliter exagitaret, *Ædmundus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, qui ſpontaneum in tranſmarinis partibus exilium ſubierat, contabuit tam corpore quàm animo; & ducens ab alto ſuſpiria, frequentiùs iterabat: O quàm melius eſſet mori, quàm videre mala gentis ſuæ & ſanctorum ſuper terram. Quos enim ipſe ligaverat, Legatus contra ſuam dignitatem malo grato ſuo abſolvit, & è converſo. Optans igitur *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, orabat*, dicens: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Jam ſatis eſt, imò nimium, quòd omnia vidi volvi in præcipitium & ruinam: tolle animam meam, Domine Deus meus. Commoratus eſt igitur dictus Archipræſul per aliquot dies apud *Pontiniacum*, ubi beatus *Thomas Martyr*, prædeceſſor ejus, exul aliquando commorabatur. Ubi die ac nocte in lacrymis & jejunio, pro ſtatu eccleſiæ *Anglicanæ* periclitantis, preces Deo & beato *Thomæ* obtulit indefeſſas. Exhauſtus igitur abſtinentia, & dolore maceratus; exinanito corpore, delibato & debilitato, cœpit ibidem graviter infirmari. Et conſilio fretus medicorum apud *Soyſy*, gratia melioris aëris hauriendi, ſe fecit tranſportari. Ubi per alicujus temporis ſpatium morbo languens dyſenterico, vinculis carnis abſolutus, valedicens nequam ſæculo, univerſæ carnis ſemitas eſt ingreſſus. Cujus anima exilium ſæculare pro patria cœleſti fœliciter commutavit. Verè enim exul, & ſolo corpore in hac peregrinatione commoratus, undique cauſis emergentibus languit laceſſitus. Rebelles etiam, quos ipſe judicialiter excommunicavit, Legatus procaciter & irreverenter abſolvere non omiſit; multa alia, quæ ſua non erant, in præjudicium ipſius Archiepiſcopi totius *Angliæ* primatis, de conſenſu vel permiſſione Regis, temerè & enormiter præſumendo. Sed hæc peſtis omnes *Angliæ* Prælatos truculenter agitavit. Unde quidam Satyricus ſatis ſatyricè Regem & Legatum, dum adinvicem jocoſè confabularentur, & in omnibus agendis ſeſe coadjutores fore contra omnes compromitterent, repræhendit, dicens: *Eia, eia, nunc bene novi, quòd ex quo paſtor & lupus fœdus inierint concordiæ, ovibus imminet ſtrages truculenta.*

Fatum Ædmundi Cantuarien. Archiepiſcopi.

TRANSIIT igitur ex hoc mundo dictus Archipræſul *Ædmundus*, decimo ſexto Calend. Decemb. infra ſcilicet octavas beati *Martini*, ipſi Confeſſori Confeſſor in multis aſſimilatus, abſolutis de Conventu *Cantuarienſi* Monachis pœnitentibus. Obiit autem apud *Soyſy*, domum Canonicorum Regularium. Et dum adhuc ſoſpes ibi viveret, & crederent Monachi, quòd ab eis recederet, ait Prior loci, qui fuit ei ſpecialiſſimus: Domine, ut quid recedis? ut quid nos deſeris? vexaberis itinerando: quieſce nobiſcum. Et reſpondit Archiepiſcopus, Cor meum vobiſcum remanebit: Et non intellexerunt verbum. Sed infirmatus illic obiit, & facta anatomia de corpore ſuo, ibidem ſepulta ſunt ejus viſcera cum corde. Diſtat locus ille à *Pontiniaco* viginti leucis, id eſt, duabus dietis: & tunc demùm aperti ſunt oculi eorum, ut verbum intelligerent, quod dixerat Archiepiſcopus. Fecerunt igitur clerici & miniſtri ipſius, ſanctum corpuſculum Pontificalibus (ut moris eſt) indutum, ſuper ligneum vehiculum ad *Pontiniacum* ſepeliendum tranſportari. Dum enim adhuc viveret, videns ſe de hoc mundo citò migraturum, cauſam ſuam Deo & *B. Thomæ* commendando (qui ibidem ob ſimilem cauſam exulans, invenit refugium) *Pontiniacenſi* eccleſiæ corpus ſuum legavit. Contigit autem inter itinerandum, dum ſacrum corpus portaretur, propter famam ſanctitatis ipſius, ut illuc confluerent ægrotantes, ſanitatem à Chriſto ipſius precibus fideliter poſtulantes. Et factum eſt, quòd eundem una die ter dignatus eſt Dominus manifeſtò, meritis ipſius ſancti exigentibus, miraculis præclaris, & titulo ſanctitatis inſignire. Pro quibus ſolenniter hymnus Angelorum, ſcilicet, *Te Deum laudamus*, ter veneranter & devotè cantabatur. Meruit igitur *Pontiniacum* corpore Confeſſoris: quòd cùm tumularetur, inventum eſt vermiculis & cilicio rudi corroſum, & genua ob frequentiam genuflexionum calloſa, fœliciter venuſtari; quod fuerat aliquando beato *Thomæ* tuitionis refugium & aſylum. Et hoc idem Martyr *Thomas* apertè prædixerat.

Prælati Angliæ Romam. proficiſcuntur.

DUM autem talia temporis mutabilitate volverentur, dominus Imperator, reſiliente domino Papa, à treugarum acceptarum obſervatione reſilivit. Civitatem quoque quam obſedit, truculenter infeſtavit. Prælati verò *Angliæ*, necnon & Legatus nihilominus Papalibus mandatis obedientes, licèt cum magno periculo, ad *Tranſalpinandam* ſe, inſtantibus diebus Natalitiis, viriliter præpararunt.

Conſecratur Petrus de Egeblancke in Epiſcopum Hertfordienſem.

CIRCA idem tempus, die Dominica proxima ante Natale Domini, conſecratus eſt magiſter *Petrus* de *Egeblancke* in Epiſcopum *Hertfordienſem*, præſente & applaudente Rege & Nobilium multitudine, in eccleſia ſancti *Pauli Londini*. Ubi etiam Monachi *Cantuarienſes* pro jure ſuæ eccleſiæ coram Legato ibid. præſente & Archiepiſcopo *Eboracenſi*, & aliis Prælatis & Magnatibus, reclamarunt.

1240.

Corona Domini ſpinea in Franciam apportata

EODEM anno, geminato Domini noſtri *Jeſu* beneficio, *Francia* floruit & exultavit. Præter enim hoc quod meruit, ut prædictum eſt, Confeſſorem *Ædmundum* ab *Anglia* ſublatum obtinere; coronam Domini ſpineam, apud *Conſtantinopolim* adeptam, eſt gaviſa poſſidere. Neceſſitate enim ingruente, & theſauri carentia, (ut moris eſt bella gerentibus.) cor *Baldewini* Imperatoris *Conſtantinopolitani* perurgente, ſignificavit Regi *Francorum* ipſe Imperator *B.* quòd ſi ipſum jam pecunia deſtitutum, vellet de theſauro efficaciter juvare, ipſi Regi pro antiquo dilectionis & conſanguinitatis fœdere conferret coronam Domini, quam *Judæi* circumplectentes, capiti Domini, cùm pro redemptione humani generis crucis ſuſtineret paſſionem, proculdubiò impoſuerunt. Quod Rex *Francorum*, fretus conſilio naturali, gratanter accepit: & materno favore aſpirante, ipſi Imperatori *B.* cujus continua prælia theſaurum exhauſerant, largiter pecunia non parva tranſmiſſa, ærarium reſtauravit; familiamq; ſuam & exercitum exhilaravit: ipſumq; *B.* in ſpem certam obtinendi victoriam contra *Græcos* erexit. Ipſe verò pro tanto beneficio à Rege obtento, juxta pacta & pollicita; ſuper aurum & topazion precioſam coronam *Chriſti* fideliter ipſi contulit pro præmio retributionis. Ipſa igitur ſolenniter ad laudem Deo dilecti Regni *Francorum*, imò omnium *Latinorum*, cum proceſſione & campanarum claſſico, & fidelium devotione eſt recepta: & *Pariſiis* in capella Regis repoſita veneranter.

Eruptio Tartarorum.

NE mortalium gaudia continuarenter, ne ſine lamentis mundana lætitia diu celebretur; eodem anno, plebs Sathanæ deteſtanda *Tartarorum*, ſcilicet exercitus infinitus, à regione ſua montibus circumvallata prorupit: & ſaxorum immeabilium ſoliditate penetrata, exeuntes ad inſtar dæmonum ſolutorum à tartaro, ut bene *Tartari*, quaſi tartarei, nuncupentur, ſcatebant, & quaſi locuſtæ terræ ſuperficiem cooperientes, Orientalium fines exterminio miſerabili vaſtaverunt, incendio vacantes & ſtragibus. Peragratis *Saracenorum* finibus, civitates complanarunt, nemora ſucciderunt, caſtra ſubverterunt, vineas avulſerunt, hortos deſtruxerunt, cives & agricolas peremerunt. Et ſi fortè aliquibus ſupplicantibus pepercerunt; ipſos, quaſi ultimæ conditionis ſervos, ante ipſos dimicare contra ſuos affines coëgerunt. Qui ſi fictè pugnarent, vel fortè clam ſe monerent, ut fugerent, ipſi *Tartari* à tergo inſequentes eos trucidarunt: ſi ſtrenuè bellarentur, & vincerent, nullas grates pro præmio reportarunt: & ſic captivis ſuis quaſi jumentis abutebantur. Viri enim ſunt inhumani & beſtiales, potius monſtra dicendi, quam homines, ſanguinem ſitientes & bibentes, carnes caninas & humanas laniantes & devorantes, coriis taurinis veſtiti, lameis ferreis armati, ſtatura curti & groſſi, corpore compacti, viribus integri, bello invicti, laboribus infatigabiles, parte poſteriori corporis inermes, anteriori tamen armis protecti, ſanguinem eliquatum à pecoribus ſuis pro delitiis bibentes, equos habentes magnos & fortes, qui frondes & etiam arbores comedant, quos per tres gradus, propter brevitatem tibiarum ſuarum, quaſi per tria ſcanſia, aſcendunt, humanis ligiis carentes, neſcii manſuetudinis, leonibus aut urſis truculentiores, naves ex coriis boum factas ſecum deni vel duodeni habentes, natare & navigare docti, unde flumina maxima & rapidiſſima ſine mora & difficultate tranſeunt, aquas turbidas vel etiam lutulentas, cùm ſanguis deeſt, avidè haurientes. Gladios & ficas una parte ſecantes habent, ſagittarii mirabiles, ſexui, ætati, vel dignitati non parcentes; nullius alterius linguam noſcentes, præter ſuam, quam ignorant omnes alii. Non enim uſque ad hæc tempora patebat ad ipſos acceſſus, nec ipſi exierunt; ut haberetur de moribus aut perſonis eorum per commune hominum commercium notitia; Armenta ſua cum uxoribus ſuis, quæ ad bella ut viri ſunt edoctæ, ſecum ducentes. Et venerunt impetu fulmineo uſque ad fines *Chriſtianorum*, vaſtantes, & ſtragem exercentes non minimam; omnibus terrorem & horrorem incomparabilem incuſſerunt. Unde *Saraceni Chriſtianis* cupierunt confœderari: & petierunt, ut multiplicatis viribus his monſtruoſis hominibus poſſent reſiſtere. Creduntur iſti *Tartari*, quorum memoria eſt deteſtabilis, fuiſſe de decem tribubus, qui abierunt, relicta lege *Moſaica*, poſt vitulos aureos: quos etiam *Alexander Macedo* primo conatus eſt includere in præruptis montibus *Caſpiorum* molaribus bituminatis. Quod opus cùm videret humanos labores excedere, invocavit auxilium Dei Iſraël: & coierunt cacumina montium adinvicem, & factus eſt locus inacceſſibilis & immeabilis. Super quem locum dicit *Joſephus*: Quanta faciet Deus pro fideli, qui tantum fecit pro infideli? Unde liquet, Dominum nolle ut exeant. Veruntamen, ſicut ſcribitur in Scholaſtica hiſtoria, exibunt circa finem mundi, magnam ſtragem hominum facturi. Emergit autem dubium, ſi iſti ſint nunc exeuntes *Tartari*, cùm non utantur lingua *Hæbraica*, nec legem ſciant *Moſaicam*, nec utantur vel regantur legalibus inſtitutis. Ad quod reſpondetur: Quòd nihilominus credible eſt, quòd iſti ſunt de incluſis, de quibus mentio prælibatur. Sed ſicut etiam adhuc in ducatu *Moſaico* corda eorum rebellia in reprobum ſenſum ſunt converſa; ita ut irent poſt Deos alienos & ritus ignotos, ita & nunc magis prodigialiter, ita ut ab omni alia natione ignoretur, cor eorum & lingua confunditur, & vita in ferinam crudelitatem & inſipientiam Deo vindice commutatur. Dicuntur autem *Tartari* à quodam flumine per montes eorum, quos jam penetraverant, decurrente, quod dicitur *Tartar*: ſicut flumen *Damaſci Farfar* nuncupatur.

Anguſtia Chriſtianorum in Terra ſancta captivorum.

INTERIM arctabantur Nobiles *Francorum* incarcerati, quos tam *Soldanus Damaſci*, quàm *Soldanus Babyloniæ* tenuit compeditos. Una enim dierum factum eſt, ut juberet *Soldanus Babyloniæ* adduci coram eo quoſdam de Nobilioribus *Francorum* captivis. Inter quos etiam ductus Comes *Almaricus* de *Monte forti*, coram *Soldano* apparuit. Scivit autem *Soldanus* eum eſſe unum de Nobilioribus captivis, de reliquis autem ignoravit. Et ait *Soldanus* ipſi Comiti: Habeone ego

aliquem

1241. aliquem Magnatem de genere *Francorum* captivum præter te? Cui cùm reſponderet Comes, dicens, non: cùm mallet eum potiùs ignorare quàm ſcire; ut faciliùs ſequeretur redemptio: *Soldanus* facta diligentiori inquiſitione, comperit in carcere ſuo fuiſſe *Richardum* Vicecomitem de *Bello monte*, & quoſdam alios Nobiles *Francos* & Magnates: & iratus pro mendacio Comitis, licet pio, ipſum in arctiorem, ſcilicet ad caſtrum dictum *Maubech*, tranſmiſit cuſtodiam. Deteſtati ſunt igitur Principes *Saracenorum*, fraudes *Francorum* & fallacias. *Soldanus* igitur *Damaſci* cum quodam potente ſibi conſanguineo *Saraceno*, dicto *Rooch*, cum quo bellum habuit, & pro illo noſtrorum invocaverat auxilium, & fœdus inierat; clam pacem compoſuit, contra formam fœderis initi cum *Chriſtianis*, ut prædictum eſt, fidem non habens dictis aut compotionibus eorum. Confuſus eſt igitur exercitus *Chriſtianus*, & ſpes ejus languit defraudata.

Rex Arragoniæ & Comes Britanniæ *pacem faciunt cum domino de* Nazre.

His igitur cognitis, anno declinante, declinavit & degeneravit nimis *Francorum* innata nobilitas. Indignantes enim Rex *Arragoniæ* & Comes *Britanniæ*, & quidam alii *Francorum* Magnates in *Terra ſancta* commorantes; quòd fama Comitis *Richardi* fœlix ſuſcepit incrementum, & quòd ipſi facti ſunt quaſi mutilatus exercitus, & reliquiæ multitudinis jam diſperſæ; invidiæ ſtimulis exagitantur: contemnentes Comitis juventutem, & tam nationem *Anglicanam*, quàm ipſius inexpertam teneritudinem. Clanculò igitur abierunt ad Primates *Saracenorum*, ignorante communi exercitu; & ab eiſdem non minima accepta pecunia, treugas eis decennales conceſſerunt. Et clam compoſitis ſarcinis, & repletis auro clitellis, portum *Joppenſem* intrantes, à *Terra ſancta* inhoneſtè nimis receſſerunt.

Mors Johannis filii Roberti.

Hoc etiam anno obiit *Johannes filius Roberti*, vir nobilis, & unus de præcipuis Baronibus in plaga *Angliæ* Boreali.

Nova ſtructura corruit.

Eodemque anno, ſtructura lapidea cujuſdam nobilis portæ, quam ſumptuoſo nimis labore Rex conſtruxerat, quaſi quodam terræ motu concuſſa, cum ſuis antemuralibus & propugnaculis nocte ſancti *Georgii* corruit. Quo audito, Rex, multiplicatis ſumptibus, juſſit illud opus ruinoſum reſtaurari, & in melius redintegrari.

Varii eventus totius anni.

Transiit igitur annus ille Regno *Angliæ* inimicus, eccleſiæ ſanctæ adverſarius, Orientalibus nocivus & Occidentalibus, aridus per tres menſes continuos, à Martio ſcilicet & deinceps, pluvioſus per reliquos, frugifer tamen & fructuoſus: ſed Autumnus nubilus & pluvioſus frugum abundantiam pro parte magna ſuffocavit. In partibus verò *Italicis* pluviarum inundantia, quæ in fine anni illius à proclivis montibus in planities ſe diffudit, vix unum pontem in *Italia* integrum deriliquit.

Prodigioſa pugna piſcium in mari.

Etsi magna & inaudita mirabilia in hoc anno contigerint, unum quod eſt mirabilius huic operi duximus interſerendum. Balenæ enim circiter undecim, præter alias belluas marinas, in littore maris *Angliæ* contermino mortuæ, & quaſi in aliquo certamine læſæ, non tamen ab humano impetu vel induſtria, ſunt projectæ: ſicut natura maris eſt Morticina ad aridam projecta evomere. Unde nautæ & ſeniores, maris confinia inhabitantes, qui viderunt mirabilia in profundo, facientes operationes in aquis multis, & negotiationes in partibus remotis, aſſerebant, bellum fuiſſe inauditum inter piſces, belluas, & monſtra marina, quæ ſeſe adinvicem mordentia & collidentia, alterno impetu interemerunt: unde mortua ex illis ad littora ſunt projecta. De quorum piſcibus unus, monſtruoſæ immanitatis bellua, in *Tameſim* fluvium veniens, vix inter pilas pontis illæſus pertranſivit. Ad manerium autem Regis, quod *Mortelac* dicitur, inſequentibus multis navigatoribus, innumerabilibus jaculorum ictibus vix tandem eſt peremptus. De quo jocoſè quidam ait verſificator:

Venerat ad funus Thetidis de piſcibus unus,
Quem Rex Neptunus miſit quaſi nobile munus.

Legatus conatur pecuniam à Monachis Ciſtercienſis *ordinis emungere.*

Ipsoque anno, Legatus, ut pecuniæ plus emungeret, appoſuit & manum, ut à Monachis *Ciſtercienſis* ordinis ſuæ avaritiæ ſatisfaceret, procurationes inſtanter exigendo. Sed ipſi viriliter contradicendo, curiam *Romanam*, privilegiis ſuis innitentes, ut contra hanc improbitatem imperarent, adierunt; literas eidem Legato ſub hac forma reportantes.

Litera Papalis.

Gregorius *Epiſcopus, &c. Legato* Ottoni, *&c. Licet tibi, ſi bene meminimus, nuper direxerimus ſcripta noſtra, ut liceat tibi de Monaſteriis* Ciſtercienſis *ordinis procurationes exigere moderatas, indulgentia conceſſa eidem ordini non obſtante: quia tamen non eſt intentionis noſtræ, nec credimus eſſe tuæ, ut contra ipſorum indulgentiam procurationes ab eis pecuniariæ exigantur; mandamus quatenus cibis regularibus contentus, abſque eſu carnium, cùm ad eos acceſſeris, prout in prædicta indulgentia continetur, procurationes pecuniarias occaſione literarum hujuſmodi non patiaris exigi ab eiſdem.*

S. Elizabeth *&* Hildegaris *florent in* Alemania.

Ipsis quoque temporibus, ſancta *Elizabeth* in *Alemania* innumeris coruſcavit miraculis: adeò quòd fidelium turbæ peregrinorum, etiam à Barbaris regionibus & remotis, ad ſuam tumbam beneficia petituræ catervatim properarunt. Hæc dum hujus mundi incola fuit, uxor cujuſdam Magnatis, ſcilicet *Andegravii*, extiterat. Quo defuncto, ipſa mundi pompam cum ſuis delectationibus conculcavit, licèt abundans divitiis, & ſtirpe generoſa prognata eſſet, utpote filia Regis & Reginæ *Hungarorum*, ut Prælati ac religioſi tantam admirarentur in muliere ſanctitatis perfectionem.

Sancta

1241.

Sancta quoque *Hildegaris*, primò incluſa, poſteà Abbatiſſa, admirabilis ſanctitatis domina; ut in quam, dum in hoc ſæculo viveret, per ſoporem quadriduanum immiſit Dominus ſpiritum Prophetiæ, & perfectam ſubitò literarum ſcientiam; ſcilicet tempore *Alexandri* Papæ, famoſa valde facta eſt. Et quia de novis fratribus, & eorum ſtatu & prædicatione, ac ſubita & inopinata provectione manifeſtè prophetavit, & expreſsè præloquuta eſt, ut præſens tempus verum perhibet teſtimonium; facta ſunt ejus dicta per diverſa mundi climata celebria, & Magnatibus approbata.

Imperatrix gravida.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, cœpit dominus Imperator *Anglos* ſpecialiùs cæteris nationibus diligere, gratia Imperatricis *I.* ſororis Regis *Angliæ*: quæ forma & moribus præcellens, omnium favorem ſibi comparavit. Inſuper jam gravida, Auguſto ſponſo ſuo ſpem uberioris fructus propagandi repromiſit: ſed ſiniſtro ſydere multò aliter quàm ſperabatur contigit, ſicut ſequens narratio prolixiùs declarabit.

Rex Legatum in Regali ſede collocat.

ANNO gratiæ milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, qui eſt annus Regni Regis *Henrici* Tertii vigeſimus quintus, tenuit idem Rex curiam ſuam *Londini*, ſcilicet apud *Weſtmonaſterium*, ubi Magnates Regni quàmplurimi feſta cum eo Natalitia celebrarunt. Die igitur Natalis Domini, ad inſtantiam Legati, cui Rex ſummoperè placere ſtuduit; cinctus eſt ab ipſo Rege balteo militari nepos ipſius Legati, nomine *Advocatus*, eidemque quoque redditum contulit Rex triginta librarum properanter, quem idem tyro ſtatim vendidit; ſciens ſe in proximo cum domino ſuo receſſurum. Et eodem die Rex quendam *Provincialem* cingulo ſimili ſolenniter inſignivit, & redditu ditavit opulento. Finitis itaque in eccleſia ſolenniis; Rex in ampliori Regia *Weſtmonaſterii* pranſurus, Legatum, quem ad prandium invitaverat, in eminentiori loco menſæ, ſcilicet in Regali ſede, quæ in medio menſæ eſt, non ſine multorum obliquantibus oculis, collocavit. Ipſo nempè Rege à dextris ipſius, *Eboracenſi* verò Archiepiſcopo à ſiniſtris ejus ſeſſionem accipientibus, conſederunt conſequenter tam Prælati quàm cæteri Magnates, ſecundum ordinem ſuæ dignitatis ac poteſtatis, Rege ſic volente & convivas diſponente. Quarto verò die Dominicæ Nativitatis, Legatus à domino Papa irrefragabiliter ad *Romanam* curiam revocatus, accerſitis *Angliæ* Prælatis valedicens, verſus mare iter arripuit tranſalpinum. Quem cum ſtrepitu tubarum ſuarum, & innumerabili multitudine nobilium concomitantium, pômpoſe nimis uſque ad maris Rex duxit confinia. Et tandem cùm ab invicem ſeparandi, hinc Rex, hinc Legatus receſſerunt, profunda traxerunt ſuſpiria, quòd tam citò disjungerentur: licet ſæpedictus Legatus in Regno *Angliæ*, ad irreſtaurabile damnum eccleſiæ, moram jam traxiſſet triennalem.

Diſceſſio Ottonis Legati ex Anglia.

IGITUR in craſtino Epiphaniæ, apud *Doveram* Legatus navem aſcendens, poſt Regales amplexus & oſcula, Legationis depoſuit inſignia; & transfretans, apporriatam *Angliam* à tergo ſalutavit; nullo præter Regem, & quos idem Legatus bonis Regni ſaginaverat, de receſſu ſuo condolente. Nec remanſit eadem hora, ut veraciter dicebatur, in *Anglia* tantum pecuniæ, (exceptis ſanctorum vaſis & ornamentis eccleſiarum) quantum à Regno jam extorſerat *Anglicano*. Præbendas autem, eccleſias, & varios redditus opimos plus quam trecentos, ad ſuam vel Papæ contulerat voluntatem. Unde regnum quaſi vinea expoſita omni tranſeunti, quam exterminavit aper de ſylva, miſerabiliter languit deſolatum. Reliquit autem dictus Legatus eccleſiam *Cantuarienſem*, quæ eſt inter omnes *Angliæ* eccleſias nobiliſſima, nimis perturbatam, & in viduitate languentem, cum multis aliis Cathedralibus & Conventualibus eccleſiis, omni ſolatio deſtitutis. Nec ulla infirma terræ ſolidaverat, ut manifeſto argumento monſtraretur, quòd non miſſus erat ad oves quæ perierant protegendas, ſed ad pecuniam, quam invenerat, vindemiandam. Idcircò meritis multipliciter exigentibus, Domino flagellante, per Imperatorem præparantem muſcipulas, illa præda meruit ſpoliari; factus præda de prædatore, ſecundum illud Propheticum: *Væ qui prædaris: nónne tu prædaberis?* Sed hæc inferiùs ſuo loco pleniùs deſcribentur.

P. de Sabaudia in Angliam venit.

CIRCA eoſdem dies, *Petrus* de *Sabaudia*, avunculus Reginæ, cui Rex Comitatum de *Richemundia* contulerat, venit in *Angliam*, quam ſibi ſenſerat fructuoſam. Quem Rex adventantem occurrens, cum gaudio ſuſcepit incomparabili, ſe ſuaque conſiliis ejus exponendo, & ipſius terras cum donativis plurimis ampliando.

Continuæ ventorum procellæ.

TEMPORIBUS etiam ſub eiſdem, præcipuè ipſo die Circumciſionis Dominicæ, & plurimis ſequentibus diebus continuatis, ventus Borealis ſupra modum impetuoſus, ædificiis & arbuſtis damnoſus, & per mare velificantibus periculoſus, tam terræ quàm freto damna irreſtaurabilia irrogavit, ut humani generis conditioni aër conturbatus videretur concordare.

P. de Sabaudia miles creatur.

DIE verò ſancti *Edwardi*, quem Rex miro cultu & ampliato honore ſolenniſando ſtudet ſerenare, idem Rex prædictum *Petrum* de *Sabaudia*, cum quindecim aliis præclaris juvenibus, ut feſtum pro eo ſuperſtitioſiùs ampliaret, in eccleſia ſancti *Petri Weſtmonaſterii* militari cingulo decoravit. Et in craſtino, ſcilicet die Epiphaniæ, in magno Palatio ſuo, propter ipſum *Petrum*, cum innumera multitudine convivantium, lautè nimis & feſtivè ſolennitatem tyrocinii ſui primitias conabatur epulando magnificare. Cives quoque *Londinenſes* Regali edicto ſubmoniti, tantis exultationibus coacti, quilibet ſub pœna centum ſolidorum ſolvendorum, intereſſe, illuc advenerunt qui Majores civitatis dicebantur, feſtivi & quaſi in nuptiis redimiti.

1241.

Electio Nicolai *de* Fernham *in Epiſcopum* Dunelmenſem.

DIEBUS etiam ſub eiſdem, Monachi *Dunelmenſes*, poſt multos labores inutiles, & ſumptuoſarum expenſarum effuſiones multiplices, cedente Priore *Dunelmenſi* præelecto, & ſic ejuſdem electione caſſata, elegerunt unanimiter, invocata Spiritus ſancti gratia, magiſtrum *Nicolaum* de *Fernham*, virum moribus & ſcientia commendabilem, in Epiſcopum & Paſtorem animarum ſuarum. Rexerat autem ipſe dictus *Nicolaus* in artibus Pariſiis per plures annos. Deinde de arte Medicinæ *Bononiæ*, in qua claruit gratioſus & peritus excellenter. Hic etiam poſtquam in Dialectica & arte Phyſicali & naturis ad plenum eruditus, ad Medicinam ſe poſteà conferens, ſpiritualem videlicet Theologiam, ipſa ſcientia & librorum copia ſe adeò reſtauravit, ut lecturiens ad cathedram aſcendendam ſufficeret magiſtralem. Ipſum igitur quaſi expertum, & ſcientia multipliciter & moribus commendabilibus inſignitum, peritorum conſilio Rex & Regina ad ſuarum vocaverunt animarum & corporum cuſtodiam & conſilium familiare, hoc conſulentibus & procurantibus *Ottone* tunc Legato, & Epiſcopo *Carleolenſi*, & aliis ſecretis Regis conſiliariis. Ubi cùm proſperè & prudenter ſe haberet, ad dicti Pontificatus dignitatem electus non adquievit. Videbatur enim ei inhoneſtum, illi conſentire electioni, cùm paulò antè, quando in Epiſcopum *Coventrenſem* eligeretur, renunciavit, nolens quomodolibet conſentire. Igitur, ut obſtrueretur os loquentium iniqua, qui fortè dicerent, Ecce hic Hypocrita, pauperi Epiſcopatuì renunciavit, exſpectans uberiorem, ſummo conamine reluctabatur. Donec Epiſcopus *Lincolnienſis R.* eum ſuper hoc graviter redarguens, efficaciter ipſum ad hoc perſuaſit, ut conſentiret, hoc modo: Ecce Monachi *Dunelmenſes*, & eorum eccleſia deſtituta paſtore, lachrymis obortis ſolatium flagitant paſtorale, nec conſentis, cùm canonicè eligaris? Adjuro per aſperſionem ſanguinis *Jeſu Chriſti*, ut hoc onus ſubeas & honorem: quia Rex nullo modo, niſi manifeſtè deſiperet, veſtram reprobabit electionem. Si autem non conſentias, Rex ibi apponet ſua machinatione aliquem alienigenam & degenerem, necnon & imperitum, in ſubverſionem eccleſiaſticæ dignitatis, & periculum totius Regni, cùm ſit *Dunelmenſis* Epiſcopatus in confinio Regnorum *Angliæ* & *Scotiæ*, & ſint caſtra *Dunelmenſis*, ſcilicet *Norham* & *Dunelmum*, *Angliæ* ex parte illa repugnacula contra omnium inimicorum inſultus. Quod cùm audiſſet dictus magiſter *Nicolaus*, ab imo trahens ſuſpiria, ait; Amplector virtutem obedientiæ. In dioceſi veſtra mea habui ex gratia veſtra quæ obtinui beneficia; paternis igitur veſtris monitis tempero. Monachi igitur *Dunelmenſes* gaudentes eum Regi præſentaverunt, tanquam ſuum electum. Rex autem ejus electionem gratanter acceptans, cùm in electo vel electione nihil poſſet rationabiliter repræhendere, ſuſcepit electum ſine moræ diſpendio. Qui citò poſteà fœliciter eſt confirmatus.

Judæi *pecunia mulctantur.*

Eodem quoque anno, *Judæi* ad graviſſimam redemptionem ſunt coacti, ſcilicet ad viginti millia marcarum duobus terminis illius anni, ſub pœna exilii vel perpetui carceris, perſolvendarum.

Præparatio torneamenti.

IPSO quoque anno, *Petrus* de *Sabaudia*, Comes *Richemundiæ*, torneamentum quoddam cepit quaſi hoſtile adverſus Comitem *Bigod*; ut in quindena Paſchæ apud *Norhamton* experirentur alienigenæ cum *Anglicis*, qui eorum in haſtiludiali certamine ſtrenuiores viderentur. Quod cùm Rex cognoviſſet, favens parti Comitis *B.* multorum corda *Anglorum* de nobilioribus & præſtantioribus, tam minis quàm muneribus corrupta, cœpit inclinare, ut alienigenarum pars prævaleret. Ex quibus fuerunt Capitanei, *Johannes Biſet*, Prothoforeſtarius *Angliæ*, cum ſuis complicibus multis, & *Gilebertus Baſſet*, ſtrenuiſſimus miles, cum ſua ſequela, & alii, quos longum eſt numerare. Quid plura? Sic procurante Rege elaboratum eſt, quòd licet Comes *Mareſcallus G.* & pars potiſſima nobilitatis *Anglicanæ* confœderarentur, pars alienigenarum, imminente tempore torneamenti, fortior apparuit & numeroſior. Quod *Anglici* nimis moleſtè ferentes, magnam contra talia machinantes indignationem conceperunt, *Anglorum* ignobilem flexibilitatem deteſtantes. Rex autem ſaniori fretus conſilio, & pœnitens ſe maluiſſe extraneos quàm ſuos in martio ludo triumphaſſe, expeditiſſimum nuncium, ſcilicet fratrem *J. Templarium*, Eleemoſynarium ſuum, ad eos deſtinavit, ut infauſtum torneamentum illud, jam per omnia uſque ad congreſſum hoſtilem præparatum, Regiis literis prohiberet.

Mors G. Baſſet *& filii ejus.*

Eodemq; anno, prædictus *G. Baſſet*, cum equo ſuo in quodam nemore, cùm venatum iret in Autumno, ſtipite offendiculum faciente, corruit, & diſſipatis oſſibus, & nervis diſſolutis, protractis paucis diebus, animam exhalavit. Et citò pòſt, filius ejuſdem *G.* unicus & hæres, parvulus, in octavis aſſumptionis ſanctæ *Mariæ*, in confuſionem totius generis & dolorem, migravit ab hoc ſæculo; Hæreditate ad *Fulconem Baſſet*, Decanum *Eboracenſem*, fratrem dicti *G.* conſequenter devoluta.

Obitus Johannis Biſet.

Et eodem tempore, ſcilicet infra Octavas aſſumptionis beatæ Virginis, *Johannes Biſet*, ſummus *Angliæ* Foreſtarius, de quo mentionem prælibavimus, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

EJUSDEM autem temporis arridente ſerenitate, Comes de *Alba marla*, *Willielmus* ſcilicet de *Fortibus*, miles ſtrenuiſſimus, *Petrus* de *Mololacu*, natione *Pictavenſis*, diuque in clientela Regis *Johannis* educatus & ditatus, *Ebelinus* de *Rocheford Pictavenſis*, *Johannes Anſard*, *Alexander* de *Hiltuna*, *Galfridus* de *Chandelers*, & alii multi nobiles de Regno *Angliæ*, valedicentes amicis ſuis, & orationibus religioſorum ſe commendantes, iter *Hieroſolymitanum* cum magno apparatu arripuerunt. Qui circa tempus Autumnale naves in mari mediterraneo aſcendentes, tranſfretarunt.

EODEM anno, crux ſancta, quæ poſt tempora *Saladini* repoſita fuerat apud *Damiatam*, uſque ad pugnam infœlicem, per quam ipſa civitas primò adquiſita, & poſteà flebiliter amiſſa, ceſſit in poteſtatem *Saracenorum*, eſt in Regnum *Francorum* delata; Rege *Francorum* & matre ejus B. id prudenter procurantibus, & poteſtati eorum *Chriſto* propitiante, & pro eadem cruce multa data pecunia, eſt fœliciter mancipata. Quæ crux in prima emptione, viginti quinque millibus librarum empta fuit à *Venetis*, qui eam tenuerunt à duobus filiis Regis *Hieruſalem I.* qui indigentes pecunia, *Græcos* impugnârunt. Et poſteà *B.* ipſam plus obligavit, & poſteà vendidit eam Regi *Francorum Lodovico*. Die ſiquidem Veneris, quæ proxima diem Paſchæ præcedit, qua ſcilicet Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* pro mundi redemptione vivificæ crucis eſt affixus patibulo, apportabatur eadem crux *Pariſiis*, ſcilicet ab eccleſia ſancti *Antonii*, juxta quam compoſita fuit cujuſdam ſtationis machina, in quam Rex ipſe aſcendens cum utraque Regina, ſcilicet matre ſua *B.* & uxore ſua *M.* cum fratribus ejuſdem Regis, præſentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis viris religioſis, necnon & nobilibus *Francorum* Magnatibus, cum innumerabili populo circumſtante, cum cordis jubilo tam glorioſum ſpectaculum exſpectante, crucem ipſam in altum elevavit lachrymis obortis, incipientibus qui præſentes erant Prælatis voce altiſſima: *Ecce crucem Domini.* Et cùm omnes veneranter ac devotè ipſam adoraſſent, Rex nudus pedes, in laneis, diſcinctus, capite diſcooperto, triduano jejunio anticipato, edoctus exemplo nobiliſſimi triumphatoris *Eraclii* Auguſti, versùs *Pariſiacam* urbem, & uſque ad eccleſiam beatæ Virginis Cathedralem bajulavit. Et cum conſimili devotione, confeſſionibus, jejuniis, & orationibus expiati, fratres dicti Regis cum Reginis ſupradictis pedetentim ſequebantur. Portabant etiam ipſi coronam ſpineam, quam ſimili ſchemate in propatulo elevantes, populi conſpectibus præſentârunt, quam divina Regno Francorum anno præterito miſericordia contulerat, prout priùs enarratur. Supportabant autem nobiles quidam brachia Regis, & fratrum ejus, tam pium onus bajulantium, ne fortè fatigati, cùm aſſiduè in cœlum brachia elevarent, cum ipſo impreciabili theſauro deficerent, ſublevârunt. Et hoc circumſpectè ipſis Prælatis ſic volentibus factum eſt, ut ipſi quorum prudentia tanta gloria fuerat adquiſita, eſſent etiam circumſtante populo ad inſtar *Eraclii* (de quo fecimus mentionem) illo modo veneranter attrectata. Cùm igitur perventum eſſet ad eccleſiam Cathedralem, pulſatis omnibus in civitate ſignis, orationibus quoque ſpecialibus ſolenniter perlectis, reverſus eſt Rex ad majus palatium ſuum, quod eſt in media urbe, deferens crucem ſuam glorioſè, fratribuſq; ejus coronam, conſequente Prælatorum ordinata proceſſione, qua nunquam viſa fuit in Regno *Francorum* ſolennior aut jocundior. Univerſi igitur & ſinguli Dominum, qui Regnum *Francorum* præ omnibus aliis ſpeciali complectitur dilectione, conſolatur, & tuetur, junctis manibus glorificârunt. Sic igitur Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, Rex Regum, & Dominus Dominantium, cujus judicia abyſſus multa, in cujus manu corda ſunt Regum, dans ſalutem quibus vult, ipſum Regnum *Franciæ* his tribus dotavit & ditavit in brevi tempore beneficiis precioſis, videlicet corona prædicta & cruce Domini, de qua jam dictum eſt, & corpore beati *Ædmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi & Confeſſoris, inauditis miraculis evidenter coruſcanti. Rex igitur *Francorum*, non procul à palatio ſuo, capellam mirifici decoris dicto theſauro Regio convenientem juſſit fabricari; in qua ipſum honore condigno poſteà collocavit. Præterea, Rex *Francorum* habet in capella ſua *Pariſienſi* pulcherrima, clamydem *Chriſti*, lanceam, id eſt, ferrum lanceæ, & ſpongiam, & præter hæc innumerabiles reliquias. Unde dominus Papa conceſſit omnibus eas adeuntibus in capella *Pariſienſi* orandi cauſa, quadraginta dies relaxationis.

1241.

Rex Francorum crucem & coronam Domini ſpectandas populo exhibet.

ANNO quoque eodem, *Waldemarus* Rex *Daciæ*, poſtquam quadraginta annis regnaverat, qui auſu temerario comminatus eſt *Angliæ* fines invadere, & hoſtiliter impugnare, multiplicans loqui ſublimia gloriando, ſublatus eſt de medio. Et ut efficaces ſentiret beati *Ædvardi* preces, quas Deo fuderat in *Anglorum* protectionem contra *Danorum* tyrannidem, filius ejuſdem Regis *Daciæ* unicus, & hæres univerſorum, viam univerſæ carnis ingrediens, Regnum *Dacorum* totum reddidit deſolatum. Iſte Rex *Dacorum Æthelmarus* obiit centenarius ætate. Regnavit autem in *Dacia* quadraginta annis, & ampliùs. Ipſe ferè omnibus diebus vitæ ſuæ, poſtquam aptus fuit armis, infideles perſequebatur, ſcilicet in *Scythia*, & in *Friſia* & *Ruſcia*. Unde in vita ſua ſex Epiſcopatus magnos conquiſivit, & in eis totidem Epiſcopos fecit ordinari. Poſt cujus mortem & filii ſui primogeniti, inſurrexerunt duo filii ſui ætate minores, ſcilicet *Henricus* & Dux *Abel*, qui ſibi in alterum cœperunt cruentiſſimum bellum movere, unde Regnum diviſum deſolatum eſt. Eodémq; anno *Walterus* de *Laſcy*, vir inter omnes nobiles Hyberniæ eminentiſſimus, poſt viſus ſui privationem, & multas alias corporis ſui afflictiones, ex hujus ſæculi tranſiit incolatu.

Mors Regis Daciæ & filii ſui.

Mors Walteri de Laſcy.

CIRCA dies illos, cuidam Presbytero viro ſancto & prudenti, in nocturnâ viſione revelatum eſt, quòd quidam Archipræſul Pontificalibus ornatus, crucem in manu ſua bajulans, venit ad mœnia, quæ tunc Rex juxta Turrim Londinenſem conſtruxerat, & torvo ea vultu reſpiciens, impulit ipſa fortiter & impetuosè cruce quam portabat dextera, & ait: Ut quid reædificamini? Et ſubitò corruerunt mœnia de novo conſtructa, quaſi quodam terræ motu labefactata. Et his viſis Sacerdos perterritus, ait cuidam clerico, qui videbatur ſuum ſequi Archipræſulem, Quis eſt hic Archiepiſcopus? Et ille: Beatus *Thomas* Martyr, natione *Londinenſis*, qui conſiderans hæc fieri in contumeliam & præjudicium *Londinenſium*, diruit irreſtaurabiliter. Et Sacerdos: O quot expenſas & artificum labores irritavit! Cui clericus: Si pauperes artifices ſtipendiis inhiantes &

Viſio mirabilis nocturna.

1241. indigentes inde ſibi victualia promeruerunt, tolerabile eſt: ſed quia non ad Regni defenſionem, ſed ad innocuorum civium gravamen conſtructa ſunt, ſi non ea beatus *Thomas* diruiſſet, ſanctus *Edmundus*, Confeſſor & Succeſſor ejus, crudeliùs ea funditùs evertiſſet. Et his viſis memoratus Sacerdos expergefactus ſomno, ſurrexit, & in medio noctis conticinio palàm, quæ ſibi videbantur, omnibus in domo exiſtentibus enarravit. Mane autem facto, per totam civitatem *Londinenſem* rumor increbuit, quòd mœnia circa turrim ædificata, pro quibus conſtruendis Rex pluſquàm duodecim millia marcarum effuderat, irreſtaurabiliter corruerunt, multis admirantibus, & quaſi pro malo prænoſtico præconantibus, quòd eadem nocte, imò eadem hora noctis anno præterito, ſcilicet nocte ſancti *Georgii*, ipſa muralia cum ſuis propugnaculis corruerunt. Pro quo caſu cives *Londinenſes* minimè dolentes, vehementer obſtupuerunt. Erant autem eis quaſi ſpina in oculo. Audierant itaq; minas objurgantium, quòd conſtructa erant memorata mœnia in eorum contumeliam, ut ſi quis eorum pro libertate civitatis certare præſumeret, ipſe recluderetur, vinculis mancipandus. Et ut plures pluribus includerentur carceribus, multa in eiſdem diſtinguebantur diverticula, ne quis cum alio haberet confabulationem. Eodémq; tempore, Rex à Majori *Londinenſi* annuum quadraginta librarum redditum, quem ſolebant annuatim quilibet pro ſuo tempore ſibi ad ſui ſtatus ſuſtentationem honorificam, de communi civitatis, quaſi de Republica, recipere, abſtulit violenter. Intimatum enim erat ei, quòd ſub prætextu illius collectæ ſub certa forma limitatæ, in pauperes manum aggravans, multo plus ſibi conceſſo, in loculis ſuis Major civitatis ſibi furtim reponebat. Juraréq; coegit Rex *Girardum Bat*, tunc Majorem, nec ipſum cenſum ſe ampliùs collecturum & ſuſcepturum, vel alium pro poſſe ſuo ſibi colligere permiſſurum. Et hæc acta ſunt in capella ſancti *Stephani* apud *Weſtmonaſterium*.

Nec multum poſt, cives *Londinenſes*, contra conſuetudinem & libertatem civitatis, quaſi ſervi ultimæ conditionis, non ſub nomine aut titulo liberi adjutorii, ſed tallagii, quod multum eos angebat, Regi, licet inviti & renitentes, numerare ſunt coacti.

Imperator prohibet Prælatos ad Concilium convenire.

CIRCA eorundem temporum curricula, dominus Imperator ſatis ſubtiliter conſiderans, quòd ſi Concilium generale celebraretur, cui præſidere habuit ejuſdem capitalis adverſarius, ſcilicet dominus Papa, & cui obedire habebant omnes Prælati aſſeſſores, quaſi membra ſuo capiti, ad ſe reverſus cœpit vehementer ſibi formidare, & ſibi præcavens, ait optimatibus ſuis: Anguſtior undique, & circumventus oppreſſuris variis torqueor, Imperio periculis jam imminentibus. Quia, ſicut jam paratum eſt, ſi Concilium generale convocetur celebrandum, præſidente inimico meo capitali, cui non audebunt contradicere præſidentes Prælati ſibi ſubjecti, me cum Imperio irreſtaurabiliter condemnabit. Eſt enim Papa meus inſatiabilis inimicus & adverſarius manifeſtus, potens quemcunque eorum ſuæ voluntati obvium, à gradu ſuæ dignitatis deponere, imò depoſitum anathematis vinculis innodare, & in deterioris pœnæ confuſionem præcipitare: longè aliter periclitatur cauſa noſtra & Imperii conditio, necnon & omnium Principum, quam ſolus amplector contuendam. Reges orbis & Principes, quorum etiam cauſam, eorum factus Syndicus, foveo, ad meam non venirent vocationem, vel mihi obedirent, nec mihi ſubjiciuntur, ut poſſem eos cogere vel punire contumaces. Ipſorum igitur adminiculo deſtitutus & præſentia, dubio foro committam Imperialis culminis cauſam digniſſimam, & inimici ejus judices erunt? Abſit hoc me ſuperſtite. Quibus rationibus ac perſuaſionibus conſentientes Magnates ſui, providebant, quòd, licèt ſui honoris præjudicium redundare videretur, ut mutaretur antecedens conſilium, tamen propter eminens periculum jam declaratum, Concilium quod priùs conceſſerat impediretur. Ipſos igitur Prælatos, cœpit Imperator efficaciter literis ſuis commonere, ut ad Concilium generale celebrandum, juxta Papalem advocationem, venire nequaquam feſtinarent. Ex tunc igitur Prælatos, qui per terram *Romanam* curiam adierunt, tam in perſonis, quàm eorum procuratoribus, impedire, & ſuis renuentes perſuaſionibus obtemperare, hoſtiliter impugnare, capere, incarcerare, & torquere, necnon & plures morte plectere deteſtanda, non ceſſabat Imperator. Quod cum audiret dominus Papa, in eundem multiplicavit maledictiones & convicia, congeſſit excommunicationes, ſententias innovavit. Arctabantur igitur hinc inde Legati, quos in virtute obedientiæ præceperat Papa, omnium pater ſpiritualium, ad inſtans Dominicæ Reſurrectionis feſtum Paſchale, ad Concilium, quod ſalubriter præparaverat ac procuraverat, convenire: inde repagulum contradictionis & impedimentum Imperialis ſententiæ formidabant. Hinc *Scylla*, inde *Charybdis* voraginis periculum minabatur. Vacillantium igitur corda Prælatorum, etiam ſingulorum, dominus Papa ſolummodò tenore epiſtolæ ſuæ ſub hac forma exiliter conſolabatur hoc modo:

Literæ Papales.

GREGORIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri, tali Epiſcopo, vel tali, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Petri *navicula, matris eccleſiæ ſinus, quaſi negociorum operta fluctibus, & quæſtionum urgentium agitata procellis, dexteram* Jeſu *Salvatoris implorat. Ea quidem flatibus Aquilonis impulſa, dormire videtur dominus, nutant diſcipuli, nautæ quaſi naufragii verentur ventum & eventum, populi trepidant, clamat* Petrus: *utinam tepeſcentibus cæteris, ſaltem porrigerent filii opem & operam conſilii ſalutaris, nec ipſam fluctus involvat, nec pirata crudelis abducat. Porro, fœdere naturalis pactionis irrupto, fides quatitur, charitas refrigeſcit, tepeſcit devotio, creſcit & invaleſcit iniquitas in dominum & proximum commiſſura, ex quibus fidei* Chriſtianæ *profectibus evidens præſtatur obſtaculum, ſequuntur diſpendia, & plebs devota fidelium, beneficio quietis excluſo, variis moleſtiis fatigatur. Quæ communis ſtatera judicii Apoſtolicæ dignitatis autoritas, juſtæ diſ-*

cuſſionis

cuſſionis examine prudenter appendens, ut omnium generalis & una mater utilitati provideat, ſingulorum manus fortium, Regum videlicet, Prælatorum, Principum, & aliorum fidelium non indignè advocare decrevit, ut multiplicatis clamoribus dominum ſuſcitet dormientem, & plurium adjuta conſiliis, prementia faciat onera leviora, expeditionis optatæ portum fœliciter petitura. Inter quos, te frater Epiſcope, devotum eccleſiæ filium, & nobile membrum ipſius, ut venires ad matris eccleſiæ gremium, ad proximum venturum feſtum Reſurrectionis dominicæ, literis recolimus Apoſtolicis convocâſſe. Verùm, ſicut pro certo didicimus, ſingularis ille dudum eccleſiæ filius, Apoſtolico provectus & defenſus auxilio, de puero tunc omni deſtituto ſuffragio, ad Imperii culmen humero materno tranſlatus, ea non contentus injuria, qua mercede recompenſans, in qua patris irrumpit ſolium, matris exponere pudicitiam, & vendicare ſanctuarium indevotus intemptat, aſtutus ad hæc in ipſa armatur inſidiis, Prælatis nuper vocatis à nobis, acceſſum ſuis terroribus interdicens, ut nullius expers calumniæ, illam quam gravibus infeſtat moleſtiis, nec in filiorum patiatur ſolatio reſpirare. Cùm igitur tam ſanctum generalis utilitatis propoſitum ſub fiducia divini favoris aſſumptum, humanis non debeat verſutiis retardari, fraternitatem veſtram rogamus, monentes attentè per Apoſtolica ſcripta, & diſtrictè præcipiendo mandantes, Deum præferens homini, & difficultatibus omnibus, ob meritum fidei, anteponens, in ſupradicto termino ad ſedem Apoſtolicam accedere non omittas: ut mater filiorum roborata præſentia, hoſtis adverſantis obſtaculo providentia divina ſublato, piæ intentionis exordium fœlici conſummatione concludat. Nos enim ſuper omnibus quæ ad tantum negotium expediunt, annuente Domino, providere curabimus, prout tibi ex parte noſtra pleniùs exponetur. Datum Laterani, *Idibus Octobris, Pontificatus noſtri anno decimo quarto.* 1241.

Facti igitur æquanimiores Prælati, ad iter inchoatum præparaverunt imperterriti, ſperantes indubitanter, quòd dominus Papa, Deo favente, ſaltem per mare vias ſibi ſecuriſſimas præparâſſet. *Anglici* tamen, *Francorum* conſiliis adquieſcentes, obiterq; ad loca tutiora ſe transferentes, utpote *Norwicenſis*, & quidam alii, rei exitum ſub ſilentio cautiùs explorarunt.

I P S I S quoq; diebus, dominus Imperator civitatem *Faventiæ* in *Italia* diu jam obſeſſam, in tantum jam arctavit, ut qui obſeſſorum fortiores & ditiores videbantur, debiles jam effecti & pauperes, per portas & poſticos, vulgus populare, ne inutiliter annonam ſuam, jam ferè deficientem, conſumerent, exire compulerunt. In ſe enim fame & alia multiplici inedia tabeſcebant. Deinde acerbiùs macerati, uxores & liberos & ancillas egredi in mentis anguſtia violenter coëgerunt. Quæ credentes in Imperatore miſericordiam invenire, ſparſis crinibus & hirſutis, præſentiam Imperatoris adierunt: &, quas ſexus reddidit molliores & miſerabiliores, mulieres ante caſtra ipſius cum clamore lamentabili ſe proſternentes, poſtularunt, ut earum maritis miſericordia parceret Imperialis. Quas cùm audiret, nec exaudiret Imperator, cum magna indignatione reſpondit: Eant ad maritos & dominos ſuos, quos de læſa Majeſtate coram Deo & hominibus appello. Qui, quia mei quandóq; non miſerti ſunt, injuſtum eſt ut miſericordiam conſequantur. Me enim aliquando in ſua incluſum civitate, ante & à tergo portis ſeratis, ſubitò conjurati propoſuerunt ſuffocare, quando alium mihi ſimilem, & armis Imperialibus ſophiſticè redimitum, nequiter interemerunt, meipſum dominum ſuum indubitanter credentes ſuffocaſſe. Matri etiam meæ dedecus & injurias multiplices intulerunt, quando ſcilicet tranſeuntis per eorum civitatem, mannum ejus, ſuper quem ſedit, irreverenter mutilarunt, in bruto animali ſævientes, dignitati Regiæ, vel ſaltem ſexui non parcentes. Juſtum eſt igitur, ut ipſi recipiant talionem. Et cùm talem in miſeras fulgurâſſet ſententiam, compelli juſſit eaſdem marcentes, & jam penè inedia deficientes, ſuam ex qua jam exierant ingredi civitatem. Quod cùm cives cognoviſſent, ſuam intelligentes confuſionem, miſſis quibuſdam venerabilibus & ſolennibus nunciis, flebiliter domino ſuo Imperatori hanc humilitatem obtulerunt, ut ſcilicet liceret eis egredi civitatem, ſibi quaſi domino ſuo Imperatori magnifico reſignatam, ut & vita tantùm comite nudi cum fœmoralibus, in quemcunq; locum orbis terrarum eo mittente, vagi & exules perpetua paupertate plecterentur. Quorum ſupplicationi ſic reſpondit Imperator: Quia noluerunt in proſperitate ſua me dominum ſuum redeuntes cognoſcere, nec ego ipſos in tribulatione clamantes exaudiam. Qui enim, dum poteſt, quantum poteſt delinquit, dignum eſt, ut in quantum puniri poterit, puniatur. Quod cùm audiſſent cives, in abyſſum deſperationis demerſi, ſine ſpe remedii in ſua jam diſſipata civitate dolore marcuerunt vehementiori.

Miſeria civitatis Faventiæ.

E O D E M tempore, permittente vel procurante Papa *Gregorio*, adeò invaluit *Romanæ* eccleſiæ inſatiabilis cupiditas, confundens faſq; nefaſque, quòd depoſito rubore, velut meretrix vulgaris & effrons, omnibus venalis & expoſita, uſuram pro parvo, Symoniam pro nullo inconvenienti reputavit, ita ut alias affines provincias, imò etiam puritatem *Angliæ*, ſua contagione maculavit. Etſi multa, quæ ſe offerunt, exempla abundant, unum duxi, ut pateat quam juſtè, etſi ſero, excanduit ira Dei in dicta curia, breviter memorandum.

Curia Rom. ſimilis meretrici.

D O M I N U S Papa *Gregorius*, cuidam ſuo cupiens ſpeciali ſubvenire, miſſis in *Angliam* literis, quoſdam ſuper eccleſiis dignoſcitur ſic aggravare. Miſſum eſt tunc temporis Abbati & Conventui de *Burgo* mandatum Apoſtolicum, cum precibus armatis, & monitis terrificis, ut redditum alicujus eccleſiæ, cujus patronatus ad eos ſpectabat, quæ annuatim centum ad minus valeret marcas, Papæ conferrent. Et ſi in duplo plus valeret, bene ei complaceret: concederet autem dominus Papa ipſis illam eccleſiam tenendam ab eo ad firmam annuam, ita ſcilicet, ut pro ea

Papa petit redditum centum marcarum à Monachis de Burgo.

1241. annuatim centum marcas ſolverent domino Papæ, omne reſiduum in proprios uſus convertentes. Et ut memoratos Abbatem & Conventum ad conſenſum hujuſmodi proviſiônis (imò potiùs pernicioſæ pactionis, & Symoniæ, & occultæ fraudis) quaſi proprio uſui neceſſariæ, inde faciliùs dominus Papa inclinaret, ſcripſit quibuſdam clericis *tranſalpinis*, in *Anglia* optimè beneficiatis, ut ipſos ſuper hoc efficaciter admonerent, deinde compellerent, eis conceſſa poteſtate. Ipſi igitur Papalibus parentes juſſionibus, venerunt *Burgum*, vocatiſque Monachis dixerunt: Ecce fratres & amici, imminet vobis ad manum magnum Papale beneficium. Poſtulat enim à vobis, quod vos deberetis flexis genibus & junctis manibus ab ipſo humillimè poſtulare. Et cùm cuncta ſeriatim, quæ peteret Papa, explicaſſent, ſpoſponderunt ipſi, quòd, quaſi fidejuſſores & fideles executores, omnia hæc fideliter ex parte Papæ conſummarent, dummodò petita clam quaſi ſine ſcandalo concederent poſtulata, facientes de neceſſitate virtutem. Ipſi autem reſponderunt, ſe ſine Regis permiſſione hoc facere non poſſe, qui patronus eſt & fundator hujus & multarum in hâc regione eccleſiarum. At ipſi clanculò hæc fieri flagitabant, ſimilia in aliis eccleſiis facturos ſe ſperantes, & ab illa conceſſione ſumentes exempli conſequentiam. Monachi autem nolentes fallacibus circumveniri ſermocinationibus, inducias petierunt, donec Abbas eorum, qui tunc abſens erat, domum rediens, aſſenſum, ſi videret expedire, huic præberet poſtulationi. Miſerunt igitur ad Abbatem ſuum, hujus rei ſeriem eidem explicantes. Abbas autem, per quendam fidelem & prudentem clericum ſuum *Williel.* de *Burgo*, Regem & ejus ſuper hoc conſilium eſt affatus, intimans pericula quæ inde emergere poterunt. At Rex comperiens hujuſmodi factum eccleſiæ illius, & conſimili modo aliarum eſſe detrimentum, cùm ipſe ſit earum defenſor, patronus, & gubernator, laqueos abſconditos, & *Romanæ* curiæ deteſtans avaritiam, prohibuit diſtrictiùs, ne tam enorme factum ampliùs etiam aëra macularet.

S. Edmundus *miraculis claret.*

CIRCA illa tempora, ſolenne nomen & præclara memoria beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi, & ſanctitatis ejus miracula partes *Ciſalpinas* glorioſis præconiis fœliciter repleverunt, ita ut inauditis miraculis, quæ Deus pro ipſo operari dignatus eſt, Apoſtolorum tempora viderentur renovari. Unde quaſi in odore unguentorum ejus currentes Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Magnates ſolennes, cum utriuſq; ſexus populis innumerabilibus, ſepulchrum ejus apud *Pontiniacum* de remotis partibus adierunt, auxilium ejuſdem *Edmundi* devotiſſimè petituri.

In *Anglia* quoq; apud *Catebyam* domum ſanctimonialium, ubi dictus Archiepiſcopus *Edmundus* duas relinquens ſorores ſuas, ſcilicet ſanctimoniales, & charitatis intuitu uni earum ſuum dederat pallium, dignatus eſt Deus operari miraculosè, quòd multitudo ſignorum ibidem coruſcantium, ſpeciales & diffuſos tractatus poſtularet.

Monachi Cantuar. *abſolutionem à Papa impetrant, &* Bonifacium *eligunt in Archiepiſcop.*

TEMPORIBUS ſub eiſdem, Monachi *Cantuariæ Romam* ex parte Conventus deſtinati, pro abſolutione obtinenda, qua Archiepiſcopus eos terribiliter innodaverat, menſe Aprili à Romana curia redierunt. Qui impetraverant, ut exiſtentibus eorum negotii Abbate & Archidiacono ſancti *Albani*, & Priore de *Dunestaple* executoribus, ad cautelam abſolverentur.

Sed huic impetrationi antiquus eorum perſecutor, magiſter *Simon* de *Langetuna*, Archidiaconus *Cantuarienſis*, ſe ſtatim appellando oppoſuit contradicens: aſſerens conſtanter, quod per falſam ſuggeſtionem & veri ſupppreſſionem, fuerant literæ talis abſolutionis nequiter adquiſitæ. Sed ipſi, qui Regi certiſſimè promiſerant ſe *Bonifacium* in Archiepiſcopum ſuum electuros, juxta quod Rex devotiſſimè ſupplicaverat, gravem ſuper Archidiaconi *Simonis* illata injuria & excogitata malitia coram Rege querimoniam depoſuerunt. At Rex partem fovens Monachorum, & acceptans de *Bonifacio* promiſſam electionem, terribiliter eſt eidem *Simoni* Archidiacono comminatus, quòd ſi non à temerario propoſito ſuo quamcitiùs deſiſteret, Regiam cum effectu per omnia ſentiret indignationem. Quod cùm comperit dictus *Simon* Archidiaconus, ſciens quòd Papa in nullo Regem offenderet, & ſentiens ſe jam ſenem & inveteratum tranſalpinatorem, quievit, & à propoſito concepto reſilivit. Monachi autem *Cantuarienſes*, comperientes Papam & Regem ſibi viciſſim indulgere, & alter alterius quibuſcunq; precibus inclinari, elegerunt ſibi in paſtorem animarum ſuarum, invocata Spiritus ſancti & Regis gratia, *Bonifacium* electum de *Bal.* Hominem proceræ ſtaturæ, elegantem corpore, avunculum dominæ *Alienoræ*, illuſtris *Anglorum* Reginæ, Monachis tamen prænotatis, ſcientia, moribus, & ætate penitùs incognitum, & tantæ dignitati, reſpectu prædeceſſorum Archipræſulum *Cantuarienſium*, (ut dicebatur) inſufficientem: Hac tamen conſideratione, quia ſi alium elegiſſent, Rex adinventis exceptionibus quibuſcunque, electionem caſſaſſet reprobatam, qui favorem Papalem in omnibus obtinebat. Rex autem omnibus modis volens memoratum *Bonifacium*, vel jam electum, vel citò eligendum, promovere, & nomen ejus exaltare, ne fortè dominus Papa, quaſi inſufficientem, eundem reprobaret; imò ut potiùs videretur ſufficiens & idoneus tantæ dignitati, juſſit chartam confici, in qua commendabatur ſupra modum perſona dicti *Bonifacii*, & eidem ſcripto ſigillum Regium in teſtimonium appendit veritatis. Et miſit eam Epiſcopis & Abbatibus, præcipiens, vel imperiosè ſupplicans, ut & ipſi ſigilla ſua ſimiliter apponentes, hujus Regiæ aſſertioni certum teſtimonium perhiberent. Multi ergo conſcientiæ ſuæ integritatem nolentes infringere, & timentes illud præceptum Dominicum, *Non falſum teſtimonium perhibebis*, firmiter eidem renuerunt obtemperare. Quamplurimi autem digniorum clericorum, videlicet Epiſcopi & Abbates aliqui,

Regiis

1241.

Regiis comminationibus perterriti, & enervati, ſigilla ſua, ſcilicet pignora & teſtimonia ſuæ fidei, ſpreto Dei timore, plus hominem quàm Deum reverentes, appoſuerunt, & eundem *Bonifacium* in ſuum ſuperiorem gratanter acceperunt. Quippe cum de nobiliſſimo ſanguine natus, & Regnorum utrorumq; Principibus, ipſe procerus & ſatis ſufficiens, fuerit ſpecialiſſimus. Monachi tamen *Cantuarienſes*, Regia præventi ſupplicatione, vehementer doluerunt ſe Regi in hoc conſenſiſſe. Unde quidam Monachorum, ad ſe reverſi, ſuam miſeriam cognoſcentes, ut perpetuam pœnitentiam agerent, ab eccleſiá ſuâ recedentes, ad ordinem *Cartuſiæ* convolarunt.

Oppreſſio Comitis Provinciæ.

SUB illorum dierum curriculo, Comes *Provinciæ Reimundus*, pater Reginarum *Francorum* & *Anglorum*, miſit ad Regem *Francorum* generum ſuum, nuncios ſolennes plures & pluries, petens inſtanter, ut ipſe ſibi quaſi ſocero & amico efficax impendere dignaretur auxilium. Ipſum enim viribus jam deſtitutum, Comes *Tholoſanus*, Imperiali præcepto, graviter impugnavit, & uſq; ad exterminium, exhauſto à Rege *Anglorum* tranſmiſſo theſauro, ipſum fatigavit. Scripſit ergo Rex *Francorum* tam Imperatori quàm Comiti *Tholoſano*, petens verbis amicabilibus, quatenus ob reverentiam & dilectionem ipſius, ſocero ſuo parcere dignaretur. Scripſit etiam Rex *Angliæ*, & frater ejus Comes *Cornubiæ Richardus*, eidem epiſtolas ſuas eundem tenorem eiſdem continentes. Unde Comes *Provinciæ* multo pòſt tempore ſecura gaviſus eſt tranquillitate.

Veneti Imperatori infeſti.

INTERIM *Veneti* quæcunq; poterant, & quanta ſciverant, tam per mare, quàm per terram, pro nece filii Ducis ſui, Poteſtatis videlicet *Mediolanenſis*, Imperatori potenter & contumaciter intulerunt. Ipſe enim Imperator, ut prædictum eſt, contra ſe dimicantem apud *Mediolanum* ipſum captum incarceraverat, & judicialiter condemnatum, ſententia plecti juſſit poſtea capitali.

Diligentia Imperatoris contra varios hoſtes ſe defendendo.

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, dominus Imperator *Fredericus*, *Faventiam* civitatem nobiliſſimam diu ac fortiter obſeſſam, ampliùs reſiſtere non valentem, violenter occupavit. Duraverat autem obſidio ferè per annum, pro qua infinitam jam pecuniam effuderat. O quanta ſollicitudo, quàm multiformis cura, de Imperio contuendo, cor Imperatoris tunc temporis cruentavit! Habuit enim ſex exercitus magnos, populoſos, & formidabiles: Unum, quem in propria perſona regebat: alium duplicem in finibus *Januæ*, navalem, ad obviandum Legatis & Prælatis, conſilium Imperiale ſpernentibus, in mari: & alium per terram juxta maritima, cui præfuit filius ſuus *Henricus* Rex *Gallur.* & *Thur.* qui blados & vineas *Januenſium* vaſtare non ceſſavit: Tertium, cum *Conrado* filio ſuo, hærede *Hieruſalem*, qui ſecum traxit exercitum inæſtimabilem & innumerabilem, ex tota *Alemania* & finibus adjacentibus & Imperiali poteſtati pertinentibus; contra *Tartaros*, ipſo eodem *Conrado* exiſtente Capitali, concomitantibus Ducibus *Auſtriæ*, *Saxoniæ*, *Bavariæ*, & aliis Magnatibus, tam Prælatis quàm aliis, quos longum eſt numerare, cum populari multitudine, cujus non erat numerus. Qui omnes uno humero, & alacri voluntate crucesignati, contra dictos *Tartaros*, pro univerſali eccleſia dimicaturi, propriis capitibus communiter parabantur: Quartum verò, in *Marchia Terviſii*, cujus dux extitit *Theobaldus*, dictus *Francigena*, domino Imperatori amiciſſimus: Quintum autem, in *Marchia Anconiæ* & *Vallis Spoleti*: Sextum, in *Terra ſancta*, cum *Radulpho* Mareſcallo ſuo, cui etiam Comes *Richardus* cuſtodiam *Terræ ſanctæ* per ipſum adquiſitæ vel pacificatæ, præcipuè caſtrum *Aſcaloniæ*, quod idem Comes *Richardus* ſumptibus ſuis firmaverat magnificè, & ad robur totius *Chriſtianitatis* & honorem, commiſit contuendam.

Contumelia & oppreſſio Monachorum Wintonienſium.

SUB illis diebus, quidam aulici ſatellites, qui de Regiis præceptis confidentes, & enormia ſæpè ex levibus nanciſcentes, venerunt *Wintoniam*, ſciſcitantes arroganter, qui Monachorum noluerunt Regiis mandatis obedire ſuper electione vel poſtulatione *Wintonienſis* Epiſcopi; quiq; illi erant, qui Epiſcopum *Norwicenſem*, *Willielmum* videlicet *Ræle*, Regi non obtemperantem, tam procaciter poſtularent, ut nullo terrore vel precibus reſilire dignarentur. O Monachorum ſuperbia, cucullatorum improbitas obſtinata! Facta igitur inquiſitione per Priorem intruſum, qui totius perturbationis fuit machinator, ejecerunt à Monaſterio eoſdem Monachos, non ſenium, non perſonas, vel ordinem, vel demùm reverentiam eccleſiæ vel clauſtri conſiderantes. Quos etiam carcere, fame, conviciis, & infamia, viliter & indignè, in totius ordinis Monaſtici dedecus & ignominiam, afflixerunt.

Imperator, capta civitate Faventia, civibus pepercit.

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, dominus Imperator *Fredericus*, Regiâ civitate *Faventia*, ut dictum eſt, expugnata & occupata, & ditioni ſuæ ad votum ſubacta & inclinata, cives longo famis & multiformis inediæ ſqualore macerati & marcentes, glomeratim ante pedes Imperatoris, ſingultibus prorumpentibus, miſericordiam, non judicium, humiliter ſe proſternentes, poſtularunt. Et dum omnes excogitatis tormentis, qui tam diu Imperialem iram ſibi coacervaverant, crederent interire, tum propter antiquum ſcelus, de quo prædictum eſt, tum propter hoc, quòd in illius obſidionis diuturna & ſumptuoſa protractione, Imperator infinitum theſaurum exhauſerat, pepercit eis generoſa victoris clementia, per quam multorum corda ſibi conciliavit. Tunc enim demùm ſanguis generoſus ad miſericordiam flectitur, cum ſe viderit de rebellib. triumphaſſe. Juxta illud Poëticum:

Corpora

1241.

Corpora magnanimo ſatis eſt ſtraviſſe leoni:
Pugna ſuum finem cùm jacet hoſtis habet.
Sed lupus & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera eſt.

Horribilis vaſtatio facta per Tartaros.

DIERUM autem ipſorum curriculo, gens illa inhumana & feralis, exlex, barbara, & indomita, quæ *Tartari* nuncupantur, temerario ac violento impetu terras Boreales & Aquilonares *Chriſtianorum* horribili exterminio devaſtantes, toti *Chriſtianitati* non mediocrem timorem & horrorem incuſſerunt. Jamjam *Friſiam*, *Gothiam*, *Poloniam*, *Bohemiam*, & utramq; *Hungariam* pro majori parte inaudita tyrannide, Principibus, Prælatis, civibus, & colonis effugatis & trucidatis, quaſi in eremum redegerunt. Cujus rei eventui, literæ ad citeriores partes tranſmiſſæ evidens teſtimonium perhibebant, ſub hac formâ:

Epiſtola Duci Brabantiæ ſcripta de eadem gente.

DILECTO *ac ſemper diligendo domino & ſocero ſuo, illuſtri Principi Duci* Brabantiæ, H. *Dei gratia* Longrathungriæ *Comes*, Palatinus Saxonum, *paratam ad beneplacita ſerviendi voluntatem. Pericula antiquitùs in ſcripturis ſanctis prædicta, peccatis noſtris exigentibus, nunc pullulant & erumpunt. Quædam enim gens crudelis & innumerabilis, exlex & effera, vicinos nobis terminos invadit & occupat, & jam uſq; ad terram Polonorum pervenit, terris multis aliis peragratis, & populis exterminatis. Super quibus tam per nuncios proprios, quàm per Regis* Bohemiæ *dilecti conſanguinei noſtri, pleniùs certificati & vocati ſumus, ut in ipſius ſuccurſum, & fidelium defenſionem feſtinanter accingamur. Veraciter enim & plenè nobis conſtat, quòd eadem gens* Tartarorum *circiter octavas Paſchæ terras* Bohemorum *crudeliter & impetuosè invadet, quibus ſi non ſubveniatur tempeſtivè, ſtragem facient inauditam. Et quia jam paries nobis proximus ſuccenditur, & terra vicina patet vaſtationi, & aliquæ jam vaſtantur, auxilium & conſilium Dei & fratrum vicinorum, pro univerſali eccleſia anxiè & flebiliter invocantes poſtulamus. Et quia mora plena eſt periculo, omni vos qua poſſumus rogamus diligentia, ut in noſtrum ſuccurſum tam pro veſtra quàm noſtra liberatione vos quantociùs ad arma properetis, ſtrenuè præparantes militiam copioſam, nobiles, potentes, & audaces, cum ſibi ſubjectis populis, non ſegniter excitando, ut promptos & paratos eos habeatis, cùm vobis noſtros nuncios iteratò direxerimus. Nos autem miniſterio Prælatorum noſtrorum, Prædicatorum, ac Minorum, crucem facimus (quia Crucifixi res agitur) generaliter prædicari, orationes & jejunia indici, & ad bellum* Jeſu Chriſti *communiter terras noſtras evocari. His etiam adjicimus, quòd magna pars ejuſdem deteſtabilis gentis, cum exercitu alio illis adjecto,* Hungariam *vaſtat inaudita tyrannide; adeò quòd Rex dicitur ſibi partem modicam obſervâſſe. Et ut multa paucis perſtringamus, adeò opprimitur, & tantis & tot preſſuris coanguſtatur eccleſia & populus Borealis & Septentrionalis, quòd talibus nunquam ab initio mundi fuerit unquam flagellatus. Datum an. gratiæ M.CC.xli. Die qua cantatur:* Lætare Hieruſalem. Et hic fuit tenor literarum tranſmiſſarum ad Epiſcopum *Pariſienſem* ex parte Ducis *Brabantiæ*. Simili modo ſcriptum eſt Regi *Anglorum* ex parte Archiepiſcopi *Colonienſis*.

Pro hac igitur immani tribulatione, & eccleſiæ damnoſa, quæ inter dominum Papam & dominum Imperatorem orta eſt diſcordia, indicuntur jejunia & orationes cum eleemoſynis largioribus diverſis regionibus, ut Dominus complacatus ſuper populum, qui magnificus hoſtium triumphator æquè dimicat in paucis & multis, ſuperbiam conterat *Tartarorum*.

Hujus igitur Dominici furoris flagellum formidabile cùm immineret populis, certificata ait mater Regis *Francorum*, venerabilis ac Deo dilecta matrona, Regina *Blancha*: Ubi es, fili mi, Rex *Lodovice*? At ipſe accedens, ait: Quid hoc, mater? At ipſa profunda trahens ſuſpiria, in lachrymas prorupit aduberes, & licèt mulier, non tamen muliebriter hæc imminentia librans pericula, dixit: Quid agendum, fili chariſſime, ſuper tam lugubri eventu, cujus rumor terrificus fines noſtros pervolavit? Imminet noſtrûm omnium & ſacroſanctæ eccleſiæ noſtris temporibus excidium generale, ex impetuoſo ſuper nos adventu *Tartarorum*. Quo audito, Rex voce flebili, ſed non ſine divino ſpiramine, reſpondit: Erigat nos, mater, cœleſte ſolatium. Quia ſi ſuperveniant ipſi, vel nos ipſos, quos vocamus *Tartaros*, ad ſuas *Tartareas* ſedes, unde exierunt, retrudemus, vel ipſi nos omnes ad cœlum ſubvehent. Acſi diceret, vel ipſos repellemus, vel ſi contingat nos vinci, *Chriſti* Confeſſores vel Martyres ad Deum migrabimus. Et hoc verbum notabile atq; laudabile, non tantùm *Francorum* nobilitatem, ſed adjacentium finium habitatores erexit & animavit. Dominus Imperator ſuper his certificatus, Principibus *Chriſtianis*, præcipuè Regi *Anglorum*, ſcripſit ſub hac formâ.

Epiſtola Imperatoris de adventu Tartarorum.

FREDERICUS *Imperator, &c. Regi* Angliæ *ſalutem. Rem quæ tam* Romanum *Imperium, velut ad prædicationem Evangelii præparatum, quàm cuncta mundi regna* Chriſtiano *cultui dicata ſpeciali zelo contingit, toti Reipublicæ univerſæ* Chriſtianitatis *excidium generale comminatur: & quanquam ad noſtram rei geſtæ veritas ſerò pervenerit, quin ad veſtram notitiam referamus, tacere non poſſumus. Egreſſa enim dudum ex ultimis mundi finibus, de regione Auſtrali, quæ diu Sole ſub torrida zona toſta latuerat, quæ poſteà verſus partes Boreales, occupatis violenter regionibus, diu manens, ut brutus multiplicatur, gens barbaræ nationis & vitæ, quo neſcimus à loco vel origine* Tartari *nuncupata, non abſq; præviſo Dei judicio ad ſui populi correptionem & correctionem, non utinam ad totius* Chriſtianitatis *diſpendium, ad hæc noviſſima tempora reſervatur. Sequuta eſt igitur publica clades, communis regnorum deſolatio, & terræ fertilis exterminium, quam gens impia peragravit, ut ſexui, ætati, vel dignitati non parcat, & reliquum genus humanum delere confidat, dum ubiq; terrarum per immenſam & incomparabilem*

incomparabilem eorum potentiam & numerum, ſola dominari ſatagat & regnare. Datis igitur in 1241.
necem & prædam cunctis quæ poterant oculi eorum conſpexiſſe, ac univerſali depopulatione poſt terga dimiſſa, dum ad populoſam Cumanorum coloniam perveniſſent dicti Tartari, (imò Tartarei,) quibus vitæ prodigis, arcus arma magis ſunt familiaria, cum lanceis miſſilibus & ſagittis, quarum uſus apud eos & continuus, & fortiùs aliis exerta habent brachia, ipſos penitus diſſipatos devicerunt. Et quos fuga non eruit, cruentatus eorum gladius interemit. Quorum vicinitas Ruthenos, ab eis non multum diſtantes, vix cautos efficit & munitos: ut ignotæ gentis inſoliti, ab eorum incurſibus ſibi, prout ignis, exterrebat, intenderent præcavere, ſaltem ſibi conſulentes. Advolant nempè ſubitò ad prædam & exterminium. Ad repentinos igitur impetus & illius barbaricæ gentis aggreſſus, quæ velut ira Dei & fulgur ſe raptim jaculatur, expugnata & capta ejuſdem Regni Cleva civitatum maxima; totum illud nobile Regnum, cæſis ſuis habitatoribus, in deſolationem cecidit devaſtatum. Quod cùm contermino Regno Hungarorum dediſſe debuit ad cautelam robur & munimen, ſprevit negligenter. Quorum Rex deſes & nimis ſecurus, per Tartarorum nuncios & literas requiſitus, ut ſi ſuam vitam cuperet & ſuorum, per ſuam & Regni ſui deditionem, eorum gratiam feſtinus præveniret: nec ſic perterritus, aut edoctus, ſuis vel aliis præſtitit documentum, ut ipſe & ſui ſe maturiùs ad eorum protecti præmunirentur incurſus. Sed hoſtium contemptores elati vel neſcii, dum inimico vicinante ſegnes dormitarent, loci nativo munimine confidentes, ipſi more turbinis intrantes, eos undique circumdabant repentini. At Hungari ante expectatum circumdati, & oppreſſi velut imparati, ipſis objicere caſtra contenderunt. Et cùm diſtarent quinque tantùm miliaribus hinc exercitus Tartarorum, inde Hungarorum, irruerunt raptim in auroræ crepuſculo Tartarorum præambuli, & ſubitò caſtris Hungarorum circumdatis, interfectis prælatis, & Majoribus de Regno, qui ſe objecerant, cæſis, infinitam Hungarorum multitudinem gens inimica trucidavit, ſtragem faciens inauditam, cui ex antiquiſſimi lapſu temporis in uno belli conflictu vix recolitur fuiſſe conſimilis. Ex fuga igitur Rex vix elapſus eſt, equo raptus velociſſimo. Qui raro ſatellite ſtipatus aſſociato, ad fraternam Hyllici Regni ſortem, ut ſaltem ibidem protegeretur, fugitivus avolavit. Victores igitur caſtris & ſpoliis victorum inſederunt exultantes. Jam jamque majorem, & nobiliorem Hungariæ partem ultra Danubium fluvium, & incolas ejus ferro & flamma feraliter vaſtantes, cætera confundere minatur procaciter, prout per venerabilem Vatienſem Epiſcopum, dicti Hungariæ Regis Legatum, ad noſtram curiam, & poſteà ad Romanam didicimus deſtinatum. Hic per nos primò tranſitum faciens, his teſtimonium perhibuit quæ vidit, & teſtimonium ejus nimis verum eſt. Necnon & hæc per literas dilecti filii noſtri Conradi, in Regem Romanorum electi, ſemper Auguſti, & Regni Hieroſolymitani hæredis, Regiſque Bohemiæ, Auſtriæ & Bavariæ Ducem, ipſis quoque nunciorum verbis, qui de vicinitate hoſtium experimento ſunt edocti, pleniùs certificamur. Nec hæc ſine magna animi perturbatione potuimus didiciſſe. Sanè, ſicut innotuit, & præambula fama geſtorum proclamat, indeterminatus exercitus eorum in tres partes infælices, ex indultu Domini, damnandus conſultu diviſus proceſſit. Nam una per Pructenos tranſmiſſa, & ingrediente Poloniam, Princeps & Dux terræ illius ab eorum inſequenti exterminio ceciderunt, & dein tota fuit per eos illa regio devaſtata. Secunda, Bohemiæ fines ingreſſa eſt, & aggreſſa ſubſtitit, Rege illius terræ cum ſuis conatibus viriliter occurrente. Tertia, percurrit Hungariam, Auſtriæ finibus vicinandam. Unde timor ac tremor à furore nactus irruentium principium, ſingulos excitant & invitant: ad ipſorum obſtaculum urget neceſſitas, quæ incumbit periculo cominus imminente: generale exterminium orbis terræ, præcipuè Chriſtianitatis, auxilium feſtinanter provocat, & ſuccurſum. Hæc enim gens eſt feralis & exlex, humanitatis ignara. Sequitur tamen & dominum habet, quem obedienter colit & veneratur, & nuncupat Deum terræ. Homines parvæ ac brevis ſtaturæ ſunt, quantum ad longitudinem, ſed ſolidi, lati, & propaginati, rigidi, ac fortes, & animoſi, ad nutum ſui Ducis ad quælibet ambigua proruentes: vultus amplos, aſpectus torvos, clamores horribiles habent, cordibus conſonantes: cruda geſtant coria, bovina, aſinina, vel equina, inſutis laminis ferreis, pro armis muniuntur, quibus hactenus uſi ſunt. Sed, quod non ſine ſuſpiriis dicere poſſumus, jamjam de victorum ſpoliis Chriſtianorum, armis decentioribus elegantius muniuntur, ut propriis armis, irato Deo, turpiùs & anxiùs trucidaremur. Inſuper equis melioribus inſtaurantur, epulis lautioribus reficiuntur, veſtibus pulchrioribus adornantur. Ipſi autem Tartari ſagittarii incomparabiles, utres ferunt artificialiter factos, quibus flumina tranſmeant indempnes rapaciſſima & paludes. Deficiente verò cibo, corticibus arborum & foliis, & herbarum radicibus dicuntur eſſe contenti equi eorum, quos abducunt, quos tamen velociſſimos inveniunt & fortiſſimos, in articulo neceſſitatis. Nos autem horum omnium quodammodo providi & præſagi, frequenter per literas & nuncios Regalem excellentiam veſtram, necnon & aliorum Principum Chriſtianorum, meminimus requiſiſſe ſollicitantes attentiùs & monentes, ut vigeret inter eos qui Tribunalibus præſunt poteſtatibus, unanimitas dilectionis & pacis, & ſedatis diſſeſſionibus, quæ Reipublicæ Chriſti ſæpius inferunt nocumenta, concorditer ad eorum obſtacula, qui nuper emerſerunt, alacriùs conſurgentes, cùm prævifa jacula minùs ſoleant ſauciare, & ut nec communes hoſtes, ad viarum ſuarum præparationes, gauderent tanta inter Principes Chriſtianos diffidia pullulare. Ha Deus! quantum & quoties nos humiliare voluimus, omnem benevolentiam exponentes, ut Romanus Pontifex effuſo per orbem contra nos diſſentionis ſcandalo diſtitiſſet, & ab inconſultæ voluntatis impetu motus ſuos temperantiùs revocaſſet, ut ad ſedandum noſtros jure ſubditos prævaleremus & quietiùs regeremus, nec eos, quorum adhuc per eum non minima pars fovetur, protegeret recalcitrantes. Ut ſedatis rebus, rebellibúſque reformatis, adversùs quos multarum copiam opum effudimus, & virium conatus exhauſimus, potentia noſtra

major

1241. *major conſurgeret & inſurgeret in communiter adverſantes. Sed cùm voluntas ei pro jure fuerit, linguæ lubricum diſcurſum non regenti, & à multiplici genere diſſidii, quod attemptavit, dedignatus eſt abſtinere, per legatos & nuncios ſuos, crucem quam adversùs tyrannidem* Tartarorum *vel* Saracenorum, Terram ſanctam *invadentium & occupantium, exercuiſſe debuit & decebat, juſſit contra me brachium & eccleſiæ advocatum publicari, rebellibus noſtris, graviter contra honorem noſtrum & famam exultando conſpirantibus. Et cùm maxima nobis immineat cura, nos à domeſticis & familiaribus hoſtibus expedire, qualiter & barbaros repellemus? Quippe per exploratores ſuos, quos undique præmiſerunt, ipſi, licèt ſine lege divina directi, tamen in martiis ingeniis diſciplinati, publicam diſcordiam & immunita terrarum ac infirmiora cognoverunt: corroſionemque Regum, & Regnorum conflictum audientes, inſtantiùs animantur & conſurgunt, O quantum viribus addit exultans animatio. Ad utrumque igitur, Deo providente converſi, vires & induſtriam adhibebimus, ut domeſticum & barbaricum eccleſiæ ſcandalum, hinc & inde propulſemus. Dilectum autem filium noſtrum* Conradum, *ac cæteros Imperii noſtri Principes, expreſſè tranſmiſimus, ut ad reprimendum ingreſſus & impetus hoſtium barbaricorum potenter occurrant. Serenitatem etiam veſtram, pro communi neceſſitate, per autorem fidei noſtræ* Chriſtianæ, *Dominum noſtrum* Jeſum Chriſtum, *præcordialiter adjuramus, quatenus vobis & Regno veſtro, quem Deus in ſtatu proſperitatis conſervet, inſtantiſſima ſollicitudine & provida deliberatione præcaventes, maturata militum ſtrenuorum & aliorum armatorum & armorum ſubſidia non ſegniter præparetis: hoc in aſperſione ſanguinis* Chriſti, *& affinitatis fœdere, quo connectimur, poſtulamus. Sicq; ad liberationem* Chriſtianitatis *accingantur nobiſcum viriliter ac provide dimicaturi, ut contra hoſtes,* Germaniæ *terminos jam ingredi proponentes, velut* Chriſtianorum *januam, viribus aggregatis victoria ad laudem Domini exercituum valeat obtineri. Nec placeat vobis iſta ſub diſſimulatione pertranſire, vel dilatione ſuſpendere. Nam ſi, quod abſit,* Germaniæ *fines invadant, nec inveniant obſtaculorum repagula, pro foribus expectent cæteri venientis ſubitò fulgura tempeſtatis, quam diverſis mundo contagiis inquinato, refrigeſcente charitate multorum, per quos fides prædicari & conſtare deberet, & pernicioſo eorum exemplo, mundum uſuris & variis ſymoniæ & ambitionis generibus maculante, divino judicio credimus emerſiſſe. Provideat ergo excellentia veſtra, & dum communes inimici in vicinis regionibus debacchantur, ad reſiſtendum eis maturatis conſiliis vobis conſulatis. Quoniam de terris eorum hac ſe moverunt intentione, vitæ pericula non curantes, ut totum ſibi, quod avertat Dominus, ſubjiciant Occidentem, fidémq; & nomen* Chriſti *pervertant & evertant. Et pro inopinata victoria, quam Deo permittente ſunt hactenus conſequuti, ad tam vehementem inſaniam devenerunt, ut jam Regna mundi ſibi reputent adquiſita, & ut Reges & Principes ad vilia eorum officia ſubjectos, edoment ſuppeditatos, & inclinent. Speramus autem in Domino* Jeſu Chriſto, *quo duce, quo prævio, hactenus ab inimicis noſtris liberati triumphavimus, ut & hii, qui de Tartareis ſedibus proruperunt, faſtu depoſito, expertis Occidentis viribus, quas ſibi ſentient adverſantes, ad ſua Tartara* Tartari *detrudentur. Nec gloriabuntur tot impunè peragraſſe provincias, tot populos deviciſſe, tot facinora perpetraſſe; cùm ad victrices Aquilas præpotentis Imperialis* Europæ *ſors incauta, imo Sathan, ipſos traxerit morituros. Ubi ultro furens ac fervens ad arma* Germania, *ſtrenuæ militiæ genitrix & alumna* Francia, *bellicoſa & audax* Hiſpania, *virtuoſa viris & claſſe munita fertilis* Anglia, *impetuoſis bellatoribus referta* Alemannia, *navalis* Dacia, *indomita* Italia, *pacis ignara* Burgundia, *inquieta* Apulia, *cum maris* Græci, Adriatici, & Tyrrheni, *inſulis pyraticis & invictis,* Creto, Cypro, Sicilia, *cum Oceano conterminis inſulis & regionibus, cruenta* Hybernia, *cum agili* Wallia, *paluſtris* Scotia, *glacialis* Norwegia, *& quæcunque jacet nobilis & famoſa ſub occiduo cardine Regio, ſuam electam militiam, prævio vivificæ crucis vexillo, quod non tantùm homines rebelles, imò dæmones adverſantes reformidant, alacriter deſtinabunt. Datum in receſſu, poſt deditionem & depopulationem* Faventiæ, *tertio die Julii.*

Publicatio præcedentis epiſtolæ.

SUB harum tenore literarum ſcripſit dominus Imperator, mutatis tantùm titulis, & verborum raro ſermone, Reipublicæ ſedulus procurator. Veruntamen Regem *Francorum* ſic ſcribens commovit vehementiùs, ait enim: *Admiramur ſuper Francorum prudentia, quòd non ſubtiliùs cæteris Papales aſtutias conſideratis, vel non attenditis cupiditates. Proponit enim ipſius ambitio inſatiabilis omnia fidelium Regna ſuo ſubjicere dominatui, ab* Anglorum *conculcata corona ſumens exemplariter conſequentiam, & ut culmen Imperii ſuis inclinet nutibus, auſa eſt præſumptuoſo conatu, & auſu temerario, proterviùs inhiare.*

In dubium vocatur.

HUJUS igitur eventus famoſa novitas, totam *Europam* clariùs implevit, imò etiam *Saracenorum* climata pervolavit. Orta eſt igitur diſcordia ſententialis, inter multos, diverſis diverſa ſuper his ſentientibus. Fuerunt namq; qui dicerent, Imperatorem hanc *Tartarorum* peſtem ſponte fuiſſe machinatum, & per hanc elegantem epiſtolam ſcelus tam nefarium nequiter palliaſſe & ad totius mundi Monarchiam, in fidei *Chriſtianæ* ſubverſionem, ad inſtar *Luciferi*, vel Antichriſti, hiatu protervo conſpirare. Redarguitur enim epiſtola, quaſi continens falſitatem. Dicitur enim in ea, gentem ipſam ignotam *Tartarorum* ab Auſtralibus mundi, qui ſub torrida zona ſunt, partibus erupiſſe, quod evidenter apparet fictitium. Non enim audivimus eos Auſtrales vel etiam Orientales partes peragraſſe. Occulta inſuper eorum conſilia, & inveſtigabiles ipſorum *Tartarorum* vias & conſpirationes quàmplures, plenas eſſe Imperialibus conſiliis ſuſpicantur: ſuum nempè celant idioma, armaturas variant; & ſi quis eorum capiatur, nulla ratione poteſt notitia eorum vel propoſitum à capto, licet exquiſitis tormentis affligatur, extorqueri. Et cùm ſint in totius mundi capacitate ſeptem climata, videlicet *Indorum*, *Ethiopum*, vel

Maurorum,

Maurorum, Egyptiorum, Hieroſolymitanorum, Græcorum, Romanorum, & *Francorum*, nec ſint tam remoti in tota terra habitabili, quos mercatores non rimentur, unde Poëta : *Impiger extremos currit mercator ad Indos*. Ubi tot & tales hactenus latuerunt ? ut quid tam fraudulenta, inter eos, & tam occulta conjuratio ? Sunt igitur, ut inquiunt, *Hircani* & *Sicii*, humanam cædem avidè ſitientes, montes & ſalebras Boreales inhabitantes, qui feralem vitam ducentes, Deos colunt montium, & prævisa in die. Qui etiam cum *Cumanis* ſibi conterminis, & jam confœderatis, machinante Imperatore, Regem *Hungariæ* cum quibuſdam aliis Magnatibus expugnarunt, ut fatigatus Rex ad alas Imperatoris avolaret, homagium ei pro ſuccurſu impendendo facturus. Unde cùm hæc fierent, ipſi hoſtes ſunt regreſſi. Sed abſit, ut in uno corpore mortali tanta ſceleris immanitas latitaret. 1241.

Admonet Papa Prælatos, ut ſpreto Imperatore ad Concilium properent.

DIERUM ipſorum curriculo, infauſto caſu, dominus *Præneſtinus*, nomine *Jacobus*, quandoque Legatus in *Francia*, & dominus *Otto* Cardinalis in carcere *Tulliano* Diaconus, aliquando Legatus in *Dacia*, & poſteà in *Anglia*, & *Gregorius* de *Romagna*, tunc ad *Januenſes* Legatus miſſus, ut ſibi omnes obedientes ab omnibus peccatis ſuis abſolveret, apud *Januam* commorabantur, de claſſe ſibi providentes. Erant autem cum ipſis Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates quàmplurimi, qui cùm timerent minas Imperatoris ſi transfretarent, frequenter Epiſtolas & nuncios à domino Papa receperunt conſolatorias & admonitorias, ut non omitterent navigando ad Concilium properare, imo potiùs ſpretis ſæcularibus comminationibus, patri ſpirituali promptiùs obedirent. Facta autem fuit conventio inter eos & *Januenſes*, mediante non minima pecunia; ut ipſi *Januenſes* omnes tam Legatos quàm Prælatos, cum ſua ſequela, indempnes & illæſos, etiam invito Imperatore, ad *Romanam* curiam ſalvò perducerent. Et dum ſuper his tractatum haberent diligentem & prolixum, fluctuantibus aliquibus, quid tutiùs, quid inconſultiùs foret agendum, ſignificavit dominus Papa, quod in brachio ſæculari auxilium tam efficax, tam validum obviam per mare, ad ipſorum ducatum & protectionem, ipſis exeuntibus de portu, indubitanter in navali expeditione tranſmitteret, quòd nullo modo valerent reſiſtere manus adverſantium, nec etiam ipſe Imperator, quem dominus Papa Sathanæ dederat in perditionem, utpote anathemate multiplici innodatum. Quo mandato nimis eos paterna conſolatio animavit, imò adeo, ut cujuſlibet periculi diſcrimen vel mortem amplecterentur.

Imperator petit à Prælatis ut per terram ad Concilium proficiſcantur.

CUM autem hæc prædicta Imperatori innotuiſſent, intellexi evidenter, quod dominus Papa ad dejectionem ipſius ſitienter anhelabat, & ad hoc tam diſtrictè Prælatos advocabat, in nullo voluntati ejus contradicturos, cœpit formidare ſibi vehementer. Et deſiderabat, ut per ipſum itinerantes, per terram venirent, ut pleniùs de jure, de quo confidebat, inſtruerentur, ne falſis ſuggeſtionibus circumvenirentur, nec aliquo modo ſine tali certificatione ad *Romanam* curiam ſubitò navigando tranſmearent. Miſſis igitur Legatis ſolennibus ad ipſos jam navigare præparatos, ſignificavit eos modeſtè & humiliter, ut pacificè & omni ſecuritate per omnes terras ſuæ ditioni ſubjectas, dummodò non per mare vel maritima, tranſmigrarent; ſcirentque certiſſimè, quòd nullus ſuorum ipſos offenderet itinerantes. Et ſi fortè non crederent Imperialibus promiſſis, providerent ſibi formam ſecuritatis, & ſe eandem formam ſequuturum per omnia ſecundùm eorum diſpoſitionem, indubitanter promittebat. Imò etiam cauſam ſuam, poſtquam ipſis viva voce penitus explicaſſet, & per omnia ipſos ad unguem inſtruxiſſet, fideliter ac fiducialiter committeret toti Concilio judicialiter examinandam, & ſententialiter determinandam, diſcretúmque examen tot & tantorum patrum ſanctorum, ſe ſpoſpondit ſubiturum. Et ſic ipſos fore procuratores, advocatos, & judices, omni qua potuit inſtantia poſtulavit, perſuadendo, imperando, ſupplicando, ſecundum illud Poëticum :

Imperium, promiſſa, preces, confudit in unum.

Conqueſtus eſt inſuper graviter de impetu Papalis perſecutionis indeſeſſo, ita ut audientes ferè ad lacrymas provocavit & commovit, aſſerens quòd dominus Papa ipſum, nec convictum, nec confeſſum, pro iniquiſſimo hæretico, & fidei *Chriſtianæ* valido ac manifeſto impugnatore fecit haberi, & multis regionibus excommunicari, & quam graviter ſcivit ac potuit ſcandaliſavit, nomenque & famam, quo nihil eſt damnoſius, ipſius irreſtaurabiliter denigravit, & ad dejectionem ipſius niſibus totis anhelavit. Et nuper cùm complacuerat & convenerat meæ parti ac ſuæ communiter, Concilium convocari, in quo præſtò parabamus cauſas hinc inde propalare, judicium commune ſubituri, ipſe Papa perperam formam convocationis præloquutæ alteravit, publicos inimicos Imperii, ac laicas & ſæculares perſonas convocando, potiùs ad prælia quàm pacem præparatos, ſecundùm tenorem epiſtolæ Regi *Angliæ* & aliis Principibus tranſmiſſæ, in qua retiacula abſcondita & muſcipulas Papalis aſtutiæ certiùs detunicavi. In qua etiam epiſtola præmunivi eoſdem, ne prælatos ſuos per meam ſinerent ditionem tranſmeare, ſicut ſe ſuáq; diligebant. Addiditque Imperator, ſicut aliàs & in dicta epiſtola mandaverat, quòd periculoſum foret, & rationi diſſonum, penitus domino Papæ manifeſto adverſario, & ſuis conſentaneis, qui potiùs videntur conſpiratores in ſubverſionem ſacri Imperii, quam judices equitatis, aſſeſſoribus cauſam principalem & ejus circumſtantias ignorantibus, tam arduam cauſam inæquali foro committere.

1241.

Cauſa cur Imperator Prælatos non poteſt accedere.

SUMMOPERE igitur deſideravit Imperator, ut per eum pace venirent Prælati, de cauſa ſua pleniùs inſtruendi, ut de omnibus occultis circumſtantiis eos certificaret. Ipſe enim nullo modo ad ipſos Prælatos perſonaliter poterat accedere, tum pro carentia theſauri, quem effuderat in diuturna obſidione *Faventiæ*, & aliis variis negotiis, quorum maximum de exercitu filii ſui contra *Tartaros*. & aliis, quæ oportuit cautiùs continuare: tum propter *Januenſes* ſibi rebelles, quibus noluit niſi in forti manu appropinquare.

Legati nolunt per terram ad Concilium proficiſci.

PRÆLATI verò, Legatorum animati promiſſionibus, & Papalibus crebro miſſis epiſtolis conſolatoriis, in quibus ſe promiſit per mare obviam mittere juvamen feſtinum & efficax, noluerunt quomodolibet à propoſito ſuo reſilire. Dicebant etenim: Non eſt fides adhibenda cavillatoriis dictis excommunicati. Contemptis igitur Imperatoris conſiliis & petitionibus, Prælati confidentes in multitudine *Januenſium*, qui in navali certamine expediti, minas & vires Imperiales contempſerunt, naves aſcenderunt, præambulis *Januenſibus*, qui multiplicabant loqui ſublimia, aſſerentes vires adverſantium nullatenus ſibi formidabiles, meticuloſos & puſillanimes Prælatos & literatos appellantes, & erat ſuperbia eorum major quàm poteſtas. Galeiis igitur diſpoſitis & ordinatis cum navibus, versùs Orientem in clamore tumultuoſo nautarum, & clangore buccinarum mare *Tyrrhenum* ſulcaverunt.

Imperator jubet Prælatos capi.

QUOD cum domino Imperatori ſignificaretur, doluit ſe contemptum, & ſua monita cum precibus aſpernari. Miſit igitur ad *Henricum* filium ſuum, quem de conſuetudine appellat naturalem, cui commiſerat mare & maritima cuſtodienda cum navali exercitu, ad impediendum tranſitum Prælatorum, ut ipſos jam navigantes capere non formidet, vel ſubmergat, vel trucidet.

Legati cum Prælatis capiuntur.

DICTUS igitur *Henricus*, paternis præceptis obediens, miſit obviam eiſdem *Januenſibus* Legatos & Prælatos confidenter ducentibus, viginti galeias novas & ſolidiſſimas, manu militari optimè communitas: in prima fronte quibus primicerius præerat *Stollius* pyratarum peritiſſimus. Factóque congreſſu navali cruentiſſimo, *Piſani*, quibus ſpecialiter præfuit *Henricus* cum jam dicto *Stollio*, qui per modum fulgurantis tempeſtatis irruit ad certamen, victi ſunt *Januenſes*, captíque Prælati cum Legatis, & aliqui ſubmerſi vel cæſi, ſcilicet Archiepiſcopus de *Veſencia*, & multi alii, quos longum eſt numerare. Ex Abbatibus tamen vix *Savianenſis* ope *Johannis* de *Lexintuna*, militis ſtrenuiſſimi & elegantis, fratris ſui, ac nuncii Regis *Angliæ*, evaſit liber & illæſus. De hujuſmodi autem infortunato caſu, per hanc epiſtolam, cui communis fama perhibet teſtimonium, evidenter certificamur.

Epiſtola Imperatoris de captione civitatis Faventi, & Prælatorum in mari.

CAPTIS igitur & præſentatis Prælatis & Legatis cum ſuis *Januenſibus* domino Imperatori, ſcripſit idem Imperator Regi *Anglorum*, necnon aliis Principibus, in hæc verba:

FREDERICUS Imperator, *Regi* Angliæ, *ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum. Hilari affectione recepimus literas & nuncios veſtros, quos ad noſtram præſentiam tranſmiſiſti, & tam ea quæ literæ continebant, quàm ea quæ iidem nuncii ex parte veſtra ore tenus coram nobis referebant, audivimus & intelleximus diligenter. Et ecce ad ſingula quæ miſiſtis proſperè per eos, per magiſtrum* Walterum *de* Ocra, *dilectum noſtrum Notarium ac fidelem, plenariè reſpondemus. Cui ea quæ vobis ore tenus ex parte Celſitudinis noſtræ dicet, indubitanter tanquam perſonæ noſtræ credatis. Cui etiam plenam conceſſimus poteſtatem procedendi in negotio, pro quo nuncii ſupradicti venerunt, & complendi illud juxta formam ſibi à Celſitudine noſtra datam. Ad hoc, cum noſtris congaudeatis ſucceſſibus, & in noſtrorum humilitatem rebellium fiat terror & cæteris cautela ſubjectis, jocunda inſinuatione vobis deſcribimus, quod cùm civitas* Faventiæ *ſuis diffiſa meritis, & propria munitione confiſa, beneficio temporis hyemalis auſa fuerit noſtræ rebellionis viribus præſtare repagulum; veris tamen reſtituti tempore hac eadem civitate, machinarum noſtrarum incurſione quaſſata, muris irruentibus, & foſſoribus noſtris penetrantibus per meatus ſubterraneos intima civitatis, ut manualiter inter cives & bellatores noſtros bella concurrerent, & oporteret eos pro minis corpora cominus præſtare gladiis exponenda, ſumpſerunt ſaniùs pro eorum ſalute conſilium, quibus expugnatio vicinum excidium minabatur, & ad implorandam noſtram miſericordiam continuo clamore ſæpè converſi, die Dominico, decimo quinto die Aprilis, mandatis noſtris & beneplacitis ſe præcisè manciparunt ſubjicientes in noſtram miſericordiam civitatem, ſuas pariter & perſonas, præſtitis & fidelitatis debitæ juramentis, & illicitis juramentis, ſi quæ fecerunt, abjuratis. Ad quorum receptionem noſtri Comes Imperii, ſemper indiviſa, & juſti arbitra moderaminis, clementia nos induxit, quæ victoris animum vicit, ut cum victis miſericorditer ageremus: rati glorioſiorem eſſe victoriam, miſereri converſis, quàm in eorum caſu ulciſci miſerabili: pium genus vindictæ penſantes, ignoſcere noxiis, dum potuimus feriùs vindicaſſe. Remiſſa igitur gratis offenſa, licèt non minima, & reis Imperialiter abſolutis, civium & civitatis ſtatu ſub noſtro & Imperii jugo, (quo nihil ſuavius aut dignius eſſe probabunt) pro rerum qualitate diſpoſito, dum ad depopulationem vicinæ* Bononiæ *noſtrum verteremus propoſitum & affectum, Prælatorum turbam, cum* Præneſtino *Epiſcopo,* Ottonéq; Thoringo *ſancti* Nicolai *in carcere* Tulliano *Diacono Cardinali, noſtris adverſaturam proceſſibus, ex diverſis provinciis congregatam contigit ſuo infortunio* Januam *perveniſſe. Ubi conveniente cum eis* Gregorio *de* Romagna, *audito Legato Legatis, ut inſimul ligarentur, & conſpiratione cum* Januenſibus *rebellibus noſtris facta, quidam de regno* Francorum *navalem exercitum copioſum congregantes, pyratas ſuos armari fecerunt, cum quibus ad Papam* Romanum, *pro majoris cauſa diſſidii, conjuraverunt advenire. Ad quorum impediendum tranſitum & acceſſum, noſtram diu antè præviſam claſſem convenire fecimus apud* Piſas, *victorioſum* Galliarum Stollium *præponentes. Quos cum quibuſdam*

noſtris

1241.

noſtris fidelibus, eorum præcognita motione, in locis & portibus, quos vel alto mari præterire non poterant, velut obvia, & neceſſario navigabilia tranſitu, ut eis tranſeuntibus potenter occurrerent, deſtinavimus. Et aggreſſus galeiis noſtris galeias eorum, quas præpotens dominus, qui ex alto videt & dimicat, æquitatem dijudicans, invias vias eorum & excogitatam malitiam, inſatiabilemq; cupiditatem meditatus, in viribus & potentia noſtra, quam effugere terra vel mari non poterant, Domino favente, Legatos ligatos ſimul tradidit & Prælatos. Et tribus galeiis eorum ſubmerſis, ac omnibus quæ vehebantur in ipſis, cùm viris, qui ad duo millia æſtimati ſunt, ſine ſpe recuperationis amiſſis, viginti & duæ galeiæ, non ſine magna navigantium cæde, cum perſonis & rebus, divina ſic volente providentia, victæ ſunt à galeiis noſtris, & triumphaliter captæ. In quibus tres dicti Legati, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & multis aliis Prælatis, nunciis quoque Prælatorum & procuratoribus, qui ultra centum æſtimantur, cum Ambaſſationibus civitatum rebellium Lombardiæ, *qui ad præfixum ire Concilium properabant, quatuor millibus* Januenſium *exceptis ſpecialibus & electis perſonis de* Janua, *quæ galeiis præerant & Comitatui Prælatorum, pro ducendis & reducendis eiſdem* Januam, *ſicut inter eos fuerat infortunatè conventum, ad manus noſtras ligati pervenerunt, cum* Præneſtino *illo, qui ſummam contra nos ſæpius incitaverat odium. Qui ſub latentis lupi ſpecie, in ovina pelle & agni chlamyde, Deum incluſum gerere non confidat, cujus divinum judicium non defuiſſe arbitramur. Et ſciat, quia Deus nobiſcum eſt, ſedens ſuper thronum, & dijudicans equitatem, qui non ſolùm per Sacerdotium, ſed per Regnum & Sacerdotium, mundi machinam ſtatuit gubernandam. Nos igitur, ſuum nobis cœlitus Domino reſerante conſilium, & in plana tot aſpera convertente, ſudores bellicos, & æſtivos pulveres non vitantes, noſtrum fœlix iter & intentionem omnimodam & conatus ad eum dirigamus, qui nobis & cæteris regnantibus exaltationis & gloriæ contulit incrementum. Et nos prædictorum Principes ſucceſſuum noſtrorum participes, & vos præcipuè, fieri gratulamur, quos in omni ſucceſſuræ fœlicatis eventu, ex unanimitate, qua unimur, cupimus eſſe conſortes. Datæ* Faventiæ, *&c.*

MISSA eſt igitur talis epiſtola aliis Principibus quaſi conſolatoria, ſed non omnes tenorem ipſius acceptabant, cum dicat Poëta ethicus:

Prælati Neapolim *ducuntur incarcerandi.*

Gloria peccati non repetenda ſui eſt.

Juſſu igitur Imperiali ducti ſunt per mare curſu diuturno, per ſpatium circiter trium hebdomadarum, donec venirent *Neapolim* in *Apulia*: & in caſtro quod eſt vicinum civitati, & mari circumdatum, tutelæ certiſſimæ mancipantur. Sed non omnes æqua damnabat calamitas carceralis. *Præneſtini* enim miſerrima erat conditio. Et omnes jam vel morbus, vel lethalis invaſerat imbecillitas. Cùm enim diu navigaverant, ſedentes glomeratim vincti & oppreſſi, cecideratq; ſuper eos æſtus intolerabilis, muſcis circumvolitantibus, & more ſcorpionum pungentibus, fame & ſiti cruciati, & arbitrium nequiſſimorum nautarum, imò hoſtilium piratarum, laceſſiti & objurgati, longum martyrium protraxerunt, quod pro obedientia ſubierunt. Videbatur igitur carcer requies, licèt requie caruiſſet. Tabuerunt ergo, præcipuè delicatiores, & variis infirmitatibus languerunt. Unde quidam religioſi, & multi alii, animas afflictas exhalantas, ex miſeria hujus mundi ad Dominum, non ſine palma marytrii, migraverunt. Et citò pòſt, dominus *Præneſtinus*, obediens domino Papæ, uſque ad mortem à nequam ſæculo tranſivit ad requiem.

Henricus mittitur ad Conradum *fratrem contra* Tartaros.

COMPLETO igitur voto domini Imperatoris, Domino permittente, miſit idem Imperator *Henricum* filium ſuum, qui de Prælatis & eorum ducibus, ut dictum eſt, triumpharat, ad fratrem *Conradum*, qui cum innumerabili exercitu ex diverſis finibus Imperii collecto, *Tartarorum* & *Cumanorum* impetum repellere parabatur; ut alter alterius fratris ſolatio mutuo roboraretur, & milite copioſiore ſtiparetur. Duxit autem ſecum quatuor millia equitantium juſſu patris, & peditum manum non minimam. Qui cum aliis adjuncti fuiſſent, quibus venerant in ſubſidium, incomparabilem exercitum conflaverunt. Quo comperto, hoſtium ſiluit Jactantia, & arrogantia tepuit refrenata. Facta namq; quadam congreſſione cruentiſſima juxta ripam fluvii *Delpheos*, non multum à *Danubio* diſtantis, multis utrobiq; cadentibus, tandem deo propitio repulſus eſt hoſtilis exercitus, licèt nullo numero poſſet comprehendi. Sed antequam retroceſſit, quoddam, quod de *Judæorum* fraude proceſſit, exiſtimantium ipſos hoſtes eſſe de *Judæis* incluſis in montibus *Caſpiorum*, & venientium in eorum ſubſidium, & *Chriſtianorum* ſubverſionem, ſcelus immaniſſimum huic operi duxi breviter inſerendum.

Immane ſcelus Judæorum.

LABENTIBUS autem illorum dierum curriculis, multi *Judæorum* de partibus tranſmarinis, præcipuè autem de Imperio, credentes quod plebs *Tartarorum* & *Cumanorum* eſſent de genere eorum, quos Deus in montibus *Caſpiis* precibus magni *Alexandri* quondam incluſit, convenerunt in loco ſecretiſſimo ex communi condicto. Quos, qui ſapientiſſimus eorum & potentiſſimus videbatur, ſic alloquitur: *Fratres, qui eſtis ſemen Abrahæ præclari, vinea Domini Sabaoth, Deus noſter Adonai nos diu ſub poteſtate* Chriſtianorum *permiſit affligi. Sed nunc venit tempus quo liberamur, ut ipſos vice verſa Dei judicio opprimamus, ut ſalvi fiant reliquiæ* Iſraël. *Exierunt namq; fratres noſtri, Tribus ſcilicet* Iſraël, *quondam incluſæ, ut ſubdent ſibi & nobis mundum univerſum. Et quantò præceſſit durior & diuturnior tribulatio, tantò major nobis gloria ſubſequetur. Occurramus ergo eis in muneribus precioſis, ipſos cum ſummo honore ſuſcipientes. Vino, armis indigent & frumento.* Quod verbum cùm omnes gratanter accepiſſent, ut ſecretiùs fraudem ſuam occultarent, gladios & cultellos atq; loricas quaſcunq; poterant venales invenire, emerunt, & in doliis ordinatè

1241. repoſuerunt. Dixeruntq; palam Principibus *Chriſtianis*, quorum poteſtati ſubjacebant, quòd illi quos vulgus *Tartaros* dicebat, *Judæi* erant, nec bibebant vinum niſi à *Judæis* vindemiatum, & hoc nobis ſignificaverunt, magna inſtantia quaſi à fratribus ſuis ſibi dari talia vina, à nobis ſcilicet vindemiata, poſtulantes. Nos autem ipſos inhumanos & hoſtes publicos auferre de medio cupientes, & vos *Chriſtianos* ab imminenti eorum tyrannica depopulatione liberare, paravimus circiter triginta dolia vino lethaliter intoxicato referta, ipſis quantociùs referenda. Toleraverunt igitur *Chriſtiani*, ut ipſi *Judæi* tale xenium ſcelerati ſceleratis obtuliſſent. Sed cùm in remotas partes *Alemanniæ* perveniſſent, & cum doliis ſuis quendam pontem tranſire pararentur, dominus pontis, ut moris erat, vectigal pro tranſitu ſibi reddi poſtulavit. Ipſi autem frontosè reſpondentes, & poſtulata reddere renuentes, dixerunt, quòd pro utilitate Imperii, imò totius *Chriſtianitatis*, his negotiis ſollicitarentur, directi ad *Tartaros*, ipſos vino ſuo cautiùs potionaturi. Cuſtos verò pontis ſuſpectam habens *Judæorum* aſſertionem, unum doliorum terebrando perforavit, nec inde ullus liquor eliquatus diſtillavit. Inde certior de fraude effectus, circulis ejectis illud dolium confregit, & apparuit armis diverſis refertum. Exclamans igitur ait: O proditio inaudita! ut quid tales inter nos patimur converſari? Et ſtatim ipſe & alii, quos ſtupor convocavit, alia omnia dolia, quæ protinus confregerunt, plena gladiis *Colonienſibus* ſine capulis, & cultellis ſine manubriis, ordinatè & confertè repoſitis, invenientes, omnibus in propatulo monſtraverunt fraudis inauditæ laqueos abſconditos *Judæorum*, qui publicis mundi hoſtibus, qui, ut dicebatur, armis maximè indigebant, maluerunt ſubvenire, quàm *Chriſtianis* qui inter ſe ipſos tolerant converſari, & in vœnalibus communicare. Traditi igitur ſunt ipſi *Judæi* tortoribus, vel perpetuo carceri meritò mancipandi, vel ipſis ſuis gladiis trucidandi.

Votum Crucis pecuniâ datâ ſolvitur.

CIRCA dies illos, ut quaſi mille argumentis miſera terra *Anglicana* ſuis bonis viduata ſpoliaretur, fratres Prædicatores & Minores, autentico domini Papæ communiti, in prædicatione ſua plenam peccatorum remiſſionem ceſſerunt omnibus cruce ſignandis pro *Terræ ſanctæ* liberatione. Et ſtatim, vel in craſtino, vel tertia die poſtquam multos devotos ſignaverant, ea conditione à crucis voto eos abſolvebant, ut, quantum ſuppetebat facultas, pecuniæ ſuæ portionem in ſubſidium *Terræ ſanctæ* conferrent largiorem. Et ut ad hoc *Anglicos* inclinarent proniùs ac promptiùs, ipſam pecuniam aſſerebant Comiti *Richardo* deferendam, chartam ipſius ſuper hoc certiùs oſtendentes. Inſuper à ſenibus & valetudinariis, mulieribus, imbecillibus, & parvulis, crucem accipientibus, vel accipere proponentibus, tantundem indulgentiæ, accepta priùs ab eiſdem pecunia, conceſſerunt, oſtendentes ſuper hoc Comitis *Richardi* ſcriptum teſtimoniale, à *Romana* curia impetratum. Et hoc genere emungendi loculos, eſt infinita pecunia propter favorem Comitis adquiſita. Quis autem cuſtos aut fidelis diſpenſator inde fuerit, hic jam quæritur, nam neſcitur.

Conſirmatio Nicolai de Fernham in Epiſc. Dunelmenſem.

EODEM anno, magiſter *Nicolaus* de *Fernham*, electus *Dunelmenſis*, conſecratus eſt in Epiſcopum *Dunelmenſem* apud *Gloverniam*, in eccleſia S. *Oſwaldi*, quinto Idus Jun. ab Archiepiſcopo *Eboracenſi Waltero*, præſentibus Rege & Regina, Epiſcopis, Abbatibus quàm plurimis. Et quia ſuper profeſſione ſua mota fuit quæſtio ab aliquibus volentibus diſſidium ventilare, noluit idem *Nicolaus* illicitam ſibi uſurpare libertatem, ut ad inſolentiam prorumperet recalcitrando. Talémque in propatulo ſuam ſolenniter in conſecratione ſua, coram cunctis Prælatis & Magnatibus, in præſentia ſui Metropolitani dicti Archiepiſcopi *Walteri* fecit profeſſionem, diſtinctè & articulatim, elevata voce, in hunc modum, prout moris eſt: *Ego* Nicolaus *eccleſiæ* Dunelmenſis *electus, profiteor* Eboracenſi *eccleſiæ, tibique Pater* Waltere, *Archiepiſcope, & ſucceſſoribus tuis canonicè ſubſtituendis, canonicam ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam, & hoc propria manu ſubſcribo.* Et incontinenti coram omnibus ſubſcripſit crucem in capite cartulæ incauſto, & tradidit Archiepiſcopo, penes ſe in theſauro reſervandam.

Miſerabilis Comitis G. Mareſcalli mors.

DUM autem temporum volubilitas mundo diverſis ſic caſibus alluderet & illuderet, Comes *Mareſcallus Gilebertus*, cum quibuſdam aliis nobilibus juxta *Hertfordiam* quantum jacit arcubaliſta, more militari, quoddam haſtiludium, quod vulgariter *fortunium*, imò potius *infortunium*, appellatur, ad virium ceperat & exercuit experimenta. Ubi ipſe ſecundum militarem induſtriam ſeſe tam viriliter, tam ſtrenuè, ad laudem militiæ ſibi redimendam, erexit, ut omnes talis corpuſculi probitatem admiratione dignam meritò judicarent inter alios ſingulari. Et hoc ſummo niſu idem Comes nitebatur, quia primò clericali titulo addictus, in officio martio impotens acclamabatur fuiſſe & imperitus. Inſidebat autem equum nobiliſſimum dextrarium *Italicum*, ſibi incognitum, decentibus armis inſignitus, & ſuorum militum denſo ſtipatus comitatu, qui citò pòſt lucris inhiantes diſſipati ſunt & amoti. Et dum Comes equum ſuum à rapidis curſibus refrænaret, & poſteà calcaribus præacutis latera cruentans, ad curſum velociorem excitaret, & cauſa exigente ſubitò lora retraheret, confractæ ſunt ambæ habenæ juxta concatenationem ad lupatum. Unde equus vagus factus ipſum ſuum aſſeſſorem in pectore, capite erecto, ictu contrivit violento. Erant autem nonnulli, qui veraciter affirmarent, ipſas habenas, ab aliquo invido ſeditiosè præciſas, ut ſic equo tyrannico raptim tranſvectus, periret, vel diſtractus, vel ad minus juxta adverſariorum arbitrium caperetur. Erat autem pranſus, & ab æſtu & pulvere ac ſudore ferè obcæcatus, ponderoſa galea caput opprimente. Nec potuit equus ab ipſo vel alio retineri. Unde in extaſim raptus, cœpit vacillare, & pòſt paululùm corruit ab equo ſemivivus; ipſum una ſtreparum retinente, & per agrum aliquo ſpatio ſic trahente. Crepuit igitur,

interiùs

1241.

interiùs confractus & laceratus. Unde non ſine lamentabili dolore & clamore intuentium, quinto Cal. Julii, in domo Monachorum *Hertfordiæ*, eadem die adveſperaſcente, miſerabiliter expiravit. Extremum tamen trahens ſpiritum, viaticóque ſalutis vix recepto, pro redemptione animæ ſuæ, eccleſiæ beatæ virginis de *Hertfordia* legavit. Facta autem anatomia de corpore ſuo, inventum eſt hepar nigrum & confractum, ex colliſione ictuum quos ſuſtinuerat. Et ſepulta ſunt viſcera ejus in dicta eccleſia ante altare B. *Mariæ*, cui ſpiritum reddidit moriturus. In craſtino autem delatum eſt corpus *Londinum*, fratre ipſius prævio, cum tota ſua familia comitante, juxta patrem ſuum & fratrem tumulandum. Obiit itaque in eodem torneamento unus miles de ſequela dicti Comitis, ſcilicet *Robertus* de *Saei*, cujus viſcera cum viſceribus Comitis ſunt ſepulta. Fuerunt autem ibidem multi tam milites quàm armigeri vulnerati & clavis cæſi & graviter læſi, eò quòd invidia multorum ludum in prælium commutavit. Negotium autem Crucis, & promotio *Terræ ſanctæ*, pro dicta morte eſt damnosè ſortita diſpendium. Propoſuerat enim indubitanter in proximo arripuiſſe iter magnificè *Hieroſolymitanum*, collecta pecunia ab omnibus cruceſignatis in terra, pro cujus rei licentia dederat Papæ ducentas marcas, Comitis *Richardi* exemplariter edoctus prudentia.

Duo Papales clerici pecuniam per totam Angliam in uſum Papæ exigunt.

LABENTIBUS autem dierum illorum curriculis, & ludente fortuna in mortalium mutabilitate, non adhuc ceſſavit avaritia *Romanorum* inſatiabilis. Quia poſt receſſum Legati, remanſerunt in *Anglia* duo Papales clerici, quaſi vices Legati ſupplentes, exactores indefeſſi, ſcilicet *Petrus* cognomento *Rubeus*, & *Petrus* de *Supino*, autenticum Papale retinentes procurationes exigendi, interdicendi, excommunicandi, & pecuniam variis modis à miſera eccleſia *Anglicana* extorquendi: ut talibus rapinis eccleſia *Romana*, ſecundùm aſſertionem eorum, quæ damnificabatur multiformiter, reſpiraret. Scripſit igitur imperiosè prædictus *Petrus Rubeus*, qui ſe alteri præferebat, habens ſe per modum Legati, epiſtolas ſuas & literas autenticas illi Abbati, vel illi Priori, cujus titulus talis præponebatur. *Magiſter P. Rubeus, domini Papæ familiaris & conſanguineus, ſalutem*, &c. Et ſub tali titulo procurationes & collectas varias exigebat & extorſit. Præterea, ſocius ſuus *Petrus* de *Supino* in *Hyberniam*, permittente Rege, ex parte Papæ veniens, & autenticum ejuſdem deferens, à Prælatis *Hyberniæ* omnibus, brachio adjutus ſeculari, cum magna tyrannide collegit. Unde quidam ſuſpenſi *Londinum* ad eundem *Petrum* venerunt, ſecundùm voluntatem ejus ſatisfacturi. Rediens igitur ab *Hybernia* idem *Petrus* in Autumno ſequenti, & *Romam* tendens, mille & quingentas marcas ſecum clitellis refertis aſportavit.

Rex Francorum dat Comitatum Pictaviæ Amphulſo fratri ſuo.

EODEMQUE tempore, Rex *Francorum* uſus odientium Regnum *Angliæ* conſilio, dedit Comitatum *Pictaviæ Amphulſo* fratri ſuo, die navitatis S. *Johannis Baptiſtæ*. Ubi idem Rex, accincto ipſo eodem *Amphulſo* faſtigiosè nimis militari cingulo, inveſtivit eum honore Comitatus *Pictaviæ*, qui ad Regem *Angliæ*, vel ad fratrem ejus, ex dono ipſius, de jure ſpectare dignoſcitur. Fecitque idem Rex *Francorum* milites quàmplures nobiles, ut ſic fratris *Amphulſi* tyrocinium ſerenare videretur; parvi pendens, imò potiùs vilipendens Comitis *Richardi*, qui Deo fideliter in *Terra ſancta* militavit, & *Francos* captivos liberavit, jus vel vendicationem. Unde multi non ſatis potuerunt admirari de *Francorum* nobilitate hoc permittentium & conſulentium, qui mala pro bonis tam ingrataner & impudenter reddiderunt.

Literæ Comitis Richardi, continentes ſummam ſuæ peregrinationis.

HOC ipſius anni tempore, amici Comitis *Richardi*, ſolliciti de ſtatu ſuo, per hanc epiſtolam pleniùs certificabantur. Richardus *Comes* Cornubiæ & Pictaviæ, *viris nobilibus, venerabilibus, & in* Chriſto *chariſſimis dominis*, B. *de* Riduar. *Comiti* Deveviæ, *Abbati de* Bello *loco*, & Roberto *clerico, ſalutem & omne bonum, cum ſincera dilectione. Quantæ deſolationis & luctus* Terra ſancta *dudum extiterit, quantæque difficultatis poſt elatorum lapſum apud* Gazam *emerſum, ejus reparatio fuit & revelatio, ſenſati ſentiunt, & facti experientia devenit ad proximos, & fama pertulit ad remotos. Quòd niſi pagina patens noſtrum patefaceret arcanum, & fortè per vias explicata interpretationis ſiniſtræ præſtaret occaſionem, multa in ea exararentur, quæ corde ſopiunt & latent in imo. Ex declinatione tamen Regum vel Regnorum de* Hieruſalem, *ob ejus diviſionem ab iniquis & injuſtis occupatoribus poſſeſſam, dolore conſumpti non modico, ſilere non poſſumus omnino, quin linguam in eloquium, cùm jocandi non ſit materia, relaxemus amarum: ejus namque compaſſionis gladius animam noſtram uſque ferè perforavit, quòd ſe continere non poterat. Jam enim in* Terra ſancta *pro pace diſcordia, pro unitate ſchiſma, odium pro dilectione, excluſa juſtitia, regnaverunt. Talium utique ſeminum multi in ea plantatores extiterunt, & plures fructuum ex eis naſcentium ſunt facti collectores, ſed utinam nunc eradicati. Nec eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus. Bini namque fratres in gremio matris diſcordes, qui ut matrem defendant conſtituti, ex nimia rerum affluentia ſuperbiæ facti ſectatores, radicibus horum præſtant fomentum & humorem, & propagines in longum & latum traducunt. Bonorum namque copia tantum invicem confligendi præſtat pruritum, quòd verbera patris ſedi* Petri *præſidentis ſeveriùs in eos abhorrerent, fortiora fama dum confunderent orbem: quorum ſedationi curam adhibuimus non modicam, ſed nondum impreſſa ſunt pacis veſtigia, quoniam pacis verbis non adquieſcunt diſcordiæ ſectatores. Libenter enim portantes pecuniam, dum durat, alliciunt: ſed cùm vindicando matris verecundiam tempus advenerit, citò benevolentibus deficiunt, palliata fingentes impedimenta, ad matris conſolationem nullum omnino reſpectum habentes. Occaſione cujus, ſimul & extrema multitudine* Gallicanæ *militiæ, reſpectu* Saracenorum *exercitus ferè duplicata, more perverſo miſerabiliter proſtrata, inimici*

1241. mici Crucis inopinabiliter facti fuerunt animoſi, adeò quod pauci eorum multò plures noſtrorum ferè nihil reputarunt, aut modicum. Propter quod in primo advento noſtro, recedentibus Nobilibus, qui nos juvare putabantur, Terræ relevatio difficilis apparuit & gravis. Carere tamen patitur cum vult divina clementia, damna remediis, & conſolatione dolores. Cùm enim in veniendo pro totis viribus noſtris, ut nobis incumbebat ex voto, Crucis ignominiam ſuper inimicos ejus, eorum terras impugnando, & occupatas reſarciendo, unà cum cæteris Chriſtianis hoſtiliter vendicare ſperabamus, dominus Rex Navarræ, dux & caput tunc exercitus, & Comes Britanniæ, adventum noſtrum præſcientes per xv. dies antequam Acon veniremus, cum innumera multitudine receſſerunt. Qui quandam treugam cum Nazer, qui eſt dominus de Crac, antequam abirent, ut aliquid feciſſe viderentur, formaverunt. Videlicet, quòd ipſe redderet priſones captivatos apud Gazam, quos ipſe non habuit in cuſtodia aut poteſtate, cum quibuſdam terris in forma treugæ contentis: ad cujus ſecuritatem filium & fratres ſuos tradidit in obſides, terminum ſtatuens hoc faciendi quadraginta dierum. Ante cujus completionem idem Rex & Comes abierunt, terminum aut treugam in nullo reſpicientes. Infra quem terminum apud Acon, vigilia S. Dionyſii, ut vobis aliàs ſignificavimus, applicantes, de communi conſilio, prædicto Nazer mox miſimus inquirendum, ſi treugam cum dicto Rege factam nobis poſſet tenere. Et accepto reſponſo, quod libenter faceret, ſi poſſet, ob dicti Regis reverentiam, licet parum attineret, de Nobilium conſilio, ut finem videremus, expectavimus, dicti termini completionem. Quo completo, per iteratum nuncium accepimus, quòd prædictum pactum nullo modo potuit tenere. Hoc vero audito, de communi conſenſu omnium, ut ſtatum Terræ dictis occaſionibus declinatum, qualicunque cautela poſſemus, repararemus, uſque Jopem nos tranſtulimus. Ubi occurrens nobis quidam magnus potens valde, ex parte Soldani Babyloniæ nobis nunciavit, dominum ſuum Soldanum nobiſcum treugas facere velle, ſi nobis placeret. Auditis igitur & intellectis, nobis per ipſum expreſſiùs exponendis, Dei gratia ſinceriter invocata, de conſilio Ducis Burgundiæ, Comitis Walteri de Breſne, Magiſtri Hoſpitalis, & cæterorum Nobilium, majoris ſcilicet partis exercitus, paci & treugæ conſenſimus ſubſcriptæ. Quæ licet in primo adventu noſtro difficiliter fieri apparebat, commendabilis eſt tamen, & Terræ ſanctæ ſubſidio fructuoſa. Quoniam pauperibus & peregrinantibus læta eſt & ſecura, mediocribus incolis fructuoſa & grata, divitibus & religioſis utilis & honeſta. Nec videbatur nobis, circumſpectis undique doloribus & circumſtantiis, quòd commodioribus curis tunc poteramus involvi, quàm abſtractis à captivitate miſeris, cùm rerum & hominum licèt nos ſoli circa nos portantes theſaurum haberemus, extitit defectus, ſub treugarum fœdere civitates obrutas & caſtra ſupra Saracenos ad eorum nobilitatem firmare robuſta. Locorum verò & terrarum nomina, quæ treugæ ſunt reddita, licet ſit tædioſum, duximus inſerenda, ne fortè malignus interpres factum noſtrum aliis aſcribat in titulum, vel nos pravo modo id feciſſe malitiosè pervertat. Nam quidam treugæ, ſed pauci, noluerunt conſentire, quæ talis eſt. Iſtæ ſunt terræ quæ redduntur paci & treugæ Comitis Richardi, videlicet montana de Barrutha, cùm terris & diviſis ſibi pertinentibus, & tota terra de Sete cum pertinentiis, & caſtrum de Benfordia, de Corenis, & caſtrum novum, cum eorum pertinentiis, le Kayt, Scandalis, Lebet, Becheed, Sanctus Georgius, cum eorum pertinentiis omnibus & terris, tam plana quàm montana reddiderunt. Etiam villam de Toronia dominicam cum pertinentiis, Tabarium cum ſuis pertinentiis, caſtrum de Benaer, caſtrum de Amabel, Rama, Amoat, Alaw, & caſtrum de Hybilis cum ſuis pertinentiis, quod eſt ultra flumen verſus Orientem; caſtrum de Saphet, Nazareth, mons Thabor, Ligum, Aſchalis, caſtrum de Beithgirim cum pertinentiis eorum, & cum omnibus caſalibus, quæ pertinent ad domum Hoſpitalis S. Johannis, & quæ cognoſcuntur, eis pertinere, in pertinentiis videlicet de Hieruſalem & Bethleem, & omnes terræ quæ ſunt ſuper viam, quæ venit de Hieruſalem uſque Bethleem, & iterum de Hieruſalem uſque S. Georgium de Rama, & de S. Georgio uſque Jopen, cum omnibus caſalibus debent eſſe in manibus Chriſtianorum. Villa etiam de Hieruſalem, reddita eſt Chriſtianis. Bethleem & omnes terræ quæ ſunt circa Hieruſalem, cum omnibus caſalibus, quæ nominantur in treuga, redditæ ſunt Chriſtianis. Videlicet S. Lazarus de Bethania, & Brihaida, & Wiſſewerch, Derſfat, Bethamo, Becheles, & Bechie, Anon, Kocabi, Berſamul, Belrit, Kykay, Bethame, Behe, Kipſa, Behit, Yorep, Athacana, Clepſta, & Tolma, Argahoga, Bertapſa, Bethſaphace, Tablie, Sorobooz, cum omnibus eorum pertinentiis, cum terris quæ ſunt nominatæ in diviſis Hieruſalem & pertinentiis itineris ejuſdem, prout pleniùs in magna treuga continetur. Omnes iſtas terras cum caſtris eorum nominatis, poſſunt Chriſtiani firmare infra treugas, ſi velint. Debent etiam reddi nobiles captivati apud Gazam, & omnes priſones capti in bello Francorum, debent liberari ex utraque parte. Quàm citò verò dicta treuga formabatur, uſque Aſcalon tranſtulimus nos. Et ne tempus in manibus noſtris laberetur ocioſum, per conſilium omnium quoddam caſtrum incepimus firmare non modicum. Et inde miſimus nuncios noſtros Soldano Babyloniæ, ut dictas treugas tenere juraſſet, ſi vellet; ſimul & mitteret priſones ſæpedictos, Qui nuncios noſtros ſine omni reſponſo nobis facto, à die ſancti Andreæ uſque diem Jovis poſt feſtum candelarum, qua de cauſa neſcimus, retinuit. In qua mora, ſicut poſteà ſuis literis accepimus, eandem treugam de conſilio nobilium ſuorum tenere juravit. Interim verò ſemper fuimus apud Aſcalonem, circa dictum caſtrum conſtruendum valde aſſidui & intenti, quod Dei gratia infra tantum tempus inopinabiliter eſt expeditum; ita quod in receſſu præſentium, duplici muro cum altis turribus & propugnaculis & lapidibus quadris & inciſis columnis marmoreis decenter ornato & circumeunte omnia, quæ ad caſtrum pertinent & ritè erant perfecta, præter foſſatum circa caſtrum, quod annuente

Domino infra menſem diæ Paſchæ perficeretur ſine omni defectu. Cujus cauſa fuit non vana: ut quoniam de dictarum treugarum ratihabitione liquido nobis non conſtabat, pendente tempore caſtrum conſtruere elegimus & firmare: quòd ſi eas aliquo caſu rumpi contingeret, in Marchia, *& in ingreſſu terræ eorum, locum haberemus ſecurum & munitum, cujus ipſi antea habebant dominium, ad quem ſi contendere oporteret, poſſemus habere refugium. Nec oportet intus commorantes obſidionem formidare: nam licet obſeſſores ſuccurſum & victualia per terras eis poſſint auferre, omnia bona obſeſſis per mare poſſunt advenire. Tempore verò pacis dictum caſtrum non credimus inutile, quoniam Regni* Hieruſalem *per mare & terras clavis eſt & tutela;* Babyloniæ *verò confuſio & ruina & partibus Auſtralibus. Die verò* S. Georgii, *omnes captivos noſtros, quos diu expectavimus, recepimus, prout in forma treugarum continetur præſcripta, pace ex utraque parte jurata & treuga confirmata. Quibus omnibus ritè peractis, cùm* Terram ſanctam *in bona pace dimiſimus, diſponente Domino, in feſto inventionis ſanctæ Crucis, apud* Acon *versùs propria redeundo, naves aſcendimus. Sed per mare defectu auræ ſecundæ navigantes, & multum faſtiditi, in octavis ſancti* Johannis Baptiſtæ, *apud* Trapes *in* Sicilia *applicuimus. Et auditis ibi de quorundam Epiſcoporum noſtrorum captione & retentione, & cæteris eccleſiæ tribulationibus lachrymabilibus, ut pacem inter diſcordantes pro viribus noſtris reformaremus, & captivorum deliberationem pro poſſe inſiſteremus, matrem noſtram conſolando, diverticulum fecimus, curiam* Romanam *adeundo. Qua per Dei gratiam reformata, prout Dominus diſpoſuerit, versùs terras* Anglicanas *ad citius quod poterimus, remeare proponimus.*

CUM autem audiſſet Comes *Richardus*, quòd *Francorum* Nobilium, qui irato Deo apud *Gazre*, ut prædictum eſt, victi & occiſi miſerabiliter ceciderant, oſſa precioſa aëri exponebantur inhumata, (beſtiæ namque & volatilia carnes penitus conſumpſerant,) condoluit vehementer. Et paratis carris & ſummariis, illuc properavit, & colligi fecit omnia oſſa martyrum illorum diligenter, & fecit deferri, & veneranter ſepeliri in cœmeterio *Aſcalone*: & providit unde ſacerdos ſuſtentaretur, pro animabus defunctorum quotidie in perpetuum celebraturus. Quod cùm audiſſent *Franci* per totum *Galliæ* Regnum, ipſum Comitem tam pium opus feciſſe inter alia charitatis obſequia, grates & laudem ab eis promeruit immortalem. Nam triginta tres incarceratos Nobiles, & quingentos mediocris manus milites & peregrinos, & multos *Templi* & *Hoſpitalis* milites & ſervientes redemit vivos & liberavit, & poſteà mortuorum oſſa honorificè fecit ſepeliri.

Comes Roſſa interfectorum Chriſtianorum *ſepeliri curat.*

CONSUMMATA autem fœliciter ac magnificè peregrinatione ſua in *Terra ſancta*, applicuit Comes *Richardus* indemnis & illæſus in *Sicilia*, in portu *Trapenſi*, ſicut in epiſtola pleniùs continetur. Ubi vices agens excubitoris, expectabat eum ex præcepto domini ſui quidam præclarus domini Imperatoris Seneſcallus. Et cum eum ſummo honore, & gaudio ſuſcepiſſet, intelligens quòd equos non haberet, invenit ei equos & mulos placidiſſimos, & omnibus qui cum ipſo venerant. Et per ipſum edoctus Comes ubi dominum Imperatorem inveniret, eo duce lætus eum adiit & feſtinus, gratias agens Deo, qui eum à maris diſcrimine liberans, & ad portum ſalutis perductum, ad præſentiam Imperatoris, cujus faciem ſitienter videre deſideravit, ſub tanti ac talis viri ducatu tam conſolatorio, Deo propitio, dirigi promeruerat, indubitanter expertus, quantum valent deprecationes juſtorum aſſiduæ, quibus ſe devotè commendavit peregrinaturus. Primo enim iter arrepturus venit ad ſanctum *Albanum Anglorum* Prothomartyrem, & intrans capitulum, conventus fraternitatem poſtulavit, & ſpecialem orationum participationem. Similiter in quibuſdam aliis religioſorum domibus, ubi potiùs vigere credidit ſanctitatis & ordinis diſciplinam. Proh pudor, proque dolor, quòd *Romanæ* eccleſiæ alumni, Legati & Prælati, quos ad pecuniæ collectionem nobis *Roma* deſtinavit, qui pro ſpeculo & exemplo laicis præponuntur, ſimilia navigaturi non fecerunt, ut in periculis ſanctorum precibus fulcirentur, prout in ſacris ſcripturis faciendum certiùs edocemur. Detento & ſervato beato *Petro* Apoſtolo, fiebat oratio ſine intermiſſione pro ipſo, qui ſic liberabatur per Angelum à Deo ſibi deſtinatum.

Applicat comes R. in Sicilia *in portu de Trapes.*

INTEREA Comes *Richardus* iter dirigens versùs Imperatorem, per diverſas civitates, per quas tranſivit, receptus eſt cum ſummo gaudio & honore, occurrentibus civibus & matronis in tympanis & cantilenis, cum ramis & floribus, feſtivis indutis veſtibus, & ornatis nonnullis de militibus equos precioſos inſidentibus, duce ſuo hæc procurante, ſicut præceperat Imperator. Ad quem cùm Comes perveniſſet, in oſculis mutuis & amplexibus honorificè, nimis applaudentibus omnibus ejus collateralibus, eſt receptus. Indulgentes igitur deſideratis colloquiis & multimodis conſolationibus, amicorum more, plurium dierum ſpacio recreabantur. Juſſit igitur Imperator eum balneis, minutionibus, & medicinalibus fomentis, poſt maris pericula, mitiùs ac blandiùs, ad reſtaurationem virium, confoveri. Et poſt aliquot dies, de licentia Imperatoris & benevolentia, cum ſorore ſua Imperatrice Comes *Richardus* deſiderata ad libitum protraxit colloquia. Et jubente Imperatore, plures vidit & cum delectatione inſpexit ludorum ignotorum & inſtrumentorum Muſicorum, quæ ad exhilarandam Imperatricem parabantur, diverſitates. Inter quas novitates obſtupendas, unam magis laudavit & admirabatur. Duæ enim puellæ *Saracenæ*, corporibus elegantes, ſuper pavimenti planiciem quatuor globos ſphericos pedibus aſcendebant, plantis ſuis ſubponentes, una videlicet duos, & alia reliquos duos, & ſuper eoſdem globos huc & illuc plaudentes tranſmeabant: & quo eas ſpiritus ferebat, volventibus ſpheris ferebantur, brachia ludendo & canendo diverſimodè contorquentes, & cor-

Imperator comitem R. gaudenter ſuſcipit.

1241. pora ſecundum modulos replicantes, cymbala tinnientia vel tabellas in manibus collidentes & jocosè ſe gerentes & prodigaliter exagitantes. Et ſic mirabile ſpectaculum intuentibus tam ipſæ quàm alii joculatores præbuerunt. Et poſt aliquot dies, quos in ſolatiis poſt labores continuarunt, miſit dominus Imperator ipſum Comitem *Richardum*, de ipſius confiſus prudentia & fidelitate, ad *Romanam* curiam, ſicut in epiſtola ſua, quam Comes in *Angliam* miſit, breviter tangitur, ut pacem inter dominum Papam & ipſum Imperatorem reformaret. Cui etiam ipſe Imperator, ad cumulum honorum, quos ipſi Comiti impendit, chartam confecit Imperiali bulla communitam, ut arbitrio ſuo ſtaret in pacis per ipſum factæ qualicunq; reformatione. Et cùm veniſſet *Romam*, *Romani* eum ſpernentes conviciis affecerunt. Invenitq; Papam adeò inexorabilem & rebellem, ut nullius forma pacis, quæ Comiti, ipſi Papæ complaceret, vel è converſò. Sed voluit Papa omnibus modis, ut Imperator ſe abſolutè ſubjiceret ipſius Papæ arbitrio & voluntati, mandatiſque ſtaret eccleſiæ, præſtito ſuper hoc juramento. Sed Comes *Richardus* huic ſuæ voluntati non conſenſit. Et poſtquam multa vidiſſet in curia & audiſſet, quæ ipſi meritò diſplicuerunt, receſſit infecto negotio. Et qui ubique, tanquam publicæ utilitatis procurator, & crucis famulus honorabatur, *Romæ* tantùm eſt injuriis laceſſitus. Expertus igitur *Romanæ* curiæ & urbis tergiverſationes, rediens pervenit ad Imperatorem, quæ viderat & audierat expreſſiùs manifeſtans. Cui reſpondit Imperator: Placet mihi, quòd quæ dictis prælibavimus, experimento didiciſtis. Deinde cum Imperatore, quaſi filius cum patre, circitèr duobus menſibus commoratus, multis colloquiis eſt recreatus, & donativis concupiſcibilibus honoratus.

Epiſcopus Bangorenſis ſollicitat Regem Angliæ pro liberatione Griffini.

EODEM quoque tempore, *Griffinus* filius *Leolini* in carcere fratris ſui *David* tenebatur in arcta cuſtodia vinctus, quem in dolo vocaverat ad pacificum concilium ſub ducatu magiſtri *Richardi Bangorenſis* Epiſcopi, & quorundam aliorum Nobilium *Wallenſium*, propter quod facinus Epiſcopus ipſe receſſit à *Wallia*, ipſo *David* excommunicato. Veniénſque ad Regem *Angliæ*, ſuper hoc ſcelere nequiter perpetrato gravem repoſuit querimoniam, poſtulans inſtantiſſimè, ut Rex liberaret injuſtè à *David* nepote ſuo fratrem incarceratum, ne tanta taliſque facinoroſa tranſgreſſio remotas regiones curiámque *Romanam*, in honoris Regii læſionem, macularet. Rex igitur *David* nepotem ſuum graviter ſuper illa proditione increpans, præcepit & perſuaſit efficaciter, ut fratrem ſuum liberans, famæ ſuæ reſtaurationem & abſolutionis beneficium promereretur. Quod tamen procaciter *David* facere abnuit, Regi veraciter ſignificans, quòd ſi ipſum *Griffinum* à carcere liberaret, profectò nunquam *Wallia* pacis gauderet ſecuritate. Quod cum *Griffino* innotuiſſet, Regi latenter ſignificavit, quòd ſi ipſum à carcere fratris potenter liberaret, terram ſuam ab ipſo Rege teneret, fideliter inde ducentas marcas annuatim cum gratiarum actionibus obſequii retributione perſolvendo, præſtito ſuper hoc fidelitatis juramento, & obſide tradito ſpeciali; Inſuper juvaret eum diligenter, omnes ſibi rebelles *Wallenſes* longinquos & indomitos ſubjugare. Quidam etiam potentiſſimus *Wallenſium*, nomine *Griffinus*, filius *Madoch*, adjutorium domino Regi ſpoſpondit indefeſſum & ſecurum, ſi *Walliam* intraret hoſtiliter, moturus bellum contra *David* fallacem & multis injurioſum.

Rex Angliæ in Walliam proficiſcitur cum exercitu.

HIS igitur dominus Rex allectus promiſſionibus, *Walliam* diſponit hoſtiliter adire. Mandat igitur, præcipiens diſtrictè per literas regales, ut omnes qui ei per *Angliam* ſubſidium debebant militare, apud *Glovernium* in principio autumni cum equis & armis convenirent, in expeditionem ubi Rex proponeret profecturi. Deinde habita conſilii deliberatione apud *Salopesburiam* in craſtino ſancti *Petri* ad vincula, arma infra quindenam direxit & vexilla contra *David* nepotem ſuum, quem cavillatorem in omnibus invenerat & rebellem, nec volentem ad pacis colloquium, juxta mandatum Regis, etiam ſub ſalvo ducatu, aliquando venire. Erecta enim cervice reſpondit, quòd *Griffinum* fratrem ſuum nullatenus liberaret. Rex igitur verſus *Ceſtriam* exercitum ſuum armatum direxit & ordinatum, velut prælia confeſtim commoturus. Erat autem exercitus magnus & fortis valde. Cujus impetum cùm *David* nimiùm formidaret, tum quia æſtus jam per quatuor menſes continuatus, totius *Walliæ* paludes & loca paluſtria arefecerat, tum quia multi Nobiles *Walliæ* plus *Griffinum*, quàm ipſum *David* diligebant, præcipuè *Griffinus Madoch* potens & prudens & Regi amiciſſimus, tum quia anathematis vinculo tenebatur aſtrictus, veritus ne ſibi deteriùs contingeret, Regi ſignificavit, quòd *Griffinum* Regi liberaret abſolutum, certificans ipſum Regem multiplici ratione, quòd ſi iterum dimitteret illum, bella ſibi rediviva ſuſcitaret. Addidit etiam *David* hanc Regi conditionem, quòd Rex *David* in pace ſuſciperet, juramentis & obſidibus obligatum, non tamen exhæredatum. Quod cùm Rex benignè conceſſiſſet, miſit *David* fratrem ſuum *Griffinum* Regi à ſuo carcere abſolutum. Quem Rex ſtatim, tutiori credens conſilio, miſit *Londinum*, ſub tutela & ducatu domini *Johannis* de *Lexituna*, cum quibuſdam de Nobilioribus *Walliæ* obſidibus tam *David* quàm aliorum *Wallenſium*, in Turri reſervandum. Et hæc acta ſunt inter diem nativitatis S. Mariæ, & diem S. Michaëlis.

Wallia ſubjugata Regi Henrico III, ſine prælio.

JURAVERAT autem *David*, ut prætactum eſt, ſe Regi præſentaturum, ſalva tamen ſua perſona & ſuorum, necnon & honore, *Londini*, vel alibi, ad domini Regis diſpoſitionem, & ſuper hoc obſides Regi tradiderat. Et poſt octavum diem feſti S. *Michaëlis* venit *David Londinum* ad Regem. Et factis ibidem Regi ligantiam, fidem, & juramentum omnimodæ fidelitatis & ſecuritatis, quia tam propinquus Regi fuerat conſanguinitate, dimiſſus in pace eſt ad propria remeare. Rex igitur, ſic *Wallia* ſibi ſubjugata, ſine ſanguinis effuſione & ancipitis belli caſibus, de hoſtibus ſuis, Deo propitio, triumphavit. In quo caſu experta eſt *Wallia*, illud Dominicum verbum in Evangelio effectu veritatis non caruiſſe: *Omne regnum in ſeipſo diviſum meritò deſolabitur.*

EODEMQUE

1241.

Stannum repertum in Alemannia.

EODEMQUE anno inventum eſt ſtannum in *Alemannia* primum & puriſſimum, copioſiùs quàm in partibus *Angliæ*. Quod ab initio mundi anteà, niſi tantùm in *Cornubia*, aliquo loco non legitur fuiſſe repertum. Et ideo precium ejus, in *Anglia*, propter copiam abundantem, quam in *Angliam* tranſmiſit *Alemannia*, fuit minoratum ac vilificatum.

Diſcordia inter Epiſcopum Lincolnienſem & Abbatem Weſtmonaſterienſem.

CIRCA illud tempus, diſcordia mota inter dominum *Robertum Lincolnienſem* Epiſcopum, & dominum *Richardum*, Abbatem *Weſtmonaſterienſem*, nimis ſumptuoſa & utriq; partium damnoſa, diatim recens ſuſcepit incrementum. Nitebatur enim ſummoperè Epiſcopus, infirmatis ipſius Abbatis ſufficientibus privilegiis, ſuper eccleſia de *Heſwelle* in proprios uſus redigenda, ipſam eccleſiam occupare violenter, & nacta exili occaſione Monachis ablatam, alii conferre; ſcilicet domino *Nicolao*, quem idem Epiſcopus ſatis inhumanè beneficiis ſuis privaverat. Sed Abbas, tam jure, quàm privilegiis ſuis ſuffultus, reſtitit ei in faciem viriliter.

Diſcordia inter Regem & Epiſcopum Lincolnienſem.

IPSIS quoque diebus, orta eſt gravis diſcordia inter dominum Regem & Epiſcopum *Lincolnienſem*, eò quòd quidam Regis clericus, prudens & fidelis, *Johannes* nomine, cognomento *Manſel*, in poſſeſſionem eccleſiæ de *Thame* Regis favore & auxilio miſſus eſt, ratione proviſionis à domino Papa impetratæ. Quam eccleſiam dominus Epiſcopus cuidam clerico, videlicet Magiſtro *Simoni* de *Londino* Pœnitentiario Epiſcopi *Dunelmenſis* præcontulerat vacantem. Unde Epiſcopus *Lincolnienſis* commotus, dominum Regem per *Huntund.* & *Legr.* Archidiaconos diligenter admonuit in *Wallia* adhuc commorantem, ut Deo gratus, de ſibi tam inopinata victoria, tam enormem exceſſum corrigere feſtinaret, ne fortè Dominus iratus riſum verteret in mœrorem. Quibus Rex: Securus reſpondeo. Quia appellatum eſt. Nec debet quicquam pendente appellatione innovari. Nec quicquam attemptavi niſi Juriſperitorum conſilio, & Apoſtolica fultus autoritate. Cui unus Archidiaconorum reſpondit: Domine Rex, dominus noſter Epiſcopus *Lincolnienſis* privilegium habet ab Apoſtolica ſede conceſſum, quo uſus eſt, quòd nulli per Apoſtolicum mandatum teneatur providere, niſi fiat illius privilegii mentio ſpecialis. Sed in hujus Papalis mandati tenore, quo utitur prædictus *Johannes*, ratione cujus ſe in dictam eccleſiam, veſtro confiſus adjutorio, violenter intruſit, nulla fit dicti mentio privilegii. Quapropter non tenetur Epiſcopus *Lincolnienſis* ipſi in hoc caſu reſpondere, præſertim de collatione eccleſiæ de *Thame*, quam vacantem alii ritè præcontulerat. Et eſto, quòd nullum tamen habuiſſet privilegium abſurdum eſt ut aliquis ſe ingerat in poſſeſſionem alicujus eccleſiæ inconſulto Epiſcopo Diœceſano, nedum invito, licèt Papali confiſus autoritati, cùm omnia velit dominus Papa fieri ordinatè. Et quid opus diſcordiæ vel injuriæ jam ſic attemptatæ? Pro meritis ipſius *Johannis* præcellentis, circumſpecti & competenter literati, ad petitionem veſtram & ſuam inclinabitur de facili dominus noſter *Lincolnienſis*, ut provideatur eidem in tanto vel uberiori beneficio; & erit collatio utrobiq; licita & honeſta. Et ne ſecus fiat, humiliter & devotè poſtulat dominus noſter Epiſcopus, qui præparatus eſt in omnes ſuæ eccleſiæ dignitatis læſores & invaſores, anathematis ſententiam fulminare. Quod cùm audiſſet tam dictus *Johannes* quàm Rex & ejus conſiliarii, ait *Johannes*: Domine mi Rex, abſit ut per me inter tam nobiles perſonas diſcordia vel aliqua perturbatio oriatur. Cedo patienter. Satis mihi Dominus ad beneplacitum ſuum, vita veſtra comite, providebit. Sed cùm Rex dilationem accepiſſet, diſpoſitis diſponendis in *Wallia*, & relictis ibidem *Walteranno Theutonico*, & aliis prudentibus & potentibus viris, ut caſtris ædificatis, infirmiora terræ roborantes, armis & militiâ communirent, venit *Londinum* lætabundus. Venit & illuc dictus Epiſcopus, paratus inferre ſententiam in ipſum *Johannem* ſpecialiter, & omnes ſuæ eccleſiæ & libertatis perturbatores. Quod cùm dicto *Johanni* innotuiſſet, venit ad Regem humiliter, & ait: Domine mi, ecce ad manum *Lincolnienſis* Epiſcopus vehementer perturbatus, ne occaſione mei ampliùs diſſidium oriatur, vel ſcandalum ventiletur, reſigno eccleſiam illam litigioſam. Quod cùm Rex audiſſet, timens ne juxta verbum Epiſcopi, aliquando ſecus quàm deceret impetuoſi, quem ad hoc in procinctu vidit præparatum, ſubiret exilium, Epiſcopatu ſuo interdicto, rigorem, quem conceperat, mitigavit, nec dedit ampliùs *Johanni* cornua, quem vidit renuentem. Quapropter meruit idem *Johannes* uberiori beneficio, ſcilicet eccleſia de *Maydneſtan*, Rege largiente, protinus inveſtiri, & eodem anno, eccleſiæ de *Hovedene* uberrimæ poſſeſſione ampliari. Epiſcopus igitur mitigatus, Rege poſtulante, in publico prædicans, utpote in cujus pectore reconditæ ſunt claves ſcientiæ, hanc utriuſq; humilitatem ſatis eleganter commendavit, faciens inter cætera comparationem radiorum Solarium, qui ſunt rectiſſimi ad Regalem & regularem juſtitiam. Videns autem Rex Epiſcopi mentem jam bene pacatam & pacificatam, controverſiam nimis damnoſam & inhoneſtam, motam inter ipſum Epiſcopum & Abbatem *Weſtmonaſterienſem*, pro eccleſia de *Heſwelle*, cupiens ſedare, non permiſit Epiſcopum recedere, donec omnia, procurante prudenter id Abbate, fœliciter pacificarentur. Ceſſit igitur eccleſia illa de *Heſwelle* in poſſeſſionem *Weſtmonaſterienſis*, reſervata præſentatione vicariæ ipſi Epiſcopo. In quo facto magnum ſuſcepit eccleſia *Weſtmonaſterii* utilitatis & honoris incrementum. Auxerat igitur abſq; illo non minimo commodo Abbas ille *Richardus* Abbatiam ſuam redditibus trecentarum marcarum annuarum, ſtrenuitate ſua in perpetuum adquiſitis.

Diſcordia inter Epiſcopum Lincolnienſem & ejus capitulum.

REMANSIT autem adhuc controverſia damnoſiſſima & indecentiſſima inter ipſum Epiſcopum *Lincolnienſem*, & ejus capitulum *Lincolnienſe*. Unde aliqui Canonicorum ibidem præſentes, ſcilicet *Londini*, ab Epiſcopo adeò fatigati ſunt & damnificati, quòd coacti ſunt unam chartam monſtrare, & tenorem ejus in communi dilucidare, ut eccleſia *Lincolnienſis* neceſſe habeat jugum ſubire novæ ſervitutis, hac occaſione.

1241.

Reparatio eccleſiæ & Epiſcopatus Lincolnienſis.

CUM ante conquæſtum *Angliæ* fuiſſet ſedes Epiſcopatus, qui nunc *Lincolniæ*, apud *Dorkceſtriam*, & meritis Epiſcopi tunc præſidentis exigentibus, & locus à domino Papa anathematizaretur, & Epiſcopus deponeretur, vix remanſerunt tantæ rei poſt multos annos veſtigia, & ſic deſiit tam ſedes quàm cura Epiſcopalis tempore diuturno. Tempore igitur *Willielmi Rufi* Regis *Angliæ*, filii *Willielmi* primi, deſtructæ fuerunt multæ eccleſiæ in *Nova foreſta*, ipſo ſic jubente. Sed tandem pœnitentia ductus, conſilium ſalubre concepit, in reconciliatione illius peccati jam dictum Epiſcopatum nobilem reſtaurare & ampliare, & locum in melius commutare. Empta igitur quadam terra, vel commutata à quodam nobili, *M.* de *Gaunt*, qui cum patre ſuo venerat in *Angliam* ad conquæſtum, & illam acceperat in ſorte retributionis poſt victoriam, fundavit dictus Rex *Willielmus* ſecundus eccleſiam, quæ nunc eſt *Lincolniæ*. Qua perfecta, vocavit duos Cardinales Legatos, qui accepta poteſtatis plenitudine ſuper ordinatione Epiſcopatus & eccleſiæ illius à domino Papa affuerunt. Et convocatis octo Archiepiſcopis & ſexdecim Epiſcopis, ordinari fecit ſolenniter nimis ipſam eccleſiam, & ſtatui ejus Canonicos, ſcilicet ſæculare, & eorum redditus & potiones diſtingui & aſſignari, ut ſub Epiſcopo & Decano ordinatè & honorificè ſub certa diſciplina in perpetuum deſerviret, & permaneret ordinatio talis ac tanta, tot ſanctorum Patrum autoritate, Apoſtolica quoq; pagina communita, in perpetuum inviolabiliter duratura. Fuit autem ordinatio talis, quòd Epiſcopo ordinato, & Canonicis in ſuis poſſeſſionibus conſtitutis, ex tunc ordinatè & diſciplinatè Deo, & ejuſdem ſacratiſſimæ matri nocte dieq; deſervirent. Quorum Canonicorum ſi quis à tramite diſciplinæ deviaret, & correptus non corrigeretur, per Decanum viſitatus puniretur, nihil prius capitulum pertimens & increpationem in ipſo factam. Si autem nec ſic nec ſic ſe corrigeret, privaretur per annum ſuo beneficio, vel per biennium, ſecundum quantitatem delicti. Quòd ſi adhuc rebellis fuerit, advocaretur Epiſcopus in adjutorium, ad coercendum induratum. Quòd ſi adhuc obſtinatus incorrigibiliter recalcitraret, ipſe Rex privatum ab omni beneficio pœna graviori puniat. Et cum omnibus talis ordinatio complacuiſſet, in ſcriptum redacta eſt, & Apoſtolica autoritate roborata, & inſcripſerunt. Et dedicatâ eccleſiâ, omnes qui præſentes erant ſolenniter communicarunt omnes hujus ordinationis perturbatores. Unde Canonici dicunt, quòd ex quo Decanus nec eſt negligens, vel neſcius, vel impotens viſitandi delinquentes, & exceſſus corrigendi, injuſtè & impudenter ſe ingerit Epiſcopus ut viſitationes exigat, nec videtur penitus illæſus à mucrone ſententiæ non ſolenniter latæ à tot ſanctorum multitudine. His auditis, Rex partem ſe vendicavit habere in hujus cauſæ negotio: unde pars Epiſcopi & capituli in magna parte infirmata eſt, Nec potuit propter talis repaguli impedimentum res optatum finem pacis componendæ ſortiri, ſed dilationis cepit ſumptuoſam expectationem.

Rex Angliæ aureum feretrum fieri facit pro reliquiis ſancti Edwardi.

EODEM anno, dominus Rex *Henricus* III. unum feretrum ex auro puriſſimo & gemmis precioſis fecit ab electis aurifabris apud *Londinum*, ut in ipſo reliquiæ beati *Edwardi* reponerentur, ex ſumptibus propriis artificioſè fabricari. In qua fabrica, licèt materia fuiſſet precioſiſſima tamen ſecundum illud Poeticum:

Materiam ſuperabat opus.

Rex negat W. Mareſcallo *ſuam hæreditatem.*

EODEM tempore, Rex difficilem nimis ſe præbuit *Waltero Mareſcallo*, fratri *Gilberti Mareſcalli*, abſque liberis defuncti, de obtinenda hæreditate ſua, quæ ipſum jure hæreditario contingebat. Dicebat enim Rex ei, concepta iracundia: Pater tuus *Willielmus*, non ſine nota proditionis, *Lodovicum*, ne in *Anglia* caperetur, ſalvâſſe perhibetur. *Richardus* frater tuus captus & occiſus fuit in bello contra me dimicans, publicus inimicus & manifeſtus, adverſarius funeſtus. *Gilebertus* frater tuus jam defunctus, cui ad inſtantiam *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi, plus gratiâ, quàm de jure, conceſſi hæreditatem ſuam, contra meam prohibitionem apud *Hertfordiam* infœliciter torneavit, ubi miſerabiliter periit. Et tu *Waltere*, qui me invito & prohibente, in contemptum meum, ipſi torneamento interfuiſti, & ſophiſticè illud *fortunium* appellâſti, qua ratione, qua fronte poſtulas hæreditatem? Ad hæc *Walterus*: Domine, etſi ad ſingula competenter valeam reſpondere, veſtræ defero celſitudini. Me hactenus in ſinu mericordiæ ſpecialiter foviſtis, de veſtra familia reputatum, nec inter veſtros ultimum commenſales. Nunquam gratiam veſtram demerui, niſi quod illi torneamento cum fratre meo, cui deeſſe non potui, me non diffiteor interfuiſſe. Sed ſi omnes, qui illic fuerunt, decreveritis exhæredandos, non minimam in Regno ſuſcitabitis perturbationem. Abſit à juſto Principe, ut culpas ſolus luam univerſorum. Abſit domine, ut in tanta multitudine puniar primitivus. Et cùm Rex magis intumuiſſet, tacuit *Walterus*, qui ſe vidit gratia indigere, ſecundum illud Poeticum:

Cùm furor in curſu eſt, currenti cede furori.

Et ſic receſſit, quaſi deſperatus.

Walterus Mareſcallus creatur à Rege.

VENIT autem per eoſdem dies *Londinum* Epiſcopus *Dunelmenſis*, qui longo tempore Regi fuerat familiariſſimus, utpote cuſtos corporis Regii, & poſteà Phyſicus & cuſtos Reginæ, & in moribus idoneus informator. Ipſe de petitione dicti *Walteri*, additis ſibi quàmpluribus

nobilibus,

1241.

nobilibus, ipſaque Regina, & quos ſcivit Regi acceptabiliores, Regis rigorem mellifluis ſermocinationibus, & multiplicatis precibus prudenter emollivit, & *Waltero* reddidit complacatum. Et ſic ipſum *Walterum* Rex pacificatus inveſtivit Comitatu & Mareſcalcia, die Dominica ante feſtum omnium Sanctorum, retentis ſibi tantùm duobus caſtris *in Wallia*, *Kairmardif* ſcilicet & *Kardagan*, quæ aliquando Rex commiſit Comiti *Willielmo Mareſcallo*, deinde *Huberto Juſtitiario* cuſtodienda. Neceſſe enim habuit Rex ipſa retinere, ut infirmiora *Walliæ* nuper adquiſitæ roboraret, & tam caſtris quàm militari præſidio communiret.

Rex iratus Epiſcopo Norwicenſi.

CURRICULO temporum eorundem, Rex continuans conceptam iracundiam aggravavit adverſus Epiſcopum *Norwicenſem*, eò quòd poſtulationi conſenſit de ſe factæ ad Epiſcopatum *Wintonienſem*. Noluit enim, quia nec decuit, renunciare. Exigebat tamen Rex chartam ab eodem de renunciatione, quod idem Epiſcopus facere conſtanter renuebat. Orta exinde occaſionaliter quadam diſſentione gravi, in Epiſcopatu ſuo, per quendam ſcriptorem curiæ, qui pro ſua temeraria uſurpatione vulneratus eſt, multa inconvenientia ſunt ſecuta. Unde multi tam clerici quàm laici, baculati, vulnerati, & pugnis impiè ſunt percuſſi, & per brachium ſæculare multis damnis & injuriis laceſſiti. Nec voluit aliquo modo Rex, ut jurejurando affirmabat, à talibus gravaminibus deſiſtere, niſi dictus Epiſcopus, ut prætactum eſt, chartam conficeret, quòd nunquam ad Epiſcopatum *Wintonienſem* transferri ſe permitteret: quod omnino diſſonum fuit rationi, & Epiſcopali contrarium profeſſioni. Quia ſi dominus Papa in virtute obedientiæ id ei præciperet, nullo modo, ſi filius eſſet obedientiæ, aliquatenus poſſet contradicere.

Vexatio Monachorum Wintonienſium.

SUB eiſdem diebus ipſe *Brito*, quem violenter dominus Rex propoſuerat Conventui *Wintonienſi* quaſi Priorem, Conventum multis modis affligere ſatagebat. Procurante enim eodem impoſtore, ut juſtam cauſam habere videretur, quòd conventus ei contradicens excommunicaretur, ortæ ſunt diſſentiones. Et vocatis Regiis ſatellitibus poſt quadraginta dies elapſos, dixit: Ite & vindicate Regiam & noſtram injuriam in rebellibus noſtris, excommunicati enim ſunt: nec eſt aliqua offenſa in eos manus violentas injicere. Catervatim igitur ruunt æditui Regales, & crudeliùs quàm à Rege imperatum eſt, vel à falſo Priore perſuaſum, manus prophanas in Monachos, ad majus altare fugientes, ut ibidem tutum haberent refugium, violenter injecerunt; Et impellentes viriliterque trahentes, ita ut pavimentum cruentarent, ab eccleſia ejecerunt. Et in conſpectu civium, præ dolore & admiratione flebiliter ejulantium, uſq; ad caſtrum Regium, & ad *Huſuebeie* raptim tractitabant, pugnis cædentes, baculis impingentes, probris afficientes, hos hìc, hos illic incarcerantes, vinculis & compedibus binos & binos manciparunt. Et ſpreto Dei timore, religione habitúſque reverentia, ſqualore carcerali, tenebris, fame, & frigore, cum opprobriis, non ſine palma martyrii, cruciarunt. Ipſi autem ſcientes hæc omnia ſibi pro executione juſtitiæ violenter inferri, patienter, imò gaudenter cuncta ſuſtinuerunt, quia digni ſunt pro *Chriſto* contumeliam tolerare.

Duo exactores Papæ pecuniam ab Anglia, Scotia, & Hybernia extorquent.

PER idem tempus, *Petrus* de *Supino* clericus domini Papæ, inſtantiſſimè ex tota *Hybernia* pecuniam, ſcilicet viceſimam, per autenticum Papale extorquens collegit, indeque abſque diverſis donativis, mille quingentas marcas reportavit. Magiſter quoque *Petrus Rubeus*, cujus titulus fuit, domini Papæ familiaris & conſanguineus, ex partibus *Angliæ* Borealibus, & miſſis nunciis per *Scotiam*, autentico Papali ſimiliter communitus, pecuniam diligentiſſimè ac feſtinanter ſtuduit adunando duplicare. Et ſic ſubitò refertis clitellis, ſub conductu Monachorum *Cantuarienſium*, apud *Doveram* clanculò mare tranſierunt. Audierant enim per curſores ſuos expeditiſſimos, quòd dominus Papa irremediabiliter ægrotaret, ita ut jam vel obierat, vel forèt in proximo moriturus. Repentinam igitur & clandeſtinam cum præda ſua fugam tam per mare quàm per terram inierunt, quia timebant, ne Rex certificatus de morte Papæ, pecuniam totam quam collegerant, prudenter retinuiſſet, conſilium habiturus, quid inde faceret, cùm alius Papa ſuccederet. Et cum vix *Franciam* ingreſſi fuiſſent, ecce magiſter *Walterus* de *Orca*, nuncius Imperialis, deferens literas domini ſui de credentia ad Regem feſtinanter, ſed tamen nimis ſerò, mandata de ſtatu curiæ *Romanæ* veniens nunciavit, perſuadens quòd ſi adhuc tales in *Anglia* invenirentur, tam prædam quam prædones retineret. Sed cùm didiciſſet quod elapſi erant, increpans Regis ignaviam, iratus ſtatim receſſit, dolens quòd fruſtra adveniſſet. Ipſos igitur è veſtigio diligens inveſtigator inſequebatur, ut eorum quaſi vulpecularum Mæandros, prudenter perſcrutando, domino ſuo Imperatori viarum ſuarum diverticula nunciaret.

Pecunia collecta per Papales exactores Imperiali ærario adducitur.

DICTI igitur exactores jam de morte Papæ certificati, licèt mors ejus per aliquot dies populum lateret, & quòd eos pedetentim dictus *Walterus* inſequebatur, iter ſuum equis non parcentes maturabant. Et cùm tranſalpinâſſent, ſe in ſuorum parentum civitates & domos clanculò receperunt, pecuniam, qua onerati venerant, in locorum abditis reponentes, præſentiam quoq; ſuam non omnibus exponentes. Et cùm nec ipſos, nec prædam eorum, prædictus *Walterus* liquidò potuit invenire, niſi per levis famæ ſibila hæc omnia domino ſuo Imperatori ſignificavit. Dominus igitur Imperator per ſingulas civitates *Italiæ* ditioni ſuæ ſubjectas, diligenter fecit indagari, qui fuiſſent illi Papales nuncii vel mercatores, qui ad ſubverſionem Imperii & Reipublicæ, & fomentum belli, per diverſas Regiones, præcipuè *Anglicanam*, fraudulenter collegerant pecuniam, ut Papæ ipſam conferrent, & ſic ei darent cornua & pruritum ad perturbandum Imperium. Fecit igitur ipſos capi, & captos arctiùs, quaſi funeſtos inimicos, conveniri, & infiſcata omni eorum ſubſtantia cum domibus & totius parentelæ eorum, viris ſpectabilioribus cum uxoribus & liberis incarceratis,

1241. incarceratis, inquiri juſſit diſtrictè de ſumma pecuniæ ad opus Papæ collectæ, per tabelliones & ſcripta penes mercatores civitatum & conſcios & conſortes repoſita, & omnia fecit prudenter reſtitui. Et ſic miſerabilibus perſonis eccleſiaſticis, ſub alis Papalibus protegendis, penitus ſpoliatis, adverſarii eccleſiæ majora gravamina fortiùs intulerunt.

Obitus Gregorii *Papæ.*

DUM autem rota fortunalis mundanum ſtatum ſic revolveret, fama diatim accreſcens *Chriſtianorum* climata pervolavit, quòd dominus Papa *Gregorius*, quaſi conceptos, quos tamen ipſe ſibi ſuſcitaverat dolores, impotens ſuſtinere, undecimo Cal. Sep. viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, pro meritis à ſummo Judice recepturus. Fuit autem cùm à ſæculo iſto receſſit, ferè centenarius. Imperator autem ejus adverſarius paucos plures quam quinquaginta annos eodem tempore creditur exegiſſe, qui natus fuiſſe perhibetur anno quo *Richardus* Rex *Anglorum* captus fuit in *Alemannia*.

Cauſa accelerationis mortis ejuſdem.

DOLOR maximus quo Papa *Gregorius* corde interiùs pungebatur uſque ad mortem, fuit, quòd Imperator citò poſt feſtum Aſſumptionis ceperat quoddam caſtrum nepotum & aliorum parentum domini Papæ in *Campania*, prope *Montfortium*, quod Papa de novo de pecunia Crucefignatorum conſtruxerat, ad parentelæ ſuæ tuitionem. Scivit enim, quòd omnes conſanguineos ſuos oderat. Si igitur contingeret Imperatorem *Campaniam* ingredi, voluit Papa *Gregorius* ut non oporteret eos Imperiales inſultus pertimeſcere. Sed Imperator ſuper hoc monitus, caſtrum ſubitò obſeſſum ſubvertit, & omnes quos in eo invenit, ſuſpendit. Et in ſignum talis ſubverſionis, quandam turrim ſemidirutam reliquit, ut memoria tam culpæ quàm vindictæ nequaquam moreretur. Item fuit Papa calculoſus, & valde ſenex, & caruit balneis, quibus ſolebat *Viterbii* confoveri.

Mors Alienoræ *filiæ* G. *Comitis* Britanniæ.

ET circa idem tempus, obiit *Alienora* filia *Galfridi* Comitis *Britanniæ*, in clauſura diuturni carceris ſub arcta cuſtodia reſervata.

Quidam religioſi ordinem ſuum mutarunt.

ILLORUM quoq; dierum curriculo, quidam ex facto Epiſcopi *Herefordenſis* ſumentes exemplum, cauſam tamen ignorantes, quia idem Epiſcopus ex voto tenebatur, animi levitate ventilati, obliti illius Prophetici: *Viam quam elegit, ſtatuit ei*: ad novum & ignotum ordinem *Prædicatorum* & *Minorum* convolarunt. Abbas enim de *Oſencia*, cordis puſillanimitate detruſus, relicto ordine magni Doctoris *Auguſtini*, ad ordinem *Minorum*, novitatem volens experiri, tranſmigravit. Abbas ſimiliter de *Waledene*, in angaria portans crucem Domini ſub jugo ordinis S. *Benedicti*, vidénſque domum ſuam alieno ære obligatam, in abyſſum deſperationis demerſus, tam familia quàm conventu ſuo ignorantibus, impudenter & ſubitò ad ordinem *Prædicatorum*, unde poſteà pœnituit, convolavit.

Electio Papalis impedita.

IPSORUM dierum curriculo, mortuo, ut prædictum eſt, *Gregorio* tertio Papa, fuerunt decem Cardinales in curia præſentes, duobus exiſtentibus in carcere Imperatoris. Qui cùm, ut moris eſt, tractâſſent de electione, quia mutilata fuit concio eorum, non poterant concorditer vel competenter in unum convenire. Miſerunt ergò ad Imperatorem humiliter poſtulantes, duos Cardinales confratres ſuos ſub quacunq; vellet conditione ad curiam deſtinaret, ne promotio univerſalis eccleſiæ, quæ maximè conſiſtit in electione Papali, per ipſum impediretur. Quod Imperator benigne conceſſit, mitigatus precibus Comitis *Richardi*, ita videlicet, ut de eorum redditu ad carcerem & ad priorem ſtatum & conditionem, niſi *Otto* in Papam eligeretur, remearent. Convenientibus igitur in unum, in palatio quod *Regia Solis* dicitur, quinq; Cardinales elegerunt ſextum, ſcilicet *Galfridum Mediolanenſem*; & huic electioni favit Imperator congratulans. Tres verò reſidui elegerunt quartum, ſcilicet *Romanum*, cui electioni oppoſuit ſe Imperator: habuit enim ipſum infamem, tum propter perſecutionem univerſitatis *Pariſiacæ*, quando etiam dicebatur corrupiſſe Reginam *Franciæ B.* tum quia imponebatur ei, quòd foverat diſſidium inter Papam *Gregorium* tam defunctum & ipſum Imperatorem. Nomina eligentium Primum, ſunt: *Egidius Aſpanus*, *Stephanus filius Comitis*, Epiſcopus *Portuenſis*, *Remerus* de *Viterbio*, *Johannes* de *Columna*, *Robertus* de *Sumercote Anglicus*. Nomina autem eligentium alterum, ſunt *Richardus Hannibal*, Epiſcopus *Hoſtienſis*, qui de more primam habet vocem in electione Papali, & *Senebaldus* Epiſcopus *Sabinenſis*. Suſcitatum eſt grave ſchiſma inter fratres propter dictas electiones, quia debet haberi Papa & acclamari, cujus electioni duæ partes conſenſerint electorum. Juxta decretalem illam *Alexandrinam*, quæ ſic incipit, *Licet de vitanda diſcordia*, &c. Et ſic infeſto tanto eccleſiæ negotio, diviſi ſunt, imò potiùs diſperſi mentibus & corporibus.

Ipſo quoque tempore, obiit *Præneſtinus* Epiſcopus *Jacobus*, Imperatori obſtinatiſſimus adverſarius, habitu *Ciſtercienſis*.

Franci *liberati à carcere* Saracenorum *domum redeunt.*

EISDEM diebus, cùm per ferè quatuor menſes Comes *Richardus* cum Imperatore moram protraxiſſet, vale dicto receſſit ab ipſo, ad propria rediturus. *Franci* itaq; per pacem & treugas, quas Comes *Richardus* compoſuerat, liberati, jam mari pertranſito per Comitem ipſum, tranſitum fecerunt, gratias ei pro liberatione eorum reddituri, & plus beneficii ab ipſo recepturi. Erat enim Imperatori amiciſſimus, & quaſi alter Imperator, & abundans multis opibus. Indigebant *Franci* Imperatoris benevolentia & pecunia, utpote pauperrimi. Quibus Comes *Richardus* liberaliter providit in veſtibus & viaticis & equitaturis honorificè. Et recedens ab Imperatore, impetravit ab eodem, ut pax concederetur eccleſiæ per totam Imperatoris ditionem, & voce præconia acclamaretur, ſub pœna mortis exquiſitæ, ne quis in viduitate eccleſiæ *Romanæ*, vel alicui eccleſiaſticæ perſonæ, vel peregrinanti, maximè *Francis* repatriantibus, occaſione mortis *Gregorii* Papæ, adverſarii ſui,

moleſtus

1241.

moleſtus eſſet in aliquo. Et juſſit dominus Imperator, procuratorem & ducem prudentem & potentem Comiti *Richardo* provideri, qui eidem omnia neceſſaria civiliter & abundanter, uſque limitem Imperii provideret. Unde per *Italicas* & omnes alias Imperatoris ſubjectas civitates pertranſiens, cum ſummo honore & gaudio eſt receptus. Et venienti occurrerunt ex præcepto Imperatoris cives in equis præcioſis & mirificè faleratis, veſtiti ſericis & aliis charis induviis, in canticis & Muſicis inſtrumentis, in portentis excogitatis. Et ut de aliis ſileam, unum duxi huic operi inſerendum. Appropinquanti autem *Cremonam*, veniebant obviam gaudenter *Cremonenſes*, elephantem Imperatoris mirabiliter ornatum producentes, & portantem machinæ ligneæ propugnaculum. In quo quidam magiſtri beſtiæ reſidebant, tubis canentes, & manibus joculando applaudentes. Et multi de nobilioribus *Francorum*, qui cum Comite erant, honori ipſius congratulabantur: & cùm ad terminos Imperii perveniſſent, regreſſo procuratore Imperiali, quidam *Francorum* ab eo recedentes vale multiplicato, ad propria gaudenter ſunt regreſſi. Et in amplexibus uxorum, & liberorum, & aliorum charorum recepti, fomentis variis, necnon & grata requie ſibi ſunt reſtituti. Et narravit quilibet quanta in ſervitio *Christi* dulci commemoratione pertuliſſet, & qualiter & quàm proditioſè recedentibus, qui eos efficaciùs tenebantur juvare, ſolius Comitis *Richardi* liberabantur prudentia, & liberati ſuſtentabantur munificentia.

Narrantis conjux pendet ab ore viri.

Diſcordia inter Templarios & Hoſpitalarios.

RECEDENTE autem circa idem tempus peregrinorum multitudine de *Terra ſancta*, poſt Comitis *Richardi* receſſum, *Templarii* ſoli facta Comitis non acceptantes, imò ſtimulis invidiæ exagitati, obloquendo, detrahendo, cachinnando deridebant, & treugas ab eo acceptas impudenter confringentes, *Hoſpitalarios*, qui dictas pacem & treugas acceptarunt, & inviolabiter conſervarunt, acerbiùs infeſtabant, & damnificatos uſq; ad obſidionem in *Acon* detrudebant, ut non liceret eis in alimentis providere, nec etiam mortuos ſuos à domibus ſuis, quibus obſeſſi recludebantur, efferre ſepeliendos. Fugabant etiam & effugabant ipſi *Templarii*, in contumeliam Imperatoris, fratres eccleſiæ ſanctæ *Mariæ Theutonicorum*, vix paucis, quos habuerunt amicos, & eccleſiæ miniſtris relictis. Unde ipſi ad pedes Imperatoris querimoniam gravem ſuper hoc reponentes, & alios *Chriſtianorum* Magnates, tam eccleſiaſticas, quàm laicas perſonas, confugerunt: unde grave ſcandalum eſt exortum, ut qui tot ſaginantur redditibus ad *Saracenos* potenter expugnandos, vires & virus in *Chriſtianos*, imò fratres ſuos, impiè convertebant, ut iram Dei ſibi graviùs procurarent. Proinde Comes à *Terra ſancta* receſſurus, quaſi horum præſagus, noluit *Aſcalonem* vel theſaurum, quem ibi dimiſit ad perficienda quædam in eodem caſtro, ſuperbiæ *Templariorum* commendare. Et idcirco ipſi contra Comitem magnum rancorem conceperunt. Imò potiùs elegit, illud procuratori Imperatoris tradere cuſtodiendum.

Mors Roberti de Sumercote Cardinalis.

SUB ejuſdem temporis mutabilitate, magiſter *Robertus* de *Sumercote*, Cardinalis, vir diſcretus & circumſpectus, omnibus amabilis merito & gratioſus, natione *Anglicus*, dum in palatio, quòd *Regia Solis* dicitur, incluſus tenebatur, cum aliis fratribus de electione tractantibus, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus; potionatus, ut dicitur, eò quod Papatui dignus videbatur & idoneus, ab æmulis ſuis *Romanæ* nationis, qui eum contemnebant. Simili peſte quidam alius periit, inſidiis præventus invidorum. *Johannes* quoque de *Columna*, Cardinalis, dirutis caſtris ſuis & palatio à *Romanis*, eò quòd Imperatori favorabilis videbatur, captus eſt, & cuſtodiæ carcerali mancipatus.

Mors Stephani de Segrave.

EODEMQUE tempore, videlicet quinto Idus Novembris, obiit *Stephanus* de *Segrave* in Abbatia Canonicorum *Legreceſtriæ*, ubi aliquando in tempore perſecutionis latuit abſconditus. Iſte *Stephanus* in juventute ſua de clerico factus miles, licet de humili genere oriendus, ſtrenuitate ſua ultimis diebus adeò ditatus & exaltatus eſt, ut inter primos Regni reputatus, pro Juſtitiario habitus eſt, & omnia fere Regni negotia pro libitu diſpoſuit, ſed ſemper plus ſui amicus, quàm Reipublicæ. Meruit tamen pro aliquo opere Juſtitiæ Deo beneplacito, quod in vita ſua perpetravit, teſtamento diſcrete confecto, & viatico ſalutis devotiſſimè ſumpto, fine laudabili fœliciter terminari.

Eclipſis Solis.

IPSO eodem anno, pridie Nonas Octobris, videlicet die ſanctæ *Fidis*, paſſus eſt Sol eclipſim, ab hora diei tertia uſq; ad horam ſextam: quaſi viderentur cœleſtia terrenis conformari. Et hæc fuit altera Solaris eclipſis quæ in triennio evenit, quod eſt inauditum.

Mors Rogeri Epiſcopi Londinenſis.

CIRCA eoſdem dies, videlicet tertio Kal. Octobris, obiit Epiſcopus *Londinenſis*, magiſter *Rogerus*, vir vitæ venerabilis, & miræ ſanctitatis, ſcientia præclarus, & prædicatione perſpicuus, jocundus in eloquio, in menſa dapſilis, & vultu ſerenus. Infirmabatur autem apud *Stupenham*, manuerim ſuum, non procul à *Londino*, ibidémque mortuus huic ſæculo, migravit ad Dominum. Delatum autem eſt corpus & ſepultum *Londini*, in eccleſia ſua cathedrali.

Obiit Galfridus de Lucy.

ET infra menſem illum obiit piæ memoriæ magiſter *Galfridus* de *Lucy*, ejuſdem eccleſiæ Decanus. In quorum caſu eccleſia *Londinenſis* magnam induit confuſionem: tum quia Rex nullam permiſit ordinari eccleſiam, antequam deſtrueretur: tum quia ſedes Papalis vacabat. Cardinalibus tam corpore quàm mente jam diſperſis: tum quia carebat Archiepiſcopo, cujus Decanus Epiſcopus *Londinenſis* eſſe dignoſcitur: tum quia carebat Decano.

1241.

Redit Otto in carcerem Imperatoris.

DIVISIS circa illud tempus omnibus ferè Cardinalibus & diſſidentibus, & electione Papali ſub deſperatione ſuſpenſa, rediit *Otto* ad carcerem Imperatoris, ut interpoſitos obſides liberaret, & ſe à præſtito ſacramento & fidei interpoſitione adquietaret. Et hoc valde inceptavit Imperator. Veruntamen adhuc ipſum tenuit incarceratum, offenſus idcirco, quia ipſum Imperatorem in *Anglia* Legatus excommunicavit, & excommunicari permiſit, & non mediocriter diffamavit. Sed mittiùs egit cum eo, quia invitus hoc feciſſe perhibetur, obedientiæ Papalis coactus violentia.

Fulco Baſſet *eligitur in Epiſcopum* Londinenſem.

TEMPORE autem Dominicæ Nativitatis imminente, elegerunt Canonici *Londinenſes* in Epiſcopum & Paſtorem animarum ſuarum, magiſtrum *Fulconem*, Decanum *Eboracenſem*, virum diſcretum & circumſpectum, moribus compoſitum, & genere præclarum: contra tamen Regis voluntatem, qui pro Epiſcopo *Hertfordienſi*, magiſtro ſcilicet *Petro* de *Egueblanche*, Capitulum ſancti *Pauli* inſtantiſſimè petierat, ut ipſum in Epiſcopum poſtularent. Magiſtrum quoque *Willielmum* de ſanctæ *Mariæ* eccleſia, virum laudabilem, ipſo eodem tempore, ſcilicet Canonicum ejuſdem eccleſiæ & Cancellarium, in Decanum unanimiter ordinarunt.

Mors Hugonis *de* Pateſhulle.

LABENTIBUS autem eorum dierum profluviis, obiit Epiſcopus *Ceſtrenſis*, *Hugo* de *Pateſhulle*, vii. Idus Decemb. vir viribus adhuc integer & ætate. Qui cum toto ætatis ſuæ tempore laudabiliter vixiſſet, demùm iniquo fretus conſilio, verſus eſt in arcum pravum, malleuſq; factus religioſorum, præcipuè eorum qui ipſum creaverunt, in morte ſua parùm plangi meruit, licet parùm plus quàm per unum annum in cathredra ſediſſet Pontificiali. Quod cùm audiſſent Prior & Monachi *Coventrenſes*, vocatis Canonicis *Lichefeldenſibus*, elegerunt Monachum & Præcentorem ſuum *Coventrenſis* eccleſiæ, in Epiſcopum & Paſtorem animarum ſuarum. Aliquibus tamen de Canonicis contradicentibus, & Abbatem de *Eveſham Richardum*, qui tunc ſigilli Regii bajulus, vices ſupplevit Cancellarii, pro quo Rex ſupplicaverat, eligentibus: unde Rex factus adverſarius eccleſiæ *Coventrenſis*, ipſum Priorem & Conventum in multis quibus potuit damnificavit. Adverſantibus itaq; tam Rege cum ſuis ſatellitibus quàm quibuſdam Canonicis *Lichefeldenſibus*, domus *Coventrenſis* magnam induit confuſionem & jacturam, adeò ut Conventus diſpergeretur, aliarum domuum ſubſidia petiturus. Domus autem ſancti *Albani*, charitatis & honeſtatis intuitu, ipſum Priorem cum aliquibus Monachis ſuis & famulis & equis liberaliter per annum & aliquot menſes abjectos, cum ſummo honore ſinum pandens miſericordiæ, ſuſcepit alendum.

Galfridus Mediolanenſis *Papa electus cito moritur.*

IPSO quoque anno, poſt multas diſceptationes & diverſa ſchiſmata, tam damnoſa quàm periculoſa, inter Cardinales, Sathana ſeminante, ſuſcitata, elegerunt fratres, jam pauci facti a tribulatione malorum & dolore, magiſtrum *Galfridum Mediolanenſem* in Papam, virum moribus præditum & ſcientia, ſed in ætatem ſenilem jam declinantem & debilitatum. Unde cùm jam vix ſexdecim diebus ſediſſet, præmatura morte præventus, naturæ debita perſolvens, utinam non, ut dicitur, potionatus, ſedem Papalem, imo univerſalem eccleſiam reliquit deſolatam. Et ſub eodem tempore obiit unus Cardinalium, videlicet *Richardus Hannibal*.

Colloquium Epiſcoporum Angliæ.

EISDEM temporibus convenerunt Epiſcopi *Angliæ*, videlicet Archiepiſcopus *Eboracenſis*, *Lincolnienſis*, *Norwicenſis*, *Carleolenſis*, cum aliis multis gravibus religioſis ac diſcretis eccleſiaſticis perſonis, tractaturi ſuper multiplici deſolatione eccleſiæ, & divinam conſolationem poſtulaturi. Statuerunt igitur quaſdam orationes ſpeciales cum jejuniis fieri ab eccleſia generaliter per *Angliam*, ut Dominus eccleſiam *Romanam* Paſtorali & Papali regimine deſtitutam, relevare & reſtaurare dignaretur. Exemplum accipientes in actibus Apoſtolorum, quando incarcerato *Petro* oravit eccleſia pro eo ſine intermiſſione. Conſenſerunt etiam in unum, ut ad dominum Imperatorem mitterent univerſi nuncios favorabiles cum precibus lachrymabilibus, quatenus rancorem & omnem animi indignationem pro ſalute animæ ſincero corde remittens, depoſita omni tyrannide, eccleſiæ *Romanæ* promotionem non impediret, imò miſericorditer reſpirare promittens, licet laceſſitus, ſtuderet promovere. Mortui enim erant, qui ipſum ad iram provocaverant. Tyrannicum enim videbatur, & rationi diſſonum, ut innocui culpam luerent nocivorum. Et cùm circa electionem nunciorum, qui etiam tranſitum facientes per *Franciam* & alias regiones intermedias, obiter Prælatos ad ſimilia provocârent eleganter & diligenter, ſollicitarentur, quilibet eorum cauſas cavillatorias prætendens, onus tantæ ſolicitudinis ac periculoſi laboris pro *Chriſto* & ejus eccleſia aſſumere ſibi recuſavit. Tandem, quia *Cantabat vacuus coram latrone viator*, *Prædicatores* & *Minores*, quia vagi ſunt, & norunt omnes provincias peragrare expediti, ad hoc elegerunt, cùm alios non inveniſſent. Quod cum ad Imperialem audientiam perveniſſet, reſpondit Imperator: Quis promotionis eccleſiaſticæ proceſſum impedit? Profectò non ego. Imò pertinax eccleſiæ *Romanæ* ſuperbia, & inſatiabilis cupiditas. Et ſi impeditor ſucceſſuum tam *Anglicanæ* quàm *Romanæ* forem eccleſiæ, quis admiraretur? Hæc enim ſummoperè me conatur ab Imperiali culmine præcipitare: illa me excommunicando, non mediocriter diffamando, pecuniam in meum detrimentum ſuam effundere non deſiſtit. Et ſic carebat præparatus totus Epiſcoporum *Angliæ* in hac parte efficacia, & protectu privabatur. Proceſſit igitur annus ille curiæ *Romanæ* inimiciſſimus, peccatis ejus illud manifeſtè promerentibus, *Terræ ſanctæ* probroſus: *Templariis* procurantibus, Magnatibus *Angliæ* lugubris & funeſtus. Nam præter ipſos qui in mari perierunt, obierunt illo anno

Quorundam mortuorum recapitulatio.

Prælati ſpectabiles, duo videlicet *Romani* Pontifices, cum aliquibus Cardinalibus, & alii, quorum eſt mentio prælibata. De Magnatibus autem *Angliæ Willielmus* de *Fortibus*, Comes de *Albamarla*

marla

1241.

marla, in mari Mediterraneo peregrinans, cùm nullo modo poſſet comedere, & octo diebus jejunando martyrium protelaſſet, die Veneris proxima ante Paſcha, qua *Chriſti* in cruce Patri ſuo ſpiritum ſuum ſimiliter *Chriſto* reſignavit. Obiit etiam vir nobilis & potens *Walterus* de *Laſcy*, cujus ſupra meminimus, hæreditatem ſuam diſſipatam ſuis relinquens filiabus, circa Paſchalem ſolennitatem. Obiit & *Stephanus* de *Segrave*, ſpecialis Regis Conſiliarius, & quaſi *Angliæ* juſtitiarius: cujus mentio ſuo loco facta eſt. Obiit quoq; *Gilbertus Baſſet*, cujus caſum ſiniſtrum præſcripſimus. Obiit ſimiliter *Johannes Biſet*, ſummus Juſtitiarius Foreſtæ. Migraverunt etiam ad Dominum *Petrus* de *Malo lacu*, *Hugo Wac*, *Robertus Marmium*, *Petrus* de *Brus*, *Guiſcardus Lainet*, *Euſtachius* de *Stutewilla*: cui ſucceſſit in hæreditatem uxor *Hugonis Wac*. *Eudo*, *Hamo*, cognomento *Peccatum*, *Baldewinus* de *Betun*, *Johannes filius Johannis*, Comitis *Richardi* Seneſcallus, & *G.* frater ipſius Comitis, *Johannes* de *Bello loco*, *Girardus* de *Furnivaus*, & quamplures nobiles *Angliæ* in comitatu Comitis *Richardi*, qui Deo militantes in *Terra ſancta* ab hoc ſæculo in clientela *Chriſti* ad cœlum glorioſè avolarunt. Obiit itaq; eodem anno, ut prætactum eſt, *Alienora* filia Comitis *Britanniæ G.* apud *Briſtoldum*. Obierunt etiam viri nobiles Prælati eccleſiarum, *Rogerus Londinenſis*, *Hugo Ceſtrenſis*, Epiſcopi: & alii multi præclari tam ſæculares quàm eccleſiaſtici viri, quorum nomina longum eſſet enumerare.

Mors Imperatricis Iſabellæ.

OBIIT etiam eodem anno gloria & ſpes *Angliæ*, *Iſabella* Imperatrix, in partus diſcrimine. De cujus morte nimis dolenda per hanc lugubrem Imperatoris ſponſi ſui *Frederici* epiſtolam, plenius certificamur.

Literæ Imperatoris de eadem morte.

FREDERICIS *Imperator, &c. Regi* Angliæ *ſalutem. Proſpera qui quondam expectationi veſtræ conſueveramus literis & nunciis hilariter nova deſcribere, nunc facili eventu lætis ſucceſſibus invidente, nos velut noviter noſtræ dilectæ conſortis Auguſtæ irrevocabile damnum paſſi, & mæſta ſæviente fato ſocialis fœderis divortia ſubeuntes, dolentes ducimur, & inviti reſerare vobis germanitatis invidam ſectionem. Die namq; primo intrantis menſis Decembris præteriti, & memoratu nobis occurrit horribile, dicta conſors noſtra Imperatrix, ſoror veſtra, vocante Domino, qui aufert ſpiritum Principum, apud quem non eſt exemptio vel acceptio perſonarum, naturæ conceſſit. In cujus redhibitionis auxilium, ſi fata faviſſent, & inevitabile mortalitatis debitum creditrix natura differret, tam gratioſus amor, & ſui carus zelus conſortii nos ducebat, quòd nullius opis, vel opum, laboris, & rerum impendia vitaſſemus. At ubi Rex regum, & Dominus dominantium, qui præeſt Tribunalium poteſtatibus, cujus voluntati nemo reſiſtere poteſt eam à noſtri corporis unitate, & de veſtræ vinculo fraternitatis ademit, ex alti conſilii diſpoſitione, imò potius diſpenſatione providit, ut nobis & vobis poſt fata viveret in duorum memoria filiorum. Extat enim Dei omnipotentis dono, Regia ſoboles, de qua in conſpectu matris Rex & Regina conſurgunt, ſuæ indices genetricis. In cujus fœcunditate pignora generoſa ſuſcepimus, quæ communem affinitatem roborant, & Cæſaream Regalemq; ſedem quadam ſingulari prærogativa filialis ſanguinis & nepotum vinculo fœderant arctiori: ut dilectio mea, per quam cœpit, ſuæ filios poſteritatis aſſumens, in obligationem & gratiam duraturæ conſanguinitatis aſcendat. Licet ergo Auguſtæ conjugis noſtræ, veſtræque ſororis, amiſſio ſine turbatione cordium intimari nequeat vel audiri, vel ab intimo pectoris noſtri ſui caſus anxietas ſepararetur: quia tamen viget in gemina prole, commemoratio charæ parentis, accipit robur omne dilectioni & cognati ſanguinis in eiſdem nepotibus veſtris, quos Auguſta ſoror veſtra peperit nobis in filios, à nobis ad vos diſſolubiliter conſervari. Datum* Coronati. *xxx. die Januarii, &c.*

Conſtitutio aëris totius anni.

Tranſiit igitur annus iſte frugifer ſatis & fructifer, veruntamen ab annunciatione beatæ Virginis, uſque ad feſtum Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, ariditas continua, & æſtus incomparabilis, paludes profundas & ſtagna ampliſſima deſiccarunt, fluvios multos exhauſerunt, vivaria areſcerunt, molendinorum officia ſuſpenderunt, unde paſcua marcuerunt, vireta perierunt, indéque pecora fame & ſiti contabuerunt. Tempore verò hyemali, ſcilicet in Adventu Domini, gelu & nix cum intolerabili frigoris aſperitate terram coopertam adeò induravit, flumina colligavit, ut volucrum multitudo numeroſa, quood nunquam ſe meminit aliquis prævidiſſe, cogeretur miſerabiliter expirare.

Petrus de Sabaudia repatriare diſpoſuit.

ANNO gratiæ M.CC.XLII. qui eſt annus Regni *Henrici* III. Regis vigeſimus-ſextus, tenuit idem Rex ad Natale curiam ſuam apud *Londinum*, in majori palatio ſuo, ſicut de conſuetudine habet, ſplendidè ſerenatam, apúdque Monaſterium moram per ferè quindecim dies protraxit feſtivalem. Infra quos, videlicet die Circumciſionis Dominicæ, cùm rumores de adventu Comitis *Richardi* in *Angliam* percrebuiſſent, *Petrus* de *Sabaudia*, Comes *Richemundiæ*, caſtra Regni eminentiora & famoſiora, quæ ſuſceperat cuſtodienda, in manu Regis, ut vir diſcretus & circumſpectus, prudenter reſignavit. Timebat enim, quòd ejuſdem exaltatio repentina Magnatibus *Angliæ* multùm diſpliceret, & onera viribus graviora ſibi in ipſis nobilibus caſtris cuſtodiendis, *Anglicis* ſpretis & ſuſpectis, portanda ſuſcepiſſet. Et ne aliqua perturbatio in Regno per ipſum in adventu ipſius Comitis, ſuper hoc querelas fortè graves audituri, oriretur, pericula imminentia ſagaciter præponderans, ipſis penitùs reſignatis, idem *Petrus* repatriare diſpoſuit, licentiam à Rege ſuſcipiens. Unde ejus moderata prudentia multorum corda complacavit. Sed eadem facilitate qua dabatur licentia, antequam navem aſcendiſſet, feſtinanter à Rege revocatus eſt. Ipſóque inſtante importuniùs, recepit dictus *Petrus* iterum caſtrum *Doveræ*, licèt invitus & renitens, cuſtodiendum.

1242.

Inſolentia Comitis de Marchia.

EODEM anno, cùm renuiſſet Comes de *Marchia*, qui inter *Pictavenſes* univerſos ſemper eminenter claruit potentiſſimus, *Andephulſo* fratri Regis *Francorum*, qui ex dono fratris ſui Regis, Comitatum *Pictaviæ* injuſtè ſibi uſurpaverat, homagium facere & ligantiam, iratus cœpit recalcitrare, & incœpti pœnitere, cùm pacificè vocaretur idem Comes de *Marchia* ad prandendum cum dicto Comite *Pictaviæ Andephulſo*, diebus Natalitiis lætabundus. Sed quadam nocte intra dies Natalitiorum, cùm in craſtino venturus foret, ſecundum promiſſionem ſuam, hoc facere, inito conſilio cum uxore ſua *Iſabella*, quòd mutato propoſito reſiſteret violenter, venit ante *Andephulſum*, & ait frontuosè ei: Propoſui tibi facere homagium deceptus & circumventus: mutato igitur ſpiritu, tibi juro, & conſtanter aſſero, quòd nunquam tibi injurioſo ligantiæ fœdus faciam, vel obſervabo: qui privigno meo Comiti *Richardo*, fideliter Deo in *Terra ſancta* militanti, & captivos noſtros prudenter ac miſericorditer liberanti, Comitatum ſuum indecenter abſtuliſti, mala pro bonis retribuendo. Et ſtatim intumeſcens, minis intonantibus, ſtipatus armatorum caterva, cum uxore ſua, procaciter per medium, *Pictavis* arcubaliſtis protenſis, accenſa domo qua hoſpitatus fuit, raptim & curſu repentino, equum magnum inſidens, avolavit. In quo facto ipſum *Andephulſum* & omnes hoc videntes & audientes attonitos reddidit & iratos, & accendit ad vindictam.

Querela coram Rege Franciæ ſuper eadem.

HOC cùm vidiſſet *Andephulſus*, fratri ſuo Regi *Francorum*, gravem de tanta tranſgreſſione reponit querimoniam, tam de fuga Comitis indecenti, quàm de hoſpitii ſui incendio, qui quaſi mus in pera, vel anguis in ſinu, ſuos hoſpites malè remuneravit. Quæ querimonia tam Regem, quàm omnes Nobiles *Franciæ*, ad condignam ultionem meritò provocavit.

Comes de Marchia vocat Regem Angliæ in ſuum adjutorium.

CUM autem Comes de *Marchia* iram Regis *Francorum* vehementer pertimuiſſet, caſtra ſua armis & armatis, necnon & alimentorum copia communivit, vomeres in lanceas, falces in ſpicula conflari præcipiens. Videns tamen & à longè futura pericula conſiderans, ſeq; ſentiens non poſſe tanto Principi diu reſiſtere, Regem *Angliæ* inſtanter vocavit, ut in *Pictaviam*, theſauro tantùm copioſo communitus, venire properaret; omnes enim terras, quas injuſtè Rex *Francorum* detinet, ope *Pictavenſium* & *Guaſconienſium* in manu forti requireret, promiſitq; ſuum & aliorum Magnatum, utpote Regis *Arragonum*, & Comitis *Tholoſani*, & aliorum, quos longum eſſet enumerare, conſilium efficax & auxilium. Rex autem conſiderans, conſervabat omnia hæc in corde ſuo, fidem adhibens fallacibus ſermonibus Comitis de *Marchia*, & aliorum *Pictavenſium* fide carentium.

Convocatur generale Parlamentum Londini.

SCRIPSIT igitur Rex *Anglorum* omnibus ſuis *Angliæ* Magnatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, & Baronibus, diſtrictè præcipiens, ut omnes generaliter *Londinum*, die Martis proxima ante Purificationem beatæ Virginis convenirent, de arduis negotiis Regni, dilationem non capientibus, cum ſumma deliberatione tractaturi.

Rex occurrit redeunti Comiti R. de Terra ſancta.

EISDEM diebus, Rex adventum fratris ſui Comitis *Richardi* de partibus tranſmarinis, necnon & jam adventantium ad concilium Magnatum de longinquo præſtolando, moram *Londini* uſq; ad Calend. Febr. ſcilicet diem ſancti *Hilarii*, protelavit. Audiens ergo quòd in craſtino Epiphaniæ Comes ad *Doveram* applicuiſſet, ipſe Rex et Regina cum infinita Nobilium multitudine occurrit lætabundus, & ruens in ejus amplexus, ſuſcepit eum cum gaudio, fraterno ſanguine pietatem mutuam ſuſcitante. Rex igitur & Magnates ferè univerſi eidem diverſa munera largiendo cumularunt. Die verò ſanctæ *Agnetis* ſecundo venit Comes *Londinum*, in cujus adventu civitas auleis & pallis adornata reſplenduit feſtivalis, & epulabantur fratres gaudenter cum multitudine ſolennium, quos Rex convocaverat, convivarum.

Pictavenſes ſtimulant Regem & ejus fratrem ut tranſfretent.

ET cùm jam didiciſſent *Pictavenſes*, quòd dictus Comes *Richardus* veniſſet in *Angliam*, non ceſſabant acuere, & acuendo & animando ſtimulare, tam Regem, quàm Comitem, ut venire non differrent, jura ſua, & præcipuè Comitatum *Pictaviæ*, indubitanter adepturi. Unde Rex tranſfretandi tam fixam concepit voluntatem, ut nulla ratione ſuorum familiarium benevolorúmque poſſet revocari.

Parlamentum Angliæ cum indignatione ſolutum.

IMMINENTE verò purificatione beatæ Virginis, totius *Angliæ* Nobilitas, tam Prælatorum, quàm Comitum, & Baronum, ſecundum Regium præceptum, eſt *Londini* congregata. Et quia audierant, quòd Rex eos tam inſtanter convocaverat, & toties eo modo cavillatoriè fatigaverat, conjurando & ſub pœna anathematis firmiter inter ſe ſtatuerunt, ne aliquis in conſilio extorſioni pecuniariæ Regi faciendæ aliquo modo conſentiret. Innotuit etiam jam cunctis, quòd Comes de *Marchia* vocans Regem inſtanter ut transfretaret, portans ſecum quicquid theſauri poſſet abradere, non curans de manu militari exercitus *Anglicani*, militiam aut robur Regni ac fidelitatem vilipendiſſet, habens Regem quaſi inſtitorem cujus tantùm habere curaſſet pecuniam. Unde meritò contra Comitem & omnes ſuos *Pictavenſes*, Angli commovebantur, nec jam recto oculo Regem, talibus ſine conſilio ſuorum nobilium conſentientem, intuebantur. Igitur Regi cordis ſui propoſitum irrevocabile in propatulo exponenti de tranſitu ſuo, & vocatione Comitis de *Marchia*, & argumentosè auxilium pecuniare poſtulanti, reſponderunt Magnates cum magna cordium amaritudine, quòd talia conceperat inconſultus, & talia effrons impudenter poſtularat, exagitans & depauperans fideles ſuos tam frequenter, trahens exactiones in conſequentiam quaſi à ſervis ultimæ conditionis, & tantam pecuniam toties extorſit inutiliter diſpergendam. Contradixerunt igitur Regi in faciem, nolentes ampliùs ſic pecunia ſua fruſtratoriè ſpoliari. Rex igitur, *Romanorum* uſus verſutiis fallaciis, juſſit ut in craſtino expectarent voluntatem ſuam ſuper hoc & aliis audituri. Et in craſtino vocavit in ſecreta mecameram ſuam ſigillatim nunc hunc, nunc

nunc

nunc illum, more Sacerdotis pœnitentes vocantis ad confeſſionem. Et ſic, quos non potuit univerſos, ſingulos ſingulatim enervatos ſuis ſermocinationibus conabatur aſtutiùs enervare, petenſque ab eis auxilium pecuniare, ait: Ecce, quid conceſſit ille Abbas mihi in ſubſidium: ecce, quid alius, & protendens rotulum, in quo ſcriptum monſtravit, quid ille vel ille Abbas vel Prior, tantum vel tantum promiſit ſe daturum? cùm tamen nullus eorum aſſenſum præbuiſſet, vel ad notitiam cordis deveniſſet. Talibus igitur falſis exemplaribus, & verborum retiaculis, quàmplurimos Rex cautiùs intricavit. Multi tamen ſteterunt, nullo modo volentes recedere à communi reſponſione, prout conjuraverant. Quibus Rex in ira reſpondit: Erône perjurus? Juravi ſacramento intranſgreſſibili, quòd transfretans jura mea in brachio extento à Rege *Francorum* repoſcam: quod ſine copioſo theſauro, qui à veſtra liberalitate procedere habet, nequaquam valeo. Nec tamen his vel aliis verbis potuit aliquos muſcipulare, quamvis, ut prædictum eſt, ſeorſum quemlibet per ſe conveniendum vocavit. 1242.

Iterum autem vocavit aliquot ſimul ſibi familiares, & affatus eos, ait: Quid perniciosum exemplum aliis præbetis? vos qui Comites & Barones ac Milites ſtrenui eſtis, non deberetis, etſi alii timeant, ſcilicet Prælati eccleſiæ, trepidare. Avidiores cæteris eſſe deberetis jura Regni repoſcere, & contra injuriantes martia certamina potenter experiri. Noſtram partem ſolidare & conſolari tenetur jus noſtrum quod habemus, Magnatum vocatio cum certa promiſſione, exemplum de *Wallia*, quod ſolet præterita futuris proſperè continuare, ubi nuper fœliciter triumphavimus. Et qua fronte poteritis me dominum veſtrum, ad tam arduum negocium Reipublicæ procinctum, relinquere pauperem & deſolatum, cùm tenear promiſſa de tranſitu meo adimplere, jurejurando ſtrictiùs obligatus? Et cùm ad notitiam univerſitatis perveniret, reſponderunt: Supra id quod dici poteſt admiramur, in quam abyſſum ſubmerſæ ſunt innumerabiles pecuniæ, quas à diverſis Magnatum cuſtodiis, variis eſcaëtis, crebris extorſionibus, tam ab eccleſiis paſtore viduatis, quàm nobilium terris, præconſis donativis, ſtuporem in cordibus audientium generantibus, domine Rex, emunxiſti, quæ nunquam Regno vel modicum contulerunt incrementum. Præterea, nuper Legatos quoſdam, vel Legatorum fungentes officiis, in hoc Regnum advocâſti, qui quaſi racemos poſt vindemiantes, ſibi reliquias reſiduæ pecuniæ collegerunt. Cæterùm, nimis admirantur Magnates *Angliæ* univerſi, quod ſine eorum conſilio & aſſenſu tam arduum, tam periculoſum negotium es aggreſſus, fidem adhibens fide carentibus; ſpretóque naturalium tuorum favore, exponis te tam ancipitis fortunæ caſibus. Treugarum fœdus, inter Regem *Francorum* & te in anima tua captarum & juratarum, indiſſolubiliter & inviolabiliter uſque ad terminum obſervandarum, quem ex parte tua præfixerant præclari viri Comes *Richardus* frater tuus, & Comes *R. Bigod*, inhoneſtè & impudenter, non ſine periculo animæ tuæ, & famæ læſione diſrumpis. Addiderunt etiam Regni hujuſmodi ſeniores atq; graviores, quòd periculosè nimis fidem adhibuiſti, præſentiam tui corporis notabilibus ipſis Magnatibus ultramarinis, contra dominum ſuum, Regem videlicet *Francorum*, calcaneum levantibus, quibus eo ipſo nulla fides eſt adhibenda, utpote de multiplici proditione notabilibus. Nôſti etiam quòd nuper in *Terra ſancta* Rex *Navarriæ*, cujus & opem vobis promittunt, facinus perpetraverit, vulneráq; nondum cicatrix obtexerit. Exempla quoq; ſumpta de magnificis prædeceſſoribus tuis Regibus te terreant & revocent, qui caſtra inexpugnabilia cum amplis terris & copioſa militia & theſauris multis in partibus illis poſſederunt, nec tamen ſoliditatem invictæ militiæ Regni *Francorum* valuerunt diſſipare, vel ſaltem poſſeſſa retinere. His Rex auditis, in iram excanduit vehementem, jurans cum ſanctorum atteſtatione, quòd nullo revocaretur terrore, nullis verborum ambagibus circumventus, ab incepto propoſito retardaretur, quin in octavis Paſchæ naves aſcendens, fortunam belli in partibus tranſmarinis contra *Francos* imperterritus experiretur. Et ſic ſolutum eſt concilium, utrobique repoſita, ſed occulta mentis indignatione.

POSTEA verò, ne oblivio tenorem reſponſionis Baronum deleret, in ſcriptum taliter ſunt hæc redacta. *Reſponſio Baronum Angliæ.* Cùm dominus *Eboracenſis* Archiepiſcopus & omnes Epiſcopi *Angliæ*, Abbates, & Priores, per ſe, vel per procuratores ſuos, necnon & omnes Comites, & ferè omnes Barones *Angliæ*, ad mandatum domini Regis conveniſſent apud *Weſtmonaſterium*, die Martis proxima ante Purificationem beatæ *Mariæ*, anno Domini millesimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, Regni *Henrici* III. Regis vigeſimo ſexto, audituri domini Regis voluntatem & negocium, pro quo ipſos mandaverat. Et idem dominus Rex, tranſmittens ad eoſdem dictum dominum *Eboracenſem*, & nobilem virum dominum Comitem *Richardum*, & dominum *Walterum* de *Eboraco*, Præpoſitum de *Beverlaco*, ſuper voluntate domini Regis, & negociis ſuis, ſcilicet eiſdem expoſitis per eoſdem ſolennes nuncios, omnes Magnates de Regno rogâſſet de conſilio ei dando & auxilio faciendo, ad hæreditatem ſuam & jura ſua perquirenda, in partibus tranſmarinis, quæ ſpectabant ad Regnum ſuum *Angliæ*. Tandem dicti Epiſcopi, Abbates, & Priores, Comites & Barones, magno inter eos tractatu præhabito, in primis domino Regi per prædictos Magnates dederunt conſilium, videlicet, quòd dominus ipſe Rex expectaret finem treugarum inter eum & Regem *Franciæ* initarum. Et ſi fortè dictus Rex *Franciæ* contra formam earundem treugarum aliquas feciſſet interpriſas, tunc dictus Rex *Angliæ* mitteret ad eum ſolennes nuncios, ad rogandum, monendum, & inducendum ipſum Regem *Franciæ*; ut treugas initas teneret, & interpriſas emendaret, ſi quæ per ipſum vel per ſuos factæ eſſent. Quod ſi Rex *Franciæ* facere contradiceret, libenter ad hoc conſilium apponerent, pro poſſe ſuo de auxilio ei dando. Omnes

1242. ita unanimiter reſponderunt. Similiter poſtquam fuerat dominus eorum, multoties ad inſtantiam ſuam ei auxilium dederunt, videlicet tertiam decimam mobilium ſuorum, & poſteà quintamdecimam, & ſextamdecimam, & quadrageſimam, carucagium, hydagium, & plura ſcutagiæ & poſteà unum magnum ſcutagium ad ſororem ſuam Imperatricem maritandam. Poſteà verò, nondum quatuor annis elapſis, vel circiter, petiit ab eis iterum auxilium, & tandem cum magna precum inſtantia obtinuit triceſimam, quam ei conceſſerunt. Tali ſcilicet conditione, quòd illa exactio, vel aliæ præcedentes, ampliùs non traherentur in conſequentiam. Et inde fecit eis chartam ſuam. Et prætera conceſſit eis tunc, quòd omnes libertates contentæ in magna charta ex tunc in anteà plenius tenerentur per totum Regnum ſuum, & inde fecit eis quandam parvam chartam ſuam, quam adhuc habent, in qua eædem continentur. Præterea, dominus Rex conceſſit eis de voluntate ſua, & de conſilio totius Barnagii ſui, quòd tota pecunia ex dicta triceſima proveniens, ſalvò deponeretur in caſtris Domini Regis ſub cuſtodia quatuor Magnatum *Angliæ*, ſcilicet Comitis *Warranniæ*, & aliorum, per quorum viſum & conſilium pecunia illa expenderetur ad dicti Regis & Regni utilitatem, cùm neceſſe eſſet. Et quia Barnagium neſcit, nec audivit, quòd de dicta pecunia per viſum vel conſilium alicujus quatuor Magnatum prædictorum aliquid expendatur, credunt firmiter & bene intelligunt, quòd dominus Rex adhuc totam habet illam pecuniam integram, de qua nunc poteſt habere magnum auxilium. Præterea, bene ſciunt, quòd poſt tempus illud tot habuit eſcaëtas, ſcilicet Archiepiſcopatum *Cantuarienſem*, & plures Epiſcopatus *Angliæ* ditiores, & terras Comitum, & Baronum, & militum, de eo tenentium defunctorum, quòd ſolummodò de illis eſcaëtis debet ipſe habere grandem pecuniæ ſummam, ſi bene cuſtodiatur. Præterea, à tempore dictæ triceſimæ datæ, non ceſſaverunt Juſtitiarii itinerantes itinerare per omnes partes *Angliæ*, tam de placitis foreſtæ, quàm de omnibus aliis placitis, ita quòd omnes Comitatus *Angliæ*, & omnia Hundreda, civitates, & burgi, & ferè omnes villæ graviter amerciantur. Unde ſolummodò de illo itinere habet dominus Rex, vel habere debet, maximam ſummam pecuniæ, ſi perſolvatur & bene colligatur. Unde bene dicunt, quòd per illa amerciamenta, & per alia auxilia priùs data, omnes de Regno ita gravantur & depauperantur, quòd parum aut nihil habent in bonis. Et quia dominus Rex nunquam poſt triceſimam datam, chartam ſuam de libertatibus tenuit, imò plus ſolito poſtea gravavit, & per aliam chartam eis conceſſerat, quòd exactiones hujuſmodi non traherentur in conſequentiam, reſponderunt eidem domino Regi præcisè, quòd nullum ad præſens ei facerent auxilium. Veruntamen, quia dominus eorum eſt, ſic ſe gerere poterit erga eos uſque ad finem dictarum treugarum, quòd tunc bonum apponent conſilium pro poſſe ſuo. Et cùm dicti Magnates nuncii iſtud domino Regi nunciàſſent reſponſum, redeuntes ad Barnagium, dixerunt, quòd in parte ſufficiens dederunt domino Regi reſponſum. Sed dominus Rex voluit ſcire ab eis, quid facerent ſi Rex *Franciæ* ante finem dictarum treugarum rumperet eaſdem treugas. Promiſerunt etiam ex parte domini Regis, quòd ſi ipſe alicui Magnatum *Angliæ* injuriam feciſſet, ipſe illud emendaret, per conſiderationem domini *Petri* de *Sabaudia*, & aliorum de conſilio ſuo.

Ad quæ Magnates ſic reſponderunt, videlicet ſi Rex *Franciæ* rumperet treugas, & nollet interpriſas emendare, tunc apponent conſilium, ſicut prius dixerant ſe appoſituros in fine treugarum, dummodò conſtaret eis de veritate facti Regis *Franciæ*. Ad hoc quòd ipſi promiſerunt emendas ex parte domini Regis ſuper injuriis eis illatis, reſponderunt, quòd noluerunt ad præſens cum domino Rege placitare. Et in conceſſione triceſimæ adeò bene & fideliter promiſerat eis dominus *W.* de *Rale* ex parte domini Regis, ſicut modò ipſi faciunt: qualiter dominus Rex tenuerit promiſſa ſua, videat ipſe. Poſteà verò dominus Rex examinavit plures ſingulariter; quid ipſi conceſſerint, univerſitas ignorat. Et dum talium fluerent decurſus temporum, Comes *Sariſberienſis* initio menſis Martii de *Terra ſancta* rediens, applicuit ſanus & incolumis in *Anglia*.

Redit Comes Sariſberienſis *de terra ſancta.*

Capitur Archiepiſcopus Colonienſis.

ET ſub eiſdem temporibus, fideles Imperatoris ceperunt habitu diſſiguratum Archiepiſcopum *Coloniæ*, verſus *Alemanniam* à *Roma* repatriantem. Qui conſpiraverat ad Imperatoris dejectionem ſimul cum ipſis Prælatis, quid ad Concilium generale venire propoſuerant. Sed audito eorum caſu, qui per terram iſſe propoſuerat, flexis loris per alia diverticula remeans, poſitis inſidiis undique captus & retentus eſt.* Sed quia is qui ceperat eum, *Alemannus* erat, & notus Pontifici, cautè permiſit eum abire, præſtito ſacramento & fide interpoſita, quod nunquam inſidias vel gravamen Imperatori machinaretur. Sed illud malè tenuit poſteà juramentum, ut in ſequentibus declarabitur.

Rex Franciæ *inſtruit claſſem contra* Anglos.

ET dum rumor eventuum iſtorum mundi climata pervolavit, Rex *Francorum* certificatus de adventu Regis *Angliæ* ſuper eum hoſtili, & de conſpiratione vocantium eundem, conſtituit ante *Rupellam* quater viginti galeias bene armatas, ad cuſtodiendum illas partes volentium ingredi *Pictavenſes*. Fecit etiam militare ſubſidium per provincias ſibi ſubditas, quale ſolet *Francia* fundere, edicto Regali communiter convocari; & civilium communiarum legiones ad ſubmunitionem Regiam alacriter animari.

Rex Angliæ *pecuniam colligit multam.*

REX interim *Anglorum*, crebro ſuſcipiens Comitis de *Marchia*, & aliorum Magnatum *Pictaviæ*, mandata inſtantiſſima, animum ſuum ſuper propoſitum immobiliter ſtabilivit, omnia ſe credens juxta promiſſa ſua indubitanter adepturum. Et ut perſuaſerunt, pecuniam collegit non minimam. Nolenteſque eum auxilio pecuniari juvare, vel publicos cenſuit inimicos, vel variis vexavit pro ſuos ſatellites argumentis, & indefeſſus per totam quadrageſimam, operam

1242.

huic operi mancipavit. Significaverat enim ei Comes de *Marchia*, ut prædictum eſt, quòd tantummodo de pecunia congreganda & apportanda ſollicitaretur, quia manum militarem ſatis ei provideret, ut ait. In quo verbo nimis impudenter tranſgreſſus metas veritatis, ſicut poſteà rei exitus comprobavit.

Rex Angliæ multos ad tranſitum ſecum attrahit.

REX igitur volens corda vacillantium ſibi cautiùs inclinare, datis muneribus precioſis, multorum magnatum conſtantiam enervavit. Cor quoq; fratris ſui Comitis *Richardi* ad tranſitum maris cum eo faciendum, non abſq; ſpe abundantis retributionis, alliciendo conciliavit,& eo faciliùs,quia Regis *Francorum* temeraria præſumptio Comitatum *Pictaviæ* fratri ſuo *Andephulſo* paulò antè, ut prætactum eſt, conferens, ipſum Comitem *Richardum* poſſeſſione ſua injurioſè ſpoliaverat. Sed *Pictavenſes* omnia ſibi reſtituere in adventu ſuo certiſſimè promiſerunt.

Præmiſſi Legati ad certificandum Regis Angl. adventum.

IPSIS quoque diebus, miſſi ſunt Regis Conſiliarii ſpeciales, *Petrus* de *Sabaudia*, Comes *Richemundiæ*, & *Petrus* de *Egeblanche*, Epiſcopus *Herefordenſis*, ad partes tranſmarinas, ut amicos Regis *Angliæ* in *Pictavia* de adventu ejus proximo futuro certificantes conſolarentur. Unde ipſi erecti in ſpem meliorem, ſtatim certamen belli inierunt, ex parte Regis *Angliæ* jura ſua alacriter repoſcentes, ipſumque Regem *Franciæ* non mediocriter damnificaverunt. Quo profectò nuncio, *Petrus* de *Sabaudia*, vix evadens paratas inſidias, imminente tempore Paſchali, incolumus corpore, ſed non indemnis, ad Regem *Londinum* remeavit. Epiſcopus verò *Herefordenſis Petrus*, alia quærens diverticula, ut tutius rediret, quærentium animam ſuam pedicas evitando, *Provinciam* adiit, & à Comite *Provinciæ Reimundo*, patre *Francorum* & *Anglorum* Reginarum, tertiam filiam, nomine *Cinciam*, Comiti *Richardo* matrimonio copulandam, poſtulavit. Quod tamen univerſitas totius *Angliæ* moleſtè ferens, vehementer cœpit formidare, credens totum Regni ſtatum ad nutum Reginæ & ſororis ſuæ Comiti *Richardo* nupturæ dictæ *Cinciæ*, quaſi ſecundæ Reginæ, penitus inclinari.

Rex Angliæ ſe præparat ad tranſitum.

SUB ipſorum quoque dierum profluviis, Rex peragratis aliquorum ſanctorum eccleſiis, Religioſorum ſe commendans orationibus, civibus quoque *Londinenſibus* ſalutatis, iter arripuit in craſtino diei Paſchalis verſus *Porteſmuham*, ibidem navem aſcenſurus. Urgebant autem eundem inceſſanter ultramarinorum mandata, & accelerabant importunè. Quorum tamen forma quoſdam *Anglorum* fidelium & ad honorem aſpirantium ad iram & pudorem provocarunt. Erat quippe tenor mandati talis, ut ſcilicet cum magna ſumma pecuniæ, non curans de multitudine armatorum attrahendorum, ad eorum ſuccurſum, qui jam certamen proſperè inierunt, venire nihil formidans feſtinaret: acſi potiùs Rex *Anglorum* eſſet nummularius, trapezita, vel inſtitor, quàm Rex & militum Dux & præceptor magnificus, in nummis magis quàm militia reponens fiduciam. Et hoc modo non decuit Regem potentem ad Martia certamine provocari. Unde *Pictavenſes* ſuam ſolitam proditionem manifeſtarunt, malentes Regis theſaurum exhaurire, quam eundem Regem ſuis honoribus ſublimari, & viribus communiri; Juxta *Senecæ* Philoſophi ſententiam, loquentes de muliebri fallacia: *Tunc demùm bona eſt mulier, cùm apertè mala eſt.* In hoc rudes proditores exiſtentes, cùm

Quæ nimis apparent retia, vitet avis.

Archiepiſcopus Eboracenſis cuſtos Regni.

DISPOSITIS igitur navalibus armamentis, commendatáque Regni cuſtodia Archiepiſcopo *Eboracenſi*, Abbas *Eveſhamiæ Richardus* & electus *Ceſtrenſis*, ſigillum Regium, quod jam per triennium laudabiliter cuſtodierat, reſignavit. Revocavit etiam dominus Rex in priſtinam amicitiam, quam tamen nunquam demeruerat, Epiſcopum *Ciceſtrenſem*, Cancellarium *R.* & *Radulphum filium Nicolai*, *Godefricum* de *Crucumbe*, & quoſdam alios, ſuſurronum adulationibus à latere Regis elongatis.

Rex transfretat & applicat in Roian.

REX igitur, Idus Maii, diſpoſitis legionum ſuarum agminibus, & repletis triginta cadis deſideratiſſimis eſterlingis, comitante Regina fratréque ſuo Comite *Richardo*, cum ſeptem aliis Comitibus, trecentiſque circiter militibus, naves aſcendens, verſus *Burdegalim* iter direxit proſperè velificando. Sed antequam multum diſtaret à littore, pro carentia venti, rediit ad portum de *Porteſmues*. In craſtino autem, flante vento proſperiore, tranſvectus eſt ad ſanctum *Matheum* de *Finepoſterne* in *Britanniam*, & ibi die Dominica, divina auditurus officia, morabatur. Die verò Lunæ, vento vectus proſpero, tranſiit vaſti maris ſpacium, & die Martis venit apud *Roganum*, os *Girundæ* fluvii, ubi videlicet cadit in mare, ex oppoſito ſanctæ *Mariæ* de *Solac*, in *Gaſconia*. Et ibidem applicuit, moram per aliquot dies continuans. Inde venit ad *Pontes*, nobilem civitatem, occurrente domino civitatis ejuſdem, ſcilicet *Reginaldo* de *Pontibus*, cum aliis Magnatibus *Xantungiæ*.

Initiatur matrimonium inter filium & filiam Regum Angliæ & Scotiæ.

ET dum hæc fierent, ſicut Præloquutum fuerat, & tam ex parte Regis *Angliæ*, quàm ex parte Regis *Scotiæ*, beneplacitum, ut in abſentia Regis Regnum firmaretur ſolidiùs, domino *Dunelmenſi* internuncio, initiata ſunt ſponſalia inter *Alexandrum* primogenitum Regis *Scotiæ*,& *Margaretam* filiam Regis *Anglorum*. Et commiſſum eſt latus *Angliæ*, *Scotiæ* conterminum, eidem Regi *Scotiæ*, dum Rex in tranſmarinis ageret, cuſtodiendum.

Willielmus de Mariſco in inſula Londeia prædis intendit.

DUM autem horum dierum dilaberentur decurſus, *Willielmus* de *Mariſco*, filius *Galfridi* de *Mariſco*, receptaculum ſibi faciens in quadam inſula non multum diſtante à *Briſtoldo*, nativo ſitu inexpugnabile, cui nomen *Lundeia*, more pyratico, advocatis multis exulibus & facinoroſis, prædis

1242. prædis intendebat & rapinis, & tranſmeantes per illas partes maritimas, ſuis bonis, ſed præcipuè vino & victualibus aliis violenter ſpoliavit. Et factis repentinis irruptionibus, crebrò à terris ſibi conterminis prædas abigebat, in multis Regnum *Angliæ* per terram & per mare, tam mercatores indigenas quàm alienigenas damnificando. Cùm autem quamplures Nobiles tam *Angliæ* quàm *Hyberniæ*, qui honeſtè non poterant in patria ſua commorari, Rege ſe opponente Martiis caſibus in tranſmarinis, tranſitum facientes per partes non multùm diſtantes à prædicta inſula, didiciſſent pleniùs qualiter niſi per inſidias non poſſet dictus *Willielmus* cum ſuis occupari, nunciaverunt Regi, quòd non violenter, ſed prudenter agendum eſſet de captione illius damnifici. Præcepit igitur Rex fidelibus ſuis, ſub ſpe magnæ retributionis, ut diligenter occupationi ejus intenderent, & patriæ liberationi. Erat autem idem *Willielmus* Regi nimis odioſus, utpote de quo dicebatur, quòd conſilio patris ſui *Galfridi* in mortem Regis conſpiràſſet, & illum facinoroſum, qui venerat de nocte apud *Wodeſtoc* Regem jugulare, in crimen læſæ Majeſtatis nequiter tranſmiſerat, & poſtea quendam clericum, nuncium cujuſdam potentis *Hyberniæ*, *Londini* Rege præſente trucidavit. Ipſe autem *Willielmus*, licèt hæc omnia conſtanter inficiaretur, credi non meruit vel exaudiri: ideóque ſibi præcavens, licet incautè, diverticula ſibi quæſivit, factus exlex & fugitivus.

Obitus quorundam Nobilium.

ET circa ejuſdem anni ipſa tempora, obierunt quidam Nobiles, videlicet *Gilbertus* de *Gaunt*, *Baldewinus Wac*, *Philippus* de *Kime*. Et in partibus Borealibus, *Rogerus Bertram*, cum quibuſdam aliis Nobilibus, ab hac luce migravit. Obiit etiam Comes de *Warewic*. Et eodem tempore, unus filiorum Imperatoris *Henricus*, qui, exigentibus meritis ſuis, diuturno carcere, jubente patre detinebatur, miſeram animam exhalavit: perhibetur enim ſe ipſum manu propria peremiſſe.

Deſolatio Romanæ *Eccleſiæ.*

TUNC etiam temporis, *Romana* Curia adeo viluit exturbata, adeo languit deſolata, ut adhuc miſerabiliter vacante ſede Papali, ſex vel ſeptem Cardinales *Romæ* remanſerunt: quibuſdam raptis de medio, quibuſdam ægrotantibus, quibuſdam autem partibus remotis, in quibus nati ſunt, cum amicis & parentibus ſuis latitantibus: diſperſique locis, & animis diſſipati, extincto charitatis inter eos igniculo, ſimiles facti ſunt arenæ ſine calce, ne domus Dei, cæmento murali ædificata, proſperum caperet incrementum.

Rex Francorum *ſe præparat ad reſiſtendum Regi* Angliæ.

INTERIM Rex *Francorum*, cùm jam ſciret, quòd applicuit Rex *Anglorum* moturus contra eum bellum, ope *Pictavenſium*, & promiſſionibus *Gaſconenſium* animatus, & Comes de *Marchia* jam certamen ſubarravit, Regali edicto militiam *Franciæ* convocavit, & communias juſſit communiri armis & victualibus, ut cùm opus exegiſſet, ipſas paratas inveniret. Fecitque parari bigas circiter mille, ad tentoria, machinas, victualia, arma, & alia neceſſaria provehenda, & Martiis agminibus, qualia ſolet *Francia* effundere, prudenter diſpoſitis, verſus *Pictaviam* iter maturavit, violentas irruptiones Regis *Angliæ* & aliorum adverſariorum ſuorum viriliter repulſurus. Erat numerus militum, eleganter ad unguem armatorum, quatuor millia, abſque undique adventantibus, qui ſicut flumina in mare, ad exercitum confluebant. Armigerorum autem & ſervientium ac baliſtariorum numerus, ad viginti millia æſtimabatur.

Captio Williel*mi de* Mariſco, *& ejus ſupplicium* Londini.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, *Willielmus* de *Mariſco*, miles, de quo ſuperiùs mentio facta eſt, dum in præmemorata inſula commorans prædis intenderet & inſidiis, præventus per fideles Regis captus eſt, & vinculis mancipatus, *Londinum* perductus, & in Turri *Londinenſi* compeditus. In vigilia autem ſancti *Jacobi*, accepto Regio mandato, idem *Willielmus*, cum ſexdecim ſuis complicibus cum eo captis, judicialiter eſt condemnatus, & ignominiosè morti, Rege ſic jubente, eſt addictus. Primò igitur, à *Weſtmonaſterio* uſque ad Turrim *Londinenſem*, & inde uſque ad illam pœnalem machinam, quæ vulgariter *Gibbetus* dicitur, diſtractus, cùm ibidem miſeram animam exhalaſſet, ſuper unum uncorum eſt ſuſpenſus: & cùm mortuus obriguiſſet, demiſſus, eviſceratus eſt, & ſtatim in eodem loco viſceribus combuſtis, miſerum corpus in quatuor partes eſt diviſum, & ad quatuor principales Regni civitates eædem partes, ut miſerabile ſpectaculum illud ſingulos intuentes exterreret, ſunt tranſmiſſæ. Omnes autem ſexdecim ſocii per civitatem *Londinenſem*, ad caudas equorum tracti, ad patibula ſunt ſuſpenſi. Veruntamen dictus *Willielmus*, poſt datam mortis ſuæ ſententiam, mortem ſubiturus, cùm adhuc viveret, conſtanter ſub obteſtatione divini judicii affirmavit, quòd immunis, purus, & penitùs inculpabilis fuit de crimine læſæ Majeſtatis ſibi objecto, ſimiliter & de morte clerici ſupradicti, ſcilicet *Clementis*. Nec ob aliam cauſam ad dictam inſulam ſe tranſtulit, niſi ut Regiam indignationem vitando declinaret, quam ſuper omnia deſideravit ſemper vel quomodolibet judicialiter purgatione, vel aliqua alia humilitate mitigaſſe. Sed poſtquam memoratam inſulam fugitivus intraverat, & aliquos complices in adjutorium ſuum convocaverat, oportuit, ut dicebat, alimentis circumquaque raptis vitam miſeram protelare. Effundens igitur animam ſuam coram Deo in confeſſione *I.* de ſancto *Ægidio* fratri de ordine *Prædicatorum*, peccata ſua cum contritione & lachrymis confitebatur, non declinans in verba malitiæ ſe excuſando, ſed potiùs accuſando. Et ſic leniter conſolans eum diſcretus prædicator & confeſſor, dimiſit eum in pace, perſuadens ut loco pœnitentiæ imminentem mortem ſubiret. Et ſic, ut prædictum eſt, quod eſt horribile memoratu, non unam, ſed plures mortes horribiles toleravit.

Victoria Templariorum *in* Terra ſancta.

ANNO quoque ſub eodem, *Templarii* in *Terra ſancta* de multis millibus *Saracenorum* à *Babyloniorum* partibus tranſmiſſorum, plùs miraculoſè, quàm humana fortitudine, inopinabili victoria glorioſè triumpharunt.

1242.

Pictavenſes & Gaſconenſes ſe muniunt contra Francos.

ARDENTE verò tempore æſtivali, cum Solaris fervor omnia virentia uſque ferè ad marcorem extorruiſſet, tam *Gaſconenſes* quàm *Pictavenſes* impetum *Francorum* ſuper eos jam irruentium vehementer pertimeſcentes, civitates & caſtra ſua munierunt, prærupta montium, molarium obicibus, & arborum præciſarum repagulis, ubi aditus in ſuam patuit regionem ad nocendum, obſtruxerunt: ſemitas & ſtratas ſaxorum vel ſtipitum obicibus immeabiles reddiderunt. Vineas quas hoſtibus profuturas crediderunt, cum pomariis ſucciderunt: puteos obturaverunt, fontes & eorum rivos perturbaverunt, necnon & aliquos intoxicaverunt. Herbarum pabula & fructuum alimenta, adverſantibus patentia, exterminarunt: & omne genus victualium, vel quieſcentium receptacula, radicitùs & funditùs ſubverterunt, ut adventantes *Francigenas* penuria multiplicitabeſcentes, à finibus ſuis ſaltem ſic propulſarent: nec decepit eos ſua penitus opinio. Nam in poſterum diebus canicularibus oblatrantibus, tantæ mortalitatis tabes *Francos* illuc venientes invaſit, ut Rex *Francorum* quater viginti Nobiles vexilla portantes irreſtaurabiliter amiſit, qui miſerabiliter vel ibidem perierunt, vel in lecticis ad propria languentes ſunt tranſvecti. De pedeſtri verò populo tanta ſuccubuit multitudo, quòd vivi mortuorum periclitantes ſepultûris vix potuerunt indulgere, ſicut ſequens narratio in ſequentibus ſuo loco declarabit.

Mercatores capiuntur & bonis ſpoliantur tamin Francia quàm in Anglia.

CIRCA eadem tempora, imminente Autumni operoſo tempore, Rex *Francorum* mercatorum *Angliæ* corpora cum ſuis bonis per Regnum negotiantium, ſecùs quàm decuit, capi feraliter imperavit, lædens enormiter in hoc facto antiquam *Galliæ* dignitatem: quæ omnibus profugis, etiam & exulibus, præcipuè pacificis, tutum aſylum præbuit & tutamen, ſinum oſtendens defenſionis, unde nomen *Franciæ* in lingua propria originaliter eſt ſortita. Cùm autem hujus protervitatis infamia aures & cor Regis *Angliæ* tetigiſſet, juſſit ſimiliter, ut per Regnum *Anglorum* mercatores Regni *Franciæ* ſubirent meritò talionem. Miſit etiam eodem tempore dominus Rex *Angliæ* in Regnum ſuum ad cuſtodes Regni, ſcilicet ad Archiepiſcopum *Eboracenſem*, & ejus ſocios, militare poſtulans auxilium ac pecuniare. Ipſi verò quinquaginta baliſtarios & magnam pecuniæ ſummam & victualia, & ſervientes cum armis, ad mandatum Regium, ſine more diſpendio, ſub conductu *Quinque portuum* deſtinaverunt. Quod videntes quidam Magnates *Angliæ*, inhoneſtum arbitrantes ociis indulgere, Rege in tranſmarinis martio negocio operam dante, accinxerunt ſe ad iter cum eis arripiendum, cum equis & armis competenter præparati. Necnon & quidam potentes de *Hybernia*, ut *Richardus* de *Burgo*, & quidam alii, eleganter ac providè in armis & victualibus, procurante viro diſcreto ac circumſpecto domino *Mauritio Hyberno*, communiti, ad Regis ſubſidium alacriter properarunt. Et facta eſt ex ipſis claſſis copioſa, & navalis exercitus formidabilis. Quod comperientes nautæ & pyratæ, ulteriora littora juſſu Regis *Francorum* diligenter cuſtodientes, aptatis armamentis navalibus, & arreptis armis corporeis, erectis velis in puppibus & directis, in galeiis remis multiplicatis, conati ſunt vel eis in mare oppoſito hoſtili congreſſu obviare, vel ipſos exturbatos ad litora repellere citeriora. Et cùm cominùs imminerent, orta ſubitò tempeſtate, adeò hinc & inde ſunt diſperſi, ut vitæ ſuæ conſulentes naucleri & pyratæ, vehementem raptum ventorum ſequentes, vix ſuum comitatum in brevis horæ ſpacio, vel naves ſociales cognoverunt. *Franci* tamen, quia propinquiores erant ſuis litoribus, quàm *Anglici* vel *Hybernienſes* ſuis, vento non multum eis adverſante, ad tutiora, vel etiam ad propiora, vel etiam ad propria ſe quantociùs proſperè contulerunt. Noſtrates autem, tam ventorum quàm *Francorum* rabiem non mediocriter pertimeſcentes, & fugiendo declinantes, in pudore, in timore, & animi rancore, in diverſis, remotis, & ignotis littoribus, raptim coacti ſunt applicare. Propter quod dominus Abbas *Eveſhamiæ*, & dominus *Richardus* de *Burgo*, & multi alii in ducatu ipſorum exiſtentes, nunquam in ſtatu ſanitatis corporeæ ſibi ipſis poſteà reſtituti, continuè languentes declinaverunt, donec nimis afflictas animas, quas non potuerunt poſt tot labores in extraneis provinciis & aëre inſolito penitus reſocillare, miſerabiliter exhalarunt. Rex igitur, in hoc caſu lugubri virorum potentum ac diſcretorum, armorum, & victualium, videlicet frugum, quas ab Archiepiſcopatu *Cantuarienſi*, & aliis Epiſcopatibus collegerat, necnon & non minimæ pecuniæ undecunque adunatæ jacturam magnam & irreſtaurabilem incurrit.

Mors Margaretæ Biſet.

OBIIT autem eodem anno in partibus illis, *Margareta Biſet*, genere præclara, moribus clarior, quæ virorum amplexus omnino reſpuens, cujuſdam bonæ domus Sanctimonialium fundatrix, contra omnium ſuorum carnalium amicorum voluntatem, ſumptibus propriis non minimis, ſuſtentatrix fuerat & patrona. Quæ idcirco laudem promeruit ampliorem, quia dominum Regem apud *Wudeſtoch*, clamorem excitando, ab illo, de quo facta eſt mentio, facinoroſo, fœliciter dum ad Pſalterium, quod qualibet nocte pſallendo complevit, excubans & orans, liberavit.

Immane ſcelus Walteri Biſet.

IPSIS eiſdem temporibus, dum in partibus Aquilonaribus torneamenta infœliciter exercerentur, quidam miles in armis ſtrenuus, ſed verſutus, *Walterus Biſet* nominatus, dum in illo haſtiludio, quod captum fuit in confinio *Angliæ* & *Scotiæ*, jacturam incurrit, prævalente quodam Nobili, ſcilicet *Paterico filio Thomæ* de *Galeweia*, facinus concepit, ut faceret injuſtam ultionem, & ſcelus inauditum. Dum dictus *Patericus* cum quibuſdam aliis Nobilibus cum eo exiſtentibus, apud *Haduntunam* nocte ſequente hoſpitatus, in quodam horreo dormitans, ſecurus quieſceret, ipſe præmemoratus *Walterus Biſet*, oſtiis deforis truncorum obicibus repagulatis, & clam locis plurimis ignem in pariete horrei ſpinis concraticulato ſupponens, omnes ferè qui illuc erant, combuſſit. Obiit igitur ibidem dictus *Patericus*, cum quibuſdam ſociis ſuis ſtrenuis & præclaris. Quòd cum ad noticiam Comitis *Paterici* & aliorum Magnatum *Scotiæ* pervenîſſet;

1242. veniſſet, ad tanti ſceleris vindictam ſe accingentes, ipſum *Walterum* hoſtiliter inſequebantur, volentem eum in fruſta detruncare. At ipſe ad alas Regis *Scotiæ* confugiens, miſericordiam & juſtitiam ſibi ab ipſo fieri poſtulavit. Inficiabatur enim ſibi ſcelus impoſitum, offerens corpus ſuum ad diſrationandam judicialiter coram Rege & curia ſua innocentiam ejus, contra quemcunq; armis & viribus præpotentem. Contradixerunt autem inſequentes, affirmantes, quod facti enormitas manifeſta non indiguit probatione. Poſtulabant igitur acriter & cum magna inſtantia & animi rancore, à Rege inimicum publicum, recenti cæde cruentatum, & inaudito pollutum facinore. Rex autem furorem eorum vix mitigans, vindictam taliter temperavit, ut idem *Walterus* abjurata *Scotia* exhæredatus in perpetuam exularet. Ipſi autem hoc Regi cum difficultate conceſſerunt, credentes ipſum à Regis protectione diviſum irretire, & nece condigna trucidare. Quod Rex, utpote vir juſtus & miſericors, poſtquam comperit, eum in locis, qui non erant inimicis acceſſibiles, cautè per tres menſes abſcondit. Et poſtea ſub cujuſdam noctis opacæ conticinio, velut exul irrediturus, & judicialiter fugitivus & exhæredatus, fugam clandeſtinam arripiendo aufugit idem *Walterus*, Nobilibus *Scotiæ* quàmplurimis animam ſuam quærentibus ejus fugam ignorantibus. At ipſe, qui juraverat iter ſe arrepturum in *Terram ſanctam* & irrediturum, pro redemptione animæ ſuæ & prædictorum, licèt non per eum, ut ait, combuſtione peremptorum, loris flexis ad Regem *Anglorum*, querimoniam coram eo de tanta injuria ſibi illata graviter repoſiturus, properavit. Affirmavit enim, Regem *Scotiæ* eum exhæredâſſe injuſte, nec poſſe aliter protervitatem quorundam rebellium ſuorum, in eum furiosè inſurgentium, mitigare: cùm promptus eſſet & paratus judiciali duello impoſitum crimen repellendo, ſuam purgare ac probare innocentiam. Addidit inſuper, quòd cùm Rex *Scotiæ* homo ligius ſit domini Regis *Angliæ*, non poteſt tam Nobilem, præcipuè non convictum, ſine Regis *Angliæ* conniventia exhæredare, aut irrevocabiliter de terra ſua aufugare. Inſuper addidit, quòd dictus Rex *Scotiæ*, in læſionem ligantiæ & fidelitatis, qua tenetur Regi *Angliæ*, *Galfridum* de *Mariſco* ab *Hybernia*, læſum in conſcientia de proditione filii ſui *Willielmi*, nuper judicialiter condemnati & *Londini* ſuſpenſi, fugientem in terra ſua receptavit & receptum protexit & protegit. Unde dominus Rex *Angliæ* vehementer contra Regem *Scotiæ* commotus, iram uſque ad idoneum tempus retributionis, ſicut ſequens ſermo declarabit, reſervavit.

Rex Angliæ repudiatis treugis Regi Francorum bellum indicit.

ET dum dierum illorum diffluerent curricula, Rex *Angliæ* nuncios ſuos ſolennes ad Regem *Francorum*, videlicet *Radulphum filium Nicolai*, & *Nicolaum* de *Molis*, deſtinavit, voluntatem ſuam ipſi de initiando bello, reſignatis treugis, niſi voluntati ſuæ obtemperaret, nunciaturos. Qui advenientes, invenerunt ipſum Regem *Francorum* milite ſtipatum copioſo, obſidentem quoddam caſtrum Comitis de *Marchia*, ſcilicet *Frontenay*. Quod caſtrum idem Rex die ac nocte infatigabiliter inſultibus armatorum impetivit, jactibus petrariarum malleavit, grandine perterruit ſpiculorum, adeò ut incluſi jam penè fatigati, non potuerunt tam acerbos impetus & continuos ampliùs ſuſtinere. Erat enim in ipſo caſtro unus filiorum Comitis de *Marchia*, quem de gremio prioris uxoris ſuæ ſuſceperat, miles ſtrenuiſſimus, cum aliis Nobilibus ipſi Comiti ſpecialiſſimis, quos in illo caſtro tutiſſimo & munitiſſimo defendendo & cuſtodiendo poſuerat. Rex autem *Francorum* avidiſſimè eos cupiebat occupare, ut cæteri ſibi cautiùs providentes formidarent. Et cùm jam ad ipſum Regem *Francorum* nuncii Regis *Angliæ* perveniſſent, ipſos cum honore & reverentia ſuſcepit, & ad menſam pranſuros civiliter advocavit. In craſtino vero accedentes ad Regis *Francorum* præſentiam, eleganter & ſeriatim coram eo in hunc modum ſibi injuncta propalarunt: Significat vobis dominus noſter Rex *Angliæ*, conſanguineus veſter, quòd ſupra modum admiratur, quòd treugas inter vos & ipſum, & præſtito utrobiq; ſacramento firmatas, adhuc per triennium duraturas, irreverenter, necnon & impudenter confregiſtis, per quod Regiæ fidei conſtantiam, ſecus quàm deceret, videmini fauciaſſe. Quibus Rex *Francorum* ſereno vultu reſpondit: Nunquam eas confregi, nec infringere deſidero, imò eas intemeratas cuſtodio. Et ſi ei placet, ſine aliqua remuneratione, quod tamen non conſuevi, eas protelabo. Abſit hoc à me Rege *Francorum*, ut treugas, vel aliquod fœdus initum inter ipſum & me, ſpreta Dei & hominum reverentia, & conſanguinitatis fœdere, quomodolibet præſumam infringere. Sed nunciate domino veſtro, quòd ipſas treugas in hoc triennio & in alio triennio, id eſt, in ſex annos prorogando continuabo, ſi placet, gratis & ſine præmio retributionis. Inſuper *Pictaviam* & *Normanniæ*, quæ non eſt mihi ſuſpecta & formidabilis, maximam partem, in quibus ſe jus habere aſſerit, & ſpem ex patris mei *Lodovici* præſtito in *Anglia* juramento, & anteceſſorum antiqua conceſſione meorum & permiſſione, gratanter concedo. Sic tamen, ut mihi liceat ſine ejus impedimento, ſicut jus expoſtulat, meam & Regni mei injuriam vindicare, de inimicis meis & proditoribus, in ipſum confidentibus. Inſuper, noverit dominus Rex *Angliæ*, quòd admirandum eſt, quo ductus ſpiritu vel ratione, dicat, quòd ego treugas inter nos initas confregerim, ſi homines meos, vel etiam vicinos, aut conterminos, qui ad eum ratione homagii non pertinent, ſi ſint mihi injurioſi vel rebelles, nedum meos expugnem proditores. Quid ad eum de Comite de *Marchia*? Imò quid ad eum de Comite *Tholoſano*? nullas cum ipſis treugas accepi, vel in treugis erant contenti. Quinetiam eo ipſo quòd ipſos meos adverſarios tuetur, videtur potiùs fœdus initum dictarum treugarum & conſanguinitatis genialem dilectionem enormiter violaſſe. Attamen ego meliùs ac mitiùs agere cum ipſo propoſui, & adhuc formam ei concedo treugarum prætaxatam.

1242.

Hæc autem dicebat Rex cum ſummo moderamine, & ſine aliquo figmento offerebat, quia vehementer pertimeſcebat inſidias Regis *Arragonum* Regiſque *Caſtellæ*, qui Regem *Angliæ* conſanguinitate contingebat, Inſuper & Comitis *Tholoſani*, qui ex longo tempore *Francos* oderat ipſum perſequentes. Comitemque de *Marchia*, caſtris inexpugnabilibus communitum, & divitiis Regis *Angliæ* ſaginatum. Necnon & *Normannos* vacillantes, *Angliæ* conterminos, & quadam affinitate concatenatos. Et ſupra omnia, juramentum patris ſui *Lodovici*, quo tenebatur Regi *Angliæ* ante receſſum ab *Anglia*, jura ſua ſibi reſtituere, ſi patrem ſuum ſupervixiſſet. Et illud moriturus injunxit filio ſuo apud *Avinionem*. Et idcirco juſtum & pium arbitrabatur, animam patris ſui à tali obligatione liberare.

CUM autem hæc audiſſent nuncii, quæ viderant & audierant fida relatione domino ſuo Regi *Angliæ* protinus retulerunt. Sed Rex *Angliæ* nullo modo favere voluit benignæ voluntati, & glorioſæ ac omni jocunditate repletæ ejus oblationi. Animarunt enim eum & in reprobum ſenſum averterunt verſuti proditores *Pictavenſes*, qui clauſerunt oculos ſuos, ne videret utilitatis ſuæ magnitudinem, promiſeruntque ei hæc & plura ope eorum, de manu Regis *Francorum* potenter extorquenda. Et ſtatim per quoſdam *Hoſpitalarios* ipſum Regem *Franciæ*, quia Comitem de *Marchia*, quem patrem ſuum, (qui tamen vitricus erat,) de more appellavit, jam cœperat expugnare, præcipitanter diffiduciavit. *Relatio nunciorum Regis Franciæ ad Regem Angliæ.*

QUOD cùm Rex *Francorum* intellexiſſet, pœnituit eum tam humilem pacis formam Regi *Anglorum* obtuliſſe. Et ait optimatibus ſuis: Doleo quòd Rex *Angliæ* conſanguineus meus, quem optavi mihi habere amiciſſimum, adeò faſcinatus eſt, quòd inclinavit animum ſuum plus fallacibus ſibilis Comitum *Marchiæ* & *Tholoſiæ*, & eorum complicibus, quorum unus eſt de proditione, alter de hæreſi notabilis, quàm meis mandatis amiciſſimis. Doleo me eſſe contemptum. Veruntamen neque ipſum neque ſuorum vires pertimeſco, ſed tantùm juramentum patris mei in *Anglia* confirmatum. Et cùm ſuper hoc inconſolabiliter ingemuiſſet, dixit ei unus Magnatum ſuorum, eleganter conſolans eum, hoc modo: Domine mi Rex, non eſt vobis ſuper hoc aliquatenus formidandum. Quià in receſſu patris veſtri ab *Anglia* juratum fuit utrobique ſacramento irrefragabili inter Regem *Angliæ* & vos, quòd non illaturus foret alteruter veſtrum aliquod hac vel illac veſtris impriſis poſt receſſum veſtrum, occaſione belli moti, nocumentum. Quod tranſgreſſus eſt Rex *Angliæ* nimis impudenter, quando *Conſtantinum* filium *Aluphi* civem *Londinenſem*, pro eo quòd ſolummodo pro patris veſtri honore verba fecit, truculenter & injuſtè ſuſpendit. Ipſe incidit in laqueos perjurii, vobis abſolutis. *Initium belli inter Francos & Anglos.*

ERECTUS igitur Rex *Francorum* in ſpem meliorem, incœptam obſidionem caſtri de *Frontenay* inſtantiùs continuavit, & exercitum conflavit copioſiorem, & ſtipendia diſtribuenda militantibus ampliavit. Ipſi igitur dictum caſtrum ſolitò acerbiùs impugnantes, tam truculenter, tam infatigabiliter erectis mangonellis flagellarunt, compoſitis petrariis diſſiparunt, compactis præcipitariis impegerunt, jaculorum fulgure qui interius erant tranſverberaverunt, ita quòd ipſum caſtrum, licèt munitiſſimum, infra quindecim dies, contra omnium *Pictavenſium* opinionem, potenter expugnarunt, & filium Comitis *Marchiæ*, qui in eo erat, cum omnibus ſuis complicibus occuparunt. Qui cùm conſpectu Regis triumphantis præſentaretur cum ſuis concaptivis, & inſtanter poſtularent multi *Francorum*, ut ad terrorem aliorum ſtatim ſuſpenderentur, ait Rex, quaſi factus ejuſdem filii fidelis Comitis advocatus: Non eſt reus mortis, ſi paternis præceptis uſque ad mortem obedivit: neque complices ſui, qui domino ſuo fideliter ſerviendo obtemperarunt: ſed *Pariſios* mittantur incarcerandi. Quod & ita factum eſt. *Occupatur caſtrum Frontenay.*

CECIDIT igitur timor Regis *Francorum* ſuper omnes inhabitantes partes circumjacentes, vehementer pertimeſcentes, ne ſi forent Regi *Francorum* rebelles, ſimili calamitati vel pejori involverentur. Captum enim erat violenter caſtrum ac feſtinanter, in quo repoſita fuit ſpes univerſorum. Venerunt igitur ad eum qui in circuitu erant cuſtodes caſtrorum Comitis de *Marchia*, claves ſuas Regi, ut melioribus ſubjacerent conditionibus, reſignantes. Peragrans igitur Rex *Francorum* affines provincias, caſtra quàmplura & municipia ſine difficultate in ſuam ſuſcepit ditionem. Debilia autem ſolo tenùs complanavit. Quæ autem fortia ſitu erant, vel compoſitione, magis roboravit, & fideles ſuos *Francos*, procedens poſuit in eiſdem. Eodemque modo recepit aliud nobile caſtrum, videlicet *Funtenay*. *Rex Francorum plura alia caſtra occupat.*

VENIT igitur indiſtanter Rex *Francorum* ad nobile caſtrum Comitis de *Marchia*, quod *Mouvent* dicitur. Et cùm illud obſidere diſponeret, Conſtabularius præhabita cum ſuis deliberatione, miſit ad Regem verba pacifica bajulantes. Timebat enim, ne ſi violenter caperetur, non ei parceret *Francorum* juſtitia. Clanculò igitur & feſtinanter conſulto ſuper hoc Comite domino ſuo, ſignificavit domino Regi *Francorum*, quòd ſi concederet ei in pace non ficta vitam & arma ſua, & ipſis qui cum ipſo erant, caſtrum ei reſignaret: ita tamen quòd ſi infra triennium futurum poſſet pax reformari inter dominum Regem *Francorum* & dominum Comitem de *Marchia*, ipſum caſtrum domino eorum, ſcilicet Comiti de *Marchia* ſine aliqua contentione reſtitueret. Rex autem malens habere caſtrum integrum ſine moræ diſpendio, quàm moroſis petrariarum jactibus diſſipatum, conceſſit ei poſtulata: Et ſic caſtrum in continenti ſine difficultate plenè in ſuam cepit ditionem. *Redditur caſtrum Mouvent Regi Francorum.*

QUIBUS auditis, irruit formido cum deſperatione in Comitem de *Marchia*, & omnes ſuos *Pictavenſes*, necnon in omnes *Gaſconiam* inhabitantes, & univerſos quos Rex *Angliæ* habuit protegendos. *Pœnitet Comitem Marchiæ incepti.*

1242. protegendos. Pœnituitque Comitem de *Marchia* vehementer contra dominum ſuum, Regem ſcilicet *Francorum*, procaciter recalcitraſſe.

Sed galeatum ſerò duelli pœnitet.

Magiſtri quinque portuum latrocinantur per mare.

REX autem *Angliæ*, cùm hæc audiſſet, præcepit *Quinque portuum* Magiſtratibus, tam mercatoribus quàm aliis per maria tranſmeantibus de Regno *Francorum*, quæcunque poſſent inferre nocumenta. At illi feralia dicta crudeliùs complentes, more pyratico rapinis & cædibus intendentes, metas præcepti Regii, lucris inhiantes, truculenter exceſſerunt: dum *Anglos* etiam à peregrinatione redeuntes, & vicinos, & notos, affinitati vel conſanguinitati non parcentes, bonis ſuis ſpoliarunt, & aliquos *Francorum* trucidarunt. Quod cùm datum fuiſſet intelligi Regi *Francorum*, ſcripſit Comiti *Britaniæ*, & litora *Britannica* inhabitantibus, cuſtodibuſque *Rupellæ* & partium ejuſdem, *Withſandiæ*, *Caleſiæ* nautis, & *Normanniæ* litora cuſtodientibus, ut & ipſi impetus *Anglorum* per mare debacchantium repellentes, corporibus eorum non parcerent aut catallis. Unde multiplicatis adverſantium viribus & numero, cuſtodes *Quinque portuum* aliquoties turpiter victi & damnificati, ſubſidium ab Archiepiſcopo *Eboracenſi* coacti ſunt poſtulare.

Adventus Regis ad civitatem Taillëburgam.

IPSIS quoque diebus, Rex *Anglorum* cum exercitu ſuo fuit in pratis ſuper *Charentam* fluvium juxta caſtrum de *Thonay*. Et ibidem fecit duos fratres ſuos, filios ſcilicet Comitis de *Marchia*, milites. Et dedit illis quolibet anno de Scaccario ſuo percipiendas, uni quingentas, & alii ſexcentas marcas, donec eis providiſſet in terris & redditibus certam æquipollentiam. Et inde recedens cum exercitu ſuo, pervenit ad prata contra civitatem *Tailleburge*, ſuper prænominatam aquam fluvii *Charentæ*. Et ibidem moram per ſex dies continuavit.

Fuga Regis Angliæ.

REX interim *Francorum*, multis caſtris cum caſtellanis in ſuam receptis ditionem, in bonam ſpem erectus, verſus civitatem de *Tailleburge* iter dirigit & vexilla. Eſt autem civitas illa nobilis valde, uberrimis vineis opulenta, fluvium cum pratis amœnis & ponte optimo habens jocundiſſimum, ſcilicet *Charentam* profundam & invadabilem. Cùm autem Rex *Francorum* civitati appropinquaſſet, cives nec volentes nec valentes ei in manu forti reſiſtere, ſalubriori inito conſilio, ipſi obviam in pace venientes, ſe ſuamque civitatem cum poſſeſſionum & libertatum ſuarum integritate, Regi *Francorum* manciparunt. Quos idem Rex protinus in gratiam ſuam ſuſcepit & protectionem. Repentinè igitur venit ad civitatem, & hoſpitabatur in ea, & cum eo ſui nobiliores, cæteris tentoria ſua in prato juxta civitatem figentibus. Et cùm in craſtino diei, ſcilicet Dominicæ proximæ ante feſtum ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, dictus Rex *Francorum* tranſito ponte, ad ulteriora *Pictaviæ* ſe cum ſuis legionibus transferre diſpoſuit, innotuit hoc Regi *Angliæ* & ſuis Magnatibus, inter quos erat quaſi dux & primicerius Comes de *Marchia*. Cujus conſilio diſpoſitis agminibus de nocte, ſubitò venit Rex *Anglorum* cum ſuo exercitu ad pratum cui pons continuatur, & ibidem fixis tentoriis hoſpitatus eſt ex oppoſito civitatis, ita quòd unus alium exercitum poterat ſupervidere. Erant autem in exercitu Regis *Anglorum* tunc mille ſexcenti millites; & viginti milia de pedeſtri expeditione, & ſeptingenti arcubaliſtarii. Similiter & unus Rex fuit ex una parte prope fluvium, alius ex altera parte prope ripam. Manè autem facto, ecce noſtri *Anglici* viderunt *Oloflammam* Regis *Francorum*, & eorundem papiliones cum vexillis, & erat ex alia parte fluminis tentoriorum multitudo ad inſtar magnæ & populoſæ civitatis. Et cùm Rex *Anglorum* nihil aliud quàm belli impetum expectaret, excepturus *Francos* in ore gladii, & aliqui *Anglorum* pontis tranſitum cuſtodiebant, dixit Comiti de *Marchia*: Domine Comes pater, ubi nunc eſt promiſſio tua? Promiſiſti enim adhuc in *Anglia* exiſtentibus per plures pluries nuncios, certificans nos per chartam tuam patentem, quòd copiam nobis, cùm neceſſe foret, militum tantam præparares, ut alacriter poſſent imperterriti Regi *Francorum* obviando reſiſtere: & quòd non niſi de pecunia ſollicitaremur. Cui Comes: Nunquam hoc feci. Et Comes *Richardus*: Imò. Adhuc in hoc exercitu tuam chartam ſuper hoc habeo patentem. Cui Comes de *Marchia*: Nunquam per me ſignata vel etiam confecta fuit. Et Rex attonitus: Quid hoc de te audio, pater? Nunquid ſæpè miſiſti ad me, imò importunè ſollicitaſti per nuncios tuos & chartas patentes, ut huc venirem, & moras arguiſti? Ubi eſt quod promiſiſti? Cui Comes de *Marchia* cum juramento horribili, ait: Nunquam per me hoc factum fuit. Imputate hoc matri veſtræ, uxori meæ. Et iterum jurans in gutture: Per guttur Dei, me ignorante ipſa machinata eſt hæc omnia. Cùm autem hæc audiſſet omnia Comes *Richardus*, dearmavit ſe, & aſſumpto uno baculo in manu ſua, tranſivit pontem, de pace vel treugis loquuturus. Imminebat enim Regis *Angliæ* captio manifeſtè. Erat autem dies Dominica. Et cùm veniſſet ad exercitum, receptus eſt cum ſummo honore à *Francis*, & vocabant eum multi Redemptorem ſuum, quia per compoſitionem pacis eos in *Terra ſancta* liberaverat. Et intrans ad Regem *Franciæ*, reverenter vocatus eſt. Et cùm deſiderium ſuum Regi expoſuiſſet, ſcilicet de treugis obtinendis, conceſſæ ſunt ei treugæ uſq; in craſtinum vix. Et hoc impetravit, tum quia favorabilis perſona *Francis* fuit, pro nobilium dicta liberatione in *Terra ſancta*, tum quia fuit domini Regis *Francorum* conſanguineus, tum quia fuit dies Dominica. Et cùm receſſiſſet Comes, ſalutans Rex ait recedenti: Domine Comes, Domine Comes, conceſſi vobis hac die cum ſequente nocte treugas, ut interim deliberetis vobiſcum, quid agendum ſit de cætero vobis ſalubriùs.

Nox

1242.

Nox enim conſilium habet. Cui Comes: Ideo petii inducias, quas impetravi. Et cùm Comes ad Regem rediens perveniſſet, inſtillavit auri ejus ſecretiùs, dicens: Citò, citò, transferamus nos hinc. Imminet captio noſtra. Comederunt igitur feſtinanter: tranſitus enim erat. Et cum declinaſſet Sol, intendebat quilibet farcinulis ſuis colligandis. Et ſerò cum inciperent tenebræ fieri; Rex *Angliæ* expertus jam in parte fidem, imò perfidiam *Pictavenſium*, turpiter receſſit, & feſtinans non pepercit calcaribus: & ſecutus eſt eum totus exercitus, non ſine multo equorum & hominum diſcrimine. Erant enim multi impranſi, & equi vexati & inanes. Rex igitur raptus equo velociſſimo, non priùs lora retraxit, donec *Xantonas* perveniſſet.

Conflictus apud Xantonas *inter* Francos & Anglos.

QUOD cùm cognoviſſet Rex *Francorum*, quod tamen vix credere potuit, eadem nocte cum toto exercitu ſuo pontem pacificè tranſiit, & eodem loco quo Rex fuerat, die poſtera fixerunt *Franci* ſua tentoria ſummo mane. Adventabat enim & creſcebat exercitus. Plauſtra enim & bigæ, machinas & victualia deferentes, viam trium miliarium detinebant, quæ ad mille & ſexcenta æſtimabantur. Die autem Martis proximo ſequente, Rex *Franciæ* cum exercitu ſuo inſecutus eſt Regem *Angliæ*. Et cùm appropinquaſſent *Xantonas*, quidam de *Francis* diſcurrebant, emolumentis victualium intendentes, quod vulgariter *Forrari* dicitur. Quibus Comes de *Marchia* hoſtiliter occurrit, Rege *Angliæ* inconſulto, vel exercitu ejus. Et facto congreſſu acclamatum eſt terribiliter: Ad arma, ad arma. Hinc *Regales*, *Regales*: inde *Montis gaudium*, *Montis gaudium*, ſcilicet utrius Regis inſigne. Et aſcendit clamor uſque ad *Xantonas* ad Regem *Angliæ*, & ejus exercitum; & dictum eſt, quoniam Comes de *Marchia*, bellum inieruiſſet, volens vel vitam perdere, vel famam redimere. Et commotus eſt uterque exercitus, & incœpit conflictus acerrimus extra civitatem *Xantonas*, inter vineas, in arctis viarum. *Angli* autem in ira ſua alacriter *Francos* in ore gladii ſuſceperunt, certamen graviſſimum ineuntes: ita quòd ſi numero eadem die eis æquarentur, ſicut & ipſi *Franci* conteſtati ſunt poſt certamen, voti compotes de *Francis* glorioſè triumphaſſent. In quo conflictu Comes *Legriæ* S. de *Monte forti*, Comes *Sarisberiæ*, Comes *Norfolckiæ*, *Rogerus Bigod*, *Johannes* de *Burgo*, *Warinus* de *Monte cheinſil*, *Hubertus filius Matthæi*, *Radulphus filius Nicolai*, & multi alii *Anglici* ſtrenui, ibidem, hoc aſſerentibus æmulis eorum, laudem promeruerunt ſempiternam. Ex parte autem *Francorum* captus fuit ibidem *Johannes* de *Barris*, per *Willielmum* de *Sey*, cum ſex militibus, qui poſteà pro totidem *Francis* ſunt commutati. Multique alii *Francorum*, inter quos etiam captus fuit *Petrus Orige*, Seneſcallus Comitis *Boloniæ*, per *Johannem Manſel*, Regis *Angliæ* clericum, & ſpecialem conſiliarium, qui inter ſtrenuos ultimus non habebatur. Ex parte autem Regis *Anglorum* captus eſt vir nobilis *Henricus* de *Haſtinges*, cum viginti militibus, & manu pedeſtri non minima, qui omnes pro *Johanne* de *Barris*, & illis qui cum eo capti fuerunt, commutabantur.

Comes de Marchia *clam cœpit reconciliari Regi* Francorum.

ACCRESCENTE autem Regis *Francorum* exercitu diatim, ad inſtar ſtagni ex torrentibus, cœpit Comes de *Marchia* anxiùs formidare. Siniſtri enim rumores recenter quotidie cor ſuum cruentarunt, Capto enim *Frontenay*, captus fuit filius ejus, & cum eo quadraginta milites, & multò plures ſtrenui ſervientes cum armis, quod ſuæ fuit olla ſpei & confidentiæ. Poſteà verò Mouvent, aliud caſtrum, amiſit: ubi etiam ſepties viginti milites, & arcubaliſtarii circiter ſexaginta loricati, erant poſiti in cuſtodia. Deinde *Vilers*, cum pluribus aliis caſtellis & municipiis, cum ſuis cuſtodibus & defenſoribus: Inde *Funtenay*, cum ſuis partibus adjacentibus, occupabatur. Actus ergo dolore cordis intrinſecùs, deſperans, & formidans, licèt ſereno vultu cordis moleſtiam palliaret prædictus Comes de *Marchia*, cœpit vacillare & cogitare, quibus intermediis poſſit recipi in gratiam domini ſui Regis *Francorum*, cujus tantam offenſam promeruerat. Miſit ergo clanculò ad Comitem *Britanniæ*, ab antiquo ſibi familiarem, proditor ad proditorem: ut ipſe adjuncto ſibi Epiſcopo *Xantonienſi*, petens affectuoſè, & adhibita ſumma diligentia, clam & cautè ipſum in gratiam Regis *Francorum*, reſtauraret. Venit ergo dictus Comes *Britanniæ* cum memorato Epiſcopo *Xantonienſi* ad Regem *Francorum*, & ſubridens, ait: Succiſum eſt velut à texente bellum iſtud. Et præmiſſis quibuſdam aliis ſibilis & ſuſurris adulatoriis, continuans ſermonem, ait in audientia prædicti Epiſcopi, & quorundam paucorum Optimatum *Francorum*, quos ad tantum conſilium advocavit: Domine mi Rex, homo veſter Comes de *Marchia*, qui ſe graviter offendiſſe vos veſtràmque coronam confitetur, petit à vobis non judicium, ſed miſericordiam. Sicut ſolet communiter proverbium recitare: *Miſeris miſericordia eſt neceſſaria, & de peccatore miſericordia.* Mittit me ad vos, ut in quo confidat anima ipſius. Idcirco pro ipſo interpello affectuoſè veſtram Regiam & innatam benignitatem, ut vos aperto ſinu miſericordiæ, hominem veſtrum, & jam fidelem, & vobis pronum, & ſine conſueta ſimulatione converſum, recipiatis. Et intuens uno oculorum, ait demiſſiùs: Conſulo ut non contradicatis. Arctare enim poteſtis ad libitum conditionem in poſterum.

Comes Marchiæ *reconciliatur Regi* Francorum.

IGITUR receptus eſt Comes de *Marchia* in gratiam Regis *Francorum*, ita ſcilicet, quòd Rex *Francorum* id quod de ſuo jam violenter occupaverat, cederet ei in poſſeſſionem jure perpetuo, & in augmento Regni, Comite privato judicialiter cum hæredibus ſuis. Item additum eſt, quòd omnia caſtra dicti Comitis, ſcilicet *Coinnacum*, *Lizinnum*, & *Muntpin*, & omnia ſibi ſuſpecta, ſive ſint ſua, ſive amicorum, quos poteſt juſtificare, in manu Regis *Francorum* reſignarentur, & ſic ea cuſtodita remanerent per triennium, ut ſaltem ſic reſtringeretur, ac, etſi invitus,

1242. fidelis eſſe cogeretur. Et poſt elapſum triennium, in gratia Regis pendeat, ut ſi Regi fideliter ſervierit, prædicto Comiti caſtra memorata reſtituerentur. Cæterùm, per triennium ſerviret ipſi Regi *Francorum* cum ducentis armatis, militaturus fideliter in bello dicti Regis contra Comitem *Tholoſanum*, vel aliquem alium, Regi *Francorum*, vel eccleſiæ rebellem, ad præceptum ejus propriis ſtipendiis. Inſuper addidit Rex: Chartam illam, quam ipſe, ſicut & prædeceſſores ſui ab antiquo tempore à Regibus *Francorum* anteceſſoribus meis, hactenus tenuit, de decem millibus libris de fiſco meo annuatim pro *Marchia* ex hac parte Regni mei cuſtodienda, quam ſæpè malè cuſtodivit, maximè nunc, percipiendis, ſine aliqua contradictione mihi reſignet, cum quieta clamantia annui cenſus ſupradicti. Ad hoc Comes *Britanniæ* ſubridendo, pinſem faciens, cum ſanna, inſtillans auri Reginæ, ait: Conſulo ut retentis caſtris & cenſu, vos amodò *Marchiam* veſtram cuſtodiatis. Et ſic recedens, aſſumpta manu Epiſcopi, ait: Conſummatum eſt. Cui Epiſcopus: Quid? At illi Comes: Negocium pro quo ivimus. Cui iterum Epiſcopus: Amice, tu videris. Suſurrationes veſtras clancularias non audivi.

Comes de Marchia conſentit conditionibus quamvis duris.

TALES igitur conditiones & obligationes cùm ipſi Comiti de *Marchia* ex parte Regis *Franciæ*, pro gratia ſua obtinenda, per ſupradictum Comitem *Britanniæ* innotuerunt, ab imo lachrymabilia trahens ſuſpiria, diu tacuit renitendo. Tandem conſilio ſæpedicti Comitis de *Britannia*, & aliorum amicorum ſuorum ſecretorum, in quibus confidebat, ne pejùs ei contingeret, non ſine magna cordis amaritudine, conſenſit. Et ſic relicto filio ſuo Rege *Anglorum*, cujus theſaurum pro majore parte jam exhauſerat, ad exercitum *Francorum* avolans, pedibus Regis *Franciæ* provolutus, gratiam ejus, quam non meruit, eſt adeptus. Et ſtatim miſſus eſt cum ipſo Comite *Britanniæ*, ad expugnandum Comitem *Tholoſanum*, qui Regi *Angliæ* tam conſanguinitate, quàm juramenti fœdere, contra Regem *Francorum* in continuatione initi belli conjunctus dignoſcebatur. Unde ex illo tempore Comes *Tholoſanus*, ſuæ intendens defenſioni, Regem *Angliæ*, cui efficax auxilium præaccepta pecunia promiſerat, juvare non poterat. Similiter nec Rex *Arragoniæ* dicto Regi, præcluſis aditibus, aliquatenus valuit aut voluit ſuffragari: nec quiſquam alius, in quo confidebat Rex *Angliæ*. Venit tamēn Comes *Tholoſanus* furtivè ſemel ad Regem *Angliæ*, excuſans ſeipſum, & ipſum Regem inanis umbratilis rationis conſolatione confortans, ait: Ne deſperetis, domine mi Rex & Congermane. Non diffidatis Regem *Francorum*, Rex potens, repellere; Quem me ſolum, cum adjutorio Papali, repuliſſe violenter meminiſti. Et ego, cum à finibus meis hoſtiles irruptiones tuorum proditorum viriliter propulſaverim, ad veſtrum auxilium non ſegniter properabo. Et ſic poſt aliquas ſimul factas confabulationes, receſſit dictus Comes, non paucis oneratus donativis.

Qua cauſa Rex Xantonas amiſerit.

DUM autem hæc prædicta proditio à Comite de *Marchia* ignorante Rege *Angliæ* ſubdolè perpetraretur, idem Rex apud *Xantonas* aliquot diebus moram protrahens, (quia ab antiquo jure ſpecialis proprietas Regis *Angliæ* eſſe dignoſcitur, & camera) dedit, & per chartam ſuam confirmavit, filio Comitis de *Marchia Hugoni*, ſcilicet *Bruno*, fratri ejuſdem Regis juniori, civitatem ipſam, ſine conſilio civium, & contra voluntatem eorundem. Oderant enim cives eundem *Hugonem*, utpote ſuperbum & injurioſum, & ſæpè ipſis oppreſſuris per eum comminantem. Ideóq; cives ipſum Regem *Angliæ* ampliùs oculo recto non poterant intueri, vel ejus geſtus vel opera gratiùs approbare.

Fuga Regis Angliæ ad Blavium.

PORRO imminente operoſo menſe Auguſti, Rex confidenter credens ſe certum ac tutum apud *Xantonam* habere refugium, ibidem propoſuit per aliquot dies gratia reſpirationis commorari. Et ecce quidam miles de Regno *Francorum*, conſcius ſecretorum Regis *Francorum*, videlicet unus de liberatis in *Terra ſancta* per Comitem *Richardum*, clanculò ac feſtinanter ſignificavit eidem Comiti, quod conſilium Regis *Francorum* fuerat firmatum & ſecretiùs ſancitum, quòd ipſum Regem *Anglorum* in civitate *Xantona*, per vallum ſubitò circumdatum obſideret. Et congregatis viribus univerſis, tam in communiis, quàm militiis, quot & quantas Regnum *Franciæ* effundere poſſe dignoſcitur, obſidionem continuaret, non inde receſſurus, donec omnes *Anglos* cum Rege ſuo violenter comprehendat, & comprehenſos *Pariſios* traheret compeditos & captivos. Addiditque idem nuncius feſtinus & anhelus, quòd Comes de *Marchia* converſus fuit, imò potius averſus, factus Regi *Anglorum* de amico inimiciſſimus, & de falſo patre vitricus manifeſtus: nec aliud poſſe ſperare de aliis *Pictaviæ* Magnatibus. Et vix ille loqui deſierat, ecce alius nuncius ad Regem ex parte fratris ſui junioris *H.* præmemorati, & *Guidonis* de *Lizinnum* fratris ſui priùs nati conſequenter, aſſerens quòd ſi moram facerent eadem nocte ibidem, omnes vel caperentur, vel circulari obſidione uſq; ad captionem vallarentur *Anglici*, cum Rege ſuo & civibus. Erat autem hoc in craſtino ſancti *Pantaleonis*, cùm Rex de *Pontibus* veniſſet per *Archiac*, & illinc ad *Herbizi*: & appropinquâſſet ſecuriſſimè, quaſi ad ſuum proprium, *Xantonas*. Et jam quaſi hoſpitium accepturi, parandia praverunt omnes *Anglorum* æditui, præambuli, procuratores, & mareſcalli: & incontinenti cùm Rex pranſurus fuerat, feſtinanter audito ſecundo nuncio, qui primo perhibuit teſtimonium, & ſic credi meruit, receſſit, & recedens, juſſit ſuccendi civitatem: quia, prout à nuncio acceperat prænominato, cives jam facta pace cum Rege *Francorum*, Regi *Francorum* ſecreta Regis *Anglorum* proditioſè revelaverant. Et non parcens equinis lateribus, vel acutis calcaribus, iter verſus *Blavium* feſtinanter fugitivus continuavit, non multùm curans quis etiam ſuorum ſequeretur, jejunus penitùs & inanis. Quod cùm ſuis Nobilibus innotuiſſet, ſemicoctis cibariis relictis, ſubitò impranſi

1242.

pranſi arreptis equis velocioribus, Regem ſuum raptim conſequuti ſunt, ſibi, cum ipſo, apud *Blavium* refugium mendicantes. Veſtigia igitur eorum pedetentim inſequutus, cum ſumma neceſſitate exercitus *Anglorum* numeroſus, impranſus, & præ debilitate deficiens, tantam hominum delicatorum & equorum oneratorum, plauſtrorum, & bigarum jacturam incurrebant, ut videntes, ad lachrymarum abundantem effuſionem, pietas commoveret. Erat enim iter viginti milliarium illius patriæ: circiter quadraginta, vel potiùs quinquaginta, ſecundùm æſtimationem milliarium *Anglicorum*. Et niſi prinorum & prunorum ſylveſtrium obiter refocillarentur exilii interim edulio, animæ eorum in ipſis defeciſſent. Rex autem *Francorum* *Xantonas* veniens, veneranter à civibus & clero ſuſceptus, civitatem illam nobiliſſimam in ſuam ſine difficultate ſuſcepit ditionem. Et cùm poſt fugam illam nimis probroſam & damnoſam, vix palpitantes fatigati *Anglici* noſtri, perveniſſent *Blavium*, & Rex per paucos dies ibi commorans & quieſcens, ſpiritum reſumpſiſſet, (non enim comederat vel dormierat jam per dies duos, & etiam duas ferè noctes) cogitavit inde recedere, ut aſylum tutius poſſet invenire. Et inito conſilio cum ſuis Primatibus, verſus *Burdegaliam* tendere concepit intentionem. In hac fuga amiſit dominus Rex *Angliæ* Capellam ſuam, id eſt, omnia ornamenta Sacerdotalia precioſiſſima, & multa alia, quæ longum eſſent enarrare, præter reliquias. Veruntamen ipſum Regem *Anglorum* verſus *Blavium* fugientem, inſecutus eſt Rex *Francorum* acerrimè, uſque ad locum qui vocatur *Quarta leuca*: ſed ibi Rex *Francorum* interim reſtitit, graviter infirmatus.

Civitas de Pontibus Regi Francorum *ſubdita.*

HÆC autem cùm audiſſet *Reginaldus* de *Pontibus*, ad alas Regis *Francorum* properanter confugiens, & pacem per amicos quærens, & vix inveniens, ſe & civitatem de *Pontibus* Regis *Francorum* ſubdidit ditioni.

Rex Francorum *munit militibus civitatem de* Pontibus *& alia caſtra.*

CIVITATI igitur ſibi ſubditæ, ſcilicet de *Pontibus*, aliis quoque caſtris in circuitu exiſtentibus, dominus Rex *Francorum*, fideles ſuos, ejectis *Pictavenſibus*, cautiùs ſtabilivit.

Willielmus *Archiepiſcopus ad Regem* Francorum *deficit.*

CUM autem talia ad audientiam *Willielmi*, qui dicitur Archiepiſcopus, perveniſſent, & ipſe ſimilia facere cogitavit; ita tamen ut priùs bonis Regis *Angliæ* ſaginaretur. Miſit igitur in dolo ad ipſum Regem verba pacifica & conſolatoria, aſſerens ſub atteſtatione Divini judicii, quòd etſi omnes *Pictavenſes* retrorſum abiſſent nequiter arcuati; ipſe quàm diu vitæ ſpiraculum in pectore ſuo palpitaret, à Rege *Angliæ*, qui tot ei bona contulerat, nunquam diſcederet, nec ad Francos confugeret, quorum ſuperbia intolerabilis omnes ſibi ſubjectos, poſtquam invaluerint, conculcat quaſi lutum platearum. Supplicat ergo Regi *Angliæ*, quaſi domino naturali & indiviſibili, quatenus milites animoſos, & omnibus neceſſariis communitos, ad defenſionem ſuæ civitatis, videlicet de *Partenay*, ſine moræ diſpendio deſtinaret, & theſaurum ad ejuſdem communitionem. Quibus ſermonibus mellitis & mollitis, cùm Rex nimis cereus fidem adhibuiſſet, & omnia juxta verbum ſuum compleviſſet, ipſe *Willielmus* memoratus, milites à Rege *Angliæ* ad auxilium ſuum deſtinatos aufugavit à civitate ſua viriliter repulſos, theſauro retento ſibi pro ſtipendiis contribuendo miſſo. Et ſic ipſe cum ſuis omnibus hominibus & civitate, ad alas Regis *Francorum* pacem faciendo convolavit. Super quem *Franci* deridendo linguam ejecerunt, & Cynicè reprehendendo, quaſi *Cain* ad ſignum poſitum digito monſtrantes, proditorem ſignaverunt.

Vicecomes de Thoarzio *avertitur à Rege* Angliæ.

HÆC cùm audiſſet Vicecomes de *Thoarzio*, in quem tot & tanta congeſſerat Rex *Angliæ* beneficia, & etiam ſuorum promotionem multipliciter procuraverat, cum clitellas ſuas plenas electo nummiſmate eſterlingorum ponderaſſet, verſus eſt in arcum pravum. Et interloquentibus amicis, & pacem cum Rege *Francorum* expoſcentibus, reddita ſibi civitate ſua cùm municipiis adjacentibus, exercitui *Francorum* additus, evidenter edocuit, quæ fides fidei *Pictavenſium* eſt adhibenda.

Univerſitas Pictaviæ *ad Regem* Francorum *convertitur.*

VIDENTES igitur cives & municipiorum cuſtodes, quòd eorum fortiores incurvati ſunt, & Rex ipſe *Angliæ*, quaſi nauta navem deſperatam, qui eos debuiſſet protexiſſe, fugiens dereliquiſſet, ad Regis *Francorum* nobile dominium certatim convolarunt, omneſque comprovinciales ſe ſuaque ipſi protinus manciparunt.

Fidelitas Hertoldi *cuſtodis caſtri* Mirabelli.

HÆC, & his ſimilia, cùm fama volatilis per *Pictaviæ* climata ventilaſſet, *Hertoldus* caſtri *Mirabelli* inexpugnabilis cuſtos fideliſſimus, tactus dolore cordis intrinſecùs, videns pro certo quòd *Francorum* impetui, auxilio Regis *Angliæ* deſtitutus, reſiſtere, etſi voluiſſet, non valuiſſet, ait complicibus ſuis: Ecce amici mei, ac ſocii præcordiales, omnis hæc noſtra Regio, heu generali ruinæ patet & præcipitio. Quid opus factu? Diſcordes facti noſtrates & diviſi, induunt confuſionem. Servire cogemur inimicis noſtris. Tandem poſt lamenta, lachrymas aduberes, & ab alto corde tracta ſuſpiria, inito conſilio, placuit ei Regem *Angliæ* adire, dominum ſcilicet ſuum naturalem, cum ipſo ſuper hoc colloquium habiturus. Ad quem cùm veniſſet, genas perfuſus rore lachrymarum, exitus aquarum deducebant oculi ejus, ſingultibuſque ſermones ſuos interrumpentibus, dixit ei, Domine mi Rex, videt excellentia veſtra per omnia nobis fortunam adverſari. Et ego miſer, quid facturus ſum? Poteſtiſne mihi in tanto periculo ſuffragari? & obſidionem, ſi me contingat obſideri, violenter repellendo amovere? Cogarne, ſicut vicini mei, involvi communi calamitati, & jugum *Francorum* intolerabile, quod ſemper hactenus, anteceſſores mei reſpuentes abjecerunt, miſerabiliter modò ſubire? Cui Rex *Angliæ* demiſsè reſpondit: Vides, *Hertolde*, vires meas, quæ vix ad meam ſufficiunt ereptionem.

1242. Dominus noſter ac Redemptor *Jeſus Chriſtus* proditus fuit per diſcipulum ſuum *Judam*, & quis igitur tutus erit? Ecce Comes de *Marchia*, quem pro patre habui & colui, pernicioſum vobis omnibus reliquit exemplum. Confidi in baculum arundineum, & ejuſdem fragmenta vulneraverunt me. Solus laudabiliter egiſti, qui me ſuper his conſulere voluiſti. Si quid de meo juſto titulo poſſides, me donante tibi benignè concedo poſſidendum. Fac igitur licentiùs, quod in oculis tuis videbitur expedientius. Recedens igitur idem *Hertoldus* à præſentia Regis *Angliæ* ac domini ſui flens & ejulans, venit ad Regem *Francorum* crinibus hirſutis & oculis præ fletu rubicundis, & ait, Domine mi Rex, iratus Deus tanta in me mala congeſſit, ut oporteat me, etſi invitum, ad aſylum veſtræ miſericordiæ & protectionis confugere. Mihi derelictus ſum. Ad veſtram igitur Regalem excellentiam confugio gemebundus: caſtra mea, ſimulque meum accipe & accepta famulatum. Cui Rex *Franciæ* ſereno vultu reſpondit: Amice, bene innotuit mihi, quomodo dominum tuum Regem *Angliæ* adiiſti, & quæ verba ei protuliſti. Tu ſolus fideliter te geſſiſti. Te tuaque benignè ſuſcipio contuenda. Tales approbo. Talibus miſericordiæ ſinus eſt pandendus. *Hertoldus* igitur caſtrum nobiliſſimum de *Mirabello* in manibus Regis *Francorum* reſignavit, cum omnibus ad id pertinentibus. Sed Rex *Franciæ* ſtatim accepto ab ipſo juramento fidelitatis, ipſum ei cuſtodiendum confidenter liberavit. Et eodem exemplo, omnis illa pars, præter *montem Albani*, & paucis aliis, ditioni *Francorum* mancipatur.

Regina Angliæ *parit filiam apud* Burdegalim.

REX autem *Angliæ* apud *Blavium* uſque ad Aſſumptionem beatæ Virginis, donec ſcilicet Regina, apud *Burdegalim* commorans, peperiſſet, moram continuavit, tentoriis fixis in pratis amœniſſimis, promptus versùs *Burdegalim* citiùs avolare, ſi per exploratores ſuos Regem *Francorum Blavio* appropinquaturum cognoviſſet. Peperit igitur uxor ejus Regina *Alienora*, in craſtino ſcilicet Nativitatis ſancti *Johannis*, filiam, & vocatum eſt nomen ejus *Beatrix*, ſicut mater ipſius Reginæ vocitatur.

Venit ad Regem apud Blavium *Comitiſſa de* Biarde.

Eodemque tempore, quædam mulier ſingulariter monſtruoſa & præ groſſitudine prodigioſa, Comitiſſa videlicet de *Biarde*, cum filio ſuo *Gaſtone*, & ſexaginta militibus, venit ad Regem, ducta cupidine eſterlingorum, quibus noverat Regem *Angliæ* abundare. Et facta conventione ſtipendiaria, morabatur cum eo, & accepit à Rege qualibet die pro ſtipendio tredecim libras eſterlingorum, quæ nunquam Regi profuit, imò potiùs offuit, & in fine defuit, imò veriùs prodidit & depauperavit.

Peſtis orta inter Francos.

REX interim *Francorum*, inito cum optimatibus ſuis conſilio, quia vidit opus Martium in manibus ſuis fœliciter proſperari, propoſuit Regem *Anglorum*, quem jam noverat *Pictavenſium* viribus & ſolatio deſtitutum, & jam in proclivum deſperationis declinantem, uſque *Blavium* hoſtiliter inſequi, & inde uſque *Burdegalim*, ſi illuc foret migraturus, & negocium belli uſque ad conſummationem indefeſſa diligentia continuare. Ecce Dominus miſertus Regis & Regni *Anglorum*, *qui dat ſalutem Regibus* prout vult, corda *Francorum* tam intolerabiliter ſuperbientium quodam diſſentionis inter eos exorto ſchiſmate perturbavit. Præterea, alimentorum penuria eorum exercitum, qui numeroſus nimis erat, adeò miſerabiliter invaſit, ut fame & ſiti invaleſcentibus, tumuerunt, & infirmantes contabuerunt, & variis afflicti miſeriis, animas fatiſcentes exhalarunt. Comprovinciales enim puteorum ora obturaverant, rivos & fontes intoxicaverant & exturbaverant, prata cum paſcuis araverant, annonam amoverant: unde hauſtis aquis equi perierunt, & oblatrantibus diebus canicularibus, qui tunc deſæviebant, homines infirmi decubuerunt, & carentes requiei ſolatio, & curantium medicamine, citiùs obierunt. Mortui igitur ſunt in exercitu *Francorum* Magnates vexilla portantes quater viginti, & de pedeſtri manu, circiter viginti milia. Rege autem *Francorum* ſimul graviter infirmato, cecidit timor gravis cum deſperatione ſuper *Francos*, timebant enim vehementer Regem ſuum, morte interveniente, quæ nulli parcit, amittere: ſicut apud *Avinionem* patrem ſuum *Lodovicum* repentinè perdiderunt. Erat namque Rex juvenis tener & delicatus. Etiam dicta peſte obierant milites ſtrenui & incomparabiles, videlicet *Robertus Malet Normannus*, ſingulari dignus præconio, & *Richardus* de *Beaumont*, vir inter omnes *Francos* generoſus, & geſtis magnificis ſpectabilis, quem Comes *Richardus* in *Terra ſancta* liberaverat. Coactus eſt igitur fatis ſibi adverſantibus, treugas quinquennes à Rege Anglorum cautè tamen accipere petitas, & in *Franciam* quantociùs ad ſolitum aëra remeare. Quæ libenter, imò gaudenter illi ſunt conceſſæ.

Rex Francorum, *infirmus treugis factis cum Rege* Angliæ, *in* Franciam *redit.*

REX igitur *Francorum*, ut reſpiraret, tum quia Rex *Angliæ* ad ulteriora ſe transferre præparabat, quem inſequi erat difficile in ſua ſe transferentem; tum quia hyemalis inſtabat importunitas, mutato ex inopinato eventu propoſito, in *Franciam* eſt reverſus. Regrediens tamen per *Xantonam*, quam in propriam receperat, præcepit eam ad opus Regni *Francorum* novis & renovatis muris & antemuralibus communiri. Similiter & alias civitates, acceptis juramentis à cuſtodibus & obſidibus: & caſtra caſtellanis *Francis* & fidelibus ſuis fecit tutiſſimè roborari. Rege *Angliæ* ſe in *Gaſconiam*, ſed inutiliter, transferente, & cum Regina ſua dies otioſos apud *Burdegalim* deſidioſè conſumente, interim tamen *Gaſconienſes* cum *Biarda*, theſauris ejus minimè pepercerunt. In octavis autem ſancti *Matthæi* Apoſtoli, Rex in *Franciam* veniens, ab infirmitate ſua convaluit. Multi tamen ex recepta materia in partibus *Pictaviæ* Nobiles, poſtquam in *Franciam* redierunt,

1242.

redierunt, & poſt diuturnos languores, infirmitate correpti, viam univerſæ carnis ſunt ingreſſi.

Rex Francorum auxilium pecuniare petit ab eccleſiaſticis.

CONVOCATIS igitur univerſæ eccleſiæ Prælatis, in Regno *Francorum* conſtitutis, *Pariſios*, videlicet Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, *Nigri*, *Ciſtercienſis*, & *Prati monſtrati* ordinum, Procuratoribuſq; capitulatorum cathedralium, exegit ab eis Rex *Franciæ* auxilium pecuniare. Et ne videretur rationabiliter pati repulſam, addidit cauſam, videlicet ad expugnandum hæreticos *Albigenſes*. Imponebat enim Rex Comiti *Tholoſano*, veterem notam hæreſeos, in cujus rei argumentum idem Comes quoſdam fratres *Prædicatores* nuper, ut ait, nequiter trucidavit. Prælati igitur, videntes ſe Papali regimine deſtitutos, licèt non tenerentur de jure ad imperium alicujus ſæcularis perſonæ, in gravamen eccleſiæ aliquod ſubſidium contribuere, conſiderantes tamen quia dies mali ſunt, & ubi multitudo in ſtrage eſt, ſubtrahendum eſt aliquid ſeveritati, viceſimam partem redditũum ſuorum illius anni, ſub brevi termino perſolvendam, univerſaliter compromiſerunt.

Dedicatio eccleſiæ Waltam.

EODEMQUE anno, videlicet in craſtino ſancti *Michaelis*, dedicata eſt eccleſia conventualis Canonicorum de *Waltam*, ab Epiſcopo *Norwicenſi Willielmo*, ſolenniter valde, aſſiſtentibus aliis plurimis Epiſcopis, Prælatis, & Magnatibus venerabilibus: ſtatim poſt dedicationem eccleſiæ ſancti *Pauli Londinenſis*, ut peregrinantes hinc inde, indiſtanter remearent.

Rex Angliæ Scutagium exigit.

IPSO quoq; tempore Scutagium per totam *Angliam*, Rex *Angliæ* ſibi fecit extorqueri. Eodémq; tempore, , *Adam* Abbas de *Wareduna* confirmatus eſt in Epiſcopum *Cunerenſem*. Qui Epiſcopatus eſt in *Hybernia*, ſubjacens metropolitanæ dioceſi Archiepiſcopi *Armachani*.

Quidam Magnates Angliæ petunt licentiam repatriandi.

SUB eiſdem quoq; temporibus, Comes *Bigod*, Comes *Wintonienſis Rogerus*, & alii quàmplures magnates, venerunt ad Regem, querimoniam gravem coram eo reponentes, quòd ipſos ſine alicujus adminiculi conſolatione, à partibus propriis in tam longinquas partes proditorum, inconſultiùs protraxiſſet. Unde cùm Rex *Francorum* cum exercitu ſuo in partes interiores *Franciæ* ſe ſuoſq; cauſa recreationis, tranſtuliſſet, ſimiliter & ipſi licentiam recedendi, & in *Angliam* redeundi, cauſa conſimili, poſtularunt. Quibus Rex: Patétne via ſecura? At ipſi: Quæremus Et cùm à Rege *Francorum* liberum tranſitum per *Franciam* poſtularent & impetrâſſent, ait Rex *Francorum*: Recedant liberè & liberi per terram meam remeantes irredituri. Et cùm ſuper hoc à ſuis redargueretur, ait Rex: Vellem ut omnes inimici mei longè à me ſine reditu peregrinarentur. Et ſic in pace per *Franciam*, non ſine *Francorum* ſubſannatione, in *Angliam* redierunt. Et eodem tempore, quia non ſuppetebat facultas cuidam Nobili de regno ſuo *Angliæ*, ſcilicet de Borealibus partibus, *Willielmo* videlicet de *Ros*, ut moram faceret cum Rege in partibus tranſmarinis, præcepit Rex præcipitanter, ut terris ſuis, licet ſine judicio Parium ſuorum, diſſeiſiretur. Quod videbatur cunctis injuſtum & tyrannicum. Quia cùm idem *Willielmus* egeret, Regi dixerat: Domine mi Rex, accipe terram meam ſub titulo pignoris, & commoda mihi unde tibi militem competenter, & morabor. Hæc & his ſimilia cùm percepiſſet Comes *Richardus*, fratrem ſuum Regem graviter redarguit, & cum initiato litigio, non ſine mentis amaritudine, ab ipſo receſſit repatriaturus. Ipſe igitur advocatis quibuſdam Nobilibus, præparavit ſe ad transfretandum.

Rex autem inconſultè raptu repentino, in iram & minas contra Comitem reſolutus eſt. Comes autem diſſimulans, ut impetus fratris voluntarios palliaret cautiùs, adhuc eum ſecutus eſt. Sed cùm ipſum poſteà videret conſiliis ſuorum penitùs rebellem, aſſumptis ſecum Comite *Mareſcallo Willielmo*, & Comite *Hertfordiæ*, cum multis aliis Magnatibus, relicto Rege, qui ſe penitus *Burdegalenſibus* & *Gaſconienſibus* commendaverat, & conſilium ſuorum naturalium contempſerat, naves aſcendens, ad propria remeavit. Rex autem ocio vacans, & inutiliter theſaurum ſuum diſpergens apud *Burdegaliam*, cum Regina ſua *Alienora*, quæ jam ſibi filiam pepererit, moram deſidem continuavit.

Comes R. cum ſuis periclitatur in mari.

IN feſto autem ſancti *Lucæ*, prædicti Nobiles velificantes, & multa pericula in mari vix pertranſeuntes, poſt multa freti diſcrimina, *Cornubiam* pervenerunt. Tamen Comes *Richardus*, facto voto de quadam Abbatia viſitanda, pro anima ſua, & ejus liberatione, vix à portis mortis liberatus, applicuit in quadam inſula juxta *Cornubiam*. Aliæ autem naves, quæ ſimul à litore cum nave Comitis *Richardi* exierunt, violentia raptæ ejuſdem tempeſtatis, & diſperſæ, ad alia litora ſunt tranſvectæ.

Tempeſtas & innundatio.

EODEMQUE anno, in vigilia ſancti *Edmundi*, tonitrus manifeſtus cum choruſcatione, in triſte præſagium futuræ & diuturnæ tempeſtatis, aures & corda perterruit mortalium. Nec ſefellit prognoſticum. Subſequuta eſt etenim continuæ intemperiei, per multos dies perſeverans, triſtis aëris perturbatio. Inundaverunt etiam aquæ pluviales, adeò ut *Thameſis* fluvius, ſolitos ſuos fines & ripas antiquas tranſgrediens, ſe verſus *Lambethiam* per ſex miliaria dilatando, domos & agros ibidem longè latéq; importunè ſibi vendicavit. In magnam etiam aulam *Weſtmonaſterienſem*, equi pro ſuperfluentibus aquis ſuos vehebant aſſeſſores.

Victualia mittuntur Regi ex Anglia.

CIRCA idem quoq; tempus, Rex diſtrictè præcipiendo, ſignificavit Archiepiſcopo *Eboracenſi*, Regni cuſtodi, ut blada Archiepiſcopatus *Cantuarienſis* & aliorum maneriorum & Epiſcopatuum tunc vacantium, cum baconibus & ſale, & aliis hyematuro neceſſariis, pannis quoq; ad veſtes faciendas adjectis, ſibi ſine moræ diſpendio uſq; *Burdegaliam* tranſmitterentur. Unde, abſq; denariorum non parva multitudine, miſſa ſunt decem milia ſummarum frumenti, & quinq; milia avenæ, cum totidem *baconibus*, ac ſi eſſet *Anglia* puteus inexhauſtus.

SIGNI-

1242.

Mandatum indecens Regis Angliæ.

SIGNIFICAVIT etiam, diſtrictiùs præcipiendo, memorato Archiepiſcopo, ut terras & poſſeſſiones ipſorum, quaſi proditorum, qui eum in tranſmarinis partibus reliquerunt, & fortuitis caſibus indefenſum expoſuerunt, inſiſcaret, præcipuè tamen *Willielmi* de *Ros*, & quorundam aliorum Nobilium de partibus *Angliæ* Borealibus, qui propter hoc, magnam poſteà incurrebant jacturam. Archiepiſcopus autem providus & circumſpectus, ſciens quoniam culpabiles non erant, ſi à Rege captis treugis, ingruente paupertate, eorum cauſa recreationis, ad horam receſſiſſent; in hoc tyrannico præcepto, noluit conſtantiam ſuam tantæ levitati inclinare, ſed potiùs ſub diſſimulatione pertranſire. Præſertim cum Rex, ut ad propria conſultiùs remearet, noluit vel fratris ſui Comitis *Richardi*, vel aliquorum ſuorum conſiliis fidelium aſſentire: ſed potiùs ſibilis *Gaſconenſium* conſentiens, apud *Burdegaltam* cum Regina ſua, in ſibilum & deriſum *Francorum*, & damnum proprium, commorari. Remanſerunt autem cum Rege, non ſine magno damno, & rerum ſuarum jactura, Comes *Legriæ S.* de *Monte forti*, Comes *Sariſberiæ Willielmus*, & multi alii Nobiles *Angliæ*, graviter ære alieno ſe obligantes, & rerum variarum penuriam tolerantes, deſidioſi & probroſè pigritantes.

Creſcit contemptus & infamia Regis Angliæ.

CONTRAXIT interea Rex notam infamiæ indelebilem, eò quòd ſpreto ſuorum conſilio naturalium, adhuc mandata Comitis *Tholoſani*, necnon & Regis *Arragoniæ*, amicorum hirundineorum, crebrò & amicabiliter ſuſcepiſſet, qui tempore neceſſitatis nihil ei profuerunt, imò potiùs obfuerunt. Quorum etiam unus hæreſeos, alter inconſtantiæ & rupti fœderis maculis deformabatur. Attentabant etiam ſeminare diſcordiam inter Regem & fideles ſuos, præcipuè Comitem *S.* de *Monte forti*, pro antiquo odio patris ſui *S.* qui quondam Regem *Arragonum* & *Albigenſes* potenter expugnavit. Nec jam, ut anteà, ipſum Regem *Angliæ Gaſconienſes* vel diligebant, vel commendabant. Quod cùm Regi *Francorum*, quaſi ſuper hoc gratulando nunciaretur, ait: Sinite, ſinite. Nolite ipſum deridere, vel deridendo me ipſi odioſum reddere. Eleemoſynæ ſuæ & Miſſæ ipſum ab omnibus periculis & probris liberabunt. Similiter quoq; audivi *Leolinum* Principem *Norwalliæ*, ſibi adverſantem, affirmaſſe.

Obitus Richardi *de* Burgo.

Circa eadem tempora, obiit nobilis vir *Richardus* de *Burgo*, multas habens poſſeſſiones & terras in *Hybernia*, de conqueſtu patris ſui magnifici.

Et eodem anno, *Hugo* de *Laſcy*, bellator nominatiſſimus, & magnæ partis *Hyberniæ* conquiſitor magnificus, ex hac luce migravit.

Mors Hugonis *de* Laſcy.
Teſtamenta xii. Patriarcharum transferuntur ab Epiſcopo R. Lincolnienſi.

IPSIS quoq; temporibus, Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus*, vir in *Latino* & *Græco* peritiſſimus, *Teſtamenta duodecim Patriarcharum* de *Græco* fideli interpretatione tranſtulit in *Latinum*. Quæ per multa tempora incognita & abſcondita fuerunt per invidiam *Judæorum*, propter prophetias de Salvatore in eis contentas. Sed *Græci*, omnium ſcriptorum diligentiſſimi inveſtigatores, primi in notitiam illius ſcripti devenientes, illud de *Hebræo* in *Græcum* tranſtulerunt, & penes eos, uſq; in noſtra tempora reſervarunt. Nec tempore beati *Hieronymi*, vel alicujus Sancti interpretis, ad notitiam *Chriſtianorum* (machinante *Judæorum* antiquorum malitia) potuit quomodolibet devenire. Illum igitur glorioſum tractatum, ad robur fidei *Chriſtianæ*, & ad majorem *Judæorum* confuſionem, tranſtulit plenè & evidenter Epiſcopus memoratus de *Græco*, verbo ad verbum, in *Latinum*, coadjuvante magiſtro *Nicolao Græco*, clerico Abbatis ſancti *Albani*.

Obitus Abbatis Eveſham.

EISDEM diebus, cùm theſaurum ab *Anglia* detuliſſet non modicum, & dies multos ac laborioſos in obſequio Regis conſumpſiſſet Abbas *Eveſhamiæ*, & electus *Coventrenſis*, in *Gaſconia* diem clauſit extremum, in civitate quæ *Regula*, ſive *Riola*, dicitur, ſexto Idus *Decembris*: & ſepelivit eum honorificè Epiſcopus civitatis ejuſdem. Eodémq; anno tertio Calend. *Decembris*, obiit *Jocelinus* Epiſcopus *Bathonienſis*, plenus dierum, vita & moribus commendabilis.

Mors Epiſc. Bathonienſis.

Rex Angliæ *exhauſto theſauro ſuo eget.*

IPSO quoq; tempore, Rex à *Pictavenſibus* & *Gaſconenſibus* undiq; deluſus, imò potiùs defraudatus, in tantam paupertatem & ignominiam delapſus eſt, quòd Scutagio extorto, & omnibus theſauris & donativis ei collatis, inutiliter conſumptis, necnon extorſionibus, tallagiis, & aliis collectis excogitatis, poſt amiſſionem terrarum ſuarum & honorum in *Pictavia*, jam in *Gaſconia* ære alieno graviter eſt obligatus, licet in dicto Scutagio, non ſine multo gravamine *Anglorum*, pro Scuto tres marcas, vel, ut alii volunt, viginti ſolidos, extorſerit.

Petit auxilium à Ciſtercienſibus.

SIGNIFICATUM eſt eo tempore diſtrictiùs, & amicabiliter ſupplicatum Archiepiſcopo *Eboracenſi*, à Rege *Anglorum*, ut ipſe Archiepiſcopus omnes Abbates *Angliæ* ordini *Ciſtercienſium* ſubjacentes in unum autoritate Regis congregaret, & congregatos dulcibus affatibus conveniret. Deprecans attentiùs ex parte ejuſdem domini Regis, pro Regni promotione in partibus tranſmarinis militantis, & etiam perſonam ſuam caſibus belli ancipitis exponentis, ut eum in exhibitione pecuniæ efficaciter promoverent, & juvarent promovendo. Cui illi in unum congregati, reſponderunt: In quo, domine? At Archiepiſcopus: In parvo. Et cum inquiſiſſent *Ciſterſienſes*: In quo parvo? Ait Archipræſul: In tanta pecunia, quantam poteſtis habere pro lana veſtra anni unius. Similis factus dicenti:

Da mihi animas, cætera tolle tibi.

Non enim poſſet quis alimentorum penuriam per paucos dies tolerare, & vitæ carere ſuſtentaculis, quin animam exhalaret. Sed verbum Regis poſitum fuit in ore Archipræſulis.

AT

1243.

Reſponſio Ciſtercienſium.

AT ipſi *Ciſtercienſes*, comperientes ſibi parari laqueos, & damnum imminere, prudenter reſponderunt hoc modo. Domine Archiepiſcope, novit autoritas veſtra, quòd nos omnes membra ſumus unius capitis, nec poſſumus ſine noſtro generali *Ciſtercienſi* capitulo illud, quod ex parte domini noſtri Regis petitis, concedere. Item, cito quòd celebraretur in præſentiarum capitulum generale, novimus, & noviſſe tenetur diſcretio veſtra, quòd non licet nobis quempiam juvare ad bellum gerendum, per quod ſanguis effunditur, præcipuè *Chriſtianus*, ne juvantes ad hoc, propter horrorem ſanguinis irregulares efficeremur. Sed efficacibus & indefeſſis precibus, eleemoſynis, & aliis operibus pietatis, ipſum dominum & patronum noſtrum animo libenti juvabimus. Et indubitanter credendum eſt, quòd ſic meliùs & certiùs prævalebit, & glorioſiùs triumphanti, cœleſte juvamen, niſi vacillet fides, quod abſit, ſibi ſentiet profuturum. Quibus cùm Archiepiſcopus torvo aſpectu & adverſo vultu reſpondiſſet, dicens: Qua fronte ipſum Regem in neceſſitatibus veſtris aliquid rogabitis, qui ei ſic tergiverſando ſupplicanti in inſtanti articulo reſpondetis? Ait quidam Abbatum *Ciſtercienſium*: Dominè, recolimus, quòd quando conſecrabatur in Regem, juravit ſe cuilibet juſtitiam exhibiturum. Non petimus ab eo quicquam ſpeciale: non poteſt nec debet illud nobis denegare, quod juratum eſt generale. Nos juſto regat moderamine, gravamen nullum contra juſtitiam inferendo. Si autem pro ſalute animæ ſuæ ſuorumq; antecesſorum, & ſtatu Regni ſui, aliquod bonum ſpeciale nobis contulerit, ſinum pandimus gratanter recipientes.

IPSO quoq; anno non permiſſi ſunt Abbates *Ciſtercienſis* ordinis transfretare, nec voluerunt, timentes ſibi à Regis ſatellitibus, maximè per mare, quaſi ipſo Rege neſciente, pro eo quòd lanas ſuas unius anni, ut dictum eſt, negaverunt, laqueos præparari. Se igitur eleganter per procuratores excuſarunt, ne viderentur talia procurâſſe.

Abbates Ciſtercienſes non transfretant ad generalia capitula.

Tranſiit igitur annus ille ſatis frugifer & fructuoſus, aridus tamen & æſtuoſus, in fine ſui febres generans errabundas & quartanas.

Aeris conſtitutio totius anni.

ANNO gratiæ, M.CC.XLIII. qui eſt annus Regni Regis *Henrici* viceſimus ſeptimus fuit idem Rex apud *Burdegaliam* hyemans & commorans inutiliter; Comitiſſa de *Biarde* & G. filio ſuo, & *Gaſconibus*, quotidianas expenſas & ſtipendia non modica ab ipſo Rege, quem tenebant, extorquentibus.

Rex Angl. inutiliter tempus terit apud Burdegaliam.

CUM hæc tempora diffluerent, ne nihil ageretur, quorundam rebellium *Gaſconienſium* municipia à fidelibus Regis ditioni ſuæ infra fines *Burdegaliæ* violenter mancipentur. Et dum quoddam Monaſterium, quod dicitur de *Verrines*, ubi ſe recipiebant Regis rebellantes, facientes maniſeſtè de ecclesia caſtrum, imò potiùs ſpeluncam latronum, per vallum truculentiùs obſidetur, & à fidelibus Regis impugnatur, nec expugnatur, quidam domini Regis clericus & conſiliariùs ſpecialis, nomine *Johannes*, cognomento *Manſel*, in armis ſtrenuus, & animo imperterritus, deſidiam inſultantium arguebat, & moræ diſpendium. Et dum prævius, dans exemplum aliis efficaciùs in adverſarios inſurgendi, voluit aditus præparare, quidam de obſeſſis, in eminentiori loco eccleſiæ conſtitutus, magni ponderis lapidem in ipſum clericum memoratum projiciens, crus ſuum cum compagibus & medullis truculenter contrivit. Et cùm paratus eſſet idem reliquum corporis memorati *Johannis* lapidibus obruere, amici ejuſdem *Johannis*, qui eum præcordialiter dilexerunt, oppoſitis corporibus ſuis propriis, & amplis clypeis, qui *Targiæ* appellantur, vix eundem protegentes, à mortis diſcrimine liberarunt. Unde idem *Johannes* graviter corpore deterioratus, diu languit debilitatus. Sed poſtquam ſibi reſtitutus, cœpit induſtria chirurgicorum reſpirare, Rex pro experta ipſius ſtrenuitate & fidelitate, de ſpeciali ſpecialiorem ipſum *Johannem* ſibi aſſumpſit in conſiliis moderatorem, ita ut meritis ſuis exigentibus, inter primos *Angliæ* meruit connumerari.

Oppugnatio Monaſterii de Verines.

CIRCA eadem tempora, Monachi *Coventrenſes*, audito certo rumore de morte Abbatis de *Eveſham*, qui, procurante Rege, in Epiſcopum *Ceſtrenſem* electus fuerat; Præcentorem ſuum dominum *Willielmum* cognomento de *Monte Peſſulano*, quem ipſi, cum aliquibus Canonicis *Lichefeldenſis*, ſibi unanimiter conſentientibus, pro electo ſuo habent & protegunt. Sed Rex qui alium promovere in ipſum Epiſcopatum propoſuit, electionem neq; electum acceptat, ſtantibus cum ipſo Rege quibuſdam *Lichefeldenſis* Canonicis: unde ſumptuoſa utrobiq; lis oritur, & moroſa.

Monachi Coventrenſes Præcentorem ſuum habent pro ſuo electo.

EODEMQUE tempore, ingrediente jam menſe Martio, literæ Regis *Angliæ* tranſmiſſæ de partibus tranſmarinis, venerunt ad Archiepiſcopum *Eboracenſem* (qui in Regno *Angliæ* vices ſummi agebat Oeconomi) rumores flebiles continentes; quòd, ſcilicet, nulla navis ad eum venerat militare præſidium deferens, aut pecuniare, poſt adventum Abbatis de *Eveſham*, qui fluctuum tempeſtatibus jactatus, & per aliquot dies languens, de mundo tranſmigravit. Archipræſul autem ſuper hoc vehementer obſtupuit, cùm theſaurum & victualia multa ad eum tranſmiſiſſet. Unde firmiter credebat & timebat, quòd omnia abſorbuit vindex ira creatoris, maris voragine ſuſcipiente. Paravit igitur nova victualia, ipſi iterum tranſmittenda, cum theſauro licet minimè profecturo.

Rex Angliæ conqueritur de ſua inopia.

VENERUNT etiam ad eundem Archiepiſcopum *Quinque Portuum* cuſtodes, graviter conquerentes, ſe jam ter non ſine hominum & navium & rerum multarum jactura irreſtaurabili à tranſmarinis, præcipuè à *Caleſienſibus*, quos cauſa lucri impetierant, fuiſſe repulſos. Aſſerebant

Quinq; portuum cuſtodes auxilium petunt ab Archiepiſcopo Eboracenſi.

etiam

1243. etiam veraciter, ſe non poſſe, nec etiam omnem claſſem *Angliæ*, claſſi paratæ ex adverſa parte, reſiſtere. Et addiderunt: Provideat igitur ſibi Regale Conſilium, de ſibi & nobis paratis & parandis inſidiis occultis & manifeſtis irruptionibus, in proximo diriùs & duriùs imminentibus. Comes enim *Britanniæ* cum omni navigio *Britanniæ* & *Pictaviæ*, armata manu bene communito, omnibus ex noſtra parte exiſtentibus, & de nobis ad Regem, vel à Rege ad nos commeantibus, hoſtiliter inſidiatur. Unde omni Regis auxilio tam pecuniari, quàm militari deſtituti, ad auxilium conſilii veſtri confugimus, nobis non ſufficientes. Præterea ad noſtri cumulum pavoris, *Normanniæ* confinia inhabitantes, & litora maris ulteriora coſtodientes, cum *Withſandiæ* & *Caleſiæ* naucleris, vix nos permittunt, vel etiam arti piſcatoriæ aliquatenus invigilare. Pyratæ quoq; cum galeiis alta maris cuſtodientes, non permittunt etiam peregrinantes ad propria remeare. Unde jam Regi *Anglorum Burdegalia* pro carcere reputatur, niſi nobis caveat veſtra citiùs providentia, in navali expeditione copioſa, & theſauro abundanti. Non enim ſunt, ut aiunt, treugæ, quæ initialiter præloquutæ ſunt, & quaſi ſubarratæ, adhuc hinc & inde confirmatæ, vel locis, vel perſonis, vel tempore limitatæ. Hæc cùm ad aures Archiepiſcopi perveniſſent, vix naves oneratas Regi deſtinandas jam audens tranſmittere, ſignificavit Regi præciſè, quòd ſicut ſe ſuáq; diligebat, errores ſuos conceptos feſtinanter ſatageret corrigere, & prudenter diruptis laqueis, quibus proditioſè tenebatur irretitus, reditum in *Angliam* maturaret. Cui quidam apoſtrophando ait Regi jocosè:

In terris galeas, in aquis formido galeias:
Inter eas & eas, conſulo cautus eas.

Diſſentientibus Cardinalibus impeditur electio Papalis, & vacat ſedes.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, dominus Imperator *Fredericus*, ſignificavit Cardinalibus, corpore diſperſis, & voluntate diſſentientibus, ut in unum convenientes, unanimiter Papam eligerent. Aſſerebat, enim, in hoc eorum crimine, etiam ipſummet notam infamiæ non minimam contraxiſſe. Credebatur enim, & dicebatur à multis, veritatem rei ignorantibus, quòd ipſe principaliter eccleſiæ *Romanæ* promotionem impediret, & vacationem ſedis Apoſtolicæ procuraret. At ipſi Cardinales, non adhuc inter ſe ſaltem ſcintillantem ſub cinere charitatis igniculum invenientes, (impediente Sathana antiquo humani generis inimico) nec concordes, nec convenientes Pontificem *Romanum* eligere voluerunt. Veruntamen inſtanter dominum Imperatorem *Fredericum* poſtulabant, ut ſi ſe pacis ac libertatis eccleſiaſticæ haberi cuperet æmulatorem, ſub bonæ pacis ſpe certiſſima, quos adhuc tenuit incarceratos Prælatos eccleſiæ, liberos abire permitteret.

Legati & Prælati captivi liberantur.

IMPERATOR igitur, dictis Cardinalium fidem adhibens indubitatam, & firmiter credens, tam Papam eligendum, quàm ipſos Cardinales pacem Regno & Sacerdotio congruam & honorabilem proviſuros, omnes quos habebat incarceratos Prælatos & Legatos, liberos ſine aliquo impedimento vel redemptione, liberaliter abire permiſit.

Necdum Cardinales poſſunt in electione Papali conſentire.

CARDINALES autem adhuc obſtinati, & in diſſentione & odio mutuo permanentes, & Imperatorem quaſi pro deluſo habentes, ſeminante zizania inter eos Sathana, nec adhuc voluerunt convenire, ut unanimiter Spiritus ſancti gratiam invocando poſtularent, ut eccleſiæ, univerſali & Papali ſedi fœliciter ac ritè providerent: Cùm, tamen, nuper liberati à carcere Imperiali, in diſtricto veritatis examine, & verbo veritatis, quæ eſt Deus, promiſiſſent ipſi Imperatori, ſuo liberatori, ut ipſi efficaciter pacem Eccleſiæ, & Imperio convenientem, & ſedi Papali conſilium, pro poſſe ſuo procurarent.

Imperator bona Cardinalium ſuis militibus depopulanda tradit.

CUM autem vidiſſet Imperator *Fredericus*, hæc effectu caruiſſe, & ſe ſua ſpe defraudatum, in iram excanduit vehementem. Et congregato exercitu copioſo, ex novem aciebus conſtituto, qualibet ex quinq; milibus armatorum equitum exiſtente, *Romam* ex magna parte obſedit, ratione eorum qui dicti ſchiſmatis, in detrimentum Eccleſiæ & Imperii, tam civium, quàm Cardinalium, procuratores & fautores eſſe videbantur.

At cives, cauſa quorum urbem expugnare propoſuiſſet Imperator, ſe legaliter excuſaverunt, ſuam ſufficienter purgantes innocentiam, & aſſerentes, Cardinales tam locis quàm cordibus diffidentes, in diverſis urbibus diſperſos fuiſſe & latitantes. Juſſit igitur Imperator obſidionem ſolvi, & edicto Imperiali per totum exercitum ſuum proclamari ac juberi: Ut omnes poſſeſſiones & eccleſiæ Cardinalium, & civitates Eccleſiæ, ab ipſo exercitu depopularentur.

Cardinales timentes ſibi conveniunt ad electionem Papalem.

IGITUR quidam *Saraceni*, & alii vaſtatores, & malefici, tempore belli ſtipendiis Imperatoris militantes, irruunt in Albaniam, nobilem civitatem, eam feraliter devaſtantes, ita quòd nec eccleſiis in civitate exiſtentibus, videlicet centum & quinquaginta, minimè pepercerunt: Aſportantes veſtimenta, calices, & libros, imò etiam quæcunq; videbantur eis venalia, vel quomodolibet profutura, civibus datis in prædam, & miſerabile exterminium. Et cum paratus fuiſſet exercitus, in alias poſſeſſiones eccleſiæ ſimili furore debacchari, ſignificaverunt Cardinales domino Imperatori, humiliter deprecantes, ut parceret iræ ſuæ, juberetque ceſſare graſſatores. Et ipſi indubitanter, ſecundum præceptum ſuum & deſiderium, Deum habentes præ oculis, Eccleſiæ & Imperio idoneum quantocius *Romanum* Pontificem providerent. Mitigatus igitur Imperator, rabiem vaſtatorum edicto compeſcuit Imperiali.

CIRCA

1243.

Pecunia extorquetur à civibus Londinenſ.

CIRCA idem tempus, cives *Londinenſes* ad graviſſimam compulſi ſunt redemptionem, quæ tallagium dicitur, ſub hâc formâ. Venerunt exactores & Regales æditui, ad illum vel illum civem, dicentes: Tantam & tantam oportet te pecuniam domino Regi, in longinquis partibus pro commoditate Regni militanti, & nimis indigenti, donec in Regno ſuo reſtauretur, commodare. Et ſecundum voluntatem & æſtimationem extortorum, pecuniam civium mutilarunt. Sed hæc omnia, & plura, cives libentiùs contuliſſent, ſi ſcirent ea vel Regi vel Regno profutura: ſed

Cùm labor in damno eſt, creſcit mortalis egeſtas.

Treugæ inter Reges Francorum & Angl.

DIE verò ſancti *Gregorii*, treugæ quæ captæ fuerant & proloquutæ inter Regem *Francorum* & Regem *Angliæ*, intermeantibus viris gravibus & diſcretis, & utriuſque partis amicis, ſunt quinquennes utrobiq; confirmatæ. Remanente tamen Regi *Francorum* toto conquæſtu, quem in illa expeditione adquiſierat. Imò etiam quædam municipia, quæ poſt receſſum Regis *Francorum* à partibus *Pictaviæ*, Rex *Anglorum*, ope fultus *Gaſconenſium*, ſibi occupaverat, ditioni Regis *Francorum* ſunt reſtituta. Pro quibus plenè, tam in mari, quàm in terra, liberaliter infra dictum terminum obtinendis, Rex *Anglorum* Regi *Francorum*, quinq; milia librarum eſterlingorum, videlicet quolibet anno mille, fideliter numerabit. Comes autem *Britanniæ*, vir aſtutus & doloſus, diſſimulans ſe hæc omnia ſcire, more pyratico prædis & rapinis ſuper mare cum ſuis galeiis & aliis navibus vigilanter intendebat, nolens ad litus venire, ne fortè Regium mandatum damnoſos ac injurioſos diſcurſus ſuos cohiberet. Et inter cætera damna, quæ idem Comes *Britanniæ* nequiter perpetravit, unam maximam navem mercimonialem *Baoniæ*, ficus & amygdala & ſpecies varias deferentem, & verſus *Angliam* tendentem & velificantem, inſtante Quadrageſima, cepit ac ſpoliavit. Rex igitur *Francorum*, ad petitionem Regis *Angliæ*, injurioſos impetus dicti Comitis, ſub interminatione exhæredationis, refrenavit ac compeſcuit.

Obiit Comes Arundellæ Hugo de Albineto.

EODEMQUE anno, Nonis Maii, obiit Comes *Harundellæ*, *Hugo* de *Albineto*, in ætate juvenili cùm jam vix metas adoleſcentiæ pertranſiſſet. Et apud *Wimundham* in eccleſia ſanctæ *Mariæ*, videlicet Prioratum ſancto *Albano* pertinentem, eſt ſepultus, cum patribus ſuis, dictæ eccleſiæ patronis & fundatoribus. Quo mortuo, illa nobilis hæreditas diſperſa eſt, quatuor ſororibus diſtribuenda.

Mors Comitis Cantiæ Huberti de Burgo.

ET eiſdem diebus, Comes *Cantiæ*, *Hubertus* videlicet de *Burgo*, plenus dierum, poſt multos Regis voluntarios impetus, & perſecutiones, & poſt tot varias fortunæ tranſmutationes, quarto Idus Maii, laudabiliter diem clauſit extremum apud *Banſtude* manerium ſuum. Et delatum eſt ejus corpus venerandum, veneranter *Londinum* tumulandum in domo fratrum *Prædicatorum*; quibus vivens multa bona contulerat, & inter cætera, ſuum nobile Palatium, quod non multum diſtat à Palatio Comitis *Richardi*, juxta *Weſtmonaſterium*, quod poſteà comparavit Archiepiſcopus *Eboracenſis*.

Rex Angliæ cupit in Angliam redire, at variè impeditur.

PER idem tempus, dominus Rex videns per omnia fortunam ſibi adverſari, & jam ſentiens fideles ſuos *Anglicos* ſibi verum dixiſſe, quamvis ſerò, ad cor rediens, pœnituit ſe ſalubribus conſiliis non acquieviſſe. Significavit igitur Archiepiſcopo *Eboracenſi*, ut ipſe undecunq; claſſem congregaret, mitteretq; ei obviam, ut ſecuriùs hoſtium inſidias, ſi fortè paratæ eſſent, obiter evitaret. Reditum enim ſuum in *Angliam* initurus foret in proximo. Præcepit etiam, ut omnes *Angliæ* Magnates ſuper litus eum venientem exciperent cum gaudio. Miſſa igitur claſſe munitiſſima obviam ei, ſignificavit, quòd Magnatibus ſuis ipſum ſuper litus de *Porteſmue*, non ſine magnis expenſis & tædioſis, diu expectantibus, miſerabiliter depauperabantur, eò quòd adventum ſuum uſq; ad feſtum ſancti *Michaelis* jam ſuſpenderat. Regina enim, vel adhuc ex puerperio, vel ex alia infirmitate, gravata detinebatur. Præterea *Burdegalenſes*, imò omnes *Gaſconenſes*, moram Regis cum eis ſibi ſentientes fructuoſam, multis procurabant argumentis, ut Rex ibidem hyemando, ex Regno ſuo tam extorquenda quàm extorta prodigaliter & ſibi conſumeret & inutiliter, eis tamen ad proventum. Unde citò poſt contigit, quod cùm Rex à *Burdegali* receſſurus, cuſtodémq; quem Seneſcallum vocant, ei idoneum, videlicet *Nicolaum* de *Molis*, providiſſet, jam jamq; omnia ad cuſtodiam terræ providè procuraſſet, & aſcenſa nave, alta freti velificando verſus *Angliam* jam ſulcaſſet, orta excogitati ſchiſmatis inter ipſos Gaſconienſes occaſione, Rex miſſis galeiis feſtinanter revocaretur, & redire cogeretur, ut exortus graviſſimus conflictus ibidem ſederetur. Unde adventus ejus in *Angliam* multipliciter impediebatur. Expectabant tamen continuè ſupra litus citimum, Archiepiſcopus *Eboracenſis*, & Magnates *Angliæ*, juxta præceptum Regium, infiniti.

Diſſentio inter Conventum Cantuarienſem & Epiſcopum Lincolnienſem.

PROFLUENTIBUS eorundem dierum decurſibus, Rege adhuc in tranſmarinis, ut dictum eſt, commorante, orta eſt gravis contentio inter Conventum *Cantuarienſem* & Epiſcopum *Lincolnienſem*, hoc modo. Quidam clericus exegit importunè nimis ab Abbate de *Bardeneia*, quoddam debitum, de debitis anteceſſoris ejuſdem Abbatis. Cumq; oriretur ſuper hoc controverſia, Archidiaconus *Lincolnienſis* deſiderans quandam Pontificalem dicti Abbatis & ejus Conventus, qua diu quietè gaviſi ſunt, dignitatem enervare, ait clerico memorato dictum debitum exigenti: Conquerere mihi graviter & ſolenniter in hac tibi illata injuria, & ego edomans ipſos Monachos indomitos adverſarios tuos, omne tibi debitum reſtituam, violenter ab eis, ſi ſic oporteat, extorquendo.

1243. extorquendo. Ipſe igitur, juxta cavillatoris conſilium, gravem de Abbate & Monachos repoſuit in propatulo coram Archidiacono ſuper hoc querimoniam. Citavit igitur Archidiaconus Abbatem, ut coram eo compareret, etiam in ſua libertate, reſponſurus, & ſuper hoc juri pariturus. Quod cùm videret Abbas hoc eſſe juri eccleſiæ ſuæ & conſuetudini contrarium, contradixit appellando. Archiadiaconus igitur repulſum jure ſe videns, citavit Abbatem, ut alibi compareret: Abbas autem noluit, innitens priori appellationi ſuæ. Sciebat enim ipſum inſidiari ei, & nihil aliud quærere, niſi ſuæ libertatis perturbationem & infirmationem, tali nacta occaſione, pluribus edoctus argumentis præteritis, & nunc certior inchoatis. Noverat etiam experimento evidenti, quòd ſi hæc cauſa uſq; ad Epiſcopum aſcenderet (quod Archidiaconus verſute quærebat) foret illi Epiſcopus favorabilis in ſubverſionem libertatis Monachorum, qui habebatur Religioſorum perſecutor generalis, præcipuè tamen quibus potuit adverſari privilegiatorum. Archidiaconus igitur, quærens diſcordiæ ſeminarium ventilandæ, ſuper hoc conqueſtus eſt Epiſcopo, nodum in ſcirpo perſcrutando. Citavit igitur Epiſcopus Abbatem, ut multiplicibus his exceſſibus reſponderet. Abbas igitur, immobiliter innixus priori ſuæ appellationi, noluit huic citationi obedire, ſciens ipſum ad iram præcipitem, & Archidiacono ſuo in hac cauſa nimis favorabilem. Stomachatus igitur, & ira pluſquam deceret intumeſcens Epiſcopus, ſtatim quaſi contumacem, dictum Abbatem excommunicavit. Quod Abbas patienter ſuſtinens, humiliter ſententiam ſervavit, ne in poſterum de contemptu puniretur. Poſt hæc, non multis diebus elapſis, miſit Epiſcopus viſitatores ad *Bardenay*, perſonas videlicet ſæculares, potiùs paratos in Monachos protervire, quàm exceſſus, ſi quos invenirent, corrigere. Noluerunt igitur ipſos admittere, tum quia miſſi ex parte Epiſcopi venerunt adverſari, ex adverſario manifeſto deſtinati, tum quia miſſi ſeculares ordinis Monaſtici ignari penitus exſtitère, tum quia Abbas eorum, qui erat ipſorum paſtor & capitaneus, per quem deberet eorum conſilium ſolidari, ſententiæ vinculo per ipſum Epiſcopum fuerat innodatus. Ipſos igitur viſitatores protervius inſtantes, & jam objurgantes, & violentam manuum impoſitionem ſeſe exponendo provocantes, repulerunt ipſi janitores, & extra portam repulſos excluſerunt, dicentes: Petimus humiliter, ut citiùs recedatis, antequam irruant in vos, nobis etiam invitis, multi ad hoc ardenter animati, quorum impetus non poterimus refrenare. Ipſi autem comminantes receſſerunt, & ſuper his Epiſcopo conqueſti, de magnis majora loquentes, dicebant Monachos armatos habuiſſe ad irruendum in eos, quos etiam miniſtri Monachorum baculaverant, ut aſſerebant, veritatis metas impudenter tranſgredientes. Epiſcopus igitur ſupra modum ad iram provocatus, comminatus eſt Abbati & Conventui ruinam & confuſionem, ad poſſe ſuum ſe præparaturum. Abbas igitur, multo mœrore perculſus, arctiùs quid agendum cogitabat. Per inquiſitionem igitur certificatus, quòd Conventus *Cantuarienſis* privilegium habebat appellationes recipiendi & tuendi, vacante ſede Papali, ad refugium talis remedii convolavit, reponens gravem ſuper tali gravamine querimoniam. Indignatus idcirco Epiſcopus, convocatis *A.* Epiſcopo *Cunerenſi*, & quibuſdam Abbatibus nigri ordinis, ſcilicet *Rameſiæ* & *Burgi*, in ſua diœceſi exiſtentibus apud *Hertfordiam*, memoratum Abbatem de *Bardenay* abſentem, nec pro ſe reſponſalem habentem, quaſi convictum & contumacem, eò quòd videbatur ei ipſum non ritè in appellatione ſua proceſſiſſe, & ipſi quaſi Epiſcopo ſuo prius non fuiſſe conqueſtum, ignominiosè nimis depoſuit. Significavitq; Conventui de *Bardenay*, quòd in nullo ei obedire tenerentur, ſed meritò pro caſſato & depoſito eum, necnon & excommunicato, haberent. Quod cùm Conventui *Cantuarienſi* innotuiſſet, quòd ſcilicet memoratus Epiſcopus *Lincolnienſis* privilegia ſua tam contemptibiliter violaſſet, convocatis & congregatis quinquaginta Presbyteris ipſius diœceſis, in pleno Conventu, in quo quinquaginta, vel etiam plures Monachi Sacerdotes habebantur, candelis accenſis, pulſatiſque omnibus campanis, ipſum Epiſcopum *Lincolnienſem*, quaſi ingratum, & eccleſiæ, cujus Suffraganeus eſſe comprobatur, rebellem, ſolenniter excommunicavit.

Epiſcopus autem, ut viderat talis literas mandati, ipſas ad pedes ſuos projectas viliter conculcavit, non ſine hoc videntium vehementi admiratione, propter effigiem Beati *Thomæ* impreſſioni ceræ conſignatam. Et adeò in vehementem iram excanduit, ut omnibus diceret audientibus: Non quæro ut aliter orent Monachi pro anima mea in æternum. Et conviciis affectum ipſum nuncium capi præcepit. Quod cùm miniſtri, ob reverentiam Sacerdotii (Sacerdos enim fuit qui mittebatur) hoc facere tardâſſent & trepidâſſent, eundem Presbyterum à domo ſua, quaſi vile mancipium, vel etiam latronem, præcepit expelli. Unde magis reddidit omnes attonitos & admirantes, qui in domo erant, viros diſcretos & literatos.

Quia etſi nulla alia cauſa ſubeſſet, poſſet rationabiliter ille Sacerdos ipſum Epiſcopum ſuper violenta manuum injectione accuſaſſe. Dictus autem Epiſcopus, Monachorum ſententiam parvipendendo, imò vilipendendo, non omiſit celebrare, eccleſias dedicare, & alia Pontificalia officia exercere: non perpendens, quòd ex contemptu, etſi injuſta ſit ſententia, robur tamen inde formidabile poſſet ſortiri juſtitiæ.

Franci volunt Papam eligi.

PER idem tempus, miſerunt *Franci* ſolennes nuncios ad curiam *Romanam*, ſignificantes perſuadendo præcisè & efficaciter, ut ipſi Cardinales Papam ritè eligentes, univerſali eccleſiæ ſolatium paſtorale maturiùs providerent: vel ipſi *Franci* propter negligentiam eorum, de ſibi eligendo & providendo ſummo Pontifice citra montes, cui obedire tenerentur, quantociùs contrectarent. Et hoc audacter ſignificabant, confiſi de antiquo privilegio ſuo, per ſanctum *Clementem* beato *Dionyſio* conceſſo & obtento: qui conceſſit Apoſtolatum eidem *Dionyſio*

ſuper

ſuper gentem Occidentalem. Unde ipſi Cardinales, quaſi quibuſdam ſtimulis, hinc domini Imperatoris, inde *Francorum* agitati, *Romam* convenientes adierunt, ut Papam eligerent in unum ibidem congregati. 1243.

ET eodem anno, videlicet ſeptimo Calend. Auguſti, fuit nox ſereniſſima, aërq; puriſſimus, ita quòd Lactea, ſicut ſolet placidiſſima nocte hyemali contingere, manifeſtè apparebat, Luna exiſtente octava. Et ecce ſtellæ cadere de cœlo videbantur, velociter ſeſe jaculantes hac & illac. Non tamen, ut de more contingit, quædam faculæ per modum ſtellarum ſubruentes (quod, ſicut determinatum eſt in libro Metheorum *Ariſtotelis*, naturaliter contingit) ſicut fulgur ex tonitru: ſed in uno inſtanti, præter ſolitum, triginta vel quadraginta ſaltitare vel cadere viderentur, ita ſcilicet, quòd duæ vel tres ſimul uno tramite, volare ſe mentirentur. Unde, ſi veræ ſtellæ fuiſſent (quod nullius ſapientis eſt ſentire) nec una in cœlo remanſiſſet. Conſiderent Aſtrologi, quid hujuſmodi portentum ſignificet: ſed omnibus intuentibus, videbatur nimis ſtupendum & prodigioſum.

Stellæ videntur de cælo cadere.

DIERUM illorum circulis revolutis, quia multi dubitabant, ſi Papalis poteſtas, ſede vacante, ad fratrum, id eſt, Cardinalium univerſitatem devolveretur, an non, per has literas, quas opuſculo huic inſerere duxi, pleniùs certificamur.

Poteſtas Papalis ad univerſitatem Cardinalium devolvitur ſede vacante.

Miſeratione divina, R. Oſtienſis, & Vellet I. *tituli ſanctæ* Praxedis, S. *tituli ſancti* Laurentii *in* Luc. S. *tituli ſanctæ* Mariæ *trans* Tyberim, *Presbyteri*, R. *ſanctæ* Mariæ *in* Coſmedin, E. *ſanctorum* Coſmæ & Damiani, O. *ſancti* Nicolai *in carcere* Tulliano, *Diaconi*, *ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ Cardinales, religioſo viro Abbati de* Wareduna, *ſalutem in Domino. Ex parte magiſtri* Petri *Apoſtolorum Principis Baſilicæ Canonici, Rectoris eccleſiæ de* Morduna, *nati* Jacobi Johannis Capot, *civis* Romani, *fuit propoſitum coram nobis, quòd dudum ſanctæ recordationis dominus* Gregorius *Papa, falſis ſuggeſtionibus provocatus*, Elyenſi *Epiſcopo ſuas direxit literas, continentes, ut præfato magiſtro, vel alii ejus nomine, de proventibus eccleſiæ ſupradictæ minimè reſponderet, nec etiam permitteret reſponderi: ſed eccleſiam ipſam ad manum ſuam retinens, proventus ipſius perciperet & ſervaret, ut de utriſq; juxta ſuum beneplacitum diſponi deberet, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Decernens dominus Papa prædictus, nihilominus irritas & inanes omnes literas ſuper eccleſia & proventibus ipſis, nomine præfati magiſtri obtentas à ſede Apoſtolica, vel etiam obtinendas, ut ſcilicet nemo conveniri poſſet per illas, nec aliquis autoritate poſſet procedere earundem. Et ſi proceſſus eſſet habitus per eaſdem, eſſet irritus & inanis, niſi de præmiſſis plenam facerent mentionem; Decano* Eboracenſi, *& Archidiacono* Richemundiæ *ad hæc omnia exequenda deputatis. Sed idem Epiſcopus, in hujuſmodi mandati executione procedens, tibi per ſuas literas dicitur injunxiſſe, ut ſi firma eccleſiæ ſupradictæ, vel aliqua pars ipſius, apud te forſan reſideret, ipſam deponi faceres apud* Bernewelle, *in cuſtodia Prioris & Sacriſtæ loci ejuſdem, & ab inde in anteà, dicto magiſtro vel alii ejus nomine de proventibus eccleſiæ ſupradictæ, nullatenus reſponderes, ſed eos deponi faceres ibidem, ut de eiſdem poſſit ſecundum diſpoſitionem hujuſmodi ſummi Pontificis reſponderi. Quare præfatus magiſter nobis humiliter ſupplicavit, ut cùm indignum ſit, & omni rationi contrarium, ut pœna ipſum alligare debeat à ſuggeſtis prorſus inſontem, provideri ſuper hoc ei miſericorditer dignaremur. Nos autem, penes quos poteſtas reſidet, Apoſtolica ſede vacante, volentes præfato magiſtro gratiam facere ſpecialem ob ſuæ meritum probitatis, tibi diſtrictè præſentium autoritate mandamus, quatenus eidem magiſtro, vel procuratori, vel nuncio ſuo, de firma eccleſiæ ſupradictæ, ſubtracta ſibi autoritate mandati prædicti, plenam ſatisfactionem impendas, & ei de cætero, ut teneris, integrè reſpondere procures, non obſtantibus prædictis literis, vel proceſſibus habitis per eadem. Alioquin, ne mandatum noſtrum ad nos vacuum revertatur, noveris nos Priori fratrum Prædicatorum* Norwicenſium, & Petro *de* Arche, *Canonico eccleſiæ ſancti* Angeli *de* Ferentino, *noſtras literas deſtinaſſe, ut te ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam debeant coarctare. Datum, &c. An. Domini M.CC.xliii. Apoſtolica ſede vacante.*

IPSIS quoq; temporibus, Comes de *Marchia*, fortuna ſibi undiq; adverſante, à Rege *Angliæ*, quem nequiter dereliquit, penitus derelictus, & à Rege *Francorum* meritò deſpectus, à quodam de Regno *Francorum* milite ſtrenuiſſimo, coram Rege *Francorum* & fratre ejus *A.* Comite *Pictaviæ*, eſt in publico ſceleris accuſatus & appellatus: unde retentus eſt Comes, quaſi incarcerandus. Quod licèt Comes conſtanter inficiaretur, ſtatim miles ſupradictus, more *Francorum*, chirothecam ſuam ei porrexit, ſe offerens in propatulo coram curia id corporaliter, ſecundùm conſiderationem curiæ Regalis, probaturum; Exigens ſibi exhiberi in duello juſtitiæ plenitudinem, ſecundum Legem *Francorum* antiquitus, & modo judicialiter juratam à Regibus, & approbatam. Quam chirothecam, quaſi duelli vadium oſtenſam, Comes recepit, ſpondens ſe defendendo dimicaturum contra ipſum facinoris notam ſibi imponentem. Quod cùm audiſſet filius ipſius Comitis de *Marchia* primogenitus, à carcere liberatus Regis *Francorum*, commota ſunt viſcera ejus, & proſiliens, ait: Ego, ſi placet, pro patre meo, ſuam purgando innocentiam, contra quemlibet dimicabo. Inhumanum enim foret, ut aliquis tantæ autoritatis & ætatis certamen duelli confereret. Comes autem *Pictaviæ A.* ad hæc reſpondit, dicens; Nequaquam, ipſe pro ſe pugnabit, ut appareat manifeſtè in propatulo ipſum malorum dierum inveteratum, multiplici fore facinore maculatum. Dato igitur die certo, & loco aſſignato, receſſerunt. Comitiſſa igitur, videlicet quæ quandoq; Regina fuit *Angliæ*, nomine *Iſabella*, audito hoc lugubri rumore, ſibi tot malorum conſcia, ad Abbatiam Sanctimonialium, quæ *Fons ebrauli* dicitur, aufugit, & ibi in

Comes de Marchia ad duellum provocatur.

1243. quadam ſecretiſſima camera, ſub ſpecie religionis, vix tamen tuta latitavit. Multi enim *Francorum*, necnon & *Pictavenſium*, eam inexorabili odio perſequebantur, aſſerentes eam potiùs impiiſſimam *Jezabel*, quàm *Iſabel*, debere nominari, quæ tot malorum perhibebatur fuiſſe ſeminarium.

Idem à mortis diſcrimine per amicos liberatur.

RUMORE igitur citò dilatato, quòd Comes de *Marchia* pugnaturus contra quendam ſtrenuiſſimum appellatorem, duello vel ſe purgaret, vel judicialiter puniretur, inter graviores *Francorum* cœpit murmur ſubrepere, quòd ſi in duello ſuccumberet, lege *Franciæ* periturus, filii ejus & conſanguinei pro tanta crudelitate inſurgerent ad vindictam, in necem Regis occultè per venenum, vel inſidias, vel more aſſaſinorum irruendo manifeſte conſpirantes. Vel ſaltem, quæ jam in *Pictavia* fœliciter ſunt adquiſita, nacta belli redivivi occaſione, turbarentur, & eadem facilitate qua nobis mancipantur, ſub Rege noſtro tenero & delicato, per *Pictavenſes*, qui ventilogio comparantur, incautiùs amittantur. Elaborantibus igitur vigilanter hinc inde amicis, viris gravibus & diſcretis, procuratum eſt, ut Regis & fratris ejus ſedaretur ira, honor accreſceret, lex ſalvaretur, miſericordia laudaretur. Satisfacientes igitur appellanti, Comitem de *Marchia* prudenter à probroſo mortis diſcrimine liberarunt. Qui de curia gaudenter recedens, factus eſt *Francorum* dominationi de obligato nimis obligatior.

Rex Angliæ parcit inutilibus ſumptib.

REX autem *Angliæ*, licet ſerò, manifeſtis indiciis certificatus, & experimentis edoctus, de vitandis *Pictavenſium* cavillationibus, ex tunc in antea pecuniam, quam ipſis ingratis annuatim inconſultè diſtribuerat, theſauro ſuo cautiùs poterat cumulare. Dederat enim ipſis inde ridentibus, imò deriſoriè cachinnantibus, quolibet anno ex inexhauſto puteo *Angliæ* ſeptem millia librarum eſterlingorum deſideratiſſimorum. Videlicet *Reginaldo* de *Pontibus* quingentas, *Willielmo* Archiepiſcopo tantum, Vicecomiti de *Thoarzi* tantum, & aliis Magnatibus indignis nominari, nedum ſcribi, *Pictaviæ*, uſq; ad prædictæ ſummæ completionem; Abſq; maxima pecunia, quam Comiti de *Marchia* (quem Rex de more chariſſimum Patrem appellavit) contulerat, qui omnes *Pictavenſes* ſicut ſupereminebat, ſic excellentiora munera capiebat, & uxori ſuæ, ratione maternitatis, tam prodigialiter quàm prodigaliter Rex conferre conſueverat: & hæc tantùm ad Regis ceſſerunt emolumentum.

Reditus Regis in Angl.

EISDEM quoq; temporibus, ſcilicet circa feſtum ſancti *Remigii*, Rex *Angliæ*, diſpoſitis in *Gaſconia* diſponendis, commiſſaq; cuſtodia terræ *Nicolao* de *Molis*, militi ſtrenuiſſimo & circumſpecto, quem præfecit *Gaſconiæ* Seneſcallum, naves aſcendens, proſperè velificando, redeundo in *Angliam*, transfretavit, & ſeptimo Calend. Octobris apud *Porteſmues* applicuit. Significavitq; ſtatim Abbatibus & Prioribus, ut ipſi procurando providerent in mannis, in bigis, & equis veredariis, & ſummariis, & eorum pertinentiis, Regi talibus penitùs deſtituto, ut citò ſentirent *Anglici* Regis præſentiam adventantis. Et cùm veniſſet *Wintoniam*, occurrentibus ferè omnibus *Angliæ* Nobilibus, ipſumq; ſalutantibus, præcepit ut civitas pallis & cortinis, coronis, & cereis accenſis, in adventu ejus ornaretur, ipſi civibus feſtivè occurrentibus, omnibuſq; campanis civitatis pulſatis feſtiviùs. Inſuper voce præconia per expeditiſſimos nuncios deſtinatos juſſit proclamari, ut ex qualibet civitate vel burgo quatuor cives vel burgenſes honorabiliores obviam ei procederent in veſtibus precioſis & equis deſiderabilibus. Unde ad præceptum ſuum, & edictum intranſgreſſibile, coacti ſunt multi de ultimis finibus Regni, non ſine multis expenſis & laboribus, obviam ipſi occurſando properare. Et cùm *Londinum* appropinquaret, cives adornati feſtivè, inſidentes equos cariſſimos & recenter phaleratos, obviam proceſſerunt, accelerantes hunc illum prævenire, Regem reverenter ſalutarunt, & donis diverſis & impreciabilibus pacaverunt. Et imminente ſancti *Edwardi* feſtivitate, ſcilicet tertio Idus Octobris, juſſit ut conventus ei obviam ſolenniter indutus proceſſionaliter procederet, accenſa incredibili cereorum numeroſitate. Et ſic tam pompoſè quàm ſumptuoſo faſtu, & ſuperſtitione eſt receptus.

Innocentius quartus Papa.

IPSO quoq; anno, die nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ*, creatus eſt in Papam dominus *Sinebaldus* Cardinalis, poſtquam vacaverat ſedes Papalis per annum & novem menſibus. Et die Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* confirmatus eſt, & vocatum eſt nomen ejus *Innocentius* quartus. Et confirmatus, ſtatim confirmavit ſententiam latam à prædeceſſore ſuo *Gregorio* in Imperatorem *Fredericum*. Creatus autem eſt *Anagniæ*: unde *Romani* & *Romanorum* Imperator, quaſi pro duplici injuria ipſi Papæ moliebantur gravamina, & inſidias paraverunt, & eò inſtantius, quia Imperator credebat Papam ſibi favorabilem habiturum. Poſuit igitur Imperator in tranſitibus viarum & portuum arctas cuſtodias, & per mare galeias, ne bullarum portitores tranſmearent, libero tranſitu gratulantes. Nec multùm poſt hæc, dominus Imperator duos fratres de ordine *Minorum* comprehendit, eò quòd literas juſſu ſuperiorum ſuorum, ad ſuſcitandum bellum inter quoſdam Magnates, præcipuè contra Imperatorem, furtivè detulerunt, & comprehenſos juſſit ſuſpendi.

Templarii Hoſpitalariis infeſti.

ET dum dierum illorum tempora revolverentur, *Templarii* in *Terra ſancta Hoſpitalarios* graviter infeſtantes obſidebant, ita ut à domo ſua, quæ eſt in *Acon*, obſeſſis non licebat mortuorum corpora efferre ſepelienda. Inſuper, ipſi *Templarii* fratres *Theutonicorum* eccleſiæ ſanctæ *Mariæ*, in contumeliam Imperatoris, exturbatos à finibus ſuis propulſarunt, iram Dei ſuper capita ſua cumulantes, & inimicos crucis extollentes.

1243.

Generale capitulum Ciſtercienſium *ſolutum.*

CIRCA idem tempus, ſcilicet poſtquam generale capitulum ordinis *Ciſtercienſium* ſolutum eſt, venerunt Abbates recedentes ab eodem capitulo, hos rumores veraciter de adventu Regis *Francorum* ad illos venientis nobis nunciantes, videlicet quòd mutato more *Romanorum*, ſcripſerat dominus Papa eorum capitulo, orans eleganter, ut continuè & inſtanter Domino preces funderent pro eccleſiæ ſtatu vacillantis. Similiter & quidam Cardinales, & alii potentes, hoc impreciabile munus ab eis flagitabant, ut ſcilicet eccleſiæ & ſuo ſtatu roborato tutiùs Deo militando famularentur. Noverant enim, quòd, eò quòd Abbates ejuſdem ordinis anno præterito, ne ad capitulum accederent, per bella fuerant impediti, tunc pleniùs ad capitulum generale convenirent. Rex autem *Francorum* inſtantiùs aliis auxilium & precum inſtantiam poſtulabat, quia ſe ſenſerat, poſtquam iter in *Pictaviam* moturus bellum arripuerat, nimis de corporis ſui ſtatu debilitatum & deterioratum, & alacritate corporali potiùs indigentem. Solus autem Rex *Angliæ*, miſſis illuc nunciis ſolennibus, auxilium pecuniare ab eis inſtantiùs poſtulavit. Erant autem ibidem Monachi ab omni Natione *Chriſtiana* quæ ſub cœlo eſt. A quibus omnibus, non ſine *Anglorum*, qui ibidem erant, confuſione, ſolam meruit ſine benedictione repulſam. Exigebat enim ab conſtitutis in *Anglia* lanas Abbatiis.

Epiſc. Lincol. *& Monachi* Cantuarien. *litigant in curia* Rom. *Literæ Papales.*

REVOLVENTIBUS eorundem dierum circulis, Epiſcopus *Lincolnienſis* nuncios ſuos ſolennes, clericos & diſcretos, ad *Romanam* curiam, ex una parte, & Conventus *Cantuarienſis*, ex alia parte, ad dirimendum litem inter eos ventilatam, deſtinarunt. Qui ſuper hoc talem diffinitionem meruerunt reportare: Innocentius *Epiſcopus*, *ſervus ſervorum Dei*, *dilectis filiis*, *Conventui & Priori eccleſiæ* Chriſti Cantuarienſis, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exhibita nobis venerabilis fratris noſtri Epiſcopi* Lincolnienſis *petitio, continebat, quòd cùm vobis contendentibus juriſdictionem Metropolitani, quam ad vos,* Cantuarienſi *ſede vacante, in provinciam* Cantuarienſem, *tam ex privilegio ſedis Apoſtolicæ, quo nunquam adhuc uſi fuiſtis, quàm de jure communi, pertinere dicitis, in eum & ſuos ſubditos committendo eorum cauſas & appellationes ab eis interpoſitas exercere: ipſe grave ſibi ex hoc præjudicium generari conſpiciens, ad ſedem Apoſtolicam, cujus intereſt quæſtiones tam arduas, Metropolitana ſede vacante, dirimere, provocâſſet; vos in eum, & in ejus ſubditos, ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias, occaſione hujuſmodi pro veſtræ voluntatis arbitrio promulgaſtis. Quare nobis humiliter ſupplicavit, ut provideri ſibi ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus. Volentes igitur ex officio noſtro ſic eidem Epiſcopo & ſuis ſubditis ſubvenire, quòd jus alterius non lædamus, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus infra octo dies poſt receptionem præſentium, abſq; veſtro & partis alterius præjudicio, relaxetis prædictas ſententias ad cautelam. Alioquin venerabilibus fratribus noſtris, Archiepiſcopo* Eboracenſi, *& Epiſcopo* Dunelmenſi, *damus literis noſtris in mandatis, ut ipſi ex tunc ſine præjudicio partium, tam ſuper petitorio, quàm etiam ſuper poſſeſſorio, ſententias relaxent eaſdem, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum* Anagniæ, *decimo Calend. Septemb. Pontificatus noſtri anno primo.*

Confirmatur Epiſc. Wintonien.

TEMPORE quoq; ſub eodem, Epiſcopus *Norwicenſis* poſtulatus in Epiſcopum *Wintonienſem*, à domino Papa, quem ſibi valde propitium invenit, Rege nimis invito & reniteute, confirmatus eſt.

Confirmatur Bonifacius *in Archiepiſcopum* Cantuarienſem.

EISDEMQUE diebus, *Bonifacius* electus *Belicenſis*, avunculus Reginæ, natione *Provincialis*, non ſine multorum admiratione, in Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, Rege hoc diligentiſſimè procurante, à domino Papa confirmatur. Dominus Rex, ut efficaciùs *Bonifacium* promoveret in Archiepiſcopatum *Cantuarienſem*, confecit unum ſcriptum, in quo miro modo ipſum *Bonifacium*, licèt ipſum non cognoviſſet, commendavit in moribus, & ſcientia, & generoſitate, inſtinctu Reginæ. Et appoſito ſigno ſuo, fecit ut ferè omnes *Angliæ* Prælati conſequenter apponerent. Solus autem Abbas ſancti *Albani* hoc falſum teſtimonium cautè declinando vitavit. Cùm enim vidiſſet ſignum Abbatis *Weſtmonaſterii* appenſum, dixit, injuriatum fuiſſe ei, cùm Abbatem ſancti *Albani* digniorem eſſe conſtet, dicente ejus privilegio: *Sicut beatus Albanus Protomartyr eſt Angliæ, ita & ejus Abbas primus ſit omnium Abbatum Angliæ ordine & dignitate:* ergo ejus ſignum deberet primò apponi. Et ſic permiſſum eſt hoc donec exsecuteretur. Hoc ſcriptum miſſum eſt domino Papæ, ut de bonitate *Bonifacii* pleniùs certificaretur.

Aurum & argentum extorquetur à Judæis.

REX autem ipſis eiſdem diebus, à miſerrimis *Judæis* maximam in auro & argento exegit redemptionem. Ita ut quanquam de aliis taceamus, ab uno *Judæo*, videlicet *Aaron Eboracenſi*, quatuor marcas auri, & quatuor millia argenti emunxit: aurum tamen Rex propria manu ſuſcepit ab unoquoq; *Judæo*, viro vel muliere, novus ex Rege factus theloneus: argentum verò ab aliis pro Rege ſuſcipiebatur. Ab Abbatibus verò & Prioribus, dona precioſa ſub hac formâ ſuſcepit, ut ſi qua ei non placuiſſent, rejecit, precioſiora exigens, quibus Regalem decet placare dignitatem, vel neganti fieret de Rege terminus.

1243.

Eligitur in Epiſcopum Norwicenſem Walterus de Sufeld.

CERTIFICATI autem Monachi *Norwicenſes* ſuper confirmatione domini *Willielmi* de *Rale*, qui Epiſcopus eorum exſtiterat,ad Epiſcopatum *Wintonienſem* poſtulati, invocata Spiritus Sancti gratia, magiſtrum *Walterum* de *Sufeld*, virum eleganter literatum, moribus, fama, genere pollentem, unanimiter in Epiſcopum & ſuarum paſtorem animarum elegerunt. Qui cum Regi, ut moris eſt,præſentaretur,ſatis & electum & electionem acceptando, reputavit irreprehenſibilem. Veruntamen donec pleniùs conſtaret ei de confirmatione *Wintonienſis*, favoris ſuſpendit ad tempus plenitudinem.

Magnificus adventus Beatricis Comitiſſæ Provinciæ.

CIRCA idem tempus, ſcilicet Calend. Decembris, applicuit apud *Doveram* (Rege vocante,& totum iter ſuum ſuis expenſis procurante) Comitiſſa *Provinciæ Beatrix*, mater Reginarum *Franciæ* & *Angliæ*, mulier decoris expectabilis, prudens, & civilis. Venit autem in apparatu magno, & faſtigio pompoſo nimis. Ipſamq; infiniti Nobiles *Angliæ*, non ſine mora nimis ſumptuoſa,ſuper litus maris juſſu Regis expectarunt. In octavis ſancti *Martini*, quia tunc dicta Comitiſſa ventura fuit *Londinum*, juſſit Rex civitatem *Londinenſem* cortinis, auleis,& diverſis aliis ornamentis decorari, à Ponte uſque *Weſtmonaſterium*, ſtipitibus, luto, & omni eluvie & offendiculo procul à viſu tranſeuntium elongato. Duxit autem ſecum filiam ſuam *Cinciam*, Comiti *Richardo* matrimonio copulandam. Venerunt autem obviam ei etiam de remotis *Angliæ* partibus, & *Scotiæ* conterminis,multi Nobiles,juſſu Regio coarctante.

Obitus Radulphi Cheinduit.

EODEMQUE die, inexorabilis & indefeſſus eccleſiæ ſancti *Albani* perſecutor,& libertatum ejus per triennium invaſor protervus, *Radulphus Cheinduit* animam exhalavit. Hæc idcirco dixerim,ut omnibus *Chriſti* fidelibus liqueat evidentia miraculi & juſta ultio,quam in eum *Anglorum* Protomartyr *Albanus* eminùs exercebat. Cùm enim per triennium ſententiæ vinculis innodatus,claves eccleſiæ procaciter contempſerit, erecta cervice in Palatio *Weſtmonaſterienſi* multis dixit convocatis: Eia de Monachis ſancti *Albani*, eia de ipſis. Tam diu,tam ſæpè,tam efficaciter me excommunicarunt, quòd impinguatum, incraſſatum, & dilatatum, vix me mea ſella continet equitantem. Quo dicto, infirmatus & debilitatus, necnon & deſperatus, domum eſt ſubitò, ſed vix palpitans,deportatus. Et jam ſpiritum extremum, lethifero ſingultu * oregmon provocante, cœperat exhalando protrahere, cùm interventu Martyris Sancti *Albani* benigniſſimi, diſpenſante Domino, *qui neminem vult perire, ſed potiùs converti*, ſuſpirans ab alto, quoſdam Monachorum, quos meliùs noverat, feſtinanter juſſit accerſiri, qui de tranſgreſſore eorum, ſecundum ſui arbitrium, ſatisfactionis acciperent plenitudinem. Quod & benignè fecerunt. Et ne in abyſſum deſperationis moriens immerſus, damnandus periret, præſtita cautione, de juſtitia ſuper damnis & injuriis ab eo illatis, facienda, ſibi beneficium abſolutionis impenderunt. Similiter & alii quamplures, libertatis eccleſiæ ejuſdem prædicti Martyris invaſores & perturbatores (tam milites potentes, quam alii) in brevi tempore ſimili vel majori pœnæ, non ſine judicio miraculoſæ ultionis, graviter ſubjacuêre. Videlicet *Alanus* de *Becles*, *Norwicenſis* Archidiaconus, & *Adam filius Willielmi*, Juſtitiarius de *Banco*, qui ſubita morte præoccupati ſunt.

* Ὀρεγμὸν.

Nuptiæ Comitis Richardi & Cinciæ ſororis Reginarum Francorum & Angl.

EODEMQUE anno, die videlicet ſancti *Clementis*, Comes *Richardus* deſponſavit uxorem ſuam *Cinciam*, filiam *Reimundi* Comitis *Provinciæ*,ſororem videlicet Reginæ; apud *Weſtmonaſterium*. In cujus nuptiis tanta convivii nuptialis, totq; convivarum Nobilium reſplenduit ſerenitas feſtivalis, ut ille incomparabilis apparatus, diffuſos exigeret tractatus & tædioſos. Sed ut multa brevibus perſtringam, in coquinali miniſterio plura quam triginta millia ferculorum prandentibus parabantur. Prodigioſaq;commenta in præſentia Regis,Comitiſq; novi ſponſi,Reginæ quoq; & ſororis ſuæ dictæ *Cinciæ* novæ ſponſæ, (cujus mutatum nomen eſt, & vocata *Scientia*) Comitiſſæq; Provinciæ *Beatricis*, aliorumq; innumerabilium Magnatum,exhibita; oculos & cogitatus intuentium in admirationem inauditam rapiebant: Sæculariſq; pompæ, inanis quoq; gloriæ, in joculatorum diverſitate, in veſtium varietate, cibariorum numeroſitate, & epulantium populoſitate, delicias tranſitorias, contemptibiles, & umbratilem, præſtigiatorem mundum manifeſtè comprobarunt, cùm tanti paratus varietates craſtina dies quaſi nebulam exſufflavit.

Epiſc. Wintonienſi denegatur aditus civitatis ſuæ.

REX autem eiſdem diebus nimis commotus erga Epiſcopum *Wintonienſem Willielmum* de *Rale*, eò quòd ſe quaſi Epiſcopum *Wintonienſem* gerebat, & à cunctis, præter quoſdam Monachos *Wintonienſes*, habebatur & dicebatur, renuit recipi ab eo in oſculo, vel ipſum in aliquo amicabili verbo recipere. Qui tamen omnes *Angliæ* Nobiles, præcipuè Prælatos, & in oſculo, & in gratis eloquiis, poſt adventum ſuum de partibus ultramarinis, tam grataner quàm gratulanter ſuſceperat, & civiliter advocarat. In cujus rei triſti prognoſtico, Epiſcopus luce clariùs perpendens, Regis iram inveteratam in odium pertinax induratam fuiſſe, penes amicos ſuos, quos fortunæ minimè credidit eſſe ſectatores, donec viſitaret eum oriens ex alto, & tepeſceret Regis indignatio, latitavit. Rex autem, perſiſtens in ira ſua, ad maneria ſua arctam poſuit cuſtodiam per ſuos ſatellites: qui, ut de more ſolent, limites præcepti tyrannici ſæviendo tranſgredientes, Epiſcopatui ſubjectos ſatis inhumanè tractantes, propriis emolumentis avidiùs intendebant. Et cùm Epiſcopus prænominatus, cauſa intrandi in civitatem, ad ſuam ſedem Cathedralem ſpecialiter ſpectantem, ſcilicet *Wintoniam*, perveniſſet, juſſit Rex portas civitatis arctiſſimè cuſtodiri. Prior autem *Wintonienſis*, ſi dignus eſt nomine Prioris cenſeri, aut nominari, magnam partem Monachorum in unam conflavit conſpirationem, ut in ſuum Epiſcopum calcaneum levarent; aſſerens in propatulo, omnes qui ei præberent auxilium vel conſilium,

1243.

inimicos domini Regis ſore manifeſtos, & proinde graviter puniendos: ita ut tam inter Monachos, quàm ſæculares, ortum eſt ſchiſma, & uſque ad ſanguinis effuſionem gravis & deteſtabilis diſcordia.

Prior Wintonienſis moritur.

IGITUR ipſe miſer, habitum tantummodò portans religionis, qui præcepto Regio ſe fecit Prior nominari, & à multis haberi, multis afflictam ſollicitudinibus animam miſeram exhalavit.

Rex indies magis perſequitur Epiſ. Winton.

REX autem, nulla ratione refrenatus, ſed propriæ voluntatis impetu potiùs exagitatus, manum aggravans potentiſſimam, & Epiſcopum prædictum & ejus bona gravando protendens, clamari fecit, & prohibuit, ne quis *Willielmum* de *Rale*, qui ſe falsò, ut ait, Epiſcopum *Wintonienſem* fecit ſolenniter acclamari, hoſpitio ſuſciperet, vel eidem in venalibus communicaret, vel neceſſaria victualium miniſtraret; & qui ei in aliquo horum ſubveniret, hoſtis Regis, imò publicus haberetur. Miſit etiam idem Rex literas ſuas *Oxoniam*, ut eundem Epiſcopum coram Univerſitate diffamaret; aſſerens eundem per falſam ſuggeſtionem à domino Papa impetraſſe, ut in Epiſcopum *Wintonienſem* poſtularetur & transferretur, & quòd omnem dolum ſuum coram curia *Romana* & Regno ſufficienter probando detunicaret. Ad quod effectui mancipandum, curſores ſuos *Romipedas* jam jam deſtinavit. Fecit etiam Epiſcopatum *Norwicenſem* infiſcari, ut ubiq; & omnino eidem Epiſcopo aditus ad ſolatium excluderetur. Miſit inſuper dictus dominus Rex contra memoratum Epiſcopum, *Theobaldum* Monachum *Weſtmonaſterienſem*, Priorem *Hurleiæ*, ad *Romanam* curiam, necnon & magiſtrum *Alexandrum* Legiſtam, cognomento *Sæcularem*: ut ipſi dictum Epiſcopum, vel quacunque prece, vel quantocunque precio, à ſua dignitate præcipitarent.

Civitas Wintoniæ ſupponitur interdicto.

EPISCOPUS verò nudis pedibus ad unam portam civitatis, & poſteà ad alias extra civitatem, cum ſuis presbyteris & clericis, aditum humiliter, ut eccleſiam ſuam intraret, poſtulavit. Omnes enim portas in adventu ſuo clauſas inveniebat. Obſtantibus autem Majore civitatis & miniſtris Regis, & ubique introitum procaciter denegantibus, & probra probris cumulantibus, Epiſcopus civitatem totam cum eccleſia cathedrali, & omnibus aliis interdicto ſuppoſuit, necnon & omnes Monachos ſequaces & fautores Prioris intruſi per Regem, anathematis vinculo terribiliter innodavit.

Imperator Viterbium & alia loca circumjacentia amittit.

EISDEMQUE temporibus, pro Imperialibus miniſtris, nimis *Viterbienſes* opprimentibus, ipſa tota civitas, cum partibus adjacentibus, converſa eſt ad *Romanos*, qui partes Papæ confovebant. Oppreſſi igitur, & jugo inſolitæ ſervitutis gravati, poſtquam ſe ſuamque civitatem contradiderant, ad *Reinerum Viterbienſem* Cardinalem confugerunt, ut ipſius auxilio & conſilio *Romanis* confœderarentur, & ſopito antiquo odio, ex tunc in antea gens una forent, ut in hoſtes conſurgerent fortiores, & preſſuras Imperiales tutius evitando declinarent. Diligenter igitur procurante *Reinero* memorato, ſubitò & clam elaboratum eſt, ut adventantes *Romani* in multitudine graviſſima, omnes cuſtodes Imperiales prudenter occupantes, incarcerandos *Romam* captos & captivos reduxerunt, inito pacis fœdere inter *Romanos* & *Viterbienſes*: & in loco Imperialium Magiſtratuum, in caſtrorum turribus, & in locis munitis, ſuos fideles tam *Romanos* quàm *Viterbienſes* ſubrogarunt: ita ut penitus Imperatore contempto, *Romani Viterbienſes*, & *Viterbienſes Romani* viderentur. Quo audito, Imperator tactus doloris aculeo, cum impetu maximo & manu armata innumerabili, conatus eſt adimplere foſſatas, doliis, ceſpitibus, ſtipitibus, & aggere terreſtri, ut violenter intrans omnes ſtatim trucidaret. Cives autem, videntes rem agi pro capite, conatus hoſtium viriliter interiùs repulerunt, & ex adverſa parte, adventantes *Romani* cum inopinabili multitudine, propoſitum Imperiale potenter caſſaverunt. Et facto congreſſu hoſtili, multi ex parte Imperatoris ceciderunt. Inſuper quidam miles egregius ex parte Imperatoris, armis ipſius ſpecialibus decoratus, ſpiculo baliſtæ transfoſſus miſerabiliter expiravit, Imperatore nimium condolente. Et cùm illo caſu inimici ejus exultantes, clamorem exultationis levaſſent, credentes ipſum Imperatorem interiiſſe, affuit Imperator præviis tubicinibus ſuis, & vix ab impetu adverſariorum exercitum ſuum liberavit, ex adverſo ante expectatum venientium. Et cedendo, ſe verſus partes *Piſanorum* recepit, ut fortior poſteà reſpiraret, in ſuos rebelles inſurgendo. Videntes autem qui partes circumjacentes inhabitabant, quòd Imperator turpiter, non ſine magno rerum diſpendio & dedecore & hominum jactura receſſerat, receſſerunt multi à fidelitate ipſius, & *Romanis* atque *Viterbienſibus* ſunt confœderati; Secundum illud Poëticum:

Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Imperatoris fama diminuta.

OBFUSCATA eſt igitur non mediocriter fama Imperatoris: captus enim erat Comes *Simon* de *Tuſcia*, cui fiducialiter commiſerat *Viterbium* cuſtodiendum, cum ſuis complicibus, qui *Romam*, ut dictum eſt, captivus trahebatur, amiſſumque fuit ipſum *Viterbium*, cum quibuſdam civitatibus & caſtris circumjacentibus, ipſeque Imperator quaſi fugam iniit. Denigrata eſt fama ipſius, & ſiniſtro ſuſurro divulgatum, quòd nunquam divina officia audire dignabatur, vel orare, vel perſonas eccleſiaſticas dignè venerari, vel in fide catholica ſanè loqui vel ſentire, à concubitu muliercularum *Saracenarum* abſtinere, imò potius tam *Saracenos*, quàm alios infideles in terram Imperii vocare, & urbes conſtruere permiſit munitiſſimas.

Ab Imperatore multi deficiunt Nobiles.

RECESSERUNT igitur ab Imperatore multi nobiles & graves ac potentes: Videlicet *Marchiſii* de *Monte ferrato*, & de *Mala ſpina*; *Vercella*, *Alexandria*, & multæ nobiles civitates. Et

multiplicati

1243. multiplicati ſunt inimici ejus, prout ſolent homines fortunæ ſequentes ſerenitatem. In *Alemannia* etiam multi abierunt retrorſum, & nolentes ampliùs ſtare cum eo, alium ſibi in Regem elegerunt, vel Imperatorem, videlicet * *Andegravium*, virum elegantem & ſtrenuum: cui *Germaniæ* & *Italiæ* pars potiſſima conſilium & auxilium, uſque ad capitum expoſitionem, ſpopondit indefeſſum.

* Henricum Landgravium.

Imperatoris in adverſitate induſtria.

HÆC autem ſagaci mente perpendens pericula dominus Imperator, commiſit regendum exercitum ſuum cuidam ſibi familiariſſimo, & nulli pandens tanti conſilii ſacramentum, illac lora dirigit feſtinanter, & eò fiducialiùs, quòd memoratus *Andegravius* in dictam electionem non adhuc plenè conſenſit, imò potiùs tam conſenſum, quàm reſponſum, *Germanicis* ſuſpendit. Dilexit enim Imperatorem, & *Romanæ* curiæ odivit cavillationes. Accedente igitur ad ipſum Imperatore, & vocante eum pacificè & ſecretò in loco tuto, adeò mutuis colloquutionibus & amicis confabulationibus ante receſſum ſuum ad invicem, datis dextris confœderati ſunt, ut de ſuſpecto factus eſt idem *Andegravius* amicus tutiſſimus, & omnibus qui eum elegerant manifeſtè ſignificavit, quòd tam temerè præſumptionem non adquievit. Et ſic ad votum perfecto negocio, ad exercitum ſuum Imperator, eadem qua receſſit prudentia, remeavit.

Humiliatus eſt Imperator.

VERUNTAMEN, qui oderunt ipſum Imperatorem *Fredericum*, extulerunt caput, & pro jacturis ſuis, quibus affectus fuerat, quaſque ſuperiùs latiùs expreſſimus & recenſuimus, exultaverunt & gaviſi ſunt valde. Humiliatus eſt igitur eo tempore aliquantulùm dominus Imperator *Fredericus*, ſecundùm illud Propheticum: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Intermeantibus igitur nobilibus & profundi conſilii perſonis, tractatum eſt diligenter de pace inter eccleſiam & Imperatorem. Sed noluit aliquo modo Imperator jurare, ut ſtaret eccleſiaſticæ cenſuræ abſolutè, niſi præcognitis cauſis, & præviſa via, & omnibus conditionibus; nec quomodolibet quædam acquiſita, ad Imperium jure antiquo ſpectantia, reſignare. Et ſic, procurante humani generis inimico, ira rediit rediviva. Et circa illos dies, factus eſt *Otto*, qui Cardinalis tituli ſancti *Nicolai* in carcere *Tulliano*, & Legatus in *Anglia* extiterat, Epiſcopus *Portuenſis*.

Epiſtola terribilis de crudelitate Tartarorum.

EISDEMQUE diebus, hæc epiſtola Archiepiſcopo *Burdegalenſi* tranſmiſſa, quæ in multis conſonat epiſtolæ Imperiali, Regibus multis *Chriſtianis* directa, de horribili vaſtationæ inhumanæ gentis, quam *Tartaros* vocant, ſed in hac *Tattari*, vel *Tatari*, nuncupantur) multos etiam conſtantes viros vehementer perterruit. Giraldo, *Dei gratia* Burdegalenſi *Archiepiſcopo*, Yuo *dictus* Narbonenſis, *ſuorum olim noviſſimus clericorum, ſalutem, & ſuper talentis creditis ad reddendum ſufficere rationem. Terrenis involutæ negociis animæ reproborum, divini comminationis judicii non advertunt: nec obſtinatis terror incutitur, donec horrendæ damnationis ſententia feriantur. Miror, namque, quòd cùm terribiliter imminente cunctis exterminio* Chriſtianis, *talis obſtinatio Reges terræ cæteroſque potentes univerſaliter comprehendat, quòd vos, qui zelum Dei habere dicimini, veſtræ magnitudinis gravitate obſtinatorum corda non attemptatis movere: veſtræ ſiquidem à pluribus & ſapientibus, & auctoritati ſtaretur & fidei crederetur. Porrò, quantum* Chriſtianis *ex ſuperveniente* Tattarorum *impetu periculum imminet, ſolis conſtat expertis. Nam ex illius populi crudelitate vel dolo mentiri non poſſit infamia, cujus ut vobis ritus nefandos breviter proſequar, nihil dicam quod dubitem, vel opinerer, ſed certè quod expertus ſum, & quod ſcio. Accuſatus quondam, ut noſtis, ab æmulis meis coram magiſtro* Roberto *de* Curzun, Romanæ *curiæ tunc Legato, ſuper hæretica pravitate, non conſcientiæ ſcrupulum, ſed cauſæ turpitudinem erubeſcens, judicium declinavi, & hoc ipſo factus ſuſpectior. Auditis igitur illius autentici viri comminationibus, fugi à facie perſequentis. Multas proinde compulſus circuire provincias* Paterinis *in civitate* Cumea *commorantibus conquerendo narravi, qualiter pro fide eorum, quam, Deo teſte, nunquam didiceram, vel ſequebar, præcipitatis in me ſententiis exulabam. Hoc illi audito gaviſi ſunt, & me fælicem cenſuerunt, eo quòd perſecutionem propter juſtitiam toleraſſem. Et ibidem apud eos tribus menſibus ſplendidè ac voluptuosè procurabar, & multos quotidie errores, imò potiùs horrores, quos contra fidem Apoſtolicam aſſerebant, audiens ſubticebam. Meque beneficiis obligarunt ad promittendum ſibi, quòd ex tunc* Chriſtianis *cum quibus moroſum poſſem habere colloquium, prædicarem perſuadendo, quòd in fide* Petri *neminem contingeret ſalvari, & hanc ſententiam pertinaciter edocerem. Hocque mihi fide interpoſita promittenti, ſua cœperunt ſecreta detegere, perhibentes quòd ex omnibus ferè civitatibus* Lombardiæ, *& quibuſdam* Tuſciæ, Pariſios *dociles tranſmiſiſſent ſcholares, quoſdam Logicis cavillationibus, alios etiam Theologicis diſſertionibus inſudantes, ad aſtruendos ipſorum errores, & profeſſionem Apoſtolicæ fidei confutandam. Multos etiam mercatores hac intentione mittunt ad nundinas, ut pervertant divites laicos commenſales, & hoſpites, cum quibus loquendi familiariter indulgetur facultas, ut multipliciter negociantes, aliorum ſibi pecunias hinc ſibi lucrentur, inde animas nihilominus theſaurizent Antichriſto. Cumque à prædictis fratribus degeneribus licentiam petiſſem, miſerunt me* Mediolanum, *à ſuis comprofeſſoribus hoſpitandum. Et ſic omnes pertranſiens civitates* Lombardiæ *circa* Padum, *ſemper inter* Paterinos, *ſemper in receſſu accepi ab aliis ad alios interſigna.* Cremonam *tandem perveniens, oppidum in* foro Julii *celeberrimum, nobiliſſima* Paterinorum *bibi vina, rabiolas, & ceratia, & alia illecebroſa comedens, deceptores decipiens,* Paterinumque *me profitens, ſed Deo teſte, fide, etſi non operis perfectione,* Chriſtianus *exiſtens.* Cremonæque *per triduum commoratus, accepta licentia à complicibus, ſed maledictione à quodam ipſorum Epiſcopo, cui ſuſpectus eram, poſtmodum, ut audivi, pro quadam fornicatione ab eis dejecto, nomine* Petro Gallo, *inde cum quodam fratre laico,*

canales

canales Aquilegiæ ſum ingreſſus peregrinans, & tranſmigrando ulteriùs, in oppido apud Friſac jacuimus apud fratres. 1243. Sed ab eodem fratre poſtero mane ſolus relictus, Carinthiam pertranſivi ſolivagus, ac deinde in quodam oppido Auſtriæ, quod Theutonicè Neuſtat dicitur, id eſt, nova civitas, inter quoſdam novos religioſos, qui Beguini vocantur, hoſpitabar. Et in proxima civitate Wienna lociſque circumjacentibus aliquot annis delitui, opera confundens, heu, heu, bona & mala; vivens enim, diabolo inſtigante, ſatis incontinenter, animæ meæ noxius adverſabar: multos veruntamen ab errore Paterinorum revocans jam ſæpius memorato. Hoc igitur & multis aliis peccatis inter nos Chriſtianos emergentibus iratus Dominus, factus eſt velut vaſtator hoſtilis, & ultor formidabilis. Hoc idcircò dixerim, quia quædam gens ingens, homines inhumani, cui lex exlex, ira furor, virga furoris Dominici, terras infinitas peragrando feraliter devaſtat, omnia obſtantia cæde & incendio horribiliter exterminando. In hac demùm æſtate ipſa gens memorata, quæ Tartari nuncupatur. Pannoniam, quam per traditionem ceperat, exiens, dictum oppidum, in quo tunc fortè morabar, cum infinitis millibus obſedit truculenter. Nec erant ibidem in ipſo ex noſtris viri bellici, præter milites quinquaginta, quos cum viginti baliſtariis, Dux in munitione reliquerat. Hi omnes ex quibuſdam eminentiis circumfuſum supervidentes exercitum, immanem abhorrebant ſævitiam ſatellitum Antichriſti, & aſcendentes ad dominum Chriſtianorum planctus miſerabiles audiebantur, qui ſubitò in circumjacente provincia præoccupati, ſine delectu conditionis, fortunæ, ſexus, & ætatis, omnes indifferenter diverſis ſuppliciis interibant. Quorum cadaveribus Principes cum ſuis cynocephalis aliiſque lotophagis, quaſi pane veſcentes, nihil præter oſſa vulturibus relinquebant. Sed quod mirum eſt, famelici & edaces vultures, quæ fortè ſupererant, reliquis veſci minimè dignabantur. Mulieres autem vetulas & deformes Anthropoſagis, qui vulgò reputantur, in eſcam quaſi pro diario dabant: nec formoſis veſcebantur, ſed eas clamantes & ejulantes, in multitudine coituum ſuffocabant. Virgines quoque uſque ad exanimationem opprimebant, & tandem abſciſis earum papillis, quas Magiſtratibus pro deliciis reſervabant, ipſis virgineis corporibus lautiùs epulabantur. Videntibus interim ipſorum ſpeculatoribus ex cujuſdam promontorii ſummitate, Ducem Auſtriæ cum Rege Bohemiæ, Patriarcha Aquilegiæ, Duce Carinthiæ, & Marchione, ut dicebatur, concomitante de Bade, cumque plurimo potentatu conterminorum, & jam ordinatas ab bellandum acies, totus ille nefandus exercitus repentè diſparuit, omneſque illi curſores in miſerabilem Hungariam ſunt reverſi. Qui ut ſubitò aderant, ſic & aberant repentini: unde magis omnes hoc videntes reddunt formidantes. Ex ipſis verò fugientibus, Princeps Dalmatiæ cepit octo. Quorum Dux Auſtriæ novit unum, Anglicum natione; ſed propter quædam maleficia de Regno Angliæ perpetua banniatione proſcriptum. Hic ex parte Regis nequiſſimi Tartarorum, bis venerat ad Regem Hungariæ nuncius & interpres, & mala, quæ poſtmodum contigerunt, ſatis manifeſtè præmuniendo comminatus eſt, niſi ſe & regnum ſuum Tartareæ dederet ſervituti. Hic à Principibus noſtris inductus ad dicendum veritatem de Tartaris, nullum viſus eſt prætermittere juramentum, ſed tanta conteſtatus eſt, ut & ipſi credi poſſet diabolo. In primis igitur de ſeipſo narravit, quòd inſtanter poſt tempus proſcriptionis ſuæ, id eſt, ante triginta annos ætatis ſuæ, in civitate Acon amiſſis in ludo omnibus quæ habebat, in ipſa hyeme, nihil præter camiſiam de ſacco, calceos de bove, capam de cilicio ſecum aſportans, ignominioſa compellente inedia cum infirmitate, tonſoratus omnino ut fatuus, & inexpreſſè clamans ut mutus, multas provincias liberè pertranſiſſet, & hoſpites beneficos inveniſſet, qualemqualem vitam protraxit, quamvis quotidie verborum levitate, & cordis inconſtantia; diabolo ſe commendaſſet. Tandem ex nimietate laborum, & aſſidua aëris mutatione & ciborum apud Chaldæos, gravi languore detentus & in tædium vitæ demerſus eſt. Non valens igitur procedere vel reverti, paulatim reſpirando ibi commorans, cœpit, ut erat aliquantulum literatus, ea quæ ibi proferebantur, tabulis commendare, & citò poſteà tam rectè proferre, ut indigena putaretur: eadem facilitate didicit plures linguas. Ipſum igitur Tartari per exploratores ſuos eligentes, ſibi attraxerunt: & poſtquam de vendicando ſibi totius mundi dominio acceperunt reſponſum, multis ſibi donariis ad fidelitatem ſuam & ſervitium aſtrinxerunt, pro eo quòd interpretibus indigebant. De moribus autem eorum & ſuperſtitione, de diſpoſitione corporum eorum & ſtatura, de patria, & modo pugnandi, juravit, quòd ſunt ſuper omnes homines averi, iracundi, doloſi, & immiſericordes. Sed rigore punitionis, & immanitate pœnarum, per ſuos ſuperiores infligendarum, à jurgiis & mutuis deceptationibus & ſævitiis invicem coërcentur. Principia ſuarum tribuum, Deos vocant, & certis colunt temporibus ſolennitates eorum; multas quidem particulares, ſed tantùm quatuor generales. Et propter ſe ſolos omnia credunt eſſe creata. In exercendo ſævitiam contra rebelles, nullum eſſe credunt peccatum. Habent autem pectora dura, & robuſta, facies macras & pallidas, ſcapulas rigidas & erectas, naſos diſtortos & breves, menta proeminentia & acuta, ſuperiorem mandibulam humilem & profundam, dentes longos & raros, palpebras à criminibus uſque ad naſum protenſas, oculos inconſtantes & nigros, aſpectus obliquos & torvos, extremitates oſſoſas & nervoſas, crura quoque groſſa, ſed tibias breviores, ſtatura tamen nobis æquales; quod enim in tibiis deficit, in ſuperiori corpore compenſatur. Patria eorum, tellus olim deſerta, & maximæ vaſtitatis, ultra omnes Chaldæos, de qua leones, urſos, & alias feras, arcubus & aliis machinis expulerunt. De coriis earundem bullitis ſibi arma levia quidem, ſed tamen impenetrabilia coaptarunt. Solent autem non maximis, ſed fortiſſimis equis, & parvo pabulo contentis, inſidentes fortiter alligari. Jaculis, clavis, bipennibus, & gladiis infatigabiliter ac fortiter dimicare. Sed prærogativam habent in arcubus, & argutam induſtriam pugnandi. A tergo debiliùs armati, ne fugiant: non priùs à conflictu recedunt, quàm principale vexillum ſui ducis videant retriore. Victi quoque non ſupplicant, & vincentes non parcunt. In voluntate & propoſito ſubjiciendo ſuo dominio totum mundum,

1243. perſiſtunt omnes quaſi vir unus, nec poſſunt tamen millibus millium computari. Satellites verò, numero ſexcenta millia, cùm ad manſiones exercitui præparandas præmittuntur, properantes in equis curſoribus, ſub unius noctis ſpacio tranſvolant tres dietas: Seſeque ſubitò per totam diffundentes provinciam, univerſum populum inermem, immunitum, & diſperſum præoccupantes, tantam faciunt ſtragem, ut Rex vel Princeps terræ obſeſſæ, quos contra eos adunet, & in bello ordinet, non inveniat. Omnes populos & Principes regionum, ſecundùm non cauſam, ut cauſam, tempore quietis decipiunt. Nunc ſe propter Magos Reges, quorum ſacris corporibus ornatur Colonia, in patriam ſuam reportandos: nunc propter avaritiam & ſuperbiam Romanorum, qui eos antiquitùs oppreſſerunt, reſidendam: nunc propter ſubdendas ſibi barbaras tantùm & Hyperboreas nationes & gentes: nunc propter furorem Theutonicum ſua modeſtia temperandum: nunc propter militiam à Gallis addiſcendam: nunc propter terræ fertilitatem, quæ ſuæ multitudini ſufficere poſſit, adquirendam: nunc propter peregrinationem ad S. Jacobum in Galicia terminandam, egreſſos ſe patriam mentiuntur. Pro quibus figmentis, quidam eis Reges ſimplices, inito fœdere, liberum per terras ſuas tranſitum conceſſerunt, eiſque fœdera non ſervantibus, nihilominus perierunt. Tantis igitur emergentibus toti Chriſtianiſſimo populo periculis, quid rudium religionum, & adhuc fornacis, ex qua prodierunt, igne flagrantium, faciunt ſancti fratres, qui credi volunt viam ſe perfectionis præ cæteris elegiſſe? Confeſſionibus ſiquidem, & aliis familiaritatibus, Principum & Magnatum ſibi favorem conciliantes, in auribus eorum contra Tartaros inſtanter & importunè clamare deberent: maſe faciunt, ſi non clamant: pejùs, ſi ſimulant: peſſimè, ſi ſuccurrunt. Quid Monachi nigri, & albi, & Canonici Norbertini, qui mundo mortui credi volunt, quare hæc videntes imminere pericula, contra Tartaros crucem non prædicant bajulandam? O Regum ſtulta conſilia! Epiſcoporum & Abbatum taciturnitas ſupina! inaudita crudelitatis rabies! Sex Regna, Chriſtianorum jam deſtructa ſunt, & idem de cæteris imminet, nec ex occiſorum exemplo ſuperſtitibus adhibetur cautela: ſed hoſtes ſæviſſimos relinquimus in patria, & mitiſſimos impetimus ultra mare. Ea propter ego, qui veſtræ paternitatis gratia ſum id quod ſum, duxi vobis in Domino conſulendum, ut Reges Franciæ, Angliæ, & Hiſpaniæ (inter quos locum medium obtinetis) curetis inducere modis omnibus, ſi poſſitis, ut ſopitis inter eos omnibus querelis, vel in perpetuum, vel ad præſens, tractatum inter ſe diſcretum habeant & maturum, qualiter tot millibus tam ſævorum ſecurè poſſint occurrere. Fidem enim Chriſti conteſtor, in qua ſpero ſalvari, quòd tot monſtrorum, vel omnes ipſi confundent, vel ſinguli confundentur. Valete.

Diſcordia Imperat. & Papæ omnibus nocet.

HÆC igitur terribilis Epiſtola, Regum & Magnatum corda, ad quos pervenit, vehementer ſollicitaſſet, & ad injuriam Chriſti, & univerſalis eccleſiæ, & totius Chriſtianiſmi, ulciſcendam efficaciter erexiſſet, niſi Papæ & Imperatoris mutuum diſſidium, totius mundi latitudinem perturbaſſet. Unde diſcordia eorum longè lateque per orbem ventilata, (utpote quibus non ſunt majores, imò nec eis pares, in tota Chriſtianitate) corda Tartarorum, imò omnium Paganorum, necnon & univerſorum Chriſti inimicorum, exhilaravit, & in ſpem erexit tutiorem. Adeò ut ſuperbiendo & jactitando dicerent, Deum Chriſtianis offenſum, qui ſeſe adinvicem impugnant & corrodunt: & ſibi potiùs propitium Deum, qui ipſos multiplicavit, & eorum dominium dilatavit.

Viæ verſus Romam arctiùs cuſtodiuntur.

INTERIM dominus Imperator, videns dominum Papam ex novo creatum, confirmata prioris ſententia, ipſi nequaquam velle parcere, nolens etiam ſtare mandatis eccleſiæ abſolutè, juſſit vias, portus, & pontes arctiſſimè cuſtodiri, ne quis portans pecuniam, quam ſcivit Romanam curiam inſatiabiliter ſitire, poſſet tranſmeare. Filius autem ejus Conradus huic operi operam impendens diligentem, adeò vigilanter tam per mare quàm per terras tranſire volentibus aditus præcluſit, ut nec fratribus Minoribus, vel Prædicatoribus, vel alicui alii tranſfigurato, quem deprehendere poſſet, peperciſſet, quin comprehenſum, uſque ad animæ exhalationem torqueret.

Beguinorum & Beguinarum multiplicatio.

EISDEMQUE temporibus, quidam, in Alemannia præcipuè, ſe aſſerentes religioſos, in utroque ſexu, ſed maximè in muliebri, habitum religionis, ſed levem, ſuſceperunt, continentiam & vitæ ſimplicitatem privato voto profitentes, ſub nullius tamen Sancti regula coarctati, nec adhuc ullo clauſtro contenti. Eorumque numerus in brevi adeò multiplicabatur, ut in civitate Coloniæ, & partibus adjacentibus, duo millia invenirentur.

Controverſia inter fratres Prædicatores & Minores.

ET ne mundus turbinibus undique multiplicatis vacare videretur, inter fratres Minores & Prædicatores controverſia eiſdem temporibus ventilata, multos, eò quòd viam perfectionis, videlicet paupertatis & patientiæ, videbantur elegiſſe, movit in admirationem. Aſſerentibus enim Prædicatoribus ſe fuiſſe priores, & in hoc ipſo digniores, habitu quoque honeſtiores, à prædicatione meritò nomen & officium ſe ſortiri, & Apoſtolica dignitate veriùs inſigniri, reſpondent Minores: Se arctiorem vitam & humiliorem pro Deo elegiſſe, & idcirco digniorem, quia ſanctiorem, & ab ordine Prædicatorum ad ordinem eorum fratres poſſe, & licenter debere, quaſi ab inferiori ad ordinem arctiorem & ſuperiorem, tranſmigrare. Contradicunt eis in faciem Prædicatores, aſſerentes, quòd licet ipſi Minores, nudi pede, & viriliter tunicati, cinctique funiculis incedant, non tamen eis uſus carnium, etiam in publico, vel dieta propenſior, denegatur, quod fratribus eſt Prædicatoribus interdictum: quapropter non licet ipſis Prædicatoribus ad Minorum ordinem, quaſi arctiorem & digniorem, avolare, ſed potiùs è converſo. Sic igitur, ſicut inter Templarios & Hoſpitalarios in Sancta terra, ſic & inter illos, humani generis

inimico zizania ſeminante, ortum eſt diſcordiæ enorme ſcandalum, & quia viri literati ſunt & ſcholares, univerſali eccleſiæ nimis periculoſum, in indicium magni Judicii præ foribus imminentis. Et quod terribile eſt, & in triſte præſagium, per trecentos annos, vel quadringentos, vel ampliùs, ordo Monaſticus tam feſtinanter non cœpit præcipitium, ſicut eorum ordo, quorum fratres jam vix tranſactis viginti quatuor annis, primas in *Anglia* conſtruxêre manſiones, quarum ædificia jam in Regales conſurgunt altitudines. Hi jam ſunt, qui in ſumptuoſis & diatim ampliatis ædificiis, & celſis muralibus, theſauros exponunt impreciabiles, paupertatis limites, & baſim ſuæ profeſſionis, juxta Prophetiam *Hyldegardis Alemanniæ*, impudenter tranſgredientes. Morituris Magnatibus, & divitibus, quos norunt pecuniis abundare, diligenter inſiſtunt, non ſine ordinariorum injuriis & jacturis, ut emolumentis inhient, confeſſiones extorquent, & occulta teſtamenta, ſe ſuumque ordinem ſolùm commendantes, & omnibus aliis præponentes. Unde nullus fidelis, niſi *Prædicatorum* & *Minorum* regatur conſiliis, jam credit ſalvari. In acquirendis privilegiis ſolliciti, in curiis Regum & potentum conſiliarii, & cubicularii, & theſaurarii, paranymphi, & nuptiarum præloquutores; Papalium extortionum executores, in prædicationibus ſuis, vel adulatores, vel mordaciſſimi reprehenſores, vel confeſſionum detectores, vel incauti redargutores. Ordines quoque auctenticos, & à ſanctis patribus conſtitutos, videlicet à ſanctis *Benedicto* & *Auguſtino*, & eorum profeſſores contemnentes (prout in cauſa eccleſiæ de *Scardeburc*, in qua *Minores* turpiter ceciderunt, patuit) ſuum ordinem aliis præponunt. Rudes reputant, ſimplices, & ſemilaicos, vel potiùs ruſticos, *Ciſtercienſes* Monachos: *Nigros* verò, ſuperbos, & Epicuros. 1243.

IPSIS quoque temporibus, videlicet poſt feſtum ſancti *Michaëlis*, ut moris eſt, ſtudiis ſcholarum & ſcholarium reflorentibus, incipiebant magiſtri Theologiæ, præcipuè tamen præcipui *Prædicatorum* & *Minorum* lectores, diſputare & diſſerere ſubtilius & celſiùs, quàm decuit aut expedivit. Qui non verentes tangere montes, à gloria Dei opprimendi, nitebantur ſecreta Dei inveſtigabilia temerè perſcrutari, & judicia Dei, quæ ſunt abyſſus multa, nimis præſumptuoſè indagare. Unde defecerunt, ſcrutantes ſcrutinio, & erraverunt in invio, Deo vindice, cui plus placet firmæ fidei ſimplicitas ſobria, quàm nimis tranſcendens in Theologia ſubtilitas. Et cùm tutius ſit, & magis meritorium, ſimpliciter à patribus tradita accipere, & credere, quàm probata, & ea quibus humana ratio præbet experimentum, experiri, ſe ſuper ſe extulerunt. Sed hæc cùm ſcirent eccleſiarum Prælati, eccleſiæ & fidei *Chriſtianæ* præcaventes, Evangelicis & Propheticis auctoritatibus innitentes, præſumptuoſos auſus eorum refrenando, fidelibus, congregatione orthodoxorum facta, fidei veritatem ſaniùs propalarunt. Primus error eorum erat, quòd divina eſſentia in ſe, nec ab homine clarificato, nec ab *Angelo* videtur, nec videbitur. Ad hunc Prælati: Hunc errorem prohibemus, & aſſertores ejus & defenſores excommunicamus. Firmiter enim credimus, & aſſerimus, quòd Deus in ſua eſſentia vel ſubſtantia, vel natura, videbitur ab Angelis ſanctis, & ab homine glorificato. Alius error: Quòd licet divina eſſentia una ſit in *Patre* & *Filio* & *Spiritu ſancto*, tamen ut hæc eſſentia eſt in ratione formæ, una eſt in *Patre* & *Filio*, & non una in his & in *Spiritu ſancto*, & tamen forma idem eſt quod eſſentia divina. Ad hunc Prælati: Hunc errorem, &c. Firmiter enim aſſerimus, quòd una eſſentia, ſubſtantia, ſive natura, in *Patre* & *Filio* & *Spiritu ſancto*, & eadem eſſentia in ratione formæ, eadem eſt in *Patre* & *Filio* & *Spiritu ſancto*. Alius error eſt: Quòd *Spiritus Sanctus*, prout eſt amor, vel nexus, non procedit à *Filio*, ſed tantùm à *Patre*. Hunc errorem, &c. Firmiter enim credimus, & aſſerimus, quod *Spiritus ſanctus*, prout eſt amor, vel nexus, procedit ab utroque. Alius error eſt: Quòd nec anima clarificata, nec corpora clarificata, erunt in cœlo empyrio cum Angelis, ſed in cœlo aqueo, ſeu cryſtallino, quod eſt ſupra firmamentum. Quod etiam dicere præſumunt de beata virgine. Hunc errorem, &c. Firmiter enim credimus & aſſerimus, quòd idem locus corporalis, ſcilicet cœlum empyrium Angelorum, & animarum Sanctorum, & idem erit hominum glorificatorum, & ſimiliter locus idem communis ſpiritualis hominum & Angelorum. Alius error: Quòd malus Angelus, in primo inſtanti creationis ſuæ fuit malus, & nunquam fuit non malus. Hunc errorem damnamus, prohibemus, & aſſertores ejus & defenſores, &c. Firmiter enim credimus & aſſerimus, quòd aliquando fuit bonus, & non malus, & poſteo peccando factus eſt malus. Alius error: Quòd multæ fuerunt veritates ab æterno, quæ non fuerunt Deus. Hunc errorem, &c. Firmiter enim credimus & aſſerimus, quòd una ſola veritas fuit ab æterno, quæ Deus eſt, & nulla quæ non ſit Deus. Alius error: Quod Angelus in eodem inſtanti poteſt eſſe in diverſis locis, & etiam ubique, ſi vellet. Hunc errorem, &c. Firmiter enim credimus & aſſerimus, Angelum eſſe in loco diffinito, ita quòd ſi eſt hîc, non eſt alibi in eodem inſtanti. Impoſſibile eſt enim unum eſſe ubique, cùm ſit proprium ſolius Dei. Alius error: quòd principium, nunc, & creatio, paſſio, non eſt creator, nec creatura. Hunc errorem, &c. Firmiter enim credimus & aſſerimus, quòd fuerit creatura. Alius error: Quòd malus Angelus nunquam habuit unde ſtare potuit, neque *Adam* in ſtatu innocentiæ. Hunc errorem, &c. Firmiter enim credimus & aſſerimus, quòd habuerunt unde ſtare potuerunt, non tamen inde proficere. Alius error: Quòd qui habet meliora naturalia, plus habebit de neceſſitate ex gratia & gloria. Hunc errorem prohibemus, &c. Firmiter enim credimus, & aſſerimus, quòd ſecundùm quod Deus elegit & præordinavit, dabitur gratia & gloria.

Articuli reprobati ab univerſitate Pariſien.

1244. *Concluſio annalis eventus.*

TRANSIIT igitur annus ille eccleſiæ periculoſus, & procelloſus, frugifer ſatis & fructifer, multos nobiles in *Chriſtianitate* perimens & perturbans. Regno & Regi *Angliæ* probroſus & damnoſus, *Italicis* prælioſus & hoſtilis, *Terræ ſanctæ* ſuſpectus, *Templariis* & *Hoſpitalariis* ſchiſmatis & ſcandali generativus.

Splendidum convivium Comitis Richardi *apud* Walingeford.

ANNO gratiæ M. CC. XLIV. qui eſt annus regni Regis *Henrici* III. vigeſimus octavus, fuit idem Rex ad Natale Domini ad *Walingeford* conviva fratris ſui, videlicet Comitis *Richardi*: ubi nimis faſtigioſe convivantes, invitatis omnibus ferè Regni Nobilibus, *Londini* initiatarum reliquias nuptiarum conſummarunt, ut reliquiæ cogitationum feſtum peragerent nuptiale. Erant autem ibidem præſentes *Beatrix* Comitiſſa *Provinciæ*, & filia ejuſdem *Cincia*, nurus ſpectabilis, cui Rex cum ſummo conamine totum ſe exhibuit ſerenum & jocundum.

Recedit ab Anglia *Comitiſſa* Beatrix.

TANTI igitur convivii ſolennitate completa, Rex comitante dicta Comitiſſa *Beatrice*, cum aliis multis Nobilibus *Angliæ* & *Provinciæ*, utriuſque ſexus, inſtante feſto Circumciſionis, *Londinum* properavit, ut ibidem in præſentia & conſpectu *Provincialium* ſolennizans, feſtivitatem ſancti *Edvardi* miro apparatu celebraret. Qua peracta, memorata Comitiſſa verſus mare lora dirigens, ad partes nativas remeavit: Rege, cum univerſa Regni multitudine, officioſè uſque ad maris litora pedetentim comitante. Sed antequam navem Comitiſſa apud *Doveram* aſcendiſſet, ne aliquando mundi proſpera non admiſceantur adverſis, occurrerunt ei lugubrium rumorum portitores, nunciantes *Reimundum* Comitem *Provinciæ* maritum ſuum, irremediabili morbo percuſſum, ſolùm expectare ſepulchrum; Qui in omni tribulatione efficax *Romanæ* eccleſiæ præſtitit ſubſidium, Imperatori nocumentum procurando. Quod cùm audiſſet dominus Rex, inconſolabiliter dolens, quod potuit in precibus & eleemoſynis, Dei miſericordiam pro eo interpellavit.

Novus Papa novum mittit pecuniæ extortorem in Angliam.

CIRCA idem tempus, miſit dominus novus Papa quendam novum in *Angliam* pecuniæ extortorem, magiſtrum videlicet *Martinum*, autenticum Papale deferentem, & habentem poteſtatem excommunicandi, ſuſpendendi, & multipliciter voluntati ſuæ reſiſtentes puniendi. Qua roboratus poteſtate, ſuſpendit Prælatos *Angliæ* à ſuſpenſione beneficiorum, donec voluntati Papali ſatisfactum fuiſſet, redditus ad opùs clericorum ſuorum & conſanguineorum poſtulanti. Indignum tamen judicabat aliquem redditum ſuſcipere, niſi triginta marcas aut ſupra valentem, ne quiſquilias colligere tantus vir videretur. Cœpit igitur dictus magiſter *Martinus* munera, præcipuè palefridos concupiſcibiles imperioſè exigere & extorquere à Prælatis, maximè à religioſis, præcipiens per literas diſtrictè illi Abbati, vel illi Priori, ut ei equos, quales decebat ſpecialem domini Papæ clericum inſidere, tranſmitterent. Contradicentes autem & excuſationes & cauſas negationis protendentes, etiam rationabiles, (utpote Abbatem de *Malmesburia*, & Priorem de *Mertona*,) ſuſpendenda uſque ad plenam ſatisfactionem, graviter punivit. Sedulus etiam explorator eccleſias vacantes & præbendas conſideravit, ut ipſas patenti ſinui Papalis indigentiæ præſentaret. Inter quas dum præbenda opima *Sariſburienſis* eccleſiæ, ſpectans ad Præcentorem, vacaret, invito Epiſcopo & nimis dolente cum toto Capitulo, manus rapidas eidem præbendæ ſtatim injecit, & juſſu Papæ, cuidam puero nepoti ſuo, non ſine multorum cordium amaritudine & ſtupore, contulit. Credebant enim multi & ſperabant, quòd *Romana* curia à Deo multipliciter jam flagellata, freno moderaminis ſuam avaritiam coërceret.

Injuria Epiſcopo Wintonienſi *à Rege illata.*

PER idem quoque tempus, dominus Rex manum aggravans indecenter, dominum Epiſcopum *Wintonienſem*, quem nec dulci affatu, nec in oſculo pacis & amicitiæ, cùm veniens de partibus ultramarinis applicuiſſet, gratanter occurrentem recipere dignabatur, jam odio perſequebatur inexorabili, nec permiſit aliquem laicum cum ipſo ad miniſtrandum ei commorari, vel ipſum in aliquam domum licenter hoſpitari, quin receptatores ejus & conſolatores, publicos cenſeret inimicos. Navem etiam ſuam & quadrigas, victualia ſua ferentem, ne ad Epiſcopum de *Norwico* pervenirent, truculenter impedivit. Divertens autem dictus Epiſcopus *Londinum*, Regis ſatellitibus frontoſè contradicentibus, non eſt auſus apud *Suwere* palatium ſuum intrare. In domo Canonicorum de *Suwere*, quæ eſt palatio ſuo proxima, & in Epiſcopatu ſuo, delituit hoſpitatus, humiliter temporis exaſperantis mutationem, & donec viſitaret eum oriens ex alto, præſtolando. Fretus autem Rex iniquorum conſilio, prohibuit per civitatem *Londinenſem*, ne quis ei vel etiam victualia venderet, quod non recolimus factum fuiſſe beato *Thomæ Cantuarienſi*. Epiſcopus igitur, pro multiplicatis injuriis dolens, & laceſſitus, coëpiſcopis ſuis meritò lachrymabiliter conqueſtus eſt. Quo cognito, pietate moti, & zelo juſtitiæ accincti, *Lincolnienſis*, *Wigornienſis*, & *Herefordenſis* Epiſcopi, Regem ſuper his increpaturi &停 monituri, ut talia corrigeret, apud *Radingum* properabant. Rex autem de adventu eorum certificatus, fugit, eorum ſalubria monita declinando. Sed tandem inventus, in verba potiùs excuſationis & odii reſolutus, nullatenus eorum exhortationibus eſt emollitus. Sed manifeſtè adverſando, miſit in ejus detrimentum ad curiam *Romanam Theobaldum* de *Herleia*, & magiſtrum *Henricum* de *Suſa*, cum theſauro non modico. Quos exhortabatur & illum effundere, & multò uberiorem promittere domino Papæ, & curiæ *Romanæ* ea perverſa conditione, ut Epiſcopum nominatum ignominioſè præcipitarent. Quod tamen, quia manifeſtà inhoneſtum & injuſtum foret, & ſcandalum publicum toti eccleſiæ generaret, nequaquam impetrarunt. Quod comperiens memoratus Prior, prudenter remeavit, ſocio ſuo dicto *Henrico*, nequiter & ſeditioſè theſaurum Regis aſportante. Unde divertens

ad

1244.

ad partes unde fuerat oriundus, ad inſtar corvi ad archam, irredituri, in *Anglia* poſteà non comparuit.

Johannes Columna Cardinalis moritur.

SUB eodem ejuſdem anni tempore, videlicet in octavis purificationis beatæ Virginis, obiit vas ſuperbiæ & omnis contumeliæ, *Johannes* de *Columna*, Cardinalis *Romæ*. Qui inter omnes Cardinales in poſſeſſionibus ſæcularibus claruit potentiſſimus: unde efficaciſſimus diſcordiæ inter Imperatorem & Papam ſeminator exſtitit & ſuſtentator.

Confirmatur magiſter R. in Epiſcopum Bathonienſem.

EODEMQUE tempore, magiſter *R.* Præcentor *Sariſberienſis*, confirmatus eſt in Epiſcopum *Bathonienſem*. Et eò faciliùs, quod præbenda ſua *Sariſberienſis* nepoti domini Papæ exſtitit conferenda. Et tunc temporis quidam Monachus de gremio eccleſiæ, nomine *Thomas* de *Glovernia*, ritè electus, propriè de *Eveſham* in Abbatem eſt creatus.

Moritur, Rad. Epiſco. Ciſtrenſis; Cancel.

ANNO quoque ſub eodem, venerabilis pater Epiſcopus *Ciceſtrenſis Radulphus* de *Novilla*, Cancellarius *Angliæ*, vir per omnia laudabilis, & immota columna in Regni negociis fidelitatis, *Londini*, in nobili palatio ſuo, quod à fundamentis non procul à *Novo templo* conſtruxerat, Calend. Februarii, vitam temporalem terminavit, perpetuam adepturus.

Normanni privantur terris ſuis in Anglia ſitis.

CIRCA dierum illorum curricula, Rex *Francorum Pariſiis* convocatos omnes ultramarinos, qui terras habuerunt in *Anglia*, ſic eſt affatus. Quicunque in Regno meo converſatur habens terras in *Anglia*, cùm nequeat quis competenter duobus dominis ſervire, vel penitus mihi, vel Regi *Angliæ* inſeparabiliter adhæreat. Unde aliqui terras & redditus habentes in *Anglia*, eas relinquentes, poſſeſſionibus, quas habebant in *Francia*, adhæſerunt, aliqui è converſo. Super quo certificatus Rex *Angliæ*, omnes de Regno *Franciæ*, præcipuè *Normannos*, juſſit terris ſuis, quas in *Anglia* habuerunt, diſſeiſiri. Unde Regi *Francorum* videbatur, quòd Rex *Anglorum*, quia non in adoptionem eorum ſtatuit conditionem terris hinc vel inde ſuis privandorum, ut ad alterutrum Regum tranſmigrarent liberè, ſicut & ipſe Rex *Francorum* fecerat, treugas initas inter eos confregiſſet. Sed quia nimis corpore debilitatus poſt reditum ſuum de *Pictavia* fuerat, noluit certamina ſuſcitare, imò potiùs diſſimulando pertranſire; & impetuoſas *Normannorum* querelas, & inſurgendi in Regem *Anglorum* protervians & avidam voluntatem, reprimere ſatagebat.

Litera de ſtat. Terræ ſanctæ.

DIEBUS autem ſub eiſdem, rumor jocundiſſimus *Chriſtianorum* climata pervolavit, talibus literis confirmatus: *Frater* Hermannus Petragoricenſis, *pauperis militum* Templi *miniſter humilis, dilecti ſibi in* Chriſto *fratri* R. *de* Sanfordia, *in* Anglia *præceptori, ſalutem in Domino. Quoniam ſtatum* Terræ ſanctæ, *quoties nobis facultas ſe offert, fraternitati veſtræ literis vel nunciis tenemur intimare: noveritis quòd cùm* Soldanus Babyloniæ, *poſt mala quæ à nobis recepit, &* Naſſerus, *tunc fautor & adjutor ejus, &* Chriſtianorum *perſecutor, quem non ceſſavimus pro viribus expugnare, invitus & compulſus nos alloqueretur, cum ipſo de treuga reformanda, promittendo nobis totam terram citra flumen* Jordanis *reſtituere* Chriſtianis, *nuncios viros nobiles & diſcretos, fratres noſtros, ad ejus præſentiam ſuper his duximus in* Babylonem *tranſmittendos. Quibus in cuſtodia poſitis per dimidium annum, & ampliùs, & retentis,* Gazam, *& ſanctum* Habraham, Neapolim, Varan, *& mala quædam alia nobis, de promiſſione nobis facta priùs, recidit, doloſis verbis & ſupervacuis nos paſcendo. Nos verò inſpiratione divina ipſius calliditatem & perfidiam advertentes, quoniam noſtram treugam procurabat, ut* Soldanum Damaſcenum, Camellæ, *&* Naſſarum *dominum* Crucy, *cum terris eorum, ſuo crudeli dominio faciliùs ſubjugaret, ac demùm cùm* Terram Saracenorum, *terræ* Chriſtianorum *adhærentem, occupatam teneret, promiſſam nobis fidem, ſicut nec ſuis, nullatenus obſervaret: cui tota* Chriſtianitas, *quæ tam debilis eſt & modica citra mare, tunc reſiſtere non valeret: habita ſuper his deliberatione provida & diligenti conſilio Prælatorum, & quorundam terræ Baronum, dicti* Soldani *treuga meritò reprobata cum* Soldano *Damaſceno &* Naſſero *domino* Crucy, *duximus componendum: ita quòd totam terram citra flumen* Jordanis, *præter ſanctum* Abraham, Neapolim, *&* Boſſan, *incontinenti* Chriſtiano *cultui reddiderunt. Unde gaudendum eſt Angelis & hominibus, quòd civitas ſancta* Hieruſalem *à ſociis* Chriſtianis *jam inhabitatur, expulſis omnibus* Saracenis, *& in cunctis ſanctis locis, per Prælatos eccleſiarum reconciliatis & mundatis, in quibus à quinquaginta ſex annis nomen Dei non fuerat invocatum, nunc, benedictus Deus, divina myſteria quotidie celebrantur. Ad quæ loca viſitanda, liber cunctis patet aditus & ſecurus. Nec eſt dubium, quin in hoc fœlici ſtatu & proſpero poſſit diutius permanere, ſi* Chriſtiani *ſoli ciſmarini temporibus iſtis ab hoc eſſent unanimes & concordes. Sed heu quàm plures in his & aliis terræ utilitatibus promovendis, propter odium & invidiam, nobis exiſtunt contrarii & infeſti. Unde nos ſoli cum Conventu noſtro & Prælatis eccleſiarum, cumque paucis Baronibus terræ, nobis præſtantibus auxilium quale poſſunt, onus defenſionis ipſius gerimus ſupra nos. Et introitum terræ, in confinio terræ* Babylonis *& terræ* Hieruſalem, *videlicet apud* Gazam, *ſuffragantibus* Soldano Damaſceno *&* Naſſero *domino de* Crucy, *non ſine magnis periculis, & perſonarum laboribus, necnon & expenſis ordinis, poſſidendum, ſalutare atque maturum conſilium duximus apponendum, tamen timemus, quòd ingratitudinis gravem ſumat Deus vindictam, eos puniendò, in hoc negocio qui deſides fuerunt & rebelles. Ad præſidium inſuper & defenſionem terræ noſtræ, quoddam caſtrum fortiſſimum, prope* Hieruſalem, *ſupra* Toronum *(ſi proborum hominum auxilium habere poterimus) proponimus ædificare: per quod ſperatur, tota terra poſſe faciliùs retineri, & perpetuò contra hoſtes defendi. Sed hæc quæ poſſidemus, contra* Soldanum, *virum potentiſſimum & aſtutum, nequaquam diu potenter valemus poſſidere & defendere, niſi* Chriſtus *& ſui fideles nobis efficax præſtent patrocinium.*

CUM

1244. *Epiſtola præcedens in dubium vocatur.*

Cum autem hæc ad audientiam multorum *Chriſtianorum* pervenirent, vix ſcriptis aut verbis eorum fidem adhibuerunt, tum propter antiquam tam *Templariorum* quàm *Hoſpitalariorum* infamiam. Eò quòd dicitur, quòd ſemper diſcordiam inter *Chriſtianos* & *Saracenos* procurant, ut durante bello, undique adventantium pecuniam colligant peregrinorum: tum propter eorum mutuam diſcordiam, tum propter hoc quòd captionem Imperatoris machinabantur. Habent inſuper *Templarii* in *Chriſtianitate* novem millia maneriorum, *Hoſpitalarii* verò novendecim, præter emolumenta & varios proventus ex fraternitatibus & prædicationibus provenientes, & per privilegia ſua accreſcentes. Quodlibet igitur manerium, ſine gravamine unum militem poteſt in ſubſidium *Terræ ſanctæ*, bene & ſine aliquo defectu communitum adinvenire, etiam cum omnibus plenariè ad militem pertinentibus: unde hæc recolentes *Chriſtiani*, autumant ſemper ipſos fraudem palliare, & lupinas inſidias ſub ovina pelle latitare. Quia ſi non ſubeſſet ſimultas cum fraude, tot ſtrenui milites Occidentales, omnium Orientalium obſtacula violenter penetrarent, faciléque profligarent.

Correctio ordinis Prædicatorum & Minorum, exemplo S. Benedicti.

Eodemque tempore, quia, ut in iſtius voluminis paucis revolutis capitulis antecedentibus declaratur, fratres, præcipuè *Prædicatores*, ordinis ignaros, à tramite diſciplinæ ſancti *Benedicti* nimis impudenter exorbitaſſe deprehendebantur, Papalis ſeveritatis moderamine corriguntur, & auctoritate literarum talium in viam meliorem diriguntur.

Otto *permiſſione divina* Portuenſis & *ſanctæ* Rufinæ *Epiſcopus*, & Godefridus *divina miſeratione ſancti* Adriani *Diaconus Cardinalis, omnibus præſentes literas inſpecturis Salutem in Domino. Noveritis nos vidiſſe, & diligenter inſpexiſſe literas Apoſtolicas, non abolitas, non cancellatas, non aliqua ſui parte viciatas, ſed in prima figura, in vera bulla, filo, ſtylo & charta quarum tenor talis eſt:*

Innocentius, &c. *Magiſtro & fratribus ordinis* Prædicatorum *Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Non ſolùm in favorem converſi, ſed etiam Monaſterii, probationis tempus à ſanctis Patribus eſt indultum, ut ille aſperitates illius, & iſtud mores illius valeat experiri. In regula quoque beati* Benedicti *præcipitur, ut ad converſionem noviter venientibus non facilis tribuatur ingreſſus, ſed ſicut docet Apoſtolus, an ſit ex Deo ſpiritus comprobetur, & dura & aſpera, per quæ itur ad Dominum, exponantur. Poſteà in eadem regula ſubjungitur, ut dicatur: Ecce lex, ſub qua militare deſideras: ſi eam obſervare potes, ingredere: alioquin, liber veniſti, liber diſcedas. Inſuper, fælicis recordationis* Gregorius *Papa, prædeceſſor noſter, ſtatuit, ut poſiti in probatione novitii, ante ſuſceptum religionis habitum, qui dari profitentibus conſuevit, ſeu ante profeſſionem emiſſam, ad ſtatum priſtinum redire poſſint liberè infra annum. Et ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cùm in quibuſdam locis religioſis novitiorum habitus non diſtinguatur ab habitu profeſſorum, profeſſionis tempore benedicantur veſtes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum ac profeſſorum habitus diſcernatur. Licèt igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino ſolicitè cupiatis, quia tamen decet & expedit, ut conſcientiæ puritati non deſit judicium rationis, ne unde ſpiritualis profectus quæritur, inde ſalutis diſpendium ſubſequatur, vobis de fratrum noſtrorum conſilio in virtute obedientiæ, ſub pœna excommunicationis, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne ante annum probationis elapſum, qui eſt maximè in ſubſidium fragilitatis humanæ regulariter inſtitutus, quemquam ad profeſſionem veſtri ordinis, ſeu renunciationem ſæculi faciendam, recipere præſumatis, nec conſtitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quò minus infra eundem annum probationis, ad aliam religionem, quam maluerit, tranſeat, ſicut de ſua proceſſerit libera voluntate, non obſtante ſtatuto contracto; ſi quid à nobis eſt editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus literis à ſede Apoſtolica impetratis, ſeu etiam impetrandis, quæ de præmiſſis expreſſam non fecerint mentionem. Quòd ſi fortè contra hujuſmodi inhibitionem quemcunque recipere præſumpſeritis, decernimus eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus veſtro eſſe ordini alligatum, voſque à receptione quorumlibet ad profeſſionem ejuſdem ordinis fore ipſo facto ſuſpenſos, & inſuper pœnæ ſubjiciendos, quæ fratribus ipſius ordinis pro culpis infligi gravioribus conſuevit. Nulli ergo, &c. Datum apud civitatem* Caſtel. xv. *Cal. Jul. Pont. no. an. I. Nos autem, ad precum inſtantiam fratrum* Minorum, *præſens tranſcriptum ex literis ipſis de verbo ad verbum ſumptum, ſigillis noſtris fecimus communiri. Datum Suteri, quinto Non. Jul.*

Hæc autem taliter impetrata circa hæc tempora hujus anni, ſunt generaliter publicata, & juſſa per ordines dictos obſervari.

Rex Ang. quoſdam novos Conſiliarios creat.

Eodem tempore dominus Rex, dominum *Paulinum Piper*, militem, Seneſcallum Regiæ ſuæ miniſtralem, & eundem *P.* necnon & *Johannem Manſel*, Cancellarium ſancti *Pauli Londinenſis*, viros prudentes & circumſpectos, Principales ſibi conſtituit Cancellarios, Magiſtrum quoque *Laurentium* de *ſancto Martino*, (qui quandoque cum electo *Valentino* & *Leodienſi Willielmo* commorabatur comes familiaris,) conſiliorum Regalium moderatorem, & negociorum ſtatum eccleſiaſticæ conditionis contingentium, in clericum ſpecialem & procuratorem, utpote virum prudentem & expertum, dignum cenſuit advocandum.

Epiſc. Wintonienſis fugit in Franciam.

Circa idem tempus, *Lincolnienſis*, *Wigornienſis*, *Herefordenſis*, Epiſcopi, Regem quaſi fugientem proſequentes è veſtigio, & tandem eundem apud *Weſtmonaſterium* invenientes, eum acriter increpabant de proſecutione & tyrannide, quam in eorum fratrem coëpiſcopum *Wintonienſem* non deſinebat diatim exercere. Et dum preces precibus addiderunt, & minas minis adjunxerunt, parati Capellam ejus interdicto ſupponere, petiit Rex inducias, ut ipſis ſuper hoc præ-

ciſò

1244.

ciſè reſponderet, donec nuncii ſui, qui tranſalpinarant, remearent. Sperabat enim indubitanter, quòd ipſi corrupta curia, quicquid mente conceperant, effectui manciparent. Epiſcopi autem ſupradictæ Regiæ petitioni benignè conſenſerunt. Sed cùm Epiſcopus *Wintonienſis* teporem eorum comperiſſet, decimo Calend. Martii, clandeſtinam fugam arripuit, navem *Londini* aſcendens, partes *Gallicanas* aditurus. Et per *Tameſim* navigans, in alta maris indiſtanter ſe ſuſcipiens, antequam ad Regis notitiam, vel etiam aliquorum ſuorum familiarium, rumor hujuſmodi perveniſſet, in portu ſancti *Walerici* proſperè applicuit. Et inde ſe ad *Abbevillam* transferens, obvium habuit Regis *Francorum* nuncium ſolennem, qui eundem Epiſcopum ex parte domini ſui Regis cum gaudio & vultu ſuſcepit ſereniſſimo; in omnibus ei ſpondens ejuſdem Regis conſilium & auxilium, cum conſolatione & protectione. Præcepitque ex parte domini ſui, ut Major *Abbevillæ* promptam haberet totam communiam ipſius civitatis, ad ejuſdem Epiſcopi defenſionem, ſi fortè inſequerentur ad nocendum aliqui ex parte Regis *Anglorum*; ita ſcilicet, ut ſi opus expoſtularet, ad arma convolantes, hoſtiliter pro Epiſcopo contra omnes illi adverſantes, dimicarent.

Griffinus filius Leolini *de Turri* Londinenſi *corruens exſpiravit.*

ET dum alea fortunalis mundana caſualiter hæc tempora variaret, *Griffinus* filius *Leolini* Principis *Northwalliæ* primogenitus, qui in Turri *Londinenſi* captivus tenebatur, & quotidie ad ejuſdem honorabilem ſuſtentationem victualem, de Fiſco dimidiam marcam percipiebat, data licentia uxori ſuæ ut acceſſum ad ipſum haberet, tamen tædio diuturni & inſoliti carceris graviter affectus, cogitavit argumentoſè, qualiter incluſionem poterat evadere carceralem. Una igitur noctium, deceptis cuſtodibus, ex laceratis linteaminibus, tapetiis, & mappis, facto fune, per ipſum funem ſe demiſit perpendiculariter à ſummitate ipſius Turris. Et cùm per aliquod ſpacium ſe pendentem demiſiſſet, ex ſui corporis ponderoſitate, rupto fune, cecidit ab alto. Erat quippe magnus valde, & abdomine turgens. Et ſic fractis cervicibus expiravit. Cujus miſerum cadaver manè juxta Turris murum inventum, miſerabile ſpectaculum præbuit intuentibus. Erat enim caput ejus cum collo ferè totum inter ſcapulas in pectore demerſum. Rex autem, cùm hæc audiiſſet, cuſtodum deſidiam increpando puniens, juſſit filium ejuſdem *Griffini*, qui in eodem carcere detinebatur cum patre, ex tunc arctiùs cuſtodiri. Obiit autem dictus *Griffinus*, qui, ut dictum eſt, ab alto corruit, prima die Martii.

Rex Angl. malè audit, propter exilium Epiſcopi Wintonienſis.

EXULANTE igitur *Wintonienſi* Epiſcopo, fama Regis *Anglorum* per omnes partes ciſalpinas non mediocriter denigratur. Dicebant enim *Franci*, *Anglorum* æmuli, materiam ſumentes exinde nequiter obloquendi: Ecce Rex *Anglorum*, contra omnes Regni ſui inimicos deſes & imbellis, omnes ſanctos Epiſcopos ſuos perſequitur & proſcribit. Et ſicut quondam beatum *Anſelmum Cantuarienſem* Archipræſulem, deinde beatum *Thomam* Martyrem, & nuper Glorioſum *Ædmundum* Confeſſorem, ſic modò præſentem bonum virum Epiſcopum *Wintonienſem*, qui etiam ei diu & fideliter ſervivit, & familiariſſimus extiterat, non permittit pacis ſecuritate gratulari, imò à finibus Regni ſui, hoſtiliter perſequendo, turpiter exterminavit. Quod cùm electo *Cantuarienſi Bonifacio* innotuit, ex innata ſibi ingenuitate, infamiæ Regis condolens, Epiſcopo *Wintonienſi* conſolatoria, & Regi commonitoria verba amicabiliter ſcripſit, in hunc modum:

Litera Bonifacii Cantuarienſis *electi ad Epiſcopum* Wintonienſem.

Bonifacius, *Dei gratia* Cantuarienſis *electus immeritus, venerabili in Chriſto patri* Willielmo, *Dei gratia* Wintonienſi *Epiſcopo, ſalutem in Domino. Quoniam nobis, & officio nobis injuncto, vos devotos per literas veſtras obtuliſtis, devotioni veſtræ congratulamur in Chriſto. Sanè cùm per magiſtrum* W. *clericum veſtrum, quædam à nobis duxeritis requirenda, ſciatis nos petitionibus veſtris, quantum cum Deo, & ſine Juris offenſione potuimus, admiſiſſe, ſicut à dicto* W. *plenius audietis. Scituri, quod niſi ante adventum noſtrum in* Angliam, *inter vos & dominum Regem pax reformata fuerit, nos ad illam viriliter intendentes, graviora experiemur, ut res finem convenienter ſortiatur. Et quia ſigillum proprium non habemus, ſigillo* Bellicenſis *Capituli utimur in præſenti.* Valete.

Ejuſdem litera ad Regem Angliæ.

Item idem Regi ſic: Literas quorundam Suffraganeorum *Cantuarienſis eccleſiæ nuper recepimus, nobis devotè ſupplicantium pro pace inter vos & venerabilem patrem ad* Wintonienſem *eccleſiam poſtulatum, cujus poſtulationem ab Apoſtolica ſede admiſſam, aſſerunt reformandam. Nos igitur, deſiderantes regni tranquillitatem, & eccleſiaſticæ pacis ſtabilitatem, & attendentes ipſam in hac parte periclitari, dictorum patrum petitioni, quæ tam eccleſiæ quàm Regni utilitatem continere dignoſcitur, ſicut condecet, inclinantes, celſitudini veſtræ cum devotione ſupplicamus, quatenus memoratum Patrem ad gratiam veſtram, more boni Principis, & Dominum timentis dignemini revocare. Et quia ſigillum proprium, &c.* ut priùs. Scripſit etiam idem electus Epiſcopo *Herefordenſi P.* ut idem vigilanter & efficaciter verſus Regem, eundem perſuadendo, deprecando, comminando, negocio domini *Wintonienſis* intenderet.

Rex Hungariæ *auxilium poſtulat ab Imp. F.*

PER eoſdem dies, Rex *Hungariæ*, expulſus de Regno ſuo per *Tartaros*, ad alas protectionis Imperialis convolavit, ab eodem in tali articulo conſilium efficax & auxilium contra communes hoſtes petiturus. Habito igitur diuturno & ſecretiſſimo conſilio, procuratum eſt, quòd Dominus Imperator ab irruptione hoſtili & barbarica potenter Regnum *Hungariæ* liberaret, ut ſcilicet, dictus Rex Regnum illud liberatum & pacificatum ab ipſo Imperatore, & deinceps ab Imperio teneret, quaſi à domino capitali. Miſſo igitur innumerabili exercitu, Imperator Regnum memoratum, non ſine magnis ſumptibus & periculis, ab inhumanis *Tartaris* liberavit, & eoſdem procul à finibus Regni potenter & prudenter eliminavit. Fuerunt qui dicerent, quòd machinante Imperiali

1244. riali aſtutia illuc pervenerunt ipſi deteſtandi *Tartari*, dominatui Imperatoris attendentes & obligati, hæc omnia facientes, ut Imperator Regem & Regnum taliter poteſtati ſuæ ſubjugaret. Sed hæc lividorum ſuſurra fuit, nec credi debet oblocutio hæc. Igitur liberato Regno *Hungariæ*, & Regi pacificè reſtituto, ſubjecta facta eſt *Hungaria* Imperio, & obligata in trecentis militibus, & eorum ſequela, Imperatori in confiniis pugnaturo fideliter exhibendis.

Imperator Conſtantinopolitanus victus, ad Imperatorem F. confugit.

IPSÓQUE eodem tempore, cum fugiſſet Imperator *Conſtantinopolitanus* à perſecutione *Græcorum*, nec quicquam haberet in ærario, ut bellum amplius continuaret, & *Græcorum* impetus continuos ſuſtineret, confugit ad conſilium & auxilium Imperatoris *Romanorum Frederici*. Qui *Græcis* tum terribiliter comminando, tum conſultius poſtulando, tandem treugas per annum unum impetravit. Interim procuravit idem Imperator *Fredericus*, ut filiam ſuam cuidam magno Principi *Græcorum*, nomine *Battacio*, matrimonio copularet. Quod domino Papæ ſimulque toti curiæ *Romanæ* moleſtum videbatur & grave, quia per ipſum *Battacium* ſchiſma ortum eſt inter eccleſiam *Romanam* & *Græcam*. Unde ipſa *Romana* eccleſia vocat eum ſchiſmaticum, & factum eſt obſtinatius odium proinde, inter dominum Papam & Imperatorem *Fredericum*.

Tartari verſus partes Orientales diſcurrunt.

TARTARI interim exturbati, nec potentes impetus Imperiales ſuſtinere, partes Boreales relinquentes, verſus Orientales rapido curſu tranſmearunt. Et dum partes *Perſidæ* quaſdam feraliter devaſtâſſent, quidam cruentiſſimi homines & inhumani confinia rubri maris inhabitantes, & qui de poteſtate ſunt pro majori parte *Saldani Bbyloniæ*, dicti *Choermini*, ab imminente fugerunt tempeſtate, *Tartarorum* vitantes irruptiones. Et venientes ad *Soldanum Babyloniæ*, locum habitationis inſtanter & acriter poſtulabant. Cùm igitur intellexiſſet *Soldanus*, quòd ſi poſtulata frontosè negâſſet, in ore gladii extorſiſſent, ait illis: Sunt non procul hinc quidam, quos *Chriſtianos* dicimus, maritima inhabitantes, noſtris legibus rebelles, & nobis infeſti & graves, & graviora comminando promittentes, quorum chariſſimum receptaculum eſt *Hieruſalem*. Ite igitur audacter, & ipſos projicientes, loca eorum occupate. Quæ cùm obtinueritis, precioſis ſpoliis ditabimini, & terras opulentas cum caſtris & civitatibus fœliciter & ad votum obtinebitis, meique & meorum gaudebitis efficaci protinus patrocinio. Ipſi igitur his verbis animati, primò *Hieruſalem* invadentes, ſtragem non minimam de *Chriſtianis* exercuerunt, prout Magnatum epiſtolis pleniùs certificamur.

Epiſtola Imperatoris de depopulatione Terræ ſanctæ.

FREDERICUS, Dei gratia *Romanorum* Imperator, ſemper *Auguſtus*, *Hieruſalem* & *Siciliæ* Rex, *Richardo* Comiti *Cornubiæ*, dilecto ſororio ſuo, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. *Vox in Rhama audita eſt, ploratus & ululatus multus.* Vox illa, quam noſtræ præſaga triſtitiæ fama prætulerat: vox illa, quam nuper adverſæ fortunæ proprietas, quæ nunquam venit ſola, mortalibus noſtris auditibus repromiſit. Fuerunt nempè quamplura tempeſtatis futuræ tonitrua, in circuitu *Hieruſalem* tot *Chriſti* fidelium cruenta perditio, ipſius ſepulchri Domini luctuoſa diſperſio; poſtremò noſtris abominanda temporibus ſanctæ deſtructio civitatis, choruſcationes hujuſmodi non in rorem & imbrem tenuem, ſed in calamitatis noſtræ diluvium cœli nubibus expoſuit. Dum enim ad vindicandum tantæ confuſionis injuriam, *Chriſticolas* de *Choerminorum* clade reſiduos amor & debitum fidei provocarent, etſi reparatio tanti diſſidii, ſicut majorum conſilia, ſic remotiora ſuffragia flagitaret. In tantum tamen Patriarcha *Hieroſolymitanus*, dum ad ſperatæ victoriæ gloriam exſpectaret, & collegam, aut Principem alium, forſitan reputaret indignum, factus crucis Dominicæ prædicator, audientium ſævos amicos extulit, & zelum improvidæ devotionis accendit, ut nulla temporis, quòd maximè bellica jura deſiderant, opportunitate captata, ſecunda feria ante feſtum ſancti *Lucæ* Evangeliſtæ, *Chriſtianus* exercitus, totius ultramarinum militiæ robur, in *Choermitos* præfatos, velut rei præſcios, ad prælium præparatos, ſic infeſtis auſpiciis irruiſſet, quòd vix de pugnantibus aliqui mortis aut carceris exitium evaſerunt. Liberavit veruntamen aliquos, ſed valde perpaucos, fugæ ſubſidium, quos forſan ad medios uſque pugnantium ſtrepitus, & confligentium ictus, audacia non perduxit. Ex omnibus terræ Baronibus, & Regni *Hieroſolymitani* militibus, toto Conventu militiæ *Templi*, trecentis videlicet fratribus, & ducentis *Hoſpitalariis* ſancti *Johannis*, ac toto poſſe ſanctæ *Mariæ Teuthonicorum*, nemo niſi Patriarcha præfatus, & dominus de *Monte forti*, qui Regni vexillifer fuerat & anteſignanus, quatuor milites & pauciſſimi ſervientes *Templarii*: *Hoſpitalarii* verò, decem & novem: & de fratribus *Teuthonicorum*, tres tantummodò ſervientes, fortunæ vel fugæ ſubſidio, proh dolor, redierunt: viris famoſis, Epiſcopo de ſancto *Georgio*, & domino de *Cayſa*, in acie ſito poſtremo cadentibus, *G.* Comite *Joppenſi* mortaliter vulnerato, & *Tyrenſi* Archiepiſcopo, ſed ex vulnerum illatione non periit, carceri mancipatus: prout hæc omnia ex literis Conventus domus ſanctæ *Mariæ Teuthonicorum* nobis miſſis noſtra ſerenitas intellexit. Habet ex ſeipſo ſatis hic triſtior rerum eventus mœſtitiæ cauſam, cur à nobis, & omnibus fidei *Chriſtianæ* Principibus, cordis amaritudinem exigat, profluviumque lachrymarum expoſcat: quia evenit infortunii qualitas, quum hujuſmodi caſum culpa præceſſerit, & negligentia ſubſequatur. Dum præter idem quòd *Templariorum* ſuperba religio, & aborigenarum terræ Baronum deliciis educata, ſuperbit, *Soldanum Babyloniæ* ad evocandum auxilium *Choerminorum*, per bellum improbum & improvidum, coegerunt, noſtro Regio fœdere parvipenſo, quod nos una cum Conventu & Magiſtris domorum ſancti *Johannis* & ſanctæ *Mariæ Teuthonicorum* nomine noſtro contraxeramus, cùm de eodem abjecta eſt per prædictos evidentis culpæ cruda ſimplicitas, ut credentes in barbara varietate conſtantiam, & fidem in perfidia reperire, *Soldanos Damaſci*, & *Cracey*, ſicut fide

diſpares,

1244.

diſpares, ſic ab eis voluntate diſcordes, in ſuum præſidium, contra *Choerminorum* exercitum ac *Soldani*, velut ad extinguendum ignis incendium olei multitudinem advocarent, inhoneſtis eodem blanditiis: Adeò quòd, prout nobis per nonnullos religioſos, venientes de partibus tranſmarinis, conſtitit evidenter, infra clauſtra domorum *Templi* prædictos *Soldanos* & ſuos cum alacritate pompoſâ receptos, ſuperſtitiones ſuas, cum invocatione *Machometi*, & luxus ſæculares facere *Templarii* paterentur. In nullo veruntamen advocatos advertere potuit, nec à natura blanda ſuggeſtio, nec à voluntate contraria confœderationis jurata promiſſio, quin perjurium citiùs quàm conjurium incurriſſent. Sicque præter *Soldanum* de *Camel*, cum quinque tantum ex ſuis de prœlio fugientem, quem in eorum auxilium, qui contra *Soldanum Babyloniæ* conjurarant, *Soldanus Damaſci* tranſmiſerat, & qui de ipſo *Soldano Babyloniæ* penitus deſperabat, reſidui omnes poſt brevem conflictum, diſſimulata dimicatione, ſuperſtites ad *Soldanum Craccy* cum omnibus ſuis, nullo certamine, nec vel ſimulato commiſſo, in partem alteram, in quam corda direxerant, corpora tranſtulerunt. Diſſoluta præterea negligentia, peſtis ultimum genus, cùm de ſalute certatur, omne noſtrum periculum cumulat, & exitium comminatur: cum Legis orthodoxæ primores, quod non ſine magno dolore ſcribimus omnes univerſaliter orthodoxi; nedum quòd de reparatione tam luctuoſi diſpendii cogitent, nedum quòd tam miſerabiles caſus eventuum, majorum noſtrorum more, deplorent: imò tanquam iſta non eſſent *Chriſtianorum*, aut fidei *Chriſtianæ* negocia, vulnera noſtra deſpicimus, & de remediis non curamus. Percuſſit nos Dominus, nec dolemus; circumſtant undique ſepta tectorum noſtrorum incendia, nec nos ad aquam decurrimus, ſed alter alterius infortunio gloriatur. Hinc nos extonat *Tartarorum* nova crudelitas, illinc nos urit & cruciat barbaræ gentis antiqua protervitas. Ex adverſo nos pungit *Paterinorum* fœda perfidia, & præſertim illorum, qui per rebelliones ſuas in *Italia* ſacrum Imperium enervantes nobis obſiſtunt, quò minùs, juxta quod in ſacris ceremoniis catholica rogat eccleſia, *Chriſtiano* ſubjiciamus Imperio barbaras nationes: ſic undique publicis hoſtibus agimur, aut vexamur occultis. Sathan continuò laborat & vigilat, *Simon* dormit, neque quò tandem oculos noſtros ſomnus, & corda noſtra ſocordia mulceat, toleramur. Expergiſcimini viri fortes, apprehendite arma & ſcutum, temporum noſtrorum injuriam neceſſariò vindicando, redimentes; à quibus nunquam nos, Domino teſte, ſubtraximus, quin potiùs ad *Terræ ſanctæ* ſubſidium præſidia noſtra ſemper libentiùs obtulimus, quàm quæſierimus aliena. Latere vos namque non credimus, qualiter à tranſalpina militia, gente belligera, quæ ſe ſigno mirificæ crucis aſſumpto, *Terræ ſanctæ* ſervitiis dedicavit, ad *Capitaniæ* decus, & tranſmeantium regimen advocata, ſuffragii noſtri partes magnificentia noſtra non negavit; quin potiùs perſonam noſtram, ſeu filii noſtri, vel ducis alterius, quem transferentes idoneum reputarent, mille ſtipendiariorum militum continuò ſub noſtris ſtipendiis comitatam, ad tam ſalubre negocium, per venerabiles patres *P. Panormitanum* Archiepiſcopum, quondam *N. Reginum* & *Florentinum* Epiſcopos, & *G.* de *Sueſſa*, dilectos noſtros & fideles, ſolennes excellentiæ noſtræ Legatos, obtulimus, ad *Gregorium* ſummum Pontificem tunc temporis deſtinatos, alia nulla prorſus ab eo conditione quæſita, niſi quòd nos, filios noſtros, cum Imperio, & Regnis noſtris, honeſtis & debitis præſidiis adjuvaret. Qualiter *Lombardorum* noſtrorum rebellium obſtinata protervitas, jus & dominum, Imperii *Romani* formam, prout tenetur, agnoſceret, ac nobis, ipſorum ſocietate, quin potiùs conſpiratione caſſata, prædicti rebelles, quemadmodum nobis & aliis terræ Regibus & Principibus ſubditi noſtri deſerviunt, redditis noſtris & Imperii juribus ſubjacerent. Deinde cum ex circumſtantiis negociorum & temporum, iſta quæ noviter contigerunt, timenda nobis occurrerent, quanquam forent ex negata mortalibus ſcientia futurorum ignota, cùm eò ſe malitia temporis dilatavit, ut ad diſcrimen *Italicum* ſummus eccleſiæ Pontifex contra nos Pontificatus adjungi conſortium pateretur. Obeunte *Gregorio* ſummo Pontifice, autoritate tunc temporis ipſius diſſentionis & cauſa, iſtoque qui præſidet, ad ſummi Pontificatus apicem ſubſtituto, longè majora, quàm priùs, per nuncios noſtros obtulimus, quæque nunquam credere debuit aliquis reſpuenda: videlicet, quòd totum tranſmarinum negocium, necnon & imminentem *Tartaricam* tempeſtatem, ac Imperii *Conſtantinopolitani* diſcrimen, de Domini noſtri *Jeſu Chriſti* victorioſi Regis omnipotentia confidentes, humeris noſtris imponere ſpondebamus, prout præmiſſa magnificentiæ noſtræ Legatio, vobis & cæteris Regibus & Princibus patefecit. O quantum cum tempore profuiſſet ad communis cauſæ ſalutem, oblatum noſtræ devotionis antidotum, dum ſanabilis erat infirmitas, priuſquam adverſæ fortunæ ſecundus ictus accederet, qui dolorem prioris vulneris duplicaret, accepiſſe! Nec tamen ſic deſperationi vel morti relinquendum negocium arbitramur, quin poſſit & debeat de remediis cogitare. Nec nos à tam ſalubri conſilio potentiæ noſtræ partes abducimus: imò tantò libentiùs pollicemur, quantò ad radicem arboris ſecuri jam poſita, noſtrum & omnium orthodoxæ fidei Principum auxilium neceſſarium apponere æſtimamus. Dum tamen pacata nobis *Italia*, rebus & juribus, quæ proximi parentes noſtri tam in Imperio, quam in Regno pacificè tenuerunt, nobis in pace dimiſſis, alæ noſtræ pennas & plumas integrales habeant, quibus ad alta conſcendere ſecuriùs valeamus. Datum *Fog.* vigeſimo ſexto Februarii, tertia Indictione.

HUJUS autem lamentabilis ſtragis, quæ primò facta fuit in ſancta civitate *Hieruſalem*, unde mentio fit ſupra, cauſa fuit hæc. Cùm primo irruerent *Choermini* in Patriarcham & in incolas civitatis, impetu repentino, cives cauſa refugii verſus *Joppen* cum familis ſuis ociùs convolarunt.

Brevis narratio prædicti infortunii.

Aſtuti

1244. Aſtuti autem *Choermini*, ut fugientes revocarent, & irretitos trucidarent, ſigna *Chriſtianorum*, qui ſubito fugam inierant, ſuper propugnacula murorum civitatis in propatulo elevaverunt. Unde fuerunt aliqui *Chriſtiani*, qui de latibulis exierunt extra civitatem, ſequentes ipſos *Chriſtianos* in ſpiritu fraternæ charitatis, rapti in equis velociſſimis, ipſos revocabant, aſſerentes reſiduos *Chriſtianorum*, qui in civitate remanſerant, fœliciter de hoſtibus triumphantes, ſigna ſua ſuper muros gaudenter elevâſſe. Reverſi igitur *Chriſtiani*, cùm ſeſe in civitatem, vel in loca contermina tutiùs recepiſſent, gens memorata, ad unguem armata, & per omnia præmunita, in incautos *Chriſtianos* ſubito irruentes, ipſos omnes in ore gladii peremerunt. Noſtrates igitur hæc audientes, qui in civitatibus & caſtris indemnes adhuc & illæſi remanſerant, exercitum copioſum & fortem congregarunt, volentes unanimiter ſanguinem fratrum de cruentis manibus inimicorum, cum gravi ultione, requirere, bellum cum ipſis inierunt crudeliter valde, ſed caſu omnibus ſæculis deplorando, ceciderunt *Chriſtiani*, prout per epiſtolam patet, quæ ſupraſcribitur, Imperialem. Perempti tamen & vulnerati, qui licèt pauci, per fugam elapſi, de ſeipſis cruentiſſimam hoſtibus victoriam reliquerunt, prout ipſi poſt prælium inimici ſpiritu proprio ſunt confeſſi. Duravit autem certamen infatigabiliter pugnantium, à ſummo mane uſque quo noctis tenebræ, ita ut non cognoſceret alter alterum, prælium diremiſſent.

Alia epiſtola evidentior Magiſtri Hoſpitalis Hieruſalem.

STRENVISSIMO domino de M. *de* Merlai, *frater* G. *de novo caſtro, Dei gratia ſanctæ domus* Hieruſalem *Magiſter humilis, & pauperum* Chriſti *cuſtos, Salutem. Ex inſinuatione literarum noſtrarum, quas diligentiæ veſtræ in ſingulis paſſagiis direximus, ſcire ſatis perſpicaciter potuiſtis, qualiter ob repugnantiam, quæ diu in partibus noſtris viguit, circa factum treugarum de fovenda parte* Damaſcenorum *contra* Babyloniæ Soldanum, *perperam proceſſit negocium* Terræ ſanctæ: *ſuper aliis eventibus, qui poſtmodum emerſerunt, diſcretionem veſtram volentes certiorari, ſignificandum duximus, quoniam circa principium æſtatis proximò præteritæ,* Soldanus Damaſci & Seiſſer, Soldanus Craccy, *qui priùs hoſtes erant ſibi adverſantes, concordiam facientes, confœderationem treugarum cum* Chriſtianis *ſub ea conditione pertractarunt, quòd totum Regnum* Hieruſalem, *& terram quæ de poſſeſſione* Chriſtianorum *circa flumen* Jordanis *fuerat, præter aliquot villas, quas ſibi in montibus retinebant, tali pacto reſtituerunt* Chriſtianis, *quòd ipſis in expugnatione* Soldani Babyloniæ *aſſiſtere deberent toto poſſe fideliter. Forma autem hujus treugæ ab utráque parte acceptata, civitas ſancta, cum quibuſdam adjacentiis, cœpit à* Chriſtianis *inhabitari,* Chriſtiano *exercitu commorante in comitiva* Soldanorum *præſcriptorum apud* Gazarum, *in gravamen* Soldani Babyloniæ. *Cúmq; aliquandiu in expeditione ipſa perſtitiſſent, Patriarcha* Hieroſolymitanus *applicuit, veniens de partibus tranſmarinis. Qui recepta aliquantula corporis quiete, deſiderio viſitandi ſepulchrum Domini inſpiratus, iter peregrinationis arripuit, properantibus nobis ſecum. Voto itáq; peregrinationis noſtræ completo, nobis in urbe beata accidit, quòd infinita multitudo gentis barbaræ & perverſæ, quæ* Choermina *vocabatur, in ultimis partibus noſtris,* Hieruſalem *conterminis, vocante & mandante* Soldano Babyloniæ, *univerſam terræ ſuperficiem occupans, omnem animam viventem per ignem & gladium peremerunt. Habito igitur omnium ibi exiſtentium* Chriſtianorum *conſilio, quia reſiſtere non poterant, ſalubriter deliberatum fuit & proviſum, quòd omnes civitatis ſanctæ habitatores utriuſq; ſexus & omnis ætatis, cum acie equitum noſtrorum, verſus* Joppen *procederent, ad locum refugii & ſalutis. Ipſa autem nocte deliberationem exequentes, populum de civitate cautè educere curavimus, ambulantes uſq; ad fere medietatem itineris confidenter, donec, procurante verſutia antiqui noſtri inimici Diaboli, intervenit damnoſum nimis impedimentum. Gens enim prænotata, ſigna quædam, quæ invenerunt poſt fugientes, elevaverunt ſupra muros civitatis, ut incautos taliter revocarent, credentes eos qui remanſerant* Chriſtianos *de adverſariis triumphâſſe. Fuerunt qui nos revocarent* Chriſtiani *properantes poſt nos, ſereno vultu nos conſolantes, & aſſerentes* Chriſtianorum *ſigna, quæ bene noverunt, ſuper muros* Hieruſalem *elevata, in ſignum quòd de hoſtibus triumpharunt: & ſic decepti, nos decipiebant. Nos igitur exultantes, reverſi ſumus confidenter in ſanctam civitatem, credentes ibidem ſecretè commorari, & multi affectu devotionis, alii ſpe hæreditatis obtinendæ & retinendæ retrorſum temerè & incautè vel in ipſam civitatem, vel in ſuburbana ſunt reverſi. Quod nos omnino diſſuaſimus, laqueos perfidorum pertimeſcentes, & ſic ab invicem receſſimus. Non multum autem poſt receſſum noſtrum, ecce cum longis agminibus venientes perfidi* Choeroſmini, *populum* Chriſtianum *in ſancta civitate per gyrum obſederunt, quotidiè & inceſſanter in ipſos impetuoſos inſultus facientes, & undique eis exitum & ingreſſum præcludentes, ac diverſis afflictionibus miſerabiliter coarctantes, adeò quòd præ anguſtia præſſuræ, famis, & doloris, deficientes & deſperantes, ſe mortis caſui & periculo omnes univerſaliter expoſuerunt. Et de civitate exeuntes, per devia & deſerta montium vagabundi de nocte abierunt, donec ad anguſtum exitum venientes, in inſidias hoſtium inciderunt. Qui undiq; eos circumdantes gladiis, lapidibus, & ſagittis irruentes, occiderunt, trucidantes & dilaniantes eos, juxta certam æſtimationem ſeptem milia virorum & mulierum, cruorem tantùm effundentes, quod tanquam aqua per montium convalles fidelium ſanguis, proh dolor, decurrebat. Juvenes verò & virgines in captivitatem ſecum raptim detrahentes, in civitatem ſanctam ſeſe receperunt; ubi Moniales, ſenes, & debiles, laborem itineris & fugæ ferre non valentes, qui in eccleſiam Dominici ſepulchri fugerant, & in* Calvariæ *locum, ſanguine* Chriſti *conſecratum, quaſi oves occiſionis jugularunt, ignominiam execrabilem in ſanctuario Domini committentes, quam à diebus ſæculi oculi hominum non viderunt. Demum, quia atrocitas tanti facinoris intolerabilis, omnium fidelium devotionem provocavit ad ulciſcendum ſui creatoris injuriam, communi voto omnium fuerat cum annotatione præſentium conſtitutum, ut ordinata expeditione*

ad

ad præliandum contra perſidos accingeremur generaliter univerſi, auxilium de cœlo poſtulantes. Et 1244.
inimicos aggredientes, uſque ad diei concluſionem bello cruentiſſimo, à ſummo mane infatigabiliter dimicavimus. Et ecce tenebræ cognitionem noſtrorum & adverſariorum ademit. Ceciderunt ex noſtris innumerabiles, adverſantium tamen in quadruplo, ut poſteà compertum eſt, plures. Poſtmodum vero die ſancti Lucæ *Evangeliſtæ, reſumpto ſpiritu, & invocato de ſupernis ſuffragio fratres militiæ* Templi & Hoſpitalis, *cum omnibus aliis religioſis bellomancipatis, & eorum viribus, generaliſque exercitu* Chriſtianorum Terræ ſanctæ, *ſub Patriarcha publico edicto congregati, inierunt prælium cruentiſſimum cum dictis* Chocroſminis, *& quinque millibus militum* Saracenorum *recentium* Soldano Babyloniæ *militantium,* Chocroſminis *adhærentium. Et aggreſſum eſt utrobique impetu validiſſimo, cum non poſſemus eos evitare. Erat itaque hinc inde exercitus magnus & fortis & numeroſus valde. Tandem nos impotentes tantæ reſiſtere multitudini, cum ſupervenißent ſemper novi illæſi & recentes inimici, & nos qui decuplo illis pauciores eramus, vulnerati & fatigati, ſentientes adhuc pondus prælii antecedentis, ſuccubuimus, relinquentes eis campum cum victoria; eis cruenta & nimis empta: ceciderunt enim ex eis multò plures, quàm ex noſtris inæſtimabiliter. Sicque indultum eſt nobis ab ipſo, qui eſt animarum ſalvator, quod nec centum elapſi ſunt per fugam, ſed dum poteramus ſtare, adinvicem nos in* Chriſto *cohortantes & confortantes infatigabiliter, & alacriter, ita quòd hoſtes ſuper hoc obſtupuerunt, dimicavimus, donec capti, (quod tamen multum evitavimus) vel cæſi defeceramus. Unde nimis admirantes, dixerunt poſteà captivis ipſi. Vos ſponte mortis diſcriminibus obtuliſtis, & hoc quare? Reſponderunt captivi: Maluimus mori in bello cæſis corporibus, & animabus glorificatis, quàm turpiter cedere fugitivi. Tales utique ſunt vehementer formidabiles. In dicto igitur bello, contrita* Chriſtianorum *fortitudine, induit* Terra ſancta *confuſionem, & cæſa fuit tanta utriuſq; exercitus multitudo, quòd occiſorum fuit numerus ineſtimabilis. Cecideruntq; Magiſter militiæ* Templi, *& magiſter* Hoſpitalis, *& alii Magiſtri ordinum, cum ſuis Conventibus & ſequelis, & dominus* Walterus, *Comes de* Breſna, *captus, & dominus* Philippus *de* Monte forti *occiſus, & qui ſub Patriarcha militarunt contriti. Nec evaſerunt de omnibus* Templariis *præter octodecim, & de* Hoſpitalariis *ſex decim: quos tamen pœnituit poſteà evaſiſſe. Valete.*

DUM autem in *Syria* tot mundi turbinibus genus humanum exagitaretur, in *Anglia* etiam & ejus confiniis *Angli meditantur jugum ſervitutis Papiſticæ excutere.*

Sævit in humanis divina potentia rebus.

Romana enim curia, rubore depoſito, tempore novi Papæ noſtri *Innocentii* quarti, ſecùs quam ſperavimus, non deſinebat per proviſiones quotidianas, redditus impudenter extorquere. Exiit igitur murmur, in cordibus *Anglorum* diu conceptum & retentum, in manifeſtam querimoniam, & quaſi parturientes loquuti, non poterant ampliùs ſeſe continere. Patientia enim eorum deſidioſa erat, & humilitas infruoſa, imò potiùs & damnoſa. Et in unum convenientium talis erat conſideratio Regi & Regno intimanda:

Si mentis oculis intueretur dominus Papa ſtatum primitivæ eccleſiæ in *Anglia*, medium, & præſentem, non concuteret eccleſias & eccleſiaſticas perſonas, nec illas arctaret hujuſmodi exactionibus & angariis, & quod ſuum non eſt, ab eccleſiis non vendicaret, nec extorqueret. Prædicante enim in *Anglia* beato *Auguſtino Anglorum* Apoſtolo, Rex *Athelbertus* converſus ad fidem *Chriſti*, *Londinenſem*, *Roffenſem*, & *Cantuarienſem* inſtituit eccleſias. Hic clericos & ſacerdotes, ibi monachos apponens, aſſignatis illis de ſpeciali patrimonio ſuo, terras & poſſeſſiones ſufficientes ad ſuſtentationem eorum, quos ad hoc ſolum deputavit, ut in locis ſibi aſſignatis divina celebrarent, laudéſque Deo die ac nocte & gratiarum exſolverent actiones, & eleemoſynas, & alia pietatis opera exercentes, hoſpitalitatem pauperum ſuſtentarent pro menſura facultatum. Conſimiliter alii Reges in aliis Cathedralibus eccleſiis, & præbendalibus, & conventualibus, quod videri poteſt, ſi decurratur ad eorum inſtrumenta & modos donationum. Nec adeò libertati dederunt hujuſmodi poſſeſſiones, quin tria ſibi reſervarent ſemper propter publicam Regni utilitatem, videlicet expeditionem, pontis & arcis reparationes vel refectiones, ut per ea reſiſterent hoſtium incurſibus. Si igitur iſta & conſimilia dantur locis ſpiritualibus, & locorum Epiſcopis, tanquam certis perſonis, in Cathedralibus eccleſiis dicimus, & Abbatibus, & Abbatis, de patrimoniis & laicis feudis Regum & Principum, quo jure poterit, præter injuriam juris alieni, in alios uſus præmiſſa convertere? Præſertim ad illos, ex quibus oriuntur cædes, & incendia, & ſanguinum effuſiones, cùm dicente *Petro: Domine, ſi percutimus in gladio*: reſpondit Dominus, *Converte gladium in vaginam.* Item, ſi tranſmitterentur ſubſtantiæ clericorum *Angliæ* ad *Italiam*, unde procurarent pontis & arcis refectionem, & expeditionem, ſi ingrueret neceſſitas? Unde ſectarentur hoſpitalitates? Quo modo morarentur in certis locis ſibi deputatis? Item, præter alia mala, quæ poſſunt evenire adeuntibus curiam *Romanam* de Regno *Angliæ* per ſatellites Imperatoris, unum quaſi in evidenti eſt, & in promptu, quòd cùm terra Imperatoris non diſtat ab *Anglia* niſi modico freto, quod tranſmeari poteſt uno fluxu & refluxu maris, & tendat jam Imperator ad partes illas, verendum eſſet, ne ſic provocatus hoſtiliter Regnum ingrederetur, prout dixit magiſter *Walterus* de *Ocre* coram Rege in communi colloquio Baronum *Londini*: ſupplicans ex parte Imperatoris devotiſſimè Regem & Barones, quòd non permitterent tallias fieri in Regno, vel à clericis, vel à laicis, in ſubſidium Domini Papæ contra Imperatorem,

1244. inculcans multoties, quòd ſi ſecus fieret, ſine pruritu tot accumulatis Regno bellis, ſcalperent ſe Rex & Regni Magnates uſque ad oſſa. Item, cùm de voluntate & mandato & conſilio eccleſiæ, nuptui traderet dominus Rex ſororem ſuam Imperatori, ex qua proles ſuſcepit, quas de ſtirpe noſtra & *Anglorum* ſanguine conſtat eſſe, quid aliud eſſet, contribuere contra Imperatorem, niſi confudere oriundos ex natione noſtra? quod abſit. Et quid aliud eſſet, niſi dare occaſiones Imperatori, ne poſſit domino noſtro Regi ſubvenire in recuperationem terrarum ſuarum? Item, ſi attenderet dominus Papa afflictiones & jacturas, quas ſuſtinuit *Anglia* per *Lodovicum* Regem *Francorum*, qui hoſtiliter ingreſſus eſt eam, qui nec pepercit eccleſiis, nec eccleſiaſticis perſonis, ſed omnia deprædatus eſt, ita quòd vix poterunt hactenus Prælati *Angliæ* reſpirare, non adderet afflictionem afflictioni ſuper afflictos: imò conſultiùs exigeret æſtimationem damnorum, quæ fuerunt illata eccleſiæ, & exinde promoveret exercitus ſuos in hoſtes, quod facere poſſet, etiam contradicente Rege *Angliæ*, & ſine convocatione Imperatoris contra Regem & Regnum. Item, aurum habet eccleſia, patrimonium habet eccleſia, civitates, munitiones, & caſtra, quæ etſi non ſufficiant contra tantum Principem, advocet ad manus ſuas beneficia *Italicorum* & *Romanorum*, quæ non modica contulit eiſdem, tam in *Anglia*, quàm in aliis regionibus: & ex eorum fructibus, quos ita beneficiavit, ſumptus faciat hoſtiles, & non de noſtris, ſcilicet de his quæ nobis non contulit, imò ſoli contulerunt patroni, quantum in ipſis fuit, quos oportet de neceſſitate ſuſtentare, ſi vergant ad inopiam. Attendere etiam deberet, quòd *Pharao* in afflictione populi *Iſraelitici*, Sacerdotes & Levitas ab omnibus hujuſmodi exactionibus abſolvit.

Rex Angl. ſcribit Papæ, conquerens ſuper exactionibus ſuis.

REX igitur his ſupradictis provocatus injuriis, & *Romanorum* multiplici laceſſitus avaritia, domino Papæ ſcribit ſic:

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino I. Dei gratia ſummo Pontifici, Henricus, *eadem gratia* Rex Angl. &c. *Salutem, & pedum oſcula beatorum. Quò ampliùs paternæ voluntati ſe ingerit filius, & mandatis ejus promptiùs ſe exponit, atque devotiùs: eò ampliùs paternum habere patrocinium promeretur, & devotionis ſuæ & obſequiorum commoda reportare. Inde eſt, quòd cùm omni tempore Regni noſtri, nos & Regnum noſtrum, in omnibus & per omnia paternitatis veſtræ voluntati expoſuimus, & mandatis, licèt tamen in quibuſdam noſtris Regniq; noſtri negociis paternam ſolicitudinem invenerimus plerunq; & gratiam, in quibuſdam tamen proviſionibus veſtris, clericis* Angliæ *& aliarum regionum frequenter à vobis conceſſis, nos & Regnum noſtrum ſentimus non mediocriter prægravatum & oppreſſum. Tot & tantis etenim eccleſiæ* Anglicanæ *oneratæ ſunt hujuſmodi proviſionibus, quòd non ſolùm patroni, & hi quorum intereſt conferre beneficia eccleſiaſtica, Jure ſuo defraudantur, verùm etiam ſed proinde multa deficiunt opera charitatis: cùm illa beneficia, quæ religioſis domibus ad ſuſtentationem ipſarum conferri ſoleant miſericorditer, & ferè omnia alia, in veſtris proviſionibus refundantur. Cùm igitur ſedes Apoſtolica ita petentibus debeat eſſe favorabilis, quòd Jus alterius non lædatur, paternitatem veſtram duximus exorandam, quatenus ab hujuſmodi proviſionum conceſſione diſſimulare, vel ad tempus deſiſtere, veſtræ placeat ſanctitati. Interea paternitati veſtræ ſupplicamus, quatenus Jura noſtra & libertates, quæ non aliena, ſed propria poteſtis meritò reputare, paterna ſollicitudine velitis tueri, & illæſa & integra conſervare, nec aliquorum ſuggeſtionibus eadem velitis in veſtra curia aliquatenus perturbari. Nec contra nos veſtra ſanctitas moveatur, ſi in aliquibus tenori mandatorum veſtrorum obviavimus; cùm ad hoc nos compulerit clamor conquerentium, qui nemini debemus in ſuo Jure deeſſe, ſed ex conceſſo nobis à Deo Regiæ dignitatis officio, in civilibus plenam juſtitiam exhibere.*

His itaque verbis, vel elegantioribus, dominus Rex nimis patiens & remiſſius, prædeceſſori ſuo, videlicet Papæ *Gregorio*, ſupplicaverat, ut parceret Regnum *Angliæ* talibus exactionibus affligere. Sed nec ille, nec iſte, motus voluntarios dignabantur ſuper hoc refrenare. Unde credimus, Dominum & Apoſtolum ſuum *Petrum* (cujus veſtigia non ſequebantur) adverſus eccleſiam *Romanam* non immeritò provocatum, arcum tendere, & parare illum.

Papa Walliam ſibi etiam vult ſubjugare.

NEC arbitror materiæ meæ vel alienum fore, vel impertinens, vel etiam Hiſtoriæ Regni *Angliæ* penitus inutile, poſteris noſtris elucidare, qualiter dictus Papa *Innocentius* quartus, *David* Principem *Northwalliæ*, domino Regi *Angliæ* multiformiter obligatum, à fidelitate Regis exemptum, domino ſuo voluit mancipare, quingentas marcas à tenemento *Northwalliæ* & ejus pertinentiis percipiendo. Et hæc ſunt obligationes & inſtrumenta, quibus tam *David* quam alii Magnates *Wallenſium* domino Regi *Henrico* tertio tenentur obligati.

Senena uxor Griffini ſe obligat nomine viri ſui Anglorum Regi.

Convenit inter dominum Henricum tertium *Regem* Anglorum *illuſtrem, ex una parte, &* Senenam *uxorem* Griffini, *filii* Leolini, *quondam Principis* Northwalliæ, *quem* David *frater ejus tenet carceri mancipatum, cum* Owenio *filio ſuo, nomine ejuſdem* Griffini, *ex altera: Scilicet, quòd prædicta* Senena *manucepit pro prædicto* Griffino *viro ſuo, quòd dabit domino Regi ſexcentas marcas, ut dominus Rex eum & prædictum* Owenium *filium ſuum liberari faciat à carcere prædicto; ita quòd ſtabit judicio curiæ ſuæ, ſi de Jure debeat carcere detineri. Et ut dominus Rex poſteà judicium curiæ ſuæ, ſecundum legem* Wallenſium, *ei & hæredibus ſuis habere faciat, ſuper portione quæ eum contingit de hæreditate, quæ fuit prædicti* Leolini *patris ſui, & quam prædictus* David *deforciat ipſi* Griffino. *Ita quòd ſi idem* Griffinus, *vel hæredes ſui, per conſiderationem curiæ domini Regis reciperent portionem, quam ſe dicunt contingere de hæreditate prædicta; Eadem* Senena *manucepit pro prædicto* Griffino *viro & hæredibus ſuis, quòd ipſe & hæredes ſui in perpetuum inde reddent domino Regi trecentas marcas annuas, ſcilicet tertiam partem in denariis, & tertiam partem in bobus & vaccis, & tertiam partem in equis, per æſtimationem legalium hominum, liberandum Vicecomiti* Salopesb. *& per manus*

ipſius

ipſius Vicecomitis ad Scaccarium domini Regis deferendum, & ibidem liberandum: Scilicet unam medietatem ad feſtum ſancti Michaëlis, *& alteram ad Paſcha. Eadem etiam* Senena, *pro præfato* Griffino *viro ſuo, & hæredibus ſuis manucepit, quòd firmam pacem tenebunt cum præfato* David *fratre ſuo ſuper portione, quæ eidem* David *remanebit de hæreditate prædicta. Manucepit etiam eadem* Senena *pro dicto* Griffino *viro ſuo, & hæredibus ſuis, quòd ſi aliquis* Wallenſis *aliquo tempore domino Regi, vel hæredibus ſuis, rebellis fuerit, præfatus* Griffinus *& hæredes ſui, ad cuſtum ſuum proprium ipſum compellent, ad ſatisfaciendum domino Regi & hæredibus ſuis. Et de his omnibus ſupradictis firmiter obſervandis, dicta* Senena *dabit domino Regi* David & Rotherum *filios ſuos obſides :- ita tamen, quod ſi de præfato* Griffino *viro ſuo, &* Owenio *filio ſuo, qui cum eo eſt in carcere, humanitùs contingat, antè quàm inde liberentur, alter prædictorum filiorum eidem* Senenæ *reddetur, reliquo obſide remanente. Juravit inſuper eadem* Senena *tactis ſacro ſanctis Evangeliis, pro ſe & pro præfato* Griffino *viro ſuo, & hæredibus ſuis, quòd hæc omnia firmiter obſervabunt. Et manucepit, quòd dictus* Griffinus *vir ſuus idem jurabit cùm à carcere liberatus fuerit. Et ſuper præmiſſis ſe ſubmiſit nomine dicti* Griffini *viri ſui Juriſdictioni venerabilium patrum* Herefordenſis & Lichefeldenſis *Epiſcoporum. Ita quòd præfati Epiſcopi; vel eorum alter, quem dominus Rex elegerit, ad requiſitionem ipſius domini Regis, per ſententias excommunicationis in perſonas, & interdicti in terras, eos coerceant ad prædicta omnia & ſingula obſervanda. Hæc omnia manucepit prædicta* Senena *& bona fide promiſit ſe facturam, & curaturam quòd omnia impleantur : & quòd præfatus* Griffinus *vir ſuus, cùm liberatus fuerit, & hæredes ſui, hæc omnia grata habebunt, & complebunt, & inſtrumentum ſuum inde dabunt domino Regi in forma prædicta. Ad majorem ſiquidem hujus rei ſecuritatem, factum eſt hoc ſcriptum inter ipſum dominum Regem & dictam* Senenam *nomine præfati* Griffini *viri ſui; ita quòd parti remanenti penes ipſum dominum Regem appoſitum eſt ſigillum præfat* Griffini *per manum dictæ* Senenæ *uxoris ſuæ, unà cum ſigillo prædictæ* Senenæ, *& parti remanenti penes ipſam* Senenam *nomine præfati* Griffini *viri ſui appoſitum eſt ſigillum domini Regis, quòd de ſupradictis etiam omnibus complendis, & firmiter obſervandis, dedit prædicta* Senena *nomine præfati* Griffini *viri ſui, domino Regi plegios ſupraſcriptos ; Videlicet* Radulphum *de* Mortuo mari, Walterum *de* Clifford, Rogerum *de* Monte alto, *Seneſcallum* Ceſtriæ, Mailgun *filium* Mailgun, Mereduc *filium* Roberti, Griffinum *filium* Maddoc *de* Brunfeld, Houwel & Mereduc *frater ejus,* Griffinum *filium* Wenunwen. *Qui hæc omnia pro præfata* Senena *manuceperunt, & chartas ſuas ipſi domino Regi fecerunt. Acta apud* Salopesb. *die Lunæ proxima ante Aſſumptionem beatæ* Mariæ *virginis. Anno regni Regis ipſius vigeſimo quinto.* 1244.

Charta Rogeri de Monte alto.

Omnibus hoc ſcriptum viſuris, Rogerus *de* Monte alto, *Seneſcallus* Ceſtriæ, *ſalutem. Sciatis quòd ego me conſtitui plegium* Senanæ *uxoris* Griffini *filii* Leolini, *quondam Principis* Norwalliæ, *& manucepi pro ea erga dominum meum* Henricum *Regem* Angliæ *illuſtrem, quòd omnia quæ conventionavit eidem domino meo nomine præfati viri ſui, pro liberatione ſua &* Owenii *filii ſui, à carcere in quo* David *frater ejus eos detinet, & pro portione quæ ipſum* Griffinum *contingit de hæreditate, quæ fuit prædicti* Leolini *patris ſui, & quam præfatus* David *frater ejus ei deforciat, domino Regi firmiter obſervabit. In cujus rei teſtimonium, huic ſcripto ſigillum meum appoſui. Actum apud* Salepesb. *die Lunæ ante aſſumptionem B.* Mariæ *Anno regni ipſius. xxv,*

Sub eadem forma fecerunt ſinguli plegii præſcripti domino Regi chartas ſuas tam; Barones Angliæ, *quàm* Wallenſes, *& eodem modo ſe obligaverunt.*

Forma chartarum dominorum de Kevy in Wallia.

Sciant præſentes & futuri, quòd ego Merducus *filius* Howel, *tactis ſacroſanctis juravi, quòd ab iſto die in antea omnibus diebus vitæ meæ ero ad fidelitatem domini Regis* Angliæ, *& ſerviam ei fideliter & devotè cum omnibus viribus meis, & toto poſſe meo, quandocúnque indiguerit ſervitio meo, & treugam inter dominum* Radulphum *de* Mortuo mari *& me initam, uſque ad feſtum ſancti* Michaëlis, *anno regni Regis* Henrici *vigeſimo quinto, ex parte mea fideliter obſervabo : & tam ad fidelitatem domino Regi in perpetuum obſervandam, quàm ad treugas prædictas obſervandas uſque ad terminum prædictum, ſuppoſui me juriſdictioni domini* Herefordenſis *Epiſcopi, & domini* Coventrenſis & Lath. *Epiſcopi, vel alterius eorum, quem dominus Rex ad hoc elegerit, ut ſi in aliquo contra prædictam fidelitatem domini Regis, vel contra obſervantiam prædictarum treugarum venerit, liceat eis, vel eorum alteri, quem dominus Rex ad hoc elegerit, perſonam meam & omnes meos excommunicare, & terram meam interdicere, donec de tranſgreſſione ipſa ſatisfecero ad plenum. Et ſi forſitan infra prædictum feſtum S.* Michaëlis, *inter prædictum* Radulphum *de* Mortuo mari *& me nulla pax fuerit reformata, licèt poſt feſtum illud bellum moveam prædicto* Radulpho *non obligavit me prædictum juramentum, dum tamen erga dominum Regem fidelitatem obſervem continuam, ſicut prædictum eſt. Et ſi bellum poſt prædictum terminum inter nos moveatur, nihilominus dominus Rex ſuſtinebit, quòd ego & mei receptemur in terra ſua, ſicut alii fideles ſui. Ad prædicta autem obſervanda domino Regi & hæredibus ſuis, obligo me per juramentum prædictum, & per ſigilli mei appoſitionem, quod huic ſcripto appoſui, ad majorem confirmationem prædictorum. Actum in craſtino aſſumptionis beatæ* Mariæ; *anno regni Regis* Henrici *vigeſimo quinto.*

Sub eiſdem verbis fecerunt domino Regi chartas ſuas, Owein, *filius* Howel: Mailgun, *filius* Mailgun: Mereduc, *filius* Mereduc: Howel, *filius* Cadwalthlan: & Cadwalthlan, *filius* Howel.

Charta David filii Leolini Principii Norwalliæ.

Omnibus Chriſti fidelibus, ad quos præſentes literæ pervenerint, David *filius* Leolini, *Salutem. Sciatis quòd conceſſi domino meo* Henrico *Regi* Angliæ *illuſtri, filio domini* Johannis *Regis : quòd deliberabo* Griffinum *fratrem meum, quem teneo incarceratum, unà cum filio ſuo primogenito, & aliis,*

1244. aliis, qui occaſione prædicti Griffini ſunt in parte mea incarcerati, & ipſos eidem domino meo Regi tradam. Et poſteà ſtabo Juri in curia ipſius domini Regis, tam ſuper eo, utrum idem Griffinus debeat teneri captus, quàm ſuper portione terræ, quæ fuit prædicti Leolini patris mei, ſi qua ipſum Griffinum contingere debeat, ſecundùm conſuetudinem Wallenſium, ita quòd pax ſervetur inter me & prædictum Griffinum fratrem meum, quod caveatur de ipſa tenenda ſecundùm conſiderationem curiæ ipſius domini Regis: & quòd tam ego quàm prædictus Griffinus portiones noſtras, quæ nos contingent de prædictis terris, tenebimus in capite de prædicto domino Rege. Et quòd reddam Rogero de Monte alto, Seneſcallo Ceſtriæ, terram ſuam de Muhaut cum pertinentiis: & ſibi & aliis Baronibus & fidelibus domini Regis, ſeiſinas terrarum ſuarum occupatarum à tempore belli orti inter ipſum dominum Johannem Regem, & prædictum Leolinum patrem meum, ſalvo jure proprietatis cujuslibet pacti & inſtrumenti, ſuper quo ſtabitur Juri hinc inde in curia ipſius domini Regis. Et quòd reddam ipſi domino Regi omnes expenſas, quas ipſe & ſui fecerunt occaſione exercitus iſtius. Et quòd ſatisfaciam de damnis & injuriis illatis ſibi & ſuis, ſecundùm conſiderationem curiæ prædictæ, vel malefactores ipſos ipſi domino Regi reddam. Et quòd ſimiliter domino Regi reddam omnia homagia, quæ dominus Johannes Rex pater ſuus habuit, & quæ dominus Rex de jure habere debet: & ſpecialiter omnium Nobilium Wallenſium. Et quòd idem dominus Rex non dimittet aliquem de ſuis captivis, quin ipſi domino Regi & ſuis remaneant ſeiſinæ ſuæ. Et quòd terra de Engleſmere cum pertinentiis ſuis, in perpetuum remanebit domino Regi & hæredibus ſuis, Et quòd de cætero non receptabo Utlagos vel Foris bannitos ipſius domini Regis vel Baronum ſuorum, de Marchia in terra mea, nec permittam receptari. Et de omnibus articulis ſupradictis, & ſingulis, firmiter & in perpetuum obſervandis, domino Regi & hæredibus ſuis, pro me & hæredibus meis cavebo per obſides & pignora, & aliis modis, quibus dominus Rex dicere voluerit & dictare. Et in his & in omnibus aliis ſtabo voluntati & mandatis ipſius domini Regis, & Juri parebo omnibus in curia ſua. In cujus rei teſtimonium præſenti ſcripto ſigillum meum appendi. Actum apud Alnet. juxta fluvium Elvey de ſancto Aſapho, in feſto decollationis S. Johannis Baptiſtæ, anno prædicti domini Regis Henrici vigeſimo quinto. Et ſciendum, quòd illi qui capti detinentur cum prædicto Griffino, eodem modo tradentur domino Regi, donec per curiam ſuam conſideratum fuerit, utrum, & quomodo debeant deliberari. Et ad omnia firmiter tenenda, ego David juravi ſuper crucem ſanctam, quam coram me feci deportari. Venerabilis etiam pater Howelus Epiſcopus de ſancto Aſaph, ad petitionem meam, firmiter promiſit, in ordine ſuo, quòd hæc omnia prædicta faciet, & procurabit modis quibus poterit obſervari. Edenevit ſiquidem Wangan per præceptum meum, illud idem juravit ſuper crucem prædictam. Actum ut ſupra. Præterea conceſſi pro me & hæredibus meis, quòd ſi ego vel hæredes mei contra pacem domini Regis vel hæredum ſuorum, vel contra articulos prædictos, aliquid attentaverimus, tota hæreditas noſtra domino Regi & hæredibus ſuis incurratur. De quibus omnibus & ſingulis, ſuppoſui me & hæredes meos juriſdictioni Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Epiſcoporum Londinenſis, Herefordenſis, & Coventrenſis, qui pro tempori præerunt, quòd omnes, vel unus eorum, quem dominus Rex ad hoc elegerit, poſſit nos excommunicare, & terram noſtram interdicere, ſi aliquid contra prædicta attentaverimus. Et procuravi, quòd Epiſcopi de Bangor, & de ſancto Aſaph, chartas ſuas domino Regi fecerunt, per quas conceſſerunt, quòd omnes ſententias tam excommunicationis, quàm Interdicti, à prædictis Archiepiſcopo, Epiſcopis, vel aliquo eorum, ferendas, ad mandatum eorum exequentur.

David conatur jugum Regis Angl. excutere.

HÆC idcirco dixerim, ut pateat mundo quot, quantis, & qualibus obligationibus ſeſe domino Regi, tam David nepos ejus, proditor, & fratricida, & omnes alii Nobiles, moribus tamen ignobiles, de Wallia, manciparunt. Qui jam rupto conſanguinitatis fœdere, fidei conſtantia, inſtrumentorum tenore, nimis impudenter contra dominum ſuum recalcitrantes, bellum moverunt, & ipſum non mediocriter in Marchia damnificaverunt. Inſuper dictus David, volens collum ſuum de ſubjugo fidelitatis domini Regis excutere, ad alas Papalis protectionis confugit, ſpondens ſe tenere Walliæ partem, eum contingentem, ab ipſo Papa. Cui favit Papa. Et quod ſtupenda admiratione dignum arbitror, contra Regem rebellanti ſinum aperuit refugii & protectionis: niſi ſic fortè contigiſſet, ut ſuppreſſione veritatis, & ſuggeſtione falſitatis, iſtud fuerit impetratum. Et quis Chriſtianorum ignorat, Principem Walliæ Regis Angliæ eſſe Vaſſalulum?

Rex prohibet lanas Ciſterciensium vendi.

EODEM anno, prohibuit dominus Rex, ne lanæ Ciſtercienſium Monachorum venales ad partes tranſmarinas ad ſuum commodum tranſveherentur, volens eos ſic gravare & damnificare, eò quòd eum transfretatum in Vaſconiam, auxilio pecuniari nec voluerunt, nec etiam valuerunt, juvare.

Confectum Chriſma apud ſanctum Albanum.

Anno quoq; eodem, confectum eſt ſanctum Chriſma apud ſanctum Albanum, in eccleſia Conventuali, à venerabili Epiſcopo Hertfertenſi Johanne.

Teſtimonium miraculorum S. Edmundi Confeſſoris.

IPSO eodem anno, cùm percrebuiſſent miracula per ſanctum Edmundum Cantuarienſem Archiepiſcopum & Confeſſorem, apud Pontiniacum celebrata, adeò ut Apoſtolorum viderentur tempora renovari, quibus non tantùm Francia, imò etiam Anglia, in loco præcipuè ubi dicti ſancti pallium, & quædam pictæ tabellæ, quas ipſe portare ſolebat, ſcilicet apud Kateby, haberi dignoſcitur, & aliæ multæ regiones celebriter illuſtrentu, & manifeſtis miraculorum beneficiis viſitentur. Abbas & Conventus Pontiniacenſis, ne ingratitudinis poſſent redargui, in laudem celebrem proruperunt: & meritò deſiderantes ipſum canonizari, & in numero & cathalogo eccleſiaſticorum ſanctorum reponi, ſcripſerunt domino Papæ in hæc verba,

Sanctiſſimo

1244.

SANCTISSIMO Patri & domino Innocentio quarto, Dei gratia ſummo Pontifici, ejus devoti I. dictus Abbas humiliſque Conventus Pontiniaci, Ciſtercienſis ordinis, cum omni devotione & ſubjectione ac reverentia, devota pedum oſcula beatorum. Non ſunt tacenda opera conditoris, quæ ſuo Præſuli dant teſtimonium gloriæ & honoris. Quia verò enumerare longum eſt, nec omnino tacere poſſumus, ſicut nec debemus, ea quæ non ſolum ad ſepulchrum fœlicis recordationis Ædmundi quondam Cantuarienſis, Archiepiſcopi, cujus corpus, illa nobilis globa, in noſtra requieſcit eccleſia, in qua quidem ſumma devotione ſibi elegit ſepulturam, jam totius mundi latitudinem evidentiſſimorum ſignorum claritate perluſtravit. In diverſis etenim & longinquis regionibus, ad invocationem ſui nominis fiunt miracula, non ſingula generum, ſed & genera ſingulorum. Quæ ſub caſtigata brevitate expeditiùs, quæ viderunt oculi noſtri & aures audierunt, tranſcurremus. Cæci nati vident: claudi à nativitate ambulant: hydropici detumeſcunt: ſurdi à nativitate audiunt: muti ab utero matris ſuæ loquuntur, & rectè: Paralitici convaleſcunt: obſeſſi à dæmonibus liberantur: aperiuntur carceres, vincula reſolvuntur: evadunt quaternarii, & alii febricitantes: alii morbo epileptico laborantes, alii variis & occultis & gravibus doloribus afflicti, alii membrorum officio privati & quaſi truncus, immobiles effecti, alii in alienationem mentis repente converſi, alii morbo fiſtulæ enormiter deturpati, alii à tumore horribili turpiter dehoneſtati & deſigurati, ſuffragantibus ejus meritis, priſtinæ ſanitati ſunt fœliciter reſtituti. Mulierum ſanguinis fons reſtringitur: alii ictericia, alii dolor dentium mitigatur, ab aliis maculæ corporis recedunt, nullo deinceps veſtigio comparente, alii hernioſi, alii gibboſi, alii calculoſi, alii puſtulis tabefacti, alii graviter læſi, alii in puteos, alii in fluvios & gurgites aquarum corruentes, alii ex alto præcipitati, invocato ejuſdem patris nomine, nullam vel modicam membrorum ſenſerunt læſionem: alii apoſtaſiæ laqueis irretiti, alii à ſerpentibus læſi, alii ſuffocationi proximi, alii deſperati alii ab imminentis mortis periculo miraculosè erepti, miram Præſulis gratiam ſunt conſecuti: alii à tumore faucium, alii à conſtrictione gutturis, alii à læſione arteriarum, meritis & precibus ipſius liberantur. Quidam adverſitatis tempore fracti moleſtia, in deſperationis foveam ferè prolapſi, dum pii patris eiſdem occurrit memoria, dulcis conſolationis remedium ſe lætantur inveniſſe. Sunt itáq; nonnulli variis infirmitatibus detenti, & in diverſis periculis conſtituti, dum cultoris Dei nomen amabile Angelis, terribile & exoſum dæmonibus, humiliter ac devotè invocaverint, à malis omnibus liberati, ſentiunt adeſſe virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hæc & plura, quæ per longum eſt perferre, operatur qui ſolus eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Bruta etiam animalia, quòd mirabile eſt dictu, ejus beneficia ſunt adepta. Unde mira Dei, cuncta ſapienter & ſalubriter ordinantis, diſpoſitione factum eſt, quòd in ſuæ requieſcentionis loco tanta eſt ſignorum gloria, tanta ſanitatum gratia, tantus populorum concurſus, tantus adventantium devotionis affectus, ut ſicut de Domino, ita & de ſervo ſuo canere poſſit eccleſia: Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum. Concurrunt námq; ejuſdem patris æmuli, adorantes in loco ubi ſteterunt pedes ejus. Quidam autem infidelitatis amici, & duræ cervicis homines, qui tam divinæ omnipotentiæ, quàm ejuſdem patris meritis derogare præſumpſerunt, repentè percuſſi, coacti ſunt ea vel inviti prædicare. Quódq; omnibus magis admirandum eſt, & ſæculis omnibus inuſitatum, cuidam puero, quem per octo annos tantus contriverat à nativitate naturæ defectus, quòd nullum pollebat ei pedum adminiculum, novi pedes creati ſunt. Inuſitatius enim eſt, nova membra ſubſtitui, ubi non ſunt, quàm ad vigorem debilitata reſtitui. O meriti magni Præſulem! O magna Præſulis merita!

Quis unquam hæc excogitare præmia, vel hanc meritorum prærogativam, vel hanc Præſulis dignitatem potuiſſet: ut quemadmodum Chriſtus animæ à morte perpetua revocatæ vitam confert ſempiternam, ita pius Præſul, Chriſti amator, divina operante clementia, abortivis infantulis, oppreſſis, demerſis, & corporibus aliis quàm plurimis verè mortuis, vitam reddat temporalem? Quia igitur nullum miraculum glorioſius, quàm quod de diſpendio funeris reddat compendia ſanitatis, non abs re eſſe videtur, tantæ admirationis ſignum breviter tantum tetigiſſe.

Nam præteritis præſens miraculum fidem faciet, firmáque erit & inconcuſſa futurorum expectatio. Et quidem de populi concurſu amplius videtur eſſe mirandum, quàm de miraculis, niſi quòd ipſum miraculum eſt. Quid enim miraculoſius? quid mirabilius? quàm ut hominem hodie mundus adoret, quem heri abominabatur? Ad eum hodie confugiat, quem heri fugiebat? Ejus hodie apud Deum nobis ſalubre imploret patrocinium, cujus heri, vel ex metu terrenæ poteſtatis, vel ex propria mentis malitia, declinabat conſortium? Iſtud enim inter maxima miracula, nonnullis ſapientibus maximum eſſe videtur. Et quia tanti viri memoria non eſt ſepelienda negligentiæ tumulo, nec oblivionis tumulanda ſepulchro, veſtræ ſanctitatis pedibus provoluti, ſupplicamus humiliter & devotè, quòd miraculis, prout decet, examinatis, prædictum Patrem Sanctorum cathalogo aſſcribi jubeatis. Nos verò eò fiducialiùs agimus in hac parte, quòd hujus rei teſtis & verus Propheta præſagúſq; promiſſor beatus Thomas noſcitur exſtitiſſe. Qui poſtquam diutinam moram tempore exilii ſui, de mandato fœlicis memoriæ Alexandri Papæ, in Monaſterio noſtro protraxiſſet, & oſtenſo ſibi cœlitus indicio, ut ad eccleſiam ſuam rediret, per martyrii palmam migraturus ad Dominum, nec per exhibitionem retributionis liberalitatum & beneficiorum, quæ ſibi contulerant prædeceſſores noſtri, haberet unde ad votum nobis ſatisfaceret, timens ne nobis oneri, quod tamen nequaquam fuerat, exſtitiſſet, pollicitus eſt, quòd poſt eum venturus erat ſucceſſor ejus quidam, pro eo ſatisfacturus, quod indubitanter novimus adimpletum. Et ut memoria beati Thomæ Martyris inde habeatur, primus homo in eccleſia noſtra ab infirmitate per ejus merita curatus, Thomas vocabatur. Ex quo facto didicimus, ut de eo omnia alia bona geſta credamus, ad gloriam & honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui, &c.

1244.

Argumentum ſanctitatis ſancti Edmundi Confeſſoris.

MODUM verò, quo vir iſte beatiſſimus cilicio utebatur, nequaquam dignum eſt ſub ſilentio præterire. Quem utique modum & antiquioribus ſanctis inexpertum, & præſentibus credimus inauditum. Habebat etenim non cilicium ex filis ſubtilibus, ut fieri ſolet, textoris arte compoſitum, ſed ex cordulis in ſe invicem, ad inſtar retis denſiſſimi, intricatis. Quæ videlicet connexura nodos tam innumerabiles, quam intolerabiles, ſpiſſo ordine continebat. Et ut idem nodi carni arctiùs imprimerentur, erat illi cilicium ex parte anteriori non integrum, ſed apertum à ſummo uſque deorſum, laqueolis hinc indéq; appoſitis. Quibus nodatis & concraticulatis cum ſeipſo dimicavit, ut domeſtico tormento ſuperato corpore, de ſe triumphum ſactus Martyr adquireret. Nec ſufficiebat ei, ſicut horribili non tam indumento, quàm tormento, carnem ſuam crucifigere, ſed quod ſuper addiderat, admirationem magis auget, & nos invitat ad ſtuporem. Etenim, ut illud idem cilicium carni fortiùs ſtringeretur, & continua punctione & aſſidua corroſione caro graviùs læderetur, funiculo groſſiore & triplici illud deſuper conſtrinxerat, ita ſcilicet, quòd ille funiculus à pectore uſque ad renes multis mediantibus involucris deſcendens, extremitatibus ad invicem cohærentibus inferiùs ligabatur. Et ſicut officio funiculus cilicio jungebatur, ita erat eadem materia utriuſque. Sic igitur cingulo cilicino ſeipſum circumdederat, qui non tantùm lumbos carnis ſuæ cum Legali Pontifice byſſo retorta præcinxerat, verùm etiam cum filio Dei, erat præcinctus zona ad mamillas. Quid plura? particulas illas ſui corporis, quas de die non poterat cruciare, ſcilicet manuum & colli nuda de nocte cilicio contegebat, ut ſic ſe totum Domino gratiſſimi odoris faceret holocauſtum. Quid jejuniorum & orationum indefeſſam enarrem continuationem? Semper in ore ejus cum cibariorum parſimonia, laus *Chriſti* cum gratiarum actionibus perſonuit. Semper verba ædificationis, quaſi hauſta de fonte pectoris Dominici, profunda quidem & ædificantia Theologiæ, qua excellenter, quaſi alter *Auguſtinus*, choruſcabat, cum gemitibus & profundis ſuſpiriis, oculis quoq; & manibus in cœlum ſemper, beati more *Martini*, intentis, reſonabant, ita ut audientes ſimul cum eo loquente ad devotionem invitaret.

Mirabilis convaleſcentia Epiſcopi Dunelm.

HIS igitur & aliis ſanctitatis argumentis certificatus Epiſcopus *Dunelmenſis Nicholaus* quem adeo hydropiſis incurabilis undique dilaceraverat, Ictericia decoloraverat, macies attenuaverat, & ſubſtantialem humiditatem conſumpſerat, tuſſis deſiccaverat, aſma inquietaverat, certa quoq; mortis imminentia denigraverat, ut ſolùm ſibi ſupereſſe ſepulchrum videtur: omni humano deſtitutus & deſperatus auxilio, fide plenus confugit ad divinum. Vovit igitur ſe ſepulchrum beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi devotè cum honore viſitaturum, ſi ſic corporalis convaleſcentia pateretur. Ad partes igitur *Angliæ* Auſtrales in carpento vectus eſt, tum ut natalis aeris hauriret beneficium, tum ut *Pontiniaco*, quò votum ſuæ peregrinationis ſolveret, appropinquaret. Ubi cùm per aliquod tempus moraretur, adeò debilitatus eſt, ut potiùs quam homo ſimulachrum videretur. Confecto igitur teſtamento, & vale cunctis dicto, viatico quoque ſalutari cum extrema unctione communitus, extremum jam ſpiritum protrahebat. Habuit autem quendam ſuum miniſtrum, *W.* nomine, qui aliquando tonſor beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi, & oſtiarius exſtiterat: hic in ſpiritu comperiens, quòd ipſum Archipræſulem Deus non immeritò Sanctorum ſuorum annumeraret collegio, pilos barbæ ſuæ, quam radere ſolebat, reſervaverat, ſperans eos in futuro ægris profuturos. Hoc cum Epiſcopo *Nicholao* jam ſemivivo, qui tamen memoria viguit, innuiſſet, præcepit miniſtro memorato, ut pili illi in aqua benedicta ſibi darentur ad bibendum: quam cùm exhauſerat, vomitu ſedatus omnis tumur & omnis dolor, & penitus mitigatus eſt. Et ſic in brevi plenè reſtitutus eſt ſanitati.

Imperator ſe obligat ad pacem eccleſiæ.

DUM autem mundi præſtigiator talibus mortales exagitaret ſolicitudinibus, Imperator *Fredericus*, ſpiritu tactus conſilii ſanioris, licèt ſuperficialiter humiliatus, ſe ſpoſpondit eccleſiæ & eccleſiaſticis Prælatis ſatisfacturum, hoc modo. *Circa ſecuritates deſignandas, ita dicimus; Quòd dominus Imperator offert cautionem juratoriam, literatoriam, & fidejuſſoriam per Reges, Principes, & Magnates, & Comites locorum. Præterea circa prædictas cautiones committit ſe ordinationi domini Papæ, & tractatorum.* Fredericus, *Dei gratia* Romanorum *Imperator, ſemper* Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ *Rex, Per præſens ſcriptum notum facimus univerſis, quòd nos* R. *illuſtri Comiti* Tholoſano, *dilecto affini ac fidelo noſtro, & magiſtris* Petro *de* Vinea, & Thaddæo *de* Sueſſa, *magnæ curiæ noſtræ Judicibus & fidelibus noſtris, ſpecialem & plenam concedimus poteſtatem jurandi in anima pro parte noſtra, ſtare mandatis domini Papæ & eccleſiæ ſuper omnibus articulis, injuriis, damnis & offenſis, ante & poſt excommunicationis ſententiam, eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis illatis, pro quibus olim per* Gregorium *ſummum Pontificem, contra nos ipſa excommunicationis ſententia noſcitur fuiſſe prolata. Ratum habentes, & firmum, quicquid ſuper hoc prædicti fideles noſtri duxerunt faciendum. Ad cujus rei memoriam & debitam rmitudinem, præſens ſcriptum aurea bulla topazio noſtræ Majeſtatis impreſſa, juſſimus communiri.*

Scriptum Frederici Imp. ad Regem Angliæ.

FREDERICUS, &c. *Cùm in tractatu pacis per* R. *Comitem* Tholoſanum, *dilectum affinem & fidelem noſtrum, inter nos & eccleſiam, prout firmiter credimus inchoandæ, nuncios veſtros & adeſſe deceat, & adeſſe velimus, ſerenitatem veſtram affectuosè rogamus, quatenus pro negocio ſupradicto ſolennes nuncios deſtinare velitis, de quibus pleniùs confidatis, ut tanto ſint tam ex induſtria quàm fide negocio convenientes. Datum, &c.*

1244.

Articuli quibus Imperator ſe ſpoſpondit ſatisfacturam Romano Pontif.

SUPER *facto terræ inventa eſt forma, quæ placet utriq; parti, ſcilicet quòd tota terra, quam poſſidebat eccleſia tempore excommunicationis, ſibi reddatur: & idem de adhærentibus eccleſiæ, ſuper contemptu clavium ſcriberet Imperator generaliter per totum orbem, quòd in contemptu eccleſiæ & poteſtatis eccleſiaſticæ ſententiam per dominum prædeceſſorem ſuum non contempſit. Sed cùm prædicta ſententia ſibi denunciata non fuerit, de conſilio Prælatorum & aliorum Nobilium* Alemanniæ & Italiæ *proceſſit quòd prius quàm ſibi denunciaretur, eam non tenebatur ſervare. Profitetur tamen, quòd recognoſcit bene quod reliquit in hoc, non ſervando, & male fecit, cùm bene ſciat & credat fideliter, quòd tam ſuper eum, quàm ſuper omnes* Chriſtianos, *Reges, & Principes, clericos & laicos, hàbet ſummus Pontifex, etiamſi peccator exiſtat, quod Deus avertat, in ſpiritualibus plenitudinem poteſtatis. Nihilominus ſubſidium pro iſto exceſſu faciet in militibus vel pecunia, cuicúmq; dominus Papa* Chriſtianitatis, *quantumcunq; & quale viderit expedire: alias eleemoſynas & jejunia facturus, juxta ordinationem domini Papæ, & ſententiam ipſam, uſq; ad diem abſolutionis humiliter & devotè ſervabit. Super captione Prælatorum, In primis, omnia ea quæ ad eum pervenerunt de his quæ capta ſunt in galeis, vel apud eum poterunt inveniri, integrè reſtituet, & reſtitui faciet. De reliquo, volentibus damna paſſis, juxta mandatum domini Papæ, de cujus benignitate confidit, ſatisfaciet. Faciet etiam in ſatisfactionem hujus offenſæ, & ob honorem Dei, hoſpitalia & eccleſias, ad diſpoſitionem domini Papæ, quot, & ubi, & ſicut viderit expedire: & prædicta loca dotabit, ſicut dominus Papa mandabit. Super prædictis, & ſuper aliis omnibus articulis, injuriis, damnis, & offenſis, ante & poſt diſcordiam & latam ſententiam, eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis illatis, pro quibus excommunicatus eſt, jurabit præcisè ſtare mandatis domini Papæ: ſalva tamen ſint ei honores & jura quoad conſervationem integram, ſine aliqua diminutione Imperii & Regnorum ſuorum. Et licèt pro prædictis offenſis ſatis oblatum eſſe credamus, nihilominùs tamen ad ſatisfactionem & ſecuritatem tam præcedentium quàm ſequentium capitulorum, & ad majora devotionis indicia demonſtranda, dominus Imperator ſtabit Conſilio & ordinationi tractatorum, ſcilicet dominorum* Oſtienſis *Epiſcopi* Stephani, Ægidii, & Ottonis, *Cardinalium: qui, excepta perſonâ domini noſtri Papæ, ſupplebunt in ſatisfactione & ſecuritate, quod viderint eſſe ſupplendum: ita tamen quòd nihil facient ſine conſilio & mandato domini Papæ, & prædictis ſalvis de ſatisfactione & ſecuritate, prædicti tractatores facient quod de conſilio fratrum dominus Papa faciendum decreverit. Super adhærentibus autem eccleſiæ, ita dicimus, quòd omnibus his qui poſt ortam diſcordiam eccleſiæ adhæſerunt, undecúnq; ſint, ex nunc plenè omnis remittatur offenſa, tam ante diſcordiam quàm poſt, ſive occaſione eccleſiæ ſive alia commiſſa. Et omnia banna & ſententias contra eos latas, revocabit. Et ſi quas donationes vel contractus vel obligationes ei feciſſent, poſt latam ſententiam, vel poſtquam adhæſerunt eccleſiæ, relaxabit, poſſeſſionibus eorum, juribus, & honoribus ſuis, eis integrè reſtitutis, etiamſi aliis ſint conceſſa. Super aliis autem, qui ante ortam diſcordiam rebelles domino Imperatori fuerunt, & erant tunc in bello cum eo, ita dicimus, quod remittetur eis omnis offenſa, quam poſtea commiſerunt contra eum & Imperium. De offenſis verò commiſſis ante ortam diſcordiam, ſtabit dominus Imperator proviſioni & ordinationi domini Papæ & fratrum, faciendæ infra tempus à domino Papa præfigendum, ipſis & omnibus dabit plenam pacem ex nunc. Super ſecuritate verò illorum de* Romandiola, *qui poſt ortam diſcordiam eccleſiæ adhæſerunt, & Nobilium de* Marchia Terviſiana, & *Marchionis* Montis Ferrati, & *aliorum Nobilium ubiq; ita faciet dominus Imperator, videlicet quòd prædicti Nobiles in propriis perſonis, niſi ad proviſionem domini Papæ, ſed per ſubſtitutos ſervire domino Imperatori minime teneantur. In judicium autem vocari per Nobiles & Pares ſuos reliquos regionis ejuſdem, aliis adhærentibus eccleſiæ non excluſis, debeant judicari. De perſonalibus & realibus actionibus impediti, & etiam de criminalibus accuſati, ſpecialiter autem in* Romaniorum, *ad majorem ſecuritatem eorum qui eccleſiæ adhæſerunt, ſtatuet dominus Imperator Capitaneum aliquem de Prælatis Italiæ, ſub cujus ſolius examine, litigabunt uſq; ad beneplacitum domini Papæ tam in civilibus, quàm in criminalibus cauſis. Et Prælatus ipſe eligatur de conſenſu domini Papæ, quamdiu dominus Papa voluerit: munitiones autem proprias dominus Imperator per quos ſibi placuerit, faciet cuſtodiri: munitiones verò prædictorum non lædet vel tanget, ſine conſenſu ejus qui deputatus fuerit ſuper his. Illis etiam de* Marchia Terviſiana *providebit dominus Imperator Capitaneum, cui ſoli debeant reſpondere illi de* Marchia Terviſiana, *qui eccleſiæ adhæſerunt, de conſenſu unius fratrum, quem dominus Imperator duxerit eligendum. Captivos in galeiis captos, necnon omnes* Romanos, Thuſcos, *& alios omnes captivos, poſt latam ſententiam excommunicationis, cujus ad præſens abſolutio petitur, liberabit. Et ab omnibus juramentis & obligationibus, quibus obligaſſent ſe poſt captionem, abſolvet tam eos qui liberati ſunt, quàm qui poſteà liberabuntur. Et ſuper hoc literas ſuas dabit fidelibus ſuis, qui capti ſunt ubiq; per detentores invicem liberatos. Ejectos occaſione diſcordiæ primæ vel ſecundæ, tam clericos quàm laicos, redire permittet ad propria, & ibidem ſecurè manere, poſſeſſionibus eorum & bonis integrè reſtitutis. De diſcordia autem* Romanorum, *dominus Imperator ſtabit ordinationi domini Papæ & fratrum, tam de reſtitutione damnorum hinc inde datorum in bello ipſo, quàm de aliis. Ita tamen, quòd ita ſtatuatur de diſcordia & indempnitate ſuorum, excepto caſtro* Anticuli, *de quo non compromittitur. De damnis datis per dominum Imperatorem, Officiales, & Ballivos ſuos, Prælatis, eccleſiis tam religioſorum quàm ſæcularium, vel aliis, de mandato ſuo, poſt ſententiam latam in eum, ſatisfaciet dominus Imperator, ſecundum providentiam & benignitatem ſedis Apoſtolicæ: ubi non intelligit dominus Imperator damna hoſtiliter data per ſe aut ſuos exercitus.* Gregorio *de* Monte longo, *& omnibus conſanguineis ſuis, plenam pacem dat & ſecuritatem.* Terra *Comitis* Willielmi, *quæ tenetur ab eccleſia, reſtituetur: de alia terra compromittatur in Imperatorem conſtanter, dominos*

1244. Ottonem Cardinalem, & Archiepiſcopum Rothomagenſem, ita quòd ipſi de Jure cognoſcunt, ſicut fuerit cognoſcendum. Nuncii Imperatoris dicent, quòd compromittent, quòd de poſſeſſione & proprietate, & ſimul recognoſcent, & definient, & jurabunt, quòd bona fide & ſine fraude ſtudebunt inducere dominum Imperatorem, quòd ipſe patiatur quòd præfati domini procedent, ſive ſimul ſive ſeparatim de poſſeſſione & proprietate: & dicti tres requirent dominum Imperatorem. Et recipiunt ſuper ſe, quòd ſuper eo apud dominum Imperatorem facient bona fide, quòd Imperator conſentiet, quòd iſti tres procedent, ſicut eis videbitur expedire, audiendo ſcilicet & terminando cauſam ipſam, ſive ſimul de poſſeſſione & proprietate, ſive ſeparatim. Quòd ſi non omnes poſſunt intereſſe, & aliquis eorum fuerit juſto impedimento detentus, duo eorum procedent.

Canonizatio B. Edmundi Confeſſoris impeditur.

PERACTO igitur hoc arduo negocio, credens dominus Papa omnia fœliciter conſummaſſe, gratias egit Deo & beato Ædmundo, quem in tribulatione ſua in patrocinium invocarat. Promiſit igitur ac propoſuit, juxta petitionem Abbatis & Conventus Pontiniaci, beatum Edmundum Cantuarienſem Archipræſulem, quem tot, ut prædictum eſt, noverat, publica fama referente, choruſcare miraculis, ſolenniter canonizare. Ad miraculorum igitur examinationem ritè faciendam, Archiepiſcopum Armachanum A. cum quibuſdam aliis viris gravibus & diſcretis, deſtinavit. Quod cùm audiſſent veteres & inveterati dicti ſancti perſecutores indefeſſi, dixerunt ad invicem: Si extollatur homo iſte in titulum celebris ſanctitatis canoniſatus, ignominioſè confundemus. Procurarunt igitur cum Ottone Legato, in ſuarum animarum perditionem, ne ſanctus, quem Deus tot miraculis mundo manifeſtavit, canonizaretur.

Imperator reſilit à forma pacis contractæ.

EADEMQUE furia invectus Imperator, illo inſtigante qui primus ſuperbivit, à forma jurata & humilitate ſatisfactionis compromiſſæ ſuperbiendo pœnitens infœliciter reſilivit. Interim Prælati Terræ ſanctæ incolæ, ad dolorum cumulum, ciſmarinis ſcripſerunt hoc modo:

Epiſtola flebilis.

REVERENDIS in Chriſto patribus & amicis univerſis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis eccleſiarum Prælatis in Regnis Franciæ & Angliæ conſtitutis, ad quos præſentes literæ pervenerint: Robertus Dei gratia ſanctæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ Patriarcha, Apoſtolicæ ſedis Legatus, Henricus Archiepiſcopus Nazarenus, I. Cæſarienſis electus, R. Epiſcopus Aconenſis, & Sydonenſis Epiſcopus, frater Guillielmus de Roka forti, Vicemagiſter domus militiæ Templi, & Conventus ejuſdem domus, H. Prior Dominici ſepulchri, Abbas ſancti Samuelis, Præmonſtratenſis ordinis, B. Montis Oliveti, I. Templi Dominici, P. Montis Thabor, & R. Montis Syon, Abbates, Salutem, & proſperos ad vota ſucceſſus.

Egreſſa de finibus Orientis crudelitas beſtialis, in Hieroſolymitanam provinciam eſt converſa. Quæ etſi diverſis temporibus à circumſtantibus Saracenis multipliciter vexaretur, his tamen diebus, ſopitis vicinis hoſtibus, in ſtatu pacifico reſpirabat utcunque. Excitaverunt autem in ejus excidium peccata populi Chriſtiani gentem incognitam, & ultorem gladium à longinquo. Deſæviens ſiquidem rabies Tartarorum totam Orientalem plagam flagello multiplici & terrore concuſſit. Qui dum perſequentes æqualiter univerſos, nullam differentiam facerent inter incredulos & fideles, prædam ab extremis finibus fugaverunt, Chriſtianum populum prædaturam. Ipſi etenim Tartari univerſalem Perſidem deſtruentes, in nequiores ſe ſpiritus prælium converterunt, venantes crudeliſſimos hominum Chorofminos, quos quaſi dracones de cavernis eductos, de propriis partibus expulerunt. Qui cùm certum habitaculum non habentes, non poſſent propter eorum nequitias ab aliquibus Saracenis receptaculum adipiſci, ſolus Soldanus Babyloniæ, Chriſti fidei perſecutor, eiſdem Chorofminis hoſpitium in terra propria denegans, obtulit alienum, eoſdem incredulos ad inhoſpitandam vel inhabitandam terram promiſſionis advocans & invitans, quam in ſe credentibus altiſſimus promiſerat & donavit. Illi verò, de Soldani præſidio confidentes, in hæreditatem Domini, quam dictus Soldanus, prout dicitur, illis contulerat, advenerunt cum uxoribus, & familiis, & multis milibus equitum armatorum: Quorum ſic exſtitit adventus repentinus, quòd nec à nobis, nec à vicinis partibus potuit prævideri, ut præcognita jacula vitarentur, uſq; dum Hieroſolymitanam provinciam per partes Saphet & Tiberiadis intraverunt. Et cùm ſollicitudinem multipliciter appoſuerimus & laborem, qualiter Terræ ſanctæ pax & tranquillitas priſtina redderetur, novis hoſtibus perturbata, nec ad eorum expulſionem Chriſtianorum vires ſufficerent, præfati Chorofmini totam terram à Turone militum, quod eſt prope Hieruſalem, uſq; Gazaram occuparunt. Ex communi itaq; conſilio & unanimi voluntate, unà cum magiſtris Religioſarum domorum, ſcilicet militiæ Templi, Hoſpitalis ſancti Johannis, & Præceptoris ſanctæ Mariæ Theutonicorum, & Nobilium Regni, Soldanus Damaſci & Chamelæ, qui erant cum Chriſtianis pacis fœdere colligati, & contra Chorofminos habent inimicitias ſpeciales, reputantes ſe etiam per illorum adventum fore confuſos, & terram quam habebant Chriſtiani, juxta formam treugarum, tenebantur defendere contra omnes alios Saracenos, ad Chriſtianorum ſubſidium duximus advocandos. Qui etſi firmiter promiſerint & juraverint ſe nobis auxilium præſtaturos, illorum tamen ſuccurſu valde dilato, & Chriſtianis, in reſpectu pauciſſimis, ſolis contra illos perfidos dubitantibus dimicare, dicti Chorofmini civitatem Hieruſalem propugnaculis penitus immunitam ſæpiùs invadebant. At Chriſtiani, qui erant in illa, prædictorum ſævitiam metuentes, ad veniendum in terram Chriſtianorum ultra ſex milia hominum congregati, paucis in civitate relictis, confiſi de treugis, quas cum Soldano de Craco & ruſticis Saracenis de montanis habebant, iter cum omnibus familiis & rebus ſuis per ipſa montana ceperunt. Egreſſi verò ruſtici, partim illos gladio crudeliter occiderunt, partim miſerabiliter captivarunt, exponentes venales Chriſtianos utriuſque ſexus, & etiam Moniales, aliis Saracenis. Ex quibus cùm aliqui evadentes.

1244.

evadentes, in Ramenſem planitiem deſcendiſſent, Choroſmini irruentes in illos, trucidarunt eoſdem, ita quòd ex tanto populo, vix evaſerunt trecenti ſemivivi relicti. Tandem prænominati perfidiſſimi Iſraëlitanam civitatem intrantes, quaſi populo deſtitutam, Chriſtianos, qui ibi remanſerant, ſeq; infra eccleſiam Sepulchri Dominici receptarunt, ante ipſum Sepulchrum eviſceraverunt univerſos. Et decapitantes Sacerdotes, qui in altaribus celebrabant, dicebant ad invicem: Hìc effundamus ſanguinem populi Chriſtiani, ubi vinum libaverunt ad honorem Dei ſui, quem hìc dicunt fuiſſe ſuſpenſum. Inſuper cum dolore dicimus, & cum ſuſpiriis intimamus, quòd in ſepulcrum reſurrectionis Dominicæ manus ſacrilegas extendentes, illud multipliciter deturparunt. Tabulatum marmoreum, quod circumcirca erat poſitum, funditus evertentes, & montem Calvariæ, ubi Chriſtus exſtitit crucifixus, & totam eccleſiam, ultra quàm dici valeat, in omni turpitudine, quantum in ſe fuerat, fœdaverunt. Columnas verò ſculptas, quæ ante ſepulcrum Domini erant ad decorem poſitæ, ſuſtulerunt: illas in Chriſtianorum contumeliam ad ſepulchrum ſceleratiſſimi Machometi, in ſignum victoriæ, tranſmittentes. Et violatis ſepulchris fœlicium Regum, in eadem eccleſia collocatis, eorum oſſa, in Chriſtianorum injuriam, diſperſerunt. Montémq; Syon reverendiſſimum ſine reverentia prophanantes, Templum Domini, eccleſiam vallis Joſaphat, ubi beatæ Virginis eſt ſepulcrum, eccleſiam Bethleem, & locum nativitatis Domini, indignis relatu enormitatibus polluerunt, omnium Saracenorum nequitiam excedentes, qui licèt terram Chriſtianorum ſæpiùs occupaſſent, loca ſancta utcunque veneranter conſervabant. Verùm cùm his omnibus non contenti, ad captionem & deſtructionem totius terræ ſæpefati Choroſmini multipliciter aſpirarent, nec poſſent tanta mala ulteriùs tolerari, quæ cujuslibet catholicæ fidei zelatoris animum meritò poterant in mærorem & amaritudinem irritaſſe, tot injuriis & enormitatibus laceſſiti, populus Chriſtianus, ad reſiſtendum eiſdem, prædictorum Soldanorum potentiam, unà cum Chriſtianorum viribus, de communi conſilio duximus congregandam. Cum quibus omnibus contra illos die quarto menſis Octobris, exercitus Chriſtianus de maritima Acon movere incepit, per Cæſaream, & alia loca maritima cedendo. Ipſi verò Choroſmini, noſtrum præſentientes adventum, & per diverſa loca retrocedentes, demùm ante Gazaram caſtra fixerunt, expectantes ibidem ſuccurſum, quem Soldanus Babyloniæ, caput ſacrilegii, erat tranſmiſſurus eiſdem. Recepta verò ab eodem Soldano maxima multitudine armatorum, & Chriſtianorum, & præfatorum Soldanorum exercitibus appropinquantibus contra illos, eos in vigilia ſancti Lucæ ante Gazaram invenimus cum multitudine infinita, habentes acies ordinatas ad prælium: noſtris per duces exercitus acies diſponentibus, qualiter progrederentur ad bellum. Nobis etiam Patriarcha & aliis Prælatis auctoritate omnipotentis Dei & ſedis Apoſtolicæ remiſſionem indulgentibus, de pœnitentibus peccatorum ſumma contritio & effuſio lachrymarum ſingulis cœlitùs eſt effuſa, ut mortem corporis pro nihilo reputantes, & ſperantes præmium ſempiternum, mori pro Chriſto, vivere reputarent. Unde etſi fortè corporalis calamitas, peccatis noſtris exigentibus, ſupervenit, credendum eſt altiſſimum, qui eſt ſcrutator cordium, & cognitor ſecretorum, animarum lucrum potiùs quàm corporum acceptaſſe. Poſt hæc autem concurrentibus noſtris unà cum illis, Saraceni, qui nobiſcum aderant, ab hoſtibus ſuperati, ſe univerſaliter converterunt in fugam, captis pluribus & interfectis ex illis. Et ſic Chriſtiani ſoli in prælio remanſerunt. Cumq; in eos Choroſmini cum Babylonicis inſimul irruiſſent, eis invicem dimicantibus, Chriſtiani tanquam Athletæ Domini, & fidei catholicæ defenſores, quos eadem fides & paſſio verè fecit germanos, fortiſſimè reſtiterunt. Et cùm eſſent reſpectu inimicorum pauciſſimi, proh dolor, ſuccubuerunt in bello, hoſtibus prælïorum adverſitate cedentes. Ita quòd de Conventibus domus militiæ Templi, Hoſpitalis ſancti Johannis, & ſanctæ Mariæ Theutonicorum, tantummodo triginta tres Templarii, viginti ſex Hoſpitalarii, & tres fratres Theutonici evaſerunt, aliis peremptis & captis. Optimates etiam terræ & milites, pro majori parte capti & interfecti fuerunt, præter ſtragem baliſtariorum & peditum infinitam. De Archiepiſcopo verò Tyrenſi, Epiſcopo ſancti Georgii, Abbate ſanctæ Mariæ de Joſaphat, Magiſtro Templi, & Præceptore ſanctæ Mariæ Theutonicorum, & quàmpluribus aliis religioſis & clericis, cùm non apparuerint, plurimùm dubitatur utrum adhuc in bello obierint, vel ſint in captivitate detenti: nec de ipſis ſcire adhuc potuimus veritatem. Magiſter verò Hoſpitalis, & Comes Gualterus de Breſna, cum multis aliis, capti in Babyloniam ſunt deducti. Nos verò Patriarcha, in quos, noſtris peccatis exigentibus, omnis calamitas ſupervenit, indigni à Domino martyrio deputati, evaſimus ſemivivi, apud Aſcalonam cum Nobilibus viris, Conſtabulario Aconenſi, Philippo de Monte forti, militibus & peditibus, qui evaſerunt de bello, receptaculum capientes. Et licèt nobis, qui cuncta perdidimus in bello prædicto, nulla ſit conſolatio in tot adverſitatibus & ærumnis, illud tamen quod ad præſens potuimus facientes, illuſtribus Regi Cypri & Principi Antiocheno noſtras literas & nuncios miſimus ſpeciales: eos cum omni devotione rogando, & etiam exhortando, ut in tantæ neceſſitatis articulo, ad Terræ ſanctæ defenſionem mittere debeant milites & armatos. Sed quid ſuper hoc ſint facturi, neſcimus. Demùm apud Acon civitatem reverſi, & morantes in illa, ipſam civitatem cum tota ultramarina provincia invenimus plenam doloribus, ululatibus, miſeriis, & variis afflictionibus ac infinitis: nec erat domus vel anima quæ mortuum proprium non deploraret. Et quamvis ſit dolor magnus & gravis de præteritis, timor tamen imminet adhuc præcipuus de futuris. Cùm enim tota terra Chriſtianitatis gladiis acquiſita, ſit privata & deſtituta omni humano aut terreno præſidio ac ſuffragio, & defenſorum propugnatorumque ſufficientia in nihilum planè redacta extinctaq; ſuperſtites verò non tantùm pauci, ſed etiam ad exanimationem deducti, nihil aliud reſtare præterea aut ſupereſſe videtur, quàm ut crucis hoſtibus reliqua omnia ad votum deſiderata ſuccedant, qui in maximam audaciam & intolerabilem inſolentiam prodeuntes, caſtra ſua poſuerunt in planitie Acon prope civitatem per miliaria duo,

1244. *Et per totam terram uſque ad partes* Nazareth & Saphet *liberè nullo reſiſtente, aut obicem ponente, longè lateque diſcurrunt, occupantes eandem, & inter ſe quaſi propriam dividentes, per villas & cazalia* Chriſtianorum *Legatos & Bajulos præficiunt atque conſtituunt, ſuſcipientes à ruſticis & aliis incolis redditus & tributa, quæ ante à* Chriſtianis *præſtare & exſolvere ſolebant. Qui jam ruſtici incolæque* Chriſtianis *hoſtes effecti & rebelles, dictis* Choroſminis *univerſaliter adhæſerunt. Ita quòd omnes* Hieroſolymitanæ *eccleſiæ ſimul ac provinciæ* Chriſtianæ, *aliam terram non habeant ad præſens, niſi munitiones quaſdam, quas etiam cum maxima difficultate & labore defendunt. Dicitur etiam, quòd* Babylonici *apud* Gazaram *exiſtentes, in multitudine infinita venturi ſunt ad partes* Acon, *ut ſimul cum* Choroſminis *obſideant civitatem. Recepimus etiam nuncios & literas viceſimo ſecundo die menſis Novembris, à Caſtellano & fratribus* Hoſpitalis, *qui ſunt in caſtro* Scalone, *quòd exercitus* Saracenorum *de* Babylonia *jam obſederant caſtrum ipſum, & tenebant obſeſſum, implorantibus à nobis &* Chriſtianitate *ſubſidium & auxilium feſtinatum. Ut autem charitatem veſtram moveat pietas, in compaſſionis affectum ſuper excidio* Terræ ſanctæ, *eò quòd communibus humeris hoc onus incumbat; cauſam* Chriſti *vobis duximus intimandam, ſuppliciter deprecantes, quatenus apud altiſſimum precibus & devotis orationibus pro* Terra *eadem miſericordiam imploretis: ut ipſe, qui* Terram ſanctam *in redemptionem omnium proprio ſanguine conſecravit, in ejus ſubſidium miſeratus intendat, ipſam proſpiciens & defendens. Voſque, patres chariſſimi, ſuper hoc ſalutare conſilium & auxilium, quod poteritis, apponetis, ut vobis exinde cæleſte præmium comparetis. Sciturі pro certo, quod niſi per manum altiſſimi & fidelium ſubſidium, Terræ ultramarinæ in hoc proximo paſſagio Martii ſuccurratur, ejus pro certo perditio imminet & ruina. Et quia cæteras neceſſitates & univerſalem ſtatum* Terræ, *longum eſſet vobis per literas explicare, mittimus ad præſentiam veſtram venerabilem patrem* Biritenſem *Epiſcopum, & Religioſum virum* Arnulphum *Ordinis* Prædicatorum, *qui ſeriem veritatis fideliter & plenariè referent fraternitati veſtræ; Univerſitatem veſtram humiliter implorantes, ut veſtræ benignitati placeat prædictos, nuncios, qui ſe pro eccleſia Dei magnis expoſuerunt periculis, navigando tempore hyemali, recipere liberaliter, & audire. Datum apud* Acon, *viceſimo quinto die menſis Novembris, Anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto.*

Huic ſcripto originali, quod erat hujus exemplum, appenſa fuerunt duodecim ſigilla.

Auctoritas præcedentis epiſtolæ.

HANC igitur epiſtolam lugubrem nimis & lachrymabilem, non obſtante vel hyemis ingruentis horribilitate, vel maris intumeſcentis minaci perturbatione, commiſerunt Prælati ac Magnates *Terræ ſanctæ*, domino Epiſcopo *Britenſi* nomine *Waleranno*, & fratri *Arnulpho*, de ordine *Prædicatorum*, ad ciſmarinos ſub omni qua poſſent feſtinatione deferendam, & præcipuè *Francorum* & *Anglorum* Regibus præſentandam. Epiſcopus verò & prædictus frater, in remiſſionem peccatorum ſuorum, petitioni Prælatorum tam ſtrenuè quàm humiliter, ſpretis omnibus periculis corporalibus, in tantæ neceſſitatis articulo, prima die Adventus Domini, hoc nuncium, ad excitanda corda fidelium, ad præparandas unigeniti Dei vias, quo mererentur ab imminentibus peccatorum ſuorum periculis protegente ſalvari, ſuſcipientes pro Chriſto peragendum, naves aſcenderunt. Et pro ſupra mare ſex menſibus in omni mortis diſcrimine commorantes, tot & tanta pericula, prout ab ipſo venerabili Epiſcopo referente didicimus, perpeſſi ſunt, quod lacrimabile foret audire, & moroſum explicare. Tandem, Deo ducente, & orationibus omnium præfatorum, quibus ſe commendaverant, Prælatorum ſuffragantibus, in portu *Venetorum* applicuerunt, ſcilicet circa Aſcenſionem Domini.

Quædam prognoſtica futuri judicii.

NOTA illud verbum comminationis Dominicæ jam impletum, ita ut nunquam antea ſic de ſancta civitate *Hieruſalem: Non relinquetur lapis ſuper lapidem*, &c. Sciendumq; quòd retroactis paucis annis, cecidit imago *Machometi* apud *Mecham* civitatem, in cujus rei majorem ultionem, & & *Chriſti* improperium ac *Chriſtianorum*, ex ruina dictæ imaginis inſultantium, magis deſæviebant in *Chriſtianos* & eorum loca ſancta, ipſi *Choroſmini*, dicentes per gratiam Dei, & *Machometi* interventu, talem victoriam eis accidiſſe.

In omnem terram exivit (id eſt, exibit poſteà, præteritum pro futuro) *ſonus eorum*. Jam exivit prædicatio *Prædicatorum* & *Minorum*, uſque terminos mundi, ſecundùm dictum Salvatoris: *Eritis mihi teſtes in omni Judæa & Samaria, & uſq; ad ul.* &c. ac ſic diceret: Cùm hæc videritis, imminet Judicium generale. Nec terra, nec mare, ſecundum ſolitum eorem morem, hominibus reſpondent: ſed tam aqua quàm terra quadam damnantur ſterilitate. Sol bis in triennio nuper eclipſim paſſus eſt, quod non anteà recolitur accidiſſe. Stellæ nuper cadere videbantur. Sectæ pullulant, fide vacillante. Inter Eccleſiam & Imperium diſcordia, nunquam talis. In exercitu Regis *Francorum* peſtis & fames invaluit. Paucis elapſis annis, in Imperio, ſcilicet in inſulis maris Mediterranei, *Taphis* civitas & aliæ plures terræ motu ſubverſæ ſunt.

Papa diligentia in reconciliando Episc. Wintonienſi.

CUM verò talibus fluctibus mundus intumeſceret, & *Syriam* talibus procellis concuſſiſſet, non ceſſavit etiam *Anglicanam* anxius exagitare. Rex etenim, licet crebras & efficaces petitiones & admonitiones à domino Papa pro Epiſcopo *Wintonienſi*, adhuc in *Franciæ* partibus exulante, ſuſcepiſſet, fretus tamen conciliis clericorum aulicorum, ſuis tantùm emolumentis inhiantium, graves movet contra Epiſcopum quæſtiones. Sed dominus Papa, cui Epiſcopus, ut dicitur, octo milia marcarum numeraverat, pro ipſo tum charitatis intuitu, tum reſpectu tantæ pecuniæ numeratæ, diligentiſſimè ſcripſit domino Regi *Angliæ*, in hæc verba:

INNO-

1244.

Litera Papalis ad Regem Angliæ pro Epiſc. Wintonien.

INNOCENTIUS *Epiſcopus, &c. Chariſſimo in Chriſto filio Regi* Angliæ, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſtquam Dei benignitas humilitatem noſtram ad Apoſtolicæ vocavit officium dignitatis, illam concepimus de tua ſerenitate fiduciam, quòd in his quæ ſunt ad honorem eccleſiæ, ſe promptam habere & vigilem exhibere, Provenit ex hoc, quòd cùm venerabilem fratrem noſtrum quondam* Norwicenſem, Wintonienſi *eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio conceſſimus in paſtorem, preces tibi direxerimus ſpeciales, ut eidem pro divina & noſtra reverentia te redderes affectu benevolum & effectu ſerenum, ac ſi quæ caſtra & maneria ipſius eccleſiæ, prompta benignitate ei faceres aſſignari. Tu verò, ſicut mirantes audivimus & dolemus, nedum preces hujuſmodi voluiſti deducere ad effectum, imo, quod eſt gravius, in verba nihil debitæ modeſtiæ vel reverentiæ filialis habentia prorupiſti, aſſerens quòd nulla poſtulatio in regno* Angliæ. *per ſedem Apoſtolicam admitti poſſit vel debeat te invito, & quòd illam quam nos in ſpiritualibus, tu in temporalibus habeas poteſtatem: nec quis poſtulatus poſſit abſque tuo conſenſu, poſſeſſionem temporalium obtinere. Adjeciſti præterea, quod tranſlationem ipſius Epiſcopi reputares invalidam, tanquam à nobis per vicium ſurreptionis obtentam. Hæc ſiquidem fili chariſſime, non Dei, non eccleſiæ, non tuæ reſonant ſublimitatis honorem, non ſapiunt juſtitiam, non redolent æquitatem, præſertim cùm teneat omnium credulitas pia fidelium, quod Apoſtolicæ ſedis auctoritas liberam habeat in eccleſiis univerſis poteſtatem à Dei providentia: nec arbitrio Principum ipſa ſtare cogitur, ut eorum in electionum vel poſtulationum negociis requirat aſſenſum. In quibus tamen Dominum habendo præ oculis, ſic providè procedit & cautè, quòd per illam nullius poſſit honori detrahi, vel juſtitiæ derogari. Sicut etiam in tranſlatione ipſius Epiſcopi dignoſcitur proceſſiſſe, in quo promovit hominem ſcientia, moribus, & honeſtate perſpicuum, ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, olim tibi charum & amabilem, ac ſemper tuis beneplacitis ſecundum Dominum totis viribus intendere cupientem, per cujus induſtriam probatam in plurimis honoris & commodi proficere poteris incrementis. Sed tamen non ſuggerat aſtutia ſuſurronum, à quibus parare diſpendia virtuoſis pro indifferenti ducitur, dummodò ſua ſpecialia commoda vel privata deſideria conſequantur. Tuam itaq; celſitudinem affectione qua poſſumus exhortamur, & obſecramus in Domino* Jeſu Chriſto, *quatenus ab impia ſuggeſtione talium Regiæ pietatis avertens auditum, eccleſiam Dei continuo proſequaris honore, & indultæ ſibi deſuper libertatis privilegium, conſervare ſtudeas illibatum. Nunc & in poſterum tui Regni Prælatos, ea quæ in ſpiritualibus ſeu temporalibus ſpectant ad ipſorum eccleſias, liberè conſequi & pacificè poſſidere permittat. Cæterùm, ſolerti conſiderans meditatione, quòd in Apoſtolici proſequutione officii, divini nominis deſervimus honori, quæ de præfato Epiſcopo cum ſolenni deliberatione fecimus, non ad animum revoces, non aliquo impedimento perturbes. Sed qui cordi noſtro ſtatuimus, ut te ſpecialem inter alios terræ Principes habeamus, in ipſo impartiri procurans honorem, ſibi caſtra & maneria cum fructibus inde perceptis à tempore tranſlationis hujuſmodi, omni poſtpoſita difficultate, reſignes, ac benevola benignitate concedas, quòd ſolicitudinem ei creditam poſſit cum effectu proſequi, tua favente gratia ſpeciali. Aliàs autem, cùm libertatem eccleſiaſticam in diebus noſtris velimus non minui, ſed Deo propicio augeri cupiamus, nullatenus ſuſtinere poterimus, quòd nos in ipſo Epiſcopo tam præjudicialem injuriam patiamur. Datum* Laterani, *tertio Calend. Martii, Pontificatus noſtri anno primo.*

Papa ſcribit Reginæ Ang. & aliis Prælatis pro Epiſcopo Wintonienſi.

SIMILI modo ſcripſit dominus Papa *Anglorum* Reginæ epiſtolam elegantem, pro Epiſcopi *Wintonienſis* negocio, in cujus epiſtolæ titulo, aſſerit Papa ipſam Reginam ſibi eſſe, (ſed neſcitur qua ratione) conſanguineam, niſi fortè ut haberet eam ſuis negociis proniorem, & petitionibus favorabiliorem. Ipſam igitur verbis elegantiſſimis petit & exhortatur, (ſciens quia *mulier*, quaſi *molliens herum* dicitur,) ut ipſa Regis viri ſui in hoc rigore & rancore, quem concepit erga Epiſcopum *Wintonienſem*, ſtudeat emollire.

Scripſit idem dominus Papa electo *Cantuarienſi, Wigornienſi* & *Herefordenſi* Epiſcopis, ut ipſi dicto negocio diligenter intenderent, annectens in fine epiſtolæ, ut nomina ſuſurronum, animum Regis pervertentium, ſibi in literis ſuis reſcriptis mitterent annotata.

Litera Epiſ. Wintonienſis ad Regem Angl.

EXCELLENTISSIMO, &c. *Cum veſtris beneplacitis quantum cum Deo poterimus totis viribus intendere cupiamus, fratrem* Hugonem *de ſancto* Heuderio, *à veſtra ſerenitate ad nos deſtinatum, cum omni qua decuit ſuſcepimus reverentia. Deinde ex parte veſtra expoſitis nobis articulis ab eodem, ad ſingulos reſpondimus, Juris & æquitatis ſectantes, ut credimus, rationes, prout dictus frater* Hugo *veſtræ Majeſtati ſuis literis plenius, ut ab eo accepimus, intimabit. Affectantes toto mentis deſiderio, ut ſuper eiſdem articulis, quantum ſecundum Dominum poterimus, veſtram voluntatem adimplere, pietati veſtræ devotiſſimè ſupplicamus, quatenus eccleſiæ* Wintonienſis *compatientes anguſtiis, ob Apoſtolicæ ſedis reverentiam, ad gratiam veſtram nos admittere velitis pariter & favorem, & indignationem divini nominis obtentu miſericorditer remittere, quam ad quorundam forſan ſuggeſtionem, contra nos veſtra concepit Regia celſitudo.*

Objectiones Regis contra Epiſcopum Wincon.

ET, quia de articulis, ſuper quibus convenit dominus Rex Epiſcopum *Wintonienſem*, mentio facta eſt, videndum eſt quibus & qualiter reſponderit Epiſcopus. In primis, quod cùm ex tenore privilegiorum domini Regis, & tam jure quàm conſuetudine Regni ſui obtentum ſit ab antiquo, quòd electi & poſtulati poſt electionem & poſtulationem celebratam per electores & poſtulatores, ipſi domino Regi debeant præſentari, & poſt confirmationem, ante adminiſtrationem in ſpiritualibus vel temporalibus faciendam, ei juramentum fidelitatis præſtare, quæ in perſona ipſius Epiſcopi ſunt omiſſa, apud dominum Papam ſtudeat procurare, quòd non obſtante præmiſſa, de cætero in ſimilibus caſibus privilegia ipſa, jus, & conſuetudo permaneant in

ſuo

1244. ſuo robore firmitatis, & ab ipſo ſpecialiter confirmentur. Secundariò, quòd idem Epiſcopus relaxet ſententiam Interdicti, in civitatem *Wintonienſem* promulgatam. Tertiò, quòd ad cautelam abſolvat omnes clericos & laicos & alios, & præcipuè *Wintonienſes*, quos ratione controverſiæ inter dominum Regem & Epiſcopum exortæ, excommunicationis ſententia innodavit. Quartò, quòd Priorem *Wintonienſem*, quem dominus Rex ibidem conſtituit, non amoveat, ſed ex ſua gratia ſtare permittat. Quintò, quòd omnia beneficia eccleſiaſtica ad ſuam donationem ſpectantia à domino Rege poſt motam controverſiam inter eos in eodem Epiſcopatu vel alibi collata, ratificet, & poſſeſſores pacifica gaudere poſſeſſione permittat. Sextò, quòd contra magiſtrum *Henricum* de *Seuſa*, nec quoſquam alios clericos vel Monachos memoratos, occaſione hujus controverſiæ, nullam inſtituat actionem: imò omnem indignationem, offenſam, injuriam, & rancorem remittat. Septimò, quòd ſi quod jus vel actio ſibi competit ſuper exitibus Epiſcopatus *Wintonienſis*, pro tempore retroacto, ea penitus ob honorem Regium, domino Regi ex ſua liberalitate remittat. Octavò, quòd idem Epiſcopus à Papa procuret, quòd omnibus clericis domini Regis, quorum nomina ſibi ad mandatum ſuum per Epiſcopos *Wigornienſem* & *Herefordienſem*, & Archidiaconum *Cantuarienſem*, ſunt tranſmiſſa, omnem indignationem remittat, & eos admittat in gratiam pleniorem, ita quòd quantum ad famam & beneficia & ſtatus conditionem, conſerventur illæſi.

Reſponſum Epiſ. Wintonien.

AD primum articulum domini Regis reſpondet Epiſcopus *Wintonienſis*: Quòd cùm poſtulatores ſui, facta poſtulatione de domini Regis licentia, ipſum ſecundùm Regni conſuetudinem eidem domino Regi præſentaſſet, & poſtmodum dicta poſtulatione per dominum Papam admiſſa & confirmata, idem Epiſcopus literas domini Papæ ſuper hoc eidem domino Regi directas, tam per fratres *Prædicatores* quam minores, clericos, & milites, ei porrigi procuraſſet, qui ex mandato ipſius devotè domino Regi ſupplicarunt, ut de ipſius licentiâ ſe ejuſdem conſpectui poſſet præſentare, facturus eidem quod Regni ſui conſuetudo poſtulat & requirit. Nec hoc poſt magnam inſtantiam obtinere potuiſſent, ex parte illius Epiſcopi nihil omiſſum poterit reputari, cùm per ipſum non ſteterit, quin omnia in dicto articulo domini Regis contenta & poſtulata, eſſent adimpleta.

Ad ſecundum & tertium reſpondit ita: Quòd cùm domini Regis gratiam fuerit aſſequutus (quam tota mente deſiderat,) & ſui Epiſcopatus poſſeſſionem pacificam obtinuerit; Interdicti & excommunicationis ſententias in forma Juris benignè relaxabit, ad quod pactionis vinculo, ſecundùm Dominum & Juſtitiam aſtringere ſe non poteſt. Omnem tamen gratiam, quam ſecundùm Dominum poterit excommunicationis, obtentu Regiæ petitionis intendit impartiri. Ad quatuor autem articulos ſequentes reſpondit: Quòd cùm res tangant ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, quæ conditionis ſuæ pactionis formam non admittunt, in forma à domino Rege petita dictos non poteſt articulos adimplere. Veruntamen cùm domino ſuo Regi reconciliatus fuerit, & ſuam gratiam & Epiſcopatus poſſeſſionem pacificam obtinuerit, de dicti domini Regis & ſuorum fidelium conſilio, cum tanta benignitate procedet, quòd in præmiſſis quantum ſecundum Dominum poterit, ſe favorabilem exhibebit. Ad articulum verò ſuper exitibus Epiſcopatus, reſpondit: Quòd cùm favorem Regis aſſequutus, Epiſcopatus poſſeſſionem habuerit, & ei de eorundem exituum æſtimatione conſtiterit, domini Regis ita voluntati obtemperabit, ut in hoc ab eo meritò debeat commendari.

Fraus magiſtri Henrici de Seuſa.

Ex ipſo igitur tempore, mitiùs agebat Rex cum Epiſcopo *Wintonienſi*, tum propter domini Papæ diligentem ſupplicationem, tum propter Epiſcopi humiliationem & modeſtam reſponſionem. Pace igitur pro foribus apparente, magiſter *Henricus* de *Seuſa*, fomes & procurator diſcordiæ memoratæ, cui Rex contulerat opimum beneficium, videlicet cuſtodiam hoſpitalis *ſanctæ Crucis* extra civitatem *Wintonienſem*, cœpit cogitare & dicere intra ſe, propria læſus conſcientia: Quòd ſi pax inter dictas partes pleniùs ac planiùs reformaretur, inter amicos Regis Epiſcopus præcipuus haberetur, nullique ſecundus, in conſiliis Regiis, utpote diſcretus & circumſpectus, ſublimaretur: ipſumque eundem *Henricum*, & meritò, uſque ad confuſionem perſequeretur. Rex quoque ea facilitate eum ſperneret, qua ſequutus eſt. Conſiderans igitur hæc omnia, de pecunia, quam de Rege non minimam, ad dejiciendum Epiſcopum *Wintonienſem*, acceperat, comparavit ſibi amicos de *Mammona iniquitatis*, & adquiſivit ſibi (utinam non comparavit,) quendam in ſuis partibus Epiſcopatum. Et nuncius, corvo factus ſimilis, dominum ſuum *Noë* defraudanti, nuncium cum onere negocii, quod humeris ſuis ſuſceperat bajulandum, nequiter reliquit imperfectum. Nec apparuit poſteà in Regno *Angliæ*, bonis Regni pleniùs ſaginatus.

Papa clam fugam arripit.

HAS igitur dum annalis orbita temporales mutationes tranſcurreret, Imperator *Fredericus*, ſuperbiæ ſtimulis exagitatus, pœnitere cœpit quòd ſe eccleſiæ, ut prædictum eſt, humiliaſſet & obligaſſet, & calcaneo Papali inſidias tetendit, & laqueos abſconditos, qui tamen poſteà apparuerunt manifeſti. De quibus dominus Papa præmonitus, Imperatoris vulpinos Mæandros, in quantum potuit, evitavit, & ſuſpectos habuit, nec ſe credebat ei, vel ſuis, cùm noſſet omnes, futura præteritis comparando.

Die verò ſanctæ *Trinitatis*, volens dominus Papa partem ſuam meliùs roborare, quia paucos ſui laboris ſocios, & ſollicitudinis habuerit participes, creavit decem Cardinales, videlicet

magiſtrum

magiſtrum *Johannem* de *Toleto*, natione *Anglicum*, & quoſdam alios, moribus & ſanguine præclaros. Octavo verò die ante feſtum nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ*, acceſſit dominus Papa cum omnibus Cardinalibus ad civitatem *Caſtellanam*, quæ ab urbe octodecim diſtat miliaribus: ut viciniùs Imperatori, efficaciùs de pace tractaret, quæ ſuſpecta erat, imò potius deſperata. Vigilia autem Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, venit apud *Sutrium* civitatem. Imperator autem jam recalcitrans, mandavit ei, quòd nihil faceret de conventis, niſi literis abſolutionis priùs habitis. Cui cùm contradicendo reſpondiſſet dominus Papa, hoc fore diſſonum rationi, orta eſt diſcordia inter eos. Dominus igitur Papa, ſuæ præſagus perturbationis, ex tunc repentinam & clandeſtinam fugam arripere ſatagebat, nullo tamen conſcio, ne fugienti dominus Imperator repagula præpararet. Fuerunt tamen qui dicerent, ipſum magis amore munerum, quæ delaturi erant illi *Ciſalpini*, nec auſi erant terras tranſire Imperatoris, ut ipſis ſinum aperiens occurreret, quàm pro timore alicujus perſequentis. Unde ſumpta qualiquali occaſione, versùs *Januam*, quæ ſibi patria fuit genialis, ſicut ſequens ſermo declarabit, greſſus impiger dirigebat. Eadem igitur die, videlicet vigilia Apoſtolorum, ſignificatum fuit domino Papæ, (ut idem poſteà aſſerebat) quòd trecenti milites *Tuſci* erant in veniendo ipſa nocte, ut ipſum appræhenderent. Dominus igitur Papa, non mediocriter attonitus, & perturbationis vultum præferens, in hora primi ſomni, relictis Papalibus ornamentis veterem induit *Senebaldum*, & leviter armatus, equum aſcendit velociſſimum, manu non vacua, & vix cubiculariis conſciis, clam ſubitoq; diſcedens, non equinis pepercit lateribus: ita quòd ante primam, triginta quatuor miliaria pertranſivit, nemine comitante, vel ipſum ſequi potente. Media autem nocte clamor factus, Ecce Papa receſſit, neſcientibus aliquibus, niſi aliquot, ſed paucis, Cardinalibus. *Petrus* verò de *Capua*, cum uno ſolo comite, non ſine viarum diſcrimine, ſequutus, invenit Papam ipſo die apud caſtrum ſupra mare, quod dicitur *Civitas* vetus. Venerant autem ibidem in occurſum Papæ viginti tres galeiæ, quarum unaquæque ſexaginta viros bene ferro armatos, & centum & quatuor remiges aſſignatos continebat, exceptis nautis, & ſexdecim bargæ. Propter quod argumentoſi ſuſpicabantur, hæc omnia diu antè prævisa dominum Papam deſideraſſe. Fuerunt autem cum armatis, & eis præfuerunt, Poteſtas *Januæ*, quem Admiratum vocant, & majores civitatis, qui ſe omnes jactabant eſſe vel affines vel conſanguineos Papæ, propter retributionem. Intravit igitur unam galeiarum illarum dominus Papa, ſerò cum ſeptem Cardinalibus, & paucis aliis comitantibus. Et vix magnum mare intraverant navigantes, ecce occupat ipſos tempeſtas validiſſima, non tamen ex adverſo, & erectis velis, non ſine maximo timore & periculo, eadem via qua navigantes capti erant Prælati, per centum miliaria, die Veneris ſequenti, compellente tempeſtate rapti, applicuerunt in portu inſulæ cujuſdam *Piſanorum*, ibidem pernoctantes. In craſtino verò omnibus à peccatis ſuis abſolutis, & audita Miſſa de beata Virgine, timentes vehementer *Piſanos*, raptim ſe ad inſulam *Januenſium* provehebant, ſcilicet centum & viginti quatuor miliaribus ipſo die peractis. Et vix præ tempeſtate evadentes, venerunt ad portum *Veneris*, ubi moram fecerunt die Dominica, & die Lunæ: die verò Martis pervenerunt *Januam* lætabundi. Diſtabat autem dominus Papa ab urbe jam quindecim dictis. Receptus eſt autem à concivibus, conſanguineis, & affinibus ſuis, in urbe ipſa qua natus eſt, in campanarum claſſico, in cantu & Muſicis inſtrumentis; Dicentibus omnibus & conclamantibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quibus & ipſi reſponderunt: *Anima noſtra ſicut paſſer de laqueo ve. la. con. eſt.*

Imperator F. ægrè fert fugam Papæ.

CUM autem domino Imperatori hæc innotuiſſent, more Satyrico infrenduit, & ait: Scriptum eſt: *Fugit impius nemine perſequente.* Obſtupuit & doluit nimis, & ſuorum portuum & civitatum cuſtodes ignaviæ & deſidiæ redarguit, qui adverſarios ſuos permiſerunt liberè pertranſire. Fecit igitur in circuitu *Januæ*, præcipuè versùs *Galliam*, exitus viarum, ne ad Papam pecunia portaretur, arctiſſimè cuſtodiri. Et jam acclamabatur dominus Imperator, manifeſtus eccleſiæ perſequutor. Nec reputabat dominus Papa adhuc ipſam civitatam *Januam*, tutum fore refugium, non ignorans potentiam Imperatoris eſſe latiſſimam, ſecundùm illud Poëticum:

An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Imperator F. ſibi multos potentes amicos conciliat.

IPSIS quoque temporibus, dum videlicet dominus Papa moram apud *Januam* continuaret, conſentientibus *Mediolanenſibus* ſimul cum *Liguribus*, *Italicis* quibuſdam, etiam *Romanis*, & multis de Nobilioribus *Alemanniæ*, procurante Papa, animatur quidam de maximis *Alemanniæ* potens, quem nominant *Landegravium*; ut Imperialem ſibi dignitatem aſſumens, donec pleniùs exaltaretur, ope fultus multiplici tam Prælatorum quàm Magnatum, bellum moveret contra Tyrannum *Fredericum*, perſecutorem eccleſiæ jam publicum & generalem. Denigrata eſt enim fama ſua, non mediocriter, & dicebatur quòd jam non firmo greſſu in lege Domini ambularet, *Saracenis* confœderatus, *Saracenicas* meretriculas ſibi retinens concubinas, & alia quæ relatu ſunt indigna & moroſa. Cumq; hæc attentaturus memoratus *Landegravius*, ſecum & Optimatibus ſuis convocatis deliberaret, quid ſuper hoc agendum, dixerunt ei amici ſui, temerarium fore hoc aggredi, & ancipiti caſui ſe, qui tranquilla pace gaudebat, committere, quicquid pars Papalis ei promitteret. Et dum ſuper hoc penderet ſententia, ecce Imperator rapido curſu illuc advolans, paucis & conſciis & concomitantibus, cui hæc nota facta ſunt, animum dicti *Landegravii* adeò effœminatum divertit ab hoc propoſito, quòd facti ſunt dominus Imperator & ipſe *Landegravius* amiciſſimi & confœderati & affines: & dedit *Landegravius* Imperatori

munera,

1244. munera, & Imperator ei. Et hoc negocio conſummato, ſicut clanculò venerat dominus Imperator & ſubitò, ſic receſſit.

Ipſorumq; temporum curriculo, ut partem ſuam, quam credebant adverſarii jam infirmatam, magis roboraret, dominus Imperator dedit filiam ſuam nuptui cuidam Principi potentiſſimo *Græcorum*, nomine *Botatio*, *Romanæ* eccleſiæ exoſo & inobedienti, & ideo ſchiſmatico. Quod audientes adverſarii Imperatoris, ſiluerunt confuſi.

Wallenſium rebellio & perfidia nefanda.

SUB illius anni quoq; tempore, vernuli *Wallenſes*, neſcientes & nolentes colla ſua legibus ignotis Regni *Anglorum* ſubmittere, duces ſibi conſtituentes *David Leolini* filium, & quoſdam alios potentes de *Wallia*, contra Regem & ejus Marchiſios bellum moverunt cruentiſſimum, chartarum juramentorumq; ſuorum obliti. Quibus præcepto Regio & pro terrarum ſuarum ſalvatione viriliter reſtiterunt, Comes de *Clare*, Comes de *Herefort*, *Thomas* de *Muncmubē*, *Rogerus* de *Mubaut*, & alii Marchiſii potentes & præclari. Qui in principio certaminis calculum deteriorem reportantes, tandem de aliquibus hoſtium, ut moris eſt in bello, triumpharunt. Ceciderunt autem in illo certamine, hinc inde centum viri, & amplius.

Regi Angliæ varii rumores afferuntur ad S. Albanum.

FESTO verò ſancti *Barnabæ* fuit dominus Rex apud ſanctum *Albanum* triduo commorans: ibiq; rumoribus crebreſcentibus de *Wallenſium* inſolentia, ſupervenerunt alii, quibus magis turbabatur Rex, & contriſtatus eſt; Videlicet de *Roberto Paſſeleve* clerici ſui caſſatione, qui ad Epiſcopatum *Ciceſtrenſem* electus fuerat, & alter loco ipſius, videlicet magiſter *Richardus* de *Withz*, ſine aſſenſu Regis, ſubitò ſubrogatus. Fuerat ibi magiſter *Martinus* Papæ clericus promptus, ut promovendi redditibus ad opus Papæ manus aduncas injiceret. Præterea alios præter prædictos rumores audivit dominus Rex recentes, quòd ſcilicet Rex *Scotiæ* Regi ſignificaverat procaciter, quòd nullam etiam particulam Regni *Scotiæ* à Rege *Angliæ* tenuit, vel tenere voluit, aut debuit. Erat autem amicitia inter ipſos Reges nimis attenuata, poſtquam ſcilicet confœderatus eſt Rex *Scotiæ* fœdere matrimoniali cum filia *Engelrami* de *Cuſcy*, qui & ſicut omnes *Franci*, capitalis, vel unus de capitalibus Regis *Angliæ* inimicis fuiſſe dignoſcitur. Cogitans igitur Rex has ſibi illatas injurias repellere, animavit alacriter & adjuvit ipſos qui contra *Wallenſes* certamina ſuſtinuerunt, majus ſpondens in manu militari & theſauro ſubſidium. Poſt tractatum de negocio, *Scotiæ* ſtatum contingenti, Epiſcopatum inſuper *Ciceſtrenſem* in manu cepit, non permittens novum electum aliquam habere poteſtatem. Inſuper magnam concepit indignationem adversùs omnes qui hoc procuraverunt, & his conſenſerunt: præcipuè tamen adverſus electum *Cantuarienſem*, quem maximè redarguit ingratitudinis, & quòd eſſet læſor Regiæ dignitatis in principio ſuæ promotionis. Et ut Regis *Scotiæ* mandatis & inſolentiæ non tepidè reſponderet, ſignificavit fiducialiter Comiti *Flandriæ* (veluti fideli ſuo & multipliciter obligato) ut veniret cum manu armata ad adjutorium ſuum contra Regem *Scotiæ*. Quod ipſe Comes benignè conceſſit.

Epiſ. Winton. revocatur & reconcilliatur Regi Angliæ.

EODEMQUE tempore, dominus Rex ſaniori uſus conſilio, dominum Epiſcopum *Wintonienſem* amicabiliter à partibus revocavit tranſmarinis, gratiam ſuam & ablatorum reſtitutionem, ad inſtantiam domini Papæ, & aliorum Magnatum, pro ipſo præcordialiter petentium, pollicendo. Unde Epiſcopus in ſpem erectus meliorem, ſalutato Rege *Francorum*, & reddita eidem gratiarum actione, de ſibi impenſis ab eo beneficiis, & eò quòd ipſum exulantem in regno ſuo receptaverat & protexerat, repatrians Nonas Aprilis apud *Doveram* proſperè applicuit. De cujus adventu omnes *Angli*, præter illos clericos Regis, aulicos, diſcordiæ ſeminatores, quos propria conſcientia ſauciabat, gratulabantur, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sperabatur enim indubitanter, quòd prudentia ſua & ſenſu, quo abundavit & præpollebat, tam Regem, quàm Regnum, nec non & Epiſcopatum ſuum, in ſtatum optimum ſolidando promoveret. Qui Regis ſe præſentiæ gratulanter præſentans, hilari vultu & placabili eſt admiſſus, acſi ſemper fuiſſet ab ejuſdem Regis offenſa alienus. Quorum de die in diem ex inſolito amor cumulatur & congratulatio, ſicut ſcriptum eſt:

Poſt inimicitias clarior exſtat amor, &c.

Eiſdémque diebus, *Cantuarienſis* electus B. Monachos *Cantuarienſes* nimis auſterè & ſecus quàm decebat, contra ſpem omnium qui ipſum creaverant, opprimere jamjam inchoavit, diſponens in prioratu plus ad libitum ſuum, quàm rationem univerſa.

Miſerabilis caſus Engelrami de Cuſcy.

PER idem tempus, inſtante Auguſto, *Engelramo* de *Cuſcy*, patre Reginæ *Scotiæ*, mirabiliter mortuo, *Johannes* filius ejus præſidium militare per mare Regi *Scotiæ* tranſmiſit: ſed Rex *Angliæ* omnes quos idem *Johannes* miſit, potenter abegit. Mirabiliter, inquam, obiit memoratus *Engelramus*, antiquus eccleſiæ perſequutor, ſed illius ſpecialiter, ſcilicet *Clarevallis*, quam ſuper feudum ſuum antceſſores ſui magnifici magnificè fundaverunt, morte periit geminata. Ipſe enim dum viveret ædificator in materialibus nimis ſtudioſus, in ſpiritualibus autem diſſipator, dum quodam die itinerans vadum quendam debuit tranſmeare, equino pede ad aliquod offendiculum titubante, corruit ſupinus in profundum, ad quod tamen propria ſtrepa pertractus eſt violenter, & tunc infœliciter. Quo in præceps corruente, gladius ejus evaginatus corpus ſuum tranſverberavit. Et ſic ſubmerſus & gladio perfoſſus, & diſtractus, ab hac luce temporali, viarum ſuarum fructum collecturus, emigravit. *Johannes* igitur filius ejus, & hæres univerſorum, pro amore

Reginæ

Reginæ *Scotiæ* ſororis ſuæ, Regi *Scotiæ* ſuffragium præſtitit, ut prædictum eſt, & conſilium. Communivit etiam idem Rex, caſtra *Angliæ* contermina, & à Magnatibus, affinibus, & confinibus inſtanter auxilium, contra Regem *Angliæ*, ſibi adverſa machinatem, poſtulavit. Et conceſſum eſt ei animo volenti, à multis Optimatibus & potentibus, auxilium in tempore neceſſitatis poſtulatum: ita ut numerus bellatorum promiſſorum, ad numerum aſcenderet inæſtimabilem. 1244.

EODEM vero anno, convenerant Regia ſubmonitione convocati *Londinum* Magnates totius Regni, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Comites, & Barones. In quo conſilio petiit Rex ore proprio, in præſentia Magnatum, in refectorio *Weſtmonaſterienſi*, auxilium ſibi fieri pecuniare, ſub ſilentio præteriens propoſitum ſuum de Rege *Scotiæ* potenter expugnando. In propatulo tamen manifeſtans, quòd anno tranſacto transfretaverat in *Gaſconiam* de conſilio eorum, ut dicebat, ubi tenebatur æris alieni non modica quantitate, nec potuit, niſi efficaciſſime ſibi ab illis generaliter ſubveniretur, liberari. Cui fuit reſponſum, quod ſuper hoc tractarent. Recedenteſque Magnates de refectorio, convenerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi, Abbates & Priores, ſeorſum per ſe, ſuper hoc diligenter tractaturi. Tandem requiſiti fuerunt ex parte eorum Comites & Barones, ſi vellent ſuis conſiliis unanimiter conſentire, in reſponſione & proviſione ſuper his facienda. Qui reſponderunt, quòd ſine communi univerſitate nihil facerent. Tunc de communi aſſenſu electi fuerunt ex parte cleri, electus *Cantuarienſis*, *Wintonienſis*, *Lincolnienſis*, & *Wigornienſis*, Epiſcopi. Ex parte laicorum, *Richardus* Comes, frater domini Regis, Comes *Bigot*, Comes *Legr. Simon* de *Monte forti*, & Comes *Mareſcallus W.* Ex parte verò Baronum, *Richardus* de *Muntfichet*, & *Johannes* de *Baillotl*, & de *ſancto Ædmundo* & de *Rameſeia* Abbates; ut quod iſti duodecim providerent, in communi recitaretur: nec aliqua forma domino Regi oſtenderetur auctoritate duodecim, niſi omnium communis aſſenſus interveniret. Et quia charta libertatum, quas dominus Rex olim conceſſerat, & pro cujus conſervatione Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, *Ædmundus* juraverat, fide juſſerat, & certiſſimè pro Rege promiſerat, nondum extitit obſervata, & auxilia quæ toties conceſſa fuerant domino Regi, ad nullum profectum Regis vel regni devenerant. Et per defectum Cancellarii Brevia contra juſtitiam pluries fuerant conceſſa, petitum fuit & ſecundùm quod elegerant, Juſtitiarius & Cancellarius fierent, per quos ſtatus Regni ſolidaretur, ut ſolebat. Et ne per compulſionem concilii aliquid novum ſtatuere videretur, noluit petitioni Magnatum conſentire: ſed promiſit ſe emendaturum, quæ ex eorum parte audierat. Unde datus fuit terminus eis, uſq; in tres ſeptimanas à Purificatione beatæ Virginis, ut ibidem iterum tunc convenirent. Quod ſi mera voluntate Rex iterum tales Conſiliarios eligeret, & taliter jura regni tractaret, quòd Magnates contenti eſſent, ad terminum illum ſuper auxilio faciendo reſponſuri providerent; ita tamen, quòd ſi aliqua pecunia eidem concederetur, per dictos duodecim expenderetur ad commodum Regni. Et cùm per plures dies protraheret eos dominus Rex, volens eos quaſi tædio affectos flectere ad conſenſum, ut ſine termini prorogatione ad auxilium contribuendum conſentirent, multipliciter convenit eos, nec circumvenit, quia Magnates hoc prudenter perpendentes, immobiliter in propoſito perſtiterunt. Tunc dominus Rex demùm ſperans ſaltem clerum ad deſiderium ſuum inclinare, convocatis prælatis, porrexit illis Papales apices in publico, ſub hac forma:

Rex petit auxilium pecuniæ.

INNOCENTIUS *Epiſcopus, &c. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, & aliis eccleſiarum Prælatis, & clericis, per Regnum* Angliæ *conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Debet mater eccleſia hos qui Regali præeminent dignitate, illa prærogativa proſequi, & ea muneris gratia prævenire, quòd in ipſius devotione poteſtas ſemper ferveat, & ad ejus per conſequens ſubjectorum obſequia pervigil habiatur. Cùm igitur inter Reges cæteros orbis terræ, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem* Angliæ *illuſtrem ſingularis dilectionis brachiis amplectamur, qui veluti Princeps catholicus & devotus* Romanam *eccleſiam matrem ſuam filiali ſubjectione & obſequio devotionis ſic ſemper ſtuduit venerari, quòd nequaquam ab ipſius beneplacitis declinaret, quinimò quæ ipſi grata novit & placita, ſollicitudine prompta pe regit, non eſt mirum, imò concedens eſt, & condignum, ſi ipſius precibus facilius annuamus, ſi honoris ipſius & ſtatus quæramus gloriam & augmentum ſi ad quod effectus ipſius dirigatur, veſtræ liberalitatis effectus conſonet in idipſum. Sanè cùm idem Rex, ſicut ex parte ipſius fuit propoſitum coram nobis, pro quibuſdam negociis magnis & arduis, quæ ſibi imminebant, adeò ſubierit gravia, & ſubire adhuc ipſum oporteat onera expenſarum, quòd veſtræ ſubventionis indigere ſubſidio dignoſcatur, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attentè, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus attendentes prudenter, quòd vos decet & convenit eò libentiùs ipſius Regis ſupportare labores, & gravamina relevare, quò minus poſſet eſſet ſine veſtri ſtatus & honoris diſpendio alicujus jacturæ vel incommoditatis onere prægravari, ſibi de veſtris redditibus honeſtum ſubſidium liberaliter conferatis. Ut idem expenſarum ſuarum, veſtræ ſubventionis propiciante dextera, perferre leviùs onus poſſit, voſq; proinde vobis ejuſdem Regis, cujus bonorum eſtis participes, honoris & gloriæ non expertes, favorem & gratiam, quibus proculdubiò indigetis, valeatis futuris temporibus vendicare, & nos, qui haberi volumus ex hoc ad veſtra & veſtrarum eccleſiarum commoda promptiores, devotionis veſtræ promptitudinem non immeritò commendemus. Datum Januæ quarto Calend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Litteræ Papales ad prælatos Angliæ.

1244. Similiter autem ſcripſit ſingulis Prælatis ſub eadem forma, non ſine multæ pecuniæ effuſione, Papæ tranſmiſſæ, pro labore ſcripturæ.

Et cùm per commune conſilium, à quo noluerunt recedere, proviſum eſſet, ut reſponſio ad literas Papales pro Rege deprecatorias prorogaretur uſque ad terminum prænotatum, recedentibus Magnatibus, ultimo die concilii, quod ſex diebus duraverat, uſque ad noctem, ſollicitavit ſingulos Prælatos, deprecans ut in craſtino iterum convenirent. Quibus convenientibus in infirmaria, ſcilicet in Capella ſancti *Johannis Evangeliſtæ*, miſit dominus Rex Comitem *Legr. S. P.* de *Sabaudia*, *Radulphum filium Nicolai*, *Willielmum* de *Cantel.* *Johannem filium G.* qui expoſuerunt eis ex parte domini Regis ejus deſiderium, petentes diligenter, ut obtemperarent Regiæ voluntati, ſecundùm petitionem ſaltem Papalem, ſi Regia poſtponeretur. Expoſuerunt etiam Regis inſtantem egeſtatem, & imminentia Regis & Regni pericula, videlicet bellum motum in *Gaſconia*, inſolentiam quoque *Wallenſium* reprimendam. Petierunt ergo Prælati tranſcriptum epiſtolæ Papalis, ut ſibi ſuper hoc conſulerent. Et dum talia agerentur, ante expectatum ecce Rex ſolus feſtinanter & ex abrupto advenit, proteſtans cum ſuo ſolito jus jurando, quòd honor eorum, honor ſuus foret, & è converſo. Et ſuper prædictis preces precibus exaggeravit. Reſpondentibus igitur illis, quòd ſuper hoc diligentem haberent tractatum, Rex receſſit perturbatus. Et cùm ſuper hoc propenſiùs tractarent, volentibus aliquibus ut mitiùs Regi reſponderent ipſi Prælati, quàm laici, reſpondit *Lincolnienſis*, proferens hanc Theologiæ auctoritatem: *Non dividamur à conſilio communi. Quia ſcriptum eſt: Si dividamur, ſtatim omnes moriemur.* Et ſic prorogata ſunt omnia uſque ad terminum memoratum, tam ſuper petitione domini Papæ pro Rege, quàm ipſius domini Regis. Perpendens autem dominus Rex, quòd omnes ſimul non potuit enervare, recurrens ad verſutias *Romanorum*, attemptare propoſuit ſingulos ſingulatim, ſicut aliàs fecerat, ſimulatis ſermocinationibus circumventos ſibi inclinare. Rediénſque petiit, ut ſaltem adhuc per unum diem moram protelarent. Quod quidam Prælatorum cautè attendentes, noluerunt illaqueari. Sed ſummo mane recedentes, retia quibus aliquando involvebantur, prudenter evaſerunt. Et murmurante Rege, ſolutum eſt concilium.

Proviſio Magnatum conſenſu Regis facta.

DE *libertatibus alia vice emptis, conceſſis, & per chartam domini Regis confirmatis, quòd de cætero obſerventur. Ad cujus rei majorem ſecuritatem fiat nova charta, quæ ſuper hæc ſpecialem faciat mentionem. Et ab omnibus Prælatis ſolenniter excommunicentur, qui ſcienter & prudenter libertates à domino Rege conceſſas vel impugnare, vel impedire, quo minus obſerventur, præſumpſerint: & reformetur ſtatus eorum, qui poſt ultimam conceſſionem in libertatibus ſuis læſionem incurrerunt. Et quia propter virtutem ſacramenti præſtiti, necnon propter timorem ſententiæ latæ à ſancto viro* Ædmundo, *quod ea vice promiſſum fuerat, hactenus non exſtitit obſervatum; ne hujuſmodi periculum de cætero eveniat, & ſic fiant noviſſima pejora prioribus, de communi aſſenſu quatuor eligantur potentes & nobiles de diſcretioribus totius Regni, qui ſint de concilio domini Regis, & jurati quòd negocia domini Regis & Regni fideliter tractabunt, & ſine acceptione perſonarum, omnibus juſtitiam exhibebunt. Hi ſequentur dominum Regem, & ſi non omnes, ſemper duo eorum ad minus præſentes ſint, ut audiant querimonias ſingulorum, & patientibus injuriam celeriter poſſint ſubvenire. Per viſum & teſtimonium eorum, tractetur theſaurus domini Regis, & pecunia ab univerſis ſpecialiter conceſſa, & ad commodum domini Regis & Regni expendatur, ſecundum quod melius & utilius viderint expedire. Et erunt libertatum conſervatores. Et ſicut de omnium aſſenſu eliguntur, ſic etiam ſine communi aſſenſu non poterit aliquis eorum amoveri aut ſuo officio privari. Uno eorum ſublato de medio, de aſſenſu & electione trium, loco illius, alius ſubſtituatur infra duos menſes. Nec ſine ipſis, ſed cùm neceſſe fuerit, & ad eorum inſtantiam, iterum conveniant univerſi. Brevia contra Regem & conſuetudinem Regni impetrata, penitus revocentur & aboleantur. Memorandum quoque de ſententia ferenda in contradictores. Item, de obligatione ſacramenti in invicem. Item, de itinere Juſtitiariorum. Juſtitiarius & Cancellarius ab omnibus eligantur. Et quia frequenter debent eſſe cum domino Rege, poterunt eſſe de numero conſervatorum. Et ſi aliqua interveniente occaſione, dominus Rex abſtulerit ſigillum ſuum à Cancellario, quicquid fuerit interim ſigillatum, irritum habeatur & inane. Deinde Cancellario fiat reſtitutio. Nullus ſubſtituatur Cancellarius, vel Juſtitiarius, niſi ſolummodo per ſolennem & univerſalem omnium convocationem, & liberum aſſenſum. Duo Juſtitiarii eligantur in Banco. Duo itidem Barones in Scaccario conſtituantur. Unus quoque ad minus Juſtitiarius* Judæorum *deputetur. Hac vice autem per communem, univerſalem, liberamque omnium electionem, fiant & conſtituantur omnes Officiarii prædicti: ut quemadmodum omnium negocia ſint tractaturi, ſic etiam in eorum electione concurrat aſſenſus ſingulorum. Et poſtmodum, cùm neceſſe fuerit alius loco alicujus ipſorum prædictorum ſubſtitui aut ſubrogari, per proviſionem ac auctoritatem quatuor illorum Conſiliatorum prædictorum, fiat illa ſubſtitutio aut ſubrogatio. Hactenus ſuſpecti, aut minùs neceſſarii, à latere domini Regis amoveantur.*

Papa mittit in Angliam magiſtrum Martinum cum nova & inaudita poteſtate.

ET dum hujuſmodi negocia utilia nimis Reipublicæ, in ſpacio trium hebdomadarum dictarum diligenter pertractaſſent Magnates, hoſtis humani generis, pacis perturbator, & ſchiſmatum ſuſcitator Diabolus, hæc omnia per Papalem avaritiam infœliciter impedivit. Credens enim dominus Papa, quòd flexibiles *Angli* colla ſua jam dictæ contributioni juxta conſuetudinem ſuam ſubdidiſſent, tum propter Regis aviditatem, tum propter ſuæ petitionis inſtantiam, miſit à latere ſuo quendam clericum ſuum magiſtrum *Martinum*, quem propter improbam.

improbam rapacitatem ſuam multi magiſtrum *Mattinum* appellarunt, habentem novam & inauditam poteſtatem; videlicet ampliorem, quàm unquam meminimus aliquem Legatum habuiſſe. Manus enim extendit ad contributionem exigendam: proviſiones ſecundùm mentis ſuæ impetum, ratione relegata, ad opus ignotum faciendas: redditus violenter extortos, conſanguineis domini Papæ conferendos, auctoritate Papali truculenter armatus, cujus novas chartas, ſecundùm deſiderium ſuum, & ſecundùm repentini caſus emergentis negocium, ſingulis diebus oſtendit. Unde fuerunt qui dicerent, ipſum habere multas ſchedulas non ſcriptas, tamen bullatas, ut in eis quicquid ei placeret, ſcriberet: quod abſit. Miſſus eſt igitur iſte Legatus ſophiſticus ad Regem primò, ſupplicans ei, ut & ipſe vicem reddens domino Papæ, diligenter inſudaret, ut Prælati *Angliæ* ad contributionem domino Papæ faciendam, generaliter conſentirent: ad minùs, ad compromiſſionem, & feſtinam ſolutionem decem millium marcarum. Cui Reſpondit Rex: Quòd Magnates ſui, tam Prælati & clerici, & tam Comites quàm Barones, & Milites, tam frequenter bonis ſuis variis argumentis ſpoliantur, quòd jam ſibi vix ſufficiunt: nec mihi Regi ſuo, neç Papæ volunt vel valent contribuere. Veruntamen mihi ipſis humiliato, & ſuæ voluntati inclinato, jam modeſtiùs reſpondentes juvamen juxta ſuas facultates promiſerunt. Quod cùm audiſſet magiſter *Martinus*, dejecto vultu receſſit, nullam de regis adjutorio ſpem reportans. Veruntamen convocatis Prælatis, apices *Apoſtolicos* oſtendit ſub hac forma, ſingulatimq; primò Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & poſteà Abbatibus exemptis. 1244.

INNOCENTIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, &c. Abbatibus, eorúmq; Conventibus, exemptis, & non exemptis, in* Cantuarienſi *Diœceſi conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Illam de veſtræ ſinceritatis affectibus ſpem gerimus, & fiduciam obtinemus, ut quoties ſedi Apoſtolicæ matri veſtræ neceſſitatis articulus imminet, ad vos, tanquam dilectos ejus filios & devotos, ac pro ipſius oneribus relevandis ſemper paratos & promptos, incunctanter cum omni fiducia recurrere valeamus. Cum igitur ſedes ipſa Apoſtolica prædicta, per ea quæ piæ memoriæ* Gregorii *Papæ prædeceſſoris noſtri, auctoritate in* Anglia *aliiſq; Regnis Populi* Chriſtiani *pro ejuſdem ſedis ſubſidio ſunt collata & collecta, non adhuc à debitorum ſuorum, quæ pro catholicæ fidei, eccleſiaſticæ libertatis & patrimonii ſui defenſione contraxerat, onere valeat relevari, ad veſtræ devotionis effectum, neceſſitate cogente, fiducialiter recurrentes, univerſitatem veſtram, de conſilio fratrum noſtrorum rogamus, attentius monemus per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, & mandando præcipientes, quatenus præſcriptæ neceſſitatis & oneris inſtantia qua* Romana *eccleſia, mater veſtra ſpiritualis, graviter perurgetur, affligitur, & penè opprimitur, affectione penſantes, ut convenit, filiali, & compaſſionem ſuper hoc habentes debitam erga ipſam, nobis & ſibi, pro ſolutione debitorum illorum prædictorum, in ea ſubvenire curetis pecuniæ quantitate & ſumma, qualem & quantam dilectus filius noſter magiſter* Martinus, *Cameræ noſtræ Clericus, & lator præſentium, vobis ex parte noſtra duxerit declarandam exprimendamque. Eamque ipſam pecuniam, per vos collatam, dicto magiſtro* Martino, *aut ipſius nunciis, infra terminum, quem idem vobis præfiget, aſſignetis; Preces noſtras taliter impleturi, quòd nos devotionem veſtram meritò commendare poſſimus, & ſuper hoc aliter procedere non cogamur. Datum* Laterani, *ſeptimo Idus Jan. Pontificatus noſtri anno primo.*

Litera Papalis à Prælatis Angliæ contributionem exigentis.

Cùm autem hæc *Londini* prolata, diligenter à Prælatis omnibus, præcipuè tamen ab Abbatibus eſſent intellecta, noluerunt Abbates ſoli reſpondere, ſed adjuncti aliis, quia eodem modo ſcriptum fuit eis, ſtudioſè ſuper his contractaverunt. Conquerenteſque ad invicem, dixerunt: In arcto conſtituimur. Rex dominus & patronus noſter, & multarum eccleſiarum noſtrarum fundator & inſtaurator, theſauro deſtitutus, rogat auxilium ad defenſionem & munimen Regni, id eſt, Reipublicæ; & hoc idem dominus Papa poſtulat inſtanter pro ipſo Rege: ecce duplex petitio, utrobique valida & efficax. Supervenit autem alia Papalis non expectata poſtulatio. Prima, quia duplex, præponderat, & eſt favore dignior. Ex Regis enim liberalitate aliquam expectamus retributionem: ex Papa verò, nullam. Hinc tamen impetimur, illinc perurgemur: hinc premimur, illinc coarctamur, & quaſi inter incudem & malleum conterimur, & velut inter duas molas exagitamur.

ET dum talia, non ſine cordium cruentatorum amara ſollicitudine, diverſimodè revolverentur, ad omnium Magnatum notitiam omnia pervenerunt. Perſtrepit murmur in populo, & quid agendum ignorantes, omnes ad Prælatos acceſſerunt, ut uno per omnia conſilio uterentur, quia hoc negocium generalem ſtatum Regni contingebat. Et ecce magiſter *Walterus* de *Ocra*, & quidam alii ſolennes nuncii domini Imperatoris, *Londinum* advenientes ad concilium, epiſtolam Imperialem in medium protulerunt. Et ſtatim, magiſtro *Martino* multum murmurante, & inde grunniente, perlecta eſt in præſentia domini Regis & totius concilii. In qua epiſtola ſe excuſabat dominus Imperator de contumacia, ſuper qua reddiderat eum dominus Papa infamem, aſſerens ſe velle humiliter juſtitiæ parere, & mandatis eccleſiæ ſtare & ſatisfacere. Cui etiam perhibebant teſtimonium dominus Imperator *Conſtantinopolitanus*, & dominus Comes *Tholoſanus*, per literas ſuas patentes ibidem in propatulo demonſtratas. Juſtificans etiam ſe dominus Imperator *Fredericus* in tenore ejuſdem chartæ, & per nuncios, itidem aſſerentes, proteſtatus eſt, quòd dominus Papa protervè exigebat ſe ſeiſiri civitatibus & caſtris & terris quibuſdam, de quibus non adhuc conſtat, ſi pertineant ad Imperium vel Eccleſiam: & incarceratos quoſdam, quos tenebat quaſi ſuos ſeductores, liberari, antequam idem Imperator abſolveretur,

Nuncii Imperatoris prohibent ne Angli faciant contributionem Papæ.

1244. abſolveretur. Timens igitur, ut ait, irretiri, & Papalibus laqueis alligari, ſuppoſuit ſe diſpoſitioni & cenſuræ Regum *Francorum*, & *Anglorum*, ac Barnagii Regnorum eorundem. Nec ſic, ut ait, à domino Papa exaudiri, nec appendi potuit ejuſdem tam juſta humilitas. Et ſuper hoc conqueſtus eſt graviter univerſis. In calce igitur ſermonis in charta conſcripti, inculcans addidit dominus Imperator *Fredericus*, cum quadam etiam comminatione adjuncta, quòd omnia tranſmiſſa in auxilium domini Papæ, fuerint addita Imperiali theſauro. Unde modis omnibus, quibus potuit, ſupplicabat, ne *Anglici* in ſuum detrimentum Papæ æmulo ſuo aliquid contribuerent. Addidit etiam, quòd ſi Rex *Angliæ* ſuis obtemperaret conſiliis, Regnum *Angliæ* à tributo, quo injuſtè Papa Innocentius tertius illud ligaverat, potenter ac juſtè liberaret, necnon & ab aliis Papalibus gravaminibus, quibus diatim opprimitur, illud eriperet. Per quod dominus Imperator multorum corda ſibi conciliavit. Inſertum etiam fuit chartæ memoratæ, quòd ſi Rex huic mandato non obtemperaret, quoſcunq; de ſuis in ditione ſua poſſet reperire, gravi puniret ultione.

Conſentiunt Magnates Angliæ, in auxilio pecuniari præſtando.

CONVENIENTIBUS autem iterum Magnatibus cum Prælatis generaliter *Londini*, ſcilicet à die purificationis beatæ *Mariæ* in tres ſeptimanas, concilium ſuper prædictis negociis & tractatum habuerunt diligentem. Affuerunt etiam illic quorundam abſentium procuratores, videlicet *Cantuarienſis* & *Eboracenſis* Archiepiſcoporum, triumque ſedium Epiſcopalium tunc vacantium, ex parte Capitulorum, *Coventrenſis*, *Ciceſtrenſis*, & *Coventr.* Et renovata fuit petitio domini Regis, ſuper auxilio pecuniari ſibi faciendo. Circa quod de die in diem convenit eos dominus Rex, tum in propria perſona, tum per internuncios ſolennes, per quos promiſit ſe libertates quas juraverat in coronatione ſua, ſuper quibus chartam confecerat, integerrimè ſervaturum. Ad quarum etiam tuitionem, rogavit ut ſinguli Epiſcopi in Dioceſibus ſuis, ſententiam ferrent in ipſum & omnes, qui contra memoratas libertates venirent in aliquo articulo. Tandem unanimiter, cùm nullo modo ad aliam formam poſſent flecti, conceſſerunt domino Regi, ad maritandam filiam ſuam primogenitam, de omnibus, qui tenent de domino Rege in capite, de ſingulis ſcutis viginti ſolidos ſolvendos, ſcilicet medietatem ad Paſcha, & aliam ad feſtum ſancti *Michaelis*.

Et cùm relatum eſſet domino Regi, ut ad memoriam tam hæc quàm præterita reduceret, recordatum eſt ei, quoties ſimilia à ſuis fidelibus, quos fovere debuit, non depauperare, truculenter, & ſine ſolutione promiſſorum, eiſdem extorſerat. Poſt captionem *Bedefordiæ*, ſtatim conceſſum eſt ei Carucagium de tota *Anglia*, ſcilicet de qualibet caruca duo ſolidi. In anno ſequenti, quintadecima omnium mobilium. Iterum, iturus in *Britanniam*, cepit non modicam pecuniam à Prælatis etiam & viris religioſis, burgenſibus, & *Judæis*. Poſt reditum ſuum de *Britannia*, cepit Scutagium, ſcilicet de Scuto tres marcas. Item, poſteà conceſſa fuit quadrageſima pars omnium mobilium. Item, poſteà trigeſima pars omnium mobilium. Item, quando maritavit ſororem ſuam *Iſabellam* domino Imperatori *Frederico*, cepit dominus Rex ad maritagium ſuum Carucagium, videlicet de qualibet Caruca duas marcas. In nativitate autem filii ſui, in magnum dedecus ſui, multa munera, quæ ad magnam ſummam pecuniæ aſcenderunt, violenter & impudenter extorſit. Item, iturus in *Gaſconiam*, cepit à Prælatis, viris religioſis, burgenſibus, & *Judæis*, & à quibuſcunq; potuit aliquid abradere, pecuniam multam, imò penè infinitam. Rediens autem à *Gaſconia* inglorius & ſeductus, juſſit ut Magnates & Prælati ipſi occurrerent etiam uſq; ad mare, qui ibidem illum diu expectantes fruſtrà, tandem ipſum in muneribus multis & inæſtimabilibus exceperunt. Similiter & cives *Londinenſes*, & alii. Et qui munera nobilia compertus eſt non contuliſſe, aliquo argumento redargutus, damnificabatur. Qualiter autem pro hac præſenti contributione & omnibus aliis, promiſſa & pacta adimplebit Rex, noverit ille qui nihil ignorat.

Reſponſum Prælatorum ſuper petitionib. magiſtri Martini.

ET cùm noviſſet magiſter *Martinus* nuncius domini Papæ, quòd Magnates *Angliæ* Regiæ contributioni generaliter conſenſiſſent, inhiabat avidiùs ad negocium ſuum, ad quod miſſus fuerat, conſummandum, quod adhuc ſuſpenſum expectabatur, videlicet de adjutorio domino Papæ pecuniari faciendo. Congregatis igitur omnibus, ait, *Viri fratres, ac domini Romanæ eccleſiæ filii dilectiſſimi, in quorum ſinu repoſita eſt tota ſpes Papalis, quid reſpondetis & vos patri veſtro ſpirituali ſuper negociis* Romanæ *eccleſiæ matris veſtræ, ut per epiſtolam Papalem certificamini, ſic oppreſſæ? Domino veſtro temporali obedienter obtemperâſtis, videlicet domino Regi; Abſit ut patri veſtro ſpirituali, ſcilicet domino Papæ, in vobis confidenti, & pro ſtatu univerſalis eccleſiæ contra ejus rebelles dimicanti, manum non porrigatis auxiliatricem.* At Prælati prudenter conſiderantes ſermones ipſius mellitos & mollitos, favo dulciores, & oleo molliores, cùm tamen eſſent in fine felle amariores & jaculis pungentiores, non ſunt incurvati. Sed præhabita deliberatione, ponentes verbum commune in ore domini Decani ſancti *Pauli Londinenſis*, viri diſcreti & facundi, hæc ipſi magiſtro *Martino* prædicto retulerunt. *Domine, reſpondet tibi univerſitas Prælatorum* Angliæ, *tam de auxilio pecuniari domino Papæ contribuendo, quàm de redditibus, quos à ſingulis eccleſiis ſibi per te Dominus Papa poſtulat exhiberi. Iſta quæ proponis, dominum Regem* Angliæ *ſpecialiter tangunt, generaliter autem omnes eccleſiarum patronos. Tangunt etiam Archiepiſcopos & eorum ſuffraganeos, necnon univerſos* Angliæ *Prælatos. Cùm ergo dominus Rex propter infirmitatem, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii eccleſiarum Prælati, ſint abſentes, in eorum abſentia reſpondere non poſſumus, nec debemus: quia ſi id facere præſumeremus, in præjudicium omnium abſentium fieret Prælatorum.*

Et

Et illis dictis, venit *Johannes Mareſcallus*, & alii nuncii domini Regis, ad omnes Prælatos, qui de Rege Baronias tenebant in capite, diſtrictè inhibentes, ne laicum feudum ſuum *Romanæ* eccleſiæ obligarent, unde à ſervitio ſibi debito privaretur. Hæc cùm magiſter *Martinus* intellexiſſet, ſtatuit his qui aderant diem in medio Quadrageſimæ, dum ipſe procuraret domini Regis adventum & abſentium Prælatorum, ut negocium tunc ſortiretur effectum. Sed illi abſq; Regis & aliorum, qui abſentes erant, aſſenſu, præfixum diem admittere noluerunt: unde ſinguli ad propria ſunt reverſi. Veruntamen autoritate novarum literarum, quibus ad placitum abundabat magiſter *Martinus*, iterum aliqui Prælatorum convocati, memoratæ contributioni noluerunt conſentire, ſed jam efficaciùs reſtiterunt, dicentes per prædictum reſponſalem: *In primis, paupertas Regni* Angliæ, *cui undiq; imminent bellorum pericula, non permittit huic exactioni conſentire, quæ toti Regno comminatur. Prætextu cujus paupertatis plures adhuc eccleſiæ æris alieni pondere, & præcipuè Monaſteria, prægravantur. Item, cùm Legato Cardinali exigente fieret contributio nuper propter onus æris alieni, quo dicebatur eccleſia* Romana *prægravari, in magnum gravamen noſtrum, nec tamen in utilitatem eccleſiæ ſit converſa, fortiùs nunc ſimplici nuncio exigente timeri poteſt, ne conſimile vel deterius contingat iſta vice. Item, ſi nunc iterum fieret, timeri poſſet non immeritò, ne ad conſequentiam traheretur, cum binus actus inducat conſuetudinem. Item, cum in brevi celebraturus Concilium credatur dominus Papa, & certè jam dicatur, ubi indubitanter Prælati omnes & ſinguli gravabuntur, tum magnis itineribus & ſumptuoſis laboribus, tum etiam in viſitationibus, gratis, vel non gratis, domino Papæ, aut quibuſdam aliis, quos nunquam munera ſpernere vidimus, faciendis; contingeret, quòd per afflictiones afflictis additas, pauci invenirentur, qui poſſent moles hujuſmodi importabiles ferre aut ſuſtinere. Item, cum ſancta mater noſtra eccleſia* Romana *ære alieno onerata plurimùm affligatur; juſtum eſt & honeſtum, ut cum pondus hujuſmodi ſuſtinere non prævaleat, ſibi ab univerſis devotis ſuis filiis, qui omnes in brevi creduntur in concilio convenire, fiat ſubventio. Et quod principaliter tangit, ab omnibus comprobetur, ut ſic meliùs eccleſia relevetur, & ſinguli minùs prægraventur.* Cùm autem hæc audiſſet contra exactionem eccleſiarum & præbendarum, & auxilii pecuniaris tam efficaciter & conſtanter inferri, dicitur magiſter *Martinus* oblatrâſſe comminando. Quod Prælati patienter ſufferentes, ſoluto concilio receſſerunt; In calce ſermonis addentes, quòd Imperiales minas, ſi contribuiſſent amplius, formidabant.

Et tunc autem inſidiando, manus avidas redditibus vacantibus latentiùs injecit. Utpote *Sariſberienſis* eccleſiæ Theſaurariæ, quam nepotulo domini Papæ conferri procuravit, & aliis plurimis, de quarum collationibus & ablationibus, ob reverentiam eccleſiæ *Romanæ* honeſtius eſt omittere, quàm propter ſcandalum enarrare.

Corpus pueri mortuum Londini inventum.

EODEM verò anno Calend. Auguſti, inventum eſt corpuſculum cujuſdam pueri maſculi inhumatum in cœmiterio ſancti *Benedicti*, in civitate *Londinenſi*, in cujus cruribus & brachiis & ſub mamillis literis *Hebraicis* regulariter fuit inſcriptum. Ad quod ſpectaculum cùm plures convenirent admirantes, & neſcirent literas legere, ſcientes quòd literæ *Hebraicæ* fuerunt, advocabant converſos *Judæos*, qui domum, quam dominus Rex *Londini* fundaverat, inhabitabant; ut ipſi ſicut vitam aut membra diligebant, pro honore, amore, & timore domini Regis, ſine figmento falſitatis ſcripturam illam aperirent. Erant enim præſentes Ballivi Regii, pacis conſervatores. Credebant etiam, nec ſine cauſa, quòd *Judæi* ipſum puerulum in *Jeſu Chriſti* improperium & contumeliam (quòd frequenter relatum eſt accidiſſe) vel crucifixerant, vel crucifigendum variis tormentis exagitaverant, & cum jam exſpiràſſet, eum cruci indignum, illuc projeciſſe. Porrò apparuerunt in corpore illo livores & ſciſſuræ virgarum, & quorundam aliorum tormentorum ſigna & veſtigia manifeſta. Et cùm adducerentur dicti converſi ad legendum quæ inſcripta erant, & ſtuderent ut perlegerent, erant enim literæ propter extenſionem & contractionem cutis & carnis huc illucq; projectæ & multipliciter exagitatæ, deformatæ, & jam non legibiles. Verùm nomen patris & matris pueruli, ſuppreſſis cognominibus, inſcriptum reperierunt, & quòd venditus fuit puer *Judæis*, ſed quibus, vel ad quid, non poterant inveſtigare. Interim quidam *Judæorum Londinenſium* clandeſtinam & repentinam fugam inierunt irredituri, qui eo ipſo ſe ſuſpectos reddiderunt. Aſſerebantq; nonnulli, Dominum miracula pro puero operatum fuiſſe. Et quia compertum eſt, aliquando *Judæos* talia facinora perpetraſſe, & corpora ſancta crucifixa in eccleſia celebriter fuiſſe recepta, & etiam miraculis choruſcaſſe, licèt quinq; vulnerum manibus & pedibus & latere ſtigmata non apparuerunt in memorato corpore, illud tamen Canonici ſancti *Pauli* rapuerunt, & in eccleſia ſua non procul à magno altari ſolenniter ſepelierunt.

Novi ſancti oriuntur in Anglia.

TEMPORE quoq; ſub eodem, dicebantur miracula ad tumbas piæ memoriæ *Rogeri Londinenſis* Epiſcopi, necnon & magiſtri *Johannis* de *Foxtuna*, cuſtodis eccleſiæ ejuſdem villæ: ſimiliter & magiſtri *Roberti* fratris Archiepiſcopi *Cantuarienſis Edmundi*, ſicut ad *tumbam* beati *Roberti* de *Karrebrag*. choruſcare, & ſanitatum beneficia ægrotis ad laudem *Chriſti* fuiſſe diſtributa.

Comes Fland. venit in adjutorium Regis Angliæ.

SUB eiſdem diebus, applicuit apud *Doveram* Comes *Flandriæ*, adveniens in Regis adjutorium, *Scotiam* expugnare proponentis. Cujus adventus in cordibus Magnatum *Angliæ* indignationem & ſannam generavit: ſufficiens enim erat *Anglia Scotiam* ſine ipſo etiam exterminare. Duxit autem ſecum dictus Comes ſexaginta milites & centum ſervientes, armis competenter communitos, & denariis Regiis ſitienter inhiantes.

Et

1244. Et cùm ad *ſanctum Albanum* memoratus Comes & frater ejus, electus *Cantuarienſis*, perveniſſent, occurrit eis magiſter *Walterus* de *Sufeld*, electus *Norwicenſis*, qui ibidem à prædicto electo ſtatim in Epiſcopatum *Norwicenſem* confirmabatur. Et eodem tempore, domina *Blanchia* eccleſiam, quam juxta *Ponteſium* fundaverat, fecit dedicari.

W. de Burgo [illegible] f. Landavenſis electus. Diebus quoque ſub eiſdem, electus eſt in Epiſcopum *Landavenſem* magiſter *Willielmus* de *Burgo*, clericus domini Regis, vir benignus, & ſine querela, atq; famæ incontaminatæ.

Martini clerici [illegible] inaudita extorſiones. EODEMQUE tempore factæ ſunt inauditæ extorſiones pecuniæ & reddituum, per magiſtrum *Martinum*, *Londini* commorantem, ſcilicet apud novum Templum. Per modum enim Legati ſe gerens (licèt Legati veſtibus, pro privilegio Regis ſophiſticè ſalvando, non inſignitus) paſſim ſignificavit imperiosè illi Abbati, vel illi Priori, ut ſibi darent & mitterent munera precioſa, palefridos deſiderabiles, & in eſculentis & poculentis ſumptuoſa xenia, & veſtimenta adornativa. Quod cùm feciſſent, ipſe *Martinus* remiſit eis quæ ei miſſa fuerunt, aſſerens ea eſſe inſufficientia, & præcepit eis, ut meliora ſibi ſub pœna ſuſpenſionis & anathematis tranſmitterent. Suſpendit autem omnes à collatione beneficiorum triginta marcas valentium & ſupra, donec ſuæ ſatisfactum foret cupiditati. Unde miſeri *Anglici* acerbiorem quàm olim ſubierunt filii *Iſrael*, ſe doluerunt in *Egypto Britannica* tolerare ſervitutem.

[illegible] in [illegible] Angliæ & Scotiæ Regis. ET dum annalis orbita his temporibus volveretur, Rex edicto publicè propoſito, & ſubmonitione generaliter facta, fecit notificari per totam *Angliam*: Ut quilibet Baro, tenens ex Rege in capite, haberet prompta & parata Regali præcepto omnia ſervicia militaria, quæ ei debentur, tam Epiſcopi & Abbates, quàm laici Barones. Et profectus eſt cum exercitu copioſo verſus *Novum caſtrum* ſuper fluvium *Thynam*, hac principaliter conficta cauſa, quòd *Walterus Cumin*, quidam Nobilis & præpotens Baro de *Scotia*, & quidam alii de Regno *Scotiæ*, duo caſtra in *Galeweia* & *Laudiana*, in præjudicium Regis *Angliæ*, & contra chartas prædeceſſorum ſuorum, ſuſpecta firmaverant. Regis quoq; exules & inimicos fugitivos, utpote *Galfridum* de *Mariſco* in præſentiarum, & alios alio tempore, quaſi conniventer volens ſubtrahere ſibi homagium, quod ei tenebatur, *Francis* confœderatus, receptaverat. Congregata igitur univerſitate totius *Angliæ* Nobilium apud memoratum caſtrum, tractatum eſt diligenter ſuper tam arduo negocio, concilio habito circa Aſſumptionem beatæ *Mariæ* diligentiſſimo. Ubi compoſitum eſt inter ipſos Reges, procurante Comite *Rickardo*, & aliis Magnatibus ſalubriter & prudenter utrobiq; intermeantibus. Rex enim *Scotiæ*, vir bonus, juſtus, pius, & dapſilis, ab omnibus tam *Anglis* quàm ſuis diligebatur, & merito. Habebat itaq; exercitum numeroſum valde & fortem, videlicet mille armatos, in equis ſatis bonis, licèt non *Hiſpanis*, vel *Italicis*, vel aliis precioſis, & competenter ferreis vel lineis armaturis communitos. Pedites verò circiter centum millia, qui omnes unanimes, confeſſi, & prædicantium conſolatione, quia pro patria ſua juſtè dimicaturi forent, animati, mori minimè formidabant. Ne autem tot *Chriſtianorum* ſanguis effuſus ad Dominum clamaret ultionis, eumq; redderet offenſum, in cujus manus incidere horrendum eſt, pax fœliciter, ut ſubſcripta charta teſtatur, eſt reformata.

Ipſóq; tempore, ſcilicet in craſtino ſancti *Laurentii*, obiit præclarus quidam Baro *Richardus* de *Stutevilla*.

Charta Regis Scotiæ. ALEXANDER, *Dei gratia Rex* Scotiæ, *omnibus* Chriſti *fidelibus hoc ſcriptum viſuris, vel audituris, Salutem. Ad veſtram volumus pervenire notitiam, nos pro nobis & hæredibus noſtris conceſſiſſe, & fideliter promiſiſſe, chariſſimo & ligio domino noſtro* Henrico *tertio Dei gratia Regi* Angliæ *illuſtri, Domino* Hyberniæ, *Duci* Normanniæ, & Aquitaniæ, & *Comiti* Andegaviæ, & *ejus hæredibus, quòd in perpetuum bonam fidem ei ſervabimus pariter & amorem: Et quòd nunquam aliquod fœdus inibimus per nos, vel per aliquos alios, ex parte noſtra, cum inimicis domini Regis* Angliæ, *vel hæredum ſuorum, ad bellum procurandum vel faciendum, unde damnum eis vel Regnis ſuis* Angliæ & Hyberniæ, *aut cæteris terris ſuis eveniat, vel poſſit aliquatenus evenire, niſi nos injuſtè gravent; Stantibus in ſuo robore conventionibus inter nos & dictum dominum Regem* Angliæ *initis ultimò apud Eboracum, in præſentia domini* Ottonis, *tituli ſancti* Nicolai *in carcere* Tulliano *Diaconi Cardinalis, tunc Apoſtolicæ ſedis Legati in* Anglia; *Et ſalvis conventionibus factis ſuper matrimonio contrahendo, inter filium noſtrum & filiam dicti domini Regis* Angliæ. *Et ut hæc noſtra conceſſio & promiſſio pro nobis & hæredibus noſtris perpetuæ firmitatis robur obtineant, fecimus jurare in animam noſtram* Alanum Oſtiarium, Henricum *de* Bailloil, David *de* Lindeſeie, Willielmum Giffard: *quod omnia prædicta, bona fide, firmiter & fideliter obſervabimus. Et ſimiliter jurare fecimus venerabiles Patres* David, Willielmum, Galfridum, & Clementem, ſancti Andreæ, Glaſconenſem, Dunkeldenſem, & Dublamenſem, *Epiſcopos. Et præterea fideles noſtros,* Patricium *Comitem de* Dumbar, Malcolmum *Comitem de* Fife, Maliſium *Comitem de* Stratherne, Walterum Cumin *de* Meneteth, Willielmum *Comitem de* Maro, Alexandrum *Comitem de* Buthan, David *de* Haſtingia *Comitem* Athorl, Robertum *de* Bruis, Alanum Oſtiarium, Henricum *de* Bailloil, Rogerum *de* Mumbri, Laurentium *de* Abrinthia, Richardum Cumin, David *de* Lindeſie, Richardum Siward, Willielmum *de* Lindeſia, Walterum *de* Moravia, Willielmum Giffard, Nicolaum *de* Sully, Willielmum *de* Veteri ponte, Willielmum *de* Bevire, Aleumum *de* Meſue, David *de* Graham, & Stephanum *de* Smingham: *Quòd ſi nos, vel hæredes noſtri, contra conceſſionem & promiſſionem prædictam, quod abſit, venerimus, ipſi, & hæredes eorum, nobis, & hæredibus noſtris, nullum, contra*

conceſſionem

conceſſionem & promiſſionem prædictam, auxilium vel conſilium impendent, aut ab aliis pro poſſe ſuo impendi permittent. Imò bona fide laborabunt erga nos & hæredes noſtros, ipſi & hæredes eorum, quòd omnia prædicta à nobis & hæredibus noſtris, necnon ab ipſis & eorum hæredibus firmiter & fideliter obſerventur in perpetuum. In cujus rei teſtimonium, tam nos, quàm prædicti Prælati, Comites & Barones noſtri, præſens ſcriptum ſigillorum ſuorum appoſitione roboravimus. Teſtibus Prælatis, Comitibus, & Baronibus ſuperiùs nominatis. Anno Regni noſtri, &c. Iſta ſigna appoſita fuerunt in continenti, ſcilicet Regis *Scotiæ Alexandri, Willielmi* de *Bevire, Willielmi* de *Veteri ponte, Willielmi* de *Lindeſia, Stephani* de *Smingham.* Aliorum ſigilla appoſita fuerunt poſteà. Et ipſum ſcriptum Regi *Anglorum* tranſmiſſum, ad Natale Domini proximò ſequens, per dominum Priorem de *Thinemua*, qui multum in illo negocio laboravit fideliter ac diligenter, ad utriuſq; partis honorem. 1244.

HÆC itaque, ut firmius robur in perpetuum obtinerent, & alia inferiùs annotata, tranſmiſſa ſunt ad dominum Papam, ut hæc omnia confirmaret, hoc modo:

Sanctiſſimo in Chriſto *patri*, Innocentio *Dei gratia ſummo Pontifici* Alexander *eadem gratia Rex* Scotiæ, *Comes* Patricius, *Comes de* Stratherne, *Comes* Levenath, *Comes de* Anegria, *Comes de* Mera, *Comes de* Aitholia, *Comes de* Ros, *Comes de* Katenes, *Comes de* Buth, Rogerus *de* Mumbri, Laurentius *de* Alberinthina, Petrus *de* Mauvere, Richardus Cumin, Willielmus *de* Veteri ponte, Robertus *de* Bruis, Rogerus Avenel, Nicolaus *de* Sulling, W. *de* Morai, *de* Dunfel, Willielmus *de* Murefe, *de* Petin, Johannes Biſet *juvenis*, Willielmus *de* Lindeſeie, I. *de* Vallibus, David *de* Lindeſeie, Willielmus Giffard, Duncanus *de* Ergatila, I. *de* Matervelle, Eymerus *filius ejus*, Rogerus *Comes* Wintonienſis, H. *Comes* Oxonienſis, W. *de* Veſci, Richardus Siward, Willielmus *de* Ros, Rogerus *de* Clere, Henricus *filius Comitis de* Brettere, Euſtachius *de* Stutevilla, *Comes* Malcolmus *de* Fif, *Comes de* Menetheſhere, Walterus *filius* Alani, Walterus Oliſard, Bernardus Fraſer, Henricus *de* Bailloil, David Cumin, David Mareſcallus, David *filius* Ranulphi, Willielmus *de* Fortere, Johannes *de* Bailloil, & Robertus *de* Ros, *Salutem, & debitam cum omni honore reverentiam. Sanctitati veſtræ ſignificamus, nos ſacramentum corporaliter præſtitiſſe, coram venerabili Patre* Ottone, *tituli ſancti* Nicolai *in carcere* Tulliano *Diacono Cardinali, in* Anglia, Scotia, & Hybernia, *tunc Apoſtolicæ ſedis Legato, ac chartam noſtram confeciſſe, quæ ita incipit. Sciant præſentes & futuri, quòd ita convenit in præſentia domini* Ottonis *ſancti* Nicolai, *&c. Quæ charta penes dominum Regem* Angliæ *& nos remanet chyrographata. Item aliam, quæ ſic incipit: Ad omnium veſtrum notitiam volumus pervenire. Cùm ex forma præcedentium noſtrarum pateat obligationum, ſubjecimus nos Jurisdictioni veſtræ, ut nos & hæredes noſtros per cenſuram eccleſiaſticam poſſitis coercere, ſi aliquo tempore contra memoratam pacem venerimus. Et ſi nonnunquam contingit, quòd quidam noſtrum, omnes, vel unus, contravenire temerè præſumerent, vel præſumere nituntur, vel nitentur, & ex hoc tam animabus noſtris quàm hæredum noſtrorum grave poſſet generare periculum, & corporibus noſtris & rebus non minimum immineret detrimentum. Sanctæ Paternitati veſtræ ſupplicamus, quatenus alicui ſuffraganeorum Archiepiſcopi* Cantuarienſis *detis in mandatis, ut nos hæredéſq; noſtros ad præfatæ pacis obſervationem compellat, prout in inſtrumentis inde confectis pleniùs continetur. Alias, ſuper eadem pace, quod canonicum fuerit, autoritate veſtra ſtatuat, contradictores, &c. Et ad iſtius petitionis noſtræ conſummationem, præſenti ſcripto ſigilla noſtra appoſuimus.* Hæc autem cùm conſummata fuiſſent, amici facti ſunt, ut ſperandum eſt, indiſſolubiles, domini Rex *Angliæ*, & Rex *Scotiæ*, abſq; ſimulatione & verborum ſcrupuloſa contentione. Et vale ad invicem dicto, venit dominus Rex *Angliæ* ad partes *Angliæ* Auſtrales; qui credebatur exercitum illum contra *Wallenſes* illicò direxiſſe. Rex autem *Scotiæ* ad terræ ſuæ ſe contulit ulteriora. Et æſtimatus eſt exercitus Regis *Angliæ* in receſſu ſuo à *Novo caſtro* ſuper *Thynam*, circiter quinq; millia equitum elegantiſſimè armis communitorum, ſine manu validiſſima peditum & numeroſa.

Confirmatio Papalis prædictorum.

INTERIM *Wallenſes* de latibulis ſuis ad inſtar apum ſcaturientes, incendiis & cædibus, præcipuè noctibus, intendebant, & ſibi confinia exterminare non omittebant. At Rex hoc audito, qui reditum verſus *Londinum* maturavit, noluit illac cum exercitu ſuo, quem promptum tunc habuit, divertere. Sed uſus conſilio muliebri, ad ſolitas delitias & requiem *Weſtmonaſterialem* properans, trecentos milites ſub ducatu *Huberti* filii *Mathei* gubernandos, ad reprimendam *Wallenſium* inſolentiam, cum neceſſariis theſauris & viaticis deſtinavit. Sed antequam Rex *Londinum* perveniſſet, *Wallenſes* ſibi exinde ſumentes audaciam, quòd Rex ſoluto exercitu quieti indulgeret, nec, ut formidabant, adjuncto ſibi *Scotorum* exercitu, ſuper eos hoſtiliter irruiſſet, invaſerunt audacter *Anglorum* ſibi conterminorum exercitum, videlicet Comitis *Herefordiæ*, qui fomes & cauſa fuit totiùs odii & diſcordiæ, eò quòd tertiam partem tertiæ ſororis, *David* maritatæ, non conceſſit: & *Radulphi*, & de *Mortemare.* Duoſq; milites ſtrenuiſſimos & generoſos in fruſta detruncantes, & tertium manu mutilantes, proſternendo circiter centum de manu pedeſtri, exercitum *Anglorum* penitus perturbantes, cum victoria, ad ſua receptacula gaudentes redierunt. Quod audiens *Robertus* memoratus, in craſtino cum ſuis trecentis commilitonibus ſtipendiariis eos invadens, & ipſos credens circumvallare, & circumſeptos occupare, ab ipſis præoccupatus & victus, reverſus eſt, non ſine magno hominum & equorum diſpendio, in ſua municipia, vix ibi tutus, ſe recepit.

Excurſiones Wallenſium.

ET

1244. ET dum hæc fatalis alea mundi revolviſſet, quidam Archiepiſcopus de *Ruſſia*, *Petrus* nomine, vir, ut æſtimari potuit, honeſtus, ſpiritualis, & fide dignus à *Tartaris* exterminatus, & ab Archiepiſcopatu ſuo, imò ab ipſo fugiens & effugatus, ad partes ſe tranſtulit ciſalpinas, conſilium & auxilium & de ſua tribulatione conſolationem adepturus, ſi ſibi, dante Deo, eccleſia *Romana*, & Principum clemens fortè gratia ſubveniret. Requiſitus igitur de converſatione ipſorum *Tartarorum*, quam expertus eſt, inquiſitoribus ſic reſpondit. Reliquias ipſos credo fuiſſe *Madianitarum* fugientium à facie *Gedeonis* uſq; ad remotiſſimas partes Subſolani & Boreæ, & ſeſe recipientium in loco horroris & vaſtiſſimæ ſolitudinis, qui *Etren* dicitur. Habebant autem duodecim duces, quorum major dicebatur *Tartarcan*, à quo *Tartari* dicti ſunt, quanquam dicant nonnulli ipſos à *Tarachonta* dictos. Ab illo autem deſcendit *Chiarthan*, habens tres filios: nomen primogeniti *Theſyrcan*, ſecundi *Churicam*, tertii *Bathatarcan*. Qui quamvis eſſent in montibus eminentiſſimis, & quaſi immeabilibus nati & nutriti, rudes, exleges, & inhumani, & expulſis leonibus & draconibus, in cavernis & ſpecubus educati, ad deſiderabilia tamen provocabantur. Exierunt igitur pater & filii cum infinitis armaturis ſuo modo communiti, & quandam maximam civitatem, cui nomen *Ernac*, obſidentes, ipſam occuparunt, cum domino civitatis, quem ſtatim occiderunt: & *Curzeuſam*, ejus nepotem, fugientem inſequuti ſunt per multas provincias, devaſtantes omnium provincias, qui eum receptaverant. Inter quas pro magna parte devaſtata eſt *Ruſſia*: jam ſunt viginti ſex anni elapſi. Mortuo verò patre, tres fratres ab invicem ſunt diviſi. Et diu paſtores gregium, quos rapuerunt, effecti, omnes vicinos paſtores vel victos occiderunt, aut ſibi ſubjecerunt. Et ſic multi facti & fortiores, conſtitutis inter ſe ducibus, ad altiora convolarunt, & ſibi civitates ſubjugarunt, vincentes habitatores earum. *Theſyrchan* ivit contra *Babylonios*, *Churicam* contra *Turcus*, *Bathatarcan Ornachi*, & miſit Principes ſuos contra *Ruſſiam*, *Poloniam*, & *Hungariam*, & multa alia Regna. Et iſti tres cum ſuis numeroſiſſimis exercitibus, partes *Syriæ* vicinas invadere præſumunt. Et jam tranſierunt, ut aiunt, traginta quatuor anni, ex quo primò exierunt deſerto *Etren*. De modo credendi requiſitus, reſpondit, quòd unum dominatorem mundi credunt, & cùm Legationem mitterent ad *Ruthenos*, mandaverunt in hæc verba: Deus, & filius ejus in cœlis, & *Chiarcan* in terris. De forma vivendi, dixit: Carnes comedunt jumentinas, caninas, & alias abominabiles, etiam in neceſſitate humanas, non tamen crudas, ſed coctas. Sanguinem, aquam, & lac bibunt. Graviter puniunt ſcelera, fornicationes, furta, mendacia, & homicidia, ultimo ſupplicio. Polygamiam non deteſtantur, unam vel plures uxores quilibet habet. Ad convictum familiarem, vel negociorum tractatus, vel conſiliorum ſecreta, alias nationes non admittunt. Seorſum caſtrametantur, ad quæ ſi quis alienigena præſumpſerit venire, trucidatur confeſtim. De ritu autem, ac ſuperſtitione eorum, ait: Quolibet mane manus ad cœlum levant, Creatorem adorantes. Comedentes verò, primum morſellum in aëra jaciunt. Bibentes, prius partem in terram fundunt, in venerationem Creatoris. Et dicunt ſe habere ſanctum *Johannem Baptiſtam* produce. In novilunio gaudent & celebrant. Fortiores & agiliores nobis ſunt, & potentiores ſufferre dura: ſimiliter & equi eorum, & pecudes. Mulieres bellatrices, præcipuè ſagittatrices optimæ ſunt. Arma de corio habent vix penetrabilia, ad muniendum: ferrea & intoxicata, ad impetendum. Machinas habent multiplices, rectè & fortiter jacientes. Sub divo quieſcunt, non curantis de aëris inclementia. De omnibus nationibus & ſectis jam ad ſe multos attraxerunt. Intendunt autem totum mundum ſibi ſubjugare. Et dicunt, quòd inſinuatum eſt eis divinitùs, quòd debent totum mundum per triginta novem annos exterminare. Aſſerentes, quòd olim animadverſio divina, per diluvium purgavit mundum: ſic in præſenti, generali depopulatione & vaſtatione, quam exercebunt ipſi, mundus purgabitur. Credunt ſe habituros, & etiam dicunt, durum congreſſum cum *Romanis*: appellant autem omnes *Latinos*, *Romanos*: miracula formidantes, & ſententiam ultionis futuræ poſſe commutari. Quos ſi vincant, toti mundo ſe profectò aſſerunt dominaturos. Satis obſervant fœdera, ſe ſponte illis tradentibus & ſervientibus: accipientes ſibi de illis electos bellatores, quos ſemper præliantes præponunt. Artifices varios ſimiliter ſibi reſervant. * Inſurgentibus in eos, vel jugum eorum ſpernentibus, nullatenus parcunt, vel qui eos expectant. Nuncios benignè admittunt, expediunt, & remittunt. In fine autem, requiſitus ſuper tranſmeatione marium vel fluminum, dixit: Quòd flumina tranſeunt in equis & uteribus ad hoc compoſitis. Et quòd in tribus locis parant navagia ſupra mare. Dixit etiam: Quod quidam de *Tartaris*, nomine *Kalaladin*, gener *Chyrcan*, exulatus eſt in *Ruſſia*, quia deprælienſus eſt dixiſſe mendacium. Cui quidam, ob gratiam uxoris ſuæ pepercerunt ei Primates *Tartarorum*, ne occideretur.

Petrus Archiepiſcopus Ruſſiæ fugatus à Tartaris.

EODEMQ; anno, æſtate declinante, præcipuus Rex *Tartarorum* ſignificavit bis per diverſos nuncios Principi *Antiochiæ*, ut tria ſua ſibi compleret mandata. Sin autem, ſolus gladius cruentatus ultionem exerceret. Primum, ut humiliaret muros civitatum ſuarum ac caſtrorum. Secundum, ut mitteret ei redditum totum auri & argenti, ex principatu ſuo provenientem. Tertium, ut tria milia virginum ei deſtinaret. Quod cùm Princeps intellexiſſet, ab imo trahens ſuſpiria, ait: Vivit Dominus, & vivunt Sancti ejus, quia nunquam alicui mandatorum iſtorum conſentiam. Opto potiùs, ut res agatur pro capitibus, & de vultu Domini judicium horum prodeat. Et ſic nuncii comminantes ad dominum ſuum ſunt reverſi. Similique modo ſignificatum eſt à prædictis *Tartaris*, Regi *Armeniæ*, & quibuſdam potentibus *Saracenorum Soldanis*. Quid autem ab eis renuncietur, ignoramus.

Mandata terribilia Tartarorum.

CIRCA

1244.

Reconciliatur eccleſia Wintonienſis ſuo Epiſcopo.

CIRCA eadem tempora, Epiſcopus *Wintonienſis*, vale dicens Regi *Francorum*, & eis, qui eidem exulanti ſinum aperuerant miſericordiæ, & gratias referens, ſecurus de gratia Regis Angliæ, verſus partes Wintoniæ, ut eccleſiæ ſuæ deſolatæ paſtorali ſollicitudine conſulendo diſponeret, & deformatæ reformaret, iter maturavit. Quod audiens Prior *Wintonienſis*, licèt ſerò, faciens de neceſſitate virtutem, ſe Epiſcopo ſuo adventanti humiliavit. Similiter & alii, tam ſæculares, quàm Monachi, qui pacis fuerant perturbatores, & diſcordiæ ſeminatores, confiſi nimis in Regis protectione, ad dominum & Epiſcopum ſuum ſatisfacientes ſunt converſi. Et citò poſt, videlicet die decollationis beati *Johannis Baptiſtæ*, relaxata eſt ſententia Interdicti lati ab Epiſcopo in eccleſiam & civitatem *Wintonienſem*, cui ſubjacuerant, ſub forma Juris liberaliter abſoluti.

Memoratus autem Prior, *I.* de *Canz*, ſimiliter ſub eadem forma cum ſuis complicibus eſt abſolutus, depoſitus tamen, & alii cum eo, quos idem Prior temerè inſtituerat, obedientiarii, & miniſtri ſæculares. Major autem civitatis, qui magis offenderat, majori pœnæ ſubjacuit ſatis faciendo.

Septimo Idus Novembris obiit Epiſcopus *Cunerenſis A.* apud *Wareduna*, ubi aliquando Abbas exſtiterat. In octavis ſancti *Martini* transfretavit Epiſcopus *Lincolnienſis*, ut ſecretiùs propenſiúſque conſulto domino Papa, decideretur ipſa damnoſa lis mota inter ipſum & ſuos Canonicos. Et citò pòſt, ut ſuam contra eum partem defenderet, Decanus ejuſdem eccleſiæ, & cum ipſo quidam Canonici transfretarunt.

Rogerus conſecratur in Epiſc. Batonienſem.

EODEM verò anno, tertio Idus Septembris, conſecratus eſt in Epiſcopum *Batonienſem* magiſter *Rogerus*, *Sariſberienſis* eccleſiæ Præcentor, vir eleganter moribus & ſcientia Theologiæ præditus, apud *Radingum*. Cujus redditibus jam vacantibus, magiſter *Martinus*, domini Papæ clericus, Papali fultus autoritate, avidas manus injecit, cuidam Papæ conſanguineo conferendis.

Adventus Regis Franc. ad Capitulum Ciſtercienſium.

IMMINENTE verò ſancti *Michaelis* feſtivitate, convenientibus, ut moris eſt, de diverſis regionibus Abbatibus ordinis *Ciſtercienſis*, ad ſuum Capitulum generale, venit illuc devotiſſimè dominus Rex *Francorum*, precum ſuffragia ab omnibus ipſis Monachis congregatis petiturus. Comitabatur autem eum nobilis domina *Blanchia* mater ejus, quæ à domino Papa privilegium impetraverat, ut liceret ei domos religioſas *Ciſtercienſis* ordinis cum duodecim mulieribus orandi gratia intrare. Erant etiam ibidem cum dicto Rege & matre ejus, pro cauſa memorata, fratres Regis, *Atrebatenſis* & *Pictavenſis* Comites, Dux *Burgundiæ*, & ſex Comites *Franciæ* cum ipſis. Qui cùm appropinquarent eccleſiæ *Ciſtercienſi*, deſcenderunt de equis ſuis ob reverentiam eccleſiæ, & ab eodem, uſq; ad eccleſiam, loco, videlicet quantum jacere ſolet arcubaliſta, ordinatè ac reverenter orantes progreſſi ſunt. Et ecce omnes Abbates cum univerſo Conventu, videlicet quingenti, eis appropinquantibus cum proceſſione occurrerunt, ob honorem domini Regis, qui tunc primò ad eorum venerat Monaſterium. Dominus autem Papa hæc prænoſcens, miſerat ad Capitulum quandam elegantem epiſtolam, petens inſtanter & devotè, ut ipſi omnes Abbates & Conventus, cùm ad ipſos in Capitulum eorum adveniret dominus Rex, fraternitatem & orationes eorum flagitaturus, flexis genibus, & junctis manibus, ipſum efficaciter & devotè deprecarentur; ut ſecundùm antiquam & conſuetam *Franciæ* conſuetudinem & libertatem, patrem ſuum & paſtorem ſummum ac præcipuum eccleſiæ rectorem, videlicet *Romanum* Pontificem, contra inſultus Imperatoris, quos declinavit, quem in eadem epiſtola filium Sathanæ nominavit, potenter tueri & defendere dignaretur. Et ſi neceſſitatis articulus expoſtularet, ſinum pandens ingenuè pietatis, eum in Regno ſuo benignè receptaret: Sicut quondam bonæ memoriæ *Alexandro* Papæ exulanti, & à facie *Frederici* Imperatoris perſequentis fugienti: & eodem tempore beato *Thomæ Cantuarienſi* Archiepiſcopo, nunc glorioſo Martyri, indignationem *Henrici Anglorum* Regis declinanti, conſolationem & refugium noſcitur præſtitiſſe. Cùm autem dictus dominus Rex in Capitulo, antepoſita reverenter matre ſua, reſediſſet in medio Magnatum & Abbatum, ipſi omnes Abbates & Conventus flexis genibus, & junctis manibus, obortiſque lachrymis, ipſum Regem humiliter poſtularunt, quod prædictum eſt. Quod cùm vidiſſet dominus Rex, & audiſſet, & ipſe contra eos genua curvans, ipſis favorem præſtitit, affirmando, quòd quantum honeſtas permitteret, ipſius Imperatoris *Frederici* injurias ab eccleſia propulſaret, & ipſum dominum Papam, ſi conſilium Optimatum ſuorum, quod non poteſt aliquis Regum *Francorum* ſubterfugere, exulantem liberaliter receptaret.

Abbates autem ipſi Regi, ſuper hoc gratias multiplicantes, ſpeciale ſuorum bonorum operum ei participium conceſſerunt.

Habuit autem Imperator ibidem nuncios ſuos ſolennes, ut quod ab ipſis poſtularetur, effectum non ſortiretur.

Fulco Baſſet conſecratur in Epiſc. Lond.

DIE verò ſancti *Dionyſii*, conſecratus eſt in Epiſcopum *Londinenſem Fulco Baſſet*, Decanus *Eboracenſis*, vir origine & morum clarus elegantia, in eccleſia ſanctæ Trinitatis apud *Londinum*.

Otto & quidam Cardinalium
Januam ad Papam clam proficiſcuntur.

1244. Eodémque tempore, *Otto* Epiſcopus *Portuenſis*, & quidam alii Cardinales, per conductum *Mediolanenſium*, & aliarum civitatum, domino Papæ adhærentium, *Marchiſiique* de *Monte ferrato*, & *Guidonis Gurræ*, & aliorum Potentum, qui eccleſiæ ſavebant, & eam fovebant, invitis cuſtodibus, quos Imperator *Fredericus* per tranſitus viarum conſtituerat, & confuſis, ad dominum Papam, apud *Januam* commorantem, indemnes & illæſi pervenerunt. Unde dominus Papa exhilaratus vehementer, ſpem concepit de tribulatione meliorem. Ex tunc igitur confluentes ad ipſum dominum Papam cognati & conſanguinei ſui, & affines, ex tota *Janua* innumerabiles, qui eum vel ſanguinis, vel alicujus amicitiæ ratione, licèt exili, contingebant; exigentes redditus ad uſus filiorum & nepotum ſuorum, præcipuè ex Regno *Angliæ* ſibi conferendos.

Cruciferi veniunt in Angliam.

DIE verò Lunæ ante feſtum omnium Sanctorum, venerunt ad Synodum Epiſcopi *Roffenſis* quidam novæ religionis ſpeciem præferentes, fratres ſcilicet dicti Cruciferi, dicti ſic, quia cruces in baculis afferebant. Requirebant autem habitationem à potentibus, oſtendentes inauditum ſibi à domino Papa privilegium conceſſum; videlicet quòd nulli licuit ordinem eorum reprehendere, vel ipſos exprobrare, vel ipſis imperare: conceſſa etiam fuit ipſis poteſtas in tales ſententiam excommunicationis inferre, admirantibus, imò obſtupentibus, viris ſapientibus & diſcretis, ſuper tot novis ordinibus quotidie ſine fine orientibus, & emergentibus, quòd ſpretis beatiſſimi *Benedicti* pleni ſpiritu omnium Sanctorum, & magnifici *Auguſtini* diſciplinis, contra ſtatutum Concilii ſub glorioſæ memoriæ domino Papa *Innocentio* tertio celebrati, tot viri literati ad inauditos ac noviter inventos ordines ſubitò convolarunt. In quo Concilio, poſt ordines *Prædicatorum* & *Minorum* initiatos & auctoriſatos, irrefragabiliter ſancitum & ſtatutum fuit, aſſenſum fratribus Cardinalibus, cum tota ſacri Concilii univerſitate, præbentibus, ne ex tunc ampliùs novi ordines adinvenirentur, vel adinventi admitterentur, ne ſcilicet autentici ac jam recepti ordines vileſcerent, ſpreti, & ſimiliter damnificati.

Papa ad Aſtenſem ſe contulit civitatem.

CIRCA idem tempus, ſe tranſtulit dominus Papa ad *Aſtenſem* civitatem, inſtinctu *Januenſium* parentum ſuorum, qui aurum & argentum ſitienter cupientes, ipſum perſuadebant, *Anglis*, & *Francis*, & ipſis conterminis munera ferentibus, præſtò ac gratanter occurrere, & nulli offerenti manum contractam denegare. Necnon ad Imperatoris *Frederici*, quem oderant, confuſionem, & ad ipſorum vindictam, & ditationem, Concilium generale convocare. Stipatus igitur agmine *Januenſium* armatorum dominus Papa, viam arripuit tam repentinam, quàm clandeſtinam, ad partes *Francorum* propinquiores. Et tunc averſæ ſunt à fidelitate & ſubjectione Imperatoris *Frederici*, *Aſtenſis*, *Alexandrenſis*, & quædam aliæ civitates, & ad Papam ſunt converſæ: ſecundùm illud Poëticum:

Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Papa ſe Lugdunum confert.

Inde poſt modicum moræ ſpacium, deceptis Imperatoris cuſtodibus, quos conſtituerat ad præcludendas Papæ vias, dominus Papa, qui ſe inſtaurarat quaſi hyematurus, tam de nocte iter conficiens, quàm de die, feſtinanter ac ſubitò, non ſine multiplici periculo, æſtate jam ſe contulit declinante *Lugdunum*.

Regi Angliæ auxilium pecuniare negatur.

IN craſtino autem Omnium animarum, convenientes Magnates *Angliæ*, Rex cùm inſtantiſſimè, ne dicam impudentiſſimè, auxilium pecuniare ab eis iterum poſtularet, toties læſi & illuſi, contradixerunt ei unanimiter & uno ore in facie. Proponebat enim dominus Rex, contra *Wallenſes* exercitum dirigere copioſum. Præterea, mercatoribus ultramarinis, videlicet vinitoribus & aliis, pro cera, & aliis etiam vitæ neceſſariis, tot & tantum debebat ipſe Rex, quòd vix potuit pro inſtantiſſimo clamore debita ſua exigentium & expoſtulantium, in populo apparere. Unde manifeſtè apparuit, ipſum doloſis & doloroſis muſcipulis alienigenarum, ſua tantùm quærentium lucra, turpiter agitatum illaqueari.

Extorquetur pecunia à civibus Lond.

REX itaque avidè & ſitienter inhians pecuniæ, inconſulta Regni, vel ſaltem naturalium ſuorum univerſitate, à civibus *Londinenſibus* mille & quingentas marcas, quadam cauſa rationabili, ut ſibi & ſuis dabatur intelligi, violenter & impudenter extorſit. Receptarant enim, ut pars Regis aſſeruit, quendam ex ſuis concivibus meritò ab urbe expulſum, & diu exulantem, viginti annis tunc tranſactis, ſcilicet *Walterum Bukerel*. Sed contradicentibus civibus *Londinenſibus*, & affirmantibus, quòd legalis factus fuerat precibus & muneribus fratris ſui *Andreæ* verſus Regem, & Regio aſſenſu & præcepto pacificatus, additus eſt numero concivium ſuorum, Regiis rotulis teſtificantibus, reſponſum eſt in inſtanti cavilloſè & ex parte Regis, quòd tunc temporis fuit Rex juvenis, cereus, & ſeducibilis, & ſub cuſtodia, quare quod tunc conceſſum erat, robore caruit firmitatis. Sed hoc nimis manifeſtè in cuſtodum ſuorum dedecus redundavit. Stetit ſententia, non ratione, ſed ſola fulta voluntate. Et compulſi ſunt cives, memoratam pecuniam alienigenis diſpergendam numerare.

1244.

ANNI ipſius eodem tempore, *Nicolaus* de *Molis*, *Gaſconiæ* Seneſcallus, quem dominus Rex à *Gaſconia* diſcedens, ibidem terræ ſuæ cuſtodem conſtituerat, contra Regem Navarræ bellum viriliter continuans, ad votum in quodam caſu inito certamine, fortuna ſic ferente, triumphavit. *Victoria Nicolai de Molis Seneſcalli* Gaſcon.

DIE verò ſancti *Hugonis* obiit *Margareta* ſoror Regis *Scotiæ*, videlicet relicta vidua *Gileberti* Comitis *Mareſcalli*, *Londini*. Et ſepulta eſt apud fratres *Prædicatores* in eorum eccleſia veneranter & ſolenniter, prout decuit. *Obiit Margareta ſoror Regis* Scotiæ.

Et cito poſt, *Exonienſis* Epiſcopus *Willielmus*, cognomento de *Bruiere*, ætate adhuc integra, moribus, ſanguine, & ſcientia ſpectabilis, debita naturæ perſolvit. *Mors. Epiſc.* Exonienſis Willielmi.

EODEM anno, in Adventu Domini, Rex *Francorum Lodovicus*, ex reliquiis corruptelæ, quam in *Pictavia*, cùm negociis bellicis indulſiſſet, contraxerat, graviter infirmatus, in extaſim lethalem raptus, jacuit aliquot diebus quaſi mortuus, & aſſertione plurium circumſedentium, penitus exanimatus. Aſſiſtebant autem mater & frater ejus, & quidam alii ejus familiares, credentes quod jam Rex mortuus obriguiſſet. Sed mater ipſius, profundiora aliis trahens ſuſpiria, ſingultibus ait ſermonem prorumpentibus: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Et ſalva hodie Regnum Franciæ, quod hactenus honorificè ſemper ſuſtinuiſti.* Et applicans crucem ſanctam, & coronam & lanceam *Chriſti*, ſuo tempore acquiſitas, corpori Regis filii ſui, & votum faciens pro eo, quòd ſi ipſum dignaretur *Chriſtus* viſitare & ſanum reddere, & conſervare, cruce ſignaretur ſepulchrum ejus viſitaturus in terra, quam proprio ſanguine conſecravit. Et cùm ipſa, & omnes alii præſentes, pro ipſo corde ſyncero & perfecto orationem continuâſſent, ecce Rex, qui mortuus credebatur, ſuſpirans, brachia & tibias ſibi attraxit, & poſteà extendit, & voce præcordiali, quaſi ex ſepulchro reſuſcitatus, ait: *Viſitavit me per Dei gratiam oriens ex alto, & à mortuis revocavit me.* Et inde plenè convaleſcens, crucis ſolenniter humero ſuo aſſumpſit ſignaculum, vovens ſe Deo in ſpontaneum holocauſtum, & *Terram ſanctam* ſe, ſi concilium Regni, quod aſſumpſit gubernandum, toleraret, in perſona propria viſitaturum. Rex Franc. *miraculoſe convaleſcens cruce ſignatur.*

EORUM temporum curriculo, *David* Princeps *Northwalliæ*, nepóſque domini Regis *Angliæ*, timens vehementiſſimè impetus Regis *Anglorum*, contra eum meritò commotos, miſit ad dominum Papam nuncios ſolennes, per quos ei ſignificavit, quòd ſe ſuamque terram totam contra Regis *Anglorum* jus contuendam eccleſiæ *Romanæ* reſignavit, ipſi tamen *David* tenendam, ſuiſque hæredibus, reddendam inde annuatim quingentas marcas. Et literas ſuper hoc, nacta occaſione juſtitiæ, non ſine maximæ pecuniæ effuſione, meruit obtinere, ſub hâc formâ: *David Princeps* Northwalliæ *cupit liberari à jugo* Angl.

Illuſtri viro, domino Henrico, *Dei gratia Regi* Anglorum, *&c. Abbates* Haberconniæ *& de* Kemere, Ciſtercienſis *ordinis, Inquiſitores dati à domino Papa, Salutem in Domino. Mandatum domini Papæ recepimus in hæc verba:* Innocentius *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbatibus de* Haberconnia *& de* Kemere, Ciſtercienſis *ordinis,* Kangorum *Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii noſtri, Nobilis viri* David, *Principis Northwalliæ, fuit propoſitum coram nobis, quod cùm inter ipſum, quem parentes ejus in alumnum* Romanæ *eccleſiæ donaverunt, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem* Anglorum *illuſtrem, bellum longo tempore perduraſſet, tandem poſtquam fuit in venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum de ſancto* Aſaph. *& collegas ipſius, de ſtando hinc inde eorum arbitrio ſuper omnibus querelis, juramento à partibus præſtito, concorditer, bonis viris mediantibus, compromiſſum. Idem Rex, non attendens, quòd pendente illorum arbitrio, ſibi ſuper hoc aliquid attentare non licebat, in prædictum Principem ex inſperato hoſtiliter irruit, ad præſtandum quod ſuper prædictis, de quibus compromiſſum fuerat, & juratum, ac aliis ipſius Regis, mandare per vim compulit, & metum, qui cadere poterat in conſtantem. Cùm igitur ea quæ vi & metu fiant, carere debeant robore firmitatis, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inquiſita ſuper hoc diligentiùs veritate, ſi rem inveneritis ita eſſe, autoritate noſtra prædictum Principem ab obſervatione ſic extorti juramenti penitus abſolventes, ſententia, ſi qua occaſione hujuſmodi in ejus perſonam, vel terram, ab aliquo forſan lata fuerit, juxta formam eccleſiæ, ſine difficultate qualibet, ſicut juſtum fuerit, relaxetis. Teſtes verò, &c. Datum* Januæ, *ſeptimo Calend. Auguſti. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Hujus igitur autoritate muniti, vobis mandamus, quatenus in vigilia ſanctæ* Agnetis *virginis, apud* Keyrus, *in eccleſia* Guſtefend, *coram nobis compareatis, ſuper contentis in autentico, dicto Principi reſponſuri, ſi vobis videritis expedire.* Hæc cùm ad audientiam domini Regis & ſuorum Magnatum pervenerunt, & citò poſt ad notitiam aliorum Principum fama referente pervolarunt, indignati vehementer, ipſum Regem non attendere hujuſmodi mandata perſuadentes, ad hoſtile certamen animabant, & ut ipſum *David* ſine dilatione impeteret, accelerabant. Quod cùm cognoviſſet dominus Papa, conniventer hæc omnia diſſimulabat: præmio tamen, quod acceperat ab ipſo David, non reſtituto. *Literæ quas* idem Princeps à *Papa contra Regem* Angliæ *impetravit.*

Eodem anno, circa medium ejuſdem menſis, ſcilicet Novembris, in triſte præſagium, audita ſunt tonitrua manifeſta, & viſæ coruſcationes, & ſecuta eſt aëris perturbatio magna, per quindecim dies continuata. *Tonitrua audita in hyeme.*

ET Circa illos dies, *Robertus Paſſeleve*, domini Regis clericus, durum ac dirum Regi dedit conſilium, quia quæſtuoſum, ut videlicet facta nimis diligenti inquiſitione per vicinos habitatores, de Regiæ foreſtæ, vel terræ inforeſtatæ occupatione, qui talia præſumpſerunt, gravi pœna mulctarentur. Vocatis igitur ad hoc conſortibus Regio præcepto, videlicet *Laurentio* de *ſancto Albano* clerico, & *Galfrido* de *Langeleia* milite, per diverſos Comitatus itinerans *Fit inquiſitio de occupatione Regiæ foreſtæ.*

1244. memoratus *Robertus*, infinitos multiplicibus argumentis circumventos, tam religioſos quam ſæculares, nobiles & ignobiles ut Regemditaret, irreſtaurabiliter depauperavit; ita videlicet, ut multi vagi & extorres cogerentur mendicare, multi quoque carceribus mancipari, vel omnibus bonis ſpoliatos, tenuem vitam ſub miſeria protelare. Inter quos, *Johannes* de *Novilla* Prothoforeſtarius, filius *Hugonis* Prothoforeſtarii, non ultimus inter totius *Angliæ* primates adeò eſt terribiliter criminatus, quòd ferè carcerali cuſtodiæ mancipandus, judicium exhæredationis, vel ignominioſæ redemptionis, vel alterius damnationis, (niſi Regia clementia, per Magnatum efficacem interceſſionem, rigorem judicii temperaret) expectabat. Qui tamen compatientium lamentatione non meruit relevari, quia in proſperitate ſua, ſuorum non didicit ſibi, ſubjectorum in conſimili caſu miſereri.

R. Paſſeleve *electus in Epiſc.* Ciceſtrenſem, *ibi caſſatur.*

MEMORATUS igitur *Robertus Paſſeleve*, Regis theſaurum jam multis marcarum millibus inopinabiliter adaugens, ejus gratiam mirabiliter eſt adeptus. Quod videntes Canonici *Ciceſtrenſes*, ipſum eſſe idoneum & perutilem, qui prudentem & circumſpectum, ad eccleſiæ ſuæ regimen cenſuerunt; et ſperantes Deo placere & domino Regi, necnon & Regis gratiam & tutamen, & ſuæ eccleſiæ promotionem ſe proinde conſequuturos, ipſum *Robertum Paſſeleve* in Epiſcopum ſuum elegerunt. Quod comperientes electus *Cantuarienſis*, & Epiſcopi *Angliæ* quamplurimi, indignati ſunt valde. Et ſpreto Regis ſimul timore & amore, eundem *Robertum* in nimis arduis quæſtionibus per Epiſcopum *Lincolnienſem* examinantes, electionem & electum reprobaverunt & caſſaverunt. Et magiſtrum *Richardum* de *Wiz* loco ipſius ſtatim, Regio aſſenſu irrequiſito, ſubrogarunt. Unde Regis ira excanduit in electum & Epiſcopos vehementer. Protinuſque redditus dicti magiſtri *Richardi*, idoneis ac dignis perſonis, poſtquàm electus fuit, ſunt collati. Magiſter enim *Martinus*, domini Papæ clericus, ad hoc conſtitutus, redditibus ejus vacantibus, qui præſens fuerat & promptus, inhiabat. Quod cùm audiſſet dominus Rex, iratus vehementer, prohibuit, ne novo electo, qui eo inconſulto electus fuit, in ſui & Regni enorme præjudicium, introitus in Baroniam eccleſiæ ſuæ pertinentem, vel poſſeſſiones ſæculares, aliquatenus concederetur: ut in præcedentibus prætactum eſt.

Rex Angl. *pretioſa dona offert in templo* ſancti Albani.

DIE verò ſancti *Thomæ* Apoſtoli, venit dominus Rex ad *ſanctum Albanum*, gratia hoſpitandi. Et cùm de more ad majus altare aſcendit oraturus, obtulit unam pallam precioſam, & tria monilia aurea, feretro apponenda, in ſui memoriam, & Martyris ad honorem, cum tamen antè ſeptem obtuliſſet.

Et dum Rex ibidem triduo commoraretur, venit rumor ad eum, quòd Comitiſſa *Flandriæ* naturæ debita perſolviſſet. Quod cùm cognoviſſet, more Regis *Chriſtianiſſimi*, pauperibus eleemoſynas largas juſſit erogari pro anima ipſius, & exequias ſolenniter & devotè in choro *ſancti Albani* propenſiùs celebrari.

Annalis concluſio.

Tranſiit igitur annus ille frugifer abundanter, & fructifer, ita quòd ſumma frumenti ad precium duorum ſolidorum deſcendebat. *Terræ ſanctæ* inimiciſſimus. Regno *Angliæ* turbidus. *Francorum* Regno periculoſus. Eccleſiæ ſuſpectus. *Italicis* verò turbulentus.

Rex celebrat Natalitia Londini, *& I. de* Gateſdene *balteo cingit mil.*

ANNO gratiæ M. CC. XLV. qui eſt annus Regni *Henrici* tertii Regis *Angliæ* vigeſimus nonus, fuit idem Rex ad Natale Domini *Londini*: ubi cum multis Nobilibus feſta Natalitia celebravit. Ibidemque die natali, *Johannem* de *Gateſdene*, clericum, & multis ditatum beneficiis, ſed omnibus ante expectatum reſignatis, quia ſic oportuit, Baltheo cinxit militari. Ipſequoque *Johannes* memoratus, vir prudens in agendis, & ſtrenuus, jam multis, ſua procurante induſtria, laicis ditatus poſſeſſionibus, filiam cujuſdam nobilis dominæ *Roiſiæ* de *Brus*, ſibi matrimonio copulans, curam exuens animarum periculoſam, ad magnorum Procerum dignitatem advolavit. Unde multi nobiles origine, mente autem ignobiles, invidentes, illi citò poſteà laqueos gravaminis prærararunt.

Quorum invidorum molimina *Johannes* invidioſus, non ſine difficultate, prudenter evaſit.

Transfretant Cantuarienſis *electus*, Wigornienſis, *&* Hereford. *Epiſc.*

CUM hæc agerentur, *Cantuarienſis* electus *Bonifacius*, & *Wigornienſis* & *Herefordenſis* Epiſcopi, qui inter omnes alios *Angliæ* Epiſcopos erant domino Papæ ſpecialiores, & *Anglis* ſuſpectiores, dominum Papam propter quædam (quæ neſciebantur ab univerſitate) ſecreta negocia, ſubitò adeuntes, transfretarunt: ad votum facta diſpoſitione in do *Cantuarienſi*, tam de conventu, quàm curiæ familia, obedientiariis, & obedientiis, plus quàm alicui anteceſſorum alii ejuſdem memorati *Bonifacii* unquam permiſſum extiterat. Aſſerebat etiam idem electus *Bonifacius*, quòd facta diligenti inquiſitione, obligata fuit eccleſia ſua *Cantuarienſis*, ex parte Archiepiſcopatus, alieno ære plus quàm quindecim millibus marcarum, & quaſi irreſtaurabiliter compedita. Unde naves aſcenſurus apud *Doveram*, in receſſu ſuo, juſſit nemora Archiepiſcopatus abſcindi & vendi, & quaſdam collectas & tallias, tam in clero, quàm in populo, fieri graviores. Quas quidem multi factas eſſe dicebant, ad quendam militem *Provincialem* expugnandum. Qui audito teſtamento Comitis *Provinciæ Reimundi*, filiam ejus juniorem furto repentino ac nocturno ſubripere proponebat. Comes enim memoratus, ſentiens ſe in proximo moriturum, domui ſuæ diſpoſiturus, & teſtamentum ſuum conditurus, vocavit filiam ſuam juniorem, & ait illi: Filia chariſſima omnium, & mihi inter omnes ſorores tuas amantiſſima, ſcio quod, Domino diſponente, omnes filiæ meæ, præter te ſolam, inæſtimabiliter, & in admirationem omnium

nium *Chriſtianorum*, exaltatæ maritantur. Tibi igitur ſolæ maritandæ totam terram meam, cum theſauro meo, & caſtris & poſſeſſionibus meis, concedo, & in teſtamento relinquo. Non enim indigent ſorores tuæ, ut aliqua pars hæreditatis mutilandæ alicui earum tribuatur. Idcirco, ut prætactum eſt, quidam Nobilis, poſſeſſionibus tenuis, ſed tamen animoſus, & in negociis bellicis ſtrenuiſſimus, tum propter puellæ venuſtatem, tum propter opimam hæreditatem eam contingentem, clam rapuit, & in caſtrum, quod prope habuit, ſalvò aſportans repoſuit, ſecundum illud Poeticum: *Genialis præda puella eſt*: dignus excuſari: Indignantes autem omnes Comitis memorati conſanguinei & amici, de auſu dicti militis temerario, irruerunt in ipſum hoſtiliter. Ipſe verò miles, poſſeſſioni incumbens, & ſuo juri innitens, amicis quotidie multiplicatis, ſe viriliter defendebat. Orta eſt autem magna hinc inde ea occaſione in finibus illis contentio & perturbatio hoſtilis & damnoſa. Rex itaque *Francorum*, ratione primogenitæ, quam ſibi matrimonio copulaverat, jus quod eum potiſſimè contingebat, conſtanter vendicavit. Et ſic certamen, quia *Provinciales Francos* odio habent inexorabili, diatim ſuſcepit incrementum. Electus igitur *Cantuarienſis Bonifacius*, à prædeceſſorum ſuorum veſtigiis imprudenter & impudenter exorbitans, cum fratre ſuo *Philippo Bal.* eò quòd avunculi fuerunt puellæ ſupradictæ, huic negocio Martio curam appoſuerunt, *Anglicanæ* ſumptuoſam & damnoſam eccleſiæ: ad quæ ſuſtinenda, diverſa acquirendi pecuniam argumenta confingentes, theſauros theſauris cumularunt, militibus ſtipendiariis, & aliis viris ſanguinum diſtribuendo. Aſſerebant itaque, ut aliquo colore peccatum tegeretur, ſe hæc pecunia neceſſariò eguiſſe, ad eccleſiæ *Cantuarienſis* liberationem, quam (ut dicebant, non ſine magna injuria anteceſſorum ſanctorum, eccleſiæ eidem qui præerant, eamque irreprehenſibiliter rexerant) ære alieno, ferè irreſtaurabiliter, præcedentes Archiepiſcopi obligaverant. Impetravit electus prædictus *Bonifacius* à domino Papa inauditum privilegium, quod nunquam alii meminimus præconceſſum. Similiter & frater ejus *Philippus* in hoc negocio deditus, armis privilegium, non ſine multæ pecuniæ effuſione, ſcilicet ut liceret redditus, quos obtinuit in *Anglia*, & Epiſcopatus proventus *Valentini*, ſimiliter & quædam majora, quæ tunc ſibi fuerant profutura, tenere, à curia *Romana* impetravit: ſicut ſequens ſermo pleniùs dilucidabit. 1245.

Die verò ſancti *Marcelli*, peperit *A.* Regina filium. Et ſic Rege jubente, vocatum eſt nomen ejus *Ædmundus*. *Regina Angl. parit filium.*

In craſtino verò purificationis beatæ *Mariæ*, obiit Comitiſſa *Oxoniæ*, cujus nomen erat *Iſabella* de *Belebec*. Et ſepulta eſt in eccleſia fratrum Prædicatorum *Oxoniæ*, quia ejuſdem eccleſiæ fuerat fundatrix. *Obiit Comitiſſa Oxoniæ.*

Et in craſtino ſancti *Valentini*, obiit *Baldewinus* Comes *Devoniæ*, de *Inſula* vulgariter dicta, in annis ſuæ juventutis adhuc pubeſcentibus, cujus mors etiam inimicis, ſi quos haberet, extitit lamentabilis. *Moritur Balduinus Comes Devoniæ.*

IPSO quoque Quadrageſimali tempore ingrediente, fecit dominus Papa iteratò excommunicari Imperatorem per totam *Franciam*, propter quaſdam novas invaſiones, quas fecerat in ſuos conſanguineos & perſonas eccleſiaſticas. Et cùm tale præceptum per ordinarios ſuos ad quendam Sacerdotem, civitatem *Pariſias* inhabitantem, deveniſſet, doluit, quòd oportuit eum ipſum Imperatorem, quem, neſcimus ob quas cauſas, dilexit, & curiam Romanam, quam aliquando expertus fuerat, execrabatur, excommunicare, ait in propatulo toti Parochiæ ſuæ die ſolenni populoſe: Audite univerſi. Accepi in mandatis, ut candelis accenſis, & pulſis campanis, in Imperatorem Fredericum excommunicationis feram ſententiam ſolennem, cauſam autem ignorans, non ignoro gravem controverſiam & odium inexorabile motum inter eos. Scio etiam, quòd unus illorum alii injuriatur: quis cui, neſcio. Sed illum, in quantum ſe mea extendit potentia, excommunico, & excommunicatum denuncio, alterutrum iſtorum, videlicet ipſum, qui alii injuriatur, & abſolvo injuriam patientem, quæ tam damnoſa eſt toti *Chriſtianitati*. *Imperator iterum excommunicatur in Gallia.*

Quod licet verbum levitatis, & more *Francorum* jocoſe prolatum, ore multorum revolutum eſt, longè latéque ventilatum, tandem ad audientiam pervenit Imperialem. Ipſe dicti pondus librans & commendans, xenia concupiſcibilia dicto Presbytero duxit tranſmittenda. Sed dominus Papa de ſcurrilitate, & verbi levitate, punivit redargutum.

IN ipſa verò Quadrageſima, apud *Mungumery*, occiſi ſunt trecenti & amplius *Wallenſes* ab *Anglis*, quibus præerat Caſtellanus ipſius caſtri, à tergo poſitis inſidiis cautè. Simulata autem formidine, Caſtellanus à facie *Wallenſium* fugit, ſed latitantes, ipſos *Wallenſes* inſequuti, trucidarunt, & Anglici ex adverſo ipſos in gladiis ſuſceperunt. *Trecenti Wallenſes trucidantur.*

IPSA quoque ſeptimana, *David* cupiens illam jacturam redimere, furtivis ac nocturnis irruptionibus *Anglos* invadens, vigilanter intendebat cædibus & rapinis. Cui cùm finitimorum *Anglorum* ſtrenua militia reſiſteret, cum ſuis ſibi ſubjectis Marchiſiis *Wallenſes* ad inacceſſibilium montium prærupta, more ſuo, ut tranſeuntibus inſidiarentur, convolarunt. Qui de excelſis rupibus, telis & lapidum jactibus multos ex *Anglis* lædentes, unum de Magnatibus *Anglorum* ſtrenuiſſimum * *Hubertum*, filium *Mathei*, mole lapidis ad mortem conquaſſatum, fractis cervicibus obruerunt. De quo hoc evenit mirabile, ſcripto dignum & relatu. Cùm die proximo antecedente inter *Anglorum* Magnates ordinatum & ſecretiùs confirmatum mutuis fuiſſet aſſenſibus, ut in craſtino contra *David* & ſuos *Wallenſes* ordinatis aciebus hoſtiliter irruerent, memoratus *Herbertus* in nocte ipſa dormiens, adeò vexatus eſt nocturnis fantaſiis, vel potiùs apparitionibus, *Munthaut excapatur à Wallenſibus.*

* Herbertum.

1246. nibus, quòd cum magna perturbatione, timore, & tremore deinceps requie privatus eſt, & ſopore. Juſſit igitur Sacerdotem ſummo mane advocari, & pleniſſimè confeſſus, ſeſe viatico ſalutari communivit. Et cùm de cauſa ſuper hoc interrogaretur, ſuſpirans ait ſuis familiaribus, quaſi ſpiritu præſago, ſomnium terribile ipſis ſeriatim enarrans: Multoties armis indulgens, & periculis Martiis me oppoſui, ſed hodie, prout vehementer opinor, mea frequens militia finali termino concludetur. Quod audientes ſocii ejus commilitones, in bonum omnia interpretantes, & minimè ſomniis credendum eſſe affirmantes, ipſum ne formidoloſitatis argueretur, qui toties de hoſtibus triumphavit, ſecum attraxerunt. Ipſi autem eadem die, dum per quoddam iter arctiſſimum, quod vulgariter Paſſus dicitur, forent tranſituri, caſus contigit prænotatus. Nam jactu lapidis obrutus expiravit. Dolentes igitur *Angli* ſuper hoc vehementer, lora retrahentes, mortuum ſuum, qui in craſtino Purificationis beatæ *Mariæ* obiit, omnes armatorum legiones ſolennibus obſequiis tumularunt. Alii referunt, quòd iſto *Herberto* filio *Mathei* de equo ſuo corruente, & adhuc palpitante, advenientes *Wallenſes* certabant cujus deberet eſſe captivus ad redimendum.[1] Quorum litem volens unus eorum dirimere, ipſum *Herbertum* à tergo tranſverberavit, & ait: Accipiat nunc eum quicunque voluerit. In craſtino inventus eſt transfoſſus, & per annulum, in quo Smaragdus fuit, inter alios mortuos nudus inveniebatur, manu appoſita ad vulnus. *Wallenſes* igitur hoc caſu vehementer animati, ſolitò proterviùs ſimul & efficaciùs vacabant hoſtium exterminiis, in multis irruptionibus frequenter prævalentes. Veruntamen apud *montem Gomericum*, *Wallenſium* ducenti caſu inopinato, inſidiis à tergo poſitis, trucidati corruerunt. *David* autem cum ſuis complicibus, ſeſe excutiens, *Munthaut* cum caſtro obſidione vallans, in brevi temporis ſpacio illud violenter occupavit, & occiſis quos invenit, ſecum adductiſve, ad votum triumphavit. Dominus autem caſtri illius, videlicet *Rogerus* de *Munthaut*, qui in caſtro non inveniebatur, ad loca ſe contulit tutiora. Ex tunc igitur ortum eſt bellum cruentiſſimum. Nec pepercerunt hi vel iſti, hinc aut inde, ſexui, ætati, vel conditioni, quin omnes communi involverent exterminio.

Miſerabilis interitus Herberti filii Mathei.

Conſilium ſubdolum quorundam Cardinalium.

IPSIS quoque diebus, domino Papa procurante, ſed tamen diſſimulante, quidam Cardinalium, qui ſolius erant amatores pecuniæ, chartam quandam domino Regi, ſub ſpecie multæ amicitiæ, tranſmiſerunt, cujus tenor talis exſtitit. *Conſilium damus vobis amiciſſimum, vobis ſalubre & honorificum, & regno veſtro glorioſum, nec mediocriter profuturum. Videlicet, ut preces domino Papæ per ſolennes nuncios dirigatis, humiliter eidem ſupplicantes, quatenus dignetur Regnum* Angliæ, *in quo jus dignoſcitur habere ſpeciale, ſua præſentia fæliciter illuſtrare. Et nos ipſum ſupplicationi veſtræ reddemus, pro poſſe ſupplicando, favorabilem, qui veſtrum & Regni veſtri fælices ſucceſſus deſideramus. Excellentiſſimus enim vobis honor foret, & gloria immortalis, ut temporibus veſtris, quod non recolitur aliquibus diebus eveniſſe, dominus Papa, qui patrum pater eſſe dignoſcitur,* Anglorum *finibus perſonaliter appareret. Recolimus etiam eum dixiſſe, unde gaudemus, quòd gratanter videret delicias* Weſtmonaſterii, *& divitias* Londinenſes. Hæc cùm domino Regi innotuiſſent, gaudebat, & huic ſubdolo conſilio de facili incurvaretur, niſi peritorum conſiliis ad contradicendum, vel diſſentiendum erigeretur. Qui dicebant, quòd ſatis, imò nimium, jam ſuorum Caurſinorum uſuris, & *Romanorum* ac *Italicorum* rapinis & ſymoniis, *Angliæ* puritas maculatur, quamvis non ipſe Papa præſentialiter bona eccleſiæ & regni diſſipet & prædetur. Similiter & regni *Prancorum* introitus, quem per ſolennes nuncios poſtulavit, & *Arragonum* denegabatur. Infamia enim curiæ Papalis id promruerat, cujus fœtor uſque ad nubes fumum teterrimum exhalabat.

ANNO eodem, circum medium Quadrageſimæ, venerunt nuncii domini Papæ in *Angliam*, de convocando Concilio generali, tale mandatum Papale bajulantes:

Papa convocat concilium generale apud Lugdunum.

INNOCENTIUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, Abbatibus & Prioribus per* Angliam *conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dei virtus, & Dei ſapientia, cujus ineffabili ſubjecta ſunt omnia Majeſtati, à fundationis initio ſplendore virtutum ſuam illuſtravit eccleſiam. Et ſic inſignem reddidit ſingularis privilegio poteſtatis, ut per ejus miniſterium ſuum juſtitia conſequatur effectum, & ſedato bellorum turbine, mundo poſſit tranquillitas provenire. Hujuſmodi enim præeminentiam dignitatis dum nos reverenter attendimus, qui regimini generalis eccleſiæ, licèt immeriti, divina providentia præſidemus, reddimur corde ſollicitì, quòd tempeſtatis horror, qua ipſa turbatur eccleſia, & religio* Chriſtiana *concutitur, per noſtræ proviſionis auxilium cœleſti pietate propicia propulſetur. Hinc eſt, quòd nos, ut ipſa eccleſia per fidelium ſalubre conſilium & auxilium fructuoſum, ſtatus debiti poſſit habere decorem, ac deplorando* Terræ ſanctæ *diſcrimini, & afflicto* Romaniæ *Imperio properè valeat ſubveniri, ac invenire remedium contra* Tartaros, *& alios contemptores fidei, ac perſecutores populi* Chriſtiani: *necnon pro negocio quod inter eccleſiam & Principem vertitur, Reges terræ, Prælatos eccleſiarum, & alios mundi Principes duximus advocandos. Rogamus etiam devotionem veſtram & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ad præſentiam noſtram, omni prorſus occaſione poſtpoſita, uſque ad proximum feſtum ſancti* Johannis Baptiſtæ, *perſonaliter venire curetis. Ut ipſa eccleſia ex veſtræ viſitationis honore ſpirituale gaudium, & ex noſtra induſtria, conſilium percipiat profuturum. Sciturì, quòd nos dictum Principem in prædicatione noſtra citavimus, ut per ſe, vel per ſuos nuncios in concilio celebrando compareat, reſponſurus nobis, & aliis, qui aliquid contra ipſum duxerint proponendum, & ſatiſfactionem idoneam præſtiturus. De perſonarum autem & evectionum moderato numero, illam cùm ve-*

neritis

neritis providentiam habeatis, quòd veſtris eccleſiis nimis non ſitis oneroſi. Datum Lugduni, tertio Calend. Februarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo. 1245.

EISDEMQUE diebus, dominus Rex enormiter, ut ſibi ſuiſque videbatur, paſſus injuriam, eò quòd plures jam Epiſcopi ſine ſuo aſſenſu creabantur, ſuper hoc conqueſturus, & pro ſuo jure, ab antiquis temporibus obtento, & approbato, allegaturus, ad curiam *Romanam* magiſtrum *Laurentium* de ſancto *Martino* clericum ſuum, virum circumſpectum & Juriſperitum, ſuum diſtinavit procuratorem. Similiter etiam pro aliis arduis negociis, Regem & Regnum contingentibus, prudenter ac fideliter cum diligentia expediendis. Maximè tamen pro negocio *Roberti Paſſeleve*, electi *Ciceſtrenſis*, tam præcipitanter, inconſulto tam Rege, quàm Capitulo *Ciceſtrenſi*, in medio Regni ſui caſſati, & per electum *Cantuarienſem Bonifacium*, (quem noviter, non ſine multorum murmure & contradictione, in Regnum ſuum vocaverat, & ad tantam promoverat dignitatem) depulſi. Promeruiſſet utique dominus Rex, non minimum in cauſa favorem. Sed quia multos viros idoneos, & præcipuè religioſos, quos potiùs promovere & tueri, ſicut quondam ſancti Reges fecerunt, teneretur, excogitatis argumentis, & frivolis exceptionibus, falſis, ac potiùs malicioſis, toties repulit, & cùm ritè eligerentur, in ignominioſam confuſionem præcipitavit, meritò procuratum eſt tanti mali remedium. Ut ſcilicet eo, qui tot mala machinabatur, ignorante, vel etiam contradicente, eccleſiis viduatis provideatur, quibus viri idonei, ne grex Dominicus detrimentum patiatur, maturiùs præponantur: quod videtur conſonum rationi. Sed de Regni potiùs, quàm de Regis, perturbationibus & ruinis, *Anglorum* Nobiles doluerunt.

Rex Angl. mittit procuratorem ad curiam Romanam.

CUM autem hæc ad Concilium generalis convocatio, ad audientiam Prælatorum perveniſſet, multi ad iter præparantur arripiendum. Aliqui tamen Regiis negociis intendentes, aliqui valetudinarii, & ſenes, ſe per Regem, vel competentes Procuratores excuſarunt. Regi etiam, qui pro aliquibus humiliter domino Papæ ſupplicaverat, Papa favorabiliter ſic reſcripſit:

Aliqui Prælati ad Concilium euntes per Regem excuſantur.

INNOCENTIUS *Epiſcopus, &c. Chariſſimo in* Chriſto *filio, Regi* Anglorum *Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Erga perſonam tuam, tanquam filii & devoti Apoſtolicæ ſedis, ſpecialis paternum gerentes dilectionis affectum, præcibus tuis, quantum cum Deo poſſumus, libenter attentum accommodamus auditum, & benignum impertimur aſſenſum. Sanè per dilectum magiſtrum* Laurentium, *nuncium tuum apud ſedem Apoſtolicam conſtitutum, & per literas Regias, à nobis humiliter poſtulaſti, ut cum inſtanti eſtate proponens ad perfidiam quorundam tuorum rebellium conterendam, exercitu congregato dirigere greſſus duos, venerabilem fratrem noſtrum* Carleolenſem *Epiſcopum, & dilectum filium Abbatem* Weſtmonaſterienſem, *cuſtodiæ Regni tui, quàm diu in expeditione permanſeris, provido deputaris, ipſos & venerabiles fratrem noſtrum Epiſcopum* Landavenſem, *omnibus bonis Epiſcopatus ſui per inimicos Regios denudatum, & dilectos filios ſancti* Ædmundi, *morbo podagrico laborantem, ac de* Wauthem *ſenio confractum & confectum, Abbates, ne ad conſilium veniant, quod in inſtanti feſto Nativitatis beati* Johannis Baptiſtæ, *Deo dante, celebrabimus, haberemus benignè ac miſericorditer excuſatos. Nos itaque celſitudinis Regiæ Regniq; tui propenſiùs affectantes commodum & quietem, & tibi, ac pro te tuis, quantum pro Deo fieri poteſt, exhibere parati, gratiam & favorem devotioni tuæ præſentium auctoritate concedimus benignitate poſtulata: ſublimitatem tuam hortantes attentè, ut moleſtè non feras, quòd petitionem tuam pro venerabili fratre noſtro* Eboracenſi *Archiepiſcopo, in literis Regiis prædictis expreſſam, & per memoratum magiſtrum ex parte tua inſuper nobis inculcatam, ſuper excuſatione conſimili, non duximus admittendam. Quia cùm ipſe ſit honorabile eccleſiæ Dei membrum, ejus præſentiam præfato Concilio credimus opportunam. Datum* Lugduni, *decimo tertio Calend. Junii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Literæ Papales.

SIMILITER quidam alii *Angliæ* Prælati, tam Abbates quàm Epiſcopi, diverſis cauſis expreſſis præpediti, & ſeſe rationabiliter excuſantes, quia valetudinarii, vel ſenes, vel infirmi, (utpote Epiſcopus *Elyenſis*, & Abbas *ſancti Albani*, & quidam alii,) per Procuratores ſuos, per quos dominum Papam & Cardinales, ſic volentes, ſalutarunt, & precioſis muneribus reſpexerunt, licenter remanſerunt. Abbas autem de *Burgo*, vir ſine querela, qui ſpecialiùs aliis ſuper hoc mandatum Papale ſuſcepit, & non ſine moleſtia ad curiam *Romanam* cùm perveniſſet, per magiſtrum *Martinum* Papæ clericum, in *Anglia* commorantem, graviter accuſatus eſt, pro eo quòd quandam eccleſiam, quam cuidam viro idoneo contulerat, ad opus cujuſdam conſanguinei domini Papæ, ipſi magiſtro *Martino* noluit, ſicut nec debuit, conferre. Unde dictus Abbas cùm in curia Papali apparuiſſet, ipſum dominus Papa, vel per Papam, Papales, probroſè objurgatum, à Palatio ſuo juſſit ejici, tam turpiter & irreverenter, quòd nunquam poſteà plenam admittens conſolationem, contriſtatus, in incurabilem præcipitatus eſt infirmitatem: unde eodem anno, in magnum eccleſiæ ſuæ damnum, quam prudenter rexerat, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

Quidam Prælati Angliæ excuſati, remanent: ſed Abbas de Burgo *curiam coactus adiens, accuſatur, maleque tractatur.*

IPSO quoque tempore, videlicet ſeptimana Paſſionis Dominicæ, obiit quidam præclarus Baro, partium *Angliæ* Borealium cuſtos & flos ſingularis, ſcilicet *Gilbertus* de *Hunfranvilla*, parvulum quendam ſuum relinquens hæredem. Cujus cuſtodiam ſtatim conceſſit.

Obiit Gilbertus de Hunfranvilla.

1245. ceſſit Rex Comiti *Legreceſtriæ Simoni*, quod moleſtè tulit Comes *Richardus* ipſam deſiderans.

Moritur Galfridus *de* Turne *Cardinalis.*

Eodem quoq; tempore, obiit *Galfridus* de *Turne* Cardinalis, quo non erat aliquis domino Papæ alius ſpecialior vel utilior; nec ſcientia & moribus clarior.

Comes Richardus, *Rex* Francorum, *& alii mittunt ſuccurſum in* Terram ſanctam.

IPSIS quoque diebus, cùm peſſimi rumores de *Terra ſancta* pervenientes increbruiſſent, ita quòd timebatur, ut tota terra pateret diſcrimini, Comes *Richardus*, ex innata ſibi munificentia, illuc in ſuccurſum circiter mille libras per *Hoſpitalarios* tranſmiſit.

Et ut abſtergerentur lacrymæ à maxillis matris noſtræ eccleſiæ, deplorantis filios ſuos nuper trucidatos, dominus Rex *Francorum*, *Hoſpitalarii* quoque, & *Templarii*, milites neophytos & manum armatam cum theſauro non modico illuc, ad conſolationem & auxilium ibi commorantium, & impetus quotidianos *Choroſminorum* & aliorum infidelium ſuſtinentium feſtinanter tranſmiſerunt. Procuravit etiam Rex *Francorum*, ut quidàm Legatus facundus, & diſcretus Prædicator, in *Franciam* veniret, de negocio Crucis inſtantiſſimè prædicaturus.

Magiſter Martinus *invigilat redditibus colligendis.*

INSTABAT interim vigilantiſſimè & inceſſanter, ſæpedictus ille magiſter *Martinus* domini Papæ clericus, redditibus, quomodo libet ad opus Papæ Papalibuſque conſanguineis congregandis ac conferendis. De cujus proterva & injurioſa rapacitate honeſtiùs & tutius eſſe, ob reverentiam ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ, arbitror ſilere, quàm aures offendere audientium, & mentes fidelium talia enarrando perturbare. Redditus autem Theſaurarii *Sarisberienſis*, cum aliis multis, violenter, ut prætactum eſt, ſed præcipuè à viris religioſis, rapiuntur. Procurantiæ, & munera exiguntur, ſibi feſtinanter tranſmittenda, & contradicentes graviter puniuntur. Rex quoque parti ſuæ favit, eundem contra omnes protegens: fortè propter retributionem, & facta eſt Regni conditio miſerrima.

Cuſtodiuntur portus ne curſores Papales intrarent in Angliam.

URGENTE igitur neceſſitate totius Regni *Angliæ* maxima præceptum eſt ipſo tempore ex parte aliquorum Magnatum, pro multiformi & inceſſabili oppreſſione & deprædatione Regni dolentium & miſerantium, ut diligenter & arctè cuſtoditis omnibus portubus *Angliæ*, Papales literæ, quæ quotidie ad emungendam pecuniam portabantur, caperentur. Contigit autem eiſdem diebus, ut unus domini Papæ curſor, talibus literis bullatis oneratus, apud *Doveram* applicans, perveniſſet. Quem ſtatim cuſtos portus illius & villæ præpoſitus comprehendit, ut ſibi mandatum erat, & abſtulit ab illo omnes illas epiſtolas & bullatas literas, multas abominationes de diverſis argumentis emungendi pecuniam continentes, & ipſum curſorem in caſtro *Doveræ* incarcerari fecit. Quod cum audiſſet magiſter *Martinus*, Regem adiit, ſuper hoc querelam ei præſentaturus. Cujus rei cùm Rex ſe actorem negaſſet, ipſum curſorem liberari præcepit, & in perniciem Regni & honoris ſui, ipſas epiſtolas à Majore *Doveriæ* fecit violenter extortas magiſtro *Martino* gratanter præſentari, & aliquarum effectu ad votum gratulari.

Combuſta eſt camera Papæ.

DIEBUS verò Rogationum, in triſte præſagium, apud *Lugdunum* quædam domini Papæ camera, quæ conclave, id eſt, Guarda roba dicitur, cum omnibus quæ in ipſa continebantur, combuſta eſt, aſſerentibus nonnullis ſiniſtrè interpretantibus, quòd gratis accenſa eſt, ut ſic occaſionem dominus Papa acciperet pecuniam petendi & extorquendi à Prælatis ad Concilium venire properantibus. Sed cùm incendium plùs quàm credebatur deſæviret, combuſta ſunt etiam quædam quæ habebantur chariora. Et fuit multorum aſſertio, quòd deteſtabilis illa charta, quæ de tributo *Angliæ*, ſub flebilis memoriæ Rege *Johanne*, confecta fuerat, eodem incendio in cinerem eſt redacta.

Papæ volenti invadere quaſdam præbendas vacantes, reſiſtunt Canonici Lugdunenſes.

EODEMQUE tempore, cùm vellet dominus Papa quibuſdam præbendis *Lugdunenſis* eccleſiæ vacantibus quoſdam alienigenas conſanguineos vel affines ſuos inconſulto Capitulo intrudere, reſtiterunt ei in facie Canonici *Lugdunenſes*; comminantes, & cum juramento obteſtantes, quòd ſi tales apud *Lugdunum* apparerent, non poſſet eos vel Archiepiſcopus vel Canonici protegere, quin in *Rhodanum* mergerentur. Nec ipſi, qui beneficium fuerant accepturi, ultrà uſquam comparuerunt. Eiſdemque diebus, dum quidàm oſtiarius domini Papæ proterviùs cuidam civium *Lugdunenſium*, introitum civiliter & humiliter poſtulanti, incivilius & frontoſiùs, quàm deceret denegaret; idem civis indignatus & iratus, manum prædicti oſtiarii penitus amputavit. Unde idem mancus, cùm coram domino Papa gravem reponeret querimoniam, brachium ſuum oſtendens mutilatum, dominus Papa, ſecundùm legem civitatis, vindictam ſibi poſtulavit exhiberi. Quam *Philippus* de *Sabaudia*, cuſtos pacis eccleſiaſticæ, procuravit qualiquali modo, ut honor Papalis ſaltem ſuperficialiter ſalvaretur.

Ipſo quoque tempore, obiit magiſter *Elyas* de *Derham*, Canonicus *Sarisberienſis*. Cujus redditibus vacantibus, manus rapaces injecit magiſter *Martinus*, ad opus Papæ.

DIE

1245.

Rex Angliæ apud Londinum Richardum de Clare baltheo cinxit militari.

DIE autem Pentecoſtes, dominus Rex *Anglorum Londini* feſtum tenens magnum & ſereniſſimum, *Richardum* de *Clare*, jam Comitem, concomitantibus circiter quadraginta tyronibus, baltheo cinxit militari. Et tyrocinii ſui feſtum, gaudenter cum ſuis commilitonibus celebravit & conſummavit. Fecit etiam dominus Rex eodem tempore per ſingulos Comitatus diligenter inquiri, ſummam redditu um *Romanorum* & virorum *Italicorum*, quos *Romana* curia fraudulenter & violenter ditavit in *Anglia*. Et inventa eſt ſumma redditu um eorum annuatim, ſexaginta milia marcarum: ad quam ſummam non attingit redditus annuus totius Regni *Angliæ*. Unde Rex, licet ſerò, & in admirationem eſt expergefactus, & in iracundiam, nec immeritò, eſt commotus.

Et tunc temporis Abbas *Cluniacenſis* dedit domino Papæ triginta paleſridos aptos & deſiderabiles, & convenienter phaleratos, cum totidem equis clitellariis, quos ſummarios vocamus, ut ipſos decuit ſtratos ſimiliter convenienter.

Mittuntur nuntii univerſitatis Angliæ ad Concilium.

TUNC verò, licèt ſerò, dominus Rex *Anglorum*, aliquantulùm converſus ad ſe, cœpit deteſtari *Romanæ* curiæ inſatiabilem cupiditatem, & totius Regni, imò etiam & eccleſiæ, per eam factas injurioſas occupationes, illicitaſque rapinas. Compoſita igitur per Regni univerſitatem eleganti epiſtola, in qua extortiones Papales nimis execrabiles, & exactiones multiformes Legatorum ejus, & quorundam clericorum poteſtate inaudita fungentium, continebantur, ut ſequens ſermo declarabit. Cum quâ, viri nobiles ac diſcreti ad Concilium deſtinantur, gravem ſuper his, & præcipuè ſuper exactione tributi, in quod nunquam conſenſit Regni univerſitas, coram Concilio querimoniam repoſituri, & talium relevamen onerum importabilium Regno *Angliæ* miſericorditer impendi, rogaturi. Electi ſunt igitur, & ad hoc, nomine totius univerſitatis Regni *Angliæ* ad Concilium *Lugdunenſe* miſſi, Comes *Rogerus Bigod*, *Johannes* filius *Galfridi*, *Willielmus* de *Cantelupo*, *Philippus Baſſet*, *Radulphus* filius *Nicolai*, & magiſter *Willielmus* de *Powerie*, clericus.

Diſceſſus meticuloſus magiſtri Martini ex Anglia.

HIS diebus, videlicet in craſtino Apoſtolorum *Petri & Pauli*, poſtquàm quædam torneamenta plena occulto odio per dominum Regem, propter imminens periculum, prohibebantur, apud *Luitonam* & *Duneſtapliam* congregatorum, miſſus eſt *Fulco* filius *Warini* ex parte univerſitatis Regni, ad magiſtrum *Martinum*, Papæ clericum ſæpedictum, *Londini* commorantem, apud Novum Templum. Qui torvo vultu reſpiciens, eum ſic eſt affatus: *Recedens ſtatim, exi ab Anglia.* Cui Magiſter *Martinus*: *Quis mihi hoc mandat? An tu ex te ipſo hoc habes?* Cui *Fulco*: Hoc *tibi per me mandat armatorum, qui nuper apud Luitonam & Duneſtapliam apparuerunt, univerſitas. Et ſi ſano credis conſilio, ne moreris uſque in tertium diem, ne tu & omnes tui in fruſta concidaris.* Recedente igitur *Fulcone* irato nimis, & minas nimis cum terribili juramento cumulante & exaggerante, magiſter *Martinus* trepidus & anhelus, ſtatim dominum Regem adiit, & dixit ei: *Domine Rex, talia nunc audivi: ſitne hoc auctoritate veſtra, vel veſtrorum temeritate?* Cui dominus Rex: *Non me hujuſmodi rei auctorem profiteor. Sed Barones mei vix ſe continent, quin inſurgant in me; eò quòd tuas in Regno meo & eorundem, quæ jus & modum excedunt, deprædationes & injurias hactenus toleravi. Quorum etiam furorem vix compeſcui, quin & in te irruentes, te membratim non dilacerarunt.* Cui Magiſter *Martinus* humili & trepida voce ait: *Peto igitur, domine Rex ſereniſſime, ob Dei amorem, & domini Papæ reverentiam, liberum exitum, & tutum à terra veſtra cum conductu veſtro receſſum.* Cui dominus Rex, commotus & iratus nimis, ait: *Diabolus te ad inferos inducat & perducat.* Dumq; circumſedentes vix Regem mitigaſſent, juſſit Rex cuidam Mareſcallo Palatii ſui, nomine *Roberti Noriſco*, ut ipſum magiſtrum *Martinum* uſque ad mare ſalvò perduceret. Qui cùm ſtatim iter aggrediens, ducem ſuum *Robertum* dictus magiſter *Martinus* juncto latere ſequeretur, & quandoque, ut contingit, equitantes aliquos conſpiceret vel tranſeuntes, ipſum timor & tremor adeò contraxerunt, ut ſi terra hiaret, ſub ceſpite latitaret. Et cùm procedentes, ad lymbum cujuſdam ſylvæ venalis perveniſſent, quam electus *Cantuarienſis* venalem expoſuerat, ubi compatriotæ ad emenda & eligenda robora convenerant, conſpiciens eos *Martinus*, pavidus ait duci ſuo *Roberto*, Heu, heu, quod timebam, accidit mihi. Ecce nos invaſuri. O amice & domine mi *Roberte*, habeſne filium, nepotem, conſanguineum, vel amicum, quem cupis in redditu eccleſiaſtico promoveri? Præſto ſum ut procurem omnia tibi poſtulata. Ecce inſidiantes animæ meæ: protege me ſub umbra alarum tuarum. Cui reſpondit *Robertus*: Abſit ut aliquis meorum talem habeat in eccleſiaſticum beneficium per me ingreſſum. Neſcio qui ſunt illi. Veruntamen ad ipſos vado quantocius, te me hic expectante; ut monſtrato Regis autentico, ſi malevoli ſint, eorum reprimam temeritatem. Qui ad ipſos veniens, cùm rei veritatem cognoviſſet, cito rediens ad *Martinum*, ut illuderet, ei, ait: Vix eorum compeſcui furorem, quin te fruſtatim detruncaſſent. Sed nunc latenter & cautè ambulemus, ne deterius quid tibi contingat: & navigans irrediturus, ſi ſapis, recedas, ne in laqueos quærentium animam tuam infœliciter præcipiteris. Ex tunc igitur magiſter *Martinus* equinis lateribus non parcendo, moram ducis redarguens, ad mare properabat. Et ad *Doveram* perveniens, die ſancti *Suitheri* navem aſcendens, multos in receſſu ſuo lætificavit. Sed ne virulentæ peſtis efficacia penitus ceſſaret, cuidam magiſtro *Philippo*, auctoritatis ſibi conceſſæ adhuc exequendi in extortione redditu um, poteſtatem conceſſit, & ſic poſt terga, fœda reliquit veſtigia. Hæc igitur dixerim, ut ſciat quilibet, quàm formidoloſi ſunt hi ſolùm pecuniæ inhiantes, quos propria ſauciat conſcientia.

Hæc

1245. Hæc cùm ad notitiam plurium *Italicorum*, opimis in *Anglia* redditibus ſaginatorum, perveniſſent, diſparuerunt in abditis latitantes. Multi quoque Caurſinorum, qui jam Regiones Occidentales hactenus talium ignaras,uſurarum ſuarum veneno peſtifero miſerabiliter intoxicarant, latenter receſſerunt.

Moritur Galfridus *de* Mariſco, *exul, pauper, & profugus.*

TEMPORE ſub eodem, quidam quondam Nobilis,& inter *Hyberniæ* Magnates non ultimus, qui de morte Comitis *Mareſcalli Richardi* proditioſa notam geſſit indelebilem, exul, miſer, & profugus. expulſus à *Scotia*, forisbannitus ab *Anglia*, exhæredatus in *Hybernia*, poſt ignominioſam filii ſui mortem,& omnium amicorum ſuorum amiſſionem, ſublatus de medio, tot mortes una tandem terminavit, *Galfridus* ſcilicet de *Mariſco*.

Magiſter Martinus *conqueritur Papæ.*

MAGISTER interim *Martinus* ad dominum ſuum Papam cùm perveniſſet, & quæ præſcripta ſunt eidem pleniùs enarraſſet, infrenduit Papa, & ira excanduit vehementi. Et recolens quòd tam Rex *Francorum*, quàm *Arragonum*,ingreſſum Regnorum ſuorum vetuiſſent ipſi poſtulanti, nec Rex *Anglorum* adventum ſuum in *Angliam* acceptaſſet, imò potiùs ipſum execrando nuncium ſuum & clericum ab *Anglia* probroſè ejeciſſet, dixit in iracundia magna, voce ſuſurra, oculos obliquando, & nares corrugando: *Expedit ut componamus cum Principe veſtro, ut hos Regulos conteramus recalcitrantes: contrito enim vel pacificato dracone, citò ſerpentuli conculcabuntur.* Quod verbum in vulgus promulgatum, in multorum cordibus offendiculum indignationis generavit.

Rex Angliæ *parat expeditionem in* Walliam.

IMMINENTIBUS autem & inſtantibus Calendis Julii, dominus Rex *Angliæ* omnibus Comitibus, Baronibus, Militibus, & aliis, qui ei ſervitium militare debebant, ut ſe convenienter in *Walliam* profecturum ſequerentur,per literas ſuas Regias ſtrictiſſimè ſubmonitis& convocatis,non valens, nec volens ampliùs ſubitos incurſus & diſcurſus *Wallenſium* æquanimiter tolerare, præparavit ſe, ut ad illorum terminos propter expugnandos iter & vexilla dirigeret,milite ſtipatus copioſo. Venit igitur *Londinum* dominus Rex *Angliæ* ad eccleſiam ſancti *Pauli*, ut ibi convocatos receſſurus, ſimulque omnes cives *Londinenſes* civiliter ſalutaret.

W. *electus* Coventrenſis *reſignat jus ſuum.*

ET dum his mundus diebus volveretur, & ſecum mutabilis traheret mutabilia, electus *Coventrenſis*, videlicet *Willielmus*, cognomento de *Monte Peſſulano*, Monachus & Præcentor eccleſiæ *Coventrenſis*, vir bonus, & ſine querela, & ambitione, cùm audiſſet quòd magiſter *Willielmus* de *Drouhedale* lugubriter exſpiraſſet, qui ſuus fuerat diligentiſſimus Advocatus in *Anglia*, comperienſque quòd dominus Rex *Angliæ* promotionem ſuam non acceptaſſet, & magiſtrum *Laurentium*, de quo ſuperiùs mentio facta eſt,ipſi electo potenter ſentiens & efficaciter adverſantem, & conſtanter accuſantem, comperiens quoque Canonicos *Lichefeldenſes* ipſum inimicabiliter perſequentes, conſiderans etiam quòd domus ſua *Coventrenſis* damnis & injuriis pro ſua electione impetebatur, tactus dolore intrinſeco, inconſolabiliter doluit, quòd electus unquam extitiſſet. Tot igitur laceſſitus tribulationibus, Papalem adiit præſentiam, & ſingultibus ſermonem prorumpentibus, ait: Pater ſancte, impulſus undique, everſus ſum, ut cadam. Dominus Rex *Angliæ*, cum ſuis conſiliariis, meam graviter infeſtat innocentiam: non enim, ut novit Deus,hanc ipſius promerui perſecutionem. Et ſi conſequerer hanc, ad quam eligor ritè, dignitatem, nunquam pace in *Anglia* gratularer. Omnia igitur in manus veſtras reſigno. Abſit à me, ut ampliùs eccleſiæ meæ cauſa ſim jacturæ ac perturbationis. Provideat paterna ſolicitudo veſtra ipſi eccleſiæ, tam diu cura paſtorali viduatæ. Cui cùm vix dominus Papa annuiſſet, receſſit ipſe, quaſi gravi ſarcina liberatus. Quod videntes qui ſalutem animæ domini Regis in veritate ſincero corde deſiderabant, doluerunt, periculum ſibi & Regno propter hoc & plura alia imminens, quia multus in cauſa fuit, vehementer formidantes & timentes.

Rogerus *de* Weſcham *Decanus* Lincolnienſis *eligitur in Epiſcopum* Ceſtriæ.

QUO cognito, diligentiſſimè procurante primò & præcipuè Epiſcopo *Lincolnienſi*, loco ipſius *Willielmi* de *Monte Peſſulano* prædicti, (qui jam jus ſuum ultrò, ut dictum eſt, penitus reſignaverat) electus eſt & ſubrogatus in Epiſcopum *Ceſtrenſem*, ſive *Coventrenſem*, magiſter *Rogerus* de *Weſcham*, Decanus eccleſiæ *Lincolnienſis*, vir moribus,& ſcientia eleganter inſignitus, Rege *Angliæ* irrequiſito: ne & ipſam electionem cavillatoriis, ut ſibi moris erat, exceptionibus impugnaret, & in læſionem animæ & famæ ſuæ ampliùs impediret. Epiſcopus igitur *Lincolnienſis*, ſuum in hac parte conſequutus deſiderium, eccleſiam de *Ailleſbiria*, quam ex multo tempore deſideraverat à Decanatu *Lincolnienſi* (eò quod credebat Decanum ex ejus ubertate cornua audaciæ aſſumentem, contra Epiſcopum *Lincolnienſem* recalcitrare) radicitùs ſequeſtrare & abalienare; ſtatim & in continenti ipſam magiſtro *Roberto* de *Mariſco* contulit, non ſine magno & multo eccleſiæ ſuæ præjudicio, ut multis videbatur, & injuria; cùm à tempore cujus non extat memoria, Decanatui *Lincolnienſi* ſemper dignoſcitur adhæſiſſe.

Conſecrantur Lugduni B. *de* Provincia *in Archiepiſ.* Cantuarienſem, *&* R, *de* Witht *in* Cicestrenſem, *&* R. *de* Weſcam *in* Ceſtriæ *Epiſcopos.*

ANNI quoque ſub illius curriculo, conſecratus eſt à domino Papa *Lugduni* in Archiepiſcopum *Cantuarienſem Bonifacius*, natione *Provincialis*, plùs genere, quàm ſcientia coruſcus: plùs armis Martialibus, quàm ſpiritualibus formidabilis: qui procurantibus Rege *Angliæ* & Regina nepte ſua, ad hanc promotus eſt, fœliciter utinam, dignitatem. Hujus frater *Philippus Bal.* electus *Valentiæ*, ipſis diebus ad Archiepiſcopatus *Lugdunenſis* promotus eſt poſſeſſionem: Priore cedente ob cauſas dicendas. Qui tantam à domino Papa meruit obtinere diſpenſationem, ut Archiepiſcopatus retenta cum ſuis commodis poteſtate, Epiſcopatus *Valentini Bal.* proventus perciperet, uberrimorúmque redditum, quos in *Anglia* & *Flandria* poſſederat: quod plùs, ut videbatur, ob quaſdam cauſas ſæculares fiebat, quàm ſpirituales, liberè ac licenter

aſportaret,

aſportaret, & Præpoſituram *Brugenſem* obtineret. Hic igitur elegans corpore, & armorum peritia præpollens, copioſisque redditibus ſaginatus, factus eſt quaſi Princeps Papalis militiæ, & cuſtos præpotens pacis in Concilio *Lugdunenſi* celebrando; & idcircò potiſſimè, quòd generis claritate coruſcabat. Conſecrati ſunt etiam, magiſter *Richardus* de *Withz* in Epiſcopum *Ciceſtrenſem*, & magiſter *Rogerus* de *Weſeham*, Decanus *Lincolnienſis*, in Epiſcopum *Ceſtrenſem*, à domino Papa *Lugduni*: viri moribus & ſcientia adornati. Nec eſt omiſſum pro appellatione procuratoris Regii conſtanter reclamantis, eò quòd in horum promotione Regius aſſenſus non requirebatur. Imò in facie dictum fuit ei, quòd quia Rex ſibi conceſſa dignitate & privilegio abutebatur, indignum ſe reddidit hoc honore lætabundum. Et ſic Regis & Regni ipſius, Regiis peccatis exigentibus dignitas vacillabat. Hæc igitur poſtquam Regi innotuerunt, duorum Epiſcopatus, ſcilicet *Ciceſtrenſis* & *Ceſtrenſis*, bona temporalia juſſit infiſcari. 1245.

Theſaurus Regis augmentatur, per inquiſitionem foreſtarum.

INTEREA *Robertus Paſſeleve*, domini Regis clericus, vigilanter cum ſuis complicibus, Regiis indulgens emolumentis, ſubſtantiolas pauperum diripiens, & theſauros Regios accumulans, puteolóſque egenorum ſitula cupiditatis exhauriens, ut ſtillis indigentium, pelagus augeret abundantium: non ceſſabat diverſas partes *Angliæ*, vices agens Juſtitiarii, peragrare; ubi præcipuè abundabant foreſtæ, & confinia foreſtarum inhabitantes. Diligentique ſcrutinio inquirebat, de novis occupationibus ſuper foreſtam temerè factis. Super quibus convictos, gravi pæna pecuniari prægravavit: ita ut multos ab habitationibus expulſos extorres reddidit & mendicos. Ex quibus, ut prætactum eſt, ſolus *Johannes* de *Novilla*, in calumniam tractus multiformem, & turpiter convictus, & egenus de abundante factus: nullum miſerentem meruit habere, vel miſerantem. Rediens enim à *Terra ſancta*, paulò retroactis annis; omnes ſibi ſubjectos exquiſitis & cavillatoriis cauſis, bonis eorum ſpoliavit, in eoſdem laqueos meritò corruendus. Capitula foriſfactorum, in libro qui huic eſt continuandus, ſcripta reperientur.

Rex jubet eccleſiam Weſtmonaſterienſem ſuis ſumptibus ampliari.

EODEM verò anno, dominus Rex, devotione, quam habuit adverſus ſanctum *Ædvardum*, ſubmonente: eccleſiam ſancti *Petri Weſtmonaſterienſem* juſſit ampliari. Et dirutis antiquis cum turri muris partis Orientalis, præcepit novos, videlicet decentiores, ſuis ſumptibus ſubtilibus artificibus convocatis, conſtrui: & reſiduo, videlicet Occidentali, operi coaptari.

Papa munera pretioſa à multis prælatis accepit.

CUM autem dominus Papa graviter conquereretur ſuis familiaribus, & ſic citò in propatulo talis ventilaretur querimonia, quòd videlicet ære alieno Eccleſia *Romana* ferè irreſtaurabiliter obligata prægravaretur. Et hac nacta occaſione, intelligi daret, ſe maximè auxilio indiguiſſe pecuniari: venerunt ad eum Prælati multi, in ſæculo abundantes, & amplioribus poſſeſſionibus inhiantes, gratiam Papalem, utpotè paternam deſiderantes, labores, & pericula ſua deplorantes: ſed quòd Imperiales laqueos evaſiſſet, & ad filios ſibi devotos appropinquaſſet, alacriter eidem congratulantes, ſuæ obtulerunt paternitati munera in equis, vaſis, veſtibus, auro, argento, & omni ſupellectili precioſa & deſiderabili, inæſtimabilia. Ex quibus Abbas *Cluniacenſis* non ultimus eſſe deſiderans, ne deſes haberetur, ſuam eccleſiam depauperans, & ſuis Prioratibus prægravatis & ſpoliatis, tantam pecuniæ quantitatem præſentavit, quòd audientibus admirationem magnam non immeritò generavit. Unde in *Lingonenſis* Epiſcopatus dignitatem, à domino Papa meruit ſublimari. Imò intelleximus ex relatu Prioris de *Weſtacre*, qui eſt Monachus *Cluniacenſis*, quòd dominus Abbas *Cluniacenſis* prædictus, dederit domino Papæ tunc in continenti, quater viginti elegantiſſimos palefridos decentiſſimè phaleratos. Et cuilibet Cardinalium unum palefridum optimum, & unum ſummarium electiſſimum: & erant Cardinales circiter duodecim. Papa autem, malens quòd ipſe Abbas ſuus foret ſtabularius, quàm aliquis alter, præcepit Abbati, equos ſibi datos ad ſuum opus benè cuſtodire. Contulit quoque dictus Abbas domino Papæ in pecunia numerata & vaſis pretioſis, theſaurum non minimæ quantitatis. Quo exemplificatus Abbas *Ciſtercienſis*, non minora, ne ſecundus haberetur, munera, filiali provocatus devotione; patri ſuo domino Papæ afflicto & indigenti aſſeritur obtuliſſe. Archiepiſcopus verò *Rothomagenſis*, qui ſe ſuamque eccleſiam non levibus ob hoc debitis irretivit; ipſi domino Papæ, ne quaſi ultimus redargueretur, complacere cupiens, Papales theſauros non mediocriter adaugendo cumulavit. Quod audiens Abbas *ſancti Dioniſii*, Archiepiſcopalem adoptans & ambiens dignitatem; emunctis ac extortis ab eccleſia ſua multis librarum millibus; domino Papæ charitativè conferendis, in *Rothomagenſem* ſublimari meruit Archipreſulatum. Hoc efficaciter predeceſſore ſuo, jam Cardinali, procurante. Hoc autem cum audiret Rex *Francorum*, ſingularis & ſpecialis eccleſiæ *ſancti Dioniſii* œconomus & patronus; coëgit dictum Abbatem, quem ambitionis redarguit, memoratam pecuniam aliunde mendicare. Et ſic uterque, videlicet tam Abbas, quàm Archiepiſcopus, poſt ſe fœda relinquentes veſtigia, ut ad ſtatus deſiderabiliores convolarent: ſuas, quas regendas ſuſceperunt, eccleſias depauperantes, per multorum regnorum ſpacium ſcandala generârunt. Citò etiam pòſt, Archiepiſcopus *Lugdunenſis*, vir ſine querela, & pacificus, & jam vergens in ætatem ſenilem & valetudinariam; omnia in manu domini Papæ reſignavit. Alii quoque Prælati, ſingulis diebus ad curiam Papalem adventantes, munera inappreciabilia, quæ ſtuporem intuentibus meritò poſſent generare, feſtinanter ac certatim *Romano* Pontifici obtulerunt: ita ut videretur multis, & ab eiſdem palam affirmaretur, quod Dominus Papa propter hoc *Lugdunum* gratanter veniſſet potiùs, quam à facie alicujus aufugiſſet. Quibus omnibus dominus Papa ſinum, ne contemptus & elatio videretur, acceptationis aperuit: aſſerendo ſe multò pluribus indigere, honeſtas præferens ſuæ indigentiæ jugiter excuſationes; cùm ſecun-

1245. dum, neſcitur ſi vera, ejus aſſertionem, *Romana* eccleſia occultis de cauſis, pluſ quàm in centum & quinquaginta millibus librarum approbatæ monetæ : exceptis uſuris, quæ ferè ad numerum ſortis aſcendebant, teneretur obligata.

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo decimo quinto, ſub *Innocentio* tertio Papa, celebrabatur aliud Concilium generale proximum, in quo decretum & ſcriptum eſt, quòd non deberet de jure Concilium generale celebrari, niſi ſemel infra quinquaginta annos, quod eſt ſpacium clauſum Jubileo. Anno enim Jubileo, vel infra tempus contentum infra annos quinquaginta, ſemel celebrari habet generale Concilium: in quo omnia collapſa habent reformari, & in bono ſtatu reſtitui & ſolidari.

Initium aſſerum in Concilio Lugdunenſi. ALTIUS igitur Solis orbita curſum ſuum peragente, videlicet circa æſtatis medium, congregati ſunt *Lugduni* ex totius ferè *Chriſtianitatis* latitudine Prælati venerabiles, vel eorum idonei: Imperatoris quoque, & multorum Principum, aliorúmque Procuratoris, ſecundùm Papalis mandati tenorem, Concilium celebraturi. Abſentes autem quàmplurimi Prælatorum, per eos quos promiſerunt procuratores, ſeſe ex legitimis cauſis ſufficienter excuſarunt. Sicut quidam ex *Anglorum* Regno, ut ſuprà latiùs dictum eſt. Inter quos, Abbas *ſancti Albani*, corpore gravis, & jam ad ſenilem declinans ætatem, magiſtro *Martino*, qui tunc temporis in *Anglia* proſperè commorabatur, teſtimonium veritati ſuper hoc perhibente; ſe rationabiliter per quendam Monachum ſuum, *Johannem* videlicet de *Bulum*, & quendam clericum, magiſtrum *Rogerum* de *Holdene*, ſuam excuſavit abſentiam: & ſic indemnis & quietus remanſit, domino Papa per ipſos civiliter ſalutato. Veruntamen de Regno *Hungariæ*, quæ pro multa ſui parte per *Tartaros* eſt vaſtata; nulli venerunt. De *Alemannia*, bello Imperiali perturbata, pauci Prælati ad Concilium minimè convenire potuerunt. De *Terra* verò *ſancta*, quæ multo patuit diſcrimini; nullus penitùs potuit illuc advenire, ſed nec advocari.

Occaſionaliter tamen illùc advenit de *Terra ſancta* Epiſcopus *Beritenſis*, totius *Syriæ* nuncius generalis, & Syndicus omnium *Chriſtianorum Terræ ſanctæ*: mandatum bajulans lugubre, de exterminio, permittendo Deo, in *Terra ſancta* perpetrato.

Qualiter Papa prima die concilium intravit. DUM autem dominus Papa multos jam Prælatos, licèt tamen non omnes, vidiſſet congregatos, die Lunæ proxima poſt feſtum nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ*: intravit dominus Papa cum fratribus Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis, ad Concilium convocatis, ſimul & procuratoribus abſentium tam Principum quàm Prælatorum, in refectorium Religioſorum Sancti *Juſti*, apud *Lugdunum*. Fuerunt itaque ibidem abſque Cardinalibus, duo Patriarchæ, ſcilicet *Conſtantinopolitanus*, qui & *Antiochenus*, & Patriarchæ *Aquilegiæ*, qui & *Venetiæ*: Imperator quoque *Conſtantinopolitanus*, Comes etiam *Tholoſanus*, & procuratores *Angliæ*, Comes *Biged*, cum ſociis ſuis Nobilibus; Archiepiſcopi verò & Epiſcopi, centum & quadraginta. Proſpoſuitque Patriarcha *Conſtantinopolitanus* ſtatum & neceſſitates eccleſiæ ſuæ; aſſerens quòd olim habuit ſub ſe Suffraganeos plùs quàm triginta, quorum vix jam tres remanſerunt. Subjungens inſuper, quòd *Græci*, & quidam alii inimici eccleſiæ *Romanæ*, totum jam Imperium *Romaniæ* ferè uſque ad portas civitatis *Conſtantinopolis* violenter occupârunt; qui in nullo *Romanæ* eccleſiæ obedientes; ipſámque deteſtantes, hoſtiliter eidem adverſantur. Unde dolor & confuſio omnium *Chriſtianorum* imminet, cùm ipſa ſua eccleſia primò fuiſſet privilegiata, & meritò plùs cæteris honoranda: primò enim conſtat, beatum *Petrum Antiochiæ* (quæ civitas *Græcorum* Imperio vel Regno ſubjecta eſt) ab antiquo ſediſſe: & inde *Simonem Magum*, & alios hæreticos, confuſos aufugâſſe. Ad quod Papa tacuit. Conſequenter propoſitus fuit ſermo fidelis, & omni acceptatione dignus, de canonizatione ſcilicet beati *Ædmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi: quem Dominus evidentiſſimis miraculorum ſignis illuſtravit. Cujus rei aſſertioni, cum conſtanter teſtimonium octo Archiepiſcopi, & circiter viginti Epiſcopi pehibuiſſent, & inſtanter, & in ipſo Conſilio veneranter, ad majorem ſolennitatem, cannonizaretur, proſtularent: ait dominus Papa, non ſuo, ſed aliorum ſpiritu invidorum averſus, dicens Urgent nos, dilationem non capientia eccleſiæ nimis ardua negotia, quare hoc meritò ad præſens tempus ſuſpendere debeat expectatum. Sed, vita comite, in poſterum neglectui non commendabitur: & quia Deus & mundus ſanctitati & virtutibus ejus perhibent teſtimonium, in Domino gaudemus, & gratias ipſi referimus uberiorer. Affuit etiam præſens ibidem *Thaddeus* de *Sueſſa*, domini Imperatoris *Frederici* procurator, vir prudens, & eloquentiæ ſingularis, miles, & Legum Doctor, & ſacri Palatii Judex Imperialis: pro domino ſuo Imperatore, tam conſtanter, quam diligenter reſponſurus. Pro cujus pace, & priſtinæ amicitiæ reformatione, obtulit pro domino ſuo Imperatore confidenter, ad unitatem *Romanæ* eccleſiæ totum *Romaniæ*, id eſt, *Græciæ* Imperium, revocare: & quòd ſeſe *Tataris*, & *Choroſminis*, & *Saracenis*, & aliis eccleſiæ hoſtibus & contemptoribus, *Chriſto* fideliter militando, potenter opponet: & quod ſtatum *Terræ ſanctæ* diſcrimini magno & manifeſto periculo jam patentem, ſuis ſumptibus propriis perſonaliter, pro poſſe ſuo, reformabit: & ablata *Romanæ* eccleſiæ reſtituendo, de injuriis ſatisfacere. Ad quæ omnia reſpondit dominus Papa, dicens exclamando: O quam multa & quàm magna ſunt promiſſa; nunquam vel nuſquam tamen adimpleta vel adimplenda. Sed & hæc nunc conſtat ſunt promiſſa, ut ſecuris jam ad radicem poſita, illuſo Conſilo; & ſoluto, per dilationem avertatur. Pa-

cem

cem nuper in anima ſua juratam, ſecundum formam præſtiti ſacramenti teneat, & adquieſco. Porro

Quo teneam nodo mutantem Protea vultus?

Et ſi concederem ſibi poſtulata, & reſilire vellet, nec aliud ſpero; quis nunc pro eo cavens fidejuberet, ut cogeret reſilientem? Et cùm duos Reges, videlicet *Francorum* & *Anglorum*, *Thaddæus* ad hoc ſpopondiſſet fidejuſſores. Reſpondit dominus Papa: Nolumus, Quia ſi pacta commutaſſet, vel penitùs infirmaſſet, nec aliud credimus, propter frequentiam, aliquo tempore in-poſterùm,oporteret nos animadvertere in eoſdem: & tunc haberet eccleſia tres, quibus non ſunt in ſæculari potentia majores, imò nec pares, inimicos. Et cùm procuratio *Thaddæi* ad hoc non ſufficeret, neque temporis ſatis habuerit, ut hæc conſummarentur competenter; ſiluit contriſtatus.

EPISCOPUS autem *Beritenſis*, nomine *Gualerannus*, qui jam ſex menſibus per maris, & uno per terrarum diſcrimina, labores itinerum, ut prædictum eſt, continuerat, ut caſum *Terræ ſanctæ* nunciaret, auxilium & conſilium impetrando; legi fecit literas, quas Magnates,qui reſidui erant in *Terra ſancta*, omnibus *Chriſtianis* Occidentalibus miſerant conſignatas, per os fratris *Arnulphi* de ordine *Prædicatorum*, in publico: quæ literæ præſcribuntur in præcedentibus. Quorum tenor lugubris omnes audientes ad lachrymarum, nec immeritò, movit effuſionem.

Lachrymabiles rumores de Terra ſancta in Concilio recitantur.

FERIA verò quarta ſequente, intravit dominus Papa eccleſiam ſancti *Johannis*, indutus Pontificalibus, cum omnibus aliis ſupradictis; veſte nuptiali, prout ſingulis pertinuit, adornatis. Et facta invocatione Spiritus Sancti, cum letania ſequente, & aliis ritè peractis, prædicavit dominus Papa; præponens & ſingultibus interpoſitis proponens hoc thema: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Et ſatis eleganter ſermonem continuans, comparavit quinque dolores ſuos maximos, quinque vulneribus & plagis Crucifixi. Unum, de inhumanis & feraliter *Chriſtianitatem* vaſtantibus *Tartaris*. Alium, quem pro ſchiſmate *Romaniæ*, id eſt, *Græcæ* eccleſiæ: quæ noſtris temporibus & paucis evolutis annis, à gremio matris ſuæ, velut novercæ, inſolenter & inſolerter decisa eſt, & averſa. Alium, pro ſerpigine novarum hæreſium; ſcilicet *Paterinorum*, *Bugarorum*, *Jovinianorum*, & aliorum ſchiſmatum, ſectarum, & errorum; quæ jam multas civitates *Chriſtianitatis*, præcipuè tamen *Lombardiæ*, ſubrependo maculavit. Alium, de *Terra ſancta*: in qua *Choroſmini* deteſtabiles domos *Templi* & *Hoſpitalis*, civitatem quoque *Hieruſalem*, & alias multas *Chriſtianorum* civitates, cum magno *Chriſtiani* ſanguinis profluvio, uſque ad internecionem, ſolo tenùs diruendo, deſtruxerunt. Alium verò, de Principe, id eſt Imperatore. Qui, cùm eſſe teneretur ſummus ſæcularium œconomus, & protector eccleſiæ; hoſtis factus familiaris,eccleſiæ *Chriſti* efficax & validus factus eſt inimicus, & miniſtrorum ejus adverſarius jam manifeſtus.

Quæ acta ſunt feria quarta.

Et proſequutus dominus Papa materiam hanc quantum videbatur expedire, cunctos audientes dolore compaſſionis ſalubriter ſauciavit. Exitus enim aquarum deduxerunt oculi ejus, & ſingultus ſermonem proruperunt. In fine autem prædicationis ſuæ propoſuit enormitates Imperatoris *Frederici*; ſcilicet hæreſin, ſacrilegium. Et inter alia mala, quòd civitatem quandam in *Chriſtianitate* conſtruxerat novam, fortem & magnam, quam *Saracenis* populaverat; ipſorum utens, ſed potiùs abutens ritibus & ſuperſtitionibus, ſpreto *Chriſtianorum* conſilio & religione: familiaritatemque ſpecialem contraxerat, ut aſſerebat, cum *Soldano Babyloniæ*, & quibuſdam aliis *Saracenorum* Primatibus: diſtractuſque & obſcœnis illectus illecebris, concubitu mulierculârum, vel potiùs meretriculârum *Saracenicarum*, indifferenter & impudenter polluebatur. Imponebàtque ei multiplex perjurium: & quòd ſpreto veritatis tenore, nunquam pacta, nuſquam promiſſa conſervabat. Super quibus, ut magis hæc audientes certificaret, ſignorum Imperialium de auro appenſione communitas oſtendit epiſtolas, multas, & multiplices; quibus evidenter arguit & redarguit ipſum Imperatorem, ſuper perjurio. Quibus etiam verbis alacriter ſe oppoſuit *Thaddæus*, ſe tunc erigens imperterritus in publico; oſtendens è contra literas Papales bullatas, quæ videbantur jam dictis obviare. Veruntamen diligenter inſpecto utrarumque tenore, quem longum eſſet in hoc ſcripto dilucidare, & pleniùs demonſtrare, non ſibi ad invicem contradictoriè adverſabantur; cùm Papales epiſtolæ conditionales fuiſſent, Imperatoriæ verò abſolutæ: & apparuit læſio fidei manifeſtè ex parte Imperatoris, qui cùm omnia abſolutè promiſerat, nec inde aliquid ſecundùm promiſſa compleverat. Ad quod *Thaddæus* diligenter & multipliciter,ſecundùm ſaltem apparentes rationes, nitebatur reſpondere, dominum ſuum Imperatorem excuſando; literas alias ex adverſo Papales oſtendens, & aſſerens, quod in eis continebatur, non fuiſſe obſervatum: unde dominum ſuum Imperatorem ſuis promiſſis parere non debuiſſe. Ad hoc autem, quòd de hæreſi dominus Imperator accuſabatur: reſpondit, reſpiciens omnes ibidem congregatos, quaſi omnes alloquens: Domini mei, ſuper iſto articulo, qui eſt graviſſimus, non poſſit quis certificari, niſi eſſet dominus meus Imperator præſens; ut ex oris ſui aſſertione elici poſſit, quod in cordis ſui latet ſecretario. Sed quod non ſit hæreticus, probabile poteſt haberi argumentum. Non enim in Imperio, vel Regnis ſuis, aliquem uſurarium habitare permittit. In hoc curiam *Romanam* redarguens, quam conſtat hoc vitio maximè laborantem. Ad hoc autem, quòd objectum fuerat, quòd Imperator ſpecialem habet familiaritatem,& ſuſpectam nimis,

cum

1245. cum *Soldano Babyloniæ*, & quibuſdam aliis *Saracenis*, quos terram ſuam permittit inhabitare; reſpondit *Thaddæus*: Hoc ultrò factum & prudenter eſſe; ad rebellionem ſcilicet quorundam & inſolentiam reprimendam ſibi jure ſubditorum, & ſeditionem expurgandam. Utitur enim ipſis in expeditionibus, quorum non æſtimat caſum alicui *Chriſtiano* deplorandum; & ſic parcit *Chriſtiano* ſanguini, ne fruſtrà effundatur. Mulierecularum itaque *Saracenarum* non utitur concubitu: & quis hoc poſſet probare? ſed joculatione, & quibuſdam artificiis muliebribus, quas jam, quia ſuſpectas, amovit irredituras. Hæc autem cùm *Thaddæus* dicta conſummaſſet, ſupplicavit humiliter ſibi concedi modicam ſaltem dilationem inducialem, ut domino ſuo Imperatori nunciare poſſet; & tam affectuoſè, quàm efficaciter conſulendo perſuadere, ut perſonaliter ad Concilium, quod eum expectavit, venire properaret, aut ulteriorem concederet eidem poteſtatem. Ad quod dominus Papa reſpondit: Abſit hoc. Timeo laqueos, quos vix evaſi. Si enim veniret, ſtatim recederem. Non adhuc opto ſanguinem, nec me ſentio aptum aut paratum martyrio, vel cuſtodiæ carcerali. Sequenti verò die, ad inſtantiam procuratorum Regum *Francorum* & *Anglorum*, maximè verò *Anglorum*, qui periculo & dedecori ejus plùs aliis, propter affinitatem inter ipſum Imperatorem & Regem *Anglorum*, & fœdus amicitiæ contractum, tanti Principis condoluerunt, conceſſæ ſunt ipſi *Thaddæo* induciæ fere duarum hebdomadarum; non ſine multorum gravamine *Lugduni* expectantium. Hæc cùm ipſi Imperatori per ordinem omnia nunciarentur, in moleſtia magna dixiſſe perhibetur: Video luce clarius, quòd ad confuſionem meam toto conamine aſpirat Papa. Stimulat enim eum libido, & pruritus ulciſcendi in me; eò quòd parentes ejus *Januenſes* pyraticos, antiquos & publicos Imperii inimicos, ſimul cum Prælatis, quorum duces erant, & tutores, in mari capi fecerim, & incarcerari. Quia nec ob aliud conſtat eum Concilium convocaſſe: nec ſacrum decet Imperium, maximè adverſanti judicio, ſiſti Synodali. Hæc cùm ad notitiam domini Papæ, & totius univerſitatis pervenerunt, quòd ſcilicet ſic dicens noluit juri pariturus accedere; receſſerunt à favore ejus multi, qui hactenùs certatim cum eo ſteterunt; *Anglis* pro eo maximè redargutis. Conſtanter igitur & acerrimè in pleno, & jam pleniſſimo Concilio Imperator *Fredericus*, quaſi toti eccleſiæ contumax & rebellis, à quatuor mundi partes inhabitantibus accuſatur. Ex quibus cùm unus aſſurgens Archiepiſcopus ipſum inſtantiùs accuſaret, objiciens ei nimis enorme crimen, læſæ ſcilicet Majeſtatis *in* dicta Prælatorum captione, & aliis gravibus criminibus: reſpondit jam ferè ſolus ſtans *Thaddæus* pro domino ſuo Imperatore, ipſum reſpiciens accuſantem: Non tibi fides adhibenda eſt, ſed nec verbis tuis ſilentium accommodandum: filius enim es proditoris, judicialiter in curia domini mei convicti & ſuſpenſi, cujus tu ſequens veſtigia, niteris patrizare. Siluit igitur ille accuſator, ampliùs mutire nec auſus nec permiſſus. Eodémque modo quorundam aliorum accuſationes tam prudenter quàm audacter contradicendo caſſavit magiſter *Thaddæus*. Veruntamen cùm à multis in mari ſubmerſorum & incarceratorum conſanguineis & amicis, reſumpto adhuc ſermone & ſpiritu redivivo, eò fortiùs & confidentiùs, quò jam favorem ejus declinare viderent, ipſe Imperator de captione ſæpedicta accuſaretur, reſpondit *Thaddæus*: Verè doluit ſuper hoc dominus meus; & hoc præter intentionem ſuam, & occaſionaliter contigit. Sed non potuit ipſos Prælatos ab inimicis ſuis in illo repentino & vehementi aſſultu & navali prælio, ut benè ſciri potuit, ſequeſtrare; quin indifferenter cum hoſtibus involverentur. Et ſi præſens dominus meus Imperator ibidem extitiſſet, utique diligenter liberationi eorum inſudaſſet. Ad hoc dominus Papa replicavit: Poſt eorum captionem, quare inſontes, aliis retentis, liberos abire non permiſit, licèt injuria multiformiter afflictos? Ad quod *Thaddæus*: Recolendum eſt, quòd alterata forma convocationis & adventus Prælatorum ad Concilium ſub *Gregorio* Papa celebrandum convocandorum, mutabatur in deterius; & meritò cor domini mei Imperatoris etiam immutatum exaſperabatur. Quia idem Papa cùm vocandos tantùm vocare debuiſſet, publicos Imperii convocavit inimicos: laicos nempè armata manu communitos; utpotè Comitem de *Provincia*, & alios: ut patet in epiſtola Regi *Anglorum* ſcripta, quam ſuperiùs recitavimus. Quos conſtabat non eſſe propter eorum ſapientiam vocatos, vel ad pacem componendam, ſed ſeditionem potiùs commovendam. Unde tam in *Angliam*, quàm alias miſſis epiſtolis regiones, amicabiliter Prælatis ſingulis ſupplicavit dominus meus Imperator, ne ad tam ſubdolum convenirent Concilium; prænoſcens eos, ſi venirent cum hoſtibus ſuis & Imperii, invadendos: denegavitque eis per ſuam ſecurum tranſitum ditionem; ſicque miſericorditer & civiliter ipſos de imminenti periculo præmunivit. Unde non immeritò tradidit eos Dominus in manus ejus, quem ſuperbè contempſerunt. Adhuc tamen cùm iratus fuit, miſericordiæ recordatus, voluit ipſos Prælatos, & alios imbelles, in pace dimittere, ſuorum emollitus conſiliis fidelium; cùm ecce *Præneſtinus*, & quidam alii procaces, minas minis accumulantes, dominum meum in facie etiam vinculati non deſiſtebant excommunicare, immemores illius ſalubris conſilii: *Humiliamini ſub potenti manu.* Sicque imbelles de rebellibus, imò imbecilles; ſic facti ſunt de amicis inimici, meritò incarcerandi. Ad quod Papa: Præſumpſiſſe debuit dominus tuus Imperator, quòd tam bonorum, & tanta congregatio virorum, niſi de ſua cauſa diffideret; eum potiùs abſolviſſet, ſi abſolvendus fuiſſet, quàm ligaſſet. Sed ex hoc manifeſtè patet, quòd ſua ipſum conſcientia remordebat, & peccatum, quo reus extitit, fauciarat. Ad quod *Thaddæus*: Quomodo confidere poſſet dominus meus, ut conjunctos hoſtibus haberet propitios in Concilio, ubi præſidere habuit domini mei inimicus capitalis, ſcilicet Papa *Gregorius*: cùm recalcitrantes videret eos & comminantes etiam

compe-

compeditos? Ad quod Papa: Etſi unus objurgans gratiam demeruiſſet, quare alios innocuos communi involvit calamitate? Multiplici merito, nihil aliud quàm ſua ignominioſa imminet depoſitio. Quod cùm intellexiſſent *Angli*, reclamaverunt pro prole ſua; ne filius patris iniquitatem portaret, nec rivus ſanguinis ab origine contaminaretur. In tertia verò ſeſſione, *Thaddæus* nimis timens & dolens de domini ſui periculo; maximè pro eo quòd filia Ducis *Auſtriæ*, vel ipſi Imperatori copulata, vel in proximo copulanda matrimonio, amplexus ejus abhorrens evitabat, eò quòd excommunicationi ſubjacenti, depoſitionis periculum imminebat: apparuit in Concilio pro domino ſuo reſponſurus & appellaturus. Et cùm cœpiſſet eum multiformiter excuſare, nec exaudiretur, appellavit pro eo ad Concilium proximò futurum generalius: necenim nunc omnes Prælati, vel eorum, vel Principum procuratores apparent hîc in præſentiarum. Cui Papa: Satis eſt Concilium generale multorum, qui domini tui humilitatem inutiliter non ſine gravamine expectârunt, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum de diverſis mundi partibus nobilium, vel eorum procuratorum. Et qui abſunt, laqueis domini tui impediuntur irretiti. Unde propter hoc indignum eſt, ut ſententia depoſitionis in ipſum deferenda retardetur; ne ex malitia ſua commodum videatur reportare, cùm non debeat alicui fraus patrocinari. 1245.

ASSIDENTIBUS autem ibidem *Anglicanæ* univerſitatis procuratoribus prænominatis, magiſter *Willielmus* de *Powerie* eorum procurator aſſurgens, gravamina Regni *Angliæ*; ex parte univerſitatis *Angliæ*, proponens ſatis eleganter, conqueſtus eſt graviter; quòd tempore belli per curiam *Romanam* extortum eſt tributum injurioſè, in quod nunquam patres nobilium Regni vel ipſi conſenſerunt, nec conſentiunt, neque in futurum conſentient: unde ſibi petunt exhiberi juſtitiam cum remedio. Ad quod Papa nec oculos elevans, nec vocem; verbum non reſpondit. Et poſt paululum ſilentii dictus *Willielmus* propoſuit de multiformi reddituum extorſione in *Anglia* per curiam *Romanam* factam, hanc oſtendens epiſtolam. *Querela procuratorum univerſitatis Angliæ in Concilio Lugdunenſi.*

REVERENDO *in* Chiſto *patri*, Innocentio, *Dei gratia, ſummo Pontifici, Magnates & univerſitas Regni* Angliæ, *recommendationem, cum pedum oſculo beatorum. Matrem noſtram* Romanam *Eccleſiam totis viſceribus diligimus & amamus, ut debemus; & ipſius honoris incrementum & augmentum, affectione quanta poſſumus affectamus; ad quam habere refugium nos oportet temporibus opportunis; ut dolor aggravans filialis, materno ſolatio mitigetur. Quod quidem ſolatium, mater filio eò tenetur mitiùs & faciliùs impertiri; quò ipſum maternæ dulcedinis alimento, gratum repetit & devotum. Eſſe quidem non poteſt immemor mater illa illius gratitudinis, quam ei à longè retroactis temporibus Regnum* Anglicanum *impendit; concedendo eidem; ad exaltationem ſuam, & conſervationem majorem, ſubſidium decens, & non modicè fructuoſum: ut per hoc inter eccleſiam ipſam & Regnum prædictum, fœdus dilectionis firmiùs iniretur. Quod quidem ſubſidium, proceſſu temporis beati* Petri *denarius extiterit nuncupatum. Ipſa verò eccleſia hujuſmodi ſubſidio non contenta, aliis temporibus tam per Legatos, quàm per alios nuncios multiplicatos, ſubſidia petebat diverſa in Regno prædicto: quæ ei à filiis ſuis, tanquam devotis, & matrem ſuam ſinceræ dilectionis brachiis amplexantibus; fuerunt conceſſa liberaliter & libenter. Paternitatem etiam veſtram non credimus ignorare, quòd prædeceſſores noſtri, ſicut viri Catholici, creatorem ſuum diligentes pariter & timentes; animarum ſuarum, & prædeceſſorum ſuorum, necnon & ſucceſſorum ſaluti inſiſtere cupientes, Monaſteria fundaverunt; & bonis ſuis, tam terris dominicis, quam eccleſiarum patronatibus ditaverunt; ut viri religioſi in Monaſteriis illis primam religionem laudabiliter exercentes, & cum ſumma devotione altiſſimo famulantes; pace & plena tranquillitate poſſent gratulari, prout religioni dignoſcitur convenire, de dictis dominicis neceſſaria capientes. Et ut clerici ſui patronatuum ſuorum eccleſias obtinentes, pro eis labores ſubirent exteriores, & eos defenderent; inhærentes religioni ſecundæ, ab incurſibus aliorum. Quapropter non ſine magna moleſtia noſtra, & gravamine intolerabili nobis valdè; præfati religioſi poſſent patronatibus ſuis, aut eccleſiarum collationibus, aliquatenùs defraudari. Sed ecce per vos & prædeceſſores veſtros, nullam conſiderationem habentes, quòd præter ſubſidia ſupradicta, jam ditantur in* Anglia Italici *(quorum eſt jam numerus infinitus) eccleſiis ad ipſorum religioſorum ſpectantibus patronatus, qui rectores eccleſiarum dicuntur: præfatos religioſos, quos deberent defendere, relinquentes penitùs indefenſos, nullam curam animarum gerentes, ſed lupos rapaciſſimos gregem diſpergere, & oves rapere permittentes. Unde verè dicere poſſunt, quòd non ſunt boni paſtores, quoniam oves ſuas non cognoſcunt, nec paſtorum notitiam oves habent. Hoſpitalitati eleemoſynarúmque largitioni, ſicut ſtatutum eſt in eccleſia, non inſiſtunt: ſed fructus tantùm percipiunt, extra Regnum aſportantes; regnum non mediocriter depauperando, & redditus occupando. Quibus redditibus fratres, nepotes, conſanguinei noſtri, & cæteri benè meriti de Regno* Angliæ *prædicto beneficiari tenerentur: qui poſſent & vellent dicta charitatis opera, & etiam plura alia miſericorditer & piè exercere, & eccleſiis ipſis perſonaliter deſervire; ut* qui altari deſerviunt, vivant etiam de altari, *ſecundùm dictum* Pauli. *Ipſi verò nunc neceſſitate compulſi, laici & exules ſunt effecti. Ut autem vobis veritas pleniùs innoteſcat,* Italici *percipientes in* Anglia *ſexaginta millia marcarum, & eò ampliùs annuatim (aliis perceptionibus diverſis exceptis) plus emolumenti meri redditus de Regno reportant, quàm ipſe Rex, qui eſt tutor eccleſiæ, & Regni gubernacula moderatur. Porrò poſt creationem veſtram firmiter* *Epiſtola univerſitatis Angliæ ſuper extorſionibus curiæ Romanæ.*

ſperabamus,

1245. ſperabamus, & adhuc ſperamus, eam de vobis fiduciam reportantes; quòd veſtræ paternitatis miſericordia mediante, gaudebimus eleemoſynas noſtras prædictas, tempore veſtro fore ſtatuti debito & priſtino reformandas.

Sed tacere non poſſumus gravamen noſtrum: quo non ſolùm gravamur, ſed etiam opprimimur ultra modum. Videlicet quòd magiſter Martinus præfatum Regnum, ſine domini Regis licentia, cùm majori poteſtate; quàm unquam vidimus habere Legatum à domino Rege poſtulatum, nuper ingreſſus (licèt non utens legationis inſignibus, multiplicato tamen legationis officio) novas quotidiè proferens poteſtates inauditas, excedens excedit: quædam beneficia jam vacantia, triginta marcas, vel ampliùs, annuatim valentia, perſonis Italicis conferendo: quibus decedentibus, & patronis ignorantibus, alii ſupponuntur; & ſic patroni ſuis collationibus defraudantur. Adhuc etiam idem magiſter Martinus beneficia conſimilia, cùm ea vacare contigerit, perſonis nititur aſſignare. Quorundam beneficiorum collationem Sedi Apoſtolicæ reſervando, & à viris religioſis penſiones immoderatas inſuper extorquendo: contradictores & reſiſtentes excommunicationis & Interdicti ſententiis paſſim, non abſque magno diſcrimine & animarum periculo, ſupponendo. Cùm igitur præfatus magiſter Martinus, non ſine totius Regni perturbatione non modica, juriſdictionem exercens memoratam, quam à conſcientia veſtra credere non poſſumus emanaſſe, eò quòd in multis majori fungeretur officio, quam unquam fungi Legatum aliquem videremus, privilegio domini Regis admodum derogando, per quod ei à ſede Apoſtolica ſpecialiter indulgetur, ne quis in Anglia legationis fungatur officio, niſi à domino Rege ſpecialiter poſtulatus, Sanctæ paternitati veſtræ ſupplicamus quantum poſſumus humiliter & devotè, quatenùs, cùm pius pater ad relevationem oppreſſionis filiorum manum miſericordiæ teneatur extendere; ab oppreſſionibus & gravaminibus memoratis, nos velit veſtræ paternitatis benignitas tempeſtivo ac efficaci remedio, citò relevare. Quantumcunque namque dominus noſter Rex, qui eſt Princeps Catholicus, & jugi vigilatione obſequiis divinis intendit, corporis ſui conſumptionem non conſiderans, in obſequio Jeſu Chriſti ſedem velit Apoſtolicam revereri, & eccleſiæ Romanæ, ſicut filius ejus chariſſimus, commodi & honoris deſideret incrementum & augmentum; jure tamen Regio dignitatéque Regio pleniùs conſervatis: nos tamen, qui in negotiis ſuis portamus pondus dierum & æſtus, & quibus unà cum ipſo domino Rege intendere conſervationi Regni diligenter incumbit, dictas oppreſſiones; Deo & hominibus deteſtabiles, & gravamina nobis intolerabilia, non poſſumus æquanimiter tolerare; nec per Dei gratiam ampliùs tolerabimus, veſtræ pietatis remedio mediante; quod feſtinum & tempeſtivum, habere credimus & ſperamus. Placeat igitur paternitati veſtræ hanc ſupplicationem noſtram taliter exaudire, quòd à Magnatibus & univerſitate Regni Angliæ, tanquam à filiis in Chriſto chariſſimis, ſpeciales gratias debeatis merito reportare.

Papa differt reſpondere legatis Angliæ.

CUM autem per prædictos nuncios in medio Concilio legerentur, & in propatulo manifeſtò, facto optimo ſilentio, proponerentur, dominus Papa non reſpondit: quia, ut aſſeruit, tam arduum negotium moroſa indiguit deliberatione. Suſpendit igitur ad tempus reſponſionem; licèt urgenter inſtarent nuncii prædicti tam ſolennes & magnifici, indiſtanter tamen ſe reſponſa daturum pollicendo. Addebant quoque idem nuncii, prioribus querimoniam gravem & ſeriam; videlicet de violenta oppreſſione, intolerabili gravamine, & impudenti exactione, quæ per hanc inviſam adjectionem, Papalibus literis frequenter inſertam; *Non obſtante*, &c. exercetur.

Altiori igitur inſiſtens negotio dominus Papa, licèt in contrarium eleganter magiſter *Thaddæus*, procurator Imperialis, allegaſſet; in Imperatorem *Fredericum*, ſine aliqua palpatione, vel diſſimulatione, vel dilationis indultu, talem ſententiam excommunicationis in pleno Concilio, non ſine omnium audientium & circumſtantium ſtupore & horrore terribiliter fulguravit.

Papa excommunicat Fredericum Imperatorem in concilio Lugdunenſi.

INNOCENTIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. &c. Sacro præſente Concilio, ad rei memoriam ſempiternam, ad Apoſtolicæ dignitatis apicem, licèt indigni, dignatione divinæ Majeſtatis aſſumpti, omnium Chriſtianorum curam vigili ſeduláque ſolertia gerere, ac intimæ conſiderationis oculo ſingulorum facta & dicta diſcernere, & providæ deliberationis ſtatera librare debemus; ut quos juſti vigor examinis dignos oſtenderit, congruis attollamus & evehamus favoribus: quos autem reos & culpabiles invenerimus, pœnis debitis pro gravitate culpæ, afficiamus & deprimamus: appendentes ſemper meritum & præmium æqua lance, retribuendo cuique juxta qualitatem operis, ſive boni, ſive mali, pœnæ, vel gratiæ quantitatem. Sanè cùm diu bellorum diuturna commotio, nonnullas profeſſionis Chriſtianæ provincias & regiones graviter afflixiſſet; nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem & pacem eccleſiæ ſanctæ Dei, ac generaliter cuncto populo Chriſtiano reſtituere ac reducere: ad præcipuum Principem ſæcularem, hujus diſſenſionis ac tribulationis auctorem, à fœlicis recordationis Gregorio Papa prædeceſſore noſtro, pro ſuis exceſſibus anathematis vinculo innodatum; ſpeciales nuncios magnæ auctoritatis viros, venerabiles videlicet fratres noſtros P. Abbatem Albanenſem, tunc autem temporis Rothomagenſem Archiepiſcopum, & W. Sabinenſem tunc, quondam verò Mutinenſem, Epiſcopos, ac dilectum noſtrum filium Gulielmum, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem, tunc Abbatem ſancti Facundi; qui ſalutem zelabantur ipſius, duximus deſtinandos. Facientes ſibi proponi per ipſos, quòd nos, & fratres noſtri, quantum in nobis erat, pacem per omnia ſecum habere nitimur; ut cum omnibus hominibus parati ſumus; optabamus pacem ſibi & tranquillitatem dare, ac mundo etiam univerſo.

Et

Et quia Prælatorum, clericorum, omniúmque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam clericorum, quàm laicorum, quos ceperat in galeis, reſtitutio, poterat eſſe pacis & reconciliationis plurimùm inductiva; illum, ut eos reſtitueret, (cùm hoc iidem, tam ipſe, quàm ſui nuncii, antequàm ad Apoſtolatus vocati eſſemus officium, promiſiſſent) rogari & peti ab ipſo fecimus per eoſdem, ac proponi inſuper; quòd iidem pro nobis parati erant audire & tractare pacem, ac etiam audire ſatisfactionem, quam facere vellet Princeps de omnibus pro quibus vinculo erat excommunicationis aſtrictus, & offerri. Præterea, quòd ſi etiam eum in aliquo contra debitum læſerat eccleſia (quod tamen non credebat) parata erat corrigere, ac in ſtatum debitum reformare. Et ſi diceret ipſe, quòd contra juſtitiam in ullo ipſum læſerat eccleſia, vel etiam quòd nos eum contra juſtitiam in ullo læſiſſemus; parati eramus vocare Reges, Prælatos, & Principes, tam eccleſiaſticos, quàm ſæculares, ad aliquem tutum locum, ubi ſimul per ſe, vel per ſolennes nuncios convenirent. Erátque parata eccleſia etiam de conſilio Concilii ſibi ſatisfacere, ſi eum læſiſſet in aliquo; ac revocare excommunicationis ſententiam, ſi quam contra ipſum injuſtè tuliſſet: & eum omni manſuetudine & miſericordia, (quantum cum Deo & honore ſuo fieri poterat) tractare; & de injuriis & offenſis ipſi eccleſiæ ſuiſque per eum irrogatis, ſatisfactionem ab ipſo recipere. Volebat etiam eccleſia omnes amicos ſuos, ſibique adhærentes, in pace ponere, plenáque ſecuritate gaudere; ut nunquam hac occaſione poſſent aliquod in poſterum ſubire diſcrimen, aut periculum. Sed licet ſic apud eum pro pace paternis monitis & precum inſiſtere curaverimus lenitate: idem tamen Pharaonis imitatus duritiem, & more Aſpidis obturans aures ſuas; hujuſmodi preces & monita, elata obſtinatione, ac obſtinata elatione & ſuperbia deſpexit ac contempſit. Et licèt proceſſu temporis, in die cœnæ Domini proximo nuper præterita præcedente, coram nobis & fratribus noſtris Cardinalibus, præſentibus chariſſimo in Chriſto filio noſtro Conſtantinopolitano Imperatore illuſtri, cœtu quoque non modico Prælatorum, & de ſenioribus ac ſanioribus Senatoribus Populóque Romano, & juxta multitudinem aliorum, qui eodem die, propter ſolemnitatem ipſius, de diverſis mundi partibus ad Apoſtolicam ſedem convenerunt: quòd ſtaret mandatis noſtris & Eccleſiæ, per nobilem virum Comitem Tholoſanum, ac magiſtros Petrum de Vinea, & Thaddæum de Sueſſa, curiæ ſuæ Judices, & procuratores ſuos, ſpeciale ſuper hoc ab ipſo mandatum habentes, præſtiterit juramentum: poſtmodùm tamen quod juraverat, non implevit. Quinimò ea contentione ipſum præſtitiſſe juramentum probabiliter creditur, ſicut ex factis ſequentibus colligitur evidenter, ut eidem eccleſiæ ac nobis illuderet potiùs, quàm pareret; cùm anno & ampliùs jam elapſo, nec ad ipſius eccleſiæ gremium revocari potuerit: nec ſibi de illatis ei damnis & injuriis curavit ſatisfacere, licèt ſuper hoc extiterit requiſitus. Propter quod non volentes, nec etiam valentes, abſque gravi JESU CHRISTI offenſa, ejus iniquitates & ſcelera amplius tolerare: cogimur, urgente nos conſcientia, animadvertere in eundem.

Et ut ad præſens, de cæteris ejus ſceleribus & iniquitatibus taceamus; quatuor graviſſima, quæ nulla poſſunt celari tergiverſatione, commiſit. Dejeravit enim multoties; pacem quondam inter Eccleſiam & Imperium reformatam, temerè violavit. Perpetravit etiam ſacrilegium, capi faciens Cardinales ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac aliarum eccleſiarum Prælatos & clericos, religioſos, & ſæculares, venientes ad Concilium; quod idem prædeceſſor duxerat convocandum. De hæreſi quoque non dubiis & levibus, ſed difficilibus & evidentibus argumentis ſuſpectus habetur: plura ſiquidem eum commiſiſſe perjuria ſatis patet. Nam olim cùm in Siciliæ partibus commorabatur, priuſquàm eſſet ad Imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ G. ſancti Theodori Diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato, fælicis recordationis Innocentio Papæ, prædeceſſori noſtro, & ſucceſſoribus ejus, eccleſiæque Romanæ, pro conceſſione Regni Siciliæ, ab eadem eccleſia ſibi facta, fidelitatis præſtitit juramentum. Et ſicut dicitur, illud idem poſtquàm ad eandem dignitatem electus extitit, & venit ad urbem, coram eodem Innocentio ſuiſque fratribus Cardinalibus & aliis multis præſentibus, ligium homagium in ejus faciens manibus innovavit. Deinde, cùm in Alemannia eſſet, eidem INNOCENTIO Papæ, & ipſo defuncto, bonæ memoriæ HONORIO Papæ, prædeceſſori noſtro, & ejus ſucceſſoribus; ac ipſi eccleſiæ Romanæ, præſentibus Imperii Principibus ac Nobilibus, juravit, honores, jura, & poſſeſſiones Romanæ eccleſiæ, pro poſſe ſuo, ſervare ac protegere bona fide. Et quòd quæcunque ad manus ſuas devenirent, ſine difficultate reſtituere procuraret; nominatis expreſsè dictis poſſeſſionibus in hujuſmodi juramento; quod poſtmodum confirmavit, coronam Imperii jam adeptus. Sed horum trium juramentorum temerarius extitit violator & tranſgreſſor: non ſine proditionis nota, & læſæ crimine majeſtatis. Nam contra præfatum prædeceſſorem noſtrum Gregorium, & fratres ſuos Cardinales, comminatorias literas eiſdem fratribus deſtinare; ac dictum Gregorium apud fratres ipſos; ſicut apparet per literas ab eodem tunc directas: eiſdem etiam, prout fertur, per univerſum ferè orbem terrarum multipliciter diffamare præſumpſit. Ac venerabilem fratrem noſtrum Ottonem Portuenſem, tunc ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, & bonæ memoriæ J. Prænestinenſem, Epiſcopos, Apoſtolicæ ſedis Legatos, nobilia & magna eccleſiæ Romanæ membra, perſonaliter capi fecit: & bonis omnibus ſpoliatos, ac per diverſa loca non ſemel ignominioſè deductos & circumductos, carceribus mancipari. Privilegium inſuper, quod beato Petro, & ſucceſſoribus ejus in ipſo, tradidit dominus Jeſus Chriſtus, videlicet. Quodcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis (in quo auctoritas & poteſtas Romanæ eccleſiæ conſiſtit) pro viribus diminuere, vel ipſi eccleſiæ auferre ſategit; ſcribens ſe præfati Gregorii Papæ, prædeceſſoris noſtri, non vereri latam ab eo excommunicationis ſententiam in ipſum: 1245.

1245. non ſolum contemptis clavibus eccleſiæ non ſervando, verumetiam per ſe, ac officiales ſuos, & illam, & aliam excommunicationis vel Interdicti ſententias, quas idem omninò contempſit, cogendo & compellendo alios non ſervare. Poſſeſſiones quoque præfatæ eccleſiæ Romanæ, videlicet Marchiam, Ducatum Beneventum (cujus muros & turres dirui fecit) ac alias quas in Tuſciæ ac Lombardiæ partibus, & quibuſdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas detinet adhuc occupatas. Et tanquam ei non ſufficeret, quòd manifeſtè, contra juramenta præmiſſa, præſumendo talia, veniebat; per ſe, vel per ſuos officiales, earundem poſſeſſionum homines dejerare compulit: ipſos à juramento fidelitatis, quibus tenebantur ratione eccleſiæ, de facto, cùm de jure non poſſet, abſolvens; & faciens eoſdem fidelitatem nihilominùs abjurare prædictam, ſibique fidelitatis hujuſmodi juramenta præſtare. Pacis verò ipſum violatorem exiſtere planè conſtat. Quia cùm olim tempore pacis, inter ipſum & eccleſiam reformatæ, juraſſet coram bonæ memoriæ J. de Abbatis villa, Epiſcopo Sabinienſi, & magiſtro Thomaſio, tunc temporis ſanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali, præſentibus, cum multis aliis Prælatis, Principibus, & Baronibus, quòd ſtaret & pareret præcisè, abſque ulla conditione, omnibus mandatis eccleſiæ, ſuper his, pro quibus erat vinculo excommunicationis aſtrictus, cauſis excommunicationis expreſſis per ordinem coram eo: tunc temporis etiam omnibus Teutoniæ hominibus Regni Siciliæ, ac quibuslibet aliis, cujuſcunque conditionis aut ſtatus, qui eccleſiæ contra eum adhæſerant, omnem remittens offenſam & pœnam: & quòd in nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipſos, pro eo quòd eccleſiæ aſtiterant, præſtari in anima ſua per Comitem Acerrarum faciens juramentum; poſtmodùm pacem & juramenta hujuſmodi, nequaquam erubeſcens irritiri perjuriis, non ſervavit. Nonnullos enim etiam ex ipſis hominibus prædictis, tam nobiles, quàm alios, poſteà capi & incarcerari fecit; & eis bonis ſuis omnibus ſpoliatis, uxores eorum & filios captivare; ac inſuper terras eccleſiæ, contra promiſſionem, quam eidem J. Sabinenſi Epiſcopo, & Thomaſio Cardinali fecerat, irreverenter invaſit: licèt ipſi ex tunc in eundem præſentem, ſi ullo modo prædictis articulis aut conditionibus contraveniret, excommunicationis ſententiam promulgaverunt. Et cùm iidem Apoſtolica auctoritate ſibi commiſſa, ipſi mandaſſent, ut nec per ſe, nec per alium impediret, quin poſtulationes, electiones, & confirmationes Eccleſiarum & Monaſteriorum, in Regno præfato, liberè de cætero fierent, ſecundùm ſtatutum Concilii generalis: & quòd nullus deinceps in eodem Regno viris Eccleſiaſticis, ac bonis aut rebus eorum, imponeret tallias vel collectas, quodque nullus ibidem clericus vel perſona eccleſiaſtica de cætero incivili vel criminali cauſa conveniretur coram Judice ſæculari, niſi ſuper feudis quæſtio civilis haberetur; ac Templariis, Hoſpitalariis, & aliis perſonis eccleſiaſticis; de damnis & injuriis irrogatis, eis ſatisfaceret competenter: ipſe mandatum hujuſmodi adimplere contempſit. Liquet namque undecim, aut plures, Archiepiſcopales, & multas Epiſcopales ſedes, Abbatias quoque, & alias eccleſias, ad præſens in Regno vacare prædicto; eaſque procurante ipſo, ſicut apertè patet, fuiſſe diutiùs Prælatorum regimine deſtitutas: in grave ipſarum præjudicium, & periculum animarum multarum. Et licèt fortè in aliquibus ejuſdem Regni eccleſiis, electiones ſint à Capitulis celebratæ: quia tamen per illa eadem familiares clerici ſunt electi, probabili poteſt argumento concludi, quòd facultatem non habent liberam elegendi. Eccleſiarum autem ipſius Regni, non ſolùm facultates & bona fecit prout voluit occupari, ſed & cruces, calices, thuribula, & alios ſacros earum theſauros, & pannos ſericos, velut cultus Divini contemptor, auferri: licèt, ut dicitur, ipſis eccleſiis (exacto tamen priùs pro eis certo precio) in parte fuerint reſtituti. Clerici quippe collectis & talliis, multipliciter affliguntur. Nec ſolùm trahuntur ad judicium ſæculare, ſed, ut aſſeritur, coguntur ſubire duella: incarcerantur, occiduntur, & patibulis cruciantur, in confuſionem & opprobrium ordinis clericalis. Præfatis autem Templariis, Hoſpitalariis, & perſonis eccleſiaſticis, non eſt de damnis illatis eiſdem & injuriis ſatisfactum. Eum quoque certum eſt, ſacrilegii eſſe perpetratorem. Nam cùm Præfati Portuenſis & Prœneſtipenſis Epiſcopi, & quàmplures eccleſiarum Prælati & clerici, tam religioſi, quàm ſæculares, ad Apoſtolicam ſedem, pro celebrando Concilio (quod priùs ipſe petiverat convocari) per mare venirent, viis omnibus terræ ipſius, de mandato ejus, omninò præcluſis, idem deſtinato Henrico filio ſuo cum multitudine galeiarum, & per alias quàmplures longè antea ſeriò præparatas in partibus Tuſciæ, maritimis inſidiis poſitis contra eos, ut graviùs poſſet virus vomere præconceptum, ipſos auſu ſacrilego capi fecit; quibuſdam Prælatorum ipſorum, & aliis in hujuſmodi captione ſubmerſis; nonnullis etiam interemptis; & aliquibus hoſtili inſequutione fugatis: reliquis autem bonis ſpoliatis omnibus, & de loco ad locum in Regni Siciliæ opprobriosè deductis, & circumductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis; quorum aliqui macerati ſqualoribus & inedia preſſi, miſerabiliter defecerunt. Meritò inſuper contra eum de hæretica pravitate ſuſpicio eſt exorta, cùm poſtquàm excommunicationis ſententiam à præfatis J. Sabinenſi Epiſcopo, & Thomaſio Cardinali, prolatam incurrerit, & prædictus Gregorius Papa ipſum anathematis vinculo innodavit, ac poſt eccleſiæ, Romanorum Cardinalium, Prælatorum, & clericorum, à qua diverſis partibus ad ſedem Apoſtolicam venientium, captiones, claves eccleſiæ contempſerit & contemnat; ſibi faciens celebrari, vel potiùs, quantum in eo eſt, prophanari divina: & conſtanter aſſeruit, ut ſuperiùs eſt narratum, in ſe præfati Gregorii Papæ ſententias excommunicationis non vereri. Prætereà, conjunctus Saracenis amicitia deteſtabili, nuncios & munera pluriès deſtinavit eiſdem; & ab eis viciſſim cum honorificentia & hilaritate recepit: ipſorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis ejus obſequiis notabiliter ſecum tenens, eorundem etiam more uxoribus, quas habuit de ſtirpe Regia deſcendentibus, Eunuchos, præcipuè

que:

quos, ut dicitur, ſertò ipſe caſtrari fecerat, non erubuit deputare cuſtodes. Et quòd execrabilius eſt, olim exiſtens in partibus tranſmarinis, facta compoſitione quadam, imò veriùs colluſione, cum Soldano, Machometi nomen, in templo Domini diebus ac noctibus publicè proclamari permiſit. Et nuper nuncios Soldani Babyloniæ, poſtquàm idem Soldanus Terræ ſanctæ, ac Chriſtianis habitatoribus ejus per ſe ac ſuos damna graviſſima & inæſtimabiles injurias irrogârat: fecit per Regnum ſuum Siciliæ cum laudibus, ad ejuſdem Soldani excellentiam, ſicut fertur, honorificè ſuſcipi, & magnificè procurari. 1245.

Aliorum quoque infidelium pernicioſis & horrendis obſequiis contra fideles abutens, & illis qui damnabiliter vilipendentes & contemnentes Apoſtolicam ſedem, ab unitate eccleſiæ diſceſſerunt, procurans affinitate ac amicitia copulari, claræ memoriæ Ducem Bavariæ, ſpecialem Eccleſiæ Romanæ & devotum; fecit, ſicut pro certo aſſeritur, Chriſtiana religione deſpecta, per aſſiſinos occidi: & Battacio, Dei & eccleſiæ inimico; à communione fidelium per excommunicationis ſententiam, cum adjuratoribus, conſiliatoribus, & fautoribus ſuis ſolenniter ſeparato, filiam ſuam tradidit in uxorem. Catholicorum verò Principum actus & mores reſpuens; neglecta ſalutis ſuæ & famæ integritate, pietatis operibus non intendit. Quinimò, ut de ſuis nephariis diſſolutionibus ſileamus, cùm didicerit tantum opprimere, non curat oppreſſos injuriis relevare, manu ejus, ut decet Principem Chriſtianum, ad eleemoſynas non extenta: cùm deſtructioni eccleſiarum inſtiterit, & religioſas ac alias eccleſiaſticas jugi attriverit afflictione & perſequutione perſonas. Nec enim eccleſias, nec ulla monaſteria, nec hoſpitalia, ſeu alia pia loca cernitur uſpiam conſtruxiſſe aut fundaſſe. Nunc igitur hæc non levia, ſed efficacia ſunt argumenta de ſuſpicatione hæreſis contra eum: cùm tamen hæreticorum vocabulo eos Jus Civile contineri aſſerat, & latis adversùs eos ſententiis debere ſuccumbere; qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deviare. Præter hoc, Regnum Siciliæ, quod eſt ſpirituale patrimonium beati Petri, quod idem Princeps Apoſtolica ſede tenebat in feudum, jam in tantam in clericis & laicis exinanitionem ſervitutémque redegit, quòd eis penè penitùs nihil habentibus, & omnibus exinde ferè probris ejectis & expulſis, illos qui remanſerunt ibidem, ſub ſervili quaſi conditione vivere, ac Romanæ eccleſiæ, cujus principaliter ſunt homines & vaſſalli, offendere multipliciter & hoſtiliter impugnare compellit. Poſſet etiam meritò reprehendi, quòd mille ſquinatorum annuam penſionem, in qua pro eodem Regno ipſi Romanæ eccleſiæ tenetur, per novem annos & ampliùs ſolvere prætermiſit. Nos itaque ſuper præmiſſis, & quàmpluribus aliis ejus nephandis & execrandis exceſſibus ac flagitiis, cùm fratribus noſtris Cardinalibus & ſacroſancto Concilio deliberatione præhabitâ maturâ & diligenti, cùm Domini noſtri Jeſu Chriſti vices, licèt immeriti, teneamus in terris, nobiſque in beati Petri Apoſtoli perſona ſit dictum: Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. memoratum Principem, qui ſe Imperio, & Regnis, omníque denique honore, ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter ſuas iniquitates atque ſcelera à Deo ne regnet vel imperet eſt abjectus; ſuis ligatum peccatis à Deo ac abjectum, omnique honore ac dignitate privatum à Domino oſtendimus ac denunciamus, & nihilominùs ſententiando privamus. Omnéſque qui ei juramento fidelitatis aliquo modo tenentur aſtricti vel obligati, à juramento hujuſmodi perpetuò abſolvimus & liberamus: auctoritate Apoſtolica firmiter & ſtrictim inhibendo, ne quiſquam de cæterò ſibi tanquam Imperatori vel Regi pareat, vel quomodo libet parere intendat. Decernendo quoslibet, qui deinceps ei, velut Imperatori, vel Regi, conſilium vel auxilium præſtiterint, ſeu favorem; ipſo facto excommunicationis vinculo ſubjacere. Illi autem, ad quos in eodem Imperio, Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè alium in ejus locum ſucceſſorem. De præfato verò Siciliæ Regno providere curabimus, cum eorundem fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio, ſicut viderimus expedire. Datum Lugduni, decimo ſeptimo Calend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno tertio.

Procuratores Imperatoris recedunt confuſi.

HÆC igitur in medio Concilio prolata, cunctis audientibus, ad inſtar coruſcantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incuſſerunt. Magiſtri igitur Thaddeus de Sueſſa, & Walterus de Ocra, & alii procuratores Imperatoris, & qui cum ipſis erant, emiſſo ejulatu flebili, hic femur, hic pectus in indicium doloris percutientes, vix à profluvio lachrymarum ſeſe continuerunt. Et ait magiſter Thaddeus memoratus: Dies iſta, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ. Dominus igitur Papa, & Prælati aſſidentes Concilio, candelis accenſis, in dictum Imperatorem Fredericum, qui jam jam Imperator non eſt nominandus; terribiliter, recedentibus & confuſis ejus procuratoribus, fulgurarunt.

Statuta de reparatione Terræ ſanctæ & negotio crucis.

DE reparatione autem Terræ ſanctæ, & negotio Crucis: Dominus Papa ſollicitus, hæc duxit in Concilio ſtatuenda, hoc modo: Afflicti corde pro deplorandis Terræ ſanctæ periculis, ſed pro iſtis præcipuè, quæ conſtitutis in ipſa fidelibus noſcuntur noviter accidiſſe, ad liberandam ipſam, Deo propitio, de manibus impiorum, totis affectibus aſpiramus; diffinientes ſacro approbante Concilio, ut ita Crucesignari ſe præparent, quòd opportuno tempore univerſis inſinuando fidelibus per Prædicatores, noſtróſque nuncios ſpeciales, omnes qui diſpoſuerunt transfretare, in locis idoneis ad hoc conveniant: de quibus in ejuſdem Terræ ſanctæ ſubſidium, cùm divina & Apoſtolica benedictione procedant. Sacerdotes autem & alii clerici, qui fuerint in exercitu Chriſtiano, tam ſubditi, quàm Prælati, orationi ac exhortationi diligenter inſiſtant: docentes eos verbo pariter, & exemplo, ut timorem & amorem Domini ſemper habeant

1245. ant ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod æterni Regis Majeſtatem offendat. Et ſi aliquando lapſi fuerint in peccatum, per veram pœnitentiam mox reſurgant; gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu, quàm in veſtitu mediocritatem ſervantes, diſſentiones & æmulationes omninò vitando, rancore ac livore à ſe penitùs relegatis: ut ſic ſpiritualibus & materialibus armis muniti, adversùs hoſtes fidei ſecuriùs prælientur; non de ſua præſumentes potentia, ſed divina virtute ſperantes. Nobiles, & potentes exercitus, ac omnes divitiis & opibus abundantes, piis Prælatorum monitis & exhortationibus inducantur, ut intuitu Crucifixi, pro quo crucis ſignaculum aſſumpſerunt, ab expenſis inutilibus & ſuperfluis, ſed ab illis præcipuè, quæ fiunt in comeſſationibus & conviviis nimiis & ſumptuoſis, abſtinentes; eas convertant in perſonarum illarum ſubſidium, per quas Dei negotium valeat proſperari; & eis propter hoc juxta Prælatorum ipſorum providentiam, peccatorum ſuorum indulgentia tribuatur. Prædictis autem clericis indulgemus, ut beneficia ſua integrè percipiant per triennium, ac ſi eſſent in eccleſiis reſidentes. Et ſi neceſſe fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare. Ne igitur hoc ſanctum propoſitum impediri vel retardari contingat, univerſis eccleſiarum Prælatis diſtrictè præcipimus, ut ſinguli per loca ſua, illos qui ſignum crucis depoſuerunt, reſumere, ac tam ipſos quàm alios crucesignatos, & quos adhuc ſignari contigerit, ad reddendum Domino vota ſua diligenter moneant ac inducant: & ſi neceſſe fuerit, per excommunicationis in perſonas, & Interdicti ſententias in terras ipſorum, omni tergiverſatione ceſſante, compellant.

Ad hoc, ne quid in negotio Domini noſtri *Jeſu Chriſti* de contingentibus omittatur, volumus, & mandamus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alii, qui curam obtinent animarum, ſtudioſe proponant commiſſis ſibi populis verbum Crucis; obſecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum ſolum verum æternum Deum, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & Barones, alioſq; Magnates, necnon communia civitatum, villarum, & oppidorum, ut qui perſonaliter non acceſſerunt in ſubſidium *Terræ ſanctæ*, competentem conferant numerum bellatorum, cum expenſis ad triennium neceſſariis, ſecundùm proprias facultates, in remiſſionem ſuorum peccaminum: prout in generalibus literis, quas pridem per orbem terræ miſerimus, eſt expreſſum, & ad majorem cautelam inferiùs exprimetur.

Nota de literis. „ Hæc enim omnia ſcribuntur anno gratiæ milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto: præponitur tamen ſermo elegantiſſimus. Quære poſt mortem *Richardi Mareſchalli*.

Hujus igitur remiſſionis volumus eſſe participes non ſolùm eos, qui ad hoc naves proprias exhibebunt; ſed illos etiam, qui propter hoc opus naves ſtudent fabricare. Renuentibus autem, ſi qui fortè tam ingrati fuerint Domino Deo noſtro, ex parte Apoſtolica firmiter proteſtentur, ut ſe ſciant, ſuper hoc nobis in noviſſimo diſtricti examinis die, coram tremendo Judice reſponſuros. Priùs tamen conſiderantes, qua conſcientia, quàve ſecuritate comparere poterunt coram Dei filio unigenito *Jeſu Chriſto* Domino noſtro, cui omnia dedit Pater in manus, ſi ei pro peccatoribus crucifixo ſervire renuerint in hoc negotio: quaſi propriè ſibi proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio ſuſtentantur, quin cujus ſanguine ſunt redempti.

Cæterùm, ex communi Concilii approbatione ſtatuimus, ut omnes omninò clerici, tam ſubditi, quàm Prælati, viceſimam eccleſiaſticorum proventuum uſque ad triennium integrè conferant ad ſubſidium *Terræ ſanctæ*; per manus eorum, qui Apoſtolica fuerint providentia ordinati. Quibuſdam tamen religioſis exceptis, ab hac præſtatione meritò eximendis: illiſque ſimiliter, qui aſſumpto vel aſſumendo Crucis ſignaculo, ſint perſonaliter profecturi. Nos autem, & fratres noſtri ſanctæ *Romanæ* Eccleſiæ Cardinales, plenariè decimam perſolvemus. Sciántque omnes, ſe ad hoc fideliter obſervandum per excommunicationis ſententiam obligatos: ita quòd illi qui fraudem ſuper hoc ſcienter commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant.

Sanè quia juſto judicio cœleſtis Imperatoris obſequiis inhærentes, ſpeciali decet prærogativa gaudere, crucesignati à collectis & talliis aliiſque gravaminibus ſint immunes; quorum perſonas & bona poſt crucem aſſumptam, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus. Statuentes, ut ſub Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ac omnium Prælatorum eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant; propriis nihilominùs protectoribus ad hoc ſpecialiter deputandis: ita ut donec de ipſorum reditu vel obitu certiſſimè cognoſcatur, integra maneant & quieta. Et ſi quiſquam contra præſumpſerit, cenſura Eccleſiaſtica compeſcatur.

Si qui verò proficiſcentium illic ad præſtandas uſuras juramento teneantur aſtricti; creditores eorum, ut remittant eis præſtitum juramentum, & ab uſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtrictione compelli. Quòd ſi quiſquam creditorum eos coëgerit ad ſolutionem uſurarum; eum ad reſtitutionem earum, ſimili cogi animadverſione mandamus. *Judæos* verò ad remittendas uſuras, per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem: & donec illas remiſerint, ab univerſis *Chriſti* fidelibus, per excommunicationis ſententiam eis omninò communio denegetur. His qui *Judæis* debita ſolvere nequeunt in præſenti, ſic Principes ſæculares utili dilatione provideant; quòd poſt iter arreptum uſque quò de ipſorum reditu vel obitu certiſſimè cognoſcatur, uſurarum incommoda non incurrant, compulſis *Judæis* proventus pignorum, quos interim ipſi perceperint, in ſortem, expenſis deductis neceſſariis, computare.

Cùm

1245. Cùm hujuſmodi beneficium non multùm videatur habere diſpendii, quia ſic ſolutionem prorogat, quòd debitum non abſorbet. Porrò eccleſiarum Prælati, qui in exhibenda juſtitia crueeſignatis & eorum familiis negligentes extiterint, ſciant ſe graviter puniendos. Cæterùm, quia curſarii & pyratæ nimis impediunt ſubſidium *Terræ ſanctæ*, capiendo & ſpoliando tranſeuntes ad illam, & redeuntes ab ipſa; nos eos, & principales adjutores & fautores eorum, excommunicationis vinculo innodamus; ſub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis ſcienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu: & injungentes rectoribus civitatum & locorum ſuorum, ut eos ab hac inquietatione revocent & compeſcant. Alioquin, quia nolle perturbare perverſos, nihil aliud eſt quàm fovere; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare: in perſonas & terras eorum, per eccleſiarum Prælatos ſeveritatem eccleſiaſticam, volumus & præcipimus exerceri. Excommunicamus prætereà, & anathematizamus illos falſos & impios *Chriſtianos*, qui contra ipſum *Chriſtum* & populum *Chriſtianum*, *Saracenis* arma, ferrum, & lignamina deferunt galeiarum: eos etiam, qui eis galeias vendunt vel naves; quique in pyraticis *Saracenorum* navibus curam gubernationis exercent, illiſque in machinis, vel quibuſlibet aliis in rebus, impendunt conſilium vel auxilium, in diſpendium *Terræ ſanctæ*. Ipſóſque rerum ſuarum privatione mulctari, & capientium fore ſervos cenſemus; præcipientes ut per omnes urbes maritimas diebus Dominicis & Feſtivis hujuſmodi ſententia publicè innovetur, & talibus gremium non aperiatur eccleſiæ: niſi totum quod commercio tam damnato perceperint, & tantundem de ſuo in ſubſidium *Terræ ſanctæ* tranſmiſerint; ut ſic æquo judicio, in quo deliquerint, puniantur. Quòd ſi fortè ſolvendo non fuerint, ſic aliàs reatus talium caſtigetur; quòd in pœna ipſorum, interdicatur audacia ſimilia præſumendi. Prohibemus inſuper omnibus *Chriſtianis*, & ſub anathemate interdicimus; ne in terram *Saracenorum*, qui partes Orientales inhabitant, uſque ad quadriennium tranſmittant, aut tranſvehant naves ſuas: ut per has transfretare volentibus in ſubſidium *Terræ ſanctæ*, major navigii copia præparetur, & ſubtrahatur *Saracenis* prædictis auxilium, quod eis conſuevit ex hoc non modicum provenire. Licèt autem torneamenta ſint in diverſis Conciliis ſub certa pœna generaliter interdicta, quin tamen hoc tempore crucis negotium per ea plurimùm impeditur: nos illa ſub pœna excommunicationis, firmiter prohibemus uſque ad triennium exerceri. Quia verò ad hoc negotium exequendum permaximè neceſſarium eſt, ut Principes & populi *Chriſtiani* ad invicem pacem obſervent, ſancta univerſali Synodo ſuadente, ſtatuimus; ut ſaltem per quadriennium in toto orbe *Chriſtiano* pax generaliter obſervetur: ita ut per eccleſiarum Prælatos, diſcordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam, inviolabiliter obſervandam. Et qui fortè acquieſcere contempſerit, per excommunicationem in perſonas, & Interdictum in terras, arctiſſimè compellantur: niſi tanta fuerit injuriarum malitia, quòd ipſi tali non debeant pace gaudere. Quod ſi fortè cenſuram eccleſiaſticam vilipendant, poterunt non immeritò formidare, ne per auctoritatem eccleſiæ contra eos, tanquam perturbatores crucifixi negotii, ſecularis potentia inducatur. Nos ergo, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* auctoritate confiſi, ex illa, quam nobis, licèt indignis, Deus ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem: omnibus qui laborem iſtum propriis perſonis ſubierint & expenſis, plenam ſuorum peccaminum, de quibus fuerint veraciter corde contriti & ore confeſſi, veniam indulgemus; & in retributione juſtorum, ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in perſonis propriis illùc acceſſerint, ſed in ſuis duntaxat expenſis, juxta facultatem & qualitatem ſuam, viros idoneos deſtinaverint, & illis ſimiliter, qui licèt in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis acceſſerint: plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe participes (juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum) omnes qui ad ſubventionem illius *terræ* de bonis ſuis congruè miniſtrabunt; aut circa prædicta, conſilium aut exilium impenderint opportunum. Omnibus etiam piè proficientibus in hoc opere, ſancta & univerſalis Synodus orationum & beneficiorum ſuorum ſuffragium impertitur; ut eis dignè proficiat ad ſalutem. Amen.

De ſententia excommunicationis.

ECCLESIASTICA cenſura Judices damnabiliter abutuntur, cùm de matris eccleſiæ gremio ex alterius culpa indiſcretè per eam attentent evellere innocentes; ex qua illicitè notatus non læditur, ſed errante clavi, converti dicitur in damnantem. Volentes igitur inſolentiæ, vel potiùs inſolertiæ talium obviare, conſtitutionem præſenti decreto ſancimus, ut Judicium nullus excommunicato ab eodem participantes in locutione, & aliis, quibus ligatur particeps, excommunicatione minori, ante communicationem canonicam excommunicare præſumat: ſalvis conſtitutionibus contra illos legitimè promulgatis, qui in ſcelere præſumunt alieno participare damnato.

Quòd

1245. Quòd ſi ex locutione, & aliis, quibus excommunicato participans labitur in minorem, notam majoris divina invaſerit contemnendo, ut faciliùs revocetur ad abſolutionis beneficium, ſatisfactione præmiſſa, miſericorditer obtinendum; poterit Judex poſt communicationem canonicam, hujuſmodi participes eidem conſimili damnare cenſura. Aliter autem, in participantes excommunicatio non teneat; & proferentes, pœnam legitimam poterunt formidare.

Contumacia abſentis punitada. EUM qui ſuper dignitate, perſonatu, vel aliquo alio beneficio eccleſiaſtico obtinendis cum alio litigat poſſeſſore, ob partis adverſæ contumaciam, cauſa rei ſervandæ, in ipſius poſſeſſionem ſtatuimus non mittendum: ne per hoc ad ea ingreſſus patere valeat vitioſus. Sed liceat in hoc caſu contumacis abſentiam divina replente præſentia, etiam lite non conteſtata; diligenter examinato negotio, ipſum fine debito terminare.

Ne impediatur litis conteſtatio. EXCEPTIONIS peremptoriæ, ſeu defenſionis cujuſlibet principalis, cognitionem negotii contingentis, vel continentis, ante litem conteſtatam, objectus, niſi de re judicata, vel tranſacta, vel finita, excipiat ligitator, litis fieri conteſtationem non impediat, nec retardet: licèt dicat objector, reſcriptum non fuiſſe obtentum, ſi quæ ſunt impetranti oppoſita, fuiſſent expoſita deleganti.

Ne committantur cauſæ Judicibus delegatis, niſi in locis famoſis. EXPEDIENDIS, atque abſolvendis cauſarum negotiis, obſcuritas eſt inviſa & contemptibilis: perſonarum verò claritas, & locorum celebritas, plurimùm opportuna, & commendabilis valdè. Proinde præſenti decreto duximus providendum, & arctiſſimè ſtatuendum: ne à ſede Apoſtolica, vel delegatis ipſius, cauſæ aliquibus committantur; niſi perſonis, quæ vel dignitate ſunt præditæ, vel in eccleſiis Cathedralibus, ſeu aliis Collegiatis venerabilibus conſtitutæ. Nec alibi, quàm in civitatibus, vel locis magnis & inſignibus, ubi haberi valeat Juris copia peritorum, cauſæ hujuſmodi agitentur. Judicibus verò qui contra hoc ſtatutum ad alia loca alterutram partium citaverint, vel utramque, non pareatur impunè; niſi citatio de utriuſque partis communi proceſſerit voluntate.

Actori contumaci non dabitur citatio. ACTOR, qui venire ad terminum, ad quem adverſarium ſuum citari fecerat, contempſerit, vel non curaverit: venienti reo, in expenſis propter hoc factis, legitimè condemnetur. Ad citationem aliam minimè admittendus, niſi ſufficienter caverit, quòd in termino debeat fideliter comparere.

Ne quis trahatur ad diverſos Judices propter diverſas actiones perſonales. DISPENDIA litium, æquitatis compendio volentes qua poſſumus induſtria coarctare ac minuere; ſtatutum fœlicis memoriæ ac recordationis *Innocentii* Papæ tertii, ſuper hoc editum, ampliantes, ſtatuimus: ut ſi quis contra alium plures perſonales movere voluerit quæſtiones, non ad Judices diverſos, ſed ad unicos tantùm ſuper omnibus cauſis literas ſtudeat impetrare. Qui verò contrarium fecerit omni commodo careat literarum; nec proceſſus valeat habitus per eaſdem. Aliàs reo, ſi eum per ipſas fatigaverit, in expenſis legitimis condemnandus. Reum quoque, ſi eodem durante judicio actorem ſibi obnoxium dixerit reconventionis beneficio, vel conventionis, ſi literas contra reum impetrare maluerit, de Jure ſuo apud eoſdem Judices oporteat experiri; niſi eos, ut ſuſpectos, poterit recuſare: ſimili pœna qui contra fecerit puniendus.

Quis debeat compelli ad comparendum in judicio. JURIS eſſe ambiguum non videtur, Judicium delegatum, qui à ſede Apoſtolica ad hoc mandatum non receperit ſpéciale, jubere nòn poſſe alterutrum partium coram ipſo perſonaliter in judicio comparere: niſi cauſa fuerit criminalis, ſive pro veritate dicenda, vel juramento calumniæ faciendo, Juris neceſſitatis partes ſibi juſſerit perſonaliter præſentari.

De poſitionibus negativis. STATUIMUS, atque ordinamus, ut poſitiones negativas, quæ probari non poſſunt, niſi per confeſſionem adverſarii, Judices admittere poſſint; ſi æquitate ſuadente viderint expedire.

De electionibus. CUM actus legitimi dies & conditiones abhorreant ſanctione legali, & inter legitimos actus electio Pontificum celeberrimus habeatur; cùm per eam inter eligentes & electum, ſpiritualis quædam matrimonii fœdera copulentur atque concilientur, in electionibus, ſeu poſtulationibus, vel ſcrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, & incerta, reprobamus & prohibemus. Satuentes, ut hujuſmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris conſenſibus ſurgat electio.

Digreſſio de Principibus Germaniæ. Magnates *Alemanniæ*, non tamen Electores Imperatorum.

Rex *Bohemiæ*.	Dux *Lemburgiæ*.
Dux *Lotharingiæ*.	Dux *Carenteniæ*.
Dux *Brunefwikiæ*.	Dux *Saxoniæ*.
Dux *Suaviæ*.	Comes de *Geleia*.
Landegravius *Duringiæ*.	

Electores

1245.

Electores Imperatorum:

Laici	Dux *Auſtriæ.*
	Dux *Bavariæ.*
	Dux *Saxonum.*
	Dux *Brabantiæ*, qui & *Lovaniæ.*
*Prælati	Archiepiſcopus *Colonienſis* (principales)
	Archiepiſcopus *Maguntinus* (principales)
	Salburgenſis (principales)

Iſti ducentur in inſulam quandam *Rheni*, & dimittuntur ſoli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris: nec adveniet aliquis ad eos donec ſint concordes. Huic negotio præerit Archiepiſcopus *Colonienſis*, ſecundus *Maguntinus*, tertius *Salburgenſis.*

His à domino Papa directa eſt diligentiſſima admonitio cum ſupplicatione, ut ſibi alium Imperatorem eligerent; promiſitq; eis ſui & totius eccleſiæ conſilium & auxilium: & in principio, ſub ſpe potioris ſucceſſus, quindecim millia librarum argenti. Prævenit autem, & invaluit *Frederici* diſſuaſio: qui eis, & maximè Duci *Auſtriæ*, vinculo affinitatis eſt confœderatus: unde monitis aut precibus Papalibus Electores minimè paruerunt.

Ne trahantur in judicio ultra tres vel quatuor dietas.

IN multis Juris articulis, numeroſitas & infinitas reprobatur. Et ideò providè duximus ſtatuendum, ut per generalem clauſulam. *Quidam alii*, quæ frequenter in literis noſtris inſeritur, ultra tres vel quatuor dietas in judicio non trahantur. Statuentes, ut ſi conſervatores, quos pleriſque concedimus, à manifeſtis injuriis & violentis defendere poſſint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia, quæ Judicialem indaginem & examinationem exigunt, ſuam poſſint extendere poteſtatem.

Ne alliquis impediat electiones vel poſtulationes.

STATUIMUS, ut ſi aliquis electiones, poſtulationes, vel proviſiones factas impugnat, in formam objiciens aliquid, vel perſonam, & propter hoc ad nos appellari contingat, tam is qui opponit, quàm qui defendit, & generaliter omnes quorum intereſt, & quos cauſa contingit; per ſe, vel per procuratores ad cauſas inſtructos, ad ſedem Apoſtolicam à die objectionis iter arripiant infra menſem. Sed ſi pars aliqua non venerit poſt viginti dies, poſt adventum alterius expectata: in electionis negotio, non obſtante cujuſquam abſentia, ſicut de Jure fuerit, procedetur. Hæc autem in dignitatibus, perſonatibus, & canonicis obſervari volumus, & mandamus.

Pœna deficientium in probatione.

ADJICIMUS, ut qui non plenè probaverit, quod in forma proponit; ad expenſas, quas propter hoc pars altera feciſſe docuerit, condemnetur. Qui verò in probatione defecerit ejus, quod in perſonam objicit; à beneficiis eccleſiaſticis triennio noverit ſe ſuſpenſum. Atque ſi infra illud tempus propria ſe temeritate ingeſſerit, illis ipſo Jure perpetuò ſit privatus; nullam ſuper hoc de miſericordia ſpem, aut fiduciam habiturus: niſi manifeſtiſſimis conſtiterit documentis, quòd ipſum à calumniæ vitio cauſa probabilis & ſufficiens excuſet.

De officio Legati.

OFFICII noſtri debitum, remediis invigilat ſubjectorum. Quia dum eorum excutimus onera, dum ſcandala removemus, nos in ipſorum quiete quieſcimus, & fovemur in pace. Proinde præſenti decreto ſtatuimus, ut eccleſiæ *Romanæ* Legati, quantumcunque plenam legationem obtineant, ſive à nobis miſſi fuerint, ſive ſuarum eccleſiarum prætextu, Legationis ſibi vendicent dignitatem; ex ipſius Legationis munere, conferendi beneficia nullam habeant poteſtatem: niſi hoc ſpecialiter duxerimus indulgendum. Quod tamen in fratribus noſtris Legatione fungentibus, nolumus obſervari: quia ſicut honoris prærogativa lætantur, ſic eos auctoritate fungi volumus ampliori.

De reſtitutione ſpoliatorum.

FREQUENS & aſſidua nos querela circumſtrepit, quòd ſpoliationis exceptio nonnunquam in judiciis calumnioſè propoſita, cauſas eccleſiaſticas impedit & perturbat. Dum enim exceptioni inſiſtitur, appellationes interponi contingit. Et ſic intermittitur, & plerunque perimitur cauſæ cognitio principalis. Et præterea nos, qui voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis præparemus, finem litibus cupientes imponi, & calumniæ materiam amputari; ſtatuimus, ut in civilibus negotiis propter ſpoliationis objectionem, quæ ab alio quàm ab actore facta proponitur, Judex in principali procedere non poſtponat. Sed ſi in civilibus ab actore, in criminalibus autem ſe ſpoliatum reus aſſerat à quocunque; infra quindecim dierum ſpacium, poſt diem in quo proponitur, quod aſſeruit, comprobabit. Alioquin in expenſis, quas actor interim ob hoc fecerit, Judiciali taxatione præhabita, condemnetur: aliàs etiam, ſi æquum Judici viſum ſit, puniendus. Illum autem ſpoliatum intelligi volumus in hoc caſu, cùm criminaliter accuſatur; qui tota ſuſtantia ſua, vel majori parte ipſius, per violentiam ſe deſtitutum affirmat. Et ſecundùm hoc, loqui Canones ſano credendum eſt intellectu.* Quia nec nudi contendere, nec in errore inermes opponere nos debemus. Habet enim ſpoliatus privilegium, ut non poſſit exui jam nudatus. Solet autem inter Scholaſticos dubitari, ſi ſpoliatus à tertia de ſpoliatione contra ſuum accuſatorem excipiat, an ei tempus à Judice debeat indulgeri, infra quod reſtitutionem imploret: ne fortè ſic velit exiſtere, ut omnem accuſatorem eludat; quod ſatis æquitati conſonum æſtimamus. Et ſi infra tempus indultum reſtitutionem non petierit,

&

1245. & cauſam cùm potuerit, non perducat ad finem; non obſtante ſpoliationis exceptione, deinceps poterit accuſari. Ad hæc ſtatuimus, ut rerum privatarum expoliatio agenti ſuper eccleſiaſticis, vel è contrariò, nullatenùs opponatur.

De accuſationibus.

PIA conſideratione ſtatuit mater eccleſia, quòd majoris excommunicationis exceptio in quacunque parte Judiciorum oppoſita, lites differat, & repellat agentes; ut ex hoc magis cenſura eccleſiaſtica timeatur, excommunicationis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur: & excommunicati, dum à communibus actibus excluduntur, rubore ſuffuſi & confuſi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis effectum faciliùs inclinentur. Sed hominum ſuccreſcente malitia; quod proviſum eſt ad remedium, tendit ad noxas. Dùm enim in cauſis eccleſiaſticis hæc frequentius exceptio per malitiam apponatur; contingit differri negotia, & partes fatigari laboribus & expenſis. Proinde quia morbus iſte quaſi communis irrepſerit, dignum duximus communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponat, ſpeciem ipſius & nomen excommunicatoris exprimat: ſciturus eam rem ſe deferri in publicam notionem, quam infra octo dierum ſpacium, die in quo proponitur minimè computato, probare valeat apertiſſimis documentis. Quòd ſi non probaverit, Judex in cauſa procedere non omittat: reum in expenſis, quas actor ob hoc diebus illis ſe feciſſe docuerit, præhabita taxatione, condemnans. Si verò poſtmodùm inſtantia durante Judicii, & probandi copia ſuccedente, de eadem excommunicatione, vel alia, excipiatur iterum, & probetur, actor in ſequentibus excludatur; donec meruerit gratiam abſolutionis obtinere. His, quæ præceſſerunt, nihilominùs in ſuo robore duraturis. Proviſo, ut ultra duas vices non proponatur hæc exceptio; præterquàm ſi excommunicatio nova emerſerit, vel evidens & prompta probatio ſupervenerit de antiqua. Sed ſi poſt rem judicatam talis exceptio proponatur, excuſationem impediet; ſed ſententia quæ præceſſit, non minùs robur debitum obtinebit: eo tamen ſalvo, ut ſi actor excommunicatus ſit publicè, & hoc Judex noverit quandocunque, etſi hoc reus non excipiat; Judex actorem ex ſuo officio repellere non poſtponat.

De ſententia & re judicata.

CUM æterni tribunal Judicis illum reum non habeat, quem injuſtè Judex condemnat, teſtante Propheta, & dicente; *Nec damnabit eum cùm judicabitur illi*: caveant eccleſiaſtici Judices, & prudenter attendant, ut in cauſarum proceſſionibus, nihil vindicet odium, nihil favor uſurpet; timor exulet, præmium & expectatio præmii juſtitiam non evertat. Sed ſtateram gerant in manibus, lances appendant æquo libramine: ut in omnibus, quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententiis & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum. Illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingreſſus ad Dominum referebat, ut ſecundùm ejus imperium judicaret. Si quis autem Judex Eccleſiaſticus ordinarius, ſeu etiam delegatus, famæ prodigus & proprii perſecutor honoris, contra conſcientiam & contra juſtitiam, in gravamen partis alterius, in judicio quicquam fecerit per gratiam, vel per ſordes; ab executione officii per annum noverit ſe ſuſpenſum: ad æſtimationem litis, parti quam læſerit nihilominùs condemnandus. Sciturus, quòd ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ingeſſerit ſe divinis, irregularitatis laqueo involvetur, ſecundùm canonicas ſanctiones; à quo non niſi per ſedem Apoſtolicam, poterit liberari. Salvis aliis conſtitutionibus, quæ Judicibus malè judicantibus pœnas congerunt & infligunt. Dignum eſt etenim, ut qui in tot præſumpſerit offendere, pœna multiplici caſtigetur.

De appellationibus.

CORDI nobis eſt lites minuere, & à laboribus relevare ſubjectos. Sancimus igitur, ut ſi quis in judicio, vel extra, ſuper interlocutoria, vel gravamine, ad nos duxerit appellandum; cauſam appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet, petat apoſtillos, quos ei præcipimus exhibere. In quibus appellationis cauſam Judex exprimat. Et cùm appellatio non ſit admiſſa, vel ſi appellationi forſitan ex ſuperioris reverentia ſit delatum, poſt hoc appellatori ſecundùm locorum diſtantiam, & negotii qualitatem, tempore proſequutionis indulto, ſi appellans voluerit, & principales petierint per ſe & per procuratores inſtructus, cum mandato ad agendum, rationibus, & munimentis ad cauſam ſpectantibus, accedant ad ſedem Apoſtolicam ſic parati: ut ſi nobis viſum fuerit expedire, finito appellationis articulo vel partium voluntate omiſſa, procedant in negotio principali quantùm poterit, & de jure debebit. His, quæ in appellationibus à diffinitivis ſententiis interpoſitis antiquitas ſtatuit, non mutatis. Quòd ſi appellator quæ præmiſſa ſunt, non obſervet, reputabitur non appellans, & ad prioris Judicis redibit examen; in expenſis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempſerit hoc ſtatutum, in eum, tanquam contumacem, tam in expenſis, quàm in cauſa, quantùm à jure permittitur, procedetur. Juſtum eſt equidem, ut in eum jura inſurgant, qui Jus, Judicem, & partem eludit.

De ſententia excommunicationis.

CUM excommunicatio ſit medicinalis, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, dum tamen in quem lata fuerit non contemnat; cautè provideat Judex eccleſiaſticus, ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi quod corrigentis eſt & medentis. Quiſquis ergo excommunicat, in ſcriptis proferat; & cauſam expreſſe conſcribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum verò ſcripturæ hujuſmodi teneatur excommunicato tradendum infra menſem poſt diem ſententiæ, ſi fuerit requiſitus: ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum, vel literas teſtimoniales confici, ſigillo authentico conſignatas. Si quis autem Judicum hujuſmodi conſtitutionis temerarius violator exiſtat; per menſem unum ab ingreſſu eccleſiæ & divinis.

divinis, noverit ſe ſuſpenſum. Superior verò, ad quem recurritur, ſententiam ipſam ſine difficultate relaxans, latorem excommunicationis ad expenſas omnes & intereſſe condemnet, & aliàs puniat animadverſione condigna, ut pœna docente, dicant Judices, quàm grave ſit excommunicationum ſententias, ſine maturitate debita in aliquem fulminare. Et hæc eadem etiam in ſuſpenſionis & interdicti ſententias, volumus obſervari. Caveant autem Prælati, & Judices univerſi, ne prædictam ſuſpenſionis pœnam incurrant. Quoniam ſi contigerit eos ſic ſuſpenſos divina officia exequi, ſicut priùs; irregularitatem non effugient, juxta canonicas ſanctiones; ſuper qua, non niſi per ſummum Pontificem poterit diſpenſari. 1245.

SOLET autem à nonnullis in dubium revocari, an cùm aliquis per ſuperiorem abſolvi poſtulat ad cautelam, dum in ſe latam excommunicationis ſententiam aſſerit eſſe nullam; ſine contradictionis obſtaculo, munus debeat ei abſolutionis impendi. Et ante abſolutionem hujuſmodi, qui ſe offert in judicio probaturum ſe poſt appellationem legitimam, in excommunicatione notatum, vel intolerabilem errorem in ſententia fuiſſe patenter expreſſum; ſit in cæteris, excepto probationis illius articulo, evitandus. In prima igitur dubitatione ſic ſtatuimus obſervandum, ut petenti abſolutio non negetur; quamvis in hoc excommunicator, vel adverſarius, ſe opponat. In quo caſu, tres tantummodò octo dierum indulgebuntur dilationes, ſic dicenti: ut ſi probaverit, quod opponit, nec relaxetur ſententia, niſi priùs ſufficiens præſtetur emenda, vel competens cautio, de juri parendo, ſi offenſa dubia proponatur. In ſecunda verò quæſtione ſtatuimus, ut ſi is qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, etiam cæteris, quæ ut actor in judiciis acceptaverit, interim evitetur. Extra judicium verò, in officiis, poſtulationibus, & electionibus, & aliis legitimis actibus nihilominùs admittatur. *De eodem.*

CUM autem hæc ſtatuta ad notitiam audientium perveniſſent, in conſpectu omnium ſapientium placuerunt. Et in hoc, tam favorem quàm gratiam, dominus Papa promeruit univerſorum. Veruntamen quædam eorum ante Concilium, quædam durante Concilio, quædam verò poſt Concilium ſunt ſtatuta. De crucis verò negotio, nonnulla ſunt in Concilio ſalubriter & prudenter conſtituta: ſed cùm de contributione pecuniæ facta fuit mentio, contradictum fuit domino Papæ in facie, maximè propter hanc adjectionem omnibus inviſam: *Conferant ſubſidium per manus eorum, qui ad hoc Apoſtolica fuerint providentia ordinati.* Quia multoties & multipliciter conquerunt fideles eccleſiæ; ſe de pecunia ſua *Terræ ſanctæ* in auxilium contributa, per *Romanam* curiam fuiſſe defraudatos. Cætera verò fideliter ac ſalubriter ordinata, auribus & cordibus fidelium placentia; anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto, per Papam *Gregorium* de verbo ad verbum ſunt conſcripta: ubi etiam invenies ſermonem elegantiſſimum, ab eodem Papa *Gregorio* compoſitum. Et ille idem ſermo, in hoc Concilio à domino Papa *Innocentio* quarto, quaſi recens reſumptus eſt. Affirmavítque dominus Papa, hæc omnia, maximè autem quæ de Principe ſtatuit, ſe irrevocabiliter obſervaturum. *De negotio crucis.*

Hæc autem cùm intellexiſſet magiſter *Thaddæus*, ab imo trahens ſuſpiria, ait; Intelligo nullum remedium patere diſcrimini. Ejulanſque & flens ſubintulit: Verè dies iſta, dies iræ: ſicut anteà dixerat, cum ad concilium plenum omnes Prælati candelas ſuas accenſas inclinarent, & exſtinguerent, excommunicatum Imperatorem *Fredericum* deponentes. Et in calce ſermonis adjunxit idem magiſter *Thaddæus*: Ex hoc tempore cantabunt hæretici, regnabunt *Chorofmini*, & inſurgent *Tartari*. Et hæc nunciaturus ad dominum ſuum Imperatorem *Fredericum* eſt reverſus. Dominus autem Papa omnibus in propatulo ait; Quod meum eſt feci, faciat & proſequatur ſuper his Deus quod voluerit.

CUM autem hæc omnia audiviſſet & intellixiſſet dominus Imperator *Fredericus*, vix ſe præ indignatione capiens, in vehementiſſimam iram excanduit. Torvóque vultu omnes circumſedentes adſpiciens intonuit, dicens: Abjecit me Papa iſte in Synodo ſua, privans me corona mea: Unde tanta audacia? unde talis temeraria præſumptio? Ubinam ſunt clitellæ meæ, theſaurum meum portatilem continentes? Et cùm allatæ fuiſſent, & coram eo ejus juſſu reſeratæ eſſent, ait; Vide ſi jam ſunt amiſſæ coronæ meæ. Repertam igitur unam impoſuit capiti ſuo. Et coronatus erexit ſe, & minacibus oculis, voce terribili, & inſatiabili corde, dixit in propatulo: Non adhuc coronam meam perdidi, vel Papali impugnatione, vel Synodali Concilio, ſine cruento perdam certamine. Ad tanta prorumpet faſtigia vulgaris ſuperbia, ut me præcipuum Principem, quo non eſt major, imò cui nec eſt par, ab apice dignitatis Imperialis valeat præcipitare? In hoc tamen conditio mea melioratur. In aliquo tenebar illi obedire, ſaltem venerari. Nunc autem ab amore & veneratione, necnon & ab omnimodæ pacis abſolvor adversùs Papam obligatione. Ex tunc igitur efficaciùs & vigilantiùs, ut dominum Papam gravaret, in theſauris, conſanguineis, & amicis ejus damna & injurias irrogavit. *Fredericus depoſitus à Papa ſeipſum coronat.*

Cogitavit igitur, ut partem ſuam magis roboraret, filiam Ducis *Auſtriæ* ſibi matrimonio copulare. Et ad hoc conſummandum, ſolennes nuncios deſtinavit & feſtinos ad eundem Ducem. Quod cùm ad notitiam puellæ perveniſſet, amplexus & nuptias ipſius *Frederici*, donec abſolveretur, conſtanter refutavit. Hoc autem cùm pater puellæ etiam approbaſſet, & dicto *Frederico* nunciaſſet, erubuit ſpretus ab utroque. Sed tamen induratus, volens avertere corda Regum & Principum tam à devotione, quàm veneratione eccleſiæ & Prælatorum, præcipuè domini Papæ; ſcripſit epiſtolam quandam nimis reprehenſibilem: in ea enim viroſum propoſitum ſuum, quod diu occultaverat, evomuit.

1245.

Epiſtola F. Imperatoris.

FREDERICUS, &c. Regi Angliæ, &c. *Illos fælices deſcribit antiquitas, quibus ex alieno paratur cautela periculo. Status enim ſequentis firmatur ex principio præcedentis. Et ut impreſſionem cera recipit ex ſigillo, ſic humanæ vitæ formatur mortalitas ab exemplo. Hanc utinam fælicitatem veſtra ſerenitas anticipaſſet, vel præoptaſſet: & quam cautelæ ſolertiam vobis, ô* Chriſtiani *Reges, ex noſtræ Majeſtatis nimia læſione relinquimus, nobis potius alii Reges & Principes læſi ſimiliter reliquiſſent. Porrò, qui clerici nunc cenſentur, patrum eleemoſynis impinguati, filios opprimunt donatorum. Ipſique noſtrorum filii ſubditorum, paternæ conditionis obliti, nec Imperatorem, nec Regem aliqua veneratione revereri dignantur; quoties in patres Apoſtolicos, ordinantur. Quod autem ex circumloqutionibus noſtris innuitur, ex* Innocentii *Papæ quarti præſumpione comprobatur. Qui vocata Synodo, ut aſſerit, generali, contra nos, nec citatos, nec ſuper aliqua fraude vel pravitate convictos, auſus eſt ſententiam depoſitionis ſtatuere: quam præter omnium Regum enorme præjudicium, non poterat ſtabilire. Quid enim vobis ſingulis Regibus ſingulorum Regnorum, à facie talis Principis Sacerdotum timendum non ſupereſt? ſi nos & Principum electione ſolenni, & approbatione totius eccleſiæ, dum cleri fide ac religione vigebant, Imperali diademate divinitus inſignitos, & alia Regna nobilia magnificè gubernantes, ille deponendos aggreditur; cujus quoad temporalium detrimenta, non intereſt in nos aliquid exercere rigoris, etiam ſi cauſæ legitimæ probarentur. Verùm, quos Sacerdotalis ſic infeſtat abuſio poteſtatis, & à ſummo conatur præcipitare deorsùm; nec primi ſumus, nec ultimi. Et hoc quidem vos facitis obedientes ſimulatoribus ſanctitatis, quorum ſperat ambitio,* quòd totus Jordanis influat in os ſuum. *O ſi veſtræ credulitatis ſimplicitas* à Scribarum & Phariſæorum fermento, quod eſt hypocriſis, *juxta Salvatoris ſententiam, ſibi curaret attendere! quot illius curiæ turpitudines execrari poſſetis, quas honeſtas & pudor prohibet recitare? Sane redditus copioſi, quibus ex plurium depauperatione Regnorum ditantur; quemadmodum ipſi noſtis, ipſos faciunt inſanire. Apud vos* Chriſtiani, *vel peregrini, mendicant, ut apud nos* Paterini *manducent. Ibi veſtrorum domos obruitis, ut hic adverſariorum veſtrorum oppida conſtruatis. Sic de veſtris decimis & eleemoſynis tales pauperes* Chriſti *ſuſtentati; qua beneficii recompenſatione, qua ſaltem gratitudinis exhibitione ſe præbent obnoxios! Quantò manus largiores extenditis, tantò non ſolum manus, ſed etiam cubitos avidiùs apprehendunt; ſuo nos laqueo detinentes, ſicut aviculam, quæ quantò ad evaſionem fortius nititur, firmius alligatur. Hæc vobis ad præſens ſcribenda curavimus; inſufficienter exprimentia votum noſtrum. Cætera verò ſecretius intimanda; videlicet in quos uſus divitias pauperum, expendat prodigalitas avarorum. Quid ſuper imperatione conceperimus obligando, quam per magnos mediatores intendimus, ut inter nos & eccleſiam ſaltem pax ſuperficialiter reformetur. Quid de Regum communibus ſpecialibúſque negotiis diſponere proponamus: quid ſuper inſulis Oceani fuerit ordinâtum: quid contra Principes univerſos quibuſdam conſiliis; quæ nos, & quæ nonnullos, quos habemus ibidem familiares & ſubditos, licèt clandeſtina, lateri non poſſunt, illa curia machinetur. Quantis viribus, quot virorum, qualiter inſtructorum ad bella in hoc ipſo Vere, quod inſtat, omnes illos qui modo nos opprimunt, opprimere poſſe ſperemus, etſi ſe nobis totus mundus opponeret. Quicquid fideles noſtri latores preſentium vobis retulerint, certè credatis, & ac ſi ſanctus* Petrus *juraſſet, firmiſſimum reputetis. Nec vobis, petimus, videatur, quòd per latam in nos ſententiam Papalem, noſtræ magnitudinis Majeſtas aliquatenus incurvetur. Habemus enim conſcientiæ puritatem, ac per conſequens, Deum nobiſcum: cujus teſtimonium invocamus. Quia ſemper fuit noſtræ intentio voluntatis, clericos cujùſque ordinis ad hoc inducere, & maximè maximos; ut tales perſevararent in fine, quales fuerunt in eccleſia primitiva; Apoſtolicam vitam ducentes, humilitatem Dominicam imitantes. Tales namque clerici ſolebant Angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos ſuſcitare; & ſanctitate, non armis, ſibi Reges et Principes ſubjugare. At iſti, ſæculo dediti, delitiis inebriati, Dominum poſtponunt; quorum ex affluentia divitiarum & opum, omnis religio ſuffocatur. Talibus ergo ſubtrahere nocentes divitias, quibus damnabiliter onerantur, opus eſt charitatis. Ad hoc vos, & omnes Principes unà nobiſcum, ut cuncta ſuperflua deponentes, modicis rebus contenti, Deo deſerviant, debetis diligentiam adhibere.*

Fama Frederici *dietim deterioratur.*

HÆC cùm ad *Chriſtianiſſimos Francorum* & *Anglorum* Reges nunciata perveniſſent, patuit luce clariùs ipſis & eorum Magnatibus, quòd *Fredericus* libertatem ac nobilitatem eccleſiæ, quam ipſe nunquam auxit, ſed magnifici anteceſſores ejus malo grato ſuo ſtabilierunt, toto conamine ſtuduit annullare; & de hæreſi per idipſum ſe reddens ſuſpectum, meritò omnem quem hactenus habebat in omni populo igniculum famæ propriæ prudentiæ & ſapientiæ, impudenter & imprudentur exſtinxit atque delevit. Reges tamen memorati, quia muliebre videretur & inhoneſtum, ſtatim infeſtare, quem primus protexerant, non ſine murmure ſiluerunt adhuc diſſimulantes. Ac per hoc domini Papæ conditio, meliorata reſpiravit.

Unum inſuper omnes angebat tam Principes quàm Prælatos vulnus anguſtiæ, futura pericula ratione prævia ponderantes. Eò quòd etſi dignus multipliciter fuerit *Fredericus* deprimi, & omni honore privari; tamen ſi eum, Deo juvante, auctoritas Papalis irriſtaurabiliter deponeret, *Romana* eccleſia, gratia Dei abutens, in poſterum in tantam elationem, & in tolerabilem ſuperbiam ſublevaretur, quod Principes Catholicos inſontes & juſtos, & præcipue Prælatos, quavis levi cauſa vel deponeret, vel deponere probroſè contaminaretur, loquendoque ſublimia; gloriandóque dicerent *Romani* licet à plebeia ſtirpe procreati: Nos ipſum maximum dominum

&

maximum dominum & Imperatorem *Fredericum* conculcavimus, & quis es, tu, qui nobis te merè credis reſiſtere? Et ita provocati nobiliores, contra eos levabunt calcaneum; Deóq; vindice, anctoritas *Romana* poterit deperire. 1245.

EXPECTANTIBUS autem univerſitatis *Anglicanæ* procuratoribus, videlicet Comite *Richardo Bigod*, cum ſuis conſortibus prænominatis, placabile domini Papæ, prout promiſerat, reſponſum; tandem expreſſum eſt, quòd poſtulata ad votum non reportarent. Irati igitur nimis procuratores memorati, receſſerunt cum comminatione; terribiliter jurantes, ſe nunquam tributum *Romanæ* cupiditati omni ſæculo deteſtabili ſoluturos, nec ſolvere permiſſuros; vel amplius redituum eccleſiarum (præcipuè quarum Nobiles Regni eſſe patroni dignoſcuntur) proventus extorqueri non paſſuros. Veruntamen dominus Papa animo patienti & oculis conniventibus hæc omnia diſſimulando pertranſiens, tempus rigidius agendi, reſpirante proſperitate, tacitus expectavit. Miſit igitur ad ſingulos Epiſcopos *Angliæ*, præcipiens diſtrictiſſimè; ut quilibet eorum illi chartæ deteſtabili, quam lachrymabilis memoriæ Rex *Anglorum Johannes*, reclamante Archiepiſcopo *Cantuarienſi Stephano*, infœliciter confecit de tributo, ſignum ſuum appenderet, ut magis roborata perpetuaretur. Quod ipſi Epiſcopi timore inexcuſabiliter effœminati, non ſine enormi Regis & Regni, proh dolor! fecerunt præjudicio. Unde cùm dominus Rex hoc audiſſet, in maximam iram excandens, juravit, quòd etſi etiam Epiſcopi turpiter ſint incurvati, ipſe firmiter ſtaret pro Regni libertate; nec unquam dum vitales caperet auras, cenſum ſub nomine tributi curiæ *Romanæ* perſolveret. *Conatus procuratorum univerſitatis Angliæ irritus.*

Porrò Epiſcopus *Londinenſis Fulco* ultimus, & invitus, in arcum pravum verſus, ſignum ſuum dictæ chartæ apponens, minùs aliis meruit reprehendi. Simili quoque modo, cuidam amplæ chartæ tranſcriptæ de verbo ad verbum, ſecundùm chartam bulla Papali communitam, de ſententia depoſitionis in Imperatorem *Fredericum* lata, appoſuerunt omnes Prælati ſigna ſua; tam ad majorem roborationem, quàm memoriam rei ſempiternam. Et ſic ſoluto Concilio, qui convenerant cum benedictione ad propria remearunt. Præter eos quos ſpecialia negotia, quæ Papa uſque poſt Concilium ſuſpenderat, detinebant.

HÆC autem mundi volubilitate ſecum rapiente, Abbates diverſorum climatum *Ciſtercienſes*; Capitulum ſuum inſtante exaltatæ Crucis ſolennitate, ſicut moris eſt, catervatim adierunt. Et cum ad Capitulum generaliter conveniſſent, mandatum domini Papæ ſuſceperunt. Cujus tenor fuit hic: *Mandatum Papæ ad Capitulum Ciſterci-enſe.*

Noverit univerſitas veſtra ſtatum eccleſiæ formidabiliter periclitantem, precum inſtantia ſolitò vigilantius indigere. Subeſt enim urgens cauſa, quæ toti Chriſtianitati *terribiliter comminatur. Nec curabimus de cætero gladio uti materiali, ſed tantùm ſpirituali, contra* Fredericum *aliquando* Romanorum *Imperatorem, validum eccleſiæ* Chriſti *& obſtinatum inimicum. Obſtructum eſt os loquentium iniqua. Non vos moveant imperitorum, & veritatis ignarorum, precamur, obloquia; ut à nobis quaſi præcipitanter putetis, & abſque deliberato fratrum noſtrorum & multorum peritorum moroſo conſilio contra ipſum* Fredericum *fuerit ſententiatum. Non enim meminimus unquam, cauſam cum tanta deliberatione & diligenti examinatione fuiſſe excuſſam; & peritorum atque ſanctorum mentibus, libratam extitiſſe: adeò quòd in ſecretis, aliqui fratrum noſtrorum induerunt perſonam Advocati pro ipſo. Aliqui autem è contrà, perſonam adverſantis: ut ex objectionibus & reſponſionibus inquirentium & diſputantium, ut ſolet in Scholis, cauſæ veritas radicitùs hinc indéque diſcuteretur. Nec aliquam viam invenimus, ſine Dei injuria, & gravi ejus offenſa, & eccleſiæ ejuſdem læſione, & noſtrarum conſcientiarum vulnere, aliter procedendi quàm ut proceſſimus, licet inviti, & ejuſdem læſoris miſeriæ condolentes. Parati igitur ſumus in hac cauſa, & pro illa, uſque ad mortem ſtare; & pro ea, & in ea, tam omnes fratres noſtri, quam nos mori, immutabiliter pro cauſa Dei & ejus eccleſiæ dimicantes.* Hæc poſtquàm ad audientiam totius Capituli & univerſorum fratrum pleniùs pervenerunt, partem *Frederici* deteſtantes, mirabilitérque Papali parti inclinantes; Deum deprecabantur, ut eccleſiam ſuam, quam ſupra firmam petram ſtabilivit, etſi labaretur, labi nullatenùs ſineret in æternum.

OCTAVO autem Calendas Octobris cùm dominus Rex in inferioribus *Walliæ* confiniis & montium *Denaudere* interfluenti flumine, jam ferè duos menſes commorans in conſtruendo caſtro, ſitu, & mœniis inexpugnabili; quidam Nobilis de exercitu domini Regis, volens amicos ſuper hoc ſollicitos certificare, ſic ſcripſit eis: *Salutem. Dominus Rex cum exercitu ſuo moram facit apud* Gannoc, *ad quoddam caſtrum firmandum, quod jam ibidem firmatur fortiſſimum: & nos circa illud in tentoriis noſtris habitamus in vigiliis, jejuniis, orationibus, in frigore & nuditate. In vigiliis, propter timorem* Wallenſium *ſubitò & de noctibus in nos irruentium. In jejuniis, propter defectum victualium; quia panis oboli valet quinque denarios. In orationibus, ut citò incolumes & indemnes revertamur ad propria. In frigore & nuditate, quia domus noſtræ lineæ ſunt, & robis caremus hyemalibus. Eſt autem quoddam brachium marinum parvum aſcendens & deſcendens ſub caſtro Prædicto, ubi nos manemus, tanquam portus; ubi naves ſæpè venerunt in mora noſtra, victualia deferentes de* Hybernia *& de* Ceſtria: *& illud brachium eſt inter nos &* Snoudanum, *ubi* Wallenſes *habitant nunc; & continet tantum in latitudine quantum jacit arcubaliſta, quando mare plenum eſt. Die autem Lunæ proxima ante feſtum ſancti* Michaelis *poſt nonam, contigit quandam navim de partibus* Hyberniæ *advenire, nobis venalia portans victualia, ad introitum portus. Quæ cùm improvidè regebatur, in ſicco remanſit retracto mari, in ripa ſcilicet ulteriori versùs* *Quæ geſta apud* Gannok *Rege Angliæ ibi morante.*

 Wallenſes,

1245. Wallenſes, ſub caſtro noſtro prædicto. Ipſi igitur Wallenſes accurrentes, obſederunt eam in ſicco. Et nos ex citeriori ripa hoc videntes, miſimus ultra aquam per batellos, trecentos Wallenſes Marchiſios noſtros de Ceſtriſchyra & Saleposbyriſchyra; & cum illis arcubaliſtarios & milites armatos, ad dictam navem defendendam. Quod videntes Wallenſes, ad ſolita ſylvarum & montium, ſua ſibi nota receptacula, raptim ſeſe contulerunt. Et noſtri milites concomitantibus noſtris, eos inſequentes per ſpacium duarum leucarum, multos, licèt pedes fuiſſent (quia equos trans aquam non duxerant ſecum) de Wallenſibus vulnerarunt, & interfecerunt. Noſtri igitur reverſi, quaſi de hoſtibus triumphantes, velut avidi & egentes, prædis, rapinis, & incendiis intendentes in partibus ultra aquam; inter cætera prophana unam Abbatiam de ordine Ciſtercienſi, Abercukunam nominatam, omnibus bonis, etiam calicibus & libris irreverenter deprædantes, officinas ejuſdem combuſſerunt. Interim Wallenſes ululatu clamoſo multitudinem de ſuis maximam congregantes, noſtros ſubitò prædis peſſimè adquiſitis oneratos, & peccatis involutos invadentes; multos ex noſtris fugaverunt, vulnerârunt, & trucidârunt, infæliciter ad navem fugiendo, revertentes. Quidam autem ex noſtris, malentes fluctibus involvi & mori ſubmerſi, quàm arbitrio inimicorum ſuorum interfici; ſe ultrò marinis undis perituri commiſerunt. Milites quoque noſtros, vivos ceperunt incarcerandos. Sed audito, quòd nos quoſdam de ſuis nobiles, & precipuè filium Odonis Naveth, juvenem elegantiſſimum, & ſtrenuiſſimum, interfecimus; & illi noſtros ſuſpenderunt, decapitantes, & horribiliter dilacerantes: & tandem miſera cadavera membratim in flumen projecerunt; eorum ſceleratam avaritiam deteſtantes; dum eccleſiæ, præcipuè religioſorum, minimè pepercerunt.

Ceciderunt autem in illo conflictu ex noſtris de famlia Richardi Comitis Cornubiæ quidam ſtrenui milites; videlicet, dominus Alanus Buſcel, dominus Adam de Moia, dominus Galfridus Eſturmy, & quartus quidam Gaſco arcubaliſtarius Reimundus; de quo ſæpè Rex ludere conſuevit. Servientium autem qui mortui ſunt, præter merſos, circiter centum. De Wallenſibus autem totidem, vel ampliùs. Interim autem erat in navi, quam viriliter defendebat, dominus Walterus Biſet cum ſuis, uſque circa mediam noctem, in continuo bello contra Wallenſes acriter undique invadentes. Et niſi habuiſſent noſtri limbos navis pro muro, omnes in manus hoſtium corruiſſent. Tandem, aſcendente mari, & fluctuante navi, jam inacceſſibili, ſe retraxerunt Wallenſes; dolentes quòd erepti ſunt noſtri de manibus eorum. In navi autem erant ſexaginta dolia vini; præter alia multùm deſiderata & opportuna victualia, quibus tum privabamur. Mane autem facto, & aqua retracta, redierunt Wallenſes alacriter, credentes occupaſſe noſtros in navi. Sed Deo providente, de nocte, dum plenum erat mare, per battellos noſtros, ante adventum Wallenſium, ad nos venientes, evaſerant, navim ſolam relinquentes. Accedentes igitur Wallenſes, ferè totum vinum aſportabant; & alia quæ in ea invenerunt; & recedentes aſcendente mari, & navem incenderunt & diſſipârunt, & combuſta eſt navis medietas. Et ſalvata eſt alia pars cum ſeptem doliis, quam ad ripam traximus citeriorem. Dum autem moram traximus in exercitu, multis indigentes, frequenter armati exivimus, multis & magnis expoſiti, ut neceſſaria acquiremus, periculis, multas & varias Wallenſium inſidias & aſſultus ſuſtinentes, damna perpeſſi, & damna ſæpiùs fortuitis belli caſibus hoſtibus inferentes. Uno autem conflictu ferè centum capita decollatorum ad caſtra retulimus triumphantes. Facta eſt circa illud tempus tanta omnium victualium penuria, & tanta omnium neceſſariorum cariſtia; quòd jacturam tam hominum quàm equorum, incurrimus irreſtaurabiliter. Erat autem hora, qua non erat vinum in tota domo Regis, vel etiam exercitu, præter unum ſolùm dolium: una ſumma frumenti viginti ſolidis: bos paſcualis tribus aut quatuor marcis: gallina pro octo denariis comparatur. Contabuerunt igitur homines & equi, & inedia multi conſumpti perierunt.

Papa venit ad colloquium cum Rege Francorum Cluniaci.

SUB ejuſdem anni ſpacio, dominus Papa ex mandato Regis *Francorum*, volentis habere cum ipſo colloquium, ſe contulit *Cluniacum*. Sed non eſt ulterius in *Franciam* progredi permiſſus. Et circa feſtum ſancti *Andreæ*, venit ad eum ibi Rex *Francorum*, qui eundem Regem jam quidecim diebus expectaverat, & ſimul ſecretiſſimum tenuerunt concilium; nullo præter eos conſcio, dominus Papa, & dominus Rex *Francorum*, & mater ejuſdem domina *Blancha*, ſeptem diebus. Creditur tamen veraciſſimè; quòd tractatum habuerunt de pace inter Eccleſiam & Imperium componenda; & qua via pacis honorificæ reconciliatio poſſit inveniri. Quia firmum propoſitum habuit Rex *Francorum*, iter *Hieroſolymitanum* arripere cum multis aliis *Francorum* Magnatibus & Nobilibus; jam tam pro rege ipſo, quàm pro Deo Crucis ſignatis. Nec poterant per mare, neque per terras dicti Imperatoris, niſi plenè Eccleſiæ pacificaretur & reconciliaretur ſine totius *Chriſtianitatis* diſcrimine, tranſire. Et ſi poſſent, non expediret, *Chriſto* in *Terra ſancta* militare; relicta in climate *Chriſtianorum* poſt terga inter tam dignas & altas perſonas ſeditione tam inveterata & damnoſa. Prætereà credebatur certiſſimè quòd tractabatur etiam de pace inter *Francorum* & *Anglorum* Reges reformanda, vel ſaltem treugis prolongandis; ut ſua tutior & ſecurior fieret peregrinatio. Hoc ſiquidem finito parlamento, receſſurus Rex *Francorum*, cepit diem parlamenti cum domino Papa in quindena Paſchæ; ubi procurabitur *Frederici* dicti imperatoris præſentia.

Inde ſe contulit dominus Rex *Francorum* ad civitatem *Maſticonenſem*. Quæ civitas cum toto ejus Comitatu in eodem anno in ipſius devenit ditionem & poteſtatem, hoc modo. Cùm devoluta eſſet hæreditas illa ad Comitiſſæ *Maſticonenſis* poſſeſſionem, ſignificavit illicò domino Regi *Francorum*, quòd totum jus ſuum, quod in dictam civitatem & Commitatum obtinebat, libenter venderet ipſi: propoſuit enim habitum aſſumere religionis. Quod cùm dominus Rex

Francorum

1245

Francorum acceptans, emiſit pro immenſa pecunia, ipſa Comitiſſa omnem ipſam pecuniam in uſus pauperum, & alios pios uſus expendit largiter atque diſtribuit; & citò pòſt habitum religionis in quadam domo Sanctimonialium, quam domina *Blancha* apud civitatem *Ponteſiam* fundavit, aſſumens; exemplum omnibus ſæculis memorabile humilitatis omnibus Nobilibus, maximè autem mulieribus, poſt ſe dereliquit.

Obiit Reimundus *Comes* Provinciæ.

CIRCA illa tempora Comes *Provinciæ Reimundus*, ille illuſtris & celeberrimus; qui rota Fortunali mirabiliter circumvolutus, ſtuporem univerſo mundo de progenie ſua formoſa & excellenti ſexus fœminini inauditum omnibus ſæculis dereliquit; naturæ debita conceſſit ac perſolvit. Qui in extremis verbis, juniori filiæ ſuæ Comitatum ſuum *Provinciæ* pro teſtamento dereliquit. Quod cùm Rex *Francorum* cognovit, miſit quingentos milites electos, armis & omnibus neceſſariis communitos, ad accipiendum ſeiſinam prædicti Comitatus *Provinciæ*, ratione primogenitæ filiæ Comitis *Provinciæ* jamjam defuncti, quam ſibi matrimonio copulaverat, ut prædictum eſt; caſſum reputans, & inane, & quaſi injurioſum illud dictum prædicti Comitis *Reimundi* teſtamentum. Rex autem *Angliæ*, de morte Comitis *Provinciæ* certificatus, eleemoſynarum largitione magnifica & larga, & orationem devotione, cum multorum cereorum accenſione, & companarum ſtrepitu, exequias pio affectu & animo ſplendidè proſequebatur; ſummoperè prohibens ne quis mortem Comitis memorati, Reginæ uxori ſuæ, ne contriſtaretur, nunciaret.

Capitur urbs Damaſcus *à* Babylonicis.

EODEMQUE anno, in hebdomada feſtum ſancti *Michaelis* Archangeli proximo ſequente, capta eſt nobiliſſima civitas *Damaſcus*, quæ caput *Syriæ* antiquitùs eſſe perhibetur, ab infidelibus & perfidis *Babylonicis* & eorum complicibus *Choroſminis* crudeliſſimis,& *Chriſtiano* nomini infeſtiſſimis hoſtibus; in magnam confuſionem & deplorandam deſolationem populi *Chriſtiani*. Quia licèt ipſa civitas *Damaſcus*, lege polluta fuiſſet *Machometi*; tamen *Chriſtianis* fuerat confœderata, & nulli eorum nociva, mercimoniis & mutuis intermeatibus omnibus profectura & valdè commoda: quæ nunc de pacifica, facta eſt eis inimiciſſima & infeſtiſſima; & expulſo *Soldano Damaſceno*, & in Orientalibus regionibus vix tutè latitante, ipſa civitas cum partibus circumquaque adjacentibus, *Babylonicis* & *Choroſminis* eſt ſubjecta.

Rex depopulata Walliæ *parte*, Engleſeia *dicta*, *diſponit in* Angliam *redire*.

IN craſtino autem Sanctorum Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, dominus Rex *Angliæ*, non valens, neque volens, ampliùs moram apud *Gannoch*, præ victualium omnium inopia, & hyemis inſtantia, continuare; poſt moram circiter decem hebdomadum, firmato & providè communito caſtro ſuo prædicto de *Gannoch*, quod firmaverat; in *Angliam*, ut tam ipſe, quàm omnis exercitus ſuus, reſpiraret, redire diſponit. Securus enim erat de hoſtium ſuorum, videlicet *Wallenſium*, exterminio irreſtaurabili. *Hybernenſes* enim in adventu ſuo, totam *Engleſeiam*, quæ eſt omnium *Wallenſium* quaſi nutrix & refugium, vaſtaverant; & in receſſu, ſi quid reſiduum fuerat, in ore gladii trucidarunt, & in favillam redegerunt; ita quòd omnia quaſi incultam & vaſtam eremum ſive ſolitudinem, redacta viſa ſint. Rex inſuper puteos fecerat ſalinarum de *Witz*, obturari & everti. Et ne poſſent à conterminis provinciis alimenta per emptionem, commercium, vel rapinam, vel amicitiam, vel conſanguinitatem, vel affinitatem, *Wallenſes*, ut ſolebant aliquando, etiam in tempore belli, adipiſci; fecit dominus Rex omnes terræ illius incolas, & ſuæ ditioni ſubjacentes, ita depauperari, & victualibus maximè ſpoliari; ut in *Ceſtriſhira*, & aliis locis finitimis, fames invaluit & tanta cariſtia, ut vix ſibi ſufficientes vitam miſeram protelarent. Prohibuitque etiam dominus Rex, ne ab *Angliæ* vel *Hyberniæ* partibus, victualia venalia ſub pœna mortis vel exhæreditationis, vel adveherentur, vel advehi permitterentur. Erat etiam miſeris, imò jam miſerrimis *Wallenſibus* caſtrum *Gannochi*, viris, victualibus, machinis, & armis prudenter communitum, quaſi ſpina in oculo; ut non versùs *Angliam* tranſmeare, quin à caſtellanis, quos tota patria juſſu Regio obedienter concomitabatur, interciperentur, aliquatenùs prævalerent; nec in ſua patria præ inedia commorari.

Rex Angliæ *communito caſtro de* Gannoch, *inde receſſit*.

HIS itaque providè ſic diſpoſitis, reverſus eſt dominus Rex in ſoſpitate & in omni proſperitate: præterquàm quòd fama fratris ejus, Comitis videlicet *Richardi*, non mediocriter eſt obfuſcata in illa expeditione, & ſiniſtra obloquutione interpretata. Dicebatur enim paſſim, tam in exercitu, quàm per totum Regnum, quòd idem Comes, in domini Regis dedecus, damnum & præjudicium, *David* nepotem ſuum, ſub prætextu conſanguinitatis & pietatis, majori quàm deceret aut expediret, familiaritate confoviſſet. Et in caſtro ſuo de *Tintaiol*, ut aliquando feſſus, vexatus & infirmus reſpiraſſet, clanculò receptaſſet ipſum *David*, ut fortior contra Regem inſurgeret reſtauratus. Conſilióque & auxilio eundem *David* proditioſè promoviſſet: eò quòd dominus Rex *Ceſtriam*, cum honore ad eam pertinente, ipſi Comiti, Regina repulſam procurante, conferre noluit poſtulanti. Similique modo dicebatur, quòd Regina Impediente, quia *Gaſconiam* à Rege pro dono poſtulans, repulſam paſſus; à Rege iratus & comminans indecenter nimis apud *Burdegalim* receſſerit. Hæc tamen nullatenùs ſunt credenda. Quia cùm in conſtructione caſtri de *Gannoch*, & ſuſtentatione exercitus ſui, indiguiſſet Rex pecunia; Comes memoratus, liberali & fraterna compaſſione tractus; eidem Regi tria millia marcarum, ſub pignore jocalium Regis, commodavit. Et ſic obſtructum eſt os loquentium iniqua. Rediit igitur dominus Rex à partibus *Walliæ* tempore hyemali imminente, iter arripiens in craſtino Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, ut tam ipſe, quàm exercitus ſuus, jam nimis, ut dictum eſt, afflictus, reſpiraret. In eoſdem labores, poſt hyemis incommoda rediturus

1245. rediturus. *Wallenſes* igitur infœliciſſimi, hyemali ingruente rigore, multiformi inedia, cùm domiciliis & omni victualium genere deſtituti eſſent; nec in ſpem ullam melioris fortunæ aut conditionis erigerentur, cùm omnes terræ ſuæ jacerent incultæ, in ſemetipſis contabuerunt; fame, & frigore, & deſperatione, tam mente, quàm corpore miſerabiliter perituri languerunt.

Mauritius deponitur à Juſtitiaria Hybern.

REX itaque iratus valdè & indignatus, eò quòd *Mauritius* Juſtitiarius *Hyberniæ* nimis tardus venerat ad ſuccurſum Regis, cùm tamen ventum proſperum & ad votum habuiſſet; depoſuit eum à Juſtitiaria *Hyberniæ*. In loco cujus *Johannem* filium *Galfridi* ſubrogavit, & auctoriſavit. Quod tamen *Mauritius* patienter toleravit; quia poſtquàm mortuus fuit filius ſuus, omnem mundi gloriam cum ſuis dignitatibus contempſit.

Mittitur Legatus in Franciam ad promovendum negotium crucis.

EODEMQUE anno, poſtquam Rex *Franciæ*, quem Dominus quaſi redivivo ſpiritu ſuſcitaverat, Cruce ſignabatur; eodem Rege poſtulante, miſſus eſt à domino Papa Legatus quidam in *Franciam*; quo prædicante negotium Crucis efficaciùs promoveretur.

Eodemque tempore, Epiſcopus *Beritenſis* de *Terra ſancta*, de quo mentio ſuperiùs facta, concomitante quodam fratre Prædicatore *A.* venit in *Angliam* ad Regem; certificans eum de lugubri caſu & jactura *Terræ ſanctæ*. Poſtulavitque, ut liceret eis negotium Crucis in Regno *Angliæ* prædicando promovere. Quibus id petentibus, & chartam ſuam, quam, in teſtimonium fidei, de *Terra ſancta* detulerant, oſtendentibus; necnon & de Indulgentia, quam de curia *Romana* detulerant, ait Rex: Etſi veraces & efficaces nuncii ſitis, tamen quia toties fefellerunt nos à curia *Romana* hujus negotii procuratores & executores deſtinati, qui tantùm pecuniæ extorquendæ intendebant; vix inveniretis qui vobis fidem perhibeant. Et cùm ipſi proſequentes affirmarent, quòd tota ferè Nobilitas *Franciæ* cruce ſignaretur, Regem ad favorem vocarent. Ait Rex: Rex *Francorum* crucefignatur. Etſi ſui eum ſequuntur; quis admiratur? Circumvallor hoſtibus meis. Suſpectus eſt mihi Rex *Franciæ*. Suſpectior Rex *Scotorum*. Manifeſte mihi Princeps *Walliæ* adverſatur. Papa protegit in me inſurgentes. Nolo ut terra mea, militia, pecuniâve vacuata, robore deſtituatur. Et ſic omni ſpe fruſtrati Epiſcopus & Prædicator, à Rege receſſerunt.

Abbas Cluniacenſis extorquet à ſuis Prioratib. decimam.

CIRCA illos dies, Abbas *Cluniacenſis*, antequàm hoſpes ſuus dominus Papa, *Lugdunum* petiturus, receſſiſſet; impetravit ab ipſo licentiam, & ſcriptum ſuper hoc; ut à toto ordine *Cluniacenſi* decimam extorqueret per unum annum. Tum quia dominum Papam euulantem & accedentem ad partes Ciſalpinas, muneribus reſpexit impreciabilibus Abbas memoratus (dederat enim triginta palefridos phaleratos cum totidem equis clitellariis) tum quia ſplendidè procurando, curialiter recepit, & exhibuit ferè per unum menſem. Et hanc decimam, in omnibus membris percipiet Abbas prædictus; non obſtante contradictione alicujus ordinarii. De qua quidem pecunia, percipiet dominus Papa tria millia marcarum. Reſiduum autem cedit in ſolutionem debitorum, quibus eccleſia *Cluniaci* pro promotione *Romanæ* eccleſiæ noſcitur obligari. Et ſic conceſſit Papa Abbati; ut de propria cute ſibi faceret latam corrigiam.

Multi Nobiles crucefignantur.

JAM jàmque, quia dominus Rex *Francorum* dederat exemplum prævius, & quaſi ſignifer; multi de Regno *Francorum* Nobiles Crucefignantur. Videlicet, frater dicti Regis *Robertus* Comes *Atrebatenſis*, Dux *Burgundiæ*, Dux *Brabantiæ*, Comitiſſa *Flandriæ*, cum duobus filiis ſuis, Comes *Britanniæ P.* Comes *Britanniæ* filius ejus *J.* Comes *Barrenſis* Comes *Sueſſonenſis*, Comes *S. Pauli*, Comes de *Dreus*, Comes de *Retel*, *Philippus* de *Curtiniaco*, *Gauterus* de *Juveni*, *Ægidius* de *Mailli*, Advocatus *Betuniæ*. Multi quoque alii Nobiles, quorum numerus quotidie, quia ipſe jam Rex vices agens Prædicatoris, ſtimulavit, fœlix ſuſcepit incrementum. De Prælatis etiam, laicis præbentes pium incitamentum; nonnulli ſimili zelo provocati, Crucis ſignaculum humeris, talionem *Chriſto* reddentes, aſſumpſerunt: videlicet Archiepiſcopus *Remenſis*, Archiepiſcopus *Senonenſis*, Archiepiſcopus *Bituricenſis*, Epiſcopus *Laudunenſis*, Epiſcopus *Belvacenſis*, & multi; quos *Chriſtus* diatim advocavit, & ad ſuam accendit clientelam.

Saraceni piper perhibentur intoxicaſſe.

HÆC autem audiente *Saraceni*, ſeſe muniunt multiformiter, & argumenta malitiæ excogitantes, piper, quod noverant in partes deferendum *Chriſtianorum*, intoxicant: unde multi in partibus *Franciæ*, hujus ignari militiæ, perierunt. Sed poſtquàm compertum eſt, acclamatum eſt voce præconia in civitatibus ſolennibus, tam in *Anglia*, quàm *Francia*, ut hujuſmodi periculum cautiùs vitaretur. Alii dicunt, mercatores hoc feciſſe, ut vetus piper, diu reſervatum, meliùs venderetur.

Richardus Exonienſis eccleſiæ Cancellarius in Exonienſem Epiſcopum conſecratur.

FLUENTIBUS ejuſdem temporis diebus, conſecratus eſt apud *Radingum* in Epiſcopum *Exonienſem*, magiſter *Richardus*, ejuſdem eccleſiæ Cancellarius; circa Calendas Decembris: vir ſine querela, moribus & literis omnibus commendabilis.

Obitus Comitis Mareſcalli Walteri.

EODEMQUE anno, Comes *Mareſcallus Walterus* viam univerſæ carnis ingreſſus, pridiè Nonas Decembris; aut, ut alii volunt, octavo Calend. Decembris, *Londini* apud *Tinternam*, non procul à *Strigoil*, ubi plures magnifici anteceſſores ſui ſunt ſepulti, tumulatur.

Mors Anſelmi fratris.

Et citò pòſt, videlicet tertia die ante Natale, obiit *Anſelmus* frater ejuſdem Comitis, natu proximo junior conſequenter. Quibus ſine liberis de medio raptis, illa præclara hæreditas jam multipliciter diſſipata, ad multos, ratione ſororum, eſt devoluta; quas diverſimodè & particulatim contingebat.

1245.

Clypei in *Anglia*, jam, heu, proſtrati.
Mareſcalli.
Comitis *Ceſtriæ.*
Comitis *Darundeliæ.*
De *Mandevilla.*
De *Huntendune.*
De *Albineto.*
In *Hybernia Hugonis* de *Laſcy.*
In *Provincia*, Comitis *Reimundi.*
Willielmi de *Lancaſtre.*
Osberti Giffard.
Walteri filii *Gileberti* de *Bolum*, & fratris ejus.
Alexandri Arſic.
Roberti de *Reppele.*
Roberti de *Burgate.*
Roberti de *Turnham.*
Willielmi / *Nicolai* / *Euſtachii* } de *Stutevilla.*
Rogeri de *Munthegunt.*
Philippi de *Hulecoſtes.*
Falconis de *Breute.*
Richardi de *Percy.*
Henrici de *Trubeville.*
Philippi de *Albineto.*
Radulphi de *Trubleville.*
Richardi de *Ripariis.*
Richardi filii *Rogeri* de *Chilcham.*
Richardi de *Dovere* filii ejus.
Comitis de *Warewic.*

ET quia tam miſer tàmque miſerabilis & inauditus caſus, de quinque filiis *Willielmi Mareſcalli* magni accidit, qui ſecundùm ordinem navitatis ſuæ, dum adhuc eis proſperitas poſſeſſionum & ætatis arrideret, lachrymabiliter & abſque liberorum propagine ſublati ſunt de medio: juxta vaticinium matris eorum, dicentis, *quòd omnes Comites futuri erant unius Comitatus:* quia *Anſelmus* licèt non fuiſſet inveſtus in Comitatu, tamen devolvebatur ad eum. Et ita veré *Sybilla* fuit mater eorum: nec credendum arbitror, hoc ſine divino judicio contigiſſe. Quiddam ideò memoratu dignum, duximus huic opuſculo breviter annectendum. Memoratus itaque *Willielmus*, utpotè bellicoſus & ſtrenuus, dictus *Mareſcallus*, quaſi Martis Seneſcallus, dum in *Hybernia* ſtragi intendens & incendio, terras ſibi adquireret ſpacioſas; à quodam ſancto Epiſcopo duo maneria, ad ſuam eccleſiam pertinentia, violenter & injurioſè ſurripere, & ſubrepta ſibi uſurpando præſumpſit; quaſi juſto titulo, quia in bello adquiſita, poſſidere. Epiſcopus igitur, poſt frequentes admonitiones, in ipſum Comitem procaciter reſpondentem, & contumaciter in peccato ſuo dicta maneria retinentem; ſententiam excommunicationis non immeritò fulguravit. Quod Comes contemnens, tempora bellica præpoſuit pro excuſatione, injurias injuriis cumulando. Unde non ſine ratione quidam magiſter *Gervaſius* de *Melckeleia*, de eo verſus componens, & quaſi ejus perſonam aſſumens, ait:

Quiddam notabile de W. Mareſcallo magno & quinque ejus filiis.

Sum quem Saturnum ſibi ſenſit Hybernia, Solem
Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.

Tenuit igitur dictus Comes ipſa maneria tota vita ſua, & duo dominio continuavit. Poſt aliquot verò annos contigit Comitem memoratum, viam univerſæ carnis ingreſſum, apud novum Templum *Londini* ſepeliri. Hoc cùm Epiſcopo prænominato innotuiſſet, (Ipſe autem fuit Epiſcopus de *Fernes*, Monachus *Ciſtercienſis* ordinis, natione *Hybernicus*, ſanctitate perſpicuus,) non ſine magno corporis labore, Regem adiit, tunc *Londini* commorantem; gravémque coram eo de prædicta injuria querimoniam reponens, aſſerebat ſe Comitem pro eo non immeritò excommunicaſſe. Supplicavítque Regi, ut auctoritate Regia & præcepto, necnon & pro animæ dicti *Willielmi* Comitis liberatione, ſibi ſua maneria reſtitueret; ut ſic defunctus abſolutionis beneficium obtinere mereretur. Rex itaque his auditis, contriſtatus, petiit Epiſcopum, ut accedens ad dicti Comitis ſepulchrum, ipſum abſolveret, & ipſe idem Rex intenderet diligenter ſatisfactioni. Accedens igitur Epiſcopus, Rege preſente, ad tumulum, audientibus circumſtantibus, ait, quaſi vivus ad vivum affando tumulatum; O *Willielme*, qui hic jaces ſepultus, vinculis excommunicationis irretitus, ſi ea quæ injurioſè abſtuliſti eccleſiæ meæ per Regem, vel per hæredem

tuum,

1245. tuum, vel per aliquem tuorum propinquorum vel amicorum, cum competenti ſatisfactione reſtituantur, abſolvo te: alioquin ſententiam ipſam confirmo, ut tuis ſemper peccatis involutus, in inferno maneas condemnatus. Rex autem hoc audiens, iratus, Pontificis rigorem redarguit immoderatum. Cui Epiſcopus: Domine, ne miremini ſi commoveor: ſpoliavit enim eccleſiam meam maxima ſua commoditate. Rex itaque *Willielmum* filium ejuſdem Comitis primogenitum & univerſorum hæredem, jam hæreditate inveſtitum, necnon & quoſdam fratrum ſuorum ſecretò alloquens, petiit ut memorata maneria injuſtè ablata reſtituendo, animam patris eorum miſericorditer liberarent. Cui *Willielmus*: Non credo, ſicut nec credendum eſt, quòd pater meus ea abſtuliſſet injurioſè: quia quod tempore belli adquiſitum eſt, in juſtam cedit poſſeſſionem. Si Epiſcopus ille ſenex & delirus injuſtè ſententiavit, in caput ſuum maledictio retorqueatur. Nolo hæreditatem meam, qua inveſtior, decreſcens minuere. Pater meus ſeiſitus deceſſit: ego juſtè in ea quæ inveni ingredior. Cui conſentiebant fratres. Rex autem, utpotè tunc juvenis, & ſub tutore, noluit aliquatenùs tantum & tam nobilem contriſtari. Hæc autem poſtquàm Epiſcopo innotuiſſent, plùs doluit iratus de filiorum contumacia, quàm de patris injuria primitiva. Et Regis adiens præſentiam, dixit ei: Quod dixi, dixi: & quod ſcripſi, indelebiliter ſcripſi. Stat enim ſententia. Afflicta eſt à Domino pœna malefactoribus, & quæ in Pſalmo ſcribitur maledictio, Comiti *Willielmo*, de quo conqueror, imponitur onerosa: *In generatione una delebitur nomen ejus*: & filii ejus exortes erunt illius Dominicæ benedictionis: *Creſcite & multiplicamini*. Morientùrque eorum aliqui morte lamentabili, & hæreditas eorum diſſipabitur. Et hæc omnia, domine mi Rex, in vita veſtra, imò in adhuc florente ætate, videbitis. Et cùm hæc in cordis amaritudine, quaſi hauſto ſpiritu Prophetico, peroraſſet Pontifex, triſtis receſſit. Et ſic innodatus anathemate Comes nobilis *Willielmus Mareſcallus*, qui poſuit brachium ſibi carnem ſuam, derelictus eſt. In cujus rei argumentum nimis evidens, contigit paucis antè evolutis annis, poſt mortem omnium ſuorum filiorum, videlicet quando dedicata eſt eccleſia *Novi templi*, anno gratiæ M. CC. inventum eſt corpus ſæpedicti Comitis, quod erat inſutum corio taurino, integrum; putridum tamen, & prout videri potuit, deteſtabile. Hujus etiam ſequebatur veſtigia fratrum penultimus Comes *Mareſcallus Walterus*. Qui cùm certiſſimè promiſiſſet redditum ſexaginta ſolidorum domui ſanctæ *Mariæ*, ſcilicet Monachorum de *Hertfordia*, & inde ſcriptum confeciſſet: eò quòd ibidem mortuus eſt frater ejus Comes *Gilebertus*, & ibi remanent ejuſdem viſcera ſepulta; oblitus eſt fidei & promiſſionis ſuæ, quam fecerat pro redemptione fratris ſui: & poſt multas Prioris dictæ domus inutiles vexationes, illuſor eſt & tranſgreſſor manifeſtus inventus.

Imperator F. contra Mediolanenſes tendit.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, cùm perſuaſiſſet dominus Papa, ut ipſi nobiles *Alemanniæ*, ad quos ſpectat jus electionis, novum ſibi eligerent Imperatorem, & aliqui conſenſiſſent, maximè Archiepiſcopus *Colonienſis Conradus*, in *Landegravium Duringiæ*, idem *Landegravius* malens pacem cum ſecuritate, ſuo contentus Ducatu, quàm ancipitis belli certamina & fata belli fortunalis experiri; maximè contra *Fredericum*, bellicis negotiis multoties expertum, & vulpinis fallaciis argumentoſum; renuit acquieſcere, vel tantæ temeritati conſentire. Dominus autem Papa confortans eum & animans, promiſit ei ſuum & univerſalis eccleſiæ patrocinium. *Mediolanenſes* quoque & *Italici Mediolanenſibus* confœderati, miſſis ſuis nunciis ſolennibus, prudentiam memorati *Landegravii* puſillanimitatem vocantes, ipſi conſilium in omnibus efficax & auxilium promiſerunt; ſi in electionem de ſe factam conſentiret, contra dictum *Fredericum* apoſtatam, excommunicatum, dejectum, Deo & Eccleſiæ turpiter reprobatum. Quòd cùm audiſſet Imperator *Fredericus*, iratus nimis infremuit; dolens quòd de adverſitate ejus caput extulerant inimici; probra probris, mináſque minis accumulantes. Et totus inſurgens ad vindictam, ordinatis armatorum infinitorum legionibus, & poſitis à tergo cautiùs inſidiis, quibus præerat *Henricus* filius ejus, Rex *Sardiniæ*; ipſos *Mediolanenſes*, quos præſcivit, ut moris illis eſt, exituros, ad prælium provocavit. At ipſi catervatim exeuntes imperterriti, & inſidiarum ignari; irruerunt in ipſum *Fredericum* alacriter. Quod videns Rex *Sardiniæ Henricus*, ſuum exercitum *Mediolanenſibus* & ſuæ civitati interponens, excepit eos in ore gladii; ſtragem faciens magnam & miſerandam. Cives autem reſpicientes, viderunt reditum ſibi præcludi, & ſuæ aditum civitatis, in deſolationem & deſperationem præcipitati ſunt; & ceciderunt ex eis multi trucidati, de ſe tamen cruentiſſimam victoriam *Frederico* relinquentes. Ceciderunt itaque utrobique innumerabiles; ita ut hoc cognoſcentes inconſolabiliter tot *Chriſtianorum* cædem deplorarent.

Archidiaconus Eboracenſis in atrio eccleſiæ trucidatur.

DIERUM illorum curriculis, quidam *Eboracenſis* eccleſiæ Canonicus, dum temerè convitiis quendam Militem ad iracundiam provocaret, ab eodem in atrio ipſius eccleſiæ trucidatur. Captus eſt igitur Miles ille haud ignobilis, & carceri mancipatus, tantæ tranſgreſſionis expectans ultionem, judicialiter infligendam.

Pictavenſes dariter tractantur à Francis.

PROFLUENTIBUS autem temporum illorum curriculis, miſeri nec miſerabiles *Pictavenſes*, quibus innata eſt proditio, adeò in conſpectu *Francorum* obſorduerunt, quòd filias ſuas nuptui tradere, niſi de licentia *Francorum*, nec ſunt auſi, nec permittebantur. Et dominantibus eis qui eos oderunt, ultimæ facti conditionis; fructus viarum ſuarum ſub jugo multiplici *Ægyptiæ* ſervitutis meritò reportârunt. Pœnituit ergo eos tot deſiderabiles argenteos nummos, ab utroque Rege proditioſè recepiſſe, & nequiter deluſum à finibus ſuis dominum ſuum naturalem extorrem expuliſſe; qui in perfidis fidem ſe credebat inveniſſe. & qui dum lucrum ſitiebant, ad

laqueum

laqueum pervenerunt. Caſtra etiam eorum ad arbitrium inimicorum ſuorum ruitura, vix ſine gravi & magna redemptione ſtare permiſſa ſunt; poſita in eis ſecura *Francorum* cuſtodia: quia 1245.

Serviet æternò, qui parvo neſciet uti.

EISDEM verò temporibus, dum Solis orbita circularis jam declinans versùs tempus hyemale vicinaretur, Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus*, quietis neſcius, multis adverſans, quamplurimiſque ei adverſantibus, *Iſmaeli* conſimilis: poſt multos labores & pecuniarum inæſtimabilium effuſiones, hanc à domino Papa, quem cum multis donariis reſpexerat, contra Canonicos ſuos meruit impetrationem obtinere.

Epiſcopi Lincolnienſis privilegium à Papa impetratum.

INNOCENTIUS. &c. venerabili fratri Epiſcopo Lincolnienſi, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Inter cætera, quæ noſtrum animum qui univerſali regimini, quamvis immeriti, diſponente Domino præſidemus, inſultibus impetunt ſucceſſivis; illud nos frequenti meditatione perurget; ut eccleſiæ cauſarum agitatæ non deficiant ſub diſpendiis quæſtionum & litibus, quæ propter concertationes & diffugia partium, videntur quodammodo immortales, finis debitus imponatur. Cum igitur inter te ex parte una, & Decanum, & Capitulum Lincolnienſem ex altera, ſuper eorum & eccleſiarum præbendalium & eccleſiarum cæterarum de dignitatibus & communa, viſitatione, & reformatione morum, ac correctione, tam Decani, quàm Canonicorum, & clericorum chori, & etiam miniſtrorum, ac vicariorum, & capellanorum, & parochianorum dictarum omnium eccleſiarum, necnon reverentia & obedientia canonica tibi ab eis præſtanda, & quibuſdam aliis dignitatibus, & officium Epiſcopale contingentibus, ſuborta fuiſſet materia quæſtionis: Nos poſt diverſas commiſſiones hinc inde ab Apoſtolica ſede ad Judices diverſos obtentas, & proceſſus habitos per eaſdem; cauſam ipſam, finem ſibi cupientes imponi, ad examen noſtrum duximus revocandam. Cùmque tu & procurator partis alterius in noſtra eſſetis præſentia conſtituti, fuit ex parte tua propoſitum quod cùm ex diligentia paſtoralis officii tenearis de jure communi capitulum Lincolnienſem & omnes eccleſias præbendales de dignitatibus & communa viſitare, ac ea, ſecundùm formam juris, quæ ad viſitationis ſpectant officium, adimplere; cùm tam capitulum quàm eccleſiæ tibi ſint de jure communi ſubjectæ, necnon exceſſus tam Decani, quàm Canonicorum univerſorum, & ſingulorum clericorum de choro, & miniſtrorum eorundem, vicariorum etiam capellanorum & parochianorum prædictarum eccleſiarum corrigere, ac eorum mores, ne ipſorum ſanguis de tuis manibus requiratur, reformare. Cauſam etiam omnium prædictorum, cùm ad invicem eos movere contingeret, vel ipſos contrarios tuæ Dioceſis, vel alii contra ipſos, ſive ſint civiles, ſive criminales, examinare ac decidere, ad te, tanquam ad ordinarium, propriè pertineat, dum tamen ad eccleſiaſticum forum ſpectent: Decanus & Capitulum ſe tibi ſuper his contra juſtitiam opponebant, propter quod præmiſſa liberè non poteras, prout officij tui cura exigit, adimplere. Adjiciebas præterea, quod tu cùm ſis caput Lincolnienſis eccleſiæ, & à te, tanquam à capite, ante electionem Decani Lincolnienſis celebrandam tuus de jure ſit requirendus aſſenſus; ipſi tua irrequiſita licentia, ſe debere ad electionem Decani procedere, aſſeverant: ſuper quo tibi petebas juſtitiam exhiberi. Dicebas præterea, quòd cùm Decanus in ſui confirmatione, & Canonici cùm præbendæ ipſis conferantur, jurare tibi de jure canonicam obedientiam teneantur; iidem id hactenus indebitè facere non curârunt. Proponebas inſuper, quod cùm lege Diœceſana Decanatus, dignitatum, & præbendarum vacantium ſequeſtratio ad te de jure pertineat; præfati Decanus & Capitulum ſe tibi ſuper hoc contra juſtitiam opponebant. Quare petebas ſuper præmiſſis jus tuum declarari, ac adjudicari tibi per diffinitivam ſententiam, téque ad viſitationis officium in capitulo Lincolnienſi & eccleſiis præbendalibus de dignitatibus & communa, & ad correctionem exceſſuum, & morum reformationem omnium prædictorum, non obſtante Decani & Canonicorum reclamatione, admitti debere, diffinitivè pronunciari, ac imponi eis perpetuum ſilentium: niſi Sedis Apoſtolicæ privilegio, vel alio jure ſpeciali, tueri ſe poſſent ſuper impedimentis & obſtaculis ſupradictis. Petebas etiam procurationem ratione viſitationis capituli debitam, & expenſas factendas in lite: ac ut ipſi quotieſcunque te ad eccleſiam Lincolnienſem venire contigerit, contra te eccleſiæ campanas pulſare faciant, & exhibeant reverentiam tanquam patri. Quódque Decanus aliquem Canonicum ad jurandum ei canonicam obedientiam, niſi dignitas Epiſcopalis & auctoritas excipiatur, de cæterò non compellat: nec cogat Canonicos jurare aliquas conſuetudines, quæ ſunt contra canonicas ſanctiones: neque ſtatuta, quæ ſint contra canones, & auctoritatem & dignitatem Epiſcopalem, ulteriùs in capitulo ipſo non edat. Petebas inſuper, ut cùm præbendarum & eccleſiarum de dignitatibus & communa viſitatio, ad te de jure communi pertineat, quòd Decanus de cæterò ab earum viſitatione deſiſtere per ſententiam cogeretur. Procurator verò partis alterius, litem conteſtando, reſpondit, Narrata non eſſe vera, ut narrabantur: & petita fieri non debere. Lite igitur ſuper his legitimè conteſtata, rationibus quoque ac allegationibus utriuſque partis diligenter auditis: Nos poſtquàm fuit cauſæ concluſum, deliberatione habitâ diligenti, de fratrum noſtrorum conſilio pronunciavimus, te ad viſitationem tam Decani & Capituli, quàm Canonicorum, Clericorum chori, ac miniſtrorum, etiam capellanorum eccleſiarum & parochianorum ad omnes prædictas eccleſias pertinentium. Et ad correctionem exceſſuum, ac morum reformationem liberè admittendum. Pro viſitatione autem in cathedrali eccleſia facienda, procuratio à

1245. *capitulo non præſtetur. Exceſſus tamen Canonicorum cathedralis eccleſiæ, qui conſueverunt corrigi per capitulum, per ipſum, juxta eccleſiæ conſuetudinem hactenùs pacificè obſervatam: ad commonitionem & juſſionem tuam, ſucceſſorùmque tuorum, infra competentem terminum, eis præfigendum à te, vel eiſdem ſucceſſoribus, corrigantur. Alioquin ex tunc tu, vel ſucceſſores ipſi, Deum omnipotentem præ oculis habentes; ipſos ut animarum cura requirit, per cenſuram eccleſiaſticam corrigatis.*

Mandamus etiam, ut prædicti Canonici tibi canonicam obedientiam & reverentiam exhibeant & obſervent. Obligare ſe tamen ad hoc juramento, manuali præſtatione, ſeu promiſſione, minimè teneantur; cùm ad hoc conſuetudine non ſueris. In cæteris petitis, ab impetitione tua, præfatos Decanum & Capitulum abſolventes. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtræ diffinitionis infringere; vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit; indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri *&* Pauli *Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum* Lugduni, *octavo Calend. Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio.*

Obiit Johannes Hertfertenſis *Epiſcopus.*

EODEM quoque anno, ſecundo Idus Octobris, apud *ſanctum Albanum*, poſtquam Epiſcopatu privatus, ſed dignitate retenta, *Hertſertenſi*, circiter triginta annis, ex mandato Papali moram continuárat; *Johannes* Epiſcopus naturæ debita perſolvit. Qui cùm vitalem curſum fœliciter conſummaſſet, libros ſuos & quædam eccleſiaſtica ornamenta, necnon & quædam beneficia; non immemor ſibi collatorum ab eccleſia *beati Albani* beneficiorum, in teſtamento reliquit. Unde ſpeciale conſortium omnium bonorum operum quæ fiunt in eccleſia beati *Albani*, quaſi alter Abbas ipſius eccleſiæ, necnon & ſepulturam in eadem eccleſia; ante altare videlicet ſancti *Amphibali*, meruit ſolenniter obtinere.

Obiit Walterus *Abbas de Burgo.*

ANNO quoque eodem, videlicet undecimo Calendarum Januarii, poſt multas indignas vexationes, tribulationes, & infirmitatem, quam in Curia *Romana* ob id initiaverat, in magnam ſuæ eccleſiæ jacturam & perturbationem, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus *Walterus* Abbas de *Burgo*.

Civilis ac pia Regis Francorum *deceptio.*

APPROPINQUANTE verò & imminente præclaræ Dominicæ Nativitatis feſtivitate, quâ mutatoria recentia, quæ vulgariter Novas robas appellamus, Magnates ſuis domeſticis diſtribuere conſueverunt; dominus Rex *Francorum* Crucis ſignifer officium Prædicatoris Procuratoriſque negotii Crucifixi novo modo ſibi aſſumens; capas cum ſuis pertinentiis de precioſiſſimo panno multò plures quàm moris habuit, cum pellibus variis imponendis, juſſit comparari: & de ſubtili aurifrigio ſactas in locis caparum humeralibus cruces inſui, opere furtivo ac nocturno prudenter curavit & imperavit. Et manè cùm adhuc ſol nondum oriretur, milites capatos capis Regiis, juſſit cum ipſo Rege Miſſam audituros in eccleſia comparere. Quod cùm feciſſent, & manè, ne ſomnolentiæ aut pigritiæ redarguerentur, in eccleſia Miſſis celebrandis intereſſent,

Rebúſque jam color rediit vultu nitentis ſyderis:

Et ſecundùm illud Perſii proverbium:

Melius ſpectatur mantica tergo,

quilibet in alterius humeris crucis inſutum ſignaculum intuetur, ſit jocunda admiratio, ac tandem comperiunt, quòd piè ſophiſticatos ſic decepit eos dominus Rex; novum & nunquam auditum iniens prædicatoris officium: factus potiùs realis prædicator, quàm verbalis. Cùmque eis indecens, ac turpe, imò indignum videretur ipſas Cruces deponere, riſum, nec tamen deriſum: cum jocunda lachrymarum effuſione facientes, dominum ipſum Regem *Francorum*, propter hoc factum, peregrinandorum venatorem, & hominum novum vocaverunt piſcatorem.

Annalis concluſio.

TRANSIIT igitur annus ille frugum fertilitate affluens & redundans, ope præcedentis adhuc ubertate majori anni impinguatus, ita ut ad precium duorum tantùm ſolidorum, ſumma tritici deſcendiſſet: fructuum autem arboreorum ſolatio ac ſubſidio, ex intemperię maláque diſpoſitione æſtivi aëris, ſpoliatus ac planè defraudatus. Regno *Francorum* proſper, & augmentativus. Regno *Anglorum* autem turbulentus & damnoſus. *Terræ ſanctæ* verò inimiciſſimus & periculoſiſſimus. *Hyberlienſibus* laborioſus & moleſtus. *Wallenſibus* cruentiſſimus, & infœlix. *Pictavenſibus* novercalis. *Alemannis* & *Hungaris* ſuſpectus valdè. Totique Imperio ac curiæ *Romanæ*, tremebundus.

Papa indignatur Anglis, *quòd de eo conqueri in Concilio auſi ſint.*

ANNO gratiæ M. CC. XLVI. qui eſt annus regni *Henrici* III. Regis xxx. fuit idem Rex ad natale Domini *Londini*, ubi convocatis multis regni nobilibus unà cum fratre ſuo, Regina quoque & Comitiſſa *Cornubiæ* ſorore Reginæ, multiſque magnatibus; qui cum eodem Rege in *Wallia* pondera & æſtus dierum ſuſtinuerant, feſta natalitia gaudenter celebrârunt, ut qui fuerunt in tribulatione conſortes, participes fierent in exultatione. Eodémque tempore, ne gaudia

gaudia mundi impermixta mœroribus mortalibus arriderent, ortus eſt rumor ſiniſter, & ex rumore ſuſpicio non modica, quòd dominus Papa rancorem in corde retinuit, cùm tamen non ſubſuiſſet cauſa rationabilis: iratus eſt valdè, & multiformiter ampulloſè cœpit comminari *Anglorum* Regi & Regno, ut ſi poſſet *Fredericum* edomare, & per conſequens recalcitrantium *Anglorum*, qui de oppreſſionibus *Romanæ* curiæ & maximè de tributo, in Concilio conqueſti ſunt, inſolentem ſuperbiam conculcabit. Non enim, ut ei videbatur, licuit miſeris *Anglis*, pro multiformi etiam injuria, flagellatis lachrymari vel mutire. Conabatúrque in illo diuturno ac ſecreto colloquio, quod habuit apud *Cluniacum* cum Rege *Francorum*, perſuadere & acuere Regem ipſum, ut inſurgeret ad tantæ injuriæ vindictam, tantam ut ipſum Regulum *Anglorum*, vel uſque ad exhæredationem impugnaret: vel enormiter læſum, ſeſe omnimodè voluntati *Romanæ* curiæ, vellet, nollet, inclinaret. Et ad hoc juvaret eum omni conatu, Eccleſia & Papalis auctoritas. Quod conſtanter Rex *Francorum* dicitur renuiſſe; tum quia ipſi Reges conſanguinei ſunt, & eorum Reginæ ſorores: tum quia jus non habet Rex *Francorum* in regnum *Angliæ* manifeſtum: tum quia treugæ inter ipſos Reges initæ ſunt, quas maluit prolongare, ratione peregrinationis ſuæ, quàm proditioſè reſcindere: tum quia inſtabat validior inimicus, & eccleſiæ *Romanæ* nocivior, videlicet *Fredericus* edomandus: tum quia antè quàm regnum *Angliæ Francis* cederet, non modicus ſanguis *Chriſtianus* effunderetur: tum quia *Chriſtiani* in *Terra ſancta* jam à paganis oppreſſi & obſeſſi; Regis *Francorum* adventum deſideratum, quaſi naufragantes auræ lenioris proſperitatem, præſtolantur. 1246.

Rex Angliæ indignatur, ob illatam ſibi injuriam à Comitiſſa Provinciæ.

ET antequàm Epiphaniæ ſolennitas natalis Domini lætitiam conſummaſſet, de *Provincia* rumores eodem tempore delati, cor Regis non mediocriter perturbârunt. Comitiſſa enim *Provinciæ Beatrix*, mater Reginæ, quæ jam per quinquennium iiij. millia marcarum ad roboranda xvj. caſtra in *Provincia*, Regem ratione matrimonii contingentia, ab eodem domino annuatim acceperat, ſcilicet iiij. millia, jam penitùs immemor juris, fidei, & conventionis, necnon & honoris multiplicis, quem Dominus Rex ei in *Angliam* venienti gratanter impenderat: Regi *Francorum Provinciam*, cum ejuſdem caſtris liberavit. Nec mentionem faciens ſuper jure domini Regis, vel conventionibus; filiam ſuam natu minimam, & jam liberatam, & omnibus inſidiis ereptam: eidem Regi *Francorum* tradiderat, filio ſuo *Carolo* maritandam. Memorata igitur Comitiſſa eò enormiùs fidem læſit, tranſgreſſa pactionem, quo firmiùs & ſecuriùs Regi promiſerat: quòd dicta caſtra nulli hominum aliqua ratione, præter Regi *Angliæ*, foret traditura. Verùm, dominus Rex ſuper hac jactura vel dedecore, nullum complangentem habere meruit vel compatientem. Quia cùm Comitiſſa *Beatrix* in *Angliam* nuper faſtigioſa nimis venerat, dominus Rex ſecùs quàm deceret aut expediret, tam ſine diſcretione quàm modò conſueto; ſe, ſuos, & ſua, prodigaliter expoſuit, ut ſuo loco prædicitur ſufficienter. Unde cùm eadem Comitiſſa geſta Regis, & dicta ſatis aſtutè perpendiſſet, dixiſſe perhibetur: Pœnitet me tradidiſſe filias meas, (quas, ut vulgariter juxta loquelam ſuam *Provincialem*, pueros ſuos vocavit) Regi huic fratrique ſuo maritandas.

Rex Francorum treugas ſibi poſtulat prorogari.

IMMINENTE autem beati *Hilarii* feſtivitate, Rex *Francorum* de apparatu peregrinationis ſuæ ſollicitus, ut omnia in regno ſuo pacificè ſolidata diſponerentur: & ne ſuſpecta aliqua aſſumpto itinere poſt terga relinqueret retiacula, treugas in *Pictavia* inter ipſum & Regem *Angliæ* initas & initiatas, ſibi poſtulavit ulteriùs prorogari. Obtulit etiam, ſed clanculò, ut perhibetur, quandam formam pacis, ſed tamen Regi *Angliæ* ſcrupuloſam: ut ſcilicet omnes terræ ultramarinæ, quæ quondam in ſua fuerunt poſſeſſione, præter *Normanniam*, eidem Regi *Angliæ* ultrò reſtituerentur: ita ſcilicet, ut ipſam *Normanniam*, in qua jus ſe confidebat habere, Regno *Francorum* quietam concederet in perpetuum; uni igitur hujus legationis parti reſpondit, ſed alteram dominus Rex *Angliæ* majori deliberationi reliquit trutinandam. Primæ igitur parti ſic reſpondit, quòd libenter concederet eidem domino *Francorum* Regi treugas ulteriores ad libitum, ne videretur crucis negotium impedire: ita videlicet, ut non injuriando eidem partem *Provinciæ* cum iiij. caſtris, de quibus fit mentio, ipſum Regem *Angliæ* ratione matrimonii inter ipſum & *Alienoram* filiam *Reimundi* Comitis *Provinciæ* jam defuncti, contingentem, pacificè reſignaret.

Impetratio Archiepiſcopi Cantuarienſis.

PER idem tempus, tales à domino Epiſcopo *Lincolnienſi*, ut major certificatio de prædictis habeatur, literæ emanârunt. *Univerſis ſanctæ matris eccleſiæ filiis, ad quos præſentes literæ pervenerint*, Robertus *miſeratione divina* Lincolnienſis *Epiſcopus, æternam in Domino ſalutem. Noverit univerſitas veſtra, nos mandatum domini Papæ non cancellatum, non abolitum, in nulla ſui parte vitiatum inſpexiſſe, in hæc verba:* Innocentius *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, Capellanis, & aliis eccleſiarum Prælatis & clericis per* Cantuarienſem *civitatem, Dioceſim, & Provinciam conſtitutis, ſalutem & benedictionem. Ad hoc cæleſtis altitudo conſilii, alta & ineffabili providentia univerſa diſponens, rerum viciſſitudines non ſine diſpenſatione certæ rationis alternat, nunc ſuperiores inferiorum, nunc inferiores ſuperiorum auxilio faciens indigere: ut humana conditio per alternationes hujuſmodi, ſui ſtatus inſtabilitatem agnoſcat, & alterutrum ſibi compatiens & ſubveniens, impleat legem* Chriſti, *qua diligere proximum quiſque jubetur, & alterius onera ſupportare. Cùm igitur ſicut venerabilis frater noſter* Cantuarienſis *Archiepiſ. nobis expoſuit*, Cantuarienſis *eccleſia, tam prædeceſſorum ſuorum, qui paſſi tribulationes innumeras, fuêre neceſſitatum plurium incommodis agitati, quàm etiam vacationum ipſius eccleſiæ longiorum, temporibus quibus*

1246. *cogniti & ignoti pari paſſu circumflexerunt, ut ad ſe traherent & diriperent bona ejus, adeo grandi fuerit debitorum onere prægravata, quòd vix poſſet ab ipſis abſque ſedis Apoſtolicæ providentia liberari; nobis humiliter ſupplicavit, ut eidem eccleſiæ ſubvenire, ne uſuris excreſcentibus ipſius gravior & quaſi irrecuperabilis ſit jactura, de benignitate ſolita dignaremur. Verùm cùm eadem* Cantuarienſis *inter alias orbis Eccleſias honorabilis habeatur, quòd eam* Romana *Eccleſia, veluti filiam prædilectam, ſinceris affectibus proſequitur, & præfert effectibus gratiæ ſingularis; in cujus odoris ſuavitate reficitur, ſtatu recreatur tranquillo, & proſperis proſperatur: illámque ea prærogativa favoris & gratiæ proſequamur, quod ipſius ardenti deſiderio, & potiſſimè ejuſdem Archiepiſcopi conſideratione, qui tanquam filius devotus eccleſiæ & nobile membrum, cujus devotione fervens, vita perſpicuus, & nobilitate præclarus, nobis & fratribus noſtris charus & acceptus plurimum habeatur: ipſius ſupplicationibus favorabiliter annuentes, de fratrum noſtrorum conſilio, damus venerabili fratri noſtro* Herefordenſi *Epiſcopo noſtris literis in mandatis, ut ipſe per ſeptennium & non ultra, omnium beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ deinceps in civitate, dioceſi & provincia* Cantuarienſi, *vacabunt, primi anni proventus uſque ad decem millium marcarum ſummam. Quæ ſi ante dictum ſeptennium haberi poterit, nil amplius exigatur. Necnon duo millia marcarum de ipſius Archiepiſcopi redditibus colligat annuatim, & convertat fideliter in ſolutione debitorum eccleſiæ memoratæ. Proviſo quòd perſonis ſervientibus in eiſdem beneficiis, de prædictis redditibus idem Epiſcopus faciat competentem portionem pro ipſarum ſuſtentatione; ne ipſa debitis defraudentur obſequiis, aſſignari. Et ſi forſan dictorum beneficiorum redditus hujuſmodi primi anni eſſe debeant, juxta morem patriæ, decedentium perſonarum; dictus Epiſcopus ipſorum beneficiorum redditus in anno colligat ſubſequenti: contradictores, auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur, attentè per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes; quatenùs attendentes prudenter, quòd dignum ſit matris egentiam filiorum opibus relevari, cujus tam devotè quàm benignè debent onera ſupportare: eidem Epiſcopo ad exhibendos hujuſmodi redditus & habendos, ſic ope & opere promptos & ſollicitos vos reddatis, quòd ipſius Archiepiſcopi favorem & gratiam vobis proinde futuris temporibus vendicantes; vos habeatis propter hoc ſpecialiter ad veſtra & eccleſiarum veſtrarum commoda promptiores. Datum* Lugduni, *vj. Cal. Septembris, Pontificatus noſtri, anno iij. In cujus rei teſtimonium, præſentibus ſigillum noſtrum fecimus apponi.*

Ira Regis citò enervata.

HÆC autem cùm ad audientiam Regis pervenirent, primò obſtupuit, iratus & commotus valdè, clamosè dicens: Miror ſi talia procuravit regno meo diſpendia Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonefacius* quem promovi. Nec ſufficit ei quòd electum meum *Ceeſtrenſem Robertum* videlicet *Paſſeleve*, cujus promotionem procuraveram, procaciter præcipitavit: ſed & diatim intendens bellis ruptoris more, tam in *Provincia* quam *Anglia*, contra me jam jacturam & dedecus machinaturam. Ecce nova & inaudita pecuniaris extorſio! O quàm multiformes ſunt laquei venantium, ad ſubjectorum ſimplicitatem decipiendam! In hac equidem machinatione nobiles mei, ad quos eccleſiarum ſpectant patronatus, defraudantur; terra cenſu ſpoliatur, & ſimilium conſequentia formidatur. Tandem tamen Dominus Rex cùm inſibilatum fuiſſet ei, quòd minimè iraſci teneretur memorato Archiepiſcopo pro dicta *Roberti* caſſatione; tum eò quòd in examinatione inſufficiens reperiebatur, tum quia ejus caſſatio multùm Regi fuit utilis & lucroſa, cùm quotidiè Regiis diligenter intenderit emolumentis, muliebriter in ſuo propoſito reſiſtendi fractus eſt, muliebri, ut dicitur, interceſſione turpiter emollitus; quia meritò hoc nomen *mulier*, quaſi *molliens herum*, id eſt, enervans etymologizatur. Nec proh dolor! viriliter pro eccleſiæ indemnitate, cùm non conſtiterit eccleſiam *Cantuarienſem* alieno ære per Archiepiſcopum Æ. ſub uſuris maximè irretitam in tantum, nec pro Regni ſui tuitione, vel ſanctorum Pontificum *Cantuarienſium* honore, ſtetit Rex, prout decuit & expedivit; ſed eidem Archiepiſcopo, *Bonifacio* conceſſit per *Angliam*, ſecundùm quod prædicitur, prædictam habere collationem. Veruntamen, per idem tempus prohiberi fecit dominus Rex per literas ſuas, ne quis veniens de curia portans literas bullatas de proviſionibus faciendis præcepto Papali, ad extorquendam pecuniam de eccleſia *Anglicana*, & depauperandum regnum, permitteretur vagari per terram ad Prælatos: & ſi quis talis inveniretur, caperetur, carceri Regis retrudendus. Portus autem, hoc præcipiens portuum cuſtodibus, fecit cuſtodiri. Sed hoc animos miſerorum *Anglorum* parùm exhilaravit, qui cor cereum Regis cognoverant: & ea facilitate advertendum, qua converti frequenti experientia certificabantur.

Londinenſes moleſtantur pecunia.

TEMPORE quoque ſub eodem, jam Vernæ temperiei ſerenitate arridente, mundus è contrario ſtatum mortalium moleſtavit. Cives enim *Londinenſes*, quos Regia clementia ſub alis ſecuræ protectionis certiùs tueri tenebatur; ad redemptionem ſolutionis ſub nomine tallagii, millium marcarum non ſine multo gravamine, & diminutione catallorum ſuorum, & cordium amaritudine, ſunt compulſi: ita ut multi vaticinium *Merlini* concordantes & veracius teſtimonium perhibentes, aſſerebant hunc Regem *H.* verè eſſe Lynceum omnia viſu penetrantem; id eſt omnium crumenas perforando perſcrutantem, & perſcrutando perforantem.

Convocantur Magnates Angliæ.

ET dum fluenta dierum illorum ævum mortalium metirentur tranſeundo, Rex miſſis literis ſuis, totius Regni Magnates convocavit; ut *Londini* die qua cantatur *Lætare*

Hieru-

1246.

Hieruſalem, videlicet media Quadrageſima, de ſtatu Regni generaliter convenirent tractaturi.

Fratrum Prædicatorum ambitio.

* Eodemque tempore, Fratres *Prædicatores*, limites paupertatis, quam profeſſi ſunt nuper, jam ad ſuperos gradus aſcendere; venerari, & timeri à Prælatis Eccleſiaſticis affectabant, & non jam tantùm Prædicatores, ſed etiam eſſe confeſſores contendebant, uſurpantes ſibi officium ordinariorum, & haberi eoſdem contemptu procurantes, quaſi ſcientia & poteſtate inſufficientes populum Dei regere, & eccleſiæ lora moderari. Unde multis diſcretis videbantur, ordinem univerſalis eccleſiæ per ſanctos Apoſtolos & ſacros Doctores noſtros anteceſſores; de quorum ſanctitate toti mundo conſtat, ſancitum, nimis enormiter perturbare. Teſtificatum eſt etiam, quòd ordo *S. Benedicti* vel ordo beati *Auguſtini*, per multorum ſpatium ſæculorum tantum non deliravit, quantum eorum, qui nondum in *Anglia* per triginta annorum ſpatium, radicum propagines tranſplantavit. Impetrato igitur à Papa *Gregorio*, qui ſpecialiter eorum fautor erat, paucis evolutis annis inaudito privilegio: hoc etiam his temporibus novum; ad primum roborandum, non ſine ordinariorum jactura & præjudicio, à domino Papa ſunt adepti.

Privilegium Prædicatorum.

Gregorius *Epiſcopus, ſervus, &c. Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint* ſalutem & Apoſt. ben. *Quoniam abundavit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum, ecce ordinem dilectorum filiorum fratrum* Prædicatorum *Dominus ſuſcitavit: qui non quæ ſua, ſed quæ ſunt* Chriſti, *quærentes, tam contra profligandas hæreſes, quàm contra peſtes alias mortiferas extirpandas, ſe dedicaverunt evangelizationi verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum ſanctum propoſitum, & neceſſarium miniſterium favore benevolo proſequentes, univerſitati veſtræ ipſos affectuosè duximus commendandos charitatem veſtram rogantes & exorantes in Domino, ac per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, dilectos filios fratres ordinis memorati, pro reverentia divina, ad officium prædicandi, ad quod deputati ſunt, recipiatis benignè; ac populos vobis commiſſos, ut ex ore ipſorum verbi Dei ſemen devotè ſuſcipiant, & confiteantur eiſdem, cùm ipſis auctoritate noſtra liceat confeſſiones audire, ac pœnitentias injungere; ſedulò admonentes, pro noſtra & Apoſtolici ſedis reverentia, in ſuis eis neceſſitatibus liberaliter aſſiſtatis, quatenus ad prædicta ſuſcipienda veſtris exhortationibus populi præparati, tanquam bona & fructifera terra, pro vitiorum tribulis, incipiant ſegetem germinare virtutum; & dicti Fratres, per cooperationem veſtram, ſuſcepti miniſterii curſum fælicius conſummando, optatum reportent ſui laboris fructum & finem, ſalutem videlicet animarum. Quia vero ſæpe vitia ſub ſpecie virtutum occultè ſubintrant, & Angelus Sathanæ in Angelum lucis ſe plerunque ſimulate transformat, præſentium vobis auctoritate mandamus; quatenus ſi qui de* Prædicatorum *fratrum ordine ſe dicentes, in veſtris partibus prædicaverint, ad quæſtum ſe pecuniarum convertendo, per quod Religionem eorum, qui paupertatem profeſſi ſunt, contingeret infamari; vos tanquam falſarios capiatis & condemnetis. Datum Anagniæ. iv. Calend. Octob. Pontificatus noſtri anno primo.*

Secundum, primum roborans.

Innocentius iiij. *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus* Wintonienſi, Wigornenſi, & Norwicenſi *Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia nonnulli ſic in malitia delectantur, ut voluntatis libito, abſtinentiæ ruptis habenis, ad illicita relaxato, perſonas religioſas, Dei timore poſtpoſito, multipliciter moleſtare præſumant; conſuevit pia mater Eccleſia, perſonis ipſis contra pravitatem talium, defenſionis remedio miſericorditer ſubvenire; per quod moleſtatorum ipſorum compeſcatur temeritas, eædem perſonæ tutæ permaneant, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur. Cùm itaque dilecti filii, Prior provincialis & fratres ordinis* Prædicatorum, *in provincia* Anglicana *conſtituti (ſicut ex eorum parte nobis extitit intimatum, à nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant) moleſtias multiplices patiantur; nos volentes eiſdem contra inſolentiam & conatus malignantium providere, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenùs memoratis Priori & fratribus contra perverſorum audaciam efficaciter favoris præſidio aſſiſtentes, non permittatis ipſos, contra indulta privilegiorum Apoſtolicæ ſedis, ab aliquibus indebitè moleſtari, moleſtatores hujuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtante conſtitutione de duabus dietis, edita in Concilio generali, præſentibus poſt decennium minimè valituris. Quòd ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominùs exequantur. Datum* Lateranenſi. xvi Cal. Junij. Pontificatus noſtri anno primo.

Reſponſio Archidi. S. Albani.

His igitur lætificati & magnificati *Prædicatores*, varios eccleſiarum Prælatos, Epiſcopos, Archidiaconos, in ſynodis ſuis præſidentes, ubi multi & magni viri, videlicet Decani, Presbyteri, Vicarii, necnon & eccleſiarum rectores, cum clericis convenerant, procaciter alloquentes, indulta ſibi talia privilegia in propatulo demonſtrarunt, erecta cervice ea exigentes recitari, & in eorum Eccleſiis veneranter recipi, & commendari, & ad prædicandum populo, ſine aliqua contradictione,* vel in ſynodis, vel in Eccleſia Parochianis, quaſi Legatos, vel etiam Dei Angelos admitti; & ſe ingerentes nimis impudenter, rogitabant ſingulos etiam ſæpè viros religioſos, eſne confeſſus? quibus ſi reſponſum fuiſſet: etiam; à quo? à ſacerdote meo. Et quis ille idiota? nunquam Theologiam audivit, nunquam in Decretis vigilavit, nunquam unam quæſtionem didicit enodare. Cæci ſunt, & duces cæcorum: ad nos accedite, qui novimus lepram à

lepra

1246. lepra diſtinguere: quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei ſecreta patuerunt. Nobis confitemini imperterriti, quibus tanta, ut jam videtis & auditis, conceſſa eſt poteſtas. Multi igitur, præcipuè nobiles & nobilium uxores, ſpretis propriis ſacerdotibus & prælatis, ipſis *Prædicatoribus* confitebantur: unde non mediocriter viluit ordinariorum dignitas & conditio, & de tanto ſui contemptu, non ſine magna confuſione, doluerunt, nec ſine evidenti cauſa. Videbant enim ordinem Eccleſiæ jam enormiter perturbari; quam conſtat longis retroactis temporibus, in Deo placita ſimplicitate ambulantem, multos è ſæculo migrantes Deo præſentaſſe ſanctos, de quorum ſanctitate nefarium judico dubitare. Videbant inſuper parochianos ſuos audacter jam peccare & impudenter, ſcientes ſe coram Presbytero proprio non erubeſcere, ſua enormia peccata confitendo, quòd magnum reputatur periculum; cùm rubor & confuſio in confeſſione, pars ſit maxima & potiſſima pœnitentiæ. Dicebántque ſuſurrantes peccaturi ad invicem: Perpetremus quæ nobis voluptuoſa videntur & placentia: aliquibus enim *Prædicatorum* vel *Minorum* per nos tranſitum facientibus, quos nunquam vidimus, vel unquam viſuri ſumus; cùm conſummatum fuerit quod deſideramus, ſine aliqua moleſtia confitebimur. Et ſic contemptis ordinariis & eorum diſciplinis, peccatum copioſiùs exuberavit. Et dum mundus more marino talibus æſtuabat ebullitionibus, contigit quoſdam *Prædicatores*, ſuis armatos privilegiis, aſſumptis cornibus, Eccleſiam *ſancti Albani* (ubi ſicut moris eſt, Archidiaconus Eccleſiæ ipſius ritè ſynodum celebravit) ingredi; & monſtrantes ſua privilegia, ſeſe novis & inauditis poteſtatibus & dignitatibus communiri. Et dum unus eorum, qui videbatur alteri præeſſe, ſilentium prædicaturo ſibi dari imperiosè poſtulaſſet, reſpondit Archidiaconus: Moderatiùs te Frater habe, expecta paulìſper, donec diſcretioni veſtræ quæ ſentio demonſtraverim. Miramur nos ſimplices & veteribus atq; approbatis aſſueti conſuetudinibus, de hac novitate repentina. Nec mirum, ſi inaudita novitas admirationem generet cum ſtupore. Ut quid inſufficientes vel indignos officio nobis deputato, tam procaciter reputatis. Creditis vos ſolos de numero fore ſalvandorum, cùm dicat Apoſtolus: *Neſcit homo ſi ſit dignus odio vel amore?* Ingeritis vos jam non tantùm ad prædicandum, ut *Prædicatores* dicamini, ſed ad confeſſiones recipiendas, imò potius extorquendas, ut jam *Fratres confeſſores* accumulato titulo teneamini: fratres, non ſanum arbitror à certo recedere propter incertum: ab ritè viſitato, ad inuſitatum, ſine majoris conſilio deliberationis & Prioris veſtri conſultatione: vos nequaquam vel ad prædicandum, vel ad confeſſionum receptionem eorum, quibus de Abbatis præcepto præſum, adhuc recipio. Conſtat enim univerſali Eccleſiæ, hæc quæ vobis & omnibus hîc circumſedentibus eminùs demonſtrabo, à generali concilio, imò generaliſſimo, ſub *Innocentio.* iij. celebrato, anno gratiæ M. cc. xv. ubi præſentes fuerunt ex totius Chriſtianitatis univerſitate Primates, Archiepiſcopi. lxi. Epiſcopi cccc. & xii. Abbates verò & Priores D. ccc. fuiſſe ſtatuta & confirmata, omnibus mundi temporibus irrefragabiliter conſervanda. Et librum aperiens, monſtravit & legi fecit iſtam ſuper hoc decretalem.

Decretales ſuper prædictis. OMNIS utriuſque ſexus fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio ſacerdoti; & injunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſtudeat adimplere. Suſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de proprii ſacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus, ab ejus perceptione duxerit abſtinendum. Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur; & moriens, *Chriſtiana* ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur; ne quiſquam ex ignorantiæ cæcitate, velamen excuſationis aſſumat. Si quis alieno ſacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio ſacerdote; cùm aliter ipſe illum non poſſit ſolvere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati; diligenter inquirens, & peccatorum circunſtantias, & peccati quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere; diverſis experimentis utendo, ad ſanandum ægrotum. Caveat autem omninò, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo prodat aliquatenùs peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud ſine ulla expreſſione perſonæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolùm à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.

Mors David, Principis Northwalliæ. EODEMQUE anno, circa initium Veris, quando ſolent promptiùs ſe accingere præliaturi, ad belli neceſſaria, *David* Princeps *Northwalliæ*, & nepos Regis ex ſorore; poſt innumeras animi amaritudines, poſt terræ ſuæ deſtructionem, variáſque cædes, & famis inedias hominum ſuorum, perjurus & fratricida, quaſi variis tribulationibus laceſſitus, de hac valle morientium ad vallem tranſiit mortuorum; *Walliam* perturbatam, & miſerabiliter relinquens deſolatam. In cujus loco *Wallenſes* filium *Griffini* ſibi in Principem elegerunt. Quod cùm idem *Griffinus* audiſſet, Regem, qui eum in ſinu miſericordiæ receptaverat, & jam per multum temporis honorificè aluerat & exaltaverat, relinquens more leporino ad latibula *Wallenſium* ſaltu confugit repentino.

Parlamentum habitum Londini. Eodémque anno conditæ ſunt leges cum rigoris incremento, ſuper his qui furtivè damni faciunt in alienis parcis vel vivariis; prout pleniùs ſcribitur in libro literarum, pòſt inquiſitionis tranſgreſſionum de foreſta.

MEDIO verò Quadrageſimæ, videlicet die qua cantatur *Lætare Jeruſalem*, edicto Regio convocata, convenit ad parlamentum generaliſſimum, totius regni *Anglicanæ* totalis nobilitas *Londini*; videlicet Prælatorum tam Abbatum & Priorum quàm Epiſcoporum; Comitum quoque & Baronum; ut de ſtatu Regni jam vacillantis, efficaciter, prout exegit urgens neceſſitas, contrectarent. Angebat enim eos gravamen intolerabile, a curia *Romana* inceſſanter illatum; quod non poterant ſine nota deſidiæ, & imminente ruina tolerare. Qui eò anxiùs mentibus ſauciabantur, quod Papa promiſſionis ſuæ tranſgreſſor, graviùs quàm ante eorum querimoniam manum diatim exaſperans, aggravabat. Hæc enim ejus promiſſa in conciliò *Lugdunenſi* extiterunt. 1246.

INNOCENTIUS *& cætera. Univerſis tam Cathedralium quàm aliorum Prælatis, necnon patronis Eccleſiarum clericis & laicis per regnum* Angliæ *conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm noluerimus per nos, aut alios, auctoritate noſtra vobis inferri gravamina, ſed à quorumlibet moleſtiis defendere vos potiùs, ut ad nos pertinet intendamus; præſentium tenore vobis innoteſcat, quòd ſi dilectus filius Magiſter* Martinus *cameræ noſtræ clericus, de mandato noſtro aliquos veſtrum à collatione beneficiorum ſeu præſentatione ſuſpenderit, ſuſpenſionem hujuſmodi, niſi ſpecialiter pro certis perſonis, quas duodenario tamen numero comprehendi volumus, facta fuerit, duximus relaxandam: ita quòd inter ipſas perſonas, illæ quibus jam aliqua de prædictis beneficiis ſunt collata, vel quæ ſuper obtinendis eiſdem literas ab ipſorum patronis, vel eis ad quos illorum collatio ſpectat, habent, minimè computentur.* Aliud Privilegium.

INNOCENTIUS, *&c. Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per regnum* Anglorum *conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſedes Apoſtolica illo affectu* Anglicos, *proſequatur, ut ipſos inter alios conſilios multiplici favore proponat attollere, ac ſpeciali dono gratiæ honorare; magno deſiderio cupimus, eoſdem* Anglicos *devotionis ſtudio perſeveranter inſiſtere, ac laudabiliter exercitio proficere bonitatis, ut accepti & digni meritò inter cæteros habeantur. Hinc eſt quòd univerſitatem veſtram monemus, rogamus & hortamur, auctoritate Apoſtolica mandantes; quatenùs veſtrarum civitatum & dioceſum clericos, & eos qui aſcribi deſiderant militiæ clericali, præſertim nobilium & magnatum filios, attentis & ſedulis exhortationibus inducatis, ut honeſtati morum, ſcientiæ literarum & virtutum cultui ferventer intendant; ſtudentes omni diligentia ſe gratos & idoneos exhibere, ac ſedis prædictæ gratiam, aliorúmque benevolentiam, probitatis merito vendicare. Nos enim parati ſumus clericis* Angliæ *benè meritis, proviſionis Eccleſiaſticæ dexteram liberaliter aperire; ac etiam cum illis, quos velut nobiliores & probiores, ampliori gratia noverimus eſſe dignos, ſuper beneficiorum pluralitate honorificè diſpenſare.* Aliud.

INNOCENTIUS, *&c. Univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis per Regnum* Angliæ *conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Veſtra meretur devotio, ut vos* Apoſtolica *ſedes opportuno favore muniat, & gratiæ privilegio efferat ſpecialis. Hinc eſt, quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, volentes jura veſtra illæſa ſervari, univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur, auctoritate Apoſtolica mandantes; ut beneficia Eccleſiaſtica, ad collationem veſtram ſpectantia, cùm ea vacare contigerint, perſonis idoneis conferre, quæ velint & poſſint in eis utiliter deſervire, abſque cujuſlibet contradictionis obſtaculo, libere; prout ad vos pertinet, auctoritate prædicta, indulgemus. Nulli ergo hominum, &c.* Aliud.

INNOCENTIUS, *&c. Dilectis filiis, Eccleſiarum univerſarum patronis, per Regnum* Angliæ *conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Fervens* Anglorum *meretur devotio, ut eos Apoſtolica ſedes, tanquam ſpeciales filios, brachiis maternæ affectionis amplectens, & favore ipſos muniat opportuno, ac efferat gratiæ privilegio potioris. Hinc eſt, quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati, volentes jura veſtra illæſa ſervari; ut ad Eccleſiaſtica beneficia, in quibus jus habetis patronatus, cùm ea vacare contigerit, præſentare illos, ad quos eorundem beneficiorum ſpectat collatio, perſonas idoneas, quæ velint & poſſint in eis utiliter deſervire, abſque cujuſlibet contradictionis obſtaculo, liberè; prout ad vos pertinet, auctoritate prædicta indulgemus. Nulli ergo hominum, &c.* Aliud.

INNOCENTIUS, *&c. Illuſtri Regi* Angliæ, *&c. Excellentiæ tuæ præſentium tenore innoteſcat, quòd licèt cruceſignati in ſubſidium* Terræ ſanctæ, *ſint in multis exempti; nolumus tamen hujuſmodi cruceſignatos Regni tui, quoad ſolitas ejuſdem regni conſuetudines exemptos haberi, quin eas teneantur, ſicut alij, obſervare.* Aliud.

INNOCENTIUS, *&c. Illuſtri Regi* Angliæ, *&c. Excellentiæ tuæ præſentium tenore innoteſcat, quòd cùm nuper ſacro approbante Concilio, viceſimam omnium eccleſiaſticorum proventuum in ſubſidium* Terræ ſanctæ, *ac medietatem hujuſmodi proventuum quarundam eccleſiarum, perſonarum quarundam verò tertiam, & aliquarum viceſimam, in ſuccurſum Imperii* Romaniæ *ſtatuerimus deputandas, (prout in conſtitutionibus ſuper hoc editis expreſſius continetur,) nuncii tui, quos ad prædictum Concilium deſtinaſti, pro tuo totiuſque Regni tui parte, hujuſmodi conſtitutionibus in eodem Concilio contradicere curaverunt.* Cauſa autem contradictionis hæc fuit, quia ſcilicet decreverat Papa cenſum colligendi fore tradendum cui ipſe volebat, quod ſuſpectum fuit. Aliud. Cauſa contradictionis in Concilio pleno.

ITERUM eidem Regi, *Præſentium tenore magnitudini tuæ notum fieri* volumus, quòd etſi hactenus forte aliquibus eccleſiarum Prælatis, ut beneficia eccleſiaſtica quæ in Regno tuo ante ſuam promotionem habuerant, poſſent uſque ad certum tempus libere retinere, fuerit ab Apoſtolica ſede conceſſum, de cætero tamen non intendimus aliquibus ſimilia indulgere. Aliud.

1246. *Præterea unum privilegium, ne ſcilicet Italicus Italico immediate ſuccedat*, & hoc impetratum eſt propter fraudes eorum, qui mortuis beneficiatis, alios furtim ſupponebant, ſed omnia hæc & alia, per hoc repagulum *non obſtante*, infirmantur: ubi ergo fides? ubi jura, quæ ſcriptis ſolebant ſolidari? exularunt.

Rex Francorum Imperatorem Papæ reconciliare conatur.

EISDEM temporibus dum mundiale mare talibus exagitaretur turbinibus, *Fredericus* aliquantulum ad ſe reverſus, fortè perterritus, & inſurgentium inſultus pertimeſcens tam *Germanorum* quàm *Italicorum*, & tam ſuorum quàm vicinorum hominum, iramque Dei, ut credere pium eſt, formidans, tangitur ſpiritu meliori, & eo ei ſpiritum humilitatis largiente, qui per Prophetam ſuum *David* ait: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine:* obtulit domino Papæ ſuorum exceſſuum facere ſatisfactionem competentem. Super quo negotio, conſtituit procuratorem & mediatorem dominum Regem *Francorum*, qui partes ſuas diligenter interponens Papam adiit *Lugduni* commorantem, ſed tamen ipſi adventanti uſque *Cluniacum* occurrentem, tractatum ſuper hoc habiturus, ſi qua pacis forma poſſet inveniri. Obtulit autem dictus *Fredericus*, ut in *ſanctam Terram* irrediturus abiret, quoad viveret *Chriſto* ibidem militaturus, & totum regnum integraliter pro poſſe reſtituturus cultui *Chriſtiano*, ita ſcilicet ut filio ſuo loco ipſius in Imperiali dignitate ſubſtituto, piè diſpenſetur cum eodem *Frederico* & abſolvatur benignè, conceſſa ei plena peccatorum ſuorum venia, fiat de prævaricatore, famæ ſuæ integritate fœliciter reſtaurata, filius reconciliationis. Ad quod Papa: Ha quoties talia vel potiora promiſſa ſunt, quæ jurejurando confirmavit, quæ tantum non caſſa[illegible] ſpernens adimplere, ſed enormis eſt tranſgreſſio ſubſecuta. Et humiliter intuens Regem, ait, Domine *Francorum* Rex: fili chariſſime, non tantùm mea, ſed totius *Chriſtianitatis* agitur cauſa. Conſideret & prudenter attendat ſerena dominatio veſtra, quoties & quàm humiliter vocabatur expectante totius Concilii univerſitate reconciliandus, nec vocatus venit, ut ſtaret ſaluberrimo Concilio potiùs quàm judicio pariturus, & quæ priùs promiſerat, & in periculo animæ ſuæ juraverat, & per nobiles mediatores, qui in anima ſua juraverant, unde multum verecundantur, certiſſimè promiſerat, & in ſcriptis redacta topazio ſuæ majeſtatis ſignaverat, adimplere contempſit.

Quo teneam nodo mutantem Prothea vultus?

In omnibus ſe reddidit incredibilem. Cui pius Rex *Francorum*: Domine, nonne legitur in Evangelio, quòd *uſque ſeptuagies ſepties* pandendus eſt ſinus miſericordiæ veniam poſtulanti? conſidera dies quàm mali ſunt. *Terra ſancta* periclitatur, nec patet liberatio ejus, niſi eo poſt Deum propitio, qui portubus præeſt & inſulis & ſpacioſis terris mari conterminis, & qui novit omnia nobis peregrè profecturis profutura. Magna pollicetur. Peto & petens conſulo, tam pro me quàm multis aliis milium millibus peregrinaturis, proſperum tranſitum expectantibus, imò potiùs pro ſtatu univerſalis Eccleſiæ & *Chriſtianitatis*, accipite & acceptate tanti Principis talem humiliationem, *Chriſti* ſequentes veſtigia, cujus vicarius eſtis in terris, qui ſe uſque ad crucis patibulum legitur humiliaſſe. Quod cùm Dominus Papa erecta & rejecta cervice refutaſſet, dominus Rex *Francorum* receſſit iratus & indignans, eò quòd humilitatem quam ſperaverat in ſervo ſervorum Dei, minime reperiſſet.

Templarii & Hoſpitalarii captivos ſuos redimere volunt.

ET dum rotam circularem in actibus *ciſalpinorum* fortuna revolveret, in tranſmarinos *Chriſtianos* eventus etiam variavit fortuitos. *Templarii* namque & *Hoſpitalarii* comperientes propriam miſeriam, & ad ſe, licèt ſerò, revertentes, ſtatuerunt inter ſe orationes & jejunia præter ſolita ſpecialiter pro liberatione *Terræ ſanctæ* devotè facienda. Inſuper intelligentes, quòd magiſtri eorum cum quibuſdam militibus *Templariis* & aliis, detinebantur vivi incarcerati captivi in poteſtate *Soldani Babyloniæ*, miſerunt quoſdam de fratribus ſuis, quos noverant prudentiores, ad dictum *Soldanum*, ut cum eo efficaciter de captivorum memoratorum liberatione per redemptionem, licèt multam & multum precioſam taxantes, loquerentur, nec parcerent auri & argenti quantitati, aut numero. At ipſi impetrata pace ſalvò intermeandi, primò, Optimatibus *Soldani* munera precioſa obtulerunt; obſecrantes ut apud *Soldanum* pro eis diligenter intercederent, ut quantum vellet auri & argenti pro redemptione magiſtrorum ſuorum, & quorundam fratrum, quos tenebat incarceratos, acciperet. Hæc autem cùm *Soldanus* cognoviſſet, ipſos interpretes increpando, & eoſdem *Templarios* & *Hoſpitalarios* redarguendo, ait; Miſeri ſunt iſti *Chriſtiani*, quos dicimus *Templarios* & *Hoſpitalarios*, legis & ordinis ſui tranſgreſſores. Primò enim voluerunt paucis tranſactis annis ſuum Imperatorem *Fredericum* in ſervitio *Chriſti* ſui peregrinantem, prodere fraudulenter, ſed per propitiam pietatem noſtram non prævaluerunt. Iterum, ipſi qui ſeſe ut fratres ad invicem diligere tenerentur, & in neceſſitatibus coadjuvare, bellum hoſtile inter ſe, & odium inexorabile jam per quinquennium continuarunt, nec poterat Comes *Richardus*, frater Regis *Angliæ*, qui inter *Chriſtianos* habetur clariſſimus, pacificare; treugaſque cautè ab ipſo initas ipſi *Templarii* in contemptum dicti *Richardi*, quem Garcionem eſſe aſſerebant, & in contumeliam fratrum ſuorum videlicet *Hoſpitalariorum* procaciter infregerunt. Item, nuper in bello inter nos & ipſos commiſſo, primicerius eorum & ſignifer, quem Balcaniferum vocant, contra ordinis eorum decretum, primus recalcitravit, in prælio fugitivus. Nunc autem mala malis addentes,

addentes, & ordinis ſui tranſgreſſiones tranſgreſſionibus accumulantes, magiſtros ac fratres ſuos captivos pro magna pecuniæ quantitate ſatagunt comparando redemere, quos non niſi pro zona quadam vel capiſtro, ſecundum ordinis eorum tenorem, novimus redimendos. Merito igitur multiplici tradidit eos Deus eorum in manus odientium eoſdem carceri mancipandos. Et ſic auſtero vultu & torvo aſpectu recedere juſſit pro eis intercedentes, aſſerens incarceratorum conditionem fore protinus aggravandam. Quòd cùm nunciis relatum fuiſſet, triſtes receſſuri dixerunt dictis mediatoribus: Et quid in hoc articulo agendum eſt? dedimùſne fruſtra vobis, in quibus ſperavimus, munera? conſulatis nobis efficaciter, qualiter noſtri incarcerati, quos exigimus, valeant liberari. Reſponderunt interpretes: Verè nobis munera contuliſtis deſiderabilia, & nos vobis perinde fidele conſilium rependemus. Ecce ſumma negotii veſtri. Procurate ut dominus Imperator *Fredericus* quem dominus noſter ſupra omnes mortales diligit & reveretur, vel nuncio vel ſcripto ſignificet domino noſtro levi ſaltem ſupplicatione, & indubitanter gratis quos petitis omnes liberabuntur. Reſponderunt nuncii: Nunquam quamdiu vitales auras attrahimus, ad hujus conſilii conſenſum incurvabimur. Et ſic ſine ſpe captivorum liberationis, acriter redarguti, cum confuſione redierunt. Ex cujus rei tenore colligi poteſt, quanta familiaritas *Fredericum* cum dicto *Soldano* copulavit. 1246.

CONVENIENTIBUS igitur ad Parlamentum memoratum totius Regni Magnatibus, die videlicet qua cantatur *Lætare Hieruſalem*, in primis aggreſſus eſt, dominus Rex ore proprio Epiſcopos per ſe, poſteà verò Comites & Barones, deinde autem Abbates & Priores. V[illegible] ſuper his, pro quibus miſerat nuncios ſuos ſolempnes ad concilium *Lugdunenſe*, & quaſdam indulgentias & literas Papales, præſenti libro prænotatas, quas dicti nuncii reportarunt, eis oſtendit, & qualiter dominus Papa dictis nunciis, pro Rege & Regno multa bona promiſit ac præmiſit. Sed quia dominus Rex poſt indulgentias memoratas, dictáq; promiſſa, magis ſenſit Papam, prout communiter audivit, & verè poſteà didicit, manum aggravare, & quaſi per contemptum plus ſolitò in Regnum protervire, eccleſiam opprimendo, oſtendit eis articulos ſuper gravaminibus & oppreſſionibus eccleſiæ & regni ſui, quorum tenor talis eſt. *Conventus omnium Nobilium Angl.*

GRAVATUR Regnum *Angliæ*, eò quòd dominus Papa non eſt contentus ſubſidio illo quod vocatur *denarius beati Petri*, ſed à toto clero *Angliæ* gravem extorquet contributionem, & adhuc multa graviora nititur extorquere, & hoc facit ſine domini Regis aſſenſu vel conſenſu, contra antiquas conſuetudines, libertates, & Regni jura, & contra appellationem & contradictionem procuratorum Regis & Regni, in generali Concilio factam. *Gravamina Regni Angl.*

ITEM, gravatur Eccleſia & regnum, eò quòd patroni eccleſiarum ad eas cum vacaverint clericos idoneos præſentare non poſſunt, prout dominus Papa per literas ſuas eis conceſſit, ſed conferuntur eccleſiæ *Romanis*: qui penitus idioma Regni ignorant, in periculum animarum, & extra Regnum pecuniam aſportant, illud ultra modum depauperando.

ITEM, gravatur in proviſionibus à domino Papa factis, in penſionibus exigendis, contra literarum ſuarum tenorem. In quibus continetur, quòd ex omnibus retentionibus factis in *Anglia* non intendebat conferre, niſi xii. beneficia poſt prædictarum confectionem literarum: ſed credimus multa plura beneficia ab eodem poſteà eſſe collata, & proviſiones factas.

ITEM gravatur quòd *Italicus Italico* ſuccedit, & quòd *Anglici* extra regnum in cauſis auctoritate Apoſtolica trahuntur, contra Regni conſuetudines, contra jura ſcripta, eò quòd inter inimicos conveniri non debent: & contra indulgentias à prædeceſſoribus domini Papæ, Regi & Regno *Angliæ* conceſſas.

ITEM, gravatur ex multiplici adventu illius infamis nuncii, *Non obſtante*, per quem juramenti religio, conſuetudines antiquæ, ſcripturarum vigor, conceſſionum auctoritas, ſtatuta jura & privilegia debilitantur & evaneſcunt, quòd infiniti de Regno *Angliæ* oppreſſi ſunt graviter & afflicti, nec ſe dominus Papa versùs Regnum *Angliæ* in plenitudine ſuæ poteſtatis revocanda, curialiter ita vel moderatè gerit, prout procuratoribus Regni ore tenus dederat in promiſſis.

ITEM, gravatur in talliis generalibus, collectis & aſſiſis ſine Regis aſſenſu & voluntate factis, contra appellationem & contradictionem procuratorum Regis, & univerſitatis *Angliæ*.

ITEM, gravatur eò quòd in beneficiis *Italicorum*, nec jura, nec pauperum ſuſtentatio, nec hoſpitalitas, nec divini verbi prædicatio, nec eccleſiarum utilis ornatus, nec animarum cura, nec in eccleſiis divina fiunt obſequia, prout decet, & moris eſt patriæ, ſed in ædificiis ſuis parietes cum tectis corruunt, & penitus lacerantur.

HÆC autem attendentes univerſi ac ſinguli, unanimiter conſenſerunt, ut adhuc ob reverentiam ſedis Apoſtolicæ, domino Papæ humiliter ac devotè, tam per Epiſtolas, quàm per ſolennes nuncios ſupplicarent, ut tam intolerabilia gravamina & jugum ſubtraheret importabile. Scripſerunt igitur domino Papæ in hæc verba.

REVERENDO *in Chriſto Patri*, Innocentio *Dei gratia ſummo Pontifici, Epiſcopi* Cantuarienſis *Provinciæ ſuffraganei, cum recommendatione pedum oſcula beatorum. Sedis Apoſtolicæ benignitas, quæ nos nuper in Concilio* Lugdunenſi *conſtitutos, in ſinu honoris & ſpecialis dilectionis collocavit,* *Querela omnium Anglorum ſuper prædictis oppreſſionibus.*

nec

1245. nec non ejus ſublimitas, quæ tot affectibus noſtræ condeſcendit parvitati, ad zelum honoris & optatæ proſperitatis ſanctæ matris noſtræ, populi peculiaris, & ſpiritualium quodammodò adoptionis filiorum animos noſtros, cor, & affectus, fervore fidei & affectu ſinceritatis advocant, utpote qui pro ea & ejus honoribus animo libenti laborare diſponimus, & ejus tranquillitati pro viribus ſtudere, ut tenemur. Sanè, quantò magis in devotione optamus reperiri ferventiores, tantò profectò, noſtrum populum & Regnum in unitate eccleſiæ matris noſtræ tenemur confovere ſtudioſiùs. Quod utique abſque dictæ ſedis adjutorio ſpeciali, nulli prorſus via per nos poterit adimpleri. Nuper ſiquidem cùm in Concilio illuſtris Principis & domini Angliæ Regis, in media Quadrageſima, eſſemus præſentes, quædam audivimus, quæ veſtræ ſanctitati referimus dolentes, Regem ſcilicet & proceres, necnon populum quaſi univerſum rodere, ac multiplicatis querimoniis murmurare, quòd in collationibus beneficiorum, quæ per proviſores in Anglia fiunt incunctanter, Nobilium atq; aliorum vocationibus, contra eorum & Regni privilegium, ad judicia extra Regnum, necnon aliis pleriſq; moleſtiis, quas veſtræ beatitudini, ut credimus, pleniùs inſinuare proponunt, ipſi & regnum atq; populus univerſus jugo oppreſſionis intolerabilis exiſtunt prægravati. Et hæc publicè objurgantes proponebant in cordibus quaſi ſe malle mori, quàm ea, cùm magis ac magis de die in diem pullulare videantur, diutiùs tolerare, præſertim cùm eadem gravamina, ipſos & eorum populum ſæpius, ut aſſerunt, ac duriùs affligant, promiſſione moderaminis, quam ipſorum procuratoribus à veſtra ſanctitate in ſupradicto concilio factam eſſe dicunt, jam non obſtante. Clamor inſuper & tumultus tot & tantorum, quamvis nobis periculoſus videretur, & ad diu tolerandum gravis, tamen per [illegible]ni ad hoc diligentia qua novimus laborare curavimus, ulla prorſus ratione nequiverat ſedari. Sanè [illegible]ec ſic procedant, dolorum initia & multorum malorum in Anglia, ut perpendimus & timemus, eru[illegible] fomenta, pedibus veſtræ ſanctitatis lachrymoſis precibus proſtrati deprecamur: quatenus fidei Anglicanæ fervorem attendentes, & quòd idem regnum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſpecialiter extiterit devotum, turbationem ejuſdem regni paterno occurrentes ſolatio, illis de Regno in his quæ ad ſalutem & tranquillitatem pertinent ipſorum, ob Deì reverentiam proſpicere velitis. Et nos eoſdem, quorum ſitimus ſalutem & quietem, ſic in unitate fidei & devotione eccleſiæ ſtudebimus conſervare, quòd Deo & eccleſiæ, necnon vobis, pater reverende, Chriſto propitio, cedet ad honorem. Ad hoc placeat ſanctitati veſtræ, præfati Principis noſtri & fratris ejuſdem Comitis Cornubiæ, animos ſub honeſtatis forma pacificare, qui in facto pro invicem ſe fore proponunt, non modicum gravatos, & cauſam aſſerunt gravaminis memorati, favorem eccleſiæ Romanæ parti adverſæ nimis attributum.

Literæ Abbatum Angliæ ad Papam.

SANCTISSIMO patri ac domino in Chriſto chariſ. Innocentio Dei gratia univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, devoti filii ſui Abbates & Priores eorumq; conventus provinciæ Cantuarienſis & Eboracenſis, ſalutem & pedum oſcula beatorum. Divinæ providentia majeſtatis in numero, pondere, & menſura diſponens univerſa, eccleſiæ ſponſæ ſuæ ſic jecit in petra ſolida fundamentum, ut ſuper ſtructura ſtabilis fundamenti cæmento ſanguinis filii ſui fortiùs ſolidati, faciliùs & fælicius ſurgeret paries erigendus. Eccleſia quidem univerſalis, qui à ſanguine Chriſti, qui piùs clamat veniam quàm vindictam, ſic ſuo ſponſo diſponente, ſub uno patre regitur ac paſtore, ſicut arca in cataclyſmo regebatur in cubito conſummata. Sanè Chriſtus, Dei virtus & ſapientia, eccleſiam univerſalem, tanquam ſponſam unicam, ſibi copulavit, quia una eſt columba ſua, electa ſua, quæ licet in particulares ſit diviſa, non tamen eſſe debet à cultu divino diſcrepans aut diverſa: eccleſia quidem Anglicana ſe ſemper ſponſo ſuo, qui cum ea traxit in utero Virginali abſque macula ſive ruga, inceſſanter exhibuit glorioſam. De civitate enim Dei, ſcilicet Eccleſia Anglicana, uſque ad tempora noviſſima dicta ſunt glorioſa, quæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ membrum ſpeciale, mons Libani decor, Carmeli & Saron, in divinis obſequiis frequens ac ſollicita, cum candore munditiæ, tanquam aquam cor effundens puras ad Deum levat manus, orationis thura ad conſiſtorium Trinitatis jugiter dirigendo. Licèt autem divinis obſequiis ſit intenta non modicum, condolet, triſtatur, & turbatur propter exactiones, oppreſſiones, & tribulationes multimodas, quæ invenerunt eam nimis. Quia, ut ex aſſertione Magnatum, necnon & clamore populari accepimus, ventus irruens à deſerto quatuor ipſius angulos, tanquam domum Job, vehementer impulit & concuſſit. Unde ipſa plauſum in planctum, & lætitiam commutavit in lamentum, quia anima ejus in amaritudine eſt, niſi per veſtræ gratiam majeſtatis, caput ipſius jam demiſſum, ſublimiùs elevetur. Ad vos igitur, pater reverende, tanquam ad columnam, quam fixit Deus & non homo, eccleſia Anglicana recurrit, confidenter ſperans in Domino, qui facit bonitatem, quòd contra oppreſſiones ipſius ſalubrem adhibebitis medicinam, & per juſtitiam, quæ de cœlo proſpexit, mediante Dei & hominis unione, unicuique jus ſuum tribuetis, & in ſua juſtitia conſervabitis univerſos. Cum igitur ſimus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ filii fideles ac devoti, ut jacula præviſa minùs lædant, præmiſſa ſedi Apoſtolicæ duximus intimanda, videntes eidem multiplex periculum imminere, & niſi in multis à vobis contingat remedium adhiberi, timendum eſt ne tumultus fiat in populo, ſcandalum oriatur, & ſchiſma multipliciter generetur. Commovetur enim populus contra Regem, ab ipſius fidelitate paratus recedere, niſi contra morbos imminentes per potentiam Regiam citiùs occurratur. Aſſerunt enim Proceres & Magnates, quòd ſi eccleſiæ collatæ Monaſteriis, ab eiſdem, clericis Italicis conferantur, ipſas Eccleſias & alii beneficia in proprietatem ſuam juſtè poterunt revocare, quia ex eis fructus provenientes ad uſus pauperum & peregrinorum, debent de jure deputari, cùm hæc fuiſſet intentio conferentium, & cauſa conferendi. Provideat ergo ſanctitas veſtra, ut regnum & ſacerdotium nullatenus ſint diviſa. Quia ſi eccleſia Anglicana, quæ quondam fuit poſita in ſuperbia ſæculorum, ſecundùm verbum Propheticum, quaſi terra Gigantum, detrahatur in ruinam, inter Regnum & Sacerdotium diviſione facta, gemat tam populus quàm ſacerdos, & ex hoc ſtrages multorum poſſet ſubſequi ſine mora. De injuriis, de

quibus

1246.

quibus Proceres ac Magnates conqueruntur, per latores præſentium poteritis edoceri, ut correctione ſubſequente, mæror eorum in gaudium convertatur.

Literæ univerſitatis Angliæ ad Papam.

SANCTISSIMO, &c. *Devoti filii ſui Comes* Cornubiæ Richardus, Simon *de* Monte Forti, *Comes* Legreceſtriæ, *de* Boun, *Comes* Herefordiæ & Eſſexiæ R. *le* Bigod, *Comes* Northfolkiæ, R. *Comes* Gloverniæ & Herefordiæ, R. *Comes* Wintoniæ, W. *Comes* Albemarliæ, H. *Comes* Oxonienſis, & *alii totius Regni* Angliæ, *Barones, Proceres, & Magnates, ac nobiles portuum maris habitatores, necnon & clerus & populus univerſus, ſalutem, & debitam tanto Pontifici in omnibus reverentiam. Sic mater Eccleſia tenetur filios ſuos confovere, ipſos ſub alas ſuas congregando, ut filii ſui non degenerent in obſequio matris ſuæ, ſed pro matre, ſi neceſſe fuerit, manum ſuam mittant ad fortia, & arma & ſcutum aſſumentes pro defenſione ſua cuilibet diſcrimini ſe opponat, de cujus uberibus lac ſugunt conſolationis, & ad ipſius dependent ubera pietatis. Mater enim filiorum uteri ſui debet reminiſci, ne ſi ſecus fiat, lactis pabulum ſubtrahendo, videatur novercari. Pater etiam à filiis ſuam ſubtrahens pietatem, non pater, ſed vitricus meritò debet appellari, cùm filios naturales, ſpurios reputat aut privignos. Idcirco pater reverende,* currus Iſrael & auriga ejus, *ad aſylum veſtræ pietatis recurrimus confidenter, clamantes poſt vos. Implorantes etiam humiliter & devotè, quatenus ob ſpem retributionis divinæ, voces clamantium poſt vos dignemini miſericorditer exaudire, & gravaminibus, injuriis, & oppreſſionibus regno* Angliæ, *& domino noſtro Regi multipliciter impoſitis ac illatis, velitis ſalubre remedium adhibere. Alioquin neceſſe eſt ut veniant ſcandala, clamore populi tam dominum Regem quam nos intolerabiliter impellente. Quoniam niſi de gravaminibus domino Regi & Regno illatis, Rex & Regnum citiùs liberentur, oportebit nos ponere murum pro domo Domini, & libertate Regni. Quod quidem ob Apoſtolicæ ſedis reverentiam hucuſque facere diſtulimus, nec ultra reditum nunciorum noſtrorum, qui propter hoc ad ſedem Apoſtolicam mittuntur, diſſimulare poterimus, quin Regni* Angliæ *tam clero quàm populo, qui talia nullatenus ſuſtinebunt, pro viribus noſtris ſubveniamus. Et niſi citiùs prædicta per vos corrigantur, pro certo teneat veſtra ſanctitas, quòd non immeritò timeri poteſt, quòd tam Eccleſiæ* Romanæ *quàm domino Regi tale periculum imminebit, quod eidem remedium, quod abſit, de facili non poterit adhiberi.*

Litera Regis ad Papam pro liberatione Angliæ ab oppreſſionibus Papalibus.

SANCTISSIMO, &c. *Novit ille qui nihil ignorat, quòd matrem noſtram* Romanam *eccleſiam ſemper habemus in viſceribus dilectionis ſinceræ, ſicut eam quam non diligere valemus, & ad quam imminentibus neceſſitatis articulis, ut filius ad matrem, quem ſuis lactavit uberibus, fovere tenetur, ſub ſua protectione ſpecialiter militantem, confugimus confidenter. Verùm clamorem incomparabilem magnatum* Angliæ, *tam cleri quàm populi, non poſſumus obaudire, quantumcúnq; dilectionis affectionem erga dictam matrem noſtram gerimus, & gerere jugiter per Dei gratiam intendamus. Dicti nàmq; Magnates magis ſolito invaluêre clamantes, ut nos ab oppreſſionibus aliàs per nuncios ſuos ſolempnes vobis oſtenſis, quæ ſicut ferunt, noviſſima magis gravant, majeſtas regia faceret liberari. Quapropter cùm dicti Magnates ad præſentiam noſtram meritò deſtinent nuncios ſpeciales, ſanctitati veſtræ ſupplicamus attentè, ut eorum ſupplicationibus taliter velitis annuere, quòd tam matri noſtri, quàm vobis filios, nos reddatis benevolos & devotos. Ne ſi ſecus agatur, eccleſia* Romana, *& nos in tali ſimus periculo conſtituti (quod avertere dignetur ſua miſericordia Deus mendiante,) quòd nos oporteat in perpetuum ſubjacere.*

Aliæ ejuſdem ad Cardinales de eadem re.

VENERABILIBUS *in* Chriſto *Patribus univerſis & ſingulis, Dei gratia ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ Cardinalibus,* H. *ejuſdem gratia Rex* Angliæ, *&c. ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum. Quantumcunque* Romanam *eccleſiam diligamus, & ipſius affectemus commodum & honorem, clamorem Magnatum noſtrorum* Angliæ *tam cleri quàm populi, qui magis ſolitò invaluêre clamantes ſuper oppreſſionibus, tam domino Papæ, quàm vobis alias ſignificatis per ſolempnes nuncios eorundem, diſſimulando non poſſumus pertranſire. Quapropter ipſi domino Papæ ſupplicant humiliter & devotè, ut juſtis ſupplicationibus eorum ei faciendis per nuncios iteratos taliter condeſcendat, quòd ipſos dictæ eccleſiæ & nobis reddat magis favorabiles & devotos, & à fidelitate veſtra nullatenus alienos. Paternitatis etiam veſtræ dilectionem attentè rogamus, quatenus partes veſtras velitis interponere diligenter, ut iterati nuncii dictorum Magnatum à domino Papa & vobis poſſint taliter exaudiri, quòd præfatæ eccleſiæ & nobis non videatur periculum imminere, cui nos oporteat in perpetuum ſubjacere, quod timetur non modicum ab univerſis & ſingulis regni noſtri. Teſte meipſo. Apud* Weſtmonaſterium, *vigeſimo octavo die Martii, anno Regni noſtri trigeſimo.*

Querelæ querelis adduntur.

CUM autem dominus Rex ſupra prædictis oppreſſionibus quotidie ſupervenientibus, (de quibus querelæ multiplicabantur circumquaque) acceſſerunt multi per curiam *Romanam* enormiter læſi & damnificati, ſperantes dominum regem & ſuos in concepto propoſito firmiter permanſuros, multas injurias ſibi illatas ad recentem memoriam Regis & Regii conſilii conquerendo ſuſcitarunt. Et quædam quæ priùs non recolebantur, per querulos articulis prioribus addebantur injuriæ, non minimum Regi & Regno derogantes. In hunc modum:

Querelæ ſuper curia Romana.

NUPER etiam ab Apoſtolica ſede emanarunt literæ, non modicum Regis & Regni præjudicium continentes. Videlicet, quòd aliqui Prælati decem milites ſtrenuos, etiam aliqui quinque, & aliqui quindecim invenirent domino Papæ, qui in ſervitio eccleſiæ *Romanæ* ſtarent per annum integrum, & Prælatorum ſtipendiis militarent, cum equis & armis ſufficienter inſtructi, ubi dominus Papa duxerit providendum. Quod ſervitium militare nulli niſi ſoli Regi & Regni Principibus debetur, nec ab aliquo uſque ad noſtra tempora, aliquo tempore exactum

 fuiſſe

1246. fuiſſe recolitur. Et ſi ſummo Pontifici placuiſſet, abſque aſſenſu Regio hujuſmodi exactionem feciſſe, aut pro ea non modicam redemptionem recepiſſe, nullatenus debuiſſet. Præterea, ne dominus Rex contra hoc ſibi proſpicere potuiſſet, fraudulenter fuit à quibuſdam nunciis eccleſiæ proviſum, & ſingulis Prælatis ab eiſdem mandatum, quòd hujuſmodi exactionem & pro eo gravem redemptionem receptam, uſque ad dimidium annum, ſub pœna excommunicationis, nulli omnino revelarent. Item, in univerſorum & ſingulorum patronorum eccleſiarum *Angliæ*, præjudicium non modicum & gravamen, his diebus domino *Cantuarienſi* conceſſum eſt, ut obventiones ſive fructus unius anni beneficiorum, quæ vacare contigerint in provincia *Cantuarienſi*, eidem Domino *Cantuarienſi* conferantur.

Terra ſancta paulatim reſpirat ab afflictione Babyloniorum.

EISDEMQUE temporibus, deteſtabiles *Choroſmini*, completo eorum in *Terra ſancta* facinore, exigebant à *Soldano Babyloniæ* inſtanter & protervè, ut quædam ſibi promiſſa & pacta pro labore ſuo bellico, ſibi ſine percunctatione ac difficultate perſolveret. Quibus cùm *Soldanus* memoratus procaciter ac negativè reſpondiſſet, aſſerens ipſos ſatis ditari ex ſpoliis devictorum: dixerunt *Choroſmini*, quòd etſi ſpolia reportaſſent, tamen perſonas captivorum nobiles & magnis theſauris redimendos, ipſi *Soldano* præſentaverunt. Et cùm ex talibus verbis orirentur jurgia, receſſerunt omnes ab eodem *Soldano* in furore & iracundia comminando. Et facta cum *Soldano Damaſci* pactione, & inito fœdere, adhæſerunt ei. Et dedit idem *Soldanus Damaſci*, in odium & perniciem *Babyloniorum*, filiam ſuam nuptui Principi *Choroſminorum*. Et ex tunc *Damaſci* reſpirantes potenter *Babylonios Chriſtianis* inimiciſſimos debellarunt adjutorio freti *Choroſminorum*. Quod cùm *Chriſtiani* cognoviſſent, ex *Saracenorum* diſcordia, & præcipuè ex hoſtium diſcrimine, qualemqualem ſpem & conſolationem conceperunt.

Fredericus Imp. purgat ſe à crimine hæreſeos.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, *Fredericus* quem nominare Imperatorem prohibet eccleſia, ut famam ſuam reſtauraret, quam de hæreſi præcipuè læſam enormiter ſentiebat, hanc epiſtolam nobilibus *Angliæ*, quos omnes cum Rege ſperabat viriliter contra importunitates Romanæ curiæ certaturos, duxit tranſmittendam.

Litera Imperialis.

FREDERICUS, &c. *Prælatis eccleſiarum, Comitibus, & Baronibus, Nobilibus & univerſis per Regnum* Angliæ *conſtitutis, quibus præſentes literæ oſtenſæ fuerint, devotis & amicis ſuis, ſalutem & omne bonum. Etſi cauſæ noſtræ juſtitiam, vulgaris famæ præloquium, & regionum veridica teſtimonia nunciorum, ad univerſitatis veſtræ notitiam perduxiſſe credamus, quia tamen* ſegniùs irritant animum demiſſa per aurem, *quàm quæ ſunt oculis demiſſa fidelibus, ipſam puram & nudam veritatem proceſſus, quem contra nos ſummi Pontifices hactenus habuerunt, veſtro conſpectui præſentamus. Ad cujus inſpectionem plenariam & attentam, à tot temporibus & diebus noſtris negociis deputatos, unum ſufficiens tempus & diem nobis affectio veſtra concedat, quo ſi licuerit attentè conſilia veſtra ritè conſiderent, ſi fuerit in Pontificibus noſtris Pontificalis rectitudinis zelus: ſi nobis tot & tantis injuriis laceſſitis, juſta debeat defenſio denegari: ſi demùm* Chriſti *Vicarii,* Chriſti *vices impleverunt, & ſi prædeceſſoris* Petri *ſucceſſores, ejuſdem imitentur exemplum. Conſiderent etiam, quo jure cenſeri debeat proceſſus hujuſmodi contra nos habitus, vel quo nomine nuncupari, ſi dici valeat ſententia, quam Judex incompetens promulgavit. Nam etſi nos noſtræ Catholicæ fidei debito ſuggerente manifeſtiſſimè fateamur, collatam à Domino ſacroſanctæ* Romanæ *ſedis Antiſtiti, plenariam in ſpiritualibus poteſtatem, quantumcunque quod abſit, ſit ipſe peccator, ut* quod in terra ligaverit, ſit ligatum in cœlis, quod ſolverit, ſit ſolutum; *nuſquam tamen verum legitur divina vel humana ſibi lege conceſſum, quòd transferre pro libito poſſit Imperia, aut de puniendis temporaliter in privatione Regnorum Regibus aut terræ Principibus judicare: cùm licèt ad eum à jure & more majorum, conſecratio noſtra pertineat; non magis ad ipſum privatio ſeu remotio pertinet, quàm ad quoſlibet Regnorum Prælatos; qui Reges ſuos prout aſſolet, conſecrant & inungunt. Eſto ſine præjudicio noſtro, quod habeat hujuſmodi poteſtatem: eſtne iſtud à plenitudine poteſtatis ipſius quòd nullo prorſus ordine juris aut ordinis jure ſervato, animadvertere poſſit in quoſlibet quos aſſerit ſuæ ditioni ſubjectos? Proceſſit enim contra nos nuper, ut dicitur, non per accuſationis ordinem, cùm non accuſator apparuiſſet idoneus, nec inſcriptio præceſſiſſet, & nec per denunciationem, legitimo denunciatore ceſſante, nec per inquiſitionis modum, quam clamoſa inſinuatio non præceſſit. Cùm etiam nullorum Inquiſitorum facta nobis extiterit copia; ſi qui forſan occultè, cùm nulli fuerint, per hujuſmodi judicem ad inquiſitionem addicti. Aſſerit omnia fore notoria, quæ nos eſſe notoria manifeſtè negamus, & eſſe notoria, per legitimum teſtium numerum non probantur. Sic enim quilibet Judex poſſet per ſe, ſolum crimen aſſerendo notorium ſpreto juris ordine, quemlibet condempnare. Inſurrexerunt in nos in Concilio, ſicut dicitur, aliqui teſtes iniqui, vel valde perpauci, quorum unum, veluti* Calmenſem *Epiſcopum, ſuis, fratre videlicet & nepote, per nos ex cauſa proditionis ad ſuſpendium legitimè condempnatis, offenſa rationabilis nobis reddidit odioſum, & juſtè propterea repellendum. Aliquos, tanquam ex ultimis partibus* Hiſpaniæ *prodeuntes,* Tarraconenſem *ſcilicet &* Compoſtellanum *Antiſtites, negotiorum* Italiæ *natalis ratione longinquitas in ſuos & eoſdem venenoſæ ſubornationis inductio, noſtræ juſtitiæ fecit infeſtos. Eſto præterea, quòd legitimi fuerint ſubſiſtentibus teſtibus, Actor & Judex, defuit tertius, qui vel præſens, vel contumaciter abſens, ſecundùm juſtitiam debuit condempnari. Citati námq; in prædicatione ſua* Lugduni, *ſicut audivimus, licèt prorſus informiter, videlicet, quòd ipſi citanti & aliis nullis aliorum omnino perſonis, aut cauſis expreſſis, facturi juſtitiam debemus per nos vel reſponſales idoneos comparere: præſentes pro certo non fuimus, ſed ex juſtis cauſis abſentes, ad quarum allegationem admiſſi reſponſales noſtri legitimi non fuerunt, nec abſentes contumaciter fuimus, cùm præter id quòd nulli fuerit citatio, ut eſt dictum,*

peremptorium

peremptorium terminum, prout ordo juris expoſtulat, citatio non haberet prout citationis forma Principibus & Prælatis miſſa, per literas evidenter oſtendit contumaciam noſtram. Præterea magiſtri Thaddei de Sueſſa, magnæ curiæ noſtræ Judicis dilecti fidelis noſtri procurationis, plenum mandatum accuſat, cujus autoritas ex eo quòd contra nos, non ex civilibus, ſed ex criminalibus ſit proceſſum, ad quæ fruſtra procurator intervenit, nullatenus enervatur, cùm ipſius citationis tenor, quæ nos aut procuratores noſtros exigit, manifeſtè contrarium dediſſet intelligi. Videlicet, quòd contra nos non criminaliter, ſed tantùm civiliter fuiſſet agendum; prædictis etiam omnibus, abſque noſtræ juſtitiæ præjudicio, circumſcriptos. Dato quòd manifeſtè fuerimus contumaces, non eſt iſta legitima contumaciæ pœna, quòd delatus aut accuſatus & contumax per diffinitivam ſententiam ante cæptum ritè judicium, privato vel publico judicio nullo à ſua cauſa diſcuſſa, debeat condemnari. Sunt enim in talibus aliæ contumacium pœnæ, Civilibus legibus & Canonicis introductæ. Deniq; poſito, quòd omnia prædicta juris præſidia, licèt irrefragabilia, cauſæ noſtræ deficiant; ipſius pronunciationis tenor ipſam ſententiam nullam oſtendit, per quam, non procurator noſter præſens, ſed nos abſentes extitimus condempnati, quam ipſo jure nullam eſſe ſententiam, leges & jura quælibet manifeſtè declarant. Evidentem quoq; proceſſus & procedentis iniquitatem cauſæ denotant, quas in ſententia comprehendit, à quibus nos incorruptibilis veritas & publica munimenta defendunt: prout ſeriatim hæc fida relatio latoris præſentium, ipſorum munimentorum tenor manifeſtiſſimè profitetur, quanquam ad tam diræ pœnæ ſententiam, ſi tamen ſententia dici poteſt, quæ contra nos præcipitata dignoſcitur, contra Romanum Principem, omnia prædicta & ſingula minimè ſuffeciſſent. Manifeſtum námq; præcipitium, & ex præconcepto jamdudum animi fervore fuiſſe dignoſcitur in prædictis, dum venerabilem Friſſegenum Epiſcopum dilectum Principem fratrem H. magiſtrum domus Hoſpitalis Theutonicorum, etiam magiſtrum P. de Vinca, magnæ curiæ noſtræ Judicem, dilectos fideles noſtros, quos ultimò pro omnimoda conſummatione tractatæ pacis ad Concilium miſeramus, ſaltem per triduum ſummus Pontifex noluit præſtolari. Non expectato etiam magiſtro Walterio de Ocra, Capellano, Notario, & fideli noſtro, qui de conniventia ſummi Pontificis, & quorundam de fratribus ad nos miſſus, per viginti dies expectari debuit. Hoc fuit ſolummodo per biduum, quo tempore prædicti proceſſio iniqui Lugduno diſtabat, ad multa Nobilium & quàm plurium Prælatorum inſtantiam expectatus. Apparet nihilominus animoſa nimis, & ampulloſa non minus, ex ipſius inflictæ pœnæ ſeveritatis ſententia, per quam Imperator Romanus, Imperialis rector & dominus manifeſtus, læſæ majeſtatis crimine dicitur condempnatus: perquàm ridiculoſe ſubjicitur legi, qui legibus omnibus Imperialiter eſt ſolutus, à quo temporales pœnæ ſumendæ, cùm temporalem hominem ſuperiorem non habeat, non ſunt in homine, ſed in Deo. Spirituales autem pœnas, per ſacerdotales nobis pœnitentias indicendas, tam pro contemptu clavium, quàm pro aliis tranſgreſſionis humanæ peccatis, nedum à ſummo Pontifice (quem in ſpiritualibus patrem noſtrum & dominum profitemur, ſi tamen nos filium debita relatione cognoſcat) ſed per quemlibet ſacerdotem reverenter accipimus, & devotè ſervamus. Ex quibus omnibus manifeſtè liquet, quòd potiùs ignominiosè quàm juſtè habendos nos dixerit à Catholica fide ſuſpectos, quam nos teſte ſupremo Judice in omnibus & ſingulis ejuſdem articulis, ſecundùm univerſalem eccleſiæ diſciplinam & approbationem per Romanam Eccleſiam, ſymbolum firmiter credimus, & profitemur ſimpliciter. Advertat igitur induſtria veſtra, ſuprædicta nulla ſententia ipſo jure, nullus ipſo jure proceſſus, non magis in noſtram, quàm in omnium Regum & Principum, ac quarumlibet temporalium dignitatum perniciem debeat obſervari, quam nulla noſtrorum Germaniæ Principum, à quibus aſſumptio, ſtatus, & depreſſio noſtra dependent, præſentia vel conſilia firmaverunt. Advertat & aliud, qualis ex iſtis initiis exitus expectetur. A nobis incipitur, ſed pro certo noveritis, quòd in aliis Regibus & Principibus finietur, à quibus publicè gloriantur reſiſtentiam aliquam minimè formidare, ſi, quod abſit, poſſet noſtra potentia primitus conculcari. Reges, igitur, veſtri juſtitiam, in cauſa noſtra defendite. Suis & eorum hæredibus providete. Nec nos illud omittemus; quin fidei regalis conſtantiam, ex affinitatis fœdere, ad præſens fiducialiter requiramus. Ut ne dum quod adverſario noſtro, nunciis aut legatis ipſius occultè vel publicè faveat, quin potiùs nobis toto poſſe aſſiſtat viriliter & potenter, nullum omnino nuncium aut legatum populo ſuæ juriſdictioni ſubjecto in noſtra diſpendia convertere molientem, aliquatenus admittere debeat. Pro certo ſcituri, quòd per nos, in quibus inchoata eſt tantæ temeritatis audacia, quòd ad privationem noſtri velut cujuſlibet ſacerdotis Pontificalis auctoritas, officium ſuæ juriſdictionis extendit, taliter aſſiſtente noſtris auxiliis dextra Regis Regum, quæ ſemper juſtitiam comitatur, iſtis principiis occurretur, dummodò ſe nobis illorum potentia non apponat, ſcilicet Regum & Principum, quos communiter cauſa noſtra contingit, & quorum non minus vertitur intereſſe quàm noſtrum, quòd vobis & aliis orbis terræ Nobilibus cauſam juſti timoris in talibus, noſtra defenſio non derelinquet. Inviti tamen hoc facimus, teſte Deo. Sed neceſſario provocati, velut qui peſte multiplici Chriſtianitatem noſtris temporibus videmus attritam. Ad cujus auxilium una vobiſcum, prout etiam nuperrimè Regiæ magnificentiæ ſcripſimus, totis intendere viribus ſperabamus. Requirat autem de manu ejus hoc Dominus, qui tanto diſcrimini, quod toti ferè Reipublicæ Chriſtianæ minatur excidium, materiam ſubminiſtrat. Ad hoc, quicquid Hugo Kabuche, miles dilectus, nuncius & fidelis noſter, vobis ſuper præmiſſis ex parte noſtra dixerit, tanquam perſonæ noſtræ indubitanter credat dilectio veſtra ſpecialis. Datum Taurini pridie Auguſti. iii. indictione.

1246.

HÆC autem Epiſtola cùm ad notitiam multorum Principum perveniſſet, corda à domino Papa protinus averterunt, ſuperbiam *Romanæ* curiæ, ſi contigeret *Fredericum* ſuccumbere, meritò formidantes.

Principum corda avertuntur à Papa.

DOMI-

1246.

Papa procurat Landegravium Duringiæ, *in Imperatorem eligi.*

DOMINUS igitur Papa vigilanti ſollicitudine cauſam ſuam cupiens promovere, & partem ſuam juſtificare, & memoratum *Fredericum* irremediabiliter conterere, procuravit ut *Landegravius Duringiæ* in Imperatorem eligeretur, & electus ab omni eccleſia promoveretur. Promiſit igitur eidem, pecuniare & militare ſubſidium copioſum. Scripſit igitur Archiepiſcopo *Colonienſi* & aliis *Germaniæ* Prælatis & Nobilibus, ut hoc negotium feſtino effectui manciparent, in quo multi, præcipuè Archiepiſcopi, conſenſerunt. Miſit igitur dominus Papa Imperatori ſuo *Landegravio*, theſaurum non minimum, quo bellum contra *Fredericum* motum & continuatum potenter ſuſtineret. *Fredericus* autem pecuniam illam, necnon & quædam regalia donativa portantibus fecit inſidiari, ut illa in uſus convertens proprios, tam *Landegravium* æmulum ſuum, quàm Papam adverſarium ſuum dampnificaret.

Imperator mittit filium ſuum C. contra novum electum Imperatorem.

COMPERIENS igitur *Fredericus* memoratum *Landegravium*, æmulum ſuum, in ſui dedecus & ruinam, Papa procurante, in *Alemannia* procreari, & theſauris Papalibus abundanter ſaginari, nobiles quoq; quamplures *Germaniæ* eidem indiſſolubiliter adhærere, obſtupuit & doluit vehementer. Miſit igitur contra eum, filium ſuum *Conradum* cum manu militari non minima, ut eidem hoſtiliter reſiſteret dimicando. Sed in die certaminis, qui certius eundem *Conradum* juvare tenebantur, corrupti Papali, ut dicitur, pecunia, in campo dominum ſuum fugitivi, vel potius ad partem adverſantium convolantes, turpiter reliquerunt. Unde victus dictus *Conradus* ad patrem ſuum fugitivus & inglorius remeavit.

Carolus *frater Regis* Francorum *ducit filiam juniorem Comitis* Provinciæ *in uxorem.*

ANNO quoq; ſub eodem, liberata eſt filia Comitis *Provinciæ Reimundi* jam defuncti, natu ſcilicet minor, cuſtodiæ Regis *Francorum*, procurante Comitiſſa *Provinciæ Beatrice* matre ejuſdem puellæ. Diſponente igitur & ſic volente Rege *Francorum* cum ſuo concilio, collatus eſt Comitatus *Provinciæ*, *Carolo* fratri Regis *Francorum* natu minori, & memorata puella matrimonialiter copulata. In quorum nuptiis cùm tanta non reſplenduiſſet pompa nobilitatis ſæcularis, idem *Carolus* iratus matri ſuæ *Blanchæ* fertur ſubmurmurando dixiſſe: Quid eſt mater quòd in convivio hoc generali non tanta ut fratris mei Regis reſplendet ſerenitas, cùm ſim filius Regis & Reginæ, ille nequaquam? Et hoc dixit, quia poſt mortem Regis *Francorum Philippi*, & coronationem *Lodovici*, genitus & natus fuit *Carolus* memoratus: Rex autem *Francorum*, vivente *Philippo* Rege, nec dum adhuc *Lodovico* coronato. Et hoc verbum conſonum fuit dicto *Henrici* Regis *Angliæ* juniori. Qui patri ſuo *Henrico* II. Regi, in feſto coronationis ſuæ miniſtranti, ait: Non es deperſonatus mihi miniſtrando, cùm ſis filius Comitis, ego Regis & Reginæ. A diverticulo igitur redeuntes, materiam principalem continuemus. Dominus igitur Rex *Francorum*, ne ſibi poſſit inferre nocumenta, *Fredericus* peregrinaturo, & portuum oportunitatem denegare navigaturo, ſibi in *Provincia* ſuper mare mediterraneum portum aptiſſimum multis effuſis ſumptibus præparavit, & caſtris fortiſſimis prudenter communivit.

Papa jubet ſibi mitti aurifriſia, qualia quidam Anglici *portabant.*

EISDEMQUE diebus, dominus Papa videns in aliquorum *Anglicorum* ornamentis Eccleſiaſticis, utpote in capis choralibus & infulis, aurifriſia concupiſcibilia, interrogavit, ubinam facta fuiſſent. Cui reſponſum eſt: In *Anglia*. At ipſe: Verè hortus noſter delitiarum eſt *Anglia*. Verè puteus inexhauſtus eſt, & ubi multa abundant, de multis multa poſſunt extorqueri. Unde idem dominus Papa, concupiſcentia illectus oculorum, literas ſuas bullatas ſacras miſit ad omnes ferè *Ciſtercienſis* ordinis Abbates in *Anglia* commorantes, quorum orationibus ſe nuper in capitulo *Ciſtercienſi* commendaverat, ut ipſi aurifriſia, ac ſi pro nihilo ipſa poſſent adquirere, mittere non differrent prælecta, ad planetas & capas ſuas chorales adornandas. Quod mercenariis *Londinenſibus*, qui ea venalia habebant, non diſplicuit, ad placitum vendentibus: unde multi manifeſtam avaritiam *Romanæ* eccleſiæ deteſtabantur.

Graſſantur Tartari *in* Chriſtianos.

EODEMQ; anno, amariſſimæ recordationis *Tartari* ſuper *Chriſtianorum* climata formidabilem facientes impetum, cùm ſibi multos *Saracenorum* Principes violenter ſubjugaſſent, Regem *Armeniæ* & Principem *Antiochiæ* & alios multos nobiles *Chriſtianos*, Deo mortalibus adverſante, ſibi ſub tributo ſubegerunt. Et deinde ſibi ſperantes proſperiora, fines *Hungariæ*, ut eis videbatur, ſibi non priùs ſubjugatos, ſed turpiter & probroſè derelictos, iteratò proterviùs invaſerunt. Unde Rex *Hungariæ* non mediocriter perterritus, ab infirmioribus terræ ſuæ cum habitatoribus ſuis ſecedens, & ad munitiſſima (quæ tamen vix ei adhuc tuta videbantur) confugiens, nihil aliud quàm bellum cruentiſſimum expectabat. Significavitq; domino Papæ, ut ſollicitè ſibi totiq; *Chriſtianitati* de tam formidabili peſte provideret: ſed nec ſic tamen averſus eſt Papalis impetus imfrunitus, quin pecuniæ colligendæ totis rictibus inhiaret, ut in ſequentibus enarrabitur.

Comes R. Bigod *Mareſcallus.*

EODEM anno, multiplicatis interceſſionibus, conceſſa eſt Mareſcalcia cum officio & honore, Comiti *Rogero Bigod*, ratione Comitiſſæ filiæ Comitis Magni *Willielmi Mareſchalli* primogenitæ, uxoris ſuæ.

Varia bella per totam Germaniam *orta.*

ANNO quoq; ſub eodem, ortum eſt bellum multiforme in partibus *Alemanniæ* & ejus confiniis, eò quòd multi Nobiles, præcipuè laici, partes fovebant *Frederici*: Archiepiſcopus verò *Coloniæ*, & cum eo multi Prælati & aliqui laici, muneribus eccleſiæ prodigaliter (imò potiùs prodigialiter ſaginati) partem Papalem confovebant. Præterea, in partibus *Flandriæ* inter filios Comitiſſæ *Flandrenſis*, orta eſt contentio cum hoſtili bello & nimis dampnoſo, eò quòd primogenitus *Buchardi* filius illegitimus, ſed per dominum Papam legitimatus,

hæreditatem

hæreditatem ſibi vendicaret poſſidendam: ſecundus legitimus, ſe faciens hæredem juſtiùs proclamari, ſibi omnia jure hæreditario pertinere proteſtatus, prædis, rapinis, & incendiis intendebat. Nova enim in curia *Romana* inolevit conſuetudo, ut cùm bellum inter aliquos Nobiles moveretur, unam partium ad eam confugientem, excommunicando alteram & illos abſolvendo, potenter foveret: ut qui per illam reſurgeret, omni tempore ipſi teneretur obligatus: quod in *David* Principe *Northwalliæ* fuerat manifeſtè comprobatum. Similiter & alia deteſtabilis, ut ſcilicet ſi quis clericus multis & opimis redditibus abundans, in Epiſcopum fortè eligeretur, ex indulgentia Papali, intermeantibus interceſſoribus & muneribus, tam redditus priùs obtentos quàm Epiſcopatum licenter cupiditatis brachiis amplexetur: quod in electo *Valentino Willielmo*, conſtat fuiſſe propalatum. Necnon & alia nova ſunt suborta in curia memorata, quorum memoria ſanctorum corda lachrymabiliter cruentarunt. 1246.

SUB ejuſdem anni curriculo, quædam naturæ degenerantis novitas, prodigialis & inaudita, in Epiſcopatu *Lincolnienſi*, in omnium audientium ſtuporem cordibus generavit. Quædam enim mulier ſtirpe nobilis, forma decens, conditione libera, cuidam diviti matrimonio copulata & puerpera, quandam aliam mulierem ſimilibus dotibus inſignitam impregnavit, modo ac novo mirabili patriſſando. Et ex ea duos filios cùm pregneraſſet, & ex tertio infantulo eandem gravidam reddidiſſet, ipſa mater talis peccati novam deteſtans deformitatem, reatum utriuſq; palàm proteſtata, aliam compulit ad plenam rei geſtæ eminus confeſſionem. Quæ culpam propriam turpiter palliando, & ſe impudenter accuſando, ſuam accuſavit genitricem, affirmans ipſam eodem vicio laboràſſe. Talium verò mentionem facit gloſſa ſuper hunc locum in *Geneſi* ſcripta: *Maſculum & fœminam creavit eos*, dicens quòd ſunt homines *Andregeni* vel *Androgamei*, videlicet quoddam genus *Hermofraditorum*, dicti, ab *Andros*, quod eſt vir, & *Gyne*, quod eſt fœmina, eò quòd patiantur & agant coëundo, pariant generentq; viciſſim. Quorum memoria deteſtabilis & immunda, ubiq; locorum meritò judicatur. *Androgyni in Epiſcopatu Lincolnienſi comperti.*

DIEBUS quoq; ſub eiſdem, Comes *Sabaudiæ Amedeus*, dominum Regem *Angliæ* præcordialiter meritò diligens, in præſentia domini Archiepiſcopi *Cantuarienſis Bonifacii* & Epiſcopi *Hereſordiæ Petri*, & aliorum nobilium, tam amicorum & conſanguineorum ejuſdem Comitis quàm dicti domini Regis, fecit homagium eidem domino Regi in manu Archiepiſcopi, qui ſupplevit Regis abſentiam: & homagium factum fidei interpoſitione, addito ſacramento de inviolabili obſervatione, ſpontanea ac gratuita voluntate, pro utrorumq; hæredibus confirmavit. Recipiens de domino dicti Regis quædam feuda, videlicet *Secuſiam* cum palatio, *Avillyanam*, *Sanctum Mauritiùm* de *Chablaſio*, & caſtrum de *Bardo*. Hoc quoq; licenter ſalva fide ſua facere potuit, ſine Imperatoris injuria & Imperii mutilatione, cùm nihil præter aquas & tranſitus, teneat de Imperio. *Comes Sabaudiæ homagium facit Regi Angliæ.*

IPSO tempore, induſtria procuratorum domini Regis eleboratum eſt in curia *Romana*, quòd quanquam Papa pro ſuæ voluntatis arbitrio, ad intolerabile Regni *Angliæ* gravamen, paſſim & indifferenter proviſiones fecerit in *Anglia* de beneficiis eccleſiaſticis ad opus *Italicorum*; nunc gratia Dei, in ipſa parte ita ſedata eſt tempeſtas illa, quòd quando Papa alicui vel aliquibus ex nepotibus ejus vel Cardinalium, ipſe vel ipſi Cardinales rogabunt Regem cùm inſtantia, quòd placeat Regi, ut ſic tali provideatur. *Quædam extorſiones conſuetæ mitigata.*

EO tempore, *Fredericus* comperiens Papam abundare *Anglico* numiſmate, poſuit cuſtodias & inſidias tranſitibus, pontibus, & portubus, ne quis æmulo ſuo *Landegravio* à Papa ſubſidium tranſportaret. Fecit igitur Papa per *Prædicatores* & *Minores* mutato habitu, tam ſcripta conſolatoria, quam alia juvamenta, ad *Landegravium* tranſvehi. E contrà fecit *Fredericus*, ad *Terram ſanctam* alimenta tranſportari. *Prædicatores & Minores nuncii Papæ.*

EODEMQ; anno, dominus Rex *Londini* feſta Paſchalia celebrans magnificè, ipſo die *Haraldum* Regem *Manniæ* cingulo donavit militari. *Rex Manniæ cingulo militari donatur.*

Et circa eadem tempora, quidam *Wallenſium* Nobiliſſimi ad pacem domini Regis confugere cupientes, legationemq; mittentes, ea quæ pacis ſunt, humillima prece rogitabant.

IN craſtino autem diei Paſchæ nuncii univerſitatis *Angliæ*, quibus injunctum fuerat prædictum magnum nuncium domino Papæ nunciare. Videlicet Magiſter *Willielmus* de *Powic* Legiſperitus, & *Henricus* de la *Mare* miles, chartas prænotatas bajulatur, iter ad curiam *Romanam* arripuerunt. Cujus negotii pondus, humeris *Prioris* de *Weneloc*, (qui contra Epiſcopum *Roffenſem*, ob quaſdam injurias eidem ab ipſo Epiſcopo illatas, curiam *Romanam* adiit) confidenter impoſuit. *Nuncii univerſitatis Angliæ Romam proficiſcuntur.*

ET circa feſtum ſancti *Marci* Evangeliſtæ, videlicet ipſo die & nocte ſequenti, gelu & nix terram conſtringens & cooperiens, ramos pullulantes cum ſuis floribus adeo enervavit, ut folia arborum & herbarum uſq; ferè ad irreſtauribilem marcorem cogeret inclinare. *Gelu & nix damnoſa.*

PER idem quoq; tempus, dominus Rex, precibus amicabilibus mitigatus, domino Epiſcopo *Ceſtrenſi Rogero*, (eò quòd eſſet vir benigniſſimus, & omnium haberet favorem) baroniam ſuam in pace benignè reſtituit. *Baronia Epiſcopo Ceſtrenſi reſtituta.*

EODEMQUE tempore, cùm audiſſet dominus Papa, qualiter quidam in *Anglia* opulenti clerici, videlicet magiſter *Robertus* de *Hailes*, Archidiaconus *Lincolnienſis*, qui paucis elapſis annis obierat inteſtatus, plura milia marcarum, cum vaſis multis argenteis, ſæculo & ſæcularibus infœli- *Novum & inauditum ſtatutum Papæ.*

1246. fœliciter dimiſerat: Archidiaconuſq; *Bedefordiæ Almaricus*, quòd pecunia abundans maxima poſt ſe indecenter relicta, obierat. Nuper quoq; Magiſter *Johannes* de *Hotoſp*, Archidiaconus *Norhamtonienſis*, morbo repentino correptus, circiter quinque milia marcarum cum triginta cuppis argenteis vel aureis & infinitis jocalibus, indecenter & improviſe obiiſſet inteſtatus, ſtatutum ſuper hoc novum & inauditum, non ſine nota manifeſtæ cupiditatis, ſuſcitavit in *Anglia* promulgandum, ut ſi clericus ex tunc decederet inteſtatus, ejuſdem bona in uſus domini Papæ converterentur. Quod negotium, Fratribus *Prædicatoribus* & *Minoribus* præcepit diligenter exequendum. Quòd cum audiſſet dominus Rex, deteſtans *Romanæ* curiæ augmentoſam ac multiplicem & multiformem avaritiam, hoc fieri prohibuit, comperiens illud in damnum Regni, & ſuum redundare præjudicium. Et circa idem tempus Magiſter *Robertus* de *Arundel*, qui in *Hebræo* idiomate fuerat peritiſſimus, & multa de *Hebræo* in *Latinum* fideliter tranſtulerat, humanis rebus exemptus, mundum ſalutavit.

Pædagogus filiorum Regis, apoplexia correptus.

DIEBUS quoq; Rogationum, dominus Rex, ut partes maritimas & earum habitatores fortiùs ſibi alligaret, apud *Doveram* iter direxit. Et dum rediens *Cantuariam* perveniſſet, quidam nobilis de propria Regis familia, videlicet *Hugo Giffardus*, filiorum domini Regis Pædagogus, apoplexiæ repentina paſſione correptus, in terram ſubitò corruens, terribiliter exſpiravit, dictumq; fuit à nonnullis, hoc ultione beati *Edmundi* Confeſſoris & Archiepiſc. *Cantuarienſis* eveniſſe, ut percuſſo Regis latere collaterali, ad veniam & ſatisfactionem de illatis, ipſi Eccleſiæ *Cantuarienſi* injuriis, perterritus excitaretur; multa enim illi damna irrogaverat. Maximè tamen, quòd ipſum *Bonifacium* in ipſam dignitatem Archipræſulatus, non permittens Monachos *Cantuarienſes*, ut jus expoſtulat, liberam habere eligendi poteſtatem, temerè ſublimaverat. Ipſe nempè dictus *Bonifacius* Archiepiſcopus, ſecus quàm deceret aut expediret, in partibus tranſmarinis negotiis bellicis, nec viſitans, imò eccleſiam ſuam depauperans, indulgendo, impudenter nimis, ab glorioſorum prædeceſſorum veſtigiis exorbitavit.

Prohibet Rex Angliæ ſolvere tallagium Papæ.

DIERUM etiam ipſorum curriculis, dominus Rex literas ſuas miſit prohibitorias Prælatis *Angliæ*, ne domino Papæ tallagium contribuerent.

Domino etiam Abbati *ſancti Albani*, ſicut & aliis, ſcripſit in hæc verba: H. *Dei gratia Rex* Angliæ, &c. *Dilecto ſibi in Chriſto Abbati de ſancto* Albano, *ſalutem. Audivimus quòd venerabilis in Chriſto Pater* F. Londini *compellit vos ad tallagium ad opus Papæ perſolvendum. Super quo miramur plurimùm & movemur maximè, cum in prædicta convocatione proviſum fuerat communiter per dictos Prælatos & Magnates, quòd nihil fieret de tallagio illo ante reditum nunciorum eorum à curia* Romana, *ad quam idem nuncii ſunt, ſicut noſtis, pro ſpecialibus totius regni noſtri negotiis deſtinati. Quapropter vobis mandamus, firmiter inhibentes, quòd nec ad mandatum præfati Epiſcopi, nec alterius, aliquid attemptetis contra proviſionem prædictam, ſicut Baroniam veſtram, quam de nobis tenetis, diligitis pacificè poſſidere. Quoniam attemptationem hujuſmodi, non poſſumus nec volumus ſuſtinere. Teſte meipſo. Apud* Weſtmonaſterium, *primo die Aprilis, anno regni noſtri trigeſimo.*

Literæ Papalis executoriæ Angliæ Epiſcopis miſſæ.

ET ne miſeranda afflictorum *Anglorum* ceſſaret tribulatio, infra eoſdem dies exegit dominus Papa inſtantiſſimè non ſub minima quantitate pecuniam, ponens brachium confidentiæ in auro & argento, contempta domini Regis *Angliæ* ac univerſitatis ejuſdem Regni præcordialiter ſcribentium, & de talibus exactionibus conquerentium lachrymabili querimonia, ſpretóq; illo ſapientiæ ſalubri documento, *Beatus vir qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris.* Conſtituit executores in prædicto tallagio exigendo, extorquendo, & colligendo, Epiſcopum *Norwicenſem Walterum* & quoſdam alios, quos ad hoc aſſignavit ſpeciales. Scripſit igitur *Norwicenſis* domino Abbati *ſancti Albani*, ſicut & quibuſdam aliis in hæc verba, epiſtolam Papalem continentia. Walterus *Dei gratia* Norwicenſis *Epiſcopus, viris venerabilibus Abbati & Conventui* ſancti Albani, *ſalutem ſempiternam. Mandatum domini Papæ in hæc verba ſuſcepimus:*

Innocentius *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus* Wintonienſi & Norwicenſi *Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Olim, ſicut bene meminimus, vobis & venerabilibus fratribus noſtris* Lincolnienſi, Wigornenſi, Londinenſi & Coventriæ *Epiſcopis ſcripſimus ſub hàc forma: Cum nuper priuſquam à præſentia noſtra in* Angliam *rediretis, unà vobiſcum duxerimus ordinandum, ut ſex milium marcarum ſubſidium, quod ab Eccleſiis* Anglicanis *pro Apoſtolica ſede fuerat poſtulatum, inter Epiſcopatus* Angliæ *dividere curaretis pro veſtræ arbitrio voluntatis, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quicquid inde feceritis, vel jam fortè feciſtis, nobis per literas veſtras latori præſentium aſſignandas exprimendo, tempus ſolutionis & locum ſtudeatis quamcitiùs intimare. Quod ſi non omnes his exequendis poteritis intereſſe, ſaltem tres vel duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Quia hic nihil eſt poſtmodum noſtris auribus intimatum, fraternitatem veſtram, de qua fiduciam gerimus ſpecialem, monemus attentè, ac per Apoſtolica vobis ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus Epiſcopos memoratos, qui præſentes fuerint in partibus* Anglicanis, *receptis iſtis literis, admonentes & eiſdem autoritate noſtra mandantes, ut viceſimo die poſt ſuſceptionem præſentium in certo loco, quem vos duxeritis eligendum, vobiſcum pro diviſione conveniant præliberata, & cum illis Epiſcopis, quos eodem die ibidem contigerit convenire, diſtributionem hujuſmodi priuſquàm ab illo loco receſſeritis, facere procuretis. Si verò ipſis aut nullo convenientibus eorundem, non fuerit ſuper negocio prænominato proceſſum, ex tunc infra unius menſis ſpacium præſcriptam ſubſidii quantitatem, faciatis vobis vel nunciis veſtris ad opus Apoſtolicæ ſedis in loco quem elegeritis aſſignari, juxta ordinationem per dilectum filium noſtrum magiſtrum* Martinum,

cameræ noſtræ clericum, autoritate noſtra in illis partibus quondam factam, quam ad præſens ſub bulla noſtra vobis duximus deſtinandam. Contradictores, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, indulgentia quacunque vel privilegio quolibet aut conſtitutione de dualus dietis, in generali Concilio edita, non obſtante. Quicquid hattenus fatium eſt, vel fuerit in hâc parte, nobis abſque moræ diſpendio per dilectum filium Linaſium *ſcriptorem noſtrum, latorem præſentium, reſcripturi: proviſo, quòd ſuper præmiſſis illam ſolicitudinem habeatis, quòd non poſſitis exinde de negligentia reprehendi, ſed potiùs de diligentia commendari. Quòd ſi non ambo his exequendis poteritis intereſſe, alter veſtrum nihilominus ea exequatur. Hujus igitur anteritate mandati, veſtram in domino monemus & exhortamur fraternitatem, vobis in virtute obedientiæ, qua ſedi Apoſtolicæ tenemini, firmiter injungentes, quatenus de portione præfati domini Papæ ſubſidii vobis aſſignata, nunciis noſtris literas veſtras patentes ſuper ſolutione ejuſdem deferentibus apud novum Templum* Londini, *à die Paſchæ in tres ſeptimanas ſatisfaciatis, talem in facto præſenti adhibentes diligentiam, ut devotionem veſtram ſummo Pontifici meritò debeamus commendare. Eſt autem portio veſtra, octoginta marcarum eſterlingarum. Valete ſemper in Domino. Datum* Londini, *nono Calendarum Aprilis, anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto. Nos ſoli ſcribimus, quia venerabilis frater* Wintonienſis *Epiſcopus, collega noſter, ad tempus ſe excuſavit.* 1246.

HOC autem mandatum cùm ad aures Prælatorum, necnon & Magnatum perveniſſet, corda omnium audientium, vehementer non immeritò medullitùs exturbavit. Maximè eò, quòd nuncii univerſitatis *Angliæ* ſuper talibus gravaminibus, in Concilio *Lugdunenſi* conqueſti fuerant. Et poſteà in *Anglia* in Parlamento Regis, ubi congregata fuerat totius Regni tam cleri quam militiæ generalis univerſitas, deliberatum fuerit, ut ob reverentiam domini Papæ, adhuc nuncius totius illius univerſitatis ad ipſius Papæ præſentiam deſtinaretur, ut manum correctionis talibus apponeret injuriis, non pondus oppreſſionis. Obſtupefacti ſunt igitur inopinabiliter, quia cùm crederent levamen, ſpe fruſtrata, tale gravamen reportarunt. Hæc igitur cùm ad audientiam Regis perveniſſent, in iram & admirationem excanduit vehementem, & Epiſcopis *Angliæ* ſcripſit in hæc verba: H. *Dei gratia, &c. Venerabili in* Chriſto, *tali Epiſcopo Salutem. Licet aliàs vobis ſcripſerimus, ſemel, ſecundò, & tertiò, tam per literas noſtras clauſas, quàm patentes, ne ad opus domini Papæ vel alterius tallagium aliquod vel auxilium exigeretis, à viris Religioſis, clericis vel laicis, cùm nullum hujuſmodi tallagium vel auxilium exigi poſſit vel conſueverit, ſine magno prejudicio Regiæ dignitatis, quòd nullo modo poterimus aut volumus ſuſtinere: Vos tamen mandatum noſtrum in hac parte contemnentes, contra proviſionem per Magnates noſtros, tam Prælatos quàm Comites & Barones factam in Concilio noſtro* Londinenſi, *& conceſſam exactionem faciatis memoratam. Super quo miramur plurimùm & movemur, præſertim cùm facto veſtro proprio non erubeſcitis contraire, cùm vos & alii Prælati in prædicto Concilio communiter conceſſeritis, quòd nihil de exactione hujuſmodi faceretis, donec nuncii noſtri & veſtri necnon & aliorum Magnatum noſtrorum & totius univerſitatis Regni noſtri à curia* Romana *redirent, qui pro liberatione oppreſſionum, ad curiam illam, ſicut noſtris fuerant ſpecialiter deſtinati. Vobis igitur mandatis inculcatis mandamus injungentes, firmiùs & diſtrictiùs inhibentes, ne ad exactionem prædicti tallagii vel auxilii faciendam aliquatenus procedatis, ſicut gaudere deſideratis Baronia veſtra & poſſeſſionibus veſtris, quas in Regno noſtro tenetis. Et ſi quid inde cepiſtis, extra regnum noſtrum aſportari nullatenus permittatis, ſed illud ſalvo cuſtodiri faciatis uſque ad reditum nunciorum prædictorum, indubitanter ſcituri, quòd ſi ſecus egeritis, nos ad poſſeſſiones veſtras manum gravaminis, ultra quàm credere velitis, extendemus. Hanc autem inhibitionem, vobis injungimus faciendam Archidiaconis & officialibus veſtris, quam quidem pro libertate cleri & populi facimus, novit Deus, &c.*

Prohibet Rex tallagium Papæ ſolvi.

IN bivio igitur anguſtiarum conſtituta *Anglicana* Eccleſia, quaſi inter duas molas è contrario circumvolventes, miſerabiliter conterabatur; hinc *Scylla*, inde *Charybdis* timebatur. Rex inde hac parte ad regni ſalvationem & inſtaurationem, conſilio fretus & roboratus generali, nitebatur: Papa ad ejuſdem depauperationem anhelabat; utrique utroque jam eminùs adverſante. Multi itaque Prælatorum, timentes Regis in hoc ſuo concepto propoſito inſtabilitatem, & conſilii Regii puſillanimitatem, partem Papalem confovebant: licèt nunquam vidiſſent, quòd per tales pecuniæ effuſiones, eccleſia fœlix ſuſciperet incrementum; imò potiùs infauſtum incurreret detrimentum.

Anguſtiæ propter inchoatam inter Regem & Papam controverſiam.

INTEREA lugubres rumores de *Terra ſancta* pervolantes, *Chriſtianorum* climata pavore lachrimabili repleverunt: videlicet, quòd *Terra ſancta Chorſminis* & *Babylonicis* jam ferè occupata, nihil aliud niſi univerſalem ruinam & amiſſionem minabatur. Cives inſuper *Aconenſes*, jam à civitate ſua pertimeſcentes, nec volentes, nec valentes elongari vel exire, obſidionem ſolam, vel miſeram expectabant deditionem: victualium itaque inopiam ſuſtinentes, nec ſpe liberationis erecti, in ſemetipſis contabuerunt. *Fredericus* quoque jam malleus Eccleſiæ formidabilis factus, non permiſit tranſvehi ad ipſos victualia vel ſuccurſum armatorum: aſſerens quòd Eccleſia *Romana* nullum habuerat tam efficax argumentum extorquendi à fidelibus pecuniam, per quam impinguata ſuperbivit, ſicut per *Terram ſanctam*, & ſophiſticam, ad ejus liberationem, prædicationem. *Aſcalona* quoque, circa quam firmandam per Comitem *Richardum*, tam ſumptuoſum, tam laborioſum, támque moroſum opus & opera, & per multos Magnates alios impendebatur; acerbiſſimos hoſtium inſultus ſuſtinens, vix ſe defendebat. Alia quoq; caſtra, quæ videbantur inexpugnabilia, utpotè *Crac* & *caſtrum peregrinorum*, civitates & munitiones,

Lugubres rumores de Terra ſancta.

1246. cùm ſpes ſuccurſus non pateret,dolore ſimul & timore ſuis videbantur habitatoribus potiùs carcer quàm tutela,formido non firmamentum. Undique namque liberè diſcurrentibus inimicis, & variis prædis intendentibus, & ad votum triumphantibus,arctabantur *Chriſtiani*: ita quòd honeſtè mori mallent,quàm vitam trahere longiùs infœlicem. Multi igitur in fide vacillantes, imò potiùs deficientes, *Chriſtianiſmi* ſacramentum relinquentes apoſtatârunt: facti nobis familiares inimici, & omnibus aliis nociviores.

Parliamentum habitum apud Wintoniam.

DIE verò tranſlationis beati *Thomæ* Martyris, habitum eſt magnum concilium inter Regem & Regni Magnates apud *Wintoniam*; ſuper multiplici Regni totius, & maximè Eccleſiæ deſolatione. Venerant enim qui miſſi ad curiam *Romanam* fuerant nuncii memorati, videlicet Magiſter *Willielmus* de *Powic* & *Henricus* de *la Mare*; verba Papalia,quæ nihil mitigationis, imò potiùs exaſperationis tenorem continebant, nunciantes, & affirmantes, quòd nec in geſtu vel verbis Papalibus,aliquid humilitatis vel moderationis, ſuper oppreſſionibus quibus tam Regnum quàm Eccleſia *Anglicana* gravabatur & conqueſta eſt, poterant reperire. Dixerat enim Papa, illis aliquod optabile reſponſum expectantibus: *Rex* Anglorum *qui jam recalcitrat & Fredericſat, ſuum habet conſilium, ego vero meum habeo, quod & ſequar.* Et tunc vix aliquis *Anglicus* in curia negotium aliquod poterat expedire: imò velut ſchiſmatici repellebantur omnes, probris laceſſiti. Hæc autem cùm audiſſet dominus Rex cum Magnatibus ſuis, commotus eſt vehementer & merito: præcepitque voce præconia in omnibus Comitatibus per omnes villas & fora & congregationes publicè acclamari, ne quis per regnum Papali contributioni conſentiret, vel aliquid pecuniæ in auxilium ejus tranſmitteret. Quod & factum eſt. Illud autem cùm audiſſet Papa,in vehementem iram excanduit, & iteratò aſperiùs Prælatis ſcripſit *Anglicanis*; ut ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis, infra feſtum Aſſumptionis, nuncio ſuo apud novum templum *Londini* commoranti,de prædicto auxilio ſatisfacerent. Et cùm conſtanter pararetur, dominus Rex ſtare pro Regni & eccleſiæ liberatione, comminationibus Comitis *Richardi* fratris ſui, & quorundam Epiſcoporum, quorum principalis erat *Wigornienſis*, (cui à domino Papa conceſſa fuit poteſtas terram etiam, ut perhibebatur, interdicendi) fractus ſuccubuit & perterritus. Unde totus conatus tam Magnatum quàm epiſcoporum,& ſpes de Regni & Eccleſiæ *Anglicanæ* liberatione miſerabiliter,& non ſine multorum cordium cruento dolore,emarcuit annihilatus: & impunè hiatibus *Romanæ* avaritiæ,de memorata contributione eſt ſatisfactum.

Rex & Papa extorquent à Regno Francorum, *decimam partem bonorum.*

ET ne plaga particularis inter *Chriſtianos* videretur, & manus Domini parcens aut parca ad peccata populi graviter ulciſcenda: *Francorum* Regnum Papalis extorſio argumentoſa tam mirabiliter quàm miſerabiliter appauperavit. Dominus enim *Francorum* Rex quem Deus, ut prædictum eſt,veraciter vel reſuſcitaverat,vel à portis mortis miraculosè revocaverat,expermiſſione Papæ & inſtinctu,Regnum ſuum,ſub obtentu peregrinationis ſuæ magnificè peragendæ, pecuniam non minimam extorquendo, multipliciter prægravavit; accipiens de omni proventu univerſalis eccleſiæ Regni ſui decimam. Et præter hoc,quaſi alternatim conſentiendo,dominus Papa ad ſubſidium *Terræ ſanctæ* accipit viceſimam: videlicet uterque uſque ad triennium. Item, dominus Papa aliud ſubſidium exigit novo Imperatori, qui appellatur *Landegravius*; quem Papa de novo creavit ad debellandum *Fredericum*: qui videtur multis inexpugnabilis, & dicitur à multis,quòd fruſtra nititur Papa ipſum *Fredericum* de Imperii ſui culmine præcipitare. Quia multorum gratiam ſibi comparavit,eò quòd mirabiliter ſe Eccleſiæ humiliando,omnimodam ſatisfactionem pollicetur. Et dominus Papa,eò quòd humiliato non condeſcendit,multorum contra eum conſcientias exaſperavit. Poſuit interim inſidias memoratus *Fredericus*: ut pecuniam, quam Papa undique ſtudioſus collegerat,poſſit occupare,& theſauris ſuis addit occupatam.

Dedicatio Abbatiæ Belli locus *dicta.*

CIRCA eoſdem dies, videlicet die *S. Johannis Bapt.* nativo, dedicata eſt ſolenniter eccleſia *Ciſtercienſis* ordinis,quæ *Bellus locus* dicitur; ſcilicet Abbatia,quam Rex *Johannes* fundavit.Erant autem ibidem præſentes dominus Rex & Regina; Comes quoque *Richardus* frater ejus, Prælati cum Regni nobilibus. Conſummata itaque dedicationis ipſius ſolennitate, aſſumpſit Comes *Richardus* de ipſius eccleſiæ gremio circiter xiij. Monachos, ad quandam domum religioſam *Ciſtercienſis* ordinis; quam idem Comes propriis ſumptibus de novo fundaverat, inhabitandum; quæ non procul ab Abbatia de *Wichecumbe*, loco ſcilicet ſatis congruo ædificata, à dicto Comite pro redemptione animæ ſuæ; juxta votum quod in mari periclitans fecerat,ſatis abundanter dotatur & ditatur. Quod ſine nutu divino, nequaquam creditur contigiſſe. Comitiſſa enim *Marchiæ*, mater Regis *Angliæ* & Comitis memorati, Regina quondam *Anglorum*,*Iſabella* nomine; multum indigens eleemoſinarum ſuffragio,circa eoſdem dies in fata conceſſit.Comitiſſa quoq; *Albemarliæ*, filia *Alani* de *Galew.* ſororq; Comitiſſæ *Wintoniæ*, eodem tempore humanis reb. eſt exempta.Unde magna pars *Galew.*eam contingens(eò quòd ſine liberis deceſſit) in ſortem Comitis *Winceſtriæ Rogeri* de*Quency*,qui primogenitam ſororem in uxorem duxerat,eſt tranſlata.

Mors Iſabellæ *matris Regis* Angliæ. *Moritur Comitiſſa* Albemarliæ.

Obitus Johannis *de* Novilla.

Eodémq; anno & eiſdem dieb. *Johannes* de *Novilla*,non ultimus inter *Angliæ* nobiles quandoque, patris ſui pedetentim ſequens veſtigia,& honoris attingens faſtigia;carnis univerſæ tritam ſtratam ingreſſus,exemplum mundicolis reliquit manifeſtum, ut Regum favorem & fluctus relinquerent curiales.Ipſe namq; in ætate juvenili pubeſcens,totius *Angliæ* Protoforeſtarius,cùm per *Robertum Paſſeleve* in multis graviter accuſaretur,ſuper illicitis occupationibus foreſtæ,& aliis tranſgreſſionibus, & in reſponſionibus defeciſſet: juramentis compatriotarum juratorum teſtimoniis condemnatus, in tantam confuſionem præcipitatus eſt, ut dies ex tunc morti duceret continuatos.

Con-

Condemnabatur enim judicialiter, ad duorum millium marcarum ſolutionem; præter debita patris ſui inæſtimabilia, quæ humeris ſuis incumbebant. Inſuper, ignominioſè de ſua Balliva irrevocabiliter eſt dejectus. Languens igitur, & præ dolore tabeſcens, circa medium æſtatis apud *Welpereſeld*, manerium ſuum, afflictum ſpiritum exhalans, in eccleſia conventuali de *Waltham*, juxta patris ſui ſepulchrum, veneranter eſt humatus. 1246.

Epiſcopus Karleolenſis habitum aſſumit Prædicatorum.

DIE verò Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, Epiſcopus *Karleolenſis Walterus*, apud *Oxoniam* ſæculum, quod diu & multum incoluerat, cum ſuis ſalutans ſæcularibus, *Prædicatorum* fratrum habitum & ordinem (eò quòd timebat, quod ingreſſum in ipſum Epiſcopatum non habuerat legitimum) ſuſcepit; pallium ſuum *Ægyptiæ* relinquens fugitivus.

Literæ Papales fratribus Minoribus *miſſæ*.

EODEM anno, poſtquàm dominus Papa illud decretum conſtituerat, ut prædictum eſt, quòd bona inteſtatorum in uſus ejus cederent, & ad hoc fratres *Prædicatores* diligenter exequendum conſtituiſſet, ſollicitus de Imperio *Conſtantinopolitano*, & *Græcorum* ſchiſmaticorum inſolentia, miniſtro fratrum *Minorum* provinciali in *Anglia*, direxit, ut tam fratres *Minores* quàm *Prædicatores*, à via humilitatis & paupertatis voluntariæ, quam ſe ſectatores ſunt profeſſi, avertens, ſuos conſtitueret procuratores, literas diſtrictum præceptum Papale cum diverſis articulis continentes. Quorum unius tenor eſt, *ut ipſe vel fratres ſui inquirant de uſurariis vivis, & eorum per uſurariam pravitatem malè adquiſitis, & ipſa colligant ad opus Imperii Conſtantinopolitani, & quòd per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcant contradictores.* Alterius tenor eſt, *quòd qui velint Cruce ſignari pro liberatione prædicti Imperii, vel de catallis ſuis ibidem mittere ſufficienter, de peccatis ſuis abſolventur.* Alterius tenor eſt, quòd *relicta in teſtamentis decedentium per uſurariam pravitatem adquiſita, colligant ad ſubſidium Imperii memorati; & quòd compeſcant contradictores & rebelles.* Alterius tenor eſt, quòd *colligant relicta in teſtamentis decedentium; vel quæ uſque ad triennium relinquentur pro reſtitutione bonorum, quæ decedentes malè adquiſierunt, ad ſubſidium prædicti Imperii, contradictores & rebelles compeſcendo.* Alterius tenor eſt, *quòd ea quæ relinquuntur diſtribuenda in pios uſus, ſecundum arbitrium executorum teſtamentorum decedentium, nec præfata ſelicta ab ipſis teſtatoribus certis locis aut perſonis deputata fuerint, vel de jure aliis debeantur, aut per prædictos executores in uſus hujuſmodi ſint converſa; ad ſubſidium Imperii prædicti colligant, & ſignificent ei de quantitate ipſorum, & compeſcant,* &c. Alterius tenor eſt, *quòd de malè adquiſitis viventium inquirant diligenter, & colligant ad ſubſidium Imperii memorati dummodò perſonæ, quibus pro taliter adquiſitis ſatisfieri deberet, inveniri non poſſint: & reſcribant Papæ, & compeſcant,* &c. Alterius literæ talis eſt tenor, quòd *dictus miniſter habet poteſtatem abſolvendi excommunicatos qui ſcienter fraudem commiſerint in his quæ colligenda ſunt ad Imperium prædictum: dummodò miniſterio, vel fratribus ſuis, ad illud negotium deputatis, congruam ſatisfactionem impenderint.*

Petit Papa pacem inter Chriſtianos *&* Saracenos.

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, domino Papæ petenti pacem, vel ſaltem treugas, inter *Chriſtianos* & *Saracenos* à *Soldano Babyloniæ*, donec videlicet per Regnum *Francorum* ſperata proſperitas reſpiraret, reſcripſit idem *Soldanus* in hunc modum.

Litera Soldani Babyloniæ ad Papam miſſa; à quodam Cardinale ex Arabico *in Latinum tranſlata.*

PRÆSENTIÆ Papæ, ſubſcriptio nobilis; magni, ſpiritualis, effectuoſi, Sancti, Tertii decimi Apoſtolorum, univerſalis loquelæ *Chriſtianorum*, manutenentis adoratores crucis, Judicis populi *Chriſtiani*, ductoris filiorum baptiſmatis, ſummi Pontificis *Chriſtianorum*: confirmet eum Deus, & det ſibi fœlicitatem, à *Soldano* potentiſſimo regnante ſuper colla nationum, continente duas virtutes, gladii & calami, poſſidente duo præcellentia, ſcilicet doctrinam & judicium, Rege duorum marium, dominatore Auſtri & Septentrionis, Rege regionis *Ægypti* & *Syriæ*, *Meſopotamiæ*, *Mediæ*, *Idumeæ*, & *Oſyr*, Rege *Saloph*, *Beelpheth*, *Ayob*, filio *Soldani Kamel*, *Hemevaſar*, *Mehameth*, filii *Soldani* Regis *Hadel*, *Robethre*, filii *Ayob*, cujus regnum diliget Dominus Deus.

IN nomine Dei miſericordis & miſeratoris, præſentatæ ſunt ſcripturæ Papæ, nobilis, magni, ſpiritualis, affectuoſi, Sancti, Tertiidecimi Apoſtolorum, univerſalis loquelæ Chriſtianorum, *manutenentis adoratores crucis, Judicis populi* Chriſtiani, *ductoris filiorum baptiſmatis, ſummi Pontificis* Chriſtianorum. *Faciat eum Deus de affectantibus bonum, & facientibus illud, & volentibus pacem, & perſeverantibus in cauſis ejus, & adjuvet eum Deus in his quæ decentia ſunt ad illos, qui ſunt ſui cultus ſive ritus, & ad alios. Et reſpeximus dictas ſcripturas, & intelleximus dicta capitula quæ in eis inſerta erant, & eorum continentia. Nobis placuit, & delectatus eſt auditus noſter in relatu eorum. Et nuncius venit ad nos, quem miſit ſanctus Papa, & ipſum prævenimus cum honore & dilectione & reverentia. Ipſúmq; convocavimus ad conſpectum noſtrum, ſibi inclinantes intendimus aurem verbis ejus, & fidem adhibuimus verbis ejus nuncianti nobis de* Chriſto, *ſuper quem ſit ſalus & laus: de quo* Chriſto *plus ſcimus quàm vos ſciatis, & magnificamus eum pluſquàm vos magnificetis. Et de hoc, quod dicitis vos deſiderare tranquillitatem, & pacem, & quietem, habere materiam convocandi populos ad pacem, ſimiliter & nos deſideramus, nec volumus contraire, & hoc ſemper volumus & deſideramus. Sed Papa, quem Deus confirmet, ſcit, quòd inter nos & Imperatorem jamdudum fuit familiaritas & dilectio mutua & concordia perfecta à tempore* Soldani *patris mei; quem Deus ponat in claritate ſua. Et inter vos & Imperatorem, eſt ſicut ſcitis. Unde non licet nobis aliqua componere cum* Chriſtianis, *niſi priùs habuerimus ſuper his ipſius conſilium & aſſenſum. Et nos ſcripſimus nuncio noſtro, qui eſt in curia Imperatoris, pro cauſis quas detulit nunciis Papæ: nunciantes ei capitula & propoſita nuncii veſtri. Ipſe nuncius noſter veniet ad præſentiam veſtram, & loquetur vobis, & renunciabit nobis: & poſtquàm renunciaverit, faciemus juxta tenorem reſponſi. Nec diſcrepabimus ab eo quod videbitur utile*

1246. *univerſis; ita quod poſſemus habere meritum à Deo. Hæc vobis annunciamus, & bonum amplia-bitur Deo dante. Hoc fuit ſcriptum ſeptimo die menſis, quæ fuit ſeptima Lunatio Auguſti* Maha-ran. *Laus Deo ſoli, & benedictio ejus ſuper dominum noſtrum* Mahometum, *& ſuper genus ipſius, ipſe ſit pars noſtra.*

Dubitatur de fide præcedentis Epiſtolæ.

CUM autem hæc ad audientiam Papalem perveniſſent, affirmavit, *Fredericum* multiformem fraudium machinatorem, hæc omnia, ut ipſum Papam ad pacis reformationem faciliùs inclinaret, aſtutè nimis procuraſſe. Quod tamen verum non apparuit, cùm dominus Papa nuncium proprium, fide dignum, & ſibi familiarem, qui & ad ipſum fideliter incolumis rediit, ad hæc nuncianda & renuncianda deſtinârat.

Tonitrus incomparabilis.

SUB ejuſdem temporis profluvio, ut elementa mundo conformarentur, die qui feſtum ſanctæ *Margaretæ* præcedit tonitrus horribilis fulgure & fulmine concomitantibus, necnon & grandine, cujus lapilli grandinales anguloſi & glaciales atque duriſſimi, amygdalorum quantitatem excedentes; aves, & quædam animalia obruebant, totius *Angliæ* latitudinem exturbavit, robora contorſit, ædificia diruit, homines exuſſit, pecudes contrivit, pontes profluvio torrentium ex imbrium inundatione diſſipavit: & per ſexdecim horarum ſpacium, quia per totam noctem & dimidiæ diei ſpacium, perduravit.

Comiti R. natus filius & brevi mortuus: item Conventus introductus in domum Ciſt. ordinis apud Wichecumbe.

EODEM quoque anno, *Cynthia* Comitiſſa *Cornubiæ*, uxor videlicet Comitis *Richardi*, filium peperit. Poſt cujus puerperium, dominus Rex & Regina & multi *Angliæ* nobiles, in die Purificationis ſuæ, congregati apud *Walingeford*, convivium ſolenne celebrârunt. Unde Comes *Richardus* pro tanto beneficio Deo gratias perſolvit lætabundus. Et cum circa idem tempus dominus Rex eccleſiam ordinis *Ciſtercienſium*, quam *Bellum locum* vocamus, à Rege *Johanne* fundatam, ſolenniter dedicari procuraſſet; Comes memoratus aſſumptis inde circiter tredecim Monachis: domum ejuſdem ordinis, quam & ipſe Comes fundaverat, & competenter idoneis ditaverat & dotaverat poſſeſſionibus, inſtauravit. Et ut ibidem perpetuis temporibus Deo glorioſè deſerviant, & ordo beati *Benedicti* dignè & laudabiliter obſervetur, auctoritate Capituli *Ciſtercienſis* prudenter ac fœliciter, votum, quod in mari periclitans voverat Deo, perſolvendo, ſtabilivit. Et ne mundi lætitia repentinis doloribus ac crebris carere videatur, filius quem Comitiſſa *Cornubiæ* Comiti ſæpedicto pepererat, cùm vix per unum menſem vixiſſet, humanis rebus eſt exemptus. Hæc autem circa beatæ *Mariæ* Aſſumptionem, tempore meſſium contigerunt. Circa verò feſtum S. *Ægidii*, magiſter *Sylveſter*, domini Regis clericus, & vices agens Cancellarii, vir integræ famæ & converſationis, & conſuetudinum peritus curialium, præcipuè Cancellariæ, in Epiſcopum *Karleolenſem* rite electus, tum quia uberioribus abundaverat redditibus, tum quia onus formidabat, honorem oblatum penitùs recuſabat.

Fredericus Imperator laqueos conjuratorum evaſit, detecta proditione.

ET dum mortalium ſtatus rota mundialis ſic variâſſet, Fredericus, quem curia *Romana* ab Imperiali culmine præcipitavit, Regi *Anglorum* ac Comiti *Richardo* fratri ſuo, quos inter familiares familiariſſimos reputavit, hanc Epiſtolam duxit tranſin ttendam.

FREDERICUS, &c. Angliæ, &c. *Salutem. Ne fama præambula, quæ multorum variata relatibus, dum varias invenit obiter voluntates, interdum enormiter à veritate diſcedit, auditum tuum forſan offenderet, amicorum corda turbaret, aures & animos hoſtium demulceret: ecce quòd ipſam puram & nudam veritatem eorum quæ noviter contigerunt, tuæ devotioni præſentibus breviter denotamus. Conſpirantibus in necem noſtram aliquibus excellentiæ noſtræ fidelibus, quinimò domeſticis potiùs & alumnis, videlicet* Thebaldo Franciſco, Jacobo *de* Morra, Pandulpho *de* Phaſanellis, Guilielmo *de* ſancto Severino, *& eorum complicibus, ac nobis per aliquos ex conjuratoribus factionis ipſius conſpiratione nefaria revelata, ex ipſorum manibus vitam noſtram innoxiam, mirabiliter Deus reſervavit. Sed cùm nos tantum ſcelus ſicut immeritum, ſic incredibile haberemus, poſtquàm ad ulteriorem veritatis indaginem noſtra ſerenitas perveniret, ſubitò* Pandulphus *de* Phaſanellis, & Jacobus *de* Morra, *prædicti excogitatæ nequitiæ principes, quos læſa conſcientia ſtimulabat, unà cum aliis ſociis & participibus perpetrandi facinoris, curia noſtra præſentibus, ſe per fugæ ſubſidium abſentarunt.* Theobaldus *verò* & Guilielmus *de* ſancto Severino *morantes in Regno, & ibidem mortem noſtram tanquam indubitabilem expectantes, & ex inſperato contrarium audientes; metu terribili, velut de cælo fulminis ictu percuſſi, ad duo ex caſtris noſtris,* Capuacii & Sale *videlicet, ſub fidelium habitu furtivè ſubrepta, proditoriè confugerunt: ubi priuſquàm ſe poſſent neceſſaria rerum & hominum defenſione munire, fuerunt prompta fide regnicolarum præoccupati fidelium, & collectis undique viribus circumſepti. Nos etiam apud* Groſſetum *tunc temporis exiſtentes, priuſquàm perſonæ noſtræ periculo providimus, in hæreditario Regno noſtro* Siciliæ, *velut in pupillis oculorum noſtrorum offendi nullatenus patientes; continuatis laboribus & dietis, in Regnum cum omni celeritate providimus procedendum. Poſt fœlicem autem ingreſſum noſtræ majeſtatis in Regnum, quàmplures fideles nœſtri regnicolæ, qui ad proditorum noſtrorum falſæ ſuggeſtionis inſtantiam, per mentitæ mortis noſtræ ſpem frivolam, conſpiratoribus factionis adhæſerant; poſtquàm rem in contrarium ſibi ceſſiſſe videntibus ipſis veritatis lumen enituit, proditores eoſdem tanquam ipſorum nolentes communicare verſutiis, cujuſlibet ſpei fruſtratos imagine reliquerunt. Et cùm non niſi in prædictis duobus caſtris tantùm,* Sale *videlicet* & Capuacii, *ſe temerariè, prout præſcripſimus, receptaſſent, unum & caſtris ipſis,* Sale *videlicet,* Thomaſo *de* S. Severino, *& filio ejus, proditoribus noſtris, ibidem carceri mancipatis, fidelium noſtrorum prompta devotio, per virilem & inſtantem expugnatiorem ipſius,*

ad

1246.

ad Majeſtatis noſtræ dominium revocavit. Et ſic reliquo tantum ex caſtris prædictis, Capuacii ſcilicet ad ultionem eorundem proximo dimiſſo, diffugium quod circumcingi noſtrorum fidelium Regni clara devotione mandavimus, proditores prædicti, quibus nulla perſpicimus ſuffragatura remedia, velut ex duobus ſupradictis caſtris, cùm alia munire nequiverunt, uno ex fortiori perdito, manus noſtras fugere non valebant. Et ſic tam juſto judicio quàm veloci de proditoribus nominatis & ipſorum ſequacibus ultione recepta, ſic in brevi confidimus de perpetua Regni noſtri ſecuritate diſponere; ut nobis & ſucceſſoribus noſtris in Regno, vel extra Regnum agentibus, nulla prorsùs in poſterum dubitatio relinquatur. Ne tamen propterea circa perſecutionem noſtrorum rebellium Lombardorum, omiſſum fortè credas noſtrum propoſitum, vel aliquatenus prætermiſſum, quin per dilectos filios noſtros Henricum illuſtrem Regem Sardiniæ, & ſacri Imperii Legatum in Italia generalem, & Fredericum de Antiochia, Hetruriæ partibus præſidentem, quouſque nos Regni ſtatu cum ſalubritate diſpoſito repetamus Italiam; ſic prædictorum rebellium noſtrorum reliquias continuato potentiæ noſtræ malleo conteramus, quòd abſentiam noſtram, quam, prout pro certo comperimus, occultis & longis inſidiis procurârunt, fructuoſam ſibi fore non ſentient; quin potiùs de noſtra præſenti potentia doleant, quàm in abſentia glorientur; utpote cùm nihil ex his quæ noviter emerſerunt, magnificentiæ noſtræ decreverint, in nullo propterea ſit noſtrum ætarium diminutum; ſed noſtra tantò magis eſt aucta potentia viribus, tantò ſunt factæ divitiæ largiores, quantò propter enormitatem excogitati facinoris, quæ poſt pacis guſtatæ dulcedinem, bellorum excidia populis minabatur, circa nos noſtrorum fidelium, ſed popularium maximè, magis eſt accenſa devotio, fideſque firmata. Ex adjectione quoque redditunm, quibus ſe proditorum ipſorum iniquitas per offenſam ſponte deſtituit, & quibus eoſdem liberalitas noſtra longè latéque ditaverat, obventionum noſtrarum adauctus eſt cumulus; quanquàm iſtud acceſſerit nobis invitis. Ex quo poteſt manifeſtè comprehendi, quòd magis quærendorum & larga promiſſio per publicum adverſarium noſtrum facta proditoribus antè dictis, ipſos ad dimittenda quæſita, licèt inaniter, provocavit: cujus adverſarii nomen & titulum libentiſſimè taceremus, niſi quòd illum vox publica detegit, & evidentia factorum accuſat: quanquàm nos taciturnate noſtra vellemus obtegere, ſeu verborum involucris excuſare. Prædicti namque facinoris patratores, tam fugitivi videlicèt, quàm obſeſſi, fratrum Minorum ſtipati conſortio, crucis ab eis ſigno recepto, contra nos auctoritatem ſummi Pontificis per Apoſtolicas literas prætendentes, negotium apertè ſe gerere ſacroſanctæ Romanæ matricis eccleſiæ prædicant; ac prædictæ mortis & exhæredationis noſtræ, ſummum Pontificem ſic aſſerunt incentorem. Hoc ipſum captivi præfati, quos in expugnatione caſtri Sale, fidelium noſtrorum prompta devotio carceri mancipavit, in ſpontanea & extra confeſſione ſua, quando mentiri nefarium exiſtimant, morientes coràm omnibus ſunt confeſſi. Bambergenſis Epiſcopus, etiam cùm poſt venalem conſecrationem, imò potiùs execrationem ſuam, cornutus à curia Romana rediret, priuſquam à noſtris fidelibus in Teutonia caperetur; futurum infallibiliter publicè prædicavit, quòd nos infra breve tempus per familiares & domeſticos noſtros, occidi morte turpiſſima debebamus. Hæc nos, teſte ſummo Judice, cum verecundia loquimur; velut qui nunquam diebus noſtris ſcelus hujuſmodi videre credidimus, nec audire: quòd gens noſtra & Pontifices noſtri, tam crudeli morti aliquem tradere nequiter voluiſſent. Abſuit enim à nobis ſemper huçuſque, novit altiſſimus, abominatio talis; quod poſt voluntarium & iniquum iſtius Papæ proceſſum, contra nos in Lugdunenſi Concilio celebratum, in necem ſuam vel alicujus ex fratribus conſentire vellemus, quanquam inde fuerimus per nonnullos noſtræ fidei fervidos zelatores multoties requiſiti: ſola ſemper extitimus injuriarum noſtrarum Propulſatione contenti, nos juſtè defendere, non ulciſci, ſufficiens reputantes. Pugnat enim pro nobis Dominus evidentiſſimè: nedùm quòd animam noſtram de manibus inimicorum noſtrorum eripiat, quinimò nocentium vires & corpora tradit in noſtras. Nuper enim cùm Cardinalis Remerius, noſtri honoris & nominis æmulus, inſtigante præfato Jacobo de Morra proditore noſtro, cum Peruſinis & Aſiſinatibus rebellibus noſtris, prope caſtrum Aſpolli ultimo proximo præteriti menſis Martii, ad damnificationem noſtrorum fidelium conveniſſent, Marinus de Ebulo, ſacri Imperii Capitaneus in ducatu fidelis noſter, ſtipendiariorum & aliorum noſtrorum fidelium, qui ſic inſtanter haberi poterant, munitus auxiliis, in virtute noſtri nominis & excellentiæ noſtræ fælici fortuna, hoſtes ipſos viriliter & potenter aggrediens, fide potiùs quàm armatorum multitudine præditus, devicit eoſdem. Ita quòd præter eos, qui fidelium noſtrorum gladiis ſunt perempti, ultra quinque millia de rebellibus ipſis per fideles noſtros captis, carcer noſter includit. Quæ omnia tibi ſignificamus ad gaudium, quem probabiliter credimus, imò ſcimus, nobis in adverſitatibus compati, & in proſperitate ſucceſſuum congaudere. Nec tamen his terminis noſtram & tuam claudi lætitiam proſperæ fortunæ fertilitas & noſtræ juſtitiæ debitæ permiſerunt: octavo decimo namque præſentis menſis Aprilis, civitas Capuacii, quà versùs terram munitio cingebatur, celeriter ac viriliter extitit expugnata per fideles noſtros regnicolas, ad infidelium necem, ob vindicandam non magis noſtrorum quàm ipſorum nativæ regionis injuriam, rabie quadam furoris accenſos: quo factum eſt, ut ſic propè, ſic undiq; noſtra potentia pertingat obſeſſos, quin potiùs carceratos, ut ab ultionis noſtræ judicio ſola ſe valeant ſpontanei gladii morte ſubducere, vel excelſæ rupis ex parte maritimæ præcipitio liberare. Datæ Salerni, xv. Aprilis iiij. Indictione.

MAGISTER autem Walterus de Ocra, clericus Frederici, credens ſicut & dominus ſuus Fredericus, quòd dominus Rex Angliæ in ſuo propoſito firmiter permaneret, videlicet, ut importunitati Romanæ curiæ viriliter reſiſteret: ipſi Regi quaſi ad conſolationem & formidinis amotionem, hanc Epiſtolam duxit tranſmittendam.

Walterus Ocra ſcribit Regi Angliæ in eandem ſententiam.

ILLUSTRI

1246. ILLUSTRI Regi Angliæ, &c. Magiſter W. ſalutem. Quia ſcio vos lætari de proſperitate domini mei, novit dominatio veſtra, quòd idem dominus noſter octo diebus circa exitum Julii proximò præteriti, tam per ſeptem trebucketta ordinata, quæ tam de die quàm de nocte in caſtrum Capuacii projicere non ceſſabant, quàm per inſultus validos & continuos quinque dierum, ſimiliter tam de die quàm de nocte factos, Theobaldum Franciſcum, Guilielmum de Mann. Guilielmum de S. Severino, Galfridum de Morra, Robertum & Richardum de Phaſanellis, proditores & reos mortis ſuæ, cum centum & quinquaginta aliis, inter milites, baliſtarios, & alios familiares ipſorum, de quibus erant quadraginta Lombardi obſides, & proditionis tempore per Theobaldum ipſum liberati, ad illam impotentiam deduxit, quòd nulla ratione, nec de perſona, nec de membris poterant ſe juvare. Et ſic per inſultus prædictos, captum eſt caſtrum ipſum cum omnibus ſupradictis: qui omnes antequàm ducerentur ad dominum, ſalvo mandato domini Papæ, exoculati ſunt; omnibus ipſis & ſingulis manu, naſo, & tibia mutilatis. Et diſpoſuerat dominus prodictum Theobaldum cum aliis quinq; reis mortis ſuæ, per diverſa mundi climata, ad omnes Reges & Principes, cum bulla Papali impreſſa in fronte, ibidem inventa, in publicam proditionis notitiam deſtinare. Captæ ſunt ibi etiam viginti duæ Nobiles dominæ, conjugatæ, viduæ, & puellæ; & de mandato domini certis cuſtodibus aſſignatæ, caſtrumq; ipſum à primario lapide fundamenti verſum eſt: & quicquid intra, præter perſonas inventum eſt, redactum eſt illicò in cineres & favillas. Idem autem dominus Imperator omnibus ordinatis, & cum Romanis & Venetis jam bona pace firmata cum ingenti militia circa Paſcha juravit & infallibiliter ordinavit, in Alemanniam ſe conferre: ubi dominus Rex filius ejus in feſto ſancti Jacobi proximò præterito, cum inimicis incautè congreſſus, per proditionem duorum Comitum Sueſſiorum, de Citobergo videlicet & de Croheligo; qui receptis à ſummo Pontifice vij. millibus marcarum argenti, conventione prætereà facta, & per litteras Apoſtolicas confirmata, cuilibet eorum de medietate Ducatus Suaviæ, ſi Rege in campo deducto, & hora belli ibidem dimiſſo, de exercitu recederent ſine bello repentè proditione & ſicut pepigerant, in primo belli congreſſu depreſſis vexillis & vadato flumine, cum duobus millibus militum & baliſtariorum fugiendo, de exercitu receſſerunt. Rex ipſe in magno diſcrimine, in medio inimicorum ſuorum cum mille tantùm equitibus remanens, quantumcunque tam ipſe quàm ſui, qui remanſerunt cum eo, pugnarent viriliter: perdidit tamen ad ultimum ducentos de ſuis, & ſe ipſum ſalvavit in civitate de Francford. Poſt paucos autem dies, prædictis omnibus qui capti fuerant liberatis, per fide-juſſionem vel obſides, aut redemptis, reſumptis magnificè viribus; adverſarios ſuos ubique potenter perſequitur & expugnat. Et numero ituri ſunt ad eum de Regno Franciæ & Burgundiæ, partibus citra Sonam, tum de conſanguineis ſuis, tum de amicis domini noſtri, quingenti milites; cum quibus vadunt Dux Burgundiæ, Dux Lotharingiæ, Comes Cabilonomiæ, & Comes Barremiæ.

Rex iterum Romanis ad libitum pecuniam in Anglia colligere permittit.

EISDEMQUE diebus enervatus eſt Regis rigor, quem viriliter conceperat, ut protervitatem Romanæ curiæ conſtantèr, ut ſperabatur & firmiter credebatur, potenter refrænaret. Et hoc, ut veraciter dicebatur, conſiliis eorum, qui opimos redditus ſuos amittere per Papalem indignationem vehementer formidabant: quæ enim nimis præcordialiter amabant, elabi verebantur, ſecundùm illud Poëticum:

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Averſis igitur oculis & clauſis auribus dominus Rex, ad arbitrium voluntarium Romanorum Regni ſui & Reipublicæ inimicorum, permiſit licenter eccleſiam Anglicanam ſex millibus marcarum, ad magnam totius Regionis noſtræ depauperationem, ſpoliari. Quas aſportantes nuncii ac mercatores Papales, in auxilium Laudegravii; inſidias Frederici non penitùs evaſerunt. Qui graviter redarguit Anglicos effœminatos, qui ſe ipſis depauperatis omne genus hominum tolerant ſaginari; gravémque de Comitis Richardi effœminata conniventia, & ſuper hoc conſenſu repoſuit coram ſuis commilitonibus querimoniam: qui in Regni Anglicani perniciem, parti Papali videbatur conſenſiſſe & in Imperii detrimentum; eò quod de cruce ſignatorum collectis ſubſtantiolis, permittente Papa, theſauros non minimos axaggeravit. Crevit igitur Romanorum audax protervia tantò procaciùs, quantò nullum in rapinis ſuis ſenſerant contradictorem. Fugant fugientes, & fugiunt fugantes. Decrevitque Anglorum ſuppeditatorum, quorum inimici ſunt Judices, ſpes cum conſolatione.

Rex Arragoniæ abſcindit linguam cujuſdam Epiſcopi.

ET dum fortuna mundo talibus alluderet ambagibus, Rex Arragonum linguam cujuſdam Epiſcopi, quia eidem Regi fortè juſtè reprehendendo adverſabatur, truculenter abſcidit. Unde, niſi quia ubi multitudo in ſtrage eſt, ſubtrahendum eſt aliquid ſeveritati, puniri graviter promerebat; & regnum ſuum ſubjici interdicto. Deſtinatis igitur nunciis ſolennibus & favore dignis, quia tam fideliter Deo contra Hiſpanos & Saracenos militaverat, & glorioſè triumphaverat, Eccleſiæ meruit reconciliari.

Corripitur Papa à Johanne Anglico Cardinali.

SÆVIENTIBUS eodem tempore mundi maris turbinibus, cùm audiſſet Papa, quòd dominus Rex Angliæ parabatur animosè exactionibus ſuis contradicendo reſiſtere; quia nec advenerant nuncii, qui effœminatam formidinem ſuam & incurvationem ipſius nunciarent, in iram magnam excanduit vehementer: & Regnum Angliæ ulciſcendo ſupponere propoſuit interdicto. Cui talia infrunito ſpiritu proponenti, ſe magiſter Johannes natione Anglicus, Monachus Ciſtercienſis ordinis & Cardinalis, oppoſuit, dicens: Domine pro Deo parcatis iræ veſtræ, ſi dicere licet, indiſcretæ, frænóque temperantiæ motus voluntarios compeſcatis;

compeſcatis, conſiderantes quoniam dies mali ſunt. *Terra ſancta* patet diſcrimini, *Græca* Eccleſia receſſit à nobis, adverſatur nobis *Fredericus*, quo non eſt potentior, imò nec par inter Principes *Chriſtianorum*. Vos & nos, qui culmen ſumus Eccleſiæ, à ſede Papali, imò ab ipſa urbe, imò ab *Italia* exulamus expulſi. *Hungaria* cum ſuis terris ſibi conterminis, nihil aliud, niſi à *Tartaris* expectat exterminium. *Alemannia* ſuis bellis concutitur inteſtinis. *Hiſpania* uſque ad abſciſionem linguarum Epiſcopalium deſævit. *Francia* uſque ad egeſtatem per nos jam depauperatur, quæ etiam in nos conſpiravit. *Anglia* noſtris injuriis multoties læſa, quaſi aſina *Balaam*, calcaribus & fuſtibus cæſa, tandem loquitur & obloquitur; & ſe nimis & intolerabiliter conqueritur fatigatam, & irreſtaurabiliter damnificatam. *Iſmaëlitico* igitur more, omnibus odioſi, omnes ad odium provocamus. Et cùm nec ad hæc verba mens Papalis contrita ad compaſſionem vel humilitatem inclinaretur, quin ad pœnam & ultionem inflammaretur; advenerunt nuncii ab *Anglia*, animum Papalem emolumentis inhiantem mitigantes: & affirmantes quòd per amicos ſuos ſpecialiſſimos in *Anglia* (quos non licet mihi hæc ſcribenti ad præſens nominare) incurvatus eſt animus Regis; ut quod optat effectui celeri mancipetur, unde gaudium vultum & animum ejus mirificè ſerenavit. 1246.

Rex prohibet inquiſitiones ab Epiſcopo Lincolnienſi inſtitutas.

HIS quoque diebus, cùm Epiſcopus *Lincolnienſis* ſupra quàm deceret vel expediret, in ſubjectos ſuos, ad ſuggeſtionem, ut dicitur, *Prædicatorum* & *Minorum*, deſæviret; ita ſcilicet ut faceret inquiſitiones diſtrictas per Archidiaconos & Decanos ſuos in Epiſcopatu ſuo, de continentia & moribus tam nobilium quàm ignobilium, in enormem læſionem famæ multorum & ſcandalum, quod nunquam fieri conſueverat: dominus Rex audiens ſuper hoc populi graves querimonias, conſilio curiæ ſuæ, ſcripſit Vicecomiti *Hertfordiæ* in hac verba. *Henricus Dei gratia Rex* Angliæ, *&c. Præcipimus tibi, quòd ſicut teipſum & omnia tua diligis, non permittas, quòd aliqui laici de Baliva tua ad voluntatem Epiſcopi* Lincolnienſis *Archidiaconorum vel Officialium ſeu Decanorum ruralium, in aliquo loco conveniant de cætero, ad cognitiones per ſacramentum eorum vel atteſtationes aliquas faciendas, niſi in cauſis matrimonialibus vel teſtamentariis.* Quod cùm audiſſet Epiſcopus, aſſerebat dominum Regem quorundam conſpiratorum qui jam in *Francia* in conſimilem audaciam proruperunt (de quibus in ſequenti folio pleniùs enarratur) veſtigia ſecuturum.

Tyrannica exactio pecuniæ Papalis.

ASSUMENS igitur ex præteritis audaciam Dominus Papa, miſeros *Anglos* conculcandi & conculcatos apporriandi; imperiosè & ſolito imperioſiùs Prælatis *Angliæ* demandavit, ut in *Anglia* omnes beneficiati, in ſuis beneficiis reſidentiam facientes, tertiam partem bonorum ſuorum domino Papæ conferrent, non facientes reſidentiam, dimidiam: multis adjectis duriſſimis conditionibus prædictum mandatum reſtringentibus, per illud verbum & adjectionem deteſtabilem, *non obſtante*, quæ omnem extinguit juſtitiam præhabitam. Ad quod primò exequendum diligenter, Epiſcopum conſtituit *Londinenſem*.

Rex prohibet prædictam exactionem.

EPISCOPUS verò memoratus cum quibuſdam aliis, quos ad hoc negotium exponendum convocârat, cùm in Eccleſia *S. Pauli Londinenſi* hoc in propatulo demonſtravit; de hac contributione terribili tractaturus in craſtino *S. Andreæ*, dolentes quia quod jubebatur, impoſſibile videbatur & erat; ſupervenerunt miſſi ex parte domini Regis *J.* de *Lexintuna*, miles, & magiſter *Laurentius* de *ſancto Martino*, ejuſdem domini Regis clericus; diſtrictè prohibentes, ne illi contributioni prælocutæ, & in totius Regni deſolationem demandatæ, aliquo modo conſentirent. Ipſi igitur poſt omnium convocatorum murmur & appellationes, gaudenter incepta interrumpentes, omiſerunt. Et ne ſub ſilentio contradicentium verba efficaciſſima tranſeamus, ipſa huic ſcripto duximus inferenda. Veruntamen etſi conſtanter reſponderunt, conſtantiùs & efficaciùs reſpondiſſent, ſi in verbis & actibus Regis titubantibus fiduciam habuiſſent.

Reſponſio cleri ſuper irrationabili exactione Papæ.

SI nota eſſet conditio & ſtatus Regni *Anglicani* domino Papæ & ejus fratribus tempore Concilii, nunquam ad ſtatutum illud promulgandum, aliqua ratione proceſſiſſet. Et ſi eſſent ei expoſita pericula & incommoda, quæ occaſione hujuſmodi ſtatuti imminere poſſent eccleſiæ *Anglicanæ*, ad hoc ſtatuendum nullatenùs moveretur. In eccleſiis enim Cathedralibus ita obtentum eſt & obſervatum, quòd per Canonicos in eiſdem reſidentes, quorum in quibuſdam eccleſiis modica eſt portio de proventibus beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ in diverſis locis obtinent, minores clericos exhibent, & alios eccleſiæ miniſtros; quorum portionem ſi contingat uſque ad medietatem deſalcari, peribit obſequium eccleſiæ, Canonicis non valentibus exhibere: cùm ipſi Canonici, tanta portione deſalcata, in eccleſiis Cathedralibus reſidere non valeant. Et ſi in eiſdem duxerint reſidendum, de medietate beneficiorum exteriorum nec ſe ipſos aut etiam alios poterunt ſuſtentare: & maximè cùm dominus Papa medietatem portionis abſentium, in uſus Terræ *Romaniæ* intendat applicare; computata portione non reſidentis, ac ſi ipſe reſideret. Nec etiam deductis oneribus aut expenſis, quæ circa collectionem fructuum, & alia multa fieri contingit; quibus non deductis, vix quarta pars penes Canonicos remanebit.

Alia cauſa & ratio.

ITEM, cùm loca Religioſa per Regnum *Angliæ* conſtituta, in proventibus de eccleſiis Parochialibus ſint fundata, vix & in præſenti ipſis ſufficiant beneficia cum aliis poſſeſſionibus ſic collata; ſi illorum beneficiorum medietas ſubtrahatur, compelletur una medietas mendicare, aut continget hoſpitalitatem ſubtrahi, aut utrumque in aliquibus locis fieri, quòd ſine ſcandalo & animarum periculo fieri non poſſet: cùm aliquos ex ipſis contingeret per orbem evagari, & ejuſdem evagationis prætextu in peccatum multiplex incidere; non obſervata ſanctorum patrum regula, ad quam tenentur afflicti.

ITEM,

1246. *Alia cauſa & ratio.*

ITEM, cùm in Regno *Angliæ* hactenùs ſit obtentum & de conſuetudine obſervatum, ut rectores eccleſiarum parochialium hucuſque valdè hoſpitales extiterunt, & parochianis ad inopiam vergentibus alimenta præbere conſueverunt; & eo prætextu non ſolùm ſummo creatori placere conati ſint, ſed etiam laicis quibuſcunque, quibus clerici oppidò infeſti eſſe conſueverunt; deducta medietate beneficiorum, neceſſe habebunt, hoſpitalitatem ſubtrahere, & conſueta pietatis officia denegare. Quibus ſubtractis incurrent odium ſubditorum, amittent gratiam tranſeuntium & vicinorum; ſubtrahentur rectoribus eccleſiarum jura; nec ipſis prætextu paupertatis ea defendere valentibus, ab ipſis laicis penitùs opprimentur, in univerſalis eccleſiæ ſcandalum & jacturam. Quidam verò ex eis, cùm eſſent beneficia, quæ ad reſidentiam ſex menſium non ſufficiunt, & vix aliunde victualia quærant; ſi reſecetur illorum beneficiorum medietas, compellentur mendicare, & continget in eorum eccleſiis obſequia divina ceſſare. Quibus ceſſantibus, eorundem parochiani in decimarum & proventuum ſolutione ceſſabunt, nec erit qui illius eccleſiæ jura præ inopia proſequatur: vileſcet eccleſiæ dignitas, clericorum cœtus in contemptu, ceſſabunt prædicationes, animarum cura omittetur; fides exinde periclitabitur, populo contemnente Prælatorum doctrinam & correctionem.

Alia cauſa & ratio.

ITEM, cùm de bonis eccleſiaſticarum perſonarum pauperes, quorum infinitus eſt numerus, per annum ſuſtententur, & multi generoſi eorum conſanguinei, & alii qui in eorum obſequiis commorantur, de bonis ipſorum victualia, necnon & ſtipendia recipiant; ſubducta medietate proventuum, ceſſabunt eleemoſynæ, licentiabuntur familiæ; ad quod ſi deveniatur, pauperes fame peribunt; alii verò cùm *fodere non valeant, & mendicare erubeſcant*, antequàm fame pereant, neceſſe habebunt furtis, rapinis, & deprædationibus intendere; ex quibus multa ſequentur homicidia, inſurget tumultus populi, & de facili totius Regni *Angliæ* turbatio.

Alia cauſa & ratio.

ITEM, cùm multi ſint clerici in Regno *Angliæ* ære alieno graviter prægravati, ſi non ſubducto ære alieno, ſi non deductis expenſis, quarum exiſtimatio ſextam partem reddituum continet, quarum deductionem vix aliquis caſus ſolet impedire; ſi non deductis eccleſiæ oneribus, conſiſtentibus in penſionibus, Prælatorum procurationibus, & eccleſiarum & ornamentorum reparatione, proventuum medietas exolvatur, ipſis de reſiduo vivere non valentibus, compellentur egere; cùm tamen in talibus perſonis haberi debeat ratio eorum ne egeant, & maximè ubi immineret ſcandalum eccleſiæ univerſalis.

Alia cauſa & ratio.

ITEM, cùm nuper nomine viceſimæ, ſex millia marcarum domino Papæ ſint ſoluta; habita ratione æſtimationis viceſimæ ad æſtimationem medietatis, ſumma petitæ pecuniæ ſexaginta millia marcarum ſummam continere continget, unà cum ſexta parte reddituum, quam in collatione fructuum refundere contingit, cùm partem illam non deducat, & cùm præter hæc à perſonis in primo mandato exceptis, ab his qui centum marcas in redditibus obtinent viceſimam, ab his qui ampliores habent redditus, partem tertiam habere nitatur, uſque ad ſummam quater viginti millium marcarum de bonis clericorum per annum redigere oporteret; ad cujus quidem pecuniæ ſolutionem vix totum Regnum *Angliæ* ſufficere poſſet; quantò minùs & clerici, cùm eorum bona tantummodò in fructibus exiſtant, qui licèt venales annuatim exponi conſueverunt, de eadem tamen pecunia multæ fiunt emptiones, cùm de manu ad manum pecunia proficiſci contingat, & in regno remaneat. Ac ſi contingat de ſingulis venditionibus pecuniam deducere, & extra regnum deportare, deficerent emptores, nec contingeret in toto regno tantam pecuniæ ſummam invenire, quod in gravi neceſſitatis caſu per experientiam aliàs eſt declaratum; videlicet cùm nobilis memoriæ quondam *Angliæ* Rex *Richardus* in partibus remotis captus eſſet & detentus, ad ipſius liberationem ſexaginta millia marcarum ſoluta fuerint. Ad quod ſolvendum, totum regnum contribuerat, nec exolvi poterat ad plenum, niſi ad hoc perficiendum, cruces & calices eccleſiarum in ſolutum pro parte traderentur: quantò minùs & nunc de bonis clericorum tantùm, tanta pecuniæ ſumma redigi non poſſet, cùm ipſam contingeret infra triennium triplicare. Cùm igitur huic exactioni contradicat eccleſia *Anglicana* per procuratores, ut hanc contradictionem communem domino Papæ inſinuare velitis pro ſtatu eccleſiæ *Anglicanæ*, præſentiam domini noſtri *Jeſu Chriſti* appellantes, & concilii univerſalis aliquo tempore per Dei gratiam convocandi.

Duo facinoroſi Romam miſſi.

EISDEM diebus tranſmiſſi fuerunt ad curiam *Romanam* duo facinoroſi temerarii per *Fredericum*, qui more aſſeſinorum dominum Papam ſubdola conſpiratione interficerent. Caſu igitur inopinato capti ſunt & incarcerati; judicium ſuper crimen læſæ majeſtatis expectantes. Fuerunt tamen qui dicerent, hoc aſtutè fuiſſe adinventum, & fraudulenter procuratum; ut ſic ſcilicet *Fredericus*, qui ſibi conſimilem caſum Papa procurante nuper contigiſſe proteſtatus eſt, conſimili culpa diffamaretur.

Obiit Epiſcopus Sariſberienſis.

EODEMQUE anni tempore obiit piæ memoriæ Epiſcopus *Sariſberienſis* Magiſter *Robertus* de *Rengham*, in craſtino animarum; virtutibus redimitus, plenus dierum, & literaturæ ſcientia ad plenum eruditus; domum tamen ſuam mille & ſeptingentis marcis reliquit obligatam.

Obitus Abbatis Weſtmonaſt.

ET eiſdem diebus videlicet Calend. Decembris, obiit Abbas *Weſtmonaſterii*, *Richardus* de *Berkinge*; qui vir prudens, litteratus, & religioſus, redditus domus ſuæ trecentarum circiter redditu marcarum in vita ſua ampliavit.

Canonizatio Edmundi *Archiepiſcopi* Cantuarienſis.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, dominus Papa timens ne canonizationem beati *Ædmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi, quam indies ſibilis oblequentium protraxerat, ultione manifeſta idem puniret,

1247.

puniret, eundem ſolenniter canonizatum, catalogo ſanctorum aſcripſit; Dominica videlicet proxima ante natale Domini,qua cantatur,*Gaudete in Domino.* Quod cùm dominus Rex audiſſet, gaviſus eſt vehementer; & ſtatim ſuper hoc certificatus, præcepit ut accenſis multis cereis omnes clerici de Capella Regia, aſſumptis feſtivis induviis, miſſam ſolenniter,cujus introitus foret, *Gaudeamus,* &c. celebrarent. Scriptum authenticum de canonizatione ejus, in fine libri ſcribitur.

RELATUM fuit à fide dignis,quòd mare eodem anno fluctuando,ut moris habuit,per ſpacium quatuor vel quinque dietarum per tractum littoris non aſcendit. Quod nunquam habitatores littoris vel nautæ facientes operationes in aquis multis, ſe teſtificabantur prævidiſſe.

Maris fluctus per tres menſes ceſſavit.

ET eiſdem ſub diebus, Canonici *Sarisberienſes,* comperientes nullum ferè acceptum domino Regi,niſi aulicum & curialem,præcaventéſque eccleſiæ ſuæ periculo,& Regiam captantes benevolentiam;*Willielmum* de*Eboraco*,domini Regis clericum familiariſſimum,& legum Regni peritiſſimum, *Beverlaci* Præpoſitum, in Epiſcopum & animarum ſuarum paſtorem unanimiter elegerunt. Quæ quia electio Deo placuit, ut credebatur, & Domino Regi fuit accepta, ſine moræ diſpendio confirmabatur. Dominus etiam *Sylveſter* electus ad Præſulatum *Carleolenſem*, qui priùs ſe indignum reputavit, & idcircò non conſenſit,quoniam eum Deus vocavit à telonio ad miniſterium; timore bono perculſus,in electio nem memoratam humiliter conſenſit,ne Deo recalcitrans reprobus haberetur.

Willielmus *de* Eboraco *in Epiſcopum* Sarisberienſem *electus.*

EODEM anno obierunt quidam nobiles in *Anglia,* quorum mors damnoſa Regno cenſebatur; videlicet *Richardus* de *Argentomio,* miles ſtrenuus, qui in *Terra ſancta* diu Deo fideliter militaverat. In parte verò Boreali, *Henricus* de *Bailloil* miles: in *Hollandia, Lambertus* de *Muletuna.* Item *Alexander* de *Suereford*, theſaurarius ſancti *Pauli Londonenſis.* Qui in eccleſia ſancti *Pauli* honorificè ſepultus, in corporis elegantia, faciei venuſtate, & multarum ſcientiarum dotibus,ſimilem ſibi in *Anglia* non reliquit. *Lambertus* verò de *Muletuna* ſuprà memoratus, miles qui nuper privilegium mirabile datis non paucis muneribus à Papa impetraverat,ut ſcilicet nulli liceret eum pro quacunque culpa excommunicare, niſi de ſpeciali mandato Papæ, ac ſi liceret eidem impunè peccare,& qui multos læſerat,plures fatigare,hoc modo à domino meruit ſauciari; ut cum phaleratus ſuperbè equitando à quodam peracto ſuo rediret placito,deſcendens ſe querebatur morbo difficili prægravari. Et præcipitanter recubans,antequàm depoſitis calcarib. diſcalceari potuit,morte palluit repentina. *Ranulphus* quoq; *Brito*,quondam domino familiariſſimus Regi & Reginæ,multis poſtpoſitis Magnatibus & ejuſdem Cancellarius ſpecialis; cùm poſt menſalem refectionem aleatores certatim inſpexiſſet colludentes,lethalis Apoplexiæ inexpectato vulnere corruit ſugillatus: & ſic qui multos, præcipuè tamen de *Meſſedia* Canonicos, lædendo depauperaverat,ut ſibi multa cumulando ſucceſſivè appropriaret; ſubitò vitam cum adquiſitis amiſit. *Nicolaus* quoque *Danne*, utinàm non damnatus, clericus & Comitis *Richardi* theſaurarius & conſiliarius ſpecialis;qui cum complice ſuo *Johanne Bretaſche*,milite,ſimili ultione percuſſo,multos ad opus Comitis theſauros undecunque raptos coacervare conſueverat; dum vino nocturno crapulatus & epulis turgidus,equum de nocte obſcura laſcivientem minùs diſcretè regeret,corruit temulentus. Et ad cujuſdam ſtipitis offendiculum alliſus & attritus, fractis cervicibus expirans, cum vino nimis hauſto ebulliente animam evomuit reſupinus. Hæc idcircò ſcripſerim,ut quilibet cui dominus alicujus ſæcularis habenas poteſtatis commiſerit, ſtatuens in loco ſpacioſo pedes ſuos, hoc revolvens propheticum: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis,* ultionem finalem vehementer, ſi prævaricatus fuerit, pertimeſcat.

Mors quorundam nobilium Angliæ.

EORÚMQUE dierum circulis Magiſter *Richardus* de *Crokeſſe*, Archidiaconus *Weſtmonaſterienſis*,vir elegans & juriſperitus & domino Regi amiciſſimus, à toto conventu unanimiter eſt electus.Timebant enim monachi,ne ſi ſecùs fieret,Rex eorum patronus ſpecialis,eccleſiam ſuam jam ſemirutam relinqueret imperfectam,quam glorioſè cœperat ædificare. Electus igitur memoratus,qui dudùm amator fuit beati *Edmundi* Confeſſoris & Archiepiſcopi, quia die canonizationis ſuæ,videlicet Dominica proxima ante natale Domini,ut prædictum eſt,ad tantæ prælationis dignitatem vocabatur, juſſit quandam capellam in honore ipſius ſancti *Edmundi* fabricari; ubi Deo & ipſi Confeſſori glorioſum, ut decebit, miniſterium futuris temporibus impendetur. Aucta eſt etiam ejuſdem Abbatis dignitas, domino Rege impetrante; ut ſcilicet miſſam celebrans pontificaliter,benedictionem quando *Agnus Dei* cantatur,populo daret ſolenniter.

Richardus *de* Crokeſſe *in Abbatem* Weſtmonaſterienſem *electus.*

TRANSIT igitur annus ille *Terræ ſanctæ* ſuſpectus,eccleſiæ nocivus univerſali, adverſarius Imperio,Regnis quoque *Francorum* & *Anglorum* deprædator, *Romanæ* curiæ infamis & turbulentus.

Concluſio totius anni.

ANNO Domini M. CC. XLVII. qui eſt annus Regni domini *Henrici* iij. Regis xxxj. tenuit idem dominus Rex curiam ſuam apud *Wintoniam*,præſentib. multis electis regni Magnatib. cui cùm illùc adveniret,occurrit Epiſcopus *Wintoniæ* lætabundus, ſupplicans attentiùs; ut cum ipſo ſuo Epiſcopo pranderet in craſtino natalis dominici, ut per hoc pateret omnibus omnes offenſas priſtinas eundem dominum ſuum penitùs exuflaſſe, & ipſum Epiſcopum in præſentia omnium convivarum in priſtinas amicitias revocaſſe. Quod ſecundùm poſtulationem & deſiderium ſuum,gaudebat Epiſcopus fuiſſe completum.

Rex apud Wintoniam *feſta natalitia celebrat.*

EODÉMQUE tempore urgente mandato Papali redivivo,de importabili contributione prætacta,ad quam Epiſcopi in generali Concilio clerum infæliciter obligarunt, fecit dominus Rex Magnates ſuos, necnon & *Angliæ* Archidiaconos, per ſcripta ſua Regia *Londinum* convocari,

Concilium Londini *convocatum.*

 Quò

1246. Quò cùm perveniſſent die præfixo, Epiſcopi omnes ſeſe gratis abſentârunt; ne viderentur proprius ſactis eminùs adverſari. Sciebant enim corda omnium, uſque ad animæ amaritudinem, non immeritò ſauciari.

Conſpiratio quorundam nobilium Franciæ contra Papam.

Cum verò dierum iſtorum fluenta prolaberentur, tepuit devotio fidelium, & filialis affectus charitatis, quem quilibet *Chriſtianus* adverſùs patrem noſtrum ſpiritualem, videlicet dominum Papam, gerere teneretur, non ſine animarum periculo, læſus deperiit; imò & in odium execrabile, & maledictiones occultas, eſt converſus. Videbant enim omnes & ſinguli, & videntes ſentiebant; ipſum dominum Papam pecuniæ & pecuniarum rapinis in multorum damnum & depauperationem inſatiabiliter inhiare. Nec credebant jam multi ipſum poteſtatem beato *Petro* conceſſum cœlitùs, videlicet ligandi & ſolvendi obtinere, qui penitùs beato *Petro* diſſimulis probabatur. Reſolutum eſt igitur os iniqua loquentium & obloquentium ubique locorum, & præcipuè in *Francia*. In qua quidem multi nobiles in ipſum Papam & Eccleſiam, quod nunquam meminimus eveniſſe, conſpirabant; ſicut in hac chartula, quæ *Gallica* lingua conſcribitur, quia ſic ad notitiam noſtram pervenit, poterit conſiderari.

A tous ceux qui ces lettres verront, nous tous deſquelz les ſeaux pendent en ceſt preſent eſcript, faiſons ſcavoir, que nous par lay foy de nos corps avons ſiancè & ſommes aliancè, tant nous comme noz oirs à touſiours à ayder les uns aux autres, & à tous ceux de nos terres & dautres terres, qui vouldront eſtre de ceſte compagnie, à pourchaſer & à requirir & à defendre nos droitz & les leurs en bonne foy envers la clergie. Et pour ce que ſeroit grieve choſe nous tous aſſembler pour ceſte beſoigne, nous avons eſlu par le commun aſſent & oltroy de nous tous, le Duc de Burgoigne, *le Conte* Perrun *de* Bretaigne *le Conte d'* Anguleſme, & *le Conte de* S. Pol, *a ce que ſi aucuns de ceſte communité avoità faire envers la clergie, tel ayde comme ces quatre devant dits eſgarderoient quum homme luy deuſt faire, nous luy ferions, Et ceſt à ſcavoir que à ce defendre, pourchaſſer, & requirir, chaſcun de ceſte communité mettra la centieſme part par ſon ſerment de la vaillance dun an de la terre quil tiendra. Et chaſcun riche homme de ceſte compaignie fera lever ces deniers chaſcun an à ſon povoir à la Purification noſtre Dame, & les delivra ou il ſera meſtier pour ceſte beſoigne, par les lettres pendantes de ces quatre avant nommes, oudes deux de eux. Et ſi aucum aveit tort, & il ne vouloit laiſſer par ces quatre avant nommez, il ne ſeroit pas aydé de la communite. Et ſi aucun de ceſte compagnie eſtoit excommunié par tort, cognu par ces quatre, que la clergie luy feiſt, il ne laiſſeroit aller ſon droit ne ſa querele pour lexcommuniment, ne pour autre choſe quon luy face, ſtce neſt par laccort de ces quatre, ou des deux de euxains pourſuiveroit ſa droiture. Et ſi les deux des quatre moureroyent ou alloyent hors des la terre, les autres deux qui demeuroyent, mettroyent autres deux en lieu de ces deux, qui auroyent tel povoir que eſt à devant deviſé. Et ſil avenoit que les trois & les quatre alaſſent hors de la terre ou mouriſſent, les douze ou les dix des riches de ceſte communité eſliront autres quatre, qui auront ce meſme povoir que les quatre devantdits. Et ſi ces quatre, ou aucun de la communité par le commandement de ces quatre, faiſent aucune beſoigne qui appertenſiſt à ceſte communité, la communite len de livreroit.*

Aliud ſcriptum contra clerum.

Quia clericorum ſuperſtitio, non attendens quòd bellis & quorundam ſanguine ſub *Carolo* magno & aliis, Regnum *Franciæ* de errore gentilium ad fidem Catholicam ſit converſum, primò quadam humilitate nos ſeduxit, quaſi vulpes ſe nobis opponentes, ex ipſorum caſtrorum reliquiis, quæ à nobis habuerant fundamentum jurisdictionem ſæcularium Principum ſic abſorbent, ut filii ſervorum ſecundùm ſuas leges judicent liberos & filios liberorum; quamvis ſecundùm leges priorum triumphatorum, deberent à nobis potius judicari; & per novas conſtitutiones non deberet anteceſſorum noſtrorum conſuetudinibus derogari: cùm nos deterioris conditionis faciant, quàm Deus etiam voluit eſſe Gentiles, cùm dixerit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Nos omnes Regni majores attento animo percipientes, quòd regnum non per jus ſcriptum, nec per clericorum arrogantiam, ſed per ſudores bellicos fuerit adquiſitum; præſenti decreto omnium juramento ſtatuimus & ſancimus, ut nullus clericus vel laicus alium de cæterò trahat in cauſam coram ordinario judice vel delegato, niſi ſuper hæreſi, matrimonio, vel uſuris: amiſſione omnium bonorum ſuorum & unius membri mutilatione, tranſgreſſoribus imminente; certis à nobis ſuper hoc executoribus deputatis; ut ſic juriſdictio noſtra reſuſcitata reſpiret, & ipſi hactenùs ex noſtra depauperatione ditati, quibus Dominus propter eorum ſuperbiam prophanas voluit revelare contentiones, reducantur ad ſtatum Eccleſiæ primitivæ; & in contemplatione viventes, nobis, ſicut decet, activam vitam ducentibus, oſtendant miracula, quæ dudùm à ſæculo receſſerunt.

Hæc cùm audiſſet Papa, ingemuit ſpiritu perturbato; & cupiens eorum emollire corda & conſtantiam enervare, admonitione præmiſſa eos minis perterruit, nec ſe ſic ſenſit prævalere. Contulit igitur multis conſanguineorum eorum multa beneficia eccleſiaſtica, & licentiam plura obtinendi, cum indulgiis multis, necnon & plura ipſis nobilibus contulit donativa; & ſic multos eorum à prædicta præſumptione revocavit. Multos tamen perterruit hujuſmodi tenor epiſtolæ, credebatùrque hæc à conſenſu *Frederici* emanaſſe; maximè cùm hujuſmodi clauſula finalis concordet epiſtolæ *Frederici* quam multis miſit Principibus, in cujus fine ſic dicit. *Semper fuit noſtræ intentio voluntatis, clericos cujuſcunque ordinis ad hoc inducere, & maximè maximos, ut tales perſeverarent in fine, quales fuerunt in Eccleſia primitiva Apoſtolicam vitam ducentes, humilitatem Dominicam imitantes. Tales namque clerici ſolebant Angelos intueri, miraculis coruſcare,* &c.

&c. Require in anno M.CC.XLV. in Epiſtola *Frederici* ad Regem *Angliæ* miſſa & ſingulis Principibus. 1247.

IN craſtino igitur Purificationis beatæ *Mariæ*, dominus Rex cum ſuis Magnatibus tractatum habens diligentem, per plures conſilium urgens dies protelavit. Timebatur enim vehementer, & veraciter domino Regi referebatur, quòd Rex *Francorum* ſe ad ſibi ſubjugandam *Gaſconiam* præparabat. Quam amittere ſibi probroſum, ignominioſum, & damnoſum videbatur; cùm ex ſola *Burdegali* mille marcas annuas percipere conſuevit. Convenerant etiam tunc ibidem, ut prætactum eſt, Archidiaconi *Angliæ*, necnon & totius Regni cleri pars non minima cum ipſis Magnatibus; conquerentes communiter ſuper intolerabilibus & frequentibus exactionibus domini Papæ, pro quibus & dominus Rex non mediocriter compatiendo triſtabatur. Res enim publica periclitabatur, & commune negotium Regni totius agebatur; & eminebat tam populi quàm cleri immanis deſolatio, & cunctis temporibus inaudita. Igitur coram domino Rege repoſita eſt querimonia lachrymabilis, cui pertinet Rempublicam protegendo, tales injurias & pericula propulſare. Tandem de communi conſilio proviſum eſt, ut gravamina terræ domino Papæ ſeriatim monſtraturi ad curiam *Romanam* nuncii diſcreti deſtinarentur, has epiſtolas ſubſcriptas domino Papæ & Cardinalibus, ex parte communitatis totius cleri & populi Regni *Anglicani*, eminùs oſtenſuri.

Parlamentum Londini habitum, in quo querelæ querelis cumulabantur ſuper exactionibus Papalibus.

SANCTISSIMO patri in Chriſto *ac domino* J. *Dei providentia ſummo Pontifici, univerſitas cleri & populi per provinciam* Cantuarienſem *conſtituti, devota pedum oſcula beatorum. Cùm* Anglicana *Eccleſia à tempore commendatæ ſibi fidei catholicæ, Deo & ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ matri noſtræ placere ſtudens, adhæſerit ſemper & ſervierit devotè, à cæptis obſequiis non receſſura, per morum incrementa ſemper proficiens; ſanctitatis veſtræ pedibus provoluta ſupplicat obnixè, quatenùs in petitione pecuniæ, quæ diverſimodè ab ea requiritur, in ſubventionem diverſarum nationum, de mandato ſanctitatis veſtræ cum gravi coërtione, eidem pietas veſtra parcere dignetur. Importabile eſt namque quod mandatur, & impoſſibile propter rerum defectus: licèt enim Regio noſtra fructus reddat interdum ad alimenta gentis ſuæ deputatos, æris tamen copiam non reddit, nec redderet per tempora multa quanta requiritur his diebus. Sed & onere ſimili, licèt non tanto, præteritis diebus; & ob cauſas ſimiles prægravata, portare nequit aliquatenùs quod exigitur. Ad mandatum inſuper ſanctitatis veſtræ tempore præſenti ad opus domini Regis noſtri temporalis, (cui in neceſſitatibus ſuis deeſſe non poſſumus cum honeſtate, nec debemus) exigitur à clero ſuccurſus; ut incurſus hoſtiles, quos avertat Deus, propulſare poſſit, & patrimonii ſui jura tueri, ac recuperare promptiùs occupata. Latores igitur præſentium cum ſupplicatione noſtra, ad præſentiam ſanctitatis veſtræ deſtinamus; ut pericula vobis exponant, & incommoda, quæ in promptu ſequerentur ex præmiſſis, & quæ nulla poſſumus ratione portare; licèt ſimus in omni vinculo charitatis, obedientiæ & devotionis, vobis obligati. Et quia communitas noſtra ſigillum non habet, præſentes literas ſigno communitatis civitatis* Londinenſis, *veſtræ ſanctitati mittimus conſignatas.*

Literæ ad Papam miſſæ nomine totius univerſitatis Angliæ.

REVERENDISSIMIS patribus in Chriſto *& dominis, ſacroſanctæ Eccleſiæ* Romanæ *Cardinalibus, devoti ſui, &c. Salutem, reverentiam debitam & honorem. Ad univerſitatem veſtram, velut ad baſes eccleſiam Dei fulcientes, humiliter ſupplicantes confugimus, & obnixè deprecamur, quatenùs preſſuras quibus mancipamur attendere dignantes, opem ferre velitis; ut poſt repetita gravamina, quæ* Anglicanæ *Eccleſiæ præteritis diebus occurrerunt, reſpirare poſſit, & ex hoc vobis aſſurgere teneamur, ad debitas gratiarum actiones. A tempore namque ultimi Concilii* Lateranenſis, *primò viceſima triennii in ſubſidium* Terræ ſanctæ; *poſtmodùm decima in ſubſidium domini Papæ; poſtmodùm præſtationibus aliis diverſimodè & ad uſus diverſos, de mandato ſedis Apoſtolicæ* Anglicana *Eccleſia pulſata, profudit prompta voluntate quæ potuit habere ad manus. Regi etiam noſtro ac patrono temporali, ad mandatum ſedis Apoſtolicæ, iteratis vicibus ſecundùm vires ſuas fecit ſuccurſum, & jam per preces veſtras exigitur ſuccurſus iteratò ad opus ejuſdem domini Regis, (cui in neceſſitatibus ſuis deeſſe, nec poteſt, nec debet) ut hoſtium incurſus repellere poſſet, & Regni ſui jura tueri ac recuperare promptiùs occupata. Poſtremò autem, petitur ab eadem Eccleſia diebus iſtis, quod portare non poteſt, rerum penuria negante quod exigitur; ab aliis, videlicet, medietas bonorum; ab aliis tertia; & à reliquis viceſima omnium quæ poſſident. Pars ſcilicet in uſus* Francorum, *qui nos & gentem noſtram perſequuntur, ad conqueſtum Imperii* Græcorum: *pars in ſubſidium* Terræ ſanctæ, *quæ poſſet, ut mundus clamat, cum minori diſcrimine rehaberi ab hoſtibus. Pars autem ad uſus alios, quos Apoſtolica ſedes ordinaret. Durum quidem videtur nobis & abſurdum, ut aliis abundantibus de bonis & laboribus noſtris; nos & noſtri, ac pauperes Regionis noſtræ, quibus exhibitio propinquior competit, vacui jejunemus. Hoſtiles etiam inſidias & incurſus, quos Deus avertat, Rex noſter & Regni militia repellere non valeret; nec poſſet pereuntibus & inopibus ſubveniri, ære Regni & ærario vacuato. Indò etiam & ſi venalia exponerentur omnia quæ clerus habet, non poſſet apud nos inveniri pecunia quæ exigitur. Sequerentur quidem infortunia multa ex præmiſſis; ſi ad ea, quod abſit, cogeretur. Pro quibus vobis exponendis, præſentium latores nuncios noſtros communes ad veſtram clementiam deſtinamus; petentes attentè, quatenùs propter Dominum & honorem ſedis Apoſtolicæ, animum domini Papæ, & manus veſtras ac conſilia à gravamine tali revocare velitis; providentes, ſi placet, ut ad gremium & obedientiam matris Eccleſiæ ſic revocetis errantes & diſperſos, ne diſpergatis & alienos reddatis, priùs in charitate & devotione collectos. Et quia communitas noſtra ſigillum non habet, præſentes literas ſigno communitatis civitatis* Londinenſis *veſtræ ſanctitati mittimus conſignatas.*

Literæ nomine ejuſdem univerſitatis Cardinalibus miſſæ.

1247.

Umbratile privilegium, Rex Angliæ à Papa impetrat.

EISDEM diebus dominus Rex, neſciens ſe verſutiis *Romanorum* ſubdolè verborum involucris muſcipulatum, per quoſdam aulicos ſuos ipſi Regi placere cupientes, privilegium quoddam ſibi in curia *Romana* gratanter ſuſcepit impetratum, cujus tenor talis eſſe dignoſcitur. *Quanquam Papa pro ſuæ voluntatis arbitrio, ad intolerabile Regni* Angliæ *gravamen, paſſim & indifferenter proviſiones fecerit in* Anglia *de beneficiis eccleſiaſticis ad opus Italicorum; nunc gratia Dei ita ſedata eſt tempeſtas, quòd quando Papa providet alicui vel aliquibus ex nepotibus ſuis vel Cardinalium, ipſe vel ipſi Cardinales, rogabunt dominum Regem cum inſtantia magna, quòd placeat dominò Regi, ut provideatur ſic.* Quo umbratili privilegio ac deceptorio, amici domini Regis fortunales, cor ejus demulcentes, ipſum ſtrictiùs illaqueârunt. In quo enim gravantur notarii ac tabelliones *Romanæ* curiæ, ad munera cerei ac proſtantes, ſi imperante Papa petitiones urgentes & rhetoricas domino Regi tranſmittant, ut ſe ditent, & Regem depauperent? Nihil igitur aliud illud arbitror, niſi hamum ineſcatum.

Adducuntur alienæ puellæ nobilibus Angliæ maritandæ.

ET dum nec adhuc memoratum concilium ſolveretur, *Petrus* de *Sabaudia* Comes *Richemundiæ*, ad curiam Regiam *Londini* perveniens; ſecum de partibus ſuis longinquis, incognitas, Nobilibus *Angliæ*, quos in cuſtodia ſua dominus Rex educaverat, puellas adduxit maritandas. Quod multis *Angliæ* naturalibus & indigenis, qui ſe ſpretos cenſuerunt, moleſtum videbatur & abſurdum.

Duo fratres Minores Anglici mittuntur à Papa in Angliam; ad pecuniam extorquendam.

DUM fortuna præſtigioſa mundo talibus illuderet fallaciis, duo fratres de ordine *Minorum*, *Johannes* & *Alexander*, natione *Anglici*, poteſtatem à domino Papa obtinentes extorquendi pecuniam ad opus domini Papæ, in *Angliam* ab ipſo Papa deſtinantur. Qui multis bullatis literis Papalibus armati, & ſub ovino vellere lupinam rapacitatem palliantes, pòſt ad Regem ſimplici intuitu, vultu demiſſo, ſermone blando pervenientes, per regnum vagandi poſtulabant auxilium, ad opus domini Papæ charitatem petituri, nullam ſe coërtionem facturos aſſerentes. Ex licentia igitur domini Regis, nihil ſiniſtri ſuper his meditantis, dicti fratres à curia Regis, jam Legati ſophiſtici donis clericorum regalium ſuperbientes, nobiles mannos obſidentes, ſellis deauratis phalerati, pretioſiſſimis veſtibus adornati, calceamentiſque militaribus, quæ vulgariter *Heuſes* dicuntur, ſæculariter, imò potiùs prodigaliter calceati & calcarati, in læſionem & opprobrium ordinis & profeſſionis ſuæ profecti ſunt; officio & tyrannide fungentes Legatorum, & procurationes exigentes & extorquentes, xx. ſolidos pro procuratione parùm reputarunt. Adeuntes igitur primò præcellentiores *Angliæ* Prælatos, pecuniam ad opus domini Papæ ſub pœna formidabili procaciter exigunt, terminum reſponſionis vel ſolutionis nimis abbreviantes; literas Papales fulminantes oſtendendo, quas quaſi cornua minacia protulerunt. Et cùm ad Epiſcopum *Lincolnienſem* pervenirent, qui ſemper ordinis eorum æmulator & amator ſingularis, adeò ut ad ordinem eorum propoſitum habuerat convolandi, extiterat, obſtupuit vehementer; videns talem fratrorum *Minorum* monſtruoſam in habitu & geſtu necnon & officio transformationem; non enim de facili deprehendi potuit, cujuſnam ordinis jam eſſent vel conditionis. Et cùm ſacros apices Papalis ... dejurantes, præcipuè de credentia pecuniæ, nam parvam quantitatem, ſex millia videlicet marcarum, ex Epiſcopatu ſuo inſtanter exigebant. Cui Epiſcopus non ſine magno cordis ſtupore & dolore reſpondit: Frater, hæc exactio, ſalva Papali auctoritate, inexaudibilis & inhoneſta eſt, quia ad implendum impoſſibilis eſt; nec me ſolùm contingens, imò totius cleri & populi, necnon & Regni univerſitatem. Arbitror igitur temerarium & abſurdum tibi certum ſuper hoc, inconſulta Regni communitate, præcipitanter dando reſponſum, tam arduo conſilio & negotio diffiniendo conſentire. Et ſic inde recedentes, ad eccleſiam ſancti *Albani* phalerati, & transformati (ut prædictum eſt) pervenerunt, & non curantes ad ſolitum fratrorum *Minorum* hoſpitium, quod infra portam curiæ honeſtiſſimè cum omnibus pertinentiis ædificatum eſt ad opus ſpecialiter *Prædicatorum & Minorum*, venire vel deſcendere, in hoſpitio ſolenniori, ubi ſcilicet Epiſcopi & honorabiles viri declinant, ſunt recepti reverenter. Et ecce ſicut ab Epiſcopo memorato, ſex marcarum millia exigebant, ita quadringentas marcas ab dicto Abbate, ad opus domini Papæ, inſtantiſſimè ſub magna pœna & in brevi termino, niſi ipſi ordinando providerent, perſolvendas poſtulabant. Quibus cùm Abbas eodem modo quo prædictus Epiſcopus reſpondit, humiliter reſpondiſſet; ipſi Fratres habitum cum geſtu ſæcularem induentes, & equos ſuos nobiles aſcendentes, cum minaci murmure receſſerunt.

Papa petit à Prælatis Franciæ pecuniam ſibi mutuò præſtari.

EISDEMQUE diebus, dominus Papa apices ſuos authenticos per ſolennes nuncios *Prædicatores* & *Minores*, miſit ad omnes *Franciæ* Prælatos ſigillatim; ſupplicans ut unuſquiſque juxta ſuam poſſibilitatem, ſibi unam quantitatem pecuniæ accommodaret. Et ipſe proculdubiò cùm reſpiraret, quod cuilibet competeret, redderet indubitanter. Quod cùm Regi *Francorum* innotuiſſet, ſuſpectam habens *Romanæ* curiæ avaritiam, prohibuit; ne quis Prælatus Regni ſui ſub pœna amiſſionis omnium bonorum ſuorum, taliter terram ſuam depauperaret. Et ſic cum ſibilo & deriſione omnium Papales Legati ſophiſtici, quorum humeris hoc officium incumbebat; inanes & vacui à Regno receſſerunt memorato.

Johannis Manſel promotio & exaltatio.

ET dum circularibus hæc tempora voluminibus cum ſuis inopinatis eventibus elaberentur, dominus *Johannes Manſel*, eccleſiæ ſancti *Pauli Londinenſis* Cancellarius, Rege ſic volente & inſtanter petente (cujus petitio imperioſa eſt & coarctans) cuſtodiam ſigilli Regii ſuſcepit, Cancellarii vices acturus & officium. Collata eſt inſuper memorato *Johanni*, præpoſitura *Beverlaci* ab Archiepiſcopo *Eboracenſi*. Quam licèt, dominus Rex fratri ſuo uterino doluit non fuiſſe

collatam, tamen quia dictum *Johannem* ſollicitudinibus ſuis ſupportandis invenit fidelem ac neceſſarium, noluit eum dominus Rex contriſtari, vel honore collato quomodolibet ſpoliari. 1247.

Marinus capellanus in Angliam miſſus.

ET dum ima ſummis rota fortunalis ſic commutaret, dominus Papa non credens ſufficere ad pecuniam argumentosè vindemiandam jam miſſos diverſos numiſmatis collectores; in *Angliam* magiſtrum *Marinum*, alterum *Martinum* capellanum ſuum; qui ex nominis ſui impoſitione in hoc mundano mari piſcatorem non hominum, ſed eorum poſſeſſionum, prudenter elegerat, deſtinavit; ut aliis venantibus, iſte piſcando miſeros *Anglos* vel puniendo eminùs ineſcaret, vel fallendo cautiùs irretiret. Hic igitur quamvis inſigniis Legati non polleret; poteſtatem tamen Legati, ut ſic domini Regis privilegio illuderetur, fortiùs armabatur.

Godefridus Bethlimitanus electus Legatus in Scotiam mittitur.

ILLIS quoque diebus, miſſus eſt à domino Papa *Godefridus* filius præfecti *Romæ*, electus *Bethlimitanus* Legatus in *Scotiam*, neſcitur ad quid; cum ibidem fides catholica vigeat incontaminata, & pax tam cleri quàm populi floreat roborata. Credebatur igitur, ut ſecundùm *Romanorum* conſuetudinem, quòd prædictus *Godefridus*, velut adamas ferrum, ſic attraxerit argenti concupiſcibilis *Scotorum* redditus aduberes & concupitos.

Miſſus in Hyberniam M. Johannes.

EISDEMQUE diebus miſſus eſt in *Hyberniam* magiſter *Johannes Rufus*, ad pecuniam ibidem colligendam cum poteſtatis plenitudine quaſi Legatus; non tamen inſignibus Legati redimitus, ne videretur Papa dominum Regem *Angliæ* offendiſſe; qui privilegio tali ſe gaudet umbraliter communitum, ut non veniat Legatus in terram ſuam niſi poſtulatus. Memoratus igitur *Johannes* tam vigilanter mandato Papali, & ſuæ indulſit utilitati & lucro, ut ſex millia marcarum ab *Hybernia* extorſit; quæ per conductum religioſorum in feſto ſancti *Michaëlis* fecit *Londinum* tranſportari, & theſauro Papali gaudenter accumulari. Quæ omnia *Fredericum* minimè latuerunt.

Terræmotus in Anglia.

ANNO quoque ſub eodem, Idus Februarii, videlicet in vigilia ſancti *Valentini*, factus eſt in *Anglia* per diverſa loca, præcipuè tamen *Londini*, maximè ſuper ripam *Tameſis* fluvii, terræmotus. Qui ædificia multa concutiens damnoſus extitit, & nimiùm terribilis; quia, ut credebatur, ſignificativus & inſolitus eſt in his partibus occidentalibus, necnon & innaturalis, cùm ſoliditas *Angliæ* cavernis terreſtribus & profundis traconibus ac concavitatibus (in quibus ſecundùm Philoſophos ſolet terræmotus generari) careat; nec inde ratio poterat indagari. Erat igitur, ſecundùm minas Evangelii finis mundi ſeneſcentis deſcriptus quaſi per loca, ut proinde veriùs crederetur motus ille memoratus, magnæ mundi immutationis oſtenſivus; ut ſecundùm commotiones etiam elementa concuterentur, & inſolitis motibus turbarentur. Mare etiam infra paucos dies præteritos, eodem anno per longum ſui littoris ſpatium in *Anglia*, ut prætactum eſt, parùm vel minimè per tres circiter menſes fluxit & refluxit; quod ſe nullus meminit prævidiſſe: nec terræmotus extitit in *Anglia* poſt annum gratiæ millesimum, centeſimum, triceſimum tertium; videlicit anno tertio ante mortem Regis *Henrici* ſecundi. Secuta eſt igitur aëris intemperies diuturna, ſqualor ineptus & hyemalis, turbulentus frigidus & pluvialis; ita ut tam agricolæ quàm hortulani, ver in hyemem ordine retrogrado conqueſti ſunt fuiſſe commutatum; & ſe ſpe ſeminum, plantularum, fructuum, & ſegetum fruſtratos vehementer formidabant. Hæc aëris perturbatio, uſque ad feſtum tranſlationis ſancti *Benedicti*; vix aliquo ſereno die interveniente, continuè perduravit.

Moritur Fulco miles.

IN craſtino verò Purificationis beatæ *Mariæ*, obiit *Londini Fulco* de *caſtro novo*, miles eximius, domini Regis conſobrinus; cujus corpus propter ipſius generoſitatem, fecit dominus Rex, qui propter memoratum parlamentum præſens extitit, magnificè completis exequiis in Eccleſia *Weſtmonaſterienſi* ſolenniter & honorificè ſepeliri.

Conſtitutio de inteſtatis in irritum revocata.

PER idem quoque tempus, propter ſcandalum indecenter per diverſa climata ventilatum, cogentibus Cardinalibus, revocatum eſt, quod paulò antè à domino Papa, inſtigante manifeſta avaritia, fuerat conſtitutum, & ad quod fratres *Minores*, in damnum & ſcandalum eorum & ſui ordinis læſionem, exequendum procuratores conſtituerat; ut videlicet bona decedentium inteſtatorum, in uſus proprios dominus Papa ſibi vendicaret; tamen quia in injuriam & damnum multorum nobilium redundabat, tum propter illam iniquam adjectionem, quæ contra jura & omnem pietatem illi ſtatuto addebatur. Quæ talis extitit: *Quod ſi infirmus teſtamentum conditurus imbecillitate repentina præoccupatus, non poſſet expreſsè verba teſtamenti ſui exprimere, & aliquem de amicis conſtitueret ſuper hoc expreſſorem & executorem; non ſtaret tale teſtamentum ſed pro nullo haberetur; & teſtator talis pro inteſtato reputaretur, & omnia bona ejus Papalis Charybdis deglutiret.*

Inſidiæ de illo in mortem Papæ machinatæ.

ET dum ævi noſtri fugitiva volumina ſic prolaberentur, quidam de militibus *Frederici Radulphus* nomine, iratus eò quòd non tempeſtivè ſua à domino ſuo ſtipendia pro merito recepiſſet, receſſit ab ejuſdem clientela comminando; erat autem idem *Radulphus* aſtutus mente, corpore ſtrenuus, & peritus præliorum. Et deſiderans damnificare *Fredericum* quondam dominum ſuum, *Lugdunum* adiit; quærens dominum, ſub quo utiliùs militaret, utpotè ſtipendiarius, nullum habens certum domicilium. Et hoſpitatus eſt in domo cujuſdam hoſpitatoris, nomine *Reginaldi*. Et poſt aliquot dies, fortè tranſitum illàc faciens magiſter *Walterus* de *Ocra*, memorati *Frederici* clericus & conſiliarius ſpecialis, in eodem hoſpitio, quia ſibi ſolito, ſe recepit. In quo videns dictum *Radulphum* militem, ipſum quaſi notum ſalutavit familiariter ex nomine; inquirens quid ibi ageret, & conſequenter quare à domino ſuo, cui diu ſervierat, ſic receſſiſſet, & plenariè

caufam

1247. cauſam inquirendo cognoviſſet, interrogavit ſi adhuc alium dominum ſibi adquiſiſſet. Cui ille, non, quia ignotus ſum. Et magiſter *Walterus*, Amice, revertere ad fidelitatem & obſequium domini mei, qui talibus multùm dignoſcitur nunc indigere; & omnia tibi debita reſtituam, imò etiam addam ampliora. Quod cùm conceſſit *Radulphus* gaudenter, ait magiſter *Walterus* proſperè ſe haberet dominus meus, ſi non ipſum inquietaret, imò non impeteret capitalis ejus inimicus & indefeſſus perſecutor Papa. Cujus ſi fontem vitam velles & valeres caute ſurripere, retributiones inæſtimabiles multiplicabo, quod tibi promiſi indubitanter adimplendo, & trecenta talenta repromiſſis cum multis redditibus, cum mei gratia domini, multùm tibi lucroſa, accumulando. Sic etenim domini mei tribulatio, imò totius mundi tempeſtas, ſedaretur. Nec huic facto credas ſubeſſe peccatum, cùm Papa, qui forma & exemplum totius teneretur eſſe religionis, uſurarius ſit manifeſtus, fomes ſymoniæ, pecuniæ ſititor ac raptor, ipſiúſque curia, forum inſtitorum, imò potiùs meretricale proſtibulum. Cui *Radulphus*: Si promiſſa ſubarrando dictis facta compenſaveris, faciam quod hortaris. Et cùm præſtito juramento cavens pro domino ſuo & ſe plenè ſpopondiſſet magiſter *Walterus*, conſenſit in facinus memoratum *Radulphus*; datis & pollicitis pluribus enervatus. Ad quod etiam arcanum conſilium, hoſpitem eorum, dictum *Reginaldum*, ſimili obligatione attraxerunt tandem conſentientem, qui notus erat ſummo Pontifici ac ſuis miniſtris. Iſte locum & tempus ubi & quando inſidiando diligenter, ut Papa interficeretur, tenebatur conſiderare; & cæſorem cautè introducere; & ſic receſſit magiſter *Walterus*. Accidit autem infra paucos dies ſequentes, ut idem *Reginaldus* graviter & uſque ad mortem infirmitate ſubita correptus, presbytero ſuo in confeſſione hæc omnia ſeriatim inſinuavit moriturus, & ſic pœnitens in fata conceſſit. Sacerdos autem ſtatim hoc imminens periculum, Papæ fiducialiter intimavit. Miſſis igitur expeditiſſimis nunciis repentinè armatis, captus eſt miles ſæpedictus ſcilicet *Radulphus*. Qui cùm omnia conſtanter inficiaretur, tandem tormentis exquiſitis expoſitus, virus conceptum proditionis prænotatæ evomens, rei veritatem eminùs toti Papali curiæ propalavit. Et hæc omnia ad improperium *Frederici* ſuorúmque, ut graviùs ſcandalizaretur & condemnaretur, in ſcriptum bullatum ſunt redacta.

Alii duo ob eandem culpam capti.

ET circa eadem tempora capti ſunt duo milites *Italici Lugduni* pro eadem culpa, qui poſt captionem ſuam affirmabant, circiter quadraginta milites audaciſſimos in necem Papæ præſtito ſacramento conſpiraſſe; qui ſi etiam *Fredericus* defunctus eſſet, propter nullam mortis pœnam non omitterent, quin ipſum Papam, totius mundi perturbatorem, & eccleſiæ maculatorem, in fruſta trucidarent; credentes firmiſſimè ſe Deo & hominibus placentia conſummaſſe, ſi talem fœliciter jugulaſſent. Ex hoc igitur tempore, dominus Papa in camera ſua latuit, circiter quinquaginta armatis die ac nocte diligenter cuſtoditus; nec eſt auſus extra cameram ſuam, vel caſtrum, vel palatium ſuum eminùs apparere, in tantum ut ad eccleſiam iret Miſſam clebraturus. Neceſſe eſt enim, ut multòs timeat, qui à multis timetur; & multorum perturbator, multipliciter perturbetur.

Magnum Parlamentum in Francia.

EODEM anno, circa medium Quadrageſimæ, dominus Rex *Francorum*, Regni ſui nobiles, tam cleri quàm populi, generaliter edicto Regio fecit convocari; ut ad parlamentum communiter convenientes, ardua negotia Regni ſui ſtatum contingentià diligenter deliberando contrectarent: ſollicitabat enim ipſum ſui ipſius & ſuorum Magnatum crucis ſignatio, & voti tanti irrefragabilis obligatio. Acceperat quoque, ut dicebatur, mandatum Regis *Tartarorum*, ut ei foret ſubjectus, qui ore temerario atque prophano ſe in epiſtola ſua aſſerit *immortalem*, & ſe ſuóſque affirmat eſſe, de quibus ſcriptum eſt, quòd *terram dedit Dominus filiis hominum*. Quod tamen dominus Rex *Francorum* diſpoſitioni divinæ relinquens, quæ Deo ſunt debita & perſolvenda, per quæ omnia adverſa, quæ diabolica vel humana poterit aſtutia machinari, conterentur, primitùs tam prudenter quàm providenter contrectando, providit & immutabiliter ſtatuit & ordinavit; quòd à feſto nativitatis beati *Johannis Baptiſtæ*, tunc proximò futuro uſque in annum completum, vita comite, iter arriperet peregrinale; ut votum ſuum fideliter perſolvendo, in *Terra ſancta* veſtigia Crucifixi, qui eum reſuſcitaverat, cum ſuis conſignatis adoraret. Et ſe certiſſimè facturum in publico juravit, & ſuos jurare fecit; niſi inopinatus eventus, quem mortalis infirmitas nequit evitare, quod abſit, retardaverit. Et qui huic ſalubri ſtatuto repugnans contradiceret; & excommunicaretur, & publicus hoſtis cenſeretur. Quod cùm *Choroſminis* & aliis *Saracenis* innotuiſſet, quæ *Chriſtianis* contermina ſunt in *Terra ſancta*, & infidelium nuper mancipabantur dominio, caſtra & civitates firmiſſimè muniêrunt. Item, præcepit inſuper idem dominus Rex memoratus, quia viderat quòd numiſma *Angliæ*, quod in Regno ſuo in pluribus negotiationibus inſtitoribus ratione materiæ eſt perutile, nimíſque jam à fallariis, qui denariorum tonſores dicuntur, deterioratur diminutum, ut quicunque deinde eſterlingus in regno ſuo pondere non legalis inveniretur, ſtatim funderetur, ne ampliùs tali adulterino numiſmate, commercia vel mercatores turbarentur. Et hoc idem in *Anglia*, propter immoderatam denariorum diminutionem jam timebatur. Dictum eſt inſuper & compertum, quòd à *circumciſis*, denarii circumcidebantur; & à *Judæorum* infidelitate; qui propter Regia tallagia nimis gravia, mendicare jam cogebantur, hoc & alia ſcelera dicebantur emanaſſe.

Concordia facta inter eccleſias Dunelmenſis & ſancti Albani.

HOC quoque anno, facta eſt compoſitio pacifica inter eccleſiam *Dunelmenſem* & eccleſiam ſancti *Albani*, ſuper viſitatione facienda in eccleſia parochiali, quæ eſt in Monaſterio Monachorum

de *Thynemua*, tempore Epiſcopi *Dunelmenſis Nicholai*, & Abbatis ſancti *Albani Johannis* ſecundi; quæ pleniùs & latiùs explicata & enarràta eſt in libro *Additamentorum*; cujus exemplum etiam invenies in ſecunda pagina poſt hanc ſequenti, ſub finem. 1247.

EODÉMQUE anno diebus ſub eiſdem, *Fredericus* conſiderans mundum jam contra eum fremere, & frementem erigi; *Mediolanenſibus*, pacem cum debita ſubjectione & reverentia poſtulantibus, fretus ſapientum conſilio, benignè conceſſit. Nam hoc idem dicti cives humiliter petere, diſtrictè cogebantur. In ultimo enim certamine inter ipſos & *Conradum Frederici* filium inito, deteriorem calculum reportàrunt; & multis captis per inſidias latitantium poſt terga in ipſos ſubitò irruentium, cives plurimi ceciderunt. Quibus captis & incarcerandis, *Frederici* pepercit innata nobilitas; ut ipſos cautiùs ad ſubjectionem, quos nequiverat violenter edomans, revocaret. Veruntamen præceperat, cum in civitatem ſuam intraverant, vias eorum undique ſibi præcludi. Cives igitur, quibus ex commercio fuit neceſſe vivere, quaſi obſidione vel carcere tenebantur incluſi. Non enim vel ad nundinas, vel portus, vel civitates finitimas, ſine periculo ſuorum corporum, vel beſtiarum, aut poſſeſſionum, liberè poterant tranſmeare. Redeuntibus igitur multis ad priſtini ac debiti ſui domini fidelitatem, atque obedientiam; aperuit *Fredericus* ſinum miſericordiæ, & ſic ad unitatem Imperii & pacem, ſibi & eis utilem, per longa & damnoſa certamina, etiam invitos, prudenter revocavit. Nec curàrunt ex tunc dicti cives *Mediolanenſes*, Papæ, qui eos pollicitis ſuis fallacibus deceperat, ampliùs adhærere.

Mors Landegravii *in Regem* Rom. *electi*.

IPSO quoque tempore Quadrageſimali, ne terræmotus ſupra memoratus minaci careret ſignificatione, cùm dominus Papa in pecuniæ theſauris undecunque ſubreptæ impreciabilibus & innumerabilibus, quibus abundabat, fruſtrà confidens, *Landegravium* ſuum, quem in Imperatorem promovere deſideranter propoſuerat, jam in Regem *Alemanniæ* ſublimatum coronare ſolenniter & indubitanter, ſine alicujus impedimento vel contradictione, credebat; *Conradus* filius *Frederici* per exploratores expeditiſſimos certificatus, & ſuper his omnibus pleniùs edoctus, cum inæſtimabili, quem undecunque potuit conflare, exercitu, repentino impetu raptus ſuper venit ad locum ubi dictus *Landegravius*, Papa ſic procurante, nimis pomposè fuerat coronandus, ubi omnia neceſſaria ad tantam ſolennitatem præparabantur. Metuens tamen dictus *Conradus* fata Martis ambigua, quindecim millia armatorum in quodam arcano diverticulo, non multùm remoto, in inſidiis collocavit; qui ei, ſi neceſſitas ingrueret, lituo provocante, auxiliando tempeſtivè ſuccurrerent. Et ecce, ante expectatum, interrupto gaudio feſtivali, factus eſt repentè congreſſus acerrimus & cruentiſſimus. In cujus initio *Conradus* multos de ſuis nobiliſſimos, verſo prælii pondere ſuper ipſum, amiſit trucidatos. Et cùm eidem confuſionis periculum immineret, ſigno non moroſo eminùs facto, advenerunt milites animoſiſſimi, qui in latibulis expectaverant, rapida velociùs aura: & moras, quas ægrè toleraverant, viriliter redimentes; hoſtibus obviantes jam jam ferè victoria potitis, omnes ſibi reſiſtentes in ore gladii trucidàrunt. In quorum adventu, reſpiravit *Conradus* ſæpedictus Imperatoris *Frederici* filius.

Ut ſolet infuſo vena redire mero.

Et ecce redivivo certamine Martio, armorum tinnitus, haſtarum fragor, tumultus ictuum, equorum hinnitus, vociferantium cohortatio, vulneratorum clamores, morientium gemitus, ipſum aëra cum denſi pulveris elevatione, & fumo anhelantium, & ſanguinis profluvio videbatur perturbare. Tanto igitur ac tali bellicoſo impetui non valentes *Alemanni*, & qui cum *Landegravio* erant, reſiſtere; vel turpiter fugientes, vel inſanabiliter vulnerati, ceſſerunt devicti. Quorum plurimi capti, ſunt hoſtium arbitrio carceribus mancipandi. Facta igitur ſtrage miſerabili, & *Chriſtiani* ſanguinis ſic fuſi jactura irreſtaurabili, fugit *Landegravius*; & in abſconditis ſeſe recipiens, gemitus ingeminando, tabuit præ dolore. Jam jámque in magna parte verificatum eſt, quod *Frederici* procurator *Thaddæus* in Concilio *Lugdunenſi*, cùm ſententiam dominus Papa in dominum ſuum fulminaſſet, ait: Heu, heu, verè dies iſta dies iræ, calamitatis, & miſeriæ! *Landegravius* igitur, die ſequenti ſecundùm ſuam æſtimationem in Regem *Alemanniæ* coronandus, videns gloriam ſuam in confuſionem commutatam, & conſanguineos, & amicos ſuos cum eorum ſequela trucidatos & devictos, necnon & omnem pecuniam à domino ſuo Papa tranſmiſſam, ſibi ab hoſtibus ſublatam; dolore tactus præcordiali, in ſemetipſo defecit; & non alieno, ſed proprii vulnere doloris ſauciatus & ſuffocatus, nulli lamentabilis muliebrem animam exhalavit. Victor igitur *Conradus* ulciſci volens plenariè injuriam & jacturam, quam nuper victus in *Alemannia*, fugiens toleraverat; omnes captivos, quos gladius non devoràrat, præcipuè *Landegravii* conſanguineos, affines, & amicos, vel ſuſpendit probroſè, vel graviter redimendos tenebroſis ergaſtulis, compedibus & manicis juſſit mancipari.

Papa mittit quatuor Cardinales Legatos per omnem Europam.

HOC autem cùm audiſſet dominus Papa, tactus dolore cordis intrinſecus, quatuor Cardinales, Legatos ſolennes, per quatuor *Chriſtianitatis* partes, plenitudine poteſtatis eis conceſſæ tranſmittit armatos; ut ipſum *Fredericum* & ejus filium *Conradum*, talia auſum & attentantem, ſcandalizarent, & omnes *Chriſtianos* in ipſum invadendum & perſequendum, & ſi poſſent contemendum, diligentiſſimè & efficaciſſimè, in omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, animarent. Theſaurum inſuper modis omnibus, quibus *Romana* curia ſcire conſuevit, aſtuta avaritia, & avara aſtutia, argumentosè ſtuderent undecunque extorquere, ad ipſum exoſum *Fredericum* expugnandum.

1247. expugnandum. Unum igitur Legatum in *Alemanniam*, aliud in *Italiam*, aliud in *Hiſpaniam*, aliud vero in *Norwegiam* deſtinavit: præter quoſdam Legatos ſophiſticos cum magna poteſtate, quos in *Angliam* ſubdolè ſine inſignibus, ne videretur maniſeſtè privilegium domini Regis infringere, duxit tranſmittendos. Utporè fratres *Minores* & *Prædicatores*, quos, ut credimus, invitos jam ſuos fecit dominus Papa, non ſine ordinis eorum læſione & ſcandalo, teloniarios & bedellos. Legatus autem ille qui à Pontifice in *Norwegiam* eſt tranſmiſſus, Epiſcopus erat *Sabinenſis*, Regem *Norwegiæ Haconem* in Regem inuncturus, & ſolenniter coronaturus; & ut in ejus Regno, necnon & *Sueſſia*, legationis officium in ſæpedicti *Frederici* nocumentum, non ſine cauſa, & ſpe lucri, diligenter exerceret.

Fredericus cogit Apulos, Siculos, & Calabres, homagium facere filio ſuo Henrico ex Iſabella nato.

CUM verò horum temporum curricula volverentur, ſuſpectæ memoriæ *Fredericus*, quem Imperatorem nominare vel dicere prohibemur, fecit omnes *Apulos, Siculos, & Calabres* facere homagium ligium dilectiſſimo filio ſuo *Henrico*; Quem de gremio ſibi chariſſimæ Imperatricis *Iſabellæ*, ſororis videlicet domini Regis *Angliæ*, ſuſceperat, ad robur Imperii & munimen. Quod audiens idem dominus Rex, dicti pueri avunculus vehementer, nec immeritò, lætabatur. Audiens autem *Fredericus* quòd in læſionem famæ ſuæ & ſtatus, dicti Legati per diverſa mundi climata mitterentur, ſignificavit *Henſio* filio ſuo, Regi ſcilicet *Sardiniæ*, ut *Januenſibus*, præcipuè domini Papæ conſanguineis, affinibus, & amicis, etiam mortis præpararet inſidias. Quod & ipſe efficaciter adimplere procuravit, ne patri inobediens videretur. Unde quendam domino Papæ propinquum, quem inter omnes ſibi propinquos, licèt univerſos ſupra modum dilexiſſet, magis dilexit; hoſtiliter cepit & ſuſpendit. Quod cùm audiſſet dominus Papa, iram iræ, & odium odio ſtomachatus coarcervans, ipſum *Fredericum* cum filio ſuo memorato, tanti mali machinatorem, die paraſceves adeò horribiliter excommunicavit; ut audientibus & videntibus horrorem incuſſit vehementem. Quod cùm audiſſet *Fredericus*, infremuit, & ait; Sic fecerunt *Judæi*, qui *Chriſtum* crucifixum & mortuum in cruce, lancea vulnerarunt.

Nova ſtatuta Regis Angliæ.

EODEM quoque anno, dominus Rex *Anglorum*, exemplum accipiens ab illis Baronibus, qui ſua ſtatuta ſanxerunt in *Francia*, quibus & dominus *Francorum* favorem jam præbuit, & ſigillum appoſuit; ad inſatiabilem *Romanæ* curiæ in parte ad præſens cupiditatem refrænandam conſtituit in *Anglia* inviolabiliter obſervanda hæc. *Lites de fidei læſione & perjurio probibentur à Rege, quando ſuper his conveniuntur laici coram judice eccleſiaſtico. Probibetur eccleſiaſticus Judex tractare omnes cauſas contra laicos, niſi ſint de matrimonio vel teſtamento. Item, de novo præſcribit Rex, certam formam Epiſcopis de Baſtardia; utrùm ſcilicet ante matrimonium contractum, vel pòſt nati ſint. Probibentur clerici per breve Regis, inſtituere actiones ſuas coram judice eccleſiaſtico ſuper decimis; & appellatur illud breve,* Indicavit. *De Sacramentis quæ exiguntur à clericis coram Juſtitiariis Regis præſtandis, quia diſcuntur proceſſiſſe in cauſis contra probibitionem Regiam; cùm jurare non teneantur clerici, niſi coram judice Eccleſiaſtico, maximè in cauſis ſpiritualibus. Item de clericis quos miniſtri Regis capiunt, propter famam quæ à laicis eis imponitur.*

Concordia facta inter Epiſcopum Dunelmenſem *& Abbatem* ſancti Albani.

EODEM anno ſopita eſt diſcordia mota inter epiſcopum *Dunelmenſem* & Abbatem *ſancti Albani*, in hunc modum. *Univerſæ ſanctæ matris eccleſiæ filiis, ad quos præſens ſcriptum pervenerit,* Michael *Archidiaconus de* Stowa, *Judex à domino Papa delegatus, &* Nicholaus *Cancellarius* Lincolnienſis, *ſubdelegatus domni Archidiaconi* Norhamptuniæ, *conjudicis dicti Archidiaconi de* Stowa, *Salutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd cùm contentio mota fuiſſet auctoritate Apoſtolica, coram nobis theſaurario* Lincolnienſi, *tertio conjudice, totaliter excuſato, inter venarabilem Patrem* Nicolaum, *Dei gratia Epiſcopum* Dunelmenſem, *nomine eccleſiæ ſuæ* Dunelmenſis *ex parte una, &* Johannem *eadem gratia Abbatem de* ſancto Albano, *& ejuſdem loci Conventum, & Priorem & Conventum de* Thinemua, *nomine monaſterii de* Thynemua *ex altera, ſuper viſitatione eccleſiæ parochialis de* Thynemua, *& obedientia, quam exigebat idem Epiſcopus à Priore de* Thynemua, *& aliarum eccleſiarum Parochialium, quas in ſua Dioceſi obtinent Monachi de* Thynemua *memorati: tandem interveniente conſenſu capituli* Dunelmenſis, *lis inter eccleſias hoc amicabili fine conquievit in perpetuum. Scilicet, quòd præfatus dominus* Dunelmenſis *& ſucceſſores ſui, per ſe, vel per officiales ſuos dioceſanos, officium exercebunt in illa parte eccleſiæ de* Thynemua, *in qua Parochianis divina celebrantur ſine onere procurationis. Ita quòd de Monachis, ſeu alia parte eccleſiæ, ſive etiam de ipſa cella, ſe nullatenùs intromittant. Salvis etiam in omnibus aliis privilegiis & indulgentiis dictorum Monachorum. Cellæ verò de* Thynemua *per Abbatem prædictum, vel vacante Abbatia, per Priorem* ſancti Albani, *de conſenſu ſui capituli, præficientur Priores, & amovebuntur, ſecundùm tenorem privilegiorum ſuorum. Qui præfecti adeant Epiſcopum, & præſententur eidem, Canonicam obedientiam eidem promittentes, ratione eccleſiarum parochialium, quatenùs privilegia Monaſterio* ſancti Albani *indulta, permittunt. Ita tamen, quòd prætextu illius obedientiæ, Priores de* Thynemua *non vocentur ad Synodum, Capitula, vel aliquem conventum eccleſiaſticum, contra tenorem privilegiorum ſuorum. Vicarii autem in eccleſia de* Thynemua *ſucceſſivè inſtituendi, à Priore & Conventu de* Thynemua, *de aſſenſu Abbatis eorundem, prænominato Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis præſentabuntur. Qui quidem admiſſi, eidem Epiſcopo de ſpiritualibus, & Monachis Memoratis de Temporibus reſpondeant. In præmiſſorum autem teſtimonium, huic ſcripto in modum Chirographi confecto, parti ſcilicet penes prænominatos Abbatem & conventum* ſancti Albani, *Priorem & Conventum de* Thynemua *remanenti, & parti penes eccleſiam* Dunelmenſem *remanenti, præfatus Epiſcopus & capitulum* Dunelmenſe, *jam dicti Abbas & Conventus* ſancti Albani, *Prior &*

Conventus

Conventus de Thynemua, *ſigilla ſua unà cum ſigillis noſtris mutuò ad invicem appoſuerunt. Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, menſe Maij, in præſentia prænominatorum Epiſcopi & Abbatis, præſentibus etiam domino Abbate de* novo Monaſterio, *de* Notingham, *de* ſancto Albano, *& de* Salopesbiry, *Archidiaconis, Magiſtris* Hugone *de* Stanbrige, Willielmo *de* Burgo, *&* Odone *de* Cilkenni, *& domino* Johanne Francigena, *& multis aliis.* 1247.

Exactio Papalis facta per Johannem Anglicum Minoritam.

EODEM anno, in principio Quadrageſimæ, venit quidam de ordine Minorum *Johannes* nomine, de quo facta eſt mentio in foliis præcedentibus; qui exegit ab eccleſia *ſancti Albani* quadringentas marcas auctoritate Apoſtolica, *Londini*, poſt feſtum decollationis beati *Johannis*, deferens mandata ab Apoſtolica ſede ad votum impetrata de novo; quia Abbas memoratus, ad ſedem Apoſtolicam & Cardinales, ſuper tam importabili gravamine, appellaverat. Citavit igitur Abbatem auctoritate novi mandati Apoſtolici, ut ipſe tertia die ſequenti, ſcilicet in craſtino ſancti *Ægidii* veniret *Londinum*, vel ſufficientem procuratorem & benè inſtructum pro ipſo deſtinaret; ut ſatisfaceret ei de ſubſidio domini Papæ dudùm poſtulato. Miſit igitur Abbas ſuum illuc procuratorem, ſcilicet ſuum Archidiaconum, ad diem illum. Qui quidem procuratores petierunt ſibi fieri copiam illius novi mandati, & vix impetrârunt, & tranſcripſerunt. Quod eſt tale. Innocentius *Epiſcopus, &c. Dilecto filio ſuo* I. *Abbati* ſancti Albani, Lincolnienſis *Diœceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quotidiana perſecutionis inſtantia ſæcularis ſua nos acerbitate compellit, ut pro ſubventione Apoſtolicæ ſedis reſiſtentes eidem, neceſſariò recurramus ad auxilia ſubditorum. Quocirca diſcretionem tuam de fratrum noſtrorum conſilio rogamus, hortamur, & monemus attentè, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenùs his quæ dilectus filius noſter frater* Johannes Anglicus, *miniſter provincialis fratrum* Minorum *Provinciæ lator præſentium, nuncius noſter, ex parte noſtra ſuper ſubſidio ſedis ipſius tibi proponet, adhibeas plenam fidem, & diligenter attendens, quòd eccleſia taliter reſiſtendo, generale omnium eccleſiarum & eccleſiaſticorum virorum proſequitur intereſſe, liberaliter & libenter ea ſtudeas adimplere; ita quòd id nobis & fratribus noſtris eſſe poſſit acceptum, & tuæ devotionis affectus per exhibitionem, quæ teſtimonium eſt credibile veritatis pateat actionum. Datum Lugduni, quarto Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno quarto.* Cujus auctoritate ipſis procuratoribus injunxit frater *Johannes*, ut die octavo ſequente comparerent loco, quo priùs comparuerunt, ipſi ſatisfacturi in CCC. marcis argenti. Alioquin mandatum domini Papæ, exequeretur, excommunicando, interdicendo. Reſponderunt procuratores, quòd Abbas fuit in deſtinando nuncios ſuos ſpeciales ad præſentiam domini Papæ, ad oſtendendum ei gravamina ſua, & ad ſatisfaciendum ei ſecundùm facultates eccleſiæ ſuæ & ſubditorum ſuorum, ab appellationibus priùs interpoſitis non recedens. Hæc cùm benè proceſſerat annus, contigerunt. Ordo quidem præpoſterus, ſed neceſſariò commutatus: ubi enim dolor, ibi & digitus.

Aucta eſt poteſtas fratris I. per authenticum Papale.

AD majorem etiam *Anglorum* depreſſionem & gravamen, aucta eſt ejuſdem fratris *Johannis* poteſtas & aggravata; ſed & ipſe ſtimulatus à Papa ut exigeret ampliora, his literis. Innocentius, &c. *Intellectis his quæ tuis literis intimaſti, præſentium tibi auctoritate mandamus, quatenùs ſi major pars Prælatorum eccleſiaſticorum Regni* Angliæ, *tibi ſuper exhibendo eccleſiæ* Romanæ *ſubſidio, per te auctoritate noſtra petito, reſpondit, ſe exemptos & alienos, ut majorem etiam quàm petieris ab eiſdem, aſſignent quibus volueris pro ſubſidio memorato infra terminum competentem pecuniæ quantitatem, per Cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compeſcendo; quocunque privilegio, ſeu indulgentia qualibet non obſtante, licèt præſentes expreſſam de ipſis non faciant mentionem. Datum Lugduni. xvi. Calendas Auguſt. Pontificatus noſtri anno quinto.* Siquis autem Priores poteſtates ejuſdem fratris *Johannis* videre deſiderat, in *libro literarum* ipſas poterit reperire.

Timent eccleſiaſtici ſua bona amittere.

HÆC igitur cùm ad multorum audientiam pervenerunt, videlicet quòd tam frequens extorſio pecuniæ violenta per Papam & ſuos Legatos ſophiſticos & transformatos facta eſt, nec prævaluerunt ſanctorum privilegia vel indulgentiæ patrum ipſos defendere; formidabant vehementer, ne Principes & Magnates laici & ſæculares, qui vel quorum predeceſſores eccleſias fundaverunt, dotaverunt, & ditaverunt, & ſuas ob hoc poſſeſſiones pro magna parte mutilârunt, & inde chartas ſuas confecerunt, reacciperent eccleſiarum bona & poſſeſſiones, exemplo Papæ edocti, *non obſtante* talis vel talis chartæ tenore; præſertim cùm ex illis, contra fundatorum intentionem, Papa & ſui, quos vult, *Italici* & alij alienigenæ, indigenis, eſurientibus ſaginantur.

Gravamen inauditum.

CUM autem conventus ab Abbate conſultus, memoratæ eccleſiæ, ſcilicet *ſancti Albani*, ſe gravatum undique conſpiceret, appellando ad ſedem Apoſtolicam, quæ ſolet omnium oppreſſorum pondera relevare, Monachum unum, ſcilicet dominum *Johannem Bulum*, & magiſtrum *Adam* de *Bern* ad ſedem Apoſtolicam, videlicet *Lugdunum*, maturiùs deſtinârunt; ſed antequàm rediret, memoratus frater *Johannes* Abbati *ſancti Albani* mandatum ſub hac forma tranſmiſit: *Venerabili viro domino* Johanni *Dei gratia Abbati* ſancti Albani, *frater* Johannes *domini Papæ nuncius in* Anglia, *Salutem in Domino. Licèt vobis jamdudum plurièს ſcripſimus, adhuc vobis ſemel, recepto ſuper hoc cogente mandato, ſcribere decrevimus; rogantes & monentes, & in virtute obedientiæ auctoritate domini Papæ præcipientes; quatenùs omni occaſione remota, die Martis proxima ante feſtum ſancti* Thomæ *Apoſtoli, ſitis apud* Bereford *in loco fratrum* Minorum;

1247. *de ſubſidio* Romanæ *eccleſiæ ad plenum ſatisfacturi; taliter facientes, ne, quod abſit, oporteat, ut inviti juxta prædicti mandati tenorem procedamus, nec propter appellationem à vobis factam dimittere oporteat, quoniam ſuper hoc recepimus ſpeciale mandatum.' Valete. Quòd autem ſuper his ſitis facturi, nobis per latorem præſentium reſcribatis.*

Appellatio ad Papam.

APPELLATUM eſt igitur ad domini Papæ præſentiam. Maluit enim tam Abbas quàm Conventus examen Papale ſubire, & præcellentiſſimi hominum; quàm illius qui ſub veſte humilitatis & paupertatis tantam palliavit aſperitatem. Verùm deſtinatis ad curiam *Romanam* in quindena S. *Michaëlis* nunciis, inſtabat acriùs memoratus Frater *Johannes* comminando. Miſſis igitur ad ipſum Archidiacono *ſancti Albani*, & quibuſdam fratribus, ut ipſius *Johannis* rigorem mitigarent, reſpondit, quòd quicquid rigoris juſtitia cum ſua poteſtate permitteret, pleniùs exerceret; eò quòd quando ad *ſanctum Albanum* fuiſſet, ipſi tanquam Legato, vel ſaltem Papali nuncio, debitam reverentiam Monachi non exhibuerunt; imò à quibuſdam de tranſgreſſione ordinis ſui, qui habitum mutaverat, redargueretur; cùm tamen ſatis reverenter ac curialiter, tam in eſculentis & poculentis, quàm verbis ſatis mitibus ac diſcretis, exciperetur. Vix igitur tandem flexis genibus & verbis deprecatoriis inducias impetrârunt, donec de nunciis ad curiam Romanam deſtinatis, aliquid certum audiretur. De quorum negotio expediendo, frater ipſe *Johannes* nil boni vel favoris obtinendum pollicebatur. Scripſerat enim domino Papæ exaſperans eum vehementer, & aſſerens, quòd ſolus Abbas *ſancti Albani* inter omnes Abbates *Angliæ* recalcitrans mandato Papali non obedivit; quod idcircò manifeſtiùs apparuit, quia nuncium deſtinavit. Unde nuncii ad curiam *Romanam* deſtinati, quaſi quibuſdam repagulis oppoſitis præpediti, diutiùs in curia morabantur, & difficiliùs negotium ſuum expediebant. Tandem procurantibus amicis in curia venalibus & conductitiis, finem fecerunt domino Papæ pro ducentis marcis; & ſic donis & expenſis omnibus computatis, abſorbuit illius curiæ Charybdis inſatiabilis trecentas marcas; & ſic eccleſia *ſancti Albani*, quæ cæteris tutiùs & ſpecialiùs ſub alis Papalibus teneretur reſpirare, talibus continuis oppreſſionibus inceſſanter graviùs cæteris vexabatur. Nam Epiſcopi, in quorum Epiſcopatibus cellæ noſtræ erant, non reputantes literas Papales robur obtinere firmitatis, Priores cellarum vexabant; non enim conſiderabant tenorem literarum, vel ſcire diſſimulabant, in quibus expreſsè continetur, quòd à præſtatione prædictarum undecim marcarum exempti, per eos excipiebantur, ab ipſoque apporriandi exponebantur, & per dominum Papam tres clerici ſeponebantur. Quarum literarum totalis ſententia in libro additamentorum continetur. Tandem cohibente eos inſpectione dictarum literarum, & literis memorati fratris *Johannis* ceſsârunt Epiſcopi, licèt inviti, dictas ſellas ampliùs fatigare; quæ prærepta fuerant, minimè reſtituentes.

Convocatio nobilium Angliæ ad Parlamentum.

PER idem tempus, dominus Rex comperiens regnum ſuum enormiter periclitari; juſſit omnem totius Regni nobilitatem convocari, ut de ſtatu ipſius tam manifeſtè periclitantis, *Oxoniis* die qua cantatur, *Quaſi modò geniti*, diligenter contrectarent. Prælatos autem maximè ad hoc Parlamentum vocavit arctiùs, quia videbat eos dominus Rex tam frequenter depauperari per Papales extorſiones, & theſaurus *Angliæ* tam frequenter aſportabatur; nullúmque commodum inde provenit eccleſiæ, imò multimodum incommodum generavit. Unde veraciter perpendebatur, quòd talis extorſio ſummo quàm plurimùm diſplicuit creatori. Sperabatur autem certiſſimè aliquid ſalubre eccleſiæ & Regno ibidem ſtatuendum, quod tamen omnes hoc ſperantes fefellit: nam cùm anteà aliqui Prælatorum prætactæ contributioni propoſuiſſent contradicere, ibidem omnes in contributionem undecim millium marcarum conſenſerunt; exceptis Exemptis, & tribus clericis. Ipſi igitur clerici per hanc impetrationem, toti Regno ſe ſuſpectos reddiderunt. Pecunia autem memorata per manus *Wintonienſis* & *Norwicenſis* Epiſcoporum armatorum auctoritate Papali ſoluta eſt & recepta; & clerus compulſus eſt, ad plenariam ſolutionem ejuſdem faciendam. Exponebantur autem exempti Papali arbitrio, qui eis minimè pepercit; ſed per fratrem ſæpedictum *Johannem* tot jacturis & injuriis, ut prænotatur, fatigavit. Nec idcircò mitiùs cum Abbate *ſancti Albani* egit dominus Papa, quòd anno proximò præterito ipſi octoginta marcas tranſmiſit. Timebatur autem, ne dominus Rex, ex permiſſione mutua & conſenſu relativo inter ipſum & Papam, eccleſiam & etiam regnum conſimili exactione foret compulſurus. Sicut nuper pro Rege dominus Papa ſcripſerat *Angliæ* Magnatibus, in pecunia colligenda promovendo.

Miſſi Legati in Brabantiam.

ET ſub eodem tempore miſſi ſunt à latere domini Regis, dominus Abbas *Weſtmonaſterii*, & dominus *J. Manſel*, in partes *Alemanniæ*; videlicet ad Ducem *Brabantiæ*, prælocuturi de matrimonio contrahendo inter *Ædvardum* filium domini Regis & ejuſdem Ducis filiam. Sed quibuſdam occultis cauſis propoſitum eorum impedientibus, triſtes clitellis ſuis evacuatis redierunt; & doluit uterque quòd labores ſuos cum propriis ſumptibus, inutiliter ſic conſumpſit.

Papa procurat Willielmum *Comitem* Hollandiæ *in Regem* Alemanniæ *elegi.*

EISDEMQUE diebus, dominus Papa infinita pecunia promiſſa, de eccleſia undique extorquenda, & ad *Frederici* confuſionem collecta, diligentiſſimè procuravit, ut *Willielmus* Comes *Hollandiæ* in Regem *Alemanniæ* eligeretur; qui potens erat ætate & viribus, inſuper genere præclarus. Ipſe enim Comes & Epiſcopus *Leodienſis*, fuerant conſobrini. Dux inſuper *Brabantiæ* avunculus ejus fuit; Archiepiſcopus quoque *Colonienſis* ipſius amicus extitit indiſſolubilis & quadam affinitate conjunctus. Conſiderans igitur dominus Papa, quòd in creatione

Landegravij

Landegravij Duringiæ, qui ſubitò periit, ut prædictum eſt, non modicum theſaurum amiſerat; imò qui poterat ſtuporem in cordibus audientium generare (ſcilicet quinquaginta millia librarum denariorum *Viannenſium*, quorum quilibet denarius valet tres obolos eſterlingorum, qui & omninò in uſus ceſſerunt inimicorum) ſtuduit cautiùs negotiari & theſaurum promiſſum novo electo, ſcilicet Comiti *Willielmo*, prudentiùs per circumſpectos, & non ſuſpectos nuncios ſecretiùs tranſmittere. Conſtituit igitur ad hoc negotium diligenter exequendum, dominum *Octavianum* Cardinalem. Tranſmiſit etiam ad *Mediolanenſes* & *Parmenſes*, & ad quos credebat corda habere vacillantia, verba conſolatoria; ut omnem tolleret diffidentiam & deſolationem. Sed ne gaudia mundi impermixta doloribus everſiant, Comes *Sabaudiæ*, qui eccleſiæ manifeſtus erat adverſarius, in pace doloſa expectabat, donec nuncii Papæ, necnon & militia, ſine offenſa montes & valles & prærupta viarum per terras ſuas eo diſſimulante tranſirent; procuratum eſt fraudulenter, ut præcluſo reditu & omni diffugio, theſaurus Papalis amiſſus eſt, & milites; qui præter accepta pro præteritis, acceperant pro duobus menſibus futuris ſtipendia copioſa, diſperſi & confuſi: & ita ignominioſe nimis omnia ſunt in uſus hoſtium ſic redacta. 1247.

EODEM anno fratres *Prædicatores* impetrarunt privilegium à domino Papa, ne liceat alicui fratrum ab eorum ordine ad alium tranſmigrare, nec alicui Abbati vel Priori aliquem talem ſuſcipere; cum tamen ipſi transfugas ſuſcipiant monachorum. Quod videtur diſſonum rationi, & regulæ ſancti *Benedicti* contrarium; necnon & huic præcepto naturali; *Quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri.* Cùm autem multi moribus, ſcientia, & genere pollentes, ad eorum ordinem à ſæculo convolarent, neque poſteà talem formam Religionis, qualem ſe inveniſſe ſperabant, reperiebant, ſed pro clauſtro totius mundi latitudinem (præſertim cùm in principio regulæ ſuæ reprobat ſanctus *Benedictus*, illud genus Monachorum quod gyrivagum eſt) cœperunt dolere & pœnitere; quòd ad talem ordinem intraſſent, & quærere ſubterfugia contraria. Propter quod in eorum ordine majores cenſebantur, qui medium procurarunt moderatum.

Quidam Magnates in Angliam veniunt munera à Rege petituri.

IPSO quoque tempore applicuerunt in *Anglia* vacui & eſurientes, æri Regio patulis rictibus inhiantes, quidam Magnates advenæ; videlicet *Baldewinus* dictus Imperator *Conſtantinopolitanus*, cùm quibuſdam ſuis fautoribus, à *Græcorum* finibus violenter expulſus. Qui paucis annis antè elapſis, omnibus ſacris reliquiis, quas habere potuit, venditis, & undecunque mutuò accepta pecunia, pauper, profugus, & omnibus bonis ſpoliatus inde fugit inglorius; licet ipſum dominus Papa fovere incœpiſſet, & contra *Vaſtagium* generum *Frederici* bella moventem, efficaciſſimè pro poſſe juviſſet. Egere quippe cœpit, & juvamen à domino Rege *Angliæ* petebat pecuniare, cujus munificentiam prægustaverat: & ut majorem favorem inveniret, ipſum ſuum aſſerebat eſſe conſanguineum.

Applicat in Anglia Sabinenſis Epiſcopus, Cardinalis, Legatus.

APPLICUIT ſimiliter in *Anglia* Epiſcopus *Sabinenſis*, *Romanæ* eccleſiæ Cardinalis, iturus in partes Boreales Legatus, videlicet *Norwegiam*, *Daciam*, & *Sueciam*; & Regem *Norwegiæ* *Haconem* in Regem inuncturus & coronaturus. Qui tamen in *Angliam* ingreſſurus primò difficultatem de licentia à Rege invenit; quia ſemper ſolent Legati quales quales, & omnes nuncii Papales, Regna quæ ingrediuntur depauperare; vel aliquo modo perturbare; donec juraſſet in anima ſua, quòd ob nullum Regis vel Regni, vel eccleſiæ detrimentum, in *Angliam* veniret: niſi tantummodò tranquillum tranſitum faceret per ipſam terram de portu *Dovere* ad portum *Lennæ*, ad Regna ulteriora ſtatim tempore opportuno, & obtento vento proſpero, migraturus. Sed poſtquam licentiam benignè dicto modo obtinuiſſet, intrepidus intravit, & domino Rege ſalutato, & muneribus gratuitis acceptis ab eodem, ad *Lennam* iter maturavit, & ibidem per tres ferè menſes commorans, non potuit *Romanis* innatam cupiditatem cohibere, quin ad Epiſcopos & Abbates & Priores nuncios furtivos, aduberes mitteret poſtulando procurationes & munera precioſa, in domibus manerii Epiſcopi *Norwicenſis*, quod *Geywudæ* dicitur, commorando, ita quòd quæſtus ſui ad quatuor millia marcarum aſcendere dicebatur: veruntamen ut ſub ſpecie ſanctitatis omnia palliaret, crebrò ſermonem faciebat populo. Et cùm navem aſcenſurus fuiſſet, quàm opulentiſſimè communiverat multo frumento & doliis quàm plurimis vino plenis prææelecto, & aliis victualibus, juſſit cuidam fratri de ordine *Prædicatorum* in ipſa Miſſam celebrare, quod & factum eſt, non ſine multorum, qui hoc non præviderant, admiratione. Habebat namq; in ipſa navi, ſicut de Arca *Noë* legitur, diverticula & triſtegas, cameras & conclavia, quæ ſpecialiter propter ipſum artificialiter fuerunt compoſita. Et ſic vento flante proſpero, dataque *Angliæ* & ſuis *Anglis* prodigis benedictione, pelago ſeptentrionali ſeſe dives factus commiſit.

Veniunt in Angliam tres fratres Regis uterini, cum una ſorore.

APPLICUERUNT etiam tunc temporis cum eodem Legato in *Anglia* domini Regis tres fratres uterini, ex mandato ejus, ut uberrimè de deliciis & divitiis *Angliæ* ditarentur; videlicet *Guido* de *Lezinnum*, miles primogenitus, & *Willielmus* de *Valentia*, juvenis, nec adhuc Baltheo cinctus militari, & *Athelmarus* clericus. Et præter hos, ſoror eorum ſororque Regis, *Æleſia*: hæc autem fuit propago ex gremio *Iſabellæ*, quondam Reginæ *Angliæ* Comitiſſæq; de *Marchia* ſuſcepta, ex Comite de *Marchia Hugonis Bruni*. Tædebat enim eoſdem & pudebat in *Pictavia* commorari, quam *Franci* jam miſerabiliter cœperunt conculcare; & incolas, qui ſolebant ſub protectione Regis *Angliæ* liberrimi omni bono abundare, probroſè deſpicere, & proditores nequiſſimos cum ſannis & cachinnis appellare, & digito demonſtrare. Quibus inquam, fratribus & ſorori adventantibus, dominus Rex cum omni gaudio occurrens, ruit in fraternos amplexus & oſcula,

1247. oſcula, promittens munera precioſa cum amplis poſſeſſionibus; & promiſſionem ſuam uberiùs quàm promiſit fideliter adimplevit, ſicut ſequens ſermo pleniùs declarabit.

Quædam puellæ Provinciales *nubunt Nobilibus* Angliæ.

IN initio verò menſis Maii, domino rege propter hoc apud *Wudeſtoc* à feſto ſancti *Vitalis* uſq; in craſtinum Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi* commorante, maritatæ ſunt duæ puellæ *Provinciales*, per providentiam *Petri* de *Sabaudia*, *Ædmundo* Comiti *Lincolnienſi*, & *Richardo* de *Burgo*, adoleſcentulis nobilibus valde; quos dominus Rex per aliquot annos in domo ſua educaverat. De quo maritagio, quia ignotæ nobilibus, ut dicebatur, in vitis copulabantur; murmur & indignatio non minima per Regnum perſonuit ventilata.

Johanna *filia* Guarini *nubit* Willielmo *Regis fratri uterino.*

EODEMQUE anno Idus Auguſti, maritata eſt *Johanna* filia *Guarini* de *Muntegenſil*, *Willielmo* de *Valentia*, fratri domini Regis uterino: hoc volente & diligenter procurante domini Regis conſilio. Mortuo enim filio dicti *Guarini* primogenito & hærede, filiam illam *Johannam*, quæ ſola remanſit, opulentiſſima hæreditas expectabat: & ſic in magna parte devoluta eſt *Anglicana* nobilitas ad advenas & ignotos. Maritata eſt inſuper *Ælesia*, ſoror domini Regis uterina, *Johanni* Comiti *Warenniæ* adoleſcenti.

Odo *Archiepiſcopus* Rothomagenſis *obiit.*

ANNO quoque ſub eodem, *Odo* Archiepiſcopus *Rothomagenſis*, quondam Abbas *ſancti Dionyſii*, divino, ut creditur, percuſſus judicio, ſubitò obiit: cùm jam vix per annum ſophiſticè ſedi Archiepiſcopali præſidens, nomen tantùm & officium ſibi temerè uſurpaſſet, & *Petro* ſuo anteceſſori fructus Archiepiſcopatus diſtribuiſſet. Ipſe enim *Anglicus* natione, Abbas extiterat *ſancti Dionyſii*: quem ambitio & ſuperbia adeò ad Archiepiſcopatus prædicti dignitatem infœliciter attraxerant, ut domum ſuam irremediabiliter ære alieno obligatam dereliquit, & dignitatem prætaxatam, ſymoniacè in ſui perniciem conſequebatur.

Willielmus Longa ſpata *cum aliis Nobilibus cruce ſignantur.*

EODEM quoque anno, Epiſcopus *Wigorniæ*, & *Willielmus Longa ſpata*, & *Galfridus* de *Lucy*, in Epiſcopatu *Wigornienſi*, & multi alii nobiles de Regno *Angliæ*, exemplo Regis *Francorum* & nobilium de Regno *Francorum* animati, cruce ſignabantur circa tempora *Rogationum*. *Willielmus* autem *Longa ſpata*, ut de cruce ſignatis emolumentum metens ubi non ſeminavit, prudenter ad inſtar Comitis *Richardi*, colligeret, *Romanam* curiam adiit; & ſuper negotio ſuo alloquens, dominum Papam, ait: Domine, videtis quòd cruce ſignor, & in procinctu itineris paratus ſum cum domino Rege *Francorum* militare Deo peregrinando. Magnum nomen habeo & notum, *Willielmus* ſcilicet *Longa ſpata*, ſed ſubeſt res parva. Dominus enim Rex *Angliæ* meus cognatus, & dominus naturalis, nomen mihi Comitis cum ſubſtantia abſtulit: hoc tamen judicialiter, & non in ira ſua fecit, vel impetu voluntatis, quapropter ipſum non criminor. Neceſſe habeo ad ſinum miſericordiæ veſtræ paternum refugere, auxilium à vobis in hac neceſſitate petiturus. Videmus namque nobilem virum Comitem *Richardum*, qui licèt cruce non ſignetur, per obtentum gratiæ veſtræ in hac parte nimis fructiferæ, à cruce ſignato populo non minimam pecuniam vindemiare in Regno *Angliæ*: & ego ex eo ſpem conſequenter accipiens, cruce ſignatus & indigens, eandem mihi poſtulo concedendam. Conſiderans igitur dominus Papa loquentis facundiam, rationis efficaciam, corporis elegantiam, ſe ipſi favorabilem exhibuit; concedens ei in parte quæ poſtulavit, latam videlicet ex aliena cute corrigiam.

Willielmus *de* Bueles *cuſtos* Gaſconiæ.

COMMISSA eſt cuſtodia *Gaſconiæ* eodem anno *Willielmo* de *Bueles*, militi; qui quandoque Mareſchallus fuit in hoſpitio domini Regis. Ipſe igitur juxta patriæ ſuæ conſuetudinem, qui *Neuſter* erat, magniloquus, factus eſt ſterilis & puſillus. Unde ſub cuſtodia ſua cœpit ipſa enormiter periclitari, & bellis plurimùm infeſtari; quorum efficaciſſimus fuit impugnator domini Regis *Angliæ*, qui multa bona ei contulit, *Guaſto* filius Comitiſſæ *Biardæ*, ingratiſſimus hominum omnium, quos Regia ditaverat prodigalitas.

Tranſlatio beati Ædmundi *Confeſſoris.*

EJUSDEM anni ſub profluvio, glorioſè tranſlatus eſt beatus *Ædmundus Cantuarienſis* Archiepiſcopus & Confeſſor, apud *Pontiniacum*, in eccleſia Conventuali Monachorum *Ciſtercienſis* ordinis. In *Chriſtianiſſimi* domini Regis *Franciæ Ludowici*, & innumerabilium nobilium tam Prælatorum quàm aliorum præſentia. Et cùm inter omnes ſexus ſui eminentiſſima illùc affuiſſet, Deo & illi ſancto devota domina *Blanchia*, mater domini Regis *Franciæ*; fecit vigiliam cum jejunio & oratione & lumine non minimo, & orando ſæpiùs replicavit, dicens. Domine ſanctiſſime confeſſor, qui mihi, ſupplicanti hoc benedixiſti, & filiis meis, quando vivus exulaſti, & per me veſtri gratia tranſitum feciſti in *Francia*, confirma quod initialiter operatus eſt in nobis, & confirma Regnum *Francorum* in ſoliditate pacifica & triumphali. Die verò craſtina, videlicet ſeptimo Idus Junii,*quo etiam die tranſlatum fuit corpus beatiſſimi Epiſcopi & Confeſſoris *Vlſtani Wigornienſis* (quod factum arbitror divino nutu) tranſlatum eſt glorioſi corpus *Ædmundi Pontiniaci*, annis ſanè revolutis. Sciendúmque eſt, imò toti mundo prædicandum, quòd totum corpus ejus integrum inventum eſt, & incorruptum & odoriferum: & quòd mirabilius eſt in mortuo, cum omnibus membris flexibile, ut ſolet eſſe in dormiente. Capilli ejus & veſtimentum inviolatum colore & ſubſtantia; & ex tunc proviſum eſt, hoc primitùs Rege *Francorum* procurante, quòd conceſſa fuit licentia *Anglis* liberiùs, quàm aliis alterius nationis, corpus ipſum adire & videndo, & orando venerari: oblationibus quoque luminariis & quibuſdam iconiis artificialiter effigiatis, tumbam ipſius magnificè honorari. Sed quæ circa hoc facta fuerant, in *libro Additamentorum* deſcribuntur.

Comes R. *vovet quartam partem feretri* S. Ædmundi *fabricare.*

HÆC cùm Comiti *Richardo* fama veridicorum & fidedignorum innotuit referente, ſuſpirans ait: Heu! quòd non fuit deſuper nobis conceſſum, videlicet Regi fratri meo, & mihi, tam

jocundæ

1247.

jocundæ támque ſolenni tranſlationi interfuiſſe. Sanctus enim noſter fuit origine, educatione, & promotione; etſi per infortunium, peccatis noſtris exigentibus, ab *Anglia* ſit ſublatus. Veruntamen, quod non feci illic præſens, faciam ei abſens; impendam ei debitum honorem & reverentiam. Ex tunc igitur cœpit eum præcordialiùs diligere, & propenſiùs honorare. Et cùm quadam gravi & ſecreta infirmitate uſque ad periculum mortis gravaretur, ipſius auxilio fideliter invocato, fœliciter liberatus eſt. Unde gratus Deo & ſancto *Ædmundo*, quartam partem, videlicet anteriorem feretri ejus, ſibi ex opere precioſiſſimo aſſumpſit faciendam.

Corrumpitur moneta Anglicana.

EODEM tempore, moneta eſterlingorum, propter ſui materiam deſiderabilem, deteſtabili circumciſione cœpit deteriorari & corrumpi, per illos falſarios monetarum quos tonſores appellamus: adeò ut vix interiori circulo nummi parcendo, limbum literatum totaliter aſportarent. Hujuſmodi autem fraudis auctores, videlicet mercatores *Angliæ* contermini, præcipuè *Flandrenſes*, plùs in partibus tranſmarinis inveniebantur maniſeſtè convicti, quàm in partibus ciſmarinis: unde Rex Francorum tales in partibus ſuis plùs punivit, quàm in noſtris partibus Rex *Anglorum*. Cùm igitur cœpiſſet ſupra modum & intolerabiliter moneta adulterari & vitiari, cœpit domini Regis concilium de remedio tractatum habere diligentem; ne videlicet moneta in forma vel materia, ſalubriter alteraretur vel mutaretur. Et viſum eſt multis diſcretis, quòd utilius foret materiam mutare, quàm formam alterare, cùm ratione materiæ, & non formæ, talem ſuſcepiſſet moneta deturpationem & diſpendium. De quo, *Francorum* numiſma, & multorum alienorum Principum, perhibet teſtimonium & exemplum.

Torneamentum inter Comitem Gloverniæ & Regis fratrem Guidonem.

TEMPORE quoque ſub eodem, ſumptum eſt torneamentum, ſed nimis cruentum, inter Comitem *Gloverniæ Richardum*, & *Guidonem* de *Lezinnum*, filium Comitis de *Marchia*, inter *Duneſtapliam* & *Loitoniam* feriendum. Sed dominus Rex, qui plus *Guidoni* fratri ſuo & aliis ſuis *Pictavenſibus* favit, quàm ſuis *Anglis* naturalibus, cœpit vehementer formidare, ne ſi torneamentum inchoaretur, frater ſuus cum omnibus ſuis in fruſta detruncarentur; prohibuit præcisè ſub pœna exhæredationis illud torneamentum. Quod & ipſi *Angli* patienter toleraverunt, quia ipſum *Guidonem* multi ſincero corde dilexerunt. Ipſe enim præmunivit dominum Regem *Angliæ* apud *Xantonas*, ut ſtatim prudenter ac ſubitò fugeret, quando pater ejus, Comes ſcilicet de *Marchia*, ipſum Regem vendiderat domino Regi *Francorum*: & ſic tumultus ille, nimis periculosè præparatus, ſedatus eſt, Domino ſic volente.

Chorofminorum interitus.

ANNO quoque eodem, deteſtandorum *Chorofminorum* poſt innumeras cædes & incendia, & *Terræ ſanctæ* multiplex exterminium, qui etiam *Acon* nimis depauperaverant & obſidere procuraverant; acies tota, Deo vindice, adeò enervata eſt & debilitata, quòd in ſe ipſa defecit. Cœpit enim contra *Soldanum Babyloniæ* recalcitrare: unde auxilio ſuo deſtituta, cœpit inedia deficere, & multiplicatis undique inimicis ubique ſuperari, & devinci. Et factum eſt, ut de ſub cœlo nomen eorum penitùs deleretur; adeo quòd nec eorum veſtigia apparuerunt: niſi eatenùs quòd fœtore veſtigiorum eorum, *Terram ſanctam* indelebiliter macularunt.

Fuga Conradi ex Alemannia.

DIEBUS quoque ſub eiſdem *Conradus* filius *Frederici*, nefandus nefandi, fugit ab *Alemannia* in *Italiam* ad patrem ſuum: non potens ſuſtinere impetus ſibi adverſantium, & eccleſiæ vires diatim multiplicatas. Legatus enim auxilio fretus ac fultus Archiepiſcopi *Colonienſis* ab eccleſia *Alemanniæ* extorta infinita pecunia, circiter decem millia armatorum ſtipendiariorum ſecum trahens, fautores dicti *Frederici* expugnare viriliter non ceſſabat, cædibus intendens & incendio. Legatus itaque nunc in hos, nunc in illos fulminando ſententias, theſauros undecunque poterat emungere ab Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis eccleſiarum Prælatis, ita quod oporteret campanas ſuas redimere, accumulavit; ut illa numeroſa expeditio Archiepiſcopalis ſuſtentaretur. Quod cùm audiſſet *Fredericus*, uſque ad ſpiritus amaritudinem perturbatus, ultionis diligentiſſimè quærebat argumenta. Timebatúrque à multis diſcretis viris, qui futura pericula libra trutinabant rationis, ne idem *Fredericus* nimia abſorptus ira & indignatione vel apoſtataret, vel in ſubſidium ſui à *Ruſcia Tartaros* convocaret; vel *Soldanum Babyloniæ*, cui amiciſſimus fuit, in confuſionum totius *Chriſtianiſmi*, in Imperium, cum ſuorum paganorum multitudine, ſubdolè intrare permitteret. Erat igitur videre miſerias, ſcandala ſcandalis accumulari, maláque malis conglomerari: dum hii *Frederico*, veluti Reipublicæ & Imperio; alij Papæ, quaſi eccleſiæ adhærentes, lites ſuſcitabant & prælia cruentiſſima. Unde jam in *Alemannia*, ſicut in *Sicilia*, & *Calabria*, & *Italia* cogebantur Epiſcopi, & alij ſancti viri, quos eccleſia in gremio maternæ pietatis aluerat, ignominiosè nimis mendicare, & in longinquis & alienis Regionibus, victui neceſſaria prædicando poſtulare. Quibus inſultans, & poſtulata denegans, reſpondit populus: Ite ad Papam veſtrum, ite, qui theſauris raptis abundat infinitis. Verùm non ceſſavit dominus Papa pecuniam aggregare, tam in ſua curia, quàm in remotis Regionibus; faciens de fratribus *Prædicatoribus* & *Minoribus*, etiam invitis, non jam piſcatores hominum, ſed nummorum. Quod quàm argumentosè complere ſtuduerint, in *libro Additamentorum* poterit reperiri.

Colligit Comes Rich. pecuniam à cruce ſignatis.

TUNC etiam temporis, Comes *Richardus*, auctoritate domini Papæ, cujus indigentiæ clàm & cautè ſatisfecerat, à cruce ſignatis infinitam collegit pecuniam; ita quòd ab uno Archidiaconatu dicitur ſexcentas libras reportâſſe, harum literarum fretus auctoritate. Conſimilique cautela *Willielmus Longa ſpata* mille marcas & amplius de cruce ſignatis, ut præſcriptum eſt, reportavit.

TEM-

1247. *B. Archiepiſ. Cant. Extorquet pecuniam.*

TEMPORE quoque ſub eodem, *Bonifacius Cantuarienſis* Archiepiſcopus, Epiſcopos *Cantuarienſis* provinciæ auctoritate Apoſt. ſuſpendit: eò quòd conſentire noluerunt novæ & inauditæ contributioni, quam à gratia Papæ impetraverat. Videlicet proventuum eccleſiarum vacantium, ut primo anno vacationis fructus ipſi Archiepiſ. contribuerentur, ad liberationem debitorum: quibus, ut aſſerebat, ipſam eccleſiam *Cant.* prædeceſſores ſui cum graviſſima uſura irremediabiliter obligaverant. Quod non ſine injuria *B. Ædmundi* immediatè prædeceſſoris ſui, & aliorum ſanctorum, conſtat eſſe confictum. Epiſcopi verò contra Papalem auctoritatem & mandatum non valentes nec volentes recalcitrare, licèt inviti, tandem cum ſumma mentis amaritudine conſenſerunt, ut abſolvi mererentur. Iterum per Decanum *Belvacenſem* hujus negotii executorem, mandatum receperunt: quòd à Papa excommunicantur, & denunciarentur excommunicati per provinciam *Cantuarienſem*, omnes obloquentes, omnéſque detrahentes, fraudémve facientes in negotio prænotato, ex gratia Papæ fœliciter conceſſo: exceptis domino Rege, uxore, & liberis ſuis, & nobili viro *Richardo* Comite *Cornubiæ*.

Parma obſidetur ab Imperatore.

CUM verò Sol ad æquinoctium vergeret Autumnale, *Fredericus* ciſalpinans, versùs *Lugdunum*, ubi Papa morabatur, cum innumerabili exercitu properabat: unde vehementer timebatur, ne in Papalem perſonam & Cardinales, & alias perſonas eccleſiaſticas, hoſtiliter irrueret; cùm prudenter procurante Papa, qui *Parmenſes* animaverat, & non minimam pecuniam & efficax juvamen eis promiſerat; ipſa civitas tota *Parmenſis*, quæ anteà firmiter cum *F.* ſteterat, præparavit ſe conſtanter ad reſiſtendum eidem *Mediolanenſibus* & aliis, qui eundem *F.* oderant, ſubitò confœderata. Quo audito, idem *F* præ furore vix ſe capiens, totus accenditur ira vehementi; eò quod à propoſito per rebelles revocabatur. Reverſus eſt igitur cum omni exercitu ſuo, ut ipſos *Parmenſes* obſidione vallatos & violenter occupatos, graviſſima tanquam proditores puniret ultione. Papa igitur à timore vehementiſſimo, quo perurgebatur, aliquantulum reſpiravit. Obſeſſa igitur civitate terribiliter, cœpit Imperator ædificare extra *Parmam* quaſi quandam civitatem grandem & populoſam, ut & ipſi *Parmæ* parificari videretur, & vocavit illam *Victoriam*. Juravítque ſe non inde receſſurum, donec obſeſſos violenter ac viriliter occuparet. Et infra breve tempus eis beneficium fluminis abſtulit, nec obſeſſis poterant *Mediolanenſes*, vel aliqui alii, in quibus habebant fiduciam, patrocinari. Unde infra tres menſes deſiderabant dextras dare *Frederico*; rogantes ea quæ pacis erant. Sed civium ſuſpectorum humiliationem, *F.* recuſavit. Cœperunt igitur nimis coarctari, & dicere inter ſe: Meritò hæc patimur, dominum noſtrum in nobis confidentem, proditiosè impugnantes. Punimur etiam, nec immeritò, imminétq; civitas noſtra diſcrimini, in qua quondam ſanctus ille Epiſcopus *Londinenſis*, quem Dominus, ut jam dicitur, honorat miraculis, nomine *Rogerus*, dum versùs curiam *Romanam* peregrinaret; viatico ſuo ac aliis charis ſibi rebus ac neceſſariis, truculenter & ſine aliqua reſtitutione ſpoliatus eſt: unde in receſſu ſuo in craſtino, huic civitati cum ſuis incolis maledixit.

Rex Francorum omnibus injuriam paſſis ſatisfacit.

IPSO quoque Autumnali tempore, piiſſimus Rex *Francorum Ludovicus*, miſſis fratribus *Prædicatoribus* & *Minoribus* per totum Regnum ſuum, ut diligenter inquirerent. Fecit etiam per Ballivos perſcrutari, quòd ſi aliquis inſtitor vel injuriam paſſus aliquam quicunque alius, in aliqua accommodatione coacta, vel extorſione pecuniæ vel victualium, ut ſolèt per Regios exactores, proferret ſcriptum, vel taliam, vel teſtimonium, vel juraret, vel quomodolibet aliter legitimè probaret, quia paratus erat omnia reſtituere. Quod & ita factum eſt.

Ædwardus Regis Angliæ filius primogenitus, ægrotat.

VIGILIA autem *S. Matthæi*, cùm infirmaretur *Ædvardus* domini Regis primogenitus & hæres, ſcripſit dominus Rex omnibus in circuitu *Londini* manentibus, ubi idem *Ædvardus* infirmabatur, religioſis; ut devotè orarent pro pueri incolumitate. Unde inter cæteros, Abbati & Conventui *S. Albani* ſcripſit ſpecialiter, ut pro ipſo orantes, Miſſam ſolenniter omnes Monachi cantarent, cujus prima collecta foret de *S. Albano*; ſecunda autem pro infirmo, ſcilicet *Omnipotens ſempiterne Deus ſalus æterna credentium*, &c. Et per Dei gratiam, puero ſanitas eſt reſtituta. Hæc idcircò dixerim, propter murmur populi dicentis, ecce laici orant dominum & exaudiuntur, & quare non orat Papa & facit pro cauſa ſua; imò noſtra & univerſalis eccleſiæ orare; imò rapinis inhiat pecuniæ indeſeſſus. Dictúmque eſt & affirmatum, quod non ſine lachrymis ſcribo: Plùs confidit in pecuniæ theſauris, quàm fidelium precibus vel eleemoſynis.

Willielmus Comes Hollandiæ Rex Romanorum electus.

IN craſtino verò *S. Michaëlis*, Magnates *Alemanniæ*, ad quos jus electionis ſpectat, pro majori parte, elegerunt ſibi in Regem *Alemanniæ*, *Willielmum* Comitem *Hollandiæ* adoleſcentem, habentem in ætate circiter xx. annos; juvenem elegantem & probum atque generoſum, cui & fecerunt homagium. Dux tamen *Saxoniæ*, & quidam alii Magnates, huic electioni non conſenſerunt: unde majus ſchiſma ſurrepſit in populo, dicente: Ecce militia contra ſacerdotium præ ſuperbia; ecce ſacerdotium eadem cauſa contra militiam.

Quædam portio ſanguinis Chriſti Londinum allata.

CIRCA idem tempus, ſcripſit dominus Rex omnibus regni ſui Magnatibus, ut in feſto *S. Ædvardi*, videlicet tranſlatione, quæ celebratur in quindena *S. Michaëlis*, jubens ut omnes ibidem convenirent, ut jocundiſſimos cujuſdam ſancti beneficii cœlitùs *Anglis* nuper collati, rumores exaudirent: & præterea, ut tam glorioſi Regis & Martyris tranſlationem venerarentur: tertiò, ut *W.* de *Valentia* fratris ſui uterini, quem ipſe Rex ea die baltheo cincturus erat militari, cum quibuſdam nobilibus juvenibus, intereſſent tyrocinio: ut ſic feſtum multiplex præſentia ipſorum Magnatum, tam Prælatorum, quàm aliorum, jocundiùs ad Regis &

1247.

Regni honorem, ſerenaretur. Die igitur præfixo convenientes Magnates apud *Weſtmonaſterium*, certificati de die S. *Ædvardi*, & dicti *Willielmi* tyrocinio; ſciſcitabantur, quinam eſſent illi jocundi rumores, quos ibidem forent audituri. Qui relati fuerunt fideles, & omni acceptione digni. Magiſter enim *Templi* & *Hoſpitalis*, cum teſtimonio quàmplurium ſigillorum, videlicet Patriarchæ *Hieroſolymitani*, Archiepiſcoporum quoque & Epiſcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum & Magnatum de *Terra ſancta*, miſerant quandam portionem ſanguinis Dominici, quem pro ſalute mundi fudit in cruce, in quodam vaſe criſtallino venuſtiſſimo, per quendam fratrem *Templarium* benè notum. Dominus autem Rex, utpotè Princeps *Chriſtianiſſimus*, ab Auguſto *Heraclio* victorioſiſſimo ac piiſſimo Imperatore, crucem ſanctam exaltante, & à Rege *Francorum*, tunc ſuperſtite, crucem eandem, ut præſcribitur, *Pariſiis* honorante, ſumens exemplum; devoto ſpiritu ac contrito in vigilia ſancti *Ædmundi*, in pane & aqua jejunans, & nocte vigilans, cum ingenti lumine, & devotis orationibus, ſe ad craſtinam ſolennitatem prudenter præparavit.

Rex Angliæ defert ſanguinem Chriſti *ad* S. Petrum Weſtmon.

PRÆCEPIT igitur dominus Rex, ut omnes Presbyteri *Londinenſes* feſtivè veſtiti ſuperpelliciis & capis, cum ſuis clericis decenter veſtitis, cum vexillis, crucibus, & cereis accenſis, die craſtina, videlicet ſancti *Ædvardi*, ſummo mane ordinatè & reverenter convenirent apud ſanctum *Paulum*. Quò & ipſe Rex venit, & cum ſummo honore & reverentia ac timore accipiens illud vaſculum cum theſauro memorato, tulit illud ferens in propatulo ſupra faciem ſuam, iens pedes, habens humilem habitum: ſcilicet pauperem capam ſine caputio, præcedentibus veſtitis prædictis, ſine pauſatione, uſque ad eccleſiam *Weſtmonaſterienſem*: quæ diſtat ab eccleſia *S. Pauli* circiter uno milliari. Nec prætermittendum, quòd ambabus manibus illud deferens, cùm per ſtrata ſalebroſam & inæqualem pergeret, ſemper vel in cœlum vel in ipſum vas lumina tenebat defixa. Supportatur autem palla per iiij. haſtas. Supportabántque duo coadjutores brachia ſua, ne in tanto fortè labore deficeret. Conventus autem *Weſtmonaſterienſis*, cum omnibus qui convenerant, Epiſcopis, Abbatibus, & Monachis, qui plùs quàm centum æſtimabantur, canentes & exultantes in ſpiritu ſancto & lachrymis, occurrebant eidem domino Regi ſic adventanti, uſque ad portam curiæ Epiſcopi *Dunelmenſis*. Tunc autem reverſi ſicut ierant, videlicet proceſſionaliter; ad eccleſiam *Weſt.* vix in ea præ copioſa turbæ multitudine continebantur. Nec adhuc ceſſabat dominus Rex, quin indefeſſus ferens illud vas, ut prius, circuiret eccleſiam, Regiam, & thalamos ſuos. Demùm illud quaſi donum impreciabile, & quod *Angliam* illuſtraverat, donavit & obtulit Deo & eccleſiæ S. *Petri Weſtmonaſterii*: & charo ſuo *Ædvardo*, & ſacro conventui, qui ibidem Deo & ſanctis ſuis miniſtrant.

Epiſcopus Norwicenſis *concionatur populo de dignitate ſanguinis* Chriſti.

DOMINUS Epiſcopus *Norwicenſis*, qui & Miſſam eadem die ſolenniter celebravit, populo prædicando aſſeruit, quòd inter ſacra quæ inter mortales habentur, ſacratiſſimum eſt ſanguis *Chriſti*. Eſt enim precium mundi, & ejus effuſio, ſalus generis humani; & ut condignè illud magnificaret ampliùs, addidit illud Philoſophi; *Omne propter quod, dignius quàm illud quod.* Revera crux ſancta, ſanctiſſimum quid eſt. Sed ipſa ſacra fuit, propter ſacratioris ſanguinis aſperſionem; non ſanguis ſacer, propter crucem. Et hæc eum dixiſſe credimus, ut in poſſeſſione tanti theſauri non minùs gaudeat & glorietur *Anglia*, quam *Francia* in adeptione ſanctæ crucis; quam dominus Rex *Francorum* non immeritò diligit, & ſuper aurum & topazion amplectitur & veneratur. Et addidit, quòd pro maxima domini Regis *Angliæ*, qui dignoſcitur eſſe inter omnes *Chriſtianitatis* Principes *Chriſtianiſſimus*, miſſus fuit ille theſaurus impreciabilis ex parte domini Patriarchæ *Hieroſolymitani*; cujus rei certitudo ſufficienter examinatur, reverentia & ſanctitate, ut plùs in *Anglia* veneraretur, quàm *Syria*, quæ jam penè derelinquitur deſolata; viget enim ibi plùs fides & ſanctitas, ut novit mundus, quàm in aliqua alia regione per totius mundi latitudinem. Cùm autem examinaretur, & alii tardi cordis ad credendum adhuc hæſitarent, ait dominus *Theodoricus*, Prior, *Hoſpitalis Hieroſolymitani*, Epiſcopis & aliis circumſedentibus: Domini chariſſimi, quid adhuc fluctuatis? Exigitne ob hoc beneficium aliquis noſtrum, vel *Templarius*, vel *Hoſpitalarius*, vel etiam Frater qui portavit, vel de domino Rege vel alio vel aliquo, aliquam in auro vel argento retributionem vel quantulumcunque præmium? Et Rex: Nequaquam. Et frater: Quare ergo in damnationem animæ ſuæ tot & tanti viri, tali aſſertioni perhiberent teſtimonium, apponentes ſigna ſua, quæ ſunt fidei pignora manifeſta? Et approbata fuerunt verba, licèt laici, ab univerſis, tam Epiſcopis quàm auditoribus. Sed nunc ad propoſitum redeamus. Cùm ſatis autem eleganter dictus Epiſcopus in ſermone peroraſſet, annunciavit populo exultanti, quòd quicunque ad ſacratiſſimum ſanguinem illic habitum, venerandum convenirent, gratuita ex conceſſione omnium, qui illùc venerant Prælatorum, ſex annorum, & C. & xl. dierum veniam de injuncta ſibi pœnitentia liberè conſequerentur. Et cùm inter loquendum, aliqui de aſſidentibus obgrunnirent hæſitantes, quæſtionem hanc moverent; Quomodo cùm plenè & integraliter tertia die poſt paſſionem reſurrexit Dominus, ſanguinem in terra reliquerit? Quæ quæſtio ab Epiſcopo *Lincolnienſi* ad unguem tunc determinabatur, prout habetur ſcriptum in *libro Additamentorum*; prout hujus paginæ ſcriptor audivit, & verbo ad verbum ſatis dilucidè ſcripſit.

1247.

Willielmus de Valentia baltheo militari cingitur.

Et dum tanta ſolennitas in eccleſia *Weſtmonaſterii* magnificè continuaretur, dominus Rex veſte deaurata facta de precioſiſſimo *Baldekino*, & coronula aurea, quæ vulgariter garlanda dicitur, redimitus; ſedens glorioſè in ſolio Regio, juſſit advocari fratrem ſuum uterinum cum ſuis ſodalibus quàmplurimis; qui cum eo ſtatim fuerant, arma, prout decuit, faſtigioſè ſuſcepturi. Ipſùmque dominus Rex cum aliis commilitionibus, Baltheo militari gaudenter inſignivit.

Rex Angliæ prædicta ſcribi mandavit.

Et dum Rex, ut prælibatum eſt, ſederet in ſede ſua Regia, videns illum qui & hæc ſcripſit; advocavit eum, & præcepit reſidere in gradu qui erat medius inter ſedile ſuum & aream, dicens ei; Vidiſti hæc omnia, & viſa firmiter tuo cordi impreſſiſti? & ille; Etiam domine, quia dignum retineri, verè glorioſa dieta ideo hîc peracta eſt. Et addidit; Verè hodie certificor quòd Dominus in arrham uberioris beneficii & virtutum futurarum, per ſui gratiam unum miraculum glorioſum profectò dignatus eſt operari. Et hoc contigit ſummo mane, & ſuper hoc congratulor. Supplico igitur, & ſupplicando præcipio, ut te expreſſe & plenariè ſcribente hæc omnia, ſcripto notabili indelebiliter libro commendentur, ne horum memoria aliqua vetuſtate quomodolibet in poſterum deleatur. Invitavit & ipſum, cum quo hæc locutus eſt, ad prandium, cum ſociis ſcilicet tribus. Et eadem die omnes qui advenerant Monachos cum conventu *Weſtmonaſterienſi* in refectorio cum aliis nonnullis, ordinatè & ſplendidè procurando refici Regiis ſumptibus imperavit.

Sylveſter Epiſc. Carleolenſis.

Eodem tempore, dominus *Sylveſter* electus *Carleolenſis* in Epiſcopum, conſecratur die S. *Agathæ*. Die verò S. *Ædwardi* venit Comes *Legriæ* de partibus tranſmarinis; qui pro ſecretiſſimis domini Regis negotiis illùc iverat.

Legati à Rege Angliæ miſſi in Brabantiam.

Missi ſunt eiſdem diebus in partes tranſmarinas, dominus Abbas *Weſtmonaſterienſis*, & dominus *Johannes Manſel* Præpoſitus *Beverlæ*; pro eiſdem, vel ſecretioribus domini Regis negotiis: ſed ut perpendi potuit, pro matrimonio inter *Ædvardum* filium ac hæredem ſuum, & filiam ducis *Brabantiæ*, quod necdum effectum ſortiebatur.

Redit Comes R. de partibus tranſmarinis.

Die verò Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, rediit Comes *Richardus* de partibus tranſmarinis, qui illic etiam *Henricum* filium ſuum ſecum adduxerat. Dicebatur namque, quòd cum Rege *Francorum* familiare nimis colloquium, & prolixum tractatum habuerat. Rex enim firmiter propoſuerat iter ſuum peregrinale arripere ad proximum Paſcha, paratus & tam in ſpiritualibus quàm temporalibus prudenter expeditus, cuilibet juribus ſuis redditis, & juſtè repoſcentibus judicialiter reſignatis. Parato igitur domino Regi *Angliæ* & prompto facere quicquid facere debuerat, Comes jura ſua inſtanter reſtitui poſtulabat. Rex autem *Francorum* precibus ejus de facili inclinaſſet, niſi conſiliariorum ſuorum, ſcilicet nobilium quorundam *Francorum* (quibus innata eſt ſuperbia) repagula contradictionis interpoſuiſſet invidia cum cupiditate. Reſponſum itaq; fuit in faciem nunciis domini Regis *Angliæ*, præcipuè pro *Normannia*, quòd dominus Rex *Francorum* in diutina & pacifica extiterat poſſeſſione, videlicet per circiter quadraginta annos; nec fuit poſteà efficaciter reclamatum pro jure domini Regis *Angliæ*, nec ad curiam *Romanam*, in qua ſolent arduæ cauſæ & difficiles terminari, appellatum. Quapropter videbatur *Francis*, dominum Regem *Anglorum* jure ſuo deberi ſpoliari. Sed cùm puritas conſcientiæ domini Regis *Francorum* non eſſet his rationibus contenta, veritas & examen determinandum ſuper hac dubitatione, ad Epiſcopos *Normanniæ* relatum eſt. Qui ſuper hoc diſtrictè interrogati, dixerunt, quòd credebant veraciter, quòd majus jus habuit Rex *Francorum* in *Normannia*, quàm Rex *Angliæ*, præſertim cùm per Pares ſuos abjudicabatur. Sed hoc videbatur abſurdum, & omni juſtitiæ & rationi diſſonum, ſi dominus Rex *Angliæ* per inimicos ſuos deberet judicari & condemnari; maximè cùm dicat Dominus, *filium dummodò non patrizat, non debere portare patris iniquitatem.* Comes autem memoratus hæc comperiens, formam induit peregrinantis, *Pontiniacum* adiit beatum *Ædmundum* oraturus, & oblationis muneribus honoraturus; gratias quoque eidem de corporis ſui melioratione, gratanter redditurus. Cùm autem illùc perveniſſet, præter alia quæ fecit tunc, & quæ ſe facturum vovit & repromiſit; obtulit unum monile nobiliſſimum, humanæ palmæ excedens latitudinem, gemmis precioſiſſimis adornatum, cui par vel conſimile in theſauris Regiis non inveniretur.

Miſera oppreſſio Walliæ.

Arctabatur *Wallia* eiſdem diebus, ceſſante eorum cultura, commercio, & pecudum cuſtodia paſtorali, & cœperunt conſumi inedia; *Anglorum* & inviti legibus incurvati. Emarcuit antiqua eorum ſuperba nobilitas, & etiam virorum eccleſiaſticorum cythara, converſa eſt in luctum & lamenta. Obiit ergo quaſi præ dolore contabeſcens, Epiſcopus *Menevenſis*, id eſt, ſancti *David*. Epiſcopus verò de *Landaf Willielmus*, cæcitate percutitur. Epiſcopus de ſancto *Aſaf*, & Epiſcopus de *Bangor*; deſtructis Epiſcopatibus cæde ac incendio, mendicare, ut de alieno viverent, cogebantur.

Thomas Walenſis Epiſcopus Menevenſis.

Vacante igitur ſede *Menevenſi*, poſt innumeras *Walliæ* tribulationes per bellum & Principum eorum mortem, electus eſt in eundem Epiſcopatum Magiſter *Thomas* cognomento *Wallenſis*; eò quòd in *Wallia* fuerat oriundus, *Lincolnienſis* eccleſiæ Archidiaconus. Cui electioni, licèt Epiſcopatus pauperrimus extitiſſet, conſenſit; tum propter Epiſcopum *Lincolnienſem*, qui Canonicos ſuos ſuperaverat; tum propter hoc quòd in natali patria ad curam vocabatur, & ad dulcedinem originis ſui quilibet naturaliter attrahitur; tum ut miſeros compatriotas ſuos

ſua

ſua præſentia, conſilio, & auxilio conſolaretur. Cui etiam electioni dominus Rex gratanter conſenſit, & electum acceptavit: non multum conſtituens ſuper hoc difficultatis, cùm exilis fuerit Epiſcopatus. 1247.

ARCTABATUR intereà civitas *Parmenſis* miſerabiliter nimis fame & inedia multiformi, in gyrum obſeſſa: non enim hac exire licuit, ubi obſidentes jam magnam civitatem pro caſtris ædificaverant, quam etiam *Fredericus Victoriam* appellavit; nec per fluvium, quem idem *F.* arctiſſimè fecit cuſtodiri; nec à Papa, qui eos animaverat, poterat auxilium, vel conſilium provenire, viæ enim & ſemitæ vigilanter obſervabantur. Parato igitur dicto *Frederico* ibidem hyemare, & moram donec ab hoſtibus triumpharet, continuare, ſpes emarcuit obſeſſorum. Una igitur dierum cogente inediâ, cupientes in exercitum hoſtilem repentinè irruptionem, ne deſides reputarentur, facere, exierunt quidam ex eis ſubitò, circiter centum xl. armatorum, de præſtantioribus civium:& facto impetu imprudenti,ab exercitu præmunito in ore gladii viriliter ſunt excepti. Volentibus igitur in ſuam redire civitatem,præcluſa eſt eis via per hoſtes,& capti ſunt eorum nonnulli, cæteris trucidatis. Ex tunc igitur in curia *Frederici*, ſic volente *Thaddæo*, judice & conſulente, decretum eſt & acclamatum; ut nullus hoſtium captorum caperetur incarcerandus & redimendus, ſed ſtatim decapitaretur; excandente furioſiùs *Frederico*, eò quòd novus in *Alemannia* Rex nuper crearetur. Cives igitur confuſi videntes ſe undiq; deſolatos,& Papali ſuccurſu ſibi promiſſo penitùs deſtitutos; miſſis legationibus rogabant quæ pacis erant, miſericordiam non judicium poſtulantes; ſed immiſericors *Fredericus* iracundia ſuccenſus, & in arrogantiam elevatus, viſcera miſericordiæ clauſit exorantibus, nec miſeris aurem benignitatis alicujus, quod Deo diſplicuit, dignabatur commodare; ſed ipſis ſub occulto & aculeato conſilio remandavit ironicè, ut parcè ac prudenter ſua uterentur annona, quia nunquam plùs vita comite *Frederici* comeſturi, & hæc auſteritas à *Thaddæo* creditur emanaſſe.

Anguſtiæ Parmenſium.

EODEM quoque anno, circa feſtum *S. Martini*, Comes *Gloverniæ R.* confidens de conceſſione à domino Rege obtenta,& voce præconia ex parte ejus proclamata, die qua *Willielmum* fratrem ſuum Baltheo cinxit militari, de plenitudine benevolæ licentiæ generaliter conceſſæ torneandi, cœpit unum torneamentum contra dictum *Willielmum* apud *Norhamtoniam* feriendum: ut ibidem memoratus *Willielmus* cum ſuis contyronibus militiæ peritiam & addiſceret & experiretur, in hebdomade proxima ante adventum. *Pictavenſes* namque ex familiaritate domini Regis & protectione cornua ſibi aſſumentes, cœperunt ſe *Anglis* parificare, & aliquos contemnere. Sed quia timebatur ne eorundem & aliorum tranſmarinorum ſuperba jactantia, lites & prælia ſuſcitaret, & poſt fragmina haſtarum gladii cruenti fulminarent; dominus Rex de prudentum conſilio, ipſum torneamentum adeò præciſè prohibuit, ut ne tranſgreſſorum hæredes de paterna gauderent hæreditate: unde cùm ad locum torneandi defraudati perveniſſent, confuſi amiſſis expenſis non minimis receſſerunt, levitatem verborum Regis deteſtantes. Nec obfuit ipſa prohibitio, quia uſq; ad odium advenarum elatio cum opprobriis, *Anglorum* conſtantiam procuravit.

Torneamentum inceptum prohibitum à Rege.

CIRCA idem tempus *Fredericus* dedit filiam ſuam nuptui *Thomæ* de *Sabaudia*, fratri ſcilicet Archiepiſcopi *Cantuarienſis*; & eidem contulit *Vercellam* & *Torinum* cum partibus adjacentibus, & præparata repagula Papæ & ſuis, per illas partes tranſitum facientibus.

Thomas *de* Sabaudia *ducit filiam F.*

RECEDENTE autem *Guidone* de *Lyzinnum* fratre domini Regis ab *Anglia*, ipſe dominus Rex adeò clitellas ſuas eſterlingorum novorum pondere replevit, ut ideò *Guido* numerum equorum neceſſariò ampliaret. Alteri autem fratri ſuo *Willielmo* de *Valentia* contulit caſtrum *Hertfordiæ* cum honore ipſum caſtrum contingente cum theſauro non modico; ita ut ipſe idem Rex egere videretur, & ſua etiam victualia vel rapere vel mendicare: unde qui dominum Regem non umbratiliter ſed veraciter diligebant, non mediocriter formidabant, ne pauperibus maledictiones in caput ejus congerentibus, eleemoſynæ ejus fruſtrarentur; & oratio ejus eccleſiaſtica eidem fieret, quod abſit, in peccatum. Tertio autem fratrum ſuorum ſcilicet *Athelmaro*, in tam copioſis & uberibus redditibus providit, quos ſigillatim ab unoquoque Epiſcopo & Abbate per imperioſas preces extorſit; quòd jam *Romanam* protervitatem videretur excedere, & idem *Athelmarus* divitias Epiſcopales exuperare.

Rex Angliæ *omnes ſuos fratres ditat.*

ANNO quoque ſub eodem, quarto Calend. Auguſti, qui eſt dies ſanctiſſimi Regis & Martyris *Olavi*, celeberrimi ſancti apud *Norwegenſium* Regiones & Inſulas; coronatus eſt Rex *Haco*, & in Regem inunctus ſolenniter apud *Bergas*, ab Epiſcopo *Sabinenſi*, Legato tunc in partibus illis exiſtente. Pro cujus honoris & beneficij exhibitione Papæ dominus Rex quindecim millia marcarum eſterlingorum numeravit. Legatus verò exceptis donativis impreciabilibus, quingentas extorſit marcas ab eccleſia Regni illius. Veruntamen idem Rex cruce ſignatus, à domino Papa impetravit recipere tertiam partem proventuum à viris eccleſiaſticis Regni ſui, ad ſuæ viatica peregrinationis. Quod cùm dominus Rex *Francorum* fama referente cognoviſſet, amicabilibus verbis ſcripſit eidem Regi *Haconi*, quatenùs charitatis obtentu, & eccleſiæ ſanctæ promotione, ac honore ſanctæ crucis, qua ſignabatur, cum ipſo in *Terram ſanctam* venire non deferret; committeretur namque eidem Regi *Haconi*, quia in mari potens eſt peritus, totius navigii ſui dominium, regimen, & poteſtas; exercitus quoquè *Francorum* ejuſdem nutui pro magna parte ex tunc inclinaretur. Hoc autem mandatum, cujus epiſtolam ipſe qui hæc ſcripſit, detulit, poſtquàm ad notitiam ejuſdem domini Regis *Norwegiæ* perveniſſet, inſpecto tenore reſpondit ei qui epiſtolam porrexit, nam confidebat in eo anima ejus: Grates refero copioſas

Coronatio Haconis *Regis* Norwegiæ.

1247. piiſſimo domino Regi *Francorum*, qui meum deſiderat in peregrinatione ſodalitium, ſed novi in parte naturam *Francorum*, & ſicut dicit Poëta,

Omniſque poteſtas, impatiens conſortis erit.
Et ego dico: *Omniſque ſuperbus, impatiens conſortis erit.*

Gens mea impetuoſa eſt, & indiſcreta, impatiénſque omnium injuriarum, ſed & modeſtiæ; ſi ergo inter tales & ſuperbos contentio oriretur, uterque noſtrum irreſtaurabile damnum incurreret; idcircò quilibet noſtrum per ſe eat, & quod Dominus diſpoſuerit, faciat. Veruntamen ſcripſi eidem domino Regi, ut quoddam mihi privilegium benignè concederet per literas ſuas patentes; ut videlicet mihi liceret per terminos Regni ſui peregrinando naviganti, ſi fortè ego vel aliquis meorum infirmaretur, vel victualibus vel aliis indigerem, in terra ſua pacificè applicare, & mihi in neceſſariis providere. Et qui cum eo loquebatur, videlicet ſcriptor præſentis libelli, has literas patentes eidem porrexit.

Regis Francorum *literæ ad Regem* Norwegiæ.

LUDOVICUS *Dei gratia* Francorum *Rex, univerſis amicis & fidelibus ſuis, Ballivis, Majoribus, & Præpoſitis, ad quos præſentes literæ pervenerint, Salutem. Cùm chariſſimus noſter illuſtris* Hacon *Rex* Norwegiæ, *in ſubſidium* Terræ ſanctæ *transfretare proponat, ſicut nobis per ſuas literas intimavit; vobis mandamus, quatenùs ſi eundem Regem, vel ipſius navigium per mare contiguum littoribus terræ noſtræ tranſire contingat, vel in terram noſtram, vel in feuda noſtra alicubi applicare; ipſum & ſuos benignè & honorificè recipiatis; permittentes eoſdem in terra noſtra victualia emere, & ſibi per forum legitimum de ſibi neceſſariis providere. Actum apud ſanctum* Germanum *in* Laja, *anno domini milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo octavo.* Cùm autem hæc legiſſet dominus Rex *Norwegiæ*, (eſt enim vir diſcretus & modeſtus, atque bene literatus) gaviſus eſt gaudio magno nimis; & grates retulit talium bajulo literarum, & donis reſpexit regalibus & uberrimis.

Comes Wintoniæ *periclitatur.*

DIEBUS quoq; ſub eiſdem, Comes *Wintoniæ Rogerus*, exiſtens in terra ſua de *Galeweia*, quæ eum ratione uxoris ſuæ, filiæ *Alani* de *Galis*, & in homines illius patriæ nobiliores majori ſolito & ſecùs quàm decet tyrannide deſæviret; obſeſſus eſt in quodam ſuo caſtro caſu repentino immunitus; & cùm morti ignominioſè exponeretur, Comes malens mori trucidatus, quàm fame contabeſcere, equum aſcendit precioſum armatus ad unguem; & paucis eum ſequi auſis, ſe per medium hoſtium ſuorum, quorum erat multitudo infinita, patefactis ſubitò caſtri janui, ingerens in eoſdem, viam ſibi ferro aperuit; & cediderunt hinc inde ab eo, & ſic findens & totum exercitum diſſipans, vix à mortis evaſit diſcrimine. Nec ceſſavit equitare, donec ad dominum Regem *Scotiæ* querulus perveniſſet, qui punitis rebellibus, Comitem pacificè in ſua ſtabilivit poſſeſſione.

Electo Willielmo *præcluditur aditus* Aquiſgrani.

TEMPORE ſub eodem præcluſus eſt aditus civitatis *Aquiſgrani*, ubi coronandus fuit Comes *Hollandiæ Willielmus*, in Regem *Alemanniæ* nuper electus; ut ibidem cum honore receptus, ſicut de conſuetudine *Alemannorum* ſolet, Regali diademate inſigniretur. *Conradus* enim filius *Frederici*, Rex *Alemanniæ*, caſſatus; ei repagula contradictionis diligenter procuravit. Veruntamen à domino *Octaviano* ibidem Legato, & ab Archiepiſcopo *Colonienſi* & aliis Magnatibus *Alemanniæ*, ſignificatum eſt ei adhuc amicabiliter, ut non patrizaret; ſequens veſtigia excommunicati & caſſati, ne ſimili calamitate involveretur. Quibus ille: Nunquam pro vobis proditoribus patri meo decero. Obſeſſa igitur civitate, cœpit bellum cruentiſſimum inter fautores partis utriuſque. Veruntamen fortitudo crevit eccleſiæ, *Prædicatorum* & *Minorum* prædicantium miniſterio, & theſauro collecto & miſſo à domino Papa & à partibus *Alemanniæ*, & partium conterminarum; & diatim decrevit *Conradi* robur & exercitus. Erat namque memoratus electus, multis præcellentibus Magnatibus *Alemanniæ* conſanguinitate & affinitate conjunctus: Ipſe & Epiſcopus *Leodienſis* conſobrini, Dux *Brabantiæ* avunculus ejus; & multi alii Magnates ei fœdere multiplici & muneribus concatenati.

Peſtis graſſatur.

OBLATRANTE cane, & declinante ſole per Zodiacum, maximè menſe Septembri, cœpit hominum peſtis & mortalitas, quæ duravit per tres menſes; ita ut una die novem vel decem corpora defunctorum in cœmiterio unius eccleſiæ, ſcilicet ſancti *Petri* in villa *ſancti Albani*, humarentur.

Obitus Comitis de Ferrariis, *& quorundam aliorum Nobilium.*

OBIERUNT autem eodem anno quidam Nobiles in *Anglia*, circa diem ſanctæ *Catharinæ*, *Willielmus* Comes de *Ferrariis*, vir quidem pacificus & juſtus, & annoſus, & multo tempore morbo podagrico fatigatus. Cujus ſponſalia & uxoris ſuæ Comitiſſæ, celebravit beatus *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus. Eodem quoque menſe obiit uxor ejuſdem, Comitiſſa *M.* de *Ferrariis*, ejuſdem ætatis, famæ, & bonitatis. Succeſſit igitur patri in Comitatu filius dicti Comitis, *Willielmus* primogenitus & hæres, vir bonus & diſcretus; ſed eodem morbo quo & pater, miſerabiliter infirmatus. Obiit etiam Epiſcopus *Menevenſis*, vir ſanctus ac pius, aliquando frater de ordine *Minorum*; generoſus valdè inter omnes *Walliæ*, unde oriundus extiterat, & corpore ſpecioſus; tabefactus à tribulatione malorum & dolore, & natalis ſoli & generis ſui cæde, & exterminio miſerabili. Obierunt inſuper alij Nobiles, ſcilicet milites, *Richardus* de *Burgo*, & *Willielmus* filius *Ham.*

Brevis totius anni deſcriptio.

TRANSIIT igitur annus ille, uberrimus in frugibus, in fructibus autem ſterilis, *Angliæ* nocivus, *Walliæ* dominator tyrannicus, *Terræ ſanctæ* inimicus, eccleſiæ ſpoliator turbulentus,

Italiæ cruentus, Imperio, & curiæ *Romanæ*, & præcipuè Regno *Alemanniæ* Martius & hoſtilis; odium generans in cordibus Prælatorum & aliorum plurium contra Papam, eò quòd patronis violenter ſpoliatis, ſuſpendit à beneficiorum collatione, quod eſt hactenùs inauditum, & contra dominum Regem, eò quòd talia toleravit. 1248.

ANNO Domini M.CC.XLVIII. Qui eſt annus Regni Domini Regis *Henrici* xxxij. fuit idem Rex ad natale domini *Wintoniæ*, ubi dies natalitios comitantibus multis Magnatibus celebravit. In craſtino autem, videlicet die ſancti *Stephani*, prandebat cum Epiſcopo ipſius civitatis *Willielmo*.

Rex Ang. natalitia celebrat Wintoniæ.

EODEMQUE tempore, Comes *Legriæ* ſancta cruce ſignatus eſt, ut peccatis abſolutus ad cœlos avolare mereretur. Aliquando enim ad cor reverſus, de matrimonio contracto inter ipſum & uxorem ſuam, quæ in præſentia ſancti *Ædmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi caſtitatem anteà voverat, vehementer forſitan formidavit. Comitiſſa autem, eodem, ut creditur, tacta ſpiritu, poſtquàm vidit virum ſignari cruce, ad ipſam accipiendam ociùs avolavit. Milites quoq; & multi alii de familia eorum, pro præmio æternæ retributionis, crucis ſignum ſuſceperunt. Et præter eos, multi Nobiles, proponentes iter arripere *Hieroſolymitanum* cum *Chriſtianiſſimo* Rege *Francorum*; quem miraculosè à portis mortis, vel potiùs ab ipſa morte, Dominus dignatus eſt fœliciter revocare. Quod non fruſtrà fieri credebatur. Dicebatur namq; quaſi prognoſtico, vel ſpiritu Prophetico, paſſim pro certo aſſerebatur, quòd Dominus, ut hæreditatem ſuam de manibus inimicorum crucis potenter eriperet, eundem Regem revivificavit.

Comes Legriæ *& multi alii Nobiles cruce ſignantur.*

EODEMQUE tempore, venit ad *ſanctum Albanum* dominus Epiſcopus de *Bangor Richardus*, ut eidem depauperato ſinus pateret miſericordiæ; & ibidem cum domino Abbate, donec Epiſcopatus ejus, qui per bellum deſtructus erat, aliquantulùm reſtauraretur, habitaret; & ipſe cum clericis ſuis à preſſuris, quæ circumdederant eos, ſicut quondam *Hertfertenſis* Epiſcopus; qui & ibidem per circiter viginti annos commorans, honorificè ſuſtentabatur, reſpiraret.

Epiſcopus de Bangor *confugit ad Abbatem S.* Albani.

IPSIS quoque diebus, *Richardus Suard*, miles eximius (de quo multa in hoc libello præſcribuntur) morbo paralytico irremediabiliter ſauciatus, lecto deſperationis decubuit; ut beneficio Dei per protractæ mortis diſpendia, à peccatis priſtinis purgatus, ad vitam indeficientem expeditiùs avolaret.

Richardus Suard *infirmus ad mortem.*

ANNOQUE ſub eodem, *Beatrix* relicta *Reimundi* quondam Comitis *Provinciæ*, concomitante *Thoma* de *Sabaudia*, quandoque Comite *Flandriæ*, venit in *Angliam*, quaſi amicos & conſanguineos ſuos viſitatura; ſed ut veriùs cauſa, ſcire volentibus, explicetur, ut eadem Comitiſſa & *Thomas* memoratus, ad notum fontem recurrerent ſitientes; & ex domini Regis abundantia & prodigalitate, hiantes clitellas ſuas & vacantes replerent in receſſu.

Venit in An. Beatrix *Comitiſſa* Provinciæ.

TEMPORE quoq; ſub eodem, videlicet circa feſtum ſancti *Hilarii*, Epiſcopo *Bathonienſi Roberto* viam univerſæ carnis ingreſſo, dominus Rex, ſecundum conſuetudinem ſuam, avidas manus bonis Epiſcopatus injecit; ut quicquid abradere poſſet, feſtinanter aſportaret.

Obiit Robertus *Epiſcopus* Bathonienſis.

ET diebus ſub eiſdem, dominus Rex *Francorum*, qui, ut notorium fuit, cruce ſignabatur, à ſuis Magnatibus correptus eſt, & graviter redargutus, & ferè circumventus; eò quòd votum ſuum per conſilium & admonitionem ſuorum optimatum, quomodolibet noluit redimere vel commutare. Inter quos mater ejus *Blanchia*, & Epiſcopus *Pariſienſis*, ſcientes ejuſdem Regis imbecillitatem, inſtabant protervius; & ſermocinabantur diligentiùs, dicente Epiſcopo. Domine mi Rex, recordare quoniam crucem accepiſti, tam arduum votum faciendo inconſultè & ſubitò, infirmus fuiſti, & ut verum fateamur, mentis alienæ; rapta quoque ad cerebrum materia, compos tui non fuiſti, unde verba tunc prolata pondere caruerunt veritatis & cujuſlibet auctoritatis. Benignè diſpenſabit nobiſcum dominus papa, ſciens Regni neceſſitatem & corporis tui debilitatem. Ecce hinc *Frederici* jam ſchiſmatici robur formidandum; inde inſidiæ nummoſi Regis *Anglorum*. Ecce hinc *Pictavenſium* proditioſa, quamvis nuper edomitorum, doloſitas; inde *Albigenſium* ſuſpecta cavillatio. Inquietatur *Alemannia*, *Italia* non quieſcit: ad *Terram ſanctam* vix patet acceſſus, vix in ea receptatio: poſt tergum Papæ & *Frederici* odium inexorabile, inimicitiæ implacabiles. Quibus nos deſolatos, relinquis? Mater autem efficaciùs adhuc inſtinctus ſuos exaggerens, ait. Fili chariſſime, audi & exaudi amicorum tuorum conſilia diſcretorum, prudentiæ propriæ non innitens. Memento quanta virtus ſit, quantùmque Deo placeat, matri obedire, matrique obſecundare. Remane, nullùmque inde *Terra ſancta* patietur detrimentum. Mittetur illùc militaris expeditionis multitudo copioſior, quàm ſi in propria perſona illùc pergeretis. Non enim Deus calumnioſus vel cavilloſus. Excuſat te, fili mi, ſufficienter, quæ tibi evenit in infirmitate tua rationis privatio, ſenſuum omnium hebetatio, imò & vel ipſa mors, vel mentis alienatio. Quibus Rex non mediocriter commotus, reſpondit: Protenditis ſenſus mei immutationem, cauſam fuiſſe aſſumptionis crucis meæ, ecce prout deſideratis & perſuadetis, crucem depono, crucem vobis reſigno & mittens manum ſuam ad humerum, diſcerpendo eam avulſit, dicens: Domine Epiſcope, ecce crux qua ſignabar, vobis eam ultrò reſigno. Quo facto, ineffabili gaudio cuncti circumſedentes congratulabantur. Et ecce dominus Rex mutato vultu & ſententia, ait: Amici mei, profectò nunc non ſum expers rationis aut ſenſus, non mei impos aut infirmus. Repoſco nunc mihi reddi crucem meam. Novit autem qui nihil ignorat, non intrabit

Rex Francorum *reſumit crucem.*

1248. intrabit in os meum quicquam mandibile, donec ea reconſigner. Quod cùm viderent circumſtantes, affirmârunt digitum Dei hoc fuiſſe, & divinam virtutem hæc cœlitus procurâſſe. Nec audebat quiſpiam, ſuper prædictis ampliùs movere quæſtionem. Hæc idcircò plenè ac expreſſè diximus, ut pateat cuilibet in Chriſtianiſſimo *Francorum* Rege, de famulatu *Chriſti* continuando, conſtantiam.

Generale Parlamentum habitum Londini.

SUB illius anni initiali curriculo, in octavis videlicet Purificationis, edicto Regio convocata totius Regni *Angliæ* nobilitas convenit *Londini*; ut de Regni negotiis nimis perturbati & depauperati, & temporibus noſtris enormiter mutilati, diligenter & efficaciter ſimul cum domino Rege contrectaret. Advenerunt igitur illùc, excepta Baronum, militum, nobilium, necnon & Abbatum, Priorum, & clericorum, multitudine copioſa, novem Epiſcopi cùm totidem Comitibus. Videlicet Archiepiſcopus *Eboracenſis, Wintonienſis, Lincolnienſis, Norwicenſis, Wigornienſis, Ciceſtrenſis, Elyenſis, Roffenſis, Carleolenſis.* Comes *Richardus*, Comes *Gloverniæ*, Comes *Legriæ*, Comes *Wintoniæ*, Comes *Hertfordiæ*, Comes *Rogerus Bigod* Mareſcallus, Comes *Oxoniæ*: & præter hos, Comes *Lincolnienſis*, Comes de *Ferrariis*, Comes de *Warennia*, Comes de *Richemundia*, *P.* videlicet de *Sabaudia*. Huic autem magnæ congregationi non fuerunt præſentes, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius*; qui in tranſmarinis partibus domino Papæ militabat; & *Dunelmenſis*, qui remotus fuit & valetudinarius, *Bathonienſis* autem, paulò antè obierat. Et cùm præpoſuiſſet dominus Rex (non enim propoſitum ſuum latuit univerſitatem) pecuniare auxilium poſtulare, redargutus eſt graviter ſuper hoc quòd non erubeſcebat tunc tale juvamen exigere; præſertim, quia quando in ultima tali exactione, cui nobiles *Angliæ* vix conſenſerunt, confecit chartam ſuam, quòd ampliùs talem non faceret Magnatibus ſuis injuriam & gravamen. Reprehenſus eſt inſuper graviſſimè (nec mirum) ſuper indiſcreta vocatione alienigenarum; quibus omnia bona Regni indiſcretè, prodigialiter & prodigaliter diſtribuit & diſperſit, & nobiles Regni ignob. extraneis maritavit; indigenas & naturales homines ſuos ſpernendo & poſtponendo, irrequiſito aſſenſu mutuo, qui eſt matrimonii completivus. Culpatus eſt inſuper, nec immeritò, quod quicquid in eſcis, potibus, & etiam robis expendit, præcipuè in vinis, rapit violenter contra voluntatem eorum, qui ea ſunt vendituri & veri poſſeſſores; unde ſe ſubtrahunt inſtitores indigenæ & occultant, & alienigenæ, qui allaturi ſunt bona venalia in iſtam Regionem; & ita ceſſant commercia, quibus alternatim diverſæ gentes foventur & ditantur, & ſic diffamamur & depauperamur, quia de Rege nihil niſi dicas & nugas, reportant; unde incurrit dominus Rex ab innumerabilibus formidabiles maledictiones, in ejuſdem & totius Regni periculum & infamiam. Ab ipſis inſuper mercatoribus, ut eleemoſynas indiſcretas & luminaria immoderata faciat, ceram, pannos ſericos, & alia rapit violenter, ſine pacationis retributione; in ſcandalum ſui, & Regni, & omnium illud inhabitantium; nec ſine Dei gravi offenſa, odio habentis rapinam in holocauſto. In his omnibus adeò tyrannizat, & ſtudet deſævire, ut etiam in littore maris pauperum piſcatorum halecia, vel alios piſces, non permittit ad arbitrium illorum negotiando pertractari, nec audent in maris confinio vel civitatibus comparere ſpoliandi; tutiùs ſeſe arbitrantes fluctibus committere procelloſis, ulteriora littora repetendo. Coguntur etiam miſerabiles negotiatores, & truculenter à Regiis exactoribus angariantur, ut pœna adjiciatur jacturæ, & injuriæ injuriis cumulentur, in propriis corporibus, bigis & equis fatigatis, ea quæ ab eis auferuntur, ad loca remota in aëris inclementia & viarum difficultate tranſportare. Reprehenſus eſt inſuper dominus Rex, quòd Epiſcopatus & Abbatias, ſicut & gardas vacantes, à ſanctis & magnificis patribus noſtris fundatos, quos in manu ſua diu tenet, & teneretur tutor eſſe & defenſor, & proinde dicuntur eſſe in manu ejus, hoc eſt, ſub ejus protectione; contra juramentum, quod fecit in coronatione ſua primùm & præcipuum, uſque ad deſtructionem depauperat. Calumniatur itaque dominus Rex graviter à ſingulis & univerſis non mediocriter conquerentibus, eò quòd, ſicut Magnifici Reges prædeceſſores ſui habuerunt, Juſtitiarium nec Cancellarium habet, nec Theſaurarium, per commune conſilium Regni, prout deceret & expediret; ſed tales qui ſuam qualemcunque, dummodò ſibi quæſtuoſam, ſequuntur voluntatem; nec qui rei publicæ, ſed ſingularem quærunt promotionem, pecuniam colligendo, cuſtodias & redditus ſibi primitùs procurando.

Rex promiſſis ſtudet pacare univerſitatem Angliæ.

HÆC cùm audiſſet dominus Rex, confuſus in ſemetipſo erubuit; ſciens hæc omnia eſſe veriſſima. Promiſit igitur veriſſimè ac certiſſimè ſe hæc omnia gratanter emendaturum; ſperans per talem humilitatem, licèt fictam, omnium corda poſtulationi ſuæ promptius incurvare. Cui inito conſilio crebriùs in talibus promiſſis univerſitas irretita, reſpondit: Hoc videbitur, & infra breve tempus apparebit manifeſtè. Expectabimus adhuc patienter; & prout ſe geret dominus Rex, & ſe habebit versùs nos, & nos ei in omnibus obtemperabimus. Dilata ſunt igitur omnia, & in reſpectum poſita, uſq; ad quindenam nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ*. Sed dominus Rex interim vel ſuo ſpiritu vel aulicorum ſuorum, qui nollent ſuam enervari poteſtatem, induratus, & contra ſuos homines magis exaſperatus, minimum emendationis in prædictis exceſſibus, fidelibus ſuis, ſecundùm quod promiſit, curavit impendere.

Epiſcopus Dunelmenſis eccleſiam Thynemuæ vexat.

EODEM quoque tempore, cùm dominus *Dunelmenſis* Epiſcopus *Nicolaus*, ſecùs quàm deceret aut expediret, honoris ſui & fœderis ac fraternitatis habitæ, inter ipſum & domum *ſancti Albani*, poſt pacis compoſitionem ſuper viſitatione eccleſiæ de *Thinemua*; cœpit eandem etiam in temporalibus pro viribus fatigare; & ipſam in libertatibus, Regum chartis magnificorum conceſ-

ſis,

1248.

ſis, & confirmatis, & multorum annorum præſcriptione uſitatis, non ſine utriuſque partis damnis & expenſis, infeſtare. Deſtinatus eſt igitur quidam fratrum eccleſiæ *ſancti Albani*, ut à tali quieſceret moleſtatione. Sed ille tam monita & preces ejuſdem fratris, quàm literas, quas ſuper hoc ex parte domini Abbatis & Conventus *ſancti Albani* detulit, contemnens; aſſerebat ſe juſtam habere cauſam, in illa ſua mota quæſtione: quod tamen conſtat eſſe falſum, licèt illud per ſuos duodecim milites, non ex parte utriuſque plano aſſenſu electos, fuiſſe determinatum, affirmaret. Quod liquere poteſt diligentèr libertates eccleſiæ ſancti *Albani* intuenti; quas in parte tam in ſpiritualibus, quas impugnaverat, quàm in temporalibus, quas impugnat, duximus huic paginæ breviter tangendo annotare.

Libertates & privilegia eccleſiæ S. Albani.

ECCLESIA ſancti Albani *& cellæ ejus, & omnia ad eas pertinentia, libera ſint ab omni tributo, ſive Regis, ſive Epiſcopi, ſive Comitis, Ducis vel Judicis aut exactoris, ab omnibus operibus quæ indici ſolent. Nolumus etiam, ut alicui, niſi tantùm* Romano *Pontifici, debeant in aliquo reſpondere. Item, prohibemus, ne aliquis Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, in cellis veſtris exactiones aliquas audeat facere, ſive aliquod jus, ſive Epiſcopale officium exercere præſumat. Item, in quibus jura Pontificalia non habetis, ſive capellæ veſtræ, & cœmiteria libera ſint, & ab omni exactione immunia; in quibus videlicet eccleſiis vel capitulis liceat vobis ſive fratribus veſtris presbyteros eligere. Ita tamen, quòd ab ipſis, vel Epiſcoporum vicariis, animarum curam ſine venalitate ſuſcipiant; quibus nimirùm presbyteris cùm tantum aſſignaveritis, unde victus & veſtitus neceſſaria poſſint honeſtè percipere, quicquid reſiduum fuerit, liceat vobis in uſus proprios convertere. Cùm vobis & aliis Prælatis per Apoſtolica ſcripta miſerrimus, ut ad ſubventionem terræ* Hieroſolymitanæ *auxilium præberetis, vos, ſicut accepimus, commonitionibus noſtris inducti, decimam partem reddituum eccleſiæ veſtræ, ac cellarum, & hominum veſtrorum, tam pio operi deputaſtis; de quo charitatem veſtram in domino commendantes, tam ratum quàm gratum habemus laudabile propoſitum veſtrum; auctoritate præſentium ſub interminatione anathematis diſtrictius inhibentes, ne aliqua eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, vos vel eccleſiam veſtram, hujus tam piæ & neceſſariæ actionis pretextu, ad id, vel ſimile, compellere in poſterum audeat; nec vos, aut eccleſiam veſtram, vel cellas quomodolibet infeſtare: ne, quod abſit, aliquando inviti ſubire cogamini, quod mera liberalitate & pietatis intuitu noſcimini inchoaſſe.* (Tamen coëgit dictus Epiſcopus, eccleſiam de *Thinemua* contribuere ad fabricam eccleſiæ *Dunelmenſis*; ſicut omnes viros eccleſiaſticos, etiam per Epiſcopatum ſuum) *Omnibus Prælatis per* Angliam *conſtitutis, &c. Quia eccleſia beati* Albani *ad jus & proprietatem beati* Petri, *&c. Si perſonæ vel Presbyteri in eccleſiis conſtituti, pro temporalibus prædicto* Abbati *& fratribus reſpondere noluerint, & debitam perſolvere penſionem; nos eidem Abbati & fratribus plenam concedimus facultatem, ut quicquid habent in eccleſiis & capellis, quod à ſe detinent, eis ſine alicujus contradictione & appellatione poſſint auferre, donec illis de temporalibus reſpondere & debitam reddere penſionem, ſaltem cogantur inviti.* (Dictus tamen Epiſcopus quibuſdam vicariis prohibuit debitam reddere penſionem eccleſiæ de *Thinemua*.) *Veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, poſſeſſiones vobis pia fidelium liberalitate collatæ, libertates etiam & alia bona, à claræ memoriæ Rege* Richardo, *& chariſſimo in* Chriſto *filio noſtro* Johanne *Rege* Angliæ *illuſtriſſimo, eccleſiæ veſtræ conceſſa, ſicut ea juſtè & pacificè poſſidetis, & in eorundem authenticis pleniùs continetur; necnon eccleſias & penſiones earum, per Metropolitanum & Dioceſanum Epiſcopum literis confirmatas, libertates quoque ac immunitates Monaſterio* ſancti Albani *pro ſuis cellis conceſſas, vobis & per vos eccleſiæ veſtræ, cùm ſit cella Monaſterii memorati, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.* Poſtquàm autem inter memoratum Epiſcopum, temerè prædicta privilegia enervantem, & Priorem & Conventum de *Thinemua*, multipliciter fatigatum, pax eſt per compoſitionem præſcriptam reformata; appoſuit etiam dictus Epiſcopus, ipſum Priorem & ejus Conventum in temporalibus impetere & damnificare; libertates eximias à piis Regibus eiſdem indultas, enervando. Quæ temeraria præſumptio, quàm injurioſa fuit, expreſſè per has domini Regis, ad quem aſcenderat clamor querulus, patere poterit univerſis.

Litera Regis Angliæ ad Epiſcopum Dunelmenſem.

HENRICUS Deì gratia, &c. Dunelmenſi *Epiſcopo ſalutem. Non poſſumus non mirari, ſuper eo quòd cùm ſemel & ſecundò vos affectione plena rogaverimus, ut a vexatione dilecti nobis in* Chriſto *Prioris de* Thinemua *deſiſtatis, qui, ſicut noſtis, ſub protectione & defenſione noſtra militat ſpeciali, precibus noſtris pro ipſo porrectis condeſcendere minimè curaviſtis; nolentes ad animum revocare, quòd pro honore veſtro vobis detulimus in hac parte, credentes firmiter & ſperantes, quòd veſtræ diſcretionis benignitas vos ad hoc gratis faciendum induceret, quod per legem Regni noſtri & Regiam poteſtatem vos facere oportebit. Ut autem vobis liqueat manifeſtè, quod vobis hucuſque in facto iſto volumus deferre, tertiò paternitatis veſtræ dilectionem duximus attentiùs implorandam, quatenùs intuitu precum noſtrarum, & ob reverentiam quam Principi veſtro debetis impendere, averia, ſive bona, dicti Prioris, quæ contra legem terræ cepiſtis & detinetis injuſtè, quod per libertates ſuas, quas habet per chartas prædeceſſorum noſtrorum Regum* Angliæ, *& maximè per chartam* Richardi *Regis avunculi noſtri, apertè poterit comprobari; & quibus temporibus prædeceſſorum noſtrorum liberè uſi fuerunt, deliberari abſque moræ diſpendio faciatis; ſcituri pro certo, quòd niſi infra octavas ſancti* Hilarii *proximò futuras, has preces noſtras pleno effectui duxeritis mancipandas, quantumcunque vobis detulerimus, & de jure deferre vellemus;*

1248. *vellemus; nos ex tunc (non obſtante libertate veſtra, cujus pretextu injurias veſtras aliis illatas, ſive correctione Regiæ dignitatis, non debemus nec poſſumus ſuſtinere) prædicta averia deliberari & damna eidem Priori reſtitui, quæ injuriæ veſtræ occaſione ſuſtinuit ; & de vobis plenam faciamus juſtitiam exhiberi. Teſte meipſo, &c.* Patet igitur per prædicta, quòd injuriatum eſt enormiter dicto Priori & Conventui ſuo, qui gaudet eiſdem privilegiis & libertatibus, quibus & eccleſia beati *Albani*; cui collatum eſt quicquid fas eſt conferri alicui Abbati in ſpiritualibus à ſummo Pontifice ; & a pijſſimis fundatore ejus *Offa* & aliis Regibus *Angliæ* in temporalibus, quicquid Regia poteſtas potuit exhiberi.

Eruptio & victoria Parmenſium.

FORTUNA igitur mundanis eventibus dum taliter prodigio multiplici luderet, & potiùs illudente, *Parmenſes* in communi cauſa concione facta, humiliaverunt ſe Deo & beato *Rogero* Epiſcopo *Londinenſi*, quem Dominus miraculis jam glorioſè coruſcantibus inſignivit. Qui quandoque, cùm *Romanam* curiam peteret, ibidem omni pecunia ſua, procurantibus *Parmenſibus*, latrocinaliter noctu ſpoliatus eſt ; unde poſtmodùm exiens, de civitate *Romana* reverſus, maledixit eam in amaritudine cordis ſui; inquirentes diligenter de quanta pecunia ſe conqueſtus eſt memoratus Epiſcopus fuiſſe ſpoliatum, & inventum eſt ſumma fuiſſe marcarum. Cives igitur votum fecerunt, ſe in tanta pecunia Deo & ſancto ejus cum omni humilitate ſatisfacturum, videlicet in fabrica eccleſiæ *Londinenſis*, vel in eleemoſynarum exhibitione, vel alio honore ipſum ſanctum contingente. Hæc idcircò dixerim, quia audierant, quòd *Fredericus*, qui civitatem eorum nimis protervè obſederat ; ad horam, relicto tamen ferè toto ibidem exercitu, ad aliquid agendum receſſerat. Unde mutilato exercitu & ejus abſente capite ; conſultum videbatur civibus impetum facere in hoſtes repentinum. Una igitur dierum, cives invocato de ſupernis auxilio, & præcordialiter voto facto prælibato ; ordinatis ſuis prudenter aciebus, omnes ad bella expediti, ad certamen Martium, pro liberatione civitatis ſuæ, uxorum, & liberorum ſuorum animati, unanimiter patefactis januis in hoſtes inexpectatò ac repentinè ad inſtar fulguris irruerunt ; malentes armis mori trucidati, quàm fame contabeſcere diuturniore. Quod cùm comperiſſet *Thaddæus Frederici* familiaris, cui idem *Fredericus* cuſtodiam exercitus, necnon & theſauri, confidenter commiſerat ; ait in ſuperbia & in abuſione ; Auſi ſunt mures exire de cavernis ſuis. Veruntamen cives vehementiſſimo facto inſultu, hora breviſſima totum exercitum *Fredericalem* potenter diſſipârunt, multiſq; millibus vel trucidatis, vel terga turpiter dantibus, glorioſè ad votum de hoſtibus triumphârunt. Quo peracto, omnem illorum caſtrorum conſtructionem, quam in circuitu civitatis, ad continuationem obſidionis compoſuerat, diruerunt, diſſipârunt, & combuſſerunt ; & *Thaddæum*, Imperialis palatii Judicem, in proferendis cauſis arduis facundiſſimum, & decidendis circumſpectum, ceperunt cum ipſo theſauro, cujus cuſtos fuerat relictus, inæſtimabili. Et nolentes ad mellitos, & ſuper oleum mollitos ſermones ejus attendere, ne fortè aliquibus ambagibus circumvenirentur, ipſum in fruſta conciderunt. Et *Cremonenſes*, qui idem ex parte *Frederici* in obſidione fuerant, in fugam compulerunt ; & in *Cremonæ* confuſionem & opprobrium, *Carrochium* eorum ceperunt. Diſperſoque & confuſo toto *Frederici* exercitu, arma, theſaurum, victualia, tentoria, utenſilia, captivos reducentes & reportantes, victores in civitatem ſuam exultantes remeârunt. Et ſi de aliorum ſpoliorum ſileamus multitudine, cives in illo conflictu triumphantes, circiter quindecim millia jumentorum, computatis equis precioſis mannis, & clitellariis, mulis, & bobus, ſecum traxerunt ; ita ut civitas eorum omnibus bonis ſupra opinionem redundaret. Hæc autem cùm ad notitiam Papalis curiæ perveniſſent, exultavit dominus Papa gaudio magno valdè, dicens : *Ad laudem Chriſti, Victoria victa fuiſti.* Sic enim ipſe *Fredericus* ipſam caſtrorum ſuorum conſtructionem appellavit. Hoc autem poſtquam *Fredericus* innotuiſſet, quaſi alto ſauciatus vulnere, in corde ingemuit, ſuſpiria cruentata geminando. Mors enim *Thaddæi*, & inſultatio Papalis, plùs quàm tota alia jactura, cor *Frederici* uſque ad ſpiritus amaritudinem ſauciavit. Non enim qui annales hiſtorias revolventes legimus, unquam invenimus aliquorum tam intenſum odium, vel tam inexorabile, ſicuti inter dominum Papam & *Fredericum*. Revocatis igitur *Frederici* undecunq; viribus, cœpit adhuc multiplicatis turgidis comminationibus ipſos cives ſolitò acriùs infeſtare. Hujuſmodi autem eventus ſeries expreſſiùs in *libro Additamentorum* ſcribitur.

Reformatio monetæ Angliæ *per falſarios corrupta.*

IPSIS quoque diebus, moneta *Angliæ* per deteſtabiles tonſores & falſarios adeò intolerabiliter eſt corrupta, quòd non indigenæ vel etiam alienigenæ eam oculo recto vel illæſo corde poterant intueri. Circumcidebatur enim ferè uſque ad interiorem circulum, limbo literato totaliter vel deleto, vel enormiter deturpato. Præceptum eſt igitur voce præconia in civitatibus, burgis, nundinis, & foris, ex parte domini Regis, ne quis denarius niſi legitimi ponderis & circularis formæ reciperetur, nec quoq; modo à vendente vel emente vel commutante acceptaretur, punirenturq; hujuſmodi præcepti tranſgreſſores. Adhibita eſt etiam diligentia, ut memorati falſarii invenirentur, ut de tanto ſcelere convicti, condigna pœna judicialiter punirentur. Facta igitur diligentiſſima inquiſitione, inventi ſunt in hoc facinore culpabiles, *Iudæi*, *Caurſini* infames, & quidam mercatores lanarum *Flandrenſes*. Juſſit etiam dominus Rex *Francorum* omnes tales in Regno ſuo compertos, patibulis laqueatos, vento præſentari.

Mors Walteri Mauclerc, *aliorum duorum fratrum* Prædicatorum.

ANNO quoq; ſub eodem, circa feſtum Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, *Walterus* cognomento *Mauclerc*, Epiſcopus quondam *Karleolenſis*, cùm laudabiliter finales vitæ ſuæ dies, depoſito gibbo mundanarum ſollicitudinum & divitiarum, terminaſſet, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

Et

1248.

Et eodem anno duo fratres de eodem ordine, quibus non erant majores, imò nec pares, ut creditur, viventes, in Theologia & aliis ſcientiis, videlicet frater *Robertus Bacun*, & frater *Richardus* de *Fiſhakele*, qui egregiè plurimis annis in eadem facultate legerunt, & populis glorioſè prædicaverunt verbum Domini, ab hoc ſæculo ad Dominum migraverunt.

Fredericus & ejus filius Conradus ducunt uxores.

EODEM quoque anno, *Fredericus* ut partem ſuam in concepto contra Papam certamine roboraret, & roboratam magis ſolidaret, quibuſdam Principibus confœderatus, in uxorem duxit quandam mulierem theſauris opulentam, ſpecie placentem, genere præclaram. Filius etiam ejus ſimili tractus intentione, filiam ducis *Bavariæ* ſibi matrimonio copulavit. Quod cùm comperiſſet Archiepiſcopus *Colonienſis*, & qui partem novi electi in Regem *Alemanniæ* tenebant, inſtabant ſolito diligentiùs, ut idem electus *Willielmus* apud *Aquiſgranum* in Regem plenè & ſolenniter coronaretur. Sed opponente repagula contradictionis *Frederico* cum filio ſuo *Conrado*, obturatus & penitus præcluſus eſt illi aditus civitatis. Archiepiſcopus igitur *Colonienſis* & Legatus, additis ſibi innumerabilibus Prælatis & nobilibus, qui eccleſiæ favebant (quorum maxima pars per *Prædicatores* & *Minores* cruce ſignata eſt) civitatem *Aquiſgrani* cum inſtantia maxima obſederunt. Ubi crebrò inter hos & illos conferto conflictu vario, multi in ore gladii ceciderunt. Et continuata eſt obſidio cruenta nimis & damnoſa utrobiq; ; augebatur tamen quotidiè numerus obſidentium, ad inſtar fluminis quod ex torrentibus ſuſcipit incrementum. Confortabat interim obſeſſos frequenter miſſa epiſtola *Frederici* & filii ejus *Conradi*, ne deficerent fatigati, futura enim erat in proximo, ut aſſerebant, magnifica eorum liberationis conſolatio.

Torneamentum habitum apud Neubiriam.

DIE vero cinerum, cœptum eſt torneamentum magnum apud *Newbiriam* inter milites *Angliæ*, ut experirentur militiæ peritiam cum ſtrenuitate. Cui cùm dominus Rex favorem præbuiſſet, optimè & initiatum eſt & terminatum. Ibiq: profectò *Willielmus*, frater domini Regis uterinus, cognomento de *Valentia*, tiro novellus, ut titulos militiæ ſibi famoſos adquireret, ſe animoſa præſumptione ingeſſit, ſed ætate tener, & viribus imperfectus, impetus militum durorum & Martiorum ſuſtinere non prævalens, multa amiſit proſtratus, & egregiè, ut introductiones militiæ initiales addiſceret, baculatus.

Anguſtia & dolor pro mutatione monetæ.

IPSIUS quoque temporis curriculo, domini Regis diverſa præcepta, voce præconia per civitates *Angliæ* præciſè promulgata, ſuper receptione monetæ, adeò populum angebat, quòd mallet ut ſumma frumenti, precium viginti ſolidorum ſuperaret. Eſcambium enim, paucis civitatibus exercebatur. Et cùm illuc perventum fuerat, pondus veteris monetæ pro pondere novæ dabatur trutinatum, & præterea pro opere aurifabrili, id eſt, monetationis, quam vulgariter dealbationem vocabant, pro qualibet libra tredecim denarii ſolvebantur. Cujus inquam monetæ forma à veteri diverſificabatur in tantum, quòd crux duplicata limbum literatum pertranſibat. In reliquis autem, videlicet pondere, capitali impreſſione, cum literato titulo permanente ut priùs. Arctabatur igitur populus, non mediocriter damnificatus, dum exceptis plurium dierum laboribus & expenſis, & expectatione ſumptuoſa & tædioſa, de menſa nummulariorum, pro triginta vix viginti ſolidi reportarentur. Accreſcente igitur inæſtimabiliter lucro ſuper hoc domini Regis, acceſſit ad ipſum Comes *Richardus* frater ejus, alter *Jacob* & ſubtilis ſupplantator, in cujus debito magno Rex tenebatur obligatus, & ait illi; Domine mi Rex & frater, ſolvatis mihi debita quibus mihi tenemini. Et cùm inſtaret pulſans inſtantiſſimè, reſpondit Rex: Vides, frater mihi ex utroque parente unice, meam undiq; indigentiam. Ecce illud paululum terreniæ ultramarinæ quod remanet, imminet diſcrimini & jacturæ. Solius *Burdegalis* ſcuto *Gaſconia* defenditur, ad quam liberandam, neceſſe habeo theſaurum effundere non modicum. Cumq; Comes memoratus, voce proterviùs elevata, exegiſſet ab eo emolumentum cunei monetalis, ut ſic eidem de debito ſatisfieret poſtulato, nec ceſſaret importunè oportunè rogitare, tandem impetravit, ut ipſius cunei perciperet emolumentum, cujus uſus & proventuum exercitium quotidianum, ſecundùm æſtimationem certam trapezitarum, per ſeptennium fuerat duraturus, & lucrum ad viginti milia librarum, tertia tantummodò parte proventuum domino Regi reſervata, ut ſic à laqueis debitorum, quibus contra Comitem dominus Rex tenebatur irretitus, liberaretur. Comes igitur hoc obtento, impetravit literas præceptorias domini Regis, ut in Regno *Angliæ* nullus denarius retonſus acceptaretur, imò omnis mutilata moneta perforaretur, & ſi quis eſcambiator inveniretur alicubi, dans duos denarios pro uno, vel tres pro duobus, caperetur, & quaſi reus & Regii præcepti tranſgreſſor, in catallis & corpore graviter puniretur. Forma autem in *libro Additamentorum*, ipſius brevis ad Vicecomitis tranſmiſſi, poterit pleniùs inveniri. Eodémq; anno, Calend. Junii, Luna ſtatim poſt occaſum Solis, paſſa eſt Eclipſim ferè generalem.

Eclipſis Lunæ.

Exitus magni Parlamenti apud Londinum congregati.

ADVENIENTE autem quindena ſancti *Johannis Baptiſtæ*, menſe Junii, convenit *Londinum* totius *Angliæ* Nobilitas, credens firmiter ex certa domini Regis promiſſione, ut mutatis erroribus ſe conſiliis ſanioribus, collata ſibi gratia divinitus, inclinaret. Convenientibus igitur in unum omnibus Regni primatibus, talis à domino Rege profluit reſponſio illepida: *Voluiſtis vos omnes Angliæ primates, ad arbitrium veſtrum parùm civile, dominum veſtrum Regem incurvare, eidemque ſervilem nimis imponere conditionem, dum quodlibet unicuiq; veſtrum, illi frontosè denegaretur. Porrò licet cuilibet cujus & quo libet uti conſilio. Cæterùm, licet cuilibet patrifamilias quemcunq; de domo ſua illi vel illi officio præponere, vel poſtponere, vel etiam deponere, quod utiq; domino veſtro Regi temere præſumitis denegare: præſertim cum dominum ſervi, Principem ſuum Vaſſalli minimè debeant judicare,*

1248. *judicare, vel ſuis arctare conditionibus: quin imò domini arbitrio potius habent dirigi & voluntate ordinari, quicunque cenſentur inferiores. Non enim eſt ſervus ſupra dominum, ſicut nec diſcipulus ſupra magiſtrum: non foret utique Rex veſter, ſed quaſi ſervus, ſi ad voluntatem veſtram ſic inclinaretur. Quapropter nec Cancellarium, nec Juſtitiarium, nec Theſaurarium, prout diſponere propoſuiſtis, nec amovebit, nec alios ſubſtituet.* Similiter ad alios articulos, Regi ſatis ſalubres, cavillatoriè fuit reſponſum. *Poſtulat autem à vobis auxilium pecuniare, ad jura ſua, quæ etiam vos contingunt, adquirenda in partibus tranſmarinis.* Hæc autem cùm audiſſent Magnates, luce clariùs perpenderunt, hæc à conſilio tunc ſuo emanaſſe, videlicet eorum, quorum ſi univerſitatis barnagium exaudiretur, dominium enervatum penitus exufflaretur. Veruntamen videntes ſibi verſutè reſponderi & opponi, reſponderunt omnes quaſi uno ſpiritu præciſè, nullo modo ſe ampliùs inutiliter velle depauperare, ut de bonis eorum alieni ſuperbirent, & inimici tam Regis quàm Regni roborarentur, ſicut nuper evenit in *Pictavia*, ſimiliter in *Gaſconia*, quò ipſe præcipitanter & indiſcretè, & contra eorum conſilium & voluntatem properavit, unde adverſi caſus ſibi evenerunt. Et bene credimus, quia hoc apparet ex Regis aviditate & egeſtate, quòd clanculò captus fuit, & retentus fuit, & tacitò facto fine, interpoſitis fide & juramentis & chartis, cautè dimiſſus, & ſic honore, theſauro & terris privatus, dimiſſus eſt, & inglorius cum omni obprobrio abire permiſſus. Soluto igitur cum omni indignatione concilio, unuſquiſq; ſpe fraudatus à Parlamento fruſtra diu expectata, nihil niſi ſannas cum frivolis, amiſſis laboribus cum expenſis, ut ſolent ſæpiùs, reportarunt.

Rex Angliæ theſaurum ſuum vendit.

QUOD cùm vidiſſet dominus Rex, in iram converſus vehementem, conſiliariis ſuis dixit: Ecce per vos averſa ſunt corda Magnatum meorum à me. Ecce, amiſſurus ſum *Gaſconiam*, *Pictavia* ſpoliatus, & theſauro deſtitutus, quid faciam? Inito igitur conſilio puſillanimi, ſine providentia proviſum eſt, ut vaſa, & utenſilia, & jocalia theſauri ſui Regii pro pondere venderentur, non habito reſpectu ad aurum, quo fulgebant argentea, vel ad opus artificioſum & laborioſum, & licèt materiam ſuperaret opus, ut ſaltem ſic denarii adquirerentur. Addentes inſuper conſiliarii Regii prorosam conſolationem, Regem demulcendo, inſibilabant eidem: Sicut omnia flumina in mare refluunt, ſic omnia quæ nunc venduntur, ad vos profectò donis relativis quandóque revertentur, idcirco non moveatur dominus noſter Rex. Et poſt venditionem inquiſivit Rex, ubinam venderentur, & quibus, utenſilia memorata. Et reſponſum eſt: *Londini*. Et Rex: *Scio, ſcio, quòd ſi theſaurus Octaviani venalis eſſet, civitas Londinum illum totaliter abſorberet emendo, abundant enim illi ruſtici Londinenſes, qui ſe barones appellant, uſq; ad nauſeam: urbs illa puteus eſt inexhauſtus.* Et ſtatim concepit in animo ſuo, nacta tam levi occaſione, ipſos cives bonis ſuis ſpoliare, prout ſubſequens eventus expreſſiùs comprobavit, & ſermo continuatus pleniùs declarabit.

Rex Francorum arripit iter Hieroſolymitanum.

TEMPORE autem æquinoctiali, temperiem gratam oſtendente, & frugum abundantiam cum muſtis Autumno miniſtrante, dominus Rex *Francorum*, accepta ſolenniter apud *ſanctum Dionyſium* & alia ſacra loca in Regno ſuo licentia, & facto voto, iter arripuit *Hieroſolymitanum*. Et per *Lugdunum*, ubi Papa morabatur, tranſitum faciens, ipſum humiliter ac devotè ſalutans, obnixiùs deprecabatur, ut ſalvo in omnibus honore eccleſiaſtico, *Frederico* condeſcenderet humiliato, & veniam poſtulanti, & gratiam concederet reconciliationis, & paternæ pietatis ſinum panderet pœnitenti, ſaltem ut tutior mihi pateat via peregrinanti. Ad quod cùm inveniret Papam vultum contradictionis protendentem, receſſit Rex triſtis, dicens: Timeo ne cùm receſſero, parentur Regno *Franciæ*, propter inexorabilem tui duritiam, inſidiæ hoſtiles in proximo. Tibi imputetur, ſi negotium *Terræ ſanctæ* impediatur. Veruntamen cuſtodiam *Franciam*, ut pupillam oculi; quia à ſtatu ipſius & tui & totius *Chriſtianitatis* dependet proſperitas. Cui Papa: Ego quoad vixero ſtabo cum *Francia* contra ſchiſmaticum *Fredericum*, quem damnavit eccleſia, & à culmine Imperii generale concilium præcipitavit, imò etiam contra Regem *Angliæ* vaſſallum noſtrum, ſi præſumat contra Regnum *Francorum*, vel ejus pertinentia, recalcitrare, & omnes dicti Regni adverſarios. Et reſpondit Rex, his verbis aliquantulum mitigatus: Tibi igitur hæc promittenti commendo habenas Regni mei *Franciæ* gubernandas. Ex tunc igitur proviſum eſt, ut mitteretur ſpecialis nuncius ad Regem *Angliæ*, prohibens eum, ne aliquid de pertinentiis Regno *Francorum* quomodolibet impeteret hoſtiliter vel infeſtaret: ad quod deſtinati ſunt ſpecialiter Magiſtri *Albertus* & *Paulus*. Qui ad dominum Regem venerunt apud *Windeleſhores* in feſto exaltationis ſanctæ crucis, ad hoc ei nunciandum. Sed hoc ſecretum occultatum fuit, ut liberiùs dominus Rex pecuniam exigeret, ad repoſcendum & requirendum jura ſua in manu militari. Rex igitur *Francorum* valedicto Papa, & accepta ab eo remiſſione peccatorum, poſt factam cum moroſa deliberatione confeſſionem, cum Papali benedictione recedens à *Lugduno*, verſus *Marſiliam* lora direxit & vexilla. Et cùm *Avinioni* appropinquaret, cives non ſuſtinentes ſuperborum *Francorum* obprobria, qui jam eos *Albigenſes* appellabant, proditores, & potionatores, impetum facientes in eos in anguſtis viis ſibi notis, antiquis inimicitiis odium & iram ſuſcitantibus, quoſdam de exercitu *Francorum* ſpoliabant, quoſdam autem trucidabant reſiſtentes. Unde quidam Magnates de Regno *Francorum* ſuggeſſerunt domino Regi *Francorum*, ut obſidione civitatem ipſam vallaret, ut ſaltem mortem patris ſui ibidem potionati juſtè ac potenter vindicaret: aut progrediens, ipſos id facere cum favore ſuo permitteret. Quorum furorem vix compeſcens Rex, ait: Nec patris, nec matris, nec meam vindicatum progredior à *Francia* injuriam, ſed potius ipſius domini mei *Jeſu Chriſti*. Progredienſq; *Chriſtianiſſimus* Rex *Francorum*, multa majora apud *Marſiliam* toleravit detrimenta, ita ut *Francorum* primates provocati, niſi diſcreta ac ſancta Regis modeſtia retardarentur, ipſam civitate

cum

1248.

cum magna inſtantia & indignatione obſediſſent. Dicebat namque dominus Rex: Inſtat tempus paſſagii, abſit ut prævaleat Sathanas, qui propterea dolet, & quærit ut alicujus interponat repagula contradictionis vel impedimenti. Rex igitur ſedato vix tumultu, in craſtino ſancti *Bartholomæi*, aſſumptis ſecum electis & prælectis bellatoribus, reliquit poſt ſe plùs quàm mille arcubaliſtarios, & multò plures milites & ſervientes. Qui cum magna verecundia & indignatione redeuntes, vix ſe cohibuerunt, quin adhærentes Regi *Anglorum*, ultrò prælia contra Regem *Francorum* excitaſſent: ſed futura pericula rationis ac providentiæ libra trutinantes, pacificè per dominum Papam redierunt, offerentes ſe illius obſequio, ut ad ipſius imperium contra quemlibet pro ipſo militarent. Sed circumventi Papalibus ſermocinatibus, & eorum in curia ejuſdem domini Papæ, qui nôverant eos denariis abundare, crucis ſignaculis depoſitis, & viaticis ſuis domino Papæ pro venia ſuæ peregrinationis obtinenda reſignatis, ac loculis, ut leviùs irent, excuſſis, vix remanente ipſis minima portiuncula, unde poſſent obiter ſuſtentari, ad propria remearunt. Dominus autem Rex *Francorum*, Neptuno ſe committens, ſinuoſis velis verſus *Cyprum* inſulam omnibus bonis redundantem, ut ibidem pacificè reſpiraret hyemando, vento proſpero navigabat. Eodem anno, in æſtate capta eſt, ut dicebatur, nobilis civitas *Hiſpaniæ Sybilla* *, à victorioſiſſimo Rege *Caſtellæ*. Hæc per unumquemq; diem in ſeptimana, domino ſuo valet novem milia talentorum feria autem ſexta, undecim milia.

* Sivilia.

Capitur Aquiſgranum, & coronatur W. Comes Hollandiæ in Regem Rom.

ET dum brumalis frigiditas algenti mundo duriùs immineret, arctabantur obſeſſi in civitate *Aquiſgrani* vehementer. Denegabatur enim illis undiq; exitus & introitus, auxilium omnimodum & conſilium, & collatio victualium. Tritico deficiente, panis eorum opicus & muſcidus, caro rancida, arma confracta, rubiginéq; conſumpta, veſtes attritæ. Immutata eſt ſpecies mulierum, parvuli eſcam petierunt, nec erant qui frangerent & porrigerent. Partes igitur ſuas diligenter interponentibus obſeſſoribus, videlicet *Alemanniæ* Magnatibus, ſimul cum Legato, Archiepiſcopo *Coloniæ*, Epiſcopo *Leodienſi*, infinitam turbam ſecum trahentibus, & aliis populis cruce ſignatis, miniſterio fratrum *Prædicatorum*, de diverſis mundi partibus diatim advenientibus, totam patriam exercitus Prælatorum numeroſus ad inſtar locuſtarum cooperuit. Unde hæc pars de nocte illa, de die viciſſim & inceſſanter, muros & caſtra civitatis mangonellis, petrariis & præcipitatoriis undiq; erectis flagellarunt, homines indefenſos & detectos in fruſta conterebant, telis transfigebant, & omnibus quibus poterant modis obſeſſos coanguſtabant. Cogebatur igitur neceſſariò civitas, omni ſpe liberationis deſtituta, ſe hoſtibus mancipare, & eorum arbitrio pertractari. Civitate igitur tam violenter quàm viriliter capta, Comes *Willielmus* de *Hollandia*, electus in Regem *Alemanniæ*, per manum Conradi Archiepiſcopi *Colonienſis*, ibidem, ut ſcilicet ſolent de jure antiquiſſimo Reges *Alemanniæ* coronari, die omnium ſanctorum ſolenniter illicò coronatur. Fugerunt autem interim multi de civitate capta, diruta, & depauperata, tam indigenæ quàm alieni ſtipendiarii, quos ibidem ad munimen conſtituerant *Fredericus* & ejus filius *Conradus*, per occultos exitus, macerati & præ multiplici inedia ſemivivi. Quæ tamen coronatio à multis nulla reputabatur, quia omnes electores non erant ibi præſentes, nec etiam conſentientes, utpote Dux *Saxonum*, cui confœderabatur *Fredericus*, per filiam Ducis, quam ducturus eſt in uxorem, ſi reconciliari poterit. Nec Dux *Bavariæ*, cujus filiam *Conradus* filius *Frederici* duxit, conſenſit, ſic nec multi alii.

Conradus F. filius fugit ad patrem.

VOTO igitur ſuo potitis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, & Magnatibus aliis, qui favebant eccleſiæ, ecce *Conradus Frederici* filius, Rex jam caſſatus & ſupplantatus, dum ad liberationem civitatis potenter feſtinaret, potentiùs occurrit venienti alius exercitus *Alemannorum*, per Legatum procuratus, copioſus, & fortis valdè, eidem *Conrado* in ore gladii reſiſtens truculenter: cui exercitui præfuerunt *Maguntinus*, de *Meſcia* in *Lotharingia*, & de *Stratheburg*, Archiepiſcopi, cum innumerabilibus ſuorum aciebus, & infinitis legionibus de *Friſia*, de *Gotta*, de *Ruſcia*, de *Dacia*, & de partibus *Germaniæ*, & *Germaniæ* conterminis, cruce ſignatis, qui omnes uno animo ſuccenſi, imò quaſi unus homo, ipſum *Conradum* impetuoſè repellentes cum univerſo exercitu *Fredericali* & ſuo, fugam triumphaliter inire coëgerunt. Et ſic confuſus recedens filius ad patrem ſine Spiritus Sancti conſolatione, equinis non parcens lateribus, ociùs convolavit.

Warenna S. Albani infeſtata, at tandem liberata.

EODEM anno paſſa eſt eccleſia *ſancti Albani* à militibus, quos confidenter habere credebat fideles ac familiares, perſecutionem & damnum cum injuria. Cùm enim quibuſdam eorum ſpecialiter venatio judicialiter ſub pœna decem librarum denegaretur, videbatur aliis non nominatis plena debere gaudere licentia lepores venandi in *Warenna* memorata. Dicebant enim, non debere redundare in eorum præjudicium, hoc quod erat in detrimentum vel commodum aliorum. Electi ſunt igitur ex conſenſu partium viginti milites cincti gladio, ut ſuper hoc verum dicentes, controverſiam motam terminarent. Quinq; autem ex eis, qui fatui erant, & veritatis ignari, & fluctantes, jurati, dixerunt ſe neſcire pro certo rei veritatem. Veruntamen credebant, quòd adverſarii Abbatis jus habebant ſuper hoc quod exigêbant: niſi Abbas aliam, quod tamen adhuc penitus ignorabant, inde chartam obtinuiſſet. Et cùm certificarentur de charta, quam ſuper hoc habebat Abbas, & præter antiquas, de Rege tunc vivente, adverſarii confuſi omnes obmutuerunt. Et niſi cautela *Henrici* de *Bothonia*, tunc Juſtitiarii, eos miſericorditer protexiſſet, cùm judicium exhæredationis ſubituri forent, ſententiam de voluntate Abbatis ſub dilatione ſuſpendit. Et hæc erant reliquiæ perſecutionis, quam paſſa eſt memorata eccleſia *ſancti Albani*, anno domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo, ubi illa pleniùs legere volentibus declaratur.

1248.

Novæ nundinæ conſtitutæ apud Weſtmonaſterium.

ANNO quoque ſub eodem, dominus Rex cùm *Londinum* properaret ad feſtum ſancti *Ædvardi*, quod eſt de tranſlatione ejuſdem ſancti, in quindena ſcilicet ſancti *Michaelis*, tertio idus Octobris, quàmplurimis Prælatis Magnatibuſque ſub obtentu amicitiæ & devotionis ſignificavit, ut præſentialiter cum ipſo apud *Weſtmonaſt.* beati *Edvardi* feſtum ſolenniter ac devotè concelebrarent. Venerunt igitur illuc vocati, Comes *Richardus*, Comes *Rogerus Bigod* Mareſcallus, Comes *Herefordiæ*, & Barones præelecti cum militibus nonnullis. Epiſcopi autem *Wintonienſis*, *Londinenſis*, *Elyenſis*, *Wygornenſis*, *Karleolenſis*, Abbates autem & Priores quàmplurimi. Juſſit autem dominus Rex denunciari, & voce præconia fecit per totam civitatem *Londini* & alibi acclamari, quòd conſtituit nundinas novas exerceri, plenè apud *Monaſterium* per quindenam duraturas. Omnes quoque nundinas quæ ſolent per tantum tempus per *Angliam* exerceri, utpote nundinas *Elyenſes* & alias, & omnem mercaturam quæ ſolet *Londini* haberi & extra tectum vel ſub tecto exerceri, ſub pœna magnæ foriſfacturæ & jacturæ, præciſè interdixit, ut ſic nundinæ *Weſtmonaſteriales* populis & mercibus copioſiùs abundarent. Unde factum eſt, ut illuc innumerabilis populus undique, velut ad celeberrimas nundinas, conflueret, ibidémque tranſlatio beati *Edvardi*, & ſanguis *Chriſti*, à populo illuc tracto & ibi congregato inopinabiliter veneraretur. Verùm omnes illic mercimonia ſua emptui exponentes, cùm non haberent tecta, niſi de panniculis tentoria, magnis incommodis premebantur, quia variis procellis aereis, ut tunc temporis ſolet, ingruentibus, algebant, madebant, eſuriebant, ſitiebant mercatores. Pedes luto ſordebant, mercimonia eorum imbribus contabuerunt. Ubi namque ad menſam pranſuri ſedebant, qui ad caminos reſici conſueverunt prandentes in medio familiæ ſuæ, penitus ſic egere neſcierunt. Epiſcopus autem *Elyenſis*, pro jactura nundinarum ſuarum *Elyenſium* edicto Regio ſuſpenſarum, graviter conqueſtus eſt domino Regi ſuper hoc, qui tales adinvenit in gravamen ſubditorum novitates. Sed nihil niſi inania verba mulcentis promiſſionis, & futuræ conſolationis reportavit.

Inundatio maris inſolita.

EODEM quoque anno, octavo Calend. Decembris, mare ſolitos per magnum excedens ſpacium terminos, ſibi finitimis damna intulit irreſtaurabilia. Luna enim, ſecundùm computationem Calendarii, exiſtente quarta, ter aſcendit mare cum incremento turgido, ſine decremento notabili vel refluxu. Creditur tamen hoc per impetum venti tunc fortiſſimi, qui de mari flavit, eveniſſe: ſed quia ſæpè evenit, quòd ab marina parte ventus deſævit, nec tamen ſic pontus vehementer aſcendit, de hac novitate inaudita ſenes etiam obſtupuerunt.

Horribilis terræ motus in Sabaudia.

EODEMQUE tempore, in partibus *Sabaudiæ*, in vallibus videlicet *Moriani*, quædam villæ, ſcilicet quinque, cum ſuis bovilibus, caulis, & molendinis adjacentibus, obrutæ ſunt & abſorptæ, montibus & ſcopulis, qui vicini erant, de loco creationis ſuæ, facto horribili terræmotu, per quaſdam ſui cavernas avulſis, & revolutis. Neſcitur tamen ſi miraculoſè vel naturaliter, illa montium ruina facta in pagos memoratos, adeò horribiliter deſævit. Sed quia hominum circiter novem milia oppreſſit, & animalia, quorum non eſt numerus æſtimabilis, videtur quòd potius miraculoſè quàm caſualiter eveniſſet. Dicebatur enim, quòd in eorundem incolarum manſiones, meritò deſævit divinæ ultionis ſeveritas, eò quòd tam impudenter uſurarum turpia commercia exercuerunt indifferenter, polluti libidinis ignominia, ſeque, ut vicium virtutis ſpecies operiret, mercatores denariorum ſophiſticè non erubuerunt appellare. Simonias non abhorruerunt, furta & prædas ſine miſericordia aggredi non formidabant. Tranſientes per eos, & cum eis hoſpitantes peregrè proficiſcentes, *Romanamq;* curiam adire compulſos, ſcholares, inſtitores, vel jugulare, vel potionare non omittebant; ignorantes quòd quantò ultio divina tardior, tantò graviùs legitur deſævire, teſte beato *Gregorio*, dicente: *Lento gradu procedit ad ultionem divina ſeveritas, ſed tarditatem compenſat poſtea gravitate.*

Prior Thetfordiæ confoditur ab alio Monacho.

UT autem compleatur quod in Evangelio legitur, neceſſe eſt, hoc eſt, inevitable, *ut veniant ſcandala, væ mundo à ſcandalis*: eodem anno menſe Decembri, Prior de *Thetfordia*, natione *Sabaudialis*, Monachus *Cluniacenſis*, qui ſe conſanguineum, vel affinem, vel ſaltem compatriotam Reginæ fecerat, & inde ſibi cornua aſſumpſerat, fratres ſuos *Bernardum* militem, & *Guiſcardum* clericum monſtruoſum, ad domum ſuam de *Thetford* advocavit. Et ibidem immoderatis commeſſationibus & potationibus cum eiſdem pernox, matutinalium oblitus, uſque ad gallicinium de more morabatur indulgens. Raro Miſſis licet demiſſis, raro horis curavit intereſſe canonicis, manè crapulatus, nocturnos potus ructando exhalavit. Si pauperum eſurientium clamor inſonuit, hæc fuit illius pectore cura minor, & ſi quandoque unus fratrum ſuorum jam dictorum, ſcilicet *Bernardus* receſſiſſet, alter, ſcilicet *Guiſcardus*, cujus venter quaſi uter in pruina, cujus quoque cadaver plauſtrum oneraret, diutiùs morabatur, & in charybdin uteri omnia Monachorum victualia immerſit, & poſteà ingurgitatus, ipſos ſprevit & convitiis laceſſivit. Dum igitur Prior memoratus, fratres, qui pondera dierum portaverunt & æſtus, ſecus quàm deceret vel expediret tractando, ſubſtantiam eccleſiolæ ſuæ turpiter dilapidaret, & ut dicebatur, metas pudicitiæ crapulatus tranſgrederetur, orta eſt lis & contentio inter ipſum & quendam Monachorum ſuorum natione *Walenſem*. Nitebatur Prior ipſum Monachum, quem paulò antè à *Cluniaco* vocaverat, non charitativè ſed odioſè remittere invitum & renitentem, & rationibus probabilibus ſeſe excuſantem. Cúmq; Prior reboando nimis horribiliter juraret, quòd vellet nollet peregrinaret manticatus, ille Monachus demoniacus ira vehementi vel potiùs furore ſucenſus, ipſum Priorem cultello extracto eviſceravit, nec formidavit illud ſcelus infra ſepta eccleſiæ perpetrare. Qui cùm taliter ſaucius oregmon à guttere emitteret, volens fratres clamando advocare, vel ſaltem excitare, ſed

jam

1248.

jam præcluſis arteriis non valebat, dictus Monachus iterum inſurgens, & in ipſum irruens, ictus non nugatorios ter vel quater iteravit, cultellum uſque ad manubrium in exanime corpus immergendo, & ſic miſer miſerum non ſine ordinis Monaſtici enormi læſione & obprobrio, Deo utrobique irato & ultore, ad tartara deſtinavit. Hæc idcirco plenius enerravi, ut legentes moniti & caſtigati, à talibus caſtigarentur; ne in conſimilem confuſionem, Deo provocato, præcipitentur. Apprehenditur à ſupervenientibus auctor ſceleris, & ligatus arctiſſimè cuſtodiæ deputatur. Quod cùm domino Regi innotuiſſet, Reginæ pulſatus querelis, juſſit ipſum flagitioſum in turri *Norwicenſis* oppidi vinculis mancipatum, profundiſſimo carcere expertem luminis præcipitari, non obſtante cauſa beati *Thomæ* Martyris, qui pro quodam ſacerdote homicida conſtanter allegans, & ſtans uſque ad ſanguinis & cerebri effuſionem, ne judicio laicæ curiæ clericus & præcipuè ſacerdos damnaretur, & ne deordinatus ſuſpenderetur, martyrium toleravit, cùm non puniat Dominus bis idipſum, pœnas laxans peccatorum, & ſupra merita remunerans, & cùm ſufficienter una culpa per unicam pœnam prævia debeat dilui ratione. Hæc cùm à quodam Monachorum æmulo in religioſorum obprobrium recitarentur, reſpondit quidam religioſorum amicus, & religionis amator, & ſpecialis advocatus: In Angelis invenit Dominus prævaricatorem, inter ſeptem Diaconos, deviatorem, & inter Apoſtolos, proditorem. Abſit ut unius vel paucorum peccatum, in numeroſam redundet univerſitatem. Hanc etiam modeſtiam docet Poëta ethnicus, & gentilis, dicens:

Parcite paucorum diffundere crimen in omnes.

Lis & pugna inter Monachos de Selebi & I. Franciſcum.

EODEMQUE anno, dum inter Monachos de *Selebi*, & *I. Franciſcum* domini Regis clericum, contentio oriretur in fœnis & bladis colligendis, occiſus eſt unus Monachus, & plures vulnerati, & baculati. Et ne ſcandala veniant incomitata, eodem tempore apud *Cantuariam* in Prioratu, unus Monachus alium lethaliter vulneravit.

Mors miſerabilis Prioris de Benethleia.

EODEMQUE menſe malefortunato, quidam Canonicorum Prior de quadam eccleſiola, non procul à cœnobio *ſancti Albani*, dum quendam frumenti conſertum aggerem, quem vulgariter tiſſum appellamus, venalem æſtimans, conſideraret, agger ille nutans, & in ordinatè compoſitus, ſubitò corruit ſuper eum. Et antequam garbæ glomeratæ ſuper ipſum diſſipari poſſent, memoratus Prior, homo quidem ſimplex & ſubſtantiæ tenuis, miſerabiliter ſuffocatus expiravit. Evaſerunt autem alii, quos minor moles preſſerat, nec oppreſſerat, ejuſdem Prioris famuli & conſortes.

Adulterinus graviter punitur.

NEC cenſeo prætereundum, licet ridiculoſum videatur: menſe quoque ſub eodem infauſtiſſimo, ne ſolis religioſis eveniſſe ſcandala flebilia deſcribatur, militibus quibuſdam obprobria, cum damnis irreſtaurabilibus evenerunt. Miles enim quidam genere præclarus, & militia præſtantiſſimus de *Northfolkia*, nomine *Godefridus* de *Millers*, dum nequiter ſeductus, in *Johannis Britonis* militis thalamum, ut cum filia concumberet, clanculò noctu ſubintraret, inſidiis abſconditorum præventus, conſentiente meretricula, quæ pellex fieri formidavit, comprehenſus eſt, & truculenter ſolo proſtratus, cæditur & graviter vulneratur. Et tandem per pedes hinc inde diſtantes, à trabibus ſuſpenditur. Et cùm hoſtium penitus arbitrio exponeretur, abſciſis membris genitalibus turpiter mutilatur, malens decollari, & ſic caſtratus & vulneratus, ejectus eſt ſemivivus. Aſcendit clamor querulus ad Regem, comprehenduntur tantæ tyrannidis auctores. Et tandem dictus *I. Brito* convictus, irremediabiliter exhæredatus, & irremeabiliter exul adjudicatur. Mœcha verò ne inveniri poſſit, imperſcrutabilibus latebris abſcondita, laqueos mortis vix evaſit. Omnes quoque qui huic enormi facto interfuerunt, diſperſi ſunt exules, extorres, & fugitivi, & ſic peccatum illud inhumanum & omnimodè expers miſericordiæ, multos nobiles miſerabili involvit calamitate. Eiſdemq; diebus quendam clericum elegantiſſimum, rectorem cujuſdam opimæ eccleſiæ, qui omnes milites circumdegentes dapſilitatis & hoſpitalitatis, multiplicatis honoribus, ſuperaverat, conſimile infortunium illaqueavit. Veruntamen dominus Rex compatiens, & uſque ad ſuſpiria & lacrymas contriſtatus, voce præconia juſſit pro lege acclamari, ne præſumat quis, niſi pro conjuge, adulterum membris mutilare genitalibus.

Varia incendia fortuita.

HOC quoque anno quiddam evenit notabile, quia mirabile, quod huic operi duximus annectendum, non enim hoc meminimus prævidiſſe. Porrò in multis Regionibus, irato Deo, ſæviebant incendia admodum damnoſa, urbes & villas in favillas redigentia, non tamen æſtu vel ariditate provocante. In *Alemannia* enim præter alia damna quæ vorago ignis conſumptivi ſuſcitavit, cathedralis eccleſia beati *Petri* in *Colonia*, (quæ eſt omnium eccleſiarum quæ ſunt in *Alemannia*, quaſi mater & matrona) uſque ad muros incendio eſt conſumpta. In *Francia* quoque urbes & oppida, & in *Normannia* irreſtaurabilia damna ignis indomabilis generavit. In *Anglia* verò, etſi de aliis ſileamus, maxima pars burgi, qui *Novum caſtrum* ſuper *Thinam* appellatur, cum ponte, igne quaſi furioſo comſumpta eſt. In *Norwegia* autem ita deſævit ignis damnoſus, in tribus principalibus civitatibus, quòd admirationem & ſtuporem in cordibus omnium generaret. Quarum una, ſcilicet *Berge*, totaliter, exceptis quatuor religioſorum domibus, & domini Regis palatiis, capella, & thalamis, in cineres eſt redacta. Combuſtæ namq; ſunt de memorata civitate undecim parrochiæ, cum quibuſdam domibus Epiſcopi ipſius civitatis. Volavitq; flamma ultrix peccatorum uſq; ad caſtrum Regis, quod tunc fuit in ipſa civitate, quantum poteſt arcus quinquies

1248. jacere ſagittam, ad inſtar draconis ignivomi mappam pòſt ſe trahentis. Unde incolis nihil certiùs aut conſtitit manifeſtiùs, quàm divinæ ultionis hoc fuiſſe ſeveritatem. Caſtrum enim, quod erat maximis et duriſſimis conſtructum molaribus, pro majori parte redactum eſt in favillas. Diéque proximo ſequenti, intonuit Dominus ſuper locum civitatis, tam terribiliter, quàm horribiliter, miſſióque fulgure repentino, maximam, quæ de *Anglia* venerat, & eadem nocte applicuerat, navem concuſſit, & quendam hominem in ea contrivit ad mortem, & omnes alios in navi exiſtentes vel vulneravit, vel læſit enormiter, malúmque in fragmenta minutiſſima quaſſatum in mare miſit, & omnes quæ in ipſo portu erant naves, videlicet ducentas, vel plures, commovit. Ipſe qui & hæc ſcripſit, in navi extiterat, cujus malus confractus erat. Sed eadem hora in quadam eccleſia, quæ juxta litus erat, Miſſam celebravit, quaſi proceleuma nauticum canendo, Deo gratias poſt pericula pontica redditurus. Hæc cùm domino Regi innotuiſſent, pro amore ipſius qui in ipſa navi fuerat, malum præſtantiorem juſſit reſtitui & majorem.

Poſt feſtum autem ſancti *Michaëlis*, Epiſcopus *Norwicenſis*, pro quibuſdam cauſis ſecretis, transfretavit.

Mandatum iniquum Archiepiſcopi Cantuarienſis.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius*, qui in partibus *Lugdunenſibus*, minus ſolicitus, quantum ad animarum cuſtodiam, eccleſiæ, domino Papæ militavit, ab eccleſiis in ſua Provincia vacantibus, quas per annum retinuit, auctoritate fultus Apoſtolica, theſaurum non minimum, à miſerrima *Anglia*, quæ facta eſt vinea ab apris exterminanda, quam vindemiant omnes prætereuntes, extorſit; Et ut magis corda ſpoliatorum cruentaret, per Decanum *Beluacenſem*, ſuum in hac procuratorem, fecit denunciari, omnes fuiſſe excommunicatos, qui clàm vel palàm obloquentes vel detrahentes, gratiam quam dominus Papa conceſſerat, & contulerat eidem Archiepiſcopo, quomodolibet impedirent, vel de proventibus aliquam ſubtractionem vel fraudem facerent ſupradictis, exceptis tantummodò domino Rege & Regina, & eorum liberis, & nobili viro Comite *Richardo*. Et hoc mandatum præceptum per totam *Angliam* in ſingulis eccleſiis divulgatum, in multorum cordibus indignationem, tum propter ipſam injurioſam, & inauditam, avidamque pecuniæ extorſionem, tum propter annexam adulationem, generavit, dominumque Regem talia tolerantem, & talibus conſentientem, præcordialiter maledixerunt.

Nuncii Tartarorum venerunt *ad Papam.*

EADEM æſtate venerunt duo nuncii *Tartarorum*, à Principe eorum ad dominum Papam deſtinati. Cauſa autem nuncii eorum adeò cunctos latuit in curia, ut nec clericis, notariis, nec aliis, licèt familiaribus, claruit patefactum. Charta autem eorum quam Papæ detulerunt, ter fuit de idiomate ignoto ad notius tranſlata, prout nuncii partibus Occidentalibus appropinquaverunt. Suſpicabatur autem à multis per quædam argumentorum indicia, quòd in charta continebatur, propoſitum & conſilium *Tartarorum* fuiſſe, movere bellum in proximo contra *Battacium* generum *Frederici Græcum*, ſchiſmaticum, & *Romanæ* curiæ inobedientem. Quòd domino Papæ non credebatur diſplicuiſſe, dedit enim eis veſtes precioſiſſimas, quas robas vulgariter appellamus, de eſcarleto prælecto, cum penulis & fururiis de pellibus variis ciſimorum, & libenter confabulabatur ac favorabiliter & crebrò per interpretes cum eiſdem, & munera contulit in auro & argento clanculò precioſa.

Gravamina diatim Angl. *à curia* Romana *illata.*

EODEM anno, multiplicata ſunt cum augmento gravamina multipliciter excogitata, quæ à *Romana* curia in Regnum diatim *Angliæ miſeræ* profluxerunt. Præter anguſtiam & ſervitutem inſolitam, eò quòd ſuſpendebantur Prælati à collatione beneficiorum, donec *Romanæ* avaritiæ ſatisfactum eſſet, nec contra hoc reclamavit Reguli puſillanimitas, pullularunt quotidie novarum oppreſſionum genimina deteſtanda. Et ſi non omnia gravamina (quia difficile eſſet, imò impoſſibile, deſcribere) aliqua tamen, ut doleant inſpectores, & dolentes Deo conquerantur, & eo quandoque propitio liberentur, huic opuſculo duximus inſerenda, ut omnibus pateat *Angliæ* miſeranda miſeria, quæ bonis rectoribus & tutoribus, proh dolor, viduatur. Abbas *Abendoniæ* à domino Papa mandatum acceperat, de proviſione cuidam *Romano* ſine moræ diſpendio facienda. *Romanus* autem ille, non quamcunque volens eccleſiam accipere, ſed opimam, expectavit ſub ſilentio diſſimulans, donec quædam vacabat eccleſia nobilis & opulenta, ſcilicet eccleſia beatæ *Helenæ* in villa *Abendunenſi*, quæ ad centum marcas æſtimatur, omni referta commodo, utpote in burgo, qui cœnobio ſubjacet memorato. Confeſtim igitur iſtam exegit ille *Romanus*, qui diu ſiluerat, & inſtanter poſtulavit ſibi autoritate conferri Apoſtolica. Eadem autem die qua vacaverat eccleſia, urgentiſſimum accepit Abbas à domino Rege mandatum, minis, conjunctis precibus cum promiſſis contextum, ut & ipſam eccleſiam conferret fratri ſuo uterino *Ethelmaro*, licèt idem *Ethelmarus* jam tot abundaret eccleſiis & redditibus, quòd nec miramur, ſi numerum eorundem ignoret & valorem. Abbas igitur circumplexus, & quaſi inter duas molas circumvolventibus molaribus conſtitutus, & quaſi contritus, conſuluit ſuper hoc Conventum & amicos fideles & diſcretos, qui reſponderunt: Durum patet utrobique, veruntamen ſi dominus Rex velit vos ab impetu Papali protegere, tolerabiliùs arbitramur illam eccleſiam conferre ipſi fratri Regis domini Principis ac patroni veſtri, quàm illi *Romano*, qui vobis ſemper vicinus fieret inſidiator vigil ac perſecutor indefeſſus, & quaſi ſemper ſpina in oculo. Significatum eſt igitur iſtud domino Regi tempeſtivè, cui dominus Rex indubitatam promiſit cum omnimoda protectione & indemnitate protectionem. His igitur dictis confidens fallacibus Abbas, dicto *Ethelmaro*

1248.

maro ad Regis contulit ſupplicationem. *Romanus* igitur iratus valde, confeſtim Papam adiit, & eidem rei ſeriem cum augmento provocationis pleniùs enarravit graviter conquerendo. Citavit igitur dominus Papa ipſum Abbatem, ut perſonaliter coram eo appareret, de inobedientiæ oſtenſa reſponſurus. Abbas igitur domini Regis omni deſtitutus conſolationis auxilio, ſuper hoc crebriùs requiſito, *Romanam* ſenex & valetudinarius curiam adiit, in multa mentis triſtitia, pavore, & amaritudine. Ubi tandem poſt multas anguſtias & expenſas non modicas, dicto *Romano* ad arbitrium Papæ ſatisfecit, annuas quinquaginta marcas de camera ſua, in magnam ſuæ eccleſiæ læſionem, conferendo.

Aliud enorme gravamen Papale.

ANNO quoque ſub eodem, Abbate *S. Ædmundi* ſublato de medio, Rex poſtpoſito Dei & S. Martyris timore ac reverentia, quem ſpecialiter teneretur cauſa multiplici venerari, à domo illa vacante tantam recepit pecuniam, quòd videretur viſcera miſericordiæ penitus amiſiſſe, nam abſque Ballivorum Regiorum ſtipendio, mille & ducentas marcas inde extorſit truculenter. Cùm igitur alium fratres in loco Abbatis ſubſtituendum elegiſſent jam defuncti, quoſdam de fratribus, propter confirmationem ejuſdem, ad curiam *Romanam* deſtinarunt. Facta igitur ſuper hoc examinatione cavillatoria, reprobata eſt electio & electus, ut in retiacula immiſericordis miſericordiæ, ſic incideret reprobatus. Et cùm Monachi triſtes receſſiſſent & verecundi, revocavit eos dominus Papa, dicens: Cùm miſeri miſericordia indigeant, ex mera gratia noſtra, vobis ad præſens, ne confundamini, ipſum electum concedimus, illi ipſum cœnobium beati *Ædmundi* liberè ac liberaliter conferendo. Veruntamen reſpiciat in octingentis marcis, & reſpondeat illi mercatori, quem illi aſſignabimus, cui in tantum obligamur. Et ſic monachi receſſerunt illaqueati. Qui tot laceſſiti injuriis & gravaminibus, inconſolabiliter doluerunt, & unus eorum ante receſſum à curia, apud *Lugdunum* mortuus eſt: alter apud *Doveram*, rediens à curia illa non curiali, viam univerſæ carnis, non ſine mentis amaritudine, eſt ingreſſus.

Obiit Abbas de Waltham.

ET dum illorum temporum dies profluxerunt, obiit piiſſimæ recordationis Abbas de *Waltham*, de ordine *Canonicorum* ſancti *Auguſtini*, vir eximiæ ſanctitatis.

Moritur Simon *de* Langetuna.

SUB eodem quoque annali curriculo, obiit magiſter *Simon* de *Langetuna*, frater præclaræ memoriæ *Stephani Cantuarienſis* Archiepiſcopi, eccleſiæ *Cantuarienſis* Archidiaconus. Qui ſi eccleſiæ ſuæ videlicet *Cantuarienſis*, perſecutor & perturbator fuiſſet, non eſt mirandum. Quin imò Regnum *Francorum*, Regnum & *Anglorum*, quandoque cùm ex multiplici bello vexaretur, ſicut ſufficienter in loco ſuo prædictum eſt, movit, commovit, & perturbavit. Obiit quoque anno ſub eodem, magiſter *Johannes Blundus*, Cancellarius eccleſiæ *Eboracenſis*, Theologus prælectus & electus aliquando in Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, ſed per memoratum *Simonem* caſſatus. Perturbator igitur & perturbatus, ad turbas ſimul perrexerunt defunctorum. Obiit inſuper Comes *Patricius*, qui inter Magnates *Scotiæ* potentiſſimus habebatur. Obiit autem cruce ſignatus, in comitatu domini Regis *Francorum* peregrinans. Qui creditur crucem aſſumpſiſſe, ut Deo & beato *Oſwino* reconciliaretur. Injuſtè enim vexaverat & damnificaverat domum de *Thincmua*, beati *Albani* cellam, & ejuſdem beati Regis & Martyris *Oſwini* ſpeciale domicilium, ubi & ejuſdem corpus jacere dignoſcitur.

Obitus Johannis Blundi.

Frater Mattheus *miſſus in* Norwegiam.

EODEMQUE anno, cùm pateret diſcrimini quoddam cœnobium in *Norwegia* nobile quoddam, quod dicitur cœnobium ſancti *Benedicti* de *Holm*, de fundatione Regis nobiliſſimi *Cnutonis*, qui & in *Anglia* unum cœnobium ejuſdem tituli & ordinis fundaverat, depauperatum enormiter, & Conventus diſperſus, & totum ferè deſtructum eſt ipſum cum ſuis pertinentiis Monaſterium. Receſſit Abbas relicto ordine, & furtivè ſublato ſigillo Capituli ſub ſpecie fidelitatis omnes ipſius Monaſterii ferè poſſeſſione vel vendidit, vel inde confectis chartis fraudulenter impignoravit, habens unum de Fratribus, videlicet Sacriſtam, qui ſigilli cuſtos fuerat, hujus rei conſcium, & ſuo facinori conſentientem. Qui etiam cum Abbate, apoſtata fuerat & fugitivus. Archiepiſcopus igitur *Nithdroſiæ*, in cujus Dioceſi fuerat dictum Monaſterium, ipſum cum omnibus pertinentiis cepit in manu, imponens Monachis quòd non erant niſi ſolo habitu Monachi, ordinis Monaſtici & regulæ ſancti *Benedicti* penitus ignari, Monaſticorum ſtatutorum tranſgreſſores manifeſti, quorum etiam aliqui fures fuerant & fugitivi. Ipſi autem Monachi, qui quamvis Abbate carerent, ſub Prioris regimine Deo quoquomodo militabant, ad aſylum appellationis, ad Pontificem ſummum convolarunt. Indignum enim & rationi diſſonum, ut unius vel duorum vel paucorum culpa, in totam univerſitatem redundet. Pendente igitur appellatione, non eſt auſus Archiepiſcopus ampliùs eos impetere, vel aliquid innovare. Revocatis igitur aliquibus prudenter poſſeſſionibus, necnon & collecta pecunia, Prior *Romanam* curiam adiit: & ecce Abbas apoſtata cum ſuo complice ibidem paulò antè fuerat, & confectis chartis & ſignatis furtivo ſigillo, domum memoratam quingentis circiter marcis obligarat. Rediit ergo domum Prior triſtis & confuſus: & antequam domum veniret, nunciatum eſt ei quòd ille miſer Abbas obierat in cœnobio, videlicet ſancti *Albani* in *Selio*, quod eſt in *Norwegia*. Et cùm certificarentur ſuper his Prior & Conventus, elegerunt ſibi Abbatem. Et adhuc remiſſo ipſo Priore cum uno Monacho comite, & cum pecunia trecentarum marcarum, & cum literis domini Regis fratri *Matheo* de *Pariſiis*, ut ipſe liberationi eorum diligenter intenderet, directis, feliciter procuratum eſt, quòd pro ſorte tantùm liberaretur domus memorata. Et cùm jam obtentis omnibus ſcriptis & inſtrumentis quibus obligabatur Conventus de *Holm*, contra *Caurſinos*, *Londini* tunc exiſtentes, penitùs infra annum rediit cum omni proſperitate liberatus. Veruntamen licèt in temporalibus

1248. temporalibus reſpiraſſent, in ſpiritualibus tamen adhuc languebant mutilati, vix latitantes obtentis induciis, & pro muneribus multiplicatis brevi dilatione, ne Archiepiſcopus totam inſulam, quæ dicti Monaſterii fuerat poſſeſſio, & ipſum Monaſterium, quod quidem in ipſa ſitum fuerat, cum omnibus ſuis pertinentiis in ſua ſuſciperet, auſugatis Monachis, qui quidem, ut ait, ſolo nomine Monachi extiterant. Contigit autem ut tunc temporis, ſicut prædictum eſt, venit Epiſcopus *Sabinenſis Romanæ* ſedis Cardinalis, Legatus in *Norwegiam*, ad quem ſtatim dicti Monachi nimis oppreſſi à ſuo Archiepiſcopo, ut de tribulatione ſuſciperent conſolationem, convolarunt. Quibus ipſe, Filii, Monachorum ſtatuta & obſervantias, & regulam S. *Benedicti* penitus ignoro, conſulo autem vobis in bona fide, ut *Romanam* curiam adeatis, ſupplicetiſque domino Papæ, ut vobis provideat ordinis veſtri reformatorem & idoneum inſtructorem: & ego pro vobis ſcribam eidem affectuoſè, ut ſuper hoc vos exaudiat benignè. Nec capit hoc negotium dilationem, inſtat enim protervius Archiepiſcopus veſter, ut vos propter veſtram expellat ignorantiam. Adiit igitur Abbas pro hac cauſa curiam ſuo comitante Priore, & cùm ſuum domino Papæ deſiderium pleniùs intimaſſent, oſtendentes literas domini Regis & Legati ſuper hoc petitorias, reſpondit eis dominus Papa: Filii, ſi ignari eſtis eorum quæ ſcire tenemini, eligite cum deliberatione vobis informatorem, de quacunque regione & domo & perſona mavultis, & fiet vobis quod petitis. Et erudimini, ne veſter prævaleat in vos adverſarius. Ipſi igitur in craſtino habita diligenti conſideratione ſimul cum aliis diſcretis viris, domino Papæ reſponderunt: Domine, experientia novimus edocti, quòd non ſunt adeò compoſiti Monachi noſtri ordinis per totam, ut credimus, mundi latitudinem, ſicut in *Anglia*: nec eſt, ut fama referente novimus, tam ordinata domus in Regno *Angliæ* ſicuti domus S. *Albani Anglorum* Prothomartyris. Petimus igitur de domo illa quendam Monachum *Matheum* nomine, nobis reformatorem & inſtructorem, cujus prudentiam experti ſumus & fidelitatem. Præterea familiariſſimus Regi noſtro & amiciſſimus, poteritque per ipſum rebelles ſi quos juſtificando, ſi neceſſe viderit, edomare. Cumque reſponſio domino Papæ ſatis placuiſſet, meruerunt Monachi tale autenticum ad dominum Abbatem ſancti *Albani* præſentandum reportare.

Autenticum Papæ ad Abbatem S. Albani.

INNOCENTIUS, &c. *Dilecto filio Abbati ſancti* Albani *in* Anglia *ordinis S.* Benedicti, &c. *Cùm ſicut ex parte dilecti filii Abbatis Monaſterii de* Holm, *ordinis ſancti* Benedicti Niſtorſienſis *Dioceſis, fuit propoſitum coram nobis, idem Monaſterium propter prædeceſſorum ſuorum negligentias, ſic in his quæ ad Monaſticum ordinem pertinent deformatum, nec inveniatur in illis partibus aliquis qui ſtatuta & obſervantias ejuſdem ordinis bene ſciat, nos ad ſupplicationem ejuſdem Abbatis, diſcretionem tuam rogamus attentiùs, & hortamur per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus dilectum filium fratrem* Matheum *Monachum tuum, qui dicitur probatæ vitæ, ac religionis expertæ, ad idem Monaſterium, ut dictum Abbatem & Monachos ſuos in regularibus diſciplinis & ſtatutis, quæ ad eundem ordinem pertinent, informet & inſtruat, tranſmittere pro divina & Apoſtolicæ ſedis ac noſtra reverentia non poſtponas. Datum* Lugduni, &c.

Abbate igitur S. *Albani*, domino Papæ, ut juſtum erat, obtemperante, & memorato Monacho Abbati ſuo obediente, factum eſt negotium proſperatum & conſummatum, ita ut Abbas de *Holm* in *Norwegia*, in pace ac proſperitate perſeveraret, & ordo Monaſticus per Dei gratiam, qui diſcrimini patebat, cùm aliis ibidem cœnobiis in illa regione feliciter reſpiraret.

Eodem anno capta eſt civitas nobilis *Hiſpaniæ Sybilla*, die ſancti *Georgii*, à victorioſiſſimo Rege *Caſtellæ*, & *Chriſtianitatis* titulo, ad honorem domini noſtri *Jeſu Chriſti*, inſignita.

Terræ motus in Angliæ.

EODEMQUE anno in Adventu Domini, ſcilicet quarto die ante Nativitatem Domini, factus eſt terræmotus in *Anglia*, ita ut,) prout hæc ſcribenti enarravit Epiſcopus *Bathonenſis*, quia in ejus Dioceſi evenit (diſſipatæ ſunt maceriæ ædificiorum, & lapides de locis ſuis avulſi, & muri hiatus fecerunt patulos, & rimas cum ruinis. Tholus quoque lapideus, magnæ quantitatis & ponderis, qui per diligentiam cæmentariorum in ſummitate eccleſiæ de *Velles* ponebatur, raptus de loco ſuo, non ſine damno, ſuper eccleſiam cecidit, & cùm ab alto rueret, tumultum reddens horribilem, audientibus timorem incuſſit non minimum. In quo etiam terræ motu, hoc accidit mirabile: Caminorum, propugnaculorum, & columnarum capitella & ſummitates motæ ſunt, baſes verò & fundamenta nequaquam, cum contrarium naturaliter debuit evenire. Et ille terræmotus tertius fuit, qui in triennio citra *Alpes* evenit: unus in partibus *Sabaudiæ*, & duo in *Angliæ*, quod ab initio mundi eſt inauditum, & ideo terribilius.

Annalis concluſio.

TRANSIIT igitur annus ille aëre temperatus & ſerenus, horrea frugum replens abundantia, & torcularia vinis reddens redundantia. Ita ut ſumma frumenti, ad duorum deſcenderet precium ſolidorum, & vini prælecti dolium, duabus marcis ultrò venderetur: fructibus pomariorum per loca uberrimus, & per loca ſterilis: vermibus cucurbitinis omnia virentia, ubi peſtis ſe ingeſſit in arbuſtis, penitus demolientibus. Veruntamen *Terræ ſanctæ* nimis hoſtilis, *Italiæ* inimicus, *Alemanniæ* lethifer, *Angliæ* adverſarius, *Franciæ* exitialis. Et ut brevibus concludam, in omni ferè regione *Chriſtianorum*, theſaurorum conſumptivus. Mundi finis multiplicibus argumentis indicativus. Ut ſunt, *ſurget gens contra gentem, & terræ motus erunt per loca:* & conſimilia. Præcipuè autem *Romanæ* curiæ infamis, peſtifer, & perniciofus, iræque divinæ manifeſtè comminatorius. Totaque hyems in vernam verſa eſt temperiem, ita ut nec nix vel gelu terræ ſuperficiem cooperiret, vel per moram conſtringeret biduanam: videres arbores in Februario germinare, & aviculas quaſi in Aprili canentes laſcivire.

ANNO

1249.

ANNO domini M.CC.XLIX. qui eſt annus Regis *Henrici* xxxiii. fuit idem dominus Rex ad Natale Domini *Londini*. In qua ſolennitate Comes *Richardus* frater ejus fuit apud *Walingeford*, cum copioſa Magnatum multitudine convivantium,dies natalicios celebrando. Comes etiam *Gloverniæ* in partibus *Walliæ* conterminis,juxta *Glouerniam*,non minoris gloriæ ſæcularis curiam ſuam eiſdem diebus ſolenniis ſerenavit. Rex autem Regalis magnificentiæ terminos impudenter tranſgrediens, à civibus *Londinenſibus*, quos novit ditiores, die Circumciſionis Dominicæ, à quolibet exegit ſingulatim primitiva, quæ vulgares nova dona novi anni ſuperſtitioſe ſolent appellare.

Rex Angliæ petit à civibus Londinenſibus *xenia.*

VERUNTAMEN feſto beati *Æduwardi*, quod eſt in vigilia Epiphaniæ, appropinquante, vocavit dominus Rex per literas ſuas copioſam Magnatum multitudinem: ut ſimul cum eo,qui in vigilia ſancti, videlicet die Lunæ in pane & aqua & in veſtibus laneis jejunaverant, prout de more ſolet, ipſum feſtum magnifice celebrarent in eccleſia S. *Petri* apud *Weſtmonaſterium*. Congregati ſunt igitur ibi quàmplurimi, tum pro devotione & amore ſancti, tum pro veneratione ſancti ſanguinis *Chriſti* nuper adepti, & venia conceſſa ibidem obtinenda,tum pro domini Regis ipſos vocantis reverentia. Erant autem ibi jam præſentes cum Rege, Regina,Comites, *Richardus* & Mareſcallus *R.* cum quatuor aliis Comitibus, & Epiſcopi totidem congregati.

Celebratur magnificè feſtum S. Ædvardi.

ET dum apud *Weſtmonaſterium* in hoc feſto moraretur dominus Rex, diebus videlicet Natalitiis, rediit Comes S. *Legriæ* à partibus *Gaſconiæ*,cum quibuſdam aliis Magnatibus, militibus, & ſervientibus, qui illuc deſtinati domino Regi fideliter militaverant. Quorum adventus ipſum Regem & totam curiam ejus non mediocriter exhilaravit. Coëgerat enim dictus Comes quendam proditorem, videlicet *Guaſtonem*, filium Comitiſſæ *Biarde*, qui in illis partibus multa nocumenta, damnoſa nimis domino Regi machinando, ipſam terram ferè totam deſtruxerat, corruperat, & à fidelitate Regis fraudulenter & proditioſe averterat, treugas invitum accipere. Abundavit enim idem *Guaſto* pecunia, quam per fallacia promiſſa à domino Rege, in partibus *Gaſconiæ* exiſtente, receperat. Conſenſerat autem mater filio, fraudulenta fraudulento, quæ ſimiliter infinitum theſaurum eodem tempore nequiter receperat, exhauſtum ab *Anglia*, in ſubverſionem & depauperationem *Angliæ*, & nobilium atque Prælatorum Regni, à Rege faſcinato. Præterea Comes memoratus, fidelium domini Regis auxilio roboratus, quendam publicum prædonem, ipſius Regis proditorem & inimicum cruentiſſimum, qui ſimiliter in partibus *Gaſconiæ* & confinibus multa mala fecerat, videlicet *Willielmum Bartram* de *Acri monte*, ceperat, & in turri *Regulæ* vinculis mancipatum tradiderat cuſtodiendum, donec, ſi conſilium domini Regis ad hoc ſe inclinaret, dictus Comes rediens in *Gaſconiam*, ipſum & omnes domini Regis contereret inimicos.

Reditus Comitis Legriæ.

REX autem non, ut decuit, Deo, exercituum Domino,dans gloriam, pro victoria ſibi ad votum conceſſa, cœpit tunc demùm vigilanter excogitare, qualiter inexhauſtum *Angliæ* puteum poſſet penitus deſiccare. Suſtinens enim, ut prædictum eſt, juſtam ab univerſitate Magnatum *Angliæ* repulſam, ne ampliùs bona ſua in Regni confuſionem effunderent, ſtuduit ſubtiliter per alia argumenta, avaritiæ ſuæ ſitulam inebriare. Statim igitur poſt memoratæ gaudia ſolennitatis, inito ſtuduit conſilio cives *Londinenſes* gravare, hoc modo. Suſpendit exercitium mercaturæ civitatis,ut prætactum eſt,per quindenam,novis nundinis apud in *Weſtmonaſterium*, multorum damnum & præjudicium, conſtitutis. Et protinus poſt hoc petiit, miſſis per ſatellites ſuos literis ſuis, argumentoſas & imperioſas preces continentibus, ut ipſum juvarent efficaciter auxilio pecuniari. Quo audito, cives præcordialiter ingemuerunt, dicentes: Heu nobis, heu, ubi eſt *Londinenſis*, toties empta, toties conceſſa, toties ſcripta, toties jurata libertas. Quolibet enim ferè anno, quaſi viles ultimæ ſervi conditionis, per varias tallias depauperamur, & cauſis vulpinis injurioſe exagitamur. Nec ſciri poteſt, in quam voraginem, bona, quibus ſpoliamur, abſorbentur ſubmerſa. Quid plura? licèt inæſtimabilia exigerentur, tandem cives, non ſine cruenta cordium amaritudine, ad contributionem duorum milium librarum,in brevi termino domino Regi conferendorum, licèt inviti, deſcenderunt. Gravamen inſuper ſolitum adhuc ſine aliquo moderamine ſeviæbat. Omnia enim venalia, ſi non, quaſi furtiva, abſconderentur, præcipuè in eſculentis & poculentis, ad opus Regis rapiebantur: nec tamen hoſpitium ejus dapſilitatis alicujus inde ſuſcepit incrementum. Imò potiùs diatim, exulante verecundia, reprehenſibili nimis arctabatur parcitate, & jam eliminata antiqua domini Regis *Angliæ* dapſilitate, jam *Romanæ* menſæ conſuetudo ſubintrans, Regiæ ſerenitatis famam & honorem non mediocriter denigravit.

Cives Londinenſes *à Rege graviter affligantur.*

EODEMQUE tempore, dominus Rex ad jam ſolitas cavillationes *Romanas* recurrens, cùm non poſſet omnes congregatos Regni Nobiles, ad conſenſum flectere, ſingulos ad ſe vocans, vel unicuique ſcribens, affatus eſt eos, impudenter ſupplicando, dicens: Pauper ſum, omni deſtitutus theſauro. Neceſſe habeo, ut quilibet veſtrum juvet me efficaciter: obligor enim per chartam meam debito triginta milium marcarum. Nec tamen aliquid exigo, niſi per gratiam. Qui mihi gratiam facturus eſt,reddam ei, nacta temporis oportunitate,talionem. Et qui mihi gratiam denegaverit, & ei gratiam denegabo. Et protendens cauſam fictam, quaſi eſſet moturus bellum contra Regem *Francorum*, repoſcendo in manu forti jura ſua, treugis jam expirantibus, nihil exinde à circumſpectis niſi deriſum & ſibilum ſuſcitavit. Nuper enim prohibitum fuit ei, ex

Rex Angliæ à Nobilibus ſuis ſingulatim prece petit pecuniam.

parte

1249. parte domini Papæ, per Magiſtrum *Albertum*, ne aliquam terram à domino *Francorum* Rege, quocunque titulo poſſeſſam, quomòdolibet infeſtaret, qui in *Terra ſancta*, Deo & univerſali eccleſiæ cruce ſignatus militavit. Et ſi non prohibuiſſet, bene creditur, quòd minimè ſufficeret ei militaris peritia, vel fortitudo, vel etiam undecunque extortus theſaurus, ad privandum Regem *Francorum* aliqua ſaltem poſſeſſiuncula. Non enim penitus vacuata creditur *Francia* theſauro vel militia. Sed ut dicti magiſtri nuncium omnes lateret, non permiſit Rex illud aliquatenus publicari. Dictum eſt etiam, quòd poteſtatem receperat idem Magiſter *A.* terram *Angliæ*, ſi rebellis eſſet Rex, mandato Papali interdicendi: ſed hæc omnia, quaſi magno myſterio celata, tegebantur, ut ignaros Rex cautè circumveniret.

Rex Angliæ mendicat pecuniam à Prælatis & Abbatibus.

ET dum ſic patulo hiatu, Rex adquiſitioni pecuniari avidiùs inhiaret, contigit, ut iter faciens verſus *Huntendonam*, circa feſtum ſancti *Hilarii*, miſit pro Abbate *Rameſeie*. Quem ſecretiùs alloquens, ait: Amice, obnixiùs ſupplico, quatenus juves me, mihi centum libras conferendo, vel ſaltem commodando. Egeo enim, & neceſſe habeo ipſas habere ſine moræ diſpendio. Et cùm non poſſet Abbas honeſtè aliter reſpondere, ait: Dator aliquando fui, nunquam tamen vobis accommodator ſui, vel ero. Et ſtatim tantam pecuniam cum gravibus uſuris à *Caurſinis* mutuò accepit, ut eidem Regulo mendicanti ſic ſatisfaceret. Eodemque tempore conſimilibus precibus dominus Rex Abbatem de *Burgo* pulſavit, juvamen pecuniare poſtulando, aſſerens, majorem eleemoſynam fore ſibi juvamen conferre pecuniare, quàm alicui oſtiatim mendicanti. Abbas autem, cùm ſe excuſando non ſe precibus ſuis inclinavit, convitiis laceſſitus à domo Regis clanculò exivit. Ab Abbate verò *ſancti Albani*, ſimili ſermocinatione ſexaginta marcas eodem tempore extorſit, licèt eodem anno, & ſimiliter proximo præterito, non minimam ſophiſticè emunxiſſet. Videns igitur dominus Rex, nullum nec poſſe nec velle contradicere, ſpem certam concepit, quòd nullus ei reſiſteret Abbatum vel Priorum. Et cùm ei repagula contradictionis opponerent Magnates, Prælatis qui in arcum pravum converſi ſunt, ſed inviti, ſcripſit in hunc modum.

Literæ Regis ad Prælatos Angliæ.

HENRICUS *Dei gratia, &c, Univerſis Abbatibus & Prioribus conſtitutis in Comitatu* Eſſexiæ & Hertfordiæ, *ſalutem. Si Regiæ Majeſtatis dignatio, pro juribus Regni tuendis devotorum ac fidelium ſuorum amicitiam experiri voluerit, vel ſi ipſi ſuum Principem, ſub cujus alis protecti reſpirant, obſequio corporali, & munerum oblatione frequenter honorent, temporibus congruis, non eſt mirum. Cum igitur jam deficientibus treugis inter dominum Regem* Francorum, *& nos, pro recuperatione & defenſione jurium noſtrorum tam in ciſmarinis, quàm tranſmarinis partibus, ad quas nuper miſimus comitivam, oporteat nos magnos ſumptus, & ob cauſas diverſas, liberalitatis manum pluribus aperire: dilectum & fidelem noſtrum* Simonem Paſſeleve, *unà cum ſingulis Vicecomitibus dictorum Comitatuum ad vos tranſmittimus, rogantes attentè, quatenus ipſos in negocio noſtro, quod vobis exponent, imò nos in eis favorabiliter audientes, ad allevationem ſumptuum prædictorum nos de pecunia veſtra tam abundanter juvetis, quòd id vobis debeamus retributione compenſare.* Hæc cùm ad audientiam diſcretorum pervenerunt, luce clariùs perpenderunt, quòd quando in *Pictavia* & *Gaſconia* fuerat, illi quibus ſeipſum ſolis nummis oneratum, ſine tutela ſuorum fidelium *Anglicorum* inconſulte commiſerat, ipſum quaſi captum & illaqueatum enormiter depauperarunt, quæ habuit, vel habiturus erat, nequiter extorquentes: videlicet, ut quæ quandóque ab *Anglia* craſurus erat, fidei juramenti, ac chartæ conſignatæ obligatione indiſſolubiliter aſtrictus, eis tranſmitteret: & ſic gemitus & ſuſpiria *Anglorum* diatim multiplicabantur.

Epiſcopus Dunelmenſis Epiſcopatum ſuum reſignat.

PURIFICATIONE beatæ *Mariæ* imminente, Epiſcopus *Dunelmenſis*, *Nicolaus*, ſentiens ſe annoſum, valetudinarium, & infirmum, malens relinquere divitias, quàm à divitiis derelinqui, Epiſcopatum ſuum *Dunelmenſem*, obtenta tali à domino Papa licentia, reſignavit. Et datis ad hoc proviſoribus, Archiepiſcopo *Eboracenſi*, & *Londinenſi*, & *Wigornienſi* Epiſcopis, aſſignata ſunt ei tria maneria, videlicet de *Hovedia* cum pertinentiis, *Stoct.* & *Eſingtuna*. Recedens igitur à *Dunelmo*, accepta ibidem à fratribus licentia, ad alterutrum dictorum maneriorum manſurus perrexit, ut in pace ibidem ſine querelarum vel cauſarum ſtrepitu, exutus à ſollicitudinibus mundanis, ſibi jam expectanti donec ejus veniret immutatio, liberiùs vacaret, orationi & contemplationi penitus intendendo. Super hoc dominus Rex certificatus, omnia reſidua non ſegniter haud invitus in ſuam cepit cuſtodiam & poteſtatem, ut ibidem uberrimos pecuniarum fructus, ſemper tamen jejunus & avidus, deglutiret. Ad quæ ſibi amplexanda & congerenda, illico miſit unum de clericis ſuis, *Thomam* videlicet de *Neuwerca*.

Torneamentum nimia nive impeditum.

TEMPORE quoque ſub eodem, captum fuit quoddam generale torneamentum, apud *Northamtonam* die Cinerum feriendum, at Regia prohibitione cum minis, & temporis inclementia, remanſit impeditum. Super quo dolentibus militibus, præcipuè tyronibus, qui ſitienter initialia certamina diſciplinæ militaris cupiebant exercendo experiri, ſignificavit tyro novellus *Willielmus* de *Valentiis*, Regis frater uterinus, ut propter prohibitionem Regiam & ſuſpicionem frivolam, ſi temporis arrideret ſerenitas, torneare non omitterent. Ipſe enim interponeret ſe pro obſide, inter dominum & fratrem ſuum Regem & ipſos, ne ſæviret in eoſdem. Quod mandatum ipſi *W.* ad militiæ titulum & honoris cumulum fuit aſcriptum non mediocrem. Veruntamen eadem die, ſcilicet die Cinerum, tanta nivis ingruebat abundantia, ut per biduum durans, totam terræ cooperiens ſuperficiem ſpiſſitudine monopedali, frondes arborum confregit oneratas, & illicò in aquam reſoluta, agrorum ſulcos, ad inſtar antrorum, dilatatos, rivulis diffluen-

1248

diffluentibus fecit redundare. Et ſic incommodo torneamentum memoratum periit duplicato.

Rex cupit fratrem ſuum AE. in Epiſcopum Dunelmenſem eligi.

REX interea vigil & indefeſſus lucri ſpeculator & perſcrutator, timore Dei, ſecus quàm deceret, poſtpoſito, conventui *Dunelmenſi*, ad quem jus electionis pertinere dignoſcitur, preces precibus tranſmittit accumulatas, per nuncios ad circumveniendum etiam prudentes & circumſpectos ſatis eruditos, conſulens, implorans, & minis interpoſitis præcipiens, ut frater ejus uterinus *Æthelmarus*, ab ipſo conventu unanimiter & favorabiliter in Epiſcopum *Dunelmenſem* & ſuarum Paſtorem animarum eligatur, & ut hoc fœliciter fieret, ſecundùm illud Poeticum:

Imperium, promiſſa, preces, confudit in unum.

Cui Conventus humiliter reſpondit: Domine Rex, Regum *Chriſtianiſſime*, memento, ſi placet, juramenti, quod juraſti coronandus, primi, videlicet & præcipuè, permitte ſanctam eccleſiam ſua ſaltem aliquando gaudere libertate, ut ſecundùm Dominum nobis patrem & Paſtorem animarum noſtrarum idoneum eligamus. Noſti,& novit mundus, quòd & ſcientia & ætate inſufficiens eſt frater veſter memoratus,ut tam arduo officio colla ſupponat ſpirituali.Cui Rex reſpondiſſe perhibetur: Et ego potens ſum,& bene mihi complacet,ut ipſum Epiſcopatum in manu mea teneam octo vel novem annis vel ampliùs,ut ſaltem tunc maturus ætate vobis acceptetur.

Querela ſuper latrociniis in Anglia perpetratis.

IMMINENTE autem tempore Quadrigeſimali, cùm dominus Rex apud *Wintoniam* feliciter adveniſſet, acceſſerunt duo mercatores de *Brabantia* ad ipſum queruli & dolentes, Dixeruntq; domino Regi lachrymando & ejulando: Domine Rex pacifice & juſte, nos mercatores de *Brabantia* exiſtentes, cùm per fines veſtros negociaturi, quos credebamus pacificos,tranſiremus, irruerunt in nos immunitos quidam prædones & latrones, quos adhuc facie tenus cognoſcentes,in curia veſtra invenimus, qui violenter à nobis ducentas marcas obiter abſtulerunt,nequiter ac latrocinaliter.Quòd ſi renuentes præſumant inficiari, paramur judicialiter duello ſuper eos veritatem,Deo judice,diſcutere & diſrationare.Capiuntur ſuſpecti.Et cùm determinaretur ut à fama patriæ eorum purgatio dependeret,liberavit eos patriæ juramentum. Quid mirum? erat patria illis conformis,infecta tota latrocinio. Inſtantib. autem adhuc prædictis mercatorib.& de manu Regis pecuniam ſuam importunè oportunè poſtulantibus,cæpit Rex commoveri,& convocatis conſiliariis ſuis,ait: Quid agendum? Commoventur viſcera mea ſuper iſtorum tribulatione. Cui illi: Domine, audivimus & novimus, quòd ſuper omnes provincias *Angliæ* habetur iſta ſuſpectio. Creberrimè enim hîc tranſeuntes, ſpoliantur, vulnerantur,vinciuntur,jugulantur,unde miramur quòd juſtitiarii veſtri itinerantes,quorum eſt hoc officium ſpeciale, patriam iſtam tam infamem non mundaverunt.Credimus igitur quòd inter hujus patriæ latrones,qui ſupra modum hîc abundant,conſpirationis fœdus aſtutè nimis initum eſt,ut nullus alium quomodolibet accuſet,&ſic tam vos quàm Juſtitiarios veſtros & alios Ballivos veſtros,eorum latuit conſpiratio & verſutia. *Henricus* de *Mara* Juſtitiarius veſter cum ſociis ſuis hîc fuit,nec profuit.Illi enim quos elegerat Inquiſitores, latronum fuerunt conſortes & fautores. Cautè igitur agendum eſt contra multiformes proditores,ars ut arte decipiatur.Per has enim partes meant & remeant,tum propter portum propinquum,tum propter regiam iſtam civitatem,tum propter nundinas inſtitores quàmplurimi, præcipuè ultramarini. Aſſerunt quoq; iſti jam ſpoliati, quòd ſi non eis pecunia eorum pro qua parantur duello veritatem diſcutere, reſtituatur,à veſtri Regni mercatoribus in ſuis partibus omnia violenter repoſcent,& in eorum damnum & veſtri dedecus extorquebunt, Duce Brabantiæ cujus amicitiam deſideramus,non immeritò dedignante. Fecit igitur dominus Rex convocare Ballivos & liberos ipſius Comitatus,ſcilicet *Suhamtoniæ*. Et ait illis,torvo reſpiciens intuitu: Quid eſt quod de vobis audio? clamor ſpoliatorum aſcendit ad me. Neceſſe habeo deſcendere. Non eſt adeò infamis Comitatus,vel patria,in totius *Angliæ* latitudine,vel tot facinoribus maculata.Ubi enim præſens ſum in ipſa civitate,vel ſuburbio,vel in locis conterminis, fiunt deprædationes & homicidia. Nec hæc mala ſufficiunt.Quin imò,ab ipſis malefactoribus,exinde cachinnantibus & inebriatis,vina mea propria à bigis captis diripiuntur, & prædæ patent ac rapinæ. Quid ulteriùs tolerantur talia? Ad hæc & ſimilia eradicanda conſtitui ſapientes,ut ſimul mecum Regnum meum regant & cuſtodiant. Ego non ſum niſi unus homo, non volo, nec valeo, totius regni,ſine coadjutorum ſolatio,onera ſupportare. Pudet & tædet de fœtore hujus civitatis,& partium adjacentium. Natus fui in hac civitate,& nunquam tantum dedecoris mihi irrogatum eſt,ut hîc. Probabile eſt autem et credibile, imò jam bene conſtat, vos cives & compatriotas infames complices eſſe confœderatos. Convocabo omnes *Angliæ* Comitatus,ut vos tanquam meos proditores judicantes,veſtra detegant facinora, nec vobis proderunt ampliùs aſtutiæ argumenta. Hoc autem erat in aula caſtri *Wintonienſis*,præſente Epiſcopo ipſius civitatis *W.* & exclamavit Rex ſubitò & horribiliter: Claudite fores caſtri,claudite continuò. Tunc autem ſurrexit Epiſcopus,& ait: Parcatis,Domine, parcatis paululùm: me,ſi placet,audietis patienter. Sunt in hoc caſtro aliqui extranei,& viri boni & famæ integræ,imò & amici veſtri,quos non vos decet includere.Solos impetitis *Wintonienſes*,cum eorum conſentaneis. Et continuans Epiſcopus ſermonem, verſa facie ad multitudinem, ait: Ego ſum Paſtor, & pater veſter ſpiritualis, poteſtatem habens in veſtris animabus in ſpiritualibus & pro parte magna in temporalib.Excommunico omnes in hac infamia & reatu conſpiratores,& qui de hujus rei tenore, pro favore, timore, vel præmio, aliquomodo veritatem requiſiti palliabunt.

1249. Electi ſunt igitur ex ipſis *Wintonienſibus*, & de Comitatu *Subamtoniæ*, duodecim, ut jurati de furibus, quos noverant, nomina exprimerent. Et ſemoti ſuper hoc longum habebant tractatum: Erant autem bene cuſtoditi. Et poſt diuturnam deliberationem vocati, nullam prorſus de furibus voluerunt facere mentionem. Quod multum Regi diſplicuit. Sciebat enim quòd aliquid de conſilio latronum ſciebant. Et ait Rex, quaſi in furore iræ conceptæ: Arripite hos ſubdolos proditores, præcipitatéque ipſos in carcerem inferiorem, ligatos arctiſſimè. Reticent enim & celant quæ deberent referre, ab Epiſcopo ſuo procul dubio excommunicati, ecce favor & conſenſus. Eligite mihi alios duodecim de civibus *Wintonienſibus* & de Comitatu *Subamtoniæ*, qui nullatenus veritati rebelles, ſuper requirendis mihi demonſtrent veritatem. Advocati igitur alii duodecim, poſtquam perceperunt quòd primi duodecim, quia veritatem ſupprimebant, incarcerebantur ſuſpendendi, cœperunt vehementer formidare, dicentes ad invicem, & nos ſimile judicium ſubiemus, ſi de veritate requiſiti, quippiam ſupprimamus. Et poſt longum & ſecretum ſermonem, quem ſimul habuerant, proceſſerunt in medium, & reſolutis linguarum vinculis, multorum furta & facinora detexerunt, quorum quàmplures erant de confinibus partibus, præcipuè de *Antona*, & de libertate Epiſcopi de *Tantona*. Quod audientes aliqui de civibus, & multi de compatriotis, qui etiam Legales & boni viri reputabantur, abundantes bonis opimis, & quos Rex cuſtodes & Ballivos deputaverat cuſtodiæ illius patriæ, ut latrones compræhenderent vel abigerent, qui equis & veſtibus precioſis, domibus & familiis & terris quinquaginta vel quater viginti libratarum gaudebant, quidam quoque de hoſpitio domini Regis æditui & arcubaliſtarii, convicti, capti, & patibulis ſunt ſuſpenſi. Nonnulli tamen ſeſe in eccleſiis receperunt, aliqui etiam ſubitò & clam aufugerunt, nec ampliùs apparuerunt. Quidam verò de ipſa civitate tunc præſentes, dum Regii virgatores populum, ibidem propter rei novitatem congregatum & compreſſum, retroire cogerent, cautè ſe populo immiſcuerunt, & ſubitò exeuntes de caſtro, vel non comparuerunt, vel ad eccleſias proximas convolarunt. Ubi requiſiti arctiùs, facinora inaudita in furtis & cædibus ſe perpetraſſe cum conſenſu aliorum, auxilio, & conſilio, ſunt confeſſi. Veruntamen capti ſunt ex accuſatis & manifeſtè convictis, circiter triginta, & ſuſpenſi, & totidem vel plures incarcerati, ſimile judicium expectates. Ipſi verò qui de familia Regis fuerant, ſuſpendendi dixerunt apparitoribus: Dicatis domino noſtro Regi, quòd ipſe noſtra mors eſt, & cauſa mortis præcipua, qui nobis ſtipendia debita per longum tempus retinuit indigentibus: oportuit igitur nos furari vel prædari, vel equos, arma, vel veſtes vendere, quibus carere nequaquam poteramus. Unde Rex hæc audiens, confuſus, doluit, & ab imo longa traxit ſuſpiria. Captus eſt autem inter cæteros fures deteſtabiles quidam, qui factus eſt appellator, *Willielmus* cognomento *Papa*, in rebus familiaribus abundans, & omnibus bonis in domo ſua communitus, ita quòd dolia plena vino in cellario ſuo poſtquam captus fuit inquiſito invenirentur circiter quindecim, appellavit: qui convictus ſtatim ſuſpenſus eſt. Unus autem pugnando fecit profectum Regis, & de ſex furibus patriam liberavit. Sic igitur à finibus illis exturbati ſunt facinoroſi, qui patriam illam nequiter maculaverant: Deo ultionum Domino miſericorditer ſic volente. Verùm *Wintonia*, *Subamtonia*, & totus ille Comitatus, indelebilem infamiæ notam & obprobrium inde contraxerunt. Hæc idcirco pleniùs & diffuſius proſecutus ſum, ut liqueat univerſis, quàm infirmum ſit fœdus, & quàm diſſipabilis ſit malefactorum conſpiratio, qui in circuitu ambulantes, in articulo neceſſitatis mutuam ſuſcitant confuſionem, ut durior in fine concluſio ſequatur ultionis.

Imperator graviter diffamatur.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, *Frederici* fama non mediocriter cœpit per diverſa mundi climata adeò ſordere, ut jam pejor *Herode*, *Juda*, vel *Nerone* cenſeretur. Talis enim epiſtolæ fœtor exitialis ex factis ſuis exhalans, fidelium audientium aures & corda, non ſine ſtupore & gemitu, quàm plurimum exaſperavit.

Invectiva Epiſtola Cardinalis Renerii *in Imperatorem F.*

GRANDE piaculum, nephanda præſumptio, ferina crudelitas, inauditum ſcelus, execrabile flagitium, horrendum ſpectaculum, his diebus coram Deo, Angelis, & hominibus eſt prepetratum. Super quo deberet cœlum palleſcere, Solis radius nube palliari, ſydera obduci caligine, & quaſi claudi ſignaculo, terra tremere, mare intumeſcere, tinnire aures audientium, corda fidelium concuti, & renes Chriſtianorum *contremiſcere, ac ad ultionis pœnam omnium Regum, Principum, & militum, ac univerſorum fidelium, qui Chriſtianitatis profeſſione cenſentur, corda excitari. Ecce qualiter inſanivit præco zabuli, Sathanæ vicarius, prænuncius Antichriſti, & omnium crudelitatum artifex & miniſter, & graſſatus eſt in* Chriſtos *Domini, magnoſque Pontifices ſancto chriſmate delibutos. Siquidem recolendæ memoriæ dominus* Marcellinus Arethinus *Epiſcopus, cernens in ſua civitate perſecutionis ollam à facie Aquilonis vehementer ſuccenſam, contra ſe nimium ebullire, ceſſit currenti furori, & apud* Anconam, *ſedis Appoſtolicæ filiam devotiſſimam, annis pluribus in penuria exulavit. Suſcepto igitur tandem præcepto Apoſtolico plurimùm laboravit, ut Marchiones de faucibus virulenti draconis, de laqueis venantium dæmonum, & tyrannica ſervitute erueret, in quo videbatur per Dei gratiam aliquantulum profeciſſe. Contigit autem, Domino permittente, ut in manus incideret hoſtium, & duriter in carcere ac vinculis premeretur per tres menſes & amplius, à ſatellitibus* Pharaonis. *Denique vir ſanguinum* Fredericus, *qui tanquam Draco ſæviens, ac* Leo rugiens circuit, quærens quem devoret, *madidus ſanguine innocentum, & cruore ſanctorum ebrius, hoc audito plurimum eſt lætatus, & ad extinguendum Dei Præſulem ferino animo aſpiravit. Nimirum hic impius dux prophanus, habens, ſicut pater ſuus Diabolus, contra Dei eccleſiam* iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet, *protinus in furorem erumpens, ore rapido ſuſpenſionis & juguli con-*

tra

tra chriſtum Domini ſententiam fulminavit, apud Victoriam ab eo fundatam, ſed titulis fidelium 1249.
aſcribendam. Hoc autem actum eſt non ſine ſtupendo miraculo, tertio videlicet die ante ſuum & illius loci exterminium triumphale. Ipſa namque Victoria felici auſpicio contra votum furentis, qui ei nomen indidit, victorioſi trophæi tripudium de ſe ipſa parti ceſſurum eccleſiæ ſuo vocabulo præſignavit. Cæterùm, cùm, averni Cyclopes, & Vulcani ſatellites, hoc mandatum à ſuo Principe recepiſſent, urgebant Epiſcopum, ut ipſe dominum Papam, Cardinales, & alios Prælatos eccleſiæ, tunc excommunicaret publicè coram plebe, & fidelitatem juraret perfido Frederico, impunitate ſibi ſuper hoc, & multis divitiis repromiſſis. Ipſe verò Domini ſpiritu roboratus, fidenter aſſeruit, quòd ipſum Fredericum Sathanæ progenitum & alumnum, frequenter excommunicaverat, atque ſuos, & tunc etiam eandem in ipſum anathematis ſententiam iteravit. Cùmque duceretur ad martyrium Pontifex, ſe primùm munivit tam lamentis pœnitentiæ, quàm omnibus eccleſiaſticis Sacramentis. Verùm, cùm ſe in abyſſum demergi æſtimans, à circumſtantibus intellexit, quòd tractus per villam debebat ſuſpendio interire, cantare cœpit: Te Deum laudamus, & hymnum Angelorum, alta voce. Deinde ad patibulum trahi voluit velut Chriſtus ad crucem, ſed flentibus mulieribus & parvulis circa ipſum, non eſt permiſſus ex toto nudari. Porrò Saraceni ligaverunt ſacras manus & pedes, velaverunt oculos, caput verò juxta caudam animalis eſt poſitum, ut alvi profluvium ſi erumperet, ſacram verticem inquinaret. Cæterùm verò illud brutum animal, licet ſtimularetur calcaribus, moveri non poterat, donec Pſalmum & orationem incœptam athleta Domini terminaret, & ab ipſo gradiendi ulteriùs data foret licentia. Sicque per caſtrum ſancti Plamiani, Saraceni traxerunt eum ad furcas, ac ſi eſſet vir ignobilis & plebeius, ſeu omnium abjectorum peripſema, vel perfidus parricida, ſeu ſicarius, aut plagearius, ſeu nocturnus depopulator agrorum. Sanè Chriſto domino & fratribus Minoribus hinc inde aſſiſtentibus, inter alia eſt confeſſus, quòd ſenſualitas murmurans ſuadebat, ut martyrium quod ipſe dum eſſet liber cupierat, refugeret ſi valeret. Sed ipſe tam hæc quàm quæque minima quæ occurrebant memoriæ, non ceſſabat publicè confiteri, omnibus ſibi nocentibus offenſas ex corde dimittens, & quæ inferebant ſuſtinens patienter. Fuit autem ſuſpenſus in patibulo, in prima dominica inſtantis xl. penè hora eadem qua redemptor noſter crucem aſcendit. Poſitis verò cuſtodibus, ac triduò pendens in furcis, Minores tandem furati ſunt corpus ejus: ſed illud carnifices de tumulo extrahentes, ac trahentes per lutum, iterum ſuſpenderunt, non deponendum abſque novi Pilati licentia ſpeciali, ad majus Chriſtianitatis obprobrium, cleri contumeliam, perpetuam ignominiam ſacerdotalis ordinis, & honoris confuſionem Pontificalis. Sanè Martyris corpus priùs pœnarum ludibrio tabefactum, nunc miraculis illuſtratur, ut teſtantur fratres religioſi, qui exinde advenerunt, firmiter aſſerentes, quòd jam elapſo decennio non fœtebat. Idem verò aſſeritur à viris prudentibus, de illuſtri viro domino Hugelino Remocii, plurima laude digno, qui nuper equo impingente ruens, in prælio captus & nudatus ab impiis fuit, & crudeliter interfectus. Attendite populi Chriſtiani, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor eccleſiæ, imò veſter. Quis enim audivit unquam tale, aut quis vidit huic ſimile? Quis fidelis Chriſti famulus hæc advertens, poteſt lacbrymas continere, gemitus compeſcere aut ſingultus? Nunquid erunt uſq; adeò aliqui duri cordes, ut tantæ crudelitatis percuſſi malleo non doleant, non triſtentur? Nunquid non conterentur quorumque Chriſtianorum corda lapidea, & ad compaſſionis affectum, adamantina pectora non ſcindentur? ubi eſt zelus Chriſtianæ fidei? ubi flammeus amor Chriſti, qui nunc eſt denuò in ſuo ſuſpenſus Pontifice ac miniſtro? Quemadmodum dixit Petro: Vade Romam iterum crucifigi: & Saulo; Saule, Saule, quid me perſequeris? & in Evangelio de diſcipulis atteſtatur, dicens: Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui vos tangit, tangit pupillam occuli mei. Igitur hic ſceleſtus ad ſuæ damnationis cumulum, & ad increpandam duritiam cordis noſtri, quæ ad tam horrenda facinora vix movetur, ſimilia ſæpiùs iterare flagitia non expavit, autumans apud Chriſtianos, eò quod ſuâ ſine talione abundavit iniquitas, refriguiſſe penitus charitatem, aruiſſe in omnes pietatis viſcera, omnémq; zelum fidei defeciſſe. Nam circa biennium Epiſcopum Geracenſem de Calabria, fecit in aquis vehementibus præfocari. Hoc verò anno, in urbe apud Lateranum recolendæ memoriæ Cephaludenſem Epiſcopum de Sicilia, jam annis quindecim per dictum impium à propria ſede pulſum, per quendam lictorem Siculum, gladio fecit necari. Cujus veneranda canities ad ſenium jam procliva, diu in camino paupertatis excocta, & longævi exilii pruina contracta, per ſe ipſum ad exitum properabat. Sed gladiator prædictus non ad hoc tantùm miſſus fuerat, ſed ut in aliquem de magnis columnis manus extenderet, ſi valeret, cruentatas. Nec mirum ſi minus famoſos Prælatos perimit, cùm olim ſicarios & aſſiſinos conduxerit ad necandum ſupremum Chriſti vicarium, & aliquos fratres ejus, & in quoſdam Principes, jam pridie ſimilia attemptaverit. Heu, qualiter obdormivit in Principibus Chriſtianis timor Dei, & omnino ferè tepuit amor ſalvatoris! Nempè dudum tempore gentilium, ſi unus Dæmon dans in terris idololatris reſponſa, coli ab aliquo ſpernebatur, multis diſtractus ſuppliciis crudeliter necabatur: & modò fides contemnitur, invaleſcunt hæretici, & ab impio defenduntur. Prædicantur in hujus ſceleſti potentatu hæreſes, increſcunt apoſtatæ, defenduntur hoſtes Domini, contemnuntur ſacramenta & claves eccleſiæ, conculcatur libertas eccleſiaſtica, nec curatur. Sane cùm dudum exercitus Chriſtianus, qui capere Babyloniam intendebat, fuit ab aquis Nili excreſcentibus interceptus, nonne Soldani manſuetudine refectus eſt pabulo, & incolumis eſt ſervatus remiſſuſq; ad propria ſine damno, ubi erat bonæ memoriæ dominus Albanenſis & Aconenſis Epiſcopi, & quidam alii Præſules & Prælati, & claræ memoriæ Rex Hieruſalem Johannes de Breſnes? Nonne inclitæ recordationis dominus Johannes de Columna, Presbyter Cardinalis, qui cum Imperatore Conſtantinopolitano ad Græciam recuperandam intraverat, captus à Theodoro Cumano, reverenter tractatus eſt & dimiſſus? Ecce ſæviſſimi hoſtis inſania non contenta his malis, per Saracenos prophanari fecit eccleſias, ſubrui altaria, ſpargi reliquias, &

1249. *in locis ſacris conſtuprari* Chriſtianas *virgines, viduas, cum maritatis. Quin etiam de ſuo mandato, fratres* Minores, *aliique viri religioſi, qui ad dandum pœnitentias & ſepeliendum corpora occiſorum inter* Chriſtianas *acies diſcurrebant, gladiis impiorum perimuntur. Inſuper, ut furor Domini contra malignum ampliùs incandeſcat, nuper apud* Harniam Saraceni, *multis cernentibus, ad caudam ſubjugalis traxerunt imaginem crucifixi, & beatæ* Mariæ, *& aliorum ſanctorum. Deinde ſuccifis crucifixi cruribus & brachiis, ipſum ſibi & alias imagines in clypeos adaptabant, ut in bello* Chriſtiani *eas appetere cogerentur jaculis & ſagittis. Ut quid igitur cruce ſignati has inſanias negligentes, intendunt ſulcare lacerto vel brachiis flumina, vel maria tranſmeare ad expugnandos* Saracenos *vel* Tartaros *longè furentes, quorum crudelitas his inferior longè cenſetur? Exterminetur itaq; priùs talis ſpurcitia* Saracenica, *cum ſuis ducibus & fautoribus, ac deinde ad alia procedatur, cùm cauſa intus habeatur quæ foris quæritur, & jam ſit paganorum perſecutio inter viſcera eccleſiæ in clauſtro fidelium & in ambitu* Chriſtianitatis *introducta. Expedire videtur, ut primùm propellantur de* Italiæ *finibus tantorum ſcelerum patratores, ne ſerpens in ſinu, mus in pera, ignis in gremio nutriantur, & ad ulteriora poſtmodum procedatur. Quia non propter locum gentem elegit dominus, ſed potiùs è converſo, ut patet in beato* Petro *& aliis Apoſtolis ad gentes,* Hieroſolyma *derelicta, tranſeuntes. Conſiderate denique, quia de cœlo proſpicit Dominus, & vidit filios hominum, ſi eſt intelligens, ſi eſt qui doleat necem ejus, ſi eſt qui requirat ſuorum injurias miniſtrorum. Recogitet igitur quilibet* Chriſtianus, *quid in extremo examine Domino reſpondeat, ſi tam diſſimulet facinoroſa. Proſequimini igitur filii altiſſimi cauſam Dei, ut in bonum cauſam veſtram. Tueamini ſponſam ejus potentiæ veſtræ dextera, ut ad dexteram ſuam vos collocet, juſtus Judex in judicio ad æternam gloriam introducendos.*

Vitia Romanæ *curiæ multos Imperatori* F. *adhærere faciunt.*

HÆC igitur pagina auditu horribilis, cùm ad multos perveniſſet, medullas auditorum penetrando contra Fredericum erexiſſet, niſi Papales ejuſdem *Frederici* adverſarios, avaritiæ, ſymoniæ, & uſuræ, aliorumque vitiorum maculæ coinquinaſſent. Qui inter cætera deliramenta, cruce ſignatos impudenter exagitant, nunc ſub pœna excommunicationis ad *Terram ſanctam*, nunc ad Imperium**Romaniæ*, nunc innuendo ut ſuper *Fredericum* inſurgant & tranſmittantur, elaborant. Et quod deteſtabilius judicetur, *Prædicatores* & *Minores* facientes ſuos telonarios, viatica cruce ſignatorum quovis extorquent argumento. Unde etſi ignominioſa ipſe tyrannus *Fredericus* operetur, adhuc tamen infinitos manifeſtos & quàmplures occultos, in odium *Romanorum*, proh dolor, invenit fautores, & in facinoribus adjutores.

Diſcordia civium & clericorum Cantabrigiæ.

PER idem quoque tempus, videlicet in Quadrageſima, ex levi ſumpta occaſione, orta eſt diſcordia apud *Cantabrigiam* inter Burgenſes & Scholares. Ex qua lites & pugnæ, ſpoliationes, & domorum effractiones, vulnerationes, & homicidia ſunt ſecuta. Aſcendit clamor uſque ad Regias aures cum gravi querimonia, unde utrobique damnum & ſcandalum ventilatum, jacturam non minimam ſuſcitavit. Hoc quoque dignum arbitror recitatione ac memoria, quòd inſtigante humani generis inimico, de more in Quadrageſima inter ſcholares & laicos, tam in tranſmarinis quàm ciſmarinis partibus, ſicut in hoc volumine ſæpè præſcribitur, cruenta diſcordia ſuſcitatur, ut ſimul cum ſacro tempore perſonæ violentur.

Imperator F. *lethiferam potionem evadit.*

EODEMQUE anno, *Fredericus* diverſis arduis cauſis undique exagitatus, qui citra montes venerat, ut dominum Papam invaderet, rediit in *Apuliam*, ut dicitur potionatus. Qui cùm graviter infirmaretur, conſilium habuit à ſuis phyſicis ut purgationem medicinalem, & poſteà quoddam balneum ad hoc ſpecialiter præparatum, acciperet. Habuit autem magiſter *Petrus* de *Vinea*, qui ipſius *Frederici* familiariſſimus conſiliarius & ſingularis animæ illius cuſtos fuerat, quendam phyſicum ſecum, qui ex præcepto tam *Frederici* quàm ipſius *Petri*, ad purgationem dictam neceſſaria præparaturus, ſubdolus acceſſit: de conſilio enim ipſius *Petri*, venenum lethiferum & efficax valde potioni immiſcuit, & balneo, ut dominum ſuum in ipſis perimerent confidentem. Eccleſiæ autem inimici dixerunt, quòd dominus Papa ad hoc facinus cor *Petri* enervando muneribus & pollicitis maximis inclinarat. *Fredericus* verò ſuper hoc ſcelere per aliquem amicorum ſuorum in ipſa hora, qua ſumendus fuit potus ille prætaxatus, ſecretiùs præmonitus & pleniùs edoctus, Phyſico potionem oſtendenti & *Petro*, ait: Amici, confidit in vobis anima mea. Caveatis, ſupplico, ne mihi in vobis confidenti virus pro medicina porrigatis. Cui *Petrus*: O Domine mi, pluries dedit iſte meus Phyſicus ſalutarem vobis potionem, quare modò formidatis? *Fredericus* autem oſtendenti cyphum Phyſico dixit, torvo tamen aſpectu, & poſita à tergo cuſtodia, ne evadere poſſent proditores: Propina mihi potum dimidicando. Phyſicus igitur obſtupefactus, & ſibi conſcius de ſcelere, ſimulans offendiculum pedibus lapſum feciſſe, corruit in faciem ſuam, & venenum effudit pro majori parte. Minimam autem, quæ ſupererat partem, damnatis quibuſdam juſſit extractis de carcere dare, & ſtatim miſeras animas exhalarunt. Certificatus igitur de proditione lethifera ſibi præparata, juſſit Phyſicum ſuſpendi, & meritò *Petrum* exoculatum per multas *Italiæ* & *Apuliæ* civitates fecit adduci, ut in propatulo coram omnibus, conceptum facinus confiteretur. Tandem juſſit idem *F.* ut *Piſanis*, qui ipſum *Petrum* inexorabiliter oderant, præſentaretur perimendus. Quod cùm audiret *Petrus*, ne arbitrio hoſtium moreretur, quia, ut dicit *Seneca*: *Arbitrio hoſtis mori, eſt bis mori*: ad columnam, ad quam alligatus fuerat, caput fortiter allidens, ſeipſum excerebravit.

Lamentatio Frederici.

FREDERICUS igitur ad ſe reverſus, cœpit inconſolabiliter dolere & uberrimè atque amariſſimè lachrymari, & exitus aquarum deducebant oculi ejus. Quod erat miſerabile videre in

homine

1249.

homine tantæ autoritatis & ætatis, & lamentando contorquens digitos, ait: Væ mihi, contra quem propria pugnant viſcera: *Petrus* quem petram credideram, & dimidium animæ meæ, mihi mortis inſidias præparavit. Ecce dominus Papa, quem Imperium ſub magnificis anteceſſoribus meis de nullo creavit & ditavit, illud molitur exterminare, & in me ipſius Imperii titubantis rectorem, interitum machinatur. In quem confidam? ubi tutus, ubi lætus eſſe poſſum de cætero? Et condoluerunt circumſedentes amici ejus, uſque ad ſuſpiria & lachrymarum effuſionem. Et abſorduit domini Papæ fama per hoc non mediocriter. Veritatem tamen novit Deus, ſecretorum perſcrutator infallibilis.

Hyemantibus Francis *in* Cypro, *undique victualia ſubministrantur.*

PER idem tempus, cùm Rex *Francorum*, qui in *Cypro* hyemando commorabatur, magnam cibariorum pateretur inopiam, miſit Comitem de *Bar*, virum diſcretum & eloquentem, & dominum de *Beugiu*, militem ſtrenuiſſimum, ad *Venetos*, & alios vicinarum inſularum ac urbium incolas, poſtulans obnixiùs, ut ſibi, qui pro eccleſia univerſali militavit, in cibariis ſaltem venalibus miſericorditer ſubvenirent. Cui *Veneti* favorabiliter, ſex magnas naves frumento & vino & aliis victualium generibus onuſtas, nec non & militare præſidium, & multos cruce ſignatos, liberaliter tranſmiſerunt. Similiter & aliquæ aliæ urbes & inſulæ, à quibus auxilium poſtularat, diverſa ſuffragia præſtiterunt: hoc *Frederico* non tantùm permittente, ſed propitiùs perſuadente. Similiter & ipſe *Fredericus*, ne aliis inferior videretur, maximum eidem victualium diverſorum tranſmiſit adminiculum. Unde Rex affluenter abundans, & grates ei referens, ſcripſit domino Papæ, ut reciperet ipſum *Fredericum* in gratiam ſuam, nec ampliùs tantum eccleſiæ amicum ac benefactorem impugnaret vel diffamaret, per quem ipſe, & totus exercitus *Chriſtianus*, ab imminenti famis diſcrimine reſpiravit. Quod cùm audiſſet *Blanchia* mater Regis magnifica, ipſi *Frederico* cum muneribus impreciabilibus grates perſolvit multiplices, aſſerens ipſum *Fredericum* filii ſui & totius exercitus *Chriſtiani* vitam & honorem conſervaſſe. Scripſit etiam efficaciter domino Papæ, ut rancorem contra *Fredericum* conceptum mitigaret. Sed dominus Papa, omnes tales preces ſpernens, magìs ac magis diatim ipſum *Fredericum* impugnavit, ſed ubique deteriorem calculum reportavit.

Rex Francorum *multos inter ſe diſcordes pacificatur.*

REX interim *Francorum*, ſano ac ſancto fretus conſilio multos Magnates tam in *Cypro*, quàm in aliis *Chriſtianorum* climatibus, diſcordes, & *Templarios* & *Hoſpitalarios* pleniùs pacificavit, ut ſecuriùs nullis poſt terga relictis offendiculis, iter arriperet inchoatum.

Frederici *filius* Henricus *ſcribit Regi* Francorum, *pro Rege* Anglorum.

TEMPORE quoque ſub eodem (domino Rege *Angliæ*, ut creditur, procurante) *Henricus* filius *Frederici*, & Imperatricis *Iſabellæ*, nepos ſcilicet dicti Regis, dominum Regem *Francorum* multis precibus ac muneribus, intermeantibus nunciis ſolennibus, ſollicitavit, quatenus pro ſalvatione animæ ſuæ, & ſub obtentu peregrinationis ſuæ, ſit pius ac juſtus avunculo ſuo domino Regi *Anglorum*, jura ſua ipſum avito jure contingentia poſtulanti concederat; ne peccatum Regis *Franciæ Ludovici* ira traduce, in inſontem filium transfunderetur. Similiter & ipſe *Fredericus* pro eadem cauſa dicitur ipſi Regi *Francorum* ſupplicaſſe, ſed non inſtanter, ne videretur xenia ſua taliter vendidiſſe. Quibus Rex reſpondit: Per ſanctam, qua ſignor, crucem, libenter vellem, ſi conſilium meum permitteret, quia ipſum Regem *Angliæ*, utpote conſanguineum, præcordialiter diligo. Sed grave eſſet mihi in inſtanti peregrinationis meæ articulo, univerſitatem Regni mei, matris meæ, & Magnatum meorum conſiliis repugnando, licet chari ſint interceſſores, perturbare.

Archiepiſcopus Rothomagenſis *venit in* Angliam.

ANNO quoque ſub eodem, circa Paſchalem ſolennitatem, Archiepiſcopus *Rothomagenſis*, quidam videlicet frater de ordine *Minorum*, origine *Francus*, venit in *Angliam*, ut quoſdam redditus ad jus eccleſiæ ſuæ pertinentes, impetrata Regis gratia, revocaret. Quod cùm prudenter impetraverat, facto Regi homagio de ipſis redditibus (erant enim in *Anglia*) remeavit. Et eodem tempore, Epiſcopus de *Tortuſa*, cujus Epiſcopatus eſt in *Syria*, *Anglicus* natione, & frater de ordine *Prædicatorum*, venit in *Angliam* gratia natalis ſoli, & ſi quos haberet parentes viſitandi. Erat enim non procul à *Redingo*, ex humili proſapia oriundus. Hic cùm paternarum domuum nec parentum veſtigia omnia præ vetuſtate & paupertate cognoviſſet, triſtis rediit & inglorius. Hic aſſertione certiſſima Conventui de *Radingo* (ubi in die Inventionis ſanctæ crucis, majorem Miſſam celebrarat) enarravit, quòd reſidui qui in *Terra* fuerant *ſancti Choroſmini*, *Soldano Babyloniæ* prælium ſuſcitante, ſeſe ad invicem, Deo ultore, interfecerant. Supereminentes inſuper *Saracenorum* Principes, qui ſeſe bellis mutuis, propter ſuperbiam *Soldani* prædicti, corroſerant, certificati de adventu domini Regis *Francorum* hoſtili ſuper eos, concordati ſunt & confœderati. Memoratus etiam *Soldanus*, qui omnium Orientalium *Saracenorum* præcipuus, vel de præcipuis eſſe dignoſcitur, dicto Regi ſignificavit, quòd omnes Orientalium Principes *Saraceni* ipſum alacres expectabant, ut bellum conferant cum ipſo campeſtre ac generale, nec ipſius impetum aliquatenus formidare, & alia verba, Ironiam & ſuperbiam ejus exprimentia.

Conventus Magnatum Londini.

AD clauſum verò Paſcha convenerunt Magnates *Angliæ*, prout condictum inter eos priùs fuerat, *Londini*, ut quod Rex ſæpè promiſerat, eiſdem ſaltem tunc adimpleret, videlicet de Cancellario, Juſtitiario, & Theſaurario, per conſilium eorum conſtituendis. Sed cùm omnia ſe certiſſimè crederent recepturos, Comitis *Richardi*, qui eorum omnium ſummus eſſe videtur, abſentia, progreſſum negocii penitus impedivit: ad partes enim *Cornubiæ* ſe ante hæc, quaſi ex induſtria, tranſtulit, tam remotas. Et ſic Magnates deluſi ad propria remearunt.

EISDEMQUE

1249.

Fratres Prædicatores & Minores teloniarii Papæ.

EISDEMQUE temporibus, fratres *Prædicatores* & *Minores*, de præcepto domini Papæ, cui obedienter obtemperabant, inſtanter nimis ac diligenter prædicationibus intendebant: & ad augendam fidelium devotionem, cum magna ſolennitate ad loca, ubi prædicatio eorum priùs indicebatur, accedebant, & advenientibus, multos dies indulgentiæ concedebant. * Occurrebant namque eis ſacerdotes & clerici in veſtibus albis, cum crucibus & vexillis, trahentes ſecum fideles populi non minimam numeroſitatem, ſicut ſolet diebus rogationum. Prædicantes igitur pro negocio crucis, homines cujuſcunque ætatis, ſexus, vel conditionis, vel valoris, imò etiam valetudinarios vel valetudinarias, & ægrotantes & ſenio deficientes cruce ſignaverunt: & in craſtino & etiam incontinenti pro quantocunque precio crucem à cruce ſignatis deponentes & reacipientes, quemlibet à voto ſuæ peregrinationis abſolvebant. Quod videbatur multis inconveniens & abſurdum, quia non poſt multos dies conſequentes, Magiſtro *Berardo* clerico & *Italico* vindemiante, Comes *Richardus* in ærario ſuo omnia coacervavit. Unde non minimum ſcandalum in eccleſia Dei & univerſo populo eſt exortum, & tepuit fidelium devotio manifeſtè.

Obiit Archiepiſcopus Maguntinus.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, obiit Archiepiſcopus *Maguntinus*, magnus *Frederici* adverſarius. Sed ne de ejus morte diu gauderet, dominus Papa tradidit ipſum Archiepiſcopatum cuſtodiæ, dominationi & ordinationi Archiepiſcopi *Colonienſis*, quia conſtanter militavit pro eccleſia contra *Fredericum* & filium ejus *Conradum*. Poſteà dominus Papa quandam nobiliſſimam Abbatiam vacantem tradidit in manus ejuſdem Archiepiſcopi *Colonienſis*, qua non eſt ditior vel nobilior Abbatia, ut dicitur, in mundo, dicitur autem *Wolſa*. Hæc mille milites novo Imperatori cuilibet, poſtquàm apud *Aquiſgranum* coronatus eſt, tenetur ab antiquo invenire. Has igitur nobiles eccleſias viduatas adeò depauperavit memoratus Archiepiſcopus *Colonienſis*, in ſtipendiis ſuorum militum omnia pendens, quòd diſperſis Monachis & clericis, vix habebant pauci, qui reſidui remanſerant ſacerdotes, unde vitam exilem ſuſtentarent. Quicquid in eis precioſum fuerat in auro, argento, gemmis, & veſtibus precioſis, & omnibus opulentis redditibus, diripuit & abraſit. Sed quem finem talis rapina ſortita eſt, ſequens ſermo declarabit. Obtinuit inſuper idem armipotens & belliger Archiepiſcopus, privilegium à domino Papa, à toto Archiepiſcopatu ſuo ad prælia ſua ſuſtinenda, pecuniam extorquendi infinitam à pauperibus, quorum clamor querulus ad cœlum creditur aſcendiſſe.

Enſius, *ſive* Henſius, Frederici *filius*, Parmenſibus *inſidiatur*.

SUB eiſdem quoque temporibus, *Parmenſes*, ad quorum conſolationem & ſuſtentationem contra *Fredericum* dominus Papa multam tranſmiſerat cum militari præſidio pecuniam, dum ad quoddam caſtellum, quod non longè à civitate ad ſui tuitionem conſtruxerant, ducentos milites ad ejus defenſionem mitterent, *Enſius* Rex *Sardiniæ*, filius ſcilicet *Frederici*, inde ſecretiùs præmonitus, paratis inſidiis incautos omnes occupavit. Quos cùm vellet in conſpectu civium ſuſpendere, ſignificaverunt ei cives, quòd ſi ipſos ſuſpenderet, ipſi quos detinebant captivos de exercitu *Frederici*, illicò talionem rependentes, patibulis præſentarent: & ſic captivis pepercit *Enſius*, ipſos redimendos & alternandos pro tempore reſervando. Quod cùm audiſſet dominus Papa, pecuniam ſuam ipſis civibus miſſam fructu penitus caruiſſe, inconſolabiliter doluit.

Inaudita pluviarum inundatio.

MENSE autem Junii intrante, tanta pluviarum inundatio effuſa eſt circa partes maximè *Abenduniæ*, quòd ſalices & alias arbores & domos fluviis & torrentibus vicinas, imò etiam caulas cum ovibus, & ſalinas ac molendina cum pontibus, & unam capellam, non procul ab *Abendunia* conſtructam, aſportavit. Segetes quoque virentes, & ſpicas pubeſcentes, & jam florentes, ſolo tenus complanavit, unde panis inde poſteà potiùs furfureus, quàm triticeus fieri videbatur.

Secunda tranſlatio corporis S. Edmundi *Archiepiſc. & Conf.*

ANNO quoque ſub eodem, fabricato elegantiſſimè ex auro & argento, inſertis gemmis, & cryſtalinis interclauſuris adaptatis, feretro, iteratò tranſlatum eſt venerabile corpus incorruptum beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi *Pontiniaci*. Et in eodem locello, præſente Prælatorum & Magnatum numeroſa multitudine, ad honorem Dei & univerſalis eccleſiæ, & ſpecialiter Regnorum *Francorum* & *Anglorum*, venerabile corpus Deo ſervante adhuc in integrum & illibatum, collocatum eſt veneranter, eodem die quo & fuit de terra elevatum, videlicet quinto Idus Junii. Qui eſt dies ſanctorum *Primi* & *Fæliciani*.

Multi Angl. *Nobiles cruce ſignati* Hieruſalem *proficiſcuntur.*

TEMPORE quoque ſub eodem, multi nobiles de Regno *Anglorum*, videlicet *Willielmus* de *Longa ſpata*, *Robertus* de *Vaer*, ſignifer ejus, & multi alii Nobiles, ita ut ad ducentorum equitum numerum congregati recenſiti ſunt, ad iter *Hieroſolymitanum* parabantur. *Willielmus* igitur cum licentia & benedictione matris ſuæ nobilis, ac ſanctæ Abbatiſſæ de *Acoc*, dux omnium cruce ſignatorum de Regno *Angliæ*, menſe Julio profectus, ſine moræ diſpendio, exercitui *Francorum* ſanus & incolumis eſt adjunctus. *Chriſtianiſſimus* autem Rex *Francorum* ſuſcepit ipſum & ſuos veneranter, & cum ſuis ſpecialibus annumeravit, gratias agens eis, quòd ei venerant in ſuccurſum. Supplicavitque ſuis omnibus devotiſſimè, ne ſolita *Francorum* ſuperbia & invidia diſcordiam inter ipſos & *Anglos*, prout auditum eſt in tempore Regis *Anglorum Richardi*, ſuſcitaret. Sed Diabolo, qui hominum ſucceſſibus ab antiquo ſolet invidere, inſtigante, cùm vidiſſent poſteà *Franci Anglos* præeminere, & in multis adquiſitionibus rerum & famæ proficere, invidebant & obloquebantur, conſuetas Ironias cum cachinnis & blaſphemalibus juramentis ebullientes. Secundùm illud Poëticum:

Omniſq;

Omniſque poteſtas, impatiens conſortis erit.
Similiter quoque dici poteſt:
Omniſque ſuperbus, impatiens conſortis erit.

Quinimò, inter ipſos *Francos* mutuam invidiam & odium ſuperbia ſuſcitavit, per quod Dominus eorum progreſſum minimè, prout in poſterum plenius dicetur, acceptavit.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, Comes *Legreceſtriæ Simon* de *Monte forti*: inimicos domini Regis in *Gaſconia* expugnaturus, mutato vel protelato voto ſuæ peregrinationis (cruce enim ſignabatur) transfretavit. Multóque ſecum militari præſidio & theſauro Regio, ibidem potenter applicuit, & hoſtes domini Regis, contra quem calcaneum ſeditioſè levabant, potentiùs expugnavit. Et *Guaſtonem, Ruſteinum,* ac *Willielmum* de *Solariis,* & *Burdegalenſium* omnes eminentiores, ita edomuit, & viriliter ſe habuit & fideliter, ut omnium domini Regis amicorum laudem promeretur & favorem, & per omnia patriſſare diceretur.

Gaſcones *edomantur per Comitem* Legreceſtriæ.

EODEMQUE anno, menſe ſcilicet Maio, *Enſius* filius *Frederici* naturalis, Rex *Sardiniæ*, dum comitantibus *Cremonenſibus* & *Reginenſibus* iter faceret circa partes *Bononiæ* vicinas, ut hoſtes ſuos damnificaret, *Bonnonienſes* præmoniti, paratis occultis inſidiis, ſubitum impetum fecerunt in ipſum incautè procedentem ad pontem ſancti *Ambroſii*, qui eſt in medio itinere inter *Bononiam* & *Cremonam*. Et facto congreſſu acerrimo, fit cædes non minima, & victa eſt pars *Enſii*, & captus eſt ipſe *Enſius*, & cum ipſo potiores familiæ ſuæ circiter ducenti milites, & quamplures *Cremonenſium* & *Reginenſium*, & populus bellatorum numeroſus, & tracti ſunt *Bononiam* incarcerandi. Et cùm ad arbitrium hoſtium ſuorum, crudeliter nimis & inhumanè tractarentur, dederunt captivi *Bononienſibus*, ut mitiùs tenerentur, vinculis aliquantulum relaxatis, octodecim millia librarum, de moneta Imperialium, quæ tantum ferè valet, quantum eſterlingorum.

Enſius *proditur à* Bononienſibus *capitur*.

EODEMQUE tempore mortuus eſt quidam alius *Frederici* filius naturalis in *Apulia*. Ipſemet etiam *Fredericus* percuſſus eſt morbo, qui dicitur Lupus, vel Sacer ignis, unde tot oppreſſus adverſitatibus, inconſolabiliter doluit. Unde humiliatus, ſecundùm illud *Davidicum*: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine*: obtulit honeſtam pacis formam domino Papæ. Sed Papa lætificatus de adverſitatibus ſuis, noluit quæ obtulit acceptare: unde multorum incurrit indignationem & rancorem Nobilium, qui cœperunt ipſum *Fredericum* conſolari, & eidem adhærere, & ſuperbiam ſervi ſervorum Dei deteſtari.

Mortuo alio Filio, Fredericus *infirmatur.*

SUB eorum quoque dierum curriculo, *Petrus Caboche*, clericus domini Papæ, & amicus præpotens, miſſus eſt à domino Papa in *Apuliam* Legatus, magna armatus potentia ad remittenda peccata, ut ipſum *Fredericum* contereret & *Fredericales*: & multiplicatis viribus, quas undiq; data pecunia, & conceſſa plena peccatorum indulgentia, collegerat, eundem *Fredericum* damnificavit, & multos Nobiles ab ejuſdem *Frederici* imperio revocavit.

Petrus Caboche *Legatus in* Apuliam *miſſus*.

TEMPORIBUS etiam ſub eiſdem *Ciſtercienſes* Monachi, ne ampliùs forent contemptui fratribus *Prædicatoribus* & *Minoribus* & ſæcularibus literatis, præcipuè Legiſtis & Decretis, novum impetrarunt privilegium. Et ad hoc nobiles ſibi *Pariſiis* & alibi, ubi Scholæ viguerunt, paraverunt manſiones, ut Scholas exercendo, in Theologia, Decretis, & Legibus ſtuderent liberiùs, ne viderentur aliis inferiores. Mundus enim jam inſuperbiam elatus, religionem clauſtralium contemnit, & religioſos bonis ſuis contendit ſpoliare. Et ſic propter mundi nequitias, rigor ordinis Monaſtici in parte eſt enervatus. Non enim legimus hoc à regula beati *Benedicti*, qui ſpiritu omnium ſanctorum, teſte ſancto *Gregorio*, dicitur extitiſſe, aliquatenus emanaſſe. Quinimò de ipſo legimus & cantamus, quòd relictis literarum ſtudiis, deſerta petere decreviſſet.

Monachi Ciſtercienſes *Scholas exercent Univerſitatum.*

DIE verò omnium Sanctorum, cum magno honore, imò faſtigioſè nimis, intronizatus eſt *Bonifacius Cantuarienſis* Archiepiſcopus, convocatis ad tantam ſolennitatem Rege & Regina, & omnibus ferè Angliæ Prælatis. Et dum dominus Rex illuc properaret, ſequentibus eum ſuis familiaribus, *Johannes Manſel*, ſpecialis ejus conſiliarius, apud *Mandeneſtan* graviter eſt infirmatus, veneno, ut dicebatur, infectus; unde per duos dies languidus, vix à portis mortis diligentia Medicorum eſt ereptus.

Intronizatur Archiepiſcopus Cantuarienſis Bonifacius.

ET temporibus ſub eiſdem, increbuerunt rumores, neſcimus tamen ſi veri, quamvis ſuper hoc Regi epiſtolæ elegantes mitterentur de converſione Regis *Tartarorum* ad fidem *Chriſtianam*. Quas, inquam, epiſtolas, in *libro Additamentorum* diligens perſcrutator poterit reperire.

Rumor incertus

TUNC quoque temporis, rediit à curia *Romana* Epiſcopus *Norwicenſis Walterus*, qui, ut dicebatur, privilegium adquiſierat infame, de pecunia ex Epiſcopatu ſuo extorquenda.

Redit à curia Romana *Epiſc.* Norwicenſis.

ET circa feſtum ſancti Michaelis, & deinceps, increbuerunt jocundiſſimi rumores per omnium Occidentalium climata, & qui primus ipſos in Angliam detulit, fuit Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius*, qui in feſto ſancti *Matthei* applicuit: quòd videlicet Chriſtianiſſimus Rex *Francorum Damiatam*, occupato potenter litore, & victis ac repulſis *Saracenis*, occupaverat. Et ut ſuper hoc firmiùs certificemur, dominus Rex *Anglorum* hanc ſuſcepit epiſtolam, quæ in *libro Additamentorum* poterit reperiri

Capta Damiata, *ut fertur.*

1249.

Conventus fratrum Nigri *ordinis.*

CIRCA idem quoque tempus, convenerunt Abbates *Nigri ordinis*, vel eorum procuratores apud *Bermundeſheie*, die ſancti *Calixti*. De communi igitur conſilio proviſum eſt, Deo inſpirante, talis reformatio, qualis habetur in *libro Additamentorum*. Unum tamen memoria dignum, quod inter ipſa ſtatuta minimè continetur, non arbitror prætereundum, quòd videlicet dominus Rex ab ipſis omnibus, licèt ad hoc nullam invenerit ſuſtentationem, impetravit, ut pro ipſo & Regina dicatur quotidie in Miſſa, quæ quotidie in veneratione beatæ Virginis canitur in eorum eccleſiis, collecta celebriter, videlicet: *Deus, in cujus manu corda ſunt Regum.*

Petra veſtigium hominis referens.

EODEMQUE tempore, fratres *Prædicatores* attulerunt quandam petram albi marmoris, quæ à tempore *Chriſti* in *Terra ſancta* veſtigium impreſſum Salvatoris protendebat. Quod quaſi in molli cera factum humani pedis, ſed dimidii formam, manifeſtè demonſtrat. Ipſam autem formam vel impreſſionem, aſſerunt incolæ *Terræ ſanctæ* fuiſſe *Chriſti* veſtigium in cœlum aſcenſuri, cùm diſcipulis ſuis vale faceret, ut per tale ſignum memoriam diſcipulis ſui perpetuaret, quem ultimò ibidem intuebantur, non viſuri amplius, donec veniret mundum judicaturus. Taliter etiam dicitur *Chriſtus* ipſam impreſſionem faciei ſuæ, quæ *Veronica*, dicitur feciſſe, ut videlicet ſui memoria haberetur in terris. Dominus autem Rex, illud eccleſiæ contulit *Weſtmonaſterienſi*, ſicut nuper ſanguinem *Chriſti*, nobile donativum.

Partus præter naturales.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, quidam homuncio, non nanus, quia membra habens proportionalia, habens octodecim annos ætatis inventus eſt in Inſula *Vectæ*, veluti non plus incrementi ſuſcepturus, ſtaturam habens vix tripedalem, nomine *Johannes*. Quem quia monſtrum fuit naturæ, pro admiratione intuentium Regina ſecum circumduci præcepit.

Eodémque tempore, quidam incuba Dæmone, ut fertur, generatus, in confinio *Walliæ*, in terra ſcilicet Comitis *Herefordiæ*, infra dimidium annum plenè dentatus, ad ſtaturam aſcendit adoleſcentis ſeptemdecim circiter annos habentis. Cujus mater poſt partum languore correpta, protinus emarcuit, & miſerabiliter eſt exanimata. Uterq; iſtorum naturæ prodigium fuit, iſte quantitatem hominis naturalem excedens, alter autem non attingens.

Haſtiludium apud Brackele *commiſſum.*

IPSO quoque tempore, Haſtiludium commiſſum eſt apud *Brackele*, ubi multi de militibus univerſitatis Regni, qui ſe volunt Bachelarios appellari, ſunt contriti. In ipſo etiam torneamento Comes *Gloverniæ Richardus*, qui ſe alienigenis ſemper opponere, & partem fovere indigenarum conſueverat, ipſis alienis conjunctus eſt, in enormem ſuæ famæ læſionem & honoris. Per hoc enim pars *Anglorum* eſt confuſa. In illo igitur conflictu cum prevaluiſſet *Willielmus* de *Valentia*, frater domini Regis, juvante dicto Comite, male tractavit *Willielmum* de *Odingeſſeles*, militem ſtrenuum, qui Bachelariis annumerabatur.

Walterus de Kirkeham *conſecratur in Epiſc.* Dunelmenſem.

PRIMA autem Dominica adventus domini *Walterus* de *Kirkeham*, electus *Dunelmenſis* conſecratus eſt apud *Eboracum*, ab Archiepiſcopo *Eboracenſi Waltero*. Cujus idem Epiſcopus dignoſcitur eſſe ſuffraganeus.

Diſcordia inter Abbatem Weſtmonaſterienſem *& ejus Conventum.*

TEMPORE ſub eodem, orta eſt diſſenſio inter Abbatem *Weſtmonaſterienſem*, & ejus Conventum, in totius *ordinis Nigri* ſcandalum & opprobrium. Cujus cauſa & ſeries in *libro Additamentorum* pleniùs annotatur. Tandem tamen procurante domino Rege, qui ſpecialis amator illius cœnobii eſſe dignoſcitur, pax inter ipſos & concordia, qualis qualis, eſt reformata.

Alia diſcordia inter Abbatem de Burgo *& ejus Conventum.*

AD ejuſdem quoque ſcandali augmentationem, ipſo eodem tempore orta eſt diſſenſio inter Abbatem de *Burgo Willielmum*, & ejuſdem loci Conventum. De dilapidatione namque & conſanguineorum ſuorum, quorum multitudine ſupra modum circundabatur, ditatione, in enorme eccleſiæ ſuæ damnum correptus, errorem non correxit. Unde Conventus contriſtatus, Epiſcopum ſuum *Lincolnienſem*, ad vindictam errantium ſemper pronum & paratum, advocans, conqueſtus eſt graviter ſuper exceſſibus ſui Abbatis prænotatis. Ipſe igitur convictus, cùm ſui depoſitio immineret, Abbatis officium cum dignitate in manus Epiſcopi quaſi ſponte cedens, reſignavit. Et aſſignata ei quædam portio Abbatiæ, ſcilicet unum manerium, unde honeſtiùs, & honorabiliùs licèt id non promeruiſſet, tanquam heremita, & ſub pœnitentia vitam duceret conſequuturum Regales autem illuc ſtatim à domino Rege miſſi, emolumentis inhiantes, redditibus Abbatiæ avidè inhiantes, rapinis & exterminio domus illius intenderunt. Iraſcebatur quoque Rex vehementer, volens occaſionem habere contra domum ipſam quia dictum fuit ei, quòd quia domino Regi ſavorabilis & munificus fuerat, perſequabantur ipſum Abbatum ſuum Monachi, & accuſaverant.

I. *de* Cadamo *electus Abbas de* Burgo.

CONVENTUS igitur, ut domini Regis confiſcantis omnia, declinarent indignationem, *Johannem* de *Cadamo*, Priorem eccleſiæ ſancti *Suithuni*, *Wintonienſem*, ipſo Rege ſic volente & imperante (licèt de domo alia, & natione alienum, videlicet *Normannum*) ſibi in Abbatem vellent nollent, elegerunt.

Robertus Paſſeleve *vitat curiam.*

FERIA verò quinta ante feſtum beatæ *Luciæ*, *Robertus Paſſeleve*, de quo multa in hoc volumine præſcribuntur, curiæ volumina deteſtans, ad frugem melioris vitæ convolavit, & ad gradum promotus eſt Sacerdotii. Propter quod dominus Epiſcopus *Elienſis*, ipſi *Roberto* bonam eccleſiam de *Derham*, quæ fuerat *Jeremiæ* domini Regis clerici nuper defuncti, contulit. Sed dominus Rex ipſum Epiſcopum conferentem, & ipſum *Robertum* recipientem odio maximo perſequebatur, quia Epiſcopus memoratus illam eccleſiam *Ethelmaro* fratri domini Regis gratis non contulerat.

ANNO

1250.

Comes Rogerus Bigod capi jubet Comitem de Giſnes.

ANNO quoque ſub eodem, cùm Comes de *Giſnes* tranſitum per *Angliam* aditurus Regem feciſſet, Comes *Rogerus Bigod* hoc audiens, eum capi præcepit. Quod cùm Comiti de *Giſnes* innotuiſſet, Regi gravem ſuper hoc repoſuit querimoniam. Vocatus igitur Comes *Rogerus*, in propatulo ſic reſpondit: Domine mi Rex, cùm nuncius veſtri & totius Regni extitiſſem, ad concilium *Lugdunenſe* deſtinatus, & per terram domini Comitis de *Giſnes* pacificus, & in expenſis minoratus tranſitum feciſſem, credidi pro certo me aliquid honoris & conſolationis, ob veſtri reverentiam, & pro multis bonis multoties à nobis eidem collatis, civiliter ſuſcepturum: ſed multò diſſimiliter fecit, equos enim meos & homines, in meum dedecus & damnum, imò potiùs veſtrum, violenter fecit reſtare, donec paagium, neſcio ob quam rem aut cauſam, quantum placuit mancipiis ſuis, extorſiſſet, nec mihi ob civilitatem, nec vobis pepercit ob reverentiam. Cùm igitur idem Comes in partes veniſſet ciſmarinas, tranſiens per terram meam, meritò recepit talionem. Teneo enim terram meam tam liberè à vobis, Domine mi Rex, ut ipſe ſuam à domino ſuo Rege *Francorum*, & ſum Comes ut ipſe: & unde hæc illi talis violenta prædatio, ut tranſeuntibus vendat vias & aëra? Comes autem de *Giſnes* hoc audiens erubeſcens obmutuit, nec poterat rationabiliter ad objecta reſpondere. Hæc autem cùm ad notitiam piiſſimi Regis *Francorum* perveniſſent (contigit autem hoc citò poſt concilium) dato Comiti de *Giſnes* redditu, ne jacturam incurreret, prædictum paagium tam probroſum quàm injurioſum juſſit temperari.

Dedicatio Eccleſiæ de Bello loco.

EODEMQUE anno, Abbas de *Bello loco*, eccleſiam ſuam, quam videlicet Rex *Johannes* à fundamentis conſtruxerat, præſentibus ipſo Rege *Henrico* filio dicti Regis *J.* & Comite *Richardo* fratre ſuo, & multis aliis Magnatibus, necnon & Prælatis, ſolenniter valde fecit dedicari. In qua ſolennitate, quingentas marcas & ampliùs expendit, nec tamen idcirco illi aliquatenus pepercit Rex, quin maximum cenſum ſolveret illi pro tranſgreſſione, quam dicebatur Regi feciſſe in occupatione foreſtæ. Abbas inſuper memoratus, viginti monachos electos & tredecim fratres, in magnum domus ſuæ damnum, tranſmiſit ad inhabitandum novam domum *Ciſtercienſis* ordinis quam Comes *Richardus* non procul à *Winchecumbe* nuper fundaverat, votum, quod in mari fecerat, complendo.

Rumores de converſione Regis Tartarorum.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, increbuerunt rumores jocundiſſimi; Quòd videlicet potentiſſimus *Tartarorum* Rex, prædicante & diligenter perſuadente *Petro Nigri ordinis* Monacho *Indo* (de quo in epiſtolis de *Tartaris* multa præſcribuntur) converſus eſt ad *Chriſtianam* fidem & baptizatus, propter munditiam, honeſtatem, & omnimodam ſanctitatem, quæ in ipſa prædicatur & edocetur. Tranſmiſit etiam verba conſolatoria & amicabilia, domino Regi *Francorum* apud *Damiatam* commoranti, animans eum ac perſuadens, ut & ipſe à *Saracenorum* ſpurcitiis terram orientalem expurgando potenter & confidenter expugnaret, juvamen quoque ſpopondit efficax & feſtinum, utpote fidelis Catholicus & tyro *Chriſti* baptizatus. Epiſtola ſuper his omnibus tranſlata de *Arabico* in *Latinum* & *Gallicum*, domino Regi tranſmiſſa, in *libro Additamentorum* pleniùs annotatur. Dominus autem Rex *Francorum* de amplificatione fidei *Chriſtianæ* lætificatus, tranſmiſit ei capellam ſuam precioſiſſimam cum reliquiis chariſſimis, & quoſdam *Prædicatores* & *Minores*, ad ipſius pleniorem informationem. Item tempore ſub eodem, alii rumores umbratiles & ficti ad conſolandum *Chriſtianos* (& fortè ad animandum cruce ſignatos, ut transfretantes Regem *Francorum* ſequerentur) ciſmarinorum regna pervolarunt. Horum principalis ſeminator fuit Epiſcopus *Maſſilienſis*, ſimiliter & quidam *Templarii* præclari, unde magis credebantur fabulæ ſcriptis ſub ſigillis commendatæ, ſed quando rei veritas innotuit, magis & anxiùs ſauciabant. Veruntamen tantum veritatis claruit, quòd Saraceni & eorum Principes, poſt captionem *Damiatæ* ſtupefacti, obtulerunt *Chriſtianis* quicquid terræ unquam *Chriſtianorum* extitit & ampliùs, dummodò *Damiatam*, & quæ jam ceperant, cum indemnitate reſtituerent. Sed ſuperbia Comitis *Atrebatenſis* non eſt hoc permiſſa, nec humiliatis *Saracenis* adquievit, niſi *Damiatam* valerent *Chriſtiani* habere, & quietè retinere, & inſuper *Alexandriam* recipere: ſed huic gravi pacis conditioni *Saraceni* minimè adquieverunt, unde credimus Dominum fuiſſe offenſum. Non enim debuerunt *Chriſtiani* alia intentione transfretaſſe, niſi ut *Chriſti* adquirerent hæreditatem. *Saraceni* igitur ad invicem colloquentes, dicebant: Sinite modò, ſinite. Superbia & avaritia, quas *Chriſtus Jeſus* Deus eorum maximè odit, ipſos omnes exterminabit. Quod veraciter evenit, ſicut ſequens ſermo plenius elucidabit.

Mors dolenda Regis Scotorum.

SUB ejuſdem anni circulo, quinto Nonas Julii. obiit *Alexander* Rex *Scotorum*, vir ſapiens & modeſtus, qui cùm multis annis regnaſſet, videlicet juſtè, fœliciter, & in pace, ultimis diebus ſuis avaritia ſtimulante, à tramite juſtitiæ dicitur exorbitaſſe. Iram enim voluntariam, quærens ſæviendi occaſionem, exacuit in quendam de Nobilioribus Regni ſui, nomine *Oenum* de *Argethel*, militem ſtrenuum & elegantiſſimum. Et dum proponeret ipſum exhæredare, impoſuit ei notam proditionis, quia anno proximo præterito homagium fecerat Regi *Norwegiæ*, pro tenemento ejuſdem inſulæ, quam pater ejuſdem *Oeni* ab eodem Rege tenuerat, & pro homagio ſuo in pace multis annis poſſederat. Inſula illa inter *Orcadem* & *Scotiam* ſita eſt. *Oenus* igitur timens Regis minas *Scotorum* domini ſui, ſignificavit ei, quòd tam *Scotorum* quàm *Norwegienſium* Regi debitum ſervitium perſolveret integrè. Sed cùm Rex *Scotorum* adhuc iratus reſpondiſſet, quòd *nemo poſſet duobus Dominis ſervire*, & reſponſum reacceperat, quòd imò bene poſſet quis duo-

 bus

1250. bus Dominis famulari, dummodò non eſſent Domini ſibi adverſantes, paravit Rex exercitum, ut ipſum hoſtiliter invaderet. *Oenus* igitur nolens offendere dominum Regem *Scotiæ*, ſupplicavit ei, ut concederentur ei induciæ, ut homagium ſuum ſimul cum inſula memorata Regi *Norwegiæ* reſignaret. Quod cùm Rex *Scotorum* ei denegaſſet, patuit Regis protervitas, unde offenſam incurrit Dei & ſancti *Columkille*, quæ in partibus illis jacet & honoratur, & multorum nobilium. Rex igitur ipſum *Oenum* uſque propè *Argethel* diffiduciatum, navigando hoſtiliter inſequebatur, ſtimulatus, ut dicitur importunis inſtigationibus cujuſdam minus diſcreti Epiſcopi de *Strathuna*, fratris videlicet de ordine *Prædicatorum*. Rex igitur antequam exiens de navi, equum valeret aſcendere, quaſi ultione, morbo ſubito & lethali percuſſus eſt. Et volens innocentem exhæredare, inter manus Magnatum ſuorum ex improviſo cum ipſa ambitione vitæ ſpiritum exhalavit.

Obitus Hugonis de Brun, Comitis Marchiæ.

ANNO quoque ſub eodem, *Hugo* cognomento *Brun*, Comes de *Marchia*, cùm Rex *Francorum* apud *Damiatam* applicuiſſet, rebus humanis eſt exemptus. Qui idcirco minùs meruit deplorari, quia privigno ſuo Regi *Anglorum*, in ipſum confidenti, proditionis laqueos in *Pictavia* præparavit, dum ipſum, quem vocarat, Regi *Francorum* vendidit fraudulenter. Piè tamen credendum eſt, quòd ipſum flagitium & alia omnia peccata in ipſa peregrinatione ſua prudenter expiaret.

Comes ſancti Egidii, ſive Tholoſanus moritur.

EADEM quoque in æſtate declinante, inclinata & infirmata eſt non mediocriter pars Papalis, & ſors incœpta in conflicto inito contra *Fredericum*. Præter enim hoc, *Willielmus* de *Hollandia*, qui vivente domino Papa ad dignitatem Regni *Alemanniæ* aſcenderat, prævalente *Conrado* filio dicti *Frederici*, victus retroceſſerat, & retrocedens latuerat. Comes *ſancti Egidii*, ſive *Tholoſanus*, *Remundus*, miles ſtrenuus & circumſpectus, & domino Papæ amiciſſimus graviter & ad mortem infirmatus, theſaurum ab ipſo Papa ſibi commiſſum, ad expugnandum hoſtes eccleſiæ & præcipuè Comitem *Sabaudiæ*, remiſit. Aſſerens ſe gravi & lethali infirmitate prægravatum, ſolam mortem expectare, & ſolum ſupereſſe ſepulchrum. Condito igitur ſuo magnificè teſtamento, corpus ſuum ad domum ſanctimonialium *ſancti Ebraudi*, juxta pedes Regis *Richardi*, cujus conſanguineus erat, juſſit ſepeliri: & cum corpore ſuo, quinque millia librarum argenti domui illi delegavit.

Moritur Petrus de Geneure.

OBIIT inſuper eodem anno *Petrus* de *Geneure*, natione *Provincialis*, & domino Regi, licèt humili proſapia oriundus, amiciſſimus. Quod & ipſe Rex opere comprobavit. Contulerat enim eidem *P.* nobilem puellam *Matildam*, elegantem filiam *Walteri* de *Laſci*, in *Hybernia*, cum univerſa hæreditate & honore ipſam contingente, filium verò & filiam ex ipſa ſuſceperat.

Obiit magiſter Simon Normannus.

ANNO quoque ſub eodem, obiit magiſter *Simon Normannus*, præcipuus quondam domini Regis Conſiliarius, & Regii bajulus & magiſter ſigilli. Qui quamvis ſuperbus fuiſſet, tamen in fine pro honeſta quàm fovit cauſa, Regis indignationem incurrit: voluit enim dominus Rex quandam chartam contra coronam ſuam confectam, Comiti *Flandriæ Thomæ* concedere, in enormem Regni *Angliæ* læſionem & conferre. Sed ipſam noluit dictus *Symon*, quomodolibet conſignare. In hoc commendabilis & fidelis. In quo facto, omnes alii impetus ejus fuerant excuſabiles.

Obiit Will. de Dunelmo.

OBIIT etiam eodem anno Magiſter *Will.* de *Dunelmò* apud *Rothomagum*, rediens à *Romana* curia, literatus eminentiſſimè & abundans multis redditibus, ſed amplioribus inhiabat. Hic cum rector fuiſſet nobilis eccleſiæ de *Weremue*, non procul à mari ſitæ, ſtatim eo mortuo Rex efficaciter procuravit, ut eadem eccleſia fratri ſuo *Ethelmaro* ſine aliqua daretur percunctatione. Qui dico *Ethelmarus*, propter affluentiam reddituum, & præcipuè in partibus Borealibus, ſuum conſtituit Seneſcallum *Martinum* de *ſancta cruce*, clericum, virum prudentiſſimum.

Roberti *obitus filii* Johannis.

ET ſub ejuſdem anni circulo circa Pentecoſtem, obiit quidam de Nobilioribus Baronibus Borealibus, *Rogerus* filius *Johannis*, puerum parvulum relinquens hæredem. Cujus cuſtodiam ilicò Rex contulit *Williel.* de *Valentia* fratri ſuo. Mater autem parvuli ipſam cuſtodiam emere deſideravit, pro mille & ducentis Marcis. Nomen matri, *Ada* de *Bailloil*, nomen verò parvuli *N.* extiterat.

Obitus multorum Nobilium Francorum.

IN inſula verò *Cypri*, dum ibidem Rex *Franc.* hyemaverat, migraverunt ad Dominum cruce ſignati *Franci* viri præclari, quos longum numerare, & hiſtoriæ *Anglorum* impertinens: & multi in itinere, tam per terram quàm per mare. Obiit tamen vir præclarus, Epiſc. *Noviomenſis*, Comes *Palatinus*, & unus de xii. Paribus *Franciæ*, in navi non procul à *Cypro*. Obiit etiam in itinere apud *Avinionem*, jactu contritus lapidis à *mangonello* miſſi, in certamine quod habuit R. *Franc.* ibidem, *Hugo* de *Chaſtellione*, Comes *ſancti Pauli* & de *Bles*, ante tranſitum Regis *Francorum*, in triſte præſagium negocii crucis proſequendi. Non enim ipſo fuit nobilior in toto exercitu *Francorum*, vel in armis potentior. Quinquaginta enim vexilliferos milites in bello prælectos, habuit in comitatu ſuo, quibus præerat: quo igitur mortuo, omnes diſperſi ſunt & deſolati. Hic quoque comes *Hugo*, navem mirabilem paraverat in regno *Scotiæ* in *Ilnernes*, ſ. in *Muref.* In qua tranſfretari cum *Bolonienſibus* & *Flandrenſibus*, & cum illis qui vulgariter de *Avalteris* dicuntur, poſſet audacter. Sed hæc omnia dum ordiretur, veluti tela à texente, ſucciſa ſunt. Obiit etiam in *Cypro Johan.* de *Duris* juvenis, in re militari ſtrenuiſſimus, & flos totius generis, licèt ſanguine clariſſimus, in funeſtum & lamentabile prognoſticum futurorum. Obierunt inſuper utriuſq;

ſexus

1250.

texus nobiles, qui præ mutationibus cibariorum & aeris, quas ſolet natura abhorrere, ægrotantes, ad cœleſtia regna tanquam Martyres avolarunt: Quorum memoriam præſenti libro duximus annotandam, quòd pro univerſalis Eccleſiæ promotione & crucis negotio, vitam fœlicem terminarunt.

Rex Wintoniæ natalitia celebrat.

ANNO domini M.CCL. qui eſt annus domini Regis *Henrici* tertii xxxiiii. fuit idem dominus Rex apud *Wintoniam* ad natale Domini. Ubi feſta natalitia, ut moris eſt, magnifice celebravit. Et in craſtino cum ipſius civitatis Epiſcopo *Willielmo*, magnus conviva & jam aſſuetus prandebat, volens ipſum Epiſcopum honore præſentiæ ſuæ civiliter ſerenare. Deinde verſùs *Londinum* iter feſtinus maturavit, ubi feſtum S. *Edvardi* ſolemniter conſummavit, convocatis Archiepiſcopo *Cantuarienſi Bonifacio*, qui ibidem Miſſam celebravit, & vii. Epiſcopis, & Magnatibus Regni quam plurimis.

Comitiſſa Cornubiæ parit filium.

EODEMQUE tempore, infra videlicet dies natalitios, Comitiſſa *Cornubiæ Cincia*, uxor Comitis *Richardi*, peperit ei filium apud *Berkammeſtude*. Ad quem baptizandum, Comes vocavit Archiepiſcopum *Cantuarienſem* infantis avunculum, & vocatum eſt nomen ejus *Edmundus*, ob honorem beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi & Confeſſoris.

Obiit conſiliarius Regis Jeremias.

ET infra eoſdem dies, obiit domini Regis clericus & conſiliarius ſpecialis *Jeremias* de *Caxtona*, Cujus bonam eccleſiam ſuam, Epiſcopus *Elyenſis* ilicò contulit *Roberto Paſſeleve*, ſperans ipſum ſanctum fore poſt diutinam vitam ſterilem, ſacerdotem.

Graviter mulctatur Walterus de Clifford.

EODEMQUE verò tempore, *Walterus* de *Clifford* inter Barones Marchiæ *Wallenſium*, poteſtate, divitiis, & libertatibus non ultimus, accuſatus coram domino Rege graviter, eò quòd nuncium ipſius Regis, literas ei Regias deferentem, violenter ac indecenter in domini Regis contemptum tractaverat, & Regias literas cum ipſa cera comedere coegerat. Unde ipſe *Walterus* coram Rege convictus, non auſus ſubire judicium, ſed miſericordiæ domini Regis ſe ſupponens, mortem vel exhæredationem vix evaſit, libertatem verò ſuam amiſit, & quantum habuit vel habere potuit pecuniæ, ſcilicet mille Marcas, & ſic ſub electorum fide juſſorum plegagio dimiſſus, ſine incarceratione ad propria remeare.

Pax inter Abbatem & Conventum Weſtmonaſt.

IN feſto autem memorato, dominus Rex omnem quam potuit adhibuit diligentiam, ut pax inter Abbatem *Weſtmonaſterienſem* & ejuſdem loci Conventum reformaretur. Scandalum enim illius diſcordiæ ventilatum, totam Religionem, imò totam infecerat Regionem. Dictum enim erat ipſi Regi, quód incaſſum in nova ſtructura eccleſiæ *Weſtmonaſterialis*, videlicet in lapidibus ſculpendis & componendis expoſuerat: ſi perſonæ eccleſiaſticæ, id eſt, paſtor & grex, Conventus & Abbas, qui ſolent in compoſitione tam nobili eſſe vivi lapides, inordinatè diſcreparent. Et ſic elaborante amatore illius eccleſiæ domino Rege, pax inter ipſos eſt reformata.

Lincol. Epiſc. citat ſuos Religioſos.

TEMPORE quoq; ſub eodem, Religioſorum fatigator indefeſſus Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus*, omnes ſuæ diœceſis Religioſos fecit citari, ut in feſto ſancti *Hilarii* apud *Legreceſtriam* convenirent, mandatum domini Papæ ibidem audituri. Ad hæc enim idem Epiſcopus ſummo conamine anhelavit, ut Religioſorum per ſuam Diœceſim conſtitutorum eccleſias & redditus (de quibus idem Religioſi aſſenſum Capituli, & ſuper hoc inſtrumenta teſtimonium evidens perhibentia non haberent) in ſuam, quod multis nimis damnoſum foret, revocare poteſtatem. Et ad impetrandum magiſtrum *Leonardum* clericum ſuum, frequentem Romipedam, non ſine maximæ pecuniæ effuſione ad *Romanam* curiam deſtinaverat. Quæ inquam curia, inſtar barathri, poteſtatem habet & conſuetudinem omnium redditus abſorbendi, imò ferè omnia quæcunque Epiſcopi poſſident & Abbates. Hujus autem impetrationis literæ poterunt reperiri in *libro Additamentorum*.

Transfretant multi Nobiles Angliæ.

TEMPORE quoque ſub eodem transfretarunt multi nobiles de Regno *Angliæ*, nec patuit cauſa alicui de populo. Videlicet Comes *Richardus*, Comes *Gloverniæ*, *Henricus* de *Haſtingo* Baro, *Rogerus* de *Thurkebi*, & multi alii Nobiles cum illis. Præterea de Prælatis, *Lincolnienſis*, *Londinenſis*, & *Wigornienſis* Epiſcopi, & cum illis de Epiſcopatu *Lincolnienſi*, *Oxonienſis* & *Bedefordiæ* Archidiaconi, & multi alii clerici. Comes verò *Richardus* cum maximo apparatu & comitatu faſtigioſo, per regnum *Franciæ* tranſivit, quadraginta videlicet militibus de novo veſtitis robis conſimilibus, & mannis delitioſis, auro micante recenter faleratis, & bigis quinque & quinquaginta ſummariis & familia numeroſa nimis; concomitante Comitiſſa uxore ſua & *Henrico* primogenito filio ſuo. Ita ut *Francis* admirantibus tam mirabile quàm honorabile ſpectaculum, præberet intuentibus. Cui adventanti honorabilis domina *Blanchia* cum ſumma occurrit reverentia, applaudens & munera offerens precioſa, tanquam conſanguinea conſanguineo, imò potiùs velut mater filio ſingulari.

Epiſc. Lincol. curiam Romanam accedit.

CAUSA autem ſolius Epiſcopi *Lincolnienſis*, quare transfretaret patuit univerſis. Memoratus ſiquidem Epiſcopus *Lincolnienſis* licèt ſenex vigilanter laboravit, ut eos quos vocàrat ad Papale mandatum, ut prætactum eſt, & contra inaudita gravamina ſua ad ſedem Apoſtolicam appellaverant, ſtrictiùs ſuæ flecteret voluntati. Appellaverant enim exempti, *Templarii*, *Hoſpitalarii* & multi alii, qui poſteà à domino Papa pecunia interveniente, cautè ſibi pacem redemerunt, ſecundùm illud Ethici:

Judicis auxilium ſub iniqua lege rogato.

Quod cùm Epiſcopo poſt multas expenſarum effuſiones & labores inutiles innotuiſſet, confuſus &

1250 & triſtis venit ad dominum Papam, dicens: Domine ſancte Pater, erubeſco confuſus in propoſito meo, quod in literis & pollicitis veſtris confidenter ſolidavi, ſpe fruſtror præconcepta, quia quos credideram edomuiſſe, liberi in meam recedunt confuſionem. Cui Papa torvo vultu dicitur reſpondiſſe: Frater, quid ad te? liberaſti animam tuam, fecimus eis gratiam. Nunquid oculus nequam eſt, quia bonus ſum? & cùm Epiſcopus ſuſpirans in ſeipſo diceret, tamen auditus à Papa: O pecunia, pecunia, quantum potes, præcipuè in curia *Romana*: exaſperatus dominus Papa reſpondit: O *Anglici*, hominum eſtis miſerrimi. Quilibet veſtrum alium corrodit ac ſtudet depauperare. Quàm multos elaboraſti religioſos, tibi ſubjectos, tuáſque oves & indigenas ac domeſticos, orationibus & hoſpitalitati intendentes, deprimere, ut de bonis eorum tyrannidi tuæ ac cupiditati ſatisfaciens, alios & fortè alienos reddas locupletes. Et ſic confuſus & ab omnibus protervus acclamatus, receſſit Epiſcopus, & ne nihil feciſſe videretur, aliis negotiis intendebat.

Multi Angl. Nobiles vendunt ſua prædia.

ANNO quoque ſub eodem, *Rogerus* de *Mubat*, unus de nobilioribus *Angliæ* Baronibus, cruce ſignatus, partem ſuam in ſilvis & aliis redditibus, quos habebat apud *Coventre*, Priori & Conventui ejuſdem loci pro magna ſumma pecuniæ, ut ſibi in viaticis provideret ad feudo firmam dimiſit, & multa alienavit, & multa irrevocabiliter vendidit, ſicut & alii nobiles tam de tranſmarinis quàm de partibus ciſmarinis. Præter ipſum autem *Rogerum* memoratum, cruce ſignabatur in Regno Angliæ nobilium ſub eiſdem diebus multitudo numeroſa, ut crucis negotium promoturi, *Francorum* Regem juvarent & ſequerentur, tam Prælati quàm milites. Videlicet *Wigornienſis* & *Hereferdenſis* Epiſcopi, *Legreceſtrenſis* & *Herefordenſis* Comites, *Galfridus* quoque de *Huſci*, *Rob.* de *Quency*, & multi alii, quos longum eſſet enumerare. Innumerabiles quoque nolentes in propatulo ſignum crucis vel accipere vel in humeris portare, ſecretò voverunt & propoſuerunt firmiter *Terram ſanctam* devotè ac potenter adire, muſcipulas *Romanæ curiæ* formidantes.

Anguſtia Parmenſium.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, adeò invaluit *Frederici* potentia in odium *Romanæ* curiæ, ut exturbatis *Willielmo* de *Hollandia* & *Petro Cabichio* Legato ſuo, multi potentes ei ſeſe darent, & fidelitati ſuæ manciparent. *Parmenſes* inſuper & *Regenſes*, necnon & *Bononienſes* & alios etiam ſibi rebelles arctavit, ut non auderent procul à civitatibus ſuis apparere, laqueos timentes *Fredericales*. Unde mercatores civitatum illarum, qui abundare conſueverunt, interdictis nundinis, portubus & viarum tranſitibus, egere incipientes, pacem *Frederici* inceperunt deſiderare, & rebellionem Papalem deteſtari: provocabat enim multos ejuſmodi *Frederici* conſtans patientia & humiliatio, & ſatisfactio, quam devotè dicebatur eccleſiæ obtuliſſe. Deſiderabat enim & humiliter poſtulabat, ut pro eccleſia in *Terra ſancta* omnibus diebus vitæ ſuæ, hoſtes *Chriſti* impugnaturus militaret, donec ad minus *Chriſtianis* quicquid aliquo tempore *Chriſtianorum* erat, tam potenter quàm prudenter reſtitueret, dummodò nepos domini Regis *Anglorum* *Henricus* filius ſuus, quem præ omnibus filiis ſuis dilexerat, valeret poſt eum ſubſtitutus imperare. Obtulit inſuper multa eccleſiæ ablata reſtituere & damna reſarcire. Ad quæ dominus Papa conſtanter reſpondit, ſe nullo modo quem concilium *Lugdunenſe* generale caſſaverat & condemnaverat, tam leviter ad ſtatum priſtinum revocare. A nonnullis affirmativè dicebatur, quòd dominus Papa ſitienter & ſuper omnia deſiderabat ipſum, quem magnum Draconem vocabat, peſſundare, ut ipſo ſuppeditato & conculcato, Reges *Francorum* & *Anglorum*, necnon & "alios Chriſtianitatis Reges, (quos omnes Regulos & Serpentulos eſſe dicebat) faciliùs exemplo dicti *Frederici* perterritos conculcaret, & bonis ſuis ac Prælatos eorundem, ad libitum ſpoliaret. Et hoc verbum cum factis enormibus, quæ talibus dictis teſtimonium poterant perhibere, in multorum cordibus offendicula generarunt, & ipſum *Fredericum* ſimiliter juſtificarunt, ut ejus partem cœperunt diatim meliorare.

Computatur theſaurus B. Archiepiſcopo Cant conceſſus.

TEMPORE quoque ſub eodem, convenerunt Epiſcopi provinciæ *Cantuarienſis Oxioniæ*, computaturi ſi pecunia collecta per eorum Epiſcopatus ad opus Archiepiſcopi *Cantuarienſis* ad ſummam aſcenderet ei conceſſam. Noverant autem hoc per collectores per ſingulos Epiſcopatus conſtitutos, ſed Archiepiſcopus multos plùs, ut videlicet expenſæ omnimodæ ad commodum ſuum computarentur. Epiſcopi igitur inviti quod exegit conceſſerunt, ſentientes dominum Papam in omnibus ſibi favorabilem.

Rex Angliæ veniam antè actorum, precatur à Londinenſibus.

CONVENERUNT itaque ex præcepto domini Regis cives *Londinenſes* coram ipſo apud *Weſt.* omnes cum familiis uſque ad puerum duodennem, dominica proxima ante feſtum ſanctarum *Perpetuæ* & *Fælicitatis* in majori palatio, quod dicitur magna aula, & erat ipſa cum tota curia atriali, ipſis uſque ad compreſſionem repleta catervis. Quibus congregatis, dominus Rex humiliter quaſi lachrymis obortis ſupplicabat, quatenus quilibet civium illorum iram ſuam & omnimodam malevolentiam & rancorem, ei corde & ore benignè remitterent. Ipſe enim, ut in publico confitebatur, frequenter & miniſteriales ejus frequentiùs, injuriam eis multiformem irrogaverat, bona eorum injurioſè auferendo, occupando, retinendo, & libertates lædendo multoties eorundem, unde veniam ſibi indulgeri poſtulabat. Cives autem comperientes aliud ſibi non expedire, cuncta quæ dominus Rex poſtulaverat, annuerunt, ablatorum tamen eis nulla fiebat penitus reſtitutio.

Rex cum multis nobilibus cruceſignatur.

EADEM igitur die dominus Rex crucem ſuſcepit de manu Archiepiſcopi *Cantuarienſis Bonifacii*. Et poſteà ipſe Archiepiſc. cruce ſignavit alios nobiles, inter quos fuerunt filius *Nicolai*

domini

1250.

domini Regis *Seneſcallus*, *Willielmus* de *Valentia* domini Regis frater uterinus, *Paulinus Pevire* ejuſdem domini Regis conſiliarius ſpecialis, & multi alii Magnates & aulici. Abbas quoque *S. Æ.* nomine *Edmundus*, in deriſum omnium, & in perniciolum Monachorum exemplum & præjudicium ordinis ſancti, omne votum ſolvens, cruce ſignatus eſt. Clerici quoque domini Regis Conſiliarii, *Joh. Manſel*, *Philippus Luvel*, & multi alii quos enumerare longum foret. Siniſtri verò interpretatores aſſerere præſumpſerunt, quòd non propter aliud ſuſcepit dominus Rex crucem, niſi ut tali occaſione violenter à ſuis nobilibus, qui priùs ei contradixerant id petenti, pecuniam extorqueret ſub obtentu *Terræ ſanctæ* conquirendæ, & crucis negotii promovendi: veruntamen diſcreti & plus rationis habentes, hæc ad judicium & probationem actuum ſubſequentium reſervabant. Boni enim animi proprium eſt in dubiis meliora ſupponere, donec probetur in contrarium: & quis præter Dominum, mortalium novit cogitationes? Hujus autem dubitationis ſeminarium, præſtitit Regis *Francorum* exemplum pernitioſum, qui inanitam, minimè tamen Deo vindice profecturam à Regno ſuo maximè abraſerat, ut ſuam promoveret peregrinationem. Sed quales inde fructus collegerit, ſequens ſermo declarabit.

De unanimi conſilio crucesignatorum.

CONVENERUNT itaque anno ſub eodem, videlicet quinto Calendas Maii, majores crucesignatorum *Angliæ Londinum*, apud *Bermundeſham* ſuper itinere ſuo arripiendo tractaturi, aſſerentes quòd pro Rege non omitterent. Indignum quippe judicabant animarum ſuarum ſalutem omittere, & obſequium cœleſtis Regis, clientelæ Regis alicujus terreni poſtponere; Conſtituerunt igitur terminum, videlicet feſtum nativitatis beati *Johannis Baptiſtæ*. Recenſiti igitur ſunt ipſi tunc congregati cum eorum ſequela ad quingentos milites, ſervientes verò & populus eis adjungendus, multitudo innumerabilis judicabatur. Omnes enim de Regno *Angliæ*, & multi de Regno *Francorum*, qui ſe ante domini Regis *Anglorum* crucesignationem præparaverant, hanc motionem expectabant tam formoſam. Dominus autem Rex, qui ſedulus explorator hæc præcognoverat, à *Romana* curia literas ad votum data, & plùs promiſſa pecunia literas feſtinanter impetravit, quarum autoritate iter eorum ſuſpenderet, donec ipſe tanquam Dux capitalis, in propria patriâ terram potenter adiret ultramarinam, ut ſic decentiùs & ſecuriùs progrederetur. Ad hoc crucesignati prædicti reſponderunt, quòd dignum foret ac tutum, ut qui ante domini Regis crucis ſignationem cruce ſignabantur, & ſe in equis & armis, & viaticis, terras ſuas impignorando præparaverant, & multa vendiderant, & amicis ſuis vale fecerant, priùs iter arriperent, faciem ſui Regis præcedentes, & ſic fertiliùs victualia invenirent. Et hæc videntes, dicerent alieni: O ſi tot, tanti & tales faciem Regis *Anglorum* magnifici præcedunt, quot credendum eſt ipſum advenientem concomitaturos & ſubſecuturos? Et ſi accreſcet honor Regis inter finitimos, & formido inter inimicos. Sed literæ domini Papæ comminatoriæ, & domini Regis preces imperioſæ, omne propoſitum eorum commutavit ut remanerent. Quod licèt tunc laudabile non fuiſſet, occaſionaliter tamen hoc ceſſit eiſdem in proſperum. Non enim, quod ſitienter deſideraverant Regi, *Francorum* oportuno tempore veniſſent in ſuccurſum, & ſic hic & inde crucis languit negocium infœliciter, heu, heu, mutilatum.

Gaſconenſes domino ſuo rebelles, per Comitem Legreceſtriæ edomantur.

EODEM ſiquidem anno, adeo per Comitem *Legriæ S.* de *monte forti* edomita eſt *Gaſconia*, quod *Guaſto* de *Biarde* inter Regis *Angliæ* inimicos potentiſſimus, vel unus de potentioribus captus & humiliatus, Comite ſic dictante, venit in *Angliam* ad dominum ſuum Regem quem offenderat, qui tunc apud *Clarendonam* extiterat, gratiam Regis de vita & membris & tenemento humiliter petiturus, ſe ſupponens omnino Regiæ miſericordiæ & non judicio. Quod & cum factum eſſet, in Rege quam non promeruit clementiam adinvenit.

Tunc enim Regius ſanguis vincitur, & ab ultione divertitur, cùm ſe viderit rebelles eviciſſe, ſecundum illud Ovidianum:

Corpora magnanimo ſatis eſt ſtraviſſe Leoni:
Pugna ſuum finem cùm jacet hoſtis habet.

Recepit igitur in manu ſua dominus Rex per Comitem *S.* quædam caſtra ejuſdem *Guaſti* & complicum ſuorum, videlicet *Franzach*, *Egremunt*, & alia multa. *Guaſto* autem poſt humiliationem, licèt fictam, adeò in gratiam Regis, intercedente Regina, cujus ſe fecit conſanguineum, receptus eſt, ut in poſſeſſionem terræ ſuæ eſt reſtitutus, ſtrictiſſima tamen conditione obligatus. Comes autem memoratus, ſtudens per omnia patriſſare & magnifici patris ſui vel ſequi veſtigia vel tranſire, aliorum domini Regis rebellium apud *Burdegalim* & in tota *Gaſconia* adeò edomuit inſolentiam, ut *Willielmum* de *Solariis*, & *Ruſteinum*, & alios ſuperbos & recalcitrantes, effugatos exhæredaret, & extorres condemnaret, multos etiam patibulis excelſis præſentavit.

Gaſcones extorſerunt magnam pecuniam à Rege Angliæ.

NOTA, quòd quando Rex fuit in *Gaſconia*, & credebat liber recedere, *Gaſconenſes*, & præcipuè *Burdegalenſes*, videntes eum in anguſtia poſitum, antequam poſſet recedere, extorſerunt ab eo conceſſionem quadraginta milium marcarum, unde etiam fide interpoſitionem cum juramento & charta ab eodem ſimiliter emunxerunt. Unde poſteà Rex illam pecuniam, ſtatim poſt adventum ſuum in *Angliam* eliciut à Prælatis: & ita poſtquàm *Pictaviam* amiſit, *Angliam* depauperavit. Ideóque *Gaſcones* exoſos habens, ſuum theſaurum vendidit, ut vindicaretur.

DIE

1250.

Eruptio Francorum in Saracenos.

DIE verò Lunæ ante diem Cinerum, exiit de caſtris *Damiatæ* exercitus *Francorum* cum impetu magno & repentino, irruentes in *Saracenos*, qui eos obſederant, multos ex ipſis trucidarunt, & poſt victoriam ad caſtra cum ſpoliis læti & incolumes *Franci* redierunt. In craſtino autem ſimilem Martis fortunam ſperantes invenire, multiplicatis hoſtibus deteriorem in certamine reportarunt calculum, in decuplo plùs amittentes, quàm pridiè lucri gratulantes remeaſſent. Veruntamen cruenti, lacerati, vulnerati, tandem, licèt cum numero non-integro, redierunt. Ex tunc igitur cœperunt *Saraceni* cordibus exaltari, & capita contra *Chriſtianos* erigere, & aditus viarum per terras undique præcludere. *Soldanus* igitur in ſpem erectus meliorem, galeiis ex *Alexandria* & aliis locis maritimis undecunque collectis, vias maris & littorum, & omnium locorum, vbi patebat *Francis* remedium, obſervari diligenter præcepit, & præcipuè ne ad ipſos adveherentur victualia, ſolitò vigilantiùs intendebat.

Pacis conditiones oblatæ à Soldano.

TANDEM inito utrobique cum collocutione conſilio, ſignificavit *Soldanus* Regi *Francorum*, ut ſedatis omnibus, civitatem *Damiatæ* cum ſuſtentamentis, quæ *garneſturas* vulgares appellant, conſultiùs reſignaret, antequam fame deficerent, & tota Regio *Hieroſolymitana* cum ſclavis *Chriſtianis*, ipſi Regi amicabiliter redderetur. Nec ad aliud, ut dicebat, debuit ipſe Rex aſpirare niſi ut *Chriſtianis Terra ſancta* redderetur. Huic igitur conſilio multi *Chriſtianorum*, ſcilicet mediocres & populares egentes & aliqui Magnatum aſſenſum præbuerunt, aſſerentes, quòd ſi huic pacis formæ & humilitati non aſſentirent, Magnatum ſuperbia totum exercitum inquinaret. Rex igitur his cognitis huic conſilio inclinaretur, niſi arrogantia Comitis *Atrebatenſis* frontoſè reſtitiſſet, qui adhuc *Alexandriam* exigebat: ſed *Soldanus* nullo modo *Chriſtianis* (utpote *Egypti* nobiliſſimam civitatem, & omnium mercatorum Auſtralium & Orientalium receptaculum) *Alexandriam* reddere voluit, nec, ut dicebat, hoc *Alexandrini* vel *Egyptii* paterentur.

Francorum multi fame & ferro pereunt.

CONDITIO igitur *Francorum* undique obſeſſorum, cœpit non mediocriter deteriorari. Cogebantur enim ipſi, quæ gens in eſcis & poculis munda eſt & delicata, veſci immundis & deteſtabilibus, nec poterat eis *Fredericus*, vel aliquis *Chriſtianus*, de locis finitimis ſubvenire. Et ut brevibus concludam, in tantum arctabantur, ut equos ſuos in Quadrageſima, etiam precioſos, & ſibi valde neceſſarios, comedere, quod miſerabile fuit cernere, cogerentur. Et quod gravius erat, inter Magnates & Plebeios, eò quòd rationabilem formam pacis oblatæ procaciter abnegaverant, ſchiſma & odium ſuſcitabatur. Inſuper & *Saracenorum* Principes, *Chriſtianorum* proterviam deteſtabant, & ſolidiùs confœderati, ipſos inſtantiùs arctare procurabant. Unde multi *Chriſtiani* in tempore tantæ afflictionis, clanculò à caſtris & civitate exierunt, & turmis additi ſunt ſub mitibus conditionibus *Saracenorum*, & noſtris efficaciter reſtiterunt. Suſceperunt enim eos *Saraceni* fame deficientes, & diariis ſufficientibus aluerunt applaudentes. Veruntamen quàmplures *Chriſtianorum* ex *Saracenorum* tolerantia in lege ſua perſtiterunt: aliqui verò apoſtatantes, ſpurcitiis eorum adhæſerunt, facientes eis homagii ſtabilitatem, & hi abundè ditabantur, uxoribus, caſtris, & multis honoribus exaltabantur. Et hi *Chriſtianis* lethaliùs nocuerunt, dum hoſtibus eorum ſecreta propoſita revelarunt.

Multi Francorum apoſtatæ.

CUM autem *Soldano Chriſtianorum* inedia multiformis per apoſtatas pleniùs patuiſſet, ſignificavit ironicè Regi *Francorum*, utquid ligones, tridentes, trahas, vomeres, aratra, & alia culturæ neceſſaria in partes Orientales, quas non noverat, ſecum in navibus apportaſſet, ſi eis uti non curaret, cùm rubigine conſumerentur? & ſi amicus ejus eſſet, ſatis ei & ſuo exercitui ibi commoranti, de tritico, vino, oleo, & carnibus, leviùs inveniret. Rex verò hæc omnia adverſantium tentamenta, non ſine gravi dolore ſuſtinens, ſereno vultu, cordis vulnera prudenter palliavit.

Obitus Soldani.

ET citò poſt idem *Soldanus* obiit, à ſuis propriis cubiculariis, quia & ſuis & omnibus Principibus ſibi vicinis erat exoſus, ut dicitur, potionatus. Superbus enim erat & avarus, & omnibus injurioſus. Quo audito *Chriſtiani* gaviſi ſunt vehementer, cùm potiùs doluiſſe debuiſſent. Quia multi *Saracenorum* ipſi *Soldano* fictè adhæſerunt, & occulto odio perſequebantur. Et citò pòſt ſubſtitutus eſt alius, qui omnium ferè Orientalium favorem obtinuit. Iſte conſtanter nimis & potenter & graviùs prædeceſſore ſuo, *Chriſtianos* impugnavit, & formam pacis oblatam, quam ferè omnes *Chriſtiani* deſideraverant, & jam rogaverant, præciſè denegavit. Et ex tunc cœpit *Chriſtianorum* conditio non mediocriter deteriorari, & fama in conſpectu omnium Orientalium vileſcere.

Fides multorum vacillat.

COEPERUNT igitur multi, quos firma fides non roboraverat, tam deſperatione & blaſphemiis, quàm fame contabeſcere. Et fides, heu, heu, multorum cœpit vacillare, dicentium ad invicem: Utquid dereliquit nos *Chriſtus* pro quo & cui hactenus militavimus? Jam multoties noſtris diebus victi confundimur, & hoſtes noſtri, imò *Chriſti*, de noſtro ſanguine & ſpoliis gloriantur triumphantes. Primò apud *Damiatam* civitatem iſtam, quando *Nili* fluentis circundati, compulſi fuimus *Damiatam* tanto ſanguine adquiſitam, reſignare. Iterum non procul ab *Antiochia*, Templi inclita militia, ſignifero detruncato, victa confundebatur. Iterum à *Saracenis* paucis annis evolutis apud *Gazaram* occubuimus, à Comite *Richardo* quodam *Anglico* priùs redempti. Poſtea verò à *Choroſminis* ferè tota *Chriſtianorum* univerſitas in *Terra ſancta* trucidabatur, qui loca omnia quæ dicuntur ſancta, polluentes deſtruxerunt. Modò verò, quod omnibus gravius eſt, Rex noſter *Chriſtianiſſimus* miraculoſè ſuſcitatus

à mor-

1250.

à mortuis, cum tota *Franciæ* nobilitate ignominioſo patet diſcrimini, factus eſt nobis dominus velut inimicus. Et qui ſolet Dominus dici exercituum, nunc, proh dolor, a ſuis hoſtibus tanquam multoties ſuperatus aſpernatur. Quid nobis noſtra devotio, religioſorum orationes, amicorum noſtrorum proſunt eleemoſynæ? Nunquid melior eſt lex *Machemeti* lege *Chriſti*? Et ſic deliramenta verborum ex fide titubante reſonabant, & dies Quadrageſimales plùs penales quàm pœnitentiales deducebant.

Derogatur eccleſiaſticæ libertatis conditio.

EODEM quoque anno, contigit quod Epiſcopus *Lincolnienſis* privavit quendam clericum beneficiatum in Epiſcopatu ſuo, accuſatum de incontinentia nomine Ranulphum, & privatum excommunicavit, quia condemnatus, cedere recuſavit. Nunc cùm in ſententia excommunicationis ultra quadraginta dies perſeveraſſet, ſignificavit Epiſcopus Vicecomiti *Retholandiæ*, in cujus Vicecomitatu idem clericus manebat, ut ipſum captum teneret tanquam contumacem. Vicecomes autem eò quòd fortè amicus dicti *Ranulphi* fuerat, hoc facere diſtulit vel recuſavit. Non enim erat Epiſcopo favorabilis. Qui enim, ut ait *Seneca, diu diſtulit, diu noluit.* Epiſcopus igitur Vicecomitis comperiens ſimultatem, ipſum excommunicavit ſolenniter. Vicecomes igitur iratus & verecundatus, Regem ilicò adiit, gravem ſuper hoc reponens querimoniam. Quod cùm audiſſet, & ſui omnes aulici, commoti ſunt univerſi, Rex autem iratus nimis, reſpondit addito maximo juramento: Si quis meorum verſus Epiſcopum illum vel quempiam foriſfeciſſet, coram nobis querimoniam deberet repoſuiſſe. Sed ut videtur, me habuit contemptui. Miſſis igitur ad *Romanam* curiam Legatis ſolennibus, hanc meruit literam in eccleſiaſticæ libertatis præjudicium, interveniente pecunia, celeriter impetrare.

Literæ Papales.

INNOCENTIUS *quartus, Epiſcopus, &c. Dilectis filiis Abbati* Weſtmonaſterienſi Londini, *Salutem. Celſitudinis chariſſimi in* Chriſto *filii Regis* Angliæ *illuſtris votis liberaliter annuimus, ut ei in his quæ dignè depoſcit nos favorabiles exhibeamus. Cum igitur, ſicut ex parte ſua fuit propoſitum coram nobis nonnulli Pontifices & alii Prælati, Regni ſui Ballivos ſuos ſuper his quæ ad juriſdictionem Regiam pertinent, coram ſe pro ſuo compellant libito litigare, ac in eos niſi coram ipſis litigent excommunicationis ferant ſententias, in ipſius Regis præjudicium & gravamen, nos ejus ſupplicationibus inclinati, ut nullus ipſius Regni Archiepiſcopus, Epiſcopus, vel alius Prælatus, Ballivos ipſos coram ſe ſuper his, quæ ad Regiam juriſdictionem pertinent litigare compellat, vel hac de cauſa in eos hujuſmodi ferant ſententias, auctoritate literarum diſtrictè duximus inhibendum. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictum Regem ſuper his, contra inhibitionis noſtræ tenorem, non permittatis ab aliquibus indebitè moleſtare. Malefactores, &c. Datum* Lugduni, *ſeptimo Idus Martii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.* Hoc tamen non ſine redargutione peritorum, hæc fecit dominus Rex. Quòd ſcilicet conqueſtus eſt ſuper hoc domino Papæ.

Applicuit Comes Richardus *rediens.*

DIE verò Lunæ proxima ante dies Rogationum, applicuit Comes *Richardus* rediens à curia *Romana*, & cùm veniſſet Londinum, receptus eſt cum honore & reverentia, ne minor quàm in partibus ultramarinis ſibi honor exhiberetur. Regina enim domina *Blanchia*, omne quod ſibi poterat decus exhibuerat, & totius *Franciæ* ſinum aperuerat. Innotuitq; omnibus per relationem ipſius Comitis & ſuorum, quot & quantos ſibi fecerat Papa honores, cùm ad *Lugdunum* perveniſſet. Cùm enim civitati appropinquaſſet dictus Comes *Richardus*, occurrebant ei omnes ferè Cardinales & clerici curiæ *Romanæ*, ita quòd unus ſolus Cardinalis & pauci clerici cum domino Papa remanerent. Erat autem de ſuis & aliis ſibi occurrentibus, tanta equorum & hominum compreſſio, & tumultus atque multitudo numeroſo familiæ pompoſæ nimis apparatæ, & clitellarum ſuarum, quòd cives de adventu tanti Principis, ſimul & omnes qui ad curiam venerant extranei ad impetranda negotia, obſtupuerunt. Papa autem introitu domus aſſurgens & obviam pergens, ſuſcepit eum in oſculo reverenter applaudens & ſalutans; & ſereniſſimum vultum oſtendens, ſupplicavit ut cum eo pranderet ea die. Quod Comes benignè concedens, collocatus eſt in menſa juxta latus domini Papæ, & Comes *Gloverniæ Richardus* non multò remotiùs, & epulabantur jocundè nimis & civiliter, more *Francorum* vel *Anglorum*, ſeſe mutuò in cibis & potibus & verbis amicabilibus exhilarantes. Et poſtea inter ſe multos prolixos & ſecretos tractatus habuerunt, ita ut mirarentur omnes qui hæc viderent, præcipuè de nova Papæ tanta dapſilitate. Oratione igitur facta *Pontiniaci* ad ſanctum *Edmundum* Confeſſorem in fine Aprilis, ut prætactum eſt, lætus in *Angliam* remeavit.

Variæ opiniones colloquii Papæ cum Comite R.

ORTÆ ſunt autem opiniones variæ & judicia, quid hujuſmodi tam familiaris colloquii ſibi vellet prolixitas, multis autumantibus quòd dominus Papa ad reprimendam inſolentiam *Græcorum* ipſum vellet ad *Romanum* Imperium juvando promovere, ſciens illum avidum & ambitioſum, & multis theſauris abundare, quos vellet dominus Papa ad hoc exponere. Alii autem indubitanter aſſeverabant, quòd dominus Papa ſtudioſè ad hoc deſudabat, ut gratiam ipſius Comitis adquireret, quatenus ipſum venire cupientem benignè ſuſciperet.

Comes R. emit quendam Prioratum.

ET cùm per Abbatiam *ſancti Dyoniſii* remearet, ſatisfecit Abbati ejuſdem loci de precio quo comparaverat quendam Prioratum in *Anglia* pertinentem eccleſiæ *ſancti Dyoniſii*, quæ *Hurſt* nomine, non procul eſt à *Glovernia*, ubi fuerunt degentes aliquot Monachi, & ad quem pertinent octo villæ bonæ, & eccleſia circiter ter centum marcas valet annuatim, cùm parco & omnibus pertinentiis, ſemper redditum marcæ pro triginta ſolidis in banco. Et hanc venditionem ratam fieri impetraverat in curia *Romana*, unde poſteà cùm venerat in *Angliam* ſtatim Monachis effugatis omnibuſque dirutis, ipſum Prioratum in propria redegit. Nec poſtea timuit

aliquem

1250. aliquem vicinum, præcipuè religioſum, quin omnia pro libitu tractaret, Papali tutus protectione, & ſic diatim cœpit conditio eccleſiæ deteriorari. Propoſuitque idem caſtrum ædificare pro fluvio *Savernæ*.

Miraculum brachii S. Ædmundi Conf.

ANNO quoque ſub eodem, Monachi *Pontiniacenſes* vel tædio affecti de frequentia peregrinorum, præcipuè mulierum, ad tumbam ſancti *Ædmundi Anglicarum* (quia aliis non eſt conceſſa licentia) catervatim affluentium, vel ſtimulis agitati cupiditatis, brachium ejuſdem ſancti dextrum, quod eſt horribile dictu, auſu temerario abſciderunt. Nec idcirco turbas hominum utriuſque ſexus, quin ad corpus intuendum & venerandum catervatim confluerent, abegerunt, unde Monachi meritò à ſuo propoſito ſunt fraudati. Præterea, quod videtur fidei fuiſſe defectus, quicquid corporis ejuſdem ſancti, quod tamen totum Dominus integrum conſervaverat, ipſi Balſamo condire præſumpſerant, ex diffidentia & puſillanimitate, necnon & fidei, (ſalva ordinis reverentia,) defectu, in teterrimum colorem eſt converſum. Multiplicata ſunt igitur Monachorum *Pontiniacenſium*, imò omnium *Ciſtercienſium* opprobria, & doluerunt multi quòd in eccleſia *Ciſtercienſium* tam venerabile corpus reponeretur, conſiderantes quam veneranter in eccleſiis Monachorum *Nigri ordinis*, corpora ſanctorum cuſtodiuntur. O temeraria præſumptio! Quod dominus conſervârat integrum & incorruptum, auſus eſt homo mutilare. Sicut pius Rex *Francorum* peregrinaturus, cui oblata fuit pars corporis, reſpondit: Non placeat Deo, ut pro me detruncetur, quod Deus integrum conſervavit. O iterum fidei defectus! Quod dominus incorruptum conſervârat & ſpecioſum, ipſi Monachi Balſamo condire, & tali unctione melius ipſum corpus acceptarunt communire, unde carneus color in terreſtrem eſt converſus. Unde Dominus meritò iratus, miracula priùs ibi exuberantia, cœpit ſolito rariùs celebrare. Viluit igitur in conſpectu Magnatum, Prælatorum & Clericorum *Ciſterſienſium* Religio venerabilis. Et ſalva ordinis reverentia, hoc in triſte præſagium totius *Chriſtianitatis* creditur eveniſſe.

Rex Angliæ dapſilitatem menſæ ſuæ reſtringit.

EODEMQUE tempore dominus Rex a veſtigiis patris ſui impudenter devians, curiæ ſuæ expenſas & ſolitæ dapſilitatis facetias, uſque ad probra avaritiæ inexcuſabilis, juſſit minorari. Necnon & eleemoſynarum conſuetarum largitiones, & cereorum in eccleſia numeroſitatem præcepit reſecari. Veruntamen, quod laudabile erat, à multorum mercatorum, quibus innodabatur debitis, ſeſe prudenter liberavit.

Judæi *pecunia mulctantur.*

IN eiſdem diebus dominus Rex ſiti avaritiæ exaruit, ut à *Judæis* omni remota miſericordia juberet pecuniam extorqueri, adeò ut viderentur omnino & irremediabiliter depauperari. Exegit enim quicquid in arca habuerunt. Veruntamen etſi miſeri, nulli tamen miſerabiles extiterunt, quia falſarii tam monetæ quàm ſigillorum extitiſſe crebriùs convinci probabantur. Et ſi de aliorum facinoribus ſileamus, unum huic libro, ut eorum pluribus plus pateat malitia, duximus inſerendum.

Scelus cujuſdam Judæi.

ERAT quidam *Judæus* dives mediocriter, nomine non fide *Abraham*, apud *Berkameſtude* & apud *Walingeford*, habens frequentiam & manſionem. Erat enim Comitis *Richardi* ob aliam quàm decuit, ut dicebatur, cauſam, familiaris. Iſte ſpecioſam habuit uxorem & ſibi fidelem, *Floriam* nomine. Ut igitur idem *Judæus Chriſto* dedecus majus accumularet, fecit emi imaginem beatæ Virginis inſculptam decenter & depictam, & ut moris eſt, filium ſuum in gremio confoventem. Hanc ipſe *Judæus* in latrina ſua conſtituit, & quod dedecus & ignominioſum eſt penitus exprimere, ipſi imagini, tanquam ipſi beatæ Virgini blaſphemando, turpiſſimam & irrecitabilem rem diebus ac noctibus & irrogabat & irrogari ab uxore ſua præcepit. Quod cùm mulier poſt aliquot dies videret, ratione ſexus condoluit, & tranſiens clam, ſordes abſterſit à facie imaginis enormiter deturpatæ. Hoc autem cùm *Judæus* vir ejus veraciter comperiſſet, ipſam mulierem uxorem ſuam idcirco clam impiè ſuffocavit. Hæc autem facinora cùm comperta fuiſſent, & ipſo convicto patens & probatum, quamvis aliæ mortis cauſæ non deeſſent, in teterrimo carcere Turris *Londinenſis* eſt detruſus. Sed ut liberaretur, certiſſimè ſpopondit ſe probaturum omnes *Angliæ Judæos* fuiſſe proditores nequiſſimos. Et cùm ab omnibus ferè *Angliæ Judæis* graviter accuſaretur, & conarentur eum morti tradere, Comes *Richardus* fecit verba pro eo. *Judæi* igitur ipſum de tonſura numiſmatis & aliis facinoribus graviùs accuſantes, obtulerunt Comiti mille Marcas, ut ipſum non protegeret, quas tamen Comes refutavit, quòd *Judæus* ejus dicebatur. Dedit igitur ipſe *Judæus Abraham* ſeptingentas Marcas Regi, ut à perpetuo carcere, cui addictus fuerat, juvante Comite, liberaretur.

Juſtitiarii miſſi ad explorandam Judæorum *pecuniam.*

MISIT itaque dominus Rex eodem tempore Juſtitiarios *Judæorum* per totam *Angliam*, ad explorandam omnem eorum pecuniam in debitis & poſſeſſionibus. Et cum ipſis quendam *Judæum* nequiſſimum & immiſericordem, ut alios omnes nequiter & etiam veritatem tranſgrediendo accuſaret. Qui utique *Chriſtianos* ſuper afflictione *Judæorum* miſerentes & flentes corripuit, & Regis tepidos Balivos & effœminatos vocavit. Et dentibus frendens ſuper unumquemque *Judæum*, juramentis magnis additis aſſeruit, eos poſſe Regi plùs dare in duplo quàm dederant, licèt in caput ſuum nequiter mentiretur. Hic ut indies efficaciùs noceret, omnia eorum *Chriſtianis* Regis exactoribus arcana revelavit.

Obitus cujuſdam Armenii *in* Anglia.

TEMPORE quoque ſub eodem, quidam Fratres *Armenii* exterminio *Tartarorum* effugati, venerunt in *Angliam* peregrinantes. Et cum apud ſanctum *Tuonem* perveniſſent, unus eorum infirmitate præreptus in villa, in fata deceſſit, & juxta fontem ſancti *Tuonis*, cujus aqua magnæ dicitur eſſe virtutis, veneranter eſt ſepultus. Erant enim Fratres memorati vitæ honeſtiſſimæ &

mirabilis

1250.

mirabilis abſtinentiæ, ſemper in orationibus exiſtentes, vultus habentes ſimplices, barbatos & ſeveros. Et qui obierat ſummus eorum & magiſter, nomine *Georgius*, & ut creditur ſanctiſſimus & Epiſcopus extiterat. Qui & miraculis cœpit coruſcare.

Pecunia vis magna Regi Franc. miſſa.

PER idem tempus miſſa eſt pecunia non modica, domino Regi *Francorum* in arcto poſito in adjutorium. Qui in caſtralibus tentoriis circa *Damiatam* poſitis, foſſatis circumdatus commorabatur egenus, & omni ſolatium victualium deſtitutus. Inſidias enim *Saracenorum* innumerabilium in montanis, qui in circuitu erant, nocte dieq; toleravit irrequietus, licèt pernox & vigil cuſtodia non deeſſet. In civitate autem, ad ejus cuſtodiam, quingentos milites cum manu magna pedeſtri, qui cum Legato, & quibuſdam Epiſcopis, & Regina & aliis nobilibus Dominabus commorabantur, conſtituerat. Erat autem pecuniæ miſſæ quantitas tanta de auro & argento, ſcilicet Talentorum & Eſterlingorum & Colonienſium approbatæ monetæ, & non reprobata, videlicet non *Pariſienſium* vel *Turonenſium* denariorum, quantam undecim bigæ longæ, in quarumqualibet equi fuerant quatuor fortiſſimi, oneratæ poterant cum aliquot, ſummariis tranſportare uſq; ad mare, ut ibidē ſub conductu *Januenſium* navib. excerperetur, ad Regem indigentem cum victualib. non modicis tranſvehenda. Ferebat autem quælibet biga duos cados magnos ferro ligatos, & ad hoc præparatos, theſauro refertos memorato. Sed hæc omnia de bonis Eccleſiæ per triennium extorta, quem finem ſunt ſortita, ſequens ſermo plenius declarabit.

Reditus Magnatum Angliæ.

DIEBUS verò Rogationum, redierunt à partibus tranſmarinis, Comes *Richardus*, Comes *Gloverniæ*, Comes quoq; *Legreceſtriæ S.* & alii Magnates. Inſuper *Londinenſis* Epiſcopus & quidam alii Prælati, qui transfretaverant, ut prædictum eſt, in *Angliam* proſperè remearunt. Remanentibus tamen Epiſcopis duobus, *Wintonienſis S.* & *Lincolnienſis*. Remanſit itaq; in Regno *Francorum Wintonienſis* perendinans cum parva familia, ut ſibi parceret in expenſis. Remanſit autem in curia *Romæ Lincolnienſis*, ut verſus Papam propoſitum perficeret præconceptum. De cauſa autem itineris Comitis *Richardi* aliquorum fuit opinio, nec ſine cauſa, quòd vocaverat eum dominus Papa, ut eum in Imperium *Romaniæ*, quem ſcivit nummis abundare, promoveret. Aliorum fuit ſententia quæ ex ſequentib. facta eſt probabilis, ut ſ. cruceſignatos ne transfretarent impediret. Alii verò ſimilius affirmabant, quòd, citò pòſt pro vero conſtabat, ut videlicet ab Abbate *ſancti Dyoniſii Derhurſt* cum pertinentiis ſibi prudenter compararet, & cruce ſignatorum ſibi viatica compararet. Sed quare ipſi tantū applauderet dominus Papa, creditur & dicitur, ut videlicet ipſum dominum Papam in *Angliam* venire ſcientem, benignè & reverenter reciperet, & ad hoc dominum Regem fratrem ſuum, & Magnates terræ (præcipuè eos qui de conſilio domini Regis ſunt,) ut in Regnum *Angliæ* vocaretur, inclinaret. Sed hæc in præcedentibus tanguntur.

Vani rumores.

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, ad vanam conſolationem *Chriſtianorum*, vel ad animandum cruceſignatos, iter peregrinationis ſuæ prorogantes, tranſmiſſæ ſunt literæ umbratiles à *Terra ſancta*, confectæ à viris autenticis & fidedignis, Epiſcopo ſcilicet *Marſilienſi*, & quibuſdā *Templariis*, rumores jocundiſſimos continentes, qui auditores credulos, vanis eulogiis exhilararunt. Quòd videlicet *Cayrum* & *Babylonia* capiebantur, & fugientibus *Saracenis*, *Alexandria* deſolata relinquebatur. Qui dico rumores tantò plùs auditores credulos in fine, more ſcorpionis, pungebant, quantò primo magis demulcebant blandimentis. Ex tunc igitur ſuſpectiores, etiam veras, habuimus epiſtolas & exoſas.

Advocatio eccleſiæ de Wengrave.

EODEM quoque anno, diebus videlicet Rogationum, cùm mota fuiſſet quæſtio ſuper advocatione Eccleſiæ de *Wengrave*, tunc vacantis, inter Abbatem *ſancti Albani* & *Johannem* de *Wedone*, facta eſt concordia inter eoſdem. Et recognovit dictus *Johannes*, jus memoratæ eccleſiæ ad donationem dicti Abbatis pertinere, coram Juſtitiariis domini Regis, *Rogero* de *Thurkesby*, *Roberto* de *Brus*, & aliis collegis eorundem. Adquiſierat autem memoratus *Johannes* ſuper Abbatem, tale Breve de ſummonitione: Rex Vicecomiti de *Bukinham* ſalutem. Præcipe Abbati de *ſancto Albano*, quòd juſtè & ſine dilatione permittat *Johannem* de *Wedone* præſentare idoneam perſonam ad eccleſiam de *Wengrave*, quæ vacat, ut dicitur, & ad ſuam ſpectat donationē, & unde quæritur quòd eum injuſtè impedit. Et niſi fecerit te ſecurū de proſequendo clamio, tunc ſummone per bonos ſummonitores prædictū Abbatē, quòd ſit corā Juſtitiariis noſtris apud *Weſtmonaſterium* in craſtino aſcenſionis Domini, &c. Sed quid utilitatis ipſa Eccleſia *ſancti Albani* vel incommodi cauſa reportat? *Romani* enim vel Regales quis priùs certatim omnes Eccleſias vacantes, præcipuè tamen Religioſorum, violenter aſportarunt.

Arch iepiſc. B. proponit viſitationem facere.

DIEBUS itaque ſub eiſdem, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius*, exemplo *Lincolnienſis* Epiſcopi provocatus, qui ut Canonicos ſuos viſitaret, impetraverat poteſtatem, in ſua provincia viſitationem facere attemptavit, ſcilicet ſuper Epiſcopos, Abbates, Clerum, & populum. Fecit igitur viſitationem primò in capitulo ſuorum monachorum *Cantuarienſium* rigidè nimis, & immiſericorditer, ut ad invicem dicerent: De eodē merito hoc patimur, quia peccavimus in prædeceſſorē ejus beatū *Ædmundum* quē auſterū reputavimus, & protervum: verè quæ promeruimus, toleramus, eligentes alienigenam, illiteratum, ignotum & inexpertum, bellicis plùs quàm ſpiritualib. negotiis idoneum, & exercitatum. O quales habuit prædeceſſores, Martyres, Doctores autenticos, & ſanctos Dei Confeſſores? Heu quare in hac enormi electione plùs Regi terreno, quàm cœleſti obedivimus? Venit igitur illinc ad Abbatiam de *Feverſham*, cujus viſitationi propter tyrannidem ſuā non auſi ſunt ipſi puſillanimes Monachi contradicere.

1250. Inde autem venit cum magno impetu, ad *Roffenſem* Prioratum, ubi extorſit ab illa exili domo plùs quàm xxx. marcas. Unde conſtat ipſum viſitationis officium plùs exercere cupiditate pecuniæ, quàm pro ordinis vel morum reformatione, cùm ſit ordinis & morum ignarus, ac literaturæ.

Archiepiſ. B. tyrannis in clerum Londinenſem.

QUARTO vero idus Maii, videlicet die ſanctorum *Pancratii* ſociorúmq; ejus, venit idem Archiepiſ. *Londinum*, viſitaturus Epiſcopum & ejus capitulum, & religioſos ipſius civitatis, & hoſpitium ſuum cepit ſine alicujus licentia, in domo nobiliſſima Epiſcopi *Ciceſtrenſis* non procul à domibus *Converſorum*, nec deſcendit apud domum ſuam propriam apud *Lambith*, & fecit mareſcallos ſuos violenter comparare cibaria ſua ad forum Regis, cum minis & conviciis, & injuriis mercatoribus illatis: paucos tamen vel nullos convivas invitavit. In craſtino autem viſitavit Epiſcopum *Fulconem*, apud quem inverecundiam ab eodem Archiepiſcopo factam, ſi quis enarraret, tum in eſculentis, tum in potulentis, tum in ferratura, ſcilicet equorum deferratorum, aures & animos offenderet audientium, imò & corda cruentaret. Viſitaturo autem capitulum S. *Pauli Lond.* reſtiterunt Canonici, appellantes ad Pontificem: quamobrem Decanum eſt alios excommunicavit.

Reſiſtit eccleſia S. Barth. viſitationi Archiepiſc.

ET in craſtino, ira adhuc tumidus, & lorica, ut perhibent, qui viderunt, ſub veſtibus indutus, venit ad Prioratum S. *Bartholomæi*: ut ibi Canonicos viſitaret. Cui adventanti, & eccleſiam intranti, occurrit Subprior, quia Prior tunc domi non fuerat, comitante conventu proceſſionaliter cum ſolennitate in multorum accenſione cereorum & ſonitu campanorum: erant autem in capis chorealib. & precioſis valdè, quarum precioſiſſimam habuit Subprior memoratus. De quo ſibi exhibito honore non multum curavit Archiepiſcopus dixit ſe illuc veniſſe, ut ipſos Canonicos viſitaret. Erant autem jam omnes Canonici in medio eccleſiæ, ſcilicet in choro, ipſeq; Archiep. cum majori parte familiæ ſuæ inordinatè ſeſe comprimentis. Cui reſpondit unus Canonicorum pro omnibus, dicens quòd Epiſcop. haberent peritum & diligentem qui eos habuit, cùm neceſſe fuerat, viſitare, nec voluerunt, nec debuerunt ab alio, ne contemptus videretur, viſitari. Quod audiens Archiepiſcopus in iram ſecus quàm deceret, converſus, irruit in Subpriorem, ſuæq; conditionis, & ſuorum anteceſſorum ſanctitatis immemor, ipſũ ſanctũ virũ ſacerdotẽ & religioſum in medio eccleſiæ exiſtentem, pugno impiè tum percuſſit, tum in pectus ſenile, tum in faciem venerabilem, tum in canum caput impulit truculenter multoties, clamoſa voce dicens; Siccine, ſiccine decet *Anglicos* proditores impetere: & horribiliùs cum juramentis irrecitabilib. delirans, gladium ſuum expoſtulavit feſtinanter afferri. Et cùm multiplicarentur tumultus, & niterentur Canonici ſuum Subpriorem de manib. tam violenter opprimentis liberare, ipſe Archiepiſcopus capam illam precioſam, qua Subprior indutus erat, dilaceravit, & firmaculũ, quod vulgariter morſus dicitur, avulſit, & inter pedes catervatim irruentium conculcatum eſt, & amiſſum, qd. auro & argento & gemmis fuerat precioſum. Sed & ipſa capa nobiliſſima conculcata & diſtracta, irreſtaurabiliter violabatur: nec adhuc averſus eſt furor Archiepiſcopi. Ipſum namq; virum ſanctum impetu violento repellens, & retroire cogens, ad unam ſpondã, quæ duos de ſtallis dividebat, & pro podio facta fuit, adeò ſenile corpus preſſit, & oſſa cum medullis conquaſſaret, & præcordia collideret furibundus. Cæteri autem cùm tantã in Archiep. viderent immoderantiam, virum ſeminicem de mortis confinio vix eripuerunt, oppreſſorem repellentes. Qui cùm cecidiſſet retrorſùm, & averſa fuerunt ejus veſtimenta, viſa eſt lorica ipſius à multis manifeſtè: qui abhorruerunt videntes Archiepiſc. loricatum: unde prænoſticabant multi, quòd non ad viſitandum, vel errores corrigendum illuc venerat, ſed potiùs ad præliũ excitandũ. Interim ſui miniſteriales, quos habuit impetuoſos, ſibi comprovinciales, in reliquos Canonicos imbelles, inermes, & improviſos, truculenter irruerunt, & tam ipſe Archiepiſc. quàm ſui, juſſu ejus & exemplo, quàmplures ex eis male tractaverunt, percutiendo, dilacerando, proſternendo, & conculcando. Venerunt igitur Canonici pedes livore & cruore deturpati, & male læſi, hirſuti, & lacerati, ad Epiſcopum civitatis, ſuper tam deteſtabili facto gravem querimoniam cum lachrymis reponentes. Quib. ille Epiſcopus: Dominus Rex eſt apud *Weſtmonaſterium*, adite eum hoc monſtraturi, ut ſaltem moveat eum, ſuæ pacis in ſua principali civitate læſio tam violenta & manifeſta.

Rex Angliæ audire noluit conquerentes de tyrannide Archiepiſc. B.

QUATUOR igitur ex ipſis Canonicis, quia cæteri non poterant præ dolore ictuum, Regis præſentiam ut adirent *Weſtmonaſterium* in conſpectu populi multum compatientis uſque pervenerunt, monſtrantes omnib. ictuum veſtigia, cruorum ſcilicet, livorem, & tumorem, & veſtes laceratas, qui tam enorme factum compatientes, deteſtabantur. Quintus autem, videlicet Subprior memoratus, nullo modo eques vel pedes ad curiam venire valebat, ſed gemibundus in infirmariã portatus, ſeſe in lectũ recipiẽs, reliquiũ ætatis protraxit in languore. Rex autem, licèt ad oſtium cameræ ſuæ diu expectaſſent, memoratos Canonicos quærulos, nec audire voluit, nec videre. Unde cum majori confuſione ad eccleſiam ſuam, quam dictus Archiep. ſanguine ſacerdotum & religioſorum pollutam prophanaverat, redierunt. Interim perturbata eſt tota civitas vehemẽter, & quaſi ſeditione mota, propoſuerunt cives cõmunẽ cãpanã pulſare, & ipſũ Archiepiſcopum quicquid poſteà contingeret, in fruſta detruncare. Reſonabant interim cum probris convitia, & dicebant ei ad *Lambith* domum ſuã properanti, dum ipſum quærerent catervatim ruentes: " Ubi eſt ille ruptarius, percuſſor impius & cruentus, non animarum lucra- " tor, ſed pecuniarum extractor: quẽ non Deus, non legitima vel libera promovit electio, ſed

" Rex

1258.

"Rex illicitè potiùs intruſit illiteratũ & uxoratũ,& teterrima de ipſo infamia mota infecit totã "jam jam civitatem? Et citò pòſt tranſvectus clanculò per *Tameſim*, gravẽ ſuper his corã domino Rege repoſuit querimoniam,juſtificans ſe,licet reum,& alios graviter accuſando: & currens ad Reginam coram ipſa repoſuit graviorem. Rex igitur ſeditionem formidans vehementer, fecit voce præconia in civitate proclamari, ne aliquis ſuper vitam & membra ſe de hac controverſia intromitteret.Et ſic ſpretus tam apud Canonicos S. *Bartholomei*,quàm apud ſanctam *Trinitatem*, conſtanter appellantes, perrexit Archiepiſcopus & ſumens ex Regis favore cornua, apud *Lambith* in capella dictam ſententiam in canonicos S *Pauli* latam ſolenniter innovavit,involvens Epiſc. *Londinenſem*,tanquam fautorem cum Canonicis memoratis. Ipſi igitur Canonici undiq; læſionem & injuriam paſſi,ſancto ſuo *Bartholomeo*,cui jugiter nocte dieq; ſervire dignoſcuntur, cauſam hanc conqueſti lachrymabiliter commiſerunt, deprecantes, ut Deus ultionũ Dom.quòd homo nequit,vel diſſimulat,tantos dignaretur,ulciſci tranſgreſſores.

Archiepiſc. B. parat abitum verſus curiam Romanam.

ARCHIEPISCOPUS autem felle adhuc repletus iracundiæ,in craſtino ad manerium ſuum quod *Harewes* dicitur,properavit,diſtans ab cœnobio *S. Albani* vii. miliarib. ut ibi viſitationis officium exerceret, ibiq; ſententiam memoratam innovavit, Et cùm ab amicis ſuis & clericis,viris diſertis & literatis,dictum fuiſſet ei de nobilib. privilegiis illi eccleſiæ à ſede Apoſtolica conceſſis,ſuperſedit diſſimulans. Et reverſus præparavit ſe ad transfretandum,ut in curia *Romana*,ubi præpotens fuerat,& conſuetus magis quàm more boni Paſtoris ſuper gregẽ ſuam commorari,laqueos inſontib. præpararet. Decanus autem S. *Pauli Londinenſis*,vir quidẽ bonus & magni conſilii & grandevus,& magiſter *Robertus* de *Barthona*,& magiſter *W*. de *Lichefelde*,viri diſerti & literati,ejuſdem eccleſiæ Canonici, cum Procuratorib. ſui Epiſcopi, & Canonicorum prædictorum, curiam Papalem adierunt, ſuper his omnibus querelam coram Pontifice repoſituri, inſtructique ſufficienter, & multorum teſtimonio roborati,ad probandum prænotata.

Literæ Epiſcopi Londinenſis ad Abbatem ſancti Albani.

EPISCOPUS autem *Londinenſis* ſuper his perturbationib. non mediocriter motus, hinc Papalem avaritiam,hinc Regalem versùs ſuos naturales umbratilem amicitiam,illinc autem *Sabaudienſium*, quos offendere non audebat, nobilitatem, vehementer,nec eſt mirandum,formidabit. Cupiens in harum anguſtiarum articulis habere Abbatis & Conventus *S. Albani* conſilium & auxilium, ſcripſit eidem in hæc verba. *Viris venerabilibus & amicis in* Chriſto *chariſſimus*, I. *Dei gratia Abbati* S. Albani,*& ejuſdem loci Conventui,ac omnib. aliis eidem domui ſubjectis*,Fulco *divina permiſſione* Londinenſis *Epiſcopus ſalutem,& ſinceræ dilectionis in Domino ſemper augmentium. Fama gradu multivago terram perlabitur,quæ ſtateram minatur communis judicii,& edictum novelli diſcriminis in pluribuſq;locis diſſeminat,pace quidem diutina noſtræ Dioceſis, per patrem noſtrum venerabilem Archiepræſulem impugnata,via credimus juſtè defenſionis arrepta, tanquam veſtrum bellatores pro jure omnium & ſingulorum provinciæ in fortunæ area promiſſi bellum nobis impoſitum,niſi omnipotentis,& veſtri concilii ſolatio reſpiremus adjuti,vobis prædicimus acriùs imponendum. Idem namq; dominus,quod fortè vobis innotuit, viſitationem totius Cleri & populi noſtræ dioceſis,ac procurationem exigens ab eiſdem à Capitulo noſtro primitus ac iterum à duobus Prioratibus civitatis, contradictionem paſſus pariter, & repulſam, licet curialem, priùs in ipſos, ipſum ad præmiſſa non admittentes. Secundò,pro eo quòd aliquib noſtræ ditionis,ne ipſum in præjudicium eccleſiæ noſtræ admitterent mandavimus, in perſonam noſtram excommunicationis ſententias fulminavit, ligitimis tum appellationibus præventus, cauſis, juſtis,veris,& probabilibus expreſſis. Nec hac inquiete ſola quietem noſtram aggrediens, imò ſententias ſic derivatas in ſua Dioceſi,&,ut fertur alibi fecit publicari. Miſſis igitur ad curiam jam procuratorib. quoſdam Coepiſcopos noſtros ſuper præmiſſis ſumus alloquuti,qui jura ſua & libertates magnanimitate aſſumpta prætendunt defendere. Quocirca dilectionem veſtram duximus exorandam, quòd cauſam hujus petitionis ac honorem veſtram & indemnitatem conſiderantes,nulla tepeſcat probitas, nulla frigeſcat virilitas,ſed in ipſo ponentes fiduciam,qui ab injuſtorum injuria tuetur oppreſſos, manum nobis velitis porrigere conſilii ſalutaris. Valeat Univerſitas veſtra ſemper in Domino.* Decretales verò, ex quibus Archiepiſc. ſumpſit hujus propoſiti occaſionem,in *libri Additamentorum* pleniùs annotantur,cum deceptationibus partium ibidem conſcribuntur.

Capitulum Fratrum prædicatorum generale.

DIEBUS verò ſub eiſdem,videlicet circa feſtum nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ* communi vocatione congregati ſunt de univerſis terris *Chriſtianitatis*,etiam de terra *Hyeroſolymitana*, fratres de ordine *Prædicatorum*, apud domum ſuam de *Holeburne Londini*, ut de ſtatu & officio ſuo,generaliter contractarent. Et quia proprias non habebant facultates, Magnates & Prælati ex liberalitate ſua eis victualia invenerunt, præcipuè tamen qui civitatem *Londinum* inhabitabant & loca vicina, utpote de *Waltham* & de *ſancto Albano* Abbates & conſimiles. Et celebratum eſt ipſum capitulum diebus Pentecoſtes invocato ſpiritu ſancto, qui tunc miſſus eſt diſcipulis: erant autem ibidem fratres circiter quadringenti.Rex autem prima die venit in eorum Capitulum,orationum ſuffragia petiturus ab eiſdem. Et pavit eos eadem die,ob eorum honorem ibid. coẽpulando. Poſteà pavit eos Regina. Poſteà Epiſcopus *Londinenſis*. Poſteà dominus *Jo. Manſel*. Poſteà alii Prælati, utpote *Weſtmonaſterii* Abbas & alii: quibus ipſi literatoriè ſupplicaverant, ut de divitum copia, inopia egentium ſublevaretur.

ET circa eoſdem dies, non mediocriter perturbata eſt civitas *Londinum*,eò quòd dom. Rex quaſdam exegit à civibus ad opus Abbatis *Weſtmonaſterienſis* libertates, in enorme eorum

1250. damnū & ſuarum læſionem libertatum. Regali autem voluntati (imò potiùs impetui & deliramento)reſtitit in quantum potuit, Major civitatis cum tota communia unanimiter. Rex verò ſe durum eis præbuit & inexorabilem. Cives igitur admodum commoti, Comitem *Richardum* & Comitem *Legriæ* & alios regni Magnates queruli ac triſtes adeunt, dicentes eiſdem, quomodo Rex chartas ſuas ab anteceſſoribus ſuis eis conceſſas, fortè exemplo Papæ in arcum verſus pravitatis,non erubuit violare.Magnates igitur memorati, ſuper hoc vehementer commoti, ne & Rex ipſe ſimile quid verſus eos attemptaret formidantes, ipſum Regem acriter,additis comminationibus, corripuerunt, & correptum correxerunt, ipſumq;Abbatem, qui credebatur fuiſſe hujus ſtimulus & commotor erroris, acriùs redarguerunt. Addentes cum jurgiis convitia, quæ non decet propter ordinis reventiam recitare. Et ſic Magnatum diſcretio, Regem ab impetu hoc concepto fœliciter revocavit.

Concedit Rex novas chartas Abbati West.

EISDEMQUE diebus, conſimili ſpiritu dominus Rex exagitatus, memorato Abbati contra chartas anteceſſorum ſuorum, & eorum etiam qui ante *Angliæ* conqueſtum regnaverunt in eadem, in læſionem fidei ſuæ & juramenti primitivi, chartam confecit eidem Abbati *Weſtmonaſterienſi* in damnum & injuriam eccleſiæ *S. Albani* manifeſtam in villa videlicet de *Aldenham* antiquiſſima, unde & nomen accepit. *Ald* enim *antiquum* interpretatur, unde probabile videtur,quò antiquiſſimo *Albano Anglorum* Prothomartyri collata fuiſſet villa memorata,ſi omnes chartæ ſilerent ſuſpenſæ. Preterea,dominus Rex memoratus,cuidam militi tenenti in capite de eccleſia *S. Albani* (nec tamen attavis nobilibus vel militibus procreato) nomine *Galfridus*, eò quòd ſororem clerici ſui,ſcilicet *Io.Manſel* duxerat in uxorem,libertatem de Warenna in terra *S.Albani* & juxta villam ejus,conceſſit & inchartavit, contra antiquas eccleſiæ illius libertates, & chartas obtentas à piis priſtinis Regibus & continuè uſitatas, necnon & contra chartam Regis *Henrici* tunc præſentis. Nec erubuit dictus *Galfridus Rufus* contra eccleſiam dominam ſuam,quæ ipſum educatum exaltaverat, recalcitrare, ut nota macularetur paternæ,ſed non maternæ proditionis : matrem enim quæ eum genuerat,ſicut eccleſiam quæ eum & patres ſuos ditaverat,injuſtè nimis & impudenter impugnavit. Dedit autem ad hæc ei cornua,prædictus domini Regis clericus ſpecialis, cujus divitiæ ad excellentias Epiſcopales aſcenderunt,cujus ſororem, ut prætactum eſt, memoratus *Rufus* duxerat in uxorem, nomine *Claritiam* adhuc ſterilem,filiamq;ruralis ſacerdotis,ſed ſupra ſe, in cachinnum omnium, ſuperbientem,unde creditur vir ejus, ipſius ſuggeſtionibus fuiſſe infatuatus. Veruntamen non arbitror ipſum in hoc fuiſſe excuſatum, ſed pòtius accuſatum, ſecundum illud verbum Dominicum, quod *Adæ* prothoplaſto fulminando propoſuit : *Quia plùs obediſti voci uxoris tuæ,quàm meæ, maledicta terra in omni tempore*, "Et cum hujuſmodi libri ſcriptor, frater ſcilicet *Matheus Pariſienſis*, dominum "Regem ſuper hìs imperterritus redargueret,ait Rex : Nònne Papa facit ſimiliter,ſubjungens in literis ſuis manifeſtè, *non obſtãte aliquo privilegio vel indulgẽtia*? Veruntamen modeſtiùs loquens,ſubjunxit, nunc, nunc,nos inde cogitabimus. Sed dictorum ac promiſſorum memoria, cum ſonitu pertranſivit.

Sigillum Regis Angliæ W. de Kilkenni *commiſſum*.

SUB ejuſdem temporis curriculo, dominus Rex ſano fretus conſilio, cuſtodiam ſigilli ſui, (quod quaſi clavis Regni eſſe comprobatur (commiſit magiſtro *Willielmo* de *Kilkeni*, viro modeſto, fideli et bene literato, in jure Canonico et Civili perito et circumſpecto.

PER idem quoque tempus, poſtquam ſcilicet Rex *Francorum* exierat à caſtris *Damiatæ*, appoſita cuſtodia in civitate diligenti, videlicet Ducis *Burgundiæ*, & quamplurimorum aliorum Magnatum et militum, ac manus pedeſtris numeroſæ, ſimul cum Legato et quibuſdam Epiſcopis et clericis,necnon Regina et aliis Nobilibus dominabus cum ſuis familiis, (quia

Non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri.)

Rex Francorum *verſus partes Orientales tendit*.

Verſus plagam Orientalem iter direxit, et vexilla cum exercitu. Secutus eſt eum dominus *Willielmus Longa ſpata* cum ſuis qui ei adhærebant aſſociatis, ſcilicet *Roberto* de *Ver* et aliis *Anglicis*, quos longum eſſet enumerare, ſimulque militibus & ſervientibus quos ſecum retinuerat ſtipendariis.

Franci Anglis *invident*.

FRANCI autem ex ſibi innata ſuperbia ipſum *Willielmum* & ſuos deridendo ſpernebant, & inviſos habuerunt, licèt hoc Rex *Francorum* piiſſimus ſpecialiter prohibuiſſet, dicens : Quis furor vos, ô *Franci*, exagitat ? Quid ipſum perſequimini, qui ad meum & veſtrum huc de remotis partibus advenit patrocinium ? Qui Deo ſicut & vos fideliter militat peregrinus. His tamen non poterat Rex rationibus vel petitionibus *Francorum* corda,ne *Anglos* contemnerent & perſequerentur, pacificare, ſecundùm illud Poëticum :

Omniſque ſuperbus impatiens conſortis erit.

Hujuſmodi autem invidiæ & odii præſtitit hic caſus ſeminarium.Quandam nempè turrim fortiſſimam,non procul ab *Alexandria*,idem *Willielmus* plenam dominabus ſcilicet uxoribus quorundam nobilium *Saracenorum*, non vi,ſèd caſu fortuito ac fortunato ceperat,illud *Francis* penitus ignorantibus, unde fama celebris & formido partes etiam remotas Orientalium de ipſo pervolavit. Et quia multos theſauros ubique, ſicut & ibi ſibi favente Marte adquiſierat, & familiam ſuam & honores ampliaverat, (quod tamen *Franci*, licèt numeroſi & potentes non fecerant)

1250.

fecerant) obloquebantur invidentes, & ipſum oderant perſequentes, nec poterant illi quicquam pacificè loqui.

Strategma Willielmi Longaſpatæ.

CONTIGIT autem iterum, quòd idem *Willielmus* miſſis cautis quos habuit exploratoribus, arcano relatu didicerat, quòd quidam de Orientalibus inſtitoribus valdè locupletibus irent ſub pauco imprudenter conductu, ad quaſdam nundinas verſus partes *Alexandrinas*, ubi certiſſimè ſua ſperabant bona multiplicare. Clam igitur de nocte ſuis ſecum cunctis aſſumptis viribus militaribus, illuc properavit, & repentino impetu irruit inſtar fulguris in incautos, unde ipſis mercatoribus illicò trucidatis, & eorum ducibus penitus diſſipatis, necnon aliquibus captis, omnem illam catervam, quam vulgares *Karavanam* appellant, ſibi mancipavit. Camelos videlicet, mulos, & aſinos, oloſericis, pigmentis, ſpeciebus, auro & argento onuſtos, necnon & quædam plauſtra cum ſuis bubalis & bobus, quædam victualia tam jumentis quàm hominibus neceſſaria, quibus multùm indigebant, cum eiſdem invenerunt. Et cùm multos de adverſariis, idem *Willielmus* peremiſſet & captivaſſet in eodem conflictu, unum ſolum militem & viii ſervientes perdidit trucidatos. Aliquos tamen reduxit ſauciatos, medicamine reſtaurandos. Unde lætus triumphator verſus exercitum opulentus remeavit. Hoc autem *Franci* videntes, qui deſides remanſerant & egeni, invidiæ ſimul & avaritiæ exagitati ſtimulis, venienti hoſtiliter occurrerunt, & omnia adquiſita ab eodem violenter, more protervorum prædonum, rapuerunt. Imponentes ei pro culpa ſufficienti, quòd auſu temerario, contra edictum Regium & ſtatuta Principum de exercitu, ſeſe contra diſciplinam militarem ab univerſali comitatu ſuperbè nimis ac ſtultè diſſociavit. Cùm autem hæc audiſſet *Willielmus*, ſatisfacturum ſe per omnia ſpopondit, ſic, ut ſcilicet omnia parta in victualibus univerſitati exercitus diſtribueretur indigenti. At ipſi *Franci* reboantes, omnia ſibi vendicantes, ſibi univerſa non ſine convitiis diripuerunt. *Willielmus* igitur uſq; ad ſpiritus amaritudinem contriſtatus, tantam paſſus injuriam, coram Rege graviſſimam repoſuit querimoniam, addens quòd Comes *Atrebatenſis* frater ejus, hujuſmodi tranſgreſſionis & violentæ deprædationis extiterit capitaneus. Rex autem, prout erat ſpiritu & vultu piiſſimus, voce demiſſa reſpondit, *Willielme*, *Willielme*, novit qui nihil ignorat Dominus, de injuria & damno tibi illatis, formido vehementer, ne nos noſtra confundat cum aliis peccatis ſuperbia. Noſti quia grave foret mihi Magnates meos in his quibus conſtituor periculis, quomodolibet offenſos perturbare. Et cùm hæc dicerentur, advenit Comes *Atrebatenſis*, elatus & inflatùs tanquam furibundus, & in ira magna exaltans vocem & inordinatè, & ſine ſalutatione Regis aut circumſedentiũ, exclamavit, dicens: Quid ſibi hoc vult, domine Rex, præſumiſne defendere hunc *Anglicum*, & veſtros *Francos* repellere? Iſte in contemptum tui & totius exercitus, ſuo motu ſolo ductus, voluntariè contra noſtra decreta prædas egit nocturnas & clandeſtinas, unde ipſius ſolius fama Orientalia climata, & non Regis, neq; ſuorum *Francorum*, jam pervolavit. Omnia noſtra nomina cum titulis obfuſcavit. Quod cùm audiſſet Rex *Chriſtianiſſimus*, verſa facie & inclinato vultu verſùs *Willielmum*, voce modeſta ait: Nunc potes audire, amice. Sic citò poſſet oriri ſchiſma, quod abſit in exercitu. Æquanimiter talia, & etiam his majora, neceſſe eſt in tali temporis diſcrimine tolerare. Cui *Willielmus*: Ergo non es Rex, cùm non poſſis tuos juſtificare, & punire delinquentes, cùm promittam me ſi deliquerim, per omnia ſatisfacturum. Et corde læſus intrinſecus, ſuper intulit: Tali Regi de cætero non ſervio, tali domino non adhærebo, & Iratus Rege admodum contriſtato receſſit. Et *Acon* perveniens, ibidem per multos dies moram continuando cum ſuis commilitonibus, omnibus ibidem habitantibus conquerendo injuriam, quam paſſus eſſet, lachrymabiliter propalavit. Unde univerſos, maximè Prælatos, reddidit compatientes, & *Francis* offenſos. Unde quæ ſenſus expertos, & in negociis bellicis habuerunt comprobatos, hoc triſte præſagiũ fore præcinebant indubitanter futurorũ, & offenſam altiſſimi, peccatis talibus graviter excitandam. Fertur etiam Comes *Atrebatenſis* ſuper his dixiſſe cum cachino: Nunc bene mundatur magnificorum exercitus *Francorum* à caudatis. Quod in multorum auribus offendiculum generavit. Ex tunc autem propoſuit *Willielmus* apud *Acon* morari cum civibus, *Templariis*, *Hoſpitalariis*, & adventum Magnatũ *Angliæ* cruce ſignatorum præſtolari, & eiſdem ſuperbiam & injurias *Francorum* manifeſtare. Et ut per ſe, nec admixti *Francis*, hoſtes *Chriſti* cum concilio virorum diſcretorum & humilium, exhortari potenter, attemptent expugnare.

Magnatum Angliæ iter Hieroſolymitanum.

DIEBUS verò ſub eiſdem, videlicet celebri luce beati *Auguſti*, cùm omnes *Angliæ* Magnates cruce ſignati, (quorum omnia prænotantur cum ſuis ſequelis) fixum habentes propoſitum ad feſtum ſancti *Johannis*, ut prætactum eſt, iter arripere *Hieroſolymitanum*, & terras ſuas vendiderant, vel impignoraverant, vel in laqueis *Judæorũ* vel *Caurſinorum* ſe involverant, vale dicto amicis prompti fuerant & parati. Et ecce dominus Rex, qui ſicut puerulus læſus vel offenſus ad matrem querulus ſolet recurrere, ad Papam miſerat feſtinanter ſupplicans, ut hoc iter impediret, ſignificans ei, quod quidem Regni ſui præclari Magnates crucesignati, ipſo invito & prohibente, iter arripere *Hieroſolymitanum* firmiter propoſuerant, nec ipſum Regem dominum ſuum crucesignatum, et idem iter arripere proponentem, expectare dignabantur. Qui etiam Regem *Francorum* capitalem inimicum ſuum, qui eis, ut dicebant, prævius iter et introitum præparaverat in terram Orientalem, potiùs quàm eum ſequi maluerunt. Unde Papa per literas ſuas, ſicut & ipſe Rex per verba imperioſa, diſtrictè ſub pœna excommunicationis inhibuit, ne quis eorũ contra Regis voluntatẽ, qualecunq; periculũ Rex *Francorũ* ſubiret, aut diſcrimen trànſfretaret.

Inſuper

1250.

Ponit Rex Angliæ cuſtodes portuum.

INSUPER dominus Rex in continenti, miſit ad caſtellanos *Doverum*, & ad aliorum portuum cuſtodes, ne aliquem Magnatem cruce ſignatum, permitterent transfretare. Allegatum tamen fuit contra hoc, quòd ſcilicet Rex indiſcretè fecerat, quia ſi tot & tales faciem ſuam præirent (fuerant pugnatores equites circiter quingenti, excepta eorum ſequela innumerabili) diceret totius *Chriſtianitatis* univerſitas obſtupeſcans: O quantus Rex eſt, & quàm formidabilis, qui talis præmittit? O quot credendi ſunt ipſum concomitari? & ſic totus contremiſcet *Paganiſmus*. Sed ut quid talis deceptatio? Hoc enim peregrinationis bene contigit, licèt præter prohibentium impedimentum. Quia ſi tunc transfretaſſent, non utique ad ſuccurſum domini Regis *Francorum* oportunum & tempeſtivum quod ſcienter optabant, heu, heu, perveniſſent, prout in ſequentib. pleniùs inſinuabitur. Sed quæ ſimul contigerunt, ſimul minimè poterant enarrari.

Rex Angliæ undecunque pecuniam extorquet.

INTERIM verò non ceſſavit dominus Rex, undecunq; pecuniam abradere, principaliter à *Judæis*, ſecundariò autem à ſuis hominib. *Chriſtianis* & naturalib. adeò ut de uno ſolo *Judæo Aaron* nomine, de *Eboraco* oriundus, & in eadem civitate continuans manſionem, (quia convictus fuit, ut dicitur, de falſitate cujuſdem chartæ,) quatuordecim millia marcarum extorſit, & decem millia auri ad opus reginæ, pro brevis temporis dilatione ne incarceratus contabeſceret. Quib. omnib. perſolutis, compertum eſt ipſum *Aaron* Regi perſolviſſe, poſtquàm idē Rex à partib. rediiſſet tranſmarinis, triginta milia marcarum argenti, & ducentas marcas auri Reginæ, ſicut idem *Judæus A.* ſub atteſtatione legis & fidei ſuæ, fratri *Matheo*, hujuſmodi paginæ ſcriptori, atteſtabatur. Veruntamen etſi miſeri ſint, nulli tamen ſunt miſerabiles, cum ſint monetæ Regiæ, ſigillorum, & chartarum corruptores & falſarii, manifeſtè & frequenter probati, damnati & reprobati.

Tyrannis Galfridi Langeleia.

SUB eiſdem ſiquidem temporibus, quidam miles domini Regis Ballivus, inquiſitor transgreſſionum in foreſtis domini Regis factis, nomine *Galfridus*, cognomento de *Langeleia*, plures *Angliæ* partes peragans, adeò aſtutè, adeò protervè, adeò violenter, præcipuè à partium Borealium Nobilibus pecuniam infinitam extorſit, ut quantitas theſauri collecti, fidem in auditorum cordibus excederet, vel ſtuporem generaret. Oppreſſio autem hæc immoderata, qua Rex Boreales afflixit, videbatur ab antiquo odio profluxiſſe. Memoratus itaque *Galfridus* copioſa ſtipatus familia & communita, ſi quis Nobilium prædictorum ſe excuſantium auderet mutire, cùm inimici eorum Judices extitiſſent, illicò capi juſſit & Regis carceri deputari. Nec potuit aliqua ratione pœna culpæ reſpondere. *Pro unica enim beſtiola, hinnulo vel lepore, licet in invio errantib. aliquem Nobiliſſimum uſq; ad exinanitionem depauperavit, nec ſanguini parcens vel fortunæ. Reſpectu autem hujuſmodi, *Robertus Paſſeleve* piiſſimus cenſebatur, imò omnes prædeceſſores ejus, in ipſo juſtificabantur ac benedicebantur. Ipſe quoq; *Galfridus* in hoſpitio domini Regis dudum ad Mareſcalciæ officium promotus, ut virgam pro magno ferret Mareſcallo, Regalis menſæ minoravit pro poſſe dapſilitatem & conſuetam curialitatem, unde ſic domino Regi adulando complacuit & gratiam, ſibi licèt immeritò, Regiam comparavit. Poſteà verò memoratus *Robertus* reputans ipſum *Galfridum* ſocialem & fidelem, in ſuam ipſum advocavit ſocietatem, ad officium videlicet Juſtitiariæ de Foreſtis domini Regis. Sed *Galfridus* inſidians calcaneo ſui promotoris *Roberti* ipſum poſteà nequiter ſupplantando, Ballivos quos idem *Robertus* conſtituerat, ignominioſè depoſuit, nec erubuit ipſos depauperare, unde ipſum *Robertum* verecundatum non mediocriter damnificavit. Sed quis miſerebitur incantatori, à ſerpente percuſſo? Idcirco ſæpe-dictus *Robertus* curiæ & curialium muſcipulas evitans, ad melioris vitæ ſacerdos ordinatus, manipulos colligendos, ut prædicitur, convolavit.*

Cant. Archiepiſcopus Romanam curiam adit.

TEMPORE quoque ſub eodem, Archiepiſcopus *Cantuarienſis B.* comperiens quod Decanus S. *Pauli*, concomitantibus quibuſdam ejuſdem eccleſiæ Canonicis, & eorum quos læſerat procuratoribus, conſilio Legiſtarum animatus, & Regis literis & protectione armatus, necnon & generis ſui potentiæ confiſus, ut fortior fieret in tyrannide, per Papalem auctoritatem, curiam *Romanam* aditurus, in magna pompa & apparatu transfretavit.

Obitus R. de Lexintona.

EODEMQUE anno, quarto Calend. Junii, obiit *Robertus* de *Lexintona* clericus, qui in Juſtitiariæ officio diu commoratus, nomen famoſum & ampliſſimas ſibi poſſeſſiones adquiſierat. Veruntamen paucis ante mortem ſuam annis, ceſſit officio memorato paraliſi ſauciatus, ut beato *Matthæo* Apoſtolo aſſimulatus, de telonio ad vitam vocaretur meliorem, unde in eleemoſinis largis & devotis orationibus, vitam languidam laudabiliter terminavit.

Rumores vani de captione Kayri.

TEMPORIBUS inſuper ſub eiſdem, cum rumores jocundiſſimi, ſed vani de captione *Kayri* & *Babyloniæ* increbuiſſent, ſimúlque de deſolatione *Alexandriæ*, & vanis conſolationibus omnes Occidentales demulcerent, compertum eſt talem fuiſſe cauſam & originem, quæ prolixam tamen exigunt narrationem, ſed infructuoſam, quia

Tota trahit ſeries ex turpi fine pudorem.

Damiata capitur à Chriſtianis.

CUM *Soldanus Babyloniæ* de adventu Regis *Francorum* famoſiſſimi, & ſui exercitus anno præterito certificaretur, commiſit cuidam Principum ſuorum, in quo magis confidebat, cuſtodiam *Damiatæ*, & fratri ejuſdem Principis cuſtodiam *Kayri* & *Babyloniæ*. Poſt captionem autem *Damiatæ* inopinatam, convocatis omnib. optimatib. ſuis memoratus *Soldanus* ipſum Principem cui *Damiatam* commiſerat cuſtodiendam, & ſub cujus tutela ipſam amiſerat, in omnium

audientia

1250

audientia graviter accuſavit, imponens eidem quòd proditioſè vel negligenter ac formidoloſè principalem civitatem ſuam, quam conſtat eſſe inexpugnabilem, non tantum amiſerat, ſed in manibus tradiderat hoſtium publicorum, ita ut inimici omnium *Saracenorum Chriſtiani* introitum habeant patentem in *Ægyptum* & omnem terram Orientalem, & ſpem omnia potenter & patenter citiùs & certiùs adquirendi, & refugium munitiſſimum in confuſionem totius *Pagaſiſmi.* “ Cui princeps ſic accuſatus, reſpondit: Domine potentiſſime, ego tuus fidelis & de- “votus, miſſis in Inſulam *Cypri* exploratoribus meis, didici ab eiſdem, quando Rex *Francorum* “ ibidem hyemaverat, quòd quando inde recederet, *Alexandriam* tenderat ipſam hoſtiliter ex- “ pugnaturus: unde omnes *Damiatæ* feſtinus illuc tranſmiſi, ut *Alexandrinos* amicos noſtros “ & vobis ſubditos potenter adjuvans, dictum Regem cum tota ſua claſſe vobis captum præ- “ſentarem. Sed fortuna nobis inimica vento ſibi proſperè, commutato, nobis inimicos noſtros “ tranſtulit immunitis. Et ſic nobis, ut nôſtis, pro poſſe reſiſtentib. littus occupavit. Et in cra- “ ſtino, Marte ſibi propitio, *Damiatam*, quam omnib. virib. deſtitutam invenit, obſedit. Adve- “ nit itaq; protinus cum eo tanta claſſis multitudo, ut videretur vaſtum veluti coopertum. “ Perpendentes igitur veraciter, quòd nos, quib. capitanei & arma civitatis defuerunt, noſtræ “ & veſtræ ſaluti conſuluimus, ut excerebratis & jugulatis quos habuimus *Chriſtianis* captivis, “ de nocte fugam arripuimus clandeſtinam: donec revotis virib. hominum quos *Alexandri-* “ *am* miſimus, ipſos *Chriſtianos* fortiùs impugnaremus. Sed etiam quidam captivi *Chriſtiani*, “ cùm viderent *Chriſtianos* ſuos advenientes, & nos ſocios ſuos perimentes, in nos calcaneum “ levantes hoſtiliter ac furioſè inſurrexerunt, & aliquos de noſtris peremerunt. Qui inſuper “ poſt receſſum noſtrum, ipſos advenientes *Francos* per vada incognita duxerunt, & in arca- “ na civitatis penetralia perduxerunt. Nos tamen receſſuri, ignem, ne hoſtes noſtri bonis no- “ ſtris gloriarentur, ſuppoſuimus, quem ſclavi quã citò poterant, extinxerunt. Cum autem re- “ cedere cogebamur, legem *Machometi* execrabamur gemebundi, & ipſi maledicentes, mori po- “ tiùs quàm vivere optabamus. Quod cùm audiſſet *Soldanus*, in irã excanduit vehementè, erat enim ſuperbus nimis & immiſericors, & judicio aliquorum ſe ſufficienter Princeps memoratus expurgâſſet: tamen inſurgente ipſo in eum *Soldano* crudeliùs, ipſum tanquam proditorem & blaſphemum ſuſpendi juſſit in patibulo. Hoc autem cùm audiſſet frater ejus, cuſtos videlicet *Kairum* (qui multo tempore anteà cor habuit *Chriſtianæ* legi conſentaneum, occultè tamen, propter metum *paganorum*,) ſecreto fecit evocari quoſdam quos tenuit in vinculis captivos, ſcilicet *Templarios*, *Hoſpitalarios*, & quoſdam *Francos* nuper apud *Gazaram* in bello captos, & ait illis. Eſt mihi ſecretũ præcordiale, vobis, fideliter revelandũ. Quod ſi in diſtricto fidei & legis veſtræ examine celare & proſequi mihi promiſeritis, vobis illud revelabo. Talia igitur proponenti cum captivi fidei interpoſitione præſtitóq; juramento fidelitatẽ per omnia indubitã ſpoſpondiſſent, ſuam exorſus narrationem, dixit: *Soldanus Babyloniæ* hactenus, ſed non de cætero, Dom. meus, cui diu fideliter in multis ſervivi periculis, mihi nuper moleſtiã intolerabilẽ intulit, dedecus, & gravamen, fratrẽm enim meũ quem pluſquàm fratrem, imò plùs quàm totum genus meũ dilexerã, tractũ ſuſpendit in patibulo, imponens ei quòd *Dami..tam* ſponte vel formidoloſè *Francis* tradidiſſet, ſed nec poterant ei rationes cum teſtimonio aliquatenus ſuffragari. Conſtat autem, ut fortè audiſtis, hanc ſuam criminoſam accuſationem fuiſſe falſiſſimam. Noſtis etenim quàm viriliter, quam fideliter dimicando, *Francis* reſtitit litus occupantibus adeò ut *Rokum* noſtrum, qui inter nos maximus & poſt *Soldanum* ſecundus, qui multos retroactis temporib. *Chriſti..nos* trucidaret, & apud *Gazre* de veſtris triumphârat, cum multis de noſtris, amicis & conſanguineis ibidẽ amitteremus. Hinc eſt quòd ultioni tantæ tyrannidis intendens, Regi *Francorum* piiſſimo hoc inexpugnabile caſtrũ, in quo repoſita eſt totius ſpes *Paganiſmi*, videlicet *Kayrum* cũ *Babylonia*, trado, totúmq; theſaurũ *Soldani* in eodẽ repoſitũ. Me quoq; ipſum & mea omnia *Jeſu Chriſto* & domino meo Regi *Francorum* dedo & concedo, baptiſmatis poſtulans ſacramentũ. Quod enim fratri meo dictus *Soldanus* jam fecit, mihi, ſi in manus ejus incidere me licèt inſontem contingat, faciet indubitanter. Ite igitur cautè omnib. vinculis abſoluti, cum ſumma feſtinatione ad ipſum *Francorum* Regem, hæc omnia fideliter relaturi: & ut magis de fidelitate certificetur, totũ ſuũ exercitũ, quem reputamus inſuperabilẽ, huc ſecum adducat ordinatũ. Cum autẽ hæc ad aures *Soldani* pervenerint, totũ poſſe ſuum effundet, ut occurrat hoſtiliter adventanti. Quod tamẽ non opportebit formidare, habebitis enim preſtò caſtrum memoratũ cum *Babyloniæ* patens ad refugium, & ad omniũ ſubitã paganorũ confuſionẽ, meum in omnib. ducatũ, conſiliũ & auxiliũ. Ipſi igitur captivi, jam in primũ veritatis argumẽtum liberati, admodũ lætabundi, Regem clanculò ſtatim adiêrunt, & quia fide digni & noti extiterant hæc referentes, credi per omnia meruerunt. Rex autem hæc audiens, prohibuit ne hæc alicui revelarentur, donec ſuum propoſitum certiùs ordinaretur. Dolens autem quòd per abſentiam *Wil. Longæ ſpatæ* & ſuorum, qui injuriam enormem toleraverant, ſuus mutilaretur pro magna parte exercitus & ſcandilizaretur, miſit feſtinanter pro eo, ut veniret, omnem de læſione ſibi illata ſatisfactionem ſuſcepturus. Et addidit in fine mandati: *& jocundos rumores auditurus, quos eventus ſequentur diu deſideratus & gaudium adoptatum, cujus te volumus eſſe participem ac deſideramus.* Et, exiit hic ſermo inter incolas terræ illius, inter cives *Aconenſes* divulgatum. *Willielmus* igitur mandato tanti Principis, maximè propter finalem additionem, venit cum omni comitatu ſuo ad Regẽ. Qui poſtquàm ex relatione Regis exultantis, memorati Tribuni

mandatum

1250. mandatum cognoviſſet, præ gaudio concepto, omnem ſuis debitoribus remiſit injuriam & rancorem. Ex his autem quidam ſecretorũ perſcrutatores, & feſtivi eulogiorum nunciatores, quaſi jam eſſent de promiſſis poſſeſſores, amicis ſuis, quos exhilarare cupiebant, epiſtolis vanis ſignificabant quòd captis *Kayro* & *Babylonia*, etiam *Alexandria* relinquebatur expoſita *Chriſtianis*. Et inde ortum habebant rumores cum literis memoratis.

Soldanus multa offert Chriſtianis pro pace impetranda.

REX igitur ſpe bona exhilaratus, appoſita tuta cuſtodia in civitate *Damiatæ* Ducis *Burgundiæ* & multorum aliorum fidelium ſuorum verſus *Kayrum* lora dirigit, & vexilla, cum toto exercitu ſuo ſecundùm militarem diſciplinam ordinato. Et obiter quoſdam in inſidiis poſitos *Saracenos*, qui impediebant ne victualia ad *Damiatam* deportarentur, trucidavit. Nunciatum eſt interim *Soldano*, quòd *Franci* gaudentes & imperterriti, erectis ſignis à caſtris *Damiatæ* exierant, certam ſpem quoq; conceperant omnia conquerendi. Miſit igitur ilico ad Regem nuncios à latere ſuo præclaros ipſe *Soldanus*, impetus *Francorum* formidans, offerens *Chriſtianis* omnem *Terram ſanctam*, ſcilicet totum Regnum *Hieroſolymitanum* & ampliùs, necnon & theſaurum infinitum in auro & argento & aliis concupiſcibilibus. Ea tamen conditione, ut reſtituens *Damiotam* cum omnib. captivis, quos in vinculis detinebat, bono pacis mutuæ ac dilectionis frueretur, omnes ſclavos *Chriſtianos* liberos ſimiliter recepturus, eſſéntque commeatus & commercia in utriúſq; Regionibus communia & pacifica. Dictúmq; & veraciter affirmatum fuit, quòd *Soldani* & multorum optimatum *Saracenorum* mens fuit, legem *Machometi*, (quam conſtat ſpurciſſimam eſſe,) relinquere, & legi *Chriſtianæ*, quàm liquet eſſe honeſtiſſimam, fideliter adhærere, dum modò terras & poſſeſſiones ſuas, pacificè poſſent retinere. Sed huic pacis formæ, ex Papæ mandato, quod eum animaverat, ſi fortè hæc offerrent *Saraceni*, rebellis erat Legatus, & frontoſè contradixit.

Patefit Soldano proditio.

DUM autem circa hæc mora inutilis protraheretur, quidam de prædictis *Saracenis* montanis, qui in inſidiis conſtituti cum quibuſdam Paſtorib. in convallib. greges paſcentibus, victualia arcebant, per exploratores aſtutiſſimos, proditionem memorati tribuni *Kayri* cuſtodis didicerunt. Arreptis igitur equab. velociſſimis, *Soldanum* curſu rapaci adierunt, & cauſam adventus *Chriſtianorum* & alacritatis, & ſecuritatis eorum, patenter nunciârunt eidem. Qui ilicò miſit ſub omni celeritate ad *Kayrum* milites expeditos & ipſum Tribunum arripiunt & retinent compeditum, donec veritatis argumenta invenirent, cujus erat primum quòd carcerem captivis invenerunt vacuatum. Comperta igitur Tribuni proditione, *Kayrum* & *Babyloniam* munitiſſimis militum ſuorum cuſtodiis *Soldanus* protinus communivit, dicens: Nunc demùm ſpero quòd pro ſuperbia eorũ confundet *Chriſtianos* Dom. ac Deus eorũ *Jeſus Chriſtus*, amator modeſtiæ & humilitatis. Ex tunc *Soldanus* æquanimis & fortis effectus, quæ priùs *Chriſtianis* obtulit, noluit concedere, licèt humiliter poſtularent, animatúſq; ad certamen & ad reſiſtendum confidenter, imò potiùs triumphandum anhelavit. Fecit igitur convocari de partib. orientalib. bellatores infinitos, quicunq; pro republica eorum ſollicitabantur, & ditari auro & argento copioſè ſitiebant, fecitq; in publico voce præconia acclamari, ut quicunq; caput *Chriſtiani* ſibi præſentaret, decem talenta præter conſueta & pacta ſtipendia: quicunq; manum dexteram, quinque: qui verò pedem duo pro præmio gratanter reportaret.

Res F. Imperatori feliciùs ſuccedunt.

ANNO verò ſub eodem, dominus *Fredericus* inſolentiam *Italicorum* graviter ferens induratam, præcipuè tamen *Parmenſium* & *Bononienſium*: *Parmenſium* pro cede *Thaddæi*, & aliorum *Frederici* fidelium, & dejectione caſtrorum, quæ *Victoriam* vocaverat: & *Bononienſium* pro captione, & retentione *Enſii* filii ſui, ut & ſuorum necnon & *Ceremonenſium*, cœpit vigilanter eiſdem inſidiari. Ipſi verò *Parmenſes*, pro diuturna pace, qua permiſit eos dictus *Fredericus* gratulari tutiſſimi partes primò civitati ſuæ adjacentes, indemnes, pervagabantur. Poſteà verò remotiùs commercia ſua ad nundinas deferentes, quietè negotiabantur, & pacificè remeabant. Cives igitur potentiores, exinde ſecuræ pacis ſumentes argumentum, cum una dierum hortos ſuos & caſtra ad civitatis tuitionem in confiniis ſuis conſtructa ſecuri & inermes permittentib. ipſis, qui in inſidiis conſtituebantur *Frederici* fidelib. ſpaciando perluſtrâſſent, inſidiantes ſubitò de latibulis ſuis ad unguẽ armati, aditũ civitatis præcluſerunt immunitis. Omnéſq; cives illos, qui multi & præclari fuerant, incautos, velut aviculas, ceperunt irretitas: & intrantes civitatẽ, cùm primas portarũ cuſtodias pertranſiſſent, omnia ad votũ occupaturi, populus qui in civitate remanſerat, clamore horribili elevato, catenas, repagula & tranſtra per plateas pro obice feſtinanter oppoſuerunt tranſituris. Inſuper & dolia vacua per pavimenta rotaverunt, quæ ſonitũ terribilẽ emittentia, equos aufugârunt ſtupefactos. Sed poſtquàm de captione civiũ ſuorũ, qui totius civitatis fuerant capitanei & eminentiores, certificabantur, quæ pacis erant humiliter poſtulabant, & multi exeuntes, data nõ modica pecunia, dextras dederunt *Frederico* ſuũ arbitriũ ſubituri. Aliqui tamẽ quib. firmiſſimæ turreis fiduciã reſiſtenti præſtiterunt, ſeſe in eaſdẽ receperunt, emittẽtes ſpiculo cũ lapidib. ponderoſis, malentes ibid. quæcunq; ſubire diſcrimina, quam judiciũ ſubire *Frederici*. *Bononienſes* autẽ hæc audientes miſſis ad ipſũ *Fredericum* nunciis, pacifica cũ humilitate & precib. rogitabant: quos tamen ipſe *Fredericus* diſtulit exaudire. Tempore igitur ſub eodẽ, miſſis fidelib. ſuis ad *Avinionem* & *Arlam* civitates nobiliſſimas, nec multùm à *Lugduno* diſtantes, civiũ ipſarũ ſuſcepit cũ juramẽtis fidelitatem. Hæc autẽ cùm ad audientiam Papalem perveniſſent, doluit vehementer in his prædictis tot theſauris inaniter effudiſſe. Ad cumulúmque doloris *Romanæ* curiæ, dominus

Reinerus

Reinerus de *Viterbio* Cardinalis & Camerarius, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, qui genere præclarus & poſſeſſionibus opulentus, indefeſſus fuerat *Frederici* perſecutor ac diffamator. Et eo mortuo, ſignificaverunt *Romani* domino Papæ cum comminationibus, ut tanquam eorum Paſtor & Epiſcopus, *Romam* venire non differret. 1250

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, *Bernardus* de *Nympha* clericus, Papalibus armatus munimentis, à cruce ſignatis ad opus Comitis *Richardi*, ſub inhoneſta nimis forma magnam pecuniam collegit, ut potius rapina quàm juſtitia videretur. Forma autem hujus rapinæ informis, ne multorum aures cum cordibus offendat, in *libro Additamentorum* pleniùs exaratur.

B. de Nympha *pecuniam colligit à cruce ſignatis.*

DIE verò ſancti *Kenelmi*, videlicet Calend. Auguſt. Comite *Richardo* exiſtente *Londini*, & ad ſcaacarium ſedente, venit ad ipſum nuncius quidam feſtinus & triſtis, rumorum & literarũ bajulus teterrimarum, hujus ſententiæ tenorem continentiũ. “Rex *Francorum Chriſtianiſſimus*, “inito concilio univerſali, animatus rumoribus cujuſdam tribuni cuſtodis *Kayri*, de quo prædi-“ctum eſt, caſtra movit de *Damiata* verſùs *Kayrum*, & quoſdam in via potenter adverſantes, forti-“ter trucidavit. Et cùm proſperè faviſſet ei Mars per omnia, & facta quadam impetuoſa con-“greſſione *Chriſtiani* de *Saracenis*, poſt longum hinc indè diriſſimũ & diriſſimũ conflictum, glorioſè triumphàrunt. Tranſito igitur quodam magno flumine, ex alveo *Nili* prodeunte nomine *Taſnem*, circa clauſam Paſcha per ſcaphas planas colligatas, & per occultum vadum, quod ei manifeſtaverat quidam converſus quondam *Saracenus*, multi tranſierunt. *Robertus* autem frater Regis, Comes videlicet *Atrebatenſis*, aſſumptis ſecum multis nobilibus, quorum unus erat *Willielmus longa ſpata*, neſciente Rege fratre ſuo, ad ulteriora litoris ſe contulit. Cujus erat intentio, pro omnibus ſolus triumphare & titulos aſportare, ut ei ſoli victoria aſſcriberetur. Erat namq; ſuperbus nimis & arrogans, atq; vanæ glorie appetitivus. Et invenientes quoſdam *Saracenos*, ipſos in ore gladii trucidàrunt. *Robertus* igitur audacter progrediens, ſed inconſultè, quoddam caſale, quod ante ipſos erat, nomine *Manſor*, propoſuit violenter occupare & trucidatis omnibus quos in eodem inveniret, illud ſubruere: & intrans violenter, ferè lapidibus obrutus, confuſus exivit, multis tamen ipſius habitatoribus interfectis. Et cùm conglomerati tractatũ haberent, quid agendum, Comes *Robertus* ſperans ultima primis fœliciter reſpondere, omnes ad progrediendum perſuaſit & animavit, & dixit magiſtro militiæ *Templi*, qui tunc cũ ipſo fuerat, præſente *Willielmo longa ſpata*. “Inſequamur hoſtes qui propè ſunt, ut dici-“tur, fugitivos, dũ res in manibus noſtris proſperatur, dũ videmus noſtros ferventes, & hoſtiũ “cruorem ſitientes, & inimicos fidei de ſalute propria deſperantes, ut omnes conterendo bellũ “noſtrum fine beato citiùs concludamus. Confidenter agamus, quia ſequitur nos tertia pars “exercitus *Gallicani*; & ſi aliquid nobis ſiniſtri, quod abſit contingat, ſubveniet nobis ad nutum “mandati, fratris ac domini mei Regis exercitus inſuperabilis. Cui magiſter militiæ *Templi*, vir “quidem diſcretus & circumſpectus, in negotiis quoq; bellicis peritus & expertus, reſpondit: O “domine Comes magnifice, veſtram ſatis ſtrenuitatem, & innatam magnanimitatem & auda-“ciam commendamus, voluntariam ad honorem Domini & Eccleſiæ ſuæ univerſalis, quam “novimus & ſæpè ſumus experti. Veruntamen, optamus & ſalubriter conſulimus ſupplicantes, “quatenus fræno modeſtiæ ac diſcretionis hunc fervorem velitis cohibere, ut poſt hunc, quẽ “nobis Dominus contulit, triumphum & honorem aliquantulùm reſpiremus. Poſt hos enim “bellorum æſtus & labores fatigamur, ſauciamur, eſurimus, & ſitimus, & ſi nos honor & glo-“ria obtentæ victoriæ conſoletur, nullus tamen equos noſtros jam deficientes & vulneratos ho-“nos vel gaudium refocillat. Revertamur igitur conſultiùs, ut exercitui domini noſtri Regis “uniti, tam conſilio quàm auxilio ipſius roboremur, & tam equi noſtri, quàm nos, aliqua quie-“te recreemur. Quod cùm viderint hoſtes noſtri, modeſtam prudentiam noſtram plùs lauda-“bunt, & ampliùs formidabunt. Communicato enim cum noſtratibus ampliori conſilio, ad in-“cœpta cùm omnes congregabimur, fortiores reſurgemus, & collatis viribus confidentiùs ro-“borabimur. Jam enim aſcendit clamor fugitivorum, qui velociſſimis equis rapti ipſum *Sol-*“*danũ* & alios inĩicos noſtros, de viribus ſuis & nũeroſitate cõfidentes, excitabunt, & de noſtra “paucitate & totius exercitus, quod ſẽper deſideraverũt, præmunient, & confortabunt diviſio-“ne, & nos, ſuper his certificati, proterviùs & confidentiùs aggredientur, vires ſuas nunc ef-“fundentes in noſtram perniciem & confuſionem. Norunt enim quòd ſi nunc conterantur, “exhæredati penitus cum uxoribus & liberis, irreſtaurabiliter ad *Nilum* redigentur.

Rumores triſtes è Terra ſancta allati.

HÆC autẽ cùm Comes audiſſet *Atrebatenſis*, indignatus vehementer, iráq; & ſuperbiâ tur-“gidus et inflatus, reſpondit: O antiqua *Templi* proditio! O vetus *Hoſpitalariorũ* ſeditio! O fraus “diu occultata, quàm manifeſtè nunc prorupit in medium. Hoc eſt quod diu vero præcini-“mus augurio, & veraciter eſt prædictum, hæc tota terra Orientalis jam diu fuiſſet adquiſita, “niſi *Templi* & *Hoſpitalis*, & aliorum, qui ſe proclamant religioſos, fraudibus nos ſæculares im-“pedirent. Ecce patet ad manum captio *Soldani* & totius confuſio *Paganiſmi*, & legis perpetua “exaltatio *Chriſtianæ*, quam ſuis fictis & fallacibus ſermocinationibus præſens *Templarius* cona-“tur impedire. Timent enĩ *Templarii*, & formidant *Hoſpitallarii*, & eorum complices, quòd ſi “terra viribus ſubdatur *Chriſtianis*, ipſorum exſpirabit, qui amplis redditibus ſaginantur, dõi-“natio. Hinc eſt quòd fideles huc adventantes, & ad negotiũ crucis accinctos, variis inficiunt “potionibus, & *Saracenis* confœderati, diverſis interficiunt proditionibus. Nonne ſuper his *Fredericus* eorum expertus muſcipulas, teſtis eſt certiſſimus?

Convitia Comitis Atrebatenſis in Templarios & Hoſpitalarios

1250.

Reſponſum magiſtri militiæ Templi.

HIS igitur verbis Satyricis & mordacibus, magiſter militiæ mẽoratus cũ fratribus & magiſter *Hoſpitalis* cum ſuis ſimiliter confratribus, uſq; ad ſpiritus amaritudinẽ contriſtati, unanimiter reſponderunt. "Ut quid, Cões generoſe, habitum ſuſciperemus religionis, nunquid ut ecclesiam *Chriſti* everteremus, & proditionibus intendentes animas noſtras perderemus? abſit, "abſit, hoc à nobis, imò ab omni *Chriſtiano*. Et iratus magiſter *Templi* vehementer, alta voce exclamavit dicens ſignifero: "Explica & eleva ſignum noſtrum, & procedamus bellaturi, ut "hodie tam mortis quàm Martis ambigua fata coexperiamur. Inſuperabiles eſſemus, ſi inſeparabiles permaneremus Sed infœliciter dividimur, ſimiles harenæ ſine calce, unde inepti ædificio ſpirituali, & cæmento charitatis expertes, materiæ depulſæ conſimiles erimus profectò "ruinoſi.

W. Longæ *ſpatæ altercatio cum R. Comite* Atrebatenſi.

TALIA igitur audiens *Willielmus longa ſpata* ſchiſma in exercitu jam ſuſcitatum vehementer formidans, impetuoſum motum animi Comitis *Atrebatenſis* ſedare cupiens, & magiſtri *Templi* iram mitigare, reſpondit dicens. "Talem ſciſſuram & diviſionem ſecundum verbum Domini "cum ſequitur deſolatio. Credamus igitur huic viro ſancto & autentico, ô Comes sereniſſime. "Incola hujus terræ exiſtit diuturnus notiq; vires & verſutias *Saracenorum*, experimento edoctus multiplici. Nos novi, juvenes, & advenæ, quid mirum ſi Orientalium ſimus neſcii periculorum. Quantum diſtat Oriens ab Occidente, tantum diſcrepant Occidentales ab his Orientalibus. Et verſa facie ad magiſtrum *Templi*, cum ſerenitate & verbis blandis ipſum allocutus conabatur motum anĩi ejus mitigare cùm ecce Comes *Atrebatenſis* rapiens verbum ab ore ejus, more *Gallico* reboans & indecenter jurans, audientibus multis os in hæc convitia reſolvit, dicens. "O timidorum caudatorum formidoloſitas, quàm beatus, quàm mundus præſens foret "exercitus, ſi à caudis purgaretur & caudatis. Quod audiens *W.* verecundatus, & de verbi offendiculo laceſſitus & commotus, reſpondit: O Comes *Roberte*, certè procedam imperterritus ad quæq; imminentia mortis pericula. Erimus, credo, hodie, ubi non audebis caudam "equi mei attingere. & apponentes galeas et explicatis ſignis progreſſum contra hoſtes, qui ſpacioſam planiciẽ, montes et valles undiq; cooperuerunt, continuabant. Sic igitur volens Comes *Robertus* omnia ſibi, ſi *Chriſtianos* contingeret triumphare, aſſcribere, dedignabatur fratri ſuo domino *Francorum* Regi, hæc præſumpta pericula nunciare.

SOLDANUS igitur per expeditiſſimos exploratores ſuper hujuſmodi õnibus certificatus, omnem ſuam numeroſam, quæ ſub temporis inopinata brevitate fuerat congregata, multitudinẽ ad certamen alacriter aniavit, dicens. "Eia, eia, hoc eſt quod diu præoptavi. Diviſi ſunt *Chriſtiani*, nec frater fratri jam adhæret. Imò & iſti, qui non niſi vix tertiam partem conficiunt, ad "invicem ſunt diſcordes. Dati ſunt nobis in prædam & direptionem. Imò hodie ſeſe corrodentes, turpiter ſunt objurgati. Quid hi faciunt, vel facturi ſunt, Rex *Francorum* remotus "penitus ignorat. Conterendi ſunt primitus iſti fame macerati, & bello cum itineris labore "fatigati, & lapidibus, quos apud *Manſor* ſuſceperunt conquaſſati, pauci admodum & omnino debilitati, ut faciliùs conſequenter alios penitus occupemus, quos ab omni victualium genere coarctamus. Hoc igitur conſilium cum ab omnibus *Saracenis* audiretur, ab univerſis eſt approbatum. Irruit igitur impetuoſe nimis ipſe *Soldanus* cum innumerabilibus turmis ſuis in exercitum *Chriſtianorum*, & committitur bellum cruentiſſimum, & infra parvæ moræ ſpatium *Chriſtianorum* exercitus, multitudine *Saracenorum*, ſicut Inſula mari, cœpit circumcingi, & interponunt ſe *Saraceni* ipſis *Chriſtianis* & flumini, quod tranſierant, ne unus quidem eorum poſſet evadere. Quod videns Comes *Atrebatenſis* pœnituit eum conſiliis ſeniorum ac ſaniorum non adquieviſſe. *Sed galeatum ſero duelli pœnitet*. Cùm igitur videret *Longam ſpatam* hoſtibus undiq; denſo agmine circumvallatum, & pondus totius belli ſuſtinentem, exclamavit Comes *Robertus* nimis impudenter & imprudenter, dicens: O *Willielme* dimicat contra nos Deus, non poſſumus ampliùs reſiſtere. Conſule tibi per fugam, ut poſſes vivus elabi, dum te tuus equus portare prævalet, ne velle incipias cùm non poſſis. Cui *Willielmus* breviter, prout tantus tumultus permiſit reſpondit: "Non placeat Deo, ut filius patris mei fugiat pro aliquo *Saraceno*. Malo fœliciter mori, quàm infœliciter vivere. Comes igitur *Atrebatenſis Robertus* videns ſe jam circumquaq; hoſtibus ſeptũ, & vix fugam patere, flexis loris fugã iniit repentinã. Et vectus equo rapidiſſimo verſùs flumen, quod vel *Nilus* fuit, vel *Thaſnis*, quẽ *Nilus* abſorbet, armatus intravit, credens flumen tranſnatare, quia equum noverat validiſſimũ, non potuit, quia ferro & multis aliis impedimentis fuerat irretitus. Submerſus igitur miſer periit nulli miſerabilis, fugitivus & ſuperbus, humiliatus non ſponte, ſed invitus, nullius lachrymis deplangendus, quia generoſo ſanguine Regũ procreatus, aliis exemplum præbuit pernicioſum, & ſecundum illud Poëticum.

---Tantò conſpectius in ſe Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.

Comite igitur ſic ſubmerſo, cœperunt omnes qui in bello fuerant deſperare *Francigenæ*, & agminibus deficere diſſipatis. Quod videns *Willielmus* in quem omnes *Saraceni* irruerunt, cõperit quòd res pro capite agebatur, omnium inſultus viriliter ſuſtinebat, & multorum corpora detruncando animas ad tartara deſtinabat. Tandem equo enervato, & pedibus ejus detruncatis, adhuc aliquorum ſupervenientium capita, manus, vel pedes mutilando decurtabat.

1250.

Mors Willielmi Longaſpatæ.

DENUO poſt multos ictus & vulnera, que ſuſtinuit, eliquato ſanguine, cùm jam cœpiſſet deficere obrutus lapidibus, Martyr manifeſtus animam coronandã exhalavit, & cum ipſo ſignifer ejus *Robertus* de *Ver*, miles eximius, & quàmplures *Anglici*, qui ejus ab initio è veſtigio ſigna fuerant aſſecuti. Nocte verò hoc prœlium antecedente, viſum fuit matri ſuæ nobiliſſime dominæ Comitiſſæ ac Abbatiſſæ de *Acoca Halo* nomine, quòd cœlo aperto ſuſceptus eſt quidam miles omnibus armis redimitus. Cujus clypeum cùm per picturam cognoviſſet, ſtupefecta ſciſcitabatur, quiſnam eſſet, ipſe qui aſcendens ab Angelis ad tantá ſuſcipiebatur gloriam, cujus noverat ſpolia: & reſponſum fuerat voce manifeſta & articulata, *Willielmus* filius tuus. Notata igitur nocte illa, viſio illa poſteà patuit declarata: ſed ad materiam redeamus principalem. Submerſo igitur *Roberto* Comite *Atrebatenſi*, & trucidato *Willielmo Longaſpata*; *Saraceni* certi de victoria, *Chriſtianos* circumcinctos & diffiſos in ore gladii miſerabiliter peremerunt, nec evaſit de tota illa glorioſa ac famoſa militia, niſi duo *Templarii* & unus *Hoſpitalarius*, & una contemptibilis perſona. Qui quoniam nudus fuit flumen tranſnatans Regi *Francorũ* & reſiduo exercitui, caſum nunciavit cunctis ſæculis deplorandum. Alii verò qui elapſi fuerant adeò fatigabantur & vulnerabantur, quòd vix auras vitales haurientes, nequiverunt flumen pertranſire, ſed in carecto latitantes, noctis tenebras expectârunt. Nec permiſit ira, imò furor Domini, ne quis magni nominis evaſiſſet.

Rex Francorum ſuos animat.

HÆC autem cùm ad piiſſimi *Francorũ* Regis audientiam perveniſſent, ab imo trahens ſuſpiria, tactus dolore cordis intrinſecus, lachrymas aduberes cohibere non potuit, & junctis manibus & erectis in cœlũ luminibus, prorumpentibus ait ſingultibus: Ut Deo placuit factum eſt. Sit nomen Domini benedictum. Et convocatis quos habuit *Francorum* optimatibus, dixit eis: “Amici fideles, quos laborũ & periculorum meorum participes habeo & conſortes conſtantiſſimos, quid in hoc caſu flebili agendum? Hæc ſi tolerantes diſſimulando nos retrahamus, exultabunt inimici noſtri, veluti de nobis omnibus triumphantes, & magis de fuga noſtra quàm de fratrum noſtrorum cæde gloriabuntur, & ad bellandum & inſequendum, qui nobis ſunt velociores, fortius animabuntur, & ita citiùs nos omnes in confuſionem totius *Chriſtianitatis* delebunt de ſub cœlo, & ſic graviùs eccleſia univerſalis confundetur, & *Francia* indelebili obprobrio denigrabitur. Invocato igitur Deo, quem, ut apparet, peccatis noſtris graviter offendimus, inimicos noſtros fraterno ſanguine cruentatos, unanimiter cum fiducia impetamus, & cruorem amicorum noſtrorum fuſum, de manibus hoſtium condigna ultione conſtanter requiramus. Et quis poſſet ulteriùs, æquanimiter tantam *Chriſti* injuriã tolerare?

Infauſtus Regis progreſſus ad bellum.

ARMATI ſunt igitur & animati, ad Regis edictum quaſi vir unus univerſi. Et dum quilibet obitus ſui amici & conſanguinei recordatus, gemitus geminant cum ſuſpiriis, ſingultus prorũpunt cum lachrymis, & exitus aquarum deducunt oculi eorum, & ſic dolore magis quàm fame contabeſcunt. Progrediuntur qui eorum præſtantiores videbantur prævia oloflamã, fratrum ſuorum, qui, ut dictum eſt, jam occubuerunt, veſtigia ſubſecuti, mittentes debiliores, qui armis & victualibus penitus caruerunt, per flumen in nacellis ad *Damiatam*, ut ſaltem ibi in urbis munimine reſpirarent. Super quo *Soldanus* præmonitus, juſſit illuc naviculas in plauſtris à bubalis feſtinanter tractis afferri, ut preter illas quas ibi habuit arcentes victualia, major copia claſſis ad miſerorũ *Chriſtianorum* exterminium haberetur, quæ utiq; claſſis Saracenis referta, obviam habuit *Chriſtianos* in flumine navigantes, ubi conſerto bello navali cruentiſſimo, telorum ibi multitudo inſtar grandinis protendebat. Tandem poſt diuturnum conflictũ abhorrendum, projecto igne *Greco*, hoſtes *Chriſti* occulto Dei judicio, de *Chriſtianis* dolore & macie confectis, ad votum triumpharunt, & quia claſſis *Saracenorum* quæ à *Damiata* venerat, quæ etiam ne ad ipſam victualia deportarentur per flumen, fuerat conſtituta, obviam veniens iter fugere præcluſit volentibus, nec unus *Chriſtianis*, ut caſum ſaltem nunciaret *Damiatæ Chriſtianis* commorantibus, evaſit, quin vel merſi vel combuſti, vel telis confoſſi, vel alio modo trucidati lachrymabiliter deperirent univerſi. Unus autem de ſubſequentibus, qui prævios à longè ſubſequebatur, vix evaſit reverſus, non ad civitatem progreſſus, quem tamen inſequebantur *Saraceni*, & quinq; plagis magnis fugientẽ ſauciabant. Huic nomen erat *Alexander Giffard*, nationéq; *Anglus* fuit, ſanguine generoſus, filius nobilis matronæ, quæ cum Regina *Angliæ* commorabatur.

Francorum clades miſeranda.

SUPER his igitur *Franci* certificati, magis ac magis in ſemetipſis dolentes contabuerunt, nec poterat ipſos Rex conſolari, unde tanta deſolatio animos depreſſit univerſorum. *Soldanus* autem audito undiq; *Chriſtianorum* infortunio, in gaudium erectus eſt & audaciam ampliorẽ. Qui cùm audiret de hoſtili adventu Regis *Francorum* & ſui exercitus mirabatur audaciam eorum, quòd poſt tot caſus adverſos pauci famelici tam copioſum exercitũ, totius ſcilicet Orientis, ad præliũ auſi ſunt provocare. Convocatis igitur ſuis optimatibus, animavit eos, dicendo: “O Orientales nobiliſſimi, qui jam ferè medietatem exercitus *Gallicani* triumphaliter & magnificè deviciſtis, & ſpoliis, armis, & equis occiſorum congaudetis, audacter huic adventãti plebeculæ, fame & dolore tabidæ, citius occurratis conterendæ, & omnes obvios irremediabiliter in ore gladii, ne unus quidem eorum evadat, detruncetis, vel manus veſtras evitet triumphales. Quæ enim eos temeraria exagitat dementia, ut nos impetant volentes exhæredare, qui poſt diluvium hanc digniſſimam inhabitavimus Regionem? Intereſt ne ſuo, ut in *Chriſtum* ſuum inviti credamus? Qui converti poteſt, aut invitus credere? Aliqua, ſed exilis ipſos movet ratio, ut terram quam ſanctam vocant concupiſcant *Chriſtiani*: ſed quid ad eos de

1250. "*Ægypto*? Indigni ſunt profectò terræ dominari, quam fluvius à Paradiſo miſſus transfluit "& fœcundat. Imberbes & tonſorati: Imbelles & imbecilles: Hermophroditis vel ſpadonibus, "vel etiam mulierib. ſimiliores quàm viris, quid præſumunt? Ad hæc omnes more debac"chantium flammarum ad prælium accenduntur, & noſtratibus occurrunt, confidenter pugnaturi.

Francorum *Rex capitur.*

NOSTRI igitur *Chriſtiani* progredientes, cùm ad locum belli, ubi *Franci* fratres eorum miſerabiliter occubuerant, perveniſſent, occiſorum corpora inveniunt acephala, manibúſq; ac pedib. abſciſſis mutilata. *Saraceni* namq; ut præmia reportarent à *Soldano* repromiſſa, certatim prævenerant, & peremptorum corpora, ut prædictum eſt detruncaverant, beſtiiſq; & volucrib. rapacib. reſiduum corporis reliquerant devorandum. Quod cùm *Franci* intuerentur, emiſſo ejulatu flebili, capillos cum veſtibus dilacerant, arma cum clypeis, ſciſſis genis, madefaciunt, adeò quòd & inimicos lachrymæ defluentes ad compaſſionem poterant invitare. Interim cominus apparent hoſtium turmæ, & fit illicò lamentabilis congreſſio. Sed quid mœrore & dolore, fame & inedia confecti, pauci & equis macilentis inſidentes, contra tot millium millia agere potuerunt? Occumbunt igitur *Franci*, proſternuntur, perimuntur, & certatim ſeſe dedunt inimicis. Quid plura? Devicto *Francorum* exercitu, & paucis de hoſtibus peremptis, diſſipantur. In quo maleſortunato congreſſu vix unus de *Saracenis*, ut præclarus, dignoſcitur cecidiſſe, & ipſe qui occubuit filius erat *Rochi*, nomine *Melkadin*: & ſi tot ex parte altera, quod nos habuimus, cecidiſſent, vix videretur eorum exercitus mutilatus. Habuimus enim equitum generoſorum duo milia & trecenta, & quindecim milia pugnatorum. Qui ferè omnes ad vota hoſtium vel trucidabantur, vel capiebantur. Rex etiam cum paucis admodum, ſcilicet *Carolo* Comite *Provinciæ*, & *Aldephulſo* Comite *Pictaviæ*, & aliis, qui ipſum defendebant, Magnatibus, qui lateri ſuo adhæſerunt, captus eſt, ad doloris cumulum, & *Francorum* obprobrium ſempiternum, & totius *Chriſtianitatis* & eccleſiæ confuſionem univerſalis. Nec eſt in aliquarum ſerie hiſtoriarum repertum, ut Rex *Franciæ* captus fuiſſet, ab infidelib præcipuè, vel devictus, præter iſtum qui ſi ſaltem ſolus ſaluti & honori reſervaretur, & ſi alii occubuiſſent univerſi, aliquam haberent *Chriſtiani* materiam reſpirandi, & obprobria devitandi. Hinc eſt quòd *David* in Pſalmo ſpiritualiter orat, ut Regia ſalvetur perſona, ut à qua totius dependet ſalus exercitus, cum dicit: *Domine, ſalvum fac Regem.* In exercitu verò quem ſecum *Robertus* Comes *Atrebatenſis*, Regis frater, auſu temerario ſecum pertraxerat, perierunt milites ferè mille: pugnatorum autem, ſeptem milia & ducenti. Nec evaſerunt de *Templo* niſi tres tantum milites, & *Hoſpitali* verò quatuor: quintus enim, antequam *Acon* perveniret, ſanguine elequato de vulnerib. mortuus eſt. De domo *Theutonicorum* tres tantummodò ſemineces evaſerunt. Occubuerunt etiam ipſo lethali certamine, præter *Templarios* & alios prænotatos, viri præclari, *Radulphus* de *Cuſcy*, miles egregius & famoſus, *Hugo* Comes *Flandriæ*, vir præpotens & illuſtris, Hugo *Brunus* Comes de *Marchi*, cujus pater paulò antè obiit apud *Damiatam*, ſimiliter & Comes de *Pontivo* peregrinus: & ut brevib. concludam, tota *Franciæ* ibid. deperiit nobilitas trucidata. *Gaucherus* quq; de *Chaſtellon*, miles ſtrenuus & invictus, captus eſt, & ad Calipham ductus, & eidē inſignū victoriæ præſentatus. Cui mos eſt, ut *Chriſtianus* carceri ſuo addictus, nunquā liber dimittetur. Occubuit quoq; poſtquā cruentus multorū hoſtiū cruore gladiū ſuū inebriaverat, *Willielmus Longa ſpata*, cū *Roberto* de *Ver*, & aliis quàmplurib. militib. præclaris & ſervientibus. Qui quàvis potuiſſet perſuaſus evadere, noluit, ne indignus videretur aliis Martyrib. aſſociari.

Cuſtodes Damiatæ & claſſis relicti.

RELINQUEBANTUR autem ad cuſtodiam *Damiatæ*, Dux *Burgundiæ*, qui præerat militiæ & populo ibidem derelicto, & *Oliverus* de *Termes*, pugnator egregius & bellator, qui præerat baliſtariis & ruptoribus. Fuerat etiam in civitate *Odo* Legatus, *Ambianenſis* & *Sueſſionenſis* Epiſcopi, cum multis aliis Prælatis & clericis. Fuerant etiam in eadem Regina *Franciæ*, & cum eadem multæ Nobiles dominæ, & mulieres. Ad cuſtodiam quoque claſſis, quæ numeroſa fuit, & qua nunquā viſa nobiſior ſimul vel copioſior fuit, addicti ſunt ad cuſtodiam milites egregii ſimulcum *Piſanis & Januenſibus*, *Flandrenſibus*, *Pictavienſibus* & *Provincialibus*; *Regis Francorum* fidelibus.

Nota quòd eadem die, qua captus eſt Rex *Francorum*, epulabatur Comes *Richardus* cum Papa, & ſicut *Soldanus Babyloniæ* cepit Regem, conabatur Papa Comitem ineſcatum capere, & ſuæ voluntati cautiùs inclinare.

Rex Franciæ *captivus negat Saracenis reſtitutionem Damiatæ.*

CAPTO igitur Rege & retento *Saraceni*, ſicut de prioribus fecerant, quos cum *Roberto* fratre Regis ceperant, corpora occiſorum abſciſis manibus & pedibus, in ſignum ſummæ ultionis, prout *Soldanus* decreverat, cum ſpe retributiónis, ut prætactum eſt, decapitabant. Unde quantò majores injurias paſſi ſunt ſancti Dei Martyres, tantò uberiora præmia proculdubio reportabunt. Propoſuit etiam *Soldanus* Regem captivandum ad ulteriora Orientaliū climata trahehere, ut omnib. infidelib. fieret ſpectaculū, & ridiculoſa oſtentatio, ad laudem *Soldani*, & omnium Saracenorum inſultationem: & ut *Caliphæ*, ad titulos *Machometi*, clariſſimus *Chriſtianorum* præſentaretur. Ut contrito nobiliſſimo, ſpem conciperent cæteros confundendi. Sed quia aviſſimè *Damiatam* ſitebant, mutatum eſt conſilium, ne fortè Rex moreretur præ triſtitia. Quia revera non comedere voluit, vel bibere quicquam per duos dies, & mori optavit poſt ſuam captionem. Et ſi obiiſſet, obſeſſi per annum ad minus, omnium Orientalium, tam per mare, quàm per terram, inſultus ſuſtinuiſſent imperterriti, interim ſuccurſu Chriſtianorum poſſent liberari:

1250.

liberari: erat enim *Damiata* muris & antemuralibus atque turribus munitiſſima, & claſſis per mare inſuperabilis. Hoc autem perpendentes *Saracenorum* eminentiores & ſapientiores, convenerunt Regem inſtanter de reſtitutione *Damiatæ*, & ſuæ perſonæ redemptione, taxata ſcilicet pecunia ad centum milia librarum auri. Quibus Rex vultu demiſſo & voce ſupplici reſpon- “dit: Novit omnipotens, quòd huc de *Francia* veni, non ut terras adquirerem vel pecuniam “mihi, ſed tantummodò ut animas veſtras periclitantes Deo lucrifacerem. Nec propter meum “niſi propter veſtrum, ſupplendo votum meum commodum, iter hoc periculoſum humeris “meis aſſumpſi. Terras enim ſatis uberes, temperatas, & ſalubres poſſideo, licèt peccator & “indignus, ſed animarum veſtrarum miſereor periturarum. Sufficiat vobis confuſio, quàm “*Chriſto* mihi offenſo, ſubii multiformiter. Occidi potero, pecunia uſq; ad inanitionem extor- “queri poterit, nunquã autem civitas *Damiata* divino miraculo adquiſita, vobis reſignabitur.

Dolo nituntur Saraceni occupare Damiatam.

ET dum talia *Saraceni* contractarent, ait unus eorum verſutiſſimus: Quid hæſitatis, & *Damiatam* & pecuniam poſtulatam, velit nolit hic captivus Regulus, obtinebimus. Concilio igitur illius, *Saracenorum* confectus eſt exercitus fortis & numeroſus, ſub illo numero quo fuiſſe *Chriſtianus* exercitus cenſebatur, vel copioſiori, & acceptis *Chriſtianorum* peremptorum fraudulenter armis, ſcutis, & vexillis, *Damiatam* transfigurati ilicò proficiſcuntur, ut ſic tanquã *Franci* reciperentur introducti, & ſtatim recepti omnes in eadem inventos detruncarent. Cùm autẽ civitati appropinquarent, intuebantur eos excubitores *Chriſtianorum* à turrium & urbis propugnaculis, & primò credebant ipſos eſſe Chriſtianos manubia deferentes & manipulos cum exultatione, ſed quantò magis appropinquabant, tantò magis *Francis* diſſimiliores apparuerunt. Raptim enim & inordinatè clypeoſq; indiſciplinatè obliquantes, potiùs more *Saracenorum* quã *Francorum* more, glomeratimq; veniebant. Et cùm & terminos caſtrorum, & ad portas civitatis perveniſſent, per vultus eorum nigros & barbatos, & ſermonem barbarum, *Saraceni* manifeſtiùs apparuerunt, qui ingreſſum civitatis frontosè nimis exegerunt. Omnes enim tam caſtrorum quàm civitatis aditus, diligenter ac vigilanter cuſtodiebantur.

Dolor Chriſtianorum cognita clade prædicta.

CUM igitur viderent cuſtodes civitatis, *Saracenos Chriſtianorum* ſpoliis redimitos certificati de *Chriſtiani* exercitus confuſione, lugubri ejulatu civitatem totam replentes, civitatis introitum hoſtibus penitus & caſtrorum denegarunt, conſtanter affirmantes, quòd ſi totus Chriſtianus exercitus cum ipſo Rege deperiſſet, infra tempora longa inſultus omnium *Saracenorum* Orientalium & obſidionem alacriter ſuſtinerent, certum ſuccurſum expectantes. Et cùm ab eminentioribus turribus ſpeculantes ſupervenientium exercitum cernerent copioſum & diffuſum, & ſuas vires virib. hoſtiũ nimis impares, noluerunt exire ad bellandũ contra eos, maximè cùm dolentes mœrore & inedia penè deficerent. Quis enim plenè poſſet enarrare dolores eorum præcordiales, cùm viderent hoſtes *Chriſti*, armis, vexillis, & cognitionibus picturatis, quas bene noverant, cum deriſionibus ſuperbire?

Rex Francorum tradit Damiatam Saracenis pro ſua liberatione.

FRAUDATI igitur *Saraceni* à propoſito ſuo, revertuntur, & ex tunc cœperunt cum Rege *Francorum* mitiùs contractare. Conceſſerunt igitur Regi, ut à ſuis fidelibus, qui cum eo capti erant, in eſcis & potibus ſerviretur, prout ſuppliciter poſtulaverat: formidabat enim, ne ſecundùm *Saracenorum* conſuetudinem, infectus potionaretur, per menſem enim & amplius inter eos detinebatur. Infra quod tempus, cùm frequenter à *Saracenis* cum terribilib. comminationib. ſolliitcaretur Rex, ut *Damiatam* redderet, & noluit ulla ratione, poſtularunt ſummam ſibi pecuniæ perſolvi ſine diminutione, vel diuturno cruciatu, uſq; ad ignominioſam mortem torqueretur, vel Caliphæ irrediturus, & ſine ſpe redemptionis, in confuſionem legis *Chriſtianæ*, præſentaretur. Rex igitur in arcto poſitus, perpendens ſe nullo modo manus eorum poſſe evadere, cõtẽplanſq; ſe nullatenus *Damiatam* retinere, quin ſaltẽ hoſtili obſidione redderetur: & quis eam liberare poſſet, vel terram ipſam potentiùs liberare? reſpondit, volens in aliquo conditionem ſuam memoratam meliorare: “Nos Occidentales non abundamus auro, ſicut vos Orien- “tales, nec utimur libris in computationibus noſtris. Aurum igitur in argentum, & libras in “in marcas commutetis, & ut utrobiq; captivis reſtitutis, ſalvo uſq; *Acon* ſub veſtro ducar “conductu. Et qui in *Damiata* commorantur, illæſi in perſonis, & indempnes in armis, per vos “ad loca tutiora perducantur: ſic vobis, quod cruento corde dico, ſi ac hoc perducere valeam “incluſos, *Damiatam* reſignabo. Quæ pacis forma, additis treugis decennalibus, cùm *Soldano* placuiſſet, Rex cum quibuſdã primatib. *Saracenorum*, quatuor de ſuis militibus, cum literis & arcanis inter ſignis, Legato, & Duci, & aliis, qui in civitate ſuperiores fuerant, deſtinavit; Significans & perſuadens, ut ipſis *Saracenis Damiatam*, ſub forma præſcripta, reſtitueret. Cùm autẽ ad portas civitatis pertranſitis caſtris Regii nuncii comitantib. memoratis *Saracenis* perveniſſent, injuncta ſibi nunciantes, Magnates *Chriſtianorum* pluſquàm dici poteſt dolentes, diu quid agendũ ſuper his dubitabãt. Muſcipulas enĩ hoſtiũ vehemẽter formidabãt, ne ſcilicet Regẽ reſignata *Damiata*, cũ illis, quos ſecũ habebat, reciperẽt potionatũ, per alicujus tẽporis victuros brevitatẽ. Norũt enĩ hoc genus fraudis *Saraceni*. Sed poſtquã didiciſſẽt per Regis nuncios, Regẽ à nulla manu *Saracenorum* potũ vel cibũ ſuſcepiſſe, intercedẽtib. Legato, Regina, & aliis amicis Regis, qui vitã ejus diligebãt, cuſtodes civitatis, poſtquàm ſecuri ſũt de Regis & ſua & nautarũ liberatione & ſalvo ad *Acon* conductu, claves civitatis, nõ ſine cruẽtis ſingultib. (proh dolor) reſignarunt. Quod cùm populares cognoviſſent, præ doloris & iræ immanitate, tã Regis quàm aliorum quæ reſidua fuerant demolientes victualia, dolia olei & vini confrege-

runt,

1250. runt, frumentum, hordeum, & carnes ſallitas projecerunt vel combuſſerunt, contra pacta utrobique conceſſa. Doluerunt inconſolabiliter, quod inimici fidei ſuis inſtaurationibus, quas per multa famis tempora reſervaverant, fuerant ſaginandi. Cenſebantque melius fuiſſe, quòd nunquam caperetur.

Decollantur Chriſtiani Damiatæ.

SOLDANUS igitur cùm dimiſſo Rege & ſalvo ad *Acon* conducto, civitatem reciperet *Damiatam*, invenit eam totam omni cibariorum genere, fractis vaſis deſtitutam, unde illos quos invenit Chriſtianos vulgares, elapſis nobilioribus, juſſit decollari, & doluit quòd majores, qui conſenſerunt, quietos abire dimiſiſſet. Inſuper juſſit, quòd navigium ibidem inventum *Chriſtianorum* comburerentur. Præterea *Chriſtiani*, qui turmatim exierant de civitate, inſidiis *Saracenorum* à montibus & convallibus exeuntium præventi, trucidabantur. Captivi tamen ante hunc caſum fœliciter reſtituebantur.

Rex Francorum diffidiat Soldanum:

QUOD cum audiſſet Rex *Francorum*, apud *Acon* ſub cuſtodia *Templariorum* commorans & *Hoſpitalariorum* & aliorum, qui in civitate fuerant *Chriſtianorum*, audiſſet, ſignificavit *Soldano*, quòd perfidus tranſgreſſor jam treugas impudenter initas confregiſſet, & quòd pecuniam quam ab eo jam ceperat, fraudulenter adquiſiviſſet. Ad quod *Soldanus* reſpondit, quòd *Franci* hujus ultionis occaſionem præſtiterunt, & rancorem ſuſcitarunt. Unde pars *Francorum* in has culpas incidiſſe probantur, & pœnas meritò ſubiſſe memoratas.

Inſurgunt Saraceni in Soldanum.

AUDIENTES interim Orientales & *Egyptii*, quòd dictus *Soldanus* tantum Regem & fratres ejus liberos dimiſiſſet corruptus pecunia, irati ſunt valdè, & ipſũ hoſtiliter impetentes, impugnarunt. Nec potuit ratio quam prætendebat de reſtitutione *Damiatæ*, pro ſalute totius *Paganiſmi*, ne ſcilicet aliis *Chriſtianis* ibidẽ pater et portus & introitus, ipſum excuſare. Ipſumq; vel fugarunt, vel peremerunt. Auxit etiam hanc populi *Saracenici* commotionem in ipſum *Soldanum*, quòd de tota pecunia quã antea & poſt Regis habuit captionem, non perſolvit pacta ſtipendia ipſis qui totũ prælium conſummaverunt, & Francos victos ſecundùm ejus mandatum detruncaverunt. Oriebatur inſuper inter eminentiores Orientaliũ lis & contentio lethalis, quis eorũ de tanta præda gloriaretur: ſed poſtquam de Regis liberatione certificarentur, omnem iram ſuã in *Soldanum Babyloniæ* refuderunt. In civitate igitur occubuit *Oliverus* de *Termes*, cum ſuis omnibus, quos ruptarios vocamus, pugnatoribus, & multis aliis, quos longum eſſet enumerare, quos eſſe in libro vitæ conſtat ſcriptos nominatim. Hujus maximæ infœlicitatis conſtat cauſam fuiſſe ſuperbia Comitis *Atrebatenſis*, qui primò humilitati reſtitit procaciter *Saracenorum*, multa quæ prænotantur, pro bono pacis offerentium. Iterum, ut omnia ſibi aſſcriberentur, tertiam partem ſibi aſſumens exercitus, clanculò receſſit ab Regis exercitu. Ut autem de prædictorum ſumma certificemur, hanc Comiti *Richardo* tranſmiſſã epiſtolam huic volumini inſeruimus.

Literæ miſſæ Comiti Rich.

REVERENDO *domino ſuo* R. *Comiti* Cornubiæ, *ſuus* I. *Cancellarius, &c. Cùm interdum magnorum animi diverſis ſoleant rumorũ relationibus fatigari, & quouſque veritas ſciatur, torqueri, lugubres & lamentabiles de exercitu* Francorũ *rumores vobis ſub certa & vera forma, quæ non publicantur, prout ex ipſo clerico quondã meo, Reginæ* Francorũ *tranſmiſſo, ore tenus accepi, quia literas non detulit, ſed tantũ rumores credulitatis vobis duxi intimandos. Videlicet, quòd cùm poſt Purificationem beatæ* Mariæ *Rex verſus* Kayrum *iter arripuit & remanſerunt apud* Damiatam *Dux* Burgundiæ *& uxores, Magnatũ, & mulieres multæ cũ Regina. Volenti autem* Nilum *tranſire,* Soldanus Babyloniæ, *& multi* Saraceni, *ex parte altera ripæ fortiter reſtiterunt, figentibus ex utraque parte tentoriis, naviculas congregavit, et cũ exercitu ſuo per eas connexas Rex tranſiret tanquã ponte firmiſſimo. Abſente autem die carnis privii ipſo* Soldano, *& dimiſſis juxta flumen tentoriis, & numeroſa multitudine in eiſdem, per conſiliũ cujuſdam converſi quondam* Saraceni *dictus* Comes *& magiſter* Templi, *cũ omnibus qui ibidem fuerunt fratribus, tranſire fideliter edocentur. Fuit autem idem converſus ex parte Comitis* Atrebatenſis *ſervus ejus. Ipſos autem ſequebatur dominus* Willielmus Longa ſpata *cũ ſuis, & multi alii, ita quòd tertia pars totius exercitus cenſebantur. Qui omnes* Nilum *tranſierunt, & ſubitò irruentes in* Saracenos *viriliter dimicarunt, & factus eſt conflictus magnus. Tandem multis interfectis, videlicet univerſis* Saracenis, *quos tam in campo quàm in tentoriis invenerunt, & facta utriuſque ſexus ſtrage non modica, victoriam glorioſam obtinuerunt,* Chriſtiani, *ſed his non contenti Comes & ſui extiterant. Voluitque Comes nimis protervus ulteriùs tranſire, ſcilicet ad quoddam caſale* Manſor *dictũ, expugnandũ, quod ſatis propè erat, negantibus & non conſulentibus Templariis, multas incõmoditates de fatigatione & læſione corporũ ſuorũ, necnon & equorum, & alias aſſignantibus. Noluit autem dictus Comes aliqua ratione redire, nec ſui. Sed convitiis ortis, ad dictũ caſale venientes, hoſtes invaſerunt viriliter. Quod videntes* Saraceni, *fugerunt cũ magno ululatu, fletu, & dolore, omnes in villa illa & aliis vicinis exiſtentes, ita quòd eadem die* Soldanus *clãorem audivit & factũ, qui non erat ita remotus, ut credebatur. Intraverunt autem* Chriſtiani *incauti caſale memoratũ, & præcluſi lapidibus ſunt obruti multi ab illis qui in propugnaculis remanentes, ipſis inſidiabantur. diſſipatus igitur exercitus & multùm diminutus vix exiit, & capit jam jam deſperare. Adveniens igitur illicò* Soldanus *cum immenſa multitudine conflictũ nimis cruentũ cũ eiſdem commiſit. Denique Deo permittente omnes* Chriſtiani *interfecti ſunt, excepta una perſona contemptibili vix redeunte. Audiens autẽ hæc Rex doluit, nec mirũ, vehementer, & ardenti animo, prout potuit, feſtinantiùs tranſitũ ſuũ per dictas nacellas & alia vaſa præparavit, dicens: Hodie neceſſariò oportet totam* Franciam *virtutem ſuam effundere, & vires ãnimodas experiri. Interim eſurie & ſiti multi de* Chriſtianis *defecerunt, & equi fatigati & eſurientes cœperunt debilitari, & quod graviùs erat, dolor & memoria de interemptis, õnĩũ corda uſque ad ſpiritus*

amari-

1250.

amaritudinem ſanciarat. Succedunt interea adverſa adverſis. Nam idem Soldanus à quo odio perſonali multi Saracenorum fuerũt animo & corpore diviſi propter ſui ſuperbiam & fraudem, eodem tempore ſubitò mortuus eſt. Et ſtatim univerſi Saraceni aliũ loco ſuo præficientes filiũ prout dicitur, illius confœderati & jurati ſunt eidem ut Domino, & ſic omnes unũ corpus effecti multò fortiùs quàm priùs animati uniuntur in perniciem Chriſtianorũ, videntes ſibi exterminiũ generale imminere. Soldanus igitur de novo creatus conſilio utens ſeniorũ & ſapientũ, facta & propoſita Chriſtianorũ diligenter exploravit. Rex interea multos de exercitu ſuo Francos infirmitate & fame confectos, miſit navigio per Nilum verſus Damiatã ut ſaltẽ ibi tuti reſpirarent. Super quo Soldanus præmonitus, in plauſtris bubalorum fecit in occurſũ eorũ vehi multò plures nacellas & armatos, & cõmiſſo bello navali graviſſimo in ipſo fluvio, tela hinc inde quaſi grando mittuntur. Saraceni igitur miſſo igne ſuo Græco, multas navicularũ cum ſuis quos vehebant, perimentes comburendo, triumpharunt: merguntur, perimuntur, comburuntur Chriſtiani, et ſic tã ferro quàm flãe, Dominus iratus omnes illos delevit. Evaſit autẽ unus ſolus natione Anglus, ut flebilem caſum Regi, quaſi Job tribulato nunciaret. Tandem in octavis Paſchæ ſequentis, Rex fluvium cum ſuo tranſiit exercitu, qui exiens de Nilo, nomen aliud ſortiebatur, ſcilicet Thaſnis, cui hoſtiliter nimis cum infinita Saracenorum multitudine occurrit Soldanus, et cõmiſſum eſt bellum miſerabile: nam Chriſtianorum à tribulatione malorum et dolorum debilitatus exercitus ſuccubuit, & ſuper populum Chriſti irreſtaurabile cecidit infortunium. Captus eſt igitur Rex et fratres ejus ſuperſtites, et cæteri univerſi, qui interfecti non fuerunt. Sicque juxta abſcondita Dei judicia Chriſtianorũ cythara in luctum converſa, pro ſono prius dulci, nunc gemitum emittit abhorrendum. Rege autẽ et cæteris ſic captivatis, loquebatur Soldanus de Pace cum Rege et ſuis. Et dum tractabatur, nec erant in unum concordes, dolebat enim uſque ferè ad mortem, miſit Soldanus fraudulenter copioſum exercitum ad Damiatã cum oloflãma et ſignis Francorũ, ut civitatem et Chriſtianos hujus rei ignaros, cautè citiùs præoccuparent. Illis autem de tali fraude per inordinatum inceſſum eorum præmonitis, clauduntur valvæ et habito colloquio, et reſiſtente Duce, et aliis in civitate exiſtentibus, & affirmantibus ſe non timere de civitatis cuſtodia, quouſque biennio vel amplius Dominus ſalubrius provideret elapſo, conſilium et auxilium conferret per ſuccurſum et non pro vita Regis flecterentur, reverſi ſunt ad Soldanum fraudati à propoſito. Rex verò tunc facta treuga pro perſona ſua et hæredum ſuorum, obligans per obſides ad reſtitutionem centum milium marcarum argenti pro jactura Damiatæ, emollitis civitatis cuſtodibus per interceſſionem Reginæ et aliorum Regis amicorum vitam ſuã deſiderantium, Damiata (proh dolor) eſt Chriſti hoſtibus in confuſionem univerſalis eccleſiæ reſtituta. Obierunt in hoc malè fortunato congreſſu, omnes ferè nobiles Franciæ. Comes Johannes de Druis, flos Franciæ, in triſte præſagium hujus infortunii futuri, obiit in Cypro.

HÆC igitur lugubria poſtquàm per aliquos ab Orientalibus partibus redeuntes, ad audientiã dominæ Blanchiæ & Magnatum Franciæ perveniſſent, nec valentes nec volentes hoc credere, relatores patibulis ſuſpendi præceperunt, quos Martyres credimus eſſe manifeſtos. Tandem cùm multiplicatos audirent relatores, quos nugigerulos vocare non audebant, & ſcripta viderent ſuper his omnibus conſignata cum interſigniis non ambiguis, tota Francia dolorẽ induit & confuſionẽ, & tam eccleſiaſtici viri quàm militares mœrore querulo contabuerunt, nolentes recipere conſolationem. Ubique enim patres & matres ſuos filios, pupilli & orphani genitores, conſanguinei conſanguineos, amici amicos cecidiſſe conqueruntur. Immutata eſt mulierum ſpecioſitas. Serta de floribus projecta ſunt. Cantilenæ ſuſpenduntur. Inſtrumenta muſica prohibentur. Omne quoq; genus lætitiæ in luctũ & lamenta cõmutatur. Et quod pejus eſt, Dominũ de injuſtitia redarguentes, in verba blaſphemiæ, quæ apoſtaſiam vel hæreſim ſapere videbãtur, præ mentis amaritudine & doloris imanitate deſipientes prorũpunt. Et multorũ cæpit fides vacillare. Venetiæ quoq; civitas nobiliſſima, & multæ civitates Italiæ quas inhabitant ſemiChriſtiani in Apoſtaſiã prolapſi eſſent, niſi Epiſcoporũ & ſanctorũ virorum religioſorũ cõſolatione roborarẽtur. Qui veraciter affirmabãt, ipſos occiſos jam regnare Martyres in cœleſtibus, nec modò velle pro totius mundi auro in hujus mundi valle tenebroſa degere. Et ſic vix quievit aliquorum, non tamen omnium indignatio.

Indignatio Francorum audita clade ſuorum.

HÆC cùm audiſſet victorioſiſſimus Rex Caſtellæ Andefulſus, qui jam pluſquam tredecim dietas ſuper Saracenos adquiſivit, compaſſus Francorum miſeriæ, cruce ſignatus eſt, dignius reputans Terram ſanctam Chriſto ſubjugare, quàm aliam.

R. Caſtellæ cruciſignatur.

TALES igitur fructus parturiunt rapinæ & deprædationes, quas faciunt Magnates, pauperibus multimodas injurias patientibus, ut eorum marſupia repleantur, permittente, imò docente eccleſia Romana, quoties peregrinaturi, ut Deo militent, proficiſcuntur. Patet ergo luce clariùs ex præmiſſis, quantum Deo diſplicet quæſtus talis, qui de pauperum ſurgit oppreſſionibus & depauperatione.

Querimonia ſuper extorſionibus pecuniarum.

ET ſi aliæ pecuniarum extorſiones per regnum Francorum factæ, irrecitabiles digne æterno ſint ſilentio unum tãen exemplum huic paginæ duximus inſerendum. Notum eſt, quod dominus Francorum Rex, ex permiſſione Romanæ eccleſiæ, per triennium decimam ab eccleſia regni Francorum emunxit, tali conditione, ut Papa tantundẽ in poſterũ ab eadẽ extorqueret, ut Fredericum potentiùs expugnaret. Cui tamen poſt primam triennii collectã, ſcilicet ſuã, Rex Francorum præmonitus, volenti ſuam vindemiare, multiformis emunctoriis ars artem falleret, in faciem contradixit, hanc prætendens rationem, quòd nullo modo toleraret eccleſiam ſui regni depauperare, ad expugnandum Chriſtianos: ad expugnandum verò incredulos,

Exemplum memorabile turpiſſimæ extorſionis in Gallia factæ.

æquanimiùs

1250. æquanimiùs tolerari potuit, & potiùs à laico quàm ſacerdote. Præterea, ſi alio proxio triennio deprædaretur, irreſtaurabili prædæ, quod tãẽ nõ curaret, pateret. Extorſit igitur, ut prætactũ eſt, pecuniã mẽoratã, per quoſdã Papæ miniſteriales, ut efficaciùs ipſã exigeret: & ut certiùs ſciretur, ad quantum pars Papalis aſcenderet colligẽda. Unde multorum corda dolore præcordiali cruentabantur, maledicentium, & imprecantiũ, ut Prophetæ *Iſaiæ*, imò Dei verificaretur ſententia, qui odio ſemper hactenus habuit rapinã in holocauſto. Utinam hæc rationis libra perpenderent dominus *Anglorũ* Rex, & frater ejus Comes *Richardus* & alii Principes cruceſignati, turpibus emolumentis incumbentes. Quamvis enim pium conſtat eſſe actũ ſanctæ peregrinationis, viatica tamen turpiter adquiſita, piæ actionis coinquinat executionem. Hæc enim cauſa, licet aliæ forte non deſint, creditur fuiſſe jam deſcriptæ confuſionis. Harum quoq; in *Francia* factarũ extorſionum, unam, quia turpiſſimã, duximus memorandã. Contigit ut memoratus Papalis exactor, obvium haberet unum cleriçulum de villa venientem aquam in vaſculo cum aſperſorio et fruſta panis, data ſibi pro aſperſione aquæ benedictæ bajulantẽ. Cui *Rõanus* inſidiator ait: Ad quantũ precium aſcendit beneficium hoc tibi ab eccleſia conceſſum per annum? Cui clericus, laqueorum ignarus *Romanorum*, reſpondit: Ad viginti, ut æſtimo, ſolidorum. Cui *Romanus* jam ſe manifeſtans, ait: Hic ergo aſſurgunt ad fiſci commodum per annũ viginti et quatuor denarii, ſcilicet duo ſolidi. Et ſuffocavit ipſũ pauperẽ oſtiatĩ mẽdicantẽ, dicens: Redde domino Regi quod debes. Unde pro illa ſubſtantiola perſolvenda cogebatur ille pauperculus, multis diebus ſcholas exercens, venditis in parviſio libellis, vitam ſamelicam et Codrinam protelare. Talibus igitur omiſſis ſermocinationibus collateralibus, ad materiam redeamus principalem.

Magnanimitas Abbatiſſæ de Acoc.

Memoratum igitur infortunium, poſtquam ad audientiã domini Papæ perveniſſet, doluit vehemẽter, et totius curiæ *Rõanæ* univerſitas, et ſuſpenſa eſt bulla per aliquot dies, & crevit & diffuſa eſt infamia Papæ non mediocriter. Auditus eſt enim hujuſcemodi ſermo in *Francorum* querimoniis: "Heu, heu, quanta mala nobis ſuperbia Papalis parturivit. Quæ tam procaciter *Frederico* reſtitit humiliato, nec condignam admiſit ſatisfactionem, ſed potiùs ad cordis provocavit amaritudinem. Obtulit nimirum nobis quicquid *Chriſtiani* poſſeſſionem in *Terra ſancta* aliquo tempore obtinuerunt, ſine ſanguinis effuſione, benignè reſtituere. Proh dolor, quantum *Chriſtiani* ſanguinis nunc in *Terra ſancta*, magnifici ac generoſi, quantum in *Alemannia*, quantumq; in *Italia* inutiliter effunditur. Et quod damnoſius eſt, fide vacillante, *Terra ſancta* patet di[illegible]rini. Minorataq; religione *Chriſtiana*, *Paganorum* ſuperſtitio exaltatur? O quàm infauſto ſidere natus eſt, quòd ſaltem ſuo tempore tot adverſa in eccleſia domini *Ieſu Chriſti*, cujus ſe affirmat eſſe vicarium, proruperunt. Cum autem hæc infortunii tanti relatio aures Abbatiſſæ ac Comitiſſæ *Helo*, quæ Conventum religioſarum dominarum de *Lachon* non muliebriter gubernavit, & quam matrem fuiſſe *Willielmi Longæ ſpatæ* conſtat magnanimi, tetigiſſet, ipſa memor viſionis, quam viderat, glorioſe de filio ſuo, eo tempore quo ipſe Martyr, ut prædictum, occubuit manifeſtus, alacri ſpiritu, junctis manibus. & flexis genibus, prorupit in hanc Dei laudẽ, *Chriſto* valdè complacentem. "O Domine mi *Jeſu Chriſte*, gratias tibi ago, qui de corpore meæ indignæ peccatricis, talem ac tantum voluiſti filium procreari, quẽ tã manifeſti Martyrii corona dignatus es redimire. Spero utique, quòd ipſius patrocinio citiùs ad culmen cœleſtis patriæ promovebor. Hæc autem poſtquàm hujuſcemodi rumorum relatores, qui diu præ timore tacuerant, viderunt & audirent, non muliebrẽ, in muliere laudantes conſtantiam, in ipſa mirabantur matronalem & maternam pietatem, in verba lugubris querimoniæ non reſolvi, imò potiùs ſpirituali gaudio alacriter exultare.

Obitus aliquorum Nobilium.

Anni ſub illius circulo lachrymabili, obierunt præclariſſimi viri, Comites & Marchiones, Epiſcopi & milites, in peregrinatione prænarrata, aliqui in navibus, aliqui in Inſulis, aliqui ſubmerſi. Quorum unus fuit Epiſcopus *Noviomenſis*. Cujus nomen & aliorum nomina, conſtat eſſe ſcripta in libro vitæ ſempiternæ. Eodémq; anno circa feſtum ſanctæ *Margaretæ*, obiit *Robertus* de *Muſchap*, vir magni nominis in partibus *Angliæ* Borealibus. Eiſdemque diebus, obiit *Henricus* de *Baſtingo*, miles egregius, & Baro opulentus.

Saraceni ſe parant ad obſidionem Achon.

Diebus etiam ſub eiſdem, *Saraceni*, videntes fortunam Martis in manibus proſperari tum propter ſpolia, equos, arma, machinas, & baliſtas, navigium, & victualia, quibus proſtratis eorum gaudebant & abundabant adverſariis, tum propter conceptam audaciam, & *Chriſtianorum* recentem confuſionem, tum propter treugarum reſignationem, ſeſe ad obſidionem *Achon* præparaverunt. Doluerunt inſuper quamplurimùm, quod Regem *Francorum* & fratres ſuos ſuperſtites vel redimi permiſerunt, vel abire redẽptos, etiam ſi in decuplo pecunia multiplicaretur: ejus rei crimen refundentes in *Soldanum Babyloniæ*, ejus avaritiam deteſtantes, credebant confidenter adhuc amiſſa recuperare, & Regẽ cum fratribus ſuis irretire.

Rex Francorum remittit fratres ſuos in Galliam.

Quod perpendens pius Rex *Francorum*, poſtquàm pecuniæ prætaxatæ quantitatem, quã mutuo receperat à *Templo* & *Hoſpitali*, *Ianuenſibus* & *Piſanis*, penitus reacceptis obſidibus perſolviſſet, duos fratres ſuos ſuperſtites, ſcilicet *Aldefulſum* Comitem *Pictaviæ*, & *Carolum* Comitem *Provinciæ* prudenter in navi ſolida ſubitò ac ſecretò collocatos, in partes tranſmiſit Occidentales. Qui Deo duce ac protectore, in Regnum *Franciæ* ſancti pervenerunt & incolumes. Rex autem apud *Achon* triſtis remanſit & inglorius, jurans in cordis amaritudine maxima, quòd nunquam in dulcem *Franciam* ſic confuſus remearet. Quis autem ſingultus & lachrymas,

ſine

ſine ſingultibus & lachrymis enarraret, quando tertio fratre mortuo, ſcilicet *Roberto*, unus eorum devictus, duos inglorios fluctibus Neptuni commendavit? Memorati igitur Comites ſimul cum Duce *Burgundiæ*, qui cum eis venerat, ſicut eis per Regem injunctum fuerat, Papam ilicò adierunt; Perſuadentes efficaciter, non palpando, ut Regi in diſcrimine tanto conſtituto, & pro honore univerſalis eccleſiæ dimicanti, non ſegniter ſubveniret, & *Fredericum*, qui ſolus inter omnes *Chriſtianos* tantis poteſt mederi periculis, ad pacem eccleſiæ revocans humiliatum, ipſum ad hoc induceret, ut ipſi Regi jam penè deſperato, ſuccurſum competens conferat & feſtinum. Alioquin, ipſi Dux & Comites dominum Papam, tanquam in odio obſtinatum, & de honore *Chriſtianæ* fidei minimè curantem, à ſede removeant *Lugdunenſi*: & ſi electus *Lugdunenſis*, & frater ejus Archiepiſc. *Cantuarienſis*, in quibus confidit eum defendant, tota *Francia* in ipſos inſurgat, præviis Magnatibus memoratis.

Inſolita maris inflatio & commotio.

SUB ejuſdem temporis voluminibus, menſe videlicet Octobris, Luna exiſtente prima, die menſis prima apparuit Novilunium turgens & rubicundum in ſignum futurarum tempeſtatum, ſecundum illa Philoſophi & verſificatoris documenta experimentalia:

Promittit de more rubens nova Cintia ventos,
Caumate vel Borea valido niſi præpediatur:
Turgida dat nymbos, ſeu pallida clara ſerenum.

Cœpit igitur aër quotidie in prima incrementi Lunaris ſeptimana, denſa caligine & ventorum turbine vehementer commoveri; Cœperuntq; venti ramos & folia, quæ tunc in arboribus emarcuêre, dilacerare, & evellere, & per longos tractus aereos aſportare. Et quod damnoſius erat, mare perturbatum, fines ſolitos, bis fluens ſine refluxu, pertranſiens, tam horribilem mugitum cum fremitu edidit, ut per remota terræ ſpacia, non ſine ſtupore audientium, etiam ſenum, reboaret, quod nullus modernorum ſe meminit prævidiſſe. Viſum eſt etiam ſub opaca nocte, ipſum fretum quaſi accenſum ardere, & fluctus fluctibus conglomeratos dimicare, ita ut non poſſet nautarum peritia perituris navibus ſubvenire. Rates igitur magnæ ac ſolidæ ſubmerſæ perierunt. Unde etſi de aliis ſileamus apud unũ ſolũ portũ, ſcilicet *Herteburne*, abſq; parvis & mediocribus, tres nobiles naves tumentibus fluctibus ſunt abſorptæ. Apud *Wincheleſe* autem quendam portum Orientalem; exceptis tuguriis ſalinariis & piſcatorum receptaculis & pontibus, & molendinis, pluſquam trecentæ domus in ipſo pago cum quibuſdam eccleſiis, per maris violentum aſcenſum ſunt ſubverſæ. *Hollandia* quoq; in *Anglia*, & *Hollandia* in partibus ultramarinis, cum *Flandria* & aliis locis planis, & mari finitimis, damna ſuſtinuerunt irreſtaurabilia. Fluvii quoque cadentes in mare, adeò repulſi intumuerunt, ut prata, molendina, pontes & domos vicinas ſubverterent, & arva occupando, ſegetes quas horrea non ſuſceperant, aſportarent. Ut manifeſtè ira Dei tam in mari, quàm in terra mortalibus appareret, ſecundum illud *Abacuc* vaticinium, vindicta videretur peccatorum imminere. *Nunquid in fluminibus iratus es Domine, vel in mari indignatio tua?* Et quid mirum? à *Romana* enim curia, quæ fons eſſe totius juſtitiæ, teneretur, enormitates irrecitabiles emanarunt. Quarum unam indignam ſcribi, huic paginæ duximus inſerendum.

Deteſtabilis exactio à Priorat̃u de Binham.

LICET Prior de *Binham* jus plenarium haberet in eccleſia de *Weſtle*, in uſus proprios habenda, utpote per collationem patroni, confirmationemque duorum Epiſcoporum, & eorundem capituli, de tribus *Romanæ* eccleſiæ Pontificibus, *Lucio* videlicet, *Eugenio*, & *Gregorio* nono: quidam *Januenſis*, ſpurius, & illiteratus, tales à domino Papa literas, contra jus & pietatem, impetravit. *Innocentius Epiſcopus, &c. Dilecto filio magiſtro Berardo de Nympha, ſcriptori noſtro in Anglia commoranti, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm dilectus filius noſter* N. *camerarius noſter, quondam* Reinerio *de* Solerio *Præpoſito* Yporienſis *nuper viam univerſæ carnis ingreſſo, eccleſiam de* Weſtleia Elienſis *Diœceſis quam ſpectantem ad præſentationem dilectorum filiorum Prioris & Conventus de* Binham, *ordinis S.* Benedicti, *idem Præpoſitus dum viveret obtinebat in partibus* Anglicanis, *dilecto filio* Herrigetto *clerico, nato nobilis viri* Perrini *de* Malachana *de* Volta, *civis* Januenſis, *auctoritate noſtra duximus conferendam, decernens irritum & inane, quicquid de ipſa contra collationem ſuam contigerit attentari. Nos quod à dicto camerario factum eſt in hac parte, ratum habentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus procuratorem ipſius* H. *vel alium quem volueris, ejus nomine in poſſeſſionem eccleſiæ memoratæ, amoto ab ea quolibet detentore, per te vel per alium procures inducere corporalem, & tuearis inductum, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Illa indulgentia non obſtante, per quam* Anglis *eſt indultum, quòd* Itali *clerici decedentis beneficium, vel cedentis alius* Italicus *immediatè nequeat obtinere, ſeu aliqua alia, de qua oporteat in præſentibus fieri mentionem, aut per quam hæc collatio ſeu aſſignatio valeat impediri, vel etiam retardari, ſeu conſtitutione de duabus dietis edita in conſilio generali. Datum* Lugd. *iii. Cal. Maii. Pont. noſtri anno vii.*

Archiepiſcopus Cantuarienſis *metu ſupprimit vocem querulorum.*

DIEBUS quoque ſub eiſdem, *Cant.* Archiepiſc. cauteriatam ſuam ſentiens conſcientiam ſuper enormi facto quod *Londini* perpetraverat, maximè in eccleſia S. *Bartholomæi*, ut præ dictum eſt, miſſis clanculo nunciis, tam comminationibus quàm blanditiis, & tam ex parte Regis & Reginæ, quàm ipſius Archiepiſc. vocem querulam Canonicorum ſupprimere procuravit.

1251.

Mors Willielmi Epiſcopi Wintonienſis.

EODEMQUE anno circa feſtum S. *Matthæi*, apud *Turonim* obiit Epiſc. *Wintonienſis Willielmus*. Qui, ut ſibi parceret in expenſis, ibidem circiter xi. menſibus moram cum caſtigata familia continuaverat. Obligabatur enim Epiſcopatus ejus debitis inæſtimabilibus contra Papam, ex illo tempore excreſcentibus, quo dominus Rex ipſum Epiſcopum perſequendo ab *Anglia* exturbaverat. Cui ſinum conſolationis dominus Papa opimè remuneratus tunc pandebat, ut præſcriptum eſt. Facta igitur pace cum Papa, & Rege incurvato, ut pecuniam pactam citiùs coacervaret, qua eccleſiam ſuam liberaret, ſolitam recidit menſæ dapſilitatem & familiæ numeroſitatem. Moriturus igitur, cùm viaticum ſalutis videret afferri, cùm in oſtio intrans ſacerdos, Euchariſtiam bajularet, ait: "Expecta amicè. Dignum eſt, ut Dei mei proditor obviam "ei trahar, & meritò ut detractor: & ſic manibus miniſtrorum, qui ei obtemperaverunt, ob- "viam corpori *Chriſti* tractus, cum lachrymis & contritione viaticum aſſumpſit ſalutare. Et "ſic in timore Dei ſpiritum contritum exhalavit.

Rex omnem diligentiam adhibet ut frater ejus Ethelmarus in Epiſc. Wintonienſem poſtularetur.

QUOD cùm dominus Rex audiſſet, lætas querelas ac breves cum ſiccis lachrymis emittens, omni quo potuit ſtatim niſu conabatur, ut in loco ipſius frater ejus *Ethelmarus*, licèt ordine, ætate, & ſcientia inſufficiens, ſubſtitueretur. Miſit igitur ilicò duos de præcipuis clericis ſuis (quos noverat ad omnem ſuggeſtionem ſagaciſſimos) *Wintoniam* cum literis ejus, ut accumulantes blanditias minis & promiſſis, animos Monachorum eccleſiæ cathedralis, ad quos pertinet electio, ad hoc inclinarent, ut ipſum *Ethel.* omnes in Epiſcopum poſtularent, & ſuarum Paſtorem animarum. Et qui ad hoc mittebantur fuerant *Jo. Manſel*, & *Pet. Chaceporc*, clerici, qui ut deſiderium Regis effectui manciparent, ſummam diligentiam adhibuerunt, & quamplurium Monachorum corda enervarunt, ut eundem *Ethel.* poſtularent in Præſulem. Poſtularent, inquam, quia ad Præſulatus culmen omnino fuerat inſufficiens & ineptus. Deindè elapſis circiter quindecim diebus, quibus quotidie dicti clerici inſtantiſſimè elaboraverant, ut eorum qui in Conventu conſtantiores videbantur, ad Regis terreni, ſpreto Regis cœleſtis timore, voluntatem incurvarentur, venit ipſe *Wintoniam*, & ilicò ad eccleſiam ſancti *Switheri*, videlicet Cathedralem accedens, quaſi Epiſcopus vel Prior venit in capitulum, & aſcendens ſedem Præſidentis, ſermonem ſedens hunc inchoavit, ſibi thema præfigendo:

Sermo Regis quaſi prædicantis in Capitulo Wintonienſi.

JUSITITIA & pax oſculatæ ſunt invicem, &c. & continuans ſermonem, addidit: *Ad me & Reges alios, necnon & Principes & Juſtitiarios noſtros, qui habent mediante Juſtitia populos gubernare, pertinet rigor judicii & juſtitiæ. Ad vos autem, qui eſtis pacis homines & religionis alumni, pertinet pax & tranquillitas. Hodie autem, quia, ut audivi, petitioni meæ, ut bene ſit vobis, favorabiles vos fæliciter exhibuiſtis*, juſtitia & pax oſculatæ ſunt. *Quod eſt dictu: Aliquando vobis mihi rebellibus in poſtulatione* Willielmi *de* Rale, *Epiſcopi veſtri jam defuncti, mihi non accepti, gravis extiteram: nunc autem vobis favorabilis factus ſum amiciſſimus, & memor veſtræ benignitatis, gratiſſimus impenſor viciſſitudinis. Præterea, conſtans eſt per mulierem primò ruinam mundo eveniſſe, & per mulierem remedium, Similiter in caſu præſenti, ut uxori meæ, ſcilicet Reginæ, avunculum ſuum* Willielmum *electum* Valentinum *promovere in hunc Epiſcopatum deſideranti, ſatisfacerem, vos aliquando ſollicitans inquietavi, & inquietando damnificavi: nunc autem ego, nimirum volens fratrem meum uterinum promovere, qui ratione mulieris, ſcilicet Reginæ* Iſabellæ *matris noſtræ, mihi indubitanter ſanguine fraterno conjungitur, vobis reconciliabor, voſq; & eccleſiam veſtram efficaciter promovebo, & precordialis amicitiæ brachiis amplexabor. Cæterum, libra rationis debetis non ultimò ponderare, quòd in hac civitate natus ſui, & in hac eccleſia baptizatus: unde majoris dilectionis mihi vinculis aſtringimini, nec debetis quomodolibet meæ voluntati contraire, ſed in omnibus prompta devotione obſecundare. Nec vacat à cauſa conſenſus gratiſſimi, quòd idem frater meus* Æthelmarus *poſtulandus eccleſiam iſtam, velut Sol, radiis ſuæ Regalis generoſitatis, qua fulget ex parte genetricis, & præclari ſanguinis, quo pollet ex parte genitoris, & ſuæ gratiſſimæ benignitatis & juventutis, qua Deo complacet & hominibus, per longa tempora, ut ſperamus, illuſtrabit. Ite igitur in pace, & inito conſilio citò revertentes ſine alicujus contradictionis ſcrupulo, pium propoſitum noſtrum, de quo mihi ſpem dediſtis, palàm coram me & omnibus electum vel poſtulatum veſtrum communi aſſenſu* Æthelmarum *fratrem meum fæliciter nominetis.* Et in calce ſermonis ſuperaddidit, *quòd ſi ipſos Monachos perſuaſionibus ſuis rebelles inveniret, profectò confunderet univerſos*: ſecundum illud Poëticum:

Stricto ſupplicat enſe potens.

Monachi Wintonienſes coacti, poſtularunt Æthelmarum in Epiſcopum ſuum.

MONACHI igitur ſecedentes, in arcto poſiti, ſuper his diligenter conferentes, priſtinas tribulationes, quas pro *Willielmo* electo *Valentino* graves, & graviores pro poſtulatione *Willielmi* Epiſcopi eorum jam defuncti, perpeſſi ſunt, memoriter recitarunt, dicentes: "Ecce preces do- "mini Regis armatæ, quibus contradicere grave eſt, ac nimis formidabile, ac eccleſiæ noſtræ pe- "riculoſum. Papa enim Regi in omnibus obtemperat, & quia in arcto poſitus, Principes offen- "dere vitat & formidat. Unde ſi ſecundùm idoneam perſonam aliam quàm fratrem ſuum eli- "geremus vel poſtularemus, Rex in iram, imò furorem verſus, factum noſtrum, licèt ſanctum "*Petrum*, ſi ſuperſtes eſſet, conſtitueremus, caſſando, nos perſequeretur: & ſic hinc Regem ha- "beremus inimicum, & inde Papam, qui corruptibilis eſt, potenter adverſantem, quaſi inter du- "as molas contritis, immineret confuſio cum ruina inconſolabili. Præterea, poſtquam *Williel-* "*mum* Epiſcopum *Norwicenſem* in Epiſcopum noſtrum promovendo poſtulavimus & colla "noſtra

"noſtra ejus jugo, Rege invito & conſtanter contradicente, & nos opprimente, ſuppoſuimus, idem "W. poſtquam plenam adeptus eſt poteſtatem, nos, licèt indigena & legum terræ peritus, & quem "ſperabamus per omnia Deo placitum, & nobis frugalem, immiſericorditer perſequebatur, & ir- "reſtaurabiliter damnificavit, acceptorum immemor beneficiorum, & innumerabilium quas pro "eo toleravimus injuriarum. Unde incarcerabamur capti & tracti & fuſtigati, fame affecti, cru- "entati, & quaſi fures compediti. In quem igitur de cætero poterimus confidere? in quem "ſperare? in quo ſalutem expectare? Hinc *Scillam*, illinc *Charybdim* formidamus imminentem. "Si autem hoc egerimus, mors nobis eſt: ſi autem non egerimus, manus Regias non effugie- "mus. Præter hæc etiam, quod nos debet meritò perterrere, ſi memoratum *Æthelmarum* "in Epiſcopatum promoveamus, ſemper erit electus, non Epiſcopus, quod nunquam conti- "git huic eccleſiæ, nec utinam contingat. Item fortè impetrabit à Papa, ut remaneant ſibi "electo, quos jam obtinet, redditus infiniti. Quid enim his temporibus non obtinent & im- "petrant in curia *Romana*, munera effundentes? Quod ſi hoc, nulli in *Anglia* in divitiis & "poteſtate preterquam vix Regi ſecundus exiſtet, & tunc poterit, ſi placuerit, ſed utinam non "patriſſet vel *Pictaviſet*, totam *Angliam* in *Pictaviam*, vel *Pictaviam* tanquam Regni oſtiarius "potentiſſimus redigere in *Angliam*, & ſic *Anglorum* de ſub cœlo delere memoriam. Tandem poſt multas, quibus involvebantur, anguſtias, videntes dies malos, nec ad ſinum patris noſtri Papæ, qui ſolet ad eum confugientibus ſuffragari, patere refugium, voluntati Regiæ coacti ſunt in arcum pravum converſi incurvari. Poſtularunt igitur voce communi, ſed non corde unanimi, in Epiſcopum & animarum ſuarum Paſtorem ſpiritualem *Æthelmarum*, fratrem Regis uterinum, ex patre *Hugone Bruno*, Comite de *Marchia* & *Iſabella*, quondam *Angliæ* Regina, uxore ſua, procreatum, natum in *Pictavia*, licèt ætate, ſcientia & ordine inſufficientem, annuis redditibus innumerabilibus Archipræſulatui condignis abundantem, Monachi *Wintonienſes* Regis victi importunitate, & de Papæ adjutorio deſperantes. Sic igitur ipſum *Æthelmarum* tanquam electum ſuum vel poſtulatum, in præſentia domini Regis ſolenniter in propatulo nominarunt, addita conditione tali, ſi videlicet poſſit talis ex diſpenſatione domini Papæ ad dignitatem Pontificis promoveri.

Rex Angliæ deſtinat nuncios ſuos ad Papam.

REX igitur vultu, geſtu, & voce exaltata gaudium poteſtans, juſſit *Roberto* de *Sothindona* clerico ſuo & electo Rhetori, ut elegantiſſimam & efficaciſſimam epiſtolam ſuper his componeret, domino Papæ tranſmittendam, in qua precibus urgentibus, comminationes terribiles & aduberes intermiſceret promiſſiones. Miſit igitur dominus Rex nuncios ſolennes & eloquentes, qui bene norunt tam Papam quàm Cardinales ad ſuum incurvare propoſitum, ad *Romanam* curiam, ut ipſum Papam ſuper hoc arduo negotio, domino Regi tam placido & præcordiali, convenirent, & ad aſſenſum tam prece quàm precio vigilantèr inclinarent.

Litteræ Regis Angliæ querulæ ad Papam.

PROH dolor, ut quid mundi languor ampliùs protelatur, quónam exularunt pax & juſtitia, de quibus Rex ſermonis ac prædicationis ſuæ ſumpſit exordium? Ubinam libera electio? Pax eccleſiæ, quam inviolabiliter juravit Rex tenere in coronatatione ſua primitiva? Heu, heu, modò contemptis Regni naturalibus, viris ſanctis, literatis & religioſis, intruduntur alieni, honore quolibet indigni, literarum & idiomatis *Anglicani* penitus ignari, confeſſionibus & prædicationibus omnino inutiles, nec compoſiti, nec moribus informati, pecuniæ extortores, animarum contemptores. Quondam ſancti viri, religioſi, & literati, ſpiritu ſancto cooperante & revelante, ad Cathedras, licèt renitentes, trahebantur, quas per phas & nephas aulici, tribunales, vel barbari occupant violenter. Omnes jam domus, ad quas electio pertinet Pontificalis, ob ipſum deſtruuntur. Patronatus, oneri eſt jam, non honori: damno, non utilitati. Omnes quoque eccleſiæ tam Pontificales quàm Conventuales, cùm vacantes ad manus Regis devolvantur, quæ utique manus defenſiva eſſe teneretur & protectiva, prædæ patent & rapinæ. O Papa patrum pater, ut quid permittis *Chriſtianorum* climata talibus inquinari? Meritò igitur, meritò ab urbe & ſede pulſus propria, tanquam & profugus alter *Chain* cogeris exulare: proſperantur hoſtes tui *Fredericales*: fugis fugantes, & qui te perſequuntur, ſunt veloces & potentes. Ubique in tibi ſubjectos tua bulla fulgurat, ſed vileſcit apud rebelles. Ubique ſuſpenſis à beneficiorum collationibus Prælatis, jubentur fieri proviſiones, ſed indignis, barbaris & ignotis, qui ab ovibus ovilis dominici lac quærentes, carnes, & vellera tondent, radunt, excoriant eas & eviſcerant. Nec alicui à piis patrib. indulta privilegia poſſunt ſuffragari. Inter cæteras quoq; nationes & regiones, *Anglia* ubi, ut novit mundus plùs viget fides *Chriſtiana*, viliùs conculcatur, ſuiſq; bonis & laborib. opprimente Papa ſpoliatur. Nullus ei, ſi ipſa cuilibet ſit prædoni. Ubi nam ſcitur *Anglicus* aliquis redditum habere in partibus *Romæ*, *Italiæ*, *Januæ*, vel regnorum aliorum, cùm tales in *Anglia* rapiant univerſa. O Deus ultionum Domine, quando exacues ut fulgur gladium, ut cruore talium inebrietur? Profectò, peccata noſtra nobis gravamina meritò talia præpararunt.

Mortuo Epiſc. Roffenſi, eligitur Laurentius de S. Martino.

EODÉMQUE anni tempore, ſcilicet circa feſtum ſancti *Michaelis*, obiit Epiſcopus *Roffenſis*. Cujus loco Monachi *Roffenſes* elegerunt magiſtrum *Laurentium* de *ſancto Martino*, domini Regis clericum & conſiliarium ſpecialem, ne ſi fortè alium elegiſſent, ſe Rex electioni oppoſuiſſet.

Redit Epiſc. Lincolnienſis à curia Romana.

ET circa idem feſtum, ſancti ſcilicet *Michaelis* Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus*, cum in curia *Romana* pluribus diebus cum multarum expenſarum inutili profuſione ſtetiſſet, & conceptum propoſitum ad votum perficere non valeret, triſtis & vacuus in *Angliam* remeavit. Multos

1250. tamen religioſos, ut ſe ab ejus impetu defenderent, fatigarat, & non mediocriter damnificarat. Et cùm in Epiſcopatum ſuum perveniſſet, videns materiam confuſionis eccleſiæ univerſali cominus imminere, ut ſibi contemplanti, oranti, & ſtudenti liberiùs vacaret, exemplo inſtructus Epiſcopi *Dunelmenſis Nicolai*, ſe exuens à mundanis, quibus ſe ſæpè inutiliter illaqueaverat, magiſtro *Roberto* de *Moriſco*, officiali ſuo, curam adminiſtrationis officii ſui commiſit ſibi competentis, proponens mundo perituro vale dicere ac cedere Epiſcopatu. Sed timens Regias rapinas, quæ vacantes conſuevit depauperare, & demum indignas perſonas intrudere in eiſdem, ſub diſſimulatione, ſuſpenſo adhuc tam arcano conſilio, neſcius quid in tanto mundi turbine ageret, anxius expectavit.

Epiſcopi Angliæ ſe opponunt Archiepiſ. Cantuarienſi.

EPISCOPI *Angliæ* interim cognoſcentes ex dicti Epiſcopi relationibus, nuper à curia *Romana* redeuntis, & aliorum, quos miſerant, procuratorum & exploratorum ſuorum, quòd Archiepiſcopus *Cantuarienſis* laqueos damnoſos ipſis parare moliebatur, pecuniam, ad expenſas in curia *Romana* effundendas, collegerunt: quæ, pecunia interveniente, more arundinis ventis agitatæ, huc illucque flecti conſuevit. Acceperunt igitur à beneficiatis, de qualibet marca duos denarios. Grave enim erat quod poſtulavit exactor memoratus, videlicet viſitationem & procurationem totius cleri & populi in ſua, quæ amplia fuit, provincia. Quæ propter hoc magis angebat univerſos, quòd conſtat ipſum Archiepiſcopum morum & ſcientiæ mendicum, ad ipſam viſitationem, non propter religionis augmentum, vel morum reformationem, ſed propter emolumenta turpia, & jam ſibi conſueta, certius inhiare.

Terræmotus in Ciltria Angliæ.

ANNO quoque ſub eodem, die videlicet ſanctæ *Luciæ*, circa horam tertiam, factus eſt apud *ſanctum Albanum* & partes circum jacentes, quæ *Ciltria* dicuntur, terræ motus. Ubi à tempore cujus non extat memoria, tale quid viſum nullatenus eſt, aut auditum. Ipſa enim patria ſolida eſt & cretoſa, minimè cavernoſa, aquoſa, vel maritima, unde talis eventus inſolitus & innaturalis, magis extitit admirandus. Ipſe autem terræ motus, ſi fuiſſet tam damnoſus, ut inſolitus & admirandus, omnia ædificia concuſſiſſet. Factus eſt etiam cum ipſo motu & tremore, tanquam terribilis tonitrus ſubterraneus. Sed & hoc mirabile ſimul cum terræ motu contigit, quòd columbæ, monedulæ, paſſeres & aliæ aves, quæ in domiciliis vel in ramis arborum quieſcebant, ac ſi ancipitre ſupervolitante perterritæ, ſubitò excuſſis alis, velut amentes, avolabant, & inordinatè huc illucque ex tranſverſo redeuntes & fugientes, videntibus timorem incuſſerunt & horrorem. Sed poſtquàm ipſe terreſtris tremor cum mugitu conquievit, ad nidos ſolitos, quos idem commoverat, redierunt. Præterea motus ipſe memoratus in omnium cordibus horrorem generavit, quod plùs eſſe æſtimo quàm ſtuporem vel timorem. Unde eventuum futurorum creditur fuiſſe ſignificativus. Senſit igitur anno illo, tam terra quàm mare inſolitas commotiones & horribiles, quæ ſecundum Evangelicam comminationem quæ eſt, *Erunt terræ motus per loca*, mundi terminum minabantur imminere.

Archiepiſ. Cant. clamorem Canonicorum ſancti Barth. compeſcuit.

CANTUARIENSIS Archiepiſcopus perpendens, quòd ex enormi facto, quod *Londini* in eccleſiis Canonicorum *ſancti Bartholomæi* perpetraverat, infamiæ & ſcandali fœtor ſulfureus totius Regionis infecerat latitudinem, miſſis cautè nunciis, clamorem eorum blanditiis & promiſſis, admixtis comminationibus, ſuppreſſit. Ipſi igitur tum quia pauperes, tum quia potens erat Archiepiſcopus, ſeipſum etiam maniſeſtè culpabilem juſtificare, in patientia ſua animas ſuas poſſidentes, ſiluerunt, Deo & beato *Bartholomæo* cauſam ſuam commendantes.

Papa cupit apud Burdegalim *commorari.*

TEMPORE quoque ſub eodem, miſſis ſolennibus nunciis, dominus Papa poſtulavit dominum Regem *Angliæ*, ut liceret ei ſaltem apud *Burdegalim* civitatem ſuam in *Gaſconia* commorari. Fratres enim domini Regis *Francorum* eum diſtrictè convenerant, rogantes ex parte dicti Regis & ſui, ut pacem iniret cum *Frederico* humiliato, & ſatisfactionem eccleſiæ humiliter offerenti, ſicut honorem offerenti, ſicut honorem univerſalis eccleſiæ diligebat. Imponebant etiam illi dicti Regis fratres, videlicet *Pictaviæ* & *Provinciæ* Comites, quòd per Papæ avaritiam totum evenit infortunium memoratum. Ipſe enim Papa crucefignatos, ne in ſuccurſum Regis advenirent, pecunia corruptus impedivit, & abſolvit à voto ſuæ peregrinationis, quos paulò antè per ſuos quos mittit *Prædicatores* & *Minores* cruce ſignavit. Præterea crucefignatos Comiti *R.* & aliis vendit Magnatibus, ſicut olim *Judæi* conſueverunt, oves & columbas in Templo vendere, quos Deum legimus in Evangelio in ira punitos ejeciſſe. His igitur autem perſuaſionibus, difficilem ſe Papa exhibuit & inexorabilem, unde duris verbis & litigioſis dominus Papa & dicti Comites ab invicem receſſerunt, & verſus *Angliam* iter maturaverunt, ut dominum *Anglorum* Regem perſuaderent, quatenus ad ſuccurſum *Francorum* Regis præſentiam ſuam deſiderantis & expectantis, ſecundùm votum ſuum, ſicut honorem *Chriſti* deſideravit, properaret.

Regis Anglorum angustia.

ARCTABATUR igitur Rex *Angliæ* vehementer, quòd ſi præcluderet vias Papæ, fratrem ſuum *Ædmundum* Papa offenſus minimè promoveret: ſi ſinum panderet ei refugii, *Fredericum*, per cujus terras neceſſe tranſire habet peregrinaturus, in iram provocaret. *Francis* quoque non placeret. Præterea, quòd multum prudentiores *Angliæ* perterruit, ſi Papa in *Burdegali* commoratus reciperetur, poſſet in brevi tempore per navigium in *Angliam* navigare, & illam præſentia ſua deteriorare, &, ut timetur, coinquinare. Qui enim ſenſerant illam ſuis corrumpi *Caurſinis* uſurariis, magis formidabant ipſam ſua curia, ſi preſens eſſet, quod abſit, maculari. Ideo ſuper hoc propenſius conſilium Regis protelabatur.

1250.

DIEBUS autem ſub eiſdem, videlicet in adventu Domini, ſignificavit dominus Papa, de *ſancto Albano* & de *Wautham* Abbatibus, & Archidiacono *ſancti Albani*, quatenus in *Henricum* Decanum *Londinenſem*, *Petrum* Archidiaconum, *Robertum*, cantorem *Londinenſem*, magiſtrum *Willielmum* de *Lichefeld*, *Willielmum Leaſete* & alios Canonicos *Londinenſes*, propter delictum Capituli, ſententiam promulgatam ab Archiepiſcopo Cantuarienſi *Bonifacio*, penitus nullam fore. Inſtabat autem nihilominus idem Archiepiſcopus in curia *Romana*, exigens in viſitandos cum procurationibus viſitationes. Et eò inſtantiùs & confidentiùs, quia Epiſcopus *Lincolnienſis*, qui eo minor eſſe dignoſcitur, à domino Papa paucis antè elapſis annis impetraverat, ut Canonicos ſuos *Lincolnienſis* eccleſiæ viſitaret, multum reluctantes, & maximum theſaurum in defenſione eorum inaniter effundantes. Hujus autem rei literæ, ſcilicet denunciationis præcepti, in *libro Additamentorum* pleniùs annotantur.

Literæ Papales ad Abbatem de S. Albano, & quoſdam alios.

OBIIT autem circa eadem tempora, Principum mundi maximus *Fredericus*, ſtupor quoque mundi & immutator mirabilis, abſolutus à ſententia qua innodabatur, aſſumpto, ut dicitur, habitu *Ciſtercienſium*, & mirificè compunctus & humiliatus. Obiit autem die ſanctæ *Luciæ*, ut non videretur ea die terræmotus ſine ſignificatione & inaniter eveniſſe. Quo ſublato, exſufflata eſt ſpes *Francorum*, de ſuccurſu ſui Regis. Condidit autem nobile teſtamentum, quo eccleſiæ per ipſum damnificatæ reſtaurarentur. Celata autem fuit mors ejus per aliquot dies, ne hoſtes ejus citò exultarent. Sed die ſancti *Stephani* facta eſt in publico manifeſta, & nunciata in populo. Teſtamentum autem ejus nobiliſſimum ſcribitur in *libro Additamentorum*.

Mors Frederici Imperatoris.

COMPLETO igitur hoc anno, jam fluxerunt de tempore gratiæ viginti quinque quinquagenæ annorum, id eſt, mille, ducenti & quinquaginta. Notandum autem eſt, & non leviter attendendum, quòd in nulla illarum quinquagenarum, ſcilicet xxiiii. ſicut in iſta ultima quinquagena, quæ jam præteriit, videlicet viceſima quinta, tot mirabilia & inſolitæ novitates evenerunt, ut in ultima. Et ſunt quidam & multi hiſtoriarium ſcriptores, & diligentes inſpectores, qui dicunt, quòd nec in omnibus aliis quinquagenis viſa ſunt tot prodigia & novitates admirandæ, ſicut in hac jam terminata. Et his tamen majora cum formidine expectantur.

xxv. quinquagenæ conſummatæ à tempore gratiæ.

IN hac enim *Tartari* de ſuis ſedibus exeuntes, multa Orientalium climata tam fidelium quàm infidelium ferali exterminio vaſtaverunt. *Admiralius Murmelinus Africanorum* & *Hiſpanorum* Rex potentiſſimus, cum toto ſuo exercitu diſſipato victus aufugit. Prædicante magiſtro *Olivero*, in partibus *Germaniæ*, apparuit omnibus manifeſtè *Chriſtus* crucifixus in aëre. Receſſit *Græca* eccleſia à ſubjectione *Romanæ* eccleſiæ, propter ejuſdem *Romanæ* eccleſiæ varias enormitates, maximè in uſuris, ſimoniis, juſtitiæ venditionibus, & aliis injuriis intolerabilibus. *Damiata* urbs *Ægypti* celeberrima, bis capta, & bis amiſſa, cum multi ſanguinis effuſione, tam *Saracenorum* quàm *Chriſtianorum*. *Anglia* Interdictum paſſa eſt per annos circiter ſeptem. Regnum quoque *Angliæ* per tantundem ferè temporis, bellum toleravit inteſtinum. Tributaria facta eſt *Anglia*. Rex *Anglorum Johannes*, juxta quorundam prophetias quando obiit, nihil terræ pacificè poſſedit, unde extorris dicebatur. Prohibitum eſt judicium purgationis, per aquam & ignem. Permiſſum eſt uni perſonæ fructus plurium Epiſcopatuum recipere, & redditus priùs obtentos retinere. Transferuntur ſancti in *Anglia Thomas* Martyr, & *Edmundus* Confeſſor in *Francia*. Floruit ſancta *Elizabeth* filia Regis *Hungariæ* in *Alemannia*. Probentur, & poſteà pecunia interveniente, permittuntur aliqui plures eccleſias habere, & legitimantur ſpurii. Electus eſt in dominum & quaſi Regem *Angliæ Lodowicus* filius Regis *Francorum* primogenitus & hæres legitimus. Qui poſteà propter fidei ſuæ transgreſſionem, citò inglorius receſſit. *Otto* Imperator *Romanorum*, perſequente *Innocentio* tertio Papa, miſeram paſſus eſt ruinam in prælio, victus, excommunicatus, & caſſatus. Capti ſunt, occiſi & diſſipati, Conventus *Templi*, *Hoſpitalis* ſanctæ *Mariæ Theutonitorum*, & ſancti *Lazari*, bis. Et civitas ſancta *Hieruſalem* cum ſuis ſanctis eccleſiis & locis *Chriſti* præſentia conſecratis, bis deſtructa, ultimò autem ſolo tenùs à *Chorofminis* miſerabiliter, & à *Soldano Babyloniæ* miſerabiliùs exterminata. Eclipſis ſolis bis contigit per triennium. Et aliud ſignum mirabile in aëre, prout deſcribitur evidenter in hoc libro, anno gratiæ milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo tertio. Terræmotus in *Anglia*, & etiam in *Ciltria* pluries. In partibus *Sabaudiæ* quinque villæ ſuis eccleſiis, domibus, & incolis, montibus conglomeratis ſubvertuntur. Maris aſcenſus inſolitus & damnoſus, qualis non eſt præviſus. Una noctium viſæ ſunt ſtellæ infinite cadere de cœlo, ita quòd ſimul & ſemel decem vel duodecim hæc in Oriente, hæc in Occidente, Auſtro & Aquilone, & in medio firmamenti volitare viderentur. Quæ ſi eſſent veræ ſtellæ, nec una in cœlo remanſiſſet, nec poteſt inde in libro Metheororum ratio reperiri manifeſta. Sed ut *Chriſti* comminatio mortalibus immineret: *Erunt ſigna in Sole*, &c. Concilium generale bis celebratum. *Romæ* ſcilicet, & *Lugduni*. In ultimo, caſſatus eſt Imperator *Romanorum Fredericus*. In mari non procul à *Janua* captus eſt *Otto* Cardinalis, quondam Legatus in *Anglia*, cum pluribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, & *Januenſibus*, è quibus multi ſunt ſubmerſi. *Wallia* quoque *Leolino* Principe ſuo viduata, & poſteà duobus filiis ſuis prærnatura morte occumbentibus, legibus *Angliæ* & dominatui Regis inclinatur. *Gaſconia* quoque recalcitrans, per Comitem *Legriæ Simonem* edomatur. Rex *Henricus* tertius bis, ut jura ſua ultramarina, præ-

Mirabilia ultimæ quinquagenæ

1250. cipuè *Normanniam*, de qua pater ejus judicio duodecim Parium *Franciæ* abjudicabatur, tanquam de cæde nepotis ſui *Arthuri* cruentus, in manu forti repoſceret, cum exercitu transfretavit, & bis rediit inglorius, pauper. & confuſus. Magna pars *Hiſpaniæ*, per victoriosiſſimum Regem *Caſtellæ*, cum pluribus nobilibus civitatibus ſuis, ſcilicet *Corduba*, *Sybilla*, *Penuſcula*, & aliis pluribus, & cùm quibuſdam inſulis, ſcilicet *Majorica* & *Minorica*, & multis locis maritimis, capta eſt, & cultui dedita *Chriſtiano*. In partibus autem Aquilonaribus, per *Aldemarum* Regem *Daciæ*, magna *Friſiæ* & *Ruſciæ*, ſcilicet iter duodecim dierum, pars capitur, ita ut ſeptem Epiſcopatus in ea *Chriſto* adquiruntur. Papa velut exul & ab urbe expulſus aut fugitivus, aut latitans, moratur *Agnaniæ* & *Peruſii*, perſequente *Frederico* Imperatore. Qui impoſuit ei, quòd cùm Deo militaret in *Terra ſancta*, Imperium nitebatur occupare. *Templarii* quoque ex odio Papali ſumentes occaſionem, eum voluerunt *Soldano* tradere *Babyloniæ*. Poſt obitum *Gregorii* Papæ, vacavit ſedes Papalis per annum & novem menſes. Tres Apoſtolici viri ſederunt infra duos annos. Unus quoque Cardinalis omnibus præſtantior Cardinalibus, *Anglicus* natione, magiſter ſcilicet *Robertus* de *Sumercota*, de quo timebant alii, ne in Papam, eligeretur in palatio, quod Regia ſolis dicitur, dum de electione tractaretur, obiit, invidia, ut dicitur, ſtimulante ſuffocatus. Tandem electus *Sinebaldus* Cardinalis, qui & dictus *Innocentius* tertius, ſequens ſui prædeceſſoris veſtigia, ipſum Imperatorem *Fredericum* excommunicavit, fugiens igitur de loco ad locum ejus perſecutionem, tandem venit *Lugdunum*. Ubi Concilio generali celebrato, ipſum *Fredericum* Imperatorem depoſuit, & extorta ab eccleſiæ Prælatis impudenter infinita pecunia *Landegravium* de *Duringa*, & poſteà *Willielmum* Comitem *Hollandiæ*, nitebatur promovere in Imperium. Sed uno mortuo, alio victo, minime profecit in propoſito. Uſurarii, qui nomine *Chriſtiani* cenſebantur, dicti *Caurſini*, Papa tolerante primò, & poſteà manifeſtè protegente, in *Anglia* receptacula & pacem inveniunt. Et ſe ſine rubore, mercatores vel eſcambiatores nominant Papæ. Suſpenduntur Prælati à collationibus beneficiorum, donec ſatisfiat avaritiæ Papali, de indignis barbaris ſuis, qui nunquam in *Anglia* apparuerunt, nec de animarum cuſtodia quicquam curaverunt. Plurium ordinum fratres ſcatent, nunc *Prædicatores*, nunc *Minores*, nunc *Cruciferi*, nunc *Carmelani*. In *Alemannia* autem, mulierum continentium, quæ ſe *Beguinas* volunt appellari, multitudo ſurrexit innumerabilis, adeò ut ſolam *Coloniam* mille vel plures inhabitarent. *Prædicatores* verò & *Minores*, primò vitam pauperem & ſanctiſſimam deducentes, prædicationibus, confeſſionibus, divinis in in eccleſia obſequiis, lectionibus et ſtudiis penitus intendebant, paupertatem voluntariam pro Deo, relictis multis redditibus, amplectentes, nihil in victualibus uſque in craſtinum ſibi reſervantes, Sed infra paucos annos ſeſe ſollicitè inſtaurabant, ædificia ſumptuoſa nimis conſtruentes. Papa inſuper de ipſis licèt invitis, ſuos fecit telonarios, et multiformes pecuniarum exactores. Videbatur igitur tempus innovari, de quo plenus ſpiritu ſanctorum omnium factus, in principio regulæ ſuæ commemorat *Benedictus*, ubi de generibus diverſorum tractat Monachorum. Nec ipſius ſancti *Benedicti*, vel beati *Auguſtini*, à ſuæ principio conſtitutionis per tantum temporis ordò retrogreſſus. Sanctus *Ædmundus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, corpore incorruptus apud Pontiniacum, Sanctus quoque *Robertus* Heremita apud *Knareburg*, Sanctus quoque *Rogerus* Epiſcopus *Londinenſis*, et alii plures in *Anglia*, Et ſancta *Elizabeth* filia Regis *Hungariæ*, Et ſancta *Hildegardis* Prophetiſſa in *Alemannia*, inſignibas choruſcant miraculis. Reædificatur eccleſia *Weſtmonaſterii*. Et feretrum aureum à Rege *Henrico* tertio ad opus S. *Edwardi* precioſiſſimo opere fabricatur. Sanguis *Chriſti*, et paſſus ejus in *Angliam* deferuntur, & apud *Weſtmonaſterium*, ipſo Rege *Henrico* conferente, reponuntur. *Albigenſium*, *Jovinianorum*, & multorum *Italicorum* hæreſes, quæ pullulaverant, deſtruuntur. Rex *Norwegiæ* Haco in Regem unus coronatur. Monachi *Ciſtercienſis*, ex diſpenſatione Papali, conſtructis competentibus ædificiis *Pariſiis* & alibi, ubi viget univerſitatis ſcholarium, ſtudent; ne *Prædicatoribus* & *Minoribus* contemptui habeantur. *Nigri ordinis* Monachorum veſtigia ſubſequentes. Nobilis ſedes & Eccleſia *Cantuariæ*, tot ſanctorum predeceſſorum Archipræſulum illuſtrata ſanctitas, a penitus inſufficiente, Rege intrudente, occupatur, eccleſiarum vacantium fructus primi anni, per totam ejus provinciam per ſpacium ſeptem annorum emugente, eodem & multos opprimente, exemplo *Lincolnienſis* Epiſcopi provocatus, qui ſeper Canonicos ſuos renitentes poteſtatem viſitandi impetravit. *Saracenis* hoc ultimo hujus quadrageno annorum ad votum triumphantibus, totus *Chriſtianorum* exercitus (proh dolor) trucidatur in *Ægypto*, ex omni *Franciæ*, *Templi*, *Hoſpitalis*, ſanctæ *Mariæ Theutonicorum*, & ſancti *Lazari*, conſtans nobilitate. Ubi etiam captus eſt cum duobus fratribus, *Pictaviæ* & *Provinciæ* Comitibus, pius *Francorum* Rex *Lodowicus*. *Willielmus* quoque *Longa ſpata*, cum multis *Angliæ* nobilibus, ibidem interiit interfectus. *Roberto* fratre dicti Regis, Comite ſcilicet *Atrebatenſi*, fugiente de prælio & ſubmerſo. Papa & tota curia *Romana*, eò quòd crucesignati venduntur, & abſoluti pro pecunia abſolvuntur, & multiformiter retardantur, gratiam tam cleri quàm populi diatim amiſit. Tota *Chriſtianitas* ex odio & diſcordia inter ipſum Papam & *Fredericum* exortis, bellis ſuſcitatis perturbatur, & eccleſia univerſalis periclitatur. Rex *Angliæ Henricus* tertius crucesignatur, cum multis terræ nobilibus. Multique *Chriſtianitatis* Reges, Principes, & Magnates, Prælatique cruce conſignantur. Solus autem ſancti *Ædmundi* Abbas, immemor quòd cum cuculla *Chriſti* crucem ſumpſerat perpetuò bajulandum, in deriſum multorum, coram Rege, & cum ipſo, quod manifeſtam ſapiebat adulationem, crucis aſſumpſit ſignum oſtendendum.

Migraverunt

Migraverunt autem ad *Chriſtum* hoc anno nimis lethali, pro *Chriſto* decertantes fideliter, relictis natali patria, uxoribus, & liberis, conſanguineis, & amicis, nobiles infiniti. Quos conſtat eſſe Martyres, & eorum nomina, quæ propter ſui multitudinem, hoc volumine ſcribi nequiverunt, in libro vitæ titulo indelebili ſuis profectò meritis coronantur. Obiit inſuper ſtupor mundi *Fredericus*, die ſanctæ *Luciæ* in Apulia. Hæc autem mirabilia & novitates, quæ nec viſa nec audita, neque ſcripta reperiuntur à cunctis patrum noſtrorum retroactis temporibus, in hujus ultimæ annorum quinquagenæ tempore contigerunt. 1251

Hîc terminantur fratris *Matthæi Pariſienſis*, Monachi *S. Albani* Chronica. Quæ pro utilitate poſteritatis ſubſecuturæ, Dei pro amore, & beati *Albani* Anglorum Prothomartyris honore, ne memoriam eventuum modernorum vetuſtas aut oblivio deleat, literis commendavit.

Virginis à partu jam mille volumina Phœbus;
Cum bis centenis & quinquaginta peregit
Annua; ſed viſum non eſt ſub tempore tanto,
Aprilis ſexto fuerit quòd Paſcha Calendas,
Dum quinquagenus orbem percurreret annus:
Hoc tamen evenit anno, cui terminus hic eſt.

Fluxerunt utique ab incarnatione Domini, viginti & quinque annorum quinquagenæ. Nec eſt viſum, quòd anno Jubilæo, id eſt, quinquageſimo, celebraretur Paſcha ſuo loco proprio; videlicet ſexto Calendarum Aprilis, niſi hoc anno ultimo.

Terminantur hic Matthæi
Chronica: Jam Jubilei
Anni diſpenſatio.

Tempus ſpondet requiei,
Detur ergo quies ei,
Hic, & cœli ſolio.

Creditur quoque non vacare à ſignificatione, quòd omnia hoc ultimo anno elementa, inſolitum & irregulare paſſa ſunt detrimentum. Ignis, quia in nuper tranſacta nocte natalis Domini terribiliter emicuit, contra naturæ curſum conſuetum. Aër, quia innaturalis tonitrus & intempeſtivus ac diuturnus, cum denſis nimbis, in Epiſcopatu *Norwicenſi* & in confiniis longè lateque aëra caliginoſum perturbavit. Nec eſt auditus per longa tempora tam terribilis tonitrus, vel viſæ tales coruſcationes etiam in æſtate. Mare, quia ſolitas metas tranſgrediens, loca contermina devaſtavit. Terra, quia in *Anglia*, imò etiam in *Ciliria*, quæ cretoſa eſt & compacta, contremuit.

Siſte tui metas ſtudii Matthæe quietas,
Nec ventura petas, quæ poſtera proferet ætas.

Rex Angliæ celebrat Natalitia Wintoniæ.

ANNO domini M.CC.LI. qui eſt annus Regni domini Regis *Henrici* tertii trigeſſimus quintus, fuit idem dominus Rex ad natale Domini apud *Wintoniam*. Et quia ſedes Epiſcopalis vacabat, & ad eandem poſtulatus fuerat *Æthelmarus* frater ejus, ut prædictum eſt, cohibuit manus rapaces, ne bona diſtraheret Epiſcopatus, ut ſolebat. Veruntamen quia egrè dediſcitur uſus, ſylvas præcepit abſcidi, & vendi, & inde pecuniam ærario ſuo addi accumulandam, licèt ſatis diceretur ei, quòd peregrinaturis & Deo militaturis, talis rapina nullatenùs fuerat profutura.

Tonitru ingemole & intempeſtivum.

TUNC quoque temporis, nocte videlicet natalis Dominici, in ſignum, ut timebatur iræ Dei, tonitrua horribilia nimis, præcipuè per Epiſcopatum *Norwicenſem* & confinia reboârunt, coruſcationes terribiles emicuerunt, & intempeſtiva aëris perturbatio auribus audientium & cordibus intelligentium maximum incuſſit pariter timorem & horrorem. Dicebant namque augurantes, hoc in triſte prognoſticum eveniſſe.

Rex nulla feſtiva diſtribuit veſtimenta.

EODEMQUE celeberrimo feſto, licèt omnes predeceſſores ſui indumenta Regalia et jocalia precioſa, conſuevisſent ab antiquo diſtribuere, ipſe tamen Rex (de ſua fortè peregrinatione ſollicitus & parcus) nulla penitùs militibus diſtribuit vel familiaribus.

Abbreviatur Regiæ menſæ dapſilitas.

MENSÆ quoque Regalis dapſilitas conſueta & hoſpitalitas, abbreviata eſt & poſtpoſita ſolita verecundia. Et jam cum Abbatibus, Prioribus, clericis & viris ſatis humilibus, hoſpitia quæſivit & prandia, moraturus & munera poſtulaturus. Nec jam civiles habebantur hi, qui Regi & Regalibus hoſpitia cum procurationibus ſplendidis exhibuiſſent, niſi muneribus nobilibus & magnis, Regem ipſum, Reginam & *Edwardum* & aulicos ſigillatim reſpectos honorarent, imò nec erubuit ipſa, non tanquam gratuita, ſed jam quaſi debita poſtulare. Ipſo namque tempore, ne exempla aures ſuſpendant auditorum, cùm *Robertus Paſſeleve*, quem nuper opprobriis in capella ſua apud *Weſtmonaſterium* turpibus laceſſivit prandens dominus Rex, amplis eſt reſpectus muneribus. Nec appreciabant aulici & Regales donativa niſi precioſa & ſumptuoſa, utpote paleſridos deſiderabiles, cuppas aureas vel argenteas, monilia cum gemmis prælectis, & zonis Imperialibus, & conſimilia. Et facta eſt curia Regalis *Romanæ* conſimilis, in quæſtu pro meretrica ſedens, vel proſtans veracius.

1250. NUMERUS interfectorum in exercitu Regis *Francorum*, per ſuperbiam Comitis *Atrebatenſis*, ſexaginta millia, & viginti millia armatorum, & ampliùs, exceptis ſubmerſis, fugitivis, diſperſis, & eis qui ſe ultrò hoſtibus reddiderunt, qui apoſtatârunt, & plùs aliis nocuerunt *Chriſtianis*.

SUMMA redemptionis Regis *Francorum*, quaſi Deo irato, non multùm diſſidet à numero interfectorum, ſcilicet ſexaginta millia librarum auri, primi & puriſſimi, exceptis aliis denariis communibus, videlicet eſterlingorum, *Turonibus* & *Pariſienſibus*, qui ad infinitum numerum aſcenderunt. Strages accidit anno gratiæ milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo. Solutio vel ſatisfactio ſolutionis, anno ſequenti, ſcilicet milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo primo.

Captivi Imperatoris, cautiùs cuſtodiuntur.

TEMPORE quoque ſub eodem, tres vel quatuor de qualibet civitate *Italiæ*, & aliqui de civitatibus *Apuliæ* cives, *Frederico* adverſantes & filio ejus, qui in carcere *Frederici* detinebantur (quos omnes proditores ſuos & rebelles vocare conſueverat) mortuo *Frederico*, filius ejus *Conradus*, & hoc de conſilio patris, ad ulteriora terræ ſuæ tranſmiſit, videlicet *Neapolim* & *Palernam* in *Sicilia*, ut ibidem tutiùs & cautiùs cuſtodirentur. Aliqui tamen captivorum dati ſunt *Henrico* filio ſuo, nepoti ſcilicet domini Regis *Angliæ*, quos tradidit *Conrado* cuſtodiendos. Inter quos incarceratos fuit filius Marchiſii *montis Ferrati*, qui commutabilis fuit pro *Enſio* filio *Frederici*, quem *Bononienſes* adhuc in vinculis detinebant, & cùm inde tractatus haberetur, mors *Frederici* effectum finalem interemit.

Filii & amici Imperatoris F. inſurgunt contra Papam.

COEPERUNT igitur filii & amici *Frederici* roborari, & roborati contra dominum Papam calcaneum levare, & ſic amputato uno capite inſtar *Hydræ*, quam *Hercules* occidiſſe dicitur, multa capita ſuccreverunt. Erat autem *Conradus*, quia filius fuit filiæ Regis *Hieruſalem*, *Johannis* militis inviſtiſſimi, & ipſe *Conradus* miles ſtrenuiſſimus, omnibus de Imperio amabilis ac formidabilis. Et *Henricus* frater ejus, quia filius fuit Imperatricis *Iſabellæ*, quæ omnibus exſtitit amabilis, & nepos *Chriſtianiſſimi* Regis *Angliæ*, inſuper puer elegantiſſimus, univerſis Imperialibus gratus extitit & gratioſus. Papa verò, tum propter ſui, tum propter generis aviditatem, omnibus Imperialibus extitit odioſus. Unde eccleſia multiplicatis perſecutoribus, non mediocriter periclitabatur, damna multiformia tolerando. Eratque præteritorum infortuniorum recordatio, quaſi ſpina in oculo, omnibus Papæ conſentientibus. *Henricus* enim *Raſpe*, *Landegravius Duringiæ*, quem Papa propoſuerat in Imperatorem ſublimare, & pro cujus promotione infinitam effuderat pecuniam, periit in mortem ignominioſam præcipitatus. Poſt mortem cujus, in loco ejuſdem, *Henricus* electus eſt Comes *Gelrenſis*, ſed mortem probroſam prioris conſiderans, recuſavit ſic ſublimari. Poſt hunc Dux *Brabantiæ*, qui & *Lotharingiæ*, ſed & ipſe penitus refutavit. Poſt hunc verò Comes *Richardus*, quia vaſer & abundans nummiſmate, & quia frater Regis *Angliæ*, renuit, quia ambigua ſunt Martis pericula, & præciſè contradixit. Poſt quem elegit dominus Papa *Willielmum Hollandiæ* Comitem. Qui temerè conſenſit, & jam omnibus amiſſis ad ſuam terram, & non jam ſuam, quia fratri ſuo eam donaverat, repulſus eſt, unde muſcipulas & promiſſiones Papales deteſtans, mendicare cogebatur. Poſt hos autem omnes, voluit dominus Papa loco *Frederici*, *Haconem* Regem *Norwegiæ*, in culmen Imperii ſubrogare. Unde ut aptiorem & favorabiliorem ad hoc ipſum haberet, ipſum in Regem fecit conſecratum coronari. Sed poſtquam coronatus fuit, proteſtatus eſt palam, ſe ſemper velle eccleſiæ inimicos, ſed non omnes Papæ inimicos impugnare. Et hoc idem proteſtatus eſt idem Rex mihi ipſi *Matthæo*, qui & hæc ſcripſi, ſub magni juramenti atteſtatione: unde eccleſiæ pericula undique quotidie proruperunt.

Diſcordia inter duos Soldanos potentiſſimos.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, mota eſt diſcordia inter duos *Saracenorum* Principes potentiſſimos, ſcilicet *Halapienſium* & *Babyloniorum Soldanos*, pro eo quòd pro pecuniæ avaritia redemptus eſt Rex *Francorum*, & à manibus *Saracenorum* liberatus. Dicebant enim omnes communiter Orientales, ſe nunquam tam precioſam prædam, per ignaviam & avaritiam *Babyloniorum* amiſiſſe: unde idem *Babyloniorum Soldanus*, undique à *Saracenis* appetitus hoſtiliter, ſed maximè ab *Halapenſium Soldano*, id coactus eſt confiteri, & ſignificare Regi *Francorum*, & pacem petere, & fœdus amicitiæ ſub bonis ac certis conditionibus humiliter poſtulare. Unde ſalus ſperabatur in *Hieruſalem* profutura. Super quo literis à magiſtro *Hoſpitalis Hieruſalem* ſuſcepimus bullatas. Si quis eas videre deſiderat, *librum* reſpiciat *Additamentorum*. Ipſe enim qui *Soldanum* interfecerat, in tantam ſuperbiam elatus eſt, quòd omnes ad iram commovit Orientales. Ipſe namque *Soldanus* jam interfectus proditioſè, vir fuerat diſcretus & modeſtus, & ſuæ legis zelator indefeſſus. Hic adhuc vivens, graviter dum redargueretur ſuper hoc, quòd Regem *Francorum* vivum & redemptum abire permiſit, ſic dicitur reſpondiſſe. "Amici, ſcitis "quoniam omnium *Chriſtianorum* nobiliſſimus eſt ille. Si igitur occideretur, conſanguinei ejus "quibus abundat, toto ſpiritu anhelarent ad vindicandum. Suam inſuper redemptionem amiſiſſem. In cujus ſolutione tota *Francia* depauperatur, *Paganiſmus* ditatur, & exaltatur. Nec "auſus fui in tam dignam perſonam veneni facinus exercere, ne tanta fraus Deum *Chriſtiano*"*rum* provocaret. Sufficiat ergo nobis *Machometo* propitio, tanti Regis adverſantis confuſio, "victus, captus eſt, & redemptus, nec erat cum eo nobilis vel etiam notabilis, qui manus no"ſtras evaderet. Corporibus eorum, armis & equis, & pecunia gratulamur, & de victoria, "quæ omnem theſaurum exſuperat, gloriamur. Hæc autem reſponſio, cùm non ſufficeret, imò

magis

1251.

magis accenderet, ut dicerent: Mentiris nequiter. Nempè, ſi ipſum Regem *Francorũ* interfeciſ-
“ſes, vel perpetuo carceri mancipaſſes, omnibus per ſæcula Occidentalibus terrori fuiſſemus &
“honori, ſed avaritia excæcavit cor tuum. Et antè expectatum ſubitò pugione tranſverbera-
tus *Soldanus Babyloniæ*, miſerabiliter expiravit. In loco cujus, cruentus proditor, qui ipſum dominum ſuum, ut dictum eſt, interfecerat, eſt ſubſtitutus. Mors hæc & ſubſtitutio alterius, Comiti *Richardo* ſeriatim eſt denuntiata. Unde literæ in *libro Additamentorum* poſſunt reperiri.

Patientia Regis Francorum.

REX autem *Francorum* Chriſtianiſſimus, omnia hæc adverſa patienter tolerans ſub ſilentio, apud *Achon* commorando, miſericordiam præſtolabatur, orationes exigens religioſorum, & præcipuè ad generale Capitulum *Ciſtercienſium*, ut Dominus poſt tales tempeſtates, gratiorem conferat ſerenitatem, fratreſque ſuos, in quorum ſinu repoſita fuit ejus ſpes & confidentia copioſior, ut prætactum eſt, in partes deſtinavit Ciſalpinas. At ipſi ſui *Joſeph* immemores, officium ſuum injunctum tepidè nimis exequebantur, atque diſtulerunt adeò, ut nolle ſuffragari viderentur, ſecundùm illud Philoſophicum: *Qui diu diſtulit, diu noluit.*

Advenit Guido frater Regis Angliæ de Terra ſancta.

ET dum adhuc ſolennitas dierum natalitiorũ utcunque celebrarentur, advenit *Guido* frater domini Regis uterinus de *Terra ſancta*, feſtinus, neſcitur ſi de prælio fugitivus. Honeſtiùs tamen dici poteſt, quòd de cuſtodia *Damiatæ* poſt pacem formatam prudenter eſt elapſus. Hic dum pauper & pedes applicuiſſet, & ad Abbatiam de *Feverſham* gratia hoſpitandi divertiſſet charitativè, civiliter eſt receptus, & lautè ibidem refectus. Petiit igitur ipſum Abbatem, ut ob ejuſdem charitatis intuitum, & fratris ſui domini Regis honorem & reverentiam, aliquot equorum ſuorum ſibi & ſociis ſuis, donec *Londinum* perveniret, benignus accommodaret, aliquoſque de miniſtris cum ipſis. Et ipſe illicò cùm illuc perveniret, ut ait ſub atteſtatione magna, cum multiplicum gratiarum impenſione, equos remitteret per eoſdem. Conceſſit Abbas, & ſuæ ſatisfecit poſtulationi. Sed cùm ipſe *Guido Londinum* perveniſſet, non veritus ingratitudinis notam incurrere cum veteri obprobrio *Pictaviæ*, nec grates Abbati rependit, nec equos retromiſit, ſed tantùm miniſtros quibuſdam irrecitabilibus ſannis laceſſitos. Et ſic inverecundus hoſpes, angui in ſinu, muri in perâ meruit comparari.

Rex Angliæ ditat fratres ſuos.

IPSUM igitur cùm vidiſſet Rex, in fraternos amplexus irruit lætabundus. Et comperiens quoniam vacuus Regiæ pecuniæ inhiaret, confeſtim contulit ei Rex, quam à *Judæis* abraſerat, denariorum multitudinem copioſam, ut clitellas ejus vacuas quingentis libris imprægnaret. Præterea, conceſſit *Galfrido* fratri ſuo cuſtodiam nobiliſſimæ Baroniæ, jam vacantis, de *Haſtingo*. Et ſic excluſis & deluſis *Anglorũ* nobilibus & indigenis naturalibus, alieni diatim ſubſtituuntur, ut conqueri valeant *Angli* cũ Propheta dicente: *Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad extraneos.* Nec ſuffecit domino Regi theſaurum ſuum, quem in viaticum ſuæ peregrinationis debuit reſervare, inconſultè ſæcularibus & alienis diſpergendo diſtribuere: verùm in honores eccleſiaſticos, alienos indignos procuravit vigilanter ſublimari, & ſublimatos contra *Anglos* armare & animare, & in cauſis defendere ventilatis. Scripſerat namque Rex domino Papæ devotiſſimè ſupplicans, ut favorabilis eſſet Archiepiſcopo *Cantuarienſi Bonifacio*, in cauſa quæ inter ipſum & Prælatos *Angliæ* vertebatur, & maximè inter ipſum Archiepiſc. & Epiſc. & Canonicos *Londinenſes*, ut nullo modo Archiepiſcopus à ſuo fruſtraretur deſiderio.

Epiſcopus Londinenſis jurat ſtare proviſioni Archiepiſcopi.

HÆC autem ſatis ſagaci conſiderationis acie perpendens Epiſcopus *Londinenſis*, quem nuper enormiter injuriando, Archiepiſcopus excommunicaverat, & excõmunicatum longè lateque fecit denuntiari, ait intra ſe: “Honor *Angliæ* in præcipiti declinat. Archiepiſcopus me &
“omnes *Anglos* perſequitur. Alienigena indigenam & ſanguine nobilium *Anglorũ* inſignitũ.
“Si igitur Rex occaſionem in me & genus meum ſæviendi haberet, ad hoc inſurgeret lætus &
“feſtinus, & meos conſanguineos bonis ſuis quomodolibet ſpoliaret, & eiſdem bonis alienos locupletaret. Et ſic in *Anglia* mala malis poſſent accumulari. His igitur ſubtiliter penſatis incommodis, quaſi inter duas molas contritus, anguſtiabatur, hinc honor & cauſa eccleſiæ ſuæ, hinc impetus Regalis iracundiæ, ipſum hinc inde diſtrahebant. Tandem verò ut minus malum ſubiret, præelegit, quamvis læſus & quamvis paſſus injuriam, ad tempus humiliari, & jurare ſtare proviſioni Archiepiſcopi licèt adverſantis, potius quàm Regalis impetus diſcrimen experiri: & ſic abſolutus eſt à ſententia qua innodabatur, admirantibus multis quòd illius Prophetici comminatio non timebatur: *Væ qui juſtificatis impium*, &c.

Papa venit Peruſium.

TEMPORE quoq; ſub eodem, poſtquàm moram apud *Mediolanũ* menſtruam & ampliùs, non ſine multis ſolicitudinibus Papa protelaſſet, iter arripuit procedendi, & tranſitum faciens per intermedias civitates, ut ad urbem perveniret, multam pecuniæ expoſuit quantitatem. Tandem *Peruſium* perveniens, ibidem ſaniùs cenſuit commorandum. Quia datum illi fuit intelligi, quòd ſi *Romam* perveniret, *Romani* exigerent pecuniã inæſtimabilem ab ipſo violenter, nec poſſent à pari contendere, cùm in eorũ retiaculis teneretur. Licèt igitur deſiderarent *Romani* adventũ ejus, noluit illuc ire, timens laqueos quos quandoq; evaſerat, dicens quaſi *Roma*:

—Quia me veſtigia terrent,
Omnia te verſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Veneti & alii faciunt negotium Regi Francorum.

IPSIS quoq; temporibus *Veneti*, *Piſani*, & *Januenſes*, Regi *Francorũ* ſuiſque fratribus & fidelibus ne quid tribulationis eis deeſſet, graviter inſidias paraverant inimicas. Dicebant enim ſe prius in *Damiatam* ingreſſum viriliter adquiſiviſſe, ſed poſteà per ſupervenientiũ *Francorum* ſuperbiam & violentiam expulſos extitiſſe. Impoſueruntque Regi *Francorum*, factum

enor-

1251. enormitatis magnæ incuriæ ac puſillanimitatis. Quòd ſcilicet cùm parabatur naves aſcendere transfretaturus, plùs quàm decem milia baliſtariorum, tam de ipſis *Venetis*, *Piſanis*, & *Jannenſibus*, quam *Francis*, reppulit, nec ſecum habere curavit, quos tamen vocaverat, & certa ſtipendia promiſerat profecturis, unde mendici redierant, & cùm in ſuas pervenerant Provincias, in domos quas vendiderant, & agros, non ſunt permiſſi ſaltē hoſpitari. Semitas & portus igitur maris, cum galeiis ſuis obſederunt, ut ſi quos *Francos* invenirent tranſeuntes, ſpoliarent, vel ſubmergerent.

Cōfœderatio aliquorum Religioſorum.

ANNO quoque ſub eodem, quidam Prælati & Religioſi eccleſiarum Conventualium liquidò comperientes, quod undique quos ſolebant habere defenſores, ſenſerunt jam manifeſtos perſecutores Epiſcopos, & Laicis ac ſæcularibus nociviores, necnon ſummum Pontificem, qui quantò potentior eſt, tantò gravior ad opprimendum, ſtuduerunt confœderari, ut alterutrum onera portantes, minùs gravarentur. Confœderati ſunt igitur cum Abbate & Conventu de *Waltham*, Conventus eccleſiæ Epiſcopi ***Cantuarienſis***. Ipſum genus quoque ſubſidii & conſolationis ſibi impendi, tam ipſi, quàm alii, à cœnobio *ſancti Albani*, humiliter poſtularunt.

Reditus Comitis Legriæ S. de Gaſconia.

DIE verò Epiphaniæ, venit ſubitò Comes *Legriæ Simon* de partibus *Gaſconiæ*, feſtinus, & inglorius, vix tribus armigeris concōitantibus, equis macie confectis & labore. Et cùm veniſſet *Londinū*, invento ibidem Rege, poſtulabat inſtantiſſimè efficax auxilium ab ipſo Rege ſibi impendi, ad reprimendā *Gaſconienſiū* ſibi rebellium inſolentiam, tam in pecunia quàm manu militari. Non enim, ut affirmavit, tam ſumptuoſum bellum ſine Regali adminiculo ſolus potuit continuare, licet Comitatus ſui *Legriæ* proventus exhauſiſſet. Ad quod, dominum Regē ſic exacuit & animabat: "Domine Rex, reducere vos decet ad mēoriam, quòd quando ultimò *Gaſconiæ* "fuiſtis, ad ipſos quos fideles veſtros reputaſtis, confidenter pro auxilio confugiſtis, nec tamen "ſinum vobis pietatis apperuerunt, nec manū debiti ſubſidii porrexerunt. Nec de vobis, laqueos Regis *Francorū* perſequentis dum fugeretis, nec de Regina prægnante, & apud *Regulā* in-"firmante, apud & *Burdegalim* pariente, miſericordiā habuerunt, quin theſaurum veſtrum extorſiſſent, & terram veſtram & honorem amittere permiſerunt. Quod cùm Rex audiſſet, miſertus Comitis tantum vexati, reſpondit conſolans eum: Per caput Dei, veritatem dixiſti Comes, "& ego tibi, mihi tam ſtrenuè militanti efficax auxilium non denegabo. Verè aſcendit clamor "cum gravi querimonia, quemadmodum pacificè ad te venientes, & etiam quos vocas in fide quaſi bona, indecenter incarceras, et interimis compeditos. Quod tamen Comes conſtanter inficiabatur, reſpondens: Domine, proditio eorū vobis nota et experta, reddit illos incredibiles.

Geſta Comitis S. ante receſſum ſuū è Gaſconia.

COMES autē memoratus *Simon*, utpote vir bellipotens & Martis peritus, antequā à *Gaſconia* receſſiſſet, *Franzacū* caſtrū optimū cepit, & captivatis obſeſſis ſolo tenus complanavit. Montē inacceſſibilem, cum caſtro inexpugnabili, quod *Egremundus* appellatur, ita ſuis inhabitatoribus deſtituit, quòd omnes qui tranſibant illac, in pace poterant āmbulare. Erat enim locus ille ſcopulis intranſmeabilibus circumſeptus, & in rupiū cacuminibus turres ædificatæ, eminebant convallibus. Nec poterant inſtitores vel peregrini, nec etiā compatriotæ per partes illas tranſmeare, quin à veſpilionibus ſpoliarentur vel etiā necarentur. Iſtos omnes Comes potenter poteſtati domini Regis ſubjugarat, cum quibuſdam *Burdegalenſibus*, juſtis legibus rebellantes.

Diſceſſus ejuſdem Comitis in Gaſconiam.

SÆPEDICTUS igitur Comes ex Regia conſolatione reſpirans, licèt inſurgente proditorum *Gaſcontenſium* univerſitate oppreſſus, fugerit à *Gaſconia*, erectus eſt in ſpem alacrem. Receptiſque à theſauro domini Regis *Angliæ*, tribus marcarum milibus, & à Comitatu ſuo *Legriæ*, & de terra quæ fuerat ***Gileberti*** de ***Humframvilla*** cujus habuit cuſtodiam, collecta pecunia non minima, lætus incontinenti remeavit, ſignificavit Duci *Brabantiæ* & ejus conterminis, ut milites & ſervientes armis communitos ſibi deſtinaret applicanti, qui copioſis ſtipendiis ſaginandi, ſibi fideliter militarent *Gaſconiam* properanti. Obtemperans autem Dux, tranſmiſit ei ducentos ruptarios, & aliquot cum eis baliſtarios, qui ad clientelam Comitis convolantes, *Gaſconenſium* ſanguinem more ſanguiſugarum ſitiebant, contra quos *Gaſconenſes* ſeſe imperterriti munierunt.

Deteſtabilis adjectio, Non obſtante, in curias Laicorum derivatur.

IPSIS quoque diebus, dum placitū moveretur inter Epiſcopum *Karleolenſem Sylveſtrum* & quendā Baronem, ſuper quodam manerio, quod idem Baro prædeceſſori dicti Epiſcopi *Waltero* vendiderat, & iterum illud voluit revocare, ipſe Epiſcopus *Sylveſtro* reſpondit per ſe prudenter, adverſarius enim ejus, licèt ejus præſentes eſſent procuratores, tunc in partibus agebat tranſmarinis. Impetravit igitur à Rege literas protectionis Regiæ, dum abſens erat Baro memoratus, & ſic lætus repatriavit. Pars autem adverſa ſub ſilentio commorans, cùm elongaretur Epiſcopus, impetravit à Rege literas, ut *non obſtante* priore litera, negotium Baronis nullam caperet dilationem. Quod factū fuiſſe non creditur, ſine muneris opitulatione. Sparſimque jam tales literæ, in quibus inſerta eſt hæc deteſtabilis adjectio: *Non obſtante priore mandato*, vel hæc, *Non obſtante antiquâ libertate, procedat negotium*, ſuſcitabantur. Præterea, ſiniſtra interpretatio jam in chartis facta ſubrepit, ut ſcilicet ſi ſcribatur ſic: *Concedimus hanc libertatē domui tali*, & dōus illa diſtrictè nominetur, & ſequatur ſic, *& omnibus maneriis ejus*, ſi maneria non expreſſè ſigillatim nominentur, nullius eſt vigoris adjectio. Hoc autē rationi conſtat eſſe diſſonū & omni juſtitiæ, imò contra Logicæ regulam, quæ eſt inveſtigatrix veritatis infallibilis. Quod cùm cōperiſſet, quidam vir diſcretus tunc Juſtitiarius, ſcilicet *Rogerus* de *Thurkeby*, ab alto ducens ſuſpiria, de prædictæ adjectionis appoſitione, dixit: Heu, heu, hos ut quod dies expectavimus?

"expectavimus? Ecce jam civilis curia exemplo eccleſiaſticæ coinquinatur, & à ſulphureo fonte rivulus intoxicatur.

1251.

Quidam Chriſtiani liberantur à vinculis infidelium.

SUB eorundem dierum curriculo, quidam qui credebantur in bello contra *Babylonios* commiſſo trucidati, inventi ſunt vivi in infidelium carceribus compediti. Qui ab amicis ſuis ſunt redempti. Magiſter autem *Hoſpitalis* pro maxima pecuniæ quantitate redemptus & liberatus eſt, pro quo bulla *Hoſpitalis*, quæ plumbea eſt, donec conſtaret de illius liberatione, juxta *Hoſpitalis* conſuetudinem, eſt ſuſpenſa. Forma autem ejuſdem in *libro Additamentorum* figuratur, & quædam epiſtola, quam idem magiſter amicis ſuis deſtinavit, ibidem ſcribitur.

Decanus & Canonici Londinenſes abſolvuntur.

EODEM quoq; tempore, Decanus eccleſiæ ſancti Pauli Lond. & Canonici, de quibus in antecedentibus facta eſt mentio, auctoritate domini Papæ, per dominum Abbatem ſancti Albani, & per dominum Abbatem de Waltham, & Archidiaconum ſancti Albani, ſunt abſoluti à ſententia, qua dominus Archiepiſcopus Cantuarienſis B. ipſos innodaverat. Sed poſteà alia ratione ſunt innodati.

Lis ſuper pertinente Epiſcopi quondam Dunelmenſis.

TEMPORE quoq; ſub eodem, quidam adulatores peſſimi, cupientes placere Epiſcopo *Dunelmenſi Waltero*, dominum Papam adierunt, dicentes quòd irrationabiliter facta fuit portio Epiſcopatus *Dunelmenſis* Epiſcopo *Nicolao* cedenti, & quòd ipſe *Nicholaus* ferè tertiam partem Epiſcopatus habuerat, unde petierunt Epiſcopatum vel redintegrari, vel ſaltem minus damnificari. Quibus Papa: Miramur ſuper his. Nonne facta fuit diſtributio illa & partitio per magnam deliberationem & conſiderationem virorum peritorum & conſenſum partium, & res jam confirmata eſt per nos, & Regem Angliæ, & per proviſores: & cùm eſſet tunc temporis Epiſcopus *Bathonienſis* in curia, qui erat unus proviſorum advocabatur ut veritati teſtimonium perhiberet: qui cum omnia ritè facta fuiſſe teſtificaretur, repulſi ſunt accuſatores cum probris, & dum crederent partem dicti Epiſcopi *Nicholai* infirmaſſe, magis roborarunt. Et factum eſt, non ſine dedecore Epiſcopi *Dunelmenſis Walteri*, & Prioris & Conventus *Dunelmenſis*, qui videbantur huic machinationi conniventibus oculis conſenſiſſe.

Henricus *de* Bathonia *diffamatur.*

ANNO quoq; ſub eodem, videlicet in Purificatione beatæ *Mariæ* diffamatus eſt & accuſatus graviter *Henricus* de *Bathonia*, miles literatus, legum terræ, peritiſſimus domini Regis Juſtitiarius & Conſiliarius ſpecialis, quòd videlicet ſui tantum amicus, & domini Regis ſubdolus ſupplantator, in officio Juſtitiariæ ſibi commiſſo, crumenas aliorum, ut ſuam impregnaret, argumentoſè nimis, ne dum dicam proditioſè, non erubuit vel formidavit, hinc indéq; munera recipere ambidexter. In brevi igitur adeò ditabatur in redditibus, maneriis, auro, & argento, ut nulli Juſtitiariorum jam ſecundus videretur. Uxor autem ejus avara & faſtidioſa, quæ de *Baſſatentibus* & *Sanfordenſibus* originem duxerat, & inde tribualiter inflata, ipſum *Henricum* urgenter ad hoc ſtimulavit. Stimulatus igitur, ac voluntarius, adeò turpibus per fas & nefas emolumentis inhiabat, ut in una ſola itineratione Juſtitiariæ, plus, ut dicebatur, quàm ducentas libratas terræ ſibi appropriaret. Orto igitur multiplici ſcandalo & contentione ſuper quodam manerio, inter ipſum *Henricum* & *Everardum* de *Trumpintuna*, appellatus eſt de infidelitate & proditione per quendam militem, videlicet *Philippum* de *Arci*, coram Rege & curia Regis. Unde & retentus, quod vulgariter dicitur Atachiatus. Et cùm vellet *Johannes Manſel* clericus capitalis domini Regis cōſiliarius, ipſum protegendo & liberando manucapere, & pro ipſo cavere, ut ſtaret juſtitiæ, non potuit exaudiri. Rex enim in maximam iram excanduit, reſpondens, quòd non caperet aliquem pro eo clericum fidejuſſorem in tali caſu, reputans cauſam hanc crimen læſæ majeſtatis. Accedente igitur Epiſcopo Londinenſi & multiplicatis interceſſoribus, dimiſſus eſt cuſtodiæ & plegagio viginti quatuor Militum, pro ipſo *Henrico* reſponſionem et juſtificationem ritè ac judicialiter ſtatuto termino facturorum.

Cautela H. *de* Bathonia.

TUNC *Henricus*, vir quidem vafer & circumſpectus, conſiderans illud Ethici:

Judicis auxilium ſub iniqua lege rogato.

MISIT uxorem ſuam ad omnes *Baſſatenſes* conſanguineos ejus, ſupplicans attentiùs, ut pro ipſo apud Regem efficaciter intervenirent, nec parcerent donis amplis & promiſſis amplioribus, qui ſi ſic non poſſent perficere, conſtanter ſtarent pro ipſo in die periculi, armis, ſi neceſſe foret, & equis communiti. Quod & ipſi unanimi conſenſu promiſerunt. Erat enim unus eorū, ſcilicet *Nicolaus* de *Sanford* miles ſtrenuus, valens pro ipſo cōtra omnes ſtare uſq; ad capitis expoſitionem. Quod cùm auribus Regiis inſtillatum fuiſſet ſecretiùs, majori iracundia accenſus, omnia munera & verba reconciliationis præciſè refutabat, jurans quòd per medium judicii diſtricti, neceſſariò fuerat tranſiturus. *Henricus* igitur ſciens ſe in arcto poſitum, adjuncto ſibi Epiſcopo *Londinenſi* & *Philippo Baſſet*, & aliis amicis ſpecialibus, Comitem *Richardum* adiit, & tam precibus quàm premiis cor ejus ſibi prudenter conciliavit, adjungens ſub tremendi judicii atteſtatione, quòd ſi dominus Rex mortem ſuam, imò etiam exhæredationem procuraret, totum Regnum in ipſum Regem inſurgeret, & totū perturbaretur: quod ſi fieret, cùm ſubſintaliæ cauſæ, & maximè alienigenorum injuſtè dominationes & *Anglorum* oppreſſiones, non ſedaretur ſchiſma ventilatum. Quod cùm audiſſet, precibus & muneribus fractus precioſis, & terrore expergefactus, Regem adiit, cor ipſius mitigaturus, & pro Henrico & pace Regni efficaciter allegaturus. Nec adhuc ſic eſt averſus furor Regius & indignatio." Cui ſic receſſurus Comes reſpondit: Non poſſumus deeſſe Regni nobilibus in jure ſuo, nec paci Regni titubantis.

1251.

Summa expenſarum Regis ſubducitur.

DIEBUS inſuper ſub eiſdem, fecit dominus Rex revolvi & perſcrutari in rotulis omnibus & ſingulis, ſummam expenſarum extraordinariarum, quas fecerat poſtquàm coronatus extitit. Quæ ad ineſtimabilem ſummam aſcenderunt, quæ in *libro* ſcribitur *Additamentorum*.

A Comitiſſa Arundelliæ fundatur domus religioſarum.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, mulier nobiliſſima *Iſabella* Comitiſſa *Harundellis*, quondam *Hugonis* Comitis *Harundelliæ* uxor, fundavit unam domum de ſanctimonialibus, non procul à *Len*, ſumptibus propriis, videlicet de libero maritagio ſuo, quæ dicitur *Marram*.

Certificantur Occidentales de morte Imperatoris Frederici.

COMPLETIS autem eodem anno diebus Natalitiis, & imminente feſto Purificationis beatæ *Mariæ*, increbuit rumor per partes Occidentales de morte *Frederici*, quondam *Romanorum* Imperatoris, quòd ſcilicet die ſanctæ *Luciæ* Virginis morbo percuſſus irremediabili, die ſancti *Stephani* obierit. Qui, ut dicitur, videns mortem ſuam indubitanter imminere, contritus pro peccatis ſuis confeſſionem fecit pleniſſimam cum lachrymarum ubertate, ſe Deo commendans & ordini *Ciſtercienſi*, unde habitum *Ciſtercienſium* ante mortem, ut nobis ſuorum fidelium patefecit certa relatio, humiliter ac devotè ſuſcepit. Et quia mors in foribus erat, quidam Epiſcopus ex parte Dei, qui neminem in ſe credentem vult perire, ipſum ſatisfactionem promittentem abſolvit.

Teſtamentum Imperatoris Frederici.

AB alto igitur ſuſpirans pectore, & aſſerens ſe malle nunquam fuiſſe natũ vel habenas Imperii ſuſcepiſſe, pro cujus juribus recuperandis & ſuſtinendis, tot & tantis fuerat inebriatus amaritudinibus, tale dicatur condidiſſe teſtamentum *Ego* Fredericus *in primis relinquo pro anima mea, centies mille uncias auri pro* Terra ſancta, *ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ recuperanda, expendenda, & exponenda, ad voluntatem filii mei* Conradi. *Item volo, quòd omnia malè ablata reſtituantur. Item, omnes captivos de Imperio & Regno relinquo liberos exceptis proditoribus tantùm. Item, relinquo totam terram eccleſiæ liberam & volo quod jura eccleſiæ reſtituantur. Item, meum hæredem relinquo*, Conradum *in Imperio* Romano *& Regno* Siciliæ. *Item, relinquo filio meo* Henrico, *Regnum* Hieroſolymitanum, *& decem milia unciarum ſecundum voluntatem* Conradi *filii mei. Item, nepoti meo, filio ſcilicet filii mei* Henrici, *relinquo ducatum* Auſtriæ, *& decem milia unciarum auri. Item*, Manfredum *filium meum relinquo Ballivum* Conradi *in Imperium, à* Papia *& citra, & Regno* Siciliæ, *uſque ad lxx. annos, excepto quando* Conradus *erit præſens. Item, ſepulturam meam eligo apud* Pannoniam, *ubi jacuit Rex* Wilhelmus. Hæc & alia multa continet dictum teſtamentum, quorum non recordor, quia minus fuerunt notabilia. Amicis autem ſuis, & aliis filiis ſuis & miniſtris, multa diſtribuit in auro præcipuè & argento. Et credibile fuit, quia eodem anno venerunt ad eum duodecim cameli onuſti auro & argento, de partibus Orientalibus. Erat enim omnibus *Soldanis* Orientis particeps in mercimoniis inſtitoriis & amiciſſimus, ita ut uſque ad *Indos* ſui currebant ad commodum ſuum, tam per mare quàm per terras inſtitores.

Decanus & Canonici Londinenſes *excommunicantur.*

TUNC verò temporis, procuravit Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, mediante magiſtro *Euſtachio* de *Len*, officiali ſuo, (ſuper quo mirabantur multi) ut Decanus, & memorati Canonici *Londinenſes*, ratione propriorum delictorum denuntiarentur excommunicati. Inſuper ut coram Papa apparerent, ſunt citati. Ortum eſt igitur turpe ſcandalum, dum nunc ab his denunciabantur excommunicati in his, nunc in aliis ab his partibus abſoluti. Canonici verò, non mediocriter perturbati, omnes *Angliæ* Epiſcopos ſuper hac oppreſſione in magna mentis amaritudine precabantur, ut tanto impetui reſiſtentes imminenti, cùm paries proximus arderet, ſubvenirent. Rex autem, quia ipſum Archiepiſcopum creaverat, & Regina, quia ejus fuit avunculus, erubeſcentes, non poterant ipſum Archiepiſcopum, licèt cauſa ejus fuiſſet injuſta, relinquere deſolatum.

Strenuamors Comitis Walteri.

ANNO quoq; ſub eodem, nobilis Comes *Walterus*, qui in *Terra ſancta* potens extiterat verbo & opere, & *Joppe* & quibuſdã caſtris maritimis & Inſulis quandóq; potenter & prudenter præerat, in ſqualore carceris *Saracenorũ* & arctiſſimis vinculis tenebatur compeditus. Oderant enim eum infideles, quia ipſos frequenter & multùm, dum liber exſtitit, damnificaverat. Nec erat eo clarior, vel armis potentior, vel moribus acceptior in tota *Terra ſancta*. Fame igitur & ſiti ad arbitrium hoſtium ſuorum attenuatus, & flagris frequenter attritus, morti jam proximus videbatur, ita ut ei jam ſolum ſupererat ſepulchrum. Nullo nempè genere tormentorum poterant ipſum infideles, vel ad apoſtaſiam, vel ad eorum flectere voluntatem. Inito igitur inter ipſos conſilio productus eſt in mediũ, & ſic à *Soldano Babyloniæ* affatus, ut circumventus *Joppen* eis, in cujus cuſtodia ſuos fideles poſuerat ſtrenuos nimis, pro ſui liberatione reſtitueret, blanditiis, minis, & amplis promiſſionibus eſt appetitus, hoc modo: "O Comes inviċtiſſime, "multa mihi damna irreſtaurabilia crebriùs intuliſti, quapropter multis mortibus puniri meruiſti. Veruntamen in hoc tibi poteris adhuc vitam reſtaurare, et reſtauratam conſervare, "necnon et multis honorari donativis, ſi *Joppen*, cui quandoq; præfuiſti, et cuſtodiam fidam "impoſuiſti, ſcilicet, tuos fideles, quorum non poſſumus enervare conſtantiã, nobis reſtituas. Tu "quoq; adduceris ad portã civitatis, ut hanc conditionem, tuam ſcilicet liberationem, et om"nium civium incluſis manifeſtes. Quod cùm Comes annuiſſet, productus eſt ante portam civitatis memoratæ, *Saracenorum* milite circumſeptus, ut diceret et palàm proponeret prælibata. Quē cùm aſpicerent cives, vix ipſum cognoverunt marcidũ et macilentũ, et dixit Comes priùs ipſis, qui eũ tenebãt, liceat mihi cõcepta verba uſq; ad conſũmationẽ proponere; dicimus enim

vulgari-

1251.

"vulgariter,quòd ultimũ verbũ totam concludit parabolã. Quod cùm ei concederetur,nitebatur Comes diſtinctè et aperte,et voce audibili hæc verba articulatim pronunciare,ſuis militibus ſupra portã conſtitutis: O milites ſtrenuiſſimi *Chriſtianiſſimiq;*ac devoti videtis corpuſcu-"lum meum ſic exhauſtũ,ut ſola voce ac ſermone à vobis jam debeã cognoſci. Mors mihi ſub-"arrata eſt, & corpus exanime vitales auras vix exhaurit. Nihil pro me penitus reddatis vel concedatis. Utquid redimeretur cadaver ſemivivum? Et ſi redimerer, nunquàm tamen re-"ſpirarem. Adjuro igitur vos per aſperſionem ſanguinis *Chriſti*,qui in hac *terrà* pro redempti-"one totius mundi effuſus eſt, ùt nunquã infidelibus his canibus, qui hanc civitatẽ ſitienter in "confuſionẽ totius *Chriſtianitatis* cupiũt, vel caſtrũ vel civitatẽ reddatis, quia certè nec vobis "parcẽt cum reddideritis, nẽc vobis ſuccurrẽt in proximo peregrini & incolæ, qui parãtur in ſuccurſũ.Quod cúm audiſſẽt *Saraceni*,capulis gladiorũ ſuorũ,quos ſtrictos tẽebant, os magnifici Comitis uſq;ad ſanguinis effuſionẽ copioſam,& dentiũ excuſſionẽ tundentes, reduxerũt pœnis exquiſitis interimendum. Quæ omnia Comes *Walterus* exemplo Principis *Antiocheni* conſanguinei ſui, viriliter toleravit. De quo quia mentio facta eſt,libet mortis ſuæ hiſtoriam ſub ſuccincta brevitate, huic libello ſub literis commendare.

Conſtans mors Principis Antiochiæ.

QUANDO *Salahadinus* contra Regem *Richardum* in *Terra ſancta* per bellum decertaverat, captus fuit Princeps *Antiochiæ* & in carcere *Salahadani* inhumanè nimis tractatus, duris ac diris vinculis mancipatus, fame & ſiti maceratus, ita ut jam emarcuerat. Juſſit igitur una dierum *Salahadinus*,ipſum ſiſti in preſentia ſua & factum eſt ita. Intuitus igitur eum *Salahadinus* torvo vultu,ait. "Sic te Deus tuus adjuvet,dic mihi verum: Si me ſic teneres ut te teneo,quid de me "faceres? Cui Princeps imperterritus alacriter reſpondit. Sic mihi Deus cõſulat,illicò decapi-"tareris. Sed quia Rex es,licet incredulus,ne ab aliquo vulgari percuteteris, ego ipſe te decol-"larem. Cui *Salahadinus*:Os tuum tibi tuã dictavit ſententiã. Et poſtulato gladio ſuo,dixit: Et ego te in cõtinẽti decollabo. At Princeps, ut erat manibus à tergo ligatis, præſiliit lætus ac ridens ante ipſum appropians,protendens caput & extendens collũ,ut prõptiùs manui percuſſoris aptaretur,& dixit hæc ultima verba."Cape cane hoc meũ caput turpe,hirſutum,& barbatũ, "cum facie marcida,& auribus lutulentis,parum,imò valet nihil. Nil amplius aſportabis,Deo "autem animã commendo. *Salahadinus* igitur uno levi ictu,glorioſum Dei Martyrem decapi-"tavit. Et ait: O pertinax,nec adhuc moriens vinceris. Iſte Princeps Martyr glorioſus,conſanguineus fuit Comitis *Walteri*,de quo ſermo prælibatur Quos Commartyres credimus conregnare. Hæc qui præſens fuit, & oculis propriis conſpexit,de Principe ſcilicet *Antiocheno*, Magiſter *Ranulphus* cognomento *Beſ..ce*,(qui tunc fuit Phyſicus Regis *Richardi*,poſteà verò Canõicus eccleſiæ ſancti *Pauli*)mihi fida patefecit relatione.Miſſus enim erat ad ipſum *Salahadinum* pro liberatione ejuſdem Principis, ſed minimè profecit.

Succiduntur nemora Archiepiſ. Cant.

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, Archiepiſcopatus nemora ſucciduntur, homines depauperantur. Redditus vacantes ad arbitrium alienigenarum alienis diſtribuuntur, de quorum moribus vel ſcientia nihil conſtat diſtributoribus, & ſic abſente paſtore, oves lupis exponuntur.

Bellum inter filios Daciæ Aldemari.

EODEM anno motum eſt deteſtabile bellũ, inter filios *Aldemari* Regis quondam *Daciæ*, & hoſtilis contentio de regno poſſidendo. Et dum totus mundus deteſtaretur fraternas acies, alterna Regna prophanis decertata odiis, *Abel* primogenitus (qui potiùs *Cain* dicendus erat) inſidiatus eſt *Henrico*: & dum luderet ad aleas balneaturus poſt ludum, ſupervenit *Abel* ſubitò, et fratrem ſuum nequiter & proditioſè interfecit, et projecit in mare interfectum. Mare autem ter rejecit ad aridam cadaver. Inhumanus autem *Abel*, inhumatum volens eſſe corpus, illud remotiùs fecit projici et demergi in profundo.Sed adhuc projectum eſt corpus Regis innocentis ad litus, quo antè,Deo ſic diſponente,projiciebatur.Corpus igitur fratres *Minores*,qui illud poſtulaverant,in eccleſia ſua honorificè ſepulturæ tradiderunt, ubi Deus ſupplicatus, miraculorum præſtat beneficia. Et ne alicui ſua fraus patrocinetur,Magnates *Daciæ*,ipſum *Abelẽ* cruentum fratricidam,qui etiam fratri interempto ſepulturam denegavit,exilio perpetuo condẽnarunt.Qui cùm proponeret recalcitrare,interemptus eſt ab eiſdem. In cujus loco ſubſtitutus eſt communi decreto tertius fratrum, natu ultimus,nomine *Chriſtophorus*, qui nunc proſperè regnat ſolio Regali ſublimatus.Sciendumq;quòd ab antiquo Rex *Daciæ* inunctus eſt conſecratus et coronatus. Rex verò *Norwegiæ*, *Haco* nomine, ſuſcepit à Papa *Innocentio* quarto munus conſecrationis,necnon et legitimationis, datis eidem Papæ triginta milibus marcarũ argenti, per manum domini *Laurentii* Abbatis poſteà de *Kirkeſtude* in *Lindeſeia*,qui totum illud negotium *Romam* pergẽs effectui mancipavit, *Anglicus* natione & ordinem profeſſus *Ciſtercienſem*.

Comes Legriæ S. redit in Gaſconiam.

ANNO quoq; ſub eodem,imminente Vernali ſerenitate,Comes *Legriæ Simon*,rediens cum multo comitatu & theſauro in *Gaſconiam*, contra ipſũ omnes ferè *Gaſconiæ* potentes conſpiratione communi confœderatos invenit,& rebellare præparatos. Unde bello ſuſcitato Marte redivivo, *Gaſconenſes* calculum deteriorem reportarunt.

Parlamentum habitum Londini.

EODEM anno decimo tertio Calend.Martii,habitũ eſt Parlamentum magnum *Londini*, ſicut fuerat prælocutum & præfixum. Ibiq; fuit *Henricus* de *Bathonia*, quia cum Rex perſequebatur,undiq; graviter ab adverſariis ſuis fuerat appetitus & accuſatus. Rex autem ira maxima accenſus contra eum, qui venerat multo ſtipatus milite de genere uxoris ſuæ & amicis. & ſuis propriis, accuſavit ipſum graviùs cæteris, imponens eidem, inter cætera, quòd totum

regnum

1251. regnũ perturbavit,& barnagiũ univerſum contra ipſum Regẽ exaſperavit, unde ſeditio generalis imminebat. Fecit igitur acclamari voce præconia *Londini*,& in curia,ut ſi quis aliquid haberet actionis vel querelæ adverſus *Henricum* de *Bathonia*, veniret ad curiam ante Regis præſentiam,ubi plenè exaudiretur. Inſurrexerunt igitur multi queruli contra eum,ita quòd unus etiã ſociorũ ſuorum, ſcilicet Juſtitiarius palàm proteſtaretur, quòd unum facinoroſum convictũ & incarceratũ abire permiſit impunitum,ſine judicio, opimis reſpectus muneribus: quod factum eſt in Regis præjudiciũ, & Juſtitiariorum comitum ſuorũ periculum & diſcrimen. Rex igitur magis inde provocatus, aſcendit ſuperiùs, exclamavitq; dicens.Si quis *Henricum* de *Bathonia* "occiderit, quietus ſit à morte ejus,& quietum eum proteſtor: & ſic properè receſſit Rex. Et fuerunt ibi multi,qui in ipſum *Henricum* hoſtiliter irruiſſent,niſi domini *Johannis Manſel* prudentia eorum impetum tẽperans,refrenâſſet,dixit enim, Domini mei & amici,non eſt neceſſe quod in ira præproperè dicitur, proſequamur. Pœnitebit fortè dominum noſtrum, jam el ipſo iræ tempore, hæc intonuiſſe. Præterea,ſi aliquid violentiæ ipſi *Henrico* intuleritis,ecce Epiſcopus *Londinenſis*,qui ſpiritualem, & alii amici ejus militares, qui vindictam exercebunt materialem, & ſic in magna parte ceſſavit. Ex tunc igitur procurante efficaciter Comite *Richardo* & Epiſcopo memorato,mitiùs actum eſt cum eo. Dictum enim eſt domino Regi ſecretiùs,quod mirum eſt, quòd aliquis ei curat ſevire, cùm eis poſt miniſterium etiam mortem nititur inferre. Promiſſa igitur quadam pecuniæ ſumma, à mortis diſcrimine receſſit liberatus.

Confirmatur Æthelmarus in Epiſcopatum Wintonienſem.

CIRCA idem tempus, confirmatus eſt in Epiſcopatum *Wintonienſem* à domino Papa *Æthelmarus* frater domini Regis uterinus. Non obſtantibus juventute & literarum ignorantia, & omnimoda ad tantam dignitatem & tot animarum regimen inſufficientia. Conceſſa eſt etiam eidem à domino Papa tanta gratia, ut priùs obtentos redditus retineret. Procuravit enim hæc õnia urgenter,domini Regis vigil diligentia. Sed ne videretur dominus Papa in ſterili litore, ſine meſſis utilitate ſeminâſſe, ilico exegit à Rege provideri filio Comitis *Burgundiæ* puerulo, in redditu quingentarum marcarum.

Obiit Willielmus de Cantelupo.

TEMPORE quoq; ſub eodem, obiit *Willielmus* de *Cantelupo*, vir quidem potens & diſcretus, & fidelis Regni amicus. Cui ſucceſſit in hæreditatem *Willielmus* filius ejus,cui Rex nimis ſeverus extitit, antequam hæreditatis ſuæ plenitudinem valeret adipiſci, licèt pater ejuſdem domino Regi fuiſſet amiciſſimus, & ſummus ejus Seneſcallus hoſpitii.

Congregantur Epiſcopi Angliæ apud Duneſtapliam.

DIEBUS autem ſub eiſdem,cùm Archiepiſcopus pro viribus,& ſupra vires,in curia *Romana* diligentiã adhiberet, ut propoſitum ſuũ perduceret ad effectum, videlicet, ut viſitationem faceret generalem totius cleri & populi per ſuam provinciam. Epiſcopi *Angliæ* hoc ægrè ferentes,(quia pro reformatione morũ & religionis conſtabat eis ipſum ad hoc non anhelare) apud *Duneſtapliam* die ſancti *Matthiæ* convenerunt,ſuper hac injurioſa oppreſſione cõmuniter. Quod enim omnes anguit & tangit,ab omnibus habet trutinari. Afferunt igitur *Lincolnienſis*, *Londinenſis*, *Norwicenſis*, *Sariſberienſis*, *Eylenſis*, *Wigornienſis*, *Epiſcopi*. *Ceſtrenſis*,quia valetudinarius, nequivit. Qui poſt diligentem tractatum, miſerunt ſuum procuratorẽ ad curiam, ſcilicet magiſtrum *I.* ut domino Papæ ſuper hoc querimoniam reponens,ab impetu Archiepiſcopi, etiam ſi opus exigeret, uſq; ad effuſionem quatuor milium marcarum (quia curia *Romana* dantibus eſſe præſto ſemper ſolet,& favorem impertiri) liberationem impetraret. Et ad *Romanam* curiã perveniens, procurator negocio ſibi injuncto curam impendit diligentem. Datumq; eſt Papæ intelligi eodem tempore,fortè per dictum procuratorẽ, vel aliquem alium Archiepiſcopi adverſariũ, quia rebelles ei diatim multiplicabantur, quòd pluſquàm cenſum ſibi à Papa conceſſum,ſcilicet de undecim milibus,in magnam *Anglicanæ* eccleſiæ clam collegerat læſionem. Unde dominus Papa Epiſcopis reſcripſit ut ipſum ſuper tali tranſgreſſione redderent certiorem. De tranſgreſſionibus autẽ factis *Londini*,& enormitate magna, ſub ſilentio diſſimulatũ, & ſub diſſimulatione ſubcineratum, pro puſillanimitate conquerentiũ, qui non fuerunt auſi jus ſuũ proſequi, vel expẽſas effundere non valuerunt. Et tunc demùm palàm profeſſus eſt dominus Papa, ſe quamplurimũ gaviſum fuiſſe, quòd remotus à *Lugduno*, *Sabaudienſium* compedes evaſiſſet,promiſitq; utriq; partium conquerentium cum omni moderatione,quod juſtum foret ſententialiter reportare. Sed quia curia earum beneficiis ſaginabatur quotidianis, adhuc Papa ſententiam diſtulit diffinitivam. Frequenter etiã cõqueſtus eſt Papa,quòd adeò dum *Lugduni* morabatur,obligatus extitit voluntati Archiepiſcopi *Cantuarienſis*,& electi *Lugdunenſis*, quòd cùm quidam intruſus in quandam præbendam auctoritate ſua illius eccleſiæ appareret,in *Rhodanum* piſcibus præſentabatur de nocte ſubmerſus, nec auſus fuerat obmutire. Epiſcopi igitur *Angliæ* æquanimiores ex benevolentia domini Papæ effecti, noluerunt de exceſſibus Archiepiſcopi aliquid intimare ne odii ſpeciem querelarum protenderet multitudo,ſed cauſæ principali viriliter inſtiterunt.

Viſitatio Epiſcopi Lincolnienſis.

DIEBUS qoq; ſub eiſdem,Epiſcopus *Lincolnienſis* viſitationem fecit in domibus religioſorũ in Dioceſi ſua conſtitutis. In qua,ſi quis omnes tyrannides quas exercuit,recitaret,nõ ſeverus, ſed potius auſterus & inhumanus cenſeretur. Cùm enim inter cætera ad *Rameſeiam* perveniſſet,ſtipatus ſæcularibus,in dormitorio lectos Monachorũ in propria perſona perſcrutando,omnia circuit,univerſa revolvit,et ſi quid communitum inveniret,demoliebatur, & quaſi effractarius ſcrinia diſſipans, ciphos quos invenit circulis vel pedibus redimitos, comminuit conculcatos, quos, ſi circumſpectiùs feciſſet, poſſet pauperibus integros erogaſſe. Et quod

indignum

indignum eſt ſcribi, ad domos religioſarum veniens, fecit exprimi mammillas earundẽ: ut ſic phyſicè ſi eſſet inter eas corruptela, experiretur. Addiditque horribiles maledictiones, quas ſuper capita tranſgredientiũ ſtatuta ſua congeſſit, quas *Moyſes* ſcripſit, & benedictiones *Moſaicas* ſuper eos qui eadem fuerant obſervaturi. In quadrageſima verò ſequente, ſuſpenſus eſt ab officio Epiſcopali, pro eo quòd noluit admittere quendam *Italicum Anglicanæ* linguæ ignarum, ad quoddam opimum beneficium in Epiſcopatu ſuo. Sed hæc omnia feciſſe creditur, ut ſubjectos de quorum animabus habet reſpondere, à peccatis coerceret. 1251.

Wallia legibus Angliæ ſubjicitur.

IPSIS quoque diebus, *Wallia* edomita, quæ toties contra regnum *Angliæ* calcaneum levaverat, legibus *Angliæ* mancipatur, & cuſtodienda committitur, quæ confinis *Ceſtriæ* eſt, *Alano* de *Zucha*. Qui ſupplantato *Johanne* de *Gray* reddente quingentas proinde marcas, ſuperaddidit uſque ad mille & centum marcas. Et ſic miſera *Wallia* quaſi ad firmam traditur, dare volentibus cenſus incrementum.

Confirmantur Wintonienſis & Roffenſis *electi.*

DIEBUS quoque ſub eiſdem, confirmati ſunt electus *Wintonienſis Athelmarus* domini Regis frater uterinus, & *Roffenſis* electus magiſter *Laurentius* de *S. Martino*. Quibus conceſſum eſt, per aliquot annos ſequentes redditus prius obtentos retinere. Et ſic jam in conſuetudinem & uſũ hæc abuſio ſuſcitatur; ut quis ad Epiſcopatum vocatus, non Epiſcopus permaneat, ſed Electus, ut ſcilicet paſtor non paſcat, ſed paſcatur. Et ut Epiſcopatus priſtinos redditus retineat, ut multiforme monſtrum habeatur. Et ut aliquis Epiſcopus ad alium Epiſcopatum ditiorem poſtulatus, transferatur, ut una eccleſia, alterius pellex habeatur.

Abbas Weſtmonaſterienſis *transfretat.*

ET circa diem illum, Abbas *Weſtmonaſterienſis*, ſcilicet in carniprivio, Rege ſic volente & jubente ſecretiùs transfretavit. Fuerunt nempè qui dicerent, quod dominus Rex propoſitum habuit transfretandi, *Pontiniacumque* peregrè adeundi, ut ibidem beatum *Ædmundũ* ſibi redderet reconciliatum. Conſtabat enim ei, quòd in multis eum offenderat, dum *Ottoni* Legato adhærens, ipſum Archiepiſcopum, ſuum videlicet confeſſorem, uſque ad ſpiritus amaritudinẽ læſerat, & ad exilii provocaverat exterminium; unde vindictam formidabat. Comes autem *Richardus*, tam ſuſpectè peregrinationi conſenſum non præbebat. Abbas autem cùm non poſſet viam pacificam peregrinaturo Regi præparare, negotio, quod eum cõtingebat, intendit diligenter, ut ſcilicet Conventum ſuum ſuæ poſſet inclinare voluntati, & Capellanus domini Papæ appellari. Sed cùm hoc dominus Rex intellexiſſet, facta ſua conabatur irritare, & ex tunc gratiam Regis, in qua confidebat, amiſit, quod rei exitus comprobavit, prout hujuſmodi narrationis ſeries in fine comprobabit.

Deſolatio Antiochiæ.

PROH dolor, ipſis nempe temporibus nobiliſſima civitas *Antiochia*, tot & tantorum ſanguine nobili effuſo adquiſita, invaleſcente *Turcarum* & *Turcamannorum* robore & multitudine, ignominioſo patuit diſcrimini. Multi igitur civium fugerunt diffidentes, quia jam totius Principatus & Patiarchatus dignitas, magnam induit confuſionem. Recordatio enim victoriæ *Soldani Babyloniæ*, & confuſio Regis *Francorum*, infideles multum animabat, & *Chriſtianos* non mediocriter exturbarat.

Decanus Londinenſis Rom. *curiam adit.*

IPSO quoque tempore, Decanus *Londinenſis*, ætate grandævus, toties pro libertate Eccleſiæ ſuæ vexatus; adhuc pro juribus eccleſiæ ſuæ contuendis *Romanam* curiam adiit, pro ſcandalo multiplici jam per Archiepiſcopum exorto. Quos enim dominus Papa præcepit abſolvi, adverſarii eorum, ex parte domini Papæ, præceperunt alia ratione excommunicari. Ita quòd laicis eſſet eorum lis, nec mirum, ridiculoſa.

Rex Angliæ *indies magis alienigenas amplectitur ditatque.*

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, dominus Rex diatim, & non jam paulatim, dilectionem ſuorum hominum amiſit naturalium. Patriſſans enim manifeſtè, omnes quos potuit attraxit alienigenas, & ditavit, & ſpretis ac ſopliatis Anglicis, alienos introduxit. Hinc Comitem *Richardum*, hinc Archiepiſcopum, illinc *Wintonienſem*, & alios fratres ſuos: hinc Epiſcopum *Herefordenſem*, hinc *Petrum Sabaudienſem*, & alios undecunque vocatos. Unde multi Regis exorti ſunt in *Anglia*, ad bigas & equos rapiendos, ad victualia & veſtimenta, imò quæque neceſſaria. *Pictavienſes* inſuper, nobiles terræ, & maximè religioſos, mille modis, opprimere ſatagebant: ita ut qui ſolummodò injurias, quas *Willielmus* de *Valentia* Abbati de *ſancto Albano* & Priori de *Thynemuæ* irrogaverat, recenſeret, lachrymas excutere poſſit ab oculis audientium: ſed ea in *libro Additamentorum*, ut hoc volumen deoneretur, annotantur.

Moritur W. *Cardinalis & Epiſcopus* Sabinenſis.

ANNI quoque ſub ejuſdem tempore, Epiſcopus *Sabinenſis Willielmus* (vir quidem ſanctus *Romanæque* eccleſiæ Cardinalis, qui in *Sueſcia* & *Norwegia* paucis antè elapſis annis exiſtens Legatus, Regem *Haconem Norwegiæ*, ut prædictum, coronaverat) cùm quadam nocte ſanus & incolumis in ſtratu ſuo dormiret, vidit in viſione nocturna, quòd *Otto* Cardinalis qui, paulò antè obierat, ſedit in quodam concilio generali populoſo nimis, & cùm ſuperveniſſet prædictus *Willielmus*, nec aliquis ei aſſurrexiſſet, nec daret locum ſeſſionis, ſolus *Otto* aſſurgens ei, palàm dixit ipſi, Amice, aſcende ſuperiùs, locum tibi ſeſſuro reſervavi. Erant nempe ipſi duo, re vera dum viverent amiciſſimi. *Willielmus* autem, cum evigilaret, commotus eſt vehementer. Et datũ eſt ei deſuper ſcire, quoniã infra tertium diẽ ab hoc ſæculo foret migraturus. Ilicò igitur adiit Papã, & accepta licentia & benedictione, dixit; Vale domine mi. Vocat enim me Dominus ab hoc ſæculo: & eodem modo vale dicens omnibus fratribus & amicis ſuis, rediit devotus valdè ad hoſpitium ſuum. Mirabantur autem omnes ſuper his, & fuerunt qui deriderent eum, dicentes, quoniã ſenuit & deliravit: quia ſanum eum videbant, & nullam in corpore habentem læſionem.

1251. læſionem. Ipſe autem *Willielmus* diſpoſitis in domo ſua cum deliberatione diſponendis,& multis patefacta prædicta viſione,laudabili fine in craſtino ab hujus mundi tranſiit incolatu. Et eodem tempore obiit magiſter *Johannes* de *Offintuna*, Canonicus *Sariſberienſis* ; quo non erat in *Anglia*, clericus celebrior.

Diſcordia inter Abbatem & Conventum Weſtmonaſterienſem.

DIEBUS autem ſub eiſdem ortum eſt ſcandalum in nobili cœnobio *Weſtmonaſterienſi*, eò quòd diſcordia partibus nimis damnoſa & indecens eſt exorta. Abbas enim, vir quidem literatus & prudens,conabatur factũ anteceſſoris ſui auctoritate Apoſtolica irritare,qui bona eccleſiæ ſuæ in uſus ſuos & uſus Conventus,ut majori pace gauderent,ſeparaverat.Et ſũmo conamine nitebatur,diviſa ſolidare; & omnia nutibus ſuis inclinare. Et idcirco domino Papæ adhærens, ipſum pedetentim ſequebatur,& morã non minimã in curia,non ſine multarũ expenſarũ profuſione,continuabat. Unde propter ſuam prudentiã, facundiã, & elegantiã,inter familiares Papæ annumerabatur, et Capellanus domini Papæ meruit eſſe et appellari, et multa de ſuo propoſito ad votũ impetrare. Quod audiens Conventus,non mediocriter formidare; ne quod prædeceſſor iſtius Abbatis, ſcilicet *Richardus* Abbas, piè ordinaverat, infirmaretur, & eorum conditio deterioraretur. Miſſis igitur aliquibus de Conventu præſtantioribus ad Regem,facta lachrymabili querela dixerunt ei: O Domine, Abbas, quem nobis habere feciſtis, domum noſtram, imò potiùs veſtram ſpecialem, nititur perturbare, et quod ad quietem noſtram ordinatum piè extitit, infirmare: veſtrum eſt, domum veſtram Regaleque veſtri domicilium protegere, ne nullo adverſantium impulſu labet vel labatur. Quibus dominus Rex, addito magno ſacramento, ait: Nunquam certè prævalebit. Et concepta indignatione cum ira et odio palam protellatus eſt, dicens: Pœnitet me feciſſe hominem.

Mandatum Regis Caſtellæ A. *ad Regem* Angliæ.

IPSIS quoq; diebus,victorioſiſſimus Rex *Caſtellæ Andephulſus*,nuncium ſolennem ad Regẽ *Angliæ* pio affectu deſtinavit unum,ſcilicet militem eloquentem & elegantem; per quem perſuaſit efficaciter & amicabiliter,utpote conſanguineum,& ſpecialiter idcirco dilectum,quatenus peregrinaturus veſtigia Regis *Francorũ* minimè ſequeretur,vel ſuperbiam *Franciæ* imitaretur. Imò potiùs per ipſum ſecurus tranſmearet, & ipſe Rex *Andenulfus*,ipſum concomitaretur comes indiviſus & adjutor indefeſſus; invictualibus armis,& navigio,proviſurus. Ex hujuſmodi nuncii relatione accepimus,quòd eidem Regi *Andephulſo*,poſt captionem *Sibellæ* civitatis opulentiſſimæ,tota ferè *Hiſpania*,uſque ad mare in ſuam jam ceſſit ditionem. Aſſeruitque quòd illa civitas cum adjacente provincia, ſolvere conſuevit Regi *Maroke* (quem *Admirabilẽ mundi* conſuevimus appellare) reditu indeficiente qualibet ſeptimana, ſcilicet ſexta feria, undecim milia talentorum, quod vix nobis Occidentalibus credibile videbatur. Unde dominus Rex *Angliæ* gaviſus, ipſi grates aduberes referebat. Et hujus mandati tenore gaudium ſuſcepimus, honorem ſuſcepturi, niſi mors immatura ipſum Regem magnificum *Andenulfum* de medio ſubſtuliſſet. Eodem enim anno in fata conceſſit, omnibus *Chriſtianis* deplorandus. Veruntamen filios ſtrenuiſſimos, ne moriturus penitus moreretur, domino diſpenſante, regno ſuo poſt ſe reliquit gubernando.

Indignæ literæ Papales.

TEMPORE *quoque ſub eodem, tranſmiſit dominus Papa Abbas* ſancti Albani *literas ſub hac forma:* Innocentius *Epiſcopus, &c. Dilectis filiis Abbati & Conventui ſancti Albani, Lincolnienſis Diœceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm dilectus filius* Johannes *de* Cameca-va, *nepos & Capellanus noſter,eccleſiam de* Wengrave, *in qua, ſicut intelleximus, jus patronatus ad vos dignoſcatur pertinere, diſcretionem veſtram affectione paterna rogamus, per Apoſtolicam vobis ſcripta mandantes, quatenus eidem* Capellano, *dictam eccleſiam cum alia eccleſia primò vacatura, quæ ad præſentationem veſtram ſpectare noſcatur, quam etiam dictus* Capellanus, *vel ejus procurator, duxerit acceptandam, commutetis, illam donationi noſtræ nihilominus reſervando. Inhibitione ſeu reſervatione qualibet,*non obſtante, *aut etiam indulgentia, illa quæ dicitur* Anglicis *eſſe conceſſa: Ne ſcilicet beneficia clericorum* Italicorum *cedentium vel decedentium, immediatè alicui clerico* Italiæ *conferantur. Datum Lugduni, ſecundo Idus Decembris.* Hoc verò huic libro duximus inſerendum, ut legentibus innoteſcat,quot angariis & injuriis nos miſeros *Anglos* exagitat curia *Romana*. Perpendens enim hujus literæ tenorem, multiplicem poterit conſiderare contemptum, injuriam, & oppreſſionem. Sed ut Apoſtoli adimpleatur ſententia comminatoria: *Niſi priùs venerit diſceſſio, non revelabitur filius iniquitatis.* Ecce cauſa, ecce materia, quare recedunt corda, etſi non corpora, à patre noſtro Popa, qui in vitricalem exaſperatur auſteritatem: & à matre noſtra eccleſia *Romana*, quæ in novercalem deſævit perſecutionem.

Adventus Regis ad S. Albanum.

EODEMQUE anno, ſcilicet Dominica in paſſione Domini,venit dominus Rex ad *ſanctam Albanum*,ibiq;per tres dies morabatur, obtulitq; ad majus altare tres pallas *ſancto Albano*, & unã ſancto *Amphibalo*,& aurum feretro ſancti *Albani*. Veruntamen tepidè ſe habuit in executione juſtitiæ,in placito nimis nobis damnoſo,quod erat inter eccleſiam *ſancti Albani*,& *Galfridũ* de *Childewike*: qui inter alios exceſſus,quos longum eſſet enumerare, pacem Regni & coronæ Regiæ enormiter læſerat,dum,quaſi prædo violentus,equũ cujuſdam famuli de curia *ſancti Albani* abſtulit,cum quodam xenio quod portabat. Unde per ipſum famulũ de crimine pacis appellabatur, & impetrata litera in curia Regis, miles ſuper hoc criminatus atachiabatur, ut verba convenientia curiæ habeamus. Sed cùm videret Abbas Juris teporem, & Regis remiſſionem, & *Johannis Manſel*, Regis principalis conſiliarii, prædicti militis ſororii, ob cujus favorem Rex flectebatur, remiſſa eſt appellatio. Miles tamen ingratiſſimus, nihilominus nitebatur

eccleſiam,

eccleſiam, Abbatem, & Conventum, cujus homo erat, nequiter & proditioſè impugnare, *Johanne* memorato præbente cornua, ſubſidium, & incentivum.

EODEMQUE tempore captus eſt quidam miles nomine *Robertus*, cognomento *Chandos*, de familia *Johannis* de *Munemuæ*, audax & ſtrenuus valdè. Hic pro quadam ira receſſit à famulatu domini ſui *I.* & incendiis, & rapinis, & homicidiis, multis, quos attraxerat, complicibus palàm & occultè nequam ſicarius intendebat. Sed dum Rex apud *ſanctum Albanum*, ut prædictum eſt, moraretur, venit ad eum ibidem rumor, quòd fideles Comitis *Glaverniæ* eum ceperant & captũ incarceraverant: & dũm incarcere nimis arcto vinculis ſtrictis innodatus tenebatur, quia timebant eum carcerarii propter ſuam fortitudinem, miſerabiliter expiravit. *Captio & mors cujuſdam militis Roberti.*

EODEMQUE anno, decimo Calend. Auguſti, obiit mulier quædam ſanctiſſima, nomine *Cecilia*, cognomento dè *Sanford*, ad unum miliare de *ſancto Albano*, fidelis vidua, ſanguine nobilis, ſed moribus nobilior. Relicta quidem *Willielmi* de *Gorham* & mater *Willielmi* de *Gorham* militum. Hæc cùm pluribus annis vidua eſſet docta valde, & faceta, & eloquens, electa eſt, ut eſſet magiſtra & morum informatrix *Johannæ* ſororis domini Regis, relictæ *Willielmi Mareſcalli* junioris. Et poſteà uxoris *W.* de *Valentia Johanne*. Hæc mulier *Cecilia* in præſentia S. *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi cum *Johanna* Comitiſſa de *Penbroc*, tunc vidua, votum fecit ſatis ſolenne de viduali continentia obſervanda, cúmq; annulo ſponſali veſtem accepit de Ruſſeto, quibus in teſtimonium perpetui cœlibatus uteretur, ſicut & diſcipula ejus Comitiſſa *Johanna*. Ipſa verò Comitiſſa poſteà ex indulgentia Papali, mater volens eſſe, nupſit Comiti *Legriæ*. Ipſa verò *Cecilia* votũ Deo promiſſum, uſq; ad mortem mente & habitu inviolabiliter conſummavit. Unde moritura ſuum advocari Confeſſorem, videlicet fratrem *Walterum* de *ſancto Martino*, de ordine *Prædicatorum*, virum eleganter moribus præditum & ſcientia, fecit ſub feſtinatione. In cujus præſentia, cùm facta pleniſſima cõfeſſione Dominici corporis viatico muniretur, extrema unctione delibuta, & morti exponeretur, frater *Walterus* videns annulũ aureũ in digito ejus, ait ancillis: Deponite ilicò annulũ illũ, ne moriatur ſic adornata. Ipſa verò hæc audiens, licèt ſemiviva, reſumpto ſpiritu ſic loqui conata eſt: "Abſit, abſit hoc, pater chare, à me, ut unquam "recedat à me viva vel mortua hic annulus, quẽ ante tribunal Dei ſponſi mei proferã, in teſtimoniũ inviolatæ, quam ei per hunc annulum promiſi cõtinẽtiæ, ut recipiam quam pepigimus retributionem. *Scio cui credidi*, quoniam nobilium amplexus pro ipſo cum opimis dotib. recuſavi. Et ſic manum retraxit, & recurvato digito annulũ, quẽ famule attentabãt deponere, retinuit: & ſic ſermonem cum vita terminavit. Frater autem *Walterus*, utpote vir diſcretus, tã verba devota quàm pium propoſitum commendavit. Hæc & alia ſanctitatis argumenta, mihi hæc ſcripturo dictus frater veraci relatu patefecit. Habens igitur dictum annulũ in digito, corpus delatum eſt ad *ſanctum Albanum*, propter cœlibatus ejus privilegium & generis ſui nobilitatem, in eccleſia ipſa ante altare beati *Andreæ*, honorificè in lapideo ſarcophago ſepeliebatur. Erant autem in obſequiis conſummandis Abbas & Conventus, & militum ac nobilium de genere ipſius mortuæ multitudo copioſa. Inter quos fuit dominus *Nicolaus* de *Sanford*, frater *Ceciliæ* memoratæ. Qui pro tantæ ſororis morte, concepto dolore vehementi, nunquam (proh dolor!) poſtea proſperabatur. Erat nempè etate juvenili, corpore elegans, nulliq; in *Anglia* in ſtrenuitate militari ſecundus. Protractis igitur aliquot diebus in lamentis, ipſo anno, videlicet decimo tertio Calendarum Februarii, debita naturæ perſolvit. *Mors pia matronæ Ceciliæ de Sanford.*

EODEMQUE anno arridente feſtiva ſerenitate, dominus Papa receſſit à *Lugduno* comitantibus Cardinalibus quàm plurimis & Nobilibus. *Philippus* quoq; *Lugdunenſis* electus ipſum cum ingenti comitatu armatorum conduxit, propter inſidias *Fredelicalium*. Et cùm omnia præpararentur ad receſſum, frater *Hugo* Cardinalis, quaſi ex parte domini Papæ valedicturus civibus *Lugdunenſibus*, ſermonem populo fecit generalem. Et poſtquàm omnes eleganter informâſſet, & informatos ex parte domini Papæ & totius curiæ civiliter ſalutâſſet, unum ſermonem addidit; quem duximus huic paginæ propter ſatyricam reprehenſionem inſerere. "*Amici, magnam "fecimus poſtquàm in hanc urbem venimus, utilitatem & eleemoſynam. Quando enim primò huc venimus, tria vel quatuor proſtibula invenimus. Sed nunc recedentes unum ſolum relinquimus. Verùm "ipſum durat continuatum ab Orientali porta civitatis, uſque ad Occidentalem.* Et erat verbum offenſionis in auribus omnium mulierum, quarum infinita multitudo ſermoni aſſidebat. Omnes enim civitatem inhabitantes, voce præconia convocabantur ex parte domini Papæ receſſuri. Hæc autem Ironia in ore multorum verſabatur, quia Cynicè momordit univerſos. *Papa recedit Lugduno.*

PAPA igitur per multa periculorum diſcrimina, indemnis pervenit *Mediolanum*. Cui cives honorificè venienti occurrentes, ipſum cum ſummo honore in feſto nativitatis beatæ *Mariæ* receperunt. Sed poſteà, poſtquam cùm ipſis morã per unum menſem continuâſſet, & recedere voluiſſet, exegerunt ab eo infinitam pecuniam, quam dicebant pro honore eccleſiæ & ſuo contra *Fredericum* expendiſſe. Papa igitur moderatè ipſis ſic dicitur reſpondiſſe. Amici Dei & eccleſiæ, bene novimus vos pro honore Dei & eccleſiæ ejus & noſtra, multis periculis & jacturis expoſuiſſe: Sed bene noſtis, quòd expulſus ab urbe exilium ſubiens, cum dignitatibus meis multas jacturas toleravi. Sed cùm proſperitas, quã credo & confido per vos mihi profuturam, arriſerit, vos condignis honoribus ſicut juſtũ viſitabo. His & aliis verbis, necnon & muneribus, dõinus Papa largus in datis, & in dãdis prodigus, civiũ ſeveritatẽ, ſciens quòd in ore leõis mãus *Papa indemnis venit Mediolanum.*

1251. ejus tenebatur, prudenter mitigavit. Impetravit inſuper ab eiſdem, ut patefacto libero aditu, tota civitatis univerſitas armis communita, ipſum Papam reverenter conducerent, uſque ad ſuæ terminos poteſtatis indemnem & ille ſum, & ab omnibus *Fredericalibus* ſecurè protectum. Papa igitur tunc non ſine multis expenſis profectus verſùs *Peruſium*, abhorruit intrare aliquam magnam civitatem, ne ut piſcis in ſagenam intraret irrediturus. Et donec *Peruſium* perveniret, equinis non parcens lateribus, iter maturavit. Cives autem propter emolumenta quæ erant à confluentibus recepturi, ipſum devotè receperunt.

Adventus Abbatis Weſtmonaſterii à curia Romana.

CIRCA idem tempus Abbas *Weſtmonaſterienſis* domini Papæ capellanus à curia *Romana* rediit, non minimis debitis involutus & obligationibus innodatus. Moram enim diutinam in curia continuaverat, & multorum curialium ſibi corda conciliaverat, ita quòd certè credebatur, quòd cum domino Papa penitus, quia vir fuit arduis idoneus ſatis conſiliis, moraretur. Venit autem multiplici armatus potentia, ut Conventum ſuum ſuæ incurvaret voluntati. Et ilicò accedens ad Regem apud *Windeleſhores*, ipſi celebriter nimis & Pontificaliter, Miſſam cantavit. Erat utiq; tam voce quàm corporali elegantia, vir deſideriorum. Confidenter igitur Regem aggreſſus eſt, multorum potentum illi literas oſtendens, ut liceret ei totaliter domum *Weſtmonaſterii*, quam dominus Rex illi regendam commiſerat, ſanè adminiſtrando gubernare, & diviſa ſolidando poſſeſſiones redintegrare. Dominus Rex, cujus cor averſũ fuit ab eo, ipſum Abbatem obliquato ac torvo intuitu reſpiciens, elevata voce multis irrecitabilibus probris laceſſivit. Inter cætera improperans, quòd ipſum immeritò exaltaverat, addens quòd ad conſiliũ ſuum arcanum inconſultè advocaverat. Et quomodò de tua fidelitate confidere poſſem, qui fratres tuos ſocios ab antiquo & commenſales, gravare niteris & moleſtare? Et licèt multi amicorum ſuorum, videlicet *Johannes Manſel*, & multi alii, quos longum eſſet nominare, intercederent pro ipſo Abbate, Rex iratus valdè, ipſum tam à conſilio ſuo quàm dilectione, expulit elongatum. Tandem Abbas moleſtè ferens Regis indignationem, conſenſit in arbitros, ut quod ipſi diſponerent, ſi domino Regi complaceret, ipſe ratum haberet & acceptum, videlicet Comitem *Richardum* & *Johannem*. Quod Conventus, licèt ipſi duo Abbati fuiſſent amiciſſimi, benignè acceptavit, & Rex bene comprobavit. Ipſi igitur, poſt multas diſceptationes, penitus Conventus deſiderio & poſtulationem, excluſo Abbate, conſenſerunt. Quia ſic Regi ſciebant complacere. Sed hæc controverſia hoc anno non terminabatur.

Theſaurus Regis Franciæ *ſubmergitur.*

DIEBUS autem ſub eiſdem, mater & fratres Regis *Francorum*, pecuniæ quantitatem non minimam ad Redemptionem Regis tranſmiſerunt. Et dum eſſet in mari, ſuborta tempeſtate, navis cum omnibus contentis eſt ſubmerſa. Quod cùm audiſſet Rex *Francorum Chriſtianiſſimus*, ait: Nec hæc, nec alia quælibet adverſitas à charitate *Chriſti* me poterit ſeparare. Et ſic Rex magnaminus alios, quos vidit puſillanimes, confortavit, ut ſecundus *Job* verè poſſet cenſeri. Infideles etiam miſerti, ſuam admirabantur conſtantiam.

Diluvium particulare in Friſia.

EODEMQUE anno, in *Frigia*, quæ *Friſelandia* vulgariter appellatur, quædam aqua in ſinu, ut creditur, maris erumpens, diluvium fecit particulare, operiens & occupans terræ illius ſpacium, itineris circiter ſeptem dierum. In quo ſpacio, ultione divina ſubitò irruente, omnia greſſabilia miſerabiliter perierunt. Et poſt quadraginta dies, ille damnoſus fluctus in locum ſuum remeavit. Unde contermini, qui vivi remanſerant, abdita ſcopulorum & caſtrorum ſemirutorum perſcrutantes, ubi fluctus lethifer incolas ſubmerſerat, invenerunt corpora mortuorum infinita, & circa eorum brachia, colla, digitos & corpora, & in pectoribus, torques, monilia, annulos, zonas precioſas, firmacula aurea, veſtes precioſas cum theſauro impreciabili. Quæ idcirco morituri circa ſe ligaverant, ut poſteà inventi, ab inventoribus libentiùs intumularentur & exequiæ impenderentur. Unde vivi de ſpoliis talium locupletati, ut venientes multi eorum ad nundinas *ſancti Botulphi*, volentibus aurum emere, argentum & gemmas, venientes inſtitoribus bonis conditionibus vendiderunt.

H. Bathonienſis *redit ad curiam.*

ET circa feſtum beatæ *Mariæ Magdalenæ*, *Henricus Bathonienſis*, de quo prælocutum eſt, promiſſis domino Regi duobus millibus marcarum, plenè reconciliatus, ad curiam eſt reverſus, immemor laqueorum quos evaſerat.

Adventus electi Wintonienſis *in Angliam à curia* Romana.

EODEMQUE tempore electus *Wintonienſis Ethelmarus*, de partibus veniens tranſmarinis cum comitatu copioſo & pompoſo, applicuit in *Anglia*. Cui adventanti Rex letabundus cum nobilium, & præcipuè *Pictavenſium* multitudine copioſa occurrit. In qua fuerunt fratres ejus *Willielmus* de *Valentia*, & *Galfridus* de *Lizinnum*, Rege tertio exiſtente, mutuò applaudentes, & in craſtino ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, ſcilicet die Dõinica, feſto facto celeberrimo *Wintoniæ* convivabantur, & ſic devolata eſt magna jam *Angliæ* nobilitas, excluſis indigenis, ad alienigenas. Auxit autem cauſas lætitiæ gratia Papalis, quam ſibi electus memoratus comparaverat cum gratia Regali, quam ſanguis fraternus excitaverat. Quibus cooperantibus, meruit obtinere reditus prius obtentos, quæ ad pluſquàm mille marcarum ſummam aſcenderunt, quas ipſe egenus electus, dignoſcitur ex fratris ſui domini Regis extorſione poſſediſſe. Nulla enim creditur fuiſſe notabilis eccleſia, de cujus uberibus in *Anglia* lac non creditur exuiſſe. Unde huic libello quiddam, quod lachrymas excutere debeat ab oculis audientium, duxim. inferendũ. Abbas eccleſiæ *ſancti Albani* per extorſionẽ domini Regis ſatis enormẽ & impudentẽ, ad opus *Simonis* de *Norwico* clerici, de pincerna ſua ſolvit de camera ſua centum ſolidos Ipſo nẽpe *Simone* viceſimo anno ſequente decedente, & vix ſepulto, poſtulavit idem dominus Rex precibus armatis, ut

tranſlatus

tranſlatus redditus ille quendam alium & alienum ſaginaret. Quod & invito Abbate & ingemiſcente factum eſt. Rogaverat inſuper dominus Rex, ut fratri ſuo *Aimero* jam *Wintonienſi* electo decem marcæ annuæ de camera concederentur, ac ſolverentur. Ipſo igitur *Aimero* in Præſulatum *Wintonienſem* electo, ilicò poſtulavit, ut cuidam clericulo *Pictavienſi* ipſæ eædem decẽ marcæ, quas per aliquot annos receperat *Aimerus* memoratus, facta tali tranſlatione, dominus Rex non erubuit poſtulare. Quod in periculum eccleſiæ, præter damnum, dignoſcitur redundare. Sic enim ſervitus indelebilis & damnum, irreſtaurabile, ſubrepere minabatur. Et præter hæc, alias quamplures & pluries multas & multiformes, eccleſiæ beati Protomartyris *Anglorum Albani* injurias & gravamina, Rex tyrannizans non eſt veritus irrogare. Quæ ſcribenti, tædioſum foret enumerando ſcribere, & auditoribus audire foret oneroſum. 1251.

ANNO verò ſub eodem, quidam miles literatus, ſive clericus militaris, *Paulinus* nomine, cognomento verò *Piper*, Nonas Junii, viam univerſæ carnis *Londini* eſt ingreſſus. Hic domini Regis dapifer & unus extitit de ſuis principalioribus conſiliarriis. Hic quoque cùm primùm curiam Regiam Lambere cœpiſſet, vix duas terræ Carucatas dignoſcitur habuiſſe. Sed infra breve tempus, tot terras & redditus licenter & illicenter acquiſierat, ut pluſquam quinquaginta terræ bonæ Carucatas obtinens, ad Comitum divitias & faſtigia viſus eſt aſcendiſſe. Hic ẽptor terrarum inſatiabilis, maneriorum ædificator extitit incomparabilis. Et ut de aliis ſileamus, unum, videlicet *Tudintunam*, adeò palatio, capella, thalamis & aliis domibus lapideis & plumbo coopertis, pomœriis & vivariis communivit, ut intuentib admirationem parturiret. Operarii namq; plurib annis ædificiorũ ſuorum, qualib. ſeptimana centum ſolidos, & pluries decem marcas, recepiſſe pro ſtipendiis aſſeruntur. Sepultum eſt igitur facta anatomia corpus *Londini*, cor autem delatum eſt *Tudintonam*, ubi etiam eo vivente quievit inquietum. *Johannes* autem de *Gray*, miles elegans & ſtrenuus uxorem, quæ *Paulini* extitit, deſponſavit, & ædificia nobilia, vix adhuc perfecta, ſucceſſor inopinatus inhabitavit. Et ſicut diviſum eſt corpuſculum, ita & poſſeſſiones ſunt diviſæ & diſperſæ. *Mors Paulini Piperis.*

Sic vos non vobis mellificatis apes.
Epitaphium *Paulini Piperis.*
Te Pauline Piper ſalvet Deus, atque tibi per
Edwardi merita donetur cœltca vita.
Item aliud de eodem:
Hic Pauli Piperis jaceo cinis, hic ſpeculeris,
Quiſquis onus cineris materiale geris:
Reſpice, ſum quod eris, & eram quod es, ergo preceris,
Hic dum tranſieris, ne ferar eſca feres.

DIEBUS quoq; ſub eiſdem, Abbas *Cluniacenſis* venit in *Angliam*, monachorum ſuorum viſitator, ordinis reſartor & pecuniæ ſedulus inveſtigator. Et dum in *Anglicanis* partibus emolumentis intentus moraretur, quidam confines ſui in ultramarinis partib. quædam ſua caſta cum pertinentiis violenter occuparunt. Unde opportuit ipſum feſtinanter remeare. *Advenit Abbas Cluniacenſis in Angliam.*

SUB ejuſdem verò anni circulo, cùm conſummatum fuiſſet quoddam opuſculum ſtructuræ lapideæ, juxta majus altare *ſancti Albani* in parte auſtrali, oſſa fratrum mortuorum, qui ad triginta æſtimabantur, diligenter ſunt collecta, & in duobus tumulis lapideis, facto quodam arcu in muro, forinſecus ſunt repoſita. Et meritò, quia theſaurus precioſus ibidem profectò creditur abſcondi. Quorundam enim oſſa inventa ſunt inſtar eboris candida, & in fragmentis candidiora, & quaſi lita Balſamo redolentia. Calceamenta inſuper eorundem, habuerunt fratrũ ſoleas integras & incorruptas, ita quòd viderentur adhuc profutura pauperibus. Rotundæ autem ſoleæ, ita ſcilicet, ut viderentur indifferenter tã uni quàm alteri pedum convenire. Erantq; ipſa calceamenta corrigiata, & aliquæ corrigiarum adhuc incorruptæ. Quod intuentib. omnib. non tantùm admirationẽ, ſed etiã ſtuporẽ ſuſcitavit, maximè cùm tumbæ ad minus centenariæ cenſerentur. Sed ut piè ac ſanè creditur, hoc ſanctitatis indicium extitiſſe. Fratrum igitur ſuperſtitum aliqui, hæc perpendentes, ingemuerunt, & ab alto trahentes ſuſpiria, intra ſe dixerunt. "O quàm venerabiles extitêre priores ac patres noſtri præambuli, dum talibus uterentur quæ indicia ſunt ſanctitatis! O qualiter, Deus, teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, "& bonitatis ac fœlicitatis argumenta manifeſta, præcipuè in oſſiũ horũ humiliatorũ candore "& fragrantia! Tunc nimirum in ſpiritualib. & temporalib. religioſorum eccleſiæ fœlix ſuſceperunt incrementum, quæ in præſentiarum, qui à patrum veſtigiis exorbitatur, tam à Prælatis quàm Magnatibus, Deo vindice, impugnatur. Erubeſcant moderni, mollib. ſubtilib. & precioſis veſtiti, imò potiùs adornati. Quid de tunicatis & pileatis referendum? O ſi ſanctus "*Benedictus* hæc videret reſuſcitatus, imò certè videt, qui univerſum mundum ſub Solari radio "quandoq; cernebat collectum, qualiter offenderetur. Hæc ſi cerneret beatus *Bernardus*, quales obgrunniret. Dicebat namq; & ſcripſit: *Monacho lautiùs paſto, decentiùs veſtito, ſtrictius* "*calceato, nihil Deo abominabilius.* *Corpora defunctorum apud S. Albanum inventa.*

EODEMQUE anno quo tempore obiit *Paulinus*, de quo ſupra dictum eſt, obiit *Galfridus* diſpenſator, miles egregius, & in palatio Regis ſpecialis ejuſdem conſiliarius. *Mors Galfridi diſpenſatoris Regis.*

1251.

Caurſini in jus vocantur.

TEMPORIBUS ſub eiſdem, uſurarii Tranſalpini, quos *Caurſinos* appellamus, adeò multiplicati ſunt & ditati, quòd nobiliſſima palatia *Londini* ſibi comparantes, ſtabilem ſibi more civium indigenarum manſionem ſtatuerunt. Nec ſunt auſi Prælati obmutire, quia ſe mercatores domini Papæ extitiſſe affirmarunt: nec audebant cives obloqui, quia Magnatum quorundam, quorum, ut dicebatur, pecuniam ad multiplicandum ſeminabant, exemplo *Romanæ* curiæ, favore defendebantur. Veruntamen tunc temporis graviter in civili foro, domino Rege ſic volente, & cautè procurante, ſunt accuſati, & in cauſam ante Judicem tracti, & ſedente *Londini* pro Judice ex parte Regis accuſantis, velut ſchiſmatici, vel hæretici, & Regiæ læſæ rei majeſtatis, vocati tenebantur tanquam incarcerandi & gravius puniendi, pro eo nimirum quod ſe *Chriſtianos* profitentes, totum regnũ *Angliæ* turpiſſimo queſtu fœnoris macularunt. Unde dom. Rex Chriſtianiſſimus qui juravit ſancta inſtituta eccleſiæ conſervare illæſa, ſe conqueritur in conſcientia ſua graviter ſauciatum. Quòd cum non poſſet inficiari, capti ſunt eorum aliqui, carcerali cuſtodiæ mancipandi, alii verò in locis abditis latuerunt. Quibus auditis, gaviſi ſunt *Judæi*, ſuæ ſe habere jam participes ſervitutis. Tandem interveniente haud minimæ pecuniæ quantitate, æmuli *Judæorum Caurſini* in pace ad tempus ſunt demiſſi. Dixerâtq; unus eorum mihi hæc de ipſis ſcripturo, ſub atteſtatione magni ſacramenti, quòd niſi ſibi manſiones ſumptuoſas comparâſſent *Londini*, vix aliquis eorum in *Anglia* remanſiſſet.

IPSO inſuper anno, dominus Papa compoſuit quaſdam decretales, quas diligens indagator ſcriptas in *libro Additamentorum* poterit reperire.

Concurſus paſtorum in Gallia ad Terram ſanctam occupandam.

DIEBUS inſuper ſub eiſdem, inimicus humani generis, habens fiduciam ut influeret *Jordanis* in os ejus, quia jam de eo *Soldano Babyloniæ* propinaverat; cùm vidiſſet quòd fides *Chriſtiana* etiam in partibus dulcis *Galliæ* labaret ut laberetur, novum genus fallaciæ ſuſcitare satagebat. Quidam natione *Hungarus*, factus à primis annis ex *Chriſtiano* apoſtata nequiſſimus, ætate ſexagenarius, qui præſtigiorum fallaces verſutias à ſulphureo puteo *Tholeti* copioſiùs exhauſerat, necnon *Machometi* factus vernula & diſcipulus, *Soldano Babyloniæ*, cujus ſervus extitit, promiſerat indubitanter, quòd eidem infinitam *Chriſtianorum* multitudinem præſentaret captivandã, ut vacuata *Francia*, & Rege ſuo viduata, aditus facilior in *Chriſtianorum* climata pateret *Saracenis*. Impoſtor igitur memoratus, qui linguam *Gallicam*, & *Germanicam Latinamq;* noverat ſine Papali auctoritate, aut alicujus Prælati patrocinio, huc illúcq; predicans vagabatur, mentiens ſe tale præceptum à beata *Maria* matre Domini ſuſcepiſſe; ut videlicet, paſtores ovium & aliorum animalium convocaret, quib. cœlitus, ut aiebat conceſſum fuit, *Terram ſanctam* in ſua humilitate & ſimplicitate de poteſtate infidelium cum omnibus ſclavis acquirere. Non enim complacuit Deo, *Francorum* ſuperbia militaris. Addidit autem fidem dictis ſuis eloquentia, & manus ſuæ indiſſolubilis clauſura, in qua ſe mentitus eſt beatæ virginis habuiſſe chartulam & mandatum. Et quoſcunq; paſtores ad ſe vocavit, ipſi relictis gregib. armentis, & equitiis, inconſultis dominis & parentib. ipſum, non ſoliciti de victualib. pedetentim ſequebantur. Utebatur nempè illo maleficii genere, quo quondam in *Francia* utebatur, adhuc imberbis & adoleſcens. Quando videlicet elapſis tunc circiter quadraginta annis, univerſum populum *Francorum* infatuaverat, convocans puerorum infinitam multitudinem. Qui cantantes ipſum ſequebantur è veſtigio. Et quod mirum fuit non eos poterant ſeræ vel repagula retinere, nec patrum vel matrum imperia, blanditiæ, vel munera revocare. Eodem præſtigio dicebatur *Robertus*, cognomento *Bugre*, falſus frater de ordine *Prædicatorum*, infinitos infatuâſſe, & infatuatos innocuos incendio tradidiſſe, & Regis *Francorum*, quem ad hoc inclinavit, ſæculari potentia enormiter exterminâſſe. Sed hæc alibi pleniùs enarruntur. Memoratus autem nebulo, & õnes ipſum ſequentes cruce ſignabantur. Fuerúntq; multi qui ipſis favorem præſtiterunt, necnõ & auxiliũ: dicentes, quòd frequenter *Deus infirma mundi eligit, ut confundat fortia.* Nec in tibiis viri beneplacitũ eſt omnipotenti. Nec præſumentes de ſua militia & fortitudine acceptat. Unde *Blanchia Francorum* moderatrix & Regina, ſperans ipſos *Terram ſanctam* adepturos, & filios ſuos vindicaturos, ipſis gratiã impendebat & favorẽ. Multiplicati ſũt igitur vehementer, adeò ut ad cẽtũ mil. & plures recenſiti, ſigã ſibi facerẽt militaria, & in ſigno magiſtri eorũ, agnus vexillifer figurabatur. Agnus in ſignũ humilitatis & innocentiæ, vexillũ cũ cruce, in ſignũ victoriæ.

Adventus Archiepiſc. Cant. in Angliam.

CIRCA feſtum quoq; ſancti *Barnabæ*, venit Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, teſtificans hæc prædicta, & quòd hæc peſtis poſt Paſcha incæpit in regno memorato, addens in ſuo relatu, quòd dominus Papa poſtquàm in die cœnæ *Conradum* filium *Frederici*, & omnes ejus fautores, excommunicaverat, die Mercurii in hebdomada Paſchali, ſub conductu & protectione *Philippi* electi *Lugdunenſis*, qui in ipſo conductu expoſuit in ſumptibus tria millia marcarum eſt profectus. Receſſus igitur Papæ & abſentia, cornua paſtoribus, qui in *Francia* multiplicabant, miniſtravit, & audaciam, ut numero & viribus augerentur.

Augetur numerus Paſtorum in Gallia valdè.

CONFLUEBANT igitur ad ipſorum conſortium, fures, exules, fugitivi, excommunicati, quos omnes Ribaldos *Francia* vulgariter conſuevit appellare, ita ut exercitum numeroſiſſimũ conſlantes, quingenta jam ſigna haberent, vexillo magiſtri ac ducis eorum conſimilia. Geſtabant autem gladios, bipennes, geſa, ſicas, & anelatios, ut jam plus Martem quàm Chriſtum colere viderentur. Jam jamq; delirantes, illicita matrimonia contrahi fecerunt. Et in ſuis prædicationib. à fidei *Chriſtianæ* articulis, & à regulis manifeſtæ veritatis, duces & magiſtri eorum, qui quamvis laici, prædicare præſumpſerunt, enormiter exorbitarunt. Et ſi quis eis contradiceret

ipſum

1251.

ipſum truculenter invaſerunt armis, non rationibus vel auctoritatibus. Et cum eorum ſummus dux prædicaret, ſtipatis, undiq; armatis, condemnavit reprehendendo omnes ordines, præter eorũ conventicula. Maximè autem *Prædicatorum* & *Minorum*, vocans gyrivagos & hypocritas. Monachos *Ciſtercienſis* ordinis, aſſerens eſſe gregũ amatores avariſſimos & terrarũ. *Nigros* autem, guloſos & ſuperbos. *Canonicos* autem, ſemiſæculares & carnium devoratores. Epiſcopos autem & eorum Officiales, pecuniæ tantum venatores, & illecebris affluentes omnimodis. De *Romana* autem curia, opprobria prædicavit irrecitabilia: ita ut hæretici & ſchiſmatici palàm viderentur. Populis autem in odium cleri & contemptum, hæc audiens deliramenta, applaudens favorabiliter, quòd valdè periculoſum fuit, audiebat.

DIE verò ſancti *Barnabæ*, cum magna pompa & fortitudine *Aurelianum* pervenientes, invito Epiſcopo & univerſo clero, ſed civibus bene acceptantibus, civitatem intraverunt. Et cum eorum dux voce præconia, velut Propheta ſignipotens, prædicationem ſuam indixiſſet, imò potiùs ut tyrannus edixiſſet, venerunt ad ipſum populi ſub infinita multitudine. Epiſcopus autem civitatis, hoc exitiale periculum vehementiùs formidans, prohibuit ſub pœna anathematis, ne aliquis clericus eorũ audiret eloquia, vel ſequeretur veſtigia, aſſerens hæc omnia eſſe Diaboli muſcipulationes. Jam enim laici, ejus comminationes & imperia contemnebant. Veruntamen aliqui clericorum ſcholarium, limites Epiſcopalis prohibitionis temerè tranſgredientes, non ſe poterãt abſtinere, quin ad tã inauditã novitatẽ aures prurientes accommodarent, nõ tamẽ ut eorũ errores ſequerẽtur, ſed ut hãc inſolentiã intuerentur. Novũ quippe & abſurdũ fuit, ut laicus, immò plebeius, ſpreta auctoritate Pontificali, in publico tam audacter, & in tali civitate, ubi viguit ſcholarium univerſitas, prædicaret, & corda & aures tot populorum ad ſuas impoſturas inclinaret. Erant autem quingenta ſigna deferentes: unde clerici ſanioris cõſilii in hoſpitiis ſuis firmiter oſtiis obſeratis & repagulatis, nõ ſine perturbationis formidine, latuerũt. Cúmq; magiſter memoratus, in propatulũ prædicaturus aſcẽdiſſet, nullũ thema præfigendo, cœpit multas irrecitabiles abuſiones reboando ebullire. Cùm ecce unus ſcholariũ ſtans eminus, ſe audacter propiùs ingerens prorupit in hæc verba: "O nequiſſime hæretice & veritatis inimice, mentitus es in caput proprium, decipis inſontes tuis falſis ac fallacib. ſermocinationib. Et cùm hoc vix perdixiſſet, unus gyrivagorũ illorũ irruens, elevata quadã ſecuri roſtrata, caput eius in partes diviſit, ut nec unũ verbũ ampliùs emiſit, ſauciatus. Elevato igitur tumultu, proſilientes illi, quos hactenus nominavimus paſtores, ſed jã impoſtores, & Antichriſti præcurſores nominandi, generaliter in clerũ *Aurelianenſem* hoſtiliter armati in inermes irruerunt, libros cariſſimos rapuerunt, oſtiis feniſtriſq; confractis, & combuſſerunt. Et connivẽtib. oculis diſſimulãte populo civitatis & veriùs cõſentiente (unde caninus meruit appellari) multos trucidarunt, multóſq; in *Ligerim* demerſerunt, aliquos autẽ vulnerarunt, & nonnullos ſpoliarunt. Quòd cũ viderẽt qui in domib. clauſi latuerãt, clãculo de nocte turmatim receſſerunt. Exturbata eſt igitur tota univerſitas, & compertũ eſt circiter viginti quinq; clericos, abſq; læſis & diverſimodè damnificatis, miſerabiliter occubuiſſe. Epiſcopus inſuper & ſui, multa probra cum damnis, qui & latuerunt, ne ſimilibus calamitantibus involverentur, ſubierunt. Paſtores autem formidantes, ne in civitate orta ſeditione ſupervenirent, & bellum conſererent cum ipſis, receſſerunt. Epiſcopus autem necani aſſimilaretur latrare non valenti, civitatem ſuppoſuit Interdicto, quia cives ex permiſſione, concenſu, & cooperatione ſe culpabiles reddiderant & infames. Aſcendit igitur clamor & querimonia, ad aures dominæ *Blanchiæ* & Magnatum, maximè autem Prælatorum. Ipſa autem Regina modeſtè reſpondit: Novit dominus, credebam ipſos in ſimplicitate & ſanctitate totam *Terram ſanctam* adepturos. Sed ex quo deceptores ſunt, excommunicentur, capiantur, deſtruantur. Univerſi igitur ſcurræ illi excommunicati ſunt, & tales denunciati. Sed antequam publicaretur hæc ſententia, venerunt ipſi fraudulenti *Biturim*, quib. de conſenſu civium patefactæ fuerunt portæ civitatis. Nec obediebant Archiepiſcopo prohibenti, & intravit major pars eorum, alia remanſit infra macerias vinearum extra civitatem. Erant enim tot, quod non potuit aliqua civitas ipſos commodè ſuſcipere. Sed & multi eorum exercitus per provincias plures dividebantur. Unde etiam *Pariſius* ſuum ſenſit detrimentum. Cumq; ſe promiſiſſet ſummus ipſorum, deceptorum, ſermonem facere in publico & miracula obſtupenda, confluebat undiq; populorum numeroſa multitudo, ut inaudita à ſæculis tunc audirent & viderent, quæ antea non viderant. Et cùm proditor ille quædam aſſereret deliramenta & miracula quæ promiſerat, inventa fuiſſent fraudulenta, unus de populo carnifex bipennifer ipſũ percutiens in capite, miſit ad tartara excerebratum. Qui inhumatus projectus eſt in compita corrodendus. Et cùm increbuiſſent rumores, quòd ipſi omnes & eorundem fautores & auditores excommunicarentur, diſperſi ſunt: & quaſi canes rabidi, paſſim detrũcati. Similiter apud *Burdegalim*, cùm advenirent quædam eorũ conventicula, jubente Comite *Legeceſtriæ Simone*, ſerratis januis excluſi ſũt, & cùm aditum poſtularent, reſpondit Comes: "Cujus auctoritate hæc facitis? Ipſi autẽ reſponderunt, dicentes: Non Papalem, nec Epiſcopalem auctoritatem protendimus, ſed Dei omnipotentis & beatæ *Mariæ* ejus genetricis, quæ major eſt. Hæc cùm Comes audiſſet, pro frivolis talia meritò reputans, talia reſignificavit: Recedite quantociùs univerſi, vel convocatis tota militia mea cum hujus civitatis communi & compatriotis, vos hoſtiliter aggrediar decapitandos.

Adventus eorundem paſtorum ad civitatem Aurelianum.

1251.

Exitus ſecundi Prædicatoris paſtorum.

HÆC cùm audiſſent ipſi miſeri, attoniti facti ſunt quaſi harena ſine calce, & huc illucq; fugiendo ſibi quiſq; conſuluit, & diſperſi, multiformi diſcrimini patuerunt. Dux autem eorum & magiſter clam elapſus, cõducta quadam nave, verſus *Paganiſmum*, unde venerat, feſtinus tendere ſatagebat: ſed navitæ comperientes ipſum eſſe proditorem, & ſocium ſupradicti *Hungari*, quem *Bituricenſis* peremerunt, ipſum ligatis manibus & pedibus miſerum miſerunt gyrivagum in *Gyrundam*. Et ſic evadens *Scyllam*, incidit in *Charybdim*. Inventa autem ſunt in clitellis ſuis cum pecunia non minima, plures chartæ inſcriptæ literis *Arabicis* & *Chaldeis* cum prodigioſis characteribus, & pulveribus intoxicatis, ad conficiendum potiones multiformes. Literarum "autem tenor, prout poſtea compertum eſt, aliquarum erat, *quòd ipſum Soldanus hortabatur at-*"*tentiùs cœptis indulgere, ſub ſpe magnæ retributionis.* Aliquarum verò ſumma fuit epiſtolarum, quòd *populum innumerabilem erat eidem Soldano præſentaturus.* Et ſic duo Magi, retibus Sathanæ perierunt illaqueati.

Finis tertii Prædicatoris.

TERTIUS autem in *Angliam* venire præſumens, & applicans apud *Sorham*, in brevi pluſquàm quingentos paſtores, aratores, porcarios, & bubulcos, & hujuſmodi plebem ſuis nutibus mancipavit. Sed cùm jam diſſeminaretur, quòd fuiſſent excommunicati, quòdq; fuiſſet *Hungarus*, qui principalis eorum fuit Pædagogus, & ejus ſocius, interempti, & diſperſi complices, deteriorata non mediocriter eſt eorum conditio. Cùm autem veniſſet *Monſtreolum*, appoſuit dux ipſorum & ibidem prædicare, ſed cùm in aſſertionibus ſuis cœpiſſet delirare, imò potiùs inſanire, inſurrexerunt auditores ſui in ipſum, Ipſe verò dum ad arma convolarent, in quandam ſylvam fugiens, ſed citò deprehenſus non tantum membratim, ſed in minutias detruncatus, corvis de ſuo cadavere prompta papula dereliquit.

Multi ſimplices ſeducti pœnituerunt.

TUNC verò multi de ipſorum ſequacibus ſcientes ſe ſeductos, & propriã miſeriam cognoſcentes, ex injuncta ſibi pœnitentia, cruces quas de manibus proditorum acceperant deponentes, & de manibus bonorum virorũm eas reaccipientes, peregrinationem ſuam ritè perfecerunt. Et in *Terram ſuam* pervenientes, clientelæ Regis *Francorum* ſunt addicti, poſt ejuſdem liberationem, prout in ſequentibus dicetur. Dicebant enim, quòd à ſuis magiſtris didicerant, quòd Regem *Francorũ* forent liberaturi, propter quod ſe certatim cruce ſignaverant univerſi. Dominus *Thomas* natione *Neuſter*, Monachus de *Syreburne*, vir quidem diſcretus & facundus, & ad ardua negotia Regis peragendis in tranſmarinas partes tunc temporis deſtinatus captus eſt à Paſtoribus, de quibus ſermo præhabetur, & per octo dies retentus. Et quia noluit eorum commentis obſecundare, baculatus eſt graviſſimè: ſed de nocte vix evadens, ad Regem apud *Wintoniam* pervenit, & hæc omnia, & plura de eorum præſtigiis ipſi Regi, audiente ipſo qui hæc ſcripſit, ſeriatim enarravit. Srciptor autem ilicò ex ore narrantis quæ exhauſerat, quia fide dignus, erat, fideliter ac pleniùs annotavit.

DICEBANT autem graves viri ac diſcreti, Prælatiq; profundi pectoris, quòd nunquam poſt tempora *Machometi*, tam metuenda peſtis ſurrepſit in eccleſia *Chriſti*, maximè bùm propter infortunium quod Regi *Francorum* accidit, fides in Regno *Francorum* cœpit vacillare.

Damiata ſolotenus complanatur.

TEMPORE inſuper ſub eodem, *Soldanis Babyloniæ*, comperiens quòd *Damiata* præda & adquiſitio bis extitit *Chriſtianorum*, juſſit eam ſolotenùs complanari.

Novæ decretales Papales.

DIEBUS quoq; ſub eiſdem, dominus Papa quaſdam novas compoſuit Decretales, quas ſedulus indagator in *libro* reperiet *Additamentorum.*

Aves mirabiles apparuerunt in Anglia.

ANNI quoq; ſub ejuſdem circulo, temporibus fructuum, quædam aves mirabiles, quæ nunquam in *Anglica* anteà videbantur, in pœmeriis maximæ apparuerunt, alaudis parùm majores, pomorum grana, & non aliud de eiſdem pomis comedentes: unde damnoſè nimis, arbores ſuis fructibus viduarunt. Habebant autem partes roſtri cancellatas, per quas poma quaſi forcipe vel cultello dividebant. Partes inſuper pomorum, quas relinquebant, fuerant quaſi veneno intoxicatæ.

Papa multos Magnates abſolvit, quos anteà excommunicaverat.

QUARTO verò Calend. Julii, Papa receſſurus à *Janua*, quoſdam Nobiles, quos in die Cœnæ horribiliter excommunicaverat, ad pacem eccleſiæ, miſſis pacificis nunciis ac ſolennibus, ſtudet revocare. Quorum unus fuit *Thomas* de *Sabaudia*, cui neptem ſuam matrimonio ſatagebat copulare. *Conrado* inſuper in illa ſententia non pepercit. Et ut partem ſuam magis roboraret, unã neptem ſuam nuptui dedit cuidam potenti, ſcilicet domino de *Tur de pin*. Qui ipſam non ratione perſonæ muliebris, ſed pecuniæ eam concomitantis, acceptavit, largitus eſt enim Papa cum ipſa muliercula, viginti millia marcarum argenti. *Thomæ* inſuper de *Sabaudia*, quondam Comiti *Flandriæ*, aliam neptem dedit dominus Papa matrimonialiter copulandam, abſoluto à vinculo ſententiæ, qua fuerat innodatus, & quàm multos ei redditus contulit cum pecunia numerata. Præcepitq; diſtrictius annuos redditus, nos de *Flandria* fuerat recepturus, ex tunc integrè ſolvi ſine difficultate. Et quia ex inhibitione Papali retenti fuerant per plures annos, quoniam excommunicatus extitit, imperavit dominus Papa, ut ex tunc omnes retrodebiti ſolverentur reconciliato. Tantæ nempe virtutis fuerant illæ ſacræ nuptiæ, ut de filio iræ, filius fieret gratiæ & vas electionis. Remanſerant autem in excommunicatione, qua involverat Papa, oſſa *Frederici*, & *Conradus* filius ejus, qui ex dono patris potiorem Imperii partem violenter occupaverat, & qui regna *Sardinæ*, *Siciliæ*, *Apuliæ*, & *Calabriæ*, violenter & ſine *Romanæ* eccleſiæ aſſenſu ſibi appropriaverat. *Gerardus* inſuper *Marſilienſis* cum civibus *Marſiliæ*, *Cremonenſes* & *Papienſes*, cum eorum fautoribus, & multi alii, quorum aliqui nominatim, aliqui in genere, fuerant die

Cœnæ

Cœnæ excommunicati, adhuc manſerant involuti. Multiplicati ſunt igitur hoſtes eccleſiæ, & mala malis addita ſuccreverunt. 1125.

Capitur Chaſtellion in Gaſconia.

TEMPORE quoq; ſub eodem, Comes *Legriæ Simon*, in partibus tranſmarinis de multis domini Regis inimicis triumphavit *Gaſconibus*. Et quoddam Caſtellum, quod erat omnibus refugium, ſcilicet *Chaſtellion*, occupavit.

Epiſcopus Lincolnienſis punit incontinentes, & multos facit Presbyteros:

DIEBUS etiam ſub eiſdem, Epiſcopus *Lincolnienſis* facto ſcrutinio & diligenti inquiſitione & excuſſione per ſuam Dioceſim, beneficiatos cogit eſſe continentes, & ſuſpectas etiam mulierculas, ab ipſis longiùs amoveri. Tranſgreſſores autem per beneficiorum ſuorum privationem puniens, Epiſcopatum ſuum à viciis ſtuduit emundare. Precibus quoque blandis & auſteris perſuaſionibus multos trahens & impellens, ad ordinem & officium ſubvexit ſacerdotale. Frequenter quoq; ſermonem fecit populo, quem circùm degentes ſub pœnis taxatis ſacerdotes convocatos, coëgit audire. Improbos autem *Romanos* præceptum habentes Papale, ut eis provideretur, quaſi venenum odivit ſerpentinum. Dicebat enim, quòd ſi animarũ cuſtodiam ipſis traderet, ſathanizaret. Unde ſæpe projectis literis Papalibus bullatis, talibus mandatis præciſè contra dixit.

Rumores de Terra ſancta.

IPSIS quoque temporibus, videlicet quando Abbates *Ciſtercienſes* congregabantur ad eorum generale capitulum, domini Regis *Francorum* nuncius ſcilicet quidam Abbas ejuſdem ordinis, literas in capitulo ipſius Regis legi fecit. Quarum tenor talis fuerat: *Rex Francorum & ejus uxor & parva familia eorundem, in qualiquali ſanitate fuerant coporali, præſtolantes miſericordiam Dei poſt flagella. Spei autem fomitem miniſtravit funeſta diſcordia & bellum cum ira & odio inexorabili, mota inter* Saracenorum Soldanos *potentiſſimos ſeſe corrodentes, Soldanum ſcilicet* Babyloniæ, & Soldanum Halapiæ. Ipſe autem Rex morabatur apud *Cæſaream*, & eam conſilio *Templariorum* & *Hoſpitalariorum* firmavit.

Adventus Regis ad S. Albanum, & ejus dona.

EODEMQUE anno, in octavis ſcilicet nativitatis beatæ Virginis, venit dominus Rex apud *ſanctum Albanum*. Et intrans ſicut conſuevit eccleſiam, obtulit tria holoſerica, & tunc ipſa, cum aliis priùs oblatis, computabatur ad triginta. Præterea ea vice obtulit duo monilia valde precioſa, & juſſit ea feretro indelebiliter, ad memoriam ſui, clavis fortiter affirmari. Et poſtquàm ibidem per tres dies moram continuaverat, receſſit.

Imber immoderatus.

IN nocte verò ſancti *Lamberti*, ſcilicet nocte Dominica, tenebræ factæ ſunt palpabiles & horribiles, & facta eſt tanta pulviarum abundantia, ut apertis viis aërearum cataractarum, ſe viderentur nubes terris infundere perituris.

Viſitatio apud S. Albanum facta.

ANNO quoq; ſub eodem, circa feſtum ſancti *Michaëlis* ſignificabant literatoriè Monachis *ſancti Albani*, dominus *Theobaldus* Prior de *Hurleia*, & dominus *Iacobus* Supprior eccleſiæ *ſancti Auguſtini Cantuarienſis*, domini Papæ Capellanus, quod venturi erant ad *ſanctum Albanum* ad viſitationem ibidem faciendam, ſicut proviſum fuit apud *ſanctum Salvatorem Londini*. Et poſtulatæ ſunt induciæ apud *Suwerc* in eccleſia ſanctæ *Mariæ* ex parte Conventus, uſque in diem Dominicam proximam ante diem omnium Sanctorum, quòd conceſſum eſt ab eiſdem qui propoſuerant & mandaverant, quòd in die ſancti *Dionyſii* advenirent. Interim promiſit dominus Abbas *ſancti Albani*, ut quicquid emendabile foret, laudabiliter ante adventum eorum declararetur, & ipſe procul dubiò proceſſu temporis, omnia emendenda emendaret. Quod & cõpromiſſum eſt, ne aliquid ſcrupuloſam querelam ſuſcitaret tumultuoſam. Cùmque dicto die ambo venirent, in craſtino fecit Supprior ſermonem in Capitulo. Deinde fecit legi ſuum autenticũ. Poſteà ſtatuta quæ in Provinciali capitulo, celebrato *Londini*, ſalubria fuerant, & ordini Mõaſtico valde neceſſaria, prout patet in *libro Additamentorũ*, ubi plenè ſcribuntur. Et cùm nullum offendiculũ inveniſſẽt, licèt per ſingulos requiſitos diligens feciſſent ſcrutiniũ Monachos, per moram quatuor dierum, in pace receſſerũt. Aliqui autem de Monachis eccleſiæ *ſancti Albani*, ad viſitationem apud ſanctum *Ædmundi* & alibi faciendam ſunt directi. Abbas autẽ *ſancti Albani Johannes* ſecundus, eodem modo ſatisfecit Conventui in omnibus quæ ſe promiſerat ante viſitationem emendaturum poſteà, ſicut ſatisfecerat ſuus prædeceſſor Abbas *Willielmus*, quando fuerat ab Abbate de *Boxle* & Abbate de *Begeham* auctoritate Papali viſitandus.

SCILICET neuter bene: promiſit enim Conventui inter alia, quod generale ſuum & pitantias, quas primus omnium ad cameram ſuam attraxerat, omnino remitteret, niſi in refectorio vel oriolo cum ſociis ſuis pranderet: & quòd pitantias, quas *Willielmus* Abbas prædeceſſor ſuus à fratribus infirmis abſtulerat, & precium earum in vinum ſuum convertebat, integraliter reſtitueret: ſed completa viſitatione, cùm nihil de præmiſſis ſibi objectum fuerat, promiſſa ſua ad effectum minimè perducebat.

Mandatum Regis Francorum.

DIFFLUENTIBUS eiſdem temporibus, cùm *Conradus* multorum adeptus Imperialium gratiam & favorem, eo quod ex generoſo ſanguine nobilis Regis *Jeruſalem Johannis*, ſcilicet ex filia ejus procreatus, & *Henricus* frater ejus, nepos videlicet domini Regis, tũ propter ſuæ ætatis innocentiam, tum propter elegantiam, tum propter generis eminentiam, omnibus Magnatibus patris ſui fidelibus, amabilis extitit & gratioſus. Dominus autem Papa hoc non acceptans, fecit indici prædicationem ſolennem & communem in partibus *Brabantiæ* & *Flandriæ*, ut fideles *Chriſti* caſtra infidelis *Conradi* hoſtiliter impugnarent, ſtatuens retributionem mirabilem, ſcilicet omnium peccatorum remiſſionem. Ampliorem videlicet, quam pro peregrinatione in *Terrã ſanctã* facienda. Nam ſi quis contra *Conradũ* ſignaretur, ſignatus & ſignati pater & mater,

omnium

1251. omnium peccatorũ ſuorum veniam conſequerentur. Ipſiſque diebus cùm dominus Rex *Francorum* magnam ſuſtineret tribulationem, & neceſſariorum omnium penuriam apud *Cæſaream*, miſit ad matrem, fratres, & fideles ſuos epiſtolam lachrymabilẽ ſatis & miſerabilem, poſtulans attentiùs, quatenus ipſi pro eccleſia univerſali tot ærumnas ſuſtinenti, in manu militari, victualibus & theſauro, ſubſidium mitterent efficax & feſtinum. Quo audito, domina *Blanchia*, quæ Regni *Francorũ* non muliebriter rexit habenas, omnes regni Nobiles fecit convocari, ut ſuper hoc contractarent diligenter: Et contractantes cœperunt obmurmurare cum ira magna, dicentes, "Quoniam dominus Papa novum prælium ſuſcitavit & inteſtinum, qui in finibus *Chriſtianorum* ſuper *Chriſtianos*, *Chriſtianos* exacuit, & facta prædicatione nova ſuper viros Deo "ſubjectos, ut ſuum ampliet dominium; dominum noſtrum Regem pro fide *Chriſtiana* tot pro- "bra, tot adverſa ſuſtinentem, facit tradi incuriæ & oblivioni. Jam enim dilatata fuit prædicta prædicatio, per fines *Francorum*. *Blanchia* igitur commota, quia non ſine cauſa murmur ſuſcitabatur, juſſit omnium terras & poſſeſſiones cruce ſignatorum in manu ſua recipi, dicens: "Qui Papæ militant, de Papalibus ſuſtineantur, & eant irredituri. Magnates inſuper contermini, in quorum terris talis prædicatio omnes ſignaverat, fecerunt ſimilia, & ita emarcuit prædicatio, & ſignati revocabantur. Necnon *Prædicatores* & *Minores*, qui hoc negotium commotionis promoverant, ſeverè nimis ſuper hoc ſunt redarguti à Magnatibus, dicentibus. "Nos vobis eccleſias, & domus ædificantes, vos educamus, receptamus, veſtimus & paſcimus. Quid vobis Papa confert utilitatis? vos vexat, exagitat, & de vobis ſuos facit telonarios, & benefactoribus veſtris reddit odioſos. Quibus ipſi: Obedientia nos coëgit. Ex tunc igitur dominus Papa meritò erubeſcens, de pace tractare ſatagebat.

Philippus Luuel *graviter accuſatur.*

ANNI quoque ſub ejuſdem curriculo, circa feſtum S. *Michaelis*, *Philippus Luuel* clericus, à Seneſcalcia Comitis *Wintoniæ*, ad ſervitium domini Regis vocatus, & cuſtodiæ *Judæorum* addictus, graviter eſt coram Rege accuſatus, affirmantibus adverſariis, quòd quando verſùs partes Aquilonares ipſe & *Nicolaus* de *ſancta Albano* clericus ad *Judæos* aporiandos deſtinabantur, vaſa precioſiſſima à quodam *Judæo* valde divite clam ſuſceperat, ut eidem parceret in Regis tallagio. Et ſimiliter de aliis occulta munera ſuſceperat, ut his parceret, hos autem in damnum Regis, & in ſuæ fidei læſionem, oneraret. Rex igitur iratus valdè, juſſit indecenter tractari, donec ſuper tanta tranſgreſſione ſatisfieret, ipſum *Philippum*. Ipſe *Philippus* vir vafer & circumſpectus, à domino *Johanne Manſello* principali Regis conſiliario, de tanta tribulatione conſilium & auxilium humiliter poſtulavit. Miſertus igitur *Johannis* ipſius, quoniam ipſum ad ſervitium domini Regis, & ſublimiùs vocaverat promovendum, efficaciter procuravit, ut gratiam Regis, data non minima pecunia, ut dicitur, mille marcas, recuperavit. A Balliva tamen amotus, & non mediocriter verecundatus.

Dedicatio eccleſiæ de Hales.

EODEMQUE anno, nono Novembris, vigilia ſcilicet ſancti *Leonardi*, Comes *Richardus* ſolenniter & magnificè nimis fecit dedicari eccleſiam de *Hales*, quam magnis fundaverat ſumptibus, et ædificia conſtruxerat, prout in mari voverat, quando à *Gaſconia* rediens in mari ſuborta tempeſtate periclitabatur, vix portum attingens in *Cornubia*. Erant autem in memorata dedicatione præſentes, dominus Rex et Regina, et ferè omnes *Angliæ* Magnates et Prælati. Epiſcopi verò tredecim. Qui omnes Miſſam die dedicationis celebrarunt, quilibet verò ad ſuum altare. *Lincolnienſiſque* ad majus altare Miſſam ſolenniter valdè decantavit. Erat autem dies Dominica, in qua ſplendidè et ordinatè optimates cum Epiſcopis et aliis carne veſcentibus coëpulabantur. Religioſi verò piſcium multitudine et varietate reficiebantur, ſeorſum collocati. Erántque ibidem milites pluſquàm trecenti. Iſtius nempè feſti ſolennis et convivii magnitudinem ad plenum ſi deſcriberẽm, limites tranſgredi dicerer veritatis. Mihi autem *Mattheo Pariſienſi* ſuper hoc edoceri cupienti, ne falſa huic libro insererem, ſub indubitata certitudine, Comes ſignificavit, quòd omnibus ſumptibus computatis, in ipſius eccleſiæ conſtructione decem millia marcarum expoſuerat. Addens quoddam verbum memorabile, imò et commendabile: "Utinam Deo complaceret, ut omnia quæ in caſtro de *Walingeford* expendi, tam "ſapienter et tam ſalubriter expendiſſem.

Adventus Comitis Legriæ, *cum tertio fratre Regis.*

DIEBUS inſuper ſub eiſdem, Comes *Legriæ Symon* cum uxore ejus, adducens ſecum *Guidonem* de *Lizinnum* Comitem, domini Regis fratrem uterinum tertium, navem aſcendit apud *Witſand*, ut in *Angliam* transfretaret. Et cùm proſperè velificans, ferè portum attigiſſet, mutato vento in contrarium cum magno periculo repulſus, apud *Witſand* eſt appulſus. Unde de exeuntibus, & ad hoſpitium priſtinum redeuntibus, fuerunt aliqui qui jocoſè dicerent: Supra modum abundant fratres Regis, in *Angliam* qui vacui veniunt, & illuc confluunt ut repleantur: Mare repulit ſuperfluitatem. Sed hoc ſecundùm morem *Francorum* jocaliter eſt prolatum. Comites igitur expectata aura commodiore, ad portum *Dovere* proſperè applicuerunt. Reliquerat autem Comes *Legriæ S.* fideles ſuos, qui viriliter bellum ſuum ſuſtinentes, impetus *Gaſconenſium* viriliter repulerunt. Cùm autem dominus Rex de adventu eorum certificaretur, ratione Comitis fratris, non Comitis *Legriæ*, venit eis obviam lætabundus. Præceperatque multis Magnatibus & civibus *Londinenſibus*, ut cũ lætitia & ſolennitate occurrentes fratri ſuo, reciperent ipſum cum laudibus & exultatione. Ipſe autem poſtquàm clitellas ſuas vacuas imprægnaſſet, ad propria dives remeavit.

1252.

SUB ejuſdem anni temporibus, videlicet in æſtate, die ſancti *Dunſtani*, caligo ſummo mane orta, totum, ut videbatur, mundum, tam in Oriente quàm Occidente, tam in Auſtro quàm Aquilone denigravit, & auditus eſt tonitrus, quaſi valdè remotus, cum coruſcationibus præambulis. Et circa horam primam appropinquante tônitruo cum coruſcationibus, unus ictus cæteris horribilior, ac ſi cœlum ſe terris ingereret, omnium audientium aures & corda terribiliter ſubito fragore immutavit. Cecidit igitur cum illo ictu fulgur ſuper thalamum Reginæ, ubi tunc commorabatur cum filiis & familia ſua, & caminum in pulverem comminutum in terram uſq; proſtravit, & domum totam concuſſit. Et in foreſta adjacente, ſcilicet *Windeleſore*, triginta quinque robora vel proſtravit, vel findens dilaceravit. Molendina inſuper quædam cum ſuis molendinariis, & quaſdam caulas cum paſtoribus ſuis, cum quibuſdam aratoribus & viatoribus; contrivit. Et multa quæ nos hæc ſcribentes non audiverimus, vel vidimus, damna irrogavit mortalibus. Apud *ſanctum Albanum* inſuper, ſuper lavatorium fulgur cecidit, & illud accendit: & in aliis locis cecidit in ipſo cœnobio, tamen non multum damnum fecit. Sed veſtigia multis annis poſteà in muris apparuerunt. Sed quod mirabile eſt, & relatu dignum, quidam in eadem die apud *ſanctum Albanum* fratres *Prædicatores*, ſicut ferè quotidie ſuſcipiuntur, vel *Minores*, ad hoſpitandum vel prandendum, & non poſſent ad inſtantiam Monachi, qui eos de more ſuſcipit & procurat, quin evagarentur, retinere, licèt adhuc tempeſtas non ceſſaret, cùm exiſſent à villa, obviam habuerunt faculam unam ſub ſpecie gladii evaginati, ſed plicabilis, & tonitrum cum murmure horribili continuè ſubſequentem, in via, quæ ſtrata publica eſt, & nimis trita hominibus & bigis. Et divertentes ſe ſignaverunt ſigno crucis, incipientes invocando ſpiritum ſanctum, cantare *Veni creator ſpiritus*, & quod ſequitur, cum timore & devotione. Et hebetatum eſt fulgur cum fulgore, & tranſiit ignis cum fulgure & tonitru, ipſis illæſis & indemnibus. *Tempeſtas damnoſa.*

ANNI quoq; ſub ejuſdem tempore, videlicet in Æquinoctiali tempore, mare ſolitas metas tranſgrediens, in partibus *Anglicanis* damna finitimis irrogavit non minima. Litora autem per ſex pedum ſpacia, ultra quàm nunquam viſum eſt, occupavit. *Inundatio maris inſolita.*

ET circa feſtum S. *Michaelis*, Regina *Scotiæ*, ſcilicet relicta Regis *Alexandri*, & filia *Engelrami* de *Cuſcy*, gratia patriam & parentes viſitandi, aſſignata ei de Regno *Scotiæ* parte, quæ eam contingebat, videlicet ſeptem millium marcarum reditu, recedit à *Scotia* repatriando. Et per medium viam carpens cùm ad dominum Regem perveniſſet, ut ipſum ſalutaret, multis honoribus & muneribus, ſicut moris eſt Regi omnes alienigenas donis & reverentia prævenire, exaltavit. Flagitans ut cùm ad nuptias filii ſui *Alexandri* ſecundi, quem nobiles *Scotiæ* in Regem ſublimaverat, vocaretur, ſine moræ diſpendio remearet. *Regina Scotiæ repatriat.*

EODEMQUE anno, in feſto conceptionis beatæ Virginis, apud *Roffam* factum eſt torneamentum aculeatum inter *Anglos* & alienigenas. In quo contriti ſunt turpiter alienigenæ, ita ut fugientes probroſè ad civitatem gratia refugii, armigeris obviam venientibus iterum ſunt recepti, ſpoliati, & egregiè baculis & clavis malleati. Et ſic ictus quos injurioſè in torneamento de *Brack* receperant, cum multo fœnore reddiderunt. Crevit igitur ira & odium inter *Anglos* & alienigenas. Et diatim ſucceſſivè formidabile ſuſcepit incrementum. *Torneamentum habitum apud Roffam.*

TRANSIIT igitur annus ille frugifer & fructifer uſq; ad ſufficientiam, & potius abundantiam, quamvis procelloſus, turbidus, & fulgure formidabilis. Domino verò Papæ & curiæ *Romanæ* laborioſus, ſumptuoſus, & propter tranſmigrationem periculoſus. *Franciæ* & *Angliæ* ſub pace pendula ſuſpicioſus. *Romanis* autem, *Italicis*, *Germanicis*, *Siculis*, *Appulis*, & *Calabribus* decapitatis & adhuc acephalis, minimè ſecurus. *Daciæ* cruentus *Scotiæ* quoq; cujus puer Rex extitit, titubans & minax, exemplo *Pompei Magni*, prout *Lucanus* commemorat, dicens: *Annalis concluſio.*

Ætas Niliaci nimium ſuſpecta tyranni eſt,
Ardua namque fides maturos exigit annos,
Sub ocillo fortunæ, tacitus & tremebundus.

ANNO domini M.CC.LII. qui eſt annus Regni Domini Regis *Henrici* trigeſimus quintus, fuit idem dominus Rex ad Natale Domini apud *Eboracum*, ut filia ſua *Margareta*, ætate jam, *Alexando* Regi *Scotiæ* matrimonio copularetur, & nuptiæ, ut inter tantas perſonas decuit, celebrarentur. Convenerat autem ibidem utriuſque Regni tam cleri quam militiæ, multitudo numeroſa nimis, ut tam magnarum nuptiarum ſerenitas, lautiùs & latiùs coruſcaret. Affuerunt enim ibi dominus Rex *Angliæ*, & Regina cum ſuis Magnatibus, quos prolongum eſſet nominatim dinumerare. Fuerunt inſuper ibidem Rex *Scotiæ*, & Regina mater ejus, ob hoc vocata ex partibus Tranſmarinis. Quam non tantùm *Scotiæ*, ſed multi *Franciæ*, unde oriunda fuit, nobiles, quos ſecum adduxerat, ſequebantur. Ipſa enim, ut moris viduarũ partem proventuum Regni *Scotiæ* tertiam ſortita, quæ ad quatuor milia marcarum & ampliùs aſcendit, præter alias poſſeſſiones, quas de dono patris ſui *Engelrami* receperat, cum pompoſo comitatu & numeroſo faſtigioſè nimis incedebat. Cùm autem *Eboracum* perveniſſent univerſi, ipſi qui cum Rege *Scotorum* venerant, in una ſtrata, ſine aliorum intermixtione, ad cautelam hoſpitabantur. Et dum quidam Magnatũ æditui, quos Mareſcallos appellamus, dominis ſuis hoſpitia providerent, diſcordes pugnas cum pugnis, poſteà cum clavis, deinde cum gladiis inierunt. Et aliqui eorum graviter vulnerabantur, unus occubuit interfectus, alii ſauciati, nunquàm poſteà convaluerunt. *Rex celebrat Natalitia apud Eboracum.*

1252. Reges autem per cuſtodes, quos ibidem habuerunt, diſcretos & modeſtos, tam dominorum quàm miniſtrorum contentiones prudenter compeſcuerunt. Archiepiſcopales inſuper, ne penuria hoſpitiorum, lites ſuſcitaret, omnibus, licèt numerum excedebant, competenter, ſecundùm id temporis, receptacula providerunt.

Rex Scotiæ Baltheo donatur militari à Rege Angliæ.

DIE igitur natalis Domini, dominus Rex *Angliæ* Baltheo apud *Eboracum* donavit militari Regem *Scotiæ*, & cum eo Tyrones fecit viginti. Qui omnes veſtibus precioſis & excogitatis, ſicut in tam celebri tyrocinio decuit, ornabantur.

Rex Scotiæ deſponſavit filiam Regis Angliæ.

IN craſtino autem natalis Domini, videlicet in die ſancti *Stephani*, Rex *Scotiæ* filiam Domini Regis *Angliæ* deſponſavit. Et quia catervatim ac glomeratim ſeſe inordinatè populi ruentes comprimebant, ut intereſſent & viderent talium nuptiarum ſolennitatem, ſecretò & ante expectatum, matrimonii ſolennitas ſummo mane eſt peracta. Erant nempè ibidem tot populorum diverſitates, tot nobilium *Anglorum*, *Francorum*, *Scotorum* multitudines copioſæ. Militum quoque tot turbæ numeroſæ laſcivis veſtibus adornatæ, ſericis & transformatis ornamentis, ſuperbientes, ut illa ſæcularis & laſciva vanitas, ſi ad plenum deſcriberetur, in auribus audientium admirationem & tædium generaret. Mille enim milites & ampliùs veſtiti ſerico, ut vulgariter loquamur, cointiſes in nuptiis ex parte Regis *Anglorum* ibidem apparuerunt. Et in craſtino omnibus illis abjectis, in novis robis ſeſe curiæ repræſentarunt. Ex parte verò Regis *Scotiæ*, ſexaginta & ampliùs ſatis decenter milites, & multi militibus æquipollentes, ibidem adornati, aſpectibus univerſitatis ſeſe ingerebant.

Rex Scotiæ facit homagium Regi Angliæ.

FECIT igitur Rex *Scotiæ* Regi *Anglorum* homagium ratione tenementi, quod tenet de domino Rege *Anglorum*, de Regno ſcilicet *Angliæ*, *Laudiano* videlicet, & terris reliquis. Et cum ſuper hoc conveniretur Rex *Scotiæ*, ut ratione Regni *Scotiæ* faceret homagium & fidelitatem cum ligantia domino ſuo Regi *Anglorum*, ſicut fecerunt prædeceſſores ſui Regibus *Anglorum*, prout evidenter in Chronicis locis multis ſcribitur, reſpondit Rex *Scotiæ*, quòd pacificè illuc venerat, & pro honore Regis *Angliæ*, & per ejus mandatum, ut videlicet mediante copula matrimoniali, ipſi confœderaretur, & non ut ipſi de tam ardua quæſtione reſponderet. Non enim habuerat ſuper hoc cum ſuis primatibus plenam deliberationem, aut conſilium competens, prout tam arduum negotium exigebat. Dominus autem Rex cùm hæc audiſſet, noluit tam ſerenum feſtum aliqua perturbatione obnubilare, & tam juvenem Regem & juniorem ſponſum moleſtare, maximè cùm veniſſet, ut cum ſummo gaudio filiam ſuam vocatus deſponſaret, ſed ad tempus omnia ſub ſilentio præteriens diſſimulavit.

De jure Comitis Mareſcalli in hoc caſu.

IN hoc autem tyrocinio & nuptiis, Comes Mareſcallus jus ſuum & avitam ſibi conſuetudinem inſtanter fieri flagitavit, ſcilicet Palefridum Regis *Scotiæ*, quem pro jure vendicavit ſibi ſtratum exhiberi, non pro precio vel concupiſcentia, ſed pro antiqua conſuetudine in caſibus conſimilibus, ne in ſuo tempore pro ſua deſidia deperiret. Cui reſponſum fuit, quòd Rex *Scotiæ* tali non ſubjacet exactioni, quia ſi placeret ei, potuit ipſa arma ſuſcipere à quovis Principe Catholico, vel ab aliquo nobilium ſuorum. Sed ob reverentiam & honorem tanti Principis Domini & vicini ſui ac ſoceri tanti, maluit ab ipſo Rege *Angliæ* cingulo donari militari quàm aliquo alio. Et ſic præcipiente domino Rege, in totum die feſto, omnimoda lis conquievit.

Deſcriptio convivii nuptialis.

CONVIVANTES igitur gratanter Reges & eorum Magnates & familiæ, dies Natalitios cum ſummo gaudio deducebant. In quo ſi epularum abundantem diverſitatem, veſtium transformatarum varietatem, joculatorum applaudentium voluptatem, commenſalium numeroſitatem, pleniùs explanarem, in abſentium cordibus & auribus hyperbolica narratio generaret Ironiam. Sed ut de uno cætera per comparationem aptabilem intelligantur, ex dono Archiepiſcopi in ipſo convivio pluſquàm ſexaginta boves paſcuales, unum ferculum primitivum & generale perfecerunt. Coepulabantur ad invicem nunc omnes cum iſto, nunc cum Rege altero, certatim voluptuoſa prandia copioſè convivis præparantes, ut mundi vanitas theatralis quicquid potuit de brevi ac tranſitoria ſua lætitia mortalibus oſtentaret. Cum Archiepiſcopo, qui quaſi Princeps fuerat borealis & ſerenus hoſpes omnium, aliquot diebus prandebant univerſi. Et in omni defectu & neceſſitate, cunctis ſinum auxilii patefecit. Nunc in vagorum hoſpitiis, nunc in equorum paſcuis, nunc in vaſis diverſis, nunc in ignium fomentis, nunc pecuniæ dono, nunc omnium potenter ſupplevit neceſſitates, ita quòd illo domini adventui in donis auri & argenti ac ſerici, quatuor millia marcarum, quæ nunquàm poſtea meſſuit, in ſterili litore ſeminavit. Hæc autem pro tempore facere oportuit, ut famæ integritas conſervaretur, & os loquentium iniqua obturaretur.

Feſtum ſancti Edwardi Londini celebratur.

ET dum hæc in partibus borealibus *Angliæ* magnificè peragerentur, domino Rege procurante, qui non immemor ſancti *Edwardi* eſſe ſuſtinuit, dominus Epiſcopus *Elyenſis*, & *Weſtmonaſterienſes*, & *Walterus* Abbates, in loco domini Regis *Londini*, ſcilicet apud *Weſtmonaſterium*, de mandato ipſius Regis, feſtum ſancti *Edwardi* magnificè, tam in eccleſiæ ſolennitatibus, quàm in palatii conviviis gratanter peregerunt.

Reconciliatur Philippus Luuel Regi Angliæ.

DUM adhuc feſtivitas lætitiæ nuptialis perduraret, & reliquiæ cogitationum & conſiliorum omnium diem feſtum agerent, *Philippus Luuel* clericus, vir quidem vafer & facundus, novo Regi *Scotiæ* & ſponſo recentiori humiliter ſupplicavit, ut pro ipſo preces funderet, quibus Regem versùs ipſum commotum pacatum redderet & benignum. Ipſe enim *Philippus* Regem *Scotiæ* prius bene noverat, & ipſius patrem & matrem habuit quandoque amiciſſimos. Nam dum Comitis *Wintoniæ* Seneſcallus extitit, in *Galaweia*, quæ ad jus Comitis ſpectare

dignoſcitur

1252.

dignoſcitur, quandoque commorans, dictum Regem *Scotiæ* & Reginam & ſuos familiares, honorificis reſpexit ſæpiùs donativis. Videns igitur tempus idoneum, novus Rex petitionibus *Philippi* favorabilis, ante dominum Regem *Angliæ* flexis genibus & conjunctis palmis hæc verba protulit præambula, quæ cor ipſius Regis *Angliæ*, qui eum voluit erigere, ſed noluit qui ſe incurvaverat, & multorum circumſedentium lachrymas pietatis & jocunditatis excutere videbantur, poterant commovere. Ait igitur. "Domine mi Rex, novit ſerenitas veſtra, quoniam quamvis Rex ſim, & ex veſtra munificentia miles effectus, puer ſine ætate & ſcientia, inſuper & pupillus, quia patre meo defuncto, mater mea partes natales ſuas longinquas & ultramarinas repetens, me tenellum reliquit, nec adhuc niſi vocata à vobis remeavit. Adopto igitur ex hoc nunc & deinceps vos in patrem. Imò, ut & patris & matris defectum in me ſuppleatis, & inſufficientiæ meæ conſilium & paternum patrocinium impendatis. Et cùm dominus Rex vix lachrymas continens, cum ſuppreſſo ſingultu reſpondiſſet, *Libenter*: puer, non pueriliter loquens, addidit, dicens. "In hoc ergo experiar, & experimento ſciam, quoniam veſtri gratia exaudiſtis me, ſi primitias mei deſiderii effectui mancipetis. Remittendo omnes offenſas *Philippo Luuel*, qui patri meo & matri, ac mihi multos quandoque contulit honores, ipſum in priſtinam quoque revocetis familiaritatem. Didici enim,à fide dignis, quod injuſtè accuſatus eſt, fidelis nempè pridem inventus eſt, & in arduis comitis *Wintonienſis* neceſſarius; Veſtris quoque conſiliis aptus & obſequio. Cumque poſtulationi circumſedentes calcar adhibuiſſent favoris, Rex benignè conceſſit. Huic autem negotio efficax adjutor & inſtructor, fuit *Johannes Manſel* potiſſimus.

Cuſtodes Reginæ Scotiæ deputantur.

COMPLETA igitur ſolennitate nuptiali, Rex *Scotiæ* civiliter licentia poſtulata recedit, ad propria cum uxore ſua novella Regina rediturus. Et commiſſa eſt cuſtodia ipſi Reginæ tutiſſima, ad ipſius omnimodam informationem, videlicet dominus *Robertus Norenſis*, domini Regis hoſpitalis Mareſcallus, & dominus *Stephanus Bauzan*, Milites. Et cum eiſdem quædam nobilis domina omni honeſtate prædita *Matildis*, ſcilicet relicta *Willielmi* ſecundi de *Cantelupo*, cum quibuſdam aliis viris diſcretis & facetis. Promiſitq; Regi *Scotiæ* dominus Rex *Angliæ*, conſiliarium diſcretum & fidelem deſtinare, qui negotia tam Reginæ quàm Regis partem contingentia, cum optimatibus Regni ſui providè contractaret.

Ventus impetuoſiſſimus.

ANNO quoq; ſub eodem, videlicet in Octavis Epiphaniæ, & in die & in nocte ſequenti, Æolus furibundus & iratus, Africum in damnum multorum ſuſcitavit. Qui cum horribili flans mugitu & impetu vehementi, fluctus maris à litore repellens, domos diſcooperuit vel diruit. Robora maxima radicitùs avulſit, vel dilacerans frondibus viduavit, eccleſias plumbo profectò decalcavit. Naves in profundo demerſit magnas, & etiam ſolidiſſimas. Et damna multis irrogavit irreſtaurabilia. Quæ ſi magna fuiſſent in arida, majora conſtat fuiſſe in decuplo ſub æquorea feritate. Et ſi de aliis ſileamus incommodis & damnis, quædam quæ novimus & ſenſimus duximus recitare. Apud portum de *Winchelefe*, *Anglis*, & maximè *Londinenſibus* valdè neceſſarium, fluctus marinus, quaſi ex repulſu heſterno dedignans & furibundus, litorum confinia occupando, molendina, & domos occupavit; & homines quamplures ſubmerſos, aſportavit. Et ut de aliis inopinabilibus eventibus,quæ alibi contigerunt, plenius certificemur,in cœmiterio beati *Albani* robora, quæ trium hominum amplexibus circumdari nequiverant,tria radicitùs avulſit,aliorum frondes truculenter dilaniando.Et in feſto ſancti *Valentini*,pervenit dominus Rex *Londinum*.

Epiſcopus Roffenſis *colligit quintampartem redituum ſuorum ſubjectorum.*

ANNO quoque ſub eodem, ſcilicet primo quo creatus extitit, adquiſivit ſibi Epiſcopus *Roffenſis* adhuc novellus à curia *Romana*, ubi notus fuerat ob hoc, quia domini Regis ibi diu extiterat procurator, poteſtatem, non ſine multorum admiratione, extorquendi à beneficiatis in ſuo Epiſcopatu quintam partem redituum ſuorum uſque in quinquennium: licèt idem Epiſcopus priſtinos reditus ſuos, quos antequam ad Epiſcopatum promoveretur ex indulgentia Papali ſibi retinuiſſet: neceſſe enim habuit, ut aſſeruit, Epiſcopatum ſuum exilem à paupertate relevare. Opprobrium enim ei videbatur, quòd ille Epiſcopatus inter omnes *Angliæ* Epiſcopatus paupertimus diceretur, & à *Karleolenſi* jam ſuperaretur. Exigebat igitur ſibi ſummam memoratam exhiberi, non ſecundùm æſtimationem bonorum eccleſiaſticorum à ſubjectis, ſed quocunq; modo ex bonis eccleſiaſticis emergentium.

Obitus Nicolai *de* Sanford.

TEMPORE quoque ſub eodem, videlicet decimo tertio Calend. Februarii, obiit *Nicolaus* de *Sanford* Miles. De cujus morte libet in hoc volumine, non propter divitias, ſed propter ejuſdem ſtrenuitatem, memoriam perpetuare. Ejus mortem, conceptus dolor de morte egregiæ ſororis ſuæ *Ceciliæ*, ut prætactum eſt, ſubarravit.

Papa animat Regem Angl. *ad peregrinandum.*

IPSIS quoq; diebus, miſit dominus Papa domino Regi *Angliæ* perſuaſoriam & efficacem valde epiſtolam, ut idem Rex ſe viriliter accingeret, & ſine damnoſa dilatione ad *Terram ſanctam* adjuvandam, & ut domino Regi *Francorum* auxilium præſtolanti, opportunum ac feſtinum impenderet adminiculum. Quo ſi nollet, ſaltem alios transfretari & peregrinari paratos & deſiderantes, non impediret. Hæc autem clauſula finalis adjecta fuit, quia quoſdam Magnates *Terram ſanctam* adire paratos, in magnum damnum & jacturam eorundem, retardavit. Dominus autem Rex, ut Papali deſiderio & perſuaſioni obtemperaret, à *Judæis* quicquid ipſi miſeri habere videbantur, non tantùm abradendo vel excoriando, ſed eviſcerando extorſit. Auri quoq; ſitior Hydropicus, talenta, vel cruſta, aut jocalia, adeo avidè tam à *Chriſtianis* quàm *Judæis* emunxit, ut videretur *Craſſus* à mortuis novus reſuſcitatus.

1252.

Roboratur Papa multiplicatis Cardinalibus.

VERNO quoque tempore imminente, ut cum ſerenitate anni reſpiraret & ipſa eccleſia, dominus Papa, quem *Peruſienſes* honorificè receperant, ſcientes ex ejus adventu emolumenta pervenire, ſeptem creavit *Peruſii* Cardinales. Et cùm neptes ſuas faſtigiosè nimis & ſumptuoſè maritâſſet, appoſuit adhuc, ut ſuam partem magis roboraret, unam neptem ſuam *Henrico* filio *Frederici*, nepoti ſcilicet Regis *Angliæ*, matrimonialiter copulare, ut idem *Henricus* fieret quaſi filius Papæ adoptivus, & ſub alis eccleſiæ protectus, & a ſententia, qua innodabatur, penitus abſolutus, ſumma pace gratularetur. Quod cum Magnates Imperii audirent, maximam conceperunt indignationem eò quòd præſumeret Papa tam nobilem, tamque generoſum adoleſcentem ignobilitare. Eodemque tempore, *Willielmus* Comes *Hollandiæ*, de ſua dolens & damnificatus præſumptione, videlicet quòd ad faſtigium Imperiale ex perſuaſione Papali, & adjutorio pecuniali anhelaſſet, omnia reſignavit, malens pacis, licèt ſerò, ſecuritate gratulari minoratus, quàm ambiguis exaltatus Martis periculis obviare.

Primi Bubali in Anglia viſi.

EODEMQUE anno in Quadrageſima, miſſi ſunt Comiti *Richardo* de partibus tranſmarinis Bubali, pars verò ſexus maſculini, pars fœminini, ut in his partibus Occidentalibus ipſa animalia, non priùs hic viſa multiplicarentur. Eſt autem Bubalus genus jumenti bovi conſimile, ad onera portanda vel trahenda aptiſſimum, Cocodillo inimiciſſimum, undis amicum, magnis cornibus communitum. Unde *Bernardus* Philoſophus:

Oſſibus exſtruitur Elephas, dorſoque Camelus,
Surgit & in Bubalo cornua frontis honor.

Fratres Minores renuunt accipere munus rapitium Regis.

TEMPORE quoque ſub eodem, miſit dominus Rex bigam oneratam pannis laneis & griſeis, videlicet aptis ad fratres *Minores* veſtiendum, fratribus *Minoribus*, quaſi eleemoſynam ſuam: ſed fratres audientes quòd ipſe dominus Rex illos à mercatoribus, ſicut alia, quæ capit, imo rapit, extorſiſſet, & precium factis tantùm talliis retinuiſſet; ipſi fratres tale xenium abhorrentes recipere, totam ipſam ſarcinam cum biga remiſerunt. Dicentes, quòd non licet facere eleemoſynam de rapina pauperum, nec ipſi tale abominabile munus reciperent. Quod factum fratres reddidit commendabiles, & Regem reprehenſibilem, proh pudor! Rex ſpeculum juſtitiæ eſſe teneretur & exemplum, & quaſi Sol, cujus radii rectiſſimi ſunt, & opaco perluſtrantes, ejus verba vera incommutabiliter ſtare deberent, tenebroſos illuminantia & informantia. Nunc autem cùm in ſe tenebroſus ſit qui Rex appellatur, qualiter illuminabit obſuſcatos? unde *Statius: Tunc omnia jure tenebis, Cum poteris Rex eſſe tui. Sed hæc omnia plectuntur Achivi.*

Accuſatur graviter Comes Legriæ Simon.

ANNO quoque ſub eodem, dum Comes *Legriæ Simon* in *Anglia* moram faceret, licèt brevem, *Gaſconenſes* recalcitrantes & à pactis initis reſilientes, bellum contra Regem moverunt, & quos Comes ſuo loco poſuerat, ut ſua caſtra ſalvo cuſtodirent cum poſſeſſionibus, protervius infeſtarunt. Significantes domino Regi, quòd Comes memoratus proditor fuit nequiſſimus, coacervans infinitam pecuniam, quam à nobilibus & civibus & plebeis nulli parcens extorſit dicens, quòd Rex indigens & peregrinaturus omnia foret recepturus, quæ tamen omnia ſibimet uſurpavit. Præterea addiderunt, ipſum graviter accuſantes, quod nobiles *Gaſconiæ* vocavit ad ſuum conſilium pacificè, qui Regi fuerant ſubjecti fideliſſimi: Et convocatos, quaſi *Sinon*, & non *Simon*, in dolo retinuit, incarceravit, & nequiter fame interemit. Unde Regi nimis ſuſpectum talibus ſibilis Comitem reddiderunt. Rex igitur fluctuans ſub incertitudine, in *Gaſconiam* clam & ſubitò *Henricum* de *Wengham* clericum ſuum virum ſubtilem & circumſpectum, ad inquiſitionem diligentem faciendam ſuper præmiſſis, ut infallibiliter certificaretur, deſtinavit: ſicut olim miſerat *Galfridum* de *Langeleia*, ut ſuper factis *Roberti Paſſeleve* ſuſpecti, inquirendo abſcondita rimaretur, & nodum quærens in ſcirpo, & angulum in circulo, perplexa denodaret: ſed uterque perſcrutator defecit perſcrutans ſcrutinio. Comes autem ut hæc audivit, iratus eſt valdè cauſa duplicata, & coram Rege ſuam allegans innocentiam, ait: "Quid eſt, domine mi Rex, quòd aurem & cor mandatis proditorum tuorum inclinando, plùs "eis de proditione ſæpè convictis, quàm mihi fideli tuo credis? & ſuper factis meis facis inqui"ſitionem? Cui Rex æquanimior effectus, reſpondit: Si omnia clara ſunt, quid nocebit tibi "inquiſitio? imo potiùs fama tua clarificabitur. Comiti igitur humiliato, & redire in *Gaſconiam* parato, dedit Rex & accommodavit pecuniæ partem non minimam ſupplicanti. Feſtinanter igitur Comes transfretavit, animum non habens penitus ſerenatum. Propoſuit enim de tantarum accuſationum injuriis, condignam vindictam adipiſci. Conflans igitur copioſum exercitum, de *Francorum* militibus & ſervientibus ſtipendiariis, Regem *Navariæ*, & Comitem *Bigorriæ*, & multos alios, in exterminium adverſariorum ſuorum, ſeipſum inſuperabiliter roboravit, & ſuperbiam edomuit *Gaſconenſium*, adeò quòd niſi *Anglia* utilis eis eſſet ad vina ſua vendenda, omnes à fidelitate Regis *Anglorum* receſſiſſent, & alium ſibi dominum acquiſiſſent. Et quia ad *Hiſpaniam* modò habent *Gaſconenſes* refugium ad vina ſua vendenda, quibus ſolis ſubſidiis recreantur, videlicet ad *Cordubam*, *Sybillam*, *Valentiam* magnam, quæ modò cultui ſubjacent *Chriſtiano*; formidatur, ne relictis partibus *Anglicanis*, in quibus tot vexantur anguſtiis & injuriis, maximè per Regias exactiones, ad partes de cætero ſe transferant ultiores. Hæc idcirco huic paginæ duximus propenſiùs inſerenda, quia de toto nobili Regno *Angliæ*, quæ de partibus ſibi ſubjectis conſuevit gloriari tranſmarinis, & nunc per ignaviam & falſitatem Regum *Angliæ* ab-

breviatur

breviatur mutilata, vix *Gaſconia* vacillans, quam Rex *Francorum* contemnit, *Anglis* remanet inclinata, quam ſi penitus amiſerint, prout à *Gaſconenſibus* palàm promittitur, nunquam futuris temporibus in terris tranſmarinis ancoræ figentur ciſmarinæ. 1252.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, videlicet in craſtino ſancti *Gregorii*, quarta feria, cùm Lunæ mutatio immineret, viſa eſt quarta diè antequàm prænunciaretur prima: die enim Sabbati futura proximo, fuit re vera prima. Poſteà verò continuè quindecim diebus, viſus eſt Sol, Luna, & ſidera rubicunda, & quaſi nebula ſicca, vel fumus flante Borea vel Subſolano, totius mundi replere latitudinem. Anno ſub eodem, potiſſima pars Martii & totus menſis Aprilis & Martius, ſub ardenti Sole torrebatur; flante continuè Subſolano, Borea vel Aquilone. Caumatis igitur & ſiccitatis cauſis multiplicatis, roriſque ceſſante refrigerio, poma & alii fructus, qui jam apparuerunt, & ad quantitatem nucum ſuſceperant incrementum, emarcuerunt, & infatuati ceciderunt, vix aliquota parte proſperante, licèt flores præambuli fructus uberrimos promiſiſſent. Auxit autem illam fructuum jacturam reſiduorum, cùm jam glandium groſſitudinem ſortirentur, gelu repentinum matutinale cum coruſcatione innaturali (quam uredinem naturales Philoſophi appellant) pubertatem pomorum, glandium, faginæ & omne genus fructuum & etiam herbarum adeò aduſſit, ut vix pars decima remaneret. Veruntamen propter primitivam abundantiam, adhuc pomaria pomis & agri ſatis abundabant: & ſi omnia fructuum germina remanſiſſent, non poſſent arbores ſuos quos ediderunt fructus ſupportare. Aſcendente autem Sole uſque ad faſtigium ſolſtitiale, calor immoderatus & intolerabilis adeò ſuperficiem terræ combuſſit & caumata multiplicavit, ut omni gleba emarcente, prata eſum omnimodum pecudibus denegârunt. De noctibus inſuper calor perdurans, muſcas & pulices & cætera generavit detrimenta, ut omnibus viventibus, vivendi tædium ſuſcitaret.

Mirabiles constitutiones aeris.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, cùm multi beneficiati in Dioceſi *Lincolnienſi*, perſuadente efficaci admonitione Epiſcopi *Lincolnienſis*, ut ad gradum ſacerdotii volentes aut nolentes promoverentur, fuerunt multi colla jugo Domini ſupponere ſuper hac forma renuentes, qui contributionem communi aſſenſu inter ſe colligerent, theſaurumque non minimum coadunantes, ad *Romanam* curiam miſerunt, & Papali auctoritate effuſa pecunia, quæ multum in ipſa curia poteſt, huic Epiſcopali decreto reſtiterunt; & licentiam impetrarunt, per aliquot annos ſine ſacerdotio ſcholas exercere. Et ſic ſpecie honeſtatis, de ſub jugo Domini colla vulpinis calliditatibus excuſſerunt.

Beneficiati renuunt ad Sacerdotium promoveri.

EODEMQUE anno inſtante Paſchali ſolennitate, fecit dominus Rex convocari *Londini* omnes Magnates *Angliæ* cruce ſignatos, ut infra quindenam Paſchæ ibidem convenirent, & ſuper negotio *Terræ ſanctæ*, cujus honor enormiter vacillare videbatur, diligenter contractarent. Ipſo quoque tempore cœpit nomen Regis *Francorum* non mediocriter in Regno *Francorum* ſordere, & inter nobiles & vulgares exoſum nimium vileſcere, tum quia in finibus Ægypti tam turpiter ab infidelibus victus extitit, & tota *Francorum* nobilitas cum ipſo indelebilem induit confuſionem, tum eò quòd Regi *Angliæ Normanniam* & alias terras ultramarinas, quas idem Rex *Francorum* detinet occupatas, offerre ſine eorum aſſenſu præſumpſiſſet, ſi eiſdem efficaciter ac potenter ſubveniret, maximè cum teneretur utpote cruce conſignatus. Augebat inſuper *Francorum* ſuperbiam, opprobrium frequenter inter loquendum in facie recitatum, quòd turpiter fugiente *Francorum* poſt Regem nobiliſſimo, videlicet *Roberto* Comite *Atrebatenſi*, fratre Regis *Francorum*; quidam *Anglicus*, ſcilicet *Willielmus* de *Longa Spata*, de ſtirpe Regia *Angliæ* procreatus, ætate juvenis, viriliter ſtetit uſq; ad mortem laudabiliter & ſtrenuè dimicando. Unde nec ipſi *Franci* negare poſſunt; quin Martyrii corona fulgeat redimitus, beato *Ædmundo*, ſi fas eſt aſſerere, præferendus. Hic igitur confeſſor glorioſus quem manifeſtat incorruptio cum ſignorum frequentia: Ille Martyr palàm comprobatus, miles elegans, ſtrenuus, & generoſus; in *Francorum* oculis, ſpina fuerat læſionis. Dolet enim omnis arrogans laudis conſortio, quantò magis de ſuperante? unde Poëta:

Franci nolunt obedire mandatis Regis eorum.

Omniſque poteſtas, vel ſuperbus, impatiens conſortis erit.

Regis igitur *Francorum* mandato, de reſtituendis videlicet Regi *Anglorum* terris ultramarinis, *Franci* frontoſè reſponderunt ſic. "Non placeat Deo, ut noſtris temporibus adeò ſordeat *Francia* mutilata, licèt ultrà quàm ſatis eſt per Regulum noſtrum ignavum & victum jam vileſcat; "ut Regi *Anglorum* imbelli, quod poſtulat, reſignetur. Satis conculcamur, ſatis diffamamur, "ſatis depauperamur. Et ſi velit domina *Blancia* hoc materno affectu & muliebri voluntate, "pro filii ſui liberatione ac proſperitate; nunquam Regni *Francorum* univerſitas hoc concedat. Abſit enim ut duodecim parium judicium, quo juſtè abjudicatur Rex *Anglorum*, & privatur *Normannia*, caſſetur, & pro frivolo habeatur. Nec etiam alia, quæ exigit idem Rex *Angliæ*, noſter hoſtis capitalis, nobis ſuperſtitibus, quomodolibet poſſidebit. Et factum eſt murmur horribile, & grunnitus inter Magnates *Francorum*; quòd ſine conſenſu univerſalis Bernagii talia præſumeret Rex *Franciæ* præmeditari. Cœperunt igitur etiam fratres ejus, videlicet *Pictaviæ* & *Provinciæ* Comites, ipſum ſpernere, & odio habere, cum contemptu. Inſuper patrocinium fraternum & promiſſum, ipſi Regi præſtolanti conferre denegarunt. Solaque ſtetit cum eo & pro eo, *Blanchia* mater ejus, cujus viſcera, natura & religionis pietas claudere non permiſerunt. Cùm autem hoc audierat dominus Rex *Angliæ*, emarcuit ſpes ejus quam conceperat de

ſuis

1252. ſuis recuperandis juribus tranſmarinis. Relatum inſuper fuerat eidem, majores *Francorum* ſub atteſtatione horribilis juramenti, quòd antequàm Rex *Angliæ* ſperata reciperet, oporteret eum neceſſariò per mille lancearum mucrones, & poſt earum fragmenta, per totidem gladios cruentandos, tranſitum facere militarem. Quod multum abhorruit Rex *Anglorum*, nec mirandum.

Rex Angliæ jurat ſe peregrinaturum in Terram ſanctam.

ANNI quoque ſub ejuſdem circulo, die videlicet Lunæ, quæ ipſum diem præcedit proximò quem *Hokedai* vulgariter appellamus; fecit dominus Rex omnes *Londinenſes* à minimo uſque ad maximum voce præconia convocari, præcipiendo ſub edicto Regio, ut omnes ad *Weſtmonaſterium* voluntatem ſuam audituri convenirent. Quibus congregatis, juſſit Rex, ut *Wigornienſis*, & *Ciceſtrienſis* Epiſcopi, & Abbas *Weſtmonaſterienſis*, ſermonem facerent populo ſolennem nimis & efficacem de cruce ſuſcipienda. Ad quorum prædicationem, propter *Romanæ* curiæ varias pecuniæ extorſiones & illuſiones, pauci de civibus vel compatriotis crucem ſuſceperunt. Veruntamen de curialibus, *Richardus* de *Gray*, *Johannes* frater ejus, & *I.* de *Plexeto*, ad crucis ſuſceptionem avolarunt. Quos ilico Rex accurrens cum amplexibus oſculabatur, vocans eos fratres ſuos. Et objurgans, vocavit *Londinenſes* ignobiles mercenarios, eò quod eorum pauci crucem ſuſceperunt. Audaciam autem hanc, imò pertinaciam *Roma* parturivit, eò quòd à Papa jam impetraverat, ut per triennium decimam reciperet à Regni clero & populo, quæ ſi colligeretur, ad pluſquàm ſexcenta millia totalis ejus ſumma aſcendere, in perpetuum Regni detrimentum, videretur. Unde dictum eſt ſecretiùs, quod piis mentibus eſt incredibile, ipſum non ob aliud Regem crucem humeris ſuſcepiſſe, niſi ut regnum tali argumento bonis ſpoliaret. Tamen paſſagium ſuum juravit à die ſancti *Johannis Baptiſtæ* in ſequens triennium, niſi morte vel gravi infirmitate vel alia rationabili cauſa impediretur. Et jurans hoc, appoſuit manum ſuam dexteram ad pectus ſuum more ſacerdotis, & poſteà ſupra Evangelia appoſita, & oſculatus eſt ea, more laici. Nec tamen hoc circumſtantes reddidit certiores. Præteritarum enim tranſgreſſionum memoria, ſuſpicionem in præſentibus ſuſcitavit.

Soldanus Babyloniæ *pacem petit à Rege* Francorum.

TEMPORIBUS autem ſub eiſdem, Rege *Francorum* apud *Cæſaream* commorante, *Iconienſes* & *Damaſceni* cruentam nimis & hoſtilem bellum contra *Babylonienſes* continuarunt; rapinis, incendiis, & cædibus intendentes. *Soldanus* nempè *Babyloniæ* omnibus exoſus fuerat Orientalibus, tum quia à poteſtate *Babylonienſium* permiſſus eſſet Rex *Francorum* illæſo corpore recedere, avaritia ſtimulante; tum quia dominum ſuum *Soldanum*, *Babyloniæ* predeceſſorem ſuum, ut theſauro ſuo ditaretur, ſeditioſè dicitur peremiſſe. Propoſuerant utique omnes Orientales, ipſum dominum Regem *Franciæ* ludibrio *Saracenorum* omnium, in *Chriſtianæ* legis exterminium, & ſcandalum ſempiternum, palàm oſtentaſſe. Et demùm ſuo *Caliphæ* de *Mecha*, omnibus diebus vitæ ſuæ incarcerendum, vel in holocauſtum *Machometo* immolandum, in exaltationem ſuæ legis, præſentaſſe. Sed non in tantum ira divina exeanduit in ſervos ſuos, licèt peccatis exigentibus hoc promeruiſſent Deo ultore; qui cum iratus fuerit, miſericordiæ recordatur. Ex tunc igitur memoratus *Babyloniæ Soldanus*, domino Regi *Francorum* xenia cum verbis tranſmiſit pacificis, ſignificans ei quot preſſuras pro eo, quòd ei pepercit, ſuſtinuiſſet. Unde formam pacis vel treugarum, cepit idem *Soldanus* in mente concipere; quam Regi offerret memorato. Unde in ſpem meliorem erectus, dominus Rex eſt refocillatus.

Rex Angliæ fuit durus, alienigenis prodigus.

ADHUC autem non terminato Parlamento prælibato, dominus Rex inexorabilis factus omni petenti, ſaltem breves inducias debitoribus ſuis non conceſſit, ſed ſuos naturales immiſericorditer coarctans, ſine alicujus diſcretionis conſideratione, impetu mentis repentino, ut plus corda ſuorum cruentaret, contulit cuidam *Pictavenſi* (tanto honore penitus indigno, *Eliæ* videlicet de *Rabani*) terram quingentarum marcarum. Hinc factus avidus & inſatiabilis, inde prodigus Regni dilapidator.

Conradus Frederici *filius omnibus gratioſus.*

DIEBUS ſub eiſdem, cùm jam *Conradus* filius *Frederici* omnium ferè *Italicorum*, *Calabrium*, *Siculorum*, *Romanorum* & *Germanorum* favorem obtinuiſſet (utinam nulla curiæ *Romanæ* culpa) lethifero potu proditioſè infectus, vix eſt medicorum induſtria diligentiſſima à portis mortis liberatus. Erantque qui dicerent, hoc aliquem Papalem, ignaro tamen domino Papa, procuraſſe. Timebant enim Papales vehementer, ne *Conradus* patriſſans, nec paternæ immemor perſecutionis, adverſariis ſuis redderet retributionem. Factus eſt igitur *Conradus* gratioſior omnibus; eò quòd dominus conſervaverat eum illæſum in tanti periculi diſcrimine. Et cùm à multis attentiùs poſtularetur dominus Papa, ut ipſum *Conradum* quantum in ipſo fuit, ad culmen Imperii promoveret: timuit enim ne patriſſans, greſſus *Fredericales*, eccleſiam perſequendo pedetentim ſequeretur.

Adverſitates S. Comitis Legriæ.

EODEMQUE anno, Comes *Legreceſtriæ Simon* de *Monte forti*, plures ſuſtinens tribulationes, cùm perveniſſet *Burdegalim*, invenit multos de civibus contra eum, facta occulta conſpiratione, calcaneum levantes, novas parare inſidias ac redivivas. Unde oportuit eum nova Martis, imò mortis pericula experiri: prout patebit in ſequentibus.

Mors magiſtri Johannis *de* Baſingeſtokes.

DIEBUS inſuper ſub eiſdem, ne mala veniant inconcomitata, magiſter *Johannes* de *Baſingeſtokes*, Archidiaconus *Legriæ*, vir quidem in trivio & quadrivio experientiſſimus, *Græcis* ac *Latinis* literis ad plenum eruditus, viam univerſæ carnis ingreſſus, gemitus & lachrymas multiplicavit Comitis memorati. Hic magiſter *Johannes* intimaverat Epiſcopo *Lincolnienſi Roberto*, quòd quando ſtuduit *Athenis*, viderat & audierat ab peritis *Græcorum* Doctoribus, quædam *Latinis* incognita. Inter quæ reperit duodecim Patriarcharum, filiorum videlicet Jacob,

teſtamenta.

teſtamenta. Quæ conſtat eſſe de ſubſtantia Bibliothecæ,ſed per invidiam *Judæorum* dudum fuiſſe abſcondita, propter manifeſtas, quæ in eiſdem patent, de *Chriſto* Prophetias. Unde idem Epiſcopus miſit in *Græciam*, & cùm ea habuiſſet, tranſtulit de *Græco* in *Latinum* ſermonem, & quædam alia. Hic inſuper magiſter *Johannes* figuras *Græcorum* numerales, & earum notitiam & ſignificationes in *Angliam* portavit, & familiaribus ſuis declaravit. Per quas figuras etiam literæ repræſentantur. De quibus figuris hoc maximè admirandum, quòd unica figura quilibet numerus repræſentatur: quod non eſt in *Latino*, vel in *Algoriſmo*. 1252.

Memoratus inſuper magiſter *Johannes* quoddam ſcriptum tranſtulit de *Græco* in *Latinum*, in quo artificioſè & compendioſè tota vis Grammaticæ continetur: quod idem magiſter *Donatum Græcorum* appellavit.

Item aliud compoſuit, in quo particulæ ſententiarum per diſtinctiones dilucidantur: quod ſic incipit, *Templum Domini:* quod eſt perutile.

Item aliud ſcriptum, quod ab *Athenienſibus* habuit. In illa enim civitate ſtuduerunt *Græcorum* ſapientes. Et cùm ſit ſapientia immortalis, ſicut dicit Sapiens de ea: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad fines ſæculi non deficiam:* hoc nomen *Athenæ* dicitur ab *à*, quod eſt ſine, & *thanatos*, quod eſt mors, quaſi immortalis. In illo ſcripto probatur ordo Evangeliorum. Nec prætereundum, quod mihi hæc ſcripturo familiariter conſuevit enarrare: Quædam puella, filia Archiepiſcopi *Athenienſis*, nomine *Conſtantina*, nondum viceſimum agens annum, virtutibus prædita, omnem trivii & quadrivii noverat difficultatem: unde alteram *Catherinam*, vel *Catherinam* conſuevit dictus magiſter *Johannes* jocoſè, propter ſuæ ſcientiæ eminentiam, appellare. Hæc magiſtra fuit magiſtri *Johannis*, & quicquid boni ſcivit in ſcientia, ut ſæpe aſſeruit, licet *Pariſiis* diu ſtuduiſſet, & legiſſet, ab ea mendicaverat. Hæc puella peſtilentias, tonitrua, eclipſin, & quod mirabilius fuit, terræ motum prædicens,omnes ſuos auditores infallibiliter præmunivit. Ab hoc autem materiæ diverticulo revertentes, narrationem de laboribus & ſolicitudinibus Comitis *Legriæ Simonis* continuemus.

EODEM autem anno, Comes *Legriæ Simon*, diffamatus eſt & accuſatus graviter coram cunctis Magnatibus partium tranſmarinarum: quod videlicet fideles domini Regis *Angliæ* proditioſè tractâſſet & inhumanè, fame, ferro, & carcere interemiſſet, & caſtra & terras occupâſſet, ut videretur potiùs oppidorum & civitatum occupator violentus, & feralis hominum exterminator, quàm terræ domini ſui, quem exhæredare nititur, conſervator. Decretum eſt igitur, communi totius univerſitatis *Gaſconenſium* aſſenſu & conſenſu,ad dominum eorum Regem *Angliæ* ſolennes nuncios deſtinare. Qui in teſtimonium hujus accuſationis ſcripta communiarum civitatum *Gaſconiæ*, Magnatum, Catellanorum, & Ballivorum ſecum bajularent, & cum lugubri querela domino Regi præſentarent. Proviſum igitur communi decreto eſt, ut maximus de tota eorum regione & digniſſimus, ſcilicet Archiepiſcopus *Burdegalenſis*, cum aliis quibuſdam Magnatibus famoſis, ut magis in confuſionem Comitis crederentur, in *Angliam* ſub omni feſtinatione ad dominum Regem dirigeretur. Quod cùm Comiti nunciaretur, feſtinavit celeriter in *Angliam* remeare, ut ſingulis articulis accuſantium, coram Rege competenter reſponderet.

Primam accuſationem Comitis S. ſequitur major.

EODEMQUE tempore tranſitum fecit per cœnobium *ſancti Albani* dominus *Alanus* de *Zucha*, *Walliæ* partium *Ceſtriæ* circumjacentium Juſtitiarius, in vigilia ſcilicet Pentecoſtes, ad Scaccarium *Londinenſe*, non parvum theſaurum deferens in bigis de reditu Regio collectum. Hic palàm proteſtatus retulit quibuſcunq; auditoribus, quòd tota *Wallia* obedienter & in pace legibus ſubjacet *Anglicanis*. Epiſcopus autem *Bangorenſis* ad *ſanctum Albanum* veniens, itidem enarravit. Et circa idem tempus, electus eſt in Epiſcopum *Moreſenſem* in *Scotia*, magiſter *Radulphus* eccleſiæ *Lincolnienſis* Canonicus.

Wallia legibus Angliæ ſubjacet.

ANNO quoq; ſub eodem, circa Pentecoſten, paucis ante diebus, venerunt de *Gaſconia* Archiepiſcopus *Burdegalenſis*. Et de *Regula* & aliis civitatibus *Gaſconiæ* Magnates venientes in *Angliam* navigando uſque *Londinum*, invenerunt ibidem dominum Regem. Et coram eo lachrymabilem de tyrannide Comitis *Legriæ*, quoniam eis pro cuſtode tranſmiſerat, querelam reponentes, ipſum de iniquiſſima proditione accuſaverunt. Quibus Rex non ſtatim plenam fidem adhibens, quia ipſos cùm eſſet in *Gaſconia* invenit proditores, miſit illuc *Nicolaum* de *Molis*, militem, & *Drogonem Valentinum*, ut inquirerent diligenter utrum rei eſſent *Gaſconenſes*, aut innocentes. Et utrum *Henricus* de *Wengham* eis eſſet concors vel non, & utrum clamorem opere complevisſent, per ſingula veritatis aſſertores pleniùs ac certiùs explanarent, quod tamen Comiti *Simoni*, nec mirum, diſplicuit.

Veniunt in Angliam Magnates Gaſconenſium queribundi ſuper tyrannide Comitis Simonis.

EXPLORATORES igitur cùm rediſſent, domino Regi intimârunt, quoniam aliquos inhumanè nimis tractaverat, ſed meritis, ut creditur, exigentibus, quod tamen propter Comitis abſentiam non eſt excuſſum. Quo audito *Gaſconenſes*, qui præſentes coram Rege tunc extiterant, ſcilicet Archiepiſcopus *Burdegalenſis*, & cum eo ſteterant, clamitabant dicentes: Certè declarabitur indicium veritatis,& poſt indicium, judicium poſtulamus. Et cùm juramento proteſtati ſunt, quòd nunquam ipſi Comiti exterminatori intenderent vel obedirent. Quinimò potiùs alium dominũ quàm Regem *Angliæ* ſibi providerent. Et cùm graviter Comes accuſatus in curia Regis diffamaretur, & teſtibus multiplicatis infamia roboraretur, venit in *Angliam* ſub celeritate magna & feſtinatione. Quod cùm ſciretur, ſtatutus eſt ei dies ſuper his adverſariis reſpondendi. Procuravit igitur comes in arcto poſitus,ut illo die forent præſentes Comes *Richardus*,cui bene complacuit

Articuli accuſationis Comitis S.

1252. placuit *Gaſconenſium* tribulatio: Comes *Gloverniæ*, in hoc caſu Comiti *Simoni* favorabilis, Comes *Herefordiæ*, & multi alii Proceres & Magnates, qui ob hanc cauſam nullatenus permitterent Comitem periclitari. Timebatur enim quamplurimùm, ne Rex per impetum feſtinum, quia tam alienigenis propitius eſſe probatur, Comitem virum nobilem & naturalem juberet capi & retineri, & tanquam proditorem convictum incarcerari, quod tamen nullo modo ſuſtineretur. Et cùm ſufficienter Comes innocentiam ſuam allegâſſet, & pars adverſa redarguta ſiluiſſet, Rex ei verbis adverſabatur, ſed cùm percepiſſet quòd Comes *Richardus* faviſſet Comiti *Simoni* & alii omnes, quia diſcretione regebantur, non poterat in ipſum Regalis ſævire, licèt provocata, ſeveritas. Sed verborum tergiverſationes, utrobiq; alter in alterum rixas & iras provocarunt. Et in perperando retractabantur, quæ dudum ſunt peracta. “Qualiter videlicet apud *Xantonas* ipſum “Regem à laqueis *Francorum* potenter liberaverat, & qualiter primò ituro in *Gaſconiam* blandè “perſuaſerat, ut proditores opprimeret, & qualiter chartam ſuam de obtinenda terræ cuſtodia, ſex “annis confecerat, & qualiter auxilium efficax ſpopondit eidem & conſilium, quod non eſt adim“pletum. Et addidit: Domine Rex, verba tua ſtabilia & certa eſſe tenerentur. Tene mihi pactũ, “vel quod mihi promiſiſti, tene ſecundùm chartæ tuæ tenorem, vel expenſas meas in ſervitio tuo “fuſas mihi reſtitue. Notum eſt enim, quòd Comitatum meum irreſtaurabiliter pro tuo honore depauperavi. Cui Rex nimis properè & inconſultè reſpondit: “Scito quòd de nulla re tibi pro“miſſa, indigno ſupplantatori tibi ac proditori pactum ſervabo. Licet enim à pactis recedenti, à pactis reſilire: & palàm malignanti, protervire. Comes autẽ hoc audito iratus eſt valde, & ſurgens palàm proteſtatus eſt, Regẽ manifeſtè in hoc verbò mentitũ fuiſſe. “Et niſi dignitate Regali “nomine quoq; umbratili inſigniretur, mala hora ipſum tale verbum à faucibus ejus emiſiſſe. Unde Rex vix ſe præ ira capiens, ilicò præcepiſſet eum capi, niſi certificaretur quòd hoc à Magnatibus nullatenus ſuſtineretur. “Addidit inſuper Comes: Quis poſſet te credere *Chriſtianum* “eſſe, fuiſtine nunquam confeſſus? At Rex: Etiam. Et Comes: Quid valet confeſſio ſine pœ“nitentia & ſatisfactione? ac ſi diceret: Si unquam confeſſus fuiſti, nunquam contritus vel competens ſatisfactor. Cui Rex magis in iram excandens, ait: “Nunquam tamen pœnituit me ſu“pra aliquo facto, quantum jam pœnitet me, quòd unquam permiſi te *Angliam* intrare, vel ali“quam in eadem terram vel honorem poſſidere, in qua recalcitrans impinguatus es. Et ſic “amicis jurgium interumpentibus, ſunt diviſi.

Cauſa totius mali prædicti.

HÆC autem omnia, Regis indiſcretio & inſtabilitas parturivit. Sed ut dilucidetur cauſa anticipanda eſt brevis narratio, ut materia continuatur. Tranſactis jam circiter viginti ſeptem annis, conceſſit gratis & benignè dominus Rex Comiti *Richardo*, fretus ſuorum Magnatum conſilio, *Gaſconiam*. Unde Comes transfretans, cepit *Gaſconenſium* homagia, oſtendens ejus ſuper jure ſuo chartam domini ac fratris ſui Regis *Angliæ*, unde *Gaſconenſes* benignè fecerunt ei fidelitatem cum juramentis. Erat enim tunc puer elegantiſſimus, & omni dignus honore ac favore. Et iterum conceſſit Rex ipſi Comiti eandem terram, & inchartavit poſt aliquot annos, ut poſſeſſio ſua ſic firmiùs roboraretur. Deinde elapſis aliquot annorum curriculis, cùm Rex ex Regina prolem ſuſceperat deſideratam, inſtinctu Reginæ abſtulit Rex *Gaſconiam* Comiti *Richardo* fratri ſuo, ut eam *Edwardo* primogenito ſuo conferret, caſſatis chartis prioribus & conceſſionibus. Quod tamen Comes *Richardus* minimè conceſſit, incumbens jure ſuo, licet poſſeſſione privaretur. Unde contigit quòd cùm Rex ultimò fuit in *Gaſconia*, & aliqui *Gaſconenſium* fluctuantes dubitarent, cuinam pòtius tenerentur intendere, præcepit Rex Comiti cum magna ira & reboatu, ut chartas reſignando, juri ſuo palàm ſuper *Gaſconia* renunciaret. Quod cùm conſtanter Comes rennuiſſet, juſſit Rex noctu *Burdegalenſibus* ut Comitem caperent incarcerandum. Ad quod impercunctanter reſponderunt clam *Gaſconenſes*, quod hoc nullatenus facerent, tum propter ſanguinis Regii claritatem, tum propter homagium quod ei fecerunt, tum propter Regis mutabilitatem, ne poſteà facti pœnitens, puniret univerſos. Noluit autem Rex hoc præcipere Magnatibus *Angliæ*, certus quod hoc nullatenus facerent ſine maxima conſideratione. Rex igitur præ ira quaſi furibundus, molitus eſt *Gaſconenſes* muneribus corrumpere, quos imperio nequiverat, ut ipſum Comitem tanquam rebellem, caperent vinculis mancipandum. Unde Comes ipſa nocte præmunitus apud *Burdegalim*, in cœnobio *ſanctæ Crucis* latitans, ſummo diluculo clam & ſubitò navem aſcendit, verſus *Angliam* transfretaturus. Unde cùm non præmuniretur, tam in victualibus, quàm aliis ſibi neceſſariis, magnam in mari penuriam eſt perpeſſus. Exorta inſuper tempeſtate, devians & raptus violentia ventorum adverſantiũ, pericula ſubiit, adeò ut à portis mortis vix eſt liberatus. Unde vovit ibidem conſtruere Deo unum cœnobium de ordine *Ciſtercienſium*. Quod laudabiliter conſummavit, prout in antecedentibus eſt relatum. Comes hanc adverſitatem in culpam Regis retorquens, iram non minimã contra ipſũ concepit. Nec unquã poſteà Rex & Comes ſeſe mutuò fraterna ſinceritate, ut priùs, dilexerunt. Rex autem cùm percepiſſet quòd Comes ſic cum ira aufugiſſet, convocavit in ſpiritus amaritudine nobiles *Gaſconiæ*, & præcipuè *Burdegalenſes*, & facto eiſdẽ ſermone, avertit corda eorũ ab amore Comitis ac fidelitate, multiplicatis blanditiis & promiſſis, aſſerens ipſum cupidũ eſſe, & ſubditorũ oppreſſorẽ largiſſimum promiſſorem, ſed parciſſimum exhibitorem. Chartáſq; ejus caſſâſſe, & factum ſuum de donatione *Gaſconiæ* revocaſſe. Et ſic homagia ſua revocans, Comitem penitus à jure ſuo & poſſeſſione privavit. Promiſit inſuper eiſdem Dominum multò meliorem, & cuſtodem mitiorem. Quod ſi benignè facerent, magnum theſaurum pro præmio reportarent. Ex taxatum eſt precium, & limitata eſt quantitas,

ad

ad triginta millia marcarum. Et ſic *Gaſconenſes* incurvati receſſerant à Comitis *Richardi* fidelitate & ſubjectione. Rex autem à *Gaſconia* tandem turpiter receſſurus, ipſos per chartam & juramentũ & fidei interpoſitionem ſecuros fecit de pecunia hac fideliter perſolvenda. Crediderat autem Rex ipſos tantis promiſſis poſſe decepiſſe, ſed deceptor ſe tandem ſenſit muſcipulatum. Ipſi autẽ *Gaſconenſes* in rei geſtæ teſtimonium, chartas Regis penes ſe retinẽt conſignatas. Sicq; pro dolor! geſtum eſt, ut utrobiq; pateat fallacia, quia ſicut non decipere, ſic nec decipi tantus Princeps debuiſſet. Comes *Richardus* interea fluctibus marinis in perpetuam ſui corporis deteriorationem jactatus, vix portum attigit in *Cornubia*, equis & theſauro deſtitutus, unde triſtis & inglorius, à ſuis fidelibus in illa ſua terra ſibi præſtari neceſſaria poſtulavit. His autẽ ſic terminatis, cùm dominus Rex poſt omnimodam jacturam in *Angliam* remeâſſet, extorſit à Prælatis pecuniã ſingulis ſingulatim, ut *Gaconenſium* ſatisfaceret protervitati. Iratus eſt tamen, & odio habens eos, providit eis Comitem *Legriæ Simonem*, quia vir Martius & in negociis bellicis expertus & famoſus eſt, in cuſtodem, ut ſuperbiam contereret recalcitrantiũ, & confecit ei chartam ſuam de cuſtodia per ſex annos continuanda, & de theſauro ſuo decem millia marcarum largitus, ſupplicavit, perſuaſit & præcepit, ut ipſos dirè & durè tractaret ſuppeditatos. Præcipuè qui ab illo ad ſinũ eorum confugientes, non tantùm modo predicto, ſed multiformiter pecuniã ſuam ab ipſo extorſerunt, utpote *Gaſtonẽ* de *Biarde* & matrem ejus prodigioſam & potiùs monſtruoſam, & alios quàmplures. Comes igitur *Simon*, vir belliger, potens & peritus, Regis voluntati obtemperans, ſe, ſua, & ſuos, martis & Martis periculis expoſuit. Et quicquid de terris ſuis propriis potuit elicere, ita ut nemora ſua explanaret & venderet, in expenſis diſperſit & conſumpſit. In calce autem laborum ſuorum, hos fructus à Rege reportavit. Per hanc igitur recapitulationem digreſſivam patet, quare Comes *Richardus* non doluit vel curavit de Regis in hac parte jactura vel perturbatione. Sed nullatenus niſi ſiniſtrè poteſt interpretari, quòd Rex eſt jam mutatus, credulus & favorabilis factus *Gaſconenſibus*, quorum expertus eſt verſutias, & Comitem *Simonem*, qui eidem Regi in tot ambiguis caſibus fideliter ſervivit, à ſinceritate ſuæ repulit dilectionis. Sed à materiæ noſtræ diverticulo redeamus.

COMES autem *Simon*, cùm de *Gaſconia* properè veniſſet, & Regem *Londini* inveniſſet, non eſt ab ipſo ſalutatus, vel, prout decuit, honorificè receptus. Quinimò ſtabant ex adverſo adverſarii, quaſi cum Rege, Archiepiſcopus *Burdegalenſis* & ejuſdem conſentanei. Qui faſcinatim Comitẽ intuentes, ipſum graviter accuſabant, hoc modo. "Oſtendimus primò vobis, domine "Rex & domine Comes *Richarde*, & aliis Proceribus, qui ex parte domini noſtri Regis hic præ"ſentes exiſtunt, literas quas nobiſcũ attulimus de credẽtia, ex õnibus nobilibus *Gaſconiæ* Regis "fidelibus, Militibus civibus, caſtellanis & incolis, qui verba querelæ ſuæ communiter in ore "noſtro poſuerunt. Conquerimur igitur omnes quaſi uno ore, de Comite *Legriæ Simone* de "*Monte forti*, qui cuſtodiã *Gaſconiæ* ſuſcepit, ſed eam vaſtat & exterminat hoſtiliter & ferali"ter. Inſuper, quibus Comes *Richardus*, qui erat & eſt Comite *Simone* excellentior, conceſſerat "dudum vitam & pacem: & quos nuper dominus *Henricus* de *Trubevilla*, qui auctoritate ve"ſtra Seneſcallus fuerat *Gaſconiæ*, & cuſtos noſter pius & juſtus nobis pacificè præerat: ſimili"ter & dominus *Walerannus Theuto*, vir quidem diſcretus et circumſpectus, toleraverunt be"nignè et pacificos habuerunt, necnon & amicos, iſte Comes expugnat et deſtruit, in magnũ "domini Regis damnum et gravamen. Et caſſato tot nobilium judicio & ſcripto, nobiles ter"ræ noſtræ fideles domini Regis mittit captos in *Franciam*, ibidem incarcerandos, in concemp"tum noſtrum, & domini Regis præjudicium. Quorum aliqui in carcere, fame & vinculorum "pondere defecerunt. Extorquet inſuper infinitã pecuniã ab eiſdem, in damnũ domini Regis "irreſtaurabile. Nec dominũ Regem inde facit conſciũ vel participem. Multos quoq; de Regis "fidelibus pacificè vocat ad ſe in dolo, quaſi ad colloquiũ, quos tanquam peſſimus retinet peri"mendos. Caſtra inſuper petiit ad opus domini Regis præſtari, quæ quaſi propria retinet pro"ditioſè ac nequiter occupata, captis eorum cuſtodibus, quæ ipſa ſibi benignè præſentarunt.

"AD HÆC autem Comes *S.* reſpondit alacriter, quòd minimè credendum eſt eis, quia ipſos, "quos dominus Rex confidenter in neceſſitate ſumma credidit invenire fideles & amicos, ho"ſtes & impoſtores, quod eſt notorium, invenit cruentatos. Et vos actores eſtis, nec veſtro ſtan"dum eſt teſtimonio vel judicio. Item bene potuit eſſe, quòd ſunt aliqui in terra veſtra, quibus "Comes *Richardus* & alii Magnates, dati vobis cuſtodes, pacem & vitam conceſſerunt, qui tunc "ſub diſſimulatione filii pacis eſſe cœperunt, ſed nacta temporis opportunitate recalcitra"runt: unde poſteà meritò facti filii proditionis, pacem et vitam perdiderunt. Quare hoc non "facerem? Utiq; Deus ſic facit, qui eſt quovis homine juſtior. Perſeverantes in juſtitia coro"nat, et punit ad facinora revertentes. Et ſic prædeceſſoribus meis, cuſtodibus vobis datis, vel "ipſi Regi in hac parte nullatenus eſt injuriatum. Ad hujus veritatis aſſertionem paratus, "tempore opportuno, plures vobis et fide digniores teſtes producere. Sed ad hæc egemus "teſtibus? Dominus Rex, ſi libeat veritatem confiteri, veſtras reperit fraudes, et ſenſit cavil"lationes. De aliis autem articulis mihi objectis, non per vos, ſed potiùs pertiores veritas "declarabitur. Non enim eſt fides perfidis adhibenda.

COMES igitur *Richardus*, et alii Proceres, qui in *Gaſconia* experimento didicerant ipſorũ *Gaſconenſium* muſcipulas, dicta Comitis *Simonis* approbantes, mores *Gaſconenſium* nullatenus commendarunt.

1252.

Comes S. acrimè à Gaſconenſibus accuſatur.

Reſponſio Comitis S. ad objecta.

1252.

Damnum illatum à Rege Abbati de Rameſeia.

TEMPORE quoq; ſub eodem, dominus Rex, plus quàm decuit, aut expedivit diverſis intendens emolumentis, perturbavit poſſeſſionẽ nundinarum de ſancto *Yvone* Abbati de *Rameſeia*, conſilio *Roberti Paſſeleve*: licèt eas dictus Abbas à tẽmpore cujus non exſtat memoria, ſine aliqua calumnia pacificè obtinuiſſet. Et quamvis chartas authenticas beati *Edvardi*, quem Rex diligit ſpecialiter, & beati *Vlſtani* Abbas memoratus pro jure ſuo oſtendiſſet, non eſt Rex veritus eas infirmare. Ipſi verò ſancti omnes chartarum ſuper libertatibus *Rameſeiæ* (præcipuè tamẽ de nundinis ſupradictis) infractores, cum aſſenſu multorũ aliorũ ſanctorũ Epiſcoporũ, horribiliter excommunicaverunt. Iſtam nempè pro ſe cavillationem, Rex perverſo fretus oſtendit conſilio, quòd ſecundùm chartas Abbatis, obtinendæ forent nundinæ ſupradictæ uſq; ad diem ſancti *Yvonis*, non ultra. Item vendicavit Rex iter ſtratæ & fluminis, licet utrumq; de antiquo jure quietè obtinuiſſet. De retardatione autem mercatorũ confluentiũ poſt illam diem, non imputandum foret domino Regi, ſed eas voluit nundinas & earũ emolumenta ſine contradictione ſibi retinere: quod omnino in præjudicium & jacturam Abbatis, videbatur redundare. Et hoc quidem rationi & pietati donatorum conſonum non videtur, ut videlicet ipſa eccleſia, dono gauderet umbratili ac mutilato. Sic ſic igitur proceſſum eſt, ut domus illa nobilis *Rameſeiæ* jacturam tantam incurrit, ut mallet aliquorũ maneriorum ſuorum ſubiſſe jacturam.

Periculum imminens eccleſiæ S. Edmundi.

SIMILI quoque modo imminebat jactura magna, nobili eccleſiæ *ſancti Edmundi* Regis & *Martyris*, cùm ventilata fuiſſet cauſa de manerio de *Mildenhale*. Et ut brevibus concludamus, ſic jam vergit mundus ad prædas & rapinas, ut quicunq; de religioſis aliquid extorqueat, non demereri, ſed mereri potiùs videretur.

Contentio mota ſuper eccleſia de Flameſtude.

ANNI quoq; ſub ejuſdem circulo, videlicet circa Paſcha, obiit ſanguine clarus & moribus *Richardus* Theſaurarius *Andegavenſis*, cognomento de *Thony*. Hic domini Regis *Scotiæ* conſanguineus, frater fuit nobilis Militis ex utroq; parente *Radulphi* de *Thony*. Hic cùm multos in Regnis *Francorum*, *Anglorũ*, & *Scotorũ*, reditus obtinuiſſet, & eo de medio ſublato vacarent ejus eccleſiæ, vacavit eccleſia de *Flameſtude*, quæ non multum diſtat ab eccleſia *ſancti Albani*. Regina igitur, ratione tutelæ, quam ei contulerat Rex de terra *Radulphi* de *Thony*, cujus donationi pertinebat ipſa eccleſia, contulit eandem eccleſiam *Willielmo* Capellano ſuo, clerico eccleſiæ *ſancti Albani*, ratione eccleſiæ de *Kenebella*, ſibi ab Abbate *ſancti Albani* collatæ. Et hoc fecerat Regina, confiſa de jure ſuo. Nam ipſum puerum, filium, & hæredem dicti *Rogeri* de *Thony*, & hoc de dono Regis gratuito obtinuit, annis pluribus educaverat, ad quem jus patronatus ſpectare videbatur: & ſic ad Reginam collatio fuerat devoluta. Hoc cùm Rex audierat, in iram magnam excanduit, & ait: O in quantũ aſcenderet muliebris, ſi permitteretur, ſuperbia! Revocavit igitur, & caſſavit indecenter & injuſtè factum Reginæ, & contulit memoratam eccleſiam, cujus reditus ad centum marcas aſcendere dignoſcitur, cuidam clerico ſuo & conſiliario, nomine *Hurtoldo*, natione *Burgundo*. Qui illicò ejecto *Willielmo*, ſibi eam uſurpavit, immittens ſe corporaliter in eandem. Regina autem hæc graviter tulit, propter injuriã & verecundiam multiplicatam. Hujus autem rei notitia cùm ad aures Epiſcopi *Lincolnienſis*, in cujus dioceſi eſt eccleſia memorata, perveniſſet, ipſum *Hertoldum* excommunicavit, & poſteà eccleſiam ſuſpendit & interdixit, ita ut nec corpora defunctorum ibidem ſepelirentur.

Mors Roberti Paſſeleve.

EODEM quoque anno, octavo Idus Junii, obiit apud *Waltham Robertus Paſſeleve*, Archidiaconus *Lewenſis*, de quo multa præſcribuntur. Hic *Robertus* Clericus & Prælatus non eſt veritus Regi adhærendo multos multiformiter depauperare, ut Regem impinguaret. Opera autem ſua ſequuntur eum.

Obitus Ri. de Wendoure.

TEMPORE verò ſub eodem, obiit magiſter *Richardus* de *Wendoure*, Canonicus ſancti *Pauli* Londini, Phyſicus prælectus. Qui ſibi præcavit multò circumſpectiùs, quàm *Robertus* memoratus. Nam novem Sacerdotibus neceſſaria providit, qui in perpetuum pro anima ipſius hoſtiam *Chriſto* offerunt ſalutarem. De quo in hoc libro ſpecialem facere duximus mentionem, quia eccleſiæ *ſancti Albani* quandam crucem legavit, & ſpontanea contulit devotione, in qua plures reliquiæ, ſicut tituli proteſtantur earundem, incluſæ continentur. Hujus crucis imago eburnea eſt, & cooperimento eburneo redimitur ſtipes crucis cum brachiis, qui ſtipes cum brachiis patibulum appellatur. Hæc crux quandoque fuerat Papæ *Gregorii*, & eidem chariſſima. Et cùm memoratus magiſter *Richardus* Phyſicus ipſius Papæ extitiſſet, Papa moriturus contulit quod ei fuerat chariſſimũ ſibi chariſſimo, videlicet ipſam crucem magiſtro *Richardo*.

Epiſ. Lincol. *poteſtatem impetrat à Papa vicarias ordinandi.*

SUB ejuſdem autem anni circulo, Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus*, ut religioſorum proventus mutilaret, & partes vicariorum adaugeret, hujuſmodi mandatum à ſede Apoſtolica ante expectatum eſt adeptus.

INNOCENTIUS *Epiſcopus, &c. venerabili* Lincolnienſi *Epiſcopo, &c. Cùm ſicut accepimus, in tua civitate & Dioceſi nonnulli religioſi & alii collegiati eccleſias Parochiales in proprios uſus obtineant, in quib. nimis exiles aut nullæ taxatæ ſunt vicariæ, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in eiſdem eccleſiis de ipſarum proventibus vicarias inſtituas, & inſtitutas exiles adaugeas vice noſtra: prout juxta conſuetudinem patriæ ſecundùm Deum videris expedire. Non obſtantibus ſi prædicti exempti ſint, aut alias muniti Apoſtolicis privilegiis, ſive indulgentiis, per quæ id impediri vel differri poſſit: & de quibus ſpecialem oporteat in præſentibus fieri mentionem: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum* Lugduni, *ſeptimo Calend. Octob. Pontificatus noſtri anno octavo.*

EPISCOPUS

1252.

EPISCOPUS igitur memoratus(plus,ut dicitur & videtur,in odium religioſorum,quàm vicariorum dilectionem & promotionem) multis hujus auctoritate mandati religioſis damna intulit & gravamina.

Pax inter Papam & Fredericales impedita.

ANNO quoq; ſub eodem,circa feſtũ nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ*,cùm dominus Papa *Peruſii* moraretur, dictum eſt in ſecreto & ſalutari conſilio aſſertivè ab omnibus Cardinalibus & aliis amicis ſuis,quòd ſi certamen inter ipſum & *Fredericales*,quibus major pars Imperii jam favebat,maturiùs non ſedaretur,univerſalis eccleſia,imò tota *Chriſtianitas*,diſcrimini pateret & everſioni.*Conradus* enim *Frederici* filius, tum propter ſui generis preclaram excellentiam, tum propter ſuam innatam benignitatem,tum propter inſuperabilem in militia ſtrenuitatẽ, audaciam & peritiam præliandi, omnibus Magnatibus acceptus exſtitit & gratioſus. Similiter & *Henricus*, alius filius dicti *Frederici*, nepos Regis *Anglorum*, tum propter ſuam innocentiam, tum propter ſpecioſitatem, tum propter amorem Imperatricis *Iſabellæ*, ſe cunctis præbentis amabilem,omniũ Imperialium gratiam obtinere meruit,& favorem.Cogitavit igitur Dominus Papa in hoc articulo ſibi gratiam eorum conciliare, & eis per matrimonialẽ copulam conſanguinearum ſuarum confœderari,prout incœpit in aliis nobilibus,quibus neptes ſuas tradiderat maritandas. Sed hoc negocium per *Conradi* infirmitatem,qui,ut dicitur,potionatus vix reſpiravit,& per conceptã ſuper hoc Imperialium indignationem & contradictionem,fuerat impeditum. Cùm autem *Conradus* à portis mortis reverſus convaluerat, imponens Papalibus, hæc pericula ſibi præparâſſe, diffamavit dominum Papam non mediocriter, aſſerens per ipſum virus lethiferum,ſicut quondam patri ſuo facinoroſè(quòd abſit eſſe verum) fuiſſe propinatum. Unde ad nocendum domino Papæ, fortior inſurrexit: & Papam multorũ gratiam conſtat amiſiſſe. Pacis autẽ viam, quæ ſiniſtro caſu retardata eſt, *Thomas* de *Sabaudia*,domino Papæ affinis & familiaris, prudenter providerat. Facta eſt igitur pluribus locis in Imperio lethalis perturbatio,adeò quòd nec poterant *Romam* adire,qui negotia in *Romana* curia habebant expedienda, quin expoliarentur,& dilaceratis ſcriptis, in contemptum Papæ & jacturam, bullæ confringerentur. Dicebant nàmq; *Fredericales*, & præcipuè *Conradus*,quòd idem *Conradus* injuſtè à domino Papa excommunicabatur. Et ſi juſtè excommunicatus fuiſſet,ipſum Papam excommunicantem juſtiùs in ferro & flamma perſequeretur. Vacabant igitur multi rapinis, incendiis, & cædibus. Unde *Romanam* curiam adeuntes,vias maritimas,licèt diſpendioſas ſibi,ut laqueos paratos evaderent, elegerunt. Et ita Papa pater noſter, qui potius *Conſtantini*, quàm *Petri* veſtigia ſequebatur, mundo multas ærumnas ſuſcitavit.

Archiepiſc. Cantuarienſi conceditur viſitatio in pater.

MEMORATUS autem *Thomas* de *Sabaudia*, cujus nutu pro amore neptis ſuæ Papa omnia diſponebat,efficaciter procuravit,ne frater ſuus Archiepiſcopus *Cantuarienſis*,à deſiderio quod conceperat de viſitatione facienda in *Anglia*, penitus confuſus defraudaretur. Conceſſum eſt enim jam eidem Archiepiſcopo, ut viſitationem haberet, modificata tamen procuratia viſitandorum. Et ſic in curia *Romana* aſtutè procuratum eſt, ut pecuniam Archiepiſcopi lucraretur dominus Papa, & quicquid pars adverſa abradere poterat,non amitteret. Literæ authenticæ ſuper hoc in *libro* ſcribuntur *Additamentorum*.

Puer multos infirmos ſanat.

IPSO quoq; annò, erat quidam infans, qui in feſto exaltationis ſanctæ crucis bimatum in ætate expleverat,in villa *Canciæ* quæ *Eſtanes* dicitur, juxta *Dertheford*(neſcitur qua virtute) mirabilia operabatur. Pater autem pueri *Willielmus Crul* dicebatur. Mater autem *Eſtacbia*. Puer autem nomine patris *Willielmus* nuncupabatur. Hic puer facto per aliquem etiam aſſiſtentem crucis ſignaculo,& nominato infirmo,curabat omnes languentes,gravi licèt infirmitate detinerentur. Propter quã gratiã,omnes infirmi de vicinis partibus ad ipſum ob gratiam recuperandæ ſanitatis confluebant,nec à ſuo, quod mirum erat, deſiderio fruſtrabantur. Mater autem ejus requiſita,unde hoc tali infantulo, reſpondit ſe ſuper hoc adhuc gravidam fuiſſe: & etiam poſt partum ſuper hoc divinitus præmunitam. Sed quia hoc mirabile diu non perduravit, ſed diatim in effectu ſuſcepit diminutionem, letheæ traditum eſt poſt pauca temporis ſpacia tam incuriæ quàm oblivioni.

Concordia facta inter Abbatem & Conventum Weſtmonaſt.

IPSIS quoq;illius temporibus anni, videlicet circa aſſũptionem beatæ Virginis,controverſia quæ inter Abbatem *Weſtmonaſterienſem* & ejus Conventum, per plures annos durans ventilabatur,diatim aggravata, procurante efficaciter domino Rege qui ipſius Conventus & ejus eccleſiæ ſpecialis eſt amator, fœliciter eſt ſopita. Abbate tamen domini Regis indignationem in illo certamine incurrente,& deteriorem calculum reportante,& aſſignatis tribus maneriis, quæ ipſe Abbas diu ante invitis & reclamantibus Monachis detinuerat,eis deinceps aſſignatis, ut de reditibus eorum hoſpitalitas,& charitas domus *Weſtmonaſterienſis* amplietur. Sic ordinantibus & cum deliberatione providentibus, Comite *Richardo* & domino *Johanne Manſel*, quorum ſtare arbitrio compromiſſum eſt utrobique. Et cùm reſilire à compromiſſo Abbas appellando propoſuiſſet, Rex iratus valdè jurgiis & probris irrecitabilibus, ipſum indecenter laceſſivit. Nec poſteà ipſum Abbatem, qui anteà ſuus extitit conſiliarius familiaris, inſuper & dicti *Johannis Manſel* ſocius præcordialis, dominus Rex in priſtinam amicitiam, quamvis ipſum in Abbatem creaſſet,dignabatur revocare. Aſſerens,quod ſupra modum domum *Weſtmonaſterienſem* depauperavit, & Conventum oppreſſerat injuriando.

Privilegium Regis Conventui Weſtmonaſterienſi conceſſum.

REX igitur miſertus Conventus *Weſtmonaſterienſis*,qui tot gravamina & damna jã per multos annos toleraverat cõceſſit benignè eidẽ,ut vacante Abbatia *Weſtmonaſterienſi*, diſponatur

1252. liberè de poſſeſſionibus ipſum Conventum contingentibus, quas conſuevit Rex in manu ſua retinere, in magnum damnum domus & gravamen, donec Abbas ibidem ordinaretur. Et ſuper hoc, talem eiſdem Monachis chartam confecit.

Charta Regis Angliæ.

HENRICUS *Dei gratia,&c. omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint,Salutem. Cùm bona Abbatis* Weſtmonaſterienſis *& ejuſdem loci Prioris & Conventus diſcreta ſunt ab invicem, & ſeparata, volentes indemnitati & tranquillitati eorundem Prioris & Conventus providere, concedimus eis pro nobis & hæredibus noſtris, quòd quotieſcunque Abbatiam vacare contigerit per ceſſionem vel deceſſum Abbatum ſuorum, habeant ipſi Prior & Conventus liberam adminiſtrationem de bonis ſuis ſeparatis: ſalva nobis & hæredibus noſtris tempore vocationis prædictæ domus cuſtodia de bonis ad prædictos Abbates pertinentibus. In cujus rei teſtimonium, &c. Teſte meipſo, apud ſanctum Edmundum, anno Regni mei trigeſimo ſexto.* Hæc autem acta ſunt apud ſanctum *Edmundum*, ubi dominus Rex, ad magnum domus illius incommodum, ferè tribus ſeptimanis morabatur infirmatus.

Regis furor in Abbatem Weſtmonaſterienſem.

DOMINUS autem Rex timens ne Abbas *Weſtmonaſterienſis* Curiam *Romanam*, quam jam bene noverat, ut domini Papæ Capellanus, contra ipſum, maximè quia idem Abbas appellaverat, exaſperaret, & domum *Weſtmonaſterienſem* irremediabiliter debitis obligaret, congeſſit in ipſum probra iterum & maledicta in ira magna, quæ conſtat fuiſſe nulla ſubnixa veritate, ſed ipſa ſolummodò iracundia ebullire. Fecit inſuper dominus Rex per totam *Londinenſem* civitatem voce præconia acclamari, ne quis Abbati *Weſtmonaſterienſi* quomodolibet pecuniam accommodaret, nec ſcripto vel ſigillo ejuſdem fidem aliquatenus adhiberet. Quod in magnum opprobrium Abbatis videbatur redundare.

HUJUS autem rei auditores univerſi ſupra modum admirantur, quòd de Regi amiciſſimo, factus eſt Abbas reprobus & alienus. Prout Poëta introducit amicam de amico conquerente dicere:

Alter in alterius jactantes lumina vultus,
Quærebant taciti, noſter ubi eſſet amor.

Rumores de ſtatu Terræ ſanctæ.

CIRCA idem tempus, nunciati ſunt rumores certi de ſtatu *Terræ ſanctæ* per talem literam, cuidam fratri de ordine *Prædicatorum* (fratri videlicet *Waltero* de *ſancto Martino*) directam: qui quandoque in *Terra ſancta* nominis fuit celeberrimi. *Venerabili & dilecto ſibi in Chriſto fratri* Waltero *de* ſancto Martino, *frater* Joſeph *de* Cancy, *ſanctæ domus Hoſpitalis Hieroſolymitani humilis in* Acon *Theſaurarius, ſalutem.*

RESPICE in *libro Additamentorum.* Hujus autem epiſtolæ ſumma talis eſt: "Treugæ po-"ſtulatæ à *Babyloniis*, quos *Soldanus Halapiæ* arctabat, à Rege *Francorum* finem proſperum ac "formam adhuc ſortiri non poteſt. *Babylonii* enim eas impediverunt. Item, tota patria *An-*"*tiochiæ* à *Turcomannis* jam vaſtata, cives ipſius civitatis multi fugiunt præ timore. Unde in-"fideles multos de ſuis per partes *Chriſtianis* ſubjectas pro libitu omnia incendiis & cædibus "feraliter devaſtant, & recurſum habent ad quendam locum, qui *Cæſarea* magna dicitur. Et hæc omnia procuravit *Soldanus* de *Halapia.* Hi autem rumores in Autumno, in ciſmontanis partibus divulgabantur.

Rumores lætiores de eadem Terra ſancta.

ANNO quoq; ſub eodem, Monachi *Ciſtercienſis* ordinis à ſuo generali capitulo redeuntes, rumores diſperſerunt alacriores, certificati per Cardinalem *Johannem Anglicum*, quem *Album* dicunt vulgariter Cardinalem, eò quòd ſit Monachus ordinis *Ciſtercienſis.* Qui per quendam Abbatem ejuſdem ordinis, literas Capitulo tranſmiſit hunc tenorem continentes. "Cùm *Sol-*"*danorum Babyloniæ* & *Halapenſium* diatim creſcerent ſimultates & inimicitiæ, miſerunt hi qui "*Babylonenſium* ſummi & præcipui videbantur, ad ipſum qui vel *Babyloniæ Soldanus* fuerat, vel "loco & auctoritate ejuſdem *Soldani Babyloniæ* tunc temporis conſtitutus erat, mandatum ur-"gens & feſtinum valde, aſſerentes, quòd oportuit omnino de neceſſitate componere, & pacē, "aut treugas facere, cum domino Rege *Francorum.* Exercitus enim ejus jam crevit in immen-"ſum, & quaſi torrens in convallibus de nivibus reſolutis, diatim ſuſcipit incrementum. Sin "autem hoc non fecerit, à *Soldano Halapiæ* hinc, & à *Chriſtianis* illinc, irremediabiliter op-"pugnemur & opprimabimur.

ELABORATUM eſt igitur de communi aſſenſu, quòd forma treugarum quindecim annorum ſatis tolerabilis utrique partium eſt proviſa, ut videlicet dominus Rex *Francorum* amicus fieret *Soldani Babyloniæ*, & adjutor & conſolator in tribulationibus, & præcipuè contra *Soldanum Halapiæ*, qui eum nitebatur æxterminare, ſalvo in omnibus cultu domino Regi, & ſuis ſubditis, *Chriſtiano*. Dimidiabunt inſuper de terris, caſtris, & civitatibus, pecunia & captis hominibus, & prædis & manubiis, & omnibus adquiſitis, dominus Rex & *Soldanus* memoratus, quæcunque poterunt Marte propitio ſuper *Soldanum Halapiæ*, et alios ſibi adverſantes & inimicos adiſpici. Inſuper quicquid ſolvendum eſt de liberatione & redemptiōe ſua, benignè & liberaliter remittetur ei.

ERAT autem ſumma ſuæ redemptionis ineſtimabilis, imò in decuplo plus quàm credebatur. Celebatur namque, ne ſolutio deſperaretur. Item, quicquid habebat idem *Soldanus Babyloniæ* in ſua poteſtate *Terræ ſanctæ*, Regi *Francorum*, cum *Chriſtianis* Sclavis (ſic namque vocantur captivi) reſtitueretur.

CUM

Multorum dubitatio de forma treugarum.

CUM autem hæc forma proponeretur treugarum vel pacis, fuerunt nonnulli qui ſuper his 1252 hæſitantes, indignationem in animo, ſtimulante Diabolo, conceperunt, dicentes. Non placeat Altiſſimo, ut dominus Rex *Francorum*, Regum terrenorum altiſſimus ac digniſſimus, ac cœleſti chriſmate delibutus, ſucceſſorque *Caroli* invictiſſimi homini canino, imò cani in humano, militaret, factus ejus ſtipendiarius. Sed hæc verborum deliramenta, *Francis* innata gargarando ſuperbia & jactantia, reboavit.

Rex Francorum treugis oblatis conſentit.

REX autē perpendens, quòd etiam Fratres ejus ſuperſtites eum dereliquiſſent, nec latuit eū quòd ſuorum *Francorum* eum ſpreverat nobilitas, humiliatus eſt; & treugis poſtulatis & formæ earum oblatæ conſenſum attribuit. Remiſſa igitur ira omnimoda, reſtitutæ ſunt benignè Domino Regi *Francorū* omnes terræ Regni *Hieroſolymitani*, cum omnibus *Chriſtianis* captivis, quos vulgaritèr Eſclavos appellamus, citra flumen *Jordanis*; quæ dico terræ ditioni ſubjacent *Babyloniorum*. Initum eſt inſuper decretum inviolabile, quod hi ambo unanimi ac fideli conſenſu eorum, publicū inimicum *Soldanum Halapiæ* uſque ad exterminium, ferro & flamma inexorabiliter perſequerentur, parta fideliter dimidiaturi. Unus igitur iſtorum, videlicet Rex *Francorum* ex una parte: alius quoque ex alia parte, ſcilicet *Soldanus Babyloniæ*, in ipſum *Soldanum Halapiæ* hoſtiliter inſurgunt: ita ut ipſis hinc inde impugnantibus, minimè poterat Halapenſes reſiſtere. Rex autem *Cypri*, qui jam venerat Regi *Francorum* in ſubſidium opportunū collaturus, & alii quamplures, exercitum *Francorum* inæſtimabiliter augmentârunt & alacriter roborârunt. Et proſperatum eſt opus Martium in manibus Regis humiliati, Deo propitio, qui *ſuperbis reſiſtens, gratiam tribuit humiliatis.* Partem autem alicujus certitudinis, & ſi non plenæ, ab iſtarum literarum brevitate prælibavimus.

Litera de treugis prædictis.

REVERENDO *in* Chriſto *Patri & Domino* R. *Dei gratia* Ciceſtrenſi *Epiſcopo*, Guilielmus *ejuſdem miſeratione* Aurelianenſis *miniſter indignus*, *ſalutem & cum omni reverentia & honore tanquā Domino ac patri paratam ac beneplacita voluntatem Paternitati veſtræ, rumores ſub brevitate ſcribimus de partibus tranſmarinis; qui tales ſunt. Dominus ac excellentiſſimus Rex* Francorū, *iniit treugas uſque ad quindecim annos cum infidelibus* Saracenis. *Et terra totius Regni* Hieroſolymitani, *cū omnibus captivis* Chriſtianis, *qui Eſclavi vulgariter appellantur, citra flumen* Jordanis, *eſt reddita eidem: & reſiduum de ſumma pecuniæ, quam pro ſua captione* Saracenis *debebat, ei ſimiliter eſt remiſſum; cujus ſumma fuit quinquaginta millia marcarum argenti.*

Colloquium Regis Francorum & Soldani.

UNA quoq; dierum, poſt prædictarum treugarum confirmationem, dum diu præoptato colloquio dominus Rex *Francorum* & *Soldanus Babyloniæ* fruerentur, & per fidelem quendam interpretem voluntates mutuæ notificarentur, ait *Soldanus* facie ſerena & alacri: "Quomodo te "habes, domine Rex? Cui Rex triſti & demiſſo vultu reſpondit: Utcunque. At Soldanus: Quare non reſpondes, Bene? Quæ cauſa triſtitiæ? Cui Rex: Non enim lucratus ſum, quod maximè deſidero, & propter quod reliqui dulce Regnum *Franciæ*, ſed & prædulcem matrem meam poſt me clamantem, & meipſum periculis maris & Martis expoſui. Et Soldanus admirans, "quid hoc eſſet illi tam deſiderabile, ait: Et quid eſt, ô domine Rex, quod tantoperè deſideras? "Ait Rex: Animam tuam, quam Diabolus ſibi vendicat in Barathrum detrudendam. Sed "nunquam *Jeſu Chriſto* propitio, qui omnes animas vult ſalvas fieri, hoc eveniet, ut Satan tanta "præda glorietur. Et addidit: Novit qui nihil ignorat, Altiſſimus, ſi totus iſte mundus viſibilis meus eſſet, totum darem pro lucro animarum. Cui *Soldanus*: Fuitne hæc intentio tua, "bone Rex, tuæ tantæ peregrinationis? Credebamus nos omnes Orientales, quòd pro terrarum noſtrarum aviditate, & non animarum ſalute, ad hanc dominationem tam ſitienter anhelâſtis vos omnes *Chriſtiani*, de nobis triumphantes. Cui Rex: Omnipotentem teſtem invoco, nunquam ad Regnum meum *Franciæ* curo remeare, dummodò tuam & aliorum infidelium animas Deo lucrifaciam glorificandas. Quod cùm audiſſet *Soldanus*, reſpondit: "Speramus ſic per inſtituta benigniſſimi *Machometi* pergere, ut ad ſummas in futuro delicias "pertingamus. Cui piiſſimus Rex reſpondit: Hoc eſt quod non poſſum ſatis admirari, vos viros diſcretos & circumſpectos, illi illecebroſo *Machometo* fidem adhibere, qui tot & tam præcipit & permittit inhoneſta. Aſpexi enim & inſpexi ſuum ſpurciſſimum & impurum *Alchoranum*, cùm ſecundùm omnes antiquos ſapientes, etiam Ethnicos, honeſtas ſit ſummum "bonum in hac vita.

HIS igitur auditis, aduberes lachrymæ pubeſcentem *Soldani* barbam irrorabant, nec ampliùs reſpondit ad objecta. Singultus enim cum alto gemitu ſermonem prorumpebant. Sed nec unquam poſt hanc confabulationem ſalutiferam, tam pronus ut antè extitit vel devotus *Machometicæ* religioni, vel potiùs ſuperſtitioni. Colligitur igitur ex dictis & factis prælibatis, quod ſpe nacta meliori, idem *Soldanus* ad *Chriſtianam* religionem & fidem convertetur. Rex autem *Francorum* ſe aſſeruit nunquam in *Franciam* reverſurum, ſed omnibus vitæ ſuæ diebus Deo in *Terra ſancta* pro animarum infidelium lucro militaturum: relinquens regni ſui cuſtodiam *Francorum* ſtrenuitati, & tutelæ matris ſuæ, contra omnium impetus conterminorum. Sed hoc divinæ relinquimus ordinationi.

Mors Andefulſi Regis Hiſp.

SED ne proſpera in hoc ſæculo adverſitatibus impermixta proveniant, dominus rex *Francorum* audito rumore, quod illuſtris rex *Caſtellæ Andefulſus*, qui dicitur propter ſui eminentiam, rex *Hiſpaniæ* totius; poſt præclara geſta ſua, & ſuper infideles *Hiſpaniæ* conquiſitiones maximas, quæ diffuſos & ſpeciales tractatus exigerent, viā univerſæ carnis eſt ingreſſus, perturbatur vehementer.

1252. vehementer. Promiſerat enim eidem ſubſidium conferre efficax & feſtinum. *Blanchia* enim multiplicatis precibus,mũeribus,& promiſſis,quæ cognata ipſius exſtitit,hoc procuraverat. Reliquit autem poſt ſe prolem nobiliſſimam,Milites præclaros & elegantes; qui *Saracenis* protervientibus, opponent potenter contradictionis repagula. Inſuper conceſſit Dominus, in illius mitigationem doloris, regi *Francorum* prolem de uxore ſua regina inclytam in *Terra ſancta*; unum videlicet filium, & filiam deſideratam.

Andefulſus frater Regis Francorum irremediabiliter infirmatur. Dolor Blanchiæ Reginæ Francorum.

ANDEFULSUS autem frater regis *Francorum*, & Comes *Pictaviæ*, paralyſi percuſſus, in dolorem tam fratris regis, quàm matris, irremediabiliter infirmatus, mortis diſpendia protelavit. Fortè ultione divina ſauciatus: fratri enim ſuo regi in arcto conſtituto, prout promiſerat, præſtito cum fide juramento, noluit ſubvenire.

HÆC autem audiens dominarum excellentiſſima Francorum regina domina *Blanchia*, videlicet quod filiorum ſuorũm chariſſimus & primogenitus, dominus Rex *Francorum Ludovicus*, moram in *Sancta terra* voverat quoad viveret. Recolénſque quàm turpiter obierat *Robertus* Comes *Atrebatenſis*, alius ejus filius; et perpendens, quod tertius ejus filius *Andefulſus*, Comes videlicet *Pictaviæ*, incurabiliter ægrotaret; non valens materna viſcera claudere, ingemuit quaſi alto vulnere ſauciata. Et ex eo tempore tabuit, tanquam chariſſimis orbata pignoribus. Et dolore præventa, ſuæ mortis tempora miſerabiliter anticipando, poſteà nec potuit exhilarari, nec conſolationem accipere reſpirandi.

Willielmus de S. Ædmundo tranſalpinat.

HOC quoque anno, pro negotio ingruente de Eccleſia *Sancti Michaelis* de *Kingeſbrum*, miſſi ſunt ad Curiam *Romanam*, quæ tunc temporis fuit *Peruſii*, dominus *Willielmus* Monachus de *Sancto Ædmundo*, & *Willielmus* de *Sancto Ædwardo*: Sed miſſo domum Clerico, Monachus quò devenerat, non poterat inquiri, etiam cùm diligenter à Procuratore *Sancti Albani* per omnes terras inveſtigaretur. Tandem domum trepidus veniens, facto utcunque negotio, cùm per annum & ampliùs peregrinâſſet, infirmus rediit; domo *Sancti Albani* trecentis marcis obligata. Et clam intrans infirmariam, cùm ibi per aliquot dies commoraretur; contra conſuetudinem & ordinem *Sancti Albani*, transfretavit, adiens Sanctum *Ogidium*. Literæ procuratoriæ ipſius, in *libro Additamentorum* inſeruntur.

Rex Angl. Comitem Simonem in Gaſconiam mittit.

TEMPORE quoque ſub eodem, dominus Rex *Anglorum*, formam induens Regis *David*, mittentis *Uriam* in belli pericula, ut reformator pacis videretur, qui pacis fuerat perturbator, dixit Comiti *Legreceſtriæ Simoni*: "Redi in *Gaſconiam*, ut qui belli ſuſcitator es, & amator, "bellorum ſatis ibi invenias: condigna inde præmia, ſicut pater tuus olim fecit, inde repor-"tando. In quo verbo aculeato, dominus rex *Gaſconenſium*, qui præſentes fuerant, gratiam meruit & favorem. Comes autem alacriter & imperterritus, illicò domino regi reſpondit; "Et ego eò libenter ibo. Nec, ut credo, inde revertar, donec tibi, licèt ingrato, rebelles tuos ſubju-"gando, ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Et illicò Comes *Simon* recedens ab "*Anglia*, partes quas bene noverat, petiit *Gallicanas*. Ubi ſtatim de ſtipendiariis, ope cognatorũ ſuorũ & amicorũ, exercitũ conflavit fortem nimis & numeroſum; promittens eis, ut de adquirendis manubiis & ſpoliis ſibi condigna præmia præpararent & adquirerent. Ipſi autem milites ſanguiſugis avidiores, veſtigia Comitis alacriter & imperterriti ſequebantur. Ardens enim erat Comes prædictus, & totus accenſus, ad ſuæ ultionem diffamationis. Rex autem *Anglorum*, diſſimulans, vel ſcire nolens, quod quandoque *Gaſconiam* Comiti *Richardo* fratri ſuo bis dederat & inchartaverat, conferendi ipſam *Gaſconiam* filio ſuo primogenito propoſitum jam habuit & conſilium, & maximè inſtinctu & ſuaſu Reginæ uxoris ſuæ camerali. Quod cùm memoratus Comes *Richardus* cognoviſſet, iratus valde & indignatus, in continenti tam mente quam corpore à curia Regis receſſit, deteſtans ex animo ceream curiæ flexibilitatem.

Confertur Gaſconia Edwardo Regis Angliæ filio primogenito.

CONGREGARI igitur præcepit dominus Rex *Anglorũ* confeſtim omnes *Gaſconienſes*, qui adhuc *Londini* cõmorabantur, de præcepto domini Regis, tam Archiepiſcopum *Burdegalenſem*, quàm alios, qui cum ipſo venerant, declarans eis omnibus donũ ſuũ, & in propatulo conteſtando manifeſtans, quoniã *Caſconiam* contulit *Edwardo* filio ſuo primogenito: aſſerens, quòd Comes *Richardus* frater ejus, *Gaſconiam* non curavit habere, imò nec unquam videre. Satis enim vexaverunt eum procellæ marinæ, & ejus crumenas *Gaſconia* frequenter evacuavit. Quod valde acceptabant *Gaſconienſes*. Et confeſtim fecerunt ei omnes ibi præſentes, homagium & fidelitatis juramentũ. Et largitus eſt eis *Edwardus* nobilia & precioſa donativa, in auro, & argento, monilibus, zonis, & holoſericis, & promiſit ampliora. DominusRex tamen ſibi retinuit principale dominũ, ſcilicet ligantiam: Et coepulati ſunt ſplendidè, & in maxima exultatione. Et non defuerunt inter prandendum minæ ampulloſæ, quemadmodum Comes *Simon*, qui fiduciam conceperat, quòd influeret totus *Jordanis* in os ejus, vel in fruſta detruncaretur, vel exul & extorris exterminaretur. Et ſic navem aſcendentes, velis ſinuoſis repatriare *Gaſconienſes* maturârunt. Sed antequã de labore marini itineris, poſtquam in patriam applicuerunt, aliquatenus valuerunt reſpirare, aut quæ in *Anglia* peracta fuerant, publicare, invenerunt ſæpe dictum Comitem *Simonem* copioſo milite contra eos roboratum, inſtructũ, & bene munitum. Convocatis tamen multis de inimicis Comitis, & eis probè animatis, quoniam novum dominũ habebant, qui paratus erat Comitis *Simonis* cornua retundere & comminuere, exercitũ magnum & fortem conflârunt, qui indubitanter credebatur Comitẽ prædictũ poſſe conterere, ipſũ impetunt &

hoſtiliter

1252.

hoſtiliter invadunt. Et inſidias, quas Comes *Simon* in quodam diverticulo abſconderat, ut ipſos *Gaſconienſes* incautos præoccuparet, ipſi muniti inveniunt. Et Militem quendam ſtrenuiſſimum, cujus cuſtodiæ Comes memoratus ipſos deputaverat, poſt cruenta certamina capiunt, & vinculis mancipatum, reliquis diſſipatis, abducunt, cum lætitia de ipſis triumphantes.

Cruentum prælium inter Gaſconienſes & Comitem Simonem.

COMES autem non procul inde exiſtens, ſed expectans ut ipſos ſuos hoſtes in ore gladii alacriter exciperet, ſperanſque, prout condictum in arcano fuerat, ut ipſi quos in abſcondito poſuerat, irruerent in hoſtes ex parte adverſa, ſpeculabatur ſi fortè aliqua ſigna initi certaminis videret: ecce quidam de prælio fugitivus, ut quæ acta fuerant domino ſuo nunciaret, raptus equo velociſſimo, pervenit ad ipſum, ſaucius, cruentatus, & dilaceratus, anhelo ſpiritu enarrans quæ acciderant. Addiditque, quòd abductus jam fuiſſet Miles ille Comiti chariſſimus, cuſtos & dux eorundem. Quod cùm Comes audiſſet, quaſi à gravi ſomno excitatus & attonitus, ait: Nunc nimis moramur. Diſtant ne multum hoſtes à nobis? Imò propè imminent, inſtantque, ut confeſtim tibi hoſtiliter occurrant pugnaturi. Gratulantur quoque, & extolluntur, quia ſibi Martem propitiū nobis invenerunt diſſipatis. Et vix ille hæc verba compleverat, Comes ad liberatione̅ ſupradicti Militis avidus, vix ſuam expectans militiā, rapido velociùs turbine, ipſo relatore duce, avolans, equinis minimè pepercit lateribus. Et quantocyùs ad hoſtes perveniens, fulminantem gladium multorum cruore inebriavit. Et captivos liberans potenter, eorum vincula præcidit, & dilaniavit. Qui ex liberatione facti alacriores, in hoſtes irruunt furioſè. Et factum eſt certamen anceps & cruentum. *Gaſconenſes* autem de ſua multitudine confidentes, irruunt unanimiter in Comite̅, quem præ omnibus capere, vel interimere geſtiunt ſitienter. Et verſum eſt pondus belli in ipſum. Et cùm glomeratim ſe truculenter in ipſum ingeſſiſſent, pulſus ab equo jam de vita periclitabatur, cùm ecce ipſe Miles, paulò antè liberatus, ipſum intuitus ait: O Comes ſtrenuiſſime: juſtum eſt, ut meum liberē liberatorē. Et denſā hoſtium aciem rapido impetu penetrans, ipſumque Comitem in equum erigens, nonnullos obſtantium inſanabiliter ſauciavit, vel proſtravit conculcandos. Et cùm prælium per ferè dimidium diei perduraſſet, diſſipati ſunt *Gaſconenſes*, victi, & vinculis mancipati. Capti ſunt igitur in illo certamine quinque ex eminentioribus *Gaſconiæ*. Etiam ibi captus fuit *Ruſtenus*, & Regi præſentatus. Et triumphavit in illo die Comes glorioſè, nunquam tantum evadens periculum. Nec ſunt auſi ampliùs inimici ejus, contra ipſum obgrunnire.

Anglia miſerabiliter ab alienigenis conculcatur.

SUB eorundem dierum curriculis, Satanæ verſutia multiformis communiter populum *Angliæ*, Barones, Milites, Cives, Mercatores, & Colonos, maximè tamen religioſos, hac afflixit peſtilentia, quòd qui inter alienigenas videbantur excellentiores, inferiores tot exagitaverunt angariis, rapinis & injuriis vexaverunt, quòd inter omnes populi *Anglici* ultimæ viderentur cōditionis. Hinc Mercatorū equi, hinc bigæ, hinc eorū ſubſtantiolæ violenter rapiebantur: nec aliud precium, quàm talliæ, vel ſubſannationes pro ipſis relinquebant. Quod videntes aliqui de *Anglorū* etiā clarioribus, quos pudet nominare, ſuperbè nimis jurando, dixerunt: "Multi ſunt jam Regis in *Anglia* & Tyranni, & regnare decet cum aliis, & tyranniſſare. Et ſic facti ſunt aliis deteriores. Et ſiquis cui enormiter injuriatum eſſet, & querimoniam ſuam coram *Pictavenſibus*, quos multæ divitiæ & poſſeſſiones faciunt inſanire, reponeret, poſtulans ſibi ſecundùm legem terræ juſtitiam exhiberi, tum idem reſponderunt: "Nihil curamus de lege Regni, "Quid ad nos de aſſiſis, vel Regni hujus cōſuetudinibus? Et ſic indigenæ, maximè tame̅ religioſi, in conſpectu alienigenarū ſorduerunt, quorum veſtigia non erubeſcunt aliqui jam *Anglorum* conſectari. Dum igitur ſuper hac lugubri materia, cùm coëpularentur, frater *Matthias Pariſienſis*, hujus ſcriptor libelli, & dominus *Rogerus* de *Thurkeby*, Miles & literatus, ad communem paropſidem commenſales, contractarent; & frater *Matthias* oppreſſiones memoratas recitaret, reſpondit & dixit ſeriò Miles memoratus: "Venit hora, ô Religioſi, & nunc eſt, ut omnis "qui opprimit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Injurioſam nempè oppreſſionem "& angariam, non multùm ab interemptione arbitror diſcrepare. Quod cùm dictus *Matthias* audiſſet, ad memoriam reduxit illud: quòd in noviſſimis diebus erunt homines ſeſe amantes, non reſpectum habentes ad commoda proximorum.

Calor & ariditas æſtivalis.

ANNI quoque ſub ejuſdem volumine, menſibus Aprilis, Maii, Junii, Julii, æſtus & ariditas ingruere cœpit intolerabilis, ſine pluviarum aſperſione, vel roris beneficio, continuata. Unde arborum flores, qui fructus aduberes pollicebantur, caduci infatuabantur: prata gramine ſpoliabantur, folia plantarum emarcuerunt, paſcua pecudibus manibus pabulum denegarunt. Terra hiantibus rimis indurata, ſegetibus alimenta pro humoris carentia miniſtrare nequivit. Strdiebant muſcæ volitantes, volucres pendulis alis & roſtris patentibus, cantus ſuos cum plauſibus ſuſpenderunt. Unde æſtus, caumata, & ſudores, infirmitates chronicas, & anhelas, febres, in Autumni declinatione humanis corporibus promiſerunt.

Literæ Papales relaxativæ.

TEMPORE quoque ſub eodem, conceſſit dominus Papa his qui dignitatibus gaudebant, & ſupra modum, in partibus maximè *Tranſalpinis* opprimebantur: "ut ritè de ipſis digni- "tatibus, ipſi, ad quos pertinebat electio, Deum habentes præ oculis, ordinarent. Literæ autem ſuper hoc in *libro Additamentorum* annotantur.

Haſtiludiū Tabula rotunda nuncupatū, apud Abbatiā de Walenden celebratum.

ANNO quoq; ſub eodem, Milites ut exercitio militari peritiā ſuam & ſtrenuitatem experirentur, conſtituerunt unanimiter, non ut in haſtiludio illo quod communiter & vulgariter Torneamentū dicitur, ſed potiùs in illo ludo militari, qui Menſa rotunda dicitur, vires ſuas attemptarent.

1252. attemptarent. Congregati ſunt igitur in multitudine gravi et copioſa valde, tam Norenſes, quàm Auſtrales,nonnulli de partibus tranſmarinis,juxta Abbatiā de *Waledene*, in octavis nativitatis beatæ Virginis. Et ſecundùm quod conſtitutum eſt in illo ludo Martio, illa die & in craſtino,quidam Milites *Anglici* ſtrenuè nimis & viriliter & delectabiliter,ita ut omnes alienigenæ ibidem præſentes admirarentur,jocabantur.Quarto verò die ſequenti,duo Milites electiſſimi & ſtrenuiſſimi, *Hernaldus* videlicet de *Munteinni*, & *Rogerus* de *Lemburne*,dum equeſtri more omnibus armis redimiti,dextrarios inſidentes præelectos & ſpecioſos,ſeſe obviam mutuò cùm lanceis impeterent, *Rogerus* ſuam aptans lanceam, cujus mucro, prout deberet, non erat hebetatus,ſub galea *Hernaldi*,guttur ejus cum trachea præcidit & arteriis. Erat enim ea parte diſcoopertus, ea carens collario. Lethaliter igitur vulneratum, ab equo in terram dans præcipitem, doluit valde *Rogerus*, prout dicebatur. Saucius autem confeſtim exſpiravit. Et quia interfectus in armis ſtrenuiſſimus, ſibi comparem vel ſecundum in *Anglia* non reliquit, factus eſt inter Milites ibidem congregatos,planctus & ululatus incomparabilis. Et ſic qui cum gaudio advenerant,cum triſtitia et lamentatione ſubitò ſunt diviſi. Corpus autem in Abbatia vicina, ſcilicet de *Waledene*, cum multo lachrymarum profluvio,honorificè nimis eſt tumulatum,dum adhuc Nobiles receſſuri præſentes exſtiterunt.Nullus autē Militū tantū planxit mortem defuncti, ſicut auctor ipſius mortis, videlicet *Rogerus* memoratus,qui confeſtim pro liberatione animæ ejus,cruce ſe ſignavit peregrinaturus. Cùm igitur conſtitiſſet ipſum ignarū & invitum,*Hernaldum* de *Munteinny* prædictum lethaliter vulneràſſe, non eſt de funere accuſatus vel redargutus. Exſtiterant autem in illa militari congregatione,multi *Angliæ* Nobiles,videlicet Comes *Glovernia*: qui ilicò percuſſo dicto Milite *Hernaldo* fragmentum lanceæ de gutture ſaucii extrahere nitebatur,& ligno potenter eruto,ferrum remanſit in vulnere: quod tamen exciſum,cùm à Militibus circumſtantibus conſideraretur, inventum eſt in mucrone acutiſſimum,inſtar pugionis,cultellinam habens latitudinem,quod eſſe debuit,& decuit fuiſſe hebes,& brevem formam habens vomeris,unde vulgariter vomerulus appellatur,Gallicè Soket. Per quod argumentum prædictus *Rogerus* de *Lemburne*,licèt ſe inſontem prætendiſſet, factus eſt ſuſpectus, & quòd proditioſè facinus perpetraſſet acriter reprehenſus: maximè cùm dictus Hernaldus in alio haſtiludio crus hujus *Rogeri* de *Lemburne* confregiſſet, Sed hæc noverat Deus ſolus cordium perſcrutator.

Laudis amatores, mundanos propter honores,
Sic proſternuntur, ſic proſtrati moriuntur.

Rex Angl. *ad* S.Albanum *venit, ibique multa dona offert.*

ANNI quoque ſub ejuſdem circulo, vigilia ſcilicet beati *Bartholomæi*, venit dominus Rex *Anglorum* ad *ſanctum Albanum.* Et ilico devotè accedens ad majus altare, cùm oràſſet, ut de more conſuevit, obtulit Martyri unam pallam ſpecioſam & precioſam, & duo monilia, & duos annulos aureos, & duodecim talenta. Et aſſignavit ea ſpecialiter ad ornatum feretri. Eademque die, *Edwardus* filius ejus primogenitus,obtulit eidem altari unam pallam. Et altari ſancti *Amphibali* aliam, & duo monilia. Quæ omnia præcepit dominus Rex in craſtino vendi, ſimiliter & alia precioſa donativa, & eorum precio prædictum feretrum cooperiri. Dominus autem Rex ibidem moram quinque diebus continuavit, ſicut pridem fecerat ad Paſcha,anno proximo poſt obſidionem *Bedefordiæ*.

Obitus Willielmi *de* Haverhulle.

DIE verò eadem, qua dominus Rex venerat ad *ſanctum Albanum*,ut prædictum eſt,ſcilicet vigilia ſancti *Bartholamæi*, obiit *Londini Willielmus* de *Haverhulle*, Sancti *Pauli* Canonicus,& domini Regis Theſaurarius: qui multos ætatis ſuæ annos, in ejuſdem Regis diligenti famulatu conſumpſerat. Et cùm crederetur quòd dominus Rex *Johannem Franciſcum* officio *Willielmi* ſubrogaret, fabricatis rumoribus quòd idem *Johannes* in partibus remotis *Angliæ* Borealibus, ut contra quoſdā Religioſos placitaverat,obiiſſet,conſtituit dominus Rex *Philippum Luvel*, clericum,virum prudentem, facundum, & generoſum,in loco memorati *Willielmi*,ſuum Theſaurarium. Quod factum eſt apud *ſanctum Albanum*, procurante,ut dicitur,*Johanne Manſel*, amico *Philippi* ſpeciali.

Epitaphium *Willielmi Haverhulle.*
Hic Willielme *jaces Protothesſaurarie Regis,*
Hinc Haverhulle *gemis, non paritura talem.*
Fercula culta dabas, empyrea vina pluebas,
Amodò ſit Chriſtus cibus & eſca tibi.

Peſtifera pecudum mortalitas.

EJUSDEMQUE anni curriculo, poſt multa Æſtatis caumata, tempore adveniente Autumnali, facta eſt tanta peſtifera armentorum mortalitas pluribus in *Anglia*, præcipuè autem in *Northfolc*,& in *Mariſco*,& partibus Auſtralibus,quantam nullus ſe meminit prævidiſſe. In qua peſte hoc evenit mirabile,de quòd pecorū mortuorum cadaveribus etiam canes & corvi qui veſcebantur,ilicò intumuerunt,& infecti obierunt. Unde nullus erat hominū, carnes boum comedere auderet, ne fortè ipſæ eſſent de morticinis memoratis. Aliud quoq; ſtupendū in armentis videbatur, quòd vaccæ & juvenci adulti,ubera majorū vaccarū ſugentes,ut vituli,

trahebant.

1252.

trahebant. Aliud quoque tunc temporis mirabile videbatur, videlicet quòd quando ſolita erat natura pyra vel poma geſtando producere, velut eſſet in Aprili, florere videbantur. Mortalitas autem prætaxata, & florum novitas, cum pecorum innaturali laſcivia, à prædicto caumate & ariditate cauſam ceperunt primitivam. Gramen enim, quod & mirum fuit, etiam pratorum, adeo marcidum, aridum, & durum, menſibus Maio, Junio, & Julio inveniebatur, quod ſi manibus confricaretur, in pulverem cecidit reſolutum. Cum igitur tempus Æquinoctiale pluviam & temperiem arenti terræ præſentaret abundanter, facta eſt propter pororum apertionem, terra ſui prodiga beneficii, unde herbam protulit fertilem, ſed degenerem & innaturalem. Quam aridè carpentes famelici pecudes & inanes, & ſic repentina pinguedine dilatati, inutiles carnes & inordinatos humores produxerunt. Et ſic innaturaliter laſcivientes deſipiebant; & ſubitò corrupti & infecti, mortui corruerunt, & etiam alios propter vehementiam corruptelæ, ſui contagio corruperunt. De arboribus ſiquidem intempeſtivè florentibus, poteſt cauſa ſimilis aſſignari.

ANNO quoq; ſub eodē decimo quinto Calend. Octobris, die videlicet ſancti *Lamberti*, dedicata eſt magnificè ac ſolenniter nimis, nobilis eccleſia Cathedralis *Elyenſis*. Cujus Presbyterium, præterque hoc turrim excellentiſſimam, opere admirabili ac ſumptuoſo nimis, *Hugo* ejuſdem loci Epiſcopus, omnis honoris & honeſtatis amator magnificus, propriis ſumptibus uſque ad perfectam conſummationem conſtruxerat. Idem quoque Epiſcopus, Regale palatium cum thalamis & aliis ædificiis ad idem pertinentibus, in curia ſua *Elyenſi* glorioſè ædificaverat, in quo feſtivè coëpulabantur & lautè qui ſolennitati dedicationis ejuſdem intererant, ſicut dicetur in ſequentibus. Officio igitur intererant dedicationis, ipſe *Elyenſis* Epiſcopus, quod diu antè ſitienter deſideraverat: item *Norwicenſis & Landavenſis* Epiſcopi. Affueruntq; eidem ſolennitati, dominus Rex, & multi Magnates Regni, Prælati quoque, & clerici innumerabiles. Et conceſſa eſt multa dierum indulgentia, cunctis qui ad illam ſolennitatem convenerant, & fuerant in poſterum conventuri. Et poſt feſta ſpiritualia glorioſè celebrata, ad corporalia conſequenter diverterunt. Et repleta ſunt tam ipſorum Monachorum, quàm Epiſcopi, vel in ipſo municipio converſantium ædificia convivantibus. Et adhuc doluit Epiſcopus de paucitate congregatorum, affirmans convivium citra propoſitum ſuum, pro magna parte mutilatum. Gratulabatur igitur in ſpiritu maximæ exultationis, quòd Deo propitio diem illum meruit expectaſſe, qua omnia quæ in ſuo longo propoſito præconceperat, & concepta præordinaverat, viderat jam fœliciter conſummata. Ut ipſe beatus ſenex cum ſene, Epiſcopus cum *Symeone* exultans in jubilo diceret: *Nunc dimittis ſervum tuum, &c.*

Dedicatio eccleſiæ Elyen.

EODEMQUE anno, ſexto Nonas Octobris, obiit nobilis ac generoſa domina *Margareta*, Comitiſſa de *Inſula*, cognomento de *Ripariis*, quondam uxor *Falcaſii* cruentiſſimi proditoris. Copulabatur tamen eidem ignobili nobilis, pia impio, turpi ſpecioſa, invita & coacta, tradente eam *Johanne* tyranno, qui nullū genus abhorruit facinoris perpetrandi. De qua copula quidā ait ſatis eleganter:

Mors Margaretæ Comitiſſæ de Inſula ſenior.

Lex connectit eos, amor & concordia lecti.
Sed lex qualis? amor qualis? concordia qualis?
Lex exlex, amor exoſus, concordia diſcors.

HUJUS verò nobilis dominæ dulcis memoria, mihi recitabilis perpetuabitur, quia quondā cùm una noctiū in nocturna viſione viderat vir ejus *Falcaſius*, cum quo tunc dormierat, quòd de turri eccleſiæ *ſancti Albani* inſtar fulminis quidam lapis miræ magnitudinis irruiſſet in eū, & in pulverem contriviſſet, expergefactus proſiliit attonitus & anhelus, cui trepido, & quaſi furia invecto, ait uxor: "Quid hoc, domine? Quomodo te habes? Cui ille: "Multa pertuli pe-"ricula, ſed nūquam ſicut in hoc ſomno & ſomnio perterrebar & perturbabar. Et cùm omnia "ſeriatim eidē enarraſſet, reſpondit mulier: Offendiſti nuper beatū Albanū graviter, eccleſiā "ſanguine polluendo, municipium ſuis bonis ſpoliando, Abbati & Conventui multiformiter "injuriando. Surge ergo celer, illuc accelera, ut etiam ante diem itineris, humiliare, et eidem "Martyri quantocius, ne gravis ultio imminens te conterat, reconciliare. Veniens igitur *Falcaſius* mane ad *ſanctum Albanū*, (jacuerat enim apud *Loitonam*) fecit vocari Abbatem ad ſe: & genibus flexis, junctis manibus, et lachrymis obortis, dixit ei. "Domine miſerere mei, gravi-"ter offendi Dominū, et ejus Martyrem beatum *Albanū*, et vos. Sed de peccatore miſericordia. Loquar de licentia veſtra Conventui jam in Capitulo, veniam in præſentia veſtra flagitans de commiſſis. Conceſſit igitur Abbas, ovinam admirans in lupo manſuetudinem et humilitatem. Veſtibus igitur ſpoliatus, cum ſuis militibus ſimiliter indumentis ſpoliatis, ferens in manu virgam, quam vulgariter *Baleis* appellamus, intravit Capitulum, et confitens culpam ſuam, quam, ut ait, in bello, ſicut tunc decuit dicere, perpetraverat et commiſerat, à ſingulis fratribus diſciplinas nuda carne ſuſcepit. Et veſtitus deinde, ivit ſeſſum juxta Abbatem, palā dicens: "Hoc "mihi fecit facere uxor mea, pro quodam ſomnio. Et ſi exigatis ablata vobis reſtitui, non exaudiam. Et ſic receſſit. Veruntamen magnum beneficium reputabat hoc Abbas et Conventus, quòd ex tunc lædere deſiſtebat. Qui enim his temporibus malus non eſt, optimus reputatur. Et ſicut de *Aſtaroth* legitur: Iniquus cùm lædere ceſſat, prodeſſe judicatur. Sic igitur ſecundùm Apoſtolum, *per mulierem fidelem, vir ſalvatur infidelis.*

1252.

Magnum Parlamentum Londini habitum.

FESTO autem beati *Edwardi* imminente, (quod de conſuetudine dominus Rex conſuevit ſemper in magno comitatu & apparatu ſplendido celebrare,) convenerunt, veluti ex edicto Regio convocati, totius *Angliæ* Prælati ferè univerſi. Omnes nempè Epiſcopi, præter *Ceſtrenſem* valetudinarium, & Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, qui in partibus tum temporis agebat tranſmarinis, ſimul & *Herefordenſem*, & præter Archiepiſcopum *Eboracenſem*, qui ob incertam nobis cauſam, niſi fortè quia remotus abeſt, remanſit, ibidem præſentes exſtitère.

PROTULIT igitur in medium dominus Rex coram omnibus ibidem congregatis, Papale mandatum, õnibus Regni æmulatoribus exoſum & deteſtabile. Quòd videlicet cõtulerat dominus Papa totam Regni decimã, videlicet proventum totius eccleſiæ *Anglicanæ*, de poteſtate ſibi à Deo conceſſa, per triennium, ad Regia viatica peregrinationis, adjuncto magnæ verbo offenſionis, ſcilicet, *non ſecundùm æſtimationem eccleſiarum priſtinam, ſed ſecundùm æſtimationem novã ad inquiſitionẽ ſtrictiſſimam, ad voluntatem & arbitrium Regiorum ſatellitum & extortorum faciendam*, qui aſtutè nimis & damnum eccleſiæ inæſtimabile, & ſervitutem perpetuam procurantes, ſuis ſemper primùm propriis, deinde verò etiam Regiis emolumentis inhiarent. Argumentoſè igitur Regii nuncii Epiſcopis congregatis ſupponentes, quòd tali ac tantæ contributioni cõſenſiſſent, vulpina calliditate exigebant, quòd ſoluta pecunia duorum annorum, ſecundùm Papale mandatũ, pecunia tertii anni ante peregrinationẽ, licèt hoc in Papali mandato autentico non contineatur, pecunia totaliter, ſecundùm formam prætaxatam collecta, ſolvatur peregrinaturo, vel ſaltem ejus pars dimidia, Regi benigna gratuitate ac benignitate gratuita cõcederetur. Tunc enim, ut dicebant, dõinus Rex verſùs Orientẽ iter dirigeret & vexilla. Quod cùm inter alios Epiſcopus *Lincolnienſis*, admirans verba tam venenata, & ad ſubverſionem eccleſiæ intoxicata, audiret, in ira magna reſpondit: "O quid eſt hoc, pro noſtra Domina? Vos "ex inconceſſis proceditis. Supponitisne vos, quòd nos in hanc maledictam contributionem "conſenſerimus? Abſit hæc à nobis ad *Baal* genium incurvatio. Cui electus *Wintonienſis* "ait: Pater, quomodo poterimus reſiſtere voluntati Papali ac Regiæ? Unus impellit, alter attra"hit. Conſenſerunt *Franci* in hoc caſu contributioni conſimili, ut videlicet Regi ſuo peregri"naturo ſubvenirent. Fortiores nobis ſunt, & ad reſiſtendum conſueverunt eſſe proniores. Et "nos qualiter valemus illis reſiſtere? Ad hæc reſpondit iterum *Lincolnienſis* Epiſcopus: Eò ipſo "reſiſtendum eſt, quòd *Franci* contribuerunt. Binus enim actus inducit conſuetudinem. Præ"terea, luce clariùs videmus, proh dolor! qualem finem ſortita eſt tyrannica Regis *Francorũ* "extorſio pecunialis. Terreant nos exempla præambula. Ne igitur & Rex & nos gravẽ Dei "offenſam incurramus, pro me dico voce libera, huic injurioſè contributioni contradico. Sententiæ igitur huic conſenſum præbuerunt alacriter & incunctanter, *Londinenſis*, *Ciceſtrenſis*, *Wigornienſis*, Epiſcopi, & electus *Wintonienſis*, & ferè omnes alii. *Saliſberienſis* autem fluctuebat. Et addidit *Lincolnienſis* Epiſcopus: Supplicemus omnes domino noſtro Regi, quatenus de ſalute animæ ſuæ ſollicitetur, impetum tantæ refrænans temeritatis.

Rex Angl. iratus, à ſuis aulicis mitigatur.

HÆC autem omnia cùm fida ralatione nunciarentur domino Regi, quaſi furia invectus, nec ſe præ ira capiens, vocem cum clamore exaltavit, & omnes, qui in ſua camera fuerunt, velut furioſus aufugavit. Tandem ſuis familiaribus aulicis ipſum blandiùs mitigantibus, ſignificavit Prælatis, quantenus non quaſi Domino protervienti, & de præcepto Papali exigenti, ſed tanquam ſupplicanti, & *Jeſu Chriſto* in *Terra ſancta* militaturo, & in ipſam pro honore univerſalis Eccleſiæ peregrinaturo, competens auxilium pecuniare liberaliter & benigniter largirentur.

Reſpondent Prælati blandè petitioni Regis.

QUOD cùm Prælatis renunciaretur, mitiùs ſe habentes reſponderunt: Credimus indubitãter, quòd ſi dominus Papa veraciter intelligeret, quot angariis, quot exactionibus damnoſis *Anglicana* gravatur & opprimitur Eccleſia, nunquã talia dominus Rex in curia *Romana* impetraſſet. Et ſi ipſum dominum Papam ſuper his pleniùs certificemus, haud dubiò factum ſuum, nec eſt mirandum, tanquam ex ſuppreſſa veritate, & ſuggeſta falſitate deceptus, illicò revocaret. Nunc enim dominus Rex per Foreſtarũ ſuarum ampliationes, nunc per Juſtitiarios ſuos itinerantes, nuc novis placitis excogitatis, nunc modis aliis Regnum ſuum depauperat. Quo exinanito, neceſſe eſt conſequenter Eccleſiã quoq; depauperari & egere. Quid de Prælatis referemus, quos idẽ dominus Rex in nobilibus intrudit eccleſiis? Quàm miſerabiliter extorſit bona terræ, ſuus *Cantuarienſis* Archiepiſcopus *Bonifacius*, qui ſe propterea debitis tot finxit obligatũ, ut ſine totius Eccleſiæ *Anglicanæ* adjutorio non poterat ullo modo reſpirare? Nec adhuc ceſſat dominus Rex, ſi modò fas eſt talia recitare, quotidie aliis atque aliis innumeris argumentis Regnum ſuum & Eccleſiam, contra ſacramentum & juramentum ſuum primitivum, tam pecunia, quàm libertate privare antiqua & conſueta. Et præterea jam ab omnibus creditur & dicitur, quòd non ob aliud, ut videtur, ſe Cruce ſignavit, niſi ut hoc novo modo, & prætextu, omnem ſubſtantiolam in *Anglia*, quæ remanſit, valeat aſportare; ſicq; redigat mellifluum, & abũdantiſſimum *Angliæ* Regnum, in deſertum: vel ſaltem ſubrogatis & introductis alienigenis, ſuis incolis viduet in eo natis & educatis. Nonne dudum in pueritia ſua, quando in Regem fœliciter creabatur, Crucem utiq; patris ſui Regis *Johannis*, tunc etiam Cruce ſignati, humero ſuo pro ipſo aſſumpſit? unde timendum, ne ipſam Crucẽ eodẽ modo, & ea intentione dõinus iſte Rex, qua pater ejus eã aſſumpſerat, patriſſans aſſumpſerit. Ut & iſte Rex videlicet, qd. abſit, ſuos ſupprimat & conterat naturales & fideles ſubditos. Veruntamẽ quicquid hactenus egerit,

quan-

1252

quantumcunque Eccleſiam *Anglicanam*, & Regnum ſuum *Angliæ* oppreſſerit & afflixerit, quod poſtulat à nobis adhuc impendemus, & deſiderio ſuo pro poſſe obſecundabimur, ſi, quod multoties promiſit, velit chartam toties pactam, totieſque debitam, libertatum nobis juratarum, inviolabiliter poſthac obſervare. Necnon & aliam chartam conficere, ne alia vice ſub prætextu hujus gratiæ talia exigat, ut Eccleſia *Anglicana* tam execrabili tributo & exactioni ſupponatur. Cæterùm requirimus, ut ſi concedatur pecunia, quam dominus Rex in præſentiarum nunc à nobis petit & exigit, colligatur diligenter ac fideliter ad opus domini Regis utiliter diſtribuenda, in *Terram ſanctam* profecturi, prout fidelibus ſuis cautiùs ſolitò videbitur expedire, & ſic eadem pecunia domino Regi liberetur.

HÆC autem propterea addebant, quia totum theſaurum ſuum, quem ab *Anglis* dominus Rex extorſerat, in damnum Regni, & ſuorum fidelium periculum, in uſus hoſtium & inimicorum ſuorum tam prodigialiter quàm prodigaliter diſtribuerat: ac ſi arma ſua quis hoſtibus ſuis, in ſuum ſponte diſtribuat detrimentum & exitium. Hæc ſalubriter inter filios pacis Prælatos tractabantur, ut hæc Regi ex parte eorum ſignificarentur.

Rex propoſito perſiſtit.

POSTQUAM domino Regi talia ex parte Prælatorũ nunciarentur, & pleniùs intermeante Epiſcopo *Sariſberienſi* recitarentur, ira incanduit vehementiori: corrugansq; nares juravit horribiliter, quòd nunquam, dum vitales auras carperet, in talem mergeretur ſervitutem. In hoc patris ſequens veſtigia pedetentim, Significavit autem eiſdem iteratò, ſi aliter vellent reſpondere, quàm ſic tergiverſando. Sed ne frontoſè viderentur cum præciſa negatione reſpondiſſe domino ſuo Regi: "Dixerunt, ſe non poſſe plenum aut perfectũ conſilium inire, abſq; domini "*Cantuarienſis* Archiepiſcopi, qui totius *Britanniæ* primas eſſe dignoſcitur, & Prælatorum om- "nium *Angliæ* excellentiſſimus, præſentia & aſſenſu; & domini Archiepiſcopi *Eboracenſis*, qui "primus vel de primis eſt totius Regni, conſenſu & providentia. Quorum unus in partibus "agebat tranſmarinis, alter abſens in partibus remotis commorans, cauſis ignotis impeditus.

Rex reditus vacantes diſtribuit indignis.

REX autem ſolitis inſiſtens deliramentis, eſchaetas & reditus vacantes quaſi in hujuſmodi contradictionis ultionẽ, alienigenis ignotis, illiteratis, ſcurrilibus, & penitus indignis non deſtit diſtribuere, ut ſic ſuorum naturaliũ corda inſanabilibus ſauciaret. Et ſi de aliis ſileamus unum huic volumini duximus annotandum. Capellano ſiquidem fratris ſui *Galfridi* de *Lizinnum*, quo utebantur dominus Rex, & dominus ejuſdem Capellani *Galfridus* memoratus, & tota eorundem curia tanquam ſtulto & nebulone infatuato, ut ejus nugis veluti joculatoris deſipientis, & clavigeri omnes cachinnarent, cõtulit dominus Rex bonam eccleſiam de *Preſtona*, quæ fuerat *Willielmi* de *Haverhulle* Regii theſaurarii nuper defuncti, cujus fructus annui ad preciũ pluſquàm centum librarum aſcendere dignoſcuntur. Iſtum nempe Capellanum natione *Pictavenſem*, mores ac literas penitus ignorantem, vidimus lapidantem dominum Regẽ & *Galfridum* fratrem ejus, & alios Magnates, dum in pomærio *S. Albani* ſpaciarentur, ceſpitibus, lapidibus, & ponis viridibus, & acerbas uvas in oculos eorundem exprimentem, tanquàm expertẽ rationis. Geſtu quoque verbis & habitu, necnon corporis qualitate & quantitate deſpicabilis, hiſtrio potiùs quàm ſacerdos in dedecus ordinis ſacerdotalis poterat judicari. Ecce quibus dominus Rex multa animarum millia committit & committi procurat cuſtodienda, ſpernens tot literatorum, tot diſcretorum, tot idoneorum, quàm *Anglia* genuit, numero ſitatem. Quæ & linguam novit indigenarum, & ruditatem informare. Similiter & alia eccleſiarum beneficia, quæ ejuſdem *Willielmi* memorati extiterant, contulit Rex inconſultè, velut ad provocandum ſponte iram & odium dignorum, indignis & ultramarinis, quorum inſufficientiam & inutilitatem, geſtus inordinati, & verba non tantùm ſcurrilia, ſed delira & obſcœna reprobos indicabant. Hanc autem materiæ digreſſionem, genialia ſuſpiria elicuerunt.

Rex digreditur ad materiam.

REX igitur pecuniæ factus ſitior avidiſſimus, ad ſolitas vulpinas fraudis verſutias converſus, quos non potuit in conſilio communi frangere congregatos, cõgitavit diviſos frangere ſigillatim. Vocavit igitur, antequam à *Londino* receſſiſſent, ſoluto concilio memorato, *Elienſem* Epiſcopum, ut cum ipſo ſecretiùs loqueretur. Adventanti igitur Epiſcopo, Rex reverenter & honorificè nimis aſſurgens, advocavit eum, & ceſſit ei, ut juxta ipſum eundem Epiſcopum familiariter collocaret. Et ſatis humili & ſereno vultu, ait ad eum: "Domine chariſſime Epiſcope, difficile mihi foret omnia beneficia, liberalitates & obſequia mihi à vobis multoties impenſa re- "citare. In *Provinciam* enim itinere laborioſo ac periculoſo, ut mihi uxorẽ meã adduceres ſũp- "tibus propriis veſtris, animo libenti perrexiſtis. Mihi inſuper in ultramarinas partes profe- "cturo, ſemel & iterum, & iterum auxilium efficax infatigabiliter impendiſti. Quid plura? "Nunquã auxilio indigui, quin prompto favore meã præveniretis, vel ſaltem proſequeremini "indigentiã. Nunc autem plus quàm unquã, veſtra indigeo munificentia ac ſolita benignitate. "Aſſumpſi enim ut veſtra novit paternitas, crucẽ Domini humeris meis, pro honore univer- "ſalis eccleſiæ & Regni proſperitate, in *Terrã ſanctã* magnificè bajulandam. Cujus peregrinati- "õis vos meos fideles & bẽefactores deſidero, & oro ſpecialiter fore participes. Supplico igitur "modis õibus quibus poſſum, quatenus in bonũ cæteris exemplum, me in inſtanti neceſſitate, "quæ multas poſtulat expenſas, juvare non omittatis, aliorũ teporem non reſpicientes. Ego "verò nacta temporis opportunitate, vobis in uberioribus beneficiis condignã rependã viciſſitudinem. Epiſcopus autem, in hac ſtabilis exiſtens temptatione, iſtis nugatoriis ſermocinationibus, reſpondit dicens (ſubticens moderatè damnũ ſibi illatum de nundinis S. *Etheldredi*, pro

1252. nundinis ſancti *Edwardi* apud *Weſtmonaſteriũ* innovatis) "Domine, ſi aliquando vobis ſervivi, multùm mihi complacet: ſed noverit ſerenitas veſtra, quòd a forma quàm univerſitas compromiſit, & in fide propoſitũ roboravit, nullatenus volo nec valeo, quia inhoneſtum mihi foret recedere vel ſequeſtrari. Si autẽ nos Prælati, veſtro voluntario impetui flecteremur, eccleſia depauperaretur, & in læſionem fidei ac ſacramenti veſtri, perpetuæ ſervituti ſubjaceret ac tributo: ad memoriam ſi placet revocandum eſt, qualiter ſancti multi pro ſanctæ eccleſiæ libertate fæliciter exulàrunt, & glorioſè occubuerunt interempti. Quid beatum *Thomam* commemorem Martyrem glorioſum? quid beatum ſucceſſorem ſuum beatum *Edmundũ* nobis contemporaneum? Coruſcat copia exemplorum, quæ omnia in veſtrũ opprobrium redundare comprobantur. Terrere vos deceret Regis *Francorũ* exemplũ, vobis pro ſpeculo à Deo demonſtratum, qui extortam à Regno ſuo pecuniam, in ſuam hoſtibus diſtribuit redemptionem, & inde noſtros inimicos, ſcilicet *Saracenos* ampliùs ſaginavit. Unde qui perſequuntur nos veloces erunt; & qui oderunt nos, victores gloriantur. Imò armis & pecunia noſtra ditati gratulantur. Et quicquid de Rege deinceps contingat memorato, opprobium indelebile contraxit ex præteritis, ſcilicet quòd *Chriſtianorum* nobiliſſimus præda factus eſt *Saracenis*, propter quod nonnulli à fide recedentes (proh dolor!) apoſtatàrunt. Et hæc omnia rapinæ imputamus prætaxatæ.

Rex noluit rationi acquieſcere.

CUM autem hæc audiſſet Rex, quaſi alto vulnere ſaucius, nec adhuc rationi acquieſcens, exclamavit inordinatè nimis, dicens Miniſtris: Ejicite ruſticum hunc, ejicite, & ejectum excludite, ut amplius coram me non compareat, qui & ſolamen mihi denegat & juvamen. Et ſic qui ingrediens ſatis curialiter fuerat advocatus, probris exiit laceſſitus. Simili quoque modo, quorundam aliorum quos ſecretiùs ad ſe fecit accerſiri, moliebatur conſtantiam enervare, quorum verba licèt pondere non carentia, cauſa brevitatis præterimus. Hac autem verſutia, ſummopere conabatur Prælatorum ſibi mentes inclinare, ut ſic conſequenter nobilium corda ad conſenſum ſuum, incurvaret contributionis: ſed ipſorum conſilium á Prælatorum ſententia dependebat.

Conſtantia Wint. clericorum.

EODEMQUE die venit electus *Wintonienſis* ad dominum Regem fratrem ſuum, ut valedicto licentiatus repatriaret. Rex autem non prout decuit ipſum facie ſerena appellavit, nec aſſurrexit ſicut conſuevit venienti. Cui ait electus: "Domine, mihi videtur ſolvitur conciliũ, patefactum eſt vobis prout mihi videtur, Prælatorum incommutabile propoſitum. In procinctu ſum, ut de veſtra licentia redeam præmaturus. Non enim placida mihi eſt in hac urbe mora diuturnior. Domino Deo vos commendo. At Rex. Et ego te Diabolo vivo. Deberes mecum ſtare, & ſi totus mundus mihi adverſaretur, qui frater meus es uterinus. Et ego te malo grato Dei & ejus ſanctorum, & eorum ad quos ſpectant de jure electio promoveri, & ad tantam provexi dignitatem, ut nulli de clero in divitiis ſecundus in *Anglia* videaris. Cui electus de illepido verbo commotus, reſpondit: Domine, annis ſum juvenis, placetne vobis quia me creaſti, ut & ego factis ſim puerilis, abſit ut ab univerſitatis quæ Dominum & veſtrum honorem diligit ſententia recedam. Et ſic receſſit ad iracundiam provocatus.

Lond. ſolvunt viginti marcas Regi.

REX autem eodem tempore à civibus *Londinenſibus*, qui ſecundùm chartarum ſuarum tenorem & antiquam conſuetudinem fore deberent liberrimi, viginti marcas auri, precibus extorſit imperioſis, velut à ſervis ultimæ conditionis, ut jam jam viderentur ſervilibus *Judæis* paulo minus æquiparari.

Alia ſervitus Lond.

INSUPER coëgit *Londinenſes* dominus Rex, ut ſuis nundinis, quas apud *Weſtmonaſterium* conſtituit in feſto ſancti *Edwardi*, in læſionem nundinarum *Elienſium*, per quindecim dies duraturas, vellent, nollent, ſuis in civitate *Londinenſis* feneſtris clauſis intereſſe. Nec pepercit eiſdem propter hyemalis intemperei inclementiã, lutum pluviam & loci inaptitudinem, quin tentoriis ſtare cogerentur. Exponere igitur juſſit ipſis invitis merces ſuas, licèt emptores non invenirent, non veritus omnium imprecationes.

Moleſtia de temporis inaptitudine.

TÆDIO igitur afficiebantur, tam qui advenerant quàm qui ibidẽ morabantur. Inundatio namq; pluviarum per totum id tempus, quo illuc advenerat totius regni multitudo morabatur & receſſit, ita imbuerat, ut omnes lutoſi madefacti, fatigati & fœdati ſe cenſebant ærumnoſos: vada enim in itineribus pontibus confractis invenerunt vix tranſibilia, vias vix tranſmeabiles, civitatem admodum lutoſam, & victualibus & aliis egenam neceſſariis, chariſtiam obſtupendam, adeò ut inexplicabilibus incõmodis miſerabiliter involuerentur. Erat inſuper *Lõdini* populorum adventantium & commorantium, tam numeroſa multitudo, ut proteſtarentur cives, etiam ſenes, nunquam ibi tantam prævidiſſe. Interim igitur tam Papæ quàm Regi in ſua tyrannide mutua, favorem & fomentum præbenti, ira ſuſcitatur, & odium internum accumulatur, quos omnes moleſti hominum vocabant perturbatores, ut quaſi completum videretur illud Apoſtolicum, *Niſi diſceſſio venerit, non revelabitur filius iniquitatis.* Jam utique imminet diſceſſio manifeſta, & ſi non corporum, cordium tamen (quòd gravius eſt) exaſperatio, ferè generalis, contra *Romanam* eccleſiam ſuſcitatur, & igniculus extinguitur devotionis.

Tractatio de rebus Gaſconiæ.

REX igitur ne viderentur quidã magnates qui jam illuc advenerant inaniter fuiſſe convocati, diſtrictè tractatum ſuſcitavit, quid agendum de terra ſua *Gaſconiæ*, quàm Comes *Legriæ* videbatur non mediocriter in magnum ipſius Regis damnum perturbaſſe. Fama etiam ventilata ſparſim de ipſo nunciaverat, quòd poſtquàm ut prædictum eſt, de hoſtibus ſuis & Regis,

glorioſè

glorioſè triũphaverat, incautè ſe recepit in quodã caſtro quod *mons Albani* nuncupatur, quod licèt inexpugnabile videretur, omni victualiũ genere & militia fuerat deſtitutum. Subitò igitur, ut dicebatur, ab comprovincialibus inimicis obſidione circumvallatus, vix per ſuorum fidelium, qui ſe mortis periculo expoſuerunt ſubſidio liberabatur. Reddidit inſuper obſeſſoribus aliquos de captis, qui nuper in ſuo ceciderant retiaculo. Arctabatur autem Rex, quia in propria perſona transfretare, ut terrã illam tam miſerabiliter pacificaret perturbatã, & miſſo clerico ſuo *Petro Chacepore*, ad Reginam *Blanchiam* licentiam pacificè per *Franciã* tranſeundi poſtulaverat: ſed tam fatuam poſtulationem, quantoties præciſa negatio ſequebatur. Nec navem auſus fuerat propter maris, quæ expertus erat, pericula aſcendere, maximè cùm hyems inſtans tempeſtates multiplicare minareter. Et dum ſuper his inter omnes anceps penderet ſententia, Rex in calce ſermonis, auxilium pecuniare ac militare redivivo ſpiritu inſtantiſſimè flagitavit ſibi peregrinaturo impendi, ac *Chriſto* pro ſalute communi militaturo. Ad quod communiter reſponderunt, quòd eorum reſponſio à Prælatorum reſponſione dependebat, nec voluerunt ab eorum aſſertione diſcrepantes ſequeſtrari. Et ſeſe mutuò intuentes, ſecretò auribus inſtillàrunt dicentes: Quæ ſpes rationabilis iſtum erigit Regulum, qui nunquã militari edoctus diſciplina in Martio certamine, equum admiſit, gladiũ eduxit, haſtã vibravit, aut clypeũ ventilavit, ut triumphet, ubi capto *Francorũ* Rege occubuit militia *Gallicana*: aut in qua confidit temeritate terras tranſmarinas potenter adquirere, quas poſſeſſas nequivit retinere? Et ſic cum magna indignatione objurgantes, & aſſerentes ipſum natũ tantùm ad pecuniam emungendam, crumenis evacuatis & debitis multiplicatis, ad propria remeârunt. 1252.

SOLUTO igitur cum Regis, Cleri, & Magnatum indignatione concilio, rex iram & odium præcordiale theſaurizavit; credens hæc omnia ſibi facta & dicta in ſpiritu maligno & exoſo, malignandi materiam parturire. Unde incorrigiblis, adhuc quæ conceperat tempore nacto opportuno, circinando propoſuit conſummare. *Solvitur concilium cum Regis, &c. indignatione.*

TEMPORE quoq; ſub eodem, domino rege adhuc moram *Londini* continuante, venit ad eum in cameram ſuam *Iſabella* Comitiſſa *Harundelliæ* relicta Comitis *Harundelliæ H.* & ejuſdẽ regis cognata; ut pro jure ſuo de quadã cuſtodia ipſam contingente, verba faceret ſibi profectura. Rex autem vultũ ei primò protendens ſerenum, poſteà cũ verbis aſperioribus objurgans, nihil qd. poſtulavit Cõitiſſa favorabiliter exaudivit; vendicavit enim ſibi rex cuſtodiã cujuſdã cuſtodiæ, ratione particulæ, ipſum regẽ contingentis. Unde ipſa Cõitiſſa, licèt mulier, non tãen muliebriter reſpondit imperterrita; "O domine rex, quare avertis faciem tuam à juſtitia? "Jam in curia tua quod juſtum eſt nequit impetrari. Medius inter Dominũ & nos conſtitueris, ſed nec te ipſum nec nos ſanè regis, nec Eccleſiam veritus es multipliciter perturbare; "quod non tantùm in præſentiarum, ſed multoties eſt experta. Nobiles inſuper regni modis "variis vexare non formidas vel erubeſcis. Quod cùm audiſſet rex, corrugans nares & ſubſannans, voce dixit elevata; "Quid eſt hoc, ô domina Comitiſſa? confeceruntne Magnates *An*"*gliæ* chartam, & pepigerunt tecum, ut fieres eorum, quia eloquens es, advocata & prolocu"trix? Ad quod Comitiſſa, licèt juvencula, non tamen juveniliter reſpondit; "Nequaquam "mihi, dõine, regni tui primates chartã confecerunt; ſed tu chartã, quam confecit pater tuus, "& tu eã cõceſſiſti, & juraſti obſervare fideliter & irrefragabiliter, & multoties ut eã obſer"vares à fidelibus tuis pecuniam de libertatibus obſervandis eorũ extorſiſti, ſed tu ſemper eis "impudens tranſgreſſor extitiſti. Unde fidei læſor enormis & ſacramenti tranſgreſſor mani"feſtus eſſe comprobaris. Ubi libertates *Angliæ* toties in ſcripta redactæ, toties conceſſæ, to"tieſque redemptæ? Ego igitur licèt mulier, omnéſque indigenæ & naturales ac fideles "tui appellamus contra te, ante tribunal tremendi Judicis. Et erunt nobis teſtes cœlum "& terra, quoniam iniquè nimis nos tractas inſontes, & nos Deus ultionum Dominus ulciſ"catur. Ad hæc Rex ſiluit confuſus, quia dictante propria conſcientia cognovit, quoniam à tramite veritatis non exorbitavit Comitiſſa, & ait; Nonne poſtulas gratiam eò quòd mihi "cognata ſis? at illa: "Ex quo mihi quod jus expoſtulat denegâſti, quomodo ſpem conci"piam, ut mihi gratiam facias poſtulanti? Sed & contra illos ante faciem *Chriſti* appello; "qui te faſcinantes & infatuantes conſiliarii tui ſunt, & te à via veritatis avertunt, ſuis tan"tummodò commodis inhiantes. His igitur auditis rex ſiluit, ſatis civiliter redargutus. Comitiſſa autem nec licentiata, nec licentiam poſtulans, magnis laboribus & ſumptibus inaniter factis, ad propia remeavit. Rex autem perſeverans incorrigibilis, nec his nec aliis verbis ſalubribus adquievit. *Dicta Iſabellæ Comitiſſæ Harundel.*

CONVOCATIS igitur denuò dominus rex optimatibus ſuis, qui prout prætactũ eſt, ſuo impetui primo reſtiterunt; convenit eos de negotio *Gaſconiæ*, quid agendum. Cui reſponderunt Magnates, ſi Comes *Legriæ Simon* Regi rebelles edomare ſtuduerit, non mirandũ, nec dolendũ: maximè cùm ipſi *Gaſconenſes* infames ſunt, eò quod te dominũ ſuũ ad ipſos confidenter confugientem perdiderunt, & multiformiter depauperârunt. Unde inglorius & pauper, non ſine omnium *Anglorum* damno & opprobrio, remeâſti. Præterea, *Gaſconenſiũ* quamplurimi prædones ſunt & fures, mercatores & peregrinos ſpoliant itinerantes; habentes refugiũ antequam latronũ ſpeluncam, in montibus ſcilicet inacceſſibilibus de *Egremunt*, quoniam caſtris fortibus roborarunt. Reſtant etiam aliquot anni, ſcilicet tres & dimidiũ, ut ipſe Comes ſecundùm chartam tuam, ipſius terræ cuſtodiam obtineat. Item de ſtatu ſuo moderno minimè certificamur, *Tractatum de negotiis Gaſconiæ.*

1252. cùm vaſta terrarum & mariũ ſpacia interjaceant; nec de incertis, certè poſſumus reſpondere. Verùm non cõplacuit regi, quod ipſi ſic Comitẽ excuſantes, ipſũ ſic juſtificaverunt. Propoſuit enim duriùs egiſſe cũ eo, ut proditor haberetur, & ut proditor judicaretur exhæredatus. Quod profectò Comitem licèt remotum non latebat. Unde addidit Comes, cùm hæc ipſi nunciarentur: "Bene hoc novi, ut ſcilicet me ſpoliato, aliquem *Provincialem* ditaret, aut *Pictavenſem*, meo Comitatu.

Exitus concilii.

SOLUTUM eſt igitur concilium, Rege hinc inde, tam contra Magnates, quàm contra Prælatos, ira ſuccenſus vehementi; cogitavítque Legatum vocare, qui clerum compelleret ad prædictæ poſtulationis contributionem auctoritate Apoſtolica; licèt grave foret tributum, & Eccleſiæ ſervitus nova & intolerabilis. Et ſic mala malis imminebant cumulanda. Taliter igitur *Caurſinis* & *Judæis*, & aliis creditoribus impinguatis; Prælati cum Magnatibus clitellis evacuatis, dolentes & egentes receſſerunt.

Verba magiſtri Hoſpitalis cum Rege habita.

TEMPORE quoq; ſub eodem, magiſter *Hoſpitalis Hieroſolymitani* in domo de *Clerkenwelle*, in pace expectans donec tempus quietis idoneæ inveniret confabulãdi cũ Rege, de quadã manifeſta injuria ipſi illata querulus patefecit: chartas quoq; regum & ſuam de protectione oſtendit. Cui rex voce elevata, iratus reſpondit, prævio magno juramento: "Vos Prælati & Religioſi, maximè tamen *Templarii* & *Hoſpitalarii*, tot habetis libertates & chartas, quod ſuperfluæ "poſſeſſiones vos faciunt ſuperbire, & ſuperbientes inſanire. Revocanda ſunt igitur prudenter, "quæ imprudenter ſunt cõceſſa; & revocanda conſultè quæ incõſultè ſunt diſperſa. Et addidit; "Nonne dominus Papa quandoque, imo multoties factum ſuum revocat? Nonne appoſito hoc "repagulo, *Non obſtante*, chartas caſſat præconceſſas? Sic & ego infringã hanc & alias chartas, "quas prædeceſſores mei & ego temerè conceſſimus. Cui magiſter *Hoſpitalis*, quem Priorẽ "appellant, reſpondit alacriter vultu elevato; Quid eſt quod dicis, domine rex? Abſit, ut "in ore tuo recitetur hoc verbum illepidum & abſurdum. Quàm diu juſtitiam obſervas, rex "eſſe poteris: & quàm citò hanc infregeris, rex eſſe deſines. Ad quod rex nimis incircumſpectè reſpondit; O quid ſibi vult iſtud, vos *Anglici*, vultisne me, ſicut quondam patrem "meum, à regno præcipitare, atque necare præcipitatum?

Reginaldus Moum cuſtos foreſtæ.

TEMPORE ſub eodem, *Galfridus* de *Langeleia*, miles qui ſupra modum quos poterat aliquibus cauſis innodare, oppreſſerat, à cuſtodia foreſtarum amovetur; & in *Scotiam* ad concilium reginæ *Scotiæ* filiæ domini regis, deſtinatur. Cujus amotio & remotio, multis multùm complacuit *Anglicanis*. Cui ſubſtituitur dominus *Reginaldus* de *Moum*.

IDEM *Galfridus*, jubente rege *Anglorum*, unus de cuſtodibus reginæ *Scotorum*, ſed ejus impetus noluerunt Magnates *Scotiæ* diu tolerare, & amoverunt eum. Ipſe autem ad ſervitium *Edwardi* ſe tranſtulit in quo multos tam domino regi quàm *Edwardo* inimicos ſuſcitavit. Hunc *Robertus Paſſeleve* nutrivit & exaltavit: ſed nutritus nutrientem ſupplantavit, & exaltatus exaltantem præcipitavit.

Armeniorum quorundam relationes.

DIEBUS autẽ ſub eiſdem, quidam *Armenii*, quorum unus frater extit ipſius viri ſancti, qui apud *ſanctum Yvonem* obiit; de quo prænarratum eſt, ad *ſanctum Albanum* cauſa orationis venerunt. Ipſos namq; pallor faciei & barbarum prolixitas, & vitæ aſperitas, ſanctos eſſe teſtabatur, & ſeveros. Ipſi igitur *Armenii* ſuper his, quia fide digni videbantur, requiſiti, veraciter aſſeruerunt; quòd Deo potiùs quam homine ultore, *Tartari* tam ſtrage inter eos peſtifera, quam gladiis adverſariorũ minorati ſunt, trucidati ſunt, victi ſunt, & ad ſedes primitivas remeare ſunt cõpulſi. Sciant autẽ Occidentales, quòd nunquam tã formidabile exitiũ mundo imminebat. Aſſerebant inſuper, ſe ſcire indubitanter, quòd ille *Joſeph* qui *Chriſtum* vidit crucifigendum, & expectat nos judicaturum, vivit adhuc, ut ſolet. Et hoc eſt unum de mundi mirabilibus, & magnum *Chriſtianæ* fidei argumentum. Eſt autem, ut aiunt, terra eorundem *Armeniorum* diſtãs à *Hieruſalem* triginta dietis: & ultimi fines eorum attingunt uſque ad primas partes *Indiæ*, quæ in magna parte per *Tartaros* eſt vaſtata. Sciendum eſt, quòd in *Armenia* illa quievit Arca *Noe*, ſicut ſcriptum eſt. Sed hoc mirabile eſt quod adhuc durat: ſed ad illam, quia ſuper duorum altiſſimorum montium ſtatuitur cacumina, & ibidem venenatorum ſerpentium & draconum habitat multitudo, nemo prævalet pervenire. Vult inſuper hoc Deus, ne ad eam homo perveniens, partes inde detruncatas aſportet: imò potiùs indelebili Dei clementia, ſic in hominum memoria ſuper univerſali mundi exterminio, & ſequenti propitiatione, perpetuetur.

Mors Comitiſſæ Wintoniæ.

EISDEMQUE diebus apud *Grobi* Comitis *Wintniæ* manerium non procul à *Legreceſtria*, obiit Comitiſſa uxor ejuſdem Comitis ætate juvencula, filia Comitis *Herefordiæ*; de qua prolem idem Comes non ſuſceperat: ſicut nec de alia uxore ejus præmortua, filia *Alani* de *Galeweia*, minimè prolem ſuſcepit, niſi fœmininam. Obiit autem ipſa Comitiſſa, de qua prædicitur, decimo tertio Calend. Novemb. Et ſepulta eſt apud *Brackele*, ubi & alia ejuſdem Comitis uxor eſt intumulata. Ipſa nempe domus ab anteceſſoribus ſuis fundata eſt. Et propter has cauſas multiplices, ſibi ſepulturam ibidem elegit Comes memoratus. Et ilicò, ſperans adhuc gratiam prolis procreandæ promereri a Domino, aliam deſponſavit.

Chriſtiani captivi per Soldanum Babyloniæ, liberantur.

TEMPORIBUS inſuper ſub eiſdem, nuncii Regis *Francorum* licenter ac liberè per totum *Soldanatum* & ditionem *Soldani Babyloniæ* miſſi inquirunt, ubinam incarcerantur *Chriſtiani*. Et qui in poteſtate *Soldani* ejuſdem extiterant, liberi dimittuntur. Et qui captivi erant

aliorum,

aliorum, qui de potentatu ejus fuerant, levibus conditionibus liberi dimittuntur. Quorum redemptionem, piiſſimus Rex *Francorum* de ſua eleemoſyna præſtitit abundanter. 1252.

Oſſa W. Longæ ſpatæ deſerantur Achon.

NUNCIIS autem ad prædicta deſtinatis, una dierum dixit *Soldanus Babyloniæ*: Miror de vobis *Chriſtianis*, qui oſſa mortuorũ veneramini, quare & non ſolicitamini de oſſibus illuſtriſſimi & genere præclariſſimi *Willielmi*, cui de *Longa ſpata* cognomen additis? Verùm multa, neſcio ſi nugatoria, de ipſis oſſibus, auribus inſtillantur noſtris & aliorum; quòd ſcilicet ſub opacis noctibus ſuper tumbam ipſius apparuerunt, & quibuſdam Dominum ipſius invocantibus beneficia multa cœlitùs ſunt collata. Quare corpus ejus veneranter, cùm in bello trucidabatur, propter ejus excellentiam & generis elegantiam, fecimus intumulari. Cui nuncii inter ſe colloquentes ad invicem, dixerunt: Qualiter poſſumus huic *Anglico* detrahere, cùm iſti *Saraceni* nobilitatem ipſius *Willielmi* nequeunt diffiteri? Poſtulantibus igitur ſibi oſſa ejus dari, conceſſit benignè *Soldanus*. Trahentes igitur ſecum ſclavorum liberatorum multitudinem, & oſſa ſecum dicti *Willielmi* nuncii deferentes, *Acon* pervenerunt. Et oſſa memorata, in eccleſia ſanctæ crucis veneranter tumulârunt.

Violenta tranſgreſſio W. de Valentia.

DIEBUS quoq; ſub eiſdem, *Willielmus* de *Valentia* frater Regis uterinus, veniens de domo ſua, quæ eſt in caſtro *Hertfordiæ*, intravit violenter & contra domini Regis decretum, nuper de communi conſilio *Anglorũ* divulgatum, in indaginem quæ vulgariter *parcum* dicitur, Epiſcopi *Elyenſis*, prope manerium ſuum de *Haethfel*, & ibi venabatur ſine alicujus licentia, tam contra legem terræ quàm facetiæ honeſtatem. Quo facto, divertit ad manerium dicti Epiſcopi. Et quia non invenit potum cùm ſitiret, niſi cerviſiam, violenter oſtia promptuarii, quæ fortia erant, & repagulata, cum magno tumultu confregit, & inhoneſtè ac horribiliter tumultuans, jurans, & maledicens cerviſiæ, & omnibus qui eam primò confecerunt; extrahi fecit clepſydras à doliis, & cum magna effuſione & conſumptione vinum prælectum, poſtquàm ſatis potaverat, garſionibus ſuis, & omnibus qui voluerunt, juſſit abſq; omni reverentia diſtribui, ac ſi eſſet aqua vel extrema cerviſiarum. Audito igitur de tunſionibus quib. oſtia confringebantur, & de clamoribus effractariorum tumultu, acceſſit ſerviens de manerio, ut eorum impetus cõpeſceret, & ſponte vini eis diſtribueret abundantiam; ſed probris & injuriis laceſſitus, inſurgẽtium manus vix evaſit violentas. Et cùm omnes uſq; ad nauſeam inebriarentur, vino diffuſo & effuſo, non curantes ſi dolia clepſydris obturentur, cum cachinnis & deriſionibus receſſerunt. Poſt quorum receſſum, acceſſit famulus, quem ſervientem manerii appellant, & invenit oſtia quaſi in hoſtili bello conquaſſata, & vinum fluens abundanter per cellarii pavimentũ. Feſtinanter igitur fecit dolia obturari, & oſtia reſarciri. Cùm hæc autem Epiſcopo nunciarentur, dolorem & injuriam ſereno vultu pallians, ait: Ut quid neceſſe fuit rapere & prædari, quæ ſatis civiliter ſponte & abundantur poſtulantibus diſtribuuntur? maledicti igitur tot in uno Regno Reges, ſed tyranni. Conſtat igitur tam violentum, tam impudentum rerum eccleſiaſticarum invaſorem, in laqueos ſententiæ ex facto incidiſſe.

Factum ſubtellum Galfridi de Lizinnum.

TERTIA verò die ſequente, *Galfridus* de *Lizinnũ*, frater *Willielmi* memorati, proponens apud *ſanctũ Albanũ* in cœnobio hoſpitari, præmiſit ſuum Mareſcallum, ut adventum ejus prænunciaret, & voluntatem indicaret, & cùm veniret ad portam curiæ cœnobialis, non ſalutans janitorem, dixit: Hic adeſt Dominus meus, qui prope eſt, qui hic vult hoſpitari. Ubi nam jacebit? At janitor: Ubi placuerit. At ille: Non jacebit alibi quàm in palatio Regio, quod quidem Regis Regia nuncupatur, de Regio namque ſanguine procreatur. At Janitor: Utiq; Domine. Veruntamen conſuetudo hæc eſt apud nos, ut qui hic voluerint hoſpitari, hoſpitium rogitent charitativè & non imperioſè. Domus namq; hæc, domus charitatis eſt. At Mareſcallus faſcinanti oculo & torvo vultu Janitorẽ reſpiciens, intulit: Quid nugatoriè fabularis? ubi nam eſt Mareſcaltia ad equos noſtros ſtabulandos? Et monſtratum eſt ei longum ſtabulum hoſpitũ, ubi fermè trecenti equi ſine difficultate poſſunt ſtabulari. Erant autem eadem die viri boni, tam religioſi quàm ſæculares, qui gratia hoſpitandi illuc confluxerant, qui refecti fuerant, & quorũ equi appoſitis pabulis ſtabulati, cùm ecce Mareſcallus memoratus frontoſè intrans, & videns hoſpitũ equos & miniſtros, iratus eſt vehementer. Et inſiliens diruptis capiſtris, tam equos quàm miniſtros cum minis turgidis aufugavit; nec etiam in aliquo angulo domus, quæ capaciſſima eſt, permiſit latitare. Sed hæc omnia oportuit Abbatem domus patienter tolerare, ſicut & Epiſcopum cujus offenſionem prænarravimus, maximè cùm effœminentur *Anglici* & conculcentur, & prædominentur alieni. Et ſub Rege tyranno in præcipiti glomerata, univerſa diſcrimini patent ac ruinæ.

Accuſatio Roberti de la Ho Militis.

ANNO quoque ſub eodem, dum dierum illorum circuli volverentur, & feſtum Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, qui eſt limes annorum Regni domini Regis *Henrici* tertii, quidam Miles literatus *Robertus de la Ho*, cui Rex commiſerat tutelam *Judæorum*, & ſigilli ſui, quod ad ſcaccarium pertinet eorundem, graviter apud Regem eſt accuſatus, impoſito ei crimine, quòd quendam militis filium inſontem per chartam quandam falſam, & ſigillo, cujus idem *Robertus Judæorum* Juſtitiarius bajulus & cuſtos extitit, roboratam oppreſſerat. Unde viliter captus eſt, & cuſtodiæ arctæ mancipatus. Et conſimili ſcandalo diffamato, quo *Philippus Luuel* jam anno tranſacto fuerat perfidorum *Judæorum* laqueis irretitus, qui & eorundem tunc extitit Juſtitiarius, ſed jam ad theſauri Regii cuſtodiam, promerente induſtria ſublimatus. Sic, ſic nempè.

1252.

Ludit in humanis divina potentia rebus.

TANDEM elaborantibus amicis detunicata eſt malitia *Judaica*, vix eſt dicti *Roberti* liberati innocentia declarata. Depoſitus autem de Balliva ſua, quatuor marcas auri palàm numeravit ad minus.

Sollicitudo procuratoris Epiſcoporũ Angliæ.

TEMPORE quoq; ſub eodem, fuit quidam procurator generalis magiſter *I.* ex parte Epiſcoporum *Angliæ*; contra Archiepiſcopum *Cantuarienſem* exigentem totalem *Angliæ* viſitationem in gravamen eccleſiæ *Anglicanæ* intolerabile, in curia *Romana*. Qui ut gravamini tanto reſiſteret, contulit domino Papæ ſex millia marcarum. Et ſic moderata eſt viſitatio Archiepiſcopi, exigentis viſitationem plenariam; ita ſcilicet, quod nullam eccleſiam viſitabit parochialem, niſi vocatus per loci rectorem, ſed tantummodò eccleſias Conventuales, non exemptas: & tunc non debet recipere pro procuratione ſua, niſi quatuor tantùm marcas. Hujus negocii tenor propenſiùs intelligi poteſt per literas domini Papæ, quæ in *libro* ſcribuntur *Additamentorum*. Diligens autem intentionum in ipſis perſcrutator bene poterit intelligere, qualiter Epiſcopi religioſos Regni, ſed & maximè exemptos diligant; ſed ut Deo irato generalis ſit hæc peſtis, tam in Prælatis quàm Laicis, quòd diviſio deſolationem generabit.

Albertus Papæ *notarius venit* in Angliam.

CIRCA feſtum quoq; ſancti *Martini*, venit magiſter *Albertus* domini Papæ notarius in *Angliam*, qui jam biennio elapſo venerat, quando ſcilicet parabatur Rex *Francorũ* transfretare, ex parte domini Papæ prohibiturus, ne Rex *Anglorũ* terras Regis *Francorũ* Deo militaturi quomodolibet infeſtaret. Cauſa autem adventus ſui, multos latuit in principio; ſed effectus per opera cauſam poſteà patefecit. Dominus autem Papa, ſciens Comitem *Richardũ* fratrem domini Regis præ omnibus optimatibus Occidentis pecunia abundare (non curans qualiter adquiſita) ſatis aſtutè providit, ut ipſum ad Regnum *Apuliæ*, *Siciliæ*, & *Calabriæ* eligeret & vocaret, ut ipſe Comes Papæ militans, expoſita ſua pecunia dubiis Martis caſibus, & corpore ſuo periculis præſentato, hæc omnia adquireret ad *Romanæ* curiæ emolumentum, & theſauros in ſui damnũ maximum accumulandos. Hujus fretus ſophiſtica deceptione; qui dixit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Noverat enim Papa, quòd Comes Hydropiſi pecuniali inſatiabiliter laborabat, & indignitate temporali. Talia igitur edulio hamum recurvum fecit concupiſcibilem, quo credidit eum citiùs ineſcare. Et tunc myſterium manifeſtttum eſt, quare dominus quondam apud *Lugdunum* tantum honorem fecerit Comiti *Richardo*; ut cum ipſo prudenter collateraliter. & tantum applauſum ei fecerit, ut omnes mirarentur; ſed non credebatur aliquatenus à quampluribus, ut conſentiret aliquatenus Comes Papalibus promiſſionibus; tum quia corpore ſanus & integer nullatenus extitit; tum quia in armis ſtrenuus nec exercitatus extitit; tum quia inhoneſtũ videretur nepotem ſuum *Henricũ* ſupplantare; tum quia certa pro incertis non eſt ſapientis commutare. Sed hæc omnia dominus Papa tolerabilia, ſed nec inconvenientia fuiſſe judicavit. Sciendúmque, quòd ea die qua Comes *Richardus* epulabatur cum Papa, captus eſt infœlici ſidere Rex *Francorũ*. Hoc mihi hæc ſcribenti, idẽ Comes aſſertivè narravit.

Albertus *intendit ſuæ promotioni.*

ET quia, ut moris eſt dicere, quòd ſtultè orat, qui orando ſui obliviſcitur, & qui alieno commodo intendens, ſui extat immemor; magiſter *Albertus Londini* commorans donec de mandato domini Papæ, quod Comes ſuſpenſum protelaverat, certificaret, interim ſignificavit multis *Angliæ* Prælatis, ſupplicans ut hic Palefridum, hic beneficium eccleſiaſticum illi conferret, & alia ſi qua dona gratanter offerrent, ne videretur contemptus, minimè refutaret. Factumque eſt ita, ut de Abbate *ſancti Albani* inter cæteros & palefridum, & eccleſiaſticum beneficium meruit charitatis intuitu reportare, tale videlicet beneficium, quale de camera Prælati alicujus, quod tantundem penè ſignificat, *Romani* colligere conſueverunt.

Archiepiſcopi adventus in Angliam.

IN Octavis autem beati *Martini*, applicuit in *Anglia* Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius*: cujus adventus nullũ penitus lætificavit, imò quod inviti, dicim. potiùs perturbavit. Reducebant enim omnes & ſinguli ad memoriam, quam inordinatè, quàm crudeliter ſe gerebat *Londini*; cùm viſitationem à viris religioſis ibidem exegiſſet. Imò & qualiter Regnum multipliciter depauperaret, & eccleſiam nunc undecim millia marcarum, & nuper ſex millibus marcarum, quæ occaſione ſuæ viſitationis tyrannicè extorquebantur. Necnon & qualiter nobilem eccleſiam *Cantuarienſem*, cui tot ſancti præfuerunt, enormiter ſucciſis ſylvis, & conculcato Conventu, depauperavit. Qualiter quoque opimos reditus alienigenis penitus, in ſuo tempore vacantes contulerit. Unde credebatur quòd ſuper Paluſtre fundamentum debile ſurgeret ædificium. Sed hoc Altiſſimi diſpoſitioni eſt relinquendum.

Diſcordia inter Archi. & Wint. *electum.*

ANNO quoque ſub eodem, infra Octavis ſancti *Martini*, quidam ſacerdos auctoritate electi *Wintonienſis*, ſe ingeſſit in cuſtodiam cujuſdam hoſpitalis in *Suwere*, quod in Epiſcopatu *Wintonienſis* eſſe dignoſcitur. Vocatur autem Prior qui cuſtos eſt ipſius xenodochii, de conſuetudine cohabitantium, quod beatus *Thomas* Martyr fundâſſe perhibetur. Magiſter autem *Euſtachius* de *Len* Archiepiſcopi *Cantuarienſis* Officialis, videns ſibi in hoc facto derogari, eò quòd ratione patronatus debuit ejus aſſenſus interveniſſe, quod per contemptum omiſſum eſt, admonuit dictum cedere ſacerdotem, iterum & tertiò; eò quòd introitus ejus extitit injurioſus & præſumptuoſus. Sacerdos autem, qui & Prior dicitur, hoc facere renuit, ſuæ incumbens poſſeſſioni. Officialis autem ratione contumaciæ, ipſum fecit excommunicari. In qua

excom

excommunicatione, dictus Prior ſtetit diebus quadraginta; multiplicans minas & convitia. 1252.
Officialis igitur talem non ferens ſuperbiam, juſſit ipſum tanquàm contumacem capi. Quod audiens Prior, ſe veſtimentis ſacerdotalibus intrans eccleſiam communivit. Miniſtri autem ad hoc miſſi ut ipſum caperent, ipſi minimè pepercerunt, quia claves eccleſiæ excommunicatus contempſerat. Juſſit igitur Officialis ipſum duci apud *Maideneſtone* manerium Archiepiſcopi, donec deliberaretur quid ſuper hoc faciendum, quia dicebatur quòd Archiepiſcopus propè jam erat, reſervaturum.

Factum præſumptuoſum electi Wint.

HOC autem audiens electus *Wintonienſis*, ſecùs quàm decuit ira excanduit. Et quaſi magnam cum dedecore paſſus injuriam, fratribus ſuis gravem præſentavit querimoniam. Quorũ elatus auxilio & conſilio, convocata manu militari armata, cum comitatu non minimo conſequente, miſit eos ut quærerent & caperent hujus auctores violentiæ. Ipſi igitur cum magno impetu & tumultu quaſi in hoſtili bello, venerunt apud *Suwere*, credentes ipſos illic inveniſſe. Omnia igitur perluſtrantes, cùm nullum inveniſſent, feſtinanter ad *Maideneſtonenſes*, ut Priorem captum & retentum potenter liberarent, rapido curſu pervenerunt. Et obſtantia violenter confringentes, & abdita rimantes, cùm quem quærebant non inveniſſet quia abſconditus extitit, ignem poſtulârunt, ut omnia redigerent in favillam. Et poſt multas injurias ibi perpetratas, poſtquàm quod quæſierunt non invenerunt, certificati per aliquem ſuſurronem ubi tunc extitit quæſitus Officialis, ſcilicet apud *Lambet* juxta *London*, illuc glomeratim avolârunt. Ubi ſubvectis à vectibus oſtiis vel confractis, intrantes catervatim, ſubitò ante horam prandii, ipſum Officialem nil tale præmeditatũ, hoſtiliter ceperunt & indecenter. Et captum trahentes, impoſuerunt eum quaſi viliſſimum mancipiũ furto deprehenſum, quò volebant abducendũ. Nec permiſſum eſt ad ipſum equiferum dirigendum lora retinere. O temeraria præſumptio! O inexcuſabilis irreverentia; quæ tam authenticum virum, tam excellenter literatum, tam perſpicuè famoſum, perſonamque Archiepiſcopi repræſentantẽ, tam ignominioſè tractavit & fatigavit. Capellanum inſuper qui Capellæ deſerviebat, ad cornu altaris confugientem, conviciis affectum inhumanè tractaverunt: Manibus ſacrilegis res eccleſiaſticas invadentes. Magiſter autem *Henricus* de *Gaunt* hunc audiens tumultum, payore qui poterat in conſtantem caderet perterritus, cautè effugiens, elapſus eſt; ne in manus caderet animam ejus requirentium. Officialem igitur, poſtquàm omnia quæ ira imò furor perſuaſerat, perpetraverant, uſque *Fernham* traxerunt per habenas; donec de reſtitutione capti prioris certificarentur, violenter invitum retinentes. Tandem permiſſus abire, abjectè & viliter eſt expulſus. Qui pro tempore gaudens, quòd manus àduncas & hamatas evaſiſſet, pedes, nec auſus retroſpicere ne in ſtatuam verteretur, uſq; *Walerle*, domum *Ciſtercienſium*, licèt ſenex, avolavit. Quem cum viderent Monachi, admirabantur, quiſnam caſus ipſum ſolum & fugitivum ad ipſos ſic fugârat. Ibi igitur conſolatione ſuſcepta, reſpiravit.

Querimonia facta Archiepiſcopo.

PASSI igitur tantam injuriã Archiepiſcopales, coram ipſo Archiepiſcopo ſuper tanta præſumptione, de magnis majora, & de gravibus graviora derivantes, cum fletibus & ſuſpiriis graviſſimam reponunt querimoniã. Archiepiſcopus igitur pluſquàm dici poteſt ira motus, ait: Hi ſunt duri rumores, in primo adventu noſtro. Aſſumptis igitur ſecum *Cieeſtrenſi* & *Harefordienſi* Epiſcopis, *Londinum* profectus eſt. Et ipſe & duo Epiſcopi memorati, Pontificalibus redimiti, coram innumerabilibus, quos ad hoc fecerant voce præconia convocari, conceſſa advenientibus venia triginta dierum, apud ſanctam *Mariam de arcubus*, horribiliter nimis ac ſolenniter omnes hujus temeritatis auctores & fautores (exceptis duntaxat domino Rege & Regina cum liberis eorũ, & Comite *Richardo* & Comitiſſa uxore ejus, & liberis eorundẽ) excommunicavit. Scripſit inſuper omnibus Epiſcopis ſuffraganeis ſuis, quatenus in virtute obedientiæ, qua tenerentur eccleſiæ *Cantuarienſis* obligati, ſimilia facerent in eccleſiis ſuis, ſingulis diebus dominicis & feſtivis, diſtrictè præcipiendo. E contrà electus *Wintonienſis* confeſtim demandavit Decano de *Suwere*, & quibuſdam ſibi ſubjectis aliis, ut ipſi Archiepiſcopo contradicentes, in faciem denunciarent palàm, ipſam ſententiam penitus nullã eſſe: Imò inanem & frivolã, in peccatis eſſe vulpinam excuſationẽ. Sed Archiepiſcopales de hac injuria & ſcandalo jam inde orto, ad ſummũ Pontificem appellârunt. Fuerunt equidẽ nonnulli neutri partium faventes, qui dicerent Archiepiſcopum manifeſtè injuriatum fuiſſe Electo. Quia ut ceſſarent tales controverſiæ, procuratum fuerat, ut fieret compoſitio quædam: quod tota domus memorata non obſtante titulo patronatus, diſpoſitioni Epiſcopi *Wintonienſis* ſolvẽdo inde tres ſolidos ãnuos pro recognitione, ſubjaceret. Et ita uterq; diffamatus notã incurrit injurioſæ violentiæ, dum cives memores procacitatis, quam Archiepiſcopus in primo ſuo impetu *Londini* fecerat, & extorſiones pecuniæ infinitas, quas idem procuraverat, necnon violentiam Regis in ſui creatione, & ſuorũ beneficiorũ enormẽ collationẽ, recitarent. Et ex alia parte Regales, ſcilicet *Pictavenſes* notã proditionis ſibi innatæ, cum aliis conviciis, ſicut moris eſt objurgantiũ, ſortiuntur. Fueruntq; de civibus hæc audientibus non pauci qui optarent, ut hi illos excerebraſſent, alii reliquos eviſcerantes. Et cũ ſcribatur, *Væ illi* vel illis, *per quos ſcandalũ venit*; utræq; partes ortis opprobriis & ſcandalis non minimis periclitabãtur. Sic igitur Regales cõtra Reginales, *Pictavenſes* contra *Provinciales*, quos multæ faciunt poſſeſſiones inſanire, miſeris *Anglicis* dormientib. debacchantur, ac ſi certarẽt qui eorũ eliminatis indigẽis, Regno præfore excellentiùs mererẽtur. Veruntãen famæ vẽtilatio *Pictavẽſes* plùs condẽnavit, quia Electus contra ſuperiorẽ ſuum,

tam ſu-

1252. ſuperbè excedendo modum, confiſus de fratre ſuo Rege, qui ipſum ut Deus novit, creaverat. Et ſic maximè, quia per peditionem patris dicimur *Pictaviam* amiſiſſe.

Archiepiſcopus venit ad Oxonium.

ARCHIEPISCOPUS autē *Bonifacius* ignē iræ conceptæ ſub cinere theſaurizans, & condignè inſiſtens; prout magiſter *Euſtachius* qui magis lædebatur, & magis doluit, inſtigavit ultioni de tam enormi tranſgreſſione, verſùs *Oxoniū* greſſus maturavit, ut ibidem convocata ſcholariū univerſitate, quæ de diverſis mundi partibus illic ſtuduit congregata, factū tam nefarium ſeriatim in publico propalaret. Ut ſic non lateret per relationes eorum tanta culpa remotas etiam nationes. Qui cum illuc veniens, civitati appropinquâret, perrexit ei obviam in equis phaleratis & prælectis indumentis, innumerabilis cleri multitudo; & ei, ut decuit, tanquam Archiepiſcopo & totius *Angliæ* primati ac genere præclariſſimo, reverenter occurrendo, applauſum fecit & honorem; & pranſurum in eſculentis & poculentis abundanter reſpexerunt. Quorum facetiam, geſtus maturitatem, veſtium compoſitionem, morum ſeveritatem cùm Archiepiſcopus & ejus umbratiles clerici *Provinciales* conſiderâſſent, confiteri cogebantur, quod *Oxonienſis* univerſitas æmula *Pariſienſis* cenſeri promeretur.

Sententia promulgatur Oxoniis.

IN craſtino igitur beati *Nicolai*, coram univerſis clericis, quos pulſato ſigno communi fecerat ad hoc congregari, præſumptuoſam temeritatem, ac temerariam præſumptionem; electi *Wintonienſis* ſumens ex Rege confidentiæ audaciam, fratrumque ſuorum & complicum, in propatulo fecit recitari, & nomina tranſgreſſorum expreſſè publicari, & ſententiam ſæpedictā innovavit, quæ in literis pleniùs conſcribuntur, quas idem Archiepiſcopus conſtituit Epiſcopis ſuis ſuffraganeis tranſmitti univerſis. In quibus pleniùs nomina tranſgreſſorum exprimuntur. Quas qui intueri deſiderat, *librum* requirat *Additamentorum*; qui apud *ſanctum Albanum* repoſitus, omnem hujus negotii hujus ſummum pleniùs declarabit. Conſtat autem univerſis & ſingulis, electum & fratres ejus, hujus factionis auctores extitiſſe.

Blanchia Regina Francorum moritur.

CIRCA idem quoque tempus, videlicet prima Dominica adventus dominici, prima die menſis, obiit dominarum ſæcularium domina *Blanchia Francorum* Regis mater. *Franciæ* quoq; cuſtos, tutrix & Regina, ut adventanti Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, devota ſua occurreret ancilla veneranter. Cujus mortem *Francis* lugubrem ac damnoſam, dolo multiplex anticipavit, mariti ſui ſcilicet Regis *Ludowici* mors, ſuæ gratiſſimæ juventutis peremptiva, Regni *Francorum* ſibi incumbentis, non minima ſolicitudo, filii ſui ægrotativa teneritudo, ejuſdem crucis ſignatio, & poſteà ipſius peregrinatio irreditura. Deinde, captio toti *Chriſtianitati* deploranda. Item, *Roberti* Comitis *Atrebatenſis* probroſa fuga, quam ſequebatur flebilis ſubmerſio. Comitis inſuper *Pictavenſis Andephulſi* morbus incurabilis. Poſtremò, quòd relatum eſt rei, quòd filius primogenitus ejus, Rex ſcilicet *Francorum*, Deo militaturus in *Terra ſancta* propoſuit ibidem omnibus diebus vitæ ſuæ morari & mori, pro Regnoque terreno, cœleſte fœlici commercio commutare. Nobiliſſima igitur domina mater prædictorum *Blanchia*, ſuis orbata pignoribus, præmortua languit deſolata. Videnſque mortem imminere, corpus ſuum legavit ad ſepeliendum domui ſanctimonialiū apud *Ponteyſe*, quam ipſa à fundamentis magnificè conſtruxerat. Facta eſt autem ſanctimonialis profeſſa velata ante mortem, & ſupra velum appoſita eſt corona, & veſtita eſt reginaliter, & ſic ſepulta eſt, ut decuit, redimita. Magnanima igitur *Blanchia*, ſexu fœmina, conſilio maſcula *Semirami* meritò comparando, valedicens ſæculo; Regnum *Francorum* omni ſolatio reliquit deſtitutum.

Ineſtimabiles reditus Johannis Manſel.

ANNI verò ſub ejuſdem volumine, *Johannes Manſel*, qui domini Regis principalis conſiliarius extitit, arridente ſibi fortuna, in tantum ditatus eſt reditibus; ut ſeptingentis de novo ſibi accumulatis, ad quatuor millia marcarum totalis ejus reditus annuus æſtimabatur. Ita ut noſtris temporibus, non eſt viſus clericus ad tantam opulentiam aſcendiſſe. Admirabantur autem cum ſtupore, qui ea quæ Dei ſunt ſapiunt, vehementer, hominem tam circumſpectum tot animarum curam ſuſcepiſſe non formidare, cum de omnibus coram ſummo Judice, ut reddat rationem ſibi, ſe conſtiterit obligatum; ſed ut verificetur quod ſcribitur, multi multa ſciunt, ſeipſos penitus neſcientes.

Epiſcopus Lincolnienſis fecit computari reditus alienorum in Anglia.

IPSO quoque anno in tantum permiſſa eſt *Romanorum* avaritia, & in tantum adeo aſcendiſſe, quòd Epiſcopus *Robertus Lincolnienſis* ſuper hoc ſtupefactus, fecit à ſuis clericis diligenter computari & conſiderari alienorum proventus in *Anglia*, & inventum eſt & veraciter compertum, quòd iſte Papa præſens, videlicet *Innocen.* quartus, plus eccleſiam univerſalem depauperaverat, quàm omnes prædeceſſores à tempore Papatus primitivi. Redituſque clericorum per ipſum in *Anglia* alienorum, quos eccleſia *Romana* ditaverat, ad pluſquam. lxx. millia marcarum aſcendit. Reditus Regis merus, non ad ejus partem tertiam computatur.

Afflictio Monachorum Ciſtercienſis ordinis in Anglia.

EODEMQUE anno, Rex comperiens quòd diſcordiæ Magnatum ortæ propter Warennas eorum, theſauro ſuo per foriſfacturas, in quas inciderunt, præbuerunt, licèt turpiter, incrementum, fecit acclamari voce præconia in locis publicis, ſcilicet marcatis; quòd qui Warennā habere deſideraret, loqueretur inde cum eo, & data pecunia benignè, exaudiretur. Quod & aliqui fecerunt, & ſic deperiit jus multorum, per antiquas chartas eis conceſſum, confirmatū, & uſitatū. Unde Abbas & Conventus de *Waredona*, credentes ſibi prodeſſe ſi Warrennā haberent, quia nobiliū miniſtri conterminorū ſepes eorum dilacerabant, & agros eorum ſeminatos percurrentes & omnia conculcantes, fratres eorum cultores & cuſtodes verberibus & verbis

contumelioſis

contumelioſis affecerunt, à Rege data pecunia Warennam impetrârunt. *Willielmus* autem de *bello Campo*, videns in hoc ſibi derogatum eſſe; pecudes cepit & afflixit eorundem, & fratres eorum cuſtodes trucidavit, vulneravit, & multipliciter damnificavit. Didicerat enim uxore ſua ſtimulante (uxorius enim extitit) religioſos pluſquam milites impugnare, dum jam per ſpacium duodenne Canonicos de *Newenham* inceſſanter fatigârat, durus exiſtens & petrinus quibus patronus debuit extitiſſe. Modo quoque conſimili, *Petrus* de *Sabaudia*, cui Regis maxima familiaritas cornua præſtitit præſumptionis, non veritus Magnatum antiquorũ beneficia perturbare & ſtatuta infirmàre, ſanctam domum *Gyrivallenſem* ordinis *Ciceſtrienſis* in partibus *Angliæ* Borealibus, a piis patribus noſtris ſitam & magnificè fundatam, continuatis decennalibus, perſecutionibus non deſtitit fatigare. Rex autem hæc omnia conniventibus oculis, ſceleribus pretranſiit impunitis, & ita permittens, id eſt, conſentiens, & facinora prepetrantes divinæ ultioni graviùs reſervantur. 1252.

TRANSIIT igitur annus ille frugibus & fructibus mediocriter fœcundus. Peſte pecudum mortifera truculentus. Et ut de humano ſtatu ſuccincta diſſeram brevitate, omni hominũ generi turbulentus. Cujus utique perturbationis, inter Orientales captio Regis *Francorum* cauſa fuiſſe infœliciter perhibetur, ſicut os projectum in medio canum protervorum, quod cùm quilibet nititur apprehendere, alter in alterum inſurgendo nititur protervire; & ſeſe mutuò pro oſſe corrodendo, corrodunt, nec corroditur. Imperium quaſi ratis ſine gubernaculo periclitatur. Regnum *Francorum* ſpoliatum Rectoribus, Baronibus, armis & theſauris, nunquam adeò doluit omni deſtituta conſolatione. *Anglia* verò ab alienigenis conculcata, & multis dominis inclinata, ſuique Regis ſincera dilectione viduata, extremis quoque ſubjacens conditionibus, inconſolabiliter contabuit deſperata. Et quod graviſſimum eſt, diatim inter eccleſiam & populum, odium venenoſum ſuſcipit incrementum. *Annalis ecclesiæ.*

ANNO domini milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo tertio, qui eſt annus Regni domini Regis *Henrici* tertii trigeſimus ſeptimus; fuit idem Rex ad Natale apud *Wintoniam*, gaudia magnificè Dominicæ celebrans nativitatis. *Rex Angliæ Natalitia celebrat Wintoniæ*

TUNC quoque temporis, venerunt nuncii domini Regis & quorundam Magnatum *Angliæ*, nunciantes quòd quidam Frater de ordine *Prædicatorum Petrus* nomine, dum prædicaſſet *Mediolani*, & vitia & errores, imò hæreſes *Mediolanenſium* non palpando redarguiſſet, pro aſſertione veritatis ab eiſdem latenter interemptus eſt; & ſic Martyrium precio ſubiit veritatis. Sed ne lateret diu veritatis ſub modio lucis ſerenitas, Dominus ipſum ilicò miraculorũ indiciis manifeſtavit: ſuper quibus dominus Papa ad plenũ certificatus, ipſum magnificè canonizavit. *Petrus ordinis Prædicatorum canonizatur.*

RETULERUNT inſuper nuncii memorati, quòd menſe Auguſti *Romani* elegerunt ſibi novum Senatorem, civem *Bononienſem*, nomine *Brancaleonem*, virum juſtum & rigidum, juriſq; peritum, qui noluit electioni de ſe factæ quomodolibet conſentire niſi ſecurum eum facerent, quòd tribus annis, contra ſtatutum urbis ſtaret in ipſius Senatus potentia. Exegit inſuper ab unoquoque civium potentum obſidem frugalem, & ab univerſitate ſacramentum; ut eidem tanquam Senatori fideliter obedirent. Noverat enim inſolentiam *Romani* populi pro minimo frequenter recalcitrantis, & ſeditionem commoventis. Cùm autem conſentiens à civibus & populo reciperetur, poſita eſt ei conditio irrefragabilis; ut ſcilicet urbem & urbis populum juſtè gubernaret, vel nunquam corpore integer *Bononiam* remearet. Stabilitus interim Senator triennalis, quoſdam de civibus de homicidio infames & demum convictos, in feneſtris ſuorum caſtrorum ſuſpendi fecit; & quoſdam contumaces patibulis fecit præſentari. *Romani eligunt Senatorem Brancaleonem*

REGI autem pranſuro in feſto Natalis memorati, cives *Wintonienſes* miſerunt nobiliſſimũ Xenium in eſculentis & poculentis domino Regi, quod potuit intuentes in admirationem commovere. Rex autem pro gratiarum actionibus, ipſos ad ducentas marcas in brevi perſolvendas obligavit: Natus enim ibi extiterat, & ſic natalis ſolennitatem, in lugubrem eis convertit lamentationem. Rex tamen non hoc reputans, conviviis intendebat celebrandis. Sed quia vix hujuſmodi mundi ſerena gaudia adveniũt impermixta, læſerat hoſpitem utrunque ſententia lata ab Archiepiſcopo in electũ *Wintonienſem*, & in omnes fautores ejus, quia nondum abſolutus erat Electus, nec in oſculo pacis receptus, licèt pax fuiſſet ſubarrata. In Octavis Epiphaniæ Rege & Regina diligenter procurantibus, Rege pro fratre ſuo Electo: Regina, pro avunculo ſuo Archiepiſcopo, & tantò vigilantiùs, quia *Willielmus* de *Valentia* & *Johannes* de *Warrannia* dicebantur illi violentiæ interfuiſſe, plenè reſtitutus gratiæ & paci *Wintonienſis* Electus cum Archiepiſcopo, & in oſculo pacis receptus eſt. Juravit enim in publico, quòd nunquam conſenſerat illi violentiæ, nec illi unquam complacuit, ſed ipſo neſciente & invito fuerat temerè perpetrata. Et ſic abſolutus eſt ipſe Electus, & ut nullus ſcrupulus iracundiæ remaneret diſcordiæ, omnes qui dictæ contumeliæ intererant, largiſſimæ abſolutionis beneficio congauderent. Apparuit igitur per hujuſmodi rei conſummationẽ, quàm vigilanter Epiſcopi & omnes alii huic pacis reformationi intenderant, ubi impune omnis prædicta remiſſa injuria: & hoc quidẽ factũ eſt, quia Rex promiſerat illis ſe ipſis õnibus pacẽ procurantibus, ſemper fore obnoxiũ, & omnibus beneplacitis eorum pleniùs inclinandũ. Confidentius igitur ad tractatũ ardui negotii prætaxati, videlicet de conceſſione memoratæ contributionis, pro chartæ magnæ obſervatione, ſeſe contulerunt. Tandem poſt multas diſceptationes ad hoc inclinârunt, quòd non in tantam *Wintonienſes nobile xenium Regi mittunt.*

1252. ac talem, ſed in aliquã aſſentirent contributionem, & efficax auxilium præſtarent & ultroneũ, ſi Rex à conſuetis injuriis quibus eccleſiam oppreſſerat,prout multoties promiſerat,ceſſare voluiſſet,& piis conſiliis ſuorũ naturalium obſecundaret,& hoc ſuppliciter flagitabant. Ad quod favorabiliter Rex reſpondit,quòd providerent & ſecretò ſcriberent cum ſumma deliberatione articulos offenſionis cujuſcunq; & ipſe omnia emendaret emendanda, & ſtatutus eſt dies ea pronunciandi,ut Rex de communi conſilio omnia fœliciter reformaret. Optimam igitur ſpem conceperant, quòd Rex eis benignè obtemperaret, tum pro eo quòd ad inſtantem petitionem ſuam,omnem fratri ſuo Electo *Wintonienſi*, ut jam dictum eſt,offenſam remittentes,pacẽ plenariè reformarunt; tum quia cruce ſignabatur,quæ exigit juſtitiæ humiliationem; tum quia maturiore ætate roborabatur; tum quia exemplo patris ſui ,pleniùs poterat edoceri; tum quia per eventũ,qui nuper *Francorũ* Regi accidit,certiùs debuit præmuniri; tum quia eccleſia, eidem ſponte jam juvamen pollicetur. Et ſi multæ ſint cauſæ, quare hoc favore promptiſſimo faceret eneretur,unam huic volumini potiſſimam duximus annectendam. Diebus quibus beatus *Edmundus Cantuarienſem* rexit eccleſiam, conceſſa fuit quædam contributio Regi, ſecundùm deſiderium & poſtulationem ſuam: juravit idem Rex (tenens manum dexteram ſuper ſacro-ſancta Evangelia, & in ſiniſtra cereum accenſum, dicto Archiepiſcopo juramentum dictante) quòd ſine omni cavillatione ex tunc chartam toties fidelibus conceſſam,inviolabiliter obſervaret, nec ſe permitteret,aliquorum ſuſurronum conſuetis fallaciis irretiri. Similiter & multi, qui tunc præſentes extitère Præſules, candelas accenſas tenentes ſimul cum memorato Archiepiſcopo excommunicaverunt omnes ejuſdem chartæ violatores, & ſiniſtrè eam interpretantes,& in conſummatione latæ ſententiæ, quando ab omnibus & etiam ab ipſo Rege, ut moris eſt, fiat, fiat, iterabatur, & projectæ candelæ extinctæ projiciebantur,& fœtentes & fumigantes naribus circumſtantium & oculis offendiculum generarent, ait Archiepiſcopus: "Sic, "ſic extinguantur, fumigent & fœteant animæ condemnatæ eorum, qui dictam chartam vel "violabunt, vel ſiniſtrè interpretabuntur. Et acclamatum eſt ab omnibus,ſed à Rege frequentiùs & alacriùs, Amen, Amen. Et hæc acta ſunt in Capella ſanctæ *Catharinæ* apud *Weſtmonaſterium*. Veruntamen excelſa non abſtulit, ut legitur inveteri Teſtamento de quibuſdam Regibus inſipientibus. Imò pecuniam collegit, & collectam contra commune decretum, prodigaliter diſſipavit. Sic denuò,& in hoc anno,qui tempore fluxit in præſenti. Hoc deliramentũ quia ſæpè iteratur,non jam pro magno, (proh dolor!) reputatur.

Abitus Magiſtri Alberti.

MAGISTER *Albertus*, qui miſſo nuncio ad dominum Papam, mandatum ejus expectaverat, refertis clitellis repatriare maturavit. Noluit enim Papa aliquatenus Comitem *Richardũ* de theſauro ſuo juvare,vel caſtra conferre,ut poſſet receptari,nec obſides, quibus poſſet inniti confidenter,deſtinare. Credens igitur Comes conſilio ſaniori & mandati *Conradi* amici ſui, in pace remanſit. Dominus igitur Papa,cùm non poſſet Comitem enervare,ad alia fallendi argumenta ſe convertit,proponens fratris ejuſdem Comitis,ſcilicet domini Regis *Angliæ* ſimplicitatem circumvenire. Super quo prævaluit, prout dicetur in ſequentibus.

Aufugantur Judæi *de Regno* Francorum.

DIEBUS ſub eiſdem, venit de *Terra ſancta* mandatum domini Regis *Francorum*,ut omnes *Judæi* à *Francorum* Regno expellerentur,exilio damnati ſèpiterno, addito hoc temperamento: "Sed qui remanere deſiderat,negotiator ſit vel operator manuum,incumbat mechanicis artificiis. Improperatum enim fuit eidem Regi à *Saracenis*, quòd parum diligimus aut veneramur dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, qui peremptores ejus inter nos degere toleramus. *Caurſini* autem *Judæorum* exulantium, locum & officium licenter occupârunt.

Obitus Abbatis S. Auguſtini Cant.

IN eodem tempore, cùm Abbas ſancti *Auguſtini* obiiſſet, dominus Rex, ut ita monſtraret manifeſtè,quoniam chartam ſæpe dictam minimè vellet obſervare,bona illius eccleſiæ per ſatellites ſuos quaſi exterminando diripuit,& alios articulos ipſius chartæ tranſgrediendo nimis impudenter,in Prælatos & nobiles & cives *Londinenſes*,ſtuduit deſævire. Conventus dictæ domus nimis conſternatus,feſtinanter,ut peſtis rapinæ ceſſaret,præcentorem ſuum ſibi elegit in Abbatem. Qui poſtquàm eligeretur,vix de ſubſtantia eccleſiæ licuit ei de ſibi neceſſariis,facto fine cum Rege, providere. Diſſipatis igitur bonis eccleſiæ, vix poterant Monachi per quinquennium ſequens reſpirare.

Jactura & infamia eccleſiæ S. Mariæ Eborac.

TEMPORE quoq; ſub eodem,ſubiit Abbas & Conventus eccleſiæ S. *Mariæ Eboraci*,maximã cum infamia jacturam,propter quandam chartam,quam adverſarii eorundem (quorum maximus fuit *Johannes Franciſcus* clericus Regis de Scaccario) judicârunt fore reprobandam. Creditur autem indubitanter eundem *Johannem*,qui natione Borealis,reditus ſuos de bonis eccleſiæ memoratæ in partibus illis ſitienter deſideravit ampliare, illud ſecus quàm animæ ſuæ expediret procuráſſe,cùm ſcribatur, *væ homini per quem aliquod ſcandalum generatur.* Coacti ſunt igitur,maximam pecuniæ ſummam Regi numerare. Inſuper terras & reditus opimos, perpetuò amittere, & infamia indelebili deturpari. Diſperſi ſunt igitur Monachi, & illa nobilis eccleſia omnimodam induens confuſionem,diſcrimini patuit & ruinæ. Simili quoq; modo, Abbatiam de *Selebi*, ob cauſam conſimilem memoratus perſecutor *Johannes* (quem ultor Dominus monoculaverat propter præcedentia merita) irreſtaurabilibus damnis laceſſivit.

Romani Tyburtinam *civitatem vaſtârunt.*

IPSO quoq; tempòre, *Romani* civitatem *Tyburtinam* miſerabili exterminio vaſtârunt, propter civium inſolentiam & ſuperbiam, unde coacti ſunt cives nudi, diſcalceati, & vincti *Romam* adire, miſericordiam pro vita obtinenda petituri.

1252.

Comes Glovernia R. deſponſavit neptem Regis.

ANNO quoq; ſub eodem, indigenarū *Angliæ* argumentoſus ſupplantator, volens omnes Regni ſui nobiles degenerare, & ſic totam *Anglorum* in eorum excidium propaginem annullare genialem, atq; eorundem ſanguinem generoſum melancholicis fæcibus alienorū perturbare, doluit quòd ſaltem *Richardus* Comes *Gloverniæ* & ejus progenies ex fonte ſulphureo non coinquinaretur. Erat enim Comes juvenis, elegans, facundus, providus, & legum terræ peritus, & talis per omnia, ut omnium *Angliæ* nobilium in ſinu ejus meritò reponeretur, & omnium gratiam obtineret & favorem. Sed ſpes concepta fefellit univerſos, nam ignobilis avaritia diu delitescens, ipſius nobilitatem enormiter obſuſcavit, quæ ſic prorupit in publicum. Dominus igitur Rex olfaciens cupiditatem ejus (nam in cuſtodia ejus pluribus annis extiterat) ait illi: "Comes mi amiciſſime, volo ne te amodò lateat arcanum cordis, cupio te ſitienter ſublimare, "ditare, & promovere, filiæ *Guidonis* Comitis *Engoliſmi* fratris mei uterini, filiū tuum legitimū "primogenitū matrimonialiter copulando. Tibiq; largitor munificus quinq; millia marcarum "conferam, quibus poterit nurus illa ad regale faſtigiū, prout decet puellam Regia ſtirpe procreatam, ſublimari. *Avaritia* igitur (quæ ſola inter omnia vitia *Idolorum ſervitus* eſſe perhibetur) ſtimulante, Comes in hoc degener nimis, & ab avita declinans nobilitate, conſenſit, ut ſcilicet quandam ætate puerilem, imò infantulam, & ut præſumitur more *Pictavenſium*, fidelitatis ac ſpecioſitatis expertem, & à remotis & collateraliter, & occaſionaliter, Regalem generoſitatem ſibi uſurpantem, hæredi ſuo legitimo pro nummis, ac ſi eſſet inſtitor aut fœnerator, copularet. Et cùm non haberet Rex prædictam ad manū pecuniam, quia conſuevit eſſe undecūq; raptæ diſperſor, ſupplicavit, ſed imperioſè, Abbati de *ſancto Albano*, & Abbati de *Radingō*, & Abbati de *Wautham*, ut fide juberent verſùs Comitem *Gloverniæ*, pro pecunia memorata. Quod nullo modo facere debuerunt vel potuerunt. Quis enim Regem recalcitrantem, cogeret ad ſolutionem? Supplicavit inſuper *Templariis* & *Hoſpitalariis* inſtanter, ut onus dictæ ſubirent obligationis, quo dicto Comiti tenebatur. Quod cùm conſtanter renuiſſent, aſſerentes ſe hoc minimè potuiſſe, iratus Rex terribiliter comminatus eſt illis. Et in ipſa ira aufugavit fratrem *Rogerum Templarium* ab officio eleemoſynariæ, & à curia juſſit elongari: & aliis nactis occaſionibus, *Templariis* & *Hoſpitalariis* inſidias tetendit novercales. Rex inſuper, in multa pecunia tenebatur Comiti *Legriæ S.* pro reſignatione chartæ quàm habuit de Rege, de cuſtodia *Gaſconiæ* per quinquennium.

Rex Hiſpaniæ vendicat ſibi Gaſconiam.

REX igitur *Hiſpaniæ Andephulſus*, comperiens quòd Comes *Legriæ Simon* receſſit à *Gaſconiæ*, & chartam cuſtodiæ ejus reſignaverat, ilicò ſibi vendicavit *Gaſconiam*, & eo tutiùs, quòd ſoli puero principanti Edvardo relinquebatur, ſecundùm illud *Lucani*:

Ætas Niliaci nimiùm ſuſpecta tyranni eſt,
Ardua nempè fides maturos exigit annos.

Comperiens igitur hæc duo Rex memoratus, videlicet quòd receſſerat Comes vir Martius, & dominabatur puer, favorem ſummi Pontificis ſibi conciliavit, ut ſine aliqua eccleſiæ offenſione liceret ei, quod ſuum erat ex dono Regis *Anglorum Henrici* ſecundi, unde chartam habuit de dono ipſius Regis, & confirmatione Regum *Richardi* & *Johannis*, ſibi potenter repoſcere & mancipare. Rex igitur *Caſtellæ*, *Guaſtonem* quendam generoſum & potentem *Gaſconenſem*, & quoſdam alios de Magnatibus terræ illius ad ſe vocavit & adhæſerunt multi de Nobilibus *Gaſconiæ* (relicto Rege *Anglorum*) Regi *Hiſpaniæ*, & maximè divites qui vina ſua vœnalia in *Angliā* mittere conſueverunt, quæ Rex *Angliæ* pro libitu detinere & diripere non erubuit. Quòd videntes *Burdegalenſes* domini Regis *Angliæ* fideles, ipſi ſub omni celeritate nunciârunt, quòd niſi eis feſtinanter & potenter ſubveniret, totam *Gaſconiam* procul dubio amitteret, Regi *Caſtellæ*, qui omnia vendicat & occupare ſperat, mancipandam. Quod cùm audiſſet Rex, doluit, & pœnituit ipſum præcordialiter, ſed ſero, quod Comitē *Simonem* à cuſtodia *Gaſconiæ* revocâſſet. Comes autem ne precibus pulſaretur ut rediret, ceſſit in *Franciam*, ubi Magnates Regni *Francorum* libenter ipſum retinuiſſent, proponentes, ipſum ſibi & Regno ad conſulendum Regno deſolato, & multùm deſperato propter abſentiam Regis & mortem *Blanchiæ* Reginæ, ut eſſet eis (quia ſtrenuus fuit & fidelis) pro Seneſcallo. Quod conſtanter renuit Comes, ne videretur proditor extitiſſe, ſecundùm illud Apoſtolicum: *ab omni ſpecie mali abſtinete vos.* Comes autem *Richardus* quia de *Gaſconia* ſupplantabatur, unde & chartas obtinuerat, omnia conniventibus, cautè & tacitè conſiderabat.

Moderatio de viſitationibus.

DIEBUS ſub eiſdem, dominus Papa ut ambabus partibus ſatisfaceret, ſatis ſalubriter & tolerabiliter providit & decrevit, ut Archiepiſcopus & alii Prælati ad quos ſpectat viſitatio, viſitationem facerent debitam & conſuetam. Ita tamen, ut viſitati non gravarentur in procurationibus viſitantium, & limitando taxavit pretium cujuſlibet viſitationis, prout literæ *Additamentorum libri* declarant.

Magnates aliquot transfretant, ut matrimonium ad effectum ducant.

EODEMQUE anno imminente veris initio, Comes *Gloverniæ Richardus* & *Willielmus* de *Valentia* frater Regis, in magno apparatu & pompa ſimul transfretaverunt, ut matrimonium inter filium ejus *Richardum* primogenitum, & filiam Comitis *Engoliſmi* fratris Regis prælocutum, plenum ducerent ad effectum & conſummationem. Et ut fimbrias ſuas dilatando, laudem peritiæ militaris promererentur in ſua florente ætate, in quodam Haſtiludio ibidem commiſſo, vires

1253. vires ſuas, audaciam & equorum celeritatem, auſu temerario ſunt experti. *Francigenæ* enim ex innata ſibi ſuperbia indignantes, quòd juvenes calamiſtrati & delicati auſi ſunt in tantam prorumpere temeritatem (cum legamus *Hectorem Paridi* dixiſſe: —— *duro Mars milite gaudet*) ipſos alacriter exceperunt. Et ſpoliatos & proſtratos tam egregiè baculârunt, ut fomentis & balneis diuturnis indigerent. Parùm tamen plangi meruerunt, quia ad matromoniũ *Anglis* exoſum, vanè gloriantes & tribunaliter inflati, properaverunt. Viſa eſt tunc temporis Luna, quarta die antequam pronunciaretur.

Londinenſes coguntur Regi ſolvere pecuniam. EODEMQUE tempore, ſcilicet infra primam quadrageſimæ quindenam, Rex levi occaſiõe à civibus *Londinenſibus* (quos propter civitatis dignitatem & civium antiquam libertatem Barones conſuevimus appellare) ad mille marcarum contributionem ſunt compulſi. Et eodem tempore juvenes *Londinenſes* ſtatuto Pavone pro bravio, ad ſtadium quod Quintena vulgariter dicitur, vires proprias & equorum curſus ſunt experti. Quidam autem æditui & tyrones de familia Regis, qui tunc fuit apud *Weſtmonaſteriũ*, ſuper hoc indignantes, conviciabantur eiſdẽ, vocantéſq; ruſticos furfureos ipſos & ſaponarios, ſe eis oppoſuerunt in certamine. Quod ipſi *Londinenſes* alacriter exceperunt, et cùm fragmentis haſtarum in tantum ſupra dorſa eorum fabricaverunt, ut rubricatos et liventes, ab eorum equis omnes Regales darent præcipites, vel fugarent fugientes. Queruli igitur ad Regem connexis digitis et obortis lachrymis pervenerunt, rogitantes, ut tantum exceſſum non relinqueret impunitum. Rex igitur ad ſolita ultionis genera convertens, magnam à civibus ſummam extorſit pecunialem.

Proviſio ad roborandũ Regnum. EODEMQUE tempore videlicet Quadrageſimali, increbuerunt adverſi rumores, videlicet quod *Gaſconenſes* inſolentes facti ad invicem, de domino eorum Rege *Angliæ* dicebant. *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Injurioſus enim nec dicta, nec juramenta, ſed nec etiam chartarum tenorem obſervat. & poſt paucos dies auditum eſt, quod *Regula* in *Gaſconia* cum *ſancto Milione* & multa alia caſtra capta ſunt & amiſſa, & ſtrages hominum facta eſt non minima. Rex igitur non mediocriter formidans, ne per tales amiſſiões tota *Gaſconia* pateret diſcrimini, ſicut nuper contigit de *Pictavia* (maximè cùm dictæ terræ ſunt quaſi tutelæ et repagula totius Regni *Anglicani*) conſtituit, & generaliter per *Angliã* voce præconia fecit acclamari, miſſis ſuper hoc brevibus ad ſingulos comitatus, ut ſecundùm priſtinam conſuetudinem arma civibus competenter aſſignarentur, & monſtrarentur, et cenſerentur, ut eſſet ſufficientia et competentia ſecundùm cujuſlibet facultates. Et quicunq; quindecim libratas terræ haberet, miles fieret. Præterea, ut excubantes vigiles in qualibet civitate, ſcilicet quoad ejus extenderet poſſibilitas, et per diſcretos viros cõſideraretur, vicos & plateas, exitus & introitus diligenter cuſtodirent. Præterea providit Rex de conſilio *Sabaudienſiũ*, ut ſi quis obiter ſpoliaretur vel quomodolibet à latrone damnificaretur, ipſi quibus incumbebat eminentiùs patriæ cuſtodia, læſo ſatisfacerẽt competenter, & amiſſa, ſecundùm conſuetudinem *Sabaudicam*, reſtituerent. Et hoc facto malefactores inſequentes, patriam mundarent ab eiſdem. Sed hoc, ut multis videbatur, non potuit in hac regione fieri, ſicut in illa. Quia in illa non ſunt tot viarum diverticula, tot dumeta, tot latibula, tot ſylvæ, ſicut in iſta: ibi namq; propter inacceſſibilium montium prærupta, non patet via, niſi communis ſtrata trita, ubi non poſſunt latrones commodè latitare vel divertere, unde faciliùs comprehenduntur. Præterea quod ſine teſte fieri diceretur, quomodo demum probaretur? Ideò ſuperorto murmure, cepit res dilationem, imò potiùs deletionem, præſertim cùm tanta legis permutatio, ſine communi aſſenſu barnagii, conſtitui minimè valuiſſet.

Obitus Epiſcopi Ciceſtrienſis R. de Witz. ET circa eoſdẽ dies, videlicet quarto Nonas Aprilis, obiit Epiſcopus *Ciceſtrienſis*, magiſter ſcilicet *Richardus* de *Witz*, vir quidem eminentis ſcientiæ, eximiæ ſanctitatis, & quandoq; beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi clericus & conſiliarius ſpecialis, cujus veſtigia ſequi nitebatur pedetentim. Hic non ſine beati *Edmundi* prægnoſtico vaticinio, in Prælulatus promotus dignitatem, *Pontiniacum* adiit, cùm dictus ſanctus fuerat transferendus, ne tam ſpecialis amicus à tanta & tam ſecreta ſolennitate abſens extitiſſet. Iſte verò veluti domeſticus, omnium ſuorum conſcius extitit ſecretorum. Quæ inquirentibus, propter ædificationem palàm declaravit. Hujus igitur aſſertionibus, necnon & fratris magiſtri *Roberti Bacun*, de ordine *Prædicatorum*, certificatus dominus *Matthæus Pariſienſis*, Monachus eccleſiæ *ſancti Albani*, vitam memorati ſancti *Edmundi* ſcripſit, & quæ indubitanter didicit à fide dignis, diligenter digeſſit. Quam qui videre deſiderat, in eccleſia *ſancti Albani* ipſam poterit reperire.

Gaſconenſes iterum tumultuantur. ET circa feſtum ſancti *Ælplegi*, cùm viderent proditores Regis de *Gaſconia*, ſe à præſentia Comitis *Simonis* & omni edomitore, liberis habenis poſſe deſævire & debacchari, more ferarũ & jumentorum indomitorum, cœperunt ad invicem ſeſe corrodere & infeſtare, alter alterius caſtra invadere, homines captivare, & ædificia interemptis habitatoribus redigere in favillas. Ex quibus primus & præcipuus fuit *Gaſto*, jam dominus *Biarre* & *Peregoti*, multis pollutus facinoribus, juratus Regis, ſed pejeratus, cui pepercit idem dominus Rex ne damnaretur, qui ſe tranſtulit ad Regem *Hiſpaniæ*, ut plus Regem *Anglorum* infeſtaret. Vaſtavit igitur magnam partem *Gaſconiæ*, & hoſtem Regis animavit contra dominum ſuum Regem *Angliæ*, ita ut *Burdegalis*, quæ toti *Gaſconiæ* victualia conſuevit miniſtrare, cœpit egere.

Pauperum bona diripiuntur. HIS quoq; temporibus, incurrit Rex odium inexorabile & formidabiles imprecationes, tã indigenarum quàm exteriorum, cauſis diatim multiplicatis. Vicecomites enim & Regales miniſteriales, cauſis fictitiis quoſcunq; poterant depauperare, imò potiùs deprædari, ſtuduerunt,

peccata

1253

peccata minimè formidantes. Erantq; jam multi Reges in *Angliæ* rapinis inſiſtentes, quos nominare periculoſum arbitror & tædioſum. Ceperunt enim pauperũ & præcipuè inſtitorum equos, bigas, vina, victualia, pannos, ceram & alia neceſſaria, quæ etiam angariaverunt ad loca remota tranſvehere ab invitis, qui nec precium vel ſaltem grates exiles reportabant. Calumninantes inſuper lagenas & ulnas, quærentes nodum in ſcirpo, ſine cauſa miſerabiliter mulctaverunt in Burgis, pecuniam ab inſontibus extorquentes. Et cùm vina *Gaſconenſium* ſimiliter ſine precii ſolutione vœnalia diriperentur, redierunt vacui in patriam ſuam omnibus partium illarum incolis conquerentes. Unde Rex infinitorum incurrebat indignationem.

ANNO quoq; ſub eodem, videlicet ad Paſcha, dominus Rex propter ipſius domus Religionem & dapſilem charitatem hoſpitalitatis, conceſſit & confirmavit Abbati & Conventui de *Wautham*, ut quotieſcunq; domum eorum vacare contigerit, Abbate cedente vel decedente, paſtore viduatam, Conventus liberè bona domus pro ſua voluntate diſponat, & plenam habeat tam de Baronia quàm de poſſeſſionibus ejuſdem Conventus diſponendi facultatem; & ſuper hoc, bonam eis chartam confecit. Hoc autem ã longè retroactis temporibus obtinuerant, ſed ad majorem ſecuritatem, hoc Rex illis conceſſit & confirmavit. Inſuper duo mercata conceſſit eiſdem, & quædam alia impendit beneficia, ſed hæc omnia in *libro Additamentorum*, cum tenore chartarum, pleniùs exarantur.

Conceſſio magnæ libertatis eccleſiæ de Wautham.

INSTANTE verò feſto Paſchali, Magnates *Francorum*, conſiderantes Regnum *Franciæ* conſilio deſtitutum imminere pericu'o, tum propter Regis in *Terra ſancta* Deo militantis abſentiam, tum propter dominæ *Blanchiæ* Reginæ mortem, tum propter optimatum *Franciæ* caſum in *Terra ſancta* ſubverſorum, conſpicientéſq; Comitis *Legriæ Simonis* fidelitatem & magnificentiam, qui per omnia ſtuduit patriſſare, ipſum quoq; jam fuiſſe à cuſtodia *Gaſconiæ* abſolutum, poſtulabant ipſum devotè, ut apud ipſos commorans, unus foret cuſtodum coronæ ac Regni *Franciæ*, & ipſi honores ei cõdignos accũularent pro merito. Sciebant, enim ut aſſerebant, quòd Regnum *Francorum* ab antiquo, ſicut & pater ejus *Simon*, qui pro eccleſia contra *Albigenſes* dimicaverat, præcordialiter diligebat, nec eſt à ſanguine *Francorum* alienus. Hoc jam ſecundò miſſis literis & nunciis ſolennibus, *Franci* Comiti memorato ſignificaverunt, quod conſtanter Comes, ne transfuga videretur, renuebat.

Franci *petunt conſilium & auxilium Comitis S.*

PER idem tempus, *Romani* miſſis nunciis ſolennibus dominum Papam rogitabant, ut *Romam* rediret, more boni paſtoris, gregem ſuum juvaturus, & ut gaudeat *Roma* ſuo Pontifice, ſicut aliæ civitates ſuo Præſule gratulantur, *Romanus* enim Pontifex appellatur. Porrò abuſivũ eis videbatur & videri debuit, quòd ipſa ſola *Roma*, quæ domina dicitur civitatum, inter omnes civitates, ſuo per tot tempora antiſtite & ſuperſtite viduatur. Ipſe autem Papa emolumentis inhians adventantium, & ſinum muneribus aperiens, vagus exſtitit & inſtabilis, ciſmontanis ſe præſentem exhibendo. Et cùm venire diſtuliſſet, iterum vocabant eum *Romani*, ut priùs, ſed ſolenniùs, & ſub hac forma, ut ſcilicet tunc veniret, vel nunquàm. Videns igitur Papa ſibi periculum imminere, menſe Maii receſſit à *Peruſio*: maximè cùm *Romani* ſignificaſſent civibus *Peruſii*, ſub pœna exterminii & obſidionis, ne diutius Papam retinerent: et *Romam* properat, timidus tamen et tremebundus. Inſtillatum enim fuerat auribus ejus, quòd *Romani* et etiam *Mediolanenſes* infinitam pecuniam eis debitam à domino Papa exigebant, quam effuderant in *Frederici* expugnatione, Papalia jura & eccleſiaſtica protegendo: unde Papa licèt triſtitiam ſereno vultu palliaret, urbem ſolicitus & pavidus intravit. Senator tamen & populus *Romanus* ipſum gaudenter ſuſcipiebat.

Romani *Papam domum revocant.*

IN quindena verò Paſchæ menſe Aprili, tota edicto Regio convocata *Angliæ* Nobilitas convenit *Londini*, de arduis Regni negotiis ſimul cum Rege tractatura. Extiterunt igitur ibidem cum Comitib. & Baronibus quamplurimis, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius*, Epiſcopi *Angliæ* ferè omnes. Archiepiſcopus verò *Eboracenſis* (qui in quantum poteſt Regis conſilia vitare conſuevit, quia expertus ea frequenter eſſe vana) excuſavit ſe, aſſerens ſe eſſe remotum & ſenem. Pro *Ceſtrenſi* autem abſente, valetudo manifeſta allegavit: Epiſcopatus *Ciceſtrienſis* tunc vacavit. Et cùm de magna Regis exigentia, qui poſtulavit ſibi peregrinaturo infinitam exhiberi pecuniã, diu & inaniter contractâſſent, & hinc inde nuncios utrobiq; conſenſus haberetur, contigit ut ex parte Epiſcoporum & omnium Prælatorum deſtinarentur ad Regem Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & *Carleolenſis* & *Saruberienſis* Epiſcopi, & electus *Wintonienſis*, ad perſuadendum & inducendum Regem, ut permitteret, prout ſæpius ſolenniter jurando promiſit, ſanctam eccleſiam ſuis gaudere libertatibus, maximè de electionibus, in quibus præcipuè eccleſiaſtica conſiſtit libertas. Nullibi enim jam in eccleſiis Cathedralibus vel Conventualibus poteſt aliquis promoveri, niſi per Regem intruſus. Unde Prælati & ſubditi ruunt in perditionem, & eccleſiæ enormiter damnificantur. Quòd ſi hunc & alios errores, ſecundùm magnæ chartæ libertatibus confectæ tenorem, emendaret, ipſi uſq; ad gravamen magnum petitionibus ſuis inclinarent. Quibus Rex: "Verum eſt, & inde doleo, et pœnitet me graviter hoc feciſſe. Inſtanter igitur procurandum, ut et talia peracta corrigantur, et ampliùs ſimilia non perpetrentur. Et vos in hoc mihi ſitis coadjutores, ne ſic promoti cum ſubditis condẽnentur. Recolitis enim memoriter, quòd hunc Archiepiſcopũ *Cantuarienſem Bonifaciũ*, ad tantam dignitatem promoverim, et te *Willielme Saruburienſis* ex imo exaltaverim, qui meorum brevium ſcriptitor extitiſti, et multis judiciis periculoſis tanquam Juſtitiarius et conductitius interfuiſti.

Magnum parlamentum in quindena Paſchæ habitum.

1253. “interfuiſti. Et te *Sylveſter Karleolenſis*, qui diu lambens cancellariam clericorum meorũ clericulus extitiſti, qualiter poſtpoſitis multis theologis & perſonis reverendis, te in Epiſcopatum ſublimavi. De te ſimiliter frater mi *Ethelmare* liquet, qualiter invitis Monachis, vel prece, vel timore corruptis, te ad nobilem *Wintonienſem* eccleſiæ apicem evexi, ætate & ſcientia & pædagogo adhuc indigentem. Expedit primò & principaliter mihi & vobis, ut vos quæ injuſtè adepti eſtis, pœnitentia ducti reſignetis, ne æternaliter condemnemini. Ego verò tali exemplo juſtificatus & caſtigatus, de cætero nullum niſi dignum curabo promovere. “Ipſi verò ſatis civiliter & cynicè reprehenſi, reſponderunt: Domine Rex, non facimus de præteritis mentionem, ſed ſermonem extendimus ad futura. Omiſſis igitur talibus frivolis, quæ jurgia poterant ſuſcitare, ſe ad ardua ſeriò contulerunt. Tandem protracto tempore diuturno, & multis revolutis deceptationibus, poſt quindecim & ampliùs dierum continuationem, in hoc reſedit õnium unanimis conſenſus, ut voluntas Regis peregrinaturi, & ideo pia, non penitus ſuo deſiderio fraudaretur, nec eccleſiæ vel Regni ſtatus enorme pateretur detrimentum. Conceſſa eſt igitur Regi decima pars proventuum ab eccleſia recipienda, cùm iter *Hieroſolymitanum* per viſum Magnatum arriperet, in viaticum diſtribuenda, per trennium, in ſuccurſũ *Terræ ſanctæ* contra Dei inimicos: & à militibus ſcutagium illo anno, ſcilicet ad ſcutum tres marcæ: & Rex bona fide & ſine aliqua cavillatione, promiſit ſe chartam magnam & omnes ejus articulos fideliter obſervaturum. Quam tamen à multis retroactis annis, pater ejus Rex *Johannes* tenere juravit, & ſimiliter qui præſens eſt in ſuſceptione coronæ & poſtea multoties, unde infinitam emunxit pecuniam. Fuerunt autem tunc ibidem præſentes Prælati, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, *B. Londinenſis*, *Roffenſis*, *Elyenſis*, *Lincolnienſis*, *Wigornienſis*, *Norwicenſis*, *Herefordenſis*, *Sariſberienſis*, *Bathonienſis*, *Exonienſis*, *Carleolenſis*, *Dunelmenſis*, *Menevenſis*, electus *Wintonienſis*, *Ciceſtrienſis* nuper obierat. *Ceſtrenſem* verò excuſavit valetudo: *Eboracenſem* verò ſenium & remotio. Tertio igitur die Maii, in majori aula Regia *Weſtmonaſterii*, ſub præſentia et aſſenſu domini *Henrici* Dei gratia Regis *Angliæ* illuſtris, & dominorũ *Richardi* Comitis *Cornubiæ* fratris ſui, & *R.* Comitis *Northfolkiæ* & *Suffolkiæ* Mareſcalli *Angliæ*, *H.* Comitis *Herefordiæ*, *H.* Comitis *Oxonii*, *I.* Comitis *Warwickiæ*, et aliorum optimatum Regni *Angliæ*, nos *B.* divina miſeratione *Cant.* Archiepiſcopus, totius *Angliæ* primas, *F. Lond. H. Elienſis*, *R. Lincolnienſis*, *W. Wigornienſis*, *W. Norwicenſis*, *P. Herefordienſis*, *W. Sariſberienſis*, *W. Dunelmẽſis*, *R. Exonienſis*, *S. Carleolenſis*, *W. Bathonienſis*, *L. Roffenſis*, *T. Menevenſis* Epiſcopi, Pontificalibus induti, candelis accenſis, in tranſgreſſores libertatũ et eccleſiaſticorum et libertatum, ſeu liberarum conſuetudinum Regni *Angliæ*, et præcipuè earum quæ continentur in charta libertatũ Regni *Angliæ*, & charta de foreſta, excommunicationis ſententiam ſolenniter tulimus ſub hac forma *(Hæ chartæ ſcribuntur in hoc libro ſuo loco, ſcilicet tempore Regis I. quando ſcilicet eas conceſſit.) Auctoritate Dei omnipotentis, & filii, & ſpiritus ſancti, & glorioſæ Dei genetricis ſemperque virginis* Mariæ, *& beatorum Apoſtolorum* Petri *&* Pauli, *omniumq; Apoſtolorum, & beati* Thomæ *Archiepiſcopi & Martyris, omniumq; Martyrum, beati* Edvardi *Regis* Angliæ, *omniũq; Confeſſorum atq; Virginũ, omniumq; Sanctorũ Dei, excommunicamus, anathematizamus, & à limine ſanctæ matris eccleſiæ ſequeſtramus, omnes illos qui amodò ſcienter & malitioſè eccleſias privaverint vel ſpoliaverint ſuo jure. Item, omnes illos qui eccleſiaſticas libertates, vel antiquas Regni conſuetudines probatas, & præcipuè libertates & liberas conſuetudines, quæ in chartis communiũ libertatum* Angliæ, *& de foreſta continentur, conceſſis à domino Rege* Angliæ, *Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris* Angliæ *Prælatis, Comitibus, Baronibus, Militibus, & liberè tenentibus, qualicunque arte vel ingenio temerè violaverint, diminuerint, ſeu immutaverint clam vel palàm, facto, verbo, vel conſilio contra illas vel earum aliquam, in quocunq; articulo temerè veniendo. Item, in illos qui contra illas vel earum ſtatuta, aliqua ediderint vel edita ſervaverint, conſuetudines introduxerint, vel ſervaverint introductas, ſcriptores ſtatutorũ, necnon conſiliarios & executores, & qui ſecundum ea præſumpſerint judicare. Qui omnes & ſinguli ſuperius memorati, hanc ſententiam incurſuros ſe noverint ipſo facto, qui ſcienter aliquid commiſerint de prædictis: qui verò ignoranter, niſi commoniti, infra quindenam à tempore commonitionis ſe correxerint, & arbitrio ordinariorũ plenius ſatisfecerint de commiſſis, ex tunc ſint hac ſententia involuti. Eadem etiam ſententia innodamus omnes illos, qui pacem Regis & Regni præſumpſerint perturbare. In cujus memoriam ſempiternam, nos ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda.* Prolatáq; fuit in medium charta patris ſui *I.* in qua iterum conceſſit idem Rex *I.* mera voluntate, & recitari fecit libertates ſupradictas. Dum autem Rex memoratam ſententiam audiſſet, tenuit manum ſuam ad pectus ſuum ſereno vultu, voluntario, & alacri. Et cùm in fine projeciſſet candelas extinctas & fumigantes, et diceretur à ſingulis, ſic extinguantur et fœteant hujus ſententiæ incurſores in inferno, et campanæ pulſarentur, dixit ipſe Rex: “Sic me Deus adjuvet, hæc omnia illibata ſervabo fideliter, ſicut ſum homo, ſicut ſum *Chriſtianus*, ſicut ſum miles, et ſicut ſum Rex coronatus, et inunctus. Et ſciendum quòd in principio ſententiæ ferendæ, cùm traderentur omnibus candelæ accenſæ, tradita fuit Regi una, et cum accepiſſet eam, noluit eam tenere, ſed tradidit cuidam Prælatorum, dicens: “Non decet me candelam talem tenere, non enim ſum Sacerdos. Cor autem majus perhibet teſtimonium. Et ex tunc tenuit manũ expanſam ad pectus, donec tota ſententia finiretur. Epiſcopus autem *Lincolnienſis Robertus* præconizans in corde ſuo, & timens ne Rex à pactis reſiliret, fecit illicò cùm rediret in Epiſcopatum ſuum excommunicari ſolenniter, in qualibet eccleſia Parochia per

Dioceſim

1253.

Dioceſim ſuam, quæ præ numeroſitate ſua vix poſſunt æſtimari, & præcipuè Sacerdotes omnes ſupradictarum chartarum infractores, quæ ſententia potuit aures audientium tinnire, & corda non mediocriter formidare.

Comes S. deponitur à cuſtodia Gaſconiæ.

SOLUTO autem ſic concilio, Rex confeſtim peſſimo uſus conſilio, omnia prædicta cogitabat infirmare. Dictum namq; eſt illi, quòd non foret Rex, vel ſaltem dominus in *Anglia*, ſi ſupradicta tenerentur, & expertus eſt Rex *I.* pater ejus, qui mori prælegit quàm ſic peſſundari calcibus ſubditorum. "Addideruntq; his ſuſurrones Sathanæ, dicentes: Ne curetur ſi incurratis hanc ſententiam, pro centū vel ducentis libris te abſolvet Papa, qui ex ſuæ poteſtatis plenitudine quicquid placuerit, ſolvere poterit vel ligare. Major enim in majorem non obtinet imperium. Obtinebitis plenè decimā, quæ ad quamplurima marcarum millia aſcendet, quæ diminutio ſi domino Papæ illius inæſtimabilis ſummæ largiaris portiunculam, ipſe & te abſolvet, etiam ſi ſententia ab eo confirmetur: cùm ejus informare ſit, cujus condere, pro exili retributione, imò etiam terminū exhibitionis decimæ ampliabit, addito anno vel biennio: quod & poſteà factū eſt, prout ſequens narratio declarabit. Per idemq; tēpus, *Burdegalenſes* Regi pro certo ſignificabant, quòd niſi feſtināter & potēter in *Gaſconenſes* veniret, omnia foret amiſſurus: & hæc ſæpiùs præmādaverāt, ſed tunc præciſè, addētes quòd per tyrānidē Comitis *Legriæ Symonis*, multos ſubditos & amicos (quod & falſum fuit) perdidiſſet. Quia multò plures rebelles & fortiores edomitos, Regis ſubdiderat dominatui. Volens autē Rex placere *Gaſconenſibus*, ſignificavit eis, quod indubitanter vita comite illuc potēter veniret ad eorum cōmōdū & honorē. Fecitq; acclamari voce præconio in *Gaſconia*, quòd nullus ex tunc Comiti *S.* intenderet vel obediret. Significavitq; univerſis & ſingulis, quòd propter oppreſſiones & querelas, depoſuit Comitem, chartam quam de Rege obtinuerat, de obtinenda *Gaſconia* per ſequens triennium, non ſine magno precio redemerat. Et hæc omnia quamplurimum *Gaſconibus* placuêre. Sed tunc patuit quæ latuerat proditio, quòd ex quo ſciebant ejus dominationem expirâſſe, qui ſe eidem finxerant amiciſſimos, facti ſequaces fortunæ, inimiciſſimi apparuerunt.

H. de Bathonia redit ad curiam.

DIEBUS autem ſub eiſdem, *Henricus* de *Bathonia*, ſuarum oblitus cicatricum, ſeſe curiæ curis iterum ſpontaneus immiſcuit: ille enim quem mundus illaqueat, vix evadit. Anno quoq; ſub eodem, conſtitutus eſt Prothoforeſtarius loco *Roberti Paſſeleve*, *Ernaldus* de *Boſco* miles, ſcilicet in partibus Auſtralibus *Angliæ*, uſq; ad fluvium magnum, qui dicitur *Trenta*. *Johannes* verò de *Lexintona* miles, à dicto flumine uſq; ad Regnum *Scotiæ*, loco *Galfridi* de *Langeleia*, qui anno præterito ſine ratione & miſericordia, omnes illas partes inhabitantes foreſtis conterminos, miſerabiliter depauperaverat.

Miracula ad tumbam Ciceſtrienſis Epiſcopi R.

EODEMQUE tempore, operatus eſt Dominus miracula manifeſta in eccleſia Ciceſtrienſi, ad tumbam ſancti *Richardi* Epiſcopi *Ciceſtrienſis*, & jam patuit quod latuerat ſanctitas ejus occultata, ejus nempè cùm corpus exanimaretur, & ut moris eſt, exueretur ad lavandum, inventum eſt ciliciatum & circulis ferreis conſtrictum.

I. Clippinge eligitur in Epiſcopum Ciceſtrienſem.

CIRCA dies illos Canonici *Ciceſtrienſes*, Deum habentes præ oculis, elegerunt ſibi in Epiſcopum Magiſtrum *Johannem Clippinge*, ejuſdem eccleſiæ Canonicum.

Viſitatio Nigri ordinis.

TUNC quoq; temporis, Papa argumentoſè nimis intendens, injunxit Epiſcopis, ut quilibet Abbates & Conventus in ſua Dioceſi conſtitutos viſitaret. Injungens eiſdem, ut cogerent eos ſub pœna excommunicationis obſervare quoſdam articulos regulæ ſancti *Benedicti* impertinentes, nec ſunt de regulæ ſubſtantia, quos iidem Monachi nunquam tenere conſueverunt, nec voverunt. *Franciæ* verò Monachi *Nigri ordinis*, videntes ſe Regali munimine penitus deſtitutos, ne arbitrio Epiſcoporum, quibus exoſi ſunt maximè privilegiati, exponerentur, cogitaverunt ſibi pacem redimere. Datis igitur quatuor millibus librarum *Turonenſium* Papæ, ſic hujuſmodi tyrannidis impetum compeſcuerunt. Cujus rei ſeries & articuli, in *libro Additamentorum* plenius deſcribuntur. Abbas autem & Conventus *ſancti Albani*, appellaverunt ad præſentiā domini Papæ, ne ab Epiſcopo *Lincolnienſi* viſitarentur, quia ſic eorū privilegia caſſarentur.

Rex Angliæ parat expeditionem in Gaſconiam.

VIX autem celebrato concilio memorato (videlicet circa Calendas Junii) Rex certificatus de deſolatione *Gaſconiæ* milites ſibi ſervitium militare debentes, per totam *Angliam* fecit edicto Regio ſubmoneri, ut in *Gaſconiā* diſcrimini patentem potenter cum equis & armis profecturus, eam ad dominium ſuum & pacem revocaret, præcipiens diſtrictè, ut apud *Porteſmuam* in Octavis *Trinitatis* prompti eſſent & parati, cum ſibi neceſſariis ad transfretandum. Interim fecit capi violenter omnes naves inſtitorum, tam tranſmarinorum quàm ciſmarinorum, & aliorum ad ſuam transfretationem, ita ut ad ampliùs quàm mille naves computarentur. Quarū domini & cuſtodes, vento carentes proſpero, inutiliter moram per tres menſes non ſine magno damno & tædio protraxerunt, ut apertè videretur tranſitus ille Dei favore deſtitutus. Rex igitur theſauro ſuo pro magna parte jam conſumpto, à partibus maximè conterminis, omnes quas potuit religioſorum extorſit ſubſtantiolas, tranſmittendo huc & illuc homines & equos ad morandum, donec fœlicior aura arrideret. Scripſitq; Comiti *Richardo* & Reginæ Regni cuſtodibus, ut ſi aliqua nobilis Abbatia vacaret, cuſtodiam ejus ſibi reſervarent, vel etiam Epiſcopatus, nec eſt veritus multos articulos chartarum, pro quarum obſervatione nuper & etiam recenter tam horribiliter lata fuit ſententia, infirmare.

Strages in finibus Flandriæ facta.

ANNO quoq; ſub eodem, facta eſt ſtrages maxima in partib. *Flandriæ* & *Alemanniæ* conterminis hominū & equorum & pecudum, ita ut hominum bellatorū pluſquam quadraginta

Ppppp millia

1253. millia crederentur interempta. Et ſicut *Troja* per fœminam legitur fuiſſe cum ſuis incolis deſtructa, ita per fœminam, ſcilicet *Flandriæ* Comitiſſam, & hæc ſtrages tam damnoſa noſcitur perpetrata. Hujuſmodi autem infortunii irreſtaurabilis in *libro Additamentorum* cauſa & ſeries pleniùs exarantur. & hæc in ſequentibus plenius habentur. Eodémq; tempore obiit Epiſcopus *Landavenſis Willielmus*, cujus obitum cæcitas ſeptennis ſubnarraverat.

Archiepiſc. Cant. viſitationem facit.

PER idem tempus, Archiepiſcopus *B.* facta viſitatione apud *Feverſham* & *Roſam*, viſitavit Canonicos ſancti *Pauli* & alios in urbe. Et propter moderationem admiſſus eſt benignè. Et hæc cautè fecit, ut ſcilicet ſic viſitandi haberet ingreſſum & poſſeſſionem.

Angliæ *Mareſcallus reaccipit uxorem ſuam.*

TEMPORE ſub eodem, Comes *Rogerus Bigod*, *Angliæ* Mareſcallus, filiam Regis *Scotiæ*, quàm anteà ſiniſtro conſilio ſeductus ſpreverat, ſalubriter reaccepit, eccleſiæ judicio eruditus, & de veritate certificatus, & dixit: "Ex quo tale eſt judicium eccleſiæ, libens & tutus accedo ad matrimonium, quod priùs mihi fuerat ambiguum & ſuſpectum. Inſtillatum enim fuit auribus ejus, quod conſanguinitate contingebant.

Rex Angliæ *transfretat in* Gaſconiam.

EODEM autem anno, octavo Idus Auguſti, vento ſibi proſpero arridente, Rex conſtitutis Comite *Richardo* & Regina Regni cuſtodibus, & commiſſo eorum cuſtodiæ primogenito ſuo *Edvardo*, valedicens *Angliæ*, ſe Neptuno commiſit, navem aſcendens apud *Porteſium*, comitantibus eandem navem, trecentis magnis navibus cum alia claſſe numeroſa. Puer autem *Edvardus*, ſuper quem pater cum amplexibus & oſculis fleverat multiplicatis, ſtans in litore flens & ſingultans, noluit recedere dum poterat vela ſinuoſa navium intueri.

Mors Thomæ *de* Hertfordia *Archidiaconi* Northambriæ.

ANNO verò ſub eodem, videlicet in Octavis ſancti *Laurentii*, obiit in ſuo Archidiaconatu *Thomas* de *Hertfordia Northambriæ* Archidiaconus, frater domini Abbatis *S. Albani*, ſine ſancto ac beato, omnibus quæ ad *Chriſtiani* ſanctum tranſitum pertinent, præmunitus. Hic quandóq; beati *Edmundi Cant.* Archiepiſcopi diſcipulus in ſchola, & ſocius extitit familiaris, unde factus ei ſimillimus, ejus uſq; ad mortē (ſicut & magiſter *Richardus* poſteà factus Epiſcopus *Ciceſtrenſis*, de quo prædictum eſt) ſequi nitebatur veſtigia pedetentim. Moriturus autem, prout fuerat pauperum amator, fructuoſus & frugalis & præcipuè *Prædicatorum* & *Minorum*, delegavit corpus ſuum cuidam pauperrimæ domui fratrum de *monte Carmeli*, quod ad multū eorum commodum ceſſit & honorem. Corpore autem exanimato, dum aſſiſtentes de tumba lapidea ſollicitarentur, quia in illis partibus talis tunc minimè poterat inveniri, quam etiam cupiebant intitulare nomine *Thomæ*, ecce quidā Sacerdos nomine *Thomas*, vir bonus & pius, exclamavit dicens: Noſite ſollicitari ſuper hoc, ego enim ad manum habeo quod quæritis. Tumbam ſcilicet lapideam, nomine meo videlicet intitulatam, ubi hoc nomen *Thomas* inſculpitur, in qua ego *Thomas* peccator propoſui intumulari, ſed nunc nutu Dei omnia ad libitum diſponentis, aliter cœlitus eſt ordinatum. Dono igitur illam huic ſancto Archidiacono noſtro, nec oportet titulum alterare, ut me in domo cœleſti ſecum dignetur collocare. O quàm mihi diſſimilem hoſpitem, eſt hæc domus lapidea fœliciter conſecuta! Conſecuti ſunt igitur fideles *Chriſti* devoti ad tumbam ejuſdem ſancti *Thomæ* Archidiaconi, morborum miraculoſè remedia, & prout paginæ hujuſmodi ſcriptori certiſſimè proteſtabatur vir magnæ auctoritatis & ſcientiæ, dominus *Joh.* de *Lexintona*, Miles, Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, cujus teſtimonia credibilia facta ſunt nimis, multis miraculis ſolennibus hujuſmodi ſancti viri manifeſtavit ſanctitatem, unde in brevi, propter frequentiam & beneficia ſpiritualia & corporalia poſtulantium, prædictorum fratrum cellula in augmentum creſcens, cella meruit appellari. Hunc igitur ſanctum Archidiaconum *Thomam*, ſicut Epiſcopum *Ciceſt. Richardum*, licèt non *Romæ* canonizentur, contubernio S. *Edmundi*, cui fuerant in ſæculo ſpeciales, credimus indubitanter additos extitiſſe. Miracula quæ Dominus meritis beati Epiſcopi dignatus eſt operari, in *hiſtorialibus libris ſancti Albani*, videlicet in libro de vita S. *Edmundi*, annotantur. Miraculorum autem beneficia, quæ Dominus meritis memorati Archidiaconi *Thomæ* indigentibus impertitur, nota ſunt fratribus ſæpedictis *montis Carmeli* & compatriotis. Hos igitur tres beatos *Angliæ* alumnos, *Edmundum*, *Richardum*, & *Thomam*, Dei confeſſores, gloria perfrui ſummæ credimus *Trinitatis*.

Infortunium in exercitu Regis Francorum.

ET dum dies illi profluxerunt, quibus dominus Rex *Francorū* tempore tribulationis in *Terra ſancta* inglorius, fame ivaleſcente, in communitione *Cæſareæ* moraretur, quidam ejus miles nobilis & ſtrenuus de Regno *Francorum* oriundus, venit ad dominum ſuum Regem, dicens. Domine mi Rex, inutiliter & probroſè hìc jacemus. "Concede mihi, ſi placet licentiam, ut aliquid mihi adquirā inter infideles, cùm quibus non habetis treugam vel amicitiam, honoris, commodi & victualium, quibus maximè indigemus, ſalva exercitus noſtri diſciplina militari. Noſtis enim quod quicquid militi accreſcit utilitatis aut famæ, domino plenius accumulatur. Cui Rex benignè reſpondit: Vade, Dominus te ducat incolumem. Miles igitur collecta ſibi manu armata, exemplo *Willielmi Longæ ſpatæ* edoctus & animatus, qui conſimilem fecerat equitaturā, prout in loco ſcriptum eſt, profectus in partes *Saracenorum*, qui *Chriſtianis* acerbiùs nocuerunt, quos impetu repentino acriter invadens, hoſtes vicit diſſipatos. Et glorioſè triumphans, lætus multa ſpolia reportavit. Quod videntes quidam invidi de conſiliariis Regis, ac adulatores, dixerunt ei: "Domine, iſte miles multam pecuniam ſibi adquiſivit, jus expoſtulat, ut vos exinde aduberem partem vobis, qui jam indigetis, vendicetis & habeatis: ipſe verò de benevolentia & favore clam de exercitu contra edictum generale exivit, tranſgreſſionē faciens & temeritatem. Vocatus igitur miles, & provocatus ante Regem, graviter ab æmulis eſt accuſatus,

1253.

accuſatus,& adjudicatũ eſt,ut potiſſimã partẽ ſuæ adquiſitionis domino Regi concederet. Cui miles: "Domine,omnia mea tua ſunt,imò & ego tuus. Videtur tamen mihi juſtius, ut ipſe bo-"nis gaudeat adquiſitis, qui pro ipſis caput & vitam expoſuit adquirendis. Hæc enim,ut per-"pẽdo, verba excitarũt quidã deſides & formidoloſi cubicularii veſtri ac cõſiliarii, vobis blã-"diẽtes, & ut vobis placeãt adulantes. Proſiliens igitur unus ipſorũ in mediũ,quos ſic reprehẽderat,& ebulliẽs in ira magna,convitia multa in ipſum exaggeravit,dicens: Talia dicens men-"tiris per mediũ gulæ tuæ fœtentis,qui domini Regis collaterales ignaviæ redarguis & proditi-"onis: addens quòd malus miles eſſet fugitivus & victus, quod eſt in *Gallicana* lingua meſ-"chant, & hoc verbũ maximæ offenſionis inter eos. Cùm autem hæc audiſſet quidã miles junior,audax & ſtrenuus,filius videlicet militis accuſati, ira accenſus nimia proſiliit in mediũ,& non ſe capiens præ ira, ore reboante ait: "O pro cerebro Dei, & tu degener & imbellis, talia "auſus es verba patri meo præſente & audiente proferre? & ſubitò extrahens ſicam, quam bajulavit,ſcilicet hanelacium,ipſum concitò eviſceravit,& in ipſo furore exiliens,ſe in eccleſiã cauſa defenſionis recepit. Hoc autem videns pater, doluit quaſi uſq; ad mortem, & procidens ad pedes Regis,ait: Nunc domine mi reverendiſſime,experienda eſt Regalis clementia veſtra, "ſi parcere dignemini huic facto impetuoſo. Ego enim ſtare paratus ſũ curiæ veſtræ judicio, ac humiliter juri pariturus. Cui Rex: Reperi ſuper hoc idoneos fidejuſſores, & dum iret pater, filius ejus ſubitò à Regis ſatellitibus extractus eſt ſubito, & ſine judicio curiæ ſubito ſuſpenſus. Et cùm rediſſet pater cum fidejuſſoribus,juri parere per omnia paratus, vidit filium ſuum jam ſuſpenſum & mortuum, quod etiam procurarunt ejus inimici, ut pater videns filiũ extinctum magis angeretur. "Contremuit igitur præ anguſtia,& vix ora reſolvens: Quid hoc "eſt,domine mi Rex? ait. Suſpendiſti, vel ſuſpendi conniventibus oculis filium meum abſq; "judicio permiſiſti? non poſſum patrem diſſimulare. Ubi nam eccleſiæ reverentia? Ubi curiæ "*Francorum* Juſtitia? Quæcunq; me avito jure in *Francia* contingunt, necnon & homagium, & quæ nuper enſe meo adquiſivi,tibi reſignans derelinquo. Et ante expectatum,equum velociſſimum aſcendens,lateribus equinis non parcendo, ſe ad quendam *Soldanum* contulit,hæcq; omnia ipſi ſeriatim intimavit. Qui reſpondit: Confugiſti ad me? nunquam tibi deero. Pando tibi ſinum refugii & protectionis. Extunc igitur additus eſt paganorum exercitui,factus apoſtata formidabilis,& ſecundùm illud quod ſcribitur: *Ira eſt libido ulciſcendi*: extunc intendit ultioni vigilanter,& factus de amico familiaris inimicus,Regem & exercitum ſuum inæſtimabiliter damnificavit, non ceſſans donec qui filiũ ſuum ſuſpenderunt, interemiſſet. Sic,ſic igitur ex invidia ira generatur,& ex ira homicidium propagatur. Huic conſimillima peſtis jã quadraginta annis elapſis contigit,de quodam *Templario*, pro uno equo deſiderabili ſibi violenter ablato, transfugium ad *Saracenos* faciente, cui nomen *Ferrandus*, in armis ſtrenuus & conſilio circumſpectus, per quem primo *Damiatam* amiſerunt, ſed & omnem honorem infœliciter *Chriſtiani*: ſed tandem cùm ſubmerſioni patuiſſent, commotis viſceribus,ne culpa unius in tot millia redundaret,ſubvenit perituris.

Hoc igitur tempore,cũ aura proſpera diu exſpectata arrideret,Rex navem aſcendit, & poſt oſcula & amplexus, *Edvardus* rediit ad matrem ſuam, Rex ſinuatis velis transfretavit.

CIRCA aſſumptionem beatæ Virginis, applicuit Rex proſperè apud *Burdegalim*. Occurrentes autem cives, ipſum, ut decuit, reverenter receperunt. Inimici autem ejus,aut fugerunt, aut in caſtris, ut ſe defenderent, receperunt. Juſſit igitur illico *Regulam* obſidione vallari, ubi quamplurimum hoſtium ſuorum *Guaſtonenſium* latitabant. Ipſe *Guaſto* ad Regem *Hiſpaniæ*, cujus ſe fecit amicum & affinem,confugit, *Gaſconia*, quæ eum, ut dicebat, jure contingebat, promittens dominium. Ipſi quoque quos in *Regula* poſuerat, in hoc confidentes, ſeſe animoſè & viriliter defendebant.

Rex Angliæ applicat apud Burdegalim.

AUDIENTES autem qui Regni *Francorum* rexerunt gubernacula, quod Rex *Anglorũ* in *Gaſconia* incolumis applicuiſſet, ſuſpectam habentes *Pictavenſium* ſæpius expertam proditionem, præſertim cum Rex eorum remotus extitiſſet, timuerunt ne iidem *Pictavenſes* transfugium facerent ad Regem *Anglorum*, dominum eorum veterem & frugalem. Militarem igitur illuc manum deſtinantes, non permiſerunt eis habere caſtrorum vel civitatum cuſtodiam,vel dominiũ & ſic licèt inviti fideles effecti *Pictavenſes*, nec Regno *Francorum* nocuerunt,nec Regi *Anglorum* prodeſſe potuerunt. *Anglorum* tamen calcaneis laqueos clanculò paraverunt, prout in ſequentibus plenius declarabitur.

Pictavenſes Francis ſuſpecti.

DIEBUS ſub eiſdem, cum dominus Papa *Innocentius* iiii. ſignificâſſet per Apoſt. ſcripta,præcipiendo Epiſc. *Lincoln. R.* quatenus quiddam faceret, quod ei videbatur injuſtum & rationi diſſonum,prout frequenter fecerat illi & aliis *Angliæ* Prelatis, reſcripſit ei in hæc verba. *Salutem. Noverit diſcretio veſtra, quòd mandatis Apoſtolicis affectione filiali devotè & reverenter obedio. His quoque quæ mandatis Apoſtolicis adverſantur, paternum zelans honorem, adverſor & obſto. Ad utrumque enim teneor ex divino mandato. Apoſtolica enim mandata non ſunt, nec eſſe poſſunt alia, quàm Apoſtolorum doctrinæ, & ipſius domini noſtri* Jeſu Chriſti *Apoſtolorum magiſtri & domini, cujus typum & perſonam maximè gerit in Hierarchia eccleſiæ dominus Papa conſona & conformi. Ait enim Dominus ipſe noſter* Jeſus Chriſtus: Qui non eſt mecum,contra me eſt. *Contra ipſum autẽ nec eſt, nec eſſe poteſt Apoſtolicæ ſedis ſanctitas diviniſſima. Non eſt igitur prædictæ literæ tenor, Apoſtolicæ ſanctitati conſonus, ſed abſonus plurimùm & diſcors. Primò, quia de illius literæ & ei*

Epiſt. miſſa à Papa ab Epiſc. Linc.

1253. *conſimilium longè lateque diſperſarum ſuperaccumulato* Non obſtante, *nec ex legis naturalis obſervandæ neceſſitate inducto, ſcatet cataclyſmus inconſtantiæ, audaciæ, & precacitatis, inverecundiæ, mentiendi, fallendi, diſſidenter alicui credendi vel fidem adhibendi: & ex his conſequentium vitiorum, quorum non eſt numerus,* Chriſtianæ *religionis puritatem & ſocialis converſationis hominum tranquillitatem commovens & perturbans. Præterea, poſt peccatum* Luciferi, *quod idem erit in fine temporum ipſius filii perditionis* Antichriſti, quē interficiet Dominus ſpiritu oris ſui, *non eſt, nec eſſe poteſt alterum genus peccati, tam adverſum & contrarium Apoſtolorum doctrinæ & Evangelicæ; & ipſi Domino* Jeſu Chriſto *tam odibile, deteſtabile, & tam abominabile, quàm animas curæ paſtoralis officii & miniſterii defraudatione mortificare & perdere. Quod peccatum evidentiſſimis ſcripturæ ſacræ teſtimoniis committere dignoſcuntur, qui in poteſtate curæ paſtoralis conſtituti, de lacte & lana ovium* Chriſti *vivificandarum & ſalvandarum paſtoralis officii & miniſterii ſalarium comparant, debita non adminiſtrant. Ipſa enim miniſteriorum paſtoralium non adminiſtratio, eſt ſcripturæ teſtimonio, ovium occiſio & perditio. Quòd autem hæc duo genera peccatorum, licèt diſpariter ſint peſſima, & omne alterum genus peccati inæſtimabiliter ſuperexcedentia, manifeſtum ex hoc, quòd ipſa ſunt duobus exiſtentibus & dictis, licèt diſpariter & diſſimiliter, optimis directè contraria:* peſſimum enim eſt, quod optimo contrarium. *Quantum autem eſt in dictis peccantibus, unum peccaminum eſt ipſius Deitatis ſupereſſentialiter & ſupernaturaliter optimæ. Alterum verò deformitatis & deificationis, ex divini radii gratifica participatione eſſentialiter & naturaliter optimæ interemptio: & quia ſicut in bonis, cauſa boni melior eſt ſuo cauſato, ſic & in malis, cauſa mali pejor eſt ſuo cauſato. Manifeſtum, quoniam talium peſſimorum interemptorum deformitatis & deificationis in ovibus* Chriſti *in eccleſia Dei introductores, ipſis peſſimis interemptoribus ſunt pejores,* Lucifero & Antichriſto *proximiores, et in hac pejoritate gradatim, quantò magis ſuperexcellentes, qui ex majore et diviniore poteſtate ſibi divinitus in ædificationem, non in deſtructionem, tradita, magis tenerentur ab eccleſia Dei tales interemptores peſſimos excludere et extirpare. Non poteſt igitur ſanctiſſima ſedes Apoſtolica, cui à ſancto ſanctorum domino* Jeſu Chriſto *tradita eſt poteſtas omnimoda, teſtante Apoſtolo in ædificationem, non in deſtructionem, aliquid vergens in hujuſmodi peccatum, domino* Jeſu Chriſto *tam odibile, deteſtabile, et abominabile, et humano generi ſummè perniciabile, vel mandare, vel præcipere, vel quoquo modo ad aliquid tale conari. Hæc enim eſſet ſuæ poteſtatis evidenter ſanctiſſimæ et pleniſſimæ, vel defectio, vel corruptio, vel abuſio, vel à throno gloriæ domini noſtri* Jeſu Chriſti *ōnimoda elongatio, et in cathedra peſtilentiæ, pœnarum gehennalium duobus prædictis tenebrarum principibus proxima conſeſſio. Nec poteſt quis immaculata et ſincera obedientia eidem ſedi ſubditus et fidelis, et à corpore* Chriſti, *& eadem ſancta ſede per ſchiſma non abſciſſus, mandatis vel præceptis, vel quibuſcunque conaminibus, undecunque emanantibus, etſi à ſupremo Anglorū ordine, obtemperare, ſed neceſſe habet totis virib. cōtradicere & rebellare. Propter hoc, reverendi dōni, ego ex debito obedientiæ & fidelitatis qua teneor utriq; parenti Apoſtolicæ ſedis ſanctiſſimæ, & ex amore unionis in corpore* Chriſti *cum ea, his quæ in prædicta litera continentur, & maximè, quia, ut prætactum, ad peccatum domino* Jeſu Chriſto *abominabiliſſimum & humano generi pernicioſiſſimum evidentiſſimè vergunt, & Apoſtolicæ ſedis ſanctitati omnino adverſantur, & contrariantur Catholicæ fidei, unicè, filialiter, & obedienter non obedio, contradico & rebello. Nec ob hoc poteſt inde veſtra diſcretio, quicquam durum contra me ſtatuere, quia ōnis mea in hac parte & contradictio & actio, nec contradictio eſt nec rebellio, ſed filialis divino mandato debita patri & veſtri honoratio. Breviter autem recolligens dico, Apoſtolicæ ſedis ſanctitas non poteſt niſi quæ in ædificationem ſunt, & non deſtructionem: hæc enim eſt poteſtatis plenitudo, omnia poſſe in ædificationem. Hæc autem quas vocant proviſiones, non ſunt in ædificationem, ſed in manifeſtiſſimam deſtructionem. Non igitur eas poteſt beata ſedes Apoſtolica acceptare, quia caro & ſanguis, quæ Regnum Dei poſſidebunt, eas revelavit, & non Pater domini noſtri* Jeſu Chriſti, *qui eſt in cælis.*

Papa indignatur valde lectis literis Epiſc. Lincol.

HÆC cùm ad domini Papæ audientiam perveniſſent, non ſe capiens præ ira et indignatione, torvo aſpectu et ſuperbo animo ait. "Quis eſt iſte ſenex delirus, ſurdus, et abſurdus, qui facta audax, imò temerarius, judicat? Per *Petrum* et *Paulum*, niſi moveret nos innata ingenuitas, ipſum in tantam confuſionem præcipitarem, ut toti mundo fabula foret, ſtupor, exemplum, & prodigium. Nonne Rex *Anglorum* noſter eſt Vaſſallus, et ut plus dicam, mancipium, qui poteſt eum nutu noſtro incarcerare, et ignominiæ mancipare? Et cùm hæc inter fratres Cardinales recitarentur, vix compeſcentes impetum Papæ, dixerunt ei, Non expediret, Domine, ut aliquid durum contra ipſum Epiſcopum ſtatueremus, ut enim vera fateamur, vera ſunt quæ dicit. Non poſſumus eum condemnare. Catholicus eſt, imò et ſanctiſſimus, nobis religioſior, nobis et ſanctior, excellentior, et excellentioris vitæ, ita ut non credatur inter omnes Prælatos majorem, imò nec parem habere. Novit hoc *Gallicana* et *Anglicana* cleri univerſitas, noſtra non prævaleret contradictio. Hujuſmodi epiſtolæ veritas, quæ jam fortè multis innotuit, multos contra nos poterit commovere. Magnus enim habetur Philoſophus, Latinis et Græcis literis ad plenum eruditus, zelator juſtitiæ, lector in Theologia ſcholis, prædicator in populo, caſtitatis amator, perſecutor ſimonialium. Hæc dixerunt dominus *Ægidius Hiſpanus* Cardinalis, & alii, quos propria tangebat conſcientia. Conſilium dederunt domino Papæ, ut omnia hæc conniventibus oculis ſub diſſimulatione tranſire permitteret, ne ſuper hoc tumultus excitaretur. Maximè propter hoc, quia ſcitur, quòd quandóq; diſceſſio eſt ventura.

ANNO

1253.

Munificentia R. de Sotindona.

ANNO quoq; ſub eodem, dominus *Robertus* de *Sotindona*, domini Regis clericus & conſiliarius ſpecialis, perpendens effuſiones expenſarum domus *S. Albani*, cùm in plena poſſeſſione fuiſſet eccleſiæ de *Herteburne*, charitatis intuitu contulit eam eccleſiæ *S. Albani* in proprios uſus poſſidendam. Simile quoq; beneficium fecit eccleſiæ *S. Martini* de *Bello*, videlicet de eccleſia de *Ieſelham*. Iterum, ſimile fratribus *Hoſpitalis* de *Dovera*, eccleſiam ſcilicet de *Hoſpinge*. Proventus primi beneficii aſcendit ad precium trecentarum marcarum; ſecundi, centum; tertii, ſexaginta marcarum annuatim. Et hæc omnia pio affectu contulit, ut amplietur in unoquoque loco prædicto beneficium hoſpitalitatis, tam in equis quàm perſonis erogandum.

Ranulphus Abbas Rameſeiæ moritur.

IN vigilia autem aſſumptionis beatæ Virginis, obiit venerabilis Abbas *Ranulphus Remeſeiæ*, domum ſuam relinquens tempore tunc meſſis regalibus diripiendam. Tradita eſt igitur curiali clerico *Eudoni* cuſtodienda, cujus facta, ne ad aures obloquentium perveniant, prætermitto. Vaſa autem argentea quæ XXXV. marcas ponderabant, concupiſcibilia vina, & equos, & ſylveſtres beſtias ad opus cuſtodū Regni diripuerunt, & irreverenter ab eccleſia alienaverunt, & quod durius erat, à tenentibus de Abbatia non minimam pecuniam extorſerunt, qui cuſtodes & pupillorum tutores eſſe tenebantur. Miſſiq; ſunt ad curiam *Romanam* quidā Regis clerici, ſcilicet magiſter *Nicolaus* de *Plumtuna*, & magiſter *Joh.* de *Hybernia*, ad contradicendum, & omnia prædicta Regis promiſſa caſſandum, ut nullatenus pecuniari parcerent effuſioni, quin Regis propoſitum & deſiderium perducerent ad effectum. Interim per totum illum annum Epiſcopus *Lincolnienſis*, quia in ſpiritu præcognoverat, quòd Rex malo conſilio ductus & ſeductus omnia perverteret, excommunicari juſſit & conſtituit per totam Dioceſim ſuam omnes prædictarum chartarum infractores, & etiam ubicunq; fuerant hominum conventicula, ubi (proh dolor!) claves eccleſiæ ſunt contemptæ.

Mirabiles inundationes pluviarum.

DIEBUS autem ſub eiſdem, quiddam dignum contigit admiratione in ore multorum revolutū, ſcilicet quòd eodem anno cùm eſſet in Vere & Æſtate ariditas magna & diuturna, in fine Æſtatis & Autumno fluvii margines excedendo, & uſq; ad collium crepidines aſcendendo, loca finitima ſubverterunt. Et in fine Autumni & poſt feſtum ſancti *Michaelis*, cùm pluviarum multarum inundationes diffunderentur, tanta fuit ſiccitas & fluminum, imò & fontium diminutio, & aquarum penuria, ut qui molitura indigebant, uſq; ad unam ferè diætam annonam molendam detulerunt. Simileq; prodigium ipſo anno tempore contigit Vernali, contra naturam temporalem: tempore enim æquinoctiali, cùm temperies omnia moderatur, pax fieri conſuevit elementorum.

Feſtum ſancti Edvardi celebratur ſplendide.

FESTUM S. *Edvardi*, quod eſt in quindena S. *Michaelis*, de mandato Regis congregatis quamplurimis Prælatis & Magnatibus, adeò celebriter, procurantibus diligenter Comite *Richardo* & Regina, celebrabatur, ut nunquam nobiliùs.

Rex Angliæ adquirit caſtra ſua in Gaſconia.

IN fine verò Æſtatis anni illius, poſt multos labores & expenſas inutiles, adeptus eſt dominus Rex *Angliæ* caſtra ſua propria in *Gaſconia*, cum bonis conditionibus obſeſſorum. Nec illis multum damni vel injuriæ fecit, licèt multipliciter promeruiſſent, niſi quòd videbant & cognoſcebant, quòd vineæ ſuæ exſtirpabantur. Ipſi tamen quotidie in exercitum Regis, ſaxa molaria & jacula miræ magnitudinis in mortem multorum, tranſmiſerunt, quæ jacula tanquam ad prodigium monſtranda in *Angliam* portabantur. Qui tamen cum incluſi arctabantur, clam frequenter ad Regem *Hiſpaniæ* nuncios ſecretos tranſmiſerunt, ut ipſe Rex *Hiſpaniæ* ipſis tanquam ſuis fidelibus obſeſſis ſuccurrere dignaretur. Quæ omnia culpas ſuas & facinora exaggerabant. Cùm autem inviti & coacti exirent, domino Regi *Anglorum* mancipati, acceſſerunt fratres Regis uterini, exigentes captivos illos ad voluntatem eorum contrectandos, quòd in admirationem multorū domini Regis amicorum & indignationem, eſt præſumptum. Pepercit autem Regis remiſſa miſericordia manifeſtis inimicis tanto ſudore ſuperatis, neſcius illius facti Evangelici: *Adducite illos qui noluerunt me regnare ſuper eos, & interficite coram me.* Et emarcuit fama & reverentia illius, qui proprios opprimit, et blanditur alienis.

Legati miſſi à Rege Angliæ ad Regem Hiſp.

REX verò timens muſcipulas *Gaſconenſium*, ne transfugium facerent ad Regem *Hiſpaniæ* potentiſſimum, nuncios ſolennes ad ipſum, videlicet Epiſcopum *Bathonienſem* et dominum *Johannem Manſel* clericū ſuum ſpecialē deſtinavit, ut ejus fœdus et amicitiam humiliter poſtularent, et ſororem ſuam uterinā *Edvardo* domini Regis *Angliæ* primogenito et hæredi legitimo benignè concederet matrimonialiter copulandam. Ipſe autem dominus Rex *Angliæ*, *Gaſconiā* filio ſuo memorato conceſſerat, quòd non diſcrepat à conceſſione facta vel facienda ſorori jam dicti Regis *Hiſpanorū* filio ſuo *Edvardo* maritandæ. Quod negotium dicti nuncii uſq; ad conſummationem, efficaciter cum inæſtimabilibus laboribus & ſolicitudinib. proſequentes favorē & amicitiam cum quadam nobili charta, cujus bulla aurea marcam unam argenti ponderabat, reportārunt, in qua autē ſolenniter nimis inſertum fuit, quòd Rex *Hiſpaniæ* quietum clamavit quicquid juris habuit vel habere potuit ex dono Regis *Henrici* ſecundi & confirmatione Regū *Richardi & Johannis* in *Gaſconia*. Impetravit inſuper nunciorum ſolertia, imò ſolus, ut dicitur, *Johannes Manſel*, quaſdā libertates ad opus peregrinorum ſanctum *Jacobū* adeuntium, ut liceat ad beneplacitum eorum, hoſpitari in urbibus quæ ſunt in ditione Regis *Hiſpaniæ*, & victualia ſibi hoſpite eorum irrequiſito, liberè comparare. Poſtulabat autem dictus Rex præſentiam *Edvardi* ſibi exhiberi, ut ipſum videret & elegantiam conſideraret & peritiam, &

ipſum

1253. ipſum honorificè & ſolenniter, prout tantum decuit adoleſcentem, cingulo donaret militari. Quod cum domino Regi *Angliæ* nunciaretur, totius negotii ſeries ei complacuit, ſed ad ipſum Regē *Hiſpaniæ*, in tam remotas partes agentem, filium ſuum primogenitum & hæredem univerſorum tranſmittere, vehementer, nec mirum, formidabat, ne avaritia & malitia Rex *Hiſpaniæ* ductus & ſeductus, tanto gloriaretur obſide ſibi leviter præſentato. Tandem teſtimonio domini *J. Manſel*, teſtimonium de fidelitate Regis *Hiſpaniæ* perhibentis, & affirmantis, quòd nullo modo hoc faceret facinus, nec facere permitteretur, dominus Rex *Angliæ* in ſpem erectus eſt meliorem: unde ex tunc complacuit Regi, ut non tantùm pro *Edvardo*, imò & pro Regina confidenter mitteretur. Quod & factum eſt. In toto verò illius belli tempore, hoc contigit indeficienter, quòd ſi aliquis *Anglicus* delinqueret, ultra culpam puniretur: ſi alienigena, parva vel nulla ultio ſequeretur. Quod non immeritò penſabatur.

Saraceni *debacchantur in* Chriſtianos.

TEMPORE ſub eodem, quidam optimates Orientalium *Saracenorum*, in perniciem & odium *Chriſtianorum* confœderati ſunt, qui liberè diſcurrentes uſq; ad portas *Acon* licenter ſine contradictionis repagulo diſcurrebant, ubi damna in ſuperbia magna perpetrabant.

Fames magna in Gaſconia.

IPSIS quoque diebus, invaluit fames in exercitu Regis in *Gaſconia*, ita ut una gallina ſex denariis ſcilicet ſterlingis venderetur, ſumma frumenti viginti ſolidis, ſextarium vini duobus ſolidis & ampliùs. Panis autem unius libræ ponderis, duobus vel tribus denariis, ita ut quidam jejunus vix poterat miles cum ſuo armigero & puero & equis, duobus ſolidis argenteorum competenter ſuſtentari.

Abbas & Conventus S. Albani *abſolvitur à debito* R. Oxaie

EODEMQUE anno, videlicet, decimo Calend. Novembris, abſtracta eſt charta obligatoria, & de manu *Eliæ Judæi Londinenſis* & de arca liberata, qua Abbas & Conventus *S. Albani* tenebantur obligati, prō debito *Richardi* de *Oxaie* Militis, & acclamatum eſt in ſchola *Judæorū Londinenſi*, quòd Abbas & Conventus memoratus quietus eſt ab omni hujuſmodi debito contra eos, ab initio ſæculi uſq; tunc, prout ſtatutum obtentum ab eiſdem proteſtatur.

Fama Regis Hiſpaniæ *dilatatur.*

EISDEM diebus dilatata eſt fama Regis *Hiſpaniæ*, ſed non Regis, cujus titulus in ſcriptis ipſius talis ſcribitur: *Alphonſus* Dei gratia Rex *Caſtellæ*, *Legionis*, *Gallaciæ*, *Toleti*, *Murciæ*, *Cordubæ* & *Jehenni*. Dominatio verò Regis *Anglorum* in magna parte mutilata eſt, promiſit enim *Hyberniam* filio ſuo, & multas alias pōſſeſſiones, quæ tractatus exigunt ſpeciales.

Conſilium diſcretum Regis Hiſpaniæ *ad Regem* Angliæ.

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, Rex *Hiſpaniæ* amiciſſimus jam domino Regi *Anglorum* factus, cùm audiſſet de moribus ejus, condoluit in ſpiritu benignitatis & diſcretionis, & literatoriè ſignificavit eidem, ut exemplo bonorum Regum ac Principum, quorum titulus ab antiquo talis eſt: *Erit agnus domeſticis & ſuis commilitonibus, & leo exteris et rebellibus*: ille videlicet ſermo recitatur, ut alia ſequeretur, nec eſſet ampliùs ſuorum oppreſſor, & alienorum receptor & alimentator. Sed

Quid juvat in ſterili ſpargere ſemen humo?

REX *Hiſpaniæ* octo habet Regna: *Caſtellam*, *Gallaciam*, *Sibyllam*, *Cordubam*, *Murciam*, & *Hiſpalim*, quæ tenentur ab eo. Omnia hæc *Chriſtianis* ſubduntur. Habet inſuper duos Reges *Saracenos* ſibi tributarios, ſicut patet in charta domini Regis *Angliæ*.

Epiſcopus Lincolnienſis *infirmatur ad mortem.*

DIEBUS ſub eiſdem, cum dies caniculares ſuam exercuiſſent malitiam, Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus* apud *Bukedonam* manerium ſuum decubuit graviter infirmatus. Vocavit igitur ad ſe quendam fratrem de ordine *Prædicatorum*, magiſtrum *Johannem* de *ſancto Ægidio*, in arte peritum Medicinali, & in Theologia lectorem, eleganter eruditum & erudientem, ut ab eo corporis & animæ reciperet conſolationem. Noverat enim in ſpiritu, tribulationem in proximo eccleſiæ ingruere, quam non providimus. Unde præcepit Sacerdotibus per ſuam Dioceſim conſtitutis, ut ſolenniter in omnes chartarum magnarum de Regni libertatibus violatores, ubicunq; cognoſcerent homines conventuros, ſententiam excommunicationis indefeſſè innovarent. Cui præcepto quidam aulici tam clerici quàm laici, procaciter reſiſtentes, Presbyteris contumelia inferebant. Unde ex ipſo facto, ipſos novimus vinculo anathematis irretitos. Et cùm una dierum confabularetur Epiſcopus cum memorato fratre *Johanne* phyſico, recitando facta Papæ, redarguit graviter confratres ſuos *Prædicatores* & alios, ſimiliter *Minoribus* non pepercit, eò quod ordo eorum idcirco in paupertate voluntaria, quæ eſt paupertas ſpiritus, ſalubriter conſtituitur, ut liberiùs vitia potentum non palpent, ſed cenſoria auſteritate acriter reprehendant. Quia

Cantabit vacuus coram latrone viator.

In hoc autem, quod tu frater *Johannes* & alii *Prædicatores*, peccata magnatum audacter non redargutis, & facinora non detunicatis, hæreticos cenſeo manifeſtos. Et addidit Epiſcopus: Quid eſt hæreſis? Da definitionē. Et cùm hæſitâſſet frater *J.* non recolens authenticam ipſius rei rationem definitionē, ſubjunxit Epiſcopus fideli interpretatione *Græci* Idiomatis in *Latinum*: *Hæreſis eſt ſententia humano ſenſu electa, ſcripturæ ſacræ contraria, palàm edocta, pertinaciter defenſa.* Hæreſis *Græcè*, electio *Latinè*. ‘ Et conſequenter ſubjunxit reprehendens Prælatos

maximè

1253

“maximè *Romanos*, qui conſanguineis ſuis indignis, ætate & ſcientia inſufficientibus, curam committunt animarum. Dare curam animarum parvulo, ſententia eſt alicujus Prælati, humano ſenſu electa propter carnem vel terrenitatem. Et eſt contraria ſcripturæ ſanctæ, quæ prohibet fieri Paſtores, qui non ſunt idonei ad arcendum lupos: & eſt palàm edocta, quia manifeſtè portatur charta ſigillata vel bullata: & eſt pertinaciter defenſa, quia ſiquis voluerit contradicere, ſuſpenditur, excommunicatur & ſuper eum prælium ſanctificatur. Cui tota definitio hæretici convenit, hæreticus eſt. Sed quiſq; fidelis tenetur opponere ſe hæretico quãtum poteſt: qui ergo poteſt contradicere & non contradicit, peccat, & videtur fautor eſſe, ſecundùm illud *Gregorii*: Non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare. Sed fratres tam *Minores* quã *Prædicatores* maximè obligantur ad oppoſitionem contra talem, cùm utriq; habeant ex officio gratiam prædicandi, ſunt ad illũd officium per paupertatem liberiores: non ſolùm peccant, ſi ei non contradicunt, imo fautores ipſius exiſtunt, ſicut & Apoſtolus ad *Romanos*. i. *non ſolùm qui talia agunt, ſed qui conſentiunt, digni ſunt morte*. Poteſt ergo concludi, quod tam Papa, niſi ab hoc vitio ceſſet, quàm dicti fratres, niſi curioſos ſe exhibeant ad arcendum talem, digni ſunt morte, ſcilicet perpetua. Item dicit Decretalis, quòd ſuper tali vitio, videlicet hæreſi, poteſt & debet Papa accuſari.

Epiſc. Lincol. queritur de Pontifice Romano.

“ET quia noctes tunc temporis in longum protrahebantur, erat autem tertia nox ante feſtum ſancti *Dionyſii*, Epiſcopus lethali tædio & infirmitate prægravatus, accerſiri præcepit aliquos de clericis ſuis, ut ſaltem mutuis collocutionibus recrearentur: quibus Epiſcopus dolens de jactura animarum per Papalis curiæ avaritiam, ſuſpirans ait; *Chriſtus* venit in mundũ ut animas lucraretur; ergo ſi quis animas perdere non formidat, nonne *Antichriſtus* meritò eſt dicendus? Dominus ſex diebus mundum condidit univerſum, ſed ut hominem repararet, plùs quam triginta annis laboravit; nonne ergo animarum deſtructor inimicus Dei & Antichriſtus cenſetur? Privilegia ſanctorũ Pontificum *Romanorũ* prædeceſſorum ſuorum, Papa impudenter annullare per hoc repagulum *non obſtante*, non erubeſcit, quod non fit ſine eorum præjudicio & injuria manifeſta: ſic enim reprobat & diruit, quod tanti & tot ſancti ædificarunt; ecce ſanctorum contemptus! Meritò igitur contemptor contemnetur, ſecundũ illud *Iſaiæ*: *Væ qui ſpernis nonne contemneris?* quis ejus privilegia conſervabit? Errorem ſuũ ad hoc reſpondens Papa ſic tuetur: Par in parem non habet imperium, ergo Papa me Papã minimè prævalet obligare. Ad hoc reſpondeo, ait Epiſcopus; Mihi videtur, non ſunt pares navigans in mundi periculo, & gratulans in portus ſecuritate. Da, ut aliquis Papa ſalvetur. Abſit dicere contrarium. Dicit ſalvator; *Qui minor eſt in Regno cælorũ, major eſt Johanne Baptiſta, quo major inter natos mulierum, nemo ſurrexit*. Nonne major eſt ergo aliquis Papa dator privilegiorum vel confirmator, iſto vivente? Profectò, major mihi videtur, ergo in minorem habet imperium, non igitur debet præteritorum. Nonne dicit Papa de ſuis pleriſq; prædeceſſoribus, ille vel ille piæ recordationis prædeceſſor noſter, &c. & ſæpè, adhærentes ſancti prædeceſſoris noſtri veſtigiis, &c. Quare ergo quæ jecerunt, diruunt fundamenta qui ſequuntur? Plures Apoſtolici viri unum aliquod privilegium priùs piè conceſſum confirmarunt. Nonne plures divina gratia ſalvati, majores ſunt uno ſolo adhuc periclitante? Item antiqui patres noſtri viri Apoſtolici tempore ſunt priores; & quos antiqui temporis attollit reverentia, venerabiles habere tenemur. Hoc bene attendebat ſanctus virtute venerabilis *Benedictus*, omnium ſpiritu ſanctorum repletus in regula ſua; qui priùs venientes qualeſcunq; authenticis viris tardiùs ad ordinem accedentibus præponit, & eſſe præcipit venerabiles & priores. Unde ergo hæc injurioſa temeritas, privilegia antiquorum ſanctorum multorum in irritum revocare?

Lugubris querimonia de oppreſſionibus eccleſiæ.

“PRÆTEREA, etſi multi alii viri Apoſtolici eccleſiã afflixerint, iſte gravius aliis coëgit ancillari, & inconvenientia multiplicavit. *Caurſini* enim manifeſti uſurarii, quos ſancti patres & doctores noſtris, quos vidimus & audivimus, videlicet magiſter eximius in *Francia Prædicator*, Abbas quoq; de *Flay Ciſtercienſis* ordinis, magiſter *Jacobus* de *Viteri Cant.* Archiepiſcopus *Stephanus* exulans, magiſter *Robertus* de *Curcũ*, prædicando à partibus *Franciæ* ejecerunt, quia anteà hac peſte *Anglia* non laborabat, iſte Papa ſuſcitavit & protegit ſuſcitatos: & ſi quis obloquatur, damnis & laboribus, teſte Epiſcopo *Lond. Rogero*, fatigatur. Novit mundus, quòd uſura deteſtabilis habetur in utroq; Teſtamento & à Deo prohibetur, nunc domini Papæ mercatores vel ſcambiatores, obmurmurantibus *Judæis*, palàm *Londini* fœnerantur, viris eccleſiaſticis & maximè religioſis diverſa machinantur gravamina, cogentes quos gravat egeſtas mentiri, & ſigna ſua ſcriptis mendacibus appendere: quod eſt idololatrare, & veritati, quæ Deus eſt abrenunciare. Verbi gratia, mutuò accipio marcas per annum pro centum libris: cogor conficere ſcriptũ & ſignare, in quo confiteor me centũ libras mutuo in fine anni ſolvendas recepiſſe. Et ſi fortè ſortem pecuniæ tibi infra menſem vel dies pauciores adquiſitam uſurario Papali ſolvere volueris, non recipiet, niſi integraliter centũ libras: quæ conditio gravior eſt quàm *Judæorum*, quia quandocunq; ſortem *Judæo* attuleris, recipiet benignè, cum tanto lucro quod tempori tanto ſe commenſurat. Præterea, novimus Papam fratribus *Prædicatorum* & *Minoribus* præcepiſſe, ut morituris aſſiſtentes, quos inquirant diligenter, perſuadeant urgenter, ut condant teſtamenta ſua ad commodum & ſubſidium *Terræ ſanctæ* & crucem aſſumant, ut cùm cõvaluerint ſubſtantiolas eorum emungant, vel ſi moriantur ab exe-

“cutoribus

1253. “cutoribus tantum recipiatur vel extorqueatur. Cruce quoq; ſignatos perſonis laicis, ſicut
“quondã in templo oves & boves venundari conſueverunt, vendit apportandos. Inſpexi-
“muſq; literam Papalem, in qua inſertum reperimus quod teſtamenta condentes, vel crucem
“ſuſcipientes, & ſubſidium *Terræ ſanctæ* impendentes, tantundem recipient indulgentiæ quã-
“tum pecuniæ largientur. Præcepit inſuper Papa in multis ſuis ſcriptis, Prælatis, ut tali vel
“tali alieno & abſenti & penitus indigno, qui nec literas vel linguam novit indigenarũ, ut præ-
“dicare poſſet vel confeſſiones recipere, vel ſaltem propter pauperes reficiendos & tranſe-
“untes ſuſcipiendos, reſidentiã facere, providerent in eccleſiaſtico beneficio, quantũ vel quale
“duceret acceptandum. Item ſcimus dominum Papam ſcripſiſſe Abbati de *S. Albano*, ut pro-
“videret cuidam *Johanni* de *Gamezana*, quem nunquam viderat, in beneficio competenti: &
“infra breve tempus proviſum eſt ei in Eccleſia, quæ annuatim xl. marcas & ampliùs valebat:
“ſed ipſe ea non contentus, conqueſtus eſt Papæ. Scripſit igitur Papa Abbati memorato, ut
“dicto clericò uberiùs provideretur: nihilominus tamen reſervata eidem domino Papæ pri-
“oris eccleſiæ donationi. Et non poſt hæc dies multos venerunt ad prædicti Abbatis cœno-
“bium, duæ ſatis deſpicabiles perſonæ literas Papales deferentes, in quarum tenore inſertũ
“fuit, ut ilicò ipſis viris nobilibus ad ſua negotia expedienda ſine difficultate ad manũ decem
“marcas Abbas conferret, quibus ampulloſa & minantia verba proferentibus, Abbas finem fe-
“cit. De viris quoque ſanctis & literatis, qui ſæculum ordine irregreſſibili pro Deo imitando
“reliquerunt, ſuos facit Papa telonarios, ad pecuniam argumentoſe extorquendam. Quod &
“ipſi onus inviti ſuſcipiunt, ne inobedientes eſſe videãtur. Et ſic de ſæcularibus fiunt ſæculari-
“ores, & mentitur in eis tragulorum vilitas; dum ſub habitu paupertatis ſpiritus habitat elati-
“onis; & quia non debet mitti in *Angliam* Legatus, niſi à Rege poſtulatus, mittit Papa Le-
“gatos ſophiſticos & transformatos, ſed non rubeis veſtibus redimitos, magnis armatos pote-
“ſtatibus, nec eſt difficile exemplum invenire. Tot enim frequenter adveniunt hujuſmodi, ut
“eorum nomina audientibus tædium generaret. Cæterum, quod videre non conſuevi, conce-
“dit Papa ob favorem ſæcularem, ut aliquis Epiſcopatum obtineat, nec tamen Epiſcopus exi-
“ſtat, ſed electus ſempiternus: quod tantundem ſignificat, ut lac & lanam habeat ovium, lu-
“pos tamen non abigendo, priſtinos etiam reditus retinendo. Et cùm hæc & alia enormia, vi-
“delicet omne genus avaritiæ, uſuram, ſymoniam & rapinam, omne genus luxuriæ, libidinem,
“gulam, & ornatum, quæ in curia illa regnant, deteſtaretur, ut verè de ipſa judicatur,

Ejus avaritiæ totus non ſufficit orbis,
Ejus luxuriæ meretrix non ſufficit omnis.

“Nitebatur proſequi, quomodo confiſa curia illa ut *Jordanis influat in os ejus*, patulo hiatu
“aſpirabat, ut etiam bona inteſtatorum & diſtinctè legatorum ſibi uſurparent: & ut licenti-
“ùs hoc facerent, Regem in rapinis ſuis conſortem facerent & participem. Nec liberabitur
“eccleſia ab *Ægyptia* ſervitute, niſi in ore gladii cruentandi: ſed hæc profectò levia, ſed in
“brevi, ſcilicet hoc triennio, ventura ſunt graviora. In calce verò hujuſmodi propheticæ locu-
tionis, quem prærumpentibus ſingultibus, lachrymis, & ſuſpiriis vix pronunciaſſet, abbreviata eſt lingua ejus, & deficiente halitu, organum vocis ſiluit mutilatum.

Mors Epiſc. Lincolnienſis Roberti.

MIGRAVIT igitur ab hujuſmodi mundi, quem nunquam dilexit, exilio, ſanctus *Lincolnienſis* Epiſcopus *Robertus* ſecundus, apud *Bugedonam* manerium ſuum in nocte ſancti *Dionyſii*. Domini Papæ & Regis, redargutor manifeſtus, Prælatorum correptor, Monachorum corrector, Presbyterorum director, clericorum inſtructor, Scholarium ſuſtentator, Populi prædicator, Incontinentium perſecutor, Scripturarum ſedulus perſcrutator diverſarum, *Romanorum* malleus & contemptor. In menſa refectionis corporalis, dapſilis, copioſus, & civilis, hilaris & affabilis. In menſa verò ſpirituali devotus, lachrymoſus, & contritus. In officio Pontificali ſedulus, venerabilis, & infatigabilis.

Melos auditum in æthere.

IN cujus obitu, ea videlicet nocte qua migravit ad Dominum, Epiſcopus *Londinenſis Fulco* quaſi quoddam ſignum dulciſſimum audivit, cujus melos cor & aures audientis meritò potuit reficiendo detinere, in æthere ſublimi. Et arrigens aures auſcultando, non enim erat procul à *Bukedona*, dixit circũſtantibus: Auditis & vos quæ audio? At illi interrogaverunt: Quid audis domine? Reſpondit Epiſcopus: Sonum ſigni magni, & quaſi cœnobialis, ſupra quod humanitus eſt: delectabilem ſonum ordinatè pulſatum in ſublimi. Ipſi autem confeſſi ſunt, ſe nihil hujuſmodi auribus licet attentis audiviſſe. Quibus Epiſcopus: Per fidem quam debeo ſancto *Paulo*, credo quòd dilectus pater, frater, ac magiſter noſter, venerabilis Epiſcopus *Lincolnienſis* tranſiens ex hoc mundo, in cœli collocetur regione. Et hoc mihi ſignum pro ſigno manifeſto. Non enim hic propè habetur Abbatia, in qua tale ac tantum habeatur. Inquiramus in continenti. Et invenerunt, & probaverunt totius aſſertione familiæ, quòd eadem hora migraverat Epiſcopus ab hoc ſæculo. Hujus rei mirabilis, imò miraculi primitivi perhibuit teſtimonium, & ei aſſertivè narravit, qui hoc ſcripſit, dominus *Johannes Crachale*, Epiſcopi clericus ſpecialis, vir venerabilis, & inter omnes Epiſcopales non ultimæ auctoritatis.

Claſſicũ campanarum in aere auditum.

EADEM quoq; nocte, quidã fratres de ordine *Minorum* dum verſus *Bukedonam*, ubi Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus* morabatur, properarent: erat enim *Prædicatorum* & *Minorum* pater

&

1254.

& conſolator: per ſylvam Regiam, quæ *Wauberge* dicitur, ignari compendiorum oberrâſſent, audierunt in ſublimi quoddam claſſicum campanarum melodicum valde: inter quas unum ſignũ ſoni dulciſſimi articulatim, ordinatè, & diſtinctè, electum audierunt, omnibus prææuditis incomparabilem, unde mirati ſunt vehementer. Neſciebant enim aliquam nobilem eccleſiam eſſe propè. Apparente autem diluculo, poſt multos inutiles erroris labores, obvios quoſdã habuerunt foreſtarios, à quibus cùm ad iter rectum dirigerentur, interrogavit unus fratrum, quidnam ſignificavit illud magnum claſſicum & ſolenne, quod verſus *Bukedonam* audierant? Qui reſponderunt, ſe nihil audire, vel audiviſſe: quod tamen adhuc aëra demulcebat. Fratres igitur inde magis admirantes, venerunt ad *Bukedonam* ſatis tempeſtivè. Ubi certificabantur, quòd eadem nocte, & noctis hora, qua dictam melodiam in æthere audierunt, Epiſcopus *Robertus* fœlicem animam exhalavit.

Fames magnã in Gaſconiâ.

EODEMQUE tempore, invaleſcente & creſcente cariſtia victualium in *Gaſconia*, ita ſcilicet ut ſumma frumenti viginti ſolidis, & avenæ pro decem, caro & piſcis pro multo precio venderetur, & etiam vinum, quo conſuevit *Gaſconia* abundare: miſit dominus Rex Priorem de *Neuburgi*, Canonicum, & Rogerum *Ceſorem* in *Angliam*, cum quibuſdam aliis fidelibus & conſiliariis ſuis, ut quæ exercitui ſuo neceſſaria forent, concitò reportarent. Qui *Londinum* venientes, exegerunt non minimam à civibus & mercatoribus *Londinenſibus* pecuniæ quantitatem. Et arma colligentes, frumentum, & carnes ſalitas, ita ut multas inde naves onerarent, non pigri neq; ſegnes abraſores exſtiterunt. Quæ omnia Regalis curiæ & exercitus *Charybdis*, inſtar inſatiabilis Barathri planè deglutivit.

Reputavit etenim dominus Rex *Angliam* eſſe puteum inexhauſtum, quæ omnium finitimarum & circumjacentium Regionum, culpas luit & exceſſus. Et

Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi.

Rex autem jam alter factus *Lycurgus*, vineas *Gaſconenſium* hoſtium ſuorum, in quibus ipſi *Gaſconenſes* maximè confidunt, radicitus fecit extirpari, & caſtra & domos funditus complanari. Quod cùm cognoviſſent *Gaſconenſes*, hoc genus ultionis redarguentes, militiam Comitis *Legriæ Symonis* potiùs approbabant: exterminium plantarum, & domorum incendia, pugnam anilem, non virilem reputantes.

Capti à Rege manumiſſi.

CAPTIS *Regula* & *Benagio* caſtris, qui labore & ſumptibus *Anglorum* capiebantur, Rex conceſſit liberos *Petro* de *Sabaudia* & fratribus ſuis *Pictavenſibus*. Qui liberi, hoſtibus Regis illicò ſunt adjuncti.

Moritur Will. *de* Veſcy.

ANGLIA undiq; bonis ſuis ſpoliata, videlicet armis, victualibus, & theſauro, Militum quoque, quod plus eſt deplorandum, nobilum ſubſidio viduatur. Poſtquam enim dominus Rex transfretavit, mortui ſunt de ſuis quamplures. Inter quos *Willielmus* de *Veſcy*, Miles quidam de nobilioribus Borealium partium *Angliæ* Baronibus, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Rex incontinenti cuſtodiam tantam, non ſine ſuorum naturalium offenſa, cuidam alienigenæ contulit poſſidendam.

Tribulatiõ Militum Salopesb.

ET per idem tempus, eò quòd Milites de partibus *Salopisbiriæ* aliqui, vel ferè omnes, moluerunt colla ſubdere novæ domini Regis conſtitutioni, ſcilicet de armis habendis, & monſtrandis. Et de reſtitutione prædationum, quibus ſpoliantur tranſeuntes, prout *Sabaudienſes* conſueverunt in partibus ſuis, uſque ad graviſſimam exactionem ſunt puniti: ita ut vix per aliquot annos ſibi & familiæ ſuæ vitæ neceſſaria poterant invenire, vel terris ſuis culturæ beneficia miniſtrare.

Saraceni *debacchantur.*

EODEMQUE anno, die ſcilicet omnium Sanctorum, rumor omnium teterrimus venit ad Comitem *Richardum*, qui de ſtatu *Terræ ſanctæ* plus aliis ſolicitabatur. Quòd videlicet in ſignum magnæ Dei iræ, *Soldani*, Primates Saracenorum, ad invicem in perniciẽm *Chriſtianorum* pacificati ſunt & confœderati, liberè in *Terra ſancta* diſcurrentes, & poſſeſſiones *Chriſtianorum* ad votum, ſine contradictionis repagulo, occupantes, ómniáq; jam jam præter *Acon* exterminantes, ibiq; quædam molendina civium demolientes. Conſpiraverunt enim univerſaliter, ut *Acon* obſeſſa, Regem *Francorum*, in indelebile *Chriſtianitatis* opprobrium, caperent, & captum ſuo *Caliphæ*, qui eſt eis pro Papa, præſentarent. Quod cùm ad multorum perveniſſet audientiam, præcordialiter ingemuerunt, hæc omnia obſtinatæ *Romanorum* avaritiæ imputantes. Qui humilitatem *Frederici* indignanter refutantes, qui omnia quæcunq; *Chriſtianorum* aliquo tempore fuerant in *Terra ſancta* obtulit in pace reſtituenda, reſtiterunt; nolentes ut tanta commoditas ei aſcriberetur. Et quod lugubrius eſt, Crucesignatos vendunt laicis uſq; ad mendicitatem fatigatos: ſicut quondam *Judæi* in templo oves & boves & columbas, ut prætactum eſt, quos Dominus ejecit. Deo igitur ſic volente, qui cùm iraſcitur miſericordiæ recordatur, inſurrexerunt quidam *Saraceni* Orientales in terras eorum qui in nos ſævierunt; & caſſato eorum propoſito retrocedere ſunt coacti.

Conradi Frederici *filii expeditiones.*

EISDEMQUE diebus, *Conradus Frederici* filius, in odium Papæ, proſperatur in *Apulia*. Civitates *Capuam*, *Neapolim*, & alias ſuo ſubdidit dominatui. Et bellum ſuſcitans & continuans, multos contrivit ſibi adverſantes. Quidam verò illius terræ incola & indigena, cruentus & faſcinoroſus valde, *Johannes* dictus *Maurus*, adulator vafer, & ſub amicitiæ prætextu homines veneno

1254. veneno necans; qui etiam anteà ad id mercede conductus, ut dicitur, *Fredericum* ſic interfecit, illi laqueos mortis tetendit, ſed occultos.

Diſcordia inter Archiepiſc. B. & Capitulum Lincoln.

IPSISQUE diebus, revertente Archiepiſcopo *Cantuarienſi Bonifacio*, à ſepultura Epiſcopi *Lincolnienſis Roberti*; orta eſt diſcordia inter ipſum & Capitulum *Lincolnienſe*. Vendicabat enim ſibi Archiepiſcopus de jure communi, poteſtatem conferendi præbendas & redditus in Epiſcopatu *Lincolnienſi*, paſtore ſuo viduato. Decanus verò & Capitulum ſpeciali beneficio innitentes, & conſuetudini approbatæ & antiquæ, econtra dicebant. Quibus teſtimonium perhibebat magiſter *Walterus* de *Billeſdona*, vir Juriſperitus & fide dignus; qui enumeravit tres eccleſias à Decano ſede vacante collatas. Et multi alii, qui hoc noverant, & viderant. Archiepiſcopus de multiplici confiſus poteſtate, contradictores omnes excommunicavit. Solus autem *Lincolnienſis* Archidiaconus, magiſter videlicet *Willielmus Lupus*, vir quidem Juriſperitus, eleganter literatus, & magnæ autoritatis, contradicens Archiepiſcopo in faciem, pro jure & libertate eccleſiæ conſtanter appellavit ad ſummi Pontificis præſentiam. Unde quoniam ſolus ſe murum oppoſuit pro ſuæ poſſeſſione & libertate eccleſiæ, uſque ad mortem miſerabiles, ſicut ſequens ſermo declarabit, tribulationes toleravit. Canonici verò ex antiquis cauſis inutiliter ventilatis fatigati, nec valentes nec volentes contra tantum ad adverſarium dubia cauſarum fata contendentes experiri, ſuccubuerunt: & ſuccumbentes, abſolutionis beneficium promeruerunt. Archidiaconus verò, conſiſtens ſtabilis in propoſito, quæſivit interim diverticula. Tandem tutum credens habere refugium apud ſanctum *Edmundum*, quia illic & in terra ſancti *Albani* conſueverant eſſe afflictorum refugia & protectiones, poſtquam ſtetiſſet quadraginta diebus in ſententia juſtè vel injuſtè, ſe ad protectionem dicti ſancti *Edmundi* contulit & civitatem. Ubi perſequente Archiepiſcopo, cùm ibi non aſylum refugii, ſed carceris inveniſſet duritiam: nec eum poterat Abbas ſancti *Edmundi* protegere vel receptare: Archidiaconus pauper, profugus, & exul, *Romam* adiit, à domino Papa aliquam ſaltem conſolationem adepturus. Papa autem miſertus ac miſeratus, cognita veritate, puſillanimitatem Canonicorum, & Archipræſulis redarguens auſteritatem, & Archidiaconi conſtantiam commendans, paternũ ſibi providit remediũ. Archidiaconus verò nacta ſpe meliori, cùm rediens à curia in partes ciſalpinas perveniſſet, poſt tot labores & dolores, quos pro ſuæ libertate eccleſiæ ſuſtinuiſſet, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, meritò beato *Thomæ* Martyri, qui ob ſimilem cauſam occubuit, aſſociandus. Sed ante mortem, ferè triennalem ſuſtinuit in hac cauſa tribulationem.

Archiepiſc. B. venit ad ſanctum Albanum.

DIEBUS autem prænotatis hujus anni, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius* rediens à ſepultura ſancti corporis Epiſcopi *Lincolnienſis Roberti* cùm tranſiturus eſſet per ſanctum *Albanum*, poſtulavit cum ſumma modeſtia & humilitate ſolùm tectum hoſpitii ibi, timens repulſam hoſpitii propter exemptionem, ſicut nuper ei contigerat apud cellam ſancti *Albani Bealverum*. Abbas autem ſancti *Albani* miſit ei in occurſum Archidiaconum ſuum & aliquos de fratribus, ſuam prætendens excuſando ſenectutem & infirmitatem, ne & ipſe occurriſſet. Qui eum cum ſummo honore & reverentia receptis literis ſuis, quòd charitativè hoſpitium poſtulaſſet, quadam die poſt nonam eſt admiſſus. Nec voluit, licèt ſedulo petitus, de bonis domus refici, niſi eſculentis & poculentis, ſibi pro xenio præſentatis. Sed civiliter regratians, quod ſaltem ſub forma charitatis & gratuitæ hoſpitalitatis ibi fuerat, ſummo mane, non intrans clauſtrum vel eccleſiam, receſſit die S. *Martini*.

Simili modo fecit *Otto* Legatus, qui fuit alter Papa in *Anglia*: confecit literas, quòd charitativè hoſpitium poſtulavit. Sed Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus*, apud *Hertfordiam* veniens, noluit tales literas conficere. Ideo non fuit admiſſus. In craſtino ſuſpendit Eccleſias *Hertfordienſes* ſæcularium. Correptus autem ſuper hoc à Legato, ſententiam temerè illatam illicò relaxavit. Hoc factum fuit malo conſilio.

Privilegium domus S. Auguſtini Cant.

IN receſſu autem à *ſancto Albano* recepit idem Archiepiſcopus literas Papales à quodam Monacho ſancti *Auguſtini Cantuarienſis*. Ne ſcilicet Abbatem illius domus, vel Conventum, viſitando, ſuſpendendo, excommunicandóve perturbaret. Quod tamen propoſuerat, & prætemptaverat. Quas literas vix perlectas, juſſit ignibus præſentari. Ipſas quoque poteris in *libro* reperire *Additamentorum*. Et tunc complacuit ipſi Archiepiſcopo, & illis qui conſilium ei dederunt; quòd pacificè & modeſtè ſe habuit apud *ſanctum Albanum*.

Regina Ang. *peperit filiam.*

TEMPORE ſub eodem, Regina *Angliæ Alienora* peperit domino Regi filiam *Londini*. Et nomen aptante & baptizante infantulam Archiepiſcopo vocata eſt *Catharina*, eò quòd die ſanctæ *Catharinæ* nata, aëra hauſerat primitivum.

Comes Legriæ S. *venit ad regem* Angliæ.

TUNC quoque temporis, Comes *Legriæ Simon*, qui in Seneſcallum *Franciæ*, ut prætactum eſt, poſtulabatur, propter ſui fidelitatem & ſtrenuitatem, ſed noluit conſentire, *quia nemo poteſt duobus dominis* ſibi adverſantibus commodè *famulari*: venit in *Gaſconiam* ad Regem *Angliæ* dominum ſuum; promptus & paratus ſuo ſervitio, ad edomandos ſuos inimicos ſibi rebelles. *Gaſconenſes* autem Comitem tanquam fulgur formidabant. Duxit autem ſecum electam militiam ſuis ſumptibus ſuſtentatam, & ad placitum domini Regis ſuſtentandam. Erat nempè militum & ſervientium multitudo numeroſa. Dictum namque fuit Comiti in ſpiritu charitatis & humilitatis, qui humanæ ſuperat terminos conditionis, videlicet bonum pro malo recompenſare; ut impetuoſa dicta domini ſui Regis minimè reputaret, qui probra repentina quandoque in illum apud *Londinum* in feſtino ardore iræ palàm & indecenter

ebullivit.

1254.

ebullivit. Sed potius beneficia, quæ eidem Comiti impenderat, ad memoriam revocaret, tum propter ſororem ſuam, quam ei dominus Rex dederat in uxorem; tum quia ei benignè conceſſerat Comitatum *Legriæ*; tum quia contulerat ei cuſtodiam hæredis *Gileberti* de *Hunframvìlle*. Et huic conſilio, videlicet, epiſcopi *Lincolnienſis Roberti*, cui Comes tanquam patri confeſſori extitit familiariſſimus, inclinavit cor obedienter. Rex autem admirans Comitis charitatem, ipſum cum maxima ſuſcepit exultatione. *Gaſconenſes* igitur, qui ſunt amici Fortunæ, cum cognoviſſent Regis *Hiſpaniæ* cor reconſiliatum domino ſuo Regi *Anglorum*; & adventum Comitis *Simonis* quem tam formidabilis ſtipabat comitatus & ſequela, humiliati ſunt & inviti. Ex tunc igitur ſtillatim revertebantur, & debito dominatui Regis ſui ſe ſubdiderunt. Et ex tunc dominus Rex in *Angliam* redire propoſuit.

Perturbatio univerſitatis Pariſiacæ.

DIEBUS autem ſub eiſdem, orta eſt diſcordia magna inter univerſitatem *Pariſiacam* ſcholarium & fratres *Prædicatores*, qui in tantum jam multiplicati ſunt & exaltati, regum facti confeſſores & conſiliatores, ut veteribus & approbatis conſuetudinibus & juribus ſcholarium renuiſſent ſubjacere. Congregati igitur ſcholares collectam fecerunt, & contribuerunt; ſcilicet quilibet ſecundum poſſe ſuum. Et cujuſlibet communia hebdomalis abbreviata eſt, ut inde *Romanæ* curiæ pro parte cleri ſatisfieret: unde cornua ſumpſerunt fratres memorati. Habebant enim in curia amicos magnæ poteſtatis, ſcilicet dominum fratrem *Hugonem* de ordine *Prædicatorum*, imò ipſum Papam, & multos præpotentes.

Effuſa igitur multa pecunia, & perdito hinc inde multimodo labore, mutatis quibuſdam conſuetudinibus *Pariſienſibus*, pax eſt tandem reformata.

Papa venit Romam.

EORUNDEM dierum circulis, dominus Papa multis & diuturnis tribulationibus exagitatus, cùm aliquanto tempore moram *Aſſiſii* protraxiſſet, ſignificatum eſt ei ex parte *Romanorum* Senatoris *Brancaleonis* per ſolennes nuncios, & ex parte omniumcivium Urbis, ut ad civitatē ſuā, tanquam paſtor & *Romānus* Pontifex, venire non tardaret. Significabant inſuper ei quòd quamplurimum mirabantur, quòd huc illucq; velut inſtabilis & profugus diſcurrebat, & relicta *Roma* ſede ſua Pontificali, & ovibus ſuis, de quibus redditurus eſt ſummo Judici ſtrictiſſimam rationem lupinis rictibus deſerit lacerandam, ſoli pecuniæ inhiando. Significabant inſuper Senator & cives *Romani* civibus *Aſſiſii*, ſub interminatione depopulationis irreſtaurabilis, ne appliùs dominum Papam: quem novit mundus non *Lugdunenſem*, non *Peruſienſem*, non *Agnanienſem* (ibi enim & ibi ſæpè latitaverat) ſed *Romanum* eſſe Pontificem, receptarent. *Aſſiſienſes* venientes ad dominum Papam, illud mandatum ei plenius inſinuabant. Intellexit igitur Papa, quòd de neceſſitate oportuit *Romam* adire, ne & ipſi *Aſſiſienſes* à feritate *Romanorum*, ſicut fuerant *Hoſtienſes*, *Portuenſes*, *Tuſculanenſes*, *Albanenſes*, *Sabinenſes*, & nuper *Tiburtini*, deſtruerentur. Papa igitur nolens volens paratis clitellis, *Romam* adiit tremebundus. Ubi, ut decuit, ſuſceptus eſt cum honore, ſic jubente & volente Senatore. *Conradus* autem interim, qui erat, Papæ quaſi ſpina in oculo, *Neapolim* verſùs mare & verſùs terram (quæ civitas quondam *Virgilii* fuerat domicilium ſpeciale) in muris & mœnis miſerabiliter exterminavit. Nunquam igitur propter odium & imprecationes populi, potuit *Conradus* in operibus ſuis proſperari.

Nota cupiditatem Romanorum.

ROMANI autem non valentes nec volentes ultra ſuam celare cupiditatem, graviſſimam contra Papam movere cœperunt quæſtionem; exigentes ab eo urgentiſſimè omnia quæ ſubierant per ejus abſentiam damna & jacturas, videlicet in hoſpitiis locandis, in mercimoniis, in uſuris, in redditibus, in proviſionibus, & aliis modis innumerabilibus. Quod cùm audiſſet Papa, præcordialiter ingemuit; & ſe comperiens muſcipulatum, conſilium & conſolationem cœpit à Senatore. Senator igitur mellifluis colloquiis populi furorem compeſcuit, dicens inhumanum eſſe, in pace vocatum ad animarum cuſtodiam patrem ac paſtorem, tam graviter perturbare. Et ſic quievit impetus tempeſtatis.

Perturbatio aëris & maris.

EODEM anno, in craſtino ſanctæ *Luciæ*, nivem nubibus copioſè effundentibus, hyemale tonitruum dira prognoſtica nunciabat.

Expulſi è Regula exulantur.

ANNI quoque ſub ejuſdem tempore, omnes quotquot fuerunt in *Regula* & in aliis caſtris, dum obſidione arctarentur, & in tempore famis ejecti fuiſſent; tam mulieris quàm viri, perpetuo damnavit exilio. Qui vagabantur mendici per confinia regionum.

Inundatio maris & fluviorum.

IPSO quoque anno, multoties mare & fluvii ſolitos terminos tranſeuntes, finitimis damna irreſtaurabilia irrogarunt.

Miracula eccleſiæ Lincolnienſis.

MIRACULA miraculis in eccleſia *Lincolnienſi*, diatim cumulantur. Et operante Domino pro Epiſcopo *Roberto*, alii Sancti qui in eadem eccleſia requieſcunt, videlicet ſancti *Remigius* & *Hugo*, ad beneficia fidelibus impendenda ſuſcitantur; tanquam provocati & precibus poſtulantium inclinati. Nec moveant aliquem quidam impetus, qui in hoc volumine ſcribuntur de eodem, quos fecerat in vita ſua. Quorum unus erat, quòd Canonicos ſuos, ſcilicet *Lincolnienſis* eccleſiæ, multùm vexavit, & vexatos damnificavit; cùm deſideraret viſitare. Idem inſuper *Robertus* in Religioſos terribiliter, & in Religioſas terribiliùs conſuevit fulgurare, zelum bonum habens, non fortè ſecundùm ſcientiam. Confidenter tamen aſſero, quòd Deo placuerunt ipſius virtutes, quamvis exceſſus diſplicuerunt. Sicut in *David* & in *Petro*. *David* laudo manſuetudinem, ſed quam fideli ſuo fecit *Uriæ* proditionem, reprehendo. *Petri* commendo conſtantiam, trinam

1254. tamen ejus reprehendo negationem. Horum unus, ſecundùm cor Domini complacuit, alter princeps Apoſtolorum conſtituitur.

Annalis concluſio. TRANSIIT igitur annus ille ſatis frugifer, & fructifer, ita ſcilicet ut ſumma frumenti ad pretium triginta deſcenderet denariorum. Sed in quantum terra profuit, mare obfuit; ſuos terminos tranſcendendo. Quod quia repentè ſuperundavit, multos homines & pecora occupavit. Et ſi nocte eveniſſet, multo plures ſubmerſiſſet. Annus iſte *Terræ Sanctæ* extitit exitialis; *Flandriæ* & confinibus ejus cruentiſſimus; *Franciæ* damnoſus & probroſus. Papæ & papalibus, arctus & angurialis; *Angliæ* turbulentus; in ſpiritualibus temporalibuſque bonis, inclinativus.

Rex in Gaſconia hyemavit. ANNO Domini Milleſimo, Ducentiſſimo, quinquageſimo quarto, qui eſt annus Domini Regis *Henrici* tertii trigeſimus octavus, fuit idem Dominus rex ad Natale Domini in *Gaſconia* apud *Beſaceam*, quod non procul diſtat à *Regula*, ubi dies Natalitios, cum magnatibus ſuis ſolenniter & gaudenter celebravit. Ubi etiam *Gaſconenſibus* Eſterlingos olfacientibus, in veſtibus duplicibus & aliis rebus deſiderabilibus, pretioſa contulit donativa. Regina autem ſurgens à puerperio proſperè, die ſancti *Edwardi*, ſcilicet in vigilia Epiphaniæ, Purificationis ſuæ feſtivitatem cum nobiliſſimo tranſegit *Londini* convivio: Cum qua convivabantur Archiepiſcopus, avunculus ejus, Epiſcopus *Elyenſis*, Comes *Richardus*, Comes *Gloverniæ*, & multi alii *Angliæ* optimates. Tranſmiſit itaque tunc temporis Regina, domino Regi quingentas Marcas, pro novo annuo munere, de ſuis receptis redditibus, ad ſui belli ſuſtentationem, & pignorum adquietationem.

H. de Lexintona eligitur epiſcopus. IN craſtino verò beati *Thomæ* martyris Canonici *Lincolnienſes* elegerunt ſibi in Epiſcopum Magiſtrum *Henricum* de *Lexintona*, ejuſdem eccleſiæ Decanum, & transfretavit electus ut Regem videret, & ut à rege videretur & acceptaretur, tam electo quàm electione approbata vel reprobata. Formidabat autem apparere coram rege, qui ſecundum conſuetudinem ſuam, ipſum Decanum, & totum precibus ſollicitaverat urgentiſſimis Capitulum, ut Epiſcopum *Herefordenſem* (qui manifeſtè reprobandus fuerat, tum quia alienigena *Anglicum* idioma ignoravit, tum quòd fama, vel potiùs infamia ejus extitit, quòd regno fuerat inimiciſſimus & infideliſſimus) eligerent in Epiſcopum & ſuarum paſtorem animarum. Cui licèt regiæ petitioni inſtantiſſimæ, nullatenus voluerunt Cononici electores favorem exhibere. Ipſe enim per manum ſæcularem, in ipſum Epiſcopatum violenter intruſus *Hærefordenſem*; tam religioſos quam ſæculares in partibus ultramarinis (utinam honeſtè commorans) gregem ſibi commiſſum, lacte, lana, & arvina ſaginatus, lupinis dentibus dereliquit. Veruntamen rex non inveniens in dicto electo, cauſam reprobationis, ipſum, licèt non ſereno corde, admiſit.

Fantaſtica apparitio. IN nocte verò Circumciſionis Dominicæ, cùm eſſet aër in media nocte ſereniſſimus, & firmamentum ſtellatum ſpectabiliter, Luna exiſtente octava, apparuit in aëre, mirum relatu, navis quædam maxima eleganter compoſita, ſchemate & colore mirabili. Quam cum conſideraſſent quidam Monachi de *ſancto Albano*, apud ſanctum *Amphibalum* gratia feſtivitatis tunc commorantes, & inſpexiſſent per Stellas, ſi jam hora eſſet matutinas decantare; convocaverunt omnes qui in Curia erant de clientela familiari, ut viderent mirabilia. Et apparuit diu tanquam picturata; & tabulis quaſi vera navis compacta: ſed tandem paulatim cœpit diſſolvi & diſparere; unde creditur nubes fuiſſe, ſed mirabilis & prodigioſa.

Subdolum mandatum. EODEMQUE anno, cùm ſexto Calendas Februarii, die videlicet ſancti *Juliani*, conveniſſent univerſi ferè *Angliæ* magnates, videlicet Comes Mareſchallus, *R. Bigod*, *Gilbertuſque* de *Segrave*, ſpeciales domini regis nuncii, ad Parliamentum venientes, ex parte ejus propoſitum ſuum præcordiale, univerſitati *Angliæ* fortè ſeducti nunciantes. Aderant autem illuc Comes *Richardus* frater domini regis, ſcilicet Comes *Cornubiæ*, Comes *Wintonienſis*, cùm domina regina, & omnes Epiſcopi *Angliæ*, exceptis duntaxat *Cantuarienſi* & *Eboracenſi* Archiepiſcopis, & *Dunelmenſi* & *Bathonienſi* Epiſcopis, qui cum rege erat in *Gaſconia*. Congregatiſque univerſis, proloquutor domini regis & nuncius exorſus loqui, ait. *Amici & domini mei, in quorum ſinu repoſita eſt ſpes domini noſtri regis, nec habet aſili refugium niſi ad vos fideles ſuos. Noſtis quomodo periculum maris nulli parcentis, Martiſque diſcrimini pro Regni viribus ſe fideliter ac conſtanter oppoſuit. Invenit autem hoſtes recalcitrantes, valideque obſtantes, quorum aliquos contrivit, alii remanent conterendi.* Et ut plùs auditores commoveret, tranſgreſſus veritatem, addidit quòd *Rex Caſtellæ, quem ſperabat habere amiciſſimum, tanquam affinem vel conſanguineum, inventus eſt hoſtis cruentiſſimus, & dominum Regem* Angliæ *diffiducians. Cui inclinantur* Gaſconienſes, *qui malunt ipſum* Hiſpanum, *quàm Dominum ſuum naturalem: unde auxilium à vobis petit efficax, & potens, tanquam in arcto conſtitutus.* Tuleruntque aliqui regiorum nunciorum in argumentum fidei & veritatis miræ ſpicula magnitudinis, quærellos vocant, ab arcubaliſtis trajecta. Quare arcus proportionaliter cenſendæ fuerant trabeculæ; haſtilia verò ſicut texentium liciatoria. Comes autem *Richardus*, ut aliis præberet exemplum & incentivum, primus reſpondet, fidem enim dictis præbuit memoratis. *Egoque aliis potentior & obligatus magis, cæteris, potenter ipſum Dominum meum & Fratrem juvabo, trecentos Milites per annum ſumptibus meis ipſi militaturos impenſurus.* "Comes inſuper *Gloverniæ* auxilium ſecundum poſſe ſuum ſpondit; addens quòd nullo modo ipſum Regem juvaret ad adquirendam terram: ſed ad corpus ſuum, ſi ipſum rex *Caſtellæ* hoſtiliter impeteret, liberandum. Similiter & ſic ſuum promiſſum

1254.

promiſſum comes *Richardus* jam arctavit, adjiciens: Si vera ſint quæ dicuntur. Ad hæc verba reſpondit univerſitas, laqueos comperiens præparatos, Heu, heu, ad quid tam argumentoſè "nos conantur noſtri decipere ſuperiores? videmus hic luce clariùs duo repugnantia, vocavit "enim dominus Rex Reginam & primogenitum ſuum, & hæredem, & imbelles, & imbecilles; "ut ad eum venire quantociùs non omittant. Quod nullo modo facerent, ſi contra ipſum magnum Regem *Caſtellæ* foret præliaturus, Imò potiùs ſi eos ſecum haberet, remitteret in *Angliam*, tutiùs cuſtodiendos. Nonne prælòquutum eſt de quodam ſpeciali matrimonio, inter ipſos contrahendo? Hæc omnia contraria ſunt præloquutis. Et ſic Rex incredibilem ſe perhibuit univerſitati. Sic igitur ſolutum eſt Concilium caſſum & inane. Remiſit igitur Comes *Richardus* tales literas Domino Regi. Reſpice in *libro Additamentorum* ad ſignum Cytharæ.

EODEM quoque tempore venerunt in *Franciam* converſi ad fidem *Chriſtiani*, quorum quidam erant baptizati, quidam baptizandi. Et hæc fuit eorum cauſa converſionis: viderant utique Regem miraculoſè a manibus potentiſſimi *Babyloniæ Soldani* liberatum; & ipſum *Soldanum* ilicò poſt captionem trucidatum: viderant inſuper maximam Regis in adverſitate patientiam, in propoſito inflexibilem conſtantiam: nam poſt ſuam captionem, in *Terra ſancta* moram adhuc continuavit; caſtra firmavit; Civitates contra Domini ſui hoſtes communivit: viderant prætereà fidei ſuæ firmitatem, quòd ſicut *Job* in tot adverſis labiis non peccavit. Cæterùm conſiderabant, quod pro amore Domini Dei ſui *Jeſu Chriſti*, dulce regnum *Franciæ* deſeruerat, ſe maris, ventorum, & bellorum, & alienorum ac remotorum regnorum periculis & bellatorum expoſiturus, & pro animabus infidelium lucrandis omnem operam impenſurus. Quod nullo modo poſſet feciſſe ſine numinis adminiculo, & Divinæ majeſtatis conſolatione. *Prædicatorum* inſuper & *Minorum* informatione didicerunt, quòd *Machometi* lex ſpurciſſima animarum eſt intoxicativa. Attulerant autem Regis *Francorum* literas patentes, ut de eleemoſynis Regis ſuſtentarentur, donec ipſe veniret in partes proprias, & tunc pleniùs eiſdem provideret.

Venerunt Saraceni baptizandi in Franciam.

ANNO ſub eodem, videlicet in Septuageſima, rabie ventorum exagitatæ, applicuerunt invitis earum rectoribus quædam *Barbarorum* naves; quibus non ſunt viſæ penes nos conſimiles, magnæ quidem & elegantes, atque ſolidiſſimè armamentis navalibus & armis bellicis & victualibus omnimodis optimè communitæ. Et appulſi ſunt in partibus *Angliæ* borealibus, non longè à *Berewico*. Quas cùm comprehendiſſent litorum cuſtodes, homines qui in eis erant; quaſi *Barbaros*, vel exploratores, vel etiam inimicos ſimul apprehenderunt. Et omnia perſcrutantes, invenerunt ſentinas repletas armis quamplurimis, & onuſtas loricis, galeis, clypeis, lanceis, arcubus & ſagittis, arcubaliſtis & ſpiculis, & victualibus, quæ ſufficerent cuidam exercitui. Et cùm interrogarentur quinam eſſent, noluerunt Balivis indicari, qui, cur, unde, vel quare adveniſſent. Nec linguam eorum aliquis ex Balivis intellexit, viſæque aliæ naves ſupra mare. Et cùm crederent omnes interimi, permiſſi ſunt recedere in pace, ne crudeliores tempeſtate homines invenirentur, & ne fortè ultio ſequeretur.

Applicuerunt ignoti cultu & lingua in Angliam.

EODEM anno, circa Feſtum Purificationis beatæ *Mariæ*, *Gaſco* de *Biarre* congregata hoſtium domini Regis multitudine, attemptavit temerè Civitatem *Babanniæ* ſeditioſè & hoſtiliter intrare, eamque ſibi occupare. Eſt autem *Babannia* Civitas opulenta ſupra mare ſita, ſecunda in tota *Gaſconia*, portu & navibus, viris bellatoribus, præcipuè mercatoribus vinariis optimè communita. Sed plerique de civibus Regem oderant, pro crebris in *Anglia* irrogatis ſibi injuriis: unde admiſſis quibuſdam hoſtibus, cùm Civitas patuiſſet diſcrimini, comprehenſi ſunt à fidelibus Regis per plebeios Civitatis, qui Regem dilexerunt, multi eorum qui ſic intraverunt proditores, & pro meritis ſunt puniti.

Seditio Babanniæ.

TEMPORE ſub eodem, videlicet die ſancti *Gregorii*, delatum eſt corpus *Johannis Hanſard* militis per villam *ſancti Albani* verſus partes Natalis patriæ, videlicet Aquilonares, ibidem honorificè, prout decuit, tumulandum. Erat enim non ultimus inter illarum partium optimates. Obierat autem in expeditione funere generali.

Funus Johan. Hanſard.

EODEMQUE die ceſſavit frigoris aſperitas, quæ illa hyeme ferè tota inhorruerat continuata, poſtquam ſcilicet in nocte Circumciſionis quædam navis in aëre, vel nubes navi ſimilima ſed obſtupenda, apparuit manifeſta. Quæ viſio, ſignum tunc futuræ fuiſſe creditur tempeſtatis. Sequebatur inſuper tanta ovium & ferarum peſtis mortifera, ut ovialia ovibus, foreſtæ feris vacuarentur. In copioſis autem gregibus, vix pars dimidia remanſit.

Diuturnum frigus.

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, dum adhuc Papa *Romæ* eſſet, conſiderans liberales artes jam in mechanicas penè fuiſſe converſas propter lucrum, & verè poſſit dici de Philoſophia,

Reformationes Papales.

Proſtat, & in pretio pro meretrice ſedet.

Et quòd jam ferè omnes Scholares intactis Grammatices rudimentis, Authoribus, & Philoſophis, ad leges properant audiendas, quas conſtat non eſſe de numero artium liberalium. Artes enim liberales propter ſe appetuntur: leges autem, ut ſalaria adquirantur. Imò &, ut omnibus liquet, adoleſcentes ætate & ſcientia ſatis ſimplices, ex quo noverint in paucis ſophiſmatibus perſtrepentibus palivis congarrire, Cathedras adſcendunt magiſtrales; ut nomine magiſtrali

1254. ſtrali uſurpato, tumeant elevati, & facti venerabiliores, ſine fundamento ad culmina ſcandant celſiora; & ſalutata legum aut decretorum ſchola, & ad pontificales advolent dignitates, cùm melius eſſet & utiliùs, ſcholarum priùs imbui experientia; & ſic dignè aliis adjudicantibus, tranſcendere ad præmiſſa. Volens igitur dominus Papa hujuſmodi præſumptioni conſilium dare ſalubre, admonitionem fecit laudabilem & convenientem. Scripſit igitur dominus Papa ſuper hæc elegantem epiſtolam, quæ ſic incipit:

INNOCENTIUS Epiſcopus, &c. omnibus Prælatis in Regno *Franciæ*, *Angliæ*, *Scotiæ*, *Walliæ*, *Hiſpaniæ* & *Hungariæ* conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Super ſpecula & infra, dolentes recolimus, &c. Reſpice in *libro Additamentorum*. Item aliud pium factum fecit, modificando gravamina viſitationum. Reſpice in eodem *libro* ad ſignum primæ Columbæ. Sic incipiuntur literæ: *Ad memoriam & obſervantiam perpetuam contra gravamina, &c.* Item aliud pium factum fecit Papa *Innocentius*, de his literis, quæ in dicto *libro* ſcribuntur, ad ſignum ſecundæ Columbæ, quæ ſic incipiunt: *Venerabilibus fratribus univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, &c.* Similiter autem & in hoc volumine ſcribuntur hæ duæ Epiſtolæ in fine proximo antecedentis anni, ad ſigna ſcilicet columbarum.

Dirum ſomnium Innocentii tertii Papæ.

HOC etiam anno, dominus Papa dum una dierum iratus ſupra modum, vellet cum mala gratia omnium fratrum Cardinalium oſſa Epiſcopi *Lincolnienſis* corporis extra eccleſiam projicere; & ipſum in tantam infamiam præcipitare, ut Ethnicus, rebellis, & inobediens per totum mundum acclamaretur: juſſit talem literam ſcribi domino Regi *Angliæ* tranſmittendam; ſciens quòd ipſe Rex libenter deſæviret in ipſum, & in Eccleſiam deprædandam. Sed nocte ſequenti apparuit ei idem Epiſcopus *Lincolnienſis* pontificalibus redimitus, vultuque ſevero, intuituque auſtero, ac voce terribili, ipſum Papam in lecto ſine quiete quieſcentem aggreditur & affatur, pungens ipſum in latere ictu impetuoſo ſuo cuſpide baculi, quem bajulabat, paſtorali. Et dixit ei: "*Senebalde* Papa miſerrime, propoſuiſtine oſſa mea in mei & Eccleſiæ *Lincolnienſis* opprobrium extra Eccleſiam projicere? unde hæc tibi temeritas? Dignius foret, ut tu, à "Deo ſublimatus & honoratus, Dei zelatores, licèt defunctos, coleres. Nullam poteſtatem in "me habere, te Dominus amodò patietur. Scripſi tibi in ſpiritu humilitatis & dilectionis; "ut errores tuos crebros corrigeres. Sed tu monita ſalubria ſuperbo oculo, & faſcinanti corde "contempſiſti. Væ qui ſpernis, nonne & tu contemnêris? Et ſic recedens pontifex *Robertus*, ipſum Papam, qui quando, ut dictum eſt, pungebatur, ab alto ingemuit, quaſi lancea tranſverberatus, dereliquit ſeminecem: & voce flebili cum ſuſpiriis ingemiſcentem. Unde Camerarii ejus hæc audientes, attoniti interrogaverunt, quidnam hoc ſibi vellet? Papa verò cùm gemitibus & ſuſpiriis reſpondit, dicens: "Terrores nocturni conturbaverunt me vehementer. Nec mi- "hi penitus ut priùs reſtaurabor reſtitutus; heu, heu, quantum latus doleo, ſum lancea genio "lanceatus. Nec comedit nec bibit illa die; fingens ſe anhelis febribus inflammatum. Nec adhuc quievit Domini ſuper eum ultio, cum indignatione.

Papalis exercitus victus.

NEC multò poſt, Papa non ſentiens divinas per ſervum ſuum admonitiones, ſed bellicis nimis & ſæcularibus negotiis intendens, minus in eis proſperatur; licèt curam, laborem, & ſumptus non paucos expendendo. Sed Marte ei, imò Domino exercituum adverſante, exercitus ejus, quem contra *Apuleos* maximis ſumptibus direxerat, ſub ducatu conſanguinei nepotis ſui *Willielmi*, diſſipatus, victus & confuſus, cum ejus duce lethaliter vulnerato occubuit. Referuntur ibidem interfecti *Chriſtiani* milites & ſervientes prævalidi ſtipendiarii Papæ militantes, ad quatuor mille virorum. Et luxit tantum ſanguinem *Chriſtianum* effuſum tota patria *Romanorum*. Direxerat autem Papa iter illis diebus verſus *Neapolim*. licèt in latere quaſi pleureſi infirmatus, vel lancea ſauciatus. Nec potuit ei Cardinalis *Albi* phyſica ſuffragari. Non enim pepercit *Robertus Lincolnienſis Sinebaldo Januenſi*. Et qui vivum noluerat audire corripientem, ſenſerat mortuum impingentem. Nec unquam poſteà, ipſa Papa unum bonum diem vel proſperum continuavit uſque ad noctem, vel noctem uſque ad diem, ſed inſomnem & moleſtam.

Confirmatur electus Linc.

Quinto Calend. Aprilis, confirmatus eſt electus *Lincolnienſis* ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi Bonifacio*; videlicet dominus *Henricus* de *Lexintona*, Decanus *Lincolnienſis*: qui quia tam nobili prædeceſſori ſucceſſerat, bonam de ſe ſpeciem per gyrum reddebat. Sed tam ſublimatus poteſtate & honore; minoratur in largitate.

Carleolenſis *Epiſc. obiit.*

Menſe autem ſub eodem, videlicet tertia Idus Maii, obiit Epiſcopus *Karleolenſis Silveſter*: dum equum nimis laſcivum equitans pedemque ad ceſpitem offendens, corruit ſupinus aſſeſſor, & contritus & oſſium diſſolutis compagibus, expiravit.

Mors Wil. *comitis de* Ferrariis.

Et eodem tempore, ſcilicet nono Kalendas Aprilis, obiit Comes de *Ferrariis Willielmus* filius *Willielmi*, vir diſcretus, & legum terræ peritus. Hic dum pedum infirmitate diuturna, quæ podagra dicitur, à primis annis, ſicut ejus pater, velut hæreditariè laboraret; in lectica vel carpento vehi conſuevit de loco ad locum. Et dum una dierum iter ageret, veredarii ejus incautè vehiculum ſuum regentes, ſuper quendam pontem cadere permiſerunt evolutum. Qui contritis licet membris tunc mortem evaſiſſet, nunquam tamen penitus ſanus; poſteà viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

EODEMQUE

1254.

Eodemque anno, confectum eſt chriſma in Eccleſia *ſancti Albani* à venerabili Epiſcopo *Bangorenſi Richardo.*

Circa feſta Paſchalia, Canonici ſancti *Pauli* ſubrogaverunt ſibi Decanum loco magiſtri *Henrici* de *Cornhille*, magiſtrum *Walterum* de *Londino.*

Canonici verò *Lincolnienſes*, elegerunt ſibi in Epiſcopum, magiſtrum *Henricum* de *Lexintona*, ejuſdem Eccleſiæ Decanum.

Invidia Siculorum in Henricum Frederici filium.

PER idem tempus, cùm *Henricus* filius *Frederici* & Imperatricis *Iſabellæ*, ſororis Domini Regis *Angliæ*, in flore ſuæ vernaret juventutis, & perſuadente ingeniti ſanguinis nobilitate, *Anglos* diligeret, & pro poſſe promoveret; audientes hoc *Siculi* & *Apuli* intra ſe dixerunt: Quis putas puer iſte erit? A ſtirpe utique oriundus eſt *Anglorum* Regia. Si, ut cœperit, proſperetur, nos omnes ſuperabit, & ſuperatos ſubpeditabit. Audierantque quòd Papa conceſſerat regnum eorum Comiti *Richardo*, avunculo adoleſcentis *Henrici*, unde ſupra quàm dici poteſt indignantes, intumuerunt contra Papam; & contra inſontem juvenem. Et ut eis moris eſt, eum potionare cogitabant, ut ſuprà dicitur.

Lugubre bellum in finibus Flandriæ.

PER idem tempus, commiſſum eſt prælium cruentiſſimum poſt bellum de *Apulia* in confinio *Flandriæ* & *Brabantiæ*, inter *Francos* & *Flandrenſes*, & eorum fautores ex una parte, & Comitiſſam *Flandrenſem* & ejus complices, videlicet *Willielmum* de *Hollandia*, Regem videlicet *Alemanniæ*, & multos alios magnates *Brabantiæ* & *Alemanniæ* ex altera; pro filiis dictæ Comitiſſæ & duobus viris. In quo certamine lamentabili, & à ſeculis deplorando, ceciderunt bellatores ſtrenuiſſimi, armis trucidati, vel undis marinis ſubmerſi, vel fluvialibus, utrobique infiniti; ita ut de una civitate *Flandrenſi*, interierunt ad decem millia interempti. Nec ſupererat, qui evaderet caſum nunciaturus. Tandem poſt multam ſanguinis effuſionem, ceſſit victoria *Willielmo* Regi memorato & *Alemannis*, *Franci* autem victi, vulnerati, & pro majori parte trucidati, deteriorem calculum ſubeuntes, damnum & opprobrium indelebile ſunt perpeſſi. In abyſſum igitur deſperationis, diffidentiæ & deſolationis *Franci* præcipitati, tum propter cædem in *Terra Sancta* ſuper eos multiplicatam, tum propter iſtam contra finitimos jam de eis ad votum triumphantes. Significabant igitur ſub omni feſtinatione domino Regi *Francorum*, qui in partibus tranſmarinis Caſtra & civitates de conſilio *Templariorum* & *Hoſpitalariorum* multis theſauris propter redemptionem ſuam expoſuerat; ut omnibus aliis omiſſis, ad propria quantociùs redire properaret. *Franciæ* enim Corona titubante per ſuperbiam muliebrem, Comitiſſæ videlicet *Flandriæ*, quæ duobus viris & duobus innitens filiis, totum regnum *Galliæ* paret diſcrimini. Regna quoque *Alemanniæ*, *Siciliæ*, & totius *Germanniæ* ſunt concuſſa: maximè cùm Rex *Angliæ* Papalibus nutibus inclinatus, Regis *Hiſpaniæ* jam affinitate non modicè roboretur. Qui erecta fronte *Normanniæ*, introducentibus, & *Hiſpanis* potenter patrocinantibus, *Franciam* impugnare procaciùs comminatur. Rex igitur *Franciæ* his auditis, licèt invitus, & ſuper hæc *terræ Sanctæ* omnes incolæ doluiſſent, cautè reditum maturavit. Timuit autem *Januenſes* & *Piſanos*, quos in captione *Damiatæ* temere ſupplantarat. Et inſuper debitis eorum non modicis tenebatur obligatus, *Franci* igitur, ut Rex liberiùs remearet, eoſdem per terram tenebant occupatos.

Cauſa belli Flandrici.

NEC adhuc inimicitiæ, inſidiæ, incendia, cædes die aut nocte ceſſaverunt inter *Alemannos*, *Francos*, *Flandrenſes*, *Brabantios*, & *Friſones*, quin mutuò ſeſe & corrodant, & conſumant. Et quia toti *Chriſtianitati* hoc bellum *Chriſtiani* ſanguinis conſumptivum eſt damnoſum, dignum arbitror hujus diſſenſionis cauſalem radicem audientibus enucleare. Hoc enim fuit diſcordiæ ſeminarium primitivum: Comitiſſa *Flandriæ Margareta*, dum adhuc in puellari ageret ætate, nec ſpes aliqua eſſet, ut ad dominum *Flandriæ* perveniret, clam contraxit cum *Bucardo* de *Avennis*, & filios tres ab eo ſuſcepit, ſcilicet *Johannem* de *Avennis*, & duos alios. Eodem autem *Bucardo* revolvente in animo quòd Diaconus eſſet, & ideo matrimonium eſſe illegitimum, & ideo fortè dirimendum, vel fortè in facto læſus conſcientia, *Romam* adiit; ubi matrimonium ipſum confirmaretur, vel ſaltem diſſimularetur. Et compertum fuit, quòd ſoror ipſius, quæ Comitatum tenebat, ſterilis extitit; & ſperabatur quòd hæreditas ipſa proceſſu temporis ad eam devolveretur. *Willielmus Damper* ex nobiliori genere *Francorum* oriundus, Miles (Subdiaconus tamen) aſpirans ad dominium *Flandriæ*, occultè priùs loquutus eſt cum ipſa *Margareta*. Et poſtea dum alius eſſet in proſequutione negotii ſui *Romæ*, contraxit cum ea ſolemniter. Quo comperto, prædictus *Bucardus* habens hoc pro fabula priùs, ſed poſteà fama crebreſcente, & re dilucidata certificatus; ſcripſit eidem *Margaretæ*, ipſam reprehendens, & ut ad animum rediens, reſipiſceret, exhortans diligenter. Sed ipſa ſecundis optatis nuptiis potita, in quibus plùs ei complacuit, ſuam ſprevit exhortationem, reſcribens ei provocando, & deridendo, ſic dicens: *Bucardus in ordine Levitico de cætero eccleſiæ miniſtret, oblationibus inhiando, quia* Margareta *amplexibus diu fruitur concupitis.* Hoc audito, cùm nihil facere poſſet *Bucardus*, reverſus eſt *Romam*: poſtulans liberos ſuos à domino Papa, quos ab ea ſuſceperat, legitimari. Suſcepit igitur *Margareta* à ſecundo marito filios tres, *Willielmum* ſcilicet *Damper*, & fratres ejus. Pueri autem diverſis patribus procreati cùm adoleviſſent, & mater ſorore ſua Comitiſſa defuncta, Comitatum *Flandriæ* & *Hannoniæ* ſuſcepiſſet, cœperunt pueri inter ſe deceptare de hæreditate, dicente matre primos eſſe ſpurios, ſecundos autem legitimos; odio traducе in filios propter patrem, quem oderat. Litigant igitur patre utroque mortuo magis ac magis adoleſcentes. Mater,

ſicut

1254. ſicut & juvenes, propriam allegant turpitudinem: demùm cùm ſuper hoc quæſtio delata eſſet ad curiam *Franciæ*, ſuppoſuerunt ſe partes judicio Regis. Rex verò habito reſpectu ad carnem & ſanguinem, eò quòd dictus *Willielmus* propinquus ſibi erat, ſic ſententiavit, quòd nec uni ſit, nec alteri, ſed divideretur hæreditas. *Flandriam* adjudicans *Willielmo*, & *Hannoniam* adjudicans *Johanni*. Quod *Johannes* ægrè ferens reſpondit; hoc mihi Rex das quod auferre non prævales, & aufers, quod dare potuiſſes: *Flandria* enim de te tenetur, & *Hannonia*, de Imperio. Et cùm aliter non proficeret, eò quòd per fidejuſſores obligatus fuiſſet ſtare judicio Regis per ratihabitionem, à Curia indignanter receſſit, indignationem ſuam pro loco & tempore oſtenſurus. Et præcavens ſibi ad roborandum partem ſuam, neptem tunc Ducis *Brabantiæ*, ſororem videlicet *Willielmi* de *Hollandia*, ſibi duxit in uxorem, per quam ſibi tantum robur accrevit, quòd *Willielmus* poſteà in quodam torneamento extitit interfectus. Et frater ſuus, qui ei ſic debuit ſuccedere in Comitatum *Flandriæ*, cum multis *Francigenis* obiit interemptus.

Maxima clades per Comitiſſ. Flandriæ *M.*

MEMORATA igitur à ſæculis congreſſio deploranda, in finibus Flandriæ perpetrata eſt circa medium Autumni, ut uberiùs meteret Diabolus, & vindemiaret multorum animas occiſorum. Interierunt enim diverſimodè pluſquam viginti millia hominum bellatorum, ex diverſis tam regni *Francorum* quam Imperii, ſcilicet *Germanniæ*, quæ multas amplectitur Provincias, Regionibus congregatorum. Qui omnes per unam ſolam mulierculam impudicam perierunt. Et ſicut *Pergama* per gamos, id eſt, fœminam, tota *Troia* in cinerem eſt redacta, & *Græcia* eſt ſuis incolis ſpoliata, *Venere* procurante, ita in hac ruina, quæ die *Veneris* accidit, tota *Francia*, *Germania*, & *Flandria* induit cum dolore confuſionem. Sed & interfectorum uxores, liberi, conſanguinei, & amici, quaſi altera morte ſunt puniti. Ipſo namq; tempore, miſſus erat pro arduis domini Regis *Angliæ* negotiis, ab ejus latere dominus *Johannes* Prior de *Newburgo*, ſpecialis ejuſdem Regis conſiliarius, & nuncius, in partes illas, qui ſuper his caſibus per Magnates certificatus, hæc ſcriptis commendabat.

Impudentia & crudelitas Comitiſſæ. M.

SCIENDUMQUE quòd meritò iſta non comis Comitiſſa *Flandriæ Margareta* quæ ſe duobus viris impudenter & illicitè ſuppoſuerat; ſicut ſoror ejus exigentibus peccatis eſſe meruit, vel ſaltem à multis dici, patricida; ita & iſta prolicida eſſe infœliciter promeruit, & multorum cauſa peremptorum. Prior enim natu filius ejus, per illam peremptus eſt. Alter, crure mutilatus.

Occiſi & capti in prædicto prælio.

CAPTI ſunt in illo cruento prælio, Comes de *Bar*, dum ardenter præliaretur, cupiens ſe vindicare de injuria facta ſibi in bello illo in proxima præterita congreſſione, in qua monoculabatur. Duravit enim odium illud & bellum per fermè triennium. Comes de *Giſnes*, Comes de *Geldria*, Comes de *Joegni*, *Campanus Symeon* de *claro monte*, *Jacobus* de *Gyni*, *Robertus* de *Boſck*, *Sueſſionum* nobiliſſimus; & aliorum Magnatum, quorum nomina non tenemus. Et communiorum *Francigenarum* multitudo copioſa. Ita quod captorum & occiſorum magnatum, militum, ſervientium, & de communiis armatorum, ad plùs quàm centum millia dicitur numerus aſcendiſſe. Nec hoc in chronicis *Anglorum* collocâſſem, niſi immanitas effuſionis ſanguinis *Chriſtiani* in confinio *Angliæ* perpetrati me provocaſſet.

Quæ Principes commoverat Flandrenſe bellum.

EXULTANTIBUS igitur Deo hoſtibus *Sarracenis*, qui de jactura *Chriſtianorum* conſueverunt gratulari; concuſſa ſunt horum Regna Magnatum, ſcilicet totius *Germanniæ*. Primò acerbiorem paſſus eſt jacturam, Rex *Francorum*, Deo in *Terra ſancta* militans, quolibet Rege potentior. A qua jam rediens, propter hoc diſcrimen revocatur ad damnum totius *Chriſtianitatis*. Et multi de *Franciæ* Regno primates. Dux *Bavariæ*, qui centum millia Marcarum *Colonienſium* ab antiquo tempore redditus annui habuit, de novo autem plùs incrementi; qui totum theſaurum ſuum in hoc bellum expoſuit. Dux *Saxonum* eo non minor, ſimiliter, domini Regis *Angliæ* conſanguineus: Dux *Brunefwik*, qui & conſanguineus Regis ejuſdem, Dux *Brabantiæ*, qui & *Lovaniæ*, qui ſe vocat Ducem *Lotharingiæ*, Dux de *Lemburg*, Dux *Suaviæ*, Dux *Auſtriæ*, Dux de *Lunebure*. Quædam *Landegravia* potentiſſima, dicta *Sopha*, quæ domina eſt *Duringiæ* pro magna parte: duo Marchiones, unus verſùs *Sclavoniam*, alter verſùs *Bohemiam*, *Bohemiæ* Rex eſt. Dux *Poloniæ* à *Tartaris* interemptus eſt. *Landegravius* de *Duringiâ*, Sancta *Elizabetha Landegravia* de *Duringia*, & filia Regis *Hungariæ*. Quilibet horum tranſmiſerat aliquot de ſuis contra *Francorum* exercitum, in auxilium *Willielmi* de *Hollandia* Regis *Alemanniæ*. *Friſones* verò qui venerunt ad exercitum, malè tractati ſunt à *Willielmo*. Quia ſuperbus & impatiens amicitiæ, theſauris ditatus fuit Papalibus. Unde *Friſones* indignantes, ex tunc paraverunt ei inſidias. Quod poſtea apparuit; prout ſequens ſermo declarabit tempore ſuo. Nec ei Papalis pecunia malè adquiſita profuit, imò obfuit vehementer. Ecce jam ferè tota *Europa* pro luxuria muliebri eſt commota, & Diabolo machinante, & inde meritò cachinnanti deteriorata. Hoc etiam anno, *Ciſtercienſis* ordo jacturam incurrit non minimam pro *Flandrenſium* exterminio, quia Lanas conſuetas nequiverant comparare. Nec prætereundum arbitror quoddam verbum cruentum, quod ipſa ſæpedicta Comitiſſa, altera *Medea*, non erubuit pronunciare.

Crudele dictum Comitiſſ. Flandriæ.

CONTIGIT poſteà quòd *I.* de *Avennis*, filius Comitiſſæ memoratæ, poſitis inſidiis cepit duos filios ejuſdem Comitiſſæ, fratres ſcilicet ſuos, ſed tantùm uterinos; & in cuſtodia tuta fecit reſervari lætabundus, ſperans per eos matrem ad pacis unitatem revocare; dicens ei per

ſcriptum

ſcriptum & nuncios, quos plùs credidit gratioſos. *Chara mater, ſi mei non vis, ſaltem filiorum tuorum fratrum meorum uterinorum, quos in vinculis teneo, miſerere, & paci conſentire tibi fructuoſæ.* Cui illa: *Filii mei fratres tui in manu tua ſunt, non flectar propter eos, voluntati & arbitrio tuo exponuntur. Macta eos, carnifex truculente. Et unum eorum coctum elixum devora piperatum, & alium aſſatum & alliatum.* Quod verbi offendiculum, in multorum faucibus ad omnium mulierum præcipuè matrum opprobrium volvebatur. Sed ne aëra coinquinent, hanc materiam omittentes, ad ea quæ *Anglicam* contingunt hiſtoriam, calamum adaptemus. 1254.

CONGREGATI ſunt iterum *Angliæ* magnates *Londini*. Quibus ſignificavit Rex quod pecunia indigebat; & viribus amplioribus ad repellendum violentiam magni hoſtis ſupervenientis. Quod mandatum ſignatum fuit Regio ſigillo. Reſponderunt autem omnes & ſinguli, quod jam per tres ſeptimanas *Londini* inaniter expectantes adventum Comitis *Richardi*, & aliquorum magnatum moram protrahentium, & toties Regiis exactionibus vexabantur, quod vix poterant reſpirare. Non tamen venire omitterent ad ſuccurſum domini ſui Regis corporaliter, ſi de hoſtili adventu Regis *Hiſpaniæ*, hoc comminantis, pleniùs certificarentur. Mirabanturque ut dicebant, quod idem Rex *Caſtellæ* nunquam tempore quo Comes *Legreceſtriæ Simon Gaſconiæ* præfuit, & rebelles multos edomuit, *Gaſconiam* vendicavit. Hoc igitur argumento & multis aliis, quæ in ultimo habito proximo Parliamento prætanguntur, ſed & per Comitem *Simonem*, qui tunc de partibus rediit tranſmarinis, qui veritatem ſuper hoc nunciavit Magnates edocti, Regis muſcipulas præcaverunt, qui ex bonis *Angliæ* periclitantes alienigenas ſaginavit. Hoc autem ſubdolum conſilium, ex ſulphureo fonte *Pictavenſium* dicitur emanaſſe. Et ſic cum ſumma indignatione, triſtes admodum Proceres receſſerunt.

Magnates Angliæ Londini congregati.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, poſt Paſcha, citra dies tamen Rogationum, Rex ne quieſceret, adeò deſævit in *Judæorum* popellum miſerrimum, ut vivere faſtidirent. Et cùm convocarentur, exegit ab eis Comes *Richardus* ad opus Regis quamplurimùm indignantis pecuniam non minimam; ſub pœna carceris teterrimi, & mortis ignominioſæ. *Elyas* igitur de *Londino*, *Judæorum* pontifex, habito cum ſociis ſuis concilio, reſpondit pro omnibus, qui maximam frequenter nolens, volens, ſolverat pecuniam. *O Domini Proceres, videmus indubitanter, quòd dominus Rex nos delere proponit de ſub cælo, Det nobis petimus pro Deo licentiam & conductum recedendi à regno ſuo, ut alibi quæramus & inveniamus manſionem, ſub aliquo Principe, qui alicujus viſcera geſtat miſericordiæ, & veritatis ac fidelitatis ſtabilitatem. Et recedemus irredituri, relictis hic ſupellectili & domiciliis. Quomodo diligeret nos miſellos* Judæos, *vel nobis parceret, qui ſuos* Anglicos *diſtruit naturales? Habet Papales, imò ſuos Mercatores, non dico fœneratores, qui de præſtationibus cumulos coacervant pecuniarum infinitos. Innitatur Rex eis, & ſuis inhiet emolumentis. Nos profectò ſupplantarunt & depauperarunt. Quod utique ſcire Rex diſſimulat, exigens à nobis quæ non poſſumus exhibere; etſi oculos erueret, vel excoriatos jugularet.* Et hoc ſingultibus & lachrymis ſermonem impedientibus dicens, ſiluit fere cadens in extaſim moriturus. Quod cùm ad noticiam Magiſtratuum perveniſſet, non permiſerunt eos a regno recedere, dicentes: Quò fugeretis miſeri? Ecce Rex *Francorum* vos odit, & perſequitur, & exilio perpetuo condemnavit: vitantes *Charybdim* in *Scillam* mergi deſideratis. Et ſic parva ſubſtantiola, quæ eis ad eorum exilem ſuſtentationem relinquebatur, ab eiſdem violenter eſt extorta.

Miſeria Judæorum.

TEMPORE quoque ſub eodem, facta eſt irruptio hoſtilis inter *Francos*, & *Francorum* fautores ex una parte, & *Alemannos* & eorum fautores, quorum maximus fuit *Willielmus* de *Hollandia*, Rex *Alemanniæ*, ex altera. *Friſones*, qui neutraliter ſe habebant, à *Willielmo* de *Hollandia* hoſtiliter impetuntur. Intimatum enim erat ei, quod ei inſidiabantur. Ipſi autem per fugam xix ſunt elapſi.

Bellum inter Francos & Alemannos.

TUNC quoq; temporis, ſcilicet decimo ſexto Calendas Junii, conſecratus eſt in Epiſcopum *Lincolnienſem* electus *Henricus* de *Lexintona*, ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi Bonifacio*, in partibus tranſmarinis.

Conſecratur electus Lincolnienſis *in Epiſcopum.*

SUB eiſdem diebus, cùm in exercitu Regis in *Gaſconia*, *Walenſes* quidam ſecundum conſuetudinem ſuam in terras hoſtium Regis diſcurrerent prædis intendentes, capti ſunt à fratribus Regis & Epiſcopo *Herefordenſi*, & ſubitò ſuprà merita graviter puniti, qui tum parvum vel nihil mali perpetrarunt. Nec fuit inde mota priùs querela coram Comite *Herefordiæ*, qui Conſtabularius Regii exercitus ex antiquo jure fuiſſe & eſſe dignoſcitur. Et hoc in præjudicium & contemptum factum eſt Comitis, & contra totius exercitus legem & conſuetudinem. Reponens autem ſuper hoc Comes querimoniam coram Rege, nil niſi ſannos reportavit. Indignantes igitur ſuper hoc *Angli*, vix ſe continuerunt, quin conſerto agmine in *Pictavenſes*, omnes in fruſta conſcidiſſent. Sed Rex pavefactus & trepidus junctis manibus veniam de ſuo errore humiliter poſtulans, vix furorem compeſcuit incipiendum, qui ſi inciperetur, ſanguis effuſus latiùs inundaret. Et ſubrepit murmur per totum exercitum: quoniam Rex per omnia ſtuduit patriſſare. Tum verò ab incircumſpecto Rege receſſerunt, ad propria redeuntes: viderunt namque jam pacis omnimodæ firmitatem elongari, quidam Magnatum *Angliæ*: de Regis tamen licentia, Comes *Rogerus Bigod*, *Willielmus* de *Sey*, & alii quàmplures; veſtigia Comitis *Legreceſtriæ Simonis* qui præceſſerat, conſequentes.

Eruptio Walenſium *in exercitu Regis.*

1254. ANNO quoque ſub eodem, in æſtate revocatum eſt & caſſatum iniquum judicium, quo *Henricus* de *Mara* itinerans Juſticiarius, fecit ammerciari domum *ſancti Albani* ad centum libras, Regina & Comite *Richardo* exiſtentibus Regni cuſtodibus, Regeque agente in *Gaſconia*.

Revocatio iniqui judicii contra libertates domus ſancti Albani.

Literæ de eadem revocatione.

HENRICUS *Dei gratia, Rex* Angliæ, *dominus* Hyberniæ, *dux* Normanniæ, Aquitaniæ *&* *Comes* Andegaviæ, *omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint, Salutem. Quia conſtat nobis per inſpectionem chartarum prædeceſſorum noſtrorum Regum* Angliæ, *quas Abbas* ſancti Albani *habet quod homines ipſius Abbatis non debent venire extra ſuam libertatem ejuſdem Abbatis pro aliqua ſubmonitione vel occaſione coram aliquibus Juſticiariis vel inquiſitoribus, remiſimus eidem Abbati centum libras, ad quas villata & libertas* ſancti Albani *amerciatæ fuerunt; eò quòd homines ejuſdem libertatis non venerunt coram dilectis & fidelibus noſtris* Henrico *de* Mara, *&* Willielmo *de* Wiltona *apud* Ceſterhunce, *quæ eſt extra libertatem prædictam, ad inquiſitiones faciendas de tranſgreſſione Cambii, & ad amerciendum tranſgreſſores ejuſdem Cambii. Remiſimus etiam eidem Abbati duas marcas & dimidium, ad quas* Nicolaus Leeſpicer, Alexander Stoyle, Wil. *de* Sandruge, *&* Reginaldus *Aurifaber, homines ipſius Abbatis de libertate prædicta, amerciati fuerunt coram prædictis* Henrico *&* Willielmo, *pro tranſgreſſione prædicta. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras eidem Abbati fieri fecimus patentes. Teſte* Richardo *Comite* Cornubiæ *fratre noſtro apud* Weſtmonaſterium, *decimo tertio die Octobris. Anno regni noſtri, trigeſimo octavo.*

Confirmatio libertatum S. Albani.

HÆ literæ teſtimoniales ſunt libertatum *S. Albani*, ſigillatæ, minori ſigillo. Quia rex tunc in partibus agebat tranſmarinis, Regno exiſtente ſub cuſtodia Comitis *Richardi* & reginæ. Pro quarum impetratione, ſi Comes vel regina aliquid pecuniæ cepiſſent, in ſanctum Martyrem *Albanum* & dominum eorum regem enormiter peccaſſent. Quia ab antiquo hæ & aliæ libertates à regibus conceſſæ, & à Papa confirmatæ hactenus pacificè poſſeſſæ & habitæ inviolabiliter fuiſſe dignoſcuntur: Viderit ille quoniam nil latet occultatum.

Major certificatio.

ET ut hoc magis certificetur, ſequuntur aliæ literæ in *libro Additamentorum* his continuatæ, quæ ſic incipiunt: *Vicecomes Herefordiæ reddidit computum de centum & una libra de villa ſancti Albani.*

Literæ fictitiæ de Gaſconia.

ET continuò in eodem *libro*, breve miſſum eſt de *Gaſconia*. In quo continetur hoc falſum & deceptorium, *H. Dei gratia, &c. Cùm Comites & Barones & cæteri magnates regni* Angliæ, *nobis firmiter promiſerunt, quòd erunt Londiniâ die Paſchæ proximo futuro in tres ſeptimanas cum equis & armis benè armati, ad tendendum ſine ulla dilatione versùs* Porteſmue, *ad nos in* Gaſconia *contra Regem* Caſtellorum, *qui terram noſtram* Gaſcoñiam *in manu forti in æſtate proximâ futurâ hoſtiliter eſt ingreſſurus, &c.* "Nuncii inſuper harum literarum bajuli addiderunt dicentes, quòd idem rex Ca-"*ſtellæ*, cum tot millibus armatorum advenerat; quòd vires *Angliæ* omnimodas, vel *Galliæ* mi-"nimè formidaret, cùm tamen nullo modo poſſet adventare. Quia ſi cum tali exercitu ſe versùs partes *Gaſconiæ* movere præſumeret, pacatos oporteret habere reges, per quorũ regna foret tranſiturus, ſcilicet *Navarriæ, Arragoniæ*, & multorum aliorum principum & magnatum, quorum nonnulli vix hoc tolerarent. Præterea *Sarraceni* quos infeſtat, ſequerentur è veſtigio, qui terram ſibi ablatam invenirent ſibi quaſi oblatam. Præterea ut prædictum, miſſio pro regina, & pro filio ſuo primogenito, muſcipulam regis *Anglorum* detexit. Et

Quæ nimis apparent retia vitat avis.

Doluerunt præcordialiter & inconſolabiliter, tum quòd eorum dominus & gubernator per fas & nefas, ſuos natales homines tot deſtruere nititur argumentis. Ecquis leviùs aut citiùs navem poterit dare diſcrimini, quam Nauclerus, qui gubernaculum moderari teneretur?

Privilegium conceſſum Weſtmonaſt.

CONCESSUM eſt eodem anno, à domino Rege *Henrico* & ejus ſucceſſoribus, quòd ipſi de *Weſtmonaſterio* & eorum ſucceſſores, coram quibuſcunque Juſticiariis Regis tam itinerantibus quàm aliis, habeant extractas rotulorum eorundem Juſticiariorum de amerciamentis & omnimodis finibus hominum ſuorum. Et de catallis fugitivorum & damnatorum eorundem. Ita quòd extractæ illæ non liberentur ad Scaccarium noſtrum, ſed per manus eorundem Juſticiariorum liberentur extractæ illæ Balivo eorundem & Conventus, in cujus præſentia amercientur homines prædicti. Et inde fuit charta confecta & illis conceſſa, anno gratiæ Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo. Quo etiam anno conceſſa eſt eis charta, quòd Conventus habebit quæcunque eos contingunt tempore vacationis, harum chartarum tranſſcipta in *libro Additamentorum* reperiuntur. Similiter & chartæ, quæ conceſſa eſt Abbati & Conventui de *Wautham*. Quæ alio tempore alterius anni conceſſa fuit, ſed ad noticiam præſentis libri ſcriptoris, ad votum non pervenerunt.

Regina Angliæ *parat tranſfretationem.*

CUM verò Regina pararetur ad transfretandum, ecce *Jeremuenſes* unam navem pulcherrimam & maximam, cum triginta nautis peritis & optimis armamentis miſerunt *Edwardo*, obſequio ſuo decenter præparatam, videlicet ad ipſum & eos qui cùm ipſo erant, fiducialiùs tranſportandum. Quam cùm *Wynchelcinenſes* vidiſſent, illam ſuis navibus, quas Reginæ paraverant, multò pulchriorem & majorem invidentes, nave confecta nautas proditioſè & ſubitò invaſerunt, vulnerarunt, & aliquos interemerunt. Et ut facinus ſuum aſtutiùs palliarent, illud

prælongum

1254.

prælongum lignum quod malus appellatur, appoſuerunt navi Reginæ, ac ſi hoc feciſſent pro Reginæ utilitate. Unde *Jeremuenſes* queruli non ſolùm coram Regina & poſteà Comite *Richardo* ſcilicet & omnibus de quatuor portubus, querelam maximam reponentes, totum regnum ad ultionem tantæ tranſgreſſionis, non immeritò commoverunt.

Regina transfretat, non obſtante Regis contrario mandato.

ET cùm hæc inopinata perturbatio cor Reginæ ſauciaſſet, ecce aliud mandatum Regis priori contrarium, & urgens præceptum nunciatur, ne Regina tranſfretaret. Læſa igitur utrobique ingemuit, dicens: "Anguſtiæ oriuntur undique, omnia ad transfretandum parata ſunt, vale-"dixi omnibus, ventus flat proſperrimus, & ego revertar? Abſit. Et has injurias diſſimulans, cum filiis ſuis *Edwardo*, & *Edmundo*, & quadraginta militibus & nobili familia, ſub ducatu Archiepiſcopi *Cantuarienſis* avunculi ſui, quarto Kalendis Junii, ſcilicet die Veneris ante Pentecoſten, navem apud *Porteſmue* aſcendit. Scribens Comiti *Richardo*, quatenus prudenter diſcordiam & perturbationem motam inter ipſos de quinq; portubus, quòd regno multùm fuit periculoſa, ſedare conaretur. Quod citò poſteà fœliciter factum eſt, & conſummatum. Applicuit autem proſperè Regina pridie Junii apud *Burdegalim*. Loco autem ipſius Reginæ ſubſtitutus eſt regni cuſtos, *Walter* de *Grai*, *Eboracenſis* Archiepiſcopus. Quod tum non acceptavit, nec accepit. Senſerat enim ſe ſenio & morbo prægravatum. Aliqui magnatum, qui maluerunt experiri per terram viarum diſpendia, quàm maris compendia, utpote *Johannes* de *Warenna*, & *Edmundus* de *Laſcy*, apud *Doveram* tranſfretantes, verſùs *Burdegalim* lora direxerunt. De vento autem illud mirabile illo anno accidit; videlicet quòd Aquilonaris vel Borealis ventus continuè perflans, vernos flores & fructus per tres menſes & aliquot dies ſuffocavit. Et circa Kalendas Julii, tempore ſcilicet Solſticiale, quaſi ſubitò prorupit inundatio pluvialis cum grandine impetuoſiſſimo, qualem non prævidimus, durans per unam horam & ampliùs, abradens ſcindulas domorum & regulas, & arborum ramos dilacerans.

Obiit Henricus filius Frederici Imp.

EODEM anno, menſe Maii, obiit ſpes *Anglorum*, & gloria *Henricus*, vir deſideriorum, miræ ſpeciei adoleſcens, filius *Romanorum* Imperatoris *Frederici*, & Imperatricis *Iſabellæ*, ſororis Regis *Angliæ*. Interiit autem, prout ab æmulis *Conradi* Regis *Siciliæ* aſſeritur, ipſo Rege *Conrado* procreante. Quod non eſt credibile, nec videtur, cùm idem Rex ipſum *Henricum* affectu fraterno dilexiſſet, & in eum argumenta dilectionis fraternæ protendiſſet: ſicut idem Rex in reſponſionibus ſuis probabilibus aſſeruit, quando Papæ graviter eum accuſanti, reſpondit, dicens, quòd in ejus obitu partem ſui corporis reputat amiſiſſe potiſſimam. Sed revera quidam flagitioſiſſimus *Johannes Maurus* ipſum potionatum, & adhuc ſub morte palpitantem, quodam manutergio ſtrangulavit. Rex autem *Conradus* poſt mortem dicti fratris ſui nunquam ut anteà vultum oſtendit ſerenum.

Diſſenſio inter Papam & Conradum Regem Siciliæ.

EODEM anno, menſe Junio, orta eſt graviſſima diſſenſio inter dominum Papam & *Conradum* regem *Siculorum*. Oderat enim eum Papa, licèt infirmatus, & ab Epiſcopo *Lincolnienſi Roberto* acriter correptus, ſed minimè correctus. Et accuſavit eum Papa immiſericorditer, odio *Frederici* fomitem miniſtrante, quia nec adhuc ſine igne cinis erat, in multis articulis. Rex autem ſingulis reſpondit moderatè, conſtanter tamen inficiando. Impoſuit enim ei, quòd hæreticus exſtitit, & homicida, & clavium eccleſiæ contemptor, fecitque, ut aſſeruit Papa, celebrari divina in Interdicto. Et quòd quendam *Fredericum* nepotem ſuum veneno interfecit, & *Henricum* fratrem ſuum per *Johannem Maurum* priùs veneno, & cùm moram faceret, ut moreretur, quodam manutergio ſuffocavit. Sed hæc finxit papa, ut dicitur, ut ſic Regem *Angliæ* contra ipſum *Conradum* excitaret provocatum. Objectiones autem Papales, & reſponſiones *Conradi*, in *libro Additamentorum* poteris, ſi volueris, ad ſignum anchoræ rubræ reperire.

Rex non obſervat libertates toties promiſſas & juratas.

ET cùm ſpes præconcepta de charta & libertatibus prædictis obſervandis fideliter, ab omnibus putaretur ſtabilis & indubitanda, quia Rex, qui eas à patre ſuo præconceſſas multoties juraverat obſervare, maturioris tunc fuerat ætatis, & timebat ſententiis innodari prolatis: idem Rex conſiliis malignorum præventus, eaſdem infringendo contra venire non formidavit, credens pro munere abſolvi à tranſgreſſione.

Edward. filius regis Angliæ ducit ſororem regis Hiſpaniæ in uxorem.

TUMQUE temporis miſſus eſt *Edvardus* in magna pompa & apparatu ad Regem *Hiſpaniæ Alfonſum*. Ubi receptus cum honore & reverentia, ſororem ipſius Regis nomine *Alienoram*, juvenem videlicet, apud *Bures* deſponſavit: & ab ipſo Rege, cui bene complacuit adoleſcentis geſtus & elegantia, cingulo donatur militari. Rediens igitur *Edvardus* cum nuru ſua ad patrem, quaſi Angelus Dei cum ſumma ſuſcipitur jubilatione. Et detulit ſecum dominus *Johannes Manſel*, chartam domini Regis *Hiſpaniæ* auro bullatam, quòd quietam clamavit totam *Gaſconi*-"*am* præ ſe & hæredibus ſuis, domino Regi *Angliæ* & hæredibus ſuis. Et illicò contulit dominus Rex *Anglorum* filio ſuo & ejus uxori *Gaſconiam*, *Hyberniam*, *Walliam*, *Briſtoliam*, *Stanfordiam*, & *Craham*, adeò ut ipſe Regulus mutilatus videretur. Et ex eo tempore cœpit Rex, quaſi completo ad votum arduo negotio, reditum in *Angliam* maturare: cùm tamen diſcretis viris nihil utilitatis Regno *Angliæ* videbatur, imò damnum multum præparaſſe. Quid enim auxilii aut ſuccurſus, ipſe Rex tam longinquus contra Regem *Franciæ* (de quo magis Rex *Angliæ* conqueritur) poterit conferre? Ipſi enim undiq; hoſtes familiares inſidiantur quibus vix valet reſiſtere, Et interponuntur tot terrarum ſpacia, & regnorum climata diſtantia. Novit inſuper dominus "rex *Hiſpanorum* mores, & religionem, quoniam ſunt hominum peripſemata, vultu deformes, cultu deſpicabiles, moribus deteſtabiles. Compertumque eſt certis ratiociniis, regem

1254. *Angliæ* extraxiſſe à regno ſuo per ipſam in *Gaſconiam* umbratilem tranſmigrationem, ubi nil adquiſivit, niſi id quod priùs ſuum erat, in expenſis inutilibus conſumpſiſſe vigeſies & ſepties centum millia librarum, & ampliùs. Exceptis terris & redditibus, quos inconſultiùs prorſus contulit indignis, imò potius ſibi & regno ſuo nocituris, & omnia penitus conſumpturis. Et præterea in fratribus ſuis uterinis, natu & moribus *Pictavenſibus*, triginta millia marcarum, præter terras & redditus, gardas, equos, & jocalia impreciabilia. Sic ſicque proh dolor, procuratum eſt, quod paucis annis elapſis in expeditione in *Pictaviam*, quam amiſit dominus rex, & modo in *Gaſconiam*, quam vix retinuit; plus expoſuit, & harenæ ſemina commendavit, quàm aliquis diſcretus æſtimator, aut inſtitor, daret pro utraque, ſi venales exponerentur. Et ſic honore privata *Anglia*, ſuis bonis undique ſpoliatur per regis ignaviam; de quo *Merlinus*, ut dicitur, prædixit, dicens: *Egredietur linx penetrans omnia, qui ruinæ propriæ gentis imminebit.* Vere linx penetrans omnia, quia non eſt crumena in *Anglia*, quam non perforet, & contenta excutiat. Iſta maxima jactura & irreſtaurabilis, cùm per aliquem amicum ſuum ſibi familiarem certiùs innotuiſſet; quaſi attonitus, ac furia invectus, reſpondit hians & ſuſpirans: "O pro capite Dei, "ut utar verbis ſuis conſuetis, quid ſibi vult iſtud? Hoc nulli reveletur, ne novitatem in auri"bus & ſtuporem cordibus generet univerſis.

Rex inhiat decimæ conceſſæ.

REX interim nullis caſtigatus bonorum admonitionibus, avidiſſimè adhuc inhiat decimæ colligendæ; quæ ei conditionaliter fuit promiſſa ab univerſitate per triennium, ad *Terræ Sanctæ* ſubventionem peregrinanti, chartas repromiſſas, ut ſæpiùs in hoc libro recitatur, minimè, proh dolor, obſervavit.

Epiſc. Norwicenſis *venit ad* S. Albanum *pro decima colligenda.*

IN feſto namque tranſlationis Sancti *Benedicti*, venit Epiſcopus *Norwicenſis* ad *Sanctum Albanum* ex præcepto tam Papæ quàm Regis, ut bona omnia eccleſiæ illius, præter Baroniam, ad opus regis decimaret. Convocavit igitur omnes terræ *Sancti Albani* eccleſiarum rectores & eccleſiarum vicarios, & omnium eccleſiarum cuſtodes, etiam eccleſiæ de *Gopwelle*, ubi Sanctimoniales ſub exili vita ſemper ſub clauſura vix ſuſtentantur: & eccleſiæ Sancti *Juliani*, ubi miſelli: & eccleſiæ Sanctæ *Mariæ de pratis*, ubi miſellæ vix habent vitæ neceſſaria, convocavit, ut præſtito ſacramento bona eorum diſtrictè taxarentur. Omnes quoque obedientiarios eccleſiæ *Sancti Albani*, etiam eleemoſynarios convocans, fecit taxare bona ſua diſtrictè & fideliter, aſſerens quòd poſtmodùm fieret inquiſitio cum diligenti & diſtricta excuſſione, ſi irreprehenſibiliter æſtimâſſent. Monſtravit inſuper authentica ſua, quæ habuit, tam Papalia, quàm Regalia. Adjunxitque, quòd invitus valde onus illud ſubierat & gravamen, ſed in virtute obedientiæ compulſus & coactus, Officium illud cum ſumma modeſtia & fidelitate peregit. O novitas à ſæculo inaudita! Conſueverunt hactenus populares Prælatis decimas exhibere: nunc ordine retrogrado & perverſo, coguntur Prælati decimas perſolvere laicis & inviti. Unum tamen ſolatii refrigerium invenientes, quòd credebant, quando promittebatur, quod in ſuccurſum *Terræ ſanctæ*, ad honorem Dei & eccleſiæ pecunia decimalis expenderetur, & chartæ promiſſæ obſervarentur. Sed

Spes reficit, dominum fallit & ipſa ſuum.

Sed inſuper antequam præmuniremur, ad cumulum fallaciarum, appoſuerunt *Romani* & Regales communi aſſenſu, ſed occulto, biennium triennio, ut ſcilicet per quinquennium conferatur, quod tamen fuit per triennium conceſſum & promiſſum, & hoc ſub conditione, quæ ex parte minimè obſervatur.

Inundatio inſolita marium Orientalium.

CIRCA idem tempus, negotiatores Regis venientes de nundinis Sancti *Botulphi*, affirmaverunt quod Orientales, videlicet quos *Eſtrichales* & *Gutlanenſes* appellamus, idem de maribus Orientalibus ſunt perpeſſi, quæ litora per multa ſpacia occuparunt, terminos conſuetos tranſgredientia. Et quod mirabilius fuit, ubi mare à litore remotum conſuevit eſſe profundum & altum, amota aqua apparuit arida arenoſa, quaſi inſula, locus videlicet qui nunquam anteà Solaribus radiis fuerat illuſtratus: ut videretur caſſatum quod in Pſalmo legitur de mari, *Terminum ſtatuiſti ei, quem non tranſgredientur*, ſcilicet aquæ. Sed demus aliquid Deum poſſe, quod non eſt humanum nôſſe. De talibus autem ſignis nos Dominus præmunivit, dicens: *Erunt ſigna in Sole, &c.*

Redit Francorum *Rex de partibus tranſmarinis.*

SUB eiſdem temporibus, videlicet in feſto tranſlationis ſancti *Benedicti*, venit Rex *Franciæ* de *Terra ſancta*, ſed invitus. Vocaverunt enim ipſum ejus Magnates urgentiſſimè, ut præcipuè pacificaret illud maledictum diſſidium, quod infœliciter muliebris procacia ſuſcitaverat, & plus quàm centum hominum millia peremerat, pupillos orbaverat, & matronas viduaverat, ſed & ſpecioſam patriam, quaſi in deſertum redegerat. Rex autem cum inſidias aliquorum hoſtium ſuorum ſupra mare degentium, Domino protegente, evaſiſſet, proſperéque applicuiſſet in partibus *Marſiliæ* (quæ non multum diſtant à *monte Peſſulano*, ubi floret Phyſica) vexatus à mari, ibidem pauliſper, ut reſpiraret, quieſcens, commorabatur, dicens ſe non adhuc peregrinationem ſuam terminâſſe, ſed ad horam ſuſpendiſſe: unde Crucem adhuc in propatulo bajulabat. Stimulantibus autem ſuis Proceribus, ad Regnum ſuum venire feſtinabat. Vix enim breves treugas Rex *Alemanniæ Willielmus* ſcilicet *Hollandiæ*, quin in *Flandrenſes* & *Francos*, & eorum benevolos irrueret cum ſuis *Alemannis* impetuoſis, admiſit, & tenebat.

Pius

Pius autem *Francorum* Rex, poſt pericula tranſmarina, marina, & ciſmarina, labores & ærumnas, in regnum ſuum veniens, honorificè, ut decuit, ac reverenter eſt ſuſceptus. Et illico tractatum habuit, quomodo *Galliæ* conterminos hoſtes vel edomaret ſuperando, vel mediante juſtitia pacificaret. Sed nequivit ſine diligenti & diffuſo tractatu, tot cum turbinibus ſedare tempeſtates. 1254.

Obiit Epiſcopus Elyenſis Hugo.

ET eodem tempore, migravit ab hoc ſæculo bonus Epiſcopus *Elyenſis Hugo*, quandoque Abbas eccleſiæ ſancti *Edmundi*, qui in utraque eccleſia circiter quadraginta annis Domino laudabiliter militaverat. Obiit autem apud manerium ſuum, quinto Idus Auguſti. Et tranſportatum eſt corpus cum magna meritò veneratione, & ſepultum apud *Ely* in ſua eccleſia, ſcilicet in Presbyterio nobiliſſimo, quod à fundamentis propriis ſumptibus magnificè nimis opere indiſſolubili & marmoreo conſtruxerat. Inter alia autem quæ fecerat pietatis opera, unam magnam Regiam lapideam plumbo coopertam cum pertinentiis, conſtruxerat apud *Ely*, & alibi ædificia magna & nobilia ædificavit, nihilominus in eleemoſynis & aliis charitatis operibus, ſibi palatia cœleſtia præparando. Hic quoque ſicut in menſa ſpirituali, ſcilicet altari, devotus extitit, & exitus aquarum deducebant oculi ejus, ita in menſa corporalis refectionis, dapſilis fuit, jocundus, & ſerenus. In cujus obitu, flos magiſtrorum obiit Monachorum: quia ſicut Abbas Abbatum in *Anglia* extiterat, ita & Epiſcopus Epiſcoporum coruſcavit.

Mirabiliſſimum fulgur cum tonitru.

ANNO quoq; ſub eodem, in vigilia aſſumptionis beatæ *Mariæ*, circa horam primam, repentino impetu comitante inundatione pluviali incomparabili, inſonuit unicus ictus tonitrui cum fulgure, quod cadens ſuper turrim eccleſiæ ſancti *Petri*, quæ eſt in villa *ſancti Albani*, & eam penetrans in ſuperiori ſui parte cum horribili fragore, materiam quernam quaſi plectam contorſit, & quaſi in fila minuta, quod mirabile fuerit, diſſipando contrivit. Fulgurantem fumum reliquit in tota turri & eccleſia, & fœtorem intolerabilem.

Thomas de Veteri ponte eligitur in Epiſc. Carleolenſem.

CIRCA idem tempus, Canonici *Carleolenſes* elegerunt magiſtrum *Thomam* de *Veteri ponte* in Epiſcopum ſuum, & ſuarum paſtorem animarum: licèt Rex pro quodam alio, precibus urgentiſſimis & imperioſis Capitulum poſtulâſſet. Et ut dominum Priorem de *Neuburgo* Canonicum eligerent, tanquam ſpecialem ejus conſiliarium prudentem & circumſpectum, ſicut ſuæ eccleſiæ deſiderarent promotionem.

Nobiles quidam Græci veniunt ad curiam Rom.

TEMPORE ſub eodem, ſcilicet in æſtate, venerunt quidam Nobiles & potentes de Imperio *Græcorum*, veſtibus optimis amicti inſidentes equos optimos, cum ſummariis circiter quinquaginta, & cum familia copioſa optimè parata. Et convenerunt dominum Papam verbis aſperrimis, imponentes ei quod enormiter erravit in fide, & cum eo & per eum omnes *Latini*, "qui dicunt *Spiritum Sanctum* procedere à *Patre* & à *Filio*: qui tantùm à *Patre* procedere, ſe-"cundùm *Græcorum* probationem & approbationem, affirmatur. Et hic eſt error antiquus *Græcorum*. Quem improbant & reprobant *Latini*, fortibus rationibus & auctoritatibus roborati, quas prolixitas prohibet recitare. Deceptabant etiam, ſi ſit idem *Proceſſio*, & *Miſſio*, vel differant, quod diſputationibus relinquimus diſcutiendum.

Symoniam tamen & uſuram manifeſtam, curiæ *Romanæ* dicebant inhærere. Quod ſignis volebant & exercitationibus evidentiſſimis, comprobare. Quod enim fama generalis per circuitum conſperſerit, veritati contrarium eſſe, vel humanæ ſaltem credulitati, vix poterit. Veruntamen quod pium eſt credere, talia pravorem conſilio operata, Papali non ſunt diſcretioni reputanda. Veruntamen examinati de articulis fidei & ſacramentis, ſatis tolerabiliter reſponderunt. Et ubi vacillabant, inſtructionem aliqui benigne admiſerunt. Papa autem dedit ipſis veſtes precioſas, videlicet de ſcarleto cum pellibus exquiſitis, & zonas ſericas repagulatas argento & auro, & precioſa firmacula, unde meritò poterant ſuperbientes gloriari.

Papa obtulit Regnum Siciliæ Regi Anglorum.

DIEBUS ſub eiſdem, cùm magiſter *Albertus* ad curiam *Romanam* perveniens, nunciâſſet Papæ, quòd nullo modo poterat Comitem *Richardum* flectere ad conſenſum, ut Regnum *Siciliæ* & *Apuliæ* ſibi oblatum vellet recipere, & ſeipſum & omnia ſua ambiguis caſibus expo-"nere, niſi primò Papa ſibi de ſuo genere optimos præſtaret obſides, de ſecuritate fidelitatis. "Et præterea, juvaret eum de aliqua quantitate pecuniæ, in negocio Martio illo exponendæ. Et "inſuper traderet ei quædam caſtra, quæ Papa in confiniis habebat, ut ſecura ſibi inveniret re-"ceptacula. Papa autem hoc videns ſibi eſſe difficile, reſpondit: Nolumus tot ſubjacere con-"ditionibus. Cui magiſter *Albertus*: Comes mihi dixit, ſi ſic non feceris, ut prælibatum eſt, "idem eſt, ac ſi quis diceret: vendo vel do tibi Lunam, aſcende, & apprehende eam. At Pa-"pa conſiderans ſuam in dicto Comite admonitionem non valere, ſubjunxit: Non curamus cum ipſo confœderari, vel aliquid commune habere. Cùm igitur certificaretur Papa, quòd *fruſtra jeciſſet rete ante oculos pennatorum*, miſſis ſecretis nunciis ad dominum regem *Angliæ*, ut ſimplicitatem ejus circumveniret (quoniam ſciebat ſemper ad damna propria pronum & credulum) obtulit & conceſſit ei regnum *Siciliæ* & *Apuliæ*: & ad hoc adquirendum, juvamen præſtaret tale, quale poterat ſine aliquo gravamine. Retorqueret enim omnes Crucesignatos à principali eorum propoſito, videlicet ne transfretarent in *Terram ſanctam*, ſed omnes communiter Regem *Angliæ* ſequerentur, & juvarent *Siciliam* & *Apuliam* adepturum. Unde hoc audientes *Templarii* & *Hoſpitalarii*, Patriarcha *Hieroſolymitanus*, & omnes *Sanctæ terræ* Prælati & incolæ, qui hoſtibus *Chriſti* opponuntur, & jam pejora formidabant, uſque ad mortem doluerunt,

1254. doluerunt, *Romanas* fallacias deteſtantes. Rex autem de promiſſo Papali umbratili adeo exhileratus eſt, & adeo dilatatum eſt cor ſuum inani gaudio, quod voce, geſtu, & riſu exultationem proteſtans, filium ſuum *Edmundum* Regem *Siciliæ* palam vocaret, credens pro facto ſe jam de ipſo regno ſubarratum. Nuncius vero Papalis inſtillavit auribus ejus, ne hoc arcanum divulgaret, ne videlicet ad notitiam amicorum ſuórum, qui pedicas *Romanas* cognoverant, perveniret, & ſic præmuniretur. Rex igitur quicquid de theſauro ſuo, quicquid de Scaccario, quicquid mutuò potuit à fratre ſuo Comite *Richardo* recipere, quidque poterat à *Judæis* abradere, quicquid de rapinis Juſticiariorum itinerantium valuit extorquere, miſit Papæ, ut *Conradum* impugnaret, & omnes ſuos *Siculos* & *Apulos* expugnaret. *Conradus* autem doluit, quòd Rex *Angliæ* in retiacula *Romanæ* curiæ cecidiſſet: & grates retulit Comiti *Richardo*, quòd ſe non permiſerit irretiri. Significans ei, quòd ſapienter feciſſet, quòd non confiſus in verbis Papalibus, & pecuniæ theſauris, ſe à temeraria præſumptione retraxiſſet prudenter: quia ubi Comes habuit unum argenteum, Rex *Conradus* unum aureum poterat invenire exponendum. Papa autem pecuniarum multitudine ſaginatus, erectus eſt in confidentiam. Et infinitum, quem congregavit exercitum de conductitus ſtipendiariis, ducatui & regimini *Octaviani* Cardinalis commiſit, & copioſè ſterlingos diſtribuit, & cùm defeciſſent, ſignificavit Regi, quòd defuit illi pecunia. Rex autem, inſtinctu Diaboli & avaritiæ, reſcribens Papæ, mittebat ei literas patentes obligatorias, Regio ſigillo conſignatas, ut ſufficienter, imò abundanter, mutuo caperet à mercatoribus *Italicis*. Nec timeret theſauri quantitatem, vel uſurarum multitudinem, ipſe enim omnia plenè adquietaret: & ſe ad hoc obligavit ſub pœna exhæredationis. Papa autem his omnibus conſentiens, hoc mandatum acceptavit: ſi bene fecerit, judicet Judex omnium judiciorum dominus, cui cura eſt de omnibus, non autem meum eſt facta Papalia judicare. Fecit igitur quaſi edicto Imperiali vel Regali publicè acclamari, ut omnes qui deſiderabant optima ſtipendia recipere, venirent ad Papalem exercitum. Habebat enim jam, quoniam mutuò receperat ab uſurariis *Italicis*, theſaurum inæſtimabilem. Confluebat igitur ad ſtipendia Papalia, *Italicorum* ignobilium multitudo copioſa. Qui deſides & imbelles, necnon & infideles, nulli domini Regis *Angliæ*, vel etiam Papali commodò, ſed tantum denariis deglutiendis intendebant, prout rei exitus comprobavit.

Conradus Rex Siciliæ moritur.

REX igitur *Conradus*, potenter ſe opponens, exhortatus eſt ſuos naturales commilitones & indigenas regionum illarum, ut ſtent viriliter & pugnent pro patria ſua, nec colla ſubdant dominis alienis: & exercitum Papalem diatim diminuit & enervavit. Sed amor denariorum *Anglicorum* hoſtium multitudinem gravavit. Papa enim burſæ Regis minimè pepercit, & infinitam pecuniam conſumpſit, cupiens Regem *Siculorum* expugnare, & Regem *Angliæ* in prædictum dominium ſubrogare. Omnes tamen voluit à corona commovere, & ſolum *Edmundum* creare, ut de ipſo & his quæ ipſius forent, tanquam de creatura ſua, ſecundum ſui arbitrii faceret voluntatem. Interim Papa non mediocriter diffamavit Regem *Conradum*, imponens ei enormia crimina, ſcilicet cædem fratris ſui Henrici, ut ſic provocaret Regem *Anglorum* & omnes *Anglos* contra eum, & quod contemptor exſtitit clavium eccleſiæ, & multa alia, quæ non oportet recitare, ſcripta autem ſunt in *libro Additamentorum*, & in hoc prætacta. Rex igitur *Conradus*, irruptiones hoſtiles, comminationes, opprobria Papæ ſuſtinens, & diffamationes, cœpit ſupra modum contriſtari, & gravi dolore contabeſcere. Et, ut dicitur, veneno propinato impellente, gravi dolore cœpit contabeſcere, & lethali lecto decumbere, dicebatque: "Væ "mihi miſero, væ væ mihi miſero, ut quid me fudit mater mea è gremio? ut quid pater meus "me genuit, tot ærumnis exponendum? Eccleſia, quæ mater patri meo & mihi eſſe debuit, "potius novercatur. Imperium, quod ante *Chriſti* nativitatem uſque nunc floruit, modo marceſcit, & datur letheæ oblivioni. Maledicens ergo diei nativitatis ſuæ, miſeram & afflictam animam exhalavit.

Exultat Papa de morte Conradi Regis.

QUO audito, Papa de morte ejus certificatus, cum magno cordis jubilo, oris riſu, & vocis exultatione, ait: "gaudeo planè, & gaudeamus univerſi eccleſiæ *Romanæ* alumni, quia jam "ſublati ſunt de medio duo maximi inimici noſtri: unus eccleſiaſticus, alter ſæcularis: Epiſ"copus *Lincolnienſis Robertus*, & Rex *Siculorum Conradus*. Obiit autem memoratus Rex Conradus menſe Junii. Et illico Papa ad ulteriores partes *Apuliæ* ſe transferens, totum ferè Regnum illud ſibi ſubdidit in brevi, & uſurpavit. Quod videntes optimates illius regionis, quæ quondam Ducatus extitit, indignati ſunt vehementer. Et ſuſcitantes quendam filium *Frederici* naturalem, nomine *Manfredum*, adhæſerunt ei, facientes ei homagium tanquam Domino & ligantiam. Et factus eſt error noviſſimus pejor priore. Et inſurrexerunt Papæ hoſtes redivivi.

Duo Monachi de S. Albano Romam mittuntur.

EODEMQUE tempore, miſſi ſunt duo fratres, Monachi videlicet eccleſiæ *ſancti Albani Romam*, ad repellandam inſolentiam quorundam Epiſcoporum, qui nitebantur viſitationem facere in eadem eccleſia, contra ſuorum tenorem privilegiorum. Videlicet Dominus *Willielmus* de *Huntundune*, Prior de *Haethfeld*, & dominus *Johannes* de *Bulim*: qui iter arripuerunt in craſtino aſſumptionis beatæ *Mariæ*, & proſperè redierunt.

Sterilitas terræ ex inundatione maris.

EODEM anno, tempore videlicet Autumnali, cum terrarum cultores ſuorum conſueverunt laborum præmia reportare, omnes terras ſuas diligenter cultas mari conterminas & vicinas, omni frugum genere carentes invenerunt, maris ſalſugine inebriatas. Mare enim, ut prædictum eſt,

eſt, omnia litera & litora terrarum vicinarum occupaverat tempore hyemali: ita quòd nec 1254.
fruges poterant apparere, imò nec ſylvæ, vel pomaria, virere, frondeſcere, florere, vel fructificare valuerunt. Et ut aliorum damna unius exemplo intelligere valeamus, ſolus Prior de *Spanlingo* non ſe poterat in omnibus terris ſuis mari conterminis, unum ſaltem manipulum collegiſſe jactitare. Ligna quoque tam ſylveſtria quàm fructifera arefacta, ſolis ſecuribus patuerunt excidenda. *Flandria* quoque, & omnia loca maritima, eadem toleravêre diſpendia. Nec ſe meminit ſenex & decrepitus aliquis, ſimilia unquam prævidiſſe. Unde hoc mirum evenit, quòd nautæ & piſcatores, facientes operationes in aquis multis, tam anchorantes, quàm velificantes, veraciter ſunt experti, quòd mare in illa inordinata & inſolita fluctuatione, quaſi exiens de alveo & canali ſuo conſueto, arenas in medio mari patefaceret, ubi ſolet eſſe maris altitudo. Sed hoc priùs tactum eſt.

IPSO quoque temporis curriculo, cùm Comes de *Warwike Johannes*, videlicet de *Pleyſeir*, & *Willielmus* de *Segrave*, & alii Nobiles cum eiſdem, vidiſſent quòd omnia pacificabantur, de licentia repatriare cogitabant. Impetratis igitur literis de Salvo progreſſu per terras ditioni Regis *Francorum* ſubjectas, iter per terram verſus *Angliam* ſecuri arripuerunt. Propoſuit autem Comes ire per *Neuſtriam*, quaſi *Neuſter* extitit natione. Et cùm perveniſſent ad quandam civitatem in *Pictavia*, quæ *Pontes* dicitur, quæ quidem paucis elapſis annis Regis fuerat *Anglorum* civitas ſpecialis, occurrerunt eis cives applaudentes, ducenteſque eos ad ſua hoſpitia honorificè, faciebant eis xenia reverenter, dicebant autem civibus hoſpitibus, ut acciperent arma quæ *Anglici* geſtabant in craſtino nulla reſignanda, clam tamen, in dolo videlicet & in proditione, more *Pictavenſium*. Et cùm epularentur in gaudio & ſecuritate, ecce ſupervenientes cives currentes & quaſi attoniti, & mentientes dixerunt Comiti & *Gileberto* de *Segrave* coepulantibus: "ecce jam, ecce comites veſtri, & familia veſtra moverunt ſeditionem in civitate, quod "non poſſumus æquanimiter tolerare. Erant namque cum Comite & *Gileberto* in civitate tum hoſpitati, de Regno *Angliæ* viri præclari, Barones, Milites, & ſervientes, *Philippus Marmim*, *Willielmus Mandim*, & alii multi, ſcilicet circiter quadraginta Milites, exceptis multò pluribus ſervientibus, qui militibus æquipollebant. Qui bene ſe defendiſſent, ſi præmunirentur. Et cùm invaluiſſet tumultus, & acclamatum eſt *ad arma*, repoſcebant hoſpites ab hoſpitibus ſuis arma ſua illicò liberari. Ipſi autem noluerunt, imò ſub clauſura ipſa retinuerunt. Irruerunt igitur cives ad unguem armati in eos impetu repentino immunitos & inermes, nec poterant eis valere literæ Regis *Franciæ*, quas monſtrabant de Salvo progreſſu, imò immiſericorditer captos, viliter carcerali cuſtodiæ manciparunt: Veruntamen aliqui poterant recedere, ſed noluerunt, niſi omnes liberi, qui in comitatu Comitis venerant, recedere permitterentur. Rex autem *Anglorum* cùm hæc audiret, iratus eſt, ſed non ut debuiſſet, ſi cor haberet Regale. Scripſit autem pro eis civibus de *Pontibus*, quondam fidelibus & amicis ſuis: ſed cives mandatum Regium contempſerunt, & captos in arcta cuſtodia cuſtodiebant. Retenti igitur idcirco magis angebantur, quia quondam Rex *Anglorum* eorum dominus naturalis, multa in eos congeſſit beneficia. *Gilebertus* verò vir nobilis ac dives ac moribus adornatus, ibidem graviter infirmabatur, unde nunquam convaluit de illa infirmitate, ſed vitam miſeram uſque ad mortem continuavit. Sed in hoc facto liquido, dederunt cives omnibus tam *Françis* quàm *Anglis* intelligere, quantum proditionis in cordibus latitat *Pictavenſium*.

Capti quidam Nobiles apud Pontes in Pictavia.

ANNO eodem, circa feſtum ſancti *Michaelis*, obiit *Willielmus* de *Cantelupo* juvenis, elegans & dives, in dolore multorum, quia ille tertius jam fuit *Cantelupinus*, qui infra paucos annos de medio ſunt ſublati.

Obiit W. de Cantelupo.

CIRCA idem tempus, ſcilicet in feſto ſancti *Edvardi*, egreſſum eſt breve inauditum à Cancellaria domini Regis, in quo nil boni poterat ſperari vel autumari. Henricum *Dei gratia*, &c. *Inquiratur in maneriis religioſorum, quot ſint carucæ propriæ ad colendum dominicum, & quot ſint conſuetudinariæ, & utrum illæ ex ſui diminutione poſſint conſtituere unam carucam per annum, vel majus vel minus. Similiter inquiratur de carucis precariis. Iterum inquiratur cujus æſtimationis ſit, quilibet per ſe communibus annis ſingillatim deductis expenſis neceſſariè impenſis. Item inquiratur cujus æſtimationis ſint opera & ſervitia ruſticorum per annum quæ præſtantur dominis pro terris ſuis. Item, qui & quanti & quales ſint redditus eorum in ſingulis maneriis per annum. Iſta inquiſitio fiat per quatuor viros fideles & præpoſitos loci ex ſingulis maneriis religioſorum.*

Inauditum mandatum Regis Angliæ.

IPSIS diebus ſupplevit officium Cancellarii magiſter *Willielmus*, modeſtè & irreprehenſibiliter, dominus de *Kilkem*, Regis clericus & conſiliarius ſpecialis, Juriſperitus, & elegans corpore, & ſermone compoſitus, qui & Cancellarius appellatus eſt.

W. de Kilkem officium Cancellarii obit.

TUNC quoq; temporis, videlicet poſt feſtum ſancti *Edvardi*, Monachi *Elyenſes* elegerunt magiſtrum *Willielmum* de *Kilkem*, domini Regis Cancellarium, vel vices agentem Cancellarii, virum diſcretum & modeſtum, & Juriſperitum.

W. de Kilkem eligitur in Epiſc. Elyen.

ET circa eoſdem dies, videlicet infra unum menſem vel paucos dies additos, obierunt tres Abbates in *Mariſco*, quod novum fuit & ſtupendum, videlicet de *Croilande*, de *Thorneia*, & bonus Abbas de *Rameſeia*, ſcilicet *Willielmus* de *Hacholt*, decimo ſexto Calend. Novembris. Qui non adhuc plenè per annum unum, eccleſiam rexerat *Rameſeiam*.

Obitus trium Abbatum.

IN craſtino autem ſanctorum Criſpini & Criſpiani, tonitrus hyemalis horribilis, & pluviarum inundatio, aures & animos audientium commovebant.

Hyemalis tonitrus cum pluviis.

EODEMQUE

1254. EODEMQUE anno, a die Aſcenſionis uſque ad feſtum omnium ſanctorum, vix duos vel tres dies ſerenos perturbatio aëris continuos toleravit.

Alia perturbatio aëris. Rex Francorum vix ullam conſolationem admittit.

REX **Francorum* mente & vultu conſternatus, nullam admittere voluit conſolationem, non eum ridere, non gaudere fecerant inſtrumenta Muſica, dicta jocoſa vel conſolatoria. Non natalis patriæ, non Regni proprii viſitatio, non occurrentium venerabilis ſalutatio, non domini debiti cum donativis recognitio: ſed oculis in terra defixis, cum ſumma triſtitia & crebris ſuſpiriis imaginabatur captionem ſuam, & per eam *Chriſtianitatis* generalem confuſionem. Tandem quidam Epiſcopus ſanctus & diſcretus conſolans eum, ait: "Cave domine mi Rex chariſ-"ſime, ne in tale tædium vitæ & triſtitiam, quæ eſt ſpiritualis gaudii abſorptiva & noverca a-"nimarum, præcipiteris: maximum enim peccatum eſt & inæſtimabile, quod præjudicium "*ſancto* generat *ſpiritui*. Reduc autem ante oculos conſiderationis tuæ patientiam *Job*, tole-"rantiam *Euſtachii*. Et proſequutus eſt plenè hiſtoriam utriuſque, qualiter Dominus in fine reſpexit utrumque. Cui Rex, Regum terreſtrium piiſſimus, reſpondit: "Si ſolus opprobri-"um & paterer adverſitatem, & non redundarent peccata mea in eccleſiam univerſalem, æqua-"nimiter ſuſtinerem. Sed heu mihi, tota *Chriſtianitas* per me induit confuſionem. Decantata eſt igitur Miſſa in honorem *ſancti ſpiritus*, ut ejus aſſumeret, quæ eſt ſuper omnia, conſolationem. Et ex tunc per Dei gratiam admiſit ſalutaris monita conſolationis.

Abbates Nigri ordinis fiunt Juſticiarii Rege urgente.

IPSIS quoq; temporibus, miſit dominus Rex *Angliæ* Juſticiarios in plura loca *Angliæ*, uti cognitis cauſis cuilibet ſuum jure diſtribueretur, & Regio à latronibus liberata redderetur. Quorū unus fuit Abbas de *Burgo*, qui de obedientia, non qua Deo tenetur & ordini *ſancti Benedicti*, ſed qua Regi terreno tenetur obligatus, ipſis aſſociatus eſt. Participans eiſdem de maneriorum ſuorum commodis, & fortè propter hoc factum eſt de induſtria. Et hoc jam non ſolum de Abbate memorato factum eſt, ſed de aliis Abbatibus *Nigri ordinis*, in innormem ſuæ regulæ, & profeſſionis, & damnoſam ſuarum eccleſiarum læſionem.

Rex ex bonis Abbat. vacantium ſolvit ſuis debitoribus.

REX interea moram in *Gaſconia* protrahens infructuoſam, theſauri ſui non tantum habiti, ſed habendi inæſtimabilem ſummam conſumpſit. Et ſe ſuumq; Regnum & eccleſiam *Anglicanam* gravibus debitis irretivit: & ſi eſſet venalis *Gaſconia*, non tanti eſſet, ut arbitramur. Et cum de morte Abbatum memoratorum certificaretur, & quorundam aliorum Prælatorum defunctorum, utpote Epiſcopi *Elyenſis*, & Abbatis de *Seleby*, & multorum aliorum, quorum memores non ſumus impræſentiarum, bona eccleſiarum eorum juſſit in fiſcum redigi, & uſurariis, quibus tenebatur debitis obligatus, non veritus horribilem ſententiam *Londini* latam, perſolvi. Nec tamen aliquatenus chartas pactas obſervavit.

Rex petit reditum per Franciam.

HIS quoq; temporibus, Rex omnimoda pace compoſita cum Rege *Hiſpaniæ*, reditum ſuum in *Angliam* maturavit. Et quia ambigui ſunt caſus marini, per terram magis elegit viam continuare, dummodò de licentia regis *Fra.* illud poſſit ſine aliquo ambiguitatis periculo impetrari. Concupivit inſuper regnum cernere *Franc.* & civitates intueri, quarum tantum nomina præcognoverat. Nuncios igitur ad regem *Franc.* deſtinavit, quos noverat dignos, & gratia & favore præpollere. Et impetrata licentia, per regnum *Fran.* reditum præparavit.

Comitiſſa Cornubiæ transfretat ſororis viſitandi gratia.

QUOD audiens Comitiſſa *Cornubiæ*, videlicet quòd rex *Anglorum* ſimul cum Regina ſorore ſua foret tranſiturus per regnum *Francorum*: & quòd regina *Franc.* altera ſoror ejus venientibus occurſaret, ex indultu viri ſui Comitis *Richardi*, ut ſorores viſitaret, multis ac nobili ſtipata comitatu transfretavit, ne inferior conditio ſua ſororis conditione videretur. Erant nempe ferè omnes qui eidem aſſiſtebant & concomitabantur, milites præclari, in equis optimis & ornatè phaleratis, & precioſe in veſtimentis redimiti, & comitatu numeroſo, ita ut in conſpectu *Franc.* admiratione digni ac ſpectabiles viderentur, & nobiliſſ. cenſerentur.

Electus Wintonienſis opprimit Monachos ſuos.

ELECTUS interim *Wintonienſis Ethalmarus* frater domini regis, monachos ſuos miſerabiliter oppreſſit. Quorum miſeras oppreſſiones ſi quis plenius enarraret, lacrymas excuteret compaſſionis. Tenuit enim eos incluſos in eccleſia eorum jejunos, per triduum & amplius, diebus videlicet proximis ante feſtum S. *Michaelis*, ita ut aliqui eorum fame & inedia ac mentis amaritudine fatigati, nunquam poſteà reſpirantes, ad ſoſpitatis plenitudinem poterant reſtaurari. Conventus igitur diverticula quærens tutiora, diſperſus eſt miſerabiliter. Et aliqui ad *S. Albanum*, aliqui ad *Radingum*, alii ad *Abendonam*, alii in alias domus *Nigri ordinis* gratia perendinandi deſtinantur, & quaſi exules & mendici alienis inhiare cogebantur, & ab invicem receſſuri cum lachrymis dicebant: Meritò hoc patimur, plùs timentes hominem quàm Deum in electione noſtra facienda, cùm penitus indignum in tantæ ereximus culmen dignitatis, ubi tot ſancti, tot graves perſonæ præſederunt, nunc adoleſcentem accepimus & acceptavimus, qui nunquam in ſcholis palmam ferulæ dicitur ſubduxiſſe, qui nec artium vel etiam grammaticæ præaudivit rudimenta, qui Epiſcopatum, non tamen Epiſcopus, diſtrahit occupatum, qui noſtræ linguæ ignarus, & cujuſlibet ſcripturæ & clericatus, nec prædicare novit, nec confeſſiones ſuſcipere, ſed nec aliquod officium ſpirituale Deo miniſtrando adimplere. Et recepti ſunt benignè apud S. *Albanum* & alibi, ut apud religioſos religioſi ſinum refugii apertum invenirent. Rex autem qui eum imperioſis precibus, & ultra quam debuit aut decuit in Epiſcopatum urgenter promoverat, verba fecit verſus Electum pro Conventu improperans quòd ingratus dedecus reddidit pro honore, malum omnimodum pro beneficio multiplici rependendo. Quod factum eſt contra Regis certam promiſſionem. Sed Electus precibus vel mandatis Regiis, minimè

1254.

minimè voluit inclinare, ſed magis minas minis accumulavit. Et loco eorum qui receſſerant, Monachos fecit de nebulonibus & illiteratis & penitus indignis perſonis, in ſcandalum & abjectionem totius ordinis Monaſtici & Religionis. Quidam enim Prior per Electum violenter per ſuas adulationes intruſus, omnia perturbabat, omnia pervertebat: verus autem Prior quærens diverticula refugii, donec Electi quieſceret indignatio, *Romam* adiit. Et licèt pecunia vacuus, tamen propter cauſæ ſuæ juſtitiam luculentam, multa impetraverat. Sed ſupervenientia Electi munera uberiora, (quæ juſtitiam, maximè *Romæ*, pervertere conſueverunt) omnia enervabant. Diſtrahuntur res & poſſeſſiones tam nobilis eccleſiæ, ordo marcet, viləſcit, proh dolor! reverentia religionis. Eſt hæc tertia eccleſia, quæ per regem in *Anglia* alienigenis jam conſtat maritata: quia præceptum Principis jus excedit, & velle rationem. Nobilis eccleſia cathedralis *Herefordenſis*, nobilior *Wintonienſis*, nobiliſſima *Cantuarienſis*. Quæ quia in *Anglia* nobiliores nominantur eccleſiæ, digniorum terræ indigenarum regi deberentur tutamine. Sed ne veritas pariat inimicos, quòd frequenter contingit, iſta licèt vera & manifeſta, ſub diſſimulatione prætereantur. Dura enim eſt conditio Hiſtoriographorum, quia ſi vera dicant, homines provocant: ſi falſa ſcripturis commendant, Dominus, qui veridicos ab adulatoribus ſequeſtrat, non acceptat.

Rex Angl. indiſcretè ſe ſuumq; regnum obligat Papæ.

IPSO quoque tempore, Rex ſecus quàm deceret, aut expediret, ſe ſuumque Regnum, ſub pœna exhæredationis (quod tamen facere nec potuit, nec debuit) domino Papæ obligavit, ad ſolutionem totius theſauri, quem in expeditione ſui belli pro ipſo Rege foret expoſiturus: ne quomodolibet omitteret, deſperans de quantitate pecuniæ, quin cœptis inſiſteret, & omnes propoſitum ejus impedientes reprimeret. Ipſe enim Rex omnia ei abundanter neceſſaria, ex inexhauſto *Angliæ* puteo miniſtrabat. Unde Papa, nulla gerens ſuper *Anglia* viſcera pietatis, largè, imò prodigaliter, mutuò pecuniam ab *Italicis* uſurariis (quos Mercatores vocant) accepit. Quam ipſomet Papa extorquente, & Rege emungente, *Anglia*, ultimæ ſervitutis pediſſequa, ſolvere cogeretur. Sed, juſto Dei judicio, tota illa innumerabilis pecunia rapta & prædata, penitus nullum vel Papæ vel Regi commodum ſuſcitavit; ſicut ſequens ſermo ſuo tempore pleniùs elucidabit. O quàm laudabilius, quàm virtuoſius, credidit & ſentiebat in fide, qui tum fide caruit ille Ethnicus & Paganus Poëta, dicens:

Non habet eventus ſordida præda bonos.

Innocentius quartus Papa moritur.

TEMPORE quoque ſub eodem, in craſtino videlicet beati *Nicolai*, obiit Papa *Innocentius* quartus, apud *Neapolim*, duplici incommodo ſauciatus. Poſtquàm enim Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus* in viſione nocturna cuſpide baculi ſui paſtoralis ipſum in latere iratus pupugit, & impetuoſè, ut prædictum eſt, impegit, pleureſi laboraverat irremediabiliter. Et poſtquam exercitus ſuus à *Conrado* adverſario ſuo victus eſt & diſſipatus; nunquam poſteà mente vel corpore proſperè egit, ſed ad mortem ſenſim declinavit. Iſte ſemivivus, jam moriturus, cùm videret conſanguineos ſuos circumſtantes lugere, plangere, & ut moris eſt ibi, ululare, & veſtes & capillos decerpere; ille ſublevans oculos in morte natantes, ait: *Quid plangitis miſeri? Nonne vos omnes divites relinquo? Quid ampliùs exigitis?* Et hæc dicens, diſtrictum Dei judicium ſubituram, animam exhalavit.

Viſio terribilis de eodem Papa.

ACCIDIT autem eadem ſeptimana, qua Papa *Innocentius* quartus migravit ab hoc ſæculo, viſio quædam nocturna mirabilis cuidam Cardinali, cujus nomen ſupprimitur ad cautelam. Videbatur enim ſibi quòd fuerat in cœlo coram majeſtate Domini ſedentis pro tribunali, à cujus dextris ſtabat beata Virgo mater ejus; à ſiniſtris verò quædam matrona nobiliſſima corpore, & habitu venerabilis. Quæ extento brachio ſupra manum ſiniſtram deferebat quaſi templum, & ſcribebatur in fronte templi illius literis aureis, *Eccleſia*. Coram verò Majeſtate divina, incurvatus *Innocentius* 4. junctis manibus & erectis flexiſque genibus petens veniam, & non judicium. Nobiliſſima autem mulier ait ex adverſo: Juſte Judex, rectè redde judicium. Accuſo enim eum ſuper tribus. Primò, cùm in terris eccleſiam fundaſſes, libertatibus eam donaſti, quæ à teipſo proceſſerunt: hic verò eam reddidit ancillam viliſſimam. Secundò, fundata eſt eccleſia ſalus peccatorum, ut ſcilicet lucrifaceret animos miſerorum: hic verò fecit eam menſam nummulariorum. Tertiò, fundata eſt eccleſia in fidei firmitate, juſtitia, & veritate: hic verò fidem & mores fecit vacillare, juſtitiam ſuſtulit, veritatem obumbravit: juſtum ergo judicium redde mihi. Ait autem Dominus: Vade, & pro meritis tuis mercedem apprehende. Et ſic ablatus eſt. Cùm vero ex terrore ſententiæ evigilaſſet Cardinalis, clamans, effectus eſt quaſi extra ſe, ut omnes ſui dicerent ipſum furere. Tandem mitigato dolore, viſionem ſuam pleniùs cœpit enarrare, & publica facta eſt in partibus illis. Iſta viſio (neſcitur ſi fantaſtica) multos perterruit; & utinam cum affectu, caſtigans emendavit.

Creatur Alexander quartus Papa.

SUBLATO igitur de medio *Innocentio* 4. Papa, ſubrogatus eſt alius vir, ut aiunt, ſatis benignus, & bene religioſus, aſſiduus in orationibus, in abſtinentia ſtrenuus: ſed ſibilis adulantium ſeducibilis, & pravis avarorum ſuggeſtionibus inclinativus. Epiſcopus videlicet *Oſtienſis*, nepos *Gregorii* Papæ pridem defuncti, qui ipſum in Epiſcopatum promoverat: & vocatus eſt *Alexander*, videlicet quartus. Scripſit autem in principio creationis ſuæ, cunctis eccleſiarum Prælatis; poſtulans humiliter, ut orarent pro ipſo, ut Dominus daret ei poteſtatem, gratiam, & voluntatem,

1254. luntatem, eccleſiam Dei congruè gubernare: & vicarius Dei, & *Petri* ſucceſſor competenter appellari. In quo facto novo (alii enim ejus ſucceſſores nil talè fecerunt) multorum corda in ſpem erexit meliorē. Veruntamen à collateralibus fratribus ſuis, decipi citò ſe permiſit ejus ſimplicitas. Et de bulla ſua, quæ eſt pignus fidei Papalis, & teſtimoniū, facta eſt, ut dicitur, fraus inopinata: non tamē in his ipſū excuſo. Papa enim talis eſſe debet, ut non decipiat, vel decipiatur: utrūq; enim in tanto viro reprehenſibile eſt. Conſilio nempè aliquorū, in quos confiſa anima ejus requievit confidenter, & perſuaſu prædeceſſoris ſui Papæ *Innocentii* iiii. qui fratres Cardinales ad hoc moriturus animaverat, bellū inchoatū contra *Fredericales*, & præcipue *Manfredum*, filiū *Frederici* naturalē, ſed legitimatū, potenter continuare præſūpſit. Quibus cùm videretur domino Papæ durū in primitiis ſuis cōtradicere, ratū & gratū habuit, quod ſæculares & viri ſæcularibus pōpis dediti cōſuluerūt: maximè cùm dixiſſent, quòd abſurdū eſſet, & manifeſtè eccleſiasticæ religioni contrariū unā civitatē *Saracenis* inhabitatā & refertā, quā revera *Fred.* fundaverat, in finibus *Chriſtianorum* tolerare. Quo colore inductus Papa, ſimul cum quodam alio, videlicet quòd inhumanū eſſet, dominum Regem *Angliæ* de ſua ſpe fraudari cōcepta, ex promiſſione eccleſiæ, de Regno *Siciliæ* obtinendo, propter quod jam theſaurum expoſuit infinitum.

Romani Nucheram *civitatem deletam cupiunt.*

CUM civitas memorata, dicta ſcilicet *Nuchera*, ab Imperatore *F.* ut prætactum eſt, ædificata, & ab infidelibus inhabitata, quondam fuiſſet, eidem *F.* quaſi domus refugii & confidentiæ, accuſatus eſt ſuper hoc graviter, quod ſic, ſcilicet religionem polluit *Chriſtianam*: reſpondit Imperator *Fred.*

Errorem proprium quo tueretur habens.

Quòd maluit opponere tales dubiis caſibus bellorum, in Regno vel Imperio emergentibus, quàm *Chriſtianos*, de quorum ſanguine effuſo, ante ſumm. Judicis tribunal terribile foret diſtrictè reſponſurus. Et ſic permiſit eam eccleſia, adhuc ſub diſſimulatione. Sed quia poſteà fuerat *Conrado* jam defuncto refugium, ſpes, & confidentia, & jam ſimili modo *Manfredo* aſylum refugii & adjutorium; facta eſt *Romanæ* eccleſiæ quaſi ſpina in oculo. Erant cives infideles ipſam civitatem *Nucheram* inhabitantes, jam circiter ſexaginta millia armatorum ad bellum apta conferendum. Qui idcirco magis timebantur, quòd moris *Saracenorum* eſt, ſpiculis venenatis, igne *Græco*, & aliis nefandis in bello uti inſtrumentis.

Nuchera *obſidetur fruſtrà.*

PAPA igitur, de conſenſu fratrum Cardinalium, & de conſilio cujuſdam nequiſſimi proditoris Marchiſii, qui ſe facie tenus amicum fecit eccleſiæ ſpecialem, revocavit & collegit exercitum copioſum; qui diſſipatus & cum magno diſcrimine turpiter victus erat ſub ducatu *Willielmi* Cardinalis, nepotis *Innocentii* quarti Papæ defuncti, cujus vitam fatiſcentem dominus matura morte terminavit: ita ut haberet dominus Papa plùs quàm ſexaginta millia pugnatorum. Quibus, minimè parcens *Anglorum* Regis ærario, larga pluit ſtipendia argenteorum. Et ipſum populoſum exercitum & formidabilem, ducatui *Octaviani* Cardinalis, & memorati Marchiſii commiſſum, ad conterendam civitatem *Nucheram* & omnes vires *Manfredi*, cum omnibus ſuis *Siculis*, *Apulis*, & cunctis fautoribus ejuſdem, deſtinavit. Sed cùm perveniſſent ad dictam civitatem, nec ſunt auſi Papales civitatem invadere; nec cives venientibus hoſtiliter obviare. Et ſic profecti minimè profecerunt, ſed moram traxerunt, domino Regi *Anglorum* ſupra modum damnoſam & ſumptuoſam. Interim tamen conſolati ſunt Regem, mulcentes eundem inanibus pollicitis, & magnalia promittentes.

Rex Angl. transfert corpus matris ſuæ infra eccleſiam.

TEMPORE ſub eodem, Rex veniens ad nobilem Sanctimonialium domum, videlicet fontem *Ebrandi*, oravit ibi ad tumbas anteceſſorum, qui ibi ſunt ſepulti. Et veniens ad ſepulchrum matris ſuæ *I.* quod erat in cœmiterio, fecit transferri corpus in eccleſiam; & ſuperpoſito Mauſoleo, obtulit ibi & alibi in eadem eccleſia pannos ſericos precioſos, illud adimplens præceptum Dominicum: *Honora patrem & matrem, &c.*

Rex Ang. *venit* Pontiniacum *oraturus.*

ET adiens ſimiliter *Pontiniacum*, infirmatus, & devotè orans ad tumbam & feretrum ſancti *Edmundi*, gratiam recepit ſanitatis. Obtulit igitur ibi pallas & donativa Regalia & precioſa.

Regi Ang. *permittitur tranſitus per* Franciam in Angliam.

DIEBUS quoq; ſub eiſdem, (quia à multo tempore dominus Rex *Anglorum* videre ſitienter deſideraverat Regnum *Francorum*, & dominum Regem ſororium ſuum, & dominam Reginam *Francorum*, ſororem dominæ Reginæ *Angliæ*, & civitates, eccleſias, & geſtus, & habitus *Francorum*, & Capellam Regis *Francorum* nobiliſſimam, quæ eſt *Pariſiis*, ſimul cum incomparabilibus, quæ in eis habentur, reliquiis.) cùm miſſis ad Regem *Francorum* nunciis ſolennibus, licentiam benignam & ſecuram impetraſſet; convocata familia & comitatu nobiliſſimo, verſus *Aurelianam* civitatem lora direxit.

Rex Angl. magno honore per totam Franciam *afficitur.*

PIISSIMUS Rex *Francorum* juſſit diſtrictè Magnatibus terræ ſuæ, & civibus civitatum, per quos dominus Rex *Anglorum* foret tranſiturus; ut depoſito luto, ſtipitibus, & omni viſus offendiculo, ornare ſtuderent omnia pallis, frondibus, floribus, & aliis quibus poterant ornamentis, & ut facies eccleſiarum & domorum redimirent: & cum canticis, & claſſico, cereis, & feſtivis induviis reverenter & gaudenter reciperent, venienti obviantes, & moranti obſequentes.

1254.

Rex Francorum occurrit ei.

DOMINUS autem Rex *Francorum*, certificatus de adventu domini Regis *Anglorum*, occurrebat ei apud *Carnotum*. Et videns unus alterum, ruit in oſcula & amplexus. Et mutuis ſalutationibus & colloquiis affabilibus, ſeſe ad invicem confovebant. Juſſitque dominus Rex *Francorum* procurationes opimas & lautas domino Regi *Angliæ* de ſuis ſumptibus liberaliter, dum eſſet in Regno ſuo, exhiberi. Quod dominus Rex *Angliæ* in parte accepit, & acceptavit. Habuit Rex in comitatu ſuo proprio, mille equos pulcherrimos cum ſuis honorabilibus aſſeſſoribus, exceptis bigis & ſummariis; cum equis electis, quorum multitudo erat inæſtimabilis, adeò ut *Franci* de novitate non prævisa obſtupuerunt. Eorum inſuper comitatus in immenſum tota die & quotidie, ſicut ſolet fluvius de torrentibus, mirabile cepit incrementum. Advenerunt enim eis obviã Regina *Francorum* cum ſororibus ſuis *Andegaviæ* & *Provinciæ* Comitiſſis; ut ſororibus ſuis Reginæ *Angliæ* & Comitiſſæ *Cornubiæ* ſimul cum domino Rege Angliæ occurſarent; & ſeſe mutuis ſalutationibus & colloquiis familiaribus gratulantes confoverent, & conſolarentur. Fuerat autem mater earum præſens, Comitiſſa *Provinciæ*, nomine *Beatrix*; quæ pignora ſua, quaſi altera *Niobe*, gloriando poterat intueri. Nec erat in ſexu muliebri mater in mundo, quæ de tali fructu ventris ac tanto, videlicet filiabus, poterat gloriando gratulari.

Rex Ang. Pariſios venit.

SCHOLARES autem *Pariſienſes*, maximè *Anglicæ* nationis, certificati de adventu talium regum & Reginarum, ac Magnatum incomparabilium, ſuſpenſis ad horam lectionibus & diſputationibus, quia totum erat de feſto, abbreviatis communibus hebdomadalibus, cereos, veſtéſq; feſtivas, (quas vulgus *Comtiſas* appellant) & omnia quæ gaudium poterant atteſtari, emerunt & ſibi præparabant: cantantes ramigeri & florigeri, cum ſertis & coronis & Muſicis inſtrumentis, proceſſerunt venientibus obviam: & erat numerus adventantium & obviantium infinitus. Nec eſt viſus in *Francia* retroactis temporibus tale feſtum, vel occurſantium tanta taliſve ſolennis occurſatio. Et tranſegerunt totum diem illum & noctem & diem craſtinum, Scholares & Cives, tota civitate mirabiliter adornata; in gaudio & canticis, luminaribus, floribus, & omnimodis hujus mundi pompis & exultationibus.

Rex Ang. hoſpitatur in veteri templo.

CUM autem Reges, & qui eis aſſiſtebant & comitabantur, qui jam numeroſus exercitus poterat æſtimari, venirent *Pariſiis*, & occurreret advenientibus talis ac tanta *Pariſiacæ* univerſitatis nobilitas; gaviſus eſt Rex *Francorum* quamplurimùm, & grates retulit Clericis de multiplici honoris impenſione. Et ait dominus Rex *Francorum* domino Regi *Angliæ*: "Amice, ecce civitas *Pariſiaca* tibi exponitur, ubinam libet hoſpitium capeſcere? Ecce palatium meum in medio civitatis, ſi placet ibidem quieſcere, fiat voluntas tua: ſi autem apud *vetus Templum*, quod extra civitatem, ubi locus ſpacioſior eſt, vel alibi, ubi magis vobis complacuerit, fiat. Et elegit dominus Rex *Angliæ* pro hoſpitio *vetus templum*, quia numeroſus ejus erat comitatus. Et in eodem *veteri templo*, ædificia ſunt cuidam numeroſo exercitui ſufficientia ac competentia. Quia cùm *Templarii* omnes ciſmontani, temporibus ac terminis ſuis ad generale eorum Capitulum conveniunt; hoſpitia ibidem inveniunt competentia. Oportet enim quòd in una curia quieſcant, quia de nocte ſua contrectant in Capitulo negotia. Et cùm ibidem hoſpitia tot eſſent infra curiam, tamen comitatus adeò fuerat numeroſus, ut ſub dio dormire multi cogerentur; non ſufficientibus etiam vicinis domibus verſus plateam quæ *Greva* appellatur, inhabitatis. Et equi extra tecta in locis, qui ad hoc aptiores videbantur, ad ſtabulla collocabantur.

Rex Ang. jubet convivium parari pauperibus.

REX igitur *Angliæ* cùm elegiſſet *vetus templum* pro hoſpitio, præcepit ut in craſtino ſummo mane omnes domus ejuſdem curiæ, ſcilicet *veteris templi*, pauperibus replerentur reficiendis. Quorum ſinguli, licèt eorum numerus eſſet infinitus, carnibus ac piſcibus cum pane & vino, abundanter ſunt refecti.

Idem viſitat loca ſancta Pariſiis.

ET dum in craſtino hora prima & tertia pauperes reficerentur, dominus Rex *Angliæ*, Rege *Francorum* ducente, viſitavit Capellam illam pulcherrimam, quæ in curia eſt ejuſdem Regis *Francorum*, & reliquias ibidem exiſtentes, orans Regalibus oblationibus honoravit. Similiter & alia loca civitatis honorabilia, cum veneratione & oblationibus devotè oraturus viſitavit.

Reges copulantur, & multi Magnates cum illis.

EADEMQUE die, dominus Rex *Francorum*, ſicut præconceſſerat, epulabatur cum domino Rege *Anglorum* apud dictum *vetus templum*, in majori Regia templi, cum numeroſa utrius Regis familia. Et erant omnes domus curiæ, refertæ convivantibus. Nec erat in majori janua, vel aliquo introitu, epulantium janitor vel exactor: ſed omnibus adventantibus patuit ingreſſus ultroneus, & dabatur lauta refectio: ferculorum autem multimoda genera, tædium comedentibus potuit ſuſcitare. Et poſt prandium, tranſmiſit dominus Rex *Angliæ* Magnatibus ad hoſpitia ſua *Francigenis* nobiles cuppas argenteas, firmacula aurea, cingula ſerica, & alia donativa; prout decuit tantum Regem dare & tales primates gratanter recipere.

Celebritas convivii.

NEC erat unquam aliquo tempore retroactis temporibus tam nobile, tam celebre, vel tempore *Aſſueri*, *Arthuri*, vel *Caroli*, celebratum convivium. Ibi enim ſplenduit dapium fertilis varietas, potuum delicioſa fœcunditas, miniſtrantium faceta ſedulitas, convivantium ordinata diſpoſitio, munerum larga affluentia. Ibi erant perſonæ venerabiles, quibus non erant majores in mundo, imò nec pares eis poterant inveniri.

Qui Magnates interfuerant convivio.

EPULABANTUR autem in majori Regia *Templi*, ubi videlicet pendent clypei quotquot poſſunt circumquaque in quatuor parietibus, ſecundùm conſuetudinem ultramarinam: inter quos apparuit clypeus Regis *Richardi Angliæ*. De quo quidam joculator ait domino Regi

Angliæ;

1254. *Angliæ*: "Domine mi, ut quid invitâſti *Francos*, ut in hac domo tecum gaudentes epularentur? "Ecce hic clypeus magnanimi Regis *Anglorum Richardi*: non poterunt comedere, niſi paven- "tes & tremebundi. Sed de hoc non ampliùs. Comederunt igitur ſic ordinati. Dominus Rex *Francorum*, qui terreſtrium Rex Regum eſt, tum propter ejus cœleſtem inunctionem, cùm propter ſui poteſtatem, & militiæ eminentiam, in medio ſedebat: & dominus Rex *Angliæ* à dextris, & dominus Rex *Navarriæ* à ſiniſtris. Et cùm niteretur dominus Rex *Francorum* aliter ordinare, ut videlicet dominus Rex *Anglorum* in medio & eminentiori loco ſederet, ait dominus Rex *Angliæ*: "Non domine mi Rex, decentiùs ſedetis modò, ſcilicet in medio, & dig- "niùs: dominus enim meus es, & eris, & ſupereſt cauſa. Cui pius Rex *Francorum* ſubjunxit, "ſed voce demiſſa; Utinam quilibet obtineret jus ſuum inoffenſus. Sed hoc non pateretur *Francorum* ſuperbia. Sed de hoc non amplius. Deinde Duces conſedere ſecundùm eorum dignitates & eminentias: & erant ibidem tunc. xxv. Qui ſedebant eminentius, ipſis Ducibus intermixti tamen. Affuerunt inſuper illi convivio Epiſcopi duodecim: qui aliquibus Ducibus præponebantur, intermixti tamen Baronibus. Militum autem præclarorum numerus non æſtimabatur. Comitiſſæ verò. xviii. Quarum tres erant ſorores duarum prædictarum Reginarum, videlicet Comitiſſa *Cornubiæ*, Comitiſſa *Andegaviæ*, & Comitiſſa *Provinciæ*, cum Comitiſſa *Beatrice* matre earundem: quæ Reginis fuerant comparabiles. Poſt verò refectionem lautam & ſplendidam, licèt eſſet dies ad piſcem, hoſpitatus eſt in nocte illa in majori domini Regis *Francorum* palatio, quod eſt in medio civitatis *Pariſiacæ*. Sic enim immutabiliter voluit dominus Rex *Francorum*, jocoſè dicens: "Sine modò. Sic enim decet omnem adimplere facetiam & juſti- "tiam. Et addidit ridendo: Dominus & Rex ſum in Regno meo, volo prædominari. Et adquie- "vit Rex *Angliæ*.

Rex Angliæ ſpectabilem ſe exhibet populo Pariſienſi.

ET cùm pertranſiſſet dominus rex *Angliæ* vicum, qui dicitur *Greva*, & poſteà vicum verſùs S. *Germanum Antiſſiodorenſem*, poſteà magnum pontem, conſideravit elegantiam domorum, quæ de gipſo, videlicet plaſtro, fiunt in civitate *Pariſiaca*, & manſiones tricameratas, & quatuor etiam ſtationum, vel ampliùs, à quarum feneſtris projacebat utriuſq; ſexus hominum infinita multitudo. Et catervatim conglomerabantur turbæ compreſſè ruentes certatim, ut viderent regem *Anglorum Pariſiis*. Et ſplenduit fama ejus, quam ſuſtulerunt *Franci* ad ſidera, tum propter largitatem munerum ſuorum, tum propter dapſilitatem illius diei, & copioſam eleemoſynam, tum propter comitatum ſuum præelectum, tum propter hoc quòd dominus rex *Francorum* habuit unam ſororem, rex *Angliæ* aliam matrimonialiter ſibi copulatam. Et fuerant reges *Franciæ* & *Angliæ* ſimul ſeſe diu deſideratis colloquiis recreantes per octo dies. Dixit enim pius rex *Francorum*: "Nonne duas ſorores deſponſavimus, & fratres noſtri reliquas? "Omnes quotquot ex illis ortum ſunt producturæ vel producendæ, vel producturi vel produ- "cendi, tanquam fratres erunt & ſorores. O ſi eſſet inter pauperes talis affinitas vel conſan- "guinitas, quantum mutuò ſeſe diligerent, quàm præcordialiter confœderarentur? Doleo, no- "vit Dominus, quòd per omnia nequit charitas noſtra compaginari: ſed Baronagii pertinacia "voluntati meæ ſe non inclinat. Dicit enim, quòd *Normanni* neſcirent ſuas metas vel limites "inviolatas vel inviolatos, pacificè obſervare: & ſic jura tua non prævales reaccipere. Sed de hoc non ampliùs. Dominus Rex *Angliæ*, quando receſſit à præſentia dicti regis *Francorum*, qui eum produxit per unam dietam, certa ratione compertum eſt eum expoſuiſſe in expenſis *Pariſiis* mille libras argenti, exceptis donativis impreciabilibus, ſumptis de theſauro ſuo, multum inde mutilato. Veruntamen honor domini Regis *Anglorum*, omniúmq; *Anglicorum*, non mediocriter eſt exaltatus, & multipliciter augmentatus.

Confabulatio Regum.

UNA verò dierum, dum confabularentur Reges, dixit Rex *Franciæ* Regi *Angliæ*: "Ami- "ce, quàm dulcia faucibus eloquia tua meis. Jocundemur confabulando. Nunquam fortè "alia vice in poſterum mutuis colloquiis potiemur. Addiditque, dicens: Amice mi Rex, "quantam & qualem pro amore *Chriſti* peregrinus corporis & animæ paſſus ſum amaritu- "dinem, non eſt facile demonſtrare. Et omnia mihi evenerunt adverſa, grates tibi refero Al- "tiſſime. Reverſus autem ad meipſum, & ad cor meum regreſſus & ingreſſus, plùs gaudeo de "patientia, quam mihi Dominus per ſui gratiam conceſſit, quàm ſi totus mihi mundus ſubde- "retur.

Recedunt ab invicem Reges.

CUM autem progreſſi fuiſſent reges per circiter unam dietam, receſſerunt ab invicem. Et ſecus viam divertentes paululùm, dixerunt verba ſecreta & amicabilia. Et ſuſpirans rex *Francorum*, ait: "O utinam duodecim pares *Franciæ* & Baronagium mihi conſentirent; certè ami- "ci eſſemus indiſſolubiles. Diſcordia noſtra fomentum præſtat debacchandi *Romanis*, & mate- "riam ſuperbiendi. Et datis oſculis ad invicem cum amplexibus, receſſerunt ab invicem: rex *Francorum* in terram ſuam, & rex *Angliæ* verſùs terram ſuam. Et cùm rex *Angliæ* perveniſſet ad mare, nec haberet ventum proſperum, invitus expectavit. Mare enim & venti non obediebant ei. Interim viſitavit eccleſiam ſanctæ *Mariæ* de *Bolonia*, propter reliquias; ubi obiit *Petrus Chaceporc Pictavenſis* natione, ſpecialis domini regis clericus & conſiliarius, & reginæ theſaurarius, bono fine vitam terminando.

Anni concluſio.

TRANSIIT igitur annus ille abundanter frugifer & fructifer; ita ut precium ſummæ frumenti ad precium duorum deſcendit ſolidorum. Et ſimili proportione avenæ, & aliorum generum ſegetum & leguminum in uſus propriorum plebeium inclinavit, *Italicis*, *Francis*, &

Flandrenſibus

1254.

Flandrenſibus, Martius & inimicus, *Angliæ* ſuſpectus. A medio Autumno uſq; ad tempus Vernale, admodùm procelloſus; ut apud *Bedeford* pluſquam quadraginta homines, & pecudes infiniti perierint.

Rex expectat ventum ſecundum.

ANNO Domini milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo quinto, fuit dominus Rex cùm rediret de *Gaſconia* apud *Boloniam*, expectans ventum proſperum ad transfretandum in *Angliam*. Eratque annus regni ſui xxxix. Interim autem viſitavit & honoravit, ſicut ſolet libenter de conſuetudine, reliquias, quarum copia habetur in eccleſia ſanctæ *Mariæ* de *Bolonia*. Fecitque honorabiliter ſepeliri corpus dilecti clerici ſui *Petri Chacepore*, & fieri exequias ſolennes. Tertio verò die ante Natale, condidit idem *Petrus* teſtamentum ſuum nobile nimis. Et inter cætera legavit ſexcentas marcas ad comparandum terras, ſcilicet in *Anglia*, ubi melius poterant terræ & redditus comparari. Et ibi unam eccleſiam religioſorum, videlicet *Canonicorum regularium*, de domo de *Maretona* electorum ædificare; ut ibidem Deo in perpetuum dignè & laudabiliter ſerviatur, & pro anima illius & omnium fidelium quotidiana Deo ſacrificia offerantur. In vigilia autem Natalis Domini migravit à ſæculo. Erat autem illo anno dies Natalis Domini feria ſexta. Et comederunt aliqui carnes ob reverentiam *Chriſti*. Quia *verbum caro factum*, ea die prodiit in lucem ſæculi; unde quidam admirativè ait, *O carni conceſſus honor, &c.*

Rex redit in Angliam.

DIE verò Dominica proximò ſequente, vento & mari faventibus, navem aſcendens proſperè velificavit, & applicuit apud *Doveram*. Cui, cùm ſumma alacritate occurrens Comes *Richardus* frater ejus & alii nobiles, qui ad hoc de longè vocati diu inaniter ſupra litus *Anglicum* expectaverant, exceperunt eum cum gaudio adventantem. Et munera precioſa eidem contulerunt. Prælati autem ſimiliter; & præcipuè Abbates & Priores, quia ſic oportuit: poſtulabat enim imperioſè, & urgenter, quaſi cibum famelicus, obtulerunt ei munera chariſſima & precioſa in auro & argento, & donativis deſiderabilibus, quæ oculos & mentes intuentium poterant invitare. Et inde ipſe Rex magnum theſaurum exaggerare potuiſſet, ſed omnia ad ſolvendum debita ſua, quibus fuerat involutus, non ſufficiebant, etiamſi centiplicarentur quæcunque recipiebat. Debita enim ejus ad pluſquam trecenta millia marcarum dicuntur aſcendiſſe.

H. *de* Wengham *bajulus ſigilli Regii.*

ET per idem tempus, cùm dominus Rex electionem de magiſtro *Willielmo* de *Kilkem* acceptaſſet, qui ſigillum Regium laudabiliter bajulaverat; de fidelitate domini *Henrici* de *Wengham* experta confiſus, qui clericus ejus & conſiliarius extiterat ſpecialis, commiſit eidem cuſtodiam ſigilli ſui.

Londinenſium *munus à Rege vilipenditur.*

LONDINENSES autem de adventu domini Regis certificati, qui pro incolumitate ejus & proſperitate dum fuerat in partibus ultramarinis copioſas, cum largis eleemoſynis preces effuderant, occurrebant ei gaudenter, qui ejus adventum in *Angliam* ſitienter deſideraverant. Et eidem adventanti centum libras, quod propter frequentiæ continuationem jam in debitam vertebat dominus Rex conſuetudinem, obtulerunt. Rex autem illud non pro gratuito xenio reputans, ſed tanquam penſum debitum, nec civium devotionem, nec xenium recommendabat, imò nec grates rependere voluit, vel exiles. Super qua ingratitudine ab aliquo circumſtantium redargutus, reſpondit: "Non grates *Londinenſibus* refero, quia quod debetur mihi afferunt & ſolvitur. "Sed faciant mihi aliquid gratuitum & ſpontaneum largitatis xenium, & munus honorificum, & "eiſdem meritò gratiarum referam actionem.

Londinenſes *alio munere ſtudent placere Regi.*

CIVES igitur his auditis, Regiæ voluntati ſatisfacere cupientes, quoddam vas precioſiſſimum, opere & materia dignum admiratione, quod tunc fortè erat *Londini* venale, pro ducentis libris emerunt, & illud domino Regi reverenter pro charo dederunt donativo: & tunc demùm grâtes retulit, ſed non tanto muneri reſpondentes. Et ſic xenium accepit, nec ſereno, ut decuit, vultu acceptavit.

Rex exigit à Londinenſibus *tria millia marcarum levi de cauſa.*

DEINDE poſt paucos dies ſequentes, pro quodam clerico mortis, ut dicebatur, reo, *Londini* incarcerato, & furtim à carcere elapſo, quæſtionem movens Rex graviſſimam, exegit à civibus *Londinenſibus* (licèt fuiſſet cauſa levis & parva) tria millia marcarum, & hoc nomine tallagii & punitionis, eò quòd carcerem ſuum cautiùs non cuſtodierunt. Quidam enim literatus infamis de morte cujuſdam Prioris *Nigri ordinis* ultramarini, in *Anglia* tamen incarceratus apud *Newgate*, evaſit. Regina autem, cujus ſe Prior finxerat conſanguineum, irata, inſtabat ultioni, & Regi conqueſta eſt, fugitivus autem ad fratres *Minores* confugit. Qui pandentes ſinum, eum receperunt, & jam raſo, habitum ſuæ contulerant religionis. Unde cives irati ſunt erga fratres, qui ſuum receperant, in ipſorum damnum maximum, fugitivum. Cives autem ſuper hoc conventi, mente licèt conſternati, Regi reſponderunt, quòd dominus Rex ipſum incarceratum conceſſerat Epiſcopo *Londinenſi*, tanquam clericum ordinatum poſtulanti. Sed quia Epiſcopus idoneum carcerem non habuit, ſupplicavit civibus, ut ei carcerem de *Newgate*, tanquam ſecurum & fortem, ad prædictum captivum cautiùs cuſtodiendum, donec judicialiter diſcuteretur, quid de ipſo foret faciendum, liberaliter commodarent. Cives igitur hoc Epiſcopo civiliter conceſſerunt. Interim, evaſit incarceratus deceptis cuſtodibus Epiſcopalibus. Unde talis evaſio, nullatenus fuerat civibus, ut dixerant, imputanda. Humiliter igitur ſupplicaverunt domino Regi, ut iram, quam incircumſpectiùs, & ſine eorum merito conceperat, miſericorditer relaxaret: revocans ad memoriam civitatis libertates, & civium erga eum devotionem,

quas

1255. quas toties tenere illæſas per juramentorum, chartarum, & excommunicationum vincula tenebatur obligatus. Rex autem majore ira excanduit, & juravit terribiliter ſe tantum aut plus ex civibus exacturum, vocans eos indecenter ſervos: & quoſdam de civibus fecit apprehendi & incarcerari.

Hernaldus de Boſco moritur.

ANNO quoque ſub eodem, videlicet octavo Idus Februarii, obiit nobilis vir *Hernaldus* de *Boſco*, unus de Prothoforeſtariis *Angliæ*. In armis ſtrenuus, facetus, & optimis moribus adornatus. Sepultus eſt autem in Abbatia *Ciſtercienſis* ordinis, videlicet apud *Becleſdene* ante majus altare.

Judæi pecuniis ſpoliantur.

ET cùm carniſprivii tempus adveniſſet, Rex à *Judæis*, licèt multoties depauperatis, exegit cum magna inſtantia octo millia marcarum, ſub pœna ſuſpendii tempeſtivè ſibi perſolvenda. Ipſi verò videntes nil aliud ſibi imminere, niſi exterminium cum confuſione, reſponderunt omnes unanimiter: "Domine Rex, videmus quòd nec *Chriſtianis* parcis nec *Judæis*, quin omnes "argumentoſè ſtudeas depauperare, nulla nobis ſpes ſupereſt reſpirandi, uſurarii Papæ nos ſupplantaverunt, permitte nos exire de Regno tuo ſub ſalvo conductu. Et nos nobis qualem quælem quæremus manſionem. Quod cum Rex audiſſet, exclamavit querula voce, dicens: "Non "eſt mirandum ſi aveo pecuniam, horrendum eſt imaginari debita quibus teneor obligatus. Per "caput Dei, aſcendit ad ſummam ducentorum millium marcarum, & ſi dicerem trium, metas "non tranſgrederer veritatis. Seducor undique. Mutilatus Rex ſum & abbreviatus, imò "jam dividuatus. Facta enim reddituum certa expenſionis æſtimatione, aſcendit ſumma an"nui redditus *Edvardi* filii mei ad pluſquam. xv. millia marcarum. Neceſſe igitur habeo vi"vere de pecunia undecunque, à quibuſcunque, qualitercunque adquiſita. Factus igitur alter *Titus*, vel *Veſpaſianus*, vendidit *Judæos* per aliquot annos Comiti *Richardo* fratri ſuo, ut quos Rex excoriaverat, Comes eviſceraret. Tamen Comes pepercit eis, conſiderans eorum poteſtatem abbreviatam, & paupertatem ignominioſam.

Comes R. mutuò dat Regi multam pecuniam.

COMES igitur *Richardus*, conſiderans fratris ſui indigentiam, ad inſtantem petitionem ſuam, commodavit ei magnam pecuniæ quantitatem, accepto tamen pignore, ſcilicet auri.

Pluviales inundationes diuturnæ.
Mirabile monſtrum marinum.

EODEM anno à feſto ſancti *Valentini* uſque in menſem ſequentem, ventus vehemens cum pluviarum infuſionibus diebus ac noctibus, non tantum in terris, imo etiam in mari, inauditam excitavit perturbationem. Ejecitque mare in Epiſcopatu *Norwicenſi* eodem tempore quandam belluam marinam monſtruoſam nimis, turbinibus fluctuum conglomeratorum exaggeratam, &, ut creditur, pro vexatione interfectam. Quæ multò major balena extitit, veruntamen non Balena cenſebatur. Monſtrum illud, abdomine ſuo totam patriam vicinam ditavit affluenter.

Elephas in Anglia.

TEMPORE quoque ſub eodem, miſſus eſt in *Angliam* quidam *Elephas*, quem dominus Rex *Franciæ* pro magno munere, dedit domino Regi *Anglorum*. Nec credimus quòd unquam aliquis Elephas viſus eſt in *Anglia*; imò nec etiam in partibus ciſalpinis, præter illum; unde confluebant populi ad tantæ ſpectaculum novitatis. Regina inſuper *Francorum Margareta*, dedit unum Pavonem, ſcilicet unum lavacrum mirabile Regi *Angliæ*, quod ſimilitudinem Pavonis in forma oſtendebat. Et erat quidam lapis precioſus, qui dicitur vulgariter Perla. Et habuit additamenta artificioſè nimis corpori inſita ex auro & argento, & Saphyrus, ſicut verus Pavo orbiculatur: & illud jocale ornabatur, & erat novum & mirabile in oculis omnium intuentium.

Rex venit ad S. Albanum.

ANNO quoque ſub eodem, dominus Rex venit ad ſanctum *Albanum*, *Edwardo* filio ſuo in partibus agente *Gaſconiæ*, ſeptimo Idus Martii, ubi morabatur per ſex dies; ubi qualibet die ac nocte, cum multo luminari & magna devotione, beatum *Albanum*, tanquam Regni ſui Protomartyrem, oravit pro ſe & filio ſuo *Edwardo*, & aliis amicis ſuis. Deditque Deo & beato Martyri, duas pallas precioſas, quas *Baldekinos* appellamus; & unam nobilem Capam choralem auro obductam. Et ſciendum, quòd nunquam aliquis Rex *Angliæ*, nec ipſe Rex *Offa* cœnobii ſancti *Albani* fundator, vel aliis de prædeceſſoribus, imò nec omnes, tot contulerunt pallas ad ornandum faciem eccleſiæ, ſicut ipſe ſolus, videlicet *Henricus* tertius *Anglorum* Rex; prout intitulantur, & in libello, qui eſt in ipſa eccleſia, de pallis & annulis, cum precioſis gemmis, annumerantur plenariè.

Miles quidam ſpe hæreditatis interfectus.

ANNI ſub ejuſdem circulo, in diebus ſanctæ Dominicæ paſſionis, cujuſdam militis filius degener & flagitioſus, nomine *Willielmus*; ut ejuſdem patris ſui hæreditatem citiùs conſequeretur, mortem ſuam procuravit. Unde convictus ſuper hoc, *Londini* tractus ad patibulum ſuſpenſus eſt. Cujus cadaver ſepulturæ, propter ſceleris immanitatem, quòd in tempore paſſionis patricidium auſus perpetrare, non meruit commendari. Miſer igitur ſcilicet, nulli tamen miſerabilis, canibus & volucribus devorandus relictus eſt; nec *Chriſtianæ* ſepulturæ beneficium meruit obtinere. Nomen militis interfecti, *Johannes* erat, cognomento de *Seldeforde*. Et fuit de libertate ſancti *Albani*. Dilucidatur igitur beata illius Poëtæ ſententia, dicentis de ipſis qui ſuos hæredes ut ſeipſos, imò pluſquam ſeipſos emulcent, exaltant & ditant:

Parcus ob hæredis curam nimiùmque ſeverus
Aſſidet inſano.

Interfectus

1255.

Interfectus eſt autem cum milite memorato *I.* quidam Canonicus regularis, qui Capellanus extitit militis ſupradicti.

Miracula Lincolniæ ad tumbam S. Roberti facta.

EODEMQUE tempore in eccleſia *Lincolnienſi* celebrata ſunt diverſa multa & manifeſta & diligenter examinata miracula. Et quaſi congaudentes priſtini ſancti confeſſores, videlicet ſanctus *Remigius* & *Hugo* epiſcopi ſancto *Roberto*, qui nuper ad Dominum migraverat, ſua fidelibus ad honorem ipſius *Roberti* quaſi certatim impenderunt; unde de multis, quæ longum foret enarrare, nedum ſcribere, jam ſunt viginti miracula manifeſta; & in capitulo *Lincolnienſi* coram viris gravibus & fidedignis probata, & diligenter (quia ſcimus officioſa mendacia Deo diſplicere) ſunt examinata. Et teſtimonia tua, domine Deus, credibilia facta ſunt nimis. Nunc patet manifeſtè verificatum, quod cuidam fidedigno contigit in nocturna, non tamen fantaſtica, viſione, in vita dicti Epiſcopi *Lincolnienſis*; videlicet ante ejus tranſitum circitèr quatuor annos. Videbatur apertè vocem quandam audire manifeſtè & articulatim prolatam: "Dilexit Dominum *Edmundus* in odorem benignitatis, & dilexit Dominus *Robertum* in odo-"rem fidelitatis, & datum eſt in ſpiritu hoc cognoſcere, ut intelligeret hæc dicta de beatis *Ed-*"*mundo* & *Roberto* Epiſcopis & Confeſſoribus fuiſſe.

Viſio Papæ Alexandri.

EODEM anno in Quadrageſima contigit, ut pro vero accepimus, quòd cùm dominus Papa *Alexander* alto ſopore quieſceret una noctium poſt laborem, "videbatur ei duci in imam "amplam nimis & ſpacioſam valde Regiam. In cujus eminentiori loco ſedit quidam vir, ut vide-"batur, auctoritatis & reverentiæ. Et quædam mulier habitu & facie valde venerabilis, & comita-"tus copioſus circumquaque. Et ecce à turpibus bajulatoribus præſentabatur eis quoddam fe-"feretrum, & in eo quidam mortuus deſpicabilis. Qui reſurgens & proſtatus, voce lachry-"mabili ſedenti in ſede eminentiori, qui quaſi pro tribunali ibi ſedebat, ait; Deus potentiſſime "ac piiſſime, miſerere mei. Cui, tacente judice, mulier ait: Tranſit tempus pœnitentiæ & "miſerendi. Et jam advenit tempus tibi judiciale. Intempeſtivæ ſunt preces tuæ & moroſæ, "unde dolendum eſt. Væ tibi. Non enim invenies miſericordiam, ſed quod meruiſti, judi-"cium. Diſſipaſti Eccleſiam Dei dum viveres; & carnalis penitus factus, ſancta ſanctorum "prædeceſſorum tuorum, non ſine eorum injuria, ſcripta & impenſa beneficia parvipendiſti, "vilipendiſti, annullaſti, & caſſaſti: unde meritò & tua caſſanda judicantur. Ad hæc qui ſe-"debat pro Judice, vultu ſevero & voce intonans terribili, dictis feretri bajulatoribus dixit: "Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo. Tempus ſuum tranſiit, & tempus judicii ejus "advenit. Et ait Judex: Vade, & juxta tuum laborem, mercedem habe condignam. Qua ſententia vix prolata, quàm citiùs ab ejuſdem præſentia tranſlatus, in locum effertur nobis minimè determinandum; ſed ut credi pium eſt, in purgatorium deſtinatur. Et cùm dominus Papa *Alexander*, cui revelata eſt hæc viſio, vel vera vel phantaſtica, voce demiſſa & tremulà à ſuo duce quæreret, quiſnam eſſet miſer ille? "Reſponſum eſt illi, Papa *Innocentius* nuper de-"functus, quondam dictus *Synebaldus*: qui non de peccatis ſuis, ſed pro contritione exercitus "ſui, dolore contabeſcens, à ſuo ſæculo tranſmigravit. Hæc autem cùm audiſſet & vidiſſet dominus Papa *Alexander*, prædicti *Innocentii* ſucceſſor immediatus, à ſomno (ſi ſomnus fuerit) excitatus, abhorruit vehementer, & contremuit, & ſuſpirans infremuit; & factus quaſi in extaſi, vix per aliquot dies reſpiravit ſibi ipſi reſtitutus. Et tunc igitur juſſit pius Papa, eleemoſynas pro ipſo erogari & Miſſas celebrari. Et aliqua facta ſua, ad ſuæ pœnæ mitigationem, revocavit. Unde cuidam offerenti opima munera, ut quandam eccleſiam, quam exigebat, obtineret; reſpondit Papa *Alexander*: "Non frater, mortuus eſt venditor Eccleſiarum. Ex tunc autem orationum ſuffragia poſtulabat, ſcribens multis eccleſiarum Prælatis, ſicut prædictum eſt. Creditur autem, quòd ſi hac viſione non corrigatur perterritus, acriùs coram Domino redarguetur. Hoc enim voluit deus ei revelare, uti creditur, ad ſui munimen, correptionem, & correctionem, ad indicium paternæ dilectionis. Conſtituitq; Papa illicò, ut ſi quis Clericus in aliquo deprehendetur diſcrimine, & ſui corporis periculo, eccleſiaſtico ſuffragio deſtitueretur, ſi Clericali & legitima careret cenſura.

Multi cupiunt confœderari Regi Anglorum.

CIRCA idem tempus, *Willielmus* de *Hollandia*, cupiens concupiſcibilibus Eſterlingis clitellas ſuas, ut multi alii fecerunt, impregnare; poſtulavit, miſſis ſolennibus nunciis, affinitatis gratia domino Regi *Angliæ* confederari. Et eodem tempore, *Johannes* de *Avennis* feſtinanter tranſvectus à *Flandria*, Regem de impendendo ſibi auxilio in bellum ſuum inſtantiſſimè ſollicitavit. Dominus Rex ſe occupatum fuiſſe circa arduum negotium regni *Siciliæ* & *Apuliæ* affirmavit. Nec voluit cor ſuum, diverſis negotiis diſtrahendo mancipare. Sed priùs unum, & poſtea aliud, per ordinem fine concludere fœliciori.

Magnum Parliamentum Londini habitum.

CIRCA idem tempus, ſcilicet in quindena Paſchæ, quæ vulgariter *Hokeday* appellatur, convenerunt *Londini* omnes nobiles *Angliæ* tam viri eccleſiaſtici, quàm ſæculares, ita quòd nunquam tam populoſa multitudo ibi anteà viſa fuerat congregata. Ubi ut plura paucis perſtringamus, dominus Rex ſe multis debitis conqueſtus eſt fuiſſe implicatum; nec ſe poſſe ſine Magnatum ſuorum efficaci juvamine liberari: unde inſtanter & urgenter valde, poſtulavit auxilium ſibi fieri pecuniare. Scilicet ut de Baroniis, quas priùs in auxilio decimæ ſibi conceſſæ, plenam reciperet portionem; ut ad plenitudinem gratiarum perſolvendarum teneretur. Quod eſſet manifeſtum Regni exterminium. Regnum enim omne pecunia deſtitutum, volentibus illud occupare, quaſi ultrò foret expoſitum & oblatum. "Inito igitur conſilio, quia illud nullo modo

1255. " modo fuiſſet tolerabile, inter eos conceſſum eſt, quòd multum ſeſe gravarent pro magnæ " chartæ ſine omni cavillatione obſervatione ex tunc & deinceps; quam toties tenere promiſit, juravit & ſub ſumma diſtrictione ſe in anima obligavit. Exigebant inſuper, ut de communi conſilio regni ſibi Juſticiarium, Cancellarium, & Theſaurarium eligerent; ſicut ab antiquo " conſuetum & juſtum. Qui etiam non amoverentur, niſi clareſcentibus culpis, & de communi Regni convocati conſilio & deliberatione. Tot enim erant in *Anglia* Reguli, ut viderentur in *Anglia* antiqua tempora renovari. Erat videre dolorem in populo. Quia neſciebant " Prælati vel Magnates quomodo ſuum *Prothea*, ſcilicet Regem tenerent; etiamſi omnia hæc " concederent. Quia in omnibus metas tranſgreditur veritatis: & ubi nulla veritas, nulla prævalet certitudo fixa ſtabiliri. Dictúmque eſt illi à ſecretiſſimis Regiis cubiculariis, quòd nullo modo ea quæ deſiderabant, ſcilicet de Juſticiario, Cancellario, vel Theſaurario concederet. Prælati inſuper pro decima, quam conditionaliter promiſerant, abſolutè & ſerviliter ancillante eccleſia jam ſolvere cùm cogebantur, doloribus cruentabantur. Nobiles pro imminenti exactione, in erroribus ſauciabantur. Tandem in hoc convenerunt communiter, ut Regi renunciaretur ex parte univerſitatis, quòd negotium dilationem caperet uſque ad feſtum Sancti *Michaelis*; ut & ipſi interim fidelitatem ejus & benignitatem experirentur: ſi fortè ſic ſe verſus eos & eorum patientiam in chartæ obſervatione toties promiſſæ, toties redemptæ, corda eorum ad ipſum converteret & meritò reclinaret. Et ipſi in quantum poſſibilitas ſe extenderet, neceſſitati ejus obtemperantes ſubvenirent. Quod cùm Rex dicitur non acceptaſſe, ſed tacendo non conceſſiſſe. Et cum ſumma deſolatione & deſperatione, poſt multas inutiles & diuturnas deceptationes; ſic ſoluto conſilio, nobiles *Angliæ* facti jam ignobiles ad propria remearunt.

Aëris intemperies durante Parliamento.

ERAT namque tunc temporis aër intempeſtivus, flante Borea per totum ferè tempus vernale; qui eſt floribus & arboribus pullulantibus inimiciſſimus. Non enim toto menſe Aprilis, imber vel ros terram arentem imbuens, vel modicum præſtitit refrigerium. Jejunaverant itaque diu quotidie nobiles, aëra inaniter verberantes, ut multi multis occuparentur infirmitatibus. Aër itaq; toſtus flantibus Borea & Subſolano, citrinum reddens colorem, intemperiem generavit.

Walterus *de* Grai *Archiepiſc.* Eborac. *moritur.*

ARCHIEPISCOPUS utique *Eboracenſis*, *Walterus* ſcilicet de *Grai*, qui in dicto Parliamento variis, ut alii, ſollicitudinibus arctabatur, cerebrum pro quotidianis jejuniis habens infirmatum; cauſa reſpirandi poſt tædia & labores infructuoſos divertit ad *Fuleham* Epiſcopi *Londinenſis* manerium. Hoc volente & petente eodem Epiſcopo. Archiepiſcopus autem ſenio, tum tædio, tum labore, tum dolore præventus, amiſſo penitus appetitu comedendi ſupra modum debilitatus; tertia die poſt adventum ſuum ad *Fuleham*, omnibus fœliciter quæ ad *Chriſtianum* pertinent perceptis obiit Sacramentis: poſtquam circiter quadraginta annis Eccleſiam ſuam *Eboracenſem* ſtrenuè rexiſſet, & cùm totum Regnum irreprehenſibiliter gubernaſſet hoc (deſuerunt ipſis quadraginta annis, niſi tres menſes & totidem ſeptimanæ) Kalendis Maii viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

Corpus Epiſc. prædicti Eboracum *delatum; & ibi ſepultum.*

FACTA igitur anatomia de corpore, delatum eſt ipſum corpus honorifice *Eboracum*, in ducatu domini Epiſcopi *Dunelmenſis Walteri* Suffraganei ſui: qui magnum, prout decuit corpus tanti Prælati, in quotidianis impendit exequiis & eleemoſynis, humanitatis officium & reverentiam. Et in *Eboracenſi* eccleſia, condigno honore traditur ſepulturæ.

Ariditas magna nimis.

AESTATE quoque ſub eadem, duravit ariditas flante Subſolano, qui rorem ademit matutinalem, & ſuſpendit ſerotinum, à medio Martii uſque ad Kalendas Junii: videréſque grana frumenti jacentia in pulvere integra, nec mortificata; ubi germinarent multiplicationem perfectura. De beneficio igitur pluentis ſuper juſtos & injuſtos, ſenſit terra cum ſuis ſemivivis radicibus & ſeminibus, pluviarum beneficium & rorum dulcium refrigerium temporaneum; ita quòd per Dei gratiam, marcore verſo in virorem vividum, omnia reſpirarunt; & fructus uberes rependerunt.

Miracula in Eccleſia Lincolnienſi & Ciceſtrenſi.

PER eadem tempora, miraculorum frequentia in Eccleſiis *Lincolnienſi* & *Ciceſtrenſi*; ad gloriam Dei & honorem Sanctorum Pontificum *Roberti* & *Richardi* coruſcavit. Unde in eccleſia *Lincolnienſi*, examinata clarent viginti miracula manifeſta. Sed & alia innumerabilia. In eccleſia autem *Ciceſtrenſi* totidem, vel plura, & quotidianis multiplicantur incrementis; quæ ſi quis videre deſiderat examinata, in eccleſia ſancti *Albani* ſcripta poterit reperire.

Subſtituitur Abilis archidiaconus Lincolniæ *loco* W. lupi.

PER idem quoque tempus magiſter *Hugo* de *Mortuo mari*, domini *Cantuarienſis* officialis, ſignificavit Capitulo *Lincolnienſi*; ut caſſato *Willielmo Lupo*, quandoque *Lincolnienſi* Archidiacono, alium ſine dilatione loco ipſius ſubrogarent; vel ipſe magiſter *Hugo* auctoritate Apoſtolica, & *Cantuarienſis* domini ſui, illud faceret; & Canonicos de inobedientia puniret. Canonici igitur dictis hujus obtemperantes, novum ſibi Archidiaconū creaverunt. Magiſter autem *Willielmus* pro ſuæ eccleſiæ libertate viriliter ſtans, omnia hæc patienter tolerans; ad ſinum Papalis clementiæ, quod afflictis patere conſuevit, avolavit.

Papalis exercitus conteritur.

PER idem tempus, Papa *Alexander* veſtigiis prædeceſſoris *Innocentii* inhærendo, in negotio regni *Siciliæ* & *Apuliæ* proſequendo, *Octavianum* Cardinalem deſtinavit cum maximo exercitu, ſcilicet ſexaginta millium armatorum; ad funditus deſtruendam civitatem *Nuceram*, cum *Manfredo* ibi latitante, & omnibus ipſam civitatem inhabitantibus. Erant autem infideles

1255.

in ipſa pluſquam ſexaginta millia *Saracenorum*; quos Imperator *Fredericus* convocaverat dubiis bellorum caſibus exponendos,& ipſam civitatem eis conceſſerat inhabitandam. Quæ tunc ſinum pandebat refugii *Meanfredo*,& quibuſdam aliis *Fredericalibus*. Cùm igitur *Octavianus* diſpoſitis agminibus ſimul cum quodam ingenioſo & potente Bellatore Marchiſio, (de cujus conſilio & adjutorio totus exercitus Papalis confidebat) ſpem nactus indubitatam, ut omnia ad votum obtinerent Papa & *Octavianus*, & eorum invincibilis, quem haberent, exercitus; cum ad civitatem ferè pervenirent,ita ut paucis diſtarent milliaribus, irruit terror & formido ſuper hos & illos,ita ut non auderent cives exire hoſtiliter contra adventantes,nec advenientes cives aut civitatē impetere. Et ſic hinc inde per multos dies expectantes,moram inutilem protraxerunt. Erat autem exercitus Papalis numeroſus valdè & formidabilis, larga ſuſcipiens de clitellis *Angliæ* Regis quotidiana ſtipendia, & expectans ex promiſſionibus Papalibus ampliora. Sic enim dictaverat Papa *Innocentius* jam defunctus & diſpoſuerat: hæc enim omnia ab ipſo habent exordium,& à Cardinalibus proſequutionem. Cùm igitur ſic hinc & inde morā per multum temporis continuaſſent infructuoſam,acceſſit ille proditor Marchiſius,qui & habebat in ipſo exercitu ſequelam copioſam, & dixit *Octaviano*: “Domine,ut quid hic tam diu ſtamus “otioſi? conſumimus theſaurum infinitum. Recedat tertia pars. Non enim audebunt exire de “civitate *Meanfredus*, aut exercitus ejus. Sunt enim quaſi obſeſſi & incluſi. Et ſufficit gens minima ad eorum terrorem & repreſſionem. Cúmq; nec adhuc exirent cives, iterum dictus Marchiſius exercitum Papalem mutilavit, ita quod vix decem vel duodecim millia armatorum remanerent cum eiſdem. Una igitur noctium idem Marchio raptus equo velociſſimo, venit ad civitatem *Nucheram*,& affatus *Meanfredum* dixit: “O amice chariſſime,datum eſt “tibi intelligi,quòd tibi nocui & nocere ſum paratus. Miror te velle talibus ſibillis aurem incli-“nare,aut fidem quomodolibet adhibere. Novit induſtria veſtra quidem,quam fideliter patri “tuo Imperatori *Frederico* ſervitia in ambiguis caſibus impenderim. Et quomodo poſſē pro-“lem perſequi tam dilecti domini,tam reverendi genitoris? Jam jam profectò meam erga “te diu conceptam experieris devotionem & fidelitatem. Diminutus eſt inſtinctu meo, Papa-“lis exercitus. Et vix cum *Octaviano* decem millia pugnatorum,quorum potior pars mea eſt, “remanſerunt. Tolle moram. Illicò ſe arment veſtri univerſi fideles quotquot ſunt in civi-“tate, & me prævium ſequantur pedetentim. Tu etenim ipſum *Octavianum* & ſuos ad votū occupabis. Exiit igitur *Meanfredus*, & omnes cives cum eo & ejus fideles & familiares omnes ad unguem armati. Et maximum conflantes exercitum, feſtinanter quaſi turbo rapidæ tempeſtatis,exercitui Papali appropinquaverunt. Et cùm occupaſſe quaſi aviculas irretitas credidiſſent univerſos,ecce *Octavianus* per aliquem amicum præcordialem in ipſa præmunitus hora,vix elapſus evaſit; cæteris omnibus præter Marchii familiam diſſipatis, captis,vel trucidatis. Et ſic triumphans ad votum *Meanfredus*,cœpit de die in diem poſteà in magnam eccleſiæ confuſionem proſperari. Dominus autem Papa hoc audito, & tota *Romana* eccleſia,incomparabilem dolorem induit,& confuſionem: maximè cum promiſiſſet eccleſia Regnum *Siciliæ* & *Apuliæ* Domino Regi *Angliæ* ad opus filii ſui *Edmundi*. Cui etiam annulum inveſtituræ per Epiſcopum tranſmiſerat *Bononienſem*: & theſaurum Regium in totius *Angliæ* exterminium irreſtaurabile,projecerant in abyſſum. Epiſcopus autem qui jam montes tranſierat, *Angliam* adire feſtinavit, ſciens quòd exhilarans Regem opima munera reportaret. Veruntamen hujus infortunii penitus ignarus prænotati, fucatæ exultationis & inanis gaudii flatibus efferebatur.

Ludit enim in humanis divina potentia rebus.

Exclamatio & lamentatio ſuper iniquitatibus Ro. Curiæ.

O ROMANÆ curiæ ſterilis ſollicitudo, cæca ambitio,licèt ſancta,ſæpius tamen pravorum decepta conſilio; quare fræno diſcretionis impetus tuos non moderaris,ex præteritis erudita,ex toties expertis caſtigata? Ecce in tuis jacturis omnes punimur: omnes enim compatimur, univerſalem ſentimus cum opprobriis confuſionem. Duos jam in *Alemannia* Imperatores,conata es creare. In quorum promotione,inæſtimabiles theſauros undecunq; raptos oportet exponere; utroq; tamen incerto de dignitate. Et nunc in partibus *Apuliæ*, Papalis exercitus turpiter contritus bis,videlicet ſemel ſub ducatu *Willielmi* Cardinalis: iterum ſub Legatione vel ducatu *Octaviani* Cardinalis: omnes filios Eccleſiæ univerſalis damnis laceſſivit,opprobriis inebriavit,doloribus ſauciavit. Ut autem brevibus concludatur,univerſalis Eccleſia, quæ à *Romana* tenetur curia defendi, in multis ſe conqueritur prægravari.

Proclamatur obſervatio chartæ de libertate Angliæ.

DIEBUS autem ſub eiſdem, acclamatum eſt in Comitatibus, & annunciatum eſt in Synodis, in Eccleſiis, & ubicunq; locorum homines convenerant,ut magna charta inviolabiliter teneretur,quam Rex *Johannes* conceſſit, & iſte Rex præſens multoties conceſſit. Et lata eſt ſententia ſolemniter,in omnes ejuſdem violatores. Quam tamen Rex minimè adhuc obſervans,bona eccleſiæ *Eboracenſis* inhumanè deſtruxit. Dicebatq; crebrò: “Quare non obſer-“vant ipſi Epiſcopi & Magnates regni erga ſubjectos ſuos chartam illam, pro qua tantum cla-“mitant,& objurgant? Cui rationabiliter reſponſum eſt: Domine Rex, decet vos primitus “ſecundùm juſjurandum tuum inchoare, & alii profectò ſequerentur, ſecundùm illud Po-“eticum.

1255.

Mobile verſatur ſemper cum Principe vulgus.

Accuſantur R. de Ros & Jo. de Baillol.

TEMPORIBUS autem ſub eiſdem, accuſantur graviter *Robertus* de *Ros*, & *Johannes* de *Baillol*, quòd videlicet regnum *Scotiæ*, & Regem & Reginam, quorum tutela eis fuit commiſſa, inſideliter & inhoneſtè contrectarent. Erat autem tunc temporis Rex in partibus *Angliæ* Borealibet, videlicus apud *Notingham*.

Reginaldus de Bathonia *Phyſicus accuſat* Scotos.

ERAT quidam Phyſicus, in arte Medicinæ benè expeditus & expertus, miſſus ad cuſtodiendum corpus Reginæ *Scotiæ*, & Regis, & amicorum eorundem, magiſter videlicèt Reginaldus de *Bathonia*, à Regina *Angliæ*, quæ ſitienter deſideravit incolumitatem & proſperitatem filiæ ſuæ Reginæ *Scotorum*, & mariti ſui Regis *Scotorum*, quem quaſi filium dilexit adoptivum. Cùm autem idem magiſter *Reginaldus* ad caſtrum puellarum, quod vulgariter dicitur *Edenburc*, expoſita adventus ſui cauſa, & literas oſtenderet tam Regis quàm Reginæ *Anglorum*, dictam cauſam teſtificantes, admiſſus eſt benignè. Et cùm acceſſit ad Reginam ſecretiùs, ut moris eſt Phyſicis, & inquireret quæ cauſa perturbationis ejus & palloris, quia eam triſtem invenerat, reſpondit: Expedit ut Phyſico ſecreta corporis, ſicut Sacerdoti cordis arcana referantur, patefacere. Et cùm cordis & corporis moleſtias intellexiſſet Magiſter *Reginaldus*, cuſtodes ejus & magiſtratus graviter increpavit. Et poſt jurgia & verba amaræ redargutionis, & etiam comminationis, omnes Magnates Regis & Reginæ ac Regni cuſtodes, tanquam reos læſæ Majeſtatis, accuſans, condemnavit & comminabatur. Ipſe igitur Phyſicus *Reginaldus*, non poſt multos illos dies lethaliter infirmatus lectulo decubuit, fueruntq; aliqui ſiniſtrantes, qui dicerent ipſum fuiſſe potionatum. Cùm autem videret ſe portis mortis irrevocabiliter appropinquare, ſcripſit tam Regi, quam Reginæ, quòd infauſto illuc ſydere advenerat, viderat enim quòd eorum filia infideliter & inhumanè inter illos indignos *Scotos* tractabatur, & quia obloquebatur, ipſi Boreales mortis laqueos paraverunt. Quod cùm Rex audierat, iratus valde, de ultione tantæ tranſgreſſionis tacitus cogitabat. Magiſter autem *Phyſicus*, cùm virus diſcordiæ, & magni venturi mali, & damni irreſtaurabilis evomuiſſet, animā miſeram exhalavit.

Depauperatæ quædam eccleſiæ Angliæ.

PER idem tempus, Eccleſia *Cantuarienſis* meritis filiorum ſuorum, Monachorum videlicet ejuſdem domus promerentibus, preſſuris deprimitur gravioribus. Quæ cùm primatum in *Anglia* de jure teneret, indigenarum dimiſſis nobilibus, alienum in ſui cuſtodem ſuſceperat. Unde non immeritò illi hoc conſtituentes, in tantam prolapſi ſunt egeſtatem, ut plùs quàm quatuor marcarum millium obligarentur debitis irretiti. Et cùm immineret eccleſiæ exterminium, ne penitus in abyſſum confuſionis demergerentur, tradiderunt ſex maneria ſua de melioribus *Johannis* de *Gateſdene* Militis cuſtodiæ, ut ipſa bonis ſibi conditionibus, ſed ad Monachos damnoſis & duriſſimis, retineret, donec debita evacuarentur. Similiter autem & *Roffenſis* Prioratus inæſtimabilibus debitis illaqueatus, ſe in manus dicti *Johannis* & aliorum creditorum obligarunt. Et victum & veſtitum abbreviantes, vix ſibi vitæ neceſſaria retinuerunt. Nobilis inſuper *Wintonienſis* Prioratus ſancti *Suithuni*, irreſtaurabilibus jacturis prægravatus, ſuas meritò ſenſit cicatrices. Qui gratiam Regis, Dei timori præponentes, tantæ Eccleſiæ prorſus inſufficientem paſtorem elegit animarum. Ibi namq; per Electum quodam Priore intruſo, & Conventu diſperſo, recepti ſunt in habitum & ordinem Monaſticum quidā illiterati, & nebulones potius reprobandi, quàm eligendi, loco eorum qui diſperſi ſunt, in opprobrium Monaſticæ religionis & honeſtatis, circiter tredecim Monachi, ſed potius tantum Cucullati. Quid Eccleſiæ beatæ *Mariæ Eboracenſis* cœnobialis, & aliarum nobilium Eccleſiarum enarrem confuſionem? Sed ut hominibus manifeſtetur Dei indignatio, & peccatorum cumulata exaggeratio.

Eclipſis Lunæ prodigialis.

ET ut ſtatus corporum ſupercœleſtium infimis non diſcordet, Luna paſſa eſt eclipſim prodigialem & inſolitam & univerſalem menſe Julio, in nocte quæ immediatè ſequitur diem feſtivitatis S. *Margaretæ*. Incœpit eclipſis duabus horis ante medium noctis, & ferè quatuor horis perduravit.

Moritur Warinus *de* Muntchemſil.

OBIIT eodem tempore Nobilis Baro, inter omnes *Angliæ* Nobiles vel nobiliſſimus, vel ſapientiſſimus, vel unus de nobilioribus & ſapientibus, *Warinus* de *Muntchemſil*. Erat inſuper idem *Warinus* zelator pacis & libertatis Regni. In cujus obitu, maxima Regni columna vacillavit. Erat inſuper theſauro non minimo inſtauratus. Unde teſtamentum ſuum, ad ducenta millia marcarum & ampliùs dicitur aſcendiſſe. Dominus autem Rex illicò cuſtodiam hæredis ejus nomine *Willielmi*, contulit *Willielmo* de *Valentia* fratri ſuo uterino. Qui filiam ejuſdem *Warini*, ut gener ejus eſſet, deſponſaverat. Et ita diatim *Anglorum* Nobilitas, proh dolor, exſpiravit.

Jo. Franciſcus *infirmatur.*

JOHANNES quoque *Franciſcus*, unus de præcipuis domini Regis clericis & conſiliariis, irremediabili paralyſi percuſſus, à Monachis ſanctæ *Mariæ Eboraci* cœnobialis, & de *Selebi*, ſiccis lachrymis meruit deplorari.

Joan. *de* Grai *à curia diſcedit.*

EODEMQUE tempore, dominus *Johannes* de *Grai*, Miles, vir modeſtus & diſcretus, edoctus fortè & fœliciter caſtigatus, ſe ſubtrahit à conſiliis Regis, & curiali Labyrintho.

TEMPORE

1255

Rex Anglorum verſùs Scotiam tendit, provocatus querelis filiæ ſuæ.

TEMPORE ſub eodem, cùm ex mandato Reginæ *Scotorum* & ejus familiarium Rex magis diatim ac magis ſollicitaretur, & querelis moveretur, verſus *Scotiam* convocato exercitu lora dirigit & vexilla, gravem proponens verſùs *Robertũ* de *Ros* & *Johannem Bailloil*, Milites, & magnæ viros potentiæ & auctoritatis, movere quæſtionem. Certificabatur enim, ut aſſerebat, ex arcanis fidelium ſuorum mandatis crebreſcentibus, quòd ſecus quàm deceret, aut expediret, & aliter quàm promiſerant, tam Regnum *Scotiæ*, quam Regem & Reginam contrectaverant. Et cùm Regno *Scotiæ* appropinquaret, præmiſit ante faciem ſuam Comitem *Gloverniæ Richardũ*, & *Johannem Manſel*, domini Regis ſpecialem clericum & conſiliarium, ut prudenter exploraretur, ſi *Robertus* de *Ros* clamorem opere complevisset. Et ſi fortè errorem ſuum, & crimen ſibi impoſitum contumaciter præſumeret defendere, & contra ſtimulum calcitrare. Comes igitur & *Johannes*, ſecundum Regis præceptum præeuntes, concomitante electa familia & comitatu copioſo, certificati quòd Rex & Regina *Scotorum* in *caſtro puellarum* tunc morarentur, concitò, ſine aliquo ſtrepitu illuc pervenerunt, Et ſepoſito comitatu, ſequente ſcilicet remotiùs, cautè Comes & *Johannes*, quaſi humiles de familia *Roberti* de *Ros* Milites, deceptis janitore & aliis cuſtodibus, intraverunt. Deinde eorum comitatus & familia ſtillatim ſubſequuti magnum ſibi exercitum conflaverunt, ita ſcilicet ut ſi qui in caſtro erant ad illud cuſtodiendum, præſumerent inſurgere, ipſi qui jam intraverant illos minimè formidarent. Confidenter igitur acceſſit ad eos *Scotorum* Regina, conqueſta graviter, quòd indecenter cuſtodiebatur, vel potiùs incarcerabatur in caſtro illo, loco triſti & ſolitario, ſalubri aere & virore, ut juxta mare penitus deſtituto. Nec licuit ei, ut dicebat, per Regnum ſuum ſpatiari, vel familiam habere ſpecialem, vel etiam puellas, quas habere cupiebat, camerales & cubiculares: nec permiſſus eſt Rex maritus ſuus acceſſum ad eam habere maritalem, vel mutuis amplexibus congaudere. Et ſi aliquid arcanum querelis ſuis annecteretur, ignoratur. Comes autẽ & dominus *Johannes*, utpote viri facundiſſimi & diſcretiſſimi, demulcentes eam, & lachrymas cum ſingultibus reprimẽtes, conſolabãtur eam civiliter & modeſtè, promittentes ei indubitatã ſuper his exceſſibus correctionem. Fecerũtq; eos licẽter in uno lecto Regẽ videlicet & *Scotorũ* Reginã, ut ſponſum & ſponſã, cõdormire. Et diſtrictè vocatus eſt *Robertus* de *Ros*, ut veniret inſtructus reſpondere ad ſibi objiciẽda, in curia domini ſui Regis *Anglorũ*. *Robertus* vero timens ſibi primo ſe ſubtraxit, ſed poſteà humiliatus, acceſſit. Fuerũtq; aliqui de Magnatibus indignantes, quod Comes & *Johannes* tam ſubito & ſine alicujus contradictionis obſtaculo caſtrũ eorum, quod eſt in introitu terræ illorum, & totius Regni tutela & repagulũ, ultioni incumbentes, acceſſerũt, cum gravi multitudine caſtrum circumvallantes. Cum autẽ intellexiſſent, ſeſe ſalvos eſſe, & faſcinatos, quod Regẽ ſuum & Reginam eorum hoſtiliter obſediſſent, receſſerunt. Et ſic in pace diſpoſita & relicta ſunt omnia. *Robertus* autem de *Ros*, ſub certa forma ſpopondit venire ad curiam Regis *Angliæ* domini ſui, de omnibus reſponſurus. Veruntamen Rex de conſilio amicorum fortunalium, fecit ſeiſire terras *Roberti*, & arctæ cuſtodiæ deputari.

Diſcordia inter univerſitatem Pariſienſem & fratres Prædicatores.

DIEBUS quoque ſub eiſdem, orta eſt gravis diſſentio inter univerſitatem *Pariſienſium* Scholarium, & fratres *Prædicatores* ibidem converſantium. Qui contra antiquam civitatis & univerſitatis conſuetudinem, numerum limitatum legentium in Theologia intenderunt, ſine univerſitatis aſſenſu ampliare. Tandem, licèt Rex ipſe *Francorum* intenderet libertatem ſalvare Scholarium univerſitatis, ſimiliter & cives; ipſi *Prædicatores* domino Papæ devoti, & propter eorum multimoda obſequia, ipſi curiæ gratioſi, in hoc certamine meliorem calculum reportarunt. Data eſt igitur ſententia à domino Papa, pro fratribus *Prædicatoribus*, & omnibus Religioſis, ut legant deinceps licenter in Theologia: non conſiderato numerò legentium, qui antiquitus tenebatur certus numero limitatus.

Jo. de Bailloil Regis pacem pecunia ſibi comparat.

TEMPORE quoq; ſub eodem, *Johannes* de *Bailloil*, Miles, dives & potens, cujus pater in armis ſtrenuus, Regi *Johanni* in arcto poſito multum ſervierat, & in dubiis caſibus ſæpè contulerat adminiculum; cùm graviter, ſicut et *Robertus*, accuſaretur, ſibi pecunia, qua abundavit, Regis neceſſitati ſatisfaciendo, cautè pacem comparavit.

Rex redit à Scotia.

CUNCTIS igitur pacificatis, & ad votum ordinatis, cùm dominus Rex *Anglorum* & Regina ſufficienter cum Rege *Scotorum* & Regina eorum filia colloquiũ mutuum habuiſſent: Rex verſùs Auſtrales *Angliæ* partes reditum maturavit. Et obiter viſitando Abbatias & Prioratus; Prælatorum eorundum pecunia ſaginatus, eorum ſe precibus commendabat.

Rex auſert pecuniam apud Dunelmum depoſitam.

ET cùm veniſſet *Dunelmum*, intrans eccleſiam, breviter oravit ad feretrũ beati et glorioſi Confeſſoris & Epiſcopi *Cuthberti*. Et de conſilio ſuſurronum et accuſatione certificatus, quòd in eadem eccleſia depoſita fuit non minima pecunia, videlicet Epiſcopi *Nicholai* et Epiſcopi *Elyenſis*, et quorundam clericorum, qui ob confidentiam et reverentiam B. *Cuthberti* et ejus eccleſiæ, ibidem ſub tutela Prioris et Conventus repoſuerant bona ſua: præcepit Rex, ut ſui effractarii, licèt contradicerent Monachi, intrarent violenter; et ceris et ſigillis confractis, à ciſtis et clitellis pecuniam inventam, irrequiſito dominorum aſſenſu, ad opus ſuum tollerent. Non quaſi ablatam, vel violenter raptam, ſed accommodatam ſibi aſportandam; non veritus pacem eccleſiæ tanti ſancti, et Dei eccleſiæ violare univerſalis, quam toties juraverat obſervare. Veruntamen quam ſic mutuò acceperat, ad ſe reverſus, poſteà aliquando ſolvit dominis pecuniam, ac reſtituit; non tamen de injuria ſatisfaciens.

1255.

W. de Kilkem conſecratur in Epiſc. Elyenſ.

CIRCA eadem tempora, conſecratus eſt electus *Elyenſis*, magiſter ſcilicet *Willielmus* de *Kilkem*, in Epiſcopum *Elyenſem* in partibus tranſmarinis; ſcilicet apud *Boleſium* die aſſumptionis beatæ Virginis, ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, qui tunc in partibus illis agebat. Archiepiſcopus verò, quia electus ad ipſum in patriam ſuam venerat, omnia neceſſaria ei copioſè & honorificè contulit. Cui etiam applauſit, & honores contulit *Petrus* de *Sabaudia*; ne viderentur in partibus propriis indigere. Epiſcopi verò *Angliæ* ſuper hoc facto, tanquam ſibi injurioſo, doluerunt: ſimiliter & Conventus *Cantuarienſis*; quia ſemper in *Anglia* Epiſcopi conſueverunt conſecrari. Formidabant inſuper vehementer, ne Archiepiſcopi *Cantuarienſes* hoc traherent in conſequentiam, ſicut factum novum; quod in eccleſia *Lincolnienſi* per ipſum eſt uſurpatum.

Electus Tholetanus *venit* Londinum.

EODEM anno, infra octavas nativitatis beatæ *Mariæ*, venit *Londinum* electus *Tholetanus*, frater Regis *Caſtellæ*, *Sinchius* nomine, ætate viginti annorum. Et cum eo quidam potens de *Hiſpania Garſias*, *Martinus* nomine, neſciebatur qua de cauſa: ſed, prout dicebatur, ad ampliandum redditus ſuos cum opimis muneribus à rege percipiendis, qui talibus conſuevit, omnia quæcunque à ſuis extorquet incircumſpectè diſtribuere. Hujus utiq; Electi geſtus & cultus & familia, noſtratibus penitus diſſidebat. Ætate enim adoleſcens fuit, annulum portabat in indice, dans populo benedictionem. Hoſpitium ſuum, ſcilicet apud *Templum novum*, fecit tapetiis, palliis, & cortinis, etiam pavimentum, pompoſè nimis adornare: familiam tamen habens vulgarem & inordinatam, palefridos paucos, ſed mulos habens quamplurimos. Quos rex cùm audiſſet, præcepit diſtrictè, ut cum ſummo honore reciperentur; & ne aliquod offendiculum quomodolibet invenirent. Ipſi verò hoc cognoſcentes cives *Londinenſes*, conviciis affecerunt eos & injuriis, crapulæ & luxuriæ inſiſtentes. Rex autem ſuper matrimonio contracto inter filium ſuum primogenitum *Edvardum* gloriabatur, ac ſi jam eſſet omnia jura ſua ultramarina cum illa nova nupta, ſcilicet regis *Caſtellæ* ſorore, conſequutus: qui tamen in nullo ſe vel regnum ſuum, in illo promovit matrimonio.

Filius Regis Franciæ *ducit in uxorem filiam Regis* Caſtellæ.

CUM autem hæc ad notitiam Regis *Francorum* perveniſſent, quòd ſcilicet initum fuiſſet tale fœdus & matrimonium inter Regem *Caſtellæ* & Regem *Anglorum*, ſuſpectas habens has novas nuptias; miſſis ſolennibus nunciis, poſtulavit filiam ejuſdem Regis filio ſuo in uxorē exhiberi. Cupiens tanto viro matrimonialiter confœderari; & ut conditionē ſuam plus quàm Rex *Angliæ* melioraret, qui ſororem ſuam tantùm uterinam filio ſuo *Edvardo* primogenito impetraverat maritandam, ipſe Rex *Francorum* filiam petiit non negari. Quod ad votum obtinuit, datore ob honorem gratulante.

Variæ & inutiles expenſæ Regis Angliæ.

SUMUNTUR interea ſumptus quotidiani, ad bellum *Apuliæ* ſuſtinendum; & in prædicto itinere, parum fructuoſo non minimam expendit pecuniam. Electus *Tholetanus*, de Regis marſupio decem vel duodecim quotidie marcas exponit. Jam jam oritur nova cauſa theſaurum conſumendi. *Thomas* enim quandoque Comes *Flandriæ*, avunculus ſcilicet Reginæ & frater Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, novum bellum in civitate *Taurina*, & apud *Aſtam* civitatem ſuſcitavit, ad quod ſuſtinendum & conſummandum, oportet Regem & Eccleſiam *Cantuarienſem*, imò etiam Reginam, maximam apponere portionem pecuniæ. Et ſic undique Dominus Rex, qui partem ſuam jam de novo, multùm per filium ſuum abbreviavit; curis & ſollicitudinibus diſcerpitur & diſſecatur.

Epiſcopi Herefordenſis *conſilium pravum.*

DIEBUS autem ſub eiſdem, Epiſcopus *Herefordenſis Petrus* de *Egeblanke* (cujus memoria ſulphureum fœtorem exhalat ac deterrimum) ad Regem venit, quem noverat totis niſibus theſauros deſiderare, & eis indigere: illiúſq; auribus inſtillavit hoc viroſum conſilium, dicens; "Conſenti domine mi propoſito meo, & inopiam tuam non tantùm revelabo, ſed te faciam "uſq; ad ſummam abundantiam theſauris abundare. Si enim quaſi ad aliquid leve negotiū "mihi feceris tria vel quatuor ſigilla de aliquibus authenticis *Angliæ* Prælatis habere: ego "nova interpretatione inducam dominum Papam (ut firmiter ſpero) ad hoc, ut obligent ſe "ſinguli *Angliæ* Prælati, quaſi coacti nolentes, ad maximam pecuniæ ſolutionem, ut indigen"tiæ tuæ ad plenum ſatisfiat. Et cùm inclinaſſet cor Regis ad conſenſum, gaviſi ſunt quamplurimum. Et confeſtim tranſalpinavit Epiſcopus, ut promiſſa effectui manciparet, adjuncto ſibi quodam ſocio, *Roberto* videlicet *Waleranno*, ut efficaciùs dominum Papam faſcinaret. Et cū *Romam* perveniſſet, invenit Papam mœſtum & confuſum, pro adverſis quæ eccleſiæ nuper contigerunt. Erat inſuper tot debitis innodatus, quòd audientium mentibus meritò ſtuporē poterant generare. Quæ omnia, Rex *Angliæ* ſub pœna exhæredationis ſolvere tenebatur. Inſtabant inſuper mercatores tranſalpini uſurarii, exigentes urgentiſſimè & aſſiduè, ut perſolvantur eis debita ſua: quæ quotidie propter uſuras, pœnas, & intereſſe, non minima ſuſcipiebant incrementa. Et cùm ſic angeretur Papa, reſpondit epiſcopus: "Sancte pater, ne ſollicitetur pa"ternitas tua de quantitate & numero debitorū, licèt inæſtimabili; quia ante receſſum noſtrū "ab *Anglia*, dominus Rex ego, & hic miles peritiſſimus, providimus tutā viam & certā formā, "qualiter omnia ſine difficultate ſolventur; dummodò de favore & licentia tua, liceat mihi, "quæ cor meū parturiūt, proſequi cum effectu. Dominus enim Rex tibi & eccleſiæ *Romanæ* de"votiſſimus, adeo eccleſiæ & viris eccleſiaſticis pronus eſt & munificus, tot exhibens officia, tot "conferens beneficia, in holoſericis, ædificiis, cereis, donativis precioſis & variis, quòd Dei & ō"niū hominū ſibi gratiā comparavit. Similiter & Nobilibus ſuis tot confert munera, in terris,

"gardis,

"gardis, & redditibus, ut meritò debeat chariſſimus omnibus reputari. Nuper per *Franciã* 1255.
"tranſiens, tot eccleſiis cyphos argenteos, pallas, monilia, & Magnatibus *Francorum* & Præ-"latis tot contulit donativa in vaſis, annulis, zonis, & firmaculis, tam opere quàm materia "precioſis; ut *Francis* ſuſcitaret laudem & admirationem, per quod nomen *Anglorum* famo-"ſum ſydera penetravit. Hinc eſt quòd deſiderant *Angli* ſitienter, & multum complaceret "eis, ex præcepto tuo ſeipſos exinanire & gravare, & ad hoc obligare, ut cogerentur pia vo-"luntate ipſum jam dilectum regem à debitis omnibus liberare. Et oſtendens literas, quas vulpina calliditate de quibuſdam Prælatis extorſerat, & ſigillis eorum conſignaverat, ſe reddidit de prædictis commentis credibilem, & Papam fallaciis proniorem. Cui Papa: "Frater "& amice chariſſime, fac ſuper hoc quod induſtria veſtra, quamplurimùm commendamus, "viderit expedire.

EPISCOPUS igitur *Herefordenſis* adjunctis ſibi quibuſdam Cardinalibus, quorum arbitrio bulla exponebatur, quorumque conſilio Papa prædeceſſoris ſui præſumptuoſum factum exequebatur: Prælatos *Angliæ* hujus fraudis penitus ignaros ad libitum obligavit ita graviter; ut ſi omnia retroacta gravamina recenſerentur, hujus exactionis reſpectu levia poſſent reputari, annectens in literis quædam mendacia manifeſta. Quod ſcilicet tenebantur Prælati ſinguli, ad ſolvendum tali & tali mercatori *Senenſi*, aut *Florentino*, tantam pecuniam; quam mutuò, ad expedienda quædam utiliter negotia eccleſiarum ſuarum, receperunt; cùm tamen nullum eorum unquam vidiſſet, vel cognoviſſet, vel de aliqua mentio pecunia facta fuiſſet. Sin autem infra breviſſimum injuncta perſolverent, plenam habebant poteſtatem ipſi uſurarii, (quos *Franci Bugeros* vulgariter appellant) inſontes Dei famulos, eccleſiæ Prælatos, omnimodis punire ſententiis, jacturis gravibus condemnare, & angariis fatigare, ſicut ſequens ſermo loco ſuo & tempore declarabit.

Præditis incidita.

ANNO quoq; ſub eodem, videlicet circa feſtum ſancti *Dionyſii*, cùm Rex rediens de partib. *Angliæ* Borealibus, *Londinum* properaret, ut intereſſet ſolenniis ſancti *Edvardi*, in quindena *Michaelis*, *Alienora* Regis *Hiſpaniæ* ſoror, uxorq; *Edvardi*, cum magno comitatu & pompa (ita ut toti *Angliæ* eſſet ſuſpectus adventus talis *Hiſpanorum*, ut ab illis violenter occuparetur) applicuit apud *Doveram*. Præcepitque Rex, ut cum ſummo honore & reverentia tam alibi, quàm *Londini* reciperetur. Sed *Londini* maximè, in proceſſionibus, luminaribus, claſſicis, cantibus, & aliis excogitatis lætitiæ generibus & ſolennitatis. Et adventanti, occurrerunt *Londinenſes* feſtivis veſtibus & phaleris adornati. Et cùm veniſſet illa nurus nobiliſſima ad hoſpitium ſibi aſſignatum, invenit illud, ſicut Electi *Tholetani* hoſpitium, holoſericis pallis, & tapetiis, ad ſimilitudinem templi, appenſis, etiam pavimentum aulæis redimitum, *Hiſpanis* ſecundùm patriæ ſuæ fortè conſuetudinem hoc procurantibus: ita ut faſtus ſuperfluitas, in populo ſannos moveret & cachinnos. Graves autem perſonæ & viri circumſpecti, futuros caſus ponderantes, ex imo cordis profunda traxère ſuſpiria, gaudia quæ Rex omnibus alienigenis multiplicando impendit, ſubtiliter conſiderantes. Honores enim exhibiti in oculis *Hiſpanorũ*, admirationem & ſtuporem, nec mirum, omnibus generabant. Doluerunt igitur *Angli* inconſolabiliter, quòd inter omnes nationes plùs cæteris coram Rege ſuo proprio viluerunt, & eiſdem exterminium immineret irreparabile.

Applicat, uxor Edvardi apud Doveram.

INCREBUERUNT inſuper rumores deterrimi, videlicet quòd Legatus, vel Clericus Papalis, armatus Legati poteſtate, à latere venerat domini Papæ deſtinatus. Qui jam in foribus apparens, tantùm proſperum ventum exſpectabat. Paratus enim erat & promptus in omnibus, in perniciem univerſitatis *Anglicanæ*, Regi primitus obſecundare, & omnes voluntati Regiæ, quæ tyrannica fuerat, contradictores anathematis vinculis oppreſſos innodare. Terruit inſuper, & in abyſſum demerſit deſperationis *Anglorum* tam Prælatos, quàm Magnates, quòd Rex ſub tam ineffabili aſtutia attractis ſtillatim alienigenis, & ſucceſſivè multos & ferè omnes *Angliæ* optimates, utpote *Glovorniæ*, *Warenniæ*, *Lincolniæ*, *Devoniæ*, Comites, & alios quamplures Nobiles ſibi attraxerit & confœderaverit, & ſuos frâtres & conſanguineos & affines, ſpoliatis indigenis, locupletaverit, ut ſi præſumeret univerſitas Regni pro ſuo jure ſtare, Rege adverſante, nullam haberet contra Regem & ſuos alienigenas coërcendi poteſtatem, vel contradicendi facultatem. Comes autem *Richardus*, qui inter Magnates maximus recenſetur, neutraliter ſe habebat. Similiter & alii, mutire non audentes. Archiepiſcopus verò *Cantuarienſis*, qui quaſi umbo contra impetus hoſtiles eſſe debuit, negotiis variis & ſæcularibus implicatus, & de grege ſuo in *Anglia* minùs ſollicitus, in partibus agebat tranſmarinis longè remotis. Magnanimi Regni zelatores, videlicet *Eboracenſis* Archiepiſcopus, *Robertus* Epiſcopus *Lincolnienſis*, *Warinus* de *Muntchenſil*, & alii plures de medio ſunt ſublati. Interim fratres Regis *Pictavenſes*, *Provinciales*, & jam *Hiſpani*, & *Romani*, quotidie ſuccreſcentibus ditantur redditibus, & repulſis *Anglicis* honoribus ſublimantur.

Miſerabilis ſtatus Regni Angliæ.

POST feſtum verò S. *Lucæ*, edicto Regio convocata convenit Magnatum numeroſa multitudo. Venerat autem illuc ad Regem Epiſcopus *Romaniæ*, ex parte Papæ: qui apportans ſecum annulum, vice ejuſdem Papæ, contulit ipſum annulum *Edmundo* filio Regis, inveſtiens eum ſic ſolenniter de Regno *Siciliæ* & *Apuliæ*. Unde elevatum eſt cor Regis in ſublime, & exultavit, tanquam jam receptis *Siculorum* & *Apulorum* omnium homagiis, civitatibus, & caſtris, in Regem coronaretur. Et in propatulo Rex pater vocavit filium ſuum *Edmundum* Regem *Siciliæ*.

Edmundus filius Regis Angliæ inveſtitur regno Siciliæ.

1255. *Siciliæ*. Neſciebat autem, ut creditur, memoratus Epiſcopus, quòd contrita fuit Papalis expeditio, & effuſus totaliter theſaurus Regis *Anglorum*, inſuper alieno ære terribiliter obligabatur: & ſi fortè ſciret, ſcire hoc cautè diſſimulavit, ne munera perderet ſibi præparata. Hoc autem profectò regem latuit, & Magnates. Epiſcopus autem antequàm rei veritas in *Anglia* ſciretur, precioſis ornatus muneribus, illicò repatriavit. Rex autem nimis properè coram optimatibus, ad altare proſiliens, confiſus nimis de Papali adjutorio, juravit tranſitum in *Apuliam* per ſanctum *Edwardum*, de uno tantum habens ſolicitudinem, ſcilicet qualiter tranſiret in pace cum exercitu ſuo et theſauro regnum *Francorum*. Unde ſtatim cogitavit, quem ad hoc impetrandum ad regem *Francorum* deſtinaret. Cogitavit inſuper conſequenter jura ſua ultramarina imperioſè repoſcere ab eodem, et potenter readquirere. Quia inter *Apuliam* et *Angliam*, foret quaſi inter duas molas *Francia* conterenda. Miſitq; illuc dominum *Johannem Manſel*. Sed hoc poſteà ſuo tempore dicetur.

Rex impedit electionem Archiepiſcopi Eboracenſ.

TEMPORE ſub eodem, Rex in quantum potuit, electionem *Eboracenſis* Archiepiſcopi fecit differri et impediri, ut diutiùs et liberiùs bona diriperet Archiepiſcopatus. Ait enim: Nunquam illum Archiepiſcopatum anteà in manu tenui, ideo cavendum eſt, ne nimis cito elabatur. Elegerunt autem tandem, ſive poſtularunt, Canonici unanimiter, magiſtrum *Sewalum* ejuſdem eccleſiæ Decanum, virum modeſtum, ſanctum, et in jure et aliis ſcientiis eleganter eruditum. Et miſſo magiſtro *Rogero* de *Holderneſſa*, viro perito et gratioſo, res fœliciter perducitur ad effectum, prout dicetur in ſequentibus.

Judæi *duriter tractantur, ob puerum ab eis crucifixum.*

* ANNO quoq; ſub eodem, circa feſtum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, *Judæi Lincolniæ* furati ſunt unum puerum, *Hugonem* nomine, habentem ætate octo annos. Et cùm ipſum in quodam conclavi ſecretiſſimo, lacte & aliis puerilibus alimentis nutrirent, miſerunt ad omnes ferè *Angliæ* civitates, in quibus *Judæi* degebant, & convocarunt de unaquaq; civitate aliquos *Judæorum*, ut in contumeliam & opprobrium *Jeſu Chriſti*, intereſſent ſacrificio ſuo *Lincolniæ*. Habebant enim, ut dicebant, quendam puerum abſconditum ad crucifigendum. Et convenerũt multi *Lincolniæ*. Et convenientes, conſtituerunt unum *Judæum Lincolnienſem* pro Judice, tanquam pro *Pilato*. Cujus judicio & õnium favore, affectus eſt puer diverſis tormentis. Verberatus eſt uſq; ad cruorem & livorem, ſpinis coronatus, ſputis ac cachinnis laceſſitus. Et inſuper à ſingulis punctus cultellis, qui dicuntur *Anelatii*, potatus felle, deriſus probris & blaſphemiis, & crebrò ab eiſdem, frendentibus dentibus, *Jeſus* Pſeudopropheta vocatus. Et poſtquam diverſimodè illuſerant ei, crucifixerunt. Et lancea ad cor pupugerunt. Et cùm expiràſſet puer, depoſuerunt corpus de cruce, & neſcitur qua ratione eviſcerarunt corpuſculum: dicitur autem, quòd ad Magicas artes exercendas. Mater autem pueri, filium ſuum abſentem per aliquot dies diligenter quæſivit, dictumq; ei à vicinis, quòd ultimò viderunt puerum, quem quæſivit, ludentem cum pueris *Judæorum* ſibi coætaneis, & domum *Judæi* cujuſdam intrantem. Intravit igitur mulier ſubito domum illam, & vidit corpus pueri in quendam puteum præcipitatum. Et cautè convocatis civitatis Ballivis, inventum eſt corpus & extractum. Et factum eſt mirabile ſpectaculum in populo. Mulier autem mater pueri, querula, & clamoſa omnes cives in uno convenientes, ad lachrymas & ſuſpiria provocavit. Erat autem ibidem dominus *Johannes* de *Lexintona*, vir quidem circumſpectus & diſcretus, inſuper eleganter literatus. Qui ait: Audivimus quandoq; quod talia *Judæi* in opprobriũ *Jeſu Chriſti* domini noſtri crucifixi, non ſunt veriti attemptare. Et capto uno *Judæo*, in cujus domũ ſcilicet intravit puer ludens, & ideo aliis ſuſpectior, ait illi: Miſer, neſcis quod te feſtinus manet interitus? Totum aurũ *Angliæ*, “non ſufficeret ad ereptionem tuam aut redemptionem. Veruntamen dicam tibi, licèt indigno, qualiter poteris vitam tuam reſervare, & membra ne mutileris. Utrunq; tibi ſalvabo, ſi “quæcunq; in hoc caſu aguntur, ſine falſi ſtamine mihi pandere non formides. *Judæus* igitur “ille, cui nomen *Copinus*, ſic credens viam inveniſſe evaſionis, reſpondit, dicens: Domine *Johannes*, ſi dictis facta compenſas, pandam tibi mirabilia. Et animavit eum & ſtimulavit ad “hoc domini *Johannis* induſtria. Et ait *Judæus*: Vera ſunt quæ dicunt *Chriſtiani*. *Judæi* ferè quo“libet anno, unum puerum in injuriam & contumeliam *Jeſu* crucifigunt. Sed non quolibet “anno comperitur. Occultè enim hoc faciunt, & locis abſconditis & ſecretiſſimis. Hunc autem “puerum, quem *Hugonem* vocant, immiſericorditer noſtri *Judæi* crucifixerunt, & cùm obiiſſet, “& mortuum vellent abſcondere, non potuit obrui in terra, nec abſcondi. Inutile enim re“putabatur corpus inſontis, augurio, ad hoc enim eviſcerabatur. Et cùm manè putatur ab“ſconditum, edidit illud terra & evomuit, & apparuit corpus aliquoties inhumatum ſupra “terram, unde abhorruerunt *Judæi*. Tandem in puteum præcipitatum eſt, nec adhuc tamen po“terat occultari. Mater enim improba omnia perſcrutando, tandem corpus inventũ Ballivis “intimavit. Dominus autem *Johannes* tenuit *Judæum* vinculis mancipatum. Et cùm hæc Canonicis Eccleſiæ *Lincolnienſis* Cathedralis innotuiſſent, petierunt corpuſculum ſibi dari. Et conceſſum eſt illi. Et cùm ab infinitis ſatis conſideraretur, honorificè in eccleſia *Lincolnienſi*, tanquam precioſi martyris, humabatur. Sciendum quod *Judæi* tenuerant puerum vivum per decẽ dies, ut tot diebus paſtus lacte, tormenta vivus multiformia tolerat. Cùm Rex rediſſet de partibus Borealibus *Angliæ*, & certificaretur de præmiſſis, increpavit dominum *Johannem*, quod tam flagitioſo vitam & membra polliceretur, quòd dare nequiverat. Dignus enim erat blaſphemus ille & homicida, mortis pœna multiformi. Et cùm judicium reo immineret irremediabile,

“ait:

1255.

"ait: Imminet mihi mors mea, nec poteſt mihi dominus *Johannes* perituro ſuffragari. Nunc "dico vobis omnibus veritatem: Hujus pueri, de quo calumniātur *Judæi*, morti conſentiebāt "omnes ferè *Judæi Angliæ*. Et cujuſlibet ferè civitatis *Angliæ*, in qua *Judæi* habitant, qui-"dam electi convocabantur ad illius pueri immolationem, quaſi ad Paſchale ſacrificium. Et cùm hæc dixiſſet ſimul cum aliis deliramentis, ligatus ad caudam equinam, & tractus ad patibulum, aereis cacodemonibus in corpore & anima præſentatur. Et alii *Judæi*, hujus facinoris participes, quater viginti & undecim, in bigis *Londinum* ducti, carcerali cuſtodiæ mancipantur. Qui ſi fortè ab aliquibus *Chriſtianis* plangerentur, ab æmulis eorum *Caurſinis* ſiccis lachrymis deplorabantur.

Octodecim Judæi *tracti ad patibulum & ſuſpenſi.*

POSTEA verò, per inquiſitionem Juſticiariorum domini Regis, perceptum fuit & inventum, quòd *Judæi Angliæ* communi conſilio puerum innocentem, pluribus diebus flagellatum, interimerunt crucifixum. Sed poſteà pro iniquitate illa, matre dicti pueri contra ipſos de tali morte appellationem ſuam coram Rege conſtanter proſequente, Deus ultionum Dominus dignam pro meritis reddidit retributionem. Nam in die ſancti *Clementis*, octodecim de ditioribus & majoribus civitatis *Lincolnienſis* fuerunt tracti, & ad furcas novas, ad hoc ſpecialiter præparatas, vento præſentati. Et in Turri *Londinenſi*, pluſquam viginti ter ſimile judicium in carcere ſunt reſervati.

M. *Ruſtandus à Papa deſtinatus, venit* in Angliam.

CIRCA dies eoſdem, dominus Papa *Alexander* deſtinavit ad partes *Anglicanas*, magiſtrum *Ruſtandum* Legiſtam, natione *Gaſconienſem*, Subdiaconum ſuum, dans domino Archiepiſcopo *Herefordenſi*, & eidem *Ruſtando* poteſtatem colligendi decimam de *Anglia*, de *Scotia*, & de *Hybernia*, *Cantuarienſi*, & Epiſcopo ad opus domini Papæ vel Regis indifferenter, *non obſtantibus aliquibus literis indulgentiis priùs directis, ſub quacunque forma verborum, vel etiam cauſa, pro qua conceſſa fuit, vel omni quod intelligi poſſit obſtaculo.* Dedit etiam eiſdem dominus Papa poteſtatem, abſolvendi dominum Regem crucesignatum à voto ſuo, ne iret in terram *Hieroſolymitanam*, ita tamen ut iret in *Apuliam* hoſtiliter, ad debellandum *Manfredum* filium *Frederici* quondam Impetoraris, validum eccleſiæ *Romanæ* inimicum. Accepto à domino Rege ſacramento per Epiſc. *Bononienſem* ſpecialiter ad hoc à domino Papa deſtinatum, & ad inveſtiendum *Edmundum* de regno *Siciliæ*, ut prædictum eſt.

Parliamentum celebratū, propter commiſſionem M. Ruſtandi.

ANNO verò ſub eodem, ad feſtum ſancti *Edwardi*, fuerunt apud *Weſtmonaſterium* omnes ferè *Angliæ* Magnates. Inter quos priùs Rex alloquebatur fratrem ſuum Comitem *Cornubiæ Richardum*, petens ab eo inſtantiſſimè auxilium pecuniare. Cui Comiti dominus Papa ſimiliter literas deprecatorias direxerat, ſupplicans in quadraginta millibus, ſalvo fratri ſuo, mutuò ſubveniret, ut quaſi dans ea eidem, pium daret aliis exemplum ſubveniendi. Comes autem nec preces Regis, nec Papæ voluit exaudire, & eò maximè, quòd negotium eundi in *Apuliam* aſſumpſit ſine conſilio ſuo & aſſenſu Baronagii ſui, ſibilis *Tranſalpinantium* faſcinatus. Ab aliis autem interpellatum fuit, de ſubventione facienda. "Et reſponſum fuit, quòd omnes tunc "temporis non fuerunt juxta tenorem magnæ chartæ ſuæ vocati, & ideo ſine paribus ſuis "tunc abſentibus, nullum voluerunt tunc reſponſum dare, vel auxilium concedere, vel præ-"ſtare. Rex itaq; ad conſuetas converſus cavillationes, ut Magnates flecteret ad conſenſum, per "multos dies negotium Parliamenti diſtulit inchoati, ita ut uſq; in menſem, fictis occaſionib. negotium protelaret. Et tunc ad alium locum conciliaturos, evacuatis in civitate *Londinenſi* crumenis, potiùs provocavit, quàm convocavit. Comes verò *Richardus*, vir cautus & circumſpectus, epiſcopum *Herefordenſem*, & *Robertum Walerannum* ſocium ſuum, acriter & meritò redarguit, eo quod tam enormiter in regni ſubverſionem, Regem infatuarent. Et ſic infecto negotio ſinguli provocati, ad propria remearunt. Sciendumq; quod quando dominus Rex rediit de *Gaſconia*, tenebatur debito trecentarum millium Marcarum & quinquaginta. Nec tamen idcirco deſiit inconſultè, tam prodigialiter, quàm prodigaliter quotidiè theſaurum ſuum habitum & habendum alienigenis diſtribuere, quem *Anglia*, quam puteum reputavit inexhauſtum, fuerat ejectura. Electo etenim *Tholetano*, redditum & theſaurum contulit non modicum. Similiter & epiſcopo *Bononienſis*, *Ruſtando* quoq; cum donativis chariſſimis, contulit unam opimam præbendam in eccleſia *Eboracenſi*.

M. Ruſtandus *crucem prædicari jubet contra* Manfredum

IPSISQUE quoque temporibus fecit magiſter *Ruſtandus* publicè prædicari, ut crux aſſumeretur, *Londini* primò, & poſteà alibi, ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ zelatoribus, contra *Manfredum Frederici* quondam *Romanorum* Imperatoris filium, Dei & eccleſiæ *Romanæ* & domini Regis *Anglorum* inimicum *Saracenis* adhærentem, & eoſdem receptantem & foventem, & alienum Regnum injuſtè occupantem. Et quicunq; iter ipſum aſſumeret, pleniſſimam peccatorum ſuorum conſequeretur remiſſionem, ac ſi *Terram ſanctam* adiret peregrinans. Quod cum audirent fideles, mirabantur, quòd tantum eis promitteret pro ſanguine *Chriſtianorum* effundendo, quantum pro cruore infidelium aliquando. Et moverunt ſannas & riſum prædicatorum mutabilitates. Et aliquo loco cùm magiſter *Ruſtandus* prædicaret, in fine ſermonis annexuit: *Eſtote filii obedientiæ. Obligamini & tali tali Mercatori, in tanta pecunia quantitate.* Et hoc inter Religioſos in capitulo, cùm tamen nunquam ſuper hoc, anteà rumor ſollicitâſſet.

Treugæ factæ in Terra ſanctâ.

INCOLÆ autem *Terræ ſanctæ*, videntes quòd parùm curaret Papa de liberatione *Terræ ſanctæ*, quam ipſe Dominus noſter ſua præſentia & tandè proprio ſanguine conſecràvit, treugas

inierunt

1255. inierunt cum *Soldano Babyloniæ*, qui bellum habuit cum *Soldano Damaſceno*. Et ipſas uſq; ad decennium prorogarunt.

Eboracenſis Archiepiſcopus electus vexatur à Rege.

DIEBUS quoq; ſub eiſdem, Magiſter *Sewalus* Decanus *Eboracenſis*, electus in Archiepiſc. ejuſdem eccleſiæ ritè videns poſſeſſionem eccleſiæ ſuæ diſtrahi, deſtrui, & diſſipari, dolet inconſolabiliter. Inſuper dominus Rex, eò quod dictus Decanus non fuit de legitimo procreatus matrimonio, poſtulationem de ipſo factam quibuſdam frivolis exceptionibus, nitebatur impedire.

Joan. *de* Grai *à Curia ſe ſubtrahit.*

EODEMQUE tempore, dominus *Johannes* de *Grai*, miles, moribus & ſtrenuitate commendabilis, quia fortè ex adjunctione & frequentia curarũ curialium conſcientiã ſentiens ſauciatam, & ſimiliter propter ſeniũ, quod caput ſuum jam dealbaverat, à curia ſeſe ſubtraxit, qui domini Regis Conſiliarius extiterat præcipuus, præcavens ſibi, prout creditur, de futuris. Formidabat enim, ne Cõſiliarii Regis pro frequentib. erroribus, quandóq; non mediocriter culparẽtur.

Literæ Papales impetratæ per Epiſcop. Herefordenſ.

EPISCOPUS *Herefordenſis* cum ſuo *Ruſtando* in Prælatos *Angliæ*, maximè Religioſos auctoritate Apoſtolica roboratus, deſævire cœpit his literis: Alexander *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Epiſcopo* Herefordenſi, *&c. Cùm te ſciamus pro utilitatibus Abbatis & Conventus Sancti ac Monaſterii Sancti , pro quibus ad ſedem Apoſtolicam acceſſiſti magna oportere ſubire gravamina expenſarum, ne pro defectu ipſarum in eadem expedita remanere contingat, fraternitati tuæ contrahendi mutuum propter hoc uſq; ad ſummam quingentarum, vel ſexcentarum, vel ſeptingentarum, vel ampliùs Marcarũ ſterlingorum, nomine dictorum Abbatis et Conventus, & Monaſterii, & ipſos Abbatem & Conventum, ac ſucceſſores eorundem, & ejuſdem Monaſterii bona creditoribus obligandi, ac renunciandi conſtitutioni de duabus diebus editæ in Concilio generali, & beneficio reſtitutionis in integrum & omnibus literis indulgentiis Apoſtolicis impetratis, & impetrandis, necnon & conventioni judicum, ſi ipſorum creditorum nomine Apoſtolicas literas ſuper hoc cujuſcunque tenoris in poſterum impetrari contigerit, plenam auctoritate præſentium concedimus facultatem. Ita tamen, quòd ipſi & ſucceſſores eorum creditoribus hujuſmodi pecuniam ſolvere, necnon ad damna & expenſas ac intereſſe, ſi à termino à te ſtatuendo, pecuniam eandem non ſolverunt, ſuper quibus juramento ipſorum vel eorum alicujus, ſine aliqua probatione, qui dictam pecuniam mutuaverint credi volumus, teneantur. Et dictis creditoribus prætextu alicujus conſtitutionis canonicæ vel civilis, aut cujuſcunque privilegii vel indulgentiæ, de quibus in noſtris literis plenam & expreſſam oportet fieri mentionem. Et ne ipſi & ſucceſſores eorum, ampliùs in aliquo valeant ſe tueri, dictam pecuniam in utilitatem ipſorum Abbatis & Conventus, & Monaſterii verſam eſſe, probandi neceſſitas non incumbat. Data, &c.* Eodem tempore, petiit Papa pecuniam ſibi commodari à Comite *Richardo*, ſcilicet quinq; millia Marcarum, ad promotionem nepotis ſui *Edmundi*. " Cui Comes: Nolo theſaurum ſuperiori commodare, quem non poſſum diſtringere. Hæc & alia deteſtabilia à ſulphureo fonte *Romanæ* eccleſiæ, proh pudor, imò & proh dolor, tunc temporis emanarunt.

Conſilium Londini habitum à Prælatis Angliæ.

RUSTANDUS tunc temporis univerſos *Angliæ* Prælatos cõvocavit auctoritate Papali *Londinũ* conveniendos; ut ubi domini Papæ præceptum obedienter audirent, in quindena ſancti *Michaelis*. Et de arduis, tam domini Regis, quàm Papæ negotiis contrectantes, tanquam filii obedientiæ, diſcrete ac favorabiliter de rebus poſtulatis & poſtulandis reſponderent: Ubi cùm dictis loco & tempore conveniſſent, lectis & intellectis *Ruſtandi* poteſtatibus, fecit idem ſermonem fieri ab univerſis exigendo infinitam pecuniam per ſcripta plena injuriis & iniquitate, quæ poſſent patientiſſimi cor virulenter ſauciare. Quæ pecunia, ſi conſideretur & colligeretur, eccleſia *Anglicana*, imò totum regnum viliſſimæ ſubjaceret ſervituti, & irreſtaurabili læderetur paupertate. Erat autem onus importabile, quod aliis impoſuit bajulandum, *nolens illud digito movere*. Ut enim de aliis ſileam, ſoli domui ſancti *Albani* iunxit ſexcentas marcas domino Papæ numerare: exceptis uſuris & gravibus conditionibus, quibus ipſam domũ arctarent Mercatores uſurarii; quibus conceſſa poteſtas ad ſuæ voluntatis fuerit arbitrium eccleſias opprimendi. Præterea conabantur *Ruſtandus* & Epiſcopus *Herefordenſis*, & eorum complices, terminum ſolutionis feſtinando abbreviare; ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis. Quem terminum, nullo modo tenere poſſent obligati. Sed hoc factum eſt, ut cogerentur Prælati mutuò accipere ipſam pecuniam à Mercatoribus, & eroum uſuris illicò intricati ſubjacere. Quod omnibus & ſingulis non tam difficile, ſed impoſſibile videbatur. Et cùm ſtrictiſſimum conſilium ſuper his per plures dies haberetur, longa trahens præcordialiter ſuſpiria Epiſcopus *Londinenſis Fulco* ait: " Antequam tantæ Eccleſiæ conſentiam ſervitu- "ti & injuriæ, ab intolerabili oppreſſione profectò decapitabor. Cujus conſtantiam cùm au- "diſſet Epiſcopus *Wigornienſis Walterus* ait in propatulo: Et ego priuſquam tali ſubjaceat "Eccleſia ſancta ſubverſioni, ſuſpendio condemnabor. Quorum ſalubribus aſſertionibus omnes alii firmiter animati, conſtanter promiſerunt ſe veſtigia beati *Thomæ* Martyris, qui pro libertate Eccleſiæ ſe permiſit excerebrari, pedetentim ſequuturos. Attamen arctabantur undique, Rex adverſabatur, Papa pecuniæ inhians inimicabatur, Magnates matri ſuæ Eccleſiæ non compatiebantur, *Ruſtandus* homo literatus & efficax ad nocendum ſtimulabat: Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, qui vacillantis Eccleſiæ *Petri* ac naviculæ fluctuantis nauclerus eſſe teneretur; in partibus tranſmarinis ac remotis terrenis negotiis implicatus, gregem ſuum minus quam expediebat gubernavit. *Eboracenſis* Archiepiſcopus, vir magni conſilii & profundi

1255.

profundi pectoris, in tata conceſſit. Electus *Wintonienſis*, tum quia *Pictavienſis*, tum quia frater Regis perſequentis, tum quia non Epiſcopus, ſuſpectus habebatur, atque idcirco vitabatur. *Herefordenſis* vero Epiſcopus non ſuſpectus, ſed maniteſtus adverſarius habebatur. Invocata igitur *Sancti Spiritus* conſolatione, appellantes ad præſentiam Papæ, qui ſinum refugii pandere habet omni oppreſſo, ſuper tam intollerabili & inaudita exactione, contradixerunt voluntariis & impetuoſis magiſtri *Ruſtandi* oppreſſionibus & comminationibus. Et illicò acclamatum eſt *Londini* voce præconia, auctoritate Epiſcopi *Londinenſis*, nec aliquis auctoritate literarum magiſtri *Ruſtandi* placita moveret vel exequeretur diebus pluribus. Quod cùm eidem *Ruſtando* intimaretur, conqueſtus eſt Regi graviſſimè, aſſerens quod Epiſcopus *Londinenſis* omnes alios Prælatos animavit, ad contradicendum voluntati Regiæ ac Papali. "Rex autem iratus valde coviciabatur Epiſcopo, aſſerens quod nec ille Epiſcopus, nec aliquis de genere ejus ipſum Regem dilexiſſet. Et quod efficaciter procuraret, ut Papa animadverteret in ipſum & puniret. Ad quod Epiſcopus: "Auferant Epiſcopatum, quem tamen non poſſunt de jure auferre, "Papa, & Rex, qui me fortiores ſunt. Tollant mitram, galea remanebit. Ipſo etiam tempore inſtillatum eſt multorum auribus quoddam incredibile, quod quidem abſurdum eſt & nefas credere, quod ſcilicet quidam falſarii Bulla nequiter abutebantur. Et ſcedulis vacuis, Bullam appendebant; ut quid placeret eis poſteà inſcriberetur. Dicebant enim ad invicem: Non placeat *Chriſto*, ut dominus Papa, qui proculdubio vir ſanctiſſimus eſt, talibus conſentiret enormitatibus, quem conſtat eſſe ad tantum apicem divinitus ſublimatum. Qui fecit, quod nunquam aliquem Papam feciſſe meminimus, poſtulavit enim ab Eccleſia precum devotionem ſibi impendi. Et quomodo credi poteſt, quòd hic faciat pejora prioribus? abſit. Et ita quærentes ſolacium ſuæ imperitiæ & anguſtiæ, falſariis talia deliramenta ſub involucro imputabant.

PROCURARE interim ſummoperè nitebantur Epiſcopus *Herefordenſis* & *Ruſtandus*, & alii *Tranſalpini*, ſuſcitare ſchiſma & diviſionem inter Prælatos *Angliæ*, ne concorditer cohærentes, dominum Papam in viam dirigerent veritatis. Et ſic à propoſito fruſtrarentur, pecuniis inhiantes, ſecundum illud Evangelicum: *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.* *Epiſc. Herefordenſis & Ruſtandus ſeminant ſchiſma inter Prælatos, &c.*

TEMPORE ſub eodem, videlicet in vigilia S. *Andreæ*, rediit dominus *Edwardus* de *Gaſconia*. Quo die à Magnatibus *Angliæ* quamplurimis, & civibus *Londinenſibus*, civitate *Londino* nobiliter adornata, eſt receptus, & uſque ad regiam *Weſtmonaſterialem*, cum magna pompa & applauſu eſt perductus. *Redit Edwardus de Gaſconia.*

EODEMQUE anno, facta eſt concordia inter Epiſcopum *Dunelmenſem Walterum*, & *Johannem* de *Baillol*, militem, ſuper pluribus controverſiis inter ipſos motis. Similiter eſt pax reformata inter Priorem de *Thinemua* & dictum *Johannem*. Ipſe enim *Johannes* ſupra quod deceret, & animæ ſuæ expediret, avarus, rapax & tenax; tam eccleſiam de *Thinemua*, quam eccleſiam *Dunelmenſem*, diu ac multum injuſtè vexaverat, & enormiter damnificaverat. Nec non & alias Eccleſias ac viros eccleſiaſticos ac milites, cauſis excogitatis & inventis, ſibi vicinos læſerat fatigatos, juxta illud, *Concordia inter Epiſc. Dunelmenſem & I. de Baillol.*

Omniſque ſuperbus, impatiens conſortis erit.

Similiter autem & avarus, cui ſua non ſufficiunt, alienis inhiabit. Cognoſcens autem dominus Rex, quòd idem *Johannes* multis denariis abundaret, quæſtionem gravem contra ipſum, ut prædictum eſt, intendit: ſperans pro pace redimenda, theſauri ſui cumulum mutilare. *Robertus* autem de *Ros* ſimili modo illaqueatus, multiformiter viluit damnificatus.

IPSIS quoque diebus, reformata & revocata eſt cleri *Pariſienſis* univerſitas, quæ ſuſpenſis lectionibus & diſputationibus, & multis ſcholarium diſperſis, patuit diſcrimini, per fratres *Prædicatores*, qui conſuetudinem univerſitatis antiquam voluerunt commutare, perturbata. Veruntamen eorum conditio, quia de eleemoſynis ſuſtentantur, non mediocriter eſt deterrata. Domus autem Monachorum ordinis *Ciſtercienſis*, *Pariſius* ſtudentium, quæ per Abbatem *Clarevallenſium*, videlicet de *Lexintona*, natione *Anglicum*, propter opprobria fratrum *Prædicatorum* & *Minorum*, initiata eſt, fœlix diatim ſuſcepit incrementum. Et placuit Deo, Prælatis, & populo eorum honeſta & ordinata converſatio. Non enim vagabantur per civitates & pagos. Non erat eis pro clauſtrali materia, Oceanus, ſcilicet infra muros ſuos clauſi & ſtabiles converſantes: ſuo ſecundum regulam ſancti *Benedicti* obediebant ſuperiori. Quod laudabile reputabit, qui regulam ſancti *Benedicti* voluerit intueri. In principio videlicet genera diſtinguens Monachorum, *Sarabaitas* & *Gyrivagos* reprehendit. Veruntamen prædicationibus ſuis inſiſtentes, & ordinariorum auctoritatem enervantes, multis laudabiles, multis quoque ſe præbuerunt reprehenſibiles. Aſſumpſerunt enim multi audaciæ cornua delinquendi; eò quòd non oportuit eos ſuo ſacerdoti peccata confiteri. Ecce nocumentum. Aliqui verò, proprio ſacerdoti, quia fortè temulento, vel ob aliquas alias cauſas occultas, renuerunt confiteri, qui ad alas conſolationis & conſilii *Prædicatorum* & *Minorum* tranſeuntium, confidenter confitentes avolarunt. Et ecce refugium, & utilitatis frugalitas. *Revocatur & reformatur univerſitas Pariſienſis.*

1255.

Obiit Ægidius Hiſpanus Cardinalis. Comes Mareſcallus commovetur ad iram, contra Regem.

OBIIT autem eodem tempore, magiſter *Ægidius Hiſpanus* Cardinalis. Qui ætate fermè centenarius, ſingularis, pare carens, extitit columna in curia *Romana* veritatis & juſticiæ, & munerum aſpernator, quæ rigorem æquitatis flectere conſueverunt.

IN concilio verò prius memorato, quod per multos dies inutiliter protrahebatur, *Ruſtandus* falſos rumores & adinventos, ut ſic dominum Regem magis incurvaret, fecit ſuſcitari & diſpergi, videlicet quòd *Manfredus* diſſipato exercitu ſuo, potionatus in portis mortis extitit conſtitutus. Quapropter humiliatus, & ſuam cognoſcens miſeriam, à Papa quæ pacis erant inſtantiſſimè rogitabat: unde tota curia *Romana* mirabili exultatione refecta, certificabatur quòd omnia optata ſuper negotio *Apuliæ* ad votum conſequentur. Unde Rex adeò exhilaratus eſt, & falſa conſolatione elevatum eſt cor ejus, ut filium ſuum Regem palàm appellaret. Et præproperè ad altare, quod proximum erat, juravit ſuper illud, quòd iret in *Apuliam*, ipſam ad opus filii ſui *Edmundi* recepturus. In eodem autem Parliamento, cùm Comes Mareſcallus verba juſta faceret pro *Roberto* de *Ros* (qui graviter inculpabatur, ita quòd jam appellatus de ſcelere de vita periclitabatur) dominus Rex congeſſit turpia convicia, tam in ipſum Comitem, quàm *Robertum*; vocans Comitem in propatulo proditorem. "Cui Comes ira "inflammata torvo vultu reſpondit, *Mentiris*. Nunquam profectò proditor fui, vel ero. "Et addidit: Quid mihi, ſi vos jus dirigat, facere potes, vel nocere? Cui Rex: Annonam "tuam, poſſum flagellandam & venalem exponendam diripere. Et ſic edomitus, humiliaberis. Cui Comes, Si hoc feceris, flagellatorum capita vobis mittam amputata." Et cùm timerentur duriora, interponentibus ſe amicis, ab invicem ſunt diviſi. Et interciſa ſunt verba ampulloſa, ſed non penitùs pacificata; quin iram & odium parturirent. In hoc igitur mutilato concilio, cùm nihil de principali negôtio perficeretur, "tandem ultima die Barones re"ſponderunt, quòd noluerunt ſeipſos ampliùs, ut hactenus fecerunt, in aliorum commodum "depauperare: nec voluerunt de arduis regni negotiis arcanis contractare. Omnia enim viderant plena vulpinis inſidiis & ſuſpicionibus. Scatet civitas *Londinum* non jam tantùm *Pictavenſibus*, *Romanis*, & *Provincialibus*, ſed *Hiſpanis*, qui *Anglis*, maximè civibus *Londinenſibus*, nocumenta machinantur; adulterando, fornicando, jurgando, vulnerando, & interimendo. Rege eos minimè refrænando, ſed potiùs defendendo. Et concilium, ſi concilium dicendum eſt, cum multorum gemitibus eſt ſolutum. In feſto autem beatæ *Luciæ*, Archiepiſcopus *Dublinenſis Lucas* viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Quem quia intruſione *Huberti* de *Burgo* quondam Juſtitiarii, cujus idem *Lucas* extitit capellanus, in Archiepiſcopum *Dublinenſem* promovebatur, purgavit eum Dominus pœnitentem cæcitate corporali, plurimis miſericorditer annis flagellatum.

Manfredo victori, multi adhærent.

CUM hæc autem in *Anglia* agerentur, in *Tranſalpinis* partibus fortunalis rota volumen fecit prodigiale. Quos enim paulò antè in ſublime exaltaverat, in abyſſum demerſit confuſionis. Diſſipatis enim exercitibus Papalibus; *Apuli*, cùm audiſſent quòd Papa terram eorum cuidam *Anglico* ignoto & alienigenæ, ſine eorum conſenſu, contuliſſet, indignati ſunt vehementer. Et idcirco majori furore efferbuerunt, eo quòd Papa crucefignatos ſuper ipſos *Apulos*, quaſi ſuper infideles, convertit exterminandos. Igitur omnes *Apuli* Domino *Manfredo* ſeſe manciparunt: & cum illo ſtantes univerſi, etiam qui quandoque cum Papa ſteterunt, numeroſum exercitum contra Papam conflaverunt.

Secunda congregatio Prælatorum, coram Ruſtando.

PER idem tempus, dum omnium *Angliæ* Prælatorum univerſitas iterum coram magiſtro *Ruſtando Londini* congregarentur, & nimis quotidianis deceptationibus vexarentur: Tandem propter abſentiam Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, qui in ultramarinis partibus morabatur; & propter eccleſiam *Eboracenſem*, quæ ſecunda eſt in regno, vacantem, & propter aliquorum Epiſcoporum abſentiam: cepit certa reſponſio ſuper poſtulatis à Domino Papa per magiſtrum *Ruſtandum*, dilationem uſque ad feſtum Sancti *Hilarii*, ut tunc omnes ibidem congregati, efficaciter & præciſè reſponderent. Et ſic diviſi, ſinguli poſt multa damna, expenſas, & tædia, neſcientes quid acturi forent, ad propria remearunt. Si enim ſive juſtè, ſive injuſtè per dictum magiſtrum *Ruſtandum* ſuſpenderetur quis, vel excommunicaretur, Rex quaſi *leo* in abſcondito, *quærens quem devoraret*, poſt quadraginta dies omnia diriperet infiſcata. Papa & Rex, velut Paſtor & Lupus, in ovium exterminium confœderati, omnibus ruinam minabantur. Ex tunc igitur quaſi cæci palpantes ad parietem, diviſi ſunt; & quilibet ſibi conſulere more *Anglicorum* ſatagebat. Qui ſi de communi aſſenſu communem ſyndicum & prolocutorem ad *Romanam* curiam deſtinaſſent; fœlici pace congauderent communiter.

Electus Tholetanus & Epiſc. Bononienſis recedunt ab Anglia.

CERTIFICATI igitur tam Electus *Tholetanus*, quàm Epiſcopus *Bononienſis*, quòd Papale robur confractum eſt & enervatum, & quòd Dominus Rex in maximam præcipitaretur jacturam & confuſionem, noluerunt pandere ſeriem veritatis. Sed ditati muneribus inappreciabilibus, ſtillatim recedentes; clanculò repatriarunt, & omnes qui Regem falſis pollicitis infatuaverunt, excepto magiſtro *Ruſtando*, quem Regia ſimplicitas adhuc ſuſtinuit commorantem. Cùm autem hujus maximè deceptionis, & Papalis confuſionis Regi veraciter innotuiſſet, ſi ſciret dolere, inconſolabiliter doluiſſet. Si pudorem noſceret, uſque ad amaritudinem ſpiritus confunderetur. Si quid cordis habuiſſet, provocatus de tot injuriis & damnis, laceſſitus, ultioni condignæ intenderet. Sed effœminatus & faſcinatus, adhuc poſt tot deceptiones alienigenarum & hoſtium regni conciliis adhærebat: nec ſalubribus ſuorum naturalium

1255.

perſuaſionibus, dignabatur inclinare. Et ut hoc indubitanter ſciri poſſit, per quoddam verbum inſolens & abſurdum, quod idem *Ruſtandus* in fine memorati concilii (cuidam conquerenti ſuper tam injuſta exactione Papali) in preſentia omnium, qui ibidem fuerunt, dixit: "Niſi "eſſet ob reverentiam Epiſcoporum hîc præſentium, non derelinquereris impunitus, dum pilum haberes in capite. Ecce verbum præſumptionis & temeritatis, per quod perpendi poteſt, quòd ex Regis protectione cornua præſumpſiſſet. Similiter & magiſtro *Leonardo*, in cujus ore poſita fuerunt verba Epiſcoporum exponenda, dixit idem *Ruſtandus*: "Suntne hæc verba aliorum ab ore tuo proponenda? Vel ex teipſo hæc habes? Et juſſit illa ſcribi, quaſi ſummo Pontifici intimanda. Et expavit magiſter *Leonardus*, quaſi amiſſurus ſua, licèt nil diſſonum veritati aut rationi protuliſſet, maxime cùm alii pro eo verba facere noluiſſent. Obligatio, qua Rex Papæ obligabatur, dicitur aſcendiſſe ad ducenta millia librarum, & quinquaginta millia librarum ſterlingorum, ad quæ perſolvenda mercatoribus, Prælatos *Angliæ* Epiſcopus *Herefordenſis* neſcios obligavit.

Contentio inter Epiſc. Bathonienſem & Abbatem Glaſtonienſem.

EODEM tempore mota eſt gravis contentio inter Epiſcopum *Bathonienſem* & Abbatem *Glaſtonenſem*: unde Epiſcopus iter arripuit *tranſalpinum*, ut *Romæ* cauſa terminaretur. Rex autem partes Abbatis tuebatur non conſiderans multiformes labores & expenſas, quas eodem anno eundo & redeundo in *Hiſpaniam*, & etiam in remotiſſimas *Hiſpaniæ* partes ſubierat, precibus regiis obſecundando.

Catalogus mortuorum circa hæc tempora.

OBIERUNT autem illo anno, vel illi anno tempore contermino, Archiepiſcopus *Eboracenſis Walterus* de *Grai*, Epiſcopus quoque de *Sancto David*, *Thomas Walenſis*, Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus*, magiſter *Willielmus Lupus* Archidiaconus *Lincolnienſis*, Rex *Alemanniæ Willielmus*, qui & Comes *Hollandiæ*; & multi nobiles & ignobiles in ore gladii, vel ſubmerſi in confinio *Flandriæ* & *Brabantiæ*. Obiit & magiſter *Robertus* de *Tortuna* Archidiaconus in curia *Romana*, qui ibidem degens, legit in Theologia, & in eadem curia *Ægidius Hiſpanus*, & *Willielmus* nepos *Innocentii* Papæ, Cardinales. Obiit & *Warinus* de *Muntcheimſil*, Baro nobilis & dives; qui magnum & nobile condidit teſtamentum, ut prædicitur. Obiit & *Ernaldus* de *Boſco*, unus de Prothoforeſtariis *Angliæ*. moribus & armis ſtrenuiſſimus. Obiit & *Johannes Romanus* Canonicus *Eboracenſis*, avarus & cavilloſus, dives valdè & ſenex. De familiaribus Regis obierunt Epiſcopus *Sariſburienſis Willielmus*, qui inter cætera facta ſua ſæcularia, unum ſuſcitavit, quod infinitas ſuper caput congeſſit maledictiones. Obiit quoque *Willielmus* de *Haverbulle*, Regis theſaurarius. Obiit inſuper *Petrus Chaſeporc*, qui fine vitâ claudere meruit glorioſo, condito nobili teſtamento. Obiit & *Robertus Paſſelewe*. Obiit quoque *Richardus*, magiſter coquorum Regis, multo theſauro inſtauratus, qui fermè quinque, vel amplius, marcarum millia dicitur habuiſſe moriturus. De familia autem Reginæ ſpeciali, obierunt Dominus *Robertus Muſcegros*, ipſius Reginæ Seneſcallus. Obiit & *Walter* de *Brudel*, ejuſdem Reginæ Theſaurarius. Obiit & magiſter *Alexander* Phyſicus, tres viri omni laude digniſſimi. Obiit autem omnium horum electiſſimus, Archiepiſcopus *Eboracenſis Walterus* de *Grai*; de cujus peritia & fidelitate ſi quis dubitet, cuſtodia regni, quum Rex in ultramarinis agebat, teſtimonium perhibebit. Eodem quoque anno obierunt quidam nobiles in partibus *Gaſconiæ*; qui ibidem cum rege militabant. *Johannes* quoque *Franciſcus*, regis clericus, Conſiliarius ſpecialis, Beatæ *Mariæ Eboracenſis*, & de *Selebi* Cœnobiorum deſolator, morte ſubarratus, morbo paralytico eſt percuſſus.

Anni concluſio.

TRANSIIT igitur annus ille *Romanæ* eccleſiæ & Papali curiæ, ſi devotionem populi reputet, virulentiſſimus. Expiravit enim, quæ conſuevit haberi devotio habita à Prælatis & populo penes matrem noſtram *Romanam* eccleſiam, & patrem & paſtorem noſtrum, Dominum videlicet Papam. Et ſi illa curia fideles *Chriſti* multoties uſque ad amaritudinem ſpiritus cruentaverit, nunquam tamen, ſicut hoc & ſequenti anno, tam lethaliter univerſos *Chriſti* ſervos & ſingulos ſauciavit. Coguntur enim inſontes idololatrare, & quaſi apoſtatæ, veritati, quæ Deus, abrenunciare. Et præter hoc (quod etſi intolerabile ſit, tamen tolerabilius reputatur) bonis temporalibus violenter deprædantur. Quæ autem inconvenientia annus iſte *Angliæ* preſentavit, præſenti pagina duximus inſerenda. Caſſantur Sanctorum privilegia indulgentiæ, nec reputantur, & hoc non ſine injuria eorundem. Poteſtatem habet Papa in his, quæ operantur in ædificationem, non in his, quæ ad ruinam, ſecundùm Epiſcopum *Lincolnienſem Robertum*. Pro triennio, commutatur quinquennium; in promiſſione decimæ, ſubitò & tacitè, quia promiſſa ſit per triennium. Novum ſuper terram. Conſuêverunt ſemper laici Prælatis decimare, tantùm nunc Prælati laicis decimare coguntur. Conceſſa fuit decima in ſubſidium *Terræ ſanctæ*, cogimur transferre eam in ſubſidium *Apuliæ* contra *Chriſtianos*. Conceſſa fuit decima pro obſervatione chartæ quam tenere prædictus Rex *Henricus* tenebatur; quæ tamen non obſervatur. Conceſſa fuit decima, ut Regi in *Terram Sanctam* peregrinanti particulatim, ſecundùm proviſionem diſtribueretur: non uti nunc, de obligatione injuſtiſſima, graviora ſubire cogimur, multipliciter mentiri, falſo profectò, juramento; quòd cœlitùs prohibetur in utroque teſtamento. Concedere cogimur terminos ſolutionis, quos nullo modo tenere poſſumus, ut incidamus in laqueos uſurariorum ſuorum, quos ſocios eorum novimus, & participes. Datur poteſtas perſonis prorſus indignis, ſuper nobiles eccleſias; & eorum Prælatos excellentes. Venduntur Prælati, ut boves & aſini: ecce ultimæ conditio ſervitutis. Ecce venditores, ejiciendi à

Uuuuu 2 templo,

1256. templo, flagellandi. Sed quia ignobilius eſt, facere injuriam violenter, quàm pati, cum innocentia, credendum eſt, quòd ſuper hoc clamor aſcendat querulus ad Deum Dominum ultionum. Tranſiit inquam annus iſte, licèt merita noſtra illud non exigant, frugifer & fructifer, ita ut ſumma frumenti ad duorum ſolidorum; avenæ verò ad duodecim denariorum precium,deſcenderet. Hoc etiam anno, odium inveteratum, quod ſuſcitaverat infœlix altera *Medea*, Comitiſſa ſcilicet *Flandrenſium*, in tantum excrevit malorum aggerem; ut ſequeretur hominum ſtrages infinita. Quia jam parvo tempore evoluto,cædes *Chriſtianorum* per ſæcula deploranda,tam ex parte *Francorum*,quàm *Alemannorum*, læſos acuit ad ultionem. *Saturnus* utique in ſuo dominabatur domicilio, qui eſt omnium Planetarum triſtiſſimus, unde ab *Ovidio* dicitur *Falcifer*, quia metit virentia,& vivida mortificat. *Terræ ſanctæ*, propter treugas acceptas in pace ſuſpicioſa decennali, tolerabilis; *Judæis* autem cruentiſſimus.

Rex Angliæ celebrat Natalitia Wintoniæ.

ANNO Domini M.CC.LVI. qui eſt annus Regni Domini Regis *Henrici* quadrageſimus; fuit idem Dominus Rex ad Natale Domini *Wintoniæ*, ubi frater ejus Electus invenit ei cum precioſis donativis omnia, utpote cum eo convivante, neceſſaria. Et cum inter loquendum feciſſet Rex verba pro eis, qui de Conventu diſperſi fuiſſent, Monachis; ne notam incurrere videretur ingratitudinis, qui ipſum in tantum apicem ſublimarunt, & hoc per preces ipſius Regis,reſpondit Electus. "Nunquid non novit innocentia veſtra,ſitim *Romanorum* hy-"dropicam, toties expertam? Novi quòd nunquam ſedabitur. Cui Electus: Nec unquam "ſiccabitur mei fons theſauri,quin folloſis illorum rictibus & ſpongioſis viſceribus ſatis infun-"datur, donec meum de Monachis mihi adverſantibus deſiderium adimpleatur. Et eiſdem diebus, cùm Mercatores *Gaſconienſes*, ſcilicet Vinitores, multa damna & injurias per emptores, ſicut conſueverant, ſuſtinuiſſent Regios, lis exoriretur, reſponderunt Vinitores Regis exactoribus: "Nos novum Dominum habemus, de quo multum fructum utilitatis nobis "ſperamus profuturum, unde credimus, quòd veſtras malas rapinas, quas conſuetudines ap-"pellatis, in leges bonas, vel ſaltem tolerabiles, commutabitis. Novus Dominus noſter eſt, "& expedit ei, ut utili fruatur concilio, & nos in hac novitate ſic tractet in omni manſue-"tudine & juſtitia, ut ipſe, qui eſt quaſi planta tenera & novella, creſcat fœliciter dilatata, "& fructificet roborata. Quibus cum æditui Regii noluerunt obtemperare, ſed vina eorum, ſicut conſueverant, ſine ſolutione violenter diriperent, ipſi *Gaſconienſes* Dominum ſuum, videlicet *Edwardum*, adierunt, querimoniam gravem de ſupradictis exponentes, addendo quòd licentiùs ac liberiùs poterant, tanquam Mercatores, inter *Saracenos* applicare, mercimonia ſua venalia expoſituri, & precia convenientia ſine impedimento reportaturi. Regis igitur Ballivi hoc audientes, irati Regem adierunt dicentes: "Domine, non eſt in *Anglia* "Rex, niſi unus, qui habet juſtitiam exhibere. Mercatores vinitores *Gaſconienſes*, alii quàm "tibi conqueſti ſunt de injuria, quam aſſerunt falſò ſibi inferri. Et hoc in præjudicium tuum "& regni conſtat redundare. Et cùm hoc Rex graviter acciperet, ecce *Edwardus* ſuperveniens de his injuriis, ſuis illatis hominibus, graviter eſt conqueſtus, aſſerens ſe talia nullatenus velle tolerare. Cum autem Rex talia intellexiſſet, ingemuit ab alto, dicens: Ecce ſanguis & vi-"ſcera mea impugnant me. Ecce ſicut jam adverſum me commotus eſt frater meus Comes *Ri-"chardus*, ſic & filius meus primogenitus. Ecce jam renovantur tempora avi mei *Henrici* ſecundi, contra quem ſui quandoque chariſſimi filii procaciter recalcitrabant. Multi igitur ſuper hoc ſiniſtrè augurantes, ne ventura pejora ſequerentur, formidabant. Rex autem conſilio fretus ſaniori, ſub ſilentio hæc omnia diſſimulabat, & modeſtè juſſit injurias commiſſas emendare. *Edwardus* verò, quaſi præcavens ſibi, ex tunc familiam ſuam amplians, cum ducentis equis equitavit.

Eclipſis Solis.

ET dum gaudia Natalitia adhuc agerentur,ſexto die Natalis Domini, tertio videlicet Calendas Januarii, hoc eſt, in vigilia *ſancti Sylveſtri*, Sol paſſus eſt eclipſim particularem, *Tholeti* autem univerſalem. Tertio verò die ſequenti, videlicet die circumciſionis, erat ſecundùm Calendarium Luna prima.

Prælati Angliæ mutire non audent contra Ruſtandum.

IN feſto autem Sancti *Hilarii*, congregati ſunt *Londini* Epiſcopi *Angliæ* & Archidiaconi, undique vehementer anguſtati, ut darent reſponſum magiſtro *Ruſtando*, Papæ & Regis clerico, Papæ nuncio, Regis procuratori. Coram quo, cùm magiſter *Leonardus*, de quo priùs fit mentio, quaſi cleri advocatus, & proloquutor univerſitatis, verba faceret pro Epiſcopis; & inter cætera reſponderet *Ruſtando*, qui ſe erigebat contra magiſtrum *Leonardum*; dicens, *quòd* "*omnes eccleſiæ ſint domini Papæ*; & diceret ſatis modeſtè, *verum eſt*, *tuitionem*, non *fruitio-*"*nem*, vel *appropriationem*: ſecundùm quod dicimus, *omnia eſſe Principis*; ac ſi diceretur, *de-*"*fenſione*, *non diſperſione*. *Et hæc intenſio fundatorum.* Ad hæc iratus magiſter *Ruſtandus*, ait: "Loquatur de cætero quiſque pro ſe, ut ſciat tam Papa, quàm rex, quid quis in eorum dicat negotio. In quo verbo omnes ita fuerunt attoniti, quòd mutire vel non audebant, vel ignorabant. Patuit enim jam luce clarius, quòd Papa & Rex in gravamen eccleſiæ & cleri confœderabantur. Contra igitur poſtulata appellatum eſt. Noluit enim magiſter *Ruſtandus* mutare unum iota unius ſcripti quod ſcripſerat: in quo inſertum fuit, ut affirmarent Prælati, ſe rece-"piſſe mutuò à Mercatoribus *Tranſalpinis* pecuniæ memoratæ quantitatem non minimam, & ip-"ſam fuiſſe converſam in ſuarum commodum eccleſiarum, quod profectò manifeſtè falſum eſſe

1256.

conſtitit univerſis. Unde affirmabant, nec ſine ratione, quòd mori in hac cauſa, via fuiſſet martyrii manifeſtior, quam fuerat in cauſa beati *Thomæ* Martyris. Cùm autem magiſter *Ruſtandus* videret omnes uſque ad amaritudinem ſpiritus contriſtari, manſuetior effectus, diſſimulavit, dicens, ſe velle cum domino Papa ſuper hoc habere colloquium. Veruntamen miſſus eſt *Romam* Decanus *Londinenſis*, ſcilicet S. *Pauli*, & quidam alii, pro univerſitate eccleſiæ *Anglicanæ*. Timebatur autem ſuper omnia, ne in hac cauſa occumberent Prælati præ duplici impetu tam validorum adverſariorum, videlicet Papæ & Regis, & ne hæc ſervitus deteſtanda, & oppreſſio eccleſiæ & cleri, traheretur in conſequentia; quod eſſet per ſæcula deplorandum.

Proviſio de obſervandis chartis libertatum conceſſarũ, &c.

PROVISUMQUE eſt ſalubriter, ut magnæ chartæ regis *Johannis*, quas ſponte promiſit Baronagio *Angliæ*, & iſte rex preſens iterum, & nunc iterum de novo in magna aula *Weſtmonaſterienſi* ſponte & liberaliter conceſſit, ſub pœna horribilis Anathematis conſerventur. Et propter regis tyrannidem, quam non deſinit exercere in eccleſiis vacantibus; alia charta, quam memoratus Rex *Johannes* conceſſit regno, conſpectibus Papæ præſentaretur. Quam propter ſui utilitatem, ſi inviolabiliter obſervaretur, præſenti paginæ duximus annectandam.

Confirmatio chartæ Regis I. per Papam Innocentium iii.

INNOCENTIUS *tertius, &c. Venerabilibus fratribus & dilectis filiis & univerſis eccleſiarum Prælatis per* Angliam *conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dignis laudibus attollimus magnificentiam creatoris, poſtquam idem, qui eſt mirabilis & terribilis in conſiliis, ſuper filios hominum aliquamdiu toleravit ſui ſpiritus tempeſtates, quaſi ludens taliter in orbe terrarum, ut ſic oſtenderet infirmitatem & inſufficientiam noſtram, nobis ſtatim cùm voluit, dicens* Aquilonida, & Auſtro, noli prohibere, *imperanſque ventis & mari ſtatuit procellam in auram, ut nautæ portum obtineant præoptatum. Cùm enim inter Regnum & Sacerdotium* Anglicanum, *non ſine magno periculo atque damno ſuper electionibus Prælatorum, gravis fuerit controverſia diutiùs agitata, illo tandem cui nil eſt impoſſibile, quique ubi vult ſpirat, mirabiliter operante, chariſſimus in* Chriſto *filius* Johannes *Rex* Anglorum *illuſtris, liberaliter ex mera & ſpontanea voluntate, de communi conſenſu Baronum ſuorum, pro ſalute animæ ſuæ ac prædeceſſorum & ſucceſſorum ſuorum, conceſſit & ſuis literis confirmavit, ut de cætero in univerſis & ſingulis Eccleſiis & Monaſteriis cathedralibus & conventualibus totius Regni* Angliæ, *in perpetuum liberè fiant electiones quorumcunque Prælatorum majorum & etiam minorum. Nos igitur hoc ratum & gratum habentes, conceſſionem hujuſmodi vobis, et per vos eccleſiis et ſucceſſoribus veſtris, prout in eiſdem literis Regis perſpeximus contineri auctoritate Apoſtolica confirmamus; ac præſentis ſcripti patrocinio communimus.* Ad majorem autem firmitatem, & perpetuam memoriam hujus rei, præfatas Regis literas ſuper hoc confectas, præſentibus fecimus annotari, quarum tenor talis eſt:

Charta conceſſionis regis Johannis.

JOANNES *Dei gratia Rex* Angliæ, *Dominus* Hyberniæ, *Dux* Normanniæ, Aquitaniæ, *Comes* Andegaviæ, *Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, Militibus, Ballivis, & omnibus has literas viſuris, ſalutem. Quoniam inter nos & venerabiles patres noſtros* Stephanum Cantuarienſem, *Archiepiſcopum, totius* Angliæ *Primatem, & ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ Cardinalem,* Willielmum Londinenſem, Euſtachium Elyenſem, Ægidium Herefordenſem, Jocelinum Bathonienſem, & Gaſtonenſem, & Hugonem Lincolnienſem *Epiſcopos, ſuper damnis & ablatis eorum tempore Interdicti, per Dei gratiam de mera & libera voluntate utrius partis plenè convenit, voluimus non ſolùm eis quantum ſecundùm Deum poſſumus ſatisfacere, verumetiam toti eccleſiæ* Angliæ *ſalubriter & utiliter in perpetuum providere. Inde eſt, quòd qualiſcunque conſuetudo temporibus noſtris & prædeceſſorum noſtrorum, hactenùs in eccleſia* Anglicana *fuerit obſervata; & quicquid Juris nobis hactenus vendicaverimus in electionibus quorumcunque Prælatorum; nos ab ipſorum petitione, pro ſalute animæ noſtræ & prædeceſſorum & ſucceſſorum Regni* Angliæ, *liberaliter mera & ſpontanea voluntate, de communi conſenſu Baronum noſtrorum, conceſſimus & conſtituimus, & hac præſenti charta noſtra confirmamus de cætero univerſis & ſingulis eccleſiis & monaſteriis cathedralibus & conventualibus totius Regni* Angliæ, *ut liberæ ſint in perpetuum electiones quorumcunque Prælatorum majorum & minorum, ſalva nobis & hæredibus noſtris, cuſtodia eccleſiarum & monaſteriorum vacantium, quando ad nos pertinent. Promittimus inſuper, quòd nec impediemus, nec impedire permittemus per noſtros, nec procurabimus quin in univerſis & ſingulis Ecceleſiis & monaſteriis, poſtquam vacaverint Prælaturæ, quandocunque voluerint liberè ſibi præficiant electores paſtorem, petita tamen à nobis priùs & hæredibus noſtris licentia eligendi, quam non denegabimus nec differemus. Et ſi fortè (quod abſit) denegemus, aut differemus, nihilominus procedant electores ad electionem canonicam faciendam. Et ſimiliter poſt celebratam electionem, noſter requiratur aſſenſus; quem non denegabimus, niſi aliquid rationale propoſuerimus, & legitimè probaverimus, propter quod non debeamus conſentire. Quare volumus, & firmiter jubemus, ne quis vacantibus eccleſiis vel monaſteriis, contra hanc noſtram conceſſionem & conſtitutionem in aliquo veniat, vel venire præſumat. Si quis verò contra hoc aliquo unquam tempore venerit, maledictionem Dei omnipotentis & noſtram incurrat, his teſtibus* Petro Wintonienſi *Epiſcopo,* W. *Mareſcallo, Comite de* Penbroke, W. *Comite* Waranniæ, R. *Comite* Ceſtriæ, S. *Comite* Wintoniæ, G. *de* Mandevilla, *Comite* Gloverniæ & Eſſexiæ, W. *Comite de* Ferrariis, W. Briw. W. *filio* Giroldi, W. *de* Catelupo, H. *de* Novilla, R. *de* Ver. W. *de* Huntunthfeld. *Datum per manum magiſtri* R. *de* Mariſco *Cancellarii noſtri, xv. die Januarii, apud* Novum Templum Londini, *anno Regni noſtri xvi. Anno ſcilicet Domini M.CC. xv. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, & ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Dei, &*

beatorum

1256. *beatorum* Petri & Pauli *Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum* Laterani, *tertio Calend. Aprilis, Pont. nſtri anno xviij.*

Multorum pia proviſio enervatur.

HÆC & alia *Romam* deferenda, ſalubriter à ſummo Pontifice diſcutienda, providebantur. Sed quid juvat? hæc adjectio deteſtabilis omnia infirmat. Prævaricatores, ſuſurrones, & Magnatum adulatores, pervertentes omnia, ſiniſtrè interpretantur univerſa. Reportantque frequenter queruli à *Romana* curia tale reſponſum, videlicet à domino Papa & fratribus: "*Nolumus his "diebus principes offendere*, & addunt: *Oportet multa diſſimulare, & conniventibus oculis* (licet "lædant) *pertranſire.* Et ſic, proh dolor, per meticuloſos rigor juſticiæ, maximè in illa curia, cernitur vacillare.

Johannes Romanus *Archidiaconus* Richemundiæ *moritur.*

EISDEMQUE diebus, obiit *Johannes Romanus* Archidiaconus *Richemundiæ*, quàmplurimis ſaginatus redditibus & theſauris, hominum avariſſimus. Hic fermè quinquaginta annis theſauris incumbens acervandis, unus de nobilioribus Canonicis *Eboracenſis* eccleſiæ, primus, vel de primis fuit, qui quaſi explorator impiiſſimus arcana *Angliæ* reſeravit, & provocavit *Romanos*, ut redditibus *Angliæ* ſolito avidiùs & theſauris per fas & nefas inhiarent. Quo defuncto, Rex illicò ejus præbendam & alia bona, quæ poterat occupare, ad ſuum contulit, ratione vacationis Archiepiſcopatus, beneplacitum.

Epiſcop. Sarum W. *de* Eboraco *obiit.*

ANNI verò illius ſub eodem tempore, obiit Epiſcopus *Sarum, Willielmus* de *Eboraco*, qui ab adoleſcentia alumnus curiæ, per quam etiam promotus fuerat in Epiſcopatum *Sarum.* Inter alia ſæcularia, quibus deditus extitit, quandam pro lege conſuetudinem peſſimam in regno ſuſcitavit; ut ſcilicet pro quantulocunque tenemento faciat tenens & ſubjectus ſuo ſuperiori, à quo videlicet tenet, in magnum ſubditorum damnum & detrimentum, & ſuperiorum parvum vel nullum emolumentum, ſequelam curiæ etiam invitus: unde qui nunquam hoc fecerant, mirabantur ſe ad hoc fuiſſe coactos. Tranſiit autem idem Epiſcopus ab his curis & ſolicitudinibus mundialibus, ij. Cal. Feb. ad pericula quæ ſæculares & curiales creduntur ſubituri. Opera enim eorum ſequuntur eos.

Archiepiſcop. Cant. *vexat eccleſiam* Roff.

DIEBUS ſub eiſdem, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius*, eccleſiam *Roffenſem* prægravans, ejuſque invadens poſſeſſiones; tantam de facto ſuo notam incurrit vituperii, ut eccleſia, cujus eſſe debet defenſor, per eum dicatur vexari. Epiſcopus autem *Roffenſis*, cùm domino Regi hujus ultori, lachrymabiliter ſuper tanta injuria conquereretur, Rex demiſſo vultu reſpondit: "Non poſſum eum flectere ad juſticiam vel humilitatem, ne ipſum tam generoſum, & genus ſuum tam magnificum, præcipuè reginam, offendam vel contriſtem.

Scandalum ortum per Minores.

PER idem tempus, cùm quidam *Judæi* infames de morte miſerabili pueri *Lincolniæ* crucifixi, per juramentum. xxv. Militum morti adjudicandi, in carcere *Londinenſi*, videlicet lx. & xi. reſervarentur ad ſuſpendendum, ſecretos nuncios, prout æmuli eorum affirmant, ad fratres *Minores* miſerunt, ut intercederent pro eiſdem, ut à morte & carcere liberarentur, qui tamen morte digni erant turpiſſima. Ipſi verò (ut perhibet mundus, ſi mundo in tali caſu credendum eſt) mediante pecunia, ipſos ſuis precibus & interceſſione & à carcere & à morte, quam meruerant, *Judæos* liberarunt; ut piè credendum arbitror, ſpiritu ducti pietatis. Quia quamdiu quis in via eſt & in hoc mundo, liberum habet arbitrium, ſalvari poteſt, & ſperandum eſt de eo. Pro Diabolo autem, aut manifeſtè damnatis, non eſt ſperandum nec orandum, quia non eſt ſpes de ipſis. Mors enim & diffinitiva ſententia, ipſos ſemel irrevocabiliter illaqueant. Nec potuit eos hæc reſponſio excuſare, quin licèt inculpabiles, ſcandalum eos denigraret. Populus jam plebeius, ne ipſis, ut priùs, in eleemoſynis ſuis benefacerent, manum retraxerunt. Et ſicut *Londinenſium* tepuit devotio penes *Minores*, ita & *Pariſienſium* refriguit charitas verſus fratres *Prædicatores*, qui Univerſitatis antiquas & approbatas conſuetudines, conati ſunt infirmare.

Captus Senator Romanus *incarceratur.*

HOC etiam anno captus eſt à *Romanis* Senator eorum *Brancaleo*, quia Magnatibus urbis, ſicut & populo *Romano* videbatur rigidiſſimus executor juſtitiæ, & ultor culparum inexorabilis. Quo capto & incarcerato, uxor ipſius Senatoris *Bononiam* venire feſtinavit, ut civibus *Bononienſibus*, quod de Apoſtolico Senatore concive eorum, pro cujus ſalvatione obſides ferme, xxx. tenebant, actum fuiſſet, pleniùs intimaret. Quo cognito, cives *Bononienſes* obſides, quos pro *Brancaleone* obtinuerunt, arctiùs tenuerunt. Primates igitur *Romæ* querimoniam ſuper hoc Papæ gravem reponentes, procurantibus quibuſdam Cardinalibus *Romæ* oriundis, obtinuerunt, ut ſi *Bononienſes* obſides, quos pro *Brancaleone* retinuerunt, non redderent *Romanis*, civitas *Bononiæ* Interdicto ſupponeretur. Quod & factum eſt. *Bononienſes* autem Interdictum ſuſtinuerunt: nolentes obſides reddere *Romanis*. Sciebant enim proculdubiò, quod ſi redderentur, *Brancaleo* feſtinè morti traderetur.

Rex Francorum *habet Parlamentum generaliſſ.*

IN craſtino autem purificationis beatæ *Mariæ*, Rex *Francorum* generaliſſimum tenuit Parliamentum, ad quod dominus Rex *Angliæ* ſpeciales nuncios deſtinavit, exigens, ut creditur, ſua jura ultra marina. Credebat enim eſſe *Francis* formidabilis. Nihil autem obtinuit, niſi manifeſtam contradictionem. Sed per nuncios ſuos certificabatur, quòd Papales exercitus irreſtaurabiliter diſſipabantur: nec oportuit ampliùs de *Sicilia* vel *Apulia* ſollicitari. Propter quod non rogavit qui miſſus fuerat, videlicet dominus *Manſel*, Regem *Francorum*, ut liceret Regi *Anglorum*, & his qui nomine ejus cenſentur, liberum tranſitum haberi per Regnum *Francorum* cum manu armata, vel theſauro, uſque in *Apuliam*, quam Papalis ei ad opus filii ſui

Edmundi

1256.

Edmundi contulerat munificentia. Rediit ergo vacuus, niſi quòd rumores certos reportavit de Papalis exercitus contritione.

Bellum Taurinenſe ob captivitatem Thomæ de Sabaudia.

EISDEMQUE diebus, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius*, additis ſibi Electo *Lugdunenſi Philippo*, *Petro* de *Sabaudia*, & manu armata non minima; profectus eſt ad partes *Italiæ* ad expugnandum civitatem *Taurinam*, in qua *Thomas* frater eorundem *Sabaudienſis*, quondam Comes *Flandriæ*, captus in vinculis tenebatur. Idem enim *Tho.* ſubjectis ſuis torvus & nocivus extiterat, & eos ſecus quàm deceret, & contra eorum conſuetudinem, tractaverat. Unde cives *Taurinenſes* & *Aſtenſes*, & alii eiſdem confœderati, nolentes ejus injurioſos impetus ampliùs tolerare, reſtiterunt ei in faciem, propter genus ſuum præclarum, in quo plus æquo confidebat, ac in inſontes tyrannicè proterviebat. Unde, ut prætactum eſt, ipſum in carcerem detruſerant compeditum. Venerunt igitur ad ejus ereptionem quaſi rapida tempeſtas *Sabaudienſes*; quibus potenter cives reſtiterunt. Superveniens autem multitudo copioſa cives compulit retroire, & in ſuam ſe recipere civitatem, quam potenter obſiderunt. Abundabat autem *Petrus* theſauro, quem Comes *Richardus*, interpoſito tamen pignore, liberaliter commodaverat. Abundabant inſuper Archiepiſcopus *Cantuarienſis* & Electus *Lugdunenſis* ſacro theſauro nobilium, quibus præfuerunt, eccleſiarum: unde populoſo exercitui ſuo larga ſtipendia pluendo diſtribuebant. Cæterum dominus rex *Anglorum*, & regina maximè, quæ magis tenebatur, ſterlingos deſiderabiles eiſdem affluenter tranſmiſerunt. Dominus autem Papa, ut videretur eſſe amicus domini regis & reginæ *Anglorum* efficax, & adjutor non inanis; non aurum vel argentum, ſed quandam epiſtolam elegantem conſolatoriam tranſmiſit: quam in *libro* reperire poteris *Additamentorum*.

F. Jo. de Derlintona ad conſilium regis Angliæ vocatur.

DOMINUS Rex eiſdem diebus vocavit fratrem *Johannem* de *Derlintona* ad familiare conſilium ſuum, qui de ordine *Prædicatorum* exiſtens, literatura pollebat excellenter & conſilio. Neceſſe enim habuit rex, ſanum conſilium & conſolationem habere ſpiritualem. Certificatus enim de contritione Papæ & ſui exercitus, unde regnum patuit diſcrimini, animo conſternatus eſt vehementer.

Rex Ang. regem Manniæ baltheo cingit militari.

AD Paſcha verò, dominus rex *Angliæ* regem *Manniæ* baltheo cinxit militari, & in tyrocinio ſuo beneficia impendit & honores. Nomen autem regi *Manniæ*, *Magnus* erat.

Interitus W. de Hollandia Regis Alemanniæ.

ET eodem anno, *Willielmus* de *Hollandia*, quem dominus Papa creaverat & in tantum ſublimaverat, ut jam adeptus fuiſſet regnum *Alemanniæ*, & magnam materiam & occaſionem ad Imperium *Romanum* obtinendum præconceperat, poſt infinitos Papales theſauros in eo & per eum exhauſtos, *Friſones* homines rudes & incultos, ac indomitos levi nactus occaſione cœpit hoſtiliter impugnare. Ipſi verò Septentrionalem quandam inhabitantes regionem, norunt navali bello deſævire; & ſuper glaciem feraliter dimicare. De quorum *Friſonum* & *Sauromatarum* illis conterminorum regione frigida, dicit *Juvenalis*.

Ultra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem Oceanum, &c.

Friſones igitur, expoſitis tam per mare & arundineta, quam per terram, quæ tamen paluſtris eſt inſidiis, cùm hyemalis magis rigor ingrueret (videlicet circa purificationem beatæ Virginis) ipſum *Willielmum* cum jaculis, quæ vulgariter *Gaveloces* appellant, quorum maximè noticiam habent & uſum, *Daniſque* ſecuribus & geſis, lineis & levibus armaturis cooperti, è veſtigio hoſtiliter inſequebantur. Et cùm pervenirent ad quandam paludem, & inſideret idem *Willielmus* equum magnum bellicoſum, ferro coopertum, loricatus & galeatus, cruſtis confractis glacialibus, quæ ſemipedalem exceſſerant ſpiſſitudinem equus uſque latera ſubmerſus, infixus eſt in limo profundi. Quem cùm aſſeſſor iratus, uſque ad viſcera confodiens calcaribus præacutis cruentaret, & cùm equus fervens & magnanimus reſurgere niteretur, nec poterat, confractus & obrutus, magis ſubmerſus, ipſum inſidentem volutando in fragmentis lubricis & hiſpidis oppreſſit. Superirruentes igitur *Friſones*, cùm non eſſet qui oppreſſo ſubveniret, quia omnes fugerant commilitones, conſimilem vitantes abſorptionem, ipſius *Willielmi* corpus jaculis undique quod jam humefactum frigore obriguerat, immiſericorditer, licèt miſericordiam poſtularet, confoderunt. Obtulit autem ſuis peremptoribus pro redemptione, ut ei parcerent, & vivum evadere permitterent, infinitam pecuniæ quantitatem: ſed inhumani homines, non parcentes, ipſum in fruſta detruncarunt. Et ſic ab apice excelſæ dignitatis flos militiæ *Willielmus*, *Alemanniæ* Rex, & Comes *Hollandiæ*, cum de Imperio planè ſubarratus eſſet, Papæ creatura & alumnus, in abyſſum confuſionis ad arbitrium ſuorum hoſtium præcipitatur. "*Mori autem hoſtium arbitrio*, prout dicit Philoſophus, *eſt bis mori.*" Hæc autem cùm domino Papæ innotuiſſent, doluit tot theſauros undecunque & qualecunque raptos & collectos, in *Charibdim* tranſmiſiſſe.

Obiit Æſeſia Comitiſſa Warenniæ.

EODEMQUE anno obiit *Æteſia* Comitiſſa *Warenniæ*, ſoror domini regis uterina, in flore juventutis ſuæ & proſperitatis, in dolorem regis maximum, ſuique mariti Comitis *Warenniæ* I. adoleſcentis.

W de Hort. & W de S. Edvardo, Monachi S. Albani, Romam miſſi.

ET circa idem tempus, cùm quidam Clericus *Tranſalpinus*, eccleſiæ beati *Albani* nocumenta & damna machinaretur, miſſus eſt unus fratrum ejuſdem eccleſiæ ad *Romanam* curiam, ut contra dictum clericum, qui *Johannes* de *Camezana* dicebatur, quod juſtum erat, impetraret. Dictus igitur frater, videlicet dominus *Willielmus* de *Hort.* memoratæ eccleſiæ Cellerarius, aſſumpto ſecum

1256. ſecum magiſtro *Willielmo* de *S. Edvardo*, Dominica Palmarum iter arripuit tranſalpinum. Habuit etiam ſecum literas domini Regis elegantiſſimas, pro ipſo deprecatorias, tam domino Papæ, quàm Cardinalibus. Quas quia Rhetoricè & optimè conceptæ & compoſitæ fuerunt, redarguit ille *Johannes* cavillator, falſitatis: aſſerens quòd tam magnus interceſſor, tam ſpecialiter, tam familiariter, nunquam pro quodam ſimplici Monacho literatoriè domino Papæ & aliis gravibus & auctenticis perſonis interceſſit. Sed ipſius verſuta redargutio, Regis poſteà teſtimonio patuit denudata. Si quis illas literas videre deſiderat, in *libris Additamentorum* poterit reperire.

Literæ Papales ad Abbatem S. Albani.

EODEMQUE die miſſæ fuerunt literæ à domino Papa, Abbati & Conventui memoratæ eccleſiæ, *ſancti* ſcilicet *Albani*; ut infra menſem ſolverent quibuſdam Mercatoribus quingentas marcas, in quibus tenebantur eiſdem Mercatoribus. Quem terminum ſi tranſgrederentur, ſcirent ſe ex tunc ſuſpenſos. Hoc inſertum fuit in tenore literarum, cùm tamen nunquam ſcirent ſe alicui obligari. Et ſimili modo multis aliis Cœnobiis factum eſt, ut videlicet ſic cogerentur jugum ſubire Mercatorum fœneratorum. Et ut efficaciùs pecuniam extorquerent exactores, dicebant omnia exigi ad opus domini Regis, præparati ad iter peregrinationis arripiendum.

Judæi *captivi manumittuntur.*

EODEM anno, Idus Maii, dimiſſi ſunt quieti *Judæi* xxiiij. & xi. à Turri *Londinenſi*, qui infames ibidem tenebantur compediti, pro crucifixione ſancti *Hugonis* pueri *Lincolnienſis*. Qui, inquam, *Judæi*, in jurata fuerunt culpabiles, juxta aſſertionem *Judæi* primò *Lincolniæ* ſuſpenſi.

Conventus Epiſc. Angliæ Londini.

EPISCOPI *Angliæ*, variis exagitati angariis, in quindena Paſchæ convenerunt *Londini*, *Ruſtando* præciſe ſuper exactione poſtulata reſponſuri. Qui primò fracti & diſcordes, fuerant receſſuri. Poſteà verò, animati per Barones, contradixerunt; ne domino Regi de Baroniis ſuis aliquid contribuerent.

Abbates Ciſtercienſis *ordinis* Radingam *vocantur coram* Ruſtando.

DIEBUS ſub eiſdem, magiſter *Ruſtandus* vocavit omnes Abbates *Ciſtercienſis* ordinis in *Anglia* auctoritate Apoſtolica; ut coram eo quarta Dominica poſt Paſcha apparerent, mandatum domini Papæ ibidem audituros. Qui cùm conveniſſent loco & die quo eos vocaverat, *Ruſtandus* facto prologo ſatis prolixo, poſtulat ab eis ad opus Papæ & ad opus Regis juvamen pecuniare non modicum, quantum aſcendit precium lanarum ſuarum, vel ampliùs. Et novit mundus, quòd in lanis eorum omnis eorum ſubſiſtit commoditas & ſuſtentatio. Quod cum audiſſent Abbates, communicato conſilio, omnes conſtanter reſponderunt unanimiter, quòd non licuit tali ac tantæ exactioni præciſe reſpondere; irrequiſito aſſenſu & conſilio Abbatis & Capitulo *Ciſtercienſis*, cujus membra erant & filii. Et ſic irato valde magiſtro *Ruſtando*, ad ſua cœnobia remearunt. Magiſter igitur *Ruſtandus* ſicut ſolet infans læſus & querulus ad ſinum matris, ad regem feſtinavit quantociùs pervenire, aſſerendo enarrans & conqueſtus, quòd Abbates *Ciſtercienſis* ordinis uno ſpiritu procaci & ſuperbo reſponderunt, ſe nullo modo ipſum in hac ſua neceſſitate adjuturos. Rex igitur iratus juravit, quod ſingulos damnificaret, quos omnes nequiverat flectere ad conſenſum. Et quia dixerat, quòd regem plùs decuit orationes ab eiſdem exigere, quàm pecuniam: juravit, quòd voluit & orationes habere ab eis, & pecunia non deſtitui. Erat autem tunc fortè in curia Abbas de *Bildewas* ordinis *Ciſtercienſis*, quem Rex objurgans juſſit ſibi accerſiri, & ait: "Quid eſt Abbas, quòd mihi indigenti & humiliter poſtulanti, auxilium "pecuniare denegaſti? Nonne ſum patronus veſter? Cui Abbas: Utinam patronus, pater, & "defenſor. Veruntamen non expedit vobis nos in extorſione pecuniæ damnificare, ſed potiùs "cum devotione orationum ſuffragia poſtulare, exemplo pii Regis *Francorum* ſalubriter infor-"matus. Cui rex: Utrunque exigo, pecuniam videlicet cum orationibus. Cui Abbas: Non "credo hoc poſſe contingere. Alterutro oportet te carere. Si enim ſubſtantiolas noſtras à nobis "violenter extorqueas, quomodo devotè & ſinceris cordibus pro te orabimus? Oratio nempè ſine devotione parum vel nihil prodeſſe prævalebit. Rex autem, licèt ſatis eleganter reſpondiſſet Abbas, tamen Abbatibus *Ciſtercienſibus* tacitus inſidiabatur univerſis.

Abbas de Wared, *miſericordiam poſtulat à Rege.*

ERAT autem tunc temporis quidam Miles dives, *Willielmus* de *Bello Campo* dictus, uxorem habens nomine *Ydam*, genere nobilem ſed moribus degenerem nimis & ignobilem. Quæ circumdegentium religioſorum & religioſarum, perſecutrix fuerat indefeſſa. Hæc igitur nacta jam nocendi Abbati de *Wared* de Regis ira opportunitate, more fœmineo nocere machinans, gravem movit contra dictum Abbatem in regis curia quæſtionem; ſciens quòd Rex ipſum juſtè vel injuſtè, quia iratus, damnificaret. Et cùm ex cauſa puſilla, vel nulla, in miſericordiam Regis cecidiſſet, & neceſſe haberet Abbas à Rege ipſo, quia alias Rex vias præcluſerat, miſericordiam humiliter poſtulare, Rex torvo vultu jurando horribiliter reſpondit. "Qua fronte, Abbas, miſericordiam poſtulas? Qui nuper mihi indigenti miſericordiam cum tuis Coabbatibus "denegaſti. Et damnificavit eum rex in multæ pecuniæ, ad arbitrium & perſequentium voluntatem, effuſione. Similiter autem & Abbas de *Rufore Ciſtercienſis* ordinis, pro quadam non cauſa, ut cauſa, quam provocarunt & excitarunt duæ viles perſonæ, quas garciones vocant, ad ſolutionem non minimæ pecuniæ, licet injuſtè, cogebatur. Similiter & alii *Ciſtercienſis* ordinis Abbates, damna & injurias ſubire multipliciter compellebantur.

Literæ Papales pro ordine Ciceſtr.

MISSI ſunt igitur viri diſcreti de ordine *Ciſtercienſi* ad curiam *Romanam*, ut ſuper hoc gravamine remedium impetrarent. Contra quos & Rex pro eo dominum *Willielmum Boncoque*, Militem

Militem & Juriſperitum, ad eandem curiam, & ob alia negotia deſtinavit. Impetratio autem Ciſtercienſium talis erat. Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbatibus & Conventibus Ciſtercienſis ordinis in regno Angliæ, ac locis qui ſub ejuſdem regni dominio ſubſiſtunt conſtituti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantò excelſiorem eximiæ religionis gradum, ordo veſter gratia divina conſcendit, & ſublimiùs ſuæ converſationis ſtationem ac ſanctimoniæ collocavit: tantò eum ampliùs ſedes Apoſtolica pia mater continuis ſemper promovit augmentis, & ſpiritualibus favoribus communivit. Nos igitur, qui eundem ordinem affectu proſequimur intimæ charitatis, attendentes ejuſdem ordinis Monaſteria regni Franciæ, à præſtatione decimæ eccleſiaſticorum proventuum, à fælicis recordationis Innocentio Papa prædeceſſore noſtro, chariſſimo in Chriſto filio noſtro regi Francorum illuſtri conceſſæ in Terræ ſanctæ ſubſidium, excepta fuiſſe, eodem rege devotarum orationum ejuſdem ordinis ſuffragia pluris, quàm temporalia ſubſidia æſtimante. Ac volentes quieti veſtræ, quantum cum Deo poſſumus, providere, ſpecialem gratiam vobis faciendo, ne prætextu conceſſionis chariſſimo in Chriſto filio noſtro regi Angliæ illuſtri à prædicta ſede factæ, de decimis eccleſiaſticorum proventuum regni ſui & locorum ſuo dominio ſubjectorum certò percipiendis ab eo tempore, in ſubſidium Terræ ſanctæ, decimam redditu um & proventuum veſtrorum ipſi regi ſeu alii ſolvere teneamini, nec ad ipſarum ſolutionem compelli poſſitis, auctoritate præſentium vobis indulgemus. Decernentes vos nihilominus à præſtatione harum decimarum, & quarumlibet exactionum genere, ſeu obligatione bonorum veſtrorum occaſione hujuſmodi, penitus liberos & immunes, omnes indulgentias & literas ſuper hoc ab eadem ſede conceſſas, & proceſſus, ſi qui contra vos & monaſteria veſtra, penitus revocamus. Ac ſtatuimus inſuper, concedendas, cujuſcunque tenoris indulgentias & literas, niſi de hac ſpecialem & plenam de verbo ad verbum fecerint mentionem; vires aliquas adverſus vos & monaſteria veſtra, non habere. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ conſtitutionis & revocationis infringere, vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ſe noverit incurſurum. Data Neapoli, octavo Calend. Junii. Pontificatus noſtri anno primo. 1256.

CIRCA diem verò Sancti Dunſtani, prohibuit Rex, neſcitur qua ratione, portus, ne quis Prælatus, Miles, vel Clericus, transfretaret: cum tamen transfretaverant Epiſcopus Bathonienſis, & Epiſcopus Roffenſis. Portus prohibetur.

ET circa Pentecoſten, apud Blie commiſſum eſt haſtiludium proſperè & generaliter, ſecundùm legem & diſciplinam militarem: ubi Edvardus domini Regis primogenitus in lineis & levibus, ut militaribus legibus informaretur, fuerat armaturis. Ibi multi Nobiles, dum conarentur laudem militiæ promereri, proſtrati, verberati, & contriti conculcabantur. Quorum unus fuit Willielmus Longaſpata qui nunquam poſteà reſtaurabatur. Haſtiludium apud Blie.

MISIT inſuper eodem tempore Papa literas Regi deprecatorias, pro ordine Ciſtercienſi. Scripſit inſuper Albus Cardinalis Regi devotiſſimè pro ordine Ciſtercienſi; ne pro Deo ipſum ſacrum ordinem talibus vexaret exactionibus; & ſic ad horam Ciſtercienſes reſpirarunt, qualiquali pace gaudentes. Literæ deprecatoriæ pro ordine Ciſterc.

QUI, verò ex parte univerſitatis Prælatorum ad Romanam eccleſiam deſtinabantur, talem adepti ſunt modificationem, & de intolerabili rigore remedium. Alexander, &c. Prælatis, &c. Proviſionis noſtræ provenire debet auxilio, ut unde nullum eſtis commodum aſſequuti, detrimentum minimè ſentiatis. Cùm igitur venerabilis frater noſter Herefordenſis Epiſcopus, de noſtrâ licentia ſibi per literas noſtras conceſſa, à dilectis filiis ſpecialibus, Olivero Roſa, ac eorum ſociis, civibus ac mercatoribus Florentinis, quingentas marcas ſterlingorum mutuò receperit, pro negociis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Anglorum Regis illuſtri: quanquam in literis ipſis & inſtrumento publico confecto ſuper hujuſmodi mutuo contineatur expreſſè, quòd non pro veſtris & monaſterii veſtri negotiis fuit hujuſmodi pecunia mutuata, pro qua etiam idem Epiſcopus vos ac dictum monaſterium & ejus bona, præfatis mercatoribus obligavit. Nos volentes ſuper hoc taliter providere, quòd vos vel dictum monaſterium ex hoc non incurratis aliquam læſionem, auctoritate præſentium vobis indulgemus, ut ſi eundem regem in prædictæ pecuniæ ſolutione ceſſare contigerit, & vos de ipſa mercatoribus ſatisfacere memoratis, liceat vobis decimam veſtrorum proventuum eccleſiaſticorum, dicto regi ab Apoſtolica ſede pro Terræ ſanctæ ſubſidio deputatam, uſque ad quantitatem prædictæ pecuniæ, quam mercatoribus ſolvetis eiſdem, ac damnorum & expenſarum, quæ fortè propter hoc incurretis, liberè retinere: non obſtantibus aliquibus literis ſuper executione prædictæ decimæ, ſub quacunque forma verborum, ad quoſcunque Judices ſeu exequutores, à ſede impetratis; vel etiam impetrandis. Cæterum, ſi occaſione hujus retractionis prædictæ decimæ, fuerint in vos vel aliquem veſtrum per quoſcunque ſuſpenſionis, excommunicationis, vel Interdicti ſententiæ promulgatæ, decernimus eas auctoritate præſentium nullas eſſe, & vos ad ipſorum conſervationem non teneri. Modificatio Papalis.

DIEBUS ſub eiſdem tepuit devotio multorum, quem de Papa noſtro patre, & eccleſia Romana matre noſtra habere conſueverant. Ex quo enim in principio creationis ſuæ precum ſuffragia exigebat à fidelibus; hypocriſim reputant & ſæcularitatis palliationem quàmplurimi, ſed de ſua ſuſpicione decepti: cùm ſanctus nos admoneat, dicens: Cùm quid inceperis bonum, inſtanter Deum poſce, ut ipſe perficiat, &c. Sed quia hujuſmodi devotionem opera ſubſequuntur contraria, verba de eo percurrunt incongrua. Spes igitur præconcepta de ſanctitate Papæ, prorſus evanuit exſufflata. Veruntamen multorum auribus veraciter inſtillatum eſt, quòd de Bulla decepto Papa fraus committitur multiformis. Sed hæc ratio, ſi tamen ratio eſt, Papam non excuſat. Tepuit multorum devotio erga Papam.

1256.

Aegid. Elect. in Epiſc. Sar.

TEMPORE ſub eodem, Canonici *Sarum* elegerunt magiſtrum *Ægidium* de *Bredelef:* in Epiſcopum & ſuarum Paſtorem animarum. Qui Regi præſentatus, cùm nullus reprobationis ſcrupulus in ipſo poterat inveniri, receptus eſt.

R. de Norwic. electus in Archiep. Dubl.

MAGISTER inſuper *Radulphus* de *Norwico*, vir dapſilis & facetus, ſed à primis annis plùs in Regis curia, quàm liberalium artium ſchola eruditus, electus eſt in Archiepiſcopum *Dublinenſem*. Sed propter aliquorum contradictionem, dilata eſt ejuſdem confirmatio. Reprehendebantur nempè electores, eò quòd hominem elegiſſent penitus ſæcularem, & adhuc in regis clientela ac cuſtodia, *Hyberniæ* telonio aſſidentem. Et ſic caſſabatur.

Abbas Weſt. & Ruſtandus transfretant.

DOMINUS Abbas *Weſtmonaſterienſis*, & magiſter *Ruſtandus*, Electuſq; *Sarum* pro domini Regis negocio, eodem Rege ſic volente; neſciebatur ad quid, ſed ob arcanas cauſas, utinam bonas, transfretarunt. Et pro multiplicatis ſæcularium diſcordiarum, redivivis ſeminibus exſtirpandis, *Bathonienſis* & *Roffenſis* Epiſcopi latenter & feſtinanter tranſalpinaverunt. Abbas autem, & ejus ſocii, intrante Junio menſe iter arripuerunt.

Novum Regis decretum de tyronibus faciendis.

ANNO ſub eodem exiit edictum Regium, præceptumq; eſt & acclamatum per totum Regnum *Angliæ*; ut quilibet qui haberet xv. libratas terræ & ſupra, armis redimitus tyrocinio donaretur; ut *Anglia*, ſicut *Italia*, militia roboraretur. Et qui nollent, vel qui non poſſent honorem ſtatus Militaris ſuſtinere, pecunia ſe redimerent.

Pax inter Flandrenſes, Alemannos, & Francos.

PAX eſt reformata inter *Francos*, *Alemannos*, & *Flandrenſes*; ſuſpecta tamen. Tot enim utrobique imò undique læſi, damnificabantur, quòd nondum ſine igne iracundiæ cinis glomeratus penitus poterat infrigidari. Pacificabantur autem populi memorati, die ſanctorum *Cirici* & matris ejus.

Tempeſtas magna.

ET tertia die ſequente, tempeſtas incomparabilis venti pluvialis, ſive pluviæ ventoſæ, cum grandine & tonitru, & coruſcatione & fulgure, mortalium animos terruerunt, & damna irreſtaurabilia perturbando ſuſcitarunt. Videres enim rotas molendinorum ab axibus avulſas, ad partes remotas per impetus aquarum tranſportatas, domus finitimorum diſſipare. Et quod aqua in molendinis aquaticis fecerat, ventus in molendinis quæ vento volvuntur facere non pepercit. Pilæ pontium, fœni aggeres, piſcatorum tuguria, cum retibus & contis, imò etiam infantes in cunabulis ſubitò aſportabantur, ita ut viderentur aquæ *Deucalionis* renovari. Et ut de aliis ſileam, *Bedefordia*, quam fluvius lambit *Uſa* dicta, ſicut paucis antè lapſis annis, damna incurrit impreciabilia. In uno enim loco, ſex domus continuò vicinæ fluctibus rapidis aſportabantur; vix ſuis ereptis habitatoribus. Et alia loca contermina illi flumini, ſimilia pericula ſubierunt.

Conſtitutio facta apud S. Albanum in memoriam Regis Offæ.

ANNO quoque ſub eodem, apud ſanctum *Albanum* in Capitulo ſtatutum eſt, die decollationis ejuſdem beati *Albani Anglorum* Prothomartyris; quando videlicet conſueverunt omnes ejuſdem Cœnobii Cellarum Priores ibidem convenire: in præſentia Abbatis & Conventus omniumqne Priorum ſupradictorum, unanimi conſenſu, ut completa qualibet hora Canonica in choro, & poſt gratias prandii, & ſimiliter in infirmaria, & camera Abbatis, perfinitis ſcilicet precibus & Pſalmis familiaribus, dicatur in propatulo & in eadem voce: *Anima Regis* Offæ *requieſcat in pace*. Quod in perpetuum continuè inviolabiliter obſervetur. Hoc autem nunquam anteà factum fuiſſe memoratur, quod nulla ratione poterat excuſari. Sed ne talis ac tantæ ingratitudinis Conventus poſſet ampliùs redargui, licèt ſero, nunc ſalubriter eſt decretum. Erat enim ille Rex magnificus, videlicet Rex *Merciorum*, memorati cœnobii fundator munificus, & religionis reſtaurator piiſſimus. Ipſe nempè Rex *Offa*, licet humillimus, & religioſiſſimus, bellipotentiſſimus fuit, & in armis ſtrenuiſſimus. Et ſicut *Carolus Magnus* in *Francia*, qui erat Regi *Offæ* contemporaneus & amiciſſimus, omnes ſibi rebelles edomuit: ſic *Offa* magnanimus omnes Regulos, qui in *Anglia* quondam debacchabantur, vicit, & ab *Anglia* irrevocabiliter auſugavit. Ita quod idem Rex totam ferè Monarchiam Regionis ſolus tenuit *Anglicanæ*. Adquiſierat enim potenter, & tenuit viginti duas Provincias, quas *Anglici Shyras* vocant. Nec à materia noſtra reputo alienum, ſi eas huic paginæ inferamus, ut per ſuæ dominationis amplitudinem, ejus magnificentia: & in ſancta nobilis Cœnobii conſtructione, ipſius ſanctitas pleniùs deſignetur.

Provinciæ quibus præfuit Rex *Offa*.

Herefordenſi & *Wigornienſi*,	i.	ii.
Glovernenſi & *Warewikenſi*,	iii.	iiii.
Ceſtrienſi & *Staffordenſi*,	v.	vi.
Scropesbirenſi. & *Direbirenſi*,	vii.	viii.
Legreceſtrenſi & *Lincolnienſi*,	ix.	x.
Northamtonenſi & *Exonienſi*,	xi.	xii.
Bukingamenſi & *Bedefordenſi*,	xiii.	xiiii.
Huntudenenſi & *Cantabrugenſi*,	xv.	xvi.
Hertfordenſi in *Eſſexia*,	xvii.	xviii.
Middelſexiæ & *Northfolkiæ*,	xix.	xx.
Suthamptoniæ & *Rotholandiæ*,	xxi.	xxii.
vel *Snotinghamiæ*.	xxiii.	

ſive

1256.

Studium Regis Offæ erga Cœnobium ſancti Albani.

ISTE inſuper Rex *Offa*, in quantum potuit aliquis Rex Cœnobium *ſancti Albani*, quod & ipſe magnificè fundavit, liberum eſſe conſtituit in temporalib. Et ut ipſum liberum faceret in ſpiritualibus, *Romam* in proprio corpore adiit, ubi Scholam *Anglorum* inſtituit, & multa fecit obiter beneficia. Meritò igitur beneficium hoc ſpirituale memoriæ ejus immortali adhibetur, ut in perpetuum deinceps quotidie in fine cujuſlibet horæ Canonicæ, & poſt gratias prandii, anima ejuſdem Regis in Conventu, & alibi, ut prædictum eſt, abſolvatur.

Senatore capto orta eſt ſeditio Romæ.

TEMPORE ſub eodem, capto & incarcerato *Romanorum* Senatore *Brancaleone*, propter rigorem juſtitiæ, quam inviolabiliter tenebat, (fecit enim convictos de homicidio, furto, & aliis facinoribus, ſuſpendi, mutilari, & multiformiter puniri,) orta eſt ſeditio in urbe inter nobiles civitatis & populum. Uxor igitur Senatoris, quam Senatricem dicunt, fugiens feſtinanter & latenter *Bononiam*, ubi obſides pro ipſo *Brancaleone* Senatore tenebantur circiter xxx. de nobilioribus adoleſcentulis urbis, civibus *Bononienſibus* quæ acta fuerant intimabat. Cives igitur obſides arctiùs tenebant. Cardinales igitur quidam, de ipſa urbe oriundi, & de nobilibus ducentes originem, exaſperarunt dominum Papam in *Bononienſes*: & ſic aucta eſt perturbatio.

Pugna orta in nundinis ſancti Botul.

ANNO ſub eodem, apud ſanctum *Botulphum*, tempore nundinarum, orta eſt diſcordia, quæ litem generavit, lis autem pugnam, inter *Petri* de *Sabaudia*, & *Roberti* de *Tateſhale* homines, cruentam ſuſcitavit. *Petrus* enim & *Robertus*, emolumenta quædam in illis nundinis participando recipiunt. Et dum numerus armatorum pugnantium in immenſum excreſcens, ſtragem magnam minaretur, homines Comitis *Richardi* prudenter tumultum ortum ſedaverunt. *Petrus* enim ab *Anglia* receſſurus, ipſum Comitem poſſeſſionum ſuarum, precibus multiplicatis cum muneribus, conſtituerat defenſorem. Et ſic profuit *Petro* plùs ejus abſentia, quàm præſentia. Dictum enim eſt, inhoneſtum fuiſſe nimis in abſentem deſævire, maximè pro liberatione fratris ſui, pio ac geniali ſpiritu dimicantem. Et ſic quieverunt omnia ad tempus certamina inchoata.

Papa ſcribit Regi ac Reginæ Anglorum.

PETRUS autem de *Sabaudia* conſtantiſſimè cum Magnatibus generis ſui, videlicet Archiepiſcopo *Cantuarienſi* & Electo *Lugdunenſi*, & aliis *Sabaudienſibus*, urbem *Taurinam* infeſtat, ita ut deficientib. victualibus, nec poterat eis pondus proficere, urbem ſuam imbelli populo vacuarent. Cives igitur quantò plus arctabantur, tantò firmius Comitem *Thomam* tenuerunt vinculatum: ut ſi cives puniendi fortè caperentur, ipſe Comes, qui primus & ultimus cauſam perturbationis ſuſcitaverat, primitus puniretur. Dominus autem Papa, ut videretur domino Regi *Anglorum* & Reginæ in hoc caſu profuiſſe, ipſos blandis conſolationibus demulcendo, ſcripſit eiſdem ſic.

"*Alexander*, Epiſcopus, &c. Chariſſimæ in *Chriſto* filiæ, illuſtri *Reginæ Anglorum*, ſalutem
"& Apoſtolicam benedictionem. Nimis amaræ nimiumque moleſtæ ſunt nobis injuriæ, quæ
"devotis eccleſiæ filiis irrogantur: valde cor noſtrum offenſæ fidelibus Apoſtolicæ ſedis illa-
"tæ conturbant. Sed de illorum moleſtiis plus dolemus, quorum circa ſedem Apoſtolicam
"ſemper devotio ferbuit, claruitque ſinceritas, quòd inter alios puritatis titulo præſigniri me-
"ruerunt, & uberiori ab eadem ſede fulciri favore & attolli honorificentia potiori. Horum
"namque gravamina illicò ſentimus in nobis, qui mox cùm læduntur, deguſtamus ſuarum
"amaritudinem læſionum. Sanè ad audientiam noſtram, non ſine cordis amaritudine, & men-
"tis tribulatione pervenit, quòd nuper *Aſtenſis* civibus ad depopulationem caſtri *montis Calerii*
"hoſtiliter procedentibus, dilectus filius nobilis vir *Thomas* de *Sabaudia* Comes, avunculus
"tuus, qui in eodem caſtro tunc temporis morabatur, recedens exinde, ad civitatem ſe tran-
"ſtulit *Taurinenſem*, ſperans cum auxilio civium civitatis ejuſdem, ſuorum utique Vaſſalo-
"rum, in ſucceſſu prædicti caſtri, quod ad eum ſpectare dignoſcitur, recuperare. Sed dicti
"cives, tanquam contemptores divini timoris, & famæ propriæ neglectores, fidelitatis jura-
"mento, quo prædicto Comiti tenebantur aſtricti, temerè violato, eiſdem *Aſtenſibus* procuran-
"tibus, & ad id auxilium impendentibus, ipſum capere & detinere, non ſine proditionis nota,
"nequiter præſumpſerunt. Et quidam rumor jam ſiniſter, interiora noſtra dolore immani
"acriter vulneravit: quia tantò venit auribus noſtris acerbior, quantò detenti nobis charior
"eſt perſona. Triſtamur itaque, nec indignè, quòd filius, quem inter alios præcipuè comple-
"ctimur, taliter detinetur. Dolemus, nec mirum, quòd tanti perſona Magnatis, de cujus ſin-
"cero confidebamus obſequio, in manus ſuorum incidit proditorum: arctiuſque tenetur, quia
"devotione aſſidua invaleſcens, ad prædictæ ſedis exaltationem indefeſſa ſollicitudine laborabat.
"Cum enim predictum Comitem ſuumque genus ſingulari benevolentia proſequimur, cùm e-
"juſdem domum propter ſuæ devotionis merita quodam ſemper affectu pertulerimus ſpeciali;
"magis ex hoc ſuarum ſentimus aculeos paſſionum, ampliùs ob id adverſitatum ipſius amaritu-
"dinem delibamus. Quin imò ſic proximo nos ejus detrimenta contingunt, quòd ea patienti
"compatimur ſtatim: ſimiliter non poteſt unquam adverſitatis flagello feriri, quin percutia-
"mur protinus cum eodem. Similes quippe nobis affectus commiſit, proprioſque dolores amara
"nobis transfuſione partitur. Ideo ſerenitatem tuam rogandam intentius duximus, & hortan-
"dam, quatenus perſonas & bona civium *Taurinenſium* & *Aſtenſium*, in terris tuæ ditioni ſubje-
"ctis exiſtentium, capi facias, & tam diu detineri, donec præd. Comes reſtituatur priſtinæ liber-
"tati. Regi quoq; conſimilis epiſt. eſt tranſmiſſa.

1256.

Abbate Abendoniæ languente, Conventus alium eligendi licentiam à Rege impetrat.

EODEM verò anno, Abbas *Abendoniæ* paralyticus, dum inutilis langueret morte ſubarratus, venerant Monachi ejuſdem domus ad Regem, poſtulantes humiliter, ut cedente Abbate ſibi & aliis inutili, liceret eis domum ſuam pacificè poſſidere, & eidem conſulere utiliter diſponendo. Propter quam gratiam, ex abundanti eidem Regi quingentas numerarunt marcas. Cùm autem domum redirent, infra quindecim dies obiit Abbas paralyticus. Conventus autem ſibi illicò eligendo providit ſalubriter: quod enim ſic eis liceret, inſertum fuit chartæ, quam de Rege obtinuerant. Credebat enim Rex, quod diutius vitam continuaret. Conſueverunt enim paralytici vitam protrahere diuturnam. Cùm autem Rex de morte ejus certificaretur, obſtupuit vehementer. Et dolens exclamavit, dicens: "O pro capite Dei (ut verbis ejus utar conſuetis) qualiter fallor, ſeductus & circumventus, qui non plus quàm quingentas marcas ab illa opima domo recepi, tam cito in poſterum vacatura, qui de ſylvis ejuſdem domus, ſi in manu mea paucis diebus teneretur, abſque aliis emolumentis, tantundem fueram recepturus, ut mille marcas, vel plus, ad ærarium meum revocarem. Patuit ergo luce clarius ſingulis & univerſis, quod de die in diem magis ac magis, poſtquam Rex juraverat ſe pacem & libertatem eccleſiæ ſuſtinere & conſervare, ejus avaritiam ſitim & incrementum ſuſcepiſſe.

J. de Dia venit in Angliam ex præcepto Papæ.

PER idem tempus, frater *Johannes* de *Diva*, vel *Dia*, vir quidem commendabilis, de ordine *Minorum*, venit in *Angliam*, ut auctoritate Papali, quæ emendatione indigebant, reformaret.

Prior Wintoniensis intruſus ſtabilitur.

PRIOR autem *Wintonienſis* per Electum intruſus, *Andreas* nomine, adminiculo ipſius Electi, in loco ſuo, quem occupaverat, contra omnium opinionem (ut ſciatur quantum poſſunt munera *Romæ*) ſtabilitur. Et qui tot expenſas pro jure ſuo obtinendo effuderat, rediit in *Angliam*, ſuo defraudatus propoſito, quamvis de promiſſione certiſſima, non ſine opima retributione, ſpem præconceperat, ut Prior in domo ſua, prout Jus exegerat, reſtitueretur. Aſſignata igitur ſunt ei quædam maneria, ut inde vitam confuſionis quoad viveret, continuaret, de domo *Wintonienſi*: ut ſciant omnes quantum valent munera in curia *Romana*. Diſperſi igitur Monachi non ſine rubore revocantur.

Cives Londinenſes iterato talliantur.

CIVES *Londinenſes* iteratò ad quingentas marcas talliantur. Et ut color cauſæ variæ, nunc ad opus Regis, nunc ad opus Reginæ, expectantes ut ad opus *Edvardi*, quaſi ſervi ultimæ conditionis, ad Regis arbitrium, *non obſtante aliqua libertate*, apporrientur: Jugum ſubeunt ſervitutis.

Diripiuntur bona R. de Ros.

DIRIPIUNTUR res *Roberti* de *Ros*, boves, oves, inſtaurationes ejus, & quæcunque habuit in regno *Angliæ* inhumanè, & ad voluntatem emptorum bonis venduntur conditionibus. Nec profuit ei humilitas ſatisfactionis, quam obtulit, vel quam de Rege obtinuit, ut videlicet, non permitteret Regem & Reginam condormire, propter eorum juventutem, donec quidam terminus veniret, qui nondum veniſſe probabatur. Sequebatur autem Regem, ejus poſtulans gratiam & præſtolans, quam tamen non poterat adhuc obtinere. Inſtillatum eſt auribus plurimorum, quòd gratiæ Regalis privatio ab inveterato odio *Norenſium*, qui quondam patrem ſuum nitebantur, Rex ipſum ſicut & alios *Norenſes* perſequebatur. Omnes enim *Norenſes*, præter ipſum *Robertum* & *Johannem* de *Bailloil* (quem jam ſummo conamine nitebatur Rex illaqueare) ſuis priſtinis privavit proſperitatibus, & eorum poſſeſſiones tranſtulit ad alienos. O Regem mirabilem, cui impenſa officia quaſi nebulæ pertranſeunt matutinales, offenſæ verò per tot tempora theſauriſantur! Reſponſio autem ſæpedicti *Roberti* incircumſpecta, quando per corpus ſuum ſe defendendo, noluit de objecto crimine ſe purgare judicio inimicorum ſuorum, vel amicorum fortunalium, qui ruentem præcipitant, & fulciunt elevatum, ipſum reprobrum reddiderunt.

Pax inter Abbates S. Albani & Weſtmona.

EODEMQUE anno, poſt multas altercationes, facta eſt pax inter Abbatem S. Albani & Abbatem Weſtmonaſterii, ſuper lite mota de Aldenham: forma autem in libro additamentorum poterit reperiri.

Conſecratur Sewalus in Archiepiſc. Eboracen.

MAGISTER *Sewalus*, aſſumptus de gremio eccleſiæ *Eboracenſis*, videlicet de Decanatu, conſecratus eſt in Archiepiſcopum ejuſdem eccleſiæ, de quo ſanctus *Edmundus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, (de cujus ſchola & ſocietate idem *Sewalus* quandoque exſtitit) multa bona futura præconiſavit.

Pax facta inter Epiſc. Elyenſem W. & Abbatem Ram. H.

TEMPORE quoque ſub eodem, facta eſt pax inter Epiſcopum *Elienſem W.* & *Hugonem* Abbatem *Rameſiæ*, ſuper lite mota de terminis in *Mariſco* ſtatuendis. De quo *Mariſco* hoc mirum noſtris accidit temporibus, ut ubi quondam annis antiquiſſimis, quorum non extat memoria, loca invia & inacceſſibilia, ubi nullus hominum vel pecudum greſſus fuit, vel habitatio, ſed carecta, luta profunda, & arundineta paluſtria, ſolis avibus, (nedum dicam dæmonibus inhabitata, prout legitur in vita beati *Guthlaci*, qui ibidem ſponte, utpote in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis cœpit habitare) nunc in prata delectabilia, & etiam terram arabilem convertuntur. Et quæ ibidem pars ſegetes vel fœna non producit, gladiolum, ceſpites, & alia ignis pabula cohabitantibus utilia, germinando abundanter ſubminiſtrat. Unde lis & gravis contentio de terminis locorum talium & terrarum, inter eos qui ab initio *Mariſcum* inhabitabant exorta, lites & prælia ſuſcitabat.

Scandalum ortum Londini apud S. Trinitatem.

IN feſto verò, ſcilicet quod dicitur beati *Petri ad vincula*, in domo ſanctæ *Trinitatis Londini*, duo ejuſdem domus Canonici, dum de lana caprina ſæpè contenderent, ira litem ſuſcitavit.

Ira

1256.

Ira autem contentioſa & reſervata, odium inexorabile parturivit. Odium autem ultionem ſtuduit per ſanguinis effuſionem, & etiam internecionem, conſummare, Diabolo iram & odium, flatu nefario provocante. Unus igitur eorum nacta temporis ad tantum facinus aggrediendum, opportunitate, alterum interfecit, & ut videretur ad hoc provocari interfector, ſeipſum ultrò graviter vulneravit, & horribiliter cruentavit. Orto igitur flebili tumultu, captus eſt author ſceleris ſupradicti. Et prout rigor exegit juſtitiæ, eſt punitus. Diabolo igitur hæc omnia machinante, religio tota, quam præcipuè ſtudet diffamando denigrare, notam inde cepit, ſcandalum, & maculam confuſionis. Proh pudor, imò proh dolor! Ambo iſti Canonici decanonizati damnationis ſubientes periculum, ante ſummi Judicis tribunal, humani generis hoſtili calumniatori quid poterunt reſpondere? Væ illis per quos ſcandalum ſuſcitatum, religionem maculat univerſalem. Caveant igitur, caveant religioſi, quibus inſtantiùs Diabolus inſidiatur, jurgiis initiantibus iram aut odium reſervare. Quia

Ira parit litem, lis prælia, prælia mortem:

Taliſque mors prima, ſecundam generat ſempiternam.

Manfredus agnoſcitur legitimus filius Imp. Fred.

TEMPORIBUS quoque ſub eiſdem, *Manfredus*, qui filius tantùm naturalis *Frederici* diu credebatur, jam inquiſita & ſcita rei veritate, non jam tantùm naturalis, id eſt, illegitimus, imò pro legitimo habebatur. Unde ab omnibus *Siculis* & *Apulis* & finitimarum illarum Regionum incolis, qui eidem cœperunt adhærere, amabatur & honorabatur. Contigit enim, quòd jam circiter viginti annis elapſis, mater ipſius *Manfredi* graviter infirmata, vocavit ipſum, ſcilicet Imperatorem, ut miſertus illius pro Deo ipſam viſitare non dedignaretur. Credebatur namq; in proximo moritura. Et cùm veniſſet Imperator, ait ei mulier junctis palmis, & obortis lachrymis cum ſingultibus, Domine miſerere mei in proximo morituræ, & ſuccurre perituræ, de periculo corporis mihi formidandum eſt, ſed multò magis ſollicitor de periculo animæ imminenti. Habes namque filium quendam naturalem *Manfredum*, quem tibi genui. Placeat igitur me deſponſari, ut & ille *Manfredus* legitimetur, & anima mea à periculo liberetur. Inclinatus eſt igitur precibus ſupplicantis, & ipſam ſibi matrimonio copulavit. Hæc autem multis annis multos latuerunt. Sed hoc anno, omnibus *Siculis* & *Apulis* manifeſtè patuerunt, unde hactenus immobiliter ſteterunt cum eodem contra Papam, & omnes qui illi adverſabantur. Et cœpit *Manfredus* proſperari in via ſua, & in bello, quod contra Papam moverat, ſuper omnes ferè inimicos ſuos exaltari, & ad votum dominari, unde Papa cœpit rogare ea quæ pacis ſunt. Ceperat namque dictus *Manfredus* jam *Neapolim*, *Barletum*, & civitates maritimas, *Capuam* & alias multas civitates & oppida. Et quod pluris eſt, corda magnatum & populorum ad ſe conciliata proniùs inclinavit. Nec erat aliquis de Prælatis eccleſiæ qui domino Papæ heu heu condoleret. Quod profectò non valeo ſine lachrymarum profluvio ſcribere, vel pronunciare. "Taliter ſe habet verſus fideles *Chriſti* dominus Papa, quos teneretur in ſinu charitatis affectu "paterno blandiùs educare, ut nullus adverſitatibus ejus compatiatur, imò potius ſi quis "eum infeſtet & impetat, etiam malus & reprobus, ſucceſſibus perſequentis congratula-"tur.

Brancaleo liberatur è carcere.

BRANCALEO Romanorum Senator, de quo bona fama pullulare non deſinit, qui pro executione juſtitiæ multam à magnatibus *Romæ* perſecutionem toleraverat, à carcere, in quo detruſus fuerat, populo procurante, liberatur.

Rex & Regina Scotorum venit in Angliam.

MENSE autem Auguſto jam intrante, ex benevolentia & mandato domini Regis *Angliæ* & Reginæ, venerunt Rex & Regina *Scotiæ* in *Angliam* cum magno & copioſo comitatu & honorabili familia (ita ut crederentur ſecum habere circiter trecentos equos) cauſa viſendi dominum Regem & Reginam *Angliæ*. Ut *Scotorum* Regina, patrem & matrem Regem & Reginam viſitaret: & *Scotorum* Rex, dominum & ſocerum ſuum Regem, qui etiam dilectionis affectu ipſum in filium adoptaverat, viſeret, necnon & reginam *Angliæ*. Sitienter enim concupierunt *Anglorum* Regem & Reginam & regnum *Angliæ*, mores & geſtus *Anglorum*, Eccleſias, civitates, & caſtra, fluvios & prata, ſylvas & agros, conſiderare, & contemplari, quæ inter omnium Regnorum delicias, maximè comprobantur.

Occurrit Rex Angliæ Regi & Reginæ Scotorum.

QUOD cùm dominus Rex *Anglorum* cognoviſſet, cum ſummo gaudio occurrit adventantibus. Et ruens in amplexus eorum, dulce cum ipſis miſcuit colloquium & familiare. Convenerant autem ibi de mandato domini Regis, Magnates innumerabiles. Qui cum omnes congregarentur, multa millia equorum, & plura hominum cenſebantur. Nec poterat illos aliqua civitas vel illud regale manerium, videlicet *Woodſtok*, ubi ſimul convenerant, capere; ſed in faltubus & agris fixis papilionibus, Magnates & Milites hoſpitabantur. Civitas inſuper *Oxoniarum* & villæ rurales circumquaque, hoſpitibus replebantur. A quo loco verſùs *Londinum* per diverſa itinera, profecti ſunt, ne deeſſent tantæ multitudini victualia, quam Rex juſſit pallis, coronis, & multiplicibus ornamentis redimiri, ut in adventu tantorum hoſpitum tota civitas, imò & *Weſtmonaſterium*, gauderet eminus ſerenata. Quod & factum eſt, ut die aſſumptionis beatæ virginis conſummata magnificè apud *Woodſtok*, tam in eccleſia, quàm Regio Palatio, iter ver-

1256. ſus *Londinum*, tam Rex & Regina *Scotorum*, quàm Rex & Regina *Anglorum*, ut prætactum eſt, diverſis viis, propter itinerantium numeroſitatem, arripuerunt.

Rex Angliæ munera pretioſa offert S. Albano.

DOMINUS autem Rex cùm *Londinum* tenderet, venit ad *ſanctum Albanum*, nec ſciri poterat adventus ejus die præcedente ad *ſanctum Albanum*. Et ibidem Deum & ſanctum *Albanum Anglorum* Prothomartyrem, devotè, ſecundùm ſuam conſuetudinem adorans, obtulit Eccleſiæ quatuor pallas, unam quidem aſſignavit altari *ſancti Albani*, ad pendendum & materiam adornandum. Aliam, altari ſancti *Amphibali*, ſcilicet ad pendendum materiæ. Aliam, altari ſancti *Vlſtani*. Aliam quoque altari ſanctæ *Mariæ*, videlicet ad pendendum ubi canitur quotidie.

Edwardus occurrit Regi Londinum adventanti.

ET cùm veniſſet Rex *Londinum*, occurrit ei *Edwardus* ejus primogenitus, cum aliis multis Magnatibus, & ornabatur civitas in adventu Dominorum tantorum. Aderant enim ibi Rex & Regina *Anglorum*, Rex & Regina *Scotorum*, *Edwardus* & Magnatum & Prælatorum multitudo copioſa. Et petiit dominus *Johannes Manſel* die ſancti *Auguſtini* Doctoris, ut liceret ei incraſtino tot hoſpites magnificos reficere. Quod & ei conceſſum eſt. Invitavit igitur ad prandium magnificum Reges *Anglorum* & *Scotorum*, Comites, Barones & Milites. Epiſcopum ququе *Londinenſem*, & quàmplures *Londinenſes* cives, ita ut omnes ejus hoſpites, domus ejus de *Totale* capere non poterant. Sed fecit expandi quamplures regales & amplas papilliones, quæ convivas caperent reficiendas. Erat autem tanta convivantium multitudo, ut vix eis ſeptingenta fercula in primo prandio ſufficiebant. Nec viſum eſt aliquo tempore, ut aliquis clericus tam opimum feſtum, tam ſerenum, tam fœcundum, tamque lautum peragere potuiſſet. Omnes enim ſplendidè, & abundanter, ac honorificè ſunt refecti.

Frater Regis Hiſp. profugus venit in Angliam.

ET eodem tempore venit in *Angliam* quidam magnus Baro de *Hiſpania*, frater videlicet Regis *Hiſpaniæ*, profugus & fugatus de *Hiſpania*. Qui indignationem Regis *Hiſpaniæ* meritis ſuis exigentibus, incurrerat, alienæ pecuniæ inhiabat, & auxilio Regis *Anglorum* indigebat. Offenderat enim Regem *Hiſpaniæ* enormiter, & fugatus a terra illa, confugit ad ſinus Regis *Anglorum* & *Edwardi*, ut interpellantes pro eo, ipſum in amicitiam Regis fratris ſui priſtinam concordantes reſtituerent. Ipſe enim offenſor, errores perpetratos corrigere promptus fuit & paratus. Rex igitur, ſecundùm quod conſuevit omnibus alienis, ſinum aperuit conſolationis, & juſſit ei abundanter omnia diſtribui neceſſaria. Et commiſit ipſos *Hiſpanos* cuſtodiæ domini *Willielmi*, bonâq; Militis, qui novit *Hiſpanos* & eorum mores & conſuetudines, fecerat enim plura nuncia regis *Angliæ* ad regem *Hiſpaniæ*.

Huntendona Regi Scotorum conceſſa.

DOMINUS autem rex *Angliæ* in craſtino ſancti *Egidii*, conceſſit & inchartavit regi *Scotiæ Huntendonam*, ut eam, cum honore ad eam pertinente, teneret & haberet, ſicut aliqui ſui habebant prædeceſſores & tenebant. Et ſic decrevit rex diatim depauperatus.

Prioris Wint. expulſi manus ad menſam Papalem.

ANNO ſub eodem, ex prodigalitate Prioris *Wintonienſis* expulſi, recepit menſa Papalis incrementum qualibet die per annum unius marcæ argenti in reditu perpetuo. Quem dominus Papa patentibus rictibus deglutivit. Sunt autem dies in anno trecenti & ſexaginta quinque. Reditus igitur extortus ad tot marcas aſcendit. Et cachinnantibus *Romanis*, receſſit idem Prior infecto negotio à curia, omni fraudatus propoſito deſiderato. Nam munera ſui adverſarii, videlicet Electi *Wintonienſis*, ad plus aſcendiſſe perhibentur.

Vicecomitis Northamptoniæ enorme facinus.

HÆC idcirco dixerim, quia tunc temporibus fuerat quidam Miles, dives, & multis bonis inſtauratus, cujus terra ad centum libras & quinquaginta æſtimabatur. Qui ut de divite ditior efficeretur, procurabat ut Vicecomes *Northamptoniæ* efficeretur, priore ſubplantato. Extorſit igitur undique pecuniam, culpis vel cauſis minimè conſideratis. Huic nomen erat *Willielmus* de *Inſula*. Hic dum patriam peragraret, & obiter fortè inveniret quoddam pratum pulcherrimum, in quo paſcabantur boves paſcuales pingues & pulchri, vidit & invidit, & viſos concupivit. Et illicò inventa via cavillationis, ait bubulco: Cujus homo es? At ille: "Amici "tui homo ſum, & nominavit dominum ſuum: & ejus ſunt pecora iſta. Vicecomes autem à multo tempore ipſum oderat, & tantò aſtutiùs ſtuduit ipſum illaqueare, ut ipſius bonis per fas & nefas ditaretur. Dives enim erat, & vir in tota patria clarus, diſcretus, & ſpectabilis. Vicecomes autem intuens bubulcum torvo aſpectu, ait ei: "Fur es, & ſervus furis. Quomodo aliter "tot pecora & ſpecioſa poſſideret? Tu quidem nocturnus boum exactor, & ipſe profectò receptator. Quod cùm inficiaretur bubulcus, affirmans dominum ſuum & ipſum eſſe fideles, addidit Vicecomes: "Mentiris; es enim latrunculus, & latronis famulus: te capio & pecora quæ "dominus tuus furti receptator, educat, ut vendat impinguata. Iratus igitur Vicecomes, licèt ſine cauſa captis bobus, vel cuſtodiæ mancipatis, bubulcum captum & ligatum ſecum ad domum ſuam abduxit, cum horribili juramento affirmans (ut vulgariter & uſualiter loquar) quòd faceret eum cantare; & cantando tam de domino ſuo, quàm de ſeipſo, veritatem ſuper furtis perpetratis eminus confiteri. Incarceratum igitur bubulcum, tot & talibus exquiſitis tormentis fecit torqueri, ut in portis mortis jam conſtitueretur. Tandem ut ceſſaret tortor, ipſum tam immiſericorditer exagitare, clamans aſſiduò: "Confitere, confitere, quoniam fur es: con- "feſſus eſt miſer ſemivivus, quoniam fur eſſet, cùm tamen non eſſet. Et fecit eum Vicecomes "ſiſti ante ipſum, & ait: Nunc confeſſus es palàm audientibus aliquibus, qui teſtimonium ſuper hæc valent, & volunt perhibere, quoniam latro es, & latronis famulus, addiceris ſuſpendio

judicialiter

1256.

"judicialitèr, ſola tibi crux ſupereſt irremediabiliter. Veruntamen, potens ſum crucifigere, & potens ſum dimittere te: fac tunc audacter quod conſulo, & liberaberis. Appella dominum tuum furti, & aſſere conſtanter coram Juſticiariis; quoniam tu fur es, & furis famulus. Tu actor, ipſe autem, conſentaneus, & receptator. Servus autem tremens, & timens, ne in locum tormentorum expertorum retruderetur, conceſſit omnia. Quo facto, fecit eum Vicecomes adhuc reſervari, ſed in cuſtodia liberiori, uſque ad Juſticiariorum adventum in brevi ventorum. Hoc autem cùm domino bubulci, qui tunc febribus acutis laborabat innoteſcerent, miſſis internunciis utrobique benevolis, à Vicecomite in hoc arcto caſu miſericordiam miſericorditer poſtulabat. Duæ enim anguſtiæ ipſum mortiferè comprimebant. Tandem pecunia non minima interveniente, infirmus, donec tranſiſſet dies criticus, ut aliquantulum ab infirmitate valeret reſpirare, vix inducias impetravit. Interim autem convaleſcens Juriſperitos diligenter & ſtudioſè conſuluit, qualiter à laqueis poſſet evadere præparatis. Itaque jam ad plenum edoctus, conſolationem recepit ſimul & ſanitatem. Vicecomes autem in incœpta malitia immobiliter perſiſtens, licèt multis blandis ſermonibus & opimis muneribus amicabiliter, ut ab incœptis deſiſteret, poſtularetur, ſaltem propter ſcandalum ſedandum, proceſſit in perſecutione innocentium. Venientibus igitur Juſticiariis, fecit bubulcum ſiſti coram eis, tanquam paratum, ut dominum ſuum furti nequiter appellaret. Et cùm mirarentur omnes, quòd talia inter tam præclaras perſonas præpararentur, datum eſt bonum ſilentium bubulco loquuturo. Qui ait in propatulo: "Domini Juſticiarii, certè non fur ſum, nec furis ſocius, vel miniſter. Sed iſte Vicecomes, ut dominum meum perimeret, tormentis fecit me torqueri miſerabilibus, & diuturnis, ita ut clamor meus totam viciniam commoveret, ita ut cogeret quicquid vellet, confiteri. Et cum confeſſus fuiſſem, me furem eſſe (cum tamen non eſſem) ſubjungens ait: Nunc confeſſus es, quoniam latro es, ſolummodo crux tibi ſupereſt. Veruntamen te liberabo, ſi dominum tuum ut fur furem appellaveris. Et quicquid tunc promiſerim cruciatibus infatuatus, nunc palam proteſtor, aſſero & affirmo, quod fidelis domini ſervus ſum, Rei vero ſeriem intimo cum veritate. Et ſi quis vel me, vel ipſum contradicendo furti vel alterius ſceleris appellaverit, ſecundum regni leges & conſuetudines ritè defendemus. Domino inſuper bubulci, qui præſens aderat, omne genus ſceleris conſtanter inficiante, conſiderabant Juſticiarii diligenter & argutè hujus ſeriem narrationis, quoniam verba hæc nimis erant contra Vicecomitem ſuſpecta. Sciebat enim totus Comitatus & quidam Juſticiariorum, quod Vicecomes cavilloſus, avarus fuerat & conductitius. Et ipſe bubulci dominus in plenis comitatibus quandóque iniquo judicio & impetuoſis ſententiis Vicecomitis obviando, tanquam juſtus & diſcretus contradicebat, propter quod oderat eum & perſequebatur. Erant inſuper dominus & ſervus famæ integræ & illibatæ, ita ut nunquam infames de furto vel alio crimine notarentur. Hæc omnia Juſticiarii, non abſque ratione trutinabant. Sed quia vicecomes vir fuit auctenticus, generoſus, & magnus domini Regis Ballivus, noluerunt mortis ſententiam, licèt multipliciter promeruiſſet, præcipitanter fulminare. Aſcendit igitur clamor iſte querulus, uſque ad Regem & Regis Curiam: qui de immanitate ſceleris vehementer mirabatur. Sed juxta quod ſcriptum eſt: *deſcendam, & videbo utrum clamorem opere compleverint*; miſit dominus Rex peritos & ſagaces viróſque potentes, qui nec timore, nec prece, nec pretio corrumperentur, hujus rei diligentes inquiſitores; ut nota veritate & facta condigna ultione, cæteri perterriti, conſimilia facere formidarent, videlicet Comitem *Glovern.* Comitem *Legreceſtriæ*, *H. Bathon.* & *Ro. Walerannum*, milites, legum regni peritos. Qui cùm facta ſuper hoc per milites Comitatus diligentiſſima inquiſitione, & pejora prioribus de Vicecomite inveniſſent, nunciatum eſt Regi. Qui attonitus, & omnes qui audierant, mirabantur de tanta iniquitate perpetranda. Cùm igitur meritò Vicecomiti mors ignominioſa immineret, videlicet ut ad patibulum tractus ſuſpenderetur, uxor ejus anxia, rapido curſu Regem & Reginam *Scotorum* adit; flebili clamore & fletu poſtulans, ut tanto malo imminenti obviare ſuis interceſſionibus verſùs dominum Regem *Angliæ* dignarentur. Dominus inſuper *Johannes* miſertus tantæ calamitatis, fecit verba pro fœmina miſerabili. Et cùm interveniſſent Rex & Regina *Scotorum* pro ipſo Vicecomite manifeſtò reo, noluit dominus Rex *Angliæ* ipſos contriſtare, tantos interceſſores, & conceſſit ei vitam & membra (ſcilicet coactus & invitus) quia multum offenſus extitit, & meritò. Et ſic *per mulierem fidelem*, prout dicit Apoſtolus, *vir ſalvatur infidelis.* Hæc idcirco pleniùs huic paginæ duximus commendanda, ut ſciat lector quantum Deo diſpliceat, cum executione nocumenti tyrannica malignitas. Secundùm illud Poëticum: *Satis eſt nocuiſſe, poſſe nocere.* "Nihil facias quod poſteà velles non fieri: ſed ſit mens cauta præambula facti.

UT autem manifeſtè pateat cuilibet lectori, quòd hæc virulenta obligatio, quæ ab epiſcopo *Herefordenſi* emanat, fontem habet initialem ab ipſo Papa, niſi bulla adulteretur; has literas duximus huic libello, ut perpetuetur memoriâ, inſeri; Prælatorum modernorum & ſervitutis Eccleſiaſticæ commendandas. *Origo deteſtab. de obligationis.*

"*ALEXANDER*, &c. dilecto filio magiſtro *Ruſtando*, &c. Cùm olim *Bertoldo*, Marchioni de *Cambrigia*, pro negotii regni *Siciliæ* procuratione, duo millia unciarum auri per dilectos filios, *Reinaldum*, *Remerum*, *Pervium*, *Scottum*, & *Chriſtophorum Colum*, eorúmque ſocios Cives & Mercatores *Senenſes*, perſolvi mandaverimus; & propter hoc quædam Monaſteria eccleſiæ regni *Angliæ* fuerunt in duobus millibus marcarum ſterlingorum novorum de mandato *Literæ Papales nefariæ.*

"noſtri

1256. “noſtri eiſdem Mercatoribus obligata. Quia prædictus Marchio & fratres ſui multorum beneficiorum, quæ à nobis & Eccleſia *Romana* receperant, immemores exiſtentes, manifeſtam proditionem adverſus nos & eandem eccleſiam, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum regem *Angliæ* illuſtrem commiſerunt in regno prædicto *Siciliæ*, propter quod omnibus beneficiis & gratiis à nobis impenſis eiſdem, meritò ſunt privandi. Et de hujuſmodi pecunia, non niſi tantùm trecentæ unciæ fuerunt per dictos Mercatores eiſdem Marchioni & fratribus perſolutæ. Diſcretioni tuæ in virtute obedientiæ per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipimus, quatenus prædicta duo millia Marcarum ab hujuſmodi Monaſteriis & Eccleſiis colligas, vel per alium colligi facias, & hoc per dilectum filium magiſtrum *Bernardum* de *Sen.* Capellanum & nuncium noſtrum, vel per quemcunque alium collegam ſuum, & eiſdem Mercatoribus antedictis, aſſignata, valore prædictarum trecentarum Marcarum auri dimiſſo Mercatoribus ſæpedictis, reſiduum tibi facias à detentoribus exhiberi, contradictores & detentores hujuſmodi, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, *non obſtantibus* aliquibus literis Apoſtolicis vel indulgentiis, cujuſcunque tenoris exiſtant impetratis, vel in poſterum impetrandis, per quas hujuſmodi ſolutio impediri valeat vel differri. Seu ſi aliquibus literis Apoſtolicis, à ſede Apoſtolica ſit indultum, quòd excommunicari, interdici nequeant vel ſuſpendi. Poſtquam verò prædictam pecuniam collegeris vel receperis ab ejuſdem detentoribus quibuſcunque, tu Monaſteria ipſa & Eccleſias ſupradictas ab obligatione, qua ſuper ſolutione facienda Mercatoribus ipſis de ſupradicta ſumma pecuniæ tenebantur, Apoſtolica auctoritate abſolvens; inſtrumenta publica & literas ſuper hujuſmodi obligatione confecta, viribus in poſterum carere decernas. Quid autem & quantum ab hujuſmodi Monaſteriis & Eccleſiis, vel magiſtro *Bernardo* & Mercatoribus ſupradictis & aliis detentoribus quibuſcunque receperis, dilectis filiis *Carbuco* & *Jacobo* de *Laſt.* vel eorum alteri, *I. Remero, Gileberto Cremonenſi*, & Mercatoribus *Florentinis*, qui pro munitionibus civitatum & caſtrorum aliorum & locorum ejuſdem regni *Siciliæ*, duo millia Marcarum ſterlingorum nobis liberaliter mutuarunt, ad quorum ſolutionem nos & Eccleſiam *Romanam* eis certo termino faciendam obligati ſumus eiſdem, ſicut caram gratiam noſtram habes, aſſignare procures. *Non obſtante*, quòd tibi ſuper ſolutionibus de quibuſdam pecuniarum ſummis eis & quibus aliis communiter faciendis, aliàs direximus ſcripta noſtra, quantitatem pecuniæ, quam eis duxeris aſſignandam, tuis nobis patentibus literis intimando. Nos igitur de hujuſmodi ſumma pecuniæ in prædictis, *Carb.* & *Jacobo*, vel eorum alteri, fuerit noſtro & eccleſiæ *Romanæ* nomine perſoluta, reputabimus nobis & eccleſiæ prædictæ fore plenariè ſatisfactum. Mandatum autem noſtrum taliter ſtudeas adimplere, quòd ipſos *Carb.* & *Jacobum*, propter hoc non oporteat ulterius ad nos habere recurſum. Quòd autem hæc omnia de voluntate noſtra procedant, eidem regi intimare procures. Abbates verò & Priores, & Conventus Monaſteriorum & eccleſiarum, quæ propter hoc obligata fuerunt, necnon & quantitatem pecuniæ, in qua quodlibet eorum Monaſteriorum, in quibus eccleſiarum ipſarum tenetur ex obligatione hujuſmodi, præſentibus fecimus annotari. Prior & Conventus *Dunelmenſis*, in quingentis marcis. *Bathonienſis*, in quadringentis marcis. Abbas & Conventus de *Thorneia*, in quadringentis marcis. Abbas & Conventus de *Croilandia*, in quadringentis marcis. Prior & Conventus de *Giſeburnia*, ordinis Sancti *Auguſtini*, in trecentis marcis: Fuerunt auctoritate ſedis Apoſtolicæ obligati. Datum *Anagniæ*, decimo Calendas Julii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Prior & Conventus Dunelmenſis *&* Giſeburniæ *nolunt conſentire obligationi prædictæ.*

CUM autem audiſſent Prælati *Angliæ*, ut prædictum eſt, quòd Papa & rex confœderarentur in ſubverſionem *Anglicanæ* eccleſiæ, quod intelligi poteſt per prædicta, adeò in ambiguum rotabantur, & quaſi inter duas molas conterebantur, ut cæci neſcirent penitus quid agendum. Veruntamen Prior & Conventus *Dunelmenſis*, neque Prior vel Conventus de *Giſeburnia*, aliquo modo voluerunt flecti, ut conſentirent illi virulentæ obligationi, ut ipſi ſuas eccleſias tam enormi ſervituti inclinarent, licèt omnes ferè alii genua *Baal* incurvarunt. Sed ſteterunt, & ſuſpenſionem diutinam, & *Romanæ* curiæ perſecutionem, & Mercatorum, id eſt, uſurariorum convicia, jurgia & comminationes alacriter & viriliter, pro libertate ſuæ eccleſiæ dimicantes, ſuſtinuerunt. Et ſicut ipſi doluerunt, non habere in tali certamine conſortes, ita timuerunt ſuper omnia Papales, ne alii præſtarent illis in tribulatione ſubſidium compatiendo, & ſimilia cum ſuis fratribus aggrediendo. Sed puſillanimes & meticuloſi incurvati ſunt, ut ab hoſtibus calcarentur. Et ſic non erat qui ſolatium impenderet, vel ſubſidium exhiberet, ſed diviſi, quaſi vento agitati, quilibet, quæ ſua fuerunt, charitatis expertes, defendebat, & defendendo ſuccumbebat. Et hæc cornua præſtabant inimicis.

Rex Caſtellæ *minatur invadere* Gaſconiam.

PER idem tempus, cùm Dominus rex, jam factus egenus, & expers theſauri, ita pecuniæ inhiaret, ut vina *Gaſconienſium* diriperet, & ſine precii ſolutione, quam parationem appellamus, ipſi Vinitores & alii Mercatores vacui & inanes redierunt, graves ſuper his querimonias Magnatibus terræ ſuæ reponentes. Et præcipuè coram Rege *Caſtellæ*, qui pacis mediator fuit inter Dominum regem *Angliæ* & *Gaſconienſes*, & formam pacis in chartam redegit, quæ ad ſignum *cancellatorum enſium*, in *libro* ſcribitur *Additamentorum*. Quod cùm Rex *Caſtellæ* audiſſet, ſupra modum motus & commotus, in hæc verba contumelioſa prorupit, dicens: “Pœnitet me ipſi regi *Angliæ* confœderari, qui nec verba, ſed nec chartas cuſtodit inviolatas, nec juramenta tranſgredi erubeſcit, vel in Canonem latum præcipitari. Licèt igitur & decet fidem non

obſervanti,

1256

"obſervanti, pacta inita non obſervare. Minabatur igitur ſub ſermone terrifico, *Gaſconiam* hoſtiliter intrare, & eam ſuo dominio mancipare. Rex inſuper *Francorum*, quia jam treugæ expiraverunt, non leviora comminabatur. Dominus igitur rex *Anglorum*, de talibus malis, nec mirum, perterritus, miſit ad regem *Caſtellæ Johannem* de *Gateſtene*, militem, & quoſdam alios ſolennes nuncios, ut animum ejus mitigarent. Qui inter cætera verba ornata & moderata, hæc & alia, uti prudens & facundus, atq; literatus, dicitur pronunciaſſe. "Domine rex ſereniſſime, "quid potuit Deus omnipotens plus feciſſe beneficii & liberalitatis, quam dediſſe filium ſuum "ad ullius liberationem ac redemptionem? Cui Rex: Neſcio, quia maximum fuit illud. Cui "*Johannes*: Hoc profectò fecit tibi Dominus meus Rex *Angliæ*. Dedit nempe tibi filium primogenitum ſuum, univerſorum hæredem, ſpecie elegantem. Ne igitur iraſcatur ſerena diſcretio tua tali ac tanto amico tuo, in te, tanquam in fratrem ſuum confidenti. Et ſic quievit Regalis indignatio. Veruntamen *Gaſto*, & alii Domini regis *Angliæ* proditores, de protectione ipſius Regis commoti, caput extulerunt, & quædam certamina incœpta continuarunt.

Decanatus Eboracenſis per fraudem occupatur.

PER idem tempus, venerunt quidam ignoti in eccleſiam *Eboracenſem*, in hora dum diſcumberent homines ſoli menſæ intendentes, clanculò intrantes, inquiſiverunt à quodam ibidem orante, quodnam eſſet ſtallum Decani. Et reſponſum eſt, hoc, demonſtrato ſtallo Decanali. "Duo igitur tertio, quem inſtallarunt, dixerunt: *Frater, nos te auctoritate Papali inſtallamus.* Quod cùm cognoviſſet Archiepiſcopus *Sewalus*, noviter creatus, & quandóque illius eccleſiæ Decanus, doluit inconſolabiliter de tali fraude perpetrata, & factum illud ſubdolum, quantum in ſe potuit, irritavit. Fraudulenti tandem *Romanam* curiam, de qua venerant, adeuntes, illum bonum virum & modeſtum Archiepiſcopum, interdici fecerunt, & damnis & laboribus immenſis fatigarunt. Quæ omnia ſanctus Præſul ſuſtinuit in patientia, ut immineret ei evidenter tribulatio, quam magiſter, ejus amicus quondam & ſocius, Sanctus *Edmundus*, prædixerat profuturam. Hæc autem fraudulenta præſumptio, omnes Canonicos ita reddidit attonitos, quòd quid agendum penitus ignorarunt. Abſurdum namq; & omni rationi diſſonum, imò deteſtabile eis meritò videbatur, tam nobilem Præbendam, tam arduum officium, deſpicabili & ignoto, ſic intruſo, conferri permittere, ut in tam nobili eccleſia fieret talis & taliter ſuo Archiepiſcopo ſecundarius. Auctoritatem tamen tyrannicam Domini Papæ, cui ſe rex totum inclinavit, & ut aptius dicam, incurvavit, vehementer formidabant.

Monachi Ciſtercienſes vectigal ſolvere coguntur.

REX præcepit ne aliqua gratia exhiberetur *Ciſtercienſibus*, ſed ut vexarent eos Vicecomites & alii Regii ſatellites, nec fieret eis jus, niſi commune. Et iratus quia interceſſores procurabant pro eis, permiſit, ut exigeretur & extorqueretur ab illis, cùm redirent de generali eorum capitulo, Telonium, quod vulgariter dicitur Paagium, contra libertatem & antiquam, & approbatam eorum conſuetudinem. Unde multi ſuper hoc non præmuniti, cucullas & tunicas vendere cogebantur.

Obitus quorundam Epiſcoporum.

EODEMQUE anno cœpit ægrotare lethaliter Archiepiſcopus *Burdegalenſis*, jam ſenex & decreptius. Et cùm penitus crederetur, qui ſemivivus extitit, mortuus, Epiſcopus *Herefordenſis* (qui ſummo deſiderio ad illum Archiepiſcopatum ambiens anhelabat) impetratis literis Domini Regis, quem habuit favorabilem, utpote Telonearius ejus, cùm veritas pateret quòd viveret, iter, laborem, operam perdidit, & expenſas, multis ſannis appetitus, ſicut de quodam magiſtro *Lambino* dicitur contigiſſe, de quo licèt tantillum à materia digrediar, duo verſiculi componebantur:

> *Ære dato multo, nondum Paſtore ſepulto,*
> *Lambit ad optatum Lambinus Pontificatum.*

Eodémq; tempore obiit *Landanus*, & alius eſt ſubſtitutus. Eodem quoq; anno Epiſcopus *Karleolenſis* magiſter *Thomas* in principio Octobris, qui ſicut Epiſcopus *Elyenſis*, vix uno anno ſuum rexerat Præſulatum, de medio ſublatus eſt. In quibus pendula gloria dignitatis ſæcularis, quàm ſit tranſitoria, luce clariùs declaratur. Epiſcopus autem *Elyenſis Willielmus*, in itinere *Hiſpanienſi*, dum Regi terreno miniſtraret obſecundans; ad tribunal ſummi tractus Imperatoris, in fata conceſſit peregrinus. Cor autem ipſius ad ſuam eccleſiam *Elyenſem* defertur tumulandum ſolenniter in eadem. Epiſcopus quoq; *Ceſtrenſis*, magiſter videlicet *Rogerus* de *Weſtham*, die omnium Sanctorum, ultrò ſuo conceſſit Epiſcopatui. Obiit quoq; eodem tempore Prior de *Neuburgo Johannes* Canonicus; qui ſicut Epiſcopus *Elyenſis Willielmus* de quo prædictum eſt, domino Regi familiaris, & conſiliarius extitit ſpecialis.

Exactio Regis facta ſedentibus Magnatibus ad Scaccarium.

ANNO quoq; ſub eodem, Dominus Rex venit die quarta ante diem ſancti *Edwardi* ad Scaccarium, & ſedentibus ibidem Baronibus, ore proprio pronunciavit, quòd quilibet Vicecomes, qui in octavis ſancti *Michaelis* non apparuerit ſingulis annis, cum oſtenſione pecuniæ Regis, tam de firmis, quàm amerciamentis, & aliis modis ei debitis; prima die ſit amerciatus ad quinque marcas; ſecunda ad decem; tertia ad quindecim; & quarta ſit redimendus, ſi abſens fuerit. Similis quoq; pronunciatio facta fuit per eundem Regem contra Civitates, quæ libertates habent, & per proprios Ballivos ad Scaccarium reſpondent: ita ſcilicet, quòd quarta die amittant libertates ſuas, niſi comparuerint eo modo, quo Vicecomites debent comparere. Et ſciendum eſt, quòd eodem die amerciati fuerunt omnes Vicecomites *Angliæ*; ſcilicet quilibet ad quinque marcas;

1256. pro eo, quòd non diſtrinxerant in Comitatibus quemlibet habentem decem libratas terræ, ut fieret miles; vel dilationem quærerent à Rege, prout eiſdem præceperat per literas ſuas Vicecomitibus directas.

Supprior Elyenſis eligitur in Epiſc.

DOMINUS Rex, qui dominum *Henricum* de *Wenglham*, ſigilli ſui bajulum, promovere cupiebat, ſpeciales literas ſupplicatorias & ſolennes nuncios Conventui *Elyenſi* direxit; petens urgenter & inſtanter, ut dictum dominum *Henricum* in Epiſcopum & ſuarum eligerent Paſtorem animarum. Conventus autem conſiderans notitiam ſui Supprioris, ſecundùm illud ethicum:

Ignotum tibi tu noli præponere notis.

Ipſum memoratum ſuum Priorem, *Hugonem* videlicet de *Beleſale*, in ſuum Epiſcopum elegerunt. Rex autem iratus fortè pro repulſa, Electum non acceptavit, & quibuſdam cavillatoriis exceptionibus ipſum refutavit. Præcepitque, vel conniventibus oculis permiſit, ut *Johannes Waleranus*, cui cuſtodiam Epiſcopatus illius commiſerat, ſylvas explanans, omnia devaſtaret, & Epiſcopatum ſuis bonis graviter viduaret. Quod pleniùs quàm permiſſum fuerat aut conceſſum, factum eſt; ita ut inimici Epiſcopatus lachrymari poſſent, & beatam *Etheldredam* ad vindictam provocari.

Eccleſia S. Albani ſupponitur interdicto.

EODEM anno, protervientibus Papalibus exactoribus, eccleſia Beati *Albani*, circa feſtum *Simonis* & *Judæ*, per quindecim dies ſuppoſita eſt interdicto; non quia magnificis deſtituta ſit privilegiis, ſed quia hæc adjectio deteſtabilis, *Non obſtante*, omnium ſanctorum Patrum pias enervat conceſſiones, & annullat auctoritatem. Maluit igitur Conventus injuſtam ac violentam ſententiam, ne contemptus tribulationem ſuſcitaret, obſervare reverenter, quàm temerè non tenere. Ceſſavit igitur à campanorum pulſatione, divinorúmque celebratione: & interim in Capitulo horas Canonicas cum Matutinis, complevit voce demiſſa. Animante igitur fratre *Johanne* de *Dia*, qui quaſi vices egit Legati tunc in *Anglia*, Conventus divina modo conſueto celebravit.

Scandalum ortum in Cœnobio Glaſtonienſi.

EODEM anno, quibuſdam controverſiis inter Epiſcopum *Bathonienſem* & Conventum *Glaſtonenſem* exortis; intruſus quidam in illud Cœnobium violenter, & invito Epiſcopo, auctoritate Regia, cœpit omnia auſu temerario ordinare, ſigillum ſibi adulterinum fabricare. Interim dum Epiſcopus, pro jure ſuo proſequendo, *Romam* peteret, rerum fiebat utrobique diſtractio. Intruſus autem quoſcunque poterat convocat nebulones & gyrivagos; & convocatos indignos, in læſionem honoris Monaſtici, (ut ſuam partem contra Epiſcopum roboraret) Monochavit decem & octo, & tertia die fecit profeſſos: non veritus iſtam Dominicam comminationem, imò potiùs maledictionem. *Væ homini, per quem ſcandalum ſuſcitatur.* Similique modo nobilis Eccleſia *Wintonienſis* ſchiſmate turpabatur. Et ſicut illi hiſtriones, quos Electus *Wintonienſis* in contumeliam Prioris convocatos Monachaverat, apoſtatantes receſſerunt: ſic non aliud ab iſtis ſperabatur.

Dublinenſis & Eboracenſis *ſtabiliuntur in Archiepiſc. ſuis.*

TEMPORIBUS quoq; ſub eiſdem, ſtabiliuntur proſperè in Archipræſulatibus ſuis *Dublinenſis* ſcilicet magiſter *Fulco Baſſet*, & *Eboracenſis*, magiſter *Sewalus*, domino manum apponente, poſt multas ipſorum Epiſcopatuum vaſtationes irreſtaurabiles. Et ſic Regis auctoritas, eo ipſo procurante, cum Regni dignitate dlatim declinavit.

Epiſc. Herefordenſis *ſibi colligit decimam.*

EPISCOPUS *Herefordenſis*, non conſiderans Reipublicæ utilitatem, ſed quæ ſua eſſe poſſent, inveſtigans; de licentia Papæ & Regis, decimam ſibi collegit in finibus *Hyberniæ* & partium conterminarum. Videlicet non minimam pecuniæ quantitatem, quam precium ſui laboris reputavit, & ſuæ præmium proditionis; fecítque ipſam ſibi tam diſtrictè colligi, ut pudor prohibuerat modum extorquendi recitare. Et quia fraus metu carere non conſuevit, meticuloſus armatis & armatus vallatus inceſſit.

Andreas *intruſus Prior* Wintonienſis *ſtabilitur.*

IPSO quoque anno muneribus Electi *Wintonienſis* in curia *Romana* diſcurrentibus, & Simonialibus præmiis & precibus Prioris intruſi *Wintonienſis*, quem idem Electus creaverat, intermeantibus; ſtabilitur intruſus, ſcilicet *Andreas*. Alteri autem poſt labores tranſalpinos, & pecuniæ infinitam effuſionem, & enormem ſui Prioratus læſionem; quoddam manerium ad ſui ſuſtentationem providetur. Conventus autem diſperſus, imperioſè ſub pœna anathematis convocatur ab Electo: & ſic diatim in nobilibus eccleſiis Conventualibus, opprobria per ſchiſmata ſuſcitantur. Quæ propter diſcordias & ambitiones, curiæ *Romanæ* pabula miniſtrantur: ita videlicet ut per hanc ſolam diſcordiam, additus eſt annuus redditus menſæ Papali qualibet die una marca argenti.

Redit Archiepiſc. Cant. ex Italia in Angliam.

CIRCA feſtum beatæ *Catharinæ* applicuit *Cantuarienſis* Archiepiſcopus de partibus *Italiæ*; poſt multas inutiles *Anglicanæ* pecuniæ effuſiones, & labores infructuoſos; qui parùm profecit in bellicis negotiis apud *Taurinam* civitatem. Nec eſt liberatus frater ejus *Thomas*, quandoque Comes, à carcere civium; licèt *Sabaudienſes* omnes vires effuderint ad ipſius liberationem; & quamvis Papa ipſum liberare conaretur, ſcribens Reginæ *Anglorum* contra cives, ad eorum impedimentum. Idem enim *Thomas*, cives læſerat enormiter, eiſdem injuriando.

ET

1256.

Walenſes oppreſſi libertatem patriæ recuperare nituntur.

ET circa feſtum omnium Sanctorum, *Walenſes* multiformiter oppreſſi, & ſæpiùs venditi pretium augentibus; tandem per *Galfridum* de *Langeleia* Militem, Regium exactorem, tyrannicè ſupra modum oppreſſi; ad defenſionem patriæ ſuæ, & legum ſuarum obſervationem eriguntur. Et confœderati, invaſerunt partes *Angliæ Walliæ* conterminas; & homines *Edwardi*, domini ſui, quem tum minimè ſunt confeſſi, hoſtiliter invaſerunt. Et proſperatum eſt opus Martium in manibus eorum; ita ut crederentur conſenſum in conterminiis inveniſſe. *Edwardus* autem hæc audiens, illicò ad ſinum Comitis *Richardi* avunculi ſui confugit. Quia dominus rex pauper factus eſt & inglorius, & pecuniam, videlicet quatuor millia marcarum, mutuò cepit ab eodem; ut bellum contra præſumptuoſos auſus *Walenſium* & moveret, & motum uſque ad internecionem ipſorum continuaret, & impetus eorum potenter opprimeret temerarios. Sed tota hyems illo anno adeò maduit procelloſa, ut *Walenſium* terra tota, quæ invia eſt & paluſtris, *Anglicis* immeabilis penitus extitiſſet. Et ſic labor *Edwardi* & expenſæ, caſſæ factæ ſunt & inanes. Pœnituit igitur *Galfridum* memoratum, ſed ſerò, prælia ſuſcitaſſe; & *Walenſes*, ſicut quandoq; fecerat paucis tranſactis annis *Aliæ* Boreales, feraliter depauperaſſe. Fuerunt namque qui dicerent, quod jacturas *Edwardi*, prout ejus poteſtas extenderet idem *Galfridus* volens nolens reſarciret.

Familia Edwardi *impetuoſitas.*

FAMILIA autem *Edwardi*, ipſo permittente, adeò omnium, per quos tranſitum fecerat incolarum tam poſſeſſiones quàm perſonas perturbavit; ut ejus reſpectu patris ſui Domini Regis injuriæ leves cenſerentur. Ruptarii enim & prædones, quos ſua curia educavit, longè, latéque ſcatentes; negotiatorum equos & bigas, & compatriotarum victualia violenter rapuerunt, & abduxerunt. Et ut de multis exactorum improbitatibus unam expliceam; hanc lectoribus hujus paginæ duximus explicandam. Cùm dictus *Edwardus* veniſſet ad Comitem *Richardum*, ut prælibatum eſt, & ipſum apud *Walingford* inveniſſet, & ipſe in caſtro civiliter receptus hoſpitaretur; ejus familia in Prioratum caſtro vicinum ſe procaciter & impetuoſè ingeſſit, non, ut moris eſt, hoſpitium poſtulando. Secus quoque quàm decuit aut licuit, Monachis irreverenter repulſis, omnia menſæ neceſſaria, ignis fomenta, jumentorum pabula diripientes, oſtia, feneſtras, & tripodes confringentes, famulos Monachorum, quaſi vilia mancipia, vel latrones convictos retrudendo, & convitiis laceſſitos, vel baculis appetitos, retroire compulerunt; vixque conceſſus eſt locus refectionis pranſuris locutorium, & potantibus dormitorum. Amici autem *Edwardi* volentes errorem palliare: non malitiæ, ſed pueritiæ omnia hujuſmodi aſſcribebant deliramenta, non conſiderantes illud *Lucani* prognoſticum:

> *Aetas Niliaci nimiùm ſuſpecta Tyranni:*
> *Ardua nempe fides maturos exigit annos.*

Interim *Walenſes* non conſiderantes vel formidantes *Edwardi* vel familiæ ejus tyrannidem, uſque ad *Ceſtriam*, omnia obſtantia diripientes, hoſtiliter pervenerunt; licèt nunquam quondam *Lodowicus* tam ſordidos effractarios in *Angliam* ſecum perduxiſſet.

Novum præceptum Regis.

TEMPORE quoq; ſub eodem, juſſit Rex diſtrictè, ne exire permitteretur à Cancellaria Regio ſigillo conſignatum, fratri ſuo *Richardo*, Comiti *Gloverniæ Richardo*, *Petro* de *Sabaudia*, vel alicui fratrum ſuorum, nocivum vel damnoſum, pro quacunque cauſa, aliquod breve: quod manifeſtè patet eſſe omni juri, & pace Regni, contradictorium.

Menſurarum inquiſitio nimis acris.

PRÆCEPIT itaq; Rex eodem tempore, ut ſatellites ejus menſuras vini ſive cerviſiæ, quas Lagenas vel Galones appellamus, & menſuras tritici, quas Buſheles dicimus, & trutinalia pondera, diligenter conſiderarent; ut quærentes nodum in ſcyrpo, tam inſontes quàm ſontes amerciarent; graviter ſupra merita punientes, argumentoſè nimis fiſcum augmentaretur. Et ita quotidie nova vulpina argumenta excogitabantur, ad pecuniam extorquendam. Rapiebantur paſſim poſſeſſiunculæ negotiatorum, nec ſolvebantur precia pro ablatis; gaudebantq; ſpoliati, ſi ſine convitiis & alapis evadere valuiſſent. Sicque ſicut nuper de clientela, quod vulgariter Segantería dicitur, materia pullulaverat pecuniam extorquendi: ſic nunc de ſequela curiæ, de cogendis fieri militibus, de menſurarum inquiſitionibus, & multis aliis lupinæ rapacitatis commentis; rapinæ ſuccreſcebant in Regni vaſtationem, & eccleſiæ ſervitutem. Erántque tales tyranni in *Anglia*, ut quaſi multi Reguli, antiqua viderentur tempora renovari.

Multiplicantur indies oppreſſiones eccleſiarum.

DIEBUS ſub eiſdem, Dominus Rex peſſimo fretus conſilio, tantam pecuniam à Papalibus negotiatoribus mutuò accepit, ut filium ſuum *Edmundum* in regnum *Siciliæ* promoveret, ut ſeipſum in ſummæ paupertatis vinculo irretiret. Papa autem, qui nec falli debuit, nec fallere, Regis fidem adhibuit aſſertionibus; quas liquidò ſcire potuit, ſi vellet, fuiſſe penitus umbratiles & fallaces. Dedit enim intelligi in mandatis ipſi Papæ Dominus Rex, quòd *Anglia* pecuniæ puteus extitit inexhauſtus; quem nullus poterat exſiccare. Item, quòd nunquam in *Anglia* Rex tam dilectus, tam pecunioſus, ſicut ipſe, prævixiſſet: cùm tamen Papa per multos ſibi familiares, qui tunc *Romæ* fuerant, contrarium poterat didiciſſe. Uſuræ igitur pecuniæ Regem obligantes cum pœnis, ad pluſquam centum quotidie libras aſcenderunt; ita ut immineret tam clero, quàm populo *Anglico* deſolatio cum ruina.

Steph. Abbas Clarevallenſis depoſitus.

EODEM anno, cùm Abbas *Clarevallenſis Stephanus*, conſtructor nobilis domus, quæ *Chardenai* dicitur, apud *Pariſienſes*, prædeceſſoris ſui beati *Bernardi* pedetentim veſtigia ſequeretur, in

1256. in ultimo capitulo, *Ciſtercienſi* generali deponeretur; ipſe patienter, ad inſtar *Joſeph*, fratrum ſuorum morſus ſuſtinuit & invidiam. Conſuevit enim livor eminentes impetere. Impoſitum quippe fuit ei, quòd contra *Ciſtercienſium* ſtatuta impetraverat à Domino Papa privilegium; ut à ſtatu dignitatis ſuæ nunquam privaretur, ſed Abbas perpetuò *Clarevallenſis* permaneret. Quod tamen falſum fuiſſe, poſtea liquidò probabatur. Quia cùm Papa de veritate certificaretur, & juſſiſſet ipſum reſtitui; punitis graviter accuſatoribus; Rex *Francorum* reſpondit (tanquam ordinis *Ciſtercienſis* zelator & protector) grave ſcandalum generaretur ordini, ſi quem in capitulo ſuo generali depoſuerint graves perſonæ, factum eorum caſſaretur. Scripſit igitur ſic Domino, & quod petivit, impetravit. *Stephanus* autem, ne læderetur ordinis ſui auctoritas, reſtitui recuſavit; aſſerens ſe magis eſſe deoneratum, quàm dehonoratum, & ſibi ipſi modò vacare magis & prodeſſe, quam cùm præeſſe conſuevit. Et ſic de magno major meritò effectus eſt.

Wallenſes nolunt à bello deſiſtere.

IPSIS quoque temporibus, *Walenſes*, licèt ipſe dominus Rex, necnon & Comes *Richardus*, ne impediretur ſuum arduum negotium, humiliter poſtulaſſent, ut ſaltem ad horam, ab eorum impetu temerario deſiſterent, noluerunt quieſcere, videntes tempus hyemale madidum ſibi fuiſſe opportunum: diverticula autem, & latibula conſueta, ipſis *Walenſibus* meabilia, & *Anglis* invia, & inveſtigabilia. Continuantes igitur bellum ſuum, *Griffinum* de *Brunet*, quia ad Regem confugit; inſequuntur fugitivum, & ad ſinum Regis convolantem. Et cùm corpus nequirent comprehendere, terras ejus ferro & incendio ceperunt; nec non & Baronum conterminorum, feraliter devaſtare. Erant namque equites ad decem millia eorum armati, pedites autem multò plures. Qui mutuò confœderati tactis Evangeliis, juraverant ſe ſtrenuè & fideliter uſque ad mortem pro libertate patriæ ſuæ, & avitis legibus decertare: & ſe malle cum honore mori, quàm cum dedecore vitam trahere infœlicem. In quo virili facto, *Angli* debuerunt meritò erubeſcere; qui ſubmittunt colla omni conculcanti & alienigenis, tanquam popelli meticuloſi, quiſquiliæ, ſegnes incurvantur.

Edwardi & ejus familiæ inſolentia.

EDWARDUS, non mediocriter verecundatus, & damnificatus ex *Walenſium* rebellione & alacritate; quia dominus *Walliæ* dicebatur, nec potuit eorum rebellionem refrænare. Adiit igitur filius iteratò, tam patrem ſuum & matrem, quàm avunculum, efficax poſtulans auxilium ab eiſdem. Sed rex adeò alieno ære in partibus tranſalpinis obligabatur, & Comes multis theſauri commodationibus ſui, ſcilicet quatuor millium Marcarum, fatigatus: Regina quoque mater ejus, in profuſione expenſarum in bellum contra civitatem *Taurinam* inutili fatigata, adeò theſaurum ſuum mutilaverant, ut non poſſent *Edwardo* aliquatenus ſubvenire. Et quia pater ejus dominus rex, ut ſparſim dicebatur, *Anglos* nitebatur obruere, aliqui de *Marchiſiis* occultè *Walenſibus* favorem & conſilium præſtiterunt. Maximè cùm dictus *Edwardus* familiam tenuiſſet, Eccleſiæ & Regno nocivam: ita ut diceretur, quòd nunquam *Lodowicus* invaſor *Angliæ*, tam ſordidos ſecum ruptarios, vel protervos adduxerat in *Angliam*; ſicut dictus *Edwardus* in clientela & curia ſua educavit. Et de multis eorum improbitatibus, unam tyrannidem, præter illam, quæ prænotatur, ut legentibus pateat, in quam abyſſum deſperationis *Anglia* demergatur, duximus huic paginæ annotandam. Cùm tranſiret per viam pacificam, & tranquillitatis tempore, obviam ei venerat quidam Juvenis, & abſque cauſa mortis & mutilationis, juſſit ut ei auricula abſcinderetur, & unus oculorum ei erueretur. Quod contra omnem juſtitiam fuerat perpetratum. Quod videntes multi, & ad memoriam plures reducentes, qualiter adhuc junior cuidam nobili factum fecit enorme & cruentum, cœperunt deſperare de eo, dicentes: "Et hæc facit in viridi, in arido quid ſperandum? Familia inſuper, ut prætactum, omnia venalia ſine pretii retributione rapientes; equos, bigas, & veredarios violenter, homines immiſericorditer vexaverunt; & diatim mala malis, & damna damnis, cumularunt cum augmento.

Mittuntur quidam ab univerſitate Pariſienſi, Romam.

CREBRESCENTIBUS ſcandalis & odiis inter magiſtros *Pariſienſes* & fratres *Prædicatores*, electi ſunt cum magna deliberatione quidam celeberrimi magiſtri Lectores. Videlicet magiſter *Willielmus* de *ſancto Amore*, & magiſter *Odo* de *Doato*, qui nobiliter rexerant in Artibus, in Decretis, & tunc in Theologia. Magiſter *Chriſtianus*, Canonicus *Beluacenſis*, qui maximus quaſi Philoſophus emeritus, poſtquam in Artibus rexerat, in Theologia lecturivit. Magiſter *Nicolaus* de *Baro ſuper albam*, qui rexerat in Artibus, Legibus, & Decretis; ad legendum in Theologia præparatur. Magiſter *Johannes* de *Gectavilla Anglicus*, Rhetor Univerſitatis, & magiſter *Johannes Belin Gallicus*, nominatiſſimi Philoſophi, regentes in Artibus. Omnes iſti de nobiliſſimis viris procreati, prælecti ſunt per magnum (quia fides patiebatur detrimentum) conſilium & deliberationem: ut *Romam* adeant, & dominum Papam, pro tranquillitate Univerſitatis *Pariſienſis* & fidei redintegratione; maximè cùm hoc malum, majus generare comminetur. Collectaque ſunt eis ex Univerſitate viatica. Fratres namque quædam nova prædicabant, legebant, & docebant, ut dicebatur, deliramenta; quæ de libro *Joachim* Abbatis, cujus ſcripta *Gregorius* Papa damnaverat, extraxerunt. Et quendam librum compoſuerunt, quem ſic eis intitulare complacuit, *Incipit Evangelium æternum*. Et quædam alia, quæ non expedit recitari. *Prædicatores* autem contra Univerſitatem, ſuos expeditos nuncios illicò tranſmiſerunt; ut magiſtris in faciem contradicerent. Subſannavit populus, eleemoſynas conſuetas ſubtrahendo; "vocans eos hypocritas, & *Antichriſti* ſucceſſores, Pſeudo prædicatores, Regum &

Principum

"Principum adulatores, & conſiliatores, Ordinariorum contemptores, & eorundem ſupplan-"tatores, Thalamorum Regalium ſubintratores, confeſſionum prævaricatores. Qui peregrantes ignotas provincias, peccandi audaciam ſubminiſtrant. Auditis igitur hinc inde querelis, præcepit Papa, ut novus ille liber, quem *Evangelium æternum* nominant, ſecretò, & ſi poſſet fieri, ſine fratrum ſcandalo, combureretur: & alia, quæ de *Joachim* corruptela dicuntur emanaſſe. Vigilanter igitur, procurante diligentia domini *Hugonis* Cardinalis, & Epiſcopi *Meſſanenſis*, qui de ordine *Prædicatorum* extiterunt; cautè ac tacitè procuratum eſt, ita ut tumultus ad horam conquievit.

Fulgur terreſtre ſubito eruptum.

TEMPORE ſub eodem, quidam foſſores, dum eruderarent *Londini* calamum aquæductus, ut ejecta terra ipſum calamum liberarent, aqua enim deſierat emanare; proſiliit ſubitò de terra fulgur terreſtre quaſi ignis infernalis; quod in ictu oculi plures eorum ſuffocavit, unum eorum penitus interemit; alios ita combuſſit, dilaceravit, & ita deturpavit, ut ſemper ſibi inutiles viderentur. Fuerunt tum qui dicerent, quòd hoc miraculoſè contigit, quia in vigilia hora incompetenti operibus ſervilibus intenderunt.

Anni concluſio.

TRANSIIT igitur annus ille mediocriter frugifer & fructifer, Eccleſiæ verò & Prælatis ultimæ ſervitutis genitivus, *Francigenis* invidiam pro Comitis *Richardi* promotione parituros. Regni *Angliæ* prædativus. *Terræ ſanctæ* ſterilis, & potiùs nocivus. Regni *Angliæ* prædativus, *Walliæ* bellicoſus, *Scotiæ* turbulentus. Supra modum procelloſus ac pluvioſus, ut viderentur renovari *Deucalionis* tempora; ita ut ab aſſumptione beatæ Virginis, uſq; ad ejuſdem Purificationem, pluviæ non ceſſarunt quotidie inundare; quæ vias invias, & agros ſteriles reddiderunt. Unde in fine Autumni, annona computrivit cum ariſtis.

Richardus Comes electus in regem Alemanniæ.

ANno Domini M.CC.LVII qui eſt annus domini Regis *Henrici* tertii quadrageſimus primus, fuit idem dominus Rex *Londini* ad Natale Domini. Ubi venerunt ad dominum Regem, (qui multos ſimul cum Comite *Richardo* ibi Magnates congregaverat) quidam de Primatibus *Alemanniæ*: nunciantes omnibus qui ibi fuerant, quòd unanimi conſenſu Comitem *Richardum* in Regem *Alemanniæ* ritè elegerant. Et ipſum in ſuum Regem & dominum poſtularunt, dummodò in eorum voluntatem conſentire voluiſſet, Comes memoratus. Archiepiſcopus autem *Colonienſis*, ſacri Imperii Prothocancellarius, & quidam alii Magnates *Alemanniæ*: literas ſuas ſuper hoc teſtimoniales & ratihabitionem per eoſdem ſolemnes nuncios, illuc unanimiter deſtinarunt. Aſſerentes, quòd nunquam aliquis ſine aliqua contradictione, ita merè, ita unanimiter electus in illam extitiſſet dignitatem. Et dum hæſitaſſent omnes quid agendum, quòd præſentia Comitis multum eſſet Regno *Angliæ* neceſſaria, ait Rex in propatulo: "Ne videatur puſillanimitas, conſulo & peto ut hunc honorem cœlitus & humanitus ſimul conceſ-"ſum & oblatum, recipere non recuſet. Et cùm perterruiſſent aliquos, quòd duo paucis elapſis annis in Regem *Alemanniæ* electi & promoti, ſiniſtros & finales caſus, quaſi Deo irato, promeruerant; fuerunt qui dicerent Comiti verba conſolatoria: "O Comes ſapiens & circum-"ſpecte, quid hæſitas; quaſi te perterreat caſus *Landegravii Henrici*, & iterum caſus ſiniſter "Comitis *Willielmi Hollandi*? Non Papa te intrudit violenter, qui de ſpoliis Eccleſiæ & rapi-"nis crucesignatorum tibi ſpondet neceſſaria, quæ nunquam tibi forent profutura. Ipſa nem-"pe Papa turpiter adquiſita, non ad miſericordiam, ſcilicet potiùs ad iram provocarunt. The-"ſauro tibi reſervato, qui de regno *Alemanniæ* colligitur, & ad opus tuum fideliter reſervatur. "Abundas theſauro tuo proprio, velut alter *Octavianus*: inſtauraris amicis, tam *Alemannis*, "quàm *Anglis*; circumvallaris & conſanguineis. Ne te torpor diffidentiæ terreat vel puſilla-"nimitatis, tanquam deſidem ac meticuloſum. Præmuniat & erigat te ad Dei clientelam ca-"ſus qui quondam *Roberto Curtheuſt*, *Normannorum* Duci contigit in *Terra ſancta* Deo militanti; "cui ultro & divinitus Regnum *Hieroſolymitanum* fuerat oblatum, ut Chriſti regeret hæredi-"tatem. Quod & ipſe procaciter refutavit. Unde Dei gravem poſteà ſenſerat ultionem. "Nunquam poſteà quicquam ei contigit proſperitatis. Rex inſuper & ejus fratres, præcipuè electus *Wintonienſis*, ipſum ad hoc alacriter animarunt; aſſerentes hunc honorem totam *Anglicanam* nationem in perpetuum exaltare. Quæ cùm audiſſet Comes, hominem induens, & in bonam ſpem erectus, ait libera & alacri voce: "Et ego Dei confiſus miſericordia, licèt inſuf-"ficiens & indignus, hoc onus & honorem, mihi, ut ſpero, divinitus oblatum, gratanter ſu-"ſcipio; ne puſillanimis dicar & meticuloſus. Et addidit, verſa facie ad Epiſcopos (quorum unus *Bangorenſis Richardus*, qui hæc hujus paginæ ſcriptori aſſertivè enarravit, extiterat) "Et "ego antequam exeam ab hac Capella, igne comburar infernali, & morte moriar repentina, ſi "hæc facio cauſa ambitionis vel avaritiæ: ſed ut Regnum illud ad ſtatum, quod Deus annuat, "reſtaurem meliorem, & illos, qui me ſponte in Dominum elegerunt, cum omni modeſtia, ju-"ſtitia, & honore valeam gubernare. In quo verbo multorum lachrymas excutiens, nuncios *Alemannorum* maximè reddidit lætiores. Et qui hucuſque de conſenſu ipſius dubitaverant, jam certificati de voluntate & favore, læti ad propria remearunt: infra diem à Natali Domini vigeſimum, Magnatibus, qui eos miſerant, hoc mandatum nunciaturi.

Quare Magnates Alemanniæ elegerint Comitem Richardum.

MAGNATES *Alemanniæ*, quorum hi ſunt celebriores qui ſubſcribuntur, odio habent *Francorum* ſuperbiam, & ſe invicem perſequuntur: nec curant, ut aliquis *Francus* vel de eorum

1257. rum genere quiſ in *Alemannia* dominetur, nec aliquem de ſeipſis, propter inteſtinam controverſiam. Nam impetuoſi ſunt *Alemanni*, & elati,

Omniſque ſuperbus
Impatiens conſortis erit.

Nec *Italicum* vel *Romanum*, & præcipuè Papalem aliquatenus eligere, propter inſatiabilem eorum avaritiam. Elegerunt igitur, inito diligenti cum deliberatione conſilio, Comitem *Richardum*, tum propter linguam *Anglicanam*, quæ *Alemannicæ* conſonat, & originis communionem, & antiquam & novam; antiqua in chronicis poterit reperiri; nova in diebus noſtris poteſt certificari, ſcilicet de Duce de *Brunſwic*, & Duce *Saxonum*, de *Ottone* Imperatore, qui de *Anglica* ſcilicet filia *Henrici Anglorum* Regis ortus eſt. Elegerunt, inquam, ipſum Comitem *Richardum*, tum propter ejus fidelitatem, conſtantiam, & ſapientiam, tum propter ſui theſauri abundantiam. Unde quidam, ſcilicet Satyricus, ſatis inquit Satyricè:

Nummus, ait, pro me, nubit Cornubia Romæ.

Primates Alemanniæ.

HI ſunt maximi in *Alemannia*, ad quorum nutum pendet electio ipſius Regni, quod eſt quaſi arra Imperii *Romanorum*: Archiepiſcopus *Coliniæ*, cujus titulus eſt, *Sacri Imperii Prothocancellarius*, poſt honorem Archipræſulatus. Archiepiſcopus *Maguntinus*. Archiepiſcopus *Treverenſis*. Rex *Bohæmiæ*, Comes *Palatinus* de *Rheno*, Dux *Auſtriæ*, Dux *Suaviæ*, qui & Comes *Bavariæ*, Dux *Poloniæ*, Marchiſius de *Miche*, Marchiſius *Brandeborg*, Dux *Saxoniæ*, Dux de *Bruneſwic*, Dux de *Carentene*, Dux de *Melai*, Dux *Brabantiæ*, qui & *Lovaniæ*, Landegravius *Duringiæ*, Marchio *Miſiæ*. Inter omnes hos Magnates ſupereminens eſt Archiepiſcopus *Colonienſis*; qui coronare tenetur Regem *Alemanniæ* apud *Aquiſgranum*, ab antiqua & approbata conſuetudine.

Comes R. præmittit quoſdam in Alemanniam, *ad explorandum Magnatum animos.*

PRÆMISSI ſunt autem ex parte Comitis viri potentes, ſagaces, & circumſpecti, dominus Comes *Gloverniæ*, & dominus *Johannes Manſel*, in *Alemanniam*; ad explorandum Magnatum prædictorum, meram & ſpontaneam ſuper prænotatis voluntatem. Et invenerunt omnia proſpera; & Primatum terræ cordi, ita domino Comiti devota & inclinata, ut jurarent ei fidelitatem; & nonnulli civitatum & caſtrorum ſuorum claves nunciis reſignarunt.

Franci *inviſi* Alemannis, *tendunt nunciis inſidias.*

FRANCI autem ſuper hoc certificati, cœperunt non mediocriter formidare, ne ſi proſperaretur Comes *Richardus* promotus in regnum *Alemanniæ*, prout via jam patebat, noceret potenter Regno eorum, jura domini Regis *Angliæ* repoſcendo & readquirendo: inſidiarum laqueos ipſi Comiti *Richardo* & ejus nunciis tetenderunt, & aliquorum Magnatum *Alemanniæ* corda machinati ſunt enervare, ne Comiti memorato ſubderentur. Et ſic nitebantur ipſius promotionem, vel in parte, vel in toto, ſtudioſiùs impedire. Sed Domino propitio, eo ipſo *Alemanni* domino Comiti firmiùs adhæſerunt. Quia eſt odium quaſi innatum, inter *Francos* & *Alemannos*. Et quod iſtis nocet & diſplicet, aliis putatur & creditur in commodum provenire. Quod cùm *Franci* cognoverunt, dolentes ſeſe ad invicem ſic ſunt conſolati.

Franci *ſeſe invicem conſolantur.*

OTTO Imperator, in armis ſtrenuiſſimus & Regis *Angliæ* theſauris ſaginatus, *Anglorum* & *Alemannorum* propagatus communi ſanguine, in regnum *Alemannorum* ſolidatus, & Imperium *Romanorum* ſublimatus; nobili regno *Franciæ* terribiliter eſt comminatus, propter quod *Pariſius* muro circundabatur, nec prævaluit. *Fredericus* inſuper ditiſſimus, & Imperator *Romanorum* potentiſſimus, & omnium Principum terrenorum ſubtiliſſimus, confœderatus eſt Regi *Anglorum*, ſororem ejus accipiens in conjugium, & theſaurum ejus exhauriens in Regni *Francorum* ſubverſionem; nec in ſuis, quæ Regi *Angliæ* promiſerat, prævaluit conaminibus; quantò minùs eſt nobis Comitis *Richardi* potentia formidabilis? Imbellis eſt & imbecillis, & in negotiis bellicis inexpertus: hucuſque auxiliatus eſt Dominus, qui ſemper opitulantibus Regni ſanctis, *Francos* ſub alis ſuæ refovet protectionis. Et ſi in *Terra ſancta*, ubi nuper in Eccleſiæ clientela Deo militavimus, peccatis noſtris exigentibus, multiplicem paſſi fuerimus afflictionem; cùm iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur.

Francorum *rex* Normanniam *& confinia perluſtrat.*

REX tamen *Francorum*, ſibi præcavens de futuris, *Normanniam* & Regni ſui perluſtrat confinia; ut nutantia corda confirmet, civitateſq; cum oppidis roboret & inſtauret. Magnates ſuos animat & confortat; præcipuè eos, quos duodecim Pares *Franciæ* conſuevimus appellare. Et quia prætactum eſt de *Alemannorum* Primatibus, ad quos Regis ſpectat electio; non reor à materia alienum, ſi nomina *Francorum* nobilium (præcipuè ad quos negotia Regni ſpectant ardua) præſenti inſeramus paginæ, cum ſuccincta tamen brevitate.

Pares Franc. *eccleſiaſtici.*

ARCHIEPISCOPUS *Remenſis*, qui Regem *Francorum* cœleſti conſecrat chriſmate (quapropter Rex *Francorum* Regum cenſetur digniſſimus) eſt omnium *Franciæ* Parium primus, & excellentiſſimus. Epiſcopus *Noviomenſis*, qui eſt Comes *Palatinus*. Epiſcopus *Beluacenſis*, qui eſt Comes *Palatinus*. Epiſcopus *Catalenenſis*. Epiſcopus *Lingonenſis*, qui ſi pauper ſit, dignus tamen habetur. Epiſcopus *Landunenſis*, qui Dux eſt & Comes, ratione ſancti *Remigii*; ad quem devoluta fuit illa præclara hæreditas.

Dux

1257.

Pares laici.

DUX *Normanniæ*, primus inter laicos & digniſſimus: Rex *Angliæ* Dux eſt de Jure *Normanniæ*, ſanguinis derivatione geniali; Rex ex conqueſtu. Dicitur tamen, quòd beatus *Edwardus*, eò quòd hærede caruit, Regnum legavit *Willielmo* baſtardo duci *Normannorum*. Sed hoc robore aſſeritur caruiſſe; quia hoc fecit in lecto lethali, & ſine Baronagii ſui communi aſſenſu. Dux *Aquitanniæ*, Dux *Burgundiæ*, Comes *Flandrenſis*, Comes *Campaniæ*, Comes *Tholoſæ*, qui dicitur Comes ſancti *Aegidii*.

Intemperabilis imbrium inundatio, & contra hyemale.

EODEM anno die Innocentum, pluviarum tanta inundatio terræ ſuperficiem cooperuit, ut viderentur *Deucalionis* tempora renovari. Sulci igitur antrorum ſimilitudinem protendebant, antra fluviorum, fluvii prata & omnia confinia cooperientes, inſtar marium demonſtrabantur. Et ut de aliis ſimilia intelligantur, unus ſolus fluvius in partibus *Angliæ* Borealibus, ſeptem pontes ligneos & lapideos magnos diſſipavit. Molendina quoque vicinæque domus, ex vehementibus fluctibus qui ex torrentibus intumuerunt, obruta perierunt. Die quoque memorato, quidam turbo truculentus aëra perturbavit, & quaſi in nocte obſcuravit grandine comitante violento; coagulatiſque nubibus, fulgur emicuit cum fulgure coruſcante, & terribiliter emicante. Tonitrus manifeſtus in triſte prognoſticum reboavit. Medium enim hyemis extitit & frigus, ut decuit Februale. Subſequuta eſt aëris ægra intemperies, per tres circiter menſes.

Æſtimatio theſauri Comitis Richardi.

ÆSTIMATUS eſt eodem tempore theſaurus Comitis *Richardi* ad tantam pecuniæ ſummam, ut qualibet die per decennium centum marcas poſſet exponere; non computatis proventibus, qui ex redditibus Regni *Alemanniæ* & *Angliæ* quotidie ſuccreverunt.

Inventio mauſoli S. Albani.

CONTIGIT igitur eodem anno, ut propter quaſdam hiantes rimas, de quibus timebatur; pars orientalis eccleſiæ beati *Albani*, de conſilio Abbatis & Conventus, ut firma repararetur, in adventu Domini diſſoluto tecto, muri proſternerentur. Et dum ligonibus in pavimento cementariorum miniſtri inſiſterent, per tinnitum inſtrumentorum, & pedum ſtrepitum perpendebant, aliquid ibi inſolitum & incognitum latitare. Profundiùs igitur perſcrutantes, invenerunt ſub terra, ſed non profundè, unam tumbam lapideam, ſatis eleganter compoſitam, in loco qui fuit inter altare Sancti *Oſwini*, ubi ſcilicet conſuevit Miſſa matutinalis celebrari, & altare ſancti *Vlſtani*; ubi quoque collocatum fuerat antiquum feretrum pictum, & quædam tumba marmorea cum columnis marmoreis. Qui locus & tumba, dicebatur vetus tumbus ſancti *Albani*. In ipſo igitur mauſeolo tumulabatur beatus *Albanus*, die qua decollatus eſt, ab amicis & parentibus ſuis & neophytis: occultè tamen & honorificè de nocte, propter metum *Paganorum*. Ubi lux cœleſtis deſcendit, & apparuerunt Angeli deſcendentes & aſcendentes, & canentes hunc hymnum: *Albanus egregius Martyr extat glorioſus.* In quo etiam mauſolo inventa eſt quædam lamina plumbea, in qua, ſecundùm antiquorum conſuetudinem, ſcriptus eſt hic titulus: *In hoc mauſeolo inventum eſt venerabile corpus Sancti* Albani *Protomartyris* Anglorum. Hoc evenit in octavis Sancti *Stephani*, in præſentia Domini Epiſcopi *Bangor*, & domini Abbatis *Johannis*, & domini *Philippi* de *Ceſtria*, principalis conſiliarii Comitis *Richardi*: & quorundam nobilium de familia Domini *Willielmi* de *Valentia*, fratris domini Regis uterini, & totius Conventus, & fidelium innumerabilium, quibus ſolenniter hæc ſunt nunciata. Et conceſſit Epiſcopus veniam quindecim dierum, omnibus ipſam inventionem præſentialiter venerantibus. Et citò poſt, Dominus Archiepiſcopus *Eboracenſis* illuc venerat cauſa orationis.

Anni elapſi à paſſione S. Albani.

ET ſciendum eſt, quòd cùm hæc evenerunt, fluxerant anni à paſſione Martyris memorati, noningenti & ſeptuaginta; id eſt, mille, exceptis duntaxat triginta annis.

Obitus quorundam Magnatum.

ET ne feſta ſæcularia fletibus tranſeant impermixta, circa idem tempus, feſtis videlicet Natalitiis, obiit Abbas ſancti *Edmundi*. Obieruntque viri deſideriorum in ſua florente ætate, *Robertus* de *Quinci*, & *Willielmus* de *Longaſpata*, & *Alanus* de *Watſand*, Regius Clericus & Juſticiarius, obiitque de *Lexintona I.* & infirmatus eſt quaſi lethaliter Comes *Rogerus Bigod* Mareſchallus: qui in torneamento de *Blie* adeò viriliter, & ultra vires decertaverant; ut laxatis nervorum compagibus, nunquam poſtea plenæ ſanitati reſtituebantur. Imò inter multos, qui obierunt, vix eſt Comes *Rogerus* à portis funerum revocatus. Electus eſt autem in Abbatem ſancti *Edmundi*, dominus *Simon* de *Luittona*; ejuſdem domus Prior approbatus.

Abbates ordinis Ciſtercienſis convocantur Regio edicto.

IN Epiphania autem Domini, Dominus Rex minimè conſiderans pluviarum inundationes, ventorum vehementiam, fluminum impetus, laborum inquietudinem, fecit convocari Abbates *Ciſtercienſis* ordinis, ut *Londinum* convenirent præceptum Regium audituri. Venerunt igitur vexati mirabiliter: quia ſic oportuit, omni ſpe miſericordiæ deſtituti. Qui cùm veniſſent coram Rege, rogante inſtanter & urgenter auxilium pecuniare non modicum; reſponderunt omnes, quaſi uno ore & ſpiritu, quòd nec voluerunt, nec potuerunt, ſine ſui capituli generali proviſione & conſenſu; vel ſaltem communi aſſenſu omnium Abbatum *Angliæ* ordinis *Ciſtercienſis*, qui tunc temporis præſentes non fuerant. Et cùm ſine die qua convenire omnes poſſent, receſſiſſent, præcepit Rex cum magno rancore, ut nullam Abbatibus *Ciſtercienſibus* gratiam faceret. Et ſic tacitè permiſit Vicecomitibus, Foreſtariis, & aliis Regiis ſatellitibus & exactoribus, (qui ſine Regio favore & præcepto ad hoc proni fuerant) omnes Abbates ordinis *Ciſtercienſis* vicinos damnificare, & cauſis excogitatis irretire.

ET

1257.

Mors quorundam nobilium.

Et circiter feſtum Epiphaniæ, obiit *Alanus* de *Warſant*, clericus domini Regis ſpecialis & Juſticiarius, ſed priùs fœliciter depoſita ſarcina Juſticiaria. Obiit quoque *Johannes* de *Lexintona*, miles elegans & facundus, & literatus: qui quandoque Regii ſigilli propter ſui peritiam bajulus extitit, & domini Regis conſiliarius ſpecialis. Obiit inſuper Prior de *Neuburgo Johannes* Canonicus. Qui priùs domini *Johannis* Capellanus, ad tantam provectus eſt excellentiam; ut non tantùm Prior de *Neuburg*, & conſiliarius arcanus, & nuncius ad Principes conterminos efficeretur, ſed ad Præſulatuum culmina ſuſpiraret. Et tunc temporis redierunt de curia *Romana*, dominus Abbas *Weſtmonaſterienſis*, & electus *Sariſburienſis*; & quidam alii viri ſolemnes & ſpectabiles. Qui, ut rei exitus comprobavit, pro negotio regni *Apuliæ* ſive *Siciliæ* umbratili, *Romanam* curiam adierunt; & multas *Francorum* inſidias & viarum diſcrimina ſunt perpeſſi.

Rex non acceptavit electum Elyenſ.

Eodem tempore, cùm Monachi *Elyenſes* ſuum Suppriorem, virum idoneum & irreprehenſibilem ritè in ſuarum paſtorem animarum ad officium Præſulatus *Elyenſis* elegiſſent; Domini Regis, qui pro alio literis ſuis & nunciis ſolemnibus inſtanter poſtulaverat, voluntati non obſecundantes; Rex iratus valde, cuſtodiam commiſit, quaſi lupo agnum eſurienti, *Johanni Valerano*, qui lucos explanavit, homines depauperavit, Monachos damnificavit; ita ut viderentur omnia, contempto Dei timore & ſanctorum reverentia, patere diſcrimini; & Eccleſiam ultimæ ſubjacere ſervituti, & patere prædis violenter occupantibus.

Solemnes nuncii ad Regem Francorum deſtinantur.

In feſto verò converſionis ſancti *Pauli*, deſtinati ſunt ad Regem *Francorum* ex parte domini Regis *Anglorum*, ad prorogandas treugas inter eos initas, Electus *Wintonienſis Johannes* de *Gateſdene* miles, & *Petrus* de *Orivallis*. Quid actum inde fuerit, adhuc non apparuit.

Impetrat Electus Sariſb. licentiam priſtinos redditus retinendi.

Cum autem rediſſet à curia *Romana* electus *Sariſburienſis*, magiſter videlicet *Aegidius* de *Bridelesforde*, manifeſtavit palàm, quòd *Romæ* ſtrenuè impetraverat; ut ſcilicet liceret ei priſtinos redditus retinere, & etiam Decanatum, quorum fragantiam olfecerat: quod nuper novum habebatur, ſed jam toties, non ſine retributione, permiſſum, nulli ſtuporem generavit.

Cuſtodia Reginæ conceſſa.

Temporibus autem ſub eiſdem, conceſſa fuit Reginæ cuſtodia terræ *Willielmi* de *Cantelupo*, quæ priùs conceſſa fuerat *Edwardo*; & cuſtodia terræ *Willielmi Longaſpatæ*. Unde ejus Ballivi, qui ſub fratre *Willielmo* conſtituebantur, cornua aſſumentes ex tantæ Dominæ patronatu, omnes vicinos ita opprimebant; ut etiam ab hoſtium oculis lachrymas elicere valuiſſent.

Novus ordo Monachorum.

Quidam novus ordo Fratrum *Londini* apparuit, & incognitus; Papale tamen authenticum palàm oſtendens, ita ut tot ordinum confuſio videretur.

Cedente Senatore Bran. Brixienſis ſubſtituitur.

BRANCALEONE Romanorum Senatore cedente, quidam civis *Brixenſis* ſubſtituitur: qui in executione juſtitiæ prædeceſſoris ſui ſatis laudabiliter exequebatur veſtigia, & officia potenter continuabat.

Rogerus de Molend. eligitur in epiſc. Ceſtrenſem.

Eodemque anno, Monachi *Coventrenſes*, cùm ceſſiſſet Epiſcopus *Rogerus* de *Weſtham*, propter ſuum ſenium & infirmitatem; elegerunt ſibi in ſuum Epiſcopum, & ſuarum Paſtorem animarum, magiſtrum *Rogerum* de *Molend*. Domini Regis nepotem; quem Rex accepit, & ut decuit, acceptavit. Nec eum honeſtè potuit, ut conſuevit de aliis, reprobare. Porrò ſupplicaverat Conventui, ut Theſaurarium ſuum, *Philippum* ſcilicet *Luvel*, ſibi eligeret in Paſtorem. Idcircò dictum magiſtrum *Rogerum*, Domino Regi acceptabilem, imò & nepotem; procurante Comite inſuper *Richardo*, ipſius *Rogeri* avunculo, Conventus elegit memoratus.

Wallenſes incendiis multiplicati roborantur.

Eodem tempore *Wallenſes*, cùm in partibus *Walliæ* & *Angliæ* conterminis, cædibus & incendiis vacarent, & rapinis, proſperante in manibus Martio certamine; *Edwardum* cum ſuo exercitu retroire coëgerunt. Necnon & *Griffinum* de *Berunt*, natione, genere, & lingua *Wallenſem*, potentem & generoſum, expulerunt à finibus eorum; & totam terram ſuam, quæ ſpatioſa erat & opima, cæde & incendio vaſtaverunt. Hujus verò irreſtaurabilis damni cauſa fuit *Galfridi* de *Langeleia* tyrannica ſævitia, & inſatiabilis avaritia, qui eoſdem *Wallenſes* oppreſſerat feraliter; ita ut dicerent ſe malle mori honorificè, quàm ſub angaria & ſervitute turpiter vitam protelare. Comes autem electus in Regem *Alemanniæ*, amicabiliter ſcripſit *Leolino*, & aliis exercitus *Walenſium* Capitaneis, ut pro quiete Regni *Anglorum* deſiſterent ab hoſtilibus incurſionibus eorum, ne progreſſus & egreſſus ejus à regno turbaretur. At illi videntes tempus pluviale ſibi competere, & jam feciſſe vias paluſtres inacceſſibiles, noluerunt ab incœptis deſiſtere, quin inſtantiùs hoſtes ſuos perſequerentur. Et diviſerunt exercitum ſuum in duas partes, propter eorum numeroſitatem: ut ſic faciliùs victualia ſibi poſſent providere. Et in utraque parte recenſiti ſunt triginta millia armatorum, ſecundùm legem natalis patriæ: ex quibus fuerunt equites eleganter armati quingenti, utrobique equis ferro coopertis. Conqueſtus eſt igitur *Edwardus* patri ſuo domino Regi, de tam temeraria *Walenſium* præſumptione. Cui Rex dicitur tale dediſſe reſponſum: "Quid ad me, terra tua eſt ex dono meo? Exere vires primi-"tivas, famam excita juvenilem, ut te de cætero timeant inimici. Me autem alia negotia detinent occupatum. Et ita undiq; detinebatur *Anglia* variis modis anguſtiata.

Adventus & poteſtas Archiepiſcopi Meſſanenſis.

Anno quoque ſub eodem, imminente quadrageſima, miſſus eſt à Domino Papa, neſciebatur ad quid, Archiepiſcopus *Meſſanenſis*, in magno apparatu familiæ & equorum, videlicet Fratrum de ordine *Prædicatorum*. Et cùm habuiſſet literas Papales de procuratione exigenda & recipienda,

recipienda, cum magna pœna contradictores puniendi; miſit literas imperioſas ad quemlibet Prælatum; ut ei, ſecundum quod eiſdem ſignificavit in procuraciis, providerent, ita quòd ex domo ſancti *Albani* & ejus cella viginti & unam marcam extorſit. Et cùm veniſſent Monachi ſancti *Albani*, ut ipſum in hoſpitio ſuo civiliter viſitarent; non permiſit eos exire, imò ipſos quaſi incarceratos retinuit, donec ſuæ avaritiæ ſatisfeciſſent. Et cùm modeſtè reſpondiſſent Monachi, ſe nullum ibi habere denarium, iratus Archiepiſcopus reſpondit procaciter: "Ut quid "tam mendici eſtis? Mittite igitur pro aliquo Mercatore, qui vobis commodare velit: & factum eſt ita, quia ſic oportuit. Non enim permittebantur exire Monachi, quamvis eſſent de Conventu prælecti, videlicet Archidiaconus ſancti *Albani*, & dominus *Johannes*, Abbatis bajulus & procurator. Iſte fuit Archiepiſcopus *Meſſanenſis*, Frater de ordine *Prædicatorum*, in quo humilitatem ſperabamus uberiorem; qui à Domino Papa de procurationibus extorquendis talem literam meruit obtinere. *Frater* Johannes, *miſeratione divina Archiepiſcopus* Meſſanenſis, *dilectis in Chriſto ſibi Abbati & Conventui Monaſterii* Sancti Albani, Lincolnienſis *Diœceſis*, *ſalutem in Domino. Noveritis vos, &c.* Require in libro *Additamentorum*. Miſſa eſt domino Regi eodem tempore elegans epiſtola, ex parte domini Papæ, ut videlicet errores corrigeret conſuetos. Et hoc procuravit Epiſcopus *Roffenſis Laurentius*, multas paſſus injurias ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi Bonifacio*, qui manu ſeculari armata *Roffenſis* eccleſiæ violenter invaſit poſſeſſiones, quas potiùs defendere & tueri tenebatur. Cui Archiepiſcopo, quia extitit avunculus reginæ, Rex & Regina, & Regales univerſi cornua præſtiterunt. Movebat inſuper dictum Epiſcopum *Roffenſem*, Archiepiſcopatus *Eboracenſis* exterminium irreſtaurabile, & *Elyenſis* Epiſcopatus, & aliarum eccleſiarum vacantium per Regem facta inaudita gravamina; Chriſti poſtpoſiti reverentia, & contemptis clavibus eccleſiaſticis. Et videbat idem Epiſcopus Epiſcopatui ſuo, ipſo cedente, vel decedente, ſimile diſcrimen imminere. Tenor autem dictæ literæ, ab epiſcopo memorato impetratæ, cujus reſponſionem epiſcopus *Romæ* commorans expectabat, talis eſt. Alexander *epiſcopus*, *&c*, *Illuſtri Regi Angliæ*, *&c. Cùm de tuis chariſſime actibus.* Quære in *libro Additamentorum*, videlicet ad ſagittas ex tranſverſo cancellatas. 1257.

ANNO ſub eodem, quinto Idus Februarii, obiit piæ memoriæ magiſter *Robertus* de *Hartforde*, eccleſiæ *Sariſburienſis* Decanus: ætate provectus, moribus provectior, ſcientia provectiſſimus: quem, præclaris meritis exigentibus, amicum ſpecialem extitiſſe confidenter credimus Redemptoris. Obierunt quoque dominus *Radulphus* filius *Nicholai*, Dominus Regis Seneſchallus, & *Willielmus* de *Mandevilla*, nobiles & præclari. Obiit quoque *Richardus* epiſcopus *Exonienſis*.

Obitus quorundam Prælatorum & Nobilium.

BALDEWINUS de *Ripariis*, Domina Regina procurante, quandam alienigenam ducit in uxorem, *Sabaudienſem*; ipſius Reginæ conſanguineam. Ad ipſum verò *Baldewinum* ſpectat Comitatus *Devoniæ*: & ſic diatim devolvuntur nobiles poſſeſſiones & hæreditates *Anglicanæ* ad alienigenas. Quod ſcire nolunt, vel diſſimulant *Anglici* puſillanimes; quorum ignaviam & ſupinam ſimplicitatem, *Wallenſis* ſtrenuitas reprehendit.

B. Comes Devoniæ *ducit uxorem* Sabaudienſ.

EODEM quoque anno venit Dominus Rex ad *Sanctum Albanum*, quinto Nonas Martii, & obtulit majori altari monile nobiliſſimum, habens duas lingulas, & tranſtrum, & annulos nobiles; tam ipſi altari videlicet *Sancti Albani*, quàm Sancti *Amphibali*, & unam cuppam argenteam deauratam, ad reponendum pulverem nuper inventum in mauſeolo, de quo prædictum eſt: & ſex pannos ſericos, quorum unum aſſignavit ad co-operiendum dictum mauſeolum, & alium ad cooperiendum tumbas *Rogeri* & *Sigari* Heremitarum, & denarios ad emendandum feretrum. Et continuavit ibidem moram hebdomadalem, & cùm eſſet cum ipſo continuè in menſa, in palatio, & in thalamo, qui hæc ſcripſit, direxit ſcribentis calamum ſatis diligenter & amicabiliter. Et inter loquendum dum mentio fieret frequenter de Comite *Richardo*, ejus videlicet fratre, nominavit Nobiles, ad quos ſpectat electio, qui in præcedentibus annotantur. Nominavit inſuper omnes *Angliæ* ſanctos Reges Canoniſatos. Et ne tantus ſcriba circa hoc incaſſum ſtuduerit, ipſos Sanctos, ac ſic eorum tituli ad eorum laudem recitentur, huic paginæ duximus annotandos.

Rex ad Sanctum Albanum *multa munera offert.*

ALBERTUS, *Edwardus Martyr*, *Kenelmus*, *Oſwaldus*, *Oſwennus*, *Neithan*, *Wiſtan*, *Fromunde*, *Edwulfus*, *Edmundus*, *Edwardus*. Nominavit idem quoque Dominus Rex, & numeravit omnes *Angliæ*, quarum ei occurrit memoria Baronias, invenitque ducentas & quinquaginta. Sed ad materiam revertentes, ſequentia prioribus continuemus.

Nomina Regum Sanctorum in Angl.

EODEMQUE tempore, videlicet ſeptimo Idus Martii, venerunt ad *Sanctum Albanum* quidam magiſtri *Oxoniæ*, circiter novem Artiſtæ, qui quærula voce coram Rege, in Capella Sancti *Oſwini*, repoſuerunt querimoniam de Epiſcopo *Lincolnienſi*, qui contra ſtatuta Univerſitatis antiqua & approbata, nitebatur libertates Scholarium enervare. Et ſtatutus eſt dies reſponſionis, ad inſtans magnum Parliamentum, ut auditis partium rationibus pacificarentur. "Eodemque die ſecretiùs dixit Frater (qui & hoc ſcripſit) Domino Regi: Domine, pro domino curam "habe de eccleſia jam vacillanti. Univerſitas enim *Pariſienſis*, totaltrix & magiſtra ſanctorum "Prælatorum, non mediocriter perturbatur. Si ſimiliter uno tempore perturbetur *Oxonienſis* "Univerſitas, cùm ſit Schola ſecunda eccleſiæ, imò eccleſiæ fundamentum, timendum eſt vehementer, ne eccleſia tota ruinam patiatur. Et Rex. Abſit quòd hoc contingat, maximè meo "tempore.

Perturbatur univerſitas Oxoniæ.

1257. *Abbas Weſtmonaſt. cum ſuis redit à curia Rom.*

EODEM quoq; anno, die Sanctæ *Priſcæ*, redierunt à curia *Romana* Abbas *Weſtmonaſterienſis*, & Electus *Sariſburienſis*, multa paſſi viarum diſcrimina, & adverſantium inſidias, & nocumenta pro negociis regis tranſalpinantes, quibus & transfranciantibus nocuerunt adverſantes. In illo itinere obiit comes Abbatis *Henricus* de *Mara*, Juſtitiarius Regis itinerans, operum fructum ſuorum collecturus. Necnon & alios de comitatu ſuo, amiſit Abbas memoratus.

Poſſeſſiones Elyenſis *Epiſcopatus diripiuntur.*

INTERIM terræ, nemora, villæ Epiſcopatus *Elyenſis* irreſtaurabili quaſi exterminii patuerunt diſcrimini. Nemora explanabantur, vivariis exhauſtis & derivatis, ſicut ex parcis feræ, piſces aſportabantur, & peſſundato timore Domini & beatæ *Etheldredæ*, homines talliabantur, & injuriæ variæ ab ignobilibus Regiis ſatellitibus & exactoribus inferebantur. Et dum Electus & Conventus die ſibi præfixo audiri a Rege ſperaviſſent, Rex factus eſt adverſarius manifeſtus: proferens contra Electum exceptiones, quæ meritò poterant admirationes & ſcandala generare. Quarum maxima fuit hæc: "Inſulæ *Elyenſes* ab antiquo conſueverunt eſſe munimen & refugium multorum in tempore belli afflictorum: nec foret tutum committere cuidam ſimplici "clauſtrali, imbelli, & imbecilli, qui nunquam curiæ ſagacitatem expertus eſt, talem locum, qui "eſt inſtar caſtri, cuſtodiendum.

Electus Elyenſis *tranſalpinat.*

ELECTUS autem poſt multa damna, ut jus ſuum perſequeretur, Papalem curiam repentinus petiit & feſtinus. Archiepiſcopus tamen adhuc in perſecutione ejus obſtinatus perſeverans, ut Regi complaceret, qui in examinatione ipſius Electi priùs ab eo facta, nihil invenit ſcrupuloſum, ſcripſit amicis ſuis in curia *Romana* contra Epiſcopum electum: ut ibidem eo reprobato, in eundem Epiſcopatum Frater *Adam* de *Mariſco* ſubrogaretur. Cui ſubrogationi idem Frater *Adam*, licèt omnem mundanam excellentiam, & multos reditus, Frater de ordine *Minorum*, ſenex & literatus, habitum religionis aſſumpturus, reliquiſſet, dicitur benevolo animo conſenſiſſe, juxta illud *Ovidianum*:

> *Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,*
> *Cujus non animo dulcia lucra forent.*

Dominus autem *Henricus* de *Wengham*, Cancellarius, pro quo Rex Monachos *Elyenſes* poſtulaverat, patienter ſuſtinuit, ut aliquis alius in dictum Epiſcopatum promoveretur, humiliter proteſtans, quòd uterq; ipſo dignior extitiſſet.

Miracula apud mauſolum S. Albani.

EODEMQUE anno & diebus illis, increbuerunt miracula in eccleſia *Sancti Albani*, ubi videlicet mauſeolum B. *Albani* inventum eſt. Die verò Sanctæ *Agnetis*, reſuſcitatus eſt quidam puer à mortuis, & poſteà alius, & in eodem loco multi paralytici & cæci ſunt curati. Et omnia miracula ibidem celebrata, teſtimonio fide dignorum, ſcilicet ſacerdotum, parochialium, & vicinorum juratorum, veriſſima fuiſſe comprobantur. Non enim minori offenſa falſa laus de Deo prædicatur, quàm vera reticetur.

Nuncii ad Regem Franciæ.

IN feſto verò converſionis Sancti *Pauli*, miſſi ſunt ad Regem *Francorum* ex parte Regis *Angliæ*, ob cauſas ſecretas Regii negocii, Electus *Wintonienſis*, *Johannes* de *Gateſdone*, & *Petrus* de *Rivallis*.

Sariſbur. *Electus priſtinos redditus retinet.*

EODEM tempore, cum rediiſſet à curia *Romana* magiſter *Ægidius* de *Bridlesforde*, Electus *Sariſburienſis*, manifeſtavit ſcripto indice Papali, quòd licuit ei retinere priſtinos redditus ſuos per aliquot annos, quod eſt unum de novitatibus *Romæ* monſtruoſis, quas *Roma* pariendo abortivit.

Cuſtodiæ Reginæ multiplicatæ.

TEMPORE quoq; ſub eodem, conceſſæ ſunt Reginæ cuſtodia terræ *Willielmi* de *Cantelupo*, quæ data fuit *Edwardo*, & cuſtodia terræ *Willielmi Longaſpatæ*, quæ ſtatim commiſſa fuit Seneſchallo ſuo fratri *Willielmo* de *Tarenta*, qui quaſi ſanguinis ſanguiſuga, emolumentis inhiabat. Unde Ballivi, qui ſub eodem fratre *Willielmo* conſtituebantur, cornua aſſumentes ex tantæ Dominæ patronatu, vicinos opprimebant; & ſic ex levi, imò nulla cauſa depauperabant. Et ſic, ſicut in diebus antiquis, plures Reges in *Anglia* tyrannizabant.

Novus ordo Monachorum.

ET eodem tempore novus ordo apparuit *Londini*, de quibuſdam Fratribus ignotis & non prævìſis, qui, quia ſaccis incedebant induti, Fratres ſaccati vocabantur.

Margareta *ſoror Beati* Edmundi *obiit.*

PER idem tempus obiit *Margareta* Prioriſſa de *Katebia*, ſoror beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi, magnæ mulier ſanctitatis, pro cujus meritis præclaris miracula coruſcarunt.

Magnum Parliamentum, in quo Comes Richardus *valedicit* Angliæ.

EODEM anno, in media quadrageſima, factum eſt magnum Parliamentum, ubi de præcepto Regis venerunt magiſtri *Oxoniæ*, ut pax reformaretur inter Epiſcopum *Lincolnienſem*, qui eos infeſtavit, & Univerſitatem *Oxonienſem*. Feſtinarunt inſuper ad illud Parliamentum, Comes *Gloverniæ Richardus*, & Dominus *Johannes Manſel*, qui *Richardi* Comitis *Cornubiæ* & electi in Regem *Romanorum* diligentes exploratores, vias illius in *Alemanniam* præparaverant. Latuit tamen ipſos vulpina electio Regis *Hiſpaniæ*, qui ſe poſteà aſſeruit priùs fuiſſe electum, ut ſequens ſermo declarabit. Aderant autem ad dictum Parliamentum, novus in Regem electus *Alemanniæ* Comes *Richardus*, Univerſitati *Angliæ* valedicturus. Extitit enim ibidem tota ferè *Angliæ* nobilitas. Conſtituit autem idem Comes Epiſcopum *Londinenſem Fulconem*, ſummum procuratorem poſſeſſionum ſuarum, quas in *Anglia* poſſidebat. Erat autem nunc temporis tanta in Urbe *Londini* hominum multitudo, ut vix eam *Londinum* civitas capaci gremio contineret.

INTERIM

1257.

Arch. Cant. citatur Romam *reſponſurus de injuriis illatis Epiſc.* Roff.

INTERIM Epiſcopus *Roffenſis*, qui intolerabiles ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* injurias ſuſtinuerat, querimonias lachrymabiles coram tota curia *Romana* repoſuit, & repoſitas continuavit. Cumque cauſa ſua condignam expoſtulaſſet ultionem (culpa enim gravis extitit) poſt multas admonitiones tamen ad Regem factas qui dicto Archiepiſcopo cornua præſtitit, & audaciam delinquendi, meruit idem Archiepiſcopus citari, ut perſonaliter compareret coram Papa, de ſibi objiciendis reſponſurus, & de illatis injuriis & damnis ſatisfacturus.

Herefordenſis *Epiſcopus infirmatur.*

EPISCOPUS *Herefordenſis*, multiplicibus meritis exigentibus, turpiter infirmatus, morphea, polipo, vel quadam ſpecie lepræ, percuſſus, ſauciatur.

Rex petit auxilium pro filio ſuo Edmundo.

IN Parliamento autem ſupradicto, nondum finito, Rex in audientia totius populi, adducto monſtratóq; omnibus *Edmundo*, quem protulerat in medium veſtitum indumento *Apulienſi*, ait. "Videte fideles mei filium meum *Edmundum*, quem Dominus ad Regalis excellentiæ dignitatem "gratuita gratia vocavit, quàm manifeſtus eſt, quàm dignus favore univerſorum, & quàm in-"humanus, quàm tyrannicus foret, qui eidem conſilium & auxilium in hoc articulo denega-"ret efficax & opportunum. Et addidit, aſſerens, quòd de conſilio & benigno favore Papæ & "eccleſiæ *Anglicanæ*, ad Regnum *Siciliæ* acquirendum ſe obligavit, ſub pœna Regni ſui amit-"tendi, ad ſolutionem centum milium marcarum, & quadraginta millia marcarum, exceptis "uſuris, quæ quotidie non minimum ſuſcipiunt, licèt tacitum, incrementum. Item decimas to-"tius cleri impetravit generales, per quinquennium continuandas; omnium videlicet beneficio-"rum ſuorum, ſecundùm novas taxationes æſtimandas, nullis deductis expenſis, niſi neceſſariò "faciendis. Item fructus omnium eccleſiaſticorum beneficiorum vacatorum primi anni, uſque "ad quinquennium. His auditis, omnium aures tinniebant, & corda vehementer obſtupuerunt, maximè cùm ſcirent hanc tyrannidem à Papa exordium præſumpſiſſe. Tandem licèt cùm lachrymis excuſationes prætenderent, & inducias poſtulâſſent remiſſionis, nec poterant quomodolibet obtinere, promiſerunt Regi ad ſuas inſtantes neceſſitates. Et tamen conditione addita, ut magnam chartam toties promiſſam, emptam, & redemptam, ex tunc inviolabiliter obſervaret, & parceret ipſos tàm argumentoſe prædando lædere & depauperare, quinquaginta duo millia Marcarum, in irreſtaurabile damnum eccleſiæ *Anglicanæ*. Nec tamen adhuc donum tam opimum Rex dicitur acceptaſſe.

Intruſus in Decanatum Eboracenſem *redditus inde recepit annuos.*

ROMANUS ille qui ſe in Decanatum *Eboracen.* vulpino more ingeſſit, & in hora prandii ſtallum in choro Decani furtim occupavit, armatus favore & protectione Papali, Archiepiſcopum variis injuriis & damnis fatigatum fecit ſuſpendi, licèt inſontem, & virum omni prædicatum ſanctitate. Tandem poſt multas diſceptationes, pro bono pacis recepit dictus *Romanus* centum marcas annuas ab eccleſia *Eboracenſi*, donec eidem uberiùs provideatur.

Adventus Archiepiſc. Colonienſis *in* Angliam.

VIX autem ſoluto concilio & Parlamento memorato populoſo valde, venit Archiep. *Colonienſis* cum quibuſdam epiſcopis, & quidam Dux cum eo ad animandum Comitem *Richardum*, ut intrepidus regnum *Alemanniæ* (quod regnum *Romanorum*, eò quòd ſit quaſi arra ad Imperium *Romanorum* adquirendum, dicitur) intret, & accipiat ſine alicujus contradictionis repagulo ſibi fœliciter conceſſum, & in pace poſſidendum. Sed, quod multis fuerat poſteà admirationi, ſub ſilentio occultum fuit, & minimè declaratum quòd aliqui de Magnatibus *Alemanniæ*, inſtigantibus *Francis*, Regem *Hiſpaniæ Andephulſum* conſenſerunt ad dictum regnum promovendum. Sciendumq; quòd in memorato Parlamento generaliſſimo, fuerunt ſex Archiepiſcopi, videlicet *Cantuarienſis*, *Eboracenſis*, *Dublinenſis*, *Meſſanenſis*, qui opimas à ſingulis eccleſiis recepit procurationes. Et *Tarentinus Appulus*, qui venerat ad infatuandum Regem ſuper negocio *Apuliæ*. Ad quod etiam feſtinaverant venire de partibus ultram-arinis, Comes *Gloverniæ* & *Jo. Manſel*, quos tamen latuit exploratores diligentes ſcrupulus ſupradictus ſuper electione, videlicet alterius, quàm Comitis *Cornubiæ Richardi*.

Mandat Papa Abbati S. Albani *ut provideat cuidam* Italo *opimum beneficium.*

IN fine verò Martii miſit Papa Abbati *S. Albani* mandatum imperioſum, ut cuidam *Romano* provideret competens beneficium, cùm tamen cuidam alii *Romano* non feciſſet ſatis, qui tam urgentes, imò inſtantiores literas proviſorias paucis ante diebus bajulâſſet. Et ſic jam conglobatim miſeriæ in *Anglia* miſeriis cumulantur, adeò ut deſiderarent Prælati ab hujus incolatu ſæculi liberari. Jam enim non *Saræ* liberæ, ſed *Agar* ancillæ filii ſpurii reputati, libertate, qua nos *Chriſtus* liberavit, ſpoliamur.

Quidam Magnates Alemanniæ *homagium faciunt Comiti* R.

ET eodem tempore Archiepiſcopus *Coloniæ Conradus*, & alii cum eo Magnates *Alemanniæ*, qui cum dicto Archiepiſcopo *Londini* venerant, fecerunt homagium & fidelitatem ligantiæ, Comiti *Richardo*. Quo facto, Comes contulit illi ſtatim quingentas marcas, pro ſuis viaticis adquietandis. Inſuper unam Mitram nobiliſſimam, pretioſis lapidibus, & laminis aureis redimitam. Quam cùm Archiepiſcopus aptâſſet capiti ſuo, ait, Nobili theſauro ditavit me & Eccleſiam meam, Comes *Richardus*: & ego certè, ſicut impoſuit capiti meo Mitram meam, imprimam capiti ſuo coronam regni *Alemanniæ*, vel *Romanorum*. Mitravit me, & ego eum coronabo. Hoc idcirco huic libello duxi annectendum, ut ſciant poſteri quàm calidè noverunt alieni *Anglicanam* ſimplicitatem circumvenire.

Rex Francorum *caſtra* Normanniæ *communivit.*

REX *Francorum* interim cùm hoc audiſſet, caſtra quæ in confiniis regni ſui ſita fuerant, prudenter & potenter communivit, & civitates ac caſtra *Normanniæ*, ſuis hominibus natalibus præcipuè roboravit. Præcepitque ut fœdere maritali *Franci* cum *Normannis*, & è converſo, quaſi vinculo amicitiæ mutuæ concatenarentur, quod & factum eſt. Dicebant enim: Quondam dedit

1257. *Anglis* cornua, *Otto Romanorum* Imperator, miles ſtrenuiſſimus: iterum *Fredericus*: unus conſanguineus, alter affinis, qui inimiciſſimi regno *Francorum* ob hoc extiterant, & tamen Domino tutore, adhuc durat ſua dignitate & poteſtate roborata, & ſic cepit qualem qualem conſolationem.

Quidam Magnates Alemanniæ homagium faciunt Richardo.

ALII quoq; *Alemanniæ* Magnates, qui cum Archiepiſcopo *Colonienſi* advenerant, pretioſa donativa recipientes, à Comite receſſuri, ne ſuſpecti haberentur, homagium ſub diſtricto fecerunt juramento.

Summa inutilium expenſarum Regis.

EXPENSÆ tunc temporis (ſicut à fide dignis clericis conclavis, qui ſuper hoc rotulos revolverant, & ſummas diligenter computaverant) domini Regis, poſtquam cœperat eſſe regni dilapidator, probatæ ſunt aſcendere ad octies centum millia Marcarum, & centum & quinquaginta millia Marcarum, quod eſt horribile cogitatu. Quia regnum *Angliæ* nunquam de tanto theſauro aliquod ſumpſit incrementum, imò potiùs decrementum. Meliùs enim tibi foret amiſiſſe gladium vel ſagittam, in profundo maris cadentem, quam inimicus tuus ipſa à te extorſiſſet.

Recedit Archiepiſcopus Colonienſis ab Anglia.

ARCHIEPISCOPUS verò *Colonienſis*, ad Paſcha quandam magnam galeiam, optimè bellatoribus marinis & victualibus communitam, aſcendens apud *Londinum* in *Thameſi* flumine, feſtinus repatriavit, ut præcedens Comitem *Richardum* novum electum & dominum ſuum, tutiùs reciptaret, & vias omnes redderet tutiores.

Recedit Comes Richardus ab Angl.

TERTIA verò die Paſchæ, Comes *Cornubiæ*, & electus *Alemanniæ* novellus, valedicens amicis, & ſe orationibus commendans religioſorum, iter arripuit verſùs mare à *Londino*, videlicet verſùs *Gernemue*, cum maximo comitatu Nobilium. Et quia ventus ei fuerat contrarius, ſuper littus cum maximis expenſis inutilibus moram traxit diuturnam. Veruntamen, quandam tyrannidem, dum adhuc expectaret ſuper littus, fecit Eccleſiæ *ſancti Albani*, quam honeſtius duximus ſub ſilentio prætereundam, quàm paginæ ſubſcribendam.

Cariſtia in comitatu Comitis Richardi.

ET dum dies tereret ſuper littus proſperam auram expectando, numeroſo ſtipatus comitatu, facta eſt victualium cariſtia & inedia, ita ut ſumma frumenti, quindecim ſolidis venderetur, avenæ ſex, gallinarum & anſerum potiùs carentia quàm cariſtia, boum & ovium carnes, ad voluntariam vendentium æſtimationem venundabantur. Et niſi Comes, prout conſuevit, pro emptis libenter pretium perſolviſſet, major penuria univerſos coarctâſſet, aut etiam amoviſſet.

Caſſatio iniqui judicii Henrici de Mara contra Abbatem S. Albani.

MEMORANDUMQUE, quòd cùm Rex adhuc in partibus ageret tranſmarinis, Comite *Richardo* regnum moderante, caſſatum eſt iniquum judicium *Henrici* de *Mara* Juſtitiarii, laborioſa diligentia domini *Willielmi* de *Hortona* Cellararii. Amerciabatur enim injuſtè Abbas *ſancti Albani*, dicto *Henrico* procurante, ad ſolutionem centum librarum, eò quòd homines ejus ad *Ceſtrehunte*, quæ eſt extra libertatem Abbatis, venire noluit, ſicut nec debuit. Meritò igitur contemptibiliter peregrinus obiit, Martyre *Albano* vindice, idem *Henricus* tranſalpinans. Nec ceſſavit dicti Cellarii ſollicitudo commendabilis, donec tales literas patentes à dicto Comite reportaret, ut dilucidetur beati *Albani* libertas, temporibus futuris ſcire cupientibus.

Literæ impetratæ per Abbatem S. Albani à Comite Richardo.

HENRICUS *Dei gratia, &c. Quia conſtant nobis per inſpectionem chartarum prædeceſſorum noſtrorum Regum* Angliæ, *quas Abbas* ſancti Albani *habet, quod homines ipſius Abbatis venire non debent extra ſuam libertatem ejuſdem Abbatis, pro aliqua ſubmonitione vel occaſione coram aliquibus Juſtitiariis vel inquiſitoribus, remiſimus eidem Abbati centum libras, ad quas villata & libertas* ſancti Albani *amerciata fuerunt, eò quòd homines ejuſdem libertatis non venerunt coram dilectis & fidelibus noſtris* Henrico *de* Mara, *&* Willielmo *de* Wiltona, *quæ extra libertatem prædictam, ad inquiſitiones faciendas de tranſgreſſoribus Cambii, & ad amerciandum tranſgreſſores ejuſdem Cambii.* Cætera quære in *libro Additamentorum.* Porrò literæ ſunt patentes.

Emolumentum turpe è cambio quæſitum.

ET ante paucos dies illos, & adhuc duravit extorſio turpis & inhumana de fontibus & inſontibus pro Cambio, quod Comes *Richardus* adeptus erat de Rege. Siquis enim à vicino vel amico, ſi iter facturus eſſet, vel aliquod aliud breve negotium, aliquot denarios, licèt pro neceſſitate paucos cambiâſſet, impoſitum fuit ei, quòd in Regis præjudicium cambium tenuiſſet. Et ſic quaſi ad menſam nummularii ſedens, graviter puniebatur, unde Comes *Richardus* multa Marcarum millia, in multorum depauperationem, ærario ſuo cumulavit.

Receſſus Comitis R. ab Anglia in Alemanniam.

ASSIGNATIS igitur caſtris, terris, & poſſeſſionibus ſuis, quæ habuit in *Anglia* Comes, quorum ſummum conſtituit epiſcopum *Londinenſem*, ſe *Neptuno* cum infinita claſſe, quam in portubus *Angliæ* habebat, undecunque raptis & collectis *Angliæ* & aliarum regionum navibus, commendavit. Nec tamen beato *Albano* ſatisfecit ſuper quibuſdam injuriis illatis, tam de *Miclefeld*, quàm aliis rebus, unde quidam puer pupillus terra ſua remanſit ſpoliatus, machinante *Johanne* de *Gateſdena*, ſpreto Dei timore, & miſerabiliter depauperatus. Abbas autem *ſancti Albani* puerum *Rogerum* nomine, miſericordia motus, aluit deſtitutum. Cum quo recedente, aſportata receſſerunt irreditura ſepties centena librarum millia, multis peccatis cruentata, abſque quotidianis ejus redditibus in *Anglia* ſuccreſcentibus, diatim aſportandis. Unde terra *Anglicana* his & aliis multis bonis, præcipuè numiſmate, ſpoliata, cœpit miſerabiliter egere, & de ſpoliis alieni gloriari. Et ſciendum eſt, quòd uſq; ad illud tempus, ſcilicet initium Maii, à prima die Februarii, aura turbida & procellis ſqualida totam *Angliam*, paluſtrem reddidit & lutoſam.

1257.

ſam. Sulci in antra vertebantur. Antra paludum inſtar protendebantur. Flumina marium bracchia mentiebantur, & ſic tres menſes terram reddiderunt ſterilem & infructuoſam, unde multi agricolæ terras ſuas reſeminarunt.

Incendium terribile fani Machometi contingit.

EISDEMQUE diebus, venit ad *ſanctum Albanum*, quidam vir venerabilis, magiſter videlicet fratrum Eccleſiæ ſancti *Thomæ Aconenſis*; Abbati & Monachis enarrans rumores veros. Quòd ſanus ſcilicet & incolumis, arduis negotiis eccleſiæ *ſancti Albani* vigilanter & efficaciter incumbebat in curia *Romana*, de qua & ipſe frater veniebat, ſuiſq; enarrationibus annunciabat, quòd quoddam genus fulguris infernalis, licet ab æthere deſcendiſſet, fanum *Machometi* cum ſuo ſimulachro ſubito incendio ſubruit & diſſipavit, & iterum alius, conſimilis primo, impetus dictum fanum in minutias diſſipans, in terram demerſit, & tertius in profundiora terræ, & ut creditur, detruſit in abyſſum. Dein ignis ille calidiſſimus & conſumptivus, ardens, & non lucens, ſerpebat per inferiora terræ, & quaſi ignis tartareus, ſcopulos conſumebat, nec, ut dicitur, adhuc valet extingui. Et ſic tota civitas *Meche*, & loca contermina, igne inextinguibili ſunt conſumpta.

Flumen ardens.

"SIMILITER autem, de quadam cujuſdam fluminis magni voragine, quod contra naturam a-"quæ, ſuo termino malè contentibilis, bene alieno, eminentes montes aſcendit, & eos qui ad "eorum cacumina cauſa refugii aſcenderant, violenter occupavit, & ſuo incendio quos conflagravit, tanquam combuſtos interemit. Et ſic qui à flamma ſulphurea evaſerunt, in ardenti "flumine ſunt abſorpti.

Fratres Bethleemitæ Cantabrigiæ mansionem obtinent.

CONCESSA eſt manſio fratribus *Bethleemitis* in *Cantabrigia*, ſcilicet in vico, qui ducit verſùs *Trumpintonam*, quorum habitus ſimilis eſt habitui Prædicatorum. Signatur autem capa eorum in pectore quadam Stella rubra, quinq; radiis crinita, in cujus medio quædam rotunditas eſt aërei coloris, propter ſtellam quæ apparuit in *Bethleem* nato Domino. Totq; jam apparuerunt ordines in *Anglia*, ut ordinum confuſio videretur inordinata.

Archiepiſc. Cant. convocat Prælatos ſuæ provinciæ.

DIEBUS ſub eiſdem, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Bonifacius* convocavit Epiſcopos & Archidiaconos provinciæ ſuæ; ut invocata devotè ſpiritus ſancti gratia, Eccleſiæ jam vacillantis *Anglicanæ*, quæ novis oppreſſionibus modernis annis ſolitò gravioribus & intolerabilioribus opprimitur, ſtatui ſubvenirent, communiter contractantes. Rex enim conſiliis, imò ſibilis adulatorum & Regni inimicorum incurvatus, permiſit quaſdam enormes conſuetudines, tanquam ſpinoſos frutices in horto voluptatis fructifero ſuccreſcere, & fructiferas arbores ſuffocare. Sperabatur igitur certiſſimè, ut in hac convocatione eidem Archiepiſcopo daretur deſuper opponere ſe murum pro domo Domini, ut certamen iniret contra rebelles Eccleſiæ, beati *Thomæ* martyris veſtigia ſequendo pedetentim.

Catharina filia Regis moritur.

ET circa inventionem ſanctæ Crucis, obiit filia domini Regis *Katherina*, muta & inutilis, ſed facie pulcherrima. Regina autem mater ejus dolore concepto, infirmitate quaſi irremediabiliter occupabatur, nec potuit ei Phyſica vel humana conſolatio ſuffragari.

Querela Roff. Epiſc. Romæ habita.

EPISCOPUS interim *Roffenſis Laurentius* querelam ſuam, quam coram domino Papa & Cardinalibus repoſuerat de Archiep. *Cantuarienſi Bonifacio*, qui res & pacificas poſſeſſiones ſuas eccleſiaſticas injuſtè invaſerat, de die in diem conſtanter & viriliter continuavit, libertatem eccleſiæ ſuæ commendabiliter defendendo, unde citatus eſt Archiepiſcopus, ut ſe perſonaliter D. Papa præſentaret.

Wallenſes graviter infeſtant Anglos.

INTEREA *Walenſes* debacchantes, cædibus, incendiis, & rapinis vigilanter incumbebant & inceſſanter. Nec poterant Barones contermini, licet eis comes *Glovherniæ* aſſociaretur, *Anglicis* ſuffragari, vel *Edwardo*, ſed cachinnantes verba deriſionis præſentabant, & ſic crevit odium inter *Anglos* & *Wallenſes* diatim, ut ſerpigo ſcabiei. Et quia minabatur eiſdem dictus *Edwardus*, quòd *Hybernienſibus* eos quaſi vas figuli, quos jam vocaverat, irreſtaurabiliter confringeret: habebant *Wallenſes* præmuniti galeias, pyraticis armis & victualibus communitas, ut *Hybernienſibus* hoſtiliter, & potenter, in mare obviarent.

Inventum corpus Malcolmi Regis Scotorum.

EODEMQUE anno, inventa ſunt oſſamenta Regis *Scotorum Malcolmi*, & *Edwardi* filii ſui, cùm fundamenta cujuſdam ſtructuræ pararentur apud *Thynemuam* Prioratum *ſancti Albani*, de cujus actibus & morte, in *libro Additamentorum*. Summa autem eſt, quod ipſum hoſtiliter ſupervenientem cum toto exercitu ſuo, *Robertus* de *Mumbrai*, fundator Eccleſiæ de *Thynemua*, vicit, & victum interemit, & interemptum, quia Rex erat, juſſit in *Thynemua* ſepeliri.

Reparantur muri Londinenſes.

ANNO quoq; ſub eodem, juſſit Dominus Rex muros *Londinenſes* dirutos & propugnaculis deſtitutos, decentiùs ex communi Civitatis collecta reparari.

Diſcordia inter Co. Legreceſtriæ S. & W. de Valentia.

DIEBUS autem ſub eiſdem, apud *Londinum* coram Rege & multis Magnatibus, orta eſt diſcordia inter Comitem *Legreceſtriæ Simonem*, & *Willielmum* de *Valentia*. Ipſe enim *Willielmus*, quia frater domini Regis extitit uterinus, in omnes vicinos ſuos irreverenter, maximè in Religioſos damnoſè deſæviens, cornua tyrannidis à domini Regis ſumens fraternitate, ſicut fratres ſui, poſſeſſiones dicti Comitis indecenter invaſerat, & prædas abegerat. Quas cùm Seneſchallus Comitis deliberâſſet, orta iracundia, motus *Willielmus*, injurias tam factis quàm dictis in Comitem cumulaverat. Quæ cùm querelis coram Rege recitarentur, jurgia exorta ferè prælia ſuſcitarunt. *Willielmus* enim coram Rege & Magnatibus palam, ut vulgariter loquar, dementiens, & notam ei irreverenter proditoris imponens (quod eſt Militibus magnum offendiculum)

LIBRARY … BOMBAY

1257. oſtendiculum) commotus eſt Comes vehementer, & volens, ut dicitur, irruere in ipſum: Quia *ira brevis furor eſt*, vix eſt, Rege compeſcente (qui ſe inter Comitem ſororium ſuum, & *Willielmum* fratrem ſuum attonitus ingeſſit, ne ipſum interemiſſet) fœliciter retardatus. Nec poſſit inter eos potuit lex ſuſcepta inimicitiæ exinaniri.

Monachi Dunelmenſes *abſolvantur.*

PAUCIS autem diebus præterlapſis, Monachi *Dunelmenſes*, qui ſoli cum Canonicis *Giſeburniæ*, improbitati Papalium exactorum reſtiterant, & interdictum diuturnum ſuſtinuerant, tandem poſt multas diſceptationes, talem literam de plenitudine poteſtatis Papalis meruerunt impetrare, unde abſoluti gaudenter celebrarunt. O ſi habuiſſent in tribulatione ſua conſortes, & in eorum conſtantia coadjutores, quàm fœliciter eccleſia *Anglicana* de tortoribus ſuis & oppreſſoribus triumphâſſet! Literæ autem, quas impetrarunt Monachi memorati, in *libro Additamentorum* poterunt reperiri.

Caſſatio electi Elyenſis.

DIE verò ſanctorum *Gordiani* & *Epimachi*, Rege & Archiepiſcopo *Cantuarienſi* vigilanter procurantibus, caſſatus eſt electus *Elyenſis*. Cujus loco ſubrogare laborarunt fratrem *Adamum* de *Mariſco*, de ordine *Minorum*. Super quo facto mirati ſunt cuncti audientes, quia electus nec electio reprobari de jure poterat, nec in eiſdem vitium reperiri. Sed prævaricatores, quærentes nodum in ſcirpo, & angulum in circulo, impoſuerunt ei, quòd ſimplex clauſtralis fuit, nec de negociis ſæcularibus exercitatus, vel expertus, & penitus inſufficiens ad cuſtodiendum & tuendum nobilem epiſcopatum *Elyenſis*, & inſulam, quæ ab antiquo aſylum extitit refugii, omnibus oppreſſis tempore tribulationis. Sed ut certiùs credebant quamplures, hanc gratiam Regiam præcluſerunt Monachorum conſtantia & fidelitas, qui noluerunt petitioni Regis adquieſcere, poſtulantis urgenter & inſtanter, ut ſibi *Henricum* de *Wingam* ejus Cancellarium in eorum epiſcopum eligerent univerſi. Et cùm talis petitio ignaro ipſo *Henrico* facta fuiſſet, idem *Henricus* ſciens quòd idoneum ſibi Conventus elegerat in paſtorem, ait domino Regi: “Domine “ſinite iſtum pium Conventum circumvenire, & cum veſtris imperioſis & armatis precibus am“pliùs ſollicitare. Monachi enim invocata ſpiritus ſancti gratia, ritè elegerunt idoneum & me“liorem. Abſit ut ſic occupem tam nobilem Epiſcopatum, ut uſurpem tantum cauteriata “conſcientia miniſterium. In quo meruit grates ab hominibus, & gratiam à Deo Cancellarius “reportare. Nec adhuc Regis indignatio eſt averſa, quin electum & epiſcopatum miſerabiliter impugnaret. Electus verò confiſus de jure ſuo, *Romam* aditurus, illico tranſalpinavit, à domino Papa conſolationem de tanta tribulatione recepturus.

Rex Francorum *fecit communiri* Normanniam.

REX interim *Francorum* fecit optimè communiri caſtra *Normanniæ*, & à perſonis ſuſpectis amovit cuſtodias & magiſtratus, & liberavit eas ſuis *Francigenis*: & *Normannos*, quos noluit amovere, affinitatis & alio fœderis genere ſibi indiſſolubili vinculo ſociavit. Domoſque religioſorum, quæ in confinio fuerant, amovit, & pro ipſis alia loca commutavit, tam in locis verſùs *Alemanniam* conterminis, quàm *Normanniæ*, & conditiones eorum ampliavit, caſtra firmavit, & firmata providè communivit, ne Rex *Alemanniæ*, qui *Pictaviam* vendicavit, vel Rex *Angliæ*, qui *Normanniam* poſtulavit, receptacula, ſi forte ſupervenirent hoſtiliter, invenirent. Formidabat *Francia* vehementer, ne inter hos, quaſi inter duas molas, contereretur. Seſe autem *Franci* pro eorum conſuetudine invicem conſolabantur, dicentes. “*Otto* quondam Imperator, “militum ſtrenuiſſimus, & in Imperium *Romanum* ſublimatus, *Franciæ* graviter comminaba“tur, qui in pugna de *Bovel* turpiter retroceſſit. Ipſe Regi *Anglorum* conſanguineus, adjunctis “Comite *Willielmo*, cognomento *Longaſpata*, fratre dicti Regis *Anglorum*, & Comite *Flandrenſi Ferrando*, Comitéque *Bononienſi Reginaldo*, *Hugone* de *Boves*, cum aliis electis bellatoribus, “in multitudine gravi *Franciam* proponens vaſtare, diebus noſtris Domino propitio contritus “eſt. Rex inſuper *Anglorum Johannes*, apud caſtrum quod *rupes Monachorum* dicitur, perſe“quente eum *Lodovico* nondum Rege, ipſo eodem tempore, relinquens obſidionem, probosè “aufugit, veluti fugitivus. Cùm tamen robur *Francorum* in duas partes dividebatur, quarum “una patrem ſcilicet Regem *Fancorum* ſequebatur, alia filio duo adhæſerat *Lodovico*. *Frede“ricus* verò Imperator *Chriſtianorum* potentiſſimus, vir formidabilis & vafer, qui ſororem “Regis *Angliæ* deſponſaverat, *Franciæ* terribiliter comminabatur; adhuc tamen ſub alis piæ “protectionis nos omnipotens defenſavit. Sic igitur talibus exemplis ſeſe mutuò conforta“bant.

Prælati Angliæ *promittunt Regi conditionaliter magnam pecuniæ ſummam.*

CIRCA idem tempus Prælati *Angliæ* miſerabiliter enervati & meticuloſi, conſtantiam *Ciſtercienſium* minimè conſequentes (qui Regi pecuniam inæſtimabilem exigenti in faciem reſtiterunt) conceſſerunt Regi quadraginta duo millia Marcarum, in enormem Eccleſiæ & Regni læſionem, & jacturam irreſtaurabilem, & conceſſa fuit hæc pecunia, vel domino Regi, vel ipſi, ad mancipandum regnum *Apuleiæ*, *Edmundo* filio Regis. Sed illius regni adquiſitio, diatim cœpit incrementum deſperationis. Rex autem, qui parùm hoc munus acceptavit, promiſit ſe citiſſimè Eccleſiæ oppreſſiones temperando, ad ſtatum debitæ libertatis revocare. Unde formati ſunt articuli, circiter quinquaginta, quos Prælati in ſcripta redegerunt, ut apto tempore coram Rege, & Magnatibus, & Prælatis lecti, effectum debitum ſortirentur. Qui articuli, vel capitula, ſimilia fuerunt illis, pro quibus beatus *Thomas* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* Martyr dimicavit, victor effectus glorioſus. Articuli autem tantum continent literæ, quantum duo nocturna vel tria. Quære in *libro Additamentorum*.

DIE

1257.

Epiſc. Norwicenſis Walterus *obiit.*

DIE verò Sancti *Ulſtani*, videlicet decimo tertio Calendas Junii, obiit Epiſcopus *Norwicenſis Walterus*, cognomento de *Sufeld*, apud *Colceſtriam*, & delatum eſt corpus ejus ad *Norwicenſem* eccleſiam ſuam Cathedralem, honorificè tumulandus, ad cujus tumbam, miracula dicebatur coruſcare. Hic namque in uſus pauperum, inſtante tempore famis, omnia vaſa ſua & coclearia argentea, cum toto theſauro ſuo, pauperibus erogaverat.

Novum ſtatutum Romæ *factum, de electis ad Abbates exemptos.*

EODEMQUE anno ſtatutum eſt *Romæ* à Domino Papa & fratribus Cardinalibus, qui vigilanter ſua temporalia procurant commoda & emolumenta, aliena non curantes, "ut quilibet, qui "in Abbatem exemptum ex tunc eligeretur, *Romanam* curiam adiret confirmandus & benedi- "cendus. Per quod enorme ſtatutum religio patuit diſcrimini, & eccleſia proſperitate tempora- "li conſtat deſtituta. Non enim religioſis neceſſe eſt, maturam & religioſam perſonam eligere, ſed aliquem ſemiſæcularem virum, cui plùs equus quàm æquitas, plus lex *Juſtiniani*, quàm *lex Domini convertens animas*, placuerit, in animarum ſuarum Paſtorem. Præterea, eſto quòd talis eligatur, alius enim reprobabitur per Regem & ſuos ſatellites, mora protracta in ejuſdem tranſalpinatione diuturna: fortè caſſabitur Electus, vel electio reprobabitur, vel fortè Electus obiter morietur, Conventus languebit, & Rex, in cujus manu omnia confiſcabuntur, pro voluntate diripiet & abſorbebit.

Rex Angliæ *parat expeditionem in* Walliam.

TEMPORE quoque ſub eodem, tranſmiſit Dominus Rex per totam *Angliam* brevia ſua ut quicunque militare Domino ſuo Regi ſervitium debuerat, promptus foret & paratus cum equis & armis ipſum ſequi, in feſto beatæ Mariæ *Magdalenæ*, in *Walliam*, contra *Wallenſes* hoſtiliter profecturum, ad repellendum impetus eorundem; qui jam liberè diſcurrentes, caſtra Magnatum conterminorum, & etiam *Anglorum* impunè occupantes, & obſeſſos interimentes, prædis, incendiis, & cædibus intendebant. Certificati autem, quòd Rex eos cum exercitu ſuo hoſtiliter impetere præpoſuerat, in interiora terræ, ſcilicet *Snaudum*, & loca montuoſa, & *Anglis* inacceſſibilia, uxores ſuas, liberos, & pecora prudenter abegerunt, prata araverunt, molendina quoque, ubi tranſitum facturi erant *Anglici*, diſſiparunt, pontes confregerunt, vada quoque antris factis, reddiderunt intranſmeabilia, omne genus vectualium ſubitò ſubtrahentes, ut tranſeuntes præcipitati, ſubitò mergerentur: & proſperatum eſt opus Martium in manibus eorum. Cauſa autem eorum, etiam hoſtibus eorum juſta videbatur. Et hoc eos maximè confortavit, quòd pro avitis legibus ſuis & libertatibus conſtanter, more *Trojanorum*, de quibus propagantur, originali conſtantia decertabant. Væ miſeris *Anglis*, à quolibet alienigena conculcatis, qui ſuas antiquas libertates Regni permittunt exſufflari, nec erubeſcunt, exemplo *Wallenſium* informati. Nec voluerunt aliquatenus *Edwardo* Domini regis filio obedire, ſed cachinnantes, ipſum convitiis cumulatis cynicè deridebant. Unde propoſuit idem *Edwardus* ipſam *Walliam* cum ſuis *Wallenſibus*, tanquam indomabilibus, reſignare. O *Anglia*, omnium regionum ancilla, & conditione ultima meritò reputaris! Quicquid excolunt indigenæ, alieni diripiunt & aſportant.

Comes R. *applicuit in* Alemanniam.

EODEM quoq; tempore, Comes *Richardus* proſperè applicans in *Alemanniam*, invenit in littore hominum multitudinem infinitam, quæ eidem applauſura, ejus cum gaudio & honore adventum expectabant. Et cùm multa expendiſſent, juſſit eis multa refundi, unde ab omnibus laudem, gloriam, & gratiam meruit reportare.

Coronatur Comes R. in Regem Alemannorum.

DIE verò aſcenſionis Dominicæ, ſcilicet ſexto Calendas Junii, coronatus eſt Comes *Cornubiæ Richardus* in regem *Alemannorum*, ſive *Romanorum*, per manum *Conradi* Archiepiſcopi *Colonienſis*, apud *Aquiſgranum*, cum maximo honore & ſolennitate, prout moris eſt ab antiquo continuati, nec erat qui contradiceret vel conturbaret, quod nunquam contigit à tempore cujus extat memoria. Coronata eſt cum eo uxor *Senchia* Comitiſſa in Reginam. In craſtino verò, videlicet die Veneris, Rex novellus *Richardus*, filium ſuum *Henricum*, quem genuerat ei *Iſabella* prior uxor ejuſdem Regis *Richardi*, cingulo donavit militari. Celebravitq; convivium tam in die tyrocinii ejuſdem *Henrici*, quàm in die coronationis ſuæ, quod in conſpectu *Alemannorum* ſtuporem merito poterat generare. Sed hoc pleniùs in epiſtola, quam in *Angliam* miſit, quæ in *libro Additamentorum* ſcribitur, poterit reperiri.

Jo. *de* Avennes *Seneſchallus* Alemanniæ *conſtituitur.*

DISPOSUIT igitur liberè Rex *Richardus* negotia regni *Alemanniæ*, ſequens Magnatum terræ veſtigia, eorum conſiliis inhærendo, præcipuè tamen Archiepiſcopi *Colonienſis*: Conſtituit igitur *Johannem* de *Avennes* Seneſchallum ſuum, qui vir Martius extitit & exercitatus. Erant enim in regno adhuc aliqui recalcitrantes, videlicet Archiepiſcopus *Treverenſis*, vir potens & bellicoſus, cui *Francorum* favor tantam præſtitit temeritatem.

Diſcordia Monachorum Wintoniæ *&* Glaſtoniæ.

ANNO quoq; ſub eodem, & paucis retroactis diebus, Priores & Monachi *Wintoniæ*, & Abbas & Conventus *Glaſtoniæ*, per ſuas diſcordias & ambitiones, in toto ordine Monachorum ſcandalum ſuſcitarunt, & ſuarum nobilium & antiquarum eccleſiarum poſſeſſiones in perpetuam earum læſionem enormem, & infamiam lædentium, diſſiparunt. Quorum errorem, quia tractatus exigeret ſpeciales & diffuſos, non cenſui dignum huic libello interſerere, vel memoriæ commendare, ſed talia ſchiſmata, quæ fomenta curiæ *Romanæ* præſtant, potiùs reticere.

Obitus Mauritii *Militis* Hyberniæ.

DIEBUS autem eodem anno retroactis, obiit *Mauritius filius Geroldi*, Miles ſtrenuus & facetus, nulli ſecundus, in *Hybernia*, qui quandoque ibidem Juſtitiariæ habenas gubernavit. Hic tota vita ſua vixerat laudabiliter, ſed de morte *Richardi* Comitis Mareſchalli infamiæ notam, fortè falſo, reportavit.

ANNO

1257.

Mors Roberti *de* Sotindune. Wallenſes *quoddam caſtrum Comitis* Gloverniæ *capiunt.*

ANNO quoque ſub eodem obiit *Robertus* de *Sotindune*, Domini regis clericus ſpecialis, & quandóque itinerans Juſtitiarius, infirmatus apud *Hertforde*, ibidem diem clauſit extremum, & ibidem eſt ſepultus.

INFRA autem octavas beati *Benedicti*, *Leolinus* ſummus Dux *Wallenſium*, facto impetu repentino in homines Comitis *Gloverniæ*, violenter cepit unum ejuſdem Comitis Caſtrum, & in eo inventos interfecit.

Obiit Aelicia *Prioriſſa de* Katebia.

IPSO quoque anno obiit miræ ſanctitatis & innocentiæ, Domina *Aelicia* Prioriſſa de *Katebia*, ſanctimonialis; ſoror Beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi, ad cujus tumbam miracula dicuntur coruſcare.

Moritur bonus Prior Norwicenſis.

ET eodem tempore obiit bonus Prior *Norwicenſis*, vir magnæ ſanctitatis, & eminentis literaturæ, qui præter Miſſas, horas canonicas, orationes ſecretas & ſpeciales, quotidie Pſalterium pſallendo complevit. Hunc quoque Electum ritè in Epiſcopum *Norwicenſem*, Rex conſiliis iniquorum faſcinatus, circiter decennio tranſacto, quibuſdam frivolis exceptionibus caſſari procuravit.

Rex ægrotat præ mæſtitia.

TEMPORE quoque ſub eodem, videlicet in fine Maii, Dominus Rex, tum quia *Wallenſes* ad votum ſæpiùs triumphaverant, quamplures Domini Regis in conterminio *Walliæ* fideles trucidando, tum quia ſe fraudatum jam credidit de regno *Apuliæ*, pro quo tantam inutiliter effuderat pecuniam, tum propter infirmitatem Reginæ graviſſimam, tum propter mortem *Katherinæ* filiæ, in tantam triſtitiam eſt præcipitatus, quod in febrem tertianam, quæ diu eum afflixit *Londini* commorantem, cecidit, ſicut Reginam apud *Windeleſhores* decubantem pleureſis maceravit.

Armiger W. *de* Valentia *à populo* Londinenſi *trucidatus.*

DIEBUS quoque ſub eiſdem, quidam Armiger *Willielmi* de *Valentia*, fratris Domini Regis, qui dum *Londini* ſe protervè geſſit, cultellum extrahens, ſanguine civium, prout jurabat, cruentandum, eo ipſo aliquos ſine cauſa ſauciavit. Confiſuſque de conſueta Domini ſui protectione, poſt vulnera inflicta, minas cum probris ebullivit. Irruentes igitur in ipſum glomeratim cives plebeii, non volentes nec valentes illius valentiam tolerare, ipſum arrogantem lapidibus & clavis conquaſſatum, interemerunt. Et in quandam domum aſportatus, cùm mori inciperet, ait: "Pro Deo dicatur Domino meo, ut mors mea nulli imputetur, niſi tantummodo mi- "hi, meæque ſtultitiæ ac protervitati. Nos enim confiſi de protectione Dominorum noſtrorum, "ſontes & inſontes miſerabiliter conculcavimus, & ſic expiravit. Quod cùm audiſſet *Willielmus*, gravem ſuper hoc coram Rege repoſuit de *Londinenſibus* querimoniam, aſſerens coram Rege ipſum mortuum, ut Regem magis commoveret. Vocatus igitur Major civitatis, & graviter accuſatus, reſpondit: "Domine mi Rex, non poſſum impetus populi plebeii refrenare, inquirite "quid dixit moriturus. Et cùm cognoviſſet Rex ordinem feriei, inquit: Habeat quod prome- "ruit malefactor. Veruntamen ſex malevolentiæ contra cives non eſt penitus exinanita, ſicut ſermo ſequens pleniùs declarabit.

Obiit R. *de* Weſtham Ceſtrenſis *Epiſc.*

Sub eodem tempore, magiſter *Rogerus* de *Weſtham*, vir omni laude digniſſimus, Epiſcopus *Ceſtrenſis*, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, qui diuturna infirmitate, ſcilicet paralyſi excoctus, ceſſerat Epiſcopatui. Illi autem, magiſter *Longaſpata* ſubrogatur.

Conſuetum miraculum S. Albani.

CIRCA eoſdem dies, tempore videlicet Autumnali incipiente, Abbas & Conventus *Sancti Albani*, perpendentes de inundatione pluviarum immoderata, tam fœnis quàm ſegetibus ſuffocationem generalem imminere, prout conſuevit in tali fieri periculo, conſtituerunt in Capitulo, ut indicto jejunio per Archidiaconum, tam in populo, quàm Conventu; cum proceſſione ſolenni feretrum *Sancti Albani* ad Sanctæ *Mariæ* eccleſiam, quæ de *Pratis* dicitur, deportaretur; Conventu & populo nudis pedibus ſubſequentibus cum oratione devotiſſima. Quo facto, eadem die meritis beati Martyris ceſſavit inundatio tam damnoſa.

Recedit univerſitas Pariſienſis.

TEMPORE ſub eodem, Univerſitas *Pariſienſis*, cùm propter tempus meſſium, quod tunc inſtabat, tum propter fratrum *Prædicatorum* perſecutionem, recedens, civitatem in magna parte reliquerunt vacuatam. Frater namque *Hugo* de ordine *Prædicatorum*, & *Romanæ* eccleſiæ Cardinalis, inſtabat vigilanter & potenter, ut partem Scholarium infirmaret, & conditionem fratrum *Prædicatorum*, ipſis rebellium, roboraret.

Damnoſus impetus Wallenſium.

TUNC verò temporis, *Wallenſes* rem agi pro capite certiſſimè conſiderantes, confœderati ſunt indiſſolubiliter ipſi de *Northwallia* cum ipſis de *Suwallia*, quod anteà non eſt viſum, quia ſemper ſibi ad invicem adverſabantur. De communi igitur conſilio, facto impetu vehementi, exercitum Regis ſubitò invaſerunt, ſed proditione quadam informati. Milites igitur regis, in arcto loco & paluſtri, juxta quoddam caſtrum eorum, ad quod credebant certum habere refugium, intercepti, cùm retrocedentes crederent illic recipi & protegi, invenerunt hoſtes ubi credebant amiciſſimos inveniſſe. Ipſi igitur quaſi inter duas molas attriti, cùm a facie & à tergo impeterentur, victi ſunt & diſſipati, & ad arbitrium hoſtium trucidati. Ceciderunt autem in illo cruentiſſimo conflictu Milites Domini Regis *Anglorum* præclari, ſcilicet Dominus *Stephanus Bancan*, regi chariſſimus, Dominus *Robertus Norenſis*, & alii multi, quorum nomina non tenemus. *Wallenſes* igitur triumphantes ad votum, receperunt *Griffinum* de *Brun*, cujus conſilio & documento hæc facta fuerant, in ſuam pacem & ſocietatem. Erat namque natione *Wallenſis* & generoſus, ac ſtrenuus, & quia, retroactis aliquot diebus, Regi adhæſerat, *Wallenſes* omnes terras & poſſeſſiones ſuas, quas habuerat amplas, in cineres, quas Rex warantizare nec voluit, nec potuit, redegerunt.

ET

1257.

Animoſa exhortatio Ducis Wallenſium Leolini.

ET tunc igitur *Leolinus* cum ſuis *Wallenſibus* lætus de victoria, & dives de ſpoliis victorum, & roboratus de fœdere *Northwallenſium*, & de revocatione *Griffini* prædicti, conſolatus eſt ſuos dicens: "Hucuſq; auxiliatus eſt nos Dominus Deus exercituum. Liquet univerſis, quòd "hæc victoria aſcribenda eſt non noſtræ ſtrenuitati, ſed Dei pietati, qui æquè dimicat in pau"cis, ut in multis. Et qui nos puſilli, imbelles, & imbecilles, reſpectu *Anglorum*, auderemus "contra eorum Regem levare calcaneum, niſi Deus conferret patrocinium? Vidit Dominus af"flictionem noſtram, qualiter *Galfridus* de *Langaleia* noſtram circumvenit ſimplicitatem, & a"lii, tam Regii, quàm *Edwardi* æditui inexorabiles. Nunc autem & de cætero rem agi ſciatis "pro capite. Si capiamur, nulla penitus ſequetur miſericordia. Stemus ſimul: ſi enim ſimus in"ſeparabiles, erimus & inſuperabiles. Videmus luce clarius, quòd *Anglorum* Rex ſuos *Anglos* na"turales depauperat, exhæredat, & degenerare compellit: quomodo nobis parceret, qui eum pro"vocantes, læſioni & vindictæ intendimus? Nos de ſub cœlo delere proponit: ſed juſta cauſa "defendit nos, & confundit adverſantes. Melius eſt mori, & ad Dominum migrare, quàm in an"garia vivere, & ad arbitrium tandem hoſtium deperire. Accincti igitur & ad bellandum animati, die ac nocte cædibus, rapinis, & incendiis intendentes, omnia conterminia in *Angliam* & *Walliam* in deſertum redegerunt.

Infirmitas Epiſcopi Herefordenſis.

ANNO ſub eodem, Epiſcopus *Herefordenſis*, qui tot in caput ſuum congeſſit imprecationes, multipliciter à Domino meruit flagellari, ad ſui, ut ſperandum eſt, correctionem. Factus eſt enim quaſi latitans & fugitivus, nec erat in Epiſcopatu ſuo, ad quem fortuna reliquerat diverticula ejus inveſtigare. Dicebatur tamen ab aliquibus, ut apud *montem Peſſulanum* curreret, ab infirmitate, qua laboravit, ſanandus. Habebat enim morpheam, ſive polypum in naſo, quæ totam faciem deturpavit. Eſt enim, ut dicunt Phyſici, morphea in cute, quod lepra in carne.

Accuſatur Ruſtandus *coram Papa.*

DIEBUS ſub eiſdem, magiſter *Ruſtandus*, Domini Papæ clericus ſpecialis, accuſatus graviter coram Domino Papa eſt, eò quod propriæ utilitati intendens plus æquo, poſſeſſiones, redditus, & pecuniam ſibi vigilanter in *Anglia* coacervavit, & Regem ſibi inclinando & Epiſcopos, factus eſſet jam non ultimus inter omnes Regni Optimatum, locuples & abundans.

Rex Angliæ cum exercitu Ceſtriæ *appropinquat.*

DIEBUS ſub eiſdem, Dominus Rex cum exercitu ſuo copioſo, tempore meſſium imminente, *Ceſtriæ* appropinquavit, unde qui eum ſequebantur, ne *Wallenſes* inde alerentur, fruges pulcherrimas & copioſas, cum aliis fructibus immiſericorditer vaſtantes, tam ſua quàm aliena damna perpetrarunt. Unde tanta facta eſt infra breve tempus in exercitu cariſtia, ut tam equi quàm homines magnam victualium penuriam tolerarent. Rex autem interim, ut *Wallenſes*, quos ſuos proditores vocavit & inimicos, in abyſſum deſperationis præcipitaret, in *Scotiam*, & *Hyberniam*, & alias regiones, miſit pro manu militari copioſa, ut *Wallenſes* circumſeptos, tanquam vaſa irreſtaurabiliter contereret figulorum. Veruntamen *Leolinus* ad Regem nuncios ſolennes dirigens, de conſilio ſuorum optimatum, quæ pacis erant, rogitabat, ita tamen, ut avitas leges & libertates in "pace, prout conſueverant, obtinerent, & non *Edwardo*, vel alicui alteri, "quàm Regi ſubditi, reſponderent. Nullo enim modo de cætero, ut aſſerebant palàm, ſe ſuſtine"rent dari vel vendi inſtar boum vel aſinorum. Hoc autem cum precibus humilibus mandatum temperatum Rex non acceptavit, ſed animans ſuos milites, quotidie armatus inceſſit, & vexillum ſuum Regale explicans, quaſi draco, qui nemini novit parcere, exterminium generale *Walliæ* minabatur.

S. *de* Wanton *confirmatur in Epiſc.* Norwicenſem.

ET circa feſtum beati *Petri*, qui dicitur ad vincula, confirmatus eſt in Epiſcopum *Norwicenſem* magiſter *Simon* de *Wanton*, qui illicò cùm Monachi *Norwicenſes* ipſum elegiſſent, miſit nuncios expeditiſſimos ad curiam, ubi profuſis non paucis muneribus, impetravit diſpenſationem priſtinos redditus ſuos per quatuor annos retinendi, licèt Epiſcopatus ſuus, ſufficienter omnibus bonis inſtauraretur. Et hoc genus beneficii, in curia *Romana* jam jam conſuetudinem eſt ſortita.

Cor Regis Hiſp: *abalienatum ab amicitia Regis* Angliæ.

ANNO quoq; ſub eodem, cor Regis *Hiſpaniæ* averſum eſt ab amore Regis *Angliæ*. Dicebat enim, quòd frater ejus Comes *Cornubiæ* ſupplantavit eum de Regno *Alemanniæ*, ſive *Romanorum*. Unde exigebat ab eo auxilium contra ejus inimicos, ſecundùm tenorem chartæ inter eos confectæ, in qua continetur: *Alter alterum juvare mutuò tenetur*. Ad quod Rex *Angliæ* reſpondit: *Ergo tenetur mihi Rex* Hiſpaniæ *auxiliari in neceſſitate fratris mei, cui non valeo, nec volo deeſſe. Ritè electus eſt in Regno* Alemanniæ, *& nullo contradicente coronatus. Si autem pro Rege* Hiſpaniæ *aliquis reclamaſſet, & pro jure ejus, quòd priùs ritè electus fuiſſet, utiq; non conſenſiſſet in electionem ſui Comes* Cornubiæ Richardus *frater meus. Sed nec ego aliquatenus juſtinuiſſem.* Et ſic quievit Regis *Hiſpaniæ* indignatio indiſcreta.

Rex redit in Angliam *inglorius.*

DIEBUS autem ſub eiſdem, Rex videns ſibi Martem adverſari, & cariſtiam quotidie inclementum ſuſcipere, ipſoſq; qui ei adjutorium promiſerant, non adeſſe, & hyemis intemperiem appropinquare, Sancti *Michaelis* feſto inſtante; redire in *Angliam* diſponens, ut intereſſet feſto Sancti *Edwardi* (quod in quindena eſt Sancti *Michaelis*) lora direxit inglorius versùs *Londinum*.

Nuncii ſolennes ad Regem Francorum, *pro jure Regis* Angliæ *recuperando, miſſi.*

DIRECTI ſunt ſub eiſdem temporibus nuncii ſolennes Regi *Francorum*, videlicet Epiſcopus *Wigornienſis Walterus*, Comes *Legriæ Simon*, Comes Mareſchallus, *Rogerus Bigod*, *Petrus* de *Sabaudia*,

1257. *Sabaudia, Robertus Walerandus*; ut de juribus ſuis reſtituendis, quas diu injuſtè detinuerat, contrectarent. Quibus Rex *Francorum* modeſtè reſpondiſſet, ſed fratres ejus, & Optimatus *Francorum* aſperè nimis, & nugatoriè reſponderunt. Et ſic nuncii, infecto negocio, circa Purificationem beatæ *Mariæ* vacui redierunt.

Obitus Nicolai de Fernham *Epiſc. quondam* Dunelmenſis.

EODEM tempore obiit magiſter *Nicolaus* de *Fernham*, quondam Epiſcopus *Dunelmenſis*, qui ceſſerat Epiſcopatui, ut quietus & liberiùs fructus carperet contemplationis. Obiit autem apud *Stoctunam* nobile ſuum Manerium, quod eſt ſitum ſuper flumen *Theiſiam*; quod cum ei provideretur, ceſſerat in ſortem diſtributionis ipſi, cum duobus aliis maneriis, ſcilicet *Hovedene* & *Eſintona*. Quod cùm ad notitiam Regis perveniſſet, extorſit ab Epiſcopatu *Dunelmenſi*, eò quòd non habuerat integrè cuſtodiam Epiſcopatus, cùm vacaverat, trecentas marcas, medio videlicet tempore, quod erat inter dictum *Nicolaum* & creationem ſive inſtitutionem ſucceſſoris ſui *Walteri*. Conſervatores verò partem dicti *Nicolai* tuebantur, videlicet Archiepiſcopus *Eboracenſis Walterus*, & Epiſcopus *Londinenſis Fulco*. Nec erubuerunt Regales tam enorme conſilium ſuo Domino præſtitiſſe.

Diſcordia inter Regem Daciæ *&* Norwegiæ.

EODEM anno orta eſt gravis diſcordia inter Reges *Daciæ* & *Norwegiæ*, & commiſſa ſunt prælia particularia, ſcilicet navalia inter commeantes. Adhibentibus igitur utriuſq; Regni Epiſcopis vigilem diligentiam, inter eos pax eſt reformata. Eodémq; anno obiit filius ejuſdem Regis *Norwegiæ* primogenitus, & hæres ipſius *Haco*, adoleſcens ſpecioſus.

Redit Rex à Wallia, *nulla re geſta memorabili.*

DECLINANTE autem tempore Autumnali, cùm hyems jam dies abbreviâſſet, & frigora ſubarrâſſet, & cariſtia maxima in exercitu Regis ingruiſſet, Dominus Rex, de conſilio ſuorum lateralium, qui ægrè illam inediam tolerarunt, reverſus eſt à partibus *Ceſtriæ* versùs *Londinum*, ut feſto Sancti *Edwardi*, ſcilicet tranſlationi, intereſſet. *Leolinus* autem hoc audito ipſum diù ſequebatur, ut ſi videret aliquem de Regis exercitu aberrantem & ſemotum, invaderet occidendum. Et ſic inglorius Rex, theſauro multo effuſo, ridentibus & deridentibus hoſtibus, ad propria climata tutiora illicò remeavit. Veruntamen in exercitu ſuo, eleganter incedebat armatus, & expanſo Regali vexillo, ſuos commilitones alacriter animabat, ut ipſos *Wallenſes*, hominum quiſquilias, trucidarent.

Depoſitio S. *de* Lexintona *Abbatis* Claravallenſis.

LABENTIBUS dierum illorum curriculis, *Stephanus* cognomento de *Lexintona*, Abbas *Claravallenſis*, eò quòd contra ſtatuta ordinis *Ciſtercienſis*, privilegium impetraverat perpetuò Abbatizandi, ignominioſè depoſitus eſt. Sed hoc, ut dicitur, malitioſè, & per invidiam machinatum eſt in ipſum, eò quòd Scholam *Pariſienſem*, quæ *Chardenai* dicitur, initiavit, & initiatam ſuſtentaverat, & præpollens omnibus virtutum & ſcientiæ eminentia, *Anglicus* exſtitit natione. Quod cùm audiſſet dominus Papa, & voluiſſet ipſum abſolutum in priſtinum ſtatum reſtituere, adverſarii ejuſdem *Stephani*, effuſa non minima pecunia, in curia *Romana* machinati ſunt, ut ſententia ſtaret, quam firmaverant, de ipſius depoſitione.

Novo ſtatuto Romano, *debet quilibet electus perſonaliter tranſalpinare.*

PROLABENTIBUS dierum illorum voluminibus, electus *Elyenſis* & electus eccleſiæ Sancti *Edmundi*, tantam pecuniam in curia *Romana* dando & promittendo effuderunt pro jure ſuo obtinendo, ut in conſiderando theſauri quantitatem, poterant prudentes admirari, & cum admiratione ſtuporem excitare. Tandem impetrato negocio, infinito irretiti debito, triſtes remearunt, eò quod cauſa vel occaſio eccleſiis ſuis, tanti diſcriminis exſtiterunt. Ecce ſtatutum *Romæ* cruentiſſimum, *quo oportet quemlibet electum perſonaliter tranſalpinare*, & in ſuam læſionem, imo everſionem, *Romanorum* loculos imprægnare. Cùm autem Rex, qui dictorum Prælatorum eccleſias exinanivit, prædicta cognoviſſet, erubuit, vel erubuiſſe confuſus debuiſſet, quod regnum *Angliæ*, in ſuæ ruinam dignitatis, tot impetitur oppugnaturq; ſcandalis adverſitatum. Ecce novalitas Prælatiarum vexationes perſonarum, eccleſiarum interim ſub Rege & Regalibus diſtractiones, & Conventuum flebilis & moroſa deſolatio. Et ſi fortè moriatur obiter electus, vel reprobetur idem electus, vel electio prædicta, omnia lamenta denuò renovabuntur. Si eligatur de cætero in Conventu aliqua perſona inſufficiens, qui pro nihilo duxerit equitando loca remota & ſæcularia ſæculariter peragrare, ſub tali rigo deperibit. Et quia oportet eum debitis inſolubilibus ante inſtitutionem ſuam irretiri, bona temporalia deperibunt.

Henricus *filius Regis* Alemanniæ R. *redit in* Angliam.

ET circa feſtum ſancti *Michaelis*, redierunt in *Angliam Henricus* filius domini Regis *Alemanniæ Richardi*, Miles factus à patre in craſtino ſuæ coronationis, ut præſcriptum eſt, & cum ipſo quidam Nobiles, qui cum dicto Rege ſteterant, *Anglici*, videlicet dominus *Hugo Diſpenſator*, *Jacobus* de *Aldelia*, *Stephanus Cheinduit*, & alii quamplures. Neſcitur qua de cauſa, ſed creditur, & à fide dignis aſſeritur, quòd *Alemanni* non ſuſtinent cor Regis ſui, ſicut *Anglici*, conſiliis alienigenarum more arundinis inclinari.

Archiepiſcopus Eboracenſis *excommunicatur.*

TEMPORE ſub eodem, aggravavit manum ſuam dominus Papa in Archiepiſcopum *Eboracenſem*, juſſitq; eum ignominioſè nimis in tota *Anglia* excommunicari, accenſis candelis & pulſatis campanis, ut tali terrore ac tanto ſuam conſtantiam enervaret. Ipſe tamen Archiepiſcopus, exemplo B. *Thomæ* Martyris, & exemplo ac doctrina B. *Edmundi*, quondam magiſtri ſui, informatus, necnon & B. *Roberti* Epiſcopi *Lincolnienſis* fidelitate eruditus, de ſolatio cœlitus mittendo minimè deſperavit, omnem Papalem tyrannidem patienter ſuſtinendo. Nec opimos eccleſiæ ſuæ redditus tranſalpinis indignis & incognitis conferre volebat, nec curavit voluntati Papali, relicto Juris rigore, muliebriter obedire vel inclinari. Quapropter quanto magis præcipiente Papa maledicebatur, tantò plus à populo benedicebatur, tacitè tamen, propter metum *Romanorum*.

OCTAVO

1257.

OCTAVO vero Idus Octobris, venit domina Regina, comitantibus uxore *Edvardi*, & multis aliis dominabus, ad *ſanctum Albanum*, ut vota cum gratiarum actionibus ipſi Martyri grata perſolveret, munus honorabili ſepulchro ſuo oblatura. Cùm enim infirmitate graviſſima laboraret menſurata, ipſi Martyri promiſerat, ſe illuc ituram, & munus delaturam votivum. Obtulit igitur altari unam pallam precioſam & decentem, quam vulgariter *Baldekinum* appellamus.

Regina venit ad S. Albanum.

ET cùm temporis nacta occaſione ſubſcripta didici à fide dignis, de fœcundiſſimo ac nobiliſſimo ventre Comitiſſæ *Provinciæ Beatricis*, tractatum inde non cenſeo prætereundum. Qui jam tres Reginas edidit præclariſſimas, videlicet Reginam *Franciæ*, Reginam *Angliæ*, & Reginam *Alemanniæ*. Quarum duæ, videlicet Regina *Francorum*, & Regina *Anglorum*, duas Reginas in lucem protulerunt, ſcilicet *Scotiæ* & *Navarræ*. Et ſic per tantam propagationem, non ſine Divino natu, memorata Comitiſſa *Beatrix* quinque Reginis *Chriſtianitatis*, quod eſt mirabile, latitudinem illuſtravit. Alias præterea eadem fœcunda Comitiſſa *Beatrice* filias nobiliſſimas procreavit duas. Quarum utraque filio Regis & Reginæ meruit copulari, videlicet *Andegaviæ* & *Provinciæ* Comitibus.

Fœcunditas Comitiſſe Provinciæ Beatricis.

HAC quoq; tempeſtate generali, ſicut in Occiduis mundi partibus *Wallenſium* & *Anglorum* facta eſt non minima perturbatio, ita in partibus Orientalibus *Tartarorum* & *Saracenorum* tyrannica deſævit & hoſtilis inimicitia, factiq; ſunt eiſdem *Tartaris* multitudo gentium in tributum, *Soldani* videlicet, *Admirabiles*, & Principes, etiam *Caliphi*. Et ut ſimilia facerent ipſi *Tartari Chriſtianis*, convocarunt fratres *Templi* & *Hoſpitalis*, & omnes incolas *Terræ ſanctæ*, ut & ipſi jugum ipſorum ſubirent importabile. Qui habito nocturno longo ac diligentiſſimo tractatu & “ conſilio, quaſi uno ore omnes *Tartarorum* nunciis reſponderunt, quòd non ſe Dei obſequio mu- “ tato habitu, ut delicioſe viverent, manciparunt: ſed ut potiùs pro *Chriſto* morerentur, qui in “ ipſa terra pro humani generis reparatione mortis ſupplicium non renuit tolerare. Veniant igi- “ tur *Tartari*, Dæmones *Tartarei*, & ſervos *Chriſti*, ad defenſionem legis Chriſtianæ, in cam- “ pum contra eos invenient ad prælia præparatos.

Tyrannis Tartarorum.

CIRCULO ejuſdem anni, *Tartari* deteſtabiles, aſſaſſinos deteſtabiliores, quos cultelliferos appellamus, deſtruxerunt. Ipſorum *Tartarorum* immunditias, vitam & mores, ſi quis audire deſiderat, necnon & aſſaſſinorum furorem & ſuperſtitionem; apud ſanctum *Albanum* diligens indagator poterit reperire.

Aſſaſſini à Tartaris deſtructi.

CIRCA feſtum ſancti *Michaelis*, mortuo *Hurtaldo* domini Regis conſiliario, & Clerico ſpeciali, ac Theſaurario de camera Regis, ſubrogatur *Petrus* de *Rivallis*, alienigena alienigenæ.

Mortuo Hurtaldo ſubrogatur Petrus de Rivallis

CIRCA dierum illorum volumina, Rex *Scotiæ A.* de cujus adoleſcentia fructus ſperabatur Regno quamplurimùm profuturus, cùm indecenter nimis deliraret alienigenas promovendo, ſequendo, & ſupra naturales homines ſuos exaltando & conſtituendo; ipſi indigenæ & naturales indignantes, ne ad deteriora prorumperet, ipſum Regem & Reginam ſub cuſtodia reponentes, necnon & Reginam, ne patriſſaret, ſeponentes, cuſtodiebant prudenter; donec omnes alienigenas, exemplo *Alemannorum*, longiùs amoviſſent. Et ex tunc *Scotiæ* Magnates lora regni ſui liberiùs ac tutiùs gubernabant. Improperabant inſuper Reginæ, quòd patrem ſuum regem *Angliæ* exacuerat & vocaverat, ut cum exercitu ſuo ſuper eos hoſtiliter veniret, facturus exterminium miſerabile. Unde *Robertus* de *Ros*, omnium Procerum Borealium eminentiſſimus, immiſericorditer & irreſtaurabiliter eſt deſtructus. Omnia enim ejus, quæ venalia videbantur, venalitati exponebantur infiſcanda.

Magnates Scotiæ viam dirigunt Regis ſui.

TUNC quidem temporis, quidam Nobilis, unus de his qui nuper de *Alemannia* venerant, videlicet *Jacobus* de *Andelia*, potens, & dives, terras poſſeſſiones, & caſtra habens in confinio *Walliæ*, quæ *Wallenſes* eo abſente hoſtiliter invaſerant, combuſſerant, & exterminaverant: invaſit illos malefactores, & maximum eorum numerum ad Tartara trucidatum deſtinavit; fratrum ſuorum ſanguinem de manibus hoſtium requirendo. In quem improviſe *Wallenſes* à latibulis ſuis & vulpinis anfractibus, per loca paluſtria prorumpentes, equos prætonſos enervantes & eviſcerantes, hoſtium pro poſſe impetus propulſarunt; & mutuò domos & caſtra, hinc inde homines trucidando, in favillas redegerunt. Et ſic *Anglia* diatim miſerabiliter decrevit. Ex *Wallia* enim crebrò *Anglia* ſuſcipere conſuevit equorum, boum, & aliorum mercimoniorum communionem, utriſque incolis profuturam.

Jacobi de Andelia & Wallenſium concertationes.

EODEMQUE tempore increbuerunt rumores multis diſplicentes, videlicet quòd Rex *Hiſpaniæ* ſe aſſeruit priùs quàm Comes *Richardus* in regno *Romanorum* eligeretur, ritè fuiſſe electum. In cujus rei argumentum, Archiepiſcopus *Trevirenſis* adhuc cum illo Rege *Hiſpaniæ* incommutabiliter ſteterat; & quidam alii Nobiles de *Alemannia* cum eo. Quibus Rex *Francorum* conſilium ſpopondit & auxilium. *Franci* enim doluerunt, de honore impenſo Comiti *Richardo*, & utilitate *Alemannorum*, inter quos antiquum odium nativum & inexorabile; maximè pro magno prælio inter *Alemannos* & *Francos*, & eorundem *Francorum* fautores, ſcilicet *Flandrenſes*, nuper commiſſo. Sed ſtatus novi regis *Alemanniæ Richardi* certus eſt, purus, & incommutabilis. Quia cum anno præterito *Londini* electio ejus domino Regi *Angliæ* præſentaretur & Magnatibus ejus à Magnatibus *Alemanniæ*; nullus omnino apparuit ſcrupulus contradictionis. Nec poſteà, ſcilicet quando Archiepiſcopus *Coloniæ*, qui eſt Imperii Prothocancellarius, cum quo venerant Optimates quamplures *Alemanniæ*, qui nunquam mentionem de Rege *Hiſpaniarum* fecerunt, vel ejus electione. Sed nec exploratores ſagaciſſimi in *Alemanniam* deſtinati. Rex igitur *Alemanniæ* in quieta

Rex Hiſp. ſe aſſerit ante Comitem R. in Regem Alemanniæ electum.

1257. poſſeſſione ſtabilitus, minas meritò contempſit regis *Hiſpaniæ*; quamvis terribiliter comminaretur, quòd hoſtiliter ſuperveniret cum fortitudine Regum *Francorum*, *Arragonum*, & *Navarræ*. Inſuper in literis ſuis appoſuit idem Rex *Hiſpaniæ* hanc adjectionem pro titulo, *Electus in Regem Romanorum*, ſive *Alemanniæ*. Quod cùm comperiſſet rex *Alemanniæ Richardus*, imperterritus alacriter reſpondit, *Veniat cum niſu & impetu toto, ego occurram ei extra limitem regni mei.*

Rex Hiſp. ſcribit Regi Angliæ.

SUB illorum dierum circulis rex *Hiſpaniæ* ſcripſit regi *Angliæ*, inſtanter poſtulans, "ut "ipſum juvaret potenter, ut decuit, & magnificè, contra Comitem *Cornubiæ Richardum*, qui "ſibi temerè coronam *Alemanniæ* uſurpavit, &. ipſum regem *Hiſpaniæ*, talia non præmeditan-"tem, ſubdole ſupplantaverat. Juvaret, inquam, ſecundùm chartæ tenorem in eos confectæ, "quòd ſcilicet quilibet alterum juvaret contra quemlibet adverſantem: & factum fuit quando "pax reformabatur inter eos in *Gaſconia*. Quod cùm audiſſet Rex *Angliæ*, reſpondit: Imò "flagitio attentiùs, quatenus me & fratrem meum contra noſtros juvet rebelles & adverſan-"tes. Quicunque fratri meo adverſatur, mihi rebellis meritò judicatur: *qui enim non eſt mecum, contra me eſt*. Memorandum eſt, quòd *Gaſconia* conceſſa fuit regi *Andefulſo Hiſpaniæ*, à "rege *Anglorum Henrico*, cum filia ſua, unde habuit ſeiſinam, & chartam, & confirmationem "à *Richardo* & *Johanne* regibus. Unde rex *Hiſpaniæ* compoſuit cum rege *Henrico* tertio nunc "præſente, ut filius ejus ſororem ſuam deſponſaret; & quilibet alterum juret in neceſſitate, & "*Waſconiam* quietam clamaret regi *Angliæ*, & hæredibus ſuis. Et confecta eſt charta ſuper "hujuſmodi mutuam conventionem. Confecit inſuper rex *Angliæ* chartam ſatis probroſam; "quod ſcilicet omnibus *Gaſconenſibus* de jacturis eorum, quas ſubierant per adventum ſuum, eiſ-"dem ſatisfaceret. Et hæc omnia probra cum jacturis rex *Anglorum* ſubierat, quia cum Co-"mes *Legreceſtriæ Simon* jam penè *Gaſconenſes* edomuerat rebellantes: rex ſignificavit *Gaſconiæ* "Magnatibus, ut nihil facerent pro eo: unde auctoritas ejuſdem Comitis penitus exſpiravit: "per quod infortunium rex inæſtimabile tam in terris quàm theſauris effuſionem incurrit, & "honoris jacturam irreſtaurabilem. Et hoc fecit rex contra chartam, quam Comes obtinuit "ab eodem. Veruntamen poſteà redemit eam rex, ne rapina videretur, pro ſex millibus mar-"carum. Et poſteà in propria perſona, ut prædictum eſt, cum exercitu copioſo transfretavit. "Quæ omnia in ſui detrimentum ſunt peracta: ſed hæc ſuprà dicta ſunt.

Solennes nuncii in Franc. miſſi.

DIERUM illorum ſub curriculis, miſſi ſunt ſolennes nuncii ad regem *Francorum* de rege *Anglorum*, videlicet Epiſcopus *Wigornienſis*, Electus *Wintonienſis*, Abbas *Weſtmonaſterienſis*, Comes *Legreceſtriæ*, Comes *Hugo Bigod*, Mareſcallus, *Petrus* de *Sabaudia*, *Robertus Waleranus*, ut ſi quomodolibet honeſtè fieri poſſet, antequam cruentum certamen, inimicitias, & ſangüinis effuſionem generaret, rex *Francorum* jura regi *Anglorum*, ipſum ab antiquo contigentia, reſtitueret. Non enim videtur Juri conſonum vel pietati, ut filius patris iniquitatem portare judicetur. Satis utique punitur & damnificatur uterque: quia jam circiter quinquaginta annis, terris ultramarinis ſuis rex *Angliæ* doluit ſpoliatus. Nuncii verò illuc deſtinati, poſt verba dura, nugatoria, ac negatoria taciti redierunt. Omnes autem Nobiles, quos ad Parliamentum convocaverat rex *Londini*, contramandati ſunt, per quod perpendebatur, quòd infecto negotio nuncii vacui redierunt, nihil niſi ſannas reportantes. Rex inſuper *Alemanniæ Richardus* à rege *Francorum* ſibi ſua reſtitui humilibus precibus poſtulabat. Sed hoc & illud negotium dilationem accepit finalem, donec rex *Francorum* Parliamentum ſuum, quod foret in medio Quadrageſimæ celebrandum, terminaverat. Propter quod redientibus aliis, Abbas *Weſtmonaſterienſis* remanſit in *Francia*, ſuper his certificandus.

Confinia Walliæ quaſi in heremum redacta.

CONFINIA *Walliæ* in heremum inhabitabilem, proh dolor, ſunt redacta, homines conſumpti ſunt gladio, caſtra & domus incendio, ſylvæ ligonibus ac ſecuribus, pecora macie vel macello. Et ſic *Anglia* quadam ſui parte bona flebiliter mutilatur.

Anni concluſio.

TRANSIIT igitur annus ille ſterilis & macilentus. Quicquid enim Hyems ſeminaverat, quicquid Ver in floribus promiſerat, quicquid Æſtas decoxerat, Autumnalis inundatio ſuffocavit. Carentia inſuper numiſmatis, quo regnum *Angliæ* per Papam & Regem ſpoliatur, paupertatem ſuſcitavit inauditam. Jacuerunt terræ incultæ, & mortua eſt præ inedia, populi multitudo numeroſa. Aſcendit igitur circa natale Domini, ſumma frumenti ad decem pretium ſolidorum. Poma inſuper rara, pyra rariora, coctana, eſcula, ceraſa, & pruna, & omnes fructus qui in teſta continentur, ut brevibus concludamus, perierunt annullati. Annus inſuper iſte peſtifer lethales febres ſuſcitavit, ita ut ſi de aliis ſileam, apud ſanctum *Edmundum* in Æſtate, diebus præcipuè Canicularibus ingruentibus, pluſquam duo millia mortuorum cœmiteria ſpacioſa occuparent. Fueruntque ſenes qui quandoque viderant ſummam frumenti pro una marca vel etiam viginti ſolidis vendi, nec tamen homines uſque ad mortem famis tabe prægravari. Ad cumulum inſuper miſeriarum, rex *Alemanniæ Richardus* regnum *Angliæ* multis marcarum, quas de ſuis terris colligi fecerat in *Anglia*, millibus ſpoliavit. *Terra ſancta* languet deſolata, & formidine *Tartarorum*. Habebat enim rex *Tartarorum* in comitatu ſuo, armatorum pugnatorum quadragies centena millia. Et ut accepimus à peritis & fide dignis, jam dominatui ſuo dimidium mundi feraliter ſubdiderunt: quorum vitam ſpurciſſimam apud ſanctum *Albanum* poterit indagator ſedulus reperire. Annus quoque iſte, chronicarum infirmitatum genitiva, vix occupatum permiſit aliquatenus reſpirare. Non enim frigus, vel ſerenitas

reſitas, vel gelu, ſaltem aliquantulum ſtagnorum ſuperficiem, prout conſuevit, glacie induravit, vel ſtiriam à ſtillicidiis coëgit dependere: ſed continuæ inundationes pluviarum & nebularum uſque ad purificationem beatæ Virginis, aëra inſpiſſarunt.

Rex Angliæ natalitia celebrat Londini.

ANNO Domini M.CC.LVIII. qui eſt annus Regis *Henrici* quadrageſimus ſecundus, fuit idem Rex ad Natale Domini *Londini*, ubi Natalitia ſolennia cum multis Nobilibus magnificè celebravit, præſtolans adventum ſuorum, quos in *Franciam* deſtinaverat, nunciorum. Fuit etiam idem Rex ad feſtum ſancti *Edvardi*.

Elyenſis Epiſc. & Abbas S. Edmundi applicant.

DIEBUS quoque ſub eiſdem applicuerunt a *Romana* curia redeuntes Epiſcopus *Elyenſis* & Abbas ſancti *Edmundi*, qui invitis & recalcitrantibus Rege & Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, à domino Papa redierunt in ſtatu proſpero confirmati. Et ſic diatim Rex, peſſimo fretus conſilio, ſuam Regiam perdens dignitatem, eccleſiam ſtuduit multipliciter damnificare.

Seditio Romæ orta.

PRÆSENTIBUS autem & paucis præcedentibus diebus, gravis facta eſt in urbe *Romana* ſeditio; eò quòd Senator, *M.* videlicet *Brixienſis* civis, à tramite Juſtitiæ jam exorbitans, *Romanum* populum variis injuriis opprimebat, & inſtinctu Nobilium multiformiter depauperabat, & ſolis Nobilibus, maximè *Hannibalenſibus*, ſtuduit complacere. Confœderatis igitur popularibus, de conſilio cujuſdam *Anglici*, concivis eorum, magiſtri piſtorum in urbe, *Matthæi* dicti de *Bealvere*, facto impetu vehementi, catervatim ruentes & glomeratim, carcerem in quo *Brancaleo* priſtinus Senator tenebatur in vinculis, confregerunt; & liberantes conſtituerunt eum Senatorem, facientes ei ſecundùm priſtinam urbis conſuetudinem cum juramentis fidelitatem. Roboratus igitur *Brancaleo*, expulit ab urbe ſibi adverſantes, & *Hannibalenſes* duos, ſcilicet conſanguineos cujuſdam Cardinalis, patibulis fecit præſentari, ſpernens Papalem reverentiam. Quos cùm Papa excommunicaret, ſcilicet *Brancaleonum* Senatorem & ſuos fautores, ipſi ſe aſſerebant habere privilegium, quòd nequit aliquis Pàpa eos excommunicare: & ſubſannantes comminabantur ipſum Papam cum ſuis Cardinalibus, uſque ad internecionem perſequi & damnificare. Quo cognito, Papa ſibi timuit, & dixit fratribus:

Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori.

Et ne malis pejora ſuccederent, ſe ſubitò contulit *Viterbium*, proponens ſe remotiùs, ſcilicet *Aſſiſium* conferre.

Obiit Vicecomes Northamhumbriæ Willielmus Hierun.

OBIIT eodem tempore Vicecomes *Northamhumbriæ*, malleus pauperum, & religioſorum perſecutor, *Willielmus Hierun*, hominum avariſſimus. Qui poſt hanc ſitim & avaritiam temporalem, ad ſitim, ut creditur, tranſiit ad inferos *Tantalinam*. Et circa Epiphaniam Domini, Nobiles qui fuerunt nuncii domini Regis *Angliæ*, coram domino Rege *Francorum* venerunt, qui ſatis civiliter eos vocatos honoravit, & de negotio ſuo, videlicet de repoſcenda *Normannia*, & aliis juribus ſuis ultramarinis revocandis, benignè reſpondit. Sed fratres ſui, & alii quidam Magnates, conſtanter contradixerunt: & ſic infecto negotio nuncii ad propria remearunt.

Quidam cives Londin. graviter accuſati.

DIEBUS autem ſub eiſdem, *Londinenſes* cives mediocres, populares, & plebeii, querimoniam coram Rege repoſuerunt graviſſimam, eò quod aſſignati ad colligendam pecuniam ad reædificanda mœnia civitatis, prout Rex ob honorem eorum præceperat, partem ipſius pecuniæ potiſſimam in propriis marſupiis fraudulenter, in damnum civium popularium, repoſuerunt. Imò in omnibus collectis & tallagiis, ſimilia perpetrarunt. Unde accuſati & convicti, vix ſunt à mortis diſcrimine interceſſione domini *Johannis Manſel* liberati, pecunia tamen redimendi.

Obiit Johannes de Avennis.

TEMPORE verò ſub eodem obiit *Johannes* de *Avennis*, Seneſcallus domini Regis *Alemanniæ*, in cujus ſinu tota Regis ſpes reponebatur.

Eiſdem diebus, *Wallenſes* de pace omnino deſperantes, & de Regis miſericordia penitus diffidentes, quædam municipia in confinio *Walliæ* ſita, tam *Edvardi*, quàm aliorum Magnatum occuparunt, & omnia bona, quibus ipſa municipia fuerant communita, aſportarunt: & cætera complanantes, & in favillam redigentes, homines ibidem deprehenſos ſine miſericordia vel redemptione protinus decapitarunt.

Papa humiliat ſe Senatori B.

PER idem tempus, ſicut facta eſt *Londini*, ut prælibatum eſt, commotio & perturbatio magna, ita *Romæ* facta eſt ſeditio, & civium maxima cum ſchiſma perturbatio. Cùm enim Nobiles *Romani* conqueſti domino Papæ nitebantur procurare, ut Papa populum *Romanum* & *Brancaleonem* ſuum Senatorem & omnes eorum fautores excommunicaret: ipſi cachinnantes omnes minas ſuas contempſerunt, & poteſtatem in eos exercendam non tantùm parvipendebant, ſed cum ſannis vilipendebant. Senator igitur *Brancaleo* nuper in Senatoria dignitate ſublimatus, & ab omni populo dilectus, audacter in omnes urbis malefactores, & præcipuè in eos qui ejus incarcerationem procuraverant, vindex deſævit judicio inexorabili, & patibulis eos præſentavit: nec Papalibus pepercit amicis aut conſanguineis, nec corruptus eſt aliquorum precibus, minis, aut muneribus. Imò ſub pœna exhæredationis & exilii perpetui, præcepit communi edicto, ut omnis populus quaſi vir unus armis communitus exiret, & hoſtiliter *Anagniam* iret, locum videlicet nativitatis domini Papæ. Quod cùm audirent *Anagnienſes*, lachrymantes & miſerabiliter

1258. miſerabiliter ejulantes, præcipuè amici & parentes ejus, venerunt ad dominum Papam, prorumpentibus ſingultibus dicentes: Domine miſerere ſaltem amicorum conſanguineorúmq; tuorum, & totius civitatis *Anagniæ*, unde es oriundus. Tale enim exiit edictum à Senatore *Brancaleone*, & populo *Romano*, ut omnes armis communiti civitatem noſtram circumvallantes, quaſi vir unus, in furore & impetu magno mœnia diſſipent, caſtra diſſolvant, domos proſternant, obſeſſorum bona diripientes, & eiſdem minimè, quin omnes interficiantur, parcentes. Quod cùm audiſſet Papa, licèt offenſus & odio habens Senatorem *Brancaleonem*, nolens volens per ſolennes nuncios rogavit & rogitavit ipſum precibus humillimis, ut motum animi compeſceret, parcens *Anagniæ* civitati ſuæ nativitatis, ne fieret omni carni in opprobrium ſempiternum. Et miſertus Senator, adquievit precibus humiliati: vix autem compeſcuit populi furorem, quin omnia obſtantia feraliter complanaſſent. *Manfredus* autem, qui Papam odio habuit, & Senatorem *Brancaleonem* præcordialiter dilexerat, gavisus vehementer eſt: quòd qui pauló antè minas jaculabatur, & ſententiam excommunicationis comminabatur fulgurare, ſic humiliatus eſt, quòd ea quæ pacis ſunt cogebatur poſtulare. Spopondit igitur Princeps *Manfredus*, eidem Senatori *Brancaleoni* ſe ad omnia neceſſaria ſubventurum. Et ſic deſtitutus eſt undique amicus Regis *Anglorum Henrici*, cui conſuevit potenter ſuffragari, totàque inæſtimabilis pecunia, quam pro regno *Apuliæ* adquirendo effuderat, & illuc tranſmiſerat, non ſufficiebat ad adquietandum uſuras, quæ tacitè ſubrepentes, ipſum Regem ignarum illaquearent, & incircumſpectum. Impoſuit inſuper ei Papa, quòd deceperat eccleſiam & circumvenerat: unde fama ejus, inter omnes nationes obſorduit vehementer.

Excanduit Papa in Regem Angliæ.

DIEBUS ſub eiſdem, excanduit ira Papalis in Regem *Anglorum*, eò quòd promiſſa toties iterata non obſervans, ſeipſum ultro obligaverat ſub pœna amiſſionis Regni, exceſſus corrigere conſuetos. Inſtante igitur Epiſcopo *Roffenſi Laurentio*, & aliis multis urgentiſſimè, propoſuit Papa, poſt admonitiones infructuoſas, in Regem fulgurare ſententiam excommunicationis, & Regnum interdicere, & graviora gravibus ſucceſſive cumulare. Rex igitur mente confuſus, quinque millia marcarum domino Papæ numeravit, ut iram temperans cordis ſui, hanc ſententiam ad tempus prorogaret atque differret. Dominus autem Papa, precio & precibus poſtulantis illicò adquievit. Et ſic depauperato Regno *Angliæ*, & undique bonis ſuis ſpoliato, omnis ſpes de obtinendo Regno *Apuliæ* penè evanuit exſufflata; niſi quòd in ſinu novi Regis *Alemanniæ Richardi* aliquantula, ſed nimis exilis, eſt repoſita, quia nondum culmen Imperii eſt adeptus.

Redit Ruſtandus in Angliam.

IPSIS quoque diebus venit in *Angliam* magiſter *Ruſtandus*, domini Papæ clericus, neſciebatur ad quid, niſi fortè ut redditus ſuos viſitaret & colligeret: abundavit enim multis divitiis in *Anglia*, ſibi brevi tempore collatis & conquiſitis. Unde cùm *Romam* ultimò venerat, multorum indignationem incurrit vehementem, & etiam ipſius domini Papæ. Sed ſolito medicamine tali infirmitati ſuffragando, jacturam evaſit eminentem.

Conſecrantur tres Epiſcopi apud Cantuariam.

DOMINICA vero in paſſione Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conſecrati ſunt *Cantuariæ* tres Epiſcopi: videlicet magiſter *Simon* de *Wanton* in *Norwicenſem*, magiſter *Rogerus* de *Mudlent* in *Ceſtrenſem*, & magiſter *Walterus* de *Exonia* in *Exonienſem*: qui in una quindena electi, confirmati fuerunt & conſecrati in Epiſcopos ſolenniter ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi Bonifacio*.

Ordinatio victualium inter Abbatem & Conventum S. Albani.

EODEM quoque anno, cùm Conventus ſancti *Albani* frequenter, nec immerito, graviter conquereretur coram Abbate ſuo *Johanne*, quod in pane & cervifia ſibi & omnibus hoſpitibus tam religioſis quàm ſæcularibus honorificè diſtribuendis, ſecus quàm deceret & expediret reficeretur, eo quod Monaſterium illud fundaretur ad inveniendum eis ſufficienter ſuſtentationem in premiſſis, dominus Abbas memoratus, tali defectui conſilium & auxilium appoſuit conveniens & ſalutare. Facta fuit igitur talis ordinatio inter Abbatem & Conventum, quòd Conventus deinceps recipiet certam portionem aſſignatam, ad eorum & hoſpitum competentem quoad honorabilem refectionem, in pane & cervifia, ſicut pleniùs in prædicta ordinatione, ſigillis utriuſque partis roborata, & confirmatione regia continetur. Prætextu cujus ordinationis & benignitatis impenſæ, Conventus grata viciſſitudine quædam debita dicti Abbatis, quæ marcas continebant, per ſe & Priores Cellarum Mercatoribus tranſmarinis benignè adquietabant, remanentibus eidem Abbati magnis & gravibus aliis debitis adquietandis. Et ut hoc liberale beneficium & gratuitum, omnibus liqueat ſcire volentibus manifeſtum, domini regis chartam & confirmationem præſenti libello indelebiliter duximus inſcribendam.

Charta ad confirmationem præcedentium.

H. Dei gratia Rex *Angliæ*, Dominus *Hyberniæ*, Dux *Normanniæ*, *Aquitaniæ*, & Comes *Andegaviæ*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, "Vicecomitibus, Præpoſitis, Miniſtris, & omnibus Ballivis & fidelibus ſuis, Salutem. Inſpeximus proviſionem & ordinationem inter *Johannem* de *Hertfordia*, Abbatem de ſancto *Albano*, "& Conventum ſuum ejuſdem loci, in hæc verba: *Johannes* de *Hertford*, Dei gratia, Abbas "de ſancto *Albano*, omnibus *Chriſti* fidelibus ſalutem in Domino. Juſtis petentium deſideriis "dignum eſt facilem nos præbere conſenſum, & vota quæ à rationis tramite non diſcordant, "effectu conſequente complere: Ea propter univerſitati veſtræ duximus innoteſcere, quòd tam "nos, quàm prædeceſſores noſtri Abbates de S. *Albano*, retroactis temporibus conſuevimus tam "de Baronia noſtra, quàm de eccleſiis noſtris, in quibus jura Pontificalia habemus, & aliis quo-

"que

1258.

"[...]æ eccleſiis, in quibus jura Pontificalia non habemus, necnon & firmis ac redditibus noſtris [a]d dictum Monaſterium pertinentibus, tam Conventui noſtro dicti Monaſterii, quàm hoſpitibus ſupervenientibus, victualia quoad panem & cerviſiam communiter invenire. Nos ex duplici cauſa charitatis commoti, volentes dicti Conventus conditionem honorificentiùs meliorare quoad dicta victualia, ut in omni pace & tranquillitate poſſent de cætero permanere in perpetuum, necnon & ſucceſſores noſtros Abbates à ſuſtentatione dictorum victualium dicto Conventui adinvenienda ſimiliter exonerare, Deum habentes præ oculis, de communi fratrum noſtrorum voluntate, conſilio, & conniventia, ſubſcriptas portiones duximus aſſignandas. Videlicet eccleſias de *Herteburne* & de *Eglingam*, in dioceſi *Dunelmenſi*: & Eccleſias de *Northona* & de *Waldene*, cum quadraginta ſolidis, quos Vicarius de *Waldene*, qui pro tempore fuerit, reddet annuatim. Et decimas cum fœno, quas percipere conſuevimus in Parochia de *Watford*, cum decem marcis de Vicario de *Watford*, qui pro tempore fuerit. Et Eccleſiam de *Hontona*, cum ſex marcis annuis de Vicario de *Poteſgrave*: & cum duabus marcis & dimidia de eccleſia de *Herteburne*, in dioceſi *Lincolnienſi*: & cum ſex marcis annuis de Vicario de *Apeltona*, in dioceſi *Eboracenſi*: & omnes oblationes provenientes de duobus feſtis ſancti *Albani*: inſuper & manerium de *Kingsbury*, cum omnibus pertinentiis ſuis: & cum quinque hominibus in villa de *Weſtwike*, cum compoſto curiæ S. *Albani*, ad prædictum manerium meliorandum, cum ſibi viderint expedire. Et ſciendum, quòd bladum & braſium Conventus prædicti debent moli ad molendina noſtra tam infra curiam S. *Albani*, quam extra libere, ſicut bladum noſtrum proprium, ſine omni cuſtu apponendo ex parte Conventus in molis, molendinis, ſive reparatione ſtagnorum, vel quibuſcunque aliis modis. Et inveniemus eidem Conventui domos competentes & neceſſarias ad faciandum & furniandum, & braſium faciendum, & bladum reponendum, & ſtabulum ad equos ſuos, & omnia utenſilia, quæ ad omnia prædicta ſunt neceſſaria. Ad maneria verò noſtra, ubi prædictæ decimæ ſitæ ſunt, inveniemus domos competentes ad bladum & fœnum reponendum, homines ſuos & equos hoſpitandum, & utenſilia neceſſaria ad cibum ſuum faciendum, & lignum ſufficienter ad ardendum, tam infra curiam ſancti *Albani*, quàm extra, & manerium quoties opus fuerit ad prædictas domos reparandas. Nos verò, & ſucceſſores noſtri omnes, prædictas portiones cum omnibus pertinentiis ſuis, aiſimentis, & libertatibus ſupradictis, prædicto Conventui contra omnes homines ſumptibus noſtris warrantizabimus, adquietabimus, & defendemus. Et omnia onera ordinaria & extraordinaria, in prædictis eccleſiis & penſionibus cùm contigerint, ſuſtinebimus in perpetuum. Et ad majorem hujus ordinationis ſecuritatem, ſententiam excommunicationis in omnes illos promulgavimus, qui prædictam ordinationem per Papam, vel per Regem, ſeu per propriam voluntatem infirmabunt, ſeu infirmari procurabunt, niſi fortaſſis propter majus bonum Conventus & Eccleſiæ ſuæ utilitatem, de communi conſenſu tam domini Abbatis quàm totius Conventus proceſſerit & voluntate. Obligamus inſuper nos & ſucceſſores noſtros, ſpontanea voluntate noſtra, & unanimi conſenſu Conventus noſtri prædicti, tam domino Regi, qui Patronus noſter exſtitit, & hæredibus ſuis, qui pro tempore fuerint, quàm domino Papæ & ejus ſucceſſoribus; quòd ſi nos vel ſucceſſores noſtri contra prædictam ordinationem in toto vel in parte, ſine communi aſſenſu ejuſdem Conventus, ſicut prædictum eſt, aliquo tempore auſu temerario, quod abſit, venire præſumpſerit; ipſe dominus Rex & ejus hæredes nos & ſucceſſores noſtros per Baroniam noſtram, & ipſe dominus Papa & ſucceſſores ſui per cenſuram eccleſiaſticam, omnibus modis quibus viderint expedire, ad totius prædictæ ordinationis obſervationem licitè poſſint compellere, & efficaciter coërcere. Et ut omnia prædicta robur in perpetuum obtineant ſigillum noſtrum cum ſigillo Conventus noſtri huic ſcripto fecimus apponi. Datum apud ſanctum *Albanum* in pleno Capitulo noſtro, die Mercurii proxima poſt feſtum ſancti *Matthæi* Apoſtoli. Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptimo. Et quia accepimus per inquiſitionem, quam fieri fecimus, quòd prædicta proviſio & ordinatio cedet ad noſtram & hæredum noſtrorum exonerationem & utilitatem, illam ratam habentes & gratam, eam pro nobis & hæredibus noſtris concedimus & confirmamus, ſicut prædictum ſcriptum inter eos confectum teſtatur. Et ad hujus rei evidentiam majorem, volumus & concedimus pro nobis & hæredibus noſtris, quod Prior & Conventus ejuſdem loci, cedentibus, vel decedentibus prædicto Abbate & ſucceſſoribus ſuis Abbatibus dictæ Eccleſiæ de ſancto *Albano*, bene & in pace teneant & habeant omnes portiones prædictas ad uſus prædictos, tam temporibus vacationum dictæ Abbatiæ, quàm aliis temporibus, in perpetuum, & de eis pro voluntate ſua diſponant, ſine impedimento noſtri & hæredum noſtrorum, & omnium Ballivorum noſtrorum, & cuſtodium noſtrorum. Nec permittemus dictam ordinationem dictæ Abbatiæ, per aliquos cuſtodes noſtros vel alios Ballivos noſtros, aliquatenus immutari vel infringi.

Confirmatio Regis.

"His teſtibus, *Galfrido* de *Liziniaco*, & *Willielmo* de *Valentia*, fratribus noſtris, *Simone* de *Monte forti* Comite *Legriæ*, *Richardo* de *Clare* Comite *Gloverniæ* & *Hertfordiæ*, *Rogero* de *Bigod* Comite *Northumbriæ* & Mareſcallo *Angliæ*, *Petro* de *Sabaudia*, *Hugone* le *Bigod*, *Johanne Manſel* Theſaurario *Eboracenſi*, *Philippo Luvel*, *Henrico* de *Bath*, *Roberto Waleranno*, *Willielmo* de *Grai*, *Waltero* de *Meretona*, *Imberto*, præſentibus, & aliis. Datum per manum noſtram apud *Weſtmonaſterium*, octavo die Martii, anno regni noſtri quadrageſimo ſecundo.

Teſtium ſolemnium nomina.

HÆC

1258.

Quorum diligentia prædicta peracta sint.

HÆC autem auctore Abbate prænotato effectum ſortita ſunt adoptatum, per diligentiam & peritiam dominorum *Willielmi* de *Hortona* Camerarii, & *Johannis* de *Bulun*, dicti Abbatis bajuli, zelum Domini habentes præ oculis & fratrum charitatem. Et conſtitutus eſt dominus *Willielmus* de *Huntenduna* magiſter hoſpitum ex parte Conventus, rerum ſupradictarum cuſtos, & Procurator provincialis.

Redit Ruſtandus *à curia* Rom.

ET circa medium Quadrageſimæ, rediit magiſter *Ruſtandus* à curia *Romana* priſtina privatus poteſtate. Accuſatus enim graviter coram Papa ab æmulis ſuis exſtiterat, quòd avidiùs quàm deceret, Dei poſtpoſito timore, pecuniam ſitiens, quamplures redditus opimos amplexando, ſe ſuper ſe extulerat. Et ut in his obtinendis Regis gratiam majorem obtineret, aſſeruit ſe natum fuiſſe *Burdegali*, unde promiſit ſe, tanquam Regis fidelem & naturalem, efficaciter de acquirendo Regni *Apuliæ* dominatu, & aliis negociis domini ſui Regis expediendis, tam in curia *Romana*, quàm alibi, adjutorem fore vigilem & efficacem. Talibus igitur promiſſionibus & blandis ſermocinationibus, Regis ſimplicitatem circumveniens, multis redditibus ſcilicet ditatus, procurantibus aliquibus adverſariis, vocatus eſt ut *Romam* rediret: ubi graviter à Papa redargutus, vix eſt in priſtinam gratiam Papalem reſtitutus: veruntamen à dignitate & poteſtate priori privatus, & cum dedecore mutilatus.

Advenit Herlotus *Papæ nuncius in* Angliam.

ET citò poſt videlicet ſeptimana proxima ante Paſcha, venit in *Angliam* magiſter *Herlotus* domini Papæ Notarius & Clericus ſpecialis, qui quamvis Legatus non diceretur, non tamen Legati caruit nobilitate. Venit enim *Londinum* cum viginti equitaturis, cujus familia collateralis octo capis, videlicet quinque clauſis, & quinque manicatis, de optimo moreto ſuperbivit redimita. Rex igitur ſecundum ſuam conſuetudinem, applaudebat alacriter venienti: maximam enim roboratus habuit poteſtatem.

Naves frumento onuſtæ in Angliam *applicant.*

EODEMQUE tempore, cùm fames ingrueret inaudita, ita ut multi in ſemetipſis contabeſcentes morerentur, & ſumma frumenti *Londini* novem, vel ampliùs, ſolidis venderetur, applicuerunt ibidem de partibus tranſmarinis, procurante Rege *Alemanniæ Richardo*, circiter quinquaginta naves magnæ, onuſtæ frumento, hordeo, & pane: & acclamatum eſt edicto Regio, ne aliquis civium *Londinenſium* de blado illo aliquid emeret ad reponendum in Cameram, ut indigentibus cariùs & poſtulantibus, ſecundum ſuam conſuetudinem, venderent. Quia infames habebantur dicti cives, quod in tempore cariſtiæ, naves victualibus onuſtas vel ſubdolè averterunt, vel in ſolidum emerunt, ut ad placitum eorum ea venderent poſtulantibus. Dictúmque eſt aſſertivè, quod in tribus *Angliæ* Comitatibus tantum bladi in ipſo anno non creverat. Sed numiſmatis carentia, licèt aliquantulum mitigaret, non tamen peſtem famis, quia generalis fuerat per totum regnum, delevit. Omnes enim adventantes dominus Rex, in damnum regni proprii, ſuis bonis ſpoliati, ſublevat & ſaginat.

Aëris mira diſpoſitio continua.

ANNO quoque ſub eodem, Autumnus ſerenitatem aëriam & ſuam temperiem, uſque in finem Januarii continuavit, ita ut nuſquam vel nunquam, gelu alicujus aquæ ſuperficiem induravit. Ab eodem ſiquidem tempore, videlicet à Purificatione beatæ Virginis, uſque in finem Martii, Aquilone continuò flante, gelu continuatum cum nive & frigore intolerabili, terræ faciem conſtringens, pauperes afflixit, culturam ſuſpendit, & pecudes necuit pubeſcentes; ita ut ovium & agnorum peſtis fieret generalis.

Rex Richard. Alemanniæ *proſperatur.*

REX *Alemanniæ Richardus* prudenter ſibi adverſantes edomat, attrahit, & confœderat, adeò ut nobilium civitatum *Italiæ* cives dextras ei dederunt. Et ſiluerunt æmulorum ſuorum comminationes: videlicet *Francorum*, *Hiſpanorum*, *Treverenſium*, & aliorum conterminorum, qui ei nocumentorum laqueos tetenderunt.

Thomas *de* Sabaudia *venit in* Angliam.

AD quindenam verò Paſchæ, venit *Thom.* Comes quondam *Flandriæ Lond.* infirmus vectus in lectica, liberatus à carcere *Taurinenſium*: pro qua liberatione, mercatores *Aſtenſes* multa pecunia ſunt redempti. Rex enim *Francorum*, ad petitionem Papæ, multos eorum cepit, & ad redemptionem arctavit; donec dictus *Thomas* liber in *Angliam* rediret, adubera munera recepturus.

Cives Londinenſes *graviter mulctantur.*

CIVES *Londinenſes*, qui graviter de quibuſdam enormitatibus coram Rege accuſabantur, redempti & multiformiter puniti, vix reconciliantur. Maximus autem eorum, ſcilicet *Radulphus Hurdel*, præ dolore obiit, qui Major exſtitit civitatis.

Exſpirant treugæ inter Angl. *&* Wallenſes.

ET eodem tempore, treugæ inter *Anglos* & *Wallenſes* exſpirarunt. Fideles autem domini Regis ipſos miſerabiliter arctaverunt, ita ut nec ſal, nec frumentum, nec alia neceſſaria poſſent adipiſci. Confidentes tamen in eo, quòd Rex quæſtionem contra Magnates *Scotiæ* movebat, qui contra eum erigebantur, & contra Epiſcopum *Dunelmenſem*, qui ad curiam Regis vocatus, renuit procaciter illuc advenire, imò contumaciter injuriis injurias cumulavit: læſionem quorumlibet multiplicando, per confinia *Walliæ* diſcurrebant, ſuæ inediæ conſulentes.

Convocatur militia Angl. *contra* Wallenſes.

TEMPORE ſub eodem, dominus Rex militiam *Anglorum* edicto Regio convocavit, ut communiter cum equis & armis in *Walliam* irruens, eam conterat, & irremediabiliter, uſque ad internecionem, devaſtet. Milites autem ſubmoniti, doluerunt ſe toties inutiliter cum damnis & expenſis inanibus fatigari.

Parlamentum Lond. *habitum.*

ET poſt diem Martis, quæ vulgariter *Hokedaie* appellatur, factum eſt Parlamentum *Londini*. Rex namq; multis & arduis negotiis ſollicitabatur, ſcilicet de negotio regni *Apuliæ*: pro quo ſpecialiter fuit, tanquam ſolennis nuncius, magiſter *Herlotus*, exigens reſponſum certum ſuper

hoc

hic & præciſum, deſtinatus. Exegit inſuper pecuniam infinitam, de qua perſolvenda ſe obligavit Papa mercatoribus pro ipſo rege, ad inſtantem ipſius Regis, ſub magnis pœnis, quas recitare reor inhoneſtum, irretiti, petitionem. Quantitas autem pecuniæ, ad tantam aſcendit ſummam, ut ſtuporem ſimul & horrorem in auribus generaret audientium. Doluit igitur Nobilitas regni, ſe unius hominis ita confundi ſupina ſimplicitate. Angebatur inſuper dominus Rex vehementer pro *Wallenſibus*, qui ſe jactitabant ipſum regem cum toto exercitu ſuo multoties damnificatum repuliſſe, & meliorem partem in Martio certamine, contra omnem *Angliæ* nobilitatem ſæpius reportaſſe. Et ad cumulum iræ & commotionis ſuæ audierat, quòd ipſi *Wallenſes*, exſpirantibus treugis circa feſtum S. *Ælphegi*, rapinis, cædibus, & incendiis intendentes, homines partes *Penbrochiæ* inhabitantes hoſtiliter invaſerunt, & feraliter ex eiſdem quamplurimos peremerunt; & quos elapſos vivos reliquerunt, probroſis conviciis affecerunt. Unde Epiſcopus *Willielmus* graviter Regi eſt conqueſtus. Cui Rex: "Expone, expone igitur, frater "chariſſime, theſaurum, quo abundas, ad noſtrarum ultionem injuriarum. Sed *Willielmus*, mi-"nas minis accumulans, & probra contumeliis adjungens, aſſeruit hæc omnia à conſenſu & "favore proditorum *Anglorum* ſubdolè proceſſiſſe. Et poſt paululum, quod in genere confuſè dixerat, in multorum Nobilium dedecus, ſpecificavit. Unde Comes *Gloverniæ*, & Comes *Legreceſtriæ*, non mediocriter verecundati, erubuerunt. Et adhuc convitia in Comitem *Legreceſtriæ* magis multiplicans, ipſum fuiſſe veterem proditorem, & mentitum fuiſſe, auſus eſt palam coram Rege & multis Magnatibus contumelioſè proteſtari. At Comes ira accenſus, ac ſtomachatus, reſpondit: Non non, *Willielme*, non ſum filius proditoris, ſive proditor: diſſimiles fuere noſtri genitores. Et volens tantam injuriam illicò vendicare, & in ipſum *Willielmum* ultor manifeſtus irruere, vix eſt per ipſum regem, qui ſe interpoſuit, impeditus: & ſic ad tempus quievit Comitis indignatio. Damna quæ *Suwallia* in memorato certamine perpeſſa eſt contra *Wallenſes*, non eſt leve recitare. Victores igitur effecti, ſeſe frumento, ſale, & aliis ſibi neceſſariis, quibus anteà indiguerunt, prudenter inſtaurarunt.

IN craſtino autem, & diebus ſequentibus, habuerunt diligentem tractatum dominus Rex & Magnates, quomodo contererent *Wallenſium* tam intolerabilem, cum irruptionibus ſuis crebris, inſolentiam. Submonetur igitur generaliter tota *Angliæ* militia, ut omnes qui tenentur ad ſervitia militaria domino Regi, ſint prompti & parati ſequi regem profecturum in *Walliam*, cum equis & armis, die Lunæ ante nativitatem B. *Jo. Baptiſtæ*, apud *Ceſtriam*. Unde murmur & multiplex querimonia in populo reſonabat, eò quòd rex tam crebrò ſine profectu vel honore ſuos Nobiles depauperat & fatigat, & inſtante tempore meſſium, toties ſcutagium exigens, inquietat, maximè cum fames inaudita, populum coëgerat animas exhalare. Rex autem minimè regni pericula conſiderans, & pecunia carens, & omni theſauro deſtitutus, contulit illicò properè & incircumſpectè, licèt in proximo bellum moturus, *Thomæ* de *Sabaudia*, quondam Comiti *Flandriæ*, qui in lectica nuper infirmatus vectus venerat, mille marcas: & cuidam *Pictavenſi*, qui conſuevit ipſi regi in menſa cibum ejus ſcindendo miniſtrare, ducentas libras. Ipſi verò, non penſantes pericula Regi imminentia, omnia patulis ſinibus receperunt. *Thomas* autem, refertis clitellis, illico ad partes, ſalutata priùs Regina (cujus munera, ſicut nec Regis, repulit) tranſmarinas, ut *Taurinam* confunderet civitatem, non curando de obſidibus, remeavit. Nomen *Pictavenſi* memorato eſt *Willielmus* de *Sancto Hermete*: hic adhuc recedere recuſans, munera exſpectabat uberiora.

Convocatur militia Angl. contra Wallenſes.

CONSECRATUS eſt in Epiſcopum *Carleolenſem* magiſter *Robertus* de *Chauſe*, Clericus Reginæ, *Londini* apud * *Boumundeſhei*, die ſanctorum *Tiburtii* & ſociorum ejus, ab Epiſcopis *Sarum* & *Bathonienſi*.

Carleolenſ. *Epiſc.* R. *de* Chauſe *conſecratur.*

* Barmondſei.

EADEMQUE ſeptimana, obiit Archiepiſcopus *Armachanus Londini*; qui quandoque Decanus eccleſiæ ſancti *Pauli* exſtiterat.

Obit archiep. Armachanus.

TEMPORE quoque ſub eodem, aggregavit manum ſuam dominus Papa ſuper Archiepiſcopum *Eboracenſem*, & deteriorata eſt ejuſdem quoad ſæculum conditio, & quoad Dominum meliorata: multiplicibus enim perſecutionibus patientia ſuſcipit incrementum. Et ſic eſt, ſecundùm beati *Edmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi vaticinium, Martyrio ſubarratus. Legimus utique multos ſine ſanguinis effuſione Martyrio fuiſſe coronatos. Præter enim alia ſcandala multa præcedentia, jam aufertur crux ab eo, quam conſuevit clericus primus ante ipſum bajulare. Renuit tamen adhuc *genua flectere Baal*; & indignis barbaris opima beneficia Eccleſiæ ſuæ, quaſi margaritas porcis, imo ſpurcis diſtribuere.

Tribulationes Archiep. Eboracenſis.

EPISCOPUS *Herefordenſis* turpiſſimo morbo, videlicet morphea, Domino percutiente, meritò deformatur, qui totum regnum *Angliæ* proditioſè damnificavit.

Percutitur Epiſc. Herefor. *polypo.*

EDWARDUS, domini regis primogenitus, tradit terras, & optima maneria ſua, quæ ex dono patris ſui obtinuit, videlicet *Stanfordiæ*, *Braham*, & alia multa, quaſi ad firmam vel cuſtodiam *Willielmo* de *Valentia*, qui multo theſauro abundavit; ut ſic patrui ſui theſauris ſupereffluentibus, ſuæ ſubveniret egeſtati, & ſatisfaceret aviditati. Quod in triſte factum eſt ambobus præſagium futurorum: ut juvenis, videlicet cùm ad plenam Regni perveniret poſſeſſionem, vaſtator foret ejuſdem, & diſſipator. Et *Willielmo*, ut ſuis foret ſuperfluitatibus ſpoliandus.

Edvardus *tradit maneria ſua* W. *de* Valentia.

1258.

Advenit frater Manſuetus Minorita *miſſus à Papa.*

TEMPORE ſub eodem, venit in *Angliam* quidam frater de ordine Minorum, nomine *Manſuetus*, à Papa, Rege procurante, miſſus, ſequens magiſtri *Herloti* veſtigia, maxima roboratus poteſtate: in tantum ut votis mutatis abſolveret, ut dicebant, Regales quoſcunque pro libitu, [illegible] excommunicatos, & falſidicos, & perjuros juſtificaret; unde multi rei audaciam ſumpſerunt delinquendi. Nam facilitas veniæ peccandi parit occaſionem, ſed prudentibus ſibilum & deriſum, ſicut ſequens ſermo pleniùs declarabit.

Quid Regi reſponſum ſit in Parlamento.

EODEMQUE tempore, cum inſtanter & conſtanter reſpondiſſent Magnates Regni communiter Regi, qui cum magna inſtantia in memorato Parlamento urgenter pecuniam infinitam ſibi dari poſtulaſſet, pro negotio *Apuliæ* expediendo, & aliis arduis promovendis: "quod nullo "modo potuerunt ſine eorum irreſtaurabili ſubverſione, toties inaniter ſubſtantiolas ſuas uſque "ad exinanitionem effundere. Et ſi inconſultò & indecenter regnum *Apuliæ* ad opus *Edmundi* "filii ſui à Papa comparaſſet, ſuæ imputet ſimplicitati, & quòd incircumſpectè & abſq; ſuorum "conſilio nobilium præſumpſit, tanquam ſpretor deliberationis & prudentiæ, quæ ſolet rerum "exitus præmetiri, prout poteſt, ducat ad effectum qualem qualem. Debuítq; profectò, ex ſapi"entia fratris ſui Regis *Alemanniæ Richardi* exemplariter erudiri, qui ex dono Papæ oblatum "regnum *Apuliæ*, nunciante hoc magiſtro *Alberto*, reſpuit memoratum: maximè cùm tot in"cognita regna, cum linguis variis, tot principatus, tot civitates, bellatoribus & armis commu"nitæ, mare & montes, & laborioſa locorum diſtantia, *Angliam* dividunt ab *Apulia*. Et quòd "plùs formidat, & meritò, *Romanæ* curiæ cavillationes, & *Apulorum* proditiones multiformes, "qui & affines & cognatos venenata ſuffocant potione. Veruntamen ne domino Papæ, qui rati"one officii ſui ſupereminet Principibus & Prælatis univerſis, & ipſum Comitem ad tantam emi"nentiam prælegit amicabiliter, protervire videretur, reſcripſit ſignificans, quòd conſilio ſuo li"bens inclinaret, ſi crucesignatos omnes ſibi concederet in adjutorium: quod honeſtè fieri poſſet "propter civitatem *Nucheræ*, quæ in *Apulia* infidelibus inhabitatur, & dimidium expenſarum in "illo bello exponendarum, & quaſdam civitates & caſtra, quæ dominus Papa tunc temporis habu"it, cum bonis obſidibus: ut ibidem tutum, cùm illuc veniret, habere valeret receptaculum, & "præmunitum contra rebelles, ſi qui inſurgerent, tutamen & refugium; præterea ſcriptorum "bonorum patrocinia, bulli Papali conſignata.

Papa circumvenit Regem Angliæ.

CUM autem hæc omnia dominus Papa intellexiſſet, his poſtulationibus nullatenus voluit aſſentire. Miſſis igitur nunciis tacitis & arcanis, qui vulpinis ſermocinationibus benevolos animos audientium alienare poſſent, circumvenit ſupinam & credulam Regis ſimplicitatem; offerendo ei ad opus filii ſui junioris, ſcilicet *Edmundi*, regnum *Apuliæ*, ad hoc effectui mancipannum, conſilium & auxilium efficaciſſimum impendendo. Unde cor Regis pro iſta umbratili promiſſione adeò eſt elevatum & infatuatum, ut quicquid habuit vel habere potuit, Papæ & ſuis nunciis prodigaliter diſperſit, confidenter promittens ampliora. Unde certatim advenerunt in *Angliam* nuncii Papales ultramontani, ſterlingorum ſpeciem olfacientes, ad Regem, ut opima munera reportarent. Utpote Epiſcopus *Bononienſis*, qui ex parte Papæ annulo quodam dictum *Edmundum* de regno *Apuliæ* inveſtivit. *Meſſanenſis* quoque Archiepiſcopus, qui non vacuus recedebat, nunc frater *Johannes* de *Diva*, nunc magiſter *Bernardus*, nunc magiſter *Seniſius*, nunc *Ruſtandus*, nunc *Herlotus*, & multi alii, quos longum eſſet enumerare: quóſq; omnes & ſingulos, dominus Rex cum ſumma reverentia ſuſcepit & honore, in damnum tamen totius Regni ſui & ſubverſionem. Magnates igitur *Angliæ*, qui Prælati meticuloſi ſiluerunt, meritò provocati, Regis, ſi quomodolibet poſſent, vias dirigere conabantur.

Mors Archiepiſcopi Treverenſis.

TEMPORE ſub eodem, obiit Archiepiſcopus *Treverenſis*; qui Duci *Brabantiæ* confœderatus, Regi *Alemanniæ* adverſabatur.

Regi auxilium pecuniare negatur.

DIEBUS quoq; ſub eiſdem, cùm conſtanter & præciſè reſpondiſſent quaſi uno ore Magnates Regni in Parlamento Regi, cùm urgenter auxilium ab eis poſtulaſſet pecuniare, quod nec voluerunt, nec potuerunt ampliùs ſuſtinere tales extorſiones. Rex iratus, ad alia ſe convertit aſtutiæ argumenta, ut ab eccleſia pecuniam abraderet infinitam. Alloquutus eſt igitur primò Abbatem *Weſtmonaſterienſem*, & ab ipſo infatuato pollicitis fallacibus, ut ſigillum ſuum & ſui Conventus apponeret tali chartæ: ut videlicet fide juberet pro ipſo Rege in tanta pecunia, quæ ad duo millia marcarum, & quingentas marcas aſcenderet, ut ſic daretur pernicioſum exemplum ab aliis cœnobiis tantundem extorquendi.

Mittitur Si. Paſſeleve *ad varios Abbates pecuniæ emungendæ cauſa.*

FESTINAVIT igitur dominus Rex cum talibus literis ad alia cœnobia dictum *Simonem* tranſmittere, ut idem onus ſubirent eorum Abbates. In quo facto Rex ſuam non mediocriter famam denigravit. Patuit enim in ipſo facto, quàm ſitienter deſideravit Eccleſiam irreſtaurabiliter prægravare. Ipſe igitur *Simon Paſſeleve*, domini Regis Clericus, conſiliarius, ſubdolus & mendax; cupiens Regalia præcepta, licèt indecentia explere, ſed non expedire, venit *Waltham* feſtinanter. Et oſtendens Regis literas deprecatorias, ut ſimile onus ſibi ſuſciperent Abbas & Conventus de *Waltham*, quod Abbas *Weſtmonaſterienſis* ſibi ſuſceperat benignè bajulandum; videlicet ut fidejuberet per literas ſuas & Conventus, ducentis & quingentis marcis, pro Rege perſolvendis. Oſtendítq; Abbatis *Weſtmonaſterienſis* literas ſuper hoc & Conventus patentes & conſignatas. Quod cùm intuitus eſſet Abbas de *Waltham*, expavit vehementer, ſciſcitabatúrque ab eo, ſi tales literas haberet ad alia cœnobia dirigendas. Cui *Simon*: "Habeo utique ad ſanctum *Albanum* & *Radin*"*gum* & alibi. Inito igitur conſilio cum ſuo Conventu in capitulo, reſpondit *Simoni*, quòd nullo

"modo

modo (quicquid ſuper hoc feciſſent Abbas & Conventus *Weſtmonaſterienſis*, qui de neceſſitate domino Regi favebant, & quos oportuit ipſi, utpote eccleſiæ reſtauratori ſuæ, etiam in difficilibus obedire) vellet pro rege de tantæ pecuniæ quantitate fide jubere, vel ſe quomodolibet obligare. Nec licèt, ſicut ſcriptum eſt in decretalibus, videlicet tractatu de obligationibus, alicui Prælato ſuam eccleſiam tanto ſupponere diſcrimini & periculo. Cui *Simon*: “Dominus Rex vobis faciet ſecuritatem, qualem vultis literatoriè de veſtra vobis ſolvendi indubitanter pecunia. Cui Abbas: Nolumus cum domino rege habere occaſionem placitandi vel decertandi: non valemus à pari contendere, nec ipſum, ſi malorum conſilio enervaretur, diſtringere vel juſtificare. Cui *Simon*: Miſeremini, miſeremini pro Deo, domino veſtro & patrono ſpeciali. Interdicetur enim in proximo, ſcilicet infra triduum vel quatriduum Capella ejus, & poſteà ſequentur duriora, niſi precibus ejus obſecundetis, & ut bene noſtis, ipſe Regum *Chriſtianiſſimus* & piiſſimus, non ſuſtineret abeſſe ſolemniis, pro infinita auri obrizi quantitate. 1258.

CUM autem nec ſic, nec aliis ambagibus & mendaciis, minis minas accumulans, profeciſſet, iratus receſſit verſus S. *Albanum*, una cum ſocio ſuo Regis clerico quodam; ut & Abbatem & Conventum ſuis fraudulentis commentis voluntati Regis, per fas nefas quomodolibet inclinaret. Abbas autem de *Waltham*, clam & feſtinanter ſignificavit Abbati de S. *Albano*, qualiter per omnia actum eſt, de ſubdolis & perverſis perſuaſionibus *Simonis Paſſelev*: qualiter voluit, ut ad Regis urgentem petitionem, eccleſiam de *Waltham* ad ſolutionem ducentarum & quingentarum marcarum pro Rege obligaret, & pro ipſo per ſcriptum Abbatis & Conventus fide juberet. Et ecce dictus *Simon* (imò veriùs *Simon*) ante horam Capituli venit ad ſanctum *Albanum*. Qui finxit ſe veniſſe ea die de *Londino*, & fere tota nocte equitaſſe. Unde inclinans caput ſuum ſedili, quo ſedit dormitavit: cùm tamen de *Waltham* veniſſet immediatè. Et feſtinanter accedens ad Abbatem, ingemiſcens ait: “Domine, maxima neceſſitas coëgit in hac nocte dietam, quæ eſt inter *Londinum*, me ſociúmque peragrare. Et oſtendens literas Regias, quæ aliam ſummam, quàm ipſe ore expreſſit continebant, & ſimiliter literas Abbatis & Conventus *Weſtmonaſterienſis*; quòd videlicet petitioni Regis prompto favore conſenſerant, in propatulo monſtravit; ut ſic & Abbatem & Conventum ſancti *Albani*, Regiæ flecteret voluntati exemplariter. Promiſit etiam ex parte Regis, quòd chartam qualem vellemus, in promptu haberent de ſolutione pecuniæ; quam petiit ad horam ſub obligatione literatoria præſtari, quæ ad ducentas & quingentas marcas aſcendit. Et ſi contradiceret Abbas, Regiam in perpetuum incurreret indignationem. Quia imminebat ſuſpenſio capellæ, quòd nullo modo ſuſtineret. Obſtupuit igitur Abbas & Conventus, imò quilibet auditor de tanta Regis tyrannide & aſtutia: maximè cum ſcriptum ſuper hoc Abbatis & Conventus inſtantiſſimè ſimile ſcripto ab Abbate & Conventu *Weſtmonaſterienſi* Rex obtinuerat. Inito igitur in Capitulo conſilio, reſponſum eſt præciſè quòd nullo modo Regis petitionem poterant adimplere: “Quia contra prohibitionem Papæ, & jus & honeſtatem hoc fieret manifeſtè. Et oſtenſa ſunt ei inſtrumenta, & quoddam ſpeciale Abbati *Garino*, quondam Abbati de ſancto *Albano*, & ſucceſſoribus ejus, directa. In quo continetur, quòd nullo modo Eccleſiam ſuam ſub pœna ſuſpenſionis & interdicti ac excommunicationis obligarent. Maluerunt igitur Abbas & Conventus S. *Albani* indignationem Regis terreni injuſta poſtulantis incurrere; quàm Regis cœleſtis offenſam tranſgrediendo Papalem prohibitionem ſubire, & vinculis anathematis innodari. Quod cùm audiſſet *Simon*, alacriter reſpondit, favorabilem & ſerenum vultum omnibùs oſtendendo. “Amici chariſſimi, ne ſuper hoc aliquatenus ſollicitemini. Habet enim dominus Rex noſter quendam fratrem ſanctiſſimum, hominem manſuetum, de ordine *Minorum*, à Papa ad cautelam deſtinatum, qui omnes juramentorum tranſgreſſores in hac Regis urgentiſſima neceſſitate, qui eidem ſuffragabuntur, plenam habet poteſtatem, & promptiſſimam voluntatem abſolvendi. Si autem in hoc caſu domino Regi non obſecundaveritis, ilicò *Londinum* ad Epiſcopum revertens, eidem nunciabo, quòd & ipſius Regis reverentiam & patrocinium, & dicti fratris beneficium, contemnitis & poteſtatem. Reſponſumq; eſt *Simoni*: Non ſanum videtur, velle excommunicari, & abſolvi. Sicut non deberemus conſentire alicui incantatori dicenti, frange crus vel aliud membrum tuum intrepidus, inveniam tibi optimum chirurgum, qui confractum conſolidabit. Præterea ſi hoc faceremus, multipliciter peccaremus. Primo, ſcienter mentiremur: Item ſigna noſtra, quæ ſunt pignora teſtimonialia fidei noſtræ, ſi apponerentur, clamarent contra nos, quòd iniquè egimus: hoc nullo modo faciemus. Ad hoc *Simon*: Quid ſibi vult iſtud? Recedamne vacuus? Credet Dominus meus, quòd aliqua convicia ſuſcitaverim inter ipſum & vos; & ſic in meum caput, cùm inſons fuerim, omnis culpa redundabit. Ut quid patitur dominus Rex talem repulſam? Nihil habetis, niſi quòd dominus meus Rex, vel ejus progenitores Reges vobis contulerunt. Unde tenemini ex jure, ipſi in tam diſtricto caſu, cùm omnia ſint Principis ſuffragari. Ad hæc reſponderunt Abbas & Conventus: Omnia verè ſunt Principis *tuitione* non *deſtructione*. Hoc eſt quod juravit Rex in ſua coronatione, & poſteà multoties, & ideo his tuis cavillatoriis ſuggeſtionibus nullatenus conſentimus. Hæc cùm audiſſet *Simon*, ad aliud genus deceptionis ſe convertens, ait: Si non aliud pro rege facere volueritis, ſaltem hoc faciatis: “Conficite literas ſuper poſtulatione regia favorabiles, ſecundùm poſtulationem ſuam & deſiderium, & confectas conſignetis, & ſigillatas in theſauro veſtro penes vos reſervetis, ut ſi emollitis quandoque cordibus veſtris

Simon Paſſeleve *Abbatem & Conventum* S. Albani *adit*.

1258. " & humiliatis, cùm ſe tempus offerret opportunum, illas promptas rex vel ejus nuncius va-"at invenire & habere. Et hoc facite, ne penitus contemptus & protervitas veſtra videatur. "Sed & ad hoc Abbas & Conventus reſponderunt: Non *Simon*, non quia ſic diceres, & dice-"re poſſes, quòd conſenſimus, & literas de conſenſu confecimus, ſicut eſt modò de literis Ab-"batis; quas oſtendes, *Weſtmonaſterienſis*. Et ſic fieremus aliis, quos aggredi & flectere cupis, in "exemplum pernicioſum, quòd nullatenus faciemus. Et ſic confuſus receſſit temptator ſuo in-"fecto deſiderio.

Simonis prædicti fallaciæ quibus quoſdam Abbates circumvenire nititur.

HÆC idcirco plenè ſcripſerim, ut ſciat hujus lector paginæ, quàm graves ſunt hoſtes domeſtici, & quantum regno & eccleſiæ iſte *Simon* degener *Anglicus* cupiebat novercari. Abbas igitur & Conventus memoratus domino regi moderatè & amicabiliter ſcribentes, & ſeſe juſtè excuſantes, imminentia pericula evaſerunt. *Simon* autem, qui ſe cum juramento affirmavit regem *Londini* ilicò aditurum, non erubeſcens mendacii iterum redargui, verſis loris *Radingum* raptim adiit, ut Abbatem & Conventum de *Radingo* conſuetis fallaciis muſcipularet. Sed ipſi edocti & præmuniti, viriliter ei in faciem reſtiterunt. Et ſic iniquitas, quæ mentita eſt ſibi, effectu caruit præoptato. Summam autem totius pecuniæ ideo præſcribens perſtrinxi totaliter, quia hoc continebatur in regis petitione ſcripta, ut quælibet iſtarum quatuor domorum, ſcilicet *Weſtmonaſterium, Sancti Albani, Radingum, & Waltham,* fidejuberet pro altera in ſolidum. Ita quod quælibet domus, ut pro ſe & qualibet tum reſponderet in quingentis Marcis, id eſt, duobus millibus, & quingentis pro uſuris: voluitque dominus rex habere hanc pecuniam ſub omni feſtinatione, ita ſcilicet ut oporteret ipſam mutuare à mercatoribus caurſinis.

Fratres Minores vi ſe ingerunt in civitatem S. Edmundi.

SUB eorundem temporum voluminibus, fratres *Minores* auctoritate Papali ſeſe ingeſſerunt, & intruſerunt in civitate in *ſancti Edmundi* Regis & Martyris, invitis & contradicentibus ejuſdem loci Abbate & Conventu. Et introducti ſunt, & inſtituti violenter per Laicorum manum, videlicet Comitis *Gloverniæ*, quem conſtat eſſe dictorum Abbatis & Conventus adverſarium, & *Gileberti* de Præſtona. Paucis autem præcedentibus diebus, venerat Abbas à curia, qui ſibi præcavens in futurum contra impetum dictorum fratrum, ſcripto Papali præmunierat, ſed ilicò poſteà impetrarunt fratres in contrarium, per hanc adjectionem; *Non obſtante*. Unde hoc audientes univerſi, non poterant ſatis admirari, quòd tam ſancti viri, qui ſpontaneam paupertatem elegerunt; contempto Dei timore, & tam reverendi Martyris & hominum oblocutione, & privilegiorum ac conſervatorum tuitione, violenter illius nobilis eccleſiæ ſtatum perturbarunt; quam certum eſt eſſe magnæ dignitatis & antiquitatis. Nec ſic angebat Abbatem totus labor tranſalpinus, vel debita quibus involvebatur inæſtimabilia: & ad cumulum anguſtiarum ſuarum arctatus, placito Comitis *Gloverniæ*, languoris elegit dilationes.

Continuatio incœpti Parlamenti.

DURAVIT adhuc prælibati Parliamenti altercatio, videlicet inter regem & regni Magnates uſque diem Dominicam proximam poſt aſcenſionem, & multiplicantur contra Regem variæ diatim querimoniæ, eò quòd promiſſa ſua non obſervabat, contemnens claves Eccleſiæ, & char-"tæ ſuæ magnæ toties redemptæ tenorem. Fratres quoque ſuos uterinos, intolerabiliter contra "jus regni & legem, ut naturales terræ erexit, nec ſinebat aliquod breve exire de Cancellaria "contra eos. Et ſi omnium eorundem regis fratrum & aliorum *Pictavenſium* protervia fuiſſet intolerabilis: *Williemus* tamen de *Valentia* omnium & univerſorum protervitatem ſuperabat. Unde Comes præcipuè *Legreceſtriæ*, non tamen regi, ſed univerſitati præcordialiter eſt conqueſtus, exigens inſtanter ſibi juſticiam exhiberi. "Redargutus eſt inſuper rex; quod omnes "alienos promovet, & locupletat, & ſuos, in ſubverſionem totius regni, deſpicit, & deprædatur. "Et ipſe tam egenus eſt, cùm alii abundent, quòd theſauri expers jura regni nequit revocare: imò nec *Wallenſium*, qui ſunt hominum quiſquiliæ, injurias propulſare. Et ut brevibus concludatur, exceſſus regis tractatus exigit ſpeciales. Rex autem ad ſe reverſus, cùm veritatem redargutionis intellexiſſet, licèt ſerò, humiliavit ſe; aſſerens iniquo conſilio ſæpius fuiſſe faſcinatum, promiſitque ſub magni juramenti obteſtatione ſuper altare & feretum S. "*Edwardi*, quòd priſtinos errores planè & plenè corrigens ſuis naturalibus benignè obſecundaret. Sed crebræ tranſgreſſiones præcedentes ſe penitus incredibilem reddiderunt. Et quia neſciebant adhuc Magnates, quomodo ſuum *Prothea* tenere voluiſſent, quia arduum fuerat negotium, & difficile, dilatum eſt Parlamentum, uſque ad feſtum Sancti *Barnabæ* apud *Oxoniam* diligenter celebrandum. Interim optimates *Angliæ*, utpote *Gloverniæ, Legreceſtriæ, & Herefordiæ*, Comes Mareſcallus, & alii præclari viri, ſibi præcaventes & providentes, confœderati ſunt; quia pedicas & laqueos alienorum vehementer formidabant, & Regis retiacula ſuſpecta nimis habuerant, veniebant cum equitibus & armatis, & comitatu copioſo communiti.

Temporis intempeſtiva diſpoſitio.

IPSO quoque anno, Borea per plures menſes continuè flante, cùm jam Aprilis, & Maii, & Junii pars potiſſima pertranſierat, vix floſculi rari & parvi, cum paucis germinibus pullulantibus apparuerunt, unde ſpes fructuum eſt ſuſpecta. Deficiente inſuper annona, pauperum multitudo innumerabilis mortua eſt. Et inventa ſunt paſſim eorum corpora tumida præ fame & liventia, quina, vel ſena in porcariis, ſterquiliniis, & lutoſis plateis, in ſemetipſis morticina miſerabiliter tabefacta. Nec auſi ſunt qui domos habebant, perituros, propter tabem & contagia infirmorum, in ſuam propriam inediam hoſpitari. Et cùm plura corpora mortua invenirentur,

1258.

veherentur, factæ ſunt in cœmiteriis amplæ foſſæ & capaces, in quibus reponebantur corpora plurimorum.

PROLABENTIBUS autem diebus ante Parlamentum *Oxoniale*, miſſi ſunt ſolemnes nuncii, videlicet de electis *Angliæ* Comitibus & Baronibus in *Franciam* ad Regem *Francorum*, ut aliquam ab eodem accipientes conſolationem, ſaltem per ipſum in ſuo propoſito non impedirentur, quia Regnum perturbatum *Angliæ* ad commodum proprium & omnium regionum vicinarum ordinare & pacificare, quòd multo tempore per Regis ſupinam ſimplicitatem pervertebatur, ſatagebant.

Nuncii ſolennes ad regem Francorum miſſi.

ANNO quoque ſub eodem, dominus *Johannes Manſel*, *Beverleiæ* Præpoſitus, domini Regis clericus, & conſiliarius ſpecialis, vir quidem prudens & circumſpectus, ac dives, prudenter conſiderans, quoniam regis gratia non eſt hæreditaria, vel proſperitas mundi ſemper duratura, unam domum Religioſorum, ſcilicet *Canonicorum regularium* fundavit, & gratanter locupletavit, juxta *Romeniam*, ad duo milliaria ſupra mare, & illam Canonicis Inſtauravit: exemplo *Petri Chaceport*, qui quondam domum ejuſdem ordinis paucis retroactis diebus, piè ac fæliciter fundaverat informatas; ut ſic per bona temporalia tranſeuntes, non amitterent ſempiterna.

Johan. Manſel fundat domum religioſorum.

ET circa aſcenſionem, Archiepiſcopus *Eboracenſis*, ut cum Domino aſcenderet, & de carcere mundi ad cœlum aſcendens, avolaret; dum conſtanter contra *Romanæ* curiæ tyrannidem, quoad poterat pro eccleſia ſua viriliter dimicavit, multis tribulationibus laceſſitus, pro iſta vita mundana, regnum cœlorum, ut veraciter creditur, ſuis laureatus meritis commutavit. Iſte verò Archiepiſcopus *Sewalus*, beati *Edmundi* ſequens veſtigia pedetentim (utpote ipſius in ſcholis auditor, diſcipulus, & conſcholaris) ipſi nitebatur prorſus fœliciter aſſimilari, & in moribus conformari. Nec cenſeo prætereundum, quòd huic ſuo chariſſimo beatus *Edmundus* Lector in Theologia *Oxoniali*, dicere conſuevit "diſcipulo ſpeciali: O *Sewale*, *Sewale*, Martyr ab "hoc ſæculo tranſmigrabis, ferro vel ſaltem gravibus & inſuperabilibus in mundo tribulationi-"bus impetitus & trucidatus. Veruntamen ſit tibi conſolator, qui ſuo Pſalmographo inſpiravit, dicens: *Multæ tribulationes juſtorum, de quibus quandoque omnibus liberabit eos Dominus.* Conſtat autem profectò, multos à ſæculo Martyres, ſine ſanguinis effuſione, ut beatum *Johannem* Evangeliſtam, & multos alios, tranſmigraſſe.

Sewalus Archiepiſc. Eboracenſis moritur.

HIC quoque ſanctus Archiepiſcopus, cùm mortem ſuam indubitanter, ut tranſiret ab hoc mundo, præſenſiſſet, erigens ſe junctis manibus; & in cœlum vultum intendens lachrymantem, ait. "Domine *Jeſu Chriſte*, judicum juſtiſſime, novit infallibile examen tuum, quàm Pa-"pa, quem ſupra eccleſiam tuam conſtitui permiſiſti gubernandam, meam multipliciter fatiga-"vit innocentiam, pro eo, ut Deus ſcit, & mundus non ignorat, quòd indignos prorſus & ig-"notos nolui admittere ad regimen eccleſiarum, mihi, licet indigno, à te commiſſarum. Ve-"runtamen, ne ex contempta Papali ſententia, quamvis injuſta, fiat juſta, humiliter poſtulo ab-"ſolvi talibus vinculis irretitus. Sed ante ſummum & incorruptibilem judicem ipſum Papam "appello, & erunt mihi teſtes cœlum & terra, quàm injuſtè impetivit me, & laceſſitum multi-"pliciter ſcandalizavit. In amaritudine igitur animæ ſcripſit Papa; exemplo *Roberti Lincol-"nienſis* Epiſcopi provocatus, dolens inconſolabiliter, quòd tam multiformiter ipſum fatigarat; "eò quòd inexpertos, & linguæ *Anglicanæ* ignaros renuit, ut jam dictum eſt, acceptare, nunc "ſuſpendendo, nunc ab eccleſia eliminando, nunc crucem auferendo, nunc palam per Regnum "horribiliter, invitis excommunicatoribus excommunicando, diverſimodè famam ſuam, non "ſine magnis damnis temporalibus, denigrando. Conqueſtus eſt inſuper graviter, quòd impe-"tus quorundam clericorum, auctoritate Papali protervientium, præcipuè magiſtri *Jordani*, "ad Decanatum hiantis, ægrè ſuſtinuerat, ſed patienter, ut probra patris, non ut *Cham*, re-"velando derideret, ſed ut *Sem* abſconderet & velaret, hoc breviloquium ad memoriam "ſepiùs revocando:

Quid fecerit dixeritq; imminente morte prædictus Archiepiſcopus.

Et Cham pandendo patris, & Sem probra tegendo.

"Humiliter igitur in ſcripto ſuo & inſtanter, ſicut memoratus Epiſcopus *Lincolnienſis Rober-"tus* fecerat, petiit, ut conſuetas tyrannides temperaret, humilitatem ſanctorum prædeceſſorum "ſuorum ſequendo. Dixit enim Dominus *Petro*: *Paſce oves meas*, non tonde, non *excoria*, non "*eviſcera*, vel *devorando conſume*. Sed Dominus Papa ſubſannans, & contemnens, indignationem concepit non minimam; eò quòd in tantam temeritatem & præſumptionem proruperunt, ut Dominum Papam auderent quomodolibet ſollicitare, & tam Archiepiſcopi *Sewali*, quàm dicti *Roberti Lincolnienſis* ſalubribus monitis renuit inclinare.

CONTIGIT una dierum; morbo ingraveſcente, quo tenebatur mortifero, ſitiens aquam fontanam ſibi petiit exhiberi. Quam oblatam devote benedixit, quia, ut ei dicebatur, erat infirmitati ejus inutilis. Et cùm guſtaſſet, ſenſit vini, non aquæ ſaporem, & reprehendens miniſtrum, quòd ipſum decepiſſet, inquit: Quare me in potu decepiſti? "Ubinam hæc inveniſti? "At ipſe: Domine mi in fonte, nec ibidem ſolus fui, & monſtratis duobus miniſtris de circum-"ſtantibus, ſubdidit: Ecce teſtes fide digni. Et guſtantes, vini novi bonitatem approbabant. "Quod cùm comperit Archiepiſcopus, ne miniſtri illud diſſeminarent, ebibit quod erat in calice

Miraculum de aqua in vinum verſa.

totum

1258. “totum, & miniſtros, ne hæc dicerent, ut erat dulcis alloquio, ſuaviter flagitavit. Hæc ante “mortem ſuam diebus ultimis evenerunt.

Fames magna per totam Angliam.

ANNO eodem, circa feſtum *Trinitatis*, immanis peſtis & intolerabilis, populum præcipuè plebeium invaſit, & afflictum miſerabiliter peremit, ita ut de aliis taceam miſeriis, hanc arbitror recitandam. In civitate *Londino*, ubi jam quindecim millia pauperum perierant fame, “contigit ut acclamaretur palàm: Ite, ite egentes ad partitionem panis illius nobilis, & perſo-“nam & locum deſignavit præco pauperibus, ubi, & à quo benedictionem reciperent eleemo-“ſynarem. Certè tanta fames invaluit in *Anglia*, & alibi, ut multa millia hominum fame attenuatorum obierunt. Nam tanta & tam tarda ſubſequebatur frugum in Autumno maturitas, præ nimia pluviarum abundantia; quod in pluribus Regni partibus ad feſtum omnium Sanctorum meſſes reconderentur; ita quòd ſumma bladi, ad ſexdecim ſolidos venderetur. In vigilia S. *Johannis Baptiſtæ*, tempeſtas valida pluviarum inundantium ſuper rivos aquarum *Sabrinæ* à *Salopia* verſùs *Briſtol*, qualis non eſt viſa noſtris temporibus; ex cujus inundatione, quaſi ex abditis (ut dicebatur) inferni finibus erumpente, omnia prata juxta *Sabrinam*, ſimiliter & ſata perdita ſunt, & penitus violata. Demerſi ſunt etiam in illis aquis vehementibus homines nonnulli, & pueri innumeri; & animalia innumerabilia diverſi generis.

Regis Hiſpaniarum litera ad regem Alemanniæ.

HOC anno miſit Rex *Hiſpaniæ* ad Regem *Alemanniæ* literas ſuas importunas ſatis & procaces, *exhortabaturque minis adjunctis, ut regno ſuo Alemanniæ cederet, & recederet feſtinanter.* Reſpondit autem Rex ilicò alacriter & imperterritus: *Si me hoſtiliter impetiturus advenerit, inveniet me paratum in occurſum ei extra limites regni mei, & in ore gladii ipſum recepturum.* Rex autem *Hiſpaniæ* magis inde provocatus, additis ſibi Regni *Arragoniæ* & *Navarræ* viribus, verſus pontes *Italiæ* dum lora dirigeret, *Saraceni Hiſpaniæ Cordubam* occupare conabantur. Quo audito, Rex regrediens, impetus eorum refrænabat. Veruntamen nuncios ſolennes, & præclaros ad dominum Papam deſtinavit; appellantes & allegantes pro jure ipſius Regis *Hiſpaniæ*, ne curia *Romana* alium ad Imperium admitteret gubernandum, quam regem *Hiſpaniæ* excellentiſſimum: qui plus quàm omnes Reges, *Chriſtiani*, *Chriſtianitis* fines potenter ampliaverat. Quibus Papa pro Rege *Alemanniæ* reſpondit: “Filii chariſſimi, novit & noſſe tenetur “diſcretio veſtra, quòd ſit proceſſus & ordo competens, & conſuetudo ab antiquo approbata & “uſitata, ut regnum *Alemanniæ* ſit quaſi arra Imperii, dignitas præambula, & poſſeſſio primiti-“va. Elaboret igitur Dominus veſter Rex illuſtris *Hiſpaniæ* prudenter & potenter primitus, “ut à Clero & Nobilibus *Alemanniæ* ad quos jus ſpectat electionis, in regem *Alemanniæ* ritè ele-“ctus apud *Aquiſgranum*, ut antiqua conſuetudo eſt, conſecretur, in regemque ſolenniter coro-“netur. Quo facto, nos ſecundùm quod poterimus, Deum habentes præ oculis, in promotione “domini veſtri præclari regis *Hiſpaniæ*, multiplici honore condigni, favorabiles erimus & be-“nigni. Nuncii igitur reſponſum tam Papæ, quàm Regis, in trutina rationis perpendentes, iſtum rigoris ordinem domino ſuo regi *Hiſpaniæ* nunciabant, conſulentes utiliter, ut regnum ſuum, cui *Saraceni* inſidiabantur, ſapienter cuſtodiret. Hæc cùm Magnatibus *Italicis* innotuiſſent, multi dextras regi *Alemanniæ* dantes, ei fidelitatem ſpontaneam dederunt inclinantes. Rex autem eos benignè ſuſcipiens, liberavit quaſdam civitates *Alemanniæ*, quas prædeceſſores ſui obligaverant, data maxima pecuniæ quantitate. Unde *Alemannorum* potentum gratiam incomparabilem ſibi rex lucrifeciſſet; ſi armipotens extitiſſet in viribus, ſicut fuerat in conſiliis prudens & circumſpectus.

Redit Abbas S. Edmundi à curia Romana.

DIEBUS verò eiſdem, Abbas S. *Edmundi* Regis & Martyris, moroſa dilatione & ſumptuoſa in curia *Romana* protracta, rediit domum in debitis expenſarum non minimis obligatus. Fratres inſuper *Minores*, ut prætactum eſt, Abbate & Conventu reclamantibus, ſibi manſionem ædificabant. Abbas tamen cùm extitit nuper *Romæ*, impetraverat privilegium, ne fratres hoc aliquatenus attemptarent. Sed ipſi, adjecta hac clauſula: *Non obſtante*, &c. omnia impetrata infirmabant.

Parlamentum Oxoniæ habitum,

INSTANTE verò feſto S. *Barnabæ* Apoſtoli, Magnates & Nobiles terræ ad Parlamentum, quod *Oxoniæ* tenendum fuit, properabant, præceperuntque omnibus, qui eiſdem ſervitium militare debuerant, quatenus cum ipſis venirent parati, veluti ad corpora ſua contra hoſtiles inſultus defenſuri. Quod & fecerunt, palliantes talem adventum, eò quod in *Walliam* contra hoſtes Regis viderentur collatis viribus profecturi. Non mediocriter enim timebant, ne diſcordantibus partibus ab invicem bellum generetur inteſtinum, & ne Rex & ejus fratres *Pictavenſes*, alienos convocarent in auxilium contra ſuos naturales. Magnates igitur præmuniti, cautè fecerunt portus maris communiri. Parliamento autem incipiente, ſolidabatur Magnatum “propoſitum, & conſilium immutabile, exigendo conſtantiſſimè, ut Dominus Rex chartam li-“bertatum *Angliæ*, quam *Johannes* Rex pater ſuis *Anglis* confecit, & confectam conceſſit, quam-“que idem *Johannes* tenere juravit; fideliter teneat & conſervet: quamque idem Rex *Henri-*“*cus* multoties conceſſerat, & tenere juraverat, ejuſque infractores ab omnibus *Angliæ* Epiſco-“pis in præſentia ſua & totius Baronagii, horribiliter fecit excommunicari, & ipſe unus fuerat “excommunicantium. Exigebant inſuper ſibi fieri Juſtitiarium, qui juſtitiam faceret injuriam patientibus, æquanimiter divitibus & pauperibus. Quædam etiam alia regnum contingentia petebant, ad communem Regis & regni utilitatem, pacem ſimul & honeſtatem. Quorum conſiliis & proviſionibus neceſſariis, dominum Regem frequenter & conſtantiſſimè conſulendo rogitabant

gitabant

gitibant “obtemperare, jurantes fide mediante, & mutuò dextras exhibentes, quòd non omit- 1258.
“terent propoſitum perſequi, pro pecuniæ vel terrarum amiſſione, vel etiam pro vita & morte “ſua vel ſuorum. Quod Rex cognoſcens, graviter juravit conſiliis eorùm obſecundare, & *Ed-* “*wardus* filius ejus eodem eſt juramento aſtrictus. Recalcitrabant autem *Johannes* Comes *Warenniæ*, & fratres Regis uterini, ſcilicet Dominus *Willielmus* de *Valentia*, cum aliis. Jubentur inſuper portus *Angliæ* diſtrictiùs cuſtodiri, & portæ *Londinenſes* de noctibus, melioratis repagulis, diligenter obſerari. Unde quidam ait:

Per noctem portæ clauduntur Londoniarum,
Mœnia ne fortè fraus frangat Francigenarum.

Et cum per aliquot dies moram ibidem protelâſſent, quid in tam arduo negocio agerent deliberantes, ut videlicet diſſipati regni ſtatum reſarcirent, in domo fratrum *Prædicatorum* convenerunt. Ubi iterum renovato redivivo fœdere & juramento, conceptum propoſitum ſuum fir- “maverunt, ut nec pro morte, vita, vel tenementis, odio, vel amore, quomodolibet flecterentur, “aut enervarentur, quin Regnum, in quo ſunt nati homines geniales & eorum progenitores, “ab ingeneroſis & alienigenis emundarent, & leges laudabiles reportarent. Et ſi quis hominum, “quicunque ſit, recalcitraret, etiam invitus eis cogeretur adjungi. Licèt autem Dominus Rex “& *Edwardus* filius ejus primogenitus juraverint, veruntamen prout potuit cœpit *Edwardus* “renuere, ſimul & *Johannes* Comes *Warenniæ*. *Henricus* verò filius *Richardi* Regis *Alemanniæ* fluctuando dicebat, ſe nullatenus tale juramentum ſine licentia & conſilio patris ſui præſtare. “Cui reſponſum eſt in propatulo, quòd etiamſi pater ſuus adquieſcere Baronagio nollet, “nec unum ſulcum terræ in *Anglia* obtineret. Juraverant inſuper prædicti fratres nimis aſ- “ſertivè, ſub obteſtatione mortis & vulnerum Chriſti, nunquam ſe caſtra, vel redditus, vel “gardas, quæ frater eorum Rex gratanter dederat, dum vitales carperent auras reſignaturos, “quamvis Comes Legriæ *Simon* ſua caſtra, videlicet *Kenelwithe* & *Odiham*, Regi gratis conceſſiſſet, quæ etiam paucis antè diebus emendaverat. Sed hæc illis aſſerentibus, & juramenta irrecitabilia multiplicantibus, reſpondit Comes *Legriæ*, dicens *Willielmo* de *Valentia* plus aliis intumenti: “Certè & indubitanter ſcias vel caſtra, quæ de Rege habes, reddes, vel caput amittes. Similiter & alii Comites & Barones dicebant, itidem conſtantiſſima aſſertione conteſtantes. Formidabant igitur non mediocriter *Pictavienſes*, quid illis agendum ſit ignorantes, quia ſi ſeſe aliquo caſtro latitantes recepiſſent, omni munimine deſtituti, obſidione vallati, fame deficerent. Univerſitas enim regni popularis, etſi non Nobiles, ipſos obſiderent, & caſtra eorum funditus diſſiparent. Unde ſubitò & clàm, cùm prandium pararetur, fugiunt, & ne putarentur velle fugere, ſimulabant ſe ad prandium velle reſidere. Qui fugientes, ac ſæpè reſpicientes, fecerunt aliquos de ſua familia turres altiſſimas aſcendere, ut ſpecularentur ſi fortè Barones eos à tergo inſequerentur, nec equinis parcebant lateribus, donec *Wintoniam*, quaſi ad alas Electi *Wintonienſis*, in cujus ſinu tota eorum ſpes reponebatur, trepidi perveniſſent. Sperabant inſuper in caſtris ejuſdem Electi, tutiſſimum habere refugium. Interim Nobiles firmius confœderati, conſtituerunt ſibi Juſtitiarium, virum de terra *Anglorum* naturalem, & ingenuum, Militem illuſtrem, & legum terræ peritum, *Hugonem Bigod*, fratrem Comitis Mareſchalli, qui officium Juſtitiariæ ſtrenuè peragens nullatenus permittat jus Regni vacillare. Cumq; ad notitiam Magnatum prædicta fuga *Pictavenſium* certiùs perveniſſet, timebant ne alienigenas ſic mari appropinquantes, ad eorum ſubſidium advocaſſent, *Pictavenſes* ſcilicet, & alios tranſmarinos. Videntes igitur Magnates moram trahere periculum, juſſerunt diſtrictè toti familiæ ſuæ, & omnibus ſuis impriſiis, ad arma & equos celeriter avolare. Et ita terminatur parlamentum apud *Oxoniam*, fine terminato & certo non appoſito.

IPSIS quoque diebus, Rex *Alemanniæ Richardus*, quaſdam civitates Regni *Alemanniæ*, quas prædeceſſores ſui Reges *Alemanniæ* impignoraverant, & inæſtimabili pecuniæ quantitate obligaverant, prudenter liberavit. *Treverenſis* verò Archiepiſcopus, qui diu langueràt, ita ut crederetur multis antè diebus mortuus, ſignificavit dicto regi, quòd niſi Rex *Hiſpaniæ* in ſuccurſum ipſius Archiepiſcopi, & Ducis *Brabantiæ*, qui eidem Regi “*Hiſpaniæ* confœderabantur, “veniret, ſicut certè promiſerat, ipſi memorato regi *Alemanniæ Richardo* fideliter & inſepara- “biliter adhærentes obedirent. Multi inſuper cives *Italiæ* civitatum dextras ei dederunt, ipſius adventum & promotionem ad Imperium ſitienter deſiderantes. *Brancaleo* interim Senator *Romanus*, turres Nobilium *Romanorum* diruit, & eorundem dominos incarceravit. Inſuper parentes & affines Cardinalium quamplurimos ſuſpendit, vel mutilavit, & per omnia *Romani* populi conſiliis, nullatenus voluit diſcrepare. Senator autem fautor erat *Manfredi* Principis: qui Princeps ad Imperium anhelabat. Unde ambo odio habuerunt Regem *Alemanniæ*, & laqueos paraverunt, & repagula contradictionis objecerunt: & eo ipſo Papa, qui Senatorem & Principem *Manfredum* odio habuit, ſæpedicto regi *Alemanniæ* favorem impendit.

Diſſidium Romæ *ortum inter Papam & Senatorem* B.

EODEMQUE anno, per induſtriam Abbatis *Radulphi* de *Ramſey*, readepta eſt eccleſia *Rameſeia* nundinas *Sancti Yvonis* plenarias, quas donatione regis *Edgari*, & aliorum antiquorum confirmatione obtinuerat. Quas etiam Beatus *Thomas* Archiepiſcopus & Martyr, ſcriptis ſuis autenticis roboraverat. Dedit autem idem Abbas *Robertus* pro dictarum nundinarum recuperatione, quingentas

Abbas S. Yvonis *obtinet ſuas nundinas.*

1258. quingentas marcas argenti, ut dictum eſt. Has autem nundinas non proprio perdidit eccleſia delicto, ſed cavillatione aliena, ut pluribus manifeſtum eſt, falſidica.

Obitus Abbatis R. Weſtmonaſterienſ.

EODEM anno, videlicet decimo quinto Calendas Auguſti, non procul à *Wintonia*, obiit *Richardus* Abbas *Weſtmonaſterienſis*. Vir quidem elegans, facundus, juris utriuſque peritus, Canonici ſcilicet & civilis, regi ſpecialiſſimus, in cujus etiam obſequio magnos & multos, tam in tranſmarinis, quàm in ciſmarinis partibus, labores libenter conſumpſerat ſumptuoſos. Iſte verò *Richardus*, Abbatiam ſuam prudentia vehementi, qua excellenter coruſcavit, duodecim carrucis terræ, & libertatibus quamplurimis augmentavit. • Sed quia virtutibus ſe ſolent vitia quædam adjungere, iſte *Richardus* ſigillum ſuum & Conventus ſui, ſcripto cuidam Regis appoſuit, ut videlicet alii Abbates in eodem nominati, audaciùs ſigilla ſua apponerent, & liberiùs. Quod quidem ſcriptum tunc temporis confectum fuit, ut quidam Abbates ſuperiores in *Anglia* ſeſe obligarent pro Rege mercatoribus tranſmarinis in pecunia non minima, promiſſa tamen eiſdem Abbatibus & ſucceſſoribus ſuis, ſecuritate ejuſdem pecuniæ à Rege perſolvendæ, eccleſiarumque ſuarum ſervanda indemnitate. Sed quia hujuſmodi promiſſioni fides, non videbatur adhiberi indubitata, ipſo ſolo in vanum conſentiente, cæteri omnes viriliter reſtiterunt, & unanimiter contradixerunt, hoc divino ſupperaddentes conſilio, quia ſi per eos fieret hujus obligationis introitus, aliorum etiam ſupponebatur per eorum exempla contractus. Hujus autem *Richardi* defuncti corpus, delatum eſt *Weſtmonaſterium*, & in eccleſia ſua conventuali honorificè ſepultum.

Philippus *electus Abbas* Weſt. *moritur ante confirmationem.*

ELIGITUR autem dominus *Philippus*, ejuſdem Monaſterii Prior, in ejuſdem domus Abbatem. "Quod cùm audiſſet, vix conſenſum attribuit, illam Domini Papæ graviſſimam "vehementer formidans conſtitutionem, ſcilicet quòd oportuit *Romam* perſonaliter adire "cùm corporis & carnis oneraretur ipſe magnitudine. Maluit enim, & melius fuit domi reſidere more priſtino vivendo, quàm pro dignitate temporali, tanto ſe exponere periculo. Attamen fratrum exhortatione, & legitima omnium convictus electione, eiſdem gratanter adquievit, ita tamen, quod pro confirmatione ſua alios ad curiam deſtinarent. Profecti autem quidam de eminentioribus, propoſitis coram Domino Papa cauſis & excuſationibus abſentiæ electi ſui urgentioribus, contradicentibus Cardinalibus, vix tandem potuerunt gratiam adquirere, data non modica pecuniæ quantitate. Quibus poſt negotia difficiliùs expedita, redeuntibus, nunciatum eſt, eorum electum jam defunctum, aliumque in locum ejus quàm citiùs ſubrogatum. Qui vehementer dolentes, verſus curiam iterum laborem feſtinanter reſumunt præhabitum.

G. *de* Kninton *electus in Archiepiſcopum* Eboracenſem.

TEMPORE eodem, convenientes Canonici *Eboracenſes*, elegerunt Decanum ſuum, magiſtrum ſcilicet *Godefridum* de *Kninton* in Archiepiſcopum, qui *Romam* corporaliter adiens, quamplurimis ſumptibus & gravaminibus conſumptis, peractóque laudabiliter negocio, quàm citius remeavit incolumis.

Mortalitas hominum præ fame.

CIRCA idem tempus, tanta fames & mortalitas ingruebat in terra, ut aſcendente ſumma bladi uſque ad precium quindecim ſolidorum et ultra, & terra nummis eſſet vacuata, & per plateas innumerorum jacerent cadavera mortuorum. Nec ſe meminit aliquis tantam miſeriam & famem prævidiſſe, licèt viderint quamplurimi precium alias magis quam tunc ſuperare. Et niſi de partibus ultramarinis venale bladum adduceretur, vix divites mors evadere pateretur. Jacuerunt inſuper mortui ſuper ſterquilinia, & in luto, & per plateas marcentes, & tumeſcentes, ita ut vix erat qui mortuos ſepeliret, nec audebant aut volebant cives vix aliqui mortuos propter tabem hoſpitari. Nummorum autem tanta fuit carentia & raritas, quòd ſi etiam ſumma frumenti levi pretio venundaretur, emptorem vix invenirent ſufficientem. Sed Dominus ſua benigna miſeratione feſtinum, ut prædictum eſt, adhibuit remedium.

Recedunt fratres Regis uterini ab Anglia.

IN octavis verò tranſlationis S. *Benedicti*, ſcilicet decimo quinto Calendas Auguſti, valedicturi *Anglis* prædicti fratres Regis receſſerunt, & quidem alii *Pictavenſes* cum eis. Videlicet, *Will.* de *ſancto Hermete*, qui conſuevit aſtare Regi prandenti cum manutergio, & ejus eſcam ſcindere, & multi alii, qui totum Regnum oppreſſerant, & ſuis bonis, præcipuè in numiſmate, ſpoliaverant. Quibus primò *Wintoniæ*, & poſteà in domo Electi *Wintonienſis Londini*, ſcilicet *Suwec*, reficientibus, multi, ut dicitur, *Angli* Nobiles, ibi & alibi dolosè potionabantur, ut poſteà verius probaverat exitus. Qui cùm ad mare perveniſſent, Nobiles, qui eos conduxerant, *Neptuno* eos commendabant. Cum verò *Boloniam* perveniſſent, ſcripſerunt Regi *Francorum*, ut pacificum haberent tranſitum, vel moram facerent in "terra ſua, ſecundum antiquam *Franciæ* libertatem & conſuetudinem, liceretque Electo "*Winton. Pariſiis* morari, ac ut ſcholari, ad tempus ibidem moram continuare. Sed Rex "*Franciæ* exaſperatus, noluit, quia Regina *Franciæ* gravem de *Pictavenſibus* illis repoſuerat que"rimoniam, quòd enormiter ſcandaliſaverant & diffamaverant ſororem ſuam Reginam *An*"*gliæ*, addens, quòd propter facinora ſua ejecti eſſent turpiter ab *Anglia*. Quod "audiens *Henricus* filius Comitis *Legriæ*, vel ignaro patre, vel invito, vel fortè conivente ſubitò transfretavit: hoſtiliter ipſos inſequendo. Qui ob amorem patris ſui & reverentiam, multos invenit obiter amicos ad injuriam Comitis vindicandum accinctos, ac voluntariè præparatos. Narraverat enim ſeriatim prædictus *Henricus* qualiter *Willielmus* de *Valentia* de favore Regis *Angliæ* & aliorum fratrum ſuorum ibidem præſentium, ad Parlamentum *Londini* ſe ſuper ſe efferens & tumeſcens, ipſum "Comitem patrem ſuum palàm dementiens

1258.

veterem proditorem appellâſſet, unde mirabantur ultramarini quòd virum tam nobilem generoſoque ſanguine natum, & inter omnes tranſmarinos & ciſmarinos præcommendatum, audebant ſeu volebant viri multò minus nobiles, etſi Regis ſint conſanguinitati propinquiores, corde, dicto, ſeu facto, improperando deturpare. Quippe cum non deceat, nec credi fas eſt, viros Regios verba tam inhoneſta proferre, Ipſi tamen comprobata veritate, eiſdem cum *Henrico* ſe præparabant, nocere. Quod & ipſi videntes, ſeſe in *Boloniam* ſecretè receperunt. Inſequentes autem, *Boloniam* tam per mare quàm per terram undiq; obſervabant, ut eiſdem incluſis, omnimodum eis fugiendi ſubſidium auferrent, ac liberius eis moleſtias pro meritis eorum refunderent.

Caſtellanus Doveræ magnum theſaurum intercepit.

EODEM tempore Caſtellanus de *Dovera*, *Richardus* de *Gray*, vir fidelis & ſtrenuus, qui ex parte Baronum ibidem conſtituebatur, omnes tranſeuntes & tranſituros diligenter conſiderabat, cuncta prudenter perſcrutando, & invenit non modicum theſaurum paratum, dictis *Pictavenſibus* clanculò deferendum: qui totus captus eſt, in caſtro reſervandus. Similiter *Londini* apud *novum Templum* theſaurus maximus, de cujus quantitate audientes mirabantur, quem repoſuerant *Pictavenſes* memorati (licet contradicentes reniterentur *Hoſpitalarii*) captus eſt, ad arbitrium Regis & Baronum, in utiles Regni uſus utiliter exponendus.

Wallenſes cupiunt ſatisfacere Regi Angliæ.

CIRCA eadem tempora *Walenſes* domino Regi *Angliæ* diſcordes & diffamati, honorabilem eidem pacis formam obtulerunt, parati ſe purgare judicialiter ab omni crimine ſibi objecto, tam de cædibus, quàm rapinis.

Londinenſes *conſentiunt ſtatutis Baronum.*

IN feſto autem beatæ *Mariæ Magdalenæ*, ſolennes nuncii ex parte univerſitatis Regni *Angliæ Londinum* deſtinati, convocaverunt totius civitatis cives, quos Barones vocant, & in aula, quæ "*Gildehall* appellatur, ſciſcitabantur, ſi ſtatutis Baronum vellent fideliter obtemperare, & im-"mutabiliter adhærere, viriliter adverſantibus reſiſtendo, efficaciterque ſibi ſubſidium impen-"dendo. Quod cum gratuiter omnes conceſſiſſent, confecerunt ſuper hoc eis chartam ſuam de "communi ſigillo civitatis conſignatam. Veruntamen non adhuc quæ ſtatuta fuerant, propoſuerant publicare. Infirmitas enim Comitis *Gloverniæ*, quam ex potione venenoſa, ut communiter dicitur, contraxerat, omnes non mediocriter perturbavit: ſperabant tamen de ejus infirmitate remedium, quia ſanies ex quamplurimis puſtulis de corpore ſuo erumpentibus, emanavit, & capilli ejus, ungues & dentes & cutis decidebant. Sic tonſus & purgatus, traditus eſt tutelæ ac medicamini magiſtri *J.* de S. *Ægidio*, fratri de ordine *Prædicatorum*, qui Epiſcopum *Lincolniæ Robertum*, à ſimili peſte quondam liberavit.

Multi nobiles per Angliam *veneno potionati.*

MULTI inſimul nobiles potionati per dictos, ut narratur, *Pictavenſes*, incipiebant in ſemetipſis contabeſcere, ex quibus aliqui ab hoc ſæculo migraverunt, aliqui vix vita palpitante ſemineces ſubſtiterunt: quorum alii fuerunt laici & potentes, alii literati & nobiles. Non tamen adhuc pro vero conſtabat *Anglicis*, quod eiſdem propinaſſent *Pictavenſes* pocula toxicata. Putabant enim ex alio aliquo infortunio, peſtem illam ita procedere in publico. Relicti inſuper poſt eos fuerant alii potionatores malefici, qui Magnatibus malitioſè laqueos ſtudebant fallaciarum componere: unde ſuſpectos habebant & ipſi nobiles dapificos ſuos, cocos & pincernas, ne corrupti, ſimilia eiſdem dominis ſuis perpetrarent facinora.

Inſtabilitas Fulconis *Epiſcopi* Lond.

IN hac autem ardua ſollicitudine & totius Regni fœliciſſima innovatione & diſpoſitione, Epiſcopus *Londinenſis Fulco* pluſquam decuit vel expedivit, tepidus fuit & remiſſus: qui in hoc tantò plus famam ſuam denigravit, quantò aliis fuerat generoſio. Et ſic in ſinu ejus repoſita ſpe Baronum, plures eorum ad iram provocavit in declinando, cum in eo crederent Regem juſtificare cum populo.

Verbum durum Comiti Legreceſtriæ *dictum à Rege.*

AUGEBAT inſuper Baronum pavorem & ſollicitudinem tempus Julii, cum ſuo Leone peſtifero, & rapida canicula, quæ latratu lethifero temperiem conſuevit aeris perturbare. Terruitque eos plùs omnibus aliis, Regis mutabilitas & inveſtigabilis duplicitas, quam in quodam verbo illius terribili perceperunt. Cum enim una dierum extra palatium ſuum prandere deſcendiſſet, per navem in *Tamiſiam* à *Weſtmonaſterio*, obiter aere denigrato, tonitrus inhorruit, cum coruſcatione & imbrium inundatione. Rex autem hujuſmodi tempeſtatem plus omnibus formidans, juſſit ilicò ſe poni ad terram. Erat autem navicula ante nobile palatium Epiſcopi *Dunelmenſis*, quod tunc erat hoſpitium Comitis *Legreceſtriæ*. Quod cum ſciret Comes, lætus occurrit & ſerenus, ſalutans eum reverenter, ut decuit. Conſolanſque ait: Quid eſt quod timetis, jam tempeſtas pertranſiit? Cui Rex, non jocoſè, ſed ſerio reſpondit, vultuque ſevero; "Supra modum toni-"trum & fulgorem formido, ſed per caput Dei, plùs te quam totius mundi tonitrum & fulgur "contremiſco. Cui Comes benignè reſpondit: Domine mi, injuſtum eſt & incredibile, ut "me amicum veſtrum ſtabilem, & ſemper vobis & veſtris, & Regno *Angliæ* fidelem pavea-"tis: ſed inimicos veſtros, deſtructores, & falſidicos timere debetis. Hæc autem verba ſtupenda ſuſpicabantur omnes inde erupiſſe, quòd ſcilicet Comes *Legreceſtriæ* virilius perſtitit & ſerventiùs in perſequenda proviſione, ut ſaltem Regem & omnes adverſantes, ſuis aſtare conſiliis cogerent, & ejus fratres totum Regnum corrumpentes, funditus exterminarent.

Mortuo Berardo, *inventa eſt ciſta ſcedulis bullatis plena.*

DIEBUS autem ſub eiſdem, cum obiiſſet ex improviſo M. *Berardus* de *Nimpha*, non procul ab urbe *Roma* oriundus; (Vir quidem vafer & nummoſus, qui clericus extiterat *Richardi*

1258. Comitis *Cornubiæ*, & extortor nummorum à crucesignatis argumentoſus) inventum eſt unum ſcrinium plenum ſcedulis bullatis, & non ſcriptis, ut pro voluntate ſua talibus chartis, cum ſcriberentur abutens, ab inſontibus pecuniam, quaſi autoritate Papali, fraudulenter extorqueret.

Convocantur Prælati Angliæ Oxoniæ.

CIRCA idem tempus convocati fuerunt Prælati *Angliæ* univerſaliter, ut *Oxoniæ* convenientes, *Anglicanæ* Eccleſiæ vacillantis, & multipliciter impulſæ, ne penitus cadat, ſtatum reformarent. Convenerant autem ibi quatuor Epiſcopi ad hoc ſpecialiter deputati, ſcilicet *Norwicenſis* & *Ciceſtrenſis*, aliiq; duo, quorum nomina non recolo. Qui convocaverunt exemptos omnes Abbates, & alios alterius ordinis, vel eorum idoneos procuratores, ſcire volentes,ſi eorum ſtatutis vellent adquieſcere, & eorum defenſioni & ſuſtentationi uniformiter adhærere. Sed quia quidam excuſatione abſentes, quidam in aſſenſu dubitantes, nullum tunc potuerunt dare reſponſum, receſſerunt omnes, imperfectum relinquentes negocium. Statuta in *libro Additamentorum* ſunt ſcripta.

Potio venenoſa inventa.

TRANSEUNTE autem ſpacio non prolixo, divulgatum eſt in circuitu, & conqueſtum, potionem quandam venenoſam per *Angliam*, & mortiferam, maximè Magnatibus propinari, ejuſq; rivos lachrymabiliter ubiq; diffundi. Quod & rei exitus, ut prætactum eſt, comprobavit quàm citiùs. In locis inſuper quibuſdam ſecretiſſimis, vaſa quædam, quæ Coſtrelli vocantur, veneno hujuſmodi reperiuntur plena, ſeriiſque tutiſſimis munita, quibus licèt vi magna reſeratis, inventus eſt, ut generaliter dicitur, liquor cœruleus, venenum videlicet lethale. Qui cùm canibus oblatus eſſet eſurientibus, eum noluerunt guſtare: permixtus verò aliter cibo, eiſdem offertur, & confeſtim moriuntur. Hoc in *Anglorum* interitum ab alienis dicitur procuratum.

Sævitia electi Wintonienſ. in quendam Clericum.

CONTIGIT retroactis paucis temporibus, quod *Johannes filius Galfridi* Juſtitiarii *Hyberniæ*, vir quidem præclarus genere, divitiis, & potentia, contulerat unam Eccleſiam cuidam clerico ſuo. Electus autem *Wintonienſis* hoc audiens, vendicans in eadem patronatum, vehementer iratus, juſſit ejici eundem clericum, & ſi contradiceret, turpiter & violenter abſtraheretur, viliterq; in vilem locum præcipitaretur. Cùm vero miniſtri ejuſdem *Electi*,dictum clericum ejicerent de Eccleſia truculenter, eo quod ipſe appellâſſet, occidere ipſum præſumpſerunt, & quoſdam de miniſtris ejuſdem clerici baculando, vulneraverunt, convitiis & injuriis affecerunt, & à domibus excludentes, Eccleſiamq; ſpoliantes, aliquos eorum ita inhumane tractaverunt,quod contabeſcentes infra paucos dies interierunt. Iſtud deteſtabile factum,*Romano* erat Pontifici per Barones ſignificatum. Hæc autem cùm audiſſet dominus *Johannes*, iratus, nec mirum, conqueſtus eſt Regi. Sed Rex, ſicut conſueverat, ipſius Electi reatum pallians excuſavit, ſupplicans attentiùs,ne ipſum Electum in tam gravi delicto accuſaret aut ſcandalizaret, vel aliquam moveret quæſtionem. Superſedit igitur dictus dominus *Johannes*, expectans tempora ultioni commodiora. Cernens igitur in præſentiarum, quòd ſuperbia *Pictavenſium* declinaret, dictam querimoniam innovavit, appellans quoſdam *Pictavenſes*, miniſtros ſcilicet Electi *Wintonienſis*, de tam enormi facto, & Electum ipſum de præcepto.

Convaleſcit Comes Glovernię.

COMES autem *Gloverniæ* aliquantulum melioratus, apud *Sunigerum*, quod non multum diſtat à *Radingo*, morabatur. Nec eſt auſus propter infirmitatis ſuæ vehementiam, adhuc ſemetipſum inquietare, ne fortè recidivaret. Erat enim interiori & exteriori dolore non mediocriter ſauciatus. Interius pro morte fratris ſui *W.* toti *Angliæ* deploranda: exteriùs, quia etſi erat in convaleſcendo, enormiter tamen extitit deturpatus, quia depilatus, decoloratus, ejuſq; dentes & ungues ſcabri & liventes, quaſi decidui, caſum minabantur.

B. Senator deſtruit turres prædonum.

EODEM quoque anno Senator *Romanus Brancaleo* videns inſolentiam & ſuperbiam nobilium *Romanorum* non poſſe aliter reprimi, niſi caſtra eorum, qui erant quaſi ſpoliatorum carceres, proſternerentur, dirui fecit eorundem nobilium turres circiter centum & quadraginta, & ſolo tenus complanari. Sicque facta eſt pax & tranquillitas liberrima, diſperſis prædonibus, quos *Bedeweros* vocant, & *Romanis* maleficis, tam in *Roma* quàm in vicinis partibus *Romanorum*.

Quærela contra Pictavenſes inſtituta.

"SIGNIFICATUM eſt literatoriè ad multos eorum, quos prædicti *Pictavenſes* impudenter of-"fenderent, ut querelam ſuper hoc reponentes, oſtenderent Magnatibus Regni damna ſibi à "dictis Regis fratribus illata, & ſuas querelas dilucidantes, conſtanter motas ſequerentur, & ut "ſibi omnia, ſecundùm quod jus dictaret, reſtituerentur. Sed quia inſtabat tempus meſſium, conſiderantes ſimultatem & inſtantes labores fortè inutiles, ſequi renuerunt,donec majorem cernerent opportunitatem.

Permittuntur Pictavenſes per Franciam domum redire.

CUM verò prædicti fratres Regis, ut prædictum eſt, apud *Boloniam* quaſi obſeſſi viliter fuiſſent coanguſtati, miſerunt certum nuncium ad Regem *Franciæ*, humiliter deprecantes, ut ipſos, qui ad ſinum protectionis ſuæ in tribulatione confugerant, non derelinqueret, imò potiùs ſecundùm privilegium Regni ſui (quod eſt, omnes ad illud confugientes in pace receptos protegere) ipſos, miſſis pacis nunciis & ductoribus, per Regnum ſuum tranſmeare in *Pictaviam* permitteret: quod & à Rege piiſſimo libenter conceſſum eſt. Miſeris enim miſericordiam facere, licèt non ob meritum, charitatem eſſe perfectam, nulli veniat in ambiguum.

IPSO

1258.

Ingravescit fames, messe ob inundationis frustrata.

IPSO autem tempore, ſcilicet in confinio Julii & Auguſti, cùm deeſſent fructus anni, tam præſentis, quàm præteriti, tanta famis & cariſtiæ ingruebat miſeria, ut qui aliis ſolebant ſubvenire, ipſimet cum miſeris cogebantur interire. Et quod magis tam plebeios quàm Magnates perturbavit, continua imbrium inundatio ſegetumq; ubertatem, quam Deus præmonſtraverat, ſuffocare minabatur. Et ut plura paucis concludam, *Anglia* in ſemetipſa defeciſſet, niſi naves inſtitorum ultramarinorum blado onuſtæ ipſam fœliciter refocillâſſet, vendendo communiter bladum & panem, quæ de partibus ſuis *Alemanniæ* videlicet & *Hollandiæ*, aſportaverunt venalia. Sed qui numiſmate privati fuerunt, famis inedia pallentes, interierunt. Videreſq; honorabiles, qui quandoq; abundabant, cum ſua penitus defeciſſent, alienis hoſtiatim mendicando inhiare: & verecundia comprimente, vultúq; pallente, impranſos & eſurientes, multiplicatis ſuſpiriis, noctes inſomnes tranſigere. Nec adhuc in feſto Aſſumptionis beatæ Virginis, quando annuatim conſueverunt horrea meſſibus redundare, vix manipulus unicus ſtipulis inclinavit maturus. Sicque de die in diem creſcente inundatione, conducti operarii cum ſuis beſtiis multum quotidiè conſumperunt, nec ſaltem domos egredientes quicquam boni facere in agris prævaluerunt. Unde, quod inauditum eſt adhuc, in feſto omnium Sanctorum ſtabant per circuitum meſſes reſecandæ, ſed inutiles & ferè corruptæ. Quibuſdam vero locis, licèt tardæ & inutiles, tunc domum aſportabantur: quibuſdam verò & multis, foris omninò per plenos agros remanſerunt, & terram tantummodò quaſi ſterquilinium impinguaverunt. Sciendumq; eſt, quòd tantam illo anno fertilitatem terra proferebat, quòd ſi tota ſalvaretur, duobus ferè annis ſufficere videretur.

Indictum jejunium, & Proceſſio pro conſervatione frugum.

DEFICIENTE igitur humano ſolatio, ad divinum denuò recurritur. Statutum enim fuit in Capitulo *Sancti Albani*, ut per officium Archidiaconi, indicto ſolenni jejunio, & communi in populo, per omnes Eccleſias ejuſdem Villæ, die Sancti *Oſwaldi*, ſcilicet nono Auguſti, congregati cum ſumma devotione, Conventum ad Eccleſiam beatæ *Mariæ* de *pratis*, nudis pedibus proceſſionaliter ſequerentur, & ibidem Dominum & ejus matrem humiliter deprecarentur, ut precibus matris ſuæ & meritis tunc ibidem præſentis, auræ & aëris, populo ſuo miſeratus, tribuere dignaretur commoditatem. Quod audientes *Londinenſes*, ſuam moram redarguentes, exemplo tali conſtituerunt, ut ibidem de ſuis religioſis, civibus, & populo, indicto generali jejunio utrique ſexui contritionis formam obſervantes & pœnitentiæ, proceſſionaliter procederent alternatim ad Eccleſiam, exorantes devotiſſimè, ut Dominus fructum terræ, quem oſtenderat, temperie ſerena conceſſa conſervaret, & frugum ubertatem in horrea reponere, repreſſis imbribus, miſericorditer concederet. Æquanimiùs enim, inquiunt, defectum occultum toleramus, quàm ſi promittatur beneficium & retrahatur compromiſſum. Quod & libentiùs ac devotiùs peractum eſt, quàm citiùs rei probavit eventus. Nam infra tempus non longum, intercedentibus prædicta advocata noſtra potentiſſima, & beato Prothomartyre *Albano*, cum cæteris Sanctis, ceſſavit, ſive ſit rarior illa tempeſtatis lugubris continuatio, ita quod precium bladi deinceps minorando uſq; ad dimidium deſcendit. Devota enim populi deprecatio, & proxima aëris & tempeſtatis ſubſecuta mutatio, omnibus feſtinam meſſis & fructuum ſpoponderunt affluentiam.

Obiit H. de Lexintona *Epiſc.* Lincol.

CIRCA idem tempus, videlicet ſexto Idus Auguſti, obiit Epiſcopus *Lincolnienſis*, *Henricus* de *Lexintonia*, apud *Netliutoniam* manerium ſuum, quod parum diſtat à *Lincolniâ*: & ſepultum eſt corpus defuncti venerabiliter, in Cathedrali Eccleſia *Lincoln.*

Receſſit Herlotus *Papæ Nuncius ab* Anglia.

IMMINENTE quoq; feſto Aſſumptionis glorioſæ Virginis, *Herlotus* domini Papæ Clericus, ſpecialis Conſiliarius & Notarius, quem advenientem in *Angliam* ipſe Papa maxima poteſtate armaverat, cum vidiſſet Regni perturbationem, tacitè & prudenter receſſit ab *Anglia*, donec pacis aura & unitatis fœlicior aſpiraret.

Denarii intercepti electi Wintonienſis.

INTERIM oppidanus *Doveræ* cuſtos litoris diligentiſſimus, & tranſeuntium indagator infallibilis, multos onuſtos invenit numiſmate, qui alienigenis deſideratos detulerunt, quos ut liberius tranſirent, ille quàm citius exoneravit. Et tunc temporis inventæ ſunt mille marcæ, de denariis Electi *Wintonienſis*, quas ibidem depoſuerat, & datæ ſunt quatuor Militibus ad ſtipendia & viatica, ut *Romam* adeuntes, Papæ cauſam Barnagii *Angliæ*, ex parte Regis & Magnatum, ſine moræ diſpendio & ambagibus diſputationis, breviter & compendioſè nunciarent; monſtrarentq; per ſcedulas vacuas & bullatas, quas poſt mortem magiſtri *Berardi* de *Nimpha*, in ejus ciſta invenerant, quàm multis & multiformibus *Romani* ſtudent terram inquinare machinationibus. Quas vero ſcedulas, ſicut ſecum portaverunt bullatas.

Regis Franciæ *ſollicitudo de pace perpetuanda cum* Anglis.

REX *Franciæ* piiſſimus procurat ſtudioſè ac diligenter, qualiter pax firma inter duo Regna, *Francorum* ſcilicet & *Anglorum*, firmari valeat ſempiterna. Ait enim: "Summo opere procurandum eſt, ut inter illos meos & filios Regis *Anglorum*, qui conſobrini ſunt, & Deo diſpenſante, regnaturi, pax firmetur durativa. Et ne ampliùs procurante humani generis inimico, ſeſe regna corrodant, homines ſeſe ad invicem deperdentur & occidant, ac in infernum detrudentur. Fecit igitur colligi maximam pecuniam, ut hanc rem in mente fœliciter præconceptam, ad effectum valeat perducere deſideratum, promittens *Francis* ſuis magna ex illa collatione commoda pervenire, nec moleſtè ferrent breve gravamen, ex quo in poſterum utilitatem habere potuerunt diuturnam.

1258.

Quatuor Milites constituti per quemlibet Comitatum super gravaminibus simplicium.

MITTITUR ipſis diebus breve domini Regis in quemlibet Comitatum ad quatuor Milites,in ſingulis eorum Comitatuum conſtitutos. "Qui fideliter conſiderarent quot & quantis gravaminibus ſimpliciores à fortioribus opprimuntur, & inquirerent diligenter de ſingulis querelis & injuriis à quocunq; factis, vel quibuſcunq; illatis, à multis retroactis temporibus,& omnia inquiſita ſub ſigillis ſuis incluſa ſecum coram Barnagio deferrent, ad tempus ſibi per breve præfixum. Quod, ut legere volentibus tenor pateat literarum,in *libro Additamentorum* poterit inveniri.

Regis indignatio in Philippum Luvel, *propter damna forestæ.*

EODEMQUE anno, incipiente meſſium tempore, cùm Rex ſtatum foreſtarum ſuarum quæ non multum a *Stanestradford* diſtant, conſideraſſet, intimatum eſt illi quod *Philippus Luvel* domini Regis clericus & conſiliarius ſpecialis, ac theſaurarius, damna inæſtimabilia foreſtis Regis irrogaverat. Cùm enim ex mera & regali liberalitate, Rex illi ad inſtaurationem Parcorum ſuorum, & ad uſum menſæ ſuæ benignè concederet, ac ſub certo numero beſtias daret: ille abuſus ipſa gratia, in decuplo donum ampliavit, excedens (ut dicebatur) numerum ſibi conceſſum impudenter. Unde Rex, cùm in magna ira inveſtigâſſet foreſtæ diverticula beſtiis vacuata, & diceretur ei, quòd hæc fecerat, ut prædictum eſt, *Philippus* memoratus, ipſum arripiens truculenter per brachium, ait: "*Philippe*, per caput Dei, ſicut meum nequiſſimum te capio. *Philippus* autem Regem cupiens mitigare, reſpondit modeſtè, & ait palàm & humiliter: Domine mi Rex, cui per aliquod tempus fideliter ad Scaccarium veſtrum ſervivi, multi Foreſtarii ſunt, præcipuè in *Witlewudo*, in compatriotas tyrannizantes, quorum facinora propria, teſte Abbate de *Retles* & Conventu, reddunt incredibiles. Nolite ergo talium accuſatorum ſibilis fidem tam properè (ſi placet) adhibere. Conantur enim famam Regiam obfuſcare, ut dicatur ab æmulis: Ecce Rex eos, qui ei ſerviunt, etiam in excellentiſſimis miniſteriis, more diabolico, in fine confundit. Unde Rex inde factus turbatior, ipſum *Philippum* Mareſcallo cuſtodiendum ilicò clamoſa voce & comminatoria liberavit, dicens: "Si te & alios quoſdam exaltaverim, & in officiis magnis & fructuoſis valde gratis conſtituerim, tantò ſtrictiùs ad fidelitatem meam obligamini, & graviùs puniri debetis pro exceſſibus. Et hæc eadem verba, *Roberto Paſſelevô* recalcitranti paucis annis elepſis crebriùs replicavit. Sed *Philippus* qui multis bona multa contulerat, amicis non carens, nobilibus Plegiis, ad tempus in pace, ſub ſpe plenæ deliberationis, liberatur, donec ſuam pleniùs innocentiam valeat declarare.

Vicecomes Northamptoniæ *carceri mancipatur.*

INSTANTE verò feſto nativitatis beatæ *Mariæ*, cùm Vicecomes *Northamptoniæ* veſtigia prædeceſſoris ſui *Willielmi* de *Inſula*, quondam Vicecomitis, injuriando pluribus inſontibus, ſtimulis agitatus avaritiæ, ſequeretur, & ſuper hoc aſcenderet querimonia ad capitalem Juſtitiarium *Hugonem Biged*, convictus de injuriis complurimis, captus eſt, & vix à laqueo liberatus, duro ac diro eſt carceri mancipatus.

Obiit Rogerus *de* Wicham.

CIRCA id verò tempus obiit domini Regis Clericus & Conſiliarius ſpecialis, *Rogerus* ſcilicet de *Wicham*, qui Juſtitiarii fretus officio, toto niſu regiis placere præceptis ſatagebat.

Willielmus *de* Tharento *moritur.*

EORUNDEM quoq; temporum curriculo obiit frater *Willielmus* de *Tharento*, de ordine *Ciſtercienſium*, dominæ reginæ procurator, & quaſi Seneſcallus qui enormiter ab ordine ſancti *Benedicti* exorbitans, omnes terras & maneria vendenda, vel pignoranda, ad opus Reginæ, avaritia tractus inſatiabili amplexabatur, unde ejuſdem Reginæ poſſeſſionem multiplicavit non mediocriter: ſed augmentatis damnis & periculis, famam denigravit irreſtaurabiliter. Et cùm obloquerentur viri religioſi, & maximè ordinis ſui, quia peccatum dicti fratris *Willielmi* in univerſitatem redundans, ſcandalum generavit, regina ejuſdem fratris excuſando facta, callidè palliavit, & errores ejuſdem, ſortiri per multos annos incrementum permiſit.

Nuncii destinati ad Papam per Angliæ *universitatem.*

DESTINANTUR Nuncii ſolennes ad dominum Papam ex parte regni & totius *Angliæ* univerſitate, qui nuncia ſuo domino Papæ plenariè intimarent, & quàm citiùs poſſent, non expectantes aliquam diſputationem vel diſceptationem, remearent. Unus autem eorum obiit *Pariſiis*, videlicet, vir facundiſſimus & piiſſimus *Petrus Branche*; unde alii, quaſi attoniti, obſtupuerunt, dolentes & deſolati, arreptum tamen iter continuaverunt, injuncta ſibi conſtanter peracturi. Cauſam autem itineris eorum & ſcriptum à Barnagio tranſcriptum audire qui cupit, in *libro Additamentorum* invenire prævalebit.

Proditio facta contra Wallenses.

ANGLI autem dum Parliamentum pacificum habuiſſent cum *Walenſibus*, & audiſſent quòd plures & fortiores eſſent *Wallenſibus*, dixit unus miles be *Anglis* domino *Patricio*, qui inter omnes illos erat eminentiſſimus. "Domine *Patrici*, tu es Baro Regis magnus, & præclarus dux noſter & patronus. Ecce Dominus exercituum Deus ultor tradidit hoſtes noſtros in manus noſtras, plures ſumus *Wallenſibus* & fortiores. Occupemus eos immunitos repentè, & captos domino noſtro Regi reddamus, & erit acceptiſſima hæc illi victoria. Quòd ſi mihi non adquieveris, appello te ſceleris in præſentia Regis. Cùm autem hæc audiſſent *Angli*, videlicet, contermini, quos *Marchiſios* appellamus, irruerunt ſubitò in *Wallenſes* impetu vehementi & repentino, & multos de ipſis hac proditione peremerunt. Tandem verſum eſt pondus belli in ipſos Machiſios, & ceciderunt ex illis fraudulentis quàm plurimi, ex quibus fuit unus Baro memoratus *Patritius*. Ipſe autem formidoloſus, qui conſilium dederat de proditione perpetranda, fugit de prælio furtim, elapſus, dum alii acriùs dimicarent. Præfuit autem illi prælio tam cruento, *David* junior trium fratrum, ſcilicet, trium filiorum magni *Leolini* Principis *Norwalliæ*, cujus triumphi innumerabiles, tractatus exigent ſpeciales. Sed multa de ipſo in hoc libro ſuo tempore præſcri-

1258.

præſcribuntur. Alter fratrum, ſcilicet medius, dictus *Leolinus*, non fuit præſens in dicto certamine, ſed ſatis ſtrenuè ſe habebat in ipſo bello contra *Anglos*, per omnia patriſſando, & ne degeneraret laborando. Tertius fratrum, ſcilicet primogenitus, in vinculis & carcere tenebatur ſtrictiſſimè.

Godefridus conſecratus in Archiepiſcopum Eboracenſem.

CIRCA nativitatem verò prædictam, conſecratus eſt *Romæ* Archiepiſcopus *Eboracenſis*, magiſter *Godefridus* de *Kimeton*, qui a domino Papa & univerſis examinatoribus condignus repertus & commendabilis, expletis laudabiliter negociis Eccleſiæ ſanctæ, gubernator remeavit opportunus.

Petit Archiepiſcopus Cantuarienſis ordines facere in Eccleſia S. Albani.

TUNC temporis vacante Eccleſia *Lincolnienſi*, ſignificavit Archiepiſcopus *Cantuarienſis* Abbati *Sancti Albani*, quod ibidem propoſuit venire, & in conventuali (ſi placeret) Eccleſia ordines celebrare. Quod audiens Abbas, formidabat per hæc Eccleſiam ſuam in aliquo libertate privari: unde communicato ſuper hoc conſilio, eiſdem reſtitit hoc modo. Cui remandatum eſt, quod nullatenus facturus hoc reciperetur, quia conſtat cœnobium *ſancti Albani* ab antiquo tempore fuiſſe exemptum: non hoc ſuam debuit latere diſcretionem, & quia ipſe tunc Eccleſiæ *Lincolnienſis* vacantis præfuit dominationi, quam omnino à libertate *Sancti Albani* in perpetuum conſtabat excludi. Quod audiens Archiepiſcopus benignè adquievit, conſiderans ſuam in hoc induſtriam nullatenus valere, apud *Dunſtapliam* ſuos ordines peregit. Veruntamen, quia charitativè hoſpitium apud *Sanctum Albanum* poſtulavit, eundo & redeundo benignè ac honorabiliter eſt receptus, & in xeniis nobilibus in menſa reſpectus: unde grates referens & gratias, hoſpitium & hoſpites vultu ſereno benedixit, & Eccleſiam ſuaque omnia quieta & indemnia relinquit.

B. de Graveſende Lincolnienſis Epiſcopus eligitur.

DIE vero Lunæ proximo ante feſtum Sancti *Michaelis*, electus eſt in Epiſcopum *Lincolnienſem*, magiſter *Benedictus* de *Graveſende*, Decanus ejuſdem Eccleſiæ: qui conſentientibus cunctis, vir dignè laudabilis, nulli videbatur inutilis.

Dedicatio Eccleſiæ Sariſburienſis.

DEDICATA eſt etiam Eccleſia *Sariſburienſis* in craſtino Sancti *Michaelis* ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi Bonifacio*, præſentibus Rege, & Prælatorum copioſa multitudine, procurante Epiſcopo egregio, omnes quos potuit obtinere.

P. Luvel cum aliis depoſitus ab officio.

ANNO vero ſub eodem, circa feſtum Sancti *Lucæ* Evangeliſtæ, *Philippus Luvel* domini Regis Theſaurarius, judicio Barnagii à ſuo deponitur officio, pro tranſgreſſione prænotata, & *Johannes* de *Crachal* Archidiaconus *Bedefordiæ* loco ipſius ſubſtituitur. *Philippus* non tantum de ipſa dolens depoſitione, ſed de modo inconſolabili depoſitionis, & de tanti præcipitatione faſtigii, obtulit Regi non minimam pecuniam pro famæ ſuæ reformatione, & ut amicus Regis eſſet, ſeu videretur exiſtere. Sicque de conſilio Barnagii, & maximè capitalis Juſtitiarii, amoti ſunt cum eodem *Philippo* quamplures de officio Scaccarii, & alii ſubſtituti. Inſtitutuſq; eſt tunc dominus *Thomas* de *Wymundham* Præcentor *Lichfildienſis*, Theſaurarius ad Scaccarium, ubi conſignantur brevia de viridi cera.

Rapacitas Vicecomitum refrænata.

RAPACITAS Vicecomitum, prudenter & meritò refrænata eſt. Nam conductitii ſupra modum per fas & nefas munera hactenus ab incolis extorſerunt, & quilibet aliorum firmas ſuas ampliando ſupplantarunt. Equitantes cum multa familia, omnes comprovinciales ſuis exactionibus multipliciter opprimere, & excogitatis cauſis & frivolis, ſatagebant damnificare. "Statutum eſt igitur, ut ſi ex illo tempore & deinceps aliquis pro juſtitia facienda, muneribus volas "eorum, aut aliquorum, clam vel palàm impinguaret, vel juſtitiam impendendam impediret, præterquam in eſculentis & poculentis moderatis, tam corruptor quàm corruptus graviter puniretur.

Nuncii Angliæ ad Parlamentum apud Cambray habitum.

ET circa feſtum Sancti *Leonardi* tale iniit conſilium univerſitas Barnagii, quod tunc *Londini* erat, ut magnum & ſecretum Parliamentum, quod ſtatutum fuerat habiturum apud *Cambrey* inter regna *Franciæ*, *Angliæ*, & *Alemanniæ*, mitterentur nuncii ſolennes, Rege, de conſilio totius Barnagii, in *Anglia* remanente. Electiq; ſunt ad hoc, ut pro Rege & pro regno *Angliæ* ibidem deſtinarentur, Epiſcopi *Wigornienſis* & *Lincolnienſis*: Comites, *Rogerus Bigod*, Mareſcallus, & *Legreceſtriæ*. Qui transfretantes, minimè potuerunt negocia ad finem perducere, Rege *Francorum* ſe ſponte, ob alterius Regis abſentiam, abſentante.

Conſecratur Epiſc. Lincol. B. de Graveſende.

DIE verò Dominica poſt feſtum omnium Sanctorum, conſecratus eſt Epiſcopus *Lincolnienſis* apud *Cantabrigiam*, ſtatimq; ut prædictum eſt, in negocio Regis transfretavit: qui de *Lincolnienſi* Eccleſia recedens, poſt multum tempus illam nullatenus, licèt Epiſcopus ejuſdem efficeretur, viſitavit.

Johanna W. de Valentia uxor petit dotem ſuam.

SUB iiſdem diebus, cùm Rex fuiſſet *Londini*, venit ad ipſum domina *Joanna*, uxor domini *Willielmi* de *Valentia*, coram capitali Juſtitiario, Domino *H. Bigot* & Baronibus, inſtanter poſtulans, ſibi juſtitiam exhiberi, ut ſaltem dos ipſam contingens ſibi concederetur. Habito igitur ſuper hoc tractatu diligentiſſimo, conceſſa eſt quædam pars terrarum ſuarum, quas poſſederat antequam prædicto *Willielmo* nupſiſſet, ſcilicet, ad valentiam quingentarum marcarum, de hæreditate ſua: licèt memoratæ terræ ad plùs quàm mille marcarum valorem cenſerentur. Timebant enim, quòd ſi plus ei concederetur, ſponſo ſuo, hoſti Regni publico, partem tranſmitteret potiorem. Nec penitus illi nolebant omnia auferre, ne pro culpa aliena graviùs puniretur innocua.

EODEM

1258.

Coronatio Manfredi *in Regem* Apuliæ.

EODEM inſuper tempore, cepit Curia *Romana* non mediocriter vileſcere, eo quod *Apuliæ* Prælati & Magnates contra voluntatem Papæ, elegerunt ſibi in Regem, & coronari fecerunt *Manfredum*, filium Imperatoris *Frederici*; quia non ſolùm ipſum *Manfredum*, ſed & totum genus ſuum Papa cum tota Curia *Romana* contemptibilem habuit & exoſum. Inſuper creavit Rex *Apuliæ*, Archiepiſcopos & Epiſcopos ſine aſſenſu ipſius Papæ, imo potiùs eo invito, qui omnes communiter plùs ipſi Regi quàm Papæ obediebant, & contempta Papali prohibitione, Regi honorem & reverentiam exhibebant. Magnates etiam nulla facta de *Edmundo* filio Regis *Angliæ* mentione (cui Papa Regnum *Apuliæ* contulerat, & per Epiſcopum *Bononienſem* annulo quodam inveſtigaverat) ligantiam fecerat, & homagium, eidem *Manfredo* & Civitatum & Caſtrorum ſaiſinam fecerunt plenariam. Unde Rex *Angliæ* non immerito graviter conqueſtus eſt; quod Papa tam argumentoſè multum Regni ſui theſaurum ob illud regnum *Apuliæ* obtinendum in vanum habuerat, & ſecus quàm decuit cum ſuis multipliciter Cardinalibus attraxerat. Attamen Nuncios ſuos in *Angliam* deſtinatos, utpote fratrem *Johannem* de *Diva*, & magiſtrum de *Sene*, Epiſcopum *Bononienſem*, Archiepiſcopum *Meſſanienſem*, & alios complures, qui advenerant quaſi procuratores negocii *Edmundi* filii regis expediendi ſuper regno *Apuliæ*, Rex commemoratus honorificè ſuſcepit, & procurationes à religioſis opimas extorqueri permiſit. Inſuper eodem tempore cives *Florentiæ* quoddam caſtrum, quòd *Octavianus* Cardinalis conſtruxerat, quoniam illud ipſis erat ſuſpectum, ſolo tenus complanarunt.

Creatur avunculus Brancaleonis *in Senatorem* Rom.

PRÆTEREA mortuo *Brancaleone* Senatore, cives *Romani*, aſſenſu Papæ contempto (licèt ſatis allegâſſet, quòd ſi etiam eſſet ſimplex civis *Romanus*, vocari deberet ad electionem Senatoris) avunculum ejuſdem *Brancaleonis* communiter elegerunt in Senatorem; quem Papa ſimiliter exoſum habuerat, eò quòd conſanguineus erat *Brancaleonis*. Caput verò ipſius *Brancaleonis*, in vaſe pretioſo ſuper marmoream columnam collocatum, in ſignum ſui valoris & probitatis, quaſi reliquias, ſuperſtitioſè nimis & pompoſè ſuſtulerunt. Fuerat etenim ſuperborum potentum & malefactorum urbis malleus & extirpator, & populi protector & defenſor, veritatis & juſtitiæ imitator & amator. Cujus conſilium, quia autenticum, nimis ſequentes, quaſi ex traduce, ſimiliter novi Senatoris, quem de conſilio ſæpedicti *Brancaleonis* elegerant, obedienter præceptis obtemperabant. Quæ omnia in improperium ſui & Curiæ *Romanæ*, Papa indubitanter reputabat proſequuta. Miſerat namq; protinus poſt mortem prædicti *Brancaleonis*, nuncios ſolennes, prohibens *Romanis*, ne quem in Senatorem eligerent abſq; ſuo aſſenſu. Ipſi verò cachinnantes, mandatumq; Papale contemnentes, illicò elegerunt avunculum *Brancaleonis*, locoq; illius in Senatorem ſolenniter, ut prædictum eſt, ſubſtituerunt.

Obiit Philippus *Prior, electus in Abbatem* Weſtmonaſt.

IN fine verò Octobris, dominus *Philippus* Prior *Weſtmonaſterienſis*, electus in Abbatem ejuſdem Eccleſiæ, dum diatim expectaret adventum Nunciorum ſuorum à Curia *Romana* redeuntium, ad magnam Eccleſiæ *Weſtmonaſterienſis* & Conventus perturbationem, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, & terrena carens, ut præoptavit, dignitate, cœleſti eſt coadunatus militiæ.

Tonitru vehemens.

MENSE verò ſubſequenti, videlicet prima nocte Decembris, fuit tonitrus & coruſcatio vehemens & horribilis ventus nimbis inundantibus ſociatus, in triſte auſpicium & gemebundum multis auditum, quod ſemper ſolet tonitrus ſignificare hyemalis.

Multorum mors nunciata Regi apud S. Albanum.

DIE verò Sanctæ *Ceciliæ* virginis, venit dominus Rex ad *Sanctum Albanum*, ſcilicet die Veneris, ubi tres dies ſubſequentes continuans, fecit portare Martyrem ſolenniter ad Proceſſionem per clauſtrum die Sanctæ *Catharinæ*, Conventu reveſtito principaliter, ipſo cum ſuis ſubſequente proceſſionaliter, oblationeſq; devotas faciente reverenter. Et dum ibidem moraretur, affuerunt nuncii, aſſerentes quòd *Walterus Cumin* Comes in *Scotia* potentiſſimus, in fata conceſſit; lapſus ab equo ſuo, ad quoddam offendiculum ceſpitante, & ſic fractis cruribus, exſpiravit. Iterum vero nunciatum eſt eidem regi, quod dominus *J. filius Galfridi*, non procul à *Guldefordia*, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Pro quo antequam receſſerat, dominus Rex fecit Miſſam in Conventu celebrari ſolennem. Nunciatum eſt inſuper regi, quod *Brancaleo*, de quo prætractatum eſt, Senator *Romanus*, ad non modicum detrimentum fuerat de medio ſublatus, avunculuſq; ejus in loco ſuo ſubſtitutus.

Redit Archiepiſc. Eboracenſis *à Papa conſecratus.*

CUM vero receſſiſſet Rex à *Sancto Albano*, partes petiit *Elyenſium* & *Sancti Edmundi*. Tunc autem venit in *Angliam* à partibus transmontanis, *Eboracenſis* Archiepiſcopus, à domino Papa conſecratus. Et cum *Londinum* perveniſſet, per medium urbis portari fecit crucem ſuam ante ipſum in propatulo elevatam, accedenſq; ad regem, honorificè ſuſceptus eſt, & inde ad partes tendens *Angliæ* Boreales, in ſuo gaudenter Archiepiſcopatu paſtor & pater ſuſcipitur ſublimatus. Qui magiſtrum *Rogerum* de *Holderneſ*, clericum *Sancti Albani*, quoniam & ipſe compatriota fuerat *Sancti Albani*, in Decanatum *Eboracenſem*, meritis ſuis exigentibus, in brevi & gratanter inſtituit, cunctis ſtudens ob merita digna remunerare beneficia.

Guido *de* Rochfordia *in exilium proſcribitur.*

EISDEM quoq; diebus *Guido* de *Rochfordia*, natione *Pictavenſis*, cui dominus Rex duobus retroactis annis caſtrum *Colceſtriæ* cum honore conferens inchartaverat, gravem offenſam Regis & Barnagii incurrens, exilio condemnatus eſt, omnibus privatus bonis. Multiplicantur enim multæ querelæ contra eum, quòd comprovinciales, & maximè ſibi ſubjectos oppreſſerat enormiter, & illatis injuriis damnificaverat multipliciter. Sed idipſum quòd *Pictavienſis* extiterat, plùs aliis culpis offenſam aggravabat.

INTERIM

1259.

INTERIM *Walterus* de *Scotenia* Seneſcallus Comitis *Gloverniæ*, ſe à viſibus ejuſdem Comitis ſubtrahens, in locis ſecretis cum amicis tacitis latitavit. Diffamatus enim eſt graviter de periculo Comitis domini ſui, & de morte *Willielmi* fratris ipſius Comitis, quos ille nequiter & proditioſè potionatus eſt. Et idcircò graviùs accuſabatur, quòd dictus *Willielmus* moriturus affirmaverat, quod idem *Walterus* de *Scotenia* reus illius extitit proditionis. Celeriuſq; poſt hujuſmodi dictum, conſtabat eum ex inopinato interemptum. Attamen idem *Walterus*, multoties in publicum de objecta ſibi proditione, ritè ſe obtulit purgaturum. *W. de Scotenia accuſatus ſe abſcondit.*

EISDEM diebus captus eſt *Willielmus* de *Buſſey*, Seneſcallus domini *Willielmi* de Valentia *nequiſſimus*, qui in turri *Londinenſi* meritis ſuis iniquiſſimis exigentibus incluſus, carceri eſt acerrimo juſtè mancipatus. *W. de Buſſey incarceratur.*

IPSO quoq; Dominici adventus tempore, uxor *Willielmi* de *Valentia*, ut cum exulante compatiens fieret & coexul, transfretavit; vel amore viri ſui commonita, eum cupiens præſentialiter viſitare, vel quia in diſtributione terrarum ſuarum quaſi expers videretur, quamvis quadringentas marcas annuas reciperet, indignatione exinde commota. *Johanna uxor W. de Valentia transfretat.*

IPSO quoq; tempore mota eſt graviſſima diſcordia inter Scholares *Oxonienſes* de diverſis nationibus oriundos, videlicet *Scotos*, *Walenſes*, *Aquilonares* & *Auſtrales*; ita ut vexilla bellica in triſte prognoſticum explicantes, ſeſe hoſtiliter impeterent, & quibuſdam interemptis, ab invicem damnificarentur. *Diſcordia Scholarium Oxonienſium.*

ANNO quoq; eodem *Walenſes*, licèt ad votum aliquoties de rebellibus triumphâſſent, futuros tamen caſus ſatis prudenter trutinantes, & ad invicem colloquentes, dixerunt. Innotuit nobis quoniam Regnum *Angliæ*, non mediocriter perturbatur, ſed cùm pacificetur, ſicut Magnates *Angliæ* facere ſalubriter propoſuerunt, non poterimus eiſdem reſiſtere in nos communiter irruentibus. "Maximè cùm frater *Leolini* in vinculis detineatur, primogenitus domini noſtri *Griffini*, qui *Londini* periit incarceratus. Et ſi liberetur, intendet ultioni provocatus. Cæteri fratres, videlicet, *David* & *Hedericus*, illuc etiam inclinabunt, & ſic diviſi deſolabimur. In qua "deſolatione, ſi hoſtiliter *Angli* nos impetant, conterent nos, requirentes ſanguinem fratrum "ſuorum de manibus noſtris, & delebunt nos à facie terræ, quaſi vas figuli nos irreſtaurabili-"ter confringentes. De communi igitur conſilio obtulerunt domino Regi *Angliæ* quatuor millia marcarum, & trecentas marcas *Edwardo*, ducentas verò Reginæ; ita ut omnis diſcordia offenſa, & querela utrobique penitus remitteretur, & ipſi ſolita pace, tranquillitate & libertate fœliciter potirentur. Rex autem hoc audito, perverſo fretus conſilio, cum indignatione reſpondit: "Quid eſt hoc? Unus homo laudabilis pluris eſt, quam quod offerunt pro pace po-"ſtulata. Et ſic quievit ſuſpenſa pacis poſtulatio adoptata: Veruntamen ipſi cum pace pacem præſtolabantur, ſemper aſſerentes, quòd ſeſe defendendo, injurias hoſtium, ſicut ſemper conſueverant, uſque ad mortem viriliter pro poſſe repellerent, & ſuam uniformiter partem ſuſtinerent. *Walenſes cupiunt pacificari cum Rege Angliæ.*

TRANSIIT igitur annus ille omnibus retroactis annis diſſimillimus, peſtifer videlicet & mortifer, procelloſus & maximè pluvioſus: adeò ut licèt æſtivo tempore ſegetes uberrimæ & fructuum redundans pubertas præoſtenſa fuiſſet, in autumnali tamen tempore imbrium inundationes continuæ annonam, fructus, & legumina iterum ſuffocarunt, ut in adventu Domini in aliquibus *Angliæ* partibus remanſerint, ut prædictum eſt, vacantibus horreis, ſegetes colligendæ, ſed corruptæ. Germinante namque grano ariſta computruit cum palea: ut ſicut carentia grani homines, ita & farraginis inedia pecudes maceraret. Et licèt *Anglia* multis de cauſis numiſmate vacuaretur, cogebantur tamen populi, fame ſtimulante, ſummam bladi madentis & germinantis ſexdecim ſolidis comparare: unde emarcuerunt pauperes inedia contabeſcentes. Diverſis verò diverticulis morituri volutabantur, extremum ſpiritum miſerabiliter exhalantes. Quorum tanta fuit multitudo, ut foſſores tædio affecti, plura corpora defunctorum in una foſſa glomeratim projicerent. Populi autem mediocres, annona deficiente, pecudes vendebant, familiam abbreviabant, terras incultas relinquentes: unde ſpes à profundo reſurgendi, quæ ſolet deſperatos conſolari, eſt jam penitus exufflata. Et niſi de ultramarinis partibus venalis annona aſportaretur, quòd *Anglia* in ſemetipſa deperiſſet, non dubitatur. *Anni totius conſtitutio & concluſio.*

TUNC veriſſima apparuit fuiſſe viſio quædam terribilis, cujuſdam ſanctæ mulieris recluſæ apud Sanctum *Albanum*. Quæ non ut ſomnium, ſed cœleſte oraculum & terribilis comminatio, ſicut Archidiacono loci veraciter intimatum fuerat, manifeſtabatur. "Vidit enim "quandam perſonam venerandam, ſenilem & barba ſeveram ſibi aſtare in ſuo locutorio, & "recedere indignanter, turrimque aſcendere verſa facie torva & comminaci verſùs villam, in-"tonantem & dicentem: Væ væ omnibus inhabitantibus terram, & aliquoties illud iteravit & receſſit. *Viſio cujuſdam mulieris ſanctæ.*

ANNO Domini MCC.LIX. qui eſt annus regni domini Regis *Henrici* tertii quadrageſimus ſecundus, fuit idem Rex ad natale Domini *Londini*; ubi magna ſollicitudine tractatum eſt inter nobiles Regni, quomodo conſervato ſuo ſalubri propoſito, ſatisfacerent deſiderio Regis *Richardi* de *Alemannia*, qui ſitienter valde venire in *Angliam*, ſicut eis innotuit, deſideravit, ut conſanguineos, & amicos, ſuaque propria, terram etiam natalem viſitaret. Fuit autem adventus ejus nimis ſuſpectus, ne, videlicet indignationem & vindictam refunderet in Barones, *Rex Alemanniæ R. cupit reviſere Angliam.*

1259. rones, improperans eis, quòd ſicut patrem ſuum Regem *Johannem*, ſic & iſtum Regem *Henricum* fratrem ſuum, funeſto odio perſequerentur: & nuper fratres ſuos uterinos, tanquam de maximo crimine convictos, inſontes tamen exilio condemnaſſent. Timebant inſuper, quòd eoſdem communes Regni inimicos faceret, aut ſecum clanculò reducendo, aut poſteà exhortationibus ſubdolis reconciliando, ad incolarum confuſionem majorem, errorémque noviſſimum pejorem, *Angliam* ſubintrare reculcandam. Similiter, quòd in ſalubri eorum propoſito & Regni fœliciſſima ordinatione, repagula ſupponeret contradictionis & impedimenti; & ſigillatim omnes revocato ſtatu priſtino deceptos puniret, & proceſſu temporis æxhereditaret.

Judæus de proditione convictus, baptiſmo effugit pœnas.

INSTANTE verò hoc tempore, natóque Domino in carne, renaſcitur quædam ejus creatura in ſpiritu. *Elias* enim *Judæus, Londini*, cognomento *Epiſcopus*, timens ſibi de periculo & damnatione multimoda, ad lavacrum defenſionis confugit & ſalutis. Mundatus enim Baptiſmo ſalutari, accommitatis ſibi duobus aliis, ex diaboli ſorte eripitur, & à nequiſſimi ſceleris, quondam per eum facti, vindicta ſalvatur. Dicebatur enim, quòd in domo ſua factus fuit ille potus venenoſus, qui pluribus *Angliæ* nobilibus extiterat mortifer ſeu periculoſus. Quod & ipſe, ut dicitur, benè concedit. Sed tunc fuit diabolus, nunc autem permutatus & *Chriſtianus*: & ſicut conditio, ſic mutatur operatio.

Uxoris W. *de* Valentia *aſtutia, magnus theſaurus tranſmittitur.*

DISSEMINATUM eſt inſuper murmur per Regnum, quòd fratres Regis, quos, ut prædictum, fama contraria denigraverat, per *Joannam* uxorem *W.* de *Valentia*, cum multo theſauro recedentem ab *Anglia*, quaſi virum præ dilectione ſecuturam, per fœmineam ſunt induſtriam, & fortè *Pictavenſium* documentum, theſauro non modico ditati, in periculum Regni nimium & detrimentum. Fecit enim prædicta, ut dicitur, fœmina *Joanna*, ingenio muliebri magnam ſibi lanæ quantitatem comparari. Inter quam in ſaccis ligatam non modicam abſcondit pecuniam. Quod ſuper bigas fecit fortiſſimas, quaſi pura eſſet lana, ſarcinari, & tempore opportuno in *Pictaviam* tranſmitti. Unde cùm affirmatur à multis, quòd ubicunque repoſiti fuerunt denarii præfati *Willielmi*, infiſcabantur; per hoc factum patet dictis hujuſmodi, fidem certiſſimam non adhiberi.

Obiit Philippus Luvel.

ET dum gaudia Natalitia agerentur, ne lætitia hujus mundi eveniat mortalibus impermixta, die ſancti *Thomæ* Martyris, obiit *Philippus Luvel*, domini Regis conſiliarius ſpecialiſſimus, & quondam Theſaurarius, apud *Hameſtable* eccleſiam ſuam: præ dolore, ut dicitur, & mentis amaritudine, eò quòd Regi, cui tum ſervierat, non reconciliabatur. Exigebat enim Rex ab eo inæſtimabilem pecuniam, propter tranſgreſſionem ſibi in foreſta ſua, per eum, ut dicebatur, perpetratam. Rex autem certificatus de morte ſua, juſſit omnia quæ ejuſdem *Philippi* fuerant infiſcari, donec ſuæ ſentiat ſatisfactum voluntati.

Philip. *Regis* F. *filius ducit uxorem.*

SUB eiſdem diebus anni ſequentis, *Philippus* Regis *Francorum* filius, accepit uxorem *Arragoniæ* Regis filiam.

R. *Epiſc.* Ciceſt. *canoniſatur.*

HOC tempore anno proximo ſequente Papa *Urbanus*, beatum *Richardum Ciceſtrenſem* Epiſcopum catalogo adſcripſit.

H. *de Wengham eligitur in Epiſcopum* Wintonienſ.

EODEMQUE tempore, Monachi *Wintonienſes* comperientes quòd Rex nullum quem eligerent in Epiſcopum acceptaſſet, niſi ſibi chariſſimum, maximè poſt fratris ſui *Athelmari* exilium; elegerunt ſibi in Epiſcopum & ſuarum paſtorem animarum, dominum *Henricum* de *Wengham*, domini Regis Cancellarium. Ipſe autem conſiderans rem fuiſſe litigioſam, & incertam, noluit adhuc electioni de ſe factæ plenè conſentire; licèt Regem ſibi invenire favorabilem non dubitaret. Aſſeruit enim ſe tantæ dignitati & cuſtodiæ animarum inſufficientem, nec Theologia aliiſque divinis Scripturis edoctum, aut ut decet, renitentem. Tandem tamen aliquantulum conſentiens, libenter à domino Rege, ſed conditionaliter, ſuſcipitur: videlicet, ſi frater ſuus *Athelmarus* præelectus, poſſet à domino Papa gratiam impetrare conſecrationis, ipſemet præ omnibus aliis fieret in eadem Eccleſia *Wintonienſis* inſtitutus. Si verò non, ſalvo jure fratris ſui ſuſtentationis, loco ipſius, ſit ille ſubrogatus.

Nuncii miſſi obviam Regi Alemanniæ R.

CIRCA feſtum ſancti *Hilarii*, habito conſilio communi & deliberatione diligenti ſuper adventu Regis *Alemanniæ Richardi* in *Angliam*, nuncios ſolemnes in occurſum ſuum deſtinarunt, videlicet Epiſcopum *Wigornienſem*, Abbatem ſancti *Edmundi*, *Petrum* de *Sabaudia*, *Johannem Manſel*, ut idem Rex ipſos certificaret de cauſa adventus tam ſubiti, tamque inopinati, & de mora ſua in *Anglia*. Comes autem *Legriæ Simon*, non ſine multorum admiratione, in partibus adhuc tranſmarinis morabatur. Unde in magna parte fuit conſilium Baronagii mutilatum, & laqueos non mediocriter formidabant abſconditos. Verebantur enim ne Rex, licèt vultum oſtendiſſet ſerenum, condoleret fratribus exulantibus, & conqueſtus fuiſſet graviter fratri ſuo Regi prædicto *Alemanniæ*, quoniam *Anglici* patrem ſuum *Johannem* Regem uſque ad mortem odio funeſto perſequentes, filios & nepotes hoſtiliter ira traduce ſimiliter inſequebantur; & ſicut Rex *Angliæ*, ita Rex *Alemanniæ* ſimiles tolerarunt injurias. Propoſuerunt igitur *Angliæ* Magnates accipere Sacramentum ab ipſo Rege *Alemanniæ*, antequàm applicuiſſet, ne regno *Angliæ* quomodolibet noceret, vel proviſionem communem impediret. Sed quid hoc prodeſſet? Diceret fortè poſteà, quòd invitus & coactus hoc juraſſet. Sed quia ignoratur à multis an hoc perventum fuiſſet ad factum, in ſcripto non præſumo determinandum; dicitur tamen, à multis, quòd ſicut prætactum eſt, juravit, & exinde literas ſuas patentes effecit.

REX

1259.

Rex tendit in occurſum fratri ſuo Rich.

REX autem verſus mare properavit, & cum ipſo Magnatum multitudo copioſa, ad cautelam equis & armis communita. Dictum enim erat quòd idem Rex *Richardus* unum de fratribus vel plures, qui de communi conſilio exulaverant, ſecum propoſuit adducere; ut eaſſato tali judicio, priſtino ſtatui, quod ægrè Barones ſuſtinerent, eos poſſet reformare. Juſſit autem Rex acclamante *Londini* præcone, ut civitas mundata ſtipitibus, truncis, luto & fimo, incortinaretur; & amotis omnibus quæ poſſent oculos intuentium offendere, multipliciter eam facerent novitatibus reſplendere.

Reſponſio Regis Alemanniæ R. *ad nuncios univerſitatis Angliæ.*

NUNCIIS igitur ſolennibus, à communitate *Angliæ* deſtinatis, ipſe Rex *Alemanniæ*, qui in confinio maris ulteriori morabatur, exercitum congregans fortem & numeroſum, nimis torvo vultu & verbis minacibus reſpondit, jurans per guttur Dei: "Neque juramentum, quod exigitis, præſtabo, neque moræ meæ in *Anglia* terminum vobis intimabo. Et addidit: Non habeo "parem in *Anglia*, filius enim ſum Regis præteriti, & frater præſentis, Comeſque *Cornubiæ*. "Si igitur nobiles *Angliæ* reformare voluiſſent Regnum deformatum, me deberent primitus "accerſire; & non ita impetuoſè, abſque mea conniventia vel præſentia, tam arduum negotium "aggredi præſumptuoſè. Ad quod verbum, cùm quidam nunciorum voluiſſet reſpondere, cohibuit eum ſecreto moderamine quidam ſibi collateralis. Quæ reſponſio talis erat: "Sæpiùs con- "ſtituimus te ſuperiorem in reformatione Regni declinantis, ſed avaritia cogente, nos omnes do- "mini Regis & regni ſtatum meliorare ſtudentes, aſtutè & repentinè ſtuduiſtis, nil tale præme- "ditatos, illaqueare: unde Rex, reſiliens à ſalubri cogitatione, quos potuit in poſterum damnificavit. Sed ne talia improperia jurgia ſuſcitarent, ſatis certificati nuncii de ipſius Regis *Alemanniæ* commotione, illicò redierunt quàm citò poterant: quia expectabat eum populus numeroſus, diverſimodè communitus. Quod cùm nobilibus in citeriori maris litore *Anglis* nunciaretur, congregari fecerunt naves & galeias, tam *quinque Portuum*, quàm aliorum quàmplurimas. Et ad cautelam armis & armandis præmuniti, quorum omnium erat animus ardentiſſimus in hoſtes obvios hoſtiliter irruere, eiſdem ſe præparaverant audacter obviare; animati ex eo, quòd tempore *Lodowici*, filii Regis *Franciæ* in *Anglia* dudum exiſtentis, pauciſſimæ naves *Anglorum*, numeroſam claſſem *Francorum* & copioſam, citra ſpem omnium, invaſit, & contrivit. Exercitum inſuper equeſtrem & pedeſtrem, ex parte citeriore congregarunt; ut hoſtes venientes, ſi in navali prælio prævaluiſſent, quòd nullatenus formidabant, in ore gladii ſuper litus & in arida alacriter exciperent, & conſtanter. Quod cum fida relatione per diligentes exploratores Rex *Alemanniæ Richardus* cognoſceret, conſilio communium amicorum animum ſuum mitigavit; & juramentum, quale Barones *Angliæ* reipublicæ zelatores exigebant, æquo ſe animo præſtiturum per chartam promiſit.

Rex Alemanniæ R. *redit in* Angliam.

REX igitur *Alemanniæ Richardus*, comitante Regina, in *Angliam* velificavit, & die ſancti *Juliani* apud *Doveram* applicuit; & ſic cum caſtigata familia & privata, in *Angliam* intravit; videlicet, cum Comitibus duobus de *Alemannia*, qui tantùm tres milites ſecum habebant; & ipſe Rex cum octo militibus, & ſua Regina & filio *Edmundo*. Qui non fuerunt admiſſi, cùm ad litus perveniſſent, in caſtro de *Dovera*, nec etiam Rex *Angliæ*, quia nobiles *Angliæ* adhuc timebant aliquem, nondum præſtito Sacramento, ipſum caſtrum permittere intrare, quia eſt *Angliæ* repagulum principale. Rex autem applicanti occurrit, applaudens eidem vehementer. Et convivantes cum Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, dies feſtivos congaudentes alacriter peregerunt.

Rex Alemanniæ R. *jurat aſſiſtere Magnatibus* Angliæ.

IN craſtino autem intraverunt Magnates *Angliæ* capitulum *Cantuarienſe*, ducenteſq; reverenter Reges *Angliæ* & *Alemanniæ*, fecerunt apponi textum Evangelii ſuper pulpitum. Aſtitit autem in medio Comes *Gloverniæ Richardus*, & vocavit palàm & reverenter Comitem *Cornubiæ* ad ſe, non Regem *Alemanniæ*, ſed nomine ſuo, *Richardus Comes Cornubiæ*. Qui obedienter acceſſit & reverenter. Cui tale juſjurandum articulatim & apertè impoſuit:

Juramentum Regis Alemanniæ R.

HÆC *auditis univerſi, quòd hîc juro ſuper ſacroſancta Evangelia, quòd ego* Richardus, *Comes* Cornubiæ, *fidelis ero & diligens, ad reformandum vobiſcum regnum* Angliæ, *hactenus nimis malorum conſilio deformatum. Eroq; veſter efficax adjutor, ad expellendum ejuſdem Regni rebelles & perturbatores. Hocq; juramentum obſervabo inviolabiliter, ſub pœna amiſſionis omnium terrarum quas habeo in* Anglia. Et cùm dixiſſent ſinguli, ſufficit; ſatis obligatur ad fidelitatem: reſpondit Comes memoratus: "Quia quandoque enormiter in tali caſu lædebamur, & qui excommunica- "tus eſt ſemel, ſemper aquas fervidas expaveſcit; nequaquam adhuc tutus ſum, quin ſatis parum "fecerimus, quod avertat omnipotens Dominus.

Regi Alemanniæ R. Londini *excepto, recedunt Magnates* Alemanniæ.

DIE verò purificationis beatæ *Mariæ*, venerunt Reges & eorum Reginæ & nobilium *Angliæ* multitudo pariter *Londinum*. Quæ in adventu tantorum Principum multipliciter, ut prædictum eſt, mundata, honoribus multis, & ornatibus variis, civitas reſplenduit ſerenata. Quibus occurrebat adventantibus, civium applaudens multitudo numeroſa. Erat utique adeò civitas populis repleta, quòd denſis turbarum oppreſſionibus glomeratim ruentium, platearum operiebantur pavimenta. Et quia fratres ejus ipſum non ſequentes, prout minatus eſt, & ut ſuſpicatum eſt, in partibus relinquebantur ultromarinis, gaudiis communiter exultare conabantur vehementioribus: mirantes tantùm quamplurimùm quòd *Alemanni* ita permiſerunt eum in *Angliam* ſolutis adire habenis, unà cum Regina & filio chariſſimis, quòd non ſaltem alterum eorum, quaſi pro obſide retinuiſſent, vel exinde quòd poſt ſe eos reliquerat, libentiùs & citiùs ad eos dominus & Princeps redieret. Sed in brevi cœpit ejuſdem fama minui, poteſtáſq; Regia inter *Anglos*

1259. mediocriter aut minimè formidari. Unde nobiles *Alemanniæ*, qui Regem ſuum hactenus in *Angliam* comitabantur, conſiderantes eum non tanti exiſtere favoris, & reverentiæ per *Angliam*, quanta Regiam decuit dignitatem, receſſerunt ab eo cum indignatione, repatriantes feſtinanter, & dicentes; "Ex quo compatriotæ ſui ipſum non venerantur, nos ipſum quomodo honoribus proſequemur? Habemus quod elegimus, theſaurum magis quàm theſaurantem, congregatum non congregantem. Sed ſi de eo quod adhuc ſupereſt nobis fieret plena collatio, nobis penitus de perſona nulla remanebit adoptatio. Cupiebant enim, ſicut in majori fecerunt parte, theſauri ſui reſiduum ſitienter exhaurire.

Parliamentum Londini habitum.

IN octavis vero purificationis, congregati ſunt nobiles *Angliæ Londini*, prout inter ſe priùs condixerant. Comes autem *Legriæ*, de cujus abſentia diuturna tota condoluerat *Anglia*, neſcia quid ei in partibus contigiſſet tranſmarinis, ad concilium tunc venerat memoratum. Venit inſuper ibidem quidam de ſecreto Regis *Francorum* conſilio Decanus, videlicet *Bituricenſis*. Ubi non modicè tractatum eſt de negotio inter duos Reges, ſcilicet *Franciæ* & *Angliæ* agitato: & quid in partibus tranſmarinis actum fuerit exinde & probatum. Unde infra ſpacium temporis non prolixum, videlicet die ſancti *Valentini*, formata eſt pax, & facta inter eos *Londini*: Si utraq; pars velit ſine diſſentione obſervare quod inter eorum nuncios ſpeciales & ſolemnes, ut poſteà pleniùs in ſuo ordine dicetur, præloquutum fuerat, & determinatum.

Capti & incarcerati W. de Scotinny & Wil. de Buſſey.

EODEM anno, cùm immineret introitus Martii, capti ſunt *Londini Walterus* de *Scotinny*, principaliſſimus & ſpecialiſſimus conſiliarius Comitis *Gloverniæ* atque Seneſcallus. Suſpectus enim habebatur de potione data eidem Comiti & fratri ſuo *Willielmo*, de qua infectus Comes, vix eſt à portis mortis ereptus: dictus vero *Willielmus* penitus eſt interemptus. Et qui anteà ſub tuta fuerat cuſtodia fidejuſſorum, jam captus, ductus eſt in turrim *Londinenſem* incarcerandus, & vinculis ſtrictiſſimis mancipandus. Similiter *Willielmus* de *Buſſey* Seneſcallus, & principalis Conſiliarius *Willielmi* de *Valentia* fratris Regis uterini. Cujus ſcelera ſi plenè deſcriberentur, ſpeciales exigerent tractatus. Qui hactenus ſub cuſtodia fidejuſſorum tentus, captus eſt coram Judicibus judicandus. Et cùm non poſſet objectis reſpondere, quia multis erat irretitus ſceleribus, voluit ligamenta ſuæ Coifæ ſolvere, ut palàm monſtraret, tonſuram ſe habere clericalem, non eſt permiſſus; ſed ex juſſu Judicum raptus eſt truculenter & impetuoſè illinc trudendus, in carcere viliori cruciandus. Satelles verò eum arripiens, non per Coifæ ligamina, ſed per guttur eum apprehendens, traxit ad carcerem, ſubſannánſq; dixit: "Si ego injuriam tibi facio, quis tibi faciet juſtitiam? Conſueverat enim dictus *Willielmus* ſic dicere querulis & injuriam patientibus, qui ante eum juſtitiam petituri frequenter apparuerant. Conſuevit inſuper illis multipliciter dicere: "Dominus Rex vult, quicquid vult dominus meus *Willielmus* de *Valentia*; ſed nōn è converſo. Et ſic nec Regi, nec alicui Magnatum reverentiam, imò nec alicui de populo juſtitiam dignabatur exhibere; aſſerens quòd dominus ſuus talem à domino Rege obtinuerat libertatem, ut contra eum nec aliquid breve in Cancellaria impetraretur, nec alicui, niſi ad libitum, læſo de quacunq; offenſa reſponderet. Cùm igitur ipſe *Willielmus* ad carcerem raptim traheretur, inſultabant omnes ſubſannantes in eum pro intolerabili ipſius ſuperbia, & tyrannide inexorabili, & rapinis injurioſis. Quas ſi longum eſſet dinumerare, unam tamen ad alias intelligendas huic duximus paginæ annotare.

Deteſtabile factum W. de Buſſey.

CONTIGIT quòd juvenis quidam tranſitum faceret per quendam viculum in *Trumpinton*, & cùm oblatraret eum canis, ut eum compeſceret lapidem incautè jactavit, qui lapis ex obliquo reſiliens, unam contrivit caſu gallinam cujuſdam mulierculæ. Quod ipſa exiens vidit, & clamore querulo elevato, multos vicinorum congregavit. Juvenis autem hoc caſu contigiſſe humiliter cum juramento obteſtans, pro gallina ejus valorem, & in duplo amplius pro offenſa rationabiliter offerebat: mulier autem improba, hæc omnia recuſans ultioni incubuit uberiori. Quidam autem ſerviens *Willielmi* de *Valentia* procax, & ex tanto domino cornua ſumens, inſontem arripuit juvenem; & arctiſſimis vinculis incarceravit conſtrictum, ubi infra paucos dies arctatus ſupra modum expiravit. Sacerdos autem advocatis vicinis, cum de innocentia ipſius juvenis certificaretur, ipſum corpuſculum ſuper ſterquilinium projectum per biduum & fœtidum, in cœmiterio, factis utcunq; exequiis, tumulavit. Contigit autem ut poſt triduum illuc tranſiret *Willielmus* de *Buſſey*, audiens verò quæ facta fuerunt, juſſit extrahi corpus à tumulo fœtens quatriduanum & ſuſpendi patibulo. Hæc verò omnia & his ſimilia facta ſunt ſine judicio, ſed non ſine ultione à Domino. Uxor autem mortui ſuper hæc conqueſta proſequitur mortuum, & judex juſtiſſimus nequiſſimo nunc Judici facta rependit in interitum.

W. de Hortuna miſſus in Scotiam à rege Angl.

EODEM vero anno circa Kalendas Martii, rediit dominus *Willielmus* de *Hortuna*, Monachus & Camerarius eccleſiæ ſancti *Albani*, de remotiſſimis partibus *Scotiæ*; qui longè antè, ſcilicet circa feſtum ſanctæ *Katherinæ*, anno eodem, de præcepto domini regis, & ſuorum proviſione conſiliariorum, necnon & Abbatis ſui benevolentia, illuc itinera arripuit laborioſa. Negotia enim ardua, ſed ſecreta Regi & Reginæ, ac *Scotiæ* Magnatibus, ſibi injuncta fuerant, ex parte Regis & Reginæ & Magnatibus *Angliæ* nuncianda. Qui cùm illuc veniret, Regem *Scotiæ* & Reginam, & regni Magnates, ibi ad Parlamentum invenit, prout deſideravit, congregatos. Expoſita autem viæ ſuæ cauſa, ex parte domini Regis *Anglorum* & Reginæ & Baronum, rogavit obnixiùs, oſtendens literas credentiæ & favoris, quatenus dominus Rex *Scotiæ* & Regina in *Angliam* venire non omitterent; audituri & tractaturi de his quæ negotium arduum urgenter

expoſtulabant

expoſtulabant, & arcanum. Qui cùm multas contradictiones, ac impedimentorum opponerent objectiones, tandem poſt varias diſceptationes, diligenti inſiſtens petitioni, eoſdem ad hoc prudenter induxit, quod eorundem aſſenſum pro deſiderio impetravit. Facientes enim illi literas ſuas patentes communiter ſigillatas, tam ſigillo Regis, quàm omnium Magnatum *Scotiæ*, ad Regem *Angliæ*, & totam communitatem, libenter annuerunt ſe voluntatem eorum facturos, dummodo ſe facerent Rex *Angliæ* & Magnates de ſcripto ſuo, ſibi priùs fideliter promiſſo, ſecuros. Facientes inſuper domino regi *Angliæ* & reginæ ac Magnatibus terræ, literas ſuas valdè commendatorias, de dicti *Willielmi* diligentia circa negotium ſibi injunctum, diſcreta & indefeſſa: ſtatim poſt ejus receſſum, miſerunt in *Angliam* nuncios ſuos ſolemnes, videlicet Comitem de *Bochau*, magiſtrum *Willielmum* Cancellarium, & dominum *Alan* hoſtiarium, ſuper negotio præfato, pleniùs cum rege *Angliæ* & ejus tractaturos conſilio. Qui venientes, ac cum dicto *Willielmo* qui prævenerat, colloquentes, nullam in publico ſuper expeditione negotii erga regem & regni communitatem, reliquerunt redeuntes certificationem. 1259.

IPSO quoque tempore, obiit *Thomas* quandoque Comes *Flandriæ*, qui tot millia marcarum à ſimplicitate Regis & Reginæ & eorum ſecretis extorſerat: quæ quaſi ſemina in litoribus projiciebantur, ſicut & alia multa, in regni læſionem & damnum, multoties alienigenis diſpergebantur rapienda. Hic etiam ſine cauſa eccleſiam beati lædens *Albani*, enormiter damnificavit; dum diſcordiam inter eam & Regem impudenter ſeminavit. In partibus igitur ultramarinis, ut dicitur, potionatus, ab hac præſenti luce fructum viarum ſuarum migravit collecturus. *Obiit* Thom. *quondam Comes* Flandriæ.

CIRCA verò Kalendas Aprilis, ex præcepto & conſilio domini Regis *Angliæ*, & totius Baronagii, arripuerunt iter tranſmarinum ad Parlamentum magnum Regis *Francorum* tenendum in *Francia*, pro pluribus arduis negotiis, regna *Franciæ* & *Angliæ* contingentibus: Comites de *Clare*, & de *Legra*, *Johannes Manſel*, *Petrus* de *Sabaudia*, & *Robertus Walerandus*. Deferentes ſecum chartam domini Regis *Angliæ*, de reſignatione *Normanniæ*; & literas de credentia, ad componendum cum Rege *Francorum* & ejus conſilio, ſuper negotiis inter eoſdem Reges & eorum regna, jam diu agitatis. Et ut pacta præcedentia, prout prælocutum fuerat, inter eorundem nuncios ſpeciales & peritiſſimos ſolidata permaneant & inconcutienda. Sed quia ob eorundem nunciorum diſperſionem, quid ſuper hoc actum eſt, in publico non profertur, nulla exinde certitudo ſcripturæ adhuc commendatur. *Nuncii deſtinati ad Parlamentum regis* Francorum.

TEMPOREQUE eodem, collata domo quadam cum manſione pertinente eidem in *Dunſtaple* charitativè fratribus *Prædicatoribus*; quidam ſe ex eis inſtanter ingeſſerunt in eandem ſecretiùs, in enorme nocumentum Prioris & Conventus de *Dunſtaple*. Exemplo edocti fratrum *Minorum*, qui apud ſanctum *Edmundum* manſionem malo grato Abbatis & Conventus ejuſdem loci adepti, in non minimam illius domus læſionem, domicilia adeò ſumptuoſa conſtruxerant; ut in oculis intuentium tot ſumptus tam ſubitò effuſi à pauperibus fratribus, paupertatem voluntariam profeſſis, admirationem ſuſcitarent. Memorati igitur fratres, repentino & clandeſtino impetu aram erexerunt; & ſolenniter non expectata quacunque licentia, divina celebrarunt ibidem. Animabant enim ipſos quæcunq; voluerunt adepta privilegia, & protectio Cardinalis fratris *Hugonis* non minima. Qui de die in diem ædificantes, collatis ſibi à quàmplurimis locis circumjacentibus, de quibus Prior & Conventus redditus debent percipere, in magnum ejuſdem domus detrimentum, in brevi ſatagunt ampliare. Et quantum ipſi in ædificiis & ſpatiis latioribus augmentantur, tantò Prior & Conventus in bonis ſuis & juribus anguſtiantur: quia redditus, quos à meſuagiis fratribus collatis receperant, ſibi nunc pereunt; & oblationes, quæ eis dari conſueverant, fratres jam noviter venientes, prædicationibus ſuis urgentibus, funditus uſurpant. Fratres Prædicatores *occupant* Dunſtapliam.

IPSO quoq; anno, prima videlicet quindena quadrageſimæ, obiit Comitiſſa *Bononiæ*: per cujus tyrannidem tot millia hominum, paucis annis jam elapſis, interfecti occubuerunt, fructus viarum ſuarum, quos promeruit, collectura. *Obiit Comitiſſa* Bononiæ.

TUNC temporis, diſſipatis & proſtratis turribus urbis *Romanæ*, congregati ſunt cum indignatione & furore *Romani*, creantes ſibi novos Senatores duos, qui conflantes copioſum exercitum de mediocribus *Romanis*, inſurrexerunt in Senatorem nuper creatum, ſcilicet avunculum *Brancaleonis*, & ipſum in quodam caſtro *Romæ* obſiderunt, ut captum in fruſta detruncarent. Ipſe tamen confidens de juramento ſibi facto fidelitatis, & de obſidibus, quos ipſe Senator habuit in ſua civitate, unde erat oriundus, ſcilicet *Bononiæ*, ſe ſtrenuè defendit, ne à Nobilitate ſui nepotis & prædeceſſoris, deviaret retrocedens. Et ſic à ſemetipſa corroſa eſt *Roma*, & in ſe magna ex parte conſumpta. *Duo Senatores* Romæ *creati oppugnant tertium.*

EADEM quadrageſima orta eſt *Oxoniis* & *Cantabrigiæ* diſcordia graviſſima, eò quòd unum reum mortis, & carceri addictum, vinculis ruptis, & effracto carcere, clerici violenter rapuerunt, & in eccleſiam traxerunt protegendum in eadem. Univerſitas inſuper *Pariſiaca* per *Prædicatores* & *Minores* non mediocriter eſt perturbata. Tot autem ordines exorti ſunt, quod hi hos, & è converſo ſupplantant: nec ſufficit, ut conſuevit, populus eos plebeiis eleemoſynis ſuſtentare. *Diſcordia orta in tribus univerſitatibus.*

IPSIS quoque temporibus, dum Parlamento ſuſpenſo ſtatuta ſalubria providerentur cum diligentia, orta ſunt verba contumelioſa inter Comites *Gloverniæ* & *Legriæ*, ita quod Comes *Legriæ* commotus *Diſſentio inter Comites* Gloverniæ & Legriæ.

1259. commotus in iram, ob alterum Comitem in eorum propoſito communi fluctuantem, hujuſmodi verba proferret: "Non curo vivere vel converſari inter homines tam mutabiles & fallaces. "Hæc enim nos compromiſimus & conjuravimus, de quibus tractamus. Et vos Domine Comes *Gloverniæ*, quantò omnibus es eminentior, tantò ſtatutis ſalubribus es obligatior: & ſic in brevi receſſit ab *Anglia*. Quod cùm Comes *Herefordiæ*, & alii nobiles, & ſui compares, audierunt, ſignificaverunt Comiti *Gloverniæ*, quòd per eum elongatus Comes *Legriæ* quàm citiùs revocaretur, & ſuis aſtaret conſortibus mitigatus, nullatenus talibus injuriis laceſſitus. Ipſe etiam Comes *Gloverniæ* ſuis fideliter ſtatutis & juramentis proſequendo, ea adquieſceret, & juxta ea per terras ſuas emendanda corrigeret. Sin autem, ipſum Comitem *Gloverniæ* inſimulationis hoſtiliter impeterent. Quo audito, dictus Comes ſibi timens, miſit *Herwenum* Seneſcallum per totas terras ſuas, ut jus teneretur ſtatutum & compromiſſum; & juxta formam promiſſionis novæ univerſa fiant ſine dilatione, & ſic pro parte maxima extitit tempeſtas mitigata. Et licèt Comes *Legriæ* adhuc in partibus remanſerit tranſmarinis, propter hujuſmodi tamen correctionem, de ejuſdem reditu jocundiori fiduciam conceperunt firmiorem.

Pax inter reges Franciæ *&* Angliæ *impedita.*

PAX autem prælocuta inter Reges *Franciæ* & *Angliæ*, mediantibus nunciis ſolennibus, magnis, & multis, quorum nomina prænotantur, cùm in promptu fuiſſe crederetur, impedimentum cepit inopinatum. Comitiſſa enim *Legriæ*, ſuam partem de *Normannia*, quam Rex *Angliæ* debuit, juxta pactum eorum, Regi *Franciæ* reſignare, nequaquam quietam conceſſit: unde Comes *Gloverniæ*, Comiti *Legriæ* verba improperavit jaculando inhoneſta. Sed & Comes *Legriæ* aculeatis verbis verba retundebat; unde ferè cruentum initum fuerat certamen. Sed ne *Franci* inde gauderent, communibus amicis refrenabantur. Et ſic vacui, infecto negotio, cachinnantibus *Francis* redierunt.

Templariorum *&* Hoſpitalariorum *pugna.*

TEMPORE quoque ſub eodem, *Templarii* fratres de ſancto *Lazaro* & ſancto *Thoma*, *Aconenſes Hoſpitalarii*, etiam ſui comprovinciales, necnon & alii, veluti *Januenſes*, & *Piſani*, in *Terra ſancta* diſſidentes, quos habere conſuevit legitimos eccleſia defenſores, pacis tunc & ſui deſtructores, necnon cruentiſſimi ejuſdem extiterunt exterminatores. *Hoſpitalarii* namque, diſſenſione quadam inter eos lethaliter ſuſcitata, unanimiter in *Templarios* inſurgentes, quàm maxima ſui parte proſtrata, eoſdem, ut dicitur, funditus peremerunt: ita ut vix uno ex parte *Templariorum*, quamplurimis vero ex *Hoſpitalariis*, ut dicitur, ſuperſtitibus, nunquam inter *Chriſtianos*, maximè religioſos, talis aut tantus miſerabilis fuiſſe dicebatur interitus. Unde omnes citra manentes *Templarii*, coadunato urgentur conſilio, univerſis fratribus ſui ordinis, per domos ſuas ubique diffuſas commorantibus, ſignificaverunt, ut dicebatur, feſtinanter, quatenus omni dilatione & excuſatione remota, cuſtodibus unicuique domui neceſſariis deputatis, omnes invicem ibidem concurrant: tum propter domorum ſuarum in partibus *Aconenſibus* vacuatarum, deſtructis fratribus infinitis, aliquantulam reſtaurationem; tum propter ultionem horribilem hoſtiliter in *Hoſpitalarios* retribuendam. Unde vehementer per gyrum formidabatur, quòd niſi Omnipotens mitigationem immiſceat, *Criſtianorum* pax & ſtabilitas magna ex parte, ob eorundem furorem intolerabilem, deperiſſet.

Papa procurat etiam Imperium Comiti R. exiſtenti in Anglia.

INTERIM dum Rex *Alemanniæ* in pace in *Anglia* moraretur, paratum eſt iter eidem ad Imperium liberè recipiendum. Dominus autem Papa hoc ſcilicet ſub ſilentio callidè procuravit, ne manifeſtus videretur fuiſſe Regis *Hiſpaniæ* adverſarius. Rex autem *Alemanniæ*, ut ſe theſauris præmuniret abundantiùs, adhuc in *Anglia* quaſi latitando, expectabat quietius. Magnates enim *Angliæ* ſtatutis, quæ inceperant, ſalubriter intendebant, parum aut nihil de prædicti Regis mora vel motione ſolliciti: ſed ad malas conſuetudines, injurias, & corruptelas, amodò delendas, omnino aſſidui & confœderati.

Peſte graſſante ſublatus eſt Fulco *Epiſc.* Londin.

EODEM aſcendente Sole Cancrum, facta eſt hominum peſtilentia & mortalitas inopinata; ita quòd ubique morientibus quamplurimis locis aliis omnibus, tantummodò *Pariſiis*, pluſquam millia hominum ſepulchris commendabantur. Oleum etenim, vinum, & annona corrumpebantur. Et quia mortis romphea nulli parcens, nunc hunc, nunc illum conſumit, æquanimiter egenum & divitem rapiendo, obiit in illa peſte mortifera dominus *Fulco Londinenſis* Epiſcopus. Vir quidem nobilis & magnæ generoſitatis: & niſi paulò antè in communi eorum proviſione titubaſſet, totius Regni anchora & clypeus ſtabilitatis & defenſionis. Qui tandem ut paſtor Eccleſiæ & pater egregius, die ſancti *Urbani* in Eccleſia ſancti *Pauli Londini* ſolemniter eſt tumulatus.

Damnatur W. *de* Scotiny.

SEPTIMANA verò eadem *Walterus* de *Scotinny*, quondam Seneſcallus Comitis *Gloverniæ* præcipuus, de potione mortifera, ut prædictum eſt, diffamatus, captus, & diro carceri mancipatus, in Comitatibus tribus, ſed præcipuè *Wintoniæ*, ſe poſuit diſcutiendum. Sed, quod lachrymoſum eſt & dicere & audire, à quo majorem liberationis ſperabat fiduciam, ab eo celeriorem paſſus eſt veridicam damnationem. Requiſiti verò à Judicibus, qualiter hoc veriùs ita judicialiter proferendo cognoſcerent, reſponderunt: "Quoniam nunquam ſcivimus aut audivimus "dictum *Willielmum* de *Valentia*, aut aliquem fratrum ſuorum, eidem *Waltero* in aliquo debitorem fuiſſe. Sed bene & veraciter novimus, eundem *Walterum* à prædicto *Willielmo* maximam "nuper ſuſcepiſſe pecuniæ quantitatem. Hoc meliùs arbitrantes renumerari eidem, ob potionem domino ſuo Comiti, & *Willielmo* de *Clare* fratri ejus, multiſque aliis per eum, ut prædictum eſt, porrectam, ad eorundem exulantium ultionem refundendam, quam ob aliquod aliud

"debitum

"debitum inter eos præhabitum aut excogitatum. Et ob hoc veriùs, quod *Willielmus* de 1259.
"*Clare* ſentiens ſe intoxicatum, & morti proximum, dixit in propatulo, quòd ſcirent omnes "ſine dubio, ſe per *Walterum* de *Scotiny* mortis traditum voracitati. Quibus auditis, de proditione hujuſmodi ita convictus judicialiter, eſt *Wintoniam* tractus, & in patibulo horribiliter ſuſpenſus.

Sciendum eſt, quòd hucuſque perſcripſit venerabilis vir frater Matthæus Pariſienſis, *& licet manus in ſtylo varietur, modo tamen compoſitionis eodem ſervato, eidem totum aſſcribitur. Quod autem amodò appoſitum eſt, & proſequutum, cuidam alteri fratri ſit aſſcribendum, qui tanti prædeceſſoris opera præſumens aggredi, indignè proſecuturus, cùm non ſit ejuſdem dignus corrigiam ſolvere calciamenti, paginæ non meruit nomine tenus annotari.* Nota.

CON-

1260.

CONTINUATIO MATTHÆI PARISII.

Hujus ſupplementi mentionem facit Author teſtium veritatis, & aſſcribit fratri cuidam ejuſdem Cœnobii : Balæus *pag.* 377, 376, *&* 326. Gulielmo Riſhanger, *Monacho* S. Albani.

Rex Angliæ *componit cum Rege* Franciæ *de terris tranſmarinis pro pecunia.*

EODEM anno, Rex *Anglorum Henricus* tertius à conquæſtu, anno Regni ſui quadrageſimo tertio, in *Galliam* transfretavit, & à Rege *Francorum* petiit reſtitutionem terrarum ſibi à patre ſuo *Johanne* injuſtè ablatarum, per avum ejuſdem Regis *Franciæ Philippum*, & patrem *Lodowicum*, & ab ipſo injurioſe hactenus detentarum. Sed *Gallicis* multa contra Regem *Angliæ* allegantibus, & ſpecialiter donationem *Normanniæ* antiquam non fuiſſe ſpontaneam, ſed primùm per Decem *Rollonem* à Rege *Francorum* vi extortam. Quum Rex non haberet animum requirendi perdita, nec pecuniam ad conducendum exercitum, & præcipuè cùm cerneret ſuos jam in procinctu inſurgendi contra eum, pacem ſubſcriptam quodammodò compulſus admiſit. Ut videlicet Regi *Francorum* remanerent in pace Ducatus *Normanniæ*, & Comitatus *Andegaviæ* ; pro quibus rex *Franciæ* ſolvit ſibi trecenta millia librarum *Turonenſium* parvarum, promiſitq; reſtitutionem terrarum ad valorem viginti millium librarum annui cenſus, in *Gaſconia*. Quo pacto omnibus terris in manu Regis *Francorum* exiſtentibus, reſignavit plenè & purè. Ex tunc verò literarum ſuarum abbreviavit titulum : ut nec Ducem *Normanniæ*, nec Comitem *Andegaviæ* ſe vocaret.

Excommunicatur Manfredus.

EODEM tempore *Manfredus* filius *Frederici*, ſe fecit in regem *Siciliæ* coronari, nepotis ſui coronandi in morte conficta : quem Papa *Alexander*, tanquam regni invaſorem, fautorémque *Saracenorum*, excommunicavit, omníque honore & dignitate ſententia judiciali privavit.

Gravis dominatio alienigenarum in Anglia.

EO tempore regis fatuitate & deſidia in multis opprimebatur *Anglia* dominatione *Pictavenſium* & *Romanorum*. Et præcipuè *Eimeri Wintonienſis* Electi, *Willielmi* de *Valentia*, fratris regis uterini, & *Petri* de *Sabaudia*, avunculi reginæ ; qui inciviliter tam religioſos regni tractabant, quam alios ſæculares. Si quis autem injuriam paſſus, ad ipſius *Willielmi* Seneſcallum acceſſiſſet, juſtitiam petiturus, hujuſmodi reſponſa reportabat : *Si ego tibi injuriam facio, quis tibi rectum faciet ?* Dominus rex vult quicquid dominus meus vult, ſed non è diverſo. Sicque nec regi, nec Magnatum alicui reverentiam deferebant. Dominabantur etiam his diebus & *Romani*, & eorum Legati in *Anglia*, tam laicis, quam eccleſiaſticis, ſuper advocationibus eccleſiarum multa gravamina inferentes, providentes ſuis beneficia ampla vacantia, pro ſuæ arbitrio voluntatis : Epiſcopos, vel Abbates, alióſque religioſos contradicentes, excommunicationis ſententia innodantes. Unde contigit, ut Magnates de tanto ſupercilio indignati, licèt ſerò, ad remedium apponendum ſurrexerunt, & alienigenas de regno fugere compulerunt, ut in ſequentibus plenius apparebit : Non tamen omnes, ſed præcipuè *Pictavenſes*.

Mortuo Alexandro *Papa ſucceſſit* Urbanus *quartus.*

ANNO gratiæ M.CC.LX. qui eſt annus regni Regis *Henrici* à conquæſtu, tertii, quadrageſimus quartus, fuit rex ad Natale Domini *Londini*, cum multitudine alienigenarum. Hoc anno obiit *Alexander* Papa, cui ſucceſſit *Urbanus* 4. Hic priùs extiterat Patriarcha *Hieroſolymitanus*, & poſt coronationem ſuam, auxilio cruce ſignatorum, fugavit exercitum *Romanorum*, quem *Manfredus* intruſerat in patrimonium ſancti *Petri*. Hic contulit *Carolo* fratri regis *Francorum* Regnum *Siciliæ*, & ex tunc reges *Siculorum* geſtare cœperunt arma Regis *Franciæ*, eo pacto, ut *Manfredum* inde expelleret, quod & factum eſt.

Judæus *moritur in latrina præ ſuperſtitione.*

EODEM tempore apud *Theokesbury*, quidam *Judæus* cecidit in latrina, ſed quia tunc erat Sabbatum, non permiſit ſe extrahi, niſi ſequente die Dominica, propter reverentiam ſui Sabbati, quamobrem *Judæum* contigit mori in fœtore. Hoc anno ſuborta eſt diſcordia inter Regem & regni Proceres, ſuper ordinationibus in Parlamento *Oxoniæ* conſtituto, & ab ipſo Rege non

1259.

non obſervatis: & præcipuè quia prodigaliter & indiſcretè ditabat & exaltabat alienigenas, Regno nec utiles, nec fideles. Quapropter Proceres una conſpiratione, juſſerunt *Willielmum* de *Valentia*, & ejuſdem complices *Angliam* ſine reditu vacuare, ut pleniùs infrà dicetur.

Rex Angliæ abſolvitur à juramento per Papam.

REX autem quia juraverat cum *Edwardo* primogenito ſuo & Baronagio proviſiones *Oxonienſes* ſe inviolabiter ſervaturum, & pœnituerat eum jam juràſſe taliter, metuens quodammodò notam perjurii, miſit ad Papam ſecretò, rogans, ut ab hoc ſe juramento abſolveret, quod faciſſimè impetravit.

Juſtitiarii Herefordiæ *expulſi.*

Eo tempore Juſtitiarii regis *Angliæ*, qui dicuntur Itinerantes, miſſi ſunt *Herefordiam*, pro ſuo officio exequendo, qui non ſunt admiſſi, allegantibus majoribus illarum partium, ipſos contra "formam proviſionum nuper *Oxoniæ* factarum veniſſe, & ſic incerto negocio redierunt.

Florentinorum *clades.*

SUB eiſdem diebus *Florentini* coadunati ut civitatem *Senenſem* deſtruerent, & militibus *Manfredi*, & *Jordano* Comite, qui partem fovit *Manfredi*, vincuntur, captâque eorum civitate, & in parte deſtructa, ipſi dominio ſubjiciuntur *Senenſium* & *Manfredi*.

Bellum Hungaricum.

PER illud tempus bellum grave commiſſum eſt inter Reges *Hungariæ* & *Bohemiæ*, pro quibuſdam terris; in quo fugientibus *Hungaris*, plurimi ex eis occiduntur gladio, ſed multò plures ſubmerguntur in fluvio, quem tranſire oportuit fugientes. Itaq; Rege *Bohemiæ* intrante regnum *Hungariæ*, Rex *Hungariæ* terras uſurpatas reſtituens, pacem fecit, & mediante matrimonio amicitias in futurum firmavit.

Pictavienſes *ejiciuntur ex* Angliâ.

Eo tempore *Simon* de *monte forti*, Comes *Leyceſtriæ*, *Richardus* de *Clare*, Comes *Gloverniæ*, *Nicolaus filius Johannis*, *Johannes filius Galfridi*, multique Nobiles ipſis adhærentes, convenerunt *Oxoniis*, equis & armis ſufficienter inſtructi, finaliter ſtatuentes in animo, aut mori pro pace patriæ, aut pacis eliminare a patria turbatores. Convenerant & *Eimerus Wintonienſis* Electus, *Willielmus* de *Valentia*, cæteriq; *Pictavienſes* & extranei, ad locum ſupradictum, ſtipati magna caterva ſatellitum & fautorum. Sed quoniam Domini vellent eos vocare ad ſtandum judicio pro ſuis nequam factis, ſimul & communiter jurandum cum eis, ad obſervandum proviſiones, pro utilitate regni factas, & ipſi cernerentur ſe tantæ virtuti impares, ſubire judicium formidantes, noctu fugerunt ad caſtrum de *Wlneſeya*, quos Barones inſequentes, caſtrum reddere, & regnum exire illicò compulerunt.

Accuſantur Pictavienſes *coram Papâ.*

IGITUR Magnates metuentes ſi Electus *Wintonienſis Romam* perveniret, & data pecunia ſuam promotionem procuraret, & efficacior foret ad nocendum, miſerunt quatuor Milites, ſatis facundos, qui epiſtolam ſigillis ſuis firmatam Papæ & Cardinalibus exhiberent. In qua continebantur facinora, quæ perpetraverant prædictus *Electus* & fratres ejus, de homicidiis, rapinis, injuriis, & oppreſſionibus variis, quibus populum afflixerant & attriverant regionis.

Anglia *liberatur ad tempus ab exactoribus* Romanis.

MANDAVERUNT inſuper dicti Magnates viris religioſis, qui tenebant ad firmam eccleſias *Romanorum*, ne de firmis eorum eis reſponderent: ſed dictas firmas & redditus darent ſuis procuratoribus, die & loco per Barones aſſignatis. Quòd ſi aliter facerent, ſua incendio ſubjacerent, & nihilominus periculum, quod *Romanis* parabatur, ipſi in perſonis ſuis ſentirent. Idem mandatum dederunt Epiſcopis, ne quiſquam de *Romanis* & eorum redditibus interponeret, ſub pœnâ primitus intentata. Hac proviſione Baronum, quievit *Anglia* ab exactoribus ferè per triennium, donec idem *Simon* de *Monte forti* morte ſuccubuit, martyrio, prout creditur, coronatus.

Rex includit ſe ſacit in Turri Londinenſi.

ANNO gratiæ MCC.LXI. qui eſt annus regni Regis *Henrici* à conquæſtu tertii xlv fuit Rex ad Natale *Londini*, in turri cum Regina. Averſus eſt autem quorundam nequam conſiliis à pacto, quod fecerat cum Magnatibus, & palam ſuam inde iracundiam prodere cogitabat. Idcirco ſe incluſit in Turri, & theſaurum ibi depoſitum ab antiquo, diruptis ſeris conſumendum diſperſit. Conduxit inſuper operarios, qui eandem turrim repararent, & firmarent, in locis maximè opportunis. Mandavit præterea civitatem *Londinum* ſeris & clauſuris muniri per gyrum. Convocatiſque ſingulis de civitate à duodecim annis, & ſuprà, fecit omnes jurare de fidelitate ſibi ſervanda, clamante Præcone, ut quotquot vellent Regi militare, advenirent alacriter illius ſuſtinendi pecunia. His auditis, Barones undique confluebant, cum magna virtute bellatorum: & hoſpitati ſunt extra muros, hoſpitio intra civitatem illis penitus denegato.

Legatio Baronum ad regem.

EO tempore impetrata fuit palàm litera de abſolutione Regia & *Edwardi* filii ſui, ſuper juramentis præſtitis, prout diximus. Sed *Edwardus* illam abſolutionem noluit acceptare, Rege in pertinacia perſiſtente. Audientes Magnates Regem taliter abſolutum, miſſis nunciis rogabant humiliter, ut communiter præſtitum juramentum inviolabiliter obſervare vellet: & ſi quid diſpliceret, eiſdem oſtenderet ad emendandum. Qui nequaquam acquieſcens, durè & minaciter reſpondit, dicens, quòd eis à conventione deficientibus, non ampliùs adquieſceret; ſed unuſquiſque deinceps propriis defenſionibus provideret. Tandem quibuſdam mediantibus, eò res perducta eſt, ut duo eligerentur, unus pro parte regis, alter pro parte Baronum, qui tertium ſibi aſſumerent; & auditis hinc inde querelis, utrobique pacem ſtabilem providerent. Sed præſens negotium uſque ad adventum *Edwardi*, qui tunc in tranſmarinis agebat, conceditur differendum.

EDWARDUS

1262.

Conjuratio contra malos Conſiliarios Regis.

EDWARDUS hæc audiens in remotis, ne pax per ſuam abſentiam differretur, confeſtim repatriavit, ducens ſecum *Willielmum* de *Valentia*, de regno nuper eliminatum; qui tunc ingreſſum obtinere non potuit, donec præſtitiſſet juramentum, quòd Baronum proviſioni in omnibus obediret, & querelis contra eum deponendis, ſi neceſſe foret, humiliter reſponderet. Quum autem veniſſet *Edwardus*, & de vanis Regis conſiliis fuiſſet edoctus, iratus valdè, à patris abſentavit ſe conſpectibus, adhærens Baronibus in hac parte, prout juraverat; fitq; conjuratio inter eos, quòd malos conſiliarios & eorum fautores adquirerent, & à Rege pro viribus elongerent. Quod Rex perſentiens, confeſtim infra turrim *Londinenſem* cum ſuis conſiliariis ſe recepit: *Edwardo* filio ſuo cum Magnatibus foris remanente.

Imper. Bald. Conſtantin. ejicitur.

Eo anno *Baldewinus Græcorum* Imperator, per *Græcos* & auxilium *Januenſium*, & *Venetorum*, cum *Francis*, expellitur & *Latinis*. Et ſic *Græci*, recuperato Regno, Imperio quendam ſibi præficiunt, quem *Palæologum* appellabant: *Baldewinus* verò fugiens, exul in *Galliis* morabatur.

Anni concluſio.

TRANSIIT annus iſte *Angliæ* formidoloſus, Regi & Baronibus inquietus, *Græcis* lætus, *Latinis* inviſus; frugifer, & mediocriter temperatus.

Rex Angliæ extra turrim Lond. prodit.

ANNO gratiæ M.CC.LXII. qui eſt annus Regis *Henrici* quadrageſimus ſextus, fuit idem Rex ad Natale in turri *Londinenſi* cum Regina, & conſiliariis ſibi nec utilibus, nec fidis. Qui timentes ſibi vim inferri, præmunierunt ſe, & intra turris clauſtra receperunt. Sed tandem interveniente Regina, vix quibuſdam concordati Magnatibus, in pacis amplexibus invicem ſunt ſuſcepti. Quo facto, Dominus Rex audacius ſe extra turrim expoſuit, & Domino *Johanne Manſel* in turri dimiſſo, verſus Doveram properavit, & caſtellum intravit: aditu nec ſibi negato, nec oblato. Et tunc primò Rex ſe ſenſit falſis deceptionibus circumventum, quum videret caſtellum illud Baronum cuſtodia tam diligenter cuſtoditum, tam facilè ejus ingreſſui patefactum. Rex autem commendavit illius caſtri cuſtodiam *E.* de *Waleram*, & ad caſtellum de *Roffa* properavit, & quædam alia: & ubique liberum invenit introitum & exitum juxta vota.

Rex palam reſilit à juramento, fretus abſolutione Papæ.

Eo tempore, Rex concepta ſecuritate, decrevit palàm à juramento reſilire; tanquam abſolutus à Papa ab eo, quod fecerat, ſacramento. Circuivit igitur audacter per civitates & caſtella, volens eorum & totius Regni plenè poſſidere dominia; animatus quàm maximè, quòd Rex *Franciæ* una cum ſuis Magnatibus nuper promiſerat ſibi ſe velle ſuccurrere manu forti. Veniens ergo *Wintoniam*, Juſtitiarium & Cancellarium, nuper inſtitutos à Baronagio, ſuis privavit officiis, & novos creavit pro ſuo beneplacito voluntatis. Quo audito, Barones communiti armis atq; viribus *Wintoniam* properabant. *Johannes Manſel* hæc præſentiens, Regem clam adiit, & de periculo ſatis docuit; atq; ad turrim *Londinenſem* redire compulit feſtinanter. Tranſit annus iſte frugifer ſatis & fructifer, fallax Anglicis & fraudulentus.

Rex & Proceres Angliæ, ſe ſubmittunt ordinationi regis Franciæ.

ANNO gratiæ M.CC.LXIII. qui eſt annus regni Regis *Henrici* à conquæſtu, tertii, quadrageſimus ſeptimus, fuit Rex ad Natale cum Regina ſuiſq; conſiliariis in Turri *Londinenſi*. Quo tempore elaboratum eſt, tam à Regni *Angliæ* Pontificibus, quàm Prælatis regni *Franciæ*, ut pax reformaretur inter Regem *Angliæ* & Barones. Ventúmq; eſt ad illud, ut Rex & proceres ſe ſubmitterent ordinationi Regis *Franciæ*, in præmiſſis proviſionibus *Oxoniæ*. Necnon pro deprædationibus & damnis, utrobiq; illatis.

Rex Franciæ dat ſententiam contra Barones Angliæ.

IGITUR in craſtino ſancti *Vincentii* congregato *Ambianis* populo penè innumerabili, Rex *Franciæ Lodowicus* coram Epiſcop. & Comitibus, aliiſq; *Francorum* Proceribus ſolemniter dixit ſententiam pro Rege *Angliæ* contra Barones: "Statutis *Oxoniæ*, proviſionibus, ordinationibus, "ac obligationibus penitus annullatis. Hoc excepto, quòd antiquæ chartæ regis *Johannis Ang*-"*liæ*, univerſitati conceſſæ, per illam ſententiam in nullo intendebat penitus derogare. Quæ quidem exceptio, Comitem *Leiceſtriæ* & cæteros, qui habebant ſenſus exercitatos, compulit in propoſito tenere firmiter Statuta *Oxoniæ*, quæ fundata fuerant ſuper illam chartam. Hoc tempore Princeps *Walliæ Lewlinus*, Regis *Angliæ* adverſarius, fecit cædes & rapinas in terris *Edwardi* filii Regis *Henrici*.

Redit Rex cum ſuis à Parlamento Franciæ.

Eo tempore redierunt à *Francia*, qui Parlamento regis *Franciæ* interfuerant, Rex videlicet *Angliæ Henricus*, & Regina *Elienora*, Archiepiſc. *Cant. Bonifacius*, *Petrus Herefordenſis* Epiſc. *Johannes Manſel*, qui Baronibus mala quanta potuerunt, non ceſſabant machinari. Ab eo autem tempore, factus eſt noviſſimus error pejor priore. Nempe multi Magnates à fidelitate Comitis *Leiceſtriæ*, qui pro juſtitia decertabat, perjuri receſſerunt. *Henricus* filius Regis *Alemanniæ*, accepto honore de *Tikhel*, à domino *Edwardo* Regis filio ſibi collato, acceſſit ad Conſulem, dicens ei: "Domine Comes, contra patrem meum Regem *Alemanniæ*, & avunculum meum Regem "*Angliæ*, & affines meos non poſſum ulteriùs militare. Cum veſtra ergo benevolentia licentia-"tus à vobis recedo: veruntamen contra vos nunquam arma portabo. Cui Conſul hilariter re-"ſpondens, ait: Domine *Henrice*, non propter arma veſtra contriſtor, ſed propter inconſtanti-"am, quam in vobis cerno. Ite ergo & cum armis veſtris redite, quoniam ea nullatenus pertimeſco. Eo tempore *Rogerus* de *Clyfforde*, *Rogerus* de *Leiberne*, *Johannes* de *Vallibus*, *Hamo le Eſtraunge*, & plures alii muneribus excæcati, à fidelitate, quam Baronibus in commune juraverant, receſſerunt.

1263.

Eo tempore *Rogerus* de *mortuo mari*, fautor partis Regiæ, inſurrexit contra Comitem *Simonem*, & terras ipſius ac prædia deprædabatur. Conſul autem jam ſibi in amicitia copulato *Lewlino* Principe *Walliæ*, præclarum illuc miſit exercitum, qui terras dicti *Rogeri* invaſit, deſtruxit, & combuſſit. Eo tempore *Edwardus* caſtra *Humfridi* de *Bove*, videlicet *Hay*, & *Huntingdon* obſedit & cepit. Cepit etiam caſtrum de *Breknoke*, & univerſa dicto *Rogero* tradidit cuſtodienda. Per illud tempus *Robertus* de *Ferrariis*, Comes de *Derbii*, fidus nec Regi nec Baronibus, quaſi non in Baronum numero, multa mala fecit. Ducens nempe fortem exercitum, *Wigorniam* cepit, & intravit, & *Judaiſmum* evertit; ibidem religioſos paſſim cum ſæcularibus prædabatur, parca regis deſtruxit, & alia plura mala perpetravit, unde poſteà accuſatus capitur, & *Londini* carceri mancipatur. Eo tempore, *Edwardus* Regis filius, aſtutè cepit *Gloceſtriam* cum caſtello, & in odium Baronum, compulit eos redimere villam pro mille libris.

Rogerus de mortuo mari Barones infeſtat.

ANNO gratiæ MCCLXIV. qui eſt annus regni Regis *Henrici*, à conquæſtu tertii quadrageſimus octavus, fuit Rex ad Natale *Londini* cum Regina, & Rege *Alemanniæ Richardo*, aliiſque multis. Eo tempore *Simon* de *Monte forti*, Baronum capitaneus, prædabatur bona Regi adhærentium; & præcipuè eorum qui Reginæ attinentes per eam introducti fuerant in *Angliam*, quos alienigenas appellabant. Quidam verò de parte Baronum ceperunt Epiſc. *Herefordienſ.* in eccleſia ſua cathedrali, vocatum *Petrum*, natione *Burgundum*; & duxerunt ad caſtellum de *Ordeleya*, theſaurum ſuum inter ſe pariter dividentes. Deinde Duce *Simone* de *Monte forti* progreditur exercitus verſùs *Gloverniam*, & obſedit caſtrum per dies quatuor: capiúntque cum exiguo labore cuſtodem illius caſtri *Mathiam* de *Beſille* alienigenam; ſed profectò ſtrenuum militem & audacem. Qui ductus eſt ad Epiſcopum, ſimiliter cuſtodiæ mancipandus. Deinde proceſſit exercitus ad *Wigorniam* & *Burgiam* ſive *Salopiam*, & eas levi negotio redditas, intraverunt. Deinde proficiſcitur Comes ad partes regni auſtrales, cum Baronum exercitu. Qui inſulam *Elyenſem* intraverunt in manu robuſta, & totam illam patriam ſubjugaverunt. Rex & Regina per id tempus *Londini* morabantur. *Johannes Maunſel* per id tempus clericus, quo non erat, ut dicebatur, in toto orbe ditior, Regis & Reginæ Conſiliarius ſpecialiſſimus, timens Baronum ſævitiam, fugit à turre latenter. Eo tempore, captus eſt per Regios ſatellites *Henricus* filius Regis *Alemanniæ*, qui favit parti Comitis & Baronum. Interea *Edwardus* Regis filius, veniens de partibus tranſmarinis, munivit caſtrum de *Windeleſhores*, copiis militaribus alienigenarum, quos ſecum adduxerat paulò ante.

Acta Baronum.

REX autem timens ne per Baronum exercitum in turri arctaretur, mediantibus viris timoratis, paci Baronum acquievit ad tempus, & proviſiones *Oxoniæ* ſervare promiſit. Regina verò, fœminea malitia inſtigata, quantum potuit contradixit. Quamobrem quum ſe transferre vellet ad caſtrum de *Windeleſhores* per flumen *Tamiſim*, & ſcapham aſcendiſſet, multitudo civitatis plebeia, ad pontem ſub quo tranſitura erat congregata, in eam convicia & maledicta confuſo clamore congeſſit, & jactu luti atque lapidum ad turrim reverti coegit. Forma pacis inter regem, Comitem & Barones iſtis conditionibus includebatur. "Ut in primis *Henricus* Regis "*Alemanniæ* filius, de cuſtodia liberaretur, ut caſtra Regis omnia per totam *Angliam* Baronum "cuſtodiæ traderentur. Ut proviſiones *Oxoniæ* inviolabiliter obſervarentur. Ut omnes alieni"genæ infra certum tempus regnum evacuarent. Exceptis his, quorum moram fidelem de reg"no unanimi aſſenſu acceptarent, ut indigenæ regno fideles & utiles, negocia regni de cætero "ſub rege diſponerent.

Concordia inita ſubitò fracta.

HIS ita pactis, poſt puſillum, non obſtantibus pactis, promiſſionibus, ſacramentis, Milites quidam de parte regis, caſtrum de *Windeleſhores* munierunt victualibus multis & armis. *Edwardus* vero Regis filius eo tempore ad caſtrum *Briſtolliæ* venit, ubi inter milites ſuos & villanos ſuborta diſcordia, villani paraverunt obſidionem ponere circa caſtrum. Quod pertimeſcens *Edwardus*, *Walterum Wigornienſem* Epiſc. qui partem Baronum fovit, accerſiri fecit, ut in ejus conductu patris curiam adire poſſet ſecurus, ſpondens ſe patri & ejus conſilio, ad ea quæ pacis erant, efficaciter ſuadere. Profectus igitur cum Epiſcopo, quum appropinquaret caſtro de *Windeleſhores*, ingreſſus eſt illud. Quod ſuſpectum habens, Epiſcopus malè tulit.

Caſtrum de Windeleſhores munitur.

ADERAT tunc Comes *Simon*, volens caſtrum obſidere, cui occurrit *Edwardus* circa villam de *Kyngeſtone*, offerens pacis tractatum eidem. Sed Comes fretus conſilio præfati *Walteri* Epiſcopi, *Edwardum* ſuo fruſtratum propoſito, & redire volentem, prohibuit, & detinuit. Sicque redditum eſt caſtrum de *Wendeleſhores* Comiti, conceſſa cuſtodibus ejus ad recedendum cum ſuis omnibus quò volebant libera facultate. Alienigenis autem & volentibus trans mare redire, ſalvus datur conductus. Eo tempore *Lewlinus* Princeps *Walliæ*, Comiti *Simoni* confœderatus, Comitatum *Leſtriæ* & *Marchiam* ejus interim devaſtavit, duóq; caſtra *Edwardi*, *Diſſard* & *Gannok* diruens, ad ſolum complanavit. Poſt hæc, Parliamentum *Londini* convocatur. In quo dum multi qui parti Comitis priùs adhæſerant, ad partem ſe regiam contulerunt. Inter quos præcipuus erat *Henricus* de *Alemannia*, *Richardi* regis *Alemannorum* de prima uxore filius. Poteſtas Regia cœpit aliquantulum reſpirare. Deniq; Rex *Doveriam* accedens, ſatagit caſtrum illud de manu Comitis extorquere, ſed fruſtratus intento, deceſſit.

Caſtrum de Windeleſhores Comiti S. redditur.

CAROLUS Comes, in perpetuum urbis *Romanæ* eligitur Senatorem. Cui Papa *Urbanus* regnum *Siciliæ*, uſq; ad quartum hæredem contulit, eo pacto ut illud auferret *Manfredo*. Eo tempore

Papa Urbanus Regnum Siciliæ Comiti Carolo confert.

1264. *Henricus* Rex, *Oxoniam* veniens perſonalirer orationis gratia, ſanctam adiit *Frideſwidam*, quod nullus regum *Angliæ* ante ipſum audere præſumpſit, non "veritus ſuperſtitioſam opinionem "illorum, qui putant illicitum *Anglorum* regibus villam intrare, ultionem in illos virgine exer-"cente. Ad quem quum adveniſſet filius ejus *Edwardus*, coadunato exercitu diſpoſuit Barones "in manu valida propulſare. Ejecit primò clerum de *Oxonia*, & interim *Londinenſes* Juſtitiarios regis, & Barones de ſcaccario capientes, carceri manciparunt. Rex verò habens ſecum illuſtres Principes, *Richardum* germanum ſuum regem *Alemanniæ*, ac filium ſuum *Edwardum*, *Willielmum* de *Valentia*, fratrem uterinum, clariſſimos quoque milites, *Johannem Comyn* de *Scotia*, cum multitudine *Scotorum*, *Johannem* de *Baliol*, dominum *Galwydiæ*, *Robertum* de *Brus*, dominum *Rallis*, *Rogerum* de *Clifforde*, *Philippum Marinium*, *Johannem* de *Rallibus*, *Rogerum* de *Leyburne*, *Henricum* de *Percii*, *Philippum* de *Baſſet*, *Rogerum* de *mortuo mari*, cum exercitu progrediens, villam *Northamton* obſedit. Quam dominica in paſſione, fracto muro, intravit, cœpitq; in illa milites vexilliferos quindecim. Videlicet *Simonem* juniorem, *Willielmum* de *Ferrariis*, *Petrum* de *monte forti*, *Baldewinum Wake*, *Adam* de *novo Mercato*, *Rogerum Bertrandi*, *Simonem filium Simonis*, qui primò vexillum contra Regem erexerat. *Beringarium* de *Watervilla*, *Hugonem Gebion*, *Thomam Maunſel*, *Rogerum Boteveleyn*, *Nicolaum Wake*, *Robert.* de *Neweinton*, *Phil.* de *Driebii*, *Gribaldum Paunſenont*: quos omnes tranſmiſit ad diverſa caſtra, ſub arcta cuſtodia conſervandos. Capti ſunt inſuper milites minoris gradus circiter quadraginta, ſcutiferiq; non pauci.

Alia Regis & Baronum. PERREXIT inde Rex verſùs *Notingham*, Maneria Baronum, ubiq; tam incendio, quàm gladio vaſtans, auctuſq; eſt regalium numerus vehementer. Comes *Simon* his auditis, pergit *Londinum*, & paratis machinis, decrevit expugnare urbem *Roffenſem*, quam Comes *Johannes* de *Warenna* tunc tenuit, & defendit. Cujus quum partem primam, unà cum ponte cepiſſent, *Simoni* & ſuis nunciatum eſt, Regem venire *Londinum*: propter quod omiſſa obſidione, in ejus occurſum celeriter redierunt. Rex autem declinans à civitate *Londinenſi*, cepit caſtrum de *Kyngeſtone*, quod erat Comitis *Glovernîæ*, profectuſq; *Roffam*, quoſdam qui in obſidione remanſerant, fugavit, plurimis interfectis. Deinde cepit caſtrum de *Tunbridge*, & in eo *Gloverniæ* Comitiſſam. Quam tamen liberam abire permiſit, Relictâq; ad cuſtodiam militia competenti, perrexit *Wincheleſeiam*, ubi *Portuenſes* ad pacem recepit: ultraq; profectus, pervenit uſq; *Lewes*. Receptuſq; eſt ipſe in Prioratu, & filius ejus in caſtro, ubi dum eſſet, ſcripſerunt ei Barones literas hujus tenoris:

Literæ Baronum ad Regem Angliæ. "EXCELLENTISSIMO domino ſuo *Henrico*. Dei gratia illuſtri Regi *Angliæ*, domino *Hyberniæ*, Duci *Aquitaniæ*, Barones & alii fideles ſui, Sacramentum & fidelitatem Deo, & ſibi obſervare volentes, ſalutem & debitum cum honore & reverentia famulatum. Quum per plu"rima experimenta liqueat, quòd quidam vobis aſſiſtentes, multa de nobis mendacia veſtræ do"minationi ingeſſerunt, mala quantum poſſunt, non ſolum nobis, ſed etiam vobis & toti regno "veſtro intantentes. Noverit excellentia veſtra, quòd ſalutem ſanitatemq; corporis veſtri, totis vi"ribus & fidelitate vobis debita, volumus obſervare, inimicos non ſolùm noſtros, ſed etiam ve"ſtros, & totius regni veſtri juxta poſſe gravare proponentes, illis, ſi placet, ſupradictis, non "credatis. Nos verò fideles veſtri ſemper inveniemur, & nos Comes *Leiceſtriæ*, & *Gilbertus* de "*Clara*, ad petitionem aliorum pro nobis ipſis ſigna appoſuimus. Datum, &c. Hanc epiſtolam contemnens rex, ad bellum totis affectibus inardeſcit; reſcribens eis hanc literam diffiduciationis, ſub hac forma.

Reſponſio Regis ad præmiſſas literas. "*HENRICUS* Dei gratia, Rex *Angliæ*, dominus *Hyberniæ*, dux *Aquitaniæ*, *Simoni* de *monte forti*, *Gilberto* de *Clara*, & eorum complicibus. Quum per bellum & perturbationem ge"neralem in regno noſtro jam per vos ſuborta, nec non incendia, & alia damna enormia, appa"reat manifeſtè, quòd fidelitatem noſtram nobis non obſervatis, nec de ſecuritate corporis no"ſtri in aliquo curatis: eò quòd Magnates & alios fideles noſtros noſtræ fidei conſtanter ad"hærentes, enormiter gravâſtis, & ipſos pro poſſe veſtro gravare proponitis, ſicut per literas ve"ſtras nobis ſignificatis, nos ipſorum gravamen noſtrum proprium, & eorum inimicos noſtros "reputantes. Quum tamen præcipuè prædicti fideles noſtri, pro fidelitate ſua obſervanda, con"tra infidelitatem veſtram, nobis viriliter aſſiſtant, de veſtra fidelitate non curamus nec amore, "& eorum inimicos diffidamus. Teſte me ipſo, apud *Lewes*, duodecimo die Maii. Anno regni "noſtri quadrageſimo octavo. Rex *Alemanniæ*, & *Edwardus* filius regis nomine ſuo, & aliorum regi adhærentium ſcripſerunt dictis Comitibus, & complicibus in hac forma:

Litera Regis Alemanniæ [illegible] Barones Angliæ. "*RICHARDUS* Dei gratia Rex *Romanorum* ſemper auguſtus, & *Edwardus* illuſtris Regis "*Angliæ* primogenitus, cæterique Barones omnes & Milites prædicto regi *Angliæ* conſtanter "adhærentes fide ſincera & opibus, *Simoni* de *monte forti*, *Gilberto* de *Clara*, ac cæteris univerſis "ac ſingulis perfidiæ ſuæ complicibus. Ex literis veſtris, quas illuſtri Regi *Angliæ* domino no"ſtro tranſmiſiſtis, accepimus nos eſſe diffidatos à vobis, licèt hujuſmodi verbalis diffidatio, fue"rit in nos realiter antè manu hoſtili rerum noſtrarum incendiis, & bonorum noſtrorum depo"pulationibus proſecutione probata. Nos igitur, vos omnes, à vobis univerſis & ſingulis, tan"quam hoſtes publicos ab hoſtibus diffidatos, certiores facimus, quoniam deinceps perſonarum "veſtrarum, & rerum diſpendiis, ubicunque nobis ad hoc facultas fuerit, totis viribus inſiſte"mus. Et hoc quod falſò nobis imponitis, quòd nec fidele, nec bonum ipſi domino Regi da"mus conſilium, nequaquam verum dicitis. Et ſi vos, domine *Simon* de *monte forti*, vel *Gile*-

"*bertus*

1264.

"*bertus* de *Clara*, hoc idem in curia domini regis volueritis aſſerere, parati ſumus vobis ſecurum, "ad veniendum ad dictam curiam, procurare conductum, & noſtræ innocentiæ veritatem, & "utriuſq; veſtrum, ſicut perfidi proditoris, mendacium declarare, per aliquem nobilitate & ge- "nere nobis parem. Omnes nos contenti ſumus prædictorum dominorum ſigillis, ultra D. Re- "gis Romanorum, & domini *Edwardi*: datum ut priùs.

Barones iterum petentes pacem repellantur.

MISERANT autem Barones pacis mediatores ad regem, *Henricum Londinenſem*, & *Willielmum* de *Cantilupo Wigorn.* epiſcopos, offerentes pro damnis per regnum factis per eos triginta millia librarum, ſalvis in omnibus ſtatutis *Oxoniæ*. Sed rex *Alemanniæ*, qui nullam videre pacem voluit, indignatus quàm maximè quòd in eum Barones inſurrexerant, & ejus bona diripuerant, reclamavit, & pacem tunc temporis perturbavit. Quum rediiſſent, qui miſſi fuerant, nunciaverunt partem adverſam bellum finaliter expectare. Igitur Comes *Simon* totam noctem illam ducens inſomnem, more ſolito vacavit divinis officiis & orationibus, ſuos ad purè confeſſiones faciendas exhortando. *Willielmus* etiam de *Cantilupo Wigorniensis* Epiſcopus, omnibus abſolutionem impendens, juſſit ut in remiſſionem peccatorum pro juſtitia illa die viriliter decertarent, promittens omnibus taliter morientibus, ingreſſum regni cœleſtis. Certificati ergò de bello, manè ante Solis ortum exeunt villam de *Flexnemge*, ubi magna pars totam noctem pernoctaverat. Quæ villa diſtabat à villa de *Lewes* per ſex milliaria. Ante præſentem expeditionem, Comes *Simon* de *monte forti*, *Gilebertum* de *Clara* cinxit gladio militari.

Stratagema Simonis de monte forti.

QUUMQUE propinquaſſerit villæ de *Lewes* ad locum vix duobus milliariis diſtantem à villa, *Simon* cum ſuis aſcendit montem, & currum ſuum in medio ſarcinarum & ſummariorum ſuorum ibidem poſuit, vexillumq; ex induſtria deſuper impoſitum ſtrictiſſimè collocavit, in gyrum armatis plurimis collocatis. Ipſe verò cum exercitu ſuo, partes collaterales tenuit, & rei eventum præſtolabatur. In quendam currum introduxerat quatuòr cives *Londinenſes*, qui in ejus proditionem quum pernoctaret in *Hothewerke*, conſpiraverant paulò antè. Hæc autem fecit ad cautelam. Ordinatis igitur prudenter agminibus, cruces albas in pectore & in dorſo juſſit inſuere ſuper arma, ut ab hoſtibus cognoſcerentur, & demonſtrent ſe pro juſtitia dimicare. Ipſo die manè Baronum exercitus ſatellites regis, qui pro quærendo victu ſibi & pabulum egreſſi fuerant, repentè invadit, & plurimos morti tradit.

Bellum Baronum Angliæ contra Regem.

REX igitur certificatus de adventu Baronum, cum ſuis mox progreditur vexillis explicatis, præcedente eum ſigno regio, nuncium mortis prætendente, quod Draconem vocavit. Cujus exercitus in tres partes diviſus erat. Primæ aciei præfuit *Edwardus* regis primogenitus, cum *Willielmo* de *Valentia*, *Penbrochiæ*, & *Johanne* de *Warenna Suthereyæ* & *Suthesexiæ* Comitibus. Secundæ, Rex *Alemanniæ*, cum filio ſuo *Henrico*. Tertiæ verò, rex ipſe *Henricus*. Baronum verò exercitus in quatuor acies diviſus erat. Quarum primæ, *Henricus* de *monte forti*, cum Comite *Herefordiæ*. Secundæ, *Gilbertus* de *Clara*, cum *Johanne filio Johannis* & *Willielmo* de *monte Camiſii*. Tertiæ, in qua erant *Londinenſes*, & *Nicolaus* de *Seygrave*. Quartæ, ipſe Comes *Simon*, cum *Thoma* de *Pelveſton* præfuerunt. *Edwardus* igitur cum acie ſua tanto impetu in hoſtes irruit, ut eos retrocedere cogeret, quorum multi ſubmerſi ſunt, ut fertur, ad numerum militum ſexaginta, *Londinenſes* mox in fugam verſi ſunt. Quorum ſanguinem *Edwardus* ſitiens pro materno opprobrio, quod dudum ſuæ intulerant genetrici, eos proſequitur ad quatuor milliarium ſpacium, cædem graviſſimam inferendo, per cujus abſentiam multum minuebatur robur regale. Interim multi potentes de regis exercitu, videntes vexillum Comitis ſuper montem, & putantes eum eſſe ibi, illuc properant, & cives illos *Londinenſes* repente trucidant, neſcientes eos fuiſſe ſuæ partis fautores. Comites interim & *Gilbertus* de *Clara*, nullatenus quieſcentes, feriunt, ſternunt obvios, & morti tradunt, ſummo conamine geſtientes capere Regem vivum. Corruerunt ergo plurimi de parte regis, *Johannes* comes de *Warenna*, & *Willielmus* de *Valentia*, & *Guido* de *Liziniaco*, omnes fratres regis uterini, *Hugo Bigot*, & circiter trecenti loricati, Baronum ferocitatem conſiderantes, terga verterunt. Capti ſunt igitur Rex *Alemanniæ Richardus*, *Robertus* de *Brus*, & *Johannes Comin*, qui adduxerant *Scotos* illuc. Rex etiam *Henricus* dextrario ſuo ſub ſe confoſſo, reddidit ſe Comiti *Simoni* de *monte forti*. Qui mox in Prioratu, appoſita cuſtodia eſt recluſus. Perempti ſunt illic eo die multi Barones de *Scotia*; peditibus, qui cum eis venerant, grandi numero jugulatis. Capti ſunt præterea *Humfridus* de *Boun* Comes *Herefordiæ*, *Johannes filius Alani*, Comitis *Arundelliæ*, *Willielmus Bardolfe*, *Robertus* de *Tateſhalle*, *Rogerus* de *Somercy*, *Henricus* de *Percye*, *Philippus Baſſet*: Ceciderunt autem ex parte Regis Juſtitiarii, *Willielmus* de *Wilton*, & *Fulco filius Warini*, alter percuſſus gladio, alter ſubmerſus in fluvio. Ex parte Baronum ceciderunt, *Radulphus Hernigande* Baro, & *Willielmus Blundus*, vexillarius Comitis. Ex utraq; parte dicuntur ad quinq; millia cecidiſſe.

Barones cupiunt de pace cum Rege tractare.

EDWARDUS autem cum ſuis commilitonibus, reverſus à cæde *Londinenſium*, ignorans quid patri ſuo contigiſſet, villam circuens pervenit ad caſtrum de *Lewes*, & cùm patrem ſuum non inveniſſet ibidem, ingreſſus eſt Prioratum de *Lewes*, ubi & patrem reperit, & geſta cognovit. Barones interim inſultum dederunt ad caſtrum, ſed cùm incluſi ſeſe viriliter defenderent, ſubtrahunt ſe Barones. *Edwardus* verò, cognita caſtrenſium audacia, plurimùm animatus eſt, unde recollectis ſuis, voluit iterum præliari. Quo comperto, miſerunt Barones pacis mediatores, promittentes ſe in craſtino velle de pace tractare cum effectu. In craſtino diſcurrentibus inter partes fratribus *Prædicatoribus* & *Minoribus*, ſic actum eſt, ut feria ſexta ſequente,

 Edwardus

1265. *Edwardus* & *Henricus* pro patribus ſuis Regibus *Angliæ* & *Alemanniæ* ſe Comiti *Simoni* tradiderunt, ſub ſpe pacis & quietis, ita ut cum deliberatione tractaretur, quæ proviſionum & ſtatutorum eſſent pro utilitate Regni tenenda, & quæ delenda, & quod hinc inde captum abſq; ullo precio redderetur., Sabbato ſequenti, Rex omnes, qui ei adhæſerant, licentiavit ad propria, ſcripſitque de voluntate Comitis *Simonis*, his qui erant in munitione de *Tunbridge*, quòd redeuntes ad ſua, Baronibus non nocerent. At illi, hoc non obſtante, armati procedentes, cùm audiſſent *Londinenſes*, qui de bello fugerant, apud *Croydon* receptos, illuc properantes, plurimis eorum peremptis, ſpolia abſtulerunt. Exinde tendebant *Briſtollum*, ubi uſque ad liberationem *Edwardi* in præſidio remanſerunt. *Edwardus* autem caſtellum *Walingeford* mittitur conſervandus.

Miſeria & calamitas Angliæ.

TOTUS annus iſte cum quinque menſibus & duobus ſeptimanis, aſperitate belli inhorruit. Et dum quilibet ſua caſtella defendere ſtuduit, quiſque vicina depopulabatur, agros vaſtans, abducens pecora, ad defenſionem caſtellorum, nec etiam eccleſiis aut cœmiteriis deferebatur. Domus inſuper pauperculorum ruricolarum, uſque ad ſtramentum lectorum rimabantur & expilabantur. Sed & licèt Comes præcepta dediſſet ſub pœna decapitationis, ne quis in ſanctam eccleſiam, vel cœmiterium deprædaturus intrare præſumeret, nec religioſis viris, vel eorum famulis, manus violentas inferret; nihil hac induſtria ferè profecit, nempe nec Epiſcopi, nec Abbates, nec ulli religioſi de villa in villam progredi potuerunt, quin à veſpilionibus prædarentur.

Anni univerſalis deſcriptio.

TRANSIIT annus iſte frugifer, benè temperatus, & ſanus, ſed in cunctis eventibus *Angliæ* diſpendioſus, propter bellum commune, propter Regum captionem, propter rerum communium & privatarum, flebilem direptionem.

Acta Simonis de Monte forti.

ANNO gratiæ M.CC.LXV. qui eſt annus regni Regis *Henrici* à conquæſtu tertii quadrageſimus nonus, Rex detinebatur in cuſtodia *Simonis* Comitis, cum Rege *Alemanniæ Richardo* fratre ſuo germano, & *Edwardo* filio ſuo primogenito, aliiſque quibuſdam Nobilibus concaptivis. Comes autem *Simon* Regem *Angliæ* & filium ejus *Edwardum* eductum à *Walingfordia* ſecum, tam anno præterito, quàm præſenti, circumduxit; quouſque caſtra terræ fortiora omnia occupâſſet. Et ex tunc ad tractandum de pace, ſecundùm formam præmiſſam, difficiliorem ſe exhibuit, eò quòd regem & regnum totum habuit in ſua poteſtate. Deniq; regem *Romanorum* in Turri *Londinenſi*, *Edwardum* verò & *Henricum*, Regum filios, in caſtro *Doveriæ* ſub cuſtodia poſuit, regem *Angliæ* jugiter ſecum ducens. Qui tamen quocunque locorum pervenit, honorificè & regaliter eſt ſuſceptus, Comite illi omnimodam reverentiam exhibente.

Quæ acta fuerint in Marchia Walliæ.

INTERIM Milites inclyti, & in armis ſtrenuiſſimi multi, ſcilicet *Rogerus* de *mortuo mari*, *Jacobus* de *Andeliaco*, *Rogerus* de *Leiburne*, *Rogerus* de *Clyfforde*, *Haimo le ſtrange*, *Hugo* de *Turbivile*, cum aliis pluribus, indignè ferentes regem, regiamque ſobolem ſic tractari, unanimi contra Comitem *Leiceſtriæ* inſurgunt conſenſu. Ad quorum compeſcendam audaciam, Comes *Simon*, aſſociato ſibi *Leolino* Principe *Walliæ*, caſtrum *Herefordiæ* intravit, illicque *Edwardum* captivum de *Doveria* tranſtulit. Deinde caſtrum Comitis *Herefordiæ*, quod *Hay* dicitur, recuperavit, & caſtrum de *Ludelowe* cepit, devaſtandoq; terras *Rogeri* de *mortuo mari*, progreditur verſùs *montem Gomeri*, ibiq; facta eſt pax inter Comitem *Simonem*, & prædictos Nobiles, obſidibus ab eis datis. Deinde Comes ad partes Auſtrales progreditur, ut occurreret militiæ, quæ de partibus *Gallicanis* in ſubſidium regis dicebatur ventura.

Miſſus Legatus à Papa excommunicat Barones.

EO tempore *Urbanus* Papa turbationi regni *Angliæ* compatiens, Legatum miſit Dominum *Sabinenſem* Epiſcopum, Cardinalem; qui *Angliam* intrare non valens, navigio *Quinque portuum* mare occupante, quoſdam Epiſcopos ex *Anglia* ad ſe primò *Ambianos*, deinde *Boloniam* evocavit. Quibus ſententiam excommunicationis, & interdicti, auctoritate Papali in civitatem *Londinenſem*, & *Quinq; portus*, omneſq; pacem regis *Angliæ* turbantes, fulminatam, publicandam, exequendamq; commiſit. Diſſimulaverunt nihilominus Epiſcopi negocium, de cujus cauſa non ſatis certa, diverſi variè opinantur.

Diſcordia inter Simonem & G. de Clara.

HOC anno, dum adhuc *Edwardus* filius regis in caſtro *Herefordiæ* in cuſtodia teneretur, ſuborta eſt diſcordia inter Comitem *Leiceſtriæ Simonem*, & *Gilbertum* de *Clara*, occaſione ſubſcripta. Comes *Leiceſtriæ* non eſt contentûs, regem *Angliæ* à ſe captivum detineri, verùm caſtra regia in ditionem propriam accepit, diſponens pro libito ſuo regnum totum. Et, quod præcipuè offendebat, proventus regni, redemptioneſque captivorum, emolumentaque alia, quæ inter eos æqua ſorte, ſecundum conventionis formam, debebant dividi, ſibi ſoli totaliter vendicabat. A filiis quoque in ſuperbiam erectis, contemptim videbatur haberi, qui eo tempore fecerant acclamari torneamentum apud *Dunſtapliam*, contra Comitem *Gloverniæ*, quò acceſſerunt *Londinenſes*, & infinita multitudo militum & armatorum. Quod quum didiciſſet pater eorum *Simon*, increpavit præſumptionem, firmiter injungens, ut ab inceptis deſiſterent, comminando, quòd niſi parerent ejus juſſioni, eos in tali loco poneret, ubi nec Solis, nec Lunæ beneficio fruerentur. Audiens hæc Comes *Gloverniæ*, ultra quàm credi poteſt, incanduit, & multi qui parati fuerant ad torneamentum prædictum, durè ferebant ſe fruſtratos propoſito, maximè propter expenſas, quas fecerant ad negocium memoratum, improperantes & dicentes de Comite, quòd

ridiculoſum

ridiculoſum erat, quod alienigena præſumebat ſibi totius regni dominium ſubjugare. Augebat indignationem *Gilberti*, quod idem *Simon* requiſitus & rogatus fuerat, ut Regem *Alemanniæ*, quoſdamque captivos alios, per ipſum *Gilbertum* & ſuos in bello captos, ſibi redderet. Qui *Simon* breviter reſpondit eidem, ob quas cauſas amicitia priſtina in odium eſt converſa, in tantum, ut nec juramenti conſideratio, nec aliqua devotio dictum *Gilbertum* deinceps potuit pacificare. Defendens quippe omnes *Gilbertus* Milites nobiles de *Marchia*, quorum ſuprà facta eſt mentio, quos jam Comes *Simon* edicto publico Regnum evacuare juſſerat, accerſitos fœdere jungit. Auxerunt eorum ſocietatem *Johannes* de *Warenna*, *Surreiæ* & *Suthſexiæ* Comes, *Willielmus* de *Valentia*, Comes *Penbrochiæ*, qui in Occidentales partes *Walliæ* per mare devecti, *Penbrochiæ* applicuerant. Igitur Comes *Simon* Regem ſecum ducens, *Herefordiam* proficiſcitur, collectâque manu valida, prædictos Milites potenter opprimere diſponebat. Interim per quoſdam elaboratum eſt Prælatos, ut Comites *Leiceſtriæ* & *Gloverniæ* ad priſtinam ducerent unitatem; ſed nihil proficere potuerunt. Circa tempus præſens, dum hæc aguntur, *Edwardus* Regis filius, in caſtro *Herefordiæ* detentus ſub cuſtodia, permittitur ſpacianda gratia à cuſtodibus extra urbem in quodam prato equorum curſu ſe exercere. Qui tentatis pluribus, & currendo fatigatis, tandem quendam electum ſumebat dextrarium, quem aſcendens urgenſque calcaribus, cuſtodibus valedixit. Tranſitóque flumine, quod *Wer* dicitur, cum duobus Militibus, & quatuor ſcutiferis, propoſiti ſui conſciis, verſùs caſtrum de *Wigmor* dirigit iter ſuum. Cuſtodes verò cum inſequentes, cùm vidiſſent vexilla Dominorum *Rogeri* de *mortuo mari*, & *Rogeri* de *Clifford*, *Edwardo* in ſaltis præſidium occurrentium, deluſi *Herefordiam* revertuntur. Hæc autem acta ſunt in vigilia *Trinitatis*, conſilio & induſtria Militum prædictorum. 1265.

EDWARDUS igitur à cuſtodia liberatus, magno exercitu coadunato, multis ad eum confluentibus, Comitatus *Herefordenſem*, *Wigornienſem*, *Salopienſem*, *Ceſtrenſem*, ſuæ parti confœderavit, cum pagis & villis, civitatibus & caſtellis. Villam aliam *Gloverniæ*, quam Comes nuper obtinuerat, expugnavit & cepit, fugientibus ad caſtellum cuſtodibus qui fuerant in eadem. Qui poſt dies quindecim, reddito caſtro, & præſtito juramento, quòd contra *Edwardum* arma de cætero non portarent, liberi dimittuntur. Comes verò *Leiceſtriæ*, caſtrum *Momenite*, quod Comes *Gloverniæ* nuper ceperat, & munierat, coactis ad deditionem cuſtodibus, ad ſolum proſtravit. Ingreſſuſque terram ejuſdem Comitis, ſcilicet *Glomergenciam*, habuit ſibi obvium in ſuccurſum Principem *Walliæ*; qui uniti pariter, omnia veſtaverunt incendio atque cæde. Interim verò *Edwardus* audiens, quod multi de parte Comitis *Simonis* ad caſtrum de *Kenelworthe* confluxerunt, adunato ſibi Comite *Gloverniæ*, ſerò de *Wigornia* illuc tendens, citatóque gradu ſubitò ſuperveniens, cepit Comitem *Oxoniæ*, cum militibus vexilliferis circiter tredecim, antequam caſtrum eſſent ingreſſi, in quo ſe jam receperat *Simon*, Comitis *Simonis* filius. *Simon* autem Comes *Leiceſtriæ* ſemper habens regem in ſua comitura, de Auſtrali *Wallia* reverſus, in feſto Sancti *Petri* ad vincula venit ad Manerium *Wigornienſis* Epiſcopi, quod *Kemeſtoia* dicitur, & ibidem in craſtino morabatur. *Edwardus* verò de *Kemworthe* rediit *Wigorniam*, quæ à prædicto manerio diſtat miliariis tantùm tribus. Cujus adventu cognito, *Simon* cum Rege in ipſo noctis crepuſculo diſcedens, in oppido quod *Eveſham* dicitur, fato ſubſtitit infœlici. In craſtino namque, qui erat dies inventionis Sancti *Stephani*, *Edwardus* movens ſe à *Wigornia*, tranſito fluvio, juxta oppidum, quod dicitur *Clinemam*, Comiti viam verſus filium ſuum, qui erat in craſto de *Kenworthe*, filiique ad patrem, interclufit, In craſtino verò appropinquavit oppido *Eveſhamiæ*, ex parte una; veneruntque ex duabus partibus aliis, Comes *Gloverniæ* cum acie ſua, & *Rogerus* de *Mortuo mari* cum ſua turma. Ita Comes *Leiceſtriæ* undique concluſus, neceſſe habuit, ut vel ſe ſpontaneè dederet, vel cum iſtis prælio decertaret. Feria ergò tertia, quæ Nonis Auguſti contigit, occurrerunt ambo exercitus in campo extra oppidum ſpacioſo, ubi graviſſimo conſerto prælio, cœpit pars Comitis ſuccumbere, qui aggravato ſuper eum pondere prælii, ibidem cecidit interfectus. In hora mortis ejus fiebant tonitrua & fulgura, & tanta obſcuritas, ut plurimos ducerent in ſtuporem. Ceciderunt cum eo in illa pugna Milites vexilliferi duodecim, videlicet *Henricus* filius ejus, *Petrus* de *Monte forti*, *Hugo* de *Diſpenſariis*, Juſtitiarius *Angliæ*, *Will.* de *Mandevilla*, *Radulph. Baſſet*, *Walt.* de *Crepingge*, *Will.* de *Eboraco*, *Robertus* de *Tregor*, *Thomas* de *Hoſtelee*, *Joh.* de *bello campo*, *Wido* de *Balliolo*, *Rogerus* de *Roulee*, aliique minoris gradus in multitudine magna ſcutiferorum, & peditum, maximè *Wallenſium* numero expreſſivo. Sicque labores finivit ſuos vir ille magnificus *Simon* Comes, qui non ſolùm ſua, ſed ſe impendit pro oppreſſione pauperum, aſſertione juſtitiæ, & Regni jure. Fuerat utique literarum ſcientia commendabilis, officiis Divinis aſſiduè intereſſe gaudens, frugalitati deditus, cui familiare fuit, in noctibus vigilare ampliùs, quam dormire. Conſtans fuit in verbo, ſeverus in vultu, maximè fidus in orationibus religioſorum, eccleſiaſticis magnam ſemper impendens reverentiam. Beato *Roberto* dicto *Groſſum caput*, *Lincolnienſi* Epiſcopo adhærere ſatagebat, eique ſuos parvulos tradidit nutriendos. Ipſius conſilio tractabat ardua, tentabat dubia, finivit inchoata, ea maximè, per quæ meritum ſibi ſuccreſcere æſtimabat. Qui quidem Epiſcopus dicitur injunxiſſe ſibi in remiſſionem peccatorum, ut hanc cauſam, pro qua certavit uſque ad mortem, ſumeret; aſſerens pacem eccleſiæ *Anglicanæ* gladio materiali non poſſe firmari, & conſtanter affirmans, omnes pro ea morientes martyrio coronari. Dicunt quidam, quòd Epiſcopus aliquando manum ponens ſuper caput primogeniti dicti Comitis, dixit ei. "*O fili chariſſime, &*

Acta Simonis & Edwardi.

tu,

1265. "*tu, & pater tuus ambo moriemini uno die, unoq; mortis genere, pro juſtitia tamen & veritate.* Fama fert, quòd *Simon* poſt mortem multis claruit miraculis, quæ propter metum Regum, in publicum non prodierunt.

Edwardus jubet ſepelire peremptos.

EDWARDUS potitus victoria lachrymabili, Monachis illius loci mandavit poſt prælium, ut corpora defunctorum, & maximè majorum, decenter humare curarent. Interfuit autem perſonaliter exequiis *Henrici* de *Monte forti*, quem pater ejus Rex de ſacro fonte levavit, & ipſe ſecum nutritum à puero familiariter dilexerat. Ante prædictum prælium, ut quidam dicunt, quum *Simon* aggreſſus fuiſſet villam de *Eveſham*, habens ſecum Regem, & vidiſſet ordinem adverſariorum prudenter & aſtutè diſpoſitum, ait ſuis: "Per brachium Sancti *Jacobi* (ſic enim "jurare ſolebat) iſti ſapienter accedunt, nec à ſeipſis; ſed à me modum iſtum didicerunt. Commendemus ergò Deo animas, quia corpora noſtra ipſorum ſunt. Hortabatur autem *Hugonem* de *Spencer*, *Radulphum Baſſet*, & alios, ut fugerent, & ſe ſervarent ad tempora meliora. Sed ipſi, illo moriente, vivere recuſabant. Mortuo verò caput amputabant, pedes & manus detruncabant, contra diſciplinam ordinis militaris, cujus caput uxori *Rogeri* de *Mortuo mari*, in caſtro *Wigorniæ* commoranti, præſentatur. In preſenti bello, Dominus Rex extitit vulneratus, & morti penè vicinus, jaculo in eum ex improviſo dijecto. Triumphatis hoſtibus, Rex poteſtati regiæ reſtitutus, de conſilio filii victoris *Wintoniam* Parliamentum convocavit, in nativitate Virginis glorioſæ. Ubi inito conſilio, civitatem *Londinenſem*, ob ſuam rebellionem, privavit ſuis privilegiis & libertatibus antiquis. Capitaneos etiam factionis contra regem, juxta voluntatem ejus plectendos, jubet carceri mancipari. In feſto verò Sancti *Edwardi*, omnes, qui contra Dominum regem cum Comite *Simone* ſteterunt, exhæredavit. Quorum mox terras rex illis, qui ſibi fideliter adhæſerant, contulit, penſatis meritis ſingulorum. Exhæredati verò coadunantes ſe, paſſim deprædationes & incendia exercebant. Qui exhæredati præcipuè extiterant, erant *Simon* & *Guido*, filii Comitis *Simonis* de *Monte forti*. Uxor verò Comitis libera cum tota ſupellectile ſua, ducatu *Edwardi*, natale ſolum petiit, nullatenus reverſura.

Aſſia apud S. Albanum.

EO tempore villa *Sancti Albani* tam diligenter muniebatur, tam firmiter claudebatur ſeris & repagulis intus & foris, propter belli formidinem, ut omnem aditum tranſire volentibus, & præcipuè equitibus, denegaret. Eo tempore *Gregorius* de *Stok*, Conſtabularius *Hertfordiæ*, invidens animoſitati *Albanenſium*, jactitabat ſe villam intraturum cum tribus garſionibus, non obſtantibus repagulis, & quatuor de melioribus villanis captos *Hertfordiam* ſecum abducturum. Et ut propoſitum adimpleret, villam intravit, ineptos diſcurſus ubiq; faciens, oculos huc & illuc dirigens, tanquam magnum aliquod perpetraturus. Tandem garſionibus ſuis dixit: Videte quomodo ventus ſtat. Mox quidam carnifex, putans quòd villam cremare vellet, dixit: Docebo te quomodo ventus ſtat, confeſtimq; dedit illi alapam tanta vi, ut in terram caderet ad pedes. Deinde comprehenſum cum garſionibus ſuis, annulis ferreis & compedibus innodarunt. Et manè amputatis capitibus à carnificibus, ea fixerunt ſuper longos palos, ad quatuor extremitates villæ ponentes. Rex autem, quum hæc audiſſet, amerciavit villam ad centum marcas, qui ſtatim pecuniam perſolverunt.

Cometa inſolitus.

HOC anno apparuit Cometa tam notabilis, ut nullus tunc videns, viderit talem priùs. Ab Oriente enim cum magno fulgore ſurgens, uſque ad medium hemiſphærii verſus occidentem omnia perlucide pertrahebat. Et licèt in diverſis mundi partibus multa fortè ſignificaverit, hoc tamen unum pro certo compertum eſt, ut cùm pluſquàm per tres menſes duraverit, ipſo priùs apparente, Papa *Urbanus* infirmari cœpit, & eadem nocte, qua Papa moriebatur, Cometa diſparuit. Obiit autem *Pariſiis*, & ibidem ſepultus eſt. Cui ſucceſſit *Clemens ſextus*, natione *Provincialis*, qui primò uxorem habens & filios, famoſus fuit Advocatus, & Conſiliarius regis *Francorum*. Mortua verò uxore, propter vitam bonam, ſcientiamque laudabilem, primò aſſeritur *Podienſis* Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus *Narbonenſis*. Tandem ad Cardinalatum aſſumptus, fit Epiſcopus *Sabinenſis*, qui cùm à Papa *Urbano* Legatus miſſus fuiſſet in *Angliam*, pro pacis reformatione, abſens electus eſt in Papam. *Thomas* de *Aquino*, & *Bonaventura* claruerunt hoc tempore *Pariſiis*. Doctores eximii, frater *Thomas* de *Aquino*, inter *Prædicatores*, & *Bonaventura* inter *Minores*.

Clemens ſextus Papa.

Quinquaginta prædones à ruſticis perempti.

EO tempore quinquaginta viri fortes, gladiis, arcubus, & ſagittis muniti, intraverunt cellam ſanctimonialium beati *Ægidii* de *Boſco*, prope *Sanctum Albanum*, qui bona muliercularum diripientes, & quædam enormia perpetrantes, onuſti præda receſſerunt. Cumque verſus *Dunſtapliam* iter arripuiſſent, venit quidam poſt tergum eorum vociferans, & cornu ſonans. Ad cujus ſonitum tota patria vicina concurrit, dictumque eſt eis: "Iſti Prioratum de "*Boſco* ſpoliaverunt, & ibidem multa fecerunt. Mirum dictu, mox omnes tanquam elingues effecti, inutiles facti ſunt ad ſe defendendum, nec eſt inventus unus ex illis, qui manum erigere poſſet ad evaginandum gladium, vel ad arcum tendendum, ita deſævit ultio divina in eos. Percuſſi ſunt ergo & perempti à Ruricolis penè omnes, cæteris, qui ſe abſconderant, fame pereuntibus inter ſepes.

Carolus frater Regis Francorum in Regem Siciliæ coronatur.

EODEM anno *Ottobonus* tituli *Sancti Adriani* Diaconus, Cardinalis, à Domino Papa *Clemente* Legatus in *Angliam* deſtinatur. *Carolus* frater regis *Francorum*, *Romam* navigio vectus, à Domino Papa *Clemente* in regem *Siciliæ* coronatur. Multitudo *Gallicorum* cruce ſignata, contra *Manfredum*, habens capitaneos *Guidonem Altiſiodorenſem* Epiſcopum, & *Rober-*

tum

1266.

tum filium Comitis *Flandriæ*, & *Bocardum* Comitem *Rindemienſem*, in ſubſidium *Caroli Romam* venit.

HOC anno Dominica ante bellum *Eveſhamiæ*, multitudo *Wallenſium Somerſetiam* de prædatura, Capitaneum habens *Willielmum* de *Berklee*, Militem nobilem, ſed malefactis famoſum, apud *Munhered* juxta caſtrum de *Dunſire* applicuit. Quibus occurrens cuſtos caſtri, dictus *Adam Gurdun*, plurimos occidit gladio, plurimoſq; cum eorum capitaneo compellens in fugam, ſubmergi coëgit.

Cædes Wallenſium.

CIRCA feſtum S. *Luciæ*, Rex convocavit exercitum apud *Northamtonam*, ut *Simonem* de *Monte forti* juniorem, cæteroſque Nobiles illi adhærentes impeteret, in inſula *Axeholm* latitantes. Tunc religioſi ſervitium militare debentes, plurimum affligebantur. Et quia longum foret tribulationes ſingulorum hic inſerere, de vexatione noſtræ eccleſiæ, *S.* videlicet *Albani*, pauca dicemus. Abbas S. *Albani* ad locum prædictum ſuos tranſmiſit milites, quos ducebant Archidiaconus & Camerarius ejuſdem loci, ut dictos milites Domino Regi præſentarent. Cumque ibi moram feciſſent ferè per ſex hebdomadas cum viginti equis diſpendialem, Dominus Rex pro quolibet milite xl. marcas exegit. Et hoc non ſolum à noſtra eccleſia, ſed ab aliis religioſis ſervitium militare debentibus tantum petiit, qui fidem facere pro militibus voluerunt.

Rex parat ſe ad expugnandum Simonem *juniorem.*

TRANSIIT annus iſte fructifer, ſed rapacitate prædonum infamis, *Angliæ* exitialis, propter Nobiles & fideles peremptos, *Scotis* infauſtus, propter ſuorum ruinam in hac terra, *Wallicis* flebilis, propter ſuos pecudum more necatos.

Annalis concluſio.

ANNO M.CC.LXVI. qui eſt annus regni Regis *Henrici*, à conquæſtu tertii, quinquageſimus, fuit Rex ad Natale cum Regina, & Rege *Alemanniæ*, & *Ottobono* Legato, exercituque formidabili, apud *Northampton*, ubi diſcurrentibus viris bonis & redeuntibus circa pacem reformandam inter Regem & *Simonem* juniorem, *Simon* ſe ſubmiſit arbitrio Legati & Regis *Alemanniæ* avunculi ſui, & *Philippi Baſſet*, ſalvis ſibi vita, & privatione membrorum, & perpetua incarceratione excepta. Sicque acceptis obſidibus, apud *Northamptonam* ſe Regis præſentiæ præſentavit. *Simon* venit ad Regem, quò cùm perveniſſet, procedens Rex *Alemanniæ* coram Rege *Angliæ*, *Simoni* de vitæ ſuæ ſalvatione regratiabatur, dicens, quòd apud *Kenelworthe* fuiſſet occiſus eo tempore, quo *Simon* pater ejus ceciderat, niſi hujus *Simonis* ope fuiſſet ereptus: tam durè mortem Domini ſui caſtellani ferebant. Ob quam cauſam, *Simon* modò ſuſceptus eſt à Rege in pacis oſculo, & obtinuiſſet plenitudinem gratiæ Regiæ, niſi invidia Comitis *Gloverniæ*, & quorundam aliorum ſævitia obſtitiſſet. "Tractatum eſt ibi igitur, ut *Simon* caſtrum "de *Kenelworthe* Regi redderet, & regnum exiret, percepturus annis ſingulis de fiſco Regio quin-"gentas marcas, donec pax in *Anglia* arrideret. Sed qui in caſtello erant, has conditiones du-"rè ferentes, caſtrum nec Regi, nec ipſi *Simoni*, qui illuc ſub conductu venerat, reddere volue-"runt, dicentes, ſe nullam à *Simone* ſuſcepiſſe caſtri cuſtodiam, ſed à Comitiſſa paulò antè à Reg-"no expulſa, nec ullo viventi de reſignatione propoſuerunt, niſi ipſimet Comitiſſæ, & in ſua præſentia, reſpondere. Acceſſit ergò Rex cum exercitu ad obſidendum caſtrum. Cuſtodierunt tamen caſtrum per dimidium annum, contra Regem, & Regis exercitum. Sed tandem, pro penuria victualium, redditum eſt caſtrum Regi, vita, membris, & ſupellectili neceſſaria his, qui tenuerant illud, ſalvis. Et mirum, quòd Rex taliter indulſit eis, quum ipſi patriam deprædati fuiſſent, & illud caſtrum, in medio Regni conſtitutum, contra regem tenere auſi fuiſſent, & paulò antè curſorem regis apprehendiſſent, & ſibi manum amputâſſent, ac Domino regi ex parte exhæredatorum ridiculoſè miſiſſent.

Simon *junior ſe ſubmiſit cujuſdam arbitrio*

INTERIM dum rex intentus eſſet circa obſidionem caſtri de *Kenelworthe* cum toto ſuo exercitu, exhæredati ſcientes alias partes *Angliæ* militari copia deſtitutas, diſcurrunt vaſtantes, & prædas agentes circa *Cantabrigiam* & *Huntindoniam*. Tandem inſulam de *Ely*, in vigilia ſancti *Laurentii* intraverunt, ubi conſtituti, diebus ſingulis circumjacentem provinciam prædabantur, inſulam victualibus inſtaurantes. Epiſcopus *Elyenſis* ad regem veniens nunciaturus hoc infortunium, indignanter receptus eſt, & ei caſus iſte à pluribus imputatur. Citantur tamen Comitatuum communes, ad eos vallandos, & eorum egreſſum impediendum. Sed exhæredati nihil formidinis concipientes, plebem vulgarem retroire compellunt ad villam de *Northwico*, quoſdam dirigunt ad prædas agendas, & victualia comportanda. Qui villa violenter intrata, & prædata ſpolia in abundantia reportantes, pari modo ingreſſi *Cantabrigiam*, *Judæos*, & alios divites, quos volebant, captos ſecum ducebant in Inſulam, pro ſuo arbitrio redimendos.

Exhæredati capiunt Ely *inſulam.*

EO tempore cives de *Lenna* accedentes ad Regem, promiſerunt, ſi Rex illis libertates vellet reconcedere, ipſi inſulanos ſibi, ſive vivos, ſive mortuos præſentarent. Nempe & illis libertates ſuas Rex ademerat, ſicut & aliis villis & civitatibus, quæ ſteterant contra illum. Qui adepti quod petierant, congregaverunt infinitam multitudinem de plebeis cum navibus armatis, baliſtariis, atque ſagittariis, variorumque armorum generibus, ad eos, qui erant in Inſula, capiendum. Exhæredati de eorum adventu præmuniti, vexilla fixerunt ſuper aridam, ut qui erant in fluvio citò poſſent agnoſcere ubi forent. Quumque *Lennenſes* eorum vidiſſent agmina & vexilla, cohortati ſunt ſuos ad terram aſcendere feſtinanter. Exhæredati verò, dimiſſis vexillis,

Lennenſes *volentes exhæredatos oppugnare, ab ipſis capti & caſi.*

fugam

1267. fugam ſimulant, quaſi non audentes reſiſtere tantæ turbæ. Cives verò, quibus dolus fuit incognitus, mox undique & ſine ordine terram aſcendunt, omnes penè & ſinguli affectantes comprehendere fugientes. Exhæredati verò revertentes, cives & plebeios in gyrum vallant, & jugulant, & reverti ad naves cupientes, capiunt, quos verò volebant dantes internecioni. Plurimi autem in aqua perierunt, pauci *Lennam*, non ſine deriſionibus, redierunt.

Diſcordia inter Comitem Gloverniæ *&* R. *de* Mortuo mari.

Eo tempore Legatus, & Comes *Gloverniæ*, & alii duodecim electi erant ad pacem componendam, qui maximè elaborabant, ut exhæredati, facta redemptione pro tranſgreſſionibus, terras ſuas & poſſeſſiones recuperarent. *Rogerus* de *Mortuo mari*, cum cæteris *Marchionibus*, qui terras illorum dono Regis acceperant, nimis acriter reſiſtebate; "dicens injuſtum fore, ut terras, quas à rege pro labore & fidelitat acceperant, & illi juſtè perdiderant, hi modò tam facilè amitterent, ſine cauſa. Dicebatur igitur à quibuſdam, quod idem *Rog.* in mortem Comitis *Gloverniæ*, cum nonnullis, qui ſimiliter laborabant avaritia, conſpiravit. Comes ergò ab illa congregatione, quàm citò potuit, ſe ſubtraxit. Tranſiit annus iſte frugifer & fructifer opulenter, ſed per raptores factus incolis inutilis, qui congregatam diripuerunt annonam, & pro libito vaſtaverunt.

Rege celebrante feſtum S. Edwardi, *noluit Comes* Gloverniæ *ad illud venire.*

ANNO gratiæ M.CC.LXVII. qui eſt annus regni Regis *Henrici*, à conquæſtu tertii, quinquageſimus primus, fuit idem Rex ad Natale cum regina, & Legato multiſque Magnatibus apud *Oxoniam*, ubi diligenter tractatum eſt de pace reformanda inter Comitem *Gloverniæ*, & *Rogerum* de *Mortuo mari*, ſed nihil ad pacis negotium profecerunt. Inde rex venit *Londinum*, ad celebrandum feſtum ſancti *Edwardi* Regis prout moris ejus fuerat cunctis annis. Igitur multis convocatis eccleſiarum Prælatis, ſimul cum Baronibus, feſtum illud cum grandi gaudio ſolemnizavit. In prandio verò Legatum in ſedili regio collocavit, ſingulis ferculis priùs appoſitis coram eo. Ad hoc feſtum invitatus fuerat Comes *Gloverniæ*, ſed recuſavit accedere, ſuſpicatus ſiniſtrum aliquod ab æmulis ſuis ſibi in curia procurari. Tamen deſtinavit Regi nuncios, "quibus, ut dicitur, monebat regem, ut à conſilio ſuo alienigenas amoveret, & proviſiones *Oxoniæ* teneri faceret per regnum ſuum, & ut promiſſa ſibi apud *Eveſham* de facto compleret. Sin autem, non miraretur, ſi Comes ipſe faceret, quod ſibi utile videretur. Eo tempore Caſtrum *Doveriæ* redditum eſt *Edwardo*, in quod *Wydonem* de *Monte forti* tranſtulit ſub cuſtodia detinendum.

Excommunicantur Epiſcopi & alii, qui Simoni *faverant.*

OTTOBONUS Legatus, vocato concilio apud *Northamptonam*, ſententiam excommunicationis tulit in omnes Epiſcopos & clericos, qui Comiti *Simoni* contra Regem præſtiterant auxilium, vel favorem. Et nominatim, *Johannem Wintonienſem*, *Walterum Wigornienſem*, *Henricum Londinenſem*, *Stephanum Ciceſtrenſem* Epiſcopos: de quibus *Wigornienſis* citò poſt obiit viliter, Nonis Februarii, cui *Nicolaus* de *Ely*, Cancellarius Regis, ſucceſſit. Reliqui verò tres præfati Epiſcopi, *Romam* profecti, Domini Papæ gratiam expectabant. Eadem igitur ſententia, cæteros quoſq; Regi adverſantes publicè innodavit. Ibi etiam conceſſionem de decima eccleſiæ *Anglicanæ*, ſolvenda Regi per ſeptem annos proximè ſequentes, publicavit.

Acta filiorum S. *de* Monte forti *poſt exhæredationem.*

PER idem tempus, cuſtos *Guidonis* de *Monte forti* in caſtro *Doveriæ* corruptus, ipſum dimiſit liberum, mare tranſiens cum eodem. *Guido* verò partes *Tuſciæ* adiens, Comiti *Ruſo* adhæſit. In cujus militia quum eſſet famoſus effectus, uxoris ejus filiam & hæredem accepit. *Simon* verò frater ejus ſenior, pari modo paulò antè evadens de carcere, transfugit in *Gallias*. Rex verò per id temporis in ſingulis civitatibus Capitaneum unum conſtituit; quia unà cum Vicecomite prædonum, qui plurimùm abundabant, violentias coërceret. Quo tempore *Robertus* de *Ferrariis*, Comes *Derbyæ*, apud caſtrum, quod *Cheſterfelde* dicitur, captus eſt per milites Regios: ſociis, quos ad prædandum acervaverat, per fugam diſperſis. Sub eiſdem diebus, Miles quidam in partibus *Wintoniæ*, *Adam* dictus, cognomento *Gurdun*, exhæredatus cum cæteris, qui Comiti *Simoni* adhæſerant, ad pacem Regis venire renuens, juxta viam inter villam de *Wiltone*, & caſtrum de *Ferneham*, (quam tunc in valle, promontoria nemoroſa reddebant tortuoſam, ac per hoc prædonibus optimam) cum ſuis recedit, patriam rapinis infeſtans, præcipuè terras illorum, qui parti Regiæ adhærebant. Cujus vires & probitatem *Edwardus* ex fama cognitas cupiens experiri, cùm manu forti ſuperveniſſet idem *Edwardus* eidem ſe ad pugnam paranti, præcepit ſuis *Edwardus*, ne quis inter eos impediret ſingulare certamen. Congreſſi itaque mutuos ictus ingeminantes, parique ſorte, neutro cedente alteri, diutiùs dimicarunt. Tandem delectatus *Edwardus* virtute Militis, & animoſitate inter pugnandum, conſuluit ei, ut ſe redderet, & vitam pollicens, & fortunam. Cui Miles acquieſcens, abjectis armis ſe reddidit *Edwardo*: quem eadem nocte *Gildefordiam* tranſmiſit *Edwardus* Reginæ matri ſuæ, cum recommendatione duplici præſentandum. Quem poſtea hæreditati reſtitutum, *Edwardus* ſemper charum habuit, atq; fidum.

Duellum inter Edwardum *&* Adam Gurdun.

Ordinatio pro exhæredatis.

EODEM anno convenerunt apud *Coventrenſem* civitatem electæ perſonæ, quæ unanimi decreverunt aſſenſu, ut exhæredati pœna pecuniaria ſuas hæreditates redimerent ab his, qui eas occupaverant dono Regis, ita tamen, quòd hæc redemptio proventus hæreditatum in ſeptennium non excederet, nec unius anni proventibus minor eſſet. Sed inter hos taxaretur terminos, ſecundùm quantitatem delicti. Ab hac tamen redemptione filii *Simonis* Comitis, & *Robertus* Comes *Derbiæ* (quorum exhæredationem cenſuerunt eſſe perpetuam) excluduntur. Qui

autem

autem modo prætaxato, mulctandi eſſent pecunia, ſi taxatam redemptionem ſolvere nequirent, terras ſuas in manu poſſeſſorum relinquerent, quouſque de earum fructibus levaretur. Hoc anno, multitudo *Saracenorum*, per mare veniens in *Hiſpaniam*, *Chriſtianis* intulit magnam plagam, quæ tamen poſteà, non ſine effuſione multa ſanguinis, eſt devicta. Eodem anno *Carolus* Rex *Siciliæ* ante *Beneventum* pugnavit cum *Manfredo*, eumq; devicit, & occidit, & ibi triumphum obtinuit glorioſum. Eodem anno *Godefridus* Archiepiſcopus *Eboracenſis*, diem clauſit extremum. In cujus ſedem tranſlatus eſt *Walterus* Epiſcopus *Bathonienſis*, cui ſucceſſit *Williel.* de *Buttone*, Archidiaconus *Wellenſis*. 1267.

Manfredus occiditur.

Mortuo Godefrido ſuccedit Wal. in Epiſc. Ebor. Parliament. apud Bury.

Circa tempus iſtud rex citari fecit Comites & Barones, Archiepiſcopos, Epiſcopos & Abbates, omneſque communiter militare ſervitium ſibi debentes, ut apud *Sanctum Edmundum*, equis & armis ſufficienter inſtructi, convenirent, ad impetendum eos, qui contra pacem regiam occupaverant inſulam *Elyenſem*. Comes autem *Gloverniæ*, cæteris mandato parentibus, in confinio *Walliæ* congregans exercitum copioſum, ad inimicos ſuos perſequendum, venire ſuperſedit. Mittuntur ergò Legati, *Johannes* de *Warenna*, & *Willielmus* de *Valentia*, qui illum ad Parliamentum venire monerent: ſed nihil quidem profecerunt, propter id, quod ejus acceperunt patentes literas ſigillo ſuo ſignatas, quòd nunquam arma portaret contra Dominum ſuum regem, nec contra filium ejus *Edwardum*, niſi defendendo. Inimicos verò ſuos *Rogerum* de *Mortuo mari*, & cæteros pro poſſe ſuo ſuppeditaret. Hoc, ut dicebatur, callidè confingebat, quia notam proditionis ſibi imponi timebat. Abadunatis, qui ad Parliamentum citati fuerant, præter rebelles, primo principaliter rex & Legatus ſubſcriptos articulos exigebant. “Ut omnes
“Prælati & rectores eccleſiarum decimas ſibi concederent, de tribus annis ſequentibus, & de
“anno proximo præterito, quantum dabant Baronibus ad cuſtodiendum mare contra alienige-
“nas. *Reſponſio.* Ad hoc reſponderunt, quod bellum incœptum fuerat per iniquam cupidita-
“tem, & durat in præſens, & neceſſarium eſſet, hujuſmodi petitiones peſſimas præterire, & de
“pace regni tractare, & Parliamentum ſuum, ad utilitatem Eccleſiæ & regni convertere, non
“ad denariorum extorſionem, præcipuè quum terra in tantum deſtructa ſit per bellum, quod
“nunquam, vel ſaltem ſerò, poterit reſpirare. *Secundus.* Item petitum eſt, ut eccleſiæ taxa-
“rentur per manus laicorum, juſta & alta taxatione, ad valorem omnium bonorum ſpectanti-
“um ad eaſdem. *Reſponſio.* Ad hoc reſpondebatur, quod non eſt ratio, ſed omnino contra ju-
“ſtitiam, ut laici de decimis colligendis ſe intromittant, nec in hoc unquam conſentirent com-
“muniter, ſed tantùm ut taxatio antiqua ſtaret. *Tertius.* Item ut Epiſcopi & Abbates, &c.
“decimam ſuam darent de Baroniis ſuis plenariè, & de laico feudo recta & alta taxatione. *Re-*
“*ſponſio.* Ad hoc reſpondebatur, quòd deprædationibus ſunt depauperati, & ſequuti ſunt Re-
“gem in expeditione, & tanta pecuniarum effuſione, quòd omnino pauperes ſunt effecti, & eti-
“am terræ eorum incultæ jacebant propter bellum. *Quartus.* Item petitum eſt, ut Clerus com-
“muniter daret Domino regi, ad relevandum ſtatum ſuum, triginta millia marcarum, propter
“ante dictas decimas, quas quidem Legatus vendicabat ad opus *Romanæ* curiæ, propter debita
“*Siciliæ*, *Apuliæ*, & *Calabriæ* contracta, in nomine domini *Edmundi* filii Regis, modo præſen-
“tis. *Reſponſio.* Ad hoc reſpondebatur, quòd nihil darent, quia omnes hujuſmodi taxationes &
“extorſiones per Regem factæ priùs, nunquam in Regis utilitatem vel regni ſunt converſæ.
“*Quintus.* Item petitum eſt, ut omnes clerici tenentes Baronias, vel laicum feudum, perſonali-
“ter armati procederent contra regios adverſarios, vel tantum ſervitium in expeditione Regis
“invenirent, quantum pertineret ad tantam terram, vel tenementum. *Reſponſio.* Ad hoc re-
“ſpondebatur, quòd non debent pugnare cum gladio materiali, ſed ſpirituali, ſcilicet cum lachry-
“mis & orationibus humilibus & devotis. Et quòd propter beneficia ſua, tenentur pacem ma-
“nu tenere, non bellum. Et quòd Baroniæ eorum ab eleemoſynis puris ſtabiliuntur, unde ſer-
“vitium militare non debent, niſi certum, nec novum incipient. *Sextus.* Item petitum eſt, ut
“clerus communiter adquietaret novem millia marcarum, quas Epiſcopus *Roffenſis Laurentius*,
“Epiſcopus *Bathonienſis Willielmus*, & Abbas *Weſtmonaſterii Richardus*, mutuò receperunt à
“Mercatoribus Domini Papæ in curia *Romana*, quando fuerunt ibidem, pro Regis negociis ex-
“pediendis. *Reſponſio.* Ad hoc reſpondebatur, quod nunquam conſentiebant mutuationi tanti
“debiti, nec unquam inde ſciebant, unde in nullo tenentur illud adquietare. *Septimus.* Item
“petitum eſt ex parte Papæ, ut fieret prædicatio in omni feſtinatione de cruce per totum reg-
“num, ad expugnandum populum, quem curia provideret, vel ad crucem perpetuam redimen-
“dum. *Reſponſio.* Ad hoc reſpondebatur, quod populus terræ per bellum in magna parte peri-
“mitur, & ſi modo cruce ſignarentur, pauci, vel nulli ad defenſionem patriæ remanerent. Un-
“de manifeſtum eſt, quod Legatus vellet naturalem terræ progeniem exulare, ut alienigenæ
“liberiùs conquirere poſſint terram. *Octavus.* Item dicebatur, quod Prælati tenebantur ad om-
“nes petitiones, vellent, nollent, propter juramentum de *Coventre*, ubi juraverant, quòd Domi-
“no regi auxiliarentur modis omnibus quibus poſſent. *Reſponſio.* Ad hoc reſponderunt quod
“quando juramentum fecerunt, non intelligebant de alio auxilio, quam ſpirituali, conſilióque
“ſalubri

1273. cæteris metus incuteretur. Quum autem cognoviſſet *Admiralius Edwardum* per nuncium vulneratum, ingemuit; quoniam tale nefas nullatenus de ejus conſcientia emanavit. Propoſuerat nempe, ut quidam referunt, ſuam ſectam *Saracenicam* deſeruiſſe, & per *Edwardum* ad baptiſmi gratiam convolaſſe. Quum igitur *Chriſtiani* cognoviſſent *Edwardum* vulneratum taliter, in ultionem facti *Saracenos* invadere meditati ſunt. Quod *Edwardus* fieri omnino prohibuit, ita dicens: "Inhibeo ex parte Domini, ne quis veſtrum præſumat *Paganorum* exercitum quomo-"dolibet infeſtare, nil violenter improperare; quoniam multi noſtræ gentis ad Sepulchrum "Domini ſunt profecti peregrinandi gratia, qui ſi *Pagani* vel parvam moleſtiam per nos perpeſ-"ſi fuerint, omnes pariter *Saracenorum* manibus interibunt. Placuit cunctis hoc conſilium, & non ſolùm *Chriſtiani Edwardi* prudentiam collaudant, ſed & increduli, & ipſe Soldanus ejus ſapientiam prædicabat.

Annalis conclusio.

TRANSIIT annus iſte frugifer & fructifer, quietus, temperatus; *Anglis* ſub Rege vetere, nec triſtis, nec hilaris; *Francis* ſub novo Rege favorabilis; & lætus *Romanis*. Ad hæc de vacatione ſedis ſancti *Petri*, moleſtus.

Theobaldus *Placentinus in Papam electus, Gregorius decimus appellatur.*

ANNO gratiæ M.CC.LXXIII. qui eſt annus regni Regis *Henrici*, à conquæſtu tertii, quinquageſimus ſeptimus, *Theobaldus Placentinus Leodinenſis* Archidiaconus, qui devotionis cauſa cum domino *Edwardo* tranſierat in *Acon*, in Papam eligitur, & *Gregorius* decimus appellatur. Hic in *Acon* decretum electionis ſuæ per fratres *Prædicatores* & *Minores*, ad hæc ſpecialiter miſſos, recipiens; *Viterbium*, ubi expectabant eum Cardinales, cum celeritate acceſſit. Fecit autem unam ordinationem quinque Epiſcoporum Cardinalium, multùm laudabilem: quia valentes & honeſtas perſonas aſſumpſit. Hic etiam caſſato electo *Cantuarienſi*, Pontificatum ejuſdem Eccleſiæ, retulit *Roberto* de *Kile Wardebii*, qui eodem anno à Prioratu Provinciali fratrum ſuorum; quem undecim annis geſſerat, abſolutus fuerat, & etiam ad idem officium reelectus.

Roberto *de* Kile *Cantuarienſis Pontificatus traditur.*

Erat nempe de ordine fratrum *Prædicatorum*, qui non ſolùm religioſæ vitæ ſanctitate, ſed ſcientia & doctrina clariſſimus habebatur. Nempe ante ordinis ingreſſum, *Pariſiis* rexit in artibus; cujus in his peritiam, præcipuè quoad Grammaticam & Logicam, redacta in ſcriptis edocent monumenta. Poſt ingreſſum ordinis, ſtudioſus in divinis Scripturis originalibúſque ſanctorum patrum, libros *Auguſtini* ferè omnes, aliorúmq; Doctorum plurimos, per parva diſtinxit capitula, ſententiam ſingulorum ſub brevibus verbis annotando. Extant tractatus ejus de *Tempore*, de *Univerſali*, de *octo Scientiarum*, curioſus utiliſq; libellus. Conceſſit autem ei dominus Papa, ut munus conſecrationis eligere poſſet à quocunq; Epiſcopo Catholico, quem ad hoc duxit eligendum. Elegit autem *Willielmum Bathonienſem*, qui fama ſanctitatis inter cæteros multum efflorebat. A quo præſentibus undecim ſuffraganeis, Dominica prima in quadrageſima *Cantuariæ* conſecratur.

Crematur eccleſia Norwicenſis *à civibus.*

HOC anno orta contentione inter cives *Norwicenſes* & Monachos, inſtigante Diabolo tantum efferati ſunt cives & communitates villæ, ut totam illam celebrem eccleſiam cum ædificiis darent flammis, excepta capella ſancti *Walteri* ſecùs infirmarium. Nec contenti tanto facinore, vaſa, libros, & jocalia, quæ flamma non tetigerat, manibus ſacrilegis aſportarunt, cum cuppa aurea, quæ pendebat ad majus altare, in quo corpus Dominicum ponebatur. Super qua re indignatus admodùm Rex *Henricus*, per pietatem, inquit, Domini, vadam, & videbo perſonaliter ſcelus iſtud, & juxta ſua demerita reddam illis. Miſit igitur illuc ante faciem ſuam Juſtitiarium, militem quendam dictum *Trytet*, quem & Juſtitiarium fecerat de corona. Urgente autem mandato Regio horroréq; facinoris, magna multitudo convicta de ſcelere, ad caudas equorum tracta, ſuſpendio judicatur. Rex verò quàm citò potuit, aſſumpto ſecum Epiſcopo *Roffenſi*, & *Gilberto* Comite *Gloverniæ*, verſus *Norwicum* iter arripuit, cum non modico apparatu. Cùm vidiſſet eccleſiam conflagratam, & totam igne conſumptam, vix potuit ſe à lachrymis continere. Epiſcopus autem *Roffenſis* anathematizavit omnes, huic nequam facinori conſentientes. Proximam Rex confeſtim condemnavit villæ communitatem in tribus millibus marcarum argenti, ſolvendis eccleſiæ læſæ infra terminum: ad reædificandum dictam videlicet Eccleſiam, condemnati ſunt. Præterea ad reſtaurandum cuppam auream, de pondere decem librarum auri & valore centum librarum argenti. Dominus *Willielmus* de *Brunham* illius Eccleſiæ tunc temporis erat Prior. Cùm Rex *Henricus* condignam ultionem *Norwicenſibus* dediſſet ſacrilegis, *Londinum* redire decrevit. Et cùm ad Abbatiam ſancti *Edmundi* Regis declinaſſet, gravi languore corripitur: qui eum non deſeruit, uſque ad vitæ finem. Dum ægrotaret autem, venerunt ad eum Comites & Barones terræ, cum Pontificibus, ut tranſitui intereſſent.

Mors Regis Henrici *tertii.*

Confeſſus eſt autem peccata ſua humiliter, tundens pectus ſuum; & malam remittens omnibus voluntatem, emendationémque vitæ promittens. Ex hinc abſolvitur à Prælato, deinde devotè ſuſcepit corpus *Chriſti*, & unctione delibutus extrema eccleſiæ, Dominum ſuppliciter adoravit: jubens debita ſua ſolvi, & reſiduum indigentibus æquè partiri. Cùm hæc Rex ritè peregiſſet, reddidit ſpiritum ſuum Domino. Corpus autem ejus apud *Weſtmonaſterium* honorificè traditur ſepulturæ. Regnavit quinquaginta ſex annos, ampliùs quantum diſtat à feſto ſanctorum *Simonis* & *Judæ*, uſque ad feſtum ſancti *Edmundi* Pontificis, id eſt, viginti diebus. Duxerat autem in uxorem mulierem nobilem,

nobilem, filiam Comitis de *Saveye*, nomine *Elianoram*. De qua ſuſcepit filios, *Edwardum*, qui poſt ipſum regnavit; & *Edmundum*, qui fuit Comes *Leyceſtriæ* & *Lancaſtriæ*, & duas filias, videlicet *Beatricem*, quæ nupſit Comiti *Britanniæ*, & *Margaritam*, quæ fuit Regi *Scotiæ* conjugata. Iſte *Henricus* Rex, inchoavit novam fabricam Eccleſiæ *Weſtmonaſterienſis*, ſed non perfecit. Hic nempe Rex, quantum in actibus ſæcularibus putabatur minùs prudens, tantò apud Dominum majori devotione pollebat. Singulis namque diebus, tres Miſſas cum nota audire ſolebat. Et plures audire cupiens, privatim celebrantibus aſſiduè aſſiſtebat. Ac cùm Sacerdos corpus Dominicum elevaret, manum Sacerdotis tenere, & illam oſculari ſolebat. 1273.

CONTIGIT autem aliquando ſanctum *Lodowicum*, *Francorum* Regem, cum eo ſuper hoc conferentem, dicere, *quòd non ſemper Miſſis, ſed frequentius Sermonibus audiendis eſt vacandum.* Cui faceta urbanitate reſpondens, ait: *Se malle amicum ſuum ſæpiùs videre, quàm de eo loquentem, licèt bona dicentem, audire.*

Dictum facetum Regis Angliæ.

ERAT autem ſtaturæ mediocris, compacti corporis, alterius oculi palpebra demiſſiore; ita ut partem nigredinis pupillo celaret. Robuſtus viribus, ſed præceps in factis; in quibus tamen quia fortunatos & fœlices exitus habuit, putant eum multi apud *Merlinum* fatidicum per *Lincem* deſignatum, omnia penetrantem.

Forma ejuſdem Regis.

Finis vitæ cum fato.

VITÆ

DUORUM

Offarum ſive Offanorum,

MERCIORUM REGUM,

COENOBII *SANCTI ALBANI*

FUNDATORUM.

ET

VIGINTI TRIUM

Abbatum Sancti Albani.

UNA CUM LIBRO

ADDITAMENTORUM.

PER

MATTHÆUM PARISIENSEM.

Omnia nunc primùm edita ex MSS. Codicibus, *Vitæ* ſcilicet, ex duobus *Cottonianis*, unóque *Spelmanniano*; *Additamenta* verò ex unico *Cottoniano*.

LONDINI,
Excuſus *Anno Domini* M. DC. LXXXIII.

In Vitas Regum Abbatumque, & in Additamenta cum Auctario,
Præfatio ad Lectorem.

CUM tui intereſt (Bone Lector) quid in hoc Opere a nobis præſtitum ſit reſcire; en conſilii laboriſque noſtri participem te facimus. *Offarum* Vitas ſcimus inter *Matthæi* noſtri Opera, neç a *Lelando*, *Balæo*, *Kitſeove*, numerari. Eas tamen hic damus, quia ſuſpicamur ab illo aut conſcriptas, aut politas: genius etenim, ſtylus, manuſque, id nobis videntur perſuadere. Saltem ſi non ut ſuæ, tamen inter ſua; a ſemetipſo Eccleſiæ *Sanct-Albanenſi* aliquando donabantur. Ita enim & illa Epigraphe miniatis literis in initio *Offani* primi, & in margine libri exarata, manifeſto declarabit; ſcilicet, *Hunc librum dedit Frater Matthæus Deo & Eccleſiæ Sancti Albani, quem qui abſtulerit, vel titulum deleverit, Anathema ſit.*

Non quod Inſcriptionem iſtam genuinum fuiſſe *Pariſienſis* autographum, ut olim cum aliquibus, nunc adhuc credo; quod omnino non credo. Præterquam enim quod ductum deformationemque literarum per multa diſſimilem eſſe obſervavi, ab Scriptura illa alia, quam ipſiſſimam *Matthæi* fuiſſe manum nullus omnino dubito. Oratio ſane iſta, Epigraphen præfatam claudens, eique immediate ſubjuncta; illam, autographum ejus non fuiſſe, luculenter ſatis evincit; ſcilicet, *Anima ejuſdem Matthæi, & animæ omnium fidelium defunctorum, quieſcant in pace.* Defunctus igitur jam erat *Matthæus*, cum iſta in ejus libro, alius Confrater poſtſcribebat. Hoc interim (quod propoſito noſtro ſatis erit) vel hinc eſt eliciendum; hunc librum totum, ſcilicet ad *Matthæum* aliquando pertinuiſſe.

Reſtat jam, ut quod circa *Abbatum Vitas* ſit præſtitum, & qua authoritate fulti eas divulgavimus, certiorem te (Lector) faciamus. Scias igitur, nos omnium harumce *Vitarum*, tria nactos fuiſſe exemplaria, *Spelmannianum* ſcilicet unum, duoque *Cottoniana*. *Spelmannianum* autem illud, ab aliquo *Sanct-Albanenſi* Monacho olim conſcriptum fuiſſe, *Secundum antiquum rotulum Bartholomæi Clerici, qui cum Adam Cellario diu fuit ſerviens ei, & ipſum Rotulum ſibi retinuit; de ſcriptis ſuis hoc ſolum ſibi eligens.* Ita enim totidemque verbis reperitur ſcriptum in principio minoris libri *Cottoniani*, de Vitis Abbatum Manuſcripto. Hunc igitur *Rotulum* fere eundem fuiſſe conjectamus, (ſaltem quoad antiquiorum Abbatum vitas) cum eo quem ubique poſtea *Codicem* vocamus *Spelmannianum*; utpote qui noſtro Impreſſo, duobuſque *Cottonianis* MSS. brevior ſit & contractior. In illis ſcilicet, ut obſervare potes, quæ nos ubique in marginibus a Codice *Spelmanniano* deeſſe annotamus. Atque illa omnia (ſed non poſſumus dicere *ea ſola*) per *Matthæum Pariſienſem* Rotulo illi adjecta poſtea fuiſſe hariolamus.

Secundum Manuſcriptum *Minorem* ubique vocamus *Cottonianum*, qui & *Additamentis* conjunctus compactuſque, unum indiſcretumque conſtituit volumen. Hunc ut Textum noſtrum per omnia ſecuti ſumus. Eſt enim liber antiquiſſimus & authenticus; nec *Additamentorum* tranſcriptum aliud unquam credimus in toto mundo extitiſſe. Liber enim erat *Sanct-Albanenſis* Eccleſiæ archivis privatus & peculiaris. Codex autem Manuſcriptus tertius (quem & *Majorem* appellamus *Cottonianum*) plures Abbatum Vitas continet, quam in exemplari *Minori* reperiantur. Eas ſcilicet & eorum Abbatum, quas poſt *Matthæi* noſtri deceſſum, ad ſua uſque tempora continuerat *Thomas* ille *Walſinghamus*, *Sancti Albani* Monachus; *Matthæo* noſtro in Hiſtoria conſcribenda ſuccenturiatus, ejuſque per omnia deflorator. Quod ordo autem & hujus & illius *Cottoniani*,

aliquoties

aliquoties inter ſe ita differant, ut quod prius in uno, poſterius in alio ſit perſcriptum, hanc eſſe cauſam obſervavi. Nimirum quia cum quædam in margine vel ora ſui *minoris* & originalis libri, quaſi poſtſcripta vel additiria, & ut in mentem ſibi venerant, poſt primam ſcriptionem adjecerat *Pariſienſis*; illa in textum Tranſcripti ſui, eo ordine locoque inſeruit poſtea *Walſinghamus*, ubi ſibi convenientius videbatur. Omnes autem differentias iſtas in marginibus tibi, Lector deſignamus.

Inſuper monemus, *notas* illas *marginales* quæ incurſum (ut Typographi loquuntur) in lineas contextus faciunt; *Rubricas* eſſe & Capitum *Titulos majoris Cottoniani* ſive *Walſinghamiani*. Tres illas (exempli cauſa) pag. 109. incipientes, *Ut monachi, ne numerus, de tribulationibus.* Cæteras, quæ mere marginales & literales ſunt, *minoris* Rubricas eſſe recognoſce. Omnes autem quæ mei Editoris obſervationes ſunt, a reliquis hoc ſigno **Nota*, aut indiculo alio eminenti ſeparavi. Harum autem ſpecimina pag. 93. & 109. alibique ſæpius, poteris reperire.

Atque hos MSS. codices duos, pro nativa ſua humanitate, & in bonum publicum propenſiſsima voluntate, mutuo nobis dedit nobilis Dominus *Thomas Cottonus Baronettus*; ex inſtructiſsima nimirum, totique mundo literatorum notiſsima manuſcriptorum Bibliotheca, quam judicio maximo, impenſiſque ſumptuoſiſsimis, ſibi Muſiſque publicis theſaurizaverat illuſtriſsimus pater ejus, natalibus eruditioneque clariſsimus, Dominus *Robertus Cottonus* Baronettus. Quem honoris gratitudiniſque cauſa nomino, utpote mihi quondam notiſsimum amiciſsimumque.

Tertium autem Manuſcriptum accommodavit nobilis ille doctiſsimuſque Dominus *Henricus Spelmannus* Eques auratus; eruditionis reconditioris judiciique acerrimi vir, noſtræ *Britanniæ* lumen gloriaque. Amicus inſuper meus ſingularis, in ſtudiis adjutor præcipuus, & qui me primus ad Antiquitates eruendas, tam verbo quam exemplo aliquoties ſtimulavit erudivitque.

Monemus tertio, quod ſi quandoque Amanuenſis noſter, qui *Vitas* ex Manuſcripto nobis tranſcripſit; vel etiam Typographus ipſe, ordinem originalis parumper immutarint; vel Notas noſtras Marginales in Textum per incuriam aſſumpſerint: ea fere omnia aut in Marginibus denotata, aut in *Adverſariis* noſtris, Erratiſve Typographicis, tu Lector invenies obſervata.

Liceat ultimo, & quid actum ſit circa librum *Additamentorum*, hic palam facere. Dicimus igitur occaſionem ea ſcribendi, ab ipſo Authore alicubi in *Hiſtoria* ſua fuiſſe datam; ut ſcilicet *illud volumen deoneretur* (a). Reliquas de eo libro obſervationes noſtras (brevitatis ergo) in has conjecimus propoſitiones:

(a) Hiſtoriæ, circa p. 689.

1. *Hiſtoriam* hanc *majorem*, *Vitas Abbatum*, atque *Additamenta* ſua, uno eodemque tempore Authorem ſub manibus habuiſſe.

2. *Additamenta* cum *Vitis*, ut partem *Hiſtoriæ* ſuæ, volumenque quaſi alterum & ſuccedaneum, Authorem agnoviſſe. Tantum enim & verba ejus cum Nota noſtra ad paginam *Vitarum* 93 luculenter ſatis demonſtrabunt.

3. *Additamenta* tamen cum *Vitis* unum volumen ab *Hiſtoria* ſeparatum conſeciſſe (b).

(b) *Vide* Vitas p. 1040. l. 43.

4. *Hiſtoriam* ſuam *Matthæum* ſæpius relimaſſe, cum jam volumen *Additamentorum* fere perfeciſſet. Atque veritatis hujus obſervationis illud indicio eſſe poteſt, quod in *Vitis* aliquando nos ad *Additamenta* pro iis remittat, quæ (titulo licet parumper variato) ipſemet *Hiſtoriæ* ſuæ (quaſi ſui oblitus) etiam inſeruerat. Sit in exemplum Imperatoris *Frederici* Teſtamentum; quod nos jubens quærere inter *Additamenta* (e), ipſemet tamen inſeruerat *Hiſtoriæ* (f).

(e) Hiſtoriæ circa p. 678.
(f) Hiſtoriæ, circa p. 685.

5. *Additamentorum* volumen nunquam ab eo fuiſſe perfectum. Multa igitur ibi fruſtra quærebamus; etiamſi & multo plura ibi inveniantur, quam in *Hiſtoria* aut evocentur aut citentur, vel a nobis hic imprimantur.

6. Mat-

6. *Matthæum* tunc primum *Hiſtoriam Additamentis* augere incœpiſſe, cum iam ſcribendo ad propria fere devenit tempora. Hoc eſt, non ante mortem fere *Rogeri Wendoveri.* Qui cum ſcribere deſierat ſub annum Domini 1235. non niſi duo duntaxat *Additamenta*, ante id temporis *Hiſtoriæ* ſunt immiſſa, *Compoſitiones* ſcilicet *ſanct-Albanenſium* cum Epiſcopo *Lincolnienſi*, anno 1219. & cum *Norwicenſi*, anno 1228. Quæ ambæ, etiam ſub *Willielmo* Abbate ſunt tranſactæ, ſub quo Frater *Matthæus* in monachum tondebatur.

7. Librum *Additamentorum*, per alia etiam nomina Authorem non ſemel appellaſſe. Ut, Librum *qui eſt huic* (ſcilicet *Hiſtoriæ*) *continuandus* (a). *Librum Literarum* (b). &,finem, vel *in fine libri* (c). Aliquando tamen, nude, & ſine titulo alio, *ad ſcripta in Eccleſia ſancti Albani*, (d): vel *apud ſanctum Albanum* (e), nos remittit.

8. Ultimo per *librum Additamentorum*, *Matthæum* intellexiſſe totum volumen illud, quod *vitas* continet una cum *Additamentis*. Hoc eſt, omnia præter *hiſtorias Majorem*, *Minorem*, Chronicamque. In *Hiſtoria* enim *minore* licet quædam inveniantur, quæ nos juſſit inter *Additamenta* quærere, nec tamen ibi ſint (f); ille nihilominus *Liber*, non eſt *Additamentis* annumerandus. In *minori* enim, Author ipſe Lectores non ſemel ad *Additamenta* remittit (g).

Atque hæc de hiis monuiſſe, ſatis erit. De *Auctario Additamentorum*, propria ante id *Præfatione* diximus: ad quam te remittimus. Conſilii iam noſtri conſcium te (Lector fecimus. Te, ut boni conſulas, per Muſas amœniores omnes obteſtamur. Sic nobis (cum bono Deo) Tibique, vivas valeaſque.

(a) *Hiſtoria* p. 581. l. 23.
(b) *Hiſtoriæ* p. 608. l. 64. & p. 635. l. 45.
(c) p. 627. l. 5.
(d) *Hiſtoriæ* p. 778. l. 54.
(e) *Hiſtoriæ* p. 822. l. 64.
(f) Vide *Hiſtoria* p. 702. l. 3. & p. 814. l. 8.
(g) *Hiſtoria minor* an. 1240. alibique ſæpius.

IN

VITAS

REGUM OFFARUM

Adverſaria, vel *Cenſura*

EDITORIS.

T*E* (*Lector bone*) *falli non patimur, ſi non nos ipſi decipiamur prius. Cum omni, igitur, judicii candoriſque libertate, (quam & tibi optamus) monendum hic cenſemus; nos primi* Offæ *vitam, pro puro puto figmento reputare. Opellam ſi non totam, vel* Wendoveri, *vel* Matthæi *noſtri, ſaltem* Sanct-Albanenſis *alicujus monachi: qui cœnobii natales ſe tanto clariores ſperabat redditurum, ſi ad Regem Fundatorem referrentur. Enimvero, non illius tantum, ſed & doctioris ævi ſcriptoribus valde complacuiſſe video; gentium urbiumque ſuarum origines ſubobſcuras, vel a diis ipſis, vel a Regibus Populiſve maximis definxiſſe.*

Sed ad cenſuram. *Cujas qualiſve fuerat hic* Offa *primus, ignoratur prorſus: altum enim de illo, inter Scriptores noſtros antiquiores, ſilentium. Suſpicabar aliquando, mendum irrepſiſſe in Manuſcriptum; & pro* Occidentalium Anglorum *Reges* (a), *ſubſtitui debuiſſe* Orientalium Anglorum*: eo quod in Heptarchia illa* Saxonica, *Rex eorum primus,* Uffa, *hiſtoriographis noſtris* (b) *nominetur: A quo reges* Eſt-Anglorum Uffingas *appellari, nos docuit* Huntindonus (c). *Sed ubi tunc* Warmundus *ille,* Offæ *iſtius pater; in regnoque anteceſſor? Diligentius, tandem, in ſtemmate* Saxonico *veteri regum* Mercianorum *inquirenti, occurrit* Offa *quidam cum* Warmundo *patre; quos cito tamen deprehendi noſtros non fuiſſe.* Offam *enim illum,* Mercurii *ſive* Wodeni Saxonum *Dei fuiſſe abnepotem, & illius patrem* Warmundum, Mercurii *nepotem; genealogiæ* (d) *tradiderunt.* Wodenum *inſuper iſtum, in decimo quarto poſt* Noachum *gradu ſtatuerunt* Matthæi *illi duo, a nobis in margine laudati. Sed neque illi neque alii, aut* Offam *iſtum vel* Warmundum, *inter Reges* Saxonicos *enumerarunt: utpote qui ſeculis aliquot jam vivere deſiiſſent, antequam* Saxones *Heptarchiam ſuam nominatiſſimam, in* Anglia *fundare inceperunt. Ne igitur ſuſpiceris* Uffam *illum,* Offam *fuiſſe noſtrum, quod & hic & ille a* Wodeno *ſtemma deduxerint genitale; ſcias etenim* Malmesburienſem *noſtratem,* Redwallum Eſt-Anglorum *regem ab* Uffa *tertium; in decima a* Wodeno *linea poſuiſſe* (e)*: unde neceſſario eſt colligendum, quod* Uffa *iſtius* Redwalli *avus* (f). *A* Wodeno ſeptimum, *non cum* Offa, quartum, genus ſit nactus. Occidentalium, *igitur,* Orientaliumve Anglorum *Rex, nunquam hic* Offa *fuit: nec* Warmundo *patri ejus,* Riganus *extitit* rebellis (*g*).

(*a*) Vide *Offæ* I vitam. *p.* 96 l. 1.
(*b*) *Polydor. Vir.* Hiſtor. *l.* 4. *p.* 68
(*c*) *Huntindon.* *l.* 2. *p.* 181.
(*d*) *Huntindon,* *lib.* 2. *p.* 181. *Hoveden,* annal. parte 1. *p.* 234. *b lin.* 33. *Ethelwerdus,* l. 2. c. 19. p. 477. *Wendoverus* Ms. ad annum Chriſti 715. *Matthæus Paris* Ms. ad annum 758. *Mat. Weſtmonaſterienſis* ad Ann. 758. *Flor. Wigornenſ.* p. 688
(*e*) *Malmesbur.* de geſtis Reg. *l.* 1. *c.* 6. *p.* 18.
(*f*) *Huntindon.* *l.* 2. *p.* 181. *l.* 3.
(*g*) Ut aſſeritur in *Offæ* vita, *p.* 1. *l.* 13.

Quomodo,

Quomodo, inſuper, & illæ Offæ *iſtius a* nativitate cœci mutique, *ad* viſum loquelamque reſtitutiones *tam ſubitaneæ* (h): *uxoris* (Eboracenſis) *Reguli, neſcio cujus, filiæ*) caſu *inter* venandum repertio (*i*): *& illa ſimul, de* liberorum *ejus* membratim *diſcerptione, corpuſculorumque, poſtea, redintegratione tam miraculoſa, & a ſeculis inaudita, narratiuncula* (k): totam *ejus hiſtoriam non reddent ſuſpectiſſimam? Taceo fabellam male fictam illam, de* odio doloque Eboracenſis *præfati Reguli, in filiam generumque ſuum* (l): *una cum nuncii* Offani deceptione *tam ſtupida* (m). *Omitto, inſuper, & alia falſitatis indicia non obſcura, & ad* Offam *ſecundum tranſeo.*

(h) Ibid. p. 1 l. 8. & p. 962. l. 4.
(i) Ibid. p. 965. l. 31.
(k) Ibid. p. 967. l. 3.
(l) Ibid. p. 966. l. 44.
(m) Ibid. l. 45.

In quo, ſane, & fabuloſa non pauca veris intermiſceri, in aliiſque diligentiam deſiderari, inficias non ibo. A cujus ortu ſi incipiamus, eum ut priori ſimillimum *depingeret hiſtoriæ Conſarcinator; a nativitate itidem* debilem, cœcum, mutumque *effinxit: &* ex contracto, muto, cœcoque, *de ſubito factum* elegantem corpore, eloquentem ſermone, & acie perſpicacem oculorum (*n*). *Quod unde vel a quibus hauſerat Author, mihi non licet augurari. Hoc interim ſatis certum: bellicoſiſſimum nempe juvenem* Offam, *a* Merciis *jam civili bello contra* Beormredum *unius* anni Regem *implicatis, in militiæ ducem fuiſſe delectum; & non tantum fœda ſtrage tyrannum* (o) *profligaſſe: ſed & ei* ex Mercia *jam depulſo, unanimi magnatum populique* conſenſu in *imperie ſucceſſiſſe* (p). *Atque hæc ſub* annum Domini 758, *feruntur contigiſſe.*

(n) Vide Offæ 2 vitam. p. 969. l. 42.
(o) Pro eo quòd populum non æquis legibus, ſed per tyrannidem gubernaret *Wend* Ms. ad an. 758. *M. Paris* Ms. ib. M. *Weſtmonaſt.* ibid. (*p*) *Hoved* part 1. *p.* 231. *l.* 35. & *p.* 234. *b. l.* 31. *Huntindon* l. 4. *p.* 196. *a l.* 43. & *p.* 198. *b.l.* 31. *Malmesb.* de geſtis Regum, *l.* 1. *p.* 14. *b.l.* 35. *Ingulphus p.* 486. *a l.* 21. *Wend.* Ms. & M. *Paris* Ms. & M. *Weſtmonaſt.* ad ann. dom. 785.

Quod vero Beormredum lethaliter *eo prælio affirmet author* (r) vulneratum; *libentius illi condonabo: quoniam errorem illum* ex Malmesburio & Ingulpho (*bonis interim authoribus*) *poterat deprompſiſſe. Illos enim inter antiquiores ſolos novi, qui hoc, ſed falſo, docuerunt* (ſ) *Falſo, dixi, quia* Beormredus *non tantum ex eo prælio fuga eſt elapſus* (t); *ſed undecim, ad minus, annis, ſupervixit.* Rogeri Wendoveri, Matthæorumque Pariſienſis, Weſtmonaſterienſiſque *fide hæc ſcribo; ut qui memoria prodiderint,* Cataractam civitatem, *ſub annum Domini* 769. crematam a *Beormredo* tyranno rege *Merciorum* depoſito; qui infelix eodem anno juſto Dei judicio, incendio periit (u). *Quibus &* Rogerus Hovedenus *plane conſentit, ut &* Antiquitatum Britanniorum *author: niſi quod* Carnredus *pro* Bernredus; *perperam apud primum ſit ſcriptum, &* Eornredus, *in ſecundo* (x).

(r) Offæ vita, p. 970. l. 14.
(ſ) Malmesbur. de geſtis Reg. l. 1. p. 14. b. l. 35. *Beormredo eodem anno periit.* Ingulphus p. 486. l. 42.
(t) Offa fugavit Beornred, regnavitque ſuper Merc. *Huntind. lib.* 4. *p.* 196. *l.* 43. & *p.* 198. *b l.* 39.
(u) *Wendover.* Ms. M. *Paris* Ms & *Weſtmonaſter.* ad ann. dom. 769. *Cataracta autem urbs,* in Richmondſhire in *agro* Eboracenſi; *ubi hodie viculus pertenuis* Cattarick, Camdeno *noſtro locatur.* (*x*) *Hoveden p.* 23. *b. l.* 27. ad Ann. 769. *Antiq. Brit. p.* 62. in *Lamberto.*

Belliſſimæ, inſuper, & illi hiſtoriolæ, de Drida *uxore ad terram* Offæ (*quæ, interim, totius* Angliæ *maxime erat mediterranea*) in cimba ſine armamentis ex Galliis *fortuto appulſa* (y); *fidem adhibeat,* Judæus apella, non ego. *Cum iſta enim fingendi libidine propoſitoque, videtur fabrefacta; ut hunc* ſecundum, *ſcilicet,* priori *Offæ* ſimillimum (z), *etiam in uxore deprædicaret. Leviculam inadvertentiam illam, non ei vertam vitio; quod* Caroli Francorum Regi demortuo, alium ſubſtituat Carolum (a). *Forte, enim, fefellerant eum* Wendoverus (b), *aliique noſtrates Hiſtoriographi, qui priore loco* Carolum *poſuerunt pro* Carolomano. *Quod & illum docuiſſe poterant* Hovedenus, Wigornienſis, *&* Malmeſburienſis *noſtri* (c). *Hoc, interim, eſt notiſſimum:* Offam, *nimirum,* Carolo magno *fuiſſe contemporaneum, cum eoque plurima negotia exercuiſſe.* Negotiatorum, *enim,* commeatus *inter eorum regna* prohibitos, *narrat noſter* Alcuinus: *etiam & Epiſtolam* Carolinam *ad* Offam *recitat* Malmeſburienſis (d); *idque in eiſdem fere verbis, cum hoc noſtro* (e). *Veram igitur hanc Epiſtolam fuiſſe,*

(y) Offæ 2. vita p. 971. l. 10.
(z) Vide Titulum vitæ prioris Offæ.
(a) Offæ 2. vita p. 2. l. 44.
(b) *Wendover.* Ms ad Ann. 771. & M. *Paris* ibid.
(c) *Hoveden. p.* 231. *b. l.* 29. & 30. *Malmesburi.* p. 13. *a. l.* 25. *Wigorn. p.* 573. Ann. 770.
(d) Malmesburi. p. 17. l. 14 & 38.
(e) Vide Offam. 2. p. 978. l. 7.

ſuiſſe, nullus dubito : nec aliis illis duabus contradico, alibi (f) *ab Authore noſtro recitatis.*

De victoria Offana *in Regem (quem nominare non poterat)* Eſt-Anglorum*:* (g) *grandem, fateor, ſuſpicionem mihi ſuboriri. Licet enim* Wendoverus *cum ſequaci ſuo* Pariſienſi (h) *tradiderint,* Offam Eſt-Anglorum gentem armis ſubjugaſſe: Weſtmonaſterienſis *tamen* Pariſienſis *noſtri deflorator, & aliquoties corrector,* Anglorum, *non* Eſt-Anglorum, *tantum meminit* (i). *Sed clarius veriuſque* Hovedenus: *qui non* Eſt-Anglorum *gentem, ſed* Heſtingorum *habet* (k) *Tribum, ſi forte, aut populum potentiorem aliquem inter reliquias* Britannorum *intelligit, a* Merciis *nondum debellatum* (l). *Gentem illam* Haſtingorum *conjicio, accolam incolamque vetuſtæ urbeculæ illius de* Haſtings, quinque Portuum *Capitalis: quos* Haſtingos *in eiſdem partibus uſque ad* Normannorum *tempora ſubſtitiſſe, eruditiſſimus* Camdenus *me docuit: & quod ab* Haſtingis *iis, illuſtris* Haſtingorum familia qui Huntingdoniæ ſunt Comites, hoc titulo de Haſtings *lætatur* (m).

In hoc ſive fæliciter conjectavi ſive non (perinde enim eſt, vel ſic, vel ſecus) nunquam tamen ut credam induci poſſum, Offam *illud* Eſt-Anglorum *ſive* Norfolcienſium *meorum regnum* Alberto conceſſiſſe, * quod eum jure ſanguinis contingebat, *ut hic noſter affirmavit* (n). *Certiſſimum enim eſt, hunc* Albertum *fuiſſe* Ethelbertum *ſive* Egilbrictum *illum, quem patri* Ethelredo *in* Eſt-Anglorum *imperio ſucceſſiſſe, tradiderunt* Malmesburienſis (o) *&* Polydorus (p). *Ullam igitur ab* Eſt-Anglis *victoriam reportaſſe* Offam, *a nullo omnium* Rerum Anglicarum *ſcriptore memoratur. Nam hos ſi antea ſubjugaſſet, quid opus ei erat tam nequiter* Albertum *poſtea interfeciſſe,* ut regnum ejus ſuo regno prudenter copulando ſolidaret (q)*? Immo nec* Alberto *interfecto, tam firmiter regna* ſolidavit, *quin* Eſt-Angli *ſeorſim ab eo tempore Reges habuerint ſuos ; uſque ad Sancti* Edmundi *ætatem, adventumque* Danorum *truculentum. Interim cum* Malmesburio *fateor,* paucos *in Eſt-Anglia* potentes regnaſſe (r). *Non adeo tamen imbecilles imbellesve, quin* Bernulphum, Ludicanumque, Merciorum *Reges ſucceſſivos,* aperto bello ſuperarint & occiderint (ſ).

Sed quoniam in regis Alberti *necis incidimus mentionem, liceat & aliam authoris fraudem detegere, ſed tamen piam: utpote, ad excuſandum Cœnobii ſui* Fundatorem, *excogitatam.* Fraudem *illam dico, qua ſceleſtiſſimam illam tam innocentiſſimi principis proditionem, in* Quendridam *ſolam rejicere conatur* (t). *Atque hæc eadem excuſatio, licet apud* Wendoverum, Pariſienſem, Weſtmonaſterienſemque *inveniatur* (u) *hi tamen* ſanct-Albanenſes *monachi quatuor, pro uno eodemque authore ſunt habendi.* Huntindono, *potius,* Hovedeno, Ethelwardoque *eſt fides adhibenda : qui* Eſt-Anglum *Regem, non in* foſſam corruiſſe, illi in thalamo a *Quendrida* præparatam *(ut* ſanct-Albanenſes *prædicti affirmarunt) ſed* ipſius *Offæ* juſſione capite fuiſſe detruncatum (x). *Neque his tamen omnino acquieſco : utpote qui nullam* Quendridæ *mentionem fecerint. Media, igitur, via cum* Wigornienſi Florentio, *& ejus veſtigia premente* Polydoro *iter carpens ; utrarumque partium opiniones commiſcens :* Quendridam, *credo,* dediſſe conſilium, *ſed* carnificem *ab ipſo* Offa *fuiſſe* miſſum ; qui noctu *Ethelbertum* inopinantem jugulavit, *vel ei* caput abſcidit (y).

Porro, in hoc uno deſiderari videtur authoris diligentia : in nomine ſcilicet regalis illius virginis, ob cujus amorem procus devenerat Albertus *juvenis, in aulam* Merciani *Regis.* Aelfledam, *eam appellavit author* (z): *&* Alfredam, Polydorus (a) : Alfledam *etiam* Wendoverus, *cum conſectaneo ſuo* Matthæo Pariſienſi

(f) Ubi ſupra. p. 973. l. 16. & p. 978. l. 26.
(g) Ubi ſupra. p. 972. l. 41.
(h) Wendover. & M. Paris. Ms. ad Ann. 771.
(i) M. Weſtmonaſ. ad Ann. 771.
(k) Hoveden p. 231. b. l. 28. ann. 771.
(l) Nam adhuc Britanni armis pollebant: & cum Saxonibus infra Angliam prælia frequenter conferebant. Unum, poſt hoc tempus, inter Britones & Gentem Devenſcire, apud Gaveford: recenſet Huntin. p. 197. b. l. 46. vide & Flor. Wigorn. An. 731. & 743.
(m) Primis Normannorum temporibus, nobiles in hoc agro Haſtingi, & de Haſtings dicti fuerunt. Camdeni Britannia, in Suſſex, p. 226.
(n) Offæ vita. p. 980. l. 18.
(o) Malmesb. l. 1. p. 18. a l. 41.
(p) Pol. Virgil. l. 4. p. 68. l. 37.
(q) Offæ vita, p. 982. l. 26.
(r) Malmesb. l. 1. c. 6. p. 18. a l. 42.
(ſ) Malmesb. l. 1. c. 5. p. 17. b l. 41. Huntind. l. 4. p. 197. b l. 45. Ingulphus, p. 486. b. l. 53. & l. ult. Wigor. p. 579. an. 823. numero 10. & an. 825. num. 12.
(t) Offæ vita, p. 980. l. 62. & l. 22. p. prox.
(u) Wendover, & Paris: Ms. ad An. 792. Weſt. ad An. 793.
(x) Offa præcepit amputari caput ſi Ethelbrichti. Huntind. p. 197. a. l. 39. Hoved. p. 235. b. l. 30. Ethelward. p. 477. b. l. 52.
(y) Florent. Wigorn. An. 793. p. 577. Polydor Vir. Hiſtor. l. 4. p. 69.
(z) Offæ vita, p. 989. l. 28.
(a) Polydor Vir. Hiſt. l. 4. p. 69.

enſi (b). *Uterque tamen memoria lapſi:* Alfleda *enim nomen erat ſorori illius natu majori; quam* Northanhumbrorum *Regem* Etheldredum *ſibi matrimonio copulaſſe, ii ipſi, una cum* Hovedeno, *nobis ſunt authores* (c). *Mallem* Ingulpho *credidiſſe: Abbati, ſcilicet, Cœnobii* Croilandenſis; *ubi illa Offæ* filia, ac ſancti martyris *Ethelberti* quondam Regis *Eſt-Anglorum* ſponſa, *perpetuam Virginitatem eſt profeſſa* (d). *Abbas autem* Ingulphus, *eam appellavit* Etheldritham: *quomodo, ſcilicet, in cœnobii matricula ſcriptum invenit. In hoc inſuper, author paulo negligentior videri poteſt; qui cum* Ælfedam *ſcripſerit* habitum ſuſcepiſſe religionis ut virgo martyris veſtigia ſequeretur (e): *Locum tamen, aut cœnobii nomen, nobis omiſerit deſignare.*

(b) Wendover. & Pariſienſ. Ms. ad an. 792.
(c) Wend. & Par. ibid. Rog. Hov. p. 232. b. l. 15.
(d) Ingulp. Hiſt. p. 487. a. l. 9.
(e) Offæ vita, p. 981. l. 30.

In altero etiam, non eſt author excuſandus; in mortis, *ſcilicet, ſeu* divinæ vindictæ *(ut vocat) genere, qua percuſſam* Quindridam, a latronibus in puteum ſuum proprium fuiſſe præcipitatam *deſinxit* (f). Quendridam *enim ſeu* Cynedryth *reginam* invenio, *marito* Offæ *ſuperſtitem fuiſſe; & cum* Ecgfrido *filio,* Merciorum *poſt* Offam *patrem Rege, donationum Chartas duas conſignaſſe, nomenque cum cruce (ſigilli vice) appoſuiſſe. Vide tu, ſi placet,* Additamentorum Auctarium *noſtrum* (g).

(f) Offæ vita; p. 982. l. 5.
(g) Auctarium p. 1152. l. 60. & p. 1153. l. 17. Circa id temporis, vel paulò ante, *Cyn*, (pro qua nos *Quen* pronunciamus) id eſt *Regina*, in reginarum nominibus, familiaris erat compoſitio. In hoc ipſo *Merciorum* regno, & aliam, non multò poſt, invenio *Quendridam*. *Malmesb.* p. 49. b. l. 2. *Ingul.* p. 486. b. l. 41. *Flor. Wigorn* p. 577. An. 815. Occurrit & *Quenburga*: apud *Huntindonum*, l. 3. p. 188. b. l. 7.

Authorem ulterius perſequi, nec libet nec vacat. Victoriis Offæ quamplurimis bellum non hic indico: Non iis, præſertim, quæ ab Hiſtoriographis noſtratibus aliis, bonam reportarunt atteſtationem. Offam, *inſuper, dimidium archiepiſcopatus* Cantuariæ, Lichfeldiam *ſuam tranſtuliſſe* (h), *agnoſco. Odio enim* Cantuaritarum *ſeu* Kentenſium *quos in parte jam devicerat, &* Lamberti Archipræſulis, *dicunt fuiſſe* (i) *factum; & in Synodo apud* Chalcuthe (k) *anno domini* 788. *tranſactum. Ibi etiam &* Ecgfridum *ſeu* Ecgfertum *filium coronavit* (l): *qui &* octo annis patri conregnavit: *eique non ultra* 141. dies ſupervixit (*m*).

De viſione in urbe Bathonia, *cœlitus* Offæ *Regi oſtenſa; ut & de* Revelatione *oſſium* Sancti Albani; *nihil dico: ſit fides penes authorem* (n).

Offam, *denique, opulentiſſimum illud in honorem* Sancti Albani Anglorum *Protomartyris glorioſi, cœnobium fundaſſe dotaſſeque, certo certius eſt. Immo, & quod in urbe* Londoniarum *palatium ſibi extruens capellam juxta fundarit (quæ nunc mea parochialis eccleſia eſt) a* Matthæo Pariſienſe *didici* (o). *Dum pietatem laudo, vitia ejus non carpo: nec lubet* Malmesburienſem *in eam rem huc citare* (p). *Sufficiat gratitudini meæ, Authorem hucuſque fuiſſe imitatum: & gloriam Fundatoris Eccleſiæ meæ, ut ille Cœnobii ſui, pro viribus in iſtac opella propagaſſe: & in ejus, Lectoriſque gratiam, a veris falſa reſecuiſſe. Sed non omnia, credo: & mallem, non nimis ſevere. Tu Lector, quod in me diſplicet rejicias: utere tuo judicio, (ſed cum favore) ut & ego meo. Hac conditione liberrima, tecum ſemper ago. Ita enim decet eos, qui bono publico ſtudent: quod & ego facio. Hanc conditionem ſi amplecteris, & me amplectiere, qui ſim tuus totus.*

(h) Offæ vita; p. 978. l. 53. & p. 982. l. 38.
(i) Wend. & M. Paris. Ms. & Weſtm. An. 765.
(k) Wend. M. P. & Ann. 788. Weſtmonaſt. Ann. 789.
(l) Iidem ibid.
(m) Wend. anno 769.
(n) Offæ vita, p. 983. l. 12. &c.
(o) In vitis Abbatum: p. 102. l. 35.
(p) Malmesbur. p. 15. b. l. 20. & p. 17. b. l. 3.

DUORUM

OFFARUM

ET

Viginti Trium Abbatum:

PAGINÆ INITIALES.

	Pag.
Offa R. I.	961
Offa R. II.	969
Willegodus Abbas primus.	990
Eadricus Abbas ſecundus.	991
Vulſigus Abbas tertius.	992
Vulnothus Abbas quartus.	*ibid.*
Eadfrithus Abbas quintus.	*ibid.*
Vulſinus Abbas ſextus.	993
Alfricus Abbas ſeptimus.	*ibid.*
Ealdredus Abbas octavus.	994
Eadmarus Abbas nonus.	*ibid.*
Leofricus Abbas decimus.	995
Alfricus Abbas undecimus.	996
Leofſtanus Abbas duodecimus.	998
Fretthericus Abbas decimus tertius.	*ibid.*
Paulus Abbas decimus quartus.	1007
Richardus Abbas decimus quintus.	1005
Gaufridus Abbas decimus ſextus.	1007
Radulphus Abbas decimus ſeptimus.	1014
Robertus Abbas decimus octavus.	1015
Simon Abbas decimus nonus.	1036
Garinus Abbas viceſimus.	1039
Johannes I. Abbas viceſimus primus.	1046
Gulielmus Abbas viceſimus ſecundus. *ult.*	1047
Johannes II. Abbas viceſimus tertius.	1063

ADDITA-

ADDITAMENTORUM
INDEX.

Pag. 463. lin. 16.

RESponſio Laurentii de S. Albano, pro Huberto Cantiæ Comite. 1077
Pag. 256. lin. 14. Compoſitio inter Epiſcopum Lincoln. & Abbatem S. Albani. p. 1077
Pag. 581. l. 22. Capitula foriſfactorum ſuper Foreſta Regis. p. 1081
Pag. 608. l. penult. Quomodo puniuntur malefactores, in parcis vel vivariis. p. 1083
Pag. 627. l. 5. Autenticum Innocentii 4. ſuper canonizatione Ædmundi Cant. p. ibid.
Pag. 637. l. 45. } Pag. 635. l. 30. } Pag. 639. l. 59. } Poteſtas conceſſa fratri Johanni de Ordine Minorum: ubi etiam plura Autentica & mandata papalia, eidem Johanni facta, occurrunt. p. 1085, &c.
Pag. 638. l. 63. De Tranſlatione beati Ædmundi Confeſſoris. p. 1087
Pag. 641. l. 63. De ſanguine Chriſti, Regi collato: unde quæſtio movebatur. ibid.
Pag. 648. l. 50. Literæ ſuper liberatione obſidionis Civitatis Parmæ. p. 1809
Pag. 649. l. 54. Literæ D. Regis, de reprobatione retonſæ monetæ. p. 1090
Pag. 665. l. 56. Epiſtolæ de converſione Regis Tartarorum. ibid.
Pag. 665. l. 65. Literæ Comitis Attrabatenſis, de captione Damiatæ. ibid.
Poſtea etiam ſuper eadem captione Damiatæ, occurrunt plura teſtimonia. Scilicet, Major evidentia de captione Damiatæ. p. 1091
Item, Literæ Magiſtri militiæ Templi, ſuper præmiſſis. p. 1093
Item, De relatione D. Johannis Monachi de Pontiniaco. ibid.
Pag. 666. l. 3. Statuta Abbatum Nigri ordinis. Anno gratiæ 1249. p. 1094
Item, Innovatio ſtatutorum (eorundem) per Innocentium quartum. p. 1097
Ibid. l. 37. Cauſæ diſſenſionis inter Weſtmonaſterii Abbatem & Conventum. (Non inveniuntur.) p. 1102
Pag. 667. l. 36. Literæ Regis Tartarorum: de Chaldæo in Romanum, de verbo ad verbum. (Gallicé.) ibid.
Pag. 669. l. 44 Impetratio Epiſcopi Lincolniæ. ibid.
Pag. 677. l. 50. Decretales novæ Innocentii quarti: Quarum authoritate, Banifacius Cantuar. Archiepiſc. intendebat viſitare. ibid.
Pag. 683. l. 8. Forma rapinæ Bernardi de Nympha, (vide in Auctario.) p. 1133
Pag. 695. l. 11. Litera Apoſtolica contra ſententiam prolatam in Canonicos S. Pauli Londini; ab Archiepiſcopo Cantuar. eos volente viſitare. ibid.
Ibid. l. 19. Teſtamentum Frederici Imperatoris. p. 1104
Pag. 698 l. 53. & pag. 699. l. 6. } Pag. 701. l. 8. } Mandatum magiſtri Hoſpitalis. ibid.
Pag. 702. l. 3. Summa expenſarum Regis. (non inveniuntur.) p. 1105
Pag. 705. l. 52. Injuriæ Willielmi de Valentia. (non inveniuntur.) ibid.
Pag. 710. l. 18. } Pag. 712. l. 41. } Decretalis P. Innocentii, de privilegio exemptionis. ibid.
Pag. 713. l. 43. Statuta in provinciali Capitulo, celebrato Londini. ibid.
Pag. 725. l. 38. Literæ Authenticæ pro viſitatione Archiepiſcopi Cantuariæ. ibid.
Pag. 726. l. 33. Hii rumores de ſtatu Terræ ſanctæ. Anno 1252. ibid.
Pag. 728. l. 27. Pro Domino Willielmo de Sancto Edmundo, Monacho S. Albani. p. 1106
Pag. 729. l. 62. Literæ Papales mitigatoriæ, ſeu relaxativæ. p. 1107
Pag. 738. l. 14. } Pag. 760. l. 9. } De majoribus procurationibus: quod non excedant 4. marcas. p. 1108
Pag. 740. l. 21. Literæ de injuria illata Archiepiſc. Cant. & Euſtachio de Len. ibid.
Pag. 743. l. 60. De procurationibus Eccleſiarum parochialium. p. 1109
Pag. 745. l. 16. Mercata conceſſa Eccleſiæ de Wautham. (non inveniuntur) p. 1110
Pag. 747. l. 46. Articuli Nigri Ordinis. (non inveniuntur) ibid.
Pag. 748. l. 3. Strages in Flandria. Vide Auctarium. ibid.
Pag. 756. l. 50. Impetratio Abbatis S. Auguſtini Cantuariæ, contra impetus Archiepiſcopi Bonifacii. ibid.

Pag. 759.

Pag. 759. l. 10. *Literæ* Richardi *Comitis* Cornubiæ, *R.* Henrico III. p. 1111
Pag. 760. l. 7. *Literæ* Innocentii 4. *de neglectis Scholis.* ibid.
Ibid. l. 11. *Literæ* Innocentii 4. *de modificandis gravaminibus viſitationum.* ibid.
Ibid. l. 12. *De ordinationibus dignitatum, à Papa conceſſarum.* 1112
Pag. 764. l. 25. *Vicecomes Herefordiæ reddit computum de* 101. *libra &c.* ibid.
Ibid. l. 56. *Charte de* Weſtmonaſterio. p. 1113
Pag. 765. lin. 43. & p. 768. lin. 39. *Reſponſio* Conradi *Regis, accuſati ad Papam.* ibid.
Pag. 793. l. 00. *Epiſtola papalis conſolatoria ad Reginam.* p. 1115
Pag. 794. l. 7. *Literæ Regis pro negotio de Herteburne* per Will. *de* Hortun. p. ibid.
Item, literæ Regis ad Cardinalem I. ibid.
Pag. 798. l. 47. *Pacem inter Abbates. (non invenimus)* p. 1116
Pag. 802. l. 62. *Literæ de ratibabitione pacis, inter Reges* Hiſpaniæ *&* Angliæ. ibid.
Pag. 811. l. 14. *Literas Papæ, incipientes Frater* Johannes *&c. (non invenimus)* p. 1117
Ibid. l. 25. *Epiſtola Papæ, ad* R. Angliæ, *ut errores corrigat.* ibid.
Pag. 814. l. 47. *Literæ impetratæ ab Abbate, à Comite* Richardo. ibid.
Pag. 815. l. 51. *De Rege magno* Scotorum Malcolmo. p. 1118
Ubi & habes narrationem, de Rob. *de* Mumbari, *fundatore de* Thynemue.
Pag. 816. l. 10. *Literæ quas impetrarunt Nonachi* Dunelmenſes. *(non inveniuntur)* ibid.
Ibid. l. 64. *Articuli pro quibus Epiſcopi* Angliæ, *fuerant pugnaturi.* ibid.
Poſt quos habes Articulos *obſervandos per proviſionem Epiſcopor.* Angliæ. p. 1123
Pag. 817. l. 50. *Literæ Regis* Alemanniæ, *miſſæ ſeneſchallo ſuo in* Anglia. p. 1127
Pag. 821. l. 28. } Pag. 822. l. 64. } *Literæ variorum de moribus & immunditiis* Tartarorum. p. 1128
Pag. 836. l. 12. *Statutum apud* Oxoniam, *(reperire non potuimus)* p. 1131
Pag. 838. l. 6. *Breve Domini Regis ad quemlibet Comitatum.* p. 1132
Ibid. l. 50. *Literæ Communitatis* Angliæ *Domino Papæ.* ibid.

INCIPIT

HISTORIA DE OFFA PRIMO:

QUI

STRENUITATE SUA ſibi *ANGLIÆ* maximam Partem ſubegit:

CUI

Simillimus fuit *SECUNDUS OFFA*.

INTER *Occidentalium Anglorum* Reges Illuſtriſſimos, præcipua commendationis laude celebratur Rex *Warmundus*, ab his qui Hiſtorias *Anglorum* non ſolùm relatu proferre, ſed etiam ſcriptis inſerere, conſueverant. Is fundator erat cujuſdam urbis à ſcipſo denominatæ; quæ lingua *Anglicana Warwick*, id eſt, *Curia Warmundi*, nuncupatur. Qui uſque ad annos ſeniles abſque liberis extitit, præter unicum filium; quem ut æſtimabat Regni ſui hæredem & ſucceſſorem puerilis debilitatis incommodo laborantem, conſtituere non valebat. Licèt enim idem unicus filius ejus *Offa*, vel *Offanus* nomine, ſtatura fuiſſet procerus, corpore integer, & elegantiſſimæ formæ juvenis exiſteret, permanſit tamen à nativitate viſu privatus uſque ad annum ſeptimum: Mutus autem & verba humana non proferens, uſque ad annum ætatis ſuæ triceſimum. Hujus debilitatis incommodum non ſolùm Rex, ſed etiam regni proceres, ſupra quàm dici poteſt, moleſtè ſuſtinuerunt: Cum enim immineret patri ætas ſenilis, & ignoraret diem mortis ſuæ; neſciebat quem alium ſibi conſtitueret hæredem & Regni ſucceſſorem. Quidam autem primarius regni, cui nomen * *Riganus*, cum quodam ſuocomplice, *Mitunno* nomine, ambitioſus cum ambitioſo, ſeductor cum proditore, videns Regem decrepitum, & ſine ſpe prolis procreandæ ſenio fatiſcentem, de ſe præſumens, cœpit ad Regiæ dignitatis culmen aſpirare, contemptis aliis regni primatibus, ſe ſolum præ cæteris ad hoc dignum reputando.

Warmundus Rex

ædificat Warwick

Cujus filius Offa, cùm cæcus & mutus erat,

* *Hic* Riganus *binominis fuit. Vocabatur enim alio nomine* Aliel: Riganus *verò, à rigore. Huic erat filius* Hildebrandus, *miles ſtrenuus; ab enſe ſic dictus. Hunc voluit pater promovere.*

Riganus *aſpirat ad Regnum.*

Idcirco diebus ſingulis regi moleſtus nimis, protervè eum aggreditur, ut ſe hæredis loco adoptaret. Aliquando cor regis blandè alliciens, interim aſperè minis & terroribus provocans, perſuadere non ceſſat Regi quod optabat. Suggerebat etiam Regi per viros potentes, complices cupiditatis & malitiæ ſuæ, ſe regni ſui ſummum apicem, violentia & terroribus, & vi extorquere, niſi arbitrio voluntatis ſuæ, Rex ipſe pareret, faciendo virtutem de neceſſitate. Super hoc itaque & aliis regni negotiis, evocato ſemel Conſilio, protervus ille à Rege reprobatus diſceſſit à Curiæ præſentia, iracundiæ calore fremens in ſemetipſo, pro repulſa quam ſuſtinuit. Nec mora, accitis multis qui contra regis imperium partem ſuam confovebant, infra paucos dies, copioſum, imo infinitum exercitum congregavit: Et ſub ſpe victoriæ viriliter obtinendæ, regem & ſuos ad hoſtile prælium provocavit. Rex autem confectus ſenio, timens rebellare, declinavit aliquotiens impetus adverſariorum. Tandem verò, Convocatis in unum Principibus, & Magnatibus ſuis, deliberare cœpit quo facto opus haberet. Dum igitur tractarent in commune per aliquot dies ſecum deliberantes inſtantiſſimæ neceſſitatis articulum, affuit inter ſermocinantes natus & unigenitus regis, eouſque elinguis & abſque ſermone: Sed aure purgata, ſingulorum verba diſcernens. Cum autem patris ſenium, & ſeipſum ad regni negocia quaſi inutilem & minùs efficacem deſpici & reprobari ab omnibus propenderet, contritus eſt & humiliatus in ſemetipſo, uſque in Lachrymarum aduberem profuſionem. Et Exitus aquarum deduxerunt oculi ejus; & æſtuabat dolore cordis intrinſecus amariſſimo. Et quia verbis non poterat, Deo affectu intrinſeco

Qui ambiens à Rege adoptari,

& repulſus,

Regi Intentat bellum.

Rex convertit ſuorum Parliamenta,

Offa conſq; mutus, articulatè loquitur. Ejus Oratio.

co præcordialiter ſuggerebat, ingemiſcens, reponenſq; lachrymabilem querelam coram ipſo, orabat; Ut à *Spiritu Sancto* reciperet conſolationem, à *patre* luminum fortitudinem, & à *filio patris* unigenito ſapientiæ ſalutaris donativum. In brevi igitur, contriti cordis vota proſpiciens, is, cui nuda & aperta ſunt omnia, reſolvit os adoleſcentis in verba diſcreta & manifeſtè articulata; ſicque de regni principatu tumidè & minaciter contra ſe & patrem ſuum perſtrepentes ſubitò & ex inſperato alloquitur. "Quid adhuc me & patre meo ſuperſtite contra leges & jura vobis vendicatis regni judicium enormiter contrectare? & me excluſo, hærede generali, alium degenerem, facinoroſum, etiam in minas & diffiduciationem ſuperbè nimis prorumpentem, ſubrogare, ut vos non immeritò iniquitatis & proditionis arguere valeamus? Quid, inquam, exteri, quid extranei contra nos agere debeant, cum nos affines & domeſtici noſtri à patria, quam hactenus generis noſtri ſucceſſio jure poſſedit hæreditario, velitis expellere? Et dum hæc *Offanus* vel *Offa* (hoc enim nomen adoleſcentulo erat) qui jam nunc primo æterno nomine, cum benedictionis memoria, meruit intitulari, ore facundo, ſermone rhetorico, vultu ſereno proſequeretur: omnium audientium, pluſquam dici poteſt attonitorum, oculos, facies & corda *in ſe convertit*. Et *proſequens*

& Proteſtatio.

inceptum ſermonem, continuando rationem, ait; intuens ad ſuperna: "Deum teſtor, omniſque cœleſtis Curiæ primates, quod tanti ſceleris & diſcidii incentores, *niſi qui* cœperint titubare, viriliter erigantur in virtutem priſtinam roborati, indemnes (prout deſides & formidoloſi promeruerunt) ac impunitos, non patiar: Fideles autem, ac ſtrenuos, omni honore proſequar & confovebo. Audito igitur adoleſcentis ſermone, quem mutum æſtimabant vanum & inutilem, conſternati admodum & conterriti, ab ejus præſentia diſceſſerunt, Qui contra patrem ſuum & ipſum mota ſeditione, auſu temerario conſpiraverant. *Riganus* tamen, contumax & ſuperbus, comitante *Mitunno* cum aliis complicibus ſuis, qui jam iram in odium converterant, minas minis receſſit cumulando, Regemque delirum cum filio ſuo inutili ac vano morione, frontosè diffiduciavit. E contra, naturales ac fideles regis, ipſius minas parvipendentes, imò vilipendentes, inæſtimabili gaudio perfuſi, regis & filii ſui pedibus incurvati, ſua ſuorumque corpora ad vindicandam regis injuriam exponunt gratanter univerſi. Nec mora, Rex in ſua & filii ſui præſentia, generali edicto eos, qui parti ſuæ favebant, jubet aſſiſtere volens communi eorum conſilio edoceri, qualiter in agendis ſuis procedere, & negotia ſua exequi habeat convenienter. Qui ſuper his, diebus aliquot deliberantes; Inprimis conſulunt regi ut filium ſuum moribus & ætate ad hoc maturum, militare cingulo faciat inſigniri: Ut ad bellum procedens, hoſtibus ſuis horrori fieret & formidini. Rex autem ſano & ſalubri conſilio ſuorum obtemperans, celebri ad hoc condicto die, cum ſolemni & regia pompa, gladio filium ſuum accinxit; adjunctis tyrocinio ſuo, ſtrenuis adoleſcentibus generoſis, quos rex ad decus & gloriam filii ſui, militaribus indui fecit, & honorari.

Bellica ejus indoles.

Cum autem poſt hæc, aliquandiu cum ſociis ſuis decertans, *inſtrumenta* tyro *Offanus* experiretur, omnes eum ſtrenuiſſimum & ſingulos ſuperantem vehementer admirabantur. Rex igitur interim majorem aſſumens audaciam, & in ſpem erectus alacriorem, communicato cum ſuis conſilio, contra hoſtes regni ſui inſidiatores, imò jam manifeſtè contra regnum ſuum inſurgentes, & inito certamine adverſantes, reſumpto ſpiritu bellum inſtaurari præcepit. Potentiſſimus autem ille, qui regnum ſibi uſurpare moliebatur, cum filiis ſuis juvenibus duobus, videlicet tironibus ſtrenuiſſimis *Otta* & *Milione* nominatis, aſcita quoque non minima Multitudine, nihilominus audacter ad rebellandum ſe ſuoſque præmunire cœpit, alacer & imperterritus. Et præliandi diem & locum, hinc interim Rex & ejus æmulus determinarunt.

Warmundus Rex Parat Bellum Rigano.

Congregato itaque utrobique copioſiſſimo & formidabili nimis exercitu, parati ad congreſſum, fixerunt tentoria è regione, nihilque intererat niſi fluvius torrens in medio, qui utrumque exercitum ſequeſtrabat; Et aliquandiu hinc deinde meticuloſi & conſternati, rapidi fluminis alveum interpoſitum (qui vix erat homini vel equo tranſmeabilis) tranſire diſtulerunt; Tela tamen ſola, cum crebris comminationibus & convitiis, tranſvolarunt: Tandem indignatus *Offa* & ægrè ferens probroſæ moræ diſpendia, electis de exercitu ſuo robuſtioribus & bello magis ſtrenuis, quos etiam credebat fideliores, ſubitus & improviſus flumen raptim pertranſiens, facto impetu vehementi & repentino, hoſtes ei obviam occurrentes, præoccupatos, tum circa ripam fluminis, plurimos de adverſariorum exercitu contrivit, & in ore gladii trucidavit: Primoſque omnes tribunos & primicerios potenter diſſipavit: Cum tamen ſui commilitones, fortè volentes præſcire in *Offa* prævio Martis fortunam ſegniter amnem tranſmearent, qui latus ſuum tenebantur ſuffulcire, & potius circumvallando roborare: Et reſumpto ſpiritu vividiore, reliquos omnes, hinc inde ad modum navis velificantis & æquora velociter ſulcantis, impetuoſiſſimè diviſit, enſe terribiliter fulminante, & hoſtium cruore ſæpiùs inebriato: donec ſuæ omnes acies ad ipſum illæſæ & indemnes tranſmearent. Quò cum pervenirent ſui commilitones, congregati circa ipſum dominum ſuum, exercitum magnum & fortem conflaverunt. Duces autem contrarii exercitus ſeſe denſis agminibus & confertis aciebus, violenter opponunt adventantibus. Et congreſſu inito cruentiſſimo, "Acclamatum utrobique & exhortatum, ut res agatur pro capite, & certa-

Offa tranſiens flumen, Rigani exercitum adoritur:

"certamen pro ſua & uxorum ſuarum, & liberorum ſuorum, & poſſeſſionum liberatione, "ineant juſtiſſimum, auxilio divino protegente. Perſtrepunt igitur tubæ cum lituis, & clamor exhortantium, equorum hinnitus, morientium & vulneratorum gemitus, fragor lancearum, gladiorum tinnitus, ictuum tumultus, aëra perturbare videbantur. Adverſarii tandem *Offæ*, legiones dejiciunt, & in fugam diſſipatas convertunt. Quod cum viderit *Offa* ſtrenuiſſimus, & ex hoſtium cæde cruentus, hauſto ſpiritu alacriori, in hoſtes more leonis & leænæ ſublatis catulis, irruit truculenter; gladium ſuum cruore hoſtili inebriando. Quod cum viderant trucidandi, fugitivi & meticuloſi pudore confuſi, reverſi ſunt ſuper hoſtes, & ut famam redimerent, ferociores in obſtantes fulminant & debacchantur. Multoque tempore, truculenter nimis decertatum eſt; & utrobique ſuſpenſa eſt victoria: tandem poſt multorum ruinam, hoſtes fatigati pedem retulerunt, ut reſpirarent & pauſarent poſt conflictum.

& in fugam vertit,

Similiter etiam & exercitus *Offani*. Quod tum moleſtè nimis tulit *Offanus*, cujus ſanguis in ultionem æſtuabat, & indefeſſus propugnator ceſſare erubeſcebat. Hic caſu, *Offæ* obviant duo filii divitis illius, qui regnum patris ejus ſibi attemtavit uſurpare. Nomen primogenito, *Brutus* ſive *Hildebrandus*, & juniori *Sueno*. Hi probra & verba turpia in *Offam* irreverenter ingeſſerunt, & juveni pudorato in conſpectu exercituum, non minùs ſermonibus quàm armis, moleſti extiterunt. *Offa* igitur, magis laceſſitus, & calore audaciæ ſcintillans, & iracundia uſque ad fremitum ſuccenſus, in impetu ſpiritus ſui in eoſdem audacter irruit. Et eorum alterum, videlicet *Brutum*, unico gladii ictu percuſſit, amputatoque galeæ cono, craneum uſque ad cerebri medullam perforavit, & in morte ſingultantem, ſub equinis pedibus potenter præcipitavit, alterum verò, qui hoc viſo fugam iniit, repentinus, inſequens, vulnere letali ſauciatum contempſit & proſtratum. Poſt hæc deſæviens in cæteros contrarii exercitus duces, gladius *Offæ* quicquid obviam habuit, proſternendo devoravit: Exercitu ipſius, tali exemplo recentiùs in hoſtes inſurgente, & jam glorioſiùs triumphante. Pater, verò, prædictorum juvenum, perterritus, & dolore intrinſeco ſauciatus, ſubterfugiens amnem oppoſitum, nitebatur pertranſire: ſed interfectorum ſanguine torrens fluvius, eum loricatum & armorum pondere gravatum & multipliciter fatigatum, cum multis de ſuo exercitu ſimili incommodo præpeditis, ad ima ſubmerſit, & ſine vulneribus, miſeras animas exhalarunt. Proditores toti poſteritati ſuæ probra relinquentes. Amnis autem à *Rigano* ibi ſubmerſo, ſortiebatur vocabulum, & *Riganburne*, ut facti vivat perpetuò memoria, nuncupatur.

occiſis duobus Rigani *filiis.*

Qui & ipſe ſubmerſus.

Alio nomine Avene *dicitur.*

Reliqui autem omnes de exercitu *Rigani* (qui & *Aliel* dicebatur) qui ſub ducatu *Mitunni* regebantur, in abyſſum deſperationis demerſi, & timore effæminati, cum eorum duce in quo magis *Riganus* confidebat, in noctis crepuſculo trucidati, cum victoria glorioſa; campum *Offæ* ſtrenuiſſimo (in nulla parte corporis ſui deformiter mutilato, nec etiam vel letaliter vel periculoſè vulnerato, licèt ea die multis ſe letiferis oppoſuiſſet periculis) reliquerunt. Sicque *Offæ* circa juventutis ſuæ primitias, à Domino data eſt victoria: in bello nimis ancipiti, ac cruentiſſimo, & inter alienigenas, virtutis & induſtriæ ſuæ, nomen celebre ipſius ventilatum, & odor longè latéque bonitatis ac civilitatis, nec non & ſtrenuitatis ejus, circumfuſus, nomen ejus ad ſidera ſublevavit. Porrò in craſtinum poſt victoriam, hoſtium ſpolia interfectorum & fugitivorum, magnificè contemnens, nec ſibi volens aliquatenus uſurpare, ne quomodolibet avaritiæ turpiter redargueretur, militibus ſuis ſtipendiariis, & naturalibus ſuis hominibus (præcipuè his quos noverat indigere) liberaliter dereliquit, ſolos tantum Magnates, quos ipſemet in prælio ceperat, ſibi retinuit incarcerandos, redimendos, vel judicialiter puniendos. Juſſitque ut interfectorum duces & principes, quorum fama titulos magnificavit, & præcipuè eorum qui in prælio magnificè ac fideliter ſe habuerunt (licèt ei adverſarentur) ſeorſum honorificè intumularentur, factis eis obſequiis, cum lamentationibus. Exercitus autem popularis cadavera, in arduo & eminenti loco, ad poſteritatis memoriam, tradi juſſit ſepulturæ ignobiliori. Unde locus ille hoc nomine *Anglico Qualmhul*, à ſtrage videlicet & ſepultura interfectorum meritò meruit intitulari.

Offa *relinquit victoriam glorioſam.*

Qualmhul vel Qualmweld, *unde?*

Multorum etiam & magnorum lapidum ſuper eos ſtruem, exercitus *Offæ*, voce præconia juſſus, congeſſit eminentem. Totaque circumjacens planities, ab ipſo cruentiſſimo certamine & notabili ſepultura, nomen & titulum indelebilem eſt ſortita. Et *Blodeweld* à ſanguine interfectorum denominabatur.

Blodeweld, *unde?*

Deletis igitur & confuſis hoſtibus, *Offa* cum ingenti triumpho & tripudio & gloria, revertitur ad propria. Pater verò *Warmundus*, qui ſeſe receperat in locis tutioribus, rei eventum expectans, ſed jam fauſto nuncio certificatus, comperienſque & ſecurus de cariſſimi filii ſui victoria, cum ingenti lætitia ei procedit obvius: & in amplexus ejus diutiſſimè commoratus, conceptum interiùs de filii ſui palma gaudium tegere non volens, ſed nec valens, hujus cum lacrymis exultationis, prorupit in vocem. "Euge fili dulciſſime, quo affectu, quâve mentis lætitiâ, laudes tuas prout dignum eſt proſequar? Tu enim es ſpes mea "& ſubditorum jubilus ex inſperato & exultatio. In te ſpes inopinata meis revixit temporibus: In ſinu tuo lætitia mea, imo ſpes potiùs totius regni, eſt repoſita. Tu populi totius firmamentum, tu pacis & libertatis meæ, baſis & ſtabile, deo aſpirante, fundamentum:

Gloria triumphi.

Warmundi *Regis Oratio ad filium* Offam.

“ tum: Tibi debetur ruina protervi proditoris illius, quondam publici hoſtis noſtri, qui
“ regni faſtigium, quod mihi & de genere meo propagatis jure debetur hæreditario, tam im-
“ pudentur quam imprudenter, contra leges & jus gentium, uſurpare moliebatur. Sed vul-
“ tus Domini ſuper eum & complices ſuos facientes mala, ut perderet de terra memoriam
“ eorum, Deus ultionum Dominus diſſipavit conſilium ipſius. Ipſum quoque *Riganum* in
“ ſuperbia rigentem, & immitem *Mitunnum* commilitonem ipſius cum exercitu eorum pro-
“ jecit in flumen rapaciſſimum. Deſcendunt quaſi plumbum in aquis vehementibus: De-
“ voravit gladius tuus hoſtes noſtros fulminans & cruentatus, hoſtili ſanguine magnificè in-
“ ebriatus: non degener es, fili mi, genialis, ſed patriſſans, patrum tuorum veſtigia ſequeris
“ magnificorum. Sepultus in inferno noſter hoſtis, & adverſarius, fructus viarum ſuarum
“ condignos jam colligit quos vivus promerebatur. Luctum & miſeriam quam ſenectuti
“ meæ malignus ille inferre diſpoſuerat, verſâ vice, clementia divina convertit in tripudium.
“ Quamobrem in præſenti accipe, quod tuis meritis exigentibus debetur, etiamſi filius me-
“ us non eſſes; etſi mihi jure hæreditario non ſuccederes. Ecce jam, cedo, & Regnum
Cui reſignat regnum. “ Anglorum voluntatis tuæ arbitrio deinceps committo: Ætas enim mea fragilis & jam de-
“ crepita, Regni ſceptrum ulterius ſuſtinere non ſufficit. Idcirco te, fili deſideratiſſime, vi-
“ cem meam ſupplere convenit, & corpus meum ſenio confectum, donec morientis ocu-
“ los clauſeris, quieti tradere liberiori, ut à curis & ſecularibus ſollicitudinibus, quibus
“ diſcerpor, liberatus, precibus vacem & contemplationi. Armis hucuſque materialibus di-
“ micavi: reſtat ut de cætero, vita mea quæ ſupereſt, militia ſit ſuper terram contra hoſtes
“ ſpirituales.

“ Ego vero pro incolumitate tua & Regni ſtatu, quod ſtrenuitati tuæ, O animæ meæ di-
“ midium, jam commiſi; preces, quales mea ſcit ſimplicitas & poteſt imbecillitas, Deo fun-
“ dam indefeſſas. Sed quia tempus perbreve amodò mihi reſtat, & corpori meo ſolum ſu-
“ pereſt ſepulchrum; aurem benignam meis accomoda ſalutaribus conſiliis, & cor credulum
“ meis monitis inclina magnificis: Verum ipſos qui nobiſcum contra hoſtes publicos, *Ri-*
“ *ganum* videlicet & *Mitunnum* & eorum complices, æmulos noſtros, fideliter ſteterunt &
“ periculoſo diſcrimini pro nobis ſe oppoſuerunt; paterno amore tibi commendo, diligen-
“ dos, honorandos, promovendos. Eos autem qui decrepitæ ſenectutis meæ membra de-
“ bilia contemptui habere auſi ſunt; aſſerentes verba mea & Regalia præcepta, eſſe ſenilia
“ deliramenta, præſumentes temerè apice Regali me privato te exhæredare; ſuſpectos habe
“ & contemptibiles; ſi qui ſint elapſi ab hoc bello, & à tuo gladio devorante, etiam cum
“ eorum poſteritate: ne cum in ramuſculos virus pullulet à radice; aliquid conſimile tibi
“ generetur in poſterum. Non enim recolo me talem eorum promeruiſſe, qui me & te fi-
“ lium meum gratis oderunt, perſecutionem: Similiter eos, quos dicti proditores, pro eo
“ quòd nobis fideliter adhæſerant, exulare coegerunt; vel qui impotentes rabiem eorum
“ fugiendo reſiſtere, ad horam declinaverunt; cum omni manſuetudine ſtudeas revocare,
“ & honores eorum cum poſſeſſionibus ex innata tibi Regali munificentia, gratiùs ampliare.
“ Laus induſtriæ tuæ & famæ præconia, & ſtrenuitatis tuæ titulus, quæ adoleſcentiam tu-
“ am divinitùs illuſtrarunt, in poſterum de te majora promittunt. Deſideranti animo ſiti-
“ enter affecto, ipſúmque Deum, qui te tibi, ſua mera gratia reddidit & reſtauravit, de-
“ precor affectuosè, ut has juventutis tuæ primitias, hoc inopinato triumpho ſubarratas,
“ melior ſemper ac ſplendidior, operum gloria ſubſequatur. Et proculdubio poſt mortem
“ meam (quæ non longè abeſt, jubente Domino) famæ tuæ magnitudo, per orbem uni-
“ verſum dilatabitur, & felix ſuſcipiet incrementum. Et quæ Domino placita ſunt, opere
“ felici conſummabis, quæ divinitùs proſperabuntur.

Hæc autem cum filius devotus & manſuetus, licet magnificus triumphator exaudiſſet & intenta aure intellexiſſet, flexis genibus & junctis manibus, & exundantibus oculis, patri ſuo grates retulit accumulatas. Rex itaque per fines *Angliæ* miſſis Nuntiis expeditiſſimis, qui mandata Regia detulerint, totius ditionis ſuæ convocat Nobilitatem. Quæ convocata ex Regis præcepto, & perſuaſione, *Offano* filio ſuo unigenito ligeam fecerunt fidelitatem & homagium in patris præſentia. Quod & omnes, animo volenti, imò gaudenti, communiter perfecerunt.

Rex igitur quem potiùs prona voluntas, quàm vigor provexit corporalis, per climata Regni ſui proficiſcitur ſecurus & lætabundus, nullo contradicente, vel impediente, ut Regni munitiones & varias poſſeſſiones, diu per inimicos ſuos alienatas & injuſtè ac violenter poſſeſſas, ad ſuæ ditionis reacciperet jure poteſtatem. Quæ omnia, ſibi ſunt ſine difficultate vel moræ diſpendio reſtituta. Statímque pater filium eorum poſſeſſionibus corporaliter inveſtivit; & paterno contulit affectu ac gratuito, Proceribus congaudentibus ſuper hoc univerſis. Poſt hæc autem, Rex filio ſuo *Offano* ærarium ſuum adaperiens, aurum ſuum & argentum, vaſa concupiſcibilia, gemmas, holoſerica omnia, ſuæ ſubdidit poteſtati. Sícque ſubactis & ſubtractis hoſtibus cunctis, aliquandiu per univerſum Regnum viguit pax & ſecuritas diu deſiderabilis.

Rex igitur filii ſui proſperitate gaviſus, qui etiam diatim de bono in melius gradatim aſcendit, aliquo tempore vitæ ſuæ metas diſtulit naturales: jubilus quoque in corde ſenis con-

conceptus, languores ſeniles, plurimum mitigavit. Tandem Rex plenus dierum, cum benedictione omnium, qui ipſum etiam à remotis partibus per famam cognoverunt, naturæ debita perſolvens deceſſit. Et decedens, filio ſuo apicem Regni ſui pacatum & quietum reliquit: *Offanus* autem oculos patris ſui piè claudens, lamentationes menſurnas cum magnis ejulatibus, lachrymis & ſpecialibus planctibus (prout moris tunc erat Principibus magnificis) lugubriter pro tanto funere continuavit. Obſequiiſque cum exequiis, magnificè tam in Eccleſia quam in locis forinſecis completis, apparatu Regio & loco celeberrimo & nominatiſſimo, Regibus condigno, videlicet in eminentiori Eccleſia penes *Gloverniam* urbem egregiam, eidem exhiberi jubet ſepulturam. *Offanus* autem cum moribus omnibus foret redimitus, elegans corpore, armis ſtrenuus, munificus & benignus, poſt obitum patris ſui magnifici *Warmundi*, cujus mores tractatus exigit ſpecialis, plenariè omnium Principum Regni dominium ſuſcipit, & debitum cum omni devotione, & mera voluntate, famulatum. Cum igitur cujuſdam ſolemnitatis arrideret ſerenitas, *Offanus* cum ſolemni tripudio omnibus applaudentibus & fauſtum omen acclamantibus, *Angliæ* Diademate feliciter eſt inſignitus.

Warmundus *moritur*, *& in Glocestria ſepelitur*.

Acquieſcens igitur ſeniorum conſiliis & ſapientum perſuaſionibus, cœpit totius Regni habenas irreprehenſibiliter, imò laudabiliter, habenas moderanter & ſapienter gubernare. Sic igitur ſubactis hoſtibus Regni univerſis, viguit pax ſecura & firmata in finibus *Anglorum* per tempora longa; præcipuè tamen per ſpatium temporis quinquennale. Erat autem jam triginta quatuor annos ætatis attingens, annis proſperè pubeſcentibus.

Offa *coronatur*.

Et cum Rex more juvenili, venatus gratia per nemora frequenter, cum ſuis ad hoc convocatis venatoribus & canibus ſagacibus, expeditus peragraſſet, contigit die quadam quod aëre turbato, longè à ſuorum caterva ſemotus, ſolus per nemoris opaca penitus ipſorum locorum, nec non & fortunæ ignarus, caſu deambulabat. Dum autem ſic per ignota diverticula incautiùs oberraret, & per invia, vocem lachrymabilem & miſerabiliter querulam, haud longè à ſe audivit: Cujus ſonitum ſecutus, inter denſos frutices virginem ſingularis formæ & Regii apparatus, ſed decorè venuſtiſſimam, ex inſperato reperit. Rex vero rei eventum admirans, quæ ibi ageret & querelæ cauſas, eam blandè alloquens, cœpit ſciſcitari. Quæ ex imo pectoris flebilia trahens ſuſpiria, Regi reſpondit. Nequaquam in auctorem ſed in ſeipſam reatum retorquens; “ Peccatis meis inquit exigentibus infortunii hu-“ jus calamitas mihi accidit. Erat autem Reguli cujuſdam filia qui *Eboracenſibus* præerat. “ Hujus incomparabilis pulchritudinis ſingularem eminentiam, pater admirans, amatorio “ dæmone ſeductus, cœpit eam inceſtu libidinoſo concupiſcere, & ad amorem illicitum, ſæ-“ pe ſollicitare ipſam puellam minis, pollicitis, blanditiis, atque muneribus adoleſcentulæ “ temptans emollire conſtantiam. Illa autem operi nefario nullatenus adquieſcens, cum “ pater tamen minas minis exaggeraret, & promiſſa promiſſis accumularet, munera muneri-“ bus adaugeret; juxta illud Poeticum,

Rex dum in ſylvis venatur, *incidit in virginem pulcherrimam*, Eboracenſis *Reguli filiam*.

Imperium, promiſſa, preces, confudit in unum:

“ elegit magis incidere in manus hominum, & etiam ferarum qualiumcunque, vel gladii “ ſubire ſententiam, quam Dei offenſam incurrere, pro tam gravi culpa manifeſtam. Pater “ itaque ipſam ſibi parere conſtanter renuentem, evocatis quibuſdam malignæ mentis ho-“ minibus quos ad hoc elegerat, præcepit eam in deſertum ſolitudinis remotæ duci, vel “ potiùs trahi, & crudeliſſima morte condemnatam, beſtiis ibidem derelinqui. Qui cum “ in locum horroris & vaſtæ ſolitudinis perveniſſent, trahentes eam ſeductores illi, Deo ut “ creditur inſpirante, miſerti pulchritudinis illius eam ibidem ſine trucidatione & membro-“ rum mutilatione, vivam, ſed tamen ſine aliquorum victualium alimento (exceptis tali-“ bus qui de radicibus & frondibus vel herbis colligi, urgente ultima fame poſſunt) dimi-“ ſerunt.

Cum hac Rex aliquandiu habens ſermonem, Comitem itineris ſui illam habuit, donec ſolitarii cujuſdam habitationem reperiſſent: ubi nocte ſuperveniente quieſcentes pernoctaverunt. In craſtinum autem ſolitarius ille viarum & ſemitarum peritus, Regem cum Comite ſua uſque ad fines domeſticos, & loca Regi non ignota conduxit. Ad ſuos itaque Rex rediens, deſolatæ illius, quam nuper invenerat, curam gerens, familiaribus & domeſticis generis ſui, ſub diligenti cuſtodia commiſit.

Poſt hæc aliquot annis elapſis, cum Rex cælibem agens vitam, mente caſtus & corpore perſeveraret; Proceres ditionis ſuæ, non ſolùm de tunc præſenti, ſed de futuro ſibi periculo præcaventes, & nimirum multùm ſolliciti, Dominum ſuum de uxore ducenda, unanimiter convenerunt: ne ſibi & Regno, ſucceſſorem & hæredem non habens, poſt obitum ipſius, imminens periculum generaret. Ætatis enim juvenilis pubertas, morum maturitas, & urgens Regni neceſſitas, necnon & honoris dignitas, itidem poſtularunt. Et cum ſuper hoc negotio, ſæpius Regem ſollicitarent, & alloquerentur; ipſe multoties jocullando, & talia verba aſſerendo interludia fuiſſe vanitatis; Procerum ſuorum conſtantiam, diſſimulando, differendoque, deluſit. Quod quidam advertentes, communicato cum aliis conſilio; Regem ad nubendum incunctabiliter urgere cœperunt. Rex vero, more optimi Principis,

cipis, cujus primordia jam bene ſubarraverat, nolens voluntati Magnatum ſuorum reſiſtere, diu ſecum de thori ſocia, libra profundæ rationis, ſtudioſè cœpit deliberare. Cumque hoc in mente ſua ſollicititiùs tractaret, venit fortè in mentem ſuam illius juvenculæ memoria, quam dudum inter venandum invenit vagabundam, ſolam, feris & prædonibus miſerabiliter expoſitam; quam ad tutiora ducens, familiaribus generis ſui commiſerat alendam, ac chariùs cuſtodiendam. Quæ, ut Rex audivit, moribus laudabiliter redimita, decoris exiſtens expectabilis, omnibus ſibi cognitis amabilem exhibuit & laudabilem. Hæc igitur ſola, relictis multis, etiam Regalis ſtemmatis, ſibi oblatis, complacuit; illámque ſolam, in matrimonium ſibi adoptavit.

quam tandem ducit in uxorem,

Cùm autem eam duxiſſet in uxorem, non interveniente multa mora, elegantiſſimæ formæ utriuſque ſexus liberos, ex eadem procreavit. Itaque cùm priùs eſſet Rex propria ſeveritate ſubditis ſuis formidabilis, Magnates ejus, necnon & populus ejus univerſus hæredum & ſucceſſorum apparentia animati; Regni robur & lætitiam geminarunt. Rex quoque ab univerſis ſuis, & non ſolùm propè poſitis, imò alienigenis & remotis, extitit honori, venerationi, ac dilectioni. Et cùm inter ſe in *Britannia*, (quæ tunc temporis in plurima Regna multifariam diviſa fuiſſet) Reguli ſibi finitimi hoſtiliter ſe impeterent; ſolus Rex *Offa* pace Regni ſui potitus, feliciter; ſe ſibíque ſubditos in pace regebat & libertate. Unde & adjacentium Provinciarum Reges, ejus mendicabant auxilium; &, in neceſſitatis articulo, conſilium.

prolemque ex ea ſuſcipit.

Northumbriæ Rex à Scotis vexatus, Offæ implorat auxilium,

Rex itaque *Northam-Humbrorum*, à barbara *Scotorum* gente, & etiam aliquibus ſuorum, graviter & uſque fermè ad internecionem percuſſus, & propriæ defenſionis auxilio deſtitutus, ad *Offam* regem potentem Legatos deſtinat; & pacificum ſupplicans, ut præſidii ejus ſolatio contra hoſtes ſuos roboretur, Tali mediante conditione, ut *Offæ* filiam ſibi matrimonio copularet, & non ſe proprii Regni, ſed *Offam* primarium ac principem præferret, & ſe cum ſuis omnibus, ipſi ſubjugaret. Nihil itaque dotis cum *Offæ* filia rogitavit, hoc ſane contentus præmio, ut à regni ſui finibus, barbaros iſtos potenter & frequenter experta fugaret ſtrenuitate.

Cum autem Legatorum verba Rex *Offa* ſuſcepiſſet, concilio ſuorum fretus ſupplicantis voluntati ac precibus adquievit: ſi tamen Rex ille pactum hujuſmodi, tactis ſacro-ſanctis Evangeliis, & obſidum traditione, fideliter tenendum confirmaret. Sic igitur Rex *Offa*, ſuper his conditionibus ſub certa forma confirmatus, & ad plenum certificatus, in partes illas cum Equitum numeroſa multitudine proficiſcitur. Cum autem illuc perveniſſet, timore ejus conſternata pars adverſa ceſſit, fugæ præſidio ſe ſalvando. *Quam tum Rex Offa* audacter proſequutus, non priùs deſtitit fugare fugientem, donec eam ex integro contriviſſet; ſed nec eo contentus, ulteriùs progreditur, barbaros expugnaturus. Interea ad patriam ſuam nuntium imperitum deſtinavit, ad primates & præcipuos regni ſui; quibus totius ditionis ſuæ regimen commendaverat, & literas regii ſigilli ſui munimine conſignatas, eidem Nuntio commiſit, deferendas. Qui autem deſtinatus fuit, iter arripiens versùs *Offæ* regnum, ut caſu accidit inter eundum, hoſpitandi gratia aulam Regiam introivit illius Regis, cujus filiam *Offa* ſibi matrimonio copulaverat. Rex autem ille, cum de ſtatu & cauſa itineris ſui ſubdolè requirendo cognoviſſet, vultus ſui ſerenitate animi verſutiam mentitus, ſpecie tenùs illum amantiſſimè ſuſcepit: & velamen ſceleris ſui quærens, à conſpectu publico, ſub quodam dilectionis prætextu, ad regii thalami ſecreta penetralia, ipſum Nuntium nihil ſiniſtri ſuſpicantem, introduxit: magnoque ſtudio elaboravit, ut ipſum vino æſtuanti madentem, redderet temulentum, & ipſo Nuntio vel dormiente vel aliquo alio modo ignorante, mandata domini ſui Regis *Offæ*, tacitus & ſubdolus apertis & explicatis literis perſcrutabatur, cœpitque pernicioſè immutare & pervertere ſub *Offæ* nomine ſigillum adulterans, fallaceſque & pernicioſas literas, loco inventarum occultavit. Forma autem adulterinarum hæc eſt quæ ſubſcribitur.

qui vincit Scotos.

Offæ nuntius,

dolo Reguli Eboraci deceptus,

falſas literas à Regulo illo conſcriptas,

"Rex *Offa*, Majoribus & præcipuis regni ſui, ſalutis & proſperitatis augmentum univerſitati veſtræ notum facio, in itinere, quod arripui, infortunia & adverſa plurima, tam mihi quam ſubditis meis accidiſſe, & majoris exercitus mei, non ignavia propria, vel hoſtium oppugnantium virtute, ſed potiùs peccatis noſtris juſto Dei judicio interiiſſe. Ego autem inſtantis periculi cauſam pertractans, & conſcientiæ meæ intima perſcrutatus, in memetipſo nihil aliud conjicio Altiſſimo diſplicere, niſi quod perditam & maleficam illam abſque meorum conſenſu, uxorem imperito & infelici duxi matrimonio: Ut ergo de malefica memorata, voluntati veſtræ ad plenum, quam temerè offendi, ſatisfiat, aſportetur cum liberis ex ea genitis ad loca deſerta, hominibus incognita, feris & avibus aut ſylveſtribus prædonibus frequentata; ubi cum pueris ſuis puerpera, truncata manus & pedes, exemplo pereat inaudito.

ad Magnates Offæ defert. quibus doloſè jubetur, ut Regina Offæ in eremum detrudatur:

Nuntius autem mane facto, vino quo maduerat digeſto, compos jam ſui effectus, diſceſſit: & poſt aliquot dies perveniens ad propria, Magnatibus, qui regno Regis *Offæ* præerant, literas Domini ſui ſigillo ſignatas expoſuit. In quarum auditu perlecta Mandati ſerie, in ſtuporem & vehementiſſimam admirationem univerſi, plùs quam dici poſſit, rapiuntur. Et ſuper his, aliquot diebus communicato cum Magnatibus Concilio deliberantes, periculoſum

loſum ducebant mandatis ac juſſionibus Regis non obtemperare. Miſera igitur ſeducta, deducta eſt in remotiſſimum & inhabitabilem locum horroris & vaſtæ ſolitudinis: cum quâ etiam liberi ejus miſeri & miſerabiles, queruli & vagientes, abſque miſericordia, ut cum ea traherentur occidendi, judicium acceperunt.

& ut liberi ejus interficerentur.

Nec mora, memorati Apparitores matrem cum pignoribus ſuis, in deſertum vaſtiſſimum trahebant. Matri verò propter ejus formam admirabilem parcentes, liberos ejus, nec formæ, nec ſexui, ætati vel conditioni parcentes, detruncarunt membratim, imo potiùs fruſtatim crudeliter in beſtialem feritatem ſævientes: Completaque tam crudeli ſententia, cruenti Apparitores ociùs revertuntur. Nec mora, Solitarius quidam vitam in omni ſanctitate, vigiliis aſſiduis, jejuniis crebris, & continuis orationibus, ducens heremiticam; circa noctis crepuſculum eò pertranſiens, mulieris cujuſdam luctus lachrymabiles & querelas uſque ad intima cordis & oſſium medullas penetrativas, quas Dominus ex mortuorum corporibus licèt laceratis elicuit, audivit. Infantulorúmque vagitus lugubres nimis cum doloris ululatibus quaſi in materno ſinu audiendo ſimiliter annotavit. Miſericordia autem ſanctus Dei motus, uſque ad lachrymarum aduberem effuſionem, quò ipſa vox ipſum vocabat, Domino ducente pervenit. Et cùm illuc perveniſſet, nec aliud quàm corpora humana in fruſta detruncata, reperiſſet; cognovit in Spiritu ipſa alicujus innocentis corpus, vel aliquorum innocentium corpuſcula, extitiſſe, quæ tam inhumanam ſententiam ſubierunt. Nec ſine Martyrii palma, ipſos quorum hæ fuerunt exuviæ, ab hoc ſæculo tranſmigraſſe ſuſpicabatur. Auxilium tamen pro Dei amore & charitatis intuitu poſtulatum non denegans, ſe pro illorum reparatione proſtravit in devotiſſimam cum lachrymis orationem, maximè propter vocem cœlitus emiſſam, quam profectò cognovit Deum per linguas cadaverum protuliſſe. Piis igitur ſanctus commotus viſceribus, ignéque ſuccenſus charitatis, ex cognitione ejus, quam, ut jam dictum, dudum viderat, habuit, factus hilarior, pro ipſis flexis genibus, inundantibus oculis, junctiſque palmis oravit, dicens: "Domine Jeſu Chriſte, qui *Lazarum* "quatriduanum ac fœtidum reſuſcitaſti, imò qui omnium noſtrorum corpora in extremo "examine ſuſcitabis, veſtram oro miſericordiam, ut non habens ad me peccatorem, ſed ad "horum innocentum preſſuras reſpectum piiſſimum, corpuſcula horum jubeas reſuſcitari, "ad laudem & gloriam tuam in ſempiternum, ut omnes qui mortis horum cauſam & for"mam audiverint, te glorificent Deum & Dominum mundi Salvatorem.

Eremita eius deserti incola,

Orationibus suis,

Sic igitur ſanctus iſte Domini, de fidei ſui virtute in Domino præſumens & confidens, inter orandum, membra præciſa recolligens, & ſibi particulas adaptans & conjungens, & in quantum potuit redintegrans, in partium quamplurium, ſed in integritatem potiùs delectatus, Domino rei conſummationem, qui mortificat & vivificat, commendavit. Conjuncta igitur corpora, ſigno Crucis triumphali conſignavit. Mira fidei virtus & efficacia, ſigno Crucis vivificæ & orationis ac fidei ſervi Dei virtute, non ſolùm matris orbatæ animus reparatur, ſed & filiorum corpuſcula in priſtinum & integrum naturæ ſunt reformata decorem; necnon & animæ mortuorum ad ſua priſtina domicilia ſunt reverſæ. Ad manſiunculæ igitur ſuæ ſepta (à qua elongatus fuerat, gratia lignorum ad pulmentaria decoquenda colligendorum) ipſe ſenex; qui priùs detruncati fuerant, Domino jubente integri vivi & alacres ſunt reverſi: Ducem ſanctum ſuum ſequentes pedetentim. Ubi more patris, ipſam deſolatam cum liberis ſibi ipſis reſtitutis, alimentis quibus potuit, & quæ ad manum habuit, piè ac miſericorditer confovebat.

liberos ad vitam reducit:

Neſciens ergò quò migraret Regina, cum ſuis infantulis intra vaſtiſſimam heremum cum memorato ſolitario, diu moram ibidem orationibus, vigiliis, ac aliis ſanctis operibus ejus intenta & jamjam convenienter informata, & edulio ſylveſtri ſuſtentata, continuabat. Poſt duorum vero menſium curricula, Rex *Offa* victorioſiſſimus domum lætus remeavit, ſpolia devictorum ſuis Magnatibus Regali munificentia glorioſè diſtribuendo; veruntamen, ne lachrymæ gaudia Regis & eorum qui cum eo advenerunt, miſerabiliter interrumperent, conſiliarii Regii quæ de Regina & liberis ejus acciderant, diu ſub ſilentio cautè diſſimulando, & cauſas abſentiæ ejus fictas annectendo, concelabant. Tandem cum Rex vehementer admiraretur ubinam Regina delituiſſet, quæ ipſi Regi ab ancipiti bello revertenti, occurriſſe gaudenter teneretur; & in oſculis & amplexibus cæteris gaudentiùs triumphatorem adventantem ſuſcepiſſe; ſciſcitabatur inſtantiùs, & torviùs & proterviùs, quid de ipſa fieret vel eveniſſet. Suſpicabatur enim eam morbo detentam, ipſamque cum liberis ſuis, Regis & aliorum hominum, ut quietè vacaret, frequentiam declinâſſe. Tandem cum iratus nullatenus ſe velle ampliùs ignorare, cum juramento, quid de uxore ſua & liberis eveniſſet, vultu torvo aſſeruiſſet, unus ex æditui omnia quæ acciderant, de tyrannico ejus mandato, & mandati plenaria executione, ſeriatim enarravit.

Eosque cum regina matri, alit.

Offa domum rediens,

de iis quæ uxori liberisque acciderant, certior factus:

His auditis, riſus in luctum, gaudium in lamenta, jubilus in ſingultus, flebiliter convertuntur, totaque regia ululatibus perſonuit & mœroribus. Lugenſque rex diu tam immane infortunium, induit ſe ſacco cilicino, aſperſum cinere, ac multipliciter deformatum. Tandem monitu ſuorum, qui dicebant non virorum magnificorum, ſed potiùs effœminatorum, dolorem interjecto ſolatio nolle temperare, eſſe proprium & conſuetudinme; Rex cœpit reſpirare, & dolori modum imponere. Conſilio igitur peritorum, qui noverant regem libentes

benter in tempore proſpero in ſtudio venatico plurimùm delectari, convocantur venatores, ut Rex ſpatiaturus venando, dolorem ſuum diminueret & luctum ſolatio demulceret.

tandem inter venandum,

Qui inter venandum dum per ſylvarum abdita, Deo miſericordiarum & totius conſolationis ducente, feliciter ſolus per invia oberravit, & tandem ad Hermitorium memorati Heremitæ directe pervenit, ejuſque exiguum domicilium ſubintrans, humaniſſime & cum ſummo gaudio receptus. Et cum humili reſidens ſedili, membra fatigata quieti daret ad horam, recolens qualiter uxorem ſuam ibidem quondam divinitus reperiſſet, & feliciter educâſſet, & educatam duxiſſet in uxorem, & quam elegantem ex ea prolem protuliſſet, eruperunt lachrymæ cum genitibus, & in querelas lugubres ora reſolvens, hoſpiti ſuo ſiniſtrum de uxore ſua quæ infauſto ſidere nuper evenerat, quam & ipſe quondam viderat, enarravit.

venit apud eremitam illum offendit.

At ſenex ſereno vultu, factus ex intrinſecùs concepto gaudio alacrior, conſolatus eſt regem, & in vocem exultationis eminùs prorumpens: "Eia Domine mi Rex, eia ait; verè Deus "miſericordiarum, Dominus, famulos ſuos quaſi pater filios in omni tribulatione poſt preſ-"ſuras conſolatur, percutit & medetur, dejicit ut glorioſus elevet prægravatum. Vivit "uxor tua, cum liberis tuis in omni ſoſpitate reſtauratis: non meis meritis, ſed potiùs tu-"is, integritati, ſanitati & lætitiæ pleniùs qui trucidabantur reſtituuntur. Recognoſce "quanta fecit tibi Dominus, & in laudes & gratiarum actiones totus exurge. Tunc proſiliens ſanctus præ gaudio, evocavit reginam, quæ in interiori diverticulo, pueros ſuos balneo mitiùs materno ſtudio conſovebat. Quæ cum ad regem introîiſſet, vix ſe gaudio capiens, pedibus mariti ſui provoluta, in lachrymis exultationis inundavit. In cujus amplexus deſideratiſſimos ruens rex, ipſam in majus quàm dici poſſit gaudium ſuſcepit. Interim ſenex, pueros elegantiſſimos & ex ablutione elegantiores veſtit, comit, & paterno more & affectu componit, & ad præſentiam patris & matris introducit. Quos pater intra brachia ſuſcipiens, & ad pectus arctioribus amplexibus applicans, roſeis vultibus infantum oſcula imprimit multiplicata; quos cum rore lacrymarum, præ nimia mentis exultatione, madefecit. Et cùm diutiùs eorum colloquiis paſceretur, converſus rex ad ſenem, ait: "O "pater ſancte, pater dulciſſime, mentis meæ reparàtor, & gaudii, cordis mei reſtaurator, "quâ merita veſtra, charitatis officia, pietatiſque beneficia, proſequar remuneratione?

Cui gratias agens,

"Accipe ergò, licet multò majora exigant merita tua, quicquid ærarium meum valet effun-"dere; me, meos, & mea, tuæ expono voluntati. At ſanctus, Domine mi Rex, non de-"cet me peccatorem converſum ad Dominum, ad inſanias quas reliqui falſas reſpicere. Tu "verò potiùs pro animabus patris tui & matris tuæ, quibus quandoque charus fueram "ac familiaris, & tua, & uxoris tuæ, & liberorum tuorum corporali ſanitate, & ſalute

Ab eo jubetur, ut Cœnobium aliquod ædificet.

"ſpirituali, regni tui ſoliditate, & ſucceſſorum tuorum proſperitate, Deo gratus, qui tot "in te congeſſit beneficia, Cœnobium quoddam fundare, vel aliquod dirutum ſtudeas re-"ſtaurare: in quo dignè & laudabiliter Deo in perpetuum ſerviatur; & tui memoria cum "precibus ad Dominum fuſis, cum benedictionibus ſemper recenter recolatur. Et conver-"ſus ad Reginam, ait; Et tu, filia, quamvis mulier, non tamen muliebriter, ad hoc re-"gem accendas & admoneas diligenter, filioſque tuos inſtrui facias, & ut Dominum De-"um qui eos vitæ reparavit, ſtudeant gratanter honorare, & eidem fideliter famulando "fundandi Cœnobii poſſeſſiones ampliare, & tueri libertates.

Sanctus autem ad Cellam reverſus, poſt paucum temporis ad incolatu hujus mundi migravit ad Dominum, mercedem æternam pro labore temporali recepturus. Rex autem citò monita ipſius ſalubria dans oblivioni & incuriæ, ex tunc, otio ac paci vacavit: prolem-

Quod Offa oblivioni tradens, moritur.

que copioſam utriuſq; ſexus expectabilis pulchritudinis procreavit. Unde ſemen regium à latere & deſcenſu, felix ſuſcepit incrementum. Qui completo vitæ ſuæ tempore, poſt ætatem bonam quievit in pace, & regaliter ſepultus, appoſitus eſt ad patres ſuos: *In eo multùm redarguendus, quòd Cœnobium votivo affectu repromiſſum, theſauris parcendo non*

Deſcenſus ad ſecundum Offam.

conſtruxit. Poſt victorias enim à Domino ſibi colhatas, amplexibus & ignaviæ necnon avaritiæ plùs æquo indulſit. Proſperitas enim ſæcularis, animos, licèt viriles, ſolet frequenter effæminare. Veruntamen hoc onus humeris filii ſui moriturus appoſuit: qui cum devota aſſecutione, illud ſibi ſuſcepit. Sed nec ipſe Deo averſo pollicita, prout patri ſuo promiſerat, complevit; ſed filio ſuo hujus voti obligationem, in fine vitæ ſuæ dereliquit. Et ſic memorati voti vinculum, ſine efficacia complementi de patre in filium deſcendens, uſque

** Tunfredus.*

ad Tempora *Pineredi* filii * *Tuinfreth* ſuſpendebatur. Quibus pro pœna negligentiæ, tale evenit infortunium, ut omnes Principes, quos *Offa* magnificus edomuerat, à ſubjectione ipſius *Offæ*, & poſteritatis ſuæ procaciter receſſerunt, & ipſum morientem deſpexerunt. Quia, ut prædictum eſt, ad mortem vergens, deliciis & ſenii valetudine marcuit enervatus.

DE ORTU
SECUNDI OFFÆ.

NAtus eſt igitur memorato *Tuinfredo* (qui de ſtemmate Regum fuit) filius videlicet *Pinefredus*, uſque ad annos adoleſcentiæ mutilis poplitibus contractis, & qui nec oculorum vel aurium plenè officio naturali fungeretur. Unde patri ſuo *Tuinfredo* & matri ſuæ *Marcellinæ*, oneri fuit non honori, confuſioni & non exultationi. Et licèt unicus eis fuiſſet, mallent prole caruiſſe, quàm talem habuiſſe. Veruntamen memoriæ reducentes eventum *Offæ* magni, qui in tenera ætate penitus erat inutilis & poſtea, Deo propitio, penitus ſibi reſtitutus, mirabili ſtrenuitate omnes ſuos edomuit adverſarios, & bello præpotens, glorioſè multotiens de magnis hoſtibus triumphavit: ſpem conceperunt, quod eodem medico medente (*Chriſto* videlicet, qui etiam mortuos ſuſcitat, propitiatus) poſſet ſimiliter viſitari & ſibi reſtitui. Pater igitur ejus & mater ipſum puerum inito ſalubri conſilio, in templo præſentarunt; Domino, votiva devotione firmiter promittentes: "Ut ſi ipſum Deus reſtauraret, quod parentes ejus negligenter omiſerunt, "ipſe puer, cum ſe facultas offerret, fideliter adimpleret. Videlicet de Cœnobio, cujus mentio prælibata eſt, honorifice conſtruendo: vel de diruto reſtaurando. Et cum hoc, tam puer quàm pater & mater devotiſſimè poſtularent, exaudita eſt oratio eorum à Deo, qui ſe nunquam difficilem exhibet precibus juſtis ſupplicantium, hoc modo.

Secundus Offa claudus, &c. à nativitate,

à parentibus in templo Deo præſentatus,

ſanatur.

Quomodo proſperabatur.

ERat in eadem Regione (*Merciorum* videlicet) quidam Tyrannus, potiùs deſtruens & diſſipans regni Nobilitatem, quàm regens; nomine *Beormredus*. Hic generoſos, quos regius ſanguis præclaros fecerat, uſque ad internecionem ſubdolè perſequebatur, religavit, & occulta nece perdidit jugulandos. Sciebat enim, quòd univerſis de regno meritò extitit odioſus; & ne aliquis loco ipſius ſubrogaretur, (præſertim de ſanguine Regio propagatus) vehementer formidabat. Tetendit inſuper laqueos *Tuinfredo* & uxori ejus, ut ipſos de terra expelleret, vel potiùs perderet trucidatos. Puerum autem *Pinefredum* ſprevit, nec ipſum quærere ad perdendum dignabatur; reputans eum inutilem & valetudinarium. Fugientes igitur memoratus *Tuinfredus* & uxor ejus & familia, à facie perſequentis, ſeſe in locis tutioribus receperunt, ne generali calumnia involverentur. Quod comperiens *Pinefredus* adoleſcens, quaſi à gravi ſomno expergefactus, erexit ſe: & compagibus nervorum laxatis, & miraculosè protenſis, ſeſe de longa deſidia redarguens, fecit alices, brachia, crura, pedes, extendendo. Et aliquotiens oſcitans, cùm loqui conaretur, ſolutum eſt vinculum linguæ ejus; & loquebatur rectè, verba proferens ore facundo promptiùs articulata. Quid plura? de contracto, muto, & cæco, fit elegans corpore, eloquens ſermone, acie perſpicax oculorum. Qui tempore modico in tantam floruit ac viguit ſtrenuitatem, ut nullus in Regno *Merciorum*, ipſi in moribus & probitate multiplice valuit comparari, unde ipſi *Mercii*, *ſecundum Offam*, & non *Pinefredum*, jam nominantes (quia à Deo reſpectus & electus fuiſſet, eodem modo quo & Rex *Offa* filius Regis *Warmundi*) cœperunt ipſi quaſi Domino univerſaliter adhærere; ipſumque jam factum militem, contra Regem *Beormredum* & ejus inſidias, potenter ac prudenter protegere, dantes ei dextras, & fœdus cum ipſo, præſtitis juramentis, ineuntes. Quod audiens *Beormredus*, doluit, & dolens timuit ſibi vehementer. Pœnituitque eum amariſſimè, ipſum *Pinefredum*, (qui jam *Offa* nominabatur) cum cæteris fraudulenter non interemiſſe.

De tyrannide Beormredi *Regis* Mercii.

ejus indoles egregia.

De Bello inito inter Beormredum *&* Offam.

COngregato igitur utrobique exercitu copioſiſſimo, pugnam cruentiſſimam inierunt: hinc Rex *Beormredus* cum ſuis complicibus, inde *Offa* adoleſcens ſtrenuiſſimus cum ſuis *Merciis*, ſibi indiſſolubiliter adhærentibus; Decertantibuſque utrinque viriliter partibus, ex adverſo, ceciderunt quamplures exanimati: multi quoque letaliter vulnerati, elapſi ſunt, qui citò poſtea miſerabiliter expirarunt. Tandem ſuſpenſa diu victoria, cum jam nox diremtura certamen immineret, adoleſcens *Offa* (cujus adhuc ſicut mane ſpiritus recenter fervebat) ſuos exhortabatur dicens; voce alacriter exaltata;

Bellum gerens cum Beormredo *rege,*

O Nobiles commilitones, non alienigenæ, ſed indigenæ, non amore pecuniæ, ſed libertatis vobis debitæ mihi conjuncti, qui me ſuper vos elegiſtis, & non ego ad hunc apicem me ingeſſi, expergiſcimini. Res veſtra agitur. Quid pigritantes fatigamini? ſequimini me prævium, ecce prælii negotium finem expectat adoptatum. Sol jam vergit in occaſum. Nunquid in tenebris, quas deſiderant,

commilitones adhortatur,

derant, manus noſtras evadent hoſtes noſtri? Hucuſque proſperatum eſt opus Martium fœliciter, ex parte noſtra; incœpta viriliter proſequimini. Ad hunc clamorem, clamor ſubjectorum reſonat, & ipſo prævio, & denſam aciem hoſtium ad inſtar tellurem ſulcantis, hinc inde diſſipat, adverſarios & obſtantes proſternendo. Quem *Merciorum* præſtantiores à tergo & è veſtigio ſubſequentes, viam aperiunt latiorem, ſeſe igitur ad invicem clamor exhortantium, aſcendit ad ſydera, pulvis aëra proturbat, fragor haſtarum, tinnitus gladiorum, gemitus vulneratorum, tubarum & lituorum clangor, ictuum ſtrepitus repetitorum, corda potuit exterruiſſe magnanimorum. Sicque funeſtiſſimo bello cum redivivo certamine renovato, multi corruunt utrobique, animas cum ſanguine, ſub equinis pedibus miſerabiliter eructantes.

Deglorioſa victoria Offæ *adoleſcentis, contra* Beormredum *Tyrannum dimicantis.*

& victoria potitur glorioſa. TAndem cum jam adveniente crepuſculo nox atra immineret, verſum eſt pondus prælii ſuper *Beormredum.* Qui letaliter vulneratus, in tenebris à manibus animam ſuam quærentium, ereptus eſt & elapſus. Igitur antequam nox opaca certamen diremiſſet, contritus eſt & diſſipatus *Beormredi* tyranni totus exercitus, & cruentiſſima hoſtium quos fuga non eripuit, & tenebræ non occultaverunt, ſtrages irreſtaurabilis conſummata. Convocatis igitur militaribus per notos lituos & clamores agminibus, *Offa* glorioſè triumphans, ſeſe in munitionem propinquam recipiens, cum lætitia ſopori dedit, ac ſecuræ quieti membra nimis fatigata: quæ Deo in cauſa ſua juſtiſſima protegente penitus illæſa conſervavit, ibique aliquot diebus, fatigati quiete recreantur, vulnerati medicaminibus mitigantur, membris contriti balneis & unguentis confoventur, ſicque factum ut in triduo, nec *Beormredus,* nec aliquis de ipſius complicibus in regno *Merciorum* inveniretur.

Pater Offæ *& mater & totum ſemen Regium reſpirarunt.*

** Marcillina* HÆC autem cum audiſſet *Tuinfredus* Comes, pater videlicet *Offæ*, & comitiſſa *Marcella*, * mater, ac eorum familia, qui ſub protectione cujuſdam potentis contermini latuerunt: quaſi ab exilio ad propria gaudenter remearunt. Patri igitur adventanti occurrit *Offa*, triumphator magnificus, & in mutuos ruentes, * ſeſe piis lachrymis, & lætis fletibus irrorarunt, & ſingultibus ſermonem prorumpentibus, ait pater filio. *O fili, unice fili genealis, fili* Offa *cariſſime, quem mihi ſeneſcenti, dedit Deus ad ſolatium, & ad gaudium & gloriam reſtauravit, non tantum ſanum, ſed & victorioſum faciendo: Accipe hæreditatem tuam, comitatum meum; quia etſi filius meus non eſſes, hæc & plura pro meritorum retributione promeruiſti. Inimicum enim generis noſtri proſtraviſti, & Regnum* Merciorum, *priſtinæ libertati potenter reſtituiſti. Ego jam delibor, etenim ſenui, & caligaverunt oculi mei, precibus & contemplationi, cum uxore mea, de cætero quietiùs incumbam, pro alacritate tua & generis noſtri Deo preces de cætero porrigam indefeſſas, in Cænobio quod vita Comite fundaturus es, habitum Religionis aſſumpturus.* Hæc cum audiſſet *Offa*, commota ſunt viſcera ſua, & cum gemitu ait. *Abſit hoc, pater mi venerande, ut dum vitales auras hauſeris, ſtatus veſtræ dignitatis in aliquo me vivente mutiletur, imò potiùs felix ſuſcipiet incrementum. Eccleſiam autem quàm Deo multotiens promiſi me ædificaturum, profectò me polliceor: nam Deo nunc magis obligor non ignobiliter perfecturum.*

** amplexus,*

Pater victoriam ei gratulatur.

Qualiter Offa *in Regem* Merciorum *ſublimatur.*

CUM autem hoc pium certamen potentes *Merciorum* audiſſent, ipſum *Offam* quaſi animam ſuam diligere cœperunt. Et irruentes, ipſum juvenem à patris amplexibus certatim rapientes, unanimi conſenſu vociferabantur. *Nequaquam comes, ſed Rex noſter eris magnificus, hoc enim ſanguis Regius expoſtulat, & merita tua hoc multipliciter præceſſerunt. Te enim auctore, te duce, perſecutorem noſtrum contrivimus, & ad hoc Deus te tibi mirabiliter, miſericorditer, ac miraculosè reſtauravit. Tu omnes Regno* Merciorum *rebelles, potenter edomabis, & quod Deo votivo affectu promiſiſti, ex hoc nobilius conſummabis.* Congregati igitur univerſi *Merciorum* potentes, *Offam* ſupra ſe conſtituunt ſolenniter Coronatum. Dixeruntque ei, *Ex hoc nunc & deinceps, non tantum ſimilis, ſed* Offæ *magno cenſeberis ſimillimus; ſequere igitur ipſius pedetentim veſtigia, & eos quos & ipſe regno huic potenter ſubjugavit, & poſteà inſolentes ſub jugo ejus colla nequiter excuſſerunt, tu potentiùs ad Coronæ tuæ revoca ſolicitatem. Nos autem uno animo & alacri voluntate, tibi per omnia conſilium efficax, & auxilium uſque ad mortem propenſiùs impendemus.*

Offa eligitur in regem Merciorum.

Coronato igitur *Offa*, in ſoliique culmine conſtituto, refloruit pax *Merciorum*, & proſperitas: populus reſpiravit, ſeminis regii propago reſtauratur, leges pacificæ ſuſcitantur, & nobiles quos *Beormredus* tyrannus expulerat à Regno revocantur.

Qua-

Qualiter Offa *Rex, uxorem duxerit.*

DIebus itaque ſub eiſdem, Regnante in *Francia Carolo* Rege magno ac victorioſiſſimo, quædam puella, facie venuſta,ſed mente nimis inhoneſta, ipſi Regi conſanguinea, pro quodam quod patraverat crimine flagitioſiſſimo, addicta eſt judicialiter morti ignominioſæ, verum ob Regiæ dignitatis reverentiam, igni vel ferro tradenda non judicatur, ſed in navicula (armamentis carente) appoſita, victu tenui, ventis & mari, eorumque ambiguis caſibus exponitur condemnata. Quæ diu variis procellis exagitata, tandem fortuna trahente, litori *Britonum* eſt appulſa, & cum in terra ſubjecta poteſtati Regis *Offæ* memorata cimba applicuiſſet, conſpectui Regis protinus præſentatur. Interrogata autem quænam eſſet? "Reſpondens, patria lingua affirmavit, ſe *Carolo* Regi *Francorum* fuiſſe conſanguinitate "propinquam, *Dridamque* nominatam, ſed per tyrannidem quorundam ignobilium (quo- "rum nuptias, ne degeneraret, ſprevit) tali fuiſſe diſcrimini adjudicatam, abortiſque la- "chrymis addidit dicens, Deus autem qui innocentes à laqueis inſidiantium liberat, me "captivam ad alas tuæ protectionis, ô Regum ſereniſſime, feliciter tranſmiſit, ut meum in- "fortunium, in auſpicium fortunatum tranſmutetur, & beatior in exilio quàm in natali "patria, ab omni prædicer poſteritate.

Dridam virginem Francicam

Rex autem verborum ſuorum ornatum, & eloquentiam, & corporis puellaris cultum, & elegantiam pendens, motus pietate, præcepit, ut ad Comitiſſam *Marcellinam* matrem ſuam tutiùs duceretur alenda, ac mitiùs ſub tam honeſtæ matronæ cuſtodia, donec Regium Mandatum audiret, confovenda. Puellæ igitur infra paucos dies, macie & pallore per alimenta depulſis, rediit decor priſtinus, ita ut mulierum pulcherrima cenſeretur. Sed citò in verba jactantiæ & elationis (ſecundùm patriæ ſuæ conſuetudinem) prorumpens, dominæ ſuæ Comitiſſæ, quæ materno affectu eam dulciter educaverat, moleſta nimis fuit, ipſam procaciter contemnendo. Sed Comitiſſa, pro amore filii ſui Regis, omnia patienter toleravit: licèt & ipſa dicta puella, inter Comitem & Comitiſſam verba diſcordiæ ſeminaſſet. Una igitur dierum, cum Rex ipſam cauſa viſitationis adiens, verbis conſolatoriis alloqueretur, incidit in retia amoris illius; erat enim jam ſpecies illius concupiſcibilis. Clandeſtino igitur ac repentino matrimonio ipſam ſibi inconſultis patre & matre, necnon & Magnatibus ſuis univerſis, copulavit. Unde utrque parentum, dolore ac tædio in ætate ſenili contabeſcens, dies vitæ abbreviando, ſuæ mortis horam lugubriter anticiparunt; ſciebant enim ipſam mulierculam fuiſſe Regalibus amplexibus prorſus indignam; perpendebántque jamjam veraciſſimè, non ſine cauſa exilio lachrymabili, ipſam, ut prædictum eſt, fuiſſe condemnatam. Cùm autem annos longævæ ſenectutis Comes *Tuinfredus* & præ ſenectute caligaſſent oculi ejus, data filio ſuo Regi benedictione, naturæ debita perſolvit; cujus corporis magnificè, prout decuit, tradidit ſepulturæ. Anno quoque ſub eodem, uxor ejus Comitiſſa *Marcellina*, mater videlicet Regis, valedicens filio, ab hujus incolatu ſæculi, feliciter tranſmigravit.

ducit in uxorem.

Offæ parentes moriuntur.

Qualiter Patre, & Matre jam defunctis, Rex Offa *in cunctis proſperè ſe habuit.*

REX itaque *Offa* vel *Offanus*, utroque parentum jam orbatus, conſolationem à domino *Jeſu Chriſto*, cui ſe palàm & frequenter confitebatur obligatum, poſtulavit, & accepit. Ex Regina igitur uxore ſua (quæ ſe *Petronillam* nominavit) prolem ſuſcepit ſexus infra biennium utriuſque, filiumque ſuum primogenitum, *Egfridum* juſſit nominari. Interea utpote ſagax, fortunatus & bellicoſus, hoſtes ſuos conterminos audacter impetendo, fines regni *Merciorum* ſub temporis brevitate, inopinabiliter dilatavit. Unde tum pro ſobole ſibi à Deo conceſſa, tum pro corporis ſtrenuitate, tum pro cordis ſagacitate, factus eſt hoſtibus non mediocriter formidabilis.

Egfridus *naſcitur.*

Offa *ſubjugat reges conterminos,*

Hoſtes Offæ, Carolo *Regi* Francorum *confœderantur.*

REX igitur *Offa* ſecundus, primo ſimillimus, in omnibus agendis, primo ſtuduit conformari. Dilatata eſt igitur fama magnificentiæ ſuæ, & cœperunt univerſi Reges quos *Offa* primus ſibi ſubjugarat, magis ac magis potentiam ſuam formidare. Initio igitur communi conſilio, Rex *Cantuarienſium* & *Kentenſium*, Rex *Occidentalium Saxonum*, Rex *Northumbrorum*, Rex *Auſtralium Saxonum*, Rex *Orientalium Anglorum*, conſultiùs arbitrabantur, *Carolo* magno *Francorum* regi (ſolemnibus Nunciis ad hoc deſtinatis) amicitias poſtulando confœderari. Chartam igitur hujus exempli, eidem tranſmiſerunt.

qui auxilium flagitant à Carolo *rege* Francorum.

Carolo *Regi* Francorum *magno, triumphatori, invincibili. Quinque Britanniæ Reges potentiſſimi, Cantii, Occidentalium Saxonum, Northumbrorum, Auſtralium Saxonum, Orientalium Anglorum Salutem, & fœdus amicitiæ. Cùm* Offanus *Rex* Merciorum *in tantam proruperit proterviam, ut majeſtatis noſtræ hoſtiliter invaſerit potenſiam, & temerè præſumat contererc; ad ſinum veſtræ protectionis confugimus. Ut & nos, qui quamvis vulpinas ejus inſidias*

per Epiſtolam

non timeamus, tua prudentia moderetur, conſortet conſilium. Et ſi emerſerit neceſſitas, contra ipſum, cujus major eſt ſuperbia quàm fortitudo, juvet & corroberet patrocinium. Nos quoque ſimili fœdere relativo, vobis, ſi res expoſtulet, generaliter in adjutorium veſtrum contra vobis rebelles inſurgemus. Tuam igitur petimus ſerenitatem, quatenus furorem ſuum, terribilis, Epiſtola veſtra compeſcat, ne ſponte perire compellatur. Tuæ vero donationi, mille aureos pro munere mittimus, primitivo hoc donativo, futuram amicitiam ſubarrantes.

Carolus *incipit protegere Hoſtes Regis* Offæ.

Qui Offæ minaciter reſcribens,

HÆC cum audiſſet *Carolus*, eorum mandata & munera gratanter acceptavit. Tranſmiſit igitur Epiſtolam comminatoriam, & preces imperioſas continentem; "Regi *Offæ* " conſulens & imperans, ut deſiſteret *Britanniam* inquietare, aut reges conterminos ſibi; " qui eidem fuerant novo fœdere ſociati, aliquo modo ſubjugare. Quod ſi attemptaret, " ſibi *Carolum*, omni mortali formidabilem ſentiret inimicum.

Offa, *contempto mandato* Caroli, *expugnat ſibi Rebelles.*

contemnitur.

AD hoc magnanimus Rex *Merciorum Offa* reſpondit; *Quid mihi & Carolo tranſmarino? Et ipſum ſi mihi injuriaretur, hoſtiliter impeterem, & conarer mihi & regno meo, ipſum cogere famulari.* In ſpiritum igitur iracundiæ omnes ſibi militare ſervitium debentes, voce præconia congregavit, & ait; *Amici & commilitones mei, qui me ad libertatis veſtræ unanimiter, non meis meritis ſed ſola liberalitate veſtra convocaſtis tuitionem. Ecce hoſtes mei, imò veſtri* Carolo *Regi* Francorum *ſuperbo, in perniciem veſtram confœderati, ruinam* Merciorum *fraudulenter machinantur. Sed ut audivi, imò conſtanter certificor, ipſe in Italicis & aliis tranſmarinis & tranſalpinis partibus, negotiis bellicis occupatus, inimicis circundatur & impugnatur. Interim & nos inimicos noſtros vigilanter impetamus: ut ſic antequam idem* Carolus *ſibi vacet ut noſtris hoſtibus ſuffragetur, ipſos irreſtaurabiliter proſternamus.* Interea memoratus Rex *Carolus à Saxonum* gente provocatus, illuc lora dirigit & vexilla, & ipſos multis præliis (quæ ſpeciales tractatus exigeret) ſuo dominio multis utrobique Principibus interfectis, tandem triumphaliter mancipavit.

Rex Eſt-Anglorum, *ab* Offa *Rege* Merciorum *expugnatur.*

MAgnates autem *Merciorum*, cum ſuper libertate regni ſic per regem ſollicitarentur, conſtanter & unanimiter, quaſi uno ſpiritu reſponderunt, ſe ipſum regem uſque ad expoſitionem capitum, fideliter ſecuturos. Rex igitur *Offa* dum *Carolus* Rex in *Saxoniæ* partibus, variis præliorum caſibus detineretur, non dormiens neque dormitans, Regem *Eſt-Anglorum* collectis viribus ſtuduit potenter impetere. Sed cum hic ipſius hoſtilem adventum cognoſceret, ipſum *Offam* alacriter in ore gladii ſuſcepit. Unde in loco qui *Feldhard* ab incolis nuncupatur, commiſſum eſt prælium cruentiſſimum. Et poſt certamen à ſummo manè uſque ad meridiem, hoſtiliter continuatum, ceſſit *Offæ* victoria, unde triumphali titulo glorioſè inſignitus, *Offa* lætus & illæſus, ad propria remeavit.

Offa regem Eſt-Anglorum vincit.

Moritur Carolus *Rex* Francorum, *ſubſtituitur* Carolus *frater ejus, priore potentior.*

CUm autem poſt trophæum exultans Rex, præciperet munificè ſpolia victorum & captivos, ſuis diſtribui commilitonibus, & ut qui pondus & æſtus prælii, vulnera, vel amicorum jacturas ſuſtinuerunt, præmia reportarent pro ſuis meritis uberiora. Redierunt etiam quos clanculò miſerat, de tranſmarinis partibus, ſui exploratores. Qui affirmarunt *Carolum Francorum* regem, in medio ſuorum procerum morte repentina corruiſſe, veneno, vel apoplexia ſubitò ſuffocatum. Quod cum audiſſet *Offa*, non jam ſemipleno, ſed exuberanti gaudio recreatus, Ait: *Eia, milites, laboris & gaudii mei participes; favente nobis ad votum Marte: imò potiùs ipſo Chriſto Domino exercituum: Ceciderunt hic & in partibus tranſmarinis, noſtri eminus inimici.* Carolus *namque dum de* Saxonia *ſuperbus remearet pro triumpho, in medio agminum ſuorum, offenſo Deo, cruentus, interitu periit repentino. Qui hoſtibus noſtris contra nos dimicaturis, auxilium & conſilium præſtiturum ſe promiſit. Manifeſtum eſt igitur, Deum nobis favorem & patrocinium, cælitus contuliſſe.* Ad hoc omnes cum gaudio vociferato dixerunt, *Etſi viveret* Carolus, *nec ipſum, nec alium, ſub te duce fortunato, timeremus.*

Carolus Rex moritur:

Hoſtes Offæ *iterùm* Carolo *ſecundo potentiſſimo confœderantur.*

cui ſuccedens Carolus ille magnus:

DEfuncto igitur, ut dictum eſt, *Carolo*, qui cum fratre ſuo *Carolo*, patris ſui Monarchiam participando dimidiabat, ſubſtitutus eſt ille dictus *Carolus* natu minor, monarchiæ memoratæ. Unde reges *Britanniæ* prædicti, qui *Offæ* hoſtiliter adverſabantur, novis & pretioſioribus muneribus cum Legatis præclaris & ſolemnibus, ad ipſum feſtinanter tranſ-

tranſmiſerunt, ut cum ipſo confœderati, in *Offam* inſurgerent tutiores, imo potiùs fortiores. Qui ad ipſum pervenientes, dixerunt: *O Regum excellentiſſime! audivit, ut creditur, imperialis Majeſtas veſtra, qualiter frater tuus* Carolus, *Regibus qui in* Britannia *injurioſos impetus* Offæ *Regis* Merciorum *ſuſtinent, conſilium ſalutiferum & efficax libenter conferret patrocinium. Quo univerſæ carnis viam ingreſſo, & te loco ipſius fœliciter ſubrogato: tuam propenſiùs condecet dominationem magnificentiùs ſupplere quod ſpoſpondit, cùm majori poteſtate ſublimeris.* Acceptans igitur hoc mandatum *Carolus* cum muneribus concupiſcibilibus, ſereno vultu reſpondit. *Amici mei, Dominis veſtris munificis ac magnificis regibus* Britanniæ, *qui fratri meo fuerunt benevoli & benefici, & me renovacis reſpexerunt donativis, gratâ reſpondebo viciſſitudine, in plenitudine tamen poteſtatis mihi debitæ ſtabilitus. Expectent igitur patienter, donec fidelium meorum receperim juramenta pleniùs, & obligationes. Ego autem interim temeritates* Offæ *fræno terribilis comminationis cohibebo.*

opem ejus implorant reges Britanniæ, contra Offam;

qui auxilium iis repromittens,

Comminatio ſecundi Caroli *S.* Maximi, *ne* Offa *inquietet Reges ſibi Rebelles.*

SCripſit igitur *Carolus* maximus, *Offæ* Regi in hunc modum.

Carolus *Regum potentiſſimus & Imperiali diademate decorandus, illuſtri Regi* Merciorum Offæ, *Salutem. Cum Regum nobilium tibi finitimorum, impatiens, in tantam proruperis proterviam, ut omnes tibi temerè conteris inclinare, reprimat te Epiſtola noſtra Imperialis, ne prout præſumptuoſe nimis incepiſti, ipſos ampliùs audeas hoſtiliter impetere, aut modis aliquibus ulterius inquietare. Non enim deeſſe poterit noſtrum eis in Neceſſitatis articulo patrocinium. Conſule igitur tuæ gratiſſimæ juventuti, ne te cogar conterere, regno tuò miſerabiliter ac irreſtaurabiliter ſpoliatum.*

Offæ *minitabundus reſcribit.*

Offa *paratur viriliter, Reges ſibi Rebelles conterere.*

HÆc igitur cùm audiſſet *Offa* magnanimus, convocatis ſuis commilitonibus, ait. *Ecce mandatum* Caroli *ſecundi redivivum, ſegnes nos exiſtimat & deſidioſos, necnon & formidoloſos credit, & effœminatos; cum ſolis minis ſuis vincere nos ſperet, & turpiter incurvare. Sed ô generoſi ſortis meæ participes, non tam mea, ſed res veſtra, non ſpecialis, ſed publica cauſa ventilatur. Negotium hoc arduum nimis, nullam capit dilationem: Dum enim* Carolus *adinſtar plantulæ quæ nondum radices in altum tranſmiſit robur non accipit, inimicos noſtros celeriter conteramus.*

Offa *ſuos animat ad reſiſtendum.*

Animatur populus Merciorum, *ad conterendum reges ſibi adverſantes.*

CUm autem taliter *Offa* peroraſſet, reſponderunt ei Nobile, *Merciorum*; *Utquid nos exiſtimat* Carolus *ignavos & degeneres? vires ſuas minimè formidamus. Qui & ſi* Carolo *jam defuncto major eſt, & tu Rex noſter* Offa, *major es* Offano *magno tuo prædeceſſore. Et ſi ille maximus inter ſuos, tu maximus inter tuos coruſcabis. Dimicet maximus cum maximo, ut maximi virtus, manifeſtiùs comprobetur. Et ſi nobis, quos hactenus Deus protexit, adverſetur, eodem vindice quo & frater ejus corruit, curruet & ille à Deo reprobatus.* Ex tunc autem omnes, ad certamen martium quodcunque *Offa* diſpoſiturus & aggreſſurus erat, generaliter animantur.

qui ſpondentes ſe regi ſuo non deeſſe,

& bello ſe accingentes;

Rex Cantuarienſium *vel* Kentenſium *à Rege* Offa *conteritur.*

COnvocatis igitur univerſis officium militare ſibi debentibus, Regem *Cantuarienſem* vel *Kentenſem* hoſtiliter aggreditur. Cui accurrunt alii reges memorati, Regi *Offæ* rebelles, in eorum adjutorium. *Offa* verò diſpoſitis militiæ ſuæ legionibus, oppoſitum exercitum potenter & audacter ad ſimilitudinem fulguris coruſcantis, invadit: & diſſipatis obſtantibus univerſis, bellum inchoat cruentiſſimum. Unde equorum & armorum & armatorum, tubarum & lituorum ſtepitus horribilis, acieſque ſeſe glomeratim comprimentium, ad nubes aſcendere videbatur. Et timor qui ſuper conſtantiſſimos cadere poterat, corda concutit intuentium. Quid plura? congreſſum utrobique graviter, & ſuſpenſa eſt victoria, æquipollentibus viribus tempore diuturno. Et dum hæc agerentur, invictiſſimus Rex *Offa* tædio affectus, vocem elevans cum clamore valido, ait: *O conſortes, amici & commilitones mei, confuſionis vel gloriæ meæ conſortes! Quid hucuſque pueriliter hoſtibus publicis alluſiſtis? Nunquid hic ſimultas latitat? Ubinam* Merciorum *probitas frequenter experta? Sequimini me prævium, &* Kentenſem *proditorem in ſpiritu furoris noſtri, & impetu repentino, adeamus univerſi, & ejus miſeram animam nihil aliud pro meritis expectantem, in tartara detrudamus.*

Kentenſium *regi bellum intentat.*

Offæ *Oratio ad milites:*

Hæc verba compleverat, equinum calcaribus latus utrumque cruentans, in ipſum tyrannum *Kentenſem*, quaſi turbine raptus, invehitur truculenter, nec cum acies interpoſitæ, quin turmas denſiſſimas diſſiparet, & vias latas aperiret, retardare potuerunt. Vibrata igitur haſta cruentata, totis viribus in *Kentenſem*, corpus ejus haſtili mucrone tranſverberavit, quod nec obice clypei vel loricæ poterat præmuniri. Et cum miſeram animam eructans

cor-

& victoria in Benſtenſes:

corruiſſet, exclamavit moribundus, *Heu, heu, miſer, peccata mea inveterata, recens mihi dedecus reſervarunt. Veruntamen invictiſſimi commilitones mei, hoc meum & veſtrum damnum & dedecus, viriliter vindicate.* Et ſic moriens extremum ſpiritum ſub equinis pedibus exhalavit. Hæc cruenta cædes apud *Otteford* perhibetur fuiſſe conſummata.

Fugerunt à facie Offæ *Reges victi: qui in adjutorium eorum venerant, qui eidem* Offæ *adverſabantur.*

REX *Offa* interim, *Northambinbrorum*, *Auſtralium*, & *Occidentalium* turmis in ipſum truculenter irruentibus, undique circumvallatur & impetitur violenter, adeo ut lancearum cuſpidibus in pectore, dorſo, & utroque latere applicatis & impulſis, diverſis hinc inde pellentibus, immotus permanſit, & ab invitis ne proſterneretur eſt adjutus. Et circumtinnientes gladii hoſtiles, caput ſuum undique mallearent, ita ut jam diſcrimini letali pateret rex *Offanus*, ecce acies *Merciorum* invictiſſima, ad inſtar torrentis ſaxa rotantis, irruit in obſtantes, & in *Northambinbros*, *Occidentales*, & *Auſtrales Saxones*, qui jam pene regem *Offam* contriverant; tanto impetu, & mentis acerbiſſimo furore, ut omnes eis reſiſtentes perturbarunt, & diſſipatos, ante ſolis occaſum fugam inire compulerunt.

& in Northhumbros Auſtrales Occidentaleſque Saxones.

In quo graviſſimo conflictu, multi de nobilioribus qui memoratis regibus adhæſerunt contra *Offam*, ceciderunt. De manu vero mediocri, innumerabiles.

Hoc autem bellum horribile nimis apud *Benſintonam* eſt commiſſum, in obſidione ejuſdem caſtri: Elapſo autem *Kenulpho* Rege *Occidentalium Saxonum*, in noctis caligine, adverſi martis minoratus eſt caſu infortunato, totus exercitus qui *Offæ* adverſabantur.

poſt victoriam, caſtrum de Benſinton *intercipit;*

Offa verò triumphator magnificus, ipſum caſtrum quod ibidem obſederat, cum illis quos in eo invenerat, in ſua ſuſcepit. Fugerunt ergo reſidui, & inſequebatur eos *Offa*, & multos ex eis fugientes, à dorſo lancea perforavit. Sui autem commilitones, quos apprehendebant, vel eos qui ſe quaſi victos eis manciparunt: vivos & illæſos reſervabant in ſervitutem redigendos, vel graviter redimendos. Omnes autem ad votum comprehendiſſent vel peremiſſent, niſi in cujuſdam municipii refugio ad quod convolabant, ſeſe *Northambrorum* & *Auſtralium Saxonum* reges, celeriter recepiſſent. Quos Rex *Offa* qui ſicut erat in pace manſuetiſſimus, ita & in bello fuit hominum ferociſſimus, juſſit in girum obſideri in caſtro, donec omnes incluſi vel fame contabeſcerent, vel violenter capti, judicialiter punirentur.

hoſtiſque inſequitur fugitivos.

Qui tamen evadentes;

Nocte verò tertia ſequente, dum excubitores fatigati quieſcerent, ipſi reges memorati omni carentes alimento, dum caligo nimis opacæ noctis oculos omnium detineret, clanculò cum ſuis omnibus aufugerunt, nec lora retinuerunt, donec ad *Walliæ* confinia perveniſſent.

Marmodii regis Walliæ *auxilium contra* Offam *implorant.*

Ubi cum regem *Walliæ Marmodium* inveniſſent, ejus humiliter protectionem & receptationem contra *Offanum* eorum animas quærentem, & poſtea regnum violenter occupare proponentem, poſtularunt. At ipſe nimis credulus dictis eorum, timens ne juxta eorum aſſertionem regnum *Walliæ* expugnaret, recepit eos benignè, per quos ſperabat magna roborari defenſione. Unde non tantum in terra ſua refugium & latibulum, ſed defenſionem ſpoſpondit & juvamen.

Offa Northamhumbrorum, *&* Auſtralium Saxonum *Reges fugientes in* Walliam, *inſequitur.*

CÙm hæc autem regi *Offæ* pleniùs innotuiſſent, excubitorum deſidiam quamplurimum redarguens, reges memoratos uſque ad *Walliæ* contermina hoſtiliter inſequitur, non percunctans. Deſtinatiſque ſolemnibus Nunciis ſignificavit regi *Marmodio*, ſub hac forma.

Epiſtola.

Comminatias Offa *dirigens,*

Nobili Wallenſium *Regi* Marmodio, Offa Merciorum *Baſileus ſalutem & honorem. Novit fama referente prudentia tua, ut creditur, qualiter* Northambinbrorum *&* Auſtralium *Reges potentiæ Regni* Merciorum *à longo tempore ſubjugati, meam procaciter ſpreverunt dominationem, & ad alas protectionis* Caroli Francorum *Regis, ut me contererent, fraudulenter convolarunt. Unde ſupplico, moneo, & conſulo, quatenus talibus favorem nullatenus præbeas aut juvamen. Quod ſi temerè acceptaveris, noveris me tibi inimicum graviter ſuſcitatum, & te cum illis ſimilibus calamitatibus involvendum.* Vale.

intelligit Wallenſes *bellum ſibi præparare.*

His auditis, Rex *Walliæ Marmodius*, convocatis regibus ſupradictis, epiſtolam ſibi ex parte *Offæ* Regis tranſmiſſam, expoſuit per ordinem. At ipſi affirmarunt ipſum *Offanum* prophanum, ſemper minis abundâſſe, & ſub Ovina pelle, vulpinas inſidias & lupinas ſemper palliaſſe rapinas. Nec ipſum *Marmodium* Regem potentem, *Offam* Regulum deſipientem & arreptitium, minimè debere formidare. Quibus fallacibus ſermocinationibus animatus, Rex *Marmodius* per ipſos *Offæ* Legatos eidem *Offæ* renunciavit; *Inhoneſtum fore ac formidoloſum, ipſos deſerere deſolatos, quos ſuſceperat miſericorditer protegendos.* Quos ſi impetere præſumpſiſſet, vires totius *Walliæ* effunderet in eorum defenſionem.

Dum

Dum autem Legati iſtis occuparentur, Rex *Offa* præſagus futurorum, terras & munitiones regum fugitivorum ſibi prudenter ac potenter occupavit; & ſuis obſequiis, acceptis obſidibus, & juramentis indiſſolubiliter mancipavit. Et in eorum civitatibus & caſtris, ſuos fideles ad cuſtodiam ordinavit: ut ex tunc fugitivi penitus excluderentur. *Cautela Offæ*

De pugna inter Offam *& Reges* Wallenſium, Northamhinbror. *&* Auſtralium Saxonum.

REX igitur *Offanus*, ſuper præmiſſis, per Legatos ſuos pleniùs certificatus, tam Regem *Wallenſium*, quàm *Northamhinbrorum*, & *Auſtralium Saxonum*, diffiduciavit. Statutis igitur die & loco, prælium immaniſſimum contra ipſos commiſit: & ceciderunt utrobique, quamplurimi trucidati, & vulnerabantur multi letaliter. Et dum uſque ad ſolis occaſum, hinc inde viriliter, decertatum eſt, ſuperveniens nox, certamen letale diremit, in craſtinum tamen continuatum. Sub noctis igitur ſilentio, Rex *Wallenſium Marmodius*, licèt illud tempus ſacrum id non admittebat, dolum machinari ſtuduit hoc modo.

De dolo Marmodii, *Regis* Walliæ.

NOX atra nimis mundum obfuſcavit, eratque tempus quo *Adventus Domini* (imminente ejuſdem *Nativitate*) celebratur. Convocatis igitur ſuis ſub caliginoſæ noctis ſilentio Magnatibus, ait; *Cernitis, ô mei commilitones, quod Rex* Offa *invincibilis apparet, nec audet aliquis ipſius impetum expectare; non enim valet quis ictus ſuos ſuſtinere. Victorioſus eſt inſuper, & triumphator magnificus. Cor etenim habet fervens & erectum in ſpem meliorem, eò quod Marte ſibi favente, de multis ſuis etiam Regibus ad votum triumphavit. Ipſum igitur, qui viribus invincibilis eſt, prudentia noſtra prudenter conteret, quæ multotiens efficaciùs operatur. Quod ſummopere elaborandum imperunctanter, ut ad finem optatum perducatur. Significabimus igitur ipſi* Offæ *verbis amicabilibus cautè, ut utrobique pax acclametur ſuſpenſiva, quæ* Treuga *vulgariter nuncupatur, diebus aliquot: ut reſpirent fatigati, foveantur contriti, & ſanentur vulnerati: donec dies natalitii Domini celebrentur, & verna tempeſtas dies protelaverit ſereniores. Et ſi interim pax poterit amicabiliter perpetuari, ſirmetur feliciter; Si non, redeamus in id ipſum. Si igitur favorem exhibuerit, exercitus ejus inermis otiis indulgebit & conviviis. Nos igitur una noctium quæ nunc temporis protenduntur, impetum repentinum facientes, omnes ante expectatum occupabimus, & ditabimur multipliciter. Quicquid enim ipſe* Offa *violenter ac moroſè ſibi adquiſivit, Nos una nocte vel die, nobis prudenter ac potenter adquiremus.* *& dolus Marmodii.*

Conſenſus & proſecutio proditionis.

HIC igitur ſermo proditionis, cum tam Regibus fugitivis, quàm Magnatibus *Walliæ* complacuiſſet, confirmatum eſt inter eos hoc ſacramentum ſecretiſſimum, nulli prorſus revelandum. Miſſa igitur legatione cum donativis impretiabilibus Regi *Offæ*, complacuit ei mandatum pacificum exercituique ejus, tum ut exercitus quietè recrearetur, famelici cibarentur, equi reſtaurarentur, & ſanarentur ſauciati, tum ut dies ſolemnis qui inſtabat, videlicet *Nativitatis Dominicæ*, in hebdomada proximò ſequente ſereniùs, lætiùs, & quietiùs coruſcaret. Favorem igitur promptiùs præbuit poſtulatis, neſciens doli venenum mollitis & mellitis ſubltituiſſe. Veruntamen cum nollent vel exercitus regis *Offæ*, vel *Wallenſium* inde procul recedere, Rex *Offa* ad cautelam inter ipſos duos exercitus, communi aſſenſu unum foſſatum longum nimis & profundum effodi, aggere terreſtri verſus *Wallenſes* eminenter elevato, ne fallacium hoſtium irruptionibus repentinis præoccuparetur. Et ut tutiùs ac quietiùs, divinis obſequiis in tanta ſolemnitate vacaret, unam ibidem conſtruxit eccleſiolam. Quæ omnia, prout temporis brevitas exigebat, ante *natale Domini*, videlicet duodecim diebus, licèt breviſſimis, ſunt completa. Cujus rei ut memoria perpetuetur, foſſa illa *Offæ* dicitur, & Eccleſia, *Offekirk*, uſque in hodiernum diem appellatur.

Reges revocant ſuos ſibi quondam ſubjectos, in internecionem Offæ.

INterim Reges ſupradicti, amicos ſuos & conſanguineos, & alios quondam ſibi ſubjectos (de quorum fidelitate pleniùs confidebant) in regnis eorum exiſtentes, ſecretiùs in eorum adjutorium vocaverunt. Ut infra *Natalis Domini* diem, *Wallenſium* exercitui prudenter & clanculò ſeſe aſſociarent: de victoria quæ profectò præparabatur non formidantes. Qui, rupto fœdere quo Regi *Offæ* vinciebantur, priſtinis Dominis ſuis, relictis uxoribus ſuis & liberis, necnon & manſionibus, credentes ſe cum omni alacritate multiplicatis divitiis redituros, paruerunt. Rex inſuper *Wallenſium Marmodius*, omnem quamcunque potuit ad illum quem præfixit diem, multitudinem adunavit. *Offa cum exercitu ſuo, in fugam vertitur.*

Offa *deluſus fugit & ab inimicis ſuis fugatur.*

CUmque tempus lætitiæ ac requiei die *Natalis Domini*, totum exercitum *Offani*, imò totum mundum exhilaravit; nocte ſequenti, videlicet nocte beati *Stephani*, cum ſe cuncti *Merciorum* Principes, imò etiam excubitores nil ſiniſtri pertimeſcentes, ſe ſecuro ſopori dederunt, ipſi Reges *Wallenſium*, *Northamhumbrorum*, *Auſtralium Saxonum*, cum ſuis complicibus, tota ipſa opaca nocte; ſilenter ac furtim magnam partem prædictæ foſſæ officio ruſticorum properè repleverunt, & illam in iter planum, quantum arcus jacere poſſet, brevi tempore repleverunt. Summo igitur mane, Rex *Wallenſium Marmodius* cum ſuis conſentaneis, facto impetu repentino prout prælocutum fuit, Regem *Offam* immunitum & inermem, ad inſtar tempeſtatis borealis truculenter invadit. Unde exercitus *Offæ* ſubito conſternatus, in magna parte paſſus eſt diminutionem, & irreſtaurabile detrimentum.

Interim armantur feſtinanter Rex *Offa* & ſui, & qui ſibi proximi, electi commilitones & primicerii. Et irruit Rex frendens ut aper, in incendio iræ ſuæ in hoſtium turmas, præ immanitate iracundiæ, periculum mortis contemnendo. Et invocato de ſummis auxilio, ſui prodigus ſe in medio inimicorum ſuorum invexit. Et hinc inde reſiſtentes proſternendo, viam ferro ſuis potenter aperuit. Sed militares acies quæ vel inermes vel incompoſitè, præ nimia feſtinatione, armabantur, ſequi pertimeſcentes, vix ipſum Regem *Offam* à diſcrimine mortis eripuerunt. Et ſic inviti retrocedentes, cùm jacturam irrecuperabilem tolerâſſent, fugam uſque ad ſua tentoria & caſtra miſerabiliter inierunt. Nix autem hiemalis & tempeſtas horrida ac nimis tenebroſa, locique paluſtres, certamen bellicum uſque ad conſummationem continuare (Deo ſic volente) non ſinebat. Et ſic Rex *Offa*, donec fortior reſurgeret, ad propria remeavit.

Interea cum rediſſet *Offanus* dolens & inglorius, obſides eorum qui ad reges ſuos rupto fœdere redierunt, juſſit arctioribus vinculis mancipari uxores & familiam, ultimæ ſervituti aſcribi, vel venundari. Poſſeſſiones autem eorum, vel ſuis diſtribuit hæreditariè poſſidendas, vel edicto Regio juſſit redigi in favillas. Et ſic omnia in pace ſuſcipiens, Regni negotia fœliciter diſpoſuit: cogitans tamen ſibi illatas injurias, in tempore retributionis potenter ac graviter vindicare, ſi pacis formam ſibi non inveniret acceptabilem.

Rex Wallenſium Marmodius *cum ſuis conſentaneis, vincitur:* Offa *triumphante.*

OFfa autem *Merciorum* Baſileus bellipotens, moras multas prioribus caſibus non annectens, temporis nacta opportunitate, validiſſimam in confinia *Walliæ* contra hoſtes ſuos nimis debacchantes & ſuperbientes, fecit expeditionem, armis & victualibus ſufficienter imò abundanter communitam. Quæ omnes ibidem exiſtentes, Regi *Offæ* contradicentes, pluribus annis irremediabiliter damnificando fatigarunt. Adeò quod in arcto conſtituti, non minimum doluerunt ſe regem *Offam* offendiſſe. Dum igitur eis Mars eminus adverſaretur, *Offa* Rex collectis ſuæ ditionis viribus, iter illuc dirigit & vexilla; & cùm eidem adverſanti obſtare præſumpſiſſent, in loco quo priùs tranſeuntes foſſatum triumpharunt (credentes locum ſibi fortunatum) prælium maximum conſeruerunt. Et multotiens ad latibula conſueta redeuntes, & in tempore in exercitum Regis argumentosè proſilientes, frequenter ipſum repulerunt. Una igitur dierum, Rex *Offa*, tædio affectus & indignatione intumeſcens, eò quod tale vulgus tam diu reſiſtere, valuit & voluit, ſuis ait commilitonibus: *O formidoloſi & deſides, quamdiu hos pecuales tolerabimus? aut hodiè me interempto confundemini, aut eorum inſolentiam penitus hodiè ſupprimetis.* His dictis, ſigno crucis ſe præmuniens, faciei ſuæ clypeum opponens, in hoſtes ſe totum ingeſſit confidenter, viam patulam prævius ſuis adaperiens. Quem nobiles in ira indignationis ſuæ è veſtigio ſequentes, & in modum pyramidis cornu militare componentes, omnem *Wallenſium* turmam potenter diſſiparunt, Et inimicos à facie eorum fugam inire compulerunt. Quos inſequens Rex *Offa*, tantam ſanguinis fudit abundantiam, ut planities illa cruore Cæſorum tincta videretur. Juſſitque Rex *Offa* omnes *Walliæ* mares (vix reſervatis mulieribus) cum infantulis, trucidari. Et quia hoc in furore iræ ſuæ, hîc Rex præceperat, paucis admodum lictores pepercerunt: ſed ne præceptum Regium vacuum videretur, ſtragem ex ipſis exercuerunt inauditam.

parat Offa *ſe vindicare:*

militeſque ad pugnam adhortans;

victoria potitur cruentiſſima.

De humilitate Regis Offæ *in proſperis.*

Offæ humilitas,

TOT igitur inſignitus Rex *Offa*, & tot proſperis fortunatus, arrogantia nunquam intumuit, nunquam in jactantiam tumidè reſolutus, ſe ſupra ſe pompoſiùs exaltando: Sed omnia Deo, non ſuæ ſtrenuitati aſcribens, more Chriſtianiſſimi Principis, gratas & ſolemnes ipſi ſoli *Chriſto* qui vincit, regnat & imperat, ſapienter cum omni humilitate impendebat. Omnibuſque diebus vitæ ſuæ, ſe ſolùm regem *Merciorum*, in titulis ſcriptorum, in ſalutationibus, in relationibus (quamvis pluribus præfuerit Regnis) ſe præcepit & conſtituit nominari. *Unde*, quod à laude ejus non vacat, multorum ſæpiùs adulatorum, hu-

jus

hujus præcepti redarguit acriter tranſgreſſionem. Indignum quippe reputabat ſe Regem vel Dominum acclamari Regnorum, quorum erat poſſeſſor violentus, licèt haberet in hoſtes ſuos expugnandos actionem juſtiſſimam.

De humanitate & pietate Regis Offæ, *in mortuis honeſtè ſepeliendis.*

DIE igitur craſtina, proximò videlicet ſequente illum diem victorioſum & exultationis plenum, juſſit Rex *Offanus* piiſſimus glorioſè triumphans, corpora occiſorum humanitùs & honeſtè ſepeliri, quæ nobilitate vel generoſitate aliquatenus fuerunt inſignita. Ignobilium verò & popularium corpora & membra, detruncata, quæ fuerunt ſuis intermixta, (quorum non erat cognitio propter ſanguinis inundantiam, quæ quidem totam illam tinxerat planiciem) colligi diligenter præcepit. Et in ipſa ſæpe dicta foſſa quam & ipſi eruderaverunt, ne à beſtiis dilaniata devorarentur, vel aëra tabe corrumperent, juſſit ſepeliri. Et ipſum terreſtrem aggerem, videlicet limbum foſſæ, ſuper ipſa diſpergi & accumulari, necnon divina pro animabus eorum (quibus & ipſe interfuit) tam *miſſis* quàm aliis exequiis celebrari.

& humanitas in occiſos honeſtas.

De ejuſdem Regis munificentia, poſt victoriam.

OCcupatis igitur omnibus ſpoliis, cum terris & poſſeſſionibus, ſuis civiliter commilitonibus diſtributis, regreſſus eſt Rex *Offa*, cum ſumma exultatione triumphali. Et cùm ad fines *Merciæ* perveniſſet, occurrerunt adventanti incolæ, non mediocriter exultantes, videlicet Prælati eccleſiarum ſolemniter adornati, cantantes & applaudentes cum vexillis & cereis. Nobiles quoque qui cuſtodes regni remanſerant. Cives quoque & utriuſque multitudo, cum facibus accenſis, & variis muſicis inſtrumentis, obviam ei per multam viarum diſtantiam gaudenter perrexerunt. Quibus & multa contulit donaria, & novas conceſſit libertates. Collata eſt igitur cœlitus hæc glorioſa *Offæ* victoria, Anno gratiæ Sexcenteſimo ſeptuageſimo quinto. Ex quibus, annos circiter decem expendit Rex in expeditionibus præcedentibus; in quibus, omnes ſuos contrivit inimicos.

675. *Quando* Offa *vixit.*

Quomodo hæc victoria Regis Offæ, *clauſula fuit laborum & ſollicitudinum.*

ET cum hæc victoria, ſuorum laborum clauſula fuiſſet & ſollicitudinum, pacis perpetuæ confirmativa, nec inſurgentium aliquorum in circuitu Regni ſui impetuum, vel mali cujuſlibet machinationes formidaret: cogitavit Rex providus, quòd & etiam *Carolo* Regi *Francorum* maximo, quem vehementer offenderat, eóque Regibus ſupradictis, pro quibus tam pater * dicti *Caroli*, quàm & ipſe tunc præſens ſcripſerat, ſpreto ipſius mandato, cum gravibus comminationibus, non pepercit, multùm expediret reconciliari. Non enim mediocriter offenſus idem *Carolus*, Mercatorum & peregrinorum quos ad *Offam* noverat pertinere commeantium, pacem & tranſitum perturbabat. Et niſi bellicis in *Italia* arduis negotiis detineretur, ipſum *Offam* hoſtiliter impugnâſſet. Sano igitur ac modeſto Rex *Offa* fretus concilio, ipſi *Carolo* jam *Italiam* & *Italicos*, necnon & *Saxoniam* & *Saxones* pertrectanti, *Ticinâ*, nobiliſſima *Longobardorum* civitate, occupata, Rege ejus *Deſiderio* capto & incarcerato, legatos ſolemnes deſtinavit. Et per eoſdem, munera concupiſcibilia, & prioribus pretioſiora, frequenter tranſmiſit. Supplicans attentiùs, ut conceptam iram & indignationem, fræno rationis & regiæ modeſtiæ cohiberet, ſcripſitque ei hujus tenoris Epiſtolam.

* *Aetes, cum vocaverat fratrem hujus* Caroli, *falſo tamen utrobique niſi ſupponatur* Pipinus, *pro* Carolo *priore*,

Epiſtola Regis Offæ *ad* Carolum *magnum*, Francorum *Regem.*

REgi Francorum *maximo, invictiſſimo, Triumphatori* Carolo, *Rex* Merciorum Offanus, *Salutem & honorem. Cùm omnium Regum terrenorum potentiſſimus & juſtiſſimus, fama teſtificante prædiceris, indignum eſt & prorsùs execrabile, aliquibus proditoribus vel profugis à debito ſervitio colla excutere volentibus, ſinum aperire protectionis. Tu verò hoſtium meorum ſermocinationibus nimis credulus, &, ſuper hoc, ignarus veritatis, pro ipſis mihi ſcripſit tua ſerenitas, ut eiſdem parcerem, mihi ſuperbè & inſolenter reſiſtentibus. Cùm igitur injuſtum ſit, ut alicui ſua fraus ſuffragetur, noveris eorum falſis perſuaſionibus, tuam manſuetudinem circumveniri & decipi fraudulenter. Oro igitur, & ſitienter deſidero, ſinceritatem amicitiæ & fœderis ſoliditatem inter nos reformari. Ut communis utilitas, & Reſpublica, fœlix ſuſcipiat incrementum. Ipſos enim Reges cum ſuis ferè omnibus complicibus, potenter contrivi mihi Rebellantes, eos iterum reſpirare non permiſſurus. Hæc omnia Domino noſtro* Jeſu Chriſto *ſic volente & diſponente, qui vincit, regnat, & imperat, Regna & imperia commutat, & cui vult tribuit ſapienter, cui etiam contraire, te velle nullatenus arbitramur.* Vale.

Rex Offa *ambit amicitiam* Caroli *magni, eique deſiderat reconciliari.*

Reſcriptum Caroli *Regis*, Offæ.

Quod & ipſi concedit Carolus.

HÆC autem cum plenius regi *Carolo* innotuiſſent, utpote regum manſuetiſſimus & Chriſtianiſſimus videns quod non aliter facere neceſſe fuit, initio providorum conſilio, Regi *Offæ* ſcripſit amicabiliter, in hunc modum.

per Epiſtolam hanc ſuam.

Carolus, *gratia Dei Rex* Francorum *&* Longobardorum, *& patricius* Romanorum, *viro venerando & fratri cariſſimo, Offæ Regi* Merciorum, *Salutem. Primò gratias agimus omnipotenti Deo de Catholicæ fidei ſinceritate, quam in veſtris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis verò, qui pro amore Dei, & ſalute animarum ſuarum, beatorum Apoſtolorum limina deſiderant adire, cum pace ſine omni perturbatione vadant. Sed ſi aliqui non Religioſi ſervientes, ſed lucra ſectantes inveniantur intra eos, locis opportunis ſtatuta ſolvant telonia. Negotiatores quoque volumus, ut ex mandato noſtro, patrocinium habeant in Regno noſtro legitimè. Et ſi in aliquo loco injuſta affligantur oppreſſione, reclamant ſe ad nos & noſtros Iudices, & plenam jubebimus inde juſtitiam fieri. Cognoſcat quoque dilectio veſtra, quòd aliquam benignitatem de Dalmaticis noſtris vel palliis ad ſingulas ſedes Epiſcopales regni veſtri vel* Etheldredi, *direximus in Eleemoſynam domini Apoſtolici* Adriani; *deprecantes ut pro eo intercedi jubeatis: nullam habentes dubitationem, beatam illius animam in requie eſſe; Sed ut fidem & dilectionem in amicum nobis cariſſimum: Sed & de theſauro humanarum rerum, quam Dominus* Jeſu *gratuita pietate conceſſit, aliquid per Metropolitanas civitates direximus. Veſtræ quoque dilectioni, unum Balteum, & unum gladium Hunniſcum, & duo pallia ſerica duximus deſtinanda.*

Item aliud manifeſtum argumentum dilectionis & amicitiæ, inter Carolum *& Regem* Offam.

ET poſt hos non multos dies, poſtquam talem eidem Regi *Offano*, Rex *Carolus* miſit Epiſtolam, hoc eidem ſignificavit eulogium.

Alia Epiſtola Caroli *ad* Offanum:

Carolus, *&c. Ut ſupra.* Offano Merciorum *Regi, Salutem, honorem & amorem. Cùm deceat & expediat Reges potentes & famoſos amicitiæ fœdere convinciri, & mutuis gaudiis ad invicem gratulari, ut in vinculo caritatis* Chriſtus *in omnibus, & ab omnibus glorificetur: veſtræ ſerenitati hoc Eulogium duximus deſtinandum. Cùm nobiliſſimam* Longobardorum *civitatem cum ſuis civibus omnibus noſtro Dominatui potenter ſubjugaverimus, &* Italiam *totam noſtro imperio fœliciter ſubjugaverimus,* Chriſti *adjutorio cui famulari deſideramus: Rex* Deſiderius Longobardorum *duceſque* Saxoniæ, *quos noſtris nutibus inclinavimus,* Withmundus *&* Albion, *cum ferè omnibus incolis* Saxoniæ, *Baptiſmi ſuſceperunt Sacramentum, Domino* Jeſu Chriſto, *de cætero famulaturi. Hoc igitur ſalubri mandato, Ego* Carolus *Regum* Chriſtianorum *Orientalium potentiſſimus, vos, ô* Offane *Regum Occidentalium* Chriſtianorum *potentiſſime, cupio lætificare, & te in dilectione ſpeciali, amplecti ſincerius.*

in qua certiorem eum facit, de Baptiſmo paganorum Saxonum, *à ſe ſubjugatorum,*

Mittit Carolus *Rex quædam ſynodalia & Epiſtolas, ad confirmandam fidem Catholicam, & amicitiam* Offæ.

EX quo autem hoc *Offano* plenius nunciabatur, crevit diatim inter ipſos Reges magnifi- cos amicitia: fœdera firmabantur, munera pretioſa mutuò deferebantur, Regna utrobique non modicum roborantur, & proſperitas utriuſque ſuſcipit incrementum. Inter cætera verò dilectionis inſignia, memoratus Rex *Carolus* (qui ſicut erat Regum potentiſſimus ita & erat Regum manſuetiſſimus) *Offano* Regum Occidentalium maximo & piiſſimo, quaſdam tranſmiſit Epiſtolas, cum quibus *Statutis Synodalibus*, quaſi quædam Catholicæ fidei rudimenta, ad informandum corda aliquorum ſuorum Prælatorum, quos rudes credidit & incompoſitos, & ad amicitiam inter ipſos inchoatam fœliciter perpetuandam. Quæ & idem *Offa* quaſi hoſtiam ſibi cœlitus tranſmiſſam, gratanter & gaudenter ſuſcepit.

eique dona mittit quam plurima, cum Synodorum quibusdam Canonibus.

Archiepiſcopatus Cantuarienſis, *transfertur apud* Lichfeldam.

ROboratus igitur ſuo Rex *Offanus*, nullas formidans hoſtium inſidias vel rebelliones, formam induit Prælati religioſi, & paſtoris Eccleſiaſtici, curam & ſollicitudinem gerentis de grege dominico. Quarundam igitur Eccleſiarum Cathedralium ſedes, in meliùs ſtuduit ordinare, & ſalubriter, ut conſcivit, tranſmutare. Accuſatus eſt autem *Lambertus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, coram rege *Offa*, accuſationibus pervalidis. "Quarum una fuit, "Quòd *Cantuaria* nimis vicina fuit regnis *Caroli* tranſmarinis. Cui etiam ante contracta fœ- "dera, promiſerat idem Lambertus *Carolo*, quòd ſi hoſtiliter ingreſſurus *Britanniam* adveniret, "liberum in Archiepiſcopatum ſuum, introitum inveniret, favorem & adjutorium. Præ- "terea, perſuaſum erat Regi *Offæ*, ut ubi glorioſè de inimicis ſuis triumpharat, ibidem "vel propè, locum Cathedralem Archiepiſcopatu & Primatu reverenter meritò * foret ſublimandum. Miſit igitur ad Papam *Adrianum* tunc præſidentem (cui Rex *Offa* fuerat prop- ter

Cantuarienſis *Archiepiſcopatus pars,* Lichfeldiam *transfertur.*
& quare.

* *fundaret.*

ter ſuam ſupereminentem ſanctitatem amiciſſimus) nuncios diſcretos & facundos, honore atque favore condignos, inſuper donativis conferendis præmunitos. Noverat enim Rex, deſideria *Romanorum*. Poſtulavit igitur Rex inſtanter, & nonnullis datis muneribus impetravit: ut contra veterem conſuetudinem approbatam, *Ealdulphum* Archiepiſcopum conſtitueret *Lichefeldenſem*: Ut, videlicet, omnes Provinciæ *Merciorum* (quarum Provinciarum, & Epiſcoporum earum hæc ſunt nomina) Antiſtiti ſubjicerentur memorato.

Nomina Provinciarum, & Epiſcoporum.

DEvebertus * *Wigornienſis* Epiſcopus. *Werebertus Legræ-Ceſtrenſis. Eadulphus * Sinaceſtrenſis, Wlvardus * Herefordenſis.* (* *Denebertus* * *Ealdulphus* * *Walwardus*)

Epiſcopi *Orientalium Anglorum. Haraldus Helmamenſis* & *Tedfordenſis*. Et ſic per negligentiam diviſa, imò potiùs diſſipata eſt primatia: ipſo *Cantuarienſi* tepide reſiſtente regis impetui, ut decuit & expedivit. Remanſerunt autem antiſtiti *Lamberto*, Epiſcopi *Londinenſis, Wintonienſis, Roffenſis, Sireburnenſis*. Stetit autem hæc regis violentia toto *Lamberti* præſulatus tempore: quamvis idem Archiepiſcopus nihil vel ſumptibus vel laboribus parceret, ut priſtina gauderet Eccleſia ſua dignitate. Procurante igitur Rege *Offa* efficaciter, *Ealdulphus Lichfeldenſis* Archiepiſcopus, pallium ſuſcepit. Ipſo autem tempore, *Werebertus Legræceſtrenſis* Epiſcopus quartus, diem cum clauſiſſet extremum, ſubſtitutus eſt *Unwona* Regis Cancellarius & Conciliarius familiariſſimus. Et cito poſt, *Ealdulpho Lichfeldenſi* Archiepiſcopo defuncto, ſubrogatus *Humbertus*, quem quidam *Bertum* appellarunt, ſyllaba ſubtracta. Iſte *Humbertus* magnæ ſanctitatis vir fuit, literaturæ & prudentiæ ſæcularis, Regis Capellanus, conſcius ejuſdem ſecretorum & Confeſſor, atque morum informator. Hic cum *Unwona* Epiſcopo ſupradicto, inventioni beati *Albani Anglorum* Prothomartyris interfuit, ſicut ſuperius ſuo loco dicetur plenius, ad audientium informationem, & martyris gloriam & honorem.

De prima Danorum *irruptione in* Britanniam, *repreſſa per Regem* Offanum.

REgente igitur tam prudenter quàm potenter Regna *Merciorum* rege *Offano*, Gens *Danorum* piratica rapina vivere aſſueta, tribus magnis advecta navibus, in terminis Regionis ditioni regis *Offæ* ſubjectæ, violenter & hoſtiliter applicans: irruptiones damnoſas & repentinas exercebant, flammis & cædibus intendentes. Et neſcientes bellipotentis regis *Offæ* militiam ac ſtrenuitatem, interiora terræ jam temerè penetrando, cum tyrannide magna, cœperunt invadere. Oppidanum quoque cum quodam villico, qui ad reſiſtendum eis cum plebe compatriotarum collecta, parabatur, peremerunt. Et vulgo perturbato, & fugam inire compulſo, prædis & ſpoliis auſu temerario procedentes, procaciter intendebant. Et hii fuerunt primi, qui per *Danicam* tyrannidem in *Britannia* ceciderunt. Heu, heu, Deo nimis irato quot millia, imò millium millia poſtea eorum inſania, videlicet *Danorum* in *Britannia* miſerabiliter perierunt! Quorum adventus primus & tam temerarius, poſtquam *Offano* Regi innotuit, miſſa expeditione (non enim pro tanto popello dignabatur exercitum publicum convocare) eorum potenter repreſſit arrogantiam: & diſſipatos, & magna parte diminutos, ad naves ſuas turpiter recurrere coegit, prædis ſuis ſequentibus omnibus derelictis. Cùm autem regales primicerii aliquos eorum captivos detinuiſſent, confeſſi ſunt iidem captivi, ut ubertatem terræ diligenter explorarent, à primatibus *Daciæ* præmiſſos fuiſſe. Addideruntque quòd ſequentibus temporibus, infinita *Danorum* multitudo, Britones & omnes *Angliæ* indigenas expugnatura foret, in exterminio furibundi. Quo audito, *Offa* magnanimus juſſit talia prænunciantes, ad propria remitti, illæſos & indemnes, ut nunciarent *Danis*, quòd rege *Offano* vivente, qualia primi, talia forent ſequentes, præmia conſecuturi. Unde ipſis *Danis* ſtupefactis, in pace remanſit *Anglia*, omnibus diebus *Offani* Regis, nullius contermini irruptionibus violentis inquietata.

(Dani *omnium primi, qui* Angliam *invaſerant*, ab Offano *profligantur*.)

Quomodo pacificatis ſibi Regibus quos vicerat, tradidit Rex Offa *filias ſuas nuptui duas.*

REX autem *Offa* triumphator ubique magnificus, humilitatis & ſapientiæ ſpiritu ductos, omnes Reges quos antea ſuo dominatui inclinaverat, piiſſimum reputavit, ut vel ipſos ſi vivi poſſent inveniri, vel eorum ſangine propinquos revocare, & in regnis ſuis miſericorditer ſtabilire. Ut eidem Regi ſuo *Offæ*, & ſuis ſucceſſoribus, avitis regnis gratia Regia ſubſtituti, fideliùs & ſinceriori corde famularentur. Et ſic tutior in temporalibus quieſcens, ſeneſceret & in ſpiritualibus. Quo facto, tantam omnium gratiam adeptus Rex *Offa*, ut pro eo gratanter omni ſe exponerent diſcrimini, & objicerent periculo.

(Offa, *devictos Reges, regnis reſtituit.*)

Qualiter in hoc facto omnium gratiam adeptus.

eiſque filias ſuas tollocat in matrimonio, *Scilicet,* Brithrico, Occidentalium Saxonum *regale;*

COnfluebant igitur ad eum quaſi ad patulum ſinum patris ac Domini, omnes finitimi, eidem regi *Offæ* deſiderantes affinitate ſpecialiùs fœderari. Inter quos rex *Occidentalium Saxonum Brithricus*, ut ampliorem gratiam apud regem *Offam* & ſibi propinquos inveniret, & hoſtibus timori, & amicis foret honori & delectioni, filiam ejuſdem regis *Offæ*, ut ei matrimonio copularetur poſtulavit & obtinuit. Adoleſcens enim erat indolis florentis, & ſtrenuitate laudabilis.

Athelredo Northamhinbrorum,

Eodemque anno, *Atheldredus Northamhumbrorum* Rex, corpore elegans, corde magnanimus, qui etiam *Offanum* regem ſincero corde diligebat, aliam filiam *Offæ* natu minorem puellam electiſſimæ ſpeciei, eiſdem quibus & *Brithricus* cauſis ductus & rationibus, ſibi petiit dari in uxorem.

De ſancto Alberto *cui tertia filia Regis* Offæ, *tradenda fuit nuptui.*

& Alberto, Orientalium Anglorum.

ERat quoque quidam juvenis, cui rex *Offa* regnum *Orientalium Anglrum*, quod eum jure ſanguinis contingebat, conceſſerat, nomine *Albertus*. De cujus virtutibus quidam verſificator ſolitus regum laudes & geſta deſcribere, eleganter ait;

> Albertus *juvenis fuerat Rex fortis ad arma,*
> *Pace pius, pulcher corpore, mente ſagax.*

Qui tamen Reginæ Quendridæ *malitia,*

Cumque *Humbertus* Archiepiſcopus *Lichfeldenſis*, & *Unwona* Epiſcopus *Legreceſtrenſis*, viri ſancti & diſcreti, & de nobili ſtirpe *Merciorum* oriundi, ſpeciales eſſent regis conſiliarii, & ſemper quæ honeſta erant & juſta atque utilia regi *Offæ* ſuggeſiſſent, invidebat eis regina uxor *Offæ*, quæ priùs *Drida*, poſtea verò *Quendrida*, id eſt *Regina Drida*, quia Regi ex inſperato nupſit, eſt appellata: ſicut in præcedentibus pleniùs enarratur. Mulier avara & ſubdola, ſuperbiens, eò quod ex ſtirpe *Caroli* originem duxerat, & inexorabili odio viros memoratos perſequebatur, tendens eis muſcipulas muliebres. Porrò cùm ipſi reges ſupradictos, regi *Offæ* in ſpiritu conſilii ſalubriter reconciliaſſent, & ut eidem regi fœdere matrimoniali ſpecialiùs conjungerentur, diligenter & efficaciter procuraſſent, ipſa mulier facta eorum nitebatur in irritum revocare, nec poterat, quibus acriter invidebat. Ipſas enim puellas filias ſuas, ultramarinis, alienigenis, in regis ſupplantationem & regni *Merciorum* perniciem, credidit tradidiſſe maritandas. Cujus rei præſcii dicti Epiſcopi, muliebre conſilium prudentiæ repagulis impediebant. Verùm & adhuc tertia filia regis *Offæ* in thalamo reginæ remanſit maritanda, *Aelfleda* nomine. Procurantibus igitur ſupradictis Epiſcopis, inclinatum eſt cor regis ad conſenſum, licèt contradiceret regina, ut & hæc regi *Alberto*, nuptui traderetur: ut & ſic ſpecialiùs regi *Offæ* teneretur in fidelitate dilectionis obligatus. Vocatus igitur rex *Albertus*, à rege *Offa*, ut filiam ſuam deſponſaret, affuit feſtivus & gaudens, ob honorem ſibi à tanto rege oblatum: Cui amicabiliter rex occurrens adventanti, recipit ipſum in oſculo & paterno amplexu, dicens. *Proſperè veneris fili & gener, ex hoc juvenis amantiſſime, te in filium adopto ſpecialem.* Sed hoc poſtquam efferatæ reginæ pleniùs innotuerit, plus accenſa eſt livore ac furore, dolens eum pietatis in manu regis & eorum fidelium proſperari. Videnſque ſuæ nequitiæ argumenta minimè prævalere, nec hanc ſaltem tertiam filiam ſuam, ad voluntatem ſuam alicui tranſmarino amico ſuo, in regni ſubverſionem (quod certiſſimè ſperaverat) dare nuptui cum non prævaluiſſet, in dictos Epiſcopos hujus rei auctores, eminus malignari, in *Albertum* regem, virus ſuæ malitiæ truculenter evomuit, hoc modo.

Fraus muliebris crudeliſſima.

regi Offano *accuſatus,*

REX hujus rei ignarus, tantam latitaſſe fraudem non credebat, imò potiùs credebat hæc ipſi omnia placitura. Cùm igitur rex piiſſimus ipſam ſuper præmiſſis ſecretiùs conveniret, conſilium quærens qualiter & quando forent complenda, hæc reſpondit: *Ecce tradidit Deus hodie inimicum tuum, tibi cautè, ſi ſapis, trucidandum, qui ſub ſpecie ſuperficiali, venenum proditionis in te & Regnum tuum exercendæ, nequiter, ut fertur, occultavit. Et te cupit jam ſeneſcentem, cum ſit juvenis & elegans, de Regno ſupplantando præcipitare; & poſterum ſuorum, imò & multorum, ut jactitat, quos regnis & poſſeſſionibus violenter & injuſtè ſpoliaſti, injurias vindicare. In cujus rei fidem, mihi à meis amicis ſignificatum eſt, quod Regis* Caroli *multis muneribus & nunciis occultis intermeantibus, implorat ad hoc patrocinium: ſe ſpondens ei fore tributarium. Illo igitur, dum ſe tibi fortuna præbet favorabilem, extincto latenter, Regnum ejus in jus tuum & ſucceſſorum tuorum tranſeat in æternum.*

Cui rex mente nimium perturbatus, & de verbis quibus credidit ineſſe veraciter falſitatem & fraudem, cum indignatione ipſam increpando, reſpondit. "*Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es:* Abſit à me, abſit, tam deteſtabile factum! Quo perpetrato, mihi meiſq; ſucceſſoribus foret opprobrium ſempiternum, & peccatum in genus meum cum gravi vin-

vindicta diutiùs propagabile. Et his dictis, Rex iratus, ab ea receſſit; deteſtans tantos & tales laqueos occultos, in muliere latitaſſe.

Interea mentis perturbatione paulatim depoſita, & his civiliter diſſimulatis, Reges conſederunt ad menſam pranſuri: ubi regalibus eſculentis & poculentis refecti, in tympanis, cytharis, & choris, diem totum in ingenti gaudio expleverunt. Sed regina malefica, interim à ferali propoſito non recedens, juſſit in dolo thalamum more regio pallis ſericis & aulæis ſolemniter adornari in quo Rex *Albertus* nocturnum caperet ſomnum; juxta ſtratum quoque Regium ſedile præparari fecit, cultu nobiliſſimo extructum, & cortinis undique redimitum. Sub quo etiam foſſam præparari fecit profundam, ut nephandum propoſitum produceret ad effectum.

De martyrio ſancti Alberti, *Regis innocentiſſimi.*

REgina verò vultu ſereno conceptum ſcelus pallians, intravit in Palatium, ut tam regem *Offanum* quàm regem *Albertum*, exhilararet. Et inter jocandum, converſa ad *Albertum*, nihil ſiniſtri ſuſpicantem, ait, *Fili, veni viſendi cauſa puellam tibi nuptu copulandum, te in thalamo meo ſitienter expectantem, ut ſermonibus gratiſſimis amores ſubarres profuturos.* Surgens igitur, Rex *Albertus*, ſecutus eſt reginam in thalamum ingredientem: Rege *Offano* remanente, qui nil mali formidabat. *In thalamo trucidatur.* Ingreſſo igitur rege *Alberto* cum regina, excluſi ſunt omnes qui eundem è veſtigio ſequebantur ſui commilitones. Et cum puellam expectaſſet, ait Regina: *Sede fili dum veniat advocata.* Et cum in memorato ſedili reſediſſet, cum ipſa ſella in foſſæ corruit profunditatem. In qua, ſubito à lictoribus quos regina non procul abſconderat, Rex innocens ſuffocatus, expiravit. Nam ilicò cum corruiſſet, projecerunt ſuper eum regina & ſui complices nefandiſſimi, pulvinaria cum veſtibus & cortinis, ne clamans ab aliquibus audiretur. Et ſic elegantiſſimus juvenis rex & martyr *Albertus*, innocenter & ſine noxa extinctus, accepit coronam vitæ, quam ad inſtar *Johannis Baptiſtæ* mulieris laqueis irretitus, meruit obtinere.

Puella verò regis filia *Aelfleda* virguncula venuſtiſſima, cum hoc audiſſet, non tantum matris deteſtata facinora, ſed totius ſæculi pompam relinquens, habitum ſuſcepit religionis, ut virgo, martyris veſtigia ſequeretur. Porrò ad augmentum muliebris tyrannidis, *Qui martyr creditur,* decollatum eſt corpuſculum exanime, quia adhuc palpitans videbatur. Clàm igitur delatum eſt corpus cum capite, uſque ad partes remotiores ad occultandum ſub profundo terræ, & dum ſpiculator cruentus iſta ferret, caput obiter amiſſum eſt fœliciter: nox enim erat, & feſtinabat lictor, & aperto ore ſacci, caput cecidit evolutum, ignorante hoc portitore. Corpus autem ab ipſo carnifice ſine aliquo teſte conſcio, ignobiliter eſt humatum. Contigit autem Deo ſic diſponente, ut quidam cæcus eadem via graderetur, baculo ſemitam prætemptante. Habens autem caput memoratum pro pedum offendiculo, mirabatur quidnam eſſet: Erat enim p[illegible]us irretitus in cincinnis capitis flavis & prolixis. Et palpans, certius cognovit eſſe caput hominis decollati. Et datum eſt ei in ſpiritu intelligere, quòd alicujus ſancti caput eſſet, ac juvenis. Et cum maduiſſent manus ejus ſanguine, appoſuit & ſanguinem faciei ſuæ: & loco ubi quandoque oculi ejus extiterant, & ilicò reſtitus eſt ei viſus; & quod habuerat pro pedum offendiculo, factum eſt ei fœlix luminis reſtitutio. Sed & in eodem loco quo caput ſanctum jacuerat, Fons erupit lucidiſſimus. Quod cum *miraculis coruſcat.* celebriter fuerat divulgatum, compertum eſt hoc fuiſſe caput ſancti adoleſcentis *Alberti*, quem regina in thalamo nequiter fecit ſugillari ac decollari. Corpus autem ubinam locorum occultatum fuerat, penitus ignoratur. Hoc cum conſtaret *Humberto* Archiepiſcopo, facta capſide ex auro & argento, illud juſſit in theſauro recondi pretioſo in Eccleſia *Hereſordenſi*.

De prædicti facinoris ultione.

CUjus tandem deteſtabilis ſceleris à regina perpetrati, ad commilitonum beati regis & Martyris aures perveniſſet, cum fama celerius ante lucem auroræ diei ſequentis clanculò receſſerunt, ne de ipſis ſimile fieret judicium metuentes. Unde dolens regina, in thalamo ficta infirmitate decubans, quaſi vulpecula latitabat.

Rex vero *Offa* cùm de commiſſo facinore certitudinem comperiſſet, ſeſe lugens, in cœnaculo interiori recludens, per tres dies cibum penitus non guſtavit, animam ſuam lachrymis, lamentationibus, & jejunio vehementer affligens. Et execrans mulieris impietatem, eam juſſit omnibus vitæ ſuæ diebus incluſam in loco remotam ſecretiori peccata ſua deplorare. Si fortè ſibi cœlitus collata gratia, pœnitendo tanti commiſſi facinoris maculam poſſet abolere. Rex autem ipſam poſteà ut ſociam lateris, in lecto ſuo dormire quaſi ſuſpectam non permiſit.

De morte illius facinoroſæ Reginæ.

Juſta vindicta in Quendridam.

IN loco igitur ſibi deputato, commorante regina annis aliquot, inſidiis latronum præventa, auro & argento quo multum abundabat ſpoliata, in puteo ſuo proprio præcipitata, ſpiritum exhalavit: juſto Dei judicio ſic condemnata. Ut ſicut regem *Albertum* innocentem, in foveam fecit præcipitari, & præcipitatum ſuffocari: ſic in putei profunditate ſubmerſa, vitam miſerabiliter terminaret.

De intumulatione ſancti corporis ejuſdem Regis Alberti *& Martyris.*

Sancti Alberti *corpus* Herefordiæ *tumulatum,*

HUmbertus verò *Lichfeldenſis* Archiepiſcopus corpus regis & martyris *Alberti*, ſibi dari à rege *Offano* humiliter ac piè poſtulavit. Sciebat enim utpote Confeſſor ſanctiſſimus, ipſum regem *Albertum* purum & innocentem, ſine aliqua culpa & offenſa occubuiſſe. Et illud ad Eccleſiam ſuam *Lichfeldenſem*, ſolemniter cum canticis & obſequiis deferri fecit obſequialibus, & convocatis ſuis omnibus diaconis & clericis ſepeliri. Ubi minùs honeſtè quàm decebat tumulatus omnibus latebat diu incognitus: donec corpus ejus cœleſti lumine declaratum, à fidelibus inventum, & apud *Herefordenſem* delatum civitatem, (nunc ſedem Epiſcopalem) miraculis exornat & virtutibus illuſtrat.

Regnum Orientalium Anglorum *ſine difficultate cedit in poteſtatem* Offæ *Regis* Merciorum.

regnum ejus regno Merciorum *adunatur.*

REX autem *Offa* magnificus, poſtquàm conſolationem ex mellifluo affatu ſanctorum Epiſcoporum ſupradictorum acceperat, qui penitus à morte regis fuerat immunis, miſſa expeditione pervalida, Regnum *Orientalium Anglorum* ſuo regno prudenter copulando ſolidavit. Non enim prænominatus Rex *Albertus* liberos habuit aut legitimum ſucceſſorem. Et ſic dominatio ſua, licenter non mediocriter eſt adaucta.

Adrianus *Legatos mittit in* Britanniam.

Concilium in Anglia, *apud* Chalcuth, *ubi* Cantuarienſis *Archiepiſcopatum ſuum cum* Lichfeldenſi *dimidiat.*

EIſdem annis, *Adrianus* legatos miſit in *Britanniam*, ad fidem quam *Auguſtinus* Epiſcopus prædicaverat, renovandam & confirmandam, qui & verbis & operibus ſanctæ doctrinæ & virtutum, populos adhuc rudes ſalubriter informarent. Ipſi igitur à rege & clero honorificè ac reverenter ſuſcepti, ſuper ſtabile fidei Catholicæ fundamentum, ſanè ac prudenter, *Chriſti* cooperante gratia, ædificaverunt. Ut hoc autem ſapientiùs, ritè proſequerentur, tenuerunt conſilium apud *Chalcuthe*: ubi etiam *Lambertus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, partem ſui Epiſcopatus, Archiepiſcopo *Lichfeldenſi*, ſponte quam poſtulaverat, reſignavit.

Egfridus *Regis* Offæ *primogenitus, in Regem* Merciorum *patre vivente ſolemniter coronatur.*

& Egfridus *filius* Offæ *in regem coronatur.*

IN illo quoque Concilio, *Offa Merciorum* potentiſſimus, in regem fecit ſolemniter coronari filium ſuum primogenitum *Egfridum*, juvenem ſtrenuum & elegantem, moribuſque decenter redimitum. Qui deinceps cum patre, eidem militans & in omnibus obſecundans, uſque ad finem vitæ ejus conregnavit.

Rex Offa *orat ſibi gratiam dari, in voto ſuo complendo.*

Offæ *oratio,*

& votum de fundando cœnobio.

REX autem *Offa* magnificus ac piiſſimus, poſt mortem uxoris ſuæ Reginæ, videlicet *Quendride*, vitam cœlebem ducens, ſalubribus monitis & doctrinis ſanctorum *Humberti* Archiepiſcopi & *Unwonæ* Epiſcopi, & aliorum (quos juſtos noverat & prudentes) diligenter intendebat, & eorum conſilio cum filio ſuo *Egfrido* regebatur. Pacis enim undique tranquillitate congaudebant. Una autem dierum, ſuſcitato ſermone devoto ſupra dicto, quo Rex *Offa* à multis retroactis temporis Deo tenebatur aſtrictus, cujus executionem Regina *Quendrida* jam defuncta, nequiter retardando impediverat, trahens ab alto Rex ſuſpiria, viris memoratis, & aliis magnatibus ſibi ſpecialibus, ait, Deo tamen fundens orationem. *O Deus, qui me ab omnium hoſtium inſidiis & impugnationibus, necnon & à conjugis meæ laqueis miſericorditer ac potenter liberaſti, da mihi condignè tibi famulando, gratam rependere viciſſitudinem. Oro Domine Jeſu Chriſte cognitor ſecretorum, & præſage futurorum, ut mihi famulo tuo manifeſtè concedas certificari, de cœnobio tibi te propitio, conſtituendo; de quo fundando votivo affectu me noſti ſtrictiùs obligatum. De loco inſuper, & cuinam ſancto tuo ſit intitulandum, per angelum veritatis flagito certiùs edoceri.* Et converſus Rex ad circumſedentes, apertis lachrymis, & conjunctis manibus, ait, *Hoc quoque patres ac fratres chariſſimi, qui Deo ſic volente nunc præſentes eſtis, oro devotiùs, quatenus ſincera mente, totaque devotione,*

Deum omnipotentem deprecemini, ut ad beneplacitum ſuum honorem & gloriam, ad effectum meum perducat deſiderium. Et cum omnes gaudentes hoc conceſſiſſent, intravit Archiepiſcopus *Humbertus* cum *Unwona* Epiſcopo, & aliis quos advocaverunt Clericis, in oratorium quod prope erat, ſuper hoc propenſiùs oraturus. Et præmiſſo hymno, *Veni Creator Spiritus*, Oraverunt devotiſſimè, ut Dominus juſtum Regis deſiderium ad effectum duceret glorioſum. Et cum prolixius oraſſent, ecce lux emiſſa cœlitùs totam cellulam illam in qua erant, à ſummo tecti faſtigio uſque ad pavimentum perluſtravit. In qua favor Dei manifeſtè ſignificabatur. Unde Rex illud Regale Manerium in quo hæc evenerunt, *viz. Wineſlave* cum pertinentiis, illi cœnobio quod adhuc fundaturus erat Rex, regali contulit munificentia, tali munere locum ſubarrando, quem adhuc penitus ignoravit.

De revelatione Angelica facta Regi Merciorum Offæ; *de inventione ſancti* Albani Anglorum *Prothomartyris.*

POſt hos verò dies non multos, Rex *Merciorum Offa* potentiſſimus, cùm in urbe *Bathonia*, reſidens, poſt diei laborem, noctis quietem in ſtrato Regio caperet, Angelo nuntiante, divino eſt admonitus oraculo, ut ſanctum Dei *Anglorum* ſive *Britonum* Prothomartyrem *Albanum*, de terra levaret, & reliquias ejus in ſcrinio digniùs collocaret. Rex verò divinis illicò ſtudens obtemperare præceptis, accito *Humberto Merciorum* Archiepiſcopo (cujus ſedes apud *Lichfield*: ut prædictum, nuper ab eodem Rege fuerat conſtituta,) divinam ei voluntatem indicat de præmiſſis. Tunc Archiepiſcopus ſæpedictus, aſſumptis continuò ſecum *Ceolwolfo Lindeſienſi*, & *Unwona Legreceſtrenſi* Epiſcopis ſuis ſuffraganeis, cum innumera utriuſque ſexus, & diverſæ ætatis multitudine: Regi die ſibi ſtatuta, apud *Verolamium* occurrerunt. Rex verò dum illuc iter expediret, lucis radium in modum ingentis faculæ cœlitus emiſſum ſuper locum ſepulchri quaſi fulminare conſpexit. Hoc quoque divino miraculo manifeſtè ab omnibus aſpecto, gaudentes tali indicio extiterunt de viſionis veritate effecti certiores. Tunc populo in jejuniis & orationibus ſanctificato, Antiſtites ſacri ſacerdotalibus infulis adornati, affore ſibi beati Martyris auxilium flagitabant. Fuerat namque locus, & memoria Martyris poſt adventum ſancti *Germani Antiſſiodorenſis* Epiſcopi, qui cum beato *Lupo, trecaſinæ* urbis Epiſcopo, ad extirpandam hæreſim *Pelagianam* in *Britanniam* venerant, annis circiter trecentis & quadraginta quatuor, omninò deleta. Sed tantùm in codicibus hiſtoriarum, & relatu ſenum, cum paucis veſtigiis repræſentata. Siquidem gens pagana *Saxonum*, *Jutorum* & *Anglorum*, *Britonibus* expulſis, ſibi inſulam ſubjugaverant. Qui agros cum horreis feraliter depopulantes, ignem in civitates, oppida & pagos ſuccenderunt: Eccleſias ſolo tenùs complanantes Prælatos quoque membratim detruncantes, omnem penè *Britannicam* inſulam à mari uſque ad mare, hoſtili exterminio, velut in deſertum redegerunt. Hac itaque tempeſtate, Eccleſia beati *Anglorum* Prothomartyris *Albani*, quam *Beda* in *Anglorum* hiſtoria miro tabulatu lapideo ſcripſit fuiſſe conſtructam, inter cæteras Regionis Eccleſias funditùs eſt ſubverſa. Unde & ſepulchrum ejus, quod in adventu ſancti *Germani*, & ante à paſſione Martyris, uſque ad illius patriæ deſolationem, ab omnibus notum propter antiquæ famæ celebritatem & miraculorum frequentium, ab omnibus fuerat adoratum compatriotis, & honoratum univerſis, tempore quo *Offæ* Regi invictiſſimo, angelico fuerat miniſterio revelatum. Locus autem ſepulchri, & loci diſtincti cognitio, penitus delebatur.

cujus locus, et per Angelum revelatur:

ſimul cum corpore ſancti Albani protomartyris.

Manifeſtiùs inventionis indicium.

FActa igitur, ut diximus, oratione à Clero & populo, cum eleemoſyna & jejunio, terram percutiunt, & paſſim Martyris ſepulturam offendunt. Nec fuit neceſſe locum diu quærere, quem divina clementia dignata eſt cœleſti lumine revelare. Martyris igitur corpus aſtante *Offa* Rege Chriſtianiſſimo, in theca lignea (in qua priùs à Chriſti fidelibus propter barbarorum ſævitiam fuerat tempore diſcriminis occultatum) reperiunt, Cum ipſis ſacris omnium Apoſtolorum diverſorúmq; Martyrum Reliquiis, quas ibi dudum ſanctus depoſuerat *Germanus*, interceſſione beati Martyris, de *Pelagianis* triumphans. Movit hæc inventio, tam Clerum quàm populum univerſum ad lachrymas. Et ob hoc maximè, quòd fidem fecit Dominus de ſanctorum patrum reliquiis ibidem cum corpore Martyris, prout legimus, depoſitis. Quas ut Dium eſt credere, voluit Dominus quaſi ad ſolatium ejuſdem Martyris, corpori diu ſoli fuiſſe aſſociatus. Roboravit inſuper fidem Regis, & ejus fidelium, divinum teſtimonium: cùm apud *Wineſlave* lux cum miri odoris fragrantia, cellam præſulum orantium illuminavit. Et Regis propoſitum certiùs ſolidavit. Plus tamen cæteris, omnium corda erexit, radius igneus ab æthere miſſus ſuper locum, & indies deſcendens, & ſolare ſicut & lunare lumen adaugens, Regem cum ſuis ſodalibus, quaſi ſtella Magorum Dux, *donec ſtaret ſupra Domum ubi erat puer Chriſtus*, ad locum perduxit, memoratis reliquiis inſignitum. Ut verè dici poſſit, teſtimonia tua Chriſte credibilia facta ſunt nimis, & idcircò Domum tuam Domine, tali loco fundandam,, decet ſanctitudo in longitudine dierum, hoc eſt, in ſempiternum.

Teſtimonia fidei quibus contradici non potuit.

De

De teſtimoniis miraculorum, in conſpectu populi ibidem celebratorum.

QUem utique theſaurum, ſuper aurum & topazion pretioſum, ſub ceſpite diu abſconditum, & jam divinitùs inventum, Archiepiſcopus *Humbertus* cùm ſuis coepiſcopis & clericis aſtante Rege reverenter levantes de ſepulchro, præcedente ſolemni proceſſione, in hymnis & laudum præconiis, tranſtulerunt in quandam Eccleſiolam, ibidem extra urbem *Verolamium*, à Neophytis in honorem beati martyris conſtructam. Ubi martyr percuſſus, ſanguinem ſuum fudit pro Chriſto; quam proſecutores quia parvulam, ejecto locello corpus ſuum continente, diruere dedignabantur.

Ibidem igitur in eodem locello, reliquiis ordinatè depoſitis, & pallis involutis, & cranio, aureo circulo à Rege circundato; in quo ſcriptum fuit, "*Hoc eſt caput ſancti Albani* "*Anglorum Prothomartyris*, miſſa ſolemniter celebratur. Et interim miracula æterna recordatione * ibidem celebrantur, in conſpectu Regis, & Antiſtitum, & omnium illic exiſtentium. Nam mortui ad vitam revocantur, feminceœ ad ſoſpitatem reſtaurantur, leproſi mundantur, paralytici ſolidantur, febricitantes curantur, contracti eriguntur; muti, ſurdi, cæci, & arreptitii, imò omnes languidi & ſe malè habentes, malorum remedia recipiunt. Quæ Dei beneficia, uſque in hodiernum diem fieri non deſiſtunt; ſine ea, quæ pluris eſt, animarum ſalute, quæ eodem loco devotis largiter impertitur.

* *digna Miracula in inventione corporis ſancti* Albani.

De multiplici honore, quem Rex Offa *contulit ſancto corpori, jam invento.*

REX igitur *Offa* Chriſtianiſſimus, locellum memoratum laminis aureis & argenteis, gemmiſque pretioſis, de theſauro ſuo munificè ſumptis, decenter adornari, & Eccleſiam ipſius, in qua, ut jam dictum eſt, corpus collocabatur, picturis, aulæis, & aliis ornamentis, donec amplior multis ditanda poſſeſſionibus, & honoribus ædificaretur, juſſit decorari. Acta autem ſunt hæc, à paſſione ſæpedicti Martyris, anno quingenteſimo ſeptimo: ab adventu *Anglorum* in *Britanniam*, treceteſimo quadrageſimo quarto; Indictione prima; Kalendis Auguſti.

Annus inventionis ſancti Albani.

Ut Rex Offa Romam *pergens, pratum emerit peregrinis.*

MEritò autem, ut prætactum eſt, vitam cœlebem agenti, victorioſiſſimo regi *Offæ*, angelo cœlitùs deſtinato, & invento *Anglorum* protomartyre *Albano*, cœleſti indicio crevit, ſub dierum brevitate, per totam regionem honor Martyris & reverentia. Eodem quoque menſe, Rex ibidem provinciale ſtatuit concilium cum Archiepiſcopo *Humberto* ſuiſque ſuffraganeis & primatibus ſuis univerſis, cùm tractarent diligenter & efficaciter, de conventu Monachorum in loco illo congregando, atque cœnobio conſtituendo & magnificè ac regaliter privilegiando; ubi protomartyris regni ſui, imò totius *Britanniæ* vel *Angliæ* reliquias invenit, & quem locum ſuo ſanguine conſecravit. Placet omnibus pium Regis propoſitum, eique Epiſcoporum conſulit prudentia, ut authoritate *Romani* Pontificis, (& ſi aliàs hoc factum fuerit, quòd non iterari inutiliter dicitur, quod non ſcitur perpetratum) canonizetur ſimul, & privilegietur Monaſterium, in honorem ejuſdem Martyris noviter conſtruendum. Et hæc omnia ut digniorem & firmiorem ſortiantur effectum, conſilium virorum ſanctorum & diſcretorum ſuſcipit & exaudit: ut per Legatos ſolemnes à latere Regis deſtinatos, aut potiùs in propria perſona, Rex ipſe ſuper his, cum Curia tractet *Romana* diligenter.

Alia Synodus in Anglia.

De proſecutione pii propoſiti, Regis piiſſimi Offæ.

OFfa igitur rex piiſſimus, ſuorum Magnatum ſano adquieſcens conſilio, divino ductus ſpiritu, tranſalpinum valdè laborioſum, & ſumptuoſum iter arripit, ſine moræ diſpendio. Nec eum cura rei familiaris, vel regni cuſtodiendi neceſſitas, vel comminantis ſenii gravitas, nec laboris immanitas, vel pecuniæ ineſtimabiliter effuſio, ipſum poterant retardare ſtabilem retinens in propoſito cordis intentionem, ut ſicut beatus *Albanus* protomartyr refulſit *Angligenis*, ita & Monaſterium ejus omnibus regni Cœnobiis, poſſeſſionibus ſimiliter & libertatibus, necnon & privilegiis, præfulgeat & præponatur.

Regnaverat enim jam xxx. & vj. annos.

Transfretat Rex Romam *profecturus.*

PRæparatis igitur, edicto regio, navibus, cum navium armamentis, rex puppes aſcendit; & ſinuatis velis, proſpero curſu in quodam portu maris in *Flandria* applicuit, deſiderato. Veniénſque ad quoddam oppidum, ubi quoddam erat Monaſteriolum, hoſpitandi gratia illuc divertit. Ubi jumentis ſuis pabula non inveniens, miratur valdè, quum locus ille pratorum copia conſpicitur abundare. Quærit ergo rex, cujus ſint prata illa? Reſponſum accipit, quòd dominos plures haberent, qui jubentur omnes, ante regem comparere. Conve-

Convenit igitur eos, de venditione pratorum illorum. At ipſi reſponderunt, dicentes, Se nolle prata ſua vendere, cum auro & argento ſatis abundaſſent; nec habebant propter egeſtatem neceſſe, alicui, præcipuè tranſeunti, ſua vel prata vel rura vendere. Quos cum audiſſet rex divitiis omnimodis abundare, ait rex magnificus & munificus: “ Credo quòd non ſic abundetis, quin non poſſitis ampliùs abundare. Nos prata veſtra comparabimus, non “ ſecundùm eorum æſtimationem, ſed juxta veſtram. Nec erit ulla difficultas de pretio, li- “ cèt nulla ſit propriatio in contrahendo. Ipſi verò conſiderantes regis licet piiſſimi potentiam, & quòd ſi vellet, parvo nutu poſſet eos obruiſſe, reſponderunt; ſe velle voluntati ſuæ obſecundare, ſi tot millia ipſis vellet numerare: Et nominaverunt tot millia, quot credebant regem nullo modo, licèt prodigaliſſimus eſſet & inæſtimabiliter abundaret, illis velle numerare; quia prata ſua vendere non curabant.

Ut Rex Offa Romam *perveniens, Cœnobium beati* Albani *privilegiaverit.*

DInumerata denique pro diſtractione pratorum pecunia, à loco rex progreditur, & *Romam* tandem perveniens, optata Apoſtolorum limina contingit, & diverſorum loca Sanctorum percurrit: demum *Adriano* ſummo pontifici ſui cauſam adventus explicans, & de loco, ſimul & beato *Albano* canonizando & magnificando, cœnobioque conſtituendo, devotè preces porrigens, petitioni ſuæ *Romanam* de facili curiam inclinavit; Præſertim cùm Martyris inventio cœlitus mortalibus ſit declarata. Adaugebat quoque omnium devotionem, quòd non cuilibet de populo, ſed tanto talique Regi, tam magni Martyris ſui pignora Dominus revelavit. De Monaſterio igitur conventuali, videlicet cœnobiali, dignè ac celeriter conſtituendo, & ab omni Epiſcoporum ſubjectione emancipando, Papam & totam curiam conſulit cum effectu.

Rex Offa *Romam adiens.*

Colloquium efficax Regis Offæ *cum Papa.*

CUmque inclytus Rex *Offa* eleganter peroraſſet, *Romanus* Pontifex humiliter ac favorabiliter inclinato capite, ſic reſpondit. *O Regum Chriſtianiſſime, fili* Offa, *devotionem tuam circa regni tui prothomartyrem, non mediocriter commendamus. Nec nos, quamvis, remotos, latet veſtra ſtrenuitas vel ſincera ſanctitas. Verè Cœlebem vitam agentibus, meritò mittendus fuit Angelus, cùm caſtitati cognata ſit puritas Angelica, & cum favorabilis ſit perſona tua, favorabilior eſt cauſa quam proponis in medio, & labor tuæ peregrinationis acceptus eſt altiſſimo. De Monaſterio vero conſtruendo & privilegiando petitioni tuæ aſſenſum præbemus gratiſſimum; Injungentes tibi in tuorum remiſſionem peccatorum, ut proſperè ac fœliciter rediens, cum Dei & mea benedictione in terram ac regnum tuum, conſilio Epiſcoporum & optimatum tuorum, quas volueris poſſeſſiones ſive libertates, beati* Albani Anglorum *prothomartyris cœnobio conferas. Et tuo privilegiò inde facto, Nos Originale tuum privilegio noſtro inviolabili gratanter roborabimus & confirmabimus conſequenter; Et Monaſterium illud in ſpecialem Romanæ Eccleſiæ filiam adoptabimus, & noſtro tantum illud Apoſtolatui ſubjicientes, ab omni nocivo cujuſlibet mortalium impetu, ſpecialiter mediante Epiſcopo ſive Archiepiſcopo, protegemus.*

à Papa impetrat. privilegia quæ vellet, pro Monaſterio ſuo quod conſtruere propoſuit.

De denario Sancti Petri.

HIS igitur auditis Rex, quid dignè tantæ benignitati compenſet, ſecum ſtudioſè pertractat. Tandem divina inſpirante gratia, conſilium invenit ſalubre, & in die craſtina, Scholam *Anglorum* qui tunc *Romæ* floruit, ingreſſus, dedit ibi ex Regali munificentia ad ſuſtentationem gentis regni ſui illuc venientis ſingulos argenteos, de familiis ſingulis, omnibus in poſterum diebus, ſingulis annis. Quibus, videlicet, ſors tantum contulit extra domos in paſcuis, ut trigenta argenteorum pretium excederet. Hoc autem per totam ſuam ditionem teneri in perpetuum conſtituit. Excepta tota terra *Sancti Albani*, ſuo Monaſterio conferenda, prout poſtea collata privilegia proteſtantur. Ut illo denario, à generali contributione ſic excepto, & dicto Monaſterio ſic collato, memoria donatoris indelebiliter perpetuetur. Et hoc tali largitate obtinuit, & conditione, ut de Regno *Angliæ* nullus publicè pœnitens, pro executione ſibi injunctæ pœnitentiæ, ſubiret exilium.

Offæ *Scholam* Anglorum Romæ *dotat denario, ex ſingulis familiis in ejus ſuſtentationem, annuatim conceſſo.*

Redit Offa *Rex & fundat Cœnobium.*

CElebrata igitur donatione prædicta, & de peccatis omnibus (præcipuè tamen de præliorum multorum commiſſione) facta confeſſione, & pro prædicta Cœnobii fundatione accepta pœnitentia; Cum benedictione devota ſummi Pontificis, Rex ad propria proſperè remeavit.

Conſtituto Cœnobio ordinatur ibidem Abbas cum Conventu.

Cœnobium Sancti Albani fundatur & dotatur, privilegiiſque inſignitur.

TUnc congregato apud *Verolamium* Epiſcoporum & optimatum ſuorum conſilio; Rex unanimi omnium conſenſu & benevola voluntate, beato *Albano* amplas contulit terras & poſſeſſiones innumeras: Conſiderans, quod ibidem eleemoſynaris vigeret hoſpitalitas. Nam ibidem patet via ab aquilone venientibus, & ab Auſtro redeuntibus, communis, & ſtrato generaliter dicta *Watlinge ſtrata*. Et pium ei videbatur, ut omnes intermeantes, ibidem pium ex ſuis eleemoſynis, domicilium invenirent. Locum igitur memoratum Cœnobio addictum, libertatum multiplici inſignivit privilegio. Monachorum quoque conventum, ex domibus ordinatè religionis (maximè tamen ex domo *Becci* in *Neuſtria*) ad tumbam congregavit, & Abbatem eis nomine *Willegodum*, quod interpretatur *volens bonum*. Verè enim vir bonæ fuit voluntatis, & de ſtirpe regia oriundus, Regique *Offæ* conſanguinitate propinquus. Qui cum inventioni dicti Martyris interfuiſſet, viſo cœleſti luminis radio, qui eo inveniendo & levando de terra comparuit, & ipſo eodem Martyre invento & levato, quaſi ſuo perfuncto officio diſparuit: ſtatim ſe Monachum habitum religionis aſſumpturum, Deoque & tam digno Martyri omnibus vitæ ſuæ miniſtraturum, unde licenter anticipata narratione, poſt inventionem memoratam, ſtatim Rex eccleſiam cœpit ædificare; ponens primum lapidem in fundamento, dicens: *In honore Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & Martyris ſui* Albani, *totius terræ meæ protomartyris.* Et addens, ait; junctis manibus, flexis genibus, lachrymiſque profuſis.

Willegodo, in Abbatem conſtituto,

primum lapidem ædificii, ponit Rex ipſe;

Oratio Chriſtianiſſimi Regis Offæ, *ſuper opus ſuum.*

orans interim devotiſſimè.

DOmine Jeſu Chriſte *tibi hanc tuam Domum, & tibi Martyr* Albane, *& tibi* Willegode, *commendo fideliter cuſtodiendam. Cujus omnes adverſarii, vel perturbatores, vel ſpiritualibus diminutores, maledicantur. Omnes quoque benefactores, præmia recipiant ſempiterna.* Willegodo *autem jam Monacho, Rex theſauri contulit abundantiam, & præfecit fabricæ Eccleſiaſticæ præceptorem.* Et omnia ei jura regalia & libertates conceſſit. Et hoc fecit Rex providus, antequam iter arriperet tranſalpinum: ignorans quid Deus de vita ſua ordinaverat. Sed poſtquam rediit cum proſperitate, hæc omnia ſolemniter renovavit & confirmavit. Et ſæpe dictum *Willegodum*, præſentibus filio ſuo *Egfrido* univerſorum hærede, *Humberto* quoque *Lichfeldenſi* Archiepiſco, cum aliis multis Epiſcopis & terræ optimatibus, præfecit in *Abbatem*, quem fideliſſimum in conſervatione regni filio ſuo & ipſi commiſſi, dum *Romam* pergeret, certiſſimè expertus fuerat. Et conventum ex ordinatiſſimis domibus electum, ut prætactum eſt, ordinavit & inſtituit. Et ædificia omnia (præterquam priſtinum quod invenit de veteribus ædificiis Paganorum pridem factum) ſumptibus propriis conſtruxit. Et in eadem Eccleſia, Rex Chriſtianiſſimus *Offa*, vices agens yconomi * & cuſtodis ſpecialis, vitam per aliquot annos continuavit. Et una dierum, juſſit afferri cartas, & omnia inſtrumenta data & adquiſita, ſuper majus altare offerens repoſuit.

Conventum Monachorum Benedictinorum, ibidem ordinat.

* Oeconomi.

De amplitudine Dominationis Regni Regis Offæ.

Quot Shiris imperabat Offa.

DOminabatur Rex *Offa* magnus, in viginti tribus Provinciis, quas *Angli Shiras* appellant. Id eſt, in *Herefordenſi*, cujus Epiſcopus ſedem habet in eadem urbe. In provinciis *Wigornienſi* & *Glovernienſi*, quarum Epiſcopus ſedem habet in *Wigornia*, in *Warwicenſi*, *Ceſtrenſi*, *Staffordenſi*, *Scropesbirienſi* & *Derebienſi*: quarum Epiſcopus habet ſedem in *Lichefeld*. In *Legreceſtria*, cujus Epiſcopus in eadem urbe ſedem habet. In *Lincolnienſi*, cujus Epiſcopus ſedem habet in *Lindeſia*. In *Northamtonenſi*, *Oxonienſi*, *Buckingehamenſi*, *Bedefordenſi*, *Huntendunenſi*, *Cantebrigenſi*, & dimidia *Hertfordenſi*: quarum Epiſcopus apud *Dorkeceſtriam* ſedem habet. In provinciis *Eſſexiæ* & *Middleſexiæ*, & dimidia *Hertfordenſi*: quarum antiſtes ſedem habet in urbe *Londoniarum*. In *Northfolc* & *Suffolc*, duo ſunt Epiſcopi, unus *Helmhamenſis*, & alter *Domutenſis*. Dominabatur etiam *Snotingenſi* * provinciæ, cujus Chriſtianitas ad Archiepiſcopum ſpectat *Eboracenſem*. Ex his omnibus provinciis, dedit Rex præfatus *Offa*, denarium beati *Petri*. Eo tamen retento & collato poſt receptionem, beato *Albano* per totam ejuſdem Martyris terram, & idcircò *beati Petri denarius* appellatur, quia ſæpedictus Rex *Offa* die *ſancti Petri* qui dicitur *ad vincula*, ipſum Martyrem, ipſo dei meruit cœlitus invenire, & ipſum annuum redditum, ipſo die *Romanæ* Eccleſiæ pro redemptione animæ ſuæ contulit, ad ſuſtentationem, videlicet, Scholæ memoratæ, propter *Anglorum* rudium & illuc peregrinantium, eruditionem. Feſtivitas tamen *Inventionis ſancti Albani*, in craſtino feſtivitatis inventionis ejuſdem celebratur, ne ſancti *Petri* celebritas, detrimentum aut diminutionem patiatur.

Antiquorum Epiſcopatuum ſedes.

* Notinghamenſi.

Regis Offæ imago.

Hic eſt Aula Dei, pacis domus, & requiei,
Hanc ego fundavi, quam Chriſte *tuere tua vi.*

De tranſlatione Inventionis *S.* Albani.

De humilitate Regis Offæ.

NEC cenſeo prætereundum, quod tantæ fuerit Rex *Offa* humilitatis & modeſtiæ, quod nunquam (quamvis in tantis & tot provinciis regnaret & dominaretur, & dominantibus & regnantibus præfuiſſet) voluit appellari, vel in Epiſtolis vel Chartis ſuis intitulari, niſi hoc ſolo dignitatis nomine Regis *Merciorum*. Quia illud ſolum Regnum, illi ratione ſanguinis contingebat. Alia autem regna, in ore gladii ſibi violenter (quæ tamen ad eum jure pertinebant) adquiſivit.

Stylus regalis Offæ.

*Nota, quod hic adinvenit & præcipit primus, quòd Tubicines faciem Regis præirent; etiam tempore Tubis canentes.**

* *in tempore pacis canentes*

ET ſciendum quòd quia totius *Britanniæ*, exceptis paucis particulis, ſibi potenter adquiſivit, prænominatas provincias, propter ſui ſingularem dominationem, & prærogativam (non tamen per ſuperbiam) adinvenit, & obſervari præcepit, ut, (etiam in tempore pacis) tubicines eum & ſucceſſores ejus, per civitates tranſitum facientes, Tubis canentes præirent: in ſignum quod Rex omnibus videntibus & audientibus, timori eſſe debet & honori. Clangor enim *Tubæ*, (quam vulgus *Trumpam* vocat) timorem intulit audientibus.

Vult tubicines ſe præire.

De poſſeſſionibus ab Offa *Rege, Monaſterio Sancti* Albani *collatis.*

DEdit præterea immortalis memoriæ Rex *Offa* potentiſſimus, beato *Anglorum* protomartyri *Albano*, villam ſuam dominicam quæ viginti fermè miliariis à *Verolamio* diſtat, & *Wineſlawe* nuncupatur, ut prætactum eſt, & tantundem per circuitum, ſicut uſque hodie ſcripta Regis proteſtantur ab eo, & in Eccleſia memorata reſervantur. Quæ tanta libertate privilegiata refulget, ut ab Apoſtolica conſuetudine & redditu qui *Romſcot* dicitur *Anglicè*, *denarius Sancti Petri*, *Latinè* (unde ſatis prædictum eſt) cum neque Rex, neque Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, vel Prior, aut quilibet de Regno vel in Regno, ab illius ſolutione ſit immunis, ipſa quidem Eccleſia, quæ *Baſilica Sancti petri* dicitur, ſola quieta eſt. In Presbyteros autem & Laicos totius poſſeſſionis ſuæ, Abbas vel Archidiaconus Monachus, ſub ipſo conſtitutus, jus pontificale exercet, ita ut nulli Archiepiſcopo vel Epiſcopo vel Legato, niſi ſummo tantum pontifici, ſubjectionem impendant.

Munificentia regis, in ſuum Cænobium.

Hoc quoque ſciendum eſt, quod *Offa* Rex magnificus, tempore quo beati *Petri* vicario, *Romanæ* urbis pontifici, redditum ſtatutum, id eſt, *Romſcot*, de regno ſuo conceſſit: ipſe à Pontifice *Romano* impetravit, ut Eccleſia beati *Albani Anglorum* protomartyris, eundem redditum ab omni *Hertfordenſi* provincia (in qua ſita eſt Eccleſia ſæpedicta) fideliter colligeret, & collectum, in uſus proprios retineret. Unde & ipſa Eccleſia, ſicut à Rege omnia jura Regalia, ita habet Abbas loci illius, qui pro tempore fuerit, pontificalia ornamenta, & in quantum licèt alicui Abbati habere pontificalem dignitatem, prout tam nova quàm vetera inſtrumenta, inde obtenta, manifeſtè proteſtantur, quæ in hoc libro, videlicet in ſequentibus, annotantur.

cui concedit tributum, ſcilicet Petri denarios, *ex tota* Hertfordia *collectos.*

Geſta quoque Abbatum omnium qui à tempore Regis *Offani* fundatoris Eccleſiæ *Sancti Albani*, in eadem Eccleſia extiterunt, uſque ad Annum gratiæ milleſimum ducenteſimum quinquageſimum, ſimiliter in præſenti volumine denotantur.

De morte & ſepultura Offæ, *Regis* Merciorum.

CUM autem immortalis memoriæ Rex *Offanus*, ferè omnia officinalia ædificia laudabiliter in Cœnobio ſuo, quod à fundamentis inchoaverat, ædificaverat, infra quartum quintumve annum poſtquam pium opus illud inchoaverat, ordinato conventu circiter centum Monachorum ordinatiſſimorum, in villa quæ *Offeleia* nuncupatur (juxta multorum opinionem) diem clauſit extremum. Cujus corpus apud villam de *Bedeford* delatum, in capella quadam (quia ſic tunc exigebat temporis neceſſitas) extra urbem ſuper ripam *Uſcæ* fluminis ſitam, more Regio dicitur fuiſſe ſepultum. Refert autem uſque in hodiernum diem, omnium ferè comprovincialium aſſertio, quòd capella præfata longo uſu & violentia illius fluminis corroſa, ſit ſubmerſa, atque ejus rapacitate, cum ipſo Regis ſepulchro ad nihilum redacta, vel ſaltem (ut quamplurimi perhibent) in medio fluminis alveo (quia firmiſſimo ſarcophago continebatur corpus memoratum) ſit ut ruinoſa, irreſtaurabiliter præcipitata. Unde, & uſque in præſens, ſepulchrum illud ab incolis loci tempore æſtivo ibidem balneantibus, quandoque in aquæ profunditate videtur eſſe conſumptum. Et quamvis, licèt diligentiſſimè quæratur, acſi res fatalis eſſet, non invenitur. O primitivorum Abbatum & Monachorum hujus Eccleſiæ, ſupina fatuitas! O ignavia inexcuſabilis! O negligentia reprehenſibilis! Et ut veriùs concludam, execrabilis ingratitudo! qui tanti Benefactoris, talis Regis, Carnis,

Offæ *mors & ſepultura fabuloſa.*

Exclamatio Authoris, in ingratitudinem illius ævi Monachorum.

Carnis, Dæmonis, Mundi ac mundanorum hoſtium magnifici triumphatoris, tam boni patroni ac fundatoris hujus Eccleſiæ, tam diligentis ſui propoſiti executoris & conſummatoris, exuvias noluerunt, cum potuerunt, colligere, & in hac ſua domo, deſideratiſſimum honorificæ tradere ſepulturæ. Sed quia conſtat tanti Benefactoris nomen, in libro vitæ indelebiliter ſcribi, conſolatur nos in hoc caſu poëta, qui talem jacturam ſubeuntes affatur dicens;

——*Facilis jactura ſepulchri:*

Et,——*Cælo tegitur, qui non habet urnam.*

Quod enim debiti honoris deeſt corpori, anima quæ præſtantior eſt, in perpetua cum augmento, in æterna percipiat retributione. Ut ſicut in hoc mundo, regnavit & multipliciter triumphavit, corona tranſitoria, ſic in cœlo perpetuo diademate regnet, fœliciter redimitus: & corpore ſibi reſtituto, quo modo non gaudemus, ſtola duplici gaudeat, reſtauratus. *Amen.*

Explicit Hiſtoria de Offa *Rege* Merciorum : *Fundatore Cœnobii* Sancti Albani, Anglorum *protomartyris, & ejuſdem Martyris Inventore, & de terra levatore.*

Guilielmi

Guilielmi Watſii

Admonitio ad

LECTOREM.

LAtere te non patimur, *Lector, poſt* Offani *hujus hiſtoriolam, hîc in illo libro* Cottoniano *ex quo deſumpſimus* Additamenta; *ſequi* Narrationem *ſatis longam,* Qualiter (*ut titulus ejus habet*) non complacuit Beato Albano alibi morari, niſi ubi paſſus eſt. *Narrationis ipſius prima verba, ſunt,* Cum Danorum rabies. *Sed quia totidem ſyllabis habetur poſtea, in vita* Wulnothi, *Abbatis quarti, conſultò hic prætermiſimus. Inſuper etiam es monendus, poſt hanc* narrationem *in eodem-met ipſo libro, etiam ſequi* Lectiones octo de Sancto Albano. *Scilicet, quæ in Anniverſario feſtivitatis ejus, publicè ad Miſſam in Eccleſia ſancti* Albani, *pro more recitabantur: dixi* pro more: *ſcilicet aut illius Eccleſiæ, aut temporis: quia in Miſſis aliis, pro omni* feſto duplici *ſive majori, non* octo, *ſed* novem Lectiones *præſcribuntur. Iterum te moneo, quod in eodem libro, poſt has* Lectiones (*quæ ſatis breves erant*) *ſequitur* Tractatus de inventione ſeu tranſlatione ſancti *Albani,* ſecundùm aliud exemplar, prout legitur ad prandium conventus, in Feſto Inventionis: quæ facta fuit die ſancti *Petri* ad vincula. *Sed quia hic* Tractatus *deerat* (*ut &* Lectiones *illæ* octo, *cum* Narratione *prænominata*) *tam à Codice altero* (*ſcilicet majori*) Cottoniano, *quàm à libro* Spelmanniano: *& quia quæcunque in eo continentur, habentur partim in vita* Offæ *Regis, partim in vita* Gaufridi *Abbatis: & denique, quia hoc* aliud exemplar, *ſecundum quod* Tractatus *hicce deſcribi affirmatur, non apparet eſſe* Mathæi *noſtri, noluimus eum inter opera* Pariſienſis, *hic immiſcere.*

VITÆ

VITÆ
Viginti Trium
ABBATUM
S. ALBANI.

Secundùm antiquum Rotulum Bartholomæi Clerici: qui cum domino Ada Cellerario, diu fuerat, ſerviens ei; & ipſum Rotulum, ſibi retinuit, de ſcriptis ſuis, hoc ſolum eligens.

HIC prænotantur Nomina Abbatum Eccleſiæ *Sancti Albani*: quorum plurimi, multa beneficia in poſſeſſionibus, dignitatibus, ſacris vaſis, & ornamentis, propriis laboribus adquiſierunt: Necnon & plæraque ædificia conſtruxerunt. Proinde non ſolùm eorum nomina, ſed ipſa beneficia, ſeu etiam damna huic Eccleſiæ collata, vel illata: quantum fidedignorum veridicorumque relatione, ſive geſtorum ſcriptorum inſpectatione, indubitanter ad noſtram notitiam potuit pervenire, ſcripto commendare cum diligentia veraciter deſudamus. Ne illorum bona opera, vel etiam mala, futuris, temporis oblivioni tradantur peritura, quatenus per hoc, non ſolum præſentes vel futuri, ad benefaciendum excitentur, ſed & perverſi terrore ſcandalorum à damnis coerceantur. Sed & ſiqua alia eccleſiaſtica ſæcularisve perſona, pietatis beneficia huic Eccleſiæ contulit: non ſolum ejus nomen, verùm etiam ipſius beneficium, & cujus Abbatis tempore, ſine ſtamine falſitatis perpetuetur.

Willegodus, *primus Abbas Eccleſiæ* Sancti Albani.

Rex.

Offa Rex. Ille regnavit 40. annis. Anno xxxiii. regni Offæ Regis, inventus eſt ſanctus Albanus & ipſius domus fundata.

WIllegodus, primus Abbas Eccleſiæ Sancti *Albani*, Eccleſiæ curam ſibi commiſſam ſtrenuè adjutorio Regis fultus, rexit. Huic glorioſus Rex *Offa Merciorum* regens gubernacula, corpore beati *Albani* Patroni noſtri de terra levato, hanc Eccleſiam multarum poſſeſſionum libertatumque prærogativa dotatum, tradidit gubernandam. Atque monachis è multis regionibus ſanctitate prælectis, in eadem Eccleſia fœliciter aptatis, juxta inſtitutionem & tenorem Regulæ *Sancti Benedicti*, ſub ipſo vivere regulariter ac reverenter, ordinavit.

Dum autem idem *Willegodus* Eccleſiæ *Sancti Albani* fœliciter præſideret, Rex illuſtris *Offa*, *Romam*, ut Eccleſiam ſuam privilegiaret, petiit: ut ſicut temporalibus & regalibus dignitatibus in *Anglia* inſignivit, ita eam ſpiritualibus & Eccleſiaſticis nobilitaret *Romæ*. Et a *Romano* Pontifice qui tunc tempore præſidebat, *Adriano*, ſcilicet primo; favorabiliter obtinuit libertates multas, & privilegia. Inſuper, ad ea quæ ipſe contulerat, robur & munimenta, per immortalia ſæcula duratura. [Præterea præter pratum quod obiter inventum in uſus peregrinorum tranſeuntium comparaverat, *Romæ* ſcholam peregrinorum piè conſtituit: ut ibidem peregrini, qui ad *Romanam* Eccleſiam & curiam confluxerant, ex diverſis mundi partibus barbari, vel votivæ orationis gratia, vel expediendorum negotiorum neceſſitate, linguas quas non noverant addiſcerant. Quæ ſchola, propter peregrinorum confluxum ibidem ſolatia ſuſcipientium, verſa eſt in xenodochium, quod *Sancti Spiritus* dicitur. Ad quod exhibendum, Rex *Offa*, ex regali munificentia & pietatis affectu, denarium qui dicitur *Sancti Petri*, de maxima parte regni ſui conceſſit. "Obtinens idcirco, ut nullus *Angligena* extra *Angliam*, antidotum pœnitentiæ "mendicaret. Sane retento cenſu de tota terra *Sancti Albani*, Eccleſiæ *Sancti Albani* futuris temporibus, die *Sancti Petri ad vincula* perſolvendo. In teſtimonio recognitionis ſempiternæ, quòd ut Eccleſiam liberam redderet, & non obligatam, *Romam* petierit. In die, inquam, beati *Petri ad vincula* perſolvendo: quia eadem die, Rex corpus beati *Albani Anglorum* protomartyris, de terreno ceſpite levatum invenire promeruit. Unde ille denarius collectus nomen ſortitur, ut *denarius beati Petri*, per totam *Angliam* appelletur.] Solemnitatem verò inventionis *Sancti Albani* conſtituit rex, aſſenſu Abbatis *Willegodi* & totius conventus, in craſtino *Sancti Petri* ſolemniter prout decet celebrari: ne principis Apoſtolorum feſtivitas, in aliquo videretur mutilari. Tandem ſentiens Rex, tempus ſuæ diſſolutionis non multum diſtare, [compoſitis componendis per regnum ſuum,] obtulit chartas donationis ſuæ, ſuper majus altare beati *Albani*, in conſpectu *Willegodi* Abbatis & totius conventus, & multorum Magnatuum: in teſtimonium ſempiternum ſalvationis animæ ſuæ, quam cæde multorum hominum polluerat. Anno videlicet gratiæ *DCC XCV*. Regni verò ipſius *Offæ*, *XXXV*, Et non diu poſtea vivens, ab hujus mundi incolatu migravit ad Dominum.

Omnia, quæ inter has notas [ ] incluſimus, deſunt à codice Spelmaniano.

Dies ſancti Albani, in craſtino S. Petri.

Filius

Filius autem ejus *Egfridus*, judicio & miſericordia patriſſans, regni poſt eum ſuſcepit gubernacula. Qui patris augens beneficia, contulit Eccleſiæ Sancti *Albani*, primo anno regni ſui, terram, quinque Maneriorum. Anno gratiæ *DCC. XCVI.* Videlicet in loco dicto *Pyneſfeld*, cum antiquis terminis; chartaſque patris ſui, benignè cum ſua ſerena conceſſione confirmavit, [pro confirmatione Regni ſui, & ſua proſperitate, necnon pro ſalute paternæ ſuæq; animæ, & anteceſſorum ſuorum, Eccleſiam ſuam per omnia ſalubriter protegendo.

Ubi Egfridus pius & juſtus, ex natus eſt ſublimitate videlicet patris, & hoc procurante, à Legatis miſſis in Britanniam, per Adrianum Papam, ad roborandam fidem Chriſti *debilitatam, per ſanctum* Auguſtinum *inſtitutam.* Rex Egfridus *filius* Offæ. *Hic regnavit circiter dimidium anni. De terra de* Pineſfeld, *tempore ipſius Abbatis, per* Egfridum *filium Regis* Offæ, *monaſterio prædicto liberaliter collata. Deſunt à Cod.* Spelm. *De morte inclyti Regis* Offæ, *& Abbatis memorati. Deſunt etiam hæc, in Codice* Spel. *uſque ad finem vitæ* Willegodi.

Et eodem anno, piæ memoriæ *Willegodus Abbas* à corpore reſolutus, naturæ debita perſolvit: dolore, ut dicitur, pro morte regis, quia ſeſe mutuo fœdere incomparabiliter condilexerant, contabeſcens. Qui per omnia ſtrenuè vitam peregit, niſi quod per negligentiam & fortè vitæ tædium, quo languit, audito lugubri rumore de morte regis, corpus deſiderabile ipſius fundatoris eccleſiæ ſuæ, ſibi dilectiſſimi illuſtris regis *Offæ*, non requiſivit; qui tam multipliciter promeruit, magnificè in eccleſia *Sancti Albani* tumulari. Pro qua ingratitudine, ut creditur, matura morte perculſus, infra duos menſes poſt regis obitum, vitam finivit temporalem.

[Conſtat autem, & omni acceptione dignum eſt, ut fide certa concipiatur, ipſum Regem cum martyre ſuo, quem in terra ſublimavit, regnare fœliciter in cœleſtibus, nomenque ejus in libro vitæ indelebiliter annotari: Licet ejus carnales exuviæ, in terris non invenirentur. Juxta illud poeticum:

——*Levis eſt jactura ſepulchri.*

In ſolatium exempli, nobilis legiſlatoris *Moyſis* memoria advenit, cujus ſepulchrum ab omnibus ignoratur. Et ſciendum quod idem glorioſus Rex *Offa*, primò Rex fuit tantummodo *Merciorum*: ſed cum ſtrenuiſſimus fuiſſet in armis, corpore alacer & propagatus, & in dubiis caſibus audax, & diſcretione imperterritus, fugatis quibuſdam nothis regulis, qui terram pro magna parte per *Merciam* patris ſui ſeneſcentis occupaverant aſſugatis: poſtea totius *Albionis* & partium adjacentium, potenter obtinuit Monarchiam. *Beornredo* enim perempto, *Kentenſes*, *Weſt-ſexones*, *Eſt-ſaxones*, *Eſt-anglos* & *Northanhumbros*, in ore gladii profugavit. Unde poſtea tactus ſpiritu, & ductus pœnitentia, pro ſtrage nimia, quam exercuerat, & ſanguine humano, quem fuderat, necnon & incendiis & aliis exterminiis, quæ ſolent bello perpetrari, dignos egit (admonitione & diſciplina, cujuſdam Sancti) fructus pœnitentiæ. Unde vocante eo, qui *non vult mortem peccatoris*, ſed ut magis *converſus vivat*, amicus Dei effectus eſt. Adeò quòd *Angelico* Oraculo de inventione beati *Albani Anglorum* protomartyris, qui diu in loco incognito jacuerat ignobiliter, meruit edoceri: & domum Dei, magnificè, ut prædictum eſt, ædificare.]

Eadricus *ſecundus Abbas.*

EAdricus huic ſucceſſit, Abbas eximius. Hic eodem anno quo ſublati ſunt de medio Rex *Offa* & *Willegodus* Abbas, de gremio Eccleſiæ ſuæ, electus eſt, & in ſedem paſtoralem ſublimatus fine moræ diſpendio & ſcandalo ſchiſmatis. Juxtà petitionem Chriſtianiſſimi Regis *Offæ*. Qui dum viveret, ſæpe ac diligenter exhortatus eſt, ne unquam ab alterius Eccleſiæ congregatione, ſibi paſtorem eligerent. Sed ſine moroſa ac damnoſa expectatione, viduatæ Eccleſiæ providerent, ne videretur domus ſua vacua religionis, & egena religioſis. Niſi fortè eveniret, (quod penitus execrabatur) ad id urgente neceſſitate per indigentiam idoneorum, cogerentur alieno indigere. Iſte *Eadricus* regibus *Offæ* & filio ejus *Egfrido*, ſanguine propinquus, & fœdere dilectionis amiciſſimus, Eccleſiam ſibi commiſſam, ſtrenuè, multis diſcriminibus contra multos rebelles (licèt potentes, & potenter in eum inſurgentes) fultus auxilio regio, gubernavit, & clypeo protexit diſcretionis. Porro, murmurabant multi, recalcitrantes, eo quòd munificentia regis *Offæ* (quam ſiniſtra interpretatione, prodigalitatem appellabant) tanta contulerat eccleſiæ *Sancti Albani*, quòd modum videretur exceſſiſſe, & regiam dignitatem pro magna parte mutilatam, jacturam & diminutionem incurriſſe. Et ad id ſentiendum, ferè animum Regis adhuc juvenis inclinaverunt. Sed beatus Martyr, Eccleſiam ſuam ſupra firmam petram, ſcilicet *Chriſtum*, fundatam, nec ventis concuti, nec procellis tolleravit labefactari.

De præfectione Eadrici *in Abbatem, & de moribus, virtutibus, & morte ejuſdem.* Rex Ethelwulphus *filius* Egfridi. *Iſte regnavit annis xx. & menſibus vi. & interfectus eſt à* Danis *Anno gratiæ Dccc. xxviii. Qualiter nonnulli ejuſdem Abbatis tempore murmurabant, de tantis beneficiis per regem* Offam, *illi monaſterio collatis.*

Vulſigus *tertius*, vel Ulſinus, *iſte fuit peſſimus.*

Rex Elfredus *magnus. Iſte regnavit xxix. annis & menſibus ſex. Hic meritis exigentibus, magnus dicebatur. Rex martyr* Edmundus *Sanctus. Iſte ex antiquorum* Saxonum *genere oriundus, paſſus eſt Anno gratiæ* Dccc. *Lxx. Martyr glorioſiſſimus. Rex* Edwardus, *fortis cognomento. Iſte regnavit Annis xxiiii.*

VUlſigus verò Abbas huic ſucceſſit, ſine longi temporis intervallo: creatus juxta petitionem illuſtriſſimi regis *Offæ*. Iſte Regali ſtemmate procreatus, erectus eſt citò in ſuperbiam, mutans habitum, tam forma quam colore. Qui ſericis utens veſtimentis, faleratus inceſſit: venatum ivit, dapſilis in eſculentis & poculentis, potentum principum magis quàm Dei, ſibi ſtudiit gratiam conciliare. Mulierum nobilium turbas, ad menſam ſuam infra ſepta habitationis ſuæ, multotiens invitans, metas honeſtatis tranſgrediens, ſcandalum ſuſcitavit, & tam ſuæ, quàm fratrum (quamvis fortè non ſubfuiſſet cauſa reatus) enormiter læſit integritatem. Expirante odore bonæ famæ, quo ab initio fragravit Religio, caritatis igniculus refriguit, multorum & repuit devotio. Brachio igitur ſæculari, & divitum fultus patrocinio, ſe ſuàque, in manuforti tuebatur. Verùm, extirpator ſubſtantiæ eccleſiaſticæ, & dilapidator theſauri, Vaſa, quæ Rex *Offa* contulerat concupiſcibilia, pallas & monilia (quorum jactura erat irreſtaurabilis) alienavit. Conſanguineas ſuas, quæ ſine maritis erant, tam viduas quam virgines, & etiam affines, Magnatibus, non ſine ſumptuoſo apparatu, matrimonio copulavit. Juſta igitur Dei & martyris ultione percuſſus, ſuſcitavit contra eum de ſuo conventu ſeditionem: & ut dicetur poſtea, in brevi migravit ab incolatu hujus mundi potionatus, cum odio conventus & maledictione. Inſurrexerunt igitur eo mortuo, viri graves, potentiores de conventu, in omnes conſanguineos, quos de bonis eccleſiæ, ſaginarat ille carnalis Abbas: & ſuſcitatis controverſiis & quæſtionibus, omnes, bonis ab Eccleſia obtentis, ſpoliarunt. Qui ſpoliati, in paupertate & infirmitate vitam miſeram protraxerunt, & in egeſtate vitam terminarunt.

Vulnothus *quartus.*

Tam formam habitus, quam colorem. *Ita Codex* Spelm.

Kokarunt.

Rex Ethelſtanus. *Iſte regnavit annis xvi. & obiit anno gratiæ,* Dcccc. *xl.*

VUlnothus, iſte duobus vel tribus annis, errores prædeceſſoris diligenter correxit. Poſtea vero pejor priore effectus, tam formam cuculli & frocci, quàm colorem, tranſmutavit primitivum. Iſte ſanctimoniales ſemiſæculares, ut unius moris in una domo viverent, & ut infamiæ ſuſpitione purgaret, conſtituit; Metas evagationis poſuit. Tempus ſilentii, dormitionis, comeſtionis, & orationis, illis, certis locis & temporibus, limitavit. Prædeceſſor enim ejus, illas in domo nimis vicina Eccleſiæ collocaverat, qui ſub ſpecie religionis, errorem palliavit. Sed hic *Vulnothus* ut in eleemoſynaria commorarentur, & matutinas in majori Eccleſia cum horis diurnis audirent, & mandatum more facerent cotidiano, regulariter ordinavit: Dietam earum, ab eſu carnium coartavit. Proceſſu vero temporis, quæ bene inchoavit, ſine deteriori maculavit. In habitu enim Monaſtico, primum tranſgreſſionem impudenter inchoans, aves venaticas, & canes aluit, & venatores, & venantium mores uſurpans induit, & veſtimenta. Inſuper, ſoluto frœno ut dicitur pudicitiæ, mimis & inhoneſtis, ſubſtantiam eccleſiæ dilapidando, famam religionis denigravit.

Deſunt à codice Spelm. *Nota quod hic* Albanus *ſurreptus fuit & reſtitutus.* Ut liquet per ſequentia, *deſunt Codex* Spelm. *hic ſupplet,* Per induſtriam & cautelam cujuſdam monachi, *nomine Egwinam,* ſuam procur. repatr.

Hujus quoque Abbatis tempore, debacchantibus *Danis* in *Anglia* [qui ſuperficiem terræ cooperuerant, inæſtimabile facientes exterminium, &] ad *Sanctum Albanum* hoſtiliter venientes, cum audiſſent quod *Angliæ* protomartyr extitit famoſiſſimus: oſſa ejus fracta capſide rapuerunt, & in ſuam regionem, detulerunt. Et ea ibi veneranter in feretro precioſo, ad hoc ſpecialiter fabricato, repoſuerunt in quadam domo religioſorum, ſcilicet *Monachorum nigrorum*, ut ſicut in *Anglia*, ſic in *Dacia* conformiter veneraretur. Sed quia non placuit Sancto ibi commorari, ſed potiùs ubi ſanguinem ſuum pro *Chriſto* fudit, ſuam procuravit repatriationem.

In ultimis vitæ ſuæ diebus, à beato Martyre non deſpectus, ſed miſericorditer reſpectus, meruit in hac vita, temporali pœna fœliciter expiari. Poſtquam enim per curriculum circiter undecim annorum, Eccleſiam ſuam quoquomodo rexerat, paralyſi percuſſus, temporali pœna purgatus, dignos egit fructus pœnitentiæ; & divino flagello caſtigatus, vitam in tantam ſanctitatem commutavit (faciendo de neceſſitate virtutem) quod multos ſanctitatis exemplo informavit, & vitam fœlici fine terminavit.

Eadfrithus *quintus*, *vel* Eadfridus.

EAdfrithus huic ſucceſſit. Iſte ex *Saxonum* Magnatibus originem ducens, tantummodo corpore expectabilis elegantiæ & magnitudinis fuit, operibus verò vanus & deſpicabilis. Ex Priore verò, electus & creatus in Abbatem, rigore clauſtri poſtpoſito, in comeſſationibus & otiis, ætatis ſuæ tempora inutiliter protelavit. In camera aſſiduus, in clauſtro rarus, in choro nunquam apparere dignabatur. Et ſic moribus commutatis, veterem hominem

minem cum actibus ſuis, exuto novo induere nitebatur. In tuendis Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionibus tepidus, in adquirendis puſillanimus, exemplum paſtor ovibus dabat pernitioſum. Veruntamen cyphum quendam deſiderabilem; tam artificio, quàm materia admirabilem, adquiſivit, & beato *Albano* obtulit, ad corpus dominicum reponendum.

Rex Edmundus, *cognomento* Pius. *Iſte* viii. *annis regnavit.*

Hujus quoque tempore, ex permiſſione ejuſdem, non auxilio, fabricata fuit Baſilica in honorem Sancti *Germani Antiſiodorenſis* Epiſcopi ab venerabilis memoriæ *Ulpho* Priore Sancti *Albani* miræ ſanctitatis viro.

De prima fundatione capellæ ſancti Germani, *per* Ulphum *Priorem ſancti* Albani, *& de laudabili ſanctitate tam ejuſdem quam Abbatis memorati ibidem.*

[Habitaculum enim illud, in quo idem ſanctus *Germanus* poſtquam veneranter corpus ſancti Martyris de terra levaverat, moram fecit aliquando: ſcilicet in convalle pomærii, ubi paludes & arundines, capacia loca reddunt inhabitabilia, ignobiliter jacuit derelictum, & ædificia diruta, vix veſtigia memoriæ prædicti Sancti, reliquerunt. Conſtructa igitur, ut prædictum eſt, Baſilica, ex licentia Abbatis, quidam ibidem Monachus clauſtralis eximiæ ſanctitatis vir, vitam longo tempore duxit heremiticam, hortos coluit, herbis & leguminibus & aqua in abſtinentia mirabili, & orationibus infatigabilibus, deduxit. Meruit igitur, pro ſanctitate præclara qua floruit, virtutibus multis inſigniri: venerunt etiam Epiſcopi & graves viri, tam Laici & ſæculares ad eum ut per confeſſionem mererentur, à peccatis variis expiari, & orationibus ipſius commendari.] Iſte *Ulfa* nomine, *Dacus* natione, Abbati conſanguineus, poſtquam tempora vitæ ſuæ laudabiliter conſummaverat, ob reverentiam virtutum ſuarum, cum Abbatibus meruit habere veneranter ſepulturam. Poſt ejus verò tranſitum, Abbas ad ſe reverſus, & fortè precibus ſancti viri à Deo reſpectus, depoſito omni faſtu cum faſtigio, vitæ paſtoralis onus & honorem cum baculo reſignavit: & conſtructis quibuſdam ædificiis juxta prædictum oratorium, in loco ubi prædictus Heremita habitavit errata priſtina deflendo, vitam ducens ſolitariam. Et mutatione dexteræ excelſi, factus eſt conſors & cohæres prioris Heremitæ, veſtigia ſequens ſanctitatis. Ita quòd virtutibus ante mortem clarus effulgens, laudem promeruit immortalem. Poſteà vero vacuit Abbatia, carens paſtore per annum: & orto ſchiſmate, diſſipata ſunt hinc inde bona eccleſiæ, & fiebat interea rerum diſtractio in perniciem animarum utrobique. Prior enim cum ſuis fautoribus, majori parti conventus in electione adverſabatur: tandem procurantibus Epiſcopis cohabitantibus, & curam adhibentibus, ſopita & diſcordia, & unanimi conſenſu, paſtorem Monachi ſibi elegerunt.

Deſunt à codice Spelm. Ancanus *nomine, qui puerum reſuſcitavit, tres dæmoniacos curavit.*

OF THE BOMBAY BRANCH OF THE

Ulſinus, *vel* Ulſigus *ſextus.*

ULſinus. Iſte pius & ordinatæ vitæ, in ſpiritualibus & ſæcularibus fulſit illuſtris. Pagum quoque *Sancti Albani*, & incolas, dilexit & promovit [ab partibus circumjacentibus ipſum, adhibito foro & ampliato, populis convocatis fecit inhabitari: Conſtruenteſque ædificia, tam ſumptibus quam materiæ adjuvit.] Eccleſiam Sancti *Petri* à ſeptentrionali, Eccleſiam Sancti *Stephani* ab Auſtrali, Eccleſiam Sancti *Michaelis* ab Occidentali parte devotè tam ad ornatum quàm utilitatem pagi, & ſalutem animarum conſtruxit. Ita honoravit Heremitam *Eadfrithum* quondam Abbatem, ſcilicet prædeceſſorem ſuum deferens ei ob vitæ ſanctæ merita, reverentiam magnam, & mortuum ſolemniter faciens exequias, inter Abbates ſepelivit, & Oratorium in quo vixit & mortuus eſt, nimis ob reverentiam Sancti *Germani*, & ſervi Dei dilexit. Adeoque ſæpè ibidem frequenter Miſſam celebraret, poſtea non procul à loco illo, Oratorium in honore ſanctæ *Mariæ Magdalenæ* conſtruxit. Iſte ſanctus & plenus dierum, fœliciter migravit ad Dominum.

De conſtitutione villæ & eccleſiæ ſancti Albani, *tempore Abbatis memorati.*

Rex Eldredus *piiſſimus cognomento, Iſte regnavit annis decem.*

Alfricus *Septimus.*

ALfricus. Iſte data non parva pecunia numiſmatis, necnon & pretioſo cypho, in quo corpus Domini reponebatur (cujus ſupra fecimus mentionem) cum donativis aliis impreciabilibus, comparavit à rege piſcinam magnam ac profundam, Eccleſiæ *Sancti Albani* nimis nocivam ac vicinam, quæ *ſiſpol* dicebatur. Erat autem Regum Piſcaria. Fuerunt equidem Regii miniſtri & piſcatores, moleſti Cœnobio, & oneri Cœnobitis. [Opprefferuntque ſæpè, (quia Regii erant & ſuperbi) famulos Religioſorum.] Quam cum prædictus Abbas ſibi comparaverat, aquam eliquando derivavit, &, in quantum potuit, ne alii Reges piſcinam illam deſiderabilem in poſterum ſibi vindicarent, redegit in aridam. Cujus piſcinæ adhuc apparent termini & altæ crepidines, juxta viam & vicum qui ducit verſus Occidentem, & *ſiſpolſtrate* nuncupatur. Ubi ſolet eſſe via piſcatorum & Regiorum miniſtrorum ſupra ripam: dum ab Eccleſia & Curia *Sancti Albani*, ad Regale municipium quod *Kingsbury* dicebatur, non longè ab Eccleſia ſitum, frequenter commearent. Remanſit autem Abbati, quædam non magna piſcina, *cum arundineto circumjacente, ne viderentur omnia penitus deleta. Cætera autem in hortos redegit. Iſte verò *Alfricus* Abbas, plenus dierum & ſanctitate præclarus, poſt multa opera laudabilia, migravit ad Dominum.

Rex Edgarus *Iſte regnavit annis* xvi.

De piſcaria regis apud Kingsbury, *Monaſterio* ſancti Albani *nociva, per ipſum Abbatem à domino rege empta & in aridam terram redacta.*

Rex Edwardus *Martyr* [?]. *Iſte vix duobus annis regnavit* [?] *& ſeptennis paſſus eſt.*

*piſcaria.

Rrrrr r

Eldre-

Ealdredus *Octavus.*

** Huic ſucceſſit.* — *Tegulæ.* — *Anchoræ.* — ** abiegnos.* — *Deſunt à Cod. Spelm.* — *Deſunt à Cod. Spelm.*

EAldredus Abbas. * Iſte antiquas Scripturas ſubterraneas veteris civitatis, quæ *Werlamceſtre* dicebatur, perſcrutatas, evertit omnia & implevit, tracones verò & vias cum meatibus ſubterraneis, & ſolidè per artificium arcuatis, quorum quidam ſubtùs aquam *Warlamiæ.* quæ quondam maxima civitati fuit circumflua, tranſierunt, diruit, implevit, aut obturavit. Erant enim latibula latronum, veſpillonum, & meretricum. Foſſata verò civitatis, & quaſdam ſpeluncas, ad quas quaſi ad refugia redeuntes malefici, & fugitivi, à denſis ſilvis vicinis fugerunt; in quantum potuit, explanavit. Tegulas verò integras, & lapides quos invenit, aptus ad ædificia ſeponens, ad fabricam Eccleſiæ reſervavit; Propoſuit enim ſi facultates ſuppeterent, diruta veteri Eccleſia, novam conſtruere. Propter quod, terram in profunditate evertit, ut lapideas ſtructuras inveniret. Quod cum feciſſent foſſores, juxta ripam aſſeres quernos cum clavis infixis, pice navali delinitos (quales ſolent eſſe in carinis) invenerunt. Necnon & quædam navalia armamenta, utpote Anchoras rubigine ſemiroſas, & remos habiennos * in certum & manifeſtum ſignum aquæ marinæ, quæ quondam *Warlamceſtrenſe* vexit navigium, repererunt. Quæ unda, quomodo in parvum Rivulum nunc contrahatur, & quo miraculo, *Hiſtoria* de ſancto *Albano* explanat evidenter. Conchilia verò & Conchas, quales litus maris ſolet educare vel projicere cum arenis æquoreis [quas inſolito veſtigio cives *Verolamiæ* properantes ad Martyrium novi Martyris quondam calcarunt] non ſine admiratione invenerunt. Unde nomina locis ubi talia reperunt, incolæ hæc videntes vel impoſuerunt, vel retulerunt ſe a veteribus relata meminiſſe. Utpote *Oiſtrehulle, Selleford, Ancrepol, Fiſpol,* nomen vivarii Regii, ex reliquiis aquæ diminutæ. [Specum quoque profundiſſimum monte continuo circumſeptum, cum ſpelunca ſubterranea quam quondam Draco ingens fecerat & inhabitavit, in loco qui *Wurmenbert* dicitur, in quantum potuit, explanavit: veſtigia tamen æterna habitationis Serpentinæ, derelinquens.] Iſte autem *Ealdredus,* cum jam multam tam in lapidibus & tegulis, quàm materia lignea, ad fabricam eccleſiæ coacervaſſet quantitatem, matura nimis morte præventus imperfecto negotio, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

Eadmarus *nonus.*

De præfectione Eadmeri in Abbatem ſancti Albani, & de ortu, moribus & morte ejuſdem.

EAdmarus Abbas. Iſte pius ac manſuetus, & ſacris literis ſufficienter eruditus: ſæculari & clauſtrali floruit probitate. Iſte quæ prædeceſſor ejus viriliter in primis eſt proſecutus, non in tantum placuit Deo ac Martyri, ut domum ipſius Martyris ædificaret & conſummaret, ſimilis factus *Salomoni.* Adquiſita tamen, tam in theſauris quàm in materiæ adunata, ad eccleſiam conſtruendam, non diſperſit, vel conſumpſit. Iſtius Abbatis dum foſſores, muros & abſcondita terræ rimarentur, in medio civitatis antiquæ, cujuſdam magni palatii fundamenta diruerunt, & cum tantorum veſtigia ædificiorum admirarentur, invenerunt in cujuſdam muri concavo depoſito, quaſi Almariolo, cum quibuſdam minoribus libris & rotulis, cujuſdam codicis ignotum volumen, quod parùm fuit ex tam longæva mora demolitum. Cujus nec litera nec idioma, alicui tunc invento cognitum, præ antiquitate fuerat: Quarum Epigrammata & tituli, aureis literis fulſerunt redimiti. Aſſeres querni, ligamina ſerica, priſtinam in magna parte, fortitudinem & decorem retinuerunt.

Liber. *De libro paſſionis & hiſtoriæ Sancti Albani prædicti Abbatis tempore, in quodam muro reperto.*

De cujus libri notitia, cùm multùm longè latéque fuerat diligenter inquiſitum, tandem unum ſenem jam decrepitum invenerunt ſacerdotem, literis bene eruditum, nomine *Unwonam,* qui imbutus diverſorum idiomatum linguis ac literis, legit diſtinctè & apertè ſcripta libri prænominati. Similiter quæ in aliis codicibus, in eodem Almariolo & in eodem habitaculo repertis, legit indubitanter, & expoſuit expreſſè. Erat enim litera, qualis ſcribi ſolet tempore quo cives *Warlamceſtram* inhabitabant, & idioma antiquorum *Britonum,* quo tunc temporis utebantur. Aliqua tamen in *Latino*: ſed his non opus erat: in primo autem libro, ſcilicet majori, cujus priùs fecimus mentionem, ſcriptam invenit Hiſtoriam de *Sancto Albano Anglorum* protomartyre. Quàm eccleſia diebus hodiernis, recitat legendo. Cui perhibet egregius doctor *Beda* teſtimonium, in nullis diſcrepando. In aliis verò libris paſſim inventis, reperit lector prædictus invocationes & ritus Idolotrarum civium *Warlamceſtrenſium.* In quibus comperit, quòd ſpecialiter *Phœbum* Deum ſolis invocarunt & coluerunt; quod perpendi poteſt, per Hiſtoriam Sancti *Albani*: ſi eam ſedulus lector intelligat. Secundariò verò *Mercurium Woden Anglicè* appellatum: quo, quartus dies ſeptimanæ intitulatur, Deum videlicet Mercatorum: Quia cives & compatriotæ, propter Navigium civitatis & commodum loci ſitum, per unam diætam tantùm, à *Londoniis* diſtantem, ferè omnes negotiatores & inſtitores fuerunt. Abjectis igitur & combuſtis libris, in quibus commenta diaboli continebantur, ſolus ille liber in quo Hiſtoria Sancti *Albani* continebatur, in theſauro chariſſime reponebatur. Et ſicut prædictus Preſbyter, illum antiquo

Anglico

Anglico vel *Britannico* idiomate conſcriptum, in quo peritus extitit legerat, Abbas iſte *Eadmarus*, per prudentiores fratrum in conventu fecit fideliter ac diligenter exponi, & pleniùs in publico prædicando, edoceri. Cum autem conſcripta Hiſtoria in *Latino*, pluribus ut jam dictum eſt innotuiſſet, exemplar primitivum ac originale (quod mirum eſt dictu) irreſtaurabiliter in pulverem ſubitò redactum, cecidit annulatum.

Et cum Abbas memoratus, profundiora terræ, ubi civitatis *Verolamii* apparuerunt veſtigia, diligentur perſcrutaretur, & antiquos tabulatus lapideos, cum tegulis & columnis inveniret, quæ Eccleſiæ fabricandæ fuerunt neceſſaria, ſibi reſervaret, quam propoſuit Sancto Martyri *Albano* fabricare, invenerunt foſſores in fundamentis veterum ædificiorum, & concavitatibus ſubterraneis, urceos & amphoras opere fictili & tornatili, decenter compoſitas. Vaſa quoque vitria, pulverem mortuorum continentia. Solebant enim antiquitùs, cadavera mortuorum comburere, unde *funus* quaſi *fumus* dicebatur. Inventa ſunt inſuper fana ſemiruta, Altaria ſubverſa, & idola, & numiſmatum diverſa genera, quibus utebantur. Et quæ idola, coluerunt antiqui cives *Verolamii* Idolatræ. Quæ omnia ex præcepto Abbatis ſunt comminuta. Poſtea verò, memoratus Abbas poſt aliquorum annorum curricula, nec etiam incæpto opere Eccleſiæ, ſed multis ad hoc congregatis, diuturni languoris detentus incommodo, naturæ debita perſolvens, Eccleſiam ſuam ære alieno nimis dereliquit obligatam. Unde coacti ſunt poſteri, quaſdam poſſeſſiones alienando, ſilvas quas tunc habebant copioſas, explanare.

Miraculum.

Leofricus *decimus.*

Electus eſt igitur *Leofricus* loco ipſius in Abbatem, vir elegantiſſimæ ſtaturæ, & venuſtæ faciei, filius Comitis *Kanciæ*. Qui dum adhuc ſæcularis eſſet, aſſumpturus habitum Religionis, hæreditatem paternam, pro hæreditate cœleſti dereliquit: Fratri ſuo, qui conſequenter natu minor erat, benignè ipſam concedens, quia ipſum tenerrimè diligebat. Ut intrans clauſtrum, verè dicere poſſit, regnum mundi & omnem ornatum ejus, contempſi, & cætera. Expectabilis, inquam, erat corpore & facie: ſed pulchrior fide ac moribus. Unde exigentibus ejus præclaris meritis, in Archiepiſcopum *Cantuarienſem* electus, non conſenſit, aſſerens fratrem ſuum *Alfricum*, ad hoc eſſe digniorem. [Quem perſuaſit, ut Hiſtoriam ad notam de Sancto *Albano* componeret.] Iſte quoque invaleſcente fame miſerabili, in omnibus partibus *Angliæ*, theſaurum ad fabricam Eccleſiæ diu ante reſervatum, cum columnis, tabulatibus in terra, ut dictum eſt, inventis: cum materiæ etiam, vaſis aureis & argenteis, tam ſuæ menſæ quàm Eccleſiæ deputatis, in pauperum expendit ſuſtentationem: [retentis tantummodo quibuſdam Gemmis precioſis, ad quas non invenit emptores, & quibus * nobilibus lapidibus inſculptis, quas *Camaeos* vulgariter appellamus. Quorum magna pars, ad feretrum decorandum, cum fabricaretur, eſt reſervata.] Erat enim dictus Abbas piiſſimus, & ſuper Afflictos pia geſtans viſcera, & quia ſponte ſua vaſa argentea, ſuæ videlicet menſæ deputata, in uſus pauperum erogaverat, conceſſa fuerunt eidem ad eoſdem uſus, etiam vaſa Eccleſiæ conſecrata poſtulanti. Dicebat enim, fideles *Chriſti*, maximè pauperes, Dei eſſe Eccleſiam & Templum: & ipſum ſpecialiter ædificandum & conſervandum. Et hanc Religionem Deo eſſe acceptam, ſecundum illud *Jacobi*: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, &c.* [Exemplumque propoſuit de beato *Laurentio*, theſauros Eccleſiæ in pios uſus pauperum. * Et illud iterum Apoſtolicum: *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem, & clauſerit viſcera ſua*, ſcilicet non ei ſubveniendo, *quomodo charitas Dei in eo eſt?*] Si tamen, Abbas memoratus hoc faciendo bene egerit, novit ille qui nil ignorat. [Quòd bene, videtur prædicta ratione; quòd non, hac videtur poſſe perſuaſione probari. Vaſa Domini jam conſecrata, & Altari ſacro fœdere copulata, in quoſlibet uſus alios diſtrahi, nullo modo videtur poſſe licenter. Alabaſtro enim perfundente odorem, quod beata peccatrix *Maria Magdalen* detulit, & effudit, ut ungeret pedes *Jeſu*, oblocutus eſt *Judas*, quaſi ſolicitus de commodo pauperem, & ait, *Ut quid perditio hæc? Potuit unguentum hoc vendundari multo, & dari pauperibus*, Quod dictum reprobans, *Jeſus* reſpondit, *Pauperes vobiſcum ſemper habebitis, me autem non.* Per quod videtur, quòd quæ ſunt addicta divino honori in Eccleſiaſtico miniſterio, non ſunt alienanda, vel uſibus communibus, etiam in uſus pauperum, diſtrahenda. Sic enim, videtur fieri de ſacro non ſacrum. Hæc inquam, quia tunc temporis prædictæ rationes in conventu magnam diſcordiam ſuſcitarunt, quam vix Abbatis ſupplicatio humilis ſedavit: poteſtas ſæcularis, perterrendo temperavit.]

Qualiter idem Abbas vaſa ſua argentea & aurea, cùm ſuæ menſæ quàm Eccleſiæ, tempore famis ingruente, pauperibus miſericorditer diſtribuit.

* *quibuſdam.*

* *erogante* Rex Etheldredus *ſegnis ſed pius, Iſte triginta & octo annis regnavit.*

Leofricus *electus in Archiepiſcopum non conſenſit, aſſerens fratrem ſuum* Alfricum *fuiſſe multo digniorem.* Alfricus *igitur effectus eſt Archiepiſcopus* Cantuariæ.

Iſte *Leofricus* nobilis fuit & generoſus, & brachio ſæcularis fortitudinis, omnes poſſeſſiones Eccleſiæ ſuæ viriliter defendens, repreſſit inſurgentes, amicis & conſanguineis Magnatibus roboratus. Verumtamen uſus eſt veſtibus purpureis, nigris tamen: Acceptorque fuit perſonarum. Nullum niſi genere clarum vel ſaltem legitimum, in Monachatum admiſit: aſſerens ignobiles & illegitimos, ignotos maximè & inſtabiles, ad enormia fore proniores. Aſſumptus autem ad Archipræſulatum, domum ſuam bonis omnimo-

Qualiter Abbas in Archiepiſc. Cant. ſuis virtutibus exigentibus, promovebatur.

omnimodis reliquit redundantem. Recedenti autem & valedicenti conventui, quaſi redarguendo, ipſum ſuper prædicta offenſione, dixit quidam fratrum genere ignobilis & illegitimus, moribus tamen præditus & ſcientia *Leofſtanus* nomine, qui poſtea, ſed non immediatè Abbas effectus eſt *Sancti Albani*.

Mundatur totus ſacro baptiſmate lotus,
Vel non eſt ſacri mundatio plena lavacri.

Alfricus *undecimus*.

Rex Edmundus. Ferream latus. Iſte regnavit ferè uno anno.

HUic ſucceſſit *Alfricus*, prædicti Abbatis *Leofrici* frater uterinus. Iſte generoſitate eadem qua frater ejus & prædeceſſor, corpore & mente refulſit, ſacris literis eleganter eruditus. Cui ingredienti ad officium paſtorale, ille frater de quo priùs fecimus mentionem, ſcilicet *Leofſtanus* ait,

Fac ſuperes tu qui ſuper es ſucceſſor honoris.
Degener es, ſi degeneres à laude prioris.

... Hiſtoria ſancti Albani per prædictum Abbatem compoſita & inſtituta, die Jovis. Iſte regnavit Annis xix. Rex Cnutus magnanimus natione Dacus. *Rex* Haraldus *filius* Cnutonis. *Nota de* Kingsbury. *Rex* Hardecnutus *filius* Cnutonis. *Hi duo filii* Cnutonis, *circiter quatuor annis regnarunt. De pluribus poſſeſſionibus, per prædictum Abbatem huic monaſterio perquiſitis, poſtmodum alienatis.*

Profecit ita diatim de bono in melius, & ope fratris ſui Archiepiſcopi fultus, multos repreſſit inſurgentes. Erat namque vita & prædicatione Doctor & Paſtor irreprehenſibilis, ſermone facundus, conſilio providus, dapſilis hoſpitibus, pius fratribus, rebellibus auſterus, frugalis pauperibus, & ſuper afflictos pia geſtans viſcera. Iſte viſione præmonitus Sancti *Albani*, quam nunc cantator compoſuit *Hiſtoriam*, & eidem *Notam melicam* adaptavit: & auctoritate fratris ſui Archiepiſcopi, multis locis *Angliæ* fecit publicari, diemque ejuſdem Martyris honorari. Statuens, ut die Jovis (niſi præoccupatur legitimis temporibus) Miſſa de ipſo cum pertinentiis, ſolemniter celebretur. Hic quoque dum adhuc ſæcularis, & Regis *Ethelredi* Cancellarius extitiſſet, emit ab eodem Rege *Ethelredo*, & poſtea ſuſcepto habitu, per eundem Regem acceptantem confirmavit, quaſdam terras ad feudum tenendas, quaſdam perpetuo jure poſſidendas. Scilicet, *Kingsbury*, regale municipium, cum vivariis & ſilvis ad idem pertinentibus. Quod municipium, eò quod ſibi ſæpe nocuerat, poſtquam in ſuam ceſſit per commutationem & pecuniæ effuſionem proprietatem, ſolo tenus totum complanavit. Præter unum parvum propugnaculum Cœnobio propinquius, quod Rex non permiſit proſterni: ut ſaltem veſtigia regalis manſionis & eleemoſynæ, apparerent, cum nomine quod adhuc durat. Agebat autem tunc in ſceptris, *Cnuto* Rex magnanimus, beatorum Martyrum *Albani Angliæ* protomartyris & *Edmundi* Regis, (cujus Cœnobium reſtauravit, & monachos impoſuit) amator ſpecialis. Memoratus igitur Abbas *Alfricus*, diruto dicto municipio, Regales quos ibi invenit miniſtros, & incolas in circuitu: quia dum poterant, Eccleſiæ frequenter nocuerunt, vel penitus extirpavit, vel extremis truſit conditionibus.

Item *Oxonage* & *Adulfintonam*, pro mille marcis emit à Rege ut vadimonium. *Northonam* & *Uptonam* & *Becces Wurtham*, perpetuo jure tenendas, datis pro eis quinquaginta libris: ſicut hujus Eccleſiæ chirographum, ſuper hoc confectum, proteſtatur, providè comparavit.

Hic etiam tradidit terram de *Tiwa* in vadimonio, pro decem libris *Leofſigo* & ſociis ejus, eo tenore, ut ſi Monachi tantum pecuniæ aliquando redderent, terram ſuam quietè reciperent: ſi non, prædictus *Leofigus* & ſocii ejus, illam tenerent in vita ſua, ſcilicet quilibet pro parte ſua, ac poſt eorum obitum, rediret in manus Monachorum. Et hæc omnia in quodam chirographo hujus Eccleſiæ Anglicè confecto, reperiuntur. Ipſis quoque diebus, præmatura morte ſurreptis Rege *Cnutone*, *Haroldo*, *Hardecnutoneque* filiis ſuis, in Sceptris agebat Rex *Edwardus* piiſſimus ac Deo acceptiſſimus. In cujus tempore, ſe præparaverunt *Dani* cum Rege ſuo, hoſtiliter *Angliam* intrare, ipſam feraliter vaſtaturi, vel ſuo denominatui ſubjugaturi. Quod cum *Anglis* innotuit, experti ſæpe ferocitatem eorum & avaritiam, timuerunt valde, quia Regem habebant pacificum & imbellem. Præparaverut igitur arma, civitates cum caſtris communientes, & theſauros ſuos abſcondentes. Abbas igitur *Alfricus*, fecit reliquias Sancti *Albani*, muro quodam ſalvo & ſecreto, cum feretro recondi, ſcilicet ſub Altari Sancti *Nicholai*: paucis conſciis de fratribus, electis perſonis gravibus & honeſtis. Miſit autem ex induſtria in propatulo, ad Abbatem & Conventum *Elyenſem*, petens humiliter, ut penes ſe reliquias Sancti *Albani*, donec pace reddita reſpoſcerentur, reſervarent. Erat enim eorum inſula intranſmeabilibus circumdata paludibus, & arundinetis; unde hoſtium incurſus, nequaquam timuerunt. Veruntamen Abbas ſicut vir prudens & circumſpectus, fraudem hominum pertimeſcens, ne fortè cupiditate obcæcati *Elyenſes*, ipſi Abbati contradicerent requirenti, ſi ipſas veras reliquias committeret eis reſervandas, tranſmiſit illuc cujuſdam Monachi ſancti reliquias in capſide pretioſa, ac ſi eſſent Oſſa ipſius Martyris *Albani*, veras ejus reliquias, in prædicto muro, ut dictum eſt, reſervando. Hujus intentionis prudentia, ut ſi fortè pars adverſa ſupervenientium Barbarorum prævaluiſſet, & theſauros Sancti *Albani* perſcrutarentur, eis opinio

Ordinatio veritatis, de veris & putatitiis oſſibus ſeu reliquiis ſancti Albani penes monachos ſancti Albani, *&* E-lyenſes *remanentibus.*

opinio relata de prædicta aſportatione ſatisfaceret, & furorem compeſceret. Erat enim in *Ely* cum dicta capſide, multa Eccleſiæ ſancti *Albani* ornamenta aſportata, & ut verum videretur, quòd reliquiæ beati Martyris illuc certiſſimè tranſportarentur, quendam panniculum villoſum, qui *Gallice villuſe* dicitur, dictus Abbas *Alfricus* cum memoratis * Oſſis involutis, in ipſo fecit tranſportari. Aſſerens ad cautelam, ipſum fuiſſe beati *Amphibali*, beati *Albani* magiſtri, caracallam.

* Oſſibus.

Dum autem ſupervenientium Barbarorum hoſtilis adventus crederetur, & revera ut transfretaret, præparabatur: Rex *Danorum* dum de ſcapha in Navem aſcenderet, lapſus in mare ſubmerſus eſt, & illud, Sanctus Rex *Anglorum Edvardus* apud *Weſtmonaſterium* orans in miſſa, pro pace Regni, vidit in Spiritu, & gaviſus modeſtè riſit. Cum igitur per merita ſancti *Edvardi*, ſubmerſo Rege *Danorum*, exercitus confuſus fruſtrato propoſito in ſuam rediit regionem, & *Anglis* pax & ſecuritas eſt reſtituta: Dictus Abbas *Alfricus*, ea quæ *Elyenſibus* bona fide commiſerat reſervanda, ſibi exigebat reſtitui, poſtquam apud eos ferè per unum annum reſervarentur. Inierunt autem Abbas & Conventus *Elyenſes*, iniquum conſilium, [quòd ſcilicet ſibi credita, Abbati & conventui ſancti *Albani* nequaquam reſignarent. Et ſic ea procaciter reſpondentes, retinuerunt. Fortè credentes, tali violentiæ minimè fraudem ineſſe aut impietatem, ſecundum illud poëticum:

——*Facto pius & ſceleratus eodem.*

Hanc autem ex piiſſimi Regis *Edvardi* ſenio & debilitate, conceperunt *Elyenſes* audaciam. Veruntamen inſtantibus *Sancti Albani* ad *Elyenſes* miſſis, prece & admonitione multiplici Monachis, & de concepta malitia admirantibus, & de tanta religionis & fidei læſione, comminati ſunt eis, aſſerentes quòd tam Dominum Papam, quam Regem, conquerendo ſuper hoc lachrymabiliter commoverent. Timuerunt igitur ſibi *Elyenſes*, & inter eos jam diſſidentes, ortum eſt ſchiſma graviſſimum. Cogitantes igitur ipſi doloſi, qui fraudem conceperunt, & quoſdam ſuorum fratrum, quibus ipſa fraus diſplicuit, & Monachos *Sancti Albani* pacare,] clàm eadem Oſſa, ad eos miſſa deponentes, & ſibi reſervantes, & loco eorum, videlicet, in locello ad eos miſſo de ſancto *Albano*, per quendam poſticum qui deſubtus fuerat, quædam Oſſa adulterina ſuppoſuerunt. Et ſic doloſi, dolo pio decepti ſunt *Elyenſes*: pia fuit *Albanienſium* cautela, & dolus *Elyenſium* deteſtabilis & facinoroſus. Recipiebant igitur *Albanienſes* feretrum illud, ne fraus Monachorum *Elyenſium*, ſcandalum in populo generaret; & ſic tota Religio, ſorderet diffamata. Et cum in Cœnobium proprium perveniſſent, illud quaſi quiddam ſophiſticum in capſide quæ eſt ſuper Altare ſancti *Oſwini* picta (ubi inveterata corporalia reſervantur) reponebant. Jacuerat autem Martyr *Albanus* in illa lignea capſide (quæ poſtea pingebatur) uſque ad tempus iſtius Abbatis *Alfrici*: qui ipſum, ut dictum eſt, immuravit. [Prudentiſſimus igitur Abbas memoratus *Alfricus*, compertam malitiam *Elyenſium*, teſtimonio eorum qui veritatis erant (videlicet duodecim Monachorum de ſenioribus Cœnobii ſancti *Albani*) evidenter detexit, & rem geſtam manifeſtando, extractum] feretrum cum reliquiis beati Martyr's *Albani*, de muro ubi repoſitum fuerat, publicè & ſolemniter in medio Eccleſiæ collocavit. [*Elyenſes* verò oſſa ſæpedicta in villoſo panniculo, quem caracallam vocant, ſibi reſervarunt, & in perpetuum ſibi reſervent. Et ſi idem Martyr *Albanus*, proinde ibidem honoretur, & honoratus miracula operetur deſiderare deberent *Albanienſes*, quòd in qualibet celebri Eccleſia *Anglicana*, ſicut & ibi, jacere crederetur, ut plus honoris, & in locis pluribus, eidem impenderetur. Fraus autem *Elyenſium* prænarrata, poſtquam Regi *Edvardo* fida relatione innotuerat, iratus valdè incanduit, quia beato *Albano* fuit amiciſſimus. Et niſi præmatura morte in animam pretioſam reſolveretur, talia præſumentes, condigna ultione caſtigaſſet; ſed ipſos indignatione & maledictione deteſtans, terribiliter eſt inſecutus, cum funeſto lecto decubuiſſet. Abbas autem *Alfricus* cum paraſſet hujus perturbationis Auctores potenter peſſundare,] naturæ debita perſolvit.

Rex Edwardus *ſanctus & virgo. Iſte regnavit* xxiii. *annis.*

[In cujus rei Argumentum, tempore *Williemi Abbatis*, Magiſter *Walterus* pictor memoratum feretrum à dicta Capſide extraxit. In cujus ſuperficie, veſtigia laminarum argentearum, quas Abbas *Willielmus* fabricaturus illud nobile quod adhuc eſt, intrinſecùs depoſuit ad opus novum. Et extraxit dictus *Walterus* tunc ſacriſta, à ligno feretri undique clavos argenteos, qui dimidiam marcam ponderabant. Et tunc temporis, cum decertarent quidam fratres ex quibus unus erat Dominus *Gilbertus* de *Siſſeverne*, ſuper hac materia, apparuit nocte ſequenti eidem Domino *Gilberto* exiens manifeſtè de feretro ſancto ſuo. Et ſtans ante Altare majus, ſcilicet ſuum, allocatus cum ait. *Ecce ego* Albanus *hic quieſco. Nonne me vidiſti de meo feretro exire?* At ille, *etiam Domine & Martyr. Hoc de cætero, firmiter palam teſtificare*, & his dictis, rediit in locum ſuum.

Hæc quæ ſequuntur ad finem Alfrici *inveniuntur in ora codicis* Cottoniani, *quaſi poſtſcripta. Verum in majori libro* Cottoniano, *in textu habentur. Scilicet, inter illa verba præcedentia*——Alfrici, qui ipſum ut dictum eſt immuravit, *& illa*, prudentiſſimus igitur Abbas memoratus.

De clavis argenteis in antiquo feretro ſancti Albani *repertis. Et de apparitione ejuſdem cuidam monacho ipſum apud ſanctum* Albanum *jacere diffidenti.*

* *Rex* Edwardus *Sanctus & virgo. Ille regnavit* 24 *Annis.*

Leofſtanus

Leofſtanus *duodecimus.*

Cognomento Plumſtan.

HUic ſucceſſit Abbas *Leofſtanus*: cujus tempore data ſunt huic Eccleſiæ prædiola numero quinque, cum omnibus ad ea pertinentibus, conſenſu regis *Edwardi*, cui familiaris, Confeſſor, & conſiliarius, atque Reginæ Æditbæ, & caſti conſilii eorum, ſeminator, & perſuaſor indefeſſus, & illud negotium proſequebatur, Abbas *Leofſtanus* efficaciter, cum perpendiſſet quòd Rex diu in hoc ſæculo non moraretur. Habebat etiam magnum adjutorium, de interceſſione Reginæ ſanctæ *Edithæ*: quæ ſemper Regi etiam morituro, imò etiam morienti, ſedulò aſſiſtebat. Primum quidem prædiorum quod dicitur *Stodham* ab *Oſwulpho* & *Adilitha* uxore ejus, obtinuit. Reliqua verò quatuor, ſcilicet *Redburnham*, *Langele*, *Gheneburgam*, & *ThwanCtonam*, ab *Egelwino* nigro & *Wineſleda* uxore ejus, cum aliis redditibus, donariis & ornamentis.

De prædiis de Stodham, Redburna, Langelya, *&* Greneburga, *&* Thwantuna, *ipſius tempore eccleſiæ* ſancti Albani, *per* Oſwulphum *&* Egelwynum nigrum, *charitativè collatis.*

Item prædictus Abbas iſte, *Leofſtanus*, conceſſit *Thovæ* viduæ, villam quæ dicitur *Criſtina*, ad firmam pro uno ſextario mellis triginta duarum unciarum, Eccleſiæ *Sancti Albani* annuatim in vita ſua reddendo: datis ab ipſa eidem Abbati, proinde tribus marcis auri in gerſoma. Quæ cuncta, in chirographis *Anglicis* hujus Eccleſiæ reperiuntur.

Hæc habentur in codice Spelm. *ſed ordine parùm inverſo.*

* *in* Ciltria.

[Iſte quoque Abbas dictus *Leofſtanus* cognomento *Plumſtan*, cum eſſet homo pius ac ſimplex, & omnibus compatiens periclitantibus, ut viatoribus & inſtitoribus, necnon & peregrinis, beati *Albani* Eccleſiam pro extirpatione peccatorum ſuorum & corporum proſperitate, adeuntibus, vias prepararet tutiores, opaca nemora quæ à limbo *Ciltriæ* uſque *Londoniam* ferè à parte ſeptentrionali ubi præcipuè ſtrata Regia quæ *Watlingeſtrata* dicitur, fecit reſecari, ſalebras explanari, pontes fabricari, & abrupta viarum in planitiem redigi tutiorem.] Abundabant enim eo tempore per totam *Ciltriam*, * nemora ſpatioſa, denſa, & copioſa, in quibus habitabant diverſæ beſtiæ, Lupri, Apri, Tauri ſylveſtres, & Cervi, abundanter. Necnon & qui plus nocuerunt, prædones, latrones, viſpillones, exules, & fugitivi. Unde Abbas *Leofſtanus* (non ad damnum, ſed ad commodum hujus Eccleſiæ) conceſſit cuidam militi ſtrenuiſſimo, *Thurnotho* nomine, & duobus ſuis commilitonibus, *Waldef* & *Thurman*, Manerium de *Flamſtude*, pro quo dedit eidem Abbati *Leofſtano*, dictus Miles *Thurnothus*, clàm quinque uncias auri, & unum palefridum pulcherrimum, & unam Leporariam deſiderabilem. Quod tamen factum & talis conditionis tenore, ut dictus Miles *Thurnothus* cum ſuis commilitonibus prænominatis, & eorum ſequela, partes illas occidentales quæ maxime latronibus abundabant, tam à beſtiis nocivis quàm prædonibus tuerentur, & potenter cuſtodirent, & pro damnis, ſi per deſidiam eorum evenirent, competenter reſponderent. Et ſi communis guerra oriretur in Regno, omnem diligentiam & totum poſſe fideliter adhiberent, ad Eccleſiæ ſancti *Albani* tuitionem. Quod & ipſe *T.* & ejus ſocii, eis fideliter adimpleverunt, & eorum ſimiliter hæredes, uſque ad tempora Regis *Willielmi*, qui *Angliam* ſibi conquiſivit. Tunc enim ablatum eſt ab eis, dictum Manerium, quia pati jugum *Normannorum*, dedignabantur. Et nemora adeuntes, indomabiles facti, & *Normannis* qui in ſuas terras ſe ingeſſerunt, inſidias præparantes, & domus eorum combuſſerunt, & multos de illis peremerunt. Sed proſperante Rege memorato, omnes vel ad pacem, qualem qualem redierunt, vel capti (ſicut ſequens narratio declarabit) perierunt. Veruntamen quidam nobilis, *Rogerus* de *Thoni* nomine, cui ſucceſſit in ſortem diſtributionis illud Manerium, voluit jus ſancti *Albani* auferre, & ſervitium prædictum ſtrenuè adimplevit.

Flamſtude.

Erat enim in armis clariſſimus, & genere, natione *Normanus*: ab illis famoſis militibus trahens propaginem, qui a *Cigni* nomine intitulantur, [Sed hæc ſuo loco pleniùs conſcribentur.]

Iſte etiam Abbas *Leofſtanus*, quædam ornamenta Eccleſiæ contulit. Inſuper & libertates, amicitia & adjutorio fretus Regis *Edwardi*, qui tamen tempore ſuo, migravit ad Dominum. Et citò poſt, dictus Abbas *Leofſtanus* ſublatus de medio, & valedicens ſæculo, Eccleſiam omnibus bonis dimiſit redundantem.

De morte Abbatis memorati: Monaſterio ſuo bonis omnibus abundanti.

Fretherieus *decimus tertius.*

De præfectione Fretherici *in Abbatem* ſancti Albani, *& de ortu, & moribus ejuſdem. Iſte vix ix. menſibus regnavit. Rex* Haraldus, *perjurus, ignobilis. De miſeria gentis* Anglicanæ, *tempore ejuſdem. Rex* Willielm. *I. Baſtardus dux* Normanniæ. *Iſte qui* Angliam *ſibi conquiſivit, xx. annis & ampliùs regnavit.*

HUic ſucceſſit Abbas *Fretherieus*. Iſte ex veteribus *Saxonibus* claram ducens originem, & *Dacis*, *Cnutoni* Regi fuit conſanguineus, & linealiter deſcendendo propinquus. Hujus tempore, cum Rex *Edvardus* migraſſet à mundo, Rex *Haraldus* ſecundus, ſcilicet filius *Godwini* Comitis, hoc Regnum ſibi (quod eum exili jure contingebat) temerè uſurpavit.

pavit. Unde Deo vindice non per annum regnavit, Hujus igitur Abbatis tempore, adquiſita *Anglia* & *Normannis* ſubjugata, cœperunt mala multiplicari ſuper terram, juxta expoſitionem viſionis Sancti Regis *Edwardi*, qui vidit *ſeptem dormientes*, vertentes ſe à " dextris lateribus in ſiniſtram. Omen mortalium: *Anglorum* præcipuè, rapina, invidia, " ſuperbia, pernox alea, ingurgitationes, luxuriæ variæ, immundiciæ, & perjuria, infauſtum ſuſceperunt incrementum, igniculo frigeſcente charitatis, [ubique effractarii, paſſim raptores vagabantur. Alea pernox, cum juramentis horribilibus, & *Anglis* inſolitis, lites & homicidia ſuſcitavit.] Et ſucceſſit argenteum, imò potiùs luteum, aureo jam ſæculo reſedenti.

[Conculcabantur ſpreti & deriſi nobiles *Angli*, jugum ſervitutis à tempore *Bruti*, neſcientes, & more *Normannorum* barbas radere, cincinnos tondere cogebantur, projectis cornibus & vaſis ſolitis, & refectionibus & dapſilitatibus novis, compulſi ſunt legibus ſubjacere.] Unde multis de nobilibus *Anglis*, jugum renuentibus ſervitutis, cum familia ſua ad ſilvas fugientibus, & rapinis intendentibus, vix erat tutum alicui ſuam adire vicinam, unde domus cujuſlibet pacifici, quaſi municipium obſidendum, arcubus & ſagittis, geſis & ſeucribus, cum clavis, ſicis & furcis ferreis, fuerat communita, oſtia, ceris & repagulis noctibus obſeranda. Preces quaſi imminente in mari tempeſtate, à ſeniori domus dicebantur, in clauſione oſtii vel feneſtrarum, *Benedicite*, & reſponſio, *Dominus*, reverenter reſonabat. Quæ conſuetudo, uſque ad noſtra tempora perduravit. Quod ut vidit Abbas *Fretheric*us, jacturam hominum reputans incomparabilem, manerium de *Aldenham*, ubi frequentiùs propter ſilvarum abundantiam tranſeuntibus & *Londoniam* adeuntibus, imminebant pericula, dimiſit Abbati *Weſtmonaſterii* (multum hoc in dolo deſideranti) poſſidendum viginti annis. Reddendo proinde quolibet anno, centum ſolidos, cum quatuor bobus paſcualibus: quibus elapſis, rediret Manerium ipſum in manus Abbatis *Fretherici*: facta eſt autem hæc conventio, tali tenore, ut Abbas *Weſtmonaſterii*, vias illas ſalvo cuſtodiret, & de damnis competenter reſponderet. Quæ ſi per defectum cuſtodiæ contigerent per privationem tenementi puniretur. Erat autem Abbas ille *Weſtmonaſterii*, Curialis nimis & Aulicus, & *Willielmo* novo Regi familiaris: multa ei conferens donativa in cujus Coronatione apud *Weſtmonaſterium* celebrata. Elatus igitur, quæ promiſerat non adimplevit, ſed adhuc plus poſſidere ſitiebat. Præcipuè ſilvam quæ non multum ab *Aldenham* diſtabat; quæ propter ſui amœnitatem, *Bruteite* quaſi *Prudeitti* dicebatur. Ambitione igitur allectus, movit Cavillatoriam queſtionem contra Abbatem *Frethericum*, dicens ipſam ad dictum manerium pertinere; & addi debuiſſe: & conquerens ſuper hoc Regi, diſcordias magnas ſeminavit, unde Abbas *Fretheric*us multa dampna ſuſtinuit. Elapſis igitur viginti annis, noluit Abbas *Weſtmonaſterii* Abbati *Sancti Albani* dictum manerium reſtituere, Dicens, quòd Abbas *Fretheric*us, illi injuriabatur, de dicta ſilva, quæ tamen nunquam illi manerio pertinuit. Sed ſic quærebat nodum in ſcirpo: Lites & Cavillationes ſuſcitando, Regio fultus adminiculo. Et ſic conſtanter reclamante, & ſuum vendicante manerium Abbate *Fretherico* remanſit illud per aliquot annos in poſſeſſione Abbatis *Weſtmonaſterii*. Torpuit igitur ſenio confectus, & deſperans Abbas *Fretheric*us, ceſſavit ſuper hoc litigare, plurimis dampnis fatigatus, & injuriis laceſſitus. Sciendumque, quòd iſte Abbas *Fretheric*us creatus anno gratiæ M. LX. VI. rexit Eccleſiam *Sancti Albani*; annis duodecim & ampliùs. *Benedictus* autem eſt in Abbatem & ſublimatus, anno quo dux *Normannorum Willielmus* applicuit in *Anglia*, contra Regem *Haraldum*, (qui *Frethericum* præcordialiter diligebat) dimicaturus. Electus tamen fuit in Abbatem, & omnia Eccleſiæ negotia tractando fideliter procurabat, biennio ante conqueſtum. Erat namque diligens, prudens & fidelis, & pio Regi *Edwardo* amiciſſimus. Subjugante autem novo Rege *Willielmo*, ſibi rebelles, qui adhuc reſtabant edomandi in *Anglia*; præſtitit dictus Abbas *Fretheric*us refugium, adminiculum, favorem, & auxilium, nobilibus *Angliæ*: & præcipue Prælatis, injurias varias tolerantibus. [Quibus tamen, Rex *Willielmus* laqueos multiplices tetendit & muſcipulas, ſub dolo & ſpecie amicitiæ: ducens aliquos eorum ſecum tantum domeſticos, & ſpeciales amicos in *Normanniam*, eodem anno quo triumphavit: & ipſos, puellis *Normanniæ*, matrimoniali copula confœderavit. & *Normannos*, mulieribus *Angliæ* generoſis copulavit. Terras *Anglis* ultramarinas, & *Anglicanas* poſſeſſiones dans *Normannis*. Sed & *Anglorum* Caſtra, Maneria, & poſſeſſiones, ut eſſent ab invicem remotæ, cautè procuravit; ne ex vicinitate roborarentur. Comperta tamen tandem, ſed ſerò, calliditate Regis vulpina; *Angli* religati ſunt: ſed in multis debilitati. *Aluredum* autem Archiepiſcopum *Eboracenſem*, omnes Aquilonares ſibi elegerunt Capitaneum: Auſtrales autem, Abbatem *Frethericum*. *Stigandus* autem Archiepiſcopus *Doroberniæ* ſive *Cantuarienſis*, graviter accuſatus eſt ipſo tempore; & meritis ſuis exigentibus, condemnatus eſt, quia Dominæ Papæ & Eccleſiaſticæ Cenſuræ inobediens extitit & Rebellis. Comites quoque *Edwinus* & *Clito Eadgarus*, quem in Regem tanquam regali ſtirpe creatum, & corpore elegantiſſimum, univerſitas regni propter enormitates Regis *Haraldi*, creaſſe aliquando propoſuerat, viri ſtrenuiſſimi; Regi *Willielmo* fortiter reſtitere, multos de ſuis perimen-

Qualiter Abbas Weſtmonaſterii *Manerium de* Aldenham *per prædictum Abbatem ſibi ad tempus affirmatum, Regis prædicti fretus adjutorio, pro perpetuo ſibi fallaciter uſurpavit.*

perimentes. Prælati quoque ſancti dampna & injurias novas a novis oppreſſoribus illatas, tolerantes; *Wlſtanus Wigornenſis*, & *Walterus Herefordenſis* Epiſcopi, in *Frederico* Abbate *Sancti Albani*; *Willielmo* Regi ſuperbo & de triumpho glorianti; & quidam cives *Londoniæ* in faciem reſtiterunt. Immiſericors enim Rex erat, & tyrannus inexorabilis; & quos blandis verbis & largis promiſſionibus poterat allicere; in fine oppreſſor injurioſus ac perjurus ſuppeditavit. Aſtutus tamen & tyrannus belliger, nunc hos nunc illos, diviſos invaſit; & multipliciter diviſit dampnificatos. Primò igitur, *Stigandum* Archiepiſcopum, (Papali perſuaſu libentiùs) perpetuo Carceri mancipavit, et meritò; quia vivente *Roberto* Archiepiſcopo, Cathedram aſcendit Epiſcopalem: unde gravibus compedibus oneratus, in Carcere contabuit & viſceribus crepuit circumfuſis. Ipſe ſimilis arundini ventis agitatæ, nunc Regi, nunc *Anglis* videbatur inclinare. Verùm etiam multùm illi diſſimilis Rex, *Wlſtani* Epiſcopi *Wigornenſis*, & *Walteri* Epiſcopi *Herefordenſis*, & *Fretherici* Abbatis *Sancti Albani*, Maneria, Præda, Domos, & Poſſeſſiones devaſtavit. Comites quoque memoratos, ingenioſis ac repentinis * (utpote vir pernox, vigil, & vafer) Rex invaſit; & jacturis irreſtaurabilibus dampnificavit, multos interim labores, cædes & varia pericula, tolleravit. Unde iidem magnates, omni poſtea tempore, Regi, & ſuis *Normannis* infeſti, etiam tempore pacis habebantur; Quarto vero anno regni ſui, mortuis tam dicto *Roberto Cantuarienſi* Archiepiſcopo, quam *Stigando*; vocavit Rex *Lanfrancum* Abbatem *Cadomenſem* in *Angliam*; (virum literatiſſimum, & in agendis tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis negotiis arduis, ſtrenuiſſimum;) ut ipſum in Archipræſulatum *Cantuarienſem* ſublimaret. Ipſius namque Conſilio, Rex ipſe ante conqueſtum & poſtea, omnia ſua tractabat negotia. Ipſum igitur ſine moræ diſpendio, in Archiepiſcopum promotum, in omnibus habuit Rex præcipuum conſiliarium, & ſpiritualem confeſſorem. Et illicò Archiepiſcopus tranſalpinans, & ducens ſecum Commonachum ſuum ac propinquum Conſanguineum ſuum *Paulum*, ut ſibi pallium adquireret a Papa *Alexandro*; (qui quandoque ipſius *Lanfranci* diſcipulus extiterat, & in Scholis auditor diligens) magnificè ab omnibus honorabatur, unde intranti papale palatium, Dominus Papa reverenter aſſurrexit; ſuſcipiens eum in oſculo & ſalutatione primitiva dicens, *Aſſurgo tibi tanquam magiſtro, & deoſculor tanquam Pædagogum, & non tanquam Archipræſulem.* Quo audito, Archiepiſcopus incurvans ſe humiliter, pedes papales deoſculabatur; dicens, *Et ego te patrem humiliatum, ſicut Ananias, Paulum, Sixtus, Laurentium, meritò veneror, & honoro.* Et cum Papa ipſi & Monacho ſuo *Paulo*, fieret amiciſſimus; impetratis omnibus quæ Archiepiſcopus poſtulaverat, in *Angliam* gaudenter remeavit. Et a Rege reverenter ſuſceptus, cum ſummo honore inthronizatus eſt. Ipſo igitur feliciter preſidente, *Cantuarienſis* Eccleſia ex tunc non minimum ſuſcepit incrementum.

* *Inſidiis.*

Archiepiſcopus, igitur papali animatus & armatus favore, & Regali: omnes Regi rebelles tam Prælatos quàm magnates, potenter expugnatos, alliſit. Qui cœperunt, Regi, hoſtiliter provincias ferro, flamma, & fame devaſtanti audacter reſiſtere. Verùm Rex jam utroque gladio roboratus, cœpit acriùs ſolito ac manifeſtiùs in *Anglos* deſævire. Videntes igitur *Angli*, rem agi pro Capitibus, plures convocando, exercitum numeroſum ac fortiſſimum conflaverunt; præficientes ſibi *Eadgarum* ſpecioſiſſimum & fortiſſimum: in cujus ſinu, tota ſpes repoſita fuit *Angligenarum*. Unde in *Angliam* tale exiit Eulogiam. *Edgar Ethelinge Engelondes dereling**

* *Derling.*

Fuit autem inter omnes *Anglos*, Dux & Promotor efficaciſſimus, Abbas *Sancti Albani Fretherius*, tanquam vir generoſus, opibus & viribus non mediocriter formidabilis.

Cœpit igitur Rex vehementer ſibi timere: ne totum regnum, quod tanti ſanguinis effuſione adquiſierat, turpiter amitteret, etiam trucidatus. Archiepiſcopi igitur prudentia fœliciter eruditus, mitiùs cœpit agere cum Regni Primatibus: ea quæ pacis ſunt, humiliter rogitando. Et ſerena facie, vocavit eos ad pacem, ſed ſubdolam: ſicut rei ſeries finalis clariùs patefecit. Occurrerunt igitur *Angli* memorati, nil mali cogitantes, in regimine & ducatu Abbatis *Fretherici*, apud *Berkhamſtude*, ubi poſt multas deceptationes, præſente Archiepiſco *Lanfranco*; Rex, pro bono pacis, juravit ſuper omnes Reliquias Eccleſiæ *Sancti Albani*; "Tactiſque ſacroſanctis Evangeliis, (minante * juramentum Abbate "*Fretherico*) bonas & approbatas antiquas regni leges, quas ſancti ac pii *Angliæ* Reges ejus "Anteceſſores, & maximè Rex *Edwardus* ſtatuit, inviolabiter obſervare. Et ſic pacificati, ad propria læti receſſerunt.

* *Miniſtrante.*

Rex autem cautè propoſitum ſuum pallians, infra paucos dies, quos non poterat Confœderatos & Congregatos ſuperare; ſingulos diſperſos ac ſemotos, occultè ac ſubitò ſtuduit incautos infeſtare, ac infeſtatos & infeſtos ſubpeditare. Multos eorum trucidando, exheredando, & quàmplures proſcribendo; leges violans memoratas, & ſpoliatis *Anglis* pro libitu, ac ſine judicio Curiali depauperatis, ſuos *Normannos* in ſuorum hominum *Anglorum* natalium * qui ipſum ſponte ſublimaverunt, provocationem, locupletavit.

Nota. Cautela peſſima.

De oppreſſionibus prælatorum, & Nobilium Anglicorum.

* *Naturalium.*

Hæc igitur videns *Edgarus*, fugit in *Scotiam*; cui magis ac hoſtiliùs Rex inſidiabatur. Multi autem de Nobilibus *Angliæ*, in *Daciam*, & aliqui in *Norwegan*; nolentes aliquomodo *Normanicæ* jugum ferre ſervitutis, confugerunt. Ipſo igitur perſecutionis tempore,

exularunt

exularunt ab *Anglia* Nobiles tam milites quàm Prælati; viri ſancti, generoſi, ac dapſiles (qui more Orientalium, & maximè *Troianorum*, barbas & comas nutriebant.) Armis & fide præclariſſimi. Quibus exulantibus, priſtina Regni ſanctitas ac Nobilitas, irremeabiliter exulavit. Præſul autem *Wigornienſis Wlſtanus*, & *Walterus Herefordenſis*, cum aliis Eccleſiæ Prælatis, multas oppreſſiones & injurias; contempti, tam ab Archiepiſcopo *Lanfranco* (qui quaſi ſecundus Rex habebatur) quàm ab ipſo Rege, (imò jam Tyranno) patienter tollerarunt. Inter quos, *Wlſtanus*, cum tanquam Idiota & literarum coram *Lanfranco* Archiepiſcopo, in Synodo apud *Weſtmonaſterium*, neſcius, graviter, Rege præſente, accuſaretur, miraculoſe reſtitutus eſt. *Walterus* autem Epiſcopus *Herefordenſis*, in abditis *Walliæ* vix tutus latitavit.] Cœpit igitur ipſis diebus Abbas *Fretheric*us vehementer formidare, ne Rex vel ſuus *Lanfrancus*, in ipſum tanquam præcipuum *Anglorum* fautorem, hoſtiliter deſæviret: ita ut a culmine ſuæ dignitatis præcipitatum, carceri vel morti truculenter manciparet. Et cum poſſit ipſum *Wlſtanus* Epiſcopus (cui ipſe Abbas ſanctitate & ætate fuit ſimillimus,) Regi vel Archiepiſcopo pacificare, ipſe Abbas nolens credere ei, triſtis venit in Capitulum; & coram fratribus prorumpens in lacrymas, ait: " *Fratres ac filii, ſecundùm præceptum Evangelicum, fugiendum eſt a facie perſequentium, à Civitate in Civitatem. De licentia* igitur Conventus, & Conſilio; aſſumptis ſecum quibuſdam libris & pannis, & viaticis neceſſariis, in Inſulam clanculò fugit *Elienſem*: ubi per aliquot dies graviter infirmatus, diem clauſit extremum; Ibique corpus ſuum dicitur requieſcere. De quo *Elyenſes* in capita propria mentientes, aſſerunt ipſum ſecum oſſa beati *Albani* illuc attuliſſe; non verentes crimen ſacrilegii, viro ſancto imponere. Quia de licentia totius domus ſuæ, ut indignationem Tyrannicam declinaret; licitè, ac licita ſecum receſſit, aſportando. Diminuta eſt igitur reverentia ſancto Martyri *Albano*, ſicut & aliis ſanctis regni; utpote beato *Edmundo*, & beato *Cuthberto*; & multis aliis cum ſolita veneratione exhibenda: Unde minùs ſolito, in eorum Eccleſiis miracula coruſcarunt. Rex igitur *Willielmus* de morte Abbatis *Fretherici* certificatus, Cœnobium *Sancti Albani* vacans, in manu ſua tenuit; & extirpatis ſilvis, & depauperatis hominibus, oppreſſit. Et niſi correptionibus *Lanfranci* refrænaretur; irreſtaurabiliter totum Cœnobium deſtruxiſſet. Efficaciter igitur procuravit ipſe *Lanfrancus*, ut *Paulus* ejus Conſanguineus, quem ſecum in *Angliam* duxerat, in Abbatem præficeretur.

Synodus apud Weſtmonaſterium.

Fretheric*us in Inſula* Elyenſe *dicitur requieſcere.* *De mendaciis* Elienſium.

Paulus *decimus quartus. Anno* 1077.

PAulus Abbas. Iſte natione *Neuſter*, Conſanguinitate Archiepiſcopo *Lanfranco* propinquus; (&, ut quidam autumant, filius) Monachus fuit *Cadomenſis* Eccleſiæ. Hic Eccleſiam beati *Albani* ſuſcepit regendam; procurante dicto Archiepiſcopo *Lanfranco*; qui eundem *Paulum*, filiali dilexit amore: promotus in Abbatem, anno gratiæ, M. LXXVII. IIII. Kal. Julii; tempore Regis *Willielmi* Regis Majoris, ſcilicet Conqueſtoris; anno Regni ipſius xi. Hic primus *Abbas* hujus Eccleſia fuit; poſtquam *Anglia Normannis* fuit penitus, ſubjugata.

Iſte hanc Eccleſiam cæteraque ædificia, præter piſtorium & pinſinochium* reædificavit; ex lapidibus & tegulis veteris Civitatis *Verolamii*, & materie lignea, quam invenit à prædeceſſoribus ſuis collectam & reſervatam. Ditaverat enim ipſum, Archiepiſcopus *Lanfrancus*; & ipſum electum, Theſauro multiplici reddiderat abundantem. Iſte quoque *Paulus* Abbas, vir Religioſus & eleganter literatus; & in obſervantia ordinis Regularis, rigidus & prudens: totius Monaſticæ Religionis normam, (quam jam olim, tam Prælatorum quàm ſubditorum remiſſioris vitæ illecebroſa voluptas, eliminaverat,) cautè & paulatim, ne repentina mutatio tumultum generaret, reformavit. Et facta eſt Eccleſia *Sancti Albani*, quaſi Schola Religionis; & diſciplinaris obſervantiæ, per totum Regnum *Angliæ*. Attulerat namque ſecum conſuetudines *Lanfranci*, & ſtatuta Monaſtica a Domino Papa meritò approbata, conſcripta: unde odor bonæ famæ hujus Eccleſiæ, Romanam Curiam & remota regna, illuſtrando pervolavit: & multorum tam Prælatorum quam Magnatum corda, fœliciter ei inclinavit. Hujus equidem ſtudio & prudentia, quibus affluebat, & eloquentia, reddita ſunt Eccleſiæ *Sancti Albani*, tria prædiola cum ſilva amœniſſima & Eccleſiæ vicina *Eiwoda*, *Tiwa*, *Aſpa*, & *Cnicumba*; quæ tempore *Edwardi* Regis, eadem Eccleſia antiquo jure poſſideret; Sed poſtea tempore diſcriminis, pignori obligata, iniquorum violentia fuerant retenta, & ſic ferè alienata. Nam cum *Odo Baiocenſis* Epiſcopus, & Comes *Kanciæ*, tempore prædicti Abbatis *Fretherici*; ex hiis prædiolis, duo ſcilicet *Tiwam* & *Aſpam* cum dicta ſilva *Eiwoda*, in Dominio ſuo haberet; & *Remigius* Epiſcopus *Lincoln*. tertium prædium, id eſt, *Cnicumbam*, cum injuſtè poſſideret: tandem, tum importunis precibus Abbatis, tum precio minimæ pecuniæ victi; tam metu Martyris perculſi; prædicta prædiola cum ſilva, libera reſtituerunt. Et ſciendum eſt, quod pro illa villa, ſcilicet *Cnicumba*,

De præfectione Pauli, *Monachi* Cadomenſis, *& Archiepiſcopo Cantuarienſi conſanguinitate propinqui, in Abbatem* Sancti Albani. *Et de religione ejuſdem.*

* *Priſtinam.*

Qualiter idem Abbas totum ferè Monaſterium reſtauravit: plures etiam poſſeſſiones, per ſuos prædeceſſores per incuriam amiſſas, prudenter recuperavit.

cumba, effectus eſt poſtea *Godefrid de Aneſi*, homo Abbatis *Pauli* Rex: autem *Willielmus*, poſtquam viginti Annis, menſibus decem, & diebus xxviii. genti *Anglorum* præfuit; quinto Idus Septembris, die Jovis, Regnum cum vita in magna Cordis amaritudine reliquit; & *Cadomi* in Eccleſia Sancti *Stephani*, quam conſtruxit, ſepultus eſt.

De æd ficiis per Abbatem Paulum conſtructis.

Paulus autem Abbas, cum jam Abbas xi. annis extitiſſet, infra eoſdem annos totam Eccleſiam Sancti *Albani*, cum multis aliis ædificiis, opere conſtruxit lateritio; *Lanfranco* efficaciter juvante: qui ut dicitur, mille marcas ad fabricam contulit faciendam.

Porrò prædicto Rege *Willielmo*, ut dictum eſt, defuncto, Rex *Willielmus* Junior poſtulavit eundum Abbatem, quòd concederet prædictam terram *Hugoni* de *Evermori*, & præcepit, ut pro ipſa homagium faceret & ſervitium. Deinde occultis fraudibus, inde privata eſt Eccleſia illa villa, ſcilicet *Tiwa*. Reddita eſt autem Eccleſiæ, per diligentiam & prudentiam Abbatis *Pauli*, villa quæ dicitur *Redburna*: quæ tale nomen trahit ab arundineto; quam eidem Eccleſiæ, *Ailwinus* niger & *Ailfleda* uxor ejus, ab antiquo contulerant; & eam Eccleſia diu in pace poſſederat. Quam etiam, *Lanfrancus* Archiepiſcopus diſrationari fecit: eamque, poſtquam in manu ſua aliquanto tempore tenuerat, ad veſtitum Monachorum, ut priùs fuit aſſignatam reſtituit.

Simili quoque modo, *Childewicam* violenter ac fraudulenter alienatam, prudenter revocavit; quam de licentia, benevolentia & perſuaſu Regis *Etheldredi*, *Aildwinus* niger, & *Ailfleda* uxor ejus, Eccleſiæ huic contulerant. Et ſicut tam Rex quam datores interpretati ſunt, a pueris trahit locus vocabulum, quia ad alimenta Monachorum Juniorum lacticiniis alendorum, conferebatur: unde & *Childewica* nuncupatur.

Similiter autem alienabatur aliud vaccaſterium; (quod eâdem ratione, antiquitus *Childelangeleia* vocabatur) a manibus violenter tenentis; qui favore regio roboratur; vel prece vel precio, jure vel juſtitia, nullatenus poterat Abbas *Paulus* revocare.

De pluribus poſſeſſionibus tempore præſcripti Abbatis, huic monaſterio collatis & allatis.

Tempore quoque hujus Abbatis *Pauli*, *viſa ejus* Religione & ſtrenuitate, plura huic Eccleſiæ beneficia ſunt collata. Scilicet, duæ hidæ terræ, in *Sepehal: quas Asketillus* de *Ros* de dicto *Lanfranco* tenuerat; & poſtea, de *Sancto Albano. Item tres* virgatæ terræ in *Pottona*; quas *R. Flandrenſis* tenuerat. Et una Carucata terræ, dictam *Letinge*. Et terra de *Talintona*, cum pertinentiis. Et terra *trium Manſuum* cum totidem hortis, in *Glaſtona*: cum una Carucata in eadem Villa & Manerium de *Henreth*: quod poſtea conceſſit *Ricardus* Abbas (iſtius Abbatis ſucceſſor, immediatus,) Monachis de *Waring*. Et Eccleſia ſancti *Benedicti* in *Cantabrigia*. Et Eccleſia *omnium Sanctorum*, cum terris, decimis, & rebus omnibus ad eam pertinentibus, in *Cantebruge*; Et plures Eccleſiæ in *London*: quarum unius donationem, (ſcilicet Eccleſiæ *Sancti Albani*) pro patronatu alterius (neſcitur qua Conſideratione) Abbati *Weſtmonaſterienſi* conceſſit: Fuit autem Capella Regis *Offæ*, fundatoris: Cui fuit continuum ſuum Regale palatium. Sed incuria ſequacium & deſidia, omnis locus ille, improba occupatione Civium vicinorum, in parvum Manſum (libertatem tamen antiquam retinentem) coarctatur.

Præterea, Eccleſia una in *Stanford* & undecim acræ terræ extra eandem villam. Et Eccleſia de *Glaſtona*, cum una Carucata terræ, & decimis ad eam pertinentibus: quam cum omnibus pertinentiis, in perpetuum poſſidendam, Monachi Sancti *Albani*, aſſenſu Abbatis, Sanctæ *Mariæ* de *Bealvaire* conceſſerunt: ſicut *Yvo de Tygervilla* priùs illam dederat Eccleſiæ *Sancti Albani*. Data eſt etiam huic Eccleſiæ, decima de *Cundella*: & decima de *Ringetona*, & decima de *Roinges*; & de *Bretheham*, & de *Herlaga*; & de *Thamisford*, & de *Cliſtona*,. & decimæ quatuor villarum iſtarum; ſcilicet *Hunteſlege*, *Gertheham*; & de *Brunſeld* & de *Reedlag*. Et duæ partes decimæ de villarum iſtarum, ſcilicet, *Sedinton* & *Bocton*: & tota decima de *Trumpintone*. Et duæ partes decimæ de *Wacerleia*. Porrò in *Hertſorſira*, duæ partes decimæ de *Eſenden* & *Beiford*, & de *Hartfordenshiri*.] Ejuſdemque Abbatis tempore, data eſt huic Eccleſiæ, Eccleſia ſanctæ *Trinitatis* de *Warengeford*, [& dimidia alia, in honorem Sanctæ *Mariæ*; & dimidia hida extra eandem Civitatem] ad quam Eccleſia ſanctæ *Trinitatis*, idem Abbas *Paulus* quoſdam Monachos hujus Eccleſiæ direxit, atque eorum ædificia conſtruens, ordinem Eccleſiæ *Sancti Albani* ibidem conſtituit, cum ſubjectione debita, de Conſilio *Lanfranci* Archiepiſcopi, inviolabiliter obſervari.

Nota hic, de Cella de Wallingeford.

Ejuſdem quoque tempore, *Robertus* de *Mumbrai*, vir illuſtris, Comes ſcilicet *Northamhembrorum*, de Religione Eccleſiæ *Sancti Albani* certificatus, per Abbatem *Paulum* in Eccleſia *ſanctæ Mariæ* de *Thynemue*, (in qua Corpus Beati *Oſwini* Regis & Martyris requieſcit) Monachos Eccleſiæ *ſancti Albani*, fecit collocari. Et ipſam, cum omnibus pertinentiis, Regis & Archiepiſcopi *Lanfranci* benevolentia, Cellam fore *ſancti Albani* conſtituit. Simili quoque ſpiritus devotione, tactus, *Robertus* de *Thotenei*, Cellam contulit de *Bealvareo*, *Robertus* verò de *Limiſi*, Cellam addidit de *Hartfordia*, Cella quoque de *Binham*, cum terris, decimis, & omnibus tunc temporis ad eam pertinentiis, Eccleſiæ *ſancti Albani*, induſtria hujus Abbatis *Pauli*, eſt collata: [ſicut in cartis, *Willielmi ſenioris*, & *Willielmi junioris*, & aliorum continetur. Multa autem alia prædia, redditus & beneficia, huic Eccleſiæ prudentia hujus Abbatis *Pauli*, ſunt collata, quæ quia ſcripta non ſunt, & propter hominum ſimplicitatem ſolo uſu poſſeſſa, ablata ſunt, & à memoria hominum elapſa: Inter

Nota hic de Cella de Thynemue.

Nota hic de Cella de Belver.

Nota de Cella de Hartford.

Nota hic de Cella de Binham.

cætera

cætera autem, contulit quidam nobilis armis ſtrenuus, natione *Neuſter*, huic Eccleſiæ, tempore & perſuaſu hujus Abbatis *Pauli*, duas partes decimarum de ſuo dominio in villa de *Hatfield*, quæ ceſſit ei in ſortem diſtributionis. Et aſſignavit (ſic volente Abbate *Paulo*, ſcripturarum amatore) ad volumina Eccleſiæ neceſſaria facienda. Erat autem miles ille literatus, diligens auditor & amator ſcripturarum. Ad quod officium, additæ ſunt quædam decimæ in *Redburna*: & conſtituit quædam diaria dari ſcriptoribus, de eleemoſyna fratrum & Cellarii, (quia prompta fuerant) ad edendum, ne ſcriptores impedirentur, propter quæ, eleemoſynario, ne in conſcientia læderetur, potiora commutavit. Ibique fecit Abbas, ab electis & procul quæſitis Scriptoribus, ſcribi nobilia volumina Eccleſiæ neceſſaria. Soláque Civilitate quâ affluebat, contulit præfato Militi *Roberto*, ad Cappellam ſuam in Curia de *Hædfel*, duo paria veſtimentorum, unum Calicem argenteum; Miſſale cum aliis libris neceſſariis. Prohibuitque uterque, ne ampliùs occaſione donationis illarum decimarum ſcriptorio collatarum, vel doni Abbatis aliqua ad opus illius militis, deinceps ſcriberentur vel darentur. Poſtquam autem præfato militi librarium ſuum primò paratum, liberaliter contulerat, continuo in ipſo quod conſtruxit ſcriptorio, libros præelectos ſcribi fecit *Lanfranco* exemplaria miniſtrante. Dedit igitur huic Eccleſiæ, viginti octo volumina notabilia] & octo *Pſalteria*, Collectarium, *Epiſtolarium*, & librum in quo continentur *Evangelia* legenda per annum. Duos *Textus*, auro & argento, & gemmis ornatos: Sine *Ordinalibus*, *Conſuetudinariis*, *Miſſalibus*, *Troparis*, *Collectariis*, & aliis libris [qui in almariolis habentur.] Et abſque *Reliquiis*, *Phylacteriis*, *Pallis*, *Capis*, *Albis*; & aliis variis ornamentis. [Ad cumulum autem laudis ejus adjiciendum eſt, quòd conſuetudines approbatas & approbandas, auctoritate *Lanfranci* quondam *Beccenſis* Eccleſiæ Monachi, in Eccleſia *Sancti Albani*, (eliminatis, antiquis reprobandis) conſtituit obſervari. Unde bono odore famæ, hæc Eccleſia totam replevit Regionem: & facta eſt, quaſi Schola aliarum Magiſtralis. Cœtum quoque ſanctimonialium, quibuſdam Regulis ſanctis & honeſtis, coartavit, in eleemoſynaria vel locis illi propinquis collocando, ut intereſſent divinis obſequiis nocte dieque, & quotidie mandatum facerent, præcipiendo Veſtes quoque ordinatas, ſcilicet *Mantellum* nigrum, & cætera ordinata, eis determinando, ſilentium ſuo tempore, tempuſque quietis & vigiliarum, & loca evagationis, limitavit. Diætamque earum & diaria, ſub certa quantitate eiſdem aſſignavit. In Conventu autem Monachorum, poſtquam officinas conſtruxerat, mores reformavit, ordinem redintegravit, honeſtatem reſarcivit. Ex tunc enim eſum carnium refrænavit, habitum commutavit, paulatim tamen, ne repentinus impetus ſeditionem ſuſcitaret, & ſenum obſtinatia, diſcordia generaret] Pelvem quoque Argenti dedit, conſtituendo, ut cereum contineret jugiter ardentem, ante majus Altare. Tria quoque Candelabra argento & auro cooperta, ante idem Altare cum ſuis cereis ſtare conſtituit, ſuis temporibus accendendis. Duoque præterea Candelabra argentea, operis mirifici & eleganter deaurata, præcipuis feſtis cum ſuis cereis, ante Martyrem deportanda] Minutis autem, qui de ſua conſuetudine paſtillis carneis veſcebantur, eſus ſubtraxit inordinatos, & pro carne, de allece & liborum cedulis * congeſtum quoddam ferculum (cujus ſolum remanſit nomen) ipſis in communi cumulavit. Quod more *Normannorum* *Karpie*, quaſi *Karenpie*, ſophiſticè nominavit.] Lanternam quoq; pixalem cum Candela in Choro noctibus, ut ſic deſides ac ſomnolentos excitaret, circumferri conſtituit. [Pro gravioribus autem culpis, Lanternam majorem, à reo & agente pœnitentiam, in edito cenſuit anteferri. Contumacibus, Carcerem tetrum & fortem conſtituit præparari. Pronunciationes quorundam nominum, vel ob reverentiam patrum noſtrorum Orientalium, cujus veſtigia ſequi deſideravit, vel ſui linguæ patriæ & genialis, corrupit. Silentium omnimodum in Eccleſia, in Clauſtro, in refectorio, & maximè in dormitorio, inviolabiliter obſervari conſtituit. In infirmaria eſum carnium omnibus, præterquam omninò debilibus manifeſtè & ægrotis propter reparationem, juxta regulam beati *Benedicti* quam profitemur, inhibuit; exitum à domo Infirmariæ, extra oſtium quod Clauſtrum reſpicit, (exceptis cauſis rationalibus, & regularibus, utpote Balneis, & conſimilibus) diſtrictè prohibuit. Medicinatis autem, Regulis, ac Minutis, limitavit. In Infirmaria ſilentium, præcipuè autem in Capella, & ubiq; poſt completorium, teneri conſtituit. Concamerationem quoq; quæ eſt ultra majus Altare, pictura venuſtavit. Turrim Campanis inſtauravit, quibus duas addidit majores & laudabiliores, quidam de Nobilibus *Anglicis* hujus patriæ, partes inhabitans nemoroſas, *Litbolf* nuncupatas. Hic cum Capris & Ovibus, quas veſpillones paſſim rapuerunt, abundaret, multas earum vendidit, & emit unam Campanam, quam cum audiſſet ſuſpenſam in turri, tunc novam ſonare, jocoſe ait *Anglico* Idiomate. "*Eia, quàm dulcè blaterant Capræ meæ, & balant Oves?* Uxor autem ilicò aliam adquiſivit, quæ duæ, dulciſſimam copulam reddiderunt. Quam cum audiſſet mulier, dixit. "*Non credo hanc copulam* "*favore carere divino, qui me viro meo legitimo matrimonio, & fœdere dilectionis mutuæ copulavit.*]

Eodemq; tempore, cum idem Abbas *Paulus* circiter duodecim annis Eccleſiam beati *Albani* ſtrenuè rexiſſet; obiit ejus optimus amicus, & efficax adjutor, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, *Lanfrancus*: cui ſucceſſit *Anſelmus* Abbas *Beccenſis*, qui ut prior, factus eſt ei amiciſſimus. Sed antequam plenè ſubſtitueretur, Rex *Willielmus* ſecundus. Archiepiſcopatum quem

Hatfeld.

Nota de libris datis per Abbatem Paulum.

Nota quòd hic ſolebat eſſe Schola, optima Religionis.

De Monialibus in Eleemoſynaria commorantibus

Ordinem reformavit in multis.

Pelvem argenti triaque Candelabra dedit.

Duoque Candelabra portatilia.

Pro omnibus, inter has notas [ ] *incluſis codex* Spelmannianus *tantùm habet.*

Karpie, in loco paſtillorum Minutis ordinavit.

* *Edulii. charpia.*

Lanternam de noctibus.

Vnde majus, diviſim, & majeſtas &c.

Vnde Gaufridus, *&* Garinus, *&* Auſcula, *&c.*

De conſtitutionibus laudabilibus, Abbatis prædicti.

Campanæ.

Abbas uxoratus.

Obiit Lanfr. *Archiepiſc.* Cant.

diu

Nota de conſuetudinibus.

diu in manu ſua tenuit, immiſericors depauperavit. Abbas autem *Paulus*, *Anſelmum* egentem juvit & conſolabatur. Unde inthronizatus, in multis beneficia potiora, gratus Abbati recompenſavit, & quod imperfectum erat in ædificiis Eccleſiæ *Sancti Albani*, juvit poſteà conſummare. Hic quoque conſuetudines, quas tranſmiſit ſcriptas *Lanfr.* Abbati *Paulo*, approbavit & conſervari perſuaſit, quas qui videre deſiderat, in *conſuetudinario* (ſcilicet in fine, & in minori volumine quod additum eſt majori) ſcriptas poterit invenire. Et eſt libellus ille idem, quem *Lanfrancus* ſcripſit, & *Anſelmus* legit & approbavit. Et vixit poſtea Abbas *Paulus*, circiter quatuor annis; & omnia quæ incœpit, laudabiliter conſummavit.

De negligentiis Pauli Abbatis.

Sed quia non eſt homo qui non peccet, nunc de negligentiis ejus paululum differamus. *Barthonam*, quam potuit impetraſſe, ſua amiſit incuria, [quam quidam ſimplex *Anglicus*, quem ſprevit Abbas *Paulus*, poſſederat. Sed quod noſtra perdidit negligentia, Abbas *Rameſiæ* (qui *Anglicus* fuit & diligens) ſuæ Eccleſiæ procurator, & Domino fundi & generi ſui amiciſſimus, cum corpore defuncti, in ſua repentè ac prudentur recepit. Multa inſuper ad firmam dimiſit improvidè, non præcavens ſibi de fallaciis & cavillationibus, nequam ſeculi ſubſequentis. Quod verò nullo modo poteſt excuſari, tumbas venerabilium anteceſſorum ſuorum Abbatum nobilium, (quos rudes & idiotas conſuevit appellare) delevit, vel contemnendo eos quia *Anglicos*, vel invidendo quia ferè omnes ſtirpe regali, vel Magnatum præclaro ſanguine fuerant procreati. Ipſe vero Abbas *Paulus*, humili progenie oriundus, fortè illam ſibi pretendens qualem qualem excuſationem, quia multa quæ inclitus Rex *Offa* huic *Eccleſiæ* contulerat, diſſipando alienaverunt, vel illud poeticum, *Facilis jactura ſepulchri eſt.* Inexcuſabiliter tamen redarguendus eſt, ſicut & cæteri ejus prædeceſſores, eò quòd tumbam & oſſa glorioſæ memoriæ illuſtris Regis *Offæ* fundatoris noſtri, ut illius corpus venerabile in Eccleſia quam Rex devotè fundaverat, & affluenter dotaverat & ditaverat, ut decuit, non collocaret in Eccleſia, quam idem Abbas decenter renovarat, ut ſic duplici titulo corruſcaret. Tradidit inſuper ad firmam *Petro* ſeniori de *Valoniis*] ſilvam quæ dicitur *Northaga* [quamdiu viveret, pro viginti quinq; ſolidis & duobus accipitribus, annuatim, eidem redendis, eo tamen tenore, ut in fine vitæ ſuæ, nulli amico vel etiam hæredi, ipſam ſilvam concederet, ſed ex conventione Eccleſiæ *Sancti Albani* liberam redderet & quietam. Ut autem eam pro hac forma idem *Petrus* habere poſſet, dedit centum ſolidos in gerſoma, quod factum eſt in magnum hujus Eccleſiæ præjudicium & jacturam. Ipſe quoq; *Paulus*, calumniam quam habebat ſuper villam de *Oſwic*, necnon & omnem calumniam quam habebat adverſus *Sanctum Albanum* & ſuos homines, omnino dimiſit, ſed & poſtea ipſo Abbate *Paulo*, & *Richardo* de *Albenio* ſuccedente, venit idem *Petrus* in capitulum cum duobus filiis ſuis, *Willielmo* ſcilicet & *Rogero*, & in omnium audientia recognovit, quòd præfatam ſilvam de *Northaga* nequaquam in feodo tenuit, affirmantibus hæc filiis ſuis, & concedentibus in animabus ſuis, quòd poſt obitum ſuum non poſſent aliud juris in ea clamare vel habere, niſi Abbas ſponte illis concedere vellet.

Silva de Northaga.

Conceſſit etiam idem Abbas *Paulus Roberto*, *Cæmentario* & hæredibus ſuis, pro artificio ſuo & labore (quibus præ omnibus Cæmentariis ſuo tempore pollebat) terram de *Syret*, & terram de *Wanthonio*; & unam domum in villa *Sancti Albani*, ſolutam & quietam. Hanc nempe terram de *Syret*, uxor *Derlewini* priùs tenuerat, pro qua reddebat unoquoq; anno, ſexagenta ſolidos Eccleſiæ *Sancti Albani*. Abbas autem *Paulus* laborem ejuſdem *Roberti*, in pecunia pacta & taxa perſolviſſe, ſine Eccleſiæ gravamine, tenebatur. Porrò, deinde aliquanti temporis elapſo curriculo, idem *R.* ſibi conſcius quòd legitimum ingreſſum non habuerat, (unde murmur in conventu perſonuit) in infirmitate ultima qua & mortuus eſt, terram præfatam de *Syret*, ſolutam & quietam ab omni calumnia, tam ſui quàm hæredum ſuorum, reſignavit coram *Hamelino* Priore *Sancti Albani*, ut in Dominico eſſet Monachorum, ſicut antea fuit.

De Weſtwike.

Item conceſſit idem Abbas *Paulus*, *Humbaldo* quamdiu viveret (interceſſione & amore *Lanfranci* Archiepiſcopi) terram de *Weſtwika*, tenere. Ita tamen, ut non poſſet dare vel vendere, vel alicui hæredum ſuorum dimitterre, ſed poſt dies ſuos, terram in dominium Monachorum, ſine omni calumnia rediret, ſcilicet ad menſam eorum, ſicut antea fuit.] Multa autem alia parentibus ſuis *Normannis*, de ſubſtantia Eccleſiæ (in læſionem conſcientiæ ſuæ) indignis & literaturæ ignaris, & origine ac moribus ignobilibus (quæ non poſſunt ſcribi) dilapidando bona Eccleſiæ inconſultè diſtribuit & occultè. [Sed idcircò ignoſcendum fuit ei, quia multò plura bona fecit, quàm damna Eccleſiæ erogaret.] Hic autem prædictus Abbas *Paulus*, cum Eccleſiam *Sancti Albani* ſtrenuè rexiſſet annis ſexdecim, menſibus quatuor, tertio Idus Novembris, Anno dominicæ incarnationis *M. XC. III.* Indictione prima, Epactis exiſtentibus *XX.* concurrentibus *V.* tempore *Willielmi* Regis ſecundi, videlicet *Rufi*, obiit, Anno Regni ejus quinto.

Nec ceſſarunt ejus ſtatuta, temporibus ſubſequentibus Eccleſiam beati *Albani* fœliciter illuſtrare, & ordinem augmentare monaſticum. Unde ipſum Cœnobium, in temporalibus & ſpiritualibus, diatim fœlix ſemper ſuſcepit incrementum.

Poſt

Vacavit Eccleſia ſancti Albani, Annis quatuor.

Poſt cujus obitum, vacavit Eccleſia beati *Albani*, annis quatuor. Rex autem *Willielmus* ſecundus, nullius, præcipuè mortui, verus amicus, interim in manu ſua Cœnobium tenuit, & immiſericorditer depauperavit, nemora complanando, ab hominibus *Sancti Albani* pecuniam (cauſis cavillatoriis adinventis) extorquendo. Quod non permiſit inultum beatus *Albanus*. Nam ipſa nocte qua poſtea obiit Rex, quiddam dignum contigit relatione. *Anſelmus* Archi-præſul cum exularet, moram faciens apud *Cluniacum*, multa paſſus damna cum injuriis, videlicet, Deo revelante in viſione nocturna, quod ductus fuit ante tribunal ſumma Judicis. Et cùm multi ſancti *Angliæ* gravem repoſuiſſent querimoniam, ſuper injuriis ſibi à Rege iniquo crebriùs illatis, iratus altiſſimus reſpondit, *Accede Anglorum Protomartyr*: Et accedente *Albano*, tradidit Deus ſagittam ardentem, dicens, *Vindica te & omnes Sanctos* Angliæ *læſos à Tyranno*. Accipiens autem *Albanus* ſagittam de manu Domini, projecit eam in terram quaſi ſaculam, dicens; *Accipe Satan, poteſtatem in ipſum Willielmum Tyrannum*. Et eadem die, manè obiit Rex *Willielmus*, tranſverberatus per medium pectoris ſagittâ. Dixit autem Architenenti, *Trahe Diabole*; & ſic divina ultione, idem tyrannus obiit ſagittatus.

Vindicta mirabilis.

[Erat tunc temporis, Epiſcopo *Wlſtano* defuncto, Epiſcopatus *Wigornienſis* nimis afflictus ſub manu Regis, & multæ aliæ Eccleſiæ, ſedente tunc *Paſchali* Papa, ſed hæc ſupradicuntur.

Tempore *Pauli* Abbatis, abbatizantis *xvii*. Annis, fundata fuit Eccleſia Cellæ de *Bealvero*, à *Roberto* de *Totheneio*, qui obiit ſecundo Non: Auguſti. Anno Domini *M.LXXXVIII.* videlicet, *XII.* Anno Abbatis *Pauli*.]

Richardus *decimus quintus*.

RIchardus Abbas. Hic ſuſcepit curam paſtoralem, poſt mortem venerabilis *Pauli* Abbatis, determinata lite, quæ in Conventu exorta fuerat, inter *Normannos* (qui jam multiplicati invaluerunt,) & *Anglos* (qui jam ſeneſcentes & imminuti occubuerant) poſt mortem dicti *Pauli* Abbatis, Anno quinto ſequente, tempore *Willielmi* Regis ſecundi, Anno videlicet Gratiæ, *M. XC. VII.* Hic ab egregia *Normannorum* ſtirpe trahens originem, plurimorum tam Parentum quàm Amicorum fruebatur alloquiis, fovebatur obſequiis, & ſuſtentabatur auxiliis. Necnon *Willielmi* ſecundi, & *Henrici* primi Regum amicitia familiari fultus, multos honores & poſſeſſiones adeptus eſt, & adeptas viriliter tuebatur.

Anſelmus Archiepiſc.

De captione Antiochiæ, tempore ipſius Abbatis.

Papali inſuper gaudens favore, (*Vrbano*, tunc præſidente) & Archiepiſcopi *Cantuarienſis Anſelmi* conſiliis roboratus, totius curiæ utriuſq; notitia fulciebatur, & amicitiæ. Veruntamen ipſo tempore, patiebatur *Anſelmus* perſecutionem Regis *Willielmi* ſecundi, non minimam, unde & exulavit damnificatus. Ipſius diebus, *Antiochia* obſeſſa fuit, & poſtea capta. Et deinde civitas ſancta *Jeruſalem*, & triumpharunt *Chriſtiani* glorioſe contritis ubiq; *Saracennis*, ubi frater Regis Dux *Normannorum Robertus*, ſtrenuè Deo militavit.

Hujus quoq; tempore fuit motio Cruce ſignatorum, in *terram ſanctam* quanta non fuit unquam præviſa.

Willielmus Rex obiit ſagittatus.

Wymundham.

Tempore quoq; hujus Abbatis *Richardi*, *Willielmus* Rex (imò Tyrannus) ultione divina obiit ſagittatus. Diebus autem ipſius Abbatis *Richardi*, procurante ipſius induſtria, & qua affluebat eloquentia, & Religione, qua præ omnibus *Angliæ* Abbatibus pollebat, data eſt huic Eccleſiæ, Eccleſia *Sanctæ Mariæ* de *Wymundam* in Cellam, cum omnibus ad eandem pertinentibus, ſicut carta *Henrici* primi Regis *Anglorum* teſtatur ſenioris.

De poſſeſſionibus huic Eccleſiæ, tempore Richardi Abbatis perquiſitis.

Conceſſa eſt inſuper Eccleſia de *Hatfeld*, cum Eccleſia de *Melebroc*, huic Eccleſiæ in Cellam, cum omnibus ad eam pertinentibus. Reddita ſunt etiam huic Eccleſiæ, Manerium vocatum *Tinghurſte*, & Eccleſia cum decimis omnibus ad eam pertinentibus, & ad Manerium adjacentibus. Et Villa quæ vocatur *Wibaldeſtude*, & triginta ſolidatæ terræ, in Villa de *Warengeford*. Et quoddam Manerium in *Kantia*, quod dicitur *Eſtwale*. [Manerium quoq; quod dicitur *Biſſopeſcoate*, quod datum fuit in dedicatione hujus Eccleſiæ, de qua ſupra dicitur. Exceptis viginti ſolidatis terræ, & terra de *Cumba*, & una Hida in *Greneſtude*, & una acra terræ in *Wudeſtoc*, ad hoſpitandum Abbatem, & Eccleſia de *Hodinghame*, cum terris, decimis & omnibus ad eam pertinentibus, & decima de *Cundena*, & decima de *Cheneltona*, quæ alio nomine dicitur *Cnoctona* in *Kancia*. Et decima de *Herbertona*, & de *Metham*, & tota decima *Hugonis* de *Verleio*. Et decima de *Trahinges*, cum terra unius Carucæ. Et decima de *Bruncham*, cum terra unius Carucæ. Et Eccleſia de *Clophulle* cum dimidia hida terræ, & decimis ad eam pertinentibus. Et decima de *Cota* & de *Kaino*.]

Datæ ſunt inſuper ipſius tempore, plurimæ poſſeſſiones huic Eccleſiæ, & Eccleſiæ Sancti *Oſwini* de *Thinemue* multæ, ſcilicet *Settona*, *Wyteleia*, *Sebihala*, & Villa de Stantona, & Villa de *Bewic* & *Lilleburna*, & Manerium de *Egulvingeham*, & *Chertona*, & *Ardeſdona*

* *De* Coket, *ut habet liber* Spelmannian.

Binham.

Ardeſdona, & Inſula *Coquini* * fluminis, cum Eccleſiis, decimis, & rebus ad eaſdem Villas pertinentibus.

Conceſſum eſt inſuper diebus illius, totum Manerium de *Binham* Eccleſiæ ejuſdem Villæ, & Monachis inibi Deo ſervientibus, cum plurimis terrarum poſſeſſionibus. Præterea, in ejuſdem diebus, reddita eſt una virgata terræ in *Cudicota*, & dimidia hida terræ. Et dimidia hida terræ in *Redburna*, & villa dicta *Stanmera*, cum Eccleſia & omnibus ad eam pertinentibus, quam villam, quorundam injuſtè Eccleſiâ iſta amiſerat violentia. Dedit quoq idem Abbas *Richardus*, *Gaufrido* de *Mappehame* terram de *Meridene* in eſcambio pro terra de *Bradweia*, ſecundùm tenorem Cartæ *Henrici* ſenioris Regis *Angliæ*, in qua continetur conventio facta inter eos. Proſperabatur igitur domus iſta & viguit, & floruit ordo Monaſticus, emanans à Clauſtro *Sancti Albani*, ita ut aliæ, quaſi candela à candela illuminatæ informarentur. Utpote *Kelſtone*, *Croilandia*, & aliæ quamplurimæ. Item dictus Abbas *Richardus*, aſſenſu conventus unanimi, decrevit Eccleſiam de *Thinemue* ſolvere Eccleſiæ *Sancti Albani* (videlicet feſto ejuſdem) triginta ſolidos, ſub tali formâ. “ Ut nec “ ipſe Abbas nec aliquis ex parte ſua, aliud quicquam exigat ab ipſa Eccleſia, aut ſuis ho- “ minibus. Sic tamen, quòd Abbas retineret in manu ſua, *Ambellam* & *Inſulam* de *Koket*, “ & Eccleſiam de *Biwella*, & Eccleſiam de *Wudeborne*. Et ſi quando Abbas illuc ire vo- “ luerit cum viginti hominibus, per quindecim dies in ſumptibus ejuſdem Eccleſiæ “ perendinaret. Si verò pro negotio fratrum de *Thinemue*, Abbati eundi cauſa exiſteret, in ſumptu ejuſdem Eccleſiæ, aſſociatis cum quibuſdam feodatis, qui de jure & conſuetudine Armigerorum vices gerere debent, viam faceret atq; moram. Quos & ipſe feodavit, & ad illud aſſignavit.

Ordinatio inter Abbatem Richardum, *&* *Eccleſiam de* Thinemutha.

Ornamenta per Abbatem Sancti Albani *præſtita*.

Porrò, iſte Abbas *Richardus* fecit Thecam unam, quam Feretrum appellamus, aureis imaginibus redimitam, in qua, recondidit duodecem Apoſtolorum reliquias, & Martyrum plurimorum, quas ſanctus *Germanus Antiſſiodorenſis* præſul, in ſepulchro *Sancti Albani* reverenter collocavit. Fecitq; aliam Thecam, ex una parte deauratam, ex alia verò, ebore coopertam; in qua poſuit Reliquias plurimorum Martyrum & aliorum Sanctorum. Dedit etiam caſulam unam, auro, taſſellis ac gemmis pretioſis adornatam. Stolas binas pretioſas cum manipulo, capam unam purpuream, morſu & taſſellis chariſſimis redimitam. Albas duas, cum paraturis brudatis. Textum unum, & doſſale unum, ſive Tapeſium, in quo paſſio *Sancti Albani* figuratur, Et multa alia ornamenta, cum voluminibus pretioſis, quorum unum eſt Miſſale, in quo canitur Miſſa matutinalis. Unde in principio Miſſæ pingitur ejus imago ad pedes majeſtatis, quæ, aureis literis & penna ſcriptis, intitulatur. Iſtius itaque brachium Abbatis *Richardi*, emarcuerat: ſed beneficio beati *Cuthberti* cujus Tranſlationi intererat, ſanitati reſtitutum eſt hoc modo.

De brachio arido Richardi *Abbatis, miraculo S.* Cuthberti, *priſtinæ ſanitati reſtituto.*

Dum ſacrum corpus illibatum dicti Confeſſoris levaretur, per caput & pedes tranſferendum, & ipſum in medio arcuatum ruinam minaretur; Abbas *Ricardus*, qui propè aſtabat, admirans quòd quaſi dormientis flexibile fuit, aſſiluit, & projecto baculo, illud per medium illicò brachiis ſublevavit; & ſtatim brachium quod ante inutile erat, per tactum Sancti Corporis, ſanum penitus reddebatur. Unde domum rediens, capellam in honorem Sancti *Cuthberti* fabricavit.

Dedicatio hujus Eccleſiæ

Ad ejus quoq; titulum ſpectat immortalem, quòd Eccleſiam beati *Albani* quam prædeceſſor ejus *Paulus* fabricaverat immediatus, magnificè fecit dedicari, Anno gratiæ, *M. C. XV.* ab Archiepiſcopo *Rothomagenſi Gaufredo*, *Londonenſi Richardo*, *Dunelmenſe Ranulpho*, *Lincoln. Roberto*; *Sarum Rogero*, Epiſcopis : Abbatibus multò pluribus. Præſente etiam Rege *Henrico* primo, & bona Regina *Matilde*, multiſq; Commitibus, Baronibus, & Magnatibus, præclariſq; perſonis, Archidiaconis, Decanis, Presbyteris, & Eccleſiarum cuſtodibus, quorum numerus eſt incognitus, præ multitudine copioſa, Quinto Calend. Jan. feria tertia. Quo vel omnes, vel pars potiſſima, tam in palatio, in conviviis, quàm in Eccleſia, in ſolemniis, in curia *Sancti Albani* prandentes & gaudentes, dies natalitios uſq; ad *Epiphaniam*, in laudibus beati *Anglorum* protomartyris *Albani*, honorificè continuarunt. Quibus, & cunctis in poſterum adventantibus ea die ad tantam ſolemnitatem, conceſſa eſt indulgentia multorum dierum.

Negligentia Abbatis.

Nunc autem quia nullus ſine crimine vivit ejuſdem Abbatis *Richardi* negligentias & ignorantias breviter tranſcurrendo recolamus. Supra quàm decuit aut expedivit, Parentum ſuorum ad ipſum de partibus *Neuſtriæ* ſub multitudine numeroſa, qui omni honore indigni erant, amator carnalis fuit, & promotor; in ſuæ Eccleſiæ jacturam & detrimentum. Eccleſiam quoq; iſtam, à ſubjectione *Cantuariæ* extractam (quam inhumanè nimis Archiepiſcopales prætractaverant) *Lincolnienſi* Eccleſiæ primus profitendo obedientiam, in ſubjectionem redegit; ut ſic Monachos ſuos rigidiùs, ut dicitur, gubernaret.

Manerium quoq; dictum *Tywa*, & Eccleſiam de *Flameſtude* (quæ Capella extiterat pertinens ad Eccleſiam de *Redburne*) amiſit, ut ſuis in temporablibus, ut creditur, uberiùs provideret, colluſionem faciendo. Conceſſit inſuper *Serloni* fratri *Thurtini* dapiferi, & hæredibus ſuis, Villam de *Stanmera* in feofirmam, pro ſexaginta ſolidis annuis. Et *Roberto Cæmentario*, terram de *Sopwelle*, pro viii. ſolidis. Dedit etiam *Goſpatrico* filio Conſu-

lis

Conſulis *Goſpatrici*, & *Waldeſo* * filio ejus, quamdiu viverent in feodoſirmam *Themeſtage*, & totam *Archimores*, pro decem ſolidis annuis. Et *Willielmo* Capellano *Widonis* de *Bailoil*, terram de *Karleb*: pro una marca argenti annua. Donavit etiam *Petro Pincernæ Willielmi* Comitis *Moritonii*, cum nepte ſua, terram de *Syret* (contra voluntatem & prohibitionem totius conventus ſui, & etiam Magnatum ſæcularium hujus Eccleſiæ fidelium co[illegible] [illegible] reclamantium) poſtquam *Robertus Cæmentarius*, eam ſolutam reddiderat, & qu[illegible]am ab omni calumnia tam ſui, quàm hæredum ſuorum. *Waldet.*

Hic cum Annis *xxi.* hanc rexiſſet Eccleſiam, *xvii.* Kalend. Junii, Anno Gratiæ, *M.C. XIX.* Indictione *xii.* Epactis exiſtentibus *vii.* coucurrentibus *ii.* Anno Regni Regis *Henrici* primi, ab hac luce migravit.

Gaufridus, *decimus ſextus*.

Gaufridus Abbas. Hic ex illuſtri *Cænomanenſium* & *Normannorum* progenie exortus, non ſolùm morum honeſtate præditus, ſed divina ſcientia ſatis extitit adornatus. Qui defuncto Abbate *Richardo* cunctorum hujus Eccleſiæ fratrum electione, (aſſenſu etiam *Anglorum* Regis *Henrici* primi, hanc Abbatiam, etſi invitus, ſuſcepit gubernandam. Iſte de *Cænomannia* unde oriundus erat, venit vocatus ab Abbate *Richardo*, dum adhuc ſæcularis eſſet, ut ſcholam apud *Sanctum Albanum* regeret. Et cum veniſſet, conceſſa fuit ſchola alio Magiſtro, quia non venit tempeſtivè. Legit igitur apud *Dunestapliam*, expectans ſcholam *Sancti Albani* ſibi repromiſſam, ubi quendam ludum de *Sancta Katerina* (quem *miracula* vulgariter appellamus) fecit. Ad quæ decoranda, petiit à ſacriſta *Sancti Albani*, ut ſibi *Capæ chorales* accommodarentur, & obtinuit. Et fuit ludus ille de Sancta *Katherina*. Caſu igitur nocte ſequenti, accenſa eſt domus magiſtri *Gaufridi*, & combuſta eſt domus cum libris ſuis, & Capis memoratis. Neſciens igitur quomodo hoc damnûm Deo & *Sancto Albano* reſtauraret, ſeipſum reddidit in holocauſtum Deo, aſſumens habitum Religionis in domo *Sancti Albani*. Et hæc fuit cauſa, quare tantum adhibuit diligentiæ, ut Capas chorales in eadem, poſtea in Abbatem promotus, faceret pretioſas. *De Capis Sanctæ Katerinæ.*

Hic ſemper filiorum & fratrum ſuorum ſpiritualium paci & quieti proſpiciens, eiſq; ſemper cum vultus ſerenitate tribuendo, ſimul alacriter & pacificè fecit cohabitare. Ad incrementum quippe redditus Coquinæ Monachorum, adjecit v. ſolidos qualibet ſeptimana, videlicet annuas *xiii.* libras. Et licèt ſciamus quæ de novo ad Coquinam noſtram adquiſita ſint, tamen quæ eidem antiquitus ſunt aſſignata, non debemus ignorare. Habemus igitur de Maneriis noſtris, quinquaginta & tres firmas. Firmam vocamus, *Quadraginta & ſex ſolidos.* Tot ergo habemus firmas, quot ſunt ſeptimanæ in Anno, & unam in anteceſſum. Quæ hoc modo proveniunt. Qualibet hebdomada, quadraginta ſex ſolidos, recipiunt Cellarii noſtri, ſcilicet Monachorum & curiæ, tredecim verò ex hiis, recipit Cellarius Curiæ. Noſter verò triginta tres. Tres autem ſolidi, pro novem ſarcinariis, qui victum noſtrum à *Londonia* vel aliunde debent afferre, ſtatuti ſunt, triginta verò, pro victu noſtro. His vero triginta ſolidos per hebdomadam, adjecit Dominus Abbas *Gaufrid:* quinq; ſolidos, qualibet ſeptimana, ſcilicet annuas *xiii.* libras. Ita ut quotidiè ad Coquinam noſtram, quinq; ſolidos haberemus. Dedit itaq; prædictus Abbas *Gaufridus*, *Eſtwale* pro *xii.* libris, ſed & *xii.* ſolidos, de terra *Roberti* de *Einoda*, & *viii.* ſolidos, de terra *Wimundi* de *Barnet*. Habemus etiam ex antiqua ſtatutione, qualibet hebdomada annuatim duas ſummas frumenti ad Coquinam noſtram, & quolibet anno, ſexaginta ſolidos de *Aſpa*, ad lac emendum. Præterea quinquageſimam tertiam firmam, quæ ſuper hebdomadas anni abundat, integram vel debet Cellarius noſter recipere, quæ ad vaſorum Coquinæ proviſionem, aſſignata eſt. Hæc autem firma de *Eſtona* provenit, quæ tres facit in Anno. Dominus quoq; Abbas *Gaufridus*, dedit Conventui & Coquinæ Monachorum, & aſſignavit omnem ſummam Caſeorum quæ annuatim provenit de Dominico, de *Langele*, *Sandrûm*, *Waldene*. Xenia autem de Maneriis annuatim proveniunt, ſic inter Cellarium Monachorum & Cellarium Curiæ, portiones uſibus Monachorum proficiant. Tertia verò Hoſpitum & familiæ ſuſtentationi applicetur. Nomine igitur xenii de *Northona*, & de *Newham*, ad tres terminos ſcilicet, ad Natale, ad Paſcha, & ad feſtum *Sancti Albani*, *xv.* annui ſolidi proveniunt. De *Exſtantano*, ſex ſimiliter. De *Kaiſo* ad Natale, duos ſolidos, & viginti quatuor *Gallinæ*. Ad Paſcha duos ſolidos, & *DC.* ova. Ad paſſionem *Sancti Albani ii.* ſolidos & viginti quatuor Caſei, modo præſcripto. De *Ricamarow*, ad natale Domini, xlviii. gallinæ, & unus porcus. Ad Paſca M. Ova, & unus porcus de *Cudicote* & *Waldenæ*, ad Natale quinquaginta gallinæ, & unus porcus, Ad Paſcha, M. Ova & unus porcus, modo præſcripto. *De firmis coquinæ.* *Firma quadraginta ſex ſolid.* *Aſpa aſſignabatur ad emendum lac.*

Hæc omnia, inter duos cellarios diſtribuenda ſunt. De quatuor Molendinis, ſcilicet *Sopwelle*, *Stanckeſeld*. Et de duobus de parco, millenarium bonarum anguillarum, ſingulis.

lis annis habere debet Cellerarius Monachorum. Præterea, ſingulis Hebdomadibus anni, debet Abbas duas ſummas frumenti puri, Coquinæ Monachorum Hæc; debet Abbas dare ſingulis annis, emptor Monachorum xiii ſummas: ſcilicet quatuor de frumento, & quatuor de ſiligine, & ſex de avenis. Conceſſit inſuper dictus Abbas *Gaufridus*, Secretario *Sancti Albani*, Eccleſiam *Sanctæ Mariæ* de *Rikemanſworth*, cum omnibus pertinentiis, ad ornamenta Eccleſiæ *Sancti Albani*, & diruta reſtauranda.

Secretarius autem, debet ea oſtendere Conventium, ſingulis annis, quid fecerit, vel quid faciendum ſit: in anniverſario ordinationis ipſius Abbatis *Gaufridi*, id eſt, die *Sanctæ Katharinæ*. In qua, idem Secretarius habet reficere Conventum ſplendidè; & Conventus ſolemniter in obſequiis divinis, diem ſolemnizando peragere. Præterea donavit Eccleſiam Sancti *Petri* quæ eſt in villa Sancti *Albani*, cum omnibus pertinentiis, infirmariæ, in jus perpetuum. Ita ſcilicet, ut per Monachum qui præfuit infirmariæ, tanquam Magiſter & procurator, omnia in Eccleſia illa ordinentur, in refectionibus infirmorum & Senam, & eorum Medicinis & Medico, & in Refectorio inveniret caritatem vini vel medi omni Sabbato vel una Feriarum pro Sabbato, quando fit Commemoratio de Sancta *Maria*, quam idem Abbas *Gaufridus* ſtatuit fieri in Albis. Hanc autem donationem ſolemniter in capitulo recitavit, approbavit, & irrefragabiliter confirmavit. Statimque poſt capitulum, aſſumpto ſecum Conventu, obtulit manibus junctis ſuper majus Altare, & omnes infractores terribiliter excommunicavit, vindictam beato Martyri, cum lachrymis committendo. Hæc autem ut in vinum Conventui & alias conſolationes cederet munificentia, factum eſt ei ad Commodum. Solebat enim ipſe antehac, & omnes ejus Succeſſores * quolibet feſto præcipuo vinum dare Conventui, quæ conſuetudo tunc ceſſavit ampliato hoc beneficio.

** Anteceſſores.*

Decimæ per eum datæ eleemoſynariæ.

Eleemoſynæ autem Eccleſiæ *Sancti Albani*, contulit duas partes decimarum pene omnium Eccleſiarum privilegiatarum, ad jus Eccleſiæ *Sancti Albani* pertinentium, in uſus pauperum diſtribuendas: Quas priùs prædeceſſor ſuus *Richardus* Abbas, domui Scriptoris donaverat. Poſtea vero commutavit iſte *Gaufridus* eas, pro tribus diariis, ſingulis diebus ab eleemoſynario de reliquiis menſæ conventuali, honorificè percipiendis, ne Scriptores in eſcis emendis, impedirentur.

Fundatio Hoſpitalis, S. Juliani.

Fundavit quoque & conſtruxit, conſilio & conſenſu Conventus, in honorem Dei, & Sancti *Juliani*, Eccleſiam ſecùs viam quæ ducit *Londoniam*. Congregavitque pauperes miſellos, providens eis & aſſignans hæc. Decimam redditus Villæ *Sancti Albani*, id eſt, lx. ſolidos. Idem triginta ſolid. quos *Petrus de Syret* reddidit de *Redinges*, de *Syreth*. Item totam decimam bladi Dominii de *Hamſtude*: & totam decimam Dominii de *Kingeſbury*. Et duas partes decimarum tantummodò bladii parochianorum Sancti *Michaelis*, & Sancti *Stephani*, exceptis illis, quas capellanus ipſorum Leproſorum habet, ſicut in charta ſcribitur eorundem. Item duas partes decimæ bladii Dominii de *Eſtona*. Item duas partes decimæ bladi Dominii Sancti *Albani* de *Bratewike*. Item duas partes decimæ bladi Dominii *Rogeri* de *Limes*, iu *Bratewike*. Item duas partes decimæ bladi Dominii *Richardi* de *Hou*. Item duas partes bladi Dominii *Willielmi* filii *Anketilli* de *Cudcote*.

Emptio terræ in Biſhopſcote.

Item decimam partem bladi Dominii de *Stratle*. Item dimidiam partem decimæ *Stephani* de *Lege*; de ſuo dominio de *Hamelawa*. Item duas partes decimæ *Rogeri* de *Chandos*, de ſuo Dominio de *Sivelesho*. Item duas partes decimæ *Simonis* de *Bellocampo*, de ſuo Dominio de *Stanford*. Sic quoque prædictus Abbas *Gaufridus* unanimi conſilio & voluntate totius capituli ſui, donavit & confirmavit, & inconcuſsè ſtabilivit; ut ſupradictorum Leproſorum hæc ſint, jure perpetuo. Condemnans Anathematis ſententia, omnes qui aliquo tempore hæc quomodolibet infirmabunt. Eleemoſyna iſta ſtabilita eſt, & conceſſa pio conferentis affectu, pro animabus *Offæ* fundatoris noſtri, *Merciorum* Regis glorioſi; *Pauli*, *Richardi* & *Gaufridi*, hujus beneficii Auctoris, Abbatum. Et pro occultis, & negligentiis, & ſolutiône debitorum ſpiritualium, tam rationum quàm Eleemoſynarum, quæ per impoſſibilitatem Monachorum occupatorum, quandoque contingunt hujus Eccleſiæ.

Quieta clamatio.

De Aula conſtructa per eum. Et ordinatio Infirmariæ.

Præterea iſte Abbas *Gaufridus* emit ab *Henrico* primo *Anglorum* Rege, viginti ſolidatas terræ in *Biſhopeſcote*, datis proinde & pertinentiis, dicto Regi centum bobus paſcualibus. Data eſt inſuper ipſius temporibus, (elaborante induſtria diligenti) huic Eccleſiæ quædam ſalina apud *Vikum*, cum ipſo ſalinatore & terra ſua. Et una hida in *Meindeltona*, cum decima Eccleſiæ illius villæ. Hujus quoque tempore, datum eſt Heremitorium de *Modri*, quod fuerat *Radulphi* Heremitæ, cum Eccleſiis, decimis, & pluribus rebus aliis. Et ſciendum quòd dictus Abbas tranſtulit Monachos de *Mulebroc* ad Heremitorium præfatum de *Modri*. Fundataque Eccleſia illic, Monachorumque ædificiis, inibi eos fecit regulariter cohabitare. Hujus quoque tempore, *Emma* de *Bradeweia*, & filius ejus *Hugo*, quietum clamaverant quicquid Calumniæ habebant in *Bradweia*; in capitulo coram eodem Abbate *Gaufrido*, & poſt capitulum coràm Monachis ante majus Altare ſtantibus, ſuper Altare per unum cultellum, reddiderunt prædictam terram ab omni calumnia quietam & abſolutam. Abbas verò *Gaufridus*, ut id libentiùs facerent, dedit eis quadraginta ſolidos; Conſtruxit inſuper dictus Abbas *Gaufridus*, Aulam unam cum duplici tecto amplam & nobilem, ad hoſpites honorificè ſuſcipiendos; Juxta quam, unum thalamum conſtruxit honeſtiſſimum,

ſtiſſimum, quem *Thalamum Reginæ*, appellare conſuevimus, quia ad opus Reginæ aſſignabatur, præter quam, non licuit alicui mulieri in hoc Cœnobio hoſpitari. Et aliam domum conſtruxit, ipſi Aulæ conſimilem, cum Capella verſus orientem, videlicet infirmariam in qua infirmaria & Capella, juſſit (ut priùs,) ſilentium diſtrictè obſervari, & valetudinarios ad majorem menſam, ubi campana dependet, ſub ſilentio more refici quotidiano, quos etiam ſicut in refectorio, juſſit (ut prius) per eandem campanam convocari. Clauſtralibus, veterem conſuetudinem non mutavit, ut ſcilicet poſtquam per triduum extra chorum infirmantes & commorantes non meliorarentur, licentiati intrarent infirmariam, niſi fortè accelerante morbo citiùs, pauſare cogerentur. Et tunc cibis regularibus contenti eſſent, donec ſi ingraveſcente morbo, carnibus refici cogerentur; Et cum ſibi reſtaurarentur meliorati, ſecundum regulam Sancti *Benedicti*, more ſolito ab omni eſu carnium penitus abſtinerent. Et hæc per ipſum Abbatem, more cotidiano (niſi rationabilibus cauſis impediretur) infirmos viſitavit, vel per infirmarium, qui in verbo veritatis ſuper hoc Abbatem certificavit, definiebantur. Et ſi aliquis qui convaluerat, impudenter diutiùs commorabatur, præcepto urgebatur Clauſtrum reintroire. Aliam quoque conſtrui juſſit, ab eodem Artifice Aulam, prioribus conformem, ad opus cujuſdam Amici & Conſanguinei ſui, (qui huic Eccleſiæ benevolus extitit & fructuoſus) apud *Weſtwicam*. Idem inſuper Abbas *Gaufridus*, beato *Albano* patrono noſtro, unam Thecam glorioſam inchoavit, opere mirifico, anno prælationis ſuæ quinto. Et cum circa opus ipſum, ſexaginta libras expendiſſet; donec fortior reſpiraret, ad horum opus ſuſpendit, & diſtulit inchoatum. Ejus quoque tempore Anno Dominicæ Incarnationis circiter M. C. XL. duæ ſanctæ mulieres, facta quadam pauperrima manſione ex ramis arborum & palis corticatis, & virgis concraticulatis, juxta ſilvam quæ *Eiwoda* dicitur, non longè rivo qui ibidem dilatatur, vitam ducere cœperunt, vigiliis & orationibus ſub mirabili abſtinentia, & irreprehenſibili Caſtitate, novellam Religionem ſuam fœliciter continuerant, in pane & aqua, corpora ſua macerantes; Quarum converſatio commendabilis, & per plures annos præcognita incommutabilis, cùm Abbati *Gaufrido* innotuiſſet, conſtruxit ibidem cellam, divino oraculo perſuaſus, manſiunculas ibidem mulieribus conſtrui juſſit oportunas. Ubi eaſdem prædictas mulieres, additis aliis more ſanctimonialium velatas & ſub ordine Sancti *Benedicti* victuras, conſtituit. Inſpirante igitur Dei gratia fœlix ſuſcepit incrementum, in ſpiritualibus et temporalibus Cellula memorata. Et patrocinante beata Dei genitrice *Maria* (à qua intitulatur) odore bonæ famæ vicinas partes illuſtravit. Contulit igitur prædictus Abbas, memorati fundator domicilii, quaſdam poſſeſſiones & redditus, quibus vitam valerent honeſtam, (etſi exilem) ſuſtentare: Domus igitur memorata, a fonte qui vicinus eſt illi loco in quo offas facere conſueverant mulieres primitivæ, nomen ſortitur appellationis, & *Sopwella* nuncupatur. Abbas inſuper famæ & saluti ſanctimonialium precavens, ibidem manſionem facturarum, eaſdem ſub clave & ſera ac ſigillo Abbatis qui pro tempore erit, decrevit ibidem includendas. Nec aliquam ibi, niſi virginem, in earum Collegium, ſub caſtigato & limitato numero, ſuſcipiendam. Aſſignavitque eis Cœmiterium, & fecit dedicari. In quo, nullus niſi de eiſdem Sanctimonialibus, ſepelietur: ſicut Carta ſuper hiis confecta teſtificatur, quam præſenti paginæ duximus inſcribendam.

Theca inchoata ſancto Albano.

De Sororibus apud Sopwelle.

Fundatio Cellæ de Sopwelle.

Notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Eccleſiæ *ipſa die qua benedictum eſt Cœmiterium virginum* de Sopwella, *videlicet vii. Idus Octobris, perpetua conventione ſtatutum & definitum eſſe, quòd in illo Cœmiterio nullus habebit ſepulturam, neque vir, neque fæmina, nec Clericus, neque laicus, neque ſerviens nec forinſecus, præter virgines tantùm quæ incluſæ fuerint. Virgines autem illius loci, nullam penitus poſſunt intus, vel debent per ſe ſuſcipere, niſi Abbas & conventus præceperit. Et numerus incluſarum, tredecim debet eſſe, & non amplius. Teſte* Alexandro *Epiſcopo & Clericis ejus, &* Gaufrid. *Abate, & Monachis* Hamone *&* Alquino, *&* Michaele *Cantore &* Radulp. Goberti, *&* Roberto *decano, &* Petro *decano, & multis aliis.*

Ordinatio, ſive Charta de Sopwelle.

His igitur fœliciter completis, acceſſit una dierum ad locum, & intuens in Cœlum, ait; *Tibi Domina ſancta* Maria, *tanquam ſpeciali patronæ, hunc locum in ſempiternum commendo cuſtodiendum.* A diverticulo igitur, ad materiam, à qua paululùm declinavimus redeuntes, qualiter feretrum ſancti *Albani* fabricatum & conſummatum fuerit, ab Abbate memorato *Gaufrido*, plenius diſſeramus. Inchoaverat enim illud, prout prælibatum eſt, & *lx.* libras in eodem opere, vel ampliùs, expoſuerat. Et cùm tunc temporis Cariſtia magna ingrueret, & inopia victualium anno uno, ita ut in æſtate ſumma frumenti pro viginti ſolidis venderetur, Abbas *Gaufrid.* afflictis condolens, miſertus & miſeratus pauperum fame pereuntium (ut qui ſemper ſuper afflictos pia geſtabat viſcera) laminas argenteas, ſed nondum deauratas, cum quibuſdam gemmis incaſtonatis, fecit avelli, & omnia redegit in numiſma. Et emi exinde juſſit victualia, ut pauperes inde ſuſtentarentur, fame tabeſcentes. Et factum eſt, ut qui pro amore *Chriſti*, dicentis *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi etiam feciſtis*, hoc opus incœptum retardavit, multiplicaret Dominus potentiam ſuam, & augeret facultates Abbati pertinentes, ut qui priùs mendicare videbatur, in omnibus ad plenum abundaret.

De ejus compaſſione in pauperes.

. . Anno quoque ſequente, Annus omni ubertate redundavit, ita ut non oporteret Abbatem, ut priùs, de penuria pauperum ſollicitari. Collecta igitur pecunia, propoſitum ſuum, in opere Feretrali, diligentiùs & efficatiùs exequebatur. Et factum eſt, ut fabricante

De factura feretri ſancti Albani.

te Domino *Anketillo*, hujus Eccleſiæ Monacho, adeò proſperatum eſt opus & expeditum, ut intuentibus admirationem generaret. Fecit autem illud opere ductili, & elevato, & educto, imagines impulit elevari, & concavas cæmento ſolidavit, & elegantiam totius corporis feretralis, in brevius culmen aſcendendo coartavit: Et ſic totius rei ſubſtantiam melius venuſtavit.

Criſtam tunc temporis minimè perfecit, expectans ad hoc tempora commodiora; quibus ad hoc, auro & argento ac gemmis, uberiùs abundaret, unde dilatio illa propter multas emergentes cauſas, quaſi diatim mundi creſcens malitia ſuſcitavit, illud opus toto vitæ ſuæ tempore ſuſpendit, & incipiens ædificare, non promeruit incœpta conſummare. Propoſuerat tamen illam Criſtam, adeo nobilem & ſumtuoſam proculdubiò facere, ut ex ea, totius operis ſeries, venuſtatem ſortiretur, & pluris foret, quàm totius feretri coopertura reſidua. Et cùm omnia qùam decenter fabricabantur in feretro, cuncta fecit copioſè deaurari, ita ut potiùs aurea quam argentea viderentur & apparent. Et cùm de antiquo hujus Eccleſiæ theſauro, prolatæ fuiſſent gemmæ ad opus feretri decorandum, allati ſunt quidam ampli lapides quos *Sardios onicleos* appellamus, & vulgariter *Cadineos* nuncupamus. Et unus lapis qui tantæ fuit amplitudinis, ut vix una manu includeretur, nec alius inveniretur cui competenter poterat comparari, vel in illo opere conformari. Et ut compertum extitit, mulieribus diſcrimen in partu patientibus auxilium collatura, noluerunt qui artificibus præerant, ut in opere aurifabrili includeretur, ne virtus ejuſdem vacua videretur & inanis,

De lapide, mulieri parturienti, ſubvenienti.

Ut lyra quæ reticet, aut qui non tenditur Arcus.

Præelegerunt enim animam ſervare periclitantium, quàm oculos paſcere intuentium. Inſculpitur autem in eodem, imago pannoſa, tenens in una manu *haſtam, per quam repens* aſcendenſque ſerpens apparet; Et in alia manu puerum, clypeum bajulantem. Et præterea ante pedes imaginis, aquila inſculpitur alas expandens elevatas. Quem utique lapidem habemus de dono *Etheldredi* Regis, patris piiſſimi *Anglorum* Regis *Edwardi*. Memoratus autem *Anketillus* Monachus & Aurifaber, quandoque in *Daciam* venerat, ad Regis *Dacorum* mandatum & ſupplicationem, ad quippiam operis eidem faciendum. Ubi per ſeptennium moram continuans, Regiis præerat operibus aurifabrilibus, monetæ cuſtos & ſummus Trapezita. In verbis enim & operibus, fidelis inventus eſt & acceptus. Hic cùm reperiiſſet amicos & conſanguineos de licentia Regis *Domini* ſui viſurus, & honeſtatem Religioſam Clauſtri *Sancti Albani* vidiſſet; placuit ei ibidem morari, habitum ſumens Religionis. *De* ejus fida relatione, & certa affirmatione didicimus, quòd ſecundum *Danorum* libros hiſtoriales, quos Cronica dicimus, tempore *Vulnothi Abbatis* hujus *Eccleſiæ*, cum *Danorum* rabies omnia obſtantia feraliter obrueret, quidam eorundem Oſſa beati *Albani* rapuerunt, & rapta quaſi prædam pretioſiſſimam, in partes ſuas detulerunt, & in feretro ad *hoc facto* repoſuerunt. Sed qualiter reportarentur, in hiſtoria ejuſdem Abbatis præſcribitur. Feretro igitur perfecto, Tranſlationi Abbas *Ganfridus*, prout in ſequentibus dicetur, diligenter inſiſtebat.

ut Anketillus hic factus eſt monachus.

Hæc Acta viceſimo nono Anno Regni Henrici; *quarto Non. Auguſti.*

De tranſlatione ſancti Albani.

PORrò, quia Tranſlationis ſolemnitas, non poterat die Tranſlationis ejus competenter celebrari, propter Sancti *Petri ad vincula*, in qua die revera tranſlatio facta fuit, (quia ſic propter quippiam exigebat tunc neceſſitas) ejuſdem feſtivitatem in craſtino illius ſolemnitatis, quæ de *Sancto Petro* eſt, ſolemnitatem tranſlationis beati *Albani* ex proviſione & unanimi conventus aſſenſu, fieri conſtituit. Præſentibus itaque *Alexandro Lincolnienſi* Epiſcopo, & Abbatibus *Waltero Egneſhammenſi*, quondam Priore *Sancti Albani*, & *Roberto Horneienſi*, & *Elia ſanctæ Trinitatis* Eccleſiæ *Rothomagenſis*, & *Andræa Novigenſis* Eccleſiæ Abbatibus, cum toto conventu Monaſterii *Sancti Albani*, necnon & aliorum Religioſorum Clericorum, aſſiſtente frequentia, patefacta eſt beati Martyris antiquiſſima tumba. Verùm quia quoddam Collegium in *Dacia*, & *Elyenſe* in *Anglia*, mendaciter aſſerebant, ſe corpus *Sancti Albani* ex integro, ſeu partem corporis habere, proinde coram omnibus qui adeſſe poterant, præ turba, dinumerata ſunt omnia Oſſa Martyris, & ſigillatim oſtenſa. Et caput, eminentiùs in propatulo, manibus venerabilis fratris *Radulphi*, tunc illius Monaſterii Archidiaconi elatum, inventum eſt habere in occipite ſchedulam filo ſerico dependentem, & aureis literis vetuſtiſſimis inſcriptam, *Sanctus*, videlicet, *Albanus*. Impoſuerat quidem, venerabilis Rex *Offanus*, circulum aureum circa Craneum inſculptum literis his,

Hoc eſt Caput ſancti Albani Anglorum prothomartyris, Amen.

POſteà autem incautè deletus eſt circulus ille, gratia materiæ, ad fabricam Feretri, ut dicitur. Factus autem fuit alius, irato Abbate, ut loco prioris apponeretur. Hæc autem manifeſta tranſlatio fieri non potuiſſet, ſi (ut blanditur & mentitur ſibi iniquitas)

furto

furto retentum eſſet ab *Elyenſibus*, & aliud corpus loco ejus, thecæ ſuppoſitum. In furto, quippe, raro ſit aliquid vel ordinatè, vel circumſpectè. Alioquin ſigna quæ Sanctus *Albanus* facit multiplicia, & quæ multotiens innovavit, celebrata in loco ubi ſanguinem ſuum pro *Chriſto* fudit, abſciſſo Capite teſtimonium evidens non perhiberent.

Notandum quidem quòd ut ſuper hoc dubitantes certificaret, multis fratrum pluties apparuit, multa oſtendens veritatis argumenta, quòd videlicet, loco quo paſſus eſt Martyr, requieſcit ipſius corpus. Ut autem de multis multa præteriens taceam veritatis indicia, & perhibeat *Herbertus Duketh*, qui in preſentia ſua uſque ad ſimialem decrevit ſtaturam, evidens teſtimonium, & alii quamplures, unum duxi huic opuſculo inſerendum. Dum Dominus *Anketellus* Eccleſiæ *Sancti Albani* Monachus & aurifaber incomparabilis, qui fabricam feretri manu propria (auxilliante quodam juvene ſæculari diſcipulo ſuo *Salomone* de *Ely*) & incœpit & conſummavit, diligenter in ſuo opere aurifabrili, & animo ſtuduit, & manu laboravit, improperavit ei ſæpe diſcipulus ejus *Salomon* de pago *Elyenſi* oriundus, & favens idcirco parti *Elyenſium*, ſæpiùs magiſtro ſuo dicens; *Utinam hæc ſit Domus ipſius protomartyris* Albani, *quem vos creditis habere, circa quam tot laboribus fatigamur ſtudioſis & ſumptuoſis.* Cui Magiſter *Anketellus*; *Amice, Amice, deſine talia fari, certus ſum, quòd hæc domus nec adhuc condigna eſt tam glorioſo Martyre; conclave & reclinatorium erit ipſius Martyris* Albani. *Benedictus Deus, qui hanc ad ſui honorem conceſſit operandi peritiam. Ego indeſeſſus, & libens ipſi operi operam adhibebo, nec unquam fictus aut feſſus, fluitabo.* Nocte autem una, apparuit ei Sanctus Martyr *Albanus*, vultu alacri & ſereno, & quaſi pro labore ſuo, & pro verbis quæ pro eo faciebat, gratias agens, conſolanſque ait. *Operare fili mi & Artifex ſpecialis, advocate & hoſpitator meus; quia te manet, de qua non fraudaberis, merces copioſa. Ego ſum qui retribuam. Ego, inquam,* Anglorum *protomartyr* Albanus, *qui hoc ipſo loco pro* Chriſti *confeſſione, ſententiam ſubii capitalem. Egoque, uſque ad diem magni judicii generalis, in hac tua Fabrica requieſcam; donec detur mihi à Domino ſtola repromiſſa, pro mercede duplicata.* Et hiis dictis, cum lumine magno quod eum ſequebatur, evanuit. Nunc autem à diverticulo redeuntes, materiam continuemus.

Notæ quod beatus Albanus *propter improperia apparuit.*

Cùm autem diligenter numerata fuiſſent omnia oſſa Martyris, prout ab eis qui interfuerunt accepi, defuit ſiniſtræ ſcapulæ os reliqui corporis integretati. Sed qua ratione defuerit, vel ad quem locum deportata foret, nullius qui tunc aderat, occurrit memoriæ, per deſidiam tunc in Eccleſia *Sancti Albani* degentium, quia non commendabatur ſcripturæ. Dehinc autem elapſis paucorum annorum curriculis, deſtinati à *Naumucenſi* Clero & celebri Eccleſia, venerunt ad Eccleſiam beati Martyris *Albani*, tempore ipſius Abbatis *Gaufridi*, duo viri literati, moribus & ætate maturi, more ſuæ regionis, Canonici ſæculares. Rogantes "inſtantiùs conventum, loci, necnon & Abbatem, quatenus mererentur, accipere ab eis *Ser*"*vitium*, quo uti poſſent competenter & aptè ac propriè, in paſſione *Sancti Albani*. Eccle"ſiæ ſuæ inſtantiæ annectentes, dixerunt, *eſſe penes ſe unam de ſcapulis beati Martyris.* Porrò fratres qui tranſlationi nuper factæ interfuerunt, & unam de ſcapulis defuiſſe comperherunt, diligentiùs qualiter ad eos perveniſſet, inquiſierunt. Tunc unus eorum, quia *Anglicè* non novit, *Latinè* ſic orſus eſt.

Numerata ſunt oſſa martyris & de oſſe ſancti Albani, *in* Hiſpaniam *deportato.*

De ſcapul. ſancti Albani.

Dux qui in Ducatu noſtro primus ad fidem Chriſti *converſus eſt, in novitate converſionis ſuæ, à Paganis vicinis acriùs infeſtabatur, & ipſe quaſi validus* Chriſti *tyro, corpore & animo alacer & magnanimus, partes ſuas viriliter contra omnes adverſantes defendebat. Tandem undique læſi inſurrexerunt in eum adverſarii, & ſic denique invaleſcente parte adverſa exhauſtis theſauris, & coadjutoribus deſperantibus, deſperavit. Cœpit enim deficere. Et ecce, quidem Rex* Angliæ, *quidam nobilis victorioſus & famoſus, limina Apoſtolorum in orationibus viſitaturus, actus tempeſtate adverſa, Auſtro occidentali, debacchante, in Ducatu ejus applicuit. Quod cùm Dux per exploratores qui ad eum advenerant, cognoviſſet, ait. Interrogate, quiſnam eſt ille, & quod nomen illi? At illi redeuntes à preambulis ſuis & procuratoribus, didicerunt, quod Rex* Angliæ *fuiſſet, Cultor fidei* Chriſtianæ, *& Bellator invictus,* Cnuto *nomine.* Cujus titulus *Chriſtianis* omnibus meritò fuit, & nomen cognitum, & amicabile, & hoſtibus *Chriſti*, ut fulgur formidabile; Quod cùm Dux ſuis nunciantibus cognoviſſet, occurrit lætabundus & feſtinus in amplexu & pacis oſculo, gratias, Deo palàm referens, quòd tantum hoſpitem ſuſcipere promeruiſſet. Et petiit reverenter & humiliter, quò ſecurus ſicut ad propria, ad ulteriora terræ ſe transferret, donec de laboribus maris cum ſuis Commilitonibus, reſpiraret, & tunc ad naves ſuas recreatus, fœliciter remearet. Acceptis igitur Rex obſidibus ab eo, quos in ſua Navi reliquit, adquievit.

Pulchra narratio de Rege Cnutone.

Dux autem lætus effectus, & exponens ſe ſuáque duxit Regem in civitatem ſuam, jubens, ut omnes cives occurentes, ſuſciperent eum cum omni gaudio & honore. Paravit itaque ei Dux, convivia magna, & feſſos, balneis, & infirmos fecit medicinis recreari, ita ut Rex de liberalitate ejus vehementer admiraretur. Una igitur dierum, interrogavit Rex, inter loquendum, de ſtatu Ducatus ſui; At Dux, *Domine mi Rex, proſperè agerem in omnibus, utpote tyro* Chriſti *& Neophytus, niſi* Saraceni, *pro eo quòd reliqui ritus eorum, me impugnarent; quos ſæpe in ore gladii excipiendo, & varios caſus Martis experiendo, vix à finibus meis hactenus propulſavi. Sed nunc alii conſœderati, multiplicantur, & contra me roborantur, ita quòd mihi*

vehementer pertimeſco. Sed ſi Regiæ majeſtati veſtræ complacet me juvare, ipſos audacter omnes, adprælium provocarem. At Rex miſertus ait: *Meos ſuper hoc conſulam commilitones, & libenter ad hoc eos animabo, quia nos periclitantes benignè ſuſcepiſti.* Accepto igitur à ſuis conſilio & favore, eò quòd incredulos forent expugnaturi, cum indigenis fortiſſimum & copioſiſſimum Rex & Dux exercitum congregantes, *Saracenos* omnes Duci nocivos irreſtaurabiliter devicerunt, & fines ducatus, triumphaliter ampliàverunt. Quo negotio fœliciter conſummato, Rex ad iter, quod ad tempus ſuſpendit, accingitur, aggreſſus iter ſuæ peregrinationis quam incœperat. Erat enim tranſalpinatus, & *Romam* pro peccatorum ſuorum remedio, petiturus. Multum enim ſanguinem, (etiam *Chriſtianorum*) effuderat, in conquæſtu *Angliæ*. At Dux, junctis manibus uſq; ad naves ſuas eum proſequitur, lacrymabiliter ejulando dicens. *O Domine, mi Rex, ſi unquam faciem tuam videbo;* Precor, *quòd per me facta peregrinatione redeatis.* At Rex *vita Comite, deſiderio tuo ſatisfaciam.* Et Rex aſcendens Naves, in quibus arma & victualia, & alia neceſſaria habebat, reddito filio Ducis patri ſuo, quem habuerat pro obſide, vento proſpero aſpirante receſſit. Rediens autem à *Roma* & per ducem divertens, cum ſummo gaudio receptus eſt, & aliquamdiu commoratus, Duce deprecante. Deinde Rex recedens ait, *Deſere hanc bellicoſam terram, & veni mecum, & ditabo te, ampliore & ditiore.* Cui Dux; *Abſit domine mi ut deſeram avitam terram & hæreditatem:* ſed habeo quendam filium pulchræ indolis adoleſcentem; adducite eum vobis in curia veſtra, quæ eſt quaſi Schola Civilitatis educandum: & ſi placet, militari Cingulo de ſtrenua manu accingendum & ditandum. Quod Rex annuit, & ſic fecit, & ſic valedicto recedens, proſperè pervenit in Regnum ſuum *Angliæ*.

Adoleſcens autem in brevi infirmatus, rogavit Regem ut requieſceret, commorans aliquo loco At. Rex miſit illum ad *Sanctum Albanum*, ut ibi in tutela Abbatis commorans, reſpiraret. Quod Abbas acceptans eum ad Regis petitionem, et delicate educavit, & inſtrui civiliter præcepit. Et poſt paucos annos, venerunt de memorato ducatu, ſolemnes Nuncii: nuntiantes Regi, quod mortuus eſſet Dux ſibi amiciſſimus. Poſtulabant etiam Dominum ſuum naturalem, dictum juvenem hæredem Ducis, quem tota terra præſtolabatur: Et Rex ipſum jam factum militem, ditatum multis donativis, in receſſu ſuo ſic paterno affectu affatur. *Fili commorare mecum, & faciam te in gentem magnam; & amplas * poſſeſſiones*

* *Amplis poſſeſſionibus.*

dilatari, & dominari pluſquam in patria tua, Cui Juvenis, dulcedine natalis patriæ tactus, ait, *Abſit Domine, ſed peto unum quod non erit vobis grave.* At Rex; *pete, non patiere repulſam.* Et ille, *Miſiſtis me ad nobile Cænobium Sancti Albani educandum, ubi in multis commorans, melioratus ſum. Commendo & diligo Martyrem, Abbatem, & Conventum, & mores & ordinem. Peto igitur, ut amplietur honor Martyris, impetretis aliqua de ipſius Reliquiis: & in partibus meis, nacta temporis opportunitate, in honore Chriſti & ipſius, Cathedralem fundabo Eccleſiam, & ipſam dotabo & ditabo.* Rex igitur ab Abbate & Conventu, os humerale Martyris impetravit. Juvenis autem illud, in partes ſuas aſportans, promiſſa effectui mancipavit, fabricavitque promiſſam Eccleſiam, ubi honorificè memoratum os repoſuit. Ad quam Eccleſiam etiam facinoroſi confugientes vel ad ejus atrium, pacem obtinent ſecuram.

Et ſic narrationem ſuam terminantes, fidem ut crederentur meruerunt. *Proinde magis*, quia de Capitulo ſuo, ſcilicet Cathedrali Eccleſia urbis *Naumuciæ*, ſecum de confidentia & credentia literas apportaverunt. Et hæc dum petita Hiſtoria de Sancto *Albano*, cum *Legenda* ſcriberetur: multis prolixiùs ſeriatim narraverunt. Et ſic de Oſſe humerali quod deeſt, Abbas *Gaufridus* certificatus: ipſi quoque facto ſuo negotio, receſſerunt.

Continuatio.

A diverticulo vero materiæ redeuntes, Narrationem de *Tranſlatione* Sancti Martyris ſub Abbate *Gaufrido*, factam, conſequenter continuemus. Prædictus *Alexander* Epiſcopus *Lincolnienſis*, omnibus qui ad illam vel *Inventionis* vel *Tranſlationis* feſtivitatem, infra *Octavas* venerint, quadraginta dies Relaxationis conceſſit. Et ut libentiùs & devotiùs illuc occurrerent, conſilio & aſſenſu Abbatis, CCC. pauperes in ipſa feſtivitate ſtatuit idem Epiſcopus ut reficerentur, in curia *Sancti Albani*. Et unuſquiſque ſacerdotum, quatuor Miſſas pro pœnitentibus cantaret; cæteri verò, pſalmos: ſcilicet pro unaquaque Miſſa, quinquaginta pſalmos.

Sciendum quoque, quod *Robertus Lincolnienſis* Epiſcopus, cognomento *Fulous*, ſcilicet illius prædeceſſor, tempore *Ricardi* Abbatis conceſſit, & charta ſua confirmavit, ut pœnitentes ad prædictam feſtivitatem accedentes, unum diem remiſſionis pœnitentiæ ſuæ, omni ſeptimana per totum annum, obtineant. Et unuſquiſque Sacerdos, tres Miſſas pro eis cantet, cæteris pſalterium unum.

Deinde vero præfatus Abbas *Gaufridus*, unam Miſſam hiis tribus, cum trecentis pauperibus adjecit reficiendis.

Statuit quoque feſtivitatem *Aſcenſionis Domini*, principalem fieri: & feſtivitatem beati *Matthei Apoſtoli* & Evangeliſtæ, & beati *Johannis ante portam Latinam.* Et beati *Egidii*, & Conceptionem beatæ *Virginis*, & feſtivitatem beatæ *Katherinæ*, ob reverentiam Dei & Sanctorum, in capis feſtivè celebrari: Fecit etiam vij. Cappas, quarum una auro & lapidibus obducta eſt tota. Alia verò pretioſis taſſellis, auro & margaritis anteriùs, & in circuitu parabatur. Aliæ quatuor, optimo aurifrigio; ſeptima purpurea, taſſellis decenter adorna-

Varia dona data per præfatum Abbatem, Eccleſiæ Sancti Albani.

tur

tur, caſulas quoque quinque, quarum una tota auro, videlicet ſex marcis auri & dimidia; præter aurifrigium pretioſiſſimum latum valdè; ſubtùs, & ante, & retrò; conſimiliter, nec non & gemmis pretioſis & taſſellis optimis eſt obducta, panno, rutilante, colore corruſcanti. Quæ poſtea ipſo Abbate defuncto, tempore *Radulphi* Abbatis Succeſſoris ipſius, quorundam puſillanimorum cupidorum inſtinctu, igne concremata eſt, ut aurum (quo nimis, ut dicebant, onerabatur,) eliquaretur. Aliæ verò optimo aurifrigio paratæ: Aliæ autem duæ, abſque aurifrigio, ſed taſſellis æquipollentibus decorantur. *Orarium* cum *Fanone*, auro & gemmis adornatum. *Dalmaticam* unam, quæ tota auro ſuperducta eſt. Tunicam unam, quæ ſimiliter tota auro orbiculatur. *Albas* quoque tres, habentes *paruras* auro & aurifrigio, acu plumario decoratas. *Calicem* etiam unum, cum *patena*, ex octo Marcis auri, quam poſtea ipſe Abbas *Gaufridus* miſit *Romam*, Papæ *Cæleſtino*, ut ipſius ſedaret avaritiam, volentis Eccleſiam hanc appropriare. Tabulam quoque unam, ex auro & argento & gemmis electis, artificioſè conſtructam ad longitudinem & latitudinem Altaris *Sancti Albani*, quam deinde ingruente maxima neceſſitate, idem Abbas in igne conflavit, & in maſſam redegit. Quam dedit Comiti de *Warenna*, & *Willielmo* de *Ipre* & Comiti de *Harundell*, & *Willielmo Martell*, temporibus Regis *Stephani*, villam *Sancti Albani* volentibus concremare. Et ſic dictus Abbas *Gaufridus*, ſuper afflictos pia geſtans viſcera, debacchantium furorem compeſcuit. Jamjam enim, pietate antiquorum eliminata, graſſabatur alienigenarum improbitas: Fecitque Thuribulum argenteum, & *Acerram* de argento: utrinque ſcilicet deauratum, Dedit quoque huic Eccleſiæ, *Ampullas* tres argenteas, & unam Chryſtallinam; *Candelabra* quoque argentea deaurata; Et *Brachium* unum argenteum, in quo has Reliquias recondidit: Sanctorum ſcilicet *Bartholomæi* Apoſtoli, *Ignatii*, *Laurentii*, *Nigaſii*, martyrum. Fecit etiam unum Miſſale, auro redimitum: & aliud in duobus voluminibus; totum auro incomparabiliter illuminatum, & apertè & legibiliter ſcriptum. Et unum Pſalterium pretioſum, totum ſimiliter auro illuminatum. Et unum librum, in quo continentur *Benedictiones* & *Epiſcopalia Sacramenta*. . Et unum librum *Exorciſmorum*, & unum *Collectarium*; dedit quoque *Doſſale* magnum, in quo intexitur Inventio *Sancti Albani*, cujus Campus eſt aërius. Et aliud minus, ubi effigiatur Evangelium *de ſauciato, qui incidit in latrones*. Et tertium, ubi hiſtoria de *Filio prodigo* figuratur. Hæc & alia beneficia, immortali recordatione digna, contulit Eccleſiæ *Sancti Albani* glorioſæ memoriæ pius Abbas *Gaufridus*. Sed quia non eſt homo qui bonum faciet, & non peccet, Negligentias & ignorantias ejuſdem, huic opuſculo interſerere dignum duximus. *Negligentia Abbatis Gaufridi.* Ipſe præfatam Conventionem, quam *Ricardus* Abbas prædeceſſor ſuus fecerat, cum *Goſpatrico* filio Conſulis *Goſpatrici*, de terra *Archimoreli*, ſcilicet de *Bewic* cum ſuis pertinentibus, fractus precum importunitate, tenuit inconcuſſam. Et de terra *Egulvingeham* ſimili involutus ſimplicitate, ratam habuit. Inſuper quoque, poſt mortem ipſius *Goſpatrici*, prædictam terram filio ejus *Edgaro*, Charta ſua confirmavit, Redditum tamen annuum accrevit. Qui enim priùs ſexaginta ſolidos annuos reddere ſolebat, modò quatuor libras, Eccleſiæ *Sancti Oſwini*, & etiam viginti ſolidos, aut ſeptem Boves, unumquemque valentem tres ſolidos. Et ſi Boves deficiant, pro unoquoque Bove tres ſolidos Eccleſiæ *Sancti Albani* perſolvit. Præterea, Eccleſiam *Sanctæ Trinitatis* *de Boſco*, Cæteraque ædificia, bis à fundamentis ex ſumptibus hujus Eccleſiæ conſtruxit: *De Cella Monalium de Boſco.* & totam decimam noſtram de dominio de *Caiſo*; & duas partes decimæ garbarum, de tota parochia de *Wateford*, eidem Eccleſiæ abſque conſenſu Conventus, violenter conceſſit. Et ſilvam de *Northaga Rogero de Valoniis*: Et totam terram de *Weſtwica* quam *Humbaldus* tantùm vita ſua tenuerat, quæ de menſa Monachorum fuerat; *Hugoni* ejuſdem *Humbaldi* filio, conceſſit, cum ſorore ſua in matrimonio. Similiter præter voluntatem Conventus; ſolo ſuo impetu, & ſua tantùm fretus auctoritate, & Carnali fractus affectione: Quandam etiam terram quam *Weſtwicham* nominavimus, cuidam clienti ſuo, conſanguineo prædeceſſoris ſui *Ricardi* Abbatis, & ſibiipſi, ſcilicet, Abbati *Gaufrido* familiari, contulit, & Carta confirmavit, ſine aſſenſu Conventus, in magnum gravamen & præjudicium Eccleſiæ. *De Weſtwica Anglice ſcripta; Habetur in Theſauro Sancti Albani.* Ille autem cliens, ignobile genus trahens à quodam pago in *Normannia*, qui *Gorham* dicitur, fuit oriundus: Feretrum quoque beati Martyris *Albani* quod ipſe operuerat auro & argento & gemmis pretioſis, ut prædictum eſt, diſcooperuit, ut eiſdem ſpoliis pretioſis, miſerias pauperum alleviaret. Et theſauros Eccleſiæ (ſumens exemplum à beato levita *Laurentio*) in uſus pauperum diſtribuendo erogaret. Si hoc fuerit bene vel non perpetratum, novit ille qui nihil ignoraut. Sed poſtea arridente tempore proſperitatis ac fertilitatis, idem Abbas Feretrum illud multò pretioſius, quàm ante fuerat, auro & argento & gemmis variis adornavit. Scilicet omnia præter *Criſtam*, quam propter obloquentium morſus invidorum, ne diceretur quòd abundavit multo theſauro diu abſcondito: quod jam dictum illi innotuit. Poſtea verò propoſuit illam pretioſiùs fabricatam, ut ſumma operis compleretur, apponere. Sed illud & alia pia propoſita, mors immatura ſuccidit, dum adhuc ordiretur. Igitur cum prædictus Abbas *Gaufridus* ſuſceptum officium paſtorale, xxvi. annis, & aliquot menſibus ſtrenuè adminiſtraſſet, quinto Kalend. Martii ex hac vita fœliciter migravit ad Dominum, mercedem perpetuam à beato Martyre, cui fideliter miniſtravit, percepturus, Anno incarnationis Dominicæ, M. C. XLVI. Indictione ix. Epactis exiſtentibus, vi. concurrente i°.

Monen-

Monendus es (Lector amice) poſt hunc locum, in majori libro Cattoniano, (*in eo ſcilicet, cui additiones vitarum aliquot Abbatum, fecerat* Thomas Walſinghamus) *ſequi tres magnas paginas,* de ſanctitate & actibus Rogeri heremitæ. *Scilicet qui cellam ſive cottam hereniticam, non procul à* Duneſtaple, *inhabitabat. Habentur ibi etiam plurima, de ſancta* Chriſtina, *quæ eidem cohabitavit: in cujus gratiam iſte* Gaufridus *Abbas, fundavit domum ſanctimonialium de* Merkgate. *Hujus* Chriſtinæ *&* Rogeri, *narrantur quædam miracula. Poſt hæc omnia, adjicitur capitulum unum, de ſancto* Siagro *heremita apud* Northagam, *& quòd ſcilicet, luſciniæ cæteræque aves vocales, precibus ejus arcebantur, ne ampliùs cantare auderent juxta ejus cellam, vel ad ſpacium milliaris ab ea. Quod idem vulgo narratur de* Thoma Becket; *ſcilicet in parco ſive vivario quondam ſuo, apud* Aldingtonam *in* Cantio. *Sed meritò dubitare aliquis poterit, an unquam luſciniæ, vel illic ante* Siagrium, *vel hic ante* Beckettum, *cantillare conſueverunt.*

Radulphus, *decimus ſeptimus, Cognomento* Gubiun.

RAdulphus. Iſte dum ſæcularis fuit bajulus, ſcilicet, Capellanus & cuſtos theſauri Epiſcopi *Lincoln.* fuit. Procurante igitur Epiſcopo, factus eſt in conventu *Sancti Albani* Monachus. Et poſt ſuſceptionem habitus, juſſu Abbatis adhæſit per aliquod tempus, eidem Epiſcopo. Et promiſit ei Epiſcopus, quod ſi ſuperviveret, Abbatem eum loco ejus ſubſtitueret. Epiſcopi enim pro voluntate omnia in Eccleſia *Sancti Albani* ordinabant & diſponebant aliquando, contra honeſtatem & ejus utilitatem. *Hic Anglica* natione oriundus primitùs Antiquariorum domum, Abbatis ſui juſſione, prudenter rexit, librorumque copiam huic Eccleſiæ contulit. Deinde poſt aliquot annos, præcepto Abbatis ſui *Alexandro* Epiſcopo *Lincoln.* adhærens, Bajulíque officium exercens, magiſtri *Wodonis Itali* in ſcripturarum ſacrarum doctrina, auditor extitit fructuoſus. Ex tuncigitur amator librorum, & adquiſitor ſedulus, multis voluminibus abundavit. Elapſo igitur aliquantuli temporis curriculo, defuncto prænominató Abbate *Gaufrido* omnium hujus Eccleſiæ fratrum unanimi electione, tempore Regis *Stephani*, hanc Eccleſiam ſuſcepit guberanandam. Atque à præfato *Alexandro* Epiſcopo benedictus, alacriterque in omni dilectione ſuſceptus, & oppreſſionibus variis adjutus, hanc Eccleſiam ab omnium inimicorum infeſtatione (qui jam in nequam ſæculo, diatim ſuccreſcebant) omni vitæ ſuæ tempore, viriliter protegebat. Hic conſtruxit Cameras Abbatis, adjunctas Eccleſiæ, opere ſolidiſſimo, domumque exquiſitis naturæ neceſſariam nimis opportunam, fecit quercinis ſcindulis coopertam. Interea præfatus Abbas *Galliam* adiens, Dominum Papam *Eugenium Altiſſiodorenſi* commorantem invenit, & privilegium huic Eccleſiæ, juxta tenorem privilegii *Cœleſtini* Papæ, ab eo obtinuit. Sicque domum remeans, duo Pallia magna, unum novem, aliud undecim marcarum pretio comparans; huic Eccleſiæ ſua contulit munificentia. Hic etiam proceſſionem in commemoratione beatæ *Mariæ*, quæ ſingulis hebdomatibus in *Albis* celebratur, ad Altare ejuſdem Virginis fieri ſtatuit. Sed & totam Abbatiam inſtauramentis melioratam, adeò à debitorum oneribus immunem reddidit, ut in obitu ſuo nullis creditoribus fuerit in aliquo obligata. Sed & Manerium de *Sepehale*, quod prædictus Abbas *Gaufridus*, *Adæ* Cellerario pro duabus Firmis, id eſt quatuor libris, & duodecim ſolidis perſonaliter conceſſerat; iſte conventui ad Coquinam eorum, perpetualiter habendum conceſſit, & in capitulo confirmavit. Iſte quoque *Radulphus* Priorem ſuum *Alquinum* virum commendabilem, ſecus quam deceret depoſuit, pro eo ſcilicet quod invenit unum ſigillum ſuper menſam aurifrabilem *Ankettelli* monachi ſui, & aurifabri, non inſculptum, & timebat illud fieri, ad incommodum ſuum, & etiam depoſitionem ejus. Fuit enim ſuſpitioſus & inquietus, & odio inexorabili perſequebatur eum. Prior autem depoſitus, verecundabatur nimis, & confuſus, præ pudore confugit ad alas Domini *Laurentii* Abbatis *Weſtmon.* Quia quamvis eſſet Monachus *Sancti Albani* profeſſus, adeptus eſt tamen in Capello *Weſtmon.* monachatum. Abbas autem *Laurentius*, eum benignè ſuſcepit, & miſertus, & miſeratus conſolatus eſt eum. Fuerat enim aliquando in Clauſtro *Sancti Albani* ipſi familiaris, & moram continuavit ibidem idem *Alquinus*, per aliquot annos; qui poſtmodum præclaris meritis ejus exigentibus, in Priorem ibi electus & creatus eſt. Porrò cùm fere quartum, ſeu intialiter quintum ſui Regiminis ageret annum, graviſſima correptus incurabiliter ægritudine, videns Monaſterium jam Rectore deſtitui, providit ſibi & Eccleſiæ. Et ipſius loco, *Robertum* de *Gorham* quem ante Priorem fecerat, ſibi in Abbatem loco ſuo, fratrum electione unanimi petiit ſubrogari: ne poſſeſſiones Eccleſiæ quaſi viduatæ, indefensè diſtraherentur. Quod & effectui mancipatum eſt, temporibus Regis *Stephani*. Ea tamen pia conditione, quatenus poſt mortem ejus, cunctis diebus tantum pro eo faceret Conventus, quantum pro aliis hujus Eccleſiæ Abbatibus: quod libente reſt conceſſum. Sed quia nemo ſine crimine vivit, nec eſt argentum adeò purum vel primum, quin ſcoriæ aliquantulum ſit permixtum, & *quicunque dixerit ſe eſſe ſine peccato, mendax, & veritas in eo non eſt, & ſeipſum ſeducit*; ignorantias ejus breviter, quia breves ſunt, tranſcurramus. Ipſius namque diebus, caſula quædam (de qua ſuperiùs mentionem fecimus

Rex Stephanus.
Iſte Nepos Henrici, *regnavit, annis xix.*
Camera Abbatis.
De ædificiis præfati Abbatis.
De privilegio, per præfatum Abbatem impetrato.
Proceſſio beatæ Mariæ.
Additum de alio Rotulo.

mus) quam prænominatus Abbas *Gaufridus* fecerat, auro obductam, gemmis coruſcantem, taſſellis redimitam, multis, malitia & invidia ſeductis, igne concremata eſt. Sed & thecam beati *Albani*, mirablis artificii venuſtate, præfati *Gaufridi* ſtudio fabricatam (veruntamen non perfectam) pro villa de *Brantefeld* quatuor viginti Marcis comparanda, paſſus eſt, ſpoliari laminis, & laminas conflari, operis ſpreto labore diuturno. Gemmas quoque fecit venundari, cum tamen vaſorum aureorum & argenteorum menſæ ſuæ deditorum, copiis abundaret, de quibus bene potuit villam prædictam comparâſſe. Porrò, comparatam Conventui dedit, & ad fabricam thecæ ſpoliatæ: & poſt hoc, ad ſarta tecta Eccleſiæ reformanda, jure perpetuo liberaliter aſſignavit. Et ſic factum ſuum præteritum excuſavit, *facto pius & ſceleratus eodem.* Inſuper Priorem ſuum virum vitæ venerabilem *Alquinum* nomine inexorabili odio proſequutus eſt, cùm tamen id merita ſua non exigebat, quod rei exitus comprobavit. Cùm enim idem *Alquinus* Prior, non valens ſuſtinere inſequentis Abbatis perſecutiones, qui eundem defamaverat: quòd ſigillum adulterinum ad ſeditiones commovendas, & damna Eccleſiæ eroganda fabricaverat, eidem imponendo: Demum ſe, ex licentia Abbatis & Conventus in Clauſtro *Weſtmonaſterii* recepit. Ubi cum omni devotione & alacritate, tam fratrum quàm Abbatis, eſt receptus. In quo Monaſterio, poſtquam *Deo* factis probabilibus, per alicujus temporis ſpatium militaſſet, totum Conventum exemplo ſuo in ordinis rigore & morum diſciplina reformavit. Ita quòd ibidem idem in Priorem eſt creatus, & curſum vitæ laudabiliter peragens per aliquorum annorum curriculum, poſt mortem Prioris Abbatis ſui, ſcilicet *Albani Gaufridi*; demum moriturus & morti expoſitus, confeſſus eſt ſe nunquam inſidias Eccleſiæ *Sancti Albani* vel Conventui, aliquo modo machinando præparaſſe. Et ſic innocens cum multa probra immeritò ſuſtinuiſſet, fœliciter migravit ad Dominum.

Ignorantia Abbatis Radulph.

Brantefeld.

Hic autem Abbas *Radulphus*, de quo ſermonem protraximus, morbo percuſſus incurabili, videns ſe adminiſtrationi paſtorali inutilem, dum adhuc viveret, diſpoſitis diſponendis, procuravit ex innata ſibi benignitate, alium Abbatem, ſcilicet *Robertum* de *Gorham*, virum per omnia commendabilem, loco ſuo fore ſubrogandum. Quo electo, & ritè in Abbatem creato, vixit adhuc Abbas *Radulphus* per aliquot annorum curricula. Longa igitur decoctus ægritudine, cum huic Eccleſiæ quinque annos benignè præfuiſſet; ſecundo Nonas Julii, ex hac vita ſubtractus eſt, Anno Gratiæ, Milleſimo, Centeſimo, quinquageneſimo primo.

Robertus, decimus octavus.

ROBertus Abbas. Hic dictus eſt *Reformator libertatum Eccleſiæ Sancti Albani.* Hic ex nobili *Normannorum Cænomanenſiumque* proſapia, originem ducens, atque venerabilis *Gaufridi* Abbatis (de quo ſuperiùs mentionem fecimus) Nepos exiſtens, liberarum literarum ſtudiis animum propenſiùs adhibuit, & tam mundana quàm ſpirituali induſtria coruſcavit. Hic quoque *Robertus* Abbas, habitum Monaſticum in partibus ſuſceperat tranſmarinis. Cumque audiret quod Avunculus ſuus in Abbatem in domo *Sancti Albani* ſublimaretur, deſideravit ipſum & domum ipſius videre; Petita igitur & obtenta licentia ab Abbate ſuo, gratia viſendi tantum Amicum, in partes venit *Anglicanas*. Receptus igitur ab Abbate *Gaufrido*, & à ſuis cum omni veneratione, poſtquam viderat in domo *Sancti Albani* Conventualem diſciplinam per omnia commendabilem, rigorem Ordinis, morum obſervantiam, poſſeſſionum libertatem: Complacuit ei in eadem domo omninò commorari; in fratrem ſuſceptus, & Conventui annumeratus. Cui talia proponenti & petenti, reſpondit Abbas *Gaufridus*, addens juramentum, "quód nunquam in ſua domo in "fratrem ſuſceptus commoraretur, niſi literis ab Abbate ſuo commendatitiis ac dimiſſoriis, primitùs impetratis. Quo audito, dictus Monachus *Robertus*, domum ſuam adiit, & ſecundùm propoſitum ſuum, Literas dimiſſorias Abbati *Gaufrido* deferendas, ab Abbate ſuo, (licet difficulter) impetravit. Ex tunc igitur, ad petitionem Abbatis *Gaufridi*, & inſtantiam ipſius Monachi *Roberti*, in Monachum & fratrem Eccleſiæ *Sancti Albani*, gratanter eſt ſuſceptus. Poſtea verò in Eccleſia *Sancti Albani*, Secretarii ſuſcepit adminiſtrationem: In quo officio de bono in melius proficiſcens, Eccleſiam pro majori parte plumbo decenter cooperuit. Deinde aliquanti temporis elapſo curriculo, diebus bonæ memoriæ *Radulphi* Abbatis præmemorati, ritè in Priorem eſt electus, ut prædictum eſt. Qui duobus fere annis in Prioratu tranſactis, præfato Abate cedente, & Cameram quam ſibi ſub Refectorio paraverat intrante, unanimi voluntate in Abbatem electus & ordinatus, ſubſtitutus eſt. Ordinatus autem, dedit huic Eccleſiæ *Pallium* decem marcarum, quando a Conventu ſuſceptus eſt: quod poſtea de licentia Conventus, dedit Eccleſiæ *Sancti Oſwini*, de *Thinemue*. Porrò res Eccleſiæ diſperſas congregare ſtuduit; & conſervare cautè congregatas. Et innata ſibi liberalitate, *Laurentium* Abbatem *Weſtmonaſterii* de novo creatum (ut prætactum eſt) omni inſtauramento deſtitutum (qui dilapidatorem habuit prædeceſſorem) adeò efficaciter juvit, ut in brevi honorificè reſpiraret. Tamen idem Abbas *Laurentius*, ſuæ immemor Creationis,

&

& recreationis, contra ipſum Abbatem *Robertum* Calcaneum levans, eundem multis laceſſivit injuriis, & damnis fatigavit. Et nitentem quædam diſperſa revocare, præcipuè *Aldenham*, argumentoſe fraudibus impedivit, mala pro bonis recompenſans.

Hic etiam piæ memoriæ Abbas *Robertus*, Eccleſiam *Sancti Albani*, quam dum Secretarius fuerat plumbo pro majori parte cooperuit, interius & exteriùs decenter dealbavit, & quædam vetuſtate conſumpta reparavit.

De origine Adriani Papæ.

Hujus quoque tempore, quidam Clericus nomine *Nicholaus*, de quodam viculo Abbatis, ſcilicet *Langele*, oriundus, Cognomento *Brekeſpere*, in arte Clericali ſatis ſupinus, ætate Adoleſcens, Corpore elegans, venit ad Abbatem *Robertum*, poſtulans humiliter habitum ſibi concedi Religionis. Qui cùm examinatus et inſufficiens inveniretur, dixit ei Abbas ſatis civiliter; *Expecta, fili, & adhuc Scholam exerce, ut aptior habearis.* Unde ipſe Clericus, verecundus, reputans talem dilationem, repulſam, abiit: et *Pariſios* adiens, ibique ſcholaris vigilantiſſimus effectus, omnes ſocios, diſcendo ſuperavit. Tandem Canonicus factus, apud *ſanctum Rufum* non procul a *Valencia*, *Romam* pro quibuſdam agendis deſtinatus ſtrenue negotium conſummavit; & iterum meliùs; et tertiò miſſus, electus eſt in Cardinalem, et poſtea in Papam.

De Eccleſia de Luitona.

Ipſis quoque diebus, erat quædam Eccleſia in villa de *Luitona*, parochialibus copioſa, & opimis terris dotata. Hæ terræ, cum ipſa Eccleſiâ, pertinentes ad feodum Comitis *Glovernia*, cujuſdam *Willielmi* Camerarii violentia injurioſa (de quo in ſequentibus loqui habemus) in officii militaris officium erant redactæ: & ut fieret, idem *Willielmus*, dedit dicto Comiti *Roberto* de *Glovernia* decem marcas. Qualiter autem id acciderit, qualemve introitum præfatus *Robertus* Abbas habuerit, in hanc Eccleſiam, dignum duximus propalare. Defuncto namque dicto *Roberto* Comite *Gloverniæ*; *Willielmus* filius ejus in paternam ſucceſſit hæreditatem. Qui dum adhuc eſſent in fidelitate & ſervitio Regis *Stephani*, Comiti *Gileberto* dedit quale ipſe habebat dominium Eccleſiæ de *Luiton*: & terræ eidem Eccleſiæ pertinentis. Et eum inde ſeiſire ecit, per *Gaufridum* de *Watervilla*, qui loco ſui ad inveſtituram hanc faciendam miſit *Luitonam*, *Walterum* de *Querceto*. Hanc autem donationem & ſeiſinam, multi viderunt & audierunt: *Willielmus* vèro Camerarius (Laicus quidem & uxoratus) Eccleſiam occupaverat & Eccleſiæ libertatem (ut prædictum eſt) redegerat in ſervitium officii militaris. Comes itaque *Gilebertus* intelligens hoc eſſe diſſonum rationi, Conſenſu Regis, prædictam Eccleſiam, & totam terram, eidem Eccleſiæ pertinentem, quam dictus *Willielmus Camerarius* injuſtè occupaverat, ſicut Advocatus dedit & conceſſit in eleemoſynam, *Gilberto* de *Cymmay*, Cognato ſuo, clerico & Regis capellano; volens juris Eccleſiaſtici libertatem redintegrare. Rex itaque & Comes *Gilbertus Alexandro* Epiſcopo *Lincolnienſi*; "*Gilebertum* de *Cymmay* "præſentaverunt, poſtulantes ut prædictam Eccleſiam ei concederet, & eum appeiſonaret. "Epiſcopus vero reſpondit, ſe nolle *Willielmum Camerarium* ab Eccleſia, licèt eum injuſtè "poſſideret, niſi judiciario ordine ſubmovere. Statuit ergò ei, & *Gileberto* de *Cymmay*, placitandi tempus & locum. Ad diem eis poſitum, *Willielmus* non venit, ſed miſit Nuncios, qui dicerent, "ipſum nolle ſiſtere ſe judicio coram Epiſcopo, de Eccleſia quam "non in eleemoſyna, ſed pro militari ſervitio hæreditariè poſſidebat. Statutus eſt igitur eis iterum dies alius, ſed in eo nihil ampliùs effectum eſt. Nolens itaque Epiſcopus adhuc abſentem judicare; ne nimiæ feſtinationis redargueretur, poſuit ejus diem tertium in villa *Luitun*, in qua ipſe *Willielmus* manebat, ne ſe poſſet divertere vel excuſare. Infra hunc diem, Epiſcopus *Lincolnienſis* ſuſcepit mandatum Epiſcopi *Oſtienſis* (qui tunc in *Anglia* Legatus erat) ut diligenter inquireret, utrùm terra quam *Willielmus* "*Camerarius* tenebat, eſſet de jure Eccleſiæ *Luituniæ*. Quod ſi conſtaret, & Eccleſiam & terram, in juris Eccleſiaſtici libertatem revocaret. Et hoc mandatum habebat *Gilebertus* de *Cymmay* præ manibus. Cùm autem ad diem hunc tertium ventum eſſet, *Willielmus* ut ſolebat, non affuit: ſed quoddam breve Regis allatum eſt in præceptum hominibus de *Luitun*: ut de jure Eccleſiæ veritatem recognoſcerent, & de terræ utrum "ad Eccleſiam pertineret, et veritatem quam inde elicerent approbarent. Hoc idem etiam ex parte Epiſcopi præceptum eſt. "Teſtatum eſt ergò "ab omnibus & affirmatum conſtanter, quòd a prima fundatione Eccleſiæ, quinque Hidæ in "*Luitun.* eidem in liberam eleemoſynam datæ ſunt: & poſtea ſuccedente tempore, aliæ "terræ a perſonis Eccleſiæ adquiſitæ ſunt. Et ſic Eccleſiam cum tota terra, in Eleemoſynam "ſemper ab omnibus habitam eſſe, uſque ad tempus ultimi *Willielmi Camerarii*, qui Eccleſi"aſticam libertatem in ſervitium militare convertit. Hoc ab omnibus teſtatum, tres electi tactis ſacroſanctis Evangeliis, probaverunt. Quod poſtquam conſtitit, *Willielmus*, qui Eccleſiam injuſtè occupaverat, judicio deſſeiſitus eſt, & Eccleſia in manus Epiſcopi ſeiſita fuit. Hiis actis, cum *Gilebertus* de *Cymma* eum requireret, ut ſe, ſicut ei præſentatus fuerat, de Eccleſia jam liberata & vacante ſeiſiret; Rem produxit, & in reſpectum poſuit, uſque ad quoddam Colloquium quod apud *Oxoniam* eſſe debebat. Cùm autem illuc ventum eſſet, Recordatis & oſtenſis rebus omnibus, prout juſtæ fuerant coram Archiepiſcopo *Theobaldo* & Epiſcopo *Lincolnienſi*, & multis aliis, non ſolùm indigenis, ſed etiam *Alienigenis*: Gilbert. de *Cimmay* de Eccleſia de *Luiton*. & de terra & de omnibus eidem Eccleſiæ pertinentibus, judicio communiter ab Archiepiſcopo et Epiſcopis facto, ſeiſitus eſt. Nam multò poſt prædicto Comite

Gilberto

Gilberto (cui jus Advocationis Eccleſiæ de *Luiton.* cum terra ad eam pertinente, ſicut jam dictum eſt, conceſſum fuerat) à fidelitate & ſervitio Regis *Stephani* iniquè recedente, Rex totam villam de *Luiton.* & totum feodum dicti Comitis (quantum in ipſa villa erat) dedit cuidam militum ſuorum; *Roberto* ſcilicet *Wandari*, ſibi fideliter adhærenti. Quo facto, prædictus *Gilbertus* de *Cymmay*, eandem Eccleſiam cum terra ad ipſam pertinente, compelli nullatenus potuit de eo tenere; qui de præfato Comite *Gilberto*, cognato ſuo, tenebat. Cum verò eandem Eccleſiam per ſexdecim annos pacificè poſſiderat, tandem hydropiſi percuſſus, ab omnibus medicis quaſi deſperatis, derelictus eſt. Proinde Abbas *Robertus* eum ſæpius alloquens, deſiderium ſuum de Eccleſia de *Luiton.* adquirenda, ei diſcooperuit. Quo cognito, idem *Gilbertus* de *Cymmay* adquieſcens, quicquid juris in eadem Eccleſia habebat, in manu *Nicholai* Archidiaconi de *Bedeford*, refutando, reſignavit. Statimque Nepotem ejuſdem Abbatis *Gaufridum* nomine, ne fortè ab alio eadem Eccleſia peteretur, inſtanter & imperioſè, & ſic auferetur) ipſo Archidiacono conſentiente, & etiam præfato *Roberto* de *Wandari* (cui idem Abbas conſanguinitate conjunctus erat) hoc petente: imperſonatum ſubſtitui fecit. Nec mora, ipſe *Gilberto* de *Cymmay*, cum filio ſuo *Willielmo*, habitum Monaſticum apud nos ſuſcepit: & in brevi poſt expiravit. Quo defuncto, Abbas *Robertus* conſiderans, ejuſdem *Roberti de Wandari* Conceſſionem ſive Donationem, Regia ſibi poteſtate traditam; firmam nullatenus niſi ad tempus fore, cui de jure nil conſtabat, competere, prænominatum Comitem de *Gloverniа*, adiit: nec diſceſſit, donec ipſam Eccleſiam ab ipſo obtineret. Deinde ipſe Comes conceſſit Eccleſiæ *Sancti Albani* in perpetuum & charta ſua confirmavit, quicquid de feodo ſuo memoratus *Willielmus Camerarius* tenuerat in ſoca *Luiton.* & in *Herteſwelle*, & in *Badeleſdune*, & in *Poteſgrana*, pro ſervitio dimidii militis: quod prædictus *Willielmus Camerarius* patri ſuo in de-facere ſolebat. Eo tenore quòd uxor ejuſdem *Willielmi* omnes terras ad dotem ipſius pertinentes, tota vita ſua teneret de Eccleſia *Sancti Albani*: ſervitium faciendo dictæ Eccleſiæ, quod inde ſibi fuerat factum. Hæc adjiciens, ut ea defuncta, Eccleſia *Sancti Albani* totum feodum per dictum ſervitium, in manu propria teneret. Porrò pro hujus terræ conceſſione, Abbas *Robertus* dedit eidem Comiti, octaginta marcas. Adjecit etiam, idem Comes, & ſcripto ſuo ſanxit; quatenus hujus donationis, adverſus omnes defenſor eſſe deberet. Si autem jure alicujus prævalente, dictum feodum Eccleſiæ defenſare nequiret, aut de eo illud juſtè ad quiſiſſet, eodem ſervitio tenendum daret. Aut octoginta marcas, quas ab Eccleſia *Sancti Albani* pro illo feodo ſuſcepit, eidem Eccleſiæ reſtitueret. Et ſciendum, quod dictus Abbas *Robertus*, tam Regis & Comitis, quàm multorum Magnatum precibus inclinatus, præfatæ Mulieri non ſolùm terram ad dotem ipſius pertinentem; immò etiam terram quam vir ejus tenuerat tantùm in vita ſua de Eccleſia *Sancti Albani*, pro prædicto ſervitio dimidii militis tenendam conceſſit: cum ipſa ſeu vir ejus, nihil juris in ipſa, ut dictum eſt, habuerat, Porrò paucis evolutis diebus, quia eadem terra in officium ſervitii militaris (ut ſæpius prædictum eſt) redacta erat; idem Comes de *Gloverniа*, acceptis ab Abbate *Roberto* triginta Marcis, huic Eccleſiæ præfatum ſervitium dimidii militis ex toto remiſit; Cartamq; ſuam tam de prædicta Eccleſia quam de terra ad eam pertinente; ſuper Altare Beati *Albani* reverenter ac ſolemniter obtulit. Deinde ſæpe dictus Abbas, nullas moras annectens Confirmationem Regis *Stephani* de eadem Eccleſia & omnibus ad eam pertinentibus, per *Baldericum* de ſigillo obtinuit. Cui duas partes Eccleſiæ ejuſdem principaliter de eo tenendas, petitione dicti Regis *Stephani*, conceſſit, ſicut & prædicto Nepoti ſuo *Gaufrido* tertiam partem; & *Adæ* Clerico ejuſdem Eccleſiæ, eandem terram conceſſerit. Interea prædicta mulier, viam, univerſæ Carnis ingreditur: & tota terra quam tenuerat ad dominium Abbatis & Monachorum Eccleſiæ *Sancti Albani*, ſine impedimento transfertur. Porrò pro quadam terræ portiuncula, in liberam Eleemoſynam Eccleſiæ de *Luiton.* antiquitùs deputata; inter ipſum Abbatem *Robertum*, & quendam *H.* converſum de Hoſpitali, jurgium oritur, quandoque ipſa coram Rege Juſticiariis, ſæpiùs ventilatur: Tandem judicio Curiæ Regiæ decretum eſt, quatenus "juramento hominum villæ de *Luitun.* quæſtio illa terminaretur. Unde quidam præfati viri *H.* muneribus illecti; ac multis promiſſionibus corrupti, mendaces teſtes produxerunt: qui juramento probarent, quòd nequaquam terra illa ad eandem Eccleſiam de *Luitun.* pertineret; Et licet omnibus pateret eorum nequitia, pro patriæ tamen conſuetudine admiſſum eſt eorum teſtimonium, & ſacramento confirmatum. Sicque terra a prædicto *H.* in poſterum eſt poſſeſſa. Quod tamen non impunè tulit, horribili namque & repentino ſtatim poſt præoccupatus incommodo, miſerabiliter expiravit. Et circa eoſdem dies, *Herbertus Duket* poſſeſſionibus Beati *Albani* infeſtus, ante majus Altare dum fortè veniret, adeò in pigmæam brevitatem decrevit ut vix ſimiæ retineret quantitatem, qui antea elegantis & magnæ fuerat ſtaturæ. Ita quod nomini ejus cognomentum *Duket* per contrarium adjiceretur. Veruntamen in amaritudine pœnitentiæ de ſe reverſus, prommittens ſe in veritate Deo & ſancto Martyri ſatisfacturum, ſe ſibi meruit reſtaurare. Crebreſcentibus igitur miraculis, & fama Religionis, meruit domus *S. Albani* tam in temporalibus quam ſpiritualibus, fœlix ſuſcipere diatim incrementum. Prænominatus autem Abbas *Robertus*, communi aſſenſu & petitione conventus, aſſignavit, & ſcripto ſuo confirmavit,

Hic aufertur jus Advocationis Eccleſiæ de Luiton *a Comite* Glovern. *per Regem* Stephanum.

Acta inter Comitem Gloverniæ *& Abbatem, ſuper Eccleſia de* Luiton. *Pars terræ de* Luitun. Herteſwell, Badeleſdun. *&* Poteſgrave, *de feod. Com.* Gloverniæ.

De Herberto Duket.

Cellerario hoſpitum totam Eccleſiam de *Luitun*: cum libera efficeretur. Cum tota Eccleſia de *Hoctona*, & cum omnibus rebus ad eas pertinentibus. Et cum omnibus terris quas *Willielmus Camerarius*, tenuit in Soca de *Luitun*: & in villa de *Hoctona*, & in *Hertevella*, & in *Badeleſdun* : & in *Poteſgrava*. Ita ſcilicet quòd prædictæ Eccleſiæ, cum omnibus terris, & omnibus earum pertinentiis, omni deinceps tempore forent in manu & diſpoſitione Cellerarii, qui Curiæ præeſſet, ut ex redditibus & fructibus ex eis provenientibus, provideret, quæ neceſſaria forent ad ſuſtentationem ſupervenientium hoſpitum & ad reædificandas & conſtruendas omnes domos Curiæ, & reficiendos fratres in die anniverſarii ſui. De ea tamen portione, quam *Adam* Clericus tenebat, decrevit, ut proviſione Conventus hujus Monaſterii, duo honeſti ſacerdotes ſubrogati, ſuſtentarentur futuris in perpetuum temporibus, ad celebranda divina officia in eadem Eccleſia de *Luitun*. Eapropter, ex auctoritate Dei Omnipotentis, & beatæ *Mariæ*, & beati *Albani*, & omnium Sanctorum & ſua, anathematizavit, & à liminibus Eccleſiæ ſequeſtravit, omnes qui hanc ſuam donationem vel ordinationem, vel infringere, vel immutare præſumpſerint, aliquo tempore ſuccedente.

Prior de Thynemue, *electus eſt in Abbatem de* Selebye.

Dum autem talia fœliciter conſummarentur, & apud Deum & Homines Eccleſia hæc gratioſè proſperaretur, bonæ recordationis Dominus *Germanus* Monachus hujus Eccleſiæ, & prior de *Thynemue*, electus & creatus eſt in Abbatem de *Seleby*, ad reformationem ordinis qui ibidem deperierat (*Elya* Abbate cedente) per Archiepiſcopum *Eboracenſem Henricum Mordac*, in cujus Dioceſi dicta Eccleſia de *Seleby* eſſe dignoſcitur. Præfuerat enim idem *Elyas* Abbas dictæ Eccleſiæ ſuæ, paſtor neſcius & remiſſus, ſed Archiepiſcopo defuncto *Henrico*, memoratus *Elyas*, expulſo *Germano* irreverenter ſe intruſit in Abbatiam de *Seleby*; ſe faciens Abbatem exclamari. *Germanus* verò ad domum ſuam, ſcilicet *Sancti Albani* rediens, honorifice ab Abbate *Roberto* & toto Conventu (ut decuit) ſuſceptus eſt. Miſit igitur Abbas *Robertus*, unum Monachum de noſtris, *Romam* feſtinanter, ſuper tali injuria, querimoniam Domino Papæ repoſiturum. Qui audita tali præſumptione, commotus eſt valdè; talem tantumque abuſionem terribiliter compeſcuit & punivit: ſimiliter & *Osbertum*, Archidiaconum, hujus rei incentorem: & ſic honorificè reſtitutus eſt *Germanus* in domum ſuam de *Seleby*, *Elya* cum confuſione repulſo.

Reſpiravit igitur domus illa fœliciter, in ſpiritualibus & temporalibus, ipſo Abbate *Germano* diligenter deſudante. Similter procurante Epiſcopo *Lincolnienſi Alexandro*, & aliis virtutum & ordinis æmulatoribus; Abbas *Robertus* ad reformationem Ordinis qui in domo *Croylandiæ* emarcuerat, Dominum *Godefridum* hujus Eccleſiæ Monachum virum moratum & bene literatum cum Domino *Adam* Nepote ſuo Monacho, viro circumſpecto & diſcreto in temporalibus (ſed illiteratus) tranſmiſit, & conceſſit in Abbatem eligi & creari *Croylandiæ*, qui ordinem hujus domus cum conſuetudinibus, ibidem conſtituit obſervari. Et ſic eo diligenter procurante, refloruit ordo & religio domus prænominatæ, intrinſecus, & extrinſecus in temporalibus, Domino *Adam* nepote ſuo vigilanter deſudante, ſtatus domus fœlix ſuſcepit incrementum, ut unus fratrum vices *Mariæ*, alter *Marthæ*, videretur fideliter adimplere. Sed quia non potuit diu latere memoratus *Adam*, quin odor bonæ famæ ejuſdem, uſque ad Abbatem *Robertum* aſcenderet, revocavit eum domum, & eum ſuum conſtituit Cellerarium. Cujus peritia in rebus agendis & efficax diligentia, præcipuè coquinæ pertinentibus, effecit ut ſpecialem memoriam cum benedictione ſemper promereretur. Unde meruit in capitulo ſolemnitur ſepeliri. Ipſis quoque temporibus, Rex *Stephanus* tranſitum faciens per nos, in hac domo honorificè hoſpitatus; & decentibus reſpectus eſt muneribus, Abbate *Roberto* prudenter procurante. Rex autem cum in craſtino Miſſam audiret ad Altare Sancti *Stephani*, Abbas allato Sancti Martyris, & ſtatuto ante pedes Regis feretro, cecidit proſtratus ante ipſum Regem & Magnates ejus, petiit inſtantiſſimè, ut ipſe, pro amore Dei & Martyris, cujus reliquiæ apportabantur, dignaretur Reliquias Caſtri Regalis quod *Kingsbury* appellabatur, penitùs delere.

Reliquiæ Caſtri de Kingsbury *ſunt deletæ.*

"Latebant enim "in eodem ferè loco, ubi caſtrum Regis fuerat ab antiquis temporibus dirutum, quidam "æditui Regales, ſervi conditione, ſed Abbatiæ nocivi & damnoſi, habentes in medio "ferè vici ſeorſum verſùs orientem, unum propugnaculum vel municipiolum, pro refu- "gio & manſione, & ſe dicentes Regis fideles ſervientes, & cuſtodes pacis & patriæ, po- "tiùs pacem & patriam perturbabant, & emolumentis, & turpibus inhiabant quæſtibus "quàm pacis commoditatibus intendentes. Rex autem piiſſimus *Stephanus* quaſi attonitus, à circumſedentibus interrogabat, quid hoc eſſet? Cui ſtatim quidam Magnatum de aſſeſſoribus Abbati amiciſſimus, reſpondit. "Domine mi Rex, non procul hinc, imò, ſub alis "hujus Cœnobii, ſpelunca quorundam latrunculorum eſt, qui toti patriæ ſunt nocivi, "& vobis non minùs damnoſi, quam petunt hii vobis devoti ſancti viri, quibus eſt quaſi "ſpina in oculo, penitus aboleri.

Rex igitur precibus Abbatis, ac Fratrum ac Magnatum obtemperans, juſſit illas veteris caſtri reliquias, cum ſuis habitatoribus penitus deleri, ad Abbatis piam voluntatem & deſiderium. Quod ſtatim fecit Abbas, ſolo tenùs; ut nec veſtigia comparerent complanari, arari & ſeminari, ſuis diſperſis ſatellitibus. Poſthac autem evoluto parvo tempore,

Rex

Rex Henricus ſecundus, qui regnavit Ann. 34. Rex ſeiſivit Eccleſiam de Luitona.

Rex benigniſſimus *Stephanus*, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, cui *Henricus* ſecundus, Dux *Normannorum* ſucceſſit in Regnum. Edictum igitur ab ipſo promulgatur, "quatenus omnes terræ quæ per totam *Britanniam* in Dominium prædeceſſorum ſuorum Regum *Angliæ*, ſecundùm Juramentum hominum ſuorum, quolibet tempore habitæ ſunt, ſine alicujus contradictione redderentur, futuriſque temporibus, in Dominio ſuo ſucceſſorumque ſuorum, ſervarentur. Unde contigit, ut iidem ſacramenti præſtitores, antiquorum aſſertionibus provocati. "Eccleſiam de *Luitona* ad Regis juriſdictionem antiquitus pertinuiſſet, teſtificarentur ſacramento confirmantes, nam multi veterem Eccleſiam de *Luitona* ſuper Dominicum Regni fiſcum fundatam fuiſſe affirmabant, ideoque ad donationem regis pertinere. Sed dein ipſa funditùs terræ coæquata, illam quæ modò cernitur, ſuper feodum Comitis *Gloverniæ*, fuiſſe conſtructam. Quibus Rex *Henricus* auditis, Eccleſiam de *Luitona* in manu ſua per *Richardum Pictavenſem* Archidiaconum, ſeiſiri fecit. *Balderico de ſigillo*, & *Adam* Clerico penitus amotis. Quamobrem Abbas triſtis effectus, Regem *Londoniæ* commorantem adiit, & ut ob reverentiam ſui Prothomartyris, Eccleſiæ ſuæ miſeretur, quaſi improbus exactor inſtabat. Rex autem miſertus cum conſilio ſuo locutus, totam Eccleſiam de *Luitona* cum pertinentiis tradidit ipſi conſervandam, quouſque de ea quid facere vellet ſibi per ſe, vel per nuncios ſuos, pleniùs diſpoſuiſſet. Proinde memoratus Abbas, æquanimior effectus, præfatum *Richardum Pictavenſem* quaſi Regis auricularium, ſecreto petiit quatenus Regi efficaciter ſuaderet dictam Eccleſiam, Eccleſiæ *Sancti Albani* concedere. Quod idem conceſſit, ſi tamen duæ partes ejuſdem Eccleſiæ quas dicti duo Clericio, ſcilicet *Baldericus* & *Adam* tenuerant, ſibi concederentur. Quod Abbas in diſtricto poſitus, (etſi minus canonicè) benignè conceſſit. Non multò verò poſt, Rege *Clarundoniæ* exiſtente, venit ad ipſum Abbas *Robertus*, immiſcens preces promiſſionibus, aliquando rigorem juris interponendo, Martyriſque vindictam in offenſores ejuſdem. Tandem peroratum eſt, & Deo dante definitum, "Ut Rex totam Eccleſiam de *Luitona* "& Eccleſiam de *Hoctona*, cum omnibus ad eas pertinentibus, Regia liberalitate in liberam & perpetuam eleemoſynam, *Roberto* Abbati ibidem tunc exiſtenti, & Eccleſiæ *Sancti Albani*, ad ſuſceptionem hoſpitum indigentium conceſſit, & Carta ſua confirmavit, ut rata foret ſua confirmatio in perpetuum.

Eccleſiæ de Luiton. *& de* Hogton, *per regem* Henricum *donantur huic Eccleſiæ.* Adrianus *Papa.*

Paucos poſt hos dies, obiit Papa *Anaſtaſius*, cui *Nicholaus*, tunc Epiſcopus *Albanenſis*, ſucceſſit, vocatus deinde *Adrianus quartus*. Vir quidem religioſus, & natione *Anglicus*, qui fuerat priùs Abbas Canonicorum *Sancti Rufi* in *Provincia*. Et quia non videtur penitus alienum à materia mea; de ſerie vitæ ejus, ſummam opuſculo huic, duximus interſerere.

De Papa Adriano.

Hic *Nicholaus* (de quo prælibavimus paucula) filius fuit cujuſdam *Roberti* de *Camera*, qui honeſtè vivens in ſæculo literatus aliquantulum, habitum religionis in domo *Sancti Albani* ſuſcepit: & filium ſuum memoratum *Nicholaum*, clericum & ſcholarem in Clauſtrum attrahere volens, interpellavit Abbatem pro ipſo, ut eundem in Monachum ſuſciperet. Abbas autem conceſſit, ſi idoneus idem *Nicholaus* inveniretur. Sed examinatus, inſufficiens repertus eſt. Receſſit igitur confuſus *Nicholaus*, & abiens in *Provinciam*, in domo Sancti *Rufi* Canonicus effectus eſt, qui poſtea meritis exigentibus, in eadem domo ſortitus Abbatis eſt dignitatem. Et poſtea cum benè per aliquot annos vixiſſet, & negotia domus prudenter pertractaret, *Romam* adiit pro quibuſdam arduis ſuæ domus negotiis expediendis. Et cum ipſa in Curia *Romana* efficaciter & prudenter conſummâſſet, famoſus effectus eſt, & cum vacaſſet ſedes *Albanenſis*, electus, ipſam ſortitus eſt. Qui hic de magno major effectus, diatim fœlix in omni virtute ſuſcipiens incrementum; demum Papali ſede vacante, Papa, poſt *Anaſtaſim* (ut dictum eſt) fœliciter eſt ſublimatus. Hic in tantum Eccleſiam beati *Albani* dilexit, ut quicquid ejuſdem Eccleſiæ fratres ab eo petiiſſent, ſine difficultate conſequerentur. Illius namque pater, ut prætactum eſt, Monachus *Sancti Albani*, quinquaginta annis, & amplius, vitam laudabiliter continuavit, & fœlici fine terminavit. Unde in capitulo, tum propriis, tum filii ſui Domini Papæ meritis exigentibus, meruit ſepeliri, non procul à tumulo *Richardi* Abbatis, qui poſtea tegulis pavimentalibus eſt coopertus.

Audita igitur apud nos promotione Domini Papæ *Adriani*, exultans *Robertus* Abbas ad reparandas hujus Eccleſiæ antiquas dignitates, ad iter tranſalpinum accingitur, equos præparat, impenſas perquirit, xenia congregat, quæ ad pretium ſepties viginti marcarum (præter Cyphos quinque, & mitras tres pretioſiſſimas, & ſandalia & deſiderabilia) ſunt æſtimata. Die igitur Sancti *Dyonyſii* iter arripuit, *Romam* petiturus, illius comitatui adhærentibus tribus Epiſcopis *Cænomanenſi*, *Luxonienſi*, & *Ebroicenſi*. Dederat namque in mandatis Rex *Henricus* ſecundus noviter inunctus, ipſis Epiſcopis & eidem Abbati *Roberto*, quatenus quædam ardua negotia Regalia (de quibus non pertinet ut enarremus ad præſens) *Romæ* expedirent. Conſtituit etiam Rex ipſum Abbatem, ſui negotii ſuum procuratorem præcipuum & ſummum, & confecit eis inde literas Regio ſigillo ſignatas. In quibus humiliter & devotè Dominum Papam deprecatus eſt, ut ſe favorabilem tam negotiis Eccleſiæ Sancti *Albani*, quàm ſuis propriis, exhiberet, utpote patrocinatui ipſius, ſpecialiter

Abbas ad Papam accedit.

ſpecialiter ſubjacentis. Recedentes igitur ab *Anglia*, naves conſcendunt. Intumeſcente autem Mari, imminet periculum jam demerſionis. Abbas autem ſpecialiter invocans auxilium beatæ *Margaretæ* Virginis & Martyris, repentinum & contra omnium opinionem, ſenſit in naufragio ſuffragium. Unde vovit, quòd in Eccleſia nomen ejus in Litania poneretur propenſiùs honorandum. Proſperè igitur applicantes, & poſtea itinerantes, & multas latronum inſidias evadentes, tandem *Beneventum* ubi Dominum Papam inveniunt, pervenerunt. Qui eos ſereno vultu & animo gaudenti ſuſcepit, & inſolitum honorem exhibuit. Expediunt Regalia pro libitu negotia. Remanente igitur Abbate, recedunt Epiſcopi, Regi favorem Papalem, & diligentiam Abbatis renuntiantes. Dominus enim Papa, amicabiliter coegit Abbatem remanere, ut propenſiùs cum ipſo colloquium continuaret, & ejuſdem moram, verſus Regem per Epiſcopos excuſavit. Obtulit igitur Abbas Domino Papæ, aurum & argentum non minimi ponderis, & alia munera pretioſa. Mitras etiam tres, & *ſandalia* operis mirifici, quæ Domina *Chriſtina* Prioriſſa de *Markgate* diligentiſſimè fecerat. Et cum omnia ſereniſſimo vultu intuitus eſt Dominus Papa, omnia acceptavit, ſed non accepit, præter Mitras & ſandalia, quia admirabilis operis. Multum autem devotionem & urbanitatem ipſius commendavit, & jocoſe ait, *Abnuo recipere munera tua, quia me aliquando ad alas Religionis domus tuæ confugientem, & habitum Monaſticum charitativè poſtulantem, recipere renuiſti.* Cui Abbas. *Domine, vos nequaquam potuimus recipere, voluntas enim Domini repugnavit, cujus prudentia vitam veſtram direxit ad altiora.* Et reſpondit Dominus Papa, *eleganter & civiliter reſpondiſti, & complacuit ei reſponſionis verbum.* Et addidit, *Abbas chariſſime, audacter pete quod vis, non poterit beato* Albano *deeſſe ſuus Albanenſis.* Tunc Abbas in bonam ſpem erectus, circumſpectus & prudens, de licentia Domini Papæ, omnia illa auri & argenti munera (quæ ferè ad ducentas marcas æſtimabantur) Cardinalibus & Familiaribus Domini Papæ, jocundos amiſcendo ſermones & ſociales, liberaliter diſtribuit. Et propter hæc, jocalia deſiderabilia, quæ *Londoniis* & *Pariſiis* comparaverat, munificentiſſimè donavit: ſciens ipſos *Romanos* eſſe inſa-
" tiabiles ſanguiſugæ filios pecuniæ ſitibundos. Quid plura? Extollitur nomen ejus ad ſidera, omnium adepto favore *Romanorum*. Cùm igitur una dierum familiariter, & ſecreto colloquerentur Dominus Papa & Abbas, intimavit Abbas, quaſi abortis lachrymis & ſingultibus ſermonem prorumpentibus, varias oppreſſiones *Lincolnienſis* Epiſcopi, inſidias, irruptiones, preces imperioſas, repulſas damnoſas, epiſcopalium, etiam vilium perſonarum ſuperbiam, intollerabilem. Dominus igitur Papa miſertus & miſeratus, conceſſit Eccleſiæ Sancti *Albani* inſigne privilegium, ſic incipiens, *Incomprehenſibilis, &c.* " In quo
" nos ab omni Epiſcoporum ſubjectione, tam in corpore Monaſterii degentes, quàm in
" Cellis ſeu in cuſtodiis villarum habitantes, ita liberos effecit, ut nullum Epiſcopum (præter *Romanorum* Pontificem) in poſterum habeamus. Et præter hoc, privilegia nobilia alia plura, adeò ut non ſit aliud Cœnobium in *Anglia*, ipſi Eccleſiæ Sancti *Albani* in privilegiis comparabile. Et cum aliquandiu in Curia cum Domino Papa moram protraxiſſet Abbas, & familiare colloquium ſæpe commiſcerent, retulit Abbas, quaſdam conſuetudines hoſpitalis charitatis, Cœnobii *Sancti Albani:* & quomodo per unam diætam competentem, ita ut omnibus tam pedes, quam eques itinerantibus, nec minima nec magna indicetur; diſtat à *Londoniis*, ubi totius Regni concurſus eſt populorum. Et illac omnium Aquilonarium meantium & remeantium, frequens hoſpitatio. Interſeruit quoque, quaſi occaſionaliter Abbas, qui ipſe & Epiſcopi prædicti *Romam* tendentes, cum ad Monaſterium *Sancti Benedicti* ſuper *Liger.* gratia hoſpitandi declinaſſent, Abbas eis, tam procurationem quàm tectum, procaciter denegavit. Unde Papa commotus, ſcripſit ejuſdem Eccleſiæ Abbati, Epiſtolam acrem, comminationem & paternam correptionem continentem, ſic incipientem: *Si religioſæ profeſſionis, &c.* Unde Abbas memoratus confuſus, correptus, & correctus, ſtatuta hoſpitalitatis Cœnobii ſui, ſalubriter ampliavit; Papalem metuens ſeveritatem.

Mutua collocutio Papæ & Abbatis.

Privilegium Adriani Papæ.

Abbas redit à Curia.

Expeditis quidem negotiis, pro quibus Abbas *Robertus Romam* adierat, literiſque acceptis à Domino Papa ſpecialibus Regi, atque Legato, pro ſe & Eccleſia ſua directis, cum benedictione Apoſtolica & omnium peccatorum ſuorum abſolutione, omniumque fratrum benevolentia, remeavit. Jamque conſumptis expenſis omnibus, inſuper lxxx. marcis (quas more *Romano* a quodam Mercatore mutuò acceperat) domum ſanus & incolumis octavo die aſcenſionis Dominicæ, pervenit; & cum ſolemni proceſſione ſuſceptus, ſingulos fratres deoſculatus eſt, & obtulit ad Altare majus pallium optimum, duodecim marcis comparatum. Et intrans capitulum, eventus varios itineris & periculorum in mari & in terra, ſeriatim Conventui enarravit: deinde Clauſulam laborum explanavit. Quomodo, ſcilicet, propoſitum ſuum ad plenum in omnibus fœliciter conſummavit. Lætati ſunt audientes, Deo ſanctoque Martyri gratias perſolventes.

Synodus Londini.

Paucis itaque poſthac evolutis diebus, congregantur apud *Londonium* Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, multarumque Eccleſiarum Prælati, cum Comitibus & Baronibus totius Regni, ut negotia Regni, & Eccleſiæ pertractarent; cum *Theobaldo Cantuarienſi* Archiepiſcopo, *Apoſtolicæ* ſedis Legato, eidem Conſilio præſidente. Epiſcopus vero *Lincolnienſis Robertus*,

bertus, cognomento de *Querceto*, id eſt, de *Cheſnet*, audiens *Robertum* Abbatem cum ſpecialibus quibuſdam & ſingularibus privilegiorum libertatibus à *Roma* rediſſe, noluit illuc venire, ſed miſſis nunciis, ſuam allegavit impotentiam. Timens ne in illo Conſilio, privilegiis hujus Eccleſiæ oſtenſis & auditis, aut Clericorum ſuorum iram eis aſſenſum præbendo incurreret (& ſic libertati ſuæ & Eccleſiæ ſuæ derogaret) aut ſuis contradicendo, Domini Papæ offenſam ſubiret.

Adeſt tamen *Robertus* Abbas, ſuis ſtipatus amicis, qui quadam die Epiſcopis congregatis Literas Apoſtolicas porrexit. In quibus eiſdem Epiſcopis Dominus Papa "præcipiebat, "quatenus feſtivitatem *Sancti Albani* per ſingulas Eccleſias earum devotiſſimè celebrandam, denunciarent. Hiis auditis, omnes unanimiter Apoſtolico præcepto parere ſe velle, cum ſummo honore fatentur. Hiis ſiquidem reſponſis, Abbas exhilaratus, alias literas Domini Papæ, de ſolemni proceſſione Clericorum & "Laicorum *Herteforderſis* Provinciæ, per ſin-"gulos annos huic Eccleſiæ exhibendo, *Lincolnienſis* Clericis aſtantibus, perlegi fecit. Quibus auditis, indignati ipſum Abbatem & Capitulum ſuum, ad audientiam Apoſtolicam appellaverunt, preſigentes diem appellationi, diem dominicam qua cantatur *Gaudete in Domino.* Sumentes occaſionem de hoc, quòd Dominus Papa in eiſdem literis interdicebat, ne Clerici vel Laici inter "*Hertefordenſem* Provinciam conſtituti, iteratam proceſſionem ad *Lin-*"*colnienſem* civitatem facere, à quolibet compellarentur. *Robertus* Abbas domum revertitur; hæc Conventui nuncians. Quo proſequi volente, venit *Hugo Dunelmenſis* Epiſcopus, utriuſque Eccleſiæ tunc fidelis amicus, partes ſuas interponens, ut utraque Eccleſia inter ſe amicabiliter componerent. Locus & dies ab utraque Eccleſia, fide interpoſita conſtituitur. Quo res de reformatione pacis die Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ* apud *Sanctum Neotum* actitaretur, Adeſt Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus*, cum *Richardo Londonienſi*, & *Gileberto Herefordenſi*, cum copioſa Clericorum multitudine. Adeſt & *Robertus*, cum ſuis. Illis verò hac de re altercantibus tandem dictis Epiſcopis, cum Epiſcopo *Dunelmenſi* mediantibus, inter utramque Eccleſiam compoſito formata eſt. Hujus vero compoſitionis forma, à prædicto Epiſcopo *Gileberto Herefordenſi* cognomento *Foliott*, dictata eſt; utriuſque Eccleſiæ ſigillis, conceſſa & confirmata eſt. Nam duobus ex fratribus noſtris cum medietate Chyrographi, hujus Eccleſiæ ſigillo ſigillati, *Lincolnienſem* Eccleſiam adeuntibus, medietatem alteram *Lincolnienſis* Eccleſiæ ſigillo ſignatam, ab eis abſque reclamatione, vel moræ etiam diſpendio, receperunt.

Abbas aſtendit adepta privilegia, Epiſcopis Angliæ.

Appellatio Lincolnienſ.

Compoſitio.

Hiis itaque peractis, Abbas *Robertus Romam* mittere diſpoſuit: non quia ſupradictam Appellationem quæ jam expiraverat proſequi velllet: ſed ut quæ Domino Papæ hoc petenti, cum adhuc *Beneventi* eſſet, de duobus Candelabris promiſſum, effectui maniparet. Igitur initio Martii, unum ex fratribus noſtris *Robertum de Gorham*, *Romam* ad pedes Domini Papæ, cum prædictis Candelabris, ex auro & argento artificiociſſimè fabirfactis & aliis deſiderabilibus muneribus & denariis ad viatica copioſis deſtinavit; adjuncto eidem alio fratre pro ſocio *Gaufrido de Gorham*. Qui *Romam* venientes à Domino Papa benignè ac honorificè ſuſcepti ſunt: cujus illicò pedibus (ut moris eſt) provoluti, memorata Candelabra proferentes, ei, ex parte Domini *Roberti* Abbatis & Conventus ſui, civiliter obtulerunt. Quibus viſis, & ſingulariter ac mirificè laudatis, Papa immenſas gratias eidem Abbati & fratribus pro talibus xeniis multiplicavit. Quæ ſtatim, ob honorem & reverentiam beati *Albani Anglorum* protomartyris, (cujus ſe miniſtrum, imò ſervum palàm profeſſus eſt,) beato *Petro* Apoſtolorum principi ſolemniter ac devotè obtulit; ut eſſent in ejus Eccleſia dicti Martyris perpetuum memoriale: Expoſitis itaque negotiis, quicquid poſtulabant celeri conſequebantur effectu. Duo namque maxima privilegia adepti ſunt. *Primum*, de pontificalibus ornamentis; ſecundum de hujus Eccleſiæ libertatibus; & alia plura nobilia ac neceſſaria, Quibus impetratis, a Domino Papa licentia repatriandi poſtulatur; & cum benedictione Apoſtolica, & omnium fratrum, conceditur. Dominus autem Papa, ut ipſius memoria ſemper haberetur in Eccleſia Beati *Albani*, per eoſdem fratres, eidem Eccleſiæ miſit Reliquias de legione *Thebæa*, propter quod, poſtea ſtatutum eſt in dicta Eccleſia, ut eorum Feſtivitas ampliaretur; & "duodecim *Lectiones* propriaque *Legenda* legeretur. Et inſigne pallium, quod Dominus Imperator ipſi miſerat, & ſandalia pretioſa, & annulum pretioſiſſimum; & alia, quæ longum eſſet enarrare. Repatriantes igitur, die Paſſionis beati *Albani*, non ſine nutu Dei, domum veniunt, ut ſicut ipſa die anima beati protomartyris ante Deum coronanda ab Angelis fueratpreſentata; ita & in terra ab hominibus inſtrumenta honoris ſei terreni, loco Martyrii ſui ſollemniter præſentaretur. Exhillarantur, viſis tot xeniis inſignibus, Abbas & Conventus vehementer, grates & gratiæ Martyri; ampliatur devotio, honor augetur, ſollemnitas dilatatur, & completur Feſtivitas cum jubilo incomparabili.

De candelabris miſſis.

Nota de pontificalibus Ornamentis. Munera Miſſa per Adrianum Papam.

Eiſdem temporibus, *Radulpho* Priore, viam univerſæ carnis ingreſſo; Magiſter *Laurentius*, vir honeſtus & bene literatus, loco ipſius ſubſtituitur. Et tunc temporis ingruente famis incommodo, fere omne inſtauramentum ſuum, Abbas *Robertus* Abbati *Laurentio Weſtmonaſterienſi* innata benignitate (licèt indigno) dimidiavit. Abbas enim *Weſtmonaſterii* prædeceſſor *Laurentii Gerum* nomine, filius Regis *Stephani*, clarior genere quàm moribus, omnem

Ingratitudo Abbatis Weſtmonaſterii.

ferè Eccleſiæ ſuæ ſubſtantiam, in uſus ſæculares, (ut prætactum eſt) ſecùs quam deceret aut expediret, diſſipaverat. Ita ut nec ad victum vel veſtitum Conventus, aliquid *Laurentio* ſucceſſori ſuo, reliquerat. Unde ut reſpiraret, ſæpè dictus Abbas *Robertus*, fere ducentas marcas expoſuit, ſine donativis ſui introitus initialibus; ſcilicet in equis, Ciphis argenteis, & coclearibus, & competenti veſte: quæ omnia recitabilia ſæpè ſunt, ut ipſius ingratitudo declaretur; Nam Abbatem *Robertum*, poſt in multis laceſſivit & damnificavit, ſe injuſtè ingerendo in terras *Sancti Albani*, ſuis conterminas. Nam de terra quadam quæ eſt inter fluvium de *Marford*, & terram de *Sandruge*, & aliis terris & poſſeſſionibus, Regio elatus fulcimine (quia ſe depreſſum per *Gernum* Regio ſanguine affirmavit, & ideò ſe per Regem debere reſpirare) multotiens violenter vexavit, & lites ſopitas ſuſcitavit redivivas. Porrò illo tempore *Robertus* & Conventus, & *Robertus Taileboys*, & fratres ejus, moverant calumniam adverſus Abbatem *Laurentium Weſtmonaſterienſem*; in præſentia Juſtitiariorum & Baronum Regis ad ſcaccarium; de terra & boſco de *Aldenham*; quam de Abbate *Sancti Albani* ſe debere tenere prædictus *Robertus Taileboys*, & fratres ejus affirmabant, ſicut patres eorum fecerant. Proinde *Laurentius* Abbas, verens ne Curiæ Regis judicium ſubiret (utpote illam terram violenter & injuſtè potenter detinens) fecit pacem cum eodem *Roberto Taileboyes*, *Roberto* Abbate, & monachis plæriſque Eccleſiæ *Sancti Albani*, qui tunc ibi aderant, reclamantibus, Et ne terram ad feudum *Sancti Albani* pertinentem venderent, eidem militi & fratribus ejus, exparte Conventus *Sancti Albani*, interdicentibus: Promiſit namque *Laurentius* Abbas eidem *Roberto Taileboys*, viginti tres marcas, ut juri ſuo renuntiaret; quas (fratre noſtro *Adamo* Cellerario cum aliis reclamante) in Curia noſtra apud *Sanctum Albanum*, idem *Robertus Taileboys* ſuſcepit, & quietationem pannagii viginti porcorum in nemore de *Aldenham*, ſingulis annis. Unde ſimiliter idem *Robertus Taileboyes* moverat calumniam eidem *Roberto* & fratribus ſuis & hæredibus eorum aſſenſu, & conſilio Conventus *Weſtmonaſterienſis* idem Abbas *Laurentius* conceſſit. Audientes itaque *Lincolnienſes* tantam * à Papa *Adriano* (quem *Albanenſem* nominarunt) indignabantur, minas congerentes, potenteſque viros ad noſtram perniciem excitabant, iramque Regiam adverſus nos accendebant. Jamjamque univerſa privilegia quæ à Papa *Adriano* adepti fueramus, ſolicita inquiſitione cognoverunt, ideoque magis inflamabantur. Proinde memoratus *Hugo Dunelmenſis* Epiſcopus triſtis effectus; iterum ſicut priùs, diligenter partes ſuas interpoſuit: atque ab utraque Eccleſia, quatenus ſub die certo & loco denominato, inter ſe amicabiliter componerent, ut vir eloquens & nobilis exegit. Adveniente igitur die, affuit *Robertus Lincolnienſis* Epiſcopus cum *Hilario Ceſtrenſi* & *Gilberto Herefordienſi* Coepiſcopis; & Copioſa Clericorum Nobilium multitudine. Adeſt & *Robertus* Abbas cum Epiſcopo *Dunelmenſe*, & aliis potentibus & diſcretis quamplurimis: initoque conflictu, diutiùs hinc & inde decertatum eſt. Tandem mediante dicto *Hugone Donelmenſi*, cum Coepiſcopis ſuis, et aliis juriſperitis: formam pacis inter Eccleſias dictas componere ſtuduerunt. Quæ tamen utriuſque Eccleſiæ ſigillis, nullatenus eſt roborata. Nam mediante Dei gratia, utriſque partibus domum remeantibus, *Lincolnienſes*, quam ſe in poſterum ſervare inviolabiliter promiſerant, infirmantes refutarunt, & initam pactionem, pro nihilo duxerunt. Iterum verò aliam utrinque inierunt, quæ ſimiliter caſſata eſt: & tertiam ſimili modo. Porrò quoad uſque Dominus Papa *Adrianus* vixit, non eſt auſus Epiſcopus *Lincolnienſis* vexare vel niti trahere ad ſuam ſubjectionem, Monaſterium *Sancti Albani*, quod à primis ſuæ fundationis initiis, & jam magis privilegiatum fuiſſe dignoſciter. Poſt hos autem paucos dies, idem Papa *Adrianus*, quia cujuſdam potentis Civis *Romani* filium indignum, in Epiſcopum, timore repreſſus divino, creare & Conſecrare noluit, præventus inſidiis, potionatus, veneno infectus, & interfectus eſt. Qui Kalendis Septembris, ſcilicet die *Sancti Egidii* Martyr Dei & Confeſſor egregius, ab hoc mundi exilio migravit ad Cœli patriam, cui ſucceſſit venerabilis *Rollandus* Domini Papæ *Adriani* Cancellarius: cui adjectum eſt nomen *Alexandri* tertii, vir juſtus & prudens. Adverſus quem, inſurrexit *Octavianus* ſchiſmaticus Antipapa: ſe *Victorem* cognominans, binario fultus Cardinalium numero; unde verſus,

Guido de Crema, Io & Hannes ſunt anathema:
Nunquid peccavi, nunquid malè grammaticavi;
Schiſmatici pravi, ſi nomen ſchiſmaticavi.

Idem tamen *Octavianus*, paulò poſt miſerabiliter defunctus, hæredem habuit ejuſdem veſaniæ, *Guidonem Cremenſem*. Quos fovit *Fredericus* Imperator, qui vir Martius & victorioſus, *Mediolanum* ſeptenni obſidione fatigatam, tandem ſubvertit. Audiens autem *Robertus* hos flebiles rumores; doluit nimis: initoque Conſilio magiſtrum *Ambroſium* Clericum ſuum legis peritiſſimum, *Italicum* natione (de primis, tempore, ſcientia, & moribus *Angliæ* Legiſperitis) *Romam* ad Dominum Papam *Alexandrum* (quem jam Rex *Francorum* & Rex *Angliæ* in patrem & paſtorem Animarum electum acceptaverant, & defendendum ſpoſponderant) celeriter deſtinavit. Verens, ne *Lincolnienſes* privilegium aliquod ſive literas, noſtris privilegiis obviantes, à Papa priùs impetrarent, quam noſtra privilegia ab ipſo Papa confirmarentur. Datis & promiſſis muneribus multis, multùm ſumptuoſis; impetratum

Diſſenſio inter Abbatem, & Lincolnienſem Epiſcopum.

** Tanta (ſcilicet privilegia) impetrata, ſive conceſſa.*

Mors Adriani Papæ.

Novum privilegium à novo Papa conceſſum.

tum eſt nobile privilegium, ſic incipiens, *Quum ſine vero cultu Religionis, &c.* Et alia ſimiliter Eccleſiæ *Sancti Albani* valde congrua. Dilexit enim Papa *Alexander* Eccleſiam *Sancti Albani*, gratia prædeceſſoris ſui Papæ *Adriani*, ejuſdem martyris indiginæ, & amatoris indefeſſi. Erant autem amici præcordiales Papa *Adrianus*, & ejus Cancellarius *Rollandus*, jam Papa *Alexander*; Ipſique ambo, perſonam Domini Abbatis *Roberti*, ſupra omnes *Angliæ* Abbates (nec ſine merito) ſpecialiter dilexerant.

Hiis igitur magiſter *Ambroſius* impetratis, moram in *Italiam* protrahebat: timens ne fortè *Lincolnienſis* Epiſcopus, ad Dominum Papam Nunciis directis, Curiam *Romanam* muneribus corrumpens, cauſam noſtram faceret inferiorem. Porrò *Robertus Lincolnienſis* Epiſcopus, de obitu Domini *Adriani* Papæ gaviſus, ad Regem *Henricum* (qui tunc in Regno *Francorum* morabatur) perrexit, & eum contra Eccleſiam Beati *Albani*, graviter exaſperavit, manifeſte de nobis, reponens querimoniam, & ante conceptam gravem movens queſtionem. Rediens igitur armatus Regis auctoritate, & multorum Epiſcoporum auxilio, ſolemnem à nobis, tanquam Epiſcopo noſtro exhiberi proceſſionem juſſit, atque parochiam ſuam* *circumventi*, hoſpitium ſibi præparari. Cui contradixit Abbas *Robertus*. Epiſcopus autem exacerbatus, literas *Roberto* Comiti Legriæ (qui tunc in *Anglia* judicabat) porrexit, a Rege impetratas. Quarum tenorem idem Comes (utporatoriè) diligenter ſecutus; citavit *Robertum* Abbatem *Sancti* te amicus & parochianus ſuus, & petitus ex parte Regis, Lite & *Albani*, conventum ejuſdem, literis ſigillo ſuo conſignatis ſub hac forma.

Epiſcopus Lincolnienſis infeſtat Abbatem.

** Vel circumienti.*

Robertus Comes Legriæ, Roberto Abbati Priori & Conventui de Sancto Albano, ſalutem. Suſcepi mandatum Domini Regis, mandatum tale. Henricus Rex Angliæ, &c. Roberto Comiti Legriæ ſalutem. Præcipio tibi quod ſine dilatione facias venire coram te, Epiſcopum Lincolnienſem & Abbatem Sancti Albani, Et præcipe Epiſcopo *Ciceſtrenſi, & Epiſcopo Ceſtrenſi, & Epiſcopo Norwicenſi, & Abbati Weſtmonaſterii, quòd ad illum diem ſint coram te, & diligenter tecum audiant loquelam quæ eſt inter Epiſcopum Lincolnienſem, & prædictum Abbatem Et quam dicit Eccleſiam, & predeceſſores ſuos habuiſſe in Eccleſia ſancti Albani, & prædictum Abbatem tempore Regis Henrici avi mei. Et quam libertatem Abbas Sancti Albani dicit Abbatiam ſuam habuiſſe tempore Regis Henrici avi mei. Et quomodo cognoſcere poteris, per teſtes eorum, qualiter fuit tempore Regis Henrici avi mei mihi reſcribe. & Epiſcopis & Abbati Weſtmonaſterii dicas, quòd mihi reſcribant. Teſte Cancellario, apud Feleſiam.*

Quare præcipio vobis ex parte Regis, quod veniatis ad Northampton proxima die Veneris ante Purificationem Sanctæ Mariæ; remota omni occaſione & dilatione. Ita in omnibus præmuniti, ut poſſim præceptum Domini Regis plene complere: & quòd per vos non remaneat: Et ſcitote pro certo quòd ulteriùs non poterit differri præceptum Domini Regis. Et ideo dedi vobis tam longum reſpectum, ad providendum.

Et præcipio vobis, quòd iſtas literas mihi vobiſcum apud Northamptonam reportetis. Valete. *Dies datus*

Cùm igitur locus affuiſſet apud *Northamtonam* conſtitutus; die non mutato (quibuſdam ex cauſis) ſubitò emergentibus in Caſtello *Wintoniæ* res actitata eſt. Ubi ſupranominatus *Lincolnienſis* Epiſcopus, cum *Gilberto Herefordenſi* Epiſcopo (cui ſanguine jungebatur) magnaque clericorum affuit multitudine ſtipatus. Itemque *Robertus* Abbas, venerabilibus viris, *Gregoreo Malbrebun* Abbate, & *Theobaldo* Priore Eccleſiæ *Sancti Edmundi*, paucisque Monachis & Clericis ſociatus, è regione conſtiterunt. Aſſidebant de legatia Rege, *Hilarius Ciceſtrenſis* Epiſcopus, *Ricardus Ceſtrenſis*, Willielmus *Norwicenſis*, *Laurentius* Abbas *Weſtmonaſterii* utriuſque partis allegationes, diligentiùs audituri, eaſque ad Dominum Regem, ſcriptas relaturi. *Lis gravis.*

Herefordenſis ſic inchoans, ait, allegans pro *Lincolnienſi*, *Cùm primum placuit Domino gentem Anglorum à tenebris infidelitatis purgare, & luce Fidei illuſtrare; diſtinctæ ſunt parochiæ Epiſcopatuum, docente* Spiritu Sancto, *ſicut uſque hodie cuſtodiuntur; juxta illud Prophetæ,* Diſtribuite domos ejus. *Ab initio igitur naſcentis Eccleſiæ, Eccleſia* Beati Albani *ſubjecta fuit Lincolnienſi Eccleſiæ: in tantum, ut omnes Abbates* Sancti Albani, *à Domino* Lincolnienſi *benedictionem acceperunt, & profeſſionem fecerunt. Quæ profeſſio vinculum eſt, quo filia matri obligatur, unde & in principio profeſſionis, Crux ſubſcribitur: vera & ſtabilis permittitur obedientia: lecta etiam profeſſio, Altari ſuperponiter. Habemus præ manibus profeſſionem* Richardi *Abbatis: Præſto eſt, qui profeſſionem* Gaufridi *Abbatis ſcripſit. Domini quoque* Roberti *qui nunc eſt Abbas, profeſſionem ad manum habemus, quam & ipſe propria manu ſcripſit. Debet itaque Eccleſia* Beati Albani, *ſicut cæteræ Dioceſeos ejuſdem, ſubjectionem & obedientiam: ut Dominus* Lincolnienſis *habeat in ea ſolemnes proceſſiones, cum tempus exegerit, debitas refectiones, cum parochiam ſuam circuiverit: ut quibus ſeminant ſpiritualia, ab hiis metant & carnalia. Itaque uſque ad hæc tempora ſine reclamatione factum eſt. Egreſſus eſt ſpiritus novus: ſpiritus recalcitrans contra votum, contra fidem, contra profeſſionem: Domino* Lincolnienſi, *negatur obedientia. Propterea Domino Regi placuit diligenter inquirere per viros prudentes, quam ſubjectionem habuerit Dominus* Lincolnienſis, *in Eccleſia* Beati Albani, *quæve ejuſdem libertas. Et hanc inquiſitionem, coarctat circa tempora Regis* Henrici *avi ſui: quibus ſua jura ſingulis Eccleſiis cuſtodiebantur.* Profeſſio. *Allegatio pro Lincolnienſi.*

Ego

Ego Robertus *Sancti* Albani *electus Abbas tibi* Roberto Lincolnienſi *Epiſcopo & ſucceſſoribus tuis Canonice introductis, promitto debitam obedientiam.* Adhæc Abbas reſpondit.

Adhæc in pro Abbate.

Quæ hic dicentur ex parte noſtra, vel à me, vel ab alio, animo reſpondendi, in jure non dicentur, neq; enim propter hoc venimus. Audio Dominum Hereford. *quædam dicere, quæ perſonam meam tangunt: nolo ea ſilentio confirmare, ſed habito Conſilio reſpondere.* Inito igitur Conſilio, ait, reſpondens per reſponſalem. *Non omnes beati* Albani *Abbates, à Domino* Lincoln. *benedicti ſunt.* Paulus *Abbas, & omnes ejus predeceſſores, ab alio benedictionem acceperunt. Iſte quoq; Dominus* Robertus *oblatam ſibi benedictionem ab eo qui poteſtatem habebat propter venerationem* Lincoln. *Eccleſiæ, ſuſcipere recuſavit: Quem Dominus* Hereford. *immeritò tranſgreſſionis arguit: qui jam decem annis Abbas, nunquam* Lincoln. *mandato contradixit.* De cujus etiam profeſſione, optimè poſſit ſiluiſſe Dominus *Hereford.* cum juxta aſſertionem ſuam, Dominus Rex coarctaret & coarctet inquiſitionem iſtam, circa tempora Regis *Henrici* avi ſui, Ex abundanti de ea reſpondet. *Siquidem literas quæ afferuntur nec ſcripſiſſe, nec ſcribi juſſiſſe: nec crucem antepoſitam propria manu annotaſſe. Legit tamen eas propter honorem* Linc. *Eccleſiæ ſupplens quod deerat propter libertatem Eccleſiæ ſuæ. Subjunxit enim incontinenti, ſalvis dignitatibus Eccleſiæ meæ. Cujus orationis finis maximè attendendus eſt, quia meliora ſunt noviſſima ſermonis, quàm initium ejus. Hujuſmodi autem profeſſionem (ſi dicenda eſt profeſſio) fecit: non propter obligationem, ſed, propter* Lincoln. *Eccleſiæ venerationem. Porrò dignitates Eccleſiæ* Sancti Albani, *magnæ ſunt & manifeſtæ. Ipſa ſiquidem non ſolum libera eſt, ſed & ingenua, natales ejus Rex* Offanus *aureis literis conſcripſit. Succeſſores ejus illuſtres Reges* Anglorum, *ejus ingenuitatem roborarunt,* Romanique *Pontifices, ſuis eam privilegiis confirmaverunt; nec Dominus* Lincoln. *poteſt diſſimulare, quin iſta noverit. Clerici enim ejus ſubintraverunt explorare libertatem noſtram: qui fideliter renuntiaverunt ea, quæ viderant & audierant. Non mediocriter igitur peccat, qui eam nititur pertubare.* Cum hoc igitur dixiſſet magiſter *Johannes* de *Tillebire*, recedit. Illis autem de hac re diu altercantibus, in hoc Conventu quoddam accidit memoriale. Nam quidam legis peritiſſimus noſtræ parti adverſarius, volens ea quæ à noſtris dicebantur inficiari, aſſurrexit: aperienſque os ſuum, ita indoctè & incompoſitè locutus eſt, ut cuncti adverſæ partis ei innuerent ut ſileret. Dixit igitur Abbas *Robertus* in propatulo: *Sicut ex Domini Regis literis liquet, præcipitur tibi Domine Comes & vobis Domini Epiſcopi, tibique Abbas* Weſtmonaſterii, *ut diligenter inquiratis, quam ſubjectionem habuerit Epoſcopus* Lincolnienſis *in Eccleſia beati* Albani, *quamve eadem Eccleſia libertatem habuerit temporibus Regis* Henrici. *Hæc inquiſitio non melius fieri poteſt, quam per Clericos* Lincolnienſes, *itemque Monachos beati* Albani. *Porro Monachi noſtri per Regnum diſperſi ſunt, alii per* Loncoln. *Epiſcopatum qui amplius eſt: Alii per* London. Norwic. Dunelm. *Ex quibus locis petendi ſunt ſenes & ſapientes, qui cauſam noſtram de jure & facto poſſunt inſtruendo certificare. Nos enim juvenes jura Eccleſiæ noſtræ nondum perfectè novimus. Debet & decet itaque nobis indulgeri dilatio trimeſtris. Preterea, cùm propter negotii preſentis magnitudinem, de quo agitur, eſt periculoſum, aliquid præcipitanter definire, hanc petimus dilationem. Non enim de opum ponderibus, de fundis, aut villis, ſed de libertate noſtra ſuper aurum & topazion pretioſa.* Porro, ſupradicti quatuor viri cum *Roberto* Comite *Legriæ*, auditis hinc inde allegationibus iſtis, communicato tractatu, totam controverſiam ad medium quadrageſimæ diſtulerunt, diem peremptorium conſtituentes utrique parti prænotatum. Reverſus itaq; Dominus Abbas, extorta dicta dilatione reportavit Pontificum *Roman.* privilegia, *Calixti, Celeſtini, Eugenii, Adriani* & *Alexandri.* Quibus armis ſtandum erat in tali certamine; ſi, ſcilicet, quæſtio principalis verteretur. Porrò, *Calixti* Papæ privilegium, præ cæteris in hac cauſa ad Regis favorem adquirendum videbatur perutile: quod fatetur idem Papa, ob Regis *Henrici* indultam petitionem, cum Dominus Rex in hoc negotio avi ſui deſideraret inhærere veſtigiis, ut ex apicibus ejus claret. Verùm cum dies præfinitus immineret, ſexto vel ſeptimo die duntaxat interpoſito, ex Regis mandato, de partibus tranſmarinis ſubitò allato; ſcripſit utrique parti Comes *Legriæ* "quatenus inſtantis cauſæ diſceptatio uſque ad audientiam Regis reſervaretur: Proinde Abbas exhilaratus eſt, affirmaverat enim conſtanter coram memoratis judicibus, ſe abſente Rege de Eccleſiæ ſuæ libertate, (eò quòd Rex ſpecialis fundator & patronus eſſe dignoſcitur) vel conflictum inire, vel aliquid arduum definire. Et hoc de conſilio juriſperitorum acceperat, nec aliud poſſe facere.

Eccleſia ſancti Albani eſt ingenua.

Dilatio negotii prænotati.

Paucis autem diebus ante reditum Domini Regis, Apoſtolica ſcripta Domino Abbati *Roberto* (neſcitur quo conſilio diutiùs occultata) tandem prima à *Lincolnienſibus* reddita ſunt. Per utrumque judicem tam Eccleſiaſticum quàm civilem, cauſam ſuam munientibus, quorum hoc eſt tranſciptum.

"*Alexander* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio *Roberto* Abbati, & univerſo "capitulo *Sancti Albani* ſalutem, & Apoſtolicam benedictonem. Cum anno præterito Nun"cius veſter ad noſtri Apoſtolatus præſentiam acceſſiſſet, illum benignè ſuſcepimus, & juxta "petitionem veſtram, privilegium quod prædeceſſor noſter bonæ memoriæ *Adrianus* Papa, "Eccleſiæ veſtræ indulſit, fecimus confirmari. Poſtea verò venerabilis frater noſter *Lincoln.* "Epiſcopus, tranſmiſſa nobis inſinuatione monſtravit, quod eadem Eccleſia ad jus & diſpo"ſitionem ſuam ſpecialiter pertinet, & illi debet tanquam ſuo Epiſcopo reſpondere: Unde "licet vos & Eccleſiam veſtram diligere velimus, & jura Eccleſiæ veſtræ integra conſervare, ta-

"men

“men quia prædicto Epiſcopo, ſalva conſcientia, non valuimus ſuam juſtitiam denegare vel “in ſuo jure deeſſe, vobis dedimus in mandatis, ut in idoneos judices conveniretis, quate- “nus cauſa ipſa in eorum præſentia diſcuti, & ad nos referri deberet, & cognita veritate, per “nos mediante juſtitia, terminari. Quod quia nondum eſt effectui mancipatum, cum “idem Epiſcopus in auribus noſtris pro juſtitia ſua clamitare non ceſſet, cauſam ipſam vene- “rabilibus fratribus noſtris *Ciceſtrenſi* & *Norwicenſi* Epiſcopis, duximus committendam. “Quocirca per iterata vobis ſcripta mandamus, quatenus cum ab illis propter hoc fueritis e- “vocati, illorum præſentiam adeatis, & teſtes producere, & inſtrumenta, & rationes allegare, “ſi quæſtio adverſus vos mota fuit, ſtudeatis. Et privilegia bullata, tam nova quam vetera, “in Clauſtro veſtro illis oſtendere non recuſetis. Ex quo autem ipſis judicibus omnia oſtenſa “fuerint, prædicto Epiſcopo eorum omnium copiam faciatis, ut eis diligenter inſpectis, poſſit “agnoſcere utrum cedere debeat, vel in cauſa ipſa procedere. Nos ſiquidem eiſdem judi- “cibus in mandatis dedimus, quòd teſtium depoſitiones & allegationes, rationes quoque & “tranſcripta privilegiorum utriuſque partis, ſub proprii impreſſione ſigilli, ad preſentiam no- “ſtram tranſmittant, ut cognita veritate eidem controverſiæ finem debitam imponere va- “leamus. Dat. *Ianuæ*, xvii. Calend. Aprilis.

Citabatur igitur Abbas, ut *Londoni* compareret die qua cantatur, *Lætare Hieruſalem*, ſufficientér inſtructus reſpondere Epiſcopo *Lincolnienſi* ſuper quæſtione ſtatus. Et ecce Rex veniens jam in *Angliam*, & audiens hæc, credidit hoc procuratum eſſe ab ipſo Abbate. Unde magnam Rex contra Abbatem concepit indignationem. Porrò Abbas neſcius regiæ iræ, eum viſitavit civiliter xeniorum multitudine, per dominum *Galfridum* Monachum ſuum: quem Rex acriter reprehendit de negligentia Abbatis. Sed dominus *Gaulfridus* hoc conſtanter inficiabatur. Rex autem ſtatim miſit *Richardum* tunc *Pictavenſem* Archidiaconum ad Archiepiſcopum *Cantuarienſem Theobald.* ut Regi adventanti occurreret *Wintoniæ*, ubi hæc acta ſunt. Precipiens, ut de cauſa quæ vertebatur inter Epiſcopum *Lincolnienſem* & Abbatem *Sancti Albani*, in ipſius præſentia cognoſcerunt, apud *Weſtmonaſterium*, in Cdnſilio quod celebraturus erat ibi media quadrageſima. Interim utriuſque partis amici plurimas formas pacis prolocuti ſunt: ſed omnes vel alteri vel utrique partium diſplicuerunt. Abbas verò per Dominum *Galfridum* certificatus de ira Regis, miſit ad eum Dominum *S.* Priorem Eccleſiæ ſuæ, & *A.* Cellerarium, ut diligenter purgarent Abbatis innocentiam ſuper reſcripti impetratione, & ut attemptarent ſi quomodo poſſint obtinere Regis præſidium in cauſa imminente. Qui ad Regem accedentes, de innocentia Abbatis eleganter allegarunt, tum quòd reus actorem non ſolet ſollicitare ut eum imperat, tum quòd Judices impetrati erant ſuſpecti Abbati, ut dictum eſt, tanquam Epiſcopo familiares, & conſimilem habentes cauſam adverſus Monaſterium Sancti *Edmundi:* Alter, adverſus *Monaſterium Sancti Martini de bello.* Quibus rationibus Rex adquieſcens, placatus eſt. Quæ videntes Nuncii noſtri, adjecerunt, quòd ſi operam daret Dominus Rex efficacem, ut penitus à *Lincoln.* ſubjectione emanciparemur, tantum facerent pro eo tam in vita quam poſt mortem ejus, quantum pro fundatore Eccleſiæ noſtræ inclyto Rege *Offano.* Quod quidem Rex gratanter accepit, & gaudenter. Injunxit igitur eis, ut Abbas ei occurreret *Londoniam*: omnia privilegia tam nova quàm vetera ſecum deferens, ut copiam haberet ea inſpiciendi: Et ſic redientes Nuntii, & ſuper hiis Abbatem & Conventum certificantes, & non mediocriter exterrentes. Timebant enim, ne ſi quid diſpliceret Regi in eis, ea confringeret. Communicato proinde conſilio, cum ſaniori parte fratrum *Londoniam* venit Abbas cum duobus tantum fratribus; ſed abſque privilegiis, Deo exitum rei committens. Et ſtatim ad Regem accedens, & ſuper hoc interrogatus, convitiis laceſſitus, triſtis receſſit, intercedente tamen nobili viro *Roberto* de *Humez* (qui affinitate proxima Abbatem contingebat,) ſimul cum centum libris quas per eum Abbas rei obtulerat pro dicta emancipatione; ſerenabatur mens Regia, & advocans Abbatem, ait. Operam dabimus paci “ac deſiderio veſtro. Hiis auditis Abbas æqua- “nimior factus; & requiſitus, ſi adhuc haberet ſua ſecum privilegia, reſpondit, Quòd in craſtino ad manum erat habiturus. Statimque miſit pro ipſis; vocans etiam ſaniorem partem Conventus; comitantibus quamplurimis fidedignis ſecularibus. Venit ergo *S.* Prior *Londoniam* cum triginta Monachis & copioſa multitudine aliorum teſtium, & inſtrumentorum Pontificum *Romanorum* & Regum ſufficienter inſtructus ad litis ſuſceptionem coram Rege ſeu memoratis judicibus. Nam prædicti teſtes ætate & moribus parati erant Sacramento (ſi neceſſitas “incumberet) probare, quòd Eccleſia beati *Albani* ad jus & diſpoſitionem *Lincolni*- “*enſis* Epiſcopi nequaquam pertineret; neque illi deberet, tanquam ſuo Epiſcopo, reſponde- “re. Nam quòd prædicta beati Martyris Eccleſia antiquitùs non fuerit ſubjecta *Lincolnienſi* “Epiſcopo ante tempora *Ricardi* Abbatis, qui primus *Roberto* Epiſcopo *Lincolnienſi*, cog- “nomento *Bloett*, profeſſionem fecerat; (cui carnis conſanguinitate idem conjungebatur,) “à multis cognitum habebatur. Porrò, quòd ordinationes Monachorum ſeu Clericorum “Eccleſiæ beati Albani, dedicationes Altarium ſive Baſilicarum aliaque Epiſcopalia Sacramen- “ta à quolibet Epiſcopo præfatum Monaſterium antiquitùs ſuſcepiſſet, cuncti indubitanter “aſſerebant.

Ne ergo de hiis poſterorum notitiæ aliquid dubietatis relinquatur; de ordinationibus Monachorum ſeu Clericorum, de conſecrationibus Altarium ſeu Baſilicarum, aliiſque ſacramen-

tis ipſorum teſtium veridica relatione confirmatis; pauca ex multis brevibus concludentes; ad futuræ ſucceſſionis memoriam tranſmittimus.

De privilegiis in hac Eccleſia aſtatis.

Radulphus Roffenſis Epiſcopus, poſtea *Cantuarienſis* Achiepiſcopus, dedicavit Altare in honorem ſanctæ *Mariæ*, quod eſt in Auſtrali parte Eccleſiæ, reſpectu magni Altaris, ſanctique *Ignatii* Martyris & Epiſcopi, in Eccleſia *Sancti Albani*, Teſtibus *Alexandro* & *Michaele* Cantoribus.

* Item, idem Epiſcopus dedicavit Eccleſiam de *Eudinote*, Teſtibus *Dunſtano* & *Gurmundo* presbyteris.

Item, idem Epiſcopus dedicavit Capellam Sanctorum Innocentium, quæ fuit in anteriori parte Eccleſiæ, Teſtibus *Dunſtano* & *Nicholao*.

Item, Idem dedicavit Eccleſiam de *Hecſtaneſtun*: in honorem ſanctæ *Fidei* virginis & Martyris. Benedixitque Cœmiterium ſancti *Stephani* eodem tempore, Teſtibus *Dunſtano* & *Nicholao*. Idem quoque dedicavit Capellam ſancti *Germanni*, ibique ordinatus eſt Presbyter *Gaufridus Agnus*, quod multi teſtificabantur.

Vel Altare, ubi nunc cantatur ad notam de ſancta Maria cotidiè.

Ranulphus Epiſcopus *Dunelmenſis* dedicavit Capellam *Richardi* Abbatis, in honorem ſancti *Alexii*, Teſtibus *Alexandro* & *Richardo*. *Gilbertus* Epiſcopus de *Lymeric Hyberniæ*, dedicavit *Capellam* ſancti *Nicholai* in Eccleſia *Sancti Albani*, necnon in honorem ſancti *Blaſii*.

Itemque Capellam Infirmorum, in honorem ſanctorum Martyrum *Coſmæ* & *Damiani*, Teſtibus *Alexandro* & *Michaele* Cantore. Idem quoque Epiſcopus dedicavit Eccleſiam *Sancti Stephani* in villa *Sancti Albani*, Teſtibus *Richardo* & *Radulpho* Preſbyteris, *Raveningo* & *Godwino* laicis. Quam etiam dedicationem, charta ejuſdem Epiſcopi teſtatur, ſic incipiens. *Ego*, &c. Quæ etiam facta eſt tempore Regis *Henrici* ſenioris. In qua itaque *Rogerus* Heremita, ſubdiaconus ordinatus eſt, benedixitque crucem magnam, quæ elevata eſt in Auſtrali parte Monaſterii. Et hæc facta ſunt rogatu & authoritate *Richardi* Abbatis; qui pro eo miſit *Londoniam*, cum Regina *Matilda* ſecunda moraretur.

Itemque *Hernæus* Epiſcopus *Elienſis* dedicavit Eccleſiam de *Nortona*, Teſtibus *Ealrico*, *Ernifio* & *Huelmo*. *Herbertus* Epiſcopus *Norwicenſis*, dedicavit Eccleſiam de *Redburna*, Teſte *Ricardo* Presbytero. Idemque dedicavit Eccleſiam de *Niweham*, Teſtibus *Thurkillo* & *Sabritho*. Idem quoque dedicavit Capellam de *Sandrugе*, Teſtibus *Ricardo*, *Radulpho*, & *Alexandro* Preſbyteris. Et idem dedicavit Capellam Sancti *Andreæ* Apoſtoli; necnon & Eccleſiam de *Northona*, Capellam quoque Sanctæ *Mariæ Magdalenæ*.

Nunc de Ordinationibus Monachorum ac Clericorum.

Radulphus Roffenſis præmemoratus, fecit Ordines in Eccleſia Sancti *Albani* privatos. Sub eodemque tempore, fecit & generales.

Item *Herneus Elyenſis* (de quo priùs fecimus mentionem) fecit ordines generales.

Itemque Ordines fecit generales, *Herbertus* Epiſcopus *Norwicenſis* apud *Langeleiam*: quando ſcilicet *Richardus* Abbas propoſuerat ibidem Cellam Monachorum conſtituere.

Item, quadam vice Epiſcopo *Lincolnienſi* volente in Eccleſia Sancti *Albani* ordines facere, cum trium Provinciarum Clericis, ſcilicet *Hertforſcire*, *Buckinghamſcire*, *Bedefordſcire*; obſtitit ei Conventus Sancti *Albani*. Et ſic cum indignatione receſſit; fecitque Ordines ſuos apud *Dunſtaple*, quos facturus erat apud Sanctum *Albanum*.

Item Epiſcopo *Alexandro*, una vice celebrante Miſſam in Eccleſia Sancti *Albani*, accurrit ad eum quidam qui ſuum fratrem interfecerat, poſtulans ſibi dari pœnitentiam. Epiſcopus verò palam reſpondit, ſui juris id non eſſe, ſed Archidiaconi Sancti *Albani*.

Item, temporibus *Radulphi* Abbatis, prædictus Epiſcopus *Lincolnienſis* rogatus ab Abbate & fratribus fecit Ordines in Eccleſia Sancti *Albani*. Ut autem ex tunc in antea poſteris innoteſceret, ſequenti die juſſu præfati Epiſcopi, venerunt quidam Clerici ejus, qui in præſentia totius Capituli confeſſi ſunt, ſe ex ore Epiſcopi audiſſe, "nullum ſe penitus jus habere celebrandi Ordines in Eccleſia Sancti *Albani*; & ab hoc eos Miſſos fuiſſe, ut huic rei ferrent Teſtimonium. Quod quidem ferè à toto Conventu teſtificabatur.

Allegationes coram Rege.

Rex autem reſidens in Capellam Sanctæ *Katharinæ* apud *Weſtmonaſterium*, cum Univerſitate tam Archiepiſcoporum, quàm Epiſcoporum atque Abbatum & aliorum optimatum regni, *Robertum* Abbatem Sancti *Albani* coram omnibus, ſuo conſpectui juſſit aſtare. Sedebat hinc Epiſcopus *Lincolnienſis* cum ſuis; inde Abbas. *Laurentius* itaque Abbas *Weſtmonaſterienſis Latinè* proſecutus eſt de antiqua dignitate Eccleſiæ Sancti *Albani*, "& de Religione loci, & de malo perturbationis quo Monachorum pax infeſtatur. Et quòd ideo "indulta ſunt Religionis locis privilegia ſingularia: ut paci ſcilicet Clauſtralium conſulatur. Porrò Abbas *Robertus* volens inſtare negotio, ſed timens ne poſtmodum hujus cauſæ litem, ab eiſdem judicibus auctoritate Apoſtolica proſequi compelleretur; coram Rege aſtans adjecit. *Domine Rex, ex juſſu veſtro aſſum coram vobis; allegaturus de libertate Eccleſiæ mihi commiſſæ. Aſſum etiam citatus à judicibus à ſummo Pontifice delegatis: quatenus coram ipſis allegarem. Paratus ſum itaque & inſtructus ſufficienter, ad utrumque parere: videlicet Citationi veſtræ, atque imperio delegatarum judicum. Sed unum peto. Quod ſi in audientia*

dientia veſtra libertatem Eccleſiæ meæ declaravero & evicero; ne me coarctent judices delegati, iteratò litigare de evicta libertate. Tunc Rex prudentiam ejus cum optimatibus ſuis admirans, ad Archiepiſcopum *Thomam Cantuarienſem* converſus, ait (ſedebat enim Rex medius inter eundem Archiepiſcopum *Thomam* & *Rogerum* de *Ponte* Epiſcop. Eboracenſem Archiepiſcopum) *Quod dicit Abbas, rationi conſentaneum eſt. Neque enim noſtræ Majeſtati honorificum foret, ſi lis in palatio noſtro deciſa, in Domini Papæ Conſiſtorio iterandam præſtolaretur ſententiam.* Parvóque intervallo ſurgens Rex, aſſumpſit ſecum *Robertum* Comitem *Legriæ*, & *Richardum* de *Humez*, principem ſuæ militiæ; & *Richardum* tunc *Pictavenſem*, Archidiacon. poſtea *Wintonienſem* Epiſcopum. Cæteris omnibus, juſſit expectare in loco ipſo ejus reditum. Et ſeorſum per *Richardum* Archidiaconum juſſit Abbati *Roberto*, ut cum duobus fratribus ſecum privilegia ferentibus, ad præſentiam ſuam accederet; & Copiam faceret inſpiciendi privilegia tam vetera quam nova. Cumque inſpicerentur Regum Anglicorum, Offæ ſcilicet ac cæterorum ſcripta, in quibus pro ſigillis novo more dependentibus, veteri conſuetudine Cruces aureæ manu Regum depictæ, in principio poſitæ erant; & videbantur quibuſdam invidorum nullius eſſe momenti, quia ſigillata non erant. Et perventum eſt ad Chartam Regis *Henrici* avi Regis, in qua confirmantur quæcunque collata erant, tam in fundis quam in libertatibus beato *Albano* à Regibus Anglicis; Rex ait, *Quid eſt quod muſſitant Lincolnienſes; dicentes privilegia non ſigillata, nullius eſſe momenti? Ecce ſigillum avi mei, ſigillum eſt, omnium Chartarum originalium, quarum confirmatio in ejus Charta continetur.* Quod in tam juvene Rege, non minori ſapientiæ deputatum eſt quod dixit, quàm Judicium *Solomonis* inter Meretrices altercantes. Abbas quippe & omnes qui cum eo erant, nullam inveniebant viam obviandi eis, qui dicebant nullius eſſe roboris privilegia ſigillis carentia. Quod enim dicebant Regum *Anglicorum* nulla eſſe ſigilla, deprehenſum eſſe falſum in quibuſdam Monaſteriis, nam apud *Weſtmonaſterium* inveniebatur ſigillum Regis *Edwardi.*

* Cumque perventum eſſet ad privilegia *Romanorum* Pontificum, audiſſetque Rex petitione Avi ſui, indultum eſſe *Calixti* privilegium, (in quo confirmabantur omnia à Regibus *Anglicis* beato *Albano*, tam in villis, quàm in libertatibus collata) iterato dixit, *Quicquid in Regno Avi mei. petitione ſua geſtum eſt, tantum robur habet, ut nulla ratione poſſit diſſolvi.* Sed cum audiretur *Cœleſtini* Papæ privilegium, circa illum articulum in quo uncia auri pro recognitione ſingulis annis ſolvenda ſummo Pontifici perhibetur: Rex commotus ait; *In hoc articulo Domine Abbas derogatum eſt dignitati noſtræ, facere namque meam Eccleſiam* Romanæ *ſedi tributarium, abſque meo aſſenſu non licuit tibi: Nec* Romanus *Pontifex hoc debuit feciſſe.* Ad quod Abbas. *Domine mi Rex; Non eſt factum meo tempore, tertii enim prædeceſſoris veſtri tempore factum eſt hoc.* Et Rex: *Quiſquis,* inquit, *hoc fecerit, contra juris ordinem factum eſt. Modo tamen copiam eorum quæ à te impetrata ſunt privilegia, maximè eorum quæ* Lincolnienſibus *odioſa ſunt appellata* cornuta, *oſtende.* Dicebam enim ea eſſe *Cornuta*, propter mitræ ſpeciem, & Pontificalia ornamenta. Porrò in initio inſpectionis, Rex Abbati dixit: *Vide ut per omnia nobis verum fatearis. Nos enim ea gaudemus clementia, ut verum confitenti, licèt noſtram ſapiat læſionem, de facili indulgeamus.* Abbas itaque hujus memor teſtificationis, confidenter dixit, *Domine,* quæ *dicuntur* Cornuta, *ad manum habemus privilegia. Sed veraciter teſtor, quòd à me vel per me, non ſunt impetrata, imò a Domino Papa* Adriano *indigena veſtro, Eccleſiæ Sancti* Albani, (*in cujus pago ipſum fuiſſe natum conſtat*) me ſunt ignorante tranſmiſſa. Quod audiens *Pictavenſis* Archidiaconus, *Meus, inquit, Vicarius in Eccleſia beati* Hillarii *incedit mitratus in omnibus præcipuis anni ſolemnitatibus, nec derogat mitra Epiſcopali dignitati.* Et Rex: *Modica perſuaſione, gratum haberemus, ſi omnes Regni noſtri Abbates, mitratos incedere videremus, libertates autem quas* Sanctus Albanus *habere dignoſcitur;* in Epiſcopali officio, præeeſſerunt mitram, non ſunt ſubſecutæ.

Contentio inter Epiſcopum & Abbatem.

Interim dum inſpicerentur & audirentur privilegia, *Cantuarienſis* Archidiaconus *Galfridus Ridel*, poſtea *Elyenſis* Epiſcopus, bis ingeſſit ſe conſilio Regis, ut inter Regem & Abbatem occaſione alicujus articuli, diſcordiam ſeminaret. Et fortè cum affuit, liberæ electionis articulus de inſtituendis Abbatibus, legebatur; idque in Regiæ dignitatis læſionem, ſuggerebat impetratum. Tunc Rex; *Omnes ſimili gaudent privilegio, & nos tamen ſemper in tali caſu, omnia privilegia noſtræ inclinamus voluntati. Redi nunc ad eos qui te miſerunt, nec præſumas iterum redire nos perturbaturus.* Tunc Rex Abbati; *Modo, Domine Abbas audivimus, quibus gaudeas privilegiis, in craſtino audiemus quibus innitatur Dominus* Lincolnienſis *ad obtinendam ſubjectionem tui & Eccleſiæ tuæ. Ad hoſpitium ſecurus perge, nulli quæ hic actitata ſunt revelaturus.* Statimque Rex ſurgens, rediit in Capellam ad Archiepiſcopos & Epiſcopos, & cæteros Optimates, quos ibi dimiſerat, dixitque *Lincolnienſi* Epiſcopo, *Die craſtina, facite nobis habere copiam, ad inſpiciendum veſtra privilegia, ut poſſimus in cognitione cauſæ quæ vertitur inter vos, certius utrique Eccleſiæ ſua jura conſervare, & ſi occaſio ſe ingeſſerit, juſtius pronunciare.* Et ſolutum eſt Concilium, in hoc verbo die illa.

In craſtino autem Epiſcopus, Regem advocans ſeorſum, confeſſus eſt; *Se nullis adverſus Abbatem Sancti* Albani *privilegiis, ſed ſola præſcriptione communiri.* Tunc Rex ad eum. *Pri-*

Mutua collocutio Regis & Epiſcopi.

Compoſitio inter Eccleſiam ſancti Albani, & Eccleſiam Lincolnienſ.

vilegia, ut credimus, præjudicant præſcriptioni, maxime in illo articulo, ubi vendicatio exititur lubrico regentis Eccleſiam quam ſervituti Eccleſiæ. Abbas Sancti Albani *allegat Eccleſiam ſuam à cunabulis fuiſſe ingenuam, ſed incuria atque deſidia prædeceſſorum ſuorum, redactam in ſubjectionem* Lincoln. *Eccleſiæ; Modo, beneficio* Romanorum *Pontificum reſtitam eſſe, in nativam libertatem: quorum eſt in hiis caſibus, partes ſuas interponere. Et prout viderint expedire, autoritate beati* Petri *unumquemque in priſtinum ſtatum reſtituere. Communicato itaque conſilio, cum Decano & Archidiaconis, & cæteris Canonicis Eccleſiæ tuæ, de libertate communi, utrum expediat vobis, aut contendere, aut cum eis componere, nobis renuncia.*

Epiſcopus itaque ad ſuos rediens, & Regis verba referens, de communi deliberatione Regi ſupplicavit, *quatenus amicabili compoſitione interveniente, pacem inter litigantes Eccleſias reformaret.* Rex autem aſſumptis ſecum *Richardo* de *Humez*, principe militiæ, & *Richardo Pictavenſi* Archidiacono, acceſſit ad Abbatem *Robertum* & fratres qui cum eo erant, dixitque eis, *Modò, niſi per vos ſteterit, plena gaudebunt integritate privilegia veſtra. Detur à vobis, ſi placet,* Lincolnienſi *Eccleſiæ prædium aliquod de prædiis veſtris, & Epiſcopus renunciabit, juri quod dicit ſe habere in Abbate & Eccleſia Sancti* Albani. Quod audiens Abbas & qui cum eo erant, alacriter Regi reſponderunt. *Domine Rex, ad te ſunt oculi noſtri, in te conſilium noſtrum, juxta beneplacitum veſtrum taxetur prædium, deturque* Lincolnienſi *Epiſcopo.* Et Rex. *Decem librarum ſit æſtimatio prædii quod offeratur; noſque operam dabimus ut ſuſcipiatur.* Ingreſſuſque ſtatim capellam infirmariæ *Weſtmonaſterii*, Rex ad Epiſcopos; Abbaſque & ſui remanentes in ipſa infirmaria, cœperunt tractare de nomine prædii: Rex verò ex parte Abbatis offerens Epiſcopo *Lincolnienſi* decem librarum prædium, exauditus eſt; Abbaſque cum ſuis vocatus eſt infra Capellam ſeorſum. Ad quos Rex ipſe cum prædictis accedens, nomen prædii quærebat. Abbas autem attemptans Eccleſiam aliquam dare, paſſus eſt repulſam. Species enim proxima ſymoniæ videbatur, dare vel accipere Eccleſiam pro libertatis redemptione. Tandem tractatum eſt de æſtimatione prædii quod dicitur *Tynhurſte*: & inventum eſt decem librarum eſſe, cum Eccleſia ejuſdem fundi. Volens autem *Robertus* Abbas cum fratrum univerſitate, ſemel à dominatione Epiſcopi *Lincolnienſis*, & ab omnimoda ſubjectione liberari (quæ per ſimplicitatem duorum triumve Abbatum obrepſerat: ſiquidem ab eo benedictionem acceperant, in qua & profeſſionem feciſſe videbantur) perpetuæ paci conſulens, & præcavens in futurum; promiſit Regi aſſenſu fratrum ſuorum unanimique voluntate " ductus, ſe daturum *Lincolnienſis* Eccleſiæ " villam prædictam de *Tynhurſte*, cum omni integritate pro reditum decem librarum annui " cenſus poſſidendam. Reſidens itaque in loco ſuo Rex, verbumque prædii proſequens, ad partem *Lincolnienſem*: placuit *Lincolnienſi* Epiſcopo, & omnibus Canonicis Eccleſiæ ſuæ, quorum melior ſaniorque pars cum eo reſidebat. Statimque aſſurgens, *in manu Regis per Capitis ſui galerum qui ' bura dicitur, reſignavit id juris quod dicebat ſe habere in Eccleſia beati* Albani, *& in Abbate* Roberto. Quem Rex accipiens, *illico reddidit in manu Abbatis* Roberti, *inveſtivitque Eccleſiam beati* Albani, *libertate plenaria, mediante Abbate. Ac ſtatim per annulum ſuum aureum, Epiſcopum* Lincolnienſem *in proprietatem, ut dictum eſt, & civilem poſſeſſionem prædii de* Tynhurſte *miſit, annuante Abbate* Sancti Albani *& Capitulo*: ad cujus jus prædium illud pertinebat. Conſcriptæ ſunt igitur inde Chartæ utrinque de " prædicta tranſactione confirmatoriæ. Primò, Charta *Lincolnienſis* Eccleſiæ, in qua ſtatim ſigillum Epiſcopi dependit: ſecuritate facta de ſigillo Capituli *Lincolnienſis*. Poſtea verò Charta Abbatis, de prædio, cui etiam Rex manum appoſuit; nam laqueum pallii ſui, pro teſtimonio appoſuit. Poſtea Charta Regis, de Confirmatione. Deinde Charta beati *Thomæ Cantuarienſis* Archiepiſcopi. Porrò Charta Epiſcopi *Lincolnienſis*, in qua Capituli ſui ſigillum dependet, ſic incipit: Robertus *Dei gratia* Lincolnienſis *Epiſcopus, omnibus Sancti Martyris Eccleſiæ filiis ſalutem. Notum ſit univerſitati veſtræ, quod ego controverſiæ illi, &c.* Regis ſic. *Sciatis quòd controverſia quæ diu fuerat agitata, &c.* beati *Thomæ*. " *Deciſiones* " *cauſarum, &c. Nihil ergo amodo Monachis beati* Albani, *& Epiſcopo* Lincolnien. *illi præ-* " *dicti prædii commodis utatur iſti libertate indubia fruantur, ſecuraque & inconcuſſa Non* " *eum agnoſcunt Diœceſanum ſuum vel Epiſcopum, magis quam* Wintonienſem *ſive* Exonienſem. *Sed neque ſic, quia magis iſte cavetur.* Facta eſt autem hæc tranſactio, Anno Gratiæ milleſimo, centeſimo ſexageſimo tertio, menſe Martio, Anno illuſtris *Henrici* nepotis primi *Henrici* filii *Willielmi Baſtardi* duodecimo. Anno ſuſceptæ paſtoralis curæ ab Abbate, præſente jam dicto Rege *Henrico*. Præſentibus etiam beato *Thoma Cant.* Archiepiſcopo, *Rogero* quoque *Eborum* Archiepiſcopo, *Henrico Winton.* Nigello *Elyenſi, Willielmo Norwicenſi, Hillario Ciceſtrenſi, Jocelino Sarum, Waltero Roffen. Hugone Dunelmenſi, Gilberto Herefordenſi,* Bartholomæo *Exonienſi, Richardo Coventrenſi, Godefrido Lanum.* ſcilicet, de *Sancto Aſaph Epiſcopis. Laurentio Weſtmonaſterii, Willielmo Rameſey, Gregorio Malmesbury, Clemente Eborum, Reginaldo Perſorenſi, Abbatibus. Ganfrido Cantuarienſi, Richardo Pictavenſi Archidiaconis, Roberto Legriæ, Hugone Norfolci, Willielmo Harrundel, Comitibus. Richardo* de *Lucy, Richardo* de *Humez*, * Conſtabulariis. *Henrico filio Geroldi* Camerarii, pluriſque aliis.

Chronica hujus tranſactionis.

Vide Matthæum Pariſienſ. *An. Dom.* 1162. *cap. ultimo.*

* Humeth.

Executio

Executio negotii.

Confirmatio capituli Linc. ſuper tranſactione prænotata.

Abbas mitratus celebrat.

IDem vero Abbas ſtatim poſtquam domum redierat, direxit *Gaufridum* ſuppriorem *Lincolniam*: ut ibi ex communi aſſenſu totius Capituli *Lincolnienſis*, apponeret ſigillum Sanctæ *Mariæ Lincolnienſis*, Chartæ jam dictæ. Detulitque ſecum Chartam cum ſigillo Sancti *Albani*, & Abbatis *Roberti*: quæ confirmabat Eccleſiæ *Lincolnienſi*, prædium de *Tynhurſte*, quæ omnia fœliciter ſunt conſummata. In qua cauſa æſtimatus eſt numerus expenſarum, centum & quadraginta Marcas. Die vero Paſchali adveniente proximo, in proceſſione mitra, annulo & chyrothecis primum decoratus proceſſit, eiſdemque Ornamentis cum Sandaliis & aliis ad miſſam pertinentibus redimitus, ad majus altare miſſam celebraturus.

Chriſma confectum in Eccleſia ſancti Albani.

Igitur *Robertus* Abbas bis in anno mitratus Synodum ſuam cum Clericis ſuis irreprehenſibiliter celebravit, & ut ſic moris ſemper foret, ſtatuit Sacramenta à ſolis Pontificibus conferenda, ſcilicet ſacros ordines, dedicationes Eccleſiarum ſive altarium, Olei & Chriſmatis conſecrationem, & benedictionem Abbatis: aliaque quælibet Sacramenta, à quolibet Epiſcopo ſicut antiquitùs conſuevit; extunc quietè ſuſcepit. Anno vero ſequenti venerabilis *Godefridus* Epiſcopus de Sancto *Aſaph*, petente Abbate *Roberto*, in Baſilica Sancti *Albani* ad majus altare, (ipſo Abbate præſente cum toto Conventu Clericis & Laicis multis) in *Cæna Domini* Chriſma confecit, & Oleum ſanctum, quod per beati *Albani* parochias, de more diſtributum eſt, eodem Epiſcopo nullatenus vices Epiſcopi *Lincolnienſis* gerente in aliquo. Idem quoque Epiſcopus, in Capella infirmariæ, Ordines fecit poſtea generales: & poſtea multotiens. Idem quoque Epiſcopus dedicavit in Eccleſia beati *Albani*, altare *Sanctæ Crucis*. Item aliud in honorem Sanctæ *Mariæ*, Sanctique *Blaſii* Epiſcopi & Martyris. Et aliud in honorem Sancti *Nicolai*, in Eccleſia Sancti *Petri* in villa Sancti *Albani*. Benedixit quoque ſigna Eccleſiæ Sancti *Albani*, tam minora quàm majora. Iterum Epiſcopus *Elyenſis Nigellus*, Chriſma & Oleum Sanctum in Eccleſia Sancti *Albani* confecit. Circa eoſdem dies, Abbas *Weſtm. Laur.* qui ut dictum eſt, ex gremio hujus Eccleſiæ aſſumptus eſt, Hiſtoriam de ſancto Rege & Confeſſore *Edwardo* ſcribi eleganter procuravit, ab ipſo collectam, de diverſis antiquis tractatibus, & in unum corpus redegit, ad petitionem Regis *Henrici*.

Noſter Monachus quondam collegit vitam ſancti Edwardi.

De Silva quæ Northaga *dicitur.*

Silva de Northaga alienata injuſtè.

SIlva de *Northaga*, in qua *Paulus* Abbas *Petro* de *Valoniis* ſeniori, uſum fructum quoad viveret, conceſſerat, & filio ejus *Rogero*, eadem conditione ipſo *Paulo* defuncto, Abbas *Gaufridus* atque nepoti ejus *Petro* juniori Abbas *Radulphus*, per Abbatem *Robertum*, ut ſuperiùs dictum eſt, in dominium beati *Albani* devenit, quod difficillimum fuit. Nam filio patri & nepote patri, avoque ſuccedentibus, aſſenſu Abbatum Sancti *Albani* in eadem poſſeſſione, videbatur quibuſdam rei veritatem ignorantibus, quaſi jus hæreditarium vires concepiſſe, & præſcriptio locum habere. Alioquin Regni conſuetudo arctius videbatur urgeri. Filius quippe, de Regni conſuetudine talem ingredietur poſſeſſionem, qualem pater decedens habuerat. Hiis omnibus concurrentibus, de regis mandato *Rogerus* de *Valoniis* poſſeſſionem adeptus de *Northaga*, poſt mortem præfati *Petri* fratris ſui, fere Abbatem *Robertum* in deſperationem immerſerat, qualiter autem hoc acciderit, latius enarrabimus.

Petrus de *Valoniis* junior, cùm per multos annos ſilvam de *Northaga* ut uſufructuarius poſſediſſet; tandem infirmatus in lectum decidit, & graviter languere cœpit. Quod Abbas *Robertus* ut audivit, nihil moratus duos ex fratribus ſuis ad eum direxit, monens ipſum attentiùs, quatenus priuſquam debita naturæ perſolverat, Silvam de *Northaga* Monaſterio beati *Albani* ex conventione reſtitueret. Illi verò ad eum quantociùs venientes, quæ eis juſſa fuerunt, prædicto illuſtri viro retulerunt. Quibus auditis ſe, & prædeceſſores ſuos, non hæreditarie, ſed de mera liberalitate Conventus Sancti *Albani*, præfatam Silvam poſſediſſe confeſſus eſt. Sequentique die militibus ſuis aſtantibus, eidem ſilvæ ad arbitrium eorum cedere, ipſe tamen eadem nocte, priuſquam quæ promiſerat operis affectu adimplere valeret, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Quod defuncto Abbas *Robertus* nuntios ad prædictam ſilvam deſtinavit, eandemque poſſedit. Proinde *Robertus* de *Valoniis* frater prædicti *Petri* & hæres, (non enim habebat liberos) plurimum dolens ſe tanta terra portione privari, Abbatem *Robertum* per aliquos Magnates ſibi ſpeciales, ſæpiùs interpellabat, quòd ſibi ſilvam de *Northaga* poſſidere concederet. Qui nequaquam ei adquieſcens, flecti noluit. Proinde *Robertus* de *Valoniis* ſpe ſua fruſtratus, Regem tunc in Regno *Francorum* commorantem adiit: & ut ſui miſertus præfatam ſilvam ſibi concedi juberet, multis precibus ſupplicavit. Rex verò ad obſidionem civitatis *Tholoſanæ*, eo tempore accingebetur; qui ſuorum animos optimatum ad ſui auxilium conciliare cupiens, conceſſit quod petebat; "ſcriptis in *Angliam* per eundem *Robertum* tranſmiſſis prohibuit, ne quid quod anteceſſo-

" res

"res ejuſdem *Roberti* juſtitia dictante hæreditariè poſſederant, à quolibet injuſtè ei offerre liceret. Quibus acceptis literis, ſtatim in *Angliam* rediit, & eaſdem Abbati *Roberto* porrexit. Quas etiam in audientia Curiæ legi idem Abbas præcepit. Quibus perlectis, *Robertus* de *Valoniis* reſtitutionem ſilvæ prædictæ ſecundùm Regis juſſionem (utpote qui hæreditario jure eam de Eccleſia *Sancti Albani* tenere deberet) conſtanter ſibi fieri poſtulabat. Cujus poſtulationi Abbas *Robertus* minimè ſe inclinans, *has* inquit, *literas, nobis nullatenus attuliſſe debueras, qui nullum terræ portionem poſſediſſe hæreditariè dignoſceris, vel tui prædeceſſoris.* Quare *Robertus* iratus recedens, *Robertum* Comitem *Legriæ*, qui præerat cauſis cognoſcendis in *Anglia*, adiit; eaſdemque literas illi porrexit. In illis etiam literis continebatur: *Et niſi feceritis*, Robertus *Comes* Legriæ *faciat: ne opporteat eum inde ampliùs vexari, pro penuria recti.* Nec mora, idem *Robertus* citatorias literas ad Præſidem *Hertfordenſem* obtinere meruit cum gratia: quibus *Robertum* Abbatem ſubmoneret, ut copiam ſui "apud *Northamptonam* exhiberet, inſtructus de prædicta ſilva, reſponderetque ad ſibi propalanda Citatus tamen illuc non adveniens, nolens Comitis ſiſti judicio; unum tamen ex fratribus *Hugonem*, ſcilicet, diſcretum & circumſpectum, pro ſe illuc deſtinavit. Comite igitur *Roberti* Abbatis abſentiam graviter ferente, citatur iterum dictus Abbas iterato: & ipſum iterum non comparentem, condemnat, & in judicio Curiæ Regiæ, prædictam ſilvam *Roberto* de *Valoniis* adjudicavit. Atque Præſidi *Hartfordenſis* Provinciæ, ut ipſum in poſſeſſionem mitteret, Regia auctoritate præcepit.* Qui Comitis præceptis parens, ea effectui quantociùs mancipavit. *Robertus* igitur, poſſeſſione dictæ ſilvæ potitus, & perpendens ſe brevis temporis ſpatio uſufructuarium fore (utpote qui eam injuſtè poſſidebat) ſæpe dictam ſilvam vaſtavit, ultra modum ſuccidi faciens, quod tamen anteceſſoribus ſuis juxta Chartarum tenorem, minimè licebat. Quod ut Abbas cognovit, Nuncios illicò miſit ad hoc explorandum. Et inventum eſt damnum irreſtaurabile perpetratum. Abbas igitur, mutato priorum ſuggeſtorum conſilio, Comitem *Robertum* feſtinans adiit, & ut injurioſum impetum *Roberti* de *Valoniis* refrænaret, literas ejus vix impetravit. Sed *Robertus* Comitis juſſionibus nequaquam adquieſcens, damna geminavit. Quæ audiens Abbas, Reginam *Elienoram* tunc in *Anglia* commorantem, adiit; cujus literas ad *Robertum* de *Valoniis*, ut auſus ſuos temerarios & injurioſos caſtigaret, impetravit; cujus admonitionibus *Robertus* ad tempus acquieſcens, citò poſt damna damnis accumulavit. Iterum *Robertus* Abbas miſſis Nunciis Domino Papæ *Alexandro*, de hac tranſgreſſione conqueſtus eſt: Reſcriptumque ejuſdem ad *Cantuarienſem* Archiepiſcopum *Theobaldum*, & *Ciceſtrenſem* Epiſcopum *Hillarium*, impetravit, ſub hac forma.

* *Deſtinavit.*

Papa ſcribit pro nobis.

Alexander *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus* Theobald. *Cantuarienſi Archiepiſcopo, &* Hillario Ciceſtrenſi *Epiſcopo Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii noſtri Abbas & fratres Monaſterii* Sancti Albani *tranſmiſſa nobis conqueſtione monſtrarunt, quod* Robertus *de* Valoniis *ſilvam de* Northaga, *quam iidem fratres ad ſuum jus aſſerunt pertinere, contra juſtitiam detinet occupatam. Ideoque fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quod prædictum* Robertum *infra triginta dies poſt harum ſuſceptionem ſtudeatis cum omnia diligentia convenire; Ut vel ipſam ſilvam prædictis fratribus abſque difficultate reſtituat, vel plenam exinde juſtitiam eis in præſentia veſtra. Quod ſi facere forte contempſerit, Excommunicationis in eum ſententiam proferatis. Si vero alter veſtrum huic negotio intereſſe non poterit, alter tamen id ipſum nihilominus exequatur. Datum* Anagniæ, *ſexto Kalend. Feb.*

Porrò iidem Epiſcopi hiis literis inſpectis, quia Rex *Henricus* ſecundus omnibus Epiſcopis in Regno ſuo degentibus prohibuerat ne in quoſlibet optimatum ſuorum, Excommunicationis ſententiam promulgarent; trepidantes, ſæpedictum *Robertum* vinculo Anathematis innodare formidabant. Interea Abbas inito conſilio, unum ex fratribus ad Regem propè *Tholoſam* cum exercitu commorantem, deſtinavit: illius animum per eum multa precum inſtantia, plurimiſque muneribus datis & promiſſis, ſolicitans: "quatenus literis ſuis *Ro*-"*berto* Comiti *Legriæ* tranſmiſſis, ſe & *Robertum* de *Valoniis* de ſilva de *Northaga* ſecundum "tenorem Chartarum quas Monaſterium beati *Albani* poſſidebat, judicium audire in Curia ſua juberet. Rex autem ejus petitionibus contradicens, non adquievit; ſed tamen importunis ejus precibus convictus, dicto Comiti ſcripſit, Præcipiens, ne aliquo modo pateretur *Robertum* de *Valoniis*, "extunc de dicta ſilva aliquid ſuccidere, dare vel vendere; "uſque adventum ſuum in *Anglia*. Quæ juſſa ut à Comite prædictus *Robertus* accepit, etſi invitus parens, adimplevit.

Rex ſcribit pro nobis.

Porrò Abbas *Robertus* ægrè ferens ſe & Eccleſiam ſuam dicta ſilva injuſtè ſpoliari, communicato cum fratribus Conſilio, Regem in *Normannia* tunc commorantem & à *Tholoſæ* obſidione reverſum, impiger adiit: pactiſque centum libris, reſcriptum ad Comitem *Robertum* impetravit. Quo imperatum eſt, ut vocatis ante præſentiam ſuam utriſque partibus, "& auditis hinc inde allegationibus; de jure proprietatis juxta tenorem Chartæ *L. Can*-"*tuarienſis* Archiepiſcopi, & aliarum Chartarum ipſam decideret cauſam, diffinitiva ſenten-"tia; quibus proſperè geſtis, accepta Regis licentia, domum remeavit: Comitique *Roberto* reſcriptum Regis porrexit. Citatur *Robertus* de *Valoniis* ab eodem *Roberto* Comite; conceſſa ei quadraginta dierum dilatione. Abbas interim, Cellam de *Thynemue*, gratia viſitandi fratres, petiit.

Abbas vadit ad Regem in Normannia.

Interea dies quo de jure proprietatis ſilvæ de *Northaga*, coram Comite *Roberto Legriæ*, Abbas *Robertus*, & *Robertus* de *Valoniis*, confligere deberent, advenit, & *Symon* Prior Eccleſiæ Sancti *Albani*, ſecundùm ipſius mandatum, copiam ſui *Londini* fecit. Sed *Robertus* de *Valoniis* nequaquam affuit. Comes ergò aliquantulum moleſtè ferens Abbatis abſentiam, præfatum *Symonem* Priorem, quatenus Abbati ſuo celerem Nuntium dirigeret, ne ad ſecundam citationem apud *Legriam* deeſſet, ſtuduit admonere. *Variæ vexationes Abbatis, pro dicta ſilva; & judicium pro eadem.*

Porrò *Robertus* Abbas citra quindecim dies apud *Thynemue* commoratus, versùs *Scotiam* iter arripuit; marique tranſito, ad Abbatiam *Dunfermelin* devenit; ubi jam lotis manibus diſcumbere decreverat; Et ecce puer quidam ad eum acceſſit feſtinus & anhelus, eique literas ex parte præfati *Symonis* Prioris porrexit. Quibus inſpectis, illicò nullam annectens moram, refectione dimiſſa, equum aſcendit, ſuiſque ut eum ſequerentur, maturiùs imperavit. Quibus juſſa explentibus, eodem die quo illuc advenerat, mareque pertranſito jejunus accepit hoſpitium. Illuſcente autem die, iter versùs *Legriam* quantum potuit accelerat; tamen propter loci remotionem, & fluviorum derivationes præpeditus, ad diem ſibi præfixum adeſſe non potuit. Propè tamen *Legriam*, ad quendam Vicum ubi quievit pernoctatùs pervenit; ſe versùs Comitem humiliter excuſans. Die tamen determinato advenit *Legriam Symon* Prior, ad Abbatis juſſionem; ſed *Robertus* de *Valoniis* coram Judice noluit apparere. Dilatum eſt ergo judicium ſecundò. Hoc tamen ſcripto inſeruimus pro venerabilis Abbatis diligentia, omnibus declaranda. Citatur ergo tertiò à Comite *Robertus* de *Valoniis* apud eundem locum; datis ei iteratò ad inducias quadraginta diebus. Sed die conſtituto, *Roberto* Abbate ibidem apparente, & *Roberto* de *Valoniis* ſe abſentante, Comes ſilvam confiſcavit; Ipſumque *Robertum* quartò citari fecit: conceſſa ei ſex hebdomadarum dilatione. Adveniente autem die, apudque *Legriam* ſæpedicto Abbate ſui copiam faciente, & *Roberto* de *Valoniis* non apparente, nec reſponſalem mittente, vel exceptorem ſicut priùs; Abbati, judicio Curiæ, ſilvam de *Northaga* adjudicavit. Ac deinde per ramum unum, in poſſeſſionem miſit: & ipſum *Robertum* de *Valoniis*, ad magnam damnorum reſtitutionem, & injuriarum illatarum, temporis nacta opportunitate, viriliter coegit. *Silva adjudicatur.*

Monitio Editoris ad Lectorem.

Tibi notum faciamus (*Lector amice*) *in ora illius libri* Cottoniani, *unde* Additamenta *deſumpſimus*, *cujus & textum per omnia ſecuti ſumus*, *hic interſeri narrationem ſequentem*, de Abbate Monſtreoli Monacho noſtro, *quæ in majori* Cottoniano *invenitur*, *ferè ſub finem hujus Abbatis* Roberti, *ſcilicet poſt fine m illius capitis cujus Rubrica ſive Titulus eſt*, Abbas conſequitur in Concilio generali, primam ſedem: *& ante initium illius capitis*, *ubi tractatur de* Negligentiis hujus Abbatis.

De Abbate Monſtereoli, Monacho noſtro.

Tempore autem hujus Abbatis, *Roberti* (videlicet anno Prælationis ejus ſeptimo) contigit quod quidam Scholaris ætate juvenis, moribus autem & literatura ſenex, de Burgo quodam ultramarino, ſcilicet *Monſtreolo* oriundus, habitum Religionis in domo Sancti *Albani* ſuſcepit. Tum propter ordinis rigorem, & morum diſciplinam; quæ tunc quàm plurimum in Clauſtro Sancti *Albani* vigebat; tum propter cognitionem Abbatis *Roberti*, ipſum attrahentis. Et cum per triennium moram in novitiali laudabiliter continuaſſet, & ſervitium integraliter reddidiſſet; obtenta licentia (licèt cum difficultate) partes adiit natales, ut amicos ſuos & parentes viſitaret. Et cum ad Cœnobium *Monſtreoli* perveniſſet, videlicet Sancti *Winewali*, ubi aliquando in pueritia nutriebatur; Conventus ſuo paſtore deſtitutus, ipſum, quia ab ordinata domo exierat, & jam eleganter in ordine informabatur; & quia indigena fuit; elegit in Abbatem ſuum; & ipſe electioni conſenſit. Et cum infra ſibi ſtatutum diem rediiſſet domum, quaſi reus & ordinis tranſgreſſor, acclamatus eſt in judicio Capituli, ſuper Conſenſu Electionis ſuæ, ſine Abbatis licentia, & conniventia Conventus Sancti *Albani*, ubi fecerat profeſſionem. Et cum ſtans in medio graviter ab Abbate redargutus, ſe reum confiteretur, & tranſgreſſionem tantam ſe promitteret emendaturum humiliter; & ſe ad hoc tractum & invitum, vix voluntati eligentium atteſtaretur; & ſui ſocii, quos ſecum adduxerat, Monachi teſtimonium perhibuiſſent, ait Abbas (adhuc de ſimplicitate conſenſus " iratus) illi, Frater inobediens & nimis ſupinus fuiſti: " Tanta culpa non remanebit inulta. Vade ſeſſum depoſitus. Et ipſe audita hac ſententia definitiva; humiliter inclinavit, & ivit ſeſſum in ordine ſuo, quaſi ſimplex Clauſtralis; cujus humilitatem & obedientiam, cum etiam qui eum accuſaverunt & acclamaverunt, vidiſſent, omnes vociferati ſunt dicentes, *O Domine Abbas, parcendum eſt circumvento, & pœnitenti, ac humiliato.* Abbas igitur *Robertus* qui præſedit, miſertus ait. *Non intro modò in judicium cum Monacho meo; rigorem ordinis laxabo: nec pœnam tibi frater infligam, quam promeruiſti. Simplicitas te accuſat de culpa; excuſat humilitas. Veni Domine Abbas juxta me*

ſeſſum. Et venit humiliter juxta Abbatem ſeſſum. Et confitebatur tunc cum juramento, "quod mallet ſemper Clauſtralis fore & Pauper, quàm Abbas & dives. Et rediit domum & rexit eam fœliciter, per multa tempora.

Hucuſque nota marginalis Cauſa inter Abbatem & Comitem de Arundele, pro Cella de Wymundham.

In narrationem geſtorum Abbatis *Roberti*, utimur ordine artificiali; id primò narrantes quod poſteriùs geſtum eſt; ſecundum eminentiam rerum earundem quæ contigerunt. Domuit indomitum *Willielmum* Comitem *Harundelliæ*, qui quaſi fræneticus, in multos conſuevit deſævire. Eſt autem *Beato Albano* Cella Monachorum apud *Wimundham*, ut prædictum eſt; quam fundavit *Gulielmus* de *Albaneya* pincerna Regis *Henrici* primi; pater jam dicti Comitis *Willielmi*, in honore *Sanctæ Mariæ* & *Sancti Albani*. Contigit itaque *Roberti* Abbatis tempore, quòd Prior de *Wymundham* (*Radulphus* ſcilicet de *Nuers*) vir quidem religioſus, ſed in iram ſecùs quàm deceret præceps; aliquando apud *Hapesbure*, prædium pertinens Eccleſiæ de *Wymundham*, ut à ſuis ibi Eccleſiæ ſuæ auxilium exigeret, pro Incumbente aliqua neceſſitate; divertit. At illi in hac exactione, Priori reſtiterunt in faciem; unde Prior ira accenſus in adjutorium exactionis ſuæ, vocavit Comitis ſervientes. Qui diruerunt oſtia, ſeras confringentes & repagula; ſervoſque Eccleſiæ crudeliter contractantes & nonnullos compedibus & Cippo conſtringentes, prædam abegerunt. Servi autem confugientes ad beati *Albani* præſidium; in argumentum injuriarum, tulerunt ſecum ſeras confractas; veſtibus conſciſſis, querimoniam lacrymabilem coram Abbate depoſuerunt. Abbas verò interrogavit, de quo potiùs conquererentur, quaſi auctore injuriæ; ſervientibus Comitis, vel Priore. Servi reſponderunt, dolo Prioris illatam fuiſſe violentiam ſub nomine Comitis. Abbas verò cogitans ſuper hoc, in id conſilii devenit; ut accederet ad locum; & cum fratribus & ſervientibus loci tractaret ſecretiùs ac diſtrictiùs ſuper hujus caſus articulo. Et ecce properanti *Northfolciam*, octoque milliaribus diſtanti à *Wymundham*, occurrit Prior loci cum ſuis; & Abbati ſuggeſſit, quòd ab Apparitoribus Comitis didicerat, "qui jam *Wymundham* venerant; ut Abbati obſtarent, & introitum ad Cellam ſuam violenta manu negarent. Abbas autem ſeorſum ſuos convocans; "quid facto "opus ſit ſuper hoc conſuluit. Dicente uno, Conſultiùs fore tranſire ad *Norwicum*; & "inde legatum ad Comitem mittere; qui quæreret utrùm hoc auctoritate Comitis factum "eſſet: Ait quidam fratrum junior, Nondum vis illata eſt Abbati, nec occaſio querimo-"niæ locum habet, niſi præceſſerit corporalis violentia. Eapropter eat Dominus Abbas ad "Cellam ſuam, & ingrediatur; audiatque & videat Apparitionem vim facturum. Placuit Abbati junioris conſilium; & ad Cellæ ſuæ domicilium properavit. Et ecce nunciùs occurrit nuntians cocum Abbatis ſpoliatum equo ſuo; qui Abbatem de more præceſſerat, ut refectiones pararet. Quod Monachi audientes qui ibidem erant, in prædonem irruerunt, & colaphis turpiter affectum, equum liberaverunt. Nec idcircò Abbas lora retraxit, veniente occurrit extra valvas, totus loci Conventus, profitens unanimi voce, patrem ſpiritualem & dominum illius cellæ temporalem; & proſecutus eſt eum uſque ad portam atrii domus Dei. Ibique volenti introire, obſtitit *Robertus* de *Millers* Abbati, cum multa ſatellitum turba. Cui Abbas, *In qua poteſtate,* Rogere *vetas me ingredi domum meum? Ea die qua ſuſcepi curam regiminis in Eccleſia Sancti* Albani, *ſuſcepi etiam curam domus hujus, quippe ex illius pendet cura, & comitatur tanquam filia matrem. Scio te Regis hominem eſſe: & tu ſcis me illius Abbatem. Ex ejus auctoritate tibi interdico, ne vim nobis inferas.* Et urgens calcaribus equum, ingreſſus eſt per medios Apparitores, nullo reſiſtente. Cui redeunti ab oratione; acceſſit jam dictus *Rogerus* & qui cum eo erant, ſupplicantes Abbati ut recederet, ne iram Comitis incurrerent, quàm intollerabilem ſæpiùs præſenſerant. Quibus ille dixit, *Ecce adveſperaſcit, & quò recedam tardè ſic? Suſtinete me & fratres qui mecum ſunt, & uniuſcujuſque Monachi miniſtrum; & omnes alios dimittam: donec ab ore Comitis per nuntios proprios accipiam, utrum ipſe an furor aliorum, contra me fecerit quod actum eſt.* Quod cùm ab ipſo acceperim, vel hìc ſecurus in domo noſtra permanebo, vel recedam, ut noſtræ indemnitati prævideam; & factum quod petiit & promiſit. Redeuntes à Comite Prior loci & *Richardus* de *ſancto claro*, & *Henricus* de *Gorham* patrinus Abbatis; quos Abbas ad Comitem miſerat, pro Colloquio habendo inter Abbatem & Comitem; ſequenti quarta feria apud * *Athelburnam* Comite expectante Abbatis adventum, Abbati ſuggeſſerunt. Die ergo ſtatuto, venit Comes illuc agmine ſtipatus numeroſo; venit & Abbas cum paucis. Sedentibus itaque partibus ex adverſo, Comes primus ſic orſus eſt, *Domine Abbas, ad hoc convenimus ego & tu, ut in communi Conſilio tractemus de Cellæ meæ de* Wymundham *emendatione: quatenus videamus quid mihi, quid tibi, quid Priori meo competat, in prædicta Cella. Ne ſi uſurpaveris tibi quod meum eſt, vel ego mihi quod tuum eſt, fiat confuſio in domo Domini, atque inter nos odii fomes utrobique damnoſa. Oſtende, proinde, imprimis Chartam patris mei, & quicquid tibi donaverit Chartæ authoritas, tuum ſit. Quam ſi non habeas, vellem ſcire quo auctore vendicas tibi in terra mea aliquid* Dominii? At Abbas, *Ad hoc equidem venimus, ut emendemus in Monachis noſtris de* Wymundham *pariter & illis de* Binham, *ea quæ cura exigit ſpiritualis: hoc enim nobis eſt primum, quærere, ſcilicet,* Regnum Dei. *Deinde, ut non omittamus in exterioribus, quæ noſtra indigent diſpenſatione. Pridie venientibus nobis* Wymundham, *ad officii noſtri executionem, reſtiterunt nobis quos miſeratis, & introitum negaverunt*

* Artilburgam.

Abbas & Comes colloquuntur.

negaverunt procaciter. Miſimus ad vos, ut de ore veſtro acciperemus ſi veſtra autoritas interceſſit, & inficiati eſtis. Colloqui vobiſcum erat ardens deſiderium: de die Coloqui ſignificaſtis, noſq; in omnibus morem vobis geſſimus. Ecce aſſumus: querimoniam lacrymabilem depoſuerunt in auribus noſtris Ruſtici Eccleſiæ de Wymundham*: quòd Officiales veſtri irruerunt in eos, & tulerunt prædam eorum, confregeruntque ſeras Arcarum, & contenta aſportaverunt. Quod quàm deteſtandum ſit in tempore Pacifici Regis, & in diebus pacis, facile eſt deprehendere. Illud imprimis eget emendatione: deinde procedendum eſt in aliis, juxta rerum exigentiam. De Charta verò patris veſtri non eſt modò quæſtio, nec ad hoc modò venimus. Nulli quippe dubium eſt, quòd Abbas* Sancti Albani *habeat in Eccleſia de* Wymundham; *Omnibus enim notum eſt, quod Priores ponit: & cum res exegerit, deponit: Ipſe quoque fratres loci viſitat ſemel in anno, & ſi caſus ſe ingeſſerit, pluries. In viſitatione, protractiorem facit moram: ut ex deliberatione moroſa poſſit mederi animabus infirmis, providere in rebus exterioribus, ſi res ita diſponantur ut expediat.* Ad hoc Comes; *Si Ruſticis Eccleſiæ meæ, & hominibus Prioris mei, aliquid feci quod facere non debui, nihil ad te, mihi, & Priori meo bene conveniet. Tu enim in Eccleſia de* Wymundham, *nullum omnino habes dominium, niſi quòd in ſignum ſubjectionis & ordinis, debet tibi ſucceſſoribuſq; tuis Prior loci, reddere annuam marcam. Si volueris viſitare fratres tuos de* Binham, *debetur tibi in eundo unius noctis, & in redeundo alterius hoſpitium apud* Wymundham. *Ita quod tredecim equorum numerum non debent excedere, qui te comitantur. Ita data eſt Cella à patre meo, Abbati* Richardo: *juxta quod taxatum eſt in Charta patris mei, & ita faciam obſervari omnibus diebus meis.* Abbas reſpondit; *De hominibus Eccleſiæ tuæ, vel Prioris tui de* Wymundham, *totum ad me, Priorem quippe hunc quem tuum perhibes, ego creavi, & jus quod habet vel in Monachis, vel in rebus Monachorum de* Wymundham, *me auctore poſſidet.* Et Converſus ad Priorem, ait; *Domine Prior, cujus es Prior? à quo habes Curam tam extrinſecam quam intrinſecam, in hac Eccleſia de qua loquimur de* Wymundham? Et ille. *Domine Pater, à veſtra paternitate.* Tunc Abbas proſecutus eſt quod cœperat. *Si à me habet Prior nomen Prioris, & Officium meum eſt quicquid poſſidet, meum eſt hominibus illi creditis, in juſtitia non deeſſe: meum in omnibus defectum Prioris ſupplere. Et hujus rei argumentum eſt, annuæ marcæ ſolutio; quam etſi in ſignum ſubjectionis ſolvit, aut nomine ſuo, aut nomine Eccleſiæ ſolvit. Quod nomine Eccleſiæ ſolvit, patet, quia ſucceſſivè ſolvitur. Et ſi nomine Eccleſiæ ſolvitur, ſubjecta eſt Eccleſia quæ ſolvit, illi cui ſolvitur. Si illam viſitaturus advenero, mora mea non eſt taxanda vel dierum vel equorum numero. Quia* Rich. *cujus tempore Eccleſia de* Wymund. *in patrimonium* S. Albani *devoluta eſt, nec tredecim equorum numero contentus eſt, vel unius noctis hoſpitio veniens, nec alterius noctis recedens: Neq; cæteri qui nos præceſſerunt Abbates. Alioquin unius diei ſpatio, non poterunt nobis à* Wymund. *detegere ſecreta cordis ſui cuncti fratres noſtri: quorum ſalus ſpiritualis pendet a conſilio noſtro. Eapropter oportet ſapientem animarum medicum expectare & reexpectare; ut quod prima non poterit, ſecunda, vel tria, vel aliis ſequentibus diebus, mederi valeat. Oportet enim ſanctos & mundos eſſe, qui acceptam Deo hoſtiam pro animabus anteceſſorum veſtrorum & omnium fidelium, ſunt oblaturi. Clamant enim ad nos, & præcipuè quos in hoc mundo habuerunt ſpeciales.* Tunc Comes iratus nimis, & frurore ſolito actus, ait. *Quod dicis nunquam fuit, nunquam erit, quamdiu Cingulo militari accinctus fuero.* Surgenſq; invectus furia, infecto colloquii negotio, receſſit. Porrò Abbas ad ſua rediens, & apud *Wymundham* moram faciens, quantum res noviter emerſa exigebat; *Harpesburgum* ire diſpoſuit. Quod Comitem non latuit. Et mittens Apparitores, de quorum crudelitate magis confidebat, & impetu præſumebat; Fidei interpoſitione aſtrictos adjuravit, ne permitterent Abbatem portas de *Harpesburc* intrare vel quempiam de ſuis. Quod quidem factum eſt. Veniens quidem Abbas cum ſuis illuc, non eſt permiſſus intrare. Quamobrem communicato cum ſuis conſilio, miſit ſæpedictum fratrem *Nicholaum*, ad Comitem *Legriæ* qui præerat (ut dictum eſt) cauſis cognoſcendis in *Anglia*: & in auribus illius querimoniam injuriarum à Comite illatarum, depoſuit. Et citatorias meruit ad Præſidem Provinciæ, quibus Comitem jam dictum citaret. Ut copiam ſui “& omnium fautorum in facto qui interfuerant illatæ Abbati *Sancti Albani* injuriæ apud “*Harpesburc* faceret apud *Northamptonam*, die ſtatuto reſponſurus Abbati, ſuper violentia, ut “querebatur ſibi illata. Citatus itaq; Comes venit *Northamptonam*; & ante litis conteſtatio-“nem mediantibus qui utramq; partem diligebant, promiſit Comes ſe ſatisfacturum Abbati “ſuper violentia ad gratum ipſius in Eccleſia de *Wymundham*: tamen Comiti *Legriæ* ſuppli-“caret, quatenus ejus interveniret licentia. Fidemq; ſuorum interpoſuit: quòd ſine malo “dolo pacto ſtaret. Impetrata eſt ergò ab Abbate licentia: & veniens *Norfolkiam* Abbas, Comitis expertus dolum, infecto rediit negotio. Iterata eſt itaq; querimonia ad Judicem *Angliæ*; & Citatio ſimiliter iterata. Convenerunt ergò *Londoniæ*: ibiq; iterata eſt pacis prolocutio, & in Chyrographum redacta, ne Comes pro altero verbo ut conſueverat reſiliret. Iterum Abbas *Norfolkiam* rediit, infecto negotio; Comite non exhibente Chirographi teſtimonium. Et tunc tandem confugit ad Eccleſiaſticæ juſtitiæ remedium. Sanctus enim *Tho. Dorobernienſis* Archiepiſcopus, Comitem citavit, & utraq; pars copiam ſui fecit die ſtatuto coram ſe & Comite *Legriæ*. Abbate itaq; allegante rhethoricè (utpote vir nobilis & urbanæ eloquentiæ) de damnis & injuriis illatis, de dilationibus fruſtratoriis: Comes patuit diſcrimini anathematis. Sed detulit ei Abbas, ex conſilio optimatum Regni.

Responſio Comitis.

Responſio Abbatis.

Abbas citari facit Comitem.

Iterum citatur Comes.

 Dicebant

Dicebant enim quòd ſi Comes percelleretur anathemate, Eccleſia de *Wymundham*, occaſione ipſa quæ ſub alis patrocinii ejus latitabat, grave pateretur diſpendium. Proinde adhuc tractabatur, efficaciùs: de pace reformanda inter ipſos, & in eum caſum deventum eſt, quòd “ Comes Charta ſua confirmare debuit Eccleſiæ de *Wymundham*; quicquid ei pater ſuus de ſuis prædiis conceſſerat. Et quia hoc verbum captioſum erat, Abbas ſæpius mediatoribus reformandæ pacis, dixit. *Si receſſerimus ab hoc Conſiſtorio, in hoc verbo Comes Chartam patris ſui ſibi exhiberi exiget; ut ſecundum formam Chartæ condat. Ideò nolo vos latere, quòd temporibus primi* H. *Regis* Angl. *Monaſteriis ſive Eccleſiis Conventualibus noviter inſtitutis, non exigebatur alia Charta niſi ſolius Regis. Nullus enim prævalebat illis diebus congregationes in Regno* Ang. *inſtituere, niſi ex Regis permiſſione. Regis enim intercedat permiſſio, niſi patronus in manu reſignaret ipſum Monaſterium vel Eccleſiam, ut de cætero nulli niſi ſoli Regi, reſponderet de temporalibus. Indè contigit quòd aliam Chartam quàm Regis, nunquam (ut aliqui affirmant) habuimus de Eccleſia de* Wymundham. *Proinde ſi Comes voluerit confirmare Monaſterio de* Wymundham *omnia quæ in Regis Charta continentur, & præterea, alia quæq; bonorum teſtimonio virorum ſunt collata à patre ſuo, prædicto Monaſterio de* Wymundham: *omnem injuriam ei remitto; & quicquid reſtitutionis ab eo exigo; atq; inſuper, quadraginta marcarum ſummam donabo.* Hoc dicebat Abbas, ut ambitione ſimul & paupertate refertum Comitem, muneribus obcæcaret; & de cætero, quia præ manibus non habebat Chartas omnium quæ poſſidebat Monaſterium, pro quo contendebat. Mediantibus igitur *Gaufrido* de *Magnavilla* juniore, ſcilicet Comite de *Eſſexia*, & *Richardo* de *Lucy*, & aliis utriuſq; partis amicis, in hunc modum reformata eſt pax inter tam diſcordes viros. Comeſq; Chartam ſuam fecit, & per Sacramentum virorum in corde & corde loquentium, excepit Eccleſiam de *Reſinges*, et nonnullas decimationes: Quæquidem in Charta Regis continebantur; ſed è Monachis de *Wymundham*, nunquam corporaliter poſſeſſæ fuerant; Et idcirco amicitia, ut putabatur, reformata, ſimulatè eſt concepta, non in veritate ſolidata. Comes quidem rubore ſuffuſus eſt non modico, quòd in tanto diſcrimine victus eſt à viro mediocri, & qui invincibiles, edomuit, à ſimplici ſe victum confitebatur. Unde ſemper Comes poſtea cautè ſeria commutans in jocoſa, ait; *Per lanceam Dei, nomen tuum de cætero mutabitur, & vocaberis* Robertus Mateſelon: Nomen adeptus, & tenens, ab effectu. Ad cumulum autem titulorum Abbatis *Roberti*, unum duximus huic ſcripto inſerendum. Contigit una dierum dum in Curia *Romana* moraretur, colloquium ſpeciale & prolixum cum Papa, ſicut ſolet amicus cum amico, in thalamo protrahendo continuavit. Et inter loquendum recolens jactantiam *Elyenſium*, qui ſe falſò aſſerunt Reliquias beati *Albani* penes ſe obtinere, ait. *Pater Sancte, expedit dilucidare veritatem, reſcindite materiam falſitatis & jactantiæ, quæ fomitem in Eccleſiis ſcandali ſubminiſtrat. Veſtrum eſt, Domine, errantes corrigere, rebellium impetus retundere, vacillantes confirmare, prout* Petro, *& vobis in* Petro, *dictum eſt à Domino. Et tu aliquando confirma fratres tuos. Scribat igitur venerabilis ſanctitas veſtra, tribus* Angliæ *Epiſcopis, quorum præcipuus ſit* B. *vir quidem circumſpectus & ſectator veritatis: & facta diligenti & efficaci inquiſitione, commenta detegant falſitatis. Et ſi præſumant ſe memoratas Reliquias penes ipſos recondidiſſe, & doloſo titulo ac ſacrilego ſcelere, læſa fide retinuiſſe: ne patiantur animarum damnationem, reſtituere non omittant. Et ſic memorati Epiſcopi fideliter mandata Apoſtolicâ proſequentes famam martyris ſtudeant ſine moræ diſpendio dilucidare.* Et hoc cum audiſſet Papa, juſtis petitionibus ſereno vultu exhibuit ſe favorabilem. Et ſubjunxit Abbas. *Domine, hæc aliquando facta fuiſſe perhibentur: Sed inquiſitio tepida, & ſine adjectione pœnæ, contemptum generavit. Et viris tunc viventibus, alii veritatis ignari, vel veritati rebelles & mandati Papalis contemptores illis ſucceſſerunt, qui in priſtinum errorem corruerunt. Compeſcat igitur, temerarios, auctoritatis veſtræ repetita ſeveritas. Ut beatum Martyrem ſollicitudinis veſtræ coadjutorem & conſolatorem, habere mereamini.* Scripſit “ igitur Dominus Papa dictis Epiſcopis; diſtrictè præcipiendo, & efficaciter admonendo, ut “ ſecundùm Abbatis *Sancti Albani* petitionem, hoc negotium (ſcilicet, quod prædictum eſt) “ ſine moræ diſpendio proſequerentur. Cum autem Abbas *Robertus*, factis ad votum hoc; & aliis negotiis, domùm redierat; oſtendit dictis Epiſcopis Papale authenticum, cui ipſe fideliter obedientes, & precibus Abbatis adquieſcentes, & (ne de labore & expenſis conquererentur) munerificentiæ inclinantes, *Ely* corporaliter advenerunt; Et oſtenſo Conventui in Capitulo Papali authentico, electi ſunt duodecim de conventu ſeniores & diſcretiores; qui preſtito in diſtricto veritatis examine, & virtute obedientiæ ſacramento, (cum fidei interpoſitione ſub pœna etiam ſuſpenſionis & anathematis) ut ſuper hac rei veritatem confi- “ terentur, proteſtati ſunt unanimi conſenſu, ſe fuiſſe pio dolo deceptos. Nihilominus gra- “ viter deliquiſſe & ſacrilegium perpetraſſe: & ſic veri Martyris caruiſſe Reliquiis. De Caracalla etiam, ſimili cautela ſe fuiſſe deceptos crediderunt; quæ ipſo tempore, in rerum na- “ tura creditur non fuiſſe. Non enim, revera, invenit eum Sanctus *Germanus* in ſepulchro Martyris: imò in quadam palla involuta oſſa pretioſa; quam ut invenit, reliquit. Sed neque Rex *Offa*, qui poſtea ipſum Martyrem inventum levavit de terra: elapſis ab adventu dicti *Germani* uſque tunc, CCC. XL. & IIII. annis. Dictam autem pallam, reſervavit in Eccleſia *Sancti Albani* integram & illæſam, in ſignum tanti miraculi: nec adhuc feretro incluſa eſt: Et cum hæc in propatulo manifeſtabantur; quievit ſpiritus Abbatis certificatus.

Allegatio de Charta Regis.

Concordia inter Abbatem & Comitem.

De inquiſitione facta apud Ely, *ſuper corpore beati* Albani.

Porro,

Porro, citò poſtquàm Comes pacificatus eſt, (ut prænarratur) *Alexander* Papa tertius ad *Gallicanas* partes devenit: atque univerſarum in circuitu Regionum Prælatis per Nuntios ſuos citatis, apud *Turones* generale Concilium celebrari conſtituit. Congregantur ergò, apud prædictam Civitatem ſub die ſtatuto, etiam *Anglicanæ* Eccleſiæ Prælati, ut quæ pertinerent ad utilitatem *Romanæ* Eccleſiæ cum ipſo Papa ſtatuerent. Inter quos venerabilis Abbas *Robertus* de quo ſermo cotinuandus eſt; vir inquam eloquentiſſimus, humanis divinisque legibus eruditus, affuit; cui *Jacinctus* Diaconus Cardinalis *Sanctæ Mariæ* in *Coſmidin*, ſupra omnes Abbates *Anglici* Regni, primam ſedem, ſecundùm privilegium Domini Papæ *Adriani* quarti, aſſignavit, uni ſervorum ejus, (*Roberto*, videlicet Janitori) ſervandam tradidit. In illo namque privilegio, de hac re ita ſcriptum reperitur. *Sicut beatus Albanus Anglorum Protomartyr eſſe dignoſcitur; ita & Abbas Monaſterii ipſius, inter Abbates Angliæ primus omni tempore dignitatis ordine habeatur.* Abbas vero *Sancti Edmundi* (*Hugo* nomine) prædictum Cardinalem agnoſcens primam ſedem Abbati *Sancti Albani* aſſignaſſe, nimia triſtitia affectus, tota nocte diem illum præcedente, quo Domini Papæ Concilio intereſſe deberet, cum aliis primam ſedem cum ſuis Apparitoribus arripuit. Necnon & famulum Abbatis *Sancti Albani*, ab illo loco violenter expulit; totoque noctis illius ſpatio nuſquam recedens, privigil ſervare ſtuduit. Sed metuens ne à Domino Papa ſeu à Cardinalibus, prima ſedes ſibi ad ſuum dedecus auferetur, ſexaginta marcas argenti, (fratre *Hamone* Monacho loco fidejuſſoris imbi quoſque redderentur detento) Curiæ *Romanæ* ſe daturum ſpoſpondit. Abbas vero *Robertus* ut cognovit, ipſum in cauſam vocare noluit: quia Rex Angliæ *Henricus* ſecundus, omnibus Prælatis in Regno ſuo degentibus, ne aliquam querelam de qualibet re in curia deponerent, interdixerat. Proinde Abbas *Robertus* injurias has ſibi & Eccleſiæ ſuæ illatas, æquanimiter tolerans, libertatem ac dignitatem quam Monaſterium ſibi commiſſum de hac re à Papa *Adriano* obtinuerat; nec non violentiam ipſi ab Abbate *ſancti Edmundi* illatam, in curia cunctis videntibus coram Domino Papa expoſuit; ſicque pontificalibus ornamentis redimitus, juxtà eundem Abbatem *ſancti Edmundi*, ſupra omnes alios reſedit. Nec profuit eidem Abbati *ſancti Edmundi*, dignitatem Regalem Martyris ipſius allegaſſe. Quot verò expenſas in eundo & in redeundo expoſuerit, quotve munera Domino Papæ, & Cardinalibus, & aliis in Curia munificentia liberali contulerit, perlongum foret enarrare. Porrò, Abbas *Robertus* confirmationem compoſitionis quæ facta fuerat inter *Lincolnienſem* Eccleſiam & Monaſterium *ſancti Albani*, de ſubjectione ejuſdem Eccleſiæ & quindecim Eccleſiarum privilegiatarum, à Domino Papa obtinuit, quæ ſic incipit. *Quæ Compoſitione vel Concordia mediante, &c.* Item aliud de Cella de *Hatfeld*, quod ſic incipit. *Juſtis petentium, &c.* Item aliud de Sanctimonialibus benedicendis: non ſolùm de virginibus Deo dicatis, inter Cellam de *Soppewellë* commorantibus, imò de omnibus aliis quæ illius ſuberant regimini, per *Maurum de Langeleia* ſuſcepit; quem Abbas domum feſtinans, in curia pro hoc negotio dimiſit. Quod ita incipit. *Devotionem & integræ honeſtatis conſtantiam.* Hiis ita peractis, Abbas *Robertus* poſt aliquot dies, ſoluto Concilio, à Domino Papa licentiam accepit remeandi. Veniensque domum, ſuſceptus eſt cum proceſſione. Ipſe autem ſtatim ad majus Altare accedens, obtulit duos pelves argenteos, pretio quinque marcarum, & duas planetas, aurifrigio ante & retrò ornatas. Fecit etiam unum Thuribulum argenteum: emitque duo pallia optima, ſcilicet de purpura imperiali: unum pretio Centum ſolidorum; & inde Cappam fecit: Ex altero, planetam. Hic quoque ferè prefecit pulchram mariolani cum pertinentiis. Fecit etiam ſcribi libros plurimos; quos longum eſſet enarrare. Præterea, Thecam beati Martyris: quæ tempore *Radulphi* Abbatis in fruſtra comminuta eſt, ut villa de *Brantefeld* redimeretur; arte decentiſſima ex auro & argento & lapidibus pretioſis, fabricari fecit. Euchariſtiam, vaſe pretioſo & Corona argentea, collocavit. Capitulum quoque & regale locutorium, cum Capella *ſancti Nicholai*, & tota parte Clauſtri quæ eſt ante ipſum Capitulum, & Lavatorii domum, longum ſtabulum equorum conſtruxit. Conſtituitque ut lampas ardens in ſtabulo luceret de nocte. Granarium & Lardarium, & duo Solaria conſtruxit, Nec prætereundum, quòd nulli mendicanti, ſinum itinerando clauſit miſericordiæ. Contigit ſemel quòd cuidam porrigenti manum ad eleemoſynam, argenteum à ſiſtarchio volens extrahere, extraxit aureum; & porrigens mendico, dixit. *Dei voluntas fuit, frater, quod ſtipem quæritans, aureum, inveni: quod & tibi do. Donum Dei nec reſcindo nec commuto.* Extra Clauſtrum par fratribus jucundus & ſocialis; in Capitulo, rigidus, juſtus, & formidabilis. Magnatibus ſæcularibus, venerabilis, & velut omnibus pater & ſuperior.

Sed quia non eſt homo qui bonum faciat & non peccet; nec eſt ſub ſole qui *ſine crimine vivat*; nunc, (etſi permodicas) ipſius negligentias enumeremus. Dedit cuidam fratri ſuo (*Radulphus*, nomine) terram de *Syret* ſine Conventus ſui aſſenſu vel notitia: & *Willielmo Baſſet* & hæredibus ejus, totam villam de *Thorp*, pro annuis xxx. ſolidis: cùm pater ejuſdem *Willielmi*, illam terram hæreditariè nequaquam tenuiſſet. Necnon etiam Monachis de *Bermundeſb*, decimas & omnia parochialia jura de fudo *Winebaldi* de *Babalun*: quod habuit in *Brideſborne*, imperpetuum poſſidenda. Ea tamen conditione, ut anniverſarium ejus, annuatim celebrarent ſolemniter. Et has duas ultimas conventiones, fecit importunitate ſua, à Conventu confirmari. Adjudicavit quoque *Rogero* de *Meridene* terram de *Bradweya*; Sacramento

Abbas conſequitur in Synodo generali primam ſedem inter Abbates Angliæ.

Abbas de Borge, nititur ſupplantare Abbatem noſtrum.

Nota. *Ad hunc locum in MSS.* Cottoniano, *inſeritur narratio illa, de Abbate* Menſitenſi: *de qua ſupra conclusimus.*

Negligentiæ hujus Abbatis.

De alienatione Thorp Biſſet.

mento quorundam militum ſuorum, in corde & corde loquentium, deceptus: cùm idem *Rogerus* nihil juris in eadem haberet, ſecundùm veritatem & tenorem chartæ Regis *Henrici* primi. Quam Abbas *Robertus*, Eccleſiam *Sancti Albani* quolibet tempore habuiſſe, penitùs ignorabat.

De morte Abbatis Roberti. Cùm autem ſæpe dictus Abbas *Robertus*, annis quindecim & quatuor menſibus & aliquot diebus, Eccleſiam *Sancti Albani* ſibi commiſſam, nobiliter rexiſſet; decimo Calend. Novemb. Pleuri gravatus, quadam nocte Sabbati, oleo infirmorum à venerabili *Laurentio* Abbate *Weſtmonaſterii*, qui tunc aderat, perunctus; apparente illius diei auroâ, ab hac luce ſubtractus eſt, Anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXVI. Ad quem ſepeliendum affuerunt *Gilbertus Folioth Londonienſis* Epiſcopus, *Laurentius* Abbas *Weſtmonaſterii*, *Simon* tunc Prior Eccleſiæ *Sancti Albani*. Sepultus eſt in Capitulo, quod à fundamentis decenter extruxerat, ante pedes *Pauli* Abbatis; qui primus Pontificalibus redimitus, (prout in ſarcofago ſuo marmoreo teſtatur ipſius imago) dignoſcitur in hac Eccleſia. Defuncto autem Abbate, tota Abbatia confiſcata ex præcepto Judicis Regni: ſed ejus Cura omnis Priori & fratri *Adæ* Cellerario, aliiſque fratribus loci, commiſſa eſt, ab ipſo Judice *Roberto* Comite *Legriæ*. Inventa quoque eſt Eccleſia tot debitis gravata, quòd ad ſexcentas marcas ſumma inveniretur, ſicut Regiis famulis fuit aſſummata. Multa enim *Chriſtianis*, ſed plura debebat *Judæis*. Excuſabilis fuit per omnia, propter tot arduorum cauſas negotiorum, ad votum conſummatorum: ſed ſpecialitate conſanguinea affini & compatriotali (prout caro & ſanguis revelavit ei) multa ſuis contulit donaria. Terram quoque, cum incrementis ipſis de *Gorham*, & temerariè fecit confirmari, & illicitè ampliari, & in prima constructione Capituli quod fabricaturus fuit, corpora veterum Abbatum nimis abjectè, & ſine hominum diſcretorum notitia, (conſilio ſui Cementarii) fecit inhumari. Unde mortuo ipſo Cementario per Apoplexiam, periit loci memoria. Hinc carnalis affectio, inde negligentia, cor viri enervavit.

Nunciatur Domino Regi de morte *Roberti* Abbatis Eccleſiæ *Sancti Albani*, & planxit eum Rex lamentabiliter. Petitum eſt igitur inſtanter, concedi licentiam alium loco ipſius ſubrogandi, quod per quatuor menſes & amplius prorogatum eſt. Victus tandem Rex tedio & importunis precibus, ſcripſit Domino *Londonienſi*, ut accederet ad Monaſterium *Sancti Albani*; quatenus in ejus præſentia tres nominarentur, & per ejus reſcriptum Regi omne negotium renunciaretur. Et nominatorum genus & honeſtas, cum literatura & ſapientia, ut ipſe de tribus eligeret quem mallet. Quod & factum eſt. Et renunciantes Regi trium

Simon eligitur in Abbatem. nominatorum & genus & vitam, in Priorem loci Dominum ſcilicet *Simonem*, reſpondit, *Spiritum ſuum requieſcere.* Et inſtitutus eſt *Simon* Abbas Eccleſiæ *Sancti Albani*, vir vitæ venerabilis & bene literatus, Scripturarum & librorum amator ſpecialis. Statimque eadem die, videlicet decimo tertio Calend. Junii, in qua fuit dies Dominicæ Aſcenſionis eodem anno, benedictus eſt in Monaſterio ſuo à Domino *Londonienſi Gilberto*, cognomento *Folioth*; nullâ profeſſionis mentione, niſi *Romanæ Eccleſiæ*. Et in ipſa benedictione ornatus eſt Pontificalibus inſigniis.

Simon *decimus nonus.*

De probitate Simonis, & libris datis Eccleſiæ per eundem. SImon, iſte vir literatus & moralis, omnem quam potuit diligentiam adhibuit, ordinem ſuſtinere & adaugere; & ad habitum Monaſticæ Religionis, viros honeſtos & literatos attrahere & congregare. Natione *Anglus*, à primis annis in Clauſtro & rigore Ordinis educatus. Iſte poſtquam feliciter in Curam Paſtoralem eſt aſſumptus, non deſiit libros optimos & volumina authentica & gloſſata, tam *novi* quàm *veteris Teſtamenti*, (quibus non vidimus nobiliora) ſcribere, & ad unguem irreprehenſibiliter præparare; quorum numerum, longum foret explicare. Sed qui eoſdem libros videre deſiderat, in Almario picto, quod eſt in Eccleſia contra Tumbam Sancti *Rogeri* Eremitæ, (quod & ipſe præcepit ad hoc ſpecialiter fieri) repoſitos poterit reperire; & qualis amator Scripturarum idem Abbas extiterit, per ipſos perpendere.

Mutua amicitia inter Abbatem & Thomam Cantuarienſ. Hujus quoque tempore paſſus eſt beatus *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus acerbiſſimam perſecutionem, & proſcriptionem ferè ſeptennalem. Sed & tunc, & ante paſſionem ſuam, præcipuè hunc Abbatem *Simonem*, in nullo ſibi obligatum, vel jure ſubjectionis aſtrictum, ſpontaneum ac ſpecialem habuit & ſenſit conſolatorem. Unde contigit, ut in adventu Domini, circa feſtum *Sanctæ Luciæ*, idem Archiepiſcopus ſanctus *Thomas* veniens ad Manerium ſuum de *Harwes*, ipſum Abbatem *Simonem* vocavit ut ad ipſum veniret, colloquium familiare cum ipſo habiturus *, & ſolamina mutua cum amico præcordiali ſuo, poſt longa pericula impenſurum & accepturum. Et addidit in Epiſtola quam miſit in fine, *Quod nunquam tanta conſolatione indiguit, ſicut tunc.* Super quo verbo multùm obſtupuit Abbas †. Venit igitur Abbas tam feſtinanter quàm libenter ad eum, qui ab ipſo ſtrictis amplexibus, & oſculis receptus eſt multiplicatis. Nec ſeſe à lacrymis continere potuerunt, & ſub compendio ſeriatim tum dictus Archiepiſcopus Abbati, pericula, tædia, & labores, quos in tranſmarinis par-

** Habiturum, ſic codex Spelman. & magis Latinè. Sic ergo mallemus, impenſurus & accepturus, ſicut in duobus Cottonianis ita ſcribentur.*

† Vide Adverſaria.

partibus, procurante Rege *Henrico* pertuliſſet; ait Abbas, *Omnia per Dei gratiam ſine læto jam complentur.* At Archiepiſcopus ſuſpirans, & manum Abbatis attrahens ſub pallio & conſtringens ait, *O amice, amice, tibi revelabo quaſi mihi alteri cauſam meam; multò aliter eſt de me, quàm multi opinantur. Jamjam nova inſurgunt perſecutionis molimina. Jam enim Dominus Rex pater cum filio (in cujus ſinu repoſita fuit ſpes mea tota) novas machinatur injurias & damna redeviva.* At Abbas attonitus, ait: *Quomodo hoc pater ſancte?* At ipſe ſuſpiriens, & ab alto trahens ſuſpirium, dixit, *Bene erit, bene; ſcio ad quem finem res vadit, & tendit.* Cui Abbas, *O pater ſancte, ſi in aliquo vos conſolari, ſervire, vel juvare potero; peto ut particeps veſtri agonis fieri merear: & mihi confidenter velitis imperari.* Et Archiepiſcopus; *Multum pertimeſco vexare amicum meum. Verumtamen placeat vobis ad præſens charitatis intuitu, Regem adire juniorem, & ipſum mihi eloquentia qua polletis reddere mitiorem.* Addens, *quod ipſius erga me commotio, quaſi venas cordis mei interrumpit, & oſſium medullas penetrat interiores.* Cui Abbas hilari vultu annuens, ſtatim ad iter ſe accinxit, imò quaſi ad agonem. Et cum ad Curiam dicti Regis Junioris adveniſſet, & ipſi Regi innotuiſſet quod ficeret verba pro Archiepiſcopo ab ipſo deſtinatus; verbis contumelioſis (turpiùs quàm enarrari vel ſcribi deceat) appetitus, cum quodam Monacho *Cantuarienſi* miſſo cum eo, (ſcilicet *Richardo* Archiepiſcopi capellano, qui poſtea ſucceſſit ei in Archiepiſcopatum) nihil niſi jurgia cum minis atrocibus reportavit. Et erant qui pugnis contortis, & alii qui cultellis ſemitractis, jura-
“ rent horribiliter; quod parvo obice impediebantur, quin eoſdem nuncios, qui ex tam
“ manifeſto proditore mittebantur, vel eviſceratent, vel ementularent, & vix eorum qui in Curia erant diſcretiores, eorum inſania refrænabantur. Et ſic infecto ſuper hoc negotio imò vix erepti à mortis diſcrimine, ad Archiepiſcopum, eos in ſpiritu ſuſpenſo præſtolantem, ſunt reverſi. Et cùm audiſſet ab ore Abbatis omnia quæ dicta & facta ſunt, in caſtigatum & modicum riſum reſolutus Archipræſul, ait; *Ferè ſubarrati Martyrii particeps effectus es manifeſtus, nec tamen penitus immunis es. Pro me enim laborem hunc ſuſcepiſti, & tanto viro indigna opprobria. O quam ſuſurro murmure, quàm faſcinanti oculo, quàm criſpanti naſo, objurgando reſpondiſſet; ſi alicui ſuffraganeorum meorum hoc feciſſe perſuaſiſſem, quod me exhortante obedienter complevisti, Abbas chariſſime, ſcire potes hujus rei exitum.* * *Vade nunc cum Dei & mea benedictione. Inſtat Dominicæ Nativitatis ſolemnitas, quam proſperam & jucundam Dominus & Martyr ejus efficiant in domo tua, quam Deus conſervet. Non potes abeſſe. Ora pro me beatum Martyrem patronum tuum, & nos pro vobis orabimus. Et ego qualequale feſtum in mihi commiſſa Eccleſia Dominus providebit, celebrabo.* Et ſic valedicto ad invicem, (non ſeſe iterum in hac vita viſuri) receſſerunt, unus ſcilicet ab altero.

* *Vide* Adverſaria.

Infra quindecim dies poſt hos continuatos, paſſus eſt beatus Martyr *Thomas*, ut mundus novit in Eccleſia ſua, & citò poſt, mirificè, non tantum in hac, ſed & in remotis, claruerunt ipſius miracula regionibus. Ha, quotiens inenarrabilibus gemitibus & fletibus, poſtea ſuſpirans Abbas *Simon* hæc commemorans, ait; *Heu, heu, mihi miſero, heu mihi indigno, quod non merui ipſum etiam in morte ſequi, quod non merui pro eo in hac ſua cauſa, vel aliquo membro mutilari, vel potius detruncari! Verè, Deus cujus judicia abyſſus multa, non ſic de me miſero peccatore taliter ordinaſti.*

Theca exterior Sancti Albani.

Iſte piæ memoriæ Abbas *Simon* ex eo tempore cœpit providè ac ſapienter theſaurum non modicum auri & argenti, & gemmarum pretioſarum, diligentiſſimè coadunare, & thecam exteriorem quam nos feretrum appellamus (quâ ipſo tempore nullam vidimus nobiliorem) cœpit per manum præcellentiſſimi artificis Magiſtri *Johannis* Aurifabri, fabricari; & tam laborioſum, ſumptuoſum, & artificioſum opus, infra paucos annos fœliciter conſummavit. Et loco ſuo eminentiori, ſcilicet ſupra majus Altare, contra frontem celebrantis collocavit, ut in facie & in corde habeat quilibet celebrans miſſam ſuper idem Altare Martyris memoriam. Et idcircò in objectu viſus celebrantis Martyrium ejuſdem, ſcilicet decollatio, figuratur. In circuitu autem feretri, videlicet duobus lateribus, fecit vitæ beati Martyris ſeriem, quæ fuit arra & præparatio paſſionis ſuæ, eminentibus imaginibus de argento & auro, opere * *propulſato* (quod vulgariter *Levatura* dicitur) evidenter effigiari. In capitè verò quod reſpicit Orientem, imaginem *Crucifixi* cum *Maria* & *Johannis* iconis *, cum diverſarum gemmarum ordine decentiſſimo, veneranter collocavit. In fronte verò Occidentem reſpiciente, imaginem beatæ Virginis puerum ſuum tenentis in gremio, eminente opere inter gemmas & pretioſa monilia aurea, in throno ſedentem incathedravit. Et ſic ordine Martyrum * in tecto utrobique diſpoſito, theca in criſpam & artificioſam Criſtam conſurgit; in quatuor angulis turribus feneſtratis, tholis Chryſtallinis cum ſuis mirabilibus, quadratur venuſta. In ipſa igitur, quæ miræ magnitudinis eſt, ipſius Martyris theca (quæ quaſi ejus conclave eſt, & in qua ipſius ſecreta oſſa recondi dignoſcuntur) ab Abbate *Ganfrido* fabricata, convenienter reconditur.

* *Iconibus.*

* *Martyrii.*

Dedicatio Capellæ.

Ad hujus quoque inſtantiam Abbatis, Epiſcopus *Dunelmenſis* dedicavit Capellam Sancti *Cuthberti*, quæ eſt juxta clauſtrum *Sancti Albani*, in honorem ejuſdem Sancti *Cuthberti*, & Sancti *Johannis Baptiſtæ*, decimo ſexto Kalend. *Junii*. Quam poſtea renovavit Abbas *Gulielmus*, & ampliavit decenter, ſed hæc in ſequentibus.

Idem

Nobilia dona data Eccleſiæ per Simonem Abbatem.

Idem quoque Abbas *Simon*, unum Calicem aureum magnum (quo non videmus in Regno *Angliæ* nobiliorem) ex auro primo & puriſſimo, opere tali materie convenienter gemmis pretioſis redimitum, & ſubtiliſſimo intricatorum floſculorum opere delicato venuſtatum Deo & Eccleſiæ Sancti Martyris *Albani* fabricavit & contulit, in memoriam ſui ſempiternam. Quem Calicem fecit magiſter *Baldewinus* aurifaber præclectus. Fecit præterea per manum ejuſdem *Baldwini*, unum vaſculum ſpeciali admiratione dignum, ex auro obrizo & fulvo, adaptatis & decenter collocatis in ipſo, gemmis impreciolibus diverſi generis. In quo etiam *Materiam ſuperabat opus* —— ad reponendam Euchariſtiam, ſuper majus Altare Martyris ſuſpendendum. Quod cum Regi *Henrico* Secundo innotuit, unam Cuppam nobiliſſimam ac pretioſiſſimam, in qua reponeretur & ipſa theca immediatè continens Corpus Chriſti; Eccleſiæ *Sancti Albani* gratanter ac devotè tranſmiſit.

Item dona data per ipſum.

Prætererea idem Abbas *Simon* unum Calicem aureum parvum, ſuccinctæ brevitatis & laudabilis ſchematis, quo cantatur major Miſſa quotidiana. Et duos alios Calices argenteos, irreprehenſibiliter compoſitos: quorum uno cantatur de more Miſſa matutinalis, & altero, ad Altare beati *Petri*, per manum dicti Aurifabri *Baldwini*, Deo & Eccleſiæ beati Martyris *Albani* fabricari fecit & contulit, ut memoria in benedictione perduret.

Crux.

Idem quoque Abbas unam nobilem Crucem laminis aureis coopertam, in cujus medio monile aureum venuſtè collocatur. Et in ipſo monili pars bona ligni Dominici continetur. Quam Crucem etiam conſtituit, præcipuis feſtis ab uno fratrum, inter manus ſuppoſito manutergio, in proceſſionibus cum præambulis ante Conventum inter alias duas Cruces, quas converſi elevatas bajulant, ut ab omni populo devotè adoretur, veneranter deportari. Et poſt proceſſionem in capſide Martyris (quam ferettrum appellamus) tanquam ſpecialem theſaurum [*]; & die Dominicæ paſſionis à toto Conventu adorari. Nec prætereundum (imò ſpeciali titulo conſcribendum, & cæteris pietatis ejus operibus adjiciendum) quod idem Abbas

[*] Reconli.

Quoddam ſcrinium de auro, in quo portatur corpus Dominicum.

Simon unum vas mirificum, per modum ſcrinii compoſitum, cujus arcam ſchema quadrat venuſtiſſimam. Culmen verò per modum feretri ſurgendo coarctatur, & undique circulis elevatis orbiculatur. In quibus hiſtoria Dominicæ paſſionis imaginibus fuſilibus figuratur, & per totum laminis ductilibus ſolidæ ſpiſſitudinis, (ita ſcilicet quod baſibus vel *ſuſtentaculis* ligneis non indiget) Deo & Eccleſiæ Sancti Martyris *Albani*, ad perpetuum ipſius Eccleſiæ honorem & decorem fabricatum contulit. Et ad perpetuandam ipſius cum benedictione memoriam, conſtituit ut in Dominica Palmarum, corpus Dominicum in ipſo ſcrinio veneranter reponeretur, & ab aliquo fratrum moribus & ætate venerabili, in caſula alba uſque ad papilionem in Cœmeterio de pretiociſſimis pallis compoſitum, niſi inclementia auræ impediatur. Et tunc in Capitulum deportaretur, duobus fratribus in Cappis, brachia bajulantis dictum vas, honorificè ſuſtentantibus. Et eodem modo ſequente proceſſione, ad Eccleſiam venerantiſſimè reportaretur; ut videant fideles, quanto honore dignum ſit ſacroſanctum corpus Dominicum, quod ipſo tempore ſe expoſuit flagellandum, crucifigendum, & ſepeliendum.

De ſcriptoribus ſuis & donis datis.

Notandum quoque, quod iſte immortalis memoriæ Abbas *Simon*, duos vel tres electiſſimos Scriptores continuè in Camera ſua honorificè ſuſtinuit; unde librorum optimorum copiam impretiabilem, ad unguem præparavit. Et in ſpeciali Almario repoſuit picturato. Scriptorium quoque tunc temporis, ferè diſſipatum & contemptum, reparavit, & quaſdam laudabiles conſuetudines in ipſo innovavit, & ipſum ampliavit redditibus. Ita ut omnibus ſequentibus temporibus, debeat Abbas qui pro tempore fuerit, unum habere Scriptorem ſpecialem. Iſte quidem præter libros pretioſiſſimos, (quos longum eſſet enumerare) pelves argenteos, & alia multa vaſa & ornamenta, Deo & Eccleſiæ, ſancto Martyri conferendo, præſentavit.

Sanctus Amphibalus eſt inventus.

Operibus igitur pietatis, ac innatæ liberalitatis exigentibus, meruit hic indelebilis memoriæ Abbas *Simon*, inventor eſſe beati *Amphibali*, ſociorúmque ejus, indice beato *Albano*. Temporibus enim ejuſdem, omni plena gaudio ſpirituali & ſeculari, omnique proſequenda laude, memorata inventio eſt veneranter celebrata. Ita quòd per Martyrium beati *Thomæ*, & Inventionem Sancti *Amphibali*, quæ in uno ſeptennio contigerunt, & tempore huius Abbatis, multiplicatis miraculis, videretur ſeculum renovari. Cujus Inventionis ſeriem, ſi quis videre deſiderat, revolvat *Chronica* præſentis libri, uſque ad Annum Gratiæ, M. C. LXXVIII. ubi ipſam plenius deſcriptam poterit reperire. Quam etiam ſi diligens lector inſpiciat, poterit indubitanter certificari quod beatus *Albanus* in Eccleſia ſua, loco ſuæ paſſionis fundata, & non alibi (ſicut ſomniant *Elyenſes*) requieſcit. Qui abinde exivit, cum iret ad domum *Roberti* ut eum *Redburnam* duceret, de loco Inventionis erudiendum. Et poſt rei judicium, ipſum *Robertum* reduceret: & cum venirent ante Eccleſiam, Martyr in ſuam ſe recepit domum; & *Robertus* valedicens ei, ad ſuam proceſſit.

Nota, *Hinc apparet* Matthæum Pariſienſem, *non ſolum fuiſſe Authorem hujus libri, ſed etiam his* Vitas Abbatum, *eſſe partem* Hiſtoriæ majoris, *quæ antecedentis. Meritò igitur, & illa* Hiſtoria, *& hæ* Vitæ, *nunc in uno volumine conjunguntur.*

De negligentiis & morte ejus.

Sed quia non vivit homo ſuper terram, nec etiam infans unius diei, ſine offendiculo, errores ipſius, quia reſpectu bonorum operum ſuorum breves, breviter tranſcurramus. Moriens, Abbatiam ſuam ære alieno obligatam pluſquam ſecentis marcis, contra Judæos, ſine

alijs

aliis debitis, quæ ad ducentarum Marcarum & amplius ſummam excreverunt, dereliquit. Unde *Aaron Judæus* qui nos tenuit ſibi obligatos, ad domum *Sancti Albani* in ſuperbia magna & jactantia cum minis veniens,jactitabat ſe feretrum noſtri *Albano* feciſſe,& ipſi de hoſpitato, hoſpitium de pecunia ſua præparaſſe. Præterea (quod non ſine cruentato corde referimus) conſanguineos ſuos carnali affectu effœminatus, pluſquàm deceret, virum religioſum (mortuum videlicet ſeculo) dilexit, & bonis crucifixi ſaginavit. Et non tantum pauperes & indigentes, ſed & Milites & Magnates ſeſe ingerentes, & Conſanguineos (cùm non eſſent) fingentes, locupletavit. Propter quod, nemora *Sancti Albani* in magna parte ſuccidit: & multa bona quæ feciſſe potuit, omiſit. Iſte Abbas *Symon*, cùm circiter Annos quindecim, Eccleſiam *Sancti Albani* rexiſſet, & ordinem Monaſticum in rigore diſciplinæ & juſtitiæ commendabiliter rexiſſet, anno gratiæ M. C. LXXXVIII. debita naturæ perſolvens, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

Garinus, * *Vigeſimus.*

* Garinus vel Warinus.

GArinus huic ſucceſſit de *Cantebrugia*, ſtirpe mediocri oriundus. Iſte in ſeculo ante ſuſceptionem habitus, magnæ famæ extitit & celebris nominis, propter honeſtæ vitæ ſuæ reverentiam, literaturæ excellentem peritiam, & corporalis elegantiæ pulchritudinem. Hic cum fratre ſuo ſimilibus dotibus, etſi non tantùm inſignito Magiſtro *Mathæo* in phyſica apud *Sylernum* eleganter atque efficaciter erudito, in Clauſtro *Sancti Albani* habitum Religionis ſuſcepit: & infra breve tempus, idem magiſter *Garinus* propter vitæ excellentiam virtuoſæ, & literaturæ copioſam peritiam, & perſonæ elegantiam, in Priorem electus & creatus eſt. Aſſumpto igitur, ut prædictum eſt, de medio piæ memoriæ Abbate *Simone*, & vacante *Abbatia*, tractatum eſt de alio ſubſtituendo. Electus eſt igitur in Abbatem Dominus *Garinus* Prior. In cujus electionem, totus Conventus unanimiter conſentit, præter Dominum *Gulielmum Martel* ſacriſtam, ad eandem dignitatem, ſecus quam deceret, aſpirantem. Aſſerebat enim, quòd idem *Garinus* (ſtrabo ferè) penitus viſu privabatur: natalia trahens ex vulgaribus burgenſibus, ſolis emolumentis Denariorum, qualitercunque inhiantibus. Quos etiam probroſè in propatulo, *Salinarios*, appellavit. Præconizabat etiam, eum cum fratre ſuo *Mathæo*, totum conventum miſerabiliter conculcaturam, ſi in Abbatem eligeretur atque diſperſurum, nec audiret quiſquam mutire contra eos. Nec omninò ſuam ſententiam in poſterum hæc ſefellit opinio, ſicut ſequens ſermo declarabit. Porrò, cùm non potuit unius oblocutio, univerſitatis fixum propoſitum impedire; electus & creatus eſt idem *Garinus* in Abbatem: & in die Nativitatis Beatæ Virginis munus benedictionis ſuſcepit. Nec multò poſt in poteſtate plenaria ſolidatus, fratrem ſuum præmemoratum *Mathæum*, in Priorem ſublimavit. Habuerant etiam hii duo (ſcilicet Abbas & Prior) quendam nepotem magiſtrum videlicet *Garinum*; in decretis lectorem nominatiſſimum. Erat autem Avunculis ſuis, in venerabili geſtu & vitæ honeſtate & literatura conſimilis, ut verè Nepos talium, imò potiùs frater dici mereretur & agnoſci. Hii tres quanquam ſeculares, converſationis honeſtate, & vitæ puritate, Monachi cenſeri promeruerunt. Iſte magiſter *Garinus* & frater ejus *Mathæus*, & eorum nepos magiſter *Garinus*, & duo eorum diſcipuli & ſocii *Fabianus* & *Robertus* de *Salerno* voverunt ſe fore apud *Sanctum Albanum*, habitum Religioſum ſuſcepturos: admoniti viſione ſpeciali & ſpirituali. Omneſque hii votum impleverunt, præter magiſtrum *Garinum* nepotem Abbatis *Garini*; ille tamen quod habitu omiſit, vita honeſta complevit. Obiit autem magiſter *Mathæus* ſecularis apud *Sanctum Albanum*, videlicet juxta domum ſanctimonialium de *Sopwelle*. Hic de quo ſermo ſit *Mathæus*, ſcholam rexit in Burgo *Sancti Albani*,quâ tunc temporis vix inveniretur in *Anglia* ſchola melior vel fructuoſior, aut ſcholaribus utilior vel copioſior. Quod bene teſtabatur & ſenſit magiſter *Alexander*, cognomento nequam: qui eundem *Garinum* in ſcholæ regimine præceſſerat pluribus annis. Hic magiſter *Garinus* ad Leges & Decreta ſe tranſtulit: avunculis ſuis ſibi librorum copiam & alia ſubſidia, fraterno affectu liberaliter miniſtrantibus. Hii igitur tres, quaſi *triplex funiculus, qui de facili non rumpitur*; multos nobiles ac potentes tam ſeculares laicos & prælatos quam Cucullatos; ſibi amiciſſimos reddiderunt. Nec fuit beatum: quorum ſermones melliti ſuper favum, qui voluntati Abbatis auderet obviare. Multiplicati ſunt igitur adulatores, dicentes eum & molliti ſuper oleum; ipſum deceperunt, & conſtantiam viri enervarunt; ſicut patebit in ſequentibus manifeſtè.

De Schola Sancti Albani.

Hic cum temporis anno ſcilicet proximo tranſacto apud Duneſtaple *ſcholam rexiſſet, vocavit eum Abbas* Garinus *hiis literis breviter & jocoſè ſcriptis: petierat enim idem* Alexander *Nequam, ſcholam* Sancti Albani *inſtanter*: Si bonus es, venias: Si nequam,nequaquam.*Cui tam breviter & jocoſè reſcribens* Alexander,ait,Si velis, veniam: ſin autem, tu autem: *ac ſi diceret non multum curo.*

Contigit autem una dierum, quòd dominus Rex *Henricus* ſecundus venit ad *Sanctum Albanum* hoſpitaturus; cui occurrens Abbas ipſum cum omni gaudio & reverentia ſuſcepit. Erat autem Regi acceptiſſimus, & propter ſui liberalitatem & dapſilitatem chariſſimus. Poſtulavit igitur in craſtino Rex, ut intrans capitulum fratres ſuos viſitaret; fatebatur enim ſe eſſe confratrem Conventus & Monachum *S. Albani*. Et cùm more ſuo demiſſa facie humiliter

Querimonia Epiſcopi Lincolnienſis: & *Reſponſio Regis, pro domo noſtra.*

liter ingrederetur; ſequebatur eum multorum ſeries nobilium. Inter quos fuit proximi[us] *Lincolnienſis* Epiſcopus *Walterus* de *Conſtantiis*, citò poſthæc creatus in Archiepiſcop[um] *Rothomagenſem*. Et cum ſediſſet Rex in ſede media, ubi moris eſt Abbati ſedere; inclinan[s] hinc indeque Conventum ſalutavit: inſtanter deprecando, ut pro ipſo & Regina & liber[is] ſuis, necnon pro ſtatu Regni, Deum indefeſſis precibus poſtularent. Quod & Conventu[s] devotè conceſſit, & ſe multiplici merito hoc debere facere conteſtabatur. Et ait *Walter[us]* *Lincolnienſis* Epiſcopus (qui juxta latus Regis immediatè conſedit ſiniſtrum, Abbate verò à dextris proximò collocato) *Domine mi Rex, derogatum eſt mihi in emancipatione hujus nobilis Abbatiæ: multum & enormiter mutilatur Eccleſia Lincolnienſis, mihi à vobis commiſſa, in abſciſſione tam nobilis membri. Habeo arduam (ex permiſſione veſtra) adversùs Abbatem hunc movere quæſtionem. Quicquid egerit prædeceſſor meus, qui ſimplex nimis fuit, & benignus circumventus; Novit mundus, quòd hæc Eccleſia ſubjecta eſt* Lincolnienſi; *& quod erratum eſt, expedit ut revocetur*; Abbas verò hæc audiens, collecta ad ſe manica manum denudatam expoſuit; & ponens eam ſuper genu Regis, ait; *Ecce pax mea*, Ac ſi diceret, Ecce teſtis & mediator pacificæ compoſitionis inter nos initæ & confirmatæ. Et Rex, *Per oculos Dei, verum eſt: interfui compoſitioni. Quid eſt quod attemptas machinando ſuſcitare, Domine* Lincolnienſis *Epiſcope? Credisne hæc facta fuiſſe ſub capa? Ego & electiſſimi de Regno interfuere. Et quod ſuper hoc factum eſt, ſcriptis irrefragabilibus roboratum eſt, & magnatum teſtimonio confirmatum: Stat ſententia. Quicunque huic Abbati & Conventui adverſabitur, & mihi adverſari conſtituetur. Quid quæris? Tangere pupillam oculi?* Quibus verbis Epiſcopus quaſi fulgure percuſſus, obmutuit: nec eſt auſus poſtea (ſicut nec jure potuit aut debuit) conceptam litem aliquatenus * ſuſcitare.

** ullatenus.*

Ex tunc igitur in ſtatu proſperitatis roboratus, cœpit adulatorum ſibilis credere & adhærere: & eorum qui amici ſunt fortunæ, ſectari conſilia, & voluntates adimplere; ſicut finalis ſermo manifeſtè declarabit.

Nec multò poſt, dictus Epiſcopus *Walterus Lincolnienſis in Rothomagenſem* Archiepiſcopum poſtulatus eſt, & creatus.

Quædam ſtatuta Abbatis Garini. *De lapideis ſepulchris.*

Quaſdam nempe conſuetudines ab antiquo conſervatas, volens multis placere, idem Abbas *Garinus* in nova ſtatuta commutavit. Quod factum multis videbatur temerarium: multis utile, honeſtum & commendabile. Inter quæ conſtituit, (licèt ſacriſtariam aliquâ poſſeſſiunculâ ampliaſſet) ut corpora Monachorum defunctorum, quæ antea cunctis tem-" poribus ſub ſolius terræ ceſpite ſolebant ſepeliri, omnibus temporibus ſequentibus, in lapideis ſepulchris, quod ei videbatur honeſtius, reconderentur.

Veruntamen à ſiniſtrè interpretantibus hoc fuiſſe factum aſſerebatur, in odium *Gulielmi Martel* tunc ſacriſtæ; qui electioni ſuæ noluit conſentire: imò ſtrabum, ſuperbum, & ſuorum compatriotarum, (quos omnes licèt remotiſſimos, conſanguineos reputaverat, vocavit) indiſcretum promotorem, palam fuiſſe & fore proteſtatus eſt. Hæc igitur videbantur fieri, in ejuſdem *Gulielmi* gravamen ſumptuoſum.

Iſte quoque (quod nullius morſu detractionis potuit corrodi) diligentia ac ſtrenuitate fratris *Reimundi* (qui poſtea in Priorem hujus Eccleſiæ creatus eſt, & poſt multas injurioſas tribulationes, apud *Thinemuam*, vitam ærumnoſam, quò per odii ultionem quaſi in exilium miſſus, feliciter terminavit) viriliter & efficaciter, non ſine multæ pæcuniæ effuſione & laboris continuitate, à *Romano* Pontifice *Clemente*, nobile ac incomparabile privilegium quod in præſenti præſcribitur volumine, & ſic incipit; *Religioſam vitam eligentibus, &c.* Impetravit. Unde ipſe primus inter Abbates hujus Eccleſiæ cum ſandalibus, chyrothecis & annulo, licentèr, ac gaudenter celebravit.

Vide Addita-menta.

Conſtitutio Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Pratis.

Iſte quoque oraculo cujuſdam fidedigni apud *Waldennam* nati, & nocturna viſione admonitus, Eccleſiam *Sanctæ Mariæ* de *Pratis* cum ſuis fundavit co-ædificiis. Apparuit enim ipſi *Waldenigenæ* memorato, dum alto ſomno quieſceret, quædam venerabilis perſona, videlicet Clericus, ad inſtar radii ſolaris perlucidus, qui requiſitus, aſſerebat ſe eſſe *Sanctum* " *Amphibalum* beati *Albani Anglorum* protomartyris magiſtrum, & Converſorem, in quo " ſibi bene complacuit, & in ipſius gloriâ, congloriabatur. Dixit inſuper, & aſſeruit, lo-" cum ipſum in quo cùm idem ſecus *Amphibalus* cum ſuis ſociis inveniretur, & eorum reli-" quiæ versùs *Sanctum Albanum* deportarentur, & obviam feretrum Beati *Albani* veheretur, " venerabilem fuiſſe & Deo & Sanctis Martyribus ipſis chariſſimum; Et addidit, Vade igi-" tur ad Abbatem *Warinum*, & vice mea dic ei ut locum ipſum condigna extollat vene-" ratione.

Venit igitur fidelis ille nuncius, & omnia prædicta quibuſdam interſignis confirmata ipſi Abbati ſeriatim retexuit. Abbas autem ipſi viro, (quem circumvolens fama veridicum & fideliſſimum prædicavit) non tantùm fidem, ſed & favorem adhibuit: recolendo, quòd *Dominus infirma mundi elegit, ut fortia confundat*, & in ſua peritia nimis confidentes. Nec tamen abſque multis indiciis, imò miraculis, ipſa relata fidedigna comprobavit. Contigit enim, quòd tempore prædeceſſoris ſui felicis recordationis, *Simonis* Abbatis; quando verſùs *Sanctum Albanum* inventæ *Sancti Amphibali* reliquiæ, tam ſolemniter quàm gaudenter portarentur, & eis obviam beati *Albani* feretrum, (Conventu feſtivè induto conſequente)

Miraculum.

bajulare-

bajularetur: adeò leve factum eſt, ut à duobus fratribus, immò etiam ab uno, ſine difficultate veheretur: quod tamen aliis temporibus, vix à quatuor de loco ad locum non remotum, ſolet tranſportari; Præterea, in ipſa obviatione, terra diutiſſimo aduſta chaumate, & ſuo ceſpite viduata, (quæ nec fructus, nec fruges promittebat,) ſubita imbrium inundatione reſpiravit: ut marcida & mortua revireſcerent rediviva. *Miraculum.*

Item, Induviæ feſtivales, quibus audacter Conventus induebatur, cum nulla aëris ſereniſſimi immutatio, pallor, nubes vel nubecula apparuiſſet; & ut dictum eſt, terra arida & rimoſa repentina inebriatione perfunderetur, nulla penitus labe vel deterioratione, cappæ aurifrigiatæ & opere plumario pretioſè redimitæ, damnificatæ, lædebantur, unde locus memoratus, veneratione meritò dignus cenſebatur; & ab ipſo Abbate, multo tempore Sanctus & charus habebatur. Credebat igitur indubitanter, quòd ſi ibidem ſecundum ammonitionem Sancti viri, à beato *Amphibalo* ut dictum eſt, deſtinati, Eccleſiam conſtrueret: Deo placens, felix ſuſciperet, in ſpiritualibus & temporalibus proventibus incrementum; Nec eum fefellit fides aut opinio, futura tunc, nunc autem præſenti proſperitate comprobante. Ædificaturus igitur, cœpit fundamentum ita initiare, ut infra breve tempus cœptu perficeret, dotaret, ditaret, religioſis inhabitaret, & inſtrueret religione, ne invectivè ei poſſit objici & dici, *quòd cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Et cùm conſummaretur; præfecit eidem Eccleſiæ patronam beatam Dei Genitricem: & in ejuſdem honore dedicari, præfecitque magiſtrum & procuratorem domui illi, fratrem *Johannem de Waldene*, ipſius filium, cui facta eſt prædicta revelatio. Qui poſtea ipſi domui quaſi apes argumentoſa, mul- *Miraculum.*
" ta bona ex innata ſibi induſtria & gratia à Deo collata adeptus eſt. Et licèt laicus, ſim-
" plicioribus prædicando, multos & informavit, & ad virtutes evocans, à vitiis refrænavit. Erat etiam Regibus, prælatis, & aliis magnatibus, acceptus & gratioſus. Ædificatâ igitur Eccleſiâ & dedicatâ, conſtructiſque decenter officinis: pia conſideratione conſtituit quaſdam mulieres leproſas ibidem includi; & velatas, quibuſdam limitatis regulis artavit; ne vagæ, ſæcularibus erroribus involverentur; Quas quidem leproſas, à virorum leproſorum manſionibus Hoſpitalis *S. Juliani* non multùm ſemotas, ſequeſtrans amovit: & in dicto loco, ubi decentes officinas cum clauſtro Abbas memoratus conſtruxerat (ut dictum eſt,) includi conſtituit; ne ampliùs deteſtabilibus exceſſibus quibus ante diffamabantur viri & mulieres, in ſæculo commacularentur. Utrobique, utriuſque terminis exeundi limitatis; evagandique caſtigata licentia: precibus (quas norunt tam ipſæ mulieres infirmæ, quàm viri) ſedulò incumbentes; negligentias ſi quæ (quod abſit) conventui *Sancti Albani* contigerint ſuppleant diligenter; Igitur (quaſi pro finali bonorum operum ſuorum clauſula,) Abbas *Guarinus* illius domus quam à fundamentis conſtruxerat, & *Beatæ Mariæ de Pratis* (propter prata circumjacentia, nomine, congruè) intitulaverat: poſſeſſiuncularum tali Charta confirmavit donationem; ne temporis poſteritas illam aliquando annullaret. In qua quidem, multorum indicio, pietas; ſed in parte, diſcretione perpenditur mutilata: quia illi Eccleſiolæ collata beneficia, in gravamen non modicum Cœnobii, diatim magis ac magis videntur redundare.

Carta de Eccleſia Sanctæ Mariæ de Prato.

GArinus *Dei gratia Abbas Eccleſiæ* Sancti Albani, *& Conventus ejuſdem loci, omnibus fidelibus ad quos hoc præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem. Opera pietatis quæ Dei fiunt intuitu, in divinis eſſe ſignata theſauris, & felicem à Domino mercedem habitura, devotio fidelium non ignorat. Quod nos diligenti conſideratione penſantes; communi voluntate & aſſenſu concedimus, & confirmamus hoc ſcripto præſenti; infirmis fœminis* Sanctæ Mariæ de Prato, *locum ipſum in quo Eccleſia earum conſtituta eſt, ſimul cum officinis ex utraque parte ſtratæ publicæ: ſimul cum via in fine agri arabilis, & prati de* Kingeſbury. *Et ad earum ſuſtentationem, omnes procurationes, quæ pro Abbatibus defunctis dari ſolent, & imperpetuum pro Abbatibus morituris dabuntur, cum procuratione Regis* Offæ, *& Regis* Henrici, *&* Adriani *Papæ, quam citò vacaverint, cum potibus & cibis ad eaſdem procurationes deputatis. Et donec vacent, percipient de Cellario noſtro quatuor panes, & unum de* Sopwelle, *quales modò percipiunt: & eandem menſuram cerviſiæ, & fercula de Coquina; Conceſſimus etiam eis primum panem & ultimum de qualibet fornata Curiæ noſtræ, imperpetuum. Et quietè molant qualibet ſeptimana unam ſummam de yvernagio ad molendinum quod vocatur* dichmulne; *& alteram ſummam de braſio ad* Maltmulne. *Et quia charitatis mandatum latum nimis eſt: ipſius intuitu, opera pietatis circa prædictas informas fœminas dilatamus, adjicientes & concedentes, ut quælibet illarum habeat unam veterem pellicium Monachi, ſingulis annis; & froccum unum, uſque ad numerum tredecim. Et ut habeant eleemoſynam illam quam Gaufridus Abbas dedit* Sweino *provendario ſuo: ſcilicet tres denarios omni ſeptimana per annum, de theloneo villæ* Sancti Albani. *Concedimus quoque intuitu divinæ remunerationis, ut Capellanus & Clericus ejus qui Eccleſiæ* Sanctæ Mariæ de Prato *ſervient, honeſtam ſuſtentationem de domo noſtra percipiant. Capellanus videlicet, unum panem Monachi, & duas menſuras cerviſiæ Monachorum, & duo fercula de Coquina hoſpitum, ſingulis diebus percipiet. Clericus verò unum panem Armigeri, & unam menſuram cerviſiæ militis, & unum ferculum de Coquina hoſpitum. Concedimus etiam ad opus prædicti Capellani & Clerici,* *Charta Abbatis & Conventus.*

unam marcam *de Eccleſia de* Waldene *ſingulis annis; ad quatuor terminos imperpetuum accipiendam. Scilicet ad Feſtum* S. Michaelis *quadraginta denarios, ad* Natale Domini, *totidem: ad* Paſcha *quadraginta denarios, & ad Feſtum* S. Johannis Baptiſtæ *totidem: Et dimidiam marcam de Eccleſia de Newham ad eoſdem terminos. Concedimus quoque eis totam decimam Domini noſtri de* Luitonia*: *& ut habeant domunculam in curia noſtra, in qua prædicta decima reponatur; ſerviens etiam qui colliget hanc decimam, comedat cum familia noſtra. Et omnem decimam dominiorum quæ ad Eccleſias pertinent, quas perſonæ juriſdictionis noſtræ, nunc de nobis tenent, & in poſterum tenebunt, ſalvo jure eorum qui nunc tenent; Et totam decimam redditus domus lapideæ ſuper murum cœmiterii noſtri, ab Abbate* Warino *conſtructæ. Ad hoc, inſtinctu charitatis concedimus eis, omnes redditus qui tempore* Warini *Abbatis ad uſus Eccleſiæ noſtræ in Burgo de* Cantebrugge *ſunt adquiſiti. Scilicet viginti ſolidos, quos nobis debet* Asketillus *filius* Hereberti, *& hæredes ſui, pro terris & redditibus quos tenet de nobis in eadem villa: ita quòd ipſe & hæredes ejus, reddent memoratos viginti ſolidos Eccleſiæ* Sanctæ Mariæ de Prato *imperpetuum ad quatuor anni terminos, videlicet, ad Feſtum* Sancti Michaelis, *quinque ſolidos, ad* Natale *totidem, ad* Paſcha *quinque ſolidos, & ad Feſtum* Sancti Johannis Baptiſtæ *totidem. Marcam verò illam quam* Gulielmus de Wigenhale *& hæredes ſui debent Eccleſiæ noſtræ ſingulis annis, pro terra quæ fuit* Gulielmi *filii* Baard, *aſſignavimus imperpetuùm reddendam prædictæ Eccleſiæ ad duos terminos, ſcilicet unam medietatem ad* Paſcha, *& aliam ad Feſtam* Sancti Michaelis. *Concedimus adhuc eis intuitu divini amoris, totam decimam pathnagii noſtri ubique: excepta portione quam Sacriſta noſter percipere debet, de* Horhthawe, *& ut porci quos ad uſus proprios nutriunt, quieti ſint de pathnagio in boſco noſtro, ubi pathnagium fuerit. Et præbendam quotidianam ad duos equos, de granario noſtro ſumendam. Et unum Cribrum furfuris, & majorem cuvam de draſco, unaquaque ſeptimana; Concedimus præterea eis* Pinchecroft, *cum duabus acris ſupraſpinam, quæ dicitur* le Coppedethorn. *Et unàm tantùm carratam lignorum omni ſeptimana per annum, de boſco noſtro. Et has omnes ſi voluerint & poſſint, in æſtate ſimul colligant, & conferant, ad numerum ſeptennarium. Concedimus etiam eis totam decimam de novo eſſarto quod jacet inter novam Curiam noſtram de* Sareth, *& vetus eſſartum. Et omnes decimas de omnibus eſſartis quæ imperpetuum fient à tempore hujus donationis confirmatione; Anno centeſimo nonageſimo quarto, Menſe Septembris, quintadecima die ejuſdem Menſis.*

Si quis autem præſcripta charitatis beneficia minorare præſumpſerit, quæ ad locum memoratum & ad uſus infirmarum fæminarum aſſignavimus: ſive ea quantùm ad uſus illarum, in deterius mutare temptaverit: deleatur nomen de libro vitæ, & cum Juda traditore *pœnas perpetuas participet.* Amen.

* *Lukona.*

Occulta prædictorum Reprehenſio.

Reprehenſio ipſius Abbatis.

OMnia ſiquidem hæc, laudabiliter & meritorie, & in ſempiternam laudem Abbatis *Warini*, coram Domino, & hominibus coruſcarent; ſi ex patrimonio ſuo vel conqueſtu, proceſſiſſent. Sed quia ferè omnia ex hac *Sancti Albani* Eccleſia, ad illam Eccleſiolam in hujus cœnobii damnum & diminutionem ſunt tranſlata; & dicitur quòd *Eleemoſyna non poteſt nec debet ineleemoſynari*; à multis arbitratum eſt, quòd hæc fræno diſcretionis (etſi non pietate) penitus caruerunt; & de facto, non ratione, ſunt acceptata. Præſertim, cùm tantùm hujus Eccleſiæ, non alterius, multipliciter aſtrictus tenebatur, poſſeſſionum incrementis, in temporalibus & ſpiritualibus, inſiſtere vigilanter; Sciatur tamen, quòd locus ille, fortunatum diatim ſuſcepit incrementum.

De tranſlatione Reliquiarum Sancti Amphibali.

Tranſlatio Reliquiarum. S. Amphibali.

ANno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto, ex præcepto Domini *Gwarini* Abbatis Eccleſiæ *Sancti Albani*, per ſuppriorem ejuſdem Eccleſiæ, & *Adam* Cantorem, & *Gilebertum* & *Baldwinum* ſacriſtas, & *Rogerum de Hoſpitali*, Cuſtodem reliquiarum *Sancti Amphibali*, Sociorumque ejus: octavo Kalendas Julii tranſlatæ ſunt Reliquiæ prædictæ de locello in quo primum conditæ fuerant ſub Domino *Simone* Abbate, in feretrum novum ad hoc ſpecialiter adaptatum, & ad honorem eorundem Martyrum, & decorum domus Dei, auro & argento arte excluſoria ſplendidè adornatum; quod nimirum, feretrum medius quidem paries interſecat interiùs, & in ea parte cujus frons intrinſecùs paſſionem S. *Amphibali* exprimit, repoſitæ ſunt Reliquiæ ipſius Martyris & trium Sociorum ejuſdem, (qui ſimul conſepulti, inventi ſunt;) ſingulæ in ſingulis ligaturis. In reliqua verò parte, reliquiæ ſex reliquorum Sociorum ejuſdem, quorum ſepulturæ ſeorsùm inventæ ſunt; ſingulæ in ſingulis ligaturis colligatæ; In locello autem illo qui præfatas reliquias continebat, aliquantula portio earundem reliquiarum remanſit, ſimul cum multa numeroſitate corporalium venuſtorum, quæ ob ſui reverentiam honeſtè ibi collocata ſunt; Ille quoque locellus cum alio conſimili, in dextra parte majoris Altaris in Preſbyterio ſuper murum collocatus eſt; In primo, ſunt prædicta; in alio, pulvis & oſſium particulæ minutiſſimæ (in quem pulverem, carnes Sanctorum Martyrum creditur fuiſſe reſolutas, nam in eorum ſepulchris cum oſſibus inventus eſt) reponitur.

Inſti-

Inſtitutum pro anima Adæ *Cellerarii.*

STatutum eſt ab Abbate *Guarino*, & à toto Conventu, ut in die quo Anniverſarium *Adæ* hujus Eccleſiæ Cellerarii (qui ob præclara ejus merita, in Capitulo meruit obtinere ſepulturam) pronunciatum fuerit, ita omni anno omnibus feſtivè agatur; ſicut ſolet honeſtiùs, & honorabiliùs in Anniverſariis Abbatum noſtrorum fieri; videlicet in Pſalmis,in Miſſis, & pauperibus recreandis. Huic Anniverſario, Cellerarius Coquinæ Monachorum ea quæ neceſſaria fuerint providebit, ſcilicet ſufficientem & ſplendidam Conventui in Refectorio exhibitionem. Eleemoſynarius die illa, Centum pauperes pro anima ejus paſcet; totidemque Cellerarius coquinæ monachorum; Eccleſia itaque de *Suthbiria* ad hoc Anniverſarium celebrandum, necnon etiam ad illud quod pro animabus Patris & Matris ejus, & omnium parentum Monachorum hujus Eccleſiæ, decimo ſeptimo Kalendas *Februarii* celebratur, à prædicto *Adam* fratre Cellerario fuerat deputata. Quia eadem Eccleſia, ab eodem adquiſita eſt; Auxit ſiquidem ſupradictam obedientiam; videlicet Coquinam Monachorum proprii laboris adquiſitione, annuo redditu librarum Centum & trium marcarum, quatuordecim denariorum minus.

Quoddam ejus Statutum de Sacriſta.

STatutum eſt inſuper ab Abbate *Guarino*, & à toto Conventu, ut omni anno à ſecretario Eccleſiæ noſtræ in die *Sanctæ Katherinæ*, pro anima *Galfridi* pauperes centum reficiantur pane & cerviſia, & uno tantùm ferculo. *Exceptis* hiis centum, cæteris qui ſuperfuerint, panis ſummæ unius frumenti præparetur, ut unuſquiſque ſaltem panem dimidium accipiat, ne omnino vacui abſcedant.

Nota. *In Statutis quæ ſequuntur, ordinem mutari animadvertimus. Nam quæ in uno libro* Cottoniano *primo loco; in altero, poſteriore loco ponuntur.*

Inſtituta Guarini *Abbatis de Modificatione rigoris Ordinis.*

INſtituta quæ pius paſtor Dominus *Gwarinus* Abbas, ad utilitatem & pacem ſui Conventus inſtituit, corde retinenda & ſcripto commendanda ſunt, ne malitia invidentium quandoque infringantur, ſeu oblivioni perpetuæ tradantur, inter cætera namque pietatis opera, quæ ad incrementa bonorum operum ſuorum; hoc pro utilitate & petitione totius Conventus adjecit, ut fratres qui in æſtate poſt meridiem ex antiquo minuere ſolebant, conceſſit tam in æſtate quam hyeme ante prandium ſemper ſanguinem minuant; In æſtate ſtatim poſt fratrum refectionem, & gratiarum actionem in Locutorio hoſpitum divertant, ſeu in alio quolibet loco ſibi deputato, cura cum ipſis exiſtente, qui propter ordinis diſciplinam, hora illa cum eis remaneat, ibi ſimul omnes conveniant, licentiamque habeant loquendi (cum omni tamen gravitate) quamdiu Servitores comederint. Et hoc ſemper provideant, ut ſimul omnes in dormitorium ingrediantur, priuſquam ad excitandos fratres ſignum pulſetur. Ipſo die, ad Completorium in ſupradicto loco conveniant, ibique loquantur quamdiu Hoſpitali viſum fuerit, aut hora permiſerit, non tamen ultra pyritegium, hora loquendi protelctur. Super hoc adjecit, ut à Completorio, die ſecunda ex conſuetudine ſemper remaneant, qui quondam ex gratia remanere ſolebant, ut in præcedenti die abſque licentia, atque in ſupradicto loco, ſimul omnes conveniant, ſcilicet in Locutorio hoſpitum. Et ſi feſtivitas principalis, ſeu obitus cujuſlibet fratris (cujus corpus præſens fuerit) ſupervenerit, ut ſupradicta indulgentia remanendi teneri non potuerit, in nocte altera recompenſetur.

Ad Matutinas, nocte prima minutionis ex antiquo chorum ingredi non ſolebant, nocte verò ſecunda ſemper intrare, nos itaque petitione totius Conventus ſuper hoc addidimus, ac pietatis intuitu indulſimus, ut nec nocte ſecunda ad Mututinas chorum ingrediantur, niſi feſtivitas principalis ſeu duplex ſupervenerit. Die verò tertio, ad omnes horas canonicas chorum ingredienter. Et quotieſcunque in die jejunii ante Conventum comederint, à nona remaneant, & poſt refectionem, licentiam habeant locutorium hoſpitum ingredi, ibique ſpacientur, dum Conventus in refectorio diſcubuerit, ab octavis nativitatis beatæ *Mariæ*, omni hieme uſque ad caput quadrageſimæ, poſt tertiam ſemper manducent, & à ſexta ex conceſſione noſtra remaneant, qui quondam ad ſextam convenire ſolebant, quia cum moleſtia comedebant, quicquid viſcebantur propter horæ brevitatem. Sacriſta has horas ſic temperet, ne aliquis eorum ipſius negligentia, contriſtetur, ut ad miſſam majorem cum omni gravitate, abſque moleſtia ſimul omnes convenire poſſint, in hyeme enim volumus ut ad Miſſam majorem ſimul omnes conveniant, & qui vitio ſuo deerit, ſolus ſuſtineat quod meruerit, & innoxii abſolvantur. In quadrageſima uſq; ad nonam jejunare ſolebant, & ad Miſſam majorem cibum ſumere, poſt Miſſam, ad veſperas ſoliti erant convenire. Sed quia ſæpiùs conqueri ſolebant propter horæ brevitatem quia jejunantibus breve erat ſpatium; Nos itaque conſiderantes brevitatem ſpatii, pietatis intuitu indulſimus, ut ab hac hora veſpertina ſemper remaneant, cura cum ipſis remanente, qui cum ipſis manducet, & cum ipſis remaneat; abſtinente Conventu ab eſu piſcium, cura qui cum minutis comederit,

ab abſtinentia abſolvatur, licentiamque habeat comedendi, quicquid ei Dominus donaverit. Poſt refectionem, de refectorio ſtatim exeant, quibus egreſſis ad monaſterium divertant, quoad Conventus in refectorio introgreſſus fuerit. Diſcumbentibus illis, ſanguine minuti licentiam habeant hoſpitum ingredi locutorium, ibique loquantur, quoad Conventus ad menſam diſcubuerit. Quod ſi aliquis eorum quoad cimbalum percuſſum fuerit in refectorio remanſerit, locutorium cum cæteris non ingrediatur, ſed ſolus in Eccleſia remaneat, ſilentiumque teneat dum cæteri loquentur. Et quia abuſus fuerit indulgentia ſibi conceſſa, improbitatis ſuæ ſolus ſuſtineat pœnam, innoxiis abſolutis.

Altare Beati Petri, *Infirmis deputatur.*

INter cætera quæ veneralibis pater Dominus *Guarinus* Abbas provida diſpenſatione inſtituit, fratribus infirmis compatiens miſericordiæ manum porrexit, ne defectu auxilii, morte immatura ad extrema vitæ producerentur: Quia inhumanum eſſe arbitrabatur, ut de una ſubſtantia quibus æqua ſuppeteret ſucceſſio, alii abundanter affluerunt, alii vero paupertatis ingemiſcerent incommodis. Ea propter aſſenſu totius Conventus, & gratiarum inſtituit actione, ut ſi quis fratrum ita infirmitate laboraverit, ut morbo ingraveſcente infirmitatis ſuæ neceſſitate compulſus Infirmariam ingredi, magiſter Infirmariæ ea quæ infirmo ejuſque infirmitati fuerint neceſſaria, procurabit. Scilicet medicum & medicamina, electuaria, atque pigmenta, & cætera quæ juxta morbum apta didicerit, ne defectu ipſius, nulli ſit neceſſe quicquam ab alio aliquo exigere. Ad hoc enim altare beati *Petri* Apoſtoli, quod ſitum eſt in villa beati *Albani* à parte orientali, deputavit; ne aliquis eorum qui pro tempore præfatæ obedientiæ procurator extiterit, quaſi impoſſibilitate ſe valeat excuſare.

Memorandum, quod actum eſt ſuper hoc, die ſanctorum *Coſmæ* & *Damiani*, Anno Gratiæ, M. CC. LIII. Hoc beneficio privati ſumus, tempore *Johannis* ſecundi Abbatis qui Anno ſuæ prælationis, xvii. vicariam in eadem Eccleſia inſtituit ſicut in Eccleſia Sancti *Michaelis* de *Kingesbury*, nihil nobis pro recompenſatione relinquens.

Item pium inſtitutum pro anima Galfridi *Abbatis.*

Statutum de anniverſario Galfridi *Abbatis.*

STatutum eſt inſuper ab eodem Abbate *Guarino*, & à toto Conventu, ut omni anno, à ſecretario Eccleſiæ noſtræ in die Sanctæ *Katerinæ*, pro anima *Galfridi* Abbatis pauperes Centum reficiantur pane, & cerviſia, & uno ferculo. Et exceptis hiis centum, cæteris qui ſuperfuerint panis ſumma unius frumenti præparetur, ut unuſquiſque ſaltem dimidium unius panis acciperet, ne penitus vacui recederent, & ſpe fraudati præconcepta.

De miſericordia ejuſdem.

HIC quoque primò permiſit aliquibus fratribus, in quibus per maciem & pallorem, debilitatem perpenderat manifeſtam, (quibus videbatur inconveniens eſſe & conſcientiæ læſionem, intrare Infirmariam, quia quamvis macilenti eſſent vel pallidi, vel etiam debiles, non ſibi infirmi videbantur) ut ſeorſum, ſcilicet in oriolo carnem comederent: Et hoc fiebat Abbate compellente, & in virtute obedientiæ præcipiente. Tunc verò temporis, nullus in Infirmaria carnes comedit, niſi in morbi gravitate, & propter reſtaurationem, & meliorâti, juxta regulam penitus abſtinebant, Nec quis carnes comedit, niſi per Infirmarium in veriloquio affirmante, quòd ſic oportuit, licentiatus.

De Redburna.

ITem ad *Redburnam* aliquos fratrum tranſmiſit recreandos, ne identitas in Clauſtro in eis qui puſillanimes erant, accidiam parturiret. Et (quod priùs nullo modo permittebatur) carnes comedere permiſit debilibus, ita ſcilicet, ut regularem cibum miniſtris darent, pro carnium commutatione.

De Sotularibus.

HIC quoque Sotulares corrigiatos, pro ocreis de cute quam vulgus *Bazan* appellat, commutavit; tum ut ad divinum officium expeditiùs properarent, nec unius alium in proceſſionibus intricatum illaquearet; tum propter munditiam & honeſtatem fratrum, quos decet manus, (& maximè circa Altare) habere mundiſſimas. Priore tamen rotunditate, anteriore, & per totum amplitudine, ad indicium priſtinæ humilitatis, remanente.

De apertura brachiali. * *qui* || *forte delendum et.*

Hic quoque præter miſericordiam prædictam minutis impenſam, quæ * ſolebant non brachia habere exerta, & || poſt prandium; juſſit ut ſubbrachiales per quas brachia protraherent, haberent aperturas. Neque enim proinde obſervantiæ regularis fiebat tranſgreſſio, quam Regula Sancti *Benedicti* votiva, præcipit & hortatur.

De

De ſomno meridiano in æſtate.

His adhuc adjecit, ut omni æſtate in die jejunii, poſt refectionem eant dormitum more meridiano.

Hæ ſunt Indulgentiæ quas fecit Abbas Guarinus *Conventui ſuo, & hæc ejus ſtatuta; quæ quicunque infringere attemptavit, anathemate condemnatur.*

Reſecatio ſuperfluitatis in Divino Servitio, per eundem piè excogitata.

ITem. Ut opus majori cum devotione & reverentia celebretur, de hiis qui præter inſtituta ſancti patris noſtri *Benedicti* in Conventu pſallere conſuevimus, multa nobis non ſine commendabili ac pia conſideratione relaxavit. Atque diſcretionis fica in omnibus ſuperflua reſecans, irregularia hoc modo abbreviavit; ut videlicet omni tempore privatis diebus, tam in diurnis quàm in nocturnis horis, ad preces tantummodo *Miſerere mei Deus, &c.* dicatur. Similiter & preces uno ſemper ordine dicantur, id eſt, *Ego dixi Domine miſerere mei.* In feſtis verò & in profeſtis diebus, omnes horas (exceptis *prima & completorio*) per *Magiſtram Collectam*, quam tempus & hora exegerint, terminari inſtituit. In Quadrageſima tamen dicatur *Collecta ad veſperas*, privatis diebus, quæ dicantur ad majorem Miſſam ſuper populum. Pſalmos verò familiares, qui confusè dicebantur, (quandoque diffusè) ſub hoc ſemper ordine pſallere inſtituit; hoc eſt, *Deus in adjutorium*, *Ad te levavi*, *De profundis*, & *Voce mea*, cùm tempus exegerit. In Quadrageſima tamen privatis diebus hiis adjiciatur, *Levavi oculos meos.* Et in Feſtis, *Inclina Domine*, pro Pſalmis *proſtratis*. Illos verò triginta Pſalmos quos à feſtivitate *Omnium Sanctorum* uſque ad *Paſcha*, privatis diebus ante *Matutinas*, non pſallendo, ſed quibuſdam balbutientibus, quibuſdam verò præ tædio dormitantibus, tranſcurrere conſuevimus, in duo diviſit; atque à medietate eorundem Pſalmorum nos abſolvit. At quia in Conventu omnino debet (ſecundum præceptum, vel ſaltem conſilium, beati *Benedicti*) oratio brevis eſſe, & pura niſi ex devotione protendatur. *Deus auribus noſtris*, cum ſequentibus Pſalmis (quia ab re dicebantur) abrenunciavimus, & in eorum loco, ſub tempore & hora qua dicebantur, *ſeptem Pſalmos pœnitentiales* ſubſtituimus. Et quia onerosa nobis erat hiſtoria illa de *Inventione beati Stephani ſociorúmque ejuſdem*; ab ea nos abſolvit, & pro ea communem hiſtoriam de *confeſſoribus* pſallere inſtituit. Ita tamen ut dicatur quartum reſponſorium de Sancto *Stephano*; hoc videlicet, *Poſitis genibus*; & Octavum, *Patefactæ ſunt*; & duodecimum, *Ecce jam.* Cætera omnia dicantur, ſicut in feſtivitate *plurimorum Confeſſorum.* Conceſſit etiam idem Abbas *Guarinus*, ut ſine froccis in Clauſtro radendi temporibus, & radant pariter & radantur.

Quod Calices redemit.

ITem. Inter commendabilia (utpote magis commendabile) non arbitror prætereundum, quòd æterna meruit recordatione prætitulari. Cùm enim magnificæ recordationis Dominus Rex *Richardus* in *Alemannia* Deo irato infeliciter captus fuiſſet, pro redemptione ſua inæſtimabiliter taxata, omnes calices *Angliæ* exegiſſet, ipſe Abbas *Gwarinus* (ut erat Regi amiciſſimus) ducentas marcas pro omnibus * omnes hujus Eccleſiæ calices prompta liberalitate redemit. Non paſſus tantam de theſauro Eccleſiæ fieri deteſtandam mutilationem; in Dei Martyris Regis, ac ſui præjudicium, enormiter redundantem. Et quia conſideravit indecens eſſe & inordinatum, ut in refectorio ſervitores ſine froccis miniſtrarent, & Secularibus inter Monachos prandentibus, miniſtrantium latera aliquantulum nuda apparuiſſent; conſtituit ut deinceps nullus in refectorio Secularis (excepto Epiſcopo) cum Conventu pranderet, nec Monachus ſervitor ad prandium ſine frocco miniſtraret, & ſine froccis minuerent. Et cùm inveniſſet omnes Novitios ſine Cucullis, ante profeſſionem uti tantùm froccis aſſutis Caputiis, nec aliquo modo uti Cucullis, donec Abbas in Collatione habitus plenarii & profeſſionis, daret ipſis jam profeſſis, dicens, *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis*; & iterum, *Induat te Dominus novum, &c.* Conſtituit, ut quàm citò tonſuram Novitius acceperit, plenariè & habitum ſuſcipiat Monachalem. Dedit inſuper Abbas *Gwarinus* memoratus, Eccleſiæ *Sancti Albani* ad honorem & decorem domus Dei, unam caſulam pretioſiſſimam purpurei coloris, avibus ſeſe à tergo intuentibus picturatam; quæ etſi colore & ſubſtantia ſit laudabilis, in ea tamen laudabilior & pretioſior eſt, quod conſerta innumerabili Margaritarum ſive Perlarum ordinata poſitione, oculos intuentium, & mentes meditantium, invitat ad ſtuporem, conſtituítque idem Abbas *Gwarinus*, ut in anniverſario ejus ſacerdos ipſa redimitus, pro ejus anima Deo hoſtiam offerat ſalutarem.

* *Exponens.*

Hic quoque Abbas *Guarinus*, cùm ſe jam ſentiret ab hoc ſeculo migraturum, centum marcas dimiſit ſucceſſori ſuo, ad frontem Eccleſiæ renovandam.

De ejuſdem Abbatis Gwarini *exceſſibus.*

De negligentiis hujus Abbatis, & morte.

SED quia in hujus vitæ peregrinalis tranſitu, non eſt homo qui non peccet, nec ita vigilare queat, quin *quandoque bonus dormitet Homerus*; ejuſdem Abbatis *Gwarini* tranſgreſſiones nequaquam cenſeo prætereundas. Hic propriæ ſectator voluntatis, nullius admiſit conſilium, nullius adquievit precibus, vel etiam amicabili correptioni. Tranſgrediens illud *Sapientis* conſilium manifeſtè, *Fili ne innitaris prudentiæ tuæ*, major in omnibus ſibi ſe. Ipſe igitur inexorabilis cum fratre ſuo Domino *Matthæo* Priore ſuſpitioſiſſimo, totam Nobilitatem venerabilium perſonarum totius Conventus, (ut ſolus dominaretur) conculcavit, diſperſit, & inexorabilii odio procaciter proſequebatur. Ita ut Novitii quinquennes loca Priora tenuerunt, nec auſi erant qui remanſerant, contra tyrannidem ſuam obmutire. Sic igitur Eccleſiam *Sanctæ Mariæ de Pratis*, (licèt multi contradicerent quos contrivit) in hujus detrimentum Eccleſiæ fundavit. Rigorémque ordinis ut mollioribus & delicatioribus placeret, relaxavit, ſicut ſolet deſes Magiſter ſcholarum, ſcholaribus otia & luſum indulgendo concedere, & ſic ora multorum concluſit, & corda enervavit. Nemora quoque beati *Albani* in tantum explanavit irreſtaurabiliter, ut ante aut poſt illum ſimilis non inveniretur. Unde non minimam exaggeravit pecuniam, Eccleſiæ non profecturam, quia non ſolet ſordida præda eventus bonos terminare. Habuit proinde (quaſi telonium) ſcaccarium conſuetudinale, ubi qualibet die Sabbati de more foreſtarii, & nemorum venditores, (nunc viginti, nunc plus nunc paulo minus) cum ratiocinationibus reponebant. Nec inde tamen vel in Eccleſia ornamenta, vel ædificia in Curia vel Maneriis conſtruxit, vel etiam conſtructa ſuſtinuit, ſed ſummopere (acſi hoc eſſet totius honeſtatis & clauſula Religionis) Regi *Richardo* & Reginæ *Alienoræ*, non ſine multis ſumptibus & pretioſis donariis intermeantibus, ſtuduit complacere. Multa quoque indiſcreta prodigalitate profudit, ut ſæpe dictam Eccleſiam *Sanctæ Mariæ de Prato* cum officinis conſtrueret, & parentes glomeratim confluentes promoveret. Hujus rei oblocutores, & ſuorum exceſſuum correptores, tranſmiſit ad cellas remotas, ut nec ſaltem ſuas auderent ſcribendo querimonias præcordiales revelare. Unde multi quaſi exules, in ſumma mentis amaritudine, & crebris imprecationibus, vitam miſerabilem terminarunt. Qui videbantur votum ſuum confregiſſe, cùm in profeſſione ſua ſtabilitatem ſuam & converſionem morum ſuorum, in hoc Monaſterio quod eſt conſtructum in honorem Sancti *Albani*, ſolenniter vovendo promiſerant, & aliud facere cogebantur. Hic quoque magno privilegio ſuo armatus, deſævit (induſtria & labore Domini *Reimundi*, qui poſtea Prior, meritis ſuis exigentibus, Eccleſiæ iſtius fuit adquiſito) & à Papa *Clemente* non ſine multæ pecuniæ effuſione impetrato, ſic incipiente, *Religioſam vitam eligentibus, &c.* Cujus impetratio, licèt per alium adepta, tamen Abbati *Gwarino* quaſi auctori inter bona opera ſua aſcribenda eſſet, ſi non abuſus eo, & exinde ſumens cornua in tyrannidem contra Conventum ſuum extumuiſſet.

*Hujus privilegii exemplar, videre licet in Addita*mentis *noſtris.*

Anno igitur Gratiæ, Milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, Abbas *Gwarinus* plenus dierum, poſtquam Eccleſiam beati *Albani* undecim annis, menſibus octo, & totidem diebus rexiſſet, tertio calendas Maii, ſalutatis fratribus, & cum lachrymis quos offenderat humiliter pacatis, ab hoc ſeculo tranſmigravit.

Johannes *Primus, Vigeſimus primus.*

JOhannes huic ſucceſſit in ſeculo ſecularis, dictus *Magiſter Johannes de Cella*, non procul à viculo qui *Stodham* dicitur, ex mediocri proſapia oriundus. Vir eximiæ pietatis, amator ordinis, & vigoris diſciplinæ clauſtralis. Hic in juventute ſcholarum *Pariſienſium* frequentator aſſiduus, ad electorum conſortium Magiſtrorum meruit attingere; unde cùm viriliseſſet ætatis, in Grammatica *Priſcianus*, in Metrico *Ovidius*, in Phyſica cenſeri potuit *Galenus*. Hic aſſumpto Religionis habitu, adeo de die in diem profecit in melius, ut de virtute in virtutem aſcendens, ad Prioratum *Wallingfordiæ* regendum eſt vocatus. Et tandem præclaris meritis ſuis exigentibus in Abbatem Eccleſiæ *Sancti Albani* feliciter ſublimatus. Hic more Scholarium rei familiaris ignarus, ſtudium, contemplationem, & orationum continuationem amplectens, optimam partem *Mariæ* prælegit, *Marthæ* ſollicitudinem poſtponendo. Servata igitur ſemper præceptoris prout dignum erat authoritate, interiorum ac clauſtralium, Domino *Reimundo* Priori ſuo, qui magni conſilii erat, prudentiæ ac religionis, & Domino *Rogero de Parco* (viro in ſecularibus provido & circumſpecto) Cellerario ſuo, exteriorum habenas commiſit gubernandas; ut liberiùs contemplationi & orationi vacaret, onera ſua aliis participando. Et ſic magìs contemplativus ut decuit quàm activus, non niſi ardua, & quæ ipſum ſpecialiter contingebant, libra rationis trutinando prudenter diffinivit. Horum igitur duorum fratrum fretus conſiliis, & fultus adminiculis, ſtimulante conſcientia, (receperat enim à prædeceſſore ſuo Abbate *Gwarino*, ut prædictum eſt, centum marcas ad opus Ec-

Eccleſiæ repoſitas ac deputatas) murum frontis Eccleſiæ noſtræ in terram diruit, veteribus tegulis & cœmento indiſſolubili compactum. Parum autem attendens illud irriſorium, cujus mentio fit in Evangelio, videlicet quod niſi ædificaturus computet ſumptus, qui neceſſarii ſunt ad perficiendum, ne poſtquam poſuerit fundationem, impotens perficere, omnes incipiant illudere ei, dicentes, *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Cœpit & ligna attrahere, & lapides non paucos, cum columnis & tabulatibus coacervare. Convocatis igitur Cementariis electis quamplurimis (quibus præfuit Magiſter *Hugo de Goldcliff*, vir quidem fallax & falſidicus, ſed artifex præelectus) confoſſo & projecto fundo, tempore modico memoratas centum marcas cum aliis quamplurimis, abſque diariis quotidianis, expendit non modicis, nec adhuc murus fundamenti ſolo ſe æquaverat. Factum eſt ut conſilio memorati *Hugonis*, impertinentibus additis celaturis, nugatoriis, & ſupra modum ſumptuoſis, antequam medium operis in tabulatum domicialem exſurgeret, fatigatus eſt Abbas, & cœpit tædere & pavere, & languit opus. Et diſcoopertis muris tempore brumali, petræ (utpote tenerrimæ) in fruſta ſunt confractæ; murúſque ad inſtar maceriæ depulſæ & ruinoſæ, cum ſuis columnis, baſibus & capitellis, ſuo tantùm pondere diruit labefactus; ita ut riſum & cachinnum intuentium, ruinæ imaginum & florum generabant. Receſſerunt igitur artifices deſperati, nec reddebant illis de laboribus ſuis ſtipendia. Veruntamen Abbas non idcirco deſperatus aſſignavit operi cuſtodem fratrem *Gilebertum de Everſolt*, contulitque operi de unaquaque acra terræ ſeminatæ unam garbam. Et hoc duravit ex quo incœpit dari, (videlicet tertio anno Prælationis ejus) per totam vitam ſuam circiter ſeptendecim annis, & in vita ſequentis Abbatis, circiter decem annis, necunquam illud infortunatum opus, evidens cœpit incrementum, nec ſine optato conſummatum in tempore Abbatis *Johannis*, cor ſuum poterat exhilarare, unde doluit inconſolabiliter. Addidit igitur donaria multa auri & argenti ſi fortè operi darent incrementum, fecítque prædicari per totam terram *Sancti Albani*, & per plurium Epiſcoporum diœceſes, tranſmiſſis Reliquiis, & quodam clerico nomine *Amphibalo* (quem Dominus quadriduannum, meritis Sanctorum *Albani* & *Amphibali*, à mortuis ſuſcitaverat, ut miraculis Sanctorum ipſorum teſtimonium fide perhiberet oculata) non minimam pecuniam coacervavit. Sed infauſtum opus iſtud, quaſi mare flumina omnia abſorbuit, nec adhuc incrementum ceperat fortunatum. Tranſactis igitur inutiliter quoad opus illud annis, mortuo quoque fratre *Gileberto de Everſold*, devoluta eſt cuſtodia operis illius mortui & languentis, ad manus fratris *Gileberti de Siſſeverne*, qui eidem præfuit circiter triginta annis, qui ſumptis ad hoc memoratis auxiliis, vix bipedale toto ſuo tempore ſecundùm ſui totalitatem, ſuſcepit incrementum. Conniventibus igitur oculis, ſed dolenti corde, ſe tranſtulit Abbas memoratus *Johannes* ad alia opera conſilio feliciori; relictis nec diminutis auxiliis, operi priori ut prædictum eſt attitulatis. Et diruto in terram veteri refectorio ruinoſo & obſcuro, novum incœpit elegantiſſimum, quod & meruit in vita ſua feliciter conſummare, & in eo cum fratribus gaudenter epulari. Erectus igitur in ſpem meliorem, vetus dormitorium ruinoſum, & præ vetuſtate tabefactum, cum dormitorii appendiciis (videlicet domicilio neceſſariorum) dirui fecit à fundamentis, & novum nobiliſſimum loco illius ædificare, & ad unguem irreprehenſibiliter conſummare. Ad harum verò nobilium duarum domorum ædificationem contulit Conventus vina ſua per quindecim annorum curricula continuata, ſed quia opus Eccleſiæ dereliquit, nunquam in vita ſua ipſius meruit videre conſummationem.

De reparatione novi Refectorii.

Novum Dormitorium.

De Placito moto ſuper Sylva de Northawe, *inter Abbatem* Johannem *&* Robertum *Filium* Walteri.

ORta eſt autem ipſius temporibus quæſtio graviſſima à quodam potentiſſimo, videlicet *Roberto* Filio *Walteri*, cui vix aliquis Comes in *Anglia* potuit æquiparari. Erat enim in armis ſtrenuus, animoſus, & ſuperbus, multis abundans poſſeſſionibus, generoſus, & potentum conſanguineorum numeroſitate, & affinium ſeptus multitudine ac roboratus. Ideo audax & ſibi viſus inſuperabilis, ſylvam de *Northawe* ſuper Abbatem injurioſè vendicavit; contra quem Abbas *Johannes* viriliter decertans, conſilio fultus prædictorum ſapientum, videlicet Prioris *Reimundi* & *Rogeri de Parco* Cellerarii, *Gulielmique de Siſſeverne* militis Seneſchalli noſtri, *Laurentii de Therebrugge* militis eloquentiſſimi & ſapientiſſimi, quòd minimè ipſius *Roberti* impetus injurioſos formidâſſet. Imò in calce certaminis turpiter memoratus *Robertus* ſuccubuit, remanente ſylva illa litigioſa de *Northawe* Eccleſiæ *Sancti Albani*. Pendente tamen cauſâ & multipliciter exagitata, Abbas *Joannes* tot damna, tot injurias ab ipſo *Roberto* procaciter illatas, & etiam in propria perſona tot anguſtias, tot labores ſumptuoſos in placiti illius exagitatione ſuſtinuit, quod ſi ſcriberentur, vel ſub tranſcurſu ſuccincta enarratione recitarentur, tædium audientibus generarent; cùm enim procaciter & obſtinatè Eccleſiæ *Sancti Albani* perſonas & poſſeſſiones, per ſe & ſibi ſubjectos, necnon & amicos, multipliciter fatigaret; ita ut eo procurante, quatuor de ſuis Militibus proditioſo fœdere conjurati in necem *Laurentii de Therebrugge* prænominati, quia fideliter ac prudenter placitum deduxit conſpiraverunt, novum & inauditum facinus machinabatur. Erat in hac

hac Eccleſia quidam inter fratres Cucullatus quidem, Monachus tamen nequaquam; ſed ad inſtar *Luciferi* inter Angelos, vel *Judæ* inter Apoſtolos, hypocrita nequam inter Monachos, ipſe non Monachus, ſed potiùs dæmoniachus converſans. Hic quidem verſutus nimis & ingenioſus, prævidens quando ſcripta, quibus neceſſariò de more Conventus per manus paucorum (ſcilicet Præcentoris paucorum convocatorum) ad hoc ſeorſum convenerant, ipſe officioſè ad eorum juvamen & obſequium, ſe ingeſſit. Sigillum autem tunc temporis incaute nimis, & negligenter ac incurioſè cuſtodiebatur, inter ſcriptaque in arca reponebatur abjectum.

De quodam Monacho proditore Willielmo Pigun.

Ipſe igitur dictus *Gulielmus Pigun*, ſcedulas omnino vacuas, vel chartas adulterinas, & ad voluntatem ſuam (quæ peſſima fuit) conſcriptas & candatas; appoſita cera calefacta ac promptiſſimè præparata (dum alii quippiam aliud contractarent) clam & cito ſub manica ſigillabat, & quamvis properè, tamen apertè, (quod mirum fuit) expreſſe & eleganter, ſigillo quaſi per præſtigiam ſubrepto. Et hæc fecit blandiciis & muneribus, & pollicitis memorati *Roberti* adverſarii noſtri, fraudulenter & occultè nimis enervatus. Unde & in hac cauſa nobis efficaciter nocitura, chartam falſam confecit occultè, ac proditioſè, & ipſam clam memorato *Gulielmo* tranſmiſit, eo modo quo prædictum eſt ſigillandam. Quod eſt factum. Erectus igitur *Robertus* in maximam protervitatem & ſolito majorem, comminabatur nimis formidabilibus, & verbis ampulloſis, quòd nondum gladium cruentum & verſatilem eduxerat ad confundendum ſuos adverſarios, imò hactenus luſerat; compertum eſt & per ſibi ſpeciales, diſcoopertum & ſecretiùs Abbati nunciatum, quod *Robertus* habuit novum nocendi inſtrumentum efficaciſſimum, & de novo adquiſitum, unde talia ſumpſit cornua Eccleſiæ *Sancti Albani* uſque ad exterminium nocitura. Perpendebat igitur Abbas ſatis ſagaciter, aliquem falſarium inter fratres latuiſſe, & falſam chartam in nocumentum Eccleſiæ, fraudulenter confeciſſe. Revelante igitur ipſo qui ait, *Nichil opertum quod non reveletur*, compertus eſt dolus, & convictus eſt doloſus; ut de doloſo merito fieret doloroſus. Inflicta igitur non tantum propter ſcandalum condigna pœna, quaſi exul & indignus ut amplius in domo præſenti quam polluit converſaretur, miſſus eſt ad cellam de *Thinemua*, pœnitentiam ſuper commiſſo flagitio perpetuam peracturus. Sed ille miſer nec miſerabilis, Deo odibilis & hominibus, odium quoddam contra Abbatem à multo tempore conceptum & inveteratum, adhuc reſervavit in corde obſtinato. Et hoc fuit illius odii ſeminarium. Iſte *Gulielmus Pigun* quendam habuit nepotem, quem in villa *Sancti Albani* ſcholas exercentem quæſtu ſuo educavit; utpote bonæ indolis adoleſcentem & libenter addiſcentem, qui poſtea apud *Burgum* receptus, in tantum virtutibus diatim profecit, ut Prior in conventu fieri mireretur. Hic igitur *Gulielmus* petiit Abbatem *Johannem*, ut ipſum *Robertulum* adhuc adoleſcentulum in Monachum ſuſciperet; qui quia impuber erat, nec adhuc tantæ ætatis ut eſſet idoneus & acceptabilis, & non penitus negans, diſtulit poſtulatum. Sed *Gulielmus* impatiens & ſuperbus, ſtatim efficaciter procuravit, ut dictus *Robertus* nepos ſuus, apud *Burgum* in Monachum favorabiliter reciperetur. Unde ſæpedictus ſemper extunc *Gulielmus* Abbatem *Johannem* oderat, & prænotatam ultionis argutionem faciliùs machinabatur, & antiqui odii venenum adhuc apud *Thinemue* reſervans, crebrò Abbati maledicens terribiliter imprecabatur. Sed omnes ſuper caput proprium congeſſit maledictiones, ſicut finalis ejus vitæ clauſula comprobavit:

De exſecrabili morte Willelmi Pigun.

Contigit enim una noctium, ut idem flebilis memoriæ *Gulielmus*, ſuper ſedile in ſecretiori dormitorio Matutinarum oblitus ſederet, referto ventre, potibus inebriatus, & cibariis ingurgitatus; inclinato capite igitur cœpit dormitare, & dormitando ſtrepitu ſtertere tædioſo. Et ſic de ebrietate in ſoporem, de ſopore in mortem ſubitam gradatim tranſmigravit; fortè frigore correptus, ſed potiùs (ut credi poteſt) divina percuſſus ultione. Nam cum ceſſaſſet per tracheam ebulliendo perſtrepere, audita eſt in cloaca ubi moriens ſedebat hæc vox manifeſtè reboare, *Cape Sathan*, *cape Sathan*; quod manifeſtè audierunt qui tunc in dormitorio fratres extra chorum ob cauſam remanſerunt. Sic igitur miſer ille ſimul cum ſtercore animam turpiter egiſſet. Et cum exanimatum cadaver in craſtino omnibus abominabile ſic inveniretur, vix paſſum eſt Chriſtianæ ſepulturæ commendare. Multa tamen fratres, ut vitaretur ſcandalum, ob reverentiam habitûs & ordinis, prudenter diſſimulabant. Extunc igitur ſapienter conſtitutum eſt apud *Sanctum Albanum*, ut Sigillum Eccleſiæ ſub clavibus pluribus à pluribus fratribus ſenioribus vel ſanioribus cuſtoditum, in Capitulum proferatur, quotieſcunque ſcripta inde aliqua conſignanda fuerunt, ut coram omnibus & proferatur & inde ſigilletur, & in loco ſuo (ſcilicet forti ſcrinio) reponatur, & ipſum ſcrinium in loco tutiſſimo reſervetur. Hæc idcirco dixerim ſcriptis commendans immortalibus, ut innoteſcat omnibus quanta pœna præſenti & futura præcellendi ſunt, reipublicæ in Eccleſia tam ardua damna fraudulenter machinantes.

Concordia inter Abbatem & Robertum *filium* Walteri.

Abbas igitur *Johannes*, arma *Roberti* jam intoxicata vehementer pertimeſcens, dum tempus languoris duravit, ſcilicet annus & dies una, quem vice Abbatis *Gulielmus de Siſſeverne* Miles & Seneſchallus Eccleſiæ (ut prætactum eſt) continuando peregit, cœpit prudenter tractare de pace; ne efficacia Chartæ ſuæ falſæ innocentes letaliter vulneraret. Cui conſenſit *Robertus*, mirabiliter in brevi mitigatus. Timebat enim vehementer, de tam enormi conſcientiæ ſuæ læſione; & de Martyris *Albani* ſevera ultione. Audierat enim de ſuo fraudis perpetratæ conſorte, (*Gulielmo* ſcilicet *Pigun*) qualiter percuſſus à Domino horribiliter miſeram vitam terminavit.

vit. Et nè detegerentur omnia quoquo modo, ad perpetuum ejus dedecus & opprobrium, non minimum formidabat. Sopita eſt igitur diſcordia, & amicabili fine terminata, & coram aliquibus (paucis tamen ſub ſigillo confeſſionis de ſilentio aſtrictis) combuſta eſt illa falſa charta. Et factus ad horam *Robertus* amicus de inimico, non incœpit prodeſſe, ſed tantùm lædere ceſſavit.

Sed quia non minimam in hac cauſa pecuniam effuderat, & oportuit patulos lupi rictus obſtruere, pro bono pacis, concordiæ, & perpetuæ amicitiæ, conceſſæ & datæ ſunt eidem *Roberto* de poſſeſſione Eccleſiæ decem libratæ terræ, ſcilicet *Biſhopſcote*, pro majori parte.

De perſecutione Eccleſiæ de Binham *per* Robertum *Filium* Walteri.

Cauſa inter Abbatem & quendam Robertum *pro Cella de* Binham.

SUblato autem de medio viro piiſſimo *Gulielmo de Siſſeverne* Milite, Seneſchallo hujus Eccleſiæ, ſubrogatus eſt loco illius *Laurentius de Thebrugge* Miles, vir eloquens, diſcretus, & in placitis civilibus providus & circumſpectus, & corpore elegantiſſimus, in Seneſcalciam hujus Eccleſiæ. Quem *Robertus* filius *Walteri* oderat ab antiquo, ut prætactum eſt, eò quòd viriliter ſteterat contra eum in cauſa de ſylva de *Northawe*. Contigit etiam ipſo tempore, ut Abbas *Johannes* ſecundùm poteſtatem à *Romano* Pontifice ſibi dudum conceſſam & uſitatam, Priorem *Thomam de Binham* invitum amovit, qui erat dicto *Roberto* amiciſſimus. Quod moleſtè ferens *Robertus* illius Eccleſiæ Patronus, eò quòd ipſo irrequiſito amotus eſt Prior memoratus, (quem ſuum Priorem de more appellavit) intumuit iratus valde, & comminabatur auferre illam poteſtatem Abbati, ſumens audaciam ab una falſa charta de patronatu Eccleſiæ de *Binham*, in qua continebatur hæc clauſula, *Quòd non licuit Abbati Priorem amovere inconſulto patrono*, vel invito. Porrò ipſam contulerat ei ſuæ fraudis conſcius & particeps *Gulielmus Pigun*, qui moriendo cum ſtercore ſuo fœtido animam egeſſit fœtidiorem; de quo ſupra ſit mentio. Unde *Robertus* erectus in audaciam, ipſam Eccleſiam quaſi caſtrum incluſis Monachis hoſtiliter obſedit impetu repentino; ita quòd Monachi nil habentes quod manducarent vel biberent, inedia perituri, neceſſitate compellente imbres à ſtillicidiis ut aquam biberent, & panem furfureum quo vix vitam ſuſtentarent, citra ſatietatem (imò fame potiùs provocata) ſumere certatim cogebantur. Multiplicatis inſuper quotidianis convitiis & comminationibus, ab illis qui eos arctabant; jurabant deteſtabiliter & horribiliter, quòd niſi mandatis *Roberti* Domini ſui obſecundarent, novum Priorem intruſum quem Abbas *Sancti Albani* ibidem contra (ut dicebant) juſtitiam, & Domini ſui Patroni ipſorum Monachorum libertatem, feſtinanter amoverent. Inſuper numerum Monachorum uſque treſdecim videlicet Conventum reſecarent; ipſi poſtpoſito timore & habitûs reverentia, ipſum Priorem primò caſtrarent, & ad hoc omnes contradictores ignominiosè compellerent. Multiplicatis igitur coram Rege ſuper tam enormi, contra Domini Regis & Eccleſiæ pacem, tranſgreſſione; commotus eſt Rex uſque ad cordis amaritudinem, jurans per pedes Dei, (ut moris habuit) *Quòd vel ipſe vel ille Rex foret in Anglia*. Rex verò oderat illum, ſed occultè; & *Robertus* Regem, quod & ipſum Regem non latuit. Gaviſúsque eſt Rex de offenſa & culpa *Roberti* manifeſta, ut ultio ſequeretur. Et dixit circumſtantibus (ſignans ſe præ admiratione, vocem cum juramento ſuo ſolito iratus exaltando) *Ho, pro pedibus Dei, Quis in tempore pacis in terra Chriſtianorum audivit talia!* Et erat aliquis ibidem de amicis *Roberti* hoc audiens. Ipſo igitur cum ſtupore & tremore admonente, rapti ſunt equis velocibus quidam expeditiſſimi, qui hoc *Roberto* & ſuis complicibus, qui Eccleſiam de *Binham* obſidebant, & in ea Monachos (licèt omnes coram eis flecterent genua, & etiam ſe proſternerent, miſericordiam peterent) ſine miſericordia arctabant, nunciarent; ut protinus cum feſtinatione ante Solis ortum aufugeret. Aſſerebant enim quòd Rex audita de eis graviſſima querela, non tantùm iratus ſed furibundus, ſic & ſic cum juramento reboavit. Erat autem nox cùm illis hæc nunciata fuerant; unde ipſi, tam *Robertus* qui prope fuit, quàm ejus miniſtri, vix diſpoſitis ſarcinis, & equis præ feſtinatione ſtratis, ſubitò diſparuerunt; & certatim equos calcaribus excitantes, procul aufugerunt. Et ecce ante diei horam tertiam, Regis milites cum ſervientibus armatis, turbine rapidiùs avolantes, & apud *Binham* venientes, illos Regis proditores, & pacis Regiæ & Eccleſiaſticæ infractores, ubinam latuiſſent clamoſis vocibus rogitabant. Miſſi enim erant (ut notorium fuit) à latere Regis ut ipſos comprehenderent, & comprehenſos præſentiæ Domini Regis præſentarent. Sed cùm eos ubique quæſitos non inveniſſent, ſcientes quòd elapſi fuerant aliquo mandato repentino præmuniti, triſtes receſſerunt. Et hoc Regi cùm nunciarent, eorum deſidiam Rex increpavit; & ait, *Aliquis qui edebat panes meos, hoc ipſo Roberto feſtinè, etiam de nocte nuntiavit*. Erat autem tunc tempus *Interdicti*, & ſeſe quidam de Nobilibus *Anglorum* contra Regem Domini Papæ & Eccleſiæ jam manifeſtum adverſarium, ex mandato Domini Papæ *Innocentii* Tertii inſurgere cœperunt, quorum vel Capitaneus, vel de Capitaneis, erat *Robertus* memoratus. Unde uſque ad gemitum doluit Rex, quòd ipſum vel ſaltem ſuos, in tali & tanta culpa non comprehenderet. Ex tunc igitur magis cœperat *Robertus* Regem formidare, & odio proſequi efficaciori. Majori igitur minorem abſorbente omiſit *Robertus* Eccleſiam *Sancti Albani*,

Secundùm quantitatem culpæ.

& Cellam ejus de *Binham*, (quæ non ab ea niſi ut pars à toto, vel membrum à ſuo copore, diſcrepare manifeſtum eſt) Chartámque illam falſam, in quam quaſi in baculo arundineo confidebat, nemine conſcio præter *Adam fil. Willielm.* (qui poſtea eam manifeſtavit) ſecretiſſimè abſcondit; proponens certiſſimè ea uti in poſterum, cùm tempus ei proſperitatis arrideret. Sed,

Ludit in humanis divina potentia rebus:

Ultio in Robertum.

Ipſum fefellit opinio, & multùm commutati rerum eventus conſequentium, ſtatum ſuum inopinabiliter adverſante fortuna (ut in ſequentibus dicetur) variabant; Monachis igitur per prædictos ſatellites irreſtaurabiliter damnificatis, & præ penuria pedes recedentibus, acceverunt diatim ſubrependo *Roberto*, (qui ex facto excommunicatus erat) adverſitates diverſæ, quæ finem nec mitigationem per quindecim annos acceperunt. O mira & formidabilis Dei & ſancti *Matyris Albani* ultrix ſententia! Ex illo enim ut veriùs dicam tempore, nunquam defuit vel manifeſta perſecutio hoſtilis, vel adverſitas infirmitatis ingruentis & ſenectutis. Incipiente enim tunc guerra, conſtitutus eſt *Robertus* Dux exercitus inſurgentium in Regem; unde in titulo literarum ſuarum, ſe *Conſtabularium exercitus Dei*, nominabat. Et tunc in multa incidebat pericula. Sed ad hoc ſtimulavit & animavit ipſum, & omnes ſuos ſequaces, multùm varius Papa *Innocentius* tertius. Sed poſtquam Rex *Johannes* ut ſe vindicaret, turpiter ſuccubuit, ſe reddendo memorato Papæ infœliciter tributarium: idem Papa verſa facie, *Roberum* & omnes eidem adhærentes perſequabatur, factus adjutor ſui vaſſalli & defenſor. Enervato igitur *Roberto*, confiſcabantur omnes ejus poſſeſſiones; ſpoliatus igitur & laceſſitus, exul, vagus, & inſtabilis, fecit ſeditionem obſeſſis in caſtro *Roveceſtriæ* & *Lincolniæ* confuſus, & *Londoniæ* fama denigratus, omni tempore Regis *Johannis* varias adverſitates & maximas, & infortunia toleravit, donec Rege *Johanne* mortuo & ſuccedente *Henrico* Rege filio ſuo, pax Eccleſiæ & toto Regno eſt reſtituta; ipſe igitur *Robertus* jam ſeneſcens & infirmitate contabeſcens, nunquam etiam Gratiæ Regis *Henrici* plenè reſtitutus, uſque ad mortem, ſemper de proditione infamis, & ſuſtinens opprobia, de malo in pejus donec ipſum mors adoptata abſorberet, declinavit. Nec Chartam tamen memoratam vel reſignavit, vel de ſub terra delevit, ut decuit, vel expediret. Nec etiam Chartam quam habuit fraudulentam quamdudum per memoratum fratrem proditorem adquiſierat ad nocumentum Eccleſiæ S. *Albani*, moriens voluit manifeſtare vel reſignare. Sed *Adam filius Willielmi*, ejus familiaris commilito, tunc ei conſiſtens, ſecreta ejus rimabatur; & eo mortuo, ipſam Conventui præſentavit: Unde propter illius peccati expiationem, unam Cuppam argenteam deauratam de bonis dicti *Roberti* obtulit Altari beati *Albani*, ad reponendum in ea corpus Dominicum, quæ poſteá furto ſublata eſt.

De quodam Caſu Miraculoſo qui Abbati Johanni *divinitùs accidit.*

Quoddam mirabile quod contigit huic Abbati, miniſterio Angelorum.

UT autem verificetur quod ipſa veritas per Prophetam dicit, *Non eſt pax impiis* & per Pſalmiſtam, *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, viris diſcordiæ declinantibus.* Abbas *Johannes* in manſuetudine Deo in diebus & noctibus ſingulis, ſine intermiſſione penſum reddendo quotidianum jugiter miniſtrabat. Indignum quoque cenſeo prætereundem ac ingratum, Deoque & animabus noſtris offendiculum, ſub ſilentio præterire quod in laudem Domini & Miniſtrorum ejus, probatur reſonare. Quoddam videlicet mirabile, quod eidem Abbati *Johanni* contigit, vigiliam noctis ad nocturnum pſallendum obſervanti. Cùm enim fratres in Eccleſia ſecundùm conſuetudinem ſuam congregati, in profundo noctis ſervitium nocturnum peregiſſent, ipſe Abbas in camera ſua quieſcens, hora tempeſtiva evigilans, ſociis ſuis, id eſt, bajulis (qui diu propter aliquam rationabilem cauſam vigilaverant, fatigati) tunc quieſcentibus, ipſe Abbas quaſi *leniter* arguendo eorum ſomnolentiam, levi tuſſi voluntaria, ipſos ut credebat, excitaverat. Incipiens igitur quindecim pſalmos, videlicet, *Ad Dominum cum tribularer*, & reliqua; ecce, bajulis adhuc firmiter dormientibus, quidam, neſcitur tamen qui, ordinatè, apertè, diſtinctè & articulatim (ut decuit) per totam Matutinalium ſeriem reſponderunt, verſum pro verſu alternatim reddentes. Legebantur autem duodecim eadem nocte de beata Virgine lectiones; quas corde tenus ſine candela, bajuli tranſcurrere conſueverunt, cum ſuis quæ ſequuntur Reſponſoriis; tenui tamen lumine Cruciboli per vitrum diaphanum tranſlucente. Et cum omnia ritè conſummarentur, excitabantur Bajuli, ſopore ſufficienter jam refecti. Et cùm levi nutu, vel ſtrepitu, ſignove vocali Abbatem excitaſſent, noluit Abbas inchoantibus reſpondere pſallendo, ſciens quoniam omnia quæ pſallenda fuerant, ritè compleviſſet. Ipſi igitur accedentes & formidantes ne propter infirmitatem ſileret, interrogaverunt eum quare Matutinale officium ut moris erat, nec audiret, nec audiens reſponderet ut ſolebat, qui alacriùs cæteris & pleniùs pſallere conſuevit. At ille ſilentium licèt invitus infringens, credenſque ipſos eſſet temulentos, dixit, *Nonne omnia ritè completa ſunt? Ut quid nugatoriè ſunt repetenda? Et vos etiam ſolitò expreſſius mihi pſallendo reſpondiſtis?* At ipſi ſcientes quòd non affirmaverunt ſe alto ſopore detentos, nec unum iota reſpondendo reddidiſſe. Unde propter eminentem ejus ſanctitatem perpendebant, Angelos eſſe, qui eidem verbo ad verbum offi-

cioſ:

cioſè ac devotè reſponderunt. Sciendúmque quòd nunquam in Eccleſia beati *Albani*, aliquis tam inoffenſè, tam ſecurè omnes Pſalmos medullitiùs ſcivit, aut ſcitos crebriùs iteravit, vel tenacius ipſo illos in memoria theſaurizavit. Hoc enim quaſi in confuſionem neſciorum feciſſe ipſum, profectò meminimus. Qui quaſi ad experimentum & exercitium, primò Pſalterii ultimum verſum pſallendo pronunciabat, deinde penultimam, poſtea antepenultimam; & ſic ordine retrogrado totum Pſalterium ſine offendiculo aut defectu, (quod etſi verum ſit, tamen incredibile) tranſcurrebat; cùm nec de hoc Pſalmo multùm uſitato, ſcilicet, *Miſerere mei Deus*, hoc ſe facere quilibet diffidat. Iſte Abbas *Johannes* anno Prælationis ejus ſeptimo decimo, die Sanctæ Trinitatis, juxta privilegiorum beati *Albani* tenorem, apud *Sopwelle* benedixit novem ſanctimoniales Calendas Junii. Item idem in eadem ſolemnitate quinque, ut ad conſuetudinem & memoriam, excellentiam privilegii *Sancti Albani* revocaret.

De magna ante majus Altare Tabula, & duobus novis Textibus, & Picturis, &

Celaturis, labore fratris Walteri de Coleceſtria *factis.*

AD ejuſdem quoque Abbatis *Joannis* titulum creditur pertinere, quod per ejus Monachos laudabiliter cernitur conſummatum. Tempore enim Abbatis *Johannis*, induſtria & licita adquiſitione Domini *Reimundi* Prioris fratriſque *Rogeri de Parco* Cellerarii, facta eſt magna Tabula, (cujus pars eſt de Metallo, pars de ligno artificioſiſſimè perfacta) quæ eſt ante majus Altare in Eccleſia noſtra. Duo quoque Textus de argento ſuperaurato; in quorum uno Crux cum Crucifixo & *Maria Johanne* figurantur; alio verò Majeſtas cum quatuor Evangeliſtis, elegantiſſimis cælaturis inſculpitur, artificioſo labore & diligentia fratris *Walteri de Coleceſtria*, qui perſuaſione & attractu fratris *Radulphi Gubum*, habitum Religionis in noſtra ſuſcepit Eccleſia omine fortunato. Ipſius enim fratris *Gulielmi* manu, Tabula picta ante Altare beatæ Virginis cum ſuperaltari cælato & cruce ſuperpoſita, & pictura deſuper, & à latere in maceria artificioſè nimis (ipſo memorato *Radulpho* neceſſaria ad hoc miniſtrante) eſt perfecta. Omnes quoque Tabulæ ante Altaria noſtræ Eccleſiæ, ſcilicet beati *Johannis*, beati *Stephani*, beati *Amphibali*, beati *Benedicti*. Manum quoque fratris ac diſcipuli ſui Magiſtri *Simonis* pictoris, Tabula beati *Petri* & beati *Michaelis*. Manu quoque fratris *Richardi* nepotis memorati Magiſtri *Gulielmi*, filiique Magiſtri *Simonis*. Tabula beati *Thomæ* ſuperior & inferior, partim ſua, partim patris manu perfecta eſt. Tabulæ quoque beati *Benedicti*, cum multis aliis cælaturis & picturis, labore prædictorum (licet non in tempore memorati Abbatis *Johannis*, ſed in poſterum) ad honorem domûs Dei & decorem ſunt perfectæ. Hæc idcirco ſcripturæ immortali ac memoriæ duximus commendenda, ut penes nos haud ingratos, eorum vigeat cum benedictionibus recordatio, qui ſtudioſo labore ſuo, opera Eccleſiæ noſtræ adornativa, poſt ſe reliquerunt. Prænominati inſuper Domini *Reimundi* induſtria & licita adquiſitione, libri nobiles & perutiles ſcripti ſunt, & huic Eccleſiæ collati, præcipuè *Hiſtoria Scholaſtica cum Allegoriis*, liber elegantiſſimus. *Richardus* quoque *de Clobale* Miles, ipſi Abbati amiciſſimus, tum pro amore Dei, tum pro amicitia Abbatis *Johannis*, contulit unum Calicem aureum Altari Sanctæ *Mariæ*, ubi canitur quotidie de ea & pro Eccleſia.

De diverſis Localibus proviſis [illegible] *tempore.*

Quoddam piiſſimum Abbatis Johannis *primi Statutum.*

MEmoratus quoque Abbas *Johannes* fratrum itinerantium volens parcere laboribus (utpote Prælatorum piiſſimus) & expenſis ſimiliter, quibus Monachi præcipuè clauſtrales non abundant, primo Prælationis ſuæ anno inſtituit, ut quicunque frater verſus *Sanctum Albanum* in itinere conſtitutus, & tam laſſitudine quàm viæ labore confectus, vel Sole in occaſum vergente, ut non poſſit conficere abſque gravamine & moleſtia diætam ſuam, divertat ad aliquod prædium noſtrum, quod ſibi vicinius eſſe cognoverit; ibique tam hominibus quàm equis, neceſſaria ſufficientius & honeſtius prout res ſuppetit miniſtrentur.

ut Monachi itinerantes, ad monaſterium tempeſtivè regredi non valentes, ad prædium vicinius dicti monaſterii hoſpitentur.

ut Monachi ad Manerium declinarent.

Aliud Statutum.

ANno verò quinto Prælationis ejuſdem Abbatis idem *Johannes* conſtituit, ne fratrum numerus aliquomodo (niſi tali ſuſcipienda ſit perſona, quæ propter eminentiam dignitatis & ſcientiæ, vel petitionem alicujus potentis, cui non poſſit ſine damnoſa offenſa contradici, digna ſit ſuſcipi) Centenarium numerum ſupergrediatur.

*Ne numerus Monachorum San*cti Albani *centenarium numerum excedat.*

Monachi non ultra numerum centenarium.

 Aliud

Aliud Statutum.

Ne numerus Collectarum in Miſſis, ſeptenarium numerum excedat.
Collectæ non ultra ſeptem.

ANno verò tertio ſtatuit, ne in Miſſarum celebrationibus privatarum, vel etiam in Conventu, Collectarum numerus, ſeptenarium non excedat; tum propter ſufficientiam, tum propter talis numeri dignitatem.

Alia quoque civilitatis ac pietatis opera fœliciter complevit, quæ labor ſcribentis, & tædium audientis ſcribere non permittit, nec auditoribus ſeriatim enarrare.

Probibentur miſericordiæ.

De ſuperfluis ingurgitationibus per prædictum Abbatem abolitis. Probibentur miſericordiæ guloſæ.
De tribulationibus tempore Interdicti Angliæ, præſcripto Abbati evenientibus.

HIc quoque (quod ad ejus laudem & meritum arbitror pertinere) procuravit efficaciter, ut deteſtables ingurgitationes Miſericordiarum, in quibus profectò non erat miſericordia) prohiberentur.

Hic in Interdicto, multas preſſuras & tribulationes perpeſſus eſt, quarum unam huic libello duximus inſerendam. Significavit ei Rex *Johannes*, ut ſpreto Papali mandato in Interdicto divina celebraret. Et ſuper hoc, habito concilio in Capitulo, Ait; *Fratres, oportet obedire magis Deo quàm hominibus: ſuſtineamus iram Principis, dabit Deus his quoque finem.* Et ſic Domino Papæ obediens, quamvis Magiſter *Alexander* filius Cementarii (tunc Magiſter Regis) conſuluiſſet in contrarium, noluit Regi in hoc caſu obedire. Iratus igitur Rex vehementer de contemptu ſui Mandati, (accipiens ſic ſponte malignandi occaſionem) occupavit in manu ſua totam Abbatiam. Et ejectis noſtris, ſuos per omnia appoſuit cuſtodes ſeculares. Videlicet, magiſtrum *Robertum Londonienſem* Clericum ſuum ſuperiorem, virum verſutum, & per omnia Regi *Johanni* Domino ſuo conformem, qui etiam inter ipſum Regem & *Admirabilem Murmelinum*, crebra internuncia & ſecreta (de Apoſtaſia ut dicitur) intermeans detulerat. * Ipſo igitur *Robertus* ejecto & depoſito noſtro Cellerario, inſtituit ſuum, quendam ſcilicet ſecularem, virum verſutum & avarum nimis, ſuæque dum patuita varitiæ couſulentem. Similiter ignominiosè noſtro Janitore ejecto, ſubrogavit alium, *Robertum* nomine; qui fuſtigatis ingredientibus & egredientibus, & perſcrutatis, erat Conventui quaſi ſpina in oculo; Ægrè igitur nimis hæc ferens Abbas *Johannes*, ut videlicet tam libera tam nobilis domus in ſuo tempore, tali Laicorum jugo premeretur; Regem (imò Tyrannum) juſtus injuſtum, agnus adiit Leopardum: deditque ſexcentas marcas, ut Cuſtodes nos opprimentes amoveret, & liberam in pace cum ſuis pertinentibus, totam ſineret Abbatiam.

* Nota. *Te monendum cenſuimus amice Lector, hic in majori* Cottoniano, *ſequi Legationem illam* Johannis *Regis*, *ad* Murmelinum Admiralium, *quam retro in* Hiſtoria *noſtra ad annum* 1213. *ad verbum poteris invenire.*

Alia Tribulatio.

De quingentis Marcis per Epiſcopum Dunelmenſem ad uſum Regis Angliæ, à memorato Abbate violenter extortis.

EOdemque anno, cum eſſet *Richardus* de *Mariſco* (qui non per Electionem, ſed per Regem, intruſus, in Epiſcopatum *Dunelmenſem* ſublimatus eſt) ſummus Regis Conſiliarius, Vir veneno Sathanæ deebriatus, & Rex utpote avariſſimus theſauro indiguiſſet, & Abbatem armatis pulſaſſet precibus ut eum juvaret; & Abbas juſtiſſimas ſuæ impotentiæ cauſas expoſuiſſet, vocavit eum Regia authoritate dictus *Richardus*. Qui, cum ad eum Abbas acceſſiſſet, ait *Richardus*, *Domine Abbas, quo non major, ut bene novimus, in Anglia: in quo, & quanto, Dominum noſtrum & veſtrum juvabis indigentem? Scimus quòd das ei ſexcentas marcas; ſed pro liberatione Abbatiæ veſtræ, quam juſtè occupavit. Sed nunc mera liberalitate ut grates recipias, eidem conferas poſtulanti quingentas.* Et cùm Abbas ſuper tanta exactione obſtupuiſſet, ait *Richardus*, *Quid muſſitas? Stat ſententia. Scriptum ſic eſt. Et quod ſcripſi, indelebiliter ſcripſi. Dico enim in amicitia; Melius & Civilius eſt tibi, dare quingentas marcas ut grates recipias, quàm ducentas vel trecentas, & ingratus.* Et repentè, quaſi raptus, inde receſſit, quamvis cum precibus revocaretur. Et ſic compulſus eſt Abbas ipſo anno, mille marcas Regi *Johanni*, (ſemper hianti, ſemper exigenti) in maximum hujus Eccleſiæ gravamen numerare.

Aliud gravamen.

De quodam Clerico.

ABbas idem *Johannes*, habuit ſingulare ſuæ tribulationis ſolatium; & in omnibus etiam arduis negotiis conſiliarium, auxiliatorem, & Conſolatorem magiſtrum videlicet *Adam de Linleie*, qui poſtea in Archidiaconum *Elienſem* eſt promotus. Virum benigniſſimum, honeſtum & Juriſperitum. Cum igitur de ipſo fama edocente certificaretur Archiepiſcopus *Cantuarienſis Stephanus* (qui noviter venerat in terram pace reformatam, & tremuit terra in conſpectu ejus) miſit ad Abbatem *Johannem*: exigens ipſum, ut aſſiſtens ei, & lateri ejus adhærens, Clericus ejus & ſpecialis Conſiliarius efficeretur. Inſuper miſit idem Archiepiſcopus dicto *Adæ*, ſpeciales literas, ſupplicans ut non omitteret ad ipſum pro promotione ſua feſtinanter venire. Inclinatum eſt igitur Cor illius, mandatis Archiepiſcopalibus: Credebat enim per ipſum uberiora conſequi beneficia; ſicut moris eſt Legiſtarum proſtantium munera deligere,

deligere, ſequique retributiones. Cùm igitur nec voluit, nec honeſto potuit Abbas, precibus ac mandatis talis ac tanti viri contradicere (præſertim cum videret ipſum magiſtrum *Adam*, id propter ſuam promotionem deſiderare:) Dixit ipſi magiſtro *Adæ*. *Chariſſime magiſter, Nolo promotionem veſtram impedire, Archiepiſcopus excellentior eſt me. Majorem ſequeris, quia majora deſideras. Ablatus es à me. Nec patitur Archiepiſcopus me tuæ præſentiæ Conſolatione gratulari: licèt tot peritorum ſtipetur agminibus. Tamen affer illi ex parte mea, hoc breve; verè breve.* Et flevit Abbas amariſſimè, in ipſius *Adæ* receſſu. Et accepit ipſe *Adam*, Breve ſigillatum & tectum. Cùm autem Archiepiſcopus confracto ſigillo Breve explicaſſet, reperit inſcriptum hos duos verſus.

Velleribus centum gaudes cum lacte bidentum;
Nec reputas magnum, tuleris niſi pauperis Agnum.

Quos cum legiſſet Archiepiſcopus, videns ſe efficaciter redargutum, voluit remiſiſſe ipſum *Adam*, ſed noluit ipſe *Adam*, uberioribus beneficiis inhiando.

Eodemque tempore cùm *Ricardus de Mariſco* Regis principalis Conſiliarius, exactor pecuniæ inexorabilis, ſupra modum ipſum Abbatem ſtimulando arctavit, ut ſupradictam pecuniam feſtinanter perſolveret, de ipſo quoque dixit, ipſum Richardum & Regem reprehendendo.

Non erit Abimelech requies, regnante Saul, nec
*Pax ſtabilis, donec deſinat eſſe Dohec.** * Doech, Doeg.

De laudabili fine ejuſdem Johannis *Abbatis.*

CUm autem jam Sanctorum plenus dierum Abbas memoratus *Johannes* ſenuiſſet, ſentiens & ſciens quia appropinquavit hora ut tranſiret de hoc mundo; graviter infirmatus eſt. Venit igitur una dierum alieno fultus adminiculo, uſque ad oſtium Capituli; exinde ſolus ut potuit, ut decentiùs intraret, ſequentibus bajulis ſuis, ivit ſeſſum ut moris erat in loco ſuo, ſcilicet eminentiori. Et fecit aportari ſecum, unam Cathedram, quam vulgariter *Faudeſtolam* * appellamus. Et cùm præſidiſſet loco ſuo, ut moris eſt, ſuperiori, obortis lachrymis uberrimis cum crebris ſingultibus, & devota inclinatione ſalutato hinc inde Conventu, ait, *Fratres ac filii chariſſimi*, Vobis per aliquod interfui, præfui & minûs quàm decuit, profui. Sed quia non eſt homo qui non peccet & multipliciter offendat: ſi quem veſtrum quomodo libet læſerim, ſupplico junctis manibus & flexis genibus, ut pro Deo ſic præcipiente, mihi omnes offenſas penitus remittatis; Et quantum in vobis eſt, ab omnibus commiſſis, abſolvatis. Et quaſi volens curvare genua, ſe junctis manibus ab hoc verbum incurvavit. Et cùm omnes lacrymantes reſpondiſſent unanimiter; *Fiat ut petiſtis:* præcepit Abbas ut illud ſedile de quo prædictum eſt, allatum poneretur in medio ſuper tapetium; quem locum *Judicium* appellamus. Et ivit ſeſſum ſuper illud: petenſque ſibi dari a ſingulis, ſingulas diſciplinas, expoliavit ſe uſque ad Carnem nudam. Et cum vidiſſent fratres illud corpuſculum tanta macie confectum, ut eminus apparerent oſſium Compages, multiplicatis fletibus præcordialius compatientes ingemuerunt. Et accedentes ſingillatim per ordinem, dederunt ei diſciplinas univerſi, unuſquiſque ut voluit. Quorum tamen cùm parcerent, & manuum impetus leniter caſtigarent, increpavit deſidiam. Eo ipſo ſæpe iterando dicente; *Confiteor, &c.* & aliis correſpondentibus ſermonem ſingultibus prorumpentibus; *Miſereatur, &c.* Quibus completis, circumdedit ſibi habitum ſuum, aſſiſtentibus ſibi Bajulis ſuis, qui ſibi miniſtrantes ſibi ſua adaptabant veſtimenta. Et erigens ſe inclinavit Conventui, ultimum vale, ei dicens flebiliter. Et ſuſtentantes eum hinc inde Fratres (quia ſic pro ipſius debilitate oportuit) duxerunt eum prout præcepit in Infirmariam, ubi ſolemniter ſuper lapidem ad hoc conſuetum, Oleo Sancto infirmorum eſt inunctus, & ſalutis viatico communitus. Et cum hiis ritè completis, confortatus in ſpiritu dixiſſet, *Conſummatum eſt.* Ac ſi diceret, ſingulis dato oſculo, *Recedo à vobis irrediturus; vos me Deo commendaſtis, & ego vos Deo recommendo. Quod meum eſt complevi.* Et ſic ductus eſt, vel potiùs delatus, in Cameram ſuam. In craſtino autem diligenter conſideravit urinam, quidnam portenderet: erat enim ut prædictum eſt, *P*hyſicus perelectus, & Judex urinarum incomparabilis. Et cum intuitus eſt diligenter, nec poſſet ad placitum ſubtilia & ſecreta quæ novit mortis indicia intueri, (quia caligaverat in magna parte ſuorum acies oculorum,) dixit magiſtro *Gulielmo* Phyſico, Monacho noſtro, qui poſtea in Priorem *Wigorniæ* promotus eſt: *Quid tu vides* hîc & hîc, Frater? At ipſe quæ vidit indicavit. At Abbas, *Eia, Deo gratias. Adhuc conceſſit mihi Deus ad pœnitentiam ſpatium triduanum: det poſt tres dies diſſolvar.* Quod qui audierunt bene crediderunt; quia experientiſſimus in Arte medicinæ erat, & conſimilia in tali caſu, de aliis infalibiliter ſæpiùs prædixerat. Et cùm in craſtino manifeſtiùs morti appropinquaverat; dixit ei quidam ei familiariſſimus (qui ut eum viſitaret, & conſolaretur ad ipſum tunc venerat; & dixit ei cùm jam habitarentur omnes ſenſus ejus) *Domine pater mi; quomodo vobis eſt?* At ipſe vix elevatis oculis, intuitus eum; Dixit ei.

Non video purè, mihi nil ſapit, audio durè,
Deficit olfactus, ſum ſegnis ad omnia factus.

De pœnitentia laudabili, & fine ſanctiſſimo Abbatis memorati.

* *Faldiſterium.*

De pœnitentia ejuſdem Abbatis

Super

Super quo admirandum eſt vehementer, quòd ipſe ſemivivus quaſi reſumpto ſpiritu, verſum tam elegantem, tam verè & tam propriè materiam ſecundùm ipſam veritatem contingentem, ſic incontinenti reſpondendo compoſuit.

Et quadam Charta, de non amovendis Monachis; à quibuſdam de Conventu fruſtratoriè confecta.

Qualiter confecta eſt quædam Charta de non amovendis Monachis.

VEnerunt interim ad ipſum quidam fratrum noſtrorum, cùm jam ad Oregmon, id eſt, ſonum doloroſum, quem ſolent morituri propter anguſtiam arteriarum in profundo gutturis murmurando emittere; frater *Walter Remenſis*, qui poſtea Prior hujus Eccleſiæ extiterat. Et frater *Alexander de Langeleia*, qui & ipſius Abbatis & ſubſequentis diu Bajulus extiterat. Et frater *Gulielmus de Trumpintona*, qui & ſimiliter ipſius Abbatis Bajulus extitit, & poſt ipſum in Abbatem provectus, à quo etiam hoc conſilium originaliter emanavit, ſicut & ipſe poſtea proteſtabatur; & *Alexander de Appeltune* Bajulus, & ſigilli portitor, & alii cum ipſis.

Et dixerunt ei, Domine ſancte Pater, qui nos hactenus ſub alis miſericordiæ aluiſtis, fac nunc nobis pro amore ipſius qui in fine dilexit ſuos, paternitatis & liberalitatis pietatem, ut tollatis antiquam ſervitutem veſtræ Eccleſiæ, & Conventus tui jugum importabile, Noſtis enim bene, quàm intolerabilis conſuetudo conventum illaqueat, ut, ſcilicet, quilibet abſque cauſa ad arbitrium Abbatis, & impetum voluntarium, & ſubdolas ſuſurrorum accuſationes, ad Cellas noſtras remotiſſimas, & quæ ſunt nobis quaſi pro exilio, non ſine magna cordis amaritudine & ſcandalo, viliter tranſmittatur; unde dedecus & ſcandalum ipſi tranſmiſſio & tranſmittenti, multotiens generatur. Dicit enim populus ſecularis, Iſte qui tranſmittitur aliquod ſcelus perpetravit, vel odit eum vel invidet ei Abbas, quia eo præſtantior eſt, contradicitque erroribus Abbatis, & exceſſus reprehendit. Diſcat igitur de cætero, vel tacere vel blandiri, ne dicamus adulari. Præterea, videtur, Pater ſancte, ut talis tranſmiſſio & evagatio, ut, videlicet, habitantes omnibus diebus vitæ noſtræ in illa Eccleſia conſtructa in honorem Sanctæ *Mariæ*, vel ſancti alterius, videlicet à noſtro ſancto Martyre *Albano*, converſemur, ſeneſcamus & moriamur, qui converſionem morum noſtrorum & ſtabilitatem continuandum, ſecundùm Regulam ſancti *Benedicti*, in hoc Monaſterio, quod ſic particulariter, diſcretè & diſtinctè ſpecificatur, (videlicet, eſt conſtructum in honorem Sancti *Albani*) votivam & ſolemnem fecimus profeſſionem. Et quod dicendum, quòd etiam inviti (quaſi condemnati & alicujus rei facinoris & convicti) in ignominiam noſtram & veſtram, ad *Cellas, velut* exulantes, tranſmittimur: Et hoc vobis etiam (ut frequenter ex ore veſtro audivimus) abſurdum & grave videbatur. Ecce, Domine, plena miſericordiæ & juſtitiæ Charta prompta ſuper hoc confecta; *Ut*, ſcilicet, *Nullus Monachus hujus Eccleſiæ, invitus ad Cellam de cætero tranſmittatur:* ut ſit in memoria veſtri in æternum, cum benedictione. Et oſtendens Dominus *Alexander* memoratus, Abbatis bajulus & cuſtos ſigilli, voluit eam legere coram ipſo Abbate, ut lectam ſigillaret; Abbas expoſito profundiſſimo ac graviſſimo gemitu, avertit faciem ſuam, hoc nutu abnegeans; jam enim loqui non poterat. Et ſic iterato gemitu diverſit ſe in latus alterum, ſcilicet averſum. Et cùm haberet idem *Alexander* omnia prompta, videlicet ſigillum & ſcriptum, appoſita cauda & cera, iratus dixit; *Satis annuit, qui ſilet.* Et reſpondentibus illis, *Verum eſt*, ſigillavit illud frater *Alexander* de *Apeltuna*. Et illa fuit illius ſigilli ultima impreſſio. Abbas igitur in craſtino (videlicet tertia die ab illa quam fratribus prædixerat ſe tranſiturum) expiravit. Et fracto ſigillo, miſſus eſt conſilio tam ſuo quàm aliorum multorum (præcipuè tamen prænominatorum) ad Archiepiſcopum *Cantuarienſem Stephanum*, memoratus *Alexander* (irrequiſita à Priore licentia, præ indignatione) quia fuit ipſi Archiepiſcopo amiciſſimus, & fecerat de ipſo plura Eulogia in laudem ipſius. Ut videlicet ipſam prædictam conceſſionem, ipſi prædicto ſcripto inſertam, ſigillo confirmaret. Ad quod faciendum, favorabilem invenit Archiepiſcopum, precibus humillimis ipſius *Alexandri* amiciſſimè inclinatum, præſertim cum vidiſſet ipſi ſcripto, ſigillum Abbatis adpenſum. Et cùm reverteretur facto ad votum negotio, congratulabantur ei omnes & ſinguli, præter Priorem *Reimundum*: qui rei exitum, ſingula rationis trutina ſatis ſubtiliter perpendens, quibuſdam fratribus palam pronunciavit. Tranſiit igitur ab hoc mundo prænominatus Abbas *Johannes*, de exilio videlicet ad patriam, de naufragio ad portum; Anno Domini M. CC. XIIII. die beati *Kenelmi* Regis & Martyris, ſicut idem Abbas multis manifeſtè prædixerat, anno verò Prælationis ſuæ XIX. Sanctitate & religione inſignis, dierum plenus, Abbatiam ſuam (ut id temporis tunc permiſit) relinquens in ſtatu mediocri.

Fraus.

De proceſſu procurationis electionis Abbatis Willielmi *proximo ſucceſſuri.*

Et cùm Rex tunc eſſet in partibus tranſmarinis videlicet in *Pictavia*, miſſi ſunt ad eum duo de fratribus, ut licentiam eligendi ab ipſo (ut moris eſt) impetrarent; Dominus *Robertus* de *Briithewelle*, & Dominus *Gulielmus* de *Trumpintuna*. Ad quem cùm pervenerunt, & petitionem eorum audivit, non adquievit petitioni eorum, ſciens quòd cuſtodia Abbatiæ, erat ſibi lucroſa, ſed diſtulit uſque dum rediret in *Angliam*. Rex verò XIIII. Kalend: Novembris, rediit in *Angliam*. Interim procuravit diligenter (neſciente nec conſentiente ipſo Domino *Gulielmo* de *Trumpintuna*) ut idem Dominus *Gulielmus* per ipſum (qui ipſius ut dicebat fuit conſanguineus) in Abbatem crearetur: fuerat quoque *Gulielmus* miles de *Trumpin-*

tuna

tuna (cujus ſe aſſerebat Dominus *Willielmus* de *Trumpintuna* eſſe conſanguineum) Comitis *Sairy* *Seneſchallus. Supplicavit igitur Regi pro ipſo *Gulielmo*, ut ipſum & non alium, acceptaret, Quod cùm Conventui innotuiſſet, noluit à Rege pati repulſam, ne electus verecundaretur ſpretus à Rege, & ne Eccleſia damnificaretur, & Conventus turbaretur. Adierunt ergo Regem, qui propter licentiam impetrandam deſtinabantur, & ipſum *Londoniæ* invenerunt. Ubi firmiùs de voluntate Regis certificati, licentia impetrata redierunt. Et ſunt ſine moræ diſpendio, qui Abbatem eligere debuerunt; ſcilicet duodecim, qui ſuper hiis omnibus pleniùs ſunt edocti. * *Sarr.*

Erat autem tunc in hac Eccleſia conſuetudo enormis nimis, videlicet, quòd nullus Electorum illorum duodecim, in Abbatem eligeretur vel crearetur. Sponte igitur proviſum eſt, ut non fuiſſet unus de Electoribus, Dominus *Gulielmus* memoratus, ut ſalva illa conſuetudine, ſine ſcrupulo contradictionis eligeretur. Sed ne ad alterius Abbatis tempora, intactis iſtius exceſſibus tranſeamus, dignum arbitror & iſtius, ſicut & aliorum tranſgreſſiones breviter, (quia revera breves ſunt) annotare.

Monachos iſtius Eccleſiæ invitos, & ſine culpa aliquâ, immiſericorditer hinc ad Cellas, & de Cella ad Cellam, huc & illuc velut ultimæ conditionis ſervulos, immiſericorditer tranſmiſit. Ita ut cum ſumma amaritudine multi in Cellis (præcipuè remotis) tota vita ſua morarentur & morerentur. Nonnulli etiam idcirco ab ordine recedentes, tam corpore quàm anima perierunt. De quorum animabus, ut timendum eſt, ante tribunal tremendi aſtabit reſponſurus. Veruntamen hoc erat inſtinctu Collateralium ſuorum & Conſiliariorum, qui quos voluerunt (etiam Abbate aliquando neſcio, qui jam ſenuit & tantùm quieti intendebat) ad libitum amovebant. Et hi erant adulatores & ſibillatores, qui majoribus inhiabant, videlicet *Rogerus de Hertfort* ſenior, *Johannes de Seldeſort*, *Alexander de Langeleia*, qui ſenſum Abbatis infatuabant. Ipſi quoque indecentiſſimo fine (in ultionem ut credimus tanti peccati) vitam miſeram, ac longo dolore protractam terminarunt. Præterea centum quadraginta marcas dedit *Johanni de Hida* conſanguineo ſuo de theſauro Eccleſiæ, ut ipſum promoveret in Militem, terras ei adquirendo, & tyrocinnio ſuo neceſſaria inveniret. *De negligentiis memorati Abbatis.*

Super quo exceſſu graviter ab *Huberto* & *Almarico*, hujus Eccleſiæ Monachis, viris tamen nimis indiſcretis, aſſociatis per ipſos *Waltero de Standune*, & *Roberto* filio *Baldewini*, & quibuſdam aliis (qui propter ſuam inſipientiam non meruerunt nominatim annotari) coram *Gualone* tunc Legato in Capitulo, propter hoc ſpecialiter huc vocato, graviter eſt accuſatus. Ita ut ſecundùm multorum opinionem ejus imminęret depoſitio. Ad quam objectionem Abbas ſatis modeſtè & circumſpectè reſpondit, Nec volo nec valeo inficiari, quin in tanta pecunia Eccleſiam meam damnificavi, unum de pauperibus conſanguineis meis promovendo. Sed contra hoc damnum, Eccleſiam meam duobus nuper beneficiis, ſpontaneo beneficio promovi & ditavi. Eccleſiam enim Sancti *Stephani* quæ in villa iſta eſt, Coquinæ Conventus charitativè contuli, quem ſemper in viſceribus ſpiritualis dilectionis amplexatus ſum, & dum vixero etiam depoſitus amplexabor. Aliqui enim ad hoc aſpirant. Et *Collationem non penitùs adhuc confirmavi illius Eccleſiæ, chariſſimi Conventui meo. Præterea terram *Hamonis*, quam centum & viginti marcis comparavi, Coquinæ Conventus contuli, in ejus non minimam emendationem & augmentum. Ut ſalvata conſcientia mea, prædicta damna fideliter (ut ſcire ſi vultis poteſtis) reſtaurarem. Ad quæ Legatus, verſa facie ad ipſum, ait; Amice Domine Abbas, audiat hoc Conventus, imò quicunque audire deſiderat, Bene licet tibi de ſubſtantia Eccleſia, alicujus pauperis perituri, & maximè conſanguinei tui paupertatem relevare, & illud eſt Eleemoſyna (eminus aſſero) irreprehenſibilis. Hoc facit Pater Patrum Dominus Papa, imò etiam & hoc feci; & quis contra? Non debet nec poteſt Abbas veſter, de dilapidatione convinci, præſertim cum ſolummodo de denariis, non de redditu aliquo, illam fecit miſericorditer eleemoſynam & liberalitatem. Denarii enim ſicut accidens, quod adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem veniunt & recedunt. Et addidit, O malevoli, qui in lance judiciali, mala non bona nequitur appenditis. Ad hoc verbum omnes adverſarii ejus confuſi ſiluerunt; non audentes obmutire. Cùm autem receſſerat Legatus, ipſe Abbas oblitus patientiæ, & illius Dominici præcepti, *Benefacite illis qui vos perſequuntur* (quod tamen eſt perfectorum) emiſit in remotas Cellas, illos prædictos ejus perſecutores & accuſatores. Super quo non admirabantur multi: cùm & inſontes ad remotiores emiſit Monachos, non minimùm Eccleſiæ profecturos. Idcircò Monachi ſui in fine ejus, Chartam memoratum talibus laceſſiti injuriis (ut prædictum eſt) inſtanter poſtulabant. * *Ac.*

Gulielmus *Abbas Vigeſimus ſecundus*

HUic ſucceſſit *Gulielmus* Abbas; qui, ut dictum eſt, die *Sancti Edmundi* Regis & Martyris, electus eſt & inſtallatus. Et die *Sancti Andreæ*, (primâ videlicet die Dominicâ *Adventus Domini*) ab *Euſtachio Elienſi* Epiſcopo, ſolemniter benedictus; ante majus altare, ut moris eſt, munus benedictionis accepit. Hic citò poſt Creationem ſuam, Clauſtralium *De præfectione & morib. Will. de Trumpingt. in Abbatem monaſterii S. Alb.*

lium collateralem ſocietatem ſpernens, ſecularibus ſeculariter vivens adhæſit, comedendo & multipliciter converſando: quod non crediderunt ejus Electores, nec aliquis Monachus hujus Eccleſiæ, qui eum ſperabant perfectè cognoviſſe. Colloquebantur igitur ſuper hiis, Prior *Reimundus* & magiſter *Walterus Remenſis*, *Alexander de Langeleia*, & *Alexander de Appeltuna*; *Fabianus* Superior; *Almaricus*, *Hubertus Ridell*, *Johannes Scotus*, & alii quamplures, ſuper hiis multum conquerentes & dicentes: Meritò hoc patimur, peccantes in Eccleſiam noſtram; plùs Regem quàm Legem in noſtra Electione formidantes. Et cùm unus Electorum, videlicet *Johannes Scotus* vellet aſſertionibus ſuis electionem juſtificare, ait Magiſter *Walterus Remenſis*; Cùm præſentaretur adhuc electus Dominus *Gulielmus de Trumpintuna* coram Rege *Londoniæ*, & Rex tacitè inquireret; *Quis eſt electus veſter*, & quod ei nomen? & reſponſum eſt, Dominus *Gulielmus de Trumpintuna*: Dixit Rex, *Aba, ipſe eſt de quo volui: prudenter eum eligiſtis, ne de alio fruſtraremini. Conſanguineus eſt diſcretiſſimi militis Gulielmi de Trumpintuna, cujus credo quod veſtigia ſequatur.* Et inquiſito quis & qualiter eſſet, ſuſcepit eum gaudenter in oſculo. Per quæ verba manifeſtè patet, quòd non purè ſecundum Deum in hac electione proceſſum eſt. Sed nunc æquanimiter hoc toleremus & exceſſus ejus priùs in ſpiritu lenitatis corripiamus; ſi fortè ſic ſit corrigibilis. Quod ſi non, ad ſeveriora progrediamur.

De redargutione [illegible] Chartæ [illegible] ſulta.

In craſtino verò, cùm veniſſet Abbas in Capitulum, redargutus eſt graviter & reprehenſus conſtanter, ſuper memoratis exceſſibus & læſione Chartæ, per ipſum & Abbatem confectæ. In quo enormi facto, nimis impudenter verborum conſtantiam, & fidei integritatem maculavit. At Abbas aliquo oculo, & acerbo corde reſpiciens in Priorem; & poſtea iram palliando, ſereno vultu totum Conventum reſpiciens, ait palam, fratres & amici, ſiquid tranſgreſſionis per incuriam exortum, ad beneplacitum veſtrum abſque alicujus contentionis ſcrupulo, ad plenum emendabitur, hoc velit Deus. *Alexander* autem de *Langeleia* tunc ſurgens in medio, ait in propatulo, Optimè dicitis Domine, veſtri gratia. Porrò omnes generaliter appellamus pro libertate Conventus, quæ in tenore Chartæ nuper confectæ, & per nos primitùs prælocutæ, ſcriptæ, & confirmatæ, continetur. Et Abbas; Quid hoc eſt, Domine *Alexander*? Ambigis ne ut ipſam? Nonne ad illam conficiendam, principalius Curam, imò ſummam diligentiam adhibui? Abſit ut mihimet inveniar contrarius. Sede ſecurus. Non opportet ullatenus ſuper hoc appellare. Et ſic ſolutum eſt pacificè, & cum ſpecie correctionis, illa die Capitulum. Vix autem poſt hoc una menſe pertranſeunte, ecce Abbas emiſit quendam Monachum hujus Eccleſiæ invitum, ad unum Cellarum ſuarum, licèt lachrymantem, & lacrymando reclamantem, & miſericordiam (ut ſcilicet remanere poſſit domi) flebilitur genibus flexis & junctis manibus poſtulantem; quam cum non conſequeretur, repoſuit ſuper hoc coram Priore & gravioribus hujus Eccleſiæ querimoniam. Tamen quia in procinctu erat, & Abbas abſentavit ſe à Capitulo, receſſit Monachus memoratus, adiens Cellam ipſam, ad quam juſſu Abbatis deſtinatur irrediturus. Ibi namque obiit in mentis anguſtia: & poſt paucos dies, emiſſus eſt alius modo conſimili, ſcilicet abſque conſenſu Conventus. Præterea, nec exceſſus quos antea promiſerat, corrigere, dignabatur emendare. Subortum eſt igitur murmur non minimum in Conventu: & ſuccrevit dolor noviſſimus, major & pejor priore. Una igitur dierum, cum veniſſet Abbas in Capitulum, redargutus eſt multò acriùs ſuper multiplicitati exceſſibus, & de contemptu Conventus, & promiſſorum tranſgreſſione manifeſta; & præcipuè de læſione Chartæ memoratæ; cujus ipſe principalis erat procurator, & nunc temerarius violator. At Abbas mutato colore faciei, frendens dentibus (ut moris habuit) & toto corpore eſcuſſo & arcuato, ad ultima redargutionis, omittens priora, alacriter (imò potiùs acriter) incontinenti reſpondit. Verè ego ipſam Chartam de qua loquimini, & objurgamini, confeci; & ut fieret, efficaciter ac diligenter procuravi, ignorans quid fecerim. Idcircò quæ feci confringam, & quæ per me ſunt confirmata, per me infirmabuntur. Non enim ſtare poſſunt quæ credebam. Scio modò, quæ priùs neſcivi. Ad quod verbum ſubmurmurando dixit Dominus *Almaricus*, Verum eſt, te nunc eſſe ſcis Abbatem; quod ante neſciviſti. Quod audiens Abbas, verbum non acceptabat. Et cùm obloquerentur multi, & murmur increbeſceret, Abbas aſperitatem temperans prædictorum, ait, Veruntamen habemus ſuper hoc conſilium. Et erat hoc verbum, ut ſi quis in cacabum bullientem ciphus aquæ frigidæ infunderetur. Et ſic ſolutum eſt Capitulum in illo die. Infra breve igitur tempus, procurante id prudenter & occultè Abbate; *Nicholaus* in Anglia tunc Legatus, *Ciſtercencis* ordinis Monachus, ſuper hiis omnibus plenius edoctus, venit ad *Sanctum Albanum*: & dixit ſe velle eſſe in Capitulo, & intereſſe in Conventu; & de Eccleſiæ tractare negotiis. Venit igitur idem Legatus in Capitulum, & inter loquendum dixit Legatus; Audivi quòd confecta eſt in hac domo quædam nova Charta, unde poſtulo mihi Copiam exhiberi, inſpiciendi eam, & cum traderetur ei (licèt cum difficultate) inſpexit eam & legit. Et cum perlegiſſet, ſubſannando exclamavit dicens, O qualis abuſio, & quanta hic continetur! Quid hoc eſt Fratres? Deſipitis? vultis ne abrenuntiare obedientiæ, quam Deo promittendo voviſtis? Ad hoc verbum ampulloſè prolatum; appoſitam Chartam dentibus præciſis in particulas dilaceravit: & ſigilla appenſa, in fruſta confracta

projecit

projecit in medium. Et ſubdidit, maledicti; quorum machinationibus talia in Cœnobiis ſuſcitantur. Quo viſo, obmutuit *Almarici* ſatyrici ſuberba jactantia; *Alexandri de Langeleia* rhetoricæ ſiluerunt rationes; Ceſſaverunt minæ *Walteri de Standuna* cujus ſpiritus inerat naribus ipſius. Proſternebatur *Johannis de Seldeford* artificioſa ſuperbia: Et quotquot Abbatis adverſarii erant, omni ſunt confuſione repulſi. Et ſic ſoluto Capitulo, receſſit Legatus, deprecans Abbatem, ut ſi aliquis oblatraret ad hæc, advocaretur ipſe Legatus; ut indomitos, acrius edomaret. Ex tunc igitur Abbas factus de Rege Tyrannus, licèt juvenis eſſet ætate, ſe ſenem omnibus oſtendit: & licet novitius à nonnullis appellaretur, ſe provectum in ordine fulgurando comprobavit. Ut igitur ſolus regnaret, nec aliquod ſentiret offendiculum, vel alicujus audiret contradictionem; amovit Priorem ſuum *Reimundum* (quo non erat major noſtris temporibus, in noſtro ordine Cucullatus) ſciens quia ſi majorem edomaſſet, cæteri magis ſilerent, formidantes. Ipſumque Priorem amotum, libris ſuis quos cum magna fecerat diligentia, violenter ſpoliatum; & aliis jocalibus (ipſi utpote jam ſeni neceſſariis, quorum uſu in vita ſua licenter potuit gratulari,) ad Cellam de *Thinemue* quæ exilium noſtris ſolet eſſe Monachis, invitum, imò potius confuſum, deſtinavit. Ex tunc igitur non audentes obmutire, ſiluerunt coram eo omnes; qui contra eum frontosè erigebantur: proſperatus eſt ad votum Abbas, in ſtatu ſecuro & hilari. Et in novitate ſua, cum magno Comitatu & Honore, Cellam de *Thinemue*, & alias magnificè viſitavit. Et Conſanguineorum numeroſitate, qui eum hactenus non cognoverant, ſtipatus incedebat. Et in omnibus mundanis proſperitatibus & ſpiritualibus abundabat.

Incepta guerra, multiplicantur Abbatis tribulationes.

NE proſpera in hujus mundi fluctibus impermixta eveniant, & ut fræno correctionis & correptionis, curſus proſperitatis retardaretur, promiſit Dominus propter ipſius & aliorum, qui de ſua proſperitate gloriabantur, guerram in *Anglia*, quâ nunquam viſa eſt in Regno *Brittonum* infeſtior, dum pater filium, frater fratrem, Civis convicem, Affinis Affinem, confundere nitebatur, occupando, exterminando, incendendo, ſpoliando, exhæredando, cruciando, perimendo. Adeò ut nec Eccleſia ad ipſam confugientes valebat protegere. Conculcabantur igitur præ omnibus Religioſi, & facti ſunt præda bellicoſi. Abbas igitur & Abbatia *Sancti Albani*, multorum patentes diſcurſibus, à multis pulſantur & multipliciter inquietantur damnis & injuriis, (dum hii redeunt, hii eorum, inimici recedunt) irreſtaurabiliter afficiuntur. Inſuper advenit in Regnum nimis perturbatum ipſo tempore, primogenitus regis *Francorum Lodovicus*, qui ipſum Abbatem *Gulielmum* cogere propoſuit facere ei homagium. Quod tamen Abbas nunquam facere, * licèt multotiens ſuper hoc requiſitus, minis damnoſis pulſaretur. *Nota.* In majori *Cottoniano*, hæc quæ ſequuntur in hoc loco interſeruntur. *Cui cùm Abbas repondiſſet, ſe nolle ei homagium facere, niſi prius abſolveretur ab homagio quod fecerat Regi* Anglorum; Lodovicus *vehementer indignatus juravit, ſe igne ipſam Abbatiam cum villa tota crematurum, niſi faceret quod petebat. Tandem Abbas poſt multas terribiles comminationes, interveniente* Saiero *Comite* Wintoniæ, *finem fecit pro ſe & villa ſua tota; dans* Lodowico *pro induciis uſque ad Purificationem beatæ* Mariæ, *viginti marcas argenti. Quo facto,* Lodovicus Londoniam *eſt reverſus.* Suſtinuit igitur dum uni ſatisfaceret, alterius deprædationes, dum uni obſecundaret, alterius infeſtationes. Unde contigit, dum ut contingit, in alterutrum poſtea ſermocinarentur, inter fratres ſecretiùs, juravit idem Abbas *Gulielmus*, ſe centum equos uno anno in diverſis partibus Abbatiæ * (quorum alii erant manni, alii verò runcini, alii ſummarii, alii veredarii, alii verò averii) ſine aliis jacturis, quarum non decet impræſentiarum facere mentionem.

De tribulationibus & jacturis tempore Regis Johan. *& præſcripti Abbatis, Monaſterio Sancti* Albani *evenientibus.*

* Voluit: *ſic enim habet liber* Spelmannian.

* *Perdidiſſe.*

Tranſmittuntur Monachi hujus Eccleſiæ præſtantiores, ceſſata Charta.

VEruntamen ut ſolus liberiùs ſine repagulis contradictionum & correptionum, quicquid ſibi videbatur agendum conſummaret, quoſdam de Conventu, qui in oculis propriis ſibi magni videbantur ad Cellas tranſmiſit. *Gulielmum* videlicet de *Caune*, *Johannem* de *Seldeford*, *Almaricum*, *Walterum* de *Standune*, *Alexandrum* verò de *Langeleia*, inſtantia Comitis *Harundelliæ* patroni Cellæ de *Wymundham*, promovit Abbas *Gulielmus*, in Priorem illius Eccleſiæ. Quò cum perveniſſet, ita ſibi alienus infatuatus eſt, ut penitus inutilis, citò poſt remitteretur. Loco igitur Prioris *Reimundi* nuper depoſiti, Magiſtrum *Walterum Remenſem*; loco verò *Alexandri* Prioris de *Wymundham*, *Radulphum* de *Witebia* (ſatis irreprehenſibiliter, cùm uterque ideoneus ad hæc officia videretur) ſubrogavit. Erat enim memoratus Magiſter *Walterus*, ordinis, & honeſtatis, ac ſcripturarum amator præcipuus, & ad plenum, literarum ſtudiis eruditus. *Radulphuſque* cognomento de *Stanham*, ad Prioratum de *Wymundham* eſt vocatus, in temporalibus & ſpiritualibus, vir providus & circumſpectus. Noſtræ tamen non erat Monachus profeſſionis, fuerat enim Monachus de *Witebia*, & Prior domus illius. Et perſecutionem ibidem aliquando paſſus, ad ſinum protectionis beati *Albani*, ubi & receptus, ſapienter confugit. Habuit etiam idem *Radulphus*

De Monachis & Prioribus Cellarum, pro libito prædicti Abbatis, ab eorum officiis amotis; & aliis in eorum loco ſubrogatis.

Alexander *de* Langeleia *novus Prior de* Wymundham, *mente alienatus eſt.*

(quia aliquando Prior extitit domus memoratæ) quandam Cellulam vel Heremitorium, ſibi ſpecialiter (ob ſui reverentiam perſonæ) aſſignatum, quod ad Domum de *Witebia* pertinebat. Ut ibidem à facie perſequentium, ſibi vacans, tutiùs latitaret; ibique ſanctè & irreprehenſibiliter, antequam in Clauſtrum *Sancti Albani* ſe recepiſſet, per aliquod tempus habitavit.

Abbas Gulielmus Romam *adiit ad Concilium vocatus.*

Qualiter memoratus Abbas cum aliis prælatis Angliæ, Concilio Lateranenſi interfuit, & nonnulla privilegia à Domino Papa ſuo Monaſterio impetravit.

Nota quam [illegible] *erat* [illegible] *lielm*[illegible]

ADerat tempus quo omnes Prælati *Chriſtianitatis*, generaliter, ad Concilium ſub *Innocentio* tertio Papa celebrandum, convocarentur. Ad quod cùm convocatus Abbas, præpararetur, ſumptus magnos, ut tantum virum decuit, expoſuit. Et alacriter aſſumptis duobus ſecum Monachis, quos ſibi credidit utiliores, iter arripuit. Quorum unus erat *Alexander* de *Appeltuna* Bajulus ejus, vir eleganter literatus, & moribus redimitus, de quo præfacta eſt mentio. Alter Magiſter *Rogerus Porretanus*, qui Curiam *Romanam* noverat. Vir nominatiſſimus in pluribus ſcientiis, ſcilicet, Grammatica, Dialectica, Phyſica, Legibus, & Decretis; ſed minus quàm decuit moribus inſtauratus. Abbas igitur ſine aliquo offenſionis obſtaculo, concomitante Abbate *Weſtmonaſterii*, transfretavit, tranſalpinavit, & ad Curiam uſque proſperè pervenit. Cùm igitur præſidente Papa jam plenum Concilium celebraretur, omnibus Prælatis Convocatis, cum inter ſermocinandum tempus idoneum expo[illegible]laſſet, Abbas erectus in medio ſatis modeſtè & eleganter exorſus eſt, coram Papa & toto Concilio, ſuam ſic in propatulo quæſtionem. "Sancte Pater, Nos qui alicujus ſancti corpus in Eccleſiis habere dignoſcimur, licèt ne nobis in ſecreto Miſſæ, inter alios quos invocamus *Suffragatores*, nomen ipſius recitare? Deſideramus ſuper hoc Certificari. Quia "quod in hoc ſacro Concilio diffinitur, ſcimus quod robur obtinebit perpetuæ firmitatis. Ad quod in audientia omnium reſpondens Papa (non tamen præcipitanter, ſed circumſpectè) dixit. "Videtur mihi dignum jurique conſonum, ut devotè in ſecreto Miſſæ, (videlicet in ſerie primo nominatorum) Sanctus, cujus corpore aliqua gratulatur Eccleſia, nomen ejuſque ſuffragium, in loco ſuo proprio meritò poſtuletur. Et quievit Abbas ſuper hoc certificatus, quia tunc de Miſſa & de pertinentibus Miſſæ, ante hoc verbum diligens in Concilio tractatus habebatur: & præceptum eſt abradi quædam, quæ diu ante ea fuerant uſitata. Congratulabantur igitur multi gratias agentes Abbati *Gulielmo*, in quorum Eccleſiis Sanctorum corpora requieſcunt: pleniùs per ipſum edocti, quid facere debuerunt. Videlicet ipſi de ſancto *Edmundo*, & ipſi de *Dunelmo*, & alii conſimiles. Eademque die cùm in ſecreto eſſet Papa, ſciſcitabatur quiſnam eſſet Abbas ille, qui memoratam in medium propoſuit quæſtionem? Cui cùm diceretur, quòd Abbas eſſet de *Sancto Albano*, commendavit Papa, in tam juvene, tantam verborum conſtantiam, & in quæſtione tali prudentiam. Et emicuit fama hujus rei, inter omnes noſtræ Prælatos nationis. Conſuluit igitur ei Monachus ſuus (de quo ſupra mentionem fecimus) Magiſter ſcilicet *Rogerus Porretanus*, vir ſupra modum ambitioſus, ut Abbas reſignaret Abbatiam ſuam in manus Papæ, ſub obtentu ſanctitatis, ſciturus quòd majorem & uberiorem, pro certo reciperet dignitatem, Papa in tanto viro, talem videret humilitatem, & tam evidens ſanctitatis argumentum. Sed Abbas nolens certa pro incertis commutare, conſiliis ejus nullatenus adquievit. Dixitque ei, Magiſter dictum eſt in proverbio vulgari:

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Hoc feciſti tu de redditu tuo *Bathonienſi* quem dimiſiſti, inhians uberiori, quem tamen nunquam conſequi valuiſti. Et ſiluit *Rogerum* redargutus & confuſus.

Qualiter noluit Abbas recedere, niſi cum benedictione Papæ.

De centum marcis Domino Papæ per prædictum Abbatem, contra ejus benevolentiam collatis.

IDem etiam Abbas *Willielmus*, cùm ſoluto Concilio accepta licentia cum benedictione, vellet recedere, in muneribus non reſpecto dixit ei Papa: *Nonne tu es Abbas* Sancti Albani, *qui tot privilegiorum beneficia à noſtra ſede totiens obtinuiſti? Siccine decet talem ac tantum virum, me non reſpecto recedere?* Et cùm obtuliſſet quinquaginta Marcas, amicè redargutus, coactus eſt antequam exiſſet à Camera (in quam pœnituit eum intraſſe) non ſine turpi convitio ſuper ſolutionem centum marcarum ſatisfacere, quas mutuò ab uſurariis Curiæ, non ſine duris accepit conditionibus. Leviùs tamen hoc tulit Abbas & æquanimiùs, quia hoc idem fecit Prælatis univerſis. Quam pecuniam numeratam, cùm per aliquem de ſuis ante pedes Papales humiliter ac devotè obtuliſſet; dedit ei cum ſua benedictione ſic comparata, remeandi licentiam. Et ſic recedens, *Romam* murmurando ſalutavit, ibique reliquit eum Magiſter *Rogerus Porretanus*, nec ipſum vidit, donec apud *Walemund*, ubi per aliquod tempus perendinavit, Abbatem expectans perveniſſet, ſodalis factus, ſine ſodalitio.

Quid

Quid actum eſt cum domum perveniret.

Forma receptionis Abbatis Sancti Albani, de longinquis partibus venientis.

CUm igitur domum perveniſſet Abbas *Wellielmus*, occurrit ei proceſſio. Conventus lætabundus, in albis, & à ſingulis fratribus receptus eſt in oſculo, ſicut moris eſt, ut recipiatur, quando venit de partibus ultramarinis. Et hoc fiet vel in oſtio Capituli, vel Clauſtri, cum itur in Eccleſiam, acceptis ante ipſum parvis veniis, gaudenter & reverentur. Et incidenter noſtræ occuri memoriæ, dicendum arbitror quid agendum cum venerit Abbas de *Thynemua*: Quando Abbas *Thynemuam* adierit, habebit ſex de terra *Sancti Albani* Armigeros, qui propter hoc, opimè & honorificè de ſubſtantia Eccleſiæ infeodantur.

De equis Abbatis verſus Thynem. itinerantis; à quibuſdam ſuis feodariis exhibendis.

1. Videlicet unum de feodo quem tenuit aliquando *Willielmus de Aeta* miles.
2. Alium, de feodo, quem tenduit aliquando *Thomas de Waüz* miles.
3. Alium, de feodo quem quandoque tenuit *Willielmus de Wika*.
4. Alium, de feodo quem quandoque tenuit *Robertus de Thebrugge*.
5. Alium, de feodo quem aliquando tenuit *Nicholaus Diſpenſator*.
6. Et alium de feodo quem tenuit quandoque *Gulielmus de Ockerſſe*. Hii ſex in expenſis Abbatis, euntes erunt & redeuntes: ſed in equis propriis. Qui dicentes erunt & fortes ad portandum, de conſuetudine, pannos unius Monachi (ſi opus ſit) ad poſtenam unius Armigeri. Si autem in itinere moriatur equus alicujus Armigeri horum prædictorum, Abbas ſolvit ei pro jactura reſtauranda, decem ſolidos. Sciendumque quòd Abbas tenetur petere licentiam à Rege, ut liceat ei tam remotas partes Regni adire, & Regno Regis Scotiæ conterminas; quotieſcunque *Thynemuam* adire diſpoſuerat. Quò cùm venerit, modéſtè ſe gerat, Caſtigatâ familia: non Tyrannus & diſſipator victualium & inſtaurationis domus illius, ut quondam Abbas *Symon*, laudabilis quidem, ſed in hoc nequaquam. Qui cùm omnia obraſerat, ducti ſunt ante ipſum Boves cum aratro: & dictum eſt ei lachrymabiliter, omnia devorata ſunt, tantummodo reſidui ſunt hii noſtri Boves Agricolæ noſtri, ecce & hii vobis præſentantur devorandi. Et tunc Abbas meritò in ſeipſo confuſus, ſuis dixit, *Aſcendite eamus hinc*, & reliquit domum omnibus bonis annuis ſpoliatam, in ejus opprobrium ſempiternum. Sed potiùs ſtudeat Abbas ſecum penſare, ob quam cauſam illuc venerat; videlicet ad reformationem ordinis & morum, & ne defectus ibi fuerit in neceſſariis temporalibus vel ſpiritualibus. Paternoque more bonique Paſtoris, gregem ſibi viſitabit deputatum. Sed quia ſecus fit frequenter, & ut non paſcant ſed paſcantur, ibidem Abbates adveniunt & ultra modum morantur: permittit nos Dominus à noſtris ſimiliter opprimi, juſto judicio ſuperioribus.

Convaluit, ſed non ad plenum Alexander *de* Langeleia.

Qualiter Alexander de Langeleia, *mente alienatus, ſuæ memoriæ fuerat in parte reſtitutus.*

INterea *Alexandro de Apeltuna* Bajulo Abbatis & portitore Sigilli ejus, ſublato de medio, ſubrogatur loco ipſius *Alexander de Langeleia*: cujus mitigata jam fuit in magna parte infirmitas. Non tamen propter amorem, ſed quia perſpicaciſſimi ingenii erat, & literarum imbutus abundantia. Et Cameræ Abbatis ac Cancellariæ, & modus ſcribendi copia, apud ipſum penitus ante omnes conquievit. Rhetoriceque novit ac irreprehenſibiliter, etiam Domino Papæ ſcribere Epiſtolam, cùm opus exigit, elegantiſſimam. Et commiſſum eſt ei Sigillum. More tamen maniâ, laborantium, cœpit quandoque deſipere ac miſerabiliter ſuperbire. Unde ipſum Abbas meritò ad Clauſtrum revocavit, ubi per aliquod tempus commorans, cœpit in multiplici contemplatione, propter multas literas, inſanire; & propter ſtudium, ſtolidus devenire, & multiplicare ſublimia gloriando. Unde Abbas commotus, fecit illum in Capitulo acclamari; & uſque ad copioſam ſanguinis effuſionem flagellari; nec ſic humiliatum, tranſmiſit ad Cellam de Binham. Ubi ex mandato Abbatis incluſus, ſolitarius & compeditus uſque ad mortem tenebatur, & in compedibus eſt ſepultus: loco autem ipſius, *Richardus de Brantefeld* ſubſtituitur: cui etiam de Bajulo Prioris *Walteri Richardus Rufus* in ſocietate Abbatis eſt conjunctus.

Aggravantur Guerra, & tribulationes Religioſorum.

De tribulationibus & jacturis per Johannem *Regem* Angliæ, Lodowicum *filium Regis* Franciæ, *&* Falconem *Monaſterio* Sancti Albani *multiplicitér illatis.*

AGravatur interea Guerra & obtinente *Lodowigo* Civitatem *Londoniarum*; nunc Barones qui ei adhæſerant, nunc Regales; varias hincinde pecuniæ ſolutiones extorquebant. Adeò ut cuſtodes maneriorum Monachos Ruptarii expoliarent: ita ut nudi etiam abſque femoralibus aufugientes, neſcirent ubinam latitarent. Omnia igitur incendiis, prædiis, Cædibus, Incarſecrationibus, Captivitatibus, & vinculis patuerunt. Inter cætera autem, unum de præcipuis miniſtris Abbatis dum miniſtri *Falconis* (Capitanei omnium illorum, nefandorum Ruptariorum, qui Burgum *Sancti Albani* immiſericorditer exterminando deprædarentur) occiderunt in vigilia *Sancti Vincentii*, in Eccleſia *Sancti Albani* nomine *Robertum Mai*, & alios multos Burgenſes, vinculatos vel abduxeruut, vel excogitatis tormentis affectos,

uſque ad inanitionem depauperaverunt. Inter quos, ipſi miniſtri ſeculares, unum vivum aſſaverunt: ita ut veſicæ uſque ad cucurbitarum quantitatem intumeſcerent. Ubique igitur Dolor, ubique ululatus, ubique planctus inſonuit cum querelis. Et ſic ipſe *Falco* & ſui complices cum Captivorum numeroſitate quam ſecum trahebant; diverſis prædiis onerati, in Caſtra finitima ſeſe receperunt. Erat enim tunc per totam Regionem omnia Caſtra, immò etiam Municipia, latronum ſpeluncæ, & prædonum latibula. Sic ſic igitur Sanctum Martyrem *Albanum*, ſuarum injuriarum ſeveriſſimum vindicem provocarunt. Ideò vindictam uſque in diem retributionis, quod magis fuit formidandum, Martyr iratus reſervavit.

Nota. *Poſt hunc locum in majori* Cottoniano, *ſequitur illa hiſtoria de viſione nocturna* Falcaſii *ſive* Falconis *hujus, quam ad verbum reperire potes, in* Matthæi Pariſienſis *Hiſtoria, ad annum* 1217. *Cap.* Per idem tempus Falcaſius prædo, *&c.*

Quod manifeſtè compertum eſt, dum tota memorati *Falconis* ſequela deteſtabilis, apud *Bedeford* in obſtinata ſuperbia ſua, patibulis eſt ſuſpenſa. Et ipſe *Falco* citò poſt, exul & inops, & multiplici excommunicationis vinculo innodatus, ſubitò potionatus, & poſt Cœnam ingurgitatus, Carens viatico & Confeſſione, miſer nec miſerabiliter expiravit. Meritò in fine Sacerdotis fruſtratus præſentia; qui tot in vita ſua ſacerdotibus injurias erogavit.

Thomas Dunenſis Epiſcopus, vocatus à *Willielmo* Abbate, fecit Ordines in Eccleſia Sancti *Albani* ad majus Altare, XIII. Calendas Januarii.

Item idem Epiſcopus dedicavit polyandrium conventuale apud *Sanctum Albanum*, in quo ſepulti fuerunt corpora fidelium in interdicto, XVI. Calendas Januarii.

Item idem dedicavit Cœmiterium Beati *Petri*, in villa *Sancti Albani*, VII. Calendas Januarii.

Item idem dedicavit Cœmiterium *Sanctæ Mariæ de Prato*, VI. Calendas Januarii.

Idemque dedicavit Altare *Sancti Leonardi*, Sexto Calendas Januarii.

Reddita pace Abbas Willielmus Thynemuam, *gratia viſitandi adiit.*

Qualiter Abbas memoratus pace Regni reddita; Cellas ſui Monaſterii viſitavit, & reformando, prudentiſſimè reformavit.

Henricus *tertius Rex.*

DIſponente igitur ipſo, qui omnia ordinat ſapienter, & diſponit ſuaviter; reddita eſt Angliæ, poſt tempeſtatem ſerenitas, & poſt obitum patris ſui *Johannis*, Rex *Henricus* tertius coronatur. Et firmata per totum Regnum pace, reſpirarunt ſervi Dei pacifici. Sed *impiis non eſt pax dicit Dominus:* & ſic júſto Dei judicio, viri iniquitatis & impietatis quaſi fumus modis variis diſparuerunt.

Abbas igitur *Willielmus* corpore ſtrenuus, ætate floridus, mente alacer *Thynemuam* & alias Cellas ſuas, gratia viſitationis, ut reformanda reformaret, adire diſponit; & ut moris eſt (ſicut prædicitur) tempore Guerræ, accepta à Rege licentia, verſus plagam tetendit Borealem. Et cùm viſitaſſet Cellam de *Bealvair*, audivit Arcanas querelas de Priore illius domus, Domino *Rogero de Wendora*; quaſi diſſipaſſet bona Eccleſiæ in prodigalitate incircumſpecta, ſequens per omnia veſtigia ſui prædeceſſoris, Magiſtri videlicet *Radulphi* Simplicis; qui pro manifeſta dilapidatione, cunctis reprehenſibilis habebatur.

Redargutus eſt Prior de Bealvair, *ſcilicet Rogerus de* Wendoure.

Correptus igitur ſuper hoc ab Abbate Prior, ſe promiſit talia profectò correcturum. Tamen Abbas ad horam diſſimulans, obſervabat omnia; hæc conferens in corde ſuo. Reformatis igitur in illa Cella interius exteriuſque reformandis; ſe provehens Abbas ad ulteriora, *Thynemuam* uſque provenit; occurentibus & non minimum applaudentibus, Priore domus illius, & circumjacentium partium viris honorabilibus ſub tanta multitudine, ut viderentur quendam exercitum conflaviſſe. Qui omnes ſecum in illa die, in menſa congratulantur, Auſtralibus illuc adventantibus; licet generaliter ſeſe non diligant adinvicem, Boreales & Auſtrales corde ſincero, prout perhibetur. Ubi igitur poſtquam proſperè pervenit, recipit homagia eorum de jure qui hoc facere debuerunt. Et ut brevibus concludatur, interioribus & exterioribus providè ac modeſtè, more patris pii, & paſtoris diſcreti, reformatis, Compatriotas nobiles & parochianos, ſatis civiliter ad ſuæ menſæ convivia convocavit. Ad quæ non rebelles nec ſe excuſantes, catervatim advenerunt. Deinde cùm omnia bene diſponerentur, venit Prior domus illius, videlicet Dominus *Radulphus Gubiun* (cujus memoria in benedictione eſt) ſentiens ſe jam ſenuiſſe, & præ ſenio, & ſolicitudinibus, & laboribus debilitatum eſſe, ad Abbatem; & ſe proſternens ante pedes ejus cum lachrymis, ait, *Nunc dimittis Domine me filium tuum in pace, abſolvens me ab hac cura & ſolicitudine; imminet enim mea diſſolutio, & jam delibor. Neceſſe habeo amodò mihi vacare, precibus incumbere, & mortem quam ſcio & ſentio non longè eſſe, cum fletu & mentis compunctione præſtolari.* Quem Abbas erigens, veneranter conſolatus eſt, dicens, *Suſtine adhuc patienter modicum, donec providerim de conſequentibus.* Recedens ergo illinc, per alias Cellas quas diſcretè ac modeſtè (utpote in omnibus quæ ad ordinem monaſticum pertinent plenè inſtructus) viſitando peragravit. Tandem ad Cellam de *Wymundham* uſque pervenit. Ubi facta inquiſitione diligenti de ſtatu interiori & exteriori, dictum eſt ei quòd Prior illorum (videlicet Dominus *Radulphus de Witebya*) domum de *Wymundham* enormiter dammificando, Cellulam ſuam de *Witebye* de qua venerat, & ad quam quandoque redire diſpoſuerat, de bonis Eccleſiæ de *Wymundham* clanculo ſurreptis, inſtauravit. Et quia extraneus fuit, ad aliena anhelavit; ſimiliſque erat paſtori tentoria inhabitanti, qui in craſtino tendit ad ulteriora.

ulteriora. dicebatur inſuper quòd ſupra modum gratiam Comitis de *Harundel* ſuorumque captavit, & in damnum Eccleſiæ, non modicum comparavit. Quem plùs, ut dictum erat diligebat, quàm vel Deum, vel Abbatem, vel aliquem fratrum ſuorum. Quæ omnia conferebat Abbas in corde ſuo, uſque ad tempus retributionis, diſſimulans; tamen ad horam corripuit eum ſuper talibus exceſſibus, & dimiſit in pace. Venienſque ad *Hatfield* Cellam, cùm inquireret de inquirendis, aſcendit enormis querimonia de Priore *Alexandro* videlicet de *Brugo*, ſed diſſimulans Abbas, promiſit hiis qui queremoniam de ipſo probabiliter repoſuerant, quòd feſtina ſuper hoc ſequeretur correctio. Et cùm Abbas domum perveniſſet, cogitavit prædictos exceſſus corrigere. Ipſoque tempore venit Dominus *Radulphus Gubium* multum vexatus ſuper quibuſdam exactionibus quibus vexabatur, per *Simonem de Thynemua*, duo conradia Monachalia exigentem jure perpetuo, ex dono cujudam Abbatis hujus Eccleſiæ ad Eccleſiam iſtam. Ducens ſecum unum magnum pugilem, nomine *Willielmum Pigun*, quia diffinitum fuit judicialiter, ut illa quæſtio perduellum diſrationaretur. Quod & ita factum eſt, & victus magnus Pugil noſter, & obtinuit adverſarius noſter *Simon*. Unde Prior multum confuſus, nunquam voluit redire ad Prioratum ſuum, ſed ſponte ſe deponens, in Capitulo veniam petens, ait Abbati, *Domine, ſi recolitis, bene dixiſtis apud* Thynemuam *mihi ſuſtine fili parumper. Suſtinui Domine, jam ſatis eſt. Remittatis mihi, quia jam ſenui. Convenit ut mihi de cætero vacem.* Et Abbas, *Fili, ut Sanctus* Martynus *loqueris*, qui ait, Domine, ſi populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, nec fatiſcentem cauſabor ætatem. *Neceſſarius es populo meo, id eſt, Conventui tibi commiſſo, nec adhuc ætate deficis vel deſipis. Suſtine adhuc.* Et cum inſtaret Prior adhuc lachrymis, ut abſolveretur, dimiſit eum Abbas in pace, & ait, *Et ego tibi remitto.* Et habuiit Abbas tota vita ſua præcipuum Conſiliarium & Commenſalem.

Redargutus eſt Prior de Wymundham Radulphus *de* Witeby.

Redargutus eſt ſcilicet, Alexander *Prior de* Hatfeldia, *ſcilicet* Alexander *de* Burgo.

Cedit Prior de Thynemua *ſcilicet*, Radulphus Gubium.

Revocatis quibuſdam Prioribus, ſubſtituuntur alii.

IGitur ſine ſtrepitu citò poſt hoc revocatus eſt Prior de *Wymundham*, *Radulphus* de *Witeby*, qui non exceſſus priſtinos ut decuit, emendavit. Qui veniens ad *Sanctum Albanum*, Abbatem & Conventum decenter, ſed breviter ſalutavit; gratias agens eis de ſibi impenſis beneficiis & honoribus. Poſtea ivit ad Heremitorium ſuum vell Cellulam ſibi à domo de *Witeby*, pridem aſſignatam, quam invenit providè omnibus bonis redundantem. Ubi cum aliquot annis ſanctè vixerat, viam ibidem univerſæ carnis eſt ingreſſus. Simili quoque modo revocatus eſt *Alexander de Burgo* vir duplex & inconſtans, qui ſe à conſuetudine ſua neſcivit (utpote ſenex obſtinatus) refrænare, cautè & ante expectatum, ad Clauſtrum ſibi nimis inſolitum revocavit.

Nota. *Hiſtoriolam de combuſtione Cellæ de* Hatfield, *quæ in majori* Cottoniano *inter hæc duo Capitula invenitur, habebis Lector in noſtris* Adverſariis.

De quibuſdam Prioribus Cellarum S. Alb. *à ſuis officiis abſolutis & aliis per prædictum abbatem, eorum loco ſubſtitutis.*

Loco igitur *Rogeri* de *Wendoure*, Prioris *Bealvero*, *Martynum* de *Bordeſham* Cellerarium ſubſtituit Abbas *Willielmus*.

Continuatio materiæ præmiſſæ.

Loco autem *Radulphi* de *Witeby*, Prioris de *Wymundham*, *Gulielmum* de *Feſchamp*, virum minus quàm expediret diſcretum ſubrogavit Abbas. Sed meritò à Comite de *Harundel*, domus illius Patrono, reprobatus, ab Abbate tandem eſt caſſatus.

Martinus Gulielmus *de* Feſchamp, *ſed fruſtra*.

Loco cujus ſubſtitutus eſt *Thomas Medicus*, qui cum Comite patre ejus qui tunc fuit in *Terra Sancta*, fuerat peregrinus, & cadaver ejus in ipſa terra defuncti de tranſmarinis partibus reportavit. Et apud *Wymundham* reverenter tumulavit.

Tho. Medicus.

Loco verò *Alexandri* de Burgo Prioris de *Haethfeldia* ſubſtitutus eſt *Richardus* de *Brantefild*, Abbatis bajulus.

Rich. *de* Brantefild.

Loco verò *Radulphi Gubum* Prioris de *Thynemua*, appoſitus eſt *Germanus*, de ipſis partibus Borealibus oriundus.

Ejus quoque tempore, cùm lis damnoſa nimis, & periculoſa, inter Epiſcopum *Lincolnienſem Hugonem de Welles*, ſcilicet, ſecundum, & ipſum Abbatem *Willielmum*, mediante induſtria ipſius Abbatis nimis laborioſa & ſumptuoſa, per quandam Compoſitionem fœliciter conquievit Anno Domini M.CC.XIX. quæ quarto folio ſequente ſcribitur.

De diſſenſione maxima inter Lincolnienſem *Epiſcopum & Monaſterium* Sancti Albani, *ſuper ſubjectione Cellarum & parochialium Eccleſiarum earundem, per compoſitionem amicabiliter ſedata.*

Hujus quippe, in magnum titulum benedictionis ſempiternæ arbitror aſcribendum, quòd poſtquam inter magna tantæ ac talis guerræ (quantam præſcripſimus) omnes tumultus ſchiſmaticos inteſtinos & forinſecos, tam in ſæculo, quam in Clauſtro exortos, prudenter ſedavit, & ad nutum ſuum, ita ut nullus contra ipſum auſus erat obgrunnire, omnia fœliciter diſponens pacificavit. Incepit igitur multa ornamenta conſtruere; volens uti operibus & artificiis inceſſanter (dum vitæ & ætatis proſperitate gauderet) Magiſtri *Walteri* de *Coleceſtria*, tunc ſacriſtæ. Cui in artificiis quamplurimis comparem non meminimus, prævidiſſe, vel aliquem credimus affuturum.

Nota. *Lector, quod in majori* Cottoniano, *Compoſitio illa, immediatè ſequitur in hoc loco; ſed nos librum minorem per omnia ſequentes, rejicimus eam inter* Addidamenta.

De diverſis operibus & ſtructuris, & ornamentis Eccleſiaſticis tempore memorati Abbatis laudabiliter conſummatis.

De

De operibus ejus quæ fecit ad ornatum Eccleſiæ.

Continuatio materiæ prænominatæ.

PRimò ſiquidem Dormitorium cum ſecretiori domo illi pertinenti (ut prætactum eſt) cum lectis de materie querna, decentiſſimè conſummavit, & in ipſo, Conventum convocavit. Præterea, tempore ſuo ambæ alæ Eccleſiæ, de materie querna optima trabeculis colligata & conjuncta, culminæ ſunt præmunitæ, quæ putredine & teredine prius conſumptæ, pluviam abundantem admiſerunt. Turris quoque culmen, quod præmaximæ machinæ inſtar portendit, multò excelſius veteri, quod ruinam minabatur, ex optima materie bene conjuncta, conſtructum & elevatum eſt. Et hæc omnia non ſine magnis ſumptibus plumbo ſunt cooperta; quippe iſta conqueſtu & induſtria *Richardi* de *Thydenhangaer*, Monachi noſtri converſi ac Camerarii, ſine obedientiæ ſuæ defectu vel diminutione, ſunt perfecta. Quæ tamen Abbati ob reverentiam ſunt aſcribenda. Ille enim facit, cujus auctoritate quippiam fieri dignoſcitur.

De Turri Eccleſiæ.

Veruntamen ipſe Abbas poſt mortem ipſius benedictæ recordationis, *Richardi* memorati, ipſam Turrim quia indecenter cooperta fuit, diſcooperiri fecit, & additu non minima plumbi quantitate, retegi fecit decentius ac fidelius collateralibus. Additis ornamentis, videlicet, octo linearibus elevationibus à tholo uſque ad murale extenſis, (ut octogona Turris manifeſtiùs appareret) ſumptibus propriis perſuaſione & inſtinctu Domini *Matthæi* tunc bajuli & ſigilli portitoris, cognomento de *Cantebrugge*. Quod compertum fuit, eò quod illi operi procurator, & proſecutor, ac cuſtos diligens perficiebatur. Coopertura autem in talem quæ ex tranſverſo Conqs protendit commutavit. Et lineæ ipſæ prædictæ (quæ vulgariter ariſtæ nuncupantur) turrim & mirabiliter roborabant, & roboratam decorabant, & imbres certiùs cohibebant; quæ priùs confuſis octo coſtis, formam teretem, gracilem & exilem, indecentiùs & minùs murali concordantem, protendebat.

De fronte Eccleſiæ. Continuatio materiæ prælibatæ.

Opus quoque frontale ipſius Eccleſiæ poſt quandam nimis damnoſam ruinam, miſertus ac miſeratus Abbas *Willielmus*, eò quòd tam tædioſam moram protraxerit, ſuis humeris ſibi ſuſcepit ſupportando perficiendum. Quod infra breve tempus, cum tecto de prælecta materie, tignis & trabibus cum laquearibus, cumque vitreis feneſtris ad unguem perfectis; veteri operi decenter plumbo coopertum, continuavit.

De opere Cementarii ad Feneſtras vitreas.

Feneſtrarum quoque quæ ſunt in amplo muro ſupra locum ubi jacet magnum Ordinale, ubi quoque minuti Matutinas canunt de more & Horas, opus lapideum cum feneſtris vitreis, & præterea aliarum quamplurimum in alis Eccleſiæ Aquilonari & Auſtrali; opus lapideum cum ſuis vitreis feneſtris (coadjuvante Cuſtode Altaris Sancti *Amphibali*) perfecit. Ita ut Eccleſia novi beneficio luminis illuſtrata, videretur quaſi renovata.

De pulpito & de tranſlatione Sancti Amphibali, Sociorumque ejuſdem.

Hujus quoque tempore cum Magiſter *Walterus* de *Coleceſter* tunc Sacriſta (pictor & ſculptor incomparabilis) Pulpitum in medio Eccleſiæ cum magna Cruce ſua, *Maria* quoque & *Johanne*, & aliis celaturis & decentibus ſtructuris; ſumptibus ſacriſtariæ, ſed proprii laboris diligentia perfeciſſet: Ipſe Abbas *Willielmus* Feretrum cum Reliquiis beati *Amphibali* ſociorumque ejus à loco ubi priùs collocatum fuerat (videlicet ſecùs majus Altare juxta Feretrum *Sancti Albani*) à parte aquilonari, uſque ad locum qui in medio Eccleſiæ includitur pariete ferreo & Craticulato, ſolemniter tranſtulit; Altari decentiſſimo ibidem conſtructo, cum Tabula & ſuperaltari pretioſè pictis.

Fecitque ipſum Altare ſolemniter dedicari in honorem Sanctæ Crucis; quia ipſum fuerat antea Sanctæ Crucis; & in honorem *Sancti Amphibali* Sociorumque ejus; quia ibidem eorum corpora requieſcunt; ab Epiſcopo *Archfertenſi* * *Johanne*. Et ab eodem fecit Crucem magnam ipſo Altari ſuprapoſitam, cum ſuis imaginibus conſecrari. Abbas quoque *Willielmus* poſtquam hæc decenter omnia conſummaverat, duo Feretra deaurata, in quibus primò (ante tempus videlicet *Warini* Abbatis) reconditæ fuerunt Reliquiæ beatorum Martyrum *Amphibali* Sociorumque ejus, cum illis quæ in eis continebantur: contulit Eccleſiæ eorundem in *Redburnia*, ob honorem & reverentiam loci illius, in quo ipſi ſancti Martyres ſui agonis curſum conſummaverunt. Conſtituitque ibidem Cuſtodem perpetuum, Monachum videlicet vigilem & diligentem; nocte dieque ibidem aſſiſtentem theſauro illic repoſito, tali cuſtodiæ condignum.

* Harefordenſi, *ut habet major* Cottonianus, Arcfertdenſi, *ut liber* Spelmannianus.

De duobus Feretris ligneis deauratis datis Redburniæ.

Cuſtos conſtituitur Altari Sancti Amphibali, in Eccleſia noſtra.

Hic etiam Monachus ibi aſſignatus, indultu Abbatis poſtea ſibi ſocium adquiſivit; dum operibus indulgebat paragendis. Iſtam autem tranſlationem honorabilem, quamplurimum meritò credimus Deo complacere: propter manifeſta miracula quæ Deus ibidem tunc in honorem dictorum Sanctorum, in propatulo celebravit.

De Altari Sancti Wlſtani, *& de ipſius Coſta.*

NEc vacat à laude ipſius Abbatis *Willielmi*, quòd cum Tranſlationi Sancti *Wlſtani* Epiſcopi & Confeſſoris, rogatus ab Epiſcopo *Sylveſtro* intereſſet, adquiſivit nobis ibidem unam Coſtarum ſuarum: quam poſtea opere incluſit aurifabrili; in cujus Sancti honore, quoddam Altare conſtruxit juxta Altare Sancti *Oſwini*; juxta vetus Feretrum, versùs ſcilicet Orientem.

De Coſta Sancti Wlſtani, *per induſtriam prædicti Abbatis perquiſita: & de Altari in honorem ejuſdem dedicato.*

De ornatu qui eſt circa Altare Sancti Albani, *& magna trabe.*

PRæterea ad cumulum titulorum ejuſdem Abbatis *Gulielmi* arbitror recolendum, quòd quaſdam ſtructuras nobiliſſimas circa majus Altare conſtruxit; cum quadam trabe, Hiſtoriam Sancti *Albani* repræſentante, quæ totam illam artificioſam machinam ſupereminet. Quod quidem opus ſplendidiſſimum magiſter *Walterus de Colceſtria* (de quo ſæpe mentionem prælibavimus) non ſine magno ſtudio laborioſo & labore ſtudioſo: Abbate tamen copioſos ſumptus ad hæc libenter miniſtrante, perfecit.

De ſex cereis quæ ſunt circa Feretrum Martyris.

AD quæ etiam ſerenanda, & ad honorem Martyris ampliandum; conſtituit Abbas memoratus *Gulielmus* ſex Cereos, in feſtis quæ in Cappis fiunt, & maximè præcipuis accendendos: ad quos ſuſtinendos, unam marcam ex conſenſu Conventus aſſignavit, de domo de *Binham*, pro relaxatione alecis quod recipere conſuevimus annuatim, recipiendam.

De ſex Cereis ad ardendum circa feretrum Sancti Albani *per prædictum Abbatem inſtitutis.*

De Cereis accenſis quotidie ad Miſſam quæ cantatur ſine nota de Sancta Maria *pro Eccleſia.*

INſuper iſtius Abbatis *Gulielmi* tempore, collati ſunt duo cerei, & proviſum eſt unde ſuſtineantur per providentiam & adquiſitionem Domini *Walteri de Rammeſie* (qui etiam Eleemoſinam *Mandati* nummis ampliavit, in numiſmate ſingulis pauperibus erogando) ut cotidie accendantur. Et dum miſſa quæ de beata virgine decantatur ſine Nota, (videlicet pro Eccleſia) ardeant. Et ipſa miſſa cantatur ſemper cum Calice aureo, & cum proprio veſtimento, & quatuor cereis accenſis: quorum duo (ea ſcilicet quæ versùs orientem ponuntur) ſunt de adquiſitione *Adæ* Cellerarii. Succeſſu temporis, Domicella *Aelicia* filia *Henrici Coci*, legavit illi Altari unam Caſulam, de rubeo examito bene aurifrigiatam.

Quod Abbas Willielmus *conſtituit Miſſam cotidianam celebrari ad Notam ſolemniter in Eccleſia noſtra, in perpetuum decantandam.*

HIc etiam felicis memoriæ Abbas *Willielmus*, videns quòd in omnibus nobilibus Eccleſiis *Angliæ*, Miſſa de beata Virgine ad Notam ſollemniter quotidiana decantatur, licèt in noſtra Eccleſia (quod non fit in aliis) qualibet ſeptima die Sabbati, niſi obſtet cauſa rationabilis, fiat commemoratio de beata Virgine; totaliter per diem & noctem in Albis ſolemniter; conſtituit, & ex conſenſu & beneplacito totius Conventus imperpetuis temporibus ſanxivit perduraturum, ut cotidiè Miſſa de beata Virgine ſolemniter ad Notam celebretur, ſex ad hoc ſingulis diebus Monachis per ordinem, ad miniſtrandum, (nunc hiis, nunc illis) indeficienter aſſignatis & in Tabula ſcriptis nominatim. Præter quos, aſſignavit ibidem ad Cuſtodiam Altaris & Altari pertinentium, & ad regimen obſequii: unum Monachum œconomum & Cuſtodem. Ad quod convenienter peragendum, elegit locum ſatis idoneum, videlicet ubi conſtructum eſt Altare Sancti *Blaſii*, in Auſtrali ſcilicet ala Eccleſiæ noſtræ. Et quia muralia circumquaque, ex ruina quadam nimis damnoſa fuerunt depulſa & deformata; ipſe Abbas ſumptibus propriis omnia ruinoſa reſtauravit; & quoddam præter hoc opus ex inciſa petra, ad duas ibi amplas feneſtras vitreas collocandas, perfecit; ut ad conſummationem boni operis ſui, omnia congruo lumine illuſtrarentur: ita ut videretur in magna parte Eccleſia renovari. Cujus quidem operis executioni, Dominum *Mathæum de Cantebrugge* Bajulum ſuum præfecit: qui laudabiliter opus injunctum ſibi, in brevi conſummavit.

De cotidiana celebratione Miſſæ Sanctæ Mariæ: *& cuſtodibus Capellæ, per memoratum Abbatem inſtitutis.*

Iſtius utique Conſtitutionis firmitudinem, quampluriműm Deo & Beatæ Virgini Matri ſuæ, credimus complacuiſſe; quia in poſterum locus memoratus, in variis ornamentis, utenſilibus aureis, & argenteis, veſtimentis ſericis, & luminaribus; felix & inopinatum ſuſcepit incrementum. Veruntamen dedicato Altari in honorem Sanctæ Dei Genetricis *Mariæ* ab Epiſcopo *Archſertenſi Johanne*, Abbas ipſe Pontificalibus redimitus, primò Miſſam illam ſollemniter celebravit; Et quaſi pro dote ſubarranda, unum bonum Miſſale ipſi Altari contulit: cum quibuſdam aliis, illi loco magis neceſſariis.

De

De Campana beatæ Mariæ.

De campana ſonoriſſima, & ſex Monachis pro pulſatione & decantatione Miſſæ quotidianæ ſanctæ Mariæ, per prædictum Abbatem deputatis.

CAmpanam quoque ſonoriſſimam ipſi officio ſpecialiter aſſignatam, ab Epiſcopo *Johanne* conſecratam, & nomine *Sanctæ Mariæ* intitulatam, conſtituit quotidiè vice triplicata, pulſari tempeſtivè ad convocandum miniſtros ad hoc aſſignatos. Videlicet Monachos ſex, cum eo qui Altari præeſt, & alios *Chriſti* fideles & beatæ *Mariæ* pronos ac devotos, ipſi miniſtraturos, & pro proſperitate Eccleſiæ ac propria, ſupplicaturos.

De nobiliſſima Mariola quam Abbas Willielmus, *per manum Magiſtri* Willielmi *de* Colceſtria *fecit.*

De pulchra Mariola, per Walterum *de* Colceceſtria *tempore prædicti Abbatis depicta; & de Cereo ante eandem ardente, certis temporibus limitatis.*

Mariolam autem quæ prius ibi erat, in loco ubi Miſſa beatæ Mariæ *ad notam celebratur, ſuper altare evidenter collocavit. Ita hanc ſententiam legit codex* Spelmannianus.

LAudibus inſuper ipſius Abbatis *Gulielmi* adjiciendum eſt, quòd unam elegantiſſimam Mariolam, quam Magiſter *Walterus* de *Coleceſtria* ſæpedictus opere ſculpſit ſtudioſiſſimo, Eccleſiæ noſtræ præſentavit; quam quidem fecit ab Epiſcopo ſæpe præmemorato *Johanne* conſecrari: Mariolam autem quæ prius ibi erat, ubi novam decenter collocaverat, in loco ubi Miſſa Beatæ *Mariæ* ad Notam quotidiè celebratur, ſupra Altare evidenter' collocavit. Cereum quoque, quem floribus conſuevimus redimire, conſtituit accendi ante nobilem Mariolam, diebus ac noctibus feſtorum præcipuorum, & in proceſſione quæ fit in commemoratione ejuſdem.

De tegmine Eccleſiæ in parte Auſtrali, quæ dicitur Celatura.

De Celatura lignea ſuper auſtralem alam Eccleſiæ Sancti Albani *per prædictum Abbatem conſtructa.*

TEgmine etiam quodam (quod vulgariter *Labreſcura* vel *Celatura* dicitur) quo trabium ſeriem cooperuit, Eccleſiam mirificè ſupra memoratam Mariolam venuſtavit Abbas *Gulielmus*, ne tignorum vel trabium quas vetuſtas denigraverat, oculos offenderet intuentium. Simili quoque ratione, muros Eccleſiæ in magna parte quos longævus ſqualor pulveris deturpaverat, dealbavit; ita ut quod incepit ſi conſummâſſet, Eccleſiam inveteratam placida mutatione fœliciter renovaſſet.

De veteris trabis tranſlatione.

De trabibus & imaginibus diverſis in locis competentioribus Eccleſiæ tranſmutatis.

* Veterem Crucem, *legit Codex* Spelmannianus.

HIc etiam Abbas *Willielmus*, ſicut tranſpoſita veteri Mariola novam ſubſtituit, & veterem alibi in Eccleſia ſalvo collocavit; ita tranſpoſitam veterem trabem quæ ſupra majus altare ponebatur, (quam quidem *Adam Cellerarius* duxit faciendam) in Auſtrali Eccleſiæ parte juxta nobilem Mariolam, ad magnum Eccleſiæ ornatum eminenter attollebat. In qua etiam trabe, ſeries duodecim Patriarcharum & duodecim Apoſtolorum; Et in medio, majeſtas cum Eccleſia & Synagoga, figuratur. Similiter de veteri Cruce * quæ in medio Eccleſiæ quondam eminebat, & Mariolam anteriorem quæ ſupra Altare beati *Blaſii* ſtabat, ſubſtitutis novis, in Eccleſiæ noſtræ parte Aquilonari, ad Laicorum & omnium illuc adventantium ædificationem, & conſolationem ſecularium, duxit collocandum, ne bona quæ fecerat, videretur in aliqua parte mutilare.

De Capella Sancti Cuthberti *quam conſtruxit.*

De Capella Sancti Cuthberti, *per præfatum Abbatem conſtructa, & per* Johannem *Epiſcopum ſolemniter dedicata. De Eccleſia beati* Amphibali, *pluribus Eccleſiis, Capellis & Altaribus, per dictum Epiſcopum ad Inſtantiam ipſius Abbatis dedicatis.*

AD ejuſdem itaque benedictionem & memoriam ſempiternam ſpectat, quod diruta veteri Sancti *Cuthberti* Capella (cujus culmen teredine jam conſumptam & maceria depulſa ruinam minabatur) quandam novam de lapide inciſo, ſatis eleganter, conſtruxit, cum ſuis vitreis feneſtris, & omnibus aliis pertinentiis. In qua altare conſtruxit, & conſtructum, cum ipſa fecit ab Epiſcopo *Johanne* Capellam dedicari, in honorem ſanctorum *Cuthberti*, *Johannis Baptiſtæ*, & Sanctæ *Agnetis* Virginis & Martyris, unde verſus,

Confeſſor Cuthberte *Dei*, *Baptiſta* Johannes,
Agnes virgo, tribus vobis hæc Ara ſacratur.

Conceſſit quoque idem Epiſcopus *Johannes*, ut quicunque in Anniverſario dedicationis illius Capellæ, vel in ſingulis Feſtis Sanctorum prædictorum, pœnitentes & devoti advenerunt, viginti dies relaxationis conſequantur. Eadem quoque Capella in arduum ſurgens ſupra ſuam crepidinem (quæ vulgariter Avolta dicitur,) Dormitorii diminutionem ſupplet & defectum. Hoc quoque domicilium circiter duodecim lectos continens, pluribus vitreis feneſtris lumen, quo ſufficienter illuſtratur, intromittit, & culmen ex prælecta materie compoſitum, plumbeo tegmine communitur. Sciendumque eſt, quòd ubicunque in noſtra Dioceſi, memoratus Epiſcopus *Johannes*, ſuum exercuit officium (præcipuè

puè in dedicationibus) fidelibus Chriſti conceſſit relaxationem, ſecundùm quod ipſi competebat officio & ſolemnitati.

Dedicatur Eccleſia ſancti Amphibali, Redburniæ, *ſicut aliæ plures in noſtra Dioceſi.*

INter alia quoque pietatis opera, Eccleſiam beati *Amphibali* Martyris ſociorumque ejus, ob reverentiam & honorem loci illius, in quo idem Sanctus cum ſociis ſuis Martyrium celebravit, ſolemniter ab Epiſcopo *Johanne*, ſicut & alias plures Eccleſias vel Capellas in noſtra Dioceſi, fecit ipſo præſente Abbate pontificalibus redimito, relaxatione quadraginta dierum conceſſa, Domino *Gilberto de Siſſeverne*, tunc ibidem Priore, dedicari.

Continuatio materiæ præmiſſæ.

De domo quam Londoniis *comparavit.*

ABbas inſuper memoratus *Willielmus*, ad perpetuandum memoriam ipſius cum benedictionibus, providens ſibi & ſucceſſoribus, necnon & Monachis noſtri Conventus, qui gratia hoſpitandi illuc diverterint, quandam domum, inſtar magni Palatii protendentem, non parvis ſumptibus ad hoc exhibitis *Londoniis* comparavit, ut & ipſe & omnes ejus Succeſſores, & Monachi qui voluerint, ibidem honeſtè & ſecretè hoſpitentur. Ipſi quoque Domini quam nobis adquiſivit, pertinent Capella, thalami quamplures, Pomerium, Stabulum, Coquina, Curia, Hortus, Puteus; redditus quoque ex quibuſdam domibus ſtratæ communi continuatis, quibus Curia tutiùs circumvallatur. Quas etiam idem Abbas *Gulielmus*, poſtquam principalem domum comparaverat, prudenter conſtruxit; quendamque ſervientem ipſi manſioni perpetuum aſſignavit.

De hoſpitio magno & domibus diverſis in Londonia *&* Gernemutha, *per prædictum Abbatem ſagaciter perquiſitis.*

De plurimis Clauſtris ligneis, quæ idem Abbas conſtruxit.

CLauſtra quoque plurima conſtruxit, videlicet unum inter Capitulum & Capellam Sancti *Cuthberti*, ne ibi tranſmeantes ſtillicidiorum infuſionibus moleſtarentur. Aliud quoque trilatrium, à Coquina uſque ad oſtium Clauſtri Regularis, quod aſſignavit cuſtodiæ Coquinarii. Quod etiam ſe * in alio latere à prædicto Clauſtri Monachalis Oſtio, uſque ad oſtium hoſpitii, quod ulterius ſolet eſſe Hoſpitum *nigri Ordinis*. Quod aſſignavit cuſtodiæ Magiſtri hoſpitum. Aliud verò memorati Clauſtri latus, ſcilicet tertium, à prædicto Oſtio uſque ad Oſtium quo patet via ad ſartrinum, quod etiam aſſignavit cuſtodiæ Camerarii. Alterum quoque Clauſtrum quadrilaterum per quod patet via ad Infirmariam, quo commiſit cuſtodiæ Infirmarii. Et hæc omnia firmiter ac competenter conſtruxit ex querna materie, tignis, & laquearibus, & ſcindulis quernis fecit cooperiri. Et illud Clauſtrum trilaterum (quod ſcilicet à Coquina uſque oſtium verſus Sartrinum extenditur) pariete circumſeptum concraticulato, ne ad locum medio contentum (videlicet parvum virgultum) omnibus liber pateret acceſſus, communivit. Illud quoque virgultum Magiſtro Hoſpitum conſtituit pertinere.

Nota. *Lector, capitulum illud ab hoc ſecundum, (ſcilicet, de* comparatione unius domus apud *Gernemutham) in majori* Cottoniano *&* Spelmanniano, *cum hoc capitulo continuari. Imo, cùm in ora ſive margine inferiore minoris* Cottoniani, *quaſi poſtſcriptum, inveniatur; non advertens dependentiam materiæ, Amanuenſis noſter, ordinem paulùm invertit.*

De pluribus Clauſtris ligneis per prædictum Abbatem conſtructis, & de officiis ad eadem reparanda deputatis.

* *Protendit.*

De domo de Gernemutham.

COmparata verò Domo memorata *Londoniis*, pro centum Marcis, & additis emendationibus quæ ad pretium quinquaginta marcarum æſtimabantur, comparavit dictus Abbas *Gulielmus* pro quinquaginta Marcis unam domum apud *Gernemutham*, ad piſcem, & præcipuè Alec, in tempore opportuno comparatum, reponendum, ad inæſtimabilem domus *Sancti Albani* utilitatem & honorem. Cui etiam ſumptuoſam addidit emendationem.

De Cruce de Joſaphath.

CRucem quoque quam Dominus *Laurentius* natione *Anglicus*, Monachus Eccleſiæ *Sanctæ Mariæ vallis Joſaphath* in *Terra ſancta* juxta *Jeruſalem*, detulit in *Angliam* (cujus fidelitati, teſtimonium per literas ſuas Patentes Patriarcha *Jeroſolymitanus*, & ſuus Abbas de *Joſaphath*, necnon *Wintonienſis Petrus*, & *Exonienſis Willielmus* Epiſcopi, perhibuerunt) nobis hoc modo adquiſivit. Cum enim memoratus Monachus *Laurentius* Chartas diu hic repoſitas illæſas ſine difficultate (ſecundùm quod Abbas ſuus ſupplicando ſignificaverat) recepit, promiſit quod ſi propoſitum ſuum non conſequeretur ſuper adquiſitione Manerii cum Eccleſia de *Brittewelle* ubi ſperavit eſſe Prior, & contigerit neceſſariò infecto negotio remeare ad domum ſuam de *Joſaphath*, ipſam Crucem (de cujus veritate conſtat nobis &

De cruce continente diverſas Reliquias, & particulam crucis dominicæ, per prædicti Abbatis de quodam Monacho vallis Joſaphath *induſtriam, Monaſterio* Sancti Albani *perquiſita.*

ſanctitate) pro viaticis ſuis, nobis habendam dimitteret imperpetuum, ne de tanto beneficio redargui poſſit ingratitudinis. Cujus rei executio (quæ quadam prolixa narratione continetur in fine hujus libri, pleniter) pleniùs enarratur.

De brachio Sancti Jeronymi.

De Brachio Sancti Hieronymi, *huic Monaſterio per prædictum Abbatem à præfato Monacho perquiſito, & opere aurifabrili, artificialiter redimito.*

BRachium quoque Sancti *Jeronymi*, à prædicto Monacho nobis adquiſivit. Quod quidem ipſe Abbas *Gulielmus* opere aurifabrili precioſiſſimè compoſito, gemmis quoque redimito, quod præcipuis circumfertur feſtivitatibus, incluſit. Additis quibuſdam aliis Reliquiis, videlicet de veſtimento & baculo ejuſdem Sancti, & de *Innocentibus*.

De Cruce Sancti Amphibali.

De Cruce Sancti Amphibali, *per diligentiam memorati Abbatis, huic Monaſterio reſtituta.*

CRucem quoque Sancti *Amphibali*, quæ diuturno tempore *Londoniis* latuit abſcondita, & quæ in poſſeſſiones multorum, videlicet, patrum in filios, tranſmigraverat; nobis prudenter adquiſivit Abbas *Gulielmus* memoratus. Quæ quidem Crux talis exiſtens ſchematis, tantò cariùs habet cuſtodiri, quòd ſicut Hiſtoria de Sanctis *Albano* & *Amphibalo* proteſtatur, in ſanguine beati *Albani* in decollatione ejus, fuit delibuta; & prima quæ in *Britannia* fuit apportata.

De Sequentia quæ in commemorationem beati Albani *decantatur.*

De Sequentia Sancti Albani, *in ejuſdem commemoratione decantanda.*

SEquentiam quoque de Sancto *Albano* componi fecit & ſolemniter pulſatis duabus nolis in commemoratione beati *Albani* patroni noſtri decantari. Et quando præcipuis Feſtis de ipſo Martyre canitur; huic finali verſui,

Commenda nos altiſſimo, &c.

addidit, *Laus illi, jubilatio, &c.*

De Sequentia quæ in Feſtivitate Reliquiarum decantatur.

De Sequentia in Feſto Reliquiarum, ſolemniter decantanda.

SImilique modo Sequentiam de Sanctis, quorum Reliquiæ in hac continentur Eccleſia, in hac conſtituit decantari, compoſitam ad hoc ſpecialiter. In qua, primò Sanctæ Crucis, poſtea Sanctorum memoria, per ordinem continetur.

Calceamenta Conventus de Bazano, in alutam commutantur, tempore ſuo.

De ſotularibus baſianis, ordinatione prædicti Abbatis, in alutam commutatis.

NEc cenſeo prætereundum, quòd iſtius tempore Abbatis *Gulielmi* induſtria, & adquiſitione *Richardi de Tedinhangre* Monachi Converſi & Camerarii (cujus memoria in benedictione perdurat) inter alia quæ fecit commendabilia; Conventus Calceamenta quæ de vili Corio quod vulgariter *Bazan* dicitur, in alutam, id eſt, *Cordewon* civiliter commutavit. Ut ſic inde duplex commodum reſultaret; Conventus enim ſic honeſtius calceatur, & uberior eleemoſyna pauperibus erogatur.

Item alia duo ſtatuta de Servitio.

STatuit quoque idem Abbas *Gulielmus* non ſine honeſtatis conſideratione; quòd ſervitium privatum de omnibus ſanctis (videlicet, quod eſt cotidianum) niſi præcipuo feſto, vel feſto in cappis impediatur, in choro dicatur; nec pro proceſſione quæ ſolet in commemoratione Beatæ *Mariæ* fieri, vel ante magnam Crucem in Eccleſia, vel ante aliquod Altarium, impediatur. Quod primitùs ſolet fieri, ubi proceſſio Conventum trahebat in conſpectu populi, & collàteraliter juxtà vulgus utriuſque ſexus. Quod videbatur ipſi inhoneſtum.

Statuit etiam idem Abbas *Gulielmus*, quòd ſi de quovis ſancto fiat Servitium de nocte; die ſequenti de eodem ſancto cantetur *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, & *Nona*; cum primitùs invenifſet, quod de conſuetudine *Nona* de feria cantaretur.

De libris piè ab ipſo collatis.

De libris Monaſterio Sancti Albani *diverſis, collatis; & per prædictum Abbatem ſolerter proviſis.*

ALmariolo quoque librum decentiſſimum, videlicet Scholaſticam Hiſtoriam, cum quibuſdam aliis libris ac libellis contulit; quem quidem librum Hiſtorialem, Prior *Reimundus* (ut prætactum eſt) cum ſumma diligentia ut ſcriberetur, & ad unguem perficeretur, procuravit. Pſalterium quoque nobiliſſimum, & uſque ad regales divitias redimitum; Eccleſiæ *Sancti Amphibali* in *Redburnia*, cum quodam decentiſſimo contulit Ordinali. Aliud quoque Pſalterium non minoris,

imò

imo potius pretii majoris, multipliciter excogitato artificio decoratum, contulit Eccleſiæ Sanctæ *Mariæ de Wymundham*: ut ante majus Altare & Mariolam quod eidem ſupraponitur, pulpitulo indelebiliter affixum * & aſſiduo uſui fratrum ibidem orantium aſſignatum memoriam dantis perpetuaret. Multaque ſimilia, (quorum mentionem etſi facere hoc libello non ſit neceſſe, in divinæ retributionis ſtipendiis; conſtant tamen reſervata) ſtuduit Abbas *Gulielmus* memoratus, piis operibus miſericorditer accumulare.

* *Hanc periodum, brevius & rectius legit codex* Spelmannianus. *Sic* ut ante majus altare & Mariolam pulpitulo indelebiliter affixum, *&c.*

Statuit etiam, ut Regula Sancti *Benedicti* inviolabiliùs obſervetur; quòd quando etiam in cappis fuerit Conventus, vel etiam ſit principale Feſtum; ſemel in die reficiatur Conventus, (niſi die Dominica evenerit) inter Feſtum ſanctæ Crucis exaltatæ, uſque ad Paſcha; ſecundùm Regulam Sancti *Benedicti*, quam profeſſi ſumus.

Statuit inſuper, ut completa Dominica oratione (quæ in qualibet *Hora* dicitur) dicatur, *Kyrie eleeſon*, ter; *Chriſte eleeſon*, ter; *Kyrie eleeſon*, ter; & non ampliùs, ut ſolebant antiquitùs.

Contulit utique memoratus Abbas *Willielmus*, de diligentiſſima adquiſitione ſua, tot terras, tot redditus; quot ea non ſinit prolixitas huic ſcripto commendare: tractatus enim illud opus exigeret ſpeciales. Siquis autem ea ſcire deſideret, ad Capſidem quernam in majori arca Chartarum contentam, (in qua ſcilicet Munimenta ſua ſpecialiter diligentia conquiſita continentur, & in cooperculo interiùs annotantur) recurrat.

De multis redditibus & terris, per eum adquiſitis.

De damnis inæſtimabilibus quæ ſalvo ſtatu Eccleſiæ, idem Abbas ſuſtinuit.

AD laudes autem dicti Abbatis *Gulielmi* pertinere non eſt ambiguum, quòd in tempore Interdicti Conventum ſuum, & totam terram Sancti *Albani*; in pace bona & ſtatu, tam in temporalibus quàm ſpiritualibus cuſtodivit. Et ut cauſâ ſuccinctæ brevitatis, de aliis gravaminibus (quæ ſcribere difficile foret nobis, imò etiam enarrare) unius anni ſpatio damnum quod ſuſtinuit; certiſſimè proteſtamur. Regis utique *Johannis* tempore (quo non ſurrexit inter natos mulierum tyrannior) diverſis Argumentis tempore interdicti, in uno ſolo anno mille marcas ab eodem truculenter extorſit.

Nota damna interdicto, quædam tamen ſoluta fuerunt tempore Abbatis Johannis.

Hæc autem ſunt damna, quæ in tempore Guerræ, ſtatim ſine intermedia reſpiratione, ſuſtinuit continuatè, contra multos perditionis filios, ad incendia & Cædes ſemper promptos & paratos. Ut, ſcilicet, pace (vel ſaltem treugis) nunc verſùs hos, nunc verſùs illos, protectus gratularetur.

Nec ſilendum, quòd idem ipſe Abbas *Gulielmus*, hujus ſcripti exemplar, manu propria conſcripſit.

De pœnis (ſive damnis) maximis, temporibus prædicti Abbatis & guerræ Baronum, Monaſterio S. Albani *contingentibus. Continuatio materiæ prænotatæ.*

Damna quæ tempore Guerræ evenerunt Eccleſiæ Sancti Albani.

COnſimili quoque modo in tempore Guerræ, omnia ſuæ commiſſa cuſtodiæ, tam in ſpiritualibus quàm temporalibus, non ſine maximis expenſis & ſollicitudinibus, in pace ſuſtinuit ſine deſtructione, per tenſerias*. Apud *Berchamſtude*, C. Libras. *Falconi*, C. marcas apud *Wancre*. Item eidem iterum C. libras *Lodowico* apud *Doveriam*, LX. marcas. Comiti *Wintonienſi* & Baronibus L. marcas apud *London*. Item *Lodowico* L. marcas, in Eccleſia *Sancti Pauli London*. *Ingelardo de Rickemareſworthe*, ſexaginta marcas. Item eidem *Ingelardo de Watteſordia*, & pertinentiis C. libras, & unum Paleſridum de X. marcis. Item iterùm eidem *Ingelardo de Watteſordia*, C. marcas. Item eidem *Ingelardo de Burgo Sancti Albani*, C. marcas. Item *Lodowico* per manum *Baldwini de Turboyle* CC. marcas. Item iterùm eidem *Lodovico*, pro reſpectu cædis & incendii & Homagii faciendi eidem *Lodovico*, quater viginti marcas. *Waltero de Goddard* villa, L. marcas; & unam cuppam argenteam, & *Willielmo de Goddard* villa, unum Paleſridum de quinque marcis. *Roberto de La Mare*, XIII. marcas de *Santrugge*. Item eidem C. ſol. de *Walduna*. *Thomæ de Blankminſter*, XXX. marcas, pro *Radulpho* filio *Adæ de Hecſtant*, XIII. marcas *Roberto de la Mare de Wyneſt*. XIV. marcas apud *Oxonium*.

* *Major* Cottonianus *legit*, ſine deſtructione tenteriis. *Continuatio materiæ proximè præſcriptæ.*

Damna equorum & boum, præter porcos, oves, & gallinas, de Maneriis & aliis rebus, C. marcas. Exceptis etiam irreſtaurabilibus damnis de ſilvarum abſciſſionibus.

De jactura Camerarii.

QUando verò Rex *Johannes* venit apud *Redburnham*, hæc erat jactura Camerarii. Amiſit tres bonos equos, & duos aſinos, & unam bonam novam Bigam ferratam.

Summa pretii horum, ad minus L. ſolidorum. Et aliæ perditiones, quæ ad pretium ſexaginta ſolidorum aſcenderunt. Iterum, quando *Falco* venit apud *Langeleiam*; in incendio trium domorum, & XXXV. porcorum; quorum pretium aſcendit ad X. libras; Iterum amiſit idem Camerarius, quinque Equos, & quædam quæ non poſſunt de facili computari. Unde ſumma pretii æſtimabatur ſex libras & ampliùs. Item pro Aratro ſuo X.

X. ſolidos. Iterum tempore *Ricardi* Camerarii unam marcam. Iterum quando Mareſcallus *Francorum* venit, perdidit XXIV. equos; in bobus & porcis, & aliis rebus, ad minus valorem XL. marcarum. Iterum apud *Wineſlawe* amiſit VII. equos, in vaccis, ovibus, Auſis* & Gallinis, ad pretium X. marcas ad minùs. Ita quòd ſumma jacturæ Camerarii, aſcendit ad minus ad pretium L. & octo librarum.

* *Major* Cotton. Aucis *ſcil. anſeribus.*

De damnis autem aliorum obedientiariorum, videlicet Sacriſtæ, Eleemoſinarii, & aliorum; quia moroſum & difficile ſcribere, intelligenti per prædicta relinquimus. *Sed hæc & ſumma* pecuniæ perditæ, & tenſeriæ datæ tempore Guerræ, de Maneriis Abbatis *Gulielmi* ſuorumque hominum, ſuoque tempore, & Domini *Martini* Cellerarii, & *Walterii:* Duo millia librarum & quingentæ libræ, & quinquagintaquinque libræ.

Nota ſummam inæſtimabilem.

De Coquina.

DE amiſſionibus de *Eſtuna*, XLVII. libræ, & II. ſolidi, & ſeptem denarii. Summa amiſſionum hominum de *Tydelneſtre*, XXIV. libræ, & quatuor ſolidi. Summa Amiſſionum de *Sepehalle*, XLVIII. libræ, & XVI. ſolidi. Summa Amiſſionum hominum de *Apes*, XV. libræ & III. ſolidi. Summa Amiſſionum hominum de *Rokemeſtude*, octies XX. libræ, & XI. libræ.

Quoddam factum Willielmi *Abbatis laudabiliter.*

De quodam facto miſericorde & laudabili, prædicti Abbatis: à domino Papa & Cardinalibus, multipliciter commendato.

AD titulos autem dinoſcitur, ipſius Abbatis *Willielmi* pertinere, quòd cum Magiſter *Hugo* Natione *Italicus*, Eccleſiam de *Herteburna* per intruſionem *Romanæ* Curiæ violenter obtinuiſſet: cavens conſcientiæ ſuæ quam graviter læſam ſenſerat, venit ad Abbatem *Gulielmum*, & dixit ei cum lachrymis, " *Domine*, illegitimum ingreſſum habui ad Eccleſiam veſtram, quæ ad " donationem veſtram pertinet: unde fructus ægro animo plurimis annis (heu mihi) re" cepi temerarius. Ipſam igitur, pater ſancte, in manibus veſtris reſigno. Cui Abbas miſeratus & miſertus reſpondit. Non inveni tantam fidem in aliquo Tranſalpino. Et ego ipſam recipio. Et poſt dimidium unius horæ intervallum cum ſilentio, ipſe Abbas nullius (præterquam Spiritus Sancti fretus Conſilio) recolens qualiter beatus *Thomas* Martyr *Cantuarienſem* Archiepiſcopatum in manus Papæ (quia ingreſſum habuit imperioſis precibus Regis *Henrici*) reſignavit; & iterum Canonicè inſtitui promeruit; accito *Hugone* ait. Et ego tibi eam charitativè confero, ut tua ſerenetur Conſcientia. Quam recipiens cum gratiarum actionibus, multis annis vixit idem *Hugo* ſanctiſſimè. Quod audiens Papa cum ſuis Cardinalibus, factum quamplurimum laudavit; ſed ſimilia facere recuſavit.

Hæc eſt compoſitio facta inter Thomam *Epiſcopum Norwicenſem, & Priores de* Wymundham & Binham, *tempore Abbatis* Willielmi.

Nota, *In minori* Cottoniano, (*quem ſecuti ſumus*) *ad hunc locum ſic inveni ſcriptum, manu Nobiliſſimi doctiſſimique* D. Roberti Cotton. *Scilicet*, Huc uſque cum Libro M. Forteſcue.

Nota, *Hic iterùm, monendus eſt lector, quòd Hic nos deſerit Codex major* Cottonianus. *Sequentes enim* Compoſitiones *inter Abbatem* Willielmum, & Norwicenſem, Lincolnienſem, & Dunelmenſem, *Epiſcopos, non habet. Quas tamen omnes Codex agnoſcit* Spelmannianus.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, *Martinus*, Decanus *Londonienſis*, R. Archidiaconus *Middleſexiæ*, & Magiſter de *Arcubus*; gerens vices Epiſcopi *Roffenſis*: Salutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd, cùm mota eſſet Controverſia coram nobis auctoritate literarum Domini Papæ, inter venerabilem Patrem *Thomam* Epiſcopum *Norwicenſem* ex una parte, & de *Binham*, & de *Wymundham* Priores, ex altera; ſuper obedientia & reverentia dicto Epiſcopo à prædictis Prioribus ratione Parochialium Eccleſiarum quas habent in Epiſcopatu ſuo præſtanda; & ſuper viſitatione, procuratione & ordinatione Vicariarum in eiſdem Eccleſiis:

Tandem interveniente conſenſu & voluntate Domini *Norwicenſis* Epiſcopi, & Prioris & Capituli *Norwicenſis*, & Domini Abbatis Sancti *Albani*, & ipſius Capituli, & dictorum Priorum de *Binham* & de *Wymundham*, & ipſorum ſimiliter Conventus; in forma perpetuæ pacis inter partes, auctoritate noſtra ſub forma ſubſcripta amicabiliter eſt compoſitum; videlicet, quòd prædicti Priores de *Binham* & de *Wymundham* præſentabuntur Epiſcopo *Norwicenſi*, qui pro tempore erit, & eidem facient Canonicam obedientiam, & ad Synodum venient, vel procuratorem aut excuſatorem literatoriè mittent, & inter alios Priores ſedebunt. Habitu tamen itineris non mutato niſi velint; videlicet, in Cappis, & Calcaribus. Item convenit, quòd Vicarii ad præſentationem dictorum Priorum, inſtituantur per Epiſcopum in ſingulis Eccleſiis parochialibus, quas habent dicti Priores in Epiſcopatu *Norwicenſi*. Videlicet, in Eccleſiis parochialibus de *Wymundham*, de *Binham*, de *Sneateſham*, & *Derſingham* de *Happesburge*, quos Vicarios ad dictas Eccleſias præſentatos, Epiſcopus *Norwicenſis* pro tempore, ſine difficultate aliqua admittet; Ita videlicet, quòd taxationi Vicariarum, in Eccleſiis de *Hapesburge*, & de *Sneateſham*, jam factæ, ſtetur. Vicaria autem Eccleſiæ de *Dirſingham* erit vii. Marcarum in obventionibus Altaris, ſecundùm juſtam æſtimationem bonorum virorum & juratorum de Capitulo. In Eccleſiis de *Binham* & de *Wymundham*,

mundham, ita fiat æſtimatio Vicariarum, quòd conſiderata æſtimatione quæ facta fuit tempore viceſimæ aſſignabatur ſexta pars illius æſtimationis, in obventionibus Alteriagiorum, perpetuis Vicariis in dictis Eccleſiis ab Epiſcopo pro tempore inſtituendis, vel octava pars æſtimationis in certis portionibus illarum Eccleſiarum de novo faciendæ, per viros fide dignos & juratos de Capitulo. Ita quod Epiſcopus inde habeat optionem. Item convenit, quod pro viſitationibus in prædictis Eccleſiis parochialibus, ab Epiſcopo vel ejus miſſo annuatim faciendis, habeat Epiſcopus de Prioratu de *Binham* viginti ſolidos, & de Prioratu de *Wymundham*, quadraginta ſolidos per annum, in Synodo Paſchali *Norwicenſi.* Et facta eſt Compoſitio, ita quod occaſione ejuſdem, non derogetur privilegiis Monachorum *Sancti Albani* in aliquibus aliis articulis, ſalvo etiam jure cujuſlibet alterius, & ſalva ſit Domino Abbati *Sancti Albani*, poteſtas exceſſus Monachorum corrigendi, & amovendi,& ſubſtituendi Priores: ſecundum quod viderit expedire ſecundum Regulam Sancti *Benedicti*, & ordinis ſui inſtitutionem.

Ad majorem autem ſecuritatem, unà cum Sigillis noſtris, oppoſita ſunt præſenti ſcripto Sigilla Epiſcopi & Conventus *Norwicenſis*, & Abbatis & Conventus *Sancti Albani*, & Priorum de *Binham* & de *Wymundham*, & eorum Conventuum. Acta in Eccleſia Sancti *Pauli London.* pridiè Nonas Novembris, Anno Incarnationis Dominicæ, M. CC. XXVIII.

Compoſitio facta inter Epiſcopum Lincolnienſem, & *Abbatem* Sancti *Albani.*

UNiverſis ſanctæ Matris Eccleſiæ filiis, ad quos præſens ſcriptum pervenerit. *Richardus* Dei permiſſione *Sarisbirienſis* Eccleſiæ Miniſter humilis, & *Willielmus* & *Richardus*, ejuſdem permiſſione de *Weſtmonaſterio* & de *Walsham* Abbates, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd cum inter Epiſcopum *Lincolnienſem Hugonem* ſecundum, ex una parte,& *Gulielmum* Abbatem & Conventum Sancti *Albani* ex altera, coram diverſis Judicibus auctoritate literarum Domini Papæ *Honorii* tertii, ſuper diverſis petitionibus quæſtiones mutuæ verterentur. Videlicet, coram me *Sarisbirienſi* Epiſcopo & conjudicibus meis,ſuper ordinatione vicariæ Eccleſiæ de *Luituna*; Item coram nobis *Weſtmonaſterii* & *Waltham* Abbatibus, & Priore ſanctæ *Trinitatis London*, ſuper ſubjectione Cellarum de *Beauvoir*, de *Hertfort*, & de *Bello loco*, & ſuper taxatione vicariæ Eccleſiæ de *Luituna*, & ſuper cuſtodia ejuſdem cum vacaret. Et ſuper appropriatione omnium Eccleſiarum, in quibus jura pontificalia non habent Abbates Sancti *Albani*: Et aſſignatione Vicariarum in eiſdem, necnon & Cuſtodiis earundem Eccleſiarum & Vicariarum,cùm eas vacare contingeret. Item coram Abbate de *Sibeton* & conjudicibus ſuis, ſuper portione quam dicti Abbates & Conventus tenent in proprios uſus in Eccleſia de *Luitona.* Tandem recepta die pacis inter eos reformandæ, poſt mutuum tractatum (nobis mediantibus inter eos) amicabiliter habitum; Epiſcopus *Lincoln.* per literas Capituli ſui de rato ſpeciales ad componendum; & Abbas Sancti *Albani* per literas Capituli ſui, de rato ſimiliter ſpeciales ad componendum procuratores conſtituti, ſuper omnibus præmiſſis petitionibus & querelis, ad reformandum amicabiliter pacem inter eos & eorum Eccleſias,pro ſe & pro Capitulis ſuis ſimpliciter & abſolutè, noſtræ ſe ſubjecerunt ordinationi, promittentes ſolemniter coram nobis & multis aliis in verbo Dei, quòd noſtræ ſtarent in hac parte irrefragabiliter ordinationi. Nos igitur Deum habentes præ oculis, & utriuſque Eccleſiæ proſpicientes in poſterum paci & tranquilitati, pacem inter eos amicabilem providimus & ordinavimus in hunc modum. Scilicet, de vicaria Eccleſiæ de *Luitona*, (cujus occaſione ſuper cæteris mota eſt controverſia) ſic erit. Quòd in Eccleſia de *Luitona* perpetua ordinetur Vicaria. Ita ſcilicet, quòd qui pro tempore erit vicarius, habebit nomine perpetuæ Vicariæ, omnes obventiones, & omnes minutas decimas Eccleſiæ de *Luitona*, & omnium Capellarum ad eam pertinentium; Et omnia alia ad eandem Eccleſiam & Capellas pertinentia, cum manſo competenti, exceptis Garbis, & terra ad Eccleſiam & ad Capellas pertinente; Et inde Vicarii ſuſtinebunt omnia onera Eccleſiæ Parochialia, Synodalia,Archidiaconalia, Ordinaria & Conſueta, ſicut Vicarii. Vicarii autem in Eccleſia de *Luitona* ſucceſſivè inſtituendi, præſentabuntur Epiſcopo *Lincolnienſi* & ſucceſſoribus ſuis, ab Abbate & Conventu Sancti *Albani*, vel à Conventu, vacante Abbatia. Epiſcopus verò & Succeſſores ſui, Idoneos viros ſibi præſentatos, ſine moræ diſpendio & ſine difficultate, admittere tenentur. Habebit autem Epiſcopus & Succeſſores ſui, plenam juriſdictionem in Eccleſia de *Luitona*, & cuſtodiam ejuſdem Vicariæ cum vacaverit.

Nota, *Hæc Compoſitio eadem ipſa eſt, ad quam nos refert* Matthæus *noſter, in primo Capitulo* Hiſtoriæ *ſuæ, ad Annum Domini* 1219. *ubi tamen inſinuavit, eam eſſe in libro* Additamentorum.

De aliis verò Eccleſiis, quas Abbas & Monachi Sancti *Albani* ad proprios uſus petebant, & aſſignatione Vicariarum & cuſtodiis utrarumque, quas idem Abbas & Monachi ſibi ſimiliter vendicabant, ita erit. Quòd Epiſcopus *Lincolnienſis* & ejus ſucceſſores, per hanc ordinationem noſtram erunt in perpetuum ſine lite ab alterutra parte movenda, in eo ſtatu, quo idem Epiſcopus fuit ante litem motam.

De

De Cellis autem ita erit. Cùm in eiſdem ſubſtituendus fuerit Prior, ab Abbate & Conventu, providebitur præſentandus Epiſcopo *Lincolnienſi* & ſuis ſucceſſoribus, ſuſcepturus ab eodem & ſucceſſoribus ſuis, ſine difficultate & ſine moræ diſpendio adminiſtrationem ſpiritualium. Videlicet, Eccleſiarum parochialium, penſionum decimarum, & ſiqua ſunt ſimilia. Ratione quorum, faciat dicto Epiſcopo & ejus ſucceſſoribus, Canonicam obedientiam cum reverentia & honore, ſicut ſuo Epiſcopo Dioceſano exhibendis.

Statuimus tamen, quòd ſalva ſit Abbati & ejus ſucceſſoribus Cura animarum, in Monachis apud Cellas ſuas per Epiſcopatum *Lincolnienſem* commorantibus. Salva etiam ſit eidem & ſucceſſoribus ſuis, plena poteſtas ponendi Monachos in Cellis, & inde amovendi, & eorum exceſſus, in hiis quæ ad ordinem & Regularem obſervantiam pertinent, corrigendi. Ipſos etiam Priores ſub forma præſcripta admiſſos, ſine contradictione aliqua liceat Abbati & ſucceſſoribus ſuis revocare, prout viderint expedire. Ordinamus etiam, ut omnes lites, & omnes querelæ ſuper præmiſſis omnibus motæ, inperpetuum conquieſcant, & nulla reſcripta ſuper præmiſſis impetrata, vel in poſterum impetranda, contra iſtam ordinationem, vires habeant vel effectum. Et in hujus rei robur & teſtimonium, tam nos quam prædictus Epiſcopus & Capitulum *Lincoln.* Abbas prædictus & Conventus Sancti *Albani*, præſenti ſcripto ſigilla noſtra appoſuimus. Acta in Capitulo *Weſtmonaſterienſi*, ann. ab Incarnatione Dom. M.CC.XIX.

Nota, *Lector, in hoc loco Minoris* Cottoniani *Codicis & Spel*manniani; *ſequi compoſitionem inter Abbatem Sancti* Albani, *& Epiſcopum* Dunelmenſem, *quam tamen omiſimus, quia totidem verbis habetur in* Hiſtoria, *ad Annum* 1247.

Quid Abbas debeat Domino Regi de ſervitio ei debito. Et quid alii debeant ipſi Abbati, quædam dilucidatio.

Nota. *Neque hoc habent aut* Spelmannianus, *aut major* Cottonianus.

ABbas de Sancto *Albano* debet Domino Regi ſex milites, unde *Baldwinus Wake* fuit homo ſuus de uno milite, *Richardus* de *Crokeſle* & *Philippus* de *Oxhaie*, tenent feodum unius militis. *Richardus* tenet ſex hidas & dimidiam, & *Philippus* duas. *Rogerus* de *Childewike* & *Robertus* filius *Oliveri*, & *Alicia* de *Brutewelle*, tenent feodum unius militis. *Rogerus* tenet tres hidas & dimidiam, *Robertus* filius *Oliveri* unam hidam. Et *Alicia* unam hidam. *Richardus* filius *Alexandri*, & *Richardus* de *Wudewike*, & *Warinus* filius *Geroldi*, & hida de *Burſtona*, & hida dimidia de *Garſton*, quam Monachi tenent ad Coquinam, & una virgata de *Saret*, unde filius *Acarii* tenet medietatem, & *Nickolaus Beleſmeius* aliam medietatem, tenent feodum unius militis. De quo feodo *Richardus* filius *Alexandri* tenet tres hidas & unam virgatam. *Richardus* de *Wudewike*, unam hidam, *Warinus* filius *Geroldi*, unam hidam. *Henricus* de *Gorham*, & *Johannes* de *Rungetune*, tenent feodum unius militis. De quo feodo *Johannes* de *Rungetune* tenet duas hidas, *Henricus* verò de *Gorham*, quatuor. *Galfridus* de *Cheldewike*, & *Rogerus* de *Meredine*, & *Gulielmus* de *Siſſeverne*, & *Gulielmus* de *Nortune*, tenent feodum unius militis. De quo feodo *Galfridus* de *Childewike* tenet duas hidas & dimidiam, *Rogerus* de *Meredene* duas hidas & dimidiam. *Gulielmus* de *Siſſeverne*, unam hidam & dimidiam virgatam. *Gulielmus* de *Nortuna* unam hidam & unam virgatam.

Baldewinus Wake tenet feodum unius militis, de quinque hidis & dimidiam. De quo feodo *Robertus Taileboyes* tenet unam hidam & dimidiam. *Radulphus Pirot*, ſeptem virgatas, *Galfridus* de *Childwike*, unam hidam. *Richardus* de *Reynes*, dimidiam hidam. Eleemoſynarius de Sancto *Albano* unam virgatam, Sanctimoniales, dimidiam hidam.

De Fulgure in Villa Sancti Albani.

TEmpore iſtius Abbatis *Gulielmi* cecidit fulgur in Villa Sancti *Albani* in domo *Simonis* filii *Aylwini*, & poſtibus contortis & in fruſta fractis & convulſis, totam domum concuſſit die Sancti *Germani*.

De Fulgure ſuper Eccleſiam Sancti Albani.

TEmpore iſtius Abbatis *Willielmi*, cecidit fulgur ſuper Eccleſiam ultra theſaurariam in culmine ſuperiori, & perforato plumbo, & per ipſum fulgur liquefacto, conſumpta eſt pars ligneæ materiei. Et cùm fœliciter ibidem ſtetiſſet, Cuva plena Aquæ, quæ appoſita ibi fuit ad aquam per quandam rimam inſtillantem, recipiendam; per ipſam aquam extincta eſt incenſio, quæ totius Eccleſiæ minabatur conſumptionem. Hoc evenit die Sancti *Valentini*.

Item alia vice cecidit Fulgur tempore *Gulielmi* Abbatis, ſuper Clauſtrum juxta refectorium: & aperto plumbo, accenſa eſt materies lignea.

Nota. *Scias, Lector, nos tres paginas fere integras, conſulto hic prætermiſiſſe. Placitum illud forenſe, ſcilicet, inter Abbates* Weſtmonaſterii *&* Sancti Albani. *Lis enim iſta non erat cum Abbate* Willielmo, *ſed cum ejus ſucceſſore* Johanne. *Imo, ad librum* Additamentorum *potius erat amandandum. Ob eaſque etiam rationes, & alia quæ in eodem libro minore* Cottoniano *immediate ſequebantur, omittenda duximus.* Chartam, *ſcilicet*, Regis Henrici de Warenna, conceſſam Abbati Johanni; *quam & in* Additamentis *noſtris invenies. Et*

quiddam

quiddam (*ut Rubrica præ ſe fert*) ſumptum de veteri libro *de Rege* Offa. *Simul cum* duplici exactione Innocentii *Papæ*, & Compoſitione cum Epiſcopo Dunelmenſe.

De morte Willielmi *Abbatis.*

ABbas autem memoratus *Willielmus*, (cujus negligentias & delicta non memoramus ut præconſuevimus aliorum, quia reſpectu beneficiorum ejus nulla ſunt, nec ſunt reputanda) migravit à ſeculo, Anno Domini M.CC.XXXV. die Sancti *Matthiæ*, poſtquam Eccleſiam ſuam annis viginti, & menſibus ferè tribus, rexiſſet. Et ſepultus eſt iii. Kalend. Martii, ab Abbate de *Wautam*. Quo ſepulto, incontinenti tres fratres ad Regem ſunt deſtinati, ut ab eo impetrata ritè eligendi poteſtate Abbatem eligerent, & ut haberent domum in manu ſua quietè (præter Eſcaetas, & Eccleſiarum collationes) dederunt Regi CCC. Marcas.

NOTA.

L*Ectorem hic monemus, plurima eorum de electione* Johannis *Abbatis, quæ proximè hic ſequuntur, ad verbum etiam reperiri in* Hiſtoria *noſtra, ad Annum* 1235. *Monemus iterum, plura de Electione prænominata in minori* Cottoniano (*quod ſequimur*) *quàm in Majore inveniri. Imo, quæ habentur in majori, non ponuntur* (*ut hic*) *in* Willielmo, *ſed in* Johanne *Abbate. Sub* Johanne *habentur etiam, in Codice illo abbreviatio, ſcilicet,* Spelmanniano.

Johannes, *vigeſimus tertius.*

J*Ohannes* ſecundus huic ſucceſſit, creatus in Abbatem. Iſte de *Hertfordia* oriundus, & in Cella quæ ibidem eſt primò in Sacriſtam, poſtea in Priorem à memorato Abbate promotus; vir extitit dapſilis & manſuetus, corpore elegans, fratribus ſuis ſocialis, & reliquis amabilis univerſis. Et à ſtirpe mediocri, laudabili, ac manſueta procreatus legitimè, de virtute in virtutem progrediens, preclaræ famæ dotibus meruit honorari. Unde meritis ejus promerentibus, ritè meruit in Abbatem, ſine alicujus contradictione, ſublimari. Et quia primus erat in Abbatem creatus poſt Concilium *Laternenſe* generale, à Papa *Innocentio* ter" tio celebratum (in quo conſtitutum erat, ut Abbates exempti, ab ipſo Papa confirmarentur, & prædeceſſor ejus *Willielmus*, circiter viginti annis in proſperitate prævixerat) hæſitabat quid agendum foret de hujus negotii progreſſu, & egreſſu (nec mirandum) univerſi. Vocatus igitur ad conſilium, Conventus Priore de *Duneſtaple*, *Richardo* de *Mores*, & *Thoma* de *Thynemua* Canonico de *Meritona* Magiſtris ſolemnibus (qui & *Bononiæ* & alibi, præcognita ad plenum Logica, in Jure, & Canonum rexerant ſanctionibus) Magiſtro *Stephano* de *Eglefeld*, & Magiſtro *Roberto* de *Kingham* Clericis noſtris, & ſenioribus ac ſanioribus ipſius Conventus, conſultè ac prudenter in tam arduum negotium, & tutiùs proceſſerunt, ita ut poſteri in ſimili caſu conſtituti, poterunt edoceri. Et quia tunc habuimus viros diſcretos Juriſperitos, in arduis negotiis expeditos, & nobis fideles & amicos, quibus commiſimus negotii noſtri & arcani conſilii Lora gubernanda, rei progreſſum indelebilibus literis duximus commendandum. Literæ igitur ad Dominum Papam, & ad Dominum Regem, & alios tranſmittendæ, illicò poſt mortem nominati Abbatis ſcilicet *Gulielmi*, & electionem ſequentis, ſcilicet, *Johannis*, confectæ ſunt.

De proceſſu circa ſepulturam Abbatis, ante Lateranenſe Concilium, communiter uſitato.

Et ne tranſeamus officium ſepulturæ Abbatis *Willielmi*, libet hanc interpoſitionem pauliſper materiæ continuationem prærumpendo inſerere, ut legentes de Abbatum ſepultura, necnon & de modo hujus electionis, inſtruantur. Corpus equidem cùm in camera Abbatis ubi obiit (ſcilicet circa horam nonam) exanimaretur, exutum eſt & lotum; & niſi die antecedente proxima raſus non extitiſſet, utique raderetur corona & barba ejus. Deinde intromiſſis (non utique omnibus, ſed) maturis & diſcretis fratribus, & uno ſolo miniſtro ſeculari (videlicet, miniſtro Sacriſtæ qui officium Anatomiæ peracturus erat) inciſione corpus apertum eſt à trachia uſque ad occiduam corporis partem. Et quicquid in corpore repertum eſt, in quadam Cuna repoſitum eſt, ſale conſperſum. Et in Cœmeterio, non procul ab Altare Sancti *Stephani*, veneranter cum benedictionibus & pſallentium devotione, eſt humatum. Ubi proceſſu temporis, tumbula marmorea extitit adaptata. Corpus autem interius, aceto lotum & imbutum, & multo ſale reſperſum & reſutum. Et hoc ſic factum eſt, circumſpectè & prudenter, ne corpus per triduum & amplius reſervandum tetrum aliquem odorem olfacientibus generaret, & corpus tumulandum, contrectantibus aliquod offendiculum præſentaret. Et erat jam adeo mundum & leve ipſum corpus, & facies rubicunda (non ſine multorum admiratione) & inexhauſta, ut multis videretur jucundum & optabile, illud corpus manibus contrectare, & tanquam ſanctum, humeris ſupportare.

Videres

Videres igitur aliquos fratrum dolentes manus contorquere, lachrymari, lamentari, & vividam faciem ejus, ambabus manibus amplexatam dulciter & amicabiliter deoſculari. Erat nempe dormienti ſimilior, quàm extincto; & qui vivus omnibus amabilem ſe exhibuerat, etiam mortuus, ad charos amplexus & oſcula; pater filios, paſtor gregem, Abbas Monachos invitavit.

Portabatur igitur corpus à camera quæ dicitur Abbatis ubi expiraverat, in Infirmariam, & ibidem pontificalibus eſt indutum; Mitra Capiti appoſitum, manibus chirothecæ cum annulo, & dextro ſub brachio, baculus conſuetus, manibus cancellatis, ſandalia in pedibus decenter aptata. Et depoſito cooperculo à feretro, poſitum eſt corpus ſuper illud, & faſciis caute ligatum ne caderet cum portaretur evolutum; prolatum eſt à lavatorio ubi hæc parabantur, ante oſtium Infirmariæ, & demiſſum eſt ſicut corpora aliorum mortuorum. Et loco in eodem, donec pro eo ſicut pro alio Fratre defuncto, conſuetæ, Collectæ dicerentur, cum prædictis ſeptem Pſalmis pœnitentialibus, & omnibus quæ ſecundum Conſuetudinem dici debent, dum corpus (ut prædictum eſt) ornaretur.

Pulſato igitur ſollemni Claſſico; deportatum eſt Corpus in Eccleſiam; ſequente Conventu & Pſallente conſueta. Et illicò, vidente toto Conventu & quolibet introducto, Confractum eſt ſigillum Abbatis uno Martello ſuper unum graduum Lapideorum ante majus Altare; ita ut tota Celatura (imaginis ſcilicet & literarum) deleretur. Exinde non defuit Pſalmodia, die ac nocte ſolemnis & aſſidua. Et ad majus Altare cotidiè Miſſa ſolemnis, (ſicut ſolet fieri pro fratre mortuo) Prima exiſtente, in Albis; & qui Chorum tenebant, in Capis, accenſis cæreis quamplurimis: & ſic uſque in diem venerabiles exequiæ continuabantur. Conceſſus eſt introitus in presbyterium, omnibus ingredi de die volentibus, & corpus intueri deſiderantibus. Non enim vidimus mortuum ſpecioſiorem, & mirum dictu, nec etiam vivum, vel in proſperitate ſanum; nunquam ipſum vidimus pulchriorem. Unde qui mundiciam corporis & decorem perſpexerunt, cenſuerunt & veraciter affirmarunt ipſum Angelicum, ad Angelorum contubernia pertinere, cum ſimilium facilis ſit emigratio. Interim fiebat larga eleemoſinarum pauperibus diſtributio: ingemiſcentibus omnibus eiſdem, quòd talem ac tantum animarum & corporum paſtorem amiſerunt; Monachiſque ſuſpiria ab alto trahentibus, eò quòd ordinis Monaſtici, & Officii Eccleſiaſtici, ſuſtentatore privarentur. Conſueverat namque rediens ab itinere omnes ad portam pauperes introducere reficiendos. Et quolibet die in Officiis agendis in Capitulo, majori Miſſæ, etiam privatis diebus, intereſſe; & alacriter cantando, omnes ad opus ſimile promptiùs incitare; diebus feſtivis, imò etiam ſimplicibus duodecim Lectionum, celebrandis veſperis intereſſe; & Completorio cotidie; Matutinis inſuper duodecim Lectionum, indeficienter aſſiſtere. Lectionem ſuam legere, & canere Reſponſorium. *Te Deum Laudamus*, inchoare, & cum ſtantibus ſtare per vices ſuas, & totum Chorum exemplo ſui, alacriter animare; Miſſæ quoque quæ in Commemoratione Beatæ Virginis cantatur, ſemper intereſſe in medio Choro mitratus; & feſtis præcipuis, Miſſam ad majus Altare ſemper celebrare. In duplicibus feſtis, Chorum mitratus tenere: & reliquis diebus, in ſtallo ſuo ſtans chorum regere, & omnia alacriter cantare. Et quando in Capis vel albis fuimus, Reſponſorium ſuum ad Miſſas, ad nutum cantoris canere. Et non procul à ſede ſua, ſed circiter medium Chori, Unctionibus infirmorum ſemper intereſſe; & exequias in propria perſona peragere. Nunquam vidimus eum alibi quam ad majus Altare, profeſſiones Novitiorum recipere, propter hoc in profeſſione contentum in hoc Monaſterio, quod eſt *con*, &c. Et hæc eſt recta & juſta hujus Eccleſiæ conſuetudo, ab ejuſdem conſtructione, & omnibus aliis Cœnobiis, omnibus proceſſionibus (maximè Dominicis) intereſſe; nunquam horam, quando Conventus conſuevit comedere, anticipare. Fabricæ Eccleſiæ & ejus operibus & ornatibus, efficax Auxilium impendere. In libris ſtudere. Et in capitulo prædicare. Scriptoribus eſſe favorabilis, & eorum Magiſtris. In dubiis, tam conſuetudinibus ordinis quàm obſequiis divinis, ratione prævia omnium, etiam ſenum, Inſtructor & Certificator*. Ad ardua Eccleſiæ negotia, primus ſemper prælocutor, & de vino vel aliis cum contingentibus, adjutor *efficaciſſimus*. Et Dator, vel principalis Auctor, alacer & devotus. Omnibus Potentibus Regni & Prælatis, reverendus & venerandus; necnon & amabilis. Hæc recordantes fratres, intima devotione pro tanti Paſtoris anima; & pſallebant, & Miſſas quotidiè, corpore adhuc inhumato, mixtis ſuſpiriis cum fletibus celebrabant. Vocavimus igitur Amicum noſtrum ſpecialem, Abbatem ſcilicet de *Waltham Henricum* nomine; ut Sanctus ad Sancti corpus tumulandum venire, charitatis & vicinitatis intuitu, non omitteret. Ipſe igitur ut vir ſanctus & devotus, ad tam pium officium venit gratanter, etſi non gratulanter. Et ipſe Abbas pontificalibus redimitus, corpus pontificalibus ſimiliter adornatum, baculo alterato ſolemniter valde toto aſſiſtente Conventu veſtito, in medio capitulo tumulavit. Conſtitutaque ſunt pro anima defuncti, conſueta beneficia & injuncta. Inceptumque annuale inchoante Priore, & Pſalmus, *Voce mea*, & Conradium cotidianum per annum, ut moris eſt pro Abbatibus defunctis. Et proviſum eſt fieri ejus Anniverſarium; ex ſuis (quas opimas vivus fecerat) adquiſitionibus. Et dum hæc fierent, affuit frater *Richardus*; Cuſtos ſcilicet Eccleſiæ *Sanctæ Mariæ de Pratis*; exigens *Conradium* Abbatis ſibi

* Eſſe.

ſibi perpetuò ad opus Leproſarum ibi manentium, concedi; ſecundum tenorem Chartæ confectæ ab Abbate *Garino*, ejuſdem domus fundatore. Quod & ita revera proviſum fuerat ab eodem; ut ſcilicet à tempore Abbatis *Galfridi*, poſt deceſſum cujuſlibet Abbatis; Conradia, tam tunc mortuorum, quàm in poſterum moriturorum uſque ad treſdecim; ipſis Dominabus leproſis pro animarum eorundem redemptione concederentur. Defunctis igitur, *Galfrido*, *Radulpho*, *Roberto*, *Simone*, *Warino* & *Johanne* Abbatibus; inſtabat *Willielmo* jam defuncto; Conradium ſeptimum conſequenter; quod & ſine difficultate conceſſum eſt. Juxta quod ſciendum, quòd *Adam* Cellerarius habet adhuc unum Conradium, de hac domo perpetuum; quod incluſa de *Sancto Michaele* quæ pro tempore fuerit, obtinebat.

Redeuntes autem ad materiæ noſtræ continuationem; de electione & modo eligendi (quia inſolitum habuimus in illo negotio ingreſſum & progreſſum,) pleniùs ad ſequentium inſtructionem pertractemus.

Mortuo igitur ut prætactum eſt Abbate *Willielmo*, die beatæ *Mathiæ* Apoſtoli hora nona, poſtquam Eccleſiam Beati *Albani* ſtrenuè rexiſſet, & ordinem Monaſticum viriliter ſuſtinuiſſet, annis triginta, & menſibus fere tribus. Et ſepulto tertio Kalendas Martii, in capitulo; eadem die tres fratres ad Dominum Regem ſunt deſtinati, ut ab eo impetrata libera ritè eligendi facultate Abbatem, ne Grex Domini diu detrimentum pateretur, eligerent; Opitulante igitur beato Martyre (cujus auxilium Conventus cotidiè proceſſionaliter ante ejus feretrum nudis pedibus pſallens ſeptem pœnitentiales Pſalmos progrediens, & proſtratus collectas ad hoc proprias inſtanter & devotiſſimè dicens) obtinuerunt Fratres memorati à Domino Rege, cum licentia eligendi, gratiam habendi domum ſuam totam in manu ſua. Exceptis Excaetis & Eccleſiarum collationibus, à die obitus prædicti Abbatis uſque in annum completum, trecentis tamen marcis pro hac conceſſione, in arcano numeratis. Infra quem terminum contigit Eccleſiam *Sancti Juliani* vacantem, magiſtro *Nicholao* auctoritate Regia conferri. Quod cum remeantes fratres à curia Conventui retuliſſent; gaviſi ſunt, quòd non in retiacula, Regiorum ſatellitum forent illaqueandi. Erat namque quidam miles nomine *Adam* filius *Willielmi*, nummoſus quidem;,(ſed nummoſior eſſe cupiens) Dominus de *Heatfild*; (quæ non multùm diſtat à *Santrugia*) tunc Domini Regis Eſcaetor; dictæ impetrationis pœnitus adhuc ignarus. Hic cùm ad Sanctum *Albanum* venire properaſſet, trahens ſecum magnam ſuorum ruſticulorum catervam, quos propoſuit cunctis officiis Domus Sancti *Albani*, & Ballivis expulſis aliis, ſubrogare; Cum inſpectis Regiis Literis de veritate rei prænarrata, certificaretur, qui adveniens tumidè nimis reboavit, rediit triſtis & ſilens, quaſi malleo contradictionis repercuſſus. Hæc idcircò interſerui, ut ſciant poſteri quanta eſt miſeria & ſervitus, talium ſatellitum & arbitriis ſubjacere, qui cum Regi fideliter creduntur: famulari, ſuis ſecundùm fas & nefas, inhiant emolumentis.

Scimus enim ex ſequentibus certificati, quanta damna multipliciter Eccleſiæ huic inferre, vicinus, & notus ac familiaris impoſtor ille moliebatur. Hoc igitur negotio prudenter pro tempore completo, noſtræ intendebamus electioni. Et quia diſperſi & remoti erant ipſi, qui nobilia membra Eccleſiæ fuerunt (videlicet Priores Cellarum qui intereſſe debuerant) ipſos illicò, & omnes qui debuerunt & voluerunt electioni intereſſe, fecimus convocari: obtentis ante literis a Domino Rege, tam de licentia eligendi, quàm de domo noſtra in manu noſtra retinenda (ut prætactum eſt) ſecuriùs deliberando, quid agendum eſſet expectavimus. Et ut pleniùs rei ſeriem retexamus, literas noſtras Domino Regi Miſſas, huic paginæ duximus ſimul cum aliis literis, inſerendas.

Literæ Miſſæ Domino Regi, de obitu Abbatis Willielmi.

"EXcellentiſſimo Domino & in Chriſto Reverendiſſimo, *Henrico* Dei gratia illuſtri Regi *Angliæ*, Domino *Hiberniæ*, Duci *Normanniæ* & *Aquitanniæ*, Comiti *Andegavenſi*: "devoti ſui ſemper & humiles, Prior Sancti *Albani* & ejuſdem loci Conventus, cum omni humilitate & devotione æternam in Domino ſalutem. Veſtræ innoteſcimus Excellentiæ, quod venerabilis pater noſter *Willielmus* quondam Abbas Eccleſiæ noſtræ, in fata deceſſit: Ideóque dilectos fratres noſtros *N.* & *N.* latores præſentium ad vos deſtinamus. "Excellentiæ veſtræ omni qua poſſumus devotione, & lachrymarum effuſione, flexiſque genibus ſupplicantes, quatenus divinæ pietatis intuitu, nobis gratiam dignanter impertientes, eligendi Paſtorem liberam nobis concedatis facultatem; ſtatui domus noſtræ miſericorditer, ſi placet, Compatientes, juxta neceſſitates, quas dicti fratres noſtri vobis dixerint exprimendas. Valeat Regia dignitas in æternum. Miſimus inſuper literas amicis noſtris in curia, ſub hac forma: ut ipſi negotium noſtrum expedirent.

CANCELLARIO.

"URgentibus negotiis novis & inopinatis emergentibus, piorum amicorum auxilium familiare & conſilium evidens; ſuadet honeſtas, & compellit inſtans neceſſitas. Ideoque ſinceræ paternitati veſtræ omni qua poſſumus devotione ſupplicamus, quatenus

“divinæ pietatis intuitu, ſtatui domus noſtræ juxta neceſſitates quas fratres noſtri *N.*& *N.* latores præſentium vobis duxerint exprimendas, miſericorditer, & paterno ſubveniatis affectu, eò quòd venerabilis pater noſter *Willielmus* quondam Abbas Monaſterii noſtri, divino nutu diem clauſit extremum. Nos Monachos, ſuos quaſi orphanos, piorum conſilio relinquens & auxilio. Quorum indigentiæ ſic veſtra dignetur conſulere miſeratio, ut Deus pater pupillorum, digna mercede veſtram remuneret pietatem.

Ut conveniant Priores Cellarum ad Electionem.

“FRater *E.* Prior Eccleſiæ Sancti *Albani* ejuſdemque loci Conventus, dilecto ſibi in Chriſto, tali vel tali Priori, ſalutem in Domino ſempiternam. Quùm venerabilis pater noſter *Willielmus* quondam Abbas Monaſterii noſtri, divino nutu diem clauſit extremum, & oportet per Commune Conſilium Eccleſiæ noſtræ providere de Paſtore; Mandamus quatenus in craſtino *Annunciationis Dominicæ* proximo affuturæ, compareas perſonaliter apud *Sanctum Albanum*, unà nobiſcum tractaturus ſuper electione Abbatis. Quod ſi forte non potueris juſta ex cauſa præpeditus, te ſub hac forma excuſes per literas tuas patentes. Viris venerabilibus Domino *E.* Priori de *Sancto Albano* ejuſdemque loci Conventui, Frater *N.* Prior talis vel talis loci, tali vel tali, ſalutem. Præpeditus negotio certo, videlicet Aſſignato vel gravi detentus, infirmitate, in craſtino *Annunciationis Dominicæ* apud *Sanctum Albanum* perſonaliter intereſſe non poſſum una vobiſcum ſuper electione Abbatis tractaturus. Ideoque non expectata præſentia mea, in dicto negotio, quod veſtrum eſt exequamini. Valete.

Qualiter excuſari habent, qui non venerunt.

De progreſſu Electionis.

COngregatis igitur fratribus die ſtatuto & præfixo; videlicet die Dominica; non potuimus pro ſolemnitate illius diei tractare de electione. Et cantavimus ea die de Dominica procraſtinantes ſolemnitatem de *Annunciatione* facienda: unde nec in Craſtino, ſcilicet die Lunæ, nequivimus tractare de tam arduo negotio, quod tanta & tam moroſa deliberatione indiguit. Die igitur Martis, convenientibus in unum tam Prioribus, quàm aliis, qui debuerunt & voluerunt commodè in Capitulo intereſſe; elegerunt ſolemniter *Johannem* de *Hartfordia*; Priorem de *Hertford*, Monachum ſuum profeſſum, in Paſtorem Animarum ſuarum: virum pium, & Monachum ordinatum; qui Domino Regi præſentatus; ab eo favorabiliter Dominica in *Ramis Palmarum* (tum quia elegans & venerabilis extitit ſtatura, tum quia audierat quod dapſilis & civilis ac ſocialis fuerat, dum Prior *Hertfordiæ* fuerat) eſt ſuſceptus; Et idcircò promptiùs, quia Rex ſemper domum *Sancti Albani* dilexerat: Cui literas petitorias, à Priore & Conventu ſub hac forma tranſmiſimus.

Literæ miſſæ Domino Regi pro præſentatione Electi.

ILluſtri Domino ſuo & Magnifico, Henrico *Dei gratia Regi* Angliæ, *&c. devoti ſui ſemper & humiles* E. *Prior* Sancti Albani, *& ejuſdem loci Conventus, cum omni humilitate & devotione, æternam in Domino ſalutem.*

Regiæ Excellentiæ veſtræ, Dominum Johannem *Priorem de* Hertfordia, *virum idoneum & honeſtum; quem de benignitate & licentia veſtra nobis conceſſa, in patrem nobis elegimus & Paſtorem, præſentamus. Cum omni humilitate & devotione ſupplicantes, quatenus ex innata vobis benignitate, ſolitaque Clementia erga nos & Eccleſiam noſtram concepta & habita, dictum* Johannem *electum noſtrum, in gratiam recipiatis: veſtrum eidem conſilium, auxilium, & favorem, divinæ, ſi placet, intuitu pietatis impendentes. Valeat,* &c.

Scribit Dominus Rex, Domino Papæ, pro nobis in hoc negotio.

DOminus autem Rex cùm hoc audiſſet, & perpendiſſet progreſſum noſtrum ordinatum & humilem, non tantùm nobis ſuum favorem impertivit, & juvamen, imò Domino Papæ & amicis ſuis in Curia *Romana*, pro nobis ſcripſit ſic:

Reverendo Domino & Patri & in Chriſto chariſſimo, Gregorio *Dei gratia ſummo Pontifici,* Henricus *eadem gratia Rex* Angliæ, *&c. ſalutem: & tam devotam quàm debitam in omnibus, tanto Domino & patri reverentiam. Noverit ſancta paternitas veſtra, Nos electioni factæ de fratre* Johanne *de* Hertford *Monacho de* Sancto Albano, *in Abbatem* Sancti Albani, *Regium adhibuiſſe favorem & aſſenſum. Et quia ad ſedem Apoſtolicam immediatè ſpectat electionis prædictæ confirmatio, hoc ſanctæ paternitati veſtræ duximus præſentium tenore ſignificandum, Devotè ſupplicantes, quatenus eidem electioni munus confirmationis dignemini, ſi placet, favorabiliter impendere. Teſte memetipſo apud* Abendon: *primo die Aprilis: anno Regni mei* XIX.

Item,

Item, Literæ Domini Regis ad amicos ſuos in curia Romana *pro Electo.*

VEnerabili in Chriſto patri & amico ſpecialiter dilecto, I. *Dei gratia* GG. Sanctæ Praxedis *Presbytero Cardinali:* Henricus *Dei gratia* Rex Angliæ, *&c. Quotiens ingruente neceſſitate nos contingit, pro noſtris vel alienis negotiis Apoſtolicæ ſedis implorare ſubſidium, ad eorundem negotiorum expeditionem, veſtra nobis neceſſaria eſt diligentia: quam in omnibus veſtri gratia nobis recolimus ſubveniſſe. Cùm igitur electioni factæ de fratre* Johanne *Monacho* S. Albani *in Abbatem ejuſdem loci, Regium adhibuerimus aſſenſum, & favorem, & immediatè ſubjecta ſit Eccleſia* S. Albani *ſanctæ* Romanæ *Eccleſiæ: Paternitati veſtræ duximus attentè ſupplicandum, quatenus cùm Nuncii & procuratores dicti Electi ad obtinendum à ſede Apoſtolica confirmationem dictæ electionis, ad curiam venerunt; ad aſſecutionem ſui propoſiti in hac parte, veſtra dignetur eis paternitas auxilio & Conſilio ſubvenire. Per quam ſubventionem, multiplicetur vobis gratia noſtra, quam ex diverſorum negotiorum promotione non dubitamus, eis vos comparaſſe. Teſte meipſo, primo,* &c.

Continuatio & regreſſus ad materiam.

INjunctum eſt igitur duobus Fratribus Monachis hujus Eccleſiæ, videlicet Domino *Reginaldo de Bocking* Phyſico, & Domino *Nicholao* de Sancto *Albano*, & cuidam Clerico noſtro, magiſtro ſcilicet *Galfrido* de *Langeleia*, ut Curiam *Romanam* protinùs adirent: ut electionem ritè factam, impetrarent à ſede Apoſtolica confirmari: Qui ſe precibus Conventus commendantes, illicò perrexerunt. Et ſtatutum eſt in Capitulo quædam ſpecialia fieri pro eiſdem Miſſarum & Orationum ſuffragia. Et cùm ad Curiam *Romanam* (quæ tunc *Peruſii* fuerat) perveniſſet; ut promptiorem à Domino Papa gratiam obtinerent, pecuniæ quandam ſummam Papalibus pedibus obtulerunt: quam ſtatim gratanter receptam juſſit Dominus Papa cuidam fratri *Minori*, Theſaurario ac Cubiculario ſuo, illam pecuniam in Gazophilacium ſuum deportare. Et accumulatis illis denariis, aliis candidis Eſterlingis, noluit frater vel etiam forulum nuntiis reſignare, nec Dominus Papa (quem Civilem & dapſilem fore deceret) ad prandiolium invitare. Reſpectis igitur Janitoribus & Miniſtris Papalibus, in muneribus (quia ſic oportuit, cùm patulis rictibus ipſis donis inhiarent) receſſerunt, in craſtinum (prout eis dictum erat) redituri. Et cùm tunc adveniſſent, oſtendentes Regios Apices Domino Papæ, tum propter ipſos, tum propter ſerotinum xenium, (aliis etiam Epiſtolis, quas ſecum amicis Domini Regis detulerant adminiculantibus) gratiam ab illa venali Curia obtinuerunt. Reſpexerant enim amicos Regis quibus ejus literas attulerant, donis uberrimis, qui ſolas literas ſteriles & infructuoſas, ſine muneribus concurrentibus parvi pendunt. Electione igitur confirmata, cum benedictione Apoſtolica (quam ſatis [illegible] paraverant) gaudenter ſunt reverſi, nec unquam poſtea, ipſam Curiam diligere aut commendare potuerunt.

Approbata verò quamplurimùm fuit ab ipſo Domino Papa & à cunctis fratribus Cardinalibus (& maximè à Domino *Ottone*, qui verba optima fecit pro domo *Sancti Albani*) forma electionis & totius progreſſus negotii, admirantibus univerſis, quòd inter tot Capita fuit tam indilata ſententia, & conſenſus uniformis. "Et addidit *Otto* memoratus coram "Papa, & cunctis aſſidentibus; Domine, ſemper religio, unitas, & concordia in illa do-"mo viguerunt. Unde ab univerſis dictum eſt, quòd non ſine nutu *Spiritus Sancti* illud negotium fuerat proſecutum. *Multitudinis enim credentium fuit cor unum, & anima una.* Et ut audientes non lateat, hæc eſt conſuetudo eligendi Abbatem, in Eccleſia Sancti *Albani*.

Conſuetudo in Eccleſia Sancti Albani, *eligendi Abbatem.*

COnfeſſores, ſcilicet, tres vel quatuor, jubentur diſtrictè in virtute Spiritus Sancti (utpote qui cognoſcit corda & renes ſingulorum) ut ipſi eligant duodecim de Conventu fratres electos, fideles, & peritos, ut ipſi vel de ſeipſis, vel de ipſo Conventu Eccleſiæ, vel de Cellis, unum idoneum eligant in Abbatem. De ipſis (inquam) quia ſic non conſueverunt antiquitùs, imò de aliis quàm ſeipſis, quod abſurdum fuit & diſſonum rationi. Et in hoc variata eſt antiqua conſuetudo, & in melius commutata. Ut autem electio & labor tantæ deliberationis ſuper hoc negotio, nullatenus irritus habeatur & inanis, literas habent de Conventu penes ſe ſigillo Conventus roboratas, ut ipſe Conventus illum quem ipſi duodecim eligent in Abbatem, ſine contradictione aut difficultate unanimiter in Paſtorem ſuſcipient, & gratanter. Unde ſeries negotii ſic proſecuta, à ſummo Pontifice (ut prætactum eſt) palam coram omnibus eſt commendata. Et facta examinatione auctoritate Apoſtolica, illicò confirmata. Veruntamen quia de perſona Electi, Domino Papæ non conſtabat, dedit in mandatis *Elienſi* & *Londonienſi* Epiſcopis, ut ritè facta examinatione ex perſona Electi, eundem in Abbatem confirmatum benedicerent, plenè in omnem tam ſpiritualium quàm temporalium adminiſtrationem inſtituentes.

Cùm autem rediſſent Nuntii de Curia, oſtendebant Literas Domini Papæ Epiſcopis memoratis, qui electo ſcripſerunt ſub hac forma.

Literæ Epiſcoporum ad Electum.

"HUgo Dei gratia *Elyenſis*, & *Rogerus* eadem gratia *Londonienſis* Epiſcopi; *Johanni* de "*Hertford* Electo *Sancti Albani* ſalutem. Mandatum Domini Papæ ſuſcepimus in "hæc verba:

"*Gregorius* Epiſcopus, *&c.* Hujus igitur auctoritate mandati nobis tranſmiſſi vobis "mandamus, quod die Lunæ proxima poſt feſtum Sancti *Laurentii*, in Eccleſia conven-"tuali apud Crucem *Roiſie* compareatis coram nobis, parati examinationem ſubire, & "Electionis (Deo dante) confirmationem ſuſcipere, ſecundùm formam mandati Apo-"ſtolici.

Quod & Abbas ſub omni fecit maturitate. Affirmabant utique tam Epiſcopi memorati poſtquam audierant, quàm Nuncii noſtri, quod prudenter proceſſum eſt in hoc negotio. Et literas poſtulabant ad inſpiciendum quas Conventus Sancti *Albani* Domino Papæ tranſmiſit ſub tranſcripto. Quas ſi quis inſpicere deſiderat, in hoc volumine, ubi ſcilicet pingitur *Avicula*, poterit invenire; cujus Rubrica & Titulus, talis eſt.

Has literas reperiet bonus lector, in Hiſtoria noſtra ad Annum 1235. *pag.* 412.

Literæ miſſæ Domino Papæ de morte Abbatis *Gulielmi*, de forma electionis alterius Abbatis ſubſtituendi, jam electi; ſcilicet *Johannis*. *Londonienſis* vero Epiſcopus, variis & arduis negotiis præpeditus, ne ad locum veniret memoratum, ſe excuſavit: Epiſcopo *Elyenſi* ſic ſcribens.

Literæ excuſatoriæ Epiſcopi Londonienſis.

VEnerabili fratri, & amico in *Chriſto* chariſſimo *H.* Dei gratia *Elyenſi* Epiſcopo *R.* divina miſeratione *London.* Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. In negotio examinationis electi *Sancti Albani* & confirmationis ejuſdem, vobis & nobis à Domino Papa commiſſo, variis præpediti negotiis, die Lunæ proxima poſt feſtum Sancti *Laurentii*, apud Crucem *Roiſiæ* & Eccleſiæ conventuali intereſſe non poſſumus. Ideò non expectata præſentia noſtra, quod veſtrum eſt in dicto negotio exequamini. Valeat paternitas veſtra, ſemper in Domino.

Confirmatio Electi.

COnfirmatus eſt igitur Electus facta examinatione, ſub tale ſcripto.

"In nomine *Patris*, & *Filii*, *&* *Spiritus Sancti.* Inquiſitis ſecundùm formam literarum "Domini Papæ, quæ circa perſonam *Johannis* electi *Sancti Albani* ſunt i[illegible]enda, tum "per teſtes juratos, tum per propriæ perſonæ examinationem invenimus ipſum ad regimen "dictæ Eccleſiæ ſufficientem. Unde electionem de ipſo factam, auctoritate Apoſtolica con-"firmamus. Quo facto, miſit *Elyenſis* Conventui *Sancti Albani* ad majorem certificationem, "literas, ſub hac forma.

Literæ Elyenſis *Epiſcopi, ad Conventum* Sancti Albani.

HUgo Dei gratia *Elyenſis* Epiſcopus, dilectis in Chriſto Priori & Conventui *Sancti Albani*, ſalutem in Domino. Noverit diſcretio veſtra, Nos juxta formam mandati Apoſtolici, electionem de fratre *Johanne* de *Hartford* in Abbatem Monaſterii veſtri Canonicè celebratam, auctoritate Apoſtolica confirmaſſe. Quocirca auctoritate Apoſtolica qua fungimur, vobis mandamus in virtute obedientiæ diſtrictè præcipientes, quòd eundem electum veſtrum in Abbatem & Paſtorem devotè admittatis, obedientiam & reverentiam debitam eidem humiliter impendentes. Valete.

Literæ Elyenſis *Epiſcopi ſuper hoc Domino Regi.*

SCripſit inſuper idem Epiſcopus ſuper hoc Domino Regi, ſub hac forma.

"Excellentiſſimo Domino *Henrico tertio*, Dei gratia illuſtri Regi *Angliæ*, &c. *Hugo*, "divina miſeratione *Elyenſis* Epiſcopus, ſalutem, reverentiam, & honorem. Noverit ex-"cellentia veſtra, nos juxta formam mandati Apoſtolici, electionem de Fratre *Johanne de Hertford* in Abbatem Monaſterii *Sancti Albani* Canonicè celebratam, auctoritate Apoſtoli-"ca confirmaſſe. Quocirca excellentiam veſtram rogamus, quòd ob reverentiam ſedis Apo-"ſtolicæ, dictum electum habentes commendatum, adminiſtrationem dictæ Abbatiæ eidem "committatis. Valeat excellentia veſtra ſemper in Domino.

Scripſit inſuper (Domino Rege acceptante) & palam publicavit, Chartam iſtam Confirmationis.

Charta

Charta Confirmationis.

OMnibus *Chriſti* fidelibus literas has inſpecturis vel audituris.
“ *Hugo* Dei gratia *Elyenſis* Epiſcopus, ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis “ quod cum nobis & venerabili fratri noſtro *London.* Epiſcopo commiſſum eſſet negotium “ à Domino Papa examinationis perſonæ fratris *Johannis* de *Hertford* Electi in Abbatem “ Monaſterii *Sancti Albani*, & confirmationis ejuſdem,Epiſcopo *Londonienſi* in dicto nego- “ tio excuſato literatoriè, nos electionem ipſius *Johannis* in hunc modum confirmamus. In “ nomine Patris & Filii, & *Spiritus Sancti.* Inquiſitis ſecundùm formam literarum Domi- “ ni Papæ, quæ circa perſonam Electi *Sancti Albani* Fratris *Johannis* ſunt inquirenda,tum “ per teſtes juratos, tum per propriæ perſonæ examinationem, invenimus eum ad regi- “ men dictæ Abbatiæ ſufficientem. Unde electionem tanquam de perſona ideona de ip- “ ſo factam, auctoritate Apoſtolica confirmamus. In cujus rei teſtimonium,hiis literis no- “ ſtris patentibus,ſigillum noſtrum duximus apponendum. Acta Anno Domini M.CC.XXXV. “ die Lunæ, proxima poſt feſtum Sancti *Laurentii* apud Crucem *Roeſiæ.*

In craſtino igitur, ſcilicet Nativitatis beatæ Virginis, in Eccleſia *Sancti Albani* ad majus *Profeſſio.* Altare in præſentia Epiſcopi *London.* & totius Conventus in Choro exiſtentis, idem Epi- ſcopus eidem electo munus impendit benedictioni. Ubi apertæ ſunt literæ incluſæ, & bullatæ Domini Papæ, quas oportuit Electum in Abbatem benedicendum, profitendo palam legere, ſub hac forma.

“ Ego *Johannes* Monaſterii Sancti *Albani* Abbas, ab hac hora in antea fidelis & obediens “ ero Sancto *Petro*, ſanctæque Apoſtolicæ *Romanæ* Eccleſiæ, & Domino meo Papæ *Grego-* “ *rio* ejuſque Succeſſoribus Canonicè intrantibus. Non ero in Conſilio, aut conſenſu, vel “ in facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium ve- “ rò quod mihi credituri ſunt per ſe aut per nuncios ſuos, ſive per literas, ad eorum dam- “ num me ſciente nemini pandam. Papatum *Romanum* & Regalem Sancti *Petri*, Adjutor “ eis ero ad retinendum & defendendum, ſalvo ordine meo, contra omnem hominem. “ Legatum Apoſtolicæ ſedis in eundo & redeundo, honorificè tractabo, & in ſuis neceſſi- “ tatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præ- “ peditione. Apoſtolorum limina ſingulis trienniis viſitabo, aut per me, aut per Nun- “ tium meum, niſi abſolvar Apoſtolica licentia. Poſſeſſiones verò ad Monaſterium meum “ ſpectantes, non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, “ vel aliquo modo alienabo, inconſulto *Romano* Pontifice: Sic me Deus adjuvet, & hæc “ ſancta Evangelia.

Hæc cooperta fuerunt occulta & clauſa ſub bulla, donec ſtaret Pontificalibus ad Altare redimitus, quando nullo modo poterat ab iſta obligatione reſilire. Et cum rogaſſet Abbas ab Epiſcopo *Londonienſi Rogero* quid *Romæ* faceret? Epiſcopus ſicut jocundus extitit, jo- cosè reſpondit ſubridens, & ait, *Amice ut offeras*; & veritas in verbo latitavit.

Rex autem autem ſuper præmiſſis certificatus, Tenentibus de *Sancto Albano* ſcripſit in hæc verba:

Dominus Rex ſcribit Tenentibus de Sancto Albano.

“ HEnricus Dei gratia Rex *Angliæ*, &c. Militibus, liberis hominibus, & omnibus aliis “ Tenentibus de Abbatia de Sancto *Albano*, ſalutem. Sciatis quod electioni factæ de “ fratre *Johanne* de *Hertford* in Abbatem Sancti *Albani*, aſſenſum Regium præbuimus & fa- “ vorem. Et ideo vobis mandamus, quod eidem fratri *Johanni* tanquam Domino veſtro, “ in omnibus quæ ad prædictam Abbatiam pertinent intendentes ſitis & reſpondentes. In “ cujus rei teſtimonium, has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud *Weſt-* “ *monaſterium*, decimo octavo die Auguſti, anno Regni noſtri XII.

Abbas creatur.

EX tunc igitur Abbas plenariè conſtitutus, cepit homagia, & juramenta, & fidelitates, omnium Abbatiæ ſubditorum,inſtallatus,& in omnibus Abbas habitus & firmatus. Sed ut non lateat ſimpliciores qualiter ſe geſſit dum electus eſſet, & qualiter in poſterum ſe ge- rere debet Electus, præſentibus duximus inſerendum.

Qualiter ſe gerere debet Electus.

POſtquam Electores nominaverunt Electum proprio nomine cum aliquo adjecto, (ita ſcilicet quod unus Electorum loquatur pro omnibus aliis Electoribus) præſtito aſſen- ſu Prioris & totius Conventus, ſurgat electus: & accepta venia, ſupplicet omnibus ut orent pro eo quòd Deus det illi ſic Curam & Officium ſuſcipere, hoc, ut ad honorem Dei &

& Eccleſiæ, & animæ ſuæ fiat Salvationem. Facta autem oratione à Priore quod ſic fiat, ut in fine orationis reſpondente Conventu *Amen*; incipiatur ſolemniter hymnus *Te Deum Laudamus*. Et ducantur modeſtè & ordinatè (aſſiſtente Priore ei in uno latere, Suppriore in alio; cum aliis dignioribus Eccleſiæ perſonis) propinquiùs; in Eccleſiam. Et præſentetur Deo & Sancto Martyri *Albano*, ad majus Altare; pulſato claſſico, ſonantibus Calamis (quos Burdones appellamus) cum Orologio, accenſiſque Cereis circa Altare, & diſcooperto Feretro; & toto corpore proſtratus, Electus oret breviter ſed præcordialiter, ut dignus tanto honore habeatur. Et tacta nola cui Muta vel Scilla eſt nomen; terminetur ſonitus ille & totus tumultus: dicaturque ab omnibus *Pater noſter*. Et Prior, *Et ne nos*: *verſiculus*, *ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. Et de Sion tuere eum. Dominus vobiſcum*, &c. *Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus, dirige hunc famulum in via ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum qui tecum vivit. Et* Reſp. *in v. ſ. ſ. d. per. Dominus vobiſcum. Et benedicamus Domino.* Deinde erigat ſe, & ſine aliquo offendiculo aut mora, ducatur in Cameram, videlicet Prioris, quæ ſua dùm Electus eſt, debet appellari; donec in Abbatem creatus, in ſuam magnam Cameram ſecedat. Nec abſcondatur aliquis Clericus, ſive dignus, ſive indignus, vel alius, qui ſubitò prorumpens poſtquam ſe erexerit Electus ab oratione (ut quandoque ſolet fieri) Monachatum, vel neceſſaria dum vixerit (quaſi in bonum auſpicium futuræ liberalitatis) exigat: cùm ſit illud contra honeſtatem, & Regulam beati *Benedicti* dicentis, *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*. Ac ſi diceret, "Nichil ex abrupto & ſine providentia fiat & deliberatione. Nec inexpertus recipiatur "in Congregatione.

Ex tunc poterit Electus providere ſibi de ſociis qui ſecum commorentur, quos Bajulos dicimus; & Nuntiis *Romam* deſtinandis; & invitare quos voluerit ad refectionem; Sed tamen qui vocati ſunt, de licentia Prioris veniant; nec exeat quis eques, niſi de licentia Prioris; exceptis ſuarum obedientiarum ſummis procuratoribus; videlicet ſummis Cellerario, Coquinario, Camerario, Infirmario, & Sacriſta.

Electus autem etſi fuerit unus de ultimis Noviciis, in loco ſupremo illicò ſtatuetur. Et ſi fuerit de parte Prioris (quam nos Chorum Prioris appellamus) transferetur ad partem Chori Abbatis: ubi ſupremus ſtatuetur. Solus in Refectorio prandebit ſupremus, habens vaſtellum, Priore prandente ad magnam menſam; quam Dais vulgariter appellamus. In proceſſionibus, ſupremus ex parte Abbatis procedet, ut alius Senior; non in medio Choralem ferens baculum, ut antiquitùs temerè conſuevit; ne forte in poſterum caſſatus retrocedat; Et tunc cum rubore incipiat locum Noviſſimum tenere. Sed hæc prætacta prælibantur. Sed à diverticulo ad materiam, quæ, ſcilicet, eſt de geſtis Abbatum, redeamus.

Incipiunt Geſta Abbatis memorati.

ISte *Johannes* ſecundus Abbas, Prior quandoque de *Hertford* & inde oriundus; præter opinionem omnium nutu Dei ſublimatus in Abbatem: Primò invitus & dolens, *Romanorum* jugum ſubiit ſervitutis: ut ſcilicet, de triennio in triennium, vel per ſe, vel per alium limina adiret Apoſtolorum, ſicut in ſubdola profeſſione ejuſdem continetur; in magnum Eccleſiæ damnum & gravamen, & inſatiabilis *Romanæ* Curiæ emolumentum voluntarium & injurioſum. Primus quidem fuit in Abbatem Creatus poſt Concilium *Lateranenſe* generale ſub Papa *Innocentio* quarto celebratum: in quo illud continetur cum aliis gravaminibus in Eccleſiæ *Sancti Albani* (quæ à fundatione ſui primitivâ, libera & ingenua legitur extitiſſe,) præjudicium, & ſi fas eſt dicere, injuriam & jacturam.

Iſte quoque Abbas in Novitate ſua, multis exactionibus fatigabatur & expenſis: Sed præ omnibus *Romanorum* oppreſſionibus novis & inauditis cepit moleſtari. Et quòd obſtantibus Antiquis privilegiis (quæ non ſine magna Sanctorum patrum injuria & Contemptu caſſantur & ſpernuntur) non permiſſa eſt tam Celebris Eccleſiæ ſuis libertatibus gratulari. In cujus rei triſte præſagium, paulò ante ejuſdem Abbatis Creationem; & citò poſt (ſcilicet infra triennium) bis ſupra Eccleſiam Beati *Albani* viſum eſt fulgur uſque ad incendium cecidiſſe: quod ſe meminit nullus prævidiſſe, nec audivit eveniſſe. Et ſicut non prodeſt Sanctorum inniti privilegiis aut indulgentiis, ſic non obſtitit fulguri impreſſio Papalis Cerea, in qua *Agnus Dei* figuratur; quæ in ſummitate turris noſtræ collocatur: quæ ut dicitur, contra tales procellas abigendas virtutem habet & poteſtatem.

Similiter in triſte prognoſticum temporibus noſtris evenit, quòd Euchariſtia cum vaſis impretiabilibus ſuis Aureis & Argenteis gemmatis; bis furto flagitioſiſſimo ſublata eſt.

De Capa Chorale de Rubeo quam dedit.

Iſte Abbas *Johannes* in principio Creationis ſuæ, dedit unam Capam Choralem, de Rubeo examito bene aurifrigiatam: & unam Cuppam argenteam deauratam, pretioſam valde, tam opere quàm materie: quam etiam Refectorio aſſignavit. Item unam nobiliſſimam Aulam ad opus Hoſpitum conſtruxit: cui adjacent Thalami plures.

Una

Una nobiliſſima picta, cum Conclavibus & Camino, & atrio & ſubaula: quæ Palatium Regium (quia duplex eſt & criptata) dici poteſt. Adjacet Atrium nobiliſſimum in introitu: quod porticus vel Oriolum appellatur. Et plures Thalami ſpecioſi valde, cum ſuis Conclavibus & Caminis, ad hoſpites honorificè ſuſcipiendos. Aula enim quæ priùs in eodem loco conſtruebatur, ruinoſa fuerat & muris depulſis & veternis; tenebroſa & deformis. Inſuper ſcindulis & lateribus tecta ac reſarta. Aulam autem novam (de qua impræſentiarum loquimur) cum ſuis Capellis & Appendiciis, fecit iſte optimè plumbo cooperiri.

De magna Cuppa Argentea, quam dedit Refectorio.

De magno Palatio, Thalamis & Capellis adjacentibus & pictis.

Inſuper fecit eam cum Thalamo ſibi Collaterali, decentiſſimè per manum Domini *Ricardi* Monachi noſtri Artificis optimi, pingi, & delitioſè redimiri. Item unam nobilem domum longam valde ac lapideam, tegulis coopertam; cum tribus caminis conſtruxit Abbas memoratus, ex oppoſito magnæ portæ: ex cujus viſu & objectu, tota Curia venuſtatur. Iſta domus quia duplicem habet aream, in ſuperiori ſui parte Miniſtris Abbatis liberioribus; & pars inferior, Lardario aptiſſimè deputatur.

Præterea hujus Abbatis tempore *Stanmera* (quæ de antiquis hujus Eccleſiæ poſſeſſionibus fuiſſe dinoſcitur, & prædeceſſorum ſuorum ignavia diu alienata,) eſt prudenter revocata. Ubi etiam idem Abbas Manerium conſtruxit, cum Molendino ad ventum prælecto.

Quas Stammera revocatur & reædificatur.

De inæſtimabilibus ſumptibus quos expoſuit pro Warranna tuenda.

ooo-ooo vide Chartam infra ad hoc ſignum.

Inſuper iſte Abbas *Johannes* pro warrennæ libertate, licèt potentiſſimos inveniſſet Adverſarios, uſque ad expoſitionem Mille & ampliùs marcarum, viriliter decertavit: quæ adjudicata nobis fuit coram Juſticiariis apud *Hertfordiam*. Hoſtiles, inſuper, plurimorum Potentum ſuſtinuit oppreſſiones. Maximè tamen *Radulphi* Chainduit II.* qui præmatura morte (ipſomet in extremis proteſtante) Martyris *Albani* manifeſtam ſenſit ultionis Animadverſionem. Et *Galfridi de Childewike*, cujus perſecutiones tantò graviùs ſuſtinuit, quantò magis Homagii vinculo tenebatur obligatus Abbati memorato.

* *Forte Secundi, ita tamen ſcriptum erat, in tribus MSS.*

Iſte ut Eccleſiam Sancti *Albani* (cujus defenſor eſſe debuerat & Protector) plùs gravaret, ſororem *Johannis Manſell*, Domini Regis ſpecialis Conſiliarii & Clerici, ſibi Matrimonio copulavit. Quo præbente cornua & defenſionem militi memorato, tot ſuſtinuit Abbas damna & diverſa gravamina, cum injuriis diverſimodis; ut ſpeciales tractatus exigerent & diffuſos. Sed ut paucis plurima perſtringamus.

Hic *Galfridus de Childewike* ex defenſione dicti *Johannis* animatus & armatus, miniſtros Domini ſui Abbatis & baculavit, & baculari procuravit. Et frequenter Equum reſidens pretioſum armatus, ſuis complicibus concomitantibus; ipſos Canibus ſuis venaticis, & Arcubus, ſagittis, & retibus probris laceſſitos, violenter in noſtra Warrenna (ubi nil juris habuit) & ſtratis Regiis, fracta Regis pace violenter ſpoliavit. Nec quicquam juris vel ultionis, aſſiſtente memorato *Johanne* Regis lateribus & Conciliis, potuimus obtinere. Quinimò, metus & perſuaſio ipſius *Johannis*, omnium Juſticiariorum & placitantium Advocatorum (quos *Banci Narratores* vulgariter appellamus) ora pœnitus obturavit. Ita ut multotiens oportuit *Dominum Willielmum* tunc Cellerarium (virum ſcilicet circumſpectum & facundum,) ſuum ſermonem & querelam in perſona propria coram Juſticiariis, imò etiam coram Rege & Barnagio, proponere; Et proteſtati ſunt Juſticiarii ſecretiùs in aure dicti Domini *Willielmi*, inſtillantes, quòd duo tunc temporis in Regno dominabantur: ſcilicet, Comes *Richardus* & *Johannes Manſell*; contra quos non audebant ſententiare.

Contigit igitur ut idem *Galfridus de Childewike*, una dierum obvium habuit quendam Miniſtrum Domini Abbatis, in itinere quod ducit de domo Archidiaconi de *Bedeford* uſque ad Sanctum *Albanum*: ferentem venationem quam proxenio idem ſerviens nomine *Johannes*, ex parte Archidiaconi, afferebat. Et protervè irruit dictus *Galfridus* in eundem; Aſſerens ipſum eſſe latronem, & Domini Regis proditorem; & quod ipſam venationem in ejuſdem Domini Regis forreſta & defenſa, latrocinaliter ſuſtulerat. Quod & ipſe qui fuerat deprivata Domini Regis familia, & unus de ſuis Mareſcallis, æquanimiter non poterat tolerare. Expulſo igitur poſt hujuſmodi probra de equo ſuo *Johanne*, abſtulit ab eodem xenium quod ferebat, & Equum: addens comminationes cum maledictis. Unde ab ipſo Abbate & toto Conventu, & omnibus Capellanis terræ *Sancti Albani*, & à memorato Archidiacono, & univerſis Capellanis totius Archidiaconatus ſui, ſolemniter in genere eſt excommunicatus. Et iterum ab Abbate & toto Conventu,ad ſtationem in proceſſione ſolemni, Candelis accenſis, pulſato Claſſico, ſtolis ſuper feretrum & Crucem, & omnium Colla fratrum appoſitis. Ita ſcilicet, ut quicunque illud enorme factum, vel alia in præjudicium vel dedecus Sancti *Albani*, & ejus Eccleſiæ vel Abbatis & Conventus, facere attemptaverit; Anathematis vinculo innodaretur.

Inſuper ſæpedictus *Galfridus* miles, pro tam enormi facto & pacis Regiæ læſione, appellatus eſt de pace infracta per famulum Abbatis *Johannem* læſum, & ſuis Catallis ſpoliatum: & ſecundum legem terræ, per breve Regis, (defenſore ſuo *Johanne Manſell* vel neſcio, vel invito) attachiatus. Sed poſtea mitigato precibus multiplicatis Abbate, illos laqueos mortiferi

Appellatus fuit Galfridus de Childewicke *de pace fracta.*

tiferi periculi, per aſtutiam memorati *Johannis Manſell*, ipſe *Galfridus* evaſit. Rex enim pro ipſo, & omnes ferè Curiæ Primates, præcordialiter interceſſerunt. Conſilio igitur inito, ne fortè ex conſenſu de irregularitate accuſaremur, dimiſimus noxam Appellationis. Poſtea verò illius immemor beneficii & fidei ſuæ, procurante ſæpedicto *Johanne Manſell*, adquiſivit Chartam à Rege, contra noſtras Antiquas Chartas & libertates uſitatas; ut, ſcilicet in terra ſua Warrennam obtineret. Contra etiam Chartam Regis tunc viventis; pro qua dedimus eidem Regi non minimam pecuniam. Sed nos (ut jus expoſtulavit,) noſtram ut conſuevimus exercuimus libertatem in ipſa Warrenna; quam ſuam ipſe *Galfridus* dixit, & per chartam Regis conceſſam (licèt infra limites & ambitum noſtræ Warrennæ) appropriatam ſibi: Unde mota ante Regem querela, tandem ſententiante ipſo Rege,& ſtimulante Epiſcopo *Saresbirienſi Willielmo*; Abbas iniquo jure exagitatus, in miſericordiam Regis eſt præcipitatus. Dixit enim Rex (factum Avaritiæ palliando) quod ſi per Chartam ſuam conceſſiſſet alicui de ſuis Manerium alicujus Magnatum ſuorum, etiam injuſtè, manifeſtè, non liceret illi Magnati vero Domino, ingredi Manerium illud, donec ſuper hoc diſcuteretur in Curia. Imò priùs ipſum Regem convenire, & declarato jure ſuo, in Manerium ſuum ſecuriùs introire. Et huic iniquæ ſententiæ, perhibuit Epiſcopus teſtimonium, ſuam ſuper hoc vulnerans conſcientiam. Quia ſi hoc ſtaret, liceret Regi cujuſlibet Dominum introire violenter; quacunque ſimulata occaſione: & niſi verus Dominus ſufficeret, tanti invaſoris injurias propulſare, miſerabiliter exhæredaretur. Et hæc omnia machinabatur *Galfridus de Childewike*; *Johanne Manſell* Regis Conſiliario, fomenta miniſtrante.

Revincitur Appellatio.

Cæterùm dictus *Galfridus* cum de terra de *Neuburi* Contentio moveretur,& multa pecunia cum immenſis laboribus pro jure noſtro obtinendo effunderetur; Et emeretur terra de plano à vero Domino & poſſeſſore, ita ut chartas ſuas liberaremus à Judæis, ipſe fraudibus & cavillationibus (quas longum foret enumerare) ad hoc nos induxit, quod terram illam ipſi dimiſimus, remanente firma priſtina. Inſuper retinuit juvenis Conradium,quod pro terræ poſſeſſione conceſſimus: in hujus Eccleſiæ damnum inæſtimabile. Non enim dies vitæ juvenis, poſſumus limitare.

Tandem nos (quia ſæpedictus *Johannes* venerat ad domum Sancti *Albani*, & ejus efficax erat præſentia & vigil diligentia; & quia conſideravimus quòd nequivimus à pari contendere, & damnoſa nimis nobis lis ventilata, diebus quotidie malignantibus extitiſſet) pacem admiſimus fatigati; & ſic ad horam quievit tempeſtas.

Cepit legem de Abbate, ſcilicet, Juramentum ſicut Radulphus Cheinduit.

Simili quoque modo *Radulphus Cheinduit* (de quo prætactum eſt) cepit ab eodem Abbate legem (videlicet Sacramentum) in propria perſona Abbatis; in magnum ejus dedecus, & honoris læſionem. Sed ipſe (ut dictum eſt) *Radulphus*, operum ſuorum morte repentina fructum reportavit. De cujus obitu, quia in præmiſſis plenè non explanatur; Lectorem hujus paginæ ſine falſitatis admixtione, duximus certificandum.

Cùm enim injuriis injurias multotiens accumulaſſet, tandem quendam Monachum noſtrum, (Abbatis bajulum, *Radulphum*, nomine, de *Dunham*) nequiter percuſſiſſet armatus, equum pretioſum coopertum inſidens, & armatorum multorum agmine ſtipatus, diſcurrens & fugans cum ſuis canibus & venatoribus, juxta Curiam noſtram, ſcilicet apud *Dereſold*; quod quidem Abbas & Conventus, intueri potuerat & audire. Et ſuper hoc diſtrictè conveniretur, una dierum in Palatio Regio *Weſtmonaſterii* cachinnans ait deriſoriè, "Tan-"tum me excommunicaverunt Monachi *Sancti Albani*, quòd impugnatum & dilatatum vix "me capit equitantem ſella mea. Erat utique plethoricus, robuſtus, & corpore toto quaſi taurus, in virtute roboris ſui campaginatus. Hic igitur in tali ſuperbia, cùm vix ad domum ſuam (quæ per minimam dietam diſtat à *Londoniis*) perveniſſet, cepit graviter infirmari, uſque ad alta mortis ſuſpiria. Vocato igitur cum ſumma feſtinatione amico ſuo ſpecialiſſimo, Abbate ſcilicet de *Meſſedene* (qui ad ipſum equo raptus velociſſimo anhelus pervenerat ante diem) conſtitutus eſt Teſtamenti ſui executor, quod condere non valuit ut decuerat. Moriens tamen miſericordiam à beato *Albano*, & à fratribus quos quomodolibet læſerat, ſibi miſericorditer impendi devotus, veniam poſtulavit, & ipſis de bonis ſuis ad plenum ſatisfieri, flagitavit. Quod cum Abbas memoratus ſe facturum ſpopondit, Spiritum quem trahebat idem *Radulphus* exhalavit. Nos igitur à Teſtamenti Executoribus, qualem qualem pro temporis articulo, ſuſcepimus de Commiſſis ſatisfactionem. Cætera novit Judex ſupremus, quem nihil latet cavilloſum.

De morte Radulphi Cheinduit.

De perſecutionibus quas ſuſtinuit pro libertatibus Eccleſiæ tuendis. Et de ultionibus quæ perſecutoribus evenerunt.

HOrum igitur patienter ſuſtinuit Abbas *Johannes*, ad cumulum ſuorum meritorum maximas perſecutiones, damna, & contumelias; quæ ad duorum millium marcarum jacturam computantur. Libertates tamen conſervavit illæſas, & ſtatum ſuſtinuit conſuetæ dapſilitatis interius, & exterius, & hoſpitalitatis.

De

De Eccleſia de Nortona.

HUjus quoque tempore Abbatis, collata eſt nobis Eccleſia de *Nortona*, & eam reſignavit gratuita devotione *Laurentius* Clericus Rector ejuſdem. Ad emendationem cerviſiæ noſtræ, & ad præbendam hoſpitibus dandam, ſupra id quod conſuevit Abbas diſtribuere, augmentandum.

De Eccleſia de Eglinham.

ITem Eccleſia de *Eglinham*, quam dudum contulerat nobis *Richardus* de *Mariſco* Epiſcopus *Dunelmenſis* ad meliorationem cerviſiæ noſtræ, tempore *Willielmi* Abbatis, tempore hujus Abbatis *Johannis*, nobis in proprios uſus ceſſit quæ valet.

De Eccleſia de Herteburne.

ET Eccleſiam de *Herteburne* nobis ejus tempore contulit Epiſcopus *Dunelmenſis Walterus*, ſalva Vicaria, conſiſtente in tertia parte dictæ Eccleſiæ. Cujus duæ partes æſtimantur per portiones aſſignatas, ad ſepties viginti marcas & treſdecim; Ad incrementum hoſpitalitatis, & maximè ad præbendam hoſpitum; ut nulli denegetur portio ſufficiens, & copioſa.

De Eccleſia de Hecſtantune.

ITem iſte Abbas *Johannes* Eccleſiam de *Hecſtantune*, quam prædeceſſor ejus Abbas *Willielmus* in proprios uſus adquiſivit, ad anniverſarium ſuum faciendum aſſignavit, per ſacriſtæ adminiſtrationem, & Abbatis *Gulielmi*, quam & fecit dedicari ab Epiſcopo *Bangorenſi*, Anno Domini M.CC.LIV.

Eccleſiam tamen de *Northune*, ad præbendam inveniendam deputatam (ut prætactum eſt) retinuit in manu ſua. Pro dictis autem duabus Eccleſiis, (ſcilicet de *Eglinham* & *Harteburne*) obtulit Prior de *Thynemua* (eo præſente & audiente qui hoc ſcripſit) ducentas marcas, & quadraginta marcas annuatim. Hæc etiam frequenter mihi hoc ſcribenti, Prior dictus recitavit.

De Eccleſia Sancti Michaelis.

ITem hujus Abbatis tempore, ceſſit nobis in uſus proprios Eccleſia *Sancti Michaelis*, quæ eſt in Villa *Sancti Albani*, & ejuſdem Abbatis & conventus aſſenſu, aſſignata eſt uſibus ſacriſtariæ, quæ exilis erat.

De domibus quæ ſunt Londoniis.

ADquiſivit etiam nobis unum Meſſuagium, cum quibuſdam domibus ruinoſis *Londoniis*, conjunctim vicinum domibus, quas ibidem prædeceſſor ſuus Abbas *Gulielmus* comparavit, ubi nobiles domos de novo conſtruxit, & redditum ſuſcitavit.

De terra & de domo quæ fuit Johannis Aſtmur.

ITem terram & domos quæ fuerunt *Johannis Aſtmur*, nobis comparavit. Pro quarum conceſſione, Abbas vitæ ſuæ neceſſaria eidem *Johanni* per Chartam conceſſit famulaturo.

De Molendinorum reparatione.

ISTE inſuper Abbas *Johannes* omnia Molendina Abbatiæ (quia propter hoc quod diu ante ad firmam dimittebantur, diſſipata fuerunt) optimè de materie quercina reparavit, cum domiciliis ad eadem pertinentibus. Et quia Rivulus qui aquatico Molendino noſtro, quod juxta braſeriam conſtruitur, deſeruit, tum propter arundinetum qui aquam ebibit, tum propter ariditates æſtivales deſiccativas, officio totius Curiæ non ſuffecit, imò oportuit multuram ultra ſeptem miliaria quærere, quod damnoſum fuerat & probroſum. Idem Abbas *Johannes* unum Molendinum optimum ad equos, juxta dictam braſeriam conſtruxit. In quorum Molendinorum reparatione & conſtructione, plùs quam Centum libras creditur expoſuiſſe.

De Molendino ad equos.

De cerviſiæ melioratione.

ABbas inſuper memoratus *Johannes*, cerviſiam noſtram (quæ tam in damnum noſtrum, quàm opprobrium, debilis extitit) ſupra modum, apponendo in augmentum ejuſdem circiter mille ſummas bladi ad cerviſiam apti (ſcilicet hordei & avenæ commixtorum, quod *Breſia* vulgariter appellatur) benignè emendavit.

Quod non fuit diſſipator bonorum, pro parentibus.

IDem inſuper Abbas *Johannes*, (quod nulli, vel paucis Prædeceſſorum ſuorum, veraciter poteſt aſcribi) pro Carnale dilectione vel familiaritate Parentum, affinium ſuorum vel compatriotarum, poſſeſſiones vel bona Eccleſiæ ſuæ, nunquam diſſipavit; à tempore dico ſuæ creationis uſque in annum ſuæ Prælationis viceſimum. Quo, ſcilicet, hæc pagina à fratre *Matthæo* ſcripta eſt *Pariſienſi*, qui de futuris non præſumit diffinire.

MATTHÆI PARISIENSIS

ADDITAMENTA.

SCILICET,

Ea fere omnia, quæ ad Pleniorem *Narrationis* alicujus Elucidationem,

IN

HISTORIA

EJUS

Aut CITANTUR, Aut EVOCANTUR.

EX

LIBRO MANUSCRIPTO

Singulari (quem ſolum nanciſci potuimus) deſumpta.

QUÆ POST VITAS

Viginti Trium Abbatum,

IN

Codice *COTTONIANO* immediatè ſequuntur; vel potiùs cum ultima *Vita* ibi continuantur.

LIBRI ENIM

ADDITAMENTORUM

Ab Ultimi Abbatis *Vita*, nulla intercedit diſtinctio notabilis, vel Titulus ſpecialis.

LONDINI,

Excuſus *Anno Domini* M.DC.LXXXII.

ADDITAMENTA.

PAG. 256. lin. 12.

Compoſitio facta, inter Epiſcopum Lincolnienſem, *&* *Abbatem S.* Albani, *ſuper Vicaria de* Luton. *Habetur in* Vita *Abbatis* Willielmi.

PAG. 463. lin. 15.

De Altercatione inter accuſantes Hubertum *Comitem* Cantiæ, *&* *Magiſtrum* Laurentium de Sancto Albano.

Reſponſiones Magiſtri Laurentii *de* Sancto Albano, *pro Comite* Cantiæ Huberto *de* Burgo; *contra quem, movit Dominus Rex graviſſimas quæſtiones.*

CUM dies datus eſſet *Huberto* de *Burgo* Comiti *Kantiæ*, in octabis Sancti *Johannis Baptiſtæ*; Anno Regni xxiii. ad reſpondendum Domino Regi, quales emendas ei faceret, eò quòd non deliberavit ei maritagium *Richardi* de *Clare*, ad diem ab eodem Domino Rege ſibi datum, ſecundùm conventionem inter eos factam, vel ſecundùm conſiderationem parium ſuorum; & Dominus Rex Peteret ab eo, quod ei emendas faceret, & non fecit; Propoſitæ fuerunt ei ex parte Domini Regis, tranſgreſſiones ſubſcriptæ, ſimul cum prædictis, ut ad eas reſponderet. Ad quod reſpondit idem Comes, quòd ad hæc nullum diem habuit. Sed & dixit, quòd ad diem certum & rationabilem ſatisfaceret Domino Regi, vel inde ſtaret ad conſiderationem parium ſuorum, & petiit, quòd Dominus Rex in ſcriptis ei oſtenderet, ſuper quibus articulis tenetur reſpondere.

Ad hoc reſpondit Comes, quòd ad ſingulos dies ei à Domino Rege datos, idem Comes venit, nec in aliquo quæſivit dilationem: ſed ſemper recepit diem ad voluntatem Domini Regis. Unde videtur ei, quòd omnes dies ei dati poſtquam fuit apud *Kenintone*, pro uno die ſibi debent allocari. Et ſemper paratus eſt ſtare ad conſiderationem parium ſuorum, quòd nunquam de maritagio ſe intromiſit, nec aliquis pro eo; poſtquam juravit apud *Gloverniam* quòd nunquam de maritagio ſe intromitteret, nec aliquid ſcivit, nec adhuc ſcit de maritagio, niſi per ſimplex dictum Comitiſſæ uxoris ſuæ, dicentis quod maritagium illud contractum fuit apud *Sanctum Eadmundum*, dum Comes fuit apud *Mertone*. Et ſi hoc non ſufficit, dicet aliud; & ſuper hoc paratus eſt facere quod pares ſui conſiderabunt.

Quorum quidem primus articulus hic eſt, quod Dominus Rex exigit ab eo omnes exitus Regni ſui, de xiv. annis continuò ſequentibus poſt mortem *J.* Regis patris ſui, & unde ſuſcepit cuſtodiam & curam ſine traditione patris ſui Domini *J.* Regis, & ſine aſſenſu Domini *Gwallæ* tunc Legati, qui de communi conſenſu & proviſione totius Regni, poſt mortem Mareſchalli, fuit primus Conſiliarius & principalis totius Regni *Angliæ*.

Ad hoc reſpondit, quod certæ perſonæ deputatæ ſunt ad reſpondendum de exitibus Regni; ſcilicet, Theſaurarius & Camerarii: unde poſt mortem *Euſtatii de Faucumberg*, *Londonienſis* Epiſcopi, & Theſaurario fuit quæſitum quòd de computo ſuo reſponderet; & fuit reſponſum. Poſtea à *Carlionenſi Epiſcopo* fuit quæſitus computus totius exitus Regni, tanquam à capitali receptore, & ſedit ad computum. A *Petro de Rivallis* fuit poſtmodò quæſitus computus, nunquam autem à Juſticiario debet computus requiri: eo quod non eſt receptor exitus Regni. Unde videtur quòd ille qui nihil recipit, in aliquo non tenetur reſpondere. Et dicit quòd Dominus *Johannes* Rex, tradidit ei Juſticiariam apud *Runningemede* coram Domino S. *Cantuariæ* Archiepiſcopo, Comite *Warannæ*, Comite de *Ferrariis*, & aliis Magnatibus; & ipſe toto tempore *Johannis* Regis ſtetit Juſticiarius. Accidit autem quod Caſtrum *Dovoriæ* in adventu Domini *Lodovici*, quaſi pro derelicto habebatur; in quod Caſtrum intravit, quando pauci inventi fuerunt qui in eodem intrare voluerunt, niſi corpus ejus intraſſet, & toto tempore guerræ à caſtro non potuit recedere, nec officium Juſticiarii exercere.

Defuncto verò Domino *Johanne* Rege tempore guerræ, de Conſilio *Gwallæ* tunc Legati, & Magnatum tunc exiſtentium cum Domino Rege, factus fuit *Mareſchallus* gubernator Regis & Regni. Pace verò reformata, remanſit idem *Mareſchallus* Gubernator Regis & Regni, & idem *Hubertus* Juſticiarius, nullo contradicente; Poſt mortem verò *Mareſ-*

challi

challi, de conſilio Domini *Gwallæ* tunc Legati, *S. Cantuariæ* Archiepiſcopi, Epiſcoporum & Magnatum terræ, remanſit Juſticiarius ſine contradictione aliqua, & ſemper ſcripſit ei Dominus Papa tanquam Juſticiario, & ita tenebatur ab Eccleſia & à Regno ſemper Juſticiarius factus à Domino *Johanne* Rege. Et ita bene patet, quòd non recepit Juſticiariam ſine traditione Domini *Johannis* Regis, vel aſſenſu Domini *Gwallæ*. Et ſi hoc non ſufficit, dicet aliud; & ſuper hoc paratus eſt facere quòd pares ſui conſiderabunt, & etiam ſi reſpondere deberet, habet chartam Domini Regis, quæ ipſum ab his abſolvit quam profert: quæ confecta eſt Anno Regni Regis *Henrici xv.*

Item exigit ab eo quòd ei reſpondeat de collectione totius quintæ decimæ, quæ per commune Conſilium totius Regni cuſtodiri & haberi debuit in depoſito; & ita in depoſito, quod nihil inde caperetur uſque ad ætatem Domini Regis: niſi per viſum vi. Epiſcoporum & vi. Comitum ad hoc ſpecialiter attornatorum, & hoc non niſi ad defenſionem Regni, & unde ſumma fuit circiter quater viginti & novem millia marcarum argenti.

Ad hoc reſpondit, quod Domini *Sariſb. & Bathon.* Epiſcopi, illam pecuniam receperunt per commune conſilium Regni, & inde reddiderunt computum ſuum, & inde quieti ſunt per Literas Domini Regis: Unde non videtur quod inde debeat reſpondere, cum alii quieti ſint inde, ſicut patet per rotulos de Scaccario, & per literas Domini Regis patentes quæ ſunt in Theſauro, & deſicut nihil inde recepit non tenetur reſpondere. Et ſi hoc non ſufficit, dicit aliud; & ſuper hoc paratus eſt, &c. Habet etiam chartam Regis quæ ipſum, &c.

Item quod reſpondeat de terra *Pictavii*, de qua *Johannes* Rex obiit ſeiſitus, & unde Dominus Rex qui nunc eſt fuit in ſeiſna, quando idem Comes ſuſcepit *Cuſtodiam* Regni, ſcilicet, de *Rupella*, *Nyorth*, & de *Sancto Johanne*, & qui quando ad reſcuſſionem terrarum illarum mittere debuerat theſaurum & denarios, miſit barillos lapidibus & ſabulone impletos. Et ita quod quando Barones & Magnates Domini Regis, & Burgenſes viderunt defaltam illam, diverterunt ſe ab homagio & ſervitio Domini Regis, & convertebantur ad inimicos Domini Regis, propter quod Dominus Rex amiſit *Pictavium.*

Ad hoc reſpondit, quod nunquam miſit tales barillos de quibus dicitur, & hoc preciſe defendit per quodcunque pares ſui conſiderabunt, ſed de conſilio Magnatum *Angliæ* ad defenſionem *Rupellæ* miſſi fuerunt C. milites & ampliùs, & quamplures ſervientes, qui fuerunt cum Domino Rege ibidem quouſque Burgenſes, & homines illius terræ diverterunt ſe ab homagio Domini Regis, unde per ejus negligentiam non amittitur *Rupella*, nec per negligentiam militum ibi exiſtentium, quia illis invitis, Burgenſes terram reddiderunt Regi *Francorum*. Et hoc bene patet, quod cum milites Domini Regis eſſent in Villa, Burgenſes amoverunt eos à conſilio illorum, & ſine militibus pacem fecerunt. Ita quod milites ſalvo corpore ſuo & herneſio poſſent recedere: per exceſſus etiam *Falconis* amittebatur *Rupella*; qui *Falco* & ſui Domino Regi eo tempore quo *Rupella* fuit obſeſſa, inſurrexerunt. Qui etiam *Falco*, per *Willielmum* fratrem ſuum fecit capi *Henricum* de *Braybroc* Juſticiarium Domini Regis itinerantem; propter quem captum, & alias injurias dicti *Falconis*, oportuit Regem & Magnates terræ obſidere Caſtrum de *Bedefordia*, per conſilium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Magnatum terræ. Qui etiam Epiſcopi, ibidem excommunicaverunt *Falconem*; unde patet manifeſtè delictum *Falconis*; alioquin non excommunicaſſent eum. Et ſi *Falco* impune evaſiſſet, & caſtrum non eſſet captum; turbatum eſſet regnum pluſquam fuit. Et ſi hoc non ſufficit, &c. Et ſuper hoc paratus eſt, &c.

Item de hoc reſpondeat, quòd dum Dominus Rex, fuit infra ætatem & ſubvenire debuit terræ *Pictavii*, & exercitus ſuus proficiſci deberet in Pictavium; fecit ipſe Comes obſidere caſtrum *Bedefordiæ*, ubi Dominus Rex & Magnates ſui *Angliæ* antequam illud captum eſſet, maximam impenderunt pecuniam. Quo etiam capto, illud proſterni fecit & reddi *W. de Bello campo*; ſuper quem Dominus *Johannes Rex* caſtrum illud ceperat per guerram; & unde *Johannes Rex* ſeiſitus fuit quando obiit.

Ad hoc reſpondit, quòd per illum ſolummodò non fuit caſtrum obſeſſum, ſed per commune conſilium regni & per delictum *Falconis* & ſuorum, quia fecit capi *Henricum de Braybroc* juſticiarium Domini Regis, per *W. de Breaute* fratrem ſuum. Unde Dominus Rex miſit literas ſuas eidem *Falconi*, una vice & alia, pro deliberando Juſticiario ſuo; & quòd frater ſuus pro* quibus nihil facere voluit. Rex etiam miſit literas ſuas *Willielmo de Beaute*; qui reſpondit, quòd ipſum *Henricum* non redderet ſine *Falcone* fratre ſuo; & quòd frater ſuus bene advocaret quod fecit. Unde Dominus Rex habito conſilio cum Magnatibus ſuis, acceſſit uſque *Bedefordiam*; & miſit ad illos qui erant infra Caſtrum, *petrum filium Herebin**, & *Alanum Baſſet*; petens quod deliberarent *Henricum* de *Braybroc* Juſticiarium ſuum quem tenebant impriſonatum, & quod veniſſet emendare delictum ſuper captione dicti Juſticiarii Domini Regis. Et ipſi reſponderunt, quòd nihil facerent pro Domino Rege, & quòd ipſum *Henricum* tenerent; & ſi poſſent plus caperent: unde

* *Iis.*

unde per conſilium magnatum *Angliæ*, fuit caſtrum obſeſſum, captum & dirutum. Quo diruto, fuit ſedes caſtri tradita *Willielmo de Bello Campo* per conſilium Magnatum *Angliæ*: hac ratione, quòd in forma pacis inita inter Dominum Regem & Dominum *Lodovicum* & Barones continebatur, quòd quiſque haberet talem ſeiſinam quam habuit in principio guerræ. Unde Dominus *Gwalla* legatus, Archiepiſcopus & Epiſcopi, excommunicaverunt omnes qui venirent contra iſtam formam pacis. Et quia idem *W.* ſemper erat petens verſus dictum *Falconem*, dictum caſtrum, ut jus ſuum; nec habere potuit, donec fuit captum per Dominum Regem: idem Dominus Rex de conſilio Magnatum ſuorum, propter formam pacis factæ, & præ timore ſententiæ latæ; dictam ſedem caſtri ei reddidit, tenendam eodem modo quo anteceſſores ſui tenuerunt; prout patet in rotulis Domini Regis. Et etiam idem *Willielmus* dedit Domino Regi de ſuo, ut talem ſeiſinam haberet; ut patet ſimiliter in rotulis Domini Regis. Et ſi hoc non ſufficit, dicet aliud. Et ſuper hoc, &c.

Item quòd de hoc reſpondeat; quòd *Romam* nuncios deſtinavit, & antequam Dominus Rex eſſet plenæ ætatis, impetravit quòd eſſet plenæ ætatis; ſicut hoc eſſet ad commodum Domini Regis; & auctoritate cujus ætatis inchartari ſibi fecit terras quæ fuerunt *H. de Eſſex*: & plures alias terras dignitates & libertates de quibus ſeiſinam per ſe ipſum cepit, poſt mortem ipſius *Regis Johannis*; & de quibus idem *Rex Johannes* obiit ſeiſitus, (ut etiam dari fecit & confirmari viris religioſis, perſonis Eccleſiaſticis, & aliis,) multas terras & libertates & alia, ad minorationem & magnam deteriorationem dignitatis Domini Regis & Coronæ ſuæ.

Ad hoc reſpondit, quòd non deſtinavit nuncios *Romam*, ſed Epiſcopus *Wintonienſis* miſit *Romam W. de Sancto Albano* pro dicto negotio; magis ad nocumentum dicti *Huberti* quàm ad commodum ſuum, ut ipſe & alii redderent cuſtodias ſuas, & ita factum fuit apud *Norhampton*. Poſtea de communi conſilio Archiepiſcopi & Epiſcoporum, proviſum fuit, quòd Dominus Rex haberet ſigillum & currerent literæ ſuæ, ut ſic majoris timoris eſſet Regno, & majoris autoritatis. Poſtea impetrata fuit venia ſuæ ætatis ad ſuggeſtionem Archiepiſcopi, Epiſcoporum, Comitum, & Baronum ab *Honorio Papa*. Suggeſſerunt enim Papæ, quòd prudentia & diſcretio ſua, ætatem ſuam ſupplevit, ſicut continetur in privilegio *Honorii* Papæ directo Comitibus & Baronibus, quod ſic incipit. *Ad hæc & infra licèt chariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Regis Angliæ illuſtris adoleſcentia computetur in annis; quia tamen, ſicut accepimus & gaudemus, animum induit virilem, ætate quia proficit & prudentia, ita quòd in annorum numero ſibi deeſt indiſcretionis videatur recuperare virtute; non eſt ei amodò prohibendum de regno & regni negotiis utiliter diſpondere; ideoque per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cum venerabili fratre noſtro Epiſcopo Wintonienſi & nobilibus viris Juſticiario Angliæ* & *W. de Bruwera, damus noſtris* literis in præceptis, ut amodò Regni ſui diſpoſitionem ſibi dimittant liberam & quietam. ¶ Et *Comiti Ceſtriæ* ſcripſit hoc modo. *Per Apoſtolica ſcripta mandamus & præcipimus*, quatenus modò regni ſui diſpoſitionem illi dimittas, terras & Caſtra quæ tenes nomine Cuſtodiæ, ſine difficultate aliqua reſignes eidem: & ab aliis reſignari procures. Sub eiſdem verbis ſcripſit *Wintonienſi Epiſcopo.* ¶ Cancellario verò ſcripſit ſic. *Per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cum ejuſdem Regis ſigillum habeas & ejuſdem cuſtodiam, amodò illo ſecundum beneplacitum ſuum utaris, & ſuper eo ipſi tantùm obedias & intendas; nullaſque de cætero litteras præter voluntatem ipſius ſigillo regio facias ſignari.* ¶ De terra *H. de Eſſex* dicit; *quod Dominus Rex ſui gratiâ quando fuit plenæ ætatis, & poſtquam Cancellarius per dominum Papam tantummodò ipſi intendebat, illam terram ei dedit per cartam: & etiam terram ut jus ſuum ei reddidit, poſtquam venit ad pacem ſuam.* Et ſi hoc non ſufficit, &c. & paratus eſt ſuper hoc, &c.

Item quòd reſpondeat de hoc, quòd cum Dominus Rex *Scotiæ W.* aliquando tradidiſſet Domino *Johanni* Regi duas filias ſuas, & unde primogenita maritari deberet domino Regi, vel *Comiti Richardo*, ſi de Domino Rege humanitùs contingeret, & pro quo maritagio, idem Rex *Willielmus* quietum clamavit Regi *Johanni* totum jus ſuum quod habuit in terris *Cumberland*, *Weſtmeriland*, & *Northumberland*; & præterea dedit ei quindecim millia argenti marcarum. Ipſe antequam Dominus Rex talis eſſet ætatis, quòd poſſet decernere utrum ipſam vellet habere in uxorem vel non, deſponſavit eam. Et ita quod cum Dominus Rex pervenit ad ætatem, opportuit eum dare Regi *Scotiæ* qui nunc eſt ducentas libratas terræ pro quieta clamatione prædictarum terrarum; quia primæ conventiones non fuerunt obſervatæ; Et hoc non obſtante quod priùs deſponſaverat *Comitiſſam Gloverniæ*, quæ aliquando deſponſata fuit Domino *Johanni Regi* dum fuit Comes, & quam *Rex Johannes* commiſit ei in cuſtodiam: & cujus maritagium vendiderat aliquando, *G. de Mandeville* pro 20. millibus marcarum, & unde utraque illarum conjuncta fuit alteri conſanguinitate in certo gradu.

Ad hæc reſpondit, quod de conventione inita inter duos Reges, ſcilicet de maritagio faciendo Domino Regi vel *Comiti Richardo*; nunquam ſcivit: ſed quod per Dominum Regem, de conſilio magnatum maritari debuit: & de eorum conſilio fuit maritata, patet tam

tam per literas Domini *Pandulfi* tunc legati *Angliæ*, quàm per literas *Cantuarienſis Archiepiſcopi*, Epiſcoporum, Comitum & Baronum. Nec etiam illa conventio potuit impedire ſi facta fuit; quia quando maritata fuit, Rex fuit talis ætatis quod potuit contraxiſſe cum illa vel cum alia ſi voluiſſet. § De conſanguinitate inter Comitiſſam *Gloverniæ* & filiam *Regis Scotiæ*, nihil ſcit. §. De ducentis libratis terræ oblatis *Regi Scotiæ*, nihil factum fuit per Comitem *Cantiæ*. De *Comitiſſa Gloverniæ* dicit; quod non fuit in cuſtodia *Huberti*; ſed erat Domina de ſeipſa; & licebat ei maritare ſeipſam cui voluit poſt mortem *G. de Mandevile*; cum Dominus Rex *Johannes* priùs dicto *G.* maritagium ejuſdem Comitiſſæ vendiderat. Et ſi hoc non ſufficit, dicet aliud. Et ſuper hoc paratus eſt, &c.

Item quod reſpondeat de hoc, quod cum Dominus Papa dedit in mandatis; quod occaſione illius parentelæ fieret divortium inter ipſum & Comitiſſam uxorem ſuam quam nunc habet, ipſe fecit triturare omnia blada *Romanorum* per illos qui vocabantur *Lewytheil*: unde ſententia Excommunicationis generaliter lata fuit in omnes malefactores illos & eorum fautores; Et hoc fecit dum fuit Juſticiarius, & per eum qui pacem deberet obſervare; & ita quod pax hucuſque per hæc extitit perturbata.

Ad hoc reſpondet, quod nihil ſcit, quia per illum non fuit hoc factum, quod patet manifeſtè, quia Dominus Papa ſuper hoc fecit fieri inquiſitionem per Epiſcopum *Wintonienſem*, & *Abbatem Sancti Eadmundi*, & Inquiſitio facta tranſmiſſa fuit ad Papam; per quam inquiſitionem apparuit manifeſtè, quod non fuit in culpa; quia ſi fuiſſet, Papa puniiſſet eum: quod non fecit. Et ſi hoc non ſufficit, &c. Et ſuper hoc paratus eſt facere quod pares ſui conſiderabunt.

Item quod reſpondeat de hoc, quòd cum ſe poneret in priſonam Domini Regis, & per conventionem inter eos factam quòd pro utlago teneretur, ſi unquam de priſona illa evaderet ſine licentia ipſius Domini Regis, ipſe de priſona illa evaſit, & cum per conventionem illam, & per ſectam illorum de quorum cuſtodia evaſit, utlagatus eſſet, & poſtmodum dominus Rex in gratiam ſuam illum recepiſſet; Ipſe de utlagaria illa ei remiſſa, nullum breve Domini Regis recipere voluit. Et eo poſtmodum in gratiam Domini Regis taliter recepto, quòd ſalvæ eſſent donationes quas Dominus Rex priùs fecerat de terris quas habuit in manu ſua, per conventionem illam; ipſe nihilominus poſtmodùm contra conventionem illam implacitavit *Johannem de Gray*, *Maſty*, *Beſily*, *Anketillum Malure*, *Robertum Paſſelewe*, *Alanum Urry* & plures alios: & verſus eos recuperavit, & unde Dominus Rex aliquibus ex illis fecit eſcambium de Dominicis ſuis, ad magnum ejus incommodum, & unde videtur Domino Regi quòd prædicto Comiti conventionem tenere non debet, ex quo ei nullam tenuit.

Ad hoc reſpondit, quod nullam talem conventionem fecit, & dicit quòd cum eſſet in cuſtodia quatuor Comitum *Angliæ*, per ſic quod in mandatis ceperunt, quod nihil periculi in ſuo corpore eveniret, poſtmodum ſubtracti fuerunt Cuſtodes qui deberent eum à malis tueri, neſcit per quem; Unde merito ſibi timuit, & præcipuè cum *Wintonienſis Epiſcopus* eſſet conſiliarius Domini Regis, qui minitabatur ei, ſicut *Anglia* ſcit, & caſtrum *Diviſorum* fuit in cuſtodia *Petri de Rivall*. Unde cum tutela ſua quæ eum debuit protegere ex conventione, quando ſic fuit in cuſtodia à ſe recederet, non fuit mirum ſi ad Eccleſiam confugeret; & hæc nulla ratione feciſſet, ſi conventiones eſſent illi ſub ſalva cuſtodia ſervatæ. §. De utlagatione unde dicitur, dicit quod talem conventionem non fecit, neq; debet talis conventio aliqua reputari; quia nullus probus homo & fidelis poteſt utlagari ex conventione, quia utlagatio eſt pœna malefactoris, & non bene operantis, & ſequitur ex malefacto illius qui non vult ſtare recto. Ipſe vero non fuit talis, quia ſemper rogavit & obtulit ſtare judicio parium ſuorum, poſtmodum cum eſſet reverſus ad pacem Domini Regis, remiſſa ſunt ei omnia præmiſſa, & adjudicata & proclamata eſt illa utlagatio nulla, per omnes Comitatus *Angliæ* per literas Domini Regis. Et iſtud judicium fuit factum apud *Glovernιam*, per os Domini *W.* de *Radleghe*, coram Archiepiſcopo, Epiſcopis, comitibus, & Baronibus. §. Ad hoc quod dicit ſe nolle recipere breve de remiſſione utlagationis. Reſpondit, quod hoc fecit ne videretur ſe confiteri juſtè tanquam malefactorem utlagatum; & dicit quod nullum implacitavit contra conventionem, quia nullam conventionem fecit Domino Regi, niſi de Juſticiaria *Angliæ*, & de Caſtro *Devoriæ* quæ habuit per chartam ad vitam ſuam. Et hoc bene patet, quia per voluntatem Domini Regis & incuria ſua, recuperavit ſuper eos quos implacitavit, & per judicium Curiæ ſuæ; unde non eſt in culpa ſuper hoc. Et ſi hoc non, &c. Et ſuper hoc paratus eſt, &c

Item quòd reſpondeat de hoc, quod verba probroſa & turpia dixit Domino Regi, in præſentia Domini *R. filii Nicholai*, *G. de Grancumbe* fratris *G.* & aliorum, & Dominus Rex adhuc multa habet contra ipſum proponenda & dicenda, quæ adhuc reſervat in animo, propoſiturus ea cum ei placuerit & locus affuerit.

Ad hoc reſpondit, & hoc defendit preciſe, ſicut contra Dominum ſuum & contra omnes alios qui hoc dicent, per quodcunq; pares ſui conſiderabunt, & omnia præmiſſa

in

in reformatione pacis ei fuerunt relaxata, & in Jure remiſſa. Unde non videtur quod ſuper præmiſſis poſſit conveniri de jure; & ſi in aliquo præmiſſorum fuit inſufficienter reſponſum, paratus eſt Comes aliud dicere. 5. Item videtur ei, quòd non tenetur reſpondere niſi reſtitutus eſſet, de omnibus bonis ſuis de quibus diſſeiſitus fuit, cum nullus tenetur reſpondere in foro ſæculari vel Eccleſiaſtico diſſeiſitus.

Dies datus eſt eidem *Huberto* coram Domino Rege de audiendo judicio ſuo, in craſtino decollationis ſancti *Johannis*.

PAG. 581. lin. 22.

Capitula foriſfactorum, in libro qui huic eſt continuandus, ſcripta reperientur.

Inquiſitiones de foriſfacturis diverſis ſuper Foreſta Domini Regis.

1. INquiratur quæ aſſarta, & quanta, & quæ purpreſturæ, & quantæ factæ ſunt, à tempore poſt primam coronationem Domini Regis *Henrici* tertii in Dominicis boſcis Regis, & in alienis boſcis & landis, & omnibus aliis locis infra metas foreſtæ exiſtentibus, & quantum contineant per numerum acrarum, & qui ea fecerunt, & qui ea modò teneant; & quantum ſingula valuerunt, à tempore quo facta fuerunt, ſecundùm communem æſtimationem per annum.

2. Item, Inquirendum eſt etiam quantum vaſtura ſingulorum boſcorum & reſſetorum prædicto modo aſſartatorum valuit, antequam aſſarta illa facta fuerunt, tam de Dominicis Domini Regis, quàm de aliis; & qui valorem illorum receperint, & quantum valeat inbladatio ſingulorum aſſartatorum, quæ nunc inveniuntur inbladata.

3. Item, inquiratur etiam qui Foreſtarii de feodo vel alii ad officium illud deputati, mercedem ceperint ab hiis qui hujuſmodi eſſarta vel purpreſturas fecerint, vel alio modo ad hoc aſſenſum præbuerunt, ut fieri permitterentur.

4. Item, inquiratur etiam in ſingulis ballivis, qui ſint Foreſtarii de feodo, & quod vel quale warrantum habeant de ballivis ſuis tenendis, & qui eorum reddant Domino Regi firmam annuam, & quantum, & qui non; & quæ pertineant ad firmam ſuam faciendam. Et ſi aliquid attraxerint eis quod ad firmam ſuam non pertineat, ad firmam illam faciendam vel alio modo ad damnum Domini Regis & Foreſtæ. Ft qui Foreſtarii de feodo habeant terras vel tenementum de Domino Rege, pro ballivis ſuis cuſtodiendis: & quantum terræ vel tenementa illa valeant, & qui ea modo tenent.

5. Item, inquiratur etiam qui de novo fecerint infra metas foreſtæ vel extra ad nocumentum Foreſtæ, parcum vel boſcum ſuum claudere vel warennam, vel aliquem boſcum afforeſtaverit ſine warranto Domini Regis. Et ſi aliquis de Foreſta Domini Regis aliquid deafforeſtaverit vel ſubtraxerit Domino Regi, per quod minoratur ad damnum ipſius; & per quem, & à quo tempore hoc factum fuerit.

6. Inquiratur etiam, ſi infra prædictum tempus aliqua Eccleſia Villa vel domus vel clauſum aliquod infra metas Foreſtæ, aliquo tempore conſtruatur; per quem & à quo tempore; & quot animalia exeunt in ſingulis domibus illis quo nimis paſtura Foreſtæ oneratur: & qui Foreſtarii aliquo favore, gratia vel lucro, ad hoc conſenſerint.

7. Inquiratur etiam quid & quantum ſinguli Foreſtarii de feudo, vel alii in ſingulis ballivis dederint vel vendiderint, vel extrahi permiſerint, vel ad opus ſuum proprium ceperint de boſcis ballivæ ſuæ, ſine ſpeciali mandato Domini Regis, vel capitalis Juſticiarii Foreſtæ: & quale warrantum capitalis Juſticiarius Foreſtæ pro tempore ſuo inde habuerit de Domino Rege, & nomina Juſticiariorum.

8. Inquiratur etiam, qui fecerint vel facere conſueverint vaſtum vel deſtructionem de viridi vel de venatione, & quid, & quantum, & qui Foreſtarii ad hoc conſenſerint gratia vel lucro. Et qui canes vel leporarios, arcus & ſagittas vel aliquod aliud ingenium infra Foreſtam habuerint, ad damnum ferarum Domini Regis.

9. Inquiratur etiam, qui Foreſtarii de feodo vel alii venditionem vel vaſtum fecerint vel facere permiſerint de boſcis in balliva ſua, ſive de boſcis Domini Regis ſive alienis; & quam venditionem & quod vaſtum. Et ſi aliquis eorum habeat cuſtumarios reddentes illi redditus annuos, ut poſſint extrahere boſcum de Foreſta Domini Regis ad damnum ipſius: Et quæ damna Dominus Rex inde habuit.

10 Inquiratur etiam, ſi qui Foreſtarii de feodo, finem capiant de foreſtariis non de feodo, ut ponantur in ballivis Foreſtæ; & poſtquam finem alium receperint, ipſos Foreſtarios amovent, & alios ibi ponunt per novem finem; ad magnum detrimentum Foreſtæ & gravamen patriæ.

11. Inquiratur etiam de omnibus illis qui ſuſpecti habiti ſunt vel ſoliti ad intrandum boſcos parcos vel Foreſtas, cauſâ berſandi vel alia damna faciendi vel deſtruendi vivaria, quominus pax regni obſervetur: Et qui eorum ſunt receptatores, vel conſentientes malefactorum.

12. Inquiratur etiam qui Foreſtarii ceperint finem vel mercedem aliquam pro cheminagio, aliam quam ad ballivam ſuam pertinet, vel capere conſueverint tempore regis *Johannis*: vel aliquam aliam conſuetudinem vel extorſionem per Foreſtam levaverint, quàm levata fuerit tempore Regis *Johannis*, ad nocumentum Domini Regis vel patriæ.

13. Inquiratur etiam, ſi aliquæ purpreſturæ factæ fuerint infra metas Foreſtæ, in mariſcis, moris, montanis, vel Brueris; Et ſi aliqua antiqua triſtra Domini Regis, villa vel domo levatis vel clauſo impediatur; per quæ deductus Domini Regis impediatur.

14. Inquiratur etiam de carbone maris invento infra Foreſtam, & qui mercedem ceperint pro foſſatis faciendis de carbone illo, & pro cheminagio.

15. Inquiratur etiam, de Marleris, Mineriis, turbariis, fabricis, & carbonariis factis & levatis, infra prædictum tempus, ad nocumentum Foreſtæ, ſine warranto Domini Regis, & qui commodum inde receperint, & quantum valent per annum ſecùndum comunem æſtimationem.

16. Iterum diligenter inquiratur per quas metas & bundas, ſinguli Foreſtarii de feodo teneant & tenere debeant ballivas ſuas, & ſi aliqui eorum vel quicunq; alii de boſco vel terra Domini Regis, aliquid ſibi adtraxerint vel appropriaverint ad nocumentum Domini Regis, aliter quàm facere deberent: Et quæ Dominica Dominus Rex habet in iſta balliva in boſcis vel terris, & quibus metis & bundis circumcludantur.

17. Inquiratur etiam, qui Foreſtarii ceperint finem pro diverſis animalibus agiſtandis, in paſtura ferarum Domini Regis in Dominicis boſcis ſuis, ad nocumentum Foreſtæ & ferarum Domini Regis, & etiam ad nocumentum illorum qui boſcos habuerint.

18. Inquiratur etiam qui Foreſtarii oneraverint ballivam ſuam indebitè hoſpitando & nimis frequenter, vel equos ſuos in domibus alienis hoſpitando, vel alias indebitas exactiones faciendo infra ballivam ſuam, vel extra, occaſione ballivæ ſuæ.

19. Inquiratur etiam, qui receperint profectum de tabbaciis quæ acciderint in Dominico boſco Domini Regis, à tempore prædicto, & quid & quantum per communem æſtimationem, & qui Foreſtarii vel alii, * ut paſturam illam vel fenum vendant ad nocumentum ferarum Domini Regis & patriæ; & quem profectum & quantum, de hiis receperint ſecundùm communem æſtimationem.

* *Locus mutilus & qui in Manuſcripto legi non potuit.*

20. Inquiratur etiam, qui foreſtarii de feodo vel non de feodo, ceperint coopertiones, ceppagia, & eſchaetas quercuum ſive aliarum arborum, quas Dominus Rex dedit vel vendidit, vel ad opus ſuum proprium ceperit in foreſtis ſuis; & ſi inde habuerint warrantum, quod & cujuſmodi warrantum, & quantum valuerint coopertiones, ceppagia, & eſchaetæ, & quid & quantum valuit quod unuſquiſque ceperit pro parte ſua.

21. Item inquirendum eſt, ſi qui foreſtarii de feodo vel alii, placitaverint aliquod placitum de viridi vel de venatione, quod ad Dominum regem vel ad capitalem Juſticiarium ſuum ſpectat terminandum, & qui eorum de hujuſmodi placito finem vel amerciamenta ceperint, & quid & quantum, & cujuſmodi placitum fuerit, quod ſecundùm dictum modum terminaverint, & penes quem hujuſmodi amerciamenta remanſerint; & qui viridarii ad hoc conſenſerint, & qui Juſticiarii finem ceperint de Foreſtariis ut ponerentur in ballivis ſuis Foreſtarii, ut permitterent ipſos eſſe in balliva Foreſtæ ſub ipſis, ad damnum Domini Regis & patriæ, & quantum valeat hujuſmodi finis quem dicto modo ceperint.

22. Inquiratur etiam de equis, equitiis, & aliis averiis agiſtatis, infra foreſtam Domini regis, per quæ paſtura foreſtæ nimis oneratur, ad detrimentum ferarum Domini regis & patriæ.

23. Inquiratur etiam, qui Juſticiarii vel foreſtarii de feodo vel alii, permiſerint vel conceſſerint alicui per finem factum cum eis, ſive ad opus Domini regis, ſive ad opus eorum, ad faciendum eſſarta vel purpreſturas, vaſtum de viridi, vel de venatione, infra metas foreſtæ, ſive in Dominico Domini regis ſive extra, & qui finem illum habuerint, ſive Dominus Rex, ſive alius.

24. Item inquiratur, ſi aliquis foreſtarius capitalis de feodo, attraxerit ſibi terras, maritagia, vel gardas, ſine aſſenſu Regio quæ pertineant ad ipſum occaſione foreſtæ, ſi inde aliquem feoffaverint, ſine aſſenſu Domini Regis.

25. Item inquiratur ſi aliquis capitalis foreſtarius de feodo, feofaverit aliquem alium de balliva ſua; vel de aliqua parte ballivæ ſuæ, ſine voluntate Domini Regis.

26. Item inquiratur de extractoribus vel venditoribus buſcæ, maeremii, & carbonis de foreſta, ad deſtructionem foreſtæ; tam de Dominicis Domini Regis quàm aliis exiſtentibus in foreſta. Et qui dictam buſcam, maeremium, & carbones ſoliti ſunt ducere ad portus: & ad quem portum, ſive ad quos portus, vel alibi ad quaſcunque villas; & quorum naves ſint cuſtumariæ, ad dictam buſcam, maeremium, & carbonem modo prædicto cariandam.

PAG.

PAG. 608. lin. penult. *Prout pleniùs ſcribitur in libro literarum.*

Quomodo puniuntur malefactores, in parcis vel vivariis.

MOdo puniuntur inventi malefactores de parcis & vivariis. Si fugit & occidatur malefactor, non obtinebit jus nec appellum. Si verò Comes, Baro, vel miles Domino Regi conqueſtus fuerit de beſtiis captis in parco ſuo, ita quòd per breve Domini Regis facta fuerit Inquiſitio; tunc indictatus per inquiſitionem & convictus, jacebit in priſona Domini Regis per unum annum & unum diem; & poſtea redimatur ad pretium valoris terrarum ſuarum per tres annos. *Ita* tamen, quòd interea de ſuo paupere ſuſtentetur. Et tunc Dominus Rex habebit duas partes redemptionis, & ille cui tranſgreſſus fuerit, tertiam. Et poſt illam redemptionem, inveniet duodecim plegios qui ipſum manucapient, quòd deinceps non malefaciet in parcis, vivariis, vel foreſtis; nec in aliquo contra pacem Domini Regis. Et ſi contingat ipſum in aliquo prædictorum malefacere, plegii ſui reſpondebunt de corpore ejus, & de tranſgreſſione. Si verò aliquis ſubitò captus fuerit in parco vel vivario, ſine inquiſitione facienda per breve Domini Regis, habebit priſonam domini Regis ut prædictum eſt; & poſtea debet redimi modo prædicto, & ex illa redemptione habebit dominus Rex medietatem, & læſus aliam; & poſtea inveniet duodecim plegias, modo prædicto.

PAG. 627. lin. 5. *Scriptum authenticum de canonizatione ejus, in fine libri ſcribitur.*

Autenticum Domini Papæ Innocentii *quarti, de Canonizatione beati* Ædmundi Cantuarienſis *Archiepiſcopi.*

I*Nnocentius* Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Novum Martyris Eccleſiæ gaudium, novi ſancti celebritate jocundæ, læti referimus: grande à cœleſti collegio, de Collegæ novi conſortio agi feſtum, exultanti animo nunciamus. Gaudet quidem Eccleſia ſe talem ac tantum produxiſſe filium, qui alios & ſacræ converſationis exemplo dirigat, & percepto jam beatitudinis præmio, firmam ſpem eis tribuat de ſalute. Lætatur, nimirum, ſe tam clara ſobole illuſtratam, quæ digno ab omnibus attollenda præconio & devota veneratione colenda; manifeſtè declarat ad hæreditatis æternæ participium admittendos; qui Eccleſiam ipſam matrem, fide ac opere profitentur. Et nullos in ſupernam poſſe gloriam, niſi per eam, tanquam regni cœlorum clavigeram, introire. Gaudet cœleſtis patria nobilis habitatoris adventu, expertumque colonum fidei, ſuis incolis noviter adunari. Exultant cives cœleſtes, de celebris aggregatione concivis, de condigno cœli conſorte nuper ipſis adhibito: pſallunt ſancti. Exurgite igitur, & vos fidei zelatores, & unà cum Eccleſia matre veſtra lætamini, de magnificentia & exaltatione confratris. Affluite gaudio, & ſpem tutam aſſumite, de condigena terrenorum facto compatriota cœleſtium. Exultate ingenti lætitia, quòd novellus vobis apud Deum patronus accrevit: quòd adeſt coram ipſo pro ſalute veſtra placidus interceſſor. En, ſiquidem, beatus *Ædmundus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, ſalubriter penſans ad factorem ſuum facturam affectu dirigi naturali; naturamque collapſam reparatorem debere recognoſcere proprium creatorem & redemptorem ſuum, affectuosè & ſtudiosè quæſivit. Rectæ namque intentionis lumen bajulans, ad ipſum perfectorum operum proceſſit greſſibus: ſalutis ſemitam aliis, & ſplendore vitæ, ac doctrinæ claritate, demonſtrans. Unde horum trium, intentionis puræ, perfecti operis, & recti ſermonis dulci concordia velut delectabili pſallens tripudio; tribus hoſtibus, carne, mundo, dæmone, virtute perſeverantiæ ſuperatis, dignè meruit veræ fidei, ſecuræ ſpei, & fervidæ charitatis, ternario inſignitus: ſummæ *Trinitatis* arce trino electorum virginum ſcilicet, continentium, & conjugatorum ordine, præparatâ palmâ victoriæ honorari. Etenim ut de ſuis actibus aliquid referamus, licèt ipſius vita quo pleniùs exponitur, eò relatoris guſtui plus dulceſcat, magiſque delectet animos auditorum: ab annis teneris Dei filium tenerè diligens, eum poſtmodum tenere corde non deſiit; quia ipſum tenellæ mentis tabulæ ſtylo, rectæ conſiderationis inſcripſit. Quinimò quantò majori profecit ætate, tantò pleniore cognitione in amorem ejus exarſit: Et ne fervor ſpiritus ſuæ carnis extingueretur ardore, ſed mortificatione potiùs accenderetur ipſius; aſſidui eam aſperitate cilicii edomans, ejus libitum arctæ abſtinentiæ nexibus alligavit; ut non ſuo ducta voto, ſed ſpiritus voluntate, ad licita tutè pergeret & providè

ab illicitis declinaret. Nam diſtrictis corpus maceravit jejuniis, antiquorum obſervantiæ novorum auſteritatem (quæ ſibimet ipſe idem indixerat) ſuperaddens; dum delicioſorum ciborum oblectatione deſpecta, refectione contentus humilium; communium jejuniorum temporibus, à permiſſis etiam elegit jejunare cibariis: & cæteris inſuper in hebdomada diebus, ampliùs abſtinere. Somni quoque prolixitatem odiens, diuturnis vacabat vigiliis: & excuſſo torpore, orationi ſedulò inſiſtebat. Cubilis enim ſpreta mollitie, ne requie delicata leteſceret, illam membris indulgebat jacendo quietem; ut brevi ſopore refectus, protinus ſurgeret; ſeque genuflectionibus & orationibus diutius deputaret. Ab initio autem viarum ſuarum, ſic mundè uſque in finem incedere ſtuduit, quòd mundi vitato lubrico, in lutum non defluens voluptatis, munditiæ nitore præfulſit. Quid ampliùs? Contrivit fragile carnis vaſculum, ut in eo theſaurum animæ ſibi creditum cautiùs conſervaret. Doctor verò præclarus, ac prædicator eximius; & auditorum mentibus ſcientiæ lumen infudit, & pectoribus fidelium avulſis vitiorum tribulis, ſemina virtutum injecit. Humilitate quippe ſublimis, manſuetudine placidus, patientia fortis, benignitate affabilis, pietate condolens, miſericordia innocens, & multiplici eleemoſinarum irriguo, in ſubventionem affluens egenorum. Et ut geſtorum ſuorum multitudinem, ſuccincta relatione texamus, ſic *Jeſum* firma credulitate cognovit, & agnitum ſincero corde dilexit; ac dilectum totis votis ambivit: quod mundo & eis quæ in mundo ſunt pœnitus vilipenſis, ad cæleſtia cunctis ſtudiis inhiavit; ſatagens ſe ſuo nomini actibus coaptare, ut ſicut vocabatur *Ædmundus*, ſic ſe vel à criminum labe mundum, vel è mundo abductum, ſeu extra mundi amplexus poſitum; operum teſtificatione probaret. Unde tanquam ſpiritualis omnino *Ædmundus*, à carnis contagiis in extremis agens, & Corpus *Chriſti* ſibi delatum reverenter adorans; hæc verba omni attentione notanda, mira protuliſſe compunctione apertè monſtratur: *Tu es in quem credidi, quem prædicavi, quem docui: Et tu teſtis es mihi, quia nihil* aliud niſi te Domine in terra quæſivi; ſicut tu ſcis quod nil volo niſi quod tu vis; fiat voluntas tua. Verùm cum vivens, Dei Eccleſiam præclaris illuminaſſet meritis; mortuus ſuæ ſibi claritatis radios non ſubtraxit: ſed cum functus hac vita veriùs viverit quàm vixiſſet; eam poſtmodum illuſtravit fulgore luminis plenioris. Non enim voluit Dominus, ſanctitatem mundo ſupprimi tanti viri; quin ſicut pluralitate innotuerat meritorum, ſic miraculorum diverſitate pateret: ut qui tota ipſum devotione coluerat, jam ſecum regnans venerabiliter coleretur. Nam cæcis lumen reſtituit, & quod eſt glorioſius, de cujuſdam oculi innatæ cæcitatis tenebras, infuſi viſus perſpicuitate, fugavit. Alii cujus linguam natura diutina taciturnitate ligaverat, liberam loquendi tribuit ſoluto ſilentio facultatem. Leproſam quandam, ſquammis lepræ mox decidentibus, ſubita & mirabili abſterſione mundavit. Tremula paralytici membra, firmavit conſolidatione nervorum; contractis artuum extenſione ſubvenit. Tumentem hydropiſim, corporis extenuatione curavit. Et quandam ſenilis ætatis, veteri gibbo imis inflexam reſtituit: erecta ſurſum ejus facie, ſanitati. Hiis & aliis quampluribus coruſcavit miraculis manifeſtis; quorum ſeriem non duximus præſentibus inferendam verè aliis: nam triginta & ampliùs mortuorum, ſuſcitator magnificus fuiſſe dinoſcitur apud *Pontiniacum*; præter alibi mortuos & morti expoſitos; quos à portis mortis, vel potiùs ab ipſa morte, ad vitam, & plenam ſoſpitatem revocavit. Nec credimus eſſe ſanctum in tota Cœleſti Curia, cujus miracula & virtutes manifeſtas, ſola obloquentium invidia ſubticuit ac denigravit. Convaleſcit ex ipſis, fides Catholica, *Judæorum* pertinacia erubeſcit. Confunditur hereticorum fallacia: & obſtupeſcit ignorantia Paganorum. Cantet itaque *Cantuarienſis* Eccleſia, laudis divinæ Canticum; quòd inter alias modernis temporibus venerabilibus eſt decorata patronis: unius quidem, rubricata martyrio, & confeſſione alterius candidata. Exultet pleno gaudio fertilis *Cantuaria*, quòd ab Eccleſiæ ſuæ area, tam purum granum tranſmiſit ad horrea ſummi Regis. Lætetur & *Pontiniacenſe* monaſterium, quòd talium & tantorum patrum meruit honorari præſentiâ; dum unus diu ibi degens, illud ſuæ vitæ nobilitavit moribus: & alter illuc accedens, ipſum redditâ cœlo animâ, ſui corporis theſauro ditavit. Ut quaſi adimpleretur, quod ipſe glorioſus martyr, *Thomas* videlicet, poſt longam moram quam exilii ſui tempore in eodem continuavit monaſterio; cum ipſis monachis de multa honorificentia charitativè ſibi ab eis exhibitâ, reſpondere juxta ſui voti plenitudinem non valeret, dixiſſe aſſeritur, *quòd eſſet ſibi aliquis ſucceſſurus, qui dignam ipſis retributionem rependeret pro eodem.* Porrò, quia quos optimus Deus perpetuæ corona gloriæ in cœlum magnificat, ſummæ devotionis ſtudio ab hominibus in terris convenit venerari: ut quo ſolenniùs fideles Sanctorum quorum memoriam agimus, eò digniùs ipſorum patrocinium promerentur: nos de Sanctitate vitæ ac veritate miraculorum ejuſdem Sancti *Ædmundi*, curioſæ inquiſitionis ſolennitate ac diſtricti examinis diſcuſſione præmiſſis, plenariam certitudinem obtinentes; ipſum de communi fratrum noſtrorum & prælatorum omnium, tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium conſilio & aſſenſu; in Dominica de *Adventu* qua cantatur *Gaudete in Domino ſemper*, Sanctorum catalogo aſcribendum duximus: vel jam aſcriptum potiùs, nunciandum. Ideóque univerſitatem veſtram monemus & exhortamur attentè, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes: quatenus decimo ſexto kalenda-

Nota. Et nota quod nec diſcalceatus, nec diſcinctus, nec exutus veſte.

Supplementum veritatis mutilatæ, & Authentico non inſertæ.

kalendarum Decembris: cum tunc fœlix ipſius anima de carnis liberata carcere, ad aſtra conſcendens, aulam cœleſtem adiverat, paradiſi deliciis fruitura: feſtum ejuſdem devotè ac ſolenniter celebretis, & faciatis vos fratres, Archiepiſcopi & Epiſcopi, per veſtras civitates & diœceſes à Chriſti fidelibus veneratione congrua celebrari. Ut pio ejus interventu, & hic ab eminentibus poſitis periculis erui; & in futuro ſalutis præmium conſequi ſempiternæ. Cæterùm, ut ad venerabile ejus ſepulchrum ferventiùs & copioſius *Chriſtiani* populi confluat multitudo, ac celebriùs ejuſdem ſancti agatur ſolennitas; omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui cum reverentia illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint ipſius ſuffragia petituri; de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum & quadraginta dies: Accedentibus verò annis ſingulis ad prædictum ſepulchrum, infra ejuſdem feſti octavas: quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum *Lugduni*, tertio Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno quarto.

Oratio de eodem Sancto Ædmundo.

DEus, qui largiſſimæ bonitatis conſilio, Eccleſiam tuam beati *Ædmundi* Confeſſoris tui atque Pontificis, præclaræ vitæ meritis decoraſti, & glorioſis lætificaſti miraculis: concede nobis famulis tuis, ut & ipſius in melius reformemur exemplis, & ab omnibus ejus patrocinio protegamur adverſis. Per, &c. *Secretum.* Beati *Ædmundi* Confeſſoris tui atque Pontificis interventu, quæſumus, Domine, munera tibi offerenda complaceant, & oblata nobis proficiant ad ſalutem: per, &c.

Poſt-Communio.

MEntes noſtras quæſumus Domine ſuſceptis robora Sacramentis, ut ſicut eas Beati *Ædmundi* Confeſſoris tui atque Pontificis, dignatus es novis confortare miraculis; ſic etiam juvare ſuffragiis, & illuſtrare digneris exemplis. Per (*Jeſum*) &c.

PAG. 635. lin. 45. & Pag. 636. lin. 30. & Pag. 639. lin. 59.

Cùm in omnibus his tribus locis mentio fiat de poteſtate Papali, huic Johanni *conceſſa: omnia igitur Authentica quæ in* Additamentis *inveniuntur, hic ſimul damus.*

Poteſtas conceſſa fratri Johanni, *de Ordine* Minorum *primo.*

INnocentius, &c. *Johanni Anglico, &c.* Cum venerabilibus fratribus noſtris *Cantuarienſi* & *Eboracenſi* Archiepiſcopis & ſuffraganeis eorundem, necnon dilectis filiis Abbatibus exemptis & quibuſdam aliis Clericis in *Cantuariæ & Eboraci* provinciis conſtitutis, de fratrum noſtrorum conſilio noſtris dedimus in mandatis, ut hiis quæ tu ex parte noſtra ſuper ſubventione Apoſtolicæ ſedis propones eiſdem, adhibeant plenam fidem & liberaliter ac libenter ea ſtudeant adimplere; Diſcretioni tuæ præſentium auctoritate mandamus, quòd ſi qui forte ipſorum mandatum hujuſmodi non adimpleverint per effectum, illos quos prudentia tua viderit eſſe cogendas, per te vel ordinis tui fratres quibus ſuper hæc commiſeris vices tuas, ad id per cenſuras Eccleſiaſticas appellatione recuſata compellas; quocunque privilegio aut indulgentia qualibet non obſtante, licet præſentes ex ipſis expreſſam non faciant mentionem. Datum *Lugduni* quinto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno quarto.

Item aliud Autenticum.

INnocentius, &c. Fratri *Johanni Anglico, &c.* Eccleſiæ neceſſitatibus circumſcripti, venerabilibus fratribus noſtris *Cantuarienſi* & *Eboracenſi* Archiepiſcopis ac ſuffraganeis eorundem, necnon & dilectis filiis Abbatibus exemptis & quibuſdam aliis Clericis in *Cantuarienſi* & *Eboracenſi* provinciis conſtitutis, de fratrum noſtrorum conſilio noſtris dedimus in mandatis ut hiis quæ tu ex parte noſtra ſuper ſubventione Apoſtolicæ ſedis propones, eiſdem adhibeant plenam fidem, & liberaliter ac libenter ea ſtudeant adimplere. Cæterum quia onus quod in plures dividitur faciliùs ſupportatur, de prudentia tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, dandi per te vel alios ordinis tui fratres quibus ſuper hæc commiſeris vices ſuas authoritatem Archiepiſcopis ſuffraganeis & Abbatibus memoratis, ut ſubditos per cenſuras Apoſtolicas appellatione recuſata compellere poſſint, ut eos etiam per te ipſum vel dictos fratres ſimiliter compellendi, ad contribuendum ſuper ſubventione præmiſſa de bonis Eccleſiaſticis juxta proprias facultates, authoritate præconcedimus poteſtatem. Datum *Lugduni* ſexto Idus Octobris; Pontificatus noſtri Anno quarto.

Item

Item aliud Autenticum.

ARchiepiſcopis, &c. Mandamus quòd *J.* quem pro quibuſdam Eccleſiæ *Romanæ* negotiis deſtinamus, pro reverentia beati *Petri* & noſtri, recipiatis benignè; ac tractetis honeſtè in neceſſariis, & ſecuro conductu eundo, meando, & redeundo, ſibi pro ſe ac aliis quos ſecum duxerit, & in evectionibus eorundem, ſi aliquando eos contigeret ipſas habere, necnon pro nunciis quos interdum duxerit deſtinandos liberaliter providentes, ita quòd veſtræ dilectionis affectum poſſumus exinde commendare. Alioquin excommunicatos vos eſſe, &c.

Mandatum papæ fratri Johanni *de ordine* Minorum.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum, &c. Dilecto filio fratri *Johanni* ordinis *Minorum*, Nuncio noſtro in *Anglia* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Noſtris eſt nuper auribus intimatum, quòd pleríque Eccleſiarum Prælati regni *Angliæ* non attendentes ad humanos uſus non debere transferri, quæ juribus ſunt aſcripta divinis; jura patronatus & advocationis quæ in aliquibus Eccleſiis obtinebant, in perſonas laicas conceſſionis vel alienationis titulo, ſeu alias, pro ſuæ voluntatis arbitrio tranſtulerunt; Capitulorum ſuorum aliquando interveniente conſenſu, & Dioceſanorum; quod vix credimus accedente favore. Non nulli quoque Abbates & Priores diverſorum ordinum,tam exempti quam non exempti regni præfati, propriis commodis per modos illicitos inhiantes, in Eccleſiis parochialibus jus patronatus exemptionis titulo vel aliis perverſis contractibus aſſequuntur; Et ſic eaſdem Eccleſias quandoque de ſuorum Dioceſanorum conſenſu, quandoque motu proprio, non verentur ſuis vel membrornm ſuorum contra Deum & Canonicas ſanctiones, uſibus applicare. Quidam verò executores ſuper Clericorum proviſionibus dudum in eodem regno à ſede Apoſtolica deputati, cùm aliqua beneficia Eccleſiaſtica de quibus eiſdem clericis provideri poterit, vacare contigèrit, in alienis negotiis ſuæ fidei confidenter commiſſis, privata commoda infideliter proſequuntur, dum Abbates & Priores alioſque Eccleſiarum patronos, ad quorum præſentationem noſcuntur eadem beneficia pertinere, excommunicant & ſuſpendunt, ipſoſque taliter impeditos, ad ordinationes Eccleſiarum ſuarum procedere non permittunt, donec ſibi ipſis vel aliis ſuis conſanguineis vel amicis, non autem illis quibus provideri mandavimus, à patronis eiſdem, minis & dolis interdum inductis, eadem beneficia ſeu proviſiones annuæ aſſignentur. Aliqui etiam executores hujuſmodi, ſe nuncios noſtros in Regno *Angliæ* aſſerentes (quanquam alium præter te in eodem Regno nos habere nuncium neſciamus mandati noſtri prætextu quo eis in aliquibus clericis in eodem Regno de beneficiis Eccleſiaſticis quæ tanto tempore vacaverunt,quod ad nos eſt collatio ſecundùm *Lateranenſis* ſtatutum Concilii devoluta, provideri procurent, dicuntur injunxiſſe religioſos viros ſuper Eccleſiis quas ſibi conceſſas in uſus Proprios per longiſſima tempora pacificè poſſiderunt, infeſtant, nec ab eorum ſuper hiis infeſtatione deſiſtunt, donec iidem religioſi alliqua ſumma pecuniæ vel aſſignatione annuæ penſionis, vexationem ſuam redimere compellantur. Cum igitur hæc non ſint ſub diſſimulationis ſilentio tranſeunda, diſcretioni tuæ in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus per te ac alios ſæculares, vel cujuſcunque religionis vel profeſſionis viros, quos ad hoc in diverſis locis ejuſdem regni vice noſtra quam tibi ſuper hoc præſentium auctoritate concedimus duxeris deputandos, ſuper præmiſſis diligentiùs veritate hujuſmodi alienationes, venditiones, ſeu emptiones, de patronatibus vel advocatiis Eccleſiarum, quæ cum ſpiritualibus ſint annexæ, vendi vel emi taliter nequeunt, à quibuſcunque præſumptas vel in poſterum præſumendas, quas irritas eſſe decernimus, denuncians nullas eſſe eas, & quicquid ex ipſis vel ob eas circa Eccleſiarum parochialium ſtatum inveneris temerè immutatum, in ſtatum debitum de plano & abſque judicii ſtrepitu revocare procures. Executores verò prædictos, ad reſignanda & reſtituenda quæcunque ipſos inveneris de prædictarum concuſſionum ſcelere percepiſſe, authoritate noſtra per te ac alios quos ad hoc (ut prædiximus) deputabis, qua convenit diſtrictione compellas, redditurus nos nihilominus de illis quos de hiis deliquiſſe compereris, per tuas literas continentes meram & plenam rerum ſeriem certiores, ut circa eos prout culpæ qualitas exegerit procedamus. Contradictores per Cenſuras Eccleſiæ Apoſtolicæ appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtante ſi aliquibus ſit ab Apoſtolica ſede conceſſum, quòd excommunicari, ſuſpendi vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ac verbum de indulto hujuſmodi mentionem, ſeu quòd ad ſuſceptionem cauſarum vel executionem, quæ ſibi autoritate ſedis ejuſdem committi contingit, minimè teneantur, vel conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Datum *Laterani* quinto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno undecimo.

PAG. 638. lin. 63. *De tranſlatione beati* Ædmundi *Confeſſoris*.

R. Dei Gratia Epiſcopus *Ciceſtrenſis* venerabili amico ſuo Domino R. Abbati de *Begeham*, ſalutem. Ut de elevatione & ſtatu ſancti corporis *Ædmundi* efficiamini certiores, noveritis quòd in craſtino ſanctæ Trinitatis proximo præterito, cum monumentum ſancti patris noſtri *Ædmundi*, primò paucis in ſero præſentibus fuiſſet apertum, ſtatum corporis ejuſdem ſuaviſſimo redolentis odore, plenum & integrum invenimus. Caput quidem cum capillis & facie fulgida, corpuſque cum membris aliis plenarium integrum & odoriferum ſupra balſanum aut thymiama. Naſo tamen paſſo per lapidem ſuperiorem injuriam, preſſionem, ſed non conſumptionem ullam; & meritò, quia qui vitam ſuam pleniùs explorat, de virginitate ejus ſiniſtrum eſt dubitare. Totumque corpus (maximè facies) quaſi oleo perfuſum repertum eſt; quod credimus gratiam ſignificare tam morum quàm doctrinæ: quia diffuſa fuit gratia in labiis ſuis legendo, diſputando, prædicando; propterea, *Deus unxit eum oleo lætitiæ* præ omnibus Lectoribus, & Doctoribus ſui temporis & diſputatoribus, unde diffuſa fuit gratia in labiis ſuis. Et quædam alia virtutum inſignia, quæ nacta temporis opportunitate vobis ſecretiùs referemus, ibidem invenimus; quæ in ſcriptis prolixitas redigi non permittit. De memoratis autem non dubitet veſtra diſcretio, quia quod ſcimus loquimur & ſcribimus, & quod vidimus teſtamur. Et manibus propriis contrectavimus ipſius ſanctum corpus, caputque cum capillis firmis & illæſis, pectine diligenter ac reverenter nec non & gaudenter pertinebamus & compoſuimus. Dominica verò proxima ante feſtum ſancti *Barnabæ*, Domino Rege *Franciæ* & matre & fratribus ſuis Comitibus & multis magnatibus præſentibus, aliis præterea duobus Cardinalibus, *Albanenſi* videlicet & legato *Franciæ*, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis Prælatis venerabilibus, quàm pluribus aſſiſtentibus (quorum numerum ſcire non potuimus) apud *Pontimacum*, voluntate divina, cum exultatione & gloria ineffabili, & Dei laudibus magnificis celebrata eſt *tranſlatio* beatiſſimi patris noſtri ſancti *Ædmundi Cantuarienſis* Archiepiſcopi & confeſſoris. Nec non ad augmentum honoris noſtræ nationis non minimum.

PAG. 641. lin. 64. *De ſanguine* Chriſti, *Domino Regi collato, unde quæſtio movebatur.*

CUm autem quòd ſacratiſſimus foret Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſanguis, quem Rex *Henricus* tertius die ſancti *Edwardi*, videlicet die Tranſlationis ejus, Anno Gratiæ, 1247. indiciis, probationibus & examinationibus conſtaret evidentiſſimis, & omni acceptione digniſſimis; tamen ab aliquibus qui tardicordes erant ad credendum, adhuc dubitabatur utrùm verus ſanguis *Chriſti* fuiſſet. Quibus hæc relatio ſatisfecit inventa in Apocryphis, quibus non diſſidet, imò concordat, textus Evangelicæ veritatis. Quod videlicet cum *Joſeph* ab *Arimathia* nobilis decurio, qui ſic dicebatur quia decem militibus præfuit, vel decurio, id eſt de Curia & de numero Curialium, fuiſſet unus de auditoribus *Jeſu*, & potiùs de diſcipulis, & amator ſpecialis; compatiebatur ei, & ſollicitabatur qualiter corpus conſervari poſſet tam venerabile à furore *Judæorum*. Erat enim amiciſſimus *Jeſu*, ſicut & *Nicodemus*. Sed hii & alii divites occulti, propter metum *Judæorum*; ne accuſati, jacturam incurrerent & odium amicorum. Magnum enim vinculum ſervitutis in ſe habent divitiæ. Crucifixo igitur *Jeſu* & mortuo, poſtulavit *Joſeph* corpus *Jeſu*, ingrediens ad eum audacter (per quod creditur fuiſſe potens) & conceſſum eſt ei. Ipſe igitur (licèt obmurmuraſſent *Judæi*) cum omni honore & reverentia, ipſum corpus ſanctiſſimum depoſuit de cruce ſaucium & multiformiter cruentatum; habenſque linteamen ſubtile dependens à collo & humeris (ne indignè tam dignum corpus nudis manibus contrectaret) ipſa ſacra vulnera adhuc madida ac diſtillantia, ſedulo ac devoto deterſit officio. Imò etiam loca clavorum extractorum tincta cruore in ipſo crucis patibulo, exhauſit abſtergendo; utens vice ſpongiæ ipſo linteamine. Cum autem jam non procul à *Golgotha*, id eſt loco *Calvariæ* (loco videlicet crucifixionis) corpus *Chriſti* detuliſſet dictus *Joſeph* tumulandum, in loco ubi nunc ſepulchrum adoratur, *in ſepulchro novo in quo nullum adhuc corpus poſitum erat*, non ignobiliter inciſo, quod & ipſe comparaverat, lavit corpus illud, quia multipliciter ut jam dictum dignoſcebatur; ſaucium & cruentatum; tum propter ſudorem ipſius, de quo ſcribitur, *Factus eſt ſudor ejus quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terra*, tum propter flagella quibus cæſus fuit aſperrimè uſque ad livorem & cruorem, tum propter coronam ſpineam quam *Judæi* plectentes violenter capiti ejus impreſſerunt, (cujus multi aculei caput & frontem non tantùm pungerent & læderent, imò potiùs vulnerarent & cruentarent) tum propter clavorum per mediam manuum & pedum perforationem, tum propter militis lanceam qua ipſe latus *Jeſu* non tantùm vulneravit ſed aperuit; amplum enim fecit & hiatum patulum fortè ſæpiùs vel ſaltem ſemel fecit impingendo. Memoratus igitur venerabilis decurio *Joſeph* corpus ipſum

lavit;

lavit; hic enim erat *Judæorum* conſuetudo, & adhuc eſt aliquorum honeſtorum *Chriſtianorum*, maximè religioſorum. Lavit, inquam, quia condiendum. Lavit, quia ſane arbitrabatur & religioſe dignum cenſuit ſanguinem ipſum ſibi prorſus vendicandum, & ut theſaurum vel medicamen precioſiſſimum reſervandum. Ipſamque aquam loturæ rubicundam, & ſanguine mixtam & tinctam, non projiciendam excepit in vaſe mundiſſimo. Reverentius tamen, ipſum purum ſanguinem à vulneribus manuum & pedum diſtillatum; maximo autem timore & honore ipſum ſanguinem cum aqua quem cenſuit præcordialem, à latere dextro fœliciter eliquatum & expreſſum, in vaſe recepit nobiliſſimo tanquam theſaurum impreciabilem, ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſpecialiter reſervandum. Manifeſtum eſt igitur quadruplicem ibidem fuiſſe liquorem.

Nota hic quinque liquores reverendos à corpore Chriſti *in ejus paſſione effluxiſſe.*
1. Sanguis qui mixtus eſt aqua per loturam.
2. Sanguis puncturarum per coronam & ſciſſurarum per flagella.
3. Sanguis ex foraminibus manuum & pedum.
4. Sanguis ex latere ejus profluens, ſcilicet præcordialis.
5. Aqua cum ſanguine laterali.

Primò, Aquam rubicundam, ſcilicet loturam; quam ipſe amicis infirmantibus diſtribuit efficaciter medicinalem.

Secundò, ſanguinem puncturarum in capite & fronte, & ſciſſurarum per flagella inflictarum cum ſudore. Iſti duo liquores, ex pluribus mixti dignoſcuntur.

Tertio, Sanguis ex vulneribus manuum & pedum, qui purus fuit & impermixtus emanavit.

Quarto, Ille formidabilis tremendæ & reverendiſſimæ recordationis cruor præcordialis, qui ex ipſo corde *Chriſti*, vel ſaltem latere conſtat effluxiſſe.

Præter quos quatuor liquores, aquam cum ſanguine de ipſo latere ſcimus emanaſſe. Hæc ergo cum piè & prudenter perfeciſſet *Joſeph*, & corups jam eſſet conditurus, ſupervenit *Nicodemus* eodem tactus ſpiritu pietatis, multum commendavit diligentiam *Joſeph*. Erat autem *Nicodemus* nobilis & potens ſicut & *Joſeph*, unde in Evangelio dicitur fuiſſe *princeps Judæorum*. Et factus eſt ipſi *Joſeph* in adjutorium & ſolatium. Iſti namque duo nobiles ac religioſi viri, erant de diſcipulis *Jeſu*, audientes eum clam; de noctibus videlicet, ne commoverent ſeditionem in populo,& pleniùs ab ipſo eruditi expectabant regnum Dei. Iſte igitur *Nicodemus* prout prælibatum eſt, ut exequiarum tantarum decus adaugeret, & ſua præſentia fide & devotione pleniùs proſequeretur; attulit (ut teſtatur *Johannes* in Evangelio ſuo) *mixturam mirræ & aloes quaſi libras centum*, ad condiendum corpus tantæ auctoritatis. Erant enim devoti ac ſtabiles in fide, quia viderant multa ejus in vita miracula, necnon & in morte; quia terræ motum & tenebras univerſales (quod erat ſupra naturam cum tunc fuiſſet luna panſelenos) aquamque de latere eius (quod erat inſolitum & miraculoſum) diſtillaſſe. Loquitur igitur *Johannes* Evangeliſta extunc pluraliter, propter aſſociationem ſupervenientis *Nicodemi*; dicens, *Acceperunt ergo corpus Jeſu.* Porrò, præter illam mirram & aloem quam attulerat *Nicodemus*, appoſita ſunt illi confectioni etiam aromata *Joſeph*. Dicit enim *Johannes*, *Ligaverunt linteis corpus ipſum cum aromatibus*. Et ſic conditum & involutum aptaverunt, & ordinatè poſuerunt in monumento novo; quod compoſitum fuit per modum clibani. Ita videlicet, ut ibi plura corpora reponi potuiſſent. In ipſo quoque ſepulchro, nondum quis nec poſtea,ponebatur. Decuit enim quod ſicut in uterum virginis deſcendit, & ex virgine natus fuit primogenitus (id eſt, unigentius) & per clauſam portam exivit; ſic & in novo ſepulchro in quo nullus poſitus vel ponendus erat, *Chriſtus* dignè collocaretur. *Et appoſuerunt oſtium ad os monumenti*; lapidem quippe magnum. Unde *Matthæus* Evangeliſta vocat illud *Saxum magnum*. Et mulieres quæ licèt tres fuiſſent (quæ poſtea venerunt ut ungerent *Jeſum*) neſcientes quod jam unctus eſſet, ſollicitarentur quomodo ab oſtio monumenti revolveretur. Quo facto, receſſerunt *Joſeph* & *Nicodemus*, & qui eos ſequentes ipſis aſſiſtebant. Poſteà verò acceſſerunt *Judæi* verſuti & in odio obſtinati; & ex permiſſione *Pilati*, lapidem memoratum ſignaverunt, apponentes militum cuſtodiam. Et cum inde receſſiſſent *Joſeph* & *Nicodemus*, Partiti ſunt inter ſe (ratione amicitiæ & condiſcipulatus) liquores memoratos; utpote pretioſam adquiſitionem. Sic igitur devoluta fuit hujus chariſſimæ rei poſſeſſio, de patribus in filios, & de amicis ad amicos. Videlicet inter nobiliſſimos, quod poſt multorum annorum curricula devenit ad poſſeſſionem Patriarchæ *Jeroſolymitani*, utpote theſaurus Eccleſiæ, cui præeſſe Patriarcha dignoſcitur, Anno gratiæ 1247. Qui tum propter diſcrimen terræ ſanctæ quam tunc timuerunt admittere *Chriſtiani*, tum propter hoc, quòd Regem *Angliæ* Chriſtianiſſimum cognoverunt, & ipſam terram Chriſtianiſſimam; memoratus Patriarcha de Conſilio ſuorum ſuffraganeorum Magiſtrorumque militiæ Templi & Hoſpitalariorum,& aliorum nobilium tranſmarinorum,qui in teſtimonium veritatis vel ſigilla ſua appoſuerunt, vel aſſertionem mandati tranſmiſerunt ſæpedictum theſaurum ſanguinis memorati, piiſſimo Regi *Angliæ Henrico* tertio, ut ſub ejus tutela digniùs veneraretur & tutiùs reſervaretur, prudenter duxit tranſmittendum, & non pro alicujus commercii retributione, imò in meræ charitatis liberalitate conferendum. Unde aſſerunt nonnulli, quod generoſiori modo poſſidet illud munus Rex *Angliæ Henricus*, tantæque dignitatis reliquias quam Rex *Francorum* ſuas quas paucis antea annis evolutis, inſtitoriè adquiſivit. Et ſi ſancta nimis ſit crux vera, propter contactum ſancti corporis *Chriſti*, & corona, & lancea, & clavi, multo ſanctior fuit ſanguis ipſe *Chriſti*; prætium videlicet humanæ redemptionis, quia propter cruorem & in cruore ſanctificata eſt crux & cætera; & non cruor propter crucem, vel propter alia paſſionis inſtrumenta. Sed quia tardicordes & oblocu-

oblocutores ſolent ſic objicere & dicere, quòd cum *Chriſtus* tertio die reſurrexiſſet cum corporis integritate, & non exanguis, qualiter eſſe poſſet quòd ſanguinem ſuum poſt ſe reliquerit in terra. Reſponſum fuit ſufficienter. Duo ſunt ſanguines, vel genera ſanguinum. Unus enim ſanguis eſt, qui ex nutrimentis generatur; qui aliquando ita ſuperfluit, ut à naribus ſponte prorumpat, vel aliquem alium exitum, ut minutione indigeat ſic repletus. Et de tali ſanguine *Chriſti*, habemus in terra; licèt ſane non fuiſſet ſanguinolentus. Deo ſic volente, ut videlicet habeatur recentior memoria dominicæ paſſionis. Eſt & alius ſanguis, qui corpori animato ſubſtantialis. De quod dicitur, quòd ptyſis eſt conſumptio ſubſtantialis humiditatis, id eſt ſanguinis vitæ neceſſarii. Qui ſecundùm phyſicos dicitur amicus naturæ, & de quo dicit *Moyſes*, quòd in ſanguine ſedes eſt animæ. Sed ille ſanguis reponitur in triclinio cordis, ſine quo non poſſet quis vivere. De illo *Chriſti* ſanguine, non habemus fortè in terris. Forte dico, quia omnia quæcunque voluit, Dominus fecit. Surrexit enim Deus, & quicquid fuit de ſubſtantia corporis ſui & decoris plenitudine, cum ipſo; & quod de veritate humanæ fuit naturæ cum ipſo, id eſt ſanguis eidem conſubſtantialis. Alius verò quæ diſtillavit habetur hic. Et nos quidem ſic reſurgemus, videlicet ſine aliqua corporis vel mutilatione vel deformitate. Qualiſcunque enim extiterit homo in hoc mundo, contractus, gibboſus, vel leproſus, vel nanus, vel abortivus, in reſurrectione ſibi plenè reſtaurabitur. Revera in corpore *Chriſti*, ſuorum vulnerum ſtigmata poſt reſurrectionem ſuam recentium, & adhuc hiantium, quòd apparuerunt, & quòd ſe *Chriſtus* poſt reſurrectionem & glorificationem corporis ſe palpabilem præbuit, & ad ſuum beneplacitum viſibilem, vel vulneratum monſtravit; miraculoſum & obſtupendum. Ut ſic videlicet dubitantiam fides roboraretur; quia tam duri & tardi fuerunt quidam diſcipulorum ad credendum reſurrectionem, quod poſt quamviderant, non crediderunt, & ut benedictio non viſuris & tamen credituris, largiùs donaretur. Tertia cauſa fuit & potiſſima, ut ſcilicet ſic ſciretur quòd omnipotens fuit, ut contra conſuetum uſum & naturalem foret corpus ejus, qui fuit Dominus naturæ, ad ſuum nutum & beneplacitum monſtrabile, & palpabile, & faucium cerneretur, qui tamen ad diſcipulos intravit foribus obſeratis. Et ſic omnium ceſſare debent morſus detractatorum.

PAG. 648. lin. 50.

Literæ ſuper liberatione obſidionis Civitatis Parmæ.

STrenuis & prudentibus viris Domino *Boneſacio* de *Sal.* poteſtati, militibus, & populo *Mediolanenſi*, *Philippus* Vicedominus, poteſtas, milites, & populus *Parmenſis*, ſalutem cum gloria & honore. Laudes retribuimus Deo patri filioque ſuo Domino noſtro *Jeſu chriſto*, & Spiritui ſancto trino Deo & uni majeſtati, & Virgini glorioſæ, quæ non propter noſtrorum exigentiam meritorum, ſed propter ſuam clementiſſimam pietatem, civitatem noſtram protegit & defendit, regit viſitat & gubernat; ſicut manifeſtè conſpicimus in victoria triumphali, quam die Martis duodecimo Februarii exeuntis, contulit nobis Deus ſuæ genetricis interventu. Quamvis enim mille quingenti de noſtris iviſſent inter *Colnirium* & *Berſillum*, & præterea duæ portæ in integrum, & ille ſæviens draco qui per tantum temporis obſederat terram noſtram, nos omnino crederet deglutire, jam extra ſua mœnia cunctis militum & peditum ſuorum agminibus ordinatis, nos invocato Dei auxilio & virginis glorioſæ, cernentes quòd potens eſt Deus deponere ſuperbos & humiles exaltare, protinus exivimus contra ipſos, populus & milites univerſi. Nequaquam noſtra veſtigia retardantes, quoad uſque dimicantes junximus nos cum eis; præcedente vexillo cum forma virginis precioſæ, cujus regebamur ſemita & ducatu. Et quamvis duriter à principio reſtitiſſent, nos tamen invaleſcentes duriùs in eoſdem, confregimus, cortrivimus, & proſtravimus ipſos omnes. Et deſcendens impius *Fretbericus*, per ſubterfugia tanquam latro dimiſit ſuos, & ſpolia ſua prorſus. Ex quibus tria millia cepimus, & plures. Cepimus quoque carrochium Cremonenſium. Cepimus etiam mœnia quæ fecerat, & omnia caſtra ſua cepimus & habemus omnia ſua quæ habebat. Interfecimus quoque *Thadeum Judicem* ſuum, cubicularios, & Camerarios omnes. Noſtros etiam banneratos, de ſuis militibus & populo interfecimus ultra mille quingentos; præter ſubverſos equorum pedibus & ruina, quos præ multitudine deſcribere non potuimus. Alios autem de ſuis fugavimus uſque quaque. Tandem in civitatem regreſſi, cum Dei laudibus & honore, noſtræ diſpoſuimus negotia civitatis; confidentes in illo qui eſt vera ſalus omnium atque virtus, quod contritis brachiis impiorum, amodò nos & noſtri pace perpetua potiemur. Et hæc vobis ad gaudium intimamus; Magnificentiam veſtram depoſcentes, quatenus omnes univerſaliter in noſtrum auxilium & ſuccurſum, mora ſublata qualibet, cum carrochio veſtro accedatis. Quam cum Deus aperuerit nobis viam, procedere volumus per ipſam feſtinanter, ut recuperemus continuo burgum *Sancti Dominici* & *Berſillum*, & alias terras noſtras, capienteſque navigium *Cremonenſe*, &

& inimicos noſtros & veſtros, deleamus eos de libro viventium. Tollite moras omnes, viri prudentiſſimi, ut conſtantes; quia poſt Deum & beatam virginem, triumphi noſtri vos auctores & participes reputamus. Et ſciatis, quòd combuſta terra dicti & maledicti *Frederici*, habemus omnes quos de noſtris & *Placentinis*, in vinculis detinuerat: valete; nunciate hæc amicis noſtris & veſtris, ut pateant omnibus *Chriſti* amicis. Valete.

PAG. *649*. lin. *53*.

Literæ Domini Regis, urgentes, de reprobatione retonſæ monetæ.

HEnricus Dei Gratia, &c. Vicecomiti *Hertfordiæ* ſalutem. Meminimus Nos tibi alias præcipiſſe, quòd non permitteres monetam aliquam tonſam in balliva tua currere, quod tamen (audivimus) permiſiſti hucuſque, præcepto noſtro non obſtante. Unde non immeritò mirari poſſumus & moveri, & ideo tibi præcipimus iterato, quòd ſicut te ipſum & omnia tua diligis, per totam ballivam tuam clamari, & firmiter inhiberi facias, ex parte noſtra, ne aliqua hujuſmodi moneta currat in balliva tua, à tempore quo hæc clamari feceris & prohiberi. Imò, ſi aliqua moneta tonſa currens in poſterum inveniatur, ipſam de præcepto noſtro facias penetrari. Omnes etiam quos Cambiatores hujus monetæ inveneris, arreſtari facias per corpora ſua, ita quod habeas eos ad mandatum noſtrum. Teſte meipſo apud *Meretoniam*, xvii. die Novembris. Anno Regni noſtri xxxiii.

PAG. *665*. lin. *56*.

Epiſtolæ de converſione Regis Tartarorum.] Illas ſanè in *Additamentis* invenire non potuimus: loco tamen earum, poſtea damus ipſius Regis *Tartarorum* ſuper hac re Epiſtolam, Gallicè deſcriptam.

PAG. *665*. lin. *64*.

Literæ Comitis Attrabatenſis, *de captione* Damiatæ.

EXcellentiſſimæ & chariſſimæ matri ſuæ *Blanchiæ* Dei Gratia *Franciæ* Reginæ illuſtri, *Robertus* Comes *Attrabatenſis* devotus ejus filius, ſalutem, & cum filiali dilectione paratam ad beneplacitum voluntatem. Quia de proſperitate noſtra & noſtrorum, ac de bonis ſucceſſibus qui *Chriſtiano* populo evenerunt, ſcimus vos plurimum congaudere, cum eorum certitudinem obtinetis, veſtra noverit excellentia, chariſſimum Dominum fratrem noſtrum Regem & Reginam, & ſororem ejus, & nos plena per Dei gratiam frui corporum ſoſpitate. Quæ de vobis ferventi deſiderio affectamus. Chariſſimus autem frater noſter Comes *Andegavenſis*, ſentit adhuc quartanam ſuam, ſed ſolito leniorem. Et ſciat dilectio veſtra, quòd chariſſimus Dominus noſter frater noſter, & Barones & peregrini, qui in *Cypro* hyemaverunt, die Aſcenſionis in ſero ad portum *Linocii* in ſuis navibus ſeſe receperunt, ut contra hoſtes fidei *Chriſtianæ*, dirigerent iter ſuum. A quo portu recedentes, poſt multos maris labores & ventorum contrarietates, ducente Domino, die veneris poſt Trinitatem circa meridiem venerunt, & ſe anchoraverunt, congregantes ſe ipſa die in navi Domini Regis ad conſilium, quid eſſet deinceps ad faciendum. Cùm ante ſe viderent *Damiatam* & portum, ex magna *Turcorum* & equitum & peditum multitudine communitum, & os fluminis quod de prope imminebat, ex galearum multitudine armatarum. In quo ſic conſilio ordinatum fuit, ut in craſtino mane quilibet pro poſſe ſuo, cum Domino Rege ad terram veniret. Et ſciat dominatio veſtra, quòd ſicut fuit ordinatum in ipſo Sabbato in mane, exercitus *Chriſtianus* relictis magnis navibus, in galeis & minutis vexillis viriliter accincti deſcenderunt. Et confidentes de Dei miſericordia, ac auxilio crucis triumphalis, (quam Dominus Legatus in vexillo juxta Dominum Regem geſtabat) læti & confortati de Deo, verſus terram contra hoſtes inſultos plurimos, tam ſagittarum miſſionibus, quam aliis facientes ſeſe retraxerunt. Veruntamen cum ipſa vexilla propter nimiam maris planitiem, uſque ad ſiccam terram non poſſunt attingere, *Chriſtianus* exercitus in nomine Dei relictis vexillis, in mare ſaliendo ſe immiſit uſque ad ſiccam terram, cum armis ſuis pedes veniendo. Et licet ipſa *Turcorum* multitudo, contra *Chriſtianos* littus defenderet; tamen favente Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, littus obtinuit populus *Chriſtianus* cum ſoſpitate & lætitia, & cum equorum *Turcorum*que ſtrage magna, & quorundam qui magni nominis eſſe dicebantur. Et cum ip-

ſi

ſi *Sarraceni* ſe recepiſſent in civitate, quæ tam fluminis interpoſitione quàm murorum & turrium fortium in circuitu erat fortiſſima, Dominus noſter omnipotens *qui dat omnibus affluenter & non improperat*; abſque labore hominum, in craſtino ſcilicet in octabis Trinitatis circa tertiam, civitatem dedit populo *Chriſtiano*, fugentibus & ipſam dimittentibus infidelibus *Sarracenis*. Et hoc factum fuit ſolo Dei dono, ac omnipotentis Domini Dei largitate. Et ſciatis quòd iidem *Sarraceni*, illam civitatem reliquerunt munitam ex magna cibariorum & carnium fertilitate, & machinis & aliis bonis; de quibus ad munitionem dictæ civitatis, magna pars remanſit; & de illa parte fuit exercitus multùm repletus. Dominus verò Rex noſter, cum exercitu ſuo ibidem moram faciebat, res ſuas de ſuis navibus extrahi faciens. Credebamuſque quòd inde non deberet recedere exercitus, uſque ad decreſcentiam fluminis, quòd tunc ut dicebatur, terram debebat occupare: quia alias in partibus illis damnum incurrebat populus *Chriſtianus*. ¶. Comitiſſa verò *Andegavenſis*, in *Cypro* peperit filium valde elegantem & bene formatum: quem ibidem tradidit nutriendum. Datum in Caſtris *Jamas*, Anno Domini 1249. menſe Junio, in vigilia beati *Johannis Baptiſtæ*. ¶. Hic eſt tenor literæ Miſſæ Reginæ *Franciæ*, de verbo ad verbum.

Major evidentia de captione Damiatæ.

PRæcordiali fratri ſuo uterino & amico prædilecto, magiſtro *B. de Carn.* ſtudenti *Pariſiis*; *Guido* miles de familia Vicecomitis *Melunenſis*, ſalutem & paratam ad beneplacita voluntatem. Quia novimus vos de ſtatu terræ Sanctæ & domini noſtri Regis *Franciæ*, tum propter univerſalem Eccleſiæ proſperitatem, tum propter numeroſam multitudinem parentum & amicorum noſtrorum ſub Domino Rege *Francorum Chriſto* militantium, ſollicitari; vos ſuper quibuſdam quæ vulgus diſſeminat duximus reddere certiores. Cùm inito ſpeciali conſilio, à *Cypro* movimus navigando versùs orientem; propoſitum habentes *Alexandriam* expugnare, & paucis diebus ſequentibus rapti inopinata tempeſtate vaſtum maris ſpatium pertranſivimus; multæ navium noſtrarum diſperſæ ſunt & disjunctæ ab invicem. Interim per exploratores innotuit *Soldano Babyloniæ*, & aliis *Sarracenorum* magnatibus, quod *Alexandriam* expugnare propoſuimus. Unde collectâ infinitâ armatorum multitudine, tam de *Kairæ* quàm *Babyloniæ* & *Damaiatæ* incolis, quàm *Alexandriæ*; noſtrum adventum expectabant: ut nos in ore gladii ſuſciperent fatigatos. Una igitur noctium cum quodam vento aſpero per amplum pelagi tractum veheremur, in mane mitigato vento, apparuit ſerenitas deſiderata: quæ naves diſperſas proſpere congregavit: Miſimus igitur funambulum peritum ſcilicet ſpeculatorem; qui omnia ciſmarina litora noverat, & ciſmarinâ; nec non & idiomata multa, (qui nobis pro duce conſtituebatur fideli) ad ſummitatem mali navis noſtræ; ut nobis intimaret ſi terram videret, & ubinam locorum eſſemus. Qui cum diligenter & moroſa deliberatione omnia loca circumjacentia conſideraſſet, exclamavit voce dicens attonita, Deus adjuvet, Deus nunc adjuvet, qui ſolus poteſt: Ecce ſumus hic ante *Damiatam*. Poteramus ſiquidem jam terram omnes conſiderare, Similiter etiam aliarum navium ſpeculatores, id idem ſentiebant: Et ceperunt jam congregari ad invicem. Dominus autem Rex cum hoc cognoviſſet, imperterito Spiritu cœpit omnes egregiè nimis ſuos animare, & conſolari, dicens ſurgens in medio. "Amici mei ac fideles, inſuperabiles erimus ſi in charitate inſeparabiles fuerimus: non ſine divino nutu huc tranſvehimur, tam repentinè; applicemus in terram quamcunque potenter occupatam. Non ſum Rex *Franciæ*, Non ſum Sancta Eccleſia; ſed vos utique omnes Rex eſtis. Vos, ſancta Eccleſia. Non ſum niſi unus ſolus homo, cujus vita cum Deus voluerit, ſicut unius alterius hominis exufflabitur. Nobis omnis caſus tutus eſt; ſi vincamur, martyres avolamus: ſi vincamus, gloria Domini prædicabitur, & totius *Franciæ*, immò *Chriſtianitatis*, ampliabitur. Profectò inſanum eſt credere, quòd me Dominus incaſſum ſuſcitavit, qui omnia providet, cauſam magnam ſuper hoc conſiderabit, divincemus pro Chriſto; & ipſe in nobis triumphabit; non nobis, ſed nomini ſuo dans gloriam, & honorem, & benedictionem." Interim naves noſtræ jam congregatæ littori appropinquabant, ita ſcilicet, quòd Cives *Damiatæ* & qui littoribus contermini erant, claſſem noſtram poterant conſiderare; ſcilicet mille & quingentas naves, exceptis diſperſis; ſcilicet centum & quinquaginta. Et revera non fuit ut credimus temporibus noſtris, tanta navium nobilium multitudo congregata. Stupentes igitur *Damianitæ*, & ſupra quam dici poteſt attoniti ac perterriti, miſerunt ad nos quatuor galeias optimas cum piratis expeditiſſimis, ad explorandum & inquirendum quinam eramus; & quid quærebamus; Et cum eos videremus tantum appropinquare, ut poſſent vexilla noſtra diſcernere, hæſitarunt, & ceſſarunt tantum feſtinare ut priùs: quaſi de nuntio ſuo certificati, ac indemnes reverſuri. Galeiæ vero noſtræ interim eos cum ſcaphis curſoriis cingebant, interponentes ſe, noſtriſque navibus jam cogebantur appropinquare vel inviti. Verùm noſtrates videntes Domini Regis conſtantiam & incommutabile propoſitum, eo jubente præparaverunt ſe ad bellum navale: ut & hos & quoſlibet alios, ſi ſupervenirent comprehenderent, & littus violenter capientes ad terram ut aſcenderent imperavit. Miſimus igitur ſuper eos ſpicula ignita, & lapides de mangonellis navalibus; qui ſic

ſic parabantu ut quinque vel ſex lapides ſimul de longo jacerent; & phialas plenas calce, arcubus per parva haſtilia ad modum ſagittarum ſuper hoſtes jaculandas. Spicula igitur, piratas & eorum vaſa perforabant, lapides obruebant: Calx confractis vaſculis, execabat, unde ſubitò tres galeiæ eorum perierunt: aliquibus tamen de piratis, ne mergerentur, cum vita interceptis. Quarta autem non indemnis evaſit. Ipſos igitur excogitatis cruciatibus affecimus, quos vivos, & totius veritatis extorſimus confeſſionem. Videlicet, quòd vacuata *Damiata* ſuis civibus, apud *Alexandriam* expectabamur. Piratæ verò qui evaſerunt (quorum aliqui letaliter vnlnerabantur) & galeia diſſipabatur; *Damianitis* cum ejulatu lachrymabili retulerunt ſuper littus cum maxima multitudine expectantibus, quoniam mare claſſe ſuperveniente operiebatur. Rex enim *Francorum*, cum infinita nobilium multitudine hoſtiliter adventabat. Pro quo etiam aſſerebant, decem mille manifeſtè dimicare contra ipſos *Sarracenos*, qui pluebat ſuper ipſos ignem, lapides, & nebulam. Veruntamen dum a maris fluctibus fatigantur infirmati, ipſos ſicut vitas & manſiones veſtras diligitis unanimiter impetite & trucidate; vel ſaltem donec noſtrates revocentur, potenter repellite. Nos autem ſoli vix evaſimus, ut hæc vobis nunciaremus præmuniendis. Cognovimus magnatum ſigna. Ecce jam in nos irrunt furibundi ad navale vel campeſtre animati & parati. Irruit igitur ſuper eos timor cum diffidentia. Omnes noſtrates de veritate certificati, in ſpem optimam erigebantur; unde glomeratim & certatim proſilientes in ſcaphas à navibus; Erat enim mare juxta littus parum profundum. Unde nec ſcaphæ nec naviculæ ad aridam attingere potuerunt. Miſerunt ſe igitur in mare multi uſque ad lumbalia properanter, juxta Domini Regis diſtrictum & urgentiſſimum præceptum. Et continuò commiſſum eſt bellum cruentiſſimum: & noſtrates additi ſunt prioribus indiſtanter, & fortitudo gentium diſſipata eſt. Nec cecidit aliquis de noſtris ferro, præter unum. Submerſi verò duo vel tres perierunt, qui propter ardens deſiderium pugnandi, ſeſe nimis properanter in aquam miſerunt; & à ſemetipſis, potiùs quàm ab aliis ſunt interempti. *Sarraceni* igitur retrocedentes ſeſe in Civitatem ſuam, multis interemptis & quamplurimis lethaliter vulneratis & mutilatis, turpiter fugiendo receperunt: Noſtri autem ipſos è veſtigio inſecuti eſſent, ſed à potentioribus qui proditionem timebant, reprimebantur, veruntamen dum pugnavimus, exierant quidam ſclavi & captivi ruptis vinculis & eorum receptaculis; quia etiam carcerarii exierant contra nos; nec in Civitate aliqui remanſerunt, præter mulieres, parvulos & valetudinarios. *Ipſi igitur ſclavi & captivi nobis gaudenter ac properanter occurrente, Regis & exercitui noſtro applauſerunt dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Dei.* Hæc acta ſunt in bonum auſpicium initiale, ſcilicet die veneris, quæ eſt dies Dominicæ Paſſionis; Et applicuit tunc dominus Rex ſecurè & gaudenter: & reſiduum exercitus *Chriſtiani*; Et ſic quievimus uſque in craſtinum. Die verò Sabbati ſequenti, terram & maris littora quæ capienda remanſerant, potenter ac prudenter cepimus: ducatu & documento ſclavorum, qui etiam arcanos tranſitus cognoverunt. Ipſa verò nocte *Sarraceni* comperientes aliquos ſclavorum & captivorum evaſiſſe, ipſos qui remanſerant excerebrantes martyres *Chriſti* fecerunt glorioſos, in propriam perniciem. In opaca verò nocte ſequenti & mane die Dominica, *Sarraceni* conſiderata adventantium multitudine, fortitudine & conſtantia, & urbis inopinata deſolatione; cum ſuis ducibus & majoribus & conſolatoribus, viribus, & armis caruiſſent, arreptis mulieribus ac parvulis & rebus portatilibus, armati leviter per portulas quas cautè longè ante præparaverant fugerunt, ex parte alia Civitatis, & pars per aquam, pars per terram ſubita elapſa eſt, relinquens Civitatem omnibus redundantem. Die verò dominica hora tertia exierunt duo capaivi, qui manus hoſtiles caſu evaſerant, nunciantes nobis quæ contigerant. Rex igitur omni timore proditionis depoſito, non in effuſione ſanguinis vel armorum ſtrepitu, civitatem, nemine contradicente, intravit ante horam nonam: nullo etiam vulnerato graviter de intrantibus præter Comitem de *Marchia Hugonem Brunum*; qui eliquato ſanguine de vulneribus, non poteſt ut credimus mortem evadere. Ipſe namque prodigus ſui propter probra quæ ſuſtinuit, in medios hoſtes temerarius ſe ingeſſit; & ponebatur in prima turma ſponte bellantium tanquam ſuſpectus; quod & ipſum non latuit. Nec prætereundum eſt, quod cum propoſitum habuiſſent *Sarraceni* fugiendi, jecerunt verſùs nos ignem *Græcum* copioſum & efficacem; quod erat nobis periculoſum valde & mortiferum: quia ventus aſper fuit flans à Civitate verſùs nos. Et ecce ventus ilicò retroverſus, ignem ſuum reſperſit in Civitatem, & combuſſit multa eorum corpora & caſtra; & plura combuſſiſſet, ſed ſclavi accedentes continuo, qui jam pauci remanſerunt, ſuis notis extinctoriis, nec non & precibus; divino nutu (ne nobis Dominus civitatem combuſtam daret) extinxerunt. Cum igitur ipſa die verè Dominica, dominus Rex cum maximo tripudio (ut prætactum eſt) intraviſſet; ilico ad templum ipſorum *Sarracenorum* intravit oraturus; & Deo hæc omnia merito aſcripturus. Et ſolemniter nimis antequam cibum ſumpſiſſet, prorumpentibus præ gaudio jucundis & devotis lachrymis, cecinerunt fideles, incipiente legato, hymnum Angelorum, videlicet *Te Deum laudamus.* Et ſtatim ubi dudum *Chriſtiani* Miſſam conſueverant celebrare, & campanas pulſare; expiato loco & aſperſo per aquam benedictam, fecit celebrare Miſſam de beatâ Virgine: ubi quarta die præcedente (prout captivi nobis aſſertivè aſſerebant) ſpurciſſimus *Machometus* cum deteſtabilibus immolationibus, & vocibus altiſonis, &

turba-

tubarum clangore magnificabatur. Invenimus autem in Civitate, cibariorum, armorum & machinarum, necnon veſtimentorum precioſorum, vaſorum, utenſilium, auri, argenti, & aliorum bonorum, copiam infinitam. Et præter hæc, ſtatim fecimus apportari victualia noſtra de navibus; quorum copiam habuimus, & alia nobis chara ac neceſſaria. Propitiante igitur nobis divina munificentia, exercitus *Chriſtianus* ad inſtar ſtagni quod ex torrentibus inundantibus ſuſcipit incrementum, quotidiè dilatatur: hinc militia de partibus domini *de villa Herlewini*, hinc de militia *Templi* & *Hoſpitalariorum* nobis ſubſidium, abſque peregrinorum adventu, diatim per Dei gratiam accumulatur ſubſidium. Veruntamen ipſi de *Templo* & *Hoſpitali* de gloria tanti triumphi credere diu noluerunt: quia revera nulli fuit credibile quod evenit. Quia igitur hæc miraculosè evenerunt, præcipuè quòd ventus ſuum ignem infernalem in ſua capita reverberavit regreſſus (& hoc fuit de antiquis *Chriſti* miraculis, quia ſic *Antiochiæ* evenit) converſi ſunt aliqui ad Dominum *Jeſum Chriſtum*, & fideliter nobis hactenus adhæſeruut. Nos autem ex præteritis præmuniti, de cætero cautè & circumſpectè procedemus in agendis. Habemus enim fideles nobiſcum *Orientales*, de quorum fidelitate minimè dubitamus, qui omnia ferè *Orientalium* climata & eorum pericula, experimento cognoverunt; qui in veritate devotionis, jam baptiſmi Sacramentum ſuſceperunt. Optimates igitur noſtri quando hæc ſcribebantur, conſilium habuerunt cum tractatu diligenti, in proximo invadere *Alexandriam* vel *Babyloniam* cum *Kaira*: ſed quid erit inde neſcimus adhuc; cum autem factum fuerit, vobis vita Comite ſignificabimus. *Soldanus* autem *Babyloniæ* hiis auditis, nobis prælium indixit generale: ut in Craſtino Sancti *Johannis Baptiſtæ*, in loco communiter proviſo fortunam belli inter *Orientales* & *Occidentales*, hoc eſt, inter fideles & ipſos, una die præcisè generaliter experiremur: & cui ſors victoriam contulerit, victor glorietur, victus autem cedat humiliter. Cui ſic Dominus Rex noſter reſpondit. Non illa vel illa die ipſum *Chriſti* inimicum diffiducio, nec terminum quietis conſtituo, ſed cras & omnibus diebus vitæ meæ, ex hoc nunc & deinceps diffiducio: donec animæ ſuæ propriæ miſereatur, & ad dominum convertatur, qui vult omnes ſalvari, & omnibus ad eum convertentibus ſinum pandit miſericordiæ.

Hæc vobis per *Guiſcardum* conſanguineum noſtrum per ſcripta notifico: qui nil aliud petit, niſi ut ſumptibus noſtris incipiat Cathedram aſcendere magiſtralem; & hoſpitium teneat honeſtum, ſaltem per biennium.

Nihil certum vel relatu dignum de *Tartaris* audivimus; Nec ſperamus fidem in perfidis, humanitatem in inhumanis, nec charitatem in caninis; niſi Deus cui nihil eſt impoſſibile novitatem operetur. Facinoroſiſſimis verò *Choroſminis* purgavit Deus *Terram Sanctam*; & ipſos delevit de ſub cœlo pœnitus exterminatos. Cum autem aliquid certum & notabile audierimus de prædictis *Tartaris* vel aliis; vobis per *Rogerum de Monteſagi* ad terram Domini noſtri Vicecomitis in vere in *Franciam* ibit, ad procurandum nobis pecuniam; vobis per interlocutorem vel per Epiſtolam ſignificabimus.

Literæ Magiſtri militiæ Templi *ſuper præmiſſis.*

FRater *W. de Senay*, Dei gratia magiſter pauperis Militiæ *Templi*; dilecto ſibi in *Chriſto* fratri *Roberto de Sanford* in *Anglia* præceptori, Salutem in Domino. Felices rumores & jucundos, vobis tenore præſentium cupimus declarari. Scientes igitur quòd poſt Trinitatem die veneris proxima *Ludovicus* illuſtris Rex *Francorum* Dei gratia ad portum *Dameticum* cum ſuo exercitu applicuit; Die Sabbati ſequenti, terram & maris littora cœpit idem *Ludovicus* cum ſua militia: interfectis quamplurimis de *Paganis*; unico tantùm de noſtris *Chriſtianis* interfecto. Die verò Dominica ſequenti hora tertia, Civitatem *Damiatæ* cepit, Regia potentia; fugata penitus *Paganorum* potentia. Capta igitur fuit *Damiata*, non noſtris meritis, nec vi nec manu armata, ſed operante divina potentia & gratia. Præterea ſciatis, quod Dominus Rex Dei Gratia proponit dirigere greſſus verſùs *Alexandriam*, vel *Babylonem*; pro deliberandis fratribus noſtris, & pluribus aliis qui ſunt in captivitate detenti, & pro tota terra reddenda cultui *Chriſtiano*, Domino adjuvante.

Guido *de* Burſcio.

De relatione Domini Johannis *Monachi de* Pontiniaco.

NOn eſt ſuper aliquo ſollicitus Dominus Rex *Franciæ*, capta *Damiata*, niſi ſuper eo quòd non habet ſufficienter populum ad cuſtodiendum & inhabitandum occupata & occupanda. Verum idem Rex attulit ſecum aratra, ligones, trahas, & alia ruſticana inſtrumenta. Quod cum audiſſet *Soldanus* Babyloniæ, ſignificavit eidem Regi, *Ad quid huc ad incolendam terram noſtram, inſtrumenta ruralia afferri feciſti*: inveniam tibi ſufficientiam bladi, *quamdiu hic eris*. Et hoc Ironicè dictum fuit; acſi diceret, Tener es & delicatus, ac juvenis; nec poteris penes *Orientales* diu commorari, quin pereas liquefactus. Cui Dominus Rex reſpondit, *Vovi & juravi huc venire & terminum prout in me erat præfixi; ſed non vovi nec juravi hinc recedere, nec terminum mei receſſus aſſignavi. Ideo colonorum inſtrumenta mecum apportavi.*

tavi. Omnium navium, navi Domini Regis applicuerunt. Erant autem in ſua claſſe, magnæ naves quas Dromones appellamus, centum & viginti, abſque galeiis & navibus minoribus. Et alacriter proſiliens à navi, cecidit protinus in faciem ſuam, & oravit cum lachrymis devotiſſime; ut Deus viam & actus ſuos dirigeret.

PAG. *666.* lin. 23. *Statuta Abbatum* Nigri ordinis : *Anno Gratiæ* 1249.

VNiverſis, &c. Ad hoc ex ſuſcepti regiminis officio nos efficaciter obligatos eſſe reputamus, ut ſuperiorum mandata benignè ſuſcipere, & ſuſcepta humiliter adimplere teneamur. Cum igitur die ſancti *Matthæi*, Anno Domini 1249. apud *Oxoniam* ad Capitulum generale illud celebrandum, unà cum veneralibus patribus ordinis noſtri eſſemus congregati, quia non niſi octo Abbates noſtri ordinis illuc convenerunt, celebrandum diem capituli propter abſentiam prælatorum, provida deliberatione uſque in craſtinum ſancti *Edwardi*, die ſcilicet ſancti *Calixti* Papæ, duximus prorogandam. Locum ad hoc apud *Suwerc* in Eccleſia beatæ *Mariæ* juxta *Londoniam* aſſignantes. Ad quem cum venerabiles patres noſtri ordinis, prout ipſis à nobis fuerit injunctum conveniſſent, de ſtatu monaſtico ſalubriter tractaturi, de communi Abbatum & Priorum aſſenſu nobis aſſidentium, de ſtatutis Capitulorum præcedentium, quibuſdam ſubtractis, quibuſdam ſuperadditis, certam formam elicientes; pro ſtatu noſtri ordinis reformando, ſubſcripta ſtatuere duximus in hunc modum.

In primis dictante Spiritu ſancto ſtatutum eſt, ut Abbates & Priores habitu & geſtu regulariter ſe habentes, in Capitulo, in Clauſtro, pro audiendis confeſſionibus, & fratribus exemplariter inſtruendis; In choro etiam pro divinis officiis in refectorio, pro fraternis ſolatiis, oportunò ſtudeant intereſſe : quotiens nec corporalis infirmitas ſive debilitas, vel Eccleſiæ utilitas, vel alia rationabilis cauſa fuerit impedimento. Nec pro aliquo fide jubeant, vel per chartam ſuam pro aliquo ſe, vel monaſterium ſuum obligent : Nec contra honeſtatem Religionis, vel utilitatem monaſterii ſui, aliquid facere præſumant de terris vel redditibus monaſterii, ad manifeſtam læſionem, perpetuam alienationem non faciant. Terras conſuetudinarias in libertatem, novas in feudationes, vel hæreditaria conradia vel liberationes, alicui non concedant; ſine conventus ſui Conſilio & aſſenſu. Servientes non habeant numero vel apparatu honeſtum modum excedentes, unde ordo monaſticus in aliquo poſſet argui levitatis. Et cum fieri debeant contractus mutui, ita procedant Prælati quòd fratribus quibus poſſunt liqueat, quanta pecuniæ ſumma, quibus certificationibus, quibus conditionibus, & quibus terminis debeatur; & in quos uſus acceptum mutuum ſit converſum. Et ſi aliquis ſine conſenſu Capitali ſuper mutuo contractum fecerit, monaſterium minimè obligetur; niſi per viros fidedignos probatum fuerit, dictum mutuum converſum fuiſſe in utilitatem monaſterii manifeſtam. Diſtrictè etiam præcipiant Prælati in adminiſtrationibus conſtitutis, ut neminem concutiant, vel calumniam alicui faciant; nec aliquem injuriis vel exactionibus indebitis opprimant, nec cariùs vendant ad terminum, vel contractus faciant inhoneſtos. Omnes etiam Prælati ſemel in anno, ſtatum domus ſuæ coram conventu recitent, & de omnibus receptis & expenſis, obedientiarii in præſentia Abbatis vel Prioris Abbatem proprium non habentis, convocatis ad hoc aliquibus de diſcretioribus domus, bis vel quater in Anno (ſi fieri poteſt) fideles reddant rationes; ut de melioratione vel deterioratione monaſterii, reddantnr certiores.

§. Jejunium hyemale à feſto exaltationis ſanctæ crucis uſque ad Paſcha, ab omnibus regulariter obſervetur; ſalva diſpenſatione cum debilibus, minutis, & hiis qui pondus diei & æſtus portant; à Prælatis ipſorum cum neceſſe fuerit facienda.

§. Et ut pauperes debitis eleemoſynis non fraudentur, proviſum eſt ut omnia apponenda ſine diminutione apponantur in refectorio, in infirmaria, & alibi ubi monachi reficiunt. Et de appoſitis, totum reſiduum in eleemoſynam cedat, per eleemoſynarium pauperibus fideliter erogandum. Conſumptores verò eleemoſynæ, ſi ſemel ſecundò & tertiò in Capitulocoram omnibus correpti non emendaverint, tribus diebus continuis in pane & aqua jejunent; ut aliis ſint in exemplum. Et ut efficaciùs eleemoſyna obſervetur, quamdiu conventus fuerit in prandio vel in cœna; oſtia clauſtri claudantur : & ab ingreſſu ſæcularium cuſtodiantur, ſi loci diſpoſitio hoc permittat. Obedientiarii ſervientes ſuos non ſuſcentent.

§. Circa eſum carnium ita eſt proviſum, ut regulariter à carnibus abſtineant omnes; adjecta modificatione illius Decretalis, *Cum ad Monaſticum*, *&c.* §. Circa obedientarios verò forinſecos, & fratres in itinere pro negotiis domus conſtitutos, ſtatutum eſt : ut publicè in præſentia & ſolenni convocatione ſæcularium, carnibus non veſcantur; ſalva diſpenſatione à Prælatis ipſorum, cum ipſis pro loco & tempore, & in neceſſariis caſu facienda, prout fuerit expediens; ſecundùm cujuſque exigentiam & ordinis diſciplinam. Sed negligentibus in divino ſervitio, & inobedientibus, ac pacem fratrum perturbantibus, carnis comeſtio penitus interdicatur; & tardiùs à monaſterio egrediendi licentia concedatur.

§. Silentium

§. Silentium debitis horis locis & temporibus, ab omnibus inviolabiliter obſervetur: & in permiſſis colloquiis in Clauſtro & alibi, à turpiloquiis, vaniloquiis, & detractionibus abſtineatur; contravenientes, regulari ſubjaceant diſciplinæ. §. Et cum quidam poſt prandium proniores ſunt ad loquendum quod non prodeſt, quàm quod ædificat audientes, ad ampliandum cultum juſtitiæ qui in ſilentio reperitur, ſtatutum eſt; quòd Parliamentum quod poſt prandium in quibuſdam clauſtris fieri conſuevit, penitus interdicatur; & loco ipſius, vacetur uberius meditationibus & lectionibus repetendis. Sed & potus in refectorio poſt horam nonam æſtivo tempore, de cætero ſuſpendatur: Et quando conſuevit Conventus ire in refectorium, ad clauſtrum redeant, in contemplatione ſonitum expectando veſperarum. Proviſo, quod cerviſia ab antiquo tempore in aliquibus locis ad dictum potum aſſignata, jure conſueto in refectorium deferatur, in uſus pauperum eroganda. §. Monachi pretio non recipiantur, nec peculium habere permittantur; niſi pro injuncta ſibi adminiſtratione. Et qui peculium aliter habuerit, viventes à Communione Altaris ſeparentur: Et qui extremo inventi fuerint cum peculio, nec oblatio pro eis fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam.

§. Singuli etiam, in locis ſingulis non morentur. §. Et ſine licentia Prælati ſui, librum magnum vel parvum non ſcribant nec illuminent; niſi in uſum monaſterii convertendum.

§. Novitiis diligens cuſtodia & diſcreta adhibeatur; nec à cuſtodia liberè dimittantur, nec ad ordinem ſacerdotii promoveantur; donec expediti ſint ad ea quæ ſpectant ad ordinis diſciplinam; quæ corde tenus ſcire tenentur, ſecundùm monaſterii conſuetudinem approbatam, & ſecundùm ſtatuta Concilii, & regulæ profeſſionem, cum Prælatis videbitur expedire. §. Nec arcam habeant nec clavem, nec in forinſeco officio occupentur; Et non niſi pro neceſſitate vel utilitate manifeſta, extra monaſterium mittantur: niſi ante per biennium in Clauſtro fuerint laudabiliter converſati. Exceptis ſenibus & gravibus perſonis, cum quibus Prælatus ipſorum poterit diſpenſare, cum viderit expedire.

§. Et quia confeſſio ſuperbiæ contraria, humilitatem conſervat, & gratiam confert pœnitenti, proviſum eſt ut ad minus ſemel in Anno, tam monachi quam novitii Abbati ſuo confiteantur: ſalvis nihilominus privatis confeſſionibus, ſingulis diebus de quotidianis delictis faciendis. Et ne hujuſmodi confeſſiones impediantur, Abbas promptum ſe exhibeat confeſſuris.

§. Hoſpitalitas omnibus modis juxta loci facultates, in omnibus monaſteriis ab omnibus diligenter obſervetur: Et talis monachus ad ſuſcipiendos hoſpites deputetur, qui diligens ſit, ſobrius, & manſuetus.

§. Lecti monachorum ita ſint ordinati, ut videri poſſint dormientes. Veſtimenta & calceamenta monachorum ordinata ſint omnino. Coopertoria ſint de albo vel de nigro panno, vel de ruſſeto: cum pellibus agninis albis vel nigris, aut mureleginis, aut vulpinis, & capæ nigræ ſint. Et hæc omnia congruis temporibus,& ſine difficultate dentur & accipiantur. Camerarius autem, denarios vel quodlibet aliud pro prædictis, vel aliud ad uſus monaſticos pertinentibus, dare non audeat; ſed nec monachus aliquam permutationem ſuper præmiſſis recipere præſumat, niſi de licentia Prælati ſui pro cauſa rationabili, ſuper hoc petita priùs & conceſſa, ut ſecundùm regulam recipiens nova, det vetera pauperibus fideliter eroganda. §. Sellas & omnia ad equitaturam pertinentia, ita habeant ordinata, ut oculos intuentium non offendant.

§. Evagationes monachorum penitus inhibeantur: Et ſi pro negotiis Eccleſiæ ſuæ, vel aliqua juſta cauſa ex permiſſione Prælati proficiſcantur; provideatur ut in maturis ſervientibus, & vecturis ſufficientibus, & apparatu honeſto ſecundùm facultates Eccleſiæ procedant; die ſibi à Prælatis præfixo, (niſi juſtam cauſam ulterioris moræ oſtendant) reverſuri. Et ut competentius & ſecretius, fratres qui pondus diei & æſtus portant, cum neceſſe fuerit proviſione Prælati recreationem accipiant, provideatur ad hoc locus competens juxta infirmariam; in quo cum refecti fuerint, ad Clauſtrum & ad horas canonicas cum maturitate feſtinent. Et quando Conventus jejunat, & ipſi ſemel prandeant: Et loco cœnæ, primo prandio uberiùs procurentur. Et collationi, & completorio, Conventus interſint; exceptis debilibus, & minutis, & cum quibus Prælatus duxerit diſpenſandum. Qui contravenerint, regulariter puniantur, & ſi non emendaverint, hujuſmodi diſpenſatio ipſis ſubtrahatur. Nullus eis admiſceatur ſæcularis ante prandium vel poſt, niſi ſervientes ad hoc deputati.

§. Omnis ſæcularitas in cibis & potibus, in refectorio inhibeatur. §. Statutum fuit inſuper & proviſum, quòd omnes obedientiarii & clauſtrales, collationi & completorio interſint perſonaliter in Conventu, niſi evidens neceſſitas exegerit, pro qua neceſſe habeant remanere; & hoc de Prælati licentia ſpeciali.

§. Fratribus infirmis diligens cuſtos & ſolicitus deputetur; ne aliquem defectum patiantur. Nullus ſæcularis infirmis ſe miſceat, nec cum illis bibat vel comedat, exceptis medicis & ſervientibus, ad eorum cuſtodiam deputatis. Nec aliquis infirmus ſibi aſſumat ſervientem pro ſua voluntate,ſed ſervientibus ad infirmariam deputatis contentus ſit; qui ſcilicet ſervientes,

ſervientes,extra infirmariam non pernoctent.Et ſi neceſſe fuerit,quòd infirmus aliquis ſpecialem habeat ſervientem, talis ei aſſignetur qui ſobrius ſit, non perturbans quietem aliorum. Prior vel is qui præeſt ordini, & interior Cellerarius, ſingulis diebus poſt miſſas privatas, infirmos viſitet; ut examinato ſtatu ſingulorum, prout cuique fuerit opus, provideatur competenter. Omnes infirmi ſi fieri poteſt, ad unam menſam communiter accedant, nec ullus ſe ſubtrahat niſi corporis valetudine detentus, quod ad ipſam accedere nequeat ſine ſcandalo vel læſione corporis manifeſta. Illis tamen quibus exigentibus meritis major debetur reverentia, pro loco & tempore in hac parte erit deferendum, prout Prælatus ipſorum quieti ac ſaluti meliùs viderit expedire.

§. In omnibus autem monaſteriis iſta refectionis diſciplina ſervetur, ut infra fores nullus reficiat niſi vel in refectorio vel in menſa Abbatis, vel cum hoſpitibus ex præcepto ſui ſuperioris, vel in firmaria cum in infirmis; ut in Decretali continetur de loco refectionis. *Nec exiſtimet Abbas, &c.*

§. Nullius depoſitum in aliquo monaſterio admittatur, niſi de conſenſu Prælati, & trium fratrum laudabili teſtimonio.

§. Nullus Monachus, obedientiarius, vel Clauſtralis, Det aliquid vel ſuſcipiat abſque licentia ſui ſuperioris. §. Omnes qui de bonis monaſterii fraudem fecerint gratis, omnes conſpiratores, fures, proprietarii, & omnes qui aliis falsò crimen imponunt, ſingulis annis in ſecunda feria primæ hebdomadæ quadrageſimæ, in Capitulis à ſuis Prælatis excommunicati publicè denuncientur, cum ſtola & baculo paſtorali. Conſpiratores omnes vocant, qui inter ſe confederantur ad ſubverſionem ordinis, vel ſtatutorum ſalubriter à majoribus, vel ad perſecutionem alicujus prælati vel fratris, ex odio vel ambitione; vel qui alios malicioſè defendunt. Proprietarios autem vocant illos, qui præter conſcientiam Prælati ſui aliquid ſibi poſſident; quod Prælatus non dederit aut permiſerit.

§. Ad reprimendam etiam temeritatem exeuntium, providè ſtatutum eſt, ut poſt exitum, redeuntes in ultimum gradum recipiantur: & in gradu & ordine quo tunc recipiuntur permaneant; & omni voce in capitulo careant; donec Prælatus eorum viſa eorum condigna ſatisfactione, cum ipſis duxerit diſpenſandum. §. In Capitulo tres ſint voces, ſcilicet, clamantis, reſpondentis, & judicantis. Et de corporalibus ibidem tractetur breviùs; ut profectus ſpiritalis effectum debitum ſortiatur. Perturbatores Capituli, & inobedientes, & cum prælatis ſuis protervè contendentes, acriter corrigantur; ut cæteri metum habeant; & qui contumaces vel incorrigibiles fuerint, à monaſterio, ut Regula præcipit, expellantur.

§. Obedientiarii gravi corporis valetudine detenti, & in periculo conſtituti, adminiſtrationes ſuas, & univerſa quæ de ipſis habent, facta ratione confeſſione prævià, ſine mora reſignent: Et niſi major congregatio numerum excedens vicenarium, nullus Ordinis Cuſtos exteriorem habeat adminiſtrationem, per quam officii ſui executio poſſit impediri. §. Mulieribus ingreſſus in Clauſtrum poſt prandium pœnitus interdicatur: ſed & infra fores Monaſterii ad prandium minimè admittentur, niſi de licentia Abbatis, vel in præſentià ſuà: Salva conſideratione habenda circa nobiles, pro loco & tempore, ut prælatis viderit expedire.

§. Proviſum eſt inſuper, ut omnes Abbates & Priores & Procuratores, ad proximum Capitulum generale apud *Oxoniam* celebrandum, in die Sancti *Matthæi* Apoſtoli, Anno, &c. cum habitu veniant regulari: vel in eodem Capitulo, acſi in propriis eſſent Capitulis, froccis ſuis induti, & habitu & geſtu ſe habeant ordinatè. §. Proviſum eſt etiam, quòd ſi aliquod negocium in regno ortum fuerit quod omnes prælatos monaſteriorum contingat, cum hoc ad notitiam Præſidentium pervenerit, convocent Prælatos ſi fieri poteſt: ſin autem, illos quos pro negotii qualitate viderint convocandos; Ut quod omnes tangit, per omnes, vel eorum partem ſaniorem, agatur.

§. Non liceat ipſis Abbatibus, vel Prioribus, Obedientiarios, in camera ſua reſtituere vel deſtituere, niſi in Capitulo tantùm; ubi de hiis tractari debet: nec ſpeciali quadam affectione obedientias conferant, ſed eas Monachis diſcretis committant. Nulli tamen perpetuò conferantur; ſed cum ex cauſa à ſuis obedientiis fuerint amovendi, amoveantur: & alii Deum timentes, ſubrogentur. §. Eccleſia munda ſit; & ornamenta Eccleſiæ ita munda, ut accedens ad divinæ laudis ſacrificium, immunditiam non abhorreat.

§. Negotiationes in Eccleſiis non exerceantur, niſi temporibus nundinarum. §. Audito ſigno, omnes ad Eccleſiam & ad horas & Miſſas venire feſtinent: Principium, medium, & finem, in omnibus Miſſis & horis expectent; niſi urgens neceſſitas eos excuſet non fallentes ſuperiores, dicendo neceſſe quod non eſt: quia ſic ſeipſos fallerent in facie illius, qui judex eſt & cognitor ſecretorum. §. Fuit etiam provida deliberatione proviſum, ut quando capitulum celebrabitur, primo die Capituli celebretur una Miſſa de *Sancto Spiritu*, pro *Romano* Pontifice & Curia *Romana*; pro Rege *Angliæ*, & Regina, & eorum hæredibus, & familiaribus noſtri Ordinis. Secundo die Capituli, celebrabitur una Miſſa pro fidelibus defunctis, pro animabus Regum *Angliæ*, & noſtri Ordinis benefactorum; & omnium fratrum noſtri Ordinis defunctorum.

§. Poſt

§. Poſt ultimum capitulum celebratum, & poſt celebrationem cujuſlibet Capituli generalis, in quolibet Conventu noſtri Ordinis quam citiùs fieri poterit, fiat celebratio unius Miſſæ in Conventu ſolennis, pro omnibus fratribus Capituli defunctis & eorum familiaribus; & à quolibet Sacerdote una Miſſa privata, & à quolibet inferioris ordinis unum Pſalterium.

§. Et ne ſupra vires, propter multitudinem quæ in quibuſdam locis ſingularitate quadam fieri conſuevit, Monachi de cætero graventur; & ut eadem ſit obſervantia apud omnes & idem ordo, communiter proviſum eſt, ut in capis nulli pſalmi familiares, poſt horas Canonicas, de die; nec pſalmi familia res de nocte, dicantur.

§. Injunctum eſt etiam viſitatoribus in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione divinorum; ut ſecundum formam Concilii generalis, & illius decretalis, *Ea quæ propter Religionis honeſtatem, &c.* viſitent, corrigant, & reforment ea quæ fuerint corrigenda. Et qui viſitationem admittere noluerint, per viſitatores ſuſpendantur; & ſi petierint, per eoſdem abſolvantur; data cautione, de parando judicio capituli generalis, & quod in poſterum viſitationem admittent. §. De Monachis tranſmarinis, ſi viſitari noluerint à viſitatoribus, injungatur eiſdem, ut ad proximum Capitulum generale apud *Oxoniam* celebrandum veniant: quare à viſitatoribus viſitari non debeant, oſtenſuri.

§. Caveant etiam ipſi viſitatores, ne occaſione ipſorum Monaſteria viſitanda ſuperfluis graventur expenſis, ſed omnia menſuratè fiant: & taliter officium ſuum exequi ſtudeant, ut à Deo dignam recipiant pro labore mercedem. Ne ſi negligentes fuerint, ſanguinem delinquentium de manibus ipſorum requirat dominus ultionum. Erunt autem in proximo Capitulo præſidentes de *Sancto Edmundo* & de *Glovernia* Abbates, apud *Oxoniam* in Eccleſia de *Oſenee*.

§. Statutum eſt inſuper ut in ſingulis Monaſteriis, ſingulis diebus in Miſſa Beatæ *Mariæ* Virginis, pro Domino Rege, & Regina, & eorum liberis, fiat memoria ſpecialis, cum illa oratione. *Deus in cujus manu, &c.* §. Et ut præmiſſa Statuta meliùs obſerventur, & nihil de contingentibus omittatur, proviſum eſt ut ſtatuta ipſa una cum ſtatutis Concilii *Lateranenſis*, & Conſtitutionibus *Gregorii* Papæ noni, ordinem noſtrum contingentibus, ſingulis annis in ſingulis conventibus recitentur, certis diebus ad hoc aſſignatis.

§. Item cum ſingula Monaſteria, de beneficis & eleemoſyniis defunctorum habeant ſuſtentamenta, ne animæ benefactorum defunctorum per omiſſionem & negligentiam Miſſis debitis priventur, ſtatutum eſt, ut quicunque in Conventu exiſtens, quatuor dies ſe à celebratione Divinorum ſubtraxerit, die quinto per Abbatem vel Priorem ſuper hoc ſecretiùs corripiatur; & ſi non emendaverit, nec cauſam rationabilem oſtenderit, die ſequenti in Capitulo ſuper hac publicè proclametur.

NOTA.

QUoniam in eodem libro Additamentorum *Manuſcripto, invenimus* Statuta, *quæ ſequuntur,* ſuper Reformatione Nigri Ordinis, *à* Gregorio *nono Pontifice ante decem fortè vel viginti annos ſancita, & circa hoc tempus à ſucceſſore ſuo* Innocentio *quarto (ut titulus præ ſe fert)* innovata: *ea igitur præcedentibus Abbatum ſtatutis ſubjunximus. Tu vide, Lector, ſi tanti ſint.*

Innovatio ſtatutorum Gregorii *noni Papæ, ſuper reformatione* Nigri Ordinis. Innocentius *quartus.*

INprimis ſtatuimus, quòd omnes Monachi conſtituti infra Abbatiam (exceptis infirmis & cuſtodibus eorundem) mox ut audierint ſignum, relictis agendis omnibus cum nil dinoverunt operi præponendum, ad Eccleſiam cum debita maturitate feſtinent: & cum timore & reverentia, Deo in Eccleſia ſerviant: ſecundùm regulam, principium, medium & finem horarum tenentes. Et ut in puritate conſcientiæ, & animi devotione Deo offerant Sacrificium laudis fructum labiorum ſuorum.

§. Ut omnes interſint divinis obſequiis in principio, medio & fine, exceptis qui in textu excipiuntur.

§. Singulis menſibus in monaſteriis fiat omnium fratrum confeſſio generalis. Ad quam omnes & ſinguli ſine qualibet excuſatione accedant: Et in prima Dominica menſis, Corpori & Sanguini Domini noſtri *Jeſu Chriſti* communicent. Quòd ſi aliqua de cauſa duxerit aliquis abſtinendum, cauſam Abbati proprio vel Priori, Abbate abſente, [.] non differat intimare: ut ejus judicio vel abſtineat, vel ad Communionem accedat.

§. De confeſſionibus.

§. De Communione Corporis & Sanguinis Chriſti.

[.] Seu pœnitentiarius ab Abbate deputatus.

§. Rigor diſciplinæ ſervetur in Capitulo: Et ſilentium in Eccleſia, Clauſtro, Refectorio, & Dormitorio, teneatur: Pœna tranſgreſſoribus ſecundùm ſtatuta regularia imponenda.

Secundum rotulum *dictaminus.*

De rigore diſciplinæ regularis.

§. Omnibus autem ad religionem ingredi volentibus, exponantur ſæpiùs & ſpecialiùs, iſta tria; ſcilicet obedientia, continentia, & ſine proprio vivere; & quòd ad hæc converſi & Monachi ſunt aſtricti. Et expreſſè & ſpecialiter dicatur, quòd eis ſub Abbate vel Priore quoad hunc ingreſſum nec ipſi obligentur monaſteriis, nec monaſterium ipſis; & uſque ad finem

*Quo modo exponi habet Regula omnibus ingreſſuris: cui tria ſunt annexa. Dura ingredientibus & aſpera, prædicentur. §. Ne pueri admittentur. * Octavum decimum. In alio rotulo. §. De Prioratibus.*

finem anni poterunt ipſi recedere ab ipſo monaſterio liberi, & monaſterium ab ipſis liberari, ſi mores eorum Abbati & Conventui non placent. Et admittendis novitiis, dura prædicentur & aſpera: Et eiſdem admiſſis legatur regula ter in anno probationis, terminis à beato *Benedicto* conſtitutis. Et novitiis fidelis deputetur inſtructor; Et nulla eis omnino donec profeſſi fuerint, adminiſtratio committatur. Completo igitur probationis anno, novitii profeſſionem ſtatim faciant, & benedictionem recipiant. Quod ſi fortè noluerint, mox recedant. §. Nullus autem qui ætatis ſuæ annum * quintum decimum non attigerit, admittatur: nec de talibus admittendis, profeſſio ulla fiat.

In alio rotulo. [:] ut talibus qui infra annum promoveantur. Quod ſi infra annum promoti non fuerint: Prioratus amittant. [.] Et à ſic obtento amoveatur.

§. Prioratus, decanatus, præpoſituræ, & cæteræ omnes adminiſtrationes, gratis & abſque ulla venalitate & pactione (verò niſi bonis & induſtriis Monachis) conferantur: Et Prioratus Conventuales, non niſi ſacerdotibus committantur [:] Si quis autem monachus pro hujuſmodi aliquid dediſſe vel promiſiſſe convictus fuerit, ſimoniacus habeatur: [.] & nunquam in ordine ipſo, dignitatem habeat vel honorem. Et ſi contra aliquem ſuper hoc, apud Dioceſanum, ſive viſitatores, vel diffinitores, vehemens habeatur præſumptio, ipſum removeant à Prioratu vel adminiſtratione qualibet ſic obtenta. Abbas verò qui vendiderit, tanquam ſimoniacus puniatur. Si quis autem per interventum ſecularium perſonarum, committi ſibi obedientiam vel Prioratum expoſcat; nunquam illum obtineat: ſed nec alium infra annum.

In alio rotulo. §. ut non deſtituantur. Priores ſine manifeſta cauſa.

Conventuales quoque Priores non deſtituantur ſine cauſa rationabili: putà ſi domorum dilapidatores, inobedientes & rebelles; ſi incontinentes extiterint vel infames; vel ſi ad majorem fuerint provehendi dignitatem; vel ex alia manifeſtæ utilitatis cauſa. Quod & de minoribus Prioribus volumus obſervari. Nec ullus Prior literas confirmationis habeat, quod de ſuo Prioratu vel obedientia non debeat amoveri: Quod ſi ita obtenta fuerit, ſit irrita ipſo jure.

In alio rotulo. §. Ne aliquis habeat plures Abbatias vel Prioratus.

Illud quoque diſtrictiùs inhibemus, ne quis Monachus plures habeat Abbatias, vel Prioratus, vel Abbatiam & Prioratum; nec in pluribus monaſteriis monachatum. Et qui adminiſtrationem habet in Abbatia, exteriùs nullam habeat, niſi fortè interiori adminiſtratio ſit annexa.

§. Ne quis ſolus in loco Monachus commoretur

Nec in aliquo Prioratu ſive Grangia, unus ſolus monachus commoretur: Sed illi qui ſolus eſt, ſocius monachus adjungatur aut ſocii; ſi ipſius loci ſuppetunt facultates. Alioquin revocetur ad Clauſtrum; proviſo tamen, quòd in eodem loco divina officia celebrentur honeſtè.

§. Ne ballivia aliqua ad firmam committatur.

Cum autem Abbas ballivam, ſeu præpoſituram, vel curam aliquorum reddituum alicui de fratribus committere voluerit, firmam cum ipſo non faciat, nec plegios ab ipſo recipiat vel requirat. Et Abbas diſtrictè præcipiat hiis qui in adminiſtratione conſtituti fuerint, quòd neminem concutiant, vel calumniam faciant; nec injuriis aut exactionibus indebitis opprimant; nec cariùs vendant ad terminum, nec contractus faciant inhoneſtos.

§. ut ceſſuri vel deceſſuri reſignent omnia Abbati quæ ballivi ſunt.

De Prioribus, obedientiariis, & monachis temporalem adminiſtrationem habentibus, ballivis ſeu præpoſitis in infirmitate gravi decumbentibus, ſtatuimus ut adminiſtrationes ſuas, & univerſa quæ habent, de ipſis facta ratione ſine mora confeſſione prævia, reſignent, & aſſignent Abbati.

§. De conformitate veſtium & ciborum. [.] In rotulo noſtro. Abbas tamen in refectorio comedat cum illis, niſi propter honeſtos hoſpites mutet locum.

Circa qualitatem ciborum & habitus præcipimus obſervari, ut omnes monachi habeant veſtes de uno veſtiario, & comeſtionibus quæ per cameras ſolent fieri pœnitus interdictis; In uno refectorio, de una coquina, de uno pane, & de uno potu regulariter reficiantur; ſalva pitantia quæ ad majorem menſam, ex certa cauſa deferri conſuevit; niſi fortè in infirmitorio, vel ſeorſum comedant cum Abbate. [.]

Ab Idibus *Septembris* uſque ad caput quadrageſimæ, ſecundùm regulam beati *Benedicti* reficiantur ad nonam.

§ De ordinatis refectionibus.

Et in aliis temporibus ſecundùm regulam eandem; & eo moderamine ciborum quod deſcribit regula. Et ordinatis pitantiis, ſi quando eas fieri contigerit ſint contenti: Nec aliquis ſibi in cibo & potu delicatiora parari, vel extra deferri faciat, aut recipiat præſentata. Sed quicquid fuerit præſentatum, coram eo qui conventui præeſt deferatur; & ipſe taliter provideat ſive de hiis ſive de aliis pitantiis, quod illorum confortet naturam, qui delicati vel debiles commodè communibus uti non poſſunt.

§ De cyphis & cultellis ordinatis.

In Infirmitorio & refectorio, cyphis argenteis vel aureis, ſeu etiam pedem vel argenteum circulum, vel aureum habentibus non utantur: Nec zonam vel cultellum cum ornatu auri vel argenti, deferri licitum ſit alicui vel habere.

§ De refectione in infirmitorio.

In Infirmitorio nullus carnes comedat, niſi monachus vel converſus qui infirmus fuerit; aut propter debilitatem corporis ad infirmitorium miſſus.

§ De refectione in itinere.

Nullus Monachus in quocunque loco ſive in domo ſit ordinis, ſive extra, carnes comedat; niſi ſecundùm quod in Regula continetur.

§ De inhibitione carnium tritarum.

Illas autem carnium refectiones, quæ ſanis in quibuſdam monaſteriis certis temporibus conſueverunt hactenus exhiberi, penitus inhibemus; & ſicut interdicimus uſum carnium, ita farſaturas de tritis carnibus denegamus. *In noſtro rotulo.* Sane Abbas vel Monachus in itinere conſtitutus, ſi debilitatis neceſſitas compellat ipſum ad uſum carnium, divertat ad do-

mum

mum religioſam ſi vicinam invenerit; Alioquin ſic ſuæ infirmitati conſulat, quòd in cibo ſuo non offendatur vel ſcandalizetur proximus, pro quo mortuus eſt Dominus *Jeſus Chriſtus*.

Si quis comedere carnes contra prædicta præſumpſerit, ſemel vel etiam ſecundò regulari ſubjaceat diſciplinæ: Si tertio, quarta, & ſexta feria proximis, in pane & aqua jejunet. Quod ſi in conſuetudinem duxerit; ſubjaceat gravi culpæ. Abbas autem ſi in hoc deliquerit; ſecunda, quarta, & ſexta feria, ſit pane & aqua contentus. Si autem in conſuetudinem duxerit, nec monitus à diœceſano vel viſitatoribus corrigere voluerit, adminiſtratione privetur. *§ De pœna tranſgreſſorum.*

Infirmis autem fratribus, in cibariis, in lectis, in ſervitoribus, & aliis neceſſariis, ſecundùm quod eorum requirit infirmitas, & continetur in Regula præcipimus provideri: Et in hiis omnibus ſi infirmarius inventus fuerit in defectu, per proprium Abbatem vel Priorem corrigatur. Abbas autem vel Prior, per viſitatores cum ad locum acceſſerint, pœna puniatur condigna. *§ De refectione infirmorum.*

Illud etiam præcipimus obſervari, ut de veſtimentis & calceamentis ordinatis, tempore congruo provideatur tam monachis quam converſis; Et propter hæc ne detur alicui pecunia, diſtrictiùs inhibemus. *§ De veſtimentis ordinatis.*

Monachi communibus indumentis & religioſis, ſicut in Clauſtro, ita foris exeuntes, honeſtè ſe habeant: nec recedant ſine cuculla & habitu regulari. Nec capam habeant coloratam; nec cum ſella minus regulari ſumptuoſa, vel clavorum ornatu decorata ſuperfluo, aliquis equitare præſumat. Calcarea deaurata vel deargentata non habeant, ferratura ad ornatum in frenis penitus amota. Nec chirothecis per digitos diſtinctis, nec ocreis roſtratis. *§ De habitu itinerantium.*

* In noſtro. *Sed calceis corrigiatis, & rotundis, non acutis; equitans quis utatur.*

NUllus in quocunque loco utatur tunica de Burneto, vel coopertoriis, vel alio panno, vel pellibus ſilvaticis, vel lineis camiſiis, vel linteaminibus: Sed veſtiti dormiant & cincti, ſicut in regula continetur; Nec veſtes ſciſſas habeant, ante vel retro. *§ De inordinatis veſtimentis.*

Nullus Prior clauſtralis vel alius monachus, cameram, equos, familiam, herneſium, ſibi approprict, vel de ejus uſu contendat. Sed ſi ex neceſſitate vel utilitate oporteat illum exire, per eum qui præeſt, in neceſſariis provideatur eidem. *§. Ne quis propria habeat ad equitaturam.*

Præcipimus inſuper, ut omnes Abbates & Priores, conſilio omnium fratrum quibus præſunt, vel majoris & ſanioris partis ipſorum, cum faciendum eſt mutuum vel innovandum, hoc ita faciant, quod omnibus liqueat quanta ſumma, quibus creditoribus, quibus terminis debeatur. Et in quos uſus, contractum mutuum ſit converſum. *§ Quod habeatur in agendis commune conſilium.*

Et ut domorum ſtatus certior habeatur, ſingulis tribus menſibus coram Abbate ſeu Priore (ſi ibi non ſit Abbas) & ſenioribus, reddant officiales de ſuis officiis rationabilem computationem; de omnibus expenſis & receptis, fideliter facientes. *§ De computo reddendo in omnibus.*

Abbates & Priores bis in anno, ſcilicet in Kalendis *Octobris*, collectis annuis fructibus, & in Kalendis *Aprilis*, ſtatum domus ſuæ in capitulo vel coram ſenioribus, & etiam coram viſitatoribus cum venerint, plenariè manifeſtent. Abbas autem vel Prior ſive præpoſitus, qui in prædictis ratiociniis gravia debita ſuppreſſerit fraudulenter, ab adminiſtratione quam obtinet, penitus repellatur. *§ De ſtatu domus monſtrando.*

Si verò Abbas vel Prior ſine conſenſu Conventus contraxerit mutuum, non teneatur monaſterium; niſi quatenus probatum fuerit in utilitate Eccleſiæ fuiſſe converſum. *§ Ne teneat mutuum niſi probatum.*

In noſtro rotulo. *Per inſtrumentum ſuper contracto mutuo confectum, non compellatur monaſterium; ſi Capituli ſigillo non fuerit communitum.*

NUllus quoque Abbas vel Prior, Prioratum vel grangiam, penſionem, aut præbendam monachalem, perſonis ſæcularibus donare audeat. Penſionem vel poſſeſſionem nullam vendat, vel commutet, vel alienet; niſi in caſibus à jure conceſſis, nec etiam donet: ſed ſciat alienationem ſibi penitus interdictam. *§ Non detur penſio laicis perſonis*

Monachi proprietarii excommunicentur ab Abbatibus ſuis: Et ſi in morte proprietarius inventus fuerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura, vel ſicut unus de vulgo ſepeliatur. *§ Proprietarii excommunicentur & Eccleſiaſtica careant ſepultura.*

Nullus prorſus niſi pro officio ſibi commiſſo, arcam cum clave ſine licentia habeat: & quotieſcunque Abbas petierit, clavis eidem tradatur. Et ſi aliter habet, eo ipſo proprietarius reputetur. *§ Ne quis habeat ſub clave clauſuram aliquam.*

Excommunicationis ſententiam in proprietarios, ſemel in anno, ſcilicet in *Ramis palmarum*, ſolenniter in capitulo publicabit. Et ſi poſt aliquis inventus fuerit habere proprium, ballivam ſi quam habet amittat, nec infra annum, ſibi alia committatur, nec tunc, niſi proprio reſtituto & peracta pœnitentia competenti. *§ De pœna infligenda proprietariis.*

Abbas qui ſcienter proprium conceſſerit monacho, vel punire contempſerit, ſuſpendatur ad tempus. Proprium autem intelligimus, ſecundùm beati *Benedicti* regulam; ſi nec accommodatum, nec locatum, nec depoſitum, aliquis omnino monachus vel converſus, no- *§ De negligentia Abbatis proprietatem habere concedentis. Et pœna talis Abbatis.*

mine ſuo recipiat, nec etiam monaſterii nomine: niſi de Abbatis vel conventus licentia ſpeciali, & in caſibus à jure conceſſis. Sed nec mutuum, ultra illam quantitatem quam moderatam taxari volumus per Capitulum & Abbatem.

§ Ut non ſit Abbas perſonarum acceptor.

Ipſe autem Abbas det ſingulis, prout cuique opus erit: ut non ſit perſonarum acceptio, ſed infirmantium conſideratio habeatur.

§ Ne Abbas conſanguineis ſuis bona Eccleſiæ diſtribuat.

Illud quoque diſtrictè præcipimus, ne quis Abbas conſanguineo ſuo egenti vel non egenti, immobilia Eccleſiæ ſuæ concedat, nec etiam mobilia donet: niſi aliquid modicum nomine Eleemoſynæ largiatur. Et qui de immobilibus contra præſumpſerit, ab eadem amoveatur Eccleſia: Prioribus & officialibus ſi eos talia commiſiſſe conſtiterit, ab adminiſtrationibus prorſus amotis, & aliàs prout pœnæ qualitas exegerit puniendis.

§ Ut arceantur mulieres ab introitu ubi converſantur Monachi.

Clauſtri, refectorii, dormitorii, & chori cuſtodia quando cantatur officium, certis committatur perſonis. Et nulla mulier permittatur intrare prædicta loca, nec chorum quando cantatur ibidem, niſi fortè in conſecrationibus, & indulgentiis Eccleſiarum, & feſto principali Eccleſiæ, & exequiis mortuorum, aliquas mulieres per Clauſtrum vel chorum tranſire contigerit. Exceptis nobilibus quæ patronæ ſunt monaſterii: Et aliis nobilibus, quibus non poſſit introitus ſine gravi ſcandalo denegari. Et eiſdem, certis horis & temporibus poterit ingreſſus ab Abbate vel Priore concedi: Et ſalvis indulgentiis ſuper hoc certis perſonis à ſede Apoſtolica conceſſis, vel etiam concedendis.

Quod ſi contra præſumptum fuerit, officialis per cujus oſtium mulier intraverit; Abbas quoque vel Prior ſi hoc fieri mandaverit, pro qualibet vice in pane & aqua die jejunet una. Abbates vel Priores ſi ſervientes ſæculares ſecum habuerint equitantes, de propria vel communi familia, non niſi maturos habeant & honeſtos in habitu non laſcivo.

In noſtro rotulo *ſic*, *§ Non adoleſcentes, non nobiles, non conſanguineos, nec indutos veſtibus virgatis, aut argenteis nodulis ornatis, vel partitis, vel viridibus, aut rubeis: nec habeant capitulum de floribus, vel foliis, in domibus vel præſentia religioſorum: nec canes, vel aves venatitias, nec ſcaccos, nec aleas, vel taxillos.*

§ De hoſpitalitate pro poſſibilitate ſuſtinenda.

VOlumus quoque & mandamus, ut in quolibet Monaſterio vel Prioratu, Abbas vel Prior, aut ipſis ceſſantibus, viſitatores qui pro tempore fuerint, pro poſſibilitate locorum Hoſpitalitatem ordinent ad eleemoſynas faciendas: certo hoſpitio ad recipiendos pauperes, & alios pauperes hoſpites, & miniſtro idoneo qui eis deſerviat, deputato. Et ſi alicui perſonæ religioſæ hoſpitium negatum fuerit, qui hoſpitio tunc deputatus fuerit, tribus diebus jejunet in pane & aqua.

Inhibemus inſuper ſub interminatione damnationis æternæ, ne poſſeſſiones aut redditus ad eleemoſynam ſive hoſpitalitatem vel infirmariam deputati vel collati, ab eiſdem uſibus abſtrahantur: Si contra hoc præſumptum fuerit, non teneat; ſed ad uſus revocetur prædictos. Et ſi Abbates contravenire præſumpſerint, ab adminiſtratione per viſitatores, Monachi per Abbates ſuſpendantur: & ſuſpenſi maneant ſecundùm qualitatem delicti, quamdiu viderint expedire.

§ De Reliquiis menſarum: & veteribus pannis pauperibus erogandis.

Et quia non eſt defraudanda pauperum eleemoſyna, nullus quæ ſibi miniſtrantur in menſa, vel de veſtimentis veteribus, vel calceamentis, cum receperit nova, defraudet eleemoſynam, Et hæc omnia ad manus eleemoſynarii perveniant, qui eadem pauperibus largiatur. Nec alicui dentur nova, qui vetera non reſignet.

§ De honeſtate egredientium, & ut plene cantent horas Canonicas.

Inhibemus quoque diſtrictiùs, ne libera detur Monachis egrediendi poteſtas, nec detur Clauſtrabilibus licentia reviſendi ſæcularia, niſi fortè rariſſimò, & ex cauſa rationabili, & ad tempus modicum: matura quoque ſocietate eiſdem ad cuſtodiam deputata. Et ipſi horas dicant in via; Et de libris provideatur eiſdem. Et cuilibet monacho loquendi cum muliere, ſine honeſtis teſtibus duobus vel tribus, licentia denegetur.

§ De pœna ſine licentia egredientium.

Monachus etiam qui in Abbatia, ſive qui in Prioratu moram fecerit; ſi ſine licentia ſuperioris Clauſturis domus exire præſumpſerit, regulari pœnæ ſubdatur.

§ De honeſtate dormientium.

Illud quoque diſtrictè præcipimus, quòd Monachi, qui in Prioratibus exterioribus commorantur, in divinis ſervitiis in honeſtate habitus, & ciborum abſtinentia, ſuis Abbatiis ſe conforment: & jaceant veſtiti & cincti, ſicut Monachi in dormitorio Abbatiæ: quod etiam ab omnibus qui jacent extra dormitorium, præcipimus ſervari.

In noſtro Rotulo. *Nullus quoque Abbas vel Prior vel Monachus, infra Abbatiam vel extra; conſanguineum ſæcularem commorantem ſecum habere præſumat.*

§ Nec admittantur mulieres ad ſervitium Monachorum.

[.] præſentialiter.

NEc mulieres in aliquo loco ad Monachorum ſervitium, [.] perſonaliter admittantur.

§ Quod Prælati interſint quibuſdam divinis officiis.

Denique cum Abbates & Priores diſcurrere vel vagari non debeant, volumus ut in Clauſtro cum Fratribus ſedeant, & divinis interſint: maximè vigiliis capitulo, & collationi; & aliis divinis officiis cum eiſdem, niſi cauſa neceſſaria & utili & honeſta fuerint impediti.

Nullus

Nullus Abbas vel Monachus, prope Monaſterium ſuum vel cellam Monaſterii ſui, ad leucam unam in domo ſæculari comedat vel pernoctet.

§ *Ne in locis proximis comedat quis vel bibat.*

Cæterùm, quia in multis Monaſteriis à paucis intelligitur regula cum legitur, præcipimus ut lectio regulæ quæ legitur in Capitulo, propter juniores ſtatim exponatur in vulgari ab illo qui capitulum tenet; vel ab alio, cui ipſe duxerit injungendum.

§ *ut exponantur omnia hæc.*

Circa equitaturas Abbatum, hoc moderamen volumus & præcipimus obſervari: ut nullus Abbas de familia ſua continua, ultra decem habeat [.] equitaturas. Et de hiis, quilibet Monachus aliquem pannum portet. Minores verò Abbates, ſecundum facultates domorum, equitationum minori numero ſint contenti.

§ *De moderamine equitaturæ.* [.] *vel calces.*

Omnes autem redditus Abbatiæ, tam capitis quàm membrorum, redigantur in ſcriptis; & obventiones quæ certæ non ſunt, fideliter æſtimentur; ut unum ſcriptum inde habeat Abbas penes ſe, & Prior aliud cum Conventu. Et utrumque ſecretò apud ſe habeant.

§ *De computis reddendis.*

Decernimus etiam, quòd ſi paupertas loci, vel defectus ordinis, ſeu pœna delicti hoc exegerit; ut de ſedibus propriis Monachi aliqui emittantur; Abbates ad quos Miſſæ fuerint hujuſmodi perſonæ, eas recipere non recuſent: quamdiu viſitatoribus viſum fuerit expedire; niſi tales fuerint, quòd eorum converſatio non poſſit ſine gravi ſcandalo tolerari. Quòd ſi illas recipere noluerint cum poſſint, per viſitatores compellantur. Qualiter autem circa præmiſſas procedi debeat perſonas, in Conſtitutione illa ſuper hæc à nobis edita continetur: quam ad cautelam præſentibus duximus inſerendam. Cujus tenor talis eſt.

§ *ut decernatur domus gravata amotione Monachorum aliquorum.*

Alias à Gregorio nono.

§ *Tenor Autentici de fugitivis revocandis.*

Ne Religioſi vagandi occaſionem habentes, ſalutis propriæ detrimentum incurrant, & ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: ſtatuimus ut capitulis celebrandis præſidentes ſecundùm ſtatutum Concilii generalis, ſeu patres, Abbates, ſive Priores, fugitivos & ejectos de ordine ſuo, requirant ſollicitè annuatim. Quod ſi in Monaſteriis ſuis recipi poſſent, ſecundùm ordinem regularem, Abbates ſive Priores eorum monitione præmiſſa, Eccleſiaſtica cenſurâ compellant ad receptionem ipſorum: ſalva ordinis diſciplina. *Quod ſi hoc regularis ordinatio patitur, autoritate noſtra provideatur; ut apud eadem Monaſteria in locis competentibus (ſi abſque gravi ſcandalo fieri poterit, alioquin in aliis religioſis domibus ejuſdem ordinis ad agendam ibi pœnitentiam) talibus vitæ neceſſaria miniſtrentur. Si verò hujuſmodi fugitivos vel ejectos, inobedientes invenerint, eos excommunicent: & tam diu faciant ab Eccleſiarum Prælatis publicè denunciari, donec ad mandatum ipſorum humiliter revertatur.*

Prædicta omnia volumus, quòd Abbates & Priores qui in ſuis Eccleſiis proprium Abbatem non habent, faciant in ſuis Monaſteriis, cellis, Obedientiis, & aliis locis ſibi ſubditis, inviolabiliter obſervari. Alioquin viſitatores tranſgreſſores regulariter puniant, & prædicta faciant obſervari. Salva nihil ominus beati *Benedicti* regula, quem ſciant præcipuè ad correctionem & reformationem Ordinis, ſe habere magiſtrum.

§ *ut prædicta obſerventur.*

Præcipimus etiam in virtute obedientiæ, quòd Abbas, vel Prior (ſi abſens fuerit Abbas) legi faciat & exponi diligenter ſupradicta omnia in capitulo ter in anno; videlicet infra octavas feſtivitatum Natalis Domini, Paſchatis, Reſurrectionis & Aſſumptionis Beatæ Virginis.

§ *ut legantur hæc & exponantur.*

Abbas verò hæc omnia diligente obſervet, & ab aliis faciat diligenter obſervari. Alioquin ſi ſuper hiis negligens fuerit, ſecundùm tranſgreſſionis ſuæ vel negligentiæ qualitatem, taliter puniatur, quòd pœna illius ſit aliis in exemplum. Et ſi forſan culpis ſuis exigentibus, Abbatem ab adminiſtratione contigerit amoveri; nulla ei aliquo modo reddituum fiat proviſio; ſed in hoc potiùs ipſius animæ provideatur, ut ſalubrem agat pœnitentiam de Commiſſis.

§ *De gravi pœna tranſgreſſorum.*

Præcipimus autem ſub interminatione divini judicii, ut Abbates qui Capitulo Provinciali pro tempore præfuerint, viros prudentes & providos & timentes Deum, in ipſo capitulo Provinciali viſitatores inſtituat, qui omnes Abbatias & Prioratus, Abbates proprios non habentes, ejuſdem provinciæ viſitent infra annum; & ſecundùm hanc ordinationem noſtram, in correctione & reformatione procedant; ut ea quæ emendari præceperint, ſub ſigillis ſuis in ſingulis dimittantur Monaſteriis. Et eadem reportent, ad ſequentis anni capitulum tradenda ſubſtituendis viſitatoribus: Et ſic omnium monaſteriorum obedientia, vel tranſgreſſio appareat.

§ *De annua viſitatione.*

§ *Quòd hæc conſignentur.*

Cujuſlibet autem provinciæ viſitatores, de quinquennio in quinquennium, nobis reſcribant ea quæ correxerint & ſtatuerint obſervanda.

§ *Reſcriptio ad Papam.*

Nulli igitur hominum, &c. Datum, &c.

Pag. 666. lin. 38. *Cauſam diſſentionis inter* Weſtmonaſterii *Abbatem & Conventum*; inter *Additamenta* non inveniuntur.

Pag. 667. lin. 36. *Literæ Regis* Tartarorum *de Caldæo in Romanum de verbo ad verbum*..

PAr la poiſſance de Deu le haut envoie del Roy de la terre Chaam achatay al Roy grant de pluſurs provinces noble cumbatur. Del mund glaive. De Creſtiente victoire & de religiun Baptiſmal. Cur une de genz Eccleſiaſtres defenſur de la loi Euangeliſte. Fiz Roi de *France*. Acroiſe dex ſa Seignurie. e gard ſun regne par pluſurs ans. E par face ſa volunte enz la loi el mund. el teus dores e en celui keſt a venir, par la verite de la dame ki cunduit tuz hommes et tuz les Prophetes & les Apoſtles. Amen. of C. M. ſaluz e beneicuns. E io eo proi ke il receive ces choſes e ka lui ſoient agreables a certes. e face dex ke io voie tel Roi noble ki eſtarivez. E li hautz creaturs face ferm noſtre decurs. Ceo eſt à ſavùr noſtre vie ki tuz jours decline e eſt en decurs, e face legerement ke nus nus aſſemblomes e une choſe en pres ceſt ſalu. Sace il ken ceſte epiſtle neſt noſtre entente el que le profit de la creſtiente et forcesce de la main le Roi Creſtien par lottroi de noſtre Seignur e requer de noſtre Seignur ke il doniſt victoire de ſus de la Creſtiente. e face a ceus avoir victoire ſur ſes adverſaires ki deſpiſent la croiz. en apres de la part le Roy haut hauce celui dex ceo eſt a ſcavoir de la preſence de conyot Chaam. e acroiſe dex ſa grandeur. Nus ſomes venu avokes poer e mandement ke tuit li Creſtient ſoient quite de ſervitute & treuage. dangarie. de paage. e de choſes ſemblables. e ſoient a honeur e a reverence. E ke nuls nes toille leur poſſeſſions. E ke les Igliſes deſtruite ſoient reedifiees e les tables [.] ſoient reſtorees. e ke nuls noſe defendre ces choſes ker il prient de quez repoſe e volentri pur noſtre regne. En ceſt hure venimes nus a ceſte choſe pur le profit de la creſtiente e pur la garde. par lottroi del haut deu. A ceſtes nus avom envoie ces choſes par noſtre loial meſſage honurable Saphadin. Davi. e par Marc. ki vus anuncient ceſtes bones nuveles e vus dient buche a buche les choſes ki ſunt entur nus. li fiz receiue les paroles de ceaus. e les croie en lur lettres. li rois de la terre ſoit à honeur en acreiſement par ſa grandur. En apres il comande quen la loi de Criſt ne ſoit nule difference entre les Latins e les Grius e les Hermins e les Neſtorins e les Jacobins. e tuz les autres ki aurent la croiz. kar cil ſunt tuit vne choſe entre vus. en ſi requerens nus ki li haut rois ne mette diviſiun entre aus. Mais ſa pite e ſa debonairete ſoit ſor tuz les creſtiens. e dure ſa vite e ſa debonairete de la deſqe la fin de Maranatha e ſera bone choſe par lottroie de noſtre Seignur.

[.] *Ceo eſt ſaver auters.*

Pag. 669. lin. 44. *Impetratio Epiſcopi* Lincolniæ.

INnocentius Epiſcopus, &c. Venerabili fratri Epiſcopo *Lincolnienſi*, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Tua nobis fraternitas intimavit, quòd nonnulli religioſi quàm plures Eccleſiarum poſſeſſiones ac decimas, in proprios uſus præſumunt convertere: licèt ad id non acceſſerit capituli tui conſenſus. Quocirca fraternitati tuæ præſentium authoritate concedimus, ut prædicta valeas legitimè revocare; contradicentes per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum *Lugduni*, decimo ſexto Kalendas Junii; Pontificatus noſtri anno ſexto.

Pag. 677. lin. 50, *Decretales novæ* Innocentii *quarti. Quarum authoritate Archiepiſcopus* Cantuarienſis Bonifacius, *intendebat viſitare* *ſua Provincia viſitandos.*

ROmana &c. Statuimus ut quilibet Archiepiſcopus ſum volens viſitare provinciam priùs Eccleſiæ ſuæ capitulum ac Civitatem, ac Diœceſin propriam, plenè viſitare procuret. Nec ſit ſolùm erga majorum, ſed etiam minorum Eccleſiarum; nec circa clericorum tantùm, ſed etiam populorum viſitationem intentus. Et ſi commodè, vel abſque difficultate accedere ad unamquamque non poterit, de pluribus locis ad unam congregationem Clericos & alios ſtudeat evocare: ne in illis viſitatio poſtponatur. Deinde liceat ei per totam provinciam vel ejus partem, viſitationis officium exercere. Civitates, & Diœceſes, ſuffraganeos, & eorum ſubditos, Cathedralium & aliarum Eccleſiarum, Monaſteria, & Eccleſias, & alia religioſa, & pia loca, cleros, & populos, liberè viſitando, procurationes à locis tantùm recipere viſitatis. Ex quo tamen aliquam de ipſis Diœceſibus viſitare ceperit, nunquam poſtea (ſivè totam ſivè partem ejus viſitaverit,) revertatur cauſa viſitationis ad illam; priuſquam omnes reliquæ ipſius provinciæ Diœceſes, in toto vel in parte (quàm ſcilicet ſecretò ſecurè poterit) & ſuæ denuò fuerint ab eo viſitatæ. Quod ſi fortè eadem Diœceſis, vel aliqua ibi Eccleſia plùs aliis indigeat viſitari, tunc aliarum viſitatione intermiſſâ redeat ad eandem

dem Dioceſis, vel aliqua ibi Eccleſia plùs aliis indigeat viſitari, tunc aliarum viſitatione intermiſſâ redeat ad eandem: ſi à loci dioceſano requiſitus extiterit; vel de omnium aut majoris partis Epiſcoporum ejuſdem provinciæ, proceſſerit conſilio & aſſenſu. Ad quod idem ſe pronos exhibeant, ne animarum profectus aliquatenus negligatur. Si verò malicioſè in in hiis difficultatem quamlibet adhibuerint, Archiepiſcopus ſuper hoc licentiam poſtulet confidenter. Poſtquam autem ſemel omnes provinciæ ſuæ dioceſes viſitaverit, licitum ſit ei poſtea (priùs tamen ſuffraganeorum ſuorum requiſito conſilio) ipſius diffinitione ſuper hoc habitâ coram eis quæ in ſcriptis redigi volumus, ut poſſint eſſe aliis nota, viſitationem per eandem provinciam recitare, juxta modum ſuperiùs annotatum. Et ſi non interveniat in hoc ſuffraganeorum ipſorum aſſenſus, illam ſemper providentiam adhibendo, ut in poſterioribus viſitationibus, illas Eccleſias, illoſque cleros, & populos, priùs viſitet qui non fuerant ab eo in prioribus viſitati; niſi magìs ſit aliis viſitationis officium opportunum. Sane hujuſmodi impenſurus officium, propoſito verbo Dei quærat de vita & converſatione miniſtrantium in Eccleſiis, & divino cultui deputatis: ac cæteris quæ ad officium ipſum ſpectant, abſque contradictione & exactione qualibet, juramenti ad ipſorum emendationem per ſalubria monita, nunc levia nunc aſpera, juxta datam à Deo ſibi prudentiam diligenter intendens. Quod ſi de aliquibus orta fuerit infamia contra eos, Ordinariis ipſarum, ut ſuper hiis ſolenniter inquirant denunciet, ſi viderit expedire. Notoria verò crimina, quæ examinatione non egeant, cum ſuper hiis meritò notari poſſit, Ordinariorum negligentia, eorundem liberè corrigat; pœnam de illis debitam infligendo. Procurationes autem recipiat: nullam autem pecuniam ipſe vel aliquis de familia ſua, occaſione alicujus officii vel conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo, earum nomine; ſed in victualibus tantùm recipiat moderatas. Caveant inſuper, ne ipſe vel quiſquam ſuorum, munus quodcunque ſic vel qualitercunque offeratur, præſumat recipere: ut non *quæ ſua ſunt videantur quærere, ſed quæ Jeſu Chriſti.* Quod ſi fuerit contra præſumptum, recipiens maledictionem inveniat: à qua nunquam niſi duplum reſtituat liberetur. Volumus enim in hiis fraudem quamlibet penitus evitari. ¶. Hanc autem viſitandi formam, ab univerſis etiam Epiſcopis aliiſque Prælatis, ordinario jure ſuos ſubditos viſitantibus; plenè obſervari præcipimus: ſalvis ſuper hoc rationabilibus & approbatis religioſorum conſuetudinibus, & regularibus inſtitutis.

Pag. 683. lin. 8. *Formam rapinæ* Bernardi *de* Nympha] *Non invenimus.*

Pag. 695. lin. 11. *Litera Apoſtolica contra ſententiam prolatam in Canonicos* Sancti Pauli Londini, *ab Archiepiſcopo* Cantuarienſi, *eos volente viſitare.*

I*Nnocentius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis de *Sancto Albano* & de *Wantham* Abbatibus; & Archidiacono *S. Albani, Lincolnienſis,* & *Londonienſis* Dioceſeos, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum *Henrici* Decani, *Petri* Archidiaconi, *Roberti* Cantoris, Magiſtri *Gulielmi de Licheſeld, Gulielmi la Faite,* & *Roberti* dicti Monachi Canonicorum *Londoniæ,* fuit propoſitum coram nobis; quòd cùm venerabilis frater noſter *Cantuarienſis* Archiepiſcopus ad *Londonienſem* Eccleſiam, impenſurus in ea viſitationis officium acceſſiſſet, capitulo proponente ejuſdem Eccleſiæ, ſe ac Eccleſiam ſuam ab ipſius juriſdictione liberos & immunes, ac ideò eundem Archiepiſcopum ad viſitandum admittere, ſibique procurationis præſtare obſequium recuſante; idem Archiepiſcopus in perſonas eorum ob hujuſmodi ejuſdem Capituli delictum, excommunicationis ſententiam auctoritate propria promulgavit; quam ipſi nunciari Miſſam humiliter petierunt. Ad quod memoratus Archiepiſcopus ex adverſo reſpondit, quòd non ob capituli ſed prædictorum Decani & aliorum delictum, eandem in eos ſententiam protuliſſet. Ipſius autem ſententiæ forma, in noſtra & fratrum noſtrorum audientia lecta fuit, cujus tenorem, præſentium inſeri fecimus ad cautelam. Qui talis eſt, *Noverint univerſi, quòd cum nos B. Dei gratia Cantuarienſis Archiepiſcopus, totius Angliæ Primas, Cantuarienſi & Roffenſi Civitatibus & Dioceſibus viſitatis, venerabilem Fratrem noſtrum Londoniæ Epiſcopum viſitaſſemus, deſcendimus ad viſitandum capitulum Cathedralis Eccleſiæ Sancti Pauli Londoniæ. Et monuimus viva voce, ac per alios fecimus ſæpiùs ammoneri Decanum & Capitulum prædictæ Cathedralis Eccleſiæ Sancti Pauli; ut nos tanquam Metropolitanum ſuum, ſecundùm formam à jure traditam, ad exercendum viſitationis officium in eorum Eccleſia admitterent reverenter. Quod ipſi Dicanus & capitulum facere inhumaniter denegarunt; affirmantes viva voce coram nobis, quòd nullatenus nos reciperent ad prædictum viſitationis officium exercendum: & tenentes clauſa oſtia chori atque Capituli, ubi volebamus proponere Verbum Dei manifeſtè, impediverant nos verbo & facto, ne poſſemus ibidem officii noſtri debitum exercere. Et quamdiu in corpore ipſius Eccleſiæ Sancti Pauli fuimus præſentes, divinæ laudis organa pro ſuæ voluntatis libitu ſuſpenderunt; in manifeſtam injuriam, & grave præjudicium Cantuarienſis Eccleſiæ, ac animarum periculum & ſcandalum plurimorum. Nos igitur offenſam hujuſmodi manifeſtam, volumus ſicut nec debemus relinquere impunitam; ne ceteri exemplo ſimilem aſſumat audaciam reſiſtendi: præmiſſa competenti monitione,*

Nota.

quia

quia nos ab exercendo viſitationis officio tam temere & inhumaniter repulerunt, nec nobis ſuper hoc parere & ſatisfacere curaverunt, Henricum Decanum, Petrum Archidiaconum, Robertum Cantorem Londoniæ, Magiſtrum Gulielmum de Licheſeldia, Gulielmum la Feite, & Robertum dictum Monachum, Canonicos Londoniæ, qui irreverenter ſe opponebant, & præſentes aderant, & quos in hujuſmodi contumaciæ rebellione & contradictione, evidenter nobis conſtabat eſſe culpabiles; autoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & beatiſſimi patroni noſtri Sancti Thomæ Martyris glorioſi, in ſcriptis excommunicamus, & excommunicatos fore publicè nunciamus. Actum Londoniæ in prædicta Eccleſia Sancti Pauli, die Martis poſt Aſcenſionem Domini; Anno ejuſdem 1250.

Auditis igitur & plenius intellectis, quæ à partibus fuere propoſita hinc inde, nos præmiſſæ verba ſententiæ perſpicaci diſcretionis examine ponderantes, ac volentes ſuper hoc prolixæ concertationis materiam quæ in utriuſque partis protelaretur diſpendium, remedio ſalubris compendii removere: de prædictorum fratrum conſilio pronunciando decrevimus, prædictam ſententiam quatenus in prædictos *Henricum* Decanum, *Petrum* Archidiaconum, *Robertum* Cantorem, & alios Canonicos *Londoniæ* propter delictum memorati capituli noſcitur promulgata, nullam penitus extitiſſe; ipſoſque per eam aliquo vinculo non teneri, nec per denunciationem ipſius notandos eſſe aliquatenus vel vitandos. Super eo verò, quòd idem proponit Archiepiſcopus, ſe in eos propter delictum ipſorum dictam ſententiam protuliſſe, ipſum ſicut de jure fuerit audiemus. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictæ ſententiæ denunciationes, quas ut dicitur contra præfatos Decanum & alios fieri facit Archiepiſcopus ſupradictus, quatenus in prædictos Canonicos *Londoniæ* ob delictum capituli eſt prolata, faciatis omnino caſſare; Contradictores auctoritate noſtro, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Quòd ſi non omnes hiis exequendis poteritis intereſſe, duo veſtrum nihilominus exequantur. Datum *Lugduni*, quinto Kalendas *Octobris*; Pontificatus noſtri Anno octavo.

Pag. 695. lin. 19. *Conſule paginam 702. & ibi Teſtamenti hujus Imperialis exemplar invenire poteris.*

Pag. 698. lin. 53. & Pag. 699. lin. 6. & Pag. 701. lin. 7.
Mandatum Magiſtri Hoſpitalis.

Religioſo, egregio, & prudenti amico præcipuo & ſpecialiſſimo, fratri *Gualtero de Sancto Martino* prædicatori, frater *Gulielmus de Caſtro novo*, Sancta domus Hoſpitalis *Hieroſolymitani*, Dei gratia magiſter humilis, ſalutem & ſe totum ad ejus voluntatem. Sperantes quòd de *Terra Sancta* vos delectet nova qualia ſunt audire, de ipſis ſignificandum duximus: Quia poſt ruinam illam inexplicabilem, quam Dominus Rex *Francorum* & totus exercitus *Chriſtianus* ſuperatus & captus ab hoſtibus, paſſus eſt in *Ægypto*, divina clementia operante præfatus Rex miraculoſè liberatus venit in Civitatem *Accon*, cum fratribus ſuis, & aliquibus nobilibus Principibus; quibus Dominus in confuſione vitam de interitu conſervavit. Et quia ſine derogatione ſublimitatis Regiæ, abſque treuga terram *Syriæ* in cauſa amiſſionis relinquere non poterat, fratres ſuos & alios nobiles omnes remiſit in *Franciam*, pro ſuccurſu, deliberans moram facere, donec per ſubſidium gentis ſuæ, & aliorum *Chriſti* fidelium, poſſet ſuperbiam perfidorum conterere, aut treugis mediantibus *Terram Sanctam* in ſtatu proſpero ordinare. Licèt autem in præſentium confectione inter *Alapenſium* & *Babyloniorum* Soldanos diſcordia magna eſſet, per quam ſperari poterat quòd compoſitio treugæ competentis intervenire deberet; non tamen nobis apparebat, quia experti ſumus verſutias *Paganorum*, quod incentivo aliquorum & plurium ad hoc concordantium, ſperatum veniret ad effectum. Proceſſu verò temporis, cum res clariùs patebunt, de eventu ipſarum prudentiam veſtram reddere curabimus certiorem. Vale.

Idem eidem Gulielmo.

Religioſo & honeſto viro amico chariſſimo & ſpeciali, hoſpitalis fratri *Gualtero* de *Sancto Martino* prædicatori, frater *Gulielmus* de *Caſtro novo*, Dei Gratia ſanctæ domus *Hoſpitalis Hieruſalem* Magiſter humilis, & pauperum *Chriſti* cuſtos, ſalutem & paratam ad beneplacita voluntatem. Quia intelleximus quod veſtri gratia domum *Hoſpitalis* & Fratres ſemper ſincerè dilexiſtis, & ad ejus voluntates fideliter aſpiraſtis, liberalitati veſtræ grates inde referimus copioſas, ſignificantes, quòd ex hoc nos & fratres omnes *Hoſpitalis*, vobis debitores conſtituiſtis, & habebitis ad quælibet beneplacita perpetuò obligatos. De nobis ſi audire delectat notificantes, quòd per Dei gratiam cum triginta de fratribus noſtris, & aliis religioſis & ſæcularibus multis, Domini Regis *Franciæ* interventu de carcere *Babyloniorum* liberati, decimo ſeptimo dei menſis *Octobris* Civitatem intravimus *Accon*: multitudinem maximam fidelium in Captivitate *Ægypti* relinquendo, quam ſperamus cum Dei auxilio, in

proximo

proximo liberandam. Inter Soldanos *Babyloniorum* & *Halapenſium*, diſcordia magna viget, per quam confidimus, quòd ſi ſuccurſus militiæ de tranſmarinis partibus venerit, conditio *Terræ Sanctæ* proſperabitur, & hoſtium ſuperbia conteretur. Vale.

Atque hic affigebantur ipſæ duæ bullæ ſive ſigilla.

Pag. 702. lin. 3. Summa expenſarum Regis.] *Inter* Additamenta *non apparet.*

Pag. 705. lin. 52. *Injuriæ* Willielmi *de* Valentia.] *Non inveniuntur.*

Pag. 710. lin. 18. & Pag. 712. lin. 41. *Decretalis Papæ* Innocentii, *de privilegio exemptionis.*

VOlentes libertatem quam nonnullis Apoſtolica ſedes privilegium exemptionis indulſit, ſic integrum conſervari, ut & illam alii non infringant, & ipſi ejus limites non excedant, declaratione irrefragabili diffinimus, quòd quantacunque ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti ſive contractus aut rei de qua contra ipſos agitur, ritè poſſunt eorum Ordinario conveniri. Et illi quoad hoc in ſuam in ipſos jurationem, prout jus exigit exercere. Nunquid ergo carent omnino in hiis commodo libertatis? Non utique: quia nec coram Ordinariis ipſis, dum ſit in loco exempto commiſſum delicti, vel contractus initus, aut res litigioſa, nec ubi domicilium habent, ſi alibi delinquant vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt aliquatenus ſuper iſtis domiciliorum prætextu locorum Dioceſanorum. Si ubi deliquerunt vel contraxerint, aut res ipſa conſiſtit, illi conveniantur remittendi, eos illuc vel ipſis, ut illuc reſpondeant injungendi, aliquam habent poteſtatem. Salvis nihilominus caſibus aliis, in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta. Et id ipſum decrevimus circa illos, quibus ut non niſi ſub uno judice teneantur de ſe conquerentibus reſpondere, Apoſtolico privilegio eſt commiſſum in eos, quibus ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, à quoquam valeant, à ſede Apoſtolica eſt indultum. Sicut ſunt religioſi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quiſquam Epiſcopus vel Archiepiſcopus, monaſteriorum ſuorum monachos, pro ulla cauſa quantum ad iſta, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non poſſunt; niſi forſan ipſi monachi ad monaſteriorum ſuorum Prioratus eiſdem ordinariis ſubjectos, ut vel gerant ipſorum regimen, vel in eis tanquam locorum ipſorum proprii monachi reſideant, fuerint deſtinati. Tunc enim, etſi liberè poſſint ad eadem monaſteria revocari, ac tam illarum quam ipſorum Prioratuum monachi recipi, cum non ſit inconveniens aliquem utrobique locum habere monachi, cum unum alteri ſubeſſe monaſterio vel ab alio noſcitur dependere. Ratione tamen eorundum Prioratuum, dicti Ordinarii ſui juriſdictionem in ipſis, quoad præmiſſa quamdiu morantur in illis, licitè uti poſſunt.

Pag. 713. lin. 43. Statuta quæ in provinciali capitulo celebrato Londini.] *Si hæc Statuta eadem ipſa non ſint, quorum mentio eſt ante facta ad paginam* 666. lin. 4. *neſcio quæ aut qualia ſint: neque alia in* libro Additamentorum *invenire potui.*

Pag. 725. lin. 37. Literæ authenticæ pro viſitatione Archiepiſcopi *Cant.*] *Vide quæ inſeruimus ad paginam* 883.

Pag. 726. lin. 33. *Hii rumores de ſtatu* Terræ ſanctæ *ad nos venerunt*, *Anno Domini* 1252. *in feſto Natalis ſancti* Johannis.

VEnerabili ac dilecto ſibi in *Chriſto* fratri *Galtero* de *Sancto Martino*, frater *Joſeph* de *Cancy*, ſanctæ domus *Hoſpitalis Ieroſolymitani*, humilis *Achon* Theſaurarius, ſalutem & proſperos ad vota ſucceſſus. De rumoribus *Terræ ſanctæ* veſtra dilectio non ignoret, quòd illuſtris Rex *Franciæ* qui moram per annum apud *Cæſaream Palæſtinæ* jam explevit, eam faciendo murorum & foſſatorum ambitu circumcingi; quod opus in confectione præſentium, ferè fuerat adimpletum. Nunciis iterum tam ex parte Soldani *Halapiæ*, quàm eorum qui videntur in præſenti habere dominium *Babyloniæ*, poteſtatem ad Dominum Regem prædictum cauſa tractandi ſuper treugarum fœdere, ad invicem confirmando ſæpiùs deſtinatis, tandem dictum Soldanum *Halapiæ*, ad treugam aliquam dictus Rex non admittentem, cum *Babyloniis* in hebdomada Paſchali ultimo præterita, uſque ad quindecim annos firmavit treugas, juramento præſtito corporali, hinc inde; tali forma. *Quod dicti* Babylonii *cum reſiduo Captivorum* Chriſtianorum *ſuperſtitum quos in alia forma treugarum quando Dominum Regem tenebant, ſe ſpoponderunt reddituros, totam terram citra flumen* Jordanis, *à quolibet Sarraceno detentam, Domino Regi reſtituerunt: exceptis videlicet* Gazara, Gibilino, Grandigeri-

no, & Darone; *quæ circa treugam* Babyloniis *remanebant. Fuit inſuper ordinatum, quod niſi* Babylonii *exercitum ſuum haberent apud* Gazaram, *infra menſis Maii medium poſt præſentium datam literarum, ac Rex infra idem tempus exercitum ſuum ad partes* Joppenſes *de* Cæſarea *conduxiſſet, dictæ treugæ confœderatio nulla foret.* Cùm vero Soldanus *Halapiæ* dictorum *Babyloniorum* adverſarius manifeſtus, in confectione præſentium in *Damaſco* moraretur, totam terram detinens occupatam ad quendam locum qui *Caſey* nuncupatur inter *Gazaram* & *Daronem*, contra dictos *Babylonios* duodecim millibus bellatorum, aliis tribus millibus expectatis futuris ac venturis in proximo dictis duodecim millibus adjungendis, licet dictorum *Babyloniorum* totum poſſe ſex vel ſeptem millibus armatorum, quorum partem obtinebant dimittere in partibus *Babyloniæ* pro defenſione dictæ terræ contra *Beddewinos* & alios indigenas minimè numerum excedebant. Nec dicti Regis exercitus tantæ fortitudinis eſt, qui poſſet ipſis *Babyloniis* ſi opus ingrueret ad opportunitatem ſubvenire, cum nondum haberet inter religioſos & ſæculares, computatis centum militibus quos Rex ſperabat ſecum noverit adducere, niſi tantum *DCC.* milites & quater *C. Turcopulos* equites bellatores. Unde nos & alii quamplures eramus in dubio, quod dictis *Babyloniis* non pateret aditus veniendi, & ſic treugæ dictæ nullum robur habuerunt. Inſuper volumus vos non latere, totam terram ciſmarinam à *Chriſtianis* habitatam, præter *Armeniam* gratia treugarum quas Rex ejuſdem terræ iniit cum Soldano *Iconii*, intolerabili ſtatu eſſe; nunc in pejori conditione & ſtatu eſſe, quam unquam viderimus. Nam terra *Antiochiæ*, quorundam perfidorum nomine *Fercomannorum* ſævitia in ea diutius debacchante, eſt penitus devaſtata, unde ipſius Civitatis *Antiochiæ* perditionis periculum, in proximo formidatur, ſuis eam habitatoribus deſerentibus & fugientibus præ timore. De qua ſcelerata gente, decem millium multitudo ad quendam locum quæ *Cæſarea* magna dicitur, jam progreſſa, & ibi cauſa morandi fixis tentoriis ſuis, terram noſtram erecti, ac aliorum verſùs *Tripolim* percurrens, multis caſalibus combuſtis, ac quatuor millibus grandium de noſtris ſecum abductis, & plurium hoſtium ſtrage facta, & multitudinem captivorum ſecum trahens, ad dictum locum *magnæ Cæſareæ* eſt reverſa; moram ibi faciens, donec totam terram deſtruxerint niſi Dominus propitietur. Creditur etiam in auxilium Soldani *Halapiæ*, contra nos profectura. Cujus exhortatione, prædicta omnia ſunt patrata. Datum ſecundo nonas Maii: Hii rumores divulgabantur, in aſſumptione beatæ *Mariæ*.

Pag. 728. lin. 27. *Pro Domino* Willielmo *de* Sancto Edmundo, *Monacho* Sancti Albani.

SAnctiſſimo patri in *Chriſto* & Domino reverendo, *Innocentio* Dei Gratia Sacroſanctæ *Romanæ* Eccleſiæ Pontifici ſummo, devoti filii ſui Abbas & Conventus de *Sancto Albano*, cum omni obedientia & reverentia, devota pedum oſcula beatorum. Ad impetrandum & contradicendum, & in judices conveniendum, & in ſpecialem gratiam à veſtra ſanctitate petendam, & obtinendam, dilectos nobis in *Chriſto* fratrem *Willielmum* de *Sancto Eadmundo* commonachum noſtrum, & Dominum *Willielmum* de *Sancto Edwardo*, clericum, procuratores noſtros conſtituimus. Ratum habituri & gratum, quicquid iidem ſive eorum alter qui pro tempore præſens fuerit, nomine noſtro fecerit ſeu fecerint. Conſervet altiſſimus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora longiora.

Univerſis præſentes literas inſpecturis, Johannes *permiſſione divina Abbas de* Sancto Albano, *& ejuſdem loci humilis conventus*, Lincolnienſis *Diœceſis*; *Salutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, nos feciſſe, conſtituiſſe, & ordinaſſe, noſtros nuncios & procuratores, ad impetrandum & contradicendum, & Judices eligendo in Curia Domini Papæ, & ſpecialem gratiam ab eodem Domino Papa impetrandam, dilectum fratrem noſtrum & commonachum* Willielmum *de* Sancto Eadmundo, *& Dominum* Willielmum *de* Sancto Eadwardo *Clericum.* Damus etiam eis ambobus vel uni eorum, plenam & liberam poteſtatem contrahendi mutuum, pro noſtris & Eccleſiæ noſtræ negotiis, in dicta curia utiliter expediendis, à quibuſcunque voluerint mercatoribus, uſque ad ſummam quinquaginta Marcarum bonorum novorum & legalium ſterlingorum. Ad majorem autem hujus rei ſecuritatem, promittimus & tenemur dictam pecuniam mutuò receptam, reddere, & ſolvere, illis à quibus ipſa fuerit mutuò recepta; cum omnibus pactis & conventionibus ſecundùm quod coveniet inter ipſos. Promittentes nos, ſecundum quod in omnibus & per omnia nomine noſtro & Eccleſiæ noſtræ dicti procuratores noſtri promittent, aut unus eorum promittet. Obligamus etiam nos & renunciamus, & juramus, ſecundùm formam quam ipſi nomine noſtro & Eccleſiæ noſtræ promittent, obligabunt, & renunciabunt, & jurabunt, aut unus eorum promittet, obligabit, & renunciabit, & jurabit, obſervare & adimplere. Ratum & gratum habituri, quicquid ambo vel unus eorum duxerint, ſeu duxerit, in præmiſſis faciendum. In cujus teſtimonium, has literas noſtris ſigillis ſignavimus.

Datum publicè in Capitulo noſtro, menſe *Septembris* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo.

PAG. 729. lin. 62. *Literæ Papales aliquantulum mitigatoriæ ſeu relaxativæ.*

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui monaſterii *Sancti Albani* ordinis ſancti *Benedicti*, ad *Romanam* Eccleſiam nullo medio pertinentis, *Lincolnienſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Editum à nobis de novo ſtatutum, de verbo ad verbum preſentibus fecimus annotari. Cujus tenor talis eſt. *Innocentius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis, earumque Capitulis & Conventibus, ſeu Collegiis, tam exemptis quam non exemptis, ac patronis, clericis, ac laicis, præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſtquam regimini generali Eccleſiæ, nos (licèt immeritos) divina pietas voluit præſidere, cordi ſemper habuimus, quòd honeſtatem & ordinem in omnibus ſervaremus, ac in proviſionibus faciendis haberemus illius providentiæ modum, per quem Eccleſiis & monaſteriis, ſive aliis piis locis, honor & commodum perveniret. Quod autem quandoque contrarium accidiſſe dignoſcitur, tum propter malitiam temporum, tum propter improbitatem nimiam petitorum, ſæpe nobis dolorem intulit, & cordi noſtro ſuſpiria cumulavit. Maximè cum poſt multa diffugia & excogitatæ reſiſtentiæ ſtudium, proviſiones quaſdam prorſus inviti fecimus, quas potuiſſe vitare pro magno & ſolenni gaudio duceremus. Cum itaque dudum fuerimus mente vigiles, ut ſuper hiis adhibere remedium poſſemus opportunum; nos pro quiete mentis noſtræ, ac pro Eccleſiarum, monaſteriorum, & locorum prædictorum ſalute duximus ſtatuendum, quod ſinguli veſtrum canonias, & præbendas, ac beneficia, ſeu perſonatus, & dignitates, cum cura vel ſine cura, redditus & etiam penſiones, ad collationem, aut electionem, ſeu preſentationem veſtram ſpectantia, quæ obtinentur à quibuſcunque oriundis extra regna, in quibus habentur canonicatus & prebendæ, ac alia ſupradicta, ſeu apud ſedem Apoſtolicam maneant, ſeu alibi commorentur; extunc perſonis idoneis Deum habendo præ oculis conferre, vel eas ad illa eligere, ac electas confirmare, ſeu præſentare, & præſentatas admitere, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis abſtaculo, valeatis & extunc perſonæ ipſæ in eiſdem Canoniis, & præbendis, ac beneficiis, ſeu dignitatibus, & perſonatibus, redditibus, & penſionibus, plenum jus & inconcuſſum obtineant. Nec tamen de hiis priuſquam vacent ſe aliquatenus intromittant, ſed ipſo jure quam citiùs vacaverint, aſſequantur; & ipſi intrandi ac retinendi, nullius requiſito conſenſu, liberam habeant facultatem. Ita tamen, quòd illi qui nunc ipſa obtinent, ea quouſque ceſſerint vel deceſſærint, pleno jure pacificè habeant, & quietè ac nullum omnino ſuper hiis prætextu ſtatuti ejuſdem, præjudicium patiantur. Volumus tamen, quod ſi ſub expectatione præbendarum, in Eccleſiis in quibus proviſum fuerit dictis perſonis, priùs aliqui ſint recepti, vel ſi ſuper proviſione ſua in eis literas Apoſtolicas impetrarunt, ſicut in receptione vel impetratione, ſic in præbendarum aſſecutione, perſonis præferantur eiſdem. Si verò aliqua perſonarum ipſarum, cui obtentu ejuſdem ſtatuti proviſum fuerit, vel ei juxta modum inferiùs annotatum contigerit, de veſtra liberali gratia provideri, cedat interim vel decedat, licitum ſit vobis tam citò loco ſui aliam idoneam ſubrogare ac ſucceſſive hoc facere, in cujusvis earundem ceſſione vel obitu perſonarum, ſub divini tamen judicii obteſtatione præcipimus, quòd perſonæ ipſæ contra poſſeſſores dictorum Canonicatuum & beneficiorum, ac præbendarum, ſeu perſonatuum & dignitatum, reddituum, ſeu penſionum, nullas inſidias, aut fraudem vel moleſtias, ſive quodcunque aliud inconveniens machinentur. Aliâs autem ipſo facto cadant ab omni Jure, eis ſuper proviſione hujuſmodi adquiſito, cum dignum ſit, quod ſicut gratia pro virtute tribuitur, ita pœna pro vitio compenſetur. Pro malitiis autem cohibendis, quæ hujuſmodi forſan accaſione ſtatuti oriri poſſent in mentibus perverſorum; volumus quòd ſi alliquem cui ſubrogatio ejuſdem ſtatuti facta fuerit (quod abſit) perimi contigerit, quoquo modo, taliter ſubrogatus poſſeſſionem ſuæ proviſionis non habeat, nec aliquod apprehendat, niſi priùs Apoſtolicas vel Ordinarii & aliquorum religioſorum virorum Deum timentium, patentes literas obtinuerit, quòd de morte ſic occiſi ſuſpectus nullatenus habeatur. Cæterum quia perſonis eiſdem in grave poſſet redundare tædium, quòd vacationem Canonicatuum & prebendarum, ac aliorum prædictorum, per longa tempora expectarent; ad hoc noſtra deſudet intentio ut de Canoniis & præbendis, ac beneficiis, ſeu perſonatibus, & dignitatibus, redditibus, & penſionibus, ad veſtram collationem aut electionem vel preſentationem ſpectantibus, quæ præter hujuſmodi proviſionem veſtram vacant ad præſens, ſeu vacare contigerit, dummodo nulli alii de jure competant, liberaliter ac ſine mora provideatis eiſdem, & poſtquam ipſarum loco alias perſonas idoneas quam citiùs ſubrogetis. Ad hæc ſtatutum prædictum quamvis juri oppoſitum, quod pro cauſa legitima & ſalubri ad nullius requiſitionem vel inſtantiam, proprio motu fecimus, plenam & inviolabilem firmitatem volumus obtinere. Sed tamen ad alias collationes & electiones, ſeu preſentationes, quas à quocunque de cætero fieri contigerit, idem ſtatutum nullatenus extendatur, nec ſanctionibus canonicis propter ipſum, impoſterum aliquod præjudicium generetur. Præterea, nulla privilegia vel indulgentiæ, ſeu literæ apo-

ſtolicæ Sedis, vel Legatorum ejus, ſub quacunque forma verborum de cætero impetranda, obſiſtant præfato ſtatuto, cum jam plenum jus per hujuſmodi collationem, aut electionem, ſeu præſentationem, adquiratur perſonis eiſdem, & illud eis tolli non poſſit abſque divini offenſa nominis, & Sedis Apoſtolicæ injuria manifeſta. Nos enim nihilominus ſi aliquid ſuper hiis contra præfatum ſtatutum contigerit attemptari, non ſolùm irritum ac inane decernimus, ſed omnes qui contravenire præſumpſerint, divinæ maledictioni ac noſtræ volumus ſubjacere. Licitumque ſit vobis univerſis & ſingulis, tanquam noſtris in hac parte miniſtris, noſtras ſeu legatorum noſtrorum lacerare literas, ſi quæ ſtatuto ipſi contrariæ, vobis aut alicui veſtrum fuerint præſentatæ. Canonicatuum inſuper & præbendarum, ac beneficiorum, & aliorum prædictorum, poſſeſſio (ſicut prædictum eſt) nihilominus intretur, ac retineatur liberè : non obſtantibus literis memoratis. Sæpe dictum verò ſtatutum, ad Pontificatus & Abbatias, ac alias regulares, extendi volumus dignitates. Vos itaque filii Abbas & Conventus ſtatutum ipſum prout expedire videritis, authoritate noſtra diligenter & fideliter exequi ſtudeatis : datum *Laterani*, tertio nonarum Novembris. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

PAG. 738. lin. 14. vide & PAG. 760. lin. 9. *De majoribus procurationibus, quod non excedant ſummam quatuor marcarum.*

INnocentius quartus &c. Ad memoriam & obſervantiam perpetuam, contra gravamina quæ in procurationibus ratione viſitationis debitis inferuntur ſubditis à Prælatis, providerunt ſalubriter canonica inſtituta circa evectionum & perſonarum multitudinem, epularum immoderantiam, aliaſque ſuperfluitates : ſtatuendo modeſtiam debitam obſervari, ut nec in exigendo numerum excederent Prælati, nec in exhibendo ſuperfluè ſubditi gravarentur. Verùm quia nonnullæ adhuc de hujuſmodi procurationibus querimoniæ audiantur, Nos volentes Paſtorali ſollicitudine providere taliter in hac parte, quòd tollatur omnis occaſio gravandi, & ceſſet prorſus materia injuriandi ; Apoſtolica authoritate ſtatuimus, ut Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, aliiſque Prælatis perſonaliter viſitantibus, ab Eccleſiis & locis viſitatis exhibeantur procurationes in victualibus, & aliis neceſſariis moderatè. Ita quòd hæc ſecundùm communem veſtram æſtimationem, ſingulorum locorum vel ſumptuum qui ſuper hiis fient, ſummam vel valentiam quatuor marcarum argenti, in nulla procuratione tranſcendant. Proviſo tamen, quod ſecundùm majorem vel minorem evectionem, vel perſonarum numerum pro majoritate vel minoritate Prælatorum in *Lateranenſi* Concilio taxatorum, fiant uſque ad ſummam ipſam, vel infra, hujuſmodi procurationum expenſæ. Sed in locis in quibus major fertilitas vel copia rerum habentur, & ubi minores ſunt redditus, & Eccleſiaſticæ facultates minus ſecundùm ampliorem neceſſariorum ubertatem, & parvitatem proventuum, in ipſis procurationibus expendatur. Si autem in hujuſmodi procurationibus amplius fuerit expenſum, Prælati eas recipientes reſtituere in utilitatem Eccleſiarum à quibus ipſi receperint ; & illi qui eas exhibuerint, & erogare de ſuo proprio pauperibus in duplum eis quod taliter ultra expenſum extiterit compellantur. Et aliâ pœnâ nihilominus puniantur, ſi viſum fuerit expedire, cæteris nihilominus quæ pro talibus viſitationibus, ſeu exactionibus, generaliter ſtatuta eſſe noſcuntur, manentibus ſemper ſalvis. Nulli ergo omnino hominum, &c.

PAG. 740. lin. 21. *Literæ de injuria illata Archiepiſcopo* Cantuarienſi, & *Magiſtro* Euſtachio de Len *Officiali ejus apud* Lambeth.

HUmani generis inimicus modernis non ceſſat temporibus ſubtiliter indagare modos, quibus in Dei Eccleſiam ſeminet zizaniam ; ut ea pululante, in ipſius denſitate pacis tranquillitas & virtutum ſuavitas, in agro Domini ſuffocentur. Cujus tortuoſæ calliditati eſt remedio celeri obviandum : ut ſic principiis occurratur, morbo ne in immenſum augmentato, ſerò medicina paretur. Ut igitur per noſtram prudentiam error corrigatur, & exceſſus emendetur ; fraternitati veſtræ dolentes referimus, quæ in ignominiam *Jeſu Chriſti*, in vituperium Eccleſiæ Dei, in ſcandalum cleri, necnon & pacis regni fracturam, temera crudelitate ſunt atrociùs perpetrata. Quidam filii *Belial* ſuæ ſalutis immemores, famæ prodigi, malignitatis cupidi, videlicet *Philippus de Foreſta* Seneſcallus domus electi *Wintonienſis*, *Guido Peverel*, *Walterus de Rale*, *Gulielmus de St Earmund*, *Oliverus* de familia Domini *Galfridi de Lizinum*, *Gulielmus de Sancto Leodegario*, *Robertus Agoillun* milities. Prior de *Lizinni*, cum Monacho ſuo, *Martinus* baliſtarius, & frater ejus *Johannes Picard*, *Gulielmus Gaucer*, *Stephanus de Croinden*, præfati electi Clerici, *Gulielmus* Clericus, ballivus ipſius electi ; Et alii quamplures quorum nomina ignoramus, die Dominica poſt Feſtum omnium Sanctorum proximo præteritum, . de die ante horam prandii ad manerium noſtrum de *Lambeth*, juxta *Londoniam*, cum equis & armis in furoris ſpiritu acceſſerunt ; nobis agentibus in partibus tranſmarinis ;

de Neu wc.

rinis; & oſtia domorum & capellæ frangentes ibidem in magiſtrum *Euſtachium de Len* Officialem noſtrum, qui noſtram perſonam repræſentat, ac in presbyterum noſtrum qui in Capella beatorum *Stephani* & *Thomæ* Martyrum deſerviebat; Inſuper in quoſdam homines noſtros, qui in dicti loci Eccleſia parochiali, ſe receperant, Atque in res ſacras & alias quæ in prædicta Eccleſia & dicti manerii cameris exiſtebant, manus ſacrilegas extenderunt, & dictum officialem ceperunt, & alios qui erant in Eccleſia, à cornu Altaris ad quod confugerant, violenter extrahentes, ipſum officialem in Dei contumeliam, clericalis ordinis ignominiam, & noſtri ac Eccleſiæ noſtræ, & in totius *Angliæ* dedecus & contemptum, ſine capa in equo demiſſis de collo habenis, & inſidenti non permiſſis, Presbyterum verò peditem per lutum, & alios captos pulſando, & verberando, ad domum *Wintonienſis* electi in *Suwere*, in conſpectu populi turpiter abduxerunt; captos detinentes ibidem. Poſtmodum verò ipſum Officialem & laicos captos in Eccleſia, die & nocte ad loca remota prope *Fernham*, ad unum miliare in diſtrictu dicti Electi inde viliter & violenter captivatos tranſtulere: quoad ſibi placuit detinentes eoſdem, & res ipſorum & noſtras, apud *Lambeth* raptas, exinde aſportantes. Cum igitur tot & tanta enormia, necnon & plura alia non ſolùm contra nos, & Eccleſiam *Cantuarienſem*; verumetiam contra univerſalem Eccleſiam, & Clerum *Cantuarienſis* provinciæ, evidenter appareant perpetrata: Nos attendentes dictos malefactores, propter injectionem manuum in clericos violentam, in Canonem latæ ſententiæ incidiſſe; Et quia libertates & immunitates Eccleſiæ violarunt, incuriſſe excommunicationis ſententiam, in Concilio *Oxoniæ* contra malefactores hujuſmodi promulgatam. Inſuper quia ſacrilegia in hiis multipliciter commiſerunt, ac pacem Domini Regis ac regni vi & armis timore Dei poſtpoſito, & abjectâ principis reverentiâ, auſu temerario infregerunt: ipſos & omnes illos qui eis in dicto maleficio aſteterunt, necnon & qui opem, auctoritatem, & conſilium, & aſſenſum præbuerunt; auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus Sancti & Beatæ Dei genetricis *Mariæ*, Beati *Thomæ* Martyris, Sancti *Edmundi* Confeſſoris, & omnium Sanctorum, excommunicatos denunciamus: vobis mandantes in virtute obedientiæ qua tenemini Eccleſiæ *Cantuarienſi*, firmiter injungentes; quatenus præfatos malefactores in veſtra Cathedrali Eccleſia ſolemniter ac publicè excommunicatos denuncietis, ac per veſtram Diœceſim excommunicatos denunciari, publicè faciatis: pulſatis campanis, candelis accenſis, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, & tanquam excommunicatos ab omnibus arctius evitari. Cæterum, quia vicini res agitur *paries cum proximus inflammatur*, & meritò timeatur, quòd ſi hæc impune fiant *in viridi*, hiis deteriora perpetrentur *in arido*, cum impunitas delicti incentivum pariat delinquendi; fraternitatem veſtram de qua plenam in Domino gerimus fiduciam, rogamus, quatenus adversùs malignantes pro domo Domini, nobiſcum viriliter aſſurgentes, nobis conſulatis, & per literas veſtras certificetis, qualiter in hoc negotio ulteriùs fuerit procedendum. Datum apud *Croindenam* in craſtino ſanctæ *Catharinæ*. Anno Domini 1252. Ab hac denunciatione tamen excipimus Dominum Regem, Dominam reginam, & liberos eorundem, dominum *Richardum* Comitem *Cornubiæ*, & dominam Comitiſſam uxorem ejus. ¶. Has quidem literas miſſas ab Archiepiſcopo, tranſmittit Epiſcopus *Elienſis* ſuo Archidiacono.

PAG. 743. lin. 60. *De procurationibus Eccleſiarum parochialium.*

W. Dei gratia *Norwicenſis* Epiſcopus, dilecto filio Decano de *Hengam*, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Mandatum venerabilium Patrum *R. Lincolnienſis*, *F. Londonienſis* & *W. Wellenſis* & *Bathonienſis* Epiſcoporum recepimus, quod vobis tranſmittimus inſpiciendum, & tranſcribendum. Eadem authoritate vobis & omnibus ſubditis veſtris, in virtute obedientiæ & ſub pœna Canonicæ diſtrictionis mandantes & præcipientes, quòd cum Archidiaconi vel alii ad quos officium viſitationis pertinere dignoſcitur, perſonaliter ad vos cauſa viſitandi acceſſerint; ipſos cum numero equitaturarum in Conſtitutione *Lateranenſi* proviſo, honeſtè recipiatis, & victualia uſque ad ſummam ſeptem ſolidorum & ſex denariorum, ſecundùm communem æſtimationem vel ipſam numeratam pecuniam, prout maluerint miniſtretis eiſdem, pro certo ſcituri, quòd ſi plus in pecuniâ vel victualibus perſolveritis ſive ipſi plus receperint, ſeu ipſis non viſitantibus quid nomine viſitationis præſtiteritis, nos tam ſolventes quàm recipientes, per nos vel per ipſos Conſervatores antedictos, ſecundum formam Conſtitutionis antedictæ, puniemus. In Eccleſiis autem minoribus, ubi propter bonorum inſufficientiam, minorem quantitatem percipere conſueverunt; percipiant ut ſolebant: donec cum ipſis communiter aliter ordinaverimus. Nos autem cum in locis quæ favente domino in poſterum viſitabimus, in victualibus uſque ad ſummam triginta & unius ſolidorum & decem denariorum, ſecundum communem æſtimationem, vel ipſa pecunia & minori ſecundum loci facultates, volumus eſſe contenti. Datum *Londoniæ* quarto nonarum Februarii, Pontificatus noſtri anno octavo.

PAG. 745. lin. 16. Mercata conceſſa Eccleſiæ de *Wautham*] *Non inveniuntur.*

PAG. 747. lin. 46. Articuli Nigri Ordinis] *Non inveniuntur.*

PAG. 748. lin. 3. Strages in Flandria] *Nec hanc invenimus.*

PAG. 756. lin. 50. *Impetratio Abbatis & Conventus Eccleſiæ Sancti* Auguſtini Cantuariæ, *contra impetus Archiepiſcopi* Bonifacii.

Nota inconſtantiam Papæ, avaritia ſtimulante.

INnocentius, &c. De *Bello* & de *Waltham* Abbatibus, *Ciceſtrenſis* & *Londinenſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Olim ad noſtram perlato audientiam, quòd Abbates, Priores & Monachi Ordinis Sancti *Benedicti Cantuarienſis* Provinciæ, ſtatuta pro reformatione ipſius Ordinis à felicis recordationis *Gregorio* Papa prædeceſſore noſtro edita, non ſervabant, venerabili fratri noſtro *Cantuarienſi* Archiepiſcopo ejuſque ſuffraganeis, per noſtras ſub certa forma literas dedimus in præceptis; ut inquiſita ſuper hoc diligentius veritate, ſtatuta ipſa facerent ab univerſis perſonis ejuſdem Ordinis, Civitatum & diœceſum ſuarum, tam exemptis quàm non exemptis, exacta diligentia obſervari. Nos igitur dilectorum filiorum Abbatis & Conventus monaſterii S. *Auguſtini Cantuariæ*, dicti Ordinis precibus inclinati, præſentium vobis authoritate mandamus, quatenus ſi quas excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias, idem Archiepiſcopus in eundem Abbatem vel perſonas alias ejuſdem Monaſterii, ipſumque Monaſterium, literarum autoritate hujuſmodi per ſe vel alium promulgaverit; vos ipſas vice noſtra ſine difficultate aliqua relaxantes, non permittatis eoſdem literarum vel ſententiarum ipſarum prætextu, ab aliquibus moleſtari: Moleſtatores hujuſmodi per cenſuras Eccleſiæ Apoſtolicæ appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtante ſi aliqui ex indulto Apoſtolico excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, non poſſint per literas Apoſtolicas, abſque noſtro ſpeciali mandato faciente plenam & expreſſam de verbo ad verbum de indulto mentionem. Quod ſi non omnes, *&c.* Datum *Aſſiſii*, ſexto Idus *Septembris*, Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Nota Lector quòd aliis literis Papalibus inter Additamenta etiam inventis, ad hunc locum duximus inſerendas: quia ad ipſiſſimum hoc propoſitum facere videbantur. Ipſæ literæ ſic ſequuntur.

Quomodo Monachi Sancti Auguſtini Cantuariæ, *liberati ſunt ab oppreſſione Archiepiſcopi in hac parte.*

INnocentius, &c. Archiepiſcopo *Cantuarienſi* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licèt Monaſterium *Sancti Auguſtini Cantuariæ* Ordinis Sancti *Benedicti*, ex eo favorabiliter proſequi debeamus, quòd ad *Romanam* Eccleſiam nullo pertinet mediante: illud tamen ſpecialiori amplectimur in Domino charitate; quòd inter alia ejuſdem Ordinis Monaſteria, & regularis obſervantia & hoſpitalitatis bonum (prout accepimus) præcipuè locum obtinet in eodem. Sanè olim ſub certa forma per noſtras tibi literas dedimus in præceptis, ut ſtatuta pro reformatione dicti Ordinis, à felicis recordationis *Gregorio* Papa prædeceſſore noſtro edita; faceres ab univerſis perſonis ejuſdem Ordinis tuæ Civitatis & Dioceſis, exacta diligentia obſervari. Quarum literarum autoritate, ſuper hoc præceptum Apoſtolicum exequens, diligenter in præfato Monaſterio ut dicitur proceſſiſti. Cùm igitur de ipſius Monaſterii perſonarum, religione ac vita bonam habentes opinionem fide dignorum teſtimoniis informatam, ſententias (ſi quas ab hoc in perſonas ſæpe dicti Monaſterii promulgaſti) relaxari mandamus: fraternitatem tuam rogandam duximus & hortandam, per Apoſtolica ſcripta tibi mandantes, quatenus Prædictarum literarum occaſione ipſius perſonas monaſterii ulteriùs non moleſtes; ſed habens ipſas cum eodem Monaſterio pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia in ſuis juribus propenſiùs commendatas, adverſus aliorum moleſtias eiſdem (quantum in te fuerit) favorabilem & benignum te impendens, ita quòd tua devotio exinde meritò debeat commendari. Datum *Aſſiſii* decimo ſexto Calendas *Octobris* Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Pag. 759.

Pag. 759. lin. 10. *Nota Lector, quòd literas ipſas inter* Additamenta *invenimus: quibus tamen nullum* Citharæ ſignum *erat appictum. Literæ autem ſic ſe habent.*

DOmino Regi *Angliæ*, &c. Regina & *Richardus* Comes *Cornubiæ*, ſalutem. Recepimus literas veſtras ad Natale Domini proximè præteritum, quòd in craſtino Sancti *Hillarii* convocaremus Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Comites, & Barones regni *Angliæ*: ad oſtendendum eis ſtatum veſtrum, & adventum Regis *Caſtellæ* in *Vaſconiam* contra vos. Et quia brevitas temporis non patiebatur quòd dicti magnates ad dictum diem poſſent convenire, vocavimus eoſdem apud *Weſtmonaſterium* in quindena dicti feſti Sancti *Hillarii*. Quibus congregatis, & expoſitis eis adventu dicti Regis & ſtatu veſtro; reſponſum recepimus: quòd Comites & Barones erunt *Londoniæ* à die Paſchæ proximo futuri in tres ſeptimanas, parati indilatè tendere verſus *Porteſmuam* aſcenſuri naves ad veniendum potenter in ſuccurſum veſtrum, contra dictum Regem *Caſtellæ*; ſi dictus Rex *Caſtellæ*, contra vos in *Vaſconiam* ſit venturus. Et hoc promiſerunt Comes *Gloverniæ*, & omnes alii *Nota.* magnates. Præterea Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, Electus *Wintonienſis*, *Londonienſis*, & *Wigornenſis* Epiſcopi, promiſerunt ſe perſonaliter ad vos acceſſuros in manu forti. Et alii Epiſcopi & Abbates *Angliæ* tunc præſentes, promiſerunt quòd efforcialiter vobis ſubvenirent de pecunia ſua, contra dictum Regem *Caſtellæ*; ſummam tamen tunc exprimere nolue- *Nota.* runt: ſed quilibet habebit ſummam quam daturus eſt, *Londoniæ*, in termino prænotato, hoc eſt, à die Paſchæ in tres ſeptimanas, ſicut conſtanter aſſeruerunt: ſi ita ſit quòd dictus Rex *Caſtellæ*, contra vos in *Vaſconia* ſit venturus. Sed de Clericis ſuis nullam vobis voluerunt facere conceſſionem, propter decimam colligendam ad opus veſtrum in ſubſidium *Terræ Sanctæ*, in proximum. Nos verò cum Regina veſtra, ad vos veniemus juxta mandatum veſtrum: & *Edwardus* filius veſter, & *Beatrix* filia veſtra, & ego Frater veſter *Richardus* Comes *Cornubiæ* vobis non deficiam; ſed ad vos veniam cum poteſtate, ad veſtrum profectum & honorem meum: ita quòd vos & hæredes veſtri, mihi ſcietis grates Deo dante imperpetuum; ſi dictus Rex *Caſtellæ* contra vos in *Vaſconia* ſit venturus, ſicut mihi mandaſtis. Et per Conſilium Dominæ Reginæ & aliorum benevolorum veſtrorum, dimittam regnum *Nota.* veſtrum *Angliæ* in bonis manibus & fidelibus, Deo dante, ad veſtrum commodum & honorem. Et ſi vobis placeat & bonum videatur, quòd Domina Regina veniat in communi paſſagio magnatum & Baronum veſtrorum *Angliæ*, hoc ei tempeſtivè ſignificetis ſi placet: ut ſic ad vos cum *Edwardo* filio veſtro, & *Beatrice* filia veſtra, ſecurius & decentius venire valeat. Volunt autem præfati Prelati & magnates, ante paſſagium ſuum & auxilium dandum habere literas veſtras patentes ſibi de *Vaſconia* mittendas: quod ex præſenti ſubventione vobis perſolvenda, & in rebus facienda, non fiat in poſterum ipſis ſucceſſoribus ſeu hæredibus ſuis præjudicium, tempore veſtro vel hæredum veſtrorum.

Pag. 760. lin. 9.

INnocentius quartus omnibus Prælatis in Regno *Franciæ*, *Angliæ*, *Scotiæ*, *Walliæ*, *Hiſpaniæ* & *Hungariæ*, conſtitutis ſuper ſpecula & infra. Dolentes recolimus, qualiter quondam pia ac ſancta Clericorum plantatio ſuæ primæ honeſtatis oblita, à ſummo ſanctitatis culmine ad ima deſcendit vitiorum. Crebris quippe relatis aures noſtras abhorrenda fama circumſtrepit & inculcat aſſiduè, quòd relictis quinimmò procul & abjectis Philoſophicis diſciplinis, (ut ad præſens de divina ſcientia taceamus) tota Clericorum multitudo ad audiendas ſæculares leges concurrit: Et quòd magis eſt divini animadverſione dignum judicii, nunc in plæriſque mundi climatibus ad Eccleſiaſticas dignitates honores vel præbendas nullus aſſumitur à Prælatis, niſi qui vel ſæcularis ſcientiæ profeſſor vel advocatus exiſtat, cum tales à talibus, niſi alia ſuffragarentur, eiſdem eſſent potiùs repellendi. Maximè, cum Philoſophiæ alumni, in ejuſdem gremio tam tenerrimè educati, tam diligentiſſimè imbuti, tam excellentiſſimè prompti & edocti, præ victus & veſtitus penuria conſpectum hominum cogantur fugere; hic & illuc tanquam noctuæ latitantes, & advocati noſtri, immò diaboli, equis phaleratis purpurati inſidentes, in fulgore auri, in candore argenti, in nitore gemmarum, in oloſericis, ſtupentem reverberantes ſolem, ſe non Crucifixi Vicarios ſed hæredes *Luciferi* prætendentes: quocunque ingrediantur de ſe ſpectaculum facientes; laicorum indignationem & odium contra ſe, immò quod magis eſt dolendum contra totam Dei Eccleſiam provocant, & incurrunt. Dicunt enim laici, *Ecce homines qui non poſuerunt Dominum adjutorem ſuum, ſed multitudine divitiarum ſuarum gloriantur*, quòd animorum elationes & geſtus incompoſiti ſatis comprobant & oſtendunt. Videtur ſiquidem adimpletum, quod pagani præſagio oculi fuerat figuratum.

Omnia naturæ præpoſtera legibus ibunt.

Non ſic habenda fides. Nec mirum. Servit enim *Sara*, & *Agar* imperat. Affliguntur liberi, & ſervi obtinent principatum. Volentes igitur, tantæ inſolentiæ morbo neceſſariam adhibere medelam, ut pleniùs & perfectiùs Theologiæ ſtudio inſiſtatur, quæ directæ iter oſtendit ſalutis, vel ſaltem Philoſophicis diſciplinis, quæ etſi pietate careant, tamen dirigunt ad ſciendum, & cupiditatis reddunt extorrem; quæ & *omnium malorum radix*, & *idolorum ſervitus* perhibetur. Hac irrefragabili Conſtitutione ſtatuimus, ut nullus de cæterò ſæcularium legum profeſſor ſeu advocatus, quatenuſcunque in legum facultate ſingularis gaudeat præeminentiæ privilegio ſpeciali; ad Eccleſiaſticas dignitates, perſonatus, præbendas, ſeu etiam minora beneficia aſſumatur: niſi in aliis liberalibus diſciplinis ſit expertus, & vita & moribus commendatus exiſtat. Cùm per tales & Eccleſiæ deturpetur honeſtas, & ſanctitas exulet: & faſtus & cupiditas ita regnent, quòd in cunctis ſui lateribus gravem dolorem ſentiat mater Eccleſia, admirandis ulceribus ſauciata. Si qui verò Prælatorum, contra hoc ſtatutum ſalubre, præſumptione damnabili aliquid attemptaverint; factum ſuum noverint ipſo jure & ſe illa vice, poteſtate conferendi privatos. Et ſi præſumptionem iteraverint, pœnam divortii à prælaturis ſuis poterunt formidare. Præterea, cùm in *Franciæ*, *Angliæ*, *Scotiæ*, *Walliæ*, *Hiſpaniæ*, & *Hungariæ* regnis, Cauſæ Laicorum non Imperatoriis legibus ſed Laicorum conſuetudinibus decidantur; & cùm Eccleſiaſticæ Sanctorum Patrum Conſtitutionibus valeant terminari, & tam Canones quàm Conſuetudines plùs confundantur. Legibus quàm juventur (præcipuè propter nequitiam) fratrum noſtrorum & aliorum religioſorum conſilio & rogatu ſtatuimus, quòd in prædictis Regnis, leges ſæculares de cætero non legantur: ſi tamen hoc de regum & principum proceſſerit voluntate: primo tamen ſtatuto ſemper & irrefragabiliter in ſuo ordine duraturo. Datum Romæ.

Pag 760. lin. 11. Ad memoriam & obſervantiam.] *Vide retro quæ notavimus, ad paginam* 738 lin. 14.

Pag. 760. lin. 12. *De ordinationibus dignitatum, à Papa conceſſarum.*

I*Nnocentius* quartus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Venerabilibus Fratribus univerſis, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis; ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Prælatis; necnon Capitulis, Conventibus, & Collegiis Eccleſiarum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Et qualitas temporis, quod diebus, iſtis potiſſimum fuit ob eorum malitiam modis variis redimendum; & nonnullorum inſtantia importuna extorſit, quòd de Archiepiſcopatibus, vel Epiſcopatibus, ſeu Abbatiis & Prioratibus, mandavimus per noſtras literas in diverſis partibus provideri: ſed ſanius reputantes provideri Eccleſiis, (præſertim cum de ipſarum regimine agatur) quam perſonis: providendi & ordinandi canonicè, de præmiſſis omnibus liberam illis ad quos prædictorum electio ordinatio ſeu collatio ſive proviſio pertinet, concedimus authoritate præſentium poteſtatem: non obſtantibus quibuſlibet literis generalibus vel ſpecialibus, ſub quacunque forma veroprum, ſuper quorumcunque promotionibus vel proviſionibus, impetratis à Sede Apoſtolica vel Legatis ipſius, aut etiam impetrandis: ſeu reſervationibus, vel prohibitionibus, aut nominationibus, earundem literarum autoritate factis vel faciendis; aut proceſſibus per eas habitis vel habendis in poſterum. Quæ omnia, volumus viribus carere: nos enim quicquid hujuſmodi conceſſionis noſtræ tenorem & libertatem juris, ſeu poteſtatis noſtræ, in hac parte à quoquam, hujuſmodi literarum occaſione factum eſt, vel fuerit, vel præuſurpatum; decernimus irritum & inane. Interdicti ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias, (ſi quæ literarum noſtrarum prætextu latæ ſunt hactenus) relaxantes; & quas deinceps promulgari contigerit, cenſentes penitus nullas eſſe. Inhibitionibus per nos & Legatos noſtros, ſuper non eligendis prælatis in Eccleſiis Civitatum & Dioceſum Eccleſiæ *Romanæ* rebellium (cùm eas vacare contigerit) generaliter factis; nihilominus in ſuo robore duraturis. Datum *Peruſii*, decimo Calendas Junii: Pontificatus noſtri anno nono. *Hæ literæ publicatæ fuerunt eodem anno, infra octavas decollationis Sancti Johannis.*

PAG. 764. lin. 25.

VIcecomes *Hertfordiæ*, reddit computum de centum & una libra, de villa *Sancti Albani* & libertate Abbatis: quia contempſit venire ad Inquiſitionem; & de dimidia marca de *Reginaldo* de *Londonia* aurifabro, apud *Sanctum Albanum*, quia cambuit: & de dimidiâ marca de *Nicholao Speciario*, *de Sancto Albano*, pro eodem: & de dimidia marca de *Willielmo de Sandrnge* pro eodem; & de dimidia marca de *Gulielmo de Weſtwike* pro eodem; & de dimidia

dimidia marca de *Alexandro Stoyle* pro eodem. Summa, Centum & una libra & tredecim ſolidi, & quatuor denarii. In theſauro nil. Et Abbati *Sancti Albani* centum & una libra, & tredecim ſolidi, & quatuor denarii; per breve Regis: in quo continetur, quòd ex inſpectione chartarum prædeceſſorum ſuorum regum *Angliæ*, quas idem Abbas habet; & in quibus continetur, quòd homines ipſius Abbatis venire non debent extra libertatem ipſius Abbatis, pro aliqua ſummonitione vel occaſione, coram aliquibus Juſtitiariis vel Inquiſitoribus: remiſit eidem Abbati centum & unam libram; ad quas, villa & libertas *Sancti Albani* amerciatæ fuerunt; eò quòd non venerunt coram *Henrico de la Mare*, & *Gulielmo de Wintona*, apud *Ceſtrebunte*; ad faciendum Inquiſitionem de tranſgreſſione Cambii. Et etiam duas marcas & dimidiam, ad quas quidam homines ipſius amerciati fuerunt, pro eodem. Et quietus eſt.

Hæc irrotulatio poterit inveniri ad Scaccarium *in* Eſſex *in magno Rotulo triceſimo octavo regni Regis* Henrici *tertii*, *Filii Regis* Johannis: *exiſtentibus in eodem anno vicecomitibus*, Henrico de Helewottune *de primo dimidio*, *Anno*, & Radulfo de Arderne, *de ultimo dimidio Anno*.

PAG. 764. lin. 56. *Charta de Weſtmonaſterio.*

HENRICUS Dei gratia, &c. Omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem. Cùm bona Abbatis *Weſtmonaſterii* & ejuſdem loci Prioris, & Conventus, diſcreta ſint ab invicem & ſeparata; volentes indemnitati & tranquillitati eorundem Prioris & Conventus providere; concedimus eis pro nobis & hæredibus noſtris, quòd quotieſcunque prædictam Abbatiam vacare contigerit, per ceſſionem vel deceſſum Abbatum ſuorum, habeant ipſi Prior & Conventus liberam adminiſtrationem de bonis ſuis ſeparatis. Salvo nobis & hæredibus noſtris tempore vacationis prædictæ, cuſtodia de bonis ad prædictos Abbates pertinentibus. In cujus rei teſtimonium, &c. Teſte meipſo apud *Sanctum Edmundum*, 6. die Septembris: Anno regni noſtri xxxvi.

PAG. 765. lin. 43. & pag. 768. lin. 39. *Reſponſio* Conradi *Regis* Siciliæ, *accuſati ad Papem.*

SIc Reſpondit procurator Domini *Conradi*, in præſentia Domini Papæ & fratrum ſuorum, Senatoris & Concilii; ad articulos datos contra ipſum, cùm eſſet ad hoc ſpecialiter vocatus. Hæc omnia proponunt citra formam judicii, cum nunquam fuerit Dominus Rex citatus: ſed tanquam zelator famæ ſuæ, ad ſolum rumorem miſerit pro ſua innocentia oſtendenda.

§. Primum. Quod regno *Siciliæ* interdicto ſuppoſito, & Rege Anathematis vinculo innodato, facit ſibi celebrari divina; & regni ipſius clericos ad celebrandum coercet, claves Eccleſiæ contemnendo. Quod cum non careat ſcrupulo hæreticæ pravitatis, de hæreſi & hæreſis ſuſpitione, intendit inquirere contra ipſum.

§. Reſponſio ad hoc; quod Dominus Rex in contemptu clavium, nunquam ſibi vel aliis celebrari divina mandavit, vel immiſcuit ſe divinis: ſed cum ipſum in nullo conſcientia remorderet nec remordeat, quod contra Sanctam Catholicam & Apoſtolicam *Romanam* Eccleſiam Matrem ſuam, cogitaſſet aliquid vel egiſſet: poſito quòd aliquando divinis interfuit (quod non fatetur in contemptu clavium ſuæ fidei ut falſò ſibi impingitur, ſed ob fervorem amoris fidei Chriſtianæ) omni devotione, reverentia, & honore, ut verus *Chriſtianus* & princeps Catholicus, poterat intereſſe. Pro cujus fidei orthodoxæ irrefragabili veritate & charitate, cum neceſſe fuerit, paratus eſt exponere ſe & ſua. Addit etiam, quod eo in *Germania* exiſtente, & poſtquam venit in regnum, per Nuncios aut per literas de excommunicatione quæ lata proponitur contra eum, monitio, denunciatio, aut citatio non pervenit ad eum. Nec obſtat ei, quod dicitur fuiſſe Anathematis vinculo innodatus; cùm ante excommunicationem aliquam (ſi qua contra proceſſit, quam ignorat) idem Dominus Rex Dei timore accenſus, dubitans, ne ad inſtantiam & falſam ſuggeſtionem proditorum & æmulorum ſuorum, & etiam patris ſui, qui ad ſummum Pontificem ſe contulerat poſt detectam proditionem & conjurationem, quam in necem contrectaverant patris ſui, & falſa contra ipſum Dominum Regem quotidiè confingere, non ceſſabant, coram ſuis proceribus tam in *Germania* quàm in regno, à quocunque gravamine legitimè appellaverit, & appellatione ipſa per ſuos ſolennes nuncios fecit ſolenniter publicari: ſicut opportuno tempore probare poterit, per legitima documenta. Unde poſt appellationem ſuam legitimam ſi proceſſum fuit, proceſſum fuit indebitè contra ipſum: nec credit ſe in aliquo ligari.

§. Ad id autem quod ſibi impingitur, videlicet quod regno interdicto (quod Dominus non fatetur) compulerit clericos celebrare divina, taliter reſpondetur; quod eo veniente in

in regnum, invenit Clericos celebrantes; & prout ipſos invenit, ſic eos celebrare permiſit. nullam alicui propter hoc correptionem vel violentiam inferendo. Poſito tamen, quod ſuper hoc aliquæ literæ contrariæ apparerent; dicit eas de ſua conſcientia minimè emanaſſe: ſicut apparet evidenter per literas miſſas Juſticiariis & Officialibus regni omnibus, quàm cito id ex fabuloſo colloquio ad ejus pervenit notitiam. Quod idem probare vult tam per ipſas literas, quàm per legitima documenta: ut nullus eorum aliquem Clericum compelleret celebrare divina, contra voluntatem ſuam.

§. Ad aliud Capitulum quod opponitur ſubſequenter, quod in terris *Lombardiæ* adhærentibus & faventibus ſibi, publicè hæreſis prædicatur: Reſpondetur ſic. Quòd ſemper perſecutus eſt Dominus Rex hæreticos quarumlibet Sectarum in *Alemannia*, quamdiu moratus eſt ibi, & poſtquam venit in regnum: & paratus eos perſequi tam in *Lombardia* quàm alibi, tanquam princeps Catholicus & *Chriſtianiſſimus*; Dolens quamplurimùm quòd non poteſt eos perſequi cum effectu in partibus *Lombardiæ*: ſed ut conſtat publicè toti mundo, *Mediolani*, *Briſſæ* & *Mantuæ*, prædicatur publicè hæreſis; quia ſalva reverentia Præſidentis, dicuntur Eccleſiæ filii ſpeciales.

§. Ad aliud capitulum, quod dicunt quia favet *Eoſt.* de *Roman.* quem Dominus Papa pro hæretico reputat ſicut ponit, Reſpondetur ſic. Quod ſemper Dominus hæreticos, nec unquam novit eum hæreticum eſſe, nec fuit; nec favet ei tanquam hæreticus.

§. Ad aliud vero, quod nequiſſimè & falſiſſimè ponitur, quod ſanguinis fœdere violato toxicari fecit *Fredericum* nepotem ſuum, licèt non videretur neceſſarium reſpondere ad tam manifeſtiſſimam & apertiſſimam falſitatem: tamen ne ſimplices & vulgus quod de facili credere conſuevit, aliud crederet quam deberet; Dicit Dominus Rex, quicquid ſuper hoc per quemcunque ſibi opponitur, penitus eſſe falſum, ritè probabit.

§. Ad aliud Capitulum conſimilis falſitatis, quod contra naturale amoris vinculum *Henricum* fratrem ſuum detinet captivatum; Dominus Rex reſpondet: quod nunquam dictum fratrem ſuum tenuit captivatum; imo tractavit eum honorificè, & dilexit ut fratrem, & ſi hodiè viveret, faceret illud idem. Sed Dominus, in cujus manu ſunt omnium poteſtates & omnium corda regum, prout ſibi placuit, de hujus mundi ergaſtulo ipſum ad æternam patriam revocavit. In cujus obitu, partem ſui corporis reputat diminutam.

§. Super eo vero, quod in ipſorum capitulorum ſerie ſubſequenter adjungitur, quod bona Eccleſiarum vacantium & non vacantium, ac domus, *Templi*, *Hoſpitalis*, & aliorum religioſorum in regno occupavit, & detinet occupata: Prælatos & rectores in Eccleſiis ipſius canonicè inſtitutos non permittens in ipſis Eceleſiis reſidere, alios præficiens in eiſdem: Reſpondetur. Quod bona Eccleſiarum Cathedralium vacantium & non vacantium, in regno ſuo nec occupavit, nec detinet occupata; ſed in Eccleſiis ipſis vacantibus ipſius Regni, ratione antiquæ dignitatis competentis ſibi & prædeceſſoribus ſuis tantùm utitur jure ſuo; faciens bona eadem per procuratores ſuos idoneos commodè procurari. Quod ſi videtur abſonum Apoſtolicæ Sedi, contentus eſt Dominus Rex illo jure in prædictis Eccleſiis vacantibus, quo nititur Rex *Franciæ* & *Angliæ* in Eccleſiis vacantibus regni ſui.

§. Ad hoc autem quod dicitur, quod de bonis *Hoſpitalis* & *Templi* facit diſſipationes, taliter reſpondetur; videlicet, quod bona prædictarum domuum nec occupavit nec detinet occupata: ſed ſi aliquis de dictis domibus velit conqueri de Domino Rege, paratus eſt ei facere omne juſtitiæ complementum. Idem reſpondet, de bonis aliorum Religioſorum locorum.

§. Ad id verò quod ſubdit, quod Prælatos & rectores inſtitutos Canonice, in Eccleſiis Regni non permittit reſidere in Eccleſiis ipſis, ſed alios præficit in eiſdem; taliter reſpondetur; quod nullum in Eccleſiis ipſis inſtitutum Canonice, abjecit, nec prohibuit in ipſis Eccleſiis reſidere: Dicit quod in Eccleſiis ipſis nullum præfecit; ſed in Eccleſiis vacantibus (ſicut dictum eſt) bona ipſarum facit per procuratores idoneos commode procurari; prout competit ex antiqua conſuetudine dignitatis, quam habet in Eccleſiis vacantibus regni ſui.

§. Ad aliud autem quod dicit, quod cum regnum ipſum ſit Sedis Apoſtolicæ, Dominus Rex plura gravia præſumpſit contra *Romanam* Eccleſiam, & præſumit, duras & abhominabiles exercens ibi ſævitias, & alia peſſima & enormia: propter quæ (ſi etiam dictum regnum pertineret ad eum) deberet inde illo privari, Reſpondet Dominus Rex. Quod in regno *Siciliæ* tanquam hæreditario regno ſuo, quod à prædeceſſoribus ſuis a tempore quo non extat memoria, ad eum legitima ſucceſſione & continuata poſſeſſione pervenit, nulla gravia præſumpſit contra *Romanam* Eccleſiam, nec præſumit; nec ſevitias aliquas exercuit vel exercet. Sed cum regnum ipſum in bono & pacifico ſtatu gubernans, omnibus indifferenter monſtrat juſtitiæ complementum.

§. Ad hoc autem quod dicit, quod attemptat multa contra *Romani* Imperii dignitatem, Reſpondet Dominus Rex; quod contra *Romani* Imperii dignitatem non attemptavit aliquid nec attemptat, ſed cum ſit in *Romanum* Regem Electus legitimè (prout plenè conſtat per legitima documenta) in eodem Imperio utitur jure ſuo.

§. Ad aliud quod vult & petit Dominus Papa, ut omnibus volentibus ire ad deponendum

dum contra Dominum Regem, inquiſitionem quam intendit facere contra ipſum ſuper capitulis ſupradictis, Dominus Rex reſpondet. Quod cum nullo modo Inquiſitio ſuper præmiſſis debeat de jure procedere contra ipſum, eo quod cauſa propter quam in talibus Inquiſitio debeat fieri, non præceſſit, videlicet fama publica quæ à bonis & gravibus ortum habuerit, & non ſemel, ſed ſæpius, nec ab æmulis & inimicis, (prout jura Canonica & Civilia inſinuant manifeſtè) non tenetur Dominus Rex ſecuritatem præſtare petitam ; quia ſic videretur annuere & conſentire inquiſitioni, quæ de jure non debet fieri contra ipſum. Subeſt etiam alia cauſa, quæ juſtè movet & movere debet Dominum Regem, quòd petitam ſecuritatem præſtare non debeat: quòd cum *Angeli tenebrarum* frequenter *in lucis Angelos ſe transforment*, & ſub prætextu liciti, illicita committere non verentur ; occaſione hujuſmodi poſſent alia tractare latenter, quæ Domino Regi eſſent oneroſa plurimùm & damnoſa.

PAG. 793. lin. 20. *Epiſtolam Papalem conſolatoriam ad Reginam*, *poſt quatuor aut quinque paginas in ipſa* Hiſtoria *habes impreſſam* : *ſcilicet pagina* 797. *linea* 34. Alexander Epiſcopus, &c.

PAG. 794. lin. 7. *Literæ Domini Regis*, *pro negotio de* Herteburne *expediendo in Curia* Romana : *per Dominum Willielmum de* Hortun *Cellararium*,

DOmino Papæ Rex *Angliæ* ſalutem, cum reverentia & honore. Dilectionis, prærogativa ſpecialis, qua inter cætera noſtræ ditionis Collegia Abbatem & Monachos *Sancti Albani Lincolnienſis* diœceſeos, chariùs amplexamur ; ad providendum utilitati & tranquillitati ipſorum cum opus eſt ; multipliciter nos inducit. Cum igitur venerabilis pater *Dunelmenſis* Epiſcopus, non abſque conſenſu & conſilio capituli ſui, ad ſuſtentationem hoſpitalitatis quæ apud dictos Abbatem & Monachos ſpecialiter vigere dinoſcitur, & ad quam ſuarum poſſeſſionum facultas ſufficere nequiverat, duas partes Eccleſiæ de *Herteburne*, *Dunelmenſis* diœceſeos, ipſorum uſibus, interveniente conſenſu Prioris & Conventus de *Thynemua* (qui unà cum Abbate prædicto jus pattonatus obtinuerant in eadem) & reſiduum, uſibus vicarii in ea miniſtrantis, dudum charitativè, necnon & precum noſtrarum inſtantia, duxerit ordinandum : Magiſter *Johannes de Camezane*, cui in Eccleſia de *Wengrave* extat proviſum, prætextu cujuſdam literæ Papalis, quâ felicis recordationis *Innocentius* quartus prædeceſſor veſter, ultimus, ſibi à dictis Abbate & ſuo Conventu, Eccleſiam ſuam prædictam in beneficium uberius mandaverat commutari, ipſos ſuper dicta Eccleſia de *Herteburne*, in ipſorum grave diſpendium, & noſtræ mentis turbationem non modicam, aggravat & moleſtat. Sed & cauſam ipſam, in læſionem juris noſtri & privilegiorum noſtrorum, extra regnum noſtrum trahi procurans ; ſuppreſſa littera contra ipſos impetrata, per quam in *Anglia* iidem Abbas & Conventus, infra certum tempus in eadem litera comprehenſum, poterant conveniri ; & cauſa ipſa ſimiliter ibidem terminari, nullo ſibi die infra dictum tempus præfixo cauſam eandem à ſuo judice nullis rationibus vel cauſis legitimis admiſſis, ab eodem ad Curiam *Romanam* nequiter obtinuit remitti. Sanctitati igitur veſtræ quæ nobis & noſtris totiens extitit gratioſa, cum quanta poſſumus affectione ſupplicamus; quatenus Monaſterium ſupradictum quod & de noſtro extat patronatu, & vobis eſt immediatè ſubjectum ; ſuo jure deſtitui non permittatis ; ſed potiùs ordinationem prædictam, de conſueta benignitate Sedis Apoſtolicæ confirmare, & in aliis ejuſdem Monaſterii negotiis coram Sancta paternitate veſtra expediendis, ſibi favorem & gratiam impertiri velitis. Super quo, veſtris beneplacitis cum gratiarum actione multiplici, uberiùs reddamur aſtricti. Teſte meipſo apud *Leyſtonam*, primo die Aprilis.

Literæ Regis, *ad Cardinalem* I.

HENRICUS Dei gratia Rex *Angliæ*, *&c.* venerabili Patri *I.* eadem gratia titulo *Sancti Laurentii* in *Lucina*, presbytero Cardinali ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Dilectionis prærogativa ſpecialis, qua inter cætera noſtræ ditionis Collegia, Abbatem & Monachos *Sancti Albani Lincolnienſis* diocœſeos, chariùs amplexamur, ad eorum indemnitati (cum opus fuerit) providendum multipliciter nos inducit. Cum igitur Magiſter *Johannes de Camezane*, Domini Papæ Capellanus, Abbatem & Conventum *Sancti Albani* ſuper commutatione Eccleſiæ de *Wengrave* ſibi facienda, de Eccleſia de *Herteburn* ; quam Epiſcopus *Dunelmenſis* ad exhibitionem hoſpitum, eis ad precum noſtrarum inſtantiam charitatis intuitu conceſſit ; nos Abbatem & Conventum intolerabiliter aggravet & moleſtet, trahendo ipſos in cauſam extra regnum noſtrum, contra indulgentiam nobis à Sede Apoſtolica conceſſam ; quod grave ferimus & moleſtum ; ac idem Abbas dilectum noſtrum fratrem *Willielmum de Horton* commonachum ſuum, ad præſentiam Domini Papæ tranſmittat, tam pro prædicto negotio, quàm aliis utilitatem Eccleſiæ ſuæ contingentibus (prout idem *Willielmus* vobis

viva voce intimabit) dilectionem veſtram de qua plenam gerimus fiduciam affectuoſè rogamus, quatenus eundem *Willielmum* habere velitis in præmiſſis ſpecialiter recommendatum; conſilium & juvamen veſtrum ei pro amore noſtro taliter impenſuri, quod vobis propter hoc ad retributionem condignam, & ad gratiarum merita opportunis temporibus teneamur. Teſte meipſo apud *Framlingham* 11. die Aprilis, Anno regni noſtri XL.

PAG. 798. lin. 46. *Pacem inter Abbates, &c.*] Non potuimus invenire.

PAG. 802. lin. 62. *Literæ de rata habitione pacis, inter Reges* Hiſpaniæ & Angliæ.

Lege, ſed lecta tege; quia probroſum quicquid ſequitur.

HENRICUS Dei gratia Rex *Angliæ*, Dux, &c. Scias nos dediſſe dilectis & fidelibus noſtris venerabili *P. Herefordenſi* Epiſcopo, & *Johanni Manſel*, Præpoſito *Beverlaci*, in ſolidum & utrique eorum ſeparatim, quos ad præſentiam illuſtris Regis *Caſtellæ* deſtinamus; liberam & plenam poteſtatem contrahendi nomine noſtro pacem & fœdus amicitiæ, cum prædicto Rege ſuper articulis ſubſcriptis. Videlicet, quod nos erimus imprisii ejuſdem Regis *Caſtellæ* contra omnes homines, & juvabimus eum cum toto poſſe noſtro bona fide; excepta Eccleſia *Romana*, & in facto & in guerra Regis *Navarræ* (quia ſumus cruce ſignati) mittemus *Edwardum* primogenitum & hæredem noſtrum, cum ab ipſo Rege *Caſtellæ* fuerimus requiſiti. Et ſi acciderit quod idem *Edwardus* venire non poterit, mittemus Seneſchallum noſtrum cum toto poſſe noſtro, ad guerram prædictam. Et prædictus *Edwardus*, accipiet in uxorem *Alienoram* ſororem ipſius Regis *Caſtellæ*, quam prædicti Nuncii noſtri recipere debent nomine ipſius *Edwardi*, de manu prædicti Regis *Caſtellæ*; & nos eam ditabimus, ſecundùm quod aliqua Regina *Angliæ* meliùs dotata fuerit vel honorata: & aſſignabimus eidem *Edwardo* ad ſuam & uxoris ſuæ ſuſtentationem, computatis tam terris ſibi jam datis, quàm etiam dandis, quindecim millia marcarum. Et prædictus *Edwardus* debet venire ad ipſum Regem *Caſtellæ*, ad recipiendum ab eo cingulum militare. Et hoc debet fieri infra proximum feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ*, in caſtello apud *Burres*, vel citra. Et nos dabimus *Beatricem* filiam noſtram præfato Regi, maritandam uni ex fratribus ſuis germanis, cui voluerit; dummodo idem Rex *Caſtellæ* det eidem fratri ſuo tales divitias, ex quibus poſſit eam honorificè dotare & ſuſtentare: ſecundùm quod decebit filiam Regis. Et nos dabimus operam bona fide erga Dominum Papam quantam poterimus, ad convertendum Crueeſignatos ad partes *Affricanas*, vel *Marrochitanas*. Et ſi hæc impetrare poterimus per nos, vel dictus Rex *Caſtellæ* per ſe vel per alios; nos ibimus ad partes prænominatas cum exercitu noſtro, ſcilicet quo ire debemus ad partes *Jeroſolymitanas* in ſocietate ipſius Regis *Caſtellæ*. Et quicquid inſimul lucrati fuerimus in prædictis terris, inter nos equaliter dividetur. Et cùm nos & prædictus Rex *Caſtellæ* fuerimus amicitia conjuncti, omnia damna quæ illata ſunt *Gaſtoni* de *Bierre*, Baronibus, militibus, & aliis de *Vaſconia* tam prædicti Regis *Caſtellæ*, à tempore quo idem *Gaſto* recepit militiam ab ipſo rege, & fuit ei vaſſallus, ſive in hæreditatibus, ſive in aliis rebus, omnia ad rogatum ipſius Regis *Caſtellæ* debemus integrare & meliorare, & eis remittere de querimoniis, quas habemus contra eos. Ita tamen, quòd ſi aliqui eorum aliquid habeant in manibus ſuis, ſive de caſtris, ſive de terris, ſive de aliis rebus, quæ ad nos pertinent; ſtatim nobis vel prædicto *Edwardo* filio noſtro reſtituent, & in aliis cauſis ſubibunt judicium Curiæ noſtræ: ſecundùm quod conſuevit judicari in Curia *Vaſconiæ*. Et ſi ipſi noluerint vel poterint judicium ſuſtinere, præfatus Rex *Caſtellæ* debet pro eis rogare, ſicut amicus rogat amicum: & nos faciemus ſicut pro amico. Et cum nos & Dominus Rex *Caſtellæ* facti fuerimus amici, nos cum conſilio ipſius operabimur ſuper facto *Gaſtonis*, quoad Seneſchalliam *Vaſconiæ*. Similiter & de facto Vicecomitis de *Limocia*, prout videbitur eſſe honeſtum. Et pro hiis omnibus ſupradictis complendis, idem Rex *Caſtellæ* debet facere pro ſe & hæredibus ſuis imperpetuum, plenam quietantiam totius juris & clamei, quod aliquo modo eis competit aut competere poterit in terra *Vaſconiæ*, vel aliqua parte illius terræ, nobis & hæredibus noſtris. Et dictus Rex *Caſtellæ* debet eſſe impriſius noſter, bona fide; & juvabit nos cum toto poſſe ſuo contra Regem *Navarræ*, & contra omnes homines de mundo. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo, *Veſac*, octavo die Februarii. Anno Regni noſtri triceſimo octavo.

PAG. 60

PAG. 811. lin. 12. *Frater Johannes, &c.*] Non invenimus.

PAG. 811. lin. 24. *Elegans Epiſtola miſſa à Domino Papa Domino Regi* Angliæ, *admonens ut errores ſuos corrigat conſuetos: & ut cuſtodiat jura Eccleſiaſtica, ſicut multotiens juraverat.*

ALEXANDER Epiſcopus, &c. Chariſſimo in *Chriſto* filio illuſtri Regi *Angliæ*, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum de tuis chariſſime actibus digna & honori congrua referuntur, rumor hic clarus accedit nobis admodum placidus, auditum demulcens aurium & cordis interiora delectans; quòd ſi qua fortè prava & modeſtiæ regali contraria, ſiniſtra de te relatio vel fama turbulenta portaret, obſtupeſcerent utique ſenſus noſtri, & animus intrà graviùs ſauciaretur amaritudine, ob ſinceræ vinculum charitatis. Sanè intellecto quòd venerabilis frater noſter *Roffenſis* Epiſcopus, ex parte univerſitatis Prælatorum & Cleri *Anglicani* Regni, qui per potentiam regiam ſe ſuaſque Eccleſias in ſuis juribus & libertatibus deprimi aſſerunt, ad Apoſtolicam Sedem accedens, ſuper reformatione ſtatus dictarum Eccleſiarum, & Eccleſiaſticæ libertatis, pro quibus alias tam felicis recordationis *Innocentius* Papa prædeceſſor noſter, quam nos etiam per nonnullos præfatæ univerſitatis Nuncios fuimus ſæpe & ſæpius requiſiti; habebat aliquid coram nobis & fratribus noſtris proponere, juxta quod ſibi fuerat à prædicta univerſitate commiſſum, per quæ forſitan fuiſſet famæ tuæ, maximè apud regni *Siciliæ* incolas, qui ſperant per te ad antiquas libertates eorum reduci, & ſub tuo vigere in bono ſtatu & conſervari dominio, plurimùm derogatum: Nos cupientes quòd honor & fama tua in omni integritate ſerventur, quòdque omnia penitus removerentur quæ poſſent animæ tuæ periculum generare; ad inſtantiam venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi *Tharenſis*, & dilectorum filiorum electi *Sarisbirienſis*, ac Abbatis *Weſtmonaſterii Londoniarum*, nunciorum tuorum, necnon magiſtri *Ruſtandi* Capellani noſtri, honoris tui fervidi zelatoris; ordinavimus quòd proſecutio hujuſmodi negotiorum Eccleſiæ *Anglicanæ* pro quibus præfatus Epiſcopus venerat, differetur ad tempus: inſinuando eidem Epiſcopo, quòd te ad omnia quæ liberum pacificum & tranqillum Statum prædictarum Eccleſiarum reſpiciunt, auctore domino ſic efficaciter inducemus, quòd non oportebit eum, vel coepiſcopos ſuos, & alios Prælatos tam ſeculares quàm Regulares regni tui, propter hoc ampliùs laborare. Ideòque ſerenitatem regiam de fratrum noſtrorum conſilio rogamus, monemus, & hortamur attentè, & ſincera quâ te in Domino charitate complectimur, ſuadentes, in remiſſionem peccaminum nihilominus injungendo, quatenus præmiſſa omnia infra tui Clauſtra pectoris ſollicita meditatione revolvens; conſiderans etiam *quòd nunquam remittantur peccata, niſi ablata reſtituantur*; quòdque nil cuiquam deperit ſi reſtituat aliena, quorum miſera detentio vergit in ſalutis propriæ detrimentum. Conſiderans quòd tuo ſpecialiter ad hoc accedente conſenſu, ab univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis dicti regni, excommunicationis ſententia in omnes illos prolata, & per ſedem Apoſtolicam confirmata eſſe dicitur, qui Eccleſias & Eccleſiaſticas libertates ac jura & conſuetudines liberas earundem, & maximè illas quæ in chartis tuis libertatum communium continentur, quacunque arte præſumpſerint infringere, violare, diminuere, ſeu mutare. Penſans etiam inſuper, quòd Coronationis tuæ tempore ad conſervandum & confovendum jura & libertates hujuſmodi, te juramento præſtito diceris aſtrinxiſſe; omneſque libertates, immunitates, ac liberas conſuetudines, cunctaque jura ac privilegia quæ prædicti Epiſcopi, aliique Prælati, cæteræque perſonæ Eccleſiaſticæ necnon & Eccleſiæ dicti regni habuiſſe noſcuntur: eis infra feſtum Reſurrectionis Dominicæ primò venturum, ob reverentiam *Jeſu Chriſti* qui te fecit oleo ſacri Chriſmatis Chriſtum ſuum, ac crucis honorem cujus es charactere inſignitus, pro animæ quoque tuæ ſalute, regia liberalitate reſtituas. Ita quòd prædictis Archiepiſcopis & Epiſcopis, Prælatis, religioſis, & perſonis, materia nulla remaneat conquerendi. Verumtamen quia prædictus Epiſcopus proſecutionem dictorum negotiorum, pro quibus ad præſentiam noſtram venerit ſuperſedere curavit; juxta veſtrum beneplacitum & mandatum Apoſtolicum, prædictam ſedem tuam reſponſionem ſuper prædictis omnibus expectando, magnitudinem tuam requirimus; ut tuam in hac parte intentionem, & quid ſuper hiis proponas facere, per tuas literas nobis non differas intimare. Et quia noſtra intereſt, Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, & earum juribus & libertatibus ſecundùm Deum & juſtitiam defenſare; ſcire te volumus, quòd niſi infra hujuſmodi terminum prædictum, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati, ac perſonæ Eccleſiaſticæ ad omnia eorum jura fuerint pleniariè reſtituti; ex tunc nequaquam diſſimulare poterimus (quantumque perſonam tuam ſincero diligamus affectu) quin prædicto Epiſcopo Audientiam præbeamus. Data *Anagnaniæ*, ſexto idus Novembris. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

PAG. 814. lin. 47. *vide retrò in* Hiſtoria, pag. 74. *ubi impreſſum invenies, quicquid ſuper hoc in libro* Additamentorum *ſcriptum reperitur*

PAG.

PAG. 815. lin. 51. *De rege magno* Scotorum Malcolmo.

REverendo patri in Chriſto Domino, *R.* Dei gratia Priori de *Thinemue*, & ejuſdem loci ſacro Conventui, frater *R.* dictus de *Dunelmo*, humilis Monachus de *Kelſtona*, æternam in Domino ſalutem. Placuit curialitati veſtræ in confabulatione talia recitare. Scilicet inveniſſe vos oſſamenta cujuſdam viri magnæ Staturæ, & alterius minoris; quæ credebatis eſſe oſſamenta venerabilis Regis quondam *Scotiæ Malcolmi*, & ejus filii. Unde petebatis à me, ut ſi in aliquo codice autentico certum ſuper hoc invenire potuiſſem, qualiter obierit, vel ubinam ſepultus fuerit; vobis literatoriè ſignificarem. "In *Danorum* hiſtoria ſic reperi. "Rex *Scotiæ Malcolmus* & primogenitus filius ejus *Edwardus*, cum ſuis exercitibus, in *Northumbriam* die feſtivitatis Sancti *Bricii*, à militibus *Roberti Northumbrorum* Comitis occiſi "ſunt; in cujus morte, juſtitia judicantis Dei apertè conſideratur: ut videlicet, in illa provincia cum ſuis interiret, quam ſæpe ipſe vaſtare avaritia ſtimulante conſuevit. Quinquies namque illam atroci depopulatione attrivit, & miſeros indigenas in ſervitutem redigens, abduxit captivos. Semel, *Edwardo* regnante, *Egelbunlino* * Epiſcopante *Dunelmi*: quando *Toſtias* Comes *Norhumbrorum* profectus *Romam* fuerat. Item regnante *Gulielmo*, ſub eodem Epiſcopo *Egelbunlino*; & *Cliuelande* depopulatus eſt: Tertiò, regnante eodem Rege *Gulielmo*, ſub *Waltero* Epiſcopo; uſque *Thynam* progreſſus; poſt cædes hominum, & concremationes locorum, multa cum præda reverſus eſt. Quartò, regnante *Gulielmo* juniore, *Gulielmo* regente Epiſcopatum *Dunelmenſem*; cum ſuis copiis infinitus uſque *Ceſtriam* pervenit, inter *Dunelmum* & *Thynam*: intendens ulteriùs progredi. Sed adunata contra eum militari manu non minima, metu citiùs revertitur. Quintò, cum omni quo potuit exercitu in ultimam deducturus deſolationem, *Northumbriam* invaſit: ſed juxta flumen *Alnæ* perimitur à *Morello* milite ſtrenuiſſimo, cum primogenito ſuo *Edwardo*, quem hæredem regni poſt ſe diſpoſuerat. Exercitus illius vel gladiis confoditur, vel qui gladios fugerunt, inundatione fluminum quæ tunc pluviis hiemalibus plùs ſolito excreverant, abſorpti ſunt. Corpus verò Regis & cruentiſſimi carnificis, cum ſuorum nullus remaneret qui terra illud cooperiret; duo ex indigenis carro impoſitum in *Thynemuthe* ſepelierunt. Sicque factum eſt, ut ubi multos vita & rebus & libertate privaverat, ibidem ipſe judicio Dei vitam cum rebus amitteret univerſis. Iſta igitur vobis ſignificare curavi, quòd corpus ejus penes conſtat eſſe humatum. Cujus animæ, ſi vobis placet, precibus ſubveniatis; & oſſamenta in decentiori loco, ſicut propoſuiſtis, locari faciatis.

* Egelwynum, eum nominat præſul noſter Godwinus.

De Roberto de Mumbrai, Fundatore de Thynemue.

SCiendum eſt, quòd *Robertus de Mumbrai* miles ſtrenuiſſimus Comes *Northambimbrorum*, antequam moreretur aliquot annis viſu privabatur; annoſus nempe fuit, Deoque devotus Effectus eſt Monachus apud *Sanctum Albanum*; ubi multo tempore Sanctiſſimè vivens, migravit ad Dominum: & ſepultus eſt honorificè in loco non multùm remoto a Capitulo. Ubi poſtea *Symon* Abbas *Sancti Albani*, capellam conſtruxit *Sancti Symeonis*. Ita videlicet, quòd corpus jacet intumulatum in medio capellæ, ſed propiùs Altari. Iſte *Robertus* cum eſſet vir audaciſſimus & bellipotens, vicit & interemit *Malcolmum* Regem *Scotiæ*, quem de licentia Regis *Henrici Angliæ* primi, audacter diffiduciavit. Et propter regiam excellentiam, fecit corpus Regis occiſi honorificè intumulari, in Eccleſia de *Thynemue*: quam idem Comes conſtruxerat. *Scotis* tamen poſtea corpus ſui Regis frontosè poſtulantibus, conceſſum eſt & datum corpus cujuſdam hominis plebei de *Sethtune*: & ita deluſa eſt *Scotorum* improbitas. Fundavit autem Comes iſte magnificus, Prioratum de *Thynemue*: & ibidem Monachos congregavit, de domo *Sancti Albani*, tanquam ab electiſſima domo inter omnia cœnobia *Angliæ*, ubi etiam ſe vovit monaſticum habitum ſuſcepturum, & ſepulturam in loco memorato. Quæ omnia Deo ſibi propitio, feliciter conſummavit.

PAG. 816. lin. 10. *Literæ quas impetrarunt Monachi.*] Neque has potuimus reperire.

PAG. 816. lin. 64. *Articuli pro quibus Epiſcopi Angliæ fuerant pugnaturi.*

IMprimis, quòd vacantibus Eccleſiis cathedralibus ſeu Conventualibus, Conventus talliantur, terræ relinquuntur incultæ: vaſtantur nemora; parci & vivaria; corruunt ædificia, diripiuntur bona, depauperantur villani & male tractantur: ita quod mendicare coguntur Prælati ſuccedentes, per tempora diuturna: quod eſt contra Domini Regis chartam, & etiam Eccleſiaſticam libertatem. ' Et in tantum jam crevit malitia, quòd eſcaetores non ad bona Abbatum & Priorum uſui decedentium deputata, manus extendunt, verumetiam ad blada inſtaurata, & alia quibus Conventus ſuſtentari debet: ita quòd occaſione talis Cuſtodiæ,

odiæ, quandoque religioſi debitis gravibus onerati, & alias multipliciter depauperati, reſurgere non poſſunt, nec ad ſtatum debitum pervenire temporibus diuturnis.

2. Item, Cum Eccleſiæ Cathedrali ſeu Monaſterio Eccleſiaſticum benficium ſit annexum, ſi curam habeant animarum, illud occupant Cuſtodes gardarum, decimas & obventiones, & alios proventus inde percipientes ; contra Deum & omnia jura: cum talia beneficia non pertineant ad baroniam, & ratione laicalium bonorum tantùm ad dominum Regem cuſtodem devolvuntur.

3. Item, Cum electiones in Eccleſiis cathedralibus ſeu conventualibus debeant eſſe liberæ, tot & tales preces regales interveniunt, quibus electores perterriti, ſæpiùs divinæ hamanam præferunt voluntatem. Eodem modo fit de Eccleſiis vel præbendis, ad opus regalium Clericorum, cum eas vacare contingit.

4. Item, Celebratis electionibus, & præſentatis domino Regi electis, interdum differunt adhibere conſenſum electo, vel electioni abſque cauſa rationabili ſe opponens, ut ſic electi per timorem cedere, vel electores precibus Regis & voluntati acquieſcere compellantur, ex quibus multa pericula, tam ſpiritualia quàm temporalia, contingunt Eccleſiis.

5. Item, cum aliquando in caſu à jure non conceſſo, ad Prælatum ſuperiorem devolvitur poteſtas ordinandi de Eccleſia Cathedrali vel collegiata vacante, Dominus Rex privilegium *Chriſti* conceſſum de licentia eligendi, ab electoribus ante electionem celebrandam ab eo petenda ad hujuſmodi ordinationem nititur extendere, in ſuæ ſalutis diſpendium, & ſcandalum plurimorum, & etiam contra patris ſui chartam ſuper electionibus conceſſam.

6. Item, in Eccleſiis parochialibus & præbendalibus curam animarum habentibus, intrudit clericos per laicam poteſtatem ; Ordinariis penitus irrequiſitis: & ſæpiùs inſtitutos, ab Ordinariis deſtituit & ejicit. Deſtitutos etiam ab eiſdem, licèt degradatos, reſtituit, tam in Monaſteriis, quàm parochialibus Eccleſiis, & ſic reſtitutos armatâ manu defendit.

7. Item, Prælatos trahit ad forum ſuum ut ibi reſpondeant, quare ſubditos ſuos excommunicaverint vel denunciaverint excommunicatos: ſicut quare non admiſerit clericum idoneum præſentatum, ad aliquam Eccleſiam etiam parochialem.

8. Item, Si quis laicus vel etiam Clericus, ſibi vel ſuis Juſticiariis de clerico conqueratur ſuper aliqua violentia vel alia injuria ; de debitis etiam vel aliis perſonalibus actionibus, ſi clericus laicum feodum habeat, per illud diſtringitur ad comparendum in foro ſuo ſuper talibus reſponſurus. Quòd ſi tale feodum non habeat, diſtringitur Epiſcopus per Baroniam ſuam, quòd clericum ipſum ad hoc faciendum illuc venire faciat. Idem etiam facit de religioſis interdum.

9. Item, cum Prælati Eccleſiaſtici inquirere volunt de peccatis ſubditorum, prohibentur laici, ne de veritate dicenda, aut de credulitate, aliquod juramentum exponant, aut prælatis ſuper hujuſmodi obediant: propter quod multorum exceſſus & peccata mortalia incorrecta & impunita relinquuntur ; & ſic præſtatur audacia delinquendi, & peccati facultas.

10. Item, cum quis excommunicatus pro offenſa vel contumacia, poſt 40. dies ad mandatum Eccleſiæ ſecundùm conſuetudinem, per breve Domini Regis capitur ; & poſtea ſine aſſenſu ſui Prælati, ad cujus inſtantiam capitur, & abſque aliqua ſatisfactione ; contra jus & conſuetudinem regni ac Eccleſiæ libertatem, per breve Domini Regis liberatur.

11. Item, vicecomites tales excommunicatos ad mandatum Domini Regis non capiunt ; & ſi capiant, liberant ſine mandato regio & ſatisfactione.

12. Item, Dominus Rex Juſticiarii & ballivi ſui paſſim & indifferenter excommunicatis communicant ; tam in divinis quàm in judiciis. Et etiam Dominus Rex excommunicatos & claves Eccleſiæ contemnentes, ad mandatum ſuum captos, facit liberari ; ad cauſam, ſi quam habent in Curia laicali perſonaliter perſequendam: Nec admittitur exceptio excommunicationis contra eos etiam probata, per literas Ordinariorum.

13. Item, Dominus Rex mandat literis ſuis, quòd non vitentur excommunicati, licèt per Ordinarios publicè denuncientur excommunicati.

14. Item, cum clericus ſuper aliquo crimine, furto, vel homicidio, vel aliqua alia felonia, per laicorum diffamationem aut latronum appellationem irretitus exiſtat ; pro quo detentus ſit in carcere laicali: cùm ab Eccleſia & ſuo Prælato requiritur, ipſum liberum habere non poteſt. Nec reddunt captos clericos liberè judicandos, ſed ut eos habeant coram Juſticiariis Domini Regis proximo in Comitatu itinerantibus ; per intervallum aliquando ſex vel quinque annorum, licèt ab eis judicari non poſſit.

15. Item, Clerici ſic capti plerumque in habitu clericali, inventi, antequam ab Ordinariis Eccleſiaſticis repetantur ſeu repeti poſſint, ſuſpenduntur ; & quandoque capita eorum raduntur ut clerici non appareant ; & ſicut laici judicantur. Quandoque cum repetuntur, differtur eorum liberatio ad tempus, & interim ſuſpenduntur de nocte vel hora prandii, ne ad notitiam Ordinariorum valeat pervenire.

16. Item

16. Item, Juſticiarii & vicecomites per patriam itinerantes, & inquirentes de criminoſis patriæ, ſi laici clericos de crimine homicidii, rapinæ, vel latrocinii, vel aliquo alio defamant (licèt non fugitivum, non crimine repertum) ſtatim clericos incarcerant & detinent. Et ſi non inveniantur in Comitatu, per quatuor Comitatus vocati non veniant; forbaniant eoſdem ſicut laicos; nec prodeſt eis ordo clericalis.

17. Item, quòd ſi idem clericus irretitus, ſuper objectis ſibi criminibus coram Judice ſuo Eccleſiaſtico canonicè ſe purgaverit; nihilominus laica poteſtas ad bona ſua mobilia & immobilia manum extendit.

18. Item, ſi clericus criminoſus pro objecto & probato contra ipſum facinore degradatus exiſtat, laica poteſtas bona ſua mobilia & immobilia occupat & invadit; & ſic contingit clericum pro eodem delicto, bis in idipſum puniri.

19. Item, cum contingit clericum pro delicto foreſtæ defamari, per inquiſitionem viridariorum & Foreſtariorum ſuper captione venationis, vocatur coram Juſticiariis: & licèt ab Ordinariis repetatur, niſi priùs carceri laicali mancipetur, ſuo Ordinario nulla liberatur; & poſt liberationem factam Epiſcopo, per Inquiſitionem factam per laicos, pœna pecuniaria condemnatur.

20. Item, ſimiliter condemnantur abſentes & ignorantes, ad ſimplicem vocem viridariorum & foreſtariorum; cum ad Inquiſitionem per laicos factam non debeant condemnari clerici, vel aliqualiter judicari: & tam iſti quàm illi compelluntur ſolvere merciamenta, per poſſeſſiones laicales ſi quas habent. Sin autem diſtringuntur Epiſcopi per Baronias ſuas, ut dictos clericos compellant de ſuis beneficiis ſolvere condemnationem.

21. Item, per eandem diſtrictionem, attachiantur & coguntur clerici in actionibus perſonalibus; & in hiis quæ ex contractibus oriuntur in foro ſæculari: & etiam delictis reſpondere querelantibus.

22. Item, cum aliquis ad immunitatem Eccleſiæ fugitivus exiſtat, per laicos cuſtodes cœmiterium vel ſcalarium Eccleſiæ circumdatur & vallatur, quòd vix poteſt fugitivus in alimentis ab Eccleſia ſuſtentari. Aliquando fugitivus eripitur violenter; aliquando poſtquam ſecundùm regni conſuetudinem terram abjuraverit, ut infra XL. dies exulet ſe, à publica ſtrata poſitis inſidiis extrahitur, ſuſpenditur, & damnabiliter quandoque interficitur.

23. Item, Cum à regia dignitate & libera voluntate conceſſa ſit Epiſcopis, libera Teſtamenti factio; licèt hoc à jure habeant & conſuetudine, & ſacrilegium ſit quod ſemel eſt Eccleſiæ conceſſum, illud infringere vel turbare, ultimaque voluntate, nihil debeat eſſe liberius: Dominus tamen Rex non permittit executores teſtamentorum eorundem Epiſcoporum, de bonis ipſorum adminiſtrare; quouſque cauſa cognita ipſius facinoris, gratiam mereantur ſuper hiis obtinere.

24. Item, Cum quis tenens laicum feodum de Domino Rege, *decedat*, *ballivi Regis* omnia bona defuncti ſaiſiunt; nec permittunt ejus executores de eis diſponere, donec inquiſitum fuerit à Scaccario utrum aliquid debeat regi. Et hoc jure diſſonum eſt, & Chartæ contrarium; quâ cavetur, quòd licèt Ballivis ſic facere cum literas Domini Regis de ſummonitione talis debiti patentes oſtendunt, & ſic poſſunt attachiare catalla aliqua ad honorem ipſius debiti, per viſum legalium hominum; donec illud debitum perſolvatur in aliis catallis: libera adminiſtratione, executoribus omninò dimiſſa.

25. Item, mortuo laico inteſtato, Dominus Rex & cæteri Domini feodorum, bona defuncti ſibi applicantes, non permittunt de ipſis debita ſolvi: nec reſiduum in uſu liberorum & proximorum ſuorum, & alios pios uſus, per loci Ordinarium quorum intereſt, aliqua converti.

26. Item, Eccleſiaſtico Judici cognoſcenti ſuper decimis vel capellis, porrigitur regia prohibitio judici, videlicet ne procedat: actori ſimiliter, ne proſequatur. Ea tamen ratione, quòd ſi eviſcerentur decimæ vel capella, diminueretur jus patronatus illius qui eſt patronus Eccleſiæ, qui eſt in poſſeſſione capellæ petitæ, vel decimarum, & fieret Regi præjudicium ad quem ſpectat juris patronatus cognitio; & ſic impedit ne cognoſcat Judex Eccleſiaſticus de decimis; licèt Rex & Juſticiarii ſui de hiis cognoſcere non poſſint; per quod juſtitia perit.

27. Similiter fit idem, ſi cognoſcat Judex Eccleſiaſticus de aliis ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus. Verbi gratia, ſi inter laicos in contractibus interveniat fidei datio, vel infringat juſiurandum quis juramentum vel fidem, & Judex velit cognoſcere de tali peccato mortali (ſaltem ad pœnitentiam injungendam) porrigitur regia prohibitio; & ſalus animarum impeditur, in damnationem plurimorum, ea occaſione, quòd ratione catallorum præſtitum fuerat juſiurandum.

28. Item, ſi Eccleſia petat ceragium vel herietum, vel alia quæ ad Eccleſiam vel ad uſus Eccleſiarum deputata; ut petatur pecunia ad Eccleſiam cooperiendam, vel cœmiterium claudendum, & parochiani ad hujuſmodi præſtanda extiterint rebelles; ſi conveniantur coram loci Ordinariis, ſtatim porrigitur regia prohibitio: & ſic impeditur cultus Eccleſiæ; & honor eidem diutiùs impenſus. Idem fit, ſi convicti de adulterio vel alio crimine punian-

tur

tur pecunialiter, vel aliis in cauſis merè ſpiritualibus fuerint in expenſis condemnati: & ſic vilipenditur Eccleſiaſtica cenſura damnabiliter, & quaſi à nemine timetur.

29. Item, ſi quis commiſerit ſacrilegium res Eccleſiaſticas invadendo, vel Eccleſias libertatibus ſuis ſpoliando, vel perturbando; vel etiam violaverit libertates in chartis libertatum contentas, & propter hoc inciderit in ſententiam excommunicationis, vel ſit excommunicandus, & Judex Eccleſiaſticus ſecundum formam juris velit contra tales tranſgreſſores procedere; impeditur propter prohibitionem regiam ne procedat: eâ aſſignatâ ratione, quòd delicta laicorum, & ſpecialiter ballivorum Regis, ad ipſum pertinent corrigenda. Idem fit in omnibus caſibus, in quibus ratione ejuſdem delicti, diverſæ debentur emendæ: quarum una in foro Eccleſiæ, & alia in foro regio debet injungi.

30. Item, In quibus omnibus caſibus & ſimilibus, ſi Judex Eccleſiaſticus contra prohibitionem regiam procedat, attachiatur; comparens coram Juſticiariis, compellitur Judex exhibere acta ſua, ut per ea decernant utrum negotium pertineat ad forum Eccleſiaſticum vel ſeculare. Et ſi videatur eis quod pertineat ad forum Regium, querelatur Judex; qui ſi confiteatur ſe poſt prohibitionem proceſſiſſe, amerciatur: ſi neget, indicitur ei purgatio per Judicem ſecularem, ad teſtimonium duorum viliſſimorum ribaldorum. Et ſi purgare ſe noluerit, incarceratur donec Juſticiariis Sacramentum præſtiterit corporale, quòd non proceſſit contra prohibitionem: & ſi facere noluerit, in carcere retinetur. Similiter actor, ſi ſequatur.

31. Item, ſi contingat Prælatos vel clericos attachiari, quia dicuntur in cauſis etiam ſpiritualibus contra regiam prohibitionem proceſſiſſe, licèt judicio laicorum conquerens de mandato convincatur; in nullo tamen providetur judicibus vel patribus attachiatis, pro laboribus & expenſis, nec in aliquo punitur protervitas vel malitia conquerentis: ſed vice verſa, ſi Judices vel clerici ibidem fuerint convicti, ſecundùm eorum opinionem ſine aliquo remedio carceri mancipantur; & ad beneplacitum Regis & Juſticiariorum quoad uſque amerciati fuerint detinentur. Unde fit, quòd tam Ordinarii quàm delegati, ut vitent tales vexationes & expenſas hujuſmodi, deferunt prohibitionem; & ſic perit juſtitia & remanent peccata impunita: cùm Prælati Eccleſiaſtici juriſdictionem ſuam exercere non audeant, nec Rex velit contra Ballivos ſuos in talibus caſibus procedere. Nec de jure poſſit, tum ratione rerum noſtrarum ſpiritualium, ut ſunt decimæ & capellæ; tum ratione perſonarum, ut ſunt clerici & religioſi; tum ratione delictorum, ut ſunt ſacrilegia, & excommunicationes, & interdicta.

32. Item, Cum *Judæus* in Eccleſiaſticam perſonam delinquat, vel ſuper rebus Eccleſiaſticis, aut ſuper ſacrilegio, aut etiam violenta manuum injectione in clericum, vel ſuper adulterio cum *Chriſtiana*, conveniatur coram Judice Eccleſiaſtico; per regiam prohibitionem cauſæ cognitio impeditur, quia allegavit quòd Judicem habent proprium, vicecomitem locorum, & Juſticiarios proprios deputatos: qui ſuper talibus cognoſcere non poſſunt nec debent. Et tamen ſi à Clerico & Laico ſuper hujuſmodi conveniantur coram eis, perſona ſolam negationem & alterius *Judæi*, & unius *Chriſtiani* ſimplicem aſſertionem, abſque omnis juramenti præſtito ſe purgant, probatione Actoris penitus recuſatâ.

33. Item, ſi per Eccleſiam denegetur eis Communio, pro eo quòd tabulam ſeu ſignum non deferunt, vel quia nutrices *Chriſtianas* contra præcepta Eccleſiæ retinent, vel propter aliquos alios exceſſus extiterint excommunicati: Ballivi regis communicantes cum eis, ex parte ipſius Domini Regis præcipiunt, ne aliquibus evitentur, & faciunt eos ad Communionem admitti & recipi.

34. Item, licèt aliqua poſſeſſio vel libertas data ſit à regibus & principibus, vel aliis fidelibus, qui eas libertates poterant donare Eccleſiis in liberam & puram & perpetuam eleemoſynam, nullo retento ſervitio vel onere impoſito; tantum ſi ſuper eis quæſtio moveatur inter Eccleſiaſticas perſonas, vel Laicas & Eccleſiaſticas; compelluntur poſſeſſores earum in foro litigare ſæculari. Idem fit, ſi libertas Eccleſiæ data per Laicos, revocetur in dubium; cum ſecundùm jura, hujuſmodi cognitio ad forum Eccleſiaſticum pertineat.

35. Item, Ratione hujuſmodi poſſeſſionum, Rex & alii Magnates nituntur compellere Epiſcopos, Prælatos, & Religioſos, & Rectores Eccleſiarum, facere ſectam ad Curiam Laicalem.

36. Item, eiſdem poſſeſſionibus vel earum poſſeſſoribus ratione earum, telonium & alia onera graviora imponunt laici, contra Eccleſiaſticam libertatem.

37. Item, ad ſectam & alia onera facienda, & ad comparendum in foro vetito, compelluntur per captionem animalium ſuorum, & rerum aliarum Deo dedicatarum, quæ Sancta Sanctorum dicuntur; contra Deum & Eccleſiæ libertatem.

38. Item, ſi aliquis laicus conſueverit facere ſectam in Curia Domini ſui, ratione poſſeſſionis quam tenet ab eo; & partem poſſeſſionis dederit Eccleſiæ vel religioſis in liberam & puram & perpetuam eleemoſynam, & partem ſibi retinuerit in Dominico, vel ſervitio eam alii dando; capitales Domini faciunt diſtrictiones ſuas in poſſeſſionibus datis in eleemoſy-

7 L nam;

nam, pro ſecta Curiæ vel aliis ſervitiis ſibi debitis, omiſſâ poſſeſſione quam dator retinuerit, vel alii dederit in feudum ſibi ſervitium debitum faciendo, vel Domino Capitali. Et hæc videntur in fraudem fieri, & contra Eccleſiæ libertatem.

39. Item, ſi Epiſcopi & alii Prælati ad forum extraordinarium evocantur, non poſſunt attornatos per literas ſeu procuratores in cauſis Civilibus conſtituere; ſed neceſſe habent, licèt cum gravi diſpendio, perſonaliter comparere.

40. Item, ſi de poſſeſſionibus datis Eccleſiis vel Monaſteriis in puram & liberam eleemoſynam, vel etiam in feudum; Monaſterium vel Eccleſia ſpolietur, committitur ſacrilegium, & ſi ſuper hoc ſpoliatus Judici Eccleſiaſtico conqueratur, vel Judex officio ſuo contra ſpoliatores & ſacrilegos velit procedere, vel ſuper aliis injuriis proximò annotatis: per prohibititionem regiam impeditur, ſpoliatis vel oppreſſis juſtitiam exhibere.

41. Item, ſi Rex conceſſerit alicui Civitati vel Burgo, quod poſſit accipere muragium, vel aliquibus novum concedat telonium, non ſolùm à laicis, ſed etiam à viris Eccleſiaſticis & eorum hominibus, talia extorquent & exigunt contra jura.

42. Item, Domicilia & hoſpita Clericorum per Dominum Regem & laicam poteſtatem capiuntur, & licèt in Sanctuario exiſtant, coguntur clerici inhabitantes, vel ipſis abſentibus ſui ſervientes, laicos recipere: & frequenter expulſis Clericis de propriis domibus, eas occupant; Res ſuas ibidem inventas, diſſipant & conſumunt nequiter, contradicentes verberando.

43. Item, Capiuntur carectæ clericorum & religioſorum, & capiuntur in foro publico: & aliquando in Sanctuario nequiter, aliquando in mercatis, & violenter abducuntur ad tranſvehendum, victualia & cæteras res & commerica Domini Regis, Juſticiariorum, & Ballivorum ſuorum: ſimiliter res quas clerici habent venales, compelluntur ſibi vendere, & ad pretium Domini Regis inviti tradere; pretio aut raro aut nunquam ſoluto.

44. Item, In Cancellaria Domini Regis nova brevia juri Eccleſiaſtico, legi terræ, & Conſuetudini contraria, paſſim fiunt; ſine Concilio Regni, Principum & Prælatorum aſſenſu; quod fieri non debet.

45. Item, Cum Dominus Rex pro aliqua expeditione, vel ex quacunque cauſa regnum exierit vel intraverit, vel ad diverſas partes in ipſo Regno ſe tranſtulerit; compellit Religioſos per vicecomites ſuos, & per captionem averiorum ſuorum, ut obviam ſibi veniant, & munera ei deferant. Idem in ſingulis Comitatibus faciens.

46. Item, amerciamenta quæ Epiſcopi & Religioſi terræ per chartas regias debent habere; Juſticiarii & ballivi regii convertunt in finem; ut ſic eos ſuis defraudent amerciamentis.

47. Item, Cum non conſueverint Prælati vel viri Eccleſiaſtici amerciari, pro communibus ſummonitionibus in adventu Juſticiariorum, modernis temporibus amerciantur paſſim indifferenter & graviter, ſi non compareant prima die; tam coram Juſticiariis intinerantibus, quàm coram Juſticiariis de foreſta.

48. Item, Accidit interdum quòd Eccleſia gaviſa eſt aliquarum rerum poſſeſſione, ſeu libertatum ab antiquis temporibus; & licèt Rex Eccleſiis & viris Eccleſiaſticis in principio *Magnæ Chartæ* ſuæ de libertatibus datis *Anglicis*, dederit & confirmaverit Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis, omnes libertates quibus antea uſi fuerant; paſſim tamen compellit Prælatos reſpondere; quare vel quo warranto talibus utantur libertatibus. Et ſi prælatus compulſus comparens Chartam donatoris exhibeat, licèt contineatur in ea quòd donator tales ac tales dederit libertates, & omnes alias quas in rebus datis habuerat, vel habere potuerat, vel aliis in Inſtrumento donationis, quatumcunque generali clauſula contineatur; & dicat quòd in illa generali clauſula, Libertas de qua agitur includitur; nil proderit ei niſi in charta de eadem libertate expreſſa fiat mentio. Et ſic ſecundùm opinionem regalium, verbum illud omnino pro nihilo ſupponit; quod ſecundùm jura & omnem rationem nihil exceptum reliquit, præſertim in donationibus piis locis factis.

49. Item, licèt in Charta de libertate de qua agitur expreſſa fiat mentio, dicunt Regales quòd charta ſine poſſeſſione vel uſu non valet; & quòd Eccleſia non ſit uſa tali libertate, paratus eſt Rex ſe opponere in recognitione patriæ; licèt certum ſit Eccleſiam ea libertate uſam fuiſſe. Et ſic quod certum eſt, revocant in dubium, & jus & poſſeſſionem Eccleſiæ, ponere nititur in ore ſeu judicio laicorum & Eccleſiæ perſecutorum. Si verò non fiat expreſſa mentio in Charta de qua contenditur libertate, ſed nota ſit poſſeſſio vel uſus; & dicat Prælatus, quòd licèt non nominatìm ſed per generalia verba data ſit libertas illa Eccleſiæ, vel quòd aliquando habuit Eccleſia *Chartam* expreſſam facientem de hujuſmodi libertate mentionem, quod perditum eſt, vel vetuſtate conſumptum, vel alleget donationem ſine ſcriptis factam morte regum antiquorum; & per hoc habuerit Eccleſia juſtum titulum, bonam fidem, & poſſeſſionem longiſſimam, & ſic firmo jure tueatur: dicunt Regales quòd non ſufficit, quia talis poſſeſſio eſt uſurpatio vel occupatio illicita; cum ſit Regi contraria. ¶. Et quidem mirabile eſt dictu, quòd longiſſima poſſeſſio talis, non poſſit prodeſſe Eccleſiis contra Regem: Cum è contrario in hiis quæ à Rege nullatenus poſſideri poſſunt,

ratione

ratione Conſuetudinis ſive uſus, jus ſibi vendicet contra Eccleſias: ſicut in omnibus oppreſſionibus ſupradictis, & aliis conſimilibus, in quibus loco tituli ſuccedit Sacrilegium vel injuria manifeſta; loco bonæ fidei, oppreſſio; loco Conſuetudinis, actus unus vel diutina corruptela, ſi ſæpiùs fuerit attemptatum.

50. Item, Cum Dominus Rex juraverit in Coronatione ſua, conſervare jura & libertates Eccleſiis datas, & eas confirmaverit in principio *Magnæ Chartæ*: inceſſanter tamen à Miniſtris ſuis impugnantur turbantur & mutilantur; non ſolùm generales, ſed etiam ſpeciales: datas ſcilicet à prædeceſſoribus ſuis, & ab ipſo confirmatas; & etiam de novo datas, & donationes quas ipſe dedit, & alias quas ipſe defendere & warrantizare deberet, impugnat & ſuſtinet impugnari, & impugnatores defendit; ſicut patet in facto *Bothon*, & aliis caſibus, quos ad præſens tacemus, ſperantes, quòd ad ſingulorum querelas, ſingulares injurias faciet emendari.

Nota, Lector, quòd cùm Articulos ſequentes ad eandem rem facere advertimus, eorum etiam copiam tibi fecimus, Maximè cum ſint ipſiſſimæ proviſiones ab Epiſcopis tunc ſancitæ, contra prædicta gravamina Laicorum.

Articuli obſervandi per proviſionem Epiſcoporum Angliæ.

TRIA ſunt genera articulorum, de quibus agitur in præſenti. Sunt enim quidam articuli, in quibus Prælati nullo modo diſſimulare poſſunt.

Sunt alii, in quibus poſſunt indicio charitatis, non perturbatione infirmitatis diſſimulare.

Sunt & alii, in quibus diſſimulare poſſunt, ſine diſcrimine ſalutis æternæ & periculo animarum.

Articuli qui diſſimulari non poſſunt, abſque interitu ſalutis æternæ animarumque periculo & ſubverſione Eccleſiaſticæ libertatis, ac Eccleſiaſticarum perſonarum præjudicio manifeſto; proximò ſunt ſubſcripti.

§. Cum Eccleſia *Anglicana* non ſolùm contra jura divina & ſtatuta Canonica, ſed etiam contra libertates à Regibus Principibus & aliis regni magnatibus ſibi conceſſas, auſibus ſacrilegis, novis irruptionibus, diris concuſſionibus, & oppreſſionibus nefariis, multipliciter ſit attrita; & hoc abſque perpetuo animarum periculo Prælatorum, Domini Regis, & aliorum regni Magnatum; ſub diſſimulationis ſilentio nequaquam veleat ulteriùs pertranſiri. De unanimi aſſenſu & conſilio Prælatorum, Religioſorum, & totius Cleri Eccleſiæ memoratæ, ſalubriter eſt proviſum: ut machinis ſecularium poteſtatum ſalutis, mœnia laborantis Eccleſiæ dilapſa, inflexibili reparentur inſtantia, per ſtatutorum remedia quæ ſequuntur.

§. Quia igitur ſæpe contingit Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Prælatos inferiores, per literas Domini Regis ad ſæculare judicium evocari, ut ibi reſpondeant ſuper hiis quæ merè ad ipſorum officia & forum Eccleſiaſticum pertinere noſcuntur; ut, ſi fortè clericos ad Eccleſias & Capellas vacantes ſeu non vacantes, admiſerint vel non admiſerint, Rectores inſtituerint in eiſdem, ſuos ſubditos excommunicaverint, excommunicatos denunciaverint, interdixerint, Eccleſias dedicaverint, ordines celebraverint, de cauſis merè ſpiritualibus cognoverint; ut puta de decimis, oblationibus, limitibus parochiarum, & ſimilibus, quæ non poſſunt ad ſæculare forum aliquatenus pertinere: ſive etiam cognoverint de peccatis & exceſſibus ſubditorum; ſicut de perjurio, fidei tranſgreſſione, ſacrilegio, violatione ac perturbatione Eccleſiaſticæ libertatis, præſertim cum ipſius violatores, necnon & libertatum per chartas Domini Regis Eccleſiæ conceſſarum, in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto; & ſi inter clericos ſuos cognoſcant, vel inter laicos conquerentes & clericos defendentes, in perſonalibus actionibus ſuper contractibus vel delictis, ſi perſonas Eccleſiaſticas ad mandatum Domini Regis in foro ſæculari non exhibuerint, clericos in foro ſæculari americatos non compulerint ad amerciamenta hujuſmodi exſolvenda, ſeu ipſa non ſolverint pro eiſdem: ſi juriſdictionem ſuam in Eccleſiis & Capellis, Epiſcopatibus, ſeu monaſteriis, annexis per mortem Prælatorum, aut ceſſionem vacantibus, exercuerint, Canonicam & conſuetam, & ſi qua alia hiis ſimilia fecerint vel non fecerint, pertinentia ad officia Ordinariorum. §. Providemus, quòd dicti Archiepiſcopi, Epiſcopi, & cæteri Prælati, non veniant taliter evocati; ut cum honore deferatur. Majores Prælati Domino Regi ſcribant, quòd hujuſmodi mandatis Regiis parere non poſſunt abſque ſubverſione Eccleſiaſticæ libertatis, & ad hæc ideò non tenentur: eidem nihilominus literas exhortatorias dirigendo, ut animæ ſuæ ſaluti conſulendo, ab hujuſmodi mandatis ulterius deſiſtat. Et ſi Dominus Rex hujuſmodi exhortationibus ſpretis, ad attachiationes vel diſtrictiones proceſſerit eorundem, tunc vicecomites & alii quicunque ballivi ipſos attachiantes & diſtringentes, per eoſdem attachiatos & diſtrictos in forma juris excommunicentur; & loca in quibus commorantur, & terræ eorum quas habent in Regno *Angliæ*, per locorum diœceſanos

ſanos ad denunciationem attachiati, & diſtricti, interdicto Eccleſiaſtico ſupponantur. Et ſi clerici fuerint beneficiati, ſuis beneficiis priventur; non beneficiati, per quinquennium ad beneficium Eccleſiaſticum in regno *Angliæ* (ſi fortè præſentati fuerint) minimè admittantur. Clerici autem qui hujuſmodi brevia attachionum ſeu diſtrictionum dictaverint, ſcripſerint, ſignaverint, conſilium aut auxilium adhibuerint, ſolenniter excommunicentur, & excommunicati denuncientur; nec aliqui de præmiſſis certa ratione ſuſpecti, ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum donec ſe ſuper hiis canonicè purgaverint, admittantur. Et ſi Dominus Rex monitus hujuſmodi diſtrictiones non revocaverit, Epiſcopus qui diſtrictus fuerit, terras, villas Dominicas, & caſtra quæ Rex habet in ſuo epiſcopatu, Eccleſiaſtico ſupponat interdicto. Et ſi Rex in ſua duritia perſeveret, cæteri coepiſcopi diſtrictionem unius quaſi communem omnium, & etiam communem injuriam Eccleſiæ reputantes; civitates, terras Dominicas, burgos, caſtra & villas ipſius Regis in ſuis Epiſcopatibus conſiſtentes, ſimili ſupponant interdicto. Et ſi nec ſic infra viginti dies poſtmodùm, attachiationes & diſtrictiones hujuſmodi revocaverit, aut ob hoc manum contra Eccleſiam aggravaverit; ſinguli Archiepiſcopi & Epiſcopi, ſuas diœceſes Eccleſiaſtico ſupponant interdicto. Et ſi aliquis Epiſcoporum in hac parte inventus fuerit negligens & remiſſus, per ſuum metropolitanum graviter arguatur, & ſi perſeveraverit in negligentia, Canonicè puniatur per eundem. Et nihilominus, ſua Diœceſis, omni Prælatorum & ſua auctoritate & conſenſu, in præſenti ordinatione adhibitis Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

§. Ad hoc quia frequenter accidit, quòd nonnulli clerici per laicam poteſtatem Eccleſias occupant parochiales & præbendales, & curam animarum habentes, & in eis abſque authoritate Eccleſiaſtica intruduntur; Providemus quòd Clericus per ſe ſic intruſus, ſervatâ juris forma anathemate feriatur; & talis per loci Diœceſanum publicè nuncietur, & illo beneficio imperpetuum careat, ipſo facto: & ſi ſic in ſua pertinacia per duos menſes perſtiterit, per locorum Diœceſanos ubi habet alia beneficia Eccleſiaſtica, ad denunciationem Epiſcopi illius in cujus Diœceſi ſe intruſit, cujuſque monitionem & excommunicationem per dictum tempus contempſit, proventus illorum beneficiorum quouſque congruè ſatisfecerit, eidem ſubtrahantur. Et ſi per annum idem intruſus in hujuſmodi excommunicationis ſententia perſeveraverit, extunc ad aliquod beneficium in Regno *Angliæ* minimè admittatur. Si verò per procuratorem Clericum fuerit intruſus, contra eundem procuratorem clericum modo ſimili procedatur: & pœnis ſubjaceat ſupradictis. Si verò procurator talis laicus fuerit, in forma juris excommunicetur: & talis publicè nuncietur. Dominus autem abſens citetur, qui ſi comparens ratificaverit factum cujuſcunque procuratoris ſui in hac parte, pœnis ſubjaceat ſupradictis. Si verò per contumaciam ſe abſentet, poſt ſpatium trium menſium expectatus; ſi ſit in Regno; majoris excommunicationis ſententia innodetur, & inſuper pœnas incurrat prætaxatas; maximè cum ſacrilegio adjecerit contemptum. Si verò fuerit extra regnum, contra ipſum vocatum poſt dilationes tranſmarinas, ſimili forma procedatur. Eccleſia & præbenda in qua ſit intruſio, interdicto Eccleſiaſtico ſupponatur. Auctores autem & coadjutores hujuſmodi intruſionum; ſi clerici fuerint, præfatas pœnas clericis impoſitas incurrant: ſi laici, pœnas perferant contra laicos ſuperiùs annotatas. Loca verò & terræ hujuſmodi intrudentium, ſi infra unum menſem non ſatisfecerint, Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Si verò hujuſmodi intruſiones factæ fuerint ex regia poteſtate, moneatur Dominus Rex per loci Diœceſanum, quòd eas faciat infra competens tempus revocari: alioquin terræ & loca quæ idem Dominus Rex habuerit in illa Diœceſi in qua fuerit intruſio, Eccleſiaſtico interdicto ſupponantur. Si verò per alium magnatem vel potentem fuerit talis intruſio facta, per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias (ut ſuperiùs) arceatur: & ſi infra duos menſes factum hujuſmodi non correxerit, terræ & loca quæ obtinet in illa Diœceſi, per Diœceſanum loci interdicto Eccleſiaſtico ſupponantur.

§. Præterea cum excommunicati, & de mandato Prælatorum ſecundùm Regni conſuetudinem capti, & carceri mancipati, aliquando per Regem, & quandoque per vicecomites, alioſque ballivos, ſine conſenſu Prælatorum & ſatisfactione congrua liberentur; plerunque hujuſmodi etiam excommunicatione non capiantur, neque de ipſis capiendis literæ regiæ concedantur. Nonnunquam etiam dicti Rex & ballivi ſui, cum hujuſmodi excommunicatis & denunciatis publicè communicant, claves Eccleſiæ contemnendo, in ſubverſionem Eccleſiaſticæ libertatis: §. Providemus, quod excommunicati, & ſic capti, & taliter exeuntes, ad majorem ſui deteſtationem, publicè & ſolenniter pulſatis campanis, accenſis candelis excommunicentur & denuncientur excommunicati, in locis ubi Ordinarius locorum eorum videbitur expedire. Vicecomites autem & alii ballivi qui eos liberaverint, non prælati præſtita ſatisfactione, Eccleſiæ vel emenda: publicè excommunicentur anathemate, & excommunicati ſolenniter denuncientur. Si tamen de mandato Regio ad hoc proceſſerint, mitiùs cum eis arbitrio Ordinariorum agatur. Clerici verò qui hujuſmodi brevia dictaverint, ſcripſerint, ſignaverint, conſilium & auxilium adhibuerint, puniantur ſicut ſuperiùs in primo remedio pleniùs continetur. Moneatur autem Dominus Rex, quòd hujuſmodi exceſſus corrigat, & à talibus deſiſtat mandatis; & ſi Dominus Rex monitionibus non paruerit, locus in quo captus detinebatur, interdicto Eccleſiaſtico ſupponatur: & ſi denegetur li-

tera

tera conſueta de excommunicato capiendo, moneatur Dominus Rex per Prælatum qui ſuper hoc ſibi deſcripſerit, quòd eam concedat & faciat pertranſire; Quòd ſi non fecerit, civitates, caſtra, burgi, & villæ, quas habet in diœceſi ſic ſcribentis, per ipſum ſcribentem interdicto Eccleſiaſtico ſupponantur. Contra Communicantes quoque cum excommunicatis, procedatur ſecundùm cenſuram Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

§. Clerici quoque ſine delectu perſonarum quanquam in furto deprehenſi non fuerint, tanquam facinoroſi ut ſuſpecti de crimine, ſeu foreſta capiuntur & in carcere detinentur, nec redduntur Ordinariis ſecundùm Canones liberè judicandi; & ſi Clerici quibus crimina imponuntur coram Judicibus ſæcularibus vocati non comparuerint, fornabiuntur à regno: Quare providemus, quòd ſi clerici ſic capti noti fuerint & honeſti, capientes ipſos & etiam detinentes, in forma juris ſolenniter excommunicentur per locorum Ordinarios, & excommunicati denuncientur. Loca etiam in quibus fuerint detenti, & terræ capientium & detinentium, Eccleſiaſtico interdicto ſupponantur: donec eoſdem dimiſerint & liberè abire permiſerint, ac aliàs ſuper hoc ſatis fecerint competenter.

§. Illi autem qui eis falſa crimina impoſuerint ſeu malitioſè, propter quem capti fuerint & detenti, excommunicentur; & excommunicati publicè denuncientur: uſque ad ſatisfactionem condignam. Clerici verò vagi & ignoti capti & detenti, ſi in poſſeſſione Clericatus fuerint inventi, per locorum Ordinarios requirantur liberè per Eccleſiam judicandi; & ſi denegentur, puniantur ut ſuperiùs detentores. Et ſi tradantur, liberè judicentur: non expectatis Juſticiariis quibuſcunque: & ſi Juſticiarii eiſdem clericis coram eis non exhibitis, Epiſcopum condemnent in pœna pecuniaria; pœnæ ſuperiores in ipſos Juſticiarios, prout clerici fuerint ſive laici, proferantur. Clerici autem Domini Regis, vel quicunque alii qui excommunicationem hujuſmodi proſequuntur; dictando, ſcribendo, ſigillando, vicecomiti vel aliis ballivis hujuſmodi mandata dirigendo, pœnis ſubjaceant in clericos ſuperiùs promulgatis. §. Clericus tamen ſuper tranſgreſſione foreſtæ coram ſuo Ordinario Canonicè convictus, Domino Regi vel alii damnum & injuriam paſſo, per eundem Ordinarium ſatisfacere compellatur: & aliàs arbitrio Ordinarii ſui, pœna Canonica puniatur. Si verò clerici canonicè ſe purgaverint ſuper ſibi impoſitis ac objectis, & laica poteſtas nihilominus bona detineat eorundem; occupantes & detinentes bona hujuſmodi clericorum, per ſæpe dictam cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur. Quod ſi ſic capti, malitioſè tempore intermedio abraſi fuerint ſeu ſuſpenſi: abradentes ſeu etiam ſuſpendentes, conſilium & auxilium impendentes, pœnis ſubjaceant ſupradictis. Forbaniantes quoque, pœnis ſimilibus percellantur.

§. Sanè cum nonnulli clerici ad invicem, & plerunque cum clericis contrahentes, ipſos contractus fidei datione vallent, aut corporaliter præſtito Sacramento: qui ſuper fidei aut Sacramenti præſtiti religione contempta, coram Judice Eccleſiaſtico conventi, regiam prohibitionem impetraverint; ut ſuper perjurio & fidei læſione examen Eccleſiaſtici Judicis ſic declinent: Providemus, quòd ſi laicus fuerit impetrator, per excommunicationis ſententiam (ut ſuperiùs) arceatur. Quòd ſi nec ſic deſtiterit, & poſſeſſor immobilium exiſtat, terra ſua ſupponatur Eccleſiaſtico interdicto. Si autem immobilia non habeat, mercenarii ſui & non neceſſitate perſonæ moneantur, quòd infra octo dies ab eo recedant: alioquin conſimilis feratur ſententia excommunicationis in eoſdem. Si autem reus clericus fuerit vel religioſus, exerceantur pœnæ canonicæ contra eos. Et ſi clericus reus in ſua pertinacia perduraverit, procedatur contra eum, ſecundùm pœnas ſuperiùs contra pertinaces clericos annotatas. Si autem auctor laicus ſit habens laicum feodum, & per corpus & feodum ſuum diſtringatur: contra diſtringentes omnes procedatur prout clerici fuerint vel laici, per pœnas quæ contra eos ſuperiùs ſtatuuntur. Et ſi auctor timore regiæ prohibitionis ſe ſubtraxerit, ne peccata maneant impunita, Judex ex officio ſuo procedat, prout viderit expedire. Si autem Judex habens laicum feodum diſtringatur, procedatur contra diſtringentes, & Dominum Regem, ut ſuperiùs annotatur. Et ſi non habet laicum feodum, Epiſcopus non exhibeat eum, & ſi diſtringatur Epiſcopus, procedatur contra Dominum Regem & diſtringentes, ut ſuperiùs expreſſum eſt. Et hoc idem in conſimilibus prohibitionibus obſervetur. Idem fiat, & ſi tertius nuncius veniat, ex tranſverſo porrigat ſeu porrigi faciat prohibitionem talem, dum tamen ille eam verbo vel facto ratificaverit, pro quo apparuerit impetrata.

§. Cum inſuper Prælati Eccleſiaſtici, ex officii ſui debito inquirant de morum diſciplina, peccatis & exceſſibus ſubditorum, quia Rex, magnates, & aliæ poteſtates ſeculares, ipſorum officia impediunt in præmiſſis; laicis ſibi ſubditis inhibendo ne ad mandatum ipſorum Prælatorum, de veritate dicenda ſubeant juramentum. §. Et quia iidem non permittunt dictos Prælatos, ſubditos ſuos in cauſis ſeu negotiis Eccleſiaſticis corporaliter ſeu pecuniali- ter, ſeu aliàs canonicè punire; ſecundùm perſonarum & delictorum qualitatem: Providemus, quòd laici ad præſtandum hujuſmodi juramenta, & ad ſolvendum quaſlibet pœnas per Prælatos ſuos canonicè inflictas, nihilominus præciſè per excommunicationis ſententiam compellantur. Impediantes verò ne hujuſmodi juramenta præſtentur, aut pœnæ exſolvantur, per interdicti & excommunicationis ſententias prædictas arctiùs compeſcantur. Et ſi per hoc

ad

ad diſtrictionem proceſſum fuerit Prælatorum, contra diſtringentes, ſicut dictum eſt ſuperiùs, procedatur. Et quia modo conſimili Prælatorum officium impeditur, cum contingat quòd *Judæus* delinquens in rebus Eccleſiaſticis & perſonis, ſuper hiis conventus fuerit coram ipſis; & ſuper aliis quæ ad forum Eccleſiaſticum pertinent mero jure. §. Providemus, quòd *Judæus* per interdictum commercii, contractuum, & communionis fidelium, ad reſpondendum in hiis caſibus nihilominus compellatur: inhibentes quoque, impeditores, & diſtringentes; pœnas interdicti & excommunicationis incurrant.

§. Porrò quoniam ad immunitatem Eccleſiæ confugientibus, tam arcta ibidem apponitur cuſtodia laicorum, quod vix eis in alimentis poterit ſubveniri; aliquando iidem confugientes, ab Eccleſiis, cœmiteriis, viis publicis, poſt terræ abjurationem ſecundùm regni conſuetudinem, violenter extrahuntur, & ſic extracti ſcelleratè in præjudicium immunitatis Eccleſiaſticæ occiduntur: Providemus, quòd qui hujuſmodi alimenta impediunt miniſtrari, per diſcretionem Ordinarii pœnâ excommunicationis diſtrictiùs arceantur. Extrahentes autem eos ab Eccleſia, vel cœmiterio, ſeu via publica per inſidias, poſt abjurationem terræ; vel taliter extractos occidentes, cum ſub Eccleſiaſticâ protectione conſiſtant, omnibus pœnis ſacrilegii percellantur. In Eccleſia autem vel cœmiterio, non fiat cuſtodia confugientium ad Eccleſiam; & ſi fiat, cuſtodes in forma juris diſtrictiùs excommunicationis ſententia compeſcantur.

§. Rurſus multotiens invadunt aliqui bona Eccleſiaſtica, & perturbant ac infringunt Eccleſiaſticas libertates. Unde providemus, quòd malefactores hujuſmodi ac ſacrilegi, excommunicati per locorum ordinarios nuncientur; & ſi in ſua pertinacia per unum menſem perſeveraverint, tunc terræ ſuæ & loca in quibus morantur, Eccleſiaſtico ſupponantur interdicto: & neutra relaxetur ſententia, donec de damnis aut injuriis ſatisfecerint competenter. Et ſi quis Eccleſiam poſſeſſionibus aut libertatibus ſuis ſpoliaverit, pœnis ſubjaceat ſupradictis: & in ipſum uſque ad plenam reſtitutionem & ſatisfactionem condignam, in forma juris excommunicationis ſententia ſolenniter proferatur. Et ſi iidem ſacrilegi faciant judices, aut Prælatos propter hoc attachiari & diſtringi; tam ipſi quam diſtringentes, pœnas in attachiatores & diſtrictores edítas, perferant ſæpedictas.

§. Ad hæc, cum contingat quòd domicilia & hoſpitia clericorum ſuis ſervientibas occupentur, bonaque ipſorum clericorum ibidem inventa, per ſacrilegos hujuſmodi conſumantur, reclamantes & retinentes conviciis afficiantur, verberibus affligantur, & aliàs viliter pertractentur, & quandoque etiam carectæ & equitaturæ dominicæ Prælatorum, Religioſorum, aut Clericorum in itinere publico, in mercatis, & aliquando in ſanctuariis capiantur, & abducantur violenter, addictorum Magnatum res, commercia, & victualia tranſvehenda: *Providemus*, quòd omnes hujuſmodi violenti & ſacrilegi, in forma juris excommunicentur, & ſolenniter excommunicati denuncientur: donec ablata & abducta reſtituerint, & de illatis injuriis ſatisfecerint competenter.

§. Compelluntur etiam Clerici & Religioſi res ſuas quas habent licitè venales, ad pretium Domini Regis ſibi & ſuis miniſtris vendere, & inviti tradere pretio non ſoluto: unde *Providemus*, quòd taliter compellentes, cogantur per ſententiam excommunicationis juſtum pretium ſupplere; vel rem reſtituere ſic extortam: & nihilominus de commiſſo ſacrilegio ſatisfacere, prout decet.

§. Domino inſuper rege Eccleſiarum Cathedralium vel Conventualium vacantium cuſtodiam obtinente, bona earundem Eccleſiarum per ballivos ſuos diſſipat & conſumit; non ſolum contra libertates Eccleſiæ, ſed contra jura Eccleſiaſtica & chartam ſuam communium libertatum: propter quod *Providemus*, quòd Eccleſiaſticus Judex loci dictos ſacrilegos per excommunicationis ſententiam coerceat, uſque ad ſatisfactionem condignam; & ſi Rex prohibuerit, non parcatur eidem, & ſi attachiationes & diſtrictiones intervenerint, ad remedia contra attachiantes & diſtringentes ſuperiùs præmiſſa, habeatur recurſus.

§. Archiepiſcopi utique & Epiſcopi, ratione patrimonii Eccleſiaſtici per communem ſummonitionem coram Juſticiariis itinerantibus evocati, per Attornatos ſeu procuratores ſuos literatoriè conſtitutos, contra libertatem & conſuetudinem Eccleſiæ minimè admittuntur: Supplicandum eſt ergò Domino Regi, ut ſuſtineat quod per literas procuratorias admittantur procuratores ſeu Attornati eorundem; & Juſticiarii moneantur, quòd tales cum literis competentibus admittant attornatos. Si verò ſic non admittantur, & quia perſonaliter non venerit Prælatus, condemnetur, & poſtmodum diſtringatur: *Providemus*, quòd procedatur contra attachiantes & diſtringentes, ut ſuperiùs eſt expreſſum.

§. Prælati verò & clerici venire coram magiſtratibus ſecularibus diſtringuntur, oſtenſuri quo jure aut quo warranto utuntur libertatibus quibus à longis retrò temporibus, ipſi ſeu prædeceſſores ſui, uſi ſunt pacificè, nomine Eccleſiarum ſuarum: alioquin impediuntur uti libertatibus prædictis. *Providemus*, quòd ſic vocati de jure aut warranto ſuo non reſpondeant; & ſi ſuper hoc diſtringantur, vel aliàs condemnentur; procedatur contra condemnantes & diſtringentes, ut ſuperiùs annotatur. Et ſi retineatur Prælatus, Archiepiſcopus cum Epiſcopis requirat eum, & puniant detentores: & ſi liberè non dimittatur, ad interdicta ut ſuperiùs procedatur.

§. Ali-

§. Aliquando quidem Eccleſiis & Prælatis Principes, & alii *Chriſti* fideles, poſſeſſiones & libertates dant & concedunt per ſuas chartas ; in quibus hujuſmodi clauſula vel ſimilis continetur. *Omnia quæ ad me vel ad hæredes meos de tali feodo vel poſſeſſione pertinent, vel poterunt pertinere, tali eidem Eccleſiæ vel Monaſterio, ac eorum Prælatis & Miniſtris, ſine aliquo retenemento, do, concedo, & præſenti charta confirmo.* Si poſtmodum ſuper aliquo articulo de pertinentiis, qui in charta ipſa non fuerit ſpecialiter expreſſus, in judicio ſeculari contentio moveatur ; dicunt judices ſeculares, Chartam illam eſſe vacuam & inanem ; eò quòd nominatim articulus ille non exprimitur in eadem. Et ſic hoc verbum *Omnia* ſecundùm eos nihil continet, niſi quòd fuerit ſpecialiter expreſſum : & ſi articulus libertatum contentioſus in charta ſpeciali exprimatur, dicunt iidem judices Chartam ipſam eſſe vacuam & invalidam : ſi Eccleſia vel monaſterium uſa non fuerit hujuſmodi libertate. §. *Providemus*, quòd Juſticiarii & alii Judices ſeculares, Eccleſias vel loca religioſa perverſa interpretatione hujuſmodi, poſſeſſionibus ſuis ſeu libertatibus defraudantes, moneantur per locorum Ordinarios in quibus talia judicia exercentur : quòd ſub talis interpretationis velamento, poſſeſſiones, libertates & jura Eccleſiaſtica perturbare ſeu intervertere non præſumant. Quod ſi monitionibus non acquieverint eorundem, per excommunicationis interdicti ſententias dictorum Juſticiariorum & judicum, prout clerici fuerint ſive laici, iniquitas ſecundùm formam ſuperiùs annotatam, reprimatur.

§. Licèt etiam clemens Rex, magnates aliique *Chriſti* fideles, terras & poſſeſſiones in liberam puram & perpetuam eleemoſynam Eccleſiis & viris Eccleſiaſticis piè duxerint conferendas, nihilominus cum Vicecomites ac ſui ballivi compellunt hujuſmodi perſonas Eccleſiaſticas, pro dictis terris & poſſeſſionibus ſectam facere ad ſuam Curiam Laicalem, contra donationis formam, & officium pietatis, & jura Eccleſiarum ; & poſſeſſiones quibus uſæ ſunt à longis & antiquis temporibus retroactis perturbantes, niſi de conceſſionibus originalibus, & chartis ſuis fortè vetuſtate vel alio modo deperditis vel conſumptis fidem fecerint coram eis : *Providemus*, quòd ſi diſtrictio fiat pro hujuſmodi ſectis, à donatoribus & fundatoribus, ſive eorum hæredibus, vel aliis ſuis ſuccedentibus ſucceſſoribus qualitercunque : per præmiſſas cenſuras Eccleſiaſticas penitus reprimantur. Si verò ab aliquibus capitalibus Dominis fiat diſtrictio pro dicta ſecta, quam Eccleſia vel Monaſterium antea facere non ſolebat ; compellentes & diſtringentes, modo ſimili arceantur.

Quandoque etiam laicis indeteſtatis decedentibus, Domini feodorum non permittunt ipſorum debita ſolvi de bonis mobilibus eorundem, nec in uſus liberorum ſuorum & parentum, vel aliàs per diſpoſitionem Ordinariorum, piè diſtribui pro defunctis. §. *Providemus*, ut moneantur dicti domini & eorum ballivi, ut à talibus impedimentis deſiſtant ; & monitionibus, non parentes (ſaltem pro illa portione quæ defunctum contingit) per excommunicationis ſententiam compeſcantur. Eodem modo procedatur contra eos, qui aſcriptitiorum & aliorum ſervilis conditionis teſtamenta impediunt, contra conſuetudinem *Anglicanæ* Eccleſiæ hactenus approbatam. §.

§. Prædicta denique remedia tam ad præſentia quàm ad futura gravamina ſe extendunt : præſertim à tempore excommunicationis de conſenſu Regis & magnatibus Regni *Londoniis*, per Prælatos ſolenniter promulgatæ, in tranſgreſſores *Chartæ Communium libertatum.*

§. Archiepiſcopi & Epiſcopi de conſenſu & approbatione inferiorum Prælatorum, Capitulorum Cathedralium, & Conventualium ; necnon univerſitatis totius cleri *Angliæ*, pro reformatione Status Eccleſiæ *Anglicanæ*, & reparatione Eccleſiaſticæ libertatis, hæc prædicta communiter & concorditer providerunt.

PAG. 817. lin. 49. *Literæ miſſæ à novo Rege* Alemaniæ *ſive* Romanorum, *ſummo Seneſcallo ſuo in* Anglia.

Salutem & omne bonum. Libenter votivos & celebres noſtræ felicitatis eventus, ad veſtrorum ſpeculum corda transferimus, credentes in vobis tunc argumenta congaudii geminari ; & præcipuè cum ad aures veſtras quas ex fidei puritate, intimæ affectionis zelo, circa noſtrum ſtatum attentas eſſe confidimus, lætitiæ noſtræ tripudia derivamus : illo proculdubio noſtris affectibus inhærente deſiderio, quòd delectaret nos potiùs hoc, & quælibet alia feſta, præſentialiter vobiſcum peragere, quàm per interpretis ſcripturæ miniſteria nunciare. Sàne ut plena omnium noſtrorum locorum eventuum, qui nobis poſtquam à vobis receſſimus acciderint, & certa ad vos notitia præferatur : præſentem paginam prædictorum eventuum oſtenſivam, ad vos duximus deſtinandam. Vobis ad gaudium intimantes, quæ cum in die Dominico proximo poſt feſtum beati Marci *Evangeliſtæ, apud* Gernemue *navem cum tota noſtra conſcendimus comitiva ; die Martis proximo ſubſequenti, in die ſcilicet Apoſtolorum* Philippi *&* Jacobi, *ſalvis per Dei gratiam omnibus & noſtris, & totius familiæ noſtræ, atque etiam Comitativæ perſonis & rebus, venimus uſque* Burdrech, *in oppido videlicet in medio Comitatus* Oxolandiæ *conſtituto. Indeque mora ibidem ad capeſſandam requiem, poſt labores biduana contracta, tertio die receſſimus ; & continuè per* Oxolandiam *&*

Gerl: Comitatus tranſitum facientes, tandem die Veneris ante feſtum Aſcenſionis Dominicæ, pervenimus Aquiſgranum: occurentibus nobis in dictæ civitatis introitu, hominibus majoribus & melioribus, clericis & laicis, nobilibus, militibus, & aliis omnibus civibus civitatis ejuſdem; Qui nos magnificè & honorificè, cum magno tripudio & jubilo, læti & hilares ſine cujuſlibet difficultatis obſtaculo ſuſceperunt. Nec credimus (quemadmodum vulgus in iſta terra & communis famæ teſtatur præconium) quòd à ducentis annis & citra aliquis Imperator Romæ vel regum, in ſuæ novitatis principio dictam civitatem ſine gravis offenſionis ſeu contradictionis obice ſit ingreſſus. Cumque poſt ingreſſum dictæ Civitatis, moram in ipſa oporteret nos trahere longiorem; ecce rumores noſtris affectati deſideriis occurrerunt nobis hilariter, nunciantes Archiepiſcopum Treverenſem noſtri climatis inimicum, qui in noſtri nominis & honoris diſpendium caſtrum noſtrum & palatium Bapardcenſe, cum maxima multitudine armatorum vallaverat, & ad expugnationem ipſius multas machinas inſtauraverat, à venerabili Archiepiſcopo Moguntino dilecto principe noſtro, aſſiſtente ſibi de noſtris fidelibus magna copia pugnatorum; ob noſtri nominis reverentiam ad dicti Caſtri liberationem, & in obſeſſorum ſubſidio properante, die Mercurii poſt feſtum Sancti Johannis ante portam Latinam, cum eodem Archiepiſcopo Treverenſi confligente viriliter; non ſine ſtrage ſuorum multorum, multis ſuis militibus & aliis complicibus captivatis confectum in prælium, per dedecoroſæ fugæ præſidium, mortis ſupplicium, ſeu periculoſum captivitatis diſpendium evitaſſe. Sic itaque dicto Caſtro noſtro, per præfati Archiepiſcopi Maguntini, ac aliorum fidelium noſtrorum auxilium, à preſſuris ſubſidentium, & ab impugnantium inſultibus feliciter liberato; ipſoque victualibus, & aliis neceſſariis, ac ſtrenuis defenſoribus egregiè communito, Idem Archiepiſcopus Maguntinus, apud Aquiſgranum ad præſentiam noſtram venit: ubi in feſto Aſcenſionis Dominicæ, ipſo & Epiſcopo Colonienſi præſentibus, multiſque Epiſcopis, ducibus, Comitibus, Baronibus, Marchiſiis, & nobilibus regni noſtri, noſtriſque fidelibus, in ſede magni Caroli cum ſolennitate qua decuit, in illius nomine qui ſuperbos dejicit & ponit humiles in ſublimi, ſacri Romani regni ſceptrum recepimus, & coronam: chariſſima conſorte noſtra ſimiliter, eodem die nobiſcum ſolenniter ut decuit coronata. Denique coronationis noſtræ cum magna ſolennitate & gaudio officio celebrato, dilectorum Principum & aliorum noſtrorum fidelium, ſuper agendis noſtris communicato conſilio; viſum eſt nobis & eis exaltationi noſtræ votivæ plurimùm expedire, ut ſtatim ſine moræ diſpendio humiliationi noſtrorum rebellium intendamus; ac poſt ad confringenda elati cornua Treverenſis, omnia noſtra molimina convertamus: ut ſicut ſe primum in noſtris negotiis, non tam juſtum & rationabilem, quàm voluptarium conſtituit turbatorem; ita primò experiatur & diſcat, quid & quantum contra eum poſſit & valeat manus noſtra. Ad hæc autem præcipuè certos vos volumus eſſe, quòd tantam jam in auxilio noſtrorum fidelium & fautorum, in Alemannia habere confidimus poteſtatem, quòd in fidei noſtræ Zelo durantibus, nullius viventis ſit nobis potentia formidanda. Datum, &c.

§. Et ſciatis quòd ad feſtum noſtrum, fuerunt tria millia militum: & fuimus apud villam Alquenſem, per octo dies ante feſtum prædictum: & tenuimus feſtum noſtrum die Aſcenſionis & in craſtino feſtum Domini Henrici filii noſtri, pro militia ſua, ſecundùm morem patriæ, bono modo & bonâ tranquillitate, abſque aliqua alicujus turbatione vel læſione. Et ſciatis, quòd ad Pentecoſten apud Coloniam, & inde transferemus nos cum exercitu noſtro, ſuper Archiepiſcopum Treverenſem. Et ſciatis quòd ad feſtum noſtrum prædictum, fuerunt triginta tam Duces quàm Comites; & duo Archiepiſcopi, & decem Epiſcopi.

Sic ſic igitur coruſcat pronoſticum Frederici Imperatoris manifeſtatum; prout ſcribitur in ſchedula inſita.

PAG. 821. lin 28. & PAG. 822. lin. 64. *Tartarorum immunditias, &c. apud Sanctum Albanum diligens indagator poterit reperire*] ſcilicet, in *libro Additamentorum*, qui apud *Sanctum Albanum* aſſervabatur; ut ejuſdem cœnobii archivis, liber privatus & peculiaris. Unde tibi hæc quæ ſequuntur tranſcripſimus: licet plurimas ſuper hac re Epiſtolas habeas variorum, in *Hiſtoria* præcedenti, paginis, ſcilicet, 487. l. 17. pag. 496. l. 55. & p. 538. l. 30.

Epiſtola cujuſdam Epiſcopi Ungarienſis, *ad Epiſcopum* Pariſienſem.

DE facto *Tartareorum* vobis reſcribo, quòd ipſi venerant prope confinium *Ungariæ* per quinque dietas: & venerunt ad aquam quæ vocatur *Deinphir*, quam tranſire non poterant in æſtate. Volentes autem expectare hyemen, miſerunt ante ſe quoſdam exploratores in *Ruſſiam*; ex quibus capti fuerunt duo, & miſſi Domino Regi *Ungariæ*, quos ego habui in defenſu meo; & ab ipſis didici nova, quæ vobis mando. Quæſivi ubi eſſet terra eorum: & dixerunt, quòd eſſet ultra quoſdam montes, & ſedet juxta flumen quod vocatur *Egog*; & credo quòd ille populus ſit *Gog* & *Magog*. Quæſivi de fide; & ut breviter dicam, nihil credunt: Et cœperunt dicere, quòd exierunt ad expugnandum mundum. Literas habent *Judæorum*, quia priùs proprias literas non habuerunt. Quæſivi qui eſſent illi qui docent eos literas; dixerunt quòd eſſent homines pallidi, qui multum jejunant,

veſtes

veſtes longas portant, & nullos offendunt: & quia multas circumſtantias dixerunt de hominibus illis, quæ concordant cum ſuperſtitionibus *Phariſæorum* & *Saducæorum*, credo illos eſſe *Saducæos* vel *Phariſæos*. Quæſivi, utrum diſcernerent cibos, dixerunt quòd non. Comedunt enim ranas, canes, & ſerpentes, & omnia indifferenter. Quæſivi, qualiter exierunt de montibus ultra quos fuerunt. Dixerunt quòd viginti dietis durat longitudo & latitudo ipſorum: Duodecim millia hominum ſemper ſunt in equis, qui cuſtodiunt exercitum. Equos bonos habent, ſed ſtultos. Equi enim multi ſequuntur eos abſque ducatu; ita quòd ſi unus equitat, xx. vel xxx. equi ſequuntur ipſum. Loricas habent de coreis, & ſunt fortiores quàm de ferro: & ſimiliter coopertoria equorum. Pedites nihil poſſunt, quia crura habent brevia, & corpus longum. Meliores ſunt ſagittarii, quàm *Ungarii*, & *Comanii*, & fortiores artus habent. Quocunque modo intrant terram, interficiunt habitatores terræ; Præter parvulos, quibus *Zingiton* * qui eſt Dominus eorum (qui * *Cingis Cham.* interpretatur Rex Regum) lignum ſuum imponit comburendo in facie ipſorum. Quadraginta & duo Conſiliarii ſunt, quibus *Zingiton* ſigillum ſuum committit. Nullus de toto exercitu audet niſi alta voce, nullus de toto exercitu audet interrogare quo vadit dominus noſter, vel quid intendit facere? lac jumentorum bibunt, & multum inebriantur. Nova de ipſis certa audire non poſſumus; quia præcedunt eos quædam gentes quæ *Mordani* vocantur: qui interficiunt omnes homines indifferenter: & nullus de eis audet calceare pedes ſuos, donec interficiat hominem: & per illos credo eſſe interfectos *Prædicatores* & *Fratres Minores*, & alios nuncios, quos miſerat Rex *Ungariæ* ad explorandum. Sine dubietate devaſtaverunt omnes terras, & deſtruxerunt quas invenerunt, uſque ad aquam ſupradictam.

Illuſtri viro glorioſo & excelſo mirificæ bonitatis prædicto, ac ſoſpitatis providentia redimito, *I.* Dei gratia Duci *Barbaniæ* & *Bononiæ*, *N.* Dei gratia *Langon*: *Turrigin*: * & * *Thuringiæ.* *Saxoniæ*, Comes *Palatinus*, ſalutem, & *Chriſtianæ* profeſſionis pericula devitare. Audite inſulæ & cuncti populi *Chriſtianæ* religionis, crucem Dominicam profitentes, in cinere & cilicio, jejunio & fletu, & planctu ululate, lachrimas in maxima quantitate effundite, Quoniam venit & noviter venit dies Domini, magna & amara valde, cum crucis *Chriſti* perſecutio ab Aquilone & mari venerit inaudita, cum mentis perturbatione, & cordis afflictione, vultu lachrimabili, & præcordiorum ſuſpiriis, per intervalla reſpirando; prout poſſumus vobis ſignificamus. Quòd gentes infinitæ, aliis hominibus odibiles, effrænata malitia, terram in fremitu conculcantes, ab oriente uſque ad limites noſtri Dominii, totam terram penitus deſtruxerunt. Civitates, caſtra, imò & municipia deſtruendo, non ſolùm *Chriſtianos*, imò *Paganos*, *Judæos*, nemini parcentes, omnibus indifferenter ſine miſericordia mortem inferentes; præterquam parvulis tantùm, quibus Rex eorum *Zingiton* vocatus, ſigna in frontibus imponit. Non ſolùm homines comedendo, ſed etiam devorando. Comedunt enim ranas, ſerpentes, & ut breviter dicatur, nullum cibum diſcernunt: & ſicut à facie leonis cuncta animalia fugiunt, ſic à facie illius gentis, cuncti populi *Chriſtiani* terga in fugam vertunt. *Comani* enim viri bellicoſi, non potuerunt in terra ſua contra eos bellum ſuſtinere: ſed fugerunt uſque ad *Chriſtianos* viginti millia *Comanorum*, & inierunt fœdus cum *Chriſtianis*; & parati ſunt pugnare contra omnem gentem, præterquam prædictam. Quid mirum? ſunt enim corpore terribiles, vultu furioſi, oculis iracundi, manibus rapaces, dentibus ſanguinolenti, & eorum fauces ad carnem hominum comedendam, & humanum ſanguinem abſorbendum, omni tempore ſunt paratæ: & tanta eſt multitudo eorum, quod exercitus eorum durat per viginti dietas in longitudine, & quindecim in latitudine. Et ut multa paucis perſtringamus, Cùm dicti homines *Tartari* vocati, totam *Ruſſiam* & *Poloniam* uſque ad confinia Regni *Boemiæ*, & partem mediam regni *Ungariæ*, penitus deſtruxerunt, & quaſi ſubito civitates intraverunt, & principes in medio Civitatis ſuſpenderunt: unde credimus ipſos eſſe gladium furoris Domini propter peccata populi *Chriſtiani*, teſte beato *Methodio* qui iſtos *Tartaros* vocat *Iſmaelitas* & *onagros ſilveſtres*, *aſinos*, &c. Nos vero de ſuperni judicis bonitate & miſericordia confiſi, humiliter ſanctos viros *Prædicatores* & *Minores*, ut toti populo *Chriſtiano* ducatui ſubdito, Crucem, orationes, afflictiones & jejunia prædicent. Proponimus enim mente in cœleſtibus habitare, arma & ſcutum apprehendere. Malumus enim mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum. Et ſi clypeus noſter qui prima jacula ſentiet conteratur, noſtro pariete ſuccenſo, & terra devaſtata, vicini parietes & vicinæ provinciæ formidabunt. Vale. Audivi à fratre *Roberto de Theles* quod ſine dubio iſti *Tartari* deſtruxerunt ſeptem Conventus fratrum ſuorum.

Chariſſimis *Chriſti* fidelibus univerſis, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, frater *Jordanus* Ordinis fratrum *Minorum*, vicarius Provinciæ *Polennæ*, *Pringenſis* Conventus: cum cæteris fratribus, ſalutem. Quoniam agentibus peccatis hominum, adauctis in mundo incrementis miſerabilibus diu præſcita & prædicta tandem venit velut à Deo pinnata ſuper nos repentina tribulatio, propulſis fratribus *Prædicatoribus* & noſtris, cæteriſque fidelibus à gente *Tartariorum*, à Tartaro oriunda: ex hiis indebitis quæ juxta feritatem jam olim de ſe ſcripturæ prælibatam teſtimonio; deletis namque multis nationibus incognitis, ex-

terminatâ quoque *Ruſſiâ* nobis cognitâ, quæ ſeptem duces habuiſſe dicitur; ecce proh dolor! terminos Eccleſiæ invaſiſſe, atque aquas fortiſſimas & nemora denſiſſima, velociſſimè pertranſeuntes, modo incredibili ex parte magna præpotens regnum *Ungariæ* occupaverunt, de quo omnimodam certitudinem, propter diſtantiam reddere non poſſumus, tamen de hiis quæ in noſtra provincia acta ſunt, certiùs deſcribimus: Quia jam pœnè tota *Polonia*, ab eiſdem nationibus barbaris crudeliter eſt deleta.: Qui nulli hominum ætati, conditioni, vel ſexui deferentes, ſed cunctos in ore gladii conſumentes, & loca Deo ſacrata prophanantes, jam ſunt in foribus *Alemanniæ* & *Boemiæ*, ſimilia nobis & cæteris *Chriſtianis* (niſi Deus reſtiterit) peracturi. Præſertim cum *Chriſtianitas* in ſe inteſtinis bellis prægravata; & ſchiſmatibus, neceſſitati communi, & paci reipublicæ, minimè intendere videatur, ut oporteret. Solliciti tantis periculis, orationum veſtrarum ſuffragia tantùm poſtulamus: & ad hæc, cunctos fideles monitis ſalutaribus exhortamur. Noveritis etiam, quod jam quinque Conventus *Prædicatorum*, & duæ Cuſtodiæ de fratribus noſtris, ſunt penitus deſtructæ: habentes plus ſpatii terræ in Aquilone quam *Tuſcia* & *Lumbardia*, inimici debacchantur; tribus Cuſtodibus ſuperſtitibus, una tamen Cuſtodia, immo ferè duabus evaſis. De tertia verò, quæ in *Boemia* dicitur, egreſſus eſt Rex in occurſum, cum innumera multitudine exercitus: ſed in Deo victoria eſt. Datum *Pyngenſi*, anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo; Quarto Idus Aprilis.

Religioſis viris & univerſæ Sanctæ matris Eccleſiæ fidelibus, preſens ſcriptum viſuris vel audituris, *F.* Dei gratia humilis Abbas *Sanctæ Mariæ*, totuſque Conventus ejuſdem loci, ordinis *Sancti Benedicti* in *Ungaria* commorantes, conſolationem Paracleti, cum ſalute; quam promeruit *Sanctus Benedictus*, & gloriam ſempiternam. Latores præſentium Fratres *B.* & *I.* Sacerdotes domus noſtræ Monachos, veſtræ commendamus charitati: quos de Clauſtro *Sanctæ Mariæ* in *Ruſcia*, in *Hyberniam* tranſmittimus, gratia commorandi. Et hoc per inopinatum adventum *Tartaroum*, qui dicuntur *Iſmaelitæ* (proh dolor!) compellimur faciendum. Heu mater Eccleſia gemens & dolens de filiis, Deo famulantibus, qui diſperſi per diverſas nationes gentium, propter *Tartaros* ſupervenientes inopinatè fines orientales potenter intraverunt, & maximam hominum partem ibidem habitantium peremerunt. Inſuper bona Eccleſiæ noſtræ, & redditus fratrum quibus ſuſtentabantur, totaliter devaſtaverunt; & dicitur quòd quadraginta duo anni ſunt elapſi, ex quo receſſerunt à montibus in quibus clauſi tenebantur. Qui de locis maledictis ut credimus progredientes, provincias *Aſiæ* beſtialiter devaſtando, quatuor Reges cum Principibus ejuſdem terræ inhumaniter mactaverunt. Regem etiam *Cappadociæ* valde potentem, Regem *Perſarum* cum ſuis tribunalibus, ſimiliter viginti, & quinque duces in *Ruſſia* potentiſſimos, ducem *H. Polemiæ* piæ memoriæ, cum quadraginta millibus hominum, una die quaſi in momento interfecerunt. Præterea magnificum Regem *Hungariæ Bela* nomine, fugaverunt; Archiepiſcopos tres, & quatuor ſuffraganeos, & ſexaginta quinque millia hominum. Et in eodem bello, Regem *Colomannorum* prædicti Regis fratrem, vulneraverunt lethaliter: ita quòd mortuus eſt poſt breve tempus. Deinde proficiſcentes ad fines nobilis ducis *Auſtriæ*, *Styriæ*, *Marchæ Tarviſiæ*, *Moraviæ* & *Boemiæ*, in Natali Domini *Danubio* congelato, cum magna fortitudine ad alteram partem fluminis tranſmearunt; prædictorum principum terras vaſtando, omniaque feraliter per circuitum exterminando: nulli parcentes ſexui, inenarrabilia perpetrant impudenter. In Eccleſiis cum mulieribus ſuis dormiunt, & de cæteris locis Deo ſacratis (proh dolor!) ſtabula faciunt jumentorum. Quorum inſolentia Deo irato in tantum invaluit, quòd Prælati, Archiepiſcopi ſcilicet, Epiſcopi, Abbates, Principes & vulgus ineffabile, ante ineffrænatos barbarorum Principes fugiunt, nihil aliud niſi mortem expectantes: Monachis, monialibus, prædicatoribus, interfectis, & lamentabiliter morientes, pro *Chriſti* nomine effecti martyres, ut credimus, æternæ beatitudini ſociantur. Unde charitatem veſtram humiliter imploramus, quatenus hiis ad vos confugientibus, ſinum aperiatis miſericordiæ. Datum *Viennæ*, Anno gratiæ M. CC. XLII. pridie nonas Januarii.

Hiis quoque temporibus propter terribiles rumores hujuſmodi, celebriter hii verſus *Antichriſti* adventum nunciantes, recitabantur.

¢. Cum fuerint anni tranſacti mille ducenti,
Et quinquaginta, poſt partum virginis almæ
Tunc Antichriſtus naſcetur dæmone plenus.

Fratribus univerſis frater *R.* de ordine *Predicatorum*, & *I.* de ordine fratrum *Minorum*, Salutem. Diverſos à diverſis audiſtis rumores, de *Tartaris* maledictis. Hæc autem quæ vobis ſcribimus, eſſe ſciatis veriſſima: utinam tamen falſa. Viri robuſti ſunt, bellicoſi, multi numero, & ſatis bene armati; plurimas terras vaſtaverunt. Inter quas ſciatis *Ruſciam* in magna parte vaſtatam. *Rionam* civitatem & caſtrum quod erat ibi, deſtructum eſt, multis interfectis. Narraverunt nobis profugi, de terra illa, in *Saxonia* præcipuè, quod terram illam cum caſtris, triginta & duabus machinis impugnaverunt. Et *Ruſcenos* impugnaverunt,

runt, viginti annis. Iſto autem anno venientes ante Paſcha in *Poloniam*, bonas Civitates plurimis interfectis obtinuerunt: Quibus cum occurreret Dux *Henricus Poloniæ*, cum exercitu ſuo, ipſum, & ut dicitur, ferè decem mille de ſuis occiderunt. Procedentes de *Polonia*, fines *Theutoniæ* attigerunt; deinde declinantes in *Moraviam* & illam bonam terram vaſtantes; alii exercitui venienti per *Hungariam* occurrerunt; & prævalentes, dicuntur modò potiſſimam partem *Hungariæ*, expulſo Rege, poſſidere. Et modò audivimus, quod denuò ſex exercitus *Tartarorum* convenerunt, & idcircò, ut creditur, ut potenter intrent *Theutoniam*; cujus incolas ſciunt eſſe bellicoſos. Ideò tota *Theutonia* ſe ad prælium præparat, crucem aſſumendo; ſtudentque urbes firmare cum caſtris; ſummopere igitur neceſſe eſt, pro ſtatu Eccleſiæ inſtanter orare. Quia ſi fuerint *Theutonici* devicti, (quod abſit) non credimus aliquem *Chriſtianorum* cis poſſe reſiſtere. Rex *Theutonicorum* & filius Imperatoris, in feſto *Sancti Jacobi* nunc inſtanti, cum maxima militia proponunt proficiſci contra eos: Et quamvis dicantur *Tartari* multi, ſunt cum eorum exercitu peſſimi *Chriſtiani* & *Comani*, quos *Theutonicè Valvem* appellamus. Convenerant autem in Civitate *Merſeburg*: ibi audierant quod Rex *Hungariæ* ſcripſerat Regi *Boemiæ*, quod viribus receptis & maximo exercitu congregato, occurrere voluiſſet. Sed non præſumpſit propter fortitudinem *Tartarorum*; ſed tamen dixit ſe velle in aliquem locum munitum juxta mare cedere, Valete.

Univerſis has literas inſpecturis, frater G. in *Colonia* Gardianus indignus, ſalutem. Noverit charitas veſtra, me recepiſſe literas directas à fratribus noſtris Duci *Brabantiæ*, ſub hac forma. Illuſtri Principi Domino *H.* Duci *Brabantiæ*, frater *Jordanus* viceminiſter fratrum *Minorum* regni *Boemiæ* & *Polemiæ*, & frater *A.* cuſtos *Pryngenſis*, & Gardianus ejuſdem loci, unà cum conventu; orationes humiles & devotas. Cum veſtræ generoſitatis eximia celſitudo, hilaritati ordinis noſtri ſeſe propria benignitate inclinare non dedignetur, effectum per affectum comprobatis. Nimirum igitur ſentientes vos habere zelum Dei, & reipublicæ ſerenitati veſtræ, præſentibus duximus intimandum; quemadmodum quidam barbari quos vulgariter *Tartaros* appellamus, propter diſcrepantiam & incuriam Principum & Prælatorum, confidenter diſcurrentes, populos multos *Chriſtianos*, & præpotens regnum *Hungariæ*, & quinque ducatus *Polemiæ*, in ore gladii conſumpſerunt. Eliminato quidem dictæ *Hungariæ* Rege, & Principali Duce *Polemiæ*, cum multis militibus interfecto; quos immunitos invenerunt, infra breve tempus non ſolùm in prædictis terris, verùm ſed & in marchiis (maximè ad regnum *Boemiæ* pertinentibus) cædem maximam perpetrarunt. Magis in illa ſua victoria, dolo quàm ſtrenuitate, vincentes. Siquidem cum ſibi ex adverſo arma ſentiunt moveri, ſæpe, immò ſemper, quaſi fugam ſimulantes & receſſum, poſt puſillum revertentes furioſiùs invadunt; & dimicant nulli parcentes ſexui, ætati vel conditioni; loca Deo ſacrata prophanantes, in eiſdem cum mulieribus dormientes; & ad ſanctorum ſepulcra, jumenta ſua alligantes; & carnes Sanctorum exponentes beſtiis terræ, & volatillibus cœli: ſola nominis ſui formidine, multos in fugam convertunt. Cum igitur irato Deo, dolus in manibus eorum proſperetur, & numerus eorum diatim augeatur, & de præambulis ſibi faciant propugnatores quos vincunt, & ſibi ſubdunt confœderantes (videlicet de Paganis hereticis, & Pſeudo-chriſtianis infinitam multitudinem) timendum ne tota Chriſtianitas ruinam patiatur: niſi pacato Deo, & charitativè fidelibus confœderatis in vinculo pacis, furor dominicus avertatur, quo *Tartari* diaboli ſatellites, de terra viventium extirpentur. Quare vobis licèt magna pericula, perſtricto tamen ſermone, veſtram duximus exhortandam nobilitatem: quatenus vos & alii Principes & Prælati, & omnes orthodoxi & fidei Chriſtianæ æmulatores, tantis malis imminentibus in orationibus & jejuniis, necnon & armorum & armatorum præparationibus, occurratis feſtinanter. Ut ſpiritualibus & mundanis armis præmuniti, ab imminenti tempeſtate evadentes, libertas Chriſtiana valeat reſpirare. ¶. Illi qui dicuntur *Tartari*, devaſtaverunt jam *Indiam* majorem & minorem. Inſuper regnum *Perſarum*. Et in *Ruſcia*, Septuaginta & duos Principes pertranſierunt. Deinde *Hungariam*, *Poloniam*, & ipſum dominum terræ illius, & innumerabilem populum peremerunt. Et ante Aſcenſionem Domini, *Moraviam* intraverunt: ubi commorantur. Præterea mulieres eorum in armis equitant, & nulli parcunt. Et quæ melius pugnat, concupiſcibilor habetur. Sicut in noſtris quæ meliùs texere novit vel ſuere, partibus plus deſideratur, vel quæ formoſior. Valete.

PAG. 822. lin. 64. *Vita ſpurciſſima* Tartarorum] vide quæ immediatè ſuperiùs annotavimus.

PAG. 836. lin. 12. *Statuta* apud Oxoniam Reperire non potuimus.

PAG. 838. lin. 7.

HENRICUS Dei gratia, &c. Dilectis & fidelibus ſuis *Roberto de Ros*, *Alexandro de Andewill*, *Gaufrido de Childwik*, & *Henrico de Horwell*, de Comitatu de *Hertford*, ſalutem. Cum nuper in parliamento noſtro *Oxoniæ*, communiter fuerit ordinatum, quòd omnes exceſſus, tranſgreſſiones, & injuriæ factæ in regno noſtro inquirantur, per quatuor milites ſingulorum Comitatuum; ut cognita inde veritate facilius corrigantur: qui quidem quatuor milites, ad prædictam inquiſitionem fideliter faciendam, corporale præſtent ſacramentum in pleno Comitatu, vel coram vicecomite & Coronatoribus; ſi Comitatus ille in proximo non teneatur ſicut ſingulis Vicecomitibus injungimus: mandamus vobis in fide qua nobis tenemini, quòd præſtito priùs hujuſmodi Sacramento (ſicut prædictum eſt,) per Sacramentum bonorum & legalium hominum de Comitatu prædicto, per quos rei veritas inde meliùs ſciri poterit; diligenter inquiratis per Comitatum prædictum, de omnibus exceſſibus, tranſgreſſionibus, & injuriis, in eodem Comitatu à temporibus retroactis, per quaſcunque perſonas vel quibuſcunque illatis. Et hoc tam de Juſticiariis, Vicecomitibus, quàm aliis ballivis noſtris, & cæteris quibuſcunque perſonis. Et inquiſitionem inde factam, ſub ſigillis veſtris, & ſigillis eorum per quos facta fuerit, deferatis apud *Weſtmonaſterium*, in Octabis *Sancti Michaelis*, in propriis perſonis veſtris liberandum, conſilio noſtro ibidem. Mandamus etiam Vicecomiti noſtro Comitatus prædicti, quod accepto à vobis corporali Sacramento in forma prædicta, tot & tales milites & alios ejuſdem Comitatus, per quos prædicta inquiſitio meliùs fieri poterit, venire faciat coram vobis, ad dies & loca quæ ei aſſignaveritis. Nolumus tamen Vicecomitem noſtrum ejuſdem Comitatus, nunc præſentem, ſub hujuſmodi inquiſitione comprehendi; niſi ipſe forſan priùs Vicecomes extiterit in Commitatu prædicto; quia de illo tempore, volumus quod de ipſo ſicut de aliis inquiratur. Nec etiam volumus in prædicta inquiſitione revolvi tranſgreſſiones aut injurias, quæ aliàs coram Juſticiariis noſtris per juſtum judicium Curiæ noſtræ, & ſecundùm legem terræ noſtræ, terminatæ ſunt; aut per brevia noſtra attachiatæ. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras vobis mittimus patentes. Teſte meipſo apud *Weſtmonaſterium*, xxviii. die Julii, anno regni noſtri quadrageſimo ſecundo.

PAG. 838. lin. 49. *Literæ Miſſæ à Communitate* Angliæ, *Domino Papæ*.

SAnctiſſimo patri in Chriſto *Alexandro*, divina providentia Sanctæ univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, communitas Comitum, procerum, magnatum, aliorumque regni *Angliæ*, cum ſubjectione debitâ, pedum oſcula beatorum. Nuper veſtra ſanctitas, tam per literas quàm per venerabilem virum magiſtrum *Arlotum* Subdiaconum & Notarium, nos multipliciter monuit & induxit; ut Dominum noſtrum illuſtrem Regem *Angliæ*, in proſecutione regni *Siciliæ* juvaremus; ſibi commune ſubſidium ſuper hoc faciendum. Licet ante idem Dominus noſter Rex, abſque noſtri concilio & aſſenſu, immo nobis reclamantibus & invitis, hoc negotium aſſumpſiſſet, quod ſibi impoſſibile propter difficultatem conditionum, & alia quæ Statum noſtrum reſpiciebant, penitus credebamus. Ob reverentiam tamen Apoſtolicæ Sedis & veſtræ, Domino Regi duximus reſpondendum, quod ſi de procerum & magnatum ſuorum conſilio, regnum ſuum in multis multipliciter deformatum, vellet in melius reformare; & vos conditiones in privilegio veſtro contentas, vires ipſius Regis excedentes, quodammodo mitigare velletis; quod juxta mitigationem & reformationem hujuſmodi, optatus eventus negotio ſperatus, ipſi præberemus & operam & effectum: ut rex negotium quod ſine nobis aſſumpſerat, per veſtrum auxilium poſſit perducere ad effectum. Cæterùm præfatus Dominus Rex attendens impoſſibile pondus negotii memorati, & Statum regni ſui imbecillem; voluit & expreſſe conceſſit, ut de procerum & magnatum conſilio (ſine quibus regnum ſuum gubernare non poterat, nec negotium proſequi memoratam) dicta reformatio proveniret. Hoc videlicet modo, ut duodecim ex parte ipſius electi, & alii totidem ex parte Communitatis nominati; diſponerent, ſtatuerent, ac etiam ordinarent ſuper melioratione & reformatione regni *Angliæ*: & ipſum regnum contingentibus, prout eis melius (expediens) videretur. Promittentes tam ipſe quam Dominus *Edwardus* primogenitus ſuus, affirmantes propriis juramentis, quòd per prædictos viginti quatuor vel majorem partem eorum ordinatum exiſteret, inviolabiliter obſervaret. Facturi & procuraturi ſecuritatem omnimodam, quam ipſi viginti quatuor vel major pars eorum, ſuper hoc fieri providerunt. Verùm cum inter duodecim ex parte Domini Regis electos, electus *Wintonienſis* & fratres ſui nominati fuiſſent, idem electus quaſi ſalutis ſuæ immemor, & invigilans perturbationi regni & diſpendiis, potius quàm reformationi; regem ipſum ſollicitavit, & toto poſſe induxit; eidem immenſam promittens pecuniam (etiam uſque ad exinanitionem ſubſtantiæ & facultatum *Wintonienſis* Eccleſiæ) ut ſpreto juramento proprio, à promiſſionibus hujuſmodi reſiliret; in regni ſui grave diſpendium, &

irreparabile

irreparabile detrimentum. Cumque per hanc viam deſiderium intentionis ſuæ explere non poſſet, ad alia ſe convertens, Dominum *Edwardum* & quoſdam alios de nobilioribus totius regni animavit, & quantum in ſe fuit ſtimulavit; ad ſubverſionem totius regni; quaſi in necem ejuſdem & lapſum irreparabilem conjuraſſet. Ut de illo poſſet verè dici, *Eſt vir qui turbavit terram, & concuſſit regnum.* Nam cum ad reformationem qui nunc nominati fuerunt, ſtudio vigilanti intenderent, prædictus electus & fratres ſui, nunc per ſubterfugia, nunc per alias cavillationes varias, eventum reformationis hujuſmodi retardabant: Sed *mentita eſt ſibi iniquitas.* Quia quantò plùs conabantur negotium impedire, tantò ferventiùs & conſtantiùs alii zelo reipublicæ inflammati, inſtanti vigilia & propenſiori cautela, illud promovere ſtudebant. Attendentes, quòd firma cohærentia fidelis eſſe non potuit, ubi non eſt tenax unio voluntatum: & ipſorum conglutinatio animorum. Sed quid ultra? Prædictorum electi & fratrum ſuorum, tam graves erant exceſſus & grandes, quòd clamor pauperum ad cœlum aſcenderet contra ipſos. Ipſorum enim Miniſtri & Officiales, qui potiùs prædones & ſatellites dicebantur, undique deprædabantur pauperes: inſidiabantur ſimplicibus, movebant impios, opprimebant innocentes, exultabant in rebus peſſimis: lætabantur cum malè feciſſent, peccata populi comedentes luxuriabantur in lachrymis viduarum; in nuditate pupillorum, in oppreſſionibus ſubditorum gaudentes. Et in tantum ipſorum effrænata rabies invaluerat, quòd nec ſub ipſis minores vivere poterant, nec cum ipſis converſari pares; nec ſuper ipſos impares majores. Nos igitur attendentes quòd reſpublica corpus quoddam eſt, quod divini muneris beneficio vegetatur, & ſummæ æquitatis nutu agitur, & regitur quodam moderamine rationis; nec expedit quod in uno corpore diſſonantia ſit membrorum: dictos electum & fratres, tanquam turbatores quietis & tranquillitatis regni totius, poſt multas inſtantias & frequentes monitiones vocavimus, & vocari per Regem fecimus: ut judicio ſiſterent ſuis querelantibus reſponſuri, juxta conſuetudinem Regni & leges. Ita quod duo ex ipſis quos mallent exirent, reliquis duobus remanentibus: qui pro ſe & aliis reſponderent; ac ſi ſibi magis expediens crederent, regnum omnes exirent. Qui ſuis culpis exigentibus ſubire judicium formidantes, maluerunt exire quàm judicii rigorem expectare. Sed nec adhuc nobis & regno noſtro, ſuper hoc plenè non tantum exiſteret, ſi Electus (cui totius turbationis materiam merito imputamus) rediret in *Angliam*: cujus præſentia ſubita poſſet evertere, quicquid noſtra ſollicitudo multis vigiliis & infinitis laboribus ſtuduit ordinare. Unde fixum eſt propoſitum omnium, & accenſum deſiderium ſingulorum; quod illo acto ſchiſmatis homo diſſenſionis & ſcandali, inter nos deinceps nullatenus converſetur. Quia igitur præfatus Electus & fratres, Regem & Dominum *Edwardum* infatuaverant, adeo quod non ſolùm inſolentiæ remanebant penitus impunitæ, ſed quod pejus eſt, & verecundum dicere terribileque audire, ſi quis contra ipſos vel eorum alterum differet in judicio quæſtionem; Rex qui delinquentem punire & delictum corrigere tenebatur, ipſos in ſuis facinoribus nutriens contra conquerentem mirabiliter turbabatur: & cui Judex debebat eſſe propitius, ad eorum ſuggeſtionem fiebat adverſarius, & nonnunquam terribilis inimicus: ita quod fulciti Regis potentia & favore, quos volebant opprimebant: Communitates & libertates Eccleſiarum damnabiliter violando, homines incarcerando, clericos vulnerando, in prejudicium coronæ (cui ſoli competit hujuſmodi incarceratio.) Laxatis habenis nequitiæ debacchando per Regnum, pro ſuæ libito voluntatis. Unde ſi (quod abſit) electus rediret in *Angliam*, pejora prioribus probabiliter formidamus. Sanctitati veſtræ igitur omni affectione qua poſſumus, ſupplicamus, quatenus ſicut unitatem & pacem Regni *Angliæ* (quod ſemper vobis extitit devotum & exiſtit) diligitis, ſæpe dictum electum ab adminiſtratione *Wintonienſis* Eccleſiæ, quæ ex munificentia Sedis Apoſtolicæ ſibi conceſſa fuerat, amoveatis omnino. Et magis expedit, quòd iſtud fiat ſine ſcandalo, de veſtræ plenitudine poteſtatis; quàm (quod Deus avertat) occaſione ipſius pejora contingant; & nos veſtri devotiſſimi, aliud facere compellamur. Sciturі pro certo, quòd etiamſi Dominus Rex & regni majores hoc vellent, Communitas tamen ipſius ingreſſum in *Angliam* jam nullatenus ſuſtineret. Potiùs enim ſævirent in ipſùm, quàm quod ipſius intolerabilem ſævitiam expectarent. Quin immò, omnibus regnicolis oneroſum, & toti regno diſpendioſum exiſteret; ſi proventus de quo regnum infeſtare diſpoſuit, perciperet. Quod & omnes qui qualitatem negotii noverant aſſeverant. Et certè (clementiſſime Pater & Domine) hoc ſatis credimus ſine ſcandalo faciendum; cum non ſit in Epiſcopum conſecratus: ſed tantùm ſibi adminiſtratio eſt conceſſa. Super hiis autem & aliis, quæ nuncii noſtri latores præſentium, Sanctitati veſtræ exponent, fidem indubitatam adhibere velitis; petitiones noſtras quas per ipſos vobis offerimus (ſi placet) ad exauditiones gratiam admittentes. Et nos

R. de Clare Gloverniæ & Herefordiæ,
S. de Monteforti, Legriæ,
E. Bigod Mareſchallus *Angliæ*.
H. de Bohun, *Hertfordiæ & Eſſexiæ*,
W. Albemarle,

J. de Placeto, Warevici Comites,
H. Bigod, Juſticiarius *Angliæ*,
P. de Sabaudia,
J. Filius Galfridi,
Jacobus de Andel, *&* *Petrus de Monteforti.*

Deſtinantur Romam quatuor milites fideles, & facundi: ut hæc Domino Papæ intimentur.

Vice totius Communitatis, præſentibus literis ſigilla noſtra appoſuimus, in teſtimonium prædictorum. Conſervet incolumitatem veſtram altiſſimus, per tempora longiora.

Magnates igitur formidantes ne Electus *Wintonienſis Romam* properaret, & infinita promiſſa Papæ & Cardinalibus pecunia, ſuam procuraret conſecrationem; ut ſic efficacior eſſet ad nocendum: elegerunt ſibi quatuor milites peritos, & facundos, & fidedignos; qui hanc prænotatam Epiſtolam *Romam* deferrent; & Papæ & toti Curiæ præſentarent *Romanæ.* In cujus tenore continetur, ut eiſdem fides adhibeatur indubitata. Habebant autem de denariis electi memorati, mille marcas, abſconditis pro eorum nunciorum labore, ad ſua viatica, & alia ſibi neceſſaria exhibenda. Tranſalpinaturi cum veniſſent *Pariſiis*, infirmatus unus eorum videlicet, obiit. Unde non mediocriter doluerunt: nihilominus alii tres tantum iter inceptum continuaverunt. Et cum *Romam* perveniſſent, cauſam ſui itineris Domino Papæ plenius monſtraverunt: addentes quædam alia enormia, & maxima facinora, quæ perpetraverant prædicti electus & fratres ejus. Videlicet de homicidiis, rapinis, & variis injuriis, & oppreſſionibus, nec voluit Rex impetus eorum refrænare. Nec prætermiſerunt injuriam magnam quam fecerant magiſtro *Euſtachio de Len*, Officiali Domini *Cantuarienſis* Epiſcopi: ubi vel omnes dicti fratres, vel major pars dicitur interfuiſſe: Pro qua offenſa maxima, excommunicati fuerunt omnes, qui tanto facinori interfuerunt per totam provinciam *Catuarienſem*, & *Oxoniis* coram univerſitate. Recitatumque eſt, quòd unus fratrum (ſcilicet *Galfridus*) Coquum regis aſſavit; & excogitatis tormentis, uſque ad mortem cruciavit.

Ad quorum auditum, omnes audientes, aures ſuas continentes, obſtupuerunt.

FINIS.

AUCTARIUM ADDITAMENTORUM.

GULIELMI WATSII

Admonitio ad Lectorem.

NON *te celamus (bone Lector)* Additamentorum *codicem* Manuſcriptum, *nullo aut Temporum Rerúmque geſtarum ordine, deſcriptum eſſe. Immò (quod & nos aliquoties non mediocriter torquebat) multa, ibi, aut omnino ſine Rubricis intermiſceri: Aut ſub diverſis planè, ab iiſque demutatis Titulis, ſcilicet, quos in* Hiſtoria *Abbatumque* Vitis, *Author ipſe deſignârat; & in* Additamentorum *ſuorum Libro nos (fruſtra) juſſerat quæritare. Nil mirum igitur, ſi in opere tam tumultuario, rerumque heterogenearum farragine confuſiſſima; diligentiam noſtram primam nonnulla diffugerunt. Præſertim cùm vere jam præterito, nos ad expeditionem* Scoticam *accingere (juſſi) properantes: ipſa* Additamenta *quæ tum tantum erant exemplificata, calentes currenteſque Operæ, abſente nobis, imprimenda feſtinarant.* Manuſcripto, *igitur, in manus jam reſumpto, diligentiúſque per omnia perſcrutato; in* Auctarium, *tandem, omnia ea hic rejecimus, quæ hoc fatali termino typographico* F I N I S, Additamentis *excluſa vobiſcum condolemus. Quorum aliqua ſerò tandem obſervavimus, in* Temporum *ratione non bene ſecum conſentire. Atque hoc etiam inquiſitionem noſtram priorem feſelliſſe; ingenuè jam fatemur. Sint (in exemplum) hæc quæ ſequuntur tria: quæ in Authoris* Hiſtoria *ſub Annum Regis* Henrici III. *quadrageſimum ſecundum *ſubobſcurè intimata, in* Additamentis *reperimus,* Anno Henrici Regis quadrageſimo tertio, *in capite paginæ rubricata. Literas tamen illas* Barnagii, *ſive* Nobilitatis Angliæ *duas, quòd eas ipſas eſſe conjicimus ab Authore deſignatas; illis literis à* Communitate Angliæ Papæ Miſſis *(quas retro proximè inter* Additamenta *poteris reperire) hîc ſubjunximus: iiſque &* Papæ Reſponſivas *addendas duximus; ut ad rem eandem omnino facientes. De cæteris quæ addidimus, ſuis locis (ſi opus erit) vos monebimus.*

* Vide Hiſtoriæ, pag. 838, lin. 49.

AUCTARII ADDITAMENTORUM INDEX.

PAG. 838. Lin. 50. *Aliæ literæ miſſæ à* Barnagio, *domino Papæ* Pag. 1137
Item aliæ literæ miſſæ ab eiſdem : maximè contra Electum Wintonienſem ibid.
Literæ Papales miſſæ Communitati Angliæ : *Reſponſivæ ad eorum petitiones præmiſſas ad Curiam, & certificatoriæ de mora & negotio nunciorum* p. 1138
Pag. 683. lin. 8. *Forma rapinæ* Bernardi *de* Nympha p. 1140
Pag. 747. lin. 46. *Strages in* Flandria p. 1242
Pag. 702. lin. 3. *Summa expenſarum Regis* ibid.
Pag. 747. lin. 46. *Reſponſiones Conventus* (Nigri Ordinis) *ad ea quæ propoſita fuerunt à domino Papa ſtatuta* Gregorii *innovante* p. 1143
Pag. 744. lin 26. *Miſſis ſuper hoc Brevibus* p. 1144
Reſponſiones Epiſcopi p. 1145
Privilegia Monaſterii Sancti Albani, *vel negotia expedita per* Willielmum *de* Hortune p. 1146
Pag. 764. lin. 4. / Pag. 814. lin. 32. } *Revocatio iniqui Judicii* Henrici *de* Mara, *Juſticiarii* p. 1148
Literæ revocatoriæ p. 1149
Literæ Regis, Vicecomiti Eſſexiæ ibid.
Expenſæ Willielmi *de* Hortuna p. 1150
Offæ *Regis Charta fundationis Cœnobii* Sancti Albani ibid.
Alia p. 1151
Ecfridi *Regis Charta, de eadem re* p. 1153
Liber ſive Charta Ethelredi *Regis, de eadem re* p. 1154
Alia 1155
Charta Wulf *Benefactoris de eadem re* ibid.
Charta Ethelgive *Benefactoris de eadem re* p. 1156
De Cella de Hatfeld Peverel, *concremata* p. 1157
Charta Gaufridi *Abbatis, de fundatione Hoſpitalis* Sancti Juliani ibid.
Chartæ plurimæ de eadem fundatione ibid. &c.
Statuta Hoſpitalis ejuſdem p. 1159
Statuta alia, ſive Articuli ejuſdem Hoſpitalis p. 1168
Statuta ſive Conſuetudines Monialium de Sopwelle p. 1171
Pag. 712. lin. 42. *De avibus mirabilibus, anno* 1251. *in* Anglia *viſis* p. 1173
Pag. 297. lin. 7. *Prædictio Aſtronomicorum* Tholetanorum ibid.
Pag. 302. lin. 2. *Prædicio alia eorundem* p. 1174

Auctarium Additamentorum.

PAG. 838. lin. 50. *Aliæ literæ miſſæ à* Barragio, *domino papæ.*

SAnctiſſimo patri, &c. Si ſacroſancta *Romana* Eccleſia progenitorum noſtrorum merita, qui virtutum floribus redimiti tot Eccleſias magnificè fundaverunt, & ſumptibus ſuis conſtructas ampliſſimè feodaverunt; qui in amorem pariter & exultationem Eccleſiæ Dei, & virorum Eccleſiaſticorum totaliter exarſerunt; ſicut ex laudabilium operum manſurorum per cuncta ſecula teſtimonio, perpenditur evidenter, condigna gratitudine recompenſaret: nobis peculiare favoris præſidium ſpecialiter largiretur, & paternæ munificentiæ gremium liberaliter aperiret, pacem noſtram ac Regni *Angliæ* tranquillitatem nullatenus perturbaret, ſed ſinceris in Domino affectibus totiſque conatibus procuraret. Præſertim cum nos pro modulis noſtris paternæ fidei zelatores, & devotionis quam erga Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas habuerunt, imitatores eſſe cupiamus. Sed ſi vera ſunt quæ nunc literarum veſtrarum crebra inſinuatione didicimus, (cum pace veſtra veniáque petita dicimus) veremur ne vices nobis minùs ritè rependatis: quia per merita feſtinæ exultationis, materiam anxii doloris ſementem, nobis evidenter retribuitis. Si lapis ille offenſionis, & petra ſcandali, *Adimarus* videlicet, quondam *Wintonienſis* Eccleſiæ Electus, vir fabricator mendacii, lucis impatiens, turpis lucri negotium perambulans in tenebris, vir juſtitiæ & pacis regni *Angliæ* inimicus, & ſpecialiter ſanguinis noſtri (quem hactenus perdidit) ſitibundus, vir regia ſententia damnatus, & ubicunque in regno inveniatur morti addictus; ad terendum nos, & terrendum nos, à latere veſtro propter ejus falſas ſuggeſtiones, & veri ſuppreſſiones multiplices, in *Angliam* deſtinetur. Maximè, cum ipſe à regno expulſus non extiterit, ſed ſponte ceſſerit; non auſus exhibitionem juſtitiæ, quæ ſingulis ſecundùm juramenta regis & procerum debebatur, expectare: licet ſuper hoc ipſe & fratres ſui, pluries fuiſſent requiſiti. Nonne deceret regale ſacerdotium, ſerie rei geſtæ pleniùs indagata, vocatis evocandis, & auditis audiendis, & ſpecialiter nunciis domini noſtri Regis & regni ac Eccleſiæ *Wintonienſis*, ſine juris offenſa in tanto negotio procedere: & non in terrore fulgurantis haſtæ ſuæ, in nos tam crudeliter irruere? Cur in profundum ſapientiæ veſtræ (ſi vera nobis referuntur) falſæ inſinuationis unius partis ſurrepunt mendacia; aut inſtantia vos conturbat importuna? Princeps Eccleſiæ & paſtor ovium gregis dominici, cui in beato *Petro* dictum eſt, *Paſce oves meas*; quas non in multa fortitudine veſtra (quam ſatis recognoſcimus) ſed in zelo juſtitiæ & multitudine miſerationum veſtrarum, ac ſpiritu lenitatis minare gregem*. Attendentes quòd nec in igne, nec in commotione, nec in ſpiritu montes ſubvertente, Dominus; ſed potiùs in ſibilo auræ lenis. Certè adventum ſuum, vel vitæ ſuæ, vel noſtræ, generalem eclipſim reputamus; quia in nobili viro & conſanguineo noſtro chariſſimo, domino *W.* de *Claro*, viro ſtrenuo, circumſpecto & peroptimè morigerato, nos omnes mortificavit. Ecce damnum irrecuperabile! ecce afflictio noſtra irrecuparabilis, quam plangmus inceſſanter! Nunquid ſuperaddita eſt afflictis afflictio? Quæ (pater) *utilitas in ſanguine noſtro?* Ea propter paternitati veſtræ devotè ſupplicamus, quatenus ex ſollicita circumſpectione ſedis Apoſtolicæ, mollito ſupercillio ac ſerena acie paternè nos intuentes; paci noſtræ ac regni *Angliæ*, ſecundùm præmiſſa provideatis: ut ſub tegimine alarum veſtrarum, Apoſtolico præſideo, in patrimoniis noſtris optata gaudeamus tranquillitate. Porrò, ſi inimici noſtri nobis ſe immiſceant impudenter non videmus quod paternitati veſtræ debeat diſplicere, ſed æquanimiter eſſe tolerandum; ſi effrenatam illorum malitiam pro viribus compeſcamus. Sed quæ autem prædictorum in conſpectu ſanctitatis veſtræ aſperſa videantur, veſtra penſet paternitas: quòd nec minacem cervicoſitatem, aut corvinam rebellionem, ſed gemitum turturis, aut murmur columbinum, apud pium patrem prætendere debent, & quomodolibet benignum auditorem. Conſervet vos, &c.

* Locus mutilus.

Item aliæ literæ miſſæ ab eiſdem, maximè contra Electum Wintonienſem.

REverendo patri in *Chriſto* ac domino *Alexandro*, &c. Sicut ad fontem vivum oportet recurrere ſitientem, areſcentibus rivulis præ calore: ſic ad ſedis veſtræ clementiam oppreſſi refugiunt, cum per potentiam juſtitia violatur. Iccircò enim veſtram beatitudinem mundo Deus præpoſuit loco ſui, ut elata cornua ſuperborum virtute propria conſtringendo, humiles erigat depreſſos ſublimium poteſtate. Cum ergo *Wintonienſis* Electus ſic affluentia extollatur, quod nullum ſibi fore ſuperiorem reputet neque parem; ſuis actibus motum

potiùs impetuoſum ſequitur animi, quàm judicium rationis: licere ſibi putans illicita, à tergo conſiderans quæ ſunt Dei. Unde nuper cuidam viro *Johanni* fratri *Gaufridi*, inter noſtrates nobili & potenti, atroces eum novimus injurias irrogaſſe: propter quas, regni majores vehementer ſcandalizati ſunt contra eum; reducentes ad animum præcedentia facta ejus. Terram enim ipſius *Johannis*, armata manu invaſit hoſtiliter, ſine cauſa? in rebus eum perſonæ & hominum deprædando. Ob hoc ſolum occaſionè ſumpta, quòd in *Wintonienſi* dioceſi, in qua nulli authoritate Apoſtolica patitur provideri, de quadam Eccleſia ad ipſius *Johannis* patronatum ſpectante, cuidàm clerico authoritate veſtra proviſum fuerat: cui etiam proviſioni idem *Johannes* aſſenſum præbuerat ob reverentiam ſedis veſtræ. Nec privatis rapinis ſatisfeciſſe crediderunt tyrannidi ſatellites ejus, niſi pollutas manus irreverenter porrigerent ad divina. Eccleſiam enim, ad quam loci habitatores terrore confugerant armatorum, invaſerunt confractis hoſticiis *, multorumque ſanguine cruentatam, ſpoliatamque libris & ſacris veſtibus; aſportatis inſuper ex ea januis, prophanaverunt. Unde ipſe, qui ratione generis & officii, deberet eſſe lumen patriæ & ſpeculum honeſtatis; factus eſt offenſionis petra, in commune ſcandalum religionis. Qua de cauſa, paternitatem veſtram flexis genibus ſuppliciter exoramus; quatenus ipſius malitiam convenientibus remediis refrenetis: ne rebelli contagio cæteros inficiat per exemplum; & ut ipſe, qui neminem reveretur, Apoſtolicæ ſedi (in cujus maximè injuriam hæc patravit) pœna correptus, intelligat ſe ſubeſſe. Cônſervet vos, &c.

* oſtiis.

Literæ Papales miſſæ Communitati Angliæ: *Reſponſivæ ad eorum petitiones præmiſſas ad Curiam: & Certificatoriæ de mora & negotio nunciorum.*

A*Lexander* Epiſcopus, &c. Dilectis filiis, nobilibus viris, Conſiliariis chariſſimi in *Chriſto* filii noſtri illuſtris regis *Angliæ*, ac cæteris proceribus & magnatibus regni *Angliæ* ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Venerabiles fratres *Ebrendumenſem* & *Caratafienſem* Archiepiſcopos, & dilectos filios magiſtros *Ruſtandum* Capellanum noſtrum, & *Johannem Clarel*, Canonicum *Suwellenſis* Eccleſiæ: necnon & nobilem virum *Willielmum* de *Huntintoſt*, & fratrem *Willielmum* ordinarium militem Templi; nuncios, quos chariſſimus filius noſter illuſtris rex *Angliæ*, ac vos etiam ad noſtram præſentiam deſtinaſtis: necnon & literas quas ipſi nobis ex parte ipſius regis & veſtra præſentare curarunt, gratanter, prout decuit, & affectuoſè recepimus; & tam ea quæ ipſæ continebant literæ, quàm quæ iidem nuncii (quos de multa diligentia, ſolicitudine, ac providentia circa commiſſa eis negotia, multipliciter poſſumus ſalva conſcientia commendare) coram nobis & noſtris propoſuere fratribus, attentè animadvertimus & intelleximus diligenter; quia illius amoris præcipui quo ipſum Regem & vos ſpecialiter amplexamur, hoc efficit magnitudo; quòd & nuncios ipſius regis & veſtros alacriter ſuſcipimus, & quæ nobis ſignificatis, libenter audimus. Sanè iidem nuncii penes nos ex parte ipſius regis & veſtra, diſcretis, attentis, & fidelibus ſupplicationibus inſtiterunt; nihil de hiis quæ pertitiones regias ac veſtras poſſent reddere efficaces, penitus omittentes: ut pro publicando & firmanda pace, quæ inter prædictum Regem & chariſſimum filium noſtrum illuſtrem regem *Franciæ*, fuerat reformata. Pro reformatione quoque, ac bono ſalubri & proſpero ſtatu regni *Angliæ*; necnon pro ordinatione negotii regni *Siciliæ*, unà cum prædicto rege *Angliæ*, ac nobiſcum meliùs facienda; aliquem de latere noſtro, videlicet *Romanæ* Eccleſiæ Cardinalem, commiſſo ei ſuper præmiſſis plenæ legationis officio, concedere curaremus. Proponendo etiam & allegando, tam publicè quàm privatim, quamplures diverſas & urgentes cauſas, propter quas hujuſmodi petitio non erat aliquatenus deneganda. Porrò, filii prædilecti, hoc ſemper optavimus, & inter alia deſiderabilia cordis noſtri, hoc anxii expectavimus; quòd ille in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnium jura regnorum, horum eminentiorum ſeculi principum corda inclinaret ad pacem: & quòd diſcordes eorum mentes, concorde ſociaret vinculo; eorumque pectora procul depulſis odiis, abjectiſque rancoribus, ſuæ dulcis & affluentis benignitatis gratia complacaret. Unde quia omnipotens Dominus noſtris in hoc deſideriis plenariè ſatisfecit, gratiarum ſibi referimus multiplices actiones: Inſiſtentes hujuſmodi ſupplicationibus apud eum, ut paces & concordias hujuſmodi, altis in eiſdem regibus faciat radicibus ſolidari. De reformatione autem ſtatus regni *Angliæ*, quæ per illos potiſſimè eſſe procurata dicitur, qui in devotione ad nos & Eccleſiam ſtabiles & accenſi ſtuduere; & adhuc ſtudent opera exercere juſtitiæ, ac libertatem Eccleſiaſticam totis viribus defenſare: ſi hujuſmodi reformatio, prout ſperatur, ad laudem Dei, exaltationem Eccleſiæ, honorem & commodum dicti Regis *Angliæ*, ſui regni ſtatum proſperum âc tranquillum, facta & ordinata exiſtit; & nos in mirum gaudemus valde, & tota quamplurimùm exultat *Romana* mater Eccleſia; firmoque intendit propoſito & ſtabili intentione proponit, reformationem hujuſmodi congruis (auctore Domino) fulcire favoribus, cunctiſque ſtudiis roborare. Nec immeritò: cum prædicti regni commoda, ſua propria reputet; & profectus regno provenientes eidem, ſibimet ipſi exiſtimet provenire. De regno etenim ipſo, ſemper

reges

reges prodiere catholici; qui claris fidei & devotionis titulis præſigniti, Deo ſe gratos per ſanctæ converſationis merita, & eccleſiæ prædictæ acceptos; per obedientiæ & humilitatis opera, exhibere multipliciter curaverunt. De hoc regno ſuſcepit ſemper & ſuſcipit eadem eccleſia, filios benedictionis & gaudii; filios factis & fama pollentes; filios etiam opportuni auxilii & favoris. Hoc eſt gratioſum, ſpecioſum, & precioſum regnum, cui Dominus in omnibus benedixit. Hoc regnum eſt ager devotionis fertilis, & amœnus; circa cujus munimen & cultum, prædicta Eccleſia cogitare attentiùs, & opem ad hoc propenſioris ſtudii adminiſtrare tenetur; Ut illud per devotionem ſinceram, ſolitum puritatis reſpiret odorem, & per fidem integram, expectatum conſtantiæ fructum reddat. Verúmque negotium regni *Siciliæ*, quod tamdiu in præfati regis *Angliæ* manibus (non ſine ipſius Regis diſpendio, & magno prædictæ Eccleſiæ detrimento) languiſſe dignoſcitur; per eundem, juxta noſtri affectus plenitudinem promotum non extitit hactenus (quod dolentes referimus) nec ſperatur (ſecundùm ea quæ vidimus, & quæ dicti nobis ſuper ipſo negotio expoſuere nuncii) utiliter poſſe (conſideratis ipſius Regis viribus) promoveri. Non attendentes, quòd non expediebat Eccleſiæ, neque ipſi regi *Angliæ*, pro ipſo negotio in quo (ſicut ſcire vos credimus) nullus ex noſtra intervenerat, ſed omnis ex regia parte defectus, deſtinare legatum: Habito ſuper præmiſſis omnium fratrum noſtrorum cum multa deliberatione conſilio; memoratis nunciis de ipſorum fratrum unanimi voluntate, reſpondimus: quòd cum ſæpe ſæpiùs, etiam ultra quàm Eccleſiæ expediviſſet, dicto regi *Angliæ* ad ejus inſtantiam terminos ad proſequendum negotium ipſum, diverſis temporibus præfixos à nobis, de mera ſedis Apoſtolicæ gratia prorogaverimus; pœnas contentas in privilegio Apoſtolico, ſuper ipſius regni *Siciliæ* conceſſione confecto; de termino in terminum ſuſpendendo; ac mittendo & remittendo quamplures nuncios ad eundem: ipſe rex *Angliæ* circa implendas conditiones, ſub quibus dictum regnum *Siciliæ* conceſſum fuerat nato ſuo; in omnibus hujuſmodi terminis omnino defecerit. Propter quod liberum erat ipſi Eccleſiæ, de ipſo *Siciliæ* regno ordinare, diſponere, & facere pro ſuæ beneplacito voluntatis: Et etiam tractare de ipſius regni *Siciliæ* negotio cum aliis perſonis, cum quibus in hac parte conditionem ſuam poſſet facere meliorem; legatum aliquem occaſione negotii ipſius regni *Siciliæ* non daremus. Diximus tamen, quòd prædictum jam initum & continuatum hactenus cum eodem rege *Angliæ*, non diſſolvebamus, vel rumpebamus negotium: pronunciando illud diſſolutum, prout ex prædicto privilegio competebat: quòd adhuc cum nullo rege vel principe, vel alia quacunque perſona, ſuper hujuſmodi negotio tractabamus: ſed liberum erat nobis omnino, cum omnibus qui vellent ſuper eodem nobiſcum tractare negotio, aſſumere etiam & proſequi ſuper hoc, pro noſtro arbitrio & voluntate tractatum. Et ſi dictus rex *Angliæ* ejuſque filius, omnes prædictas conditiones, & illam potiſſimè de debitis uſurarum, ſub quorum oneroſa voragine prædicta Eccleſia vexatur, anguſtiatur, & premitur; integrè perſolvendis; plenariè nobis & efficaciter adimplerent, antequam tractatus hujuſmodi cum aliquo rege vel regibus aliquibus, ſeu principibus, aut aliis perſonis, compleretur; ipſos libentiſſimè in hoc univerſis regibus & principibus orbis terræ quantumcunque *Chriſtianiſſimis*, ac nobis & Eccleſiæ devotiſſimis, præferemus. Excommunicationis autem quam dictus rex *Angliæ*, ac Interdicti quod regnum ſuum juxta tenorem præfati privilegii ex hujuſmodi regis defectibus incurrebant ſententias; de ſolita benignitate ac ſpeciali gratia, qua regem & regnum ipſum proſequimur, ſuſpendendas duximus, uſque ad noſtrum beneplacitum voluntatis. Cùmque demum dicti nuncii apud nos ut concederemus legatum pro reliquis duobus articulis, videlicet pro dictæ pacis publicatione, ac etiam pro præfatæ reformationis negotio, ſolitè ac firmiter inſtarent; ſuperaddentes rationes multiplices ad hoc efficaces inductibus: nos quia noſtri propoſitum extitit hactenus, & eſt, ſemper ipſius regis *Angliæ* & veſtras petitiones, cùm ipſum regem inter cæteros orbis principes geramus in cordis viſceribus prædilectum, audire libenter; & quantum cum deo poſſumus, favorabiliter exaudire; nihilque illi aut vobis, quod abſque nota & gravi periculo concedi valeat, denegare: Communicato iterum fratrum conſilio, eiſdem nunciis duximus reſpondendum; quòd hiis quæ propoſita fuerint provida deliberatione penſatis, legatum Cardinalem nullatenus negabamus; cum pro bono, ſalubri, ac proſpero ipſius regni *Angliæ* ſtatu, non recuſaremus perſonam noſtram exponere laboribus & diſpendiis, ſi neceſſitas immineret. Verumtamen quia pauci ſunt modernis temporibus in prædicta *Romana* Eccleſia Cardinales, quòdque ſuper ſtatu ejuſdem regni *Angliæ*, priuſquam mitteretur legatus, volebamus pleniùs inſtrui, & reddi penitus certiores; Pro eo etiam quòd prædictæ pacis publicatio, pro qua ſpecialiter legatus petebatur à nobis, fieret forſitan antequam legatus poſſet in *Franciam* pervenire, videbatur nobis hujuſmodi miſſio legati ad preſens fore neceſſariò differenda. Unde quia propter bonum dicti regis, & regni *Angliæ* expedire cognovimus, ut dicti nuncii apud ſedem memoratam, donec ſuper hiis à dicto Rege & vobis haberetur reſponſio, remanerent: ipſi præmiſſis omnibus pleniùs intellectis, noſtráque pura & ſincera in hac parte intentione cognita, deliberaverunt; noſtris ſe in hoc coaptantes beneplacitis, veſtrum apud eandem ſedem ſuper hiis reſponſum certum atque plenarium expectantes. Ideò univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attentè, per Apo-

ſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus convertentes diligentiùs attentiùs oculos ad præmiſſa, & conſiderantes cuncta diſcretè; non moleſtè feratis, ſi legatum ad præſens diſtulimus deſtinare. Si enim omnia prædicta & ſingula curaveritis diſcutere ſapienter, nequaquam ambigimus, quin à vobis noſtra reſponſio, quam eiſdem nunciis de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio fecimus, inſpectis (ut convenit) circumſtantiis univerſis, rationabilis & idonea reputetur. Statum autem ejuſdem regis & regni *Angliæ*, atque veſtrum & omnia illum contingentia; necnon ipſius Regis & veſtra, ſuper habendo legato voluntates & vota, ſeriatim, diſtinctè ac expreſsè nobis intimare curetis. Nam cum dictum regnum *Angliæ*, ſicut novit Altiſſimus, omni affectus & benevolentiæ plenitudine proſequamur, & in cunctis ejus utilitatibus & proſperis eventibus ſpecialiter delectemur; cum etiam prædicta *Romana* Eccleſia ſub diverſitate temporum pro ipſius regni conſervatione omnem, quam potuerit, adhibuerit & adhibere inceſſanter intendat opem & operam efficacem: ſcire vos volumus, quòd in omnibus, quæ regalis exaltationem ſolii, veſtróſque ac communes profectus ejuſdem regni reſpiciunt; noſtrum & præfatæ (auctore Deo) ſedis favorem promptum habebitis & paratum: ita quòd de legato mittendo (ſi neceſſarium & opportunum fuerit) veſtris deſideriis plenariè ſatisfiet. Cæterum, ſuper hiis quæ iidem nuncii contra Electum *Wintonienſem* coram nobis & prædictis propoſuere fratribus, ſi vera ſunt, dolemus multipliciter & turbamur: cum univerſos *Chriſti* fideles, & ſpecialiter Eccleſiaſticas & ſublimes perſonas, dirigi cupiamus ad Dominum; & per ſuorum incedere ſemitam mandatorum. Sed quia nullus legitimus habebatur apud eandem ſedem pro ipſius Electi parte defenſor, procedi de jure non potuit ſuper illis: juſtitiam tamen, in qua ſumus debitores omnibus, faciemus. Ad hæc, quia eſſe debetis circa prædictorum regis & regni *Angliæ* procurandas utilitates, & promovenda commoda, ſolliciti, vigiles, & attenti, licet adjectione non egeat plenitudo: ex tenera tamen quam habemus ad regem ipſum affectione, ſollicitandos vos duximus & obſervandos in Domino *Jeſu Chriſto*; ut circa eundem regem devotiſſimum utique ac *Chriſtianiſſimum* principem, & chariſſimam in *Chriſto* filiam noſtram illuſtrem Reginam *Angliæ* uxorem ipſius, eorúmque natos, ſicut de divino & memoratæ ſedis & noſtro favore ſperatis & gratia, debitam fidelitatem & reverentiam obſervare curetis: Sciturі, quòd nos & prædictos fratres noſtros, totámque *Romanam* Eccleſiam, habebitis exinde vobis & veſtris perpetuis temporibus obligatos.

N.B. *Vide etiam &* literas illas Papales *ad Regem, quas & nos retrò dedimus*, Pag. 1117. *hanc enim rem, non obſcurè tangunt.*

PAG. 683. lin. 8. Forma rapinæ *Bernardi* de *Nympha*.

Hanc formam (*quam Author ipſe* informem *dixerat*) informiter *inter alia materiæ heterogeneæ argumenta in* Additamentis *obſcurè latitantem*; *a nobis* (*fatemur*) *non fuiſſe prima vice obſervatam, cum reliqua quæritabamus. Quam tandem, non ſine nobiliſſimi doctiſſimique amici monitu nobis demonſtratam, maluimus in* Auctario, *quàm omninò non dediſſe.*

Literæ generales directæ per ſingulos Epiſcopatus, ſuper collectione decimarum, & redemptionum votorum, & crucesignatorum, *& aliorum: Comiti* Richardo *conceſſorum.*

R. Divina gratia *Linc.* Epiſcopus, dilectis in *Chriſto* filiis omnibus Archidiaconis per *Lincolnienſem* dioceſin conſtitutis, ſalutem, gratiam & benedictionem. Literas domini *I. Sarraceni* ſubdiaconi & Capellani Domini Papæ, Decani *Wellenſis*, & *Bernardi* de *Nympha*, ſcriptoris ejuſdem Domini; recepimus in hæc verba.

Authenticum.

REverendo in *Chriſto* patri ac domino *R.* Dei gratia *Linc.* Epiſcopo & diſcreto viro Officiali ſuo *I. Sarracenus*, ſubdiaconus & Capellanus Domini Papæ, Decano *Wellenſi*, & *B.* de *Nympha* ſcriptor ejuſdem Domini; cum ſincera dilectione ſalutem. Noveritis nos poſt diverſa mandata ſedis Apoſtolicæ, quæ ad nos & alios prælatos regni *Angliæ* hactenus emanarunt: ſuper redemptione votorum, & aliis in eodem regno; nobili viro domino *R.* Comiti *Cornubiæ* à præfata ſede conceſſis, quorum copiam & tenorem ſub ſigillis noſtris, nobis jam ab olim tranſmiſſum, penes vos eſſe novimus: ſuſcepiſſe nuper mandatum Apoſtolicum, ſub hac forma. *Innocentius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis, *I. Sarraceno*, ſubdiacono & Capellano, Decano *Wellenſi*, & Magiſtro *B.* de *Nympha* ſcriptori, noſtris in *Anglia* commorantibus, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ex parte dilecti filii nobilis viri *R.* Comitis *Cornubiæ*, fuit propoſitum coram nobis, quòd cùm poſt diverſa

verſa mandata, quæ tam à nobis quàm a felicis recordationis G. Papa prædeceſſore noſtro ſuper redemptione votorum, in regno *Angliæ* Comiti præfato ab Apoſtolica ſede conceſſa, ad ejuſdem regni prælatos emanaſſe dicuntur. Tibi fili Decane, miniſtro ordinis *ſanctæ Trinitatis*, & captivorum in regno prædicto; & archidiacono *Bercſire*, duxerimus per literas noſtras injungendum: ut juxta priorum literarum formam in negotio ipſo procedere curaretis, agente tandem eodem archidiacono extra regnum, & ſe in totum ab hujuſmodi negotio excuſante; ac eodem miniſtro tibi fili B. committente ſuper hoc totaliter vices ſuas, illud remandamus: quatenus ſine moræ diſpendio in eodem negotio procedatis, ſuper priorum continentiam literarum. Dat. *Lugduni* tertio idus Octobris, Pontificatus noſtri anno quarto. Cum igitur ſi filii obedientiæ, prout debemus, inveniri volumus; parendi nobis incumbat neceſſitas, & refragandi audacia prohibeatur; maximè cum præter id quod præfatæ ſedi tenemur ad obedientiam ſpecialem, tam mandatum regium, quàm aſſidua poſtulatio prædicti domini Comitis, ad conſummationem & accelerationem prædicti negotii nos coarctent. Attendentes inſuper, quòd per Ordinarios locorum poteſt conſultiùs & ſalubriùs, abſque ſcandalo & ſtrepitu circa præmiſſa cum optata celeritate procedi; eos nos providimus de prudentum conſilio, & juxta ejuſdem Comitis affectum, in partem hujuſmodi oneris & ſollicitudinis evocare: ut per opem & adjectionem conſilii plurium, quæ ſuper præmiſſis agenda ſunt, ſic ritè ac prudenter Deo auctore procedant, quòd apud ſummum Pontificem inobedientia nobis non noceat, nec apud præfatum dominum Comitem, neglectus accuſetur. Quare diſcretioni veſtræ cum reverentia veſtra in virtute obedientiæ, qua injungitur nobis, injungimus, & ſub pœna interdicti qua fungimur in hac parte, auctoritate diſtrictè præcipimus; quatenus citetis peremptoriè omnes archidiaconos & officiales eorum, Civitatis & Dioceſeos *Lin.* necnon archidiaconos monaſteriorum exemptorum & non exemptorum ejuſdem Civitatis & Dioceſeos, quòd perſonaliter compareant coram nobis in Eccleſia ſancti *Martini magni Lond.* die Lunæ, proxima poſt aſſumptionem beatæ *Mariæ* nuper venturam: facturi circa præmiſſorum executionem, quod per ejuſdem regni prælatos ordinatum eſt & proviſum. Pro certo ſcientes, quòd quantumcunque vobis & veſtris deferre velimus, contra rebelles tamen & reſiſtentes, quantum de jure licuerit & poterimus, procedemus; vos autem tam de citatione facta, quàm de nominibus Citatorum, nos per latorem præſentium literis veſtris patentibus certificare curetis: proviſuri, ut alter veſtrûm cui fuerit hoc primò mandatum oblatum, illud, non expectato reliquo, ſine dilatione qualibet exequatur. Dat. anno gratiæ M. CC. XLVII. II. nonas Junii. Quapropter vobis mandamus in virtute obedientiæ, & ſub pœna prædicta, vobis injuncta firmiter injungentes; quatenus omnes & ſinguli unà cum officialibus veſtris dictis, die & loco compareatis juxta prædictum mandatum; quod jus dictaverit, facturi: ſicut pœnam prædictam volueritis evitare. Quibus autem die & loco has literas receperitis, nobis per literas veſtras patentes ſignificetis. Item, deputentur per vos in ſingulis parochiis archidiaconatuum veſtrorum, aliqui fide digni *cruce ſignati*, unà cum ſacerdote, qui conſcribant nomina cruce ſignatorum decedentium; qui jam deceſſerunt, vel qui in futurum decedent: & quantum promiſerint vel legaverint in ſubſidium *Terræ ſanctæ*, & qui fuerint executores. Et denuncietur executoribus, quòd habeant præmiſſas pecunias paratas cum fuerint requiſiti; & ſcripturæ ſingularum parochiarum deferantur in capitulis decanorum per rectores vel ſacerdotes, cum teſtimonio aliquorum vel alicujus *cruce ſignati*; & Decanus cum teſtimonio aliquorum ad hoc deputandorum, redigat omnes ſcripturas in unam ſcripturam: & apponat ſigillum ſuum, cum ſigillis ſociorum ſuorum; & dictam ſcripturam deferat ad domum fratrum *Prædicatorum* vel *Minorum*, qui ibidem prædicaverint. Et ſtatim fiat Collecta hujuſmodi pecuniæ, per viſum illius qui prædicaverit, vel ejus quem prædicator ipſe adhoc vocare poterit in locis ſingulis; & deponatur in æde ſacra ſub ſigillo illius qui prædicaverit, & Collectorum; reſtituenda nobis & domino *Wigornienſi* Epiſcopo, vel noſtris aſſignatis, cum eam duxerimus exigendam. De bonis verò *cruce ſignatorum* qui decedunt ſine teſtamento, quantum ad portionem eos contingentem, ordinetur per amicos defunctorum & fratres deputatos ibidem ad prædicandum; ut deputetur in ſubſidium *Terræ Sanctæ*, quantum poterit ſine ſcandalo; ut plenam habeant indulgentiam. Item, omnes infirmi & decedentes moneantur per Capellanos & alios qui confectioni teſtamenti eorum interfuerint, ut crucem aſſumant ſi nondum aſſumpſerint; & tam iſti quàm illi qui crucem ante aſſumpſerunt, nominent quantum velint dare ad ſubſidium *Terræ Sanctæ*: & dicatur eis expreſsè, quòd ſi omnino dederint ſecundùm facultates, plenam habebunt indulgentiam; ſi minus, erunt participes tantùm, ſcilicet ſecundùm quantitatem ſubſidii & devotionis affectum: nullus tamen compellatur facere ultra voluntatem ſuam. Et hæc omnia ſcribantur & referantur, ut ſupra.

Hæc autem nos & Dominus *Wigornienſis*, auctoritate Apoſtolica injungimus ſacerdotibus, qui intererunt teſtamentis, in virtute obedientiæ; ut tam ipſis, quàm aliis in remiſſionem peccatorum. Quid autem ſuper hiis feceritis, nobis citra feſtum Aſſumptionis beatæ *Mariæ*, per literas veſtras patentes conſtare faciatis. Dat. apud *Edevetunam*, in Dioceſi *Sarum*, Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno xii.

§. Scien-

¢. Sciendum eſt, quòd eodem anno etiam antequam inciperetur hæc excogitata Collecta ſic fieri, recepit Comes *Richardus* de terra ſancti *Albani*, xxv. libras, per manum Archidiaconi ejuſdem loci.

PAG. 748. lin. 3. ſtrages in *Flandria*.

Atque hanc ſtragem, *in lacera pergamena libro non inhærentem*; *prioris viri inluſtris diligentia nobis repertam, hic tibi (Lector) damus.*

M. CC. LIII.

HOc quoque tempore, orta eſt contentio lamentabilis inter *Flandrenſes* qui dicuntur de *Avaltere* & *Francos*, illis partibus conterminos, hoc modo: *Willelmus* de *Holande* (quem nuper dominus Papa promovit in regem *Alemanniæ*, vivente adhuc *Fretherico* quondam *Romanorum* Imperatore) óderat Comitiſſam *Flandriæ Margaretam*; meritis ejuſdem Comitiſſæ evidenter exigentibus, ſororem videlicet ipſius Comitiſſæ, quæ de patricidio ſe infamem (ſicut loco ſuo præſcribitur) reddidit univerſis. Eodem quippe *Willielmo* jam rege *Alemanniæ*, & ad altiora aſpirante; (præſtitit enim eidem cornua domini Papæ ſubſidium efficax & conſilium) reliquit hæreditatem ſuam, ſcilicet *Holandiam* & *Selandiam*, fratri ſuo juniori nomine *Florentio*: A quo dicta Comitiſſa *M.* homagium petiit, debitum, ut dicebat, ratione utriuſque terræ. Renuit ipſe conſtanter homagium facere de *Selandia.* Propter quod idem *Willielmus* vocatus eſt in Curiam *Flandriæ*, ſuper hoc reſponſurus. Et cum ibidem pacificè veniret, & homagium facere renuiſſet; captus eſt ibidem & retentus, per biennium incarceratus. Poſtea verò per *Johannem* de *Avennis* primogenitum ipſius Comitiſſæ, qui & ſororem ipſorum regum & *Florentii* duxerat in uxorem; à carcere ſolutus, confœderationem ſibi fecit mediantibus conſanguineis ſuis: Duce ſcilicet *Brabantiæ*, Electo *Leodienſi* & comite *Gaeler*, cum Archiepiſcopo *Colonienſi*, Duce de *Lunbergia*, Comite *Clevenſi*, Comite de *Montibus*, Genere de *Luceburgia*, & aliis magnatibus *Coloniæ.* Hii omnes conglobati, accinxerunt ſe ad prælium contra Comitiſſam memoratam, & vires ſuas. Quæ hoc comperto, advocavit ſibi in auxilium Comitem *Barenſem*, Comitem de Sancto *Paulo*, Comitem de *Pertico*, Comitem de *Giſnes*; cum Communiis ſuis. Et exercitu undique congregato forti & copioſo, navigio veniunt præliaturi, contra adverſarios memoratos in *Selandia*; ipſa tamen Comitiſſa in partibus ſuis commorante. Dux autem eorum ſummus, fuit filius ejus *Baldewinus*, vocatus Comes *Flandriæ*. Præſciverant autem eorum hoſtilem adventum prædicti magnates *Alemanniæ*, & inſulam ipſam ante eórum adventum cautè præoccupaverant. Applicantibus autem *Francis*, & præproperè de navibus ſuis exeuntibus, & adhuc ipſis in fluctibus marinis jactatis & titubantibus, obviam occurrerunt hoſtes eorum ſubito; præmuniti & ad unguem optimè armati; & in ipſos impetum facientes acerrimum, in ore gladii incautos & in mari fatigatos exceperunt. ** Et hoſtili ac horribili facto congreſſu, repreſſi ac repulſi ſunt *Franci*; & facta cæde & fuſo ſanguine non modico, occubuerunt *Franci* pro májori parte, & aliquota pars *Flandrenſium.* Et facta eſt ſtrages maxima, toti *Chriſtianitati* dampnoſa & irreſtaurabilis. Pepercit autem *Flandrenſibus*, ut dicitur, *Johannes* de *Avennis*, ſub ſpe recuperandæ hæreditatis, qua mater ſua fecerat eum abjudicari in Curia *Francorum.* Ceciderunt autem ibi caſu lamentabili, Comes dictus de *Pertico*, & Comes *Barenſis*; & ut creditur, Comes de ſancto *Paulo.* Et captus eſt ibidem Comes de *Giſnes*, & ut dicitur, *Flandrenſis*, & quidam frater ejus junior. Nec evaſit quiſpiam *Francigenarum*, nec aliquis qui linguam *Flandrenſem* ignoraret. Quos captos examinaverunt ſigillatim, prædictus *Johannes* & ſui, in lingua prædicta: quin ſententiam ſubirent capitalem, ſine dilectu conditionis miſerabiliter trucidati. Dicuntur autem ibidem cecidiſſe treſdecim millia armatorum, præter vulgares & merſos; & præter captos qui forte mallent in prælio laudabiliùs occubuiſſe; ſcientes ſe in carcere tabeſcendos vel graviſſimè, cum amicis ſuis redimendos. Et quia Veneris petulantia & muliebris deteſtabilis luxuria, hoc ſuſcitavit infortunium; Deo ultore facta eſt hæc ſtrages à ſeculis deploranda, die Veneris; ſcilicet ſexta feria, quarta die Julii, anno Dom. M. CC. LIII. Hujus autem lugubris eventus ſeminarium, per fœminiam incontinentiam ſuſcitatum, licet tempore præceſſerit per anticipationem, tamen (quia aliquot annis præteritis nunciatum eſt) ſubſcriptum rei factæ planiùs & plenius in hoc loco expoſuimus.

PAG. 702. lin. 3. *Summa expenſarum Regis.*

QUantæ erant hæ expenſæ, *in libro* Additamentorum *non inveni: nec ſcire tanti erit. Ex illa tamen* expenſarum *computatione, tute forſan conjectabis, quam poſt ſexennium vides annumeratam*, pagina. 814 .lin. 8. Hiſtoriæ *impreſſæ. Quæ* ſumma, *licèt non ex* Additamentis,

mentis, *ſed ex* Hiſtoriæ *ejus minore deſumpta eſt : ad illam tamen* Authorem *noſtrum reſpexiſſe, non eſt omninò incredibile.*

PAG. 747. lin. 46. *Cujus rei ſeries eſt Articuli, in libro* Additamentorum, *&c. vide &* Additamenta *noſtra*, pag. 1110. lin. 4.

H*Ii non ſunt* Articuli *illi* ſive Statuta nigri Ordinis; *quorum antea ad* paginam 1094 *exemplar dedimus.* Articuli enim *illi ipſi iidem ſunt, ad quorum ſanctionem celebratum erat Capitulum illud in* Suwerk, *die ſancti* Calixti, *ſub annum* 1249. *ut expreſsè dixerat in* Hiſtoria, pag. 666. lin. 3. *Quod & hinc cognoſcimus, quia circumſtantiæ illæ tres de* loco, die *&* anno *nominatim in illis* Articulis *recenſeantur : ut videre licet in* Additamentis *noſtris*, pag. 1094. lin. 15. *Addam & alium characterem : Favorem ſcilicet eum, quem à monachis in eo* Capitulo *obtinuerat* Henricus *Rex III. nimirum* ut pro rege, &c. quotidie in miſſa diceretur Collecta illa, Deus in cujus manu, *&c. Hujus enim inter alios* Articulos *(penultimo ſcilicet) expreſſiſſimam habemus mentionem : licèt* Author *noſter parùm oblitus ſui, in* Hiſtoriæ *loco citato dixerat, ſe* unum quod inter ipſa Statuta minimè continetur, non præteriturum : ſcilicet, quòd pro Rege, *&c. Illorum inſuper* Articulorum, *& aliam habemus mentionem, ad* Hiſtoriæ *paginam* 713. *lin* 43. *ubi eos vocat* Statuta in Provinciali Capitulo celebrato Londini, *&c. Et ſane in* Southwerk *ſive* Suwerk, *burgo* Londino *contiguo; ante biennium illi ſanciti erant. Sed neque hii erant* Articuli *noſtri, de quo nunc ſermonem inſtituemus : cùm in hoc loco tertio* Hiſtoriæ *ſuæ, extra omnem controverſiam reſpexerat* Matthæus *noſter, ad illa* Statuta Gregorii *Papæ, ab* Innocentio innovata : *quæ* Articulis *prioribus & nos ſubjunximus ad* paginam. 1097. *antecedentem. Et quòd ad hæc reſpexerat* Author, *hoc ſit argumento. Quòd in* Statutis *illis cavillentur & querantur Monachi viſitandi, quædam de novo ſibi eſſe impoſita*, quæ non erant de ſubſtantia Regulæ S. Benedicti. *Ita dixerat* Matthæus *in* Hiſtoria : *ita & reſpondet Conventus* S. Albani *viſitatoribus ſuis, cùm de eorum obſervatione inquirebatur. Quod & obſervare poteris in* Reſponſionibus Conventus : *quas & ob eam cauſam, & hujus loci illuſtrationem, hîc tibi damus. Tute etiam mecum obſervabis*, Statuta *illa* innovata, *in* 25. Articulos ſive Titulos, *fuiſſe diviſa : & ad omnes ſigillatim monachos reſpondiſſe. Ex numeris inſuper, verbiſque initialibus ſingularum reſponſionum, initia* Statutorum *ſunt colligenda. Hinc etiam apparet, monachos copiam eorum* Statutorum *penes ſe habuiſſe, ante viſitationem nominatam (ut hinc aliquid conjectare valeas, de tempore* innovationis) *ſed diverſam in aliquibus ab ea, quàm nunc proferebant viſitatores. Quod & illæ intimationes monachorum, dicentes* In noſtro *vel* In noſtro rotulo *(ſcil. exemplari) ſic vel ſic habetur; abundè demonſtrabunt.*

Reſponſiones Conventus *ad ea quæ propoſita fuerunt à Domino Papa, ſtatuta* Gregorii *Papæ innovante.*

I*Nprimis.* Primum Statutum obſervatur; omnes enim interſunt: excepto abbate cum Ca- 1.
pellanis ſuis & aliis obedientiariis, circa ſua officia occupatis. Item, Confeſſio genera-
lis non tantummodò ſingulis menſibus, immò ſingulis diebus (cum neceſſe fuerit) fit. Om-
nia alia in eodem *Statuto* contenta, ſecundùm ejus tenorem obſervantur.

Omnibus, &c. Secundum *Statutum* obſervatur per omnia in Eccleſia beati *Albani*; Hoc 2.
adjecto, quòd novitii ante probationis terminum (ſi velint) poſſunt profiteri.

PRIORATUS. Tertium obſervatur, & conceditur ab omnibus obſervari. 3.

Quartum ſimiliter obſervatur. 4.

Quintum : eo excepto quòd in quadam inſula parva dicta *Koket*, manet unus mo- 5.
nachus qui pro heremita habetur: & locus, pro heremitorio. Et alius in una ſilva ſoli- Nota pro ſolitariis profeſſionis noſtræ.
tarius.

Sextum ſtatutum, CUM ABBAS. 6.

Septimum ſimiliter. DE PRIORATIBUS. 7.

Octavum, CIRCA QUALITATEM CIBORUM, conceditur cum mi- 8.
tigatione in eodem contenta.

Nonum, IN INFIRMITORIO : ſine damno non poteſt obſervari per totum; 9.
eo quòd multi legaverunt ciphos pretioſos circulatos & cum pedibus, cauſa religionis & honeſtatis : quos confringere foret damnoſum. Quidam etiam ciphi circulis circumligantur, non ad ornatum ſed ad robur & commodum : ne ſcilicet margo ciphi circumquaque diſſipetur. Et ſciendum quòd non permittitur ciphus cum pede in refectorio, niſi tantùm in majori menſa, quam DEIS appellamus : nec ibi permittetur; ſed quia Papa *Adrianus* tranſmiſit Abbati & Conventui ſancti *Albani* unum ciphum cum pede, quem adhuc in memoria ejus tenent reverenter; Præcepitque ut ejus memores ipſo cipho uterentur in Refectorio. Præterea frequenter contingit quòd Epiſcopi & extranei Abbates ad illam menſam epulantur; propter quos honeſtum eſt tale ciphum habere. Hoc quoque

ſtatuerunt

ſtatuerunt pii patres noſtri, tam honeſtatem quàm utilitatem conſiderantes: videbaturque eis hoc licitum eſſe; cùm dicat ſanctus *Benedictus* in *Regula*, talia conſiſtere (immò & majora) in diſpoſitione Abbatis. Similiter & de corrigatis ſotularibus, cùm non ſit de ſubſtantia *Regulæ* quam profeſſi ſumus.

10. *Decimum* ſc. IN INFIRMITORIO. Obſervatur; ſc. ne tritæ carnes in Refectorio comedantur: & hæc eſt antiqua conſuetudo, in eodem Refectorio.

11. *Undecimum* ſc. INFIRMIS AUTEM FRATRIBUS. Obſervatur, & obſervari conceditur.

12. *Duodecimum*, ** Obſervatur. Excepto quòd chirothecis utuntur monachi itinerantes; ne ex capis eorum quæ nigræ ſunt, manus eorum, quibus contractant quæ circa altare ſunt denigrentur: & non ad ornatum, immò ne algeant. Ex magna autem patrum conſideratione, mutantur ſotulares corrigiati in ſotulares expeditiores: tum propter honeſtatem, tum ut expeditiùs & feſtinantiùs pulſato ſigno perveniatur ad ſervitium divinum: ſicut præcipit beatus *Benedictus* in *Regula* ſua. Et frequenter contigit in proceſſionibus (maximè ubi habet conventus neceſſe procedere ordinatè, & ſine impdimento) ligamina alicujus caſu ſoluta & denodata, ſequentis fratris pedes illaqueavit; unde totius conventus ſubſtitit donec renodarentur impeditus. Item manus fœdabant.

13. *Decimum tertium*, *Nullus Prior*: Obſervatur per omnia.

14. *Quartum decimum* ſc. PRÆCIPIMUS, &c. *Hoc ſtatutum* conſervatur; Excepto illo quòd obedientiarii non niſi ſemel in anno (collectis ſc. frugibus) circa feſtum ſancti *Michaelis* de obedientiis ſuis computum reddunt. Et compertum eſt, quòd hoc ſufficit. Reliqui verò in minoribus curis conſtitui non tantùm per annum vel menſem, immò de ſeptimana in ſeptimanam, & quandoque de die in diem.

15. NULLUS QUOQUE ABBAS. Obſervatur.

16. MONACHI QUOQUE, &c. Iſtud obſervatur ſecundùm conſtitutionem ſancti *Benedicti*, & domini Papæ, & Patrum.

17. ILLUD QUOQUE. Iſtud obſervamus.

18. CLAUSTRI, &c. Iſtud obſervari debet: viderit abbas.

19. ABBATES, &c. Hìc provideat ſibi Abbas.

20. INHIBEMUS, &c. obſervatur.

21. DENIQUE. Obſervatur.

22. CÆTERUM. Obſervatur.

23. CIRCA EQUITATURAS: viderit abbas.

24. OMNES REDITUS. Concedimus ut obſervetur.

25. PRÆDICTA: concedimus. De monialibus idem concedimus.

PAG. 744. lin. 27. *Miſſis ſuper hoc Brevibus.*
Mandatum Regis de Juratis ad arma.

H. de *Hathelokeſtuna* vicecomes *Eſſexiæ* & *Hertfordiæ*; Ballivis libertatum ſancti *Albani*, ſalutem. Mandatum Domini Regis in hæc verba ſuſcepi ϕ. *Henricus* Dei gratia Rex, &c. vicecomiti *Eſſexiæ & Hertfordiæ* ſalutem. Summone per bonos ſummonitores omnes milites & omnes liberè tenentes, de Comitatibus prædictis; & de qualibet villa quatuor homines & præpoſitum: Et de quolibet burgo duodecim legales Burgenſes, quòd ſint coram dilecto & fideli noſtro *Henrico* de *Colevilla*, ad dies & loca quos tibi ſcire faciet, ad audiendum & faciendum præceptum noſtrum. Venire etiam facias coram eo ad eoſdem dies & loca, omnes illos qui jurati ſunt ad arma, & jurati debent: cum armis ſuis ad quæ jurati ſunt & eſſe debent: Audituri & facturi præceptum noſtrum. Et interim diligenter inquiras qui fecerunt ultimò ſcrutinium de armis, in Comitatibus prædictis, & qui ultimò inde ſacramentum cœperunt; & ubi rotuli de ſcrutinio illo & ſacramento fuerunt. Et rotulos illos habeas coram præfato *Henrico*, prædictis diebus & locis; & tu ipſe tunc ibi ſis in propria perſona tua, ad exequendum ea quæ idem *Henricus* tibi ex parte noſtra præcipiet. Et ſi ballivi libertatum qui returnum habent brevium noſtrorum, iſtud mandatum noſtrum executi non fuerint; non omittas quin libertates illas ingrediaris ad idem mandatum exequendum. Teſte meipſo apud *Porteſmuthe* xviii. die Julii, anno regni noſtri xxxvii. Quare tibi mando, quòd mandatum iſtud ſub amiſſione Libertatis Domini tui diligenter exequaris.

HEnricus Dei gratia, &c. Dilecto & fideli ſuo *Henrico* de *Colevilla* ſalutem. Sciatis quòd aſſignavimus vos ad exponendum militibus, liberis hominibus, & aliis de comitatibus *Cantebrugiæ*, *Huntindoniæ*, *Hertfordiæ*, & *Eſſexiæ*, quos coram vobis venire præcipimus, ad dies & loca quos vicecomitibus eorundem comitatuum ſcire fecerimus; articulos quos vobis mittimus ſub ſigillo noſtro, & ad providendum quòd articuli illi firmiter obſerventur, ad pacis noſtræ conſervationem. Et ad videndum quòd ſinguli habeant

arma

arma ad quæ ſunt jurati, & jurari debent. Et ad ponendum modo debito omnes quos reſiſtentes & rebelles, ſeu negligentes in præmiſſis inveneritis. Et ideò vobis mandamus, quòd ad dies & loca quos duxeritis providenda, in Comitatibus prædictis, ſitis ad prædicta facienda, prout magis videritis expedire. Mandamus enim ſingulis vicecomitibus prædictis, quòd ad dies & loca quos eis ſcire facietis, venire faciant coram vobis omnes milites, liberè tenentes de Comitatibus prædictis, de qualibet villa quatuor homines, & præpoſitum, & de quolibet burgo xii. legales Burgenſes: & omnes illos qui jurati ſunt ad arma, & jurari debent, cum armis ſuis ad quæ jurati ſunt & eſſe debent: ad audiendum & faciendum quæ eis ex parte noſtra præceperitis. Et quòd ipſi vicecomites in propriis perſonis ſuis, tunc ſint coram nobis cum rotulis de ultimo ſcrutinio armorum facto in eiſdem Comitatibus, ad exequendum quæ eis ex parte noſtra præceperitis. Et ſi ballivi libertatum qui habent returnum brevium noſtrorum, mandatum noſtrum in hac parte executi non fuerint, non omittatis quin libertates illas ingrediamini, ad prædictum mandatum noſtrum exequendum. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud *Porteſmuthe*, viceſſimo die Julii, anno regni noſtri triceſimo ſeptimo.

Articuli.

QUòd vigiliæ fiant per ſingulas villas ſicut fieri conſueverunt, & per viros probos & validos.

§. Quòd ſectæ de viceſiis fiant ſecundùm antiquum debitum modum, ita quòd negligentes & viceſium ſequi nolentes, capiantur tanquam conſentientes malefactoribus & liberentur vicecomiti. Et inſuper in qualibet villa provideantur quatuor homines vel ſex, ſecundùm quantitatem villæ, ad viceſia promptè & inſtanter proſequenda; & ad malefactores proſequendos ſi ſupervenerint, & neceſſe fuerit cum arcubus & ſagittis, & aliis levibus armis quæ debent provideri ad cuſtum totius villæ, & que ſemper remaneant ad opus prædictæ villæ. Et ſuper illos, provideantur de quolibet hundredo duo liberi & legales homines potentiores, qui ſint ſuperiores: & videant quòd vigiliæ rectè fiant & proſecutiones prædictæ.

Quòd nullus extraneus hoſpitetur, niſi de die, & de die clara diſcedat.

Quòd nullus extraneus receptetur in villis campeſtribus, ultra unum diem, vel duos ad plus: extra tempus meſſium, niſi hoſpes pro eo velit reſpondere.

Quòd ſi aliquis malefactor, vel aliquis de quo mala ſuſpitio habeatur, capiatur per vigilatores, vel alios Domini Regis fideles; vicecomes vel ballivus de hundredo, ipſum ſine dilatione vel mercede aliqua recipiet.

Quòd præcipiatur Majori & Ballivis ſingularum Civitatum & Burgorum, quòd ſi aliquis mercator vel extraneus deferens pecuniam & illam eis oſtendat & conductum petat; quòd faciant ei conductum per malos paſſus & loca ambigua: quòd ſi aliquid amiſerit, pro defectu conductus vel in eorum conductu, de villata burgi illius vel civitatis ei reſtituatur.

Nota, Lector, poſt Decretales Innocentii quarti; (*quarum copiam tibi exhibuimus in* Additamentis *noſtris*, pag. 1102 *in* M. S°. *invenimus* Reſponſiones Epiſcopi: *quas & ideò hîc ſubjunximus.*

Reſponſiones Epiſcopi.

§. AD hoc quòd Dominus Archiepiſcopus monet Dominum *Londonienſem*, ut Mandatum ſuum directum Priori ſanctæ *Trinitatis* revocet; petit Dominus *Londonienſis*, ut exhibeatur ei illud mandatum, in quo ſi fuerit aliquid corrigendum vel revocandum, paratus eſt illud facere quatenus fuerit de jure faciendum.

§. Petit Dominus *Londonienſis*, ut idem unà cum ipſo eligant quatuor viros probos, fide dignos & Juriſperitos, & ipſe unà cum quinto communiter electo, audiant rationes domini Epiſcopi, pro ſe & ſubditis ſuæ Eccleſiæ; & rationes domini *Cantuarienſis*, circa factum viſitationis, & terminent negotium (ſi fieri poſſit) cum pace. Et ſi non conveniant in unam ſententiam, conſulant Dominum Papam, & expectetur ejus diffinitio.

§. Aliter. Petit dominus Epiſcopus, quòd dominus Archiepiſcopus de facto revocet quod de facto fecit, circa Sententias ſuas, per legitimas appellationes præventas; & medio tempore, quieſcat ab executione viſitationis inſolitæ; & faciat Convocationem de fratribus & coepiſcopis, & habito conſilio eorum & deliberatione cum ipſis, fiat proviſio quid faciendum ſit, cum juſtitia, pace & honeſtate ipſius Archiepiſcopi & ſubditorum. Et ipſe Epiſcopus cum ſubditis ſuis formam providendam recipiet, & obſervabit uniformiter cum fratribus coepiſcopis ſuis: Et ſi fuerit diſſenſio inter Epiſcopos, promittit pro ſe, quòd majori & ſaniori parti adhærebit.

ſ. Aliter. Petit dominus *Londonienſis*, quòd facta revocatione ſententiarum ſuarum (ſicut ſuperiùs petitum eſt) dominus archiepiſcopus procedat ad viſitationem reliquorum epiſcoporum provinciæ, ſicut fecit in viſitatione perſonæ: & ſubditos ſuos dimittat in pace, donec dominus Papa conſultus, poſt audita & intellecta gravamina Eccleſiarum, ordinet expreſsè quid ſit in talibus finaliter agendum.

ſ. Notandum quoque, quòd præcisè denegavit Archiepiſcopus tam Epiſcopo quam Canonicis, copiam ſui Autentici.

Privilegia Monaſterii Sancti Albani.

Quoniam in Hiſtoria pag. 647. lin. 10. *ſit mentio de* Libertatibus *&* Privilegiis *Eccleſiæ* Sancti Albani: *&* pag. 814. lin. 38. *altera habeatur* Libertatum *mentio*; *per* Willielmum *de* Hortune *Cellerarium* acquiſitas: *& eas volumus tibi, Lector, commendare.*

Hæc ſunt negotia *Eccleſiæ* Sancti Albani, *expedita per induſtriam & diligentiam domini* Willielmi *de* Hortune *monachi, & magiſtri* Willielmi *de ſancto* Edwardo: *anno dom. M. CC. LVII.*

INprimis, Eccleſia de *Herteburne* in uſus proprios per ſententiam conceſſa, & à domino Papa confirmata; & ſuper eadem executoria: Et ſi quis defectus fuerit in eadem ſententia, de plenitudine poteſtatis ſupplevit.

Item, Innovatio magni privilegii, cum magna difficultate impetrata.

Item, Conceſſit nobis dominus Papa Eccleſias de *Wengrave* & *Cuneſclif*, in uſus proprios convertendas, cedentibus vel decedentibus earundem rectoribus, aſſenſu Ordinariorum minimè requiſito; & ſuper eiſdem executorias in poſſeſſionem earundem, nos inducant & defendant inductos.

Item, Quòd poſſimus presbyteros ad eaſdem eligere, & eos diœceſano locorum præſentare; & portiones ſuas aſſignare. Qui quidem presbyteri, Ordinariis locorum de ſpiritualibus; nobis autem de temporalibus omnibus, ſecundùm tenorem privilegiorum noſtrorum, teneantur reſpondere.

Item, Cum pro Eccleſiis in uſus proprios monaſterii noſtri, ſeu Prioratuum noſtrorum converſis, Obedientia ab Ordinariis locorum inſtanter exigatur; ſeu ſuper eadem quam plurimùm inquietemur; conceſſit nobis dominus Papa, ne de cætero pro eiſdem Eccleſiis aliquatenus obedientiam exhibeamus nos, ſeu Priores noſtri.

Item, Cum Innocentius Papa ſtatutum ediderit, ut exempti qualicunque gauderent libertate, coram locorum Ordinariis poſſent conveniri, & ratione delicti ſeu contractus aurei, coram eiſdem tenerentur reſpondere; per contrarium nobis à domino Papa eſt conceſſum; ne nos ſeu Priores noſtri, aliquatenus coram locorum Ordinariis teneamur reſpondere.

Item, Cum jus fuerit commune, quòd unuſquiſque à diœceſi ſua per duas dietas poſſit per literas Papales conveniri; niſi contrarium per ſedem Apoſtolicam fuerit conceſſum; Per eandem ſedem nobis eſt indultum, ne nos ſeu Priores noſtri à monaſteriis noſtris ultra duas dietas, in cauſam ab aliquo trahi poſſemus.

Item, Per eandem ſedem nobis eſt indultum, quòd terras, poſſeſſiones, reditus, maneria, necnon & alia bona à prædeceſſoribus noſtris quibuſcunque alienata; nos ſeu Priores noſtri, pro monaſteriis noſtris revocare poſſimus: Juramentis, pactionibus ſeu confirmationibus aliquibus non obſtantibus.

Item, Indultum eſt nobis per ſedem Apoſtolicam, quòd Priores Cellarum noſtrarum libertatibus & immunitatibus monaſterio noſtro conceſſis, & hactenus uſitatis, liberè uti poſſent.

Item, Dominus Papa omnia bona noſtra mobilia & immobilia, Eccleſiaſtica ſeu mundana, quæ legitimè præſcripſimus nos ſeu Priores noſtri; authoritate Apoſtolica confirmat.

Item, Indultum eſt nobis, quòd nullus de cætero monaſterium noſtrum ſine aſſenſu & voluntate omnium, ſeu ſigillis Conventuum; nos vel priores noſtros, poſſit aliqua ratione obligare aliquibus mercatoribus.

Item, Cum *Innocentius* Papa ſtatutum ediderit, quòd viventibus Rectoribus Eccleſiarum, licitum ſit patronis Eccleſiarum alios præſentare, qui plenum jus in eiſdem haberent, præterquam corporalem poſſeſſionem non haberent, donec de morte Rectoris conſtaret, & nos juxta hujuſmodi ſtatutum, clericos ad eaſdem præſentaverimus, hujuſmodi præſentationibus non obſtantibus. Illud ſtatutum, de certa conſcientia & conſilio fratrum penitus revocavit; & quicquid ſtatutum eſt ab eo, vel ob id, per contrarium ſuum ſtatutum & bullatum irritavit.

Item,

Item, Per eandem ſedem nobis eſt in dultum, ne per ſtatuta & conſtitutiones Legatorum & Nunciorum, à ſede Apoſtolica miſſorum ſeu mittendorum in poſterum; conſuetudinibus & libertatibus monaſterii noſtri antiquis & approbatis, aliquid præjudicium generetur, quo minus ſicut hactenus uti poſſemus.

Item, Per eandem ſedem nobis eſt indultum, quòd Abbas cum monachis ſuis, ſuper irregularitatibus ab eiſdem contractis ſeu contrahendis, liberè diſpenſare valeat.

Item, Indultum eſt nobis, ne per inhibitiones ſeu reſervationis à ſede Apoſtolica ſententias inquietemur, quo majus teneamur ad penſiones dandas, ſeu beneficia Eccleſiaſtica conferenda, nobis invitis.

Item, Indultum eſt nobis, quòd obligationes Cellarum noſtrarum, ſcilicet de *Thinemua* & *Belvero*, per *Hertfordenſem* Epiſcopum factæ, per magiſtrum *Ruſtandum* revocentur; & aliunde mercatoribus ſatisfiat: cum unum & idem corpus, duplici afflictione aſtringi non debeat.

Item, Indultum eſt nobis per ſedem Apoſtolicam, quòd ſi decimæ noſtræ quinquennales ad ſatisfactionem decimæ ſolutæ *Norwicenſi* Epiſcopo, ſeu obligationis quingentarum marcarum, una cum lucro ſeu expenſarum & damnorum, occaſione dictæ obligationis factorum, non ſufficiant; quòd habeamus cellarum decimas noſtrarum, & clericorum noſtrorum infra dioceſin noſtram exiſtentium, donec nobis plenè fuerit ſatisfactum.

Item, Indultum eſt nobis, quòd ubicunque locorum poſſet Abbas altare portatile ſecum deferre, & ſuper eodem in locis non decoratis Eccleſiarum titulis, per ſe vel per alium ſolenniter celebrare, ac ſacramenta Eccleſiaſtica familiæ ſuæ miniſtrare.

Item, Cum à nobis eſſet petitum, quòd Abbas poſt *Agnus Dei*, & per vicos & plateas benedictiones ſolennes poſſit dare; Præcisè ad hoc nobis erat reſponſum, quòd fruſtra exquiſivimus extra quod intus habebamus. Videlicet quòd ex tenore privilegiorum noſtrorum, indiſtincte & abſolutè eſt conceſſum, quòd Abbas poteſt benedictiones dare: de omni benedictione erat intelligendum, cum nil exceperit quod excipere potuit; unde dicunt, quòd ſecurè poterit benedictiones dare.

Item, Conſervatores habemus omnium privilegiorum ad quinquennium.

Item, Memorandum de viſitatione triennali, qualiter tempus eſt diffinitum, & rei quantitas determinata.

Item, Conceſſit nobis dominus Papa, perpetuò feſtivitatibus beati *Albani*, uſque ad octo dies ſequentes, omnibus ad idem Monaſterium venientibus cauſa devotionis, unum annum & xl. dies.

Item, Ad fabricam Eccleſiæ, tres quadragenas, in una litera; & tres in alia, ſub diverſa data.

Item, De Epiſcopo *Soronenſi*, unum annum & xl. de omnibus, cauſa devotionis ſingulis diebus in perpetuum, monaſterium ipſum viſitantibus, ſeu manum adjutricem porrigentibus fabricæ Eccleſiæ.

Item, De Epiſcopo *Roſenſi* xl. dies in perpetuum.

Item, A domino Papa, centum dies operi.

Item, Ab eodem xl. dies.

Item, De Epiſcopo *Tribunenſi*, unum annum & xl. de omnibus cauſa devotionis ſingulis diebus in perpetuum, monaſterium noſtrum viſitantibus, ſeu manum adjutricem porrigentibus fabricæ Eccleſiæ.

Item, Dominus Papa omnes indulgentias & remiſſiones, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis à principio mundi uſque in hodiernum diem conceſſas, authoritate Apoſtolica confirmat. *De quadam cautela in poſterum fortè profutura.*

Item, Cum à nobis petitum, quòd cedente vel decedente Abbate noſtro, ille qui canonicè fuerit Electus munus benedictionis in *Anglia* poſſet recipere, & nobis eſſet conceſſum: tamen quia ſtatutum fuit & inter Fratres ordinatum, & per Papam confirmatum, quòd omnes Electi exemptorum de neceſſitate perſonaliter pro munere confirmationis ad Curiam accederent; petebamus quòd cum iſta adjectione nobis concederetur; ſcilicet, *non obſtante aliqua ordinatione, ſeu ſtatuto facto vel faciendo ſuper Electionibus exemptorum*; cum de certa conſcientia hujuſmodi indulgentiam nobis duximus concedendam. Et quia hoc denegavit, & aliter ſine magno incommodo noſtro fieri non potuit, cautè declinavimus.

Et dum hæc *Romæ* agerentur, inventum eſt apud ſanctum *Albanum* ipſius beati martyris *Albani* Mauſoleum, in octabis ſancti *Stephani*: præſentibus Abbate & Conventu & Epiſcopo *Bangorenſi*. A quo collatum eſt Indulgentiæ beneficium, omnibus locum illum venerantes adeuntibus, xxx. dierum: & Altari quod ibidem dedicavit idem Epiſcopus, decem dierum. *Norwicenſis* autem Epiſcopus ***

Eboracenſis vero Archiepiſcopus, xx. dierum. Qui conjuncti priſtinis, & antedictis, videlicet *Romæ* illo anno adquiſitis, faciunt dies ſex annorum & xii. dierum.

Quia in Hiſtoria *pagina 764. lin. 5. habentur literæ Regiæ de* Revocatione iniqui judicii Henrici *de* Mara *: Et iterum pag.* 814. *lin.* 31. *ſit mentio de* caſſatione ejuſdem iniqui judicii: *hæc igitur quæ ſequuntur, proximè iis addenda duximus. Quæ (fatemur) cùm* manuſcripta Additamenta *denuò revolveremus, à nobis ſunt inventa : cùm ad* Additamenta *impreſſa p.* 1117. *negaſſemus, nihil ultrà ſuper hac materia ibi poſſe reperiri.*

Quomodo revocatum eſt & caſſatum iniquum judicium Henrici de Mara *Juſticiarii, unde admerciati fuimus ad centum libras ; quod & fuit inrotulatum.*

Vide etiam computum Vicecomitis Hertfordiæ *: retrò pag.* 1112. *lin. 61.*

ITa accidit Anno Domini M. CC. LIII. in quadrageſima, quòd Dominus Rex fuit in *Waſconia*, & commiſerat cuſtodiam terræ ſuæ, Dominæ Reginæ, & *Richardo* Comiti *Cornubiæ* ; Quorum proviſione, fuerunt miſſi quidam Juſticiarii per univerſos comitatus *Angliæ*, ad inquirendum de tranſgreſſoribus novi Cambii. Unde ita accidit quòd quidam Juſticiarius *Henricus* de la *Mara*, aſſociato ſibi *Johanne Sylveſtre*, ad comitatum *Hertfordiæ*, ſcilicet apud *Hertfordiam* acceſſerunt, prædictum officium executuri. Coram quibus, liberi homines de Libertate ſancti *Albani* & *Willielmus* de ſancto *Leodegario* tunc ſeneſchallus ejuſdem Libertatis comparuerunt ; & facta inquiſitione de tranſgreſſione ejuſdem Cambii, facta infra libertatem ſancti *Albani*, & prædictis Juſticiariis tradita in ſcriptis, in quibus fuerunt nomina tranſgreſſorum, receſſerunt prædicti Juſticiarii. Quo anno plenè revoluto, venerunt prædictus *Henricus*, & *Willielmus* de *Wiltona* Domini Regis Juſticiarii, ad villam de *Cheſterhunt*, infra prædictum Comitatum, diſtantem à libertate ſancti *Albani* per tres leucàs, ad amerciandum omnes quos invenerunt per primam inquiſitionem tranſgreſſores. Inter quos vocati fuerunt de qualibet villa libertatis ſancti *Albani*, duo homines, & præpoſitus, ad amerciandum tranſgreſſores ejuſdem libertatis. Et quia non venerunt, amerciatæ fuerunt villa ſancti *Albani* & libertas ad centum libras ; & tranſgreſſores prædicti per forinſecos ad duas marcas & dimidiam, contra libertatem ſancti *Albani*. Quo facto, & rotulo illius itineris ad ſcaccarium domini Regis (prout moris eſt) liberato, & omnibus priùs actis inrotulatis, accidit quòd dominus *Willielmus* de *Hortuna* tunc Cellerarius in hoc negotio nobis periculoſo diligens procurator, graviſſimam querimoniam in propria perſona (cum timor & favor omnium prolocutorum ora obturaſſet) coram prædictis Regina & *Richardo* Comite, & coram Concilio domini Regis, tunc exiſtente in *Anglia*, depoſuit, ſuper quinque Injuriis per prædictos Juſticiarios libertati Eccleſiæ ſancti *Albani* illatis. Quarum prima talis fuit. ¶. Quòd homines ſancti *Albani*, non debent venire extra libertatem ſuam, & per ipſos compellebantur venire, apud *Cheſterhunt*, extra libertatem ſuam ; & ſic eis fuit injuriatum. ¶. Secunda talis fuit, quòd ſummoniti non fuerunt, eo quòd Ballivus libertatis retornum brevis domini Regis non habuit, per omnia verba in eodem brevi inſerta, ſicut habere debuit : niſi tantùm ſimplex mandatum vicecomitis, pro quo nihil facere debuerunt, unde ibidem non venientes, injuſtè amerciabantur. ¶. Tertia talis fuit, quòd ſi extra prædictam libertatem venire debuiſſent, & prædictus Ballivus ſufficientem retornum brevis per omnia verba domini Regis habuiſſet ; venire tamen non debuerunt, quia ſpacium legitimi temporis ad ſummonitionem faciendam non habuerunt. ¶. Quarto modo Eccleſiæ & libertati prædictæ injuriabatur, eò quòd ſi homines prædicti rectè & juſtè coram domino Rege vel coram quibuſcunque Juſticiariis eſſent amerciati, amerciamenta ipſorum habere conſueverunt Abbates ſancti *Albani*, quod modo eis planè denegatur. ¶. Quinto modo injuriabatur libertati, contra communem chartam ; ubi dicitur, quòd liberi homines debent amerciari ſecundùm quantitatem delicti, & ſalvo contenemento ſuo. Et amerciamentum centum librarum (prout omnibus manifeſtum eſt) excedit quantitatem hujus delicti : & maximè ubi non eſt delictum, prout apertè liquet per rationes ſupradictas. Unde non tantùm libertati prædictæ injuriatum eſt à Juſticiariis, immò ab omnibus huic facto conſentientibus, qui in latam ſententiam videntur incidiſſe, chartam communem caſſare præſumentibus.

Item, Quòd invitus ne videatur improperium cogor recitare, Contulimus centum marcas ad paſſagium dominæ Reginæ, & promiſit libertates noſtras, quod tamen tenetur ſervare illæſas, & modò exigit centum libras ; contra libertates noſtris temporibus omnium anteceſſorum domini Regis uſitatas, & inviolabiliter conſervatas, & nihilominus præſtare ei ad præſens auxilium. Hoc nullo modo poſſemus facere ſine enormi læſione, immò & deſtructione Eccleſiæ noſtræ : & ſine periculo animæ domini Regis, qui multotiens juravit tueri Eccleſiæ libertatem & ſtatum. ¶. Item, Communis injuria Eccleſiæ *Anglicanæ* illata, vicecomites *Angliæ* compulerunt Priores & alios Eccleſiæ Prælatos, ad finem faciendum poſt paſſagium domini Regis, contra illum articulum in communi Charta *volo quòd Anglicana Eccleſia libera ſit.*

¶. Nec chartæ communes ſervantur à Rege, nec à Juſticiariis, nec ab aliis Ballivis, eò

quòd

quòd non dantur certi cuſtodes earum ad audiendum querelas Communitatis. §. Item quidam ſunt in terra quaſi reges, de quibus aut vix aut nullo modo poteſt haberi Juſtitia. Et ita neceſſe habent recurrere ad eos, qui injuriantur, & ſic ſunt de ſuo facto proprio injurioſo judices. §. Super hiis & aliis rationibus, coram prædictis Regina & *Richardo* Comite, Juſticiariis, Baronibus ſcaccarii, ibi tunc ad generale parlamentum convocatis, ibidem exiſtentibus, ſcilicet *Londoniis*, per quatuor dies ad hoc ſpecialiter conſtitutos, fuit diſputatum. Quia quod fuit judicialiter diffinitum, & irrotulatum, videbatur eis dedecus magnum & damnum infirmare; tum propter judicium Juſticiariorum, ne viderentur dum regium lucrum ſitirent, deauctorizari; tum ne jacturam tantam incurrerent. Tandem poſt multas altercationes ad parlamentum apud *Weſtmonaſterium*, Anno videlicet Domini M. CC. LIV. quod fuit circa *clauſum Paſcha*, Rege adhuc exiſtente in *Waſconia*, coram dictis magnatibus, necnon coram Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & omnibus ferè Epiſcopis & magnatibus regni, & toto domini Regis Concilio, fuit prædicta queremonia recitata, & depoſita per ordinem a prædicto Cellarario *Willielmo*. Unde per Reginam & per comitem *Richardum*, & totum domini Regis Concilium, fuit prædictum judicium omnino revocatum, & caſſatum: & cancellatum amerciamentum, in rotulo domini Regis ad Scaccarium (licèt indelebiliter) niſi ſolveretur prædicta pecunia, ſcilicet centum librarum inſcriptum, prout patet per breve domini Regis, de eodem judicio infirmando, Baronibus de Scaccario tranſmiſſum. Et ut tota provincia ſciret libertatem ſancti *Albani* in debito ſtatu fuiſſe reſtitutam, datus fuit dominus *Alanus* de *Waſſant* domini Regis Juſticiarius, ad inſtantiam dicti Cellararii, ad inquirendum infra libertatem de prædicta Cambii tranſgreſſione.

Literæ Revocatoriæ.

HEnricus Dei gratia, &c. Baronibus Scaccarii, &c. Quia conſtat nobis per inſpectionem Chartarum prædeceſſorum noſtrorum Regum *Angliæ*, quas Abbas ſancti *Albani* habet, quòd homines ipſius Abbatis venire non debent, extra libertatem ipſius Abbatis, pro aliqua ſummonitione vel occaſione, coram aliquibus juſticiariis vel inquiſitoribus, remiſimus eidem Abbati centum libras, ad quas villa & libertas ſancti *Albani* amerciatæ fuerunt, eo quòd non venerunt coram *Henrico* de *Mara*, & *Willielmo* de *Wiltona* apud *Ceſtrehunte*, quæ eſt extra libertatem ſuam, ad inquiſitiones faciendas de tranſgreſſione cambii, & ad amerciandum tranſgreſſores ejuſdem cambii; & etiam duas marcas & dimidiam, ad quas quidam homines de libertate prædicta amerciati fuerunt, coram prædictis *Henrico* & *Willielmo* pro tranſgreſſione prædicta. Et ideo vobis mandamus, quòd villam & libertatem prædictam de prædictis centum libris, & prædictos homines de prædictis duabus marcis & dimidia, per libertatem prædictam quietos eſſe faciatis.

Item, Literæ domini Regis patentes, de eodem certificando. *Henricus* dei gratia Rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ*, &c. Dilecto & fideli ſuo *Alano* de *Waſſant* ſalutem. Sciatis quòd conſtituimus vos ad inquirendum per ſacramentum proborum & legalium hominum de libertate Abbatis ſancti *Albani*, quia de eadem libertate cambiaverunt infra illam libertatem, veterem monetam pro nova, vel aliud argentum, contra præceptum noſtrum, & contra ſtatuta cambii noſtri; & ad amerciandum omnes illos de libertate prædicta, quos tranſgreſſores inde inveneritis. Et ideo vobis mandamus, quòd ad diem & locum quos providendos duxeritis, ſitis ad prædictam Inquiſitionem infra libertatem prædictam, ſicut prædictum eſt, faciendam & ad amerciandum tranſgreſſores prædictos, & quod inde feceritis, Concilio noſtro commoranti in *Anglia* ſub ſigillo veſtro diſtinctè & apertè ſcire faciatis. Mandavimus enim vicecomiti noſtro *Hertfordiæ*, quòd ad diem & locum quos ei ſcire facietis, venire faciat coram vobis tot ac tales probos & legales homines de libertate illa, intra eandem libertatem, per quos dicta inquiſitio meliùs fieri poterit. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte *A.* regina noſtra & *Richardo* Comite *Cornubiæ* fratre noſtro; apud *Weſtmonaſterium* viii. die *Maii* anno regni noſtri xxxviii.

Item, Literæ domini Regis vicecomiti Eſſexiæ, *ſuper prædictis.*

RAdulfus de *Arderne* vicecomes *Eſſexiæ* & *Hertfordiæ*, Ballivo libertatis ſancti *Albani* ſalutem. Mandatum domini Regis in hæc verba *ſuſcepi*. *Henricus* Dei gratia, &c. Vicecomiti *Eſſexiæ* & *Hertfordiæ*, ſalutem. Quia conſtat nobis per inſpectionem chartarum prædeceſſorum noſtrorum Regum *Angliæ*, quas Abbas ſancti *Albani* habet, quòd homines ipſius Abbatis venire non debent extra libertatem ejuſdem Abbatis pro aliqua ſummonitione vel occaſione, coram aliquibus Juſticiariis vel inquiſitoribus, remiſimus eidem Abbati centum libras, ad quas villa & libertas ſancti *Albani* amerciatæ fuerunt; eò quòd non venerunt coram *Henr.* de *Mara* & *Willielmo* de *Wiltona* apud *Cheſtrehunte*, quæ eſt extra libertatem prædictam, ad faciendum inquiſitiones de tranſgreſſoribus Cambii, & ad amerciandum

Nota dolum, rapinam occultam, & mendacium, & ſigilli falſum teſtimonium, quia revera, extortæ ſunt clam.

americiandum tranſgreſſores ejuſdem Cambii; & etiam duas marcas & dimidiam, ad quas *Nicholaus* le *Eſpeter*, *Alexander Stoil*, *Willelmus* de *Sandragge*, & *Reginaldus Aurifaber*, homines ipſius Abbatis, de libertate prædicta amerciati fuerunt, coram prædictis *Henrico* & *Willielmo*, pro tranſgreſſione prædicta. Et ideo tibi præcipimus, quòd de demanda quam facis prædicto Abbati & villæ ſancti *Albani*, de prædictis centum libris, & prædicto *Nicholao*, *Alexandro*, *Willielmo*, & *Reginaldo*, de duabus prædictis marcis & dimidia, eis pacem habere permittatis, & averagia ſua ſi quæ ceperis eis deliberes. Teſte *I. Franco*, apud *Weſtmonaſterium* xvii. die Junii, anno regni noſtri xxxviii. Quare tibi mando quòd iſtud mandatum diligenter exequaris.

§. Nota labores & expenſas, quas & in hujus juris noſtri declaratione ſuſtinuit dominus Willielmus Hortuna, *tunc Cellararius, per ſpatium ferè biennale.*

PRædictum Judicium ſucceſſivè, coram toto domini Regis Concilio, ter fuit confirmatum, & in fine conſociatis ſibi viris diſcretis & juriſperitis, ſublato cæcitatis velamine, clariùs rei veritatem magnates inſpicientes, prædictum Judicium tanquam fatuè pronunciatum, penitus fuit infirmatum. Quod credimus meritis beati *Albani* eveniſſe; qui non humanam malitiam in tantum invaluiſſe permiſit, ut tam enormiter ejus læderetur Eccleſia; prout ejus inimici propoſuerant & conarentur. Quia ſi prævaricantis *Henrici* de *Mara*, qui tot laborum & expenſarum cauſam præbuit ſeminariam, iniquum Judicium non revocaretur, multa ſequerentur incommoda libertatibus Eccleſiæ noſtræ uſitatis repugnantia. Primò, quod ſemper per retornum brevis, per omnia verba in brevi domini Regis contenta, ſolebat ballivus noſter placitare; Et ſi tunc judicialiter nobis eſſet denegatum, per ſimplex mandatum cujuſcunque vicecomitis *Hertfordiæ* poſſent placita libertatis noſtræ coram eo placitari, in caſu conſimili: non obſtante charta libertatis noſtræ in perpetuum. Aliud verò inconveniens, quòd ſi homines libertatis noſtræ tunc veniſſent apud *Ceſtrehunte*, quæ eſt extra libertatem noſtram, & hoc videlicet eſſet decretum & per reclamationem noſtram nullo modo eſſet revocatum, dominus Rex diceret ſe eſſe in poſſeſſione per illud decretum; & ſic traheretur ad conſequentiam facti, quòd homines libertatis noſtræ ad quamlibet ſummonitionem neceſſe haberent venire, extra libertatem prædictam, pro voluntate Juſticiariorum, vel inquiſitorum domini Regis. Tertium ſiquidem incommodum Eccleſiæ noſtræ magis eſſet oneroſum, quòd ſi homines libertatis noſtræ, aliqua de cauſa eſſent amerciati coram domino Rege vel Juſticiariis, ſeu quibuſcunque inquiſitoribus, per hoc quòd centum libræ ad quas amerciati fuerunt villa & libertas ſancti *Albani*, adjudicatæ fuiſſent domino Regi; diceret dominus Rex qui pro tempore eſſet, omnia amerciamenta hominum noſtrorum, coram eo vel Juſticiariis ſuis amerciatorum, in uſus ſuos pari ratione in perpetuum debere converti, quia de ſimilibus ſimile Judicium. Et ſic charta libertatis noſtræ, quæ ſpecialiter conſtat in iſtis tribus articulis ſupradictis, non eſſet in parte violata, ſed omninò adnullata, viribus careret in perpetuum. In hiis exequendis, laboravit Cellararius noſter uſque ad ſpiritus amaritudinem pluſquam mille milliaria cum expenſis maximis & donariis peragrando: nec potuit ad prædicta ſcripta pervenire, per quæ illæſa remaneret libertas noſtra, niſi clam centum memoratas libras comiti *Richardo* numeraret. Et ſic omnia prædicta, veneno perfidiæ & avaritiæ ex parte Regis fuerant toxicata. Viderit Deus qui judicat juſtitiam, quomodo *Chartam Magnam* ſervaverit; cujus violatores, fecit Rex nuper omnes Epiſcopos *Angliæ* ſolenniter excommunicare: per quod ſibi concedebatur decima Regni per triennium; gravamen penitus exequitur, juſtitiam prætermittens.

Quoniam tam in Hiſtoria *præcedente, quàm in* vitis Abbatum, *frequentiſsima habeatur mentio de* Fundatione *&* donatione *Eccleſiæ* ſancti *Albani, per Regem* Offam, *alioſque Reges & Benefactores, quaſdam igitur eorum* Chartas *&* Teſtamenta *tibi, Lector, hic tranſcripſimus: necnon ut formulas* Chartarum *ejus ætatis poteris obſervare, ſi forſan tibi erunt delectationi. Deſcriptæ autem ſunt ex libello vetuſtiſſimâ manu exarato, &* Additamentis *aſſuto & compacto: cujus Titulus eſt,* Antiqua & primitiva Munimenta Eccleſiæ *ſancti* Albani, *Anglorum* Protomartyris. *Atque ibi, ſane quamplurima ejuſdem generis, una cum quamplurimis* Paparum privilegiis, *ſunt invenienda.*

REgnante Domino noſtro *Jeſu Chriſto* in perpetuum. Decet igitur, ut regalis benignitas omnipotentis Dei & ſanctorum Martyrum, quantum valeat, honori provideat. Quia honor Dei & pia in ſanctis ejus devotio, ſtabilitas eſt regni terreni; & proſperitas longævæ vitæ, & indubitata æternæ mercedis retributio. Unde ego *Offa* Rex *Merciorum*, cum *Egfrido* filio meo, & omni conſenſu ſynodali, pro remedio & ſalute animarum noſtrarum, terram quinquaginta manſionum in locis infra dictis; id eſt, ubi dicitur *Ætcaegeſho*, manſiones xxxiiii. *Ondæt*, *Heanhamſtæde*, vi. manſiones, & *Stanmere* x. manſiones, cum ſegetibus,

tibus, pratis, paſcuis & ſilvis, & omnibus rebus mobilibus vel fixis, ad ea prænominata loca ritè pertinentibus; Domino meo *Jeſu Chriſto*, & ſancto *Albano* martyri (cujus reliquias in ſpem proſperitatis præſentis & futuræ beatitudinis, divina oſtendit nobis gratia) in jus monaſteriale tradens donabo: quatenus perpetuo jure præfata terra, ſancti martyris *Albani* Eccleſiæ deſerviat. Et per magnum omnipotenti dei nomen & terribili ejus judicium, adjuro, immò & impero, quòd mullus ſupervenientibus temporibus, ſeu rex ſeu Epiſcopus, aut aliqua magna vel parva perſona, aliquid de his meis donis, quæ Deo & ſancto Martyri ejus dedicavero; immutare ſeu auferre, ſeu imminuere, præſumptuoſè audeat. Ne aliquam moleſtiam aut Eccleſiæ aut ſylvis, ad eam pertinentibus, inferre præſumat; ſed ſit libera omnino, ab omni tributo & neceſſitate, ſeu Regis, ſeu Epiſcopi, Ducis, Judicum, Comitum, exactorum etiam & operum, quæ in[illegible]ci ſolent; necnon & expeditionis, & omni Edicto publico, perpetuò eam libertate donâbo. Sed obſecro quatenus ſtudeant ſupervenientes Reges auxiliari, defendere, & Curam illius Eccleſiæ habere, in omni bonitate; ſicut & ego habeo, ut ſit illi & regno ejus benedictio & protectio, à Domino Deo & ſancto ejus martyrio in perpetuum. Si autem quiſquam loci hujus curam non habuerit, vel eum malitioſè tractaverit; ſciat & ſentiat ſancti martyris ſeipſum benedictione privare; & rationem ante tribunal *Chriſti* redditurum. Hoc verò monaſterium cum his præfatis terris, *Willigoda* presbyter habeat, & regat dies ſuos: & monachicham in eo vitam vivat, doceat, & quantum valeat, exigat. Poſt dies autem illius, eligant ſibi Fratres cum conſilio illius Epiſcopi, qui ſuper eos erit (ſi habent dignum, & monachicæ vitæ eruditum) ex ſemetipſis quem voluerint; ſi autem (quod non opto) acciderit quod ibi dignus nequeat inveniri, prævideat ille Epiſcopus cum conſilio Fratrum, qui illud monaſterium dignè ſecundùm regulam monachicæ vitæ gubernare ſciat, & velit. Jam jamque iterum iterumque in nomine Domini præcipio & adjuro, quatenus in eo loco regula ſancti *Benedicti* Abbatis doceatur & exerceatur, quantum poſſibile eſt, perpetuo jure. Etſi ipſa eleemoſyna oret ad Dominum pro faciente, tamen obſecro ut aſſiduæ interceſſiones pro anima mea, & amicorum meorum, canonicis horis ſemper in ea ammoneantur Eccleſia: quatenus omnipotentis Dei clementia, quæ tale theſaurum temporibus meis, gentibus & populis *Anglorum* aperire dignata eſt; mihi quoque æternum in cœlis theſaurum, cum ſanctis ſuis donare dignetur. Scripta eſt hæc chartula anno Dominicæ incarnationis, DCC.XCIII. Indictione tertia. Anno verò *Offani* Regis *Merciorum* xxxiii. in loco celebri qui dicitur *Celchyth*, preſenti Synodali Conventu, teſtibuſque infra nominatis confirmata. Data die regnante Domino noſtro in perpetuum.

Nota hoc dictum reſpicere tempus, antequam *Romam* adire diſponeret, ubi ab omni Epiſcopali ſubjectione Eccleſiam exemit: ſed hanc confecit, pro cautela; ne ſi obiter moreretur, Eccleſia tali libertate deſtitueretur,

Teſtimonia Magnatum.

✠ EGo *Offa* hanc donationem meam ſigno crucis *Chriſti* confirmo.
✠ Ego *Ecgfridus*, ſcilicet filius ejus, ſimiliter conſentio & ſubſcribo.
✠ Ego *Ceoluulfus* Rex, id ipſum conſentio.
✠ Ego *Cenuulfus* Rex, conſentio.
✠ Ego *Beornulfus* Rex.
✠ Ego *Ludecha* Rex.
✠ Ego *Vuilaf* Rex.
✠ Ego *Ecgbirghtus* Rex.
✠ Ego *Beortulfus* Rex.
✠ Ego *Burhredus* Rex.
✠ Ego *Ælfredus* Rex.
✠ Ego *Higberctus* Archiepiſcopus, conſenſi & ſubſcripſi.
✠ Signum *Æwelbeardi* Archiepis.
✠ Signum *Ceolwolfi* Epiſcopi.
✠ Signum *Hunwone* Epiſcopi.
✠ Signum *Ceolmundi* Epiſcopi.
✠ Signum *Ealcheardi* Epiſcop.
✠ Signum *Ælfuni* Epiſcopi.
✠ Signum *Heaberti* Epiſcopi.
✠ Signum *Heathoredi* Epiſcopi.
✠ Signum *Cynebeardi* Epiſcopi.
✠ Signum *Deneferdi* Epiſcopi.
✠ Signum *Cenwalchi* Epiſcopi.
✠ Signum *Wermundi* Epiſcopi.
✠ Signum *Wibthuni* Epiſcopi.
✠ Signum *Wynberhti* Epiſcopi.
✠ Ego *Wicga* Dux.
✠ Ego *Ænſemundus* Dux.
✠ *Hearbertus* Dux.
✠ *Broorda* dux Dux.
✠ Binua dux Dux.
✠ *Eſne* dux Dux.
✠ *Heaberht* dux Dux.
✠ *Cudbehr* dux Ceol.
✠ *Æmund* Dux.
✠ *Ceolweordus* Dux.

Item alind munimentum, ab eodem Rege Offa.

REgnante in perpetuum Deo & Domino noſtro *Jeſu Chriſto*. Licèt per totum ubique mundum, beatorum Martyrum qui ſuum pro Chriſto ſanguinem fuderunt, merita divinæ laudis exultatione celebranda ſint; eorumque Dei auxilio exempla glorioſa ſequenda, præcipuè nobis tamen beatiſſimi *Albani*, qui ſub hac *Britanniæ* inſula glorioſus Martyrio effulſit, memoria, pia ſemper intentione & ſedula ſollicitudine obſervanda eſt. Unde ego *Offa* gratia Dei Rex *Merciorum*, cum filio meo *Ecgfrido* pro amore omnipotentis Dei, & hujus

hujus ſancti interceſſione, terram xxx. manenſium in locis quorum ſubinferuntur nomina, Domino meo *Jeſu Chriſto*, ad Eccleſiam ſancti *Albani*, ubi ipſe tyro primus in paſſione victima effectus eſt, jure perpetuo perdonabo. Eóque delectabiliùs hanc donationem perficio, quia ſuperna protectio tam nobile temporibus noſtris theſaurum, quod diu fuit clauſum & hujus terræ indigenis abditum revelare dignata eſt. Hæc itaque ſunt ſupradictarum vocabula terrarum: & *Vuineſhamme*, xii. manenſium, cum terminis ſuis, & *Scelſdune*, ſive *Baldingtotum*, trium manenſium; quorum ſcilicet trium manenſium termini ſunt hæc. *Suanaburna*, *Heortmere*, *Sretunealebroc*; Item verò x. manenſium, ubi dicitur *Scoecanhlau*, vel *Fenntun*, cum ſilva quæ cognominatur *Horwuda*, cum terminis ſuis. Et *Lygetune* v. manenſium; quam videlicet terram *Albmundus* Abbas expeditionem ſubterfugiens, mihi reconciliationis gratia dabat. Hoc quoque conſentientibus Epiſcopis meis, & Abbatibus, Ducibus, ac Principibus, ſub invocatione ſanctæ Trinitatis, & individuæ Unitatis, donando præcipio, quatenus tota terra illa ſit libera ab omni tributo, & neceſſitate; ſeu Regis, ſeu Epiſcopi, Ducis, Judicis, & exactorum, & operum quæ indici ſolent: neque emendatione pontium, neque foſſam adversùm inimicos faciendam: Totum omne præfatæ terræ ſtipendium & exactio, ad ſupradicti martyris tumbam, inſolubiliter perſolvatur. Et ſi fortè quis intra ejuſdem eccleſiæ poteſtatem aut extra, cum Epiſcopo ſeu Abbate communis inveniatur, bello, furto, vel fornicatione, aut alio quolibet ſimili reatu aſtrictus; ſemper ea pars pœnæ & emendationis, quæ Regi vel Epiſcopo debetur; ad beati *Albani* monaſterium inviolato ſemper fœdere reddatur. Credo enim & veraciter confido, quòd hæc munificentia non ſolùm mihi meiſque, ſed etiam univerſis *Anglorum* populis ſublimiter proficiat; quia pro ejus amore ille miles intrepidus meruit coronari, qui totius mundi pericula paſſus eſt, ſuo ſanguine expiare. Hæc ſunt nomina teſtium, qui hanc donationem meam conſentientes, ſigno crucis *Chriſti* confirmarunt.

✠ Ego *Offa* Rex huic donationi meæ ſignum crucis impono.
✠ Ego *Ecgfridus* paternæ munificentiæ conſentiens, ſubſcripſi.
✠ Ego *Higbertus* Archiepiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
✠ Ego *Ceolwlfus* Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
✠ Ego *Heothored* Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
✠ Ego *Vnwona* Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
✠ Signum manus *Albmundi* Abbatis.
✠ Signum *Beonnam* Abbatis.
✠ Signum *Wimundi* Abbatis.
✠ Signum *Forthredi* Abbatis.
✠ Signum *Brordani* Patricii.
✠ Signum *Binnani* Principis.
✠ Signum *Eſnnini* Ducis.
✠ Signum *Albmundi* Ducis.
✠ Signum *Wigberti* Ducis.
✠ Signum *Æthelmundi* Ducis.
✠ Signum *Eadgari* Ducis.
✠ Signum *Heardberti* Ducis.
✠ Signum *Ealhmundi* Ducis.
✠ Signum *Cuthberti* Ducis.
✠ Signum *Eadberhti* Ducis.
✠ Signum *Wulfheardi* Ducis.
✠ Signum *Ealheri* Ducis.

Perſcripta eſt autem hujus donationis chartula, Anno Dominicæ incarnationis DCC.XCV. *Indictione* 5. *& regni Regis* Offani, *xxxv. ſub* 4°. *nonas Maias*; *in loco qui dicitur* Etberanforda.

EGo *Ecgfridus* Rex *Merciorum*, Anno Dominicæ incarnationis DCC.XVI. Indictione quarta; Primo autem nobis à Deo conceſſi: terram itaque quinque manenſium, in loco qui dicitur *Pinnelesfeld*, cum antiquis terminis, pro benedictione noſtri regni, Abbati *Willegoda* nomine, ad poſſidendum dabo; de illa namque in nomine Domini præcipiam ut ſemper ſit beato *Albano*, & Monaſterio ſuo ſubjecta. Et terræ illæ à laborioſis operibus, & ab omnibus tributis vel cenſuris, & ab omnibus refectionibus Regum, vel Principum, ſeu omnium expeditionum; pro redemptione animæ meæ, liberam, fixam, immutabilem, concedere curabo: Et poſſeſſor illius terræ non habeat poteſtatem hanc terram à beato *Albano* diribare. Qui augeat beato *Albano* & monachis ſuis benedictionis gratiam; augeat illi Deus in cœleſti *Hieruſalem*, pacem & vitam æternam. Conſcriptus eſt autem hic, in loco qui dicitur *Celchyth*, in ſynodo publico. Hæc ſunt nomina teſtium hujus donationis.

Ego *Ecgfridus* Rex, hanc meam donationem cum ſigno crucis confirmare curabo.
✠ Ego *Caenuulfus* Rex *Merciorum* concedo.
✠ Ego *Sigricus* Dux.
✠ Ego *Vnwona* Epiſcopus.
✠ Ego *Weohthunus* Epiſcopus.
✠ Ego *Albmundus* Epiſcopus.
✠ Ego *Beonna* Abbas.
✠ Ego *Cynedryth* Regina conſcripſi.
✠ Ego *Ethelheardus* Archiepiſcopus.
Ego *Wigbertus* ✠ Dux.
Cydda ✠ Dux.
Wycga ✠ Dux.
Wygbertus ✠ Dux.

✠ Ego

✠ Ego *Fothredus* Abbas.
✠ Ego *Elſhunus* Epiſcopus.
✠ Ego *Sighere* filius *Sig.*
✠ Ego *Brorda* Dux.
✠ Ego *Eſna* Dux.
Ego *Albmundus* ✠ Dux
Ego *Heardbertus* ✠ Dux.
Ego *Cuthbertus* ✠ Dux.
Ego *Brorda* ✠ Dux.
Ego *Eobingus* ✠ Dux.

EGo *Ecgfridus* gratia Dei Rex *Merciorum*, anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto, Indictione quarta; primo vero anno regni noſtri: terram x. manenſium nomine *Thyreſeld* cum terminis ſuis, Domino meo *Jeſu Chriſto* & ejus pretioſo Martyri *Albano*, liberaliter & æternaliter cum conſenſu ac teſtimonio optimatum tum meorum, in jus monaſteriale, pro anima mea & parentum meorum, devotiſſimè tribuo, & libenter concedo. Sitque prædicta terra ab omni terrenæ ſervitutis jugo ſemper aliena; atque eadem libertate ſit libera, qua cæteræ terræ monaſterii beati *Albani* conſcriptæ atque conceſſæ ſunt, à glorioſo *Offa* genitore meo.

Ego *Ecgfridus* Rex hanc meam donationem cum ſigno crucis confirmare curabo.
✠ Ego *Cynedrid* Regina, conſenſi.
✠ Ego *Vnwona* Epiſcopus.
✠ Ego *Weohthunus* Epiſcopus.
✠ Ego *Beonna* Abbas.
✠ Ego *Elfhun* Epiſcopus.
✠ Ego *Brorda* Dux.
✠ Ego *Wigbertus* Dux.
✠ Ego *Wicga* Dux.
✠ Ego *Albmundus* Dux.
✠ Ego *Cuthbertus* Dux.
✠ Ego *Ethelheardus* Archiepiſcopus conſ.
✠ Ego *Eobing* Dux.
✠ Ego *Forthred* Abbas.
✠ Ego *Sighere* filius ſiger.
✠ Ego *Eſne* Dux.
✠ Ego *Cydda* Dux.
✠ Ego *Winbertus* Dux.
✠ Ego *Heardbertus* Dux.
✠ Ego *Brorda* Dux.

Conſcriptus eſt autem hic liber, in loco qui dicitur Celchyd, *in ſynodo publico.*

OMnipotentia divinæ majeſtatis ineffabiliter univerſa gubernante. Licèt regalium dignitatum decreta, & antiqua priorum temporum privilegia, permanente integritatis ſignaculo fixa jugiter ac firma perſeverent; attamen, quia plerumque tempeſtates & turbines ſæculi, fragilem humanæ vitæ curſum pulſantes, contra ſuperna Dominicæ ſanctionis jura illidunt; iccircò ſtili officio renovanda, & chartarum ſuffragiis ſunt roboranda: ne fortè ſucceſſura poſterorum progenies, ignorato præcedentium patrum chirographo, inextricabilem horrendi barathri voraginem incurrat: nec inde libera exire queat, donec (juxta veritatis ſententiam) cuncta uſque ad noviſſimum quadrantem debita pleniſſimè reddat. Quapropter ego *Ethelredus* totius *Albionis* cæterarumque gentium in circuitu perſiſtentium, munificente ſuperno largitore, Baſileus, incertum futurorum temporum conſiderans eventum, cunctiſque ſuccedentibus deſiderans eſſe conſultum; & ut ipſe in tremendo magni judicii die, ſanctorum patrociniis ſuffragantibus hæreditatis ſupernæ cohæres effici merear; Deo omnipotenti & ſancto *Albano* gentis *Anglorum* protomartyri, *Chriſtóque* ſervienti, monachorum familiæ celebri in loco qui *Etweathingaceaſtre* nuncupatur vocabulo; octo manſarum portionem duobus in locis æqua dimenſione ſitam; quatuor videlicet *Etbyrſtane*, ſimiliter & quatuor *Etwincelſelda*, cum novem præfatæ civitatis habitaculis, quæ patria lingua *Hagan* appellari ſolet, octoque jugeribus *Weſtwicam*, ad idem monaſterium æque pertinentibus, devota mente ſecundùm priſtinum renovando reſtituo, & reſtituendo, in nomine domini noſtri *Jeſu Chriſti* præcipio, ut nullius altioris aut inferioris dignitatis perſona, aut in noſtris, ſive ſucceſſorum noſtrorum temporibus, hanc quam præfatus ſum portionem, de prædicta ſancti Martyris Eccleſia, auferre vel minuere qualibet occaſione præſumat; ſed hoc meæ renovationis inviolabili jugiter permanente, & contra omnia æmulorum machinamenta prævalente chirographo; prædictum monaſterium ab omni mundanæ ſervitutis jugo; ſicut continetur in veteri chartula, quam *Offa* rex *Merciorum* dictitando compoſuit, & fecit eſſe privilegium ob monimentum omnium ſuccedentium regum, de omnibus rebus quas deo tradidit & ſancto martyri *Albano*, pro remedio animæ ſuæ. Iccirco ego tali provocatus exemplo, renovare cupiens ſtatuo; ut quæcunque prædictus Rex decrevit, inconcuſſa & firma perpetualiter perdurent. Et noſtra authoritate, omnia à nobis tradita, una cum omnibus quæ ad ſanctum ipſum locum pertinere dignoſcuntur; campis, paſcuis, pratis, ſilvis, eatenus ſit liberum, eadem libertate qua prædiximus; ut inibi deo famulantes, tam pro meis, quam pro omnium prædeceſſorum meorum deliquiis, ſine ulla terreni potentatus moleſtia, quotidiè ſaluberrima miſſarum ſolemnia omnipotenti deo celebrent, & dulciſſimas pſalmorum modulationes ore & corde decantantes, armis ſpiritualibus contra viſibiles & inviſibiles hoſtes, pro nobis & pro omni populo *Chriſtiano* dimicare non ceſſent. Quatenus ejuſdem beati martyris intercedentibus meritis, ſive in preſenti ſive in futura ſive in utraque vita, *Chriſto* pro nobis virtutem

virtutem faciente, victoriam quandoque de inimicis noſtris, voti compotes adipiſci mereamur. Si quis autem maligno ſpiritu inſtigante, huic decreto repugnare temptaverit; ſciat ſe alienum eſſe à conſortio ſanctæ Dei Eccleſiæ, & participatione ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini noſtri *Jeſu Chriſti*; & in noviſſimo tremendi judicii die noverit ſe in inferno inferiori & in æterna damnatione mergendum; & per authoritatem præfati Martyris, ſciat ſe abſque ullo termino ſine fine cruciandum: niſi digna & congrua ſatisfactione citiùs emendaverit, quod contra Deum & ſanctum Martyrem ejus delinquere non timuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. XCVI. Indictione octava, ſcriptum & renovatum eſt hujus libertatis chirographum; his teſtibus conſentientibus, quorum inferiùs ro nomina, ſecundùm uniuſcujuſque dignitatem ordinata caraxantur.

✠ EGo *Ethelredus Anglorum* baſileus, hanc renovationis & libertatis chartam ſcribere juſſi.
✠ Ego *Elfricus Dorvernenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, huic ſchedulæ ſignaculum ſanctæ crucis impoſui. ✠ Ego *Ealdulfus*, *Eboracenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, huic diffinitioni conſentaneus extiti. ✠ Ego *Elfheah Wintonienſis* Eccleſiæ Epiſcopus, huic chirographò ſimiliter aſſenſum præbui. ✠ Ego *Vulfſtan* Epiſcopus conſenſi. ✠ Ego *Elfheah* Epiſcopus corroboravi. ✠ Ego *Athulf* Epiſcopus conſignavi. ✠ Ego *Wulſige* Epiſcopus conſolidavi. ✠ Ego *Ordbriht* Epiſcopus conſigillavi. ✠ Ego *Godwinus* Epiſcopus confirmavi. ✠ Ego *Ealdred* Epiſcopus concluſi. ✠ Ego *Elfthryth* Regina.

✠ Ego *Elfweard* Abbas.	Ego *Aelfhelm* ✠ Dux.
✠ Ego *Elfſige* Abbas.	Ego *Eleofſige* ✠ Dux.
✠ Ego *Wulfgar* Abbas.	Ego *Ethelmer* ✠ Miniſter.
✠ Ego *Leofric* Abbas.	Ego *Ordulf* ✠ Miniſter.
✠ Ego *Alfhere* Abbas.	Ego *Wulfricus* ✠ Miniſter.
* Alfwold. ✠ Ego *Alfwnord** Abbas.	Ego *Wulgear* ✠ Miniſter.
✠ Ego *Bribnoth* Abbas.	Ego *Wulfheah* ✠ Miniſter.
✠ Ego *Kenulf* Abbas.	Ego *Brithmer* ✠ Miniſter.
✠ Ego *Ethelweard* Dux.	Ego *Leofwine* ✠ Miniſter.
Ego *Alfric* ✠ Dux.	Ego *Ethelweard* ✠ Miniſter.

CUm nos in extrema penè hujus vitæ margine cernamus ſiſtere, & ultima quæque ſeneſcentis mundi pericula, indeſinenter luere; admonemur per hoc patenter parvipendere fugitivam atque caducam hujus temporis pompam, & ad immarceſcibilem æternæ beatitudinis, per bonorum operum exhibitionem tendere palmam; & quicquid utilitatis noſtris fuerit Dei mirifica allubeſcente clementia ſtatutum temporibus, hoc apicum notis inſerere chartis, ne hocipſum (quod abſit) à ſubſequentibus cauſa ignorantiæ annullari ullo modo queat, & noſtra tunc merces minoretur. Quapropter ego *Ethelredus* ſceptrigera ditione *Anglis* cæteriſque ſiſtentium in circuitu gentibus, voce, habitu, morumque varietate diſtantibus Rex ſubthronizatus; ob meæ remedium animulæ, & ob ſtabilimentum regni cœlitùs mihimet conceſſi; atque etiam ob maximæ pecuniæ pretium mihimet pro hoc ipſo collato, condono ad ſancti & eximii hujus patriæ protomartyris *Albani* cœnobium, quandam juris mei portiunculam; caſatas equidem ſenas, binis in locis ſemotas: unam ſcilicet, ubi ab incolis uſitato nomine dicitur *Fleamſtede*, & quinque ubi noto vocitamine ab olim caſtellum jam pene dirutum *Auſonica* lingua dicebatur *Verulamium*, quod nos vulgariter dicimus *Wetlingaceaſter*; ubi & ipſe ſanctiſſimus *Chriſti* agoniſta, varia pro fide *Chriſti* pertulit tormentorum cruciamenta. Hoc ſagaciter meo revolvens animo, juſtius fore multò, locum in quo paſſus eſt, ſuo æternaliter mancipari cœnobio almifico, quàm diutius fiſco regali, vel cuilibet terreno audacter ſubjacere negotio. Decens eſt enim, ut locum quem ſuo ſacratiſſimo agonizans pro *Chriſto* aſperſit & ſacravit cruore, ad ipſum perpetualiter revertatur locum, ubi & ipſe martyrio expleto, capite truncato, bravium cœleſte & immarceſcibilis vitæ meruit coronam. Hoc nempe meæ dapſilitatis emolumentum, libens ſub æternali libertate liberum concedo; ſicut Abavus prædeceſſor meus, *Offa* ſcilicet Rex inclitus, omnia quæ ipſe ad ipſum cœnobium contulit, libertate ditavit. Eadem inquam libertate non ſolum hanc poſſeſſiunculam liberam libens ſtatuo, ſed etiam quicquid à me ipſo, vel a qualibet perſona majori ſive minori ab heri, & nudiuſtertius, & exin uſque ad terminum iſtius tranſitorii regni, vitæque labentis extrema datum fuerit, ad ſupradicti martyris tumbam; ſub hac libertatis & renovationis chartula, æternali libertate permaneat liberum. Et ne fortè quis præſentium vel magis futurorum ambiget, quæ ſit illa libertas qua ipſum cœnobium Rex benevolus *Offa* ditavit, & egomet nunc, confirmando renovavi; dicam planè: quia omnimodis cuncta illius monaſterii poſſeſſio, nullis eſt obnoxia fiſcis; ſcilicet nec expeditionis, nec pontis, & arcis ædificamine, nec juris regalis fragmine, nec furis apprehenſione, & ut omnia ſimul comprehendam, nil debet exolvi vel Regis præpoſito, vel Epiſcopi, vel Ducis, vel ullius hominis; ſed omne debitum

debitum exſolvant jugiter, qui in ipſa poſſeſſione fuerint, ad prædicti martyris mauſoleum; ſecundùm quod ordinaverit Abbas, qui ipſo præfuerit cœnobio. Notum etiam vobis cupio fore, quantum pretium pro hoc ipſo, Abbas ipſius Cœnobii nomine *Leofricus*, mihimet contulit, quando illud grave vectigal *Danis* exſolvebamus. Præſtitit nempe mihi ducentas libras auri & argenti, ex appenſione *Danorum*; & pro fœnore ipſius pretii accepit a me villam quæ dicitur *Eadulfinctun*, quinquaginta quinque manſas habens; & has etiam ſex manſas. Et nunc gratanter ipſe mihimet mente benevola reddit prædictas quinquaginta quinque-manſas, & contentus eſt in ipſis ſex manſis, pro ducentis libris. Ideoque hanc libertatis & renovationis ſchedulam, faciliùs adeptus eſt. Permaneat itaque prædicta poſſeſſio, cum omnibus utenſilibus ad ſe ritè pertinentibus, ſub prædictæ libertatis chirographo, voti compos. Et quiſquis noſtræ hoc liberalitatis donum augmentare mente maluerit jocunda, ſentiet ſe donis per hoc locupletari divinis: ſi autem (quod abſit) uſpiam quis barbarico attactus inſtinctu, mente hoc ſubdola machinatus fuerit abnullare, vel quippiam in pejus quam conſtituimus tranſvertere; ſua pro audacia, à cœtu in hac vita anathematizetur fidelium, & in tremendo Dei examine aſtantibus cœlorum agminibus hominumq; turmis, necnon & horrendis erebi vernulis, palam cunctis damnetur, cum hædis; averni cruciamenta ſine fine luiturus, ni ante obitum condignè emendaverit. His metis prædicta tellus circumgyratur.

Scripta eſt autem hujus libertatis chartula, decurſis annis ab incarnatione *Chriſti*, DCCCC. XC. novenis terque binis, in curſu millenario equidem ſexto. His teſtibus faventibus: quorum dignitates hîc cum onomate contemplare valebis.

✠ Ego *Ethelredus* Regia inſula comptus, propriæ munificentiæ donum ſtabiliter confirmo.

✠ Ego *Wulfſtanus* Archiepiſcopus *Eboracenſis* Eccleſiæ aſſentio.

✠ Ego *Ethelſtanus*	Clito.	Ego *Leofric*	✠ Abbas.
✠ Ego *Ecbryrht.*	Clito.	Ego *Eadnow*	✠ Abbas.
✠ Ego *Eadmundus*	Clito.	Ego *Elfword*	✠ Abbas.
✠ Ego *Eadward*	Clito.	Ego *Elfric*	✠ Comes.
✠ Ego *Eadred*	Clito.	Ego *Elfhelm*	✠ Comes.
✠ Ego *Eadwig*	Clito.	Ego *Leofwine*	✠ Comes.
✠ Ego *Eadgar*	Clito.	Ego *Ethelmer*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Elfheh*	Epiſcopus.	Ego *Wulfgeat*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Ordberht*	Epiſcopus.	Ego *Eadric*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Athulf*	Epiſcopus.	Ego *Wulfheh*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Ethelſie*	Epiſcopus.	Ego *Ethelric*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Lning*	Epiſcopus.	Ego *Ethelricus*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Alfwold*	Epiſcopus.	Ego *Ehelwine*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Elfhelm*	Epiſcopus.	Ego *Ethelwerd*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Elfric*	Abbas.	Ego *Etheſtan*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Wulfgar.*	Abbas.	Ego *Vlflrytel*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Lrewulf*	Abbas.	Ego *Byrhric*	✠ Miniſter.
✠ Ego *Elfric*	Abbas.	Ego *Leofſyme*	✠ Miniſter.

Hæc Charta loquitur de terris quas Wulf *dedit ſancto* Albano: Eſtun, *&* Oxawica.

IN nomine Domini noſtri *Jeſu Chriſti*. Ego *Wulf* inprimis concedo pro anima mea, & Deo, & ſancto *Albano*, terram quæ vocatur *Eaſtun*, cum omnibus ad ſe pertinentibus; ſicuti eam habui à Rege, cum conſenſu illius, videlicet *Edwardi* Regis, & illam terram ſimiliter, & *Oxawicam*, ſanctæ Eccleſiæ *Albani* martyris, ubi & ego jacere volo; & unum de melioribus meis veſtimentis, quæ ego habeo, & unum calicem, & unum miſſalem, & unum dorſale, & pallam tunicam meliorem, quæ fuit *Godgyve*. Alterum vero ad monaſterium *Rameſige* & quatuor marcas argenti ad Eccleſiam ſancti *Petri*, *Romæ*; & quatuor ad miſſas cantandas pro anima mea; & quatuor ad principales Eccleſias hujus terræ; atque ſodalibus meis, quatuor marcas auri; & omnes terras meas, quas ego dimitto, præter illas duas quas Deo & ſancto *Albano* conceſſi. Et concedo *Dagſino* marcam auri; & *Efino*, duas marcas argenti, & unum equum; & *Ethelrico* miniſtro, duas marcas: & *Edwardo*, unum equum, & ſingulis hominibus meis, qui terras non habent, ſingulos equos. Et ſi adhuc de auro vel argento aliquid ſupereſt, ille plus habeat, qui plus pro anima mea facere voluerit; & xxx. de mancipiis meis, libertatem pro anima mea habeant.

Hæc charta loquitur de Gateſdene, *& de reliquis.*

EGo *Ethelgive* aperio, domino meo Regi, & Reginæ dominæ meæ, & omnibus amicis meis, quomodo teſtamentum meum diſpono. Id eſt, inprimis domino meo Regi, xxx. mancuſas auri, & duos equos, & omnes canes meos, & dominæ meæ Reginæ, xxx. mancuſas auri, & terram *Weſtwicam*; & ſancto *Albano* terram, quæ vocatur *Gateſdene*; eo tenore ut fruantur ea Fratres communiter; & xxx. mancuſas auri, & xxx. boves; xx. de *Geteſdene*, & decem de *Acerſce*; & xx. vaccas, x. de *Geteſdene*, & x. de *Acerſce*; & CCL. oves, & gregem porcorum, & ſubulcum cum ipſis; & duos ciphos argenteos, & duo cornua, & unum librum, & unam cortinam, & unum bancale, concedo cum conſenſu domini mei Regis. Et illam terram apud *Longaforde*, *Elſnoto* dies ſuos; eo tenore, ut ſingulis annis, det ad *Hiccam* paſtum trium dierum; & poſt dies ſuos, ſupradictam terram. Et *Leoſwino* nepoti meo unam hidam apud *Cliſtune*, & illam dimidiam quam *Winemannus* habuit: & *Elſwoldus* terram *Mundene* dies ſuos habeat; eo tenore quòd dabit annis ſingulis in quadrageſima ad *Brahcingum* ſex modios de brais, & ad hoc farinam & piſces, & tantundem ad *Wellingum*, & ad ſingula monaſteria, quatuor porcos ad feſtivitatem ſancti *Martini*, & poſt obitum ſuum, medietatem terræ ſupradictæ ad *Brahcingum*, & medietatem ad *Wellingum*. Et *Leoſſinus* habet *Standune*; & poſt ipſum *Iſpoldus*, & poſt mortem amborum, ſanctus *Albanus* prædictam terram habeat, pro ſuis animabus dominorumque ſuorum. Et *Leoſſius*, terram *Offanlege*, & omne quod liber docet, & terram *Ciningum*, ad porcos ſibi nutriendos: eo tenore, ut annis ſingulis pro firma de iſtis duabus villis, omnem congregationem ſancti *Albani* tribus diebus paſcat, aut pro firma dabit, hoc quod ego teſtificata ſum teſtimonio optimatum Domini mei. Et terram apud *Weodune*, & pro illa ſimiliter faciat quod teſtificata ſum. Et terram *Offanlege* dabit filio ſuo, ſi de deſponſata muliere filium habet; ſin autem, dabitur ſancto *Albano*: præter illam ubi *Tatulwus* ſedet, *Ethelferdus*, & *Ethelſwith*; et illa dabitur filiæ dominæ ſuæ *Elſgive*, ſi adhuc vivit; ſi non, tota ſancto *Albano* reddatur. Et *Alſwoldus* medietatem terræ apud *Lundoniam* habeat; & filius ejus *Elſheah*, medietatem; & dabitur *Leofrune*, terram *Watford*; & apud *Weotune*, duos homines, & octo boves, &c.

✠ Ego *Edwardus* Rex conceſſi.
✠ Ego *Theodredus* præſul.
✠ Ego *Elſhelgus* pontifex.
✠ Ego *Wulgarus* Epiſcopus.
✠ Ego *Elfricus* antiſtes.
✠ Ego *Burggricus* Epiſcopus.
✠ Ego *Wulſius* Epiſcopus.
✠ Ego *Elfredus* Epiſcopus.
✠ Ego *Wulfhelmus* Epiſcopus.
✠ Ego *Ethelgarus* Epiſcopus.
✠ Ego *Lrenwaldus* Epiſcopus.
✠ Ego *Wulfhelmus* Epiſcopus.
✠ Ego *Lrynſius* Epiſcopus.
✠ Ego *Ethelwaldus* Epiſcopus.
✠ *Eowel*, ſub Reg.
✠ *Eadgarus* & *Weling*.
✠ *Wulgarus* Comes.

Ego *Oda* Archiepiſcopus. ✠

Ethelſtanus ✠ Dux.
Ethelwaldus ✠ Dux.
Ethelmundus ✠ Dux.
Athelmus ✠ Dux.
Ethelſtanus ✠ Dux.
Eadricus ✠ Dux.
Vbredus ✠ Dux.
Acule ✠ Dux.
Haldene ✠ Dux.

Hi omnes ſubſcribentes donum Regis roborabant.

Quinquaginta numiſmata auri cocti, *Ethelricus* dedit valde lætus largo Regi, *Cyrelinctune* elata mente; ut *Geteſdena* permaneret ſancto *Albano*, magnis rebus ac modicis fruentibus monachis confirmata. Qui hoc contradixerit, anathema ſit.

Hiſtoriæ, *pag.* 776. *linea* 52 *Occurrit mentio* Libelli de Pallis & Annulis, qui eſt in ipſa Eccleſia *ſancti* Albani. *Et ſane hunc* libellum, *duo tantùm ſolia continentem, ibi invenimus. Titulus ejus ſive Rubrica eſt*, de Annulis & Gemmis & Pallis, quæ ſunt de Theſauro hujus Eccleſiæ. *Habet figuras depictas & coloratas, annulorum treſdecim, diverſis gemmis ornatos. Enumerat etiam* pannos holoſericos *Eccleſiæ ſervitio donatos: unà cum nominibus donatorum. Libellulum autem ipſum non tanti duximus, ut hîc imprimeretur. Quoniam in* Additamentis *noſtris impreſſis*, pagina 1053. *lin.* 30. *Notam inſeruimus marginalem de* Combuſtione cellæ de Hatfeld; pro qua te remiſimus (*Lector*) *ad noſtra* Adverſaria: *ne penitus interim excideret è memoria, aut tam brevis chartula inter alias deperderetur, in hoc loco inſerendam duximus.*

PAG. 130. & 131 Majoris *Cottoniani.*

De Cella de Hatfeld Peverel *, *pro majori parte tempore prædicti Abbatis* (Willielmi) *concremata.*

* Ad diſtinctionem Cellæ ſive Prioratus de *Hatfeld-Broddok*, in dioceſi *Londonienſi.*

ANno Domini 1231. combuſta eſt Cella ſancti *Albani* de *Hatfeld*, decimo ſeptimo Kalend. April. videlicet etiam cum turri & omnibus officinis adjacentibus. Salvatis tantùm Presbyterio, cum Veſtimentis, Calicibus, & Libris: & ſimiliter horreis & granario. Alia autem omnia utenſilia, ſcilicet ciphi argentei, & macerini, cum cochlearibus, & menſalibus; & omnibus quæ in refectorio & dormitorio habebantur; & ollis æneis, & denariis, & etiam campanis liquefactis, combuſta perierunt.

Quoniam in vita Gaufridi *Abbatis, ad* paginam 1008. *lin.* 29. *habeatur mentio de* Fundatione Hoſpitalis *ſancti* Juliani, *juxta ſancti* Albani *villam, ædificati: Chartas igitur ſubſequentes, ſcilicet tam* Fundatorias, *quàm* Confirmatorias *&* Dotatorias *benefactorum plurimorum, hîc imprimere, dignas æſtimavimus; ut eas, bonâ fide, ex* Mſ. *Additamentorum libro deſumpſimus.*

Charta Gaufridi *Abbatis, ſuper fundatione Hoſpitalis ſancti* Juliani, *juxta ſanctum* Albanum.

GAufridus Abbas ſancti *Albani*, conſilio & communi voluntate Conventus ejuſdem loci, fundatâ, conſtructâ, & in honorem Dei & ſancti *Juliani* dedicatâ Eccleſiâ ſecùs viam *atte Hevet*, congregavit illic pauperes *Chriſti*, videlicet Lazaros, providens neceſſitatibus eorum hæc quæ ſubſcripta ſunt. Decimam reditus villæ ſancti *Albani*; id eſt lx. ſolidos. Item xxx. ſolidos, quos *Petrus* de le *Saret* reddit de *Redinges*, del *Saret*. Item totam decimam bladi dominii de *Hameſted*, & totam dominii de *Kyngesberia*, & duas partes decimarum tantummodò bladi parochianorum ſancti *Michaelis*, & ſancti *Stephani*: exceptis illis, quas Capellanus eorum ſcilicet Lazarorum habet, ſicut charta ejus teſtatur. Item duas partes decimæ bladi dominii de *Aſton*. Item duas partes bladi dominii ſancti *Albani*, de *Bradeweya*; & ſimiliter duas partes decimæ bladi, dominii *Rogeri* de *Bimeſia* in *Bradeweya*. Item duas partes decimæ bladi dominii *Richardi* del *Hoo*. Item duas partes decimæ bladi dominii *Willielmi* de *Codicote*. Item dimidium decimæ bladi, dominii de *Stratle*. Item dimidium decimæ *Stephani* de la *Leger*, de ſuo dominio de *Henelawe*. Item duas partes decimæ *Rogeri* de *Candos*, de ſuo dominio in *Siveleſho*. Item duas partes decimæ *Simonis Belcamp*, de ſuo dominio de *Stanford*. Item duas partes decimæ bladi *Radulfi Perot*, de ſuo dominio de *Lindeſele* & de *Hakewell*. Item duas partes decimæ bladi de una hida, quam *Robertus* filius de *Weneling* habuit in *Eaſtwik*. Hæc prædictus Abbas *Gaufridus*, utens conſilio & voluntate Capituli ſancti *Albani*, ſic donavit & confirmavit; ut ſupradictorum infirmorum ſint perpetuo jure; condemnans anathematis ſententia, ſi quis deinceps aliquid horum auferret eis injuſtè. Eleemoſyna iſta taliter eſt data & ſtabilita, pro animabus *Offæ* Regis, *Henrici* Regis, *Pauli* Abbatis, *Richardi* Abbatis, & auctoris hujus donationis *Gaufridi* Abbatis: atque ſuorum prædeceſſorum, ejuſdem Eccleſiæ fidelium Abbatum. Necnon pro ſtatu & tutela ipſius Eccleſiæ atque ſervientium ibi monachorum, & maximè pro levatione debitorum, quæ ipſi debent ſuis benefactoribus, & quibus promiſerunt.

Charta de fundatione domus ſancti *Juliani*, juxta *Erwode*.

SCiant fideles ſanctæ Eccleſiæ, quòd ego *Gaufridus* Abbas & Conventus ſancti *Albani*, conceſſimus infirmis fratribus de ſancto *Juliano*, quandam portiunculam terræ de noſtro Dominico, quam tenuit *Alulfus* vitriarius, ſine aſſenſu Conventus, quæ vocatur *Kyngeſho*; ſitam, videlicet, inter terram ejuſdem *Alulfi*, & viam de *Watligeſtrate*, ſuper quam terram, etiam domus eorundem infirmorum ædificatæ ſunt. Hanc itaque terram conceſſimus eis prout ipſi petierunt ad uſum ſuæ hoſpitalitatis: tenere ita liberè & quietè, ut nullus omnino hominum inde ſe intromittat, niſi ipſi infirmi & eorum miniſtri, quibus hanc curam injungere voluerint.

Charta *Gaufridi* Abbatis, de terra quondam *Alulfi* vitriarii.

HEnricus Rex *Angliæ*, & Dux *Normanniæ*, & *Aquitaniæ*, Comes *Andegavenſis*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Miniſtris, & omnibus fidelibus ſuis, *Francis* & *Anglicis*, totius *Angliæ*, ſalutem. Sciatis me conceſſiſſe & præſenti charta confirmaſſe, leproſis ſancti *Juliani* de *Heved*, quicquid *Gaufridus* Abbas ſancti *Albani*, conſilio & communi aſſenſu totius Conventus ſui, & alii eis rationabiliter conceſſerunt & dederunt. Quare volo, & firmiter præcipio, quòd prædicti leproſi habeant & teneant omnes donationes ſuas, ita bene & in pace, & liberè, & quietè, plenariè, & integrè, honorificè, & rationabiliter, in decimis, & in pratis, & in paſcuis, & in omnibus aliis rebus, cum omnibus libertatibus, & liberis conſuetudinibus ſuis;

Charta Regis *Henrici* confirmatoria.

ſuis, ſicut charta prædicta Abbatis & cæterorum donatorum ſuorum Chartæ, ea teſtantur & confirmant. Teſtibus *Richardo* de *Huyn* Coneſtabulario, *Richardo* de *Lucy*, *Henrico* filio *Beraldi* Camerarii, & *Richardo* de *Camilla*; apud *Wyndeſores*.

Charta Regis Henrici, de eleemoſyna Regis: ſcilicet uno denario in die.

HEnricus Rex *Angliæ*, Dux *Normanniæ* & *Aquitaniæ*, Comes *Andegaviæ*, Epiſcopo *Lincolnienſi* & Epiſcopo *Londonienſi*, Juſticiariis, Vicecomitibus, Baronibus, & omnibus Miniſtris, & fidelibus ſuis *Francis* & *Anglicis*, de *Hertfordſchira*, ſalutem. Sciatis me dediſſe in perpetuam eleemoſynam, pro anima *Henrici* Regis, & aliorum Anteceſſorum meorum, Infirmis de ſancto *Albano*, præbendam *Roberti* de *Depynga*; ſcilicet unum denarium in die, de eleemoſyna mea conſtituta. Quare volo & firmiter præcipio, quòd ipſi eam habeant bene, & in pace, & liberè, & quietè, ad ſuos rectos terminos. Teſtibus Comite *Rogero*, & *Richardo* de *Hulyn*, apud *Weſtmonaſterium*.

Privilegium Gregorii Papæ confirmatorium.

GRegorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis Fratribus Hoſpitalis leproſorum ſancti *Juliani*, de ſancto *Albano*, ſalutem, & benedictionem. Solet annuere ſedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ea propter dilecti in domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas & Hoſpitale in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis quæ inpræſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante domino poteritis adipiſci, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem poſſeſſiones & reditus, quos à bonæ memoriæ *Gaufrido* Abbate ſancti *Albani*, Conventus ſui accedente conſenſu, ac inclitæ recordationis Regis *Angliæ*; & à quibuſdam aliis Chriſti fidelibus, pia vobis liberalitate conceſſos: Decimas quoque quas in parochiis Eccleſiarum ſancti *Michaelis*, & ſancti *Stephani*, de ſancto *Albano*, & de maneriis dominiorum de *Hameſten* & *Kyngesburia*, & quorundam aliorum Chriſti fidelium canonicè proponitis vos adeptos, poſſeſſionibus reditibus, & aliis bonis veſtris, ſicut ea omnia juſtè ac pacificè poſſidetis, in Autenticis inde confectis pleniùs dicitur contineri: vobis & per vos Hoſpitali veſtro, auctoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum *Aſſiſi*, 4°. Idus Junii: Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Privilegium Inno centii, ſuper eodem: & quod non dabunt decimas de nutrimentis animalium.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis Magiſtro & Fratribus domus leproſorum ſancti *Juliani*, extra villam ſancti *Albani* *Lincolnienſis* dioceſeos, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas & locum in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus quæ inpræſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci; ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter terras, poſſeſſiones, prata, reditus, hortos, domos, & alia bona veſtra; ſicut ea omnia juſtè ac pacificè poſſidetis; nobis & per nos domui veſtræ auctoritate Apoſtolica confirmamus & communimus: diſtrictiùs inhibentes, ne quis de hortis & virgultis veſtris, ſeu veſtrorum animalium nutrimentis, decimas à vobis exigere vel extorquere præſumant. Nulli ergò omnino hominum, liceat hanc paginam noſtræ protectionis, confirmationis, inhibitionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum *Lugdunii* iiii. Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Confirmatio Rogeri Abbatis.

ROgerus Dei gratia Abbas ſancti *Albani*, ſanctæ matris Eccleſiæ filiis univerſis, ſalutem, gratiam & benedictionem. Dignum eſt in *Chriſto*, chariſſimi, & conſonum rationi, *Chriſti* pauperum neceſſitatem, oculo miſericordiæ reſpicere: & ea quæ eorum uſibus pietatis gratia ſunt proviſa, futuris conſtituere temporibus perpetuo duratura. Hac igitur conſideratione rationis inducti, quicquid bonæ memoriæ *Gaufridus* Abbas prædeceſſor noſter, leproſis Hoſpitalis ſancti *Juliani* conceſſit & dedit, prout in eorum chartis plenius & veriùs continentur; de quibus tempore noſtro in poſſeſſione fuerunt: auctoritate qua fungimur perpetuò confirmamus. In cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum apud ſanctum *Albanum*, die Jovis proxima ante feſtum ſancti *Barnabæ* Apoſtoli: Anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo.

OMnibus ad quos præſentes literæ pervenerint, *Richardus* miſeratione divina Abbas Monaſterii ſancti *Albani*, æternam in domino ſalutem. Noveritis nos inſpexiſſe quaſdam chartas, Fratribus infirmis Hoſpitalis ſancti *Juliani* juxta ſanctum *Albanum*, eis à præde-

prædeceſſoribus noſtris confectas, ſuper diverſis poſſeſſionibus eis ab eiſdem prædeceſſoribus conceſſas: inter quas poſſeſſiones reperimus dictis Fratribus infirmis eſſe conceſſos ſexaginta ſolidos, annuatim percipiendos de reditu villæ ſancti *Albani*; prout in eiſdem chartis pleniùs continetur. Quam quidem conceſſionem reditus antedicti, approbamus & confirmamus per præſentes; eiſque ſex libras pro duobus annis præteritis, quibus dictus reditus fuerat eiſdem Fratribus ſubtractus, perſolvimus in die confectionis præſentium. Nolentes quòd per nos aut ſucceſſores noſtros, reditus memoratus Fratribus antedictis de cætero ſubtrahatur. In cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum apud ſanctum *Albanum*, die ſanctorum *Septem Dormientium*, Anno Domini M. CCC. XXIX.

Confirmatio *Richardi* Abbatis, de lx. s. de reditu villæ.

Statuta *antedicti Hoſpitalis de ſancto* Juliano. *Atque hæc, licèt ab Abbate* Michaele *ordinata, qui centum ferè annis vixerat poſt* Matthæum Pariſienſem *noſtrum: quià tamen fundationem ipſam illuſtrant, & ſimilia Hoſpitalia fundaturis poſſunt eſſe exemplo; cæteris quæ in* Matthæi *tempora inciderunt addenda duximus.* Mores *enim,* Habituſque *ejus ætatis quamplurimos, deſcribunt ſatis graphicè.*

MIchael permiſſione divina Abbas Monaſterii ſancti *Albani*, Ordinis ſancti *Benedicti*, *Lincolnienſis* dioceſeos; Dilectis nobis in Chriſto filiis, Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis ſancti *Juliani* juxta ſanctum *Albanum*, noſtrorum juriſdictionis & patronatus, ſalutem cum benedictione ſalvatoris, & noſtra: ac ſubſcripta in perpetuum firmiter obſervare. Commiſſi nobis regiminis cura, judicium noſtræ conſiderationis ſollicitat, ut in hiis per quæ cultus divinus augetur, omni cautela qua poſſumus ſollicitè provideri curemus; & ea quæ prædeceſſorum noſtrorum pia devotio (licet laudabiliter, minùs tamen certitudinaliter) ordinavit, ad certitudinis ſemitam pro viribus reducamus. Sanè olim bonæ memoriæ *Gaufrid* noſter prædeceſſor, voluntate unanimi ſui Conventus, in Eccleſia ſancti *Juliani* juxta ſanctum *Albanum*, quæ aliàs ſecus viam *atte Heved*, nunc autem Hoſpitale ſancti *Juliani* communiter nominatur; Lazaros congregavit, ad eorumque ſuſtentationem pro ſtatu & tutela dicti monaſterii, monachorum & ſervientium ejuſdem, ac pro animabus Regis *Offæ*, & aliorum; necnon in partem ſupportationis debiti, in quo præfati prædeceſſor & Conventus extiterunt, noſque ſumus ſuis benefactoribus quos noſtros meritò dicimus arctiùs obligati, contulit bona multa; unico quoque ſacerdoti qui debet eiſdem leproſis ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, portionem congruam aſſignavit; prout in Chartis indè confectis, plenius continetur. Hujuſmodi tamen lazarorum certum numerum ſtatuere, ac ordinare de divino officio, vel per quem & quomodo hujuſmodi eis collata bona regi deberent, cum ipſi ea propter ſuorum corporum infectionem nequeant gubernare, totaliter prætermiſit: propter quæ multotiens fuerunt in dicto eorum Hoſpitali, multo pauciores leproſi, quàm de bonis hujuſmodi collatis potuerunt congruè ſuſtentari. Videlicet unus tantum, aliquando duo, & ut communiter non niſi tres: ac extitit ibidem retroactis temporibus Deo minùs laudabiliter deſervitum; præfatáque dona ultra præfatorum unius duorum aut trium leproſorum ſuſtentationem reſtantia, in uſus indebitos, & damnabiles vertebantur: & à nonnullorum uſurpatorum manibus occupabantur, & occupantur etiam in præſenti, damnaque exinde alia ſunt ſecuta. Cultum igitur divinum augere, incertitudinem tam damnoſam, per certas & providas ordinationes penitus extirpare; ac quædam circa ſtatum dicti hoſpitalis & regimen ordinare, quæ ipſa rerum experientia utilia indicat, avidè cupientes, ad gloriam & honorem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, beatiſſimæ *Mariæ* matris ſuæ beatorum *Albani* & *Juliani*, ac omnium Dei ſanctorum; immò pro animabus Regis *Offæ*, & omnium Benefactorum noſtrorum, dictique Hoſpitalis; ac pro felici ſtatu dicti monaſterii, monachorum, fratrum, & ſervientium ejuſdem; ac in partem ſupportationis debitorum in quibus noſtris Benefactoribus obligamur: hæc quæ ſequuntur, cum ſumma maturitate decocta, ſalubriter duximus ſtatuenda. Inprimis conſiderantes quòd poſt præfati Hoſpitalis fundationem, & dotationem, adeo ſunt facultates ipſius largitione fidelium augmentatæ; quòd vix ſeu raró inveniuntur tot leproſi volentes vitam ducere obſervantiis alligatam, ad dictum Hoſpitale concurrentes; qui ipſum Hoſpitale ad plenum juxta ipſius facultatum ſuppetentiam, valeant occupare: poſſint quoque plures quam tres leproſi, ac etiam præter eos aliqui ſacerdotes, in ampliationem cultus divini de bonis dicti Hoſpitalis congruè ſuſtentare; per quos quidam ſacerdotes pars nobis oneris incumbentis, in cujus ſupportationem dictum Hoſpitale (ut prædicitur) eſt fundatum, poterunt convenientiùs ſupportari; cum nos ipſi divina celebrare, pro noſtris Benefactoribus teneamur: deliberatione cum noſtro Conventu, & etiam nobiſcum præhabita diligenti, decernimus & ſtatuimus hac noſtra Ordinatione perpetuò duratura; quòd in dicto Hoſpitali, ſex perpetuò ſint leproſi, ſeorſum à ſanis propter contagionis periculum habitantes. Circa quorum receptionem, & quæ inferiùs ſubſequuntur inviolabiliter obſervari; & eoſdem ſub antiquis infrà ſcriptis obſervantiis vivere, ſicut priùs; eiſque pro ſuis neceſſariis de bonis dicti Hoſpitalis,

more

more ſolito miniſtrari volumus & mandamus. Quæ omnia ad tollendum cujuſlibet hæſitationis ſcrupulum, hîc duximus inſerenda.

De Receptione Fratrum Leproſorum.

CUm dicti Hoſpitalis diſpoſitio tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus ad nos pertineat pleno jure, conſueveruntque Fratres in dicto Hoſpitali, per Abbatem dicti Monaſterii qui fuerit pro tempore, ſeu ipſius Archidiaconum Abbatis, nomine duntaxat recipi & admitti: Sic ſemper fieri volumus in futurum. In receptione verò fratrum leproſorum, monachos præfati monaſterii, & proprios noſtros familiares, præſertim monachos attinentes, ſi macula lepræ fuerint reſperſi: ac oriundos in villa ſancti *Albani*, & alibi in noſtra juriſdictione exempta; ſecundùm ordinem hujus ſcripturæ: dum tamen eis quicquam de ſubſequentibus non obſiſtat, cæteris volumus anteferri.

Ne recipiantur in dicto Hoſpitali leproſi uxorati in fratres.

CUm vir & uxor una caro per conjugalem copulam ſint effecti, nec una pars converti poſſet ad Dominum, & altera in ſeculo remanere: ſacros Canones imitantes prohibemus, ne leproſus uxoratus, niſi uxor ſua ad religionem tranſierit, aut ejus fuerit ætatis, ut ſine ſuſpitione incontinentiæ valeat remanere in ſeculo, & tunc perpetuam voverit caſtitatem, unquam in dicto Hoſpitali recipiatur in fratrem; præſertim cum & ſi virum ſive uxorem leproſum fieri contingat, & infirmus à ſuo carnale debitum exigat; juxta præceptum generale Apoſtoli, quod exigitur eſt ſolvendum.

De habitu Fratrum leproſorum.

FRatres Leproſi tunicam ſupertunicam, & capucium habeant de Ruſſeto. Sit ſupertunica clauſa & talaris, ac manicas habens tegentes cubitos circumquaque. Tunica verò habeat manicas protenſas, ad pugnum, nôn conſuticias nec aliqualiter botonatas. Induantur etiam dicti fratres, cum ad Eccleſiam exierint Hoſpitale, capa clauſa ad modum mantelli de nigro panno, cum capucio eiuſdem coloris: ſicut antiquitùs fieri conſuevit. Eiſdem verò fratribus in ſupertunicis & capuciis uti furruris; dum tamen de pellibus ſint ovium vel agnorum, minimè prohibemus.

De Calceamentis Fratrum leproſorum.

LIcèt circa calceamenta fratrum leproſorum, fuerat ſtrictiùs antiquitùs ordinatum; quia tamen ſubſcripta calceamenta quæ eorum infirmitati (quæ nunquam certis finibus contentatur, & nequit nimis ſtrictis obſervantiis ſubjacere) magis credimus convenire: volumus & præcipimus, quòd fratres leproſi æſtivalibus largis ſeu botis pro calceamentis utantur; ſub quibus ſi velint, caligis perfruantur. Alia verò calceamenta ſint eiſdem penitus interdicta.

Quòd fratres leproſi audiant divina officia.

CUm Rector Eccleſiæ ſeu Capellæ ſancti *Juliani* prædicti (qui Capellanus leproſorum, in ſui antiqua ordinatione nominatur) à qua quidem ordinatione ſeu ipſius obſervantia, per aliquas noſtras ordinationes, nolumus eundem Rectorem exin quoviſmodo fratribus leproſis dicti Hoſpitalis, perſe vel alium divina officia debeat celebrare. Idem Rector vel ipſius capellanus, fratres leproſos qui propter ſuorum corporum imbecillitatem (ut communiter) de mane ſurgere nequeunt; uſque ad competentem horam die expectet: factaque hujuſmodi expectatione, ac priùs per capellanos matutinis, Prima, Tertia, & Sexta dictis & finitis; in dicta Eccleſia faciat campanam ſpacioſè pulſari, ut dicti fratres valeant pro horis canonicis, & miſſa audiendis, in dicta Eccleſia congregari. Ad quam quidem pulſationem, fratres leproſi ad dictam Eccleſiam pro divino officio audiendo (niſi gravi corporis infirmitate fuerint impediti) accedere non omittant. Accedant etiam ad Eccleſiam capa clauſa, cum capucio induti, ut ſuperius eſt expreſſum: & in ſuis locis ſecundum gradus ſuos ſtent & ſedeant ordinatè. Silentium teneant, matutinas horas, & miſſam audiant completè, ſi poterint? & dum ibi ſunt, orationi & devotioni in quantum eorum infirmitas patitur, ſint intenti. Finito verò officio, dicti fratres, aut ſi aliquem eorum ex cauſa infirmitatis, vel alia neceſſaria, ante divinum officium completum recedere contigerit de Eccleſia memorata; abſque moroſa ſtatione & indebita in itinere facienda, ad hoſpitia propria revertantur.

De

De ſtationibus in via publica minimè faciendis.

PRohibemus ne fratres leproſi in via Regia, quæ inter Hoſpitale & Eccleſiam ſe protendit, deambulationes ſeu moroſas faciant ſtationes; vel metas præſumant tranſgredi conſuetas. Quæ quidem metæ, in parte Boreali, & in parte Auſtrali, dicti Hoſpitalis, in præſenti manifeſtè apparent: Et ſtatuimus quòd ſic emineant in futurum.

Quòd fratres leproſi exire Hoſpitali ſine licentia non præſumant.

CUm hii qui lepræ morbum incurrunt, de conſuetudine generali à communione hominum ſeperentur, & in lege Dei generaliter ſit præceptum, ut leproſi extra caſtra ponantur: Inhibendo ſtatuimus quòd fratres leproſi, clauſam interiorem dicti Hoſpitalis, vel exteriores metas poſitas ab antiquo, abſque licentia magiſtri non exeant quovismodo; quam licentiam magiſter aliqualiter non concedat, niſi cauſa talis exprimatur eidem, quæ ipſum ad licentiam hujuſmodi concedendam, meritò inducere debeat & movere. Ut tamen frater leproſus ad villam ſancti *Albani* accedat, vel ſe ad aliquem locum per medium unius milliaris à dicto Hoſpitali diſtantem divertat; aut ut extra hoſpitale pernoctet; vel ut ingrediatur ad bracinam, piſtrinam, ſeu grangias; magiſtro licentiam concedendi omnimodam interdicimus poteſtatem.

De acceſſu mulierum.

QUia ex acceſſu mulierum, nedum ſcandala, ſed etiam animarum pericula, hactenus ſunt ſecuta: Inhibemus ne quævis mulier dictum Hoſpitale ingredi, præter matrem, Amitam, Conſanguineam, vel ſororem, ſeu lotricem communem, præfatorum fratrum aliqualiter permittatur: nec hujuſmodi mulieres ingredi volumus niſi cauſa viſitandi infirmum; vel ſi lotrix ſit, ad ſuum officium exequendum. In præmiſſis verò caſibus, de clara hora die ingrediantur, morentur, & egrediantur: ut de earum ingreſſu, mora, & egreſſu, nulla ſiniſtra ſuſpicio valeat veriſimiliter ſuboriri.

De unitate Fratrum.

CUm detractio pacificorum animos inquietet, fratres leproſi fratribus Capellanis vel leproſis, detrahere non præſumant: linguas ſuas in ſuſurrum non relaxent, ſed ſe mutuò fraterna dilectione, in vera charitate ſtudeant pertractare.

De Teſtamentis leproſorum.

PErmittimus ut fratres leproſi de bonis ſuis mobilibus, quæ in dicto Hoſpitali ſecum apportaverint vel adduxerint in ingreſſu, uſque ad tertiam partem eorundem bonorum liberè ſi velint faciant Teſtamenta; præfatam verò tertiam partem, in ſuo teſtamento ſeu ultima voluntate ſua, ſervientibus ſuis & bene meritis aliis relinquere liceat: Reliquæ vero duæ partes, & cætera bona (ſi quæ de bonis dicti Hoſpitalis vel aliunde habuerint) in dicto Hoſpitali remaneant, in uſus fratrum infirmorum ſecundùm diſpoſitionem Magiſtri utiliter convertenda. Si verò dictæ duæ partes, & cætera alia bona, vel alia pars earum in rebus adeo vilibus conſiſtant, ut fratribus infirmis minùs utiles videantur; tunc Magiſter eaſdem res in uſus miſerabilium & indigentium perſonarum, convertere non omittat. Et ut hujuſmodi bonorum diviſio abſque fraude efficaciùs obſervetur, ſtatuimus ut quilibet frater leproſus in ingreſſu ſuo, de cunctis bonis ſuis mobilibus fidele Inventorium in tres partes faciat indentatum; cujus una pars penes archidiaconum noſtrum, alia penes magiſtrum, tertia verò penes ipſum fratrem ingredientem remaneat.

De forma teſtandi. Rubrica.

CUm frater leproſus ſuum voluerit facere Teſtamentum, ſeu tertiam partem bonorum ſuorum in ſua ultima voluntate relinquere, ut præfertur; in præſentia Magiſtri, vel ipſo agente in remotis aut abſente, & accedere non valente, in præſentia ipſius locum tenentis; frater leproſus teſtetur, vel alias prout vacaverit ſuam exprimat voluntatem, & partem Inventorii penes ipſum remanentem magiſtro vel ipſius locumtenenti faciat liberari. Prædictus verò magiſter, vel ipſius locumtenens, teſtamentum ſeu ultimam voluntatem hujuſmodi conſcribi, & partem inventorii prædicti in hujuſmodi ſcriptura includi faciat; & ſigillo ſuo conſignet, præfatamque ſcripturam, poſt mortem fratris, Archidiacono vel ipſius locumtenenti faciat, abſque moræ diſpendio præſentari; ut ejus authoritate hujuſmodi Teſtamentum ſeu voluntas, in præfata parte tertia duntaxat executioni debitæ demandetur.

detur. Archidiaconus verò ſeu ipſius locumtenens, ut hujuſmodi Teſtamentum ſeu voluntas ſit celeriter executum, abſque quacunque difficultate feſtinet facere quod incumbit. Si verò frater reconvaluerit, hujuſmodi ſcriptura reſtituatur eidem: ſi autem frater leproſus ultra tertiam partem bonorum ſuorum prædictorum quicquam alicui reliquerit, vel donaverit; volumus quòd tale relictum ſeu donatio omni careat firmitate: diſpoſitione dictæ tertiæ partis, ut præfertur facta, in ſuo robore nihilominus permanente. Volumus etiam, quòd frater leproſus teſtans, vel ſuam exprimens voluntatem, Magiſtro ſeu ipſius locumtenenti, bona omnia alia (ſi quæ forſan ex bonis dicti Hoſpitalis vel aliunde, ante ingreſſum vel poſt, quoviſmodo habuerit acquiſita) referat & deſignet, ut ipſa bona in uſus utiles fratrum leproſorum, ut præmittitur, convertantur.

De diſtributionibus fratrum leproſorum.

HAbeat quilibet frater leproſus de bonis dicti Hoſpitalis, pro victu ſuo & cunctis neceſſariis, prout de conſuetudine in dicto Hoſpitali antiquitùs obſervata conſuevit habere. Videlicet, qualibet hebdomade ſeptem panes, quorum quinque erunt albi & alii duo bruni coloris; facti de frumento prout fuerit de garba excuſſum. Item, qualibet ſeptimana, quatuordecim lagenas Cerviſiæ, vel octo denarios pro eadem. Habeat etiam præter hæc in feſtis omnium ſanctorum, ſancti *Juliani*, Purificationis beatæ *Mariæ*, Annunciationis Dominicæ, Trinitatis, ſancti *Albani*, ſancti *Johannis Baptiſtæ*, Aſſumptionis beatæ *Mariæ*, & Nativitatis ejuſdem; pro quolibet feſto unum panem, unam obbatam Cerviſiæ, vel denarium pro eadem; & obolum unum qui dicitur *Charitas* Hoſpitalis prædicti. Item, percipiat quilibet frater leproſus, ad feſtum Natalis Domini, quadraginta lagenas Cerviſiæ bonæ, vel quadraginta denarios pro eiſdem. Item, quilibet habebit in dicto feſto, partem virilem de duobus quarteriis frumenti puri & mundi, quæ *Magna Charitas* nuncupatur. Item, ad feſtum ſancti *Martini*, habebit leproſus quilibet porcum unum de ſtauro communi. Et ut inter fratres de porcis diviſio æqua fiat, juxta modum in hoc antiquitùs obſervatum, volumus quòd porci juxta numerum fratrum leproſorum in eorum præſentia adducantur, ſi commodè hoc fieri poterit; alioquin in loco alio ad hoc apto, & ibidem quilibet eorum ſecundùm prioritatem & poſterioritatem qua ingreſſus fuerit Hoſpitale, ſibi eligat porcum unum. Si verò ad ipſum hoſpitale porci non fuerint pertinentes, tunc in dicto feſto, cuilibet fratri leproſo de una certa ſumma pecuniæ pro porcis ſingulis ſatisfiat; prout de ipſa ſumma de communi conſilio magiſtri & fratrum leproſorum, & capellanorum, vel majoris partis eorundem, fuerit ſecundùm ſuæ juſtæ conſiderationis arbitrium concorditer ordinatum. Item, habeat quilibet frater leproſus in feſto ſancti *Valentini*, pro toto anno ſequente, unum quarterium avenarum. Item, in hieme vel quadrageſima, unum buſſellum fabarum, & alium buſſellum piſarum, pro potagio. Item, circa feſtum natalis ſancti *Johannis Baptiſtæ*, duos buſſellos ſalis, vel currens precium eorundem. Item, in feſto ſancti *Juliani*, unum denarium; & in feſto ſancti *Albani*, unum denarium, pro pitantia conſueta. Item, in die Paſchæ, unum denarium, qui apud eos *Flawoneſpeni* nominatur. Item, in Aſcenſionis Domini, obolum unum, pro ollis luteis ſibi emendis. Item, in die Martis in carniſprivio, farinam butellatam ponderis unius albi panis eorum. Item, in feſto ſancti *Johannis Baptiſtæ*, quatuor ſolidos pro veſtura. Item, in feſto natalis Domini diſtribuantur inter fratres leproſos, quatuordecim ſolidi æquis portionibus; pro focali eorum annali: ſicut inter eoſdem fratres ab antiquo pro bono pacis & concordiæ extitit ordinatum. Item, quia ex eleemoſyna domini Regis, triginta ſolidi & quinque denarii fratribus leproſis ſunt perpetuò aſſignati, quos vicecomes *Hertfordiæ* ad feſta Paſchæ & *Michaelis* habet eiſdem ſolvere annuatim; ſtatuimus quod dicti triginta ſolidi & quinque denarii, inter dictos fratres leproſos, æqualiter more ſolito dividantur; præfatis verò diſtributionibus quæ in dicto hoſpitali conſueverunt inter fratres leproſos fieri ab antiquo, ipſos fratres volumus contentari. Reſiduum verò bonorum dicti hoſpitalis, in ſuſtentationem magiſtri & fratrum ſacerdotum dicti hoſpitalis, converti volumus & ſtatuimus, juxta modum qui inferiùs latiùs deſcribetur.

De Fratribus Capellanis, & numero eorundem.

STatuimus inſuper, decernimus, ac etiam ordinamus; quòd in dicto Hoſpitali quinque ad minus ſint perpetuis temporibus ſacerdotes; circa quorum admiſſionem, amotionem, correctionem, & regimen; hæc omnia quæ ſequuntur, volumus & præcipimus in perpetuum inviolabiliter obſervari.

De augmentatione numeri Sacerdotum.

LIcèt Sacerdotum numerum, attentis oneribus incumbentibus Hoſpitali, & facultatibus quæ ad ipſum pertinent; in præſenti ſuprà ſtatuerimus competentem: volumus tamen ad augmentum cultus divini (pro cujus ampliatione ferventi deſiderio anhelamus) & etiam ordinamus;

ordinamus; quòd ſi bona dicti hoſpitalis qualitercunque in poſterum adeo contigerint augmentari, ut ipſa bona merito numerum fratrum exigant ampliorem; tunc abſque dilatione indebita, Capellanorum numerus duntaxat juxta bonorum auctorum ſufficientiam augeatur.

De qualitate Sacerdotum admittendorum.

STatuimus quòd in dicto Hoſpitali, illi duntaxat recipiantur Sacerdotes, qui ſunt bonæ vitæ & converſationis honeſtæ; taleſque quòd ſuper eorum converſatione aut per inveteratam notitiam, aut per alias probationes legitimas, ſufficientia appareant documenta; quódque ſint tales, qui ſciant, velint & valeant, divina officia celebrare. In quorum receptione, ſacerdotes in noſtra juriſdictione oriundos & idoneos in præmiſſis: ſeu deficientibus talibus, ſacerdotes illos idoneos qui in dicta juriſdictione noſtra tam diu fuerint laudabiliter converſati, quòd de bono eorum geſtu præſumi veriſimiliter debeat in futurum, omnibus aliis volumus anteponi. Hujuſmodi verò ſacerdotibus non exiſtentibus, aut exiſtentibus & nolentibus ingredi hoſpitale; tunc præcipimus quòd omni inordinato favore ſemoto, recipiantur alii ſacerdotes bonæ vitæ & converſationis honeſtæ; ac idonei (ut præfertur) præhabita ſemper probatione, prout ſuperiùs eſt expreſſum: ſuper quibus omnibus, ante receptionem ſacerdotum quotiens fuerit facienda, per Archidiaconum noſtrum qui eſt & erit, examinationem fieri volumus diligentem: qui nobis & ſucceſſoribus noſtris, plenam & diſtinctam relationem de omni eo quod reperit in hac parte, abſque mora facere teneatur: ut ex tunc per nos & ſucceſſores noſtros, ad quos dicti hoſpitalis diſpoſitio tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus pleno jure dinoſcitur pertinere, vel archidiaconum memoratum, noſtro & ſucceſſorum noſtrorum nomine, ſacerdotes hujuſmodi admittantur.

De habitu Sacerdotum.

FRatres ſacerdotes dicti hoſpitalis, tunica, ſupertunica, tabardo, & capucio nigri coloris, ad ſimilitudinem fratrum ſacerdotum beatæ *Mariæ* de *Pratis*, juxta ſanctum *Albanum*; pro habitu perfruantur. Sit ſupertunica clauſa, & talaris, manicas habens tegentes cubitos circumquaque. Tunica verò habeat manicas protenſas ad pugnum; non confuticias, vel aliqualiter botonatas. In equitando, cloca rotunda competentis longitudinis, capello nigro, freno, calcaribus, botis, & aliis ornamentis, utantur; quæ eorum magis convenerint honeſtati, & præfatis ſacerdotibus de *Pratis*, apertiùs ſe conforment.

De calceamentis Sacerdotum.

SAcerdotes botis, ſeu æſtivalibus, aut caligis, nigri coloris vel bruni, cum ſotularibus baſſis, pro calceamentis utantur: pro ſuæ libito voluntatis, Calceamenta verò alterius quam nigri vel bruni coloris, ſeu alia quàm ſuperiùs exprimuntur omnino interdicimus fratribus capellanis.

De pecunia fratribus pro veſtibus perſolvenda.

CUm quilibet frater ſacerdos, de ſuo proprio, de veſtibus, ſtratis, & calceamentis, ſibi in ſuo ingreſſu debeat providere: ordinamus & volumus, ac ſic ſufficere reputamus, quòd cuilibet fratri ſacerdoti annuatim ad duos anni terminos, videlicet omnium ſanctorum & Pentecoſtes, treſdecim ſolidi & quatuor denarii, æqualibus portionibus exſolvantur: volumus tamen, quòd magiſter quem convenit propter ſuos labores prolixiores amplioribus ſtipendiis præmiare; pro præmiſſis, duas marcas argenti ad terminos antedictos, percipiat annuatim.

De cohabitatione Sacerdotum.

COnſiderantes quòd in dicto hoſpitali ſunt diſtinctæ habitationes conſtructæ, quæ nequeunt abſque magiſtri & fratrum gravibus, & pro nunc importabilibus ſumptibus, ad unitatem reduci: Volumus & ſtatuimus, ut unam habitationem diſtinctam duo inhabitent ſacerdotes, ſub unoque tecto, & in camera una; donec fiat una camera, quæ pro dormitorio ſufficiat omnibus, dormiant & quieſcant: ac in aula habitationis magiſtri, ſit ſemper refectorium ſacerdotum, ibique omnes comedant in communi, niſi aliqui eorum infirmitate vel alia cauſa legitima fuerint impediti. Abſque murmure & detractatione, fratres ſacerdotes quiete & pacifice converſentur: Magiſter vero qui ratione officii ſui circa varia occupatur, & habet de ſuis ratiociniis ordinare; inhabitet & habeat ab aliis confratribus cameram ſeparatam: Proviſo tamen quòd in hoſpitio ſuo, fratrem ſecum habeat commorantem.

De divino officio.

SIngulis diebus in aurora pulſetur ſpacioſè campana; ad cujus pulſationem ſurgant omnes fratres ſacerdotes, & ad Eccleſiam maturè procedant. Cumque ibidem in Cancello fuerint congregati, incipiat hebdomadarius matutinale officium, & illud unà cum Prima, Tertia, & Sexta, ſubmiſſa voce diſtinctè edicant, & apertè; nec non etiam & devotè. Quibus completis, dicat frater unus qui ad hoc fuerit aſſignatus miſſam de beatiſſima *Maria* virgine glorioſa: quâ finitâ pauſent fratres ſacerdotes, ad tempus; ut capellanus leproſorum eiſdem horas canonicas & miſſam dicere valeat; prout ſuperius eſt expreſſum & arctatur Eccleſia ab antiquo. Horis herò canonicis, & miſſa pro fratribus leproſorum completis; dicat vel celebret (prout vacaverit hebdomadarius) miſſam de die: & poſt eam, ſtatim hora Nona dicatur. Qua finita, pulſetur ad prandium, vadantque fratres ſacerdotes ad menſam: & ut præfertur, comedant in communi. Hóra verò veſperarum, pulſetur ad veſperas: ad quam pulſationem, convenire ſtudeant fratres omnes ſacerdotes, & leproſi, pro veſperis & completorio audiendis & dicendis: eaque devotè & completè audiant & dicant, prout ipſis dicere convenit & audire: veſperas autem & completorium, ſemper incipiet hebdomadarius prout de aliis ſuperiùs eſt notatum. Finitis verò veſperis & completorio, abſque indebitis ſtationibus in itinere faciendis, omnes tam ſacerdotes quam leproſi, ad ſua hoſpitia revertantur. In diebus Dominicis & feſtis duplicibus, dicant ſacerdotes in Eccleſia omnes horas Canonicas: & præſertim Matutinis, Veſperas, & Completorium: ac etiam Miſſam cum Nota. In magnis duplicibus feſtis, utputa in feſtis natalis Domini, Cœnæ, Paraſceues, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & aliis conſimilibus: dicant totum officium feſti ſolenniter, cum Nota; prout ſecundùm *uſum Sarum*, quo uti debent, ſolennitatibus hujuſmodi feſtorum, noverint convenire. Item, in feſtis ſancti *Albani*, ſancti *Johannis Baptiſtæ*, & tranſlationis ſancti *Thomæ* martyris, propter brevitatem dierum in quibus contingunt, dicant ſacerdotes matutinale officium cum Nota, cito poſt completorium tertiatum. Item volumus, quòd unus frater ſacerdos, qui ad hoc fuerit deputatus; celebret ſingulis diebus aliqua hora diei ad hoc magis apta, ſecundùm diſpoſitionem magiſtri; pro omnibus benefactoribus defunctis monaſterii noſtri, & dicti hoſpitalis, miſſam ſine Nota, de officio defunctorum.

De Intabulatione fratrum, & præſentia eorundem.

UT labor inter Fratres abſque murmure faciliùs ſupportetur, ſtatuimus ac etiam Ordinamus, ut fratres ſacerdotes ſecundùm curſum ſuum, ad Matutinas & alias horas canonicas & miſſas diverſas, ut præmittitur celebrandas, per aliquem qui per magiſtrum ad hoc fuerit deputatus, in tabula conſcribantur, qui cum intabulati fuerint, officia ad quæ fuerint intitulati, obedienter & humiliter exequantur; & ut divinum officium in dicta Eccleſia juxta præmiſſum & ſubſequentem modum, meliùs & devotiùs celebretur; volumus & præcipimus, quòd ſinguli ſacerdotes dicti hoſpitalis, in Matutinis, horis, Miſſis, Veſperis, & Completoriis, in dicta Eccleſia ut præmittitur & ſubſequitur celebrandis, perſonaliter interſint; & divinum officium peragant: quatenus ipſos conjunctim attigit, & diviſim, niſi aliqua cauſa rationabilis eos à præmiſſis reddiderit excuſatos. Quam quidem cauſam, magiſtro, ſeu eo agente in remotis vel abſente, ipſius locumtenenti, aut ſaltem hebdomadario, ut præmittitur, impediti exprimere teneantur, nec choro exeant ante divinum officium completum pro tempore, ſine ipſius chori Rectoris licentia ſpeciali. Hanc tamen arctationem ad magiſtrum hoſpitalis, quem oportet ex officii ſui ſollicitudine circa plurima occupari, volumus non extendi.

Ut benefactorum fiat memoria ſpecialis.

PRæcipimus, quòd quilibet ſacerdos dicti Hoſpitalis, quos ad celebrandas miſſas ſingulis diebus humano more volumus obligari; pro benefactoribus vivis & defunctis dicti monaſterii & hoſpitalis prædicti, in miſſa ſua, dicendo collectam *Omnipotens ſempiterne Deus qui*, &c. memoriam faciat ſpecialem. In fine etiam Nonæ & Completorii, in Eccleſia ac gratiarum in menſa, dictorum dicat hebdomadarius, vel alius vices gerens ejuſdem; *animæ Regis Offæ, & omnium Benefactorum monaſterii ſancti* Albani, *& noſtrorum, per Dei miſericordiam requieſcant in pace.*

De Lectione legenda in menſa.

UT fratres ſacerdotes dum in menſa fuerint conſedentes, nedum corporum ſed etiam animarum capiant alimenta, præcipimus quòd dum fratres ſacerdotes in menſa fuerint congregati, legat unus literatus coram eis per aliquod competens temporis ſpatium, aut de

Biblia

Bibliæ aut de ſcriptura ſacra alia, lectionem; quem dum in legendo fuerit, fratres ſilentium tenendo, attentè audiant & auſcultent.

De Anniverſariis annis ſingulis faciendis.

DEcernimus, volumus, ac etiam ordinamus, quòd fratres ſacerdotes annis ſingulis Regis *Offæ*, *Gaufridi* Abbatis, diebus obitus eorundem, & noſtrum, ac magiſtri *Johannis* de *Barnet*, Canonici Eccleſiæ ſancti *Pauli Londonienſis*, cum migraverimus & migraverit ab hac luce, Anniverſaria facere teneantur. Die verò præcedente, diem hujuſmodi obitus finitis Veſperis, in Eccleſia dicant fratres ſacerdotes, cum Nota ibidem, *Placebo* & *Dirige*, ſolenniter in Communi: ac in craſtino miſſam celebret magiſter, ſeu eo impedito, alius frater pro eo cum Nota, de officio defunctorum.

De Teſtamentis fratrum ſacerdotum.

SI fratres ſacerdotes teſtari voluerint, ſeu aliqua in ſua relinquere voluntate; eundem ordinem ſive modum, tam quoad Inventorium, quàm cætera omnia alia & ſingula ſupra in titulis de Teſtamentis leproſorum, & de forma teſtandi contenta; quem modum ibidem duximus ſtatuendum, ſtudeant firmiter obſervare, ſub pœna ibidem clariùs annotata.

De Penſionibus vel Corrodiis nullatenus concedendis.

NEc ea quæ ad certum pium uſum ſunt largitione fidelium deſtinata, in uſus alios convertantur, aut præfatus numerus leproſorum & ſacerdotum in poſterum minuatur; hac ordinatione perpetua prohibemus, ne unquam alicui de bonis dicti hoſpitalis ab hac hora in antea ex venditione, donatione, ſeu ex quacunque conceſſione ad vitam vel ad tempus, ob meritum, ſeu propter obſequium, aut quocunque colore, directè vel indirectè; cenſus, penſio, vel corrodium concedatur. Et ut hæc noſtra prohibitio firmiùs obſervetur, ſtatuimus & decernimus, quòd ſinguli fratres tam leproſi quàm Capellani, in admiſſione ſua jurent ad ſancta Dei Evangelia; quòd nunquam directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè, facient, procurabunt, aut conſentient, quòd alicui de bonis dicti hoſpitalis, ex quacunque cauſa vel quocunque colore, cenſus, corrodium vel penſio, concedatur: ſed quoties de hujuſmodi conceſſione facienda inter eos locutum fuerit, vel tractatum; conſtanter pro totis viribus contradicent. Et nihilominus volumus & ſtatuimus, quòd omnes qui hujuſmodi conceſſioni faciendæ conſenſum præbuerint, auxilium, vel favorem, ex hoc excommunicationis ſententiæ ſubjaceant, ipſo facto.

De infirmis Fratribus Capellanis. Rubrica.

STatuimus, quòd infirmis Capellanis de victu quotidiano ita bene in omnibus, ſicut Fratribus Capellanis, in Refectorio ſeu aula communi exiſtentibus, ſerviatur. Et ſi Frater Capellanus infirmetur per annum, volumus quòd pro medicina & aliis neceſſariis ultra communem & quotidianam diſtributionem victualium, & etiam præter unam marcam argenti pro veſtura, quam durante infirmitate percipiet; nihilominus ſicut ſanus Magiſter ſex ſolidos & octo denarios ſterlingorum particulariter, prout viderit expedire, hujuſmodi ſic infirmo ſolvere teneatur. Si verò frater capellanus breviori tempore infirmetur, volumus quòd dicta dimidia marca pro rata temporis dividatur; & pars ſummæ ſic diviſæ, ſolvatur eidem: & nihilominus magiſter eoſdem fratres infirmos viſitet & ſolatiet; ſicque cum abſens fuerit, fieri ab aliis Fratribus Capellanis faciat & procuret.

Ut Fratres juramentum præſtent in ingreſſu.

AD majorem cautelam & firmiorem obſervantiam præmiſſorum, & eorum etiam quæ ſequuntur: ſtatuimus, quòd quilibet tam leproſus quàm Capellanus, in limine admiſſionis & ingreſſus ſui, tactis ſanctis Dei Evangeliis, in præſentia Archidiaconi noſtri & Teſtium, præſtet & faciat ſubſequens juramentum: quodque ipſum juramentum, antequam præſtetur, fratribus ſaltem laicis ingredientibus vel minus bene literatis, vulgariter exponatur.

De forma juramenti Fratrum.

EGo *N.* in præſentia domini *N.* archidiaconi monaſterii ſancti *Albani*, juro ad hæc Dei Evangelia: quòd obediens ero venerabili patri domino *M.* Dei gratia Abbati mona-

monaſterii ſancti *Albani*, ipſiuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, & Archidiacono monaſterii ſupradicti; necnon & magiſtro Hoſpitalis, in licitis & canonicis mandatis. Furtum ſeu homicidium non committam. Crimen fratri leproſo, ſeu capellano nequiter non imponam. In fratrem dicti Hoſpitalis, manus non injiciam violentas. Caſtus ero. Secreta Hoſpitalis nemini revelabo. Commiſſum mihi negotium dicti Hoſpitalis, juxta diſcretionem mihi à Deo datam, ſollicitè exequar: abſque fraude. Opere, verbo, vel alio quovis modo non conſentiam, quòd alius ſit Magiſter dicti Hoſpitalis, quàm ille quem dominus Abbas monaſterii ſancti *Albani* præfecerit in magiſtrum; ſeu quòd alicui de bonis dicti Hoſpitalis, qualitercunque ex quacunque cauſa, cenſus, corrodium, aut penſio concedatur: vel quòd numerus fratrum leproſorum vel ſacerdotum, aliqualiter minuatur: vel quòd ipſi in alios commutentur, ſed quoties de iſtis aut aliquo eorundem loqui contigerit, conſtanter pro totis viribus reclamabo. Conſtitutiones & ordinationes dicti Hoſpitalis, per dominum *Michaelem* Abbatem edictas, & in ſcriptis redactas; quatenus me attinent obſervabo: & ab aliis pro poſſe meo, faciam obſervari; & ſi repertus fuero in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum, aut aliis deliquiſſe, correctionem & punitionem domini Abbatis dicti monaſterii, vel ipſius Archidiaconi, vel alterius qui ad hoc fuerit legitimè deputatus; ac Magiſtri dicti Hoſpitalis, abſque quacunque reclamatione ſubibo etiamſi dominus Abbas in caſu quo ter circa idem deliquerim, à dicto Hoſpitali abſque gratia redeundi, me voluerit amovere. *Sic Deus me adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

De correctionibus faciendis. Rubrica.

SI aliquis Frater tranſgreſſus fuerit præmiſſa, vel aliquod eorundem, pro ſingulis hujuſmodi tranſgreſſionibus, per nos & ſucceſſores noſtros, vel Archidiaconum dicti monaſterii, qui eſt & erit pro tempore, tanquam perjurus pro perjurio, & alias prout facti qualitas poſtulaverit, puniatur. Si verò ter circa idem ſponte de præmiſſis repertus fuerit deliquiſſe, vel aliquod aliud commiſerit crimen, propter quod à ſuo loco debeat juxta juris exigentiam amoveri; per nos & ſucceſſores noſtros, & non per inferiorem; hujuſmodi delinquens à dicto Hoſpitali, ſi hoc expediens videatur, amoveatur omnino: ſeu aliàs acriter puniatur. In minoribus autem & levioribus exceſſibus, correctionem & punitionem ad magiſtrum volumus pertinere.

De Capitulis.

TEneant & faciant fratres Capitulum ſaltem ſemel in hebdomada, in die ad hoc magis apto: & in quo circa hoc meliùs poterint occupari, pro negotiis Hoſpitalis communiter, ut convenit, pertractandis, & correctionibus levium & mitiorum exceſſuum, debitè faciendis. Et hoc capitulum in Eccleſia clauſis oſtiis, circumquaque more ſolito teneatur.

De præfectione Magiſtri.

QUotiens dictum Hoſpitale fuerit Magiſtri regimine deſtitutum, unus Capellanus dicti Hoſpitalis, qui in ſpiritualibus & temporalibus magis fuerit circumſpectus, circumſcripto quocunque inordinato favore, auctoritate noſtra & ſucceſſorum noſtrorum duntaxat præficiatur more ſolito in magiſtrum; circa cujus præfectionem, nullam juris ſolennitatem volumus adhiberi. Nec quòd ipſe magiſter ex hujuſmodi *præfectione titulum* perpetuum ſibi valeat vendicare; ſed liceat nobis noſtriſque ſucceſſoribus, ſi *magiſter in* ſuo ratiocinio ſeu computo, vel in aliis ita repertus fuerit deliquiſſe, ut ſuo magiſterio juxta juſtum & æquum arbitrium reddatur indignus; ex tunc eundem abſque quocunque ordine judiciario, ſeu appellationis obſtaculo (ſi nobis vel eis hoc expediens videatur, in noſtra & ſua conſcientia ſuper hoc in ſummo examine oneranda) a ſuo magiſterio penitus amovere.

De licentia exeundi, & acceſſu mulierum.

EA quæ ſtatuimus ſuprà in titulis, quòd fratres leproſi hoſpitalis exire ſine licentia non præſumant, & de acceſſu mulierum; ad fratres ſacerdotes extendi, & in eis locum per omnia volumus obtinere: Excepto, quòd magiſter poterit fratres ſacerdotes licentiare, ut ex cauſa bracinam, piſtrinam, vel grangias ingrediantur, cum hoc ſibi videbitur expedire.

De

De cuſtodia communis ſigilli.

COmmune ſigillum in habitatione magiſtri, in ciſta una ſub tribus ſerulis more ſolito reponatur; præfatæ verò ciſtæ, unam clavem, penes nos & ſucceſſores noſtros, aut Archidiaconum noſtrum, aliam penes fratres leproſos, & tertiam penes magiſtrum Hoſpitalis, volumus remanere. Quotiens verò aliquid fuerit cum dicto ſigillo ſignandum, ſuper illo inter fratres leproſos & Capellanos, ſolennis tractatus primitus habeatur: ut quod ad omnes dinoſcitur pertinere, ab omnibus comprobetur.

De ſigillo ad cauſas.

SIgillum parvum quod dicitur ſigillum *ad cauſas*, in cuſtodia ſit magiſtri; quod ſolummodo in literis, acquitanciis de ſoluto, fidem facere volumus & habere roboris firmitatem.

De juramento per magiſtrum præſtando.

STatuimus quòd frater poſtquam præfectus fuerit (ut prædicitur) in magiſtrum, antequam de bonis dicti Hoſpitalis ſe quomodolibet interponat; præſtet coram nobis vel ſucceſſoribus noſtris, aut Archidiacono noſtro, ac fratribus & teſtibus, in forma quæ ſequitur juramentum; quod quidem propter fratres leproſos, & laicos forſan teſtes antequam præſtetur, exponi volumus in vulgari.

De forma juramenti.

EGo frater *E.* Capellanus Hoſpitalis ſancti *Juliani*, cui per venerabilem patrem dominum *M.* Deigratia Abbatem monaſterii ſancti *Albani*, dicti Hoſpitalis gubernatio eſt commiſſa: juro ad hæc Dei Evangelia, quòd de cunctis bonis dicti Hoſpitalis mobilibus & ſe moventibus, fidele Inventorium faciam. Fratribus leproſis, portiones ſuprà in titulo *de diſtributionibus fratrum leproſorum* apertiùs deſignatas, prout deſignantur ibidem fideliter diſtribuam: dum facultates dicti Hoſpitalis ſufficiunt ad eaſdem. Fratribus Capellanis pecuniam pro veſtibus, ſtratis & calceamentis, quæ ſupra in titulo *de pecunia fratribus Capellanis*, annis ſingulis miniſtranda, cum ſuis terminis continetur, temporibus ſuis perſolvam: ac eiſdem fratribus Capellanis ſanis & infirmis, juxta ſuppetentiam facultatum reſtantium ultra diſtributiones, fratribus leproſis (ut præmittitur) faciendas, ſua alimenta neceſſaria & competentia miniſtrabo; reſidium ſi quod manſerit, in utilitatem Hoſpitalis convertam. Alienationi rei immobilis, ad dictum Hoſpitale pertinentis, aut conceſſioni cenſus, penſionis, vel Corrodii, alicui de bonis Hoſpitalis qualitercunque, vel ex quacunque cauſa faciendæ, non conſentiam; ſed quotiens coram me de hiis actum fuerit, pro viribus contradicam. Conſtitutiones ſeu ordinationes domini *Michaelis* Abbatis, ſuper dicto Hoſpitali, & ejus regimine editas, firmiter obſervabo: & eas ab aliis pro poſſe meo faciam obſervari, *niſi quatenus per vos domine mecum fuerit diſpenſatum.* Omnia Hoſpitalis prædicti negotia, in quantum me concèrnunt, utiliter juxta diſcretionem mihi à Deo datam, & fideliter, exercebo. Coram domino Abbate monaſterii ſupradicti, vel Archidiacono ipſius, aut alio qui per dictum dominum Abbatem ad hoc fuerit deputatus, de adminiſtratione bonorum dicti Hoſpitalis per me facta, ſaltem ſemel in anno; fidelem reddam in unius ad minus fratris Capellani, & alterius fratris leproſi præſentia rationem: ſic Deus me adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

De lectura Conſtitutionum. Rubrica.

NE ſe fratres leproſi & ſacerdotes ab obſervatione præmiſſorum ſub colore ignorantiæ valeant excuſare; ſtatuimus & etiam ordinamus, ut præmiſſæ noſtræ ordinationes, quatenus fratres leproſos concernunt eiſdem, quatenus verò fratres Capellanos contingunt eiſdem; quater diviſim annis ſingulis, diſtinctè & apertè legantur, & exponantur, etiam in vulgari: ut ſic ipſorum quilibet ſcire valeat manifeſtè, quæ & qualia debeat obſervare.

Ad præmiſſorum verò perpetuam firmitatem, & in teſtimonium eorundem, eiſdem ſigillum noſtrum duximus apponendum. Datum in monaſterio noſtro ſupradicto, quoad nos xj. die menſis Februarii, Anno Domini M. CCC. XLIV. Et nos Prior & Conventus monaſterii ſæpedicti, præfatas Ordinationes omnes & ſingulas quas inſpeximus ſtudioſè, & ſuper quibus deliberavimus diligenter, in quantum poſſumus confirmamus. In quorum teſtimonium, ſigillum noſtrum commune fecimus hiis apponi, datum quoad nos, in domo noſtra Capitulari, in dicto monaſterio ſituata, xij. die menſis prædicti, Anno Domini ſupradicto. Et nos magiſter & fratres hoſpitalis prædicti, prædictis ordinationibus ſeu conſtitutionibus omnibus & ſingulis, quas deliberatione præhabita ſuper eis, nobis & dicto Hoſpitali conſpici-

conſpicimus plurimum profuturas; expreſſè & ex certa ſcientia conſentimus; eaſque omnes & ſingulas, ratas habemus pariter & acceptas. In quorum omnium teſtimonium, ſigilli noſtri communis appenſione, has Conſtitutiones prædictas ſecimus communiri. Datum quoad nos in hoſpitali prædicto, in aula habitationis Magiſtri xiiij. die menſis Februarii, Anno Domini ſupradicto. Et ego *Stephanus* de *Walinfordia* Rector Capellæ ſancti *Juliani*, ac perpetuus Capellanus leproſorum hoſpitalis prædicti, prædictis ordinationibus conſentio, & eas ratas & gratas habeo & acceptas: In quorum teſtimonium, quia ſigillum meum pluribus eſt ignotum, ſigillum reverendi viri domini Officialis *Londonienſis* apponi præſentibus procuravi. Et nos Officialis *Londonienſis*, ad ſpecialem & perſonalem rogatum dicti domini *Stephani*, ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum quoad nos, apud Hoſpitale prædictum, xv. die menſis prædicti, anno prædicto.

Sequuntur & alia Statuta *ſive* Articuli *ejuſdem Hoſpitalis ſancti* Juliani *ab eodem Abbate* Michaele. *Cujus vitam in* Majori Cottoniano *& in codice* Spelmanniano *invenimus: a* Thoma Walſinghamo *reliquis* viginti tribus Matthæi Pariſienſis, *cum aliis additam.*

Iſti ſunt Articuli *obſervandi inter* fratres profeſſos *domus ſancti* Juliani, *juxta ſanctum* Albanum.

CUm inter omnes infirmitates morbus lepræ contemptibilis habeatur, hii qui tali morbo ſunt percuſſi, ſingulis locis & temporibus tam geſtu quàm habitu; cæteris hominibus contemptibiliores & magis humiles ſe debent repræſentare: Dicente Domino in Levitico, *Quicunque maculatus fuerit lepra, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordidum. ſe clamabit: & omni tempore quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.* Nec propter hoc deſperare debent, aut contra Deum murmurare; ſed potiùs eum laudare & glorificare, qui cum ductus fuerit ad mortem, leproſis voluit comparari: teſte *Iſaia* Propheta, qui ait, *Et nos putavimus eum leproſum percuſſum à Deo, & humiliatum.* Revocantes ad memoriam beati *Job*, qui cum percuſſus eſſet lepra, ita quòd à planta pedis uſque ad verticem capitis non fuit in eo ſanitas; nihil ſtultum contra Deum locutus eſt.

De ſitu Hoſpitalis ſancti Juliani.

CUm igitur Hoſpitale ſancti *Juliani*, juxta boſcum de *Eywod*, ab Abbate & Conventu ſancti *Albani* propter leproſos ſpecialiter ſit fundatum; & ex pia collatione eleemoſynarum eorundem eſt ſuſtentatum; cujus diſpoſitio tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, ad eundem Abbatem loci ejuſdem patronum & ordinarium, pertinere dinoſcitur: Nos paterna ſollicitudine honeſtatem dicti Hoſpitalis, necnon & utilitatem ſecundùm Deum conſiderantes: volumus quòd fratres ibidem commorantes, habeant habitum qualemcunque eorum infirmitati convenientem.

De Habitu Fratrum.

FRatres videlicet habeant Tunicam & Supertunicam de Ruſſeto, cum Capucio de eadem ſecta, ita quod manubria tunicæ ſint clauſa uſque ad manum, non nodulis vel filo ad modum ſecularium laqueata. Supertunicam verò habeant clauſam uſque ad *talos*, & capam clauſam de nigro panno ſimilis longitudinis cum Capucio, ſicut ab antiquo habere conſueverunt.

De Calceamentis Fratrum.

CAlceamenta pedum ſint caligæ & æſtivalia, ſint ſotulares erecti, cum tribus vel quatuor nodulis circa tibias, quibus uti conſueverunt. Sotulares verò baſſos cum uno nodulo, & laqueatos, omnino interdicimus & damnamus. Et ſi quis frater de cætero utatur hujuſmodi baſſis ſotularibus, contra iſtud ſtatutum, eat nudis pedibus ſingulis diebus, donec magiſter domus ejus humilitatem conſiderans, dicat ei, ſufficit. Iſta ſufficiant quoad habitum.

De ingreſſu fratrum: & de voto faciendo.

QUi de licentia domini Abbatis dictum Hoſpitale ingrediuntur (ſine cujus licentia nullus debet ingredi) ſint ſoluti, & ſi conjugatus ingredi debeat, tam ipſe quàm uxor ſua coram domino Archidiacono tanquam loci ordinario, & fratribus domus, faciat ſolenne

votum

votum caſtitatis. Et ſi poſt ingreſſum contra dictum votum per incontinentiam venerit, ſecundùm conſuetudinem domus expellatur; & uxori ſuæ, ſi ſuperſtes fuerit, remittatur & ei debitum conjugale perſolvat. Similiter ſi uxor contra votum ſuum veniat, ſimili modo puniatur: ſi autem uxor in fata deceſſerit, tunc vir ſicut convictus de incontinentia puniatur.

De modo ingrediendi Hoſpitale.

FRatres verò qui ingrediuntur dictum hoſpitale, ſint per aliquod tempus in probatione, antequam faciant ſuam profeſſionem: infra quod tempus, de eorum moribus & converſatione per geſtum eorum & opera, poterit manifeſtiùs apparere. Nec tempore probationis, ad conſilia fratrum in capitulis ſuis aliqualiter admittantur.

De dilectione fratrum.

FRatres ſuper omnia diligant Deum, deinde proximum, fraternæ dilectionis mutuam inter ſe habentes charitatem: quia iſta præcepta ſunt principaliter obſervanda, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ.

De horis temperandis.

MAne Campana pulſata ad horas Canonicas audiendas, omnes ſurgant; & indutis capis clauſis, eant ad Eccleſiam divina obſequia audituri: quam cum ingreſſi fuerint omnes ſedeant per ordinem ſecundùm tempus quo ingreſſi ſunt dictum hoſpitale. Ita quòd nullus per ſuperbiam locum alterius ſibi vendicare præſumat; niſi fortè magiſter aliquem propter reverentiam vel dignitatem perſonæ vel ordinis, aliis voluerit præferre, juſtitia exigente. Illu l mane ſic temperetur, ut nulli ſit oneroſum, ſed ad aſſiamentum omnium infirmorum; ut nullus poſſit ſe excuſare, niſi graviori infirmitate fuerit detentus. Omnibus ergò pariter in Eccleſia, ut dictum eſt, congregatis ſilentium teneant, donec ſervicium compleatur.

De ſtationibus.

NUllus autem fratrum præſumat exire metas hoſpicii ſui, ſcilicet versùs regiam viam, ſine capa clauſa, eundo ad Eccleſiam vel redeundo: nec faciant ſtationes vel deambulationes in dicta ſtrata, ante ſervicium vel poſt; immo nulla hora diei, ante prandium vel poſt: ſed expleto officio divino, cum omni maturitate ingrediantur hoſpicia ſua; niſi fortè aliquis voluerit facere moram in Eccleſia, ut orationibus vacet & contemplationi.

Item de ſtationibus.

SImiliter inhibemus, ne ſtationes fiant in pentitio quod ſe extendit in longitudine ante domos fratrum versùs regiam viam. Nec quiſquam fratrum teneat ibi parliamentum cum alio fratre: ſed ſi quis fratrum voluerit habere colloquium cum aliquo fratre, tranſeat ordinatè per dictum pentitium unuſquiſque alter ad alterum prohibito ſuo ſine ſtatione: niſi fortè aliquis extraneus ei obviaverit, cum quo breviter loquatur & tranſeat. Sed ſi probus homo & honeſtus venerit ibi, cauſa infirmum fratrem viſitandi, ingrediatur ad eum: & quod bonum eſt, adinvicem loquantur.

De Metis.

MEtas verò ab antiquo ſtatutas, quarum una ſita eſt ex parte auſtrali; altera ex parte boreali, ſicut adhuc manifeſtè patent; nullus tranſgredi præſumat: præter cuſtodem grangearum & granariorum, cui cura per magiſtrum committitur.

De Cuſtode ſub Magiſtro.

NEc quiſquam fratrum piſtrinam vel bracinam, aliquo ingredi modo præſumat: niſi frater cui cura committitur. Qui cum ingreſſus fuerit, pani & cerviſiæ non appropinquet, tangendo vel aliquo alio modo tractando, cum non deceat viros talis infirmitatis ea tractare, quæ ad uſum communem hominum ordinantur.

De Clauſura.

POrtæ verò versùs gardinum bene claudantur, & cuſtodiantur, propter ſcandala & alia mala, quæ ex libero ingreſſu earum poſſent oriri; nec quiſquam fratrum egrediatur portas illas, niſi tempore minutionis, vel quando aliquis indigeat ſolatio ratione alicujus ſpecialis infirmitatis: quod fiat de licentia ſuperioris. Portas verò versùs campum ex una parte, & regiam ſtratam ex altera, nullus omnino egrediatur: niſi ille tantùm cui Agricultura commendatur. Expedit enim aliquando ſupervidere carucas, & ſeminatores, ſi fideliter operentur & diligenter.

De licentia Archidiaconi euntibus extra metas.

NUllus ergò frater omnino tranſgredi præſumat metas conſuetas & debatas, cauſa vagandi, per patriam vel peregrinandi: quod qui aliter fecerit, per ſubtractionem liberationis ſuæ caſtigetur. Qui verò abſentaverit ſe extra domum ſuam per totum diem & noctem, ſine ſpeciali licentia domini Abbatis, vel ejus Archidiaconi, tanquam fugitivus habeatur, nec concedatur ei ingreſſus, ſine gratia & licentia domini Abbatis.

De acceſſu mulierum.

ET quia per acceſſum mulierum, frequenter oriuntur ſcandala & mala non modica; ſuper omnia prohibemus, ne aliqua mulier ingrediatur hoſpitia fratrum, præter communem lotricem domus, quæ ſit maturæ ætatis & bonæ converſationis; de qua nulla poſſit eſſe ſiniſtra ſuſpicio. Nec illa præſumat intrare domos illorum temporibus ſuſpectis, ſed horis debitis, ut ejus ingreſſus & egreſſus ab omnibus poſſit videri. Verumtamen ſi mater, vel ſoror, vel alia honeſta matrona venerit ibi cauſa viſitandi infirmos; habeat ingreſſum ad illum, cum quo loqui voluerit. Et hoc fiat de licentia Cuſtodis domus; aliter autem non ingrediatur cujuſcunque ſit conditionis; Mulieres verò levis famæ & malæ opinionis, hoſpitia nullo modo ingrediantur.

De Comeſtione mulierum.

NUlli ergo fratrum liceat invitare mulieres, ut ſecum comedant in domibus ſuis propter cauſam jam dictam, præter perſonas prænotatas. Et hoc de magiſtri licentia ſpeciali fiat: proviſo tamen, quòd nulla mulier ultra horam debitam moram faciat cum eis, ſed congruo tempore recedant; qui autem aliter fecerit, tanquam convictus de incontinentia puniatur.

De diſcordia Fratrum.

FRatres ſibi invicem obediant, & reverentiam exhibeant: dicente Apoſtolo, *honorem invicem prævenientes*. Si quis verò inventus fuerit contentioſus, & ſeminans diſcordias inter Fratres; corripiatur ſemel & iterum, quòd ſi ſic ſe non emendaverit, per ſubtractationem liberationis ſuæ, uſque ad condignam ſatisfactionem caſtigetur.

De bonis habendis.

ET quia portio Fratrum non ſufficit eis ad omnia neceſſaria, liceat eis habere bona mobilia, & quæ honeſtè poſſunt acquirere, ad ſuppletionem defectus eorum & infirmitatis ſuæ mitigationem. Ita tamen quòd ipſis decedentibus vel diſcedentibus, non alienentur bona ſua, ſive ſint infra limites Hoſpitalis, ſive extra; ſed in uſus communes domus convertantur; & de conſilio & voluntate magiſtri, ordinentur & diſponantur.

De Teſtamentis.

NUllus Frater de cætero faciat Teſtamentum, niſi de licentia Magiſtri: quod ſi aliter fecerit, pro nullo habeatur.

De punitione culpæ.

IStos articulos ſuprà ſcriptos, præcipimus inviolabiliter obſervari: & ſi quis in aliquo contravenerit, & obſerv contempſerit; per ſubtractionem liberationis ſuæ caſtigetur, vel alia pœna quæ magis imetur, ei infligatur: ut pro qualitate & quantitate culpæ correſpondeat acerbitas pœnæ.

De Capitulis faciendis.

SI Fratres aliquando propter communem utilitatem, de ſtatu domus velint tractare, ingrediantur Eccleſiam, & excluſis ſæcularibus & fratribus non profeſſis, cùm ipſi communi Concilio intereſſe non debeant, provideant inter ſe quod bonum eſt ita, quòd nihil fiat ſine Magiſtri conſilio & voluntate. Privata vero Capitula, & adulterina, quæ magis dici poſſunt conſpirationes ſeu machinationes, totaliter interdicimus & annullamus.

De profeſſione fratrum ſancti Juliani.

EGo frater *N.* promitto & ſacramento corporali tactis ſacroſanctis Evangeliis præſtito, affirmo coram Deo & omnibus ſanctis in hac Eccleſia, quæ conſtructa eſt in honorem ſancti *Juliani* Confeſſoris; in præſentia domini *N.* Archidiaconi, quòd omnibus diebus vitæ meæ, præceptis domini Abbatis de ſancto *Albano*, qui pro tempore fuerit, & ejus Archidiacono obnixus ero & obediens: & in nullo, protervè contradicens; niſi fortè aliqua præcipiantur quæ divinæ diſpliceant voluntati. Nunquam furtum faciam, nec alicui fratrum falſum crimen imponam, nec manus violentas in aliquem fratrem mittam: Nec votum caſtitatis infringam. Nec de aliquibus rebus appropriandis, vel aliis teſtamentariè relinquendis, ſine diſpenſatione à fratribus conceſſa me intromittam. Omnem ſpeciem uſuræ tanquam monſtruoſam & Deo odibilem, ſtudebo pleniùs evitare. Nec ero in conſilio vel auxilio vel opere, per ſermonem aut voluntatem, per me vel per alium, quòd aliquis aliquando Cuſtos ſeu Magiſter præficiatur leproſis de ſancto *Juliano*, niſi quem dominus Abbas de ſancto *Albano* præficere voluerit. Cibis & potibus, & aliis rebus, mihi per magiſtrum porrectis & exhibitis, ſecundùm uſum & conſuetudinem domus, contentus ero ſine lite & murmuratione. Metas mihi conſtitutas non egrediar, abſque licentia ſpeciali ſuperiorum meorum: & eorum conſenſu & voluntate. Et ſi inventus fuero tranſgreſſor contra aliquem articulum ſuperiùs prænotatum, volo & concedo, quòd dominus Abbas, vel ab eo ſubſtitutus, poſſit me punire ſecundùm qualitatem & quantitatem delicti, prout ſibi viderit meliùs expedire: & etiam tanquam apoſtatam à Congregatione fratrum projicere, ſine aliqua ſpe reverſionis; excepta domini Abbatis gratia ſpeciali.

Quia in vita Gaufridi *Abbatis, ad* paginam 1009. *lin.* 34. *antecedat mentio de fundatione Cellæ* Monialium *de* Sopwelle*:* Statuta *igitur ſive* conſuetudines *ibi degentium* Monialium, *hic ex* Additamentis *Ms. dedimus. Et eas* Gallica *ſane ſive* Normannica *lingua ſcriptas: ut hinc licebit conjectare, vel mulierculas ejus temporis* Anglicanas, Galicanam *linguam, ut vulgarem ſuam, apprimè calluiſſe.*

Incipiunt quædam Conſuetudines Regulæ Monialium *beatæ* Mariæ Sopwell, *ab antiquo uſitatæ, & per dominum* Michaelem *Abbatem renovatæ & approbatæ: quas in antea ſtatuit diſtrictiùs obſervari.*

M*Ichael* par la ſoeffraunce de Dieu, Abbe de ſeint *Auban*; a noz cheres filles en Dieu, la Prioureſſe, & le Convent de *Sepwell* ſaluz; ove la grace *Jeſu Chriſt*, & noſtre benyſon. Purce que nous ávoms entenduz, par Inquiſition fait entre vous en noſtre viſitation, & apres, que aſcunes cuſtomes bones & honeſtes, avant ces heures vſez entre vous; ſont par negligens entreleſſez, & autres vſages, que ſount abuſions gardez & vſez, les queux ſount countre leſtat de veſtre Religion. Et pur ceo que a nous attient, par la reſon de la cure que nous avoms tiels defautes amender, vous comandoms enchargeauntz envertue de obedience, en la quele vous nous eſtez tenuz; que les cuſtomes & les amendements dabuſions avandites, deſore enavant gardez; ſicome eles ſount deſouz eſcriptes. Iſſint que vous puſſez avoir merit de Dieu, par veſtre obedience, & eſcheure grevouſe penaunce: ſi nous vous trovoms deſobeiſſauntes, a ceſtes noz ordynaunces; que Dieu defent.

¶. La cuſtome de la commemoration de ſeint *Auban*, ſoit garde; ſicome il ſoleit eſtre. Ceſt aſſavoir, que vous chaunterez de lui vn jour, en la ſymaigne: ceſt adire, le *Jeoſdy* ſi voide ſoit; ou autre jour que ſerra voide. Et ceo ne ſoit leſſe forſque en *Advent*, & *Quarreme*, & deins les *Octaves* des *principals feſtes*, & pur *feſte* de *treis leſſons*; que avera propre eſtorie. Ca. 1. De commemoratione ſancti Albani.

¶. Pur mals eſcheure & quiete, & charite, norir & tener nous comaundoms que en chapitle ne ſoient forſque treis voyz; ceſt aſſavoir de icelle que ſerra Preſident, & de la Supprioureſſe, ou de vne autre gardeine del ordre, & de icelle que ſerra challengee ou clame pur ſun treſpas. Et ſi nulle ſoit rebelle en Chapitle a la Prioureſſe ou autre gardeyne del ordre Preſident, ſoit celle rebelle par celle gardeyn del ordre, que eſt 2. De tribus vocibus in Capitulo.

procheyne apres cele gardyne del ordre Preſident. Et ſoit celle rebelle, a payn & ewe, ſaunz relees a la jornee: & meſme la penaunce eit ſelle gardeyn del ordre, que ſerra clamer vne tiele rebelle.

3. De ſilentio & ejus ſatisfactione.

¶. Pur ceo que vous eſtes tenuz, par la reule de ſeint *Beneyt*, a la ſilence tenir en leſgliſe: en lencloiſtre, en le Refeytour, & en le Dortour: vous comandoms que la ſilence ſoit tenue, en les lieus avauntditz: Et ſi nulle enfreigne la ſilence, prenge ſa veyne en chapitle, & preigne diſcipline regulere, reconiſſaunte ſa coulpe. Et ſi tiele que enfreyne ſilence ne voille de gree prendre ſa veyne, ſoit clame par gardeyne del ordre; & miſe a plus dure penaunce. Et ſi avygne que aſcune tenſe, ove autre deſordinement, ſoit celle miſe en ſilence par tice, & teigne la penaunce tres jours.

4. De ſonitu dormitorii, & occupatione ante prandium.

¶. Auxi avoms ordine, que checun jour matyn quant temps ſerra de lever, la Suprioureſſe ou autre gardeyne del ordre, ſonne le petit ſeyn, que pent pres del Queer; & nulle iſſe le dortour avaunt cel ſonyt, ſaunz eſpecial conge del gardeyne del ordre: & a cel ſonyt levent touz, & faites les treis oriſones uſueles; ſoient touz a la meſſe noſtre dame. Et apres cele meſſe, ſeſent touz en lencloiſtre, jeſqe au prime: entendauntes ſovlement a lour pſalter, oriſones, & autres devocions: ou a recorder le Dieu ſervice. Et quaunt temps ſerra ſoit prime ſone, & a prime, ſoignt touz *horſpris les malades & les* ſeynes, & prime chauntee; entrent touz en chapitle & facent ceo que apent. Et apres chapitle, ſoient occupez jeſqe a heure de manger, en bones occupacions; Iſſint que celles que ſont tenuz ſoient a la graunt meſſe, & a les heures de jour.

5. De cuſtodia & clauſura oſtiorum diverſorũ.

¶. Auxi avoms ordine, que le hus devers le Gardyn ne ſoit pas deſhore enavaunt overt, devaunt prime, & en eſte en temps de la myriene, ſoient les hus de le parlour & de le gardyn, & les feneſtres devers la cuſyne clos, & ne ſoient pas overtes taunque home ſoune a heure de nonne: que ſerra chaunte apres la meriene, & que les avauntditz hus de le parlour & de le gardyn, checun nuyt par my lan taunttouſt apres Cuverefu ſone, en Labbeye ſoient cloſes, ſil ne ſoit par reſonable encheſon, la quele nous voloms eſtre, a la conſideration de Confeſſour.

6. De modo præſentiarum, & de modo comedendi cum ſæcularibus.

¶. Et pur ceo que covenable choſe eſt Dames de Religion, en preſence de ſeculers ſe eient ordinement, en habite & en porture, nous voloms & ordinoms, que nulle de vous deſore enavant, veigne a Parlour a parler ove ſeculers, ſi ele neyt ſon cool, & ſon viſage covert de Cuverchief; & de veil ordine, come apent a voſtre religion: & nulle perſone ſoit ſuffert dentrer, forſqe honeſte; & ſi tiele perſone voille demorir a manger; mange en le Parlour, denſeyne par congie le Confeſſour; & ne mie en chambres ſaunz conge de nous eſpecial, ou de noſtre Priour; ſi nous ſoioms abſentz.

7. De operariis monialium.

¶. Des overours des queux vous avies meſter pur voz neceſſaries, ceſtaſſavoir Taillours & Pelleters, voloms que pur tiels overours, ſoit vne lieu ordine pres de lencloiſtre, ou tiels overours facent lours overaignes: & *que tiel overours, ne ſoient mes appellez en Chaumbres, ne en lieu prive; & ſoient les overours tiels, des quex ſuſpecion de* mal ne puſſe eſtre.

8. Quod ligatæ per Canones poſſint videre ſacramenta.

¶. Et pur ceo que nous avoms entenduz, que vne abuſion eſt entre vous, que ſi vne de vous ſoit miſe en ſilence pur ſa culpe; ele ne deveroit lire ne chaunter ne veer le ſacrament de la Meſſe, nous reprovoms celle abuſion, & comaundoms que quaunt nulle de vous ſerra en cel cas, qele liſe & chaunte ove les autres, & veie le ſacrament de la Meſſe ſicome eſt graunte a Chriſtiens a veer.

9. De infirmis & Infirmaria.

¶. Vne autre cuſtume ſoleit eſtre garde entre vous, que ſi nulle de vous feuſt malade, ele deuſt entrer en lenfermerie; & nemye en autre chaumbre. Et pur ceo voloms, que ceſte cuſtume ſoit tenue, & que la Prioureſſe ne puſſe congie doner, dautrement faire. De ceſte obſervaunce, voloms que la Prioureſſe & la ſupprioureſſe, ſoient *horſpriſes*.

10. De dormitorio & hoſpitibus.

¶. Auxi avoms ordine, que deſore enavaunt, la Prioureſſe ne doune congie a nulle de vous a demorer hors de le dortour, en chambres de nuyt, ove hoſtes que vendront, & que nulles hoſtes ſeculeres ne reguleres, ne giſont en le dortour, ove vous; mes ſoulement vous que eſtes del Convent, & checune ſoule en ſon lyt; ſicome apent a voſtre eſtat.

11. De Capellano beatæ virginis.

¶. Vne autre cuſtume ſoleit exre entre vous, que le Chapelleyn que vous appellez Chapelleyn noſtre Dame, devereit lever a matynes en xij. leſſons: & eider le Confeſſour, lire les quatre leſſons, del ezpoſition del Evangelie: & checune ſymaigne, vne ſoit chaunter la meſſe noſtre Dame a Note; a la quele meſſe, vous deuſſez touz eſtre, & meſme celui Chapelleyn ſoleit lyre le Evangel en checun principal feſte, a la graunde Meſſe: La quele cuſtume, voloms que deſore enavant ſoit tenue.

Edita & publicata ſunt hæc per dominum *Michaelem* Abbatem, apud domum de *Sopwelle*; viſitationis officium exercentem, die ſanctæ *Fidis* virginis: Anno Domini M. CCC. XXXVIII.

Pag.

Pag. 712. lin. 42. *De Avibus mirabilibus* anno 1251. in Anglia *viſis.*

PORtenta eadem poſt ſæcula redire, alia eademque eſt admiratio. Neſcio ſanè an *Aves mirabiles* illæ, quas *Matthæus* memorat, ejuſdem omninò ſpeciei erant, aut eorundem eventuum prænunciæ, cum illis quas nunc & ego ſum deſcripturus. Quàm autem ſimiles diſſimileſve erant, penes te, Lector, erit judicare. Quæ, interim ab amico noſtro ſingulari, viro illuſtri doctiſſimoque domino *Rogero Twyſden* Baronetto (cui & multa alia in hoc opere debeo) accepi; hîc referre non pigebit. De fide narrationis nihil interea dubitans, utpote quam vir ille nobilis ex libro Avi ſui Memoriali deſumptam; humaniſſimè ad me tranſmiſit. Narrationem autem Anglicanam, Latinè ſic verti.

Memorandum, quòd Anno Domini 1593. præter ſolitum pomifero exiſtente, ingens avium ignotarum multitudo, huc in *Angliam* convolaverit. Et licèt ea anni tempeſtate tùm primum apparuerint, cùm poma jam ſatis autumnali ſole cocta, adhuc matura in arboribus dependerent, à fructus tamen ipſius medulla omninò abſtinentes grana tantummodo depaſcebantur. Roſtra habebant in eam rem, adeò concinnè à natura coaptata, & parte ſive medietate una, ita ſuper aliam retorta; ut cum mirabili dexteritate pomum excavantes & deterebrantes; granella ipſa (quæ ſolummodò ambiebant) celerrimè extrahentes, medullam protinus recuſabant. Hoc unicum in iis ſingulare, quòd cùm in maribus noſtri pars ſuperior longior aliquantulùm latiorque erat, cuſpideque ſua deorſum parum recurva; totam medietatem inferiorem contegens in ſe recipiebat. In fœmellis verò, contrario erat modo: pars enim roſtelli earum inferior latiorque cuſpide reſupinans; ſuperiorem breviorem que medietatem totam, intra ſuam cavitatem reſidere permittebat. *A Bulfinch* Mole corporis, Carduelem aut Rubicillam * aviculam, ut plurimùm æquabant. Fœmellæ earum, fœmellas Rubicillas, colore ferè referebant. Mares autem pennis formoſiſſimis ſpecioſiſſimiſque variegatos vidiſſes; utpote pectora, dorſa, capitaque, aut ſuaviter flavos aut eleganter rubicundos: nemo tunc mortalium, aves taliuſmodi aut viderat antea, vel ab atavis ſuis relatu audierat quicquam. Quod autem in iis maximè admirandum, adeò cicures, manſuetæ, tantæ que innocentiæ apparebant, quaſi ex eremo aliqua hominibus prorſus inhabitata derepentè huc advolaſſent. In primo enim appulſu, & nondum adhuc perterrefactæ; ſe facilimè patiebantur, aut fundis, aut arcubaliſtis impeti: diffugere omninò neſcientes, antequam vel ſaxis, vel pomis, vel plumbeis globulis ab arboribus disjectæ, in terram demortuæ decidebant. Caro earum guſtui ſatis ſapida erat, eſuique delicata. Denique, ac ſi horumce granorum cauſâ duntaxat, huc devenerant; pomis ubique jam collectis aut depaſtis; de ſubito (ſed quò neſcitur) evanuerunt.

Si quicquam autem aviculæ portendebant, eſt prorſus ignoratum: non bellum enim, non lues, non peſtis ſubſequens, in homines beſtiaſve graſſabatur. Duntaxat obſervatum fuit, quòd annis, 1595, 1596, & 1597. tanta annonæ caritas ſubſequeretur; ut in agro *Cantiano* (quo vix in Anglia aut gleba feracior, aut ubi frumentum vendatur vilius) modius tritici, ad octo; hordei, ad quinque; avenarumque ad tres, aſcenderet ſolidos Eſterlingos.

Geſner. de Avibus l. 3. p. 532. Aldrovand. Ornithologiæ lib. 12. p. 422. Vide & p. 426. c. 47.

Hucuſque Narratio: ad quam, hoc ſolummodò notandum venit: ſcilicet, quòd poſt Aves illas *Matthæi Pariſienſis*, nulla annonæ aut frumenti cariſtia, niſi poſt annos ſex, (ſcilicet 1257.) ſubſequeretur. Vide (ſi placet) Pag. 822. lin. 48.

Prædictionem hanc, ex *Wendovero* deſumptam; referto ad *Hiſtoriæ* Pag. 297. lin. 7.

EOdem Anno Aſtronomici *Tholetani*, omnibus Chriſti fidelibus in hæc verba literas direxerunt. Omnibus Chriſti fidelibus ad quos literæ iſtæ pervenerint, Magiſter *Johannes David Tholetanus*, & omnes ejuſdem loci Magiſtri; ſalutem, & *Spiritus Sancti* ſolamen. Anno Domini M.CC.XXIX. uſque ad ſeptem Annos Menſe Septembri, ſole exiſtente in *Libra*; convenient omnes Planetæ ſimul, & *Sol* erit in *Cauda Draconis*; & fiet ſignificatio rerum mirabilium & horrendarum: & fiet diluvium ventorum *Saturnum* & *Martem*; creſcetque mare ultra ſolitum: & erit ventorum tanta conflictio, quòd ſtabunt ferè ſimul, & obſcurabunt, & denigrabunt totum orbem: & dabunt ſonos horribiles, corda hominum diſſipantes, & ſubvertentes ædificia, & arbores, & plures valles montibus æquabuntur. Et Civitates multas præcipitabunt, maximè *Babyloniam*, *Haldas*, *Methan*, *Tripolin*: & præcipuè Civitates ſitas in locis arenoſis & ſabuloſis. Sed ante hæc omnia, erit Eclipſis *Solis*, & erit *Sol* à terra uſque ad meridiem ignei coloris & rubicundi; quod ſignificat maximam ſanguinis Effuſionem. Et poſt. ſequetur Eclypſis *Lunæ*, in coloribus permixtis: & ſignificat maximam confuſionem gentium. Et poſt hæc, erunt prælia multa & Occiſiones in Oriente & Occidente, & erunt terræmotus univerſales; id eſt, per totum orbem, ſubvertens plurima loca. Et erit cariſtia magna, & fames ferè per totum orbem; & mortalitas, & contradictio Gentium & Regnorum advicem: ita quòd maximus

Imperator

imperator morietur, & poſt illorum diluvium ventorum pauci remanebunt viventes; ſed quotquot remanebunt, deliciis divitiiſque affluent. Orietur dubietas inter *Saracenos*, & relinquent *Mahumerias* ſuas, & fient unum cum *Chriſtianis*. Ideóque nos cum omnibus magiſtratibus atque conſodalibus noſtris peritiſque Aſtrologis *Tholetanis*, hoc comperientes, vobis duximus revelandum: Injungentes in remiſſionem peccatorum & redemptionem animarum veſtrarum, quatenus hoc reveletis ignorantibus, provideatiſque vobis ubi habitetis, dum venti durabunt. Flabunt enim in menſe *Septembri*, & tunc ſuper terra vix invenietur manſio ſecura. Præparetis ergò cavernas in planitie circumdata montibus, non arenoſis, non ſabuloſis: ſintque opertæ trabibus, & terram deſuper ponite, nec ſint arbores ſitæ quibus orificium cavernæ poſſit operiri. Et præparetis ibi vobis cibaria quadraginta dierum. Et ſciatis quòd nobiſcum concordant & conveniunt omnes Philoſophi, Aſtronomi *Hiſpaniæ*, *Græciæ*, *Arabiæ*, *Armeniæ*, & *Hebræi*. Audivimus enim quòd *Manichinus* Rex conſtituit turrim excellentis ædificii: coadjuvantque eum omnes vicini ſui, & erit turris ad inſtar maximi montis. Hoc autem dicimus de rege *Siculo*, quæ nobis pericula videntur. Nihil ergo in preſenti reſtare videtur populo *Chriſtiano*, niſi ut ſinguli & univerſi ita præparare ſtudeant conſcientias ſuas per pœnitentiam fructuoſam, per humilem & puram confeſſionem, per ſatisfactionem condignam; ne venienti ſponſo vacuis occurrentes lampadibus cum fatuis virginibus oleum non habentibus, januam (quod abſit) inveniant clauſam: ſed cum prudentibus potiùs virginibus lampadibus ornatis, cum ſponſo paratæ introire ad nuptias mereantur. Credimus enim fiducialiter, quòd infra hoc ſequens ſeptenium, aliqua viſuri ſumus. Quibus ſive in veritate, ſive per ſimilitudinem hiis literis *Aſtronomicorum* non immeritò poterimus adaptare. Sed hoc infra.

Prædictionem & hanc ex Wendovero *deſumptam; referto ad Hiſtoriæ* paginam 302. lin. 3.

NOtandum verò eſt in hac *Terræ promiſſionis* & *Jeruſalem* ſanctæ Civitatis reſtitutione populo *Chriſtiano*, quòd ſicut ante hoc generale gaudium & totius *Chriſtianitatis* tripudium, Aſtronomi *Tholotani* ſcripſerunt de Planetarum concurſu, & ventorum tam horrendum diluvium; ita quòd ſtarent ſimul cum terræ motu & Eclypſi tam Solis quam Lunæ, velut paulò ſuperiùs in geſtis hujus anni ſcriptum eſt. Eodem modo ante ejuſdem *Terræ ſanctæ*, & crucis Dominicæ captionem à *Saladino*, viro perfido & cruento; & alii qui tunc fuerunt Aſtronomi ejuſdem civitatis, ſcripſerunt domino Papæ *Clementi*, ſub hac forma, Ab anno præſentis incarnationis Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, qui eſt M. CLXX. IX. uſque in vii. annos, menſe Septembri, ſole exiſtente in Libra, & Cauda Draconis; erit ſi Deus pati voluerit, conventio Planetarum in Libra & Cauda Draconis, ſed eſt admirabilis, non mutabilium rerum mutationis ſignificantia. Sequetur terræ motus terribilis, & deſtruentur loca conſueta perditionis; per *Saturnum* & *Martem*: manentes in ſignis atris & mortalitas & infirmitas. Oſtendet etiam ea conjunctio, ventum validum, denigrantem aerem & obſcurum reddentem, veneno infectum; & in vento ſonus erit terribilis deſtruens corda hominum: & à regionibus arenoſis, ſabulonem accipiet: & arenis civitates proximas in planitie ſitas cooperiet; & primò civitates *Orientis Metham*, *Babylonem*, & omnes civitates, proximas locis arenoſis: nulla quidem evadet, quæ arenis & terra non operiatur. Signa autem hujus rei hæc præcedent. Erit in eodem anno antequam planetæ conveniant in Libra, eclypſis Solis; qua totum corpus ejus obſcurabitur: & in oppreſſione præcedenti, Luna tota eclypſim patietur. Et erit eclypſis Solis ignei coloris & deformis; oſtendens majorum bellum futurum, cum effuſione ſanguinis prope fluvium in terra *Orientis*, & ſimiliter in terra *Occidentis*. Et cadet dubietas & ignorantia inter *Judeos* & *Saracenos*, donec relinquant penitus ſynagogas & mahumerias ſuas; & eorum ſecta juſſu Dei penitus deſtruetur, & adnihilabitur: unde vobis notum ſit, ut quando eclypſim videritis, de terra exeatis cum omnibus veſtris. Erat autem in diebus illis, multa malitia hominum ſuper terram; ita quòd corruperat ferè omnis caro coram Domino viam ſuam. Jam enim eo uſque flagitiorum conſuetudo proruperat in populo, ut omnes abjecto erubeſcentiæ velo, palam & paſſim ad turpia declinarent. Cædes, rapinas, adulteria, immunditias, mendacia, proditiones, diſſolutiones ad turpia, longum eſt enumerare: præcipuè nobis qui res geſtas deſcribere deſtinamus. Veruntamen cum hoſtis ille antiquus, corruptionis ſpiritum longè lateque diſſeminaſſet in orbe; ſpecialiùs tamen *Syriam* occupavit, & unde cæteræ regiones ſuſceperant religionis exordium, inde tunc totius immunditiæ ſumebant exemplum. Hinc igitur Dominus & Salvator mundi, terram nativitatis, paſſionis, & reſurrectionis ſuæ, in turpitudinis abyſſum corruiſſe conſpiciens; hæreditatem ſuam ſprevit, & virgam furoris ſui (videlicet *Saladinum*) in obſtinatæ gentis permiſit exterminium debacchari. Maluit enim *Terram ſanctam* per aliquantulum temporis ſpacium, prophanis gentium ritibus ancillari, quam illos diutiùs florere, quos ab illicitis nullius honeſtatis compeſcebat reſpectus. Hanc autem futuræ demolitionis inſtantiam, caſus prænoſticabant diverſi. Fames ſcilicet valida, *terræ*

motus frequens, tam Lunæ etiam quàm ſolaris defectus ; ſed & ventus ille validus, quem de planetarum concurſu cum mortalitate & aeris intemperie Aſtronomi *Tholetani* ex ſtellarum inſpectione pronunciaverant futurum, in hujus rei ſignificationem proculdubiò commutatus migravit. Verè enim ventus erat validus, qui quatuor mundi cardines concuſſit, ac orbem univerſum ex gentibus excitandum, in ſeditiones & prælia ac *Terræ ſanctæ* exitium, præmonſtravit. Manſit autem ſub poteſtate inimicorum *Chriſti*, Civitas ſancta *Jeruſalem*, & *Terra promiſſionis* tota, cum vivifica cruce Dominica, per annos quadraginta duos, uſque in annum præſentem : qui eſt ab incarnatione Domini M.CC.XXIX. quando venit tempus miſerendi Domini, ut reſpiceret in orationes humilium, & reædificaret *Syon*; ut videretur in gloria ſua, in loco videlicet ſanctæ nativitatis, paſſionis & reſurrectionis ſuæ, & audiret gemitus compeditorum, & abſolveret filios peremptorum. Verè & abſque omni ambiguitate, audivit Dominus gemitus compeditorum, in hac reſtitutione *Terræ ſanctæ*, quæ iſtis diebus facta eſt, per diligentiam Imperatoris *Fretherici*, cooperante clementia divina ; dum per pactum inter ipſum habitum, & *Babyloniæ Soldanum*, omnes captivi qui erant in *Paganiſmo* compediti, & ad viliſſima quælibet ſervitutis genera addicti, modò à jugo ſervitutis liberati, venerunt in ſanctam Civitatem *Jeruſalem*, & apparuerunt multis. Et factis orationibus in locis venerabilibus ſanctæ Civitatis, reverſi ſunt per diverſas orbis partes in regiones ſuas : laudantes & benedicentes Deum in omnibus, qui audierant & viderant quæ fecit Dominus mirabiliter, & oſtendit eis.

FINIS.

GLOSSARIUM:

SIVE

INTERPRETATIO BREVIS

Vocum Semibarbararum, quæ Lectorem in medii Ævi Scriptoribus minùs exercitatum poterant inter legendum remorari.

Ubi prior Numerus deſignat Paginam, ſecundus Lineam.

A

A*Bbatizare*, p. 820. *l.* 29] Privilegium impetraverat perpetuò abbatizandi. Perpetuò Abbatem agendi, ut nunquam aut pro quovis delicto Abbatiæ præſulatu exueretur.

Acra 9.33 & 1042.24] Jugerum terræ, quod Angli dicimus **an acre**. Hanc vocem ſæpiſſimè expunxit prior Evulgator, & pro ea Jugerum ferè ubique ſubſtituit.

Admirabilis mundi, & Admirallius mundi, Hiſt. 726.30. & *Amiralius* 58.6. & *Admiralius, Murmelius, ſive Murmelinus* 204.34 & 206.27] Ita, ſed ſatis corruptè, Regem Maroccæ indigitàrunt noſtrates. Sed corruptiùs adhuc Rogerus Hovedenus, Almiramiſi ſive Amilramimoli [a]. Cum Arabibus ſcribe tu Emir-mumini, i.e. Dominus ſive Princeps rectæ religionis. Græci recentiores ſcribunt ἀμιρμουμνῆς [b]. Male interim hic noſter Admirallium Murmelin, Admirallium bellicoſum eſt interpretatus [c]. Adjicio Othon. 3. Rufum Imperatorem cognominatum fuiſſe Mirabilis Mundi [d].

Admiralius 863.50] Sanè ab eodem fonte Arabico cum priore emanavit & vox iſta. Dominus enim ſive Emir fuit apud ſuos Admiralius iſte Joppenſis; ſive (ut author ipſe interpretatus eſt) Conſul, i.e. Comes. Forte & Præfectus maris ſive Admiralius, qui apud Græcos recentiores ἀμηράλιος & ἀμηράλης apud Codinum dicitur. Ὁ ἀμηράλιος ὑπὸ τὸν μέγαν δοῦκαν εὑρίσκεται, ἡγεῖται δὲ τοῦ στόλου παντός. Admiralius magno duci ſubditur, regitque totam claſſem [e]. Junius deducit ab Arabico Amira, & Græco ἅλιος Marinus. Quod etymon non video quare Gretſero non placuit, cùm certum ſit, hanc non eſſe vocem ſolitariam, quæ compoſitionem ſuam à diverſarum linguarum originibus (tanquam hybris quæpiam) deducere ſit coacta. Pluribus annotandis hìc ſuperſedeo, quia doctiſſimus eques Spelmannus me antevertit, quem omnino conſule, cum doctiſſimo Johanne Meurſio [f].

Admiraldus 245 23] Caſell[illegible]e equo ſtravit, & Admiraldum unum. Ubi Admira[illegible] capio pro Centurione ſive Capitaneo. Vox ejuſdem originis cum prioribus, ut & iſtæ duæ ſequentes.

Admiravuſus 42 49 & 43.2] Admiravisi ſtandardum eminus conſiderans. Iſte ſine dubio erat Elaſdalius ille Armenius, quem Principem Militiæ hic noſter paulo ante vocaverat [g]. Id quod querela jam victi ducis ſive exercitûs Ægyptiaci generalis, in his verbis mihi videtur indicare, "Adduxi huc militum ducenta millia [h].

Admiratus 561.26] Poteſtas januæ quem Admiratum vocant. Ille Poteſtas, Podeſta, ſive Prætor Urbanus, nunc dierum Admirallii etiam ſive Thalaſſiarchæ munere fungebatur.

Alquieto 824.52] Quædam debita mercatoribus adquietabant, i.e. relaxabant, condonabant. Anglice dicimus **acquit**. Vox vix interpretatione digna.

Advocare 1078.60] Et quod frater ſuus bene advocaret quod fecit. Rationibus defenderet factum. Anglice nos dicimus **abow**, ſicut & Galli Adveu vel Advouer.

Aeria accipitrum] Ita nos Angli nidum accipitrum cum pullis dicimus, **An aery of hawks**. Videatur equitis Spelmanni Gloſſarium in Aerea.

Afforeſtare 217. 52 & 1081. 39] Alibíque ſæpiſſimè. Si boſcum afforeſtaverit. Afforeſtare eſt ex terris clauſis foreſtæ contiguis, metas & ſepimenta evellere & disjicere, ita ut foreſtæ de cætero adjaceant, nec ab ea diſtingui poſſint. Vel etiam quando terras ſuas ſive Rex ſive quiſpiam alius in foreſtam convertit, volens quòd legibus foreſtæ gaudeant. Deafforeſtare eſt contrario modo facere, terras ſcilicet de foreſtæ jure demere, & in paſcua ſive alios privatos uſus convertere clauderéque.

Agiſtare 218.48 & 1082.23] Inquiratur qui foreſtarii ceperint finem pro diverſis animalibus agiſtandis. Et *l.*47 Inquiratur de equis, equitiis, & aliis averiis agiſtatis. Hinc & Agiſtatores 218.48,49 qui animalia compaſcua diverſa agiſtant; i.e qui pro condicto pretio ab iſto ad illum anni diem (juxta quod inter partes paciſcitur) animalia varia variorum recipiunt permittúntque, intra ſuas foreſtas paſcua communia ſumere, ſimúlque promiſcuè in ea jacere. Adjouſter à Giſt dicunt Galli; nos **joyſt**. Sed videatur eques Spelmannus in ea voce. Vox etiam in alia occurrit ſignificatione, in Actis forenſibus Ed. 1. Regis Anglorum, ubi mentio occurrit terrarum ad cuſtodiam maris agiſtatarum; i.e. (ut eruditiſſimus interpretatur Seldenus) penſione ſeu tributo onuſtarum [i].

Aiſimenta 825.29] Cum omnibus pertinentiis ſuis, aiſimentis, & libertatibus. Commoditates, beneficia, ſive convenientias intelligis, quas in proximi fundo, area, aut horto, accola habet, aut de jure, aut ex benevolorum permiſſione. **Eaſments** nos Angli dicimus; & ita feneſtras vocamus domûs noſtræ, quæ in proximi fundum proſpiciunt. A Gallico Aiſe. Conſulatur eques Spelmannus.

Alba 1003.20] Alibique ſæpius. Veſtis linea ſacerdotalis antiquiſſima & notiſſima, ſuperpelliceo ſimilis, niſi quòd ſit longior & talaris, imò & corpore brachiiſque ſtrictior. Forma tunicam refert veterum, de qua (uti de habitibus Eccleſiæ aliis) juſtum aliquando ſcripſi tractatum, adhuc tamen ineditum. Liceat mihi hoc unum obiter annotare, uſum ſcilicet hujus Albæ in Eccleſia Anglicana, in deſuetudinem potius ſponte ſuâ (ſed quomodo neſcio) abiiſſe, quam authoritate aliquâ ſacerdotibus noſtris aut vetitum eſſe aut negatum. Cùm enim in Rubrica trium illarum media, quæ principio Liturgiæ Anglicanæ præfiguntur, ſtatutum reperiatur, quod "Miniſter tempore adminiſtrationis ſacræ cœnæ, & in "omnibus miniſtrationis ſuæ temporibus aliis, talibus in "Eccleſia utetur ornamentis, quæ authoritate Parlia-"mentariâ in uſu erant in ſecundo regni an. Regis Ed. 6.

[a] *Hovedeni pars poſterior in Rich.* 1. *p.* 381. *l.* 26.

[b] *Vide Leunclavii Onomaſticon ad Hiſt. Muſulman.*

[c] Pag. 149.47.

[d] *Vide Siffridum Presbyterum Epitomes, l.* 1. *p.* 689. *inter Rerum Germanicarum Scriptores, ex Piſtorii Bibliotheca.*

[e] *Codinus de Officiis, c.* 5. *n.* 64. *p.* 37.

[f] *Vide Spelmanni Gloſſar. in Admiralis, & Meurſium in* ἀμηράλιος

[g] *Vide* 42.11.

[h] *Ib.* 57.

[i] *Mich.* 25: *E.* 1. *coram Rege, rot.* 72. *penes Camerarios Scaccarii. Citavit Seldenus noſtras Mari clauſo, p.* 191. *quod ego Anglicè ante triennium verti.*

Sanè in Liturgia illa Edwardi ipſiſſima (in priore duarum ſcilicet, quæ ſub annum regni ſui ſecundum, Dominique 1549 in lucem prodiit) in hæc verba ſtatutum reperitur; "In die & tempore ſacræ celebrandæ cœnæ conſtitutis, ſacerdos, qui ſacræ tunc fungetur miniſtratione, ei ipſi ſe induet veſte, quæ eidem met miniſtrationi eſt aſſignata, cum Alba ſcilicet, & veſtimento ſive Capa Chorali. Miniſtri etiam coadjutores Albis ſimiliter veſtientur.

Alcato 135.25] Alcatonem ſatis levem nulli ſpiculo penetrabilem. Thoracem intelligo, & vocem eſſe Saracenicam conjicio, niſi ſit Chauceri Haketon.

Alteriagium 1061.2] In obventionibus Alteriagiorum. Potiùs ſcribendum Altaragium. Quid ſit Altaragium vox Obventionum ſatis videtur explicare. Oblationes enim ſive nummorum ſive panum, tali vel tali altari, vel ex devotione vel ex conſuetudine, aut à parochianis aut ab extraneis facta, Altaragii nomine cenſebantur. Vide Conſtitutiones Othonis Auditu, verbo Proventus in Gloſſa.

Ambaſſatio 501.11] Cum ambaſſationibus civitatum rebellium; ſcilicet cum legationibus. Diu enim eſt, quòd Europæis noſtris hæ voces Ambaſciator, Ambaſcia, cum cæteris ejuſdem derivationis, ſint in hoc ſenſu uſurpatæ. "Quicunque aſinum alienum (dicit lex Burgundiorum [k]) extra Domini voluntatem præſumpſerit, aut per unam diem aut duos in ambaſcia ſua. Ubi Ambaſcia interpretanda eſt pro Itinere in legatione obeunda. Ambaſciatorum civitatum meminit & Petrus de Vineis, epiſt. 82. l. 3. p. 518 & epiſt. 8. l. 1. p. 110. Deducit doctiſſimus Lindenbrogius à Germanica ſua voce Ambacht ſive Ambachten, quod Operari ſonat. Paulus Merula hinc Belgicam vocem **Ambachtſman** deducit, homo mercenarius, qui quotidie locat operas ſuas, ut inde rem quærat. Sed indignum mehercle eſſet, legatorum tam honorificam negotiationem ab origine tam mercenaria petiiſſe. In ſchola Grammaticorum poſt Scaligerum vir primæ claſſis Claudius Salmaſius [l], ab Ambactus tali deflexione deducit, quali ab Actus venit Axioſus. Poterat & ab Ambaxioqui deduxiſſe, qui apud Feſtum occurrunt; quos interpretatur Circumeuntes catervatim. Sed videatur eques Spelmannus, ſimul cum Bonaventuræ Vulcanii notis in Gloſſarium Latino Græcum, p. 10. l. 48. Vox etiam invenitur apud Theodericum à Niem de Schiſmate, l. 1. c 6. p. 8.

[k] *Leges Burgund. Additamento 1. tit. 17. p. 905. apud Lindenbrogium.*

[l] *Salmaſius ad Hiſt. Auguſt. p. 486.*

Amerciare, amerciamentum, &c.] Ubique ferè occurrunt, pro pœna pecuniari mediocri, alicui pro delicto leviori à judice cum favore impoſitâ. Quomodo à Fine differat videatur eques Spelmannus.

Anelacius] Sæpiùs occurrit hæc vox, neque ſemper (ut opinor) in eadem ſignificatione: ut 337.39 genus cultelli, quod vulgariter Anelacius dicitur; vide infra Cultellus. Aliquando tamen, ut 341.62 & 342.19 Anelacius tanquam pugio, vel ſica brevior, à lumbali dependebat. Petrus etiam de Rivallis dicitur Anelacium geſtaſſe ad lumbare, quod clericum non decebat. Alicubi etiam inter arma militaria numeratur; Geſtabant (710.62) gladios, bipennes, geſa, ſicas, & anelacios. Alibi etiam (ut 749.13) per ſicam interpretatur, Extrahens ſicam, quam bajulavit ſcilicet anelacium, ipſum concitò eviſceravit. Vox Chaucero noſtro familiaris. Sica eſt Hybernica, quam **ſkein** vocant; qui cum illa ædificant, pugnant, & cibos ſecant. Noſtri fortè dicunt **a woodknife.**

Angaria 178.14 & 415.4 & 706.49] Unde & Angariatus 130.7. Vox origine peregrina & Perſica, ſed quæ per multa ſecula inter Græcos Latinóſque eſt hoſpitata: eam etenim uſurpavit Evangeliſta Matthæus, Καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν· & retinuit vetus interpres, Si quis te angariaverit mille paſſus, i.e. Ire ſecum compulerit, **Compell thee to go a mile with him**, ut reddit verſio Anglicana. Angario eſt Cogo apud Gloſſam. Aliter verò, & non ſemper in eodem ſenſu, voce Angariæ utitur hic noſter, 178.14. Caſtellani tranſmarini, ſed ditionis Anglicanæ, timentes ſibi ne caſtra ſua à Gallo brevi occuparentur. Regi Angliæ denuntiârunt, ſub qua Angaria erant conſtituti, ſcilicet ſub quibus anguſtiis, neceſſitatibus, & periculis bellicis. Ita & 130.7 Chriſtiani verò ex utroque latere angariati à Paganis, ſcilicet compreſſi & anguſtati ab hoſtibus invadentibus; 706.49 cum injuriis & oppreſſionibus conjungitur, Legentibus innoteſcat, quot angariis & injuriis nos miſeros Anglos exagitat Curia Romana. Servitutis angariam habet & Petrus Bleſenſis, epiſt. 101. p. 276. Denique, 415.4 pro exactione pecuniaria vox uſurpatur; Tandem verò poſt angarias, tertiam partem totius pecuniæ Judæi perſolverunt. Angariari exactionibus, dixit Petrus Bleſenſis, epiſt. 121. Et in ſenſu hujus acceptionis ſolius exempla attulit doctiſſimus eques Spelmannus, quem vide. Obiter ex Beza, Eraſmo, & Budæo, hoc unum moneo; Angarias apud Perſas eſſe, quas nos Poſtas dicimus, (poſts or ſtages) diverſoria ſcilicet ſive ſtabula in via publica, ubi pro regiis negotiis expediendis, publici ponuntur aluntúrque equi curſores ſive veredi. Vide tu Budæum & Stephanum Theſaurographum in ἀγγαρεύω. Sane & in Gloſſis Iſidori occurrit Angaria, Avianus qui agrum locat ut angariam accipiat [m]. Ubi tu pro Avianus ſcribe Angariarius; quæ vox in legibus invenitur Neapolitanis [n], ſive Conſtitutionibus Siculis pro Villico vel Villano. In legibus Wiſigothorum Angaria ponitur pro Itinere vel Opere; titulus enim legis eſt, De animalibus in angariam præſtitis. In Formulis Solennibus occurrit Carrarum Angaria [o], quæ Carropera alibi [p] interpretatur; munus ſcilicet perſonale, vel opus quod à Carro ſive plauſtro exigitur. Vide plura apud doctiſſimum Lindenbrogium; ſicubi Gloſſarii ejus copia tibi ſuppetat.

Mat. 5. 40. & 27. 32.

[m] *Gloſſæ Iſidori apud Bonaventuram Vulcanium, pag. 667.*

[n] *Conſtitutiones Siculæ, lib. 2. tit. 32. p. 778. & lib. 3. tit. 39. p. 815.*

[o] *Formulæ Solennes à Lindenbrogio editæ, Form. 5. p. 1216.*

[p] *Form. 61. p. 1246.*

Antemurale 39.10 & 488.23] Civibus invitis, antemuralibus confractis, coegerunt defenſores intra muros interiores ſe recipere. Satis apertè ibi antemuralia pro exterioribus muris urbis munitæ ponuntur. Et 526.60 Præcepit urbem renovatis muris & antemuralibus communiri. Alibi etiam, ut 260.6 Damiata dicitur clavis & antemurale totius Ægypti. i.e. ἀκρόπολις & Fortalitium. Obiter moneo, & in eorum gratiam qui Eccleſiæ antiquitatibus eruendis dant operam; In Eccleſia Cathedrali antemurale ſumi pro eis muris ſive murorum alis, quæ à maceria altaris incipientes, versùs occidentem procurrunt ferè ad ſtalla Canonicorum, & uſque ad inferiorem altaris gradum; ſcilicet portas illas laterales, per quas ab auſtro & ab aquilone patet ingreſſus in eam partem Presbyterii ſive Chori. Ita me docet Paris Craſſus; Epiſcopo in veſtibulo altaris, i.e. antemurale exiſtenti, & nondum Presbyterium ingreſſo, neque genu flexo [q].

[q] *Paris Craſſus in Ceremoniale Cardinal. l. 2. c. 22. p. 63.*

Apoſtilli 594.44] Si quis ad Papam duxerit appellandum, cauſam appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet, petat Apoſtillos, quos ei præcipimus exhiberi. Apoſtillus ibi diminutiva forma venit ab Apoſtoli; quæ vox literas ſignificat dimiſſorias; Liv. Apoſtolos fregit in Senatu. Titulus juris eſt, De dimiſſoriis, qui dicuntur Apoſtoli ab ἀποστέλλω Remitto. Epiſtolas has dimiſſorias ab Epiſcopo impetratas, Græci vocant ἀπολυτικάς, ἀπὸ τοῦ ἀπολύειν Dimittere. De his vide Franciſcum Bernardinum Ferrarium, & Girardum Rodolphum Gravienſem [r]. Vide & Alciatum de rerum & verborum ſignificatione; etiam & Hottomannum & Briſſonium in Lexicis. Ivo Carnotenſis hos Apoſtolos ſive Apoſtillos, vocat literas Apoſtolicas [s].

[r] *Ferrar. de Eccl. epiſtol. l. 1. c. 8. p. 51. [illegible] Gravienſ. lib. de Literis Canon.*

[s] *Ivo Carnotenſ. epiſt. 168.*

Apperſonare 1016.35] Poſtulantes ut Epiſcopus Clerico præſentato (à patrono) Eccleſiam concederet, & eum apperſonaret; i.e. ut Clericum Epiſcopus inſtitueret, & in Eccleſiam perſonaliter induci mandaret, & Perſonam ſive Rectorem Eccleſiæ faceret. Invenitur & Deperſonare. Vide plura ſupra in Perſona.

Appodiare 863.57] Edwardum ad feneſtram appodiantem, & aſpectum extra dirigentem. Scilicet euntem in podium ſive pergulam, ultra feneſtram parum infra ſuggrundia domûs in parietibus prominentem. Podium enim idem quod Pergula; ſanè & Appodiamentum eſt Reclinatorium apud Cantipratanum, libro de Apibus, à Gallico Appuyer Reclinare.

Aporiare 714.25] Ad Judæos aporiandos deſtinabantur; & 489.34 aporiatam Angliam, i.e. depauperatam. Sæpiſſimè occurrit. Vocem bis habet Bibliorum vetus interpres, Iſaiæ 59.16 & 2 Cor. 4.8. Non eſt ergo vox novitia. Plura & pulchriora habet eques Spelmannus, quem vide.

Aſcriptitii 1127.36] Qui aſcriptitiorum & aliorum ſervilis conditionis teſtamenta impediunt. Genus agricolarum ſic dicti, quod per Scripturam ſe terræ vel agricolationi aſtringebant, promittentes ibi ſtare, colere, & non diſcedere. Vernæ, villani, totaliter ſub manerii domini jure, (quouſque manumitterentur) ut eos etiam vendere poterat. Conſtitutionis Siculæ titulus eſt, De non vaſallis ordinandis; corpus autem legis omnino de aſcriptitiis loquitur [t]. Adſcriptitiæ etiam conditiones erant ſerviles, à quibus Epiſcopi & Sacerdotes eſſe immunes, voluerunt Carolus & Lodovicus Imperatores [u]. Erant etiam & aſcriptitii cives, qui nuperrimè jure civitatis ſunt donati.

[t] *Conſtitut. Siculæ, l. 3. tit. 2. p. 788*

[u] *Vide capitula Caroli & Ludovici, l. 6. tit. 116.*

Aſſartum 218.32] Purpreſturis vaſtis & aſſartis factis in illis boſcis. Vox ſæpiſſimè occurrens in foreſtæ noſtræ legibus. Eſt ager jam cultus ſatúſque, qui olim boſcus &

ſylva

ſylva fuit; ſcilicet arboribus arbuſtiſque nunc ſucciſis radicitúſque extirpatis. Inde 1081.27 inquiritur, Quantum valeat inbladatio (i.e. meſſis) ſingulorum aſſartatorum. Sæpiſſime etiam ſcribitur Eſſartum, & eſt vox Gallica ab Eſſarter, arbores ſuccidere, ut ſylva interlucet; ut ante me eruditiſſimus eques obſervavit, quem omnino conſule.

Aſſiſini 70.3,17] Saracenorum ſecta, ſive hæreſis nefanda, qui ſe ſolenni voto aſtrinxerunt, viros principes Mahumedanæ impietati ſuæ maximè inimicantes, jugulare & perimere. Mores eorum ſatis eleganter deſcribit hic noſter 70.3 & deinceps, quem omnino vide. Mentio de iis occurrit 138.25 & 145.26 & 821.26 & 863.52 & 401.41. Nefandos iſtos per Cultelliferos author eſt interpretatus 821.26 à ſica ſcilicet à duce eorum eis data, quando aliquem erant occiſuri. Cultello ſicarius ille aſſaſſinus Edwardum noſtratem trucidare conabatur 863.58. Hoc unum pro ſeipſis allegant; "Et ſciatis "pro certo quòd nos nullum hominem pro mercede ali"qua vel pro pecunia occidimus, niſi malum nobis priùs "fecerit. Ut in literis ſuis ad Imperatorem pro Rege Richardo profitentur. Alicubi apud authorem vocantur Arſacidæ 145.26, etiam & Haſſatuti 863.52. Affirmat inſuper hic noſter 821.27, hos à Tartaris fuiſſe deſtructos ſub Annum Domini 1257. Non tamen omnes, aſſaſſinus enim ille erat, qui Edwardum noſtrum jugulare ſatagebat, poſt viginti ferè annos. Peſſime uſque in hunc diem audiunt in pluribus modernorum linguis, quæ talium modi nefandas trucidationes Aſſaſſinatus appellant, & ipſos ſicarios Aſſaſſinos.

Aſſidere 321.7,9] Quadrageſima pars mobilium taxetur & aſſideatur ſuper ſingulos, in præſentia aſſeſſorum ad hoc aſſignatorum. Aſſidere eſt tallagium ſive diffinitam pecuniam æquare, cum æqualitate & proportione ſingulos viritim taxare; ita ut quiſque pro rata contribuat ſuam vectigalis portionem. Hinc cui talis proportio imponitur, dicitur ad tantum vel in tanto Aſſeſſus, & pecunia impoſita dicitur Aſſiſa 321.24. Et Juſtitiarii ſive alii, quorum intereſt quid quiſque ſolvat ſtatuere & æquare, nominantur Aſſeſſores in pag. 216. Nos Angli dicimus, **to make the rate, to aſſeſs, the aſſeſment, the aſſeſſor.** Sed hæc ſufficiant ut author interpretetur; plura & meliora vide tu lector in eruditiſſimo equite.

Aſſiſa 216.41] Rex mittet Juſtitiarios ſuos per unumquemque comitatum ſemel in anno, qui cum militibus comitatuum capiant in comitatibus Aſſiſas prædictas. **Aſſiſe** vox eſt Normannica vetus. Seſſio Juſtitiariorum duorum itinerantium, cum Juſtitiariis Pacis (ut vocantur) in urbe capitali uniuſcujuſque comitatûs bis in anno, ut audiant placita, lites componant, & pro tribunali jus dicant, **the Aſſiſes** 481.28. Occurrit & alia Aſſiſæ ſignificatio; Duodecim milites accinctis gladiis electi in Aſſiſa de conſenſu partium litigantium. Hanc Aſſiſam ſolenniorem, ob magnam & ſpecialem aliquam cauſam indictam, Grandem Aſſiſam vocitamus; in qua ſententiam non fert judex, ſecundum conſcientiam & opinionem (quam Veredictam vocant) duodecim vulgarium hominum juratorum, (ut in Aſſiſis annuis in more eſt) hoc eſt, ingenuorum & liberè tenentium ex vicineto per Vicecom. electorum, ſed in Aſſiſa Grandi jurati omnes debent eſſe milites ſive equites aurati. Habemus etiam & Aſſiſam Panis 175.9; quomodo ſcilicet panis unius oboli vel denarii ad juſtum pondus penditur & venditur. Denique, 355.42 Officium Cancellariæ Angliæ, & omnia officia ordinata ſunt, & Aſſiſa in Scaccario; i.e. ſtatuta, & conſenſu partium aſſignata. Sed de pluribus Aſſiſæ ſignificationibus conſulantur eques doctiſſimus, & Skenæus Scotus, unà cum D. Cowello noſtro.

Aſſummata 1036.17] Summa debitorum ad ſexcentas marcas eſt aſſummata, i.e. computata in ſummam totalem redacta.

Attachiatus 701.39] Accuſatus eſt retentus, quod vulgariter dicitur Attachiatus; i.e. à lictoribus apprehenſus, ut juſtitiæ reſpondeat, & debitas pœnas luat. Alibi hic noſter, Super hoc criminatus attachiabatur, ut verba convenientia curiæ habeamus. Eſt enim verbum forenſe à Gallico Attacher, quod nos dicimus **to attach**, Attachiare, ut habet hic noſter 216.59. Inde Attachiantes, & Attachiationes in Abbatum Vitis, i.e. diſtrictiones per ballivos ſive lictores factæ.

Attornatus 1078.12] Attornatus in jure noſtro Anglicano is eſt, qui Syndicus, Reſponſalis, vel Procurator in Jure Civili & Canonico; à Gallico Tourner. Qui litigantis ſuſtinet vices & perſonam, & pro eo reſpondet ex conſenſu ſuo. Videantur eques Spelmannus & D. Cowellus. Galli etiam habent Attournee. Literas ſcilicet Atturnatas, quibus vicarium pro ſe conſtituunt, ut forâs obambulent.

Auca 1060.3] In ovibus aucis & gallinis, i.e. anſeribus fœmineis. Oca adhuc Italis. Sane & Apuleius Milſiorum novem dixit aucella, in forma diminutiva; O bona aucella & ſatis fœcunda, &c. Gloſſæ etiam habent Aucellum pro pullo anſeris; unde Uccello Italorum. Vult Johannes Lydius in ſua Gloſſa, Aucham dici à Græco *αὐχὴν*, quod Cervicem ſonat.

Averia 647.60] Averia ſive bona. Ea ita ſonat vox in lege noſtra; à Gallico Avoir, habere, poſſidere.

Averii 1049.47] Centum equos, quorum alii erant manni, alii vero runcini, alii ſummarii, alii veredarii, alii verò averii. Ubi Averii ſunt jumenta, equi jugales ad plauſtra & aratra applicati; Operarii à Gallico Ouvrier. Audiatur Rogerus Hovedenus [x]; Inquiratur de quot bobus & averiis ſingulæ carucæ (plauſtra) valeant inſtaurari. Ibi etiam ſtatuitur pretium unius averii eſſe quatuor ſolidi, ſimiliter & bovis & vaccæ. Sane per Averiam in legibus Scoticis, intelligitur melius animal ruſtici ſive coloni defuncti, quod domino ſuo debetur ſub nomine Heregildæ ſive Hereoti. Videatur D. Spelmanni Gloſſarium, & D. Cowelli Interpres.

[x] *Hoveden. In Ric.* 1. *an.* 1194. *p.* 424. *l.* 10.

Avolta 1056.61] Eadem quoque capella in arcuum ſurgens ſuper eam crepidinem (quæ vulgariter Avolta dicitur) dormitorii diminutionem ſupplet & defectum. Hoc quoque domicilium circiter duodecim lectos continens, pluribus vitreis feneſtris, &c. Avoltam nos Angli dicimus **the vault or vaulted roof.** Concameratio, tectum, culmen ſive tholus capellæ arcuatim ſurgens, uti ſolent Eccleſiæ plurimæ. Voluit dicere author, (qui tamen voce crepidinis hîc male eſt uſus) ſupra tectum primum hujus capellæ, fuiſſe aliud cubile ſive accubitum conſtructum, & in eo duodecim lectos ſtratos, quia dormitorium Monachorum nimis erat anguſtum.

Aurifriſia 616.36,42] In capis choralibus & infulis aurifriſia concupiſcibilia; ubi tu ſcribe aurifrigia, ſcilicet acu picta aureis filis & opere Phrygionico. Vox ſexcenties Anaſtaſio Bibliothecario uſitata. Orfrayes vocat Chaucerus noſter.

B

Bachelarius 666.27] In haſtiludio multi milites regni, qui ſe volunt Bachelarios appellari, ſunt contriti. Et l.32. Militem ſtrenuum qui Bachelariis annumerabatur. A multis video curioſè ſatis quæſitum, quænam vera eſſet hujus vocabuli origo, in tanta igitur ſententiarum varietate, quid ſi & ego vel ſemel conjectarem? Certiſſimum hoc unum, quod poſtquam Rex juvenes milites baltheo jam cinxerat militari, nihil prius tyronibus iſtis novellis (ut eos author vocat [y]) curæ eſſe, quam ut armis & equis acquiſitis, tyrocinii ſui vires in haſtiludio ſive torneamento cum paribus experirentur. In haſtiludiis verò poſtquam equeſtribus decurſionibus lanceas fregiſſent, lineis tantum armati, non gladiis, ſed ſudibus baculiſque ſeſe mutuò, non ſurdis ictibus in torneamento robuſtiſſime batuebant, inde in torneamentis hujuſmodi devicti proſtratíque, author noſter dicit fuiſſe Baculatos, 649.26. Qua voce & olim uſus eſt Petrus Bleſenſis, ſerm. 1. p. 310. Atque hinc opinor milites Bacularios, & corruptè Bachelarios, fuiſſe dictos. Sed lector dijudicet. De cæteris Baculariis videatur doctiſſimus eques. De Academicis enim Bacalaureis nihil habeo niſi hoc unum annotare, baculos ſcilicet in dextris portare olim Philoſophi fuiſſe inſigne [z].

[y] *Vide* 649.23 *Ibi in torneamento tyro novellus, ut titulos militiæ ſibi famoſos adquireret.*

[z] Ῥόπαλα τῇ δεξιᾷ φέρουσιν οἱ φιλόσοφοι. *Et bacula dextrâ ferentes Philoſophi. Chryſ. hom.* 10. *ad pop.*

Bacones 527.62] Cum baconibus & ſale; & l.65. cum totidem baconibus. Porcorum ſcilicet lateribus tergiſque ſalitorum; quæ **bacons** (Larda) nos Angli vocamus.

Bajulus 1070.23] Ex tunc poterit electus (Abbas) ſibi de ſociis, qui ſecum commorentur, quos Bajulos dicimus, providere. Vox equidem latiſſimæ ſignificationis, tam in aulis Principum utriuſque Imperii, quàm in republica & Eccleſia. De Bajulis multa poſſum, ſed mihi ſufficiet authorem interpretari. Bajuli ergo Abbatis erant ejus officiales domeſtici. Aliquis eorum Abbatis erat Procurator 811.9. Alius ſigilli ejus Portitor & Bajulus 1046.13 & 1054.19. Alius erat Bajulus ſcilicet Capellanus & Cuſtos theſauri 1014.17 & 1045.26. Abbas procedit ſequentibus Bajulus ſuis. Semper enim eum comitabantur; unde 1042.17 vocantur ſocii ejus; evigilabántque cum eo in ſua camera, unáque cantabant ſervitium nocturnum. Imó 1045.44 Abbatem jam debilem ducunt ſuſtentántque. Bajuli igitur erant familiariores & intimiores Abbatum comites & conſiliarii, quos unuſquiſque Abbas pro tempore ſuo ex amicis ſuis eligebat. Occurrit & in 293.18 Comes Atterarum Bajulus Imperatoris; & iterum 418.45 Paulum de Longothan

Ba-

Bajulum Imperatoris. Juſtitiarii & Ballivi ſive Officiales. Et 737.61 occurrit Robertus Judæorum Juſtitiarius & Bajulus, qui deponebatur de balliva (officio) ſua. Cætera me antevertit eques Spelmannus; libenter etiam omitto ſæpius apud Hincmarum Bajulum accipi pro Pædagogo.

Balcanifer 374.50] Balcanifer indefeſſus vexillum ſuſtinebat; & 610.64 Primicerius eorum & ſignifer, quem Balcaniferum vocant. Ita enim Templarii & Hoſpitalarii milites vexilliferum ſuum nominabant, ſed unde neſcitur.

Baldekinum 642.2] Rex veſte deaurati, factâ ex pretioſiſſimo Baldekino. Pannus omnium ditiſſimus, cujus utpote ſtamen ex filis auri, ſubtegmen ex ſerico texitur. **Cloth of Baudkins** dicitur in ſtatutis Parliamentariis noſtris. Et 776.49 Pallas pretioſas, quas Baldekinos vocant. Scio etiam & in aliis ſignificationibus uſurpari; pro Umbraculo ſcilicet, quod altè pendet ſupra altare; ut & pro illo ſub quo in triumphis aut incedunt aut equitant Reges & Papæ; ut in libro Ceremoniarum Romanæ Eccleſiæ ſæpius habetur, alibíque centies. **A canopy.**

Baleis 731.58] Virgam quam vulgariter Baleis appellamus. A Gallico Balaye, Scopâ. Ita enim & adhuc Norfolcienſes mei vocant virgam majorem, & ex pluribus longioribúſque viminibus, quali utuntur pædagogi ſeveriores in ſcholis.

Balliva] Officium, Præpoſitura. Inde Ballivus centies occurrit in multiplici ſignificatione. In 216.55 dicit Dominus Rex, Nullus Vicecomes, Conſtabularius, Coronator, vel alii Ballivi noſtri; i.e. officiales. Inde in 1092.18 occurrit Balliva Vicecomitis; & 801.36 Vicecomes dicitur Ballivus Regis. In legibus foreſtæ 1081.58 Balliva foreſtarii, & *l.* 63 Ballivæ foreſtæ, i.e. ambitus, metæ, & bundæ foreſtæ, quæ tali vel tali foreſtario ſubjacent, ut 1082.22. Iterum ibidem 1099.61 Monachus Ballivam ſuam ſi quam habet amittat. Ubi Balliva eſt officium aliquod in cœnobio. In qualibet Balliva, quas Obedientias dicimus, conſtituit; ut 206.1 exponitur, Cuſtodia ſive Juſtitiaria Judæorum, i.e. officium eos tam protegendi quàm emungendi, dicitur Balliva 714.23. Et ſanè in Scotorum legibus Ballivus eſt Judex; ſæpius enim ibi occurrit. Si quis Judex vel Ballivus exiſtit: &, Si contingeret ſententiam ſeu judicium vel pronuntiationem, quam Ballivus ferret. Vide Regiam Majeſtatem l.2. c 4. nn. 5, 8. p 31. & in Annotatione p 32. ver. 5. Adjicio, in Municipiis ſive Villis Corporatis (ut vocant) Anglicanis Majoribus quæ immunitatibus gaudent civitatum, loco Majoris ſive Prætoris Ballivus Præpoſituram tenet. Cæterà vide doctiſſimum equitem.

Banci narratores 1071.38] Placitantium Advocatorum, quos vulgariter Banci narratores dicimus. Leguleii & Cauſarum Patroni, in illa curia quam Bancum vocamus Regium, ſive ſupremo in jure noſtro tribunali ordinario in Aula Weſtmonaſterienſi. In illo Banco præſidet aliquando Rex ipſe, atque ideo Regius dicebatur. Olim ibi ſedebat magnus Angliæ totius Juſtitiarius; & tum ſemper Aulam Regis ſequebatur, eámque comitabatur illa curia. Sub Hen. 3. duo Juſtitiarii eligebantur in Banco, ut in 564.53 eſt ſtatutum, unà cum duobus Baronnibus in Scaccario; cùm nunc dierum in utriſque locis ſint quatuor aſſeſſores. **Banck** in noſtrati vulgari eſt ceſpitum agger, in modum ſedilis ſive ſcamni congeſtus; inde & **bench** eſt ſcamnum ipſum, ſive ſedile ligneum longius; ſed tamen ad murum domûs locatum, ut ad eum reclinent ſedentes. Vox ſanè non apud nos, nec noſtro nata ſeculo. Audiatur Siffridus Presbyter, epiſt. l 1. Dum iter pergens Imperator, in quadam Eccleſia hoſpitatus fuiſſet, & feſſus ſuper bancum quieſceret. Et inter Ritualia Romanæ Eccleſiæ ſæpius occurrit Bancus. Hinc etiam venit Bancale in eadem ſignificatione; & Banco Italis Hiſpaniſque; atque hæc omnia à Germanico **banck** ſcamnum.

Siffridus Presb. epiſt. l. 1 p. 691. apud German. Rerum Scriptores. ex biblioth. Piſtorii.

Bannerati 1091.56] Interfecimus (dicunt Parmenſes de victoria ſua contra Imperatorem) camerarios Imperatoris omnes, noſtros etiam Banneratos: i.e. profugos, proſcriptos (quos Bannitos vocant Latini recentiores & Banditos) noſtros, qui nos deſerentes cum Imperatore in exercitu ſtabant. Rara equidem eſt vox iſta in hoc ſignificatu, ideóque notatu dignior; cùm frequentior ſit Banerettus pro Milite ſive Colonello. De quo videndus doctiſſimus eques Spelmannus, abundè & pro more ſuo eruditiſſimè diſputans.

Banniatio 539.31] A regno Angliæ perpetuâ banniatione proſcriptum. A voce Bannum, quod uſurpatur ibid. 555.30. Et omnia banna & ſententias contra eos latas (Imperator) revocabit. Inde & Foriſbannitus ab Anglia 555.30. In locis citatis Exulare ſignificat; ut & 552.19 ubi per Utlagatos exponitur, Non receptabo utlagatos vel foriſbannitos in regno meo. In 1120.4 tamen eos ſignificat, qui a regis legíſque protectione exciderint, Juſtitiarii & Vicecomites ſi non inveniantur in comitatu, forbanniant eos. Voces leguntur etiam apud Petrum de Vineis, qui habet & Exbannire. Omnia à Germannico Ban, edictum, proclamatio. Unde Banna Matrimonialia. Bannire eſt aqui & igni interdicere.

Baratatores 459.47] A tribus Baratatoribus, & 460.17 Baratetzen. Antea accuſabatur Imperator quod Moſen & Mahumeten, &c. pro impoſtoribus habere: fortè & ſic ſonant Baratetzes & Baratator. Scio apud Melchiorem Goldaſtum, Baratronem vel Balatronem ſonare nequam. Aliis, deceptorem, circulatorem, impoſtorem. Gallica ſunt Barateur & Barater. Baraten Hiſpannicum in eadem ſignificatione. Sed nolo plura, Impius erat Manutius.

Barbecanum 125.59] Fontem etiam duplici muro circundatum, habentem Barbecanum novem turribus circumſeptum. Ibi pro fortalitio, ſive rotundo, ſive quadrato, ſumitur; nam novem turribus erat circumſeptum. Marinus Sanutus l.2.c.9. Fortalitium munitum eſt; ſimiliter ſunt valla & etiam Barbacana. Vocem agnoſcunt Hiſpani pro fortalitio tumultuario, ex cadis ſcilicet terra oppletis, hoſtique oppoſitis. Habent etiam & iidem pro caſtellulo ſive fortalitio, uti bellulè alludit Hiſpaniæ Rex quidam. Capitaneo ſuo improperans ſeni & jam barba capillitióque cano, qui civitatem hoſti dederat. "Perdiſta mi villa, y guardaſte la barba cana: Perdidiſti villam, & ſervâſti barbam canam. Jocum citat Johannes Minſheus noſter, quandoque meus; apud quem magis doctè quàm verè, Barbican deducitur à Saxonico Beꞃᵹ ıc ceꞃ, i.e. Bargum ego video. Planè luſit Etymologus; quomodo enim ex noſtrati Saxonico vocem acciperent Hiſpani, Galli, cæteríque? Arabicum eſſe agnoſcit doctiſſimus eques, in quo acquieſco. Malè interim bonus Minſheus, qui Barbican per Parapet interpretatur. Hui! quantum diſtat! lego & Barbecanagium; i.e. vectigal à propinquis ſolutum, pro defenſione Barbecani ſive fortalitii. Vox Chaucero ſatis nota.

Barbotæ 256.21] Cum barbotis & uncis ferreis navem diutius impugnârunt. Sane hæc ipſa prælii deſcriptio (& non multis mutatis) apud Godefridum invenitur Monachum, quem inter Rerum Germanicarum Scriptores edidit Marquardus Freherus, tom. 1 p. 288. ubi tamen ſcribitur Barbolis. Iterum etiam apud hunc noſtrum 257.1. Galeias cum Barbotis & navibus aliis. Et tertio 258.38 Cum galeis & Barbotis armatis. Exiſtimo fuiſſe naves ferro roſtratas, quales Romanorum olim. Sanè Barbotto Italis eſt mentum. & Barbato Barbatum. **Barbed** nos dicimus de telo aut ſagitta ferro armata.

Barca 264.9] Multas naves cum quadam barca. Navigiolum ſive navis minoris genus; ſed veliferum, vento non remis actum. Iſidorus in Originibus l. 19. c. 1. Barca eſt quæ cuncta navis commercia ad littus portat.

Barillus 1078.25, 30] Miſit barillos lapidibus & ſabulone repletos. Cados **barrels** Anglicè dicimus. Barrilia vini lego apud Piſcaram in Praxi Ceremoniarum, p. 79. n. 16.

Barnagium 1071.41] Coram Rege & Barnagio. Et alibi, Coram Univerſitatis Barnagio. Alibi ſcribitur Baronagio. Omnes norunt Baronagium intelligere pro ordine ſive ſtatu procerum regni, qui ſuperiorem Parliamenti domum conſtituunt. Sive ſint Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, aut etiam Epiſcopi; & olim Abbates & Priores, qui Baronias à Rege tenebant. Conſulatur eques Spelmannus qui omnium curioſiſſimè de Baronibus Diatribam edidit. Nolo poſt Homerum Iliadas ſcribere.

Barones Londinenſes 744.10] Cives Londinenſes, quos propter civitatis dignitatem, & civium antiquam libertatem, Barones conſuevimus appellare. Ita & 835.22 Londinenſes cives Barones vocantur. Hodie tamen non ita appellantur, neque alterius civitatis homines. Soli magiſtratus Quinque Portuum hoc titulo etiam adhuc honeſtantur. De cæteris conſulatur D. Spelmannus, Gloſſarii p. 84.

Baſileus 977.34] Offa Merciorum Baſileus. Ita enim & ſub eadem tempora, quando vix Latinè ſciebant, Græciſſare amabant aut ambiebant Reges Latini orbis; ſcilicet ut Imperatores in ſuis ditionibus ſinguli viderentur; quia ſic ſcripſit Græcorum Imperator. Ita Eadgarus noſter Saxo Heptarchus ſe Baſilea totius Albionis, in chartis ſuis non ſemel inſcribebat[a], quod & fecit Rex Æthelredus in ſuis[b]; in aliis licet ſe Anglorum Regem

[a] *Malmesbury de geſtis Regum, lib. 2. p. 32. l. 34. Hoveden. an. 975. p. 243. b. l. 42.* [b] *Charta Æthelredi MS. inter munimenta Eccleſiæ S. Albani ad finem lib. unde Vitas & Additamenta deſumpſimus, p. 162. b. col. 2.*

ap-

appellarverit. Sanè & Corona Anglicana Imperialis dicitur. Mitto Reges exteros, non ſtatui enim omnia mea Adverſaria ſive ſtricturas, in Gloſſariolum iſtocce ſuſtarcire.

Baſtardus 1028.55] Willielmi Baſtardi. Scilicet Conqueſtoris. 271.34 In Hiſtoria exponitur Spurius ex parte matris, atque Baſtardus. Inde 634.31 venit Baſtardia. Sanè Baſtardum nos Angli aliter dicimus **a baſe child**. **Baſe** enim eſt infimus, abjectus; à qua voce cum Saxonico ꞅꞇeoꞃꞇ (unde noſtrum **ſtart** pro Subito ortus) compoſita, fit Baſtart ſive **baſtard**; uti doctè conjectat eques Spelmannus. In legibus Scoticis Baſtardus opponitur filio mulierato, i.e. ex ſponſa legitimè procreato[a].

Batellos 598.2] Miſimus ultra aquam per Batellos trecentos Wallenſes. Et *l.*31. Per Batellos noſtros. i.e. cymbas. Lintres, Schaphas; à Gallico Batelet & Bateau, **a boat**, Cymba. Ita & in Annalibus Godefridi. Quædam ex iis Batellos vi tempeſtatis amiſerunt[b].

Bazan 1044.57] Ocreis de cute quam vulgus Bazan appellat; i.e. ex pelle ovina rubro colore infecta. Ita enim ſonat vox Gallica Bazane & Baſane. Et ſane ligulas ſive corrigias ex tali corio noſtrates adhuc ſic vocant, niſi quòd corruptiùs pronuntiant; Bazals ſcilicet vel Bazils, pro Bazans. Monachorum equidem ocreas ſive calceamenta, quæ de vili corio, quod vulgariter Bazan dicitur; in alutam, i.e. Cordewon civiliter commutata poſtea fuiſſe, memoriæ commendavit hic noſter 1058.41. Sed de Cordewon in ſuo loco.

[a] *Vide Regiam Majeſtatem, l.* 2.*c.* 19.*p.* 45.
[b] *Godefridi Monachus inter Germanicos Scriptores à Frehero editos, tom.* 1.*p.*287.*l.* 11.

Bedellus 218.43] Nullus Foreſtarius vel Badellus faciat de cætero Scotallum, vel colligat garbas. Vox equidem (uti & Bajulus, Ballivus, cum cæteris officialibus veterum) ſatis diverſæ ſignificationis. Pro Præcone enim Exactore, & pro officiali alio haberi aliquando, eruditiſſimus eques nos docet. Et hic etiam pro Exactore ſive Collectore ponitur. Olim enim reos citabant Bedelli tanquam præcones, ut in foro comparerent, vectigalia colligebant, ut exactores vel publicani. Errones inſuper ſive perſonas ſuſpectas vel incerti laris, tanquam lictores ſive ballivi apprehendebant. Quæ omnia apud nos adhuc faciunt in hac inclyta civitate, ubi ſingulæ tribus (ſive Wardæ, ut vocantur) ſuum habent Bedellum, hujuſmodi ſervitiis operantem. Qui etiam per pedum ſive baculum quem geſtat dignoſcitur; à quo pedo Pedellum apud Scotos nuncupari, Skenæus hariolatur. Sanè & apud Scotos Bedelli officium eſt citare. Ita in Burgorum legibus, cap. 47. "Nullus Burgenſis poteſt capere namum alterius Burgenſis; ſed veniat ad domum "ſuam cum Bedello, & ponat ei diem ad proxima placita. Et iterum ibid. cap. 112. Citatio facta in Burgo "ſuper Burgenſem perſervientem D. Regis ſine Bedello "ejuſdem burgi, non eſt valida[c]. Melchiori Goldaſto & hæc vox nota erat[d]. Johannes etiam Lydius legit Pedellus pro Pedarius in Exceptis Pythæanis. Obiter moneo hanc vocem in MS. Wendover (ut & in impreſſis veteri & noſtro) ſcribi Badellus, & ſic fortè primitus noſtrates pronuntiârunt, à Saxonico Bẏdel, unde eam deducit doctiſſimus eques. Etiam & Itali ſcribunt Bidello.

[c] *Vide Regiam Majeſtatem, p.* 138, 147.
[d] *Goldaſt. Conſtitut. Imperial. tom.* 3.*p.* 350.

Hucuſque cùm progreſſus eſſem, me iterum urgent importuni Bibliopolæ, ut ſub feſtinantia concluderem. In cæteris igitur ut brevior eſſem me cogunt.

Bedeweri 836.49] Prædones quos Bedeweros vocant. Banditi proſcripti.

Beneficiare 550.16] Quos ita beneficavit, i.e. quibus beneficium Eccleſiaſticum contulit.

Berſare 1082.2] Suſpecti vel ſoliti ad intrandum boſcos, parcos, vel foreſtas, causâ berſandi, vel alia damna faciendi. Birſen Germanis eſt, telo aut ſagittâ petere aut configere. Sic ſolent qui in vivariis damarum de nocte latrocinantur. Credo enim Berſare non aliud eſſe à Birſare.

Bizantii 146.37] Centum Bizantios, Ducatus, vel aurei Bizantini ſive Conſtantinopolitani; & 121.28.

Bladum 175.16] Panis de toto blado. Vox ſæpiſſimè occurrit pro farre omnis generis, ſcilicet quando eſt in herba ante meſſem, ut 495.31 Blados & vineas vaſtare non ceſſavit, & poſtquam granum in area trituratur. Ita quandoque in Hiſtoria. Bladum venale de partibus tranſmarinis adducitur. Et, Summa bladi ad ſexdecim ſolidos vendebatur. Novit & hanc vocem Theodoricus à Nien[e]; & Ingulphus noſter, p. 510.l. 51. & Petrus de Vineis[f]. Vide doctiſſimum equitem. Interim ſcias panem de toto blado, eſſe panem factum ex ipſa farina, uti de molendino venit & nondum cribrata. Forte ex Gallico Bled.

Boſcum 218.25] Etſi boſcum aſſartaverit, i.e. ſylvam.

[e] *Theodoric. à Nien de Schiſm. l.* 1.*c.*6.*p* 8.
[f] *Petrus de Vineis, l.*5. *epiſt.*87.*p.* 637 & *ep.* 91.*p.*641.

Boſtaria 332.39] Bobus in boſtaribus, i.e. in bovilibus; ut 652.31 nam ibi in MS. eſt Boſtaribus, à Bos & Stare.

Brebantii 107.36] Brebantiis & Ruptariis. Et ita ſemper hæ voces conjunguntur; & 114.44 de Ruptariis & Brabantiis prædonibus. Sane Brabanti ſtipendiis regum conducti, plus prædis quàm juſto bello operam dantes, occaſionem dicterio dederunt.

Braccæ 139.59] In fœmina ſtupens braccas invenit, i.e. tibialia, femoralia, ſive fœminalia; quæ loco faſcialium cruralium veterum ſucceſſerunt. **Breeches** nos dicimus, Galli Brayes. Vide 264.22 & 288.48.

Braſium 1041.55] Molant ſummam de Braſio ad **Malt-miln**. Et 825.18 Bladum & Braſium Conventûs prædicti debent molli ad molendina noſtra. Braſium eſt hordeum aquâ priùs intinctum & maceratum, ac poſtea ſuper fornacem rarefactum; ex quo in farinam in molendino redactum, cerviſiari noſtri Bierram vel Cerviſiam (nobile vinum Anglicanum) coquunt. Braſſer Gallicè eſt cerviſiam coquere. **Malt** nos Angli dicimus, atque molendinum **a Mill** vel **Mune**; inde **Malt-miln**, molendinum in quo braſium molitur. Inde 1074.7 bladum (ſive far) ad cerviſiam aptum, ſcilicet hordei & avenæ commixtorum, quod Breſia vulgariter appellatur. Hinc venit & Braſeria in 1073.57 aquaticum molendinum, quod juxta Braſeriam conſtruitur. Et *l.*60 molendinum ad equos juxta dictam Braſeriam conſtruxit. Ubi Baſeria haud dubiè eſt officina, in quo Braſium maceratur, & fornace induratur; domus ad braſium faciendum, ut 825.22 exponitur **a Malthouſe**. Hinc & vox Braſiandi ibid. i.e. cerviſiam coquendi; & domus competens & neceſſaria ad braſiandum, eſt officina cerviſiaria, **a Brewhouſe**. Et in legibus Burgorum Scoticorum, c.69. Quæcunque fœmina braſiare voluerit, cerviſiam venalem braſiet. Ubi Skenæus in margine Browſteris, quæ cerviſiam coquunt[g].

Brennium 175.12] Exceptis Brennio & duobus panibus, i.e. furfure; quem **bren** dixit Chaucerus, nos hodie **bran** diximus, πίτυρον.

[g] *Regiam Majeſtatem p.* 141.

Brudatus 1006.29] Albas duas cum paraturis brudatis. Exponitur 1013.9] Albas habentes paraturas, auro, & aurifrigio, & acu plumario decoratas. Brudatum eſt Acu pictum, quod **broydered** vel **imbroydered** Anglicè dicimus; ſed Chaucerus **browded**.

Bruera 1082.10] Montanis vel brueris. A Gallico Bruiere, ericetum. Sane & nos Angli vepres dicimus **bryars**. Inde Bruera eſt ipſa erica ſive vepres, vel ager compaſcuus, ſterilis & non clauſus, ubi hujuſmodi creſcunt dumeta. Inde 223.8 Erit torneamentum in bruera de Stanes, & villam de Hundeſlaw. Iſtam brueram **hundeſlaw heath** adhuc dicimus; & eſt campus latus, planus, ſterilis, & aliquando dumetis horridus: ſed tamen qui multis hinc inde decoretur planitiebus, equeſtribus iſtis in torneamentorum ſive haſtiludiorum decurſionibus accommodiſſimus. Sed videatur doctiſſimus eques. Non fiat combuſtio morum ſive bruarii, niſi in menſe Martii. Unde Skenæus noſtrates **Muirburne** vocant; Erica enim **heath** ſive **hedder** in ſuo ericeto incenditur, quæ brevi reviviſcens teneris agnis maturè inſervit.

Bruteſches 270.53] Bellatorum duæ teſtitudines, quas Gallicè Bruteſches appellant. Viderint Galli.

Buccæ 133.15] Decem magnas Buccas, novem Galeias. Et 136.3 tredecim Buccas triplici velorum expanſione velificatas. Apparet eſſe navis majoris ſpecies.

Buletellum 175.14] Et in Buletello obolum, nos Angli farinam ita in panno exagitare, ut pollen à furfure ſecernatur; **to boult** dicimus. Inde Buletellum.

Bulla 701.6] Bulla Hoſpitalis quæ plumbea eſt. Sigillum literis appenſum. Inde 585.7 ſcedulas non ſcriptas, tamen bullatas, ſcilicet ſigillatas. Inde Bullator, qui ſcriptis ſigilla apponit, 456.20. Et, Bullare literas, apud Petrum Bleſenſem. Sane & S. Bernardus[h] dixit, Literas non fuiſſe diruptas, manent enim adhuc integræ & bullatæ. Vox neque recens neque rara, ſed in noſtro ſeculo pro diplomate Papali tantùm ferè uſitata. Etiam & Græcis recentioribus vocem eſſe uſurpatam, eruditiſſimus Meurſius te edocebit[i]. Sed omnino conſulatur doctiſſimus eques.

[h] *Bernard. epiſt.* 130. *p.*373.*A.B.*
[i] *In Gloſſ. in* βούλλα.

Bunda 1082.18,22] Quibus metis & bundis circumcludatur. Nos Angli agrorum terminos ſive metas, **bounds** adhuc vocamus. Videatur eques Spelmannus, in Bonna.

Burdare] In Mandato Regis ſuper Juratis ad Arma, poſt Adverſaria noſtra. Ad turniandum & burdandum. Sane in torneamentis ruſticorum ſe clavis & fuſtibus, ſudibúſque grandioribus robuſtè batuebant & fuſtigabant; ut in torneamento de Tottenham, verſibus Anglicanis non infacetè juxta poeſin ejus temporis decantato apparet. Et hujuſmodi baculos Chaucerus **burdons** appellat; unde vox Burdandi, ut hariolor.

Burdones 1070.6] Sonantibus chalamis quos burdones appellamus. Chalami ſunt aulæ æneæ, quæ ferè tubas referunt; quas **Shalmes** Anglicè dicimus. Harum majores fiſtulas ſive baſſas, Galli vocant Bourdons; unde & nos, **the burden of a ſong**. Imò cantantium grandiorem boatum ſive baſſum, Chaucerus vocavit **the burden**.

Chaucerus Prolog.22.

Burgagium 217.22] Si aliquis teneat de nobis per Feudifermam, vel Socagium, vel Burgagium. Eſt tenura ſive ſervitium, quod ratione domuum ſive agrorum, cives ſive burgenſes aut Regi aut Domino feodi debent, præter præſtationem redditûs ſive annuæ penſionis. Et eſt quoddam Socagium. Quod vide, & Burgaſaticum.

Burgaſaticum] Revocata ſunt Feudalia & Burgaſatica, quæ habuerunt vel emerunt. Terras ſcilicet colonorum ſive ingenuorum, quæ in Burgagio tenebant à Rege; quas igitur Galli vocant Heritages en roture. In Conſtitutionibus Siculis Burgenſatica vocantur; & ita credo hic ſcribi debent. Vox utraque venit à Burgus, ut & Burgenſis. Quæ licet ſatis nota, varias tamen eorum ſignificationes vide apud doctiſſimum equitem.

Burnettum 402.42] Monachi Camiſiis lineis vel Burnettis non utantur. Et 1099.27 Nullus utatur tunicâ de Burnetto. In priori loco pro caputiis aut cappis nocturnis ſumitur, ſed in ſecundo pro panno quodam laneo. Utramque ſignificationem habeo ex Chaucero.

Buſca 1080.60] Inquiratur de exactoribus vel venditoribus Buſcæ, Maeremii, & Carbonis. Et ita *l.*62 & 64 vox in legibus foreſtæ noſtris; à Gallico Buſche, ligni ſive arboris ſtipes, caudex, vel truncus. Tamen nos Angli dumos ſpinaſque vocamus **Buſhes**.

Buſheles 805.44] Et menſuras tritici quas **Buſhels** dicimus. Modios vocamus, quorum unus octo galones continet; ut modius ſive **Buſhel** eſt octava pars ſummæ ſive quarterii frumenti.

C

Cœtanum 258.55] Cœtanum unum duodecim Bizantiis vendebatur. Si non ſit capito piſcis ſalitus, vel aliquid hujuſmodi, neſcio ſanè quid ſignificet; certè Cœtum crudum, Gloſſæ ſic accipiunt.

Cablicia 1082.29] Inquiratur qui acceperint profectum de Cabliciis. Ita enim emendo pro Tabbaciis, quod erat in MS. Cablicia, venit à Gallico Cablis ſive Cable; Rami arborum à vento disjecti, & ligna caduca, ut rectè doctiſſimus eques.

Cadineos 1016.22] Sardios Onicleos appellamus, & vulgariter Cadineos nuncupamus. Proculdubio legendum Camaeos ut antea, quod tu vide.

Cadmus 50.12] Adducti ſunt procurator civitatis, qui linguâ eorum Emir dicebatur, & Juridicus qui Cadmus appellabatur. Nihil ambigo quin legendum ſit Cadi, ita enim judicem appellant Turci.

Calumnia 1004.52] Terram ſolutam de omni calumnia reſignavit. Et *l.*42 Non poteſt aliud juris in ea clamare vel habere, i.e. nihil juris vendicare. **Claim** nos dicimus.

Camæus 995.36] Nobilibus lapidibus inſculptis, quas Camaeos vulgariter appellamus. Certè lapides Sardoniches Galli vocant Camayeu, & medallia ſive ſcalpturas gemmarum Camayeux. Sciat lector, hujus lapidis, quam 1310.32 deſcribit, figuram pulchrè depingi in fine libri Additamentorum MS. Ibi etiam dicitur ex Sardoniche Chalcedonico, & quod **Kaadman** vulgariter appelletur.

Camera 313.34] De firmis Eccleſiarum & redditibus Camerarum. Et 738.46 Camera Prælati vel Abbatis, i.e. Ærarium, Gazophylacium. Repoſitorium enim ubi publicus civitatis theſaurus reconditur, Cameram **the chamber** vocant.

Cantaredus 861.11] Terra quatuor Cantaredorum, i.e. Centuriarum, centum villarum. Vox Wallica à Cant, i.e. centum; & Tre, urbs, villa; ut deducit doctiſſimus eques.

Capa] Vox ſatis diverſæ ſignificationis, veſtis ſatis di-*verſæ formæ. 139.56 Tunica viridi fœminea indutus, capam habens ejuſdem coloris. Ibi pro veſte fœminea uſurpatur, & ſanè pro exteriori, loco cycladis vel man-*telli (ut nunc dierum) muliebris. Cyclades, hodie Zupas vocant Galli, ut me docet Salmaſius. 61.29 Pro toga virili ſumitur: "Cùm Rex novam robam de Scarleto ſumens, capam conaretur induere, invenit introitum caputii, qui Gulerum vulgariter Gallicè appellatur, nimis arctum. Unde ait, Hæc capa deferatur danda fratri meo duci, qui argutius me caput habet. Unde apparet capam tunc in uſu, quomodo ſuperpelliceum nunc dierum, ſcilicet inſerendo ſive immittendo caput per foramen collaris, quod hic vocat Introitum caputii. Induit capam, ait Weſtmonaſterienſis, & invenit caputium nimis arctum. Et apud hunc noſtrum iterum 604 34 Milites capatos capis regiis. 539.38 Nihil præter camiſiam de ſacco, calceos de bove, & capam de cilicio ſecum portans; i.e. veſtem exteriorem & ordinariam. Erant & capæ viatoriæ, ut 1060.59 Habitu itineris non mutato, videlicet in capis & calcaribus. Harum & meminit faceti ſſimus noſter Chaucerus, in Fabulis ſuis Cantuarienſibus non ſemel, quas **coaps** & **ſemicoaps** vocat. Erant & aliæ cappæ Monachorum, quibus equitaturi ſcilicet capita & humeros à pluviis defendebant; **riding hoods**. Loco harum jam penulis utimur, cujus caputium, quod à collo in dorſum humeróſque propendet, nos Angli **the cape** adhuc vocitamus. Aliquando hæ capæ caputiis carebant, quibus pauperculi ferè utebantur; ut 641.19 adhuc diximus de habitu laicali. Capa autem erat & ſacerdotalis, 381.53 Capis clauſis utantur in ſacris ordinibus conſtituti, maximè in Eccleſia, &c. Ita jubet Conſtitutio Othonis, ita & Conſtitutio Ottoboni [k]; ſed formam non deſcripſit Dominus Ottho, qui Gloſſas adjecit: aſt in Conſtitutionibus Huberti Archiepiſcopi cappæ manicatæ dicuntur [l]. Hinc togæ noſtræ Academicæ & Sacerdotales. In 377.59 mentio habetur capæ choralis, quæ ſuper ſuprapelliceum induebatur: quæ 378.17 capa canonicalis dicitur. **Coaps** nos Angli dicimus, & in Liturgia adhuc iis utimur. Obſervandum interim, has capas chorales olim pellibus variis fuiſſe furratas, ſcilicet ſuffultas & duplicata (ut dicimus nunc cum antiquis) lineatas. Poſtea verò aurifrigio fuiſſe pictas & ornatas; cujus uſus initium Angliæ noſtræ debebit vel ipſa Roma, ut ex authoris noſtri 616.36 eſt colligendum. Moneo, cappas iſtas chorales in quotidiana Liturgia tunc dierum non geſtatas, ſed tantum in feſtis duplicibus ſive præcipuis; quæ ob id Feſta in cappis dicebantur, 1055.22.

Weſtm. ad an.1134.

Chaucer. in prologo & ibid.

[k] *Cap. De Habitu Clericorum, p.*68.

[l] *Apud Hovuden. p.*460. *&* *l.*37. *Ita & apud Hiſtoriam noſtram* 826.20 *occurrit Capa clauſa & manicata. Et ſanè Clauſa vocabantur, quia antea non aperiebantur, ſed caput per collare inſerebatur. Ita & Togæ olim, imò & adhuc in ſchola una aut altera in Anglia noſtra uti audivi.*

Capella 667.38] Rex Francorum tranſmiſit ei capellam ſuam pretioſiſſimam, cum reliquiis chariſſimis; i.e. capſellam, ciſtam, thecam, in qua recondebantur ſanctorum reliquiæ. Hinc S. Martini capella (**S. Martins cap**) talis erat. Hanc capellam cùm olim Francorum Reges (ut Conſtantinus templum portatile ſive papilionem ſacrum aliquando) ad bellum ſecum deferebant, ſanè tentorium ſive oratorium, in quo reverentiæ causâ reponebatur, Capella cœpit appellari; & ſacerdos, qui capellam cuſtodiebat, Capellanus. Multus hîc eſſe poteram, niſi res notior eſſet, & ni coactus eſſem ſtudere brevitati. Vide Capſella. Alibi etiam aliter exponitur. Capellam ſuam amiſit, i.e. omnia ſacerdotalia ornamenta, 525.15.

Capella ferrea] In Mandato ſuper Juratis ad Arma, poſt Adverſaria noſtra; Unuſquiſque habeat unam loricam, capellum, &c. in Stat.13. Edw.1.c.6. interpretatur **a breaſtplate of iron**, thorax ferreus.

Capellus 351.3] Capellum ſuum ex capite cum peplo dimiſit Iſabella, ſcil. galerum.

Capero 288.48] Caperonem uſque ad cingulum. Scilicet Caputium Monachicum, cucullus. Chaperon Gallicum eſt.

Capſellis 138. 37.53] Quatuor magnis eburneis capſellis; ſcilicet reliquiarum plenis, ut ex *l.*50. apparebit. Vide Capella. & 316.26.

Capitaneus 211.37] Tres acies diſponunt, in quarum prima comitem Flandriæ, &c. capitaneos præfecerant. Ibi pro Chiliarcho, Colonello, ſive Brigadæ, aut Tertiæ (ut vocant) ductore ſumitur, 623.48. Sacri Imperii capitaneus, i.e. generalis dux belli, 555.44.49. Videtur eſſe judex ſive arbiter. Statuet Imperator capitaneum aliquem de Prælatis, ſub cujus ſolius examine litigabitur. Cui ſoli debent reſpondere. Apud Petrum de Vineis pro Caſtellano ſumitur *l.*5.ep.72. Unde Capitanea.

Capitulum 1100.26] Nec habeant capitulum de floribus, i.e. ſertum **a chaplet**.

Caput quadrageſimæ 1043.54] Dies cinerum. Sed in Officio Ambroſiano, Dominica prima quadrageſimæ dicitur Caput jejunii.

Carbones ſoreſtæ 1082.60] Carbones ex ligno combuſto in fornace, **charcoals** dicimus. Et *l.*12. carbones maris, lapides ſcilicet combuſtibiles, quibus fabri ferrarii utuntur, **ſeacoals**. Carbonaria etiam ibidem occurrit, vel ſcilicet pro fornace vel fodina, ubi aut parentur, aut unde hauriantur carbones antedicti.

Carecta 1122.20] Capiuntur carectæ clericorum ad tranſvehendum victualia. Plauſtrum ruſticum, vehiculum. Scribitur & Careta 217.8. caretas pro carriagio.

A cart Anglicè dicimus. De careta vel carecta Dominica vide ibid. *l.* 10 & 1126.32. De qua conſulatur D. Spelmannus.

Cariſtia] Victualium penuria & rerum cariſtia, i. e. annonæ caritas. Utitur Jacobus Vitriacus, Hiſt. Occidental c. 8. Etiam & Petrus de Vineis non ſemel.

Carta 505.22] Carris & ſummariis. Idem quod Carecta vel Careta, niſi quod minor fortè erit. A Car nos Angli dicimus. Hinc Caretarius equus, a cart hoꝛſe. Inde & Cariagium 217.8 vectura, carriage, id quod carro vehitur. Sanè in expeditionibus bellicis carriagia ſunt ipſa impedimenta. Ita Walſinghamus noſter; "Cùmque certam noſtri eligiſſent ſtationem, ut armatos "ſtatuiſſent ordinatè, & pulchrè diſpoſitos per turmas "ſuas; cariagium quoque (quod Garcinas appellamus) à tergo locaſſent [m]. Hinc etiam & carrata lignorum in 1042.24 i.e. carræ onus juſtum.

Carniprivium 705.20 & 776.9] Dies proximi poſt Dominicam Quinquageſimæ. Et hanc ipſam Miſſa Mozarabes, p. 86. vocat, Dominicam ante carnes tollendas. Et Theodorus Studita, Dominicam excarnaliorum appellat [n]. Carniſprivium igitur eſt tempus in quo ſuos Eccleſia carnium eſu privat.

Carochium 366.33] Exeuntes igitur Mediolanenſes cum ſtandardo ſuo, quod Carrucam ſive Carrochium appellant. Et iterum 375.26 Carocium ſuum ubi robur exercitûs eſſe videbatur ſtatuentes. Currus erat grandior, ſuper quem vexillum [o] ſive ſignum Prætorianum in longiore haſta ſive pertica figebant, ut à toto exercitu eminùs conſpiceretur. 385.43 mentio habetur temonis hujus carochii; & *l.* 47 quod in ſummitate perticæ ſignum crucis extiterat; & *l.* 33 quod in celeritate equorum carrochium præmiſerant. Sane iis temporibus ſolenne erat, ut ſigna Prætoriana exercitum in curribus præirent; & ut inter præliandum loco eminentiſſimo figerentur, ut ſi forte contingeret cohortes diſſipari, aut confundi agmina, ad carochium repedarent, ubi in tales belli eventus robur exercitûs ſtatuebatur. Eundem morem & obſervârunt Angli noſtrates. Sanè egregius ille dux belli Simon de Monte Forti, aciem ſuam ordinans, currum ſuum in medio ſarcinatum poſuit, vexillúmque ex induſtria deſuper impoſitum ſtrictiſſimè collocavit, in gyrum plurimis collocatis. Vide 853.21. Habuerunt & Cremonenſes ſuum carrochium, ut in 848.36 & in 1091.53 apparet. Hujus formam Antonius Campus in Hiſtoria Cremonenſium delineavit, p. 64.26. Veronenſes etiam & Ezelini cives habuerunt ſuum 421.54; & Bononienſes ſuum, ut apud editiorem Petri de Vineis, p. 21 invenio. Qui & carochium deſcribit fuiſſe carrum amplum, & à multis paribus boum trahi conſuetum; circumſitatum undique gradibus ad modum tribunalis & ſuggeſtus, affabrè elaboratum, multiſque ornamentis excultum & coopertum. Eo geſtabantur ſigna & vexilla populi cujus carocium erat, & aliarum civitatum confœderatarum, & erat carocium in exercitu quaſi prætorium aut tribunal quoddam commune, ad quod ſe recipiebant milites tanquam ad curiam & locum principalem totius exercitûs, & ubi magiſtratus & omne robur exercitûs veluti in ſubſidio conſiſtebant. Bella equidem deſcriptio; ſe plura de ea re vide apud doctiſſimum equitem Spelmannum. Obiter ... neo ex Nauclero, p. 845. Generatione 39 Mediolanenſes vexillum S. Ambroſii ſuper carocium ſuum affixiſſe. Et iterum ex noſtro 385.48 Crucem in ſummitate perticæ tam grandem fuiſſe, ut jam ab hoſtibus detruncata, à ſuis in via derelinqueretur, dum videretur fugientibus oneroſa. Adjicio, in hoſtem niſi publico decreto educi non poterat. Longius & ultra propoſitum ſane in voce iſta interpretanda exſpatiatus ſum, quia rarius legentibus occurrat.

Carruca] Vide Carrochium.

Caruca 759.47] Inquiratur in maneriis religioſorum, quot ſint carucæ propriæ ad colendum dominicum. Ibi Caruca eſt aratrum; & in hoc loco Carucæ propriæ ſunt aratra quæ colonus de proprio habebat; & Conſuetudinariæ, quæ conducebat ſingulis annis in auxilium arationis. Erant & Precariæ, quas ſcilicet in neceſſitate alieni (?) eminentiori colonus unus à proximo precario mutuabatur. Vide Ibid. 759.48, &c. Charruë Gallicè eſt aratrum.

Carucata terræ 168.1] Cepit de unaquaque carucata terræ totius Angliæ tres ſolidos de auxilio. Et vide 55.23 & 700.14 Eſt tamen terræ quantum aratrum unum ſive caruca colere vel arare poteſt. A ploughland nos Angli dicimus. Olim Hyda dicebatur; ita author noſter in 9.37. Deinde de unoquoque aratro, i.e. Hyda terræ, ſex ſolidos cepit argenti. Nam eadem portio per diverſa nomina in diverſis locis appellabatur. Ita in 1002 occurrunt hyda & carucata terræ; licet ambæ forte ſint ejuſdem quantitatis, & ut plurimum 120 jugerum ſive acrarum, uti cenſet doctiſſimus eques.

Carucagium 516.3] Carucagium, Hydagium, & 170.8 eſt relevium ſive auxilium pecuniare, quod Regi à ſingulis carucatis terræ à ſubditis concedebatur.

Caſale & Cazale 558.2] Villas & Cazalia Chriſtianorum. Ita & 683.24 Caſale nomine Manſor propoſuit violenter occupare. Ita & 688.51, ubi *l.* 55 per villam interpretatur. Imò & villa cum propugnaculis, ut ibid. *l.* 58. Vox etiam occurrit in 1106.24 & in 504.42.46 & 260.22 & ubique pro villa ponitur.

Caſtellanus 835.10] Caſtellanus de Dovera, ſcilicet dux caſtelli; ut & 680.1 & 175.40 cepit caſtella, & caſtellanos caudis equorum alligatos abduxit. Vox non rara.

Catalla 86.45] Et ſæpe: & in 1120.41 Ballivi poſſunt attachiare catalla eorum, i.e. diſtringere bona mobilia & immobilia, perſonalia & realia, & non feoda. Ita enim ſonat vox iſta forenſis apud noſtrates. Chattels dicimus, & eſt vox Normannica.

Catechizare infantem 413.56] Epiſcopus infantem catechiſavit, Legatus eundem baptizavit; i.e. Catechumenum fecit. Sane ſpecies ſive umbra Catechumenatûs primitivi adhuc in Eccleſia durabat, quaſi ad ſacrum baptiſma præparatoria ſolennitas. Infantem enim ſacerdos benedicebat, & pro eo orabat.

Catus 281.1] Baliſta, ſcrofa, catus. Machina bellica.

Caudata charta 1048.9] Chartas adulterinas conſcriptas & caudatas. Scilicet quæ ligulas ſive corrigias membranaceas aut chartaceas, ſcriptis deſubtùs pro more affixas & inſertas habebant, in quibus cera ſigillanda aut ſigillata dependet. Ita ibid. 1046.41 appoſita caudâ & cerâ ſigillavit illud.

Caudati 679.49] Nunc bene mundatur magnificorum exercitus Francorum à caudis. Ita & 684.22 O timidorum caudatorum formidoloſitas! quàm beatus, quam mundus, præſens foret exercitus, ſi à caudis purgaretur & caudatis! Sannæ ſunt irriſoris illius ſuperbi & infelicis comitis Attrebitenſis; cui debebat exercitus Francorum quod profligaretur, & Rex quod caperetur. Anglos equidem irridet.

Cavilla pedum 182.15] Uſque cavillam pedum immerſæ. Forte ſcribendum cavile, i.e. cavitatem pedum.

Caurſini 710.1] Uſurarii Tranſalpini, quos Caurſinos appellamus. Et *l.* 3. ſe mercatores Papæ affirmant. Peſſimum pecus, & rerum publicar. peſtes publicæ, qui uſuris omnia corruperunt, omnes depauperarunt. Judæorum æmuli erant, ut *l.* 14 niſi quod eos nequitia vicerint. De eis Anglorum querimoniam vide 753.47. Vide & 470.20. De eorum initio in Anglia vide 352.49. Obligationis eorum formam habes uncinatam 352.353.

Cellarius & Cellerarius 14.5, &c.] Cellarius ſive promus. Ubi promus explicationis gratia à priore Evulgatore eſt additus. Sane eum fuiſſe Obedientiariorum ſive Officialium primarium in Monachorum clauſtris invenio, qui vini & tritici diſpenſationem procurabat, inquit Gregorius Tholoſanus [p]. Procuratorem pepi alii vocant. Is ferè eſt credo, quem collegia noſtra Burſarium vocant. Sed plures in uno clauſtro fuere Cellarii. In 1007.41 Cellarium Monachorum & Curiæ. Et 1018.1 Cellerarium hoſpitum, qui (ut *l.* 6 & 8 apparet) idem erat cum cellerario curiæ. Erat & cellerarius coquinæ 1043.8. Sed hi inferioris erant conditionis; eorum autem primicerius is erat, quem abſolutè Cellarium nominabant.

Ceppagia 1080.37] Qui foreſtarii ceperint coopertiones, ceppagia & eſchaetas quercuum, ſive aliarum arborum; i.e. ſtipites arborum ſuccisarum, quæ adhuc manent in terra nondum eradicatæ. Vox legibus foreſtæ peculiaris, à Gallico Cep.

Ceragium 1120.61] Si Eccleſia petat Ceragium, ſcilicet pecuniam ad emendam ceram pro luminaribus Eccleſiæ. Ceratium Wax-ſhot. Vide doctiſſimum equitem.

Cercellas] Avis aquaticæ ſpecies, quam Galli Cercelle vocant, nos a Teal.

Chalami 1070.5] Sonantibus chalamis, ſcilicet fiſtulis æneis, tubis ferè ſimilibus. Aulis, quas Shalmes ſive Hoboys Anglicè dicimus. Vide Burdones.

Chalendra 291.62] Obligavit ſe Imperator ad centum chelindras & quinquagiſta galeias ducendas ultra mare. Navis ſpecies. Scribitur & Chelandrum, & Chelandrium. Vide doctiſſimum equitem.

Cheminagium 219.9.14] Cheminagium pro careta, pro equo qui portat ſummagium. Et in 1082.5 finem vel mercedem pro cheminagio, i.e. vectigal ſive tolonium quod

[m] *Walſinghamus in Rich.* 2. *p.* 251.

[n] *Theod. Studita, ſerm.* 49. & 50. *in Bibl. Patrum, tom.* 2. *p.* 659.

[o] *Sui vexilli pertica uſque ad terræ faciem turpiter inclinata: Petrus de Vineis, l.* 2. *ep.* 1. *p.* 240. *Et ibid. ep.* 50. *p.* 349. *ad idem de carocio. Nam hæc epiſtola eadem eſt ferè cum hac noſtra. Vide Pandulphum Collenutium in Hiſt. Neopolitan. ſub Fred.* 2.

[p] *Syntagm. part.* 2. *l.* 15 *cap.* 40. *p.* 191.

quod foreſtarii exigebant, de vecturis, plauſtris, & equis colonorum, qui per ſuæ foreſtæ ballivas vel limites onera portabant. A Gallico Chemin, via.

Chorus 1070.29] Et ſi fuerit electus (Abbas) de parte Prioris, quam nos Chorum Prioris appellamus, transferetur ad Chorum Abbatis, ubi ſupremus ſtatuetur. Presbyterium ſive chorus Eccleſiarum, in duos ſtallorum ſive ſedium ordines, a dextris & à ſiniſtris dividitur. In ordine dextro in Eccleſiis conventualibus ſedebat Abbas, in parte ſiniſtra Prior: & qui Monachi vel hinc vel inde ſedebant, dicebantur ſedere in choro, ſive Abbatis ſive Prioris. Hi duo ordines ſtallorum in cantillandis Pſalmis alternatim ſive antiphonatim ſibi reſpondebant, quaſi pars utraque chorus per ſe integer eſſet; unde chorus utraque dicebatur, tametſi & totum Presbyterium eo nomine nuncuparetur.

Chriſtianiſſimus] Nondum per Matthæi noſtri ſeculum, sereniſſimis Gallorum Regibus peculiare erat hoc illuſtre epitheton; ſed pluribus commune, omnibúſque fere attributum. Sane Offam noſtratem Papa vocat Regum Chriſtianiſſimum, in 985.29 & 991.46. Et 1088.53 Rex Angliæ dicitur Chriſtianiſſimus, & terra ejus Chriſtianiſſima. Et 648.43 Henricus tertius noſter, Inter omnes Chriſtianitatis Reges dignoſcitur eſſe Chriſtianiſſimus. Ita & 574.32 & 659.12. Etiam & 407.5 Rex Arragonum Chriſtianiſſimus appellatur. Ita & Rex Caſtellæ 368.45. Sanè aliquando, ut 464.18 Papa ipſe hunc titulum omiſit in literis ſuis ad illuſtrem Regem Francorum; licet 645.16 Rex Francorum dicatur Chriſtianiſſimus. Nunc dierum illuſtriſſimo illi Regi ſoli titulus ille debetur; ut Defenſor Fidei, Angliæ; & Catholicus, Hiſpaniæ Regibus. Vide Rogeri Hovedeni Prologum ad partem priorem. Et authorem noſtrum in 1114.12 & Auctario 1139.39. Sanè & Conſtantinus Imperator in Excerptis Polybianis de Legatione, p.778. dicitur ὁ ἐπιδεξιώτατος καὶ χριστιανικώτατος, Chriſtianiſſimus.

Ciltria 694.21] Ager ſive regiuncula non procul à Sancto Albano, quæ in antiqua Saxonum notitia Angliæ **Ciltern**ſ**etna** dicitur, & 4000 terræ hydas continebat [q]. **The Chilterne** hodie dicimus.

[q] *Vide Cambdeni Brit. p.* 114

Cimbalum 1044.5] Quoad cimbalum percuſſum fuerat, i.e campana: occurrit ſæpiùs in Ordine Romano, & apud Rituum Magiſtros.

Ciſimi 645.38] Cum furruris de pellibus variis Ciſimorum. Neſcio quod animal ſit Ciſimus, ſi non nos Angli dicimus **Ermines**. Vide Furrura.

Clameum 480.36] De clameo ſuo proſequendo. Et 1116.52 quietanciam juris & clamei, i.e. juris ſui vendicationis. Inde Clamare, à Gallico Clame & Clamer, poſtulare jus ſuum, vendicare.

Claſſicum 1064.15] Pulſato igitur ſolenni claſſico. Et 1070.5 Pulſato claſſico, i.e. Majori campanâ in turri Eccleſiæ ad convocandum populum, vel ad denunciandum aliquem jam expiráſſe, vel funus jam apparari.

Clauſum Paſcha 467.19] In Octavis Paſchæ quod vulgariter Clauſum Paſcha nuncupatur. Dominica in Albis, ſive Dominica prima poſt Paſcha. Inferius Paſcha, aliis; nobis **Low Sunday**. Vox etiam occurrit in 130.19 & 663.60.

Clerici 1124.68] Clerici verò qui hujuſmodi brevia dictaverint, ſcripſerint, ſignaverint, conſilium & auxilium adhibuerint. Vide & 1125.22, &c. ubi vides clericos brevia Regis dictaviſſe, ſcripſiſſe, ſignaviſſe, imò & conſilium dediſſe: erant enim legulei, neque eiſdem temporibus alii ferè erant juris municipalis noſtri legiſtæ. Studium enim eſt omnium quæſtuoſiſſimum; quod niſi Papa Decretali ſuo clericis inhibuiſſet, timebatur ne Scholæ Theologicæ vacuæ diſcipulis relinquerentur. Vide Additamenta noſtra in 1111.44. Sane & quòd ipſe Regis Procurator primarius (quem Attornatum nunc dicimus) per ea tempora clericus erat, in Johanne Manſel apparet, qui clericus Regis ſpecialis ob id ab authore vocatur. Imò & beneficia tenebant legulei iſti clerici, ut in 1112.12, alibique frequentiſſime. Atque hinc eſt, quod vetus judicum ſecularium habitus, idem per omnia paramenta & erat, & adhuc fere eſt, cum Eccleſiaſticorum virorum ornamentis.

Clito 999.53] Clito Eadgarus, quem in Regem tanquam regali ſtirpe creatum, &c. Eadgarus ille, qui heic Clito pagina proxima 1000.43 Ethelinge nuncupatur. Obiter moneo, per Clitonem Saxones noſtros non ſemper deſignaſſe filium Regis primogenitum, regnique hæredem apparentem, quem Principem nunc vocamus. Hic enim Clito Eadgarus primogenitus non dicitur, ſed tantùm regali ſtirpe creatus. Adjicio, quod omnes Regis filii Clitones appellabantur: ita enim inveni in ſubſcriptione chartæ Regis Æthelredi; Ego Adelſtan filius Regis cum fratribus meis Clitonibus [r]. Qui Clitones omnes in priori charta propria nomina ſua in hunc modum ſubſcribunt; "Ego Æthelſtan Clito. Ego Ægbryht "Clito. Ego Ædmund Clito. Ego Eadred Clito. Ego "Eadwig Clito. Ego Eadgar Clito. Ego Eadward Clito. Qui omnes iidem inet in alia patris ſui charta ſe Regis filios appellant; Ego Æthelſtan filius Regis. Ego Ægbrytht filius Regis, &c. Etiam apud Hovedenum, Edwini Regis germanus (Eadgarus ſcilicet) Clito nominatur [f]. Sic & Eadwardi Regis *frater Egelredus* [t]. Imo & Regis Eadmundi filios Eadwardum & Eadmundum Clitunculos appellat idem Hovedenus [u]. Sed videndus doctiſſimus eques. Duo Anglorum Clitones habentur apud Ethelwerdum, p 482.

[r] *In codice Additamentorum MS. inter ſubſignatas p.* 163. *b. col* 2. & *p.* 164. *a. col.* 4.

[f] *Hovedeni Annal. part.* 1. *p.* 244.
[t] *Ib. p* 245. *Vide & p.* 250. *a. l.* 40. & *p.* 251. *a. l.* 33
[u] *Ib. p.* 250. *b.* 7.

Cæna Domini] Sæpiùs occurrit, ſcilicet pro die Jovis ante Paſcha, in qua cœnam ſuam *Dominus noſter* inſtituit. **Maundy Thurſday**.

Cogga & Cogo 236.65] Sexcentas naves & viginti quatuor coggas bene paratas. Et 253.5 præparatis cogonibus, galeiis, & aliis navibus onerariis. Et 253.49 Ut navibus ſimul & cogonibus conjunctis. Navigii genus, quod **Cogs** Anglicè dicimus.

Cognitiones] Armis, vexillis, & cognitionibus picturatis quas bene noverant. Armis ſcilicet, ſive ſignis armorum Gentilitiis, quæ vel in ſcutis aut vexillis bellatores nobiliores geſtabant, ut à gregariis diſtinguerentur, & a ſuis cognoſcerentur. **Coat Armours & Cognizances** dicimus. Vide 1 Reg.c.22.v.30.

Coifa 844.27,29] Voluit ligamentum Coifæ ſuæ ſolvere, ut palam monſtraret tonſuram *ſe habere* clericalem. Et paulo poſt, Per Coifæ ligamina. Lineum capitis tegumentum, quod **Coife** adhuc dicimus; & eſt mulierculis & legum ſervientibus noſtris uſitatiſſimum. Olim clericis erat indultum, ut raſuram ſive coronas capitum, hujuſmodi cappis ſive infulis defenderent. Audiatur Conſtitutio Ottoboni; "Clerici non niſi in itine-"re conſtituti unquam, aut in Eccleſiis, vel coram Præ-"latis ſuis, aut in conſpectu communi hominum, publicè "infulas ſuas, vulgò Cloyphos (ſcribe Coifos) vocant, "portare aliquatenus audiant vel præſumant. Ubi Gloſſa, Cloyphos vel Tenas. Et iterum, "Portare ſci-"licet in capite, ut ſic tenati publicè incedant. Quin "tamen hujuſmodi cloypham vel tenam portare poſſit in "burſa vel crumena ſua, ad utendum de nocte [x]. Adhuc hujuſmodi Coifis in foris ornantur ſervientes noſtri ad legem, imo in eis creantur; unde **Serjeants of the Coife** dicuntur. Dixi antea (in Clericis) omnes legulelos noſtrates fuiſſe ex Clero. Coife interim eſt Gallicum, & Cuffa Italicum: unde κεφία Græcorum; malè Codino p.36.n.52. σκοφία. Sane Cuphia apud Papiam (ut Meurſius doctiſſimus in σκεφία) eſt cidaris, mitra, tiara, pileus ſacerdotalis. Vox etiam invenitur in Alcuino *lib.* de Officiis, & *in Petro Bleſenſi ep.*74. p.130. Dolent aures & ſcuphæ humeris apponuntur; ubi tu ſcribe cuphæ.

[x] *Ottoboni Conſtitut. apud Lindwodum de Habitu Clericorum p.*68. *b.*11.

Cointiſes 716.16] Milites veſtiti ſerico, ut vulgariter loquamur, Cointiſes. Et 773.19 *Veſtes feſtivas*, quas vulgariter Cointiſes appellant. Sane Cointiſe Gallis eſt elegantia. Coint nitidus; ſed Chaucero noſtro exoticus, ut & Queint & Queintiſe curioſitas. Et nos **queint** eadem ſignificatione adhuc retinemus.

Collarium 730.10] Carens collario lethaliter vulnerabatur. Colli munimen ferreum, a **gorget**.

Collecta 419.11] Talliæ & collectæ imponuntur. 757.14 collectam fecerunt, i.e. collectiones pecuniarias. Et 528.49 extorſionibus, tallagiis, & aliis collectis.

Collecta Magiſtra 1045.17] In feſtis omnes horas per Magiſtram Collectam, quam tempus & hora exegerint, terminari inſtituit. In Quadrageſima tamen dicatur Collecta ad veſperas. Sane Collectam Magiſtram auguror eſſe Collectam diei propriam, cum qua (ferè ut hic olim) nos Angli adhuc Veſperas terminamus.

Collectarium 1003.16] Librum Collectarum Eccleſiaſticarum.

Communa 219.40] Communa totius terræ. Plebs, ſubditi. Inde communes comitatuum 897.52 incolæ.

Communia 516.59] Civilium Communiarum legiones, ſcilicet cohortes conſcriptæ incolarum, qui armis inſtructi, & in eorum uſu exercitati, defenſioni patriæ addicuntur. **Trained Bands**.

Communia hebdomadalia ſcholarium 757.15] Scilicet diæta aſſignata, **ſcholars commons**. Inde venit Excommunicari, in veteribus ſtatutis religioſorum & collegiorum; i.e. communia privari. Ob aliquod delictum ſcilicet, ne communis menſæ in aula vel refectorio cum paribus ſuis ſit particeps.

Compoſtum 825.17] Cum compoſto curiæ Sancti Albani ad prædictum manerium meliorandum. Cum fimo ſcilicet ad impinguendam terram. **Compoſt** Anglicè dicimus.

Con-

Concameratio 103.52] Concamerationem quoque, quæ eſt ultra majus altare, pictura venuſtavit. Cameram ſcilicet ultra murum ſive maceriam humiliorem, cui adhæret altare, & in qua pheretrum erat S. Albani. Et ſane talis concameratio adhuc manet in illa Eccleſia.

Conradium & Corradium 1053.[illegible]] Exigit duo corradia Monachorum ſcilicet alimenta vel præbendas ad certam menſuram, penſo. Vide 1094.29 & 1064.63,65. Vide doctiſſimum equitem; ego enim jaſſus feſtino.

Conſtabularius 107.52] Conſtabularium & omnes milites ad deditionem coegit, & caſtellum ſubvertit. Hic ponitur pro caſtellano, quem adhuc caſtelli conſtabularium vocamus. In 1028.63 Richardo de Lucy & Richardo de Humez conſtabularis. Ducibus ſcilicet belli, quos Generales vocamus: ille enim Richardus de Humez antea *l.* 11 Princeps militiæ vocatur. Ita & 1042.14 Robertus filius Walteri Dux exercitûs Baronum, ſe conſtabularium exercitûs Dei nominabat. Ceſtria urbs olim habuit ſuum conſtabularium, ut in 178.5 alibique. Adjicio, in Brevi illo ſive Mandato Regis de Juratis ad Arma [y], videbis conſtabularium capitalem in centuria quaque, & unum vel duos minores conſtabularios in unaquaque villa ordinari ad cuſtodiendam pacem; qui licet in prima inſtitutione vigiliis copiiſque militaribus præficiebantur, hinc tamen parochianos conſtabularios noſtros originem duxiſſe, non longe forte aberrabit, qui conjiciet; licet Lambardus non ante an. 13 Ed. 1. eos inſtitutos memoret. Sed ego nihil definio: videatur doctiſſimus eques, qui copioſiſſimè de conſtabulariis diſputavit.

[y] *Vide Breve illud poſt Adverſaria noſtra.*

Conſuetudinarium 1003.18] Liber conſuetudinum conventualium; ita enim author ipſe exprimit 1004.5. Conſuetudines qui videre deſiderat, in Conſuetudinario ſcriptas poterit invenire.

Conſul 15.29] Conſulis Roberti cepit, &c. i.e. comitis; ita enim lineâ antecedente vocatur ille Robertus. Sed clariùs 850.57 ad conſulem acceſſit dicens. Domine comes. Inde & conſulatus pro comitatu.

Contrada 301.16] Contrada tota deſcendit inde uſque ad Joppen, i.e. Regio. Vox etiam apud Petrum de Vineis invenitur, Veniſtis in Contradam [z]. Eſt Italicum; ſed in legibus Neapolitanis ſive Siculis, Contrata ſcribitur [a]. Nos **country** dicimus.

[z] *Petrus de Vineis, l.* 2. *ep.* 54. *p.* 357 & *l.* 3. *ep.* 11. *p.* 398.

[a] *Conſtitut. Siculæ, l.* 3. *tit.* 38. *p.* 843.

Conventionare 551.34] Quod omnia quæ conventionavit Domino Regi, &c. quæ pactus ſit. **Covenanted.**

Coopertiones] Inquiratur qui ceperint coopertiones, ceppagia, & eſchaetas quercuum, ſive aliarum arborum. In 1082.34 capita ſive ramos arborum ſucciſarum.

Coopertum 219.5] Extra coopertum in terra arabili. Ubi ponitur pro arbuſtis ſive dumetis humilioribus, in quibus cervi feræque latere amant. **Covert** foreſtarii venatoreſque noſtri vocant.

Coopertoria 1095.36] Coopertoria ſint de albo vel de nigro panno, &c. i.e. Monachorum cuculli ſive frocci, vel veſtes exteriores Benedictinorum. 1099.27 Nullus utatur tunica de burnetto vel coopertoriis, vel alio panno. Ubi tunica veſtis interior conjungitur cum coopertoriis. Ultramontani Monachi aliqui (dicit Turrecremata [b]) vocant Flocum, ipſe Cucullum videtur appellare, quem tu vide. Cucullum cum frocco conjunctum habes in 992.29. Alicubi etiam coopertoria ſunt lectorum ſtragulæ ſuperiores, quas nos **coverlets**, & Regula S. Benedicti Lanas appellat.

[b] *In Regulam S. Benedicti, tract.* 121. *c.* 55.

Cordewon 1058.41] Calceamenta quæ de vili corio, quod vulgariter Bazan dicitur, in alutam, i.e. Cordewon civiliter commutavit; i.e. ocreas, quas 1044.57 ex corio ovino factas queritur, ex tergoribus caprinis deinceps conſui, Abbas iſte inſtituit. Gallice enim Cordovan eſt corium caprinum alutariorum arte præparatum. Atque hinc eſt quod ſartorem calceariorum Galli adhuc vocent Cordovannier, & nos Angli **Cordwainer.** **Cordewane** eſt corium alutum Chaucero noſtrati, ſed nondum ſevo illitum.

Corporalia 997.34] In capſide quæ eſt ſuper altare, ubi inveterata corporalia reſervabantur; ſcilicet ſindones, lintea, vel ex puro lino panni, quibus corpus Domini ſive panem ſanctificatum tegunt. Vides ibi reverentiam veterum. Pallas ſacras etiam vocant, non tamen eas pallas quas complicatas ſupra calicem ponunt; ſed ſindonem illam quam in altari extendunt explicantque, ut docet Innocent. 3.

Coſta maris 217.6] Per totam Angliam, niſi per coſtam maris. Juxta littus, ſcilicet vel oram maritimam regni. **The Sea-coaſt**, vel **the Coaſt ſide**, Anglicè dicimus.

Coſtrelli 836.17] Vaſa quædam quæ Coſtrelli vocantur, veneno reperiuntur plena. Pro poculis vinariis uſurpat Chaucerus noſter.

Curari 219.2] Quicunque Epiſcopus, Comes, vel Baro, tranſierit per foreſtam noſtram, liceat illi unam vel duas beſtias occidere; ſub autem faciat cornari, ne videatur furtive facere: i.e. jubeat cornu inflari & ſonari, ne videatur furtive facere.

Credentia 725.32] Literas de credentia ex Nobilibus Gaſconiæ Legati attulerunt. Et 844.64 credentiæ literas Legatus oſtendit. Literas ſcilicet Regum ſigillis communitas, quas Legati eorum illi Regi ad quem à domino ſuo mittuntur, in prima (ut vocant) audientia tradunt: per quas Rex mittens petit, ut Legato ſuo credatur, & pro miſſo ſuo honorifice recipiatur. Vide 509.48.

Criſta 1010.6] Criſta feretri. Limbus ſcilicet ſuperior, quo circundatur opus & ornatur. **The Creſt, the Chaperell.**

Cruſta 717.64] Aurifabro talenta, vel cruſta, vel jocalia emanxit. Exiſtimo fuiſſe laminas aureas, ex quibus vaſa aurifices efformabant. **Plates.**

Cultellus] In Mandato Regis ſuper Juratis ad Arma, poſt Adverſaria noſtra; Unuſquiſque habeat cultellum. Vide Anelacius.

Culvertagium 196.21] Omnes cum equis & armis juſſit ſub nomine Culvertagii convenire. Et *l.* 19 Sub nomine Culvertagii & perpetuæ ſervitutis. Et *l.* 59 Nihil magis quàm opprobrium culvertagii metuentes. Ubi vides vocem ſatis vulgarem tam Francis quàm Anglis fuiſſe; & niſi culvertagium ſit ſervitus (cum qua conjungi videtur) omnino quid ſiet neſcio. Terras forte ſive feoda in ſervitio militari, qui de Rege vel Dominis aliis tenebant, eas & ea ſimul cum honoribus & privilegiis unitis amittere timebant. Atque hoc antiquis erat perſonas amittere (ut Legiſtæ Imperiales [c] dicunt) ſive capitibus diminui; & ſic ex hominibus liberis ſervos effici, & feoda amittere, ac ſi feloniam perpetraſſent. Perpende 196. 21,22. Scio Culvert noſtratibus & Gallis antiquis, pro columba ſive pullo columbino accipi. Sed neſcio an ex conſuetudine temporum eorum, pullum haberi & vocari Columbinum, pro tanto opprobrio duceretur, quaſi timidum & imbellem vulgariter denotaret.

[c] *Vide Theophilum in Inſtitut. l.* 1. *tit.* 16. *p.* 11. *Et Conſtitut. Siculas, l.* 1. *tit.* 50. *c.* 2. *p.* 729.

Cuneus 649.44] Cuneus monetalis; & *l.* 46 Cunei emolumentum. Formæ chalybeæ ſcilicet, quibus moneta percutitur, & figura imprimitur. **Coyning Irons.** Hinc noſtrum **Coyn**, & non à κοινὸς, ut vulgò exiſtimatur.

Cura 1043.35] Curâ cum iis exiſtente. Maſculinè ſane ponitur pro Obedientiario ſive Officiali illo Monacho, qui curam illius cameræ ſive locutorii habebat. Poſtea *l.* 40 Hoſpitalis dicitur, qui ſcilicet præerat locutorio hoſpitum. Ita & *l.* 64 Curâ cum iis remanente, qui cum ipſis manducet. Et *l.* 65 Cura qui cum minutis comederit. Ita etiam Monachi Benedictini fratrem illum, qui poſt completorium cameras officináſque ſingulorum de more viſitat circuitque; Circa, ſive Fratrem Circa, appellant [d].

[d] *Vide Onomaſticon ad Apoſtolatum Benedictinorum.*

Curſarii 339.24 & 591.4] Curſarii & Pyratæ, latrones maris, qui maria diſcurrunt. Hinc Gallicum Courſaire, pro Pyrata. Vox etiam occurrit in Bulla Papali dicta in cœna Domini, Excommunicatione tertiâ. Vide Alterium de Cenſuris in eam Bullam, diſputatione 4. p. 458.

Curſor Regis 857.44] Et paulo ante Curſorem Regis apprehendiſſent, & ſibi manum amputaſſent. Sane video hunc Curſorem Regis Proſecutorem fuiſſe Armorum, ſive Purſuivandum, ut vocant; nobilis collegii Heraldorum miniſtrum, qui Heraldo ſerviebat, ut olim Diaconus Sacerdoti. Hujus celeberrimæ Haraldorum ſcholæ vides antiquitatem, & quod per ea tempora in claſſes & miniſteria ſua diſtribuebatur.

Curtein 355.23] Gladium S. Edwardi qui Curtein dicitur. Tres gladii Regibus noſtris in Coronationis ſolennitate anteferuntur, quorum unus eſt Curtana ſive Curtein, & eſt cuſpide aciebúſque retuſus, in ſignum miſericordiæ populis à Rege præſtandæ.

Cuſtos Eccleſiæ 567.57] Cuſtodis Eccleſiæ ejuſdem villæ, ſcilicet Rectoris, Perſonæ. Et in 1006.46 Presbyteris & Eccleſiarum Cuſtodibus. Scio tamen vocem aliter aliquando ſonare, ſed inquirere non vacat.

Cuſtus 525.20] Sine omni cuſtu apponendo; i.e. expenſis. Et 551.6 Ad proprium ſuum cuſtum; **coſt** Anglicè dicimus.

Cuſtumarii 1081.58] Si foreſtarii habeant cuſtumarios reddentes eis annuos redditus; i.e. conſuetudinarios ac ſtiticas, qui privatis pactis annuatim tantum pecuniæ ſolvebant foreſtariis, ut liceat eis animalia intra foreſtam alere ſive agiſtare, vel aliis frui emolumentis. **Cuſtomers** Anglice dicimus, qui officinas ſive tabernas mercatorum vel artificum ad res emendas frequentant.

Cuva 1042.23] Unam majorem cuvam de draſco. Et 1062.54 cuva plena aquâ. Et 1063.55 vas ligneum majus, ſive cupa vel labrum. A Gallico Cuve vel Cuveau. **A Keeve** alicubi in Anglia, frequentiùs tamen **A Tub** or **Fat** dicitur.

D

Dalmatica 978.15] De Dalmaticis noſtris ad ſingulas Epiſcopales ſedes, &c. Dalmatica veſtis a Dalmatis populis petita, atque Imperatoribus Commodo, Pertinaci, aliiſque primùm uſitata, à viris principibus quibuſcunque poſtea affectata fuit. Tandem verò eadem cum levitate rejecta, qua olim affectata, in deſuetudinem fere inter Romanos abiit. Diutiùs tamen apud Regulos exoticos (extra Imperii limites ſcilicet) hæſit; à quibus inter regales habitus æſtimari cœpit. Diutiſſimè omnium (ut ſolent habitus veterum alii) in Eccleſia perduravit. Et ut olim laicis nobilioribus Romanæ urbis fuiſſet in deliciis, ita poſtea ab ejuſdem Pontificibus aut uſus, aut utendi licentia, peculiariter fere vendicata. Proceſſu temporis quam Gregorius magnus vix Epiſcopis, atque earum Archidiaconis tantùm conceſſit c, Diaconis omnibus eſt permiſſa. Sed non per tempora Caroli magni Offæque noſtratis. Atque hinc eſt quod Imperator hic ſcribat, ſe Dalmaticas ſuas ad Epiſcopales ſedes tantummodo direxiſſe. Scio Regibus atque Imperatoribus mediæ ætatis Chriſtianis, ob illam præcipue rationem Dalmaticas aliquando geſtas fuiſſe, quia Rex eſt perſona mixta cum ſacerdote. Imperatores etenim Conſtantinopolitanos in proceſſionibus Eccleſiaſticis Dalmaticatos inceſſiſſe, viceſque Diaconorum ſuſtinuiſſe, me docent Conſtantinus Porphyrogennetes & Codinus. Adhuc etiam in S. Edwardi Confeſſoris & Regis, Dalmatica & Manipulo inaugurari, Reges noſtrates ſcio. Sed de Dalmaticis juſtum aliquando inſtitui tractatum ineditum, inter cæteros ſcilicet habitus Eccleſiæ veteris & modernæ.

c *Vide Gregorii magni ep.* 133. *l.* 7. *Indict.* 2.

Damnationes 860.4] Ne roberias vel damnationes facerent; i.e. ne latrocinia perpetrârent, & populis damna & ſpolia inferrent. **Damages** Angli dicimus, & inde **indamaged**.

Dapiſicos 835.39] Dapiſicos cocos, & pincernas. Condimentarios ſcilicet, aut ut vocamus Confectionarios; qui bellaria ſaccaro condiunt, aromatûmque ſpeciebus.

Deafforeſtare] Vide retro in Afforeſtare.

Dealbatio 649.31] Pro opere aurifabrili, i.e. monetationis, quam vulgariter Dealbationem vocabant. Quaſi monetæ ſpecies aliqua per ea tempora ex cupro eſſet, ita ut argento dealbari indigeret.

Defalta 1078.27] Quando viderunt defaltam illam. *l.*34 per negligentiam interpretatur. Et ita forenſibus noſtris ſignificat Defalte, à Gallico Default.

Defenſa] Venationem in iſta foreſta & defenſa Regis latrocinaliter ſuſtulerat. Infra clauſuram vel ſepimentum foreſtæ. Sepem dicimus **a fence**, 1071.50.

Deforciare & difforciare 356.24] Quicunque deforciaverit eis dotem, & de ipſo deforciamento convicti fuerint; i.e. per vim abſtulerint. Et 85.10 Si aliquis deforciaret Domino Regi rectitudinem ſuam, i.e. per vim impediret; vim enim **force** dicimus. Inde & Deforciatores 356.28. Vide 550.60.

Degutare 74.52] Verubus transfixi ad ignem aſſati deguttabantur. Lixarum vox eſt, guttis butyri liquefacti carnes aſſas humectantium.

Dais 1070.31] Priore prandente ad magnam menſam quam Dais appellamus. Et iterum 1140.61 In majori menſa quam Deis appellamus. Neſcio unde derivetur.

Deperſonatus 616.30] Non eſt deperſonatus mihi miniſtrando, cum ſis filius Comitis, ego Regis & Reginæ; i.e. Perſona tua in mihi miniſtrando non eſt dehoneſtata, aut inhonoratior facta. Vide Perſona.

Dextrarius 502.54] Inſidebat equum nobiliſſimum, Dextrarium Italicum. Et ſanè Dextrarius erat equus nobiliſſimus, belloque aptus. A Gallico Deſtrier; uti & nos Angli olim vocavimus. Vox exteris etiam notiſſima; apud Petrum enim de Vineis & Hincmarum occurrit.

Diaria 1003.6] Diaria dari ſcriptoribus ad edendum ne impedirentur. Et *l.*29 Diariâmque earum & diaria ſub certa quantitate eis aſſignavit. Et alibi, pro tribus diariis de reliquiis menſæ Conventualis, ne ſcriptores in eſcis emendis impedirentur. Diurna victualia vel opſonia; diæta.

Dies ad piſcem 773.18] Poſt refectionem lautam ac ſplendidam, licet eſſent dies ad piſcem. Dies Veneris forte, vel privilegium aliquid, in quo non carnibus ſed piſcibus veſci permittebatur; **a fiſh-day.**

Diffidare 727.15] Rex Mareſchallum diffidavit per Epiſcopum Meneuenſem. Et 336.10 Semel & iterum me diffidavit, i.e. bella & inimicitias tanquam per fecialem miſſum indicere & denuntiare; **to defie.** Inde diffidatio 852.59. Vide doctiſſimum equitem. Vox Petro de Vineis etiam uſitata.

Diffiduciare 852.41] Reſcribens eis literam diffiduciationis ſub hac forma. Idem cum diffidare & diffidatio. Vide 482.49 & 962.8,25.

Difforcio] Vide Deforcio.

Diſciplina 731.60] Ferens in manu virgam —— à ſingulis fratribus diſciplinas nuda carne ſuſcepit. Et 154.54 A vobis diſciplinas accepiſſem, i.e. verbera virgarum. Et ſanè hujuſmodi flagellationem **diſcipling** ſive **diſpling** corrupte adhuc vocamus. Vox a Monachis oriunda.

Diſconfitura 318.39] Et quòd in diſconfitura quæ erat in mari. Cùm in bello pars altera victoriam obtinuiſſet, hoſtibus diſconfituram dediſſe dicebantur. **To diſcomfit** dicimus.

Diſcopulandus 411.19] Legiſtarum magnam catervam apud ſe Rex retinuit, quaſi venator canes venaticos ſuper electores Prælatorum diſcopulandos. Canes venaticos binos, & binos catenulis connectere, **to couple**; catenulas ſive copulas ipſas **couples** dicimus, & eas ſolvere ut in prædam irruant, **to diſcouple.** Ita ferè & Galli.

Diſfortiare] Vide Defortio.

Diſparagare 334.41] Puellas nobiles & alias mulieres nubiles, cum wardis ac maritagiis quas dant ſuis, diſparagant; i.e. talibus in matrimonio locant, qui eis tam natalitiis quàm dote ſunt diſpares & inferiores. Vox eſt forenſis à Gallicis mutuata; **to diſparage** dicimus. Hinc Diſparagatio; Hæredes maritentur ſine diſparagatione, 215.56.

Diſrationare 659.26] Paramur judicialiter duello ſuper eos veritatem diſcutere & diſrationare. Et 1053.13 Ut queſtio illa per duellam diſrationaretur. Contrarium ratione & lege duelli probare. Ita in legibus Edwardi Regis, p.140. " Si quis poſt juſtitiam factam fecerit clamorem quod injuſte interfectus ſit, & dixerit " quòd vellet hoc diſrationare, det vadimonium ſuum, & " inveniet plegios. Vide plura ibid. In foris & tribunalibus diſrationare, eſt rationibus contrarium probare. Vide D. Cowellum & doctiſſimum equitem. **To darreigne battel** olim dixerunt noſtrates, litem duello dirimere & diſcutere. Antiquis Normannis erat lex probabilis, & lex Deraiſniæ. Prima quando interpellatus probat hoc eſſe à ſe factum, quod ab interpellatore negatur: Secunda ſive lex Deraiſniæ, quando probat rem à ſe non factam, de qua accuſatur. Ita Rubigineus in Conſuetudinibus Normanniæ. Vide plura apud doctiſſimum equitem, D. Cowellum, & Johannem Skenæum.

Diſſeiſina, diſſeiſino, &c.] Vide Seiſina.

Diſtringere 786.33] Nolo pecunias ſuperiori commodare, quem non poſſum diſtringere. Quem non poſſum in jus citare, vel cujus bona (ſi noſſet ſolvere) non poſſum attachiare, aut per Ballivum in meos uſus capere, ut inde mihi debitum compenſetur. Vide doctiſſimum equitem.

Diviſa 504.52] Cum terris quæ ſunt nominatæ in diviſis Hieruſalem. Terræ ſcilicet quæ in publica agrorum partitione Hieroſolymitanæ ſorti obtigerunt. Inde caſtellum de Diviſis in Anglia, quia in eo fundo ædificatum erat, qui in publica diviſione terrarum Epiſcopo Sariſberienſi aſſignabatur. A Gallico Diviſer, dividere; & inde agrorum limites diviſæ vocantur.

Dominicale tabulatum 1017.12] Antequam medium operis ad tabulatum ſurgeret Dominicalem. Credo **the maſter table** noſtratibus dici.

Dominium 1042.4] Dominii noſtri de Luitona. Patrimonium domini fundi, terra dominica, manerium de qua tenent coloni, & ei ex conſuetudine manerii tale vel tale debent ſervitium. Omnino videndus doctiſſimus eques in Domanium & Dominicum.

Dormitorium] Sæpiſſimè occurrit. Cubile ſive camera communis Monachorum, ubi ſimul dormiebant; **the Dorter.**

Dormitorium ſecretius 1048.42] Super ſedile in ſecretiore dormitorio. Cùm ceſſaſſet per tracheam ebulliendo perſtrepere, audita eſt in cloaca ubi miſer ſedebat. Sic igitur miſer ille ſimul cum ſtercore animam turpiter egit. Cloaca dormitorio vicina.

Doſſale 1006.28] Doſſale ſive Tapetium in quo paſſio S. Albani figuratur. Cortina ſcilicet ſive Palla ad dorſum menſæ dominicæ, in maceria ſive pariete pendens ad ornamentum altaris. Frontale aliàs dicimus. Ita & 1013.27 Dedit quoque dorſale magnum, in quo intexitur inventio S. Albani, cujus campus eſt aerius. Dorſalia etiam hujuſmodi Aulæa à tergo ſuſpenſa rectiùs vocabant.

Draco 853.29] Rex progreditur vexillis explicatis, præcedente eum ſigno Regio nuntium mortis prætendente, quod Draconem vocant. Hoc etiam & alluſerat antea 819.42. Sanè & adhuc palladium ſive vexillum Angliæ

gliæ regale eſt Draco, ut Francorum olim Oleoflamma. In prælio Regem præit, habétque vexilliferum ſuum hæreditarium, qui illum bajulare de jure tenetur. Eſt & aliud ſignum Draconis, quod dum caſtrametatur exercitus ante tentorium, ſive papilionem regium, ubi prætoriani excubant, noctе diéque explicatum à dextris aliorum ſignorum figitur. Ubi & ego rictantem ſæpiùs inſpexi Draconem illum, in hac ultima expeditione Scotica anno 1639. Etiam & Imperatores Germaniæ Draconem aliquando in vexillis erexerunt; ita me docet Brito Armoricanus, de Othone Imperatore ſic ſcribens[f];

"Erigit in carro palum, palóque Draconem
"Implicat ———

Habes & milites draconarios, i.e. qui ſigna portabant in militia Pontificis Romani[g].

[f] Brito Armoric. Philippid. l. 11

[g] Ordo Roman. col. 87 in Bibl. Patr. to. 10. edit. Pariſ. 1624.

Draſcum 1042.23] Curam de draſco exiſtimo fuiſſe hordeum ſive braſerium coctum, poſtquam cervisia inde exprimeretur. **Drains, grains, draff & dreſs**, nos dicimus.

Dromo 1094.2] Magnæ naves quas Dromones appellamus. Vide Dromundus.

Dromundus 136.53] Navis quædam permaxima, quam Dromundum appellant. Ita & 118.36,38 tres malos habebat. Dromant Galli appellant, & Promones Gothi, uti me docet Olaus ille magnus[h]. Sunt autem Dromones verbo Græco, Gothico autem ſermone Promones, naves ſubductiores, tabulatis undique ad propugnaculi caſtellive ſpeciem communitæ. Sane Dromonarios horum rectores navigiorum appellatos dicit Goldaſtus.

[h] Olaus magnus in Hiſt. Goth. l. 9. c. 20. p. 376.

E

Efforcialiter & efforciatè 1111.18] Promiſerunt quòd efforcialiter vobis ſubvenirent de pecunia ſua. Potenter. Et in 196.55 Tu ita efforcialiter venias cum equis & armis. Vim ſive potentiam, **force** Anglicè dicimus; & copias bellicas, **forces**.

Eleemoſynaria 992.34] Ut ſanctimoniales in Eleemoſynaria commorarentur voluit. Domus vel vitulus juxta Abbatiam, ubi habitabant qui de domûs Eleemoſynis ſuſtentabantur. **The Almry.**

Emenda 1077.23] Regi quales emendas faceret. Scilicet qualem compenſationem. **Amends** Angli dicunt, à Gallico Amend. Frequentiſſimè vox occurrit, ut 215.48 Nos ab eo capiemus emendam.

Emir 1104.11] Procurator civitatis, qui lingua eorum Emir dicebatur. Eſt vox Turcica, & dominum ſignificat.

Epiſtolarium 1003.17] Liber epiſtolarum per annum in Eccleſia legendarum. Apoſtolum veteres dicebant.

Equitatio 36.61] Cum legionibus ſuis equitationem faciens cepit caſtrum. Scilicet ſubitaneam excurſionem ex caſtris equeſtrem, ad intercipiendum tales copias, victualia, vel munitiones. Cavalcada dicunt Hiſpani, nos **To make or ſend out a party.** Scribitur Equitatus in 263.15.

Equitatura 264.15] Eadem quæ Equitatio.

Eſcambium 1006.7] Terram dedit in eſcambio. Scilicet in eſcambio vel commutatione.

Eſcharta] Vide Excaeta.

Eſcarletum 371.56] Telas de Eſcarleto. Et 654.38 Pretioſiſſimas robas de Eſcarleto prælecto, ſcilicet coccineas.

Eſcheccum 480.63] Si habuerint liberam venationem vi aut permiſſione prædeceſſorum prædicti Abbatis, vel per Eſcheccum. Ita & 481.10 ſcilicet increpationem Abbatis, vetationem, & interruptionem. **Check** enim Anglicè eſt increpare, & **a check** Chaucero noſtro eſt impedire, inhibere, ne faciat vel eat aliquis.

Eſchipatus 196.37] Naves bene eſchipatas bonis & probis marinellis. Naves Anglicè **ſhips** dicimus; ſed pro Eſchiapatas, quæ eſt in MS. vetus evulgator legit adornatas. Ergo Eſchipatas eſt bene adornatas, ita ut naves deceat.

Eſclavus 727.11] Vide Sclavus. Nam (Es) ſane aut otioſum eſt in initiis verborum aliquot, (ut Eſcheccum, Eſcarletum, Eſterlingus, & Eſtoverium) aut ſupplet locum Gallici articuli Le; ut pro Hamone le Strange, ſcribitur Eſtrange.

Eſſartum] Vide Aſſartum.

Eſterlingus] Vide Sterlingus.

Eſtoverium 215.64] Et vidua maneat in domo mariti ſui, & habeat rationabile eſtoverium. Vox forenſis pro victu & veſtitu; à Gallico Eſtover, fovere. Inde pabulum animalium **ſtover** adhuc dicimus. Vide D. Cowellum noſtratem, & doctiſſimum equitem. In legibus etiam Scotorum cavetur, ut tutor ſive guardianus, pupillo ſive wardo ſuo, rationabile eſtoverium aſſignet ad eum honorificè ſuſtentandum.

Examitum 1070.62] Dedit unam capam choralem de rubeo Examito bene auriſrigiatam. Panni holoſerici ſpecies.

Excaeta 1065.22] Exceptis Excaetis. Et 376.37 ſcilicet caduca, quæ domino fundi ultra redditum ſive exitum annuum contingunt, ratione dominii ſive feodi ſui. Vide doctiſſimum equitem & D. Cowellum. Sæpiſſimè ſcribitur Eſchaetum & Eſchaeta, ut 516.18 & 217.43,44. Eſchaeta arborum 1082.35. Vide Cablicia.

Excheator ſive Eſchaetor 1118.63] Eſcaetores ad bona decedentium manus extendunt. Officiales, Ballivi, ſive Publicani Regis, qui eſchaeta ſive bona defunctorum ſine hærede colligebant, in uſus regios fiſci. Hos 1120.37 vocat Ballivos Regis, qui bona defuncti ſaiſiant.

Excommunicare Judæos 590.60] Judæis verò ad remittendas uſuras, per ſecularem compelli præcipimus poteſtatem; & donec illas remiſerint, ab univerſis Chriſti fidelibus per Excommunicationis ſententiam eis omnino communio denegetur. Ubi vides hanc excommunicationem per ſeculare brachium inflictam eſſe; non enim erat Eccleſiaſtica cenſura, nec à communione fidelium, de qua omnino non erant, Judæos jam ſeparabat. Sed quod graviùs ferebant, lucello ſemper inhiantes, communio commercii cum Chriſtianis univerſis eis interdicebatur. Sane oppidanum commercio cum Academicis privare, ut nihil eis vendere licebit. **To diſcommon him**, dicunt Cantabrigienſes mei. Ita etiam & in quibuſdam canonibus pœnitentialibus, & in Collegiorum Monaſteriorúmque ſtatutis, Excommunicatione puniri, eſt à menſa communi & refectorio communi arceri. Sane & communicare eſt colloqui cum aliis paciſcendi causâ. Sed abſtineo. Vide 1121.31.

Exitus 215.45] Cuſtos terræ hæredis (wardi) non capit de terra hæredis niſi rationabiles exitus, ſine deſtructione vel vaſto; i.e. redditus annuos & emolumenta ordinaria, quæ communiter & ex ſe exeunt de hæreditate. **Rents & Iſſues**, & in 1077.42 Rex à juſtitiario ſuo exigit omnes exitus regni ſui; i.e. tam redditus ſtatos & annuos, quam caduca ſive eſchaeta fortuito obvenientia. Vide Skenæum de Verborum Significatione.

Expeditare 273.40] Canes qui priùs expeditari ſolebant. Vox foreſtæ, cujus accolarum canibus, ne cervos aut lepores regios venarentur, lege cautum erat, ut aut ortilli vel ungues pedis dextri anterioris, juxta ipſam cutem abſcinderentur, aut ut carnea pars plantæ pedis excavaretur. Canis ſic ſectus dicitur Expeditatus, 218.40. Inde & canum expeditio l.56, quam **the lawing of dogs** dicunt noſtri foreſtarii. Vide doctiſſimum equitem.

Eyſnecia 471.36] De mortui patris primogenita cohæres nihil petere de hæreditate poſſit plus quàm minor, niſi capitale meſſuagium nomine Eyſneciæ. Scribe Eſneciæ, quæ à Gallico l'Aiſné, primogenitus venit. Eſnecia igitur Enecia, ſive Eſnecia, eſt jus primogenituræ. Inde Eneya in Scotorum legibus eſt capitalis ſive principalis pars hæreditatis; quæ in ſtatutis noſtris de Marlebrige cap. 3. vocatur Enitia pars hæreditatis.

F

Fanon 1013.7] Oratium cum Fanone. Velerat linteа ſindon, quam in ſinu manuve ſacerdos ferebat cùm ſacris operaretur; vel linteum, quo antè calicis operiebantur. Sed credo quod in prima ſignificatione ſit accipiendus, & non omnino in iſta tertia, ſcilicet pro ſindone qua populus vinum & aquam in Miſſa olim offerebat; nam hæ omnes ſindones Fanones dicuntur.

Faudeſtola 1045.27] Unam cathedram quam Faudeſtolam vocant. Sed corruptè pro Faldiſtorio, quam hallucinationem ſyllabæ Stol pro Stor hinc ortam fuiſſe hariolor, quia **ſtool** noſtratibus eſt ſedile ligneum portatile. Faldiſtorium autem in Eccleſiis Cathedralibus eſt cathedra major, ſed mobilis, & throno minor; in qua nunc hîc nunc illic in Eccleſia ſedet Epiſcopus.

Felo 196.23] Sub nomine felonis. Hinc felonia, quæ eſt crimen, culpa, ſeu injuria, (ut inquit Hoſtienſis) propter quam vaſallus amittit feudum. Sed noſtratibus is felo eſt, qui tale crimen committit, propter quod vitam ſimul & bona amittit. Etiam qui ſeipſum occidit dicitur Felo de ſe. Vox forenſis eſt, ſed vulgo notiſſima.

Feoffare 1082.57] Si inde aliquem feoffaverint; i.e. ſi in feodi ſui poſſeſſionem legaliter aliquem intromiſerint, jus tradiderint, eóque alium inveſtiverint & infeodaverint.

Feofirma 1006.63] Conceſſit villam de Stanmera in Feofirma, in **Feefarm**. Vide Feudofirma.

Feſta in cappis 1055.22] In feſtis quæ in cappis ſunt, & maximè præcipuis. Feſtis ſcilicet duplicibus & principalibus,

cipalibus, quando ob majorem ſolennitatem Miſſam in cappis choralibus celebrabant. Et talia feſta In cappis nuncupantur in 1058.49 & 1059.9. Sane in Miſſa ea celeberrima dicta Mozarabes (cujus pulcherrimum equidem habeo exemplar) aliquando occurrit feſtum trium, vel ſex, vel novem capparum. Vide quæ retro notavimus in Cappa.

Feudalis 418.57] A Templariis & Hoſpitallariis revocata ſunt Feudalia & Burgaſatica quæ habuerint. Feoda ſcilicet militaria. Vide retro Burgaſatica.

Feudofirma 217.22] Si aliquis teneat de nobis per Feudofirmam, vel Socagium, vel Burgagium. Et 676.15 Partem ſuam in ſylvis, &c. ad Feudofirmam dimiſit. Vox forenſis à feodo & firma compoſita, quando dominus fundi feodum ſuum firmario dimittit in perpetuam poſſeſſionem ab eo tenendum, una cum tanto reddítu vel exitu annuo ei ſolvendo, & tali ſecta vel ſervitio ſibi curiæque quæ [illegible] præſtandis.

Fidelitas 513.54] Fecerunt ei homagium & fidelitatem ligantiæ. Obſequium vaſſallorum erga dominum, ſacramentum fidelitatis ſubditorum erga Regem; **homage and fealty.**

Finis 650.15] Quòd Rex clanculo captus & retentus fuit, & tacito facto fine dimiſſus. Ubi finis eſt λύτρον, pretium redemptionis. Et in 1081.61 qui finem capiant de foreſtariis; & 1082.5 qui ceperint finem vel mercedem, i.e. quando tenens domino tantam pecuniam in præſenti dat, ut redditus annuus ſive penſio fundi vel domûs minuatur. Alii dicunt Gerſumam. Nobilis fraus Londinenſium, qua naviter emungunt parochos urbicarii [illegible]. Et l.41 qui ceperint finem vel amerciamentum, & 1122.34 amerciamenta quæ Epiſcopi habere debent, Juſtitiarii Regis convertunt in finem. Vox forenſis ita plures ejuſdem ſignificationes habet; videantur doctiſſimus eques, cum D. Cowello & Skenæo.

Fiola 176.39.41] Fiolam in qua poſuerat de oleo illo. Phialam vel ampullam vitream, quam nos **a viol glaſs** vocamus.

Firma 1007.36] Habemus 53 firmas. Firmam vocamus 16 ſolidos. Firma enim eſt redditus annuus, quem dominus fundi à colono recipit pro terris elocatis. Etiam & terra elocata firma dicitur, & colonus firmarius. Et 216.56 Hundredi, &c. ſint ad antiquas firmas ſine aliquo incremento, **at the old rent.**

Firmaculum 676.33] Capam choralem dilaceravit, & firmaculum quod vulgariter morſus dicitur, avulſit, quod auro & argento & gemmis fuerat pretioſum. Eſt anterior particula capæ choralis in pectore geſtantis, qua latera veſtimenti connectentur. Erat & inſtar Pectoralis ſive Rationalis Aaronici, heic igitur auro rigida, gemmiſque refulgida. Particulariter tamen firmaculum erat ipſa rationalis fibula ſive morſus, ut in 708.43 firmacula aurea; & 783.3 zonis & firmaculis, ubi pro cingulorum fibulis ſumitur.

Firmitates 65.25] Cujus firmitates Comes receperat. Et 77.21 Rex reddidit Duci Vernolium & Novum Mercatum; & Dux dedit ei duo millia marcarum, pro damnis in capiendis ac tenendis, & in eiſdem firmitatibus muniendis. Utrobique firmitates ſunt urbes munitæ ſive caſtra firmata.

Focaria 69.10,13,14] De focariis ſacerdotum prohibendis, ſcilicet de concubinis. Ita & 190.48.

Forbannio & Forisbannio 539.31] Forbanniantur a regno. Et 580.7 foriſbannitus ab Anglia, exul bannis publicatis proſcriptus, bannitus, banniatus. Aliquando tamen per utlagatos exponitur, i.e. extra legis regiſque protectionem poſitus exlex. In 552.19 utlagatos vel foriſbanniatos Domini Regis non permittam receptari. Et in 1120.4 forbanniant laicos ſicut clericos. Et in 1125.32 occurrit Forbanniantes. Vide Banniatio. Omnia veniunt à Bannum, quod eſt Germannicum. De cujus variis ſignificationibus vide doctiſſimum equitem, cum doctiſſimi Lindenbrogii Gloſſario.

Foreſtarii de feodo 1081.61] Inquiratur qui foreſtarii de feodo finem capiant de foreſtariis non de feodo. De feodo, ſunt illi qui cuſtodiam foreſtæ regiæ habent ex hæreditate: Non de feodo, qui conducunt ab iis.

Foriſfactum 85.12] Catalla eorum qui ſunt in foriſfacto Regis. Forfaict Gallicum eſt, **forfeit** Anglicum. Et Foriſfacere eſt ſubſtantiam aut privilegium ob offenſam legalem aliquam, vel non ſolutionem amittere.

Fornicæ Scoticæ 108.48] De Fornicis Scoticis tot infectæ ſunt, i.e. de ipſis Scotis, **of the Scotch Tikes.** Ita [illegible] Boreales noſtrates per ignominiam appellant [illegible] Scotos, quos olim animitùs oderunt & deſpiciebant.

Fornata 1041.54] Conceſſimus eis primum panem & ultimum de qualibet fornata curiæ noſtræ; i.e. (ut conjicio) de qualibet vice quando panem in furno pinſimus, **of every batch of bread**; ac ſi dicerem, De qualibet furniatione aut paniſicio. Credo debere ſcribi Furnata.

Forrari 523.15] Quidam de Francis diſcurrebant, emolumentis victualium intendentes, quod vulgariter Forrari dicitur. Nos Angli dicimus, **to forage, to get in forage,** à Gallico Fourrage.

Fortunium 502.49] Haſtiludium, quod vulgariter Fortunium, imo potius Infortunium appellatur. Et 505.50 Tornamento interfuiſti, & ſophiſtice illud Fortunium appellaſti.

Froccus 992.29] Tam formam cuculli & frocci, quam colorem tranſmutavit primitivum. **Frock** adhuc dicimus veſtem ſuperiorem, quam bajuli, qui onera portant, induunt. Idem erat Flocca, de quo diximus in Coopertoria.

Furniare 125.22] Ad braſſandum & furniandum; i.e. ad panem pinſendum. Derivatur à Furnus, & inde Furnarius pro Piſtore, 175.12 Cum duobus panibus ad furnarium.

Furrata 377.59] Capa choralis pellibus variis furrata, i.e. ſuffulta, duplicata, & liniata, ut loquebantur. Hoc verbo utitur & Cantipratanus, una cum Jacobo de Vitriaco, lib. 1. Vita B. Virginis. Scribitur & ferratus & Fourratus, à Gallico Fourrer; unde noſtrum **Furr.**

Furraris 654.18] Cum furruris de pellibus variis [illegible]; i.e. ut in 376.49 Cum pellibus variis & ſilveſtribus. **Ermine, Sables, &c.** Legitur & Suffurratura in Concil. Saliſburgenſ.

G

Galeis 51.20] Navibus roſtratis quas Galeias vocant. **A Galley,** vox notiſſima, & ſæpius occurrens. Græcis recentioribus γαλέα & γαλαία, ab Italico Galea.

Galeones 26.28] Galeas noſtras & Galiones; i.e. grandiores galeiæ, ab Italico Galeone, **a galleon.** Ita & in 164.55.

Galon 805.44] Cerviſiæ menſuras quas lagenas (**flagons**) vel galones appellamus. Nos **gallons** dicimus, quarum unaquæque octo continet [illegible] Anglicanas.

Garba 1061.51] Exceptis garbis. Et in 343.44 Dum bladum trituraret, apparuerunt in garbis, &c. i.e. in faſciculis ſpicarum; à Gallico Garbe vel Gerbe. Ita & Heraldi noſtri vocant faſciculum in inſignibus armorum. Vide & 218.43.

Garcio 794.61] Viles perſonæ quas Garciones vocant. Et ita interpretatur Gloſſator ille Othonis Conſtitutionis apud Lindewoodum noſtratem p.43 b. Garciones, i.e. pedites & ſequentes equos, quos vulgus expertum eſt peſſimos eſſe ribaldos. **Foot boys, Horſe boys,** à Gallico Garçon. Vox apud noſtratem occurrit in 175.13 & 467.48 alibique; & aliquando ſcribitur Garſio, tum heic tum apud Petrum Bleſenſem.

Garda 783.1] Nobilibus ſuis tot confert munera in terris, gardis, & redditibus. Et in 646.42 Epiſcopatus, & Abbatias, & gardas vacantes. Forte in his locis ſignificat cuſtodias, præfecturas, aut ballivas Epiſcopatuum, &c. vacantium, quos Rex in manu ſua ad tempus detinebat. Erant & gardæ ſive cuſtodiæ caſtellorum, quas Caſtle-gardes noſtrates vocabant. In 1082.46 ponitur pro cuſtodia nobilium orphanorum: Si attraxerit ſibi maritagia vel gardas. **Wardſhips** nos dicimus, & Wardæ ſcribitur in 334.40 Cum wardis & maritagiis.

Garlanda 642.3] Coronula aurea, quæ vulgariter Garlanda dicitur. Circulus aureus fabrefactus, **a garland.**

Gargaro 727.6] Hæc verborum deliramenta, Francis innata gargarandi ſuperbia & jactantia reboavit. Grandiloquentia, & ut vocant Hiſpani Rodomontados effutiendo. A Gallico Gargarçon, anterior pars gutturis.

Garneſtura 672.13] Civitatem Damietæ cum ſuſtentamentis quæ Garneſturas vulgares appellant. Munitiones ſcilicet, victualia, arma, cæteraque rei bellicæ utenſilia, ad defenſionem urbis munitæ neceſſarias. A Gallico Garniture ſive Garniſſement & Garniſon.

Gaveloces 793.40] Friſones cum jaculis, quæ vulgariter Gaveloces appellant. **Javelins** nos Angli dicimus, Francis Gavle eſt baculus longior ſive contus.

Gelda & Geldum] Terras quietas ab omnibus geldis, ſcilicet ſolutionibus. A Saxonico ȝelð, tributum. Omnino videatur doctiſſimus eques.

Generale 717.59] Abbas promiſit conventui, quod Generale ſuum & Pitantias, quas primus omnium ad cameram ſuam attraxerat, omnino remitteret, niſi in refectorio vel oriolo cum ſociis pranderet. Exiſtimo Generale eſſe obſonium aliquod, vel ferculum ſive dapes ſecundas Abbatis menſæ, ſupra communias ſive portiones reliquorum Monachorum aſſignatas.

Genu]

Genu] In Cenſura mea in Offas Reges, p. 1. Non cum Offa quartum Genu fit nactus. Ita tu emenda pro Genus in impreſſo. Nam vox Genu Malmesburienſi noſtrati eſt generatio ſive gradus cognationis, cujus diminutivum eſt Geniculum Burchar o, decret. l. 7 c. 9. ſive Genuculum aliis. Vide doctiſſimum equitem, & eruditiſſimi Lindenbrogii Gloſſarium.

Gerſoma 998. 19 & 1004. 35] Datis Abbati tribus marcis auri in Gerſuma; i.e. pro fine, ut dicimus, **for a fine**, ſive compoſitione pecuniaria ex pacto data domino fundi, ut colono liceat agrum pro minori reddita, quam revera valeat tenere. Vox noſtratibus notiſſima.

Geſta 175. 14] In Geſta obolum. Flos ſive purgamentum recentis cerviſiæ, quo piſtores panes leviores reddunt. Belgici Gheſt vocant, nos **Yeſt**. Hanc nova cerviſia exſpuit, dum ſe defæcat.

Gibbetum 364. 52] Horribile patibulum, quod vulgus Gibbetum appellat. Et in 415. 44 Ignominioſè ſuper machinam illam pœnalem, quæ Gibet appellatur, ſuſpendio traditur. Et ſanè maxime ignominioſum & pœnale eſt in gibeto mori; ubi ob cædes, publica incendia, aut flagitia alia, ſuſpenduntur miſeri; non ut laqueo pereant, ſed fame. Vide & 518. 44. Gibbet Gallicum eſt.

Gignaſia 455. 11] Gignaſia animas avertentia conſtruit. Neſcio. Quære.

Giſarma] In Mandato Regis poſt Adverſaria. Vox etiam apud Chaucerum invenitur, & eſt ſecuris ſive bipennis cum longiore manubrio. **A bymon bill**, noſtratibus. Vide doctiſſimum equitem.

Gladiolum 798. 60] Mariſcus profert gladiolum, ceſpites & alia ignis pabula; i.e. caricem vel carectam. **Sedge** vocant Cantabrigienſes mei.

Goliardenſes 299. 14] Academicorum famuli, vel mancipia, vel illi quos ſolemus Goliardenſes appellare. Clerici ſcilicet ribaldi, qui Goliardi vulgo dicuntur, uti Concilium ad Caſtrum Gonterii. Joculatores, mimi, quos Buffones Itali vocant. Et in eum ſenſum Chaucerus noſter, **A Jangler he was and a Goliardiſe.** Venit à Gallico Gaillard. *Chaucer. prolog.* 18.

Grangia 311. 29] Grangiam illius Abbatiæ combuſſit; i.e. domum in agris, ubi coloni cum ballivo ſub Monacho degebant, qui proventus terræ in emolumentum Abbatiæ colligebat, & in horreis ſive cellis penariis recondebat. Inde Monachus iſte præſes Prior Grangiæ dicebatur, & ipſa Grangia Prioratus. In 1098. 29 Nec in aliquo Prioratu ſive Grangia. Ita in 1097. 51. Grange dicunt Galli & nos.

Griſei 718. 22] Pannis laneis & Griſeis, videlicet aptis ad fratres Minores veſtiendum. Color ſubcinericius, quem **gray** vocamus & **grete** Chaucerus.

Guarda roba] Camera quæ vulgariter Guarda roba dicitur, 578. 42; ſcilicet veſtiarium, quod nos **Wardrobe** dicimus.

Guerra] Sæpiſſime occurrit pro bellum. Ita & milites guerrini & terra guerrina, ubi ſedes belli. Italicum eſt. & inde noſtrum **war**, facili & conſuetâ literarum mutatione.

Guleum 61. 30] Introitus caputii, qui Gulerum vulgariter Gallicè appellatur. Quid res ſit ſcimus; ſed viderint Galli annon vocem amiſerint.

Gyrovagi 637. 23] Benedictus reprobat illud genus Monachorum quod Gyrovagum eſt. Et in 787. 58 Monachos Sarabaitas & Gyrovagos reprehendit. Ita ſane Monachos diſtinguit in initio Regulæ ſuæ, quos Turre Cremata interpretatur eos eſſe, qui toti vita ſui per diverſas provincias, ternis aut quaternis diebus, per diverſas cellas hoſpitantur; vagi & nunquam ſtabiles. *Turre Cremata in Reg. S. Benedicti. tract. 8 p. 30.*

H

Haracia 321. 3] Ovibus, vaccis, porcis, haraciis, equis. Haras Gallicum eſt pro equitio ſive vivario equorum equarumque generationis causâ connutritorum. **A race of horſes.**

Haſtiludium 222. 63] Barones ad Haſtiludium convenerunt. Vide Torneamentum.

Haubercum] In Mandato Regio de Juratis ad Arma, poſt Adverſaria noſtra, Unum haubercum capellum ferreum, &c. Chaucero noſtro eſt collare ferreum, armatura colli, a **gorget**; non autem thorax totus. Vide doctiſſimum equitem.

Haubergetum 217. 19] Pannorum tinctorum & ruſſettorum, & haubergettorum. Panni nomen, **Haubergets.**

Heirones] Ærias accipitrum, ſpervariorum, falconum, aquilarum, & heironum. Accipitrum nobilium ſpecies primaria; vel ab ἱέραξ accipiter, vel ab accipiendis volucribus quas **hierons** (ardeas) vocamus, quæ volatu ferè ſydera petunt ardua.

Heremitorium 1008. 55. 57] Heremitorium de Modri. Cella ſcilicet Heremitæ.

Herietum 1120. 61] Si Eccleſia petat Ceragium vel Herietum. ſcilicet optimum jumentum coloni demortui, quod domino ſuo debetur ex jure. Herezeld dicunt Scoti, nos a **Herriot**. **Her** Saxonice eſt dominus.

Herneſium 1078. 37] Ita quod milites ſalvo corpore ſuo & Herneſio poſſent recedere. Et 1099. 30 Monachus non habeat Herneſium, **Harneſs**. Nos dicimus ferream militis armaturam, quæ totum corpus defendit.

Heuſes 630. 26] Calceamenta militaria, quæ vulgariter Heuſes dicuntur, calceati & calcarati. Ocreæ erant credo, licet nunc dierum tibialia inferiora, quibus à genubus uſque ad pedes induimur, **hoſe** dicimus. Chaucero autem vox **hauſelines**, pro tibialibus ſive fœmoralibus uſurpata.

Hyda 9. 37] De unoquoque aratro, i.e. hyda terræ. Scilicet quantum terræ aratrum unum colere per annum poteſt. Scoti Hildam vocant, quam Skenæus carrucatam interpretatur. Carruca enim eſt aratrum. Vide doctiſſimum equitem & D. Cowellum. Hinc—

Hydagium 516. 3] Carrucagium, hydagium, & plura ſcutagia. Vectigal ex qualibet hyda terræ, Regi in auxilium à Parliamentaribus proceribus conceſſum.

Hokeday 720. 6] Diem quem Hokeday vulgariter appellamus. Et 826. 63 Dies Martis, quæ vulgariter Hokeday. Et 777. 57 Quindena Paſchæ, quæ vulgariter Hokeday. Jam ſcis Hokeday cadere in diem Martis, quam Quindenam Paſchæ vocant leguleii noſtrates, quia quindecim diebus à Paſchate diſtat. Diem obſervatum tradunt in memoriam omnium *Danorum*, ea die clanculò & ſimul in Anglia (ubi tum dominabantur) à mulieribus ferè occiſorum. Et adhuc in ea die ſolent mulieres jocoſe vias oppidorum funibus impedire, & tranſeuntes ad ſe attrahere, ut ab eis munuſculum aliquod extorqueant in pios uſus aliquos erogandum. Cætera videatur doctiſſimus eques.

Hoſtagium 264. 26, 27] Dux Bavariæ & alii divites in hoſtagio remanſerunt. Et — viginti in *hoſtagio* tradidit, i.e. in vadimonio. Vox Gallica Anglicaque **hoſtage.**

Hunniſcum 978. 21] Hunniſcum gladium; lege unnicum. Οὐννικὸν ἀκινάκην habes apud Euagrium in Hiſtoria Eccleſiaſtica, l. 6. c. 22. Et apud Simocattam, Hiſt. l. 5. c. 14. Ubi pro gladio ponitur ancipiti. Vide carmina de hoc ipſo gladio apud Matthæum Weſtmonaſterienſem, an 775.

Hura 1028. 36] Capitis ſui galerus, qui Hura dicitur. Sanè Huré Gallis eſt urſi ſive feræ caput, uti & capillitium male comptum; & inde ſi forte Epiſcoporum per ea tempora galeri villoſi, hirſuti, hiſpidique eſſent, appellationem à ſimilitudine ſortiri poterant.

Hundreda, Hundredus 516. 23] Omnia hundreda, civitates, & burgi. Et in Mandato de Juratis ad Arma, In ſingulis hundredis conſtituatur unus capitalis conſtabularius. Centena vel Centuria, i.e. tanta pars Comitatûs aut Schiræ inter ſe quaſi combinata, quæ olim centum regiæ pacis fidejuſſores habebat; nam centum Anglicè **hundred** dicimus. Omnino videantur doctiſſimus eques & D. Cowellus.

Huſtingus 152. 12] Londinenſes factâ communicatione in ſuo Huſtingo. Nobile eſt conclave in celeberrima Londinenſium curia **Guildhall** nuncupata, ubi commune urbis concilium de rebus arduis conſultare conſuevit. Ibidem etiam nobile habetur tribunal, ubi civium lites cauſæque ſumma cum feſtinatione dirimuntur. De Huſtingo juſtum habes tractatum apud doctiſſimum equitem. Urbes etiam & aliæ ſuis olim Huſtingis ſunt gaviſæ.

Hutesium] In Mandato de Juratis ad Arma, Vigiles levent Huteſium ſuper eos undique, & eum inſequantur cum tota villata, & vicinis villatis, cum clamore & huteſio de villa in villam, donec capiantur. Ubi vides intentionem Huteſii, ut malefactores aut perſonæ ſuſpectæ intercipiantur. Huteſium habemus à Gallico Huyer, clamorem & ſtrepitum attollere, & cum ejulatione ſontem perſequi. Huteſium & Clamorem nos **Hue and Cry** dicimus; & ita jubent leges noſtræ, ut fures, &c. comprehendantur. Vox ſæpius apud hunc noſtrum occurrit.

I

Iconia 176. 38] Iconia Dei genitricis. Imago.

Identitas 1044. 50] Ne identitas in clauſtro acediam parturiret; i.e. ne ſi idem Monachus ſemper in eodem clauſtro remaneret, & nunquam exſpatiandi libertate gauderet, otio & acedia torperet, hebeſque fieret & valetudinarius. Voce ſcholaſticorum heic abuſus eſt Matthæus.

Ignis Græcus 1092.52] Jecerunt versùs nos Ignem Græcum copioſum. Stupam ſcilicet ſulphure, naphtha, oleiſque illitam & accenſam. **Wildfire** nos dicimus.

Illumino 1013.24] Miſſale auro illuminatum, i.e. pictum; quod nos **limned** contractè pro **lumined** dicimus. Tametſi Luminare & Illuminare in nativa ſua ſignificatione ſic purpura (quæ lumen Tertulliano aliiſque dicitur) pingere, tingere, aut inficere: uti acutiſſime
c *Salmaſius in Ter. de pallio*, p.41 (ut omnia) Salmaſius obſervavit. Ita & apud hunc noſtrum in 1095.17 Librum non ſcribant nec illuminent; ſcilicet pingant, ut ſolent Miſſalia veterum manuſcripta.

Implacitare 62.36] Qui ſingulis annis eos implacitaverat; ſcilicet in jus rapuerat. **Impleaded him**, placitum enim **plea** dicimus.

Inappreciabiles] Sæpiſſime occurrit, pro ea re quæ juſto pretio æſtimari non poteſt; quæ pretium omne ſuperat.

Imprisonatus 1078.63] Quem tenebat impriſonatum; ſcilicet incarceratum. **Priſon** enim eſt carcer nobis Galliſque. Et 217.29 Ut liber homo impriſonetur. Vide Priſona.

Impriſii 833.46] Magnates juſſerunt toti familiæ ſuæ, & omnibus Impriſiis ſuis ad arma avolare; i.e. iis qui à partibus eorum ſteterant, complicibus, conjuratis. Ita enim in 212.26, ubi liber impreſſus habet, Hominibus ſuis qui apertè guerraverunt pro ipſo; MS. Cottonianum & Wendoverus legunt, Hominibus & Impriſiis ſuis qui, &c. Ita & in 251.45,57 Liberum eſſet Ludovico, ac ſuis omnibus Impriſiis, ab Anglia facere receſſum. Et *l.*54 Lodovicus cum Baronibus & aliis Impriſiis ſuis, ex altera parte. Ita & *l.*57. Et clarius in 266.2 Utriuſque Impriſii & amici. Et apparet quòd ille Conſtantinus de Londino, qui in 265.56, &c. memoratur, aliquando fuiſſet ex Impriſiis Ludovici Galli, & cum eo ſteterat contra Regem Johannem; quia *l.*57 vociferans quaſi invocat Lodovici auxilium, Adjuvet Dominus, & Dominus noſter Lodovicus. Et quia dicitur in 266.1 Quod confidebat in Sacramento tam Regis quàm Lodovici, ſcilicet quòd utriuſque Impriſii & amici pacem haberent. Derivatur à Gallico Pris.

Inbladatus 1081.27] Quantum valeat inbladatio ſingulorum aſſartatorum, quæ nunc inveniantur inbladata. Bladum, diximus, eſt omne genus frumenti; Inbladatio eſt ſatio & ſeminatio ſegetum: Ergo aſſartata inbladata ſunt terræ quæ olim ſylvæ & boſci erant, nunc autem cultæ ſatæque.

Inbreviare 196.31,34] Fecit Rex inbreviare omnes naves; i.e. claſſem ex iis conſcribere. Sed catalla attachiare & inbreviare (in 216.59) eſt virtute Brevis ſive Mandati Regii ea ſeiſiri & abigere. Inſotulare.

Incharture] Rex Gaſconiam fratri dedit & inchartavit; i.e. ut alibi exponitur, chartam inde confecit, donationem ſuam charta confecta confirmavit.

Incortinari 843.5] Præcepit Rex ut Londinum incortinaretur; ſcilicet ut tapetibus, aulæis, & cortinis, exteriùs ſuſpenſis, domus & plateæ ornarentur.

Infirmaria, Infirmarium, & Infirmitorium 382.45] Exceptis debilibus & infirmis, quibus debet in infirmario provideri. Camera in Monaſterio infirmis & ægrotis peculiaris. Et in 404.2 Non in cameris, ſed in infirmitorio: inde —

Infirmarius 1099.12] Monachus qui infirmariæ præerat.

Ingenium] Arcus, ſagittas, vel aliquod aliud ingenium. Machina, reticulum, vel aliquid hujuſmodi. **An Engine** nos dicimus. Et in 254.12 Ut ingenium adhiberetur ad turrim. Machina belli.

Inſtauratio 958.13] Rex illi ad inſtaurationem parcorum — beſtias dedit; i.e. ad implendum parcum ſive vivarium ſuum. **Stoar** nos dicimus. Inde Inſtauratum 215.52 **ſtoared**, & Inſtaurationes 798.31 **ſtoarhouſes**. Cellæ penariæ.

Intereſſe 789.57] Propter uſuras, pœnas, & intereſſe, non minima ſuſcipiebant incrementa. Intereſſe eſt fœnus quod danidæ ſolvimus ultra ſortem, quod **Intereſt** dicimus.

Interdictum 590.18] Per excommunicationis in perſonas & interdicti ſententias in terras. Et ita ſanè differunt illa duo; Interdictum enim regnum ſive ditionem vel parochiam impedit, ne Eccleſiæ ibi aperiantur, aut Sacramenta adminiſtrentur. Sed talis proceſſus erat Primitivæ Eccleſiæ Epiſcopis omnino inuſitatus.

Interludia 965.63] Joculando & talia verba afferendo, Interludia ſuiſſe vanitatis. Fabulas ſcenicas. Nos Angli **Interludes** ſubinde vocamus.

Interpriſa 516.18] Et ſi fortè Rex Francorum contra formam treugarum aliquas feciſſet Interpriſas, eſt monendus ut treugas teneret, & Interpriſas emendaret; i.e. Inſultus armatos, aut deprædationes bellicas, caſtrorumque attentationes; talia enim **interpriſes** Anglicamus.

Juſtitiarius 130.40] Dunelmenſis habuit Juſtitiariam à magno flumine uſque ad Scoticum mare. Ita & *l.*41; i.e. Juſtitiarius erat à Trenta ad Barwicum. Sed in 701.35 Juſtitiariæ itineratio eſt ut vocamus Circuitus, **the circuit**, quem bis in anno per ſingulos Angliæ comitatus Judices Itinerantes ad Aſſiſas tenendas obeunt. Et inde Juſtitiarius Itinerans in 812.4 Licet nunc dierum magnates aut comites primarii, qui foreſtarum regiarum præfecturam habent, Juſtitiarii Itinerantes nuncupentur, quos Anglice **Juſtices in Eyre** dicimus.

Judaiſmus 851.8] Wigorniam cepit, & Judaiſmum evertit. Angiportum ſcilicet, venellam, aut viculum in urbe, ubi ſeorſim habitabant Judæi; **the Jewry.**

K

Karavana 679.9] Mercatoribus Saracenicis trucidatis, omnem illam catervam, quam vulgares Karavanam appellant ſibi mancipavit. Karavanæ ſunt quanta qualiaque hominum agmina, ſecuritatis causâ ſe conjungentium in itineribus. Vox Turcica. Inde Karavana — ſerai, diverſorium ubi hoſpitantur Karavanæ.

Karpie 1003.40] Ferculum more Normannorum Karpie quaſi *Karenpie* ſophiſtice nominavit. *Ego neſcio; viderint Normanni.*

Kidelli 217.15] Omnes *Kidelli* deponantur per Tamiſiam & per Medeweſiam. *Anguſtias, machinas, ſive* ingenia in fluminibus poſita, *ad Salmones aliòſque piſces* intercipiendos. **Kettles** vocant *alicubi piſcatores, &* alibi **Weres.**

L

Laga 47.11,16] Lagam Edwardi Regis. Ita & in 202.34,39; i.e. legem, quam **law** dicimus. Vox Saxonica.

Lanceari 142.56] Tot jaculis lancearî; i.e. quaſi lanceâ vulnerari. Merus Anglicîſmus; quando enim aut corpus ſive gladio ſive haſtâ pungitur, aut ulcus à chirurgo cultro aperitur, ut pus vel ſanies exeat. **Launc'd** utraque dicimus. Vocem agnoſcit Petrus Bleſenſis, Sermone 41.

Landa 1081.20] In alienis boſcis & landis; i.e. terris, quas **lands** dicimus.

Laterna & Lanterna 82.12] Lumen poſuit in laterna. Quod Plautus aliter olim expreſſit, Vulcanum in cornu geris. Vox à latere ſive latendo ducta, & ideo alio nomine ſed ad eundem ſenſum, Abſconſum dicitur. Hinc noſtrum **Lantern** & **Sconce**. Adjicio, ſane in cœnobiis pro pœna Monachis delinquentibus erat, Lanternam deferre. In 1003.40 Lanternam majorem, à reo & agente pœnitentiam in edito cenſuit anteferri.

Lavatorium 1035.48] Lavatorii domum; *i.e. domum* lotricibus aſſignatam, **the Waſh-houſe, the Laundry.**

Legatia 377.32] Omnes Prælati ſuæ legatiæ; i.e. ejus tractus terræ, ubi Legati munus obibat Otto, & juriſdictionem exercebat.

Leporaria 998.33] Unam leporariam; *i.e.* canem venaticam, quæ non odore ſed curſu lepores inſectatur. **A Greyhound** Anglicè dicimus.

Lewytheil 1080.13] Fecit triturare omnia blada Romanorum, per eos qui vocantur Lewytheil. Omnino qui ſient non poſſum conjectare.

Librata terræ 194.16] Trecentas libratas terræ. Unaquæque librata 4 Bovata terræ (**oxgangs**) continet, & unaquæque Bovata 13 acras ſive jugera. Librata ergo comprehendit 52 acras.

Liciæ 257.35] Hoſtes foſſatum tranſeuntes, ac violenter licias irrumpentes, pedites in fugam verterunt. Quarteria **trenches**, foſſata. Et 259.31 Chriſtianis dormientibus, Saraceni licias eorum intraverunt. Et 264.47 In tentoriis extra licias habitantes. Extra vallum exercitus.

Licentiare 626.19] Licentiavit familiam; i.e. dimiſit. Et 854.4 Rex omnes licentiavit ad propria; ſcilicet licentiam redeundi conceſſit. Vocem habet Petrus Bleſenſis, imò & Nonius.

Ligantia 70.36] Barones Angliæ fecerunt ligantiam & fidelitatem Euſtachio. Fœdus vel obligatio vaſalli erga dominum, ut ſervitium debitum ei præſter cum obedientia, & pro eo ſtet contra omnes. **Allegiance** nunc dicimus, & ſoli Regi agnoſcimus. Iterum in 728.47 Rex conferens cuſtodiam Gaſconiæ Edwardo filio, tamen ſibi retinuit principale dominium, i.e. ligantiam. Scilicet ut Subditi deinceps ut antea, illi tanquam domino eorum ſu-

ſupremo, ligantiam ſolitam præſtarent. Vox ſæpiſſime cum homagio & fidelitate conjungitur. Olim & alii domini præter Reges à ſuis tenentibus ligantiam habuerunt, ut Abbates, &c. apud Petrum Bleſenſem, ep. 102. p. 159. **Ligeance.** Inde—

Ligea fides 964.51] Ligeam fecerunt fidem & homagium. Et—

Ligeus vaſallus 423.41] Qui debet ligantiam & ligeam fidem. Ligio Domino ſuo præſtare. Omnino videatur doctiſſimus eques. Ligius Dominus 175.49.

Lignamina 339.33] Qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galeiarum. Ligna ſcilicet ſive materiem ad naves fabricandas. Vocem etiam habent leges Longobardicæ, lib. 1. tit. 25. lege 28. p. 564. Si quis de lignamine adunato in curte aut in platea, ad caſam faciendam lignum furatus fuerit. Ubi tamen pro ſtrue lignorum ſumitur. a **woodſtack.**

Liſta 217.19] Latitudo pannorum duæ ulnæ infra liſtas. Scilicet limbos & faſcias panni. Vox Anaſtaſio Bibliothecario non infrequens. **Liſts** Angli vocant.

Liſura 160.65] Panni duas ulnas habeant latitudinis infra liſuras; i.e. liſtas, limbos, & faſcias panni.

Locutorium 805.29] Vixque conceſſus eſt locus refectionis locutorium. Et 841.55 In ſuo locutorio. Vox frequentiùs occurrit in Vitis. Locutorium igitur eſt conclave ſive camera elegantior juxta refectorium, quò poſt prandium ſecedebant convivæ ad confabulandum. **The Parler** nos dicimus, à Gallico Parloir, quod idem ſonat. Vocem habet & Cantipratanus.

M

Maceria 800.6.7] Dedit pallam unam altari S. Amphibali ad pendendum maceriæ— Et ad pendendum, & maceriam adornandum. Ubi maceria eſt paries humilior, cui adhærebat altare, quæ Cancellos ſive Presbyterium dividebat ab illa concameratione (ut vocabatur) quæ erat inter altarium & magnam orientalem feneſtram; in qua feretrum Sancti illius, qui Eccleſiæ Patronus erat, erigebatur.

Maeremium 1082.60, 62. 64] Inquiratur de venditoribus maeremii. Lignum ædificandis domibus aptum. Ita in 825.27 Maeremium ad domos reparandas; à Gallico Marrein. Scribitur & Meremium in legibus Scoticis, Poteſtas incidendi meremium. Et Meiremium apud hunc noſtrum in 219.13.

Mahomeria 126.3] Mahomeriam magnam. Et in 132.13 Ad Mahumeriam poſuit tentoria; i.e. ad templum Mahometicum, quod Meſchit Turci vocant. Legatus de maxima Mahomeria civitatis fecit Eccleſiam, in 259.64.

Majeſtas 1056.41] Et ſæpè. In media trabe Majeſtas cum Eccleſia & Synagoga figuratur. Hujuſmodi figuram Gloriam (a **glory**) nunc ferè dicimus; Dei ſcilicet deformationem in Majeſtate ſua aurata de cœlo reſpicientis.

Malmulna 1041.55] Molant ſummam de Braſio ad **maltmuln.** Braſium Anglicè dicimus **malt,** & **muln** vel **miln** molendinum: **maltmuln** igitur eſt molendinum ubi braſium vel **malt** molitur. Vide Braſium.

Malveiſne 240.44] Petraria, quæ Gallicè Malveiſine nuncupatur. Grandis erat hæc Petraria ſive machina, quam Malveiſine, i.e. malum vicinum vocabant. Aliter Malvoiſin Galli vocant fortalitium inimicum nimis vicinum caſtello obſeſſo.

Mandatum 1104.32] Mandatum Magiſtri Hoſpitalis; i.e. literæ, quæ nihil mandabant, ſed ſtatum bellorum nuntiabant narrabantque. In Auctario. Mandatum Regis de Juratis ad Arma; i.e. Breve Regis. Et in 517.27 Urgebant autem Regem mandata ultramarinorum. Et 706.22 in marg. Et *l.* 33 hujus mandati tenore gaudium ſuſcepimus. Per Legatos mandavit fratri Dux Robertus, apud Hovedenum.

Hovedex. in Hen. 1. p. 266.

Mandatum 992.35] Ut in Eleemoſynaria commorarentur, & mandatum more facerent quotidiano; i.e. eleemoſynam, à Saxonico Mandye charitas. Et 1055.32 Eleemoſynam mandati nummis ampliavit, in nummiſmate ſingulis pauperibus erogando. Inde Dies Jovis in mandato, qui proxime Paſcha antecedit, ab Evangelio tunc olim lecto, Ecce novum mandatum do vobis, nomen accepit. Is dies eleemoſynis ab olim ſolenniter dedicatus eſt, atque ea die Reges Angliæ adhuc lavant pedes pauperum, & multas erogant eleemoſynas. Imò & Agapen ea die totius anni ſolenniſſimam frequentârunt Primitivi.

Maneria 216.56] Exceptis Dominicis maneriis noſtris; i.e. terris dominicalibus. Dominium. Terra domini fundi, de qua tenent alii coloni, & curiæ ejus ſectam & ſervitium debent, ſecundùm conſuetudinem manerii. Vide D. Cowellum.

Mangonelli 521.35] Caſtellum ſolito acerbiùs impugnantes—erectis mangonellis flagellârunt; i.e. catapultis, ingeniis, ſive machinis bellicis, quæ ingentes lapides jaciebant. Ita ſanè Brito Armoricanus [i];

— Mangonellorum tormentis ſaxa rotantur. [i] Philip. lib. 1;

Et Nauclerus [k], De caſtro lapides jacientes mangonibus [k] Generatione 39.
ac aliis inſtrumentis. Et hic noſter in 668.56 Jactu contritus lapidis à mangonello miſſi. Vox etiam occurrit in p. 843.
651.27 Etiam naves ſuis muniebantur mangonellis. In 1091.65 Et lapides de mangonellis navalibus, qui ſic parabantur, ut quinque vel ſex lapides ſimul de longo jacerent. Manga etiam alibi ſcribitur inter Germanicarum rerum ſcriptores; & fortè Germanico **mengen,** variare, decipere. Unde mangones pro deceptoribus, in capitulis Caroli Magni, l. 1. c. 79. p. 15. b. Ita & μάγγανον Suidæ, Admirabile, à communi opinione remotum inopinatum, præſtigiæ. Ita enim erant illæ catapultæ ingentes, ſive mangonella, cum primùm in uſum venerunt. Μαγγανικὰ pro hujuſmodi machina habes apud Meurſium, ut & μάγγανον, μαγγανιτζέτζα, pro eadem. A Græcis fortè ad Italos devenit; nam etiam illorum vox eſt Mangonello, ut & Germanorum **manghenel.** Ubi tamen apud Suidam μάγγανον πλωτὸν doctiſſimus Meurſius corrigit πολεμικόν. Pace tanti viri potiùs legendum cenſeo πλώϊμον navigabile, nam in naviglii dixi habebant & mangonella. Vide Petraria.

Manſus 1002.29] Terra trium manſuum. Sanè apud Johannem Lydium in ſua Gloſſa, manſus eſt prædium ſeu agri dimenſum, duodecim jugera continens. Ita etiam antiquus Gloſſator Papias. Italis quantitas terræ, quæ ſufficit duobus bobus in anno ad laborandum; & ſanè illis Manzo eſt juvenculus. Vadianus Juriſconſultus in Originibus ſuis dicit, eſſe villam cum prædio Eccleſiæ annexam, & ſervitio ſeculari liberam. Ita in legibus Francorum, l. 1. c. 83. Sancitum eſt ut unicuique Eccleſiæ unus manſus integer, abſque alio ſervitio attribuatur. Sed videatur doctiſſimus Lindebrogius, cum Lydio, Martinióque. Et neſcio an apud Matthæum noſtrum in alia etiam ſignificatione Manſus habeatur, pro manſione ſcilicet ſive domo: ita in 1061.50 Habebit Vicarius Eccleſiæ manſum competentem. Niſi etiam manſus comprehendat terram quam Glebam nos Angli vocitamus. Scio vocem pro Curte ſive domo apud Petrum Urbevetanum occurrere: atque hinc Manſionarius pro hoſpitio apud Hincmarum; & Manſionarius apud Gregorium Magnum, Martyrologium & Hincmarum pro cuſtode & conſervatore ædium ſacrarum. Et Manſuarius pro Epiſcopi vel Sacerdotis villico, qui manſum colit & inhabitat. Hos παροικιανοὺς Græci vocârunt. Videatur P. Pithæi Gloſſarium.

Mantea 128.36] Rex indutus manteâ, paludimento ſcilicet regali. **Mantle of State.** Mante & Manteau ſunt Gallica.

Mantellum 1003.27] Veſtes ordinatas, ſcilicet mantellum nigrum. Veſtis exterior monialium, fere in modum pallii antiquorum. **A mantel.** Vide 397.53.

Manticatus 652.62] Ut peregrinaret ille Monachus manticatus; i.e. cum mantica ut mendicus: ita enim ſolent peregrini, qui Hieruſalem devotionis ergò adeunt.

Manucapere 701.40] Cùm vellet ipſum protegendo & liberando manucapere, & pro eo cavere ut ſtaret juſtitiæ —Rex nollet fidejuſſorem pro eo capere; i.e. Vadem ſe pro eo præſtare, & ſe obligare. **Be bail for him,** ut nos dicimus.

Manutenere 92.21] Archiepiſcopum contra me manutenere præſumunt. Et *l.* 25 Proditorem meum manuteneant; ſcilicet protegant, defendant, & manuteneant. **Maintain him**; quod Galli dicunt Maintenir. Et in 316.43 & 859.46 Pacem manutenere, ſcilicet ſartam tectam conſervare. Et in 560.15 Bellum manutenent; i.e. continuat ſumptibus ſuſtinet. Vox etiam apud Petrum de Vineis reperitur.

Marabotini 110.62] Tria millia marabotinorum. Exiſtimo fuiſſe illas nummulorum ſpecies, quas Hiſpani Maravedi vocant, quorum 34 ſex denarios Anglicanos conficiunt.

Marca 352.63] Nummus Anglicanus, tredecim ſolidis & quatuor ſterlingis (denariis) pro marca qualibet computatis. Ubi valorem vides, ut & in 1042.1, &c. Sanè per ea tempora per marcas ferè numerabant noſtrates, ut nunc per libras. Saxones noſtri has marcas Mancuſas vocabant, quaſi mann-cuſa. Et cudebantur de auro, & ad Eccleſias plurimas ab Ælfrico Saxone Rege dono miſſas. Mancuſa etiam in Apoſtolatu Benedictinorum reperitur. Sed videatur D. Cowellus in **Mark,** etiam & Skenæus.

Marchandiſa 216.46] Mercator—ſalvâ marchandiſâ ſuâ; i.e. mercibus, quas **marchandiſe** nos vocamus. Et

in rotulo patente Regis Johannis 9. memb.1. num.3. cum omnibus navibus & marchandiſis.

Marchia 552.19,15] Utlagatos in Marchia : & Ipſum in Marchia non mediocriter damnificaverunt. Ita nos Angli limites Angliæ proximè Walliam, **the Marches** vocamus. A Germanico Marck, limes, terminus. Inde—

Marchiſii 562.9] Potentes de Wallia contra Regem (Angliæ) & ejus Marchiſios bellum moverunt. Et *l.*12 Rogerus de Mohaut & alii potentes Marchiſii. Et alibi, Miſimus 300 Wallenſes Marchiſios noſtrates de Ceſtriſchyra & Salopeſbyriſchyra. Et clariùs in 838.59 Cùm hæc audiſſent Angli, viz. contermini, quos Marchiſios appellamus, irruerunt ſubitò in Wallenſes. Inde etiam—

Marchiones 858.8] Pro potentioribus Marchiſiis, quibus à Rege tutela & præfectura Marchiarum ſive limitum commiſſa erat. **Lords Marchers** vocamus, ex quibus quidam **Marqueſſes** ſunt creati. Μαρχίων, vox Græcorum recentiorum a Germanis mutuata.

Marinelli 196.38] Naves bene adornatas bonis marinellis ; i.e. claſſiariis, nautis. Ita & in 200.29 claſſem omni cuſtodia carere, exceptis paucis marinellis. Et ita in rotulo patente 9. Johannis Regis, memb.1.num 3. Omnibus ſturemannis (**Steerſmen, Pilots, Maſters**) marinellis, & mercatoribus Angliæ. Marenarius occurrit apud S. Bernardum, libro De modo bene vivendi, c. 57. l.308.f.

Mariola 1035.43] Perfecit pulchram Mariolam cum pertinentiis. Et 1056.14 Mariolam ſculpſit : quam *l.*17 ſuper altare collocavit. Et *l.*20 Cereum conſtituit accendi ante nobilem Mariolam. Et ita pluries in eadem pagina, *l.*36,39,42. Et in 1059.2 Ante majus altare & Marboram, quæ eidem ſupraponitur. Omnino conjecto Mariolas illas fuiſſe imagines ſculptas beatæ Mariæ virginis, beatiſſimum infantulum in gremio bajulantis. Sane hujuſmodi ſculpturas ſæpiùs in Gallia, Germania, alibique conſpexi ſupra altaria collocatas ; ad Laicorum (ſi forte) & omnium illuc adventantium ædificationem, ut hic noſter in 1056.44 affirmavit. Quod & de ſuis imaginibus paſſim profitentur Romani. Ergo hæc Mariola erat imago.

Mariſchallus 210.60] Rex conſtituerat Mariſchallum illius exercitûs. Et 214.7 Appellantes eum Mariſchallum exercitûs Dei. **Marſhal of the Army.** Quem Galli Mareſchall, Germani Felt-Marſhall appellant ; Legatum generalem fere. Hunc belli Ducem Mareſchallum appellant Conſtitutiones Siculæ, l.2 tit 20. Per Mareſchalcum noſtrum, vel per alium qui exercitui præeſt, Conſtabularium dixère Galli Anglique.

Mareſchalli 715.63] Dum magnatum æditui, quos Mareſchallos appellamus, Dominis ſuis hoſpitia providerent. Et in 737.38 Præmiſit ſuum Mareſchallum, ut adventum ejus prænuntiaret. Ubi vides eorum munus ; **Harbingers** nos vocamus. Stratores.

Mariſchalcia 737.46] Ubinam eſt Mariſchaltia ad equos noſtros ſtabulandos ? Scilicet Stabulum, Equile. A Germanico Marr, equus ; uti nos equam **mare** dicimus. Mariſchalla, Petro de Vineis.

Mariſcis 1082.9] In mariſcis, moris, &c. Scilicet paludibus, quas **marſhes** dicimus. Sane mariſcus apud Plinium, l. 21.c.18. eſt genus junci vel ſcirpi : inde paludibus fortè nomen, quia in eis hujuſmodi mariſci creſcant & abundant. Inde—

Mariſcus 730.61] In Northfolc & in mariſco. Ubi pro eo tractu in Comitatu Northfolcienſi ponitur, ſive terra paluſtri, quam **marſhland** vocamus. Licèt longiùs ille mariſcus ab authore alicubi diſtendatur, ultra ſcilicet Northfolcienſes limites ; & pro toto illo tractu paluſtri, qui Lincolnienſem & Huntingdonienſem comitatus, & inſulam Elienſem intrat. Ita in 798.54 Pax facta eſt inter Epiſcopum Elienſem & Abbatem Rameſiæ, ſuper lite mota de terminis in mariſca ſtatuendis. Etiam & in 769.61 Tres Abbatias de Croiland, de Thorneia, & de Rameſia, in mariſco locat. Habemus etiam mariſcum de Rumney. Merſam terram alii vocant, & **ſurrounded lands** Statuta noſtra. Vox eſt etiam apud Ingulphum.

Maritagium 1077.23] Deliberavit ei maritagium Richardi. Matrimonium frequenter occurrit, ut in 317.63,64, alibique.

Marlera 1082.14] Inquiratur de marleris & mineriis. Marlam quam margam ſive cretam, qua impinguamus agros, vocant Latini. Nos **marle** dicimus ; & Galli fodinam unde marla extrahitur Marliere, nos **a marlepit** dicimus. Mineria etiam fere ejuſdem eſt ſignificationis, quam vide. Vox etiam occurrit in 219.5.

Medi 1098.14] Vini vel medi. Scilicet hydromeli vel promulſidis. Potus antiquus Anglorum, præcipue tamen Wallorum, quem nos **Mede** illi **Metheglin** nuncupant.

Menſa rotunda 729.65] Non in haſtiludio illo quod communiter Torneamentum dicitur, ſed potiùs in illo ludo militari qui Menſa rotunda dicitur. Sanè hoc exercitium militare idem fere erat cum haſtiludio, decurſionibus enim equeſtribus & lanceis ſeſe mutuò milites impetebant. Menſa autem rotunda vocabatur ob imitationem ſcilicet inſtituti Arthuri Regis, qui ne diſcrimen aliquod inter convivas adverſantes ex ambitione ob ſedis ſuperioritatem oriretur, diſpoſuit ut pariter menſam rotundam circumſederent. Et ita ſane antiquos Celtas ſediſſe, cum armigeris à tergo aſſtantibus, dominorúmque ſcuta tenentibus, memorat Athenæus. Vide Haſtiludium & Torneamentum. Haſtiludium interim Galli (& nos aliquando) Jouſté dicunt ; nos hodie **Tilting**, & Torneamenta **Barriers**. *Athenæum Deipnoſophiſt. l.4.c.13. p.193.*

Merciamenta 1120.19] Coguntur ſolvere merciamenta. Scilicet mulctas à foro reis inflictas ob aliquas transgreſſiones. Ibidem tamen 1122.33 ſcribitur Amerciamenta. De quo verbo diximus in ſuo loco.

Merſoris 136.59] A quibuſdam merſoribus navem ſubtus aquam invadentibus, locis plurimis terebratur. Scilicet urinatoribus.

Meſſuagiis 845.44] Redditus quos à meſſuagiis receperant. Scilicet à domibus vel manſionibus cum appertinentiis ſuis ; areis nimirum, hortis, ſtabulis, columbario, cæteriſque. In Scoticis autem legibus meſſuagium venit pro manerio, ſive manſione dominica Baronis, aut alterius domini manerii : **the Manor houſe, the Hall, the Place.**

Mineris 1082.14] Inquiratur etiam de marleris & mineriis. Forte ſcribendum Minoveriis, uti an.7. Rich.2. c.4. à Meinoverer terram colere, repaſtinare, & fimo vel compoſto impinguare. Nam heic vides mineria cum marleris conjungi, quibus agros impinguabant. Videatur D.Cowellus.

Minuere ſanguinem & Minutio 1043.33] Ut ſanguinem minuant. Et 1003.50 Medicinatis ac minutis regulas limitavit. Et 1091.5 Minutione indiget ſic repletus. Scilicet ut vena a medico reſecta & aperta, ſanguis ei minueretur. Ita & in 505.56.

Mirgos 272.2] Duos canes veteres, ſcilicet Mirgos ſuſpendi. Scribe Mergos, canes ſcilicet merſores vel urinatores, quos **divers** & **water dogs** appellamus.

Miſericordiæ 1044.13] Ut deteſtabiles ingurgitationes miſericordiarum (in quibus profectò non erat miſericordia) prohiberentur. Videntur fuiſſe aliquas vini portiones ſive præbendas, à benefactore quopiam Monachis conceſſas, quas præbendas vini Miſericordias, ut portiones ciborum Pietantias (**pittances**) nominabant.

Miſſus 1061.6] *Epiſcopus vel ejus miſſus.* Is erat Commiſſarius, ſive ut nunc dicimus Commiſſionarius, ab Epiſcopo legatus ad viſitandum Diœceſin. Erant & miſſi dominici, à Regibus ſcilicet miſſi ad Eccleſiam talem, ut corrigenda in ea corrigerent. Vox Capitularibus Gallicis & legibus antiquis familiariſſima ; etiam Flodoardo, Theoderico à Niem, & Anaſtaſio Bibliothecario.

Molendinum] Ad ventum, ad equos. Scilicet quod vento circumagitur, aut ab equis circumrotatur. **A wind-mill, a horſe-mill.**

Monachare, Monachiliter 804.33] Monachavit decem & octo. Scilicet Monachos fecit & totondit. Et in 45.13 Monachus eſt, & lucri causâ Monachiliter ſomniavit ; i.e. more Monachorum.

Monetagium 46.60] Monetagium commune. Ita & in 202.19 Jus & artificium cudendi monetas. **The Mint.** Inde—

Monetatio 649.31] Pro opere fabrili, i.e. monetatione. Scilicet fuſione, percuſſione, & trutinatione monetæ novæ ; **minting, coyning.** Inde &—

Monetarius 58.50,62] Monetarii monetam furtive corruperunt. Cuſores ſive Cuneatores. **Coyners.**

Monoculare 742.62] Quem Deus ultor monoculaverat. Scilicet monoculum fecerat, oculum alterum eruendo.

Monſtrari 744.29] Ut arma civibus aſſignarentur & monſtrarentur, & cenſerentur : **muſtered, ſhew their arms.** Armiluſtrium, **a muſter** dicimus.

Moris 1082.10] In mariſcis, moris, montanis, &c. Locum paludoſum, qui tamen palus non eſt. **A Moor** vocamus.

Morſellus 570.34] Comedentes primum morſellum in aera jaciunt. Scilicet primum bolum, morſum ; quem **morſel** Angli dicunt. Vocem habet & Cantipratanus.

Munimenta 262.4] Inſtrumenta ſua Monachi nullatenus oſtendere voluerunt. Epiſcopus itaque cum munimentorum inſpectionem habere non potuit. Scripta ſcilicet authentica, chartæ donationum, & evidentiæ, Munimenta vocantur.

Muta

Muta 1070.8] Tacta nola, cui Muta vel Scilla eſt nomen; campanula ſcilicet minima omnium. Dicitur etiam Eſcilla vel Eſquilla; ſic Miſſale Moſarab.fol.173. Puer deſerat Eſquillam pulſando.

Muragium 1122.12] Si Rex ceſſerit civitati, ut poſſit accipere muragium; i.e. ut licentiam obtineat imponendi concivibus vectigal, ad muros urbis aut ædificandos aut reparandos. Ita & Pontagium, pecunia ſcilicet in pontis reparationem collecta.

Murdrum 238.25] Peſſimo mortis-genere, quod Angli Murdrum appellant. Occiſio. Et ſane mandatum Decalogi illud, Non occides, Anglicè vertimus. **Thou ſhalt do no murder.** Peſſimum mortis genus vocavit author, quia ſceleris hujuſce perpetrationem animitus odimus, & ſeveriſſimè punimus Angli. Murdrator occurrit apud Hovedenum, p.345.

N

Nacella 688.62] Tranſitum (fluminis) per nacellas & alia vaſa præparavit; & 689.9 Plures nacellas. Cymbas ſcilicet aut naviculas. ut *l.* 10.

Narratores Banci 1071.38] Placitantium advocatorum, quos Banci Narratores vulgariter appellamus. Et in 463.7 Cum prolocutoribus Banci, quos Narratores appellamus. Leguleios ſcilicet quos Conſiliarios nunc dicimus; vel quorum ſeniores in ſuis collegiis, **Benchers** vel Bancatores vocant.

Niger Ordo 1094.7] Statuta Nigri Ordinis; i.e. Monachorum Benedictinorum. Ita enim vocantur à Cæſario, Vitriaco, & à Cantipratano.

Nithing 12.34] Rex milites Anglos, ut ad obſidionem veniant, jubet; niſi velint ſub nomine **Nithing**, quod Latinè nequam ſonat, recenſeri. Angli (qui nihil contumelioſius & vilius æſtimant, quàm hujuſmodi ignominioſo vocabulo notari)— Unde derivetur **Nithing**, & quare tam contumelioſum eſſet, omnino mecum dubitant viri doctiores. Sanè (ſi mihi ſciolo conjectare licebit) nihil aut ſcripturæ aut naturæ vocis proximius invenio, quàm **Nith**, i.e. nox; nam ita olim, non ut nunc **Night** ſcripta reperitur, apud Hovedenum. Ita ut **Nithing** ſit lucifuga, noctuarius (ut ita dicam) aut noctuabundus, fur, aut adulter clancularius, effractarius, qui noctu nefanda perpetrat, & nequam agit. Sed nihil ſtatuo.

Hoveden. in Hen. 2. p.345.b.l. 46.

Nocturna 816.63] Articuli autem tantum continent literæ, quantum duo nocturna vel tria. Nocturnum unum eſt portio Pſalmorum ſexageſima, ſcilicet continens tot Pſalmos, quot in una nocturna Ordinale ſive Calendarium deſignat recitandos. Ergo & Pauſas vocant. Nocturnum ſingulum tres habet Pſalmos, ut ait Francolinus [l]. Sed de differentia inter Nocturnam & Nocturnum videatur Durandus [m].

[l] *In Horis Canonicis cap. 1. n. 12. p. 3.*
[m] *Rationale l. 5. c. 3. n. 7. p. 226. b.*

Nona 1043.60] In Quadrageſima uſque ad Nonam jejunare ſolebant. Scilicet ad tertiam pomeridianam, quæ hora nona veteribus dicitur. Nondum enim laxàrant Monachi jejunii primitivi rigorem. Verùm ante aliquot ſecula in gratiam delicatulorum indultum eſt, ut officium illud Eccleſiaſticum, quod hora tertia ſive nona recitari ſolebat, citiùs per tres horas anticiparetur, & ſub meridiem caneretur. Atque hinc eſt quòd Belgicè Anglicéque meridiem **Noon** dicimus. In 169.39 Die Sabbati poſt nonam. Ita & *l.* 44,46.

Norenſes 730.1] Tam Norenſes quàm Auſtrales. Et in 798.38,*&c.* Scilicet Boreales Angli ultra Trentam fluvium. **Northern men.**

Nota 995.31] Ut hiſtoriam ad Notam de S. Albano componeret. Scilicet ad numeros notáſque muſicas decantandam. Ita enim explicatur in 996.21 Cantator compoſuit hiſtoriam, & ei notam melicam adaptavit. Inde & Miſſa ſine nota in 1055.33. Et ſane in Rubricis Miſſalium antiquorum, quando ſacerdos jubet dicere, Oremus, &c. ſine nota; tunc verba Liturgica illa non ſunt cantanda, ſed legenda voce planâ & contentâ.

O

Obedientia 404.8] Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda; i.e. officium aut præpoſitura aliqua in monaſterio. Et in 1044.23 Obedientiæ procurator. Et in 1043.15 Coquina dicitur obedientia. Et in 1070.26 Obedientiarum ſummis procuratoribus, videlicet ſummis Cellerario, Coquinario, Camerario, Infirmario, & Sacriſtæ. Hi ergo quinque ſummis obedientiis in clauſtro præfuere. Inde—

Obedientiarii 1094.41] De omnibus receptis & expenſis Obedientiarii—reddant rationes. Et in 574.54 De obedientiariis & obedientiis. Obedientia etiam legitur apud Hovedenum, p.430. Ivonem Carnotenſem, epiſt. 187. p. 154. l. 2. & Johannem Sareſberienſem, epiſt.55 p.123. Et Obedientiarii in Apoſtolatu Benedictinorum. Sanè in collegiis noſtris Burſarius, Decanus, &c. ſunt obedientiarii. Aliter obedientiales appellantur apud Lindewodum noſtrum.

Obſequiis 963.48] Honorificè intumularentur factis eis obſequiis cum lamentationibus. Et 965.6 Obſequiis cum exequiis in Eccleſia completis. Sanè funeris pompam nos **obſequies** vocamus.

Ocrearum rotunditas 1044.57 comparata cum *l.*60] Ocreas, calceos, & ſotulares roſtratos gerebant Saxones noſtrates, cum ſucceſſoribus ſuis uſque ad hæc ipſa tempora: roſtratos ſcilicet & uncatos in anteriore parte, i.e. ad pedum digitos, uti in picturis veterum apud Verſteganum alibique cernimus. Hæc autem roſtra in rotunditatem in parte anteriore jam nunc primùm reformata vides.

Octavæ 469.18] In Octavis Paſchæ. *Sanè octavus dies* à feſto principali ejus Octavæ dicitur. Sed pro Octavis Calendaria noſtra ſcribunt **Octabis** & **Utas**.

Ocularium 249.28] Per ocularium galeæ caput ejus perforando. Scilicet per foramina vel feneſtras galeæ. **The Viſor.**

Oeconomus 583.35] Imperator tenetur eſſe ſummus ſecularium œconomus & protector. Et in 581.54 Rex Franciæ Eccleſiæ S. Dionyſii ſpecialis œconomus & patronus. Et in 529.56 Archiepiſcopus—in regno Angliæ vices ſummi agebat œconomi. Satis apparet vis verbi, ſed longe plures & longe diverſas ſignificationes habet apud alios, Defenſor, Patronus.

Oloflamma 685.35] Progrediuntur qui eorum præſtantiores videbantur, prævia oloflamma ſubſecuti. Scilicet nobilis regni Franciæ vexillum primarium & regale. Ita & in 689.22 Cum oloflamma & ſignis Francorum. Et in 522.41 Oloflammam Regis Francorum. Auriflambe noſtratibus, fortè ab auratis liliis in vexillo depictis; Flambe enim Lilium Gallis. Flammeola & Flammulæ etiam ſunt ſigna militaria. Sed de honore ſui oloflammi plura poſſunt Galli inter omnes doctiores (abſit invidia verbo) doctiſſimi antiquarii.

Opicus 651.20] Panis eorum opicus & muſcidus. Unde derivetur neſcio; quære, ita tamen erat in MS.

Oſſamenta 815.49] Inventa ſunt oſſamenta Regis, ſcilicet oſſa, cadaver.

Orarium 1013.7] Orarium cum Fanone. Scio plures orarii eſſe acceptiones; ſumitur enim pro ſudario, inſtita, ſemicinctio, ſive mappula; pro ſtola ſacerdotiali, quam in humeris geſtabant Sacerdotes aliquando, & aliquando Subdiaconi, Diaconi, imò & Pontifices. Sed hoc in loco orarium accipi debere ideo conjicio pro ſindone illa, quæ corpus Domini obvelant Romani; quia cum Fanone conjungitur, & quod auro & gemmis dicitur fuiſſe adornatum.

Ordinale 1003.18] Liber continens ordinem & rubricas libri Miſſalis, & docens quo ordine ſingula ſunt legenda. Picam vocàrunt noſtrates, & Directorium Sacerdotum: nam Ordinale Sarum, Pica Sarum, & Directorium Sacerdotum Sarum, ſive Eccleſiæ Sariſberienſis, pro eodem libro habentur.

Oriolum 713.52] Niſi in refectorio vel oriolo pranderet. Et in 1044.42 Ut non in infirmaria, ſed ſeorſum in oriolo, Monachi infirmi carnem comederent. Vox explicatur in 1071.3 Adjacet atrium nobiliſſimum in introitu, quod porticus vel oriolum appellatur. **A lower gallery or gatehouſe.**

Ortilli 218.41] Canibus—tres Ortilli abſcindantur de pede anteriori ſine polleta. Scilicet tres pedis ungulæ. Alibi etiam occurrit.

Oviale 759.54] Ovialia ovibus vacuarentur. Sine dubio ſcribendum Ovilia. Caulæ ſcilicet, mapalia, & paſcua ovium.

P

Paagium 667.9] Fecit equos meos & homines reſtare, donec paagium extorſiſſet. Et *l.* 17 Paagium juſſit temperari. Vox exponitur in 803.33 Telonium, quod vulgariter paagium dicitur. Paſſagium ſcilicet, ſive telonium exactum, pro tranſitu per alterius ditionem.

Pacatio 646.33] Sine pacationis retributione. Vox exponitur in 802.58 Pretii ſolutionem, quam pacationem appellamus. Nos **pay** & **payment** dicimus. Itali Pagationem.

Pacitator 44.56] Rex dedit Epiſcopatum Dunelmenmenſem Ranulpho Paſitatori. Ni Pacitator eſſet cognomen viro, omnino quare ſit ita appellatus neſcio. Sanè Rogerus Hovedenus eum totius negotii regni exa-

ctorem vocat; ſed fortè legendum cum Huntindonienſi, Placitatori, quia placita forenſia plurimis intentavit, regnúmque vexavit.

Paleſridus 131.59,60] Duos paleſridos & unum ſummarium. Et in 716.33 & 998.32 Unum paleſridum pulcherrimum. Equum ſcilicet majorem, & fortè à Gallico Paleſroy, unde noſtrum **palfry.** Vox invenitur apud Willielmum Tyrium, Hincmarum, Henricum Rebdorff, aliósque quamplurimos.

Palla 800.6] Obtulit Eccleſiæ quatuor pallas, unam aſſignavit altari ad pendendum & maceriam adornandum; ſcilicet tapetia, **hangings.** Illam verò quæ ad maceriam ſive murum altaris pendebat, Frontale, a **Frontal** dicimus. Vox Anaſtaſio Bibliothecario frequentiſſima, non in una ſignificatione.

Pannagium 1022.22] Quietationem pannagii viginti porcorum in nemore. Et in 218.57 Sanè Panage Gallicè dicitur eſſe glandatio, ſive glandium collectio, vel porcorum cum eis paſtio. Inde pannagium eſt pecunia ſoluta pro paſcendis porcis in foreſta ſive nemoribus aliorum. Videantur Skenæus & D. Cowellus. Alicubi in 1042.19,21 ſcribitur pathnagium, & aliquando paſnagium. **Pawnage** noſtri foreſtarii dicunt.

Panſelenos 1088.31] Cùm fuiſſet Luna panſelenos; i.e. in plenilunio, nam aliquando affectârunt Monachi Græciſare.

Paratura 1006.28] Albas duas cum paraturis brudatis. Tamen in 1013.9 ſcribitur Parura, Albas habentes paruras auro & aurifrigio & acu plumario decoratas. Sed exiſtimo ſcribendum paraturas, quas **trimmings** nos dicimus; limborum ſcilicet veſtimenti ad collare & manus ornaturas. Vox ſæpiſſimè occurrit apud Anaſtaſium Bibliothecarium. Ornatus.

Parcum 737.17] Indago, quæ vulgariter parcum dicimus. **A park** Anglicè, vivarium damarum appellamus. Vox ſæpiſſimè occurrit in 1081.39 & 1083.14 alibíque. A Gallico Parquer, vallo vel foſsâ circundare; nam ita ſolent parca.

Parlamentum] Sæpiſſimè in Hiſtoria occurrit, pro magno concilio trium ordinum regni, ut cum Rege de rebus arduis conſultent. Colloquium antiquitùs, & ſæpiùs apud hunc noſtrum dicebatur. Aliter tamen in 1095.5 Parlamentum quod poſt prandium in quibuſdam clauſtris fieri conſuevit. Scilicet confabulationes Monachorum in locutorio ſuo. Ita legiſtæ noſtrates in collegiis ſuis ſua habent Parlamenta.

Pares literarum 270.6] Ubi Falcaſius cecidit in miſericordia Regis de pluſquam triginta paribus literarum. Si ſenſus non ſit, quòd iſte Falcaſius ruptor tot homines bonis ſpoliâſſet, ut ſi amerciamenta ſive pœnæ juridicæ in quæ incurriſſet in ſcripta redigerentur, bene poterant implevisse triginta Indenturas, ſive membranas indentatas vel pares literarum: omnino quid ſibi velit non intelligo. Juriſperitis noſtris relinquatur.

Parochia 13.61] Archiepiſcopus Eccleſiam affirmavit eſſe in ſua parochia conſtructam. Scilicet in ſua Diœceſi, ita enim antiquitùs ſonabat parochia. Ita & in 1023.49 Diſtinctæ ſunt parochiæ Epiſcopatuum. Sic & *l.*59.

Parviſium 690.19] Cogebatur ille pauperculus (Clericus) multis diebus ſcholas exercens, venditis in Parviſio libellis, vitam famelicam protelare. Sanè aliquando pars quædam in inferiore navi Eccleſiæ, ſcholæ exercendæ deſtinata, à parvis pueris ibi edoctis, Parvis vel Parviſium, **the Parvis**, dicebatur. Senſus igitur eſt, pauperculum iſtum non tantùm coactum fuiſſe ſcholam docere, ſed & exemplaria libellorum pro parvulis ſuis exſcribere, eíſque vendere. Adhuc in celeberrima academia Oxonienſi, poſtquam magiſtri Quodlibeta ſua, ſive diſputationes magnas in ſcholis publicis abſolverint, juniores parvis ſuis pomeridianis ſe exercent, & Parviſias appellant. Etiam & in collegiis juriſperitorum noſtratium, exercitium ſive colloquium ſtudentium juniorum **the Parvise** vocabatur, quod nunc **Moot** dicimus. Ita Chaucerus noſter de Serviente ſuo ad legem verba faciens; *Chaucer. prolog.*9.

A Serjeant of Law ware and wise,
That often had been at the Parvise.

Malè interim & (ut quamplurima ibi) non ſatis felici conjectura in interpretatione verborum Chaucerianorum, **a bar** exponitur. Sed audiatur Fortiſcue juridicus, Placitantes tunc ſe divertunt ad Parviſium, conſulentes cum Servientibus ad legem, & aliis conſiliariis ſuis. *Fortiſcue, cap.*51.

Paſſagium 462.34] Nè iter verſus terram ſanctam arriperent, uſque ad paſſagium quod eſt in Martio. Et ita frequenter; ubi paſſagium eſt tempus transfretationi aſſignatum. Aliter in 375.61 Imperator juſſit in circuitu civitatis vias & paſſagia diſtrictè cuſtodiri; ibi enim pro ſemitis, paſſibus, & viis publicis ſumitur. Viarum paſſagia habes apud Petrum de Vineis. *Epiſt.*23. *l.* 2. *p.*286. Aliter paſſagium eſt tranſitus ipſe, **the paſſage:** etiam naulum pro marium ſive fluminum tranſitione, & telonium à viatoribus exactum.

Paſſus 576.9] Dum per quoddam iter arctiſſimum, quod vulgariter paſſus dicitur, forent tranſituri. Ita ſanè & adhuc anguſtias itineris, per quas exercitus eſt tranſiturus, **a pass** dicimus. Et hunc paſſum hoſtes ſemper conantur præoccupare, claudere, aut impedire.

Paſtura 1082.24] In paſtura ferarum. Scilicet in paſcuis, quæ **pastures**, nos dicimus.

Pathnagium] Idem quod Pannagium, quod vide.

Patricius 9.45] Henricus in Imperio reſtitutus eſt, & à Papa Clemente benedicitur Patricius Romanorum. Celciſſimum iſtum Patriciatûs titulum, poſt tranſlatum Imperium fuiſſe introductum, ſatis eſt compertum; ejus enim inter Auguſtæ Hiſtoriæ ſcriptores, neque vola quidem nec veſtigium. Et ſanè à Conſtantino magno inſtitutum, apud doctiſſimum Meurſium invenio quem tu vide: me enim pudet ſcrinia ejus clanculò hîc ſuppilare. Fortè tamen privilegiis (ſaltem uno) à Juſtiniano auctum *Inſtit. l.* 1. fuiſſe Patricium, ſuadebunt Imperatoris ipſius verba, *tit.* 12. *§.* 9. quæ poſt pauca invenies laudata. Diu etiam eſt quod obſervavi, hunc ſub Imperatoribus Eccleſiæ præpoſitum fuiſſe, uti ſub Henrico Rege octavo noſtrati aliquando, D. Cromwellus & vicarius generalis appellatus. Hunc igitur ὑπεκκλησίαν vocat Gregentius, uti ex forma creationis (quam heic poſtea habes) erit manifeſtum. Hoc unum ſcio, Gothos, ſcilicet jam rerum in Italia dominos, ad dignitatem iſtam & ſuos ſublimiſſe. Et ſub ipſius Theodorici & Caſſiodori ævum (quingenteſimum ſcilicet à Chriſto incarnato annum) Patriciatûs ordinem, non tantùm inter ſublimiores habitum, ſed & in optimè de republica merentes in virtutum præmium honorúmque apicem, à dominantibus fuiſſe collatum. Ita enim Rex Italiæ Theodoricus dum ipſum Caſſiodorum in iſtámce ſublimat dignitatem: "Patriciatûs (inquit) tibi apicem "juſta remuneratione conferimus, ut quod aliis eſt præ"mium, tibi ſit retributio meritorum: macte, ſumme "vir, felicitate laudabili, &c.[n] Quanta deinceps eſſet iſta per ea ſecula dignitas, deſcribit ipſe Caſſiodorus[o]. Sed adhuc tamen cæteris erat communis; apud eundem enim ſimul cum ipſo memorantur Boetius, Feſtus, Symmachus, & Importunus, Patricii, cum multis aliis. Adhuc etiam nudus atque honorarius ſolummodo, & ſine magiſtratu titulus erat, & tantùm πατὴρ τῆς κοινῆς, reipublicæ pater, apud Suidam appellatus[p]. Summam dignitatem appellat Juſtinianus[q]; & quæ in illis duobus privilegiis, vel ipſum conſulatum vincebat. Scilicet quod filium jam Patricium factum, à patria poteſtate liberabat; ut ibidem ſancivit Juſtinianus. Et (referente Caſſiodoro) quod mox ut data fuerit, in vitæ tempus reliquum, homini fiebat coæva[r]. Nimirum quia non ut conſul electus erat in annum, ſed uſque ad vitæ terminum. Sub Juſtini Imperatoris ævo (qui Juſtiniano ſucceſſerat) Narſetem (bellatorem illum clariſſimum) propter virtutum merita Patriciatûs honorem promeruiſſe, teſtatur Paulus Diaconus Warnefridus[s]; quem tamen ante vitæ terminum ea dignitate exutum ſcimus. Adhuc Patriciatûs honor ab Imperatoribus conferebatur, ſed poſtquam Longobardi à Narſete evocati, Italiam armis ſubjugaſſent, ab illo tempore (ſcilicet ab Anno Chriſti 566) Romani per Patricios cœperunt dominari. ut apud Martinum Polonum invenio[t]. Imò & Adrianum Papam Imperatori Carolo, & ſucceſſoribus ſuis Patriciatum Romanorum conceſſiſſe; apud Meurſium invenio. Unde poſtquam Galli Germanique Imperium obtinuiſſent Romanorum, ut hunc ipſum Patriciatûs titulum, diademati ſtylóque Imperialibus connecterent continuarentque, rebus ſuis conducibile futurum judicârunt. Jam ſcis quare apud authorem hunc noſtrum, Henricus Imperator voluit in Patricium benedici. Inſuper, in Lauriſhamenſi chronico vides Carolum magnum Imperatorem, ſe Regem Francorum & Longobardorum, ac Patricium Romanorum inſcribentem[w]. Quod & ab Ottone Imperatore factum, te docebit idem[x]. Sed ut exercitationem ſimul compleam & abſolvam; In Imperio Græcorum ſecundas ab ipſo Imperatore obtinebat Patricius, & ſolennibus cæremoniis ab eodem creabatur ſub his verbis; "Nobis nimium laborioſum videtur con"ceſſum nobis à Deo miniſterium ſolùm "procurare: quocirca te nobis adjuto"rem facimus; & hunc honorem tibi "concedimus, ut Eccleſiis Dei & pau"peribus legem facias, &c.[y] Miror interim quare inter omnes Palatii & Eccleſiæ dignitates, nulla omnino apud Codinum Curopalatem, Patricii hu-

[n] *Vide Caſſiodori varia, ep.* 3. *l.* 1. *p.* 14.
[o] *Ibid. l.* 6. *Form.* 2. *p.* 383.
[p] *Suidas in* Πατρίκιος.
[q] *Inſtit. l.* 1. *tit.* 12. *§.* 9.
[r] *Caſſiodori varia, l.* 6. *Form.* 2. *p.* 383.
[s] *De geſtis Longobard. l.* 2. *c.* 3. *p.* 49.
[t] *Martinus Polon. in Juſtino an.* 566. *p.* 106
[w] *Chronicon Lauriſham. inter rerum Germanicarum ſcriptores à Frehero editos, p.* 61. *l.* 44. *an.* 779.
[x] *Ibid. anno* 948 *pag.* 69. *lin. ult.*
[y] *Vide Paulum Forojulienſem de geſtis Longobardorum in Calvini Lexico Juridico, in Patricius; nam alibi mihi non occurrit.*

a Gregentius in diſput. p. 271. bib. pp. tom. 1. Græco-Lat. Pariſ 1629.

a Pag. 1152. col. 2. lin. 27.

b Pag. 1153. col. 2. lin. 4.

c Hoveden p. 232. l. 35.

d Ibid. p. 233. b. l. 8.

juſce mentio inveniatur. Nam licèt Gregentius, Patricium per ὑπακολούθημα & κατακλάσματα interpretetur [a], & κατακλάσμα apud Codinum inveniatur; per omnia tamen Palatinus iſte Græcus cum Latinorum Patricio Eccleſiarcha non concordat. Sed de Canicleo conſulatur Meurſius; ego enim ad Patricium redeo, quem & Saxones Heptarchos noſtrates ſub ſe habuiſſe, Auctarium noſtrum tibi probabit [a], ubi Brordanum Patricium habes ſignantem. Et hic ille Ducem ſe alicubi inſcribit [b]; quem Rogerus Hovedenus [c] Merciorum Principem appellat; qui etiam Siggæ Patricii meminit [d]. Non credo tamen Patricios noſtrates præfectūra aliqua in Eccleſiaſticos nobilitatos extitiſſe, poſt eos enim ſubſcribit hic Brordanus.

Pax 128.44] Regem duxerunt ad offerendum, & iterum reduxerunt ad pacem. Scilicet ad oſculandum pacem ſive pixidem, in qua aſſervatur Euchariſtia: **to kiſs the Pax**.

Pellicea 1041.58] Habeat veterem pelliceam Monachi veſtem. Scilicet pellibus arietinis, agninis, aut caprinis furratam, ſuffultam, duplicatam, aut liniatam. Vita Hugonis Cluniacenſis, Feſtinavit pelliceam ſuam exui, & infirmum veſtivit. Sanè in regula S. Benedicti, c. 55. p. 172. Jubetur ut Monachus nova recipiens veſtimenta, vetera reponeret in veſtiario propter pauperes. A pellicea, noſtrum **pilch**.

Perla 776.40] Lapis pretioſus, qui dicitur vulgariter perla. Et ſanè nos Angli Margaritam ſive Unionem, a **perle** dicimus, Ita in 1045.58 Margaritarum ſive perlarum.

Perſona 1016.54] Aliæ terræ à perſonis Eccleſiæ adquiſitæ ſunt. Et in 1042.7 Id eſt, à rectoribus Eccleſiarum, quos **perſons** vel **parſons** Angli vocamus. Et ſane rector ſic olim dictus erat, quia repræſentat Eccleſiam ſuam, & ſubit in omnibus placitis & vadimoniis perſonam illius, ut loquuntur legulei. Vel fortè quia cum perſona propriè addat ſupra naturam, proprietatem ſeu qualitatem ad dignitatem pertinentem (ut habet Aquinas.) Unde & antiquitùs omnes viri in dignitate conſtituti dicebantur Perſonæ; devotio noſtrorum in prima ſua converſione, & reverentia erga viros Eccleſiaſticos nomen illud honoris appropriārit, quaſi antonomaſticè, Rectoribus Eccleſiarum, quod aliàs erat commune omnibus quacunque dignitate fulgentibus. Vox etiam occurrit apud Ivonem Carnotenſem [e], & Lindewodum noſtratem. Inde——

Aquinas 1. q. 40. a. 3. ad 1. Vide Onomaſtic. in Apoſtolat. Benedictinorum in Perſona.

e Ivo, ep. 12. p. 12.

Perſonatus 592.7] Perſonatu, vel aliquo beneficio Eccleſiaſtico. Et 593.33 In dignitatibus, perſonatibus, & canonicis. Et 380.43, 53 & 1107.23 beneficia ſeu perſonatus. In quibus locis omnibus accipitur pro *Rectoria*, quam **a parſonage** vocamus. Aliter verò Adjectivè uſurpatur, & perſonatus vir inter conſules proconſulareſque viros collocatur [f]. Unde & perſonatiſſimus apud Cantipratanum, pro viro magnæ authoritatis [g]. Vide Deperſonatus.

f Vide Cerda Adverſaria, c. 43. n. 13.

g Chriſtus apparuit in forma perſonatiſſimi viri. Cantiprat. l. 2. c. 57. parag. 26. p. 557.

Petraria 39.16] Petrarias, tribunculos, arietes. Machina bellica, qua contorquebantur lapides ingentes, & molæ aſinariæ, adverſus caſtellorum muros: ut nunc globi ferrei ex tormentis magnis pulverariis. Ita & in 137.7 Circa urbem petrarias & machinas alias locaverunt, quæ cum lapidum ponderoſitate muros civitatis attriviſſent. Ita & in 25.41 alibíque ſæpiſſimè, ubi frequenter conjungitur cum mangonellis & tribunculis; quæ eademmet ferè erant, vel in uſum eundemmet ordinatæ. Vox Germanis ſcriptoribus uſitata; Perrieres Gallis.

Phyſicus] Phyſicus prælectus, i.e. medicus; quem nos Angli **a phyſitian** vocamus, & medecinam **phyſick**. Ita & phyſica ab hoc noſtro uſurpatur in 1046.52 In phyſica poterat cenſeri alter Galenus. Vide 815.36. Ita & voce utuntur Vitriacus & Cantipratanus.

Pilati] In Mandato de Jutatis ad Arma. Qui verò in foreſta habeant arcus & pilatos. Sanè in Statuto noſtro, anno 13 Edw. 1. c. 6. Anglicè vertitur **bolts**, ſed viderint ipſi legulei annon potiùs pro ſagittis ferro ſpiculatis vox ſit accipienda; nam ſagittæ ſpiculum **the pile** adhuc dicimus. **Bolts** ſunt ſagittæ catapultarum totæ ligneæ & obtuſæ, quibus aves ferimus.

Piſtinochium 1001.42] Piſtorium & piſtinochium. Scilicet aut piſtrina, aut officina ad eam pertinens.

Pirata 222.51] Rex Piratæ exercens officium. Scilicet nautæ; ut in 519.32 exponitur, Quod comperientes nautæ & piratæ. Vox ſæpiùs occurrit apud hunc noſtrum, ut & apud Aſſerium Schirburnenſem, de Alfredo Rege agentem, Juſſit cymbas & galeias—fabricari—impoſitiſque piratis in illis vias maris cuſtodiendas commiſit. Etiam & apud Matthæum Weſtmonaſterienſem, de Hardecanuto verba facientem, Ex tributo piratis ſuis miniſtrabat [h]; i.e. claſſiariis vel militibus marinis. Sanè & Analavus Hyberniæ Rex pirata dicitur, & Maccuſius Rex Manniæ inſulæ archipirata [i].

h Weſtmonaſter. An. 1040.

i Vide Mare Clauſum D. Seldeni, p. 163. & 165.

Pitancia 1098.45] Salva pitancia, quæ ad majorem menſam deferri conſuevit; i.e. ferculum, præbenda, ſeu conſtituta portio, quæ contingit cuique commenſali in cibo & potu. Vide Generale. Et in 404.7 Pietanciam aliàs ſcribunt, nam dapes ſuas à pietate deducebant; ut & vini ingurgitationes Miſericordias vocabant.

Placita 8.22] Ubi placita letifera tenebantur; i.e. Aſſiſæ de vita & morte, actiones juridicæ. Ita etiam & cauſæ & tribunal ipſum placita vocantur. Communia Placita ſunt curia communium placitorum celeberrima in aula Weſtmonaſterienſi, ubi ſingulis diebus juridicis cauſæ litéſque inter ſubditos regni ſolenniter & magna cum gravitate ventilantur. Habemus etiam & placita de nova diſſeiſina coram aſſignatis, ſcilicet regiis juſtitiariis; 270.5 quæ **Aſſiſes of nobel diſſeiſin** vocant legulei noſtrates, quibus placita relinquo. Interim videatur D. Cowellus in voce **plea**, una cum Johanne Skenæo, qui à Gallico Plaid, Lis, deducunt.

Planeta 616.43] Ad planetas & capas chorales adornandas. Planeta eſt ultima veſtimentorum miſſalium, & poſt ſtolam induitur. Græcum eſſe volunt ἀπὸ τ͂ πλανᾶν, licet φαινόλιον iis dicatur; ut & caſula ſive penula Latinis. Vox Anaſtaſio Bibliothecario ſatis familiaris.

Plegius 838.28] Nobilibus plegiis——liberatur. Scilicet vadibus vel fidejuſſoribus, qui pro altero cavent. Ita in 216.5 Plegii debitorum, & *l.* 7. Plegii reſpondeant de debito, i.e. vades. Inde——

Plegium 84.34] Vadium & plegium ſtandi judicio; i.e. vadimonium. In Scoticis legibus per cautionem aliquando interpretatur. Hinc & Francus plegius in 217.62, 65 Viſus fiat de franco plegio; à Gallico Franc, i.e. liber; & Pleige (quem nos **pledge** dicimus) fidejuſſor. Ita ut Francus plegius is ſit, qui per vadimonium ſe pro homine libero cavet obligátque. Omnes enim liberi homines Angli olim obligabantur, unum vadem aut fidejuſſorem pro ſe invenire & præſtare, ut Regi de tranſgreſſionibus fidejuſſor reſponderet, ſi liber homo ſe ſubduxiſſet à juſtitia. Iſte fidejuſſor Francus plegius & plegius capitalis, **capital pledge**, vocabatur. Ideo combinatione inter cives factà, vicini aut qui ejuſdem nominis vel familiæ erant viciſſim decreverunt, ut mutuò alter pro altero, & hic pro illo obligarentur. Atque hæc obligatio reciproca publicè & ſolenniter coram vicecomite fiebat; qui pro Rege proſpiciebat, ut liberi homines & non alii, pro liberis fierent plegii; & ut omnes deſcriberentur in qua combinatione quiſque ſe obligaverat. Atque hæc vicecomitis cura Viſus de franco plegio apud hunc noſtrum vocatur. Hinc——

Plegiagium & Plegagium 669.26] Sub electorum fidejuſſorum plegagio dimiſſus; i.e. vadimonio. Et 701.44 Dimiſſus eſt cuſtodiæ & plegiagio 24 militum. Vocem habent & Statuta Scotica.

Podium 676.38] Ipſum ad unam ſpondam quæ duos de ſtallis dividebat, & pro podio facta fuit—preſſit; i.e. gradus ſive ſuppedaneum inter duos ſtallos ſive ſtalla, quo in ſtalla vel ſedes canonicorum aſcenditur: à τ͂ς ποδὸς pes, ὑποπόδιον.

Poleta 218.41] Tres ortilli abſcindantur de pede anteriori ſine poleta. Scilicet ſine parte carnoſa & tumente, quam montem pedis vocant.

Polyandrium 1052.17] Dedicavit polyandrium, in quo ſepulta ſunt corpora. Scilicet cœmeterium, quod alio nomine Paradiſum alii vocarunt. Polyandrium Græcum eſt.

Porcaria 830.62] In porcariis, ſterquiliniis, & lutoſis plateis. Scilicet in locis cœnoſis, ubi ſeſe volutare amant ſues porcíque.

Poſſe 1116.19] Juvabimus eum cum toto poſſe noſtro. Ita & in *l.* 55. Scilicet cum tota poteſtate. Inde Breve Regis ad vicecomites ſingulorum comitatuum directum dicitur, Poſſe comitatûs; quia eis conceditur poteſtas comitatûs & in comitatum. Inde——

Poſſibilitas 744.31] Ut excubantes vigiles in qualibet civitate; ſcilicet quoad ejus extenderet poſſibilitas. Hoc eſt, Non tantùm ut excubias ſtationéſque nocturnas infra mœnia & ad portas civitatis agerent; ſed in pomœriis, ſuburbiis, etiam & in agris, vicis, pagiſque ſuburbicariis, quæ ſub juriſdictione vicecomitum civitatenſium cenſentur. Urbes enim noſtrates hujuſmodi gaudent dignitate libertatéque, ut etiam ſint intra ſe comitatus, habeant in cives & ſubditos ſeparatam juriſdictionem; nec vicecomiti comitatûs illius, in quo ſtant, ſubſint. Vicecomites igitur urbicarii habent Poſſe comitatûs in comitatum civitatenſem; cujus juriſdictiones, limites, & præcinctus, dicuntur Poſſibilitas urbis, vel ſub Poſſibilitate urbis.

Poſtena 1051.19] Equi (Armigeri) decentes & fortes ſint, ad portandum (de conſuetudine) pannos unius Monachi ad poſtenam Armigeri. Scilicet ad portandum clitellas Monachi poſt tergum ejus ad caudam equi. **Behindhim** nos dicimus.

Poteſtas 1091.37] Vicedominus, poteſtas, milites, & populus Parmenſis. Ubi maſculinè uſurpatur. Poteſta Italis, is eſt quem Majorem vel Prætorem civitatis dicimus. Et in 344.65 Poteſtates urbis & Senatores. Et in 375.58 Cepit eorum poteſtatem ſcilicet filium Ducis Venetorum. Et in 561.26 Poteſtas januæ quem Admiratum vocant. Vox frequentior apud Petrum de Vineis; cui Poteſtaria (Poſteſtaria Italis) pro limitibus vel præcinctu (ut dicimus) ubi juriſdictionem exercet iſte poteſtas. Sanè & Juvenali, Poteſtas pro Magiſtratu videtur uſurpari.

Pet. de Vineis, p.650. ep.101.l.5. Poteſtati veſtro. Ibid.

"An Fidenarum Gabiorúmque eſſe poteſtas.

Et Suetonio in Claudio, c 23. Et in ipſis Imperatorum legibus, quas citat Calvini Lexicon in **Poteſtas**, p 723. Græcis recentioribus apud Codinum dicitur, ὁ πο[illegible].

Præbenda 1042.21] Præbendam quotidianam ad duos equos de granario noſtro; i.e. portionem, tantum ſcilicet fœni avenarúmque, quantum ad duos equos ſufficiat. Præbenda ſæpiùs dicitur de portione Monacho ſive Canonico aſſignata; etiam & de Decanatu. Et in 803.26 Tam nobilem præbendam —ignoto conferri. Inde præbendales Eccleſiæ apud Petrum Bleſenſem—— Inde Præbendarius, ſcilicet Canonicus, qui in tali Eccleſia clericali præbendam obtinet.

Petrus Bleſenſis, ep. 81. p.138.

Præcipitaria 521.36] Caſtrum mangonellis flagellàrunt, petrariis diſſipàrunt, & compactis præcipitariis impegerunt. Scilicet machinis bellicis ſive catapultis, ex quibus tela miſſilia trajicientes, obſeſſos qui muros defendebant præcipites dabant.

Præconizo 1039.31] Præconizabat eum—conventum conculcaturum. Scilicet publice & alta voce prædicarit. Præconizare enim eſt, per præconis vocem aliquem compellare & citare.

Presbyterium 371.16] Eccleſiæ Cathedralis Presbyterium. Scilicet chorus, cancelli, ubi olim nulli niſi Presbyteri ſedebant. Vox ſatis nota.

Primicerius 976.15] Electi commilitones & primicerii. Et in 979.44 Regales primicerii. Et in 483.43 Quis in exercitu foret primicerius. In his locis authoris noſtri, pro viris primoribus & belli ducibus vox uſurpatur. Primicerius in claſſe ſive ordine ſuorum is olim vocabatur, cujus nomen primò in cera ſive codicillis cereis ſcribebatur: cui proximus Secundicerius dicebatur. Primiceriorum tam Eccleſiaſticas quàm Palatinas ſignificationes diverſas huc afferrem, ſi univerſale ſcriberem Gloſſarium; quod mei non eſt inſtituti.

Primitiva 657.8] Primitiva, quæ nova dona novi anni appellant. Vox ſatis interpretata dum citata. Strenæ, Xenia.

Prior] Vox ubique occurrit, ſed non ſemper in eadem ſignificatione. Sanè in Abbatiis ipſis Prior, is erat qui ſecundus ab Abbate tenebat; uti præſidens ſub magiſtro vel cuſtode in collegiis noſtris Cantabrigienſibus. In Abbatiarum autem cellis ſive prioratibus, primus in ſuo conventu erat Prior; uti præſidens ipſe in aliquibus collegiis Oxonienſibus. Scilicet ſi excipias, quod Priores iſti Abbatibus ſubjiciebantur, & ab iis aliquando viſitabantur & deponebantur [k]. Atque illos duos Priores Conventuales vocat hic noſter [l]. Sed & tertium Priorum genus reperies, quos Priores inſtallatos alicubi vocat, & Priores qui proprium Abbatem non habebant [m], cui reſponderent; imò non niſi nomine ab Abbatibus diſtabant. Illos enim Synodis cum Epiſcopis & Abbatibus ſedentes inveni; imò & in Parliamentis regni, poſtquam Baroniis à Regibus erant inveſtiti. Et ex horum numero erat Prior Cantuarienſis. Quartum inſuper, ſed minorum gentium Priorem reperio; qui ſcilicet grangiæ alicui pro Abbate ſuo præerat, cujus exemplum habes in Abbatum Vitis [n]. Inde & ſignificationes Prioratuum, juxta Priorum ſuorum eminentiam vel dependentiam, variabant.

[k] *Vide pag.* 1032. & 1033.6. & 105.3, &c.
[l] P. 1098. 19.
[m] *P.* 367. 34. & *Additamentis MS. p.*120
[n] P.1098. 29. & 1099.51.

Priſa 317.53] Item de priſis factis pro jure noſtro relaxando, tam in terris quam in mobilibus. A Gallico Prinſes, captiones. Pretia ſcilicet accepta pro brevis ſive decreti alicujus executione. Etiam & de præconum licitationibus; "Priſa ſeu captiones Domini Regis (in-"quit bonus Skenæus) perſolventur & capientur ſecun-"dùm conſuetudines antiquitus approbatas, & de terris "illis de quibus priſæ Regis & ſervitia debent ſumi, & "quòd in iis faciendis non fiet taxatio juxta numerum "davatarum, ſed ſecundùm verum valorem bonorum. Priſæ etiam ſunt illa, ſive eſculenta ſive poculenta, quæ in Regis menſam à proviſoribus aulicis capiuntur; etiam & vectigalia aliqua ex conſuetudine regni debita. Inde & Priſagium, ſcilicet privilegium quo ex unaquaque nave vino onuſta, duo dolia pro pretio ſive taxatione minori, (quam **the Kings prize** vulgò dicimus) Rex accipit in hoſpitii ſui uſum.

Priſona 218.63] Jaceat in priſona noſtra. Scilicet in carcere, quod **prison** nos cum Gallis vocamus. Inde ——

Priſones 504.10] Priſones captivatos, incarceratos; ſcilicet **prisoners**.

Procuratia 578.23] Procuratiæ & munera exiguntur. Et 462 19 Pecuniam extorſit nomine procuratiæ. Vox ſacerdotibus ſatis nota, Procuratias enim Epiſcopo Archidiaconóque viſitanti quotannis ſolvunt; quas **procurations** nos Angli vocamus. Vide & in 811.2.

Procurator Eccleſiæ 314.5] Procurator illius Eccleſiæ & cuſtos, de injuria illata domino ſuo oſtendit. Ubi procurator erat firmarius Sacerdotis ſive Rectoris illius Eccleſiæ, quem Yconomum (Oeconomum) vocat Lindewodus noſtras; ſcilicet qui fruges colligebat, & res ſuas alias procurabat; imò & pro domino ſuo abſente in curiis reſpondebat, in animamque domini jurabat. Atque ex illo unum Guardianorum Eccleſiæ (quos vocamus) jam olim electum, diu eſt quòd obſervavi. Nam œconomus iſte merè laicus & ruſticus erat, qui nullam omnino affinitatem cum œconomis celeberrimis illis Eccleſiæ Græcæ vel Latinæ habebat; quicquid in contrarium alii ſunt opinati.

Proſtrati Pſalmi 1045.22] Ita & in 1065.19 Conventus—proſtratus, collectas—dicens. Sanè Pſalmus, Verba mea auribus percipe; & aliqui alii. Olim Benedictinis Pſalmi proſternales, proſtrales, & proſtrati dicebantur. Qui ſcilicet poſt Veſperas, & aliquando ante Collectas Horarum (ut in hoc loco authoris noſtri) in Quadrageſima dicebantur. Ad quos ſeniores genibus flexis ſtallis ſeu formis ſuis quodammodo procumbentes innitebantur; juvenes verò & pueri omnino proſtrati in pavimento chori, è regione ſtallorum ſive ſedilium ſuorum jacebant.

Vide Onomaſticon Apoſtolatus Benedictinorum.

Protoforeſtarius 490.41] Johannes Biſet Protoforeſtarius Angliæ. Scilicet magnus foreſtarius & principalis, qui res foreſtæ procurabat, & qui à foreſtariis aliis ratiocinium exigebat. Titulus jam exolevit.

Provendarius 1041.50] Dedit Sweino provendario ſuo. Sanè avenas quas equis præbemus, **Provender** dicimus; & ſi non iſte Sweinus eſſet Abbatis agaſo, quis ſiet iſte provendarius omnino neſcio.

Purpreſtura 1081.18] Inquirantur quæ aſſarta & purpreſturæ factæ ſint in boſcis Regis & landis, &c. Vox foreſtariorum, à Gallico Pourpris, clauſum, conſeptum. Purpreſtura eſt quando aliquid ſuper Dominum Regem injuſtè occupatur; ſive in dominicis Regis, vel in viis publicis obſtructis, vel in aquis publicis tranſverſis à recto curſu; vel quando aliquis in civitate ſuper regiam plateam aliquid ædificando occupaverit. Et generaliter quoties aliquid fit ad nocumentum regii tenementi, vel regiæ viæ, vel civitatis. Ita Glanvillus, l.9.c.11. apud D. Cowellum, quem vide. Purpreſtura eſt intruſio, occupatio, vel impeditio poſſeſſionis alienæ; nam ſit erga alios præter Regem, de qua vide Johannem Skenæum.

Purpunctus] In Mandato ſuper Juratis ad Arma, Habeat unum purpunctum, capellum ferreum, &c. A Gallico Pourpoint, Diplois, **a doublet**. Unde Pourpoint d'eſcaille, Galli vocant loricam ferreis ſquamis cruſtuliſve compactam. Sanè in Statuto 13 Edw.1 [illegible] **a doublet** vertitur.

Pyritegium 1043.40] Non tamen ultra Pyritegium hora loquendi protrahatur. Scilicet Ignitegium, **Curfeu, Coverfeu**. Sanè campana dans ſignum Ignitegii, **the Curfeu Bell**, per ſingulas noctes ad horam octavam in hyeme, & ad nonam in æſtate, per civitates & academias noſtras pulſatur; ſcilicet ut moneantur ſinguli ignem ſuum aut extinguere aut tegere. Legem in eam rem tulit Willielmus Conquæſtor, ad nocturnas ſcilicet conjurationes evitandas.

Q

Quarentena 356.23] Viduæ quæ non poſſunt habere dotem vel quarentenam ſuam. Libertatem ſcilicet remanendi in domu mariti ſui, uſque ad quadrageſimum poſt ejus obitum diem. Inde & Quarentena habenda, eſt nomen ſive forma brevis vel proceſſûs contra eum, qui viduam exturbat ante diem quadrageſimum.

Quarelli vel Quarelli 758.58] Miræ ſpiculæ magnitudinis—Quarellos vocant, ab arcubaliſtis trajecta. Et ſanè hujuſmodi ſagittas grandiores **quarrels** nos dicimus.

Quartenarius 408.37] In tanta dyſcraſia—tot in uno anno Quartenarios. Scilicet febres quartanas, ut vocamus.

Quar-

Quarterium 175.12 & 217.18] Menſura bladi, ſcilicet quarterium Londinenſe. Menſuram ſcilicet octo modiorum, ſive **buſhels**. **A quarter** Angli vocamus.

Querelare 1120.24] Querelatur judex; i.e. lis juridica ei intenditur, in jus rapitur; **quarrell'd at, ſued, complain'd of**, nos dicimus.

Quieta Clamantia 133.36] Dedit——tot uncias auri pro quieta clamantia teſtamenti. Ut ſcilicet alter quietè renuntiaret juri ſuo, nec clameum ſive calumniam juridicam ſuper eo teſtamento deinceps ei intenderet. **Quite claim** nos dicimus.

Quintena 744.11] Juvenes Londinenſes, ſtatuto pavone pro bravio, ad ſtadium quod vulgariter Quintena dicitur, vires proprias & equorum curſus ſunt experti. Scilicet decurſiones ludicræ & joculares in equis ad metam ſupernè appenſam, mobilem tamen; quam poſtquam lanceis percuſſiſſent, ni celeriùs abiiſſent, verſatilis Quintena ferientium humeros repercutiebat. **Running at the Quinten**, nos jocum eum appellamus.

R

Rabiolæ 538.61] Bibi vina, rabiolas & ceratia comedens. Neſcio. Quære.

Rebellare 96.29] Rex timens rebellare. Scilicet bellum contra hoſtem intentare, qui illi priùs bellum paraverat. Ita & in 962.44 Ad rebellandum ſe ſuóſque præmunire cœpit, ad hoſtes bello repellendos.

Recepta 321.26] Ad Scaccarium de recepta ſua, &c. Camera eſt in Scaccario regio, à receptis ibi pecuniis fiſcalibus dicta **the Receipt**.

Rector 381.43] Reſidentia in Eccleſia à Rectoribus facienda. Scilicet à Perſonis. Vox notiſſima. Rector alius eſt à Vicario.

Refectorium 563.9] Refectorium Weſtmonaſterienſe. Aulas jam vocamus, quas Monachi Refectoria; quia in eis prandentes reficiebantur. Vox frequentiſſime occurrens.

Regardatores 218.34] Regardatores noſtri eant per foreſtas ad faciendum regardum. Officiales ſcilicet qui circumeunt omnes foreſtæ ballivas, ut de tranſgreſſionibus aſſartis, vaſtis, & purpreſturis inquirant. **Regarders** nos dicimus.

Relevationes, Relevia 46, &c.] Et relevium 311.65 Rex ſuſcepit homagium ejus & fidelitatem; & ei omnia jura ſalvo ſibi relevio conſueto conceſſit. Hottomannus relevium definit eſſe honorarium, quod novus vaſallus patrono introitûs causâ largitur, quaſi morte vaſalli, vel alio quo caſu feudum ceciderit, quod jam à novo ſublevetur. Introitus aliis dicitur, & Imperatori Leoni *εἰσδικτικόν* *. Videantur D. Cowellus & Skenæus. Vox etiam occurrit in 215.36 & 217.45 alibique.

* *Leo Novella* 13.

Replegiatus 481.20] Et canes replegiati. Replegiare eſt averia ſive catalla ſua, quæ jure ab alio ſunt abacta, per breve quod Replevium vocant repetere; vadimonio ſcilicet ſufficienti ad reſpondendum actori de tranſgreſſione in manu vicecomitis depoſito. Sed hæc meliùs nôrunt leguleii, quibus ſua relinquo. **To replevy** nos dicimus.

Reſcuſſio 1078.24] Et qui ad reſcuſſionem terrarum illarum mittere debuerat theſaurum; i.e. ad terras bello priùs abreptas, vi & armis repetendas. **Reſcue** nos dicimus, Galli Reſcouſſe.

Reſpectus 1016.60] Rem produxit, & in reſpectum poſuit. Et in 365.34 Dum reſpectum & dilationem caperet. Ubi reſpectus per dilationem exponitur. Longius tempus ad reſpondendum vel agendum. **Reſpit** nos dicimus cum Gallis.

Reſtare 667.9] Equos & homines meos fecit reſtare, donec paagium extorſiſſet. Scilicet non ſivit ulteriùs progredi, donec telonium exegiſſet. **Arreſt** nos cum Gallis dicimus.

Retenementum 1127.5] Omnia mea——ſine aliquo retenemento do & concedo. Nihil ſcilicet mihi retinendo.

Ribaldus 1121.16] Viliſſimi Ribaldi. Quinam hi erant exponitur in 710.60 Fures, exules, fugitivi, excommunicati, quos omnes Ribaldos Francia vulgariter conſuevit appellare. Et in 203.17 Ribaldi & viles perſonæ. Vide & 233.53. Etiam & Edwardus Princeps aſſaſſinum ſuum Ribaldum appellat, quaſi viliſſimum, in 863.65. Vocem habet Cantipratanus, ut & Germanicarum rerum ſcriptores. Etiam & Chaucero noſtro ribaldus eſt leno, **a bawd**: unde & obſcœnas meretriciáſq; confabulationes **bawdry** & **ribaldry** vocamus. Et neſcio ſanè an non & noſtrum **rebels** ſit inde derivandum.

Riparia 311.4] Pratum quod ripariam habebat vicinam, paludibus obſitam. Et in *l.* 10 Si poſſent equites ripariam cum ſecuritate tranſire. Et *l.* 18 In riparia ac palude prati ſubmerſi ſunt equites uſq; ad ventres equorum. Ubi ripariæ altiores erant foſſæ cum ripis ſuos quales ferè in Inſula Elienſi, locíſque paluſtribus aliis videmus. Lux aliqua voci accedit ex 216.52 Nec villa nec homo diſtringatur facere pontes ad riparias, niſi qui de antiquo & jure facere debent. Nulla riparia de cætero defendatur, niſi illa quæ fuerat in defenſo tempore Henrici Regis. Ubi vides pontes ad riparias factos eáſque defendi ſive in defenſo eſſe; ripis earum ſcilicet ſartis tectis & reparatis, quibus ab inundationibus aquarum terræ vicinæ defenderentur. **Fenced, the fences kept**, nos dicimus. Riparenſes milites Juſtiniano, ſunt qui in limitibus Imperii excubabant. Et riparios nos vocamus, qui piſces venales à mari in equis ubique comportant. **Ripiers**.

Rivera 166.30] Inter riveras de Andely & Eethe. Scilicet rivos, quos **rivers** Anglicè dicimus.

Roba 61.28] Novam robam de Scarleto. Ita & in 654.37 Veſtes pretioſiores, quos **robes** dicimus, à Gallico Robbe.

Roberiæ 860.4] Roberias & damnationes. Et in *l.* 28 Diſcurrentes faciunt roberias multimodas. Scilicet latrocinia, quæ **robberies** cum Gallis vocamus.

Romſcot 987.27] Et reddituu qui **Romſcot** dicitur Anglicè, Denarius S. Petri Latinè. Denarius erat ex juſſu Regis Offæ, à ſingulis regni ſui domibus exactus, & Romam in ſuſtentationem ſcholæ Anglorum ibi fundatæ annuatim miſſus, unde **Romſcot** dicebatur: ſcot enim Saxonibus noſtratibus erat impoſitio, vectigal, ſymbolum; unde noſtrum **ſcot** & **ſhot** pro ſymbolo. Eſcot Gallicum eſt. Vide & 987.27.35.

Runcinus 1049.46] Equos, quorum alii erant manni, alii runcini, alii veredarii, alii verò averii. Sane minores boves ovéſque **runts** dicimus; & niſi runcini iſti parvuli eſſent manni, quales aut quanti ſient neſcio.

Ruptarii 107.36] Militiam à Brebantiis & Ruptariis circumcluſam. Et *l* 39 Hoſtes à Ruptariis interempti. Et 114.44 De Ruptariis & Brebantiis prædonibus. Et 688.28 Credo equites fuiſſe prædis ſpoliíſque operam præcipuè dantes. **Reuter** ſive **Rutter** eques eſt Germanis.

Ruſſettum 217.40] Pannorum ruſſettorum. Sanè colorem ſubnigrum, **ruſſet** nos vocamus. Galli Rouſſet.

Rutta 153.12] Caterva militaris, quam Ruttam vocamus. Globus erat militum, ſed quota pars exercitûs ignoro. Procul diſtat à Germanico **Sueciçoque, Rot**, λόχος, λοχία, verſus, decuria vel decania; nobis **a file**, uti & Gallis.

S

Saiſire 86.43] Omnes Archiepiſcopi, poſſeſſiones ſaiſias in manum meam; i.e. capias, & in fiſcum redigas. Et in 1120.38 Ballivi Regis omnia bona defuncti ſaiſiunt. **Seize**, Saiſir Gallicum eſt. Inde ſaiſitus 84.55.56 ſcilicet qui eſt in poſſeſſione rei. **Seized**, & ſaiſina. Vide Seiſina.

Salſaria 117.4] Tria ſalſaria argentea. Scilicet ſalina, quæ **ſalt-cellars** & **ſalts** dicimus.

Sandalia 128.31] Sandaliis calceatum. Nam calceorum ſpecies erant ſandalia, **ſandals**, corrigiis religata, ut omnibus eſt notiſſimum; de quibus conſulendus Philologorum Latiniſſimus, criticorúmque primicerius, Claudius ille Salmaſius. *Salmaſius*

Sarabaitæ] Vide Gyrovagi. *in Tertul.*

Saraceni 146.36, 47, 48, 50] Valet 20000 Saracenorum; ſcilicet aureorum Saracenicorum. *de Pallio.*

Scarletum 61.28] Robam de ſcarleto. Et ita ſæpius. Coccus, rubicundi panni ſpecies pretioſiſſima, quam **Scarlet** nos dicimus, uti ferè & omnes Europæi.

Scaccarium] Sæpiſſimè occurrit, ſive pro ærario regio, ſive pro curia vel tribunali in Aula Weſtmonaſterienſi, ubi de rebus & redditibus fiſcalibus Barones quatuor definiunt. **The Exchequer** vel **the Checker** nos vocamus. Polydorus Virgilius monet, ut Scattarium potiùs *Polydor.*
ſcribatur, quaſi à Germanico **Schatz** theſaurus. Alii *Hiſt. Angl.*
ab antiquo Saxonico ſcata theſaurus, impoſitio, taxa- *l.* 9.
tio; ſed hæ etymologiæ veriſimiles non ſunt.

Scalarium 1120.26] Scalarium Eccleſiæ. Gradus ſcilicet quibus in majores Eccleſias ex cœmeterio aſcenditur. Scalam vocant ſcriptores Eccleſiaſtici moderni, uti *Fiſcara in*
& Græci. *Praxi Ca-*
Scambiatores 753.54] Scilicet Excambiatores, Uſura- *remon. l.* 2.
rii, **Bankers, Lombards**; qui pecunias accommodan- *c.* 8. *n.* 4. *p.*
tes, pignora pro vadimonio aut ſcriptis obligationibus à 299.
debitoribus accipiebant.

Scilla 1070.8] Tacta Nola, cui Muta vel Scilla eſt nomen. Campanula, quam Squillam alii vocant.

Sclavi 398.14] Vinctos ſclavos liberos dimiſit. Scilicet in bello captos, captivos, quos **ſlaves** dicimus, uti Galli Eſclaves, Hiſpani Eſclavos. Vox ſæpiſſime occurrit.

Scotallum 201.39] Scotalla in regno faciant. Et in 218.43 Nullus foreſtarius vel budellos faciat de cætero Scotallum; i.e. non habebit tabernam cerviſiariam meritoriam aut œnopolium; quod ſcilicet ad aucupandam foreſtarii gratiam ne noceat, foreſtæ incolæ accolæque frequentarent. Componi videtur à ſcot ſymbolum, & Ala, quæ eſt potus antiquus inviniæ Angliæ.

Scholares 173.42] Hoc multorum ſcolarium ſuppreſſit arrogantiam, ſcilicet ſcholaſticorum.

Scriptorium 1003.12,15] In ipſo quod conſtruxit ſcriptorio libros præelectos ſcribi fecit. Camera ſcilicet exemplaribus librorum deſcribendis aptata.

Scrofa 281.1] Baliſta, ſcrofa, catus. Et alibi ſcrofa ad ſuffodiendos muros. Machina ſcilicet in eam rem aptata, ſed formam neſcio.

Scutagium 216.17] Nullum ſcutagium vel auxilium ponam in regno. Et *l.* 25 De ſcutagiis aſſidendis. Ita & in 515. Et in 827.33 Auxilium pecuniare à quolibet ſcuto ſive ſcutifero Angliæ, qui de Rege in ſervitio militari tales terras tenebat, quæ ſcutagii ſervitute erant oneratæ in opus Regis exactum; ſcilicet expeditionem bellicam contra Gallos Scotóſve jam meditantis. **Eſcuage** nos dicimus.

Scutifer 855.18] Cum duobus militibus & quatuor ſcutiferis. Hos ſervientes ferè ſemper appellavit author, alii Armigeros; nos hodie **Eſquires**, Galli Eſcuiers.

Secretarius Eccleſiæ 1008.4,7,9] Crediderim hunc Secretarium non tantùm fuiſſe literarum munimentorúmve exemplificatorum ſcribámque, (quem alicubi Regiſtrarium, alibíque Auditorem nunc dierum appellamus) ſed quem in Eccleſiis Cathedratis aliquibus Cancellarium appellamus. Olim ſane (uti multis probare poteram) Cancellarius atque Secretarius pro ſynonymis habebantur. Hoc certum eſt, Secretarium hunc noſtrum ſatis divitem in Abbatia habuiſſe Obedientiam, utpote qui in Anniverſario Abb. Gaufridi, habebat reficere Conventum ſplendide, ſive convivium opiparum famelicis Monachu-
p 1008.9. lis ſuis ſumptibus apparare p. Inſuper & pauperes cen-
q 1044.33 tum in eodem die q. Dicitur etiam Eccleſiam pro majo-
r 1015.55 ri parte plumbo decenter cooperuiſſe r. Curam enim habuiſſe videtur ornamentorum Eccleſiæ, & dirutorum
ſ 1008.4 reſtaurandi ſ. Neceſſum eſt igitur, illum officium aliquod in conventu ſatis lucroſum exercuiſſe, unde tot ſumptibus ſufficere valeret.

Secta Curiæ 1121.55] Ratione hujuſmodi poſſeſſionum magnates compellere nituntur Prælatos, facere ſectam ad curiam laicalem. Et *l.* 59 Ad ſectam & alia onera facienda. Et *l.* 65 Capitales domini faciunt diſtrictiones pro ſecta curiæ, vel aliis ſervitiis ſibi debitis. Ubi ſecta eſt ſervitus, quam tenentes debent domino ſuo & curiæ ejus. A ſequor, unde & in eundem ſenſum ſequela, **Suit to the Lords court.** Inde ſectator, **a ſuitor.**

Seiſare] Idem quod Saiſire, quod vide.

Seiſina 1016.27] Donationem & ſeiſinam. A Gallico Seiſne, poſſeſſio, ſcilicet ſive legalis, actualis, civilis, naturalis, de recto, aut de clameo; ut juridici loquuntur. Nam vox non tantùm leguleis noſtratibus eſt in uſu, ſed & legum civilis canonicæque profeſſoribus. Frequenter noſtrates uſurpant cum Liberatione, & **livery and ſeiſin** vocant; traditionem ſcilicet poſſeſſionis alteri.

Selda 161.1] Statutum eſt ne quis mercator prætendat ſeldæ ſuæ, aliquid unde viſus intuentium impediatur. Scilicet officinæ, uti conjicio; nam vox alibi non occurrit.

Seneſchallia 1116.50] Seneſchallia Vaſconiæ. Officium ſcilicet ſive dignitas domini magni Seneſchalli Gaſconiæ.

Sententiare 1071.44] Contra quos judices non audebant ſententiare. Scilicet ſententiam pronuntiare. Ita & in Hiſtoria.

Sequela 792.22] Ut pro quocunque tenemento faciat tenens ſuo ſuperiori à quo tenet—ſequelam curiæ. Scilicet ſectam, quam vide, & 805.50.

Sequentia 1058.24] Sequentiam de S. Albano. Et in *l.* 32 Sequentiam de Sanctis. Proſam & Jubilationem vocant ſcriptores Liturgici, qui videndi; in noſtra enim Eccleſia jam penitùs exolevit. Heic interim obſervabis, Sequentiam iſtam ſolenniter pulſatis duabus nolis fuiſſe decantatam.

Sergantería 217.27] Occaſione alicujus parvæ Sergantariæ, quam de nobis tenet. Et in 805.49 Clientela, quæ vulgariter Sergantería dicitur. Sciendum eſt in lege noſtra eſſe grandem & parvam Serganteriam, **Grand and Petty Serjeanty.** In prima, qui terras à Rege tenent, obligantur cum eo in bellum proficiſci, exercitum ejus ducere, aut vexillum ejus bajulare. Et tenente hujuſmodi mortuo, Rex hæredis ejus habebit cuſtodiam, maritagium, & relevium; ut ab aliis habet, qui ab eo in ſervitio tenent militari. Qui in parva Serganteria à Rege tenent, tantummodo cultellum, arcum, ſagittarum faſciculum, clypeum, vel armorum genus aliud, ei obligantur offerre; ſed de cuſtodia hæredum ſervitutibúſque cæteris prædictis, omnino liberantur. Videatur ſtat. 18 Ed. 1. de Wardis, Releviis, cæteriſque.

Servientes 518.36] Armigerorum autem & ſervientium centies occurrit; ubi omnino ut in hoc loco pro armigeris ſive ſcutiferis eſt accipiendum. **Eſquires.**

Serviens de manerio 737.26] Is erat aut manerii ballivus, vel domûs dominicæ cuſtos & domeſticus. Famulus, villanus.

Shira 986.45] Provincias quas Angli Shiras appellant. Rectè, nam tota Anglia in 26 comitatus eſt diviſa, quorum plurimi in **ſhire** deſinunt, ut **Cambridgſhire, Oxfordſhire**; i.e. comitatus qui à Cantabrigia & Oxonio urbibus in iis capitalibus denominantur.

Signa Eccleſiæ 1029.26] Benedixit quoque ſigna Eccleſiæ, tam majora quam minora. Scilicet campanas nolaſque; ita enim eas appellat Wallafridus Strabo, c. 5.

Silentiarius 104.49] Quibuſdam Papæ ſilentiariis: i.e. ſecretariis, ut hoc in loco ſunt accipiendi. Iſtos habuerunt & Imperatores Græci, quorum ſcholam vide apud Nicephorum t, & munus apud Procopium u. Vide & doctiſſimum Meurſium in Σιλεντιάριος, ut & Gretſerum in Codinum, p. 200. Sed de his ſilentiariis Papæ apud Anaſtaſium Bibliothecarium, & ritualiſtas Romanæ Eccleſiæ, mentio habetur frequentiſſima. Aſt ego (juſſus) brevitati ſtudeo.

t Niceph. Calliſt. hiſt. l. 16. c. 24. p. 690.
u Procop. rerum Perſicarum, l. 2

Simplicia feſta 1064.33] Differentias inter feſta duplicia, ſemiduplicia, & ſimplicia, quis Liturgicorum ſcriptorum non habet ſatis?

Soca 1018.3] Terras quas tenuit in Soca de Luiton. Scilicet in libertate, ſive infra libertatem, dominici ejus villæ. Nam is dominus manerii, qui habet ſocam, habet & libertatem tenendi curias ibidem; & ei tenentes debent ſectam curiæ, ſecundùm conſuetudinem regni. Soca (dicit Lambardus noſtras) eſt, quod ſi aliquis quærit aliquid in terra ſua, etiam furtum; ſua eſt juſtitia ſive inventum fuerit ſive non. Plura vide apud D. Cowellum & D. Skenæum.

Soccagium 217.22] Si quis teneat à nobis per ſocagium. Eſt enim tenuræ ruſticæ ſpecies, cui ſervitutes quædam colonicæ imponuntur, domino ſuo à tenente præſtandæ: & hi tenentes Socmanni vocantur. A Gallico Soc vomer. Et habemus Soccagium liberum & villanum, quæ utraque foris relinquo.

Soket 730.25] Lanceæ vomerulus, qui Gallicè Soket. Ita vocamus mucronem ſive armaturam lanceæ equeſtris, quam haſtiludiis decurſores mutuò ſeſe feriunt.

Solarium 81.62] Dormiens in ſolario, quod Eccleſiæ & cœmeterio imminebat. Scilicet in porticu ſive camera ſuperiori. Ita & in 351.2 Nobiles matronæ Colonienſes in ſolariis ſedentes. De ſolario corruerunt dixit Hovedenus. Vox etiam Anaſtaſio Bibliothecario, rerúmque Germanicarum ſcriptoribus non infrequens. Scio ſolarium Latiniſſimo Plauto etiam uſurpari; pro camera ſcilicet ſive heliocamino, in quo quia liberrimè & auram & ſolem admittebat, apricari ſolebant veteres. Hæc autem pro meis Anglis ſolummodo obſervavi, qui viliorem & non elegantiorem domûs cameram **the Solar** appellitare conſueverunt. Germani Soler nominant.

Sotulares corrigiati 1044.57] Hic quoque ſotulares corrigiatos pro ocreis commutavit. Sotulares iſti calcei erant, uti in 1099.25 exponuntur, Sed calceis corrigiatis & rotundis, non acutis. Verùm de corrigiis calceorum audiatur anonymus ſcriptor, "Erat antiquorum ornatus "vel paratura Francorum, calceamenta—corrigiis tri-"cubitalibus inſignita, faſciolæ crurales, & ſubtus eas "tibialia & coxalia linea. Super quæ & faſciolas in cru-"cis modum intrinſecus & extrinſecus, ante & retro, "longiſſimæ illæ corrigiæ tendebantur x. Nil mirum igitur ſi addat hic noſter, longiſſimis his corrigiis, Monachos à ſociis in proceſſionibus eſſe intricatos & illaqueatos.

x Anonymus S. Galli Monachus, in vita Caroli magni, inter German. ſcriptores.

Sparvarius 219.7] Ærias accipitrum Sparvariorum, Falconum, &c. Scilicet Niſorum. Sparaviero Italis, Eſprevier Gallis, **Sparrow-hawk** Anglis, & Sparwer Germanis, Niſus dicitur. Sparvarius etiam appellatur in legibus antiquis Boiariarum, Salicâque.

Squinata 589.28] Mille ſquinatorum annuam penſionem. Nummi ſpecies.

Standardum 42.49] Admiraviſſi ſtandardum eminùs conſiderans. Scilicet vexillum prætorianum ſive primarium in exercitu. Ita & in 366.32 Cum ſtandardo ſuo,

quod

quod carrochium appellant. Eſtandart Gallicum eſt: ſed tamen per illos dies nos ſtandard de quolibet vexillo dicimus. Standard etiam nobis eſt menſura originalis & canonica, ad quam aliæ menſuræ ejuſdem ſpeciei debent examinari, & cum ea concordare.

Stallum 803.16] Stallum Decani Sedile ſcilicet in choro Canonicis aſſignatum. Inde Inſtallare *l.* 17 eſt in ſtallo canonicali aliquem locare, & ea ſolennitate in dignitatem canonicalem actualiter admittere. Ita in 1064.39 a ſtall dicimus.

Starrum 752.24] Quietus ab omni debito prout ſtarrum obtentum ab eiſdem proteſtatur. Apocham ſive adquietanciam ſuam, ita appellabant Judæi. Et ſtarrorum hujuſmodi exemplaria Hebraica plurima egomet inſpexi in camera illa quam the Tally Office dicimus, juxta cameram ſtellatam; quam nullus dubito quin ab illo ſtarro, the Star Chamber appelletur; ubi ſcilicet monetariæ rationes per ea tempora habebantur: ſtellam enim nos ſtar dicimus. Atque hinc forte ſterling money, de quo tanta lis eſt inter antiquarios noſtrates.

Sterlingus 352.62] Tredecim ſolidis & quatuor ſterlingis pro qualibet marca computatis. Ubi ſterlingus ejuſdem valoris eſt cum denario Anglicano, quorum duodecim faciunt ſolidum. Scribitur etiam & Starlingus; unde conjicio ſtarlingos denarios, ſtarlingamque monetam, à Starro ſive Apocha Judæorum potuiſſe accipere denominationem. Judæi enim, qui omnium exactiſſimi obſervantur eſſe nummularii, ut & nummipetæ; recuſabant fortè alias quàm pecunias probatiſſimas pro mercibus & uſuris ſuis accipere, ſtarrúmque ſive acquietanciam ſuam ſolventibus inde dare. Unde probati nummi poterant Starlingi nominari; qui ſcilicet tam boni purique eſſent, ut eos non recuſarent vel ipſi Judæi. Scio & ab aliis originibus nomen Starlingorum deduci; illa autem opinio Scotorum, qui à caſtro ſuo Starlingenſi monetam noſtram petunt, meritiſſimè à doctiſſimo equite Spelmanno refutatur. Nec probabilior eſt conjectura aliorum, qui à figuris Sturnorum avium (quos Starlings Anglicè dicimus) in moneta Edwardi Regis & Confeſſoris cuſorum ſtarlingos noſtros ita dictos opinantur. Omnino enim columbæ ſunt, non ſturni, quas in clypeis armorum ejuſdem Regis uſque hodie videmus. Columba etiam eſt, & non ſturnus, avicula illa quæ in ſummitate bacilli ſive ſceptri ejus figuratur. Numiſmata fateor plurium Regum noſtratium penes me habeo, cum ſtellis (quas ſtars dicimus) ſignata; quorum argentum ejuſdem puritatis, ſi non melioris, eſt cum moderna noſtra moneta ſterlinga; quod & ſæpè nummularii noſtri probârunt. Sed an ab iſtis ſtellis moneta noſtra Sterlinga vocaretur, an quia à Judæorum Starro priùs ſic diceretur, cum ſtellis poſtea cuderetur, omnino eſt incertum. Obiter hoc unum moneo, Terminationem ſcilicet iſtam ling aut ing noſtratibus in ſignum diminutionis vocibus affinibus poni: ut à duck anas, venit duckling anatis pullus; & à ſound venit ſoundling; ita à ſtar poteſt deduci ſtarling. Sanè doctiſſimus eques eorum potiùs elegit opinionem, qui à Germanis mercatoribus circa Gedani Elbingæque partes, quos Eſterlings adhuc dicimus, Sterlingos noſtros deducant; quaſi illi in Angliam venientes, artem purgandi argenti, etiam ſtandi & feriundi celebrem reddidiſſent, noménque ipſorum facto deinceps reliquiſſent. Quod ſatis eſt probabile, niſi & ante eorum adventum, aut Starra Judæorum, aut Stellæ noſtratium, monetæ noſtræ probatiori nomen impoſuiſſent: ſed & hoc ambigitur. Scribitur & Eſterlingus; qui & unde ſolitariéque per ſe poſitus, probatam monetam Anglicanam tam à viliori quàm ab extera diſtinguit.

Strata 1120.29] Publica ſtrata; ſcilicet via regia per quam itinerantur viatores. Ita & in 715.19 In via quæ publica ſtrata eſt. Et ſanè alicubi in Anglia hujuſmodi viam the ſtreet dicimus; licet frequentiùs plateas civitatum ita appellamus. In quo ſenſu hic noſter uſurpavit *l.* 62 Eboraci in una ſtrata hoſpitabantur. Vocem habet & Petrus de Vineis, nam eſt Italica.

Petrus de Vineis, l. 3. *ep.* 68, 69.

Stratilectia 328.62] Scilicet ſtragula, vel ſtrata lectorum, lecti, & ad lectos pertinentia, quibus lecti ſternuntur; quæ Lectualia vocavit S. Auguſtinus.

Strepa 502.65] Corruit ab equo ſemivivus, ipſum una ſtreparum retinente, &c. Ita & in 562.62 Equo titubante corruit, & propria ſtrepa pertractus. Scilicet ſtapide, quam ſtirrup vocamus, & corrigiam ejus a ſtrap. Strapiam habet S. Hieronymus, ſtrepam Germanici ſcriptores.

Succurſus 1104.44] Miſit in Franciam pro ſuccurſu. Scio vocem ſatis eſſe Latinam, ſed nos auxiliares copias ſuccours dicimus. Ita & 1105.2 Succurſus militiæ venit.

Summa] Summa bladi vel frumenti. Sæpiſſimè occurrit. Menſuram octo modiorum, a Seme (pro Sume) dicimus. Sanè Huntindonienſis noſter Summam per onus equi eſt interpretatus; & rectè, nam inde —

Huntindon, hiſt. l. 7. *p.* 219. *an.* 1121.

Summarius 131.60] Paleſridum & ſummarium unum. Et in 1049.46 Equus—quorum alii erant manni, alii ſummarii, alii verò veredarii. Exponit ſeipſum author in 579.11 Equus clitellariis, quos ſummarios vocamus. Alii dicunt ſaumarium; ſauma enim eſt clitella ſive onus, quod à grandiori equo commode portari poſſit. Ita à Petro de Vineis vox uſurpatur, rerúmque Germanicarum ſcriptoribus; etiam & Aimoino, & in legibus antiquis. Nos clitellarium ſive ſarcinarium equum, a Sumpter, dicimus; Galli Saumier. Summarius forte à ſagmario Vegetii & Luiprandi venit. Inde & —

Petrus de Vineis, l. 3. *ep.* 24. & 5. & 91.

Summagium 219.11, 14] Pro onere vel clitella ſummarii.

Superaltare 1043.27 & 1054.44] Cum ſuperaltari cælato & cruce ſuppoſita. Superaltare eſt altariolum ex lapide conſecrato, & cruce in eo facta; vel altare portatile, quod circumferunt Presbyteri ægrotos viſitantes: ut ſuperaltari ſcilicet ſuper menſam aliquam poſito, in eo jam conſecrato honeſtiùs poſſint Euchariſtiam facere. Nos houſelling altars, quia ad domos privatas deferebantur, ante annos aliquot hujuſmodi ſuperaltaria appellavimus. Sed cum reformatione religionis apud nos ſunt penitus antiquata.

Superpelliceum 377.59] Induit ſe ſuperpelliceo. Veſtis linea ſacerdotis notiſſima, quam Surplice nos dicimus. Scribitur aliquando & ſuppelliceum: variè enim olim induebatur, ſcilicet vel ſubter vel ſuper pelles aut ſurruras, quas geſtabant Monachi & ſacerdotes. Sed de iſto ſatis grandem aliquando ſcripſi tractatum, uti & de habitibus ſacerdotalibus primitivorum aliis, quem mecum ſervo adhuc ineditum.

Suanimotum 218.46 50, 51] Suanimotum teneatur ter in anno. Curia ſcilicet liberè tenentium in foreſta. Swain, qui eſt liberè tenens & Saxonica voce ȝemot Conventus. Vox eſt in legibus foreſtæ.

Syndicus 492.37] Regum cauſam — eorum factus Syndicus foveo. De ſe dixit Imperator. Ita & 582.25 Epiſcopus Beritenſis fit Syndicus omnium Chriſtianorum in terra ſancta. Vocem exponit author in 788.54 per prolocutorem. Ergo in ejus ſenſu Syndicus erat orator aut advocatus aliorum. Sed moderni aliter uſurpant, pro eo ſcilicet inter ſenatores urbium, quem nos Recorder dicimus.

T

Tabula 153.54] Cùm ad matutinas tabulas convocarentur. Nam ligneâ tabulâ canore verberatâ, ante campanarum uſum introductum, in Monaſteriis etiam & Eccleſiis ad divinam Liturgiam audiendam, olim populus convocabatur. Tabulas iſtas τὰ ἱερὰ ξύλα, ſacra ligna vocat pſeudoſynodus Nicena ſecunda, act. 4. p. 620. Et τὸ ξύλον abſolutè Johannes Moſchus ab Archimandrita ſive Abbate pulſabatur. Sanè & Cedrenus nolarum lignearum meminit, de Mauritio Imperatore verba faciens; Ut pulſetur ad veſperas matratis ligneis, jubet venerabilis Miſſa Mozarabes [y]. Sed vix me contineo.

Johannes Moſchus in Prato Spirituali, cap. 11. Καὶ κρούσαντ@ τοῦ κανονάρχου τὸ ξύλον.

[y] *P.* 165. *b.*

Tabula 1013.12] Tabulam ex auro & argento, & gemmis electis artificiosè conſtructam, ad longitudinem & latitudinem altaris S. Albani. Tabularum hujuſmodi frequentiſſima mentio apud Anaſtaſium Bibliothecarium alióſque. Altaria proportionibus æquabant, quibus in majoribus ſolennitatibus imponebantur, vel ſtabant ad maceriam ſive parietem in loco frontalium. Et ſanè erant in majoribus Eccleſiis pretioſiſſima; talis ea eſt in Eccleſia S. Dionyſii juxta Pariſios, alibíque.

Tabelliones 384.14] Tabellionum uſus in Anglia non habetur. Et ſanè in iſtam conſtitutionem Othonis, ita Commentator ejus, Iſti etiam vocantur ſervi publici, ſupra cap. prox. in principio [z]. Quales tabelliones nullus poteſt creare niſi Papa & Imperator, qui horum uſum approbârunt, etiam & invenerunt. Niſi forte conſuetudo vel ſpeciale privilegium, &c.

[z] *Notarii publici in Impreſſ. Ergo hic locum ab aliquo interpolatum eſt zetta.*

Taburcini 26.37] Buccinarum clangorem ictúſque taburcinorum. Scilicet tympanorum, ex pellibus extenſis, quæ tabercula appellantur; ut habet Chronicon MS. ſive Hiſtoria Minor. Drums, Tabors, nos dicimus; Tambours Galli.

Talentum 706.32 & 730.37] Undecim millia talentorum. Forte talerorum; non eſſe poſſunt talenta vera, ſcilicet nec majora nec minora, Græcorum aut Hebræorum, ſed Germanicorum, quorum 18 & dimidium ſurgunt ad 15 marcas [a].

[a] *Ita me docet Chronicon Lauriſham. p.* 95. *l.* 48. *inter German. ſcriptores à Frehero editos, tom.* 1.

Talia 640.41] Proferat ſcriptum, vel taliam, vel teſtimonium. Scindulas ligneas fiſſas, & in eis conjunctis ſummæ, numeri, ſive ratiocinia nummorum cultello indentata;

dentata; quarum pars una jam disjuncta alteri computantium traditur, altera verò alteri reſervatur, Talias vocamus, Scilicet quia iterum partes ſcindularum conjunctæ, ſibimetipſis exactiſſime ut talis tali correſpondeant. In Scaccario regio notiſſimus eſt harum taliarum uſus; unde & camera, ſtellatæ cameræ proxima in aula Weſtmonaſterienſi, the Tally Office dicitur. Ab Italico Taglia, fiſſuris indentatis notare. Galli Taylle, & Hiſpani Taja vocant.

Tallia 419.10] Talliæ & collectæ. Et alibi ſæpe, Talliæ & exactiones. Et ità ſane erant, à Gallico, Taille. Vox uſitatiſſima. Inde talliari ad quingentas marcas in 798.27 eſt in tot mulctari. Inde &——

Tallagium 619.27 & 860.44 & 152.10 & 492.23] Idem quod Tallia. Ut Judæo parceret in Regis tallagio, in 714.26. Scilicet in cenſu capitali, quod à ſingulis Judæis annuatim exigebatur.

Tapeſium] Vide Doſſale.

Targia 256.45] Cum targiis eleganter ordinatam. Ita & *l.*65. Exponitur in 529.41 Ampli clypei, qui Targiæ appellantur. Targes & Targets adhuc vocamus, à Gallico Targe.

Taſſale 418.42] Taſſale Sancti Severi. Neſcio. Quære.

Taſſellus 1006.26] Caſulam auro, taſſellis, & gemmis adornatam. Et *l.*27 Capam purpuream morſu & taſſellis. Glandes ſive nodi ſunt, auro ſericiſque variis ſimbriati, in angulis veſtimenti dependentes: à Gallico Taſſe. Nos Taſſels, quas Galli Houps & Flocquars.

Taſſum 653.28] Agger frumenti conſertus, quem Taſſum vulgariter appellamus. Moles ſcilicet ſive ſtrues ariſtarum; à Gallico Taſſe, ut Taſſe de foign, ſtrues fœni. A Mowe vel a Goaf hodie vulgariter taſſum appellamus; ſed neſcio an Taſſe alicubi.

Taxatio alta 859.29,33] Ea erat æſtimatio ſive taxatio beneficiorum Eccleſiaſticorum, non ſecundùm cenſum antiquum in primitiarum libris regiis, uti vocamus; aſt juxta ultimum valorem annuum omnium proventuum & decimarum.

Tenſeriæ 1060.8] Hæc eſt ſumma pecuniæ perditæ, & Tenſeriæ datæ tempore belli. Neſcio. Quære ſi aliquam omnino affinitatem habeant Tenſeriæ cùm Gallico Tenſer ſive Tanſer.

Tethinga 217.65] Vide Trethinga.

Textus 1003.17] Dedit duos textus. Libros ſive textùs veteris & novi Teſtamenti, ſine Gloſſis; quales aureis vel argenteis tabulis compactos, in altari ſemper ſtare permittebant.

Thabur 140.15] Ad ſonitum illius inſtrumenti, quod à ripatoribus (meſſoribus reapers) Thabur nuncupatur. Idem quod taburcinum, quod vide. A Taber.

Theca 1006.21,24] Thecam quam feretrum appellamus. Sanè erat theca interior & exterior: Interior ipſa capſis (uti in 997.52 eam appellat) capſella ſive ciſta, in qua oſſa ſancti & reliquiæ immediatè recondebantur. Et theca exterior, quæ erat feretrum ipſum, quod cùm miraeſſet & magnitudinis & pulchritudinis, Thecam minorem cum reliquiis in ſe continebat, uti ipſe author de his ipſis thecis in 1037.42,58.

Trethinga] Wapentak & Trethingi; i.e. decem familiæ combinatæ, & viciſſim inter ſe Regi obligatæ, ut de ſingularum in ea Trethinga perſonarum tranſgreſſionibus, univerſæ ſimul reſponderent & fidejuberent; tanquam franci & capitales plegii. Trethinga eadem eſt cum Tethinga; & hujus combinationis vir capitalis Tethingus ſive Trethingus dicebatur; the Tithingman. Sed per iſtos dies res cum lege antiqua prorſus evanuit; nomine tantùm remanente, & in conſtabulario parochiano alicubi reſidente.

Toltum malum 217.35] Mercatores —emant & vendant ſine omnibus toltis malis; i.e. ſine malis & indebitis teloniis, ſive evil tolls; uti in Magna Charta Anglicana vertitur. Toll enim noſtrate contractum videtur à telonio ſive teolonio, ut alicubi ſcribitur.

Torneamentum 729.65] Non in haſtiludio illo, quod vulgariter torneamentum dicitur; ſed potiùs in illo ludo militari, qui Menſa rotunda dicitur. Sanè haſtiludium ſive menſam rotundam non aliam fuiſſe reor, quàm decurſiones equeſtres cum lanceis; quem jocum Galli Jouſtes, alii Juxtas; Tilting nos dicimus. Torneamentum autem id erat quod Barriers vocamus. Adeò ut doctiſſimus aliquantillum falli videatur Cambdenus, dum rotundam menſam cum torneamento confundat. Nec difficulter ſanè crediderim, luſum ſive jocum illum ab hiſtoriographo ſacro memoratum [b], ſpeciem fuiſſe torneamentorum. Frequenter tamen, non negaverim, conjungebantur joci robuſtiores illi duo, tam haſtiludii ſcilicet quam torneamentorum; quia poſtquam haſtas in haſtiludio fregiſſent, cum fragmentis earum video pugiles inter torneandum mutuò ſeſe baculaſſe [c]. Etiam & gladiis rem agi, ex authore noſtro eſt colligendum; dum Regem narrat vehementer timuiſſe, ne in torneamento frater ſuus cum omnibus ſuis in fruſtra detruncaretur [d]. Imò & cædes mutuas in torneamentis, etiam & cruentationes, olim culpabat Papa [e]; ob quas toties in conciliis publicis, prohibitorum exempla torneamentorum, in indice noſtro invenies recitata. Sed ne hilum proficerunt minæ, quia (ut diſertiſſime Neubrigenſis noſtras) "Fervor juvenum armorum vaniſſimè affectantium gloriam, "gaudens Principum favore, probatos habere tyrones "volentium, Eccleſiaſticæ proviſionis uſque in præſens "ſprevit decretum. Et ſane tyrones erant ſive milites novelli, qui tam avidè iſtiuſmodi torneamenta affectàrunt; quos non priùs Rex armis decoraverat, quam illi ſeſe non omnino indignos ſuis fuiſſe armis, in torneamentis teſtari ſitiebant. Ergo & tyrocinia ſunt dicta [f]. Τορνεμέντα etiam habet Cantacuzenus, & τόρνα Nicephorus Gregoras apud Meurſium.

[a] Cambd. in Brit. p. 191.
[b] 2 Sam. 2. 14, 15, 16.
[c] p. 744. 15
[d] p. 619. 33.
[e] p. [illegible]
Neubr. de rebus Anglicis, l. 5. c. 4.
[f] c. 1. ext. de Torneament.

Trabes 1055.12] Cum quadam trabe hiſtoriam S. Albani repræſentante, quæ totam illam artificioſam machinam (ſcilicet altare) ſupereminet. Et 1056.36 Tranſpoſitam veterem trabem, quæ ſupra majus altare ponebatur—In qua etiam trabe ſeries 12 Patriarcharum & 12 Apoſtolorum, & in medio Majeſtas cum Eccleſia & Synagoga figuratur. Omnino capio pro trabe illa, quæ criſtam maceriæ ſive humilioris muri altaris faciebat, quæ picturis & forte ſculpturis ornabatur. The coaping or turning over of the low wall which the Altar ſtood to. Trabes taliuſmodi per diverſas Presbyterii partes habebant; præcipuè tamen in ingreſſu ſuper portam: ibi enim crux erigitur cum Maria & Johanne, aliorſimque aut ſtatuis aut imaginibus ſanctorum. The Rood-loft aliquando hanc trabem appellavimus. Idolium. Hujus non ſemel meminit Anaſtaſius Bibliothecarius Velum album holoſericum, quod pendet in trabe majore ſuper imagines [g].

[g] Anaſtaſ. Bibl. in Leone 3. p. 205, 209.

Tracones 994.6] Tracones & vias cum meatibus ſubterraneis, & ſolidè per artificium arcuatis. Exponitur in 631.27 Soliditas Angliæ cavernis terreſtribus, & profundis traconibus ac concavitatibus caret. Tracones ergo ſunt fornices, meatus, ſive cavernæ ſubterraneæ, vaults. Forte à trachea.

Traguli 754.21] Et mentitur in eis tragulorum vilitas, dum ſub habitu paupertatis ſpiritus habent elationis. Credo eſſe veſtem aut habitum Fratrum Minorum.

Tranſalpinare 812.3] Pro negotiis regiis tranſalpinantes & transfrancianties. Scilicet Alpes tranſeuntes versùs Romam. Verbum eſt Feudiſtarum: habent etiam S. Bernardus [h], & Petrus Bleſenſis [i]. Inde tranſalpinator ſæpe.

Transfranciare] Scilicet per Franciam versùs Romam tranſire.

[h] Bernard. ſerm. 1. de Advent. & ep. 245.
[i] Petr. Bleſ. ep. 59.

Trebuchettum 624.3] Trebuchetta quæ in caſtrum projicere non ceſſabant. Machina ſive catapulta grandior, ad projiciendos lapides ingentes; uti & mangonella. Trebuchettorum inventio à [k] Nauclero in hæc verba memoratur; "Otto Imperator oppidum Wizenſe obſidione vallavit. Aſſerunt tum primùm cœpiſſe uſum inſtrumenti bellici priùs incogniti, quod vulgariter "Tribock nominatur; quoniam bombardarum uſus necdum erat inventus. Trebuchettum enim non eſt niſi diminutivum hujuſce Tribock. Nomen à Gallico Trebucher, vel Hiſpanico Trebaucher, evertere & proſtrare. Trabocco Italicum, etiam vicinæ eſt ſignificationis. Scribitur &——

[k] Naucler. Generation. 41. p. 911.

Tribunculus 39.16] Petrarias, Tribunculos, &c. Et ſanè jaciebant molares lapides 39.55. Vide & 253.48 & 260.5.

Treuga 71.3 & 110.54,60] Alibíque centies. Induciæ. Nos Truce, & Treves Galli dicunt. Ubique vox occurrit. Germanis, Gallis, Italis, omnibus.

Triſta 1082.10] Inquiratur ſi aliqua triſta Domini Regis impediatur. Vox foreſtæ; nam triſtis eſt immunitas ab illa ſervitute foreſtæ incolis impoſita, qua quiſque obligatur canem venaticum alere, & paratum in manu ſua tenere, dominóque ſuo præſentare, quandocunque illi placuerit in foreſta ſua venari. Ita me docet D. Cowellus.

Troparia 1003.19] Miſſalibus, tropariis, collectariis. Libros intelligit continentes Sequentias (ut Liturgici vocant) in Miſſa perlectas aut cantilatas. Has enim Græci τροπάρια appellant, Οἱ δὲ ψάλλοντες λέγουσι τὰ συνήθη τροπάρια. Cantores legunt conſueta troparia, uti in S. Chryſoſtomi Liturgia.

Trubuculi 28.9] Petrarias, trubuculos, & mangonellos. Vide Tribunculus & Trebuchettum, nam eædem ſunt machinæ. Imò fortè ſcribendum erat Tribunculos.

Trumpa 987.19] Tuba quam vulgus trumpam vocat. Et ſanè nos Trump & Trumpet vocamus.

Turbaria 1082.14] Inquiratur de marleris, mineriis, turbariis, &c. Ita & in 266.31 Turbariam aquis & palude

lude circundatam. Scilicet Ceſpitium ſive locus paluſtris, ubi ceſpites focales fodiuntur; quos Turbas vocat Lindewodus noſtras, & Cantabrigienſes mei **Turbes**. Turbaria eſt etiam jus fodiendi hujuſmodi maleolentia ignis pabula ceſpitéſque.

V

Vaſſellum 1070.31] Abbas ſolus prandebit ſupremus in refectorio habens vaſſellum. Si non ſit Umbraculum aut Baldekinum, **a canopy**, neſcio quid ſignificat; neque tamen conjectare poſſum, quare umbraculum vaſſellum diceretur. Quære.

Vaſtum 1081.51] Qui fecerint vaſtum vel deſtructionem de viridi. Vaſtum facere eſt terras depopulari, ſylvas, ſegetes, aut herbas minuere aut deſtruere. A Gallico Galter. Vox tritiſſima. Vide 218.32 & 317.54.

Venatio 218.54] Tam de viridi quàm de venatione. Sanè in iſta Charta de Foreſta aliquando Latinè ſumitur, & pro ſectatione vel perſecutione damarum; & aliquando barbarè, pro ipſis nimirum damis ſive farina. Ita 1071.47 Servum venationem ferentem; & *l*.49 Venationem in R. foreſta & defenſa latrocinaliter ſuſtulerat, i.e. farinam.

Venia parva 1051.7] Monachi ab Abbate accipiunt venias parvas gaudenter. Scilicet abſolutiones pro levioribus delictis & negligentiis, in cantando & recitando officia Eccleſiaſtica.

Veſtura 1081.23] Inquiratur quantum veſtura ſingulorum boſcorum & reſſetorum valeat; i.e. fructus ſive emolumentum, quod inde quoquo modo colonus lucratur.

Vicedominus 1091.37] Vicedominus Parmenſis. Sanè vicedominus olim Epiſcopi erat vicarius, œconomus, & procurator. Aliquando etiam erat clericus, aliquando & laicus. Imò ab Epiſcopis primitus creabatur, ut vice ejus mundana Epiſcopatûs negotia adminiſtraret, & Major domûs Epiſcopalis eſſet. Poſtea tam in Germania quam in Galliis, nobiles aliquæ familiæ ex Epiſc. vicedominis ſunt procreatæ. Galli Vidames appellant. Horum meminit Gregorius magnus [l], & poſt eum Anaſtaſius Bibliothecarius [m]; Romæ habuit ſuum vicedominium, ſive peculiare palatium [n]. Multus hic eſſe poteram, ſi decreviſſem heîc tota mea effundere atque exonerare Adverſaria.

[l] *Gregorius ep.* 11

[m] *Anaſtaſius in Vigil.*

[n] *Anaſtaſius in Steph.* 3.

Villuſe 997.4] Quendam panniculum villoſum, qui Gallicè Villuſe dicitur—ipſum aſſerens eſſe S. Amphibali caracallam. Sanè iſte S. Amphibalus Presbyter erat, & habitum ejus ſacerdotalem, quem Bedæ codex Latinus vocat Caracallam, exemplar Saxon. (ſive originale potiùs, nam Hiſtoriam ſuam dicitur Saxonicè priùs ſcripſiſſe) habet **monucun ȝeȝeꞃa**, Monachicum habitum. Sed de Villuſe viderint ipſi Galli.

Virgator 660.22] Dum regii virgatores populum compreſſum retroire cogerent. Non heîc ſumendi virgatores qualiter Plauto olim, pro flagelliferis illis, qui miſeros flagritribas flagrionéſque virgis cædebant; ſed potiùs pro aulæ regiæ mareſchallis inferioribus, quos Servientes ad arma nunc appellamus. Ita authori dictis, quòd virgas argenteas deauratas, vel ſceptra potiùs, Regibus anteferunt. Adjicio; Limites aulæ regiæ, ſpatium ſcilicet illud omne, in quo ſceptrum ſive virgam ſuam (juriſdictionis ejus inſigne) portat & attollit Dominus Mareſchallus; **the Verge**, ſive **the Verge of the Court** dicimus, quod Latinè Virgata dicitur. Etiam & judices noſtri venerabiles ſuos habent virgatores ſive anteceſſores. In Eccleſiis inſuper Cathedralibus, officiales ſive cæremoniarum magiſtros illos, qui commentacula, bacillos, vel virgas auratas ferunt. **Vergers** vocamus.

Viride 218.54] Tam de viridi quam de venatione. Et in 1081.52 Qui fecerint vaſtum vel deſtructionem de viridi vel de venatione in foreſta. Per Viride intelligunt leges foreſtæ noſtrates, quicquid frondes fert aut folia viridia, unde paſcantur, aut ubi tegantur cervi damæque. **Green hue** vocatur in Charta de Foreſta, & Vert aliis, a Gallico Verd, vel à Latino Viridi. Viride diſtribuunt legulei noſtrates in **Over vert**, quod **Hault bois** vocant; & **Neather vert**, ſive **South bois**: quæ iis relinquo. Inde—

Viridarius 218.52] Convenient foreſtarii & viridarii. Illi ſcilicet foreſtæ ballivi qui viridis curam habent; quos **Verdours** inde vocamus.

Viſnetum 216.49] Per ſacramentum proborum & legalium hominum de viſneto comitatûs. Scilicet de vicinia, nam inde Juratores 12 in aſſiſis eliguntur; unde aſſiſa de viceneto ſive viſneto, in legibus occurrit. Scribitur & Vicenetum. Viſne vocant noſtrates.

Viſores 82.38] Quòd ſi viſores alicujus ſylvam—à longè conſpicerent, ſtatim vaſtum in ea prohibent. Ballivi ſcilicet illi qui foreſtam viſunt viſitántque. **Veiours** eos dicunt legulei, à Gallico Veioyer: alibique eos conſtituunt præterquam in foreſta.

Viſus de franco plegio 217.62, 64] De hoc viſu diximus in Plegii.

Utlegari 217.29] Aut utlagetur aut exulet. Inde utlagatus vel utlagus. In 552.19 Utlagos vel forisbanniatos Domini Regis. Et in 1080.24 Pro utlago teneretur. Et *l*.26 Ulagatus eſſet. Ubi utlagatus is eſt, qui extra legis Regiſque protectionem, ob offenſam ſive delictum aliquod ponitur. **Utlawed** ſive **Outlawed**, ab **ut** ſive **out** extra, & Saxonico **laȝa**, **law** lex. Exlex, bannitus, proſcriptus. Inde—

Utlagatio 198.37] Interdictum vulgariter utlagatio. Quæ & utlagaria in 1080.27 dicitur, pro actu proſcribendi eos qui citati nolunt comparere, vel juſtitiæ recuſant reſpondere. "Pro exlege tenebitur, cùm principi "non obediat nec legi, & extunc utlagabitur; uti lex pronuntiat. Inde Breve Utlagariæ, cujus virtute aliquis utlagatur, **a Writ of Outlawry** dicimus.

W

Wannagium 216.47] Villanus eodem modo amercietur, ſalvo Wannagio ſuo. Scribitur & Wainagium in 321.3 Villani — conceſſerunt nobis —de carrucis, equis carretariis & deputatis ad Wainagium in maneriis. Sanè D. Cowellus noſtras Wainagium appellat peculium ſervorum, vocem deducens à Saxonico **woben** & **woening**, habitatio; que nos **wonne** & **wonning** alicubi nunc dicimus. Aſt in poſteriore jam proximè citato loco, videtur pro plauſtris & aratris colonorum ſumi; plauſtrum longius & quadrirotum, **a wain** dicimus. Sed de iſtis viderint legulei.

Wapintakium 129.30] Villam cum Wapintakio & omnibus pertinentiis ſuis. Vox Borealium noſtratium, qui trans Trentam fluvium, ſive viam illam publicam **Watling ſtreet** dictam, habitant; quibus idem ſonat quod cæteris Hundredus ſive Centuria. Derivatur à **wapen** ſive **wapne** (**a weapon**) arma, & **tack** tangere, tactu fœdus confirmare. Wapentakium ſuo olim præpoſito gaudebat, cujus originem & rationem ſic accipe ex noſtro Hovedeno; "Cùm accipiebat præpoſituram Wapentagii die "ſtatuto, in loco ubi ſolent congregare, omnes majores "natu contra eum conveniebant, & deſcendente eodem "de equo ſuo, omnes aſſurgebant ei. Ipſe verò erectâ "lanceâ ab omnibus ſecundùm morem accipiebatur. Om-"nes verò quotquot veniſſent cum lanceis ſuis, lanceam "ejus tangebant, & ita ſe confirmabant, per tactum ar-"morum pace palam conceſſa. Plura referre non libet. *Hoveden. in Hen.* 2. *p.* 346.*b.* *l*.1.

Warrantizo 818.65] Quas Rex warrantizare nec potuit nec voluit. Vox exponitur in 825.30 Contra omnes homines ſumptibus noſtris warrantizabimus, adquietabimus, & defendemus. Warrantizare enim eſt authoritate majoris minorem defendere, & ſecurum ne puniatur reddere, **to warrant**. Inde—

Warrantum 317.56] Libertatibus uſus eſt—ſine warranto. Breve enim ſive mandatum Regis, quo aliquis privilegio aut bono aliquo frui permittitur; aut quo jubentur officiales ſive miniſtri & ballivi Regis mandata exequi. **A Warrant** noſtris dicitur. Etiam & ſecuritas illa quam venditor emptori præſtat, ut rem emptam quietè poſſideat, eadem voce appellatur. Auctor fundi aut rei, Hotomanno. Sed Warrantorum multiplex uſus & ſignificatio in lege noſtra, cui me non immiſceo. A Gallico Garantir.

Warenna 651.54] Licentia venandi lepores in warenna. Et 480.27 Licentiam venandi in libera warenna S. Albani. Communiter Warennam vocamus vivarium cuniculorum ſive leporum; nam hæ duæ animalium ſpecies Feræ de warenna noſtris dicuntur. Aſt Libera Warenna eſt libertas, immunitas, & privilegium à Rege chartâ ſuâ tali vel tali conceſſum; uti has vel illas aut avium aut ferarum ſpecies, aut etiam piſces in hoc vel illo dominii ſuo loco ſibi habeat, & ſolus fruatur, ita ut nulli alii licebit, in illis agris ſive Warenna, illa animalia venari aut capere. Sed iſta leguleis noſtris relinquo.

Werra 72.43] Werra quæ 17 annis ſævierat. Scilicet bellum, quod **war** Anglicè vocamus, uti Galli Guerre, & Itali Guerra. Et inde—

Werrina terra 217.36] Si ſint de terra contra nos Werrina. Scilicet cum qua belligeramus.

Y

Yconomus 986.38] In Eccleſia illa Rex Offa vices agens Yconomi & cuſtodis ſpecialis; i.e. patroni, defenſoris, & protectoris. Sanè & Lindewodus noſtras dixit Yconomus pro Oeconomus, quam vocem tu antea vide.

Yvernagium 1041.55] Molant unam ſummam de Yvernagio ad molendinum. Corruptè pro Hibernagium, quod eſt frumentum hibernum, quod **winter corn** vocamus. Heîc autem capitur pro farragine ſive mixtura ſeminum variorum, tritici ſcilicet ſecaléſque, quam nos **Meſling** vocamus, utimurque vulgo. Inde quod alicubi Secale ſive Sigele ſcribitur, in quibuſdam chartis dicitur Bladum Hibernagium. Segala Italis, Gallis autem Seigle.

In Vitas Regum, Abbatum, Additamenta, & Auctarium, Index Rerum.

Prior Numerus ſignificat Paginam, ſecundus Lineam.

A

Abbas S.Albani, quo comitatu viſitare pergit cellam de Thynemue 1051.9
In proceſſionibus quaſi privatus incedit 1070.32
Habent curam animarum in cœnobiis & cellis ſuis 1062.7
S.Albani, quòd ſervitium debuit Regi *ib*.31
Revertentes cum proceſſione & oſculis recipiebantur 1051.3
Eligendi ordo 1947.8,11 & 1065,&c. & 1067.50 & 1069.62
Veniam eligendi priùs concedebat Rex 1046.59 & 1063.11 & 1065.17
Et aſſenſum præbebat 1066.61 & 1069.46
Sed Papa electionem confirmabat 1066.62
Eliguntur per Regem Hen.2. 1036.31
S.Albani, quomodo ſepeliebantur 1063.48
Abbatiæ primitùs ſub Epiſcopis 1151.20
Ademarus (ſive Ethelmarus) electus Wintonienſis Anglis injurioſus 1137
Vim infert Eccleſiis 1138
Quid pro eo Papa reſponderit 1340.17
Adriani 4. Papæ origo 1016.7
Promotionis gradus 1019.36
Obiit potionatus 1022.46
Adrianus 1. Papa Legatos mittit in Angliam 982.32
Adventus dies feſtivus 975.15,20
Ædgar Ethelinge Engelondes Dervelinge 1000.42
Fugit in Scotiam *ib*.63 *& vide* 999.63
Ædmundi Archiepiſcopi canonizatio 1083.27
Ejus vita & laudes *ib*.58,&c.
Miracula 1084.30
Feſtivitas 1085.2
Sepulchrum ejus viſitantibus indulgentiæ conceſſæ *ib*.10
Oratio ſive collecta in ejus feſtivitate *ib*.16
Et poſtcommunio *ib*.26
Ejus tranſlatio 1087.3
Agnus Dei ſuſpenſus in turribus contra fulgura non profuit 1070.57
Albertus Orientalium Anglorum Rex 980.17
Fraude Quendridæ occiditur 981.23
Intumulatur & miraculis coruſcat 982.12
S. Albani corpus inventum 983.25
Miracula in ejus inventione 984.15
Annus & dies inventionis *ib*.28 & 986.55
Tranſlatio feſti inventionis *ib*.65 & 990.42
Oſſa ejus à Danis rapta 992.45
Legenda ejus quomodo inventa 994.52
Apparet Monacho 997.59
Cœnobium ejus fundatur 986.3
Denarius S.Petri ex Hertfordia ei conceſſus 987.37
Et Pontificalia ornamenta *ib*.39 & 1021.47 & 1040.45
Eximitur à juriſdictione Epiſcopali 1020.33
De ea re lis & compoſitio 1021.26
Ejus feſtivitas 1010.52 & 1012.43
Apparet Anketillo 1011.19
Prædictio ejus ficta & falſa *ib*.24
Oſſium ejus unum deerat *ib*.29,38
De ſcapula illa narratio *ib*.&c.
Cœnobium Lincolnienſis diœceſios 1106.46 & 1107.6
Ad Romanam Eccleſiam nullo modo pertinens *ib*.5
Cœnobium Ordinis Benedictini 1151.25
Ab omni ſervitio liberum 1152.13,52
Eccleſiæ privilegia 1146,&c.
Alexandri 3. Papæ literæ 1030.34
Alexander Neckam 1039.51
Alfricus Abbas 7. S. Albani 993.49
Alfricus Abbas 11. S.Albani 996.9
Occultat S.Albani reliquias, quas ſimulat mittere ad Elienſes *ib*.56
Alphonſus Caſtellæ Rex pacem init cum Hen. 3. Rege 1116 *per totum*
Altaribus verſus inſcripti 1056.56
Cornu jus habet aſyli 1109.6
Cuſtos altaribus ſanctorum deputatus 1054.54
Portatile 1147.19
Aluredus Eboracenſis Archiepiſcopus Borealium dux electus contra Conqueſtorem 999.59
S.Amphibali reliquiæ inventæ 1038.49
Apparet 1040.51
Tranſlatio reliquiarum ejus ſociorúmque 1042.46
Feretrum & altare 1054.39
Angliæ miſeriæ ſub Conqueſtore 999.2,&c. & 1001.59
Conqueſtori bellum inferunt 999.58 & 1000.39
Profligantur eorum nobiles *ib*.59
Schola Romæ 985.47 & 990.29
Anchora, remi, &c. ſub terra apud S.Albanum inventa 994.16
Et palatium, &c. *ib*.40
Anketillus aurifaber 1010.28
Ei apparet S.Albanus 1011.20
Annulum Epiſcopi celebrantes gerebant 1040.46
Anſelmus factus Archiepiſcopus Cantuarienſis 1003.64
Viſio ejus de morte Willielmi Rufi 1005.7
De *Antichriſti* nativitate *prædictio, ſed* ad Tartaros applicata 1130.53
Appropriatio Eccleſiarum per Abbates 1061.32
Archiepiſcopatus Cantuarienſis cum Lichfeldenſi dimidiatur 982.38
Armigeri tenentes de Eccleſia S.Albani 1051.10
Armis regnum inſtrui jubet Rex Hen.3. 1144.41
Articuli pro quibus Epiſcopi Angliæ erant pugnaturi 1118.57
Obſervandi per proviſionem Archiepiſcoporum Angliæ 1123.19
Arundeliæ Comitis cum Abbate controverſia de cella de Wymundham 1032 *per totum*.
Cellæ erat patronus 1034.2 & 1049.55
Aſyla Eccleſiæ 1120.25
Vis eis à Laicis illata *ib*. & 1126.8
Confugientes ad ea impunes evadebant poſt regni abjurationem *ib*.10
Eos extrahentes ſacrilegii damnabantur *ib*.16
Aves mirabiles in Anglia viſæ 1173.2
S.Auguſtini Cantuariæ Monachi abſolvuntur ab excommunicatione Archiepiſcopi 1110.37
Autentica Papalia plura 1083.27 & 1085.38,&c.
Excommunicatio *Papalis in eos, qui non ſinunt ſe* emungi pecuniis *ib, ſæpe*.
Malè uſa 1086.31
Aliqui ab ea liberi *indulgentiâ Papali* *ib*.58

B

B*anci* narratores, Legulei olim dicti 1071.38
Barbas Angli radere incipiunt ſub Normannis 999.11 & 1001.2
Barnagium Angliæ conqueritur de Adimaro Wintonienſi electo 1137,&c.
Barones Angliæ Papam incuſant *ib*.31
Baſileus pro Rex in titulo Etheldredi 1153.39 & 1154.13
Benedictinorum ſtatuta 1094.8
Quadrageſima *ib*.45
Eleemoſynæ *ib*.48
De eſu carnium diſpenſatio *ib*.60 & 1098.62
Silentium 1095.1
Parliamentum pomeridianum vetitum *ib*.5
Peculium non habeant *ib*.12
Nec clavem *ib*.23,&c. & 1099.56,&c.
Bini incedant 1095.16
Confiteantur annuatim & quotidie *ib*.29
Lecti, habitus, equitatura *ib*.35,&c. & 1099.18 *ad* 29
Evagationes quando concedendæ 1095.45
De infirmis cura *ib*.62 & 1099.10
Refectiones 1096.10
Conſpiratores excommunicandi *ib*.20
Exeuntes & perturbatores puniendi *ib*.25
Mulieres quando non intromittendæ *ib*.37
Et quando in chorum 1101.12
Obedientiæ quomodo conferendæ 1096.50
Capitula quomodo initianda *ib*.61
Viſitatoribus obediendum 1097.9
Menſtrue communicandum *ib*.55
Tria vota *ib*.63

No-

Novitiorum probatio per annum 1098.1
Ætas profitendorum ib.7
Simoniaci removendi ib.12
Refectionis locus, tempus, & modus ib.42,48,49
Ciphi argentei, &c. vetiti ib.55
Conſanguineos non ditent 1100.6
Hoſpitalitas ib.31
Dormiant veſtiti & cincti 1099.28 & 1100.54
Quid agendum cum fugitivis 1101.24
Beneficiorum acquirendorum viæ doloſæ 1086.13
Patronatus nec advocationes vendendæ ib.48
Beornredus tyrannus Tuinfredo Regi rebellis 969.28
Ab Offa ſecundo victus 970.11
Bernardi de Nympha rapina 1140.50,&c.
Blodeweld ager unde 963.54
Bonifacius Archiepiſcopus Cantuarienſis provinciam ſuam viſitat 1102.50
Canonici S. Pauli Londino ab ejus juriſdictione liberi 1103.45
Eos excommunicat 1104.7
Sed abſolvit Papa ib.22
Injurias quas ei intulit electus Wintonienſis 1108.50
Cantuarienſes Monachi ab eo excommunicati abſolvuntur 1110.12
Exemptiones à juriſdictione Epiſcoporum à Papa conceduntur 1105.15
Boreales non amant Auſtrales 1052.45
Bovis valor tres ſolidi 1013.40.41
Brevia Hen. 3. & vicecom. Eſſexiæ & Hertfordiæ 1144.60
Henrico de Colevilla ib.

C

C*Alices* venditæ in redemptionem Regis Richardi 1045.42
Camaei ſive Surdoniches lapidis virtus 1010.17
Cambii novi tranſgreſſiones inquiruntur 1148.16 & *vide* 1149.43
Campanæ in Eccleſiis 1003.53
Canonicæ obedientiæ profeſſionis forma 1023.53 & 1024.1
Canonizatio S. Ædmundi Cant. 1083.30
Ejus forma & finis 1084.64
Indulgentiæ conceſſæ 1085.10
Capitula Eccleſiæ Epiſcopum vel Abbatem ſuum Eccleſiæ ſuæ procuratores conſtituebant 1061.39
Cappæ chorales in feſtis duplicibus tantùm geſtæ 1055.22
Carolus Magnus quinque Reges Britanniæ protegit contra Offam, & ei ſcribit 972.10,62 & 973.16 & 977.49 & 978.7,27
Mittit dona & Synodorum canones Offæ ib.48
Cella de Warengeford 1002.49
De Thynemue ib.56
De Bello Loco 1061.31
De Hertfordia 1002.60
De Belver ib.59
De Binham ib 60
De Wymundham 1032.7
De Sopwelle 1009.34
De Boſco 1013.41
De Wymundham fundata 1032.7
Cum comite Arundelliæ de ea lis magna 1032, &c.
In cellas detrudi pœna Monachorum 1046.20
Mos iſte quando & quomodo deſiit ib.35
Iterum incipit 1048.31,49,65 & 1049.51
Ex ramis, & palis corticatis, & virgis concraticulatis, conſtructa 1009.21
Ceolwlfus Epiſcopus Lindefienſis 983.22
Cerei ardentes circa feretra ſanctorum 1055.21
Cerviſia Monachorum emendatur 1073.5,12 & 1074.3
Charta fundationis cellæ de Sopwelle 1009.41
De Weſtmonaſterio 1113.20
De non tranſmittendi Monachos S. Albani in alias cellas fraudulenter obtenta 1046.41
Caſſatur 1048.65 & 1049.51
De fundatione hoſpitalis 1041.42 & 1157.23
Offæ Regis 1150.59 & 1151.60
Ecgfridi Regis 1152.46
Etheldredi Regis 1154.13
Aliorum 1155,&c.
Olim in ſynodis conſcriptæ 1151.32 & 1152.56
Chirothecas Epiſcopi celebrantes gerebant 1040.45
Vetitæ Monachis 1144.9
Sed quales 1099.22
Choroſmini extirpati 1013.33
Chorum Eccleſiæ quando mulieribus conceſſum eſt intrare 1100.12
Chriſma in Cœna Domini conſecratum ab Epiſcopo per diœceſin diſtributum 1029.20
Ciphos cum circulis & pedibus argenteis habebant Monachi Benedictini 1140.57
Super altaria 993.3 & 1038.8 & 1042.31
In *Clericos* manum injicientes excommunicantur 1109.17
Clerus per Hen. 3. variè oppreſſus 1118.59,&c.
Clerici omnes erant legulei 1111.48
Arguuntur ib.46
Vetantur 1112.11,24
Cnuto Rex de eo narratio 1011.26
Cœmeterium pro ſepulturis dedicatum 1009.38 & 1026.12 & 1052.19,21
Erant aſyla 1120.26
Collectæ ſeptem in Miſſis privatis 1044.5
Collecta Magiſtra 1045.17
Comani populi 1129.39
Compoſitio inter Epiſcopum Norwici & Priores de Wymundham & Binham 1060.41
Inter Lincolnienſem & Abbatem S. Albani 1061.22
Communiones menſtruæ in Abbatiis 1097.55
Concilium ſive Parliamentum Londini 1025.26
In Anglia apud Chalcuth 982.37
Aliud 984.36
Niceni 2. liber mittitur in Angliam 978.48
Turonenſe 1035.3
Lateranenſe 1050.8 & 1063 *marg.*
Confeſſio menſtrua in cœnobiis 1140.43
Monachorum annuæ & quotidianæ 1095.28,29
Menſtruæ 1097.54
Conqueſtoris calliditas in diſponenda Anglia 999.51
Opprimit Anglos 1000.3,4,39
Timet ſibi ab Anglis ib.46
Jurat ſe leges conſervaturum ib.52
Moritur 1002.3
Conradi Regis Siciliæ reſponſiones ad Papam 1113.35
Corporalia inveterata ſuper altare reſervabantur 997.34
Crux S. Amphibali prima quæ fuit in Britannia 1058.20
Dominicæ pars 1057.56
Loco ſigillorum in chartis veterum 1151,&c.
Cruceſignatorum vota commutat Papa pro pecunia 1140,&c.
Morientium ſine teſtamento bona Terræ Sanctæ deputantur 1141.50
Cuſtodia Eccleſiarum vacantium 1061.34,57

D

D*Almaticas* in Angliam mittit Carolus magnus 978.15
Damiata civitas à Chriſtianis capta 1090.38
Major evidentia de ejus captione 1091.19
Modus captionis ib.&c.
Aliæ literæ de ea re 1013.41
Dani primò irrumpunt in Angliam, ab Offa reprimuntur 979.30,&c.
Decretales Innocentii 4. 1102.52
Dedicatio capellæ 1037.61
Eccleſiæ 1041.24 & 1006.42 & *vide* 1026.30 & 1057.11 & 1054.44
Dei gratia in ſtylis Epiſcoporum
Denarius S. Petri Romæ conceſſus 985.45
Quare 985.53 & 986.55 & 990.34
Romeſcot dictus 987.27
Cœnobio S. Albani conceſſus ib.30,38 & 990.37
Diſciplina Monaſtica reformata 1001.48
Domutenſis (Dunwicenſis) Epiſcopatus in Suffolcia 986.53
Qui & poſtea Tedfordenſis 979.12
Duellum inter pugiles 1053.13
Dotationis Eccleſiæ forma 1008.17,45,62 & 1017.41 & 1018.14

E

E*Admarus* Abbas 9. S. Albani 994.32
Eadfrithus Abbas 5. S. Albani 992.58
Eadricus Abbas 2. S. Albani 991.42
Ealdulphus fit Lichfeldenſis Archiepiſcopus 979.4,18
Ealdredus Abbas 8. S. Albani 994.2
Edwardus 1. Rex accepturus Alienoram Caſtellæ in uxorem 1116.23
Dos ei aſſignata à Rege patre ib.28
Eccleſia à Saracenis prophanata expiatur 1092.65
S. Albani ex opere lateritio 1002.6
S. Albani dedicatio 1006.41
Fit Lincolnienſis diœceſeôs ib.59
Eam Papa voluit appropriare 1013.12
S. Albani Woodſtreet Londino antiquitas 1002.34
S. Petri, S. Stephani, & S. Michaelis, in villa S. Albani ædificatæ 993.38,39

S.Be-

S.Benedicti & Omnium Sanctorum in Cantabrigia 1002.31
S.Petri in vico S.Albani fit vicaria 1044.26
S.Michaelis de Kingsbury fit vicaria ib.
Redburnæ dedicatur 1057.7
Jura per Regem opprimi queruntur Angli 1117.8 & 1118.59,&c.
De ea re modeſtè cum Rege agit Papa 1117.32
Ornamenta munda, & quare 1096.54
In iis negotiationes vetitæ ib.56
Vacantium bona per procuratores adminiſtrabatur 1114.37,49
Eccleſiaſticarum libertatum invaſores excommunicandi 1124.5
Et eorum terræ, &c. interdicto ſuppoſitæ ib.9,65,&c. & 1125,1126,1127
Clericus intruſus in beneficium per laicam poteſtatem excommunicandus 1124.20
Et ejus procurator ib.30
Eccleſia ejus interdicto ſuppoſita ib.38
Nec parcatur ipſi Regi oppreſſori 1125.50 & 1126.48
Egfridus Offæ 2 filius naſcitur 971.46
Coronatur 982.40 & 991.1
Beneficentia ejus in cœnobium S.Albani 983.8
Ejus chartæ 1152.46,47
Eleemoſyna non poteſt ineleemoſynari 1042.39
Monaſterii S.Albani 1008.24
Monachorum prandii reliquiæ 1094.50
Elienſes Monachi litem movent Sanct-Albanenſibus de reliquiis S.Albani 997.14
Convincuntur ib.40 & 1011.14 & 997.59 & 1011.1
Confitentur ſe non habere reliquias S.Albani 1034.57
Epiſcopi cœnobiorum procuratores conſtituti 1061.39
Celebrantis habitus 1040.45
Cum proceſſionibus recepti à cœnobiis diœceſeôs ſuæ 1023.14,59
Epiſcopatuum antiquorum regni Merciorum ſedes 986.45
Epiſtola Papæ ad Hen 3. 1117.8
Etheiredus totius Albionis cæterarúmque gentium in circuitu perſiſtenſium Baſileus 1153.38 & 1154.39
Euchariſtia in vaſe pendebat ſuper altare 1035.46 & 1038.8,9 & *vide* Ciphus & 1070.60
Euſtachius de Len injurias patitur ab electo Wintonienſi 1108.50
Excommunicatio in genere 1071.55
Aliquæ ceremoniæ ib. & 1103.51 & 1109.24
Excommunicare optimates Hen.2. prohibet 1030.45
Eccleſiæ oppreſſores 1123.21 & 1124,1125,1126,1127
Expiatio Eccleſiæ profanatæ 1092.63

F

F*Alcaſius* dux vexat Sanct-Albanenſes 1051.62
Moritur miſerabiliter 1052.12
Feretrum S.Albani deſcribitur 1037.48
Firma quid 1007.37
Monaſterii S.Albani ib.38 & 1014.43
Fiſpolſtrate via 993.60
Flamſtude capella pertinens ad Redburne 1006.61
Foriſfactorum ſuper foreſta Regis capitula & inquiſitiones 1081.13
De foreſtarum foriſfactis capitula & inquiſitiones ib.14
Quomodo puniuntur malefactores 1083.6
Frithericus Abbas 13. S.Albani 998.60
Dux eligitur contra Conqueſtorem 999.60
Multa ab eo patitur 1001.15
Frons Eccleſiæ S.Albani quot annis ædificata 1047.32
Fulgura diverſa 1062.47

G

G*Alfridus* de Childewike perſequitur Eccleſiam S. Albani 1071.31 & 1072.5
Garinus Abbas 20. S.Albani 1039.18
Ejus ſtatuta 1040.29
Cum ſandalis, chirotheca, & annulis, primus celebrat ib.45
Fundat Eccleſiam S.Mariæ de Prato 1041.23
Charta ejus ib.42
Inſtituta ejus 1043.28
Indulgentiæ ejus 1045.10
Superflua Liturgiæ reſecat ib.12
Reformat habitus Novitiorum ib.50
Ejus negligentiæ & mors 1046.3,&c.
Rigorem Ordinis relaxat ib.14
Gaufridus Abbas 16. S.Albani 1007.15
Ludus ejus de S. Katharina ib.22
Beneficentia in domum ſuam ib.32,&c. & 1012.60
Structuræ 1008.63
Charta ejus de Sopwelle 1009.41
Fabricat thecam S.Albani ib.18,52
Negligentiæ 1013.30
Mors ib.63
Anniverſarium ejus 1044.31
Gratiâ Dei in ſtylo Regis Offæ 1151.65
Et in ſtylo Epiſcoporum 1028.47

H

H*Æreſis* publicè prædicata in Lombardia, & Mediolani, Briſæ, Mantuæque 1114.13
Hatfeld cellæ combuſtio 1157.6
*Hen.*2. Rex terras coronæ revocat 1019.3
Non vult regnum ſubjectum eſſe *Romanæ* curiæ 1027.6,33
*Hen.*3. Rex minorennis factus ætatis plenæ per Papam 1073.31
Ut pecuniam extorqueat, ſimulat Regem Caſtellæ contra ſe venturum, & reſponſio Parliamenti 1111.5,&c.
Opprimit Eccleſiam 1118.59,&c.
Excommunicatos per Breve ſuum liberat 1119.46
Iis communicat ib.49
Non ſinit Judæos coram judice Eccleſiaſtico conveniri 1121.33
Breve ſive Literæ Patentes ad 4 *milites* uniuſcujuſq; comitatûs,ad inquirendum de tranſgreſſionibus contra Regem 1132.4
Sine conſilio procerum Siciliæ regnum ambit ib.41
Heremitorium de Modri 1008.55
In inſula Eoket 1140.50
S.*Hieronymi* brachium & baculus 1058.7
Homagia à ſuis tenentibus capiunt Abbates 1069.54 & 1071.25
Hoſpitalis S.Juliani fundatio 1008.30 & 1157.23
Charta Regis de ea re 1157.57
Privilegia Paparum 1158.14,34
Confirmationes Abbatum ib.52.63
Statuta domûs 1159.19
Statuta alia ſive articuli 1168.22
Hubertus Comes Cantiæ juridicè ſe defendit contra Regem 1077.20
Factus Juſtitiarius Angliæ ib.54
Obſidet caſtrum Bedfordiæ 1078.50
E carcere fugit ad aſylum Eccleſiæ 1080.43
Excuſat ſe de utlagatione ib.44
Et de Rupellæ amiſſione 1078.32
Filiam Regi Scotiæ *primogenitam* ducit 1079.56,65
Comitiſſam Gloverniæ deſponſat ib.58
Alius dies reſpondendi ei datus 1081.6
Humbertus Lichfeldenſis Archiepiſcopus 982.51
Hymnus Veni Creator Spiritus 983.4

I

I*Gnis* Græcus 1092.52
Impetratio Epiſcopi Lincolnienſis, nè religioſi poſſide- beneficia 1102.40
Indulgentiæ Papales ſunt relaxationes pœnarum confeſſis injunctarum 1085.12 & 1056.61
Innocentius 3. Papa Barones animat contra Regem Johannem 1042.15
Fulminat in Barones ib.17
Innocentius 4. Papa concedit patronis Eccleſiarum liberam præſentationem, &c. 1107.28
Interdictum terræ populóque interminatum, ob Eccleſiæ oppreſſionem 1123.21 & 1127.46
Johannes 1. Abbas S.Albani 21 1046.48
Structuram incipit, nec perficit 1047.6
Aliæ ejus ſtructuræ ib.36
Mirabile quiddam ei contingit 1042.38
Pſalmos omnes ordine retrogrado recitat 1043.6
Localia ejus tempore proviſa ib.18
Ejus ſtatuta ib.47,&c.
Tribulationes ejus, quòd Papæ contra Regem adhæſerat 1044.21
Sexcentas marcas, & poſtea quingentas, coactus dat Regi Johanni ib.45
Pœnitentia & finis ejus laudabilis 1045.23
Moritur 1046.53
Ejus negligentiæ 1047.15
Johannes 2. Abbas S.Albani 23 1063.26
Eligitur 1066.31
Rex aſſenſum præbet 1065.21 & 1066.60 & 1069.46

Con-

Confirmatur à Papa 1068.21
Et in Conventu *ib.*36
Charta confirmationis 1069.3
Obedientiæ erga Romanam ſedem profeſſio formans, Regis nullâ factâ mentione *ib.*17
Creatur *ib.*54
Dona quæ contulit cœnobio 1070.62
Perſecutiones quas ſuſtinuit 1072.61
Bona Eccleſiæ non diſſipavit 1074.11
Johannes Manſel dominatur in Anglia 1071.43
Legatus ad Caſtellæ Regem 1116.15
Johannes de Ordine Minorum poteſtas à Papa conceſſa ad colligendas pecunias 1085.18
Autentica & mandata plura ſuper ea re *ib.* & 1086 *per totum.*
Fit Nuntius Apoſtolicus 1086.35
Judæi à poteſtate judicis Eccleſiaſtici à Rege per vim exempti 1121.33
Chriſtianas nutrices habere non poſſunt *ib.*43
Characterem ſive ſymbolum Judaiſmi palam deferre debent *ib.*
Aliter excommunicantur *ib.* & 1126.5

K

Koket inſula 1140.49

L

Laicus prædicat 1041.22
Laici fraudulenter beneficia obtinent 1086.18
Abbates Prioreſque *ib.*21
Lambertus Archiepiſcopus Cantuariæ Archiepiſcopatum dimidiat 982.38
Lambeth manerium Archiepiſcopi Cantuariæ 1108.64
Et Croin en 1109.36
Lanfrancus fit Archiepiſcopus Cantuariæ 1000.22
Quaſi ſecundus Rex habetur 1001.6
Obiit 1003.63
Lanternam deferre pœna olim clauſtralium *ib.*42
Laurentius Advocatus Huberti de Burgo 1077.20
Legiſtæ olim erant clerici 1111.47
Leguli noſtri Banci narratores dicti 1071.38
Legum ſecularium ſtudium a Papa clericis prohibitum 1112.23
Studium quæſtuoſum 1111.55
Leofricus Abbas 10. S. Albani 995.23
Vendit ornamenta Eccleſiæ ut alat pauperes *ib.*40
Leofſtanus Abbas 12. S. Albani 998.3
Leproſorum & Leproſarum hoſpitalia 1041.27
Lichfeldiæ Archiepiſcopatus conſtituitur 978.55
Quamdiu duravit, & qui erant ejus ſuffraganei 979.10, &c.
Literæ Conventûs ad Regem pro præſentatione electi 1066.42
Regis ad Papam in favorem electi *ib.*57
Amicis in Curia Romana 1067.3
Epiſcoporum ad electum 1068.6
Papæ ad electum *ib.*9
Excuſatoriæ Epiſcopi Londinenſis *ib.*26
Elienſis ad Conventum *ib.*46
Ad Regem *ib.*56
Regis ad tenentes S. Albani 1069.44
Papales mitigatoriæ 1107.3
Attornatum vel Procuratorem conſtituentes forma 1106.45
Richardi comitis Cornubiæ ad Regem 1111.4
H. n. 3. Regis ad Papam pro negotio de Herteburne 1115.20
Ad Cardinalem *ib.*52
Regis Romanorum Richardi ſeneſchallo ſuo 1127.51
Communitatis Angliæ ad Papam 1132.35
Barnagii Angliæ ad Papam 1137.10
Aliæ contra electum Wintonienſem *ib.*60
Papales communitati Angliæ 1138.25
Papales comiti Richardo conceſſæ pro collectione decimarum, & redemptione votorum crucesignat. 1140.48
Regis Baronibus Scaccarii, pro revocatione iniqui judicii Henrici de Mara 1149.26, &c.
Conventûs S. Albani Regi miſſæ, pro impetranda libera electione Abbatis ſui 1065.47
Et Cancellario *ib.*63
Prioribus cellarum, ut conveniant ad Abbatem eligendum 1066.10
Litaniæ, Sanctorum nomina honoris aut gratitudinis cauſa eis inſerta 1020.4
Liturgia S. Benedicti ſuperflua reſecantur 1045.13
De ea Liturgia plura *ib.*
In Liturgia quædam mutantur 1058.47
In creatione Abbatis 1070.9
Partes quædam in anniverſariis S. Ædmundi 1085.6, &c.
Ludovicus Gallus nummos extorquet ab Abbate S. Albani 1049.42
Gallorum Rex à Saracenis in Ægypto devictus 1104.39
Ex carcere evadit *ib.*40, 64
Treugas cum Soldano Babyloniæ facit 1105.62
De *Lutonia* Eccleſiis 1016.17
Conceſſa cœnobio S. Albani 1017.20
Lis altera *ib.*50
Tertia *ib.*58
Pacificata 1019.26
Compoſitio 1061.22
Vicaria ibidem conſtituta *ib.*47
Lupi in Anglia 993.27

M

Malcolmus Scotiæ Rex quinquies Northumbriam vaſtat, & occiditur 1118.3, &c.
Marchia comes Hugo Brunus Damiatæ perit 1092.48
Margareta Flandriæ comitiſſa à Willielmo Hollando devicta 1142.13
Matthæus Paris non omnino ſuperſtitioſus 1070.58
Marmodius Walliæ Rex 974.36
Dolus ejus militaris contra Offam 975.19
Quem fugat 976.3
Vincitur *ib.*34, &c.
Minuti ſanguine Monachi ad quæ obligantur 1043.33
1044.39, 62
Minutorum Monachorum diæta 1003.37
Miraculum de ſanato brachio 1006.32
De Herberto Duket in Pigmæam ſtaturam contracto 1017.58
Plura 1040.62 & 1041.36
E *Miſſa* quædam abraduntur in concilio Lateranenſi 1056.28
Nomina propriorum ſanctorum ſecretò Miſſæ tunc inſerta *ib.*27
Monachi non poſſunt alibi in Abbatem eligi, ſine proprii Abbatis licentia 1031.53
Sepulturæ 1040.31
Beneficia non habeant 1102.42
Monaſteriorum ſervitus ſub regiis ſatellitibus 1065.33
Moneta retonſa non permiſſa 1090.14
Penetranda *ib.*21
Morientes monentur dare in ſubſidium terræ ſanctæ 1141.56
Mortui ad vitam reducuntur 967.40

N

Natales Chriſti dies feſtivi & conviviales 975.29 & 976.4
Negotia Eccleſiæ S. Albani per Willielmum de Fortuna 1146.21
Normanni nubunt nobilibus Anglis puellis, & Angli Normannicis 999.54
Nortbaga ſylva, de ea lis 1029.35
Northanhumbriæ Rex a Scotis vexatus Offæ implorat auxilium 966.20
Novitiorum Monachorum habitus 1045.50

O

Obedientiarii Monaſterii reddant rationes officii ſui annuas 1094.43
In cœnobio quando reddunt computum 1144.21
Ocreæ primum permiſſæ Monachis 1044.57 & 1058.41
Roſtratæ adhuc in uſu 1049.22
Offa 1. cæcus & mutus a nativitate 961.6
Loquitur 962.4
Tiganum devincit 963.5, &c.
Coronatur 965.14
Uxorem ducit 966.8
Scotos devincit *ib.*34
Dolo Reguli Eboraci deceptus uxorem & liberos perdit *ib.*42, &c.
Eremita liberos ad vitam reducit, & Reginam alit 967.37, &c.
Regique incolumes reſtituit 968.16
Regem hortatur ut cœnobium fundat *ib.*35

Quod negligit 968.48
Moritur ib.47
Offa 2. Rex Merciorum Tuinfredi filius 969.9
Pineredus primò dictus naturâ infirmus ib.10
Convaleſcit ib.40
Ejus bellum cum Beormredo & victoria ib.55,&c.
Promittit ſe cœnobium ædificaturum 970.42
Eligitur in Regem Merciorum ib.54
Qualiter uxorem duxerit 971.3
Hoſtes ſubjugat ib.48
Qui Caroli magni auxilium implorant ib.59 & 972.62
Carolo reſcribit ib.18 & 977.49
Eaſt-Anglorum Regem vincit 972.41
Rentenſium Regem debellat 973.47,&c.
Ut & Northanhimbros, Auſtrales,& Occidentales Saxones 974.15
Quorum Reges in Walliam fugientes perſequitur ib.45
Marmodio Walliæ Regi ſcribit ib.47
Vincit 975.58
Humilitas & pietas ejus 976.59 & 977.7 & 987.4
Quando vixit 977.27
Archiepiſcopatum Lichfeldiæ conſtituit 9[illegible].55,&c. & 982.38
Danos Anglia deturbat 979.43
Reges devictos regnis reſtituit ib.47
Filias dat nuptui 980.7,11,17
Recipit regnum Orientalium Anglorum 982.25
Coronat filium Ecgfridum ib.44 & 991 marg.
Oratio & votum de cœnobio fundendo 982.58
Invenit corpus S.Albani 983.15,&c.
Romam pergit 984.33,60
Colloquium ejus cum Papa 985.28
Scholam Anglorum Romæ dotat denariis S. Petri ib.45
Fundat cœnobium S.Albani ib.59
Abbatem ibi conſtituit 986.12
Oratio ſuper opus ib.25
Dominationis ejus amplitudo ib.44
Ut Tubicines ſemper præirent Regem præcipit 987.15
Poſſeſſiones quibus cœnobium dotavit ib.23
Mors ejus & ſepultura ib.49
Ejus chartæ 1150.59 & 1151.60
Offeleia villa in Hertfordia 987.52
Offekirk Eccleſia unde 975.52
Ordines ſacri ad altare facti 1052.16
Ordinationes dignitatum à Papa conceſſarum 1112.33
Oſwinus Rex ſanctus ubi ſepultus 1002.56

P

P*Allium* Archiepiſcopale 979.18
Papalis benedictio nummis comparanda 1050.59
Parma civitas obſidione liberatur 1091.36
Parliamentum ex Epiſcopis, Magnatibus regni, & toto Regis concilio 1149.10
Patronatus beneficiorum non vendendi 1086.48
Paulus Abbas 14. S.Albani 1001.35
Diſciplinam reformat ib.49
Eccleſiam conſtruit 1002.5
Eccleſiæ multa perquirit ib. per totum.
Dona ejus tempore Eccleſiæ collata 1003.13
Ejus ordinationes Monaſticæ ib.19.40,&c.
Amicitia cum Lanfranco ib.63
Ejus negligentiæ 1004.10,&c.
Obiit ib.62
S.Pauli Londino Eccleſia à viſitatione Cantuarienſis Archiepiſcopi olim libera 1103.44
Poëſeôs veterum aliquot diſticha 1045
Poſſeſſionem in prædio dandi modus 1028.40
Prædictio Aſtronomicorum Toletanorum 1173.49
Alia 1174.28
Præpoſiti villæ 1145.6 & 1148.26
Præſides comitatuum qui jam vicecomites 1030.11
Prandentibus Monachis oſtia claudenda 1094.54
Preces in obſerandis foribus uſitatæ 999.17
Prior cellæ Abbati ſubjectus 1033.22
Quid debent Epiſcopis diœceſeôs 1060.55
Proceſſiones nudipedales ante altaria 1065.19
Proceſſus antiqui forma 1023.20
Procurationes debitæ Epiſcopis viſitantibus 1102.60 & 1103.20,45 & *vide* 1108.21 & 1109.45
Procurator hoſpitalis laicus 1041.21
Proprium vel peculium Monachi quid 1099.63

Q

Q*Uadrageſima* Benedictinorum 1094.45
Quatimbul vel Quamweld ager unde 963.51
Quendrida Offæ 2. uxor mala 971.3 & 980.26
Trucidat Albertum Regem 981.14
Trucidatur 982.8

R

R*Adulphus* Abbas 17. S.Albani 1014.17
Beneficentia in domum ib.37
Ignorantiæ ib.65
Mors 1015.30
Radulphi Chenduit mors 1072.54
Regis famuli ſive miniſtri olim non excommunicabantur inconſulto Rege 1121.7
Pro Rege Miſſæ & commemorationes celebratæ 1096.62,64 & 1097.24
Regulæ ſive conſuetudines Monialium de Sopwelle 1171.45
Reſignationis ſui juris modus 1028.35
Reſtitutionis ablatorum neceſſitas 1117.35
Richardus Abbas 15. S.Albani 1005.26
Poſſeſſiones perquiſitæ ib.47,&c.
Brachium ejus marcidum ſanatur 1006.32
Eccleſiam ſuam dedicat ib.41
Negligentiæ ib.53
Richardus Cornubiæ Comes dominatur in Anglia 1071.43
Comes & Rex Romanorum,de itinere ſuo versùs Germaniam, literas dat ad ſuum ſeneſchallum 1127.51
Prima ejus in Trevirenſem victoria 1128.17
Coronatur ib.25
Richardus de Mariſco Epiſcopus Dunelmenſis 1044.39
Riganus ambit regnum Occidentalium Saxonum, rebellis contra Warmundum Regem, 961.13
Victus moritur 963.29
Riganburne amnis unde dictus ib.31
Robertus Londinenſis ſupraviſor S.Albani à Rege Johanne ſubſtitutus 1044.23
Robertus filius Walteri vir potens 1047.48
Multa molitur contra cœnobium S.Albani 1048.16
Pax cum eo 1049.4
Lis nova pro cella de Binham ib.12
Capitaneus rebellium contra Regem ib.62
Ultio in eum 1042.10
Robertus de Mumbray fundat cellam de Thynemue 1118.49
Roberti de Valoniis lis cum Abbate 1029.35
Cauſa cadit 1031.25
Robertus Abbas 18. S.Albani 1015.46
Acquirit Eccleſiam de Luiton 1017.20
Privilegium obtinet ab Adriano Papa 1020.32
De eo lis & compoſitio cum Epiſcopo Lincolnienſi 1021.26
Novæ lites 1022.27
Obtinet alia privilegia 1021.46
Beneficentia ejus erga Abbatem Weſtmonaſterienſem ib.63
Obtinet novum privilegium 1023.1
Citatur coram Angliæ Juſtitiario ib.20
Lis grandis cum Epiſcopo Lincolnienſi de juriſdictione ib. 47
Allegationes pro Lincolnienſi ib.50
Pro Abbate 1024.3,28 & 1026.62
Regis ſententia 1027.65
Conditiones pacis 1028.18
Tempus ejus ib.53
Executio negotii 1029.3
Mitratus celebrat ib.13
Lis ejus cum Roberto de Valoniis ib.35,&c.
Obtinet 1031.25
Quomodo egit cum Abbate Monſtreoli Monacho ſuo ib.63
Domat Arundelliæ comitem 1032.6,&c. & 1034.25
Sedet primus ante alios Abbates Angliæ 1035.7
Ejus ſtructuræ ib.47
Negligentiæ ib.57
Mors 1036.9
Robertus Legriæ comes Angliæ Juſtitiarius 1023.16 1030.8 & 1033.47
Rogerus de Wendovre Prior de Bealvair 1052.35
Diſſipat Eccleſiam ib.
Deponitur 1053.37
Romanæ curiæ avaritia 1013.11 & 1020.27 & 1050.55

Ro-

Romana curia venalis 1066 *à* 24 *ad* 38
Ibi offerendum 1069.39 & 1070.44
Rupellam amittit Rex Hen. 3. 1078.34
Ruſtandus Nuncius Papalis in Anglia 1117.26

S

SAcrilegii pœna 1154.3, &c. & 1155.14
Sanctorum Localium nomina primò ſecreto Miſſæ inſerta 1050.25
Sandalia Epiſcopi celebrantes gerebant 1040.45
Sanguinis Chriſti portio miſſa Regi Hen. 3. 1087.34
Quinque ſanguines ejus 1088.10 & *marg.*
Unde probatur hunc fuiſſe verum ſanguinem *ib.* 56
Objectiones in contrarium 1091.2
Solutio *ib.*
Scripta ſive inſtrumenta veterum, non ſigillis ſed crucibus confirmata 1027.14
Secretarius Eccleſiæ S. Albani 1008.4, &c. & 1015.54
Sepulturæ in cœnobii capitulo 1018.44 & 1019.52 & 1064.60
Abbatum S. Albani mos 1063.47 & 1064.6, &c.
Siciliæ regni amiſſionem Papa imputat Henrico tertio 1139.10
Sigilla non adeò antiqua 1027.13
Edwardi Confeſſoris 1027.25
Non utebantur Saxones ſed crucibus 1151.37, &c.
Simon Abbas 19. S. Albani nominatur à Conventu, ſed eligitur à Rege 1036.32
Amicitia ejus cum Thoma Becket *ib.* 58
Ob eam rem *iras* Henrici junioris aulicorúmque pertulit 1037.17
Feretrum fabricat, & dona Eccleſiæ confert *ib.* 43
Invenit corpus S. Amphibali 1038.49
Negligentiæ *ib.* 63
Mors 1039.11
Expilat cellam de Thynemue 1051.29
Snotingenſis provincia Notinghamia 986.53
Somnus meridianus Monachis indultus 1045.3
Sopwelle cella fundatur 1009.34
Monialium regulæ 1171.45
Sotulares Monachi mutant pro ocreis 1044.57
Statuta Abbatum Nigri Ordinis 1094.9
Innovationes eorum per Gregorium nonum Papam 1097.48
Nigri Ordinis innovata, & Monachorum ad ea reſponſiones 1140.41
Stigandus Archiepiſcopus à Conqueſtore incarceratus 1001.7
Strages in Flandria 1142.13
Subſcriptionum antiquarum formulæ 1151, 1152, 1153, 1154, 1155, 1156
Synodus Londinenſis 1020.62
In Paſchate 1061.8

T

TAbulæ pictæ in Eccleſiis 1043.21, &c.
Tartari deſcribuntur *à* 1128 *ad* 1131
Eorum patria, literæ, cibus, potúſque; equi, arma, & Rex 1128.56, &c.
Parvulorum captivorum frontibus characterem inurunt 1129.12, 36
Victoriæ 1128.58 & 1129.47 & 1130.32, &c. & 1131.49
Te Deum canebant ſtantes 1064.35
Terræ ſanctæ de ſtatu rumores 1105.53
Teſtamentorum veterum formulæ 1155.48
Theca ſive feretrum ſanctarum reliquiarum 1006.21
S. Albani 997.52 & 1009.52, &c.
Thomæ Beckeſii turbæ 1036.54, &c.
Mors 1037.34
Thynemue facta cella S. Albani 1002.58
Compoſitio cum ea facta 1006.12
Cella fundatur 1118.49
Trabes pictæ ſupra altaria 1055.12
Tranſlationis S. Albani feſtivitas 1010.52
Tuinfredus Offæ 2. pater 969.9 & 970.27
Reſignat comitatum filio 970.34
Moritur 971.36
Tubicines juſſi præire Reges 987.17
Turcomanni deſæviunt in Antiochia 106.19

V

VErulanium olim dictum Watlingaceaſter 1153.44 & 1154.47
Vicariæ aſſignatæ per Abbates 1061.33
Vicarius Archidiaconi Pictavienſis mitratus 1027.45
Vicecomitis Hertfordiæ computus 1112.61
Vigiliæ per villas regni 1045.20
Viſio S. Edwardi Regis de ſeptem dormientibus 999.3
De ſubmerſione Danorum Regis 997.9
Viſitationis Epiſcopalis ordo 1102.52
Vitia & mores introducta per Normannos 999.4, 10
Unwona Legreceſtrenſis Epiſcopus 983.22
Votorum redemptio 1140.45, &c.
Vieſia malefactorum ſectanda 1045.22
Vulſigus Abbas tertius mutat habitum monaſticum 992.6
Sic & Wulnothus Abbas quartus *ib.* 29
Ulſigus Abbas ſextus S. Albani 993.35
Uxores donabant aut vendebant terras unà cum viris ſuis 998.12, 14

W

WArmundus Occidentalium Saxonum Rex 961.2
Ædificat Warwick *ib.*
Pater Offæ primi *ib.*
Parat bellum Rigano rebelli, quem per Offam filium vincit 962.42
Reſignat regnum filio 963.61
Moritur 565.4
Warwick ædificata 961.4
Watlingeſtrata 986.8
Werlameceſtre urbs, Warlam aqua 994.4
Anchoræ, oſtreæ, &c. ſub terra ibi inventæ *ib.* 16
Sol & Mercurius ibi culti *ib.* 57
Weſtmonaſterii Abbas litem habet cum Sanct-Albanenſi de ſylva 999.31
Charta, ut Conventus demortui Abbatis bona habeat 1113.20
Willegodus Abbas primus S. Albani 990.17
Moritur 991.11
Willielmus Abbas 22. S. Albani 1047.62
Murmur Conventûs adversùs eum 1048.40
Recuſat homagium Ludovico Gallo 1049.35
Quæſtio ejus in concilio Lateranenſe 1050.20
Centum marcas dat pro benedictione Papali *ib.* 55
Cellas ſuas viſitat 1051.9 & 1052.31
Priores cellarum multos deponit 1053.27, &c.
Ejus ſtructuræ 1054.3
Fabricat S. Amphibali feretrum *ib.* 39
Et altare S. Wlſtano 1055.7
Altare S. Albani adornat *ib.* 13
Miſſam de Beata Virgine introducit *ib.* 48
Plurima ejus donaria & ornamenta cum ſtructuris 1056, 1057
Crucem de Joſaphat emit 1057.55
Et alias reliquias *ib.*
Jacturæ & damna ejus 1059.38, &c.
Moritur 1063.8
Ejus ſepulturæ mos *ib.* 47
Ejus laus 1064.30
Willielmus Rufus Rex 1002.8
Occiditur 1005.13
Willielmus Hollandiæ Flandriæ comitiſſa incarceratus 1142.25
Liberatus bellum infert comitiſſæ *ib.* 30
Victoriâ potitur cruentiſſimâ *ib.* 43
Willielmus Pigus proditioſus Monachus S. Albani 1048.8
Execrabilis ejus mors *ib.* 47
Willielmus Hortuus Romam mittitur 1115.63
Wineſlawe manerium 983.8, 59 & 987.25
Wintonienſis Epiſcopi ædes in Suthwerck 1109.10
Et apud Fernham *ib.* 12
Injurias infert Euſtachio de Len 1108.50, &c.
De eo conqueruntur Angli 1132.61
Reformationem regni perturbat 1133.7
Abdicatur regno *ib.* 34
Erat tantùm Adminiſtrator non Epiſcopus *ib.* 57
Wlnothus Abbas 4. S. Albani 992.28
Mutat habitum Monaſticum *ib.* 37
Wlſtani coſta & altare 1055.5
Woden Idolum eſt Mercurius 994.59
Wurmenhurt draconis ſpelunca *ib.* 26

X

Xenia Monaſterii S. Albani 1007.54

Z

Zingiton vel Cingis Cham, Tartarorum Rex 1129.12, 35

COG-

Cognominum ſive Familiarum Index: Unà cum Regibus ſub quibus floruerunt.

A

Robertus Agollium *Hen.3.* 1108.40
Richardus de Albenie *Rufus* 1004.38
Willielmus de Albaneia *pincerna Hen.1.* 1032.8
Godefride Anesti *Conqueſtor* 1002.8
Alexander de Appletune *Johannes* 1046.13
Johannes Altmar *Hen.3* 1073.49
Gaufridus Agnus *Rufus* 1026.14
Radulphus de Arderne *Hen.3.* 1113.14
Alexander de An.ewill *Hen.3.* 1132.3

B

Willielmus Baſſet *Hen.2.* 1035.59
Alan Baſſet *Hen.2.* 1078.62
Robertus de Brithwelle *Johannes* 1046.60
Martinus de Bo..erham *Hen.3.* 1053.37
Willielmus de Bello Campo *Hen.3.* 1078.51
Thomas de Blanckmouſter *Johannes* 1059.50
Robertus Lincolnienſis Epiſcopus cognomento Bloett *Rufus* 1025.60
Richardus de Brantefeld *Johannes* 1051.52
Emma de Bradweia *Hen.3.* 1008.59
Wido de Baliol *Hen.1.* 1007.2
Robertus filius Baldewini *Johannes* 1047.30
Simon de Bello Campo *Hen.1.* 1008.42 & 1078.51
Maſſy Beſily *Hen.3.* 1080.31
Alicia de Brutewelle *Hen.3.* 1062.27
Nicholaus Beleſmeins *Hen.3.* ib.31
Alexander de Burgo *Hen.3.* 1053.45
Hubertus de Burgo *Hen.3.* 1077.20
Henricus de Braybroc *Hen.3.* 1078.40

C

Rogerus de Chandos *Hen.1.* 1008.41
Willielmus de Crancumbe *Hen.3.* 1080.61
Rogerus de Childewike *Hen.3.* 1062.26 & 1071.24
Willielmus Camerarius *Stephanus* 1016.19
Gilebertus de Cimmay *Stephanus* ib.32
Robertus de Camera *Stephanus* 1019.36
Johannes Clarel *Hen.3.* 1138.29
Willielmus de Caune *Johannes* 1049.53
Richardus de Crokesley *Hen.3.* 1062.25
Henricus de Colevill [illegible] 1144.46,60
Matthæus [illegible] Camerarius 1054.19
Stephanus [illegible] Epiſcopus, Magnus [illegible] 1108.62
R[illegible] *Hen.3.* 1071.22

D

Herbertus Duket *Stephanus* 1017.58

E

Hugo de Evermori *Rufus* 1002.9
Gilebertus de Everſolt vel Everſold *Johannes* 1047.9.30
Nicholaus le Eſpeter *Hen.3.* 1150.2
Stephanus de Eglefeild *Hen.3.* 1063.39

F

Philippus de Foreſta *Hen.3.* 1108.58
Asketillus filius Hereberti, Fitzherbert *Hen.2.* 1042.12
Euſthaſius de Faucumberg *Hen.3.* 1077.50
Willielmus de la Faite *Hen.3.* 1103.40
Gulielmus de Feſchamp *Hen.3.* 1053.39
Gilebertus cognomento Foliott *Hen.2.* 1021.27

G

Willielmus Gaucer *Hen.3.* 1021.27
Warinus filius Geroldi *Hen.3.* 1062.29
Robertus de Gorham *Hen.2.* 1021.35
Gaufridus de Gorham frater ejus ib.34
Henricus de Gorham *Hen.3.* ib.35
Johannes de Gray *Hen.2.* 1080.31
Radulphus Gubium *Johannes* 1043.25
Radulphus cognomento Gubiun *Stephanus* 1014.15
Hugo de Goldcliff *Johannes* 1047.7

H

Richardus de Hou *Hen.1.* 1008.39
Robertus de Humez *Hen.2.* 1025.46
Rogerus de Hertfort *Johannes* 1047.24
H. de Hatheloke 'una *Hen.3.* 1144.41
Henricus de Helewottune *Hen.3.* 1113.15
Willielmus de Huntintoſt *Hen.3.* 1138.29
Willielmus de Hortune *Hen.3.* 1115.64
Henricus de Horwell *Hen.3.* 1132.5

K

Robertus de Kingham *Hen.3.* 1063.39

L

Alexander de Langley *Johannes* 1046.10
Robertus de Limin *Rufus* 1002.60
Richardus de Lucy *Hen.2.* 1028.63
Adam de Linſie *Johannes* 1044.58
Rogerus de Limes *Hen.1.* 1008.38
Willielmus de Lichefeld *Hen.3.* 1103.40

M

Rogerus de Millers *Hen.2.* 1032.38
Henricus Mortac *Stephanus* 1018.20
Robertus de Mumbrai comes Northanhimbrorum *Rufus* 1002.54 & 1118.36
Gaufridus de Maphame *Rufus* 1006.7
Rogerus de Mere .ine *Hen.3.* 1062.37
Robertus Mai *Johannes* 1051.64
Johannes Manſel *Hen.3.* 1071.27
Willielmus Martell *Stephanus* 1013.16
W. de Mandeville *Hen.3.* 1079.62
Richardus de Mores *Hen.3.* 1063.36
Anketillus Malore *Hen.3.* 1080.32
Gulielmus Martell *Hen.2.* 1039.28
Richardus de Mariſco *Johannes* 1044.39 & 1045.14
Henricus de Mara *Hen.3.* 1148.17
Robertus de la Mare *Johannes* 1059.50
Rogerus de Merideue *Hen.2.* 1035.65

N

Radulphus de Nuers *Hen.2.* 1032.10
Alexander cognomento Nequam *Hen.2.* Alibi Necham 1039.51
Gulielmus de Nortune *Hen.3.* 1062.36

O

Philippus de Oxehaie *Hen.3.* ib.35
Willielmus de Ockerſſe *Johannes* 1051.17

P

Rogerus de Parco *Johannes* 1046.60
Radulphus Pirot *Hen.3.* 1062.42
Leofſtanus cognomento Plumſtan 998.3 *marg.*
Edwardus Confeſſor ib.5
Rogerus de Ponte *Hen.2.* 1027.4
Johannes Picard *Hen.3.* 1108.61
Willielmus Pigun *Johannes* 1048.8 & 1053.13
Robertus Paſſelewe *Hen.3.* 1080.32
Rogerus Potretanus *Johannes* 1050.13
Guido Peverel *Hen.3.* 1108.58

Q

Walterus de Querceto *Stephanus* 1016.27
Id eſt, de Cheſni. 1021.1

R

R

Richardus Rufus *Johannes* 1051.53
Galfridus Ridel *Hen.2.* 1027.51
W. de Radleghe *Hen.3.* 1080.51
Richardus de Reines *Hen.3.* 1062.43
Petrus de Rivall *Hen.3.* 1080.41
Johannes de Rugetune *Hen.3.* 1062.35
Robertus de Ros *Hen.3.* 1132.3
Petrus de Rivallis *Hen.3.* 1077.52
Walterus de Rale *Hen.3.* 1108.59

S

Petrus de Syret *Hen.1.* 1008.32
Richardus de Sancto Claro *Hen.2.* 1032.51
Radulphas de Stanhame *Johannes* 1049.61
Johannes de Seldefort *Johannes* ib.64
Gilbertus de Siſſiverne *Edwardus Confeſſor* 997.58
Nicholaus Speciarius (Spicer) *Hen.3.* 1112.64
Walterus de Standune *Johannes* 1047.30
Baldericus de Sigillo *Stephanus* 1017.43 & 1019.13
Alexander Stoyle *Hen.3.* 1113.1 & 1150.2
Robertus de Sanford *Hen.3.* 1093.42
Willielmus de Sancto Earmundo *Hen.3.* 1108.59
Johannes Sylveſtre *Hen.3.* 1148.17
Willielmus de Sandrugge *Hen.3.* 1150.2
W. de Senay *Hen.3.* 1093.41
Willielmus de Sancto Leodegario *Hen.3.* 1148.19

T

Yvo de Tigervilla *Conqueſtor vel ante* 1002.40
Willielmus de Trumptintuna *Johannes* 1048.10
Robertus Taileboys *Hen.2.* 1022.11
Robertus de Thoteni *Rufus* 1002.59
Dies obitûs ejus 1005.20
Laurentius de Therebrugge *Johannes* 1047.55
Johannes de Tillibire *Hen.2.* 1024.24
Baldwinus de Turboile *Johannes* 1059.46
Rogerus de Thoni nobilis *Conqueſtor* 995.45
Erat enim in armis clariſſimus, genere & natione Normannus, ab illis famoſis militibus trahens propaginem, qui à cygni nomine intitulabantur ib.49
Richardus de Thydenhangaer *Hen.3.* 1054.11

V

Petrus de Valoniis *Rufus* 1004.31
Rogerus de Valoniis *Hen.1.* 1013.44
Hugo de Verlei *Rufus* 1005.59
Alanus Urry *Hen.3.* 1080.32

W

Robertus Wandari miles *Stephanus* 1017.4, 14, &c.
Gulielmus de Wigenhale *Hen.2.* 1042.16
Radulphus de Witebia *Johannes* 1049.58 & 1052.62
Gaufridus de Watervilla *Stephanus* 1016.26
Willielmus de Wiltona *Hen.3.* 1148.23
Willielmus de Weſtwike *Hen.3.* 1112.65
Rogerus de Wudewike *Hen.3.* 1062.29
Robertus filius Walteri, Fitzwaters *Johannes* 1047.49
Alanus de Waſſant *Hen.3.* 1149.20
Hugo de Welles *Hen.3.* 1053.50
Baldwinus Wake *Hen.3.* 1062.24
Rogerus de Wendovre *Hen.3.* 1052.35

Nomina Archiepiſcoporum & Epiſcoporum *Angliæ*, quorum mentio in hoc volumine occurrit.

Ut ſi Catalogum Epiſcoporum aut augere aut adornare alicui in mentem venerit, hinc faciliùs ſibi inveniat materiam.

S. Aſaph.

Godefridus Lanum 1028.59 & 1029.18

Cantuariæ.

Lambertus 978.58 & 982.37
Stigandus 999.60
Robertus 1000.8
Lanfrancus *ib.*18
Anſelmus 1003.64
Theobaldus 1020.64 & 1055.24 & 1030.32
Thomas 1033.62 & 1036.54, &c.
L. Cantuariæ Archiepiſcopus 1030 61
Richardus 1037.16
Stephanus 1044.60 & 1046.46
Ædmundus 1083.27 & 1087.2
Bonifacius 1102.50 & 1103.42, &c. & 1110.10,40

Ciceſtriæ.

Hilarius 1022.33
Ubi malè ſcribitur Ceſtrenſis, *&* *in* 1023.44 & 1028.58 & 1030.32

Dunelmi.

Ranulphus 1006.43 & 1026.3
Hugo 1021.19 & 1028.58
Richardus 1044.39 & 1073.11
Walterus 1073.19

Eboraci.

Aluredus 999.59
Henricus Mordac 1018.20
Rogerus de Ponte 1027.4
Ealdulphus 1154.16

Eliæ.

Hernæus 1026.26
Galfridus Ridel 1027.51
Nigellus 1028.57 & 1029.27
Euſtachius 1047.64
Hugo 1068.6

Exoniæ.

Bartholomæus 1028.59
Willielmus 1057.58

Herefordiæ.

Wlwardus 979.11
Walterus 1090.2
Gilbertus Folioth 1021.27 & 1023.40 & 1028.58

Lichfeldiæ.

Ealdulphus *Archiep.* 979.18
Humbertus *Archiep.* 980.23
Higberctus *Archiep.* 1151.50
Richardus 1028.59
Vide Adverſaria.

Lincolniæ.

Remigius 1001.62
Robertus 1006.44
de Cheſne 1021.10
Alexander 1012.44 & 1014.24 & 1016.34 & 1018.31
Robertus Bloet 1025.59
Hugo ſecundus 1061.26
Robertus Groſſeteſt

Londinenſis.

Richardus 1003.46 & 1071.23
Gilbertus Foliot 1036.10,36
Rogerus 1068.6 & 1069.37
Fulco 1145.49

Norwici.

Willielmus 1023.44
Herbertus 1026.27
Willielmus 1028.57
Thomas 1060.38

Roffa.

Radulphus 1026.3
Walterus 1028.58

Sariburiæ.

Rogerus 1006.44
Jocelinus 1028.58
Willielmus 1072.11

Wigorniæ.

Denebertus 979.10
Wlſtanus 1000.2

Wintoniæ.

Richardus 1027.9
Henricus 1028.57
Petrus 1057.58
Ethelmarus vel Adimarus 1137.23,64 & 1140.19
Elfeah 1154.17

Nomina Epiſcoporum Epiſcopatuum illorum veterum, qui aliò jam ſunt tranſlati.

Domucenſis. 986.53

Helmanenſis & Tedfordenſis.

Haraldus 979.12

Legreceſtriæ.

Werebertus ib.10
Unwona 980.22 & [illegible]3.22 & 1151.53 & 1152.36,62 & 1153.18

Lindeſienſis.

Ceolwiphus 983.22

Sinacrſtrenſis.

Eadulphus 979.10

Nota. *Frequentiſſima occurrit mentio de Johanne Archfertenſi, Ardferienſi, ſive Harefordenſi Epiſcopo; ſed is extraneus erat, non Anglus. Vide Adverſaria.*

ABBATES.

Egneſhamenſis.

Walterus 1010.57

Horneienſis.

Robertus ib.

Rameſienſis.

Willielmus 1028.60

Malmesburienſis.

Gregorius ib.

Eboracenſis.

Clemens ib.

Weſtmonaſterienſis.

Gerun 1021.65
Laurentius 1014.50 & 1015.63 & 1028.60 & 1036.7

Plures ſanè, tam Epiſcopos quàm Abbates, in Chartarum ſubſcriptionibus, quas damus in Auctario noſtro, habes; ſed eos hîc omiſimus, quia locos præſulatuum eorum ignoramus.

F I N I S.

ADVERSARIA:
SIVE,
VARIANTES LECTIONES
In Hiſtoria *Matthæi Pariſienſis.*

In quibus ſcilicet Liber Impreſſus ita diſcrepet à Codicibus MSS. tam *Rogeri Wendoveri*, tam ipſius *Matthæi*, ut Senſus videatur eſſe mutatus aut mutilatus.

PRÆFATIO.

P*Riorem* Pariſienſis *noſtri Editionem quàm variè cavillentur* Romanæ *Curiæ Zelotæ, eruditiſſimus D.* Seldenus (*magnum* Britanniæ *noſtræ decus*) *in* Teſtimoniis *de Authore noſtro, aliorum Notiſque ad ea ſuis nos edocuit. Nec profectò gratis, aut omnino ſine cauſa, in veram licèt non inciderint) ſuſpicio aliquibus eſt ſuborta, non ſatis candidè* Matthæum *fuiſſe evulgatum : aſt* ubi, quoties, quare, & quomodo, *vel Authorem Editor reliquerit, vel de proprio inſeruit ; hallucinantur equidem quoties hariolentur iidem Curiales.*

Nimiâ certè (quod dolemus) libertate anterioris Editionis Evulgator eſt abuſus ; utpote qui pluries profectò quàm decuit ab Exemplaribus Manuſcriptis Variando, heic voces, illic phraſes, ibi rubricas marginales, in ſe ſuſceperit ad placitum demutare. Quot aut quanta mutârit, nos in Variantibus *noſtris* Lectionibus *prodidimus. Sed Lectorum tædio, Bibliopolarúmque lucello conſulentes, non omnia equidem ibi annotavimus ; verùm ea ſola (& fortè ea omnia) quæ ſenſum mutilare, aut alium ſubſtituere videbantur.*

Tot autem tantarúmque in Impreſſo demutatiônum, tres omnino cauſas fuiſſe conjectavi :

I. *Evulgatorem, conſultò licèt eas fecerit, non eo tamen (ut obſervavi) animo, ut Authorem corrumperet, in Curiámve* Romanam *iniquiorem redderet ; ſed (ſi Diis placet) ut emendaret, hoc eſt, ut emundaret, emacularet, & omnino ut* Latiniorem *ederet. Sordere enim, vel horridiùs aliquid crepare, illi videbantur phraſes aliquot, non adeò fateor grammaticæ, vocéſque ſemibarbaræ. Pro iis autem, ſi magìs* Ciceronianas *ſubſtitueret, pulcherrimam ſanè ſe navaturam operam, egregiámque induſtriæ laudem reportaturum exiſtimabat ; ſcilicet ac ſi hoc eſſet antiquos Authores edere, & non ſeipſum potiùs Authorem conſtituere.*

II. *Quòd non unum idémque per omnia conſtanter ſit perſecutus exemplar ; ſed (uti & ipſemet in Præfatione ſua ſatis ingenuè videtur inſinuare) heic* Ceciliani *codicis adjutus auxilio, illic uſus* Sidneyano, *nonnulla petens ex* Anglonbyano, *multa ex* Arundeliano, *quædam (quod & ego inter conferendum comperi) decerpens ex* Hiſtoria minore *ſive* Chronico ; *imò, in una eadémque ſententia, heic excerpens ex uno, ibi commiſcens ex alio, & non ſemel interpolans ex proprio ; ex perpetuis quaſi centonibus variorum, Hiſtoriam utcunque abſolvit, licèt eam ſane non inconſutilem. Atque iſta profectò univerſa, poſſe me exquirere atque invenire, ſi mihi in omnia ejus exemplaria incidiſſe contigiſſet, vix aut ne vix quidem diffiderem ; quæ in meis tantummodo perquirens, fruſtra me fuiſſe aliquoties dolui.*

III. *Cauſam*

III. Cauſam denique Variationum in impreſſis tertiam hanc fuiſſe obſervavi. Nimirum quòd cùm Librarius, qui Typographicis operis exemplar ex MS. tranſcripſerat, abbreviaturas veterum capere omnino non valeret; ne lacunæ crebriores hiaſcerent in impreſſis, ipſe Evulgator (non ſemper tamen augurio feliciore) eas ex conjectura & pro ingenio ſuo in ſe ſuſceperit ſupplere. Atque hinc aliquando aut ſenſus fœdè mutilus, aliorſum tranſvorſus, aut denique horſum vorſum divaricatus evadit.

Sed ne gratis hominem incuſâſſe videamur, & ut fidem ſimul obſervationis liberemus, rationes conjecturæ noſtræ hic ſunt propalandæ. Quod & eò libentiùs facimus, quia certiùs poſſumus. Ad manus enim noſtras (non infauſto ſane ſidere) devenit liber idemmet ille papyraceus, * quo diximus operas olim fuiſſe uſas. Quod & quaternionum ſignaturæ (ut barbarè jam & cum Typographis pauliſper balbutiamus) paginarúmque ſingularum numeri directionéſque, à Compoſitoribus olim ad oras Copiæ ſive Exemplaris ſui notatæ, ibidem adhuc apparentes, cúmque impreſſi foliis exactiſſimè correſpondentes, certiſſimè & vel monaculo intuenti demonſtrabunt. Ad cumulum confirmationis accedit iſthocce ſub Tranſcriptoris manu teſtimonium; Hoc erat primum Exemplar hujus Hiſtoriæ, ſed emendatum per Typographum in aliquibus locis.

* Scilicet à D. Seldeno accommodatus, qui eum bono caſu viginti vel circiter abhinc annis ſibi oblatum emerat; atq; hic eſt ille codex, quem poſtea vocamus Seldenianum vel Papyraceum.

Et ſanè emendatum; nam id ſolummodo Typographo erat cura, ſcilicet ut librum impreſſum emendaret, omnibúſque numeris, ultra quàm quod in ullo uno Manuſcripto invenerat, correctiorem ederet. Quod & nos inter conferendum experti ſumus: nam cùm papyraceus ille liber Seldenianus, ex MS. Benedictini volumine priore ſit tranſcriptus, (quod & conſtantiſſima inter codices concordia indicat) eum tamen non lituris ſolummodo interlinearibúſque interpolatum deprehendimus; ſed quod deleto ſæpiſſimè aut rejecto Textu lineari & Benedictino, interlineares illas voces phraſéſque, ex aliis Exemplaribus, ſive ex conjectura mutuatas, per omnia Typographus ſit ſecutus. Imò (quod & longè ſæpius accidit) ubi nulla omnino inveniantur hujuſmodi interlinearia, etiam & ibi relinquitur Textus Benedictinus, ſubrogantúrque alia. Quod neceſſe eſt inter imprimendum fuiſſe perpetratum, & ab eo qui editioni præerat, qui munus Correctoris (ut vocamus) preli in ſe ſuſcepit.

Adjicio, cùm in eodem tranſcripto ad annum 1189 finientem, hujuſmodi in ora libri reperiatur annotatio; Hucuſque codex Edwardi Anglonbye, quæ ſequuntur ex libro W. Cecil militis. Et iterum poſt finem primi capitis anni 1199, Hucuſque ut in libro impreſſo, fol. 262. Utrobique tamen fefellit fidem inſcriptio, quia utrobique impreſſus quamplurimum variet à tranſcripto.

Quid prior præſtitit Evulgator jam ſatis diximus; reſtat etiam ut laboris propoſitique noſtri te (Lector) conſcium faciamus. Equidem prima nobis fuit cura, editionem anteriorem ſequi: ſecunda, ex Variantibus noſtris Lectionibus correctiorem reddere. In eam rem ſupellectilem undique comparavimus librarium: ex Bibliotheca igitur Viri Illuſtris Thomæ Cottoni Baronetti, Roberti Filii, Rogerum mutuavimus Wendoverum; quem totum tibi (Lector) præſtare, ſibique ſua reddere, unicè optabamus. Quod & fecimus. Hunc pluris equidem æſtimavimus, quàm ullum ipſius Pariſienſis exemplar; ejúſque cautiùs veſtigia preſſimus, cujus utpote Textum per omnia ſecutus ſit (ut debuit) ipſe Matthæus: nempe ſi illa excipias pauca, quæ Wendovero vel iſte dempſerit vel inſeruerit; quæ & à nobis invenies obſervata.

Ab eadem etiam Bibliotheca inſtructiſſima, ipſius Matthæi accepimus exemplar unum; cum quo & per omnia contulimus impreſſum. Ex Bibliotheca inſuper Benedictina (armario profectò totius Britanniæ MSS. codicibus refertiſſimo) collationes etiam aliquot recepimus. Dixi aliquot, non potui dicere omnes; quia exemplaria illa Benedictina nanciſci omnino non potuimus. Horum tamen utcunque defectum nobis ſupplevit Tranſcriptum Seldenianum, uſque Annum nimirum 1188 finientem. Et quoniam cum Anno 1250 nos deſerat Cottonianus, Annum 1251 cum Chronico

Re-

Regio contulimus, quòd in eo Anno ſatis bene cum impreſſo libro concordabat. Sed quòd iſte liber Chronicorum in annis ſequentibus tribus variabat, contractiórque erat, eos cùm codice Benedictino curavimus conferendos. Qui cùm & ipſe ſub Annum 1254 deſinat, reliqua Matthæi noſtri cum Chronico Regio contulimus. Continuationis Riſhangerinæ duo omnino vidimus exemplaria, ad finem ſcilicet Chronici ſive Hiſtoriæ minoris, & Tranſcripti Guilielmi Lambardi compacta.

Et ubi nunc conſerventur exemplaria MSS. non in alium finem jam prodidimus, niſi ut elegantiùs ex iis (ſi fortè in proximo ſeculo) altera editio adornetur; imò ut & nos ipſi, ſicubi fidem volentes fefellerimus, faciliùs redargueremur, publicarúmque turpiùs teneremur injuriarum.

Sed quoniam in Chronicorum Hiſtoriæque minoris incidimus mentionem, & de eis liceat judicium ferre; liber iſte Chronicorum non alius certè eſt, quàm totius Hiſtoriæ majoris à Conquæſtore Guilielmo uſque ad obitum Matthæi Pariſienſis relimatio abbreviatióque. Opus ipſiſſimum eſt Matthæi noſtri, in quo multa (fere & ubique) contraxit, non pauca diſpunxit; in eorúmque loco non pauciora (ſcitu ſanè digniſſima) repoſuit. Specimen igitur ejus tibi impræſentiarum dedimus, & ſanè liber iſte quo uſi ſumus numericus, quin ad Matthæum aliquando pertinuerit, vix aut ne vix quidem eſt dubitandum. Imò, & quòd ab eodem Sanct-Albanenſibus ſuis dono ſit donatus, epigraphe demonſtrat; eáque ab eademmet manu rubricatis literis exarata, quam & in libro Vitarum Additamentorúmque invenimus. Equidem & ab eodem Librario conjicio deſcriptam, (vel certè à quopiam contemperaneo & Cœnobii ejuſdem) qui & Vitarum erat Amanuenſis. Sanè & à Sanct-Albanenſibus poſtquam deperditus eſſet, pro ſuo vendicatum, & illud teſtatur Lincolnienſis Epiſcopi Chirographum, quod in Notis reperies Seldenianis. Poſtea pertinuit iſte liber ad Baronem Lumleyum, deinde ad Comitem devenit Arundelianum, & eſt ille ipſe liber quem anterioris Præfatio editionis Hiſtoriam indigitat minorem. Nunc dierum in Archivis Bibliothecæ Regiæ ad S. Jacobi inter Cimelia reconditur. Hoc ipſo (neque enim in Bibliotheca Regia Hiſtoriæ majoris ullum tunc temporis extiterat exemplar manuſcriptum) uſus eſt doctiſſimus Iſaacus Caſaubonus *. Hujus denique ſe aliud vetuſtum vidiſſe exemplar teſtatur Guilielmus Lambardus, ſcilicet penes Matthæum Cantuariæ Archiepiſcopum, ex quo illam conjicio tranſcriptam fuiſſe Hiſtoriam minorem, quæ nunc in Bibliotheca Benedictina Cantabrigiæ reſervatur.

* Vide Præf. ejus ad Exercitationes.

Reſtat jam ut de Hiſtoria minore hæc pauca moneamus. Et ſanè librum talis ujuſmodi nunquam conſcripſit Pariſienſis; neque altera revera eſt Hiſtoria minor, niſi liber Chronicorum. Hallucinantibus verò occaſionem præbuit Tranſcriptum (nunc Cottonianum) olim Guilielmi Lambardi, & ille egregius equidem inter noſtrates ante annos aliquot Antiquarius. Tranſcripto titulus eſt, Matthæi Paris Hiſtoria minor. Et iterum ipſius Lambardi manu, Hiſtoria rerum ab octo primis poſt Conquiſitionem Angliæ Regibus geſtarum, Matthæo Pariſienſi Authore. W. Lambarde, 1565. Et tertiò, Hujus libri duo tantummodo vidi vetuſta exemplaria, quorum alterum penes Henricum Arundeliæ Comitem eſt, alterum verò penes Matthæum Cantuariæ Archiepiſcopum. W. L. Et quartò, Et advertendum eſt, quòd hoc exemplar non eſt ad verbum tranſcriptum; ſed ea quæ ad Hiſtoriam Angliæ pertinent, ſummâ fide & ferè verbatim traducuntur. Cætera (forinſeca cùm ſint) utplurimum levi præterit pede Scriptor, nonnunquam etiam planè omiſit. W. Lambarde. Cùm autem vidiſſent aliqui huic libello titulum Hiſtoriæ minoris præfigi; quem tamen & ſimul obſervârunt, librum fore breviorem Chronicorum, opus ſanè diverſum, & quaſi tertium, Matthæi elucubrationem ſunt omnino ſuſpicati. Hujus nos tamen in titulo noſtro mentionem fecimus, ne ignorantes ignorantiæ nos aut negligentiæ redarguerent, quaſi Hiſtoriam minorem omnino non vidiſſemus.

Atque hæc habuimus quæ de utriſque Editionibus moneremus : Liceat & pauca in Adverſaria *noſtra cum Notis & Emendationibus, quæ* Variantibus Lectionibus *ſubjunximus, præfari. Et ſanè tam brevibus* Adverſariis *longiorem præmiſiſſe Præfationem, ſatis agnoſco fuiſſe indecorum. Juſtis equidem Obſervationibus & perpetuis Authorem totum illuſtrâſſe, mecum aliquando decernebam : Sed propoſitum ut perſequerer, non paſſi ſunt importunitates aliorum. Tantum enim me accelerârunt Bibliopolæ, ut* Adverſaria *maluiſſent eſſe nulla, quàm pauca. Aſt brevia utcunque ſint, nollem tamen ut jam ſcripta, inedita ſupprimentur. In Specimen enim ut eſſent iſta* Spicilegia *volui, quid in Authore hoc noſtro edendo requireretur, & qua fide ac diligentia eum ego edidiſſe propoſueram.*

Tua tempora (Lector) ulteriùs non moror. In publicum commodum ut omnia cedant, animæ meæ publicæ eſt optio. Valere jam te jubet, qui

Tuus totus eſt,

Dabam *Londini* ex ædibus meis *Maii* 15.1640.

Willielmus Watſius.

VARI-

VARIANTES LECTIONES
EX
MANUSCRIPTIS CODICIBUS
EXCERPTÆ.

Ubi Litera W *codicem denotat* Wendoverianum, B *librum Collegii* Benedictini *ſive* Corporis Chriſti *in celeberrima Academia* Cantabrigienſi, C Cottonianum, O *omnium illorum trium concordiam*, R Chronicon *in Bibliotheca Regia ad* Sancti Jacobi, *&* Ce *denique codicis illius* Ceciliani *partem, quæ in Tranſcripto continetur* Seldeniano.

PAge 5. *l.*18. viris peremerunt *W,B* viris ſuorum peremerunt.
*l.*24. navibus *O* cogonibus.
*l.*40. appropriavit *R* apporriavit.
*P.*6. *l.*16. Egelwinus *O* Eilricus.
*l.*40. nam quia è vita ſine *B deeſt* è vita.
*P.*7. *l.*5. (factum ſibi rebellem) *deſunt à W, ut & ea quæ ſequuntur l.*8. ſimul & pauperiorem.
*l.*14. ab eodem anno *uſque ad finem parag. deſunt à C & W, in B tamen in margine ſedaliâ manu.*
*l.*20. qui *Hildebrandus* vocatus ante fuerat, *deſunt à W, & in B aliâ manu in marg.*
*l.*38. Angliæ conſulatum *O* Eſtangliæ.
*l.*25. habeant *B deeſt.*
*l.*35. cremant corpus *B* cremant, laiel corpus.
*P.*8. *l.*6. Per idem tempus *Robertus*, &c. *ad* pater filio *l.*8. *W ſic*, Per idem tempus *Robertus Willielmi* Regis filius, cui idem Rex antequam Angliam ſubjugaret Normanniam dederit coram *Philippo* Rege Francorum, nempe quia pater filio. *B ſic*, Filius cui idem Rex, antequam Angliam ſubjugaret, Normanniam dederat coram *Philippo* Francorum Rege, nunc quia.
*l.*11. Gerberai *R* Archenbrai.
*l.*17. laicali ſe foro immiſcuit *B* ad laicare ſedit judicia.
*l.*26. niſi antea *B* antequam.
*l.*27, *&c.* Epiſcopo, ut ſuper exactione *ad* conſultiùs reſponderi, *B* Epiſcopo ſuper exactione præmiſſa, ut poſſint inde habere colloquium, quatenus habiti deliberatione ſibi quiviſſent conſultiùs reſpondere.
*l.*30. ſhort red, *&c. W, C* **ſcoꝛt red god red, ſlea tolſe the Biſſop,** *B* **ſhoꝛt red, god red, ſlea ȝe the Biſſop.**
*l.*32. Tine *B* Thyne.
*l.*45. Albani *deeſt à B,C.*
*l.*57. quaſi ex cauſa, *B,C* quaſi juſta ex cauſa, *W* juxta, *malè.*
*l.*63. Rodolphum *O* Hunc.
*l.*65. Imperator autem, *B* Imperatæ tamen, *C & W* Imperator tamen.
*P.*9 *l.*7. ditionis *deeſt ab O, qui habent* illis.
*l.*18. decertans, Regem, *B* congreditur ubi Regem, *ſic & W,C.*
*l.*32. quot agri *O* quot acræ.
*l.*34. inquiri, quem cenſum *ad* redderent, *O* inquiri de urbibus, caſtellis, villis, vicis, fluminibus, paludibus, ſylvis, quem cenſum redderent.
*l.*40. In cujus ſedem *W,R v. Ar.* inthronizatur, *O* Cujus *Wibertus* Ravennenſis urbis Archiepiſcopus in ſedem Apoſtolicam inthronizatur.
*l.*43. Illi autem qui contra ſentiebant, reclamantes aſſerebant, *B,C* Illis autem qui contra ſentiebant reclamantibus aſſerunt. Reclamantibus *deeſt à W.*
*l.*51, *&c.* ab omnibus promiſcuè, ſive per fas ſive per nefas, *B* de quibuſcunque aliquam poterat invenire cauſam juſtè ſive injuſtè, *ſic C & W.*
*l.*58. Cervum vel capreolum *ad* legibus, *B* Qui cervum caperet vel capreolum oculi eruebantur ei; nec fuit qui murmuraret. *ſic C & W.*
*l.*60. Denique *deeſt ab O.*
ibid. ut ubi aut vel *O* ut ubi ante vel.
*l.*61. veneratio ibi *O* veneratio nunc ibi.
ibid. & id genus *O* & omne genus.
*P.*10. *l.*4. modica illi data eſſet *O* modica erat.
*l.*5. ſede *B* ſequi, *malè*, *C,W* ſedi.
*l.*7. tamen *deeſt in B & W.*
*l.*9. *B deeſt* Remigius; *ſed C,W habent.*
*l.*10. proditione aliquando *O* proditione fuit aliquando.
ibid. ſed famulus ſuus *B* ſed quidam famulus ejus, *ſic & C,W.*
*l.*12. autem *deeſt ab O.*
ibid. & *B deeſt.*
*l.*19. celebrarent. Cœnobiúmque *O* celebrarent conſtituit. Cœnobiúmque.
*l.*24. filia *O* filiam, *malè.*
ibid. In uxorem *deeſt ab O.*
*l.*26. *deeſt* paterna *à W,B.*
ibid. in Angliæ regnum, poſt mortem patris ſui, non ſucceſſit, *O* Anglia poſt mortem patris ſui caruit.
*l.*28 Rex magnificus *O Richardus* magnificus, *rectè.*
*l.*29. Sylva *O* foreſta.
*l.*33. Beccenſis Comitis *O* Bleſenſis Comitis.
*l.*34. quartæ & quintæ, *Alphonſo Galiciæ* Regi deſponſatæ, nomina, *B* quartæ quæ Haroldo poſt Anglorum Regi promiſſa fuerat, ut prædiximus, & quintæ quæ *Aldefonſo Galiciæ* Regi jurata nomina.
*l.*36. caſtitatem adeò reſpuit *ad* quidvis poſſe, *O* caſtitatem adeò reſpexit, ut publice diceretur ipſum in fœmina nil poſſe.
*l.*41. dicitur *deeſt ab O.*
*l.*43. Clemens, cui poſt paucos dies defuncto, *O* Clemens paucis diebus & eo defuncto.
*l.*50. præoccupaverunt idem corpus cives *O* præoccupaverunt eos cives.
*l.*55. ejuſdem, *B* quadrageſimo quinto à depoſitione ejuſdem, *C* ſeptuageſimo quadrageſimo quinto.
*l.*58. Imprimis autem *ad* paſſim divulgabat, *O* Itaque ſcatebat omnis Gallia ejus doctrina per egenos ſcholares, quos quotidianis ſtipendiis ſuſtentaverat, divulgata.
*l.*62. detexit, *B,W* deterſit, *C* decreſcit.
*l.*64. citra controverſiam *O* ſine retractatione.
ibid. utpote *deeſt ab O.*
*P.*11. *l.*1. apud ripam maris *deeſt hoc loco; ſed mox ut patebit ſequitur in O.*
*l.*2. Walweij *O* Walweuij.
ibid. nepos longitudinem *O* nepos, ſuper ripam maris, longitudinem.
*l.*4. vir militia & omni civilitate nobiliſſimus *O* vir in militia & in omni civilitate famoſiſſimus.
*l.*7. à bello, quod in Regem *Francorum* cogitabat *B,C* ab inimicitiis cum Rege *Francorum* contractis; *ſed* contractis *deeſt à W.*
*l.*9, *&c.* ſed cum poſt partum *ad* oblaturus *O* ſed cum poſt ſeſe partum purificaturus ad Eccleſiam exierit, centum millia candelas cum eo veniam oblaturus.
*l.*11. Convitiis Rex irritatus *O* Rex convitiatus.
*l.*13. *deeſt* armis *ab O.*
ibid. conterit & omnia depopulatur *O* omnia conterit, omnia populatur.
*l.*14. ſolari nitebatur *O* mitigaret, *deeſt* ſolari.
*l.*15. mediantem *B* maritimi *C* maritum *W* maantum.
*l.*16 veſtalibus *deeſt ab O.*
*l.*17. Rex, ſuos invitavit, *&c. uſque ad* incurrit, *O* Rex dum ſuos incitat, ut ignibus adjiciant pabulum; prope flammas accedens ignium calore, & autumnalis æſtus inæqualitate, morbum incurrit.
*l.*21. decumbit lecto *O* excipitur lecto.
*l.*24. Angliam, &c. *uſque ad* legavit, *O* Angliam *Willielmo Rufo*, poſſeſſiones maternas cum theſauris *Henrico* legavit.
*l.*31. Ex *Francis* bellum gerebat *O* in *Francia* rebellavit.
*l.*32. utiliorem ſibi, *&c. uſque ad* intereſſe, *O* utilius ſibi ducens in poſterum quàm paterni corporis exequiis intereſſe.
*l.*34. ex liberis *O* ex liberis omnibus.
ibid. qui & militi, *deeſt* & *ab O.*
*l.*35. quo ejuſdem calumniam compeſceret centum *O* minacem militis calumniam compeſcens.
*l.*36. Porro *Willielmus* in *Anglia*, *O* Porro in *Angliam Willielmus.*

l.41. in Regem *deeſt ab O.*

l.43. *obtinuit.* Ad quod non parvum adminiculum *Lanfrancus* attulit, eo quod. *O ſuſcepit.* Acceſſitque etiam favori ejus Archiepiſcopus *Lanfrancus*, eo quod.

l.46. poſtea *B deeſt; W,C* veruntamen.

l.49 Chriſtianos invadentes, & ab *Alphonſo* Rege *Galatiæ*, *O* in Chriſtianos efferati mox ab *Aldephonſo* Rege *Galiciæ*.

l.54. (*Roberto* nepote ſuo in Ducatu *Normanniæ* confirmato) *O Robertum* nepotem ſuum in Ducatu *Normanniæ* confirmâſſet.

l.55. & omnia *O* ſed cum omnia.

l.56. geri vidiſſet *O* diſponi videret.

l.57. & multos in ſuam ſententiam pertraxit, *B* & multos eodem ſuſurro, *C,W* & multos eodem ſuſurro in *Anglia* macuilavit.

l.58. nutritum, tam *B* nutritum affirmat, tam.

l.60. hinc brevi futurum *B* in brevi aſſerit futurum.

l.63. eadem pro virili promovebant *O* frequentabant.

l.64. horum perfidiæ ſuffragabatur *B* in eorum perfidiam conſpirarat.

l.65. Odo inprimis *ad* devaſtabat, *B* Itaque Odo prædam ingentem ad *Rovenſe* caſtrum comportabat, Regios in Cancia fiſcos devaſtans.

P.12.l.1. quod *B* eo quod.

ibid à *Willielmo* primo *B* à primo Rege *Willielmo*.

l.2. ſuſpicabatur *O* aſſerebat.

l.3. ſuo Epiſcopo *B* ſuo & Epiſcopo.

ibid tum *Lanfrancus*: Cur (inquit) apprehenſum vinculis non coerces? *B* tu, inquit *Lanfrancus*, apprehende illum & vinci.

l.5 Non Epiſcopum *ad* Conſtantinienſis, *B* Non Epiſcopum ait Baiocenſem capies, ſed Canciæ Comitem cuſtodies. Hujus itaque conſilio Odo cuſtodiæ eſt, igitur *Gauſridus* Conſtantinienſis.

l.6. Hujus itaque conſilio Odo cuſtodiæ eſt *C* quod & factum eſt.

l.7. in pagum Wiltenſem *B* in pago Wiltenſi.

l.8. armata manu cum *Walliis* à *Scrobesberia* diſcedens, *B* armatos cum *Wallenſibus* à *Scrobesberia* dirigens.

l.10, &c. Regii milites *ad* eos fugârunt, *B* Regii milites benedictione beati *Wlſtani* Epiſcopi, cui caſtri cuſtodia commiſſa fuerat freti, multis hoſtium captis & interfectis, pauci multos turpiter effugârunt.

l.12. Leirceſtram *W* Leuceſtram *C* Lanceſtram.

l.14. videns igitur *B.W,&c. per totum caput uſque ad* fluctibus ſubmerſerunt, *O leguntſic*; Videns igitur Rex *Willielmus*, omnes pene regni proceres in una rabie conſpiratos, Anglos fortes & probos invitavit, quibus bonas leges & tributorum levamen, liberáſque pollicens venationes ſibi ad fidele ſervitium obligavit. Nec minori aſtutia *Rogerum* de monte Gomerico ſecum equitantem circumvenit, dicens ſe libenter regno ceſſurum, ſi ſibi & aliis quos pater tutores ſui reliquerat utile videretur: ſi velint pecunias vel poſſeſſiones pro ſuo arbitrio accipiant; & prorſus quæcunque voluerint in regno pro beneplacito ſuo diſponant, tantummodo videant ne periclitetur judicium proditoris. Quod ſi de ſe judicaverit contemnendum, exemplum caveant de ſeipſis; præcipuè cùm idem ſe Regem qui Comites conſtituit illos. His verbis Comes *Rogerus* convictus, qui primus poſt Odonem hujus factionis ſignifer fuit, primus omnium pœnitentiâ ductus, defecit. Continuò igitur Rex in deſertores ſuos profectus, caſtella patrui ſui Odonis Epiſcopi *Tunbrugge* & *Pevenſel* confregit, & ipſo Epiſcopo in poſteriori intercepto vinculis mancipavit, & ad caſtrum Roſenſe illum ducentes regii milites, ab incluſis ingreſſum requirunt. Addunt etiam hoc Dominum ſuum velle, hoc Regem abſentem jubere. Erat autem tunc in caſtro illo tota fere juventutis Angliæ & Normanniæ nobilitas, tres ſcilicet filii Comitis *Rogeri*, & *Euſtachius* Comes *Bononiæ* junior, cum aliis multis quos nominatim prætermitto. Incluſi vero extra de muro proſpicientes vultum Epiſcopi cum militum verbis, non convenire conjectant unde ocius appertis valvis exeuntes, omnes cum Epiſcopo milites regios in caſtellum vinctos reducunt. Sed rumor facti ad Regem cito prolabitur, qui iram intra conſcientiam revolvens, ſtipendiarios ſuos Anglos congregat; jubet ut compatriotæ ad obſidionem veniant, niſi velint ſub nomine *Nithing*, quod Latinè nequam ſonat, remanere. Angli ſiquidem, qui nihil miſerius æſtimant, quàm hujuſmodi dedecore vocabuli notari, catervatim ad Regem confluunt invincibilem exercitum cogentes: nec incluſi diutinam obſidionem ferre prævalentes, caſtellum Regi reddiderunt. Odo igitur Epiſcopus ſecundo captus, *Angliam* perpetuò abjuravit: Epiſcopum Dunelmenſem Rex, prætentæ amicitiæ verecundiâ ductus, liberum abire permiſit, qui mox ad *Normanniam* transfretavit; cæteris omnibus in fide receptis. Denique, inter has obſidionis moras, miniſtri Regis mare cuſtodientes, quoſdam quos Dux *Robertus* in auxilium proditorum miſerat, Schiſmaticorum partim cæde & partim naufragio oppreſſerunt: quorum quidem fugam meditantes vento deſtituuntur, & ſic ludibrio Anglis ſibique exitio extiterunt; nam ne vivi caperentur, ultro ſeſe fluctibus ſubmerſerunt.

l.19. (dummodo notam proditionis non incurrant) *C* tantummodo videant ne periclitetur judicium proditoris *W* judicium genitoris.

l.20. Idem autem illis eventurum, quod ſibi ſi ſecus quàm ratio poſtulaverit, ſecum agant, *C,W* quod ſi de ſe judicaverit contemnendum, exemplum caveant de ſeipſis.

l.33. ſuos Anglos congregat, & abſque mora ut ad obſidionem veniant, jube, *C,W* Anglos congregat, jubet ut compatriotæ ad obſidionem veniant.

l.38. prætentæ amicitiæ *C,W* præteritæ.

l.42. fugam meditantes, ne viri caperentur ultro ſe fluctibus ſubmerſerunt, *C,W* meditantes, vento deſtituuntur; & ſic ludibrio Angli ſibique exitio extiterunt. Nam ne vivi, &c.

l.46. hujus temporibus Alemannicus *B* hujus temporibus Papæ Alemannicus.

l.53. quia miniſtri nec *B deeſt* miniſtri.

ibid. quamvis autem cum miniſtris *ad* non evaſit, *B* Tandem à ſervientibus longius ad pelagum delatus, & in eum navi devectus, murium ſic violentiam non evaſit.

l.56. ut *B* &.

l.60. Obiit *Lanfrancus* Cant. Arch. *addit* C nono Calendas Aprilis

l.62. interciderant, reſtauravit *B* deciderant, reformavit.

l.64. Xenotrophia *C,W* Procotrophia *B* Protrophia.

P.13 l.2. Quem *B* Quod.

l.5. ad priſtinum ſtatum *O deeſt* priſtinum.

l.10. inſtar firmarum laicis commendabat *B* ad firmam laicis commendabat.

ibid. poſt commendabat *addit* C Eodem anno Monachi de *Bermundeſheie* venerunt in *Angliam*.

l.18. nomine Regis *B* vice Regis. *Sic & mox* nomine Ducis *B* vice Ducis.

l.19. *Robertus* autem Dux poſt longas moras in *Anglia*, *B Robertus* autem Dux cum Rege fratre diutinas nectens moras.

l.29. permanſit *B* receſſit.

l.30, &c. ecce ego & *B* ecce inquit ego &.

l.32. ſubſidium ferat *O* ſuffragium.

l.33. ſociis *B* complicibus.

ibid ſi me occidere ſtat animus, quando rectius, *B* ſi enim me occidendum putas, quando melius.

P.14 l.1. quæ primo *B* quod primum.

l.4. ſalute *B* ereptione

l.5. Cellario ſive promo, *à C,W, & B deeſt* ſive promo, *& pro* Cellario *B habet* Celarario, *& ſic deinceps*.

l.6 ad tantarum &c. *B* ad expenſas adeo profuſas.

l.7. mortuos illud, *&c. ad* ſuſtentari, *B* ut mortui illud conſumant, unde vivos, *&c.*

l.11. Cellarius autem *B* At Cellarius.

l.12. Reprehenſo primo *ad* vultu ſevero. *B* Increpatus ergo & graviter flagellis afflictus, audivit Abbatem dicere comminando.

l.15 tranſegerit *B* conſumpſerit.

l.16. Poſtmodum *ad* morieris *B* Vade inquit Abbas, quia citò morieris.

l.20. Rex *Willielmus &c. ad* tempore, *B* Rex *Will.* junior, apud *Glov.* decumbebat ægrotus quadrageſimali tempore infirmatus.

l.21. Promiſit itaque *ad* effecturum, *B* Promiſit Rex præ timore mortis & ægritudinis punctionibus, ſeſe pravas leges emend. & in domo Domini pacem poſiturum.

l.24. poſtquam ſanitati reſtitutus fuit *B* ex quo ſanus effectus eſt.

l.26. præcipuè ob id *ad* ſuam Dioceſim, *B* præcipuè eò quòd *Tho. Ebor.* Arch. conquæſtus eſt contra *Robertum* Epiſcopum, quòd urbs Lincolnienſis, & provincia *Lindiſſæ* tota, ſpectare ad ſuam Dioceſim debuiſſent.

l.29. ſed hoc primo Regi *B* ſed hoc Regi.

l.31, &c. veniens cum filio ſuo *ad* interfectus, *B* veniens interceptus eſt, & ſubitò interfectus, & pariter cum eo filius ejus, & hæres ſi ſupervixiſſet.

ibid. poſt ſi ſupervixiſſet *C addit* à *Roberto* Comite Northampton.

l.32. *Margarita* incredibili, *&c. ad* & precibus, *B Margarita* duplici contritione corporis ſcilicet & animæ, contrita eſt uſque ad mortem. Pergens enim ad Eccleſiam confeſſionem & communionem ſuſcepit, & precibus.

l.35. Dunecamnus *C* Dunecannus *W* Dunecanus.

l.40. reſtauravit civitatem Cardolii *B* reædificavit civit. Cardollii *C* Carlolii *R* Carleoli.

l.41. devaſtatione *B* perſecutione.

l.42. colonos *B* habitatores.

ibid.&c. quanta poſt hominum, *&c.* quantam nemo meminerat antea accidiſſe.

l.44. tranſmeabilia eſſent *B* permeabilia viderentur.

*l.*48. internecio & ſtrages *B* mortalitas.
*l.*49. incuſatus *O* provocatus.
*l.*50. præſtiterat *B* fecerat.
ibid. trajecit *B* transfretavit.
ibid. qui utriuſque *ad* Rex verò eos, *B* juratores utrorumque culpam totam in Regem refuderunt. Rex quoque eos.
*l.*52. Argentonum *O* Argentomi.
*l.*54. & deinde Hulmenſe caſtellum *B* & Hulmenſe caſtellum conſequenter.
ibid. interim conſcribi *ad* Hi autem cum, *B* interim ſummoneri fecit viginti millia peditum de regno Anglorum, ut in Normannia conveniant. Qui cum.
*l.*59. cum ſuis copiis *deſunt à B.*
*l.*61. exactione *B* redemptione.
*l.*63. correptus, ex qua ibidem lecto decumbebat, *B* infirmatur. Qui ibidem lecto decumbens.
*P.*15.*l.*1. inter quos *Thomas, &c.* erat, *B* quibus intererat *Thomas.*
*l.*3. Walkelinus *C W* Walkelmus.
*l.*8. vobis eſt *B* veſtræ fraternitati eſt.
ibid elapſum *B deeſt.*
*l.*7. paſtore caruerit *B* ſit paſtore viduata.
*l.*10. Quibus verbis *ad* immutato, *B* Quod verbum cùm fuiſſet auditum, ratione eſſe ſubnixum eſt intellectum, tunc mutato.
*l.*12. ceſſavit *B* quievit.
*l.*13. codex *B* textus.
*l.*20. baculum & annulum Papæ reſignavit *B* baculum Papæ reſignans & annulum.
*l.*21.&c. Quibus iterato *ad* domum. *B* veruntamen clementiſſimæ, *&c.* iterum recipere meruit reſignata. Qui domum.
*l.*24. ut eam depredationibus, &c. *B* in eam loco ſuo diutiùs vexationibus impugnaret.
*l.*25. ſuperbia, &c. *B* in ſuperbiam elatus pro eo quòd.
*l.*27. potentiſſimos, &c. *B* omnes potentiores de familia, &c. mancipavit.
*l.*31. Malvoiſin *C,W* Malveiſin.
ibid. In quo, parte, &c. *B* In quo, partem exercitûs ſui relinquens Rex inde receſſit.
*l.*34. & Windleſheræ *B* & apud Windleſoram.
*l.*35. accepti ſunt *B* tractati ſunt.
ibid. Willielmus de Auco *B* de Anco.
*l.*36. Eodem anno Rex Willielmus in Walliam *ad* quòd non poterant numerari, *B ſic,* Eodem anno impiger Rex Willielmus in Walliam exercitum duxit, eò quòd anno præterito idem Wallienſes multos Normannorum occiderant, & procerum confregerant firmitates, caſtellum de monte *Gomerii* proſtraverant, & habitantes in eo necaverant, igne & ferro finitimos conterentes. Rex igitur Willielmus omnes fines Walliæ hoſtiliter perluſtrans, cùm in montium diverticulis & ſylvarum denſitatibus ipſos perſequi non valeret, parum proficiens, firmatis in confinio caſtris, ad propria remeavit. Eodem tempore ſtellæ de cœlo cadere viſæ ſunt adeò ſpiſsè quòd non poterant numerari.
*l.*47. vehementer *B* inſtantiùs.
*l.*48,&c. promotioni ſuæ *B* in promotione ſua promptum præbuiſſet aſſenſum.
*l.*49. nihil intereſſe ducens *B* pro indifferenti habens.
*l.*50. pœnâ dignum *B* pœnâ feriendum.
ibid. Cùm autem, &c. (niſi. *B* ſed quia ſaccos Regis (ni.
*l.*52,&c. animæ incurrere *B* inire.
*l.*53. juxta præſcriptum *B* juxta morem.
*l.*57. Dicebat, &c. *B* Dixit enim Imperator ſuum eſſe.
*l.*59 eandem rationem *B* à ſimili.
ibid curiæ Romanæ, &c. *B* ad curiam Romanam vel ad Papam haberent reſpectum.
*l.*61. à Rege ut læſæ, &c. *B* à Rege tractus in cauſam arguitur ut læſæ Majeſtatis reus.
*l.*62. Huic accuſationi, &c. *ad* adjiciebant, *B* ſteterunt ex adverſo Epiſcopi quidam, debitam Archiepiſcopo obedientiam ſubtrahentes, & omnes præter *Gundulphum Roffenſem* Epiſcopum Regis veſaniæ conſentientes.
*l.*65. pacem cum Rege, &c. *B* ad pacem Regis illum poſſe redire.
*P.*16.*l.*7. tranquillitate poſſe, &c. *O* poterat proſpicere.
ibid. donatione *B* donatione *W* dominatione, *rectè.*
ibid ſin ſecus ei, &c. *ad* futuram, *B* ſin autem poterat transfretare, ſed inconſultè, & recedere ſine ſpe revertendi.
*l.*14. perturbati animi *B* confuſionis.
*l.*20. Coactio *B* Habito.
*l.*27. pietas. & vitæ exigit ſanctitas, *B* religioſitas & religioſa exigit ſanctitas.
ibid. in hoc mundo *B* in ſeculo.
*l.*28. legentium uſum *B* legentium ædificationem.
*l.*29. Deo gratus *B* Deo ſatis amabilis.
*l.*30. in literis *ad* verſatus erat, *B* in nobili monaſterio quod *Burgum* nuncupatur, literis & Eccleſiaſticis diſciplinis ad plenum exſtitit eruditus.
*l.*33. in ſanctæ profeſſionis *ad* gauderent, *B* ſub ſanctæ converſationis habitu vitam conſummare gaudebant.
*l.*35. monachili habitu, &c. *B* monachalem habitum ſuſcepit.
*l.*37. eſt indutus *deſunt à B.*
ibid. pietate *B* religioſitate.
*l.*39. ſubitò ſuſpiciendus *B* ſubitò admirandus.
*l.*41. dedidit vitæ *B* impulit vitæ.
ibid die noctéque orationibus, bidui, &c. *O* die noctéque orationi & divinæ lectioni inſiſtens, bidui, &c.
*l.*43. adeo *B* in tantum.
*l.*45. periculum præſens imminere videbatur *B* periculum incurreret
*l.*47. autem *B* aut.
ibid. membra reponebat *B* ad ſoporem membra dabat.
*l.*48. Tandem poſt *B* Tandem namque aliquanto tempore elapſo poſt.
*l.*49. Quo officio, *&c.* *B* Quod officium piè & laudabiliter implens.
*l.*50. vitæ *B* converſationis.
*l.*51. eam variis, &c. eam multipliciter ampliavit.
ibid. Proceſſu autem, &c. *ad* eligitur, *B ſic,* Proceſſu quoque temporis electo ad Archiepiſcopatum Eboracenſem *Alredo,* ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, ſit unanimis conſenſus tam Cleri quàm totius Plebis in ejus electione, Rege inſuper annuente, ut quem vellent ſibi eligerent præſulem, & animarum paſtorem.
*l.*57. periculum capitis, &c. *B* decollationi ſuccumbere velle.
*l.*58. *ab* à pluribus piis viris *ad* potuiſſet, *B* à pluribus viris religioſis & venerabilibus perſonis, quia his conventus ad conſenſum perſuaderi non potuiſſet.
*l.*61. reprehenſus *B* imprecatus.
*l.*62. animi *B* cordis.
*l.*63. beatæ matris Dei *B* beatæ martiris Dei.
P.17.*l.*2. Ulſtanus *deeſt in B.*
*l.*7. proſcripſit *B* proſcripſiſſet.
*l.*9. agere conſtituens *B* tractare diſponens.
*l.*10. Synodum coegit *B* fecit, &c. Synodum congregatis
*l.*12. cumque *deeſt à B.*
*l.*13 eſſet *deeſt à B.*
*l.*16. At *Ulſtanus, B* at vir Domini *Wlſtanus.*
ibid. nec vultu nec animo mutatus, virgam, *B* nec vultu mutatus nec animo erexit ſe & virgam.
*l.*18. par *B* ſufficiens.
ibid. ſed non æquum eſt ut tu, &c. *B* ſed tamen quî virgam paſtoralem exigas quam non tradidiſti?
*l.*20. Rectiùs verò me, *&c.* *B* quia juſtiùs.
*l.*28. me arrogantiæ & confidentiæ *B* me præſumptionis.
*l.*33. Quid plura? *B* Quid ergo?
*l.*34. ſilici impreſſam, &c. *O* ſilici immerſam, quæ quaſi in marmore radicata.
*l.*38. dictis *deeſt à B.*
*l.*47. operatur, ſapientiæ, *&c.* *B* operatur, quam ſapientiæ ſeculares quibus, &c.
*l.*50 &c. Jam Domine, &c. *B* Ecce ego Domine mi Rex, qui me tuo commiſi judicio, &c.
*l.*54. tentat *B* temptat.
*l.*55. proſtrati veniam, &c. *B* proſtrati & *Wlſtanum* quærunt.
*l.*57. benedictionem *B* ſe benedici.
*l.*58. amore, &c. inflammatus, *B* in amorem, &c. ſuccenſus.
*l.*60. Alio autem, &c. *B* Alia autem vice vir Domini *Wlſtanus,* &c.
ibid coactio *B* habito.
*l.*61. reſtitui, &c. inſtanter repetiit.
*l.*63. commigrat *B* transfertur.
*l.*64. ſuper hoc *B* inde.
ibid. pronunciatum eſt *B* adjudicatum eſt,
*l.*65. in eodem ſtatu, &c. *ad* haberet, *B ſic,* remaneret quouſque in Eboracenſis Eccleſia conſtitueretur, qui loqueretur pro ea.
*P.*18.*l.*4. allegationibus falſis *B* argumentationibus falſitate ſtipatis.
*l.*6. refutatis, &c. *ad* evidentiſſima *Vlſtanus. B* adnihilatis & contritis, & ſcriptis evidentiſſimis caſſatis, vir Dei *Vlſtanus.*
*l.*8. ſed & Eccleſiæ ſuæ, &c. *ad* conceſſerant. *B ſic,* ſed & Eccleſiam ſuam Rege concedente eam libertatem, liberam ſuſcepit qua fundatores illius Rex *Alfredus,* & filius ejus *Edwardus,* ipſam liberam fecerunt, & ſucceſſores eorum.
*l.*12. piis *B* religioſis.
*l.*15. decimo tertio Cal. *Febr.* *O* decimo quarto.
*l.*16. mortis *B* tranſitus.
*l.*39,&c. induciæ *B* trugæ.
*l.*40. apprehenderit *B* ceperit.
*l.*59. Deus terram, &c. *B* cùm ideo Deus mundum creaſſet in tribus jam partibus, id eſt, *Aſiam* & *Europam* diſtinctam.
*l.*62. ſed heu (ut paucis dicam) cum temporis decurſu, *B* in brevi temporis decurſu.

*l.*64,&c.

l.64,&c. deſcivit, ut inter homines non inveniretur, &c. *B* deſcivit inter homines vix eſſet inventus qui faceret bonum.

*P.*19.*l.*1. qui nec citra pudorem *B* & *C* ita quidem ut jam in pudorem.

*l.*6. non immeritò, par eſſe æſtimata eſt, *B* exſtat non immerito æſtimata.

*l.*8. ſceleſtis *B* nefandis.

ibid. Præterea *B* Illi proh dolor.

*l.*14. incurſitant *B* inequitant.

ibid. Gregorii *B* & *W* Georgii, *rectè.*

*l.*18,&c. memorandam *B* memorabilem.

l. 9. in teſtimonium fidei *O* inteſtinæ fidei.

*l.*25. Dei maximè *O* Dei miſericordia.

*l.*32. ſtrenui *B* prædicabiles.

*l.*42,&c. conſenſu mutuo, &c. *B* conſenſum mutuo clamore proteſtantur (faventes ſermocinationi) & peregrinationem.

*l.*48. diſperſa per orbem *B* perluſtrans orbem.

*l.*49. ultimis *B* penultimis.

*l.*55. Hamancorum *B*,*C* Hammancorum *W* Amancorum, *poſtea ſcilicet p.*22.*l.*62. Hammacorum.

ibid. &c. Podienſis *C* & *W* Dienſis *B* Codienſis.

*l.*60. *poſt* Bleſenſis *addit C* de Anglia omnes ferè illi qui de Bello Campo cognomen retinent; & alii præclari, quos prælongum eſt commendare: hi omnes, &c. *quæ tamen deſunt à B & W.*

*l.*64. Inflammabat animos, &c. Animabat præterea non mediocriter hanc Chriſti militiam, ad.

*P.*20.*l.*11. commotus *B* compatiens.

*l.*13. animarum, &c. *B* animæ meæ (auctore Deo.)

*l.*14. immenſitati ſuccurrere *O* immenſitatem proteſtari.

*l.*15. habitis *B* impenſis.

*l.*18. ad fontem cum *O* ad fontem miſericordiæ.

*l.*23. Experrectus *Petrus*, & viſione inflammatus, *B* Expergefactus *Petrus* & de viſione confortatus.

*l.*29,&c. ſuam operam ei rei, &c. *B* ſe fidelem cooperatorem facturum congruo tempore repromiſit.

*l.*30. diligentia *B* inſtantia.

*l.*33. conditionis *B* manus.

*l.*40. Quibus ſuperatis, cum ad, *B* Quo tranſito &.

*l.*42. quidam ſuorum ſociorum *B* ubi quidam de comitatu ejus.

*l.*50,&c. à ſociis ſejunctos *B* à præcedentium comitatu ſeparatos.

*l.*53,&c. [illegible]bi & ſuis *B* plebi Dei.

*l.*54. in conſpectum *B* ad præſentiam.

*P.*21.*l.*4. tranſiſſet *B* præteriſſet.

*l.*9. & ipſe cum *B* & ipſe prævius cum.

*l.*12. equo invectum *B* equo raptum.

*l.*15. civitatis, retulerunt, &c. *B* civitatis cognoverunt, qui miſſi fuerant, juſtà indignatione ſeditionem fuiſſe factam, ſed quorundam.

*l.*17. proruerant *B* proruperant.

*l.*18. prælium *B* bellum.

*l.*35. decreverunt *B* adjecerunt.

*l.*43. omnéſque quos in eo, &c. *B* omnibus quos intus repetit, gladio interemptis.

*l.*49. noſtri tandem oppreſſi *B* & ipſis tandem oppreſſis.

*l.*63. Cúmque eos *ad* defenderent, *B* Cúmque in eo à *Solymanno* fuiſſent obſeſſi, ſeſe viriliter defendentes.

*l.*65. ut miſſo illuc *ad* reduceret, *B* ut miſſa illuc militia reliquias populi faciat liberari.

*P.*22.*l.*3. obſtrictus *deeſt à B.*

*l.*9. unde Rex ira *B* unde Rex terræ ira.

*l.*22. confidentes *B* præſumentes.

*l.*23. ut armis *ad* incurrerunt, *B* ut cum armis & ſubſtantia eorum tota in Regis potentia ſe traderent. & ſic ſatisfacerent conquerenti. Quod cùm factum fuiſſet, dum miſericordiam expectant, mortem incurrunt.

*l.*28. quos ſollicite, &c. *B* ſollicitè admonendo, ut prædicti populi, &c. malitiam prudentiùs incedant, & cautiùs iter expediant.

*l.*33. furiis incitati *B* ſe ad inſanias convertentes.

*l.*34. quærentes *B* impetentes.

*l.*36. author *B* incentor.

ibid. ſuperata *B* tranſcurſa.

*l.*40. admiſſi *deeſt à B, & poſt* inciperent *lin. prox. B addit* introducti.

*l.*44. in bona regia *B* in rebus ejus.

*l.*45. militibus *B* militia.

*l.*47. incolumes remanebant *B* ſalvabantur.

ibid. accingunt ſe etiam *B* adiceunt etiam.

*l.*49. Deinde pontibus *ad* introitus, *B ſic*, Deinde pontes quos conſtruxerant menibus applicant, & per eorum inſtantiam ad id perventum eſt, ut jam pateret introitus peregrinis.

*l.*60. infortunatum *B* miſerabilem.

ibid. itineris *B* viæ conſortibus.

*l.*64. cum *Godefrido* fratre ſuo *B Godefridus* frater ejus.

ibid. vel Conanus *deeſt à C & W, B habet.*

*P.*23.*l.*4. divitem attigerunt. Cúmque ibi cognoviſſet, *B* copioſam attigerunt. Ubi cognito.

*l.*7. Erat autem *Hugo*, *B* Prædictus enim *Hugo* vir illuſtris, quaſi inter primos.

*l.*10. Quem Præſes, &c. *ad* In carcere, *B ſic*, Ubi à Præſide regionis vinctus, & Imperatori *traditus*, tanquam prædo & homicidii reus tenebatur in carcere.

*l.*21. Nicofordi *C* Nicofrodi *W* Nicofori *B* Nichofordi.

*l.*27. advenerant *B* aſſunt.

*l.*37. Aderant autem ei *B* Adhæſerant nam ei.

*l.*37. Richardus, *ita B & W*, *C verò* Radulphus.

*l.*41. Cognano *O* Cagnano.

*l.*42. quicunque *Thyrreno*, &c. *B* quicunque à *Tyrreno* mari in *Adriaticum* uſque ſinum converſabantur.

*l.*55. Longobardiam *B* Lumbardiam.

*l.*58. & penetratis *B* tranſcurſiſque.

*P.*24.*l.*5. petitiore *B* inſtantia.

*l.*7. Cùm autem ipſum Imperator, &c. *B ſic*, A quo cum omni reverentia ſuſceptus, cum multa inſtantia exortatus ut Imperatori.

*l.*10. in legione, &c. *B* in legionibus Comitis irruentes, uſque ad mortem perſequi attemptarent.

*l.*11. præfecti *B* prærogati.

*l.*12. caſtra *B* expeditiones.

*l.*18. controverſiam, &c. *B* ad exhortationem eorum Comes & Imperator reconciliantur.

*l.*22. ſtatim reſervatis *B* incontinenti ſalvis.

*l.*33. Bothrodus *C & W* Rothrodus.

*l.*48. venientibus *B* reliquis.

*l.*55. Nicæam obſidentibus *B* obſidionem agentibus.

ibid. poſt conjunxit *addit C* Nonis *Aprilis* apud *Finchameſtude* in *Bercſire*, quoddam ſtagnum fluxit ſanguine. *Quod tamen W non habet nec B.*

*l.*57. itineris ſociis *B* viæ conſortibus.

*l.*58. ſarcire *B* redire.

*l.*61. unde & majorem, &c. aurum, &c. *B* & inde in ampliorem recepti gratiam, in auro, &c.

*l.*65. trajectóque *B* tranſitóque.

*P.*25.*l.*2. reſervatum *B* deputatum.

*l.*5. propoſitum *B* primitias.

*l.*10. has bello obtinuerant, &c. *B* has occupaverant regiones & eaſdem huic, &c.

*l.*16. moleſtiis *B* inquietudine.

*l.*17. miſit *B* direxit.

*l.*18. injuncta *B* impoſita.

*l.*20. in carcerem detrudentes *B* in arcto ponentes.

*l.*21. Solymannus *O* Soldanus.

ibid. ſequenti die veniret *B* in craſtino venturus erat.

*l.*22. ſtatuto die *B* in craſtino.

*l.*25. Quibus invadentibus, &c. *ad* ſed *Solymannus*, *B ſic*, A quibus accepti & conatibus mirabiliter confractis, & aciebus diſſolutis jam *erant in fugam verſi, cùm ecce Solymannus.*

*l.*31. captis, in fugam reliquos, *B* captivatos, in fugam eos.

*l.*37. cincta eſt militibus ſtrenuis, ita, &c. *B vallata eſt, ita.*

ibid. milites præclariores *B militiam tam præclaram.*

*l.*38. obſeſſorum *B* incluſorum.

*l.*39. ex iis mille capita machinis, &c. *uſque ad* miſerunt, *B* & machinis immenſis in urbem projecerunt mille capita, cum quibuſdam captivis ad Imperatorem dirigentes.

*l.*48. priùs *deeſt à B.*

*l.*57. commeatum *B* victualia.

*l.*59. media *B* argumenta.

*l.*60. adimplerunt *B* ſuſtentantes.

*P.*26.*l.*1. deſperatione concepta *B* in deſperationem verſi.

*l.*8. obſeſſis *B* incluſis.

*l.*9. congeſta *B* augmentata.

*l.*10. dederunt *B* reſignaverunt.

*l.*11,&c. ſecundùm initas, &c. *B* juxta quod fuerat Imperatori conceſſum.

*l.*14. mittentes, adhortati ſunt magnoperè, *B* dirigentes adhortati ſunt inſtantiùs.

*l.*27. Gorgoni *B* Georgii.

*l.*28. dextram verſus, &c. *ad* produxerunt, *B* dextram tenentes, &c. dietam compleverunt.

*l.*29 &c. ſequenti die *B* in craſtino.

*l.*32. Turcos captivos *C*,*W* currus Turcis.

*l.*34. magnopere *B* attentivè.

*l.*35. prælium *B* bellum.

*l.*44. Ceciderunt *B* Cæſi ſunt.

*l.*51. ſupervenit *deeſt à B.*

ibid. inimicorum *B* perverſorum.

*l.*53. verebantur *B* expaveſcunt.

ibid. terga dare coegerunt *B* præſidium fugæ capeſſunt.

*l.*54. diligentia *B* inſtantia.

*l.*57. *poſt* victualibus *B addit* infinitam copiam.

*P.*27.*l.*1. fixis *B* poſitis.

*l.*3. Dehinc quoque turmas, *&c. uſque ad* Turmæ à caſtris, *B ſic*, Ex hinc quoque turmas ſuas dividentes diſperſi ſunt per provincias, quo poſſent ad principes earum perferre notitiam. Qui à caſtris.

*l.*11. Anaharzan *C & W* Anavarzan.

*l.*15, *&c.* de Ruſſillo *B* de Ruſſillum, *& alibi.*

*l.*17. Mauniſtram *B* Manniſtram *C & W* Mamiſtram.

*l.*26. accedens *B* adveniens.

*l.*34. occiderunt *B* necaverunt.

*l.*40. audientes validiſſimum eſſe *B* audierunt fortiſſimum eſſe.

*l.*41. priùs explorarent *B* prætemptarent.

*l.*43. validiſſimas *B* fortiſſimas.

*l.*44. collocati *B* deputati.

*l.*46. impedire *B* negare.

*l.*48. ibidem cum ipſis certamen init, quod *B* fit ibidem conflictus aſperrimus, qui.

*l.*52. trajecto *B* tranſlato.

*l.*53. caſtra fixerunt *B* locaverunt.

*l.*57. Judæ ad *B* Judæ ante.

*l.*58. ductus oculis, *&c. B* ductus eſt & oculis privatus.

ibid. Cœloſyria *B* Syriaceles.

*l.*61. ex familia magni *B* qui de familia fuerat magni.

*P.*28 *l.*4. confidebat *B* continuaverunt obſidionem.

*l.*5, *&c.* conſedit Dux *B* ſederunt aliis copulati Dux.

*l.*10. *poſt* incuſſerunt *R addit* irrogabant, *rectè.*

*l.*11. in inſidiis *O* in inſidiis civium.

ibid. in altum Baliſtinarios *R* & altum Baliſtarios, *rectè.*

*l.*15. Flandrenſis, & Robertus *B deeſt* &.

*l.*18. à paucis *B* cum paucis.

*l.*23. inimicos *B* emergentes.

*l.*34. Hoc quo tempore *B* Hoc quocunque tempore.

*l.*48. regionibus *B* nationibus.

*l.*50. volebat *B* volvebat.

*l.*51. hos exploratores *B* hujuſmodi exploratoribus.

*l.*53. luem *B* mortalitatem.

*l.*56. primam, *&c.* veſperam *B* primum, *&c.* crepuſculum.

*l.*60. dicere *B* dicerent.

*l.*61. exploratores caperentur *B* ab eorum exploratoribus caperentur *R* aut exploratoribus eorum, *rectè.*

*P.*29. *l.*1. quòd *B* quoniam.

*l.*5. Perveniens ergo rumor iſte *B* Exiit ergo ſermo iſte.

*l.*9. Attulit præterea *B* Surrexit præterea in exercitu ingens lætitia de convaleſcentia.

*l.*11. animi recreationis gratiâ *B* conſtitutus ob gratiam recreationis.

*l.*14. indicabat *B* teſtatur.

ibid. clamantem, & rapido *ad* peregrino, *B* clamantem, conſpiciens & rapido curſu fugientem, compatitur peregrino.

*l.*15. & velociter *ad* feſtinat *B* & velociter irruit educto gladio, ut opem ferat patienti.

*l.*24. complectente *B* complexus.

*l.*30. Chirurgorum ſollicitudini, *&c. B* ſub Chirurgicorum ſollicitudine illum deputarunt.

ibid. priſtinam *B* plenam.

*l.*42. quo tempore etiam *B* inter quos etiam.

*l.*43. ſemotos *B* poſitos.

*l.*47. Omnes autem, *&c. ad* irruerent, *B* Hi omnes habuerunt propoſitum, *&c.* irruere.

*l.*48. doli *B* inſidiæ.

*l.*49. noctis initio *B* crepuſculo.

*l.*50, *&c.* & cum ſilentio caſtris eduxerunt, & inter *B* & quaſi ſub ſilentio de caſtris egreſſi, inter.

*l.*52. in ſex acies *B* in ſex aciebus.

*l.*55. accidit *B* factum eſt.

ibid. cœlitùs *B* de ſuperius.

*l.*56. Appropinquantibus, *&c.* ſibi invicem *B* Procedentibus, *&c.* ad invicem.

*l.*58. recurrere *B* habere regreſſum.

*l.*59. cogunt *B* ſolidari compellunt.

ibid. Conſtringentibus quoque, *&c. ad* non habebant, *B* Comprimentibus quoque illos, hinc lacu, illinc fluvio, evagandi licentiam auferebant.

*l.*61. vires *B* inſtantiam.

*l.*64. multos ſuorum *B* eos ferè omnes.

*P.*30 *l.*6. hoſtium *B* eorum.

*l.*12. Januenſium *B* Jannenſium.

*l.*18. incolumes *B* ſub ſalvo.

*l.*20. proceſſerunt *O* præceperunt.

*l.*27. *&c.* per hoſtium inſidias *B* hoſtium in via perpeſſi inſidias.

*l.*63. *poſt* præerant *O addunt* & equis.

*P.*31 *l.*4. Sultanus *B, C* Soldanus *W* Solidanus.

*l.*15. ſervis ſuis, deficientibus aliis mediis, ſubvenire, nec *B* ſervorum ſuorum, deficientibus argumentis, ſubvenire procius nec.

*l.*16. ut in urbe Antiochena contigit, quòd vir *B* Erat enim ut in urbe Antiochena inter alios vir.

*l.*19. *poſt* fungeretur *addunt O* hic autem quoniam.

*l.*23. hinc inde miſſorum ad ſuſpicionem *B* alterutræ partis aliquod poſſent colligere argumentum.

*l.*27. lator *B* bajulus.

*l.*29. Chriſtianum *B* Dei cultorem.

*l.*32. ſocios *B* conſortes.

*l.*33, *&c.* tuam facere *B* appropriare.

ibid. poſſis *B* voluiſſes.

*l.*43. traderetur *B* deſcenderet.

*l.*44. id perfici valeat *B* id effectui valeat mancipari.

*l.*47. perpetuò *B* perpetualiter.

*l.*49. ad idem præſtandum facere *B* ad ipſum facere *R* peritus id ipſum facere.

*l.*56. tradatur *B* mancipetur.

*l.*60. Boamundus *deeſt à B.*

*l.*62. Cùm autem nuncius ille ei *B* Adveniens autem nuncius ille cùm ei.

*l.*63, *&c.* Emyſer *deeſt à B.*

*l.*64. lucernis *B* lanternis *C & W* laternis.

ibid. ſomnolentos exploraturus *B* ſomnolentos pertranſiret *R* exploraturus pertranſiret, *rectè.*

*P.*32. *l.*9. verentes *B* metuentes.

*l.*11. occiderat *B* necaverat.

*l.*17. cuſtodibus *deeſt à C, ſed in W & B reperitur.*

*l.*18. præ foribus *B* de foris.

*l.*19. Cùmque auroram percepiſſent *B* Cognoſcentes quia aurora perſpicue rutilaret.

*l.*25. incurrerunt *B* invenerunt.

*l.*34. Ipſo eodem anno Ciſtertienſe Cœnobium inceptum eſt *deſunt à W, inveniuntur tamen in B & C.*

*l.*40. Quidam verò civium nobiles *B* Alii verò quidam de civitate nobiles.

*l.*47. elapſi *B* evadentes.

*l.*54. illud *B* de municipio.

*l.*57. adventare *B* adveniſſe.

*l.*59. caſtellum, *&c.* tradidit *B* municipium ſub poteſtate tradidit deſunſoris.

*P.*33. *l.*2. conſociis *B* conſortibus.

*l.*4. emerſerunt alii *B* conſurgentibus aliis.

*l.*21. armis inſtantes ad vindictam excitarent; quamobrem *B* acriùs inſtantes ad vindictam alios, *&c.* At.

*l.*27. multos *O* ſex.

*l.*28. deſperantes *B* deſperati.

*l.*43. patiebantur *B* pavebant.

*l.*47. proficiſcentem *ad* diſſuaſerunt *B* proficiſcens noſtris ſubſidium collaturus, diſſuaſerunt.

*l.*53. plurimum *B* in tantum.

*l.*55. corrigi non poſſe *B* proſperari non poſſe.

*l.*63. dimiſſis *B* licentiatis.

*l.*64. ſpem & lætitiam, *&c. B* ſpes & lætitia crevit Paganis, & deſperatio Chriſtianis.

*P.*34. *l.*4. & ampliſſimorum, *&c.* patrimoniorum quaſi *B* ampliſſima quæ ob, *&c.* patrimonia mente recolunt, quaſi.

*l.*6. quaſi alienum *B* quaſi à Deo alienum.

*l.*18. cecidi inquiens *B* cecidi & adjeci.

*l.*31. liberare nititur *B* liberavit.

*l.*39. cùm dixiſſet *B* ſacerdos cùm dixiſſet.

*l.*44. judici *R* incliti, *rectè.*

*l.*61. inter ſe *B* cùm ſibi.

ibid. immiſſo divinitus fervore *B* immiſſum divinitus fervorem, *rectè.*

ibid. inter ſe convenerunt immiſſo, *&c. R* cùm ſibi cognoviſſent immiſſum divinitus fervorem, *rectè.*

*P.*35. *l.*1. & ſanguinis perc. *deeſt ab R.*

*l.*12. Conis *O* Cononis.

*l.*17. Drogo de Monti *B* Drogo de Monci.

ibid. Coſanus de Brito *C & W* Conanus Brito.

*l.*22. reliquerunt *B* dimiſerunt.

*l.*23. indebiles *B* ſuper debiles, *rectè.*

*l.*34. Regis *B* Reges, *rectè.*

*l.*38, *&c.* his omnibus, *&c.* animatis *B* hos omnes, *&c.* animans.

*l.*42. ſubſequi *B* obſequi.

*l.*54, *&c.* ſuſtinere valuiſſet, *&c. ad* advolâſſent *B* ſuſtineret, dux *Godefridus*, & cum eo *Tancredus* advolant.

*l.*60. quo *B* unde.

*P.*36. *l.*2. fatigati *B* fatiſcentes.

*l.*16. novem *B* novos *rectè*, *R* recentes alternatim obiter mutuavit.

*l.*28. dependebant *B* deſluebant.

*l.*37. in priſtina *R* in ſede priſtina.

ibid. reſtituerunt *B* locaverunt.

*l.*48. Farſar *C & W* Pharphar *B* Farfar.

*l.*50. caperetur *B* comprehenderent.

*l.*60. expedirent, *Reimundus*, *B* expedirent interea *Reimundus.*

*l.*64. tandem in fine *B* tandem *deeſt.*

*l.*65. fidelibus ſtragem intulerunt *B* ex fidelibus ſtragem dederunt.

*P.*37. *l.*6. Abbaram *C & W* Albaram.

*l.*7. Novembris *R* Novis.
*l.*14. ingreſſi, vacuam *B* ingreſſi, eam vacuam.
*l.*16. conferentes *B* offerentes.
*l.*17. & quibuſdam, *&c.* reliquos, *&c.* *B* & partim, *&c.* partim, *&c.*
*l.*22, *&c.* non abradens modò, ſed potius exc. *B* non abradens ſed excorians.
*l.*24. frater ſuus *Rob. Debeleaſmo*, *B* frater ejus.
*l.*27. inter *deeſt à B.*
*l.*28. non pertinet *B* non multum pertinet.
ibid. &c. tranſeamus. Populus itaque nimis, *&c.* *B* tranſeamus offendentes qualiter populus nimis, *&c.*
*l.*29. facerent *B* fecerunt.
*l.*30. excitarent *B* ſuſcitarent.
ibid. principali interim propoſito omnino neglecto *B* quibus principale propoſitum omnino neglectum videbatur.
*l.*32. trecentis & quinquaginta, *B deeſt* &.
*l.*33. equitibus *B* & equitibus.
*l.*35, a mari ſitæ Archis, nuncupatæ, deſcendentes, juxta eandem caſtra ſtatuerunt, *B* a mari ſita Archis nuncupata deſcenderunt, juxta eandem caſtra ſtatuentes.
*l.*36. Phœnicæ *B* Fenicis, *& ſic deinceps.*
*l.*39. ibi *B* ibique.
*l.*42. inventio eſſet ficta, *B deeſt* eſſet.
*l.*45. cui *B* cujus.
*l.*51. habebat *B* habuerit.
*l.*52. cum autem verbis *B* ſed quia verbis.
ibid. non auſus eſſet *B* non auſi ſunt.
*l.*53. & claſſem ejus totam Duci tradidit *B* & claſſem ejus totam Duci tradiderunt.
*l.*55. præficiens, alios *B* præficiens, cum alios.
*l.*58. cum caſtris *B* ubi caſtris.
*l.*59. obſediſſent qui urbi *B* obediſſent iis qui urbi, (*legendum credo*, obſediſſent, is qui urbi.)
ibid. Sultani *B* Soldani.
*l.*61. dirigens internuncios, dictam pecuniam pollicetur, ſi eam à ducis poſſet, *B* dirigens prædictam pecuniam pollicens per internuncios, ſi eam à ducis poſſet.
*l.*64. propterea quod hoſtium m. *B* ſignificans quod hoſtium m.
*P.*38. *l.*2. Hæc confirmabat omnibus, dicens ſe recipiſſe fide dignos nuncios, *B* Et ſuper his omnibus dicebat ſe recepiſſe nuncios fide dignos.
*l.*2. Dux & *B* Ille &.
ibid. obſidione, urbem *B* obſidione & urbem.
*l.*3. tranſeuntes & Maradleam *B* tranſeuntes Maracleam, *C* & *W* Maracleam.
*l.*4. relinquentes *O* ſiniſtrantes.
*l.*14. poſſit cum noſtris pari vi *B* potuit cum noſtris à pari.
*l.*17. Biblumque *B* Biblũmque.
*l.*19. percurſa *B* percuſſa.
*l.*21. deſerentes *B* deferentes.
*l.*22. Stratonis *B* Stracionis.
*l.*24. Inde ad ſagittæ jactum diſtantem Ateam *B* Inde per ſagittam ad Ateam.
*l.*25. diem Pentecoſtes *B* diem Pentecoſten.
*l.*27. Antipatride *B* Antipatrida.
*l.*28. Eleutheriam *B* Eleucheriam.
*l.*31, *&c.* Profecti inde Comes Flandrenſis & *Robertus Ramulam* perveniunt *B* Profectus inde Comes Flandrenſis *Robertus Ramulam* pervenit.
*l.*33. Nocte enim *B* Nocte ſanè.
*l.*41. abluta *B* abluti.
*l.*54. equites verò *B* equitum verò.
ibid. præter ſenes *B deeſt* præter.
*P.*39 *l.*1. montem, in quo *B* montem, & in quo.
*l.*7. Locatis *B* Vocatis.
*l.*11. Etſi *B* et ſi.
*l.*12. die illo *B* die illa.
*l.*13. quod per *B* cum per.
*l.*15. et ſubjecta *B* ex ſubjecta.
*l.*20. rivos & fontes ac puteos *B* rivos vel fontes aut puteos.
*l.*21, *&c.* haberet *B* habens.
*l.*22. intolerabiliter *O* ſiti intolerabili.
*l.*23. oppilaverant *B* opilaverant.
ibid. moleſtior *B* ineptior.
*l.*27. & latices *B* ut latices.
*l.*29. muli, aſini *B* muli & aſini
*l.*31. ad caſtra *B* ad obſidionem.
ibid. Janenſium *B* Januenſium.
*l.*33. mittitur *B* mittatur.
*l.*37. noſtrorum *B* ex eis.
*l.*38. reliquos in fugam *B* in fugam cæteros.
*l.*40. Alii autem qui apud *Joppen* erant incolumes evaſerunt *B* Alii autem apud *Joppen* incolumes pervenerunt.
*l.*41. cum gaudio *B* gaudenter.
*l.*44. perveniſſent *B* pervenerunt.
ibid. exercitus *B* de exercitu.
*l.*45, *&c.* Die verò ſtatuto *B* Et ſic die ſtatuto.

*l.*47. ut animas *B* aut animas.
*l.*49. ut ipſos Turcos *B* ut faciliùs Turcos.
ibid. reſiſtebant *B* rebellabant.
*l.*51. utebantur *B* retorquebant.
*l.*55. tribunculis *B* tribuculis.
*l.*65. obſeſſi *B* incluſi.
*P.*40. *l.*1. et oleo *B* ut oleo.
*l.*3. par *B* impar.
ibid. idem *deest ab R.*
*l.*6. ancipitem *B* anticipitem.
ibid. diremit *B* diremp ſit.
*l.*8. exivit populus *B* exitus eſt populus.
ibid. fuerant deputati *B* fuerat deputatus.
*l.*13. pice, aruina, adipe, ſtuppa *B* & pice à ruina & adipe ſtuppa.
*l.*20. arcubus magicis *B* artibus.
*l.*22. egreſſæ civitatem *C* & *W* quæ illarum fuerant egreſſum commutatæ *B* quæ illarum. *&c.* civitate, *malè.*
*l.*26. & caſtella machinas *B* caſtella & machinas.
*l.*38. quæ ſtante Borea accenſa *B* qui ſtante Borea accenſus *rectè.*
*l.*39. caliginoſum *O* calmoſum.
*l.*42. *poſt* clavatum *R addit* aptavit.
*l.*47. eos *deeſt à B.*
*l.*49. contulerunt *B* conferentes.
*l.*52. direxit *B* dirigens.
ibid. introducerent præ foribus *B* introducant de foris.
*l.*62. gladio *B* in ore gladii.
*l.*64. per corpora *B* ſuper corpora.
*P.*41 *l.*4. velociſſime *B* quantocius.
*l.*9. cum ingentibus copiis *B* cum ingenti copia.
*l.*18. vel primus *B* vel prius.
*l.*27. propria erat *B* propria eſt.
*l.*29. jucundiſſimum, fideles utriuſque ſexûs tanta, *&c.* *uſque ad* Deo agere *B* jucundiſſimum quantâ devotione fideles populi utriuſque, quantâ mentis, *&c.* ad loca ſancta accederent, quantas gratias Deo agerent.
*l.*33. una mira *O* una in arram.
ibid. & per coll. *B* quod per coll.
*l.*34. eat *B* ſit.
ibid. &c. ut per eam *B* & per eam.
*l.*39. in ſancta civitate a multis *deſunt hic à B, ſed poſt* obierat *ſequuntur.*
*l.*41. referrent *B* viderunt.
*l.*42. aſſerebant *B* aſſerentes.
*l.*43. *poſt* manifeſtiſſime *B addit* conſpexerunt.
*l.*48. eſſet jam *B* eſſet mortus.
*l.*50. Reges *B* Regna.
*l.*54. compluriium *deeſt à B.*
*l.*55. & aquarum, quarum in obſidione *B* ſed & aquarum, unde in obſidione.
*l.*58. plebs inferior *B plebs inferiorum.*
*P.*42. *l.*3. in ſedem Patriarchalem *B in* ſede Patriarch*ali.*
*l.*9. Sultanus *B* Soldanus.
*l.*16. inimicus univerſis *R* inimicis univerſiſque.
*l.*21. prius ad ſepulchrum *B* prius *bajulantes ad ſepulchrum.*
*l.*36. ex noſtris *B* noſtri.
*l.*38. undequaque *B* undecunque.
*l.*47. conſiderunt *B* conciderunt, *rectè.*
*l.*50. eminus *B* a longe.
ibid. pomum *R.* totum.
*l.*51. in eum *B* ſuper eum.
*l.*57. noſtræ prævaluit. Unde hæc? *O* noſtræ contigit. Gens miſera, gens modica, genti noſtræ prævaluit. Unde hoc?
*l.*59. equitibus *B* militibus.
*l.*62. me non erigam *B* meos non erigat.
P 43. *l.*3. dromedario impoſitus *B* ſuper dromedarium poſitus.
ibid. ſuperne *B* de ſuperius.
*l.*9. juxta ſepulchrum *B* in ſepulchrum.
*l.*11. manibus onerati *C* & *W* manubiis.
*l.*14. quòd Duci *Roberto*, *&c.* offenſo in eum Deo, *&c.* accidiſſe *B* quòd Dux *Robertus*, *&c.* offenſus in eum Deus, *&c.* contulit.
*l.*18. Garnero *B* Garero.
*l.*23. multis exigentibus *O* meritis.
*l.*28. tribum *Simeonis*, terram Philiſtinorum *B* tribum *Simeon* Philiſtinorum.
*l.*29. Ubi *Joppe* oppidum ſitum eſt, à quo viginti quatuor *B* a quo prope eſt *Joppen* oppidum viginti quatuor.
*l.*31. Diſpolim *R* Neopolim.
*l.*50. obtulit panem *B* offerens ei panem.
*l.*55. Deinde verò *Salomone*, *B* deinde regnante verò *Salomone.*
*l.*57. quadraginta duobus annis *B* quadraginta duo anni.
*l.*59. ſuo *Eliam*, *R* ſuo nomine *Eliam.*
*l.*61. inclito *B* in divo.
*P.*44 *l.*5. ejus *R* Jeſus.
*l.*18. Ancenenſem *B* Achonenſem.

*l.*26. In Eccleſia Latina *B* In Eccleſia de Latina.
*l.*32. Bethleem in quo *B* Bethleem in qua.
ibid. Jordanis fluvius eſt, in quo Jeſus Chriſtus baptizatus *B* Jordanis lacus eſt in cujus flumine Chriſtus baptizatus.
*l.*38. crucem & mortem *R* mortem in cruce.
*l.*39. ibidem *R* unde.
ibid in aſina *B* in aſinam, *rectè*.
*l.*47. eam dixiſſent *B* eam dicerent.
*l.*57. *post* extremum *C & W addunt Sigebertus* Gemblacenſis Monachus Chronica ſua hucuſque digeſſit, *quæ verba B addit in margine*.
*P.*45.*l.*2. Dei interpellare *C & W* diei.
*l.*13. Monachus eſt, & *B* Monachus eſt inquiret.
*l.*14. *poſt* ſomniaſſe *uſque ad lineam quadrageſimam primam, ſcilicet ad* ejus præterea mortem, *deſunt à W; illa igitur omnia de ſuo adjecit Matthæus noſter.*
*l.*22. cùm ante eum *B* cum per eum.
*l.*50. percontatus eſt *deeſt à B.*
*P.*46.*l.*11. cum regnaſſet annis tredecim, *deſunt hæc à W.*
*l.*27. & ut *B* ita ut.
*l.*32. cui continuò *B* qui continuò.
*l.*33. & a *Thoma*, *B* & q^o *Thomas*.
ibid. corona capiti imponitur *B* coronam capiti Regis impoſuit.
*l.*35. tenendam *B* tenendis.
ibid. ab Hoc tempore *uſque ad finem capitis deſunt à W; imò & antea id narravit Matthæus noſter, recurre Lector ad lineam* 56, *&c. pag.* 44.
*l.*51. cognatam. mecum *R* cognatam nuptui mecum.
*P.*47.*l.*5. ſicut eis *B* ſicut ei.
*l.*6. in miſeria *O* in miſericordia.
*l.*14. ita equis *B* & equis.
*l.*24. *poſt* monumentum *addit C* Idem *Henricus* deſponſavit *Matildem* filiam *Malcolmi* Regis Scotiæ, ex qua genuit *Willielmum* & filiam unam, nomine & honeſtate matrem repræſentantem, quam virginem quinquennem Imperator *Henricus* petiit & accepit. *Hæc deſunt à W, imo ipſe poſtea repetit Matthæus, vide pag.*48.*l.*41.
*l.*43 ſubjugaverat *B* ſubegerat.
*l.*49. *Sigebertus* Gemblacenſis Monachus hucuſque Chronica ſua ſatis eleganter digeſſit. *Quam ipſam clauſulam & antea habuerunt C & W, & ad pag.* 44. *prænotavimus; utrobique tamen mendosè, cùm non ante annum* 1113, *ineuntem Chronica ſua terminavit ille Sigebertus.*
*P.*48.*l.*2 Arabis gladium *B* ejuſdem gladium.
*l.*15. M.C. *R* M.C.I.
*l.*19 nondum in Regem *B* jam in Regem.
*l.*28. in ipſorum tabernaculis, viros multos *B* in ipſis eorum tabernaculis, de viris multos.
*l.*44. O mulierum generoſiſſima, *uſque ad finem capitis, deſunt à W.*
*P.*49.*l.*8. difficile eſſet expugnatu *B* grave eſſet ad expugnandum.
*l.*11. ex Anglia proſcripſit *B* ab Anglia exulavit.
*l.*20. inter quos fuerunt *B* qui hii fuerunt.
ibid. Rameſienſis *R* Rameſienſis.
*l.*24. qui conſecrari *B* quem conſecrare.
*l.*27. *poſt* præſulatum *addit C* Hoc anno *Rogerus* ad Epiſcopatum [illegible] electus eſt, *quæ verba deſunt à W.*
*l.*31. Qui *Romam* veniens *B* Quo *Romam* veniente.
*l.*32. Warenaſt *C* Warevaſt *W* Warewaſt; *poſtea tamen C* Warenaſt *W* Warevaſt.
*l.*44. *tota linea* In Anglia peſtifera mortal. *&c. deeſt à W.*
*l.*53. productorem *B* pro ductore.
*l.*55. Turcis infidelibus *B* Principibus Turcorum infidelium.
ibid. per quorum terras *B* per quos.
*P.*50.*l.* 1. & in, & *deeſt ab R.*
*l.*11. dicebatur, & uridicus *B* dicitur, & viridicus.
*l.*12. qui *Cadmus* appellabatur *C Cadmus* vel *Cadmus W Cadmir.* Credo debere ſcribi *Cadi*, ita enim Judicem indigitant Turci hodierni.
*l.*16. undecim millibus, *ita & W, C* duodecim.
*l.*33. *poſt* albi coloris *C addit* & quatuor picti mirabiliter, & in ſe multiplicati. Cometa etiam apparuit menſe *Febr.* *quæ tamen deſunt à W & à B.*
*l.*40. in ſua perſtare ſententia, mox Archiepiſcopatum, *deſunt à B.*
*l.*51. conſideret *B* conſiperet.
*l.*55. hoc modo *B* ſiccine.
*l.*59. obſiderent *B* debeant obſideri.
*l.*62. cum gaudio *B* gaudenter.
*P.*51.*l.*4 hoſtes *deeſt à B.*
*l.*10. oppidis ſuburbanis *R* oppidis & ſuburbanis.
*l.*49. utriſque manibus *deeſt à B.*
*l.*60. *poſt* conſenſit *uſque ad* ad capitis expoſitionem decertarem *quæ lineâ* 19 *paginæ ſequentis inveniuntur, deſunt à W.*
*l.*62. obtento *R* obtentu.
*P.*52.*l.*8. ſcienter *C* ſitienter, *& rectè.*
*l.*48. Hic conſtitutus eſt ordo Canonicorum Sariſbiriæ, *deſunt à W.*

*l.*55, *&c. poſt* carceri mancipavit *uſque ad* Redit autem *l.*64. *deſunt à W.*
*l.*58. incidens ſuo manno in Bitumen profundum *B* inſidium ſuo manno in Bitumine profundo.
*l.*59. detentus *deeſt à B.*
*P.*53.*l.*1. ſed in his omnibus factus eſt Deo ingratiſſimus, *deſunt à W.*
*l.*3. cui innuit *C & W* ubi annuit *B* cui annuit.
*l.*8. Reinelmus Herefordenſis, Willielmus Oxonienſis, *deſunt à W.*
*l.*12. Normannus *Prior* fundavit, *cum lineâ ſequente deſunt à W.*
*l.*19. interdicam *B* interdicimus
*l.*21. pro Epiſcopo communicando *O* pro Epiſcopo tibi communicando.
*l.*26. octavo Cal. *Maii* ſcilicet die ſancti *Marci deſunt à W.*
*l.*28 *poſt* perſequuntur *addunt C & W* & ad opera miſericordiæ ejus ſucceſſores invitant. *Imò* [illegible] *tota illa Epiſtola quæ dicitur cautius miſſa, ad temperandas Romanorum enormitates, deſunt à W, omnia ſcilicet à lineâ* 28 *pag.*53. *uſque ad l.* 39. *ad verbum* Eodem.
*l.*30. indies *B* diatim.
*l.*34 ſperet ad cumulum *C* ſerpet.
*l.*40. Matildem *B* Matildidem.
*l.*47 Bagornenſis *ita C & B, ſed W* Baggornenſis.
*l.*53. *poſt* comitatus *addit W* Eodem tempore in parochia Legienſi porca porcellum enixa eſt, faciem hominis habentem, & pullus galinæ quadrupes natus eſt.
*l.*59. Brachium *R* Durachium.
*l.*63, *&c.* peragendum miniſtraret *B* peragendum & auxilium miniſtraret.
*P.*54.*l.*2. Obiit a. eod. temp. idem R. Francorum *Philippus*, *&c. quæ tamen Matthæus noſter & antea recenſuerat in ipſo fine anni antecedentis pag.* 53.*l.*23.
*l.*20. *poſt* Septembris *cætera deſunt à W uſque ad* Eodem etiam *lineâ ſequente.*
*l.*32. *a* mortalitas tunc *uſque ad* poſuit *deſunt à W.*
*l.*38. *deputata O* deputatus *rectè.*
*l.*51. damno & periculo *B* dampno periculum.
*P.*55.*l.*2. & poſtis *R* & poſt.
ibid pertinent *R* pertinuerit.
*l.*8. Hoc anno facta, *&c. deeſt à W.*
*l.*9. Rodulpho *O* Radulpho.
Nota tamen hîc errorem & in W *& in* Pariſienſi *noſtro. Hic* Radulphus *enim non erat Londonienſis Epiſcopus, ſed Roffenſis. Imò & Pariſienſis ipſe infra* l.38. *Roffenſem eum appellat, ubi etiam & electionem ejus repetit. Pro Londonienſi igitur ſcribe Roffenſi.*
*l.*24. Et inſidiis *B* Nam inſidiis.
*l.*29. miſſis copiis ſuorum *B* miſſis de ſuis copiis.
*P.*65.*l.*4. comminatoribus *C & W* conjuratoribus, *rectè.*
*l.*9. Luna facta eſt quaſi ſanguinea tertio Idûs Decembris, *deſunt à W.*
*l.*18, *&c. poſt* nuncupatur *C habet* Quoque *Baldewinus Jeruſalem*, & *Petrus* primus Prior *Bermundſeiæ*. *Neſcio tamen quo ſenſu, ſi enim de morte* Baldewini *ſint intelligenda, conſequitur ad finem capitis ſuccedentis.*
*l.*32. invaleſcere *B* innuſnenſium.
*l.*40. Domino *R* à Domino.
*l.*42 Herytum *W* Berytum, *rectè.*
*l.*55. Poretæ *W* Poræ.
*l.*57. quæ eſt *R* quâ eſt.
*P.*57.*l.*6. ad *deeſt in R.*
*l.*7. res *R* tres.
*l.*19. pedites *R* peditum.
*l.*25. proſcripſerat *B* exulaverat.
*l.*43 collocati *W* collocuti, *rectè.*
*l.*50. Mons David *O* Mons Dani.
*l.*60. tranquillo *B* tranquilliſſimo.
ibid. poſt exiſtente *C* Hoc quoque anno 14 Cal. Maii bis venit cœleſte lumen ad ſepulchrum Domini.
*l.*65. juxta ſuam, *&c. B* juxta ſuæ magnificentiam voluntatis.
*P.*58.*l.*2. Luna hoc anno, *&c. uſque ad finem capitis, deſunt à W.*
*l.*16. Richardus Lincoln. *C & W* Robertus, *rectè.*
*l.*20. Pontaudemer *W & B* Puntaudemer.
*l.*24. Vervonis *C & W* Vernonis.
*l.*31. Grenet *B* Grevet.
*l.*49. Calixto, *&c. ad finem prox. lineæ deeſt à W, & in C & B poſt* Honorius *additur* Sol novilunio ſimilis factus eſt.
*l.*59. diſceptarunt *B* diſceptati ſunt.
*P.*59.*l.*2. Quo auditu *B* Quo audito, *rectè.*
ibid Rex *Baldewinus*, qui jam regni Hieroſolymitani, quàm *deſunt à B.*
*l.*8. obſidem *B* obſidere.
*l.*14. *poſt* habebat hæc. *ſequitur in C* Quia de morte viri ſuſpecta habebatur, vir enim ejus clam de nocte fugerat, & paupertatem elegit. *Quæ tamen in W non habentur.*
*l.*16, *&c.* tam regni Angliæ quàm ducatûs Normanniæ juraveruntiæ fidelitatem, & primus *B* tam ad regnum Angliæ, quàm

quam ducatum Normanniæ juraverunt ei, fidelitatem facientes, & primus.
l.38. Hereford R Herefor.
l.46. Ciestanus (quod eſt dictum) hic manete B Ci eſtanus, quod eſt dictu, hic manere.
l.50. indies B diatim.
l.56. & procurſum B & percuſſum.
à linea 42. ad finem capitis deſunt à W.
l.59. replicâſſet R explicâſſet.
P.60.l.7. *poſt* digeſſit *C addit* Obiit *Honorius*, Papa ſucceſſit *Innocentius*; *quæ tamen deſunt à W.*
l.14. terminabatur B terminavit.
l.42. & 43. *deſunt à W.*
l.53. & jam B & eam, *rectè*.
l.60. *poſt* Coventrenſem *ſequitur in C & B* Londonia pro maxima parte combuſta eſt, *quod in W non eſt.*
P.61.l.7. *ab* Anno Domini *uſque ad* Eodem l.9. *deſunt à W.*
l.12. quæ invocata B quam quia invocaverat.
l.14. *poſt* Domini *ſequitur in C* natus eſt primogenitus *Galfridi* Plantageneſt & *Matildis* Imperatricis, ſcilicet *Henricus de l'earico*; *ſed non in W.*
ibid. Harveio *ſic & C & B, ſed W* Henrico, *malè*.
l.19. *poſt* Londinenſis *addunt C & W* obiit eodem anno *Robertus Curtehoſe*, frater Regis *Henrici*, & apud *Gloverniam* ſepulturam accepit. *Nota tamen omnia ab hoc loco uſque* Jacuit autem l.43. *à W deeſſe.*
P.62.l.30. & Rex ab omnibus B & Rex eſt ab omnibus.
l.40. *poſt* Tertio vovit *ſequuntur in C & W* quod Denegeld idem (*credo ſcribendum* id eſt) de qualibet hyda terræ duos ſolidos, quos anteceſſores ejus, &c.
l.43. *poſt* obſervavit *omnia deſunt à W uſque ad* l.59. *ſcilicet ad* Per idem tempus.
l.49. centum libras C centum millia libras.
P.63.l.12. proſcripſit B exulavit.
l.14. plantavit *ita in C & B, ſed in W* placitavit, *rectè*. R *voluntariè & non judicialiter ſupplantavit.*
l.17. proſcripto B exulato.
l.19. pro Theobaldo B propter Theobaldum, &c.
l.31. ſed tum cùm C & W ſed tamen cùm B ſed tum cùm.
l.35. millia marcarum B millia marcas.
l.37. *poſt* Lodowicus *C addit* cognomento Groſſus.
l.42. *poſt* imperavit *ſequitur in C* & ſic ſucceſſit *Lotharius.*
l.49. & fracta B & frater.
P.64.l.14. qui ſciunt C & W qui ſe neſciunt B qui in ſe neſciunt.
ibid. ſuſpicemini B ſuſpicetis.
l.20. fide horribiliter B fide & horribiliter.
l.24. *poſt* patrium *R addit* exaltando.
l.30. quaſi in acie, uno percuſſoque caſu R quaſi in acie una militari diſciplina caſtigata, percuſſo vero caſu.
l.34. animo defecit B animo deluit.
l.38. gloriæ virtuti R gloriæ ac virtuti.
l.65. Sireburnenſe R Sarisbirienſe.
P.65.l.3. Neowere B Neowerc.
l.4. cui Anglia erat R cui Anglia jurata erat.
l.12. ſolerter B ſollerunt.
ibid. poſt Epiſcopus *C & B addunt* frater R. *Stephani* Apoſtolicæ ſedis legatus in Anglia, pro eo quòd Rex, &c. *quæ deſunt à W, cum reliquis uſque ad* l.20. Eodem anno, &c.
l.17. imperitus C impetitus, *rectè*.
l.19. hinc inde B hic in.
l.21. proſcripſit B exulavit.
l.31. audacter B audaciter.
l.58. *poſt* mancipatur *altera ſententia deeſt à W.*
l.61. *poſt* decertabant *R addit* morabantur.
P.66.l.11. *poſt* ſucceſſit *ſequitur in C & B* Deſtructa eſt civitas de *Wintonia*, decimo octavo Cal. Octobris. Et captus eſt R. Comes *Gloverniæ* die exaltationis ſanctæ crucis, pro cujus liberatione *Stephanus* Rex dimittitur. *Quæ tamen in W non habentur, ut nec lineæ ſequentes duæ, uſque ad* Anno Domini.
l.12. Londonenſis R Londoniis.
ibid. poſt occiditur *R addit* Obiitque.
ibid. fuit *deeſt à B & ab R.*
l.43. vel in clerico, &c. B vel in clericum, &c.
l.52. cum Fulco, &c. pertranſiret B Fulco, &c. pertranſiens.
P.67.l.28. & proſcriptus B & exulatus.
l.35. Farendumenſis C & W Parendunenſis.
l.37. *poſt* recepit *ſequitur in C* obitus *Galfridi* de Mandevilla decimo octavo Cal. Octobris. *Galfridus* Comes Andegavenſis cepit Normanniam. *Quæ tamen verba vix legere poteram, cum aliqua interpolata vel interlineata, & in margine ſuperaddita ſint; & quia deſunt à W, B ſic,* recepit *Gaufridus* de Mandevilla.
l.51. Rogerus Ceſtrenſis & Robertus Herefordenſis *deſunt à W.*
l.57. immenſum B immenſum, *legendum puto* univerſum.
P.68.l.23. Imperator *Conradus* B Imperator Romanorum *Conradus*.
l.33. tempore hoſtibus R tempore nacto opportuno hoſtibus.
l.47. pervenit. Indeque B pervenit ad urbem. Indeque.
P.69.l.2. Domino munera R Domino devotionis munera.
l.13. volebant B vacabant.
l.26. loquebantur, &c. allegantes B loquentes, &c. allegabant.
l.32. ferventes B fervores.
ibid. Chaſueio C & W Chaiſneio.
l.50. inter ipſum Regem & Ducem orta eſt C Regem, Comitem, & Duem W Regem & Comitem orta eſt. *Ab eo etiam deſunt lineæ duæ ſequentes, ſcilicet* Reverſio Imperatoris, &c. *ad* Herefordenſis.
l.64. tranſiretur B tranſituri.
P.70.l.14. ficha B ficha.
l.32. *poſt* accepit *ſequitur in C* Hoc in anno præterito ſecundum aliquos, *quæ à W & B deſunt.*
l.33. *poſt* ſuam *addit C* in quadrageſima, *quam vocem W non habet, nec illa quæ ſequuntur; inde etiam deſunt ſequentes.* B ſic, ſuam, præterea defamata eſt de ulterio.
l.38. prætactas B prætractas.
l.40. Andegavenſium B Andegavorum.
l.42. verebatur enim ne ab illo filios B quapropter ut illi ab aliquo filios.
l.50. ut fratris Ducis Andegavenſis caſtrum B ut contra Ducem Andegaveam ubi ipſum.
l.59. Nulla nominantur C & W villa B Nulla nominatur.
P.71.l.5. de languro *Radulphi*, C & W languore, *rectè*.
l.6. Cui cum B Quod cum.
l.9. viginti novem O XIX.
l.10. *poſt* reverenter *ſequitur in C & W* Eodem anno dictum eſt cuidam in ſomnis, ut manus ſuas truncaret & pedes, & ſic ſalvus fieret; quod cùm feciſſet, ſtatim exſpiravit.
l.38. ſedibus B ſedilibus.
ibid. lite conteſtata B lite in hunc modum conteſtata.
P.72.l.10. Bemneis R Beumais.
l.18. triginta duabus C triginta ſeptem W triginta ſex.
l.24. Gimdreda W Gundreda.
l.38. inſtituiſſe B indiviſe.
l.45. Clericus B Clerus.
l.50. lanceas & ligones C & W in ligones, *rectè*.
l.56. Oenus O Hoenus.
l.65. Cùm autem, &c. vellet ei injungere pœnitentiam B Epiſcopus autem, &c. volens ei infligere pœnas.
P.73.l.26. milite itaque ſupradicto, &c. poſtulante B Miles itaque ſupradictus cùm, &c. poſtularet.
l.49. multitudo aderit B multitudine replebitur.
l.59. ſe inſtruere cœpit B eſſe inſtructus.
P.75.l.4. aſcendentem, &c. compellentem B aſcendere, &c. compelli.
l.30. evectum O devexum.
ibid. mirabilis B mirabilem.
l.41. appropinquaret, contra B appropinq. patuit contra.
l.55. ineffabili B inediſibili.
P.76.l.12. quos in hanc B & nos in hanc.
l.28. ſed miles libenter ibi manſiſſet, &c. licuiſſet B ubi miles libenter in ævum maneret, &c. liceret.
l.48. feſtinus B & C de intus.
l.61. voluit, quia ſervus eſſet, quem Dominus prælegit, *ita & B; C verò & W* noluit, quia ſervus eſſe quam dominus prælegit.
P.77.l.8. in ſedem ſuam Cathedralem O in ſedem eandem *Willelmum*, *rectè*.
l.14. Dominia B Dominica.
P.78.l.4. inops ſacerdos O in opus ſacerdotale.
l.8. ab Oxonia C & W ab Exonia.
l.16. cum frigore nudus B cum frigore & nuditate.
l.61. mox debes B modo debes.
l.65. inquiens B inquit.
P.79.l.5. profundens B perfundens.
l.22. fuerit miracula C & W fiunt.
l.38. *poſt* Beau *omittuntur in C* qui fuit Seldua, qui fuit Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hatra, &c. *Sic etiam erat in anteriore Impreſſione, imo & in W ita inveniuntur.*
l.43. Oxonienſi C & W Exonienſi.
l.45. atque licentia C & W abſque licentia.
l.51. Galatiæ W Galiciæ, *rectè*.
P.80.l.20. ſubconfuſi R ſubfuſi.
P.81.l.6. *poſt* commendavit, *cætera vocabula duodecim uſque ad finem capitis deſunt à W.*
l.20. Apud Suanduum multorum cepit homagia, ſcilicet nobiliorum, *deſunt à W.*
l.22. Richardus B Robertus.
l.28. Pariſios B Pariſius.
l.30. Natineticam W Nanneticam, *rectè*.
l.45. Propter quod *uſque ad* indignatus eſt B Quod, ut ait Rex *Francorum*, præpropere factum fuerat dignatus eſt.
l.52. *poſt* Burgum *uſque ad* Eodem anno l.56. *deſunt à W.*
l.64. cubicularium objurg. B cubicularium ſuum graviter objurgans.

P.82.l.22.

P.82.*l*.22. dum vixerant *B* dum vixerat, *rectè*.
l.26. Eodem tempore Cantuaria ferè omnis comburitur, *deſunt à W.*
l.31. filium *R* filiam.
l.47. retorquens *B* retorquentis, *rectè*.
l.52. dignus fuit *B* dignus habitus eſt.
l.44. Apoſtolorum lumina *B* Apoſtolorum limina, *rectè*.
P.83.*l*.17. & meis *B* & mihi, *rectè* ; *R* & mihi &.
l.20. *poſt* benedictionem *addit W* liceat Abbati ſuo, & cætera omnia Eccleſiæ Sacramenta, à quo voluerit Epiſcopo, abſq; noſtra, & ſine Eccleſiæ noſtræ, *rectè* ; *B ſic*, liceat Abbati ſuo, & cætera omnia Eccleſiæ noſtræ.
l.33. *ab* Eodem anno *uſque ad finem capitis, deſunt à W.*
l.39. de proditione Regis *R* de proditione appellato Regis.
l.50. ut ſuſpicio ſubjectionis *&c.* adempta eſſet *B* ſpe cujuſvis ſubjectionis, *&c.* ademptâ.
l.51, *&c.* Conſenſit autem electus in, *&c. uſque ad* adverſabatur, *B ſic*, Concenſit autem electo conſuetudines antiquas in regno ſtaret, perſuadens & Archiepiſcopo prædicta exigenti adverſans.
l.64. admittens *B* admittat.
l.65. ſed in nullo proficientes *B* niſi in aliquo proficiſſet.
P.84.*l*.20. magnatum *R* magnates.
l.25. à judiciario *B* à juſtitiario, *rectè*.
l.33. ad remanentiam *B* ad remanens.
l.38. de Inſuero *B* de inſuero, *legendum de viſneto*.
l.42. extra regimen *B* extra regunen, *legendum* regnum.
l.47. non debeat ultra procedi *B* non debet ultra procedere.
l.54. *poſt* advocaverint *R addit* erit placitum in Curia Regis, ſed ſi uterque advocaverit.
l.56. *poſt* ſaiſitus *R ſic*, Qui de civitate, *&c.* Regis fuerit, ſi, *&c.*
l.61. poterit Epiſcopum *B* poterit Epiſcopo, *legendum* Epiſcopus.
P.85.*l*.11. catella *B* catella, *malè*.
l.55. *à* Defuncto Octaviano *uſque ad finem capitis deſunt à W, & poſt* ei ſubſtituit *C & B addunt* Thomas Archiepiſcopus exilium ſubiit.
l.61. Regis deferente *O* Regi def.
P.86.*l*.2. Caſtellaniam *B* Caſtellanias *R* Cancellarias.
l.8. præcepit *deeſt à B.*
l.10. & ſuam *B* & ſuum, *rectè*.
l.62. præcisè ad reditus ſuos, ſicut diligunt eos & amant, in Angliam redeant ; *B*, *&c.* ſint in Anglia ad reditus ſuos ſicut diligunt eos & amant, (*amodò*) in Angliam redire.
l.64. in noſtra ſaiſiantur *B* in noſtra manu ſaiſiantur.
P.87.*l*.3. Rex & ſuorum *R* & ſuorum Rex.
l.22. ut ſit Rex *R* ne ſit Rex.
l.27. nomen hujuſmodi *R* nævus hujuſmodi.
l.45. ſed ipſum illæſum voluimus *B* ſi ipſum illæſum noluerimus.
l.52. ſuper quem ille Schiſmaticus celebravit *B* ſuper quem illi Schiſmatico celebrarunt.
l.63. *ab* Eodémque anno *uſque finem pag. deſunt à W.*
P.88.*l*.12. inclinatores *B* inclinatiores, *rectè*.
l.28. *poſt* Albani *addunt O* xviij.
l.29. Obiit *Rob. Lincoln* Epiſcopus, *deſunt à C & à W.*
l.61. dicimus *B* didiſcimus.
l.62. quum *B* quo.
ibid. quum non *B* quo non.
l.63. quum non *B* quo non.
P.89.*l*.23. cogeretur Romana audientia *C & W* Romanam audientiam appellare, *rectè* ; *B* Romanam audientiam appellare *deeſt*.
l.24. ſed nobis recedentibus *C & W* ſi nobis recedentibus, *rectè*.
l.44. credebamus nos *O* à vobis.
l.46. eum utpote à *B* eum à.
l.55. qui in *B* quæ in, *rectè*.
l.56. in Cantuarienſi exiſtunt *B* in Cantia conſiſtunt.
l.59. & maximè *B* & in, inde, *rectè*.
P.90.*l*.25. ſed liberent *B* ſi ita liberent.
P.91.*l*.2. volentibus inhibeat *B* volentes inhibeat.
l.29. attendat *B* obtemptet (obtemperet.)
l.33. dolentem *B* convolet.
l.37. niſi antea ſua, *&c.* queat. Quod ſi, *B ſic*, niſi an ipſius auctoritate & mandato jus ſuum obtinere queat, prius experiendo cognoſcat, Quod ſi.
l.58. ſi hujus rei finis extiterit *B* ſed ſi hic rei finis extiterit.
l.61. quod pluris eſt nobis, ſi ab, *B ſic*, ſi plures eſt nobis ab.
l.63. delecto *B* delectu, *rectè*.
l.65. curva *B* prava.
P.92.*l*.1. ſecundam *C & W* foedam.
l.2. ita ut *B* ne cujus.
l.6. accepit, *&c. ad finem capitis*, *B* accipiens, & in pace ſtatuenda paſſim per Britanniam ſtudioſus exiſtens, clerum terræ illius ſibi conciliavit & populum.
l.15. levibus *B* lenibus, *rectè*.
l.17. videtur *B* videmus.
l.22. Archiepiſcopo Cant. *B* Domino Cant.
l.24. ſed ſi tibi & Eccleſiæ *B* ſi tibi ac tuis & Eccleſiæ, *rectè*.
l.40. provinciam *C & W* perniciem, *rectè*.
l.48. *poſt* appellationem, ſententiam in ipſum latam *B* licèt primò appellationem ſententia in ipſum lata fuiſſet.
l.60. ſciens *B* ſecturus (ſciturus.)
P.93.*l*.3. pacem eſſe initam *O* pax eſſe in januis.
l.8. *poſt* videbatur *ſequitur in C*, *Henricus* primogenitus Regis *Henrici*, apud Weſtm. die ſancti *Baſilii*, à *Rogero* Archiepiſcopo Eboracenſi, contra libertatem Eccleſiæ Cant. coronatus eſt. *Quæ omnia deſunt à W, imò hîc anticipata ſunt.*
l.20. quum *B* qui.
l.46. R. Barre *C* Barce *W* Barri.
l.64. pro animæ, *&c. ad finem pag. deeſt à W.*
P.94.*l*.1. *Literæ illæ Papæ ad* Soldanum Iconii, *cum reliquis uſque ad l*.20.*p*.97. *deſunt à W.*
l.11. Quandam verò *C* quoniam, *rectè* ; *B* quoniam.
l.39. *poſt* ſicut Johannes *ſequitur in C & B* cujus Evangelium recipis.
l.44. miniſterium *B* myſterium, *rectè*.
l.59. qui dicta *C* quem Deus, *rectè* ; *B* quem dictus.
l.60. tu eum recipias *B* tamen eum recipis, *rectè*.
P.95.*l*.50. in tempore Legis *C* veſperæ.
l.53. & humilitate *B* per humilitatem.
P.96.*l*.31. ſuperatus fuit à Deo & homine Chriſto Jeſu *B* ſuperavit Deus & homo Chriſtus Jeſus.
l.50. edidit *B* edere.
l.63. anullari *B* anullerari.
P.97.*l*.8. Poetas *B* Philoſophos.
P.98.*l*.4. abſolvat *B* abſolvant, *rectè*.
l.10. facere *deeſt à B.*
l.12. Radwenna *C & W* Eadwenna.
ibid. Walmpol *O* Walepol, *rectè*.
l.39. in eundo ſe *O* in eundo & redeundo ſe.
l.53. genuum flexionibus *B* genu flexionibus.
P.99.*l*.20. tenuit *O* invenit, *rectè*.
l.29. intelligens *B* intellexit.
l.37. ſanctis *B* impius.
P.100.*l*.20. flux *B & C* flur *W* flour, *rectè*.
l.19. haali *B* halali.
l.21. pinne *B* pinine.
l.23. regna in me *O* regna in mente mea, *rectè*.
l.25. Godrico *B* Nazareni.
P.101.*l*.7. injuſtorum *B* injuſtè.
l.37. & ſica *B* & ſicci.
l.38. *poſt* periculoſum *B addit* delicias, *rectè*.
l.44. Tertii *B* juvenis.
l.64. Nivercenſi *B* Nivernenſi.
l.65. habenam *O* ſtapham.
P.102.*l*.8. de ſaltiunde *C & W* ſaltwde *B* ſaltwude.
l.42. Epiſcopali *B* Epiſcopalis, *rectè*.
l.57. in Eccleſiis *C & W* oculis.
P.103.*l*.7. *poſt* Eccleſiam rediret *omnia illa quæ ſequuntur uſque ad* l.43. *deſunt à W. Obſervabis etiam Lector, ea quoque haberi in vita* Simonis *Abbatis S. Albani.*
l.10. faciens feſtum, O ſapjentia *B* faciens feſtum de O ſapientia.
l.12. miſiſſet *B* feciſſet.
l.32. charitatis intuitu *B* char. intereſſe.
P.104.*l*.26. maturiùs tradiderunt *B* maturior tradentes.
l.27. cilicio abſterſum, & proprio ſanguine conſecratum, *deſunt à C, quæ tamen in W inveniuntur.*
l.32. Natalitiis, in quibus homicidæ & rei læſæ majeſtatis habent pacem & gaudium. *Quarto*, *O* homicidæ, rei læſæ majeſtatis habentur. *Quarto*, *&c.*
l.60. apud Cuaresburc *B* Cnaresburc, *rectè*.
P.105.*l*.7, *&c.* *Qui* pro morte, *&c.* increpans *B* *Qui cum* (*cum*) pro morte *Thomæ* Martyris diriſſimè increpans.
l.33. Deſemtemore *O* de ſeint More, *rectiùs*.
l.34. Faie *R* Ferne.
l.45. & quoniam *B* quoniam.
l.47. voluerunt *B* noluerunt.
P.106.*l*.1. *poſt* Henrici *R addit* Saxoniæ.
ibid. accepit *R* dedit.
l.15. *Gaufridus* Archidiaconus *C & W* *Gaufridus* Cantuar. Archidiaconus.
l.29. interpellatus *B* pulſatus.
l.42. *ab* ipſo anno quoque *uſque ad finem lineæ ſequentis deſunt à W.*
P.107.*l*.30. ſuperba nimis *deeſt à B.*
l.31. cum gemma pretiociſſima *B* pretioſum.
l.36. à ſuis à Brebanciis *B* à ſuis Brebanciis.
l.37. memoratum *B* præfatum.
l.38. paucos *B* aliquot.
l.41. de la Haie *B* de Baie.
l.42. viginti quatuor *O* quater viginti.
l.46. Epiſcopi *C & B* ei ipſi, *rectè*.
l.59. latrocinatoribus *B* lenocinatoribus *R* lenonibus.
P.108.*l*.3. Arewellam *R* Orewellam.

l.17. audientibus ait *deſunt à B.*
l.40. ipſa die Sabbathi, quia *B* ipſa die Sabbathi, qua, *rectè.*
l.57. milites Legeſliæ *B* milites comitis Legeceitriæ.
P.109.l.28. apud Cænomanniam *B* Cenomannis
l.44 *poſt* incepit *ſequitur in C & B* Eodem anno civitas Rothomagenſis obſeſſa eſt, *quæ verba cum ſequentibus uſque ad finem capitis deſunt à W.*
l.57. caverunt *deeſt à B.*
P.110 l.11. Bergamini *O* Bergeveni.
ibid. gladium *B* empulum.
l.20. Trec *O* Treſe.
l.21. Dominis *B* Domini, *rectè.*
l.35 dividendam *B* dividere.
l.36. *poſt* ſucceſſorem *reliqua deſunt à W uſque ad finem capitis.*
l.38. Richardus comes *R* Guilielmus comes.
l.44. Nuntiis quoque, *&c.* conſtitutis, *&c.* tuebantur proponebant, ſantium *B* Nuntii quoque, *&c.* conſtituti proponebant illi qui cauſam *Aldefonſi* Regis utebantur ſantium.
l.47. Agozen *R* Zagoſen.
l.64. Manuelis *R* Samnuelis.
l.65. Nuntii Ducis Saxonici *C* Nuntii *Ulrici* Ducis Sax. *W Henrici* Ducis Sax.
P.111.l.11. *poſt* leniter collocatus *reliquæ lineæ uſque ad* Quo etiam tempore Rex Angl. *deſunt à W.*
l.12. de magna villa *R* de Mandevilla.
l.22. Ego Rex Angl. *C & W* Ego *Henricus* Rex Angl.
l.43. decorus vultu & eleganti ſtatura procerus, *B ſic,* decori vultûs & eleganti ſtatura procerus.
l.51. & ſpes *B* & cum ſpes.
ibid. licet locus *B* locus tamen.
P.112.l.25. *à* lecto recepit *uſque ad finem capitis deſunt à W.*
ibid. Illud, non ut *B* Illud, ut; *rectè.*
P.113.l.1. martyris *B* martyrio, *rectè.*
l.47 apud ſanctum Albanum *deſunt à B.*
l.58. Sanctorum pignora proceſſionaliter deferentes *B* ſanctorum corpora defer.
P.114.l.9. tricenteſimo, *&c. C & W* octingenteſimo, *rectè.*
l.9. multorum *O* murorum.
l.33. martyrem forſitan oblatis præferentes inventum, *B ſic,* martyrn forſitan ex oblatis pertulerunt iminenſe.
l.39. tota *deeſt à W.*
l.40. eſt concilium *O* eſt Romæ concilium.
l.64. Hoſpitarii *W* Hoſpitalarii, *rectè.*
P.115.l.7. legati viginti *O* viginti vel viginti quinque.
l.47. Lucio, Gregorio *C & W* Lucio, Urbano, & Gregorio, *rectè.*
l.63. alioquin deſiiſſet eſſe ſubſtantiam patris, *&c. O* deſiiſſet eſſe ſubſtantia. Filius verò ſubſtantiam patris, *&c.*
l.64. eandem habuit *B* eandem habent.
P.116.l.31. Taileborum *O* Taileburc.
l.54. tota *deeſt à C & à W.*
l.57. protegeret *B* gubernaret.
P.117.l.12. & ut ad *B* & ad, *rectè.*
l.13. videatur *B* videamini, *rectè.*
l.21. eruditi, *&c.* poteritis *B* eruditus, *&c.* poteris.
l.30. Baldewinus Fordenſis *B* Baldewinus Abbas Fordenſis, *rectè.*
l.41. *poſt* abundanter *ſequitur in C* à Paulo huc 104 anni.
l.43. obiit Walterus *R* obiit Rogerus.
P.118.l.14. introivit *B* intonuit, *rectè.*
l.54. initio Julii menſis *B* intrante Julio menſe.
P.119.l.3. ſperaretur *B* ſperabatur.
l.28. influet *B* influat.
l.50. *poſt* ſuis *ſequitur in C* Circa eadem tempora obiit, *&c. Sed videntur eſſe anticipata, cùm in infima pag. parte, & anno proximo, totidem verbis mors Matildis repetatur, in eo tamen loco non repetitur in C, & utrobique deeſt à W.*
l.64. Nothale *C & W* Nothale.
Nota, quòd poſt verba ut regnum ſuum l.35. *integrum folium deeſt ab exemplari papyraceo uſque ad* orem Guidonis l.16. *pag. ſequentis.*
P.120.l.29. & quum *B* & (quoniam.)
l.45. *ab* Imago *uſque ad finem capitis deſunt à W.*
P.121.l.8. non habentes quo ſe conferrent. Rex, *B* non habentes. Rex, *rectè.*
l.15. evaſerunt *B* evaſerat, *rectè.*
l.20. Tiberiam *B* Tyberiadem.
l.34. diſpoſita *B* depoſita, *rectè.*
l.43. & niſi *B* quod niſi.
l.55. Eodémque anno Hugo, *&c. deſunt à W.*
P.122.l.3. Marchiones, Barones *O* Marchiones & Comites Barones.
l.9. de Lintziaco *B* de Liziniaco.
l.24. à vervolio *B* à vernolio, *rectè.*
ibid. Meinanam *W* Meduanam.
l.40. inebriati *B* deliberati.
l.46. ultra morem *B* ultro mori, *rectiſſimè.*
l.55. Notum faciemus *B* notum facimus.
l.59. Quod computatis *B* Quod ſi computatis.

P.123.l.1. vel ullum *B* nec ullum.
l.41. à Marchiſio admittuntur *C & W* à March. non admittuntur *B* volens a Marchiſio non admittitur.
l.48. innumeratum *B* numeratum, *rectè.*
l.53. urbis a Chriſtianis obſeſſio facta fuit *B* urbem Chriſtiani obſident.
P.124.l.11. *Sciat, Lector benevolus, poſt hunc locum Librum* Cottonianum *(quem per omnia ſequimur) aliâ manu eſſe deſcriptum, capitulum etiam ſequens incipere* Anno Dominicæ Nativitatis 1189, Rex Henricus in partibus tranſmarinis, *cum cæteris, ut in impreſſo libro eſt videre. Cum eiſdem verbis incipit capitulum ſuum* Wendoverus; *ibi etiam ita ſcribens* Anno Domini 1189.
Monemus iterum, quòd ad hunc locum in Tranſcripto illo J. Seldeni *papyraceo quo uſi ſunt Operæ Typographicæ, haberi hanc notam in ora libri,* Hucuſque codex Edwardi Aglonbye. *Quæ ſequuntur ex libro* W. Cecil, *militis; in quo etiam Tranſcripto, poſt finem prioris capitis Anni* 1199, *ut in Impreſſo noſtro p.* 165. *habetur & iſta nota marginalis,* Hucuſque ut in Libro Impreſſo. fol.262. *(ſcilicet Editionis anterioris.) Sed utrobique fallit eſt fidem Evulgator; neque enim codicem* Aglonbeyanum *aut* Cecilianum *per omnia eſt ſecutus, neque concordat Liber Impreſſus cum Tranſcripto papyraceo.*
l.11. Rex Henricus, *&c. B* Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo centeſimo octogeſimo nono, Rex Henricus, *&c.*
l.15. poſt feſtum ſancti *B* poſt feſtum verò ſancti.
l.21. ad pacem commoviſſet *B in margine* commonuiſſet.
l.22. ita ſcilicet, ut *B* ita ut.
l.24. ſubverſorem Domini Papæ *B* ſubverſorem auctoritatis Domini Papæ.
l.27. Regum perſonis eorundem *B* eorundem Regum perſonis.
ibid. &c. poſt eorundem *ſequitur in* C *hujuſmodi rubrica,* In imaginibus hiſtoriarum reperitur anno hoc prophetia Danielis Conſtantinopolitani. *Poſt quam rubricam ſequitur capitulum in hæc verba,* Anno quo annuntiatio Domini in die Paſchæ continget Franci reſtaurabunt Terram Promiſſionis, & ſtabulabunt equos ſuos in Palmaria de Baldac, & figent tentoria ſua ultra arborem ſiccam, & lolium ſeparabunt à tritico. *Deeſt etiam & ab O linea illa viceſima octava,* eodémque tempore tranſm. *&c.*
l.29. Monte Ferrato *B* Monte Ferrario.
l.30. Apoſtolicæ ſedi *ita & W, ſed C & B* Apoſtolicæ fidei.
l.33. virginis eradicant *B* virginis Mariæ eradicant.
l.35. Chriſtianorum conſtat *B* Chriſtianorum noſcuntur.
ibid. eſt civitas Hieruſalem atque lugubriter lamentanda *B* eſt autem civitas Jeruſalem ſancta atque lamentanda.
l.36. qui Chriſto, *&c. uſque ad* Saracenicis *B* ubi Chriſtus per horas diei & noctis conſtitutas deprecabatur, nunc Mahomet excelſa voce laudatur, veſtræ, *&c. C* ubi Chriſtus per horas diei ac noctis conſtitutas, Deo cantando & orando famulabatur, nunc proh dolor Machometh, *&c.*
l.39. commixtas *B* fuſas.
l.40. canibus *deeſt à B*
ibid. vincula ſolvant, *&c. uſque ad* potenter liberetur *B* vincula ſolvant, & terra ſancta pedibus Salvatoris calcata de poteſtate infidelium liberetur.
l.43. ad opprobrium *deeſt à B.*
l.44. cui idem Salaadinus tradidit *B* cui tradidit idem Salaadinus.
l.45. ut in eiſdem ſerviatur ſecundùm ritum Græcorum *B* ut in eis ſerviatur *(ſuprà caput* ſerviretur) per ſuos ſecundùm ritum Græcorum.
l.46. & *deeſt à B.*
l.47. Jamuenſibus *B* Jenuenſibus.
l.48. copioſus *deeſt à B.*
l.49. dictus *deeſt à B.*
ibid. Salaadinus quoque *B* ac Salaadinus.
l.50. ita ſcilicet, ut impediat, *&c. uſque ad* Nece eſt aliquis, *&c. B* ita ut impediat *(ſuprà caput* impediret; *& mox in eadem ſententia pro* eſt, accipiat, detrudatur *ſuprà caput* erat, acciperet, detruderetur) vim Francorum ad ſuccurſum terræ ſanctæ, nec eſt aliquis. *&c.*
l.52. incarceretur *B* in carcerem detrudatur.
l.53. & filius ante *B* & filius ejus ante.
l.54. deputati. Eodem quoque anno *B* deputati valete. Eodem anno, *C* deputati, valete.
l.55. ſolennitatem, *&c. uſque ad* habitum eſt *B* ſolennitatem bis inter Reges habitum eſt.
l.57. tractatum diligentem habuerunt, ſuper hoc, *deſunt hæc ab O.*
l.59. Pictavenſium *deeſt à B.*
l.64. Hoc utique colloquio Cardinalis memoratus, conſtanter *B* In hoc autem colloquio Cardinalis profatus conſtanter.
P.125.l.1. eorundem *B* eorum.
ibid. ſententiam, *&c. uſque ad* fulciretur *B* ſententiam non timere cum nulla æquitate niteretur.
l.3. minime *B* non.

ibid.

ibid. in Regem aliquem, maximè Francorum, per ſententiam B in Regem vel regnum Francorum per ſententiam.

*l.*4. ſi Rex idem, &c. *uſque ad* diſpoſuerit *B* ſi Rex Francorum in homines ſuos demeritos, & regno ſuo rebelles, cauſâ injurias ſuas ulciſcendi inſurgit.

*l.*5. jam deſiderabiles Eſterlingos *B* jam Sterlingos.

*l.*6. quorum odore, &c. *uſque ad* favorabilis *deſunt ab O.*

*l.*7. Comes etiam *Richardus*, &c. *uſque ad* Archiepiſcopi verò *l.*10. *deſunt à B.*

ibid. poſt aliique magnates *O ſic*, hiis auditis, Regi Anglorum dederunt conſilium, &c. *ut in linea* 53. *impreſſi libri.*

*l.*14. conſiliarii ſui *deſunt à B.*

*l.*15. gaudenter *deeſt à B.*

ibid. ſua *deeſt à B.*

ibid. ipſi Deo ordinante ſupervixiſſet *B* ipſum ſupervixiſſet.

*l.*16. incontinenti *deeſt à B.*

*l.*17. quia id, &c. feciſſe videretur *B* quoniam id facere videretur.

ibid. commotus vehementer *deſunt à B.*

ibid. igitur *B* verò.

*l.*18. fecit homagium *B* homagium fecit.

*l.*20. ſoluto *B* finito.

*l.*21. receſſit multitudo *B* multitudo receſſit.

*l.*22. igitur *deeſt à B.*

*l.*23. Baalverque *B* Baalumque.

ibid. ope & opera Comitis *deſunt à B.*

*l.*24. fingens ſe Turonum *B* fingénſque ſe Turonis *Ce* Turonis.

ibid. ſuique *B* & ſui.

*l.*28. in flammas *B* in favillas.

*l.*29. autem *deeſt à B.*

*l.*30. Gaufridus de Broilim & multi cum eo *B* Gaufridus de Bruiſim & multi alii cum eo.

*l.*31. diripere *B* dirumpere.

ibid. factóque conflictu *B* factóque ibi conflictu.

ibid. In quo cruentiſſimo certamine captus *B* in hoc autem conflictu captus.

*l.*32. memoratus *B* prædictus.

ibid. graviter *deeſt à B.*

*l.*33. quàm plurimis *B* multis.

ibid. cum catervatim ruerent *deſunt à B.*

*l.*35. ilico *deeſt à B.*

*l.*36. raptim inſequuti ſunt *B* ſecuti ſunt.

*l.*37. fuiſſet *B* eſſet.

ibid. qui tunc fortè per ducem peritum impunè tranſierant *deſunt à B.*

*l.*38. capti fuiſſent *B* caperentur.

ibid. In illa verò *B* In illa denique.

*l.*39. Turonum *B* Turonis *Ce* Turonis.

*l.*40. qui manſerunt *B* qui remanſerant.

*l.*41. Franciæ *B* Francorum.

ibid. & per eſſoſſores ſuos & *B* & tum per eſſoſſores ſuos tum per *Ce* & cum per.

*l.*42. quadraginta *C & W* ſexaginta.

*l.*43. Indeque *B* Inde.

*l.*44. Mentarium *B* Montarium.

*l.*45. *poſt* Ambaciæ *addunt C & W* Cardonis & Mons bellus.

ibid. Calvi montis Ambaciæ. Eodémque anno *B* caſtrum Calvi montis cum caſtro Ambaciæ, caſtrúmque de Rupibus Cardonis, & Mons bellus. Eodem anno.

*l.*48. de Dorceſmuthe *B* de Derceſimue.

ibid. multum *B* militum

*l.*49. commiſerunt, &c. Rex autem, &c. *uſque ad* ſupplicavit, &c. *B* commiſerunt. Quæ poſt varios rerum eventus Ulixebonam venerunt. Rex autem Portugalenſis intelligens quòd naves præmunitæ eſſent, tam armis quàm hominibus ad pugnandum idoneis, ſupplicavit, &c.

*l.*51. ſibi *deeſt à B.*

*l.*53. & pactum *B* pactum etiam.

ibid. vel *B* ſive.

*l.*55. tantum Regi concederent *B* ſolummodo Regi conceſſiſſent.

*l.*56. impulſique *B* impulſiſque.

*l.*57. vallarunt *B* vallaverunt.

ibid. & *deeſt à B.*

*l.*59. Barbecanum *B* Barbecanam.

*l.*60. circumſeptum *B* circumſeptam.

*l.*62. verò *deeſt à B.*

*P.*126.*l.*1. Sicque Omnipotentis virtute *B* Sic Onipotentis Dei virtute.

*l.*2. de Paganis glorioſe; & *B* de Paganis; &.

ibid. ſordibus Idolatriæ emundata *B* ſordibus & Idolatriis emundata.

*l.*3. Mahomariam *B* Mahumeriam.

*l.*4. ibidem *B* ibi.

ibid. de partibus Flandriæ qui *B* qui de partibus Flandriæ.

*l.*6. Eodémque anno *R* Eodem anno.

ibid. in craſtino Apoſtolorum *B* in craſtino feſtivitatis Apoſtolorum.

*l.*11. fuiſſent *B* fuerint.

*l.*13. vallarunt *B* cingentes.

ibid. & *deeſt à B.*

*l.*14. aquæ, ſcalis *B* aquæ (tranſibilis *in margine*) ſcalis.

ibid. in eaque *B* & in ea.

*l.*17. ita ut *B* ita quòd.

*l.*20. Franciæ *B* Francorum.

ibid. Franciæ *B* Francorum.

*l.*21. ipſam *B* illam.

*l.*24. in guerra *B* in hac guerra *Ce* in werra.

ibid. redibit *B* de cætero redibit.

*l.*27. marcarum *B & Ce* marcas.

*l.*28. cum caſtellis de Troia, de Leir *B* cum caſtellis de Leir, de Trou.

*l.*30. autem *deeſt à B.*

ibid. vel Prognoſticon dicidebant *deſunt à B.*

*l.*31. Armorico *B* Marcorico.

ibid. frenum maxillis *B* frenum quoque maxillis.

*l.*32. eſt datum *B* datum eſt.

ibid. prædeceſſores hæreditario *B* prædeceſſores ſui hæreditario.

*l.*33. jure tenuerunt *B* jure in Avernia tenuerunt

ibid. Dúmque *B* Dum.

*l.*36. & poteſtatem *deſunt à B*

*l.*37. *ab* ſed ut verius *uſque* Circa dies iſtos *deſunt ab O.*

*l.*40. Romanorum Imperator *B* Imperator Romanus.

*l.*41. ſuæ *deeſt à B.*

ibid. Reinesburgh *B* Reinesburgum.

*l.*42. ut propoſ. *B* ſicut propoſ.

*l.*43. autem *deeſt à B.*

ibid. valde *deeſt à B.*

*l.*47. autem dum *B* itaque cum.

*l.*48. habens auream & chirothecas *B* gerens auream habénſq; chirothecas.

ibid. texta *B* contexta.

ibid. annulum magnum in digito, & in *B* annulum in digito aureum & in.

*l.*49. diſcooperto vultu jacebat *B* diſcoopertum habens vultum jacebat.

*l.*50. nunciaretur, feſtinaliter ei *B* nunciatum fuiſſet feſtinanter ei.

ibid. male ſibi conſcius *deſunt à B.*

*l.*51. erupit *B* manavit.

ibid. mortui *B & Ce* defuncti.

ibid. ſpiritus in *B* ſpiritus Regis in.

*l.*52. ejuſdem mortis *B* mortis ipſius.

ibid. ut videretur ſanguis, &c. *deſunt ab O.*

*l.*53. Comes abhorruit & amariſſime *B* Comes Richardus amariſſime.

*l.*54. fontem *O* fontem Ebraudi.

*l.*65. *Carmen illud ultimum deeſt & à C & à W.*

*P.*127 *l.*17. *poſt* Decani *ſequitur in C & W* & à quibuſdam Canonicis Eccleſiæ illius electi.

*l.*28. *poſt* ubi dicitur *ſequitur & in C & in W* Aquila, rupti fœderis, tertia nidificatione gaudebit. Aquila ſiquidem, &c.

*l.*30. *linea illa tota uſque ad* ſpecioſitate *deeſt à W & C.*

*l.*53. *poſt* conſanguinitatis *ita ſequitur & in C & in W* Circa eoſdem dies quidam Canonicorum Eboracenſis Eccleſiæ elegerunt, *Gaufridum* fratrem Ducis; & cantato hymno ſigillis ſuis electionem factam ſolemniter confirmaverunt. Sed Magiſter *Bartholomæus Huberti Walteri* Officialis ejus Eccleſiæ Decani, qui unus erat de primis electis, ne fieret in abſentia Dunelmenſis Epiſcopi & *Huberti Walteri* Decani, (ſcilicet quorum de jure erat) illi intereſſe electioni, Domini Papæ præſentiam appellavit. Eodem tempore.

*l.*55. *poſt* Marcis *ſequitur in C & W* numerus verò ſupellectilis ſuæ, in annulis & vaſis aureis & argenteis, bladis, veſtibus, feſtivis, & inſtauramentis, crevit in immenſum.

*l.*56. & auro *Ce* & ſtauro, *rectè.*

*P.*128.*l.*20. ſupradicto *B* ſupradictos *R* ſuſceptos, *rectè.*

*l.*41. bajulantem *deeſt à Ce & R.*

*l.*48. ubi, &c. *deeſt à C & W.*

*l.*52. *poſt* Nonas Septembris *tota deſunt à C & W.*

*l.*57. exerceri; de quibus Judæi & aliquæ mulieres ſunt infames *non habentur in C aut W.*

*l.*59. atque facere *deſunt à Ce.*

*P.*129.*l.*9. prohibuit eis foriſfaceret *C & W* prohibuit ne quiſquam Judæis foriſfaceret *R* prohibuit ne quis eos foriſfaceret.

*l.*10. *poſt* civitates *uſque ad* Rex Richardus *deſunt à W.*

*l.*14. Et hoc de Eccleſia quam habent in Scardeburga *deſunt à C & W*; *R ſic*, Et hæc de Eccleſia quam habuit in Scarburga.

Etiam in hoc loco Scriptoris vitio quædam bis habentur in C noſtro, Electiones ſcilicet Epiſcoporum.

*l.*27. omnia eis *Ce & R* ei, *rectè.*

*l.*36. qui tamen priùs votum ſpontaneus fecerat peregrinandi *deſunt à C & à W.*

*l.*38. *poſt* depoſuit *ſequitur in C & W* quæ omnibus, & præcipuè Epiſcopis, portanda prædicatur.

P.130.l.13.

P.130.l.13. Comitatum de Sumerſete & de Dorceſtre, *ita &* C; *ſed W* Comitatum Cornubiæ & Comitatum Devoniæ, & Comitatum Sumerſete & de Dorſeto. *Circa hæc loca etiam turbatus eſt ordo in W & in C.*

l.25. Nigiliacum *O* Vigiliacum.

l.31. adimplere. Profectus eſt autem Doveram *Ce* adimplere. Profectus eſt ad Doveram *R* adimplere, recedens profectus eſt Doveram.

l.40. juſticiariam à magno flumine uſque ad Scotorum mare *C & W* à flumine Humbræ uſque ad &c. *Abhinc uſque ad* Anno Dominicæ Nativitatis M.C.XC. *plurimum turbatus eſt ordo narrationum, & multa hinc inde ſunt tranſpoſita, nec eandem tenent ſeriem* C & W, *imo & ambo ſubinde mutili ſunt.*

l.38. rectas unicuique *Ce* rectas, ut unicuique.

l.42. & Turris Londonenſis *ce* & Turre London.

l.56. impenderetur *deeſt à C, rectè.*

l.61. non pigritaret *Ce* non pigriter.

P.131.l.20. Nizeliacum *Ce* Vizeliacum.

l.23. *à* Tempore quoque *uſque finem capitis deſunt à C & W.*

l.27. cum nunciis Willielmum Elienſem Epiſcopum *Ce* cum nunciis Willielmi Elienſis Epiſcopi.

l.34. *poſt* anno tertio, *& ante* Eodem anno multi, *& in C & in W intercedit Epiſtola Cantuarienſis ad Londinenſem, quam hic ſupplevimus; etiam cum Synodo quam tenuit Cantuarienſis, quam in ora inferiori C invenimus.*

B. Cantuarienſis Archiepiſcopus Hugonem Epiſcopum ſuſpendit.

Eodem anno B. Cantuarienſis Archiepiſcopus Londonenſi Epiſcopo ſcripſit in hæc verba. Cùm eſſemus apud Rothomagum H. fratrem noſtrum Coventrenſem, qui contra dignitatem Epiſcopalis Ordinis officium ſibi Vicecomitatûs uſurpaverat, ſuſpendimus à divinis. Qui poſtmodum nobis firmiter promiſit, quod Vicecomitatûs curam in manus Regis reſignabit, nec ſe de cætero hujuſmodi officiis immiſcebit; unde à nobis beneficium Abſolutionis promeruit. Mittimus igitur ad vos eundem Epiſcopum cum literis noſtris, mandantes, quatenus vobis Roſenſi Epiſcopo, cum Clericis noſtris adjuncto, eidem certum diem & locum ſtatuatis, & ſuper articulis pro quibus à nobis ſuſpenſus fuit, quod juſtum fuerit ſtatuere non omittatis.

Baldewinus Archiepiſcopus Cantuarienſis celebravit Concilium apud Weſtm. ibique valedicens fratribus, iter arripuit Hieroſolymitanum magnificè præparatus; & cùm in terra ſancta ſtrenue per aliquod tempus militaſſet Deo, ſecundùm precem & deſiderium ſuum, tanquam miles Chriſti emeritus, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, ſicut in ſequentibus ſuo loco pleniùs dicetur.

l.48. *poſt* ſed populus *multa in W (ſed vitio Scriptoris) omittuntur.*

P.132.l.1. Datum Nonis *C & ce* Datum Laterani Nonis.

l.5. Caluncis *ce* Balunſis.

l.12. præter eos *ce* p *(poſt)* eos.

l.15. Be leem *C, W* Bethleem.

ibid. & Regi de ſagitta *C* & Reg. (Reginaldus) de ſagitta.

ibid. de Turona Eſtamb. *C & W* de Turona & ſub Turona Eſtamb.

l.18. Rad. de Cliſeto *C & W* Diceto

l.31. ſunt in ſua poteſtate *W* habent, *rectè.*

l.54. Auxiſnem *O* Auxienſem.

l.64. *poſt* caput *O addunt* effundatur, & pluma pulvinaris ſuper caput ejus excutiatur, &c.

P.133.l.8. ad Rhodanum *ce* ſuper Rhodanum.

l.10. non poterant enim loco uno contineri *ce* non poterat enim locus unus continere.

l.19. Wintilminie *W* Wintilinum *Ce* Wintelimien.

l.52. *poſt* veliſicarent *addunt C & W* & præteriſſent quandam terram in mari protenſam, quæ Godelter appellatur.

P.134.l.20. *poſt* adiit *ſequitur in C & W* & accepta licentiâ Dominicam ibi crucem depoſuit, & ſic clitellis evacuatis, ad Angliam rediit abſolutus.

l.36. *ab* Hujus autem facti *uſque ad finem capitis multùm variant C & W ab Impreſſo; ſed tamen ſenſus ad idem redit.*

l.44. Lemba maris *C & W* Labamare *R* Lambamare.

l.57. terminatum eſt *Ce* decitatum eſt.

P.135 l.19. plurimos perſolvit *C & W* plurimos ſtipendia perſolvit, pauperum ſemper curam agens, ergo deſtitutos auxilio, nunc oculo reſlectens, officium boni Præſulis per omnia implens. Civitas verò, &c. *ce & R* debita ſtipendia perſolvit.

l.20. victualibus *C & W* machinis.

ibid. à communita *reliqua ſic habentur in C & W* Et Salaadinus circa obſidionem exercitum ſuum undique conglobatum habebat; unde tam de ſubtractione, quam de amiſſione ibidem mortuorum exercitui Chriſti erat nimis inimicus. Veruntamen Chriſtiani de conſolatione Chriſti confidentes, moleſtias obſidionis & labores, uſque ad adventum Regum ſperant ſe poſſe ſuſtinere; ſi videlicet circa ſequens Paſcha venerint, ſin autem & pecunia deficiet, & ſpes terrenæ conſolationis evaneſcet. *Imò & quicquid liber impreſſus habet à* toleravit *l.22. uſque ad finem capitis & à C & à W deeſt.*

l.33. alta ſe ſperare *C & W* ſapere.

l.56. A Papa Angliæ *deſunt à W, cum cæteris uſque finem capitis.* A Papa Angliæ *uſque ad* celebravit *adduntur in Ce in margine.*

l.58. *poſt* Cal. Aprilis *addit C* obiit eodem anno Ranulphus de Glanevilla, *quæ verba in Ce alia manu adduntur.*

l.62. *poſt* Leyceſtrenſis *ſequitur in C & W* Ranulphus de Glanvilla, Radulphus de alta ripa, Archidiaconus Coleceſtrenſis, & alii innumerabiles cum eis, & aeris nimia corruptione, ut dicunt. Reges verò Francorum & Anglorum in Sicilia moram fecerunt, donec veniret tempus vernale, quo poſſunt tutiùs maris pericula evitare. *C autem interſerit,* Hic autem parva eſt hiſtorialis anticipatio, Eodem anno Clem. Papa, &c.

l.63. alii innumerabiles *Ce* alii multi mihi ignoti innumerabiles.

P.136.l.22. conſecravit Imperatorem *Ce* conſecravit in Imperatorem.

l.28. Vicarius illius *W & Ce & R* Vicecomes, *rectè.*

l.33. *poſt* cognoviſſet *Ce* ipſum jam qui in Prioratu Sancti Martini hoſpitabatur, obſedit, & fame immiſericorditer coarctavit, ut vivere cogeretur in penuria de alieno. Injunctum eſt etiam ei tandem, ut præcisè exiret de regno feſtinanter, ne pejus ei contingeret. Excommunicavit igitur Archiepiſcopus omnes illos injuriatores, quia jam manus violentas in ipſum injecerunt, turpiter contrectantes. Et tandem captus &c. *ita & R.*

l.34 *poſt* peragens, per ſex dies cum armatorum multitudine *addunt C & W* fecit in Prioratu Sancti Martini nequiter obſideri; quem etiam in tantum coarctavit, ut vix ei medio tempore victualia poſſent emendicata conferri. Nam perfidorum malitia in deterius proruente milites Elienſis Epiſcopi cum armatorum multitudine venerunt ad Eccleſiam præfatam cum fuſtibus & armis, irruentes in Archiepiſcopum firmiter indixerunt, ut de regno ſine mora in Flandriam navigaturus exiret. Quod facere recuſans Archiepiſcopus, ſtolam in collo gerens, in manibus crucem bajulans, ab altaris cornu per pedes, per crura, per brachia, colliſo capite in pavimentum violenter extrahitur; & per viam lutoſam, per loca immunda, cum Clericis ſuis & viris religioſis, qui de partibus multis ad ipſum videndum convenerant, perductus eſt in caſtellum, &c.

l.41. *poſt* Londonias venit *R & Ce addunt* ſub Ducatu Epiſcopi Londonenſis liberatoris ſui, ubi ab eodem Epiſcopo præeunte, & honorem venturo præparante, ab eodem Clero & Populo ſuſceptus, &c.

l.42. *poſt* proceſſione ſolenni *addunt C & W* Hæc profectò temeraria præſumptio, poſtmodum in Cancellarii dejectionem (ut in ſequentibus dicetur) plurimum redundavit. *Illa verò periodus* Excommunicavit igitur Archiepiſcopus *cum linea ſequente (ſcil. 42.) omnino deeſt à C & W.*

l.46. horam ſeptimam *Ce* horam ſextam.

ibid. Luna vigeſima ſeptima, Sole in ſigno Cancri exiſtente *deſunt à Ce.*

l.50. *poſt* Domini *Ce addit* Regis Francorum *apud* Achon, *rectè.*

l.52. Quumque proſperè verſus Achon veliſicaret *C & W* qui dum proſpero ventorum flatu verſùs Achon (quæ civitas antiquo vocabulo *Ptolomaida* dicebatur) vela dirigeret oct. Id. Junii, &c.

l.54. *poſt* Babyloniæ *Ce & R addunt* ſcil Saphadino.

l.56. Serpentúmque ignotorum *C & W* ignitorum plurima, &c. & robuſtorum hominum mille, & quingenti quorum ſuffragio navis muniretur. Inſtruct. Ig. &c. *Ce & R* ignitorum.

l.59. *poſt* immobilis permanebat, *reliqua ſic ſequuntur in C & in W,* Tandem quidam remigum mergendi ſub aquis arte eruditus, natans ſub latice acceſſit ad navem, & eam quantocius terebro perforavit: qua perforata, nauta Chriſtum habens tutorem, ad galeiam de qua exivit reverſus, Regi quæ fecerat declaravit. Deinde modico tractu temporis aqua ſubintrans, omnia navis tabulata tranſcendit, & hominibus qui prius in propugnaculis confidebant, ſpem evadendi prorſus ademit. Quorum mille trecentos Rex Richardus in mari ſubmergi præcepit, & ducentos vivos ad cautelam reſervavit.

l.62. mille trecentos *Ce & R* trecentos.

P.137.l.4. Quod factum Chriſtianos, &c. *uſque ad* declarans, *Ce & R ſic,* Quod caute non per ſuperbiam factum eſt, ſed ut Chriſtianos animaret & confortaret, & terreret inimicos, ſola tamen Francorum ſuperbia obgrunnivit.

l.5. animi ſui generoſitatem omnibus exponens *Ce* munificus & magnificus.

l.7. *poſt* machinas alias *Ce addit* ſecundùm ordinem & diſciplinam militarem.

l.8. Qui cum lapidibus ponderoſitate, &c. *uſque ad* fiduciam reſiſtendi *C & R* Obſeſſi igitur undique deſolationem conſiderantes, muris ſuis ponderoſitate lapidum concuſſis, & ſpiculorum grandine appetiti, in ſtuporem & diffidentiam ſunt converſi.

l.10.

l.10. talibus initis pactionibus *Ce* ita ſcilicet.

l.11. bello ceperat reſtitueret, &c. redderet *Ce* & *R* bello ceperat, redderet, &c. vellent, & inſuper, *rectè*.

l.13. ad pactionem præfatam augerent *C* & *R* illis numeraret.

ibid. Civitas cum armis & omnibus *Ce* & *R* Civitas nobiliſſima, quæ Achon vel Ptolomaida nuncupatur cum omnibus, &c.

l.14. reddita eſt *Ce* eſt feliciter mancipata.

l.16. In tanti igitur ultionem exceſſus *Ce* in cujus rei ultionem.

ibid. circa duo millia & ſexcenta Saracenorum capitis. &c. *ad finem capitis, Ce* duo millia civium, & ſexcenti ſunt decapitulati, cæteris carcerali cuſtodiæ mancipatis.

l.19. ad propria redire *Ce* repatriare.

l.21. Regi *Richardo Ce* probitati ac proſperitati Regis *Richardi*.

ibid. Rex æris *Ce* ærarii.

l.23. promovere *Ce* conſummare.

l.25. victualiumque congregatione *Ce* victualibúſque.

l.40. & poſtea per cannarum *uſque ad* incrementum *deeſt* & *à C* & *W*. *Loco tamen ejuſdem periodi hæc interſerunt illi codices*, Poſt pullulaverit *Richardo* Rege urbem eandem manu armata contra regem obtinente, & plurimos ſuorum proſternente, ob convitia & vexationes quas exercitus Regis Francorum ſuo exercitui inferebat. Cernens itaque (ut jam dixi) Rex Francorum diverſæ nationis homines, qui ad loca ſancta confluxerant, ſe ſub poteſtate Regis *Richardi* tradere; famámque probitatis ejus indies creſcere, eò quòd eſſet in theſauris locupletior, in donativis erogandis profuſior, in exercitu numeroſior, in hoſtium expugnatione ferocior; reputans pro alterius excellentiori gloria, famam propriæ probitatis obfuſcari, maturiùs naves conſcendit. His autem omnibus illud acceſſit, quòd Comes Flandriæ jam obierat, cujus terram plurimum geſtiebat. Igitur juratoria, &c. *Interim Lector obſervare poſſit, lineas illas* 41, 42 (dimiſit tamen *uſque ad* de proditione) & *à C* & *W deeſſe*.

l.47. His ita geſtis, glorioſus Rex *Richardus*, *deeſt à C*.

l.48. commilitonibus *Ce* militum legionibus.

l.50. ducenta Saracenorum *C* DCC, *W* DC.

ibid. ex hiis quos in Ptolomaida, &c. *Ce* de Achonenſibus, ut prædictum eſt.

l.52. occupaverant *Ce* inhabitabant.

ibid. in eos ſicut in Ptolomaidenſes debaccharet *Ce* in eos deſæviret.

l.55. egerunt *deeſt à Ce*.

l.57. à Chriſticolis *Ce* à fidelibus.

ibid. &c. licet non ſine gravi, &c. *uſque ad finem capitis*, *Ce ſic*, non tamen ſine gravibus certaminibus, exercitu Salahadini ſemper à latere exercitui Chriſtiano inſidiante. Et ſic Rex victor Achon rediit lætabundus, & poſt paucos dies exiens ad Jopen, non longè à Cæſarea, repulſo Salahadino cum toto exercitu ſuo, victo & turpiter fugiente, victoriam glorioſam conſecutus eſt. Dedit igitur tunc *Henrico* nepoti ſuo regnum Hieroſolymitanum, cum uxore Marchiſii de Monte Ferrato. Eodem tempore redemit ſanctorum plurimorum reliquias, quas Salahadinus ceperat, pro infinita pecunia. Eodem anno, &c.

l.61. *poſt* rediit cum triumpho *tria ſubſequentia capita in Impreſſo deſunt à Ce* & *R*.

P.138. l.11. quadraginta annis *C* ſexaginta *W* quadraginta.

l.32. quatuordecim millia *C* & *W* ſeptem millia.

l.34. philaterna *C* & *W* philacteria.

P.139. l.4. patribus *O* apparibus, & *l.8. itidem*.

l.6. de aliis *C* & *W* de caſtellis.

l.14. *ab* Hoc anno *uſque ad* Eodem tempore *l.17. deſunt à W*.

l.48. dati ſunt obſides *Ce* dati ſunt in obſidatum

P.140. l.13. Eodem anno juvenis, &c. *totum caput deeſt à Ce*.

l.22. quadraginta novem *O* viginti novem.

l.27. poſt Paſchalem ſolennitatem *Ce* poſt Paſcha.

l.28. armata manu *Ce* viriliter.

l.29. gravi pretio redemptionis abire permiſit *Ce* incarceravit donec graviſſima redemptione liberarentur.

l.37. *poſt* onuſtis *ſequitur in Ce* maximè cum victualibus utpote frumento, amygdalis, ficubus, uvis paſſis, & conſimilibus.

l.38. *poſt* numeroſitatem *Ce addit* quam Caravanam vulgus appellat.

ibid. viri quinque *C* & *W* quique.

ibid. poſt ſtrenuiſſimi *Ce addit* cum ſuis Caravanariis.

l.39. juxta turbatam *C* turbam *W* rubeam *Ce* & *R* rubeam.

l.41. Maximè tamen, &c. *uſque ad* nationibus *deſunt* & *à C* & *W*.

l.44. *Totum caput incipiens à* Circa idem tempus *uſque* Rex autem *Richardus*, *l.61. deeſt à W*, & *in C in limbo inferiori codicis inſeritur*.

ibid. Circa idem tempus venit Dux Auſtriæ, &c. *uſque ad l.50.* clamor ad aures Regis; *Ce ſic*, Ipſis quoque diebus cùm lis oriretur de hoſpitiis capiendis, inter prævios Mareſchallos Ducis Auſtriæ, & Armigerum cujuſdam Militis de Normannia, & clamor ad aures Regias, &c.

l.54. garrulis laceſſitus cognoviſſet *Ce* & *R* qui de more verboſi verba incompoſita & ampulloſa ebulliunt didiciſſet.

l.57. ut quemque ſuperbum *Ce* & quandoque ſuperbum *R* ut quandoque ſuperbum, *rectè*.

P.141. l.15. Jumans *Ce* Jumaus.

l.17. onuſtis *Ce* & *R* onuſtos.

P.142. l.1. cum pauco *Ce* & *R* cum parvo.

l.2. citus advolator *Ce* & *R* ocius.

ibid. maturavit *Ce* & *R* ſtuduit.

ibid. ſed naves vi ventorum *uſque ad* Jopen appulerunt *l.6. C* & *R* Et quia ventus adverſabatur ex obliquo remigantes, cum tribus tantùm navibus tertia die mane in portu Jopen applicuerunt.

l.7. *poſt* ac vulneratos *uſque ad l.16.* Regis diffidentes, *Ce* captos juſſit perimi, quinque tamen præſtantiores reſervando, ſed ipſi ſtrenui valde evadentes, ſe in caſtrum receperunt, & invenerunt ibidem omnes tractatum habentes de reddendo caſtro, quod & cito feciſſent, niſi de adventu Regis certificarentur.

l.17. audaciores *Ce* animæquiores.

ibid. Rex autem, ut ex gravi conflictu *uſque ad finem capitis*; *Ce ſic*, Rex verò ut caſtellum nondum fore eſſe captum cognoviſſet, de navi proſiluit, & in medias hoſtium catervas ſe audacter inieſſet, à dextris & ſiniſtris inimicos proſternendo. Cujus ſubitaneum impetum Turci non ferentes, credentes etiam ipſum numeroſum exercitum adduxiſſe, ab obſidione diffugiunt, donec regrederentur civitatem, Salahadino in curru rapido præcurrente. Rex autem hoſtibus fugatis figi præcepit tentoria ſua extra urbem.

l.32. ſexaginta duo, *ſic W* & *R*, *ſed C* quadraginta duo. *Poſtea tamen C agnoſcit* ſexaginta duo.

l.52. circumſpectiùs *Ce* incircumſpectiùs, *rectè*.

P.143. l.1. Interea nuntiatur exercitui, quem apud Ptolomaidam. &c. *uſque ad* Eadem hora Salaadinus; *Ce* & *R ſic*, Interea nunciatur exercitui quem apud Achon Rex dimiſerat, apud Jopen Regem ab hoſtibus circumſeptum, quantocius capiendum, niſi celeriùs ei ſubveniatur. Convenerunt igitur ſtrenuiſſimi ad unguem armati; ſed cùm ad locum perveniſſent certaminis, & audiſſent quòd Rex cum tam paucis de tot millibus hoſtium tam glorioſe triumphâſſet, Deum pariter & communiter laudaverunt æquè in paucis & in multis dimicantem & triumphantem. Cum autem hæc audiſſet Salahadinus, etſi invitus, Chriſtum Dominum ad Deum Chriſtianorum glorificavit; adjungens quod inter omnes mundi Principes digniſſimus admiratione fuit Rex *Richardus*, ſi non ſui tam prodigus extitiſſet: non enim ut aſſerebat, Regem decet omni ancipiti periculo ſe exponere. Sed ſi aliquis Rex magnificus tales mille haberet commilitones, profectò totum mundum ſibi in brevi ſubjugaret.

l.8. *ab* Eadem hora Salahadinus *uſque ad finem capitis, omnia deſunt à W*.

ibid. Eadem hora Salahadinus, quaſi in ultionem, &c. *Ce ſic*, Eadem hora Salahadinus quaſi in ultionem juſſit ſibi quendam captivum, quem diu in vinculis arctiſſimis tenuerat, Principem ſcilicet quandoque Antiochiæ ſibi præſentari. Intuens igitur ipſum torvo aſpectu ait, Sic te quandoque adjuvet & liberet Deus tuus Chriſtus, quid de me faceres ſi ſic me vinctum haberes? Et cùm paululum ſubſiſtiſſet vinctus, iterum adjuravit eum Salahadinus ut veritatem non diſſimularetur. At ipſe adhuc parum hæſitans, audacter in hunc ſermonem palam erupit; Vis Salahadine ut verum tibi dicam? Certe quia qualiſcunque Rex es, in lege tua deteſtabili Chriſto Deo inimiciſſimus, morte punieris, nullo theſauro etiam Octoniani redimendus; ſed propter reverentiam tuam & dignitatem, non inferior perſona quàm ego te decapitaret, ego ipſe te decollarem. Salahadinus igitur ipſius vincti admirans animoſitatem ait, Nunquam te talem habiturum poteſtatem, ore tuo te judico, & tu idem ſubibis judicium. At vinctus proſiliendo appropinquans ei, & collum extendens alacriter ait. Hoc eſt quod diu deſideravi, nihil amplius aſportabis. Et juſſit Salahadinus ſtatim gladium ſuum ſibi tradi, & ibi eadem hora ipſum manibus a tergo vinctis decollavit. Hoc vidit Magiſter Ranulphus Beſace, Phyſicus Regis Richardi, qui poſtea Sancti Pauli Londoniæ, qui tunc cuſtos Regis corporis extiterit quia longævus, venerat enim illuc ſub pacta pace, ut viſitaret quoſdam infirmos captivos, etiam poſtea plus quàm ſexaginta annis vixit, ſed ſecus (cæcus) per multum temporis. Poſt memoratam autem Regis Richardi inauditam victoriam, &c.

l.23. *poſt* morarutur *Ce addit* infra quod tempus juſſit apud Achon capellam in honorem ſancti Thomæ martyris fabricari. *Nota L. reſiduum hujus capitis*, & *totum caput ſequens incipiens*, Tempore igitur autumnali *multùm diſcrepare à Ce*.

l.30. hoſpitalitatis *O* hoſpitalis.
l.39. quod multùm diſplicuit, &c. *deſunt ab O*.
l.61. per Germaniam *Ce* per Theutonicam.
l.65. expetierunt *ce* expetentes.
P.144.*l*.2. in annulo aureo incluſum *Ce* cum annulo aureo includens.
l.5. inquirens nuncius reſpondit *Ce* inquirens à nuncio reſpondit.
l.19. vel aliud ſignum *ce* vel aliquod ſignum.
l.23. fugam accipere *Ce* fugam arripere, *rectè*.
l.28. fame urgente *ce* famis urgente inedia.
l.63. Quem feria tertia poſt ramos Palmarum adducens *Ce* & ipſam adducens.
l.65. *poſt* præcepit *ſequitur in ce* illud oppidum in quadam provincia eſt, in qua ſunt tres profundiſſimæ valles & opacæ, in quibus ſenes & valetudinarii etiam à filiis id pietatem reputantibus ſolebant præcipitari, & ſecundùm eorum nobilitatem in curribus adornatis pompoſe illuc adducti ſenes, convivio facto & valedicto in dictas valles detrudebantur, in trivallis, &c.
ibid. poſt ibidem intravit *Ce & R addunt* & in quem includi crudelius cenſetur quàm interimi, unde illud Philoſophicum Bonum, &c.
P.145.*l*.1. Ariſtoteles libro quinto *W* Topicorum libro quinto.
l.4. ubi ſub copioſa *uſque ad* comitarentur gladiis *l*.5. *Ce ſic*, Ibique ſub copioſa militum armatorum vigili multitudine, ſtrictis gladiis die ac nocte ſtrictiſſime cuſtodiebatur.
l.5. qui etiam *c & W* qui eum.
ibid. Lectum autem Regis, &c. *uſque ad* permiſerunt *deſunt à Ce*.
l.9. Quoties autem cuſtodes, &c. *ad finem capitis*; *Ce ſic*, Cujus facta mirabilia ne hiſtoriæ ſeries retardetur, aliis enarranda derelinquo.
l.13. ſed ipſum, &c. *uſque ad* prætendit, *l*.14. *Ce* quia ipſum in pluribus graviter propoſuit accuſare.
l.15. H. Cluniacenſi *ce deeſt* H.
l.17. ſuâ accerſiri *Ce* ſuâ ſolemniter accerſiri.
ibid. coram omnibus *Ce* palam crudeliter.
l.23. deputaverit, & terram *Ce* deputaverit compeditum & terram.
l.24. & inſulam cuidam *ce* & inſulam tam fraudulenter quàm truculenter cuidam.
l.26. ab Arſacidis *C addit* id eſt, aſſaſſinis, *rectè*. *W* ab Eſſinis *R* ab aſſeſſinis.
l.27. fidelitatem, ut debuerat *ce & R* fidelitatem aut reverentiam ut debuerat.
l.30. verbis probroſis & factis *ce* verbis ampulloſis, qui ut ipſe venerant veſtigia Chriſti in terra ſancta fideliter adorare & factis.
l.32. *poſt* in medio ſtans *ce & R addunt* licèt patricida ſuperbus & proditor appellaretur.
l.34. *poſt* ulterius remaneret *omnia illa uſque ad* rationabiliter judicaret *l*.40. *deſunt à Ce & R*.
l.41. *poſt* diſertiſſime *Ce & R addunt* ſe excuſans.
l.42. *poſt* facundiam *Ce & R addunt* & in tribulatione conſtantiam.
ibid. poſt oſcula *Ce & R addunt* & amplexus.
l.43. *poſt* familiariter honorare *Ce & C addunt* Ille Dux Auſtriæ poſtea à Domino Papa & omnibus Cardinalibus excommunicatus eſt. In morte autem licèt non ſatisfecerit ad cautelam, ne in deſperationem caderet, ab Epiſcopis ſuis abſolutus obiit horribiliter. *Quæ verba deſunt à* W: *Imò & cùm de Duce Auſtriæ intelligenda ſunt, inſeruntur in* C *ante* Juſtum tempus, *p*.149.
ibid. poſt familiariter honorare *hæc in W inſeruntur*; *quæ tamen deſunt à C, Ce, & R*: Rex autem Richardus, cùm injuſtè fuiſſet (ut dictum eſt) de morte Marchiſii accuſatus nuncios miſit ad Magiſtrum Aſſiſinorum ſolennes, petens ab eo ut ſcriberet Duci Auſtriæ ſive Imperatori, & ſuam innocentiam excuſaret; à quo has ſequentes literas impetravit. Limpoldo Duci Auſtriæ vetus de Monte ſalutem. Cùm plurimi Reges & Principes ultra mare, Richardum Regem Angliæ & Dominum, de morte Marchiſii inculpent; Juro per Deum qui in æternum regnat, & per Legem quam tenemus, quòd in ejus morte nullam culpam habuit. Eſt autem cauſa mortis Marchiſii talis; unus ex fratribus noſtris in unam navem de Salteleia ad partes noſtras veniebat, & tempeſtas forte impulit illum apud Tyrum; & Marchiſius fecit illum capere & occidere, & magnam pecuniam ejus rapuit. Nos verò Marchiſio nuncios noſtros miſimus, mandantes ut pecuniam fratris noſtri nobiſcum ſe concordaret, & noluit; ſed nuncios noſtros ſprevit, & mortem fratris noſtri ſuper Reginaldum Dominum Sydonis poſuit: & nos tantum fecimus per amicos noſtros, ut in veritate ſcivimus quòd ipſe fecit illum occidere, & pecuniam rapere. Et iterum alium nuncium noſtrum (nomine Edriſum) ad eum miſimus, quem in mari mergere voluit; ſed amici noſtri illum à Tyro feſtinanter recedere fecerunt, qui ad nos citò venit, & nobis iſta nunciavit. Nos verò ex illa hora Marchiſium occidere deſideravimus, & duos fratres ad Tyrum miſimus, qui eum aperte & fere coram omni populo Tyri occiderunt. Hæc autem cauſa fuit mortis Marchiſii, & benedicimus vobis in veritate, quòd Dominus Rex Richardus in hac morte Marchiſii nullam culpam habuerit; & propter hoc Domino Regi Richardo malum fecerunt injuſte, & ſine cauſa fecerunt. Et ſciatis pro certo, quòd nos nullum hominem hujuſmodi pro mercede aliqua, vel pro pecunia occidimus, niſi malum nobis prius fecerit. Et ſciatis quòd literas iſtas fecimus in domo noſtra ad caſtellum noſtrum Meſſiac, in dimidio Septembris coram fratribus noſtris, & ſigillo noſtro eas ſignavimus, Anno ab Alexandro M.D.
l.48. ſolveret. abſque expenſis, &c. *uſque ad* factis *l*.49. *Ce & R* forent ſolvenda, & antequam inter eos conveniret, exceptis expenſis hinc inde faciendis.
l.50. ut quum *Ce, C, & W* ut quam citius *R* ut quantocius.
l.51. proprium regrederetur ad regnum *ce* ad propria remearet.
l.56. Joannes verò Norwicenſis, &c. *Ordo hic aliquantulum invertitur in Ce & in Impreſſo*.
l.57. & dimidium de rebus habitis Regi donavit *Ce* & dimidium de theſauro ſuo adquietavit. *Et in Ce ſequitur*, Abbas quoque Sancti Albani Warinus omnes ſuæ Eccleſiæ Dioceſis adquietavit, de ſuo centum marcas konferendo. *Quæ tamen deſunt in Impreſſo*.
l.60. Hujus autem, &c. *uſque ad finem capitis deſunt à Ce & R*.
l.63. infœlicitas *C & W* inſertilitas.
P.146 *l*.4. ſi autem ſatisfecerit, ignoratur *deſunt à Ce & R*.
l.20. ſed filius *O* ſecundus filius.
l.25. & munitiones, præter villas pluſquam ſexcentas *O* & munitiones, & caſtra præter villas. Quartus filius ejus nomine Mehmeodain, tenet regnum Aſiæ; quod habet inter civitates, & munitiones, & caſtra, præter villas pluſquam ſexcentas.
l.27. Calyphus appellatur *Ce* Calyphus & Calypha appellatur.
l.32 ſicut à populo Chriſtiano Chriſtus crucifixus *Ce* ſicut populus Chriſtianus adorat Chriſtum crucifixum.
l.36. Saracenos tranſmittit *Ce* Sarateos quoddam pondus auri ſicut ciclus argenti tranſmittit.
l.43. dicitur eis *C & W* datur.
l 59. *poſt* Rege iniit *ſequitur in Ce & R* qui libens in odium Regis Richardi ejus ſuſcepit amicitiam, & propoſitum acceptavit.
ibid. uſus *Ce* inclinans.
ibid. in Anglia pro fratre diſpoſuit coronari *Ce* diſpoſuit coronari, & pro fratre in Anglia alter Jacob regnaret.
ibid. poſt coronari *ſequitur in Ce* Dicebat enim periculum regnum eſſe ſine Rege, ſicut navem ſine gubernaculo *R* Dicebat enim in periculo æque eſſe regnum ſine Rege, atque navem ſine gubernaculo.
l.61. Rex Francorum Philippus in illis *uſque ad* aggreditur *l*.62. *Ce* Rex Franciæ Phil. juramenti ſui immemor & fidei, Normanniam hoſtiliter aggreditur, qui fraudulenter liberationem Regis Richardi *prout potuit impedivit*, vaſtans igitur & occupans dictam terram.
l.65. partim proditione, partim expugnatione, ſibi ſubegit *ce* plus proditione & fictis mendaciis & falſis mandatis, quàm expugnatione, in brevi ſubegit.
P.147 *l* 1. Terram etiam Hugonis *uſque ad* ſubjugavit *l*.2. *deſunt à Ce*.
l.4. Eboracenſem *O* Ebroicenſem *rectè*, Eureux.
ibid. eam Comiti *C & R* eam Joanni Comiti.
l.7. mirabili decore præditam *Ce* miræ pulchritudinis.
ibid poſt in uxorem *Ce & R addunt* ut partem ſuam plus contra Regem Richardum roboraret.
l.10. Canonice electus eſt, & in craſtino ſancti Leonardi in ſua ſede eſt collocatus. Cujus. *Ce & R* promovetur. Cujus.
l.11. induſtriæ ex *Ce & R* induſtriæ ac fidelitati ex.
l.13. mater Regis *Ce* mater & amatrix Regis indefeſſa.
ibid. poſt videre maturavit *R & Ce addunt* Archiepiſcopus verò memoratus ambitioſus impetus Comitis *Joannis potenter interim refrænavit.
l.18. per terram Comitis Lovaniæ ad mare Britannicum perveniens *deſunt à Ce*.
l.22. quàm ad longitudinem *Ce* quaſi ad longitudinem, *rectè*.
ibid. & latitudinem *deeſt à Ce*.
l.26. univerſa civitate *uſque ad* timuerunt reverſurum *l*.28. *Ce ſic*, occurrentibus & applaudentibus regni magnatibus, ſolo Comite Joanne ingemiſcente.
l.29. *poſt* timuerant reverſurum, *cætera deſunt à W uſque* Rex verò *l*.37.
l.29. Cui adventanti, &c. *uſque ad* orationis progreditur *l*.37. *Ce ſic*, Rex verò vix per diem apud Weſtmonaſterium commorans, ubi exenium ab Abbate ſancti Albani Guarino ſuſcepit nobiliſſimum, quia ſeſe præcordialiter diligebant. Miſit enim ei quatuor cuppas argenteas, & totidem an-

annulos nobiliſſimos, & centum cochlearia, & zonas ſex chariſſimas, per famulum quendam dictum Galfridum Hackſalt, qui me Scriptorem ſuper hoc reddit certiorem. Miſitque Rex regalem oblationem Eccleſiæ ſancti Albani, ſuam excuſando abſentiam ad ſanctum Edmundum, gratiâ orationis, & gratiarum perſolvendarum perrexit.

*l.*42. ut certiùs *uſque* ſupponentes *l.*43. *Ce & R* ſed ſtatim Regi adventanti, qui in ipſo erant, ſeſe ſtatim reddiderunt, Comite Joanne jam obmurmurante.

*l.*43. Quorum quoſdam in carcerem, *&c. uſque finem capitis*; *Ce ſic*, Quorum quoſdam Rex incarceratos graviter redemit, quoſdam nimirum exhæredavit, quoſdam proſcripſit, aſſumptis ſibi eorum terris & catallis, qui mendicaturi exularunt; Comiti Johanni, & propriam ambitionem, & præſumptionem, & infidelitatem deteſtantes.

*l.*51. in Anglia, *&c. uſque* coronatus eſt *l.*52. *Ce ſic*, in Anglia, & multiplicatis amicorum precibus Comite Joanne in fraternam amicitiam revocato, Rex apud Wintoniam coronam portavit.

*l.*55. ubi Comes Joannes, *&c. uſque* gratiam recepit *l.*61. *Ce ſic*, Comes autem Johannes frater ejus ſciens jam ei pacificatum ſibi eidem occurrens, ſe pedibus ſuis proſternens miſericordiam imploravit de commiſſis. Commota ſunt Regis viſcera ſuper fratre ſuo, & omnem remittens indignationem in oſculo eum recepit.

*l.*58. *ita legit W*, ſéque in multis accuſans, inſipientiam confitetur; *C autem in eadem linea ita legit*, Et quod ſic neceſſe fieri, cùm omnium fuiſſet opinio, quod irrevocabilis, &c.

*l.*65. nec in petrariis, *&c. uſque* pertendit *l.*2. *pag. ſequentis*, & per octodies infatigabiliter infeſtaſſe, illinc feſtinanter avolavit.

*P.*148.*l.*1. ſed ne die, *&c. uſque* adventurus *l.*3. *Ce ſic*, & ecce audierunt ſub ipſo noctis crepuſculo, quòd Rex Anglorum accinctus ad pugnam, ſummo mane foret adventurus fulgurando.

*l.*4. quàm pugnare, *&c. uſque finem capitis*, *Ce* quàm dubia fata Martis experiri.

*l.*9. à Vernolio recedens *Ce* Vernolio turpiter, *rectè*.

*l.*10. appellatur, furibundus *Ce* appellatur, quaſi in ultionem furib.

*l.*14. Quod Rex Francorum nomine, *&c. uſque* commiſerat *l.*17. *deſunt à Ce*.

*l.*18. copioſam ducens exercitum, & quinquaginta baliſtariis additis, centum habens in comitatu *Ce & R* exercitum ducens cum quinquaginta baliſtariis optimis.

*l.*21. fines Turoniæ intrans *Ce & R* in finibus Turoniæ.

ibid. Undecimum *O* Vindecimum, *rectè* Vindocinum, Vindoſme.

*l.*22. Quo cum, *&c.* ſupervenire *Ce* ſed eum, *&c.* adventaſſe.

*l.*25. ſarcinaſque omnes ſub captione concluſit *Ce* ſarcinas omnes accepit.

*l.*28. ſub ſua poteſtate recepit *Ce* ſine moræ diſpendio ſuæ ſubjugavit poteſtati.

*l.*29. exiſteret *Ce* inveniretur.

*l.*30. miſit *Ce* deſtinavit.

*l.*31. *à* (quorum *uſque* profuderant) *deſunt à Ce*.

*l.*38. quintus appareat; ut paritate ſervata, corporum & armorum æqua lance confligant. Quod Rex *Ce* quintus cenſeretur. Quod Rex.

*l.*39. in ſubſannationem multorum *Ce* præciſè.

*l.*40. à Rege Francorum & Comite Perticenſe *Ce* per Retelinum Vicecomitem Belli Montis.

*l.*41. frater Willielmi *Ce & R* filius Willielmi.

*l.*44. Eodem tempore *uſque l.*47. redderentur; *Ce ſic*, Diebus ſub eiſdem Rex Richardus præcepit torneamenta per Angliam, propter exercitium militare, libenter capi & ſtrenuè frequentari.

*l.*45. regni utriuſque *C & W* undique.

*l.*48. Manvelis quondam *deſunt à Ce*.

*l.*55. tam laborioſa revertentem *Ce* tam laborioſa tam ſumptuoſa, tamque periculoſa revertentem.

*l.*57. qui poſtmodum ambo regnum *Ce* & poſtmodum regnum.

*l.*59. in manibus ipſius per ſimile *Ce* in manibus ſuis etiam exercendo prælia, vel ſaltem per ſimile.

ibid. contra quem ipſe Rex, *&c. uſque* & hunc attollit *l.*1. *prox. pag. deſunt à Ce, & eorum loco interſeritur hæc periodus*, Sed & ipſe Salahadinus moriturus coram multis hoc proteſtatus eſt.

*P.*149.*l.*10. *Caput incipiens* Cùmque hæc & alia. *&c. ſic habetur in Ce*. Cùmque hæc & alia multa coram ſummo Pontifice Regii nuncii allegâſſent, Dominus Papa illico miſſis ſolemnibus nunciis Ducem ter ammonuit, ut tantam tranſgreſſionem emendans, Regi piiſſimo Richardo, qui toti univerſali Eccleſiæ fideliter militavit, condigna reſpondeat ſatisfactione. Quod cùm facere recuſavit, Papa cum ſuis Cardinalibus ipſum Ducem terribiliter excommunicavit, & in genere omnes qui in Regem & ſuos manus injecerant violentas, totamque terram ejus ſuppoſuit interdicto.

*l.*22. *Caput etiam incipiens* His omnibus præfato Duci, *Ce ſic legit*, His igitur omnibus Duci ab Epiſcopo Veronenſi ritè denunciatis, Dux omnia ſpernit. Percuſſa eſt igitur terra ejus ſterilitate, inaudita fame, & peſte generali. Danubius inſuper fluvios pluſquam decem millia hominum abſorbuit derivatus. Inſuper die ſancti Stephani, dum ſpaciatum equitando Dux cum ſuis ſociis pergeret, equus ejus offenſus tibiam ipſius cum pede ad arborem violenter contrivit. Tibia igitur cum pede nigredine tincta, & dolore horribiliter contumeſcens, igne percutitur infernali. Cujus cruciatum Dux non valens tolerare, pedem à crure ipſo interim dolabrum tenente fecit amputari, ſed nec ſic doloris incurabilis evaſit vehementiam, femur enim cum corpore igne memorato depaſcebatur. Tandem vero culpam recognoſcens, ſuadentibus Epiſcopis qui aderant, qui hæc in ultionem miſſa à Deo proteſtabantur, obſides abſolvuntur, & reſiduum pecuniæ ſe ſpoſpondit redditurum, ut abſolvi ante mortem mereretur. Cujus corpus diu jacuit inhumatum donec deteſtabiliter vermibus ſcateret, eò quod filius ejus mandata patris morituri exequi dedignabatur.

*l.*43. ſubjugavit ſcilicet *O* ſubjugavit ſibi.

*l.*46. *Caput incipiens* Circa dies iſtos Rex, *ſic habetur in Ce*, Circa dies illos Rex de Maroch cum regulis triginta, & innumerabili Paganorum exercitu, in quo ſex decies centum millia Paganorum fuiſſe perhibentur, ex Africa prorumpens in Hiſpaniam applicuit, terram Regis Pecith Hiſpaniæ, aliaſque provincias exterminantes; tandem audierunt quod propoſuit Papa convocato Concilio, generalem Crucefignationem conſtruere contra eos, cui exercitui præeſſe debuerat Rex Anglorum Richardus magnanimus, cujus fama jam totum repleverat orientem, & etiam multos terruerat Africanos, quibus nota fuit & incarceratio & deliberatio, & quod etiam Regem Francorum poſtea coegerat retroire. Omnes igitur increduli ad propria ſunt regreſſi.

*l.*52. Illam, *&c. ad finem capitis deeſt à W*.

*l.*55. *Caput incipiens* Eodem anno Magiſter Guarinus *totum deeſt à Ce*.

*l.*60. *ab* ſub eodem tempore *uſque ad finem capitis deſunt à W*.

*l.*63. *poſt* Cæleſtinus *Ce interſerit* conſtituit Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum totius Angliæ Legatum hoc reverenter.

*P.*150.*l.*15. accommodaret *Ce* accommodare curet.

*l.*30. Nos autem in illis *Ce* Nos autem illis, *rectè*.

*l.*40. juxta ſua moderamina *Ce* juxta ſuorum moderamina, *rectè*.

*l.*46. *poſt* Tranſmarinam *omnia deſunt à W uſque ad* Anno Dominicæ Nativitatis M.C.XCVI. *p.* 151.*l.*50.

*l.*64. carbonatorum *Ce* carbonator, *rectè*.

*P.*151.*l.*39. Ita tam leniter *Ce* Eja quàm leviter, *rectè*.

*l.*43. Qui cùm non plane crederent *Ce* Cui cùm non planè crederetur.

*l.*44. gratiarum loco *Ce* gratis.

*l.*58. de Giſortio ad totum Normannicum Vigeſinum *Ce* de Giſortio & locis finitimis municipia *R* caſtella de Giſortio & locis finitimis municipata, *rectè*.

*l.*59. munierunt *O* invenerunt, *rectè*.

*P.*152.*l.*3. triginta millia *O* tria millia.

*l.*6. Gymmeges *C* Gymleges *W & R* Gameges.

*l.*10. ob conturbationem *Ce* ob contributionem.

*l.*13. exagitare *Ce* a[illegible]rtiare.

ibid. Roberti *O* Osberti.

*l.*16. Willielmus autem infinitos *Ce* unde Willielmus contra communam London infinitos.

*l.*1[illegible]. Civium Willielmo confœderatorum ad reſiſtendum *Ce* Civium quos Willielmus confœderaverat & ad reſiſtendum.

*l.*20. Regii Miniſtri *Ce* Regis miniſteriales.

*l.*38. ad ulmetum *C* ad Helmetum Londonarium *W* ad furcas prope Tiburcinam, **To Tyburn.** *Sed quoque unà cum Matthæo Pariſienſe Wendoverum totum & purum præſtare etiam decrevimus; Narrationem illam de Willielmo cum Barba habe tibi hîc deſcriptam, in multis ſcilicet diſcrepantem à Pariſienſe.*

Circa dies iſtos ſurrexit contradictio & iniquitas in civitate London. inter pauperes & divites, ob diſtributionem nummorum ad commodum fiſci ſubeundorum, inæqualiter multociens factam, ſicut dicebatur à multis. Hujus diſſenſionis fuit cauſa Willielmus filius Osberti, contra dignitatem regiam, populum quotans, & multos ſub Sacramento ſibi confœderans, fratrem ſuum carnalem, & duos alios integræ opinionis viros, tanquam regiæ proditionis reos in ſuis conventiculis perſequebantur uſque ad mortem, & ad ultimum in Eccleſia beati Pauli ſeditionem, conclamationem, & tumultuationem multociens concitavit, & cum peccatis exigentibus indignationem Regis adverſum ſe

gra-

graviter intelligeret excitatam, infra turrem cujuſdam Eccleſiæ ad Archiepiſcopum ſpecialiter pertinentem ſeſe concluſit, locum ſacrum in caſtellum commutans. Videns autem poſtmodum multitudinem concurrere armatorum, quos Archiepiſcopus Cantuarienſis adduxerat ut fugeret mortem ſibi proximam, intra templum glorioſæ virginis ignem conjecit, & locum Domino conſecratum flammis diſcurrentibus pro parte combuſſit. Extractus tandem ab Eccleſia, perductus eſt ad Turrim Lond. calculum portans diffinitivum, & ut unius pœna metus poſſit eſſe multorum, proceris veſtibus ſpoliatus, manibus à tergo vinctis, & pedibus colligatis, equorum miniſterio per mediam civitatem trahitur ad furcas prope Tiburcinam, ſuſpenſus eſt ita ferreis catenis, & cum eo novem ejuſdem ſchiſmatis conſortes, ut quos par facinus inquinaverat ſimilis pœna multaret.

*l.*43. *ab* Anno ſub eodem Joannes, &c. *uſque* Tempore ſub eodem *l.*51. *deſunt à* Ce.

*l.*51. *à* Tempore quoque ſub eodem *uſque ad* Eodem quoque anno (*quinque ſcilicet lineæ*) *deſunt à W.*

*l.*60. Willielmum corrumpens *Ce* ex permiſſione Willielmi corrupti.

*l.*62. lætus & ridens ſuos cuſtodes *Ce* lætus & ridens, & ſuos cuſtodes deridens.

*P.*153.*l.*1. *Quoniam tota illa narratio, quæ in Impreſſo incipit cum* Diebus quoque ſub eiſdem, *non parum diſcrepare videtur à Wendovero; illam igitur ut ut in eo invenimus, vide tibi deſcriptam.*

His ita geſtis, Joannes frater Regis, & Mercadeus Princeps Brebanicorum equitationem fecerunt ante civitatem Belvacenſem; ſed dum captioni prædæ intenderent, Philippus ejuſdem civitatis Epiſcopus, & Willielmus de Merlon, unà cum filio ſuo & militibus multis & plebe armata exierunt; ſed mox capti ſunt univerſi, & ex vulgo pars maxima interfecta. Et eodem die poſt captionem illam proceſſerunt ad Milli, caſtellum Epiſcopi prædicti, & per inſultum illud ceperunt & ſubverterunt, & ſic triumphatores glorioſo Regi Anglorum captivos omnes tradiderunt. Epiſcopus autem eo quod captus erat in armis, incarceratus eſt, & vinculis graviter coartatus. Eodem anno ſubita aquarum inundatio vehemens, & fluctibus proceloſis ædificia involvens, omnia circa Secanam adjacentia, tam lignea quàm lapidea, Regem Francorum & Mauritium Perticiacenſem Epiſcopum Pariſiis commorantes non parum exterrerunt. Rex autem palatium ſuum relinquens, & filium ſuum Lodovicum ſecum aſſumens, apud ſanctam Genevefam pernoctavit, & Epiſcopus apud ſanctum victorem.

Eandem narrationem in multis quoque diſparem Ce *ita habet.*

Hiis ita geſtis, Joannes frater Regis cupiens famam ſuam reſtaurare, & Domini Regis gratiam revocare, & Marchadeus Princeps & Dux Ruptariorum & Incendiariorum in exercitu Regis Richardi, equitationem fecerunt ante civitatem Belvacenſem, ubi dum captioni prædæ intenderent, Philippus ejuſdem Epiſcopus, plus armis Martiis quam Divinæ Paginæ promptus & paratus, Regi tamen Francorum familiariſſimus quia bellicoſus; & Willielmus de Merlon cum filio ſuo, cum militibus multis, & plebe armata numeroſa, exierunt contra eos imperterriti; ſed mox capti ſunt univerſi, & ex vulgo pars maxima interfecta. Et eodem die proceſſerunt ad Milm. caſtellum dicti Epiſcopi, & ceperunt & ſubverterunt illud, & ſic glorioſè triumphantes Regi Anglorum captivos ſuos præſentaverunt; inter quos cum proceſſiſſet memoratus Marchadeus, qui Epiſcopum cum ſuo Archidiacono cum armis ceperat, & ipſos ante Regem offerens oſtendiſſet, ait ridiculoſè lingua ſua nativa, *Prins ai le Canthadur e le Reſpondeiur*, quod eſt dictu, Cepi vobis Cantatorem & Reſponſorem. Rex verò ſubridens, quia ſæpe damnificabatur per Epiſcopum & ſuos, juſſit ipſos armatos incarcerari. Sed cùm Canonici Belvacenſis ſuper hoc quærelam Domino Papæ repoſuiſſent, ſcripſit Dominus Papa Regi Richardo amicabiliter, ut miſericorditer ageret cum eiſdem, aſſerens ipſos incarceratos filios ac fratres ſuos fuiſſe, & Romanæ Eccleſiæ familares. Rex igitur ob Papalem reverentiam juſſit pondus armorum Epiſcopi, & Archidiaconi, & Clericorum qui cum ipſis erant in tantum alleviari, ut loricæ eorum deponerentur, & miſſa lorica Archidiaconi & Epiſcopi Domino Papæ ſcripſit, ſic inquiens, Vide ſi tunica filii tui ſit an non. At Papa ſubridens reſpondit, cùm vidiſſet loricam magnam & rubigine jam tinctam, Verè non eſt tunica vel fratris vel filii mei, imò nec filii pacis vel Eccleſiæ, ſed potius filii Martis; liberetur igitur talis Epiſcopus & ſui, qui armati inveniebantur, per redemptionem ad Regis voluntatem.

*l.*51. ſequana eodem, &c. *uſque ad finem capitis deſunt à* Ce.

*l.*54. convocarentur *Ce* percuteretur, *rectè*.

*l.*62. madeſcentibus *Ce* madefactis.

*P.*154.*l.*1. exanimatum, nec reconvaleſcere nin aliquo cernebant *Ce* exanimatus, expiratus, nec melioratus [illegible] cerneretur.

*l.*5. invenire *Ce* conjicere.

*l.*17. & reſedit *Ce* & recedit.

*l.*31. influentibus *Ce* interfluentibus, *rectè*.

*l.*49. animo quietiori *Ce* animæquior.

*l.*60. nil poterit *Ce* non poterit.

*P.*155.*l.*1. qui nutu, &c. me invitavit *Ce* quem nutu, &c. invitans.

*l.*2. & voti compotes effecti *Ce* & voti compos effectus.

*l.*3. demonſtratum *Ce* ut didici.

*l.*4. ubi inveniendam audieram *Ce* quos ad inveniendum audieram.

*l.*9. tantum cruoris *Ce* in cruorem.

*l.*10. ſuſcepta *Ce* ſuſcepi.

ibid. & iis *Ce* & exinde.

*l.*19. quam leniter habuimúſque, &c. quo ſenſibus corporis & mente abſens fui *Ce* quàm leniter habuimus, &c. quo ſenſibus corporis mente abſens fui.

*l.*34. æquo animo *Ce* æquanimius.

*l.*45. frigebantur *Ce* frixabantur.

*l.*47. extorquebant *Ce* excoquebant.

*l.*57. conſpicuum, ſed *Ce* conſpicuum exponere, ſed *rectè*.

*P.*156.*l.*13. ripæ profundæ loca *Ce* ripæ profunda.

*l.*40. qui ante mortem, &c. denegata mihi ſubſidia *Ce* cui ante mortem, &c. denegata ſubſidia, *rectè*.

*l.*53. illuſtrarent *Ce* coruſcarent.

*l.*64. inexſatiabili *Ce* inextricabili.

ibid. inſanientium more in miſeros ſævientes *deſunt à Ce.*

*P.*157.*l.*10. fœculenta, &c. excederent *Ce* fœculentia, &c. excederet, *rectè*.

*l.*13. premebantur *Ce* puniebantur.

*l.*53. omnium *Ce* hominum.

*P.*158.*l.*1. lætantium *Ce* jocundantium.

*l.*23. mente conceperit *Ce* mente conjiciat.

*l.*37. exoptabant *Ce* exoptantes.

*l.*61. ſervatorem noſtrum *Ce* ſalvatorem noſtrum.

*P.*159.*l.*5. muneribus *Ce* innumeris *rectè*.

*l.*19. *poſt* adeſſe feſtivitatem *O ita legunt*, tunc certiùs animadverti claſſicum illud hoc innuiſſe, quòd etiam apud cives cœleſtes non ſine, &c.

*l.*37. Lixonienſem *R* Exonienſem *rectè*.

*l.*39. ſepultus eſt, &c. *ad* Februarii *l.*40. *deſunt à Ce.*

*l.*42. *verba illa* poſt diutinam, &c. *uſque* firmaretur *l.*44. *deſunt à Ce.*

*l.*46. *poſt* recompenſationem *uſque ad* aut gravamen *Ce ita legit*, Quod & prudenter eſt conſummatum, nam pro eſcambio videlicet pro villa de Audeli, & quibuſdam aliis locis adjacentibus, quæ omnia ceperat Rex ſuper Archiepiſcopum, ut ibidem firmatis caſtris infirmiora terræ roboraret. Recepit idem Archiepiſcopus omnia molendina quæ Regis fuerant apud Rothomagum cum omni ſequela ſua, & villam de Diepe, & villam de Bocceles, cum omnibus ſuis libertatibus. Factum eſt autem hoc anno gratiæ 1197 anno regni Regis Richardi viij.

*l.*48. ſub hac autem pacis, &c. *uſque* noſtri octavo *p.*160.*l.*18. *deſunt à Ce.*

*l.*55. quanto citius *C & W* quanto certius.

*P.*160.*l.*18. Illis diebus, &c. *ad finem capitis deſunt à W, & ſic in Ce habentur*, Diebus autem ſub eiſdem quidam prædicator eximius Fulco nomine in Gallia floruit, pro quo Dominus palam virtutes operari dignatus eſt. Iſte uſuram in Francorum maximè in Flandriæ partibus conatus eſt extirpare quæ ex partibus Italicis veniens partes Ciſalpinas infecerat. Conſilio etiam illius eſt miſſus in Angliam eodem tempore ad prædicandum Abbas de Flai, qui Mercaturas Dominicis diebus quæ exerceri ſolent delevit. Eodem etiam tempore Robertus de Salepeſbires conſecratus eſt in Epiſcopum de Bangorn.

Hic ſequitur in Ce *narratio, quomodo Rex Richardus primus vidit Crucifixi imaginem, contra militem cum adorantem caput inclinare; quæ ab Impreſſo deeſt.*

*l.*34. & ipſe Regi ad Francorum *l.*35. *Ce* & ejus homagium cum juramento & fidei interpoſitione & obſidibus accepit.

*l.*36. *poſt* Crepin *Ce addit* vir potens & ingenioſus.

*l.*37. & Rex Francorum exercitu congregato, illud obſedit *deſunt à Ce.*

*l.*38. *ante illa verba* Et dum hæc fierent *Ce interſerit* Imminebat enim eis pro certo, quod in brevi per omnia triumphaturus foret Rex Richardus imperterritus, ſecundùm igitur illud Poeticum,

Mobile verſatur ſemper cum principe vulgus.

*l.*41. conceſſis, &c. pro 50 marcis argenti, viſa, &c. *Ce & R* conceſſis, &c. & armis & 50 marcis argenti.

*l.*45. illuc venit *Ce* venit Atrabatum.

*l.*47. fecit conſtringere ante & poſt eum pontes *Ce* infregit pontes.

*l.*51. *poſt* homo ejus erat *Ce addit* & unus de duodecim paribus.

*l.*52.

*l.*52. *poſt* impugnare *Ce addit* Comitis igitur cor eſt ad miſericordiam inclinatum.

*l.*54. eis redderet *Ce* eis ſine alicujus contradictionis obſtaculo, vel aliqua difficultate, vel moræ diſpendio, reſtitueret.

*l.*57. juramenti quod de neceſſitate atque coactus fecerat, extitit obligatus *Ce* juramenti ut dixerunt, quod in tali articulo, & in formidine quæ in conſtantem cadere poterat, & quaſi coactus fecerat & invitus tenebatur obligatus.

*l.*61. Regis & Martyris *deſunt à Ce.*

*l.*63. olei *Ce* celitr.

*P.*161.*l.*2. intuentium *Ce* ementium.

*l.*5. ad Fiſci commodum ſaiſiantur *Ce* cedant in commodum Fiſci.

ibid. Eodem anno Philippus *ad finem capitis deſunt à Ce.*

*l.*13. in Petri cathedra collocatus *deſunt à Ce.*

*l.*14. *poſt* Apoſtolicam imitari *addit Ce* Quod nomen in principio ſubarratum, tunc deinde cœpit eis adhærere, cum Magiſter Joannes Regis Francorum Phyſicus, natione Anglicus, & de pago ſancti Albani oriundus, eiſdem prædicatoribus manſionem ſuam dedit, quam peregrinis hoſpitium quærentibus Pariſius aſſignaverat; quæ domus Sancti Jacobi fuerat appellata, unde Jacobitæ ipſi prædicatores hodie appellantur.

*l.*20. ſuperabundabat *Ce* ſupererat.

*l.*23. Eodem anno Hugo de Nunant, *&c. uſque ad* quartum adjecit *p.*162 *l.*19.

ibid. ita legit Ce, Eodem anno Hugo de Nunant Epiſcopus Ceſtrenſis, ſive Coventrenſis, in Normannia graviter cœpit infirmari uſque ad mortem; convocatis igitur amicis quoſcunque poterat, confeſſus eſt ſe multa peccata perpetraſſe, ſed unde plus ſibi timebat, quòd amotis Monachis Coventrenſibus Clericos ſubſtituerat, qui vagi & mendicantes ſibi ut potuerant conſulebant. Et cùm hæſitâſſent audientes quid imò injungerent ei, dixit Epiſcopus, Scio quòd propter facti enormitatem quid injungatis pœnitentiæ dubitatis; poſtulo Dominum meum juſtum & miſericordem ut ſim in Purgatorio uſque ad diem judicii, ut ſaltem tunc ſalver. Dixitque Abbati de Becco qui ibi erat, Obſecro ut concedas mihi ut moriar in habitu veſtro in diaboli confuſionem, cujus inſtinctu prædicta perpetravi, & in Monaſtici ordinis honorem. Et ſic legatis omnibus & datis pauperibus, accepto ſalutis viatico, & inunctus ritè infirmorum oleo, divinam invocans miſericordiam ſpiritum reddidit. Quod procurantibus qui huic eventui intererant, ſimul cum Monachis expulſis cum Domino Papa innotuerant, præcepit ut expulſis Clericis ſecularibus, qui jam diſſolute & enormiter vivebant, Monachi revocarentur. Et quoniam Prior illius loci Monachis exulantibus defunctus jam fuerat, Archiepiſcopus Cantuarienſis Hubertus, qui executionem Introductionis à Papa acceperat, præfecit eis Priorem nomine Joibertum natione Normannum, qui propter eminentiam prudentiæ ſecularis tres Prioratus de *Daventræ*, de *Weneloc*, de Bermundeſeiſa, ſuſceperat ad regendum; qui continuò cum conſilio Monachorum de electione Epiſcopi tractare incipiens, communi deliberatione Gaufridum de Muſchamp elegerunt.

*P.*162.*l.*22. in Capella ſanctæ Katharinæ *deſunt à Ce.*

*l.*23. Cantuariæ *deeſt à Ce.*

*l.*24. tempore & idibus *Ce* tempore ſcilicet Idûs *rectè.*

*l.*26. Richardo in Normannia *Ce* Richardo & fratri ſuo in Normannia.

*l.*30. quam idem Archiepiſcopus apud Lambeiam de novo conſtruxerat; *Ce ſic*, quam tamen capellam idem Archiepiſcopus ad cautelam appellavit Londini apud Lambethiam.

*l.*31. *poſt* Monachi *Ce addit* quia hoc paſſim dicebatur, & etiam ipſe Archiepiſcopus hoc communicando aſſeruerat.

ibid. poſt Cathedralem transferret *Ce addit* Et quod pejus erat, in contemptum & opprobrium totius ordinis Monaſtici dejectis Monachis illuc canonicos inſtitueret ſæculares; quod non ſine injuria multiplici ingratitudine quoque eligentium, ſanctorum quoque in Eccleſia Cantuariæ plurimorum, qui Monachi extiterunt fieret, ſi ad finem optatum propoſitum perduceretur. Unde, *&c.*

*l.*37. *poſt* cum Barba *Ce addit* nobilis civis Londoniæ juſtus & conſtans, cujus perſecutionis cauſam conſtat eſſe juſtam.

*l.*38. *poſt* ære effuſo *Ce addit* quod Dominus Papa, licèt de oblationibus pauperum ſuper tumbam beati Thomæ colligeretur non refutavit; famam, *&c.*

*l.*39. *poſt* denigrabant *Ce addit* De capellæ autem injuria exauditi bene fuerunt.

*l.*42. *poſt* Petri *Ce addit* virum fidelem & diſcretum.

*l.*43. *poſt* ſubrogavit *Ce addit* Inſuper Dominus Papa temerarium de capella propoſitum Archiepiſcopi (de quo ſupradictum eſt) modeſte refrænavit.

*l.*46. de Branſe Wanumubem quos Rex Walliæ *C* de Branſe quos Wanumwem (*W* Wenunwen) Rex Walliæ, *&c.* Rex Walliæ *deeſt à Ce & R.*

*l.*47. *poſt* Quo cùm perveniſſet campeſtre, prælium commiſit *Ce addit* Congregati ſunt omnes fere Wallenſes Walliæ, conjurantes adinvicem conſtanter ſtare, quamdiu vita in pectoribus palpitaret pro cauſa eorum & terræ ſuæ libertatibus, contra Anglorum protervitatem. Et cùm contra Anglorum exercitum denſiſſimum coram in fronte conſtituiſſent, advenit cum ſuis aciebus militari diſciplina ordinatis ipſe Petrus Juſticiarius, qui erat miles ſtrenuus & circumſpectus, contra eos dimicaturus. Et cùm alacriter ſuas acies animando perſuaſiſſet, ut aliquis animoſus præiret denſitatem initialem adverſantis exercitûs diſſipaturus, reſpondit quidam de ſervientibus ſuis, nomine Walterus de Hame, Trumpintona oriundus, dicens palam Juſtitiario & ſuis primatibus; Abſit domine, ut aliquis nobilis & famoſus miles ſponte periturus, tam ancipiti ſe ſupponat periculo, neque decet aut expedit ut aliquis magnus vitæ ſuæ prodigus exiſtat. Sed de me veſtro paupere ſerviente, non eſt magnum damnum ſi peream, nec multum exultabunt de caſu meo inimici. Et hoc dicto non expectans reſponſum, equum quem habuit prælectum utroque latere cruentans, demiſſa haſta unum in fronte exercitûs, qui videbatur omnium præſtantior, inſanabiliter vulneratum præcipitavit, & poſt hunc primum obvium virtute equi & aſſeſſoris ſtrenuitate, cum ipſo equo contritum, & omnibus membris diſſipatum, proſtravit in cumulum, & tertium truculenter per galeam arreptum adeò læſit contorquendo, ut ſeminecem relinqueret & inutilem. Et his factis reſpexit in ſequentes, clamans Regales, Regales, appropinquate, ferite, ferite, triumphavimus. Et antequam hoc dixiſſet, diſſipato Wallenſium agmine, ſubintravit cornu primum Anglorum invadentium, & hoſtes à dextris & à ſiniſtris ab illis ceciderunt trucidati. Wallenſes verò Anglis, *&c.*

*l.*50. & ſeptuaginta *O* ſeptingenti.

*l.*52. *poſt* interiit *Ce addit* Prædictus autem Walterus ſerviens in uno pedum ſauſius, vix per octo dies ipſo vulnuſculo claudicavit; ſed ab ipſo tempore omnibus diebus vitæ Juſtitiarii, ipſi familiaris in honorabilibus clientelis fideliter miniſtravit.

*l.*58. *poſt* perſolvit *addit W* quarto Septembris *C & Ce* quarto Idûs Septembris.

*l.*61. de Curteles, laudabili fultus virtute Anglorum Rex *Ce* de Curceles. Rex.

*l.*62. communibus *Ce* communis.

*P.*163.*l.*4. ubi Rex ille, *&c.* volutatus à mortis *Ce* ubi Rex ipſe, *&c.* volutatus ridiculosè ac periculose à mortis.

*l.*6. & Regis eum inſequentis manus evaderet *deſunt à Ce.*

*l.*8. periculo exponentes *Ce* periculo more Francigenarum ſponte exponendo.

*l.*14. quorum hic nomina prænotantur *Ce* quorum nomina in hiſtoria Normanniæ pleniùs annotantur.

*l.*19. *poſt* de Muntini *C & W addunt* Odo de Muntum.

*l.*25. *poſt* ducentos *Ce ſic*, ſervientes autem equites & pedites circiter mille. Hiis ita geſtis, victorioſiſſimus Rex Richardus invitavit ad epulas amicos ſuos, & conſortes in conflictu per tres dies fatigatos, direxitque epiſtolas ad omnes Prælatos Angliæ, ut Deum glorificarent, gratias Deo exercituum perſolvendo, qui talem ac tam glorioſum ſibi conceſſit indigno ab hoſtibus triumphum reportare. Commilitonibus autem pretioſa diſtribuit donativa, ut eſſent conſortes retributionis qui fuerunt participes tribulationis.

*l.*33. lætanter *Ce* latenter *rectè.*

*l.*41. His & aliis, *&c. uſque ad* conſentire *l.*54. *compendiosè in Ce ſic*, Miſſo igitur ad hæc Petro de Capua, cùm Rex Richardus multa rationabiliter objiciendo reſpondiſſet.

*l.*55. ſub ſigillo ſecreti *Ce* ſub ſigillo confeſſionis ſecretiſſimè.

*l.*59. *poſt* exaudiret *Ce addit* Commota ſunt igitur viſcera Regis piiſſimi Richardi, ex quo audivit quod Rex Francorum, ſeſe licet compulſus humiliavit, pacis quærens diverticula.

*l.*63. Certeſheienſem *C* Ciſtercienſem *W & C* Cerceſheienſem.

P.164.*l.*3. *poſt* ſolidos *O addunt* de auxilio. *Inſuper reliquæ tres lineæ uſque ad* Anno Gratiæ *deſunt à W.* *In Ce verò poſt* ſolidos *l.*3. *ita ſequitur*, Et tunc fecit Rex fraudem de conſilio iniquorum finxit ſe amiſiſſe ſigillum, & fecit aliud fabricari, & ubique acclamari, quòd perdito ſigillo ſuo novum fecerat; & quicunque vellet priùs conceſſa perpetuare, ad novum ſigillum veniret, & datâ pecuniâ eo faceret roborari; ſin autem pro nulla charta haberetur. Et hac inventâ cavillatione infinitam extorſit pecuniam.

ibid. Eodem anno, die, *&c. uſque* viſa fuit *deſunt à Ce.*

*l.*7. Eccleſiam de Lambeia quam *Ce* Eccleſiam quam.

*l.*8. *poſt* fundaverat *illa verba* & ipſe fere conſummaverat *deſunt à Ce.*

*l.*10. ſumptibus ad ſui *Ce* ſumptibus nolens volens ad ſui.

*l.*11. Eodem tempore, *&c. uſque* Lemovico *l.*15. *Ce ſic*, Eodem tempore ſtatutis ut dictum treugis inter Reges, Rex Richardus quoſdam Barones Pictaviæ ſibi rebelles potenter

expugnavit, cepit, & incarceravit, & quoſdam trucidavit. Tandem in Aquitannicum Ducatum perveniens in Territorio Limozinico, *&c.*

*l.*17. reputaverat. Denique *Ce* reputans comedebat, & bibebat pro indifferenti appoſita. Denique.

*l.*20. & nigredo quædam tumori permixta locum vulneris circumquaque inficiens, Regem intolerabiliter torquebat *Ce* nigreſcebat, Regémque torquere cæpit intolerabiliter.

l. 34. perveniente *Ce* penetrante.

*l.*36. vivens *R* juvenis.

ibid. cum quo, *&c. uſque* ſunt *l.*37. *deſunt à Ce.*

l. 46. Aliuſque ſuper hoc, *cum verſibus ſex ſequentibus deſunt à W.*

*l.*54. pro caſu lucis adeptæ *R* ademptæ.

ibid. poſt adeptæ *ſequitur in Ce alius ſcil. Satyricè,*

Chriſte tui calicis prædo ſit præda Caluctis,
Ære brevi rejicis qui tulit æra crucis.

Sequuntur etiam ibid. duæ paginæ tali titulo inſignitæ, De patientia Regis Richardi in tribulationibus.

*l.*57. ſervos *C & W* ſervientes.

*P.*165.*l.*44. Archiepiſcopus ; *W*, H. ſcil. Hubertus Archiepiſcopus.

ibid. ab dixit. Audite *uſque ad l.*64. Archiepiſcopus *deſunt à W.*

*l.*65. ſexto Cal. Junii, *ita W* ; *ſed C* ſeptimo.

*P.*166.*l.*38. & de jure ſuo illi homagium obtuliſſe *deſunt à W.*

*l.*45. electione Ducis *C & W* Philippi Ducis.

P. 167.*l.*5. Omnes *deeſt à C, ſed habet W.*

*l.*8. Interpendragon *C & W* Uterpendragon.

*l.*43. præfato *deeſt à W.*

*l.*58. convenientiam *W* conviventiam.

*l.*65. interim *deeſt à W.*

*P.*168.*l.*6. bello *C* per Werras *W* Werram.

*l.*11. Bocildam *W* Botuldam.

*l.*17. *poſt* Marchiæ *ad* quæ copula *deſunt à W.*

*l.*27. Zacharias *C & W* Acharias.

*l.*49. *C & W* diem ſanctum Dominicum.

*P.*169.*l* 2. *inter* examinaſſent & communi *W inſerit,* & verba cum admiratione pariter & timore intellexiſſent.

*l.*15. ſanitatem *C* ſanitatem & ſoſpitatem *W* ſoſpitatem.

*l.*20. & poſt illos *C & W* & quandoque poſt.

*P.*170.*l.*15. *poſt* apud Weſtmonaſterium *W addit* coronati ſunt ambo ibidem per miniſterium H.Cant. *&c.*

*l.*39. honeſtè procuravit *W* ſicut honeſtè potuit procuravit.

*l.*48. *W* Egreſſus es in ſalutem cum Chriſto tuo.

*P.*171.*l.*40. Ictericiam *W* Hicticiam.

*l.*53. à civibus Londinenſibus *C & W* à civitate London.

*l.*55. dies *C & W* dietas.

*l.*60. *poſt* Cal. Decembris *C addit* vixerat autem in Epiſcopatu 14 annis.

*P.*172.*l.*23. mirabiliter brachii ſui tam *deſunt à W.*

*l.*53. acceptis candelis faciendis idonee *W* acetóque filo candelis faciendis idoneo.

*l.*60. *tres illæ lineæ ab* Hac tempeſtate *uſque ad* Decembris *à C & W deſunt.*

*l.*64. *poſt* Dominicam *in C ſequitur* facta eſt pax inter J. Regem Anglorum & P. Regem Francorum. Gilo de Bruſe conſecratur in Epiſcopum Herefordenſem 8 Cal. Octobris apud Weſtmonaſterium. Lodowicus filius Regis Francorum duxit Blanchiam filiam Regis Hiſpaniæ, neptem Richardi Regis. Maugerus factus eſt Epiſcopus Wigorniæ, Joannes de Gray Norwicenſis.

*P.*173.*l.*18. *ab* Ipſis quoque diebus *uſque ad l.*47. Celebrata igitur *deſunt à W.*

*l.*21. deſudaſſet *C* lecturiſſet.

*l.*43. de Fulii *C* de Fernham *rectè.*

*P.*174.*l.*61. modo ferè omnibus ignorato, utinam non ut fama refert invida *deſunt à W, cum cæteris omnibus uſque ad* Eodem anno *p.*175.*l* 2.

*P.*175.*l.*9. *uſque ad* Anno gratiæ *l.*34. *deſunt à W & à MS. Cottoniano in hoc loco ; ſed tamen in C inſeruntur ferè in fine anni proximi.*

*l.*50. ſecurus *C & W* imbellis.

*P.*176.*l.*1. dum hæc ſic agerentur *W* dum hæc ſanè agerentur *malè.*

*l.*25. Willielmus Eccleſiæ Lincoln. *C* Willielm. de Eles Eccl. Lincoln.

*P.*177.*l.*15. propter frequentiam *W* propter hoſpitum frequentiam.

*l.*54. oculo qui reſtabat *C & W* in oculo cum quo videbat.

*l.*63. genetricis viſum *C & W* genetricis Mariæ viſum.

ibid. ab Hoc anno *uſque ad* Circa dies iſtos *p.*178.*l.*2. *deſunt à W.*

*l.*64. decimo ſexto Cal. *C* decimo quinto.

*P.*178.*l.*1. *poſt* Conſtantinopolitanus *in C ſequitur* & Alienora Regina Angliæ, Abbatia Belli loci Regis fundata eſt, ſecundùm unum hiſtoriographum.

*l.*14. angaria *C* anguſtia *W* calamitate.

*l.*18. deficiente conſolatione cum ſuccurſu *C* omnimoda [illegible] ente *W* omnimoda defenſione in part. illis deficiente.

*l.*23. quod per ipſam *C & W* quaſi per ipſam.

*l.*45. Chinun in vigilia, *&c. C & W* Chinun Regi Francorum in vigilia.

*l.*47. *Tranſpoſitio in hoc loco quædam eſt ; capitula enim ſequentia duo, ſcil. quæ incipiunt* Eodem tempore & Per idem tempus, *in C inverſo ſcribuntur ordine, ſed meliùs in Impreſſis collocantur.*

*P.*179.*l.*4. *à* Per idem tempus *uſque ad* Monachi interea Cantuarienſes *l.*31. *deſunt à W.*

*l.*35. conditione *C & W* contradictione.

*P.*182.*l.*24. quaſi adnitentes deficiendo imponunt *C* quaſi adjutrices defendendo *W* quaſi adjudices deficiendo.

*P.*183.*l.*11. cum ea in ſupplicium æternum *C & W* cum ea in infernum, ponerémque eum in ſupplicium æternum.

*l.*33. miſerabiliter *C & W* mirabiliter.

*l.*49. *poſt* non valentes *ſequitur in C & W* ardet oculos, [illegible] minatur, in ortillos ſurgens, crure ſtat inverſo, in pe[illegible] tend.

*P.*184.*l.*43. compreſſa *W* expreſſa.

*P.*185.*l.*1. *ante* Vidit præterea *hæc & in C & in W interſeruntur,* Affuit huic ludibrio mercator cum ſtateris & ponderibus doloſis ; necnon & illi qui pannos novos in tentoriis ita vehementer trahendo in longum diſtendunt & latum, ut fila rumpantur & ſciſſura fiat ; ſciſſuráſque ſubtiliter conſuentes, pannos illos locis vendunt ſubobſcuris. Illi de ſedibus truculenter evulſi, ſcelerum ſuorum geſtus priores ad ignominiam & pœnarum aggravationem iterâre cogebantur, & tandem ſicut diximus de ſuperioribus, à dæmonibus torquebantur.

*l.*28. Baſilicæ illius ei introitum, *&c. C & W* Baſilicæ illius adipiſci introitum.

*l.*32. quod miſſis *C & W* quot miſſarum.

*P.*186.*l.*21. & viderat *deſunt à W.*

*l.*38. marcarum *C & W* marcis.

*l.*65. definitione *C & W* diſtrictione.

*P.*187.*l.*1. *Omnia poſt* aſpiret *uſque ad l.*12. Caſſatis itaque *deſunt à W.*

*l.*12. *Illud capitulum incipiens* Caſſatis itaque *in C poſtponitur capitulo ſequenti* Sub eiſdem diebus *l.*30.

*l.*30 *Totum capitulum illud incipiens* Sub eiſdem diebus *deeſt à W.*

*P.*188.*l.*27. *poſt* in exilium *W habet* pridie Idûs Julii.

*P.*189.*l.*44. *omnia poſt* anno decimo *uſque ad* Eodem anno *l.*50. *deſunt à W.*

*l.*48. ab hora ſexta *C* ſeptima.

*l.*51. litera dominicali exiſtente G, luna verò undecima die lunæ *deſunt à W.*

*l.*65. ut victus dominum vinceret, Ipſúmque cui ſervire, *&c. W* ut victus deum ipſúmque, cui ſervire regnare eſt, *&c.*

*P.*190.*l.*35. Satius arbitrantes ſævitiam commoti Regis. *Wendoveri exemplar ibi interlineatum, & verbis* ſatius & commoti *disjunctis, quaſi per aliud exemplar emendarentur, legit,* Sanctius arbitrantes ſævitiam excommunicati Regis.

*l.*57. *poſt* poſuerunt *C & W habent ubi reperiri potuerunt* jubente R.

*P.*191.*l.*5. repagulum conditionis invenerunt *C* repag. contradictionis, *quæ tamen ſententia omninò deeſt à W.*

*l.*16. *Sententiæ hæ duæ* Eodem anno albi Monachi, & Eodem anno Philippus, *in C tranſponuntur, poſterior autem tota deeſt à W.*

*l.*30. Ad feſtum quoque, *&c. ad finem lineæ ſequentis deſunt à W.*

*l.*50. *poſt* eodem anno *C addit* Henricus Dux Saxonum, Henricus Dux Saxonum frater Othonis Imperatoris venit in Angliam, *quæ tamen deſunt à W.*

*l.*62. Cantabrigiam *W* Cantebregge.

*P.*192.*l.*56. *quæ ſequuntur poſt* innodatus *uſque ad* Deinde Rege *l.*58. *deſunt à C.*

*P.*193.*l.*24. & hinc odium Regis Joannis & iram efficaciter obſuravit *deſunt à W.*

*l.*31. *poſt* habitabant *C addit* Hugonem de Laſci expulit, & totam Yberniam in deditionem accepit. In reditu tamen Deo ingratus, graviſſimum tallagium impoſuit ſuper omnes Abbatias, & domus religioſorum virorum, & maximè Ciſterſienſes immiſericorditer oppreſſit. *Quæ tamen deſunt à W.*

*l.*43. à quo clam evadentes, *&c. uſque ad* vinculis conſtrict. *lin. prox. deſunt à W.*

*l.*45. qui omnes Rege jubente fame perierunt *deſunt à W & C, poſtea tamen ſequuntur in utriſque exemplaribus.*

*l.*55. *poſt* perſolverunt *C addit* nec permiſit albos Abbates ipſo anno annuum addire Capitulum, ne forte eorum querela totum mundum in Regem commoveret. Hujus rei Conſiliarii fuerunt apud ſanctam Brigidam Londoniarum Willielmus Briwere, Robertus de Turnham, Reginaldus de Cornhulle, Richardus de Mariſco, qui omnes [illegible] ter-

terminirunt. Eodem tempore Mathildis fœmina nobilis & uxor Willielmi de Braoſea, & filius ejus & hæres Willielmus, & uxor ejuſdem Willielmi apud Windleſhores carcerali cuſtodiæ deputati, jubente Anglorum Rege fame perierunt. Cujus rei ſeriem, &c.

P.194.l.2. C Subdiaconum, & Domini Papæ familiariſſimum, ac de malitia, &c. W Subdiaconum, & Sedis Apoſtolicæ Cardinalem, ac de militia, &c.

l.17. Leolinus Princeps, &c. *ad* Thunam *deſunt à W.*

l.18. Thunam *C* Turnham.

l.20. Ebulam *W* Cordubam *rectè*, *C* Curbulam.

l.34. Reginaldus de Cornhelle *C & W* Henricus.

l.35. Uletotes *C & W* Ulecotes.

l.36. Gerardus de Atie *W* Acie *C* Ane.

l.37. Brivere *W* Brewere.

l.39. *à* Tempore quoque] *cum tribus lin. ſequentibus omnino deſunt à W, & in C in proximum annum rejiciuntur inter duo priora capitula.*

P.195.l.14. aſtantibus & audire volentibus illud prædicando *deſunt à W.*

l.58. *poſt* continetur *omnia uſque ad p.* 196.l.3. Hoc anno combuſta *deſunt à C, imò & ea cum cæteris ad finem capitis à W; in C tamen inveniuntur inter duo priora capitula anni ſubſequentis.*

P.196.l.22. vulgariter ſub nomine Felonis *deſunt à W.*

l.25. Tunc temporis quoque *cum cæteris ad* extorſit l.28. *deſunt à W.*

l.37. bene adornatos *C* Eſchipatas *W* Echipatas.

l.65. Baramdonam *W* Babamdonam *malè.* Barram Downe *enim inter Cantuariam & Doveram planities eſt notiſſima.*

P.197.l.53. præſentibus, hi *C & W* præſentibus & mandantibus, hi, &c.

l.63. vel delegato *deſunt à W.*

P.198.l.50. Per idem tempus *uſque ad* Rebus *deſunt à W.*

P.199 l.11. ſecundarius *C & W* feodarius *rectè.*

l.14. ſi coram domino Papa eſſe *C & W* ſi coram eo eſſe.

l.46. *à* Pandulphus *uſque ad* reclamante *deſunt à W, & in MS. ſcribuntur in margine.*

P.200.l.14. Juravitque dicens per ſanctos Franciæ, vel Francerit Fland. vel Fland. Francia, *deſunt à W.*

P.201 l.30. Gerſeæ *W* Gerneſeiæ.

P.202.l.43. Willielmo Wint. electo, Gerardo Hereford. Epiſcopo *deſunt à C, habentur tamen in W; licèt noſter Epiſcopus Godwinus (& ipſe Herefordenſis) talem Girardum Herefordenſem non agnoſcit, imò nec talem Wint.*

l.61. peſtem *C* tempeſtatem.

P.203.l.8. Cervianum *C* Cermanum *W* Cermanii.

l.30. Cairaſonam *C & W* Carcaſonam, *ſic & l.*33. *in Impreſſo noſtro.*

P.204.l.1. *Omne capitulum illud incipiens* Sub ejuſdem *uſque ad* Anno verò ſub l.17. *deeſt à W, & in C ſcribitur in pede paginæ.*

l.11. quod trajicientes *C* quaſi transfretaturi.

l.13. tantus autem eorum erat numerus, ut ſe invicem præ nimia numeroſitate comprimerent *C* & ſeſe turba comprimebat præ numeroſitate.

l.19. die Octob. *C & W* Idûs Octob.

ibid. *Omnia poſt* die Octobris *uſque ad capitulum* His quoque temporibus p.206. l.37. *deſunt à W.*

P.205.l.10. qui omnium mortalium miſerrimus eſt *C* qui verò miſer eſt, imò miſerrimus, nulliſque miſerabilis.

l.56. *poſt* ſalutavit *ſequitur in C* nec aliquibus reſpexit donativis, nec ipſum Regem Angliæ Joannem ſalutavit, nec muneribus honoravit.

P.206.l.17. *poſt* tributarium *C habet* & vaſallum voluntarium.

l.38, &c. *uſque ad* negotium l.47. *W ſic legit,* præſtaret vel favorem; idem Rex pii patris correctionem cum devotione non ſuſcipiens, contra mandatum Apoſtolicum protervè recalcitrare cœpit. Nam protinus cùm fuiſſet ad propria reverſus, hæreticis confœderatus in terra quæ per virtutem Dei & Cruceſignatorum auxilio fuerat adquiſita, aſſociatis ſibi comitibus Tholoſano Fux & Covenarum, cum civibus Tholoſanis, & exercitu magno nimis, feria tertia poſt natale B. Mariæ, Murelli caſtrum obſedit. Quo audito patres venerabiles Tholoſanus, Nemauſenſis, Agathenſis, Biturenſis, Uticenſis, Lodovenſis, & Covenarum, Epiſcopi; & de Claraco, de Magna Villa, & S. Tyberii, Abbates; quos Archiepiſcopus Narbonenſis & Apoſtolicæ Sedis Legatus, propter ſanctæ crucis negotium, &c. *C bene convenit cum Impreſſo.*

P.207.l.11. *Sententia incipiens* Statímque virtus *uſque ad* Per exploratores nos l.16. *tranſponitur in C, ubi* Per exploratores nos *cum cæteris uſque ad* Certus interfectorum numerus.

l.20. Præponitur ſtatímque virtus, *W retinet ordinem Impreſſi.*

l.50. eo die *W* cotidie *malè.*

l.58. tertio Nonas *W* ſecundo.

P.209.l.5. tranſtulimus in die Veneris *W* tranſtulimus nos in die Ven.

l.69. Thomas de Huntinduna *C & W* Hertinduna.

l.40. conditionis *C & W* contradictionis.

l.50. *poſt* datum Laterani *W addit* Pontificatûs noſtri anno, *& in margine aliâ manu additur* xvj.

l.52. Rex Anglorum erat in partibus tranſmarinis, ſed quoniam idem, *deſunt à W.*

l.64. ſeptimo Idûs Dec. *W* octavo Idûs.

P.210.l.11. pulſando *W* pulſatis campanis *rectè.*

ibid. laudamus cantando *W* laudamus excelſa voce cantando.

l.17. *poſt* rerum *W addit* dum bonis eorum omnibus confiſcatis, & corporibus laceratis, quo à ſpiritu furoris inimicorum ſe verterent ignorabant. Legatus verò, &c.

l.26. *Omnia ab* Illis diebus per *uſque ad* Sub diebus iſtis *deſunt à W.*

l.60. Willielmum Comitem Sareſb. *C & W* Willielmum fratrem ſuum Comitem.

P.211 l.47. Reginaldus qui ipſum *C & W* Reginaldus cùm Regem qui ipſum *rectè.*

l.55. eorum Francorum *C & W* eorum tot Francorum.

l.63. *poſt* Imperatoris *W habet* quocirca per fugam illorum omne pondus, &c.

P.212.l.9. *poſt* mancipandi *ad* Facta eſt autem l.11. *omnia deſunt à W.*

l.13. Conſilio Richardi de Mariſco & conſimilium aulicorum impudenter *deſunt à W.*

l.22. *poſt* ſepultum *adde ex margine C* Eodem tempore, ſcilicet quarto Nonas Octob. conſecratus eſt apud Cantuariam Simon Decanus Ebor. in Epiſcopum Exoniæ; obiitque G. de Glanvile Epiſcopus Roffenſis octavo Cal. Julii, & quidam alii magnates.

l.26. hominibus ſuis *C & W* impriſiis.

l.30. perſonis noſtris *C* priſonis *W* priſonibus *rectè*; *ſic & iterum l.*32.

l.32. homines noſtri *C & W* homines & impriſii noſtri.

l.37. Ciſtatonenſis *W* Criſtan.

l.43. *poſt* Archiepiſcopi *W addit bene* tertio Nonas Octobris.

l.58. quod bene credebant reſiſtire propter ſuam duplicitatem *deſunt à W.*

l.63. Eadmundi celebri *W* Eadmundi Regis & Martyris celebri.

P.213.l.7. Eadrico Wulſinus, Wlſino, &c. *malè, ſic enim reſtituunt C & W* Eadrico Wulſius, Wulſio Wlnothus, Wlnotho Eadfridus, Eadfrido Wlſinus, Wlſino Alfricus, *rectè.*

l.12. *poſt* decimo ſexto *addit W* in Abbatem benedicens, *ſed ſuperfluè.*

l.31. *poſt* devotione *W addit* inductus, *nec cætera habet uſque ad* Eodem anno l.32.

l.36. eo maximè quòd Rex exoſum ſe omnibus exhibuit *deſunt à W.*

l.38. Principes præſumptionis & incentores *W* Principales hujus peſtis incentores.

l.45. W. de Hobrug *W* de Hobregge.

l.46. R. de Brakelle *C & W* Brakele.

l.48. de Meutum *C* de Meuton *W* de Meauton.

ibid. Alexander de Pointum *C* Pointon *W* Painton.

ibid. Alex. de Sutuna *W* de Suctune *C* de Sutton.

l.49. Conanus filius Heliæ *deeſt à W.*

l.50. iſti communes *W* iſti omnes.

P.214 l.23. *per* portam de Alegat *deſunt à W.*

l.25. Et à civibus jam dictis accepta ſecuritate, miſerunt literas ad Comites, Barones, & Milites illos, qui adhuc Regi, &c. *deſunt à W, qui ſic habet, poſt* diſponentes l.25. At Barones & Milites illos per Angliam, qui adhuc Regi, &c.

l.35. W. de Albineto *W* Albeneio; *ſic & l.*38.

ibid. filius Huberti *C & W* Hereberti.

l.38. Bruwerre *W* Brewerre.

l.40. *poſt* relinquentes *C & W addunt* Ceſſaverunt placita Scaccarii & Vicecomitum per Angliam; quia nullus inventus eſt, qui Regi cenſum vel in aliquo obediret. Rex autem Joannes, &c. *ut l.*49.

ibid. *poſt* relinquentes. Temporibus ſub eiſdem Rex, &c. *uſque ad l.*49. Rex autem Joannes *deſunt à C & W.*

l.52. Cepit autem adverſus Barones in corde odium inexorabile *deſunt à W.*

l.53. *poſt* ſæpe dictis *cætera uſque ad* mitténſque l.55. *deſunt à W.*

P.215.l.6. Hubertus de Burc *W* de Burgo.

l.14. per conſilium venerabilium patrum noſtrorum S. Cantuar. &c. cum omnibus magnatum nominibus *uſque ad l.*24. Conceſſiſſe Deo *deſunt à W.* *Imò & C non retinet plura nomina ultra* Henrici Dublinenſis Archiepiſcopi; *ſed nos pro reliquis remittit ad priorem eorum recitationem paulo ante factam.*

l.37. *W ſic legit,* ſcil. hæres vel hæredes Baronis de Baronia integra 100 marcas.

ibid. de relevio Comitis *tota omittitur in W.*

l.56. *Omnia poſt* diſparagatione *uſque* Vidua poſt *lin. prox. deſunt à W.*

l.65. ad oſtium *deeſt à W.*

P.216.*l*.2. vel ſine aſſenſu Domini ſui de quo tenuerit, ſi de alio tenuerit, *deſunt à W*.

l.10. Si quis mutuo, *cum reliquis uſque ad* & civitas London. *l*.20. *deſunt à W*.

l.21. tam per terras quàm per aquas *deſunt à W*.

l.23. *poſt* conſuetudines ſuas *uſque ad* nullus diſtringatur *l*.34. *deſunt à W*.

l.37. civitatibus *C & W* comitatibus.

l.44. *poſt* de Banco *W addit* & ibi terminentur.

l.55. Omnis Comitatus & Hund. *ad* maneriis noſtris *l*.56. *deſunt à W*.

l.63. Si aliquis liber homo *uſque ad* nullus Conſtabularius *l*.65. *deſunt à W*.

P.217.*l*.6. eum vel miſerimus *deſunt à W*.

l.17. perdat cauſam ſuam *C & W* curiam ſuam.

l.25. Nos non tenebimus cuſtodiam hæredis *W* Nos non debemus habere hæredis.

l.31. deſtituatur *C & W* deſtruatur.

l.40. liceat unicuique *cum cæteris ad* ſi quis tenuerit *l*.43. *deſunt à W*.

l.45. Homines qui manent *cum reliquis* nullus liber homo *l*.53. *deſunt à W*.

l.65. Et quòd Vicecomes, &c. *ad* de viſu ſuo p.218.*l*.1. *deſunt à C*.

P.218.*l*.7. Et quòd Vicecomes, &c. *ad* Omnes *lin. prox. deſunt à W*.

l.10. noſtri obſervent *C* obſervent *W* conſervent.

l.34. Regardatores *W & C* Regardores.

l.49. ſuum *W* noſtrum.

l.52. viridarii *deeſt à W*.

P.219.*l*.15. Et non capiatur Cheminagium *deſunt à W*.

l.17. de boſcis aliorum nullum detur Cheminagium *deſunt à C*.

P.220.*l*.14. regni noſtri decimo ſeptimo *W & margo C* decimo ſexto.

ibid. Omnia à Conceſſit inſuper *uſque ad* His ita geſtis *l*.38. *deſunt à W & à C*.

l.28. *Emendare non potuimus nomina gentilitia Baronum, aliorúmq; qui juraverunt, quia beneficio Manuſcripti caruimus.*

l.50. *Omnia ab* Volens autem Rex Joannes *uſque ad* Recedentibus ut dictum eſt *p*.222.*l*.28. *deſunt à W*.

l.58. ſpem tempeſtatis *C* ſpiritus tempeſtatis *rectè*.

P.221.*l*.14. Bathonienſem & Glaſtonenſem *C* Bath. & Wellenſem.

l.35. G. Briewere *C & W* Brivre.

P.222.*l*.13. per commeantes *C* commorantes.

l.33. *poſt* uteretur *omnia deſunt à W. uſque ad* Tandem poſt *l*.35.

l.39. immemor tam profundi jusjurandi adhuc recentis *deſunt à W*.

l.54. *poſt* ſolitarium *addit W* Maluit enim mori, quàm diu vivere ab injuriis Baronum inultus. Veruntamen, &c.

l.58. vel per ſe vel per alium *deſunt à W, qui pro* interemptum *legit* ſubtractum.

l.60. hoſtilium amicorum & amicabilium hoſtium *deſunt à W*.

l.63. Haſtiludium *W* Torneamenti ludum.

P.223.*l*.12. valete *cum cæteris ad* Eodem anno *deſunt à W*.

l.64. Nobiles *deeſt à W*.

P.224.*l*.46. *poſt* habeant firmitatem *W addit* Nullus ergo, &c. Si quis autem, &c.

l.51. fidelitatis priſtinæ *W* præſtitæ.

l.59. acceptare *C & W* attemptare.

l.62. vilis & turpis, verùm etiam illicita & iniqua, ut meritò ſit *&c. deſunt à W*.

P.225.*l*.9. Quemadmodum *W & C* Quoniam.

l.19. quàm comminatorias *deſunt à W*.

l.20. dicendo de Papa, &c. *ad* Interea *deſunt à W*.

l.26. *poſt* lætitia *W addit* & exultatione.

l.31. qui *C & W* quod.

l.34. *poſt* Albineio *W ſic legit* Et animos ſociorum ad virtutes ſemper animante, militiam deſerere non licere dicebat; ne quòd eis ſummum eſſet opprobrium, tempore nominarentur militiæ deſertores.

l.51. veſpiliones, &c. *ad* & Regi deſperato *deſunt à W*.

l.53. eidem adhærentes *deſunt à W*.

l.58. repellentes *W* arcere ſatagentes; *reliqua autem ab eo deſunt uſque* Venit interea.

P.226.*l*.5. maris *deeſt à W*.

l.6. Heu, heu, &c. *ad* venit ergò *lin. prox. deſunt à W*.

l.9. *Sententiam incipientem* Dederat namque *uſque ad* provincias *ſic legit W*, Dedit namque Duci eorum Rex dicto Hugoni de Boves, provincias, &c.

l.14. *poſt* invectus *W addit* permanſit; *reliqua autem uſque ad* Eodem tempore *cum l*.22. *non habet*.

l.21. *poſt* quendam ordinem *C hæc addit*, In crinio equorum & cruppis, & capellis, & in capucio finali quod extra appellum apparuit, ſtetit una & quidam garcio, cum virga voluit eum deponere, & adhæſit ſummitati virgæ, & ferè omnes in parvo tempore obierunt.

l.25. *poſt* diſſolverent *reliqua uſque ad* ut ergo aliquid *l*.27. *deſunt à W*.

l.33. Reverſi verò, &c. *W ſic legit*, Reverſi verò [illegible] London. optimè muniunt, ad [illegible] annoſam ludentes [illegible] & optima quæque vina juxta eligentium vota [illegible] cætera quis neſciat? Roſſenſes, &c.

ibid. Epicœnicè *C* Epicuré.

l.44. non mediocriter ignobilem Regis tyrannidem, quæ, &c. *W* non mediocriter crudelitatem Regis, unde ne, &c.

l.45. unde ne inulti occumberent, imo, &c. *W* unde ne inulti occumberent, ſtragem non medicam aſſilientibus intulerunt.

l.48. alacriter emittentes *W* mortaliter emittentes *C* lætaliter.

l.52. dextrarios & pretioſos *W* & dextrarios pretioſos *C* dextrarios ſcil. pretioſos.

l.57. audacter coegit *W* denuo compulerunt.

P.227.*l*.16. Una dierum &c. *omnino deſunt à W, & in C alio loco ponuntur; ubi tamen marginalis nota affirmat, iſta non eſſe in alio libro.*

l.56. *poſt* expedire *C & W addunt* Quod ſi non omnes, &c.

P.228.*l*.60. Ad hoc ſanè in negotio *C* in quid *W* ne quid in negotio *rectè*.

P.229.*l*.40. Synodus beneficiorum *C & W* orationum & beneficiorum.

l.43. Hundintona *C & W* Hertindona.

l.44. Croncumbe *W* Craucumbe.

P.230.*l*.15. In fine *uſque ad* Quo facto *deſunt à W*.

l.24. manifeſtè *W* memoriter.

l.26. Juxta illud Poeticum, &c. *ad* Quod cum *deſunt à W*.

l.34. Falcaſius ſine viſceribus miſericordiæ *W* Falcaſius in opere Martio expertus.

l.36 Martius & expertus *deſunt à W*.

ibid. W ſic legit, Buck qui Brebantiis præfuit, *reliqua autem uſque ad* Fuerunt *l*.38. *non habet*.

l.40. *W ſic tantùm*, Rex igitur Joannes à villa S. Albani decedens, duxit ſecum, &c.

l.48. Et ad cumulum deſolationis, &c. *W ſic*, Et ſi fortè dies malitiæ Regis non ſatisfecit, ad terræ deſolationem præcepit Rex, &c.

l.50. *poſt* ſuorum *omnia parentheſi incluſa deſunt à W*.

l.53. Eccleſiam vel *deſunt à W*.

l.54. *à* Cogebantur *ad* Caſtellani *deſunt à W*.

l.64. victualia præludere curarent *W* vitæ ſubſidia ſubtrahere laborarent.

l.65. de Cantebrige *deeſt à W*.

P.231.*l*.1. exemplo Holofernis Ducis exercitûs Aſſyriorum *deſunt à W*.

l.6. *poſt* abſtulit *omnia uſque* Eodem tempore Falcaſius *l*.13. *deſunt à W*.

l.19. Rex autem nimis accep. *uſque ad* Anno gratiæ *l*.26. *deſunt à W, & in C tres ultimæ lineæ præponuntur cæteris.*

l.33. conditionem *C & W* contradictionem.

l.48. *W legit* quæque ſibi obvia vaſtando contrivit.

l.50. *W ſic legit*, Cooperuerunt enim ſicut locuſtæ univerſam ſuperficiem terræ, membra diaboli; qui ad hæc erant etiam à remotis partibus congregati, ut delerent a facie terræ ab homine uſque ad pecus. Diſcurrentes ſtrictis enſibus eductiſque cultellis, villas, domos, &c.

l.59. *W ſic legit, poſt* reddebant. Inimicos quoque Regis ubicunque reperiebantur capti ſunt, & in vinculis, &c.

l.62. veſtimentis venerabiles *W* veſtibus emicantes capiebantur, cruciab. &c.

P.232.*l*.1. ſecretiora *W* genitalia.

l.4. Chriſti charactere *W* nomine.

l.5. ſub glacie, &c. *W* in aqua congelata aſſata corpora balneantes.

ibid. ut quaſi infernalibus pœnis tranſirent de calore nimio ad frigus nivium, *deſunt à W*.

l.15. Londinenſes *C & W* In urbe Londini *rectè*.

l.16. Gulæ irritamentum *deeſt à W*.

l.30. pomœria *deeſt à W*.

l.33. ut qui non peſſimus *ad* Sicque Rex de *l*.39. *deſunt à W*.

l.44. impoſitis armatis *W* impoſitis viribus armatorum.

l.61. *W legit*, Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta, eadémque faciatis authoritate noſtra, *vitiosè*.

P.233.*l*.5. Comitem de Clare *W addit* R. Comitem de Clara.

l.7. Albineto *W* Albencio, *ſed credo malè*.

l.9. Fulconem fil. Warini *W* Fulconem fil. Mareſchalli, *ſed malè*.

l.35. R. Capellanum Roberti filium *W & C* R. Capellanum Roberti filii Walteri.

l.36. Nicolaum de Stanvile *W* de Stutuvilla.

l.41. exequendo & obſervando *C & W* exequentes, obſervantes.

l.49. *Omnia ab* ut quid ad nos *uſque ad* ad interdicti [illegible] *l*.56. *deſunt à W*.

l.56. ad interdicti *W* itaque ad interdictum.

l.59. Walterus Buuk *W* Walterus Bucc.

l.63. & pontes glacie faciente *deſunt à W*.

P.234.*l*.1. & irreverentem *deſunt à W*.

l.5. quod eſt miſerabile relatu *deſunt à W*.
l.10. *W legit* prædonum uſibus ſine contradictione ceſſerunt. Circa hos denique dies, *&c*.
l.14. Maledicentes Regis verſutiam, *cum reliquis uſque ad* Tandem decretum eſt *l*.35. *deſunt à W*.
l.35. tandem decretum eſt, ut *W* tandem cùm omni deliberatione decretum.
l.37. Credentes quòd nullus Joh. *&c. ad* Cúmque aliquandiu *l*.41. *deſunt à W*.
l.46. & faciens *ad* cúmque omnibus *deſunt à W*.
l 62. de Attrebato *W* de Arraz.
P.235.*l*.44. ſuggeſtionibus, vel *W* ſuggeſtionibus falſis, vel.
l.47. quod Haſtiludium vel Torneamentum dicitur, *deſunt à W*.
l.50. Comitem ipſum *W* Comitem Eſſexiæ ipſum.
l.52. & querimoniam *deſunt à W*.
l.63. Hugo de Puſat & Epiſcopus Dunelm. *W* Hugo de Puſaz Epiſcopus Dunelm. *rectè*.
P.236.*l*.58. *poſt* animi anguſtiam *W hæc tantùm habet*, Licentiam conceſſit illi, & cum benedictione dimiſit. Tunc Ludowicus, *&c*.
P.237.*l*.11. *poſt* ſubjugavit *uſque ad* poteſtatem *deeſt à W*.
l.16. Et poſtea in brevi *uſque ad* ſcripſit etiam Regi Scotorum *l*.17. *deſunt à W*.
l.43. de Colinghame *deeſt à W*.
l.46. civitatis & caſtro Epiſcopi *deſunt à W*.
l.65. de Montevifito *C & W* de monte in ſito.
P.238.*l*.41. Hujus autem negotii *cum reliquis uſque ad* Ad hæc Papa; Multi *p*.239.*l*.1. *deſunt à W*.
ibid. Hujus autem negotii veritas talis eſt *deſunt à C*.
l.52. tanquam vaſallus ejus *deſunt à W*.
P.240 *l*.20. Thomamque, *&c. ad* illaſque regiones *l*.21. *deſunt à W*.
l.63. Inſtabant autem Franci *deſunt à W*.
P.241.*l*.13. circumſtipando *deeſt à W*.
l.58. Veniens autem per Burgum *uſque ad* Noviſſimè per urbem *l*.61. *deſunt à W*.
P.242.*l*.21. vocabant enim eum *uſque ad* Epitaphium *l*.31. *deſunt à W*.
l.30. *poſt* opulentum *nihil ultra habet C*.
l.41. Quidam autem verſificator, *&c. deſunt à W, qui tamen poſt* meta dierum *hæc habet*, Regnavit autem Rex Joannes annis xviij, menſibus v, & diebus iv.
Nota Lector in C noſtro poſt illa verba in impreſſo p.240.*l*.17. veniant nuntii Domini Walonis, *hæc quæ ſequuntur interſeri, quæ conſultò huc rejecimus, aliàs ſeriem hiſtoriæ turbatura.*

Una autem dierum Ludovicus credens flectere fidelitatem Huberti de Burgo & conſtantiam per avaritiam, ſignificavit ei quòd voluit parlamentum habere pacificum cum eo. Quod cùm conceſſiſſet Hubertus, miſit Ludovicus nuncios ſolennes ad eum, videlicet ad poſticum qui ad hoc competens videbatur. Miſſi ſunt igitur ad eum Comes Saresberienſis Willielmus ſcilicet longa Spata, qui ſecum ad cautelam Thomam de Burgo, fratrem ſcilicet prædicti Huberti, qui captivus erat Lodovici, captus videlicet in caſtro Norwici, & tres de nobilioribus Francorum. Hubertus autem veniens ad poſticum, duxit ſecum quinque artubaliſtarios cum baliſtis ſuis extentis ſpiculis adaptatis, ut ſi opus eſſet non parcerent inimicis. Et ait Comes Willielmus, O Huberte, non te latet ut credo mors Regis Joannis quondam Domini noſtri, nec conditio juramenti Domini Ludovici, qui incommutabiliter juravit, quòd cùm caſtrum hoc violenter occupaverit, omnes in eo inventi ſuſpendio peribunt. Conſule tibi & honori tuo; non poteris diu hoc caſtrum tenere, fortitudo Domini Ludovici creſcit diatim; fortitudo Domini Regis decreſcit manifeſtè efficaci inſultu & quotidiano: vel ſaltem inediâ peribis, niſi ſapias & conſiliis acquieſcas, vides enim quòd ſpes ſuccurſus evanuit. Redde igitur caſtrum hoc ſine moræ diſpendio & aliqua difficultate Domino Lodovico, nec notaberis de infidelitate, cum non poſſis illud ampliùs tenere, vides quòd certatim ad fidelitatem ejus confluunt. Thomas autem cum lachrymis dixit inſuper eidem Huberto, O frater chariſſime miſerere tui & mei, & omnium noſtrum acquieſcendo horum conſiliis, ſic enim omnes à confuſione imminenti poterimus liberari. Et addidit adhuc Comes, O Huberte, acquieſce conſilio noſtro, & voluntati Domini Ludovici, & dabit tibi jure hæreditario Norfolchiam & Suthfolchiam, & eris primus inter amicos ejus & conſiliarios; ſin autem iſte Thomas frater tuus ſuſpendetur, & tu non leviora in brevi patieris.

Cui Hubertus, O Comes proditor nequam, etſi mortuus ſit Rex Joannes Dominus noſter ac frater tuus, hæredes habet nepotem tuum, cui etſi omnes deeſſent, tu qui patruus ejus es, non debes ei deeſſe, imò ei alter pater eſſe; quid degener & inique talia loqueris? Et reſpiciens eum torvo oculo, & in vocem crudeliorem erumpens ait, Ne loquaris ampliùs unicum verbum, quia per lanceam Dei ſi ampliùs os ad loquendum aperias, vos omnes pluribus ſpiculis perforabimini, nec parcam fratri meo.

Comes igitur, & qui cum eo erant, videntes eorum mortem in ictu oculi imminere, quia baliſtarii prompti erant trahere, ſtatim receſſerunt, læti quod vivi & indemnes receſſerunt. Quod cùm audiſſet Lodovicus, vehementer licet dolens & iratus, conſtantiam Huberti collaudavit.

P.243.*l*.22. Regem acclamando *W* coronandum.
l.24. dictante juramentum Jocelino Bathonienſi *deſunt à W, ordo etiam C parum differt ab impreſſo.*
l.44. propria *deeſt à W, & C* prima.
l.50. fallax *deeſt à W*.
P.244.*l*.14. de Ledfort *W* de la Fort.
l.19. *poſt* eſſent ſolliciti *ſequitur in C* inter quos erat quidam ſerviens ſtrennus, audax, & aſtutus, Andreas Dingas nomine, cujus aſtutia, fortitudo, ac audacia, quantociens in quamplurimis locis fuerat experta, à Ludovico & commilitonibus ſuis, & à toto exercitu nimis commendabatur. Exierunt tunc de caſtro milites, *&c*.
l.25. *W ſic legit*, ſed aliis præmunitis compulſi ſunt ad caſtellum redire.
l.26. dum verò fortunalis alea, *&c. uſque ad* Waleranus genere Teuthonicus *l*.40. *deſunt à W; quorum loco ille hæc tantùm habet, poſt* properanter recipere *l*.26. Cúmque dies craſtina illuxiſſet, juſſit Lodowicus petrarias, & alias belli machinas, circa caſtri ambitum erigere; quibus undique collocatis, damnoſos lapides emittere non ceſſabat. Quibus Walerennus, *&c*.
l.36. *poſt* indulgentiæ concedatur *hæc in C interſeruntur*, Multi igitur eandem orationem cum pertinentiis memoriæ commendirunt; & ut eos major accenderet devotio, picturis effigiarunt hoc modo; Ibi ſpatium in pergamena relinquitur pro pictura, poſt quod ſpatium iterum ſequitur. Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dominus ded. Deus miſereatur noſtri, &c. Gloria. Kyrie eleeſon, Kyrie eleeſon, Kyrie eleeſon. Pater noſter. Et mea. Fac mecum ſignum in bonum ut videam. Tibi dixit. Cor mundum fac meum, fac. t. Dominus. Reſp. Quærite Dominum & confirmamini. Qui fa. e. ſ. t. Ora pro nobis, beata Veronica. V. d. eſ. pro Chriſto. Domine exaudi orationem meam. Domine Deus virtutum converte nos, & oſ. f. t. & ſ. e. Oremus; Deus qui nobis ſignans lumine vultûs tui, memoriale tuum ad inſtantiam Veronicæ ſudario impreſſam imaginem relinquere voluiſti, per paſſionem & crucem tuam tribue nobis quæſumus, ut ita nunc in terris per ſpeculum in ænigmate ipſam adorare, & venerari valeamus; ut te tunc facie ad faciem venientem, ſuper nos judicem ſecuri videamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivis &c.
l.61. ad fluvium Jordanem *C & W* ad Recordanam.
P.245.*l*.1. a diebus *ita & C, ſed W* in aciebus *rectè*.
l.34. ventis & pluviis incommodam *W* ventis commotam.
P.246.*l*.1. Poſtea verò quaſdam, *&c. uſque ad* Circa eoſdem dies *l*.16. *deſunt à W*.
l.28. Rex enim Hungariæ, *&c. hanc periodum ſic legit W*, Reges enim Hungariæ & Cypri Tripolim profecti ſunt; ubi Rex Cypri adoleſcens diem clauſit extremum. Rex Hungariæ brevi temp. *&c*.
P.247.*l*.1. Philippus Marc. *W* Marci, *in cujus libri ora recenti manu cum plumbo ſcriptum eſt* Darcy.
l.22. vix evaſit, *&c. ad finem paragraphi W ſic legit*, prædonum manus evaſit, ita quod nihil præter eſcas & pocula rapiebant. In craſtino autem. *&c. ut l*.24.
l.24. *W ſic legit*, Amphibali in villa de Redburna ſitam, monachos *uſque ad* fœm. ſpol.
l.27. *W ſic*, Inter quos & quidam dominicæ crucis continebatur tollens.
P.248.*l*.12. implere *W* ſupplere.
l.16. Cantelupo *W* Cantelo, *& ſic frequenter*.
ibid. poſt Falcaſius *addit W* in opere illo laudabilis.
l.37. ante adventum ſuum *W* antequam ad urbem venirent.
P.249.*l*.11. dexterrimos *C & W* dextrarios *rectè*.
l. 16. *W ſic legit*, & ad modum tonitrui horribilis circa capita galeata; ſed tandem per baliſtarios, quorum probitate, *&c*.
l.25. & verſum eſt in eum pondus belli *deſunt à W*.
l 27. *W legit*, quòd ſe non redderet Anglis, qui proprii. *&c*.
l.28. *ab* irruit quidam *uſque ad* videntes igitur Galligenæ *W ſic legit* irruit quidam, percutiénſque illum in oculo cerebrum perforavit; & corruens in terram, verbum ultra non edidit. Videntes itaque Galligenæ phalanges, quòd major pars, *&c*.
l.38. fracta eorum ſuperbia *deſunt à W*.
l.39. *W ſic legit*, Quia niſi conſenſus conſanguinitatis & carnis interveniſſet, ne pes unus ex omnibus evaſiſſet; ſed ne ſermonem inaniter diutiùs protrahamus, capti ſunt ex Baronibus, *&c*.
l.44. in hodiernum uſque diem *W* in æternum.
l.46. de Harcourt *W* Haencur.
l.51. Crokeſdenſem *W* Crocſtune.

*l.*64. ac Regis vaſalli ejus *W* ac Regis Angliæ.
ibid. Fuit autem illis pro *uſque ad* Præcentor autem, &c. *p.*250. *l.*1. *deſunt à W.*
*P.*250.*l* 2. ſcil. de Drepinges *W* ſcil. Diepinges.
*l.*3. domos *C & W* domatis.
*l.*9. aliquæ ſubmerſæ ſunt *C & W* multæ fuerunt aquis ſubmerſæ.
*l.*11. *poſt* inventa fuerant *addit W* in flumine.
*l.*13. *poſt* oneratæ *addit W*, & ideo ſubito perierunt omnes matronæ naves regere neſcientes. Impetus enim male ſolet omnia miniſtrare. Omnibus igitur, *&c.*
*l.*24. *poſt* Caſtellano de Arras *addit C* vel Attrebato *rectè*.
*l.*35. ad Lodovicum ſuum *C* ad Lodovicum dominum ſuum *W* ad Lodovicum.
*l.*49. *Omnia poſt* conſtitutum *uſque ad* Rex timuit *l.*52. *deſunt à W.*
*l.*62. *poſt* flagitioſiſſimo *addit W* & pietate nequiſſimo.
*P.*251.*l.*2. *poſt* viginti *immediatè addit W* quapropter timuerunt bellum conſerere, *&c.*
*l.*9. habuerunt præterea galeias *W* habuerunt præterea Angli galeias.
*l.*16. calce cæcabantur *deſunt à W, qui etiam ſequentia ſic legit,* nec erat ſpes ulla Francigenis evadendi, unde ne caperentur.
*l.*18. *poſt* mori *ad* Omnibus igitur *W ſic legit,* mori, quàm ab Angligenis ſubjugari. Omnia igitur, &c.
*l.*23. Gallos infelices *W* malè fatatos.
*l.*35. *poſt* ſibi apud Lincolniam irrogato, *& ante* Mareſchallus igitur, *hæc in C interſeritur narratio :*
Cùm autem Hubertus de Burgo de adventu tam formidabili certificaretur, dixit Epiſcopo Wintonienſi, & Mareſchallo, & aliis Magnatibus, Si hæc gens indemnis Angliam ingrediatur, proculdubio amittitur. Occurramus igitur animosè eis, quia nobiſcum eſt Deus, quando autem excommunicantur. Cui reſponderunt, Non ſumus milites maris, non pyratæ, non piſcatores, vade autem tu mori. Divertens igitur parum à loco Hubertus, vocato clam Capellano ſuo Luca, feſtinanter ſe viatico ſalutari præmunivit, & induens audaciam leoninam, ait ſpecialioribus ſuis, quibus caſtrum Doveræ commiſerat cuſtodiendum, Obteſtor per ſanguinem Chriſti ſi fortè capiar, ante permittatis me ſuſpendi, quàm alicui Franco caſtrum reddatis, clavis enim Angliæ eſt. Ipſi autem flentes fide interpoſitâ, & præſtito juramento, hoc illi conceſſerunt. Acceptis igitur ſecum præelectis militibus, viz. Henrico de Turbevilla & Richardo Suard, cum quibuſdam aliis ſed paucis, optimam navem intravit, habens ſecum quoſdam de quinq; portibus maris peritos. Erant autē nutui ſuo deditæ circiter decimas ſextas naves bene communitæ, ſine naviculis comitantibus, quæ ad viginti ſunt recenſitæ. Perexerunt igitur audacter obliquando tamen dracenam 1 [illegible], acſi vellent adire Caleſiam. Quod cùm vidiſſet Euſtaſius Monachus Dux Francorum, ait, Scio quòd hii miſeri cogitant Caleſiam quaſi latrunculi invadere, ſed fruſtra, bene enim præmuniuntur ; & ecce Angli ſubitò cùm comperiſſent ventum exhauſiſſe, verſa dracena ex tranſverſo vento jam eis ſecundo irruerunt in hoſtes alacriter, & cùm attigiſſent puppes adverſariorum, uncis injectis attraxerunt eas ad ſe, & intrantes quantocius ſecuribus præacutis præciderunt rudentes & antennas malum ſupportantes, & cecidit velum expanſum ſuper Francos ad inſtar retis ſuper aviculas irretitas, & nobilioribus parcendo incarcerandis in fruſtra cæteros detruncabant. Inter quos Euſtachium, qui ſe deſiguraverat, quem etiam in ſentina invenerunt latitantem, extraxerunt, & decollaverunt. Erat autem ille natione Flandrenſis, qui pro hæreditate proſequenda fratribus ſuis ſine liberis præmortuis, relicto habitu & ordine ſuo apoſtataverat, & exiſtens pyrata & pyratarum magiſter, multis damnoſus fuit & cruentus ; ſed tandem prædo præda factus, fructus collegit viarum ſuarum. Cùm autem Hubertus victor miraculoſus ad littus lætus perveniſſet, perexerunt ei obviam & ſuis convictoribus, omnes Epiſcopi qui erant cum militia & populo, ſacris induti veſtibus cum crucibus & vexillis, cantantes ſolenniter & Deum collaudantes.
*l.*43. pro corona Franciæ, quam etiam læſi & irati non poſſunt odiſſe *deſunt à W.*
*l.*46. *poſt* habere receſſum *uſque ad* ſin autem ipſi ſubverſ. *deſunt à W.*
*l.*49. *poſt* placuit valde *addit W* quia licuit eis ab Anglia, &c.
*P.*252.*l.*29. *pro* metens quod non ſeminavit *habet W* ut juxta Evangelicam ſententiam, ea quæ diſperſa erant congregaret, & multis ex portion. &c.
ibid. poſt grandem acervum *in margine C ſcribitur,* ſcil. 12000 marcarum cumularet.
*l.*37. Cajetam & Tornetum, *ſic & C ; ſed W* Gaietam & Cometum.
*l.*47. prurientes *deeſt à W.*
*l.*50. Philippus Marc. *W* Marci, *ſed in ora libri plumbo recenter ſcriptum eſt* Darcy, *ut & antea notavimus.*

*P.*253.*l.*19. *pro* & e converſo *W habet* qui ſibi in incrementum & decremento ejus magnam attribuunt conjecturam.
*l.*21. Circa illa tempora *uſque ad* Interea temporiſ viderunt *l.*37. *deſunt à W, & in C inter duo proxima capitula interſeruntur.*
*l.*47. aquæ circuinfluenta *W* circumfluentis importunitatem.
*P.*254.*l.*1. Tunc etiam obiit Lantgravius, &c. *deſunt à C & W.*
*l.*3. *W ſic legit,* Tandem Deo demonſtrante, & architectoribus eo donante, providentibus Teutonic. &c.
*l.*5. *poſt* cohærentes *addit W*, & ſocia compaginatione vacillandi periculum prohibentes, quatuor malos, &c.
*l.*7. *poſt* cooperuerunt illud *ſequitur in W* per circuitum architectores, & deſuper tectum erat contra ignem Græcum, ſub caſtellulo autem fabricav. &c.
ibid. ſcalas ſuſpenſas *W* ſcalam ſuſpenſam.
*l.*23. ad littus occid. *W* ad latus.
*l.*31. extinctoria eſt ſubventum *W* extinctoria laborantibus eſt ſubventum.
*l.*51. ſequentis immobile *W* ſequentis Sabbati immobile.
*P.*255.*l.*34. Henricus *C & W* Hervæus.
*l.*45. nocte media *deſunt à W.*
*l.*62. *poſt* evaſerunt *hæc in C interſeruntur :*
Eodem anno dedicata eſt Eccleſia S. Mariæ Wigorniæ, & corpus glorioſi Epiſcopi Wlſtani, præſentibus Epiſcopis & Magnatibus, quos dinumerare longum eſſet, tranſlatum eſt uno & eodem die vij. Idûs Junii, litera Dominicali G, viz. die Jovis in ſeptimana Pentecoſtes, præſidente eidem Eccleſiæ Sylveſtro Epiſcopo aliquando Priore ejuſdem Eccleſiæ, Monacho & diviſæ ſunt reliquiæ, ut magis Sanctus venerabilis haberetur. Collata eſt Eccleſia coſta una, quam reverenter auro & argento Abbas Eccleſiæ S. Albani Willielmus collocavit. Gualo receſſit ab Anglia tendens Romam circa Feſtum S. Andreæ. Pandulfus Norwicenſis electus ſuceeſſit ei in Legationem. Rex Henricus tertius proprium ſigillum Regium obtinuit. Eodem anno procurante, &c.
*P.*256.*l.*4. Et Londini, *cum cæteris uſque ad* Poſt cujus mortem *l.*5. *deſunt à W.*
*l.*6. Epitaphium autem, *cum reliquis uſque ad* Eodem tempore Pelagius *l.*16. *deſunt à W, & in C habetur in margine.*
*l.*62. prævii *C & W* præduces.
*P.*257.*l.*7. per quem *C & W* ad quem.
*l.*37. pedites ter *C & W* pedites ſeculares ter.
*P.*258.*l.*16. de Outhlandia *C* Orthlandia *W* Houtlandia. *Credo debere ſcribi* Hollandia.
*l.*44. *poſt* ſperantes in ſe *ita ſequitur in C,* Ipſis diebus ſignipotentiſſima ſancta Elizabetha Regis Hungariæ filia Landegravii Thuringiæ ſponſa, miraculis & vitæ ſanctitate ſupra ſexum muliebrem floruit in Alemannia, cujus hortatu vir ſuus Landegravius, nomine Ludowicus, crucem ſuſcepit, & apud Damietam obiit, ſanctiſſimæ precibus uxoris ſuæ cœlo receptus. Poſt cujus obitum ſancta Elizabetha jam vidua, habitum Religionis de manu magiſtri Conradi viri ſanctiſſimi ſuſcepit, & adeò de virtute in virtutem aſcendit, ut ante & poſt obitum ejus tota Alemannia ejus virtutibus & fama illuſtraretur. Et ſciendum quod illa Elizabetha filia fuit illius Reginæ, de qua per Incentium Papam interpretata eſt in melius hæc locutio amphibologica, cùm de communi conſenſu accuſaretur quidam ;

Reginam interficere nolite, timere bonum eſt : & ſi omnes conceſſerint, ego non, contradico.

In qua locutione hæc fuit accuſantis intentio ;

Reginam interficere nolite timere, bonum eſt ; & ſi omnes conceſſerint, ego non contradico.

Et ſic per propitium interpretem intervenientibus muneribus liberatus eſt accuſatus.
*l.*55. cœtanum *C & W* coctanum.
*P.*259.*l.*65. Chriſtianæ & ſanctæ *deſunt à W.*
*P.*260.*l.*7. Goſhen *C* Gerſen *W* Greſſen.
ibid. ut convettere *C* convincere *W* convicere. *Credo debet legi* conjicere.
*l.*34. Obiit autem *uſque ad* Circa hæc tempora *deſunt à W.*
*l.*59. Eodem anno conſecr. *ad* Eodem anno & die *deſunt à W.*
*P.*261 *l.*13. Rege ad caſtella *C & W* Rege hoſtiliter ad caſtella.
*l.*14. Sabbatho autem, &c. *ad* Eodem tempore *l.*18. *deſunt à W.*
*l.*28. Hoc anno *ad* Wintonienſis *lin. prox. deſunt à W.*
*l.*33. de Foret *C & W* For.
*l.*56. ſexto Idûs *C* octavo.
*l.*58. Pandulpho *ita & C, ſed W* Walone *falsò*.
*P.*262 *l.*7. caput *C* capitis.
*l.*48. refutationes *C & W* recuſationes.
*l.*59. Lodovicus *C & W* Leolinus *rectè*.
*P.*263.*l.*5. concedentibus *W* conceſſis.
*l.*8. *W ſic legit,* Per idem tempus mandavit mag[illegible] Templi literam, quæ ſequitur, de ſtatu terræ [illegible]; Fratri, &c.

l.24.

l.24. per aliquod tempus magnum per mare *ita & C, ſed W* & menſe Septembrio, eas conſtituerunt per mare.

l.27. prædictam Saracenorum multitudinem *ita & C, ſed W* prædictas Saracenorum galeias.

l.48. *ab* Ipſo quoque anno *uſque ad* Anno Domini l.64. *deſunt à W.*

l.52. 7 Calendas *C* 5 Cal.

P.264 l.5. *In* C *tranſponuntur exemplaria epiſtolarum duarum ſequentium.*

l.11. Bavariæ *C & W* Belvariæ, *ſed poſtea habent* Balvariam, *& ſæpè.*

l.13. peditum; fecerunt *C & W* peditum; hi omnes fecerunt *rectè.*

l.29. craſtino beatæ virginis *C & W* craſtino nativitatis beatæ, &c.

P.265.l.16. Hoc anno comprehenſo, &c. *uſque* Eodem anno l.31. *deſunt à C.*

l.21. Similiter & quidam, &c. *ad* Eodem anno l.31. *deſunt à C.*

l.56. quaſi pro edicto, &c. *ad* Sed res geſta l.59. *deſunt à W.*

l.60. ad urbem London. *C & W* ad turrem London.

l.65. ratum habere *C & W* warrantizaturum.

P.266.l.1. Confidebat enim, &c. *uſque ad* At Juſtitiarius l.4. *deſunt à C & W.*

l. 16. *uſque ad* l.60. *quædam tranſpoſita ſunt in C.*

l.39. Eodem anno magiſter, &c. *uſque ad* Anno Dom. l.60. *deſunt à W.*

l.57. commutaretur *C* converteretur.

P.267.l.30. Eodem tempore *C* Eod. tem. tertio Idûs Auguſti, circa.

l.40. *poſt* compulli *ſequitur in C,* Hoc præcipuè dictum eſt pro Conſtantino cive Londonienſi, de cujus ſuſpendio jam certificabatur, & cauſa & modo: de libertatibus autem.

P.269.l.4. Tertio autem Idûs, &c. *ad* Anno Dom. l.24. *deſunt à W.*

l.58. O innata Pictavienſibus, &c. *ad* Per idem tempus l.63. *deſunt à C & W.*

P.270.l.23. Brente *W* Breaute.

l.35. Inter quos cecidit Giffard, miles eximius, ſpiculo baliſtæ percuſſus *deſunt à C & W.*

l.44. Architectoria *W* Geometrica.

P.271.l.7. Tunc claruit inflictio, &c. *uſque ad* Et ſic quaſi l.12. *deſunt à C & W.*

l.17. ſcil. de Ripariis *deſunt à C & W.*

l.27. Eodem anno conſecrantur, &c. *uſque ad* Anno Domini p.272 l.18. *deſunt à W.*

l.32. Sub illius temporis curriculo, &c. *ad* Baldewinus Comes l.61. *deſunt à C.*

P.272.l.2. mirgos *C* nurgos *fortè* nigros.

l.41. Richardo fratre, &c. *uſque ad* Eodem anno l.45. *deſunt à C & W, nec video quomodo huc intrârunt.*

l.56. munera ſequentes cum retributionibus *deſunt à C & W.*

l.62. Regi *deeſt à W.*

l.64. quod Regula nuncupatur *deſunt à C & W.*

P.273.l.15. Conſecratus in Epiſcopum, &c. *ad* Circa hos l.17. *deſunt à W.*

l.28. & quia multos, &c. *ad* & quia inventus l.29. *deſunt à W.*

l.51. quia ſcriptum eſt, Vivens, vivens, ipſe confitebitur tibi, *deſunt à W.*

l.60. *poſt* eſſet convicta *W addit* etiamſi ſoluta fuerit. Si verò deſponſata ſuper rem hujuſmodi fuerit convicta, tanquam pro, &c. *In margine autem* C *per aliam & recentiorem manum eſt annotatum,* Vide ſi ſit in Conſilio Oxonienſi.

P.275.l.11. joculatorum *C & W* balatronum.

l.28. *poſt* direxit *ea interſeruntur in C, quæ retro ad p.271.l.32. deeſſe obſervavimus, incipientia ſcilicet cum* Sub illius temporis curriculo.

P.276.l.27. cum Clero & Magnatibus, *ita & W, ſed C* cum Clero & populo & Magnatibus.

l.15. Sublevare ut filii *W* ſublevare ut patris & filii.

P.277.l.25. Flos Comitum *deſunt à W & C.*

l.27. *Hic interſeritur mediatio illa Othonis Legati pro Falcaſio, quam ferè, unà cum reſponſione Regis, antea impreſſa eſt ad pag.* 274. *à* l.38. *uſque ad* ſollicitare Regem l.45. *Inſuper & in C & in W hæc ſequuntur illam narrationem;* Hoc cùm audiſſet Magiſter Otto, literas ſuas ad omnes Eccleſias Cathedrales per Angliam, ſive Conventuales, exigens procurationes debitas Nunciis Romanis; ita quòd nulla procuratio numerum 40 excederet ſolidorum. *Vide tu Lector, & ea quæ præmiſſa ſunt* p.274.l.45.

l.36. Senonenſem & Rothomagenſis *C* Senonenſem & Rothomagenſem & Rothomagenſis.

l.43. quæ dicitur hæreſis Albigenſium *deeſt à W.*

l.48. Si ſecus fieret *deeſt à W.*

P.278.l.10. exegit Præbendas *C & W* Eccleſias.

P.279.l.27. *ab* inhibitoriis *ad* inquietaret *deſunt à W, ſed vitio ut videtur Scriptoris.*

l.46. Perepund *C* Perepunt *W* Pierepunt.

l.52. utpote Monachorum & Religioſorum perſecutor ab antiquo *deſunt à W.*

l.60. à primis annis Aulicus & Curialis Regum ſatelles, & Theolonarius à domibus religioſorum exitialis, *deſunt à W, unà cum Epitaphio ſequenti.*

P.280 l.14. cujus nomen fuit Reimundus, quondam Prior Eccleſiæ S. Albani, *deſunt à W.*

l.21. & filii mei, &c. *ad* devotus impendit *deſunt à W.*

l.33. expergefactus *W* ſtupens.

P.281.l.1. ſcrofa, catus, funda *W* ſcrofa, catus, arcus, funda.

ibid. galea, clava, lorica *W* galea, umbo, clava.

P.282.l.14. fidem habentes *C & W* fiduciam.

l.45. Oriebatur interim rumor *uſque* Rex autem Anglorum l.55. *deſunt à W.*

P.283.l.14. Iterum cum de ſtagno, &c. *ad* Lapidem autem l.19. *deſunt à W.*

l.21. Utinam non adhuc, &c. *ad* Eodem anno defuncti l.26. *deſunt à W.*

l.28. multùm adjutus procuratione Huberti de Burgo tunc Juſtitiarii, *deſunt à W.*

P.285.l.30. *quæ Parentheſi clauduntur deſunt à W.*

l.33. ad ſalutem, &c. *ad* laudabiliter *deſunt à W.*

P.286 l.42. *ſic legit W,* Ordinis inſtitutor fuiſſe perhibetur, & magiſter Romæ mirabiliter ex hac luce migravit. Erat autem Franciſcus, &c.

P.287.l.42. Prædictorum *C* Prædicatorum *rectè.*

l.58. populorum, rem *W* hominum utriuſque ſexûs, rem.

P.288.l.5. Dominus autem Papa videns, &c. *uſque ad* p.290. l.21. Anno Dom. 1228. *deſunt à W.*

P.290.l.28. *poſt* extremum *W ſic legit,* Cujus frater minor natu Radulphus, qui tunc abſens erat, cupiens cum ipſo breve colloquium antequam obiret, cum feſtinatione venit ad eum; ſed defuncto fratre quem multùm dilexit priuſquam veniret, nec vocem in illo nec ſenſum invenit. Radulphus verò de fratris obitu valde contriſtatus, cepit cum fletu & vociferatione maxima fratrem jam defunctum adjurare, ut fraterno ductus affectu ſecum loqueretur. Cùmque coram, &c.

l.46. honeſtis perſonis, &c. *W ſic legit,* quam cum Monachis religioſis implevero, pro liberatione animæ veſtræ & prædeceſſorum noſtrorum Deum æternaliter invocabunt. Reſpondit Rogerus, promiſſionibus tuis multùm indigeo, ſed ne quæſo mihi promittas, quod deſideras effectu complere. Et ſic fratri, &c.

l.50. Angliæ conſtituens *W ſic legit,* Angliæ conſtruens, Monachos Ciſterſienſes impoſuit; & locum, &c.

P.291.l.7. vix Charybdis voragines tranſire, vix à Scylla declinare, *deſunt à W.*

P.293.l.22. Simonias, exactiones, &c. *uſque ad* In concluſione quoque epiſtolæ demum, &c. *deſunt à W.*

P. 294.l.47. *poſt* Anno ſecundo *in margine C additur,* Nonas Auguſti.

P.295.l. 37. obſidione vallaſſent *W* obſidione Wallenſica vallaſſent.

l.55. Comperiens, &c. *ad* ſunt ei *lin. prox. deſunt à W.*

P.296.l.13. *W ſic,* argento, pannis ſericis, & ſimilis, & aliis rebus mirificis, quibus omnibus regiones abſtinent occidentis.

l.17. Cæſarienſem & Narbonenſem. Epiſcopos Angliæ Wintonienſem & Exonienſem, magiſtros *deſunt à W.*

l.42. cauſa orandi Angliæ protomartyrem *deſunt à W.*

l.46. *poſt* Interrogatus *uſque ad* Interrogatus l.54. *deſunt à W.*

l.57. Reſpondit Archiepiſcopus, &c. *ad* & poſtea miles *W ſic,* Reſpondit pro Archiepiſcopo miles quidam de familia ejus, qui & interpres illius erat, & dixit lingua Gallicana, Bene, &c.

l.58. Notus etiam, &c. *ad finem lineæ deſunt à C & W.*

P.297.l.5. contemptibiliter *W* impiè.

l.7. Ego vado & expectabis *W* Ego, inquit, vado & tu expectabis.

l.10. centum attigerit *uſque ad* verùm poſt paſſionem D. *W ſic,* ad centum attigerit annorum, redit ad illum ætatis ſtatum, quo fuit anno quo paſſus eſt Chriſtus; verum.

l.24. in igne ſeculum judicaturi *deſunt à W.*

l.30. *poſt* & orante *addit W* in paſſione ſua pro inimicis ſuis, Pater, &c.

ibid. Paulus ſiquidem, &c. *uſque ad* Eodem anno l.43. *deſunt à W.*

l.41. & poſtea ſepelitur Epiſcopus *deſunt à C & W. C tamen in margine habet,* Et poſtea Epiſcopus Breitenſis nomine S. Valerannus.

l.44. *poſt* nigrum *uſque ad* Canonicum *deſunt à W.*

l.48. Sicut & prædictus Euſtachius in ſua *deſunt à W.*

l.63. *poſt* reverſi *W hic inſerit,* Prædictionem quandam Aſtronomi Toletani, *quam Lector inveniet in Auctario Additamentorum.*

P.298.l.13. de Brennes *W* de Breſſnes, *& ſic ubi poſtea.*

l.35. Eodem anno *uſque ad* Eodem tempore inſtante *pag. prox.* l.25. *deſunt à W.*

P.299.l.10 *poſt* eſſet numerare *C addit in margine,* Recedentes itaque generaliter Clerici univerſi, contulerunt ſe

ad

ad civitates majores regionum diverſarum, quorum tamen &c.

l.27. *W ſic legit*, dicti Regis, & præcipuè magiſter Joannes de Houtona, Dominum Papam. &c.

l.40. Coventrenſem & Roffenſem Epiſcopos, & dilectum filium. *deſunt à W.*

l.43. Domino Thoma *W* Magiſtro Thoma.

P.300.l.36. *poſt* Data, &c. *ſequitur in C*, Nota autem quòd procurantibus magiſtro Alexandro de Stavenesbi Ceſtrenſi & magiſtro H. de Sanford Roffenſi Epiſcopis, & quibuſdam aliis, quorum præcipuus & principalis fuit magiſter Joannes de Hætotoft Archidiaconus Bedefordenſis, procurata eſt depoſitio magiſtri Walteri Monachi Cantuarienſis, ſecus quàm deceret, aut animabus eorum expediret. Sed hæc prolixè in anteſcriptis declarantur.

l.59. ſanctitati *C in interlineari* ſinceritati.

l.64. prout dicebat *C & W* ut dicebatur.

P.301.l.6. Gazam *C* Gaphaz.

l.33. Februarii *C in margine* Martii.

l.60. *poſt* 1229 *locus vacuus relinquitur in C cum hac nota*, Hic debent fieri ſigilla Imperatoris; *indéque deſunt ſeptem illæ lineæ incipientes* Forma Bullæ *& deſinentes* Bulla Papæ p.302. l.2. *Deſunt etiam hæ lineæ à W.*

P.302.l.2. *poſt* major Bulla Papæ *in W inveniuntur aliæ prædictiones Aſtronomicorum, quas Lector poſt prædictionem prænominatam inveniet in Auctario noſtro.*

l.9. Prælatorum Miſſam *C* Prælatorum eidem Miſſam *W* Prælatorum in ea Miſſam.

l.10. & in divina pagina eleganter eruditus, Anglicus natione, *deſunt à W.*

l.14. excitando ad obſequium Crucifixi arctiùs, *deſunt à W*, *qui & proximum* animavit *legit* excitavit.

l.20. ſanctorum pedum ſuorum veſtigiis *W* ſuis ſanctis pedibus.

l.21. Erátque tanta *cum lin. prox. deſunt à W.*

l.23. His autem ſic, &c. *uſque ad p.*304.l.23. *deſunt à W.*

P.303.l.12. capitulorum tenore *C* capitulorum treugæ.

l.50. jubebat *C* inhibebat.

P.304.l.34. Et notabilem *uſque ad* Egreſſus autem *lin. prox. deſunt à W.*

P.305.l.18. factus eſt quia, &c. *ad* qui Romæ *lin. prox. deſunt à W.*

l.26. Conſentientes igitur, &c. *uſque ad* Tunc magiſter Stephanus l.32. *deſunt à W.*

l.59. Præterea habuit, &c. *ad* Continuis maledictionibus l.63. *deſunt à W.*

l.65. Quod juxta vota, &c. *ad* ſolus autem Ceſtrenſis Comes *pag. prox.* l.5. *deſunt à W.*

P.306.l.16. Qui ſatis felici *ad* Eodem tempore l.25. *deſunt à W.*

l.29. Eodem anno obiit *ad* Sub eiſdem l.3[illegible]. *deſunt à W.*

P.307.l.19. Et debaccharentur, &c. *ad* cùm non eſſet *lin. prox. deſunt à W.*

l.54. Cum ſtipendiariis, &c. *ad* Et ſic mediantibus *lin. prox. deſunt à W.*

l.64. ſub feſtinatione *deſunt à W.*

P.308.l.5. ſanctum Machutum *W* ſanctum Mauloum.

l.38. atque illam igne, &c. *uſque ad* Comes verò l.38. *deſunt à W, ſed vitio Scriptoris.*

P.309.l.56. Eodem tempore Reimundus *uſque ad* Tandem Rex Anglorum l.60. *deſunt à W.*

l.65. conſumpta pecunia, &c. *ad* venerunt autem p.310.l.2. *deſunt à W.*

P.310.l.17. Lambethiam *C* Lamethiam *W* Lambeiam.

l.45. Rex autem qui, &c. *ad* Eodem menſe Maio l.49. *deſunt à W.*

l.50. flammis vaſtaverunt *W* flammis diſcurrentibus vaſtaverunt.

P.311.l.60. illum cum gaudio *ad* Homagiúmque illi *lin. prox. deſunt à W.*

P.312.l.18. Erat namque, &c. *ad* Archiepiſcopus l.19. *deſunt à W.*

l.23. de quo hoc mirabile *ad* Eodem tempore l.29. *deſunt à W.*

l.31. præcipuè Mareſchallo *deſunt à W.*

l.38. qui erat Regis, &c. *uſque ad* præſentaverunt l.43. *deſunt à W, qui tantùm habet*, Erat autem Cancellarius Regis, unde Monachi electione facta præſentaverunt eum Regi 8 Cal. Octob.

l.46. petierunt ab illo, &c. *uſque ad* non ideo l.54. *W ſic legit*, petierunt ab illo expenſas itineris. Sed ille planè affirmavit, quod propter hoc eis nec obulum unum donaret. Sed Monachi illi non ideo minus.

l.57. rapidum in verbo, &c. *uſque ad* Papa poſtulatione caſſata l.65. *deſunt à W.*

P.313.l.2. & Romanæ fidelis & devotus *deſunt à W.*

l.16. diœceſim *deeſt à C &*, *W habet* Angliam.

l.34. in poſſeſſionibus veſtris indubitanter *deſunt à W.*

P.314.l.60. vel pœna punirentur pecuniali *deſunt à W.*

P.315.l.38. quam Rex viderat *C & W* quam Rex ille ſolus viderat.

l.43. Et hæc miſericordia &c. *ad* Nec illud l.45. *deſunt à W.*

P.316.l.16. Et ſicut rebellibus, &c. *ad* Hæc & his l.48. *deſunt à W.*

l.20. excocta culparum ſcoria *deſunt à W.*

l.38. Witham *W* Wither; *parentheſis etiam ſequens tota deeſt à C & W.*

l.64. Robertus do Thinge *C & W* Tuinge.

l.65. ex partibus Angliæ, &c. *ad* qui aliis *deſunt à W.*

P.317.l.33. tutum forſitan non eſſet *W* nephas eſſet, & contumeliis provocatus cepit.

l.38. Britonem *W* Britannum.

l.39. Conſilio Petri, &c. *ad* loco illius *deſunt à W.*

l.40. memorati Epiſcopi nepotem, vel filium, *deſunt à W.*

l.41. reportavit *W* reparavit.

l.65. qua ipſum abſolvit *W* per quam ipſum abſolvit.

P.318.l.17. ſibi copulavit *W* ſibi ſubtraxit.

l.27. Hubertus nimis *ad* qui prius *ob lin. prox. deſunt à W.*

l.38. *poſt* interfici procuravit *reliqua uſque ad* Cives verò Londinenſes l.42. *deſunt à W.*

P.319.l.6. Cùm autem majoris, &c. *uſque ad* Et in craſtino ante lucem l.15. *deſunt à W; & in C in margine adjecta ſunt. Et ſanè quantum conjicere poſſum, rubrica ſive titulus ſupra caput hujus additionis ſive adjectionis, propria manu* Matth. Paris *ſcribebatur; forma enim ductúſque literarum optimè concordant cum illa ſcriptura in libro Additamentorum, quam ipſius* Matthæi *fuiſſe autographum non dubito.*

l.17. Sed dum hæc *ſequitur in W* agerentur, ſuggeſtum fuit Regi, &c. *adeò ut tres lineæ hîc deſunt à W.*

l.21. diceretúrque per totum orbem *uſque ad* Et ſic mutato conſilio l.36. *deſunt à W, & in C ſcribuntur in margine inferiore, cum rubrica* Matth. Paris *manu priori conſimile.*

l.36. Rex feſtinanter nuntiavit *W* Rex Majori nunciavit.

l.44. glorioſi Regis, &c. *ad* Et tranſiens *deſunt à W.*

l.55. Sed Hubertus *W* Sed cùm Hubertus.

l.57. arctiſſimis, quia non, &c. *W legit*, arctiſſimis equo impoſuerunt, & ad turrim London. *&c. adeò ut 20 ferè lineæ uſq; ad* & ad turrim p.320.l.11. *deſunt à W.*

P.320.l.11. ſuper equum *uſque* quo facto *deſunt à W.*

l.30. & in prædicta *uſque* ſed Rex *lin. prox. deſunt à W.*

l.38. *poſt* confiteri *ſequitur in W* vel ſe in Regis ponere voluntate. Ad hæc.

l.42. Eodem tempore, &c. *uſque ad* Morabatur autem poſtea Hub. l.53. *deſunt à W, quæ tamen poſtea ſequuntur in eo.*

ibid. multo tempore *W* multis diebus & noctibus.

l.59. *poſt* compedibus mancipatus *in W ſequitur*, Per quem modò debuit colligi quadrageſima pars omnium rerum mobilium in Anglia, apud Lambeiam Regi conceſſa per literas regias quæ ſequuntur; Henricus Dei gratia, &c. *ut* l.62. *linea autem illa 62 cum ſequenti uſque ad* Henricus *deſunt à W.*

P.321.l.2. videlicet de bladis *C & W* videlicet quod de bladis.

l.5. Præbendalibus *W* Præbendatis.

l.33. *poſt* valete *hîc in W illa referuntur de morte* Ranulphi Comitis Ceſtrenſis, *quæ pagina priore habentur, à* l.42. *uſque ad* l.52. *Vide quæ antea notavimus ad* l.42. p.320.

l.53. vaſa aurea, &c. *ad* His itaque l.54. *ita legit W*; 8000 libras argenti optimæ monetæ, ſepties viginti cupas aureas & argenteas bene deauratas, cum tanta pretioſorum lapidum ac nobilitate gemmarum, quod pretium rerum omnium inventarum ut dicitur excedebant.

l.60. ac vir ſanguinum, &c. *uſque ad* Et his dictis conceſſit H. l.63. *deſunt à W.*

P.322.l.1. *è regione hujus & ſequentis lineæ in margine C reperitur*, In fine hujus libri invenies objectiones Adverſariorum & reſponſiones Laurentii.

l.9. ibi non deeſt *W* ibi non deſit; ad conſuetudinem *quoque deeſt à W.*

P.323.l.32. Et hac de viſitatione ſunt manifeſta *W* Et hæc de viſitatione dicta ſufficiant.

l.33. Item ſcripſit *uſque ad* Eodem anno Rogerus *pag. prox.* l.6. *deſunt à W.*

P.324.l.8. Qui poſt multos, &c. *ad* Anno Dom. *deſunt à W.*

l.35. in regno *deſunt à W.*

l.65. *poſt* quatuor ſoles adulterini *ita in W ſequitur*, Circa ſolem naturalem diverſi colores, quidam in ſemicirculis, quidam in rotundis. Hi ſoles pluſquam mille viris fide dignis apparentes terribile illis ſpectaculum præbuerunt; unde quidam eorum propter viſionem inſolitam pinxerunt ſoles & circulos diverſis coloribus, inſignitos in pellibus literalibus, ne res tam inſolita à memoriis hominum laberetur.

P.325.l.28. Scripſit etiam idem Epiſc. *uſque ad* [illegible]erea confeſſus fuerat l.32. *deſunt à W.*

l.37. ſimilis facta, &c. *ad finem capitis deſunt à W.*

l.39. virum honeſtæ converſationis & bene literatum *deſunt à W.*

l.54. ſecundò & *deſunt à W.*

l.55. Robertus Bacun *deeſt à W.*

l.58. aut conſanguineum *deſunt à W.*

l.59. Rex aliquantulum *uſque ad* ſignificavit magnatibus l.65. *deſunt à W.*

P.3[illegible]5.l.12.

P.326.*l.*12. ab illud nomen *ad* Tunc Petrus *l.*13. *deſunt à W.*
*l.*16. jactitans ſe arduum *uſque ad* Rex autem in partem *l.*18. *deſunt à W.*
*l.*23. aut ſeptem *deſunt à W.*
*l.*30. Iſabella *deeſt à W.*
*l.*35. *pro* fœmineis *W habet* ſororis ſuæ.
*l.*50. *pro* non ignobilibus ſibi adhærentibus *W habet* qui eis adhærebant.
*l.*52. addens dolorem, *&c. ad* Præcepit *lin. prox. deſunt à W.*
*l.*62. & ex Flandria Baldewinus de Gyſnes cum ſua cuſtodia *deſunt à W.*
P.327.*l.*1. Hoc anno mortuus *cum lin. prox. deſunt à W.*
*l.*22. illud integrum, *&c. hîc mutilus eſt W, & linea deeſt.*
P.328.*l.*8. plures autem qui *W* plures Epiſcopi qui.
*l.*10. Et aliæ favorabiles *uſque ad* quos abſque judicio *l.*12. *deſunt à W.*
*l.*14. *poſt* deſtruxerat *W ſic legit*, Proditores eos vocabat, per quos, *&c. ut l.*16. *Cætera igitur ab* & malorum *ad* proditores vocat *deſunt à W.*
*l.*34. in jus ſuum aſſumptum *deſunt à W.*
*l.*38. amicis ſuis *deſunt à W.*
*l.*54. qui indiſcrete rebellantes potius à ſemetipſis quàm ab aliis *deſunt à W.*
*l.*59. *poſt* alii multi *W ſic legit*, qui nudi fugientes, omnia quæ ſua erant amiſerunt; unde.
*l.*62. ſtratilectilia *deeſt à W.*
P.329.*l.*3. per dies plurimos, quod dirum omen ſolet ſignificare, *deſunt à W.*
*l.*5. quia frequenter *W* quia ſemper.
*l.*12. quem Rex ſuis vocavit & tenuit ſtipendiis, & eidem, *deſunt à W.*
*l.*13. & Flandrenſibus *deſunt à W.*
*l.*14. *pro* erupit, impetum faciens vehementem cum multis, *W legit*, exivit cum mille viris, *&c.*
*l.*15. cupiens nomine famoſo perpetuo intitulari *deſunt à W.*
*l.*19. & temerarium *deſunt à W.*
*l.*22. vacantes, hoſtiles impetus conentur propulſare, *W legit*, vacarent ne morerentur multi.
*l.*24. viri, mille *W* viri bellatores, contra mille.
*l.*28. *pro* eum frequenter hoſtili ſanguine inebriavit, *W legit*, ſed quoſcunque cum illo contingebat aut in terram mortuos proſternebat, aut attonitos ictuum colliſione reddebat.
*l.*32. fortiter & revolvit viriliter *deſunt à W.*
*l.*33. acriori *deeſt à W*; *& ibidem pro* bellicoſus *W habet* miles ſtrenuus.
*l.*37. *poſt* impellentibus *W habet* ut ferrent auxilium Baldewino, qui Mareſchallum per frænum trahebat.
*l.*44. feminecem vel magis *deſunt à W.*
*l.*51. vix redempti *deſunt à W.*
P.330.*l.*9. de quibus plenam confidentiam reportaret *W* de quibus confideret.
*l.*11. ipſi Mareſchallo, *&c. hîc mutilus eſt W.*
*l.*42. *poſt* Wallenſes *W habet* qui venient in Angliam & ſupped.
*l.*51. quod Dei avertat providentia *deſunt à W.*
*l.*55. aliquo prorumpens in iram ſpiritu effræni *deſunt à W.*
*l.*56. Ha quam ſuſpecti, *&c. ad* item dicunt *l.*59. *deſunt à W.*
*l.*61. deprecabilis *W* credibilis; *& tum demum, &c. ad* In Conſiliariis *deſunt à W.*
*l.*65. & adhuc timentes laqueos quos evaſimus *deſunt à W*; *qui ſic legit cætera*, Et quod rex ſit credibilis poteſt eſſe, quantum in ſeipſo; ſed quantum ad Conſil. *&c.*
P.331.*l.*6. operibus enim credendum eſt *deſunt à W.*
*l.*12. Achitophel & *deſunt à W.*
*l.*16. Rumor de veteri *uſque* Item dicunt Conſiliarii *l.*19. *deſunt à W.*
*l.*38. Capitaneis *W* Capitalibus.
*l.*40. ſimpliciter. Quod, *&c. ad* Præterquam de Rege *l.*42. *deſunt à W.*
*l.*48. ſua ſeparare *W* ſua cùm voluerit ſeparare.
*l.*61. diſcreti *deeſt à W.*
P.332.*l.*1. Circa idem tempus *ad* Anno Dom. *l.*14. *deſunt à W.*
*l.*12. à ponte *C* à parvo ponte.
*l.*29. tubis clangentibus erumpentes *W* tubis emittentes & buccinis irruunt in venientes.
*l.*34. *W ſic legit*, Et ſic cum ſpoliis inappreciabilibus & armentis, in ſua ſeſe Mareſchallus recepit.
*l.*35. bubus in boſtaribus, *&c. W ſic*, bobus in ſtabulis ſtantibus incendio concremavit. *Segrave.*
P.333.*l.*30. violentiæ proditioſa, *&c. ad* per chartam R. *l.*32. *deſunt à W.*
*l.*34. ſigillo regio communitum *deſunt à W.*
*l.*39. ac laceſſitus *deſunt à W.*
*l.*50. *pro* ditati & lætabundi *W habet* in patriam ſuam; & qui pauperes advenerunt à partibus remotis, ſinguli divites receſſerunt.
*l.*52. Similiter in partibus *uſque ad* Dum hæc in remotis agerentur, *deſunt à W. qui pro* in remotis *legit* in Hiſpania.
*l.*63. nemo quoſdam *ad* excommunicavit *l.*1. *pag. prox. deſunt à W.*

P.334.*l.*2. vel ſuper Epiſcopos *ad* ſic igitur intervenientibus *l.*5. *deſunt à W. Illam etiam lineam ſic legit*, Et ſic intervenientibus Epiſcopis qui aderant, cum Rege pacificatus eſt. Affuit.
*l.*14. *poſt* animum veſtrum *W ſic legit*, à gente veſtra, & gentis veſtræ à vobis; ut apparet in facto Mareſchalli, qui melior homo eſt terræ veſtræ; & per mala mendacia quæ vobis dicunt de eis, omnia dicta & facta pervertunt. Et per hoc, *&c. ut l.*16.
*l.*19. temporibus noſtris *deſunt à W.*
*l.*20. *ab* interdictum *uſque ad* quia ſi per juſtitiam *l.*26. *W hæc tantùm habet*, interdictum, & pater veſter per tales anguſtias tandem mortem incurrit. Per idem conſilium temporibus veſtris contra vos detentum fuit caſtellum de Bedeford, propter quod Rupellam perdidiſtis. Item illa perturbatio, quæ nunc periculoſa eſt in regno veſtro, per eorum iniquum conſilium accidit; quia ſi per, *&c.*
*l.*28. theſaurum inexhauſtum *W* theſaurum veſtrum.
*l.*31. fortitudinem veſtram *W* fortitudinem terræ veſtræ.
*l.*33. placet talis expectatio *deſunt à W.*
*l.*34. *pro* in fine ut credimus comprobabis *W habet* ſcietis poſtea.
*l.*36. quaſi vos *uſque ad* de curia veſtra *lin. prox. deſunt à W. ſed vitio Scriptoris.*
*l.*39. de Britannia *W* Britanniæ.
*l.*40. alias—nubiles *deeſt à W.*
*l.*44. Scripturæ munimentum *W* Scripturam.
*l.*58. quæ ſe admodum illi humiliavit *deſunt à W.*
*l.*61. villam Stephani *&c. ad* Stephanus *lin. prox. W ſic legit*, villam Stephani de Segrave, quæ vix duobus à Rege diſtabat miliaribus; & injecto igne in ædificiis dicti Stephani, omnia concremavit, & ſpolia colligavit. Stephanus vero,
*l.*63. armata feſtinavit *W* armata non modica feſtinavit.
P.335.*l.*3. quæ exlex eſt *deſunt à W.*
*l.*8. quod caute ei de Curia Romana Simon de Legro ejus Eccleſiæ Monachus detulerat, *deſunt à W.*
*l.*16. denuntiavit etiam ipſi expreſſe, quod, *W ſic*, Denunciavit etiam regi audacter, quod.
*l.*40. militibus transfretavit *W* militibus in Hiberniam transfretavit.
*l.*44. ſibi totam *deſunt à W*, *& omnia poſt proximum verbum* ſubjugaret *uſque ad* per terram ſuam *l.*52. *ubi & ſic legit*, Mareſchallus verò per terram ſuam, *&c.*
*l.*56. Hibernenſium vel *deſunt à W.*
*l.*58. Imò quaſi fulgurantem procellam formidantes *deſunt à W.*
*l.*60. habentes milites *uſque* Hos omnes *l. prox. deſunt à W.*
P.336.*l.*9. avulſit pomœria, exhauſit vivaria *deſunt à W.*
*l.*23. alter Achitophel, malum condens in pectore conſilium, *deſunt à W.*
*l.*25. tergiverſationis *W* blaſphemiæ.
*l.*26. *poſt* charitate loquens *ita legit W*, dixit ipſum non fuiſſe filium Willielmi magni Mareſchalli, qui conſilio & prudentia, ſtrenuitate pariter & audacia, omnes occidentalis Imperii milites ſuperabat; & tu modò, *&c. ut l.*28.
*l.*31. ut ſic ſcilicet, *&c. ad* Noveris autem *lin. prox. W ſic*, ut ſic impediant progreſſum tuum.
*l.*33. ut ante leonem pecudes *deſunt à W.*
*l.*39. & ad unguem armatis *deſunt à W.*
*l.*41. *pro* pollicita ampliora multiplicantes, qui idcirco campeſtre, *&c. W legit*, & promiſſionibus qui campeſtre, *&c.*
*l.*47. quorum figmentum & leporem pro magna parte cognoverant *deſunt à W.*
*l.*49. pro gladiis emicantibus fortunam belli experirentur *W habet* gladiis diſcurrentibus experirentur.
*l.*65. imminenti, extinguatúrque penitus *W legit* omne genus meum.
P.337.*l.*2. Me autem nunc *ad* proceres autem *l.*3. *deſunt à W.*
*l.*8. cauſa &; *deſunt à W.*
*l.*19. *pro* aliquot ex eiſdem ſeſe *W habet* ſex milites ex eis.
*l.*24. *poſt* non à te fugiam *W addit* ſed propius accedam.
*l.*25. fere præcidit *W* uno ictu præcidit.
*l.*28. trium ictuum in diſtanti repetitione diſſipavit & contrivit *W* uſque ad umbilicum in duas partes diviſit.
*l.*32. *pro* enervantes *W* ad terram.
*l.*33. ſanguine eliquato feminecem *deſunt à W.*
*l.*36. *poſt* percuſſerunt *uſque ad* Magnates *l.*40. *W ſic*, eum in poſteriora loricam levantes, & lethaliter vulneraverunt; Magnates.
*l.*45. Et dum talia *uſq; ad* Et dum circa hæc *p.*340. *l.*10. *deſ. à W.*
P.340.*l.*10. Et dum circa hæc *uſque ad* Per idem tempus *l.*29. *W omnia latiùs deſcribit in hæc verba:*
Et his ita geſtis, poſt triduum ita convaluit Comes Mareſchallus, quòd manducare potuit & bibere, ad aleas ludere, & huc atque illuc ire in thalamo, ubi infirmatus jacebat. Quod videntes inimici ejus, petierunt ex parte Regis Angliæ, ut redderet omnia caſtella ſua & terras Hyberniæ, cujus corpus in voluntate ejus erat ac poteſtate, quacunque voluerit morte etiam turpiſſima puniendum; ut qui per judicium Curiæ ſuæ primo exulatus ac poſtea diffida-

tus, & nunc in campeſtri prælio contra eum commiſſo captus: utile tibi erit ut hæc facias ſine contradictione, & ab eo miſericordiam conſequaris. Oſtenderunt præterea illi Literas Regias Patentes, in quibus eis præceptum erat, quod ſi caſu veniret in Hyberniam ipſi illum caperent, & vivum ſibi aut mortuum præſentarent. Mareſchallus autem videns quòd in poteſtate erat inimicorum ſuorum, præcepit continuo per literas ſuas, ut omnia caſtella ſua Regi redderentur, neſciens quòd conceſſa erant Magnatibus illis per chartam Regis inter ſe dividenda, & jure hæreditario poſſidenda. Cœperunt deinde vulnera ejus dolore graviter & tumere, unde præ nimio cruciatu auxilium medici ejulavit. Tunc Mauritius Juſtitiarius, ſub cujus cuſtodia erat, medicum vocavit, magis ut dicitur in exitium quàm auxilium: ſed Mareſchallus, ut fideliſſimus Chriſtianus, ante omnem medicinam carnalem, in confeſſione & viatico ac legitimo teſtamento exitum ſuum munivit, & ſuæ mortis cauſam Domino commendavit. Medicus autem ad eum accedens, cum ferro longo & ignito vulnera ejus aperuit, & tam ſæpe & profunde ferrum demerſit, quòd ex vulneribus ſanguinem elicuit. Mareſchallus verò pro nimia doloris anguſtia in febrem acutam decidens, xvj. die poſtquam in prælio vulneratus fuerat, in Domino obdormivit xvj. Calendas Maii. In craſtino autem ſepultus eſt apud Kilkenny, in oratorio fratrum de ordine Minorum, ubi ipſe adhuc vivus elegerat ſepulturam. Occubuit ſiquidem ob cauſam ſupra ſcriptam Comes Mareſchallus miles egregius, in literali ſcientia ſufficienter eruditus, moribus decenter & virtutibus ornatus, in die Palmarum ut palmam à Domino acciperet in cœleſtibus pro mercede, qui inter filios hominum adeò enituit forma ſpecioſus, ut in compoſitione corporis ipſius viſa ſit natura cum virtutibus contendiſſe.

Hæc autem quæ facta erant de Comite Mareſchallo in Hybernia nondum nota fuerunt in Anglia; unde Richardus Suard, cum cæteris exulatis, de Conſiliatoribus Regis per quos exterminati fuerant ultionem quærentes, feria quarta in hebdomada Paſche combuſſerunt ædificia Roberti Paſſelewe in Suaneburne, cum frugibus & animalibus, & aliis rebus inventis quæ ei damnoſa fuerant; & poſt dies paucos combuſſerunt horrea ejuſdem Roberti, cum frugibus & rebus aliis prope villam de Stanes, vj. Calendas Maii. Item vj. Nonas Maii inter Radingum & Wallingeford in quadam ſylva cœperunt vj. ſummarios Stephani de Seagrave oneratos, cum equo quodam pretioſo, & omnia quæ Domini Regis erant dimiſerunt in pace. Juingeho quoque villam Petri Wintonienſis Epiſcopi, cum domibus & rebus cunctis Epiſcopo damnoſis, concremârunt iv. Idûs Maii. Et eodem tempore Proceres Hybernenſes caſtella Mareſchalli & jura Hyberniæ occupantes, inter ſe diviſerunt ſicut eis per chartam Regis fuerant confirmata poſſeſſionibus incumbentes. Per idem etiam tempus, &c.

l.37. conſimilis in hoc David, caſum Saulis & Jonathæ deplorantis, deſunt a W.

l.38. W ſic legit, novit inimicos diligere, & cum lachrymis poteſt pro ſuis proſecutoribus Dominum exorare.

l.45. Dicebâtque ad Tunc Rex l.48. deſunt a W.

l.49. proſcriptos W exulatos.

l.54. poſt quondam Juſtitiarius, omnia uſque ad Rex autem p.341.l.12. deſunt à W. In C autem ora inferiori hæc occurrit rubrica, Dominus Rogerus de Wendovre, Prior aliquando de Beluvair, hucuſque Chronica ſua hæc digeſſit; incipit frater Matthæus Pariſienſis. Sed tamen Rogeri Wendoveri MS. quem ſequimur, ulterius adhuc uſque ad annum 1235 continuat.

P.341.l.12. W ſic legit, Gilbertus Baſſet & fratres ejus, Richardus Suard cum omnibus, &c.

l.21. ſicut moris eſt deſunt à W.

l.45. in Abbatia Canonicorum deſunt à W.

l.46. per arrogantiam deſunt à W.

l.48. pro ita quod, &c. uſque ad inde ſuſpicionis l.53. W ſic legit, Illum Romam petiſſe multi contendebant, nec enim ad mandatum Regis limina Eccleſiæ auſi ſunt egredi.

l.54. poſt frugibus plenis W legit, & cætera quæque ſibi damnoſa concremaverant, &c.

l.59. poſt Weſtmonaſterium W addit ut breviter dicatur, ubi ſub, &c.

l.62. anhelatio tamen à lumboli dependente deſunt à W.

P.342.l.3. pro in jacturam meam, &c. ad Exegit l.5. W tantum habet, per quam theſaurum & hominum meorum divitias conſumpſi.

l.12. pro prævia ratione W legit competenter.

l.14. Te ut laicum, &c. ad ecce præſens lin. prox. deſunt à W.

l.16. pro Ad quod cùm ſiluiſſet Archiepiſcopus, miſit, &c. W legit, ut igitur breviter dicatur, miſit, &c.

l.18. pro indutus W armatus; à quo etiam geſtans anhelatium, &c. ad Fuit autem l.21. deſunt à W.

l.29. exilio relegaret W homines exularet.

l.33. pro alios altiores eo, &c. Robertus Paſſelewe l.36. W ſic, imputatis, hoc Regi reſpondit, quòd complures [illegible] conſiliarios; quod male geſtum fuerat, ſibi ſoli non [illegible] imputari. Robertus verò Paſſelew, qui poſt

l.37. quod etiam, &c. ad finem lineæ W legit, nec repertus [illegible] querentibus animam ejus.

l.38. Rex autem, &c. ad Eodem anno l.45. deſunt à W.

l.45. poſt Johannis W addit Baptiſtæ

l.51. Clitellarios deeſt à W.

l.54. pro diviſis prudentiùs, &c. ad Comes autem 58. W legit, diviſis agminibus Britanniam invaſit, & Britannos gravi afflictione contrivit. Comes autem.

P.343.l.9. inutiliter deeſt à W.

l.21. Comes vero videns, &c. ad Hoc denique anno l.25. deſunt à W.

l.29. pro liniret oleo conſolationis W legit mortalitatis curaret.

l.47. quid inde conſultiùs foret faciendum W quid facere opus eſſet.

l.55. bladi & W bladi diabolici &.

l.56. adjacentem deeſt à W.

l.62. in ovicula W in fabula.

P.344.l.8. & eum quem ditavi inveniens in magna egeſtate W legit & quem divitem feci cùm pauper eſſet.

l.20. ad audientium ædificationem, &c. ad Cùm hic annus W legit, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.

l.22. poſt pauperibus W ſic, crudelis & ſævus in diebus ſuis uſque ad Julium menſem proceſſiſſet, pauperes quos, &c.

l.25. inter ſatagebant & ſed ruſtici W addit, Nec id multùm in pauperibus reprehenſibile, cùm legatur in Apoſtolorum Actibus Chriſti diſcipulos hoc feciſſe. Sed ruſtici.

l.43. Et quod admiratione, &c. ad Viſi ſunt l.44. deſunt à W. Et à Viſi autem uſque ad Sed cum juſtis l.47. W legit, Viſi ſunt autem in aere ſurſum Angeli Sathanæ volitantes, qui hujus tempeſtatis miniſtri fuiſſe credebantur. Sed cum juſtis, &c.

l.55. præcipue in menſe Julio, &c. ad Eodem anno l.58. deſunt à W. qui loco eorum hæc habet, ſed & hoc ſimiliter notabile videtur, quòd reliquiæ frugum quæ tempeſtate completa in agris remanſerant, ita fœtidæ erant inventæ, quod non equus vel aſinus, non bos aut porcus, non arca vel gallina, comedere illas voluerunt; cum ſæpe eis fuiſſent ad comedendum oblatæ.

l.61. W ſic legit, quòd minor eſt Deo, & major hominibus; ergo major civibus Romanis. Et cum eorum, &c.

l.63. vel corripere deſunt à W.

l.64. Etiam deviare volentes ad unde de jure deſunt à W.

P.345.l.6. Præterea Comitatum, &c. ad Et quod his omnibus l.12. deſunt à W.

l.14. & præventilata deſunt à W.

l.17. Qui etiam, &c. ad Congregavit l.18. W ſic legit, Qui etiam ipſum Imperatorem in ſui favorem attraxerat, congregavit, &c.

l.19. pro Tunc exercitûs ſummi, &c. ad ſimul convenientes l.22. W legit, Tunc exercitus Imperatoris & exercitus ſummi Pontificis ſimul convenientes, &c.

l.27. quibus præerant uſque ad Imperatoris lin. prox. deſunt à W.

l.35. Robertus de Maideſton, ita & C; ſed W Radulphus rectè.

l.37. Pertranſiit autem uſque ad Anno Dom. l.44. deſunt à W.

l.44. tertius deeſt à W.

l.51. de Velles deſunt à W.

ibid. pro Monachorum perſecutor, Canonicorum & omnium malleus religioſorum W legit Omnium virorum religioſorum inimicus.

l.54. pro vir quidem nimis literatus, à primis annis ſcholis educatus W legit vir honeſtus & religioſus, atque in lege divina ſufficienter eruditus.

l.56. & allegantibus deſunt à W.

l.57. ne labores & expenſæ fruſtrarentur convenientium deſunt à W.

l.60. ſed Regi mille marcis prius numeratis W datis mille marcis

l.63. de Wendene W de Wende.

ibid. literali W liberali.

P.346.l.1. Collata eſt eccleſia, &c. cum lin. prox. deſunt à W; in C autem poſt marcas l.10. interſeritur.

l.5. Quo ſepulto, &c. ad elegerunt ſolenniter l.13. W ſic legit, deinde conventus impetrata à Rege licentia Abbatem eligendi, in craſtino Annuntiationis elegerunt, &c.

l.14. virum pium & Monachum ordinatum deſunt à W.

l.16. (ſcilicet Dominus Nic. &c. uſque ad Curiam Romanam l.17. deſunt à W.

l.19. poſt ſunt reverſi W addit in regionem ſuam; poſt quia verba omnia uſque ad poſt hæc autem l.36. deſunt à W.

l.36. facta examinatione deſunt à W.

l.38. Tota Parentheſis deeſt à W.

l.39. Legit autem electus, &c. ad Medio l.42. deſunt à W.

l.40. de profectione C profeſſionem.

l.49. ordinando juvaret W ordinaret. Cætera autem uſque ad

erat

erat in obſequio *deſunt à W*; *qui & ſequentia ad finem capitis ſic legit*, Erat enim juvenis in obſequio Richardi magnifici bellatoris atque Joannis Regum Angliæ, cum quo prius didicerat uſum loricæ, quam Pontificalis planetæ, & acies caſtrorum diſponere, quàm verbum Dei prædicare.

*l.*59. *Hic ſequitur illa ipſa Papæ epiſtola, quam retro habuimus ad pag.*337. *ad quem locum etiam obſervavimus illam à W deeſſe.*

*P.*347.*l.*44. *poſt* miniſtraverint *aliquantulum differt à priore hujus epiſtolæ exemplari, vide tu retro p.*338.*l.*49, &c. *nam hoc exemplar multò brevius eſt priore.*

*l.*52. & animarum oberrantium lucrifactionem *deſunt à W.*

*l.*54. utpote magiſter, &c. *ad* qui in opus *l.*56. *deſunt à W.*

*l.*62. Lewes *W* Lawes.

*P.*348.*l.*10. cum compagibus *deſunt à W.*

*l.*13. Cum hæc cum tempore *uſque ad* Eodem anno menſe Feb. *l.*55. *pag. prox. deſunt à W.*

*l.*15. magiſtro Galfrido de Langeleia & Galfrido Focario ſerviente, & aliis, *deſunt à C.*

*P.*349 *l.*33. *poſt* datum Peruſii, &c. *in C ſequitur* ſexto Idûs Junii, Pontificatûs noſtri anno nono.

*l.*47. regalis *C* regulis; *ſed in Juramento ipſo in* Vitis Abbatum *p.*1069.*l.*26. regalem, *utrobique tamen ſenſus eſt mutilus.*

*l.*55. duo hoſpitales Teutonicorum *W* duo Templarii.

*P.*350.*l.*5. interpoſito juramento, offerentes ei ex parte Imperatoris *deſunt à W.*

*l.*13. vel Imperiales *deſunt à W.*

*l.*15. obrizo primo & *deſunt à W.*

ibid. ante In annulis autem *hæc in W interſeruntur*, In qua ſculpti fuerunt Reges quatuor Anglorum Martyres & Confeſſores, qui à Rege ad ſuæ ſororis animæ cuſtodiam ſunt ſpecialiter aſſignati.

*l.*16. in ſcriniis & phaleſiis, &c. *ad* Ad quorum omnium *l.*22. *W ſic legit*, decenter ornatis, ac cæteris ornamentis lubricis peplis ſericis & lineis, & rebus conſimilibus, quæ oculos intuentium & animos rapere ſolent in concupiſcentiam mulierum ita decorata reſplenduit, ut quaſi impreciabilia viderentur. In indumentis autem feſtivis tam ſericis quam laneis vel lineis, diverſi coloris, & Imperatrici digniſſimus, adeò induta enituit, ut vix ſciret ex multis qui eligere quibus in ſui amorem Imperatoris animum inclinaret. Lectus quoque ipſius in opertoriis, & culturis ſericis diverſi coloris, cum varia ſupellectili & lintheaminibus ex ſindone munda paratis, cùm ſumptuoſus extitit, ut ſua mollicie in ſe quieſcentes ad ſomnum delectabilem invitaret. Vaſa etiam omnia tam vinaria quam ſcularia, ex argento erant & auro puriſſimo; & quod omnibus ſuperfluum videbatur, ollæ omnes coquinæ, majores pariter minores, ex argento fuere puriſſimo.

*l.*26. virorum nobilium, &c. *ad* comitantibus matronis *l.*27. *W ſic legit* & aliorum virorum nobilium de domeſtica illius familia, comitantib. &c.

*l.*28. cuſtodiam *deeſt à W.*

*l.*31. *poſt* Derteford *W addit* burgum.

*l.*32. Comitatu Comitum &c. *ad* Cùmque per Roſenſem *l.*34. *W ſic*, Comitum ac Baronum conductu. Equos autem tot ei & tales Rex procuravit variis coloribus, diſtinctos & ſuaviter portantes, qui ſufficiebant ad Imperatricis honorem, dum ſeſſores ſuos ſine pedum offenſione, quadam delectabili ſuavitate ferebant. Falerarum quidem tot eis erant varietates in ſellis deauratis, & ſubtiliter ſculptis, cum frænis deauratis & loris artificioſe compoſitis, ut tam equos quàm equites mirabiliter decorarent.

*l.*37. equitum *deeſt à W*; *ſic & omnia ab* Miſerat enim Rex *ad* Imperatrix *l.*40.

*l.*50. illud magnificum *deſunt à W.*

*l.*51. in veſtimentis, &c. *ad* campanas *deſunt à W.*

*l.*53. ſiquidem omnes *W* ſiquidem convenerunt omnes.

*l.*56. & ornamentis variis *W* palmis.

*l.*57. pretioſis *W* Hiſpanicis.

ibid. calcaribus admonentib. *W ſic*, agilem curſum eos urgebant, dum haſtas & arundines quas ferebant in manibus, in alterutrum confregerunt. Talibus quidem Imperatrix comitata tripudiis, conduxerant eam per principales plateas civitatis, contra ipſius adventum multipliciter adornatas; ſed cùm illa cognoviſſet quod omnes & præcipuè nobiles matronæ, quæ in ſolariis ſedentes faciem ejus videre cupiebant, capellum ex capite dimiſit, & peplum ut univerſi liberum ipſius haberent aſpectum. Qui oculis in ejus inſpectione aliquandiu recreatis, laudaverunt eam multùm ex hoc facto pulchritudinem, illius pariter & humilitatem plurimum commendantes. Hoſpitata eſt autem Imperatrix extra muros civitatis, propter tumultum ejus Imperatoris ibi mandatum expectantem. Tempore quo Imperatrix, &c. *p.*351.*l.*13.

*P.*351.*l.*14. Henricum Regem Alemanniæ *deſunt à W.*

*l.*17. cum lachrymis & ſingultibus *deſunt à W.*

*l.*18. *pro* ſed ille non adhuc ſpiritu conceptæ iræ maximè mitigato, &c. *ad* Archiepiſcopus *l.*26. *W ſic legit*, ſine miſericordis vinculis filium conſtringi jubens, duxit eum ſecum apud Warmeſeiam; ubi cùm illum ſub arcta cuſtodia commendaſſet, miſit pro Imperatrice ut ad eum veniret ibidem; propter quem apud Coloniam per ſex hebdomadas moram [illegible]xiſſet. Archiepiſcopus autem, &c. *Sed nota pro* Warin[illegible] *Hiſtoria Minor legit* Wormatiam.

*l.*29. placuit decoris, &c. *ad* Deſponſavit *lin. prox. W ſic*, placuit inſpectio puellæ, quam natura ſpeciali quodam ſtudio decoravit *l.*30. *à* deſponſavit ergo *ad finem capitis l.*57. *W ſic legit*, Deſponſavit ergo puellam ibidem ſolenniter Imperator 13 Cal. Auguſti in Dominica; quæ ſi multùm ei placuit in ſpecie corporali, multo meliùs placuit experientia thori, quam virginali puritate ſignitam invenit. Nuptiis igitur diebus quatuor continuis magnifice celebratis, Epiſcopus Exonienſis & cæteri, qui cum Imperatrice advenerant, ab Imperatore licentia impetrata, ad Angliam cum gaudio ſunt reverſi. Miſit ergo Imperator Regi Anglorum tres Leopardas, cum aliis donariis pretioſis, quibus regiones non abundant occidentales; cui etiam contra Regem Francorum conſilium promiſit, & auxilium opportunum. Erant autem, &c.

*P.*352.*l.*7. Regina, de qua ejus filius *W* Regina & ejus filius.

*l.*9. Willielmus, qui prole, &c. *uſque* Tholoſanus *deſunt à W.*

*l.*12. [vel illam, &c. *uſque* quoſdam] *deſunt à W.*

*l.*15. *poſt* Henrici *uſque ad* ſenioris *deſunt à W.*

*l.*23. Talibus autem, &c. *W ſic legit*, Talibus autem Imperatrix genitoribus procreata, Imperialibus nuptiis in omnibus digniſſima judicatur.

ibid. poſt judicatur *W ſic habet*, Hucuſque ſcripſit Chronica Rogerus de Wendover.

Cernis completas hîc veſtro tempore metas,
Si plus forte petas tibi poſtera nunciet ætas.

Et in C margine ſcribitur, Hucuſque è vetuſto libro.

*l.*26. Eodem tempore cepit, &c. *uſque ad finem paragraphi deſunt à C.*

Hîc nos relinquit Rogerus Wendoverus; deinceps ex ſolo MS. Matth. Pariſ Cottoniano.

*l.*39. ne pater exhæredaretur *deſunt à C.*

*P.*353.*l.*5. ſtipulationem promittimus *C* ſtipulationem dare & reddere prædictis mercatoribus promittimus.

*l.*26. omnibus *C* hominibus.

*l.*31. die quinta Ælphegi, anno gratiæ 1235. *deſunt à C.*

*l.*56. ſui Pauli *C* ſancti Pauli.

*P.*354.*l.*38. Joh. de Gates *C* Gateſden.

*l.*63. deſponſata fuit igitur, &c. *ad finem cap. deſunt à C.*

*P.*355.*l.*31. &c. *in margine C habetur hæc nota rubricata*, Hæc omnia in Conſuetudinario Scaccarii melius & plenius reperiuntur.

*l.*45. ſolennitas, Clero *C* ſolennitas generalis, Clero.

*P.*357.*l.*10. Hæc autem ſuo loco, &c. *ad* Sarac. *l.*12. *deſunt à C.*

*l.*26. Et ſciendum eſt, &c *ad* Homo iſte qui *l.*30. *deſunt à C.*

*P.*359. *l.*65. nec terra fuiſſet *C* nec terra facta fuiſſet.

*P.*360.*l.*52. non admonitus exemplo Lamech, qui primus bigamiam *deſunt à C*, *ſed vitio Scriptoris.*

*P.*364.*l.*6. prope, quia *C* prope, ſupra modum admirantes, quia.

*P.*367. *circa l.*2. *hic parum invertitur ordo ſententiarum duarum, ſed tamen utraſque habet liber C.*

*l.*53. aſſerentes indignum nimis fore, &c. *pag. prox. l.* 10. *deſunt à C.*

*P.*368.*l.*54. per ingenium aſperrimum *C* ingenium aſportatur *vel* aſportatum; *ultima enim ſyllaba cum abbreviatione ſcribitur, & totum verbum rubricatum.*

*P.*372.*l.*62. Hæc omnia fecit *deſunt à C*; *vide Adverſaria.*

*P.*374.*l.* 8. *In Impreſſo noſtro* lingua *pro* litera, *quod C habet rectè.*

*P.*376.*l.*40. advocaverat, mancipavit *C* advocaverat, quia ad infirmandas quaſdam cauſas mancipavit.

*l.*58. generis *C* loceri.

*P.*377.*l.*7. ſine caſtri conſtructione *C* ſine regii conſtructione caſtelli.

*l.*9 & hoc ſe fideliter facturum Regi, &c. *C* & hoc ſe fideliter facturum Rex Angliæ & conſervaturum juraturus.

*P.*378.*l.*17. Willielmus de Rale *C* de Ralegh

*P.*379.*l.*1. miniſtros *C* & *Conſtitutiones Othonis impreſſæ* miniſtris *rectè.*

*l.*3 deſtruat utrobique *Otho* deſtruat quia utrobique.

*l.*4. Eccleſiæ vel retardat *Otho* Eccleſiæ impedit vel deturbat, & ne ſuo, &c.

*l.*6. profectibus opponendo *Otho* profectibus ſe totis conatibus opponendo.

*l.*12. Apoſtolica deſtinati *Otho* Apoſtolica deputati ac deſtinati.

*l.*14. canonicis inſtitutis *Otho* canonicè inſtitutus.

ibid. cupimus *Otho* præcipimus.

*l.*15. commiſſa nobis poteſtate, &c. *Otho* commiſſi nobis officii poteſtate duximus ſtatuenda, quæ per certos articulos infra fecimus, &c.

*l.*20. vera, ipſe *Otho* vera, Chriſtus ſcilicet.

*l.*21. Deo dicatis *Otho* dedicatis.


*l.*23. miniſterium *Otho* myſterium.

l.24. etiam Cathedrales *Otho* aliquas Cathedrales.
l.25. huic periculoſæ *Otho* huic tam periculoſæ.
l.29. de cætero conſtruendis *Otho* in Eccleſiis c[illegible]endis.
l.32. Abbates, Eccleſ. &c. *Otho* Abbates aut E[illegible]
l.37. & volumus *deſunt ab Othone.*
ibid de Capellanis *Otho* Capellis *rectè.*
l.47. Canonibus eſt *Otho* Canonibus diffuſus eſt.
ibid girare & *Otho* girare volumina &.
P.380.l.55. ad minus ſe faciant, &c. *ad* ordinentur *l. prox. deſunt à c, ſed vitio Scriptoris.*
P.381 l.8. bonorum *c* damnorum *rectè. Ita enim & ipſa Othonis conſtitutio.*
l.30. acto *c* pacto.
l.38. quod cauſa redditus, quàm parochia congruis inter eos portionibus & regionibus *c* quod tam redditus quàm parochia congruis inter eos portionibus & regionibus. Provideant, &c. *Sed ipſa Othonis conſtitutio impreſſa ſic legit*, ut tam redditus quam Eccleſia, congruis ad majorem inter ſe portionibus & regionibus dividantur. Provideant, &c.
l.52. edicta *C & Otho* editam *rectè*
l.52. licet ad profligandum *Otho* profugandum.
P.384.l.5. Conficiuntur enim, ut audivimus, literæ aſſignantur non tantùm, *Othonis conſtitutio ſic legit, & interpunctionibus diſtinguit*, Conficiuntur (ut audivimus) literæ, ac ſignantur, non tantùm, &c. *rectè.*
l.18. quoque *Otho* quæcunque *c* quæque.
l.27. cuſtodiet, alicui, nec etiam *Otho ſic*, Cuſtodiet: nec ad ſigillandum aliquid alicui concedet: nec etiam ipſe, *&c.*
l.34. negant *Otho* vel negant.
l.39. aſſurgentes approbatione *Otho* aſſurgentes hujus ſacri approbatione.
l.40 promereri *Otho* promoveri.
l.41. exiſtit *Otho* extiterit.
l.44. & rationibus. Alias *Otho* & rationibus intendendo Alias.
l.49. inſtruant, falſam ponere *Otho* inſtruant, aut falſum proponere.
l.50. & beneficio *deſunt ab Othone.*
l.52. expenſis utriuſque [illegible]jus conſilium advocet, ſapientis, *Otho ſic legit*, expenſis utriuſque patris, alicujus advocent conſilium ſapientis.
l.54 quantum *c & Otho* in quantum.
l.55. judiciis *ſic & c, ſed Otho* judices *rectè.*
l.56. ut partibus *Otho* [illegible] partib.
l.64. Illum quoque qui poſſeſſionem, &c. *Otho* Ille quoque qui judicialiter poſſeſſionem poſſidere præſumpſerit violenter, in quod, &c.
P.385.l.1. fore privatum *Otho* omnino fore privatum.
l.42. memorabili ſtrenuitate *c* mirabili militum ſtrenuitate.
l.55. quarto Decembris, &c. *ad* Eodem quoque tempore l.58. *deſunt à c.*
P.387.l.4. te *deeſt à c.*
l.5. incumbere *c* intendere.
P.393.l.22. Et facta prædicatione, &c. *ad* Hebdomada verò ante natale l.30. *deſunt à c.*
l.31. Nec propter Legatum, &c. *ad* Tranſiit igitur l.33. *deſunt à c.*
l.42. Comiti Legriæ, &c. *uſque ad* Et eod. anno l.47. *deſunt à c.*
P.395.l.4. Boloniæ *c* Gloverniæ.
P.396.l.61. (frater Legati, &c. *ad finem parentheſeôs deſunt à c, ſequuntur tamen paulo poſt.*
l.64. projecit ei in faciem *c* projecit ei frater Legati in faciem.
l.65. *poſt* coquebantur *illa ſequuntur in c, quæ paulo ante omittebantur, ſcilicet*, Quem conſtituit Legatus ſibi coquum, ne aliquid venenoſum ſibi procuraretur: de quo timebat ſibi Legatus in extranea provincia quamplurimum. Idcirco præfecit fratrem ſuum magiſtrum coquinorum, quaſi hominem ſpecialiſſimum.
P.397.l.43. ut qui venerat Clerum cum Eccleſia reformare *C* ut qui venerat in Eccleſia Clerum reformare.
l.55. reſtituens Univerſitatem loco ſuo ipſius municipii *C* reſtituens Univerſitatem ſuam ſuo loco ipſius municipii.
l.51. Trubleville *C* Turbeville, *ſed poſtea in c* Trubleville.
P.399.l.22. prati monſtrati *c* Præmonſtratenſi.
l.31. Rex vero, audito, &c. *ad* Eodem tempore anni l.39. *deſunt à c.*
P.400.l.29. nec eos in præſenti video *c hic parum mutilus; deeſt enim l.29. &c. ad* quod nimis abſurdum l.31.
P.401.l.54. in Eccleſia *C* in octavis.
P.402.l.54. conſtitutiones ſummorum *c* conſtitutiones, & ſanctiones ſummorum.
P.403.l.2. vel ſanctionibus *c* vel præſcriptis ſanctionibus.
l.26. quod ſi hoc ordo *c* quod ſi hoc regularis ordo.
l.30. hujuſmodi inobedientes *C* hujuſmodi fugitivos vel ejectos inobedientes.
l.33. nec peculium habeant *c* nec peculium permittantur habere.
l.35. ſæculares ſpiritualium *c* ſæculares omnes ſpiritualium.
l.46. incontinentes, aut tales *c* incontinenter vixerint, aut tale quid egerint.

l.57. Priori aſſignetur *c* Priori vel Cellerario a[illegible]
P.407.l.2. in martyrologia ſcribi *C* in martyrolog[illegible] tice ſcribi.
P.409.l.51. & tranſgreſſiones, &c. *ad* Inſtantiſſ[illegible] *deſunt à C.*
P.412.l.46. *poſt* captivitatis *ſequitur in c* Item excommunicamus & anathematizamus eundem pro eo quod talliæ & exactiones contra formam pacis ab Eccleſiis & Monaſteriis pro ipſo extorquentur in regno.
P.413.l.31. R.G. *C* R.Guichard.
P.415.l.20. (ſive Girardo Bat) *deſunt à C.*
l.38. Aulicos *c* Anglicos.
P.416.l.23. poſtponatis inult. *c* non poſtponatis inult.
P.417.l.29. fata docent *c* facta.
l.50. ad tantum debitum *c* ad tantum Dominum.
P.422.l.7. volans non in *c* volans in.
P.453.l.38. Xenium, & metuens *c* Xenium, per dietam urbi vicinos, & metuens. *Legendum*, per dietam urbi vicinos.
P.454.l.13. juſtiſſima, Romanus *C* juſtiſſima vel neceſſaria, Romanus.
P.456.l.51. litera noſtra *C* lingua noſtra.
P.457.l.26. jus per hoc *c* jus ei per hoc.
l.30. Eccleſiæ ratione *c* Eccleſiæ Romanæ.
l.61. qui terram *C* qui carnem.
P.458.l.32. proprio proceſſu *c* proſpero proceſſu.
P.459 l.26 credens ſe *C* credens ex ſe.
P.460.l.17. Baratazem *c* Baratazarem.
l.59. quod contra eum *C* quod circa eum.
P.461.l.7. prædictorum feudorum, pro quibus *C* pars laicorum feudorum noſtrorum, pro quibus.
P.462 l.15. Eccleſiæ illius *C* Eccleſiæ Legati illius.
l.42. Cantiæ jam ſenuerat *c* Cantiæ Hubertus ſenuerat.
P.463.l.14. Si quis plene, &c. *ad* ſub eiſdem l.17. *deſunt à C.*
l.22. primitius *c* primicerius *rectè.*
l.60. traxit, & *c* traxit, periclitabatur, &.
P.464.l.5. avunculum Reginarum *c* fratrem Reginarum. *Sic & l.10. ubi pro* funus avunculi *legit* funus fraternum.
l.33. Tantum religionis in *c* Tantum religionis adhuc in.
P.465.l.7. Sicut legitur de Petro ſervato in carcere *deſunt à C.*
P.466.l.35. pœnitentia *c* pœna.
l.55. cum domino ipſorum *c* cum de ipſorum.
P.467.l.65. de Welles *c* de Welles Lichefeld.
P.268.l.2. de Tohom *c* de Thoni.
l.16. ut ſupra latiùs enarratum eſt *deſunt à c.*
P.470.l.28. in dolo vocavit. Ad quod *c inſeris* vocavit, ut aſſeruit formam inter eos provideret communi aſſenſu utrique fratri convenientem, pacis & fœderis fraterni. Ad quod, *&c.*
P.471.l.14. ſexto calend. *c* decimo.
l.49. per ſuos cavillatores *C* per ſuas Legiſtas cavillatores.
P.473.l.7. *c ſic legit*, quingentas marcas eſterlingorum novorum ipſi concedens, annuatim totidem à Scaccario, pro homagio quod tunc ei fecit comes, recipiendas.
P.477.l.1. Venerunt igitur Abbates, &c. *ad* Cumque ſimilia l.18. *deſunt à c; in cæteris autem ſequentibus capitibus quinque, uſque ad* Eodem anno p.479.l.6. *eſt quædam tranſpoſitio in ordine, ſed in materia concordant omnia omnino.*
l.15. quorum nomina hic longum eſſet recenſere *c* quorum nomina inferiùs in iſta margine poſſunt inveniri. *Vide* Adverſaria *noſtra.*
P.480.l.51. quòd venati ſunt *c* quòd chachiaverunt.
P.481 l.10. eſcheccum *C* eſchaetum.
l.19 unde pugnæ *c* unde attachiamenta.
P.482.l.56. ſicut ſubditus Domino, ita Dominus ſubdito tenetur *deſunt à C.*
P.483.l.23. *poſt* recepturum *C addit* ſed ſub pœnitentiæ mœrore dies ſuos continuaturum, Monachi.
P.484.l.24. Hoc totum factum, &c. *ad finem ſequentis lineæ, deſunt à c.*
P.487.l.34. humanis ligiis *C* humanis legibus.
l.35. duodeni habentes *C* duodeni *in communi* habentes.
P.488.l.42. navigatoribus, innumerabilibus jaculorum *c* navigatoribus cum funibus & baliſtis & arcubus pervenicos ibidem, jaculorum eſt vix peremptus.
P.489.l.20. ampliori regia *c* ampliori aula regia.
P.490.l.26. repugnacula *C* repagula.
P.491 l.39. Præterea Rex *ad* Anno quoque l.43. *deſunt à C.*
l.48. Æthelmarus *c* Waldemarus.
P.492.l.49. Legati *C* Prælati.
P.493.l.60. Dominus Papa, &c. *ad* miſſum eſt *lin. prox. deſunt à C.*
P.494.l.20. comperiens, &c. *ad* laqueos abſconditos *l. prox. deſunt à C.*
l.52. proceræ ſtaturæ, &c. *ad* incognitum *l. prox. deſunt à c.*
P.495.l.2. & eundem Bonifacium, &c. *ad* unde quidam Mon. l.6. *deſunt à C.*
P.498.l.53. clariùs *C* celeriùs.
P.500.l.65. Galliarum *C* Galeiarum.

P.501.l.11. Ambaſſationibus C Ambaxationibus.
l.45. *poſt* odium *addit* C divinum non defuiſſe judicium arbitremur; *ſed malè, meliùs enim ſequitur in lin. prox.*
N.B. *In* C *hæc invenitur nota marginalis ad Imperialem Epiſtolam:* Nota Prælatorum miſeriam, ſecundùm aſſertionem fratris Thomæ Capellani Reyneri de Viterbio, qui fuit unus de incarceratis, fuerunt intruſi & incluſi plus quam 60, ſcil. Legati, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates. in una domo non ampla apud Neapolim; qui omnes ut porci veſtiti glomeratim jacuerunt, donec diviſi alibi incarcerabantur.
l.44. repellere parabatur C repellere, magnificè parabatur.
P.502.l.9. vectigal C paagium.
l.20 *poſt* communicare C *addit* cum imò etiam Chriſtianis, cum liceat eis ea de cauſa fœnerari: legitur enim non fœnerabis Ægypto, & ſubditur cauſa, quia colonum te & advenam in terra ſua te Ægyptii receperunt. Traditi ſunt, &c.
l.46. *poſt* reſervandum *addit* C & fuit prognoſticum, Cùm audieretis prælia & ſeditiones, nolite terreri, ſed quo ſenſu neſcio.
P.505.l.6. *poſt* auferre C *addit* eiſdem invitis.
P.510.l.16. *poſt* oderat C *addit* quod per fratrem ſuum jam ſuſpenſum expertus fuerat.
l.20. Item, &c. *ad* Et circa idem l.22. *deſunt à* C.
P.512.l.38. Carleolenſis *deeſt à* C.
P.513.l.14. Britanniæ G. apud Briſtoldum C Britanniæ G. ſoror Arthuri in caſtello Briſtoldi mancipata.
P.517.l.64. *poſt* Briſtoldo C *addit* ſive à Devonia vel Cornubia nativo, &c.
P.518.l.40. *poſt* compeditus C *addit* Cujus captio à ſeductione ſuorum duxit originem. Nam idem caſtrum à mari circumquaque vallatum, ſuper altiſſima rupe ſitum, omnino inexpugnabile eſt; cùm nullus, niſi per ſcalæ aſcenſionem, ibidem poteſt habere ingreſſum, & in uno ſolo loco. Ad quem conſervandum, ipſo ſedente ad menſam, tempore exiſtente nebuloſo, quidam ſui proditor per vim cum eodem detentus, nimis imprudenter conſtituerat In vigilia autem S. Nicholai, accepto Regio mandato, &c. *Ubi pro* quidam proditor detentus *legendum puto* quendam proditorem detentum.
l.57. confeſſione I, C confeſſione fratri I.
l.61. ſubiret. Et, *ſic* C ſubiret patienter. Et.
P.519.l.46. Rex igitur, &c. *ad finem* l.49. *in* C *poſt ponuntur prox. cap. poſt* l.55.
l.50. *poſt* clarior C *addit* in partibus illis.
P.521.l.23. *poſt* ſuorum C *addit* complicum.
P.522.l.39. *poſt* arcubaliſtarii *addit* C (*ſed aliâ manu*) de Anglis autem tantum quater mille & viginti.
P.525.l.15. C *ſic*, In receſſu vero à Xantona, capellam ſuam approperando amiſit, id eſt, &c.
P.526.l.48. *poſt* Cornubiam C *addit* quæ inſula vocatur *Sully*, diſtans à Cornubia per tantum maris ſpatium, quantum vero imaginatur inter Doveram & Witſandiam, à mari circumquaque vallatum. Aliæ, &c.
P.528.l.51. tres marcas, vel ut alii volunt, *deſunt à* C.
P.529.l.32. de Verrines C de Wermes.
P.535.l.55. *poſt* certificaretur *ſequitur in* C ideo meritò factus eſt Prælatis in flagellum, ut in ſequentibus pleniùs dicetur.
l.61. argentum vero ab aliis pro Rege ſuſcipiebatur *def. à* C.
l.63. quibus regalem decet placare dignitatem *deſunt à* C.
l.64. terannus C tyrannus *rectè*.
P.536.l.35. videlicet Alanus, &c. *ad finem lin. prox. deſunt à* C.
P.537.l.7. & Epiſcopum prædictum, & ejus bona gravando prætendens, clamari fecit &, *deſunt à* C.
P.539.l.18. Cynocephalis C Cenofaris.
P.542.l.27. à ſuſpenſione C à collatione.
P.544.l.7. prædicationibus C procurationibus.
P.547.l.26. ſocordia C concordia.
P.548.l.47. ſecretè C ſecurè.
P.549.l.24. Philippus C Walterus, *ſed falsò; vide* p.557.l.51.
P.552.l.1. in parte mea C in poteſtate.
l.8. Mohaut C Munthaut.
l.17. captivis C impriſiis.
l.63. & in numero & catalogo Eccleſiaſticorum Sanctorum reponi *deſunt à* C.
P.558.l.28. *In* C *ponitur in margine rubris literis.*
P.562.l.11. de Munemuhe C Monemuto.
l.18. de Withz C Withe; *ſed Godwinus eum appellat* de Wiche.
l.45. Qui Regis ſe, &c. *ad* Eiſdem diebus l.50. *deſunt à* C.
l.58. ſcilicet Clarevallis *deſunt à* C.
P.565.l.11. decem millium C de centum millium.
P.567.l.64. ſexaginta C quadraginta.
P.569.l.24. David. fil. Ranulph. C Thomas.
P.572.l.15. exprobrare C improperare.
P.579.l.6. ſexaginta millia marcarum C *& in textu, & in ora inferiore libri, habet* 40. 60 *millia marcarum.*
P.581.l.22. Capitula foriſfactorum in libro qui eſt huic continuandus, ſcripta reperiuntur, *deſunt à* C.
l.50. *poſt* cumulavit C *addit* unde non immeritò Papæ collateraliter adjunctus, factus eſt Cardinalis. Quod audiens, &c.
l.63. *poſt* aufugiſſet C *addit* munera impreciabilia, quæ ſtuporem intuentibus meritò poſſent generare, feſtinanter ac certatim obtulerunt, *deſunt à* C.
P.583.l.41. *poſt* populaverat C *addit* communitam.
P.590.l.29. *In* C *margine habentur ut nota marg.*
P.592.l.57. *Illa digreſſio de* magnatibus Alimaniæ, &c. *uſque ad* In multis p.593. l.20. *in* C *ponuntur in marg.*
P.595.l.17. *poſt* opponat C *addit* niſi eum dicat excommunicatum pro manifeſta offenſa. In quo caſu terminus tantummodo octo dierum indulgebitur ſic dicenti.
P.597.l.51. montium Denaudere C montium Snauden *rectè*.
P.599.l.18. Eodémque anno, &c. *uſque ad* In craſtino autem l.28. *in* C *ſequuntur* p.604.l.23.
P.605.l.30. præter Regi Angliæ C præter Regis Angliæ aſſenſum.
P.606.l.47. prædictam habere collationem C irreſtaurabiliter macerari.
P.608.l.55. Eodémque anno conditæ, &c. *ad finem paginæ deſunt à* C.
P.613.l.4. Herefordiæ & Eſſexiæ, *in* C Herefordiæ *erat ſcriptum, ſed diſtinguitur & deletur.*
P.620.l.24. *poſt* Richardi fratris ſui C *addit* qui ob occultas cauſas Domino Papæ ſpecialiſſimus factus eſt, & papalibus negotiis propitius; & quorundam.
P.621.l.4. Welperfeld C Wetherfeld.
l.15. procuratores C telonarios.
P.630.l.37. dejurantes C demonſtrantes.
P.634.l.16. Henſio C Henrico.
P.638.l.9. Muntegenſil C Muntchenſil.
P.639.l.63. *poſt* auctoritate C *addit* inveniri poterant in libro Additamentorum: & *poſt* longa ſpata *addit* edoctus.
l.64. *poſt* cruce ſignatus C *addit* ſub prætextu peregrinationis ſuæ, quod æquanimiùs tolerabatur, ut præſcript. &c.
P.644.l.13. ſcriptor C notator.
l.63. Ham. *minor bis.* Hamonis.
P.647.l.17. ipſis C Epiſcopis.
l.28. *Parentheſi incluſa deſunt à* C.
l.35. *Parentheſi incluſa deſunt à* C.
P.648.l.51. *poſt* ſcribitur C *addit* ſed neſcio ubi eſt ille liber.
P.651.l.16. Hæc per unumquemque, &c. *ad* Et dum l.18. *deſunt à* C.
l.36. Quæ tamen Coronatio, &c. *ad* Voto igitur l.41. *deſunt à* C.
l.53. *pro* venatio C *habet* fuga.
P.652.l.1. Anno quoque ſub eodem Dominus Rex, cùm Londinum properaret: *Hucuſque & non ultra in hoc toto capite uſque ad* Eodem quoque anno l.24. *ſcribitur in* C; *nam ibi etiam ſcribitur* Vacat, *deſignans hoc caput vacare & ſuperfluum eſſe; ſed poſt aliquot paginas in* C *ſequitur.*
l.31. bovillibus C boſtaribus.
P.653.l.16. modeſtiam C curialitatem.
P.654.l.39 ciſimorum C ciſimorum.
P.656.l.43. Eodémque anno, &c. *ad* Tranſiit igitur l.54. *deſunt à* C; *Minor tamen ea habet.*
P.663.l.43. *poſt* Minorum C *addit* Rigaldus nomine.
P.667.l.22. quingentas C ducentas.
P.668.l.9. & multorum nobilium C à multis nobilibus *rectè*.
l.57. *poſt* Francorum C *addit* apud quoddam caſtrum ſuper Rhodanum ſitum inter Valentiam & Avinionem, Hugo, &c.
P.669.l.4. *poſt* terminarunt *addit* C Fluxit igitur annus ille nimis fructifer, licet arbores floribus penitus tempore vernali operirentur, frugifer tamen abundanter, ſed in fine æſtatis meſſes oblatæ ſpem in humani generis provocationem ſuffocabantur, & collectæ panem triticeum quaſi furfureum reddiderunt. Annus inquam Romanæ Curiæ infamis, Franciæ & Angliæ turbulentus.
P.670.l.35. *poſt* erat C *addit* Eccleſiæ.
P.673.l.63. in banco *deſunt à* C, *ſed liber ille eſt hic confuſus parum.*
P.676.l.14. *poſt* Pauli Lond. C *addit* Venit pomposè nimis ad ipſam Eccleſiam, ut Canonicos viſitaret. Canonici noluerunt ipſum admittere reſiſtentes viriliter, & ad ſummum Pontificem conſtanter appellantes. Quod cùm cognoviſſet Archiepiſcopus, iratus valde & comminans, Decanum & quoſdam alios de dignioribus Eccleſiæ, præcipitanter in ſpiritu iræ & furoris excommunicavit. Poſt aliquas tamen diſceptationes, quas qui audierit, librum reſpiciat Additamentorum.
P.678.l.32. libri ſcriptor C libri confector. Pariſienſis *etiam deeſt à* C.
P.680.l.20. ſcriptori C compoſitori.
P.682.l.62. Arlam C Arbam blancam.
P.685.l.5. de Acoca Hælo C de la Coca Hela.
P.686.l.21. ſcilicet Carolo, &c. *ad* qui lateri ſuo *linea prox. deſunt à* C.
l.51. Nota quod, &c. *ad* Capto igitur l.54. *deſunt à* C.
P.695.l.42. Floruit ſancta Elizabeth, filia Regis Hungariæ, in Alemannia: *deſunt in* C.
P.697.l.24. jam Jubilæi C nam Jubilæi.

Hic relinquit nos Codex MS. Cottonianus, quem huc uſque ſecuti ſumus. Collationes trium annorum ſequentium ex MS. Benedictino.

l.49. *deeſt* timorem.
l.56. habebantur qui, &c. *B* habebatur hos. &c.
l.57. exhibuiſſent *B* exhibuiſſet.
l.58. honorarent *B* honoraret.
P.698.*l*.1. Numerus interfectorum & *uſque ad* quinquageſimo primo *deſunt in B, ſed ad marginem adjiciuntur alia manu.*
53. Additamentorum *B* Additamentorum ad hoc  ſignum, & *deinde nova paragrapho ſequitur* Ipſe enim, &c.
P.699.*l*.3. & ante expectatum *B* & *omittitur.*
l.17. divertiſſet caritative *B* caritative *in margine adjicitur.*
l.21. atteſtatione magna *B* magni.
l.26. muri in pera *B* & muri.
l.44. ſæviendi haberet *B* ſæviendi.
P.700.*l*.15. Gaſconiæ *B* Waſconiæ & *ſic deinceps.*
l.18. tam in pecunia quam manu militari *B* tam in pecuniæ quam manus militaris.
l.19. ſumptuoſum bellum *B* ſumptuoſam guerram.
l.22. confidenter pro auxilio confugiſtis *B* confidenter ad ipſos confugiſtis.
l.29. quemadmodum *B* quam.
l.41. a theſauro Domini Regis Angliæ tribus marcarum millibus, *B* à theſauro tribus marcarum millibus.
P.701.*l*.6. de illius liberatione *B* de illius liberatione ejus.
l.32. faſtidioſa *B* faſtigioſa.
l.38. & Curia Regis *B* & Curia Regis eſt appallatus.
l.51. perficere *B* proficere.
l.58. mortem ſuam, imò etiam exhæredationem procuraret, totum regnum in ipſum regem inſurgeret, & totum perturbaretur: *B* vitam ſuam, imò etiam exhæredationem, totum regnum in ipſum regem inſurgeret, & tota perturbaretur.
l.60. alienigenorum *B* alienorum.
P.702.*l*.5. ſub eiſdem *B* ſub eis.
l.32. & credibile *B* & hoc credibile.
l.55. Joppen eis *B* Joppen eis reſtitueret, &c.
P.703.*l*.10. nec vobis *B* vobis.
l.16. bellum *B* guerram, & *ſic deinceps.*
l.46. fratres minores *B* fratribus minoribus.
P.704.*l*.36. Eylenſis *B* Elyenſis.
l.38. ab impetu *B* impetum.
l.44. milibus *B* miliar.
l.46. Londini *B* Londiniis.
P.705.*l*.7. toties *B* totiens.
l.46. Sabaudienſem *B* Sebaudienſem.
l.51. recenſeret: qd. *in B deeſt.*
P.706.*l*.27. hujuſmodi *B* hujus.
l.28. eidem Regi *B* idem Rex.
l.47. ſcilicet *in B deeſt.*
P.707.*l*.42. feſtiva ſerenitate *B* æſtiva, &c.
l.63. viſitabo *B* viſabo.
P.708.*l*.22. longum eſſet nominare *B* longum nominare.
l.33. me poterit *B* poterit. &c.
l.37. diluvium fuit partic. *B* diluvium particulare.
P.709.*l*.5. Albani *B* Albano.
l.12. Londini *B* Londiniis.
l.29, &c. Epitaphia Paulini ambo in margine adjiciuntur ad calcem paginæ *B*.
l.46. calceamenta *B* calceamentorum.
l.54. indicia ſanctitatis, O qualiter, &c. *B* indicia ſanctitatis, religionis, & humilitatis, O qualiter, &c.
P.710.*l*.2. Londini *B* Londiniarum, & *ſic deinceps.*
l.27. Germanicam, Latinámque noverat *B* Germanicam, Latinam noverat.
P.711.*l*.14. vehementius *B* vehementer.
l.46. igitur ſcurræ illi *B* igitur ipſi ſcurræ illi.
l.51. Cúmque *B* Cum.
P.712.*l*.9. erat *in B deeſt.*
l.52. cuidam potenti *B* dam potentis, aut aliquid tale.
l.63. regna, &c. appropriaverat *B* regnorum—appropriaverant.
P.713.*l*.3. Simon in partibus tranſmarinis de multis in *B* Simon in partibus de multis, &c.
l.24. octavis *B* octavum.
l.28. receſſit *deeſt in B.*
l.29. abundantia *in B deeſt.*
l.44. inveniſſent *deeſt in B.*
l.63. retributionem mirabilem *B* pro retributione mirab.
P.714.*l*.33. ut dicitur mille marcas *B habet hoc in margine adjectum.*
l.35. Eodémque anno *B* Eodem quoque anno.
P.715.*l*.25. nunquam *B* unquam.
P.716.*l*.15. ut vulgariter *B* & ut vulgariter.
l.38. quam aliquo *B* quam ab aliquo.
P.717.*l*.32. plumbo profecto *B* plumbo projecto.
P.718.*l*.58. eſſet *in B omittitur.*
P.719.*l*.32. & ſuper *B* ſuper.

P.720.*l*.21. rationabili cauſa impediretur *B* rationabili impediretur.
l.28. permiſſus eſſet Rex *B* permiſſus Rex.
l.47. favorem obtinuiſſet *B* obtinuiſſet,
P.721.*l*.3. de Græco in Latinum ſermonem *B* de Græco in Latinum.
l.7. vel in Algoriſmo *B* vel Algoriſmo.
ibid. Inter hæc verba vel Algoriſmo & *ſubſequentia, nempe* Memoratas inſuper magiſter, &c. *hæc omnia leguntur*; quas huic paginæ duximus protrahendas. Fiat ſtipes, & in eodem lineas exeuntes, ut quælibet angulum rectum acutum vel obtuſum faciat, protrahas: hoc modo,



Sciendúmque quòd omnes lineæ à dextris ſtipitis dependentes digitos, id eſt, numerum ſimplicem ſignant; lineæ verò à ſiniſtris numerum compoſitum, ſcilicet numeros gradales, ex quorum conjunctione ſurgit numerus ſuperior.


Hæc omnium figurarum digniſſima; quæ qualiter volvatur idem ſignat, ſcilicet LV; quaſi ab æterno proviſa, ut formam haberet crucis Domini Jeſu Dei & hominis crucifigendi: unde multi Græcorum poſtea crediderunt.


Hæc ſimiliter digna eſt, quæ ſignat XXXIII; Triceſimo enim tertio à nativitate ſua crucifixus eſt Jeſus Chriſtus. Et dicitur propter ejus formam Signum Sagittæ. Scriptum eſt enim ſubito ſa c rn.


Hæc autem figura omnes numerales ſecundùm Græcos figuras complectitur, & omnibus literis eſt aptabilis. Unde multi tabelliones in Græcia, ut celeriùs notent, per illas figuras ſcribunt præfixis ſtipitibus.
Memoratus, &c.

l.31. univerſitatis *in B deeſt.*
ibid. & conſenſu *in B deeſt.*
l.43. autem *B* inſuper.
l.49. querelam *B non habet.*
P.722.*l*.28. impinguatus es *B* impinguatus.
l.31. ut materia continuatur *B* ut materia continuetur.
P.723.*l*.8. jactatus *in B deeſt.*
l.25. comitem Sim. *B* comiti Sim.
l.28. faſcinatim *B* faſcinnanti.
l.36. Trubevilla *B* Trublevilla.
l.39. amicos *B* amicos habuerunt.
l.54. filii proditionis pacem *B* filii proditionis & proditionis pacem —
P.724.*l*.1. aut *B* vel.
l.24. Scotorum redditus *B* Scotorum regnis redditus —
l.29. pluribus *B* plurimis.
l.56. venerabili Lincolnienſi, &c. *B* venerabili *fratri* Lincolenſi, &c.
P.725.*l*.9. ſuam *B* ſui.
l.24. adeò *B* ita.
l.37. literæ authenticæ ſuper hoc in libro ſcribuntur Additamentorum. *Hoc omne in margine adjicitur in B rubris ſcriptum literis.*
P.726.*l*.18. ebullire *B* ebullivit.
l.33. Additamentorum *B* Additamentorum ad hoc ſignum



l.45. creſcerent ſimultates & inimicitiæ *B* creſcerent inimicitiæ.
l.46. præcipui *in B deeſt.*
l.47. & auctoritate *in B deeſt.*
l.48. valde *deeſt in B.*
ibid. & pacem aut treugas facere *in B deſunt.*
l.50. Sin autem hoc non fecerit à Soldano Halapiæ hinc, & à Chriſtianis illinc irremediabiliter oppugnemur & opprimemur *B* Sin autem à Soldano hinc & à Chriſtianis illinc irremediabiliter opprimemur.
l.54. videlicet Dominus Rex Francorum amicus — *B* videlicet amicus.
l.56. cultu Domino Regi & ſuis ſubditis Chriſtiano *B* cultu Regi & ſuis Chriſtiano.
l.58. Dominus Rex *B* Rex.
l.59. Halapiæ *B* Babyloniæ.
l.60. & inimicos *in B deſunt.*
l.61. & liberaliter *in B deſunt.*
l.62. imò *deeſt in B.*
l.64. ſic namque vocantur captivi *deſunt in B.*
P.727.*l*.6. & jactantia *deſunt in B.*
l.13. eorum *B* quod eorum.
l.36. O Domine Rex *deſunt in B.*

l.55.

*l.*55. Machometicæ religioni, vel potius ſuperſtitioni *B* Machometicæ ſuperſtitioni.
*l.*57. & fidem *deſunt in B*
ibid. Rex autem Francorum ſe aſſeruit *B* Rex autem ſe aſſeruit.
*l.*59. animarum infidelium lucro *B* animarum lucro.
*l.*60. ſtrenuitati & lutelæ *B* ſtrenuitati ac fidelitati & lutelæ.
*P.*728.*l.*19. Hoc quoque anno, &c. *Totum hoc caput in margine B adjicitur.*
*l.*24. infirmus rediit *B* domum infirmus rediit.
*l.*28. regis David *B* David.
*l.*31. tuus olim fecit inde reportando *B* tuus fecit reportando.
*l.*32. Dominus rex *B* rex.
*l.*34. inde revertar *B* revertar.
*l.*35. comes Simon *B* comes, &c.
*l.*36. ſtatim *in B deeſt.*
*l.*38. & ſpoliis *deſunt in B.*
ibid. & adquirerent *deſunt in B.*
*l.*39. alacriter & imperterriti *deſunt in B.*
*l.*40. prædictus *deeſt in B.*
*l.*42. primogenito *B* primogenito Edwardo.
*l.*43. & ſuaſu *deſunt in B.*
ibid. uxoris ſuæ *deſunt in B.*
*l.*44. memoratus *in B deeſt.*
ibid. & indignatus *deſunt in B.*
*l.*45. ex animo *deſunt in B.*
*l.*47. Anglorum *in B deeſt.*
*l.*53. omnes ibi præſentes *B* deſiderat.
*l.*54 & pretioſa *deſunt in B.*
*l.*56. corpulati ſunt ſplendidè & in *B* corpulantur in, &c.
*l.*60. in patriam *deſunt in B.*
*l.*61. ſæpe dictum *in B non habetur.*
*l.*62. inſtructum & bene munitum *deſunt in B.*
*P.*729.*l.*1. comes Sim. *B* comes.
*l.*2. ipſi *in B deeſt.*
ibid. quendam *in B deeſt.*
*l.*3. memoratus *in B deeſt.*
*l.*9. cruentatus *B* cruentus.
*l.*33. populi *B* populos.
*l.*40. tum iidem reſponderunt *B* tumide reſp.
*l.*54. pabulum deneg. *B* prata deneg.
*l.*62. Additamentorum annotantur *B* Additamentorum ad hoc ſignum annotantur.
*l.*64. unanimiter *in B deeſt.*
ibid. communiter *in B deeſt.*
*P.*730.*l.*1. & copioſa valde *deſunt in B.*
*l.*4. & viriliter *deſunt in B.*
*l.*7. & ſpecioſos *deſunt in B.*
*l.*8. erat *B* fuerat.
*l.*19. Hernaldum de Munteinny prædictum lethaliter vulneraſſe *B* Ernaldum lethaliter fauciaſſe.
*l.*21. Hernaldo *in B deeſt.*
*l.*23. circumſtantibus *in B deeſt.*
*l.*25. Gallice, &c. *B* Gallice vero, &c.
*l.*26. prædictus Rogerus de Limburn licet, &c. *B* Rogerus licet, &c.
*l.*28. de Limburn *deſunt in B.*
*l.*35. Anglorum *in B deeſt.*
*l.*36. ſpecioſum & *deſunt in B.*
*l.*38. primogenitus *in B deeſt.*
*l.*39. omnia *in B deeſt.*
*l.*40. pretioſa donativa *deſunt in B.*
ibid. prædictum *in B deeſt.*
*l.*43. ut prædictum eſt *deſunt in B.*
*l.*53. *Epitaphium in margine adjicitur, & pro* talem *in B* parem *legitur.*
*P.*731.*l.*9. aride *altera impreſſ.* avidè.
*l.*50. ergo *in B deeſt.*
*l.*56. indumentis *in B deeſt.*
*l.*58. dicere perpetraverat & commiſerat *B* perpetraverat.
*l.*62. magnum beneficium reputabat hoc Abbas & Conventus *B* magnum reputabat hoc Conventus.
*P.*732.*l.*1. Dominus Rex *B* Rex.
*l.*2. ſemper *in B deeſt.*
ibid. ſplendido *in B deeſt.*
*l.*4. Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui in partibus tunc temporis agebat *B* Archiepiſcopus, qui in partibus agebat, &c.
*l.*7. coram omnibus ibidem congregatis *deſunt in B.*
*l.*8. Dominus Papa *B* Papa.
*l.*12. faciendam *in B deeſt.*
*l.*13. perpetuam procurantes, ſuis ſemper primum propriis, deinde vero etiam & regiis *B* perpetuam, ſuis primum propriis & regiis —
*l.*28. illis *in B deeſt.*
ibid. Ad hæc reſpondit iterum Lincoln. Epiſcopus *B* Ad hæc Lincoln.
*l.*33. & incunctanter *deſunt in B.*
*l.*34. Wigornienſis Epiſcopi, &c. *B* Wigornienſis, &c.
*l.*35. Epiſcopus *in B deeſt.*
*l.*37. omnia *in B deeſt.*
*l.*41. Jeſu Chriſto *B* Chriſto.
*l.*42. & benigniter *deſunt in B.*
*l.*47. haud dubio *deſunt in B.*
*l.*50. novis *in B deeſt.*
*l.*51. neceſſe eſt conſequenter Eccleſiam quoque depauperari & egere *B* neceſſe eſt Eccleſiam egere.
*l.*52. idem Dominus Rex *deſunt in B*
*l.*53. Bonifacius *in B deeſt.*
ibid. propterea *in B deeſt.*
*l.*54. ullo modo *in B deeſt.*
*l.*55. ſi modo fas eſt talia recitare quotidie aliis *B* &c. ſi fas eſt recitare aliis, &c.
*l.*57. & præterea ab *B* & ab.
*l.*59. & abundatiſſimum *deſunt in B*
*l.*60. & introductis *deſunt in B.*
*l.*62. Regis Joannis tunc etiam *deſunt in B.*
*l.*64. ejus eam *deſunt in B.*
ibid. Rex *in B deeſt.*
*l.*65. ſuos ſupprimat & conterat naturales & fideles ſubditos *B* ſuos conterat naturales.
*P.*733.*l.*1. Anglicanam — Angliæ *deſunt in B.*
ibid. & affixerit *deſunt in B.*
*l.*2. à nobis *deſunt in B.*
*l.*4. poſt hæc *deſunt in B.*
*l.*5. Anglicana —— & exactioni *deſunt in B.*
*l.*6. in præſentiarum nunc à nobis petit, & *deſunt in B.*
*l.*9. & ſic eadem pecunia Domino Regi *deſunt in B.*
*l.*10. propterea *in B deeſt.*
*l.*11. & inimicorum ſuorum *deſunt in B.*
*l.*13. & exitium *deſunt in B.*
*l.*25. hujuſmodi *B* hujus.
*l.*36. expertem rationis *B* expertem penitus rationis.
*P.*734.*l.*65. Regis *B* Domini Regis.
*P.*735.*l.*60. perdiderunt *B* prodiderunt.
*P.*736.*l.*50. ſerpentium & draconum *B* ſerpentium & trahentium.
*P.*737.*l.*9. excellentiam & generis elegantiam fecimus, &c. *B* excellentiam & elegantiam veneranter fecimus, &c.
*l.*19. quam facetiæ *B* quam militaris faceſciæ.
*l.*62. defamato *B* defamatus.
*P.*738.*l.*14. Additamentorum *B* Additamentorum ad hoc ſignum,
*l.*37. Sciendumque, &c. *B hæc habet in margine adjecta.*
*l.*54. depauperavit *B* depauperaverit.
*P.*739.*l.*13. Maideneſtonenſes *B* Maideneſtanes.
*l.*24. tam ignom. *B* quæ tam ignom. &c.
*P.*740.*l.*16. temerariam *B* temeram.
*l.*22. declarabit, *in B hoc adjicitur Signum,* *quæ ſic incipiunt,* Humani generis inimicus.
*l.*54. omnes predeceſſ. *B* omnes ejus predeceſſ.
*P.*741.*l.*44. pranſuro in feſto *B* pranſuro feſto.
*l.*49. hujuſmodi mundi *B* hujus mundi.
*l.*55. receptus eſt, &c. *B* receptus, &c.
*l.*60. hujuſmodi *B* hujus.
*P.*742.*l.*32. inſipientibus *B* decipientibus.
*l.*55. ſubiit *in B deeſt.*
*l.*56. jacturam *in B deeſt.*
*l.*62. propter *B* ob.
*P.*743.*l.*60. Additamentorum *B* Additamentorum ad hoc ſignum,
*P.*744.*l.*16. darent *B* dederunt.
*l.*55. debacchari, more ferarum & jumentorum *B* debacchari ſentientes more jumentorum.
*l.*59. pejeratus *B* pejoratus.
*l.*64. exteriorum *B* exterorum.
*P.*745.*l.*55. nullibi *B* nullus.
*P.*746.*l.*5. & pedagogo *B* pedagogo.
*l.*15. arriperet *in B deeſt.*
*l.*35. Hæ chartæ ſcribuntur &c. *B hæc habet in margine adjecta.*
*P.*747.*l.*15. Gaſconenſes *B* Waſconiam.
*l.*43. ſe *in B deeſt.*
*l.*51. profecturus *B* profecturi.
*P.*748.*l.*4. exarantur *B* exaratur.
*l.*13. conſanguinitate contingebant *B* conſanguinitate ſeſe conting.
*l.*26. præcipuè prædicatorum *B* præcipuè fratrum prædicatorum.
*l.*41. frequentiam & beneficia *B* frequentia accedentium & beneficia.
*P.*749.*l.*5. adulantes *B* blandientes.
*l.*8. meſchant *B* reccant, *puto* recreant.

[Library stamp: ... Bombay Branch ...]

l.44. Gualto B Galto.
l.56. Epiſcopo Lincoln. Richardo deſunt in B.
l.62. conformi B conformis.
P.750.l.11. ſalatium B ſalutem.
l.13. ovium B ſed ovium.
l.23. tenerentur B tenentur.
l.29. vel B &.
l.33. Anglorum B Angelorum.
l.36. ad in B deeſt.
l.56. excellentior B excellentis.
P.751.l.30 contigit vernal. B contigit in vernal.
l.45. captivos B perſones, credo perſonas.
l.51. & Dominum Johannem B & Johannem.
P.752.l.4. formidabat in B deeſt.
l.18. & puero B & garcione.
l.20. obligatoria in B deeſt.
l.38. Rex Hiſpaniæ S habet regna, &c. in B hæc omnia in margine ad calcem paginæ adjiciuntur.
l.48. ſententiam excommunicationis deſunt in B.
l.50. contumelia B contumelias.
P.753.l.46. affixerint in B deeſt.
l.48. doctores noſtris B doctores noſtri.
l.57. accipio marcas B accipio centum marcas.
l.60. integraliter centum libras. Quæ, &c. B integraliter centum libras illi volueris. Quæ, &c.
P.754.l.1. recipiatur in B deeſt.
l.3. inſertum reperimus quod B inſertum reperimus inſertum quod.
l.18. & literatis B & eleganter literatis.
l.35. diſtincte B indiſtincte.
l.52. Quid audis Domine? B Quid auditis?
l.53. & quaſi B quaſi.
l.54. pulſatum B pulſati.
l.62. teſtimonium in B deeſt.
P.755.l.2. melodicum B melicum.
l.8. ſe in B deeſt.
l.14. Dominus Rex B Dominus.
ibid. de Neuburgi Canonicum B de Neuburg. J. Canonicum.
l.17. & mercatoribus Londinenſibus deſunt in B.
l.18. neque ſegnes deſunt in B.
l.19. inſatiabilis in B deeſt.
l.20. plane in B deeſt.
l.21. reputavit etenim Dominus Rex Angliam eſſe puteum B reputavit Rex etenim Angliam puteum.
l.22. & circumjacentium deſunt in B.
l.58. oves & boves B oves boves.
l.65. vafer —— prætextu deſunt in B.
P.756.l.1. etiam antea ad id mercede conductus deſunt in B.
l.5. ſibi in B deeſt.
l.24. exul B velut exul.
l.40. ibi fuerat deſunt in B.
P.757 l.31. papam in B deeſt.
ibid. iſtud mandatum B iſtud papale mand.
l.35. honore in B deeſt.
l.43. cepit B accepit.
l.49. ſub in B deeſt.

Incipiunt Collationes libri Impreſſi, cum MS. quondam Baronis Lumlei, nunc Regii, quia ad annum 1255 nos linquebat liber MS. Collegii S. Benedicti Cantabrigienſis.

P.775.l.12. Maretona R Meretinna.
l.29. Kilkem R & Minor Kilkenni.
P.776.l.19. dividuatus R & Minor dimidiatus.
ibid. expenſionis R & Minor extenſionis.
l.31. exaggeratam R & Minor exagitatam.
l.61. beata R bene.
P.777.l.13. Dominum Edmundus R Dominus Edmundum.
l.35. Innocentius nuper R Innocentius quartus nuper.
P.778.l.1. conceſſum R & Minor conſenſum.
l.3. juravit & ſub ſumma diſtrictione R & M juravit & charta & ſententiæ diſtrictione.
l.7. quomodo R quo modo.
l.8. quod cum R & M quod tamen.
P.780.l.45. tredecim monachi R & M tredecim non monachi.
P.781.l.32. ſalvos R & M fatuos rectè.
P.782.l.24. ſorore, conſequutus R & M ſorore dimidia conſequutus.
l.27. poſt Anglorum R addit & quod elevatum fuiſſet cor Regis Anglorum: ſuſpectas, &c.
P.783.l.61. Romaniæ R Bononiæ rectè.
P.787. in marg. ad l.6. vacat ſcribitur in marg. & ad l.9. quia hoc prius. Hoc ſcriptor intendebat, ſcil. quod caput incipiens Eodémque præponeretur alteri incipienti Tempore ſub.
l.63. Minorum tranſeuntium R Minorum quia tranſeuntium rectè.
P.789.l.61. profecto R & M præſtito.
P.790.l.10. ſuſpicioſa R ſuſpenſa.
P.791.l.49. quando R quæ.
P.792.l.42. reſponſio R & M ratio.
l.49. Apoſtolico R ipſo.
P.794.l.62. Abbates deeſt ab R & M.
P.795.l.38. Eccleſiam R Curiam.
l.42. Olivero Roſa R Airmero Coſa.
l.66. poſt non excuſat R & M addunt quia ſicut nec decipere, ita nec decipi deberet: imo omnia facta ſua, præcipue ardua, infallibiliter præmetiri.
P.796.l.3. poſt receptus eſt R & M addunt & acceptus.
l.20. poſt infrigidari addit R ſub quo infelix mulier, vel potius diabolus per mulierem, ut prædictum eſt, facem primitus ſuppoſuerat.
l.21. & matris R & M & Julitæ matris.
P.797.l.28. pondus R & M padus.
P.798.l.21. Et qui tot expenſas R & M Et qui tot corpora, tot expenſas.
l.23. poſt reſtitueretur R & M addunt & mitratus.
P.800.l.30. Willielmi bonáque R & M Willielmi Bonocoque rectè.
l.41. poſt perhibentur addunt R & M Et circa dies illos obiit Dominus Bertramus de Criol, Domini Regis dapifer, & Doveriæ oppidanus & cuſtos fideliſſimus.
Ipſis quoque temporibus ambitio & amor dominandi, poteſtaſque nocendi, quæ de virulenta radice pullulat avaritiæ, in tantum ſua germina dilatavit, ut quilibet ferè vicecomes in Anglia à ſuperveniente aliquo, qui firmam priſtinam augmentare nitebatur, ſubdole ſupplantaretur, & caſſato duro durior ſubrogaretur. ut quos prædeceſſor excoriaverat, ſucceſſor immiſericorditer eviſceraret. Hæc idcirco, &c.
P.801.l.27. conſuetudines R jura.
P.803.l.53. poſt Ceſtrenſis addunt R & M paralyticus.
P.805.l.5. quem tum R & M quod tamen.
P.807.l.13. tum R tamen M autem.
P.809.l.37. Johannis R Johannis ſecundi.
ibid. de Ceſtria R de Eia.
l.40. quindecim R triginta.
P.810.l.36 continuabat R conſummabat.
P.811.l.1. pœna R & M poteſtate.
l.7. mendici R & M mendaces.
l.31. Mandevilla R & M mandavit.
l.38. poſt Albanum R & M addunt in quadrageſima.
P.813.l.21. poſt quinquennium R & M Item, medietatem fructuum reſidentium in ſuis beneficiis. Item, de privilegiatis fructus omnium beneficiorum, reſervatis duntaxat ad ſuſtentationem modici temporis proventibus. Hiis auditis, &c.
l.34. Colonienſis R & M Colonienſis Conradus.
P.815.l.7. annunciabat R annectebat.
P.817.l.10. perſonam eligere R perſonam in prælatum eligere.
P.818.l.23. cultellum extrahens R cultellum ſive anelacium extrahens.
P.820.l.64. Quapropter quanto R Archiep. autem quanto.
P.821.l.14. poſt comitibus R addit & ut tantæ comitiſſæ propago nobiliſſima, tam videntibus quàm legentibus evidentiùs declaretur; hac figurâ orbiculatâ evidentiùs apparebit. Non tamen ibi depingitur illa orbicula, quæ (ut opinor) genealogiam Beatricis erat contentura.
P.822.l.28. transfretavit R transfretavit præliaturus.
P.823.l.41. quod aſſignati R quod diu aſſignati.
P.825.l.48. poſt utilitatem addit R temporibus vacationum dictæ Abbatiæ; nos proviſionem & ordinationem illam ratam, &c.
l.64. Imberto R Imberto Pugeis.
P.826.l.57. quorumlibet R & M querulorum vel querularum.
P.827.l.12. Epiſcopus Willielmus R & M ipſe Willielmus.
P.830.l.18. qualibet tum R & M qualibet trium rectè.
l.26. à curia R à curia Romana.
P.832.l.7. poſt eleemoſynarem uſque ad procaces l.17. deſunt in R & M, ambo enim libri ſunt hic mutili.
l.22. pontes R partes.
P.835.l.25. gratuiter R & M gratanter.
P.836.l.39. Sunigerum R & M Sunningum.
P.839.l.53. Cantabrigiam R Cant.
l.54. eccleſia recedens R electus recedens.
P.842.l.30. tum R & M tantum.
l.34. ſub eiſdem, &c. ad Eodémque tempore l.37. deſunt in R & M.
P.843.l.49. expellendum ejuſdem R & M expellendum omnes ejuſdem.
P.846.l.40. ſcilicet R & M ſed.

Ad hunc locum omnino nos linquit Matthæus Pariſienſis, & in libro Regio hic depingitur lecto decumbens & mortuus.

EX WILLIELMO RISHANGER.

P.848.l.63. poſt extrahi R & M addunt ne honorem ſui Sabbati violaret. Quod audiens Richardus de Clare comes Gloverniæ, non permiſit eum extrahi ſequente die Dominici, &c.
P.850.l.10. & Venetorum R & M in odium Venetorum.

*l.*51. *poſt* R. Henrici *R & M addunt* Sub eiſdem diebus Philippus regis Francorum filius accepit uxorem Arragonum regis filiam Iſabellam. Hoc tempore Papa Urbanus beatum Richardum Ceceſtrenſem catalogo Sanctorum aſcripſit. Eo tempore, *&c.*
P.851 *l.*4. de Bove *R & M* de Boun.
*P.*852 *l.*10. Rallis *R & M* vallis Anandiæ *rectè.*
ibid. Marinium *R & M* Marmiun *rectè.*
*l.*56. milites *R & M* nobiles.
*l.*61. vos omnes a vobis *R & M legunt* nos igitur ſcire vos volumus, vos à nobis univerſis.
*P.*853 *l.*16. Flexnemge *R & M* Flexing *cum g. abbreviata. Scribe* Flecking.
*l.*30. Nuncium *R & M* indicium.
*l.*56. Hernigande *in marg. Minoris novâ manu* Heringauder.
*P.*854 *l.*12. quiſque *R & M* quæque.
P.855 *l.*5. aliqua *R & M* antiqua.
ibid. defendens *R & M* deſcendens.
*l.*35. comitura *R & M* comitiva.
*l.*36. Kemeſloia *R & M* Kemeſeia, & Kemworth *legunt* Kenelworth.
*l.*63. Anglicanæ gladio *R & M* Anglicanæ ſine gladio *rectè.*
*P.*856 *l.*7. *poſt* dilexerat *R & M addunt* cujus etiam funeri dicitur lachrymas impendiſſe.
*l.*41. omnia *R & M* comam.
*l.*44. Pariſiis *R* Peruſii *rectè.*
*l.*46. aſſeritur *R* efficitur *Minor* fit.
*l.*57. multa fecerunt *R & M* multa mala fecerunt.

*P.*857 *l.*5. Dunfire *R* Dunſtere *rectè.*
*l.*24. reſeuntibus *R & M* reverendis.
*P.*858 *l.*4. *poſt* volebant *R addit* vitæ ſervantes & redemptioni quos vero volebant dantes internecioni, *Minor ſic*, volebant redemptioni ſervantes, quos vero volebant interemerunt.
*l.*14. *poſt* incolis *R addit* ſterilitatis annis ſimilis, qui, *&c.*
*l.*34. viriliter *R & M* videlicet.
*l.*48. Wiltone *R* Dulton *Minor* Bulbone.
*l.*49. optimam *R & M* opportunam.
*P.*859 *l.*22. ſibi *R & M* ſuas.
*P.*860. 34. *R & M poſt* Londin. *addunt* Epiſcop. Lincoln.
*l.*35. circumſpectos *R & M* circumſcriptos *malè.*
*l.*48. indignè *R & M* indigenæ.
*l.*62. inſidians *R & M* inſidus.
*l.*63. Eymle *R* Eyvile *Minor* Evile.
*P.*861 *l.*27. *poſt* pacem *R & M addunt* & juſtitiam facerent proclamari, & pœnam contravenientibus, *&c.*
*P.*862 *l.*19. injuſtè intentatum, inconſultè *R* injuſtè in Trinacria inconſultè *rectè. Trinacria enim eſt Sicilia.*
*l.*27. incidit in ipſis *R in marg. ſed novâ manu, addit* conſilium.
*l.*31. Tunis parva *R* Tunis inſula parva.
P.863 *l.*26. viriliter *R* videlicet.
*P.*864 *l.*32. de nocte *R & M* de ortu.
*l.*39. communitates *R & M* communes.
*l.*45. Tryvet *R & M* Thomam dictum Tryvet.
*l.*61. dominum *R & M* crucem domini.

IN HISTORIAM Matthæi Pariſienſis ADVERSARIA,

NOTÆ, & EMENDTIAONES.

PAg.1. Lin.43. Quem captum conſul Ponticus Willielmo Normannorum duci præſentavit.]

(a) Eadmer. hiſt. Novor. p.5.

Hæc & quæ ſequuntur paulo aliter narravit noſter Eadmerus (a). *Obiter tamen emenda authorem, & pro Ponticus cum Eadmero ſcribe Pontivus. Olim credo ſcribebatur* Ponticus conſul, *i.e.* Comes de Panthieu.

Ibid.l.56. Ad ultionem tantæ injuriæ.]

(b) Nubrig. hiſt. de rebus Anglicis, l.1. p.1.c.1.

Cauſam adventûs Conqueſtoris eleganter in dubio relinquit Nubrigenſis ; Willielmum ſcilicet ſive dominandi libidine, vel causâ ulſciſcendi injurias, bellum intuliſſe Haroldo (b).

Ibid.l.64. In hoc *(Edwardo ſcil. Confeſſore)* linea Regum Angliæ defecit.]

Corporis hæredes equidem poſt ſe non reliquit, ſed virtutis : donum enim miraculoſum omnibus ſucceſſoribus ſuis hæreditate tranſmiſit ; donum, dico, curandi ſtrumas illas, quas Regium Malum *ſive* Morbum *indigitamus.* Solebat *(ut è noſtris inquit Polydorus)* Rex Edwardus divinitus ſolo tactu ſanare ſtrumoſos —— Quod quidem immortale munus jure quaſi hæreditario ad poſteriores Reges manavit. Nam Reges Angliæ etiam nunc tactu ac quibuſdam hymnis —— ſtrumoſos curant. *De annulo ejuſdem R. Edoardi, quo curabantur membra ſtupentia morbo comitiali, conſulatur idem Polydorus* (c).

(c) Polyd. hiſt. Angl. l.8. p. 142.

Pag.2.l.10. Haroldum Norwegiæ regem devicit.]

Scilicet qui à Toſtoni Haroldi Angli fratre erat accerſitus. Prelii deſcriptionem, quam hic noſter omiſit, vide apud Virgilium Polydorum (d).

(d) Polyd. hiſt. Angl. l.8. p. 145. &c.

Ibid.l.44. O Dux, inquit, Angliam tenes.]

Ita & Julius ille Cæſar olim, qui in egreſſu navis in terram prolapſus, Teneo *(inquit)* te Africa.

Ibid.l.48. De pugna Noricorum reverſus.]

Scilicet Norwegorum, qui tamen nullibi quod ſciam vocantur Norici. Norici enim populus ſunt Germaniæ circa Danubium. Ita & ſæpiſſime Dacos ſcribit pro Danos ; cùm Daci ſint Tranſylvani, cum Raſciis, Serviis, Bulgariſque. Sed hujuſmodi hallucinationes ſolennes erant medii ævi ſcriptoribus.

Pag.4.l.14. Ad Angliam denuo properavit, ut commilitonibus Normannis —— terras Anglorum & poſſeſſiones, ipſis expulſis, manu diſtribueret affluenti.]

(e) Guilielmus Pictav. p. 208.

Hoc tamen fecit rex victor non ſine moderamine, ſi Guilielmo Pictavenſi credendum, regio tunc temporis capellano, & qui huic interfuit negotio (e) : Nulli *(inquit)* Gallo datum, quod Anglo cuiquam injuſtè fuerit ablatum. *Sane aut nihil iis ablatum, qui cum Haraldo contra Conqueſtorem non ſtetiſſent ; aut ſtatim reſtitutum, indicat illud Edwini de Sharneburne exemplum, quod retulit illuſtris doctiſſimúſque D. Henricus Spelmannus* (f). *Quomodo autem res tota ſit tranſacta, nobis expoſuit Gervaſius Tilburienſis, author ille Dialogi de Scaccario* (g), *anno 23 Henrici tertii inchoati, in hæc verba, ut ipſe ab indigenis accepit.* Poſt regni conquiſitionem, poſt juſtam rebellium ſubverſionem, cùm Rex ipſe Regiſque proceres loca nova perluſtrarent, facta eſt inquiſitio diligens, qui fuerint qui contra Regem in bello dimicantes per fugam ſe ſalvaverint. His omnibus, & hæredibus eorum qui in bello occubuerunt, ſpes omnis terrarum & fundorum atque reddit
uum, quos ante poſſederant, præcluſa eſt ; magnum namque reputabant frui vitæ beneficio

(f) H. Spelman in Gloſſario in voce Prerches. Vide & Jo. Seldeni Analecta, c.8.

(g) MS. apud Camerarios Scaccarii in Codice Nigro. Item & in Codice Rubro, penes Rememoratorem Regum. Et in bibliotheca D. Hen. Spelmanni.

ſub

ſub inimicis. Verùm qui vocati ad bellum necdum convenerant, vel familiaribus ſeu quibuſlibet neceſſariis occupati negotiis non interfuerant; cum tractu temporis devotis obſequiis gratiam dominorum poſſediſſent ſine ſpe ſucceſſionis, ſibi tantùm (pro voluntate tamen dominorum) poſſidere cœperunt. Succedente verò tempore, cùm dominis ſuis odioſi paſſim pellerentur, nec eſſet qui ablata reſtitueret; communis ad Regem pervenit querimonia, quaſi ſic omnibus exoſi & rebus ſpoliati, ad alienigenas tranſire cogerentur. Communicato tandem ſuper his conſilio, decretum eſt, ut quod à dominis ſuis exigentibus meritis, interveniente pactione legitimâ poterant obtinere, illis inviolabili jure concederetur. Cæterùm autem nomine ſucceſſionis à temporibus ſubactæ gentis nihil ſibi vendicarent. Quod quidem quàm diſcreta moderatione cautum ſit, manifeſtum eſt: præſertim cùm ſic modis omnibus ut ſibi conſulerent, de cætero ſtudere tenerentur, devotis obſequiis dominorum ſuorum gratiam emercari. Sic igitur quiſquis de gente ſubacta fundos vel aliquid hujuſmodi poſſidet; non quod ratione ſucceſſionis deberi ſibi videbatur adeptus eſt, ſed quòd ſolummodo meritis ſuis exigentibus, vel aliquâ pactione interveniente, obtinuit.

Extat etiamnum hac de re ejuſdem Conqueſtoris reſcriptum (h), *in hac verba:* Volumus & hoc firmiter præcipimus & concedimus, ut omnes liberi homines totius Monarchiæ regni noſtri prædicti, habeant & teneant terras ſuas & poſſeſſiones ſuas, bene & in pace, liberas ab omni exactione injuſta, & ab omni tallagio; ita quòd nihil ab eis exigatur vel capiatur, niſi ſervitium ſuum liberum, quod de jure nobis facere debent, & facere tenentur, & prout ſtatutum eſt eis, & illis de nobis datum & conceſſum jure hæreditario in perpetuum, per commune conſilium totius regni noſtri prædicti.

(h) *Vid. Archaiologiam Willielmi Lambardi, fol.* 125.*a.*

Ibid. l. 19. Normannis ſæpe infeſti fuere.]

Quâ verò arte terram in tantam reduxit tranquillitatem Conqueſtor, ut puella auro onuſta impunè poſſet totam pertranſire Angliam, (uti Matthæus noſter alibi (i) *affirmavit) idem author Dialogi de Scacc.* (k) *nos edocuit:* In primitivo *(inquit)* regni ſtatu poſt Conquiſitionem, qui relicti fuerunt de Anglicis ſubactis, in ſuſpectam & exoſam ſibi Normannorum gentem latenter ponebant inſidias, & paſſim ipſos in nemoribus & locis remotis nactâ opportunitate clanculò jugulabant. In quorum ultione cùm Reges & eorum miniſtri (l) per aliquot annos exquiſitis tormentorum generibus in Anglicos deſevirent, nec tamen ſic omnino deſiſterent; in hoc tandem devolutum eſt conſilium, ut Centuriata, quam Hundredum dicunt, in qua ſic interfectus Normannus inveniebatur, quòd mortis ejus miniſter non extabat, nec per fugam quis eſſet patebat, in ſummam grandem argenti examinati fiſco condemnaretur: quædam ſcilicet in (m) triginta ſex libras, quædam in quadraginta quatuor libras, ſecundùm locorum diverſitatem, & interfectionis frequentiam. Quod ideo factum dicunt, ut ſcilicet pœna generaliter inflicta, prætereuntium indemnitatem procuraret; & feſtinaret quiſque tantum punire delictum, vel offerre judicio, per quem tam enormis jactura totam lædebat viciniam.

(i) *Vide p.* 10. 163.

(k) *Dialog. de Scaccario ubi ſupra.*

(l) *Fortè legendum* Rex & ejus miniſtri; *ſtatim enim ſequitur,* Miror ſingularis excellentiæ principem, & acerrimæ virtutis hominem in ſubactam & ſibi ſuſpectam Anglorum gentem, hac uſum miſericordiâ.

(m) *Fortè legendum* quadraginta ſex; *ita enim jubet lex Willielmi primi.*

Imò & inter leges Conqueſtoris cautum legimus (n): Ut omnes homines quos ſecum adduxit, aut poſt eum venerunt, ſint ſub protectione & in pace ſua. Et ſi quis de illis occiſus fuerit, dominus ejus habeat inter quinque dies homicidam ejus, ſi potuerit. Sin autem percipiat perſolvere nobis 46 marcas argenti, quamdiu ſubſtantia domini illius perduraverit. Ubi verò ſubſtantia domini defecerit, totus Hundredus, in quo occiſio facta eſt, communiter ſolvat quod remanet.

(n) *Lambardus de priſcis legibus, fol.* 124.*b.*

Pag. 5. l. 39. Monaſteria auro ſpolians & argento, inſatiabiliter appropriavit; *ſcribe,* apporiavit; *id eſt,* depauperavit. *Sed & eam rem audi conquerentem Monachum Sancti Albanenſem* (o).

(o) *In libro Additamentorum, MS. fol.* 57.*b.*

De cauſa perditionis poſſeſſionum Monaſterio Sancti Albani pertinentium.

Eo tempore, cùm Guilielmus Conqueſtor Angliæ, (aliàs dicitur Nothus) Dux Normanniæ, unico belli congreſſu Anglos ita viciſſet, ut in conſpectu ſuo tota terra ſileret, quaſi mirans fatum; in quodam conventu, ubi cuncti Prælati cum Nobilioribus regni convenerant omnes, ita convenit: Miror (ait) quòd hujus regni militia ſive communitas, quæ nullius jugum ferre conſueverunt ſine frequenti recalcitratione, me ſuſceperint & admiſerint atque toleraverint libenter, ut dictum; & velut infortunio unius horæ fracti ut imbelles meo ſe domino pacificè ſubmiſerint. Quotiens regni præſentis militia, Danis, Pictis, & Scotis rebellaverit; & ſemper libertatem cum victoriâ reportaverit, libri noſtri manifeſtè declarant. Ad hoc cùm ſtarent ſtupefacti milites & Anglorum nobiles, & tanquam perculſi verecundiâ, non haberent reſponſum congruum tantæ regis inſolentiæ; Abbas Monaſterii Sancti Albani ſupradictus, cupiens ſibi nomen acquirere & ab Anglis tergere nævum ignaviæ, ſimul & gratias reportaſſe, pro omnibus ita reſpondit: Rex (inquit) illuſtriſſime, quòd Anglos de facili ita viciſti, & regnum

pa-

pacificè poſſediſti, religioſis regni tui debes gratiam & favorem: nempe prædeceſſores tui glorioſi reges Angliæ, magnam partem inſulæ, partim acti devotione, partim coacti miraculis, Religioſorum domibus contulerunt. Quæ ſi permanſiſſit in manibus dominorum temporalium, forſitan quilibet ex parte ſua contra te reſiſtentiam paraviſſet: ſed quia Religioſi noluerunt, ſicut nec debuerunt, adversùm te rebellionem, cui certis de cauſis putabant regni jura competere, ulciſci; faciliùs intráſti, liberiùs & ad præſens uſque regnum quietiùs poſſediſti. Rex, hiis auditis, ex ore Abbatis verbum rapiens, ita reſpondit: Si (inquit) poſſeſſiones vobis datæ & ereptæ militibus, ſunt in cauſa quare Angli nequiverunt mihi reſiſtere, patet quòd in futurum Rex Daciæ, vel quilibet alius, mihi bellum inferre poterit, & non erit qui me defendat vel regnum meum. Et ideo de ore tuo te judico, & à te imprimis incipio, repetens poſſeſſiones quibus nimis abundas, quibus exhiberi poſſint milites ad defenſionem regni præſentis. Et hac occaſione dicitur abſtuliſſe de domo S. Albani totum pene dominium, quod habuit à Barneto uſque *Londonias*, ad locum vocatum vulgariter Londonſtone.

Ibid.l.47. Alexander Lincolnienſis.]

Mendum equidem apertiſſimum, & cui medelam adhibere non poſſum: conſentiunt enim Wendoverus, MS. Cottonianus, & Chronicon. Certiſſimum tamen eſt, nullum omnino adhuc fuiſſe Epiſcopum (nedum Epiſcopatum) Lincolnienſem. Imò neque in iſtis temporibus, ullus per totam Angliam erat Epiſcopus, qui Alexander vocabatur.

Ibid.l.52. Epiſcopus Helmhamenſis.]

Anglorum Orientalium (qui Comitatus Norfolciæ & Suffolciæ olim inſederunt) Epiſcopi, primùm ſedebant Domuci ſive Dunwici, in ora maritima Suffolcienſi; ac deinde dimidiatâ juriſdictione, pars Helmham, oppidum in Norfolcienſi agro eſt tranſlata; ſed à Danis poſtea, Dunwico devaſtato, Epiſcopatus ambo in Helmhamenſem coluerunt. Ab iſto autem ignobili oppido ſedes Epiſcopalis Thetfordiam ſub Conqueſtore eſt tranſvecta, ac Norwicum denique ſub Willielmo Rufo. Vide & quæ paulo infra notabimus ad p.10.l.12. Interim nota doctiſſimum præſulem Godwinum (p), *aſſignere annum* 1075 *Epiſcopatuum Anglicanorum hujuſmodi tranſlationi: cui magìs credendum quàm extraneo Polydoro Virgilio, qui ad annum* 1078 *retulit.*

Pag.7.l.21. Uxoratos ſacerdotes à divino removit officio, & laicis Miſſas eorum audire interdixit; novo exemplo, & (ut multis viſum eſt) inconſiderato judicio contra ſanctorum patrum ſententiam.]

Ita ſcripſerat & Wendoverus. Concordant MS. ſic & Thomas Walſinghamus ad annum 1074. *Hæc ſufficiat hiſtoricè duntaxat, ſed non polemicè, notáſſe.*

Ibid.l.24. Corpus & ſanguis Chriſti. *Et* pag.34.l.65. Sacerdotes peregrinos admonent, ut Dominici corporis & ſanguinis perceptione ſe communiant.]

*Ubi laicos vides ſub utraque communicáſſe; etiam & in præſentia Walonis Legati Papalis, ut p.*256.*l.*59. *Vide & p.* 276. *l.* 3. *Et in Additamentorum Auctario p.* 1154. *l.* 3. *Sanè & ita ſcripſit Wendoverus, uti Matthæus in Hiſtoriæ locis citatis: & concorditer MS. Cottonianum & Benedictinum, cum Chronico MS. ad p.*248.*l.*19. *citatam. Vide & Florentium Wigornienſem* (q), *qui Imperatorem Carolum, accepto corpore & ſanguine Domini, confirmâſſe exitum ſuum, ſcribit. Sed hoc paſſim fiebat per ea tempora. Imò & Anglis in Synodo Saxonicæ veteri injunctum erat, ut ſinguli Dominicis in Quadrageſima, Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti ſumerent* (r). *Apud Hovedenum igitur noſtrum invenies Henricum Regem juniorem, in mortis articulo, Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini viatico munitum* (s). *Ita & ſub annum* 1220 *(vel circiter) ordinis Gilbertinorum Monachi noſtrates de Sempringham communicabant, ut inter Statuta eorum in hæc verba invenitur* (t): Corporis Chriſti & Sanguinis communio, nulli noſtrorum viro vel mulieri, pro gravitate morbi alicujus, veluti lepræ vel epilepſis, denegetur. Veruntamen vomitus frequens caveatur, & epileptici die quo morbo ſuo laboraverint, à Communione abſtineant. Et his infirmitatibus laborantibus, provideatur calamus argenteus, & calix ſtanneus ad communicandum. Idem inter moniales & ſorores teneatur. *Sanè hos calices ſtanneos à Richardo Cantuarienſi, ſub annum* 1230, *probibitos fuiſſe, apud Lindewodum noſtrum reperio* (v). *Ciſterſienſes etiam Monachos ſanguine communicáſſe, nos docuit Cajetanus* (x).

Sed ſi dicas laicos eo tempore per Concomitantiam (ut vocant) ſive per Intinctionem (panem ſcilicet in calicem immergendo) communicáſſe, Baronium equidem habebis contradicentem; ad quem te remitto (y). *Ut & ad Synodum Claremontanum, ab ipſo Papa Urbano celebratam; ubi ſtatutum invenies,* Ne quis communicet de Altari, niſi corpus ſeparatim & ſanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem & cautelam (z). *Obiter hinc emendandi Willelmus*

(p) *Vide Epiſc. Godwinum in Epiſcopis Coventriæ ad an.* 1067 *in Petro. Et in Epiſcopis Ceſtriæ in iiſdem.*

(q) *Wigornienſis ad annum* 813, *vel* 835.

(r) *Videſis Dom. Hen. Spelmanni Concilia p.*615.*can.*41. & *p.*616. *can.*44.

(s) *Hoveden. in Hen.*2. *p.*354. *à l.*19. *an* 1183.

(t) *Codex MS. Regularum Ordinum Gilbertinorum de Sempringham, nunc penes doctiſſ. Baronett. D. Rogerum Twyſden, qui de iſtis me monuit, hacq; propriâ manu mihi tranſcripſit. Iſta verba ibi inveniuntur cap.* 33. *de Canonicis, tit. de Infirmantibus.*

(v) *Lindewode de Celebrat. Miſſar. cap.* Præcipimus.

(x) *Cajetan. in Thom.* 3. *qu.* 80. *art.*12. *quo.*3.

(y) *Vide Baronium tom.*12.*in Appendice ad an* 1118.*p.*76.

(z) *Concil. Claremont. can.* 28. *tom.*7. *p.*507.

mus Malmesburienſis (a), *& Matthæus noſter* (b), *qui Concilium iſtoc recenſentes hunc ipſum canonem omnino omiſerunt. Ejus tamen alicubi meminit Ordericus Vitalis* (c).

(a) *Malmsb.* p. 74.

(b) *Matth. Paris* p. 19.

(c) *Ordericus Vitalis* l. 9. p. 720. a.

Pag. 9. l. 55. Omnéſque Angli in mœrorem & ſervitutem redacti fuiſſent, ita ut Anglum vocari foret opprobrio.]

Quanta paſſa eſt gens Anglica ſub rege, qui naturales regni filios plus æquo exoſos habuit, nobiles (d) *& vulgares crudeliter vexavit, injuſtè multos exhæreditavit; ubi miniſtri ejus* (e) *nimiâ cervicoſitate tumebant, & clamores Anglorum rationabiliter audire, eiſque æquitatis lance ſuffragari deſpiciebant; ut ſatis perſtrepunt hiſtorici* (f). *Rex tamen ipſe Anglicam locutionem ſategit ediſcere, ut ſine interprete querelam ſubjectæ legis poſſet intelligere, & ſcita rectitudinis unicuique (prout ratio dictaret) affectuosè depromeret. Et eodem tempore (ſcilicet anno* 1070, *& regni ſui quarto) Anglis conceſſit ſub legibus perſeverare patriis* (g).

(d) *Ordericus Vitalis* l. 7. p. 659. b. *Et in Fragment. Willelmi* 1. *à Camdeno edit.* p. 32. 16.

(e) *Ibid.* l. 4. p. 507. d.

(f) *Ibid.* l. 4. p. 520. d.

(g) *Hoveden. in parte poſteriore* p. 347. a. 10.

Ibid. l. 11. Igniti judicio ferri, dominum purgans.]

Hæc habuit author ex Henrico Huntindonienſi (h). *Interim judicium* Ordalii *igniti inſinuavit author, apud Saxones, noſtros regéſque Normanicæ ſtirpis noſtrates uſitatiſſimum. In hoc autem reus aut perpauculis paſſibus incedens, ferrum nudâ manu candens ferebat; aut nudo currens pede, ſuper ignitos quoſdam gradiebatur vomeres. Erat &* Ordalium *per aquam: de utrorumque forma videndus Lambardus noſter* (i). *Multa & habet eques Spelmannus* (k), *v.c. à quo & juſtum de ea re expectabis tractatum in ſecunda Gloſſarii ſui parte. Vide & Lindenbrogii Gloſſarium ad codicem Legum Antiquarum* (l), *& Pithæum ad Capitula* (m), *& Antiquitates Britannicas noſtras.*

(h) *Huntindon. hiſt.* l. 7. p. 213.

(i) *Lambardus in Archaionomia in verborum explicatione.*

(k) *D. Hen. Spelmannus in Conciliis Anglicis* p. 377. & p. 399. *alibique.*

(l) *Lindenbrog. Gloſſ. voce Judicium aquæ* p. 1417.

(m) *Pithœus in Gloſſ. ad capitula Caroli & Ludovici, in Aqua Ferventis antiq. Britan. in vita Roberti permulta.*

Pag. 10. l. 12. Hoc autem autem authore, hoc tempore, & his de cauſis, incepta eſt Eccleſia moderna Lincolnienſis.]

Imò in Concilio Londinenſio, cui Lanfrancus Archiepiſcopus præſedit, Anno Domini 1078. *Regnique Conqueſtoris* 11 *(ſi Polydoro credendum) non in anno quo hic noſter ponit, ſedes Epiſcopales opidulis pagiſque in Bathoniam, Lincolniam, Sariſberiam, Exoniam, Ceſtriam, atque Cicestriam civitates, ſunt tranſlatæ. Interim Polydorus Epiſcopatus Helmhamenſis eſt oblitus, qui & in eadem Synodo Thetfordiam eſt tranſvecta* (n). *Vide Matthæum Weſtmonaſterienſem ad annum* 1070.

(n) *Polydor. Virgil. Angl. hiſt.* l. 9. p. 158. *Vide & Malmesburienſem de Geſtis Pontificis* l. 4. *initio* p. 165. b.

Admonitio ad Lectorem.

Cùm hucuſque progreſſus eſſem, non paſſi ſunt Bibliopolæ ut eadem diligentiâ cætera perſequerer; timebant enim ſibi, ne pretium ſimul cum mole voluminis excreſſeret nimis. Urgebant inſuper, jam inſtare Parliamentum, ſive publica regni comitia, unà cum faſtis vel diebus juridicis, quos Terminum vocant, poſt juſtitium proh nimium longum! In his quaſi nundinis exoptatiſſimis nolebant propolæ, ut liber ſuus venum non exponeretur. Ego igitur, poſt ſeſquiannum ſtudendo ſcribendóque ſatis ſuperque defatigatus, dictis obaudiens fio. Rariora igitur poſthac expectabis Adverſaria, nec ita crebras aut Notas aut Emendationes. Multa interim utriuſque generis nos ſcias, ad Variantes Lectiones rejeciſſe.

Pag. 48. l. 43. Matilda Henrico invita nupſit.]

Longè aliter hanc rem totam narrat Eadmerus noſter (o), *qui ſanè in eiſdem vixit temporibus, & ex familia erat Archiepiſcopi Anſelmi, qui Matildam Henrico regi deſponſavit, imò & nuptiis interfuit: narrat etenim Matildam omnino negâſſe ſe unquam velatum fuiſſe; imò & quòd ſanctimonialium & regis patris ipſius teſtimoniis, rem ita fuiſſe comprobatum erat. Nil cauſæ igitur erat, ut fructum ventris ſui tam dirè devoveret, diabolóque commendaret Matilda, ut hic noſter affirmavit* (p). *Sanè Wendoverus hæc & non plura de his nuptiis commemoravit; ſcil.* Eodem anno Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus in Angliam veniens, deſponſavit Matildam Malcolmi, &c. novo regi Angliæ Henrico. Et ſic nuptiis magnificè celebratis, facta eſt commotio in regno cauſâ Roberti ducis, &c. *Chronicon Matthæi noſtri multa in eandem ſententiam cum impreſſo, ſed longè aliis verbis, habet: ſed ſententiam illam ultimam,* Me enim Deo vovi, &c. *planè omiſit. Ubi tu ſcribas Zelotypatis, literis Romanis, non ut hic Italicis; quaſi à verbo Zelotypo, Zelotypas, Zelotypatis, id eſt, Zelatis. Contra ſcribatur Chriſtiana l.* 49. *erat enim materteræ nomen proprium.*

(o) *Vide Eadmer.* l. 3. p. 56, 57.

(p) *Ibid.* l. 18.

Pag. 59. l. 30. Gilbertus univerſalis, *ſcribe tu Univerſalis, id enim erat viro cognomen.*

Pag. 115. l. 15. Obſervatio in finem Lateranenſis Concilii.]

Quid in mentem venerit Antiquitatum Britannicarum authori, ut ex Matthæi noſtri Hiſtoria Minori aſſeret, Concilium hoc in riſum & ſcommata deſiiſſe, omnino augurari non poſſum. Certum enim eſt nihil tale in Chronico ſive Hiſtoria Minori inveniri; ſed fortè reſpexerat (ut ex ſequentibus conjicio) ad ea quæ Willelmo Abbati Sanct-Albanenſi in Camera Papali benedi-

ctionem Apoſtolicam expectanti, acciderint; & ſic Hiſtoriam Minorem pro Vitis Abbatum laudavit; quam tu vide p.1050. circa l.50. Vide—Antiquitates Britannicas in Stephani Langtoni vita pag. 58.l.47.

Pag.178.l.1. Poſt Conſtantinopolitanus ſequitur in MS. Cottoniano, Et ab Alienora regina Angliæ Abbatia Belli Loci regis fundata eſt, ſecundùm alium Hiſtoriographum.]

Hinc apparet Matthæum etiam alios præter Wendoverum conſuluiſſe hiſtoriographos, ex quibus ſine dubio ea omnia ſumpſit, quæ Wendovero addidit.

Pag.191.l.31. Circa feſtum Michaelis amotum eſt Scaccarium à Weſtmonaſterio uſq; Northampton.]

Quamdiu autem ibi ſteterit, ſupplet Matthæus Weſtmonaſterienſis, ſcilicet uſque ad Natale Domini (q).

(q) Weſtm. ad an.1209. initio.

Pag.204.l.32. Miſit ergo nuncios ſecretiſſimos—ad Admirallium, &c.]

Non poſſum equidem diffiteri, totam iſtamce narrationem mihi fore ſuſpectiſſimam: Wendoverus ſanè, qui propior illis temporibus vixerat, ne Gry quidem de eo monſtro habet; imò nec Matthæi noſtri per omnia deflorator Matthæus Weſtmonaſterienſis (r). Et quod pluris eſt, ipſe Pariſienſis, quaſi ſeipſum corrigens, in Chronico ſive Hiſtoria Minore, quam poſt hanc Majorem relimârat; totam iſtam narrationem (ſcilicet à linea 32. paginæ 204. uſque ad lineam 25. paginæ 207.) omnino omiſit. Quænam inſuper, aut qualis illa erat tam urgens Johanni regi neceſſitas, ut Admirallii auxilium tunc imploraret; cùm jam nuperrimè de mortuo Ganfrido Fitz-Petro, ſe juraret nunc primò fuiſſe regem & dominum Angliæ? Non bene igitur cohæret narratio cum libertate regis tam recenter obtenta. Cùm igitur ſciam (quod & in Præfatione monui) Matthæum noſtrum acerrimum equidem atque ſceleratiſſimum fuiſſe omnium hominum cenſorem redargutorémque; ſi calculus profectò candidior meus quicquam valeret, libenter à tam turpi crimine regem abſolverem. Peneś Robertum Londinenſem igitur, eúmque teſtem ſolitarium, ſit omnis fides. Adde etiam, ob hanc cauſam Matthæum noſtrum in regem Johannem iniquiorem fuiſſe, quia cuſtodiam Abbatiæ ſuæ alteri quàm Abbati Monachiſque conceſſerat (s).

(r) Weſtm. ad an.1213.

(s) Vide p.205. l.62.

Pag.213.l.11. Neſcio ſanè quare nec Wendoverus nec Matthæus noſter, poſt Abbatem Willielmum non addiderint Johannem viceſimum tertium Abbatem: cùm certum eſt, & Wendoverum per duos annos vel tres, & Matthæum longè plures, ſub eo vixiſſe.

Pag.225.l.61. Ad portum Caleſiæ in Flandria.]

Malè locatur Caleſia in Flandria; ita tamen ſcriptum erat in MS. & Wendovero.

Pag.266.l.38. Concilium apud Oxoniam.]

Canones ejus extant apud Lindewode. In hoc Concilio (ut obiter moneam) Diaconus quidam, qui ſe apoſtataverat pro quodam Judæo, poſtquam per Epiſcopos degradatus eſſet, ſtatim fuit igni traditus per manum laicalem. Quod obſervavit Henricus Bractonus hujus (t) temporis leguleius. Ita ut omnino falſum eſt quod opinati ſunt nonnulli, nunquam apud nos in cauſâ hæreſeôs flammis ſævitum fuiſſe, ante leges Richardi ſecundi & Henrici quarti regum. Imò & Balæus alicubi meminit (v) Albigenſis cujuſdam, qui ſub annum 1210 vivicomburium Londini paſſus eſt: atque hoc ex fide ejuſdem civitatis Chronici teſtatur.

(t) Bracton. in Compilatione Legum Angliæ, l.3.c 9.n 2. fol.124.a.
(v) Balæus in Append. Centur. 3.n.65.

Pag.269.l.11. Willielmus de Cornhulle Epiſcopus Ceſtrenſis. Ita & pag.271. l.28. Alexander de Stavensby conſecratus eſt in Ceſtrenſem.]

Sanè Epiſcopatus Ceſtrenſis qui nunc eſt, ab Henrico octavo rege eſt inſtitutus; at Ceſtrenſes hos noſtros inter Coventrenſes & Litchfeldenſes Epiſcopos recenſet doctiſſimus noſter præſul Godwinus: & rectè. Nam ut Malmesburienſis teſtatur, Epiſcopos Petrus tempore regis Willielmi ſenioris, derelictâ Licetfeld, migravit in Ceſtram (x). Quod & anno 1075 fuiſſe factum, notavit Godwinus (y); qui & ultra memoravit hujus Petri ſucceſſorem Robertum, ſedem Epiſcopalem à Ceſtria ad Coventriam tranſtuliſſe, anno 1095. Hinc eſt quòd Ceſtrenſes olim Epiſcopi iidem erant cum Lichfeldenſibus & Coventrenſibus. Equidem apud authorem noſtrum iſte Alexander de Stravenеſſe, qui alicubi dicitur Ceſtrenſis, poſt lineas ejuſdem paginæ aliquot nominatur Coventrenſis (z). Rogerus etiam de Weſekam dicitur Epiſcopus Ceſtrenſis ſive Coventrenſis (a). Iſtum denique Epiſcopatum tres ſedes diverſas ſub authoris ævo habuiſſe, diſertis verbis ab eodem reperies teſtatum (b).

(x) Malmesbur. de Geſtis Pontificum l.4.p.164.b.

(y) Godwinus de præſulibus Angliæ, in Epiſcopis Lichfeld. & Coventriæ, ad an.1067. & 1088.

(z) Vide p.299.l.27. & l.40.

(a) Pag.580.l.47.

(b) Pag.60. ll.58.60.

Pag.269.l.54. Joſeph, qui quando paſſus eſt Dominus præſens fuit.]

Pudendam iſtam fabellam de errone Judæo, pudet equidem confutare; licèt & alios præter Matthæum noſtrum invenerit aſſertores. Wendoverus tamen non omnia de eo habet, quæ Matthæus.

Pag. 342.l.41. Adminiſtraverat enim idem Hugo officium Scaccarii ante laudabiliter ſecundum, quod appellatur Secretum Scaccarii, ſigillum cuſtodiendo, & diffinitam pecuniam à vicecomitibus recipiendo.]

Ita tu ſcribe, & punctis diſtingue. Interim & delè notam marginalem prioris Evulgatoris, illam ultimam paginæ anterioris. Non enim jam fiebat noſter Hugo Juſtitiarius Angliæ, ſed (ut

(ut è Rubrica Chronici edocemur) Hugo de Pateſhulle factus eſt Theſaurarius Scaccarii ; id eſt, (ut p.468.l.45. dicitur) Theſaurarius Domini Regis, ſedens ad Scaccarium, quem nunc Summum vocamus Angliæ Theſaurarium. Obſervandum inſuper, quòd in hoc Secreto officialis iſte qui Secundas in Scaccario tulit, dictum fuiſſe Secretarium, ſive ut nunc Cancellarium : Secretarius enim & Cancellarius pro ſynonimis olim habebantur. Multa & in hac equidem & in priore pagina occurrunt egregia, de Antiquitatibus Scaccarii Anglicani : utpote, 1. Quòd per duos olim officiales principialiores adminiſtrabatur ; quorum inferior ſedebat in Curia ſive Camera, quæ Secretum Scaccarii vocabatur : quod nomen (ni fallor) jam exolevit. 2. In iſto Secreto reſervabatur ſigillum Scaccarii ; & neſcio ſanè an non & magnum ſigillum Angliæ. 3. Obſervandum quòd iſte inferior, ratiocinia vicecomitum, & diffinitam pecuniam, id eſt Fines, *amerciamenta, & redditus fiſcales regios,* (Finances *Galli vocant) recipiebat. Ita ut iſte etiam quaſi Cancellarius & Receptor ſimul erat Scaccarii. Sed muneri ejus terminos ſtatuere (ut & officiis veterum aliis) ſatis equidem difficile : neque ſanè in me recipio. 4. Ex anteriore pagina eſt obſervandum, magnum tunc temporis Angliæ ſive Scaccarii Theſaurarium, inter cæteros qui ad coronam ſpectabant proventus, & Eſchaetas ſive Caduca recepiſſe ; etiam & adminiſtráſſe cuſtodias nobilium puerorum, id eſt, pupillorum ſive hæredum minorennum, quorum patres jam præmortui terras de rege tenuerant in Capite, ſive per Servitium Militare. Hos hæredes minorennes Wardos vocamus, quorum cura ad Magiſtrum Curiæ Wardorum & Liberationum jam ſpectat ; non immediatè ad Dom. Magnum Theſaurarium, qui computum tantùm & ratiocinium de Cuſtodiarum proventibus nunc recipit & diſpenſat. Imò & ante ſæculum unum, iſta Wardorum Curia à Cancellaria Angliæ fuit ſeparata.*

Pag.354.l.48. comitis Campaniæ——quod poſtquam Rex Navarræ cognoviſſet.]

Cave heic, comitem iſtum Campaniæ alium fuiſſe à rege Navarræ conjicias. Aliter enim te monebit hic noſter alicubi ſibi factus interpres (c), *Rex ſcilicet Navarræ, id eſt, Comes Campaniæ.*

(c) p.363.l.45.

Pag.537.l.21. Maumath, qui reputatur propheta Saracenorum. *Et iterum* l.24. Machometh, qui nunc veneratur & colitur à Saracenis, tanquam ſummus propheta eorum.]

Quaſi duo eſſent pſeudo prophetæ Mahometi ! Sed & aliæ in iſta genealogia, iſtiſque nominibus, occurrunt hallucinationes ; ſi monuiſſe tanti erat.

Pag.372.l.62. Hæc omnia fecit Neophytes ille.]

Neſcio equidem quomodo hæ quatuor lineæ huc irrepſerant ; ordinem enim ſenſúmque perturbant mirè. Ex hinc autem conjicio, in aliquibus ita fuiſſe exemplaribus, quia MS Cottoniani Amanuenſis, & eas inceperat tranſcribere : ſed ſeſe citò recolligens, cùm duo iſta verba (Hæc omnia) *jam deſcripſiſſet, rubro atramento ambo ſtatim delevit.*

Pag.379.l.1. Concilium Londini.]

Iſtud Ottonis ſive Othonis Concilium jam apud Lindewodum noſtrum invenitur, quam & in voluminibus Concilioroum (d). *Atqae ex utriſque tibi non pauca emendavimus in iſtis authoris noſtri.*

(d) Concil.tom. 7.part.2.p.838. edit.ult.Pariſ. 1636.

Pag.393.l.23. Schiſma & diſſidium inter Romanam Eccleſiam & Græcam, tale ſumpſit ſeminarium.]

Vide & retro p.386. Sanè utrobique Romanis author imputavit, quòd ab eis Græci defecerint. Sed audiatur Chronicon (e) ; Eodem tempore Græci ſuâ ducti levitate, à Romanæ Eccleſiæ ſoliditate facti ſchiſmatici, in ſcandalum proprium & detrimentum receſſerunt ; & ſchiſmate facto, multos ſibi inimicos procurárunt. *Interim tamen eſt ſciendum, hæc omnia in hac pag.393. à lin.22.* Et factâ prædicatione *uſque ad* Hebdomada verò *lin.30. deeſſe à MS. Cottoniano.*

(e) Chron.MS. ferè in fine anni 1237.

Nobilis equidem eſt iſta hiſtoria, de tempore & cauſis diſceſſionis hujus Græcorum à Romanis, & à nullo omnium (quod ſciam) aut pluribus aut melius, quàm ab hoc noſtro tractata. Ex eo hæ quinque cauſæ poterunt aſſignari :

Prima, (& eſt cauſa ſine qua non) quam in Chronico intimavit, Innata Græcorum levitas.

Secunda, Diſſentiones de dogmatibus, quas & p.386. author recenſet. Et hæc diverſitas opinionum, licèt in hoc ſeculo non ſit primùm nata (f) ; eam tamen iſte diſputandi nuperior pruritus, ad pus & ſcabiem in hoc ipſo ævo jam tandem provocaverat.

Cauſa diſſidii tertia, (& ſanè major) erat avaritia illa & ſuperbia Romanorum. Atque hanc cauſam author ſecretiùs partim intimat, ex literis Johannis de Columna, Cardinalis ad Ottonem Legatum datis, p.385. quas & tu conſule. Partim verò apertiùs, & ſuo more ſeveriùs & rigidiùs urſit p.386. à l.21. & deinceps.

(f) Sanè in Synodo Bariſi, ſub an. 1095. diſputatio habebatur inter Romanos & Græcos de dogmatibus. Vide retro in hiſtoria iſta p.16.l.20.

Sed quartam & maximam omnium diſſidii cauſam fuiſſe conjicio, auxilium ſuppetiáſque illas, quas Baldwino Imperatori (quem Græci animitùs oderant expulerántque) Papa Gregorius nonus nunc accommodarat. Tu lector, confer p.386.l.30. cum. p.407. l.14,15,20,21,22.

Cauſa quinta & ultima (ſive potiùs occaſio à Græcis jam arrepta) erat illa confirmatio Archiepiſcopi Græco à Papa jam negata, niſi pro impetratione infinitum aurum promitteret (g). Atque hanc negationem, & Romanæ curiæ ſimoniam, ſchiſmatis & diſſidii totius ſeminarium, author vocavit (h). Ex hinc enim clamor in Græcis exortus, occaſionem rixandi diſcedendique præbuit. Cornua tamen audaciámque (uti conjicio) jam Græcis miniſtravit, ingens equidem & implacabile illud odium, inter Fredericum Imperatorem Romanum, & Papam Gregorium; quod multis hic noſter, & Petrus de Vineis proſequuntur (i). Imò & Battacium principem inter Græcos potentiorem (cui & Fredericus filiam poſtea locabat) fomitem ſchiſmati addidiſſe, teſtatur poſtea hic noſter (k). Weſtmonaſterienſem interim tu corrige, qui ex Battacio Babricatum fecit (l). Sed ut concludam: Quòd Græci ad ſuas jam partes & Antiochenam attraxerint Eccleſiam; & quòd iſta etiam ab Eccleſiæ Romanæ communione jam ſimul ſit divulſa, apertiſſimè eſt colligendum ex authoris noſtri p.407.l.31. & deinceps.

(g) *Pag.393.lin.26.*

(h) *Ibid.lin.23.*

(i) *Vide Petri de Vineis librum Epiſtolarum, fere per omnia, quem miror tamen, nullam de hoc Græcorum ſchiſmate feciſſe mentionem.*

(k) *Matth. Pariſ. p.546.l.12. & alibi.*

(l) *Weſtm. ad annum 1250.*

Liceat & de anno ſchiſmatis ut hoc unum moneam, quem equidem conjicio fuiſſe annum 1236, *quòd tempore iſtius Gregorii noni ſit facta diſceſſio, disertè (ſed generaliter) author deſignat p.393.l.29. Sed quòd & hoc ipſo anno ſit facta, ſatis apertè videtur indicare Johannes de Columna Cardinalis antedictus, in literis præcitatis, in his verbis* (m); Antiochenſis à ſocietate diſtrahitur, nec à redeuntibus commendatur. *Datæ erant hæ literæ ſub anni* 1237 *initium, hoc eſt, (ut expreſsè* (n) *author) circa dies natalitios. Atque jam rediiſſe (miſſos à latere Papæ, ut hariolar) ab Antiochia, qui hærentem adhuc in ſchiſmate Patriarcham, neque poterant divellere neque commendare. Neceſſe eſt igitur jam ſchiſma eſſe inchoatum, ſub finem ſcilicet anni* 1236: *ſed quia tum primùm orbi noſtri occiduo inſulaniſque noſtris in anno ſequenti innotuerit, atque ſigna & effectus ſchiſmatis jam palam omnibus (idque ſine ſpe reconciliationis) apparuerint; ergo in annum* 1237, *de eo relationem ſuam tam in Hiſtoria hac Majori, quàm in Chronico, author noſter rejiciebat. Adjicio; quòd & per totum hunc annum* 1237, *inter partes fortè tractatum erat de ſchiſmate reſarciendo: ſed cùm neutri cedere decreviſſent, adeò induratum eſt inter Eccleſias odium, quòd ſub initium anni* 1238 *Antiochenus Patriarcha (conſentiente* Germano *Conſtantinopolitano Archiepiſcopo) Papam cum tota ſua Romana Eccleſia & Curia excommunicavit* (o). *Sed utcunque negotium ſuum Papales tractârint neſcio; hoc unum tamen ex authore noſtro obſervavi, nempe quòd infra ſeptennium proximum Antiochenus Patriarcha ad unitatem Romanam reverſus, præſentiam ſuam in Synodo Lugdunenſi exhibuerit. Ex cujus in ea Synodo de Græcis querela apparet ſatis, eos adhuc in ſchiſmate perſtitiſſe* (p). *Quos tamen ad unitatem reducere offert Fredericus Imperator. Atque hæc ego auſus ſum hariolari; & ſanè, niſi me fefellerit author, non ſine aliqua utì ſpero probabilitate. Puduit Abbatem Urſpergenſem, Martinum Polonum, Naucleram, Volateranum, chronographóſque alios, aliquid de initio hujus ſchiſmatis referre. Omiſit etiam & Platina. Conſule Bzovium, quem ad manum jam non habeo.*

(m) p.386.l.16

(n) p.385.l.58

(o) p.407.l.33.

(p) p.582.l.40

Pag.402 l.56,&c. De ſæcularibus, &c.]

Has omnes lineas in hunc modum & ſcribi & diſtingui debere, nos doceat liber manuſcriptus. De ſæcularibus tranſeuntibus ad religionem, *eſt rubrica ſive titulus ad ea tria capitula ſequentia, quæ incipiunt* Ex parte *p.403.l.4.* Statuimus *l.13. &* Ne religioſi *l.21. Iterum,* De ſtatu Monachor. *rubrica eſt ad capitula incipientia* Monachi cum ad Monaſt. *&c.* In ſingulis regnis ſive provinciis, *&* Ea quæ pro religionis honeſtate. *Iterum,* De Simonia, *rubrica eſt ad capitula proxima quæ incipiunt* Quoniam Simoniaca labes, Et Monachi. *Iterum,* De ſententia excommunicationis, *rubrica eſt ad capitula* Univerſitatis, Cum illorum abſolutio, *&* De monialibus. *Iterum,* De fidejuſſoribus, *rubrica eſt capiti* Quod quibuſdam. *Poſtremò,* De ſolutionibus, *rubrica eſt capitis ſequentis* Si quorundam & infra, *&c. Atque has rubricas tute videre poteris in margine libri impreſſi, capitulis ſuis propriis è regione reſpondentes.*

Pag.468.l.4. Corruit opus lapideum.]

Iſtamce narrationem & antea habuit author (q). *Ad hunc autem locum poſteriorem in margine MS. notatur,* Iſtud eſt contrarium, ut videtur, quantum ad identitatem temporis. *Similis etiam alterius narrationis repetitio ſequitur l.16.* De monte Caſino intercepto; *quam & antea retulerat p.413.l.15. Narrationem etiam de comite Flandriæ, quam recitat p. 462. l. 21. poſtea repetit p. 473. l. 3. quod (ut ſemel moneam) ſolenne eſt in noſtro authore.*

(q) p.410.l.53

Pag.479.l.15. Pro quorum nomina hìc longum eſt recenſere.]

MS. Cottonianum habet, Quorum nomina inferiùs in iſta margine poſſunt inveniri. *Loquitur hiſtoria de Cruceſignatis iis, qui cum comite Richardo Cornubienſi in Terram Sanctam tunc transfretârint, de quorum nominibus hæc ſequens mentio invenitur, in illius margine manuſcripti; ſcilicet Philippus Baſſet, Johannes de Bello Campo, Gaufridus de Lucy, Johannes*

de Nevill foreſtarius, Gaufridus de Bello Campo, Petrus de Brus, Willielmus de Furnival. Omnes hi vexilla ferentes transfretârunt cum comite Richardo apud Marſeyll, ſcilicet de familia comitis Richardi; unà etiam cum ſuperiùs nominato, videlicet Longa Spata.

Item in eodem paſſagio transfretârunt cum Dom. Simone de Munfort, qui quidem remanſerant de familia comitis Richardi, antequam de Anglia receſſerat, Thomas de Furnivall, Gerardus frater ejus, Hugo Wack, Amari de Sancto Amando, Wiſcardus Leder, Richardus de Wyne, Willielmus frater ejus, Gerardus de Peſmes, Fulco de Bangia, Petrus de Cantenay. Hi omnes vexilla ferentes perrexerunt.

Ibid.l.60. Bellum inter filios Leolini.] *Habuit retro p.470.l.24.*

Pag.491.l.43. Waldemarus rex Daciæ, cùm quadraginta annis regnâſſet, ſublatus eſt de medio.]

Ferè conſentiunt Chronica Danica; Igitur cùm Waldemerus glorioſè regnâſſet triginta & novem annis, mortuus eſt 1241, in Cœna Domini, quæ erat quinto Calendarum Aprilis, *&c.* (r). *Cùm autem loquatur hic noſter de morte* (s) *filii ejuſdem regis Daciæ, noli intelligere quaſi hoc ipſo anno* 1341 *ſit mortuus, obierat enim jam ante decennium. Neque tamen Waldemarus moriens regnum Dacorum totum reddidit deſolatum, ut hic noſter retulit; cùm ante annos novem coronatus eſſet Ericus filius ejus, qui & patri ſucceſſit.*

Pag.508.l.10. Eccleſia quæ nunc eſt Lincolniæ.]

Vide quæ retro notavimus ad p.10.l.12. quæ conferas cum iis quæ habet præſul Godwinus (t).

Pag.552.l.56. Epiſcopo Herfertenſi Johannes.]

Alicubi ſcribitur (v) *Archferdenſis, Harefordenſis, & Herefordenſis. Hic chriſma & altaria ſæpe in Eccleſia S. Albani conſecravit. Non erat Epiſcopus Anglicus, ſed extraneus aliquis & exul.*

(r) *Lindenbruch. in Hiſt. Regum Daniæ, p.37.*

(s) p.491.l.47.

(t) *In catalogo Epiſc. Lincoln. in Remigio.*

(v) *Vide Abbatum Vitas, p.1054. l.46. ſed vide Hiſtoriæ p. 604. l. 17.*

Pag.561,562. *Quæ ibi de Imperatore Frederico & Landegravio narratur, retro dicta ſunt p.537,538.*

Pag.566.l.18. Coventrenſis, Ciceſtrenſis & Coventr.]

Mendum apertiſſimum. Suſpicor tamen ſubſtituendum eſſe Norwicenſem pro Coventrenſem; ille enim Epiſcopatus tunc vacabat, & in eum conſecratum eſſe Walterum de Suſeld, p.568.l.2. author narravit. Vel fortè ſcribendum Landavenſis, cujus Epiſcopatum jam per triennium aut eo ampliùs vacâſſe, affirmat præſul Godwinus; cui nunc etiam electum fuiſſe Willielmum de Burgo, nos docet hic noſter in pag. præcitata, l.5. Bathonienſis Eccleſia etiam & tunc vacabat.

Pag.590.l.29. *Hæ duæ lineæ ab* Hæc enim omnia *uſque ad* Mareſchalli *in margine Cottoniani MS. inveniuntur, & inde in textum irrepſerunt.*

Pag.592.l.57. *marg.* Digreſſio de principibus Germaniæ.]

Sanè iſta nomina magnatum Alemanniæ, quæ mirè perturbant Lugdunenſis Concilii definitiones, ex margine irrepſerunt in textum. Vide Variantes noſtras Lectiones.

Pag.602.l.25. Inventum eſt corpus ſæpedicti comitis integrum, putridum tamen, & prout videri potuit deteſtabile.]

Gratulor equidem huic exemplo, utpote apud Latinos noſtrates aut rariùs occurrenti, aut abſque obſervatione legentium prætermiſſo. Ex anteriori pagina obſervandum venit, comitem iſtum Excommunicationis ſententiâ innodatum obiiſſe; cujus (ut authori viſum) vis tanta erat, ut niſi mortuus abſolveretur, cadaver omnino non poterat in cineres ſolitos abire, ſed in horrendum poſteris exemplum, indiſſolubili membrorum compagine, integrum in omnia ſæcula perdurare. Et ſanè quòd non poſſint Excommunicatorum diſſolvi corpora, non ſolùm credunt Græci, ſed & paſſim oſtendunt exempla. Vulgus eorum cadavera integra talia σώματα *vocant* τυμπανιαῖα: *eò quòd ſi ventres diſtenti vacuique baculis cædantur, quaſi tympana mugiant reboëntque. Si verò demortui hujuſmodi ab Excommunicatione abſolvantur, in terram protinus diſſolvuntur. De exemplis hujuſmodi audivi ſæpiùs, & aliquando legi. Eorum alicubi meminit Chriſtopherus Angelus ex Calogeris Græcis monachus, & ille verax credo, licèt non doctus. Eorum etiam & exemplum recitat in Turcogræcia ſua, p. 156. Martinus Cruſius;* εὑρέθη τυμπανιαῖος, ceu tympanum inflatus reperiebatur, *inquit; de hujuſmodi in excommunicatione demortuo verba faciens. Videſis tremendam excommunicationis vim, atque abſolutionis eccleſiaſticæ reverere virtutem.*

Pag.628.l.13. Chartula Gallica.]

Pro iis verbis Chronicon MS. legit, In libris Francigenarum pleniùs conſcribuntur. *Multa ſanè de querelis Eccleſiæ Gallicanæ, contra oppreſſiones papales Innocentii quarti, nuper edita ſunt Pariſiis, (uti me monuit amicus nobilis doctiſſimúſque quidam) in* Les preuves des libertes de l'Egliſe Gallicane, chap.7. n.8. p.118. *ubi etiam & hæc noſtra chartula Gallicana, cum illo alio ſcripto contra Clerum Latino, paginâ ſequenti etiam imprimuntur. Quibus (ni nimium eſſet longum, nec tantùm ad res Anglicanas faciens) poteram & heic adjeciſſe,* Literas illas

(ut

(ut rubrica præſe fert) terribiles nimis de Curia Romana deſcriptas; *ſcilicet à Petro [illegible] Sabaudia ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, quæ in libro noſtro Additamentorum MS. inveniuntur* (x) [illegible] *etiam & querelam illam ſive orationem Legati Gallicani in præſentia Papæ, ſuper iiſdem gravaminibus, poteram addidiſſe ex eodem noſtro manuſcripto* (y). *Sed ſtimulant me Bibliopolæ, ut finem Adverſariis imponam, quæ maluiſſent fuiſſe nulla.*

Pag.703.l.39. Bellum inter filios Aldemari regis quondam Daciæ.]

Monendus eſt lector, Danorum hiſtoricos hoc fratricidium Abelis in Henricum ſive Ericum perpetratum, referre in vigiliam S. Laurentii, ſub An.Dom.1242, non ut affirmat hic noſter ad An.1251. Et ut ulteriùs moneam, Iſtum Abelem *(dicunt)* cùm duobus annis malè regnâſſet, à Phriſonibus fuiſſe interfectum. *Cave igitur noſtrum ſic intelligas, quaſi magnates Daciæ Abelem interfeciſſent ſtatim à fratricidio, cùm duos annos regnare illum ſiverant. Vide plura in Lindenburchii Hiſt. Regum Daniæ, p.37,&c.*

Pag.706.l.21. Rex Caſtellæ Andenulphus.] *Ferdinandum tertium hunc nominant hiſtorici.*

Pag.742.l.22,&c. Candelas accenſas tenentes—excommunicaverunt. *Et* 25. Et projectæ candelæ extinctæ projiciebantur.]

Sanè candelis ſimul cum ſquillis campanuliſve, horrendum aliquid tinnitu minitantibus, inter ſolenniores excommunicationum denunciationes olim fuiſſe uſurpatas tam notum eſt, ut in diverbium noſtratibus vulgò abierit. Sed de candelis audiatur vetus (z) *excommunicationis formula;* Debent Sacerdotes duodecim Epiſcopum circumſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere; quas in concluſione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram, & conculcare pedibus. *Scilicet (ferè) pro more veterum, qui quando aliquid vovebant vel promittebant, ſtipulam tenentes frangebant; quam iterum jungentes, ſponſiones ſuas agnoſcebant* (a). *Hinc etiam & in Synodo publica, in hunc modum aliquando populus profitebatur* (b), Stipulas dextris in manibus tenentes, eáſque propriis è manibus ejicientes, coram Deo & Angelis ejus, &c. *Hunc igitur eundemmet morem bis obſervârunt Epiſcopi noſtrates, cum tam dira ſolennitate & catathemate, animas infractorum Magnæ Chartæ inferis horribiliter devoverent. Imò & in aliis excommunicationibus denunciandis, candelarum ſæpiſſimè apud hunc noſtrum reperies mentionem* (c).

Pag.827.l.59. Edwardus Domini Regis primogenitus.]

Non poſſum equidem doctiſſimo noſtro Cambdeno per omnia conſentire, qui hunc ſcripſerit, Et poſt Normannicam victoriam non alium titulum honorarium regni hæredibus fuiſſe aſſignatum; donec Edwardus primus, filium Edwardum nomine Principis Walliæ, &c. ad comitia Parliamentaria evocaverit (d.) *Non poſſum (dixi) huic omnino opinioni aſſenſum præbere; cùm à Matthæo noſtro non ſolùm ſim edoctus, Edwardum Henrici primogenitum Walliæ terris titulóſque fuiſſe à patre donatum* (e); *ſed & Walliæ Dominum vulgò à noſtratibus fuiſſe appellatum* (f). *Et licèt eum pro Domino ſuo Wallenſes minimè ſint confeſſi* (g), *Edwardum tamen eos ut ſuos rebelles armis coercere fuiſſe molitum, non ſemel teſtatus eſt hic noſter* (h). *At neſcio an fallatur Polydorus, dum Edwardum à patre factum fuiſſe Walliæ Principem affirmet; & inde natum, ut deinceps unuſquiſque Rex hoc ſecutus inſtitutum, &c. neſcio (dixi) an Principem pro Domino ſcripſerit* (i). *Hoc interim doctiſſimo Cambdeno negatum eſſe nolo, ſcilicet quòd poſt occiſum Leolinum Walliæ Principem, poſt ſubjugatos penitus Wallenſes per iſtum Edwardum jam Angliæ Regem; & poſteaquam illi filium inter ipſos Wallenſes Karnarvæ uxor Regina peperiſſet* (k), *ipſum Edwardum filium Edwardus pater, Principatu Walliæ ſolenniter non ſolùm inveſtiverit, ſed & de facto titulóque jam Walliæ Principem, inter ordines regni cæteros tunc primùm ad Parliamentum evocârit. Interim tamen conſtabit, Edwardum patrem priùs creatum fuiſſe in Walliæ Dominum, quàm filius in Walliæ Principem ſublimaretur. Hoc unum denique obſervatione non indignum judicavi, ſcilicet quòd Ewardus ille Henrici filius, non ſe Dominum Walliæ inſcripſerit, ſed Regis Primogenitum* (l); *imò nec omnino ſeſe Principem Angliæ vocavit.*

In Willielmi Riſhangeri Continuationem obſervatio ſingularis.

Pag. 848.l.35. Ex tunc verò (Hen. 3. Rex) literarum ſuarum abbreviavit titulum, ut nec Ducem Normanniæ nec Comitem Andegaviæ ſe vocaret.]

Quod ex parte falſum eſt. Adhuc enim (poſt quinquennium ſcilicet) & Barones Angliæ Ducis Aquitanniæ (licèt non Normanniæ) titulum, Regi Henrico in literis ad eum ſuis attribuerunt: etiam & aſſumpſit Rex ipſe in reſponſione ad Baronum literas antedictas. Conſule tu literarum ipſarum exemplaria, in hac ipſa Riſhangeri Continuatione (m).

Notæ.

Obſervandum eſt, ſæpiſſimè authorem noſtrum unam eandémque hiſtoriam, bis aliquoties, aliquando & ter repetere; quod in annis 1255,1256,1257, alibique non rarò factum: tute inter legendum obſervabis.

(x) *Additamenta MS. fol.* 98. *b.col.*1.
(y) *Ibid. fol.* 139. *vel* 135. *à col.*2. *ad ſignum manûs.*
(z) *Apud Burchard.l.*11.*c.*3.
(a) *Iſidor. de Originibus l.*4.*c.*24. *p.*930.*n.*50. *Unde & promiſſores Stipulatores vocantur ibidem.*
(b) *Capitula Caroli & Ludovici, l.*6.*c.*285.
(c) *Pag.*66.*l.*46. *&* 88.*l.*5. *&* 237.*l.*32. *&* 269.*l.*30. *&* 270.*l.*30. *&* 589.*l.*52.
(d) *Cambdeni Britannia, p.*118.
(e) *Pag.*765.*l.*57. *&* 810.*l.*60.
(f) *Pag.*806.*l.*27.
(g) *Pag.*805.*l.*5.
(h) *Ibid.l.*7. *& p.*806.*l.*26. *& p.*810.*l.*59.
(i) *Polydor. Virg. in H.*3. *p.*311. *an.*1256.
(k) *Vide Walſinghamum, annis* 1283,1284. *p.*10,12.
(l) *Vide literas ejus, p.*852.*l.*55.
(m) *Vide p.*852.*l.*31,43.

De

De negotiis inter Fredericum ſecundum Imperatorem, Papáſque Romanos, non pauca equidem & correxiſſe & illuſtraſſe poteram, ex epiſtolis Petri de Vineis: etiam & ex epiſtolis ipſius Imperatoris; quæ in Petro de Vineis deſideratæ, inter Germanicarum rerum ſcriptores (n) inveniuntur. Sed iſta cum mille & mille aliis, temporis anguſtia me cogit inobſervatata præterire.

In Auctarium Additamentorum obſervatio ſingularis.

Auctarii pag. 1151. l. 50. Ego Higbertus Archiepiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Et ✠ ſignum Æthelheardi Archiepiſcopi.]

Ordinem ſubſcriptionum Archiepiſcopalium non potui præterire inobſervatum. Luculentiſſimè enim demonſtrat, quòd Archipræſul Cantuarienſis non tantùm Archiepiſcopatus ſui medietatem jam amiſerit, ſed & prioratum ſedis, ne dicam primatum ordinis. Vides enim Higbertum Lichfeldenſem Archiepiſcopum heic ante Æthelheardum Cantuarienſem, (quia ſic juſſerat Offa Rex, & Cantuaritarum domitor) ſigillum crucis apponentem & ſubſcribentem.

Neſcio ſanè an fallantur hiſtoriographi noſtrates circa iſtum Higbertum. Author profectò Vitæ Offæ ſecundi, primum Archiepiſcopum Lichfeldenſem nominat Eadulphum; ſimul etiam affirmans, quòd eo defuncto ſubrogatus erat Humbertus. Sed contra ſtat Huntindonienſis noſter (o); Tenuerunt *(inquit)* Concilium apud Cealtide, ubi Jambert dimiſit partem Epiſcopatûs ſui. Ibi etiam Higebrit electus eſt ab Offa rege (p). *Ubi vides Higbertum primum fuiſſe Archiepiſcopum Lichfeldiæ. Etiam & Florentinus Wigornienſis Higbertum ante Aldulfum* (q) *nominavit. Imò & in actis ipſius Concilii Cealtidenſis ſive Calcuthenſis, à doctiſſimo equite Spelmanno in lucem editis, ipſe Hugeberchtus ſive Higebertus, dicitur fuiſſe Epiſcopus Lichfeldenſis* (r). *Ubi tamen poſt Jaenberchtum ſive Jambertum ſubſcribit; quia in iſto priore Concilio Cealtidenſi, ſub annum 787, nondum confirmatus nec pallio inſignitus, ſed tantùm electus in Archiepiſcopatum erat Higbertus noſter. Poſtea verò in alia Synodo Cealtidenſe (ut & hoc obiter moneam) in an. 793. celebratâ, (de qua ſermonem in præſentia inſtituimus) prior ſubſcribit Higebertus.*

Hunc & Humbertum vocatum fuiſſe (cum doctiſſimo Equite) conjicio; quem & ſyllabâ detractâ Bertum fuiſſe nominatum, alibi invenies (s). *Miſerè igitur Weſtmonaſterienſem impegiſſe fatendum eſt, qui defuncto Humberto Lichfeldenſi Archiepiſcopo, Higbertum ſucceſſiſſe autumavit* (t): *hoc eſt, biennio poſt hanc ſecundam Cealtidenſem Synodum, in qua ſubſcribentem invenimus Higbertum. Interim etiam corrigendus eſt doctiſſimus noſter præſul Godwinus, qui Aldulfum prænominatum, & primum & ultimum Lichfeldiæ fuiſſe Archiepiſcopum, aſſerere non dubitavit* (v).

Concludo: Veram & hanc fuiſſe Synodum ſecundam ſub Offa Cealtidenſem, ex multorum eorundem virorum ſubſcriptionibus, qui & priori interfuiſſent, apparebit. Non dico omnium, quia tum ſuboriretur mihi ſuſpicio, Synodos ambas fuiſſe unam eandémque, ſed dixi multorum; quos ſcilicet ex collatione Synodi prioris à Domino Spelmanno editæ (x), *& ibi videas ſubſcribentes. Utrobique enim ſubſcribit Dux Brorda; quem Rogerus Hovedenus* (y) *Merciorum Principem nuncupavit. Crucem etiam utrobique apponit ſuam, Hunwone ſive Unwona Epiſcopus Legreceſtrenſis: quem author Vitæ Offæ ſecundi Regis Cancellarium, conſciúmque ejuſdem ſecretorem & confeſſorem* (z) *vocavit. Utrobique etiam ſubſcribunt Ealchardus, Wermundus,* Heabertus, & Heathoredus *ſive Adoredus Epiſcopi. Sanè & apud Malmesburienſem* (a) *invenio Denebertum & Werebertum, ſive ut hîc Winberthum (incertiſſimè enim apud MS. ſcribuntur nomina) qui & huic chartæ ſubſcripſerunt. Imò & multos horum in proxima Synodo apud Eberanfordam, ſub iſto Offa, invenies ſubſcripſiſſe* (b). *Vera igitur & erat iſta Synodus ſecunda Cealtidenſis, ſub Annum Domini 793. Ubi tamen corrigendus eſt numerus Indictionis, & pro tertia ſcribi debet prima. In Indictione etiam ſequentis Synodi Eberanfordenſis, pro quinta ſubſtitue tu tertia.*

Neſcio ſanè an novi aliquot Canones nunc ſanciebantur; potiùs credo relectos fuiſſe veteres, & ut ſolebat de novo confirmatos. In hujuſmodi etiam Synodis conficiebantur chartæ donationum publicæ, & de gravaminibus reipublicæ, breviter inter Regem & Magnates, Epiſcopos & Abbates conſultabatur: id enim tunc dierum erat Synodus, quod nunc ferè Parliamentum; niſi quòd non rogabantur leges per plebiſcita, nec ſanciebantur Canones per ſuffragia minoris Cleri.

(n) *Editos à Marquardo Frehero, tomo uno, Francofurti, 1600, p. 303, &c.*

(o) *Vitæ Offæ 2. p. 979 l. 21. Ita & Malmesburienſis p. 113. l. 42. & Weſtmonaſterienſis ad an. 765, 766 & Wendoverus, & Matthæus Pariſienſis MS. ad an. 765.*

(p) *Huntindonienſis l. 4. p. 197. l. 12.*

(q) *Florentius Wigornienſis continuatio p. 686.*

(r) *D. Henricus Spelmannus in conciliis p. 301, 302.*

(s) *D. Henricus Spelmannus ubi ſupra p. 302.*

(t) *Vitæ Offæ 2. p. 979. l. 22. Ita & Weſtmonaſterienſis ad an. 795.*

(v) *Godwinus in Catalogo Epiſcoporum Coventriæ & Lichfeldenſis.*

(x) *Pag. 301.*

(y) *Hovedenus p. 233. b. l. 8. Sanè in proxima Synodo ſub Offa, p. 1152. l. 27. Auctarii, vocatur Brordanus Patricius. Sic occurrit Sigga Patricius apud Hovedenum p. 232. a. id eſt, Dux vel Conſul.*

(z) *Vitæ Offæ 2. p. 979. l. 20.*

(a) *Malmesburienſis p. 113. & in Vitæ Offæ 2. p. 979. l. 18.*

(b) *Vide Auctarii p. 1252. l. 60.*

Teſti-

Teſtimonium de Matthæo Pariſienſi, ex libello illo De Annulis, & Gemmis, & Pallis, quæ ſunt de Theſauro hujus Sanct-Albanenſis Eccleſiæ; qui libellus inter Additamenta nunc eſt repertus, pag. 156. *b.*

ITem Dom. Matthæus Pariſienſis contulit huic Eccleſiæ quatuor pannos ſericos, qui ſuſpendi habent ſuper magnam trabem, in qua ſculpuntur Apoſtoli & Prophetæ. Item unum Baldekinum cum aquilis, de quo idem Matthæus unam Cappam fecit choralem bene aurifrigiatam, qua utendum eſt in Commemoratione Beatæ Virginis. Pannum autem habuit de dono Dominæ Reginæ Alienoræ, aurifrigium, de dono Domini Regis Norwegiæ Haconis. Præterea, contulit unum pannum ſericum, de quo fecit unam Caſulam, cum omnibus ad unam Albam pertinentibus; & Stolam, & Manipulum. Quæ omnia fecit parari, & convenienter aurifrigio redimiri. Hæc autem obtinens de dono Domini Regis Henrici III. dedit & aſſignavit, de licentia Domini Abbatis, Capellæ S. Matthiæ.

Item memoratus Dom. Matthæus contulit unum pannum ſericum rubeum lineatum, & quodam limbo cæruleo orbiculato circundatum, Eccleſiæ S. Albani, cæteris pallis adjungendum, quem habuit de dono Domini Abbatis de Rameſhie.

Aliud

Aliud Breve Regis ſive Mandatum ſuper Juratis ad Arma, poſt inventum; quod referet Lector pag. 1145. lin. 16. in Additamentis.

HENRICUS Dei gratiâ, &c. Rex. Vicecomiti tali vel tali ſalutem. Sciatis quòd ad pacem noſtram firmiter obſervandam, proviſum eſt de Concilio noſtro, quòd vigiliæ fiant in ſingulis civitatibus, burgis, & omnibus aliis villis comitatûs tui, à die Aſcenſionis Domini uſque ad feſtum Sancti Michaelis: ſcilicet in ſingulis civitatibus ad ſingulas portas per ſex homines armis munitos, & in ſingulis burgis per duodecim homines, & in ſingulis villis integris per ſex homines vel quatuor ad minus, ſimiliter armis munitos, ſecundùm numerum inhabitantium. Et vigilent continuò per totam noctem ab occaſu Solis uſque ad ortum; ità quòd ſi aliquis extraneus tranſitum per ipſos faciat, arreſtent uſque mane; & tunc ſi fidelis ſit dimittatur, & ſi ſuſpectus ſit vicecomiti liberetur, qui ipſum ſine omni difficultate & dilatione recipiat, & ſalvò cuſtodiat. Si verò hujuſmodi extranei tranſitum facientes ſe non permiſerint arreſtari, tunc prædicti vigiles Huteſium levent ſuper eos undique, & eum inſequantur cum tota villata & vicinis villatis, cum Clamore & Huteſio de villa in villam, donec capiantur: & tunc liberentur vicecomiti, ſicut prædictum eſt. Ita quòd nullus occaſione hujuſmodi arreſtationis vel captionis extraneorum, per vicecomitem vel per ballivos ſuos occaſionetur. Et ſinguli civitates, burgi, & villæ præmuniantur ad ſingulas prædictas vigilias & ſectas ita diligenter faciendum, ne defectum illorum graviter punire debeamus. Proviſum eſt etiam, quòd ſinguli vicecomites unà cum duobus militibus ad hoc ſpecialiter aſſignatis, circumeant comitatus ſuos de hundredo in hundredum, & civitates & burgos, & convenire faciant coram eis in ſingulis hundredis, civitatibus, & burgis, cives, burgenſes, liberè tenentes, villanos, & alios ætatis quindecim annorum uſque ad ætatem ſexaginta annorum: & eoſdem faciant omnes Jurare ad Arma, ſecundùm quantitatem terrarum & catallorum ſuorum, ſcilicet ad quindecim libratas terræ, unam loricam, capellum ferreum, gladium, cultellum, & equum. Ad decem libratas terræ unum habergetum, capellum ferreum, gladium, & cultellum. Ad centum ſolidatas terræ unum purpunctum, capellum ferreum, gladium, lanceam, & cultellum. Ad quadraginta ſolidatas terræ, & eo amplius uſque ad centum ſolidatas terræ, gladium, arcum, ſagittas, & cultellum. Qui minus habent quàm quadraginta ſolidatas terræ, jurati ſint ad falces, giſarmas, cultellos, & alia arma minuta. Ad catalla ſexaginta marcarum unam loricam, capellum ferreum, gladium, cultellum, & equum. Ad catalla quadraginta marcarum unum haubercum, capellum ferreum, gladium, & cultellum. Ad catalla viginti marcarum unum purpunctum, capellum ferreum, gladium, & cultellum. Ad catalla decem marcarum gladium, cultellum, arcum & ſagittas. Ad catalla quadraginta ſolidatarum, & eo ampliùs uſque ad decem marcas, falces, giſarmas, & alia arma minuta. Omnes enim alii qui poſſunt habere arcus & ſagittas extra foreſtam habeant: qui verò in foreſta, habeant arcus & pilatos. In ſingulis civitatibus & burgis Jurati ad Arma ſint coram Maioribus civitatis & Præpoſitis, & Ballivis burgorum ubi non ſunt Maiores. In ſingulis verò villatis aliis conſtituatur unus Conſtabularius vel duo, ſecundùm numerum inhabitantium & proviſionem prædictorum. In ſingulis verò hundredis conſtituatur unus Capitalis Conſtabularius, ad cujus mandatum omnes Jurati ad Arma de hundredis ſuis conveniant, & eis ſint intendentes ad faciendum ea quæ ſpectant ad conſervationem pacis noſtræ. Clamare etiam faciant ſinguli vicecomites per civitates & burgos, & omnia mercata ballivorum ſuorum, quod nulli conveniant ad turniandum vel burdandum, nec ad alias quaſcunque aventuras. Nec etiam aliqui incedant armati, niſi ſpecialiter fuerunt ad cuſtodiam pacis noſtræ deputati. Et ſi aliqui fuerunt inventi, ſive incedentes armati, contra hanc proviſionem noſtram, arreſtentur, & vicecomiti liberentur. Et ſi ſe non permiſerint arreſtari, tunc conſtabularii ſingulorum hundredorum & villatarum, & alii quicunque ſint, Huteſium levent ſuper eos undique, & cum vicinis villis, & de villa in villam ipſos inſequantur, donec capiantur, & vicecomiti liberentur, ſicut prædictum eſt. Quoties autem contigerit Huteſium levari ſuper quoſcunque perturbatores pacis noſtræ, prædones, & malefactores in parcis vel vivariis, ſtatim propter eos fiat Huteſium, & ipſos

N in-

inſequantur, donec capiantur, & vicecomiti liberentur, ſicut de aliis prædictum eſt. Et omnes vicecomites, & eorum ballivi, conſtabularii, Jurati ad Arma, cives, burgenſes liberè tenentes, & villani, talem ſectam faciant propter prædictos malefactores, ne ipſi malefactores evadant; & ne ſi pro eorum defectu evadant, hii in quibus defectus inventus fuerit graviter puniri debeant: & ſic per concilium noſtrum puniantur, quòd pœna illorum aliis metum incutiat, & auferat materiam delinquendi. Suſpectos autem de die per quaſcunque arreſtationes recipiant arreſtatos, vicecomites ſine dilatione & difficultate ſalvò cuſtodiant, donec per legem terræ deliberentur. Et ideo tibi præcipimus, quòd ſicut corpus tuum & omnia tua diligis, unà cum dilectis & fidelibus noſtris Henrico filio Bernardi, Petro de Godintuna, quos tibi ad hoc aſſignavimus, omnia prædicta ſub forma præſcripta cum diligentia exequaris; ne pro defectu tui inde, & prædictorum Henrici & Petri, ad te & ad ipſos nos graviter capere debeamus.

Teſte Archiepiſcopo Eboracenſi apud Weſtmonaſterium, vigeſimo die Maii, anno regni noſtri, ſcilicet Henrici filii regis Johannis, triceſimo ſexto.

Matthæi

Matthæi Pariſienſis Chronicorum, ſive Hiſtoriæ Minoris, cum ejus tranſcripto Willielmi Lambardi, per annum 1118, Comparatio & Specimen. Ut quantum invicem vel à ſe, vel ab Hiſtoria Majore, liber uterque diſcrepet, Lector ſedulus obſervet.

Chronicon.

*A*Nno Dom. 1118, *defuncto Papa Paſchali, Gelaſius Antipapa anno uno ſucceſſit.*

Obiit etiam eodem anno Matildis Anglorum regina, cujus corpus apud Weſtmonaſterium quietem ſuſcepit ſepultura, & anima ſe cælum poſſidere evidentibus ſignis & crebris miraculis palàm oſtendit. Hæc autem regina beatiſſima inter alia pietatis opera verſus occidentalem Londoniarum plagam, unam domum ad leproſorum ſuſtentationem, cum oratorio & officinis, ædificavit: quæ uſque hodie Hoſpitale Reginæ Matildis nuncupatur.

Eodem anno obiit Petrus primus Prior Beremundeſb. Circa dies iſtos viri quidam nobiles de equeſtri ordine religioſi, ac Deum timentes, in manus Patriarchæ Hieroſolymitani, Chriſti ſervitio ſeſe mancipantes, more Canonicorum regularium in caſtitate & obedientia, propriæq; voluntati renunciantes, perpetuò vivere ſunt profeſſi: quorum primi fuerunt Hugo de Paganis, & Godefridus de Sancto Æodemaro. Qui primò adeò pauperes, licèt ſtrenui fuerunt, quòd unum ſolùm dextrarium illi duo habuerunt; unde propter primitivæ paupertatis memoriam, & ad humilitatis obſervantiam, in ſigillo eorum inſculpti ſunt duo unum equum equitantes.

Minor Lambardi.

Anno 1118.

Moritur Matildis Regina, cujus corpus Weſtmonaſterio jacet. Hæc ædificavit xenodochium Sancti Ægidii, quod adhuc vocatur Hoſpitale Reginæ Matildis.

Obiit Petrus primus Prior de Bermundſey.

Oritur ordo Templariorum, quorum primi fuerunt Hugo de Paganis, & Godefridus de Sancto Andomaro, equites nobiles & religioſi, adeò pauperes, ut unum tantùm equum haberent communem; unde eorum ſigillo inſculpuntur duo equites uni equo inſidentes.



Iſti verò duo milites memorati, cùm certum non haberent domicilium, & ſibi habitaculum quærerent; Rex Baldewinus, miſertus & miſeratus, in palatio ſuo, quod ſecus Templum Domini ad auſtralem habet plagam, eis conceſſit manſionem. Canonici verò Templi Domini, plateam quam circa prædictum habebant palatium, ad officinas conſtruendas eis conceſſerunt. Patriarcha quoque & Rex cum ſuis proceribus, & aliis Eccleſiarum prælatis, de propriis dominicis ſuis, pro victu & veſtitu, certa eis beneficia contulerunt propitius comparanda.

Baldewinus rex dedit eis locum quendam in palatio juxta Templum, Canonici Templi dederunt plateam proximam ad domos conſtruendas, alii alia addiderunt.

Prima verò eorum profeſſio erat, ut in remiſſionem peccatorum [illegible] vias, itinera, & paſſus ſuſpectos, peregrinantibus nocivos, ad ſalutem fidelium tranſmeantium, contra latronum inſidias pro viribus conſervarent.

Tandem verò poſt novem annos in Concilio Tecras celebrato, inſtituta eſt eis regula, & habitus albus à Papa Honorio aſſignatus.

Et jam decurſis ferè novem annis, fratres qui priùs tantummodo novem fuerunt, cœperunt multiplicari, & poſſeſſiones in immenſum dilatari.

Poſtmodum verò tempore Eugenii Papæ, cruces de panno rubeo ſuis aſſuerunt mantellis à parte ſiniſtra, ut eſſet eis tam triumphale ſignum pro clypeo, ne fugerent pro aliquo infideli tantâ talique protectione communiti, utque ſic ſignati à cæteris religioſis viris valerent diſcerni.

Numerus igitur eorum in brevi ita ditatus & multiplicatus eſt, ut hodie in conventu pluſquam trecentos habeant equites, exceptis fratribus aliis, quorum numerus ferè diſcernitur infinitus. Florente igitur ordine, & in humilitate proſperante, invidit humanæ proſperitatis inimicus; & quæ huic virtuti videntur adverſantia ſuperſeminavit, videlicet ſuperbiæ germina, quæ ſolent inobedientiam cum ſchiſmatibus & multis aliis malis generare.

Poſſeſſiones verò tam citra quàm ultra mare adeò immenſas habere dicuntur, ut jam non ſit in orbe Chriſtiano provincia, quæ eis bonorum ſuorum non contulit portionem; ita ut regiis excellentiis præſtantiores exiſtant.

Qui quoniam juxta Templum Domini manſionem habuerunt primitivam, Fratres Militiæ Templi nuncupantur.

Et cùm diu (ut prædictum eſt) in honeſto ſtarent propoſito, rerum affluentiâ inſolentiam generante, jam ſuæ profeſſionis obliti, humilitate neglectâ, à Domini Patriarchæ, à quo ordinis inſtitutionem, manſionem, protectionem, & omnia prima beneficia ſuſceperant, ſe ſubtraxerunt obedientiâ; interveniente opimâ retributione verſus Papam exempti, ut magìs gloriarentur libertini. Unde hoc cognito Patriarcha conqueſtus eſt, dicens, Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.

Unde Eccleſiis Dei decimas privilegiis adquiſitis armati ſubtrahentes, facti ſunt multis valde moleſti.

Prima profeſſio fuit vias & tranſitus periculoſos peregrinantibus ſecuros reddere, eóſque ab inſidiis latronum defendere.

Poſt novem annos in Concilio Tecras à Papa Honorio inſtituta eſt illis regula & habitus albus.

Cùm tantùm novem euſque fuerunt, cœperunt creſcere numero & poſſeſſionibus.

Poſtea cruces rubeas manicis ſiniſtris addiderunt.

Hodie in Conventu plus trecentos habent equites, præter fratres innumeros.

Eóque potentiæ & divitiarum pervenerunt, ut cum regiis contendant.

Eóque ſuperbiæ, ut à Patriarchæ obedientia ſe ſubtrahentes, Papæ ſe conjunxerint.

Armatique ſua ab Eccleſiis ſubtrahentes multis moleſti ſunt.

INDEX RERUM & VERBORUM,

Quæ præſertim Angliæ negotia ſpectant.

Ubi prior numerus deſignat Paginam, ſecundus Lineam.

In hoc autem ſi aliquid deſideretur, inter propria nomina inveniri poterit.

A

ABbatis eligendi licentia à rege impetranda 346.6
Forma electionis 348.13
Benedictio 349.42
Abbates Baronias de rege tenebant 618.34
Abbates Angliæ coram rege ſuper papali exactione fruſtra queruntur 477.2
Abbates Ciceſtrenſes Imperatoris turpiter partum munus renuerunt 152.53
Abbates eligendi cum conſunſu regis 798.2
Abbatum S. Albani nomina 213.6
Electiones eorum conſuetudo 346.26
Forma 348.13
Juramentum 349.42
Abbates exempti Romam adire debent ut conſecrentur 817.6
Abbates facti Juſtitiarii regis 770.20
Abbatiſſa de Rumeſia nupſit Matthæo comiti Bononiæ 81.53
In *Abbatiis* hoſpitium quærentes viri magni, per literas ſignificabant ſe charitative poſtulaſſe 756.36
Abbatia nolunt fide jub: re pro Hen. 3. 828, &c.
Abraham Judæus quanti vitam redemit 674.52
Abſolutiones papa vendit 105.48
Abſolutio mortui ſi hæres ſatisfecerit 601.63
Alioqui non 602.2
Abſolutio eorum qui voverant, tormentum papale ad extorquendas pecunias 828.3
Abſoluti oſculabantur ab Epiſcopo 741.51,55
Abſolvit papa Anglos à fidelitate regis Johannis 195.3
Acbon urbs obſidetur à Chriſtianis 132.2
Hic multi nobiles obiêre 135.60
Capta 136.37
Acies Cruceſignatorum contra Corborannum 35.10
Et Corboranni contra eos ibid.34
Vincitur 36.14
Aciei Hen. 3. ordo contra Lodovicum 248.35,54
Aciei Hen. 3. contra Barones ordo 853.31
Baronum contra eum ibid.34
Acierum regis Stephani & exhæredatorum ordo 65.32
Adila uxor Theobaldi Bononiæ comitis 62.16
Mater Stephani regis ibid.14
Admiralius Murmelius Johannem Angliæ regem contemnit 204.49
Quid dixerit de S. Paulo ibid.
In Hiſpania vincitur 206.32
Admiravilſus à Roberto vulneratus queritur 42.54
Adrianus 4. papa Hyberniæ titulum Hen. 2. concedit 79.56
Adulphus de Monte, dux Friſorum & Teutonicorum 253.59
Turrim Damiatæ obſeſſam capit 254.63
Adulterium morte punitum 307.60
Graviter punitum 653.33
Advocatorum juramentum 384.42
Ægidius de Argentonio à Wallis captus 311.14
Agnus vexillifer (ſive agnus ſacer) in vexillis à paſtoribus Gallicè primò uſurpatus 710.50,61
Agricolæ & aratra in campis talem pacem habeant, qualem ſi extitiſſent in cœmeterio 66.44
Aimerus Podienſis Epiſcopus 28.5
Ab Urbano primùm cruceſignatus 19.45
Clade Antiochiæ mortuus ſepelitur 36.54
Apparet in Hieroſolymis captis 41.39
Alanus comes Britanniæ ducit Conſtantiam 10.32
Alanus de Nevilla excommunicatur à Thoma Cant. 92.3
S. *Albanus* Britanniæ primus ſacrator 45.32
S. *Albani* magiſter Amphibalus 111.58
S. *Albanus* Roberto apparet ibid.43
Ejus deſcriptio ibid.
S. *Albani* ſepulchrum inventum 809.29
S. *Albani* Abbas Gaufridus moritur 67.44
S. *Albani* Monachorum privilegium in eligendo Abbate 71.6
S. *Albani* Abbas Robertus de Gorham ibid.7
S. *Albani* Abbatis Roberti, cum Roberto de Cheſnero Epiſcopo Lincoln. concordia circa Tinghurſt 82.63
S. *Albani* Eccleſiæ dedicatio 55.54
Libertates 647.10
S. *Albani* Abbas homagium Lodovico facere renuit 244.46
S. *Albani* Warenna per milites quoſdam venando abutitur 480.27
Abbas ibidem de abuſu coram rege queritur ibid.33
Warennæ ejuſdem proceſſus ibid.34
Apud S. *Albanum* rex Stephanus veniens, Abbatis electioni conſentit 71.4. *Vide plura in S.* Albanenſes.
De *Albemarlia* comes cum rege Hen. 3. pacificatur 261.57
Albericus Eccleſiæ Rom. Legatus Synodum in Eccleſia S. Pauli convocat 64.47
Albericus de Ver occiditur 66.12
Albertus Papæ Notarius venit in Angliam 738.18
Albigenſium hæreſis 202.51
A Cruceſignatis inſtigante Papa apud Bituricum obſidentur 203.16
Eorum blaſphemia ibid.20
Ruina ibid.24
Eis repleta Carcaſona capitur ibid.43
Albigenſes Bartholomæum quendam ſibi Antipapam ſtatuunt 267.46,58
Albigenſes in campeſtri prælio ſuperantur 333.47
Alia eorum ſtrages in Alemannia ibid.52
Alcorani notatio 146.54
Aleſia Hen. 3. filia, comitis Warennæ uxor 638.13
Alemannicus quidam comes à muribus devoratus 12.46
Alemanni Gallos non amant 807.64
Magnates & Imperii tunc electores 808.18
Alienigenæ de regno expulſi 77.43
Alienigenæ omnes ab Anglia amovendi 219.62
Alienigenæ Clerici plus reddituum habebant in Anglia quam ipſe Rex 740.55
Alienor Franciæ Regina, divortio à Lodovico ſeparata, nubit Hen. 2. Angliæ Regi 70.37
Hinc bellum inter eos ibid.46
Separatur, incarceratur, à filio liberatur 127.23
Alienora Hen. 2. filia nupſit Aldefonſo Regi Caſtellæ 92.51
Alienora Angliæ Regina liberata, captivos omnes liberat 127.25
Alienora comitis Provinciæ filia, Hen. 3. uxor 354.46
Alienora Regis Hen. 3. ſoror, uxor fit Simonis de Monte Forti 393.38
Gravida 396.15
Alienora Edw. 1. uxor, filiam parit apud Acres 858.48
Altare erat ſanctuarium 9.10
Stabat ſuper gradibus ibid.11
Erant aſyla 320.53 & 327.39

Altarium cornua duo 100.6
Erant aſyla 739.25
Ante *Altaria* coronationes factæ 243.23
Ante *Altaria* conſecrationes peractæ 90.11
Ad *Altare* Epiſcopi electi cum hymno *Te Deum* ducebantur 178.52 & 179.51 & 187.27 & 212.65
De *Altari* gladius in inveſtitura acceptus 127.12
Coram *Altaribus* orare 100.13
Super *Altaria* juratum 788.11
Ante *Altaria* fœdera fiebant 55.2
Juxta *Altare* ſepultura 117.65
Alexander Malcolmi filius 4.29
Alexander Mauritii frater Epiſcopus Londinenſis 53.12
Alexander fit Epiſcopus Lincolnienſis 58.17
Alexander Cæmentarius pravum regi injicit conſilium 192.27
Mendicat tandem ib.40
Alexander de Stoveneby fit Epiſcopus Ceſtrenſis 271.28
Alexander primus rex Scotorum incipit 53.12
Moritur 58.61
Alexander ſecundus Scotorum rex homagium Lodovico facit 240.35
In obſidione caſtri de Haliwercſolc Euſtachium de Veſci generum ſagittatum amittit 241.30
Cum Hen 3. colloquitur de matrimonio cum Johanna Henrici regis ſorore 260.58
Eam obtinet 263.54
Terram Northumbriæ exigit à rege Henrico 365.23
Bellum ei minatur ib.27
Anglorum regi ſe eſſe feudatarium negat 562.22
Cum eo componit; Angli eum amant 568.29
Anglum pro ligio ſuo domino agnoſcit, charta ejus ib.41
Quam petit à Papa confirmari 569.14
Moritur 667.55
Alexander tertius Scotorum rex baltheo militari cingitur ab Hen.3. 716.5
Ejus filiam deſponſat, eique homagium facit ib.8,20
Eidem & regno cuſtodes ab Anglo aſſignati 717.21
Angliam inviſit 799.45
Huntindonam ei confert Anglus 800.33
Coarctant illum Barones ſui 821.32
Alexander tertius Papa ad Angliam fruſtra mittit ad pacem reficiendam 92.62
Alexander quartus Papa eligitur 771.60
Viſio ejus de prædeceſſore 777.35
Exercitus ejus à Manfredo conteritur 778.62
Scribit pro Ciceſterſienſibus 795.2
De ejus ſanctitate concepta ſpes evaneſcit ib.63
Nullus malis ejus contriſtatur 799.39
Poteſtas quam Ruſtando expilatori concedit 801.61
Cogitur ſe humilitare Romanis 824.8
Minatur excommunicare regem Angliæ ib.24
Circumvenit eum 828.31
Moritur 848.55
Alexius Imperator Crucefignatos impedit 23.6
Prodit 49.54
Alphonſus Caſtellæ Rex Chriſtianiſſimus 368.48
Victoriæ ib.
Alphonſus Caſtellæ Rex crucefignatur 689.50
Vendicat Gaſconiam 743.30
Quo jure 751.59 & 822.14
Clamium remittit cum filia Edwardo principi ib.16
Stylus ejus 752.26,35
Minatur invadere Gaſconiam 803.1
Eligitur in regem Alemanniæ 813.40
Petit auxilium ab Hen.3. contra Rich. fratrem 819.53
Aſſerit ſe electum ante Richardum 821.54
Exercitum parat ad debellandum Richardum regem: gratiam Papæ de ea ambit 832.17
Alwinus fundator Bermundſhe 17.15
S. *Amphibalus* magiſter S. Albani 111.58
Ejus ſepultura Redburniæ 112.6
Reliquiæ ib.12
Hic duæ mulieres ſanantur cum multis aliis ib.60
S. Amphibali corpus invenitur 113.41
Et duo cultelli in capite & circa præcordia ejus ib.45
Socii item ſex ib.44
In S. Albani baſilicam transferuntur ib.56
Ejus reliquiæ tranſlatæ 113.56
Amalricus rex Hieruſalem 83.29
Andegavium Gallo reſignat Hen.3. 848.11
A rege Johanne deficit 175.19
Andelmus Archiepiſcopus Armachanus 480.13
Andegavenſis coram rege Franciæ de tranſgreſſione comitis de Marchiæ queritur 514.17
Anteſphulſus Caſtellæ rex victorioſus 706.21
Moritur 727.65
Anlacium geſtare ad lumbare, clericus non decet 342.19
Angelus à Turco pugnat 36.12
Anglia tota ſub interdicto includitur 192.28
Angliæ opes, qualitas, laus 204.58
Status miſerabilis 310.4
Angliam à tributo & gravaminibus papalibus liberare ſpondet Fredericus 2 Imperator 566.8
Angliæ regni gravamina papalia 611.27
Ejus de eis querelæ ib.63
Querelæ querelis adduntur 612.53
Alia de curia Romana 613.60 & 654.41
Angli meditantur jugum papale excutere 549.27
Angli ad Papam conqueruntur de gravaminibus cogunt 838.45
Anglos hominum miſerimos, dixit Papa 670.7
Multi eorum crucefignantur 670.17 & 671.19
Eos retardat rex, ut ſe concomitarentur 671.25 & 679.59
Anglorum miſeriæ ſub Conqueſtore 4.19
Nobiles & Epiſcopi regno decedunt ib.20 & 5.3.58, 61 & 9.55
Anglum vocari opprobrium ib.
Anglorum de oppreſſionibus papalibus querelæ in Synodo Lugdunenſi 585.26
Quibus Papa nihil reſpondit 586.34 & 597.6
Jurant nunquam tributum Papæ ſoluturos 597.8
Anglorum miſeriæ ſub Hen.3. 729.30
Eorum de eo querelæ 732.44 & 739.65 & 744.83 & 783.42
Sub Pictavenſibus Hen 3. fratribus 848.41
Et ſub Romanis Legatis ib.47
Anglorum luxus 4.43
Angli ſtudebant Pariſiis 773.16
Animæ morientium Sanctis commendatæ 242.15
Anni magni revolutiones duæ 7.11 & 8.34
Annus magnus Dionyſii corrigitur 8.38 & 24.9
Annus infauſtus 512.61
Annulum ſponſalem induebant Chriſto nubentes 707.17
Et vellem ib.
Annulo inveſtitura in regnum data 783.63
Anſelmus conſecratur Cantuarienſis antiſtes 15.2
Papam appellat 15.61
Romam tendit 16.11
Suæ Eccleſiæ bona fiſco addicuntur ib.16
In Barenſi Concilio Græcorum confutat errorem ib.19
Ab Urbano recipitur Laterani ib.
Interfuit Concilio Romæ ib.20
Mors W. Rufi ei prædicitur 45.47
In Angliam venit 48.41
Matildam Henrico deſponſat ib.42
Londini concilium tenet 49.11
Epiſcopos à Rege inveſtitos recuſat 49.23
Regiis injuriis fatigatus, cum degradatis Romam pergit ib.31
Benigné ſuſcipitur ib.
Regis rogatu in Angliam redit 52.53
Stat pro dignitate Cantuar. contra Eboracen. præſulatum 53.15
Moritur ib.26
Pactum cum Hen. 1. de inveſtituris & homagio 53.3,&c.
Antichriſtum vocat Innocent.4. Papam Robertus Groſſeteſt 753.21,22
Antiochia capitur à Saracenis 9.13
Antiochia Theophilis, Reblata etiam dicta 27.57
Obſidetur à Cruciferis 28.8
Vincitur ib.37
Fames hîc & lues jejunio pacantur ib.46
Hanc denuo Cruciferi occupant 32.22,48
Deſcriptio 36.41
Clades hîc 500000 devoravit homines ib.54
A Græcis Romæ prælata 386.39
Chriſtianis erepta 857.14
Antiochiæ Patriarcha reſtituitur 36.37
Antiochiæ Princeps decapitatur 703.28
Antiochenus Patriarcha Eccleſiam ſuam Romanæ præfert 407.30
Idque in generali Concilio & coram ipſo Papa 582.42
Apparitio armatorum bellum portendens in Anglia 363.65
Eadem in Hybernia 364.8
Aqua in vinum converſa 831.61
Aquiſgranum obſidetur 644.35
Capitur 651.50
Arca Noæ adhuc ubi, ſed fabuloſé 297.36
De Arca Noæ fabulæ 736.48
Archidiaconi 3. in Cantuarienſi diœceſi 110.17
Archidiaconi Sacerdotes debent erudire 379.50
Officium 382.56
Arcus viatores Angli olim ferebant 110.11
Ariditatis vel caumatis mirabiles effectus in pecodib. 730.59
Armachanus Archiepiſcopus in Anglia conſecratus 480.14
Armati Romanos in Anglia clericos ſpoliantes capti incarcerantur 316.60

Ar-

Armaturæ lineæ 568.34
Armenius Archiepiſcopus in Angliam venit 296.38
Armenii in Anglia 674.63
Arnulphus infulatur Patriarcha Hieroſol. 42.2
Moritur ib.4
Arnulphus filius Gaufridi de Mandevilla proſcribitur 67.27
Arragonum Rex Admiralium fugat 206.33
Simonis de Monte Forti comitis terras ſibi rapit ib.34
Albigenſibus confœderatus occiditur 201.19
Arragoniæ Rex & Britanniæ Comes pacem faciunt cum Domino de Nazre 488.11
Arthuri Britanni tumba inventa 138.55
Arthuri Britanniæ Comitis pater 119.60 & 165.11
Angliæ hæres à Richardo Rege conſtitutus 133.39
Poſt mortem Regis, qui principes ei adhæſerunt 165.7
Quæ pro eo à Johanne Rege petiit Rex Franciæ 166.33
Pacificatur cum Anglo, ſed furtim poſtea ad Gallum redit ib.44
Johanni homagium facit 168.20
Sed terras ejus invadit 174.12
Capitur 174.36
Minaciter à Rege poſtulat, ut Angliam ſibi redderet ib.55
Moritur ib.61
De jure ejus & morte multa diſcutiuntur 236.19
Articuli reprobati ab Univerſitate Pariſienſi 541.30
Articuli quibus Imperator Frederic. 2. ſpoſpondit ſe ſatisfacturum Papæ 555.1
Articuli pro quibus Prælati Angliæ erant pugnaturi 816 61
Arundeliæ Comitiſſa Iſabella fundat domum ſanctimonialium apud Marrham in Norfolcia 702 7
Arundeliæ Comes cuppam miniſtrat in nuptiis regiis 355.31
Arundeliæ Comitiſſa increpat Hen. 3. 735.33
Aſcelinus Roffenſis Epiſcopus obit 67.51
Aſſaſinorum conditio 70.6
Eorum Legatus à Templario occiditur ib.31
Aſtrologi de felici concubitûs hora hariolantur 351.39
Aſyla Angliæ 107.3
Aſylorum refugium 320.47,53 & 327.39
Athelulfus primus Carleolenſis Epiſcopus 60.51
Eccleſiæ ibidem benefactor ib.53
Attrebatenſis Comes impedit fratris pacem cum Soldano 667.47 & 672.19
Inſolentia 679.30,49
Arrogantia 683.19 & 684
Mergitur ib.64
Avaritia in Archiepiſcopo Eboracenſi & Presbytero divinitus punita 343 & in aliis 344
Avaritia Romanorum fidem eorum elevat 460.2
Avelonis inſula 138.61.62
Aves mirabiles in Anglia 712.42
Avium pugna portentum de Papatu contentionis 60.21
Avium captura per Angliam interdicta 191.23
Augures habent Saraceni 483.35
Avinione à Lodovico Gallo obſeſſa 280.64
Dolo ſubjugatur 282.18
Aurelianenſes cives multos ſcholares occidunt 364.59
Excommunicantur, & civitas interdicitur ib.65
Plurimi à magnatibus trucidantur 365.1
Auſtriæ Ducis odium in Richardum Regem unde 140.44
Regem apprehendit 144.41
Excommunicatur 149.12
Autumnus intempeſtivus 408.35
Auxianus Antiochiæ Dominus amens ab Armeniis occiditur 32.39
Auxilia militaria Regi Anglorum generaliter conceſſa 176.32

B

Babyloniæ Soldanus ab Halapienſi interfectus 699.3
Bacchalarii milites 666.27
Baculus vel annulus Epiſcopis traditus in inveſtituris 53.5 & 54.63,64 & 55.10
Baynardi caſtrum proſternitur 198.51
Balac Turcorum Princeps Baldwinum vinculis detinet 58.26
Balena apud Mortelac jaculis perimitur 488.42
Baliſtarii aciem progredientem præcedebant 248.38
Baldwinus Godefridi frater fit Rex Hieroſol. 48 16
Expeditio ejus in Arabiam ib.27
Ubi Principis uxorem humaniter tractat ib.34
Aſur & Cæſaream ſubjugat 50.3,&c.
Ramulam adorſurus Ægyptiorum copias profligat ib.21
Tripolim ſubjugat 54.10
A Perſis devincitur 55 28
Obit 56.42
Baldwinus 2. Edeſſanus Comes fit Rex Hieroſol. 56.45
Arabicas Ramulam ingreſſos vincit 51.6
Ptolomaidam obſeſſam adipiſcitur ib.24
Edeſſam obſidens capitur ib.38
Sydonem Turcos fudit 57.54
Vinculis tenetur 58.28
Obiit 60.47
Baldwinus 2. moriturus regnum tradit Hieroſol. genero ſuo & filiæ 60.46
Baldwinus 3. Rex Aſcalonam expugnat 77.46
Moritur 82,&c.
Baldwinus Amalrici filius Rex Hieroſol. leproſus ibidem proviſorem conſtituit Guidonem 118.45
Dein Reimundum ib.50
Moritur ib.64
Baldwinus 5. annorum puer Rex Hieroſol. 118.64
Moritur 120.15
Baldwinus Comes Flandriæ fit Imperator Conſtantinopolitanus 177.65
Arras obſidet 160.44
Gallo perjurat ib 59
Per filiam ſuam ſuſpendi procuratur 272.2
In Angliam venit 396.29
Rediens donativa reportat ib.47
In Græciam manu armatâ tendit 407.14
Venit in Angliam 637.27
A Græcis expellitur 850.11
Baldwinus electus in Archiepiſc. Cantuar. 118.7
Pallium accipit 119.55
Conſecrationem Epiſcopalem ſibi vindicat 129.21
Hieroſol. cum Rege itinerat 134.16
Moritur 135.14
Baldwinus Fordenſis Epiſc. Wintonienſis 117.30
Baldwinus de Redvers Oxoniam contra Stephanum Regem tenet 63.8
Dedit tandem ib.
Ab Anglia proſcriptus ib.13
Banci Regii Juſtitiarii duo electi 564.52
Baptiſmus celebretur ſolenniter duobus Sabbatis, ſcil. ante Reſurrectionem & Pentecoſten 379.53
A Legato Papali adminiſtratus, licèt non eſſet ſacerdos 413.56
Barenſe Concilium 16.19
Barones conventi in Regem Johannem conſpirant 212.53
Libertates & leges Edwardi a Rege Johanne exigunt ib.
Nomina Baronum libertates iſtas exigentium 213.39
In Regem inſurgunt 214.8
Norhantanæ & Bedeforti caſtra fruſtrà obſident 214.12
Londinum ingreſſi plures ſibi confœderatos habent ib.40
Colloquuntur cum Rege apud Runingmund ib.63
Ad conceſſas libertates obſervandas jurant 25 nominati 220.19
Alii obſequium mandatis iſtorum 25 jurant ib.27
Nihil mali ſuſpicantes ad Torneamenta ſe præparant 222.62
Arma in Regem arripiunt 225.20
Vide alia in Magnates.
Barones Angliæ rebelles excommunicantur 227.25
Eorum ædificia comburuntur 231.48
Specialiter excommunicantur 232.47,&c.
Excommunicationis innovatio 235.6
Eorum in Regem exclamatio 234.16
Et in Papam ib.27
Lodovicum Franciæ Regis filium in Regem eligunt 234 42
Obſides requiſitos ad Regem Franciæ mittunt ib.57
Ad eos Lodovici præcurſores mittuntur ib.61
Lodovicum gratanter accipiunt, eique homagium faciunt 237.13
De Cantebruge provinciam aliáſque loca capiunt 240.55
Objectiones eorum & Lodovici contra Johannem 238.23
Lodovicum ſuſpiciunt, miſeriáſque ſuas inſpiciunt 241.48
Lodovico relicto Henrico adhærent 246 23
Apud Lincolniam victi vinciuntur 249 24
Eorum catalogus ib.41
Quidam ſchiſma in regno excitant 266.5
Barones exercitum conflant contra Hen. 3. 284.46
Sed pacificantur ib.60
Baronum reſponſio ad Hen. 3. in Parliamento 515.47
Poſtulant electionem Juſtitiarii, Cancellarii, & Theſaurarii 778.4
Vide Magnates.
Barones Scaccarii duo electi 563.53
Baroniæ in Anglia 250 ſub Hen. 3. 811.54
Baronias à Rege tenebant Epiſcopi 617.61
Et Abbates 618.34
Bartholomæus Exonienſis Epiſcopus 81.59
Ejus viſio ib.62
Bartholomæus Papa Albigenſium moritur 268.4
In S. *Bartholomæi* prioratûs viſitatione inſolentia Bonifacii Archiepiſcopi 576.27,&c.
Barum civitas funditùs everſa 80.27.
Bathonia fit ſedes Epiſcopalis 14.38

Bat-

Barlacius cauſa ſchiſmatis inter Romanam & Græcam Eccleſiam 546.12 & 562.5 & 589.12
Beatrix Provinciæ Comitiſſa applicat 536.9
Domum redit 542.12
Provinciam Gallo reddit 605.26
Quinque Reginarum mater 821.11
Becci Eccleſiæ dedicatio 9.3
Beda Venerabilis 476.35
Bedfordenſe caſtrum obſidetur 270.22
Capitur 270.58
Diruitur 271.26
Beguini hæretici 539.4
Multiplicantur 540.48
Bellua marina 776.31
Belli cauſa Hen.2. cum Gallo 122.19
Bellum inter Chriſtianos & Saracenos 129.59
Bellum inter Tholoſanum & Provinciæ comites 473.40
Bellum inter filios Leolini 479.60
Belli initium inter Anglos Francóſque 521.18
Belli loci Eccleſia dedicatur 620.46
Bellum Taurinenſe ob captivitatem Thomæ de Sabaudia 793.3 & 797.27
Fruſtratum 804.69
Inter Norweges & Danos 820.15
Inter Templarios & Hoſpitalarios 846.23
Inter Hungariæ & Bohemiæ Reges 860.14
Inter Hen.3. & Barones 853.29
Inter Carolum Siciliæ Regem & Manfredum 859.5
Inter eundem Carolum & Conradinum 857.60
Belveri caſtrum à Rege Johanne captum 231.26
Benedicti Roffenſis Epiſcopi mors 283.26
Benedictini à carnibus abſtinent 382.41
Benedictini ſtatuta Londini ab Ottone facta recipiunt 407.3
Benedictinorum Abbatum conventus 666.1
Benedictinos Monachos turbat Papa novis articulis 747.41
Beneficia in Anglia petit Papa 493.60
Beneficiati multi nolunt eſſe ſacerdotes 719.23
Cum eis pro pecunia diſpenſat Papa *ib.*25
Berchamſtede caſtrum à Lodovico Gallo obſceſſum 244.15
Berengarii dogmata 10.56
Beringaria Richardo Regi nuptura 133.43
Nubit 136.21
Bernardus Menevenſis Epiſcopus 55.44
Bernardi caſtrum conſtruitur 61.2
S. Bernardus floret 67.64 & 68.14
Moritur 72.11
Bernardi de Nympha rapina 683.5
Berſabea reædificatur 61.5
Bertrannus Reimundi filius Biblum capit 54.7
Berwick caſtellum à Scoto conceſſum Hen.2. 109.62
Scoto redditum à Rich.1. 130.10
Captum à Johanne Rege 232.36
Biham caſtrum captum ab Hen.3. 261.34
Biſſopeſcote Eccleſiæ S. Albani data 55.60
Bituricenſis civitas Albigenſibus infecta ſpoliatur 203.24
Bituricenſe concilium 277.31
Blanca deſponſata Lodowico Regis Franciæ filio 168.9
Blanca ſubſidium Lodowico deſtituto mittit 250.55
De Blanca uxore Lodowici Regis defuncti rumor malus 281.53
Blancha cum filio Francorum Rege Eccleſiæ miſerias deplorat 496.42
Moritur 740.25
Blaſphemia in Jeſum divinitùs punita 173.37
Boamundi expeditio in terram ſanctam 23.34
Fit Princeps Antiochiæ 36.40
Aſtutia ejus ad exploratores hoſtiles dignoſcendos 28.56
Boamundus redemptus Antiochiam revertitur 51.12
Cum Baldwino contendit *ib.*31
Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum copiis infeſtat 53.58
Fœdus cum eo init *ib.*62
Antiochiam rediturus fatis conceſſit 54.1
Boamundus Boamundi filius *ib.*
Boamundus Boamundi Fr. regnum Hieroſolym. ſuſcepit 59.39
Perimitur 60.38
Bonaventura floret 856.49
Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus eligitur 494.51
Teſtimonia Epiſcoporum pro eo Rex extorquet *ib.*61
A Papa confirmatus 535.41
Ad Regem pro Wintonienſi ſcribit 545.48
Monachos ſuos opprimit 562.52
Norwicenſem conſecrat 568.3
Transfretat 574.50
Armis raptorem neptis ſuæ adoritur 575.16
Conſecratur 580.58
A Papa impetrationem obtinet, ut provinciam [illegible] 605.51
Ob id ei Rex iraſcitur 606.32
Proventus beneficiorum vacantium in annum accipere, à Papa conceditur 614.7
Pro Rege recipit homagium Ducis Sabaudiæ 617.26
Proventus Eccleſiarum vacantium per unum annum à Papa obtinet 640.3
Verſatur extra regnum 646.16
Et adhuc 654.15
Inthronizatur 665.49
Tyrannica ejus viſitatio 675.55, &c.
Erat uxoratus 677.1
Adit curiam Romanam 680.48
Querelas contra eum cupit ſupprimere 691.63
Canonicos S. Pauli excommunicat 677.8
Quos abſolvit Papa 695.5
Excommunicat Londinenſes Canonicos 702.36
Romæ ſatagit, ut viſitet omnes Epiſcopatus Angliæ 704.32
De eo conqueruntur Epiſcopi *ib.*35
Erat Papa terrori 704.47
Obtinet viſitare ſuam provinciam 725.34
Reſiſtunt Epiſcopi 738.5
In Angliam venit 738.47
Excommunicat electum Wintonienſem 739.44
Oxonii ſententiam promulgat 740.19
Violatores Magnæ Chartæ excommunicat 742.23
Viſitationem facit 748.6
Lis ejus cum Capitulo Lincolnienſi 756.4
Roffenſem Eccleſiam gravat 792.26
Obſidet Taurinam ut liberet fratrem 793.4
Redit in Angliam 804.58
Scribit contra electum Elienſem 812.19
Citatur Romam Roffenſi reſponſurus 813.5 & 815.37
Convocat Synodum 815.25
Eum non patiuntur S. Albanenſes in ſua Eccleſia ordines celebrare 839.10
Dedicat Eccleſiam Sarisberienſem *ib.*25
Bononienſes Papæ fautores miſerabiliter pereunt 463.43
Bowe S. Mariæ de arcubus Eccleſia 739.42
Brackeleia Eccleſia fundata 736.59
Brancaleon Senator Romanus 741.34
Cogit Papam Romam redire 757.24
Ob ſeveritatem à Romanis incarceratus 792.46
Ob id ſeditio 797.9
Liberatur 799.43
Cedit 810.34
Reſtituitur 823.19
Minatur deſtruere Anagniam, urbem Papæ natalem 825.64
Cardinalium affines ſuſpendit 833.57
Vide 836.47
Mortuo ſubſtituitur avunculus ejus 840.19
Laudatur 840.25
Bravium in Torneamento 223.11
In luctamine 265.37
Breve Regis ad vicecomites pro *colligenda* quadrageſima 320.61
Breve regium inquirens quot ſunt carucæ in maneriis religioſorum 679.45
Brevia Regis Hen.3. de inſtruendo regno armis
Ut inquirantur gravamina regni 83.81
Brienus carcerem ædificat dictu Cloere Brien 66.26
Britanniæ comes ab Angliæ Rege deficit 343.1
Ut proditor rebus ſuis ſpoliatus fit pirata *ib.*24
Bromholm cella Norfolcenſis per crucem illuc delatam fit celebris 269.2
Bubali in Angliam miſſi 718.14
Bugarorum hæreſis 362.19
Bugari hæretici 407.63
Bulla Frederici Imperatoris forma 301.61
Burgundiæ Dux Richardi Regis adverſarius clancularius in terra ſancta 137.41
Eum impedit ne Hieroſol. capiat 141.6
A Salahadino corruptus *ib.*
Mente captus moritur 141.64
Burgi Eccleſiæ dedicatio 407.9

C

Cadwallanus Wallenſium Princeps interfectus 116.9
Cadolo cum Alexandro de Papatu controverſia 5.7
Cæcilia Cadomi Abbatiſſa Conqueſtoris filia 10.32
Cæcus per B. Mariæ imaginem viſum recipit 177.60
Cœleſtinus Innocentio in Papatu ſuccedit 67.7
Moritur *ib.*8
Cœleſtinus Papa Rom. Clemente defuncto 135.64
Calcei veterum in anteriore parte rotundi, ut utriſque convenirent pedibus 709.48

Et

Excorrigiati ib.
Calyphus Ægypti Princeps à Baldwino victus 50.15
Eſt ſuæ religionis quaſi Papa 755.53
Calixtus Papa Gelaſio ſucceſſit 56.14
Fuit Epiſcopus Viennenſis, Wido dictus ib.47
Camelus in Angliam miſſus 354.25
Campanarum ſonus ſuſpenſus in luctu Eccleſiæ 105.32
Campanæ in Epiſcopi adventu pulſandæ 603.51
Cancellarius recuſat ſigillum reſignare niſi in Parliamento, ubi id acceperat 363.6
Cancellarium & Juſtitiarium Barones volunt in Parliamento eligi 563.28 & 564.48
Cancellarium, Juſtitiarium, & Theſaurarium, regni magnates vellent conſtituere 646.47 & 663.63
Sed Rex nolit 650.4
Candelis accenſis excommunicare 66.46
Candelæ extinctæ in excommunicatione eorum qui infringunt Magnam Chartam 742.25, &c.
Iterum 746.56
Canonicorum Sariſberiæ ordo conſtituitur 52.48
Canonicorum Regularium domus juxta Romney fundata 831.13
Canonizatio S. Hugonis Lincoln. Epiſc. 260.62
Cantabrigiæ comitatus à Lincoln. Epiſc. ſeparatur, & Elienſi annectitur 53.53
Cantabrigiæ ſtudent Oxonienſes 191.62
Cantabrigiæ orta diſcordia inter Scholares & Burgenſes 662.32
Cantabrigiæ oritur diſcordia 845.48
Canticum Mariæ Anglicum [*Seinte Marie clane Virgine*] 100.18
Cantica certa & ſtata in coronationibus 243.32
Cantuaria comburitur 82.26
Cantuarienſis ſedes, Anſelmo deceſſo, quinque annos vacabat
Cantuarienſis Eccleſiæ Chriſti dedicatio 60.32
Cantuarienſis Archiepiſcopus à clero populóque electus 82.57
Provinciæ Suffraganei unà cum Conventu Archiepiſcopum olim eligebant 180.3
Monachi contrarium affirmant ib.4
Obtinet 180.62
Cantuarienſi Eccleſiæ centum vini modios annuatim dat Lodowicus Gallus 114.50
Cantuarienſes Monachi proſcribuntur 158.20
Archiepiſcopus moleſtat Monachos 410.28
Capæ chorales pretioſæ, Papa primò ab Anglia recipit 616.36
In *capella* Regis olim fiebant Epiſcoporum electiones & homagia 85.5
Capella Regis Franciæ ob reliquias famoſa 773.46
Capitula 4. in favorem cleri ab Hen. 2. conceſſa 110.25
Carcaſona Albigenſi hæreſi corrupta capta 203.43
Cardinales 12. ad Papam eligendum neceſſarii 510.35
Cardinales diſſentiunt de Papa eligendo 530.28, &c.
Ad eos poteſtas Papalis devolvitur 533.14
Carleolum urbs recondita 14.40
Carleolenſis Epiſcopatus fundatur 60.50
Poſt Roffenſem pauperrimus 717.49
Carnes vetitæ in Quadrageſima 18.32
Carolus comes Flandrenſis proditione occiditur 59.23
Carolus Lodovici Galli frater fit Provinciæ comes 616.22
Fit Rex Siciliæ 856.63
Manfredum bello occidit 859.5
Et Conradinum 858.2
Ejus infortunium 859.18
Cartaphilus vel Judæus ille vagabundus 297.4
Carthago juxta Tunis, nunc oppidulum 858.30
Carthuſienſis quidam apud Cantabrigiam captus 476.14
De Gregorio Papa Theſes ejus ib.17
Caſſides æneæ 35.64
Caſtella adulterina 1115 in Anglia diruta
Caſtrum Bernardi conſtruitur 61.2
Caſtrum montis Gomerici à Vallenſibus obſidetur 295.37
Caſtrum de Belvero Johanni Regi traditur 231.39
Caſtrum Doverenſe obſidetur 243.49
Hereſordenſe 244.16
De Berchamſtede ib.2
De Mountſorel 246.64
Hoc complanatur 250.20
Caſtra de Rokingeham & Sannia capta 261.12
Catechumeni facti ante Baptiſmum 413.56
Caurſinorum uſura 352.49
Obligationis ſuæ forma ib.58
Etymologia Caurſinorum 353.4
Anathematizantur ib.49
Ad Papam patronum ſe applicant ib.51
Caurſini uſurarii in jus vocantur 710.7
Eorum origo 753.51
Graviores Judæis ib.61
Cenſura Eccleſiaſticæ tormenta Papæ ad extorquendas pecunias 794.12
Centum libræ olim theſaurus regius 62.49
Ceſtrenſis Epiſcopatus transfertur ad Coventreiam 60.53
Ceſtrenſis comes decimas Papæ ſolvere non vult 306.5
Ceſtriæ comitis munus in coronatione Regis 355.23, &c.
Conſtabularii Ceſtriæ munus tunc ib.25
Charta Hen. 1. 46.38
Leges S. Edwardi in ea reſtitutæ 47.17
Sed non ſervatæ 52.63
Charta Hen. 1. de libertatibus Angliæ 201.64
Charta per quam Johannes Rex regnum reſignat 197 & 198.58
Libertatum Angliæ 215.12
Charta Johannis Regis quæ Angliam Papæ tributarium fecit, combuſta creditur 578.48
Sed erat ſuſpitio falſa 597.7
Charta Johannis Regis de libertatibus Angliæ 791.33
Confirmatio ejus per Papam ib.15
Charta Johannis Regis cleri ſatisfactoria 197.53
Charta Senenæ uxoris Griffini Hen. 3. 550.53
Rogeri de monte alto plegii pro Senena 551.32
Dominorum de Kerry in Wallia ib.42
Davidis Northwalli ib.63
Alexandri 2. Scotiæ Regis 568.41
Charta Hen. 3. cœnobio Weſtmonaſt. 726.4
Chartæ confœderationis inter Angliæ & Hiſpaniæ Reges 819.52
Chartula Gallicè 628.15
Chirotheca pugilis projecta duelli vadium 533.52.56
Choermini (ſive Choroſmini) vincunt Chriſtianos in terra ſancta 546.7
Eorum ſtratagema 547.62
Plura de eis 548, 549
Unde & de eis alia 556.39, &c.
Damaſcum capiunt 599.21
A Soldano Babyloniæ deficientes Soldano Damaſci adhærent 414.10
Choroſminorum natio extirpata 639.30
Chriſtus baptizatus die Dominica 7.19
Chriſti corona ſpinea, chlamys, lancea, & ſpongia, ubi 491.15, 40
Chriſti pedis veſtigium in Angliam allatum 666.9
Chriſtum magnificant Saraceni 621.56
Ciceſtrenſis Epiſcopi domus Londini 676.7
Ciceſtrenſis Eccleſia & tota civitas comburuntur 120.47
Cirſtanus, i.e. Hîc manete 59.47
Cilicia ſitus & termini 27.9
Cyphi cum pedibus vel circulis argenteis Monachis vetiti 704.64
Ciſtercienſium Monachorum origo 79.43
Ciſtercienſis cœnobii fundatio 32.34
Ciſterſienſium capitulum generale 571.21 & 597.27
Ciſterſienſes Monachi legunt in academiis 655.38
Ciſterſienſium reſponſum Hen. 3. pecunias poſcenti 529.2
Capitulum tenent 535.1
Ciſterſienſium proventus lana 794.30
Negant pecuniare auxilium Papæ & Regi 794.33, 41
Pro iis ſcribit Papa 795.2
Vexat eos Rex 803.30 & 809.56
Citationes in forum aliquando ſuper altare poſitæ 383.54
Richardus & Gilbertus de *Clare* ſtant cum Baronibus contra Hen. 3. 843.42
Diſcordia inter eos & Simonem de Monte Forti 845.65 & 846.19 & 854.52
Stant contra eum cum Edwardo Principe 855.44
Molitur pacem pro exhæredatis 858.6
Lis inter Comitem & Rogerum de Mortuo Mari 858.8, 20
Monet Regem ut obſervet proviſiones Oxoniæ ib.27
Reconciliatur Regi 857.3 & 860.48
Clarendonæ ſtatuta 84.14
Jurantur 85.20
Clemens Epiſcopus Methenſis ab Apoſtolis ordinatus 13.63
Clemens 6. Papa 856.44
Obit 858.4
Clericorum ſervi non apprehendendi 18.40
Cleriunculum ignavum Hen. 1. vocat Robertus frater 61.37
In Clericum vel religioſum manus violentæ non ſunt injiciendæ 66.43
Clerum Normanniæ à ſeculari juriſdictione liberat Richardus Rex 134.55
Clericus olim non debuit incarcerari, vel ſub laicorum cuſtodia deputari 342.13
Cleri privilegiis adverſa 85.18, 21
Cleri Anglicani rationes contra exactiones Papales 477.52
Clericus non debet arma geſtare 342.19
Clerici Papales duo pecunias per totam Angliam & Hybernia in Papæ uſum aucupant 503.19 & 509.36
Cum prædâ Romam petunt 509.42

Perſequuntur ib.55
Se abſcondunt ib.58
Capti pecuniis ſpoliantur 509.65
Clericus baltheo cinctus militari 574.42
Cleri reſponſio contra rapinas Papales 625.45, &c.
Clerici quamplurimi & frequentiſſime Regum Angliæ conſiliarii 669.17 & 671.5 & 693.61
Clerici aliqui facti Juſtitiarii 809.47 & 810.2 & 818.2 & 838.36 & ſæpiſſimè
Et Angliæ Theſaurarii 838.10
Etiam & à Baronibus 839.28
Et Theſaurarius Scaccarii ib.35 & ſæpiſſimè
Clerkenwelle domus Hoſpitaliorum 736.13
Clypei in Anglia heu heu proſtrati 601.1
Canuto Danorum Rex 4.61
Interficitur 11.50
Cœli gaudia deſcribuntur 157, &c.
In *cœmeteriis* magnæ perſonæ olim ſepultæ 772.46
Collecta vel oratio pro infirmis 640.48
Colloquia magnatum Angliæ duo, circa dejectionem Epiſcopi Elienſis à Cancellaria 139.18, &c.
Aliud 167.51
Aliud 168.4
Aliud ib.19
Colloquium Regum Philippi Galli & Richardi Angli 133.3 & 151.52
Philippi & Johannis Regis Angliæ 166.16 & 173.64
Colloquium magnatum Angliæ contra Johannem Regem 201.57 & 212.46
Regis, Legati, & magnatum 207.52
Cleri 208.31
Colloquium inter Regem Johannem & Barones apud Runingmede 214.61
Inter Hen.3. & Epiſcopos de Richardo Mariſchallo 333.58
Inter Mariſchallum & Hybernos proditores 336.36
Inter Hen.3. & proſcriptos Anglos 340.49
Colloquium inter Legatum Walonem, Philippum Gallum, & filium Lodovicum, ne invadat Angliam 236.8
Inter Hen.3. & Lodovicum juxta Stanes 251.52
Inter eundem & Scotiæ Regem Eboraci 260.56
Inter Lodovicum Gallum & Barones ſuos 309.41
Colloquium Epiſcoporum Angliæ 512.37
Colonienſis Provincia ſignis cœleſtibus ad crucis obſequium commovetur 246.50
Colonienſes & Friſones ſe ad terram applicant 252.31
Colonienſis Archiepiſcopus à Roma furtim repatrians capitur 516.47
Combuſtio Eccleſiæ S.Mariæ de Suwerc Lond. 196.3
Item Pontis Lond. inter 3 columnas ib.4
Et Capellæ ſuper Pontem cum magna parte Suwerc ib.
Cometa præſignans regni ſubverſionem 3.52
Cometa 54.24
Alius 55.17
Alius ib.59
Cometa in occidente apparet 67.55
Cometa apparet 422.11
Alius 459.22
Cometa in morte Urbani Papæ 856.39
Comitatûs placita tenebant vicecomites 8.22
Comites in creatione gladio comitatûs accincti 129.31
Comitis titulus cum ſubſtantia ab aliquo ablatus 638.30
Ut comitatus ſatisfaceret à latronibus ſpoliatis, unde 744.34 *Vide* 755.42
Commendarum origo 617.8
Commotio Londini inter pauperes oppreſſos & Aldermannos 152.9
Communis Univerſitas in Parliamento quid 563.17
Compoſitio inter Eccleſias Lincoln. & S.Albani ſuper vicaria de Luitona 256.14
Compoſitio de victualibus inter Abbatem & Conventum S.Albani 824
Conani minoris Britanniæ comitis mors 92.4
Filia ejus Gaufrido Hen.2. filio nubit ib.6
Concilium Londinii ſub Anſelmo 49.11
Aliud 53.2
Sub Johanne Cremonenſe 58.53
Concilium Wormacienſe 8.54
Clarummontium 18.23
Maguntinum 9.12
Remenſe 56.49
Concilium Remenſe & ejus ſtatuta ib.58
Lateranenſe & ejus ſtatuta 114.41
Concilium Turonenſe 84.2
Concilium Londini ſub Alberico Hoſtienſi 64.47
Wintoniæ ſub Theobaldo Cantuarienſi 65.14
Londini ſub Willielmo Wintonienſe Papæ Legato 66.39
Concilium Provinciale apud Weſtmonaſterium 134.53
Concilium apud Weſtmonaſterium habitum 135.58
Concilium Londini inter Epiſcopos & Legatum 422.38
Aliud ibidem, ſed ſine Legato 452.9
Aliud 469.1
Concilium generale ſtabilius Papali judicio 564.21
Concilium generale convocatur Romæ 575.39
Concilium Lugdunenſe coactum 576.45
Concilium generale non celebrandum niſi ſemel in 50 annis 582.6
Concio ſive Sermo Regis Hen.3. Wintoniæ 692.2[illegible]
Concordia fit inter Regem Angliæ & Lodovicum [illegible]
Ejus forma [illegible]
Concordia fit inter Papam Gregorium & Imperatorem [illegible]
Et inter Reges Francorum & Anglorum ib.4[illegible]
In *Concubinas* Sacerdotum inquiſitio & pœnæ 273.5[illegible]
Concubinarii deponendi 382.1[illegible]
Confeſſiones audire prædicatoribus conceſſum 607.2[illegible]
Urgent populum ad ſibi confitendum ib.6[illegible]
Parochus proprius jus habet eas audiendi 608.3[illegible]
Non revelandæ ſub pœna depoſitionis ib.5[illegible]
Confeſſiones morientium per ſacerdotem revelatæ 932.2[illegible]
Conflictus inter mareſchallum & extraneos 329.[illegible]
Conradus Romanus Imperator 63.4[illegible]
Conradus Imperator crucefignatus Hieruſalem ducit exercitum 68.1[illegible]
Quam recipit ib.5[illegible]
Moritur 71.[illegible]
Ejus pietas ib.[illegible]
De Conrado Imperatore nobilis hiſtoria ib.[illegible]
Conradus Frederici 2. filius exercitum ducit contra Tartaros 495.52 & 501.4[illegible]
Conradus à patre Frederico contra Landgravium miſſus vincitur 616.17
Conradus Frederici filius ex Alemannia fugit 639.37 & 651.4[illegible]
Landgravium vincit 633.55
Conradus Imperator excommunicatur 712.60
Multos in eum crucefignat Papa 713.64
Sed in vanum 714.16
Gratioſus ſuis, potionatus, ſanatus 720.46, &c.
De ea re accuſat Papam 725.20
Proſperatur 755.62
Neapolim deſtruit 757.37
Papales vincit 760.41
Accuſationibus Papæ reſpondet 765.34
Moritur 768.47, 51
Conradinus aſpirans ad Siciliæ regnum occiditur 858.2
Conſecratio Epiſcoporum ante majus altare 306.28
Conſiſtorium apud S.Albanum de divortio quodam 315.55
Conſpiratio Francorum contra Innocent.4. 628.12
Conſtabularius regii exercitûs Herefordiæ comes ex antiquo jure 763.54
Conſtabularii Hertfordiæ inſolentia 856.28
Conſtantia Boamundi uxor, Philippi Franc. Regis filia 55.1
Conſtantia filia Boamundi junioris 61.3
Conſtantinopolitanus Imperator moritur 290.62
Conſtantinopolitani Imperatoris ſtatus 481.40
Conſtantinus ſeditionis author cum duobus aliis ſuſpenditur 266.9
Continentiam profitentes annulum recipiebant ſponſalem 707.11
Continentes coguntur Presbyteri 713.7
Contritionis morientium egregia exempla 692.11 & 277.12
Controverſia de electione Archiep.Cant. inter Suffraganeos & Monachos 179.53
Determinatur per Papam 180.37
Inter Aldefonſum Caſtellæ & Santium Navarræ deciditur 110.45
Conventus Epiſcoporum & Abbatum in Hen.1. palatio 53.2
Conventus apud Weſtmonaſt. de decimis pro Papa colligendis 304.63
Murmurantibus cunctis ſolvitur 305.65
Conventus crucefignatorum Lugduni 461.48
Conventus Eccleſiarum Rectorum apud Bercſhyre 477.49
Reſponſiones eorum ib.52
Conventus Epiſcoporum apud Northamtonam de exactione Legati 477.19
Exceptiones productæ ib.26
Conventio inter Papam & Romanos nequiſſima 475.60
Convivium quod exhibuit Johannes Manſel Regibus & Reginis 800.17
Convocatio Principum Chriſtianorum 771.10
Coventrenſis Epiſcopus habet tres ſedes, Ceſtrenſem, Lichfeldenſem, & Coventrienſem 60.60
Coventria expulſis clericis Monachi introducuntur 162.13
Coventria caput Merciorum 60.58
Coradinus Saphadini filius Hieruſalem deſtruit 255.5
Corboranus Antiochiam obſidet 33.30
Fugit 36.36
Corduba capitur 354.19

Iterum

Iterum per Regem Caſtellæ 363.46
Ad corpu inflationem vicini armati concurrebant 856.55
Corona apud Lincolniam portatur 67.40
Corona Domini ſpinea in Franciam apportatur 487.3
Coronula Ducatûs Normanninæ forma 165.25
Coronationes & earum ſolennitates Willielmi 1. 4.3
Willielmi 2. 11.45
Henrici 1. 46.33
Stephani 62.30
Henrici 2. 77.40
Henrici Juvenis 101.46
Richardi 1. 128,&c.
Johannis 165.64
Henrici 3. 243.32
Coronationes, ſolennitates, & officiales 354,&c.
Coronationes ad altare factæ 243.23 & 304.31
Cridis habitaculum albi ordinis 295.44
Hic caſtellum ædificatur Stultitia Huberti dicta ib.64
Crucesignati qui primi 19.50 & 20.39
Crucesignati contra Anchin caſtra ſtatuunt 37.35
Contendunt de lancea Dominica ib.40
Tripolitanos ſuperant 38.11
Nicopolim perveniunt ib.38
Hieruſalem obſidione vallant ib.53
Antemuralia obtinent 39.10
Secunda eorum oppugnatio ib.46
A milite de Oliveto ſignum vergilante, deſiſtentes revocantur 40.29
Expugnant Hieruſalem ib.44 & 41.19
Borum pactum de ſpoliis 41.3
Loca ſacra circumeunt ib.28
Daibertum Patriarcham ſtatuunt 42.6
Opponuntur copiis Sultani Ægyptiorum ib.12
Fugant 43.2
Apud Carram in fugam compelluntur 51.37
Crucesignatorum quidam Hieroſolymam adeunt, ſed cum diſpendio 49.59
Crucesignati Albigenſes hæreticos extirpant 203.55
Crucesignatis qui ſic, & pœnitentibus peccata remittuntur 365.42
Crucesignati apud Lugdunum per Papæ nuncium remeare jubentur 451.54
Murmurantes renuunt ib.62
Crucesignatorum pecuniæ prǽda à Papa factæ diverſis 638.33,38 & 639.63
Crucesignantur multi in Angliam 645.10
Crucesignati ut boves à Papa venditi 694.52
Crucesignati abſolvuntur à Papa, & aliò diriguntur 785.24
Scil. contra Chriſtianos ib.26
Cruciferi Monachi in Angliam veniunt 572.12
Crucifixus puer à Judæis 567.4
Cruces colore diſtinctas variarum nationum Crucesignati gerebant, & Angli albas 122.5
Crux facta de ligno crucis Domini 141.48
Crux Chriſti ſecta, & dimidia pars perdita 244.64
Portio ejus ubi 247.29
Vera Crux 259.14 & 268.48
Cruces in cœlo apparent 246.52
Cum Chriſto 285.17
Crux thema Papæ deſiderabile 365.40
Cunnoch Hyberniæ Regulus, de Johanne de Burgo coram Rege queritur 482.28
Relevatur ib.34
Ad propria remeat ib.39
Curiæ feſtivitates ceſſant ceſſante pace 65.24
Curia Romana alteri competitorum favens, excommunicat alterum 617.3
Curtein gladius S. Edwardi ante Reges Angliæ in coronatione bajulatus 355.23
Et quare ib.

D

Daibertus eligitur Patriarcha Hieroſolymis 42.6
Damaſcus obſidetur à Crucesignatis 69.20
Damaſcus ab infidelibus capta 599.21
Damiatæ ſitus & fortitudo 260.1
Damiata à Gallo quomodo capta 680.60
Daciæ regnum per bella inteſtina deſolatur 491.53
Daniæ Reges olim conſecrati & inuncti 703.52
Dani Angliam invadunt 5.24
Eboracum expugnant 5.29
Danorum Eccleſiæ (S Clement Danes) Londini 62.44
David Walliæ princeps fratrem incarcerat 480.1
Fratrem liberare negat 506.30
Regium exercitum formidans Regi fratrem liberatum tradit 506.55
David Northwalliæ princeps fratrem incarcerat 550.53
Se obligat Hen. 3. 551.63
Conatur jugum Angli excutere 552.45 & 573.29
Rebellat 562.9
Literæ quas à Papa impetravit 573.31
Caſtrum de Monthaut occupat 576.20
Mors 608.59
David Malcolmi filius 4.30
David Rex Scotorum hoſtiliter Carleolum & Novum Caſtellum occupat 62.59
Novum Caſtellum reddit, Carleolum retinet ib.63
Homagium non facit Stephano, quare ib.64
Filius ejus fit homo Stephani, in perpetuum Huntendonâ donatus 63.1
Northumbriam invadans vincitur ib.63
Obit 72.15
Decani rurales confeſſiones ſacerdotum olim audiebant 380.10
Decani cum juriſdictione 383.5,28 & 384.17
Decimas Laicus nec vendat nec emat 18.48
Decimas in Anglia colligit Papa contra Imperatorem 305.4.53
Decimæ per triennium à Papa conceſſæ Hen. 3. 732.9
Sed ab Epiſcopis negatæ ib. 23 *uſque ad* 736
Decima pars mobilium per Angliam requiritur 130.55
Decretales Gregorianæ renovantur 352.41
Dedicatio Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis 60.32
Dedicatio Eccleſiæ S. Pauli Londini 480.17 & 527.16
Et de Waltham 527.14
Dedicatio Novi Templi Londini 471.9
Dedicatio Eccleſiæ Elienſis 731.15
Indulgentiæ tunc conceſſæ præſentibus ib.24
Et Eccleſiæ de Hales 714.36
Dedicatio Eccleſiæ Sarisberienſis 839.25
Dedicatio Eccleſiæ de Bello Loco 620.46 & 667.19
Dedicatio Eccleſiæ de Redding 85.56
Dedicatio aliquot nobilium Eccleſiarum 407.8 & 379.28 & 467.63
Dedicationes Eccleſiarum infra biennium à conſtructione 379.27
Dei gratiâ in Epiſcoporum ſtylis 634.43
Et Abbatum ib.44 & 635.61 & 824.62
Deſiderius contra Clementem Papa fit, & moritur 9.46 & 10.44
De *Deviſis* caſtellum ſplendidiſſimum 64.62
Diabolus cantat in Miſſa 71.48
Diabolis ſingulis partes ſuæ datæ in hominibus tentandis 80.33,&c.
De *Diei* Dominicæ obſervatione Epiſtola de cœlo 168.23
Diſcordia inter cœnobium S. Albani & Eccleſiam Lincoln. finitur 82.63
Tenor tranſactionis litis 83.6
Confirmatio ib.26
Inter clerum & cives Pariſienſes 298.42
Inter Regem Hen. 3. & magnates 324.46 & 325.43
Inter Papam & Romanos 344.58
Inter Aurelianenſes cives & ſcholares 364.56
Alia inter Oxoniæ cives & clerum 365.9
Inter Ottonem Legatum & Oxonienſes ſcholares 396.48
Inter Regem & Gilbertum mareſchallum 408.44
Inter Templarios & Hoſpitalarios in terra ſancta 511.20
De electione Dunelmenſis Epiſcopi 371.2
Divinâ permiſſione in ſtylo Epiſcoporum 677.31
Divortium inter Lodowicum Franciæ Regem & Alienoram adulteram 70.33
Doctrinam pravam ſeminantes candenti ferro in faciebus notati, & regno pulſi 88.26
Dolenſis Eccleſia Turonenſi ſubjecta 167
Domeſday liber conſcribitur 9.32
Dominico die commercia depoſita 160.22
In ea cum nocte ſequente feriandum 169.40
S. *Dominicus* canonizatur 370.40
Domus converſorum Londini fundata 332.4
Doveria caſtrum à Ludovico Gallo obſeſſum 240.43
Obſidio ſoluta 244.43
Draco vexillum regium Angliæ
Draconem Papa vocat Imperatorem, Reges autem ſerpentulos & regulos
Dracones duo in aere pugnantes viſi 325.21
Duellum inter Robertum de Montforde & Henricum de Eſſexia 83.39
Inter Edwardum principem & Adamum Gurdun 858.53
Duella olim clerici cogebantur facere 110.31
Duelli vadium chirotheca 533.52,56
Dunecanus avunculum fugans poſt patrem Malcolmum regnat 14.36
Dunelmenſis Epiſcopus Juſtitiarius fit 11.64
In Normanniam transfretavit 12.39
Dunelmenſis Epiſcopus fit comes 129.31
Duvenal Malcolmi frater in Regem Scotiæ eligitur 14.35

E

Eadgarus filius Malcolmi 4.29
Eadgarus Etheling hæres Angliæ *ib.*22
Mater ejus Agatha *ib.*24
Sorores Margareta & Chriſtiana *ib.*
Ad Scotiam fugit 5.57
Eadgarus Rex Scotorum 4.29
Moritur
S. *Edmundus* Cant. Archiep. quintam partem redituum Papæ concedit 471.62
Sponte exulans in Franciam tranſit 476.10
Moritur 486.10
Cor ejus ubi ſepultum *ib.*40
Corpus Pontiniaci *ib.*43
Miraculis claret 494.24 & 552.68 & 553 & 554
Canonizatio ejus impedita 556.19
Canonizatur 627.1
Ejus tranſlatio 638.45
Brachium ejus à Ciſterſienſibus abſcinditur, atque exinde miracula ad ejus tumbam rariora 674.4
Cætera de actis vitæ require in Indice Epiſcoporum.
Edmundus Hen. 3. filius junior natus 575.29
De regno Siciliæ annulo inveſtitur 783.66
Ducit Avelinam comitis Holdernesſæ filiam 858.32
Transfretat verſus terram ſanctam *ib.*37.45
Æthelmarus frater Hen. 3. venit in Angliam 637.59
Ad Epiſcopatum Wintonienſem poſtulatus 692.53 & 697.41
Confirmatus 704.19 & 705.12
Proventus ex omni majore Eccleſia habet 708.61
Dictus Aimerus 709.2
Conſentit exactioni Papali, qui decimas Angliæ triennales dederat Regi 732.25
Sed poſtea Regi contradicit. Eum devovet Rex 734.32
Lis inter eum & Cantuarienſem 738.57
Factum ejus præſumptuoſum 739.8
Excommunicatur 739.35
Abſolvitur 741.55
Monachos opprimit 770.46
Judicium ejus de curia Romana 790.7
Miniſtri ejus occidunt clericum 836.23
Fugit cum fratribus ex Anglia 834.46
De eo queruntur Barones 860.28
Eboracenſis Eccleſia Cantuarienſi ſubjicitur 6.59
In quibus
Cum Cantuarienſi lis compoſita 15.13
Obedientiam præſtat Cantuarienſi 53.14
Negat 55.13
Vide 55.47 & 58.60
Pro Cantuarienſi ſtat Rex 56.53 & 59.20
Eboracenſis Archiepiſcopus regni cuſtos 517.41
Eccleſia ſanguine prophanata reconcilianda 71.42
Eccleſiæ non detinendæ in manu Regis 62.34
Eccleſia per Regem in Firmam non danda nec vendenda eſt 56.42
Eccleſia clerici abſentis temerè alii non conferenda 38.62
Una in plures vicarias non dividenda 381.13
Eccleſiis poſſeſſiones datæ à tribus non ſunt liberæ 549.19
Eccleſiam ſeu cœmeterium violantes, non niſi à Papa abſolvendi 66.44
Eccleſia S. Pauli Londinenſis comburitur 62.43
Eccleſia de Rading conſecratur 85.56
Eccleſia de Stanes adjudicatur Eccleſiæ Weſtmonaſterii 265.57
Eccleſia Normannica à ſervili jugo liberata 134.56
Eclipſes Solis 65.58 & 111.39 & 136.45 & 189.48 & 308.20 & 413.44 & 511.52
Eclipſes Lunæ 177.63 & 189.55 & 310.13
Ecſtaſis ſive viſio ſacerdotis in Antiochia 34.9
Alia *ib.*50
Edeſſa continet corpora ſepulta S. Thomæ & Thaddei Apoſtolorum, necnon S. Abgari Regis 66.65
A Turcis capta *ib.*60
Editha S. Edwardi uxoris ſepultura 7.61
Edwardus legaviſſe coronam Angliæ Baſtardo Willielmo, & incertum & infirmum 809.4
S. Edwardi mors & ſepultura 1.61
Lis eſt quis huic ſuccederet 2.3
S. Edwardi Confeſſoris corpus apud Weſtmonaſterium transfertur 83.38
Ejus tranſlatio alia 857.55
Edwardus Hen. 3. filius naſcitur 412.52
Fit cuſtos Gaſconiæ 728.47
Transfretat 765.9
Alienoram ducit *ib.*61
Dos ejus *ib.*55 & 776.2
Uxor in Angliam venit 783.25
Et ipſe 787.28
Intercedit pro Gaſconienſibus [illegible]
Cum 50 equis equitat [illegible]
Haſtiludium [illegible]
Erat Dominus Walliæ 805. & [illegible]
Familiæ inſolentia [illegible]
Terras ſuas præ paupertate oppignorat [illegible]
Walliam, [illegible] concedit pater [illegible]
Jurat cum patre ut obſervetur Magna Charta [illegible]
Adhæret Baronibus contra patrem [illegible]
Alienigenis [illegible] Windeleſhores caſtrum [illegible]
Eum capit Simon de *Monte Forti* [illegible]
Proſequitur Barones [illegible]
Literæ ad eos *ib.*55
Fit obſes pro liberatione patris 854.1
Evadit 855.17
Prœlio occidit comitem Simonem *ib.*48
Duello Adamum Gurdun vincit 858.56
Inſulam Elienſem intercipit 856.57
Deſcriptio ejus perſonæ 857.46
Cruceſignatur *ib.*50
Transfretat 858.46
Jurat votum impleturum 859.33
Apud Achon vulneratur 859.58
Elfadalius Apoſtata copias in Cruciferos dirigit 42.18
Ictus terrore fugit *ib.*32
Electio conſueta Abbatis S. Albani, quæ 346.24
Electio Papalis defectu Cardinalium impedita 510.32
Electus in Epiſcopatum & nunquam conſecratus 117.33 *Vide* 109.20 & 131.64
Electi ad Epiſcopatum, nec dum conſecrati, ſed à Papa confirmati, proventus recipiunt 705.16
Et ad beneficium, nec dum ſacerdotes 719.29
De ea re conqueritur Robertus Groſſeteſt 754.26
Sed vide 117.33
Electus Archiepiſcopus Epiſcopos conſecrat 568.3
Elephas primus in Anglia 776.35
Elienſis Abbatia ad Epiſcopalem ſedem transfertur 53.50
Elienſis Eccleſiæ dedicatio 731.15
Elienſis Eccleſiæ Presbyterium, & Palatium Epiſcopale, ædificata 767.10,12
Elienſis Epiſcopi Willielmi poteſtas 135.28, &c. & 136.29
Regi ſuſpectus ejicitur 139
Muliebriter amictus capitur *ib.*60
Elienſis Inſulæ depopulatio 233.60
S. *Elizabetha* uxor Landegravii, & Hildegardis Abbatiſſa in Alemannia, florent 488.59
Emmaus fons ſalutaris 38.40
Emiſer Antiochenus Antiochiam Cruceſignatis prodit 32.9
Ewin procurator civitatis Cæſareæ 50.11
Engelramus de Cuſcy mors 562.54
Epiſcoporum officium 383.11
Epiſcopi debent ſedere in tribunalibus laicis inter Barones, uſque ad ſententiæ mutilationis membrorum vel mortis pronuntiationem 84.65
Epiſcopi ad Scaccarium & tribunalia ſedentes 312.7
In Pontificalibus ſepulti *ib.*23
Olim viſitabant monaſteria
Signabant chartas cum cruce & incauſto 502.45
In Epiſcopi adventu campanæ pulſandæ 603.51
Epiſcopus in Synodo Presbyterorum excommunicatur 532.45
Epiſcopatum Hen. 1. concedit ſine electione facta, & Epiſcopum inveſtit 49.6
Revocat & contra ſtatuit 53.5
Epiſcoporum electiones in capella Regis 85.5 & 106.23
Et Epiſcoporum homagia *ib.*21
Epiſcoporum inveſtituram Henricus Imperator requirit 54.63
Negat Papa Paſchalis, ſed tandem concedit ei 55.2
Epiſcopi inveſtiti à Rege per traditionem bacculi & annuli 53.5 & 55.2,10
Homagium debent Regi 53.7
Epiſcopi contra Regis aſſenſum, & non obſtante ejus appellatione, à Papa conſecrati 581.7
Epiſcopi electi Regi præſentandi, & fidelitatem conſecrati jurabunt 559.62
Epiſcopus pro homagio Regi non facto olim non erat privandus 53.7
Epiſcopo viventi alius non eſt ſubrogandus 9.44
Epiſcopi Angliæ congregantur apud Dueſtaplam 704.54
Conqueruntur Papæ de Archiepiſcopo *ib.*37
Epiſcopi Angliæ ignorantes debitis obligantur à Papa 783.14
Epiſcopum Angliæ extra regnum accepiſſe conſecrationem, licet ab Archiep. Cant. queruntur Epiſcopi alii 782.7
Epiſcopi Angliæ benedictionem à Papa Rom. recipere prohibentur 56.51
Epiſcopus Dunelmenſis Northumbriæ emit comitat. 8.16

Epiſcopus vicecomes factus 8.17
Et Juſtitiarius 11.64
Epiſcopi omnes Regibus à Conciliis 17.15
Electi à Rege 17.51,&c.
Epiſcopus Belvacenſis captus Papæ armatus præſentatur 153.29
Epiſtola de cœlo lapſa de diei Dominicæ obſervatione 168.23
Tenor ejuſdem Papi jubente prædicatur 169.5
Epitaphium Matildis Imperatricis 120.12
Hen.2. Regis 126.57
Richardi Regis 164.37
Johannis Regis 242.31
Willielmi comitis Sariſberienſis 277.23
Richardi Epiſcopi Dunelmenſis 280.1
Pauli Pepper 709.27
Willielmi de Havenhulle 730.50
Equites aurati creabantur cincturâ gladii 489.60
Ericus Daniæ Rex à fratre occiſus 703.43
Ernulfi Roffenſis Epiſcopi obitus 58.45
Evangelium in Synodis quod legendum 377.65
Evangelium æternum à quibus ſcriptum 806.62
Eucharistia ſuper altare (calice) pendebat 65.37
Eventuum præcipuorum per totum mundum, in quinquagena viceſima quinta, ſummarium 695.21
Eugenius Lucii Papæ ſucceſſor 67.14
Eugenio mortuo Anaſtaſius in Papatu ſuccedit 72.8
Europæ ſtatus ſub Innocentio 4. Papa 625.1
Miſeriæ Europæ ob diſcordiam Papalem cum Imperatore 639.50,&c. & 644.40
Euſtachius Stephani Regis filius, Regi Francorum homagium facit de Normannia 63.30
Uxoratur 65.1
Ei Angliæ nobiles fidelitatem faciunt 70.36
Ejus mors ſubitanea 72.13
Euſtachius de Faucumberge fit Epiſcopus Lond. 263.50
Moritur 297.43
Euſtachius Epiſcopus Elienſis 162.29 & 189 62
Moritur 213.33
Euſtachii Abbatis de Flai miracula 169.7
Euſtachius de Veſci telo percuſſus 241.30
Euſtachius Monachus Galliæ Admirallus 236.51
Capitur ab Anglis 251.25
Decollatur ib.30
Exactionibus Papalibus & regiis Gallia depauperata 689.58,&c.
Exactiones pro neceſſitate regia 56.7
Excellentia veſtra Regi attributa 89.55
Excommunicatio tormentum Papale ad extorquendas pecunias 639.42 & 640 10 & 654.22 & 786.50 & 788.50
Ne excommunicetur privilegium Papale 627.25
Excommunicandi non ſunt tenentes de Rege, eo inconſulto 84.40
Excommunicandi contumaces 673.9
Regis miniſtri ipſo inconſulto non excommunicandi ib.17,&c.
De ea re confirmatio Papalis ib.21
Excommunicationis forma horribilis in Magnæ Chartæ violatores 737.51
Alia 742.26
Excommunicatio generalis Baronum Angliæ rebellantium 227.24
Specialis item eorundem 232.46
Hujus executio 233.21
Excommunicatio candelis accenſis 66.45
In Excommunicatione mortuus, ſi hæres ſatisfecerit, abſolvitur 602.2
Aliàs in cineres non revertitur ib.26
Excommunicatur Epiſcopus à Synodo Presbyterorum 532.43
Excommunicatur Fredericus 2. Imperator 291.2 & 412.1 & 634.22
In Synodo Lugdunenſi 586.46
Excommunicantur Judæi, & communio cum Chriſtianis eis interdicta 590.61
Exhæredati à Rege Stephano illum prælio capiunt 65.56
Exules Angliæ perſequuntur conciliarios Regis 334.56

F

Falcaſius S. Albani villam ſpoliat 245.55
Eccleſiæ ibidem ſervientem interficit ib.57
Receptis pecuniis a concrematione villæ & monaſterii abſtinet ib.61
Ab uxore monitus in S. Albani Eccleſia pœnitentiam agit, ſed falſam 246.9
Falcaſius in caſtro Bedfordenſi Henricum de Braibroc incarcerat 270.14
Excommunicatur ib.30
Ad Walliam fugit ib.36
Bona ejus & catalla infiſcantur ib.50
Regis favorem implorans ſub cuſtodia traditur 271.5
Ejus prophanatio punitur ib.9
Eum reſpuit uxor ib.19
In exilium truditur 273.21
In Francia penè ſuſpenſus Romam proficiſcitur ib.30
Mors ejus 282.62
Falcaſii ſomnium 731.42
Vult ſe in capitulo S. Albani virgis cœdi ib.57
Fames in Cruciferorum caſtris 33.65
Ad lamentum populi piûmque ſuſceptum juramentum removetur 34.46
Fames in Anglia 826.23 & 830.60
Cum lue 832.3,&c. & 834.36 & 837.2
Tam magna, ut vix poterat miles cum armigero ſuo & puero & equis, duobus ſolidis argenteorum competenter ſuſtentari 755.12
Familiæ nobiles in Anglia extinctæ 601.1
Faventiæ civitatis per Imperatorem obſeſſæ miſeria 493.26 & 495.24
Febres quartanæ 393.34
Ferdinandus 3. Caſtellæ Rex, captâ Valentiâ, obſidet Sibyllam & expugnat 468.19,&c.
Feretrum ſancti 639.7 & 664.45
Feretrum S. Edwardi Weſtmonaſterii 857.56
Figuræ Græcorum numerales in Angliam allatæ 721.4
Filii non debent ſuccedere in patrum beneficiis 382.23
Firmæ dignitates Eccleſiaſticæ, & proventus ex altari, &c. ad firmam non concedentur 380.21
Laici non ſint Eccleſiarum firmarii ib.34
Plura de ea re ib.
Flandriæ comes Thomas in Angliam venit 47.33
Remeat ib.13
In electum Leodienſem bellum movet ib.17
Comiti Provinciæ ſe adjungit ib.27
Ex parte Papæ impugnat Imperatorem ib.30
Flandria de Gallia olim tenebat 473.37 & 762.6
Flandriæ inter Comitiſſæ filios bellum 616 64
Fluxus maris ſine refluxibus 652.26
Fœdus ſanguinis potione humani ratificatum 363.23
Fœdera coram altari facta 55.3 & 212.53
Foreſtarum uſus liberrimus conceditur 273.37
Foreſtæ tranſgreſſiones graviter punitæ 581.18 & 620.64 & 667.24 & 680. 26,31,32
Fortunium nomen torneamenti 502.49
S. *Franciſci* miraculum 286.42
Ejus habitus ib.56
Perſonæ deſcriptio 287.1
Privilegio ſtabilitur ib.
Prædicatio 287.18
Obitus ib.52
Regula Minorum à Papa limitatur 288.5
Sepultura 282.49
Francia unde dicta 519.20
Interdicitur 166.54 & 168.10
Franci abjudicationem Imperatoris improbant 464.27
Franci per Richardum comitem redempti domum redeunt ex terra ſancta 510.57
Francigenæ ſpoliant S. Albani Abbatiam 247.22
S. Amphibali Eccleſiam ib.25
Ex prælio Lincolnienſi fugiunt verſus Londinum 249.32 & 250.21
Plurimi interficiuntur in via 250.25
Franci nobiles multi crucefignantur 600.37
Multi pereunt pipere à Saracenis intoxicato ib.48
Francorum decretationes apud Damiatam cum Saracenis 672.1
Multi fame pereunt, alii à fide apoſtatant vel vacillant 672.24
Ingens pecuniæ vis iis miſſa 675.4
Vincuntur fœdâ ſtrage à Saracenis 685,685,687
Imberbes & tonſorati 686.2
Dolent domi ob Regem captivatum 689.33
Franci ob electionem Rich. Cornubienſis in Regem Alemanniæ turbati 808.34
Seſe conſolantur ib.41 & 816.39
Luſtrant Normanniam & confinia 808.53 & 813.62
Pares Eccleſiaſtici & Laici ib.
Fredericus Conradi nepos Imperator Romanus 72.7
Fredericus Imperator ſubmergitur 133.50
Fredericus 2. Imperator, peregrinaturus ad terram ſanctam præ infirmitate, revertitur 286.30
Ob id à Papa excommunicatur 291.2
Se injuſtè fuiſſe excommunicatum conqueritur 293.15
Papæ ditiones invadit 294 1
Transfretat in terram ſanctam 296 2
Ea, ei reſtituitur 300.40
Proditionem ei revelat Soldanus 302 41
Literis eum infamat Patriarcha Hieroſol. ib.51

Exceſſus ejus circa religionem 304.27
Redit 307.23
Prævalet contra inimicos, & trengas cum Papa init 367.56
Abſolvitur 369.32
Bellum gerit contra Henricum filium ſuum rebellem 351.14
Obſidans capit, & vinculis conſtrictum ſecum ducit ib.19
Iſabellam Wormatiæ ducit 351.31
Patrueli Hen.3. contra Regem Francorum promittit auxilium ib.47
Ad eundem tres Leopardos mittit in ſignum regalis clypei ib.45
De Italorum inſolentiis Papæ conqueritur 362.28
Item de Mediolano hæreticorum & rebellium nutrice ib.35
Filium ſuum Henricum incarcerat ib.37
Xenia Henrico Regi & Richardo mittit 364.36
Pacem init Papæ 365.59
Italiæ invaſio ei per Papam inhibetur ib.63
Italiam intrat ad Mediolanum debellandum 366.21
In Alemanniam redit ad ſeditionem inibi ſedandam ib.59
Ducem Auſtriæ omnibus vitâ exceptâ ſpoliat ib.63
Indulgentia Papæ ad pecuniis non indulgentes pertinebat 365.55
Omnes Principes Chriſtianos convocat 371.10
Negotio infecto dimittit ib.34
Seditionem in Alemannia ſedat 375.2
In Italiam redit ib.3
Mediolanum ſubjugat, & alias Italiæ civitates 375.55 & 376.7
Mediolanum obſidet 399.39
Pacem negat 401.8
Ejus fama denigratur 408.8
Petrum Saracenum in vinculis detinet 409.57
Ejus ditioni Sardinia cedit 410.13
Excommunicatur 412.1
Papæ excommunicanti indignatur ib.60
In S. Pauli Londinenſi Eccleſia excommunicatur 415.48
Per admonitores excuſatur 417.41
Fredericus Imperator de injuriis ſibi allatis à Pontifice conqueritur 421.1
Injuriis compulſus in tyrannum mutatur 424.37
Iſte & Papa invicem perſequuntur 463.29
Bononienſes ſubjugat ib.37
Ab Imperio abjudicatur per Papam 464.19
Ejus confeſſio ſeu profeſſio ib.47
Cruceſignatis ne transfretarent perſuadet 465.8
Contemnentibus indignatur ib.12
Reprehendit Hen.3. 469.23
Ottonem ab Anglia propulſari monet ib.29
Multas urbes juxta Mediolanum capit 472.6
Comitem Flandriæ ſeipſum temperare monet 473.20
Ejus purgatio de criminibus allatis 474.3
Chriſtianis condolet ib.33
Multorum corda conciliat 475.33
Concilium habendum impedit, & cur 484.20 & 492.25
A treugarum obſervatione reſilit 486.55
Imperatrix ejus gravida 489.8
Faventiam capit 493.26
Sex habet exercitus 495.24
Civibus de Faventia parcit ib.63
Petit à Prælatis ut per terram ad concilium proficiſcantur 499.31
Eos per Legatos inſtruit ib.34
Cauſas, cur ad eos non poteſt perſonaliter accedere, exponit 500.30
Dicta ejus pro nihilo habent ib.10
Jubet Prælatos refractarios capi ib 17
Mittit Henricum ad Conradum contra Tartaros 501.41
Richardum reverſum, ad curiam Romanam ob pacem faciendam deſtinat 506.5
Papales pecuniarum expiſcatores per Walterum de Ocra nuncium perſequitur 509.54
Subſtantia eorum confiſcat ib.64
Non vult Ottonem in Papam eligi 510.40
Favet electioni Galfridi Mediolanenſis ib.42
Hortatur Cardinales ut Papam eligerent 530.21
Nolentium bona populatur ib.45
A novo Papa excommunicatur 534.51
Viterbium, &c. amittit 537.29
Ob varia infamatur ib.54
Conciliat Landegravium 5[illegible].13
Tartaros ex Hungaria pellit 545.61
Epiſtola ejus de depopulatione terræ ſanctæ 546.29
Ut pace Eccleſiæ fruatur, offert Tartaros debellare, & terram ſanctam liberare 547.49 & 582.53
Pro pace obtinenda obligat ſe ſtare judicio Papæ 554.44
Articuli in quibus ſpoſpondit ſe ſatisfacturum Papæ 555.1
Reſilit 556.21
Ob fugam Papæ pro proſecutore habetur 561.36
Per literas petit, ne Rex patiatur Papam colligere pecunias contra eum 563.67
Angliam à tributo Papali liberare proponit 566.[illegible]
Iterum excommunicatur 575.37
Procuratores ad Synodum Lugdunenſem mittit 582.55
Crimini ei à Papa ibidem objecta 583.40 & 584 & 585
Deponitur 5[illegible].37
Scipium coronat 595.49
Nuptias ejus deteſtatur puella Auſtriaca ib.60
Contra Mediolanenſes tendit 602.33
Quanta ut abſolvatur promiſit 610.16
Literis ſe purgat 614 33
Literis ad Hen.3. laqueos Papales detegit 622.37
Conſpirare fertur in Papæ necem 631.56 & 632.27
Pacem Mediolanenſibus concedit 633.6
Apulos, Siculos, &c. cogit homagium filio facere 634.11
Excommunicatur ib 27
Parmam obſidet 640.24
Eis fit immiſericoos 643.20
Fugant ejus exercitum 648
Diffamatur per Europam 660.42
Evadit venenum 662.53
Valetudinarius pacem offert 665.27
Potentia ejus creſcit ob odium Romanorum 670.25
Parmam intercipit, & homagium ab aliis 652.40
Moritur 695.12
Contra eum Anti-Imperatores Papales infelices 698 29
Ejus teſtamentum 702.2
S. *Frideſwitha* virginis corpus Oxoniæ requieſcit 54.5
De ea narratio ib.39
Ejus monaſterium ibi combuſtum ib 54
Id intrare timebant Reges 852.1
Friſonum arma; interficiunt Willielmum Imperatorem 793.36
Fulco Hieruſalem profecturus, comitatum dat filio Gaufrido Andegavenſem 59.32
Filiam Regis Hieruſalem in uxorem ducit ib.35
In Regem Hieruſalem coronatur 60.48
Turcos Antiochenas partes infeſtantes vincit ib.63
Reædificat urbem Berſabeam 61.5
Mors 66.52
Sepultura ib.58
Fulco prædicator uſuram in Francia extirpat 160.19
Fulco ruptarius & ſpurius, Rege mandante, in Barones Angliæ debacchatur 195.63
Ob hoc Domina Margareta de Rupariis ei nubit 196.2
Fulco Londinenſis Epiſcopus ſubmittit ſe Bonifacio Cant. 699.49
Fulgur tenebras ſequens apud Londinum dum Miſſa celebratur 307 40
Fulgur ex terræ cavernis 807.11
Fulham ædes Epiſcopi Londinenſis 778.34

G

Galeia quot vehebant 561.23
Galeweia inter tres filias Alani tribus nobilibus ductas partitur 363.39
Galeweia quomodo ad comites Wintoniæ devenit 620 58
Galeweia (Scotiæ) ſub jure comitis Wintoniæ 716.65
Galfridus Arthurus (ſive Monemuthenſis) Epiſcopus S. Aſaph 71.17
Galfridus Epiſcopus Ceſtrenſis 189.56
Galfrido Fitz-Petri & Epiſcopo Winton. regnum committit Johannes Rex 201.25
Galfridi de Langleia tyrannis in foreſtis & aula regia 680.28, &c.
Galfridi de Lizinnum fratris Hen.3. factum inſolens 737.37
Galli nobiles mortui in terra ſancta 668.52
Galli victi in Flandria, & timentes ſibi ab Anglia revocant Lodovicum Regem ex terra ſancta 761.35
Gallicana Eccleſia negat dare Prebendas Papæ 277.67
Gallicanæ Eccleſiæ querela contra Papam 628.15,38
Gannock caſtrum contra Wallenſes conſtructum 597.54 & 599.29
Wallenſes egregiè coarctat 599.45
Garda ſive cuſtodiæ hæredum minorennum uſque ad legitimam ætatem, ad coronam pertinent 310.34
Gaſconia periclitatur 472.4
Gaſconia bellis infeſtatur 638.42
Gaſconienſes detinent Hen.3. & 40000 marcas extorquent 671.60
Gaſconia ſola ex omnibus ditionibus Gallicis Hen.3. relicta 719.2
Ejus cuſtodia Richardo Cornubienſi data 722.33
Edwardo Principi 728.51
Titubat infidelitate 743.46

Ga-

Gaſconia rebelles 718.32 & 719.2 & 744.21,50 & 747.15
  Confœderantur Regi Hiſpaniæ 749.44 & 751.37
Galfridus antilles Bathoniam & Berkeleiam depopulatur 12.7
  Galfridus de Mandevilla firmat turrim Lond. 66.12
  Sacrilegus occumbit 67.23
  Galfridus de Mandevilla in Turneamento interficitur 235.52
Gaufridus Plantageneſt comes Andegavenſis factus à Fulcone patre 59.33
  Connubio jungitur filiæ Imperatrici Hen. I. ib.37
  Ei natus eſt Hen. 2. 60.55
  Et tertius filius Willielmus 63.19
  Caſtella Normannica occupat ib.15
  Fugit ib.27
  Angliam requirit ib.30
  Normanniæ dux appellatur 67.33
Gaufridus Plantaginet Eboracenſis Archiepiſcopus 127.15 & 129.21
  Ordinatur Presbyter & confirmatur Archiepiſcopus 131.62
  Incarceratur 136.37
  Liberatus omnes ſuos injuriatores excommunicat ib.42
  Spoliatus bonis 172.1
  Cum Rege pacificatur ib.17
  Exulat 186.32
  Clam transfretat 189.47
  Moritur 194.40 & 195.11
Gaufridus de Gorham Abbas S. Albani decimus ſextus 57.39
  Moritur 67.44
Gaufridus Epiſcopus Dunelmenſis 61.15
Gaufridus de Muſchamp Epiſcopus Coventrenſis 162.17
Gaufridus Epiſcopus Lincolnienſis electus 106.15
  Electioni renunciat 117.35
Gaufridus Epiſcopus Elienſis 106.14
Gaufridus de Burgo Epiſcopus fit Elienſis 273.15
  Moritur 297.47
Gaufridus Regis Hen. 2. filius diem clauſit 119.57
Gaufridus Mediolanenſis in Papam eligitur 50.42
  Moritur 512.34
Gaufridus de Mariſco Regis Juſtitiarius, in Hybernia rebellionem ſupprimit 308.68
  Dat conſilium proditorium 336.24
  Partes Mareſchalli relinquit 336.55
Gaufridus filius Petri Proto-juſtitiarius Angliæ 162.44
  Obiit 198.57 & 204.17
Geliſius Antipapa 56.13
Genealogia Iſabellæ Hen. 3. ſororis 351.62
Genua Imperatoris in adoratione exoſculata 296.7
S. *Georgius* Chriſtianis auxiliator 36.7
  Locus ejus ſepulturæ 38.28
Germani Conſtantinopolitani Patriarchæ epiſtola 386.53
Geroldus Patriarcha Hieruſalem per epiſtolam Imperatoris famam denigrat 302.58
Gigas Welweius Walles 11.3
Gilberti Poretæ 4 errores à Concilio Remenſi condemnantur 56.55
Gild-hall aula Londinenſium 835.23
Gilebertus Univerſalis conſecratur Epiſcopus Lond. 59.30
  Moritur 61.19
Gilebertus Herefordenſis Epiſcopus 67.52 & 69.51
  Fit Londinenſis Epiſcopus 83.37
  Excommunicatur 92.43
  Abſolutus 98.5
Gileberte Foliot, Deus tuus eſt Aſhtaroth 90.42
Gilebertus de Glanvilla Roffenſis Epiſcopus 119.50
  Moritur 209.24
Gilebertus de Gant comes Lincolniæ 240.30
Gilebertus Baſſet fit e conciliis regiis 341.23
Gilebertus de Glovernia & de Clare moritur 310.4
Gilebertus comes Mareſchallus Regi reconciliatur 482.1
  Mauritio Juſtitiario Hyberniæ conciliatur 482.12
Gilebertus mortui Mareſchalli fratris terras & honores occupat 341.19
  De vindicta necis fratris ſe purgat 352.35
Gilo de Brauſe Epiſcopus Herefordenſis 172.61
Girardus Epiſcopus Herefordenſis 47.60
  Poſt Archiepiſcopus Eboracenſis 49.23
  Eliminatur ab Anglia ib.25
Girardus Puella Epiſcopus Coventrenſis fit & moritur 118.1
Giſors & Vegeſin Richardo relaxat Gallus 133.46
Glaſtonia Avalon, i.e. pomorum inſula dicta 138.63
Godefridus de Bullen crucesignatus 19.51
  Cum aliis Hieroſol. petit 22.59
  Ejus ſocii ib.61
  Frater Baldwinus 27.12
  Turcos ſuperat ib.33
  Fit Rex Hieroſol. 41.64
  Uno ictu Saracenum dividit 30.45
  Regionem Ammonitarem invadit 47.53
  Cameli caput gladii ictu amputat ib.54
  Alterum camelum decollat 48.3
  Morbo correptus moritur ib.8
  Sepelitur ib.10
Godefridus de Monte Paganum occidens occiditur 26.47
Godefridus Epiſcopus Bathonienſis 58.19
Godefridus de Lucy Epiſcopus Wintonienſis 179.17
  Moritur 178.28
Godricus heremitæ vita, acta, & mors 98.8, &c. & 54.22
  Ejus prophetia 125.19
Godeſchalkus tertiam expeditionem conduxit in terram ſanctam 22.4
  Exercitus Hungarorum dolo proditus perditur 22.24
Græcorum in Eccleſiam Romanam & ſuum Imperatorem inſolentia 369.23
  Græci à Romana Eccleſia deficiunt 386.21 & 393.17
  Hærent in ſchiſmate 582.40
Grando ingentis quantitatis in Ciltria 371.40
Gravamina ſeptem Angliæ à Papa impoſita 611.27
Gregorius Papa Rom. Urbano defuncto 121.50
  Citò obit ib.
Greg. 9. Papæ in Fredericum Rom. Imperatorem ſententia 291.4
  Literæ Legato ſuo directæ 294.6
  Roma ejicitur ib.49
  Perſecutores ſuos excommunicat ib.51
  In Imperatorem bellum movet 29[illegible].1
  In Archiepiſcopatum Cant. Richardum eligit 299.64
  Accuſat Imperatorem de exceſſibus quibuſdam 304.27
  Decimas ab Anglo exigit 305.15
  Prælatos monet, ut ſpreto Imperatore ad concilium properent 499.14
  Moritur 550.8
  Ejus mortis cauſa ib.11
  Guerram populo avaritiæ ſuæ impugnanti minatur 365.58
  Pacificatus ſibi pecuniam reſervat ib.60
  Imperatori contra Italos belligerare prohibet ib.63
  Comitem Britanniæ ad concilium ſuum vocat 365.29
  Dat thema prædicationum prædicatoribus de cruce 365.43
  Cauſæ ſuæ diffidit 472.8
  A Cardinalibus relinquitur ib.9
Gregorius Papa proviſionem pro trecentis Romanis in beneficiis ab Anglicis Epiſcopis exigit 476.1
  Ejuſdem alia exactio pecuniarum per Petrum Rubeum facta 476.52
Gregorius Papa conatur à treugis cum Imperatore factis reſilire 482.45
  Diſſuadetur per Johannem de Columpna ib.50
  Eum pro Papa idem Johannes non habebit ib.53
  Ejus calliđa exactio pecuniæ in Anglia ib.64
  Petit ut ei conferatur beneficium 493.64
Greg. 10. Papa 860.19
Griffinus Northwalliæ princeps incarceratus; Regem Henricum in fratrem provocat 506.31
  Ei adhæret Griffinus filius Madoch ib.35
  Regi Anglico traditus in turri Lond. reſervatur ib.57
  E turri corruit 545.22
  A Davide fratre incarceratus 550.55
  In principem Northwalliæ electus 608.60
Griffinus de Brunſ Wallus à ſuis expulſus, Anglos fugit 850.46
  Anglorum exercitum ſuis prodit 818.62
Gustio Biardæ filius Gaſconiam infeſtat 638.43
  Captus reconciliatur Regi 671.45
Guenelo Franciæ proditor 240.62
Guido de Lezinnum frater Regis venit in Angliam 637.59
Gurth Haroldi Regis frater 2.58

H

Habitus Clericorum à Laicis diſtinctus 381.52
  Qualis ib.54
  Habitus fratrum Bethleemitarum 815.20
Haco Norwegiæ Rex coronatur 643.52
  Quare recuſavit in comitatu Gallorum peregrinari 644.1,55
Hacon Norwegiæ Rex conſecratus 703.54
Hæreſis quid 752.62
  Hæretici ſunt prædicatores, qui magnatum peccata non redarguunt ib.57
  Papam accuſat hæreſeos Rob. Groſſeteſt 75[illegible].1, &c.
  Hæretici quidam Oxonii faciebus cauteriatis à regno pulſi 88.26
  Hæreſis Paterinorum & Bogarorum confunditur 362.24
  Eam obſtinate tenentes incenduntur, vel vivi ſepeliuntur ib.26
Halecum vilitas in Anglia 398.54

Ha-

Haroldus Conqueſtori perjurat 1.39
Captus ei præſentatur ib.45
Filiam ejus ducit ib.46
Regnum uſurpat 2.12
De pacto redarguitur ib.19
Seipſum excuſat ib.23
Haroldum Regem Norwegiæ vincit ib.10
Vires Conqueſtoris explorat ib.51
Ordo ejus aciei 3.15
Fortitudo ib.36
Moritur ib.41
Sepelitur ib.50
Haſtiludium apud Brackele 666.26
Haſtiludia & Torneamenta 729.63 & 730.7 & ib.24 & 743.65 & 795.29
Helias Imperatoris frater nequitias Papales prædicat 465.17,&c.
Excommunicatur ib.30
Henricus Willielmi filius 10.23
*Hen.*1. Roberto abſente Rex Angliæ electus 46.31
Confirmat libertates antiquas ib.38
Leges emendat ib.
Novi Parliamenti ſtatuta violat 47.27
Anſelmum ab exilio revocat ib.29
Ducit Matildam Scotiæ Regis filiam 48.42
Navalem expeditionem in fratrem mittit ib.60
Fœdus concordiæ pacto firmatur ib.64
Reinelmo Herfordenſem Epiſcopatum dat 49.5
Robertum de Beleaſmo proſcribit ex Anglia 49.11
Præſulatum & bona Anſelmi ſibi arripit 50.41
Cadomum & Bajocum conquirit 51.43
Robertum fratrem vincit 52.32
De eo patris vaticinium ib.42
Normanniam diſponit ib.51
Incarcerat & luminibus privat fratrem ib.55,61
Anſelmum rogat in Angliam redire ib.53
Paciſcitur cum Anſelmo de electione & inveſtitura Epiſcopatûs 53.3
Matildam filiam Henrico Imperatori deſponſat ib.43
Elienſem Abbatiam in ſedem Epiſcopalem transfert 53.50
Proditores quoſdam exhæredat 54.11
Matildam filiam Imperatori in uxorem dat ib.21
Bellum gerit in Andegavenſem, eúmque cum ejus terra conterit 54.30
Dat Archiepiſcopatum Cant. Rodulpho Epiſcopo Roffenſi 55.10
Subdit Wallenſes ib.16
Nobiles fidelitatem Willielmo ſuo filio jurare facit ib.35
Interfuit cum Regina dedicationi S. Albani Eccleſiæ ib.54
Dedit Biſſopiſcote in dotem perpetuam Eccleſiæ S. Albani ib.60
De unaquaque hyda terræ tres ſolidos capit 53.44
Auxilium dando Theobaldo nepoti Regem Franc. affligit; hinc diſſidium 55.63
Ejus terrore Rex Franciæ perculſus Normanniam relinquit 56.6
Cum Franco prælians vincit 57.34
Rex Magnus ib.43
Cum victoria Angliam transfretat ib.54
Ejus filii Willielmus & Richardus, filia quoque ac neptis, naufragio pereunt ib.57
Ducit Adeliciam ib.61
Contra Wallenſes tendens ſuppliciter obviatur ib.65
Matildam viduatam recipit, eique Angliæ & Normanniæ optimates fidelitatem jurare facit 59.17
Willielmum nepotem timet 59.27
Gaufrido Duci Andegavenſi filiam Imperatricem copulat 59.40
Franciæ Regem Flandro ſuppetias negare cogit ib.
In concilio ſacerdotibus focarias prohibet 60.10
Ei conceditur juſtitia de ſacerdotum focariis ib.13
Accipit pecunias pro focariis retinendis ib.14
Gaufrido filiam reddit 60.34
Filiam, & ex ea naſcituros, ſucceſſores ſibi conſtituit ib.56
Manum S. Jacobi mittit Radingum 61.9
Robam nimis arctam & fractam fratri Roberto mitti jubet ib.32
Moritur ib.54
Mortis præſagia ib.55
Cœnobia ab eo condita ib.58
Municipia ib.59
Inteſtina ejus exciſa apud Rothomagum humantur ib.61
Fœtor cerebri chirurgum ſuffocat ib.65
Apud Radingum corpus ſepelitur 62.6
*Hen.*2. natus 60.54
Jus in Angliam conceditur 72.32
In Angliam trajicit ib.17
Caſtella capit ib.
Ei filius Willielmus naſcitur ib.26
Inter eum & Stephanum Regem pax ib.30
Rex acclamatus conſecratur 77.4[illegible]
Ejus genealogia ex parte matris 79.2[illegible]
Jurare facit filiis ſuis de regno ib.5[illegible]
Caſtella quædam ſubvertit ib.46,&c.
Licentiam rogat à Papa ſubjugandi Hyberniam ib.5[illegible]
Normanniæ caſtella capit 80.22
Ei caſtella quædam civitatéſque in Anglia reſignantur 81.9,&c.
Wallenſes ſubdit ib.20
Filius Richardus Oxoniæ natus ib.22
Coronatus coronam ſuper altare ponit ib.25
Alterum filium Gaufridum genuit ib.27
Pariſiis à Francorum Rege receptus ib.32
Filio Henrico Margaretam deſponſat ib.44
Filia ei nata 82.31
Legatos ad Papam mittens repellitur 86.39
Literas mittit ad vicecomites Angliæ ib.41
Ad Epiſcopum Lond. ib.47
Ad Juſtitiarios ib.51
Commovetur in Thomam Cant. 83.45
Alteram filiam Johannam parit *Alienor* 87.53
Quartum habet ex Alienora filium Johannem 88.27
Diſcordat cum Francorum Rege 90.12
Scribit *Gilberto* excommunicato 92.54
Obedientiam *Papæ hypotheticè* negat 93.15
Ejus literæ ad *Papam* de *inſolentia* Thomæ Cant. ib.17
Gaufrido filio *nobiles* jurare *facit* 97.65
Mandat filium ſuum Henricum coronari 101.45
Pacem cum Thoma Cant. concludit ib.63
Thomæ aſcendentis equum habenas tenet 102.1
In Angliam rediit Thomà jam defuncto 105.4
Recipit regnum Hybernicum ib.9
Abſolvitur 105.49
Filii eum perſequuntur 106.10
Deſerunt eum nobiles ib.41
In Angliam trajectus vota ſolvit Thomæ Cant. 108.23
Virgarum diſciplinæ ſe ſubjicit ib.35
Bella extunc feliciter gerit ib.54
Angliâ pacificatâ Normanniam remeat 109.7
A Rothomago obſeſſo Francorum Regem & filium Henricum fugat ib.14
Filium Henricum ſupplicem recipit ib.35
In Angliam cum filio venit 110.5
Caſtella multa complanat ib.19
Quatuor capitula clero concedit ib.25
Filiam juniorem dat Regi Apuliæ ib.37
Pacem inter Reges Caſtellæ & Navarræ facit ib.43
Gaufridum filium cingulo militari donat 111.38
In Regem Hieruſalem eligitur 119.5
Non accipit ib.35
Æſtimatio ejus apud exteros 111.3 & 119.5
Crucis ſignaculum ſuſcipit cum multis aliis 121.63,&c.
Diſcordat cum Philippo Francorum Rege & Richardo filio 124.6
Perſequitur eum Richardus 125.36
Pacem cum Richardo filio init 126.16
Homagium Regi Francorum facit ib.19
Expiravit ib.45
Sepelitur ib.55
Sanguis Richardo adveniente filio è naribus mortui erupit ib.41
Epitaphium ib.57
Henricus junior Hen.2. filius coronatur 101.46,&c.
Non admittit Thomam Beckettum ad ſe venientem 103.6
Quæ cauſa rebellionis in patrem 105.35
Ab eo deficit 106.5
Et cum eo Richardus & Gaufridus fratres ib.6
Bellum contra patrem ib.38
Deſerit eum Rex Francorum ib.57
Sed iterum cum eo conjungitur 109.11
Ad Dolam exercitus ejus à patre profligatus 107.39
Tentans Angliam ſubjugare exercitum præmittit 108.2
Rothomagum obſidet 109.10
Pax cum patre ib.36
In Torneamentis famam acquirit
Tanileburgum caſtrum capit 116.31
Moritur 117.59
Ad patrem Regem ſibi in coronatione miniſtrantem inſolens dictum 616.30
*Hen.*3. ejus coronatio 243.32
Caſtrum de Mountſorel complanari jubet 250.20
Ejus ſecunda coronatio 260.52
Caſtra de Rokingham & Sanneia capit 261.12
Fundat capellam B. Virginis Weſtm. ib.15
Requiritur libertates regni chartâ ſuâ confirmare 266.61
Hoc concedit 267.6
Normanniam à Lodovico requirit ib.35
Caſtella ſua Baronibus invitis recipit 269.41

Ei decima quinta pars mobilium conceditur 272.18
Libertates confirmat ib.37
Inhibet Prælatos feudum ſuum Eccleſiæ Romanæ obligare 276.59
Apud Merlebergiam infirmatur ib.26
Convaleſcit ib.64
A multis extorquet pecuniam 283.37
Oxoniæ cancellat chartas libertatum ib.53
Certioratur quid in Normannia factum eſt 284.14
Cum fratre contendit de Berchamelſtude ib.28
Diem deſtinat ad pacem inter fratrem & ſe ſtabiliendam 284.56
Quam ad fratris placitum confirmat ib.58
Falſificatas menſuras frangit 290.23
Wallenſes a caſtro Montis Gomericii pellit 295.39
Cridiam concremat ib.46
Caſtellum Cridiæ ædificari conſentit ib.47
Init pacem cum Leolino ib.57
Normanniam petere deſideratur 297.58
Decimas Papæ promittit 299.32
Magnum apparatum ad transfretandum facit 306.32
Hubertum proditorem vocans interficere voluit ib.44
In diem dictum milites dimittit ib.51
Huberto reconciliatur ib.52
In Britanniam minorem tranſit 380.5
In Gaſconia homagia recipit 309.27
Caſtrum Mirebelli capit ib.28
In Angliam redit ib.65
Scutagium exigit pro expeditione tranſmarina 310.19
Caſtellum Matildis in Wallia conſtruit 311.33
Auxilium poſtulat 314.23
Negatur a Laicis ib.30
Protrahitur à Clero ib.31
Revocatur à nuptiis ſororis Regis Scotorum 312.34
Ratiocinium à miniſtris exigit 317.35
Fraudulentos removet & mulctat ib.38
Ab Huberto rationem requirit ib.46
Hubertum ab altari extrahi jubet 319.2
Pœnitet facti, revocat ib.26
Mittit militem cum 300 armatis ad Hubertum apprehendendum ib.49
Huberti theſaurum diſtrahi præcipit 321.40
In Hubertum inclinat ib.63
Naturales miniſtros à curia removet 324.13
Increpatur per Richardum Mareſchallum ib.41
Omnes regni nobiles ſuſpectos habet 326.25
Richardi Mareſchalli aliorúmque villas concremari, & caſtella obſidere jubet ib.47
Eos proſcriptos denunciat, & terras eorum Pictavienſibus dat ib.52
Diffidat Mareſchallum 327.15
Exercitum colligit 328.42
Ejus exercitus diſſipatur ib.56
Gloverniam reverſus 329.2
Londini domum Converſorum erigit, & Oxoniæ hoſpitale 332.1
Erga Mareſchallum implacabilis ib.25
Huberti uxori octo maneria concedit 334.58
Conſiliis Magnatum ſuorum obtemperat 335.20
Pictavienſes exterminat ib.27
Pacem cum Mareſchallo petit ib.31
Mortem Mareſchalli deplorat 340.33
Proſcriptos revocat 340.49 & 341.12
Coram ſe Petrum de Rupibus, Petrum de Rivallis, Stephanum de Seagrave, & Robertum Paſſeleve, citat 341.27
Petrum de Rivallis objurgat ib.64
Eum de laicis poſſeſſionibus denudat 342.18
Stephanum de Seagrave increpat ib.26
Iſabellam ſororem ſuam Frederico Imperatori in uxorem dat 349.63
Ad maritagium 300000 marc. Imperatori numerat 352.29
Camelum ab Imperatore recipit 354.26
Alienoram comitis Provinciæ filiam Cantuariæ deſponſat ib.58
Novas quaſdam leges inſtituit 356.19
Richardum fratrem ad Imperatorem mittere recuſat ib.11
Colloquium habet cum regni magnatibus Londini 362.40
Muneribus corruptos removens alios ſubſtituit ib.54
Regis Scotorum poſtulationem ſuſpendit ib.63
Richardum Sward à regno relegat ib.64
Officiarios quoſdam removet 363.2
Quædam conceſſa revocat 364.20
Suos Judæis nocere prohibet ib.34
In Parliamento triceſimam nobilium requirit 367.31
Objectis ſibi reſpondet 368.12, &c.
Bona regni inter alienigenas dilapidat 369.52
Ab Imperatore ad colloquium Principum vocatus ſeipſum excuſat 371.18
Fratrem Richardum cum aliis mittit ib.19
Increpatur per Edmundum de Ottone Legato ib.50
Ei indignantur nobiles 376.15
Eum Richardus frater objurgat ib.30
Feudarius Papa non Rex ib.43
In donis profuſiſſimus ib.49
Comitem Provinciæ ad ſe vocat ib.58
Pacem inter Angliam & Scotiam Eboraci ſtabilit 377.3
Deſponſat ſororem ſuam Alienor. Simoni de Monte Forti 393.18
Hinc in eum commoventur magnates 394.62
Agit partes Legati in ſcholares Oxonienſes 397.24
Imperatorem juvat contra rebelles ib.60
Epiſcopatui Wintonienſi electum Valentinum commendat 399.32
A Monachis Wintonienſibus opponitur 400.21
Ejuſdem Epiſcopatûs poſſeſſiones demollitur ib.39
Ab Epiſcopo Ciceſtrenſi ſigillum aufert ib.53
Ipſúmque caſſat ib.58
A facineroſo in thalamo jugulandi cauſa petitur 401.31
Gilebertum Mareſchallum deridet 409.5
Comitatum Legriæ dat Simoni de Monte Forti ib.19
Procurat Norwicenſem & Ciceſtrenſem Epiſcopos caſſari ib.30
Cancellarium revocare tentat 411.4
Ei filius primogenitus Edwardus naſcitur 413.52
Ejus calumniæ in Hubertum de Burgo 462.43
Quatuor caſtra reſignari per Hubertum exigit 463.10
Eccleſiam Wintonienſem opprimit ib.57
Simonem Normannum & Galfridum Templarium è curia expellit 465.37
Baldewinum de Ripariis cingit baltheo militari, & inveſtit comitatu Vectæ 468.40
Criminaliter accuſat comitem Mareſchallum 469.14
Ab Imperatore reprehenditur ib.24
Imperatoris cauſa Papæ ſcribit ib.35
Ei ea propter indignatur Papa ib.36
Legatum repatriare monet ib.46
Multos fidelitatem jurare facit Edwardo primogenito 470.33
Papæ in nulla re contradicere audet ib.51
Scribit Imperatori pro comite Provinciæ 473.55
Juſtitiarios Itinerantes per Angliam mittit 476.44
Ei filia naſcitur Margareta 480.10
Legatum in Regali ſede collocat 489.22
De Ottonis diſceſſu dolet ib.30
Petro de Sabaudia comitatum de Richmundia confert ib.50
Eundémque Petrum militem creat ib.60
Mœnia juxta turrim Lond. conſtruit in Londinenſium præjudicium 492.11
A Majori Londinenſi annuum 40 librarum reditum aufert ib.15
Non patitur Papam beneficia tenere in Anglia 494.22
Bonifacium Reginæ ſuæ avunculum ad Archipræſulatum Cant. promovet ib.57
Perſuadet David ut Griffinum incarceratum liberaret 506.25
Negatur ib.29
In Walliam cum exercitu proficiſcitur ib.45
Walliam ſine ſanguinis effuſione ſubjugat ib.64
Aureum feretrum pro S. Edwardi reliquiis fieri facit 508.34
Negat W. Mareſchallo ſuam hæreditatem ib.41
Placatus eum creat 509.3
Iratus Epiſcopo Norwicenſi ib.8
Inſtigatur ad Pictaviam recuperandam 514.24
Convocat Parliamentum Londini ib.29
Cum Regina ſua apud Doveram fratri ſuo Richardo occurrit ib.36
Arguit pro ſubſidio pecuniario ſibi impertiendo ib.64
Ei reipublicæ causâ reſpondent magnates 515.21
Indignabundus Parliamentum ſolvit ib.45
Multam pecuniam colligit 516.64
Ad tranſitum multos ſecum attrahit 517.7
Præmittit ad amicos Pictavienſes certitudinem adventûs ſui ib.13
Præparat ad tranſitum ib.26
Cuſtodiam regni Archiepiſcopo Eboracenſi commendat ib.42
Applicat in Roganum ib.54
Magnam per mare jacturam patitur 519.47
Repudiatis treugis Francorum Regi bellum indicit 520.31
Per Pictavienſes ſeducitur 521.13
Imperat quinque portibus per mare Gallis inſidiari 522.4
Tailleburgam & exercitum Gallo opponit ib.22,37
Fugit 523.7
Comes Tholoſanus ei opitulari non poteſt, ut nec Arragoniæ Rex 524.26,27
Xantona civitas ab eo deficit ib.39,61

Inde ad Blavium fugit 525.2
Pictavenſes magnates ab illo deficiunt 525
Regina ei filiam Burdegali parit 526.22
Ibi deſes moras nectit 527.46
Jubet ex Anglia victualia ſibi mitti 527.61
Honor ejus ibi minuitur 528.14
Exhauſto theſauro pecunias à Ciſterſienſibus petit ib.51
Inducias quinquennales cum Gallo paciſcitur 531.12
Cupit in Angliam redire ib.42
Quas penſiones annuas Pictavienſibus dederit 534.21
Redit in Angliam ib.31
In Epiſcopum Wintonienſem ſævit 536.50 & 537.6 & 542.42
Per literas de Romanorum oppreſſionibus conqueritur 550.22
Objectiones ejus contra Wintonienſem 559.58
Mitiùs cum eo agit 560.43
Eundem recipit 562.36 & 571.5
Scotiæ contermina communit 563.2
Auxilium pecuniare negant proceres, ni velit chartas obſervare, &c. ib.24
Ita & clerus 564.24
Sed tandem conſentiunt 566.24
Quotiens Parliamenta ei pecuniare auxilium conceſſerant ib.30
Inhibet ne prælati pecunias Papæ clerus conferat 567.2
Proficiſcens contra Scotiæ Regem cum eo pacificatur 568.28
Ejus ſtylus ib.43, &c.
Pecuniam negante Parliamento, à Londinenſibus extorquet 572.43,51
Eccleſiam Weſtmonaſterienſem ampliat 581.24
Jurat ſe nunquam perſoluturum tributum Romanæ curiæ 597.6
Bellum gerit contra Wallenſes ib.50
Illis coarctatis revertitur 599.48
Non concedit ut pecunia in regno ejus colligatur ad ſubſidium terræ ſanctæ 600.23
Non patitur ut Papa rapiat clericorum inteſtatorum bona 618.9
Nec ut tallagia eidem ſolvantur ib.26 & 619.17
Eum Fredericare dicit Papa 620.15
Enervatus permittit Papalibus pecunias corradere 624.33
Prohibet exactionem Papalem 625.39
Ejus prohibitiones ſive ſtatuta nova contra judices ſpirituales 634.26
Ducis Brabantiæ filiam petit in uxorem pro filio Edwardo 636.56
Proceſſione ſanguinem Chriſti bajulat 641.14
Fratres ditat 643.40
Redarguitur in Parliamento 646.22
Rapit vina, victualia, & veſtes, à mercatoribus ib.27, &c. & 657.52
Frontoſè reſpondet Parliamento 649.60
Vendit utenſilia ſua, &c. 650.22
Mendicat pecuniam ab Abbatibus 658.11
Latrocinia multorum Wintoniæ deprehendit 659,660
Veniam cum lachrymis à Londinenſibus petit 670.53
Crucefignatur ib.63
Gaſconenſes ab eo extorquent 40000 marcas 671.61
Menſæ dapſilitatem & eleemoſynas conſuetas reſtringit 674.25
Novas chartas concedit Weſtmonaſterio 678.12
Concionatur Wintoniæ 692.28
Arctatur quomodo reſpondeat Papæ, petenti apud Burdegaliam commorari, &c. 694.58
Dapſilitatem menſæ abbreviat 697.55
Apud Abbatias prandia quærit ib.56 & 726.13 & 730.41 & 840.41.52
Curia ejus venalis ut Romana 697.65
Ditat fratres Guidonem & Galfridum deluſis Anglis 699.28,30
Expenſæ 702.13
Anglorum amorem magis amittit, & alienigenis adhæret 702.1
Donaria obtulit S.Albano 706.56 & 713.7 & 730.34 & 706.48 & 800.6 & 811.39
Et extorſiones inde 708.63
Filiam Regi Scotorum locat 716.9
A Judæis pecunias extorquet 717.63
A Papa inſtigatur ad peregrinandum in terram ſanctam ib.56
Jurat ſe peregrinaturum 720.20
Suis durus, alienigenis prodigus ib.44
Durus in Simonem Legriæ comitem 722
Obtinet decimas totius Angliæ per triennium à Papa 732.10
Quot modis regnum oppreſſerat ib.& 733
Eccleſias vacantes alienigenis confert 731.26
Decimas dare recuſant Prælati 732,733,7[illegible]
Iraſcitur fratri Æthelmaro 734.30
Londinenſibus injurioſus ib.40,44
Magnates auxilium pecuniare ei negat 735.14
Qualiter increpabat illum comitiſſa Arundeliæ ib.31
Chartas ſuas vult revocare 736.21
Fratrum ejus inſolentiæ 737.18,38
Wintonienſes cives taxat 741.46
Jurat ſe obſervaturum Chartam Magnam 742.40
Violat ib.48
Indigenas ſupplantare ſtudet 743.1
Regnum armis inſtrui jubet 744.20
Odium omnium incurrit ib.63
Eccleſiaſticas electiones impedit 745.56
Quid reſponderit Epiſcopis ib.59
Ei peregrinaturo conceditur decima triennalis 746.14
Iterum jurat ſe obſervaturum Magnam Chartam ib.57
Jusjurandum violat, confidens in abſolutione Papali 747.8
Transfretat in Gaſconiam 748.14
Regulam obſidet 749.43
Papa eum vocavit ſuum mancipium 750.50
Acquirit ſua caſtra in Gaſconia 751.37
Petit Hiſpaniæ Regis ſororem dari in uxorem Edwardo filio ib.54
Auxilium ei negatur à Parliamento 759.8
Et iterum ab alio 763.20
Rumores inanes ſpargit in Anglia de Hiſpaniæ Rege 758.53 & 763.10 & 764.32
Privilegium ejus Weſtmonaſterio ib.46
Plus æris conſumpſit in amittenda Pictavia, & retinenda Gaſconia, quàm terræ valerent 766.9
Colligit promiſſam decimam ib.23
Siciliæ regnum à Papa filio oblatum acceptat 767.60
Obligat ſe Papæ pecunias miniſtraturum ſub pœna exhæredationis 768.20 & 771.17 & 801.57
Origo ejus obligationis 782.55
Redit in Angliam per Franciam 772.52, &c.
Ei fit obviam Rex, &c. ib.
Excipitur convivio 773.50
Regem Franciæ agnoſcit pro ſuo Domino 774.9
Redit in Angliam 775.19
Pecuniare auxilium ei negatur in Parliamento 778.21
Ab eo Parliamentum poſtulat, ut ipſi eligant Juſtitiarium, Cancellarium, & Theſaurarium ib.4
Vi tollit pecunias ex Eccleſia Dunelmenſi 781.54
Aliæ expenſæ inutiles 782.33
Fraus ejus ad extorquendas pecunias à Clero 783.3
Jurat ſe iterum in Apuliam cum exercitu 788.11
Eum mentiri dicit Comes Mareſchallus ib.16
Quàm graviter obligatus mercatoribus Papæ 789.10 & 813.16.17
Injuſtè reſpondet Roffenſibus de Bonifacio conquerentibus 792.30
Repetens ditiones ultramarinas à Gallo negatur 792.60
Conſternatur ob devictos papales in Apulia 793.25
Vult ſimul Ciſtercienſium extorquere orationes & nummos 794.45
Portus ne aliquis transfretaret prohibet 795.26
Nuntiis mitigat Hiſpaniæ Regem, Gaſconiam invadere minantem 803.4
Inhibet ne breve ſigillatum de Cancellaria exeat contra fratres 805.40
Commenta ejus ad acquirendas pecunias ib.45, &c.
Uſurarum ſumma, in qua Caurſinis Papalibus obligabatur ib.61
Inducias prorogat cum Gallo 810.19
Pecuniare auxilium implorat pro filio Edmundo & Siciliæ regno 813.11
Ejus expenſæ horribiles 814.10
Prælati ei concedunt 52 (vel 42) millia marcarum 813.26 & 816.56
Expeditionem parat in Walliam 817.17
Laborat tertianâ 818.19
Prudenter reſpondet Hiſpano petenti auxilium 819.53 & 822.12
It cum exitu contra Wallenſes 819.30
Redit inglorius 819.60
Poſtulat jura ſua à Gallo 820.1
Pacat Papam 5000 marcis 824.26
Charta ejus cauſa confirmans compoſitionem inter Abbatem & Conventum S.Albani 824.56
Tenet Parliamentum pro negotiis Apuliæ & Walliæ 826.63
Magnatum reſponſio 828.[illegible]
A Papa poſtulat, ut Crucefignati in Apuliam converterentur 828.[illegible]
Machinæ ejus ad extorquendas pecunias ab Abbatiis ib.[illegible]
Sed non prævalet ib.54 & 82[illegible] &c.

Re-

Redarguitur à Parliamento 830.37
Jurat ſe Magnam Chartam obſervaturum 832.63
Formidat Simonem Legriæ comitem plus quàm tonitru 835.56
Inquirit de gravaminibus regni 838.3
Iraſcitur Philippo Luvel foreſtas evacuanti damis ib.15
Pacem concludit cum Gallo 844.15
Quæ impeditur 846.14
Transfretat in Galliam, & reſignat Normanniam & Andegaviam 848.30
Vult abſolvi à juramento Oxonienſi 860.6
In turri ſe includit ib.45
Intrat caſtra Doveræ & Roffæ 850.21, &c.
Deponit Juſtitiarium & Cancellarium à Baronibus conſtitutos, ib.31
Articuli pacis inter eum & Barones 851.38
Intrat S. Frideſwedam 852.1
Proſequitur Barones, & literæ ejus ad eos 852
Ordo ejus aciei contra eos 853.30
Capitur ib.50
Liberatus convocat Parliamentum 856.17
Armis proſequitur rebelles 857.8
In Parliamento omnia ei negantur 859,860
Obſidet inſulam Elienſem 860.56
Ultio ejus in Norwicenſes 864.37
Moritur ib.48
Uxor, proles, devotio, deſcriptio ib.62
Henricus Imperator Wibertum Papam fore deſignat 9.13
A Romanis recipitur ib.39
Rodolphum pellit ib.2
Interficit 11.19
Mors ejus 59.11
Ejus relicta Matildis ad patrem revertit ib.13
Henricus Frederici filius Imperator conſecratur 136.23
Henricus Rex Alemanniæ patri procurans venenum incarceratur 351.24
Henricus mittitur ad Conradum fratrem contra Tartaros 501.42
Henricus Imperatoris filius ſcribit Lodovico Gallo, ut reſtituat Normanniam, &c. 663.30
Henricus Abbas Glaſtonienſis nepos Hen. 1. Epiſcopus fit Wintonienſis 60.16
Henricus Wintonienſis Epiſcopus clam ab Anglia fugit 79.44
Ejus mors 105.6
Henricus de Hereford à Wallenſibus occiſus 110.14
Henricus Mareſchallus fit Exonienſis Epiſcopus 148.41
Henricus de Campana Hieruſalem Rex cervice fractâ moritur 159.25
Henricus fit Epiſcopus Exonienſis 193.57
Henricus Murdac Eboracenſis Archiepiſcopus 67.54
Moritur 72.11
Henricus de Boun comes Hertfordiæ moritur 261.28
Henricus de Sanford fit Roffenſis Epiſcopus 284.17
Henricus comes Britanniæ Regi facit homagium 306.53
In regionem ſuam revertit ib.55
Henricus Davidis Scotorum Regis filius obſes in Angliam ducitur 64.56
Henricus de Braiboc caſtrum de Mountſorel defendit 247.4
Incarceratur 270.14
Liberatur ib.64
Henricus de Bathonia 701.26
Incarceratur ib.40
Pro ejus liberatione concitantur turbæ ib.59
Accuſatur in Parliamento 703.62
Liberatur 704.17
Reconciliatur 708.47
Henricus hæreticus à puella confutatur 71.24
Henſius Sardiniæ Rex filius Frederici 634.16
Parmenſes vincit 666.32
Capitur 665.20
Herebertus Roſinga transfert Epiſcopatum de Theodford ad Norwicum 15.18
Herebertus Pauper fit Sarisberienſis Epiſcopus 148.26
Herefordiæ Comes Conſtabularius (Dux) regii exercitûs ex antiquo jure 763.54
Heremita Rich. 1. prædixit Hieruſalem non eſſe ſubjugandam 141.49
Herewardus Anglus ſtrenuus 5.65
Herewardi caſtellum in Inſula Elienſi 6.3
Herlotus Papæ nuntius venit in Angliam 826.17
Recedit ab Anglia 837.44
Hermaphroditus 265.19
Hermaphrodite & parit, & aliam hermaphroditen impregnat 617.14
Hertfertenſis Epiſcopus obiit 604.15
Hertfertenſis Epiſcopus quis 645.14
Heroldi Mirabelli Capitanei fidelitas 525.52
Quæ ab hoſte remuneratur 526.16
Hervæus Epiſcopus Bagornenſis 53.48
Fit primus Epiſcopus Elienſis ib.51
Hervei Epiſcopi Elienſis obitus 61.14
Hybernia ſubjacet Regi Angliæ 105.11
Hyberni Regi Hen. 2. fidelitatem jurant ib.10
Leges Angliæ recipiunt ib.38
Et monetam 193.34
Hybernia per Regem Johannem reformata ib.30
In Hybernia 4 Epiſcopi conſtituti 71.22
Ut Hyberniam ſubjuget Hen 2. Papa licentiam dat 79.58
Hybernienſium ſtrages, & captio reguli de Connoth 309.11
Hybernienſes proceres impugnare non audentes militibus ad Mareſchallum perimendum arma tradunt 337.5
Hieruſalem à Crucesignatis obſidetur 38.53
Capitur 40.44
Deſcribitur 43.27
Hieruſalem Saracenis ſubjugatur 121.22
Chriſtianis reſtituta 302.3
A Choroſminis occupata 557.3
Hieroſolymitanum regnum in fœminam Sybillam collatum 120.26
Hieruſalem Rex Johannes de Briſne moritur 370.29
Ejus frater Jordanus mergitur ib.32
Hildebrandus Papa nequam 7.20
Uxoratos ſacerdotes removet ib.21
In Eccleſia ſchiſma ib.32
Diſſidium inter eum & Imperatorem 8.53
Abjuratur ab Imperatore ib.56
Excommunicat Imperatorem ib.57
Vaticinium ejus 9.15
A Papatu abdicatur per populum 9.40
Moritur 10.41
Hildegardis Prophetiſſa floret 489.1
Hiſtoriographorum dura conditio 771.14
In *homagio* conditio 62.56
Homagium ab Epiſcopis Regi præſtandum 53.7
Homagii Epiſcoporum erga Regem principales circumſtantiæ 85.6
Homagium Willielmi Scotorum Rich. 1. 130.10
Homagii Regis Johannis quam Papæ præſtitit forma 199.35
Homagium junctis manibus factum 344.6
Honorius Papa Romanus 60.8
Obiit ib.25
S. Hugonem Lincoln. canonizat 260.62
Honorii Papæ mors 284.1
Cui ſuccedit Gregorius ib.
Hoſpitium in Abbatiis Magnates & Epiſcopi poſtulant per ſuas literas pro charitate 756.37,42,43 & 805.25
Hoſpitalis Hieroſolymitani domus in Clerkenwell 736.13
Hoſpitalarii quot maneria habuerunt in Chriſtianitate 544.6
Inſurgunt in Templarios 846.25
Hubertus de Burgo Doverenſe caſtrum contra Lodovicum Gallum defendit 240.45 & 243.61
Eſt Angliæ Juſtitiarius 265.60
Murmurant magnates contra eum 268.6 & 269.37,44
Rogat ut uxor comitis Sarisberienſis Reimundo copuletur 276.12
Comiti requirenti ſatisfacit 277.10
Gladio accingitur 284.19
Apud Cridiam caſtellum ſtruit 295.47
Ejus filius Johannes cingulo militari donatur 306.23
Liberat Hen. 3. à minoritate & pædagogis 283.50
Regis conſiliarius unicus 297.61
Iraſcitur ei Rex 306.42
Sororem Rex Scotorum ducit 312.33
Reus arguitur violentiarum Romanis clericis factarum 316.62
A Juſtitiaria movetur 317.43
Ratiocinium ab eo exigitur 317.46
Ejus reſponſio ib.65
Ei crimina majora objecta 318.6
Ad aſylum Meritonæ fugit ib.60
Londinenſibus odioſus ib.44.62
E capella quadam extractus in turri Lond. incarceratur 320.10
Laudatur à fabro 319.62
Reportatur ad capellam prædictam 320.20
Cibus ei denegatur ib.24
Eligit ſe Regis clementiam experiri quàm fame perire ib.40
Ad turrim Lond. eum revehunt ib.20
Regi theſaurum ſubjacet 321.48
A caſtro de Diviſis liberatus altare apprehendit 327.39
In caſtellum fuſtibus cæſus reducitur ib.47
In Eccleſiam remiſſus eſt ib.58
In Walliam adducitur 328.39
In amplexum Regis redit 340.54
Ejus oratio ib.56
Inter conſiliarios readmittitur 341.22

Viſo

Viſio 340.63
Deo liberatori ſuo gratias agit 341.9
Iram Regis iterum ſedat 369.19
Hubertus Walterus Sareſburienſis 129.19
Executor Baldwini Cant. 135.16
Fit Cant. Archiepiſcopus 147.9
Ab officio juſtitiarii amovetur 162.41
Moritur 178.47 & 204.24
Sepelitur *ib.*
Hugo de S. Victore quouſque Chronica digeſſit 60.6
Hugo Bigot caſtellum Norwicenſe occupat 63.5
Hugo Bigod comes orientalium anglorum moritur 273.45
Fit Juſtitiarius Angliæ à magnatibus 833.41
Juſtitiariam exercet 838.33 & 839.33,57
A Rege deponitur 850.31
Stat cum Rege contra Barones 853.47
Hugo de Puſat Epiſcopus Dunelmi fit Cant. Archiepiſcopus 77.10
Obiit potionatus *ib.*12
Comes fit Northumbrienſis datâ pecuniâ 129.30
Item Angliæ Juſtitiarius *ib.*34 & 130.44
Cæcus moritur 129.55
Hugo Ceſtrenſis bonis omnibus ſpoliatur 146
Hugonis de Nunant pœnitentia 161.28
Mors *ib.*51
Hugo de Paganis primus fratrum Templi 56.22
Hugo Salopesberienſis ab Hybernienſibus occiditur
S. *Hugo* Lincoln. Epiſcopus 119.63
Vita ejus 170.20
Miracula *ib.*50
Mors 171.44
Sepultura *ib.*50 & 172.5
Canonizatur 260.62
Hugo Wallis Epiſcopus fit Lincoln. 191.64
Ejicitur 192.51
Pro Epiſcopatu ſuo recuperando ſolvit 1000 marcas 252.25
Hugonis Magni incarceratio 23.11
Liberatio *ib.* 14
Apoſtaſia 37.3
Comes Viromadenſis 49.47
Tharſi defunctus eſt *ib.*61
Hugo Foliot Herefordenſis fit Epiſcopus 260.35
Hugo de Calvo Monte capitur 152.57
E cuſtodia elabitur *ib.*60
Hugo fit Epiſcopus Elienſis 297.50
Conſecratur 306.29
Hugo de Nevilla obiit 265.23
Qui in terra ſancta leonem interfecerat *ib.*24
Sepulturæ locus *ib.*19
Hugo de Maneport Herefordenſis Epiſcopus moritur 260.34
Hugo de Pateſhulle fit Theſaurarius Angliæ 342.40
Hugo puer à Judæis crucifixus 784.31
Hugonis Cardinalis concio Lugduni 707.45
Hungaria ab Imperio tenebat 545.63
Huntendona datur filio David Regis Scotorum perpetuo jure tenenda 63.1
Scotiæ Regi confirmata 800.33
Huſtingum adeunt Tallagio requiſito pro ſe Aldermanni 152.12

I

S. *Jacobi* manus Radingum miſſa 61.9
Aufertur
Reſtituitur 79.52
Jacobitarum ſive Iacobinorum origo & errores 373.3, &c.
Jejunii Chriſti initium & finis 7.11
Jejunia 4 temporum 18.33,36, &c.
Jejunia & proceſſiones ad pacem reformandam 39.45
Jejuniis & proceſſionibus aeris intemperies meliorata 837.22, &c.
Illuſtris in ſtylo Regis Angliæ 852.31,55
Impoſtor cum quinque crucifixi vulneribus comprehenſus 625.16
Incendia varia in diverſis regionibus 653.54, &c.
Incubo dæmone quidam generatus 666.22
Induciæ inter Reges Franciæ & Angliæ 163.32 & 212.24
Innocent. 2. Papa 60.26
Expellitur *ib.*28
Recipitur ab Henrico Anglorum Rege *ib.*29
Acclamatur Papa *ib.*30
Deceſſit *ib.*42
Innocent. 3. Papa 161.13
Eo mortuo Honorius ſuccedit 250.36
Innocent 4. Papa noviter creatus excommunicat Imperatorem Fredericum 534.51
Quantum diſcordia ejus cum Imperatore nocuit Chriſtianitati 540.33
Martinum Legatum in Angliam mittit 542.25
Walliam ſubjugare tentat 550.49
Fugit ab Imperatore 561.9
Januæ commoratur *ib.*17
Pecunias Anglorum extorquet per Martinum Legatum 565.1,19
Petit ut in regno Franciæ hoſpitari poſſit 571.46
Lugdunum venit 752.40
Iterum excommunicat Imperatorem 575.37
Petit ut in Anglia poſſit hoſpitari 576.28
Cogit Concilium Lugdunenſe *ib.*46
Garda roba ejus combuſta 578.42
Imperatorem draconem vocat, *Reges alios regulos & ſerpentulos* 580.16
Epiſcopos creat contra Regis aſſenſum & appellationem; indignum illo privilegio pronuntiat Regem 581.7
Munera à Prælatis in Synodo Lugdunenſi extorquet 581.34
Conditiones pacis ab Imperatore oblatas non acceptat 583.6
Crimina quæ Imperatori objecit 583,584,585
Eum ſolenniter excommunicat 586.46
Et deponit 589.36
Rationem facti Ciſterſienſibus reddit 597.31
Indignatur Anglis quod auſi ſint de rapinis ejus querere, & Ludovico Gallo ſuadet ut Angliam invadat 605.5,9
Nolit Imperatori reconciliari 610.18
Capas chorales pretioſas ab Anglis petit 616.43
Exigit 6000 marcas 618.3
Viceſimam ad triennium à Francia extorquet 620.37
Imperatori *humiliato non* condeſcendit *ib.*42
Bona inteſtatorum vendicat 621.11, &c.
Increpatur à Cardinali 624.64
Ob ejus rapacitates tepet devotio 628.8
Minores mittit huc ad colligendas pecunias 630.18
Et Marinum 631.7
Alios mittit in Scotiam & Hyberniam *ib.*
Proditio contra ejus vitam 632.12,27
Imperatorm excommunicat 634.22
Per nuncios prohibet ne Rex Angliæ recuperaret ditiones Francicas 650.45
Tyrannis in Anglos 655.14, &c. & 55
Diffamatur 663.7
Inexorabilis erga Imperatorem *ib.*26
Opprimit Eccleſias Germaniæ 664.17, &c.
Non vult reconciliari 665.30
Remittit eorum peccata qui vellent contra Imperatorem pugnare *ib.*34
Multi eum oderunt 670.44
Per Legatum Impedit ne terra ſancta Chriſtianis reſtitueretur 682.22
Ob captum Lodovicum infamis 690.24, &c.
In eum invectivæ *ib.*23, &c.
Eum minitantur *Galli Lugduno expellere, ni velit* Imperatori reconciliari 691.9
Cupit apud Burdegalim commorari 694.44
Angli nolunt eum huc venire *ib.*62
Timet redire Romam 699.57
Relinquit Lugdunum 707.42
Venit Mediolanum *ib.*55
Et Peruſium 708.6
Decretales componit 710.17 & 712.40
Neptes viris nobilibus locat 712.50
Multos contra Imperatorem Conradum cruceſignat 713.64
De ea re exoritur ſcandalum 714.7
Erubeſcens de pace tractat *ib.*21
Animat Regem Angliæ ad peregrinandum 717.56
Septem Cardinales creat 718.3
Neptem filio Imperatoris locare ambit, ſed contemnitur *ib.*
Plus Eccleſiam Anglicam depauperat quàm omnes ante eum 740.54
Romam revertitur trepidus 745.42
De eo mirè conqueritur Robertus Groſſeteſt 753.754
Venit Romam 757.21
Timet ſibi à Romanis *ib.*43
Inhibet Clericis ne ſe legum ſtudiis applicent 759.63
Alia ejus bona decreta 760.7
Somnium de Roberto Groſſeteſt *ib.*22
A Græcis reprehenditur 767.32
Siciliam offert Hen. 3. *ib.*47
Apuliam ſubjugat 768.53
Moritur, ultima verba, & viſio Cardinalis de eo 771.37, &c.
Et alia Alexandri Papæ de eo 777.35
Inquiſitio per Angliam cui quis in ſervitio ſeculari de jure obnoxius teneretur 83.57
Inſignia armorum gentilitium in ſcutis depicta in præliis geſtabant veteres 337.22,24

Inſolentia Clericorum Romanorum in Anglia 313.6
Inſula inter Orcadem & Scotiam tenebat de Rege Norwegiæ 667.62
Interdicitur Anglia 190.28
Relaxatur 210.8
Inteſtatorum bona Papa vult ad ſuos uſus cedere 618.6 & 621.24
Sed caſſatur conſtitutio 631.46
Invectiva epiſtola Cardinalis contra Fred.2. 660.46,&c.
Inveſtitura Eccleſiaſticarum dignitatum etiam Regibus illicita 49.18
Inveſtit Epiſcopum Rex 49.6 & 47.27 & 55.2,10
Inveſtituræ à Laicis non ſuſcipiendæ 49.18
Abbates ob id degradati *ib.*19
Renunciat juri ſuo Hen.1. 53.6
Inveſtituras poſt obitum Anſelmi reſumit Hen.1. 54.63 & 55.10
Negat Papa Paſchalis, ſed tandem concedit 55.2
Inveſtitura in regnum traditione annuli 783.63
Inundatio 14.42
Inundatio & tonitrua 324.55
Inundationes pluviarum 355.52 & 367.7
Maris *ib.*14
Pluviarum 269.12 & 369.36
Inundatio & tempeſtas 796.22 & 809.7
Joachim Abbas ſcribit contra Petrum Lombardum 115.30
Damnatur *ib.*50
Jocelinus crueſignatus cum Tancredo Carram obſidet 51.29
Capitur *ib.*35
Jocelinus Epiſcopus Sariſburienſis 83
Deceſſit 118.18
Jocelinus Epiſcopus Bathonienſis 180.34
Johannes ſine terra Richardi Regis frater 105.65
Uxor ejus prima *ib.*
Fit Comes Gloverniæ 127.48
Vide retro 110.36 & 130.54 & 127.47
Ei frater Rex dat comitatus de Somerſet & Dorceſtre 130.14
Terra ejus interdicta relaxatur *ib.*55
Eſt Moritonii comes, & fratris prorex in Hybernia 131.32
In abſentia fratris affectat regnum 143.34 & 146.58 & 147.47
Reconciliatur 147.61
Poſt mort. fratris Normanniam ſuſcipit 164.61 & 165.20
Fit Rex 165.55
Johannes Rex Angliæ, ei fidelitas juratur 164.61
Arthurum incarcerat, Arthuróque adhærentes 165.18
Normanniæ ducatum ſuſcipit *ib.*19
In Regem Angliæ coronatur *ib.*64
Triplici involvitur ſacramento 166.3
Apud Normanniam amicos conciliat ſibi *ib.*15
Belvacenſem Epiſcopum liberat *ib.*59
Pacem init cum Rege Francorum 167.50
Hawiſam uxorem pellit 168.14
Iſabellam ducit *ib.*16
Gaufridum Archiepiſcopum Eboracenſem ſpoliat bonis 170.2
Cur *ib.*7
Colloquium cum Willielmo Scotorum Rege 171.62
Pecunias à Northumbrienſibus extorquet 173.10
Regina Normanniam petit *ib.*48
Francos è Mirebello fugat 174.29
Arthurum interemiſſe fertur 175.7
In Normannia à magnatibus Angliæ deſeritur *ib.*44
Etiam à Normannis deſeritur 176.1
Magnatibus pecuniam extorquet *ib.*3
Normanniam totam amittit 178.19
Caſtrum de Monte Albani capit 180.20
Monachos Cant, proſcribit 188.13
Filium ex Iſabella gignit Henricum 189.50
Etiam ſecundum filium Richardum *ib.*58
Admonetur à Papa *ib.*60
Ejus furor in Papam regno ſuo interdictum minantem 190.17
Ob hoc bona Clericorum confiſcat *ib.*42
Prædonem Clericum interficientem ſolvit 190.55
Homagia à magnatibus accipit *ib.*63
Scaccarium removet ad Northampton 191.31
Fœdus amicitiæ cum Rege Scotorum init *ib.*36
Excommunicatur 192
Hugonem ab Epiſcopatu Lincolnienſi nuper dato ejicit *ib.*50
In Hyberniam tendit 193.27
Capit hoſtium ſuorum munitiones *ib.*39
Matildam Willielmi de Brauſe uxorem cum filio fame perire jubet *ib.*45
Tallagium in Prælatos grave imponit *ib.*52
Walliam ſubjugat *ib.*63
Ejus ſubditi à ſubjectione abſolvuntur 194.23
Paraſitici ejus conſiliarii *ib.*27
De ſui proditione admonetur 194.59
A regno abjudicatur 195.41
Gaufridum de Norwic incarceratum uſque ad mortem torqueri jubet *ib.*60
Hoſtibus obviare conatur 196.30
Pandulphum Papæ Legatum audit 197.16
Pœnitens ſe Eccleſiæ pariturum jurat, & cur *ib.*33
De Prælatis Angliæ chartæ ejus forma *ib.*52
Papa regnum reſignat 198.60
Homagium facit 199.33
Comiti Flandrenſi à Francis oppreſſo ſuccurrit 200.23
In Francos exercitum vertit 201.42
Ab excommunicatione relaxatur per Epiſcopos revocatos 201.8
Apud Gerſeam in Pictaviam ituriens à magnatibus relinquitur *ib.*31
Ab incœptis per Cantuarienſem Archiepiſc. revocatur *ib.*51
In eum conſpiratio *ib.*53
Ad Admiralium Murmelium nuncios deſperans mittit 204.32
Deſpicitur 205.58
Regnum Angliæ Papali ditioni ſubjicere machinatur 206.10
A fide Chriſtiana deflectit *ib.*23
Diadema cum regno ad opus Papæ Legato tradit 207.56
Principibus militiæ Flandrenſis mandat Franciam inquietare 208.54
Pictavienſes ei jurant fidelitatem *ib.*64
Geſta in Pictavia 209.3
In Britannia Lodovicum filium Francorum Regis fugat, & ab eo fugit 210.51
De libertatibus à Baronibus exactis non aſſentit 213.64
In eum inſurgunt Barones 214.4
Chartam libertatum coactus conceſſit 215.10
Papæ vaſallus & Rex Apoſtollicus dicitur 220.53
A quibuſdam ſuſurronibus provocatus, conceſſionis libertatum eum pœnitet 201.65
Ad Vectam inſulam fugit 222.32
Excitat alienigenas ad arma capeſſenda contra Barones *ib.*8
Romam mittit Pandulphum *ib.*38
Alios etiam ad finitima regna tranſmarina propter præſidium militare *ib.*42
Caſtrum Roffenſe capit 226.64
Captos quoſdam ſuſpendi præcipit 227.14
Alios incarcerari jubet *ib.*11.
Suſpenſionem Stephani Cantuar. Archiepiſcopi publicari mandat 230.23
Duos exercitus ordinat *ib.*30
Quorum uno aquilonares Angliæ partes ipſe devaſtat *ib.*40
Baronum caſtra & res ſicariis ſuis tradit 232.20
Berwick & alia Scotiæ caſtra capit *ib.*36
Dein in partibus auſtralibus caſtra multa capit *ib.*43
Ob necem Arthuri nepotis ad mortem condemnatur in curia Francorum 236.20
Objectiones Baronum contra eum 238
In terras réſque Baronum deſævit 241.4
Comitem Niverniæ pecuniis corrumpendo, caſtrum de Windleſhores allevat *ib.*12
De Lincolnia Gilbertum de Gant fugat *ib.*17
In Wallia Baronum caſtra capit *ib.*22
Vaſis regalibus ſuis amiſſis in fluvio Welleſtri febre correptus eſt 242.4
Henricum primogenitum ſuum regni hæredem facit *ib.*11
Moritur & ſepelitur *ib.*16
Epitaphium *ib.*33
Ejus charta de libertatibus Angliæ 791.33
Johannes S.Albani Abbas deceſſit 210.23
Johannes Anglicus Nuncius Papalis in Anglia 630.19
Exactiones ejus & poteſtas 635.10,37,60
Inſolentia 636.12
Johannes de Baſingſtoke vir doctus 720.62
Numerales Græcorum figuras huc infert 721.4
Johannes de Breines Hieruſalem Rex 159.31
Johannes de Brennes Imperatoris hoſtis fugit 307.53
Johannes Ciceſtrenſis Epiſcopus 106.17
Ejus obitus 116.54
Johannes Cremenſis concubinarios Sacerdotes condemnans, cum meretrice concumbens deprehenditur 58.56
Johannes de Diva à Papa mittitur in Angliam 798.18
Johannes fit Epiſcopus Elienſis 260.60
Mors ejus 273.14
Johannes Exonienſis Epiſcopus 120.1
Johannes Gateſden reſignatis beneficiis fit miles 574.41
Johannes de Gray Cantuarienſis Archiepiſcopus per Regem electus 179.44

Johannes de Gray Epiſcopus Norwicenſis 172.62
Moritur 212.20
Johannes Manſel in armis ſtrenuus 523.31
Crus ei in obſidione Verrinis frangitur 529.39
Inde ſpecialior Regi redditus *ib.*46
Regi fit à conſiliis 544.55
Clericorum ditiſſimus 740.42
Convivium Regale 800.17
Johannes ſecundus Epiſcopus Moinæ inſulæ 71.13
Johannes Papiro Legatus Papæ fidelitatem Regi Stephano jurat *ib.*22
Johannes fit Roffenſis Epiſcopus 58.58
Johannes fit Wigornenſis Epiſcopus 152.44
Johanna Regis Hen.3. ſoror nubit Alexandro Scotorum Regi 263.54
Moritur 396.4
De *Joſepho* (ſive errone illo Judæo) fabulæ 296.53
Die *Jovis* ante Paſcha (ſive in cœna Domini) ſolet Papa publicè excommunicationes & abſolutiones denunciare 104.47
Iſabella Regina peperit Johanni Regi filium Henricum 189.50
Et Richardum *ib.*57
Iſabella Imperatrix 350.7
Nuptiarum ejus ornatus *ib.*13
Deceſſus ab Anglia *ib.*25
Coloniam appulit *ib.*55
Filium concipit apud Wormatiam 351.40
Nobilitas ejus *ib.*62
Mors 513.17
Iſabella Richardi comitis uxor obiit 468.53
Judæus Apoſtata ex Chriſtiano Diaconus factus punitur 265.22
Judæus quidam baptizatur 842.21
Alter nollet Sabbato liberari è cloaca 848.62
Judæi magicis artibus dediti 128.57
Interdicuntur intereſſe Regis coronationi *ib.*
Londoni & per totam Angliam plurimi interficiuntur 129.8 & 131.35, &c.
Eboraci ſeipſos jugulant *ib.*53
Comburunt *ib.*55
Pro pecuniis ſuis torti 192.60
Tertiam rerum partem Regi ſolvunt 307.64
Puerum Chriſtianum crucifigendo Paſchalem ſolennitatem voluerunt obſervare 345.44
Propter hoc puniuntur *ib.*50
Apud Norwicum puerum Chriſtianum circumciderant 475.44
Jurninum nominant *ib.*45
Ad crucifigendum in Chriſti contumeliam eum reſervant *ib.*46
Ob hoc quatuor in patibulo ſuſpenduntur *ib.*55
Se Tartaris adjungunt 501.54
Proditio eorum, arma ſub vini intoxicati ſpecie Tartaris afferentium, detegitur 502.16
Puniuntur *ib.*21
Monetarum & ſigillorum falſarii pecuniis emuncti 674.32.48 & 680.21
Unius ſceleſtiſſimum factum 674.39
Alius alios incuſat *ib.*56
Juſtitiarii eis aſſignati *ib.*54
Ex Francia aufugantur 742.41
Eorum ſchola Londini 752.22
Miſeriæ, Pontifex 763.24
Nummis ſpoliantur 776.9
Optant licentiam diſcedendi ex Anglia 763.27 & 776.11
Venduntur comiti Cornubiæ 776.22
Crucifigunt puerum 784.30
Pro iis intercedunt Minores 792.35
A Judæis pecuniæ extortæ 535.57
Judæis cuſtos aſſignatus, i. e. exactor vel juſtitiarius 714.23
Ab iis pecunias extorquet Hen.3. 717.63 & 737.58
Scaccarium eorum *ib.*59
Judæorum converſorum domus Londini 332.5
Judæorum calamitas in Anglia 415.2
Ejus ratio *ib.*7
Eorum ſtrages 364.32
Judæorum juſtitiarius 564.53
Puerum crucifigunt 567.34
Pro converſis ex eis domus fundata *ib.*37
Per excommunicationem eis cum Chriſtianis communio interdicta 590.60
Judicium iniquum Henrici de Mara caſſatum 814.32
Juramentum ſuper altare majus 463.22
Juramentum Abbatum S. Albani 349.42
Jurantes Sacerdotes dextram ad pectus, non ſuper librum, apponebant; Laici contra 720.22
Jus Patronatûs Eccleſiarum ad magnates Angliæ ſpectabat 460.31
Juſtitiarius Angliæ Epiſcopus Elienſis 135.28
Et Archiepiſcopus Cant. 160.60
Sed vide 162.33,41
Juſtitiarii per ſex partes regni, in qualibet parte tres, conſtituti 110.22
Juſtitiarii Regis Hertfordiæ non admiſſi, quare 860.8
Juſtitiarii Regis in Epiſcopis eligendis aſſenſus 106.18,23
Juſtitiarii duo in banco regio electi 564.52
Unus Juſtitiarius Judæorum *ib.*53
Juſtitiarii ex Abbatibus electi 770.20,22
Juſtitiarium Angliæ conſtituunt magnates 564.51
Juſtitiarii de foreſtis 680.38
Juſtitiarii Judæorum 674.54

K

Kayr urbs ferè prodita Francis 681,682
Kenelworth caſtrum fert obſidionem ſemeſtrem 857.40

L

Laici Sacramenta miniſtrant 7.32
Laici poteſtatem uſurpant in res & perſonas Eccleſiaſticas 85.21
Laicos prædicare inſolens videtur 711.19
Lambeia Eccleſia conſtructa 162.31
Deſtructa 164.7
Lancea Chriſti Antiochiæ reperta 34.57
In prælium fertur 35.9
Landegravius Henricus electus in Imperatorem 538.3
Sed à Frederico pacificatus *ib.*11 & 561.64
Tandem conſentit 602.42
Contra eum Conradum filium mittit Imperator 616.14
Moritur 633.54
Lanfrancus Willielmo Ruſo opem tulit 11.43
Obiit 12.60
Abbatiam S. Albani ad priſtinum ſtatum reduxit 13.5
Lapis pretioſus invincibilem faciens 318.19
Lateranenſe Concilium 114.41
Latrociniis tota Anglia corrupta 659.19
Lavacrum mirabile in forma pavonis 776.39
Laudiconum (comitatus Scotiæ) de eo homagium fecerunt Scotiæ reges Regibus noſtris 716.21,23
Laudunenſis comitatus in Scotia à Rege Hen.2. redditus 81.10
Laurentius S. Albani clericus Huberti per Regem calumniati partes agit feliciter 463.6
Legatus Papalis in Angliam non mittendus, niſi à Rege poſtulatus 631.18 & 754.22
Rubeis veſtiebatur *ib.*
Legatus Papalis uſque ad annum 1239 Scotiam non intravit 377.14
Legeceſtria obſidetur 106.59
Ejus cives fugiunt ad Terram S. Albani & S. Eadmundi protectionis causâ 107.1
Portæ cum muris ſubverſæ *ib.*
Legum emendatio per Hen.1. 46.47
Leges navales Richardi Regis 132.56
Leges novæ Hen.3. Meretonæ ſancitæ 356
Lenneñſes cives confidentes trucidantur à Baronibus exhæredatis 857.58
Leo gratus liberatori ſuo hinnulum adfert 150.24
Leolinus Northwalliæ Princeps caſtra Willielmi Mareſchalli capit 267.13
Fugatur *ib.*22
Et iterum 269.22
Hen.3. apud Cridiam circumvenit 295.54
Cum Rege componit *ib.*60
Confinia vaſtat 310.60
Excommunicatur 311.1
Iterum confinia vaſtat 317.21
Richardo Comiti Mareſchallo confœderatur 326.60
Jam factus paralyticus, ſe ſuáque tutelæ Regis Anglorum committit 368.64
Moritur 470.26
Filius David junior conſentiente Griffino primogenito ſuccedit 470.27
Leolinus ſecundus Wallus Angliam invadit 818.4
Oratio ad milites 819.4
Orat pacem, quæ ei non conceditur *ib.*41
Laudatur 838.65
Terras Edwardi vaſtat 850.50
Confœderatur cum Simone de Monte Forti 851.57 & 854.38
Componit cum Rege 861.10
Leopardi tres in clypeo Hen.3. 351.45
Libertatum Angliæ charta Hen.1. 201.65
Johannis Regis 215.12
Libertatum de foreſta charta ejuſdem 218.17
Eas confirmat Papa 220.54

An-

Annullat 223.35,41
Libertates (licèt violenter extortas) confirmat Hen.3. 276.36 & 271.43
Uſus earum liberrimus per foreſtas 273.37
Cancellantur 283.53
De libertatibus proviſio Parliamenti 564.28
Libertatum quatuor conſervatores ib.42
Libertates Sanct-Albanenſis Eccleſiæ 647.10
Lincolnienſis Epiſcopatûs initia 508.1
Lincolnia cum Eccleſia Cathedrali ſpoliatur à militibus Regis 249.56
Lincolnienſis Eccleſiæ pars corruit, quodam concionante Canonico 410.53 & 468.5
Lincolnienſe capitulum mortuo Epiſcopo conferebat Præbendas 756.5
Linea armaturæ 568 34
Lis inter Abbatem S. Albani & quoſdam milites de venandi licentia in Warenna libera 480.35
Literæ Alexandri Papæ ad Thomam Cant. 85.31
Regis Hen.2. ad vicecomites, ad Epiſcopum Londinenſem, ad Juſtitiarios, in negotio Thomæ Becketti 86.41,&c.
Thomæ ad Regem 88.32
Epiſcopi Londinenſis ad Regem 89.55
Papæ ad Thomam 90.1
Regis ad Colonienſem ib.19
Papæ ad Epiſcopum Lond. ib.44
Epiſcopi ad Papam 91.10
De Thoma Cant. ad Hen.2. 92.10
Ejuſdem ad Thomam Cant. ib.22
Ejuſdem ad Thomam Cant. 91.1
Ejuſdem ad Thomam Cant. 93.53
Item ad Soldanum Yconii 94.3
Literæ Papæ pro abſolutione Gilberti Lond. 98.2
Ejuſdem Archiepiſcopo Ebor. ne aliquis præter Cant. coronet novum Regem 102.36
Hen.2. ad filium Regem ib.4
Papæ Cant. congratulatoriæ ib.13
Papæ ut ſuſpendatur Eboracenſis ib.27
Aliæ alios Epiſcopos ſuſpendentes qui coronationi intererant ib.46
Papæ ut Thomæ Martyrii dies celebretur 106.25
Ejuſdem contra hæreſim Petri Lombardi 115.18
Ejuſdem ad Presbyterum Johannem Æthiopiæ Regem 117.7
Literæ Lucii Papæ ad Hen.2. 119.19
Urbani Papæ ad Baldewinum Cant. Archiepiſcopum 120.4
Item 121.41
Frederici Imperatoris ad Salaadinum 122.28
Ad has Salaadini reſponſio ib.51
Papæ Clementis ad Rich 1. 131,28
Conradi ad Cant. de oppreſſione terræ ſanctæ 124.29
Rich.1. ad ſubditos 132.48
Willielmi Elienſis Epiſcopi ad Matthæum de Clere 136.30
Rich.1. ad Epiſcopum Rothomagenſem 137.63
Ejuſdem ad magnates Angliæ de Willielmo Cancellario 139.4
Cœleſtini Papæ Angliæ de Prælatis 149.64
Ejuſdem Senonenſi Archiepiſcopo 150.12
Ejuſdem Cant. Archiepiſcopo pro negotio terræ ſanctæ ib.22
Nicholai Papæ de Turonenſi & Dolenſi Epiſcopis 167.29
Papæ Innocentii ad Suffraganeos Eccleſiæ Cant. 179.5
Ejuſdem ad Johannem Regem 187.33
Johannis Regis comminatoriæ ad Papam 188.29
Item ejuſdem Papæ ad Johannem ib.48
Ejuſdem ad Franciæ Regem & magnates de Johannis expulſione 195.43
Johannis Regis ad ballivos portuum 196.33
Ejuſdem ad vicecomites ib.44
Papæ ad Legatum ſuum Nicholaum 208.8
Johannis Regis Angliæ Juſtitiariis de Scaccario 209.3
Papæ Innocentii Nicholao pro relaxatione interdicti ib.28
Ejuſdem confirmantis conceſſionem libertatum 220.54
Baronum Angliæ ad W. de Albeneio de torneamentis 222.64
Papæ Innocentii ad Barones Angliæ 224.49
Ejuſdem ad Capitulum Ebor. 228.6
Lodowici Barones Londini conſolantis 235.38
Nunciorum Gallicorum Roma ad Lodovicum 237.64
Lodovici ad patrem Philippum Gallum pro ſubſidiis 250.41
Honorii Papæ ad Hen.3. 253.22
Ejuſdem ad Epiſcopos Angliæ 262.16
De captione Taphneôs in Ægypto 263.8
De amiſſione Damiatæ 264.5
Alia ib.35
Legati Papalis de Albigenſibus 267 50
Gregorii Papæ de opere Crucis 285.37
Ejuſdem Legato ſuo contra Imperatorem 294.6
Thomæ ad Imperatorem 298.9
Papæ de caſſatione Walteri Cant. electi 299.37
Ejuſdem Cant. ut recipiant Richardum ib 64
Imperatoris ad Henricum Regem de reſtitutione terræ ſanctæ 300.49
Patriarchæ Hieroſolymitani Imperatorem infamantes 302 58
Honorii Papæ Epiſcopis Elienſi & Sariſberienſi, de contentione Dunelmenſium Epiſcopi & Monachorum 262.16
Thomæ cujuſdam ad Imperatorem de Papæ bello 298.9
Regis Hen.3. de collectione quadrageſimæ mobilium partis 320.62
Gregorii Papæ de viſitatione religioſorum 322.13.54 & 323.34
Hen.3. ad magnates Hyberniæ 333.13
Gregorii Papæ ad Anglos de crucis negotio 337.58
Ejuſdem clauſæ & bullatæ ad Abbatem S. Albani, de triennali ad Romam profectione 346.39
Ejuſdem ad Anglos de crucis prædicatione ib.60
Monachorum S. Albani ad Papam de electione Abbatis ſui 348.19
Papæ ejuſdem ad Elienſem & Lond. Epiſcopos 349.4
Literæ Papales, clauſæ, & bullatæ ante altare lectæ ib.42
Frederici Imperatoris ad Papam de Mediolanenſibus, &c. 366.8
Fratris Philippi Prædicatorum ordinis ad Papam 372.12
Imperatoris ad comitem Richardum de ſua victoria 385.11
Johannis de Columna ad Ottonem Legatum ib.61
Germani Conſtantinopolitani Archiep. ad Papam Gregorium 386.53
Ejuſdem ad Cardinales 388.61
Papæ ad Germanum 390.36
Aliæ ejuſdem ad eundem 392.26
Imperatoris ad Richardum 393.53
Papæ ad Ottonem in Anglia Legatum 394.16
Aliæ ib.35
Frederici Imperatoris ad Senatum Populúmque Rom. 415.60
Aliæ ejuſdem ad Cardinales 416.31
Nuntiorum Imperatoris gratia ad Papam 417.44
Frederici ad amicos de injuriis Papalibus 421.11
Papales contra Imperatorem ad Legatum 423.3
Frederici Imperatoris ad Richardum Cornubiæ comitem 451
Gregorii Papæ de Imperatore ad Cant. Archiepiſcopum 455.4
Magnatum Angliæ ad Papam 460.39
Papæ ad Angliæ magnates ib.
Aliæ ejuſdem ad Legatum 461.31
Aliæ ejuſdem ad Regem Francorum 464.17
Frederici Imperatoris ad Regem Angliæ 465.61
Ottonis Legati ad Epiſcopos de procurationibus 469.54
Aliæ ejuſdem de abſolutione Crucesignatorum à voto 470.1
Imperatoris ad Regem Angliæ 472.15
Anonymi ad Anonymum de ſtrage Chriſtianorum Damaſci 474.20
Imperatoris ad Saracenos ib.40
Hermanni Petragorini ad Robertum de Sanford 484.13
Imperatoris ad Regem Angliæ ib.30
Papæ ad Ottonem 488.51
Aliæ ejuſdem ad Prælatos 492 55
Longathungriæ comitis ad Ducem Brabantiæ de Tartaris 496.11
Imperatoris ad Regem Angl. de adventu Tartarorum ib.54
Eædem ejuſdem ad Regem Franciæ 498.48
Ejuſdem ad Regem Anglorum alióſque principes 500.33
Richardi comitis ſummam peregrinationis continentes 503.42
Imperatoris ad Regem Angliæ de Iſabellæ morte 513.20
Cardinalium ſede Papali vacante 533.16
Innocent.4. Papæ pro Epiſcopo Lincoln. contra Cant. Monachos 535.20
De crudelitate Tartarorum 538 30
Jocundiſſimæ de ſtatu terræ ſanctæ 543.29
De correctione Prædicatorum & Minorum 544.17
Bonifacii Cant. ad Wintonienſem 545.39
Ejuſdem ad Regem ib.48
Imperatoris de depopulatione terræ ſanctæ 546.29
Alia evidentior magiſtri hoſpitalis 548.16
Teſtimoniales de miraculis S. Edmundi 553
Flebiles ex terra ſancta de Choroſminorum crudelitate 556.23
Innocent.4. pro Epiſcopo Wintonienſi 559.1
Wintonienſis ad Regem ib.48
Papæ ad Clerum Angliæ, ut Regem pecuniis juvarent 563.41

Ejuſ-

Ejuſdem, ut Martinus extorqueat pecunias Anglorum 565.19
Ejuſdem pro Davide Northwallo 573.33
Cardinalium ad Hen.3. conſilium dantes, ut Papam hoſpitio exciperet 576 29
Innocent.4. convocantes concilium Lugdunenſe *ib.*45
Ejuſdem cum quibuſdam diſpenſantes, ne ad concilium veniant 577.25
Univerſitatis Angliæ de extorſionibus Romanis in Synodo Lugdunenſi exhibitæ; & Imperatoris ad Regem Angliæ de Papa & ejus Clero querentes 585.25 & 596 1
Papæ ad Ciſtercienſes, quare depoſuerit Imperatorem 597.31
Nobilis Angli narrantes quid in caſtris Hen. 3. ſit geſtum contra Wallenſes *ib.*53
Papæ, dantes authoritatem Epiſcopo Lincoln. ut Canonicos ſuos viſitare poſſit 603.11
Papæ, ut Cant. à ſuis pecunias extorqueat 605.52
Anglorum ad Papam de eo querentes 611.62
Abbatum Angliæ ad Papam 612.29
Univerſitatis Angliæ ad eundem 613.3
Regis ad eundem 613 27
Ad Cardinales *ib.*40
Imperatoris ad Anglos ſe purgantis 614.25
Literæ Regis inhibentes ne Abbates tallagia Papæ ſolverent 618.27
Papæ ad Epiſcopos quoſdam Angliæ ut pro ſe extorquerent pecunias *ib.*46
Regis ad Epiſcopos tallagia Papalia prohibentes 619.25
Literæ Papales ad Prædicatores & Minores, ut bona inteſtatorum rapiant 621 & 635.37.57
Soldani ad Innocent 4. 621.45
Frederici 2. ad Hen.3. 622.37
Walteri de Ocra ad eundem 624.1
Anglorum ad Papam 629 17
Ad Cardinales *ib.*36
Papæ, ut intrudatur Italus in Eccleſiam de Weſtle 691.44
Hen.3. ad Epiſcopum Dunelmenſem 647.51
Papæ ad Abbatem S.Albani, ut Matthæum Pariſienſem in Norwegiam mitteret 656.27
Hen.3. ad Prælatos, ut nummos ei accommodent 658.25
Papales, ne excommunicetur Ballivus Regis illo inconſulto 673.21
Seneſchalli Comitis Cornubiæ de captione Regis Lodovici 688.33
De treugis Galli cum Soldano 727.22
Roberti Groſſeteſt ad Papam 749.58
Regiæ revocantes iniquum judicium Henrici de Mara 764.5
Fictitiæ de Gaſconia *ib.*29
Papales ad obligandos Prælatos Caurſinis uſurariis 786.14
Papales pro Ciſtercienſibus 795.2
Et Cardinalis Albi pro eis *ib.*38
Papæ ad Reginam Angliæ 797.34
Ad Ruſtandum, ut expilaret Angliam 801.61
Regis Hen.3. pro libertatibus S.Albani 814 40
Baronum ad Hen.3. 852.30
Ejus ad eos *ib.*42
Richardi Alemanniæ Regis & Edwardi Principis ad eos *ib.*54

Londini turris foſſato circundata 135.29
Londinum cum civibus interdicto ſupponitur 233.37
Londini tonitru frequentius quàm in Anglia alibi 322.9
Londinenſes Maiores & Aldermanni in pauperiores tallagium imponunt 152.13
Londinenſes Barones Regi Johanni rebelles recipiunt 214.15
Londinenſes Barones dicti 650.30
A Rege Hen.3. graviter afflicti 657.40, &c.
Londinenſes cives Barones dicti 744.10 & 835.22
Eis pecunias extorquet Hen.3. *ib.* & 798.27
Stant cum magnatibus contra Regem 835.26
Cæduntur in prælio 853.38
Pecuniis mulctantur 606.56
Muri reficiuntur 815.55
Eccleſiæ confuſio 511.61
Londinenſium donativum quaſi debitum accipit Hen. 3. 775.40
Poſt aliud majus adhuc 3000 marcas extorquet *ib.*50
Londinenſibus 5000 marcas ab Hen.3. extortæ 283.36
Aliæ pecuniæ ab iis extortæ 531.1
Lucius Cœleſtini Papæ ſucceſſor 67.8
Novum Archiepiſcopum apud Wintoniam conſtituere decrevit *ib.*11
Lucius 3. Papa Romanus Alexandro defuncto 117.26
Defunctus 119.52
Lucta diſſidium peperit inter Londinenſes & Suburbanos 265.31

Ludovicus Craſſus Franciæ Rex 53.24
Bellum cum Hen.1. 55.61
Vincitur 57.33
Flandriam Willielmo Normanno dat 59.25
Moritur 60.20
Ludovicus Philippi frater Rex Franciæ coronatur 60.32
Moritur 63.37
Ludovicus ſeptimus Franciæ Rex & uxor Alienora *ib.*
Excommunicatur à Papa 67.63
Promittit ſe ad Hieroſolymam profecturum 682.19
Copiis ibidem cæſis in Galliam revertitur 694.30
Capit homagium Henrici Normanni 69.59
Normanniam cum exercitu intrat 71.1
Normanno quæ ceperat reddit 77.19
Hiſpani filiam ducit 79.49
Regaliter Hen 2. Anglum recipit 81.32
Pacem cum eo facit 82 30
Diſcordat 92.12
Componit diſſidium inter Henricum Regem & Thomam Beckettum Cant. 97.38
Henricum Regem juniorem contra patrem jurat 106.8
Normanniam vaſtat *ib.*44 & 109.11
Forma pacti ejus cum Anglo 111.21
Thomæ Cant. tumbam viſitat 114.21
Philippum filium coronat 116.7
Moritur *ib.*26
Ludovicus octavus Franciæ Rex Alienoram Hiſpanam ducit 167.51 & 168 9
A Baronibus Angliæ Rex eligitur 234.42
Præcurſores in Angliam mittit *ib.*61
Prætenſiones ejus ad coronam Angliæ 236.15 & 239.23
Angliam intrat 237.3
Magnatum homagia recipit *ib.*18
Ei obediunt plurimi *ib.*20
Auſtrales Angliæ partes ſubjugat *ib.*40
Item Orientales 240.18
Eboracum cum tota provincia, Lincolnia, Hollandia, & Northumbria ei ſubjiciuntur *ib.*34
Caſtrum Doveriæ impugnat *ib.*41
Franciam treugis ſtantibus revertitur 246.19
In Angliam remeans Londini militibus ſubſannat 250.27
A patre ſubſidium petit *ib.*
Subſidium ei ab uxore miſſum intercipitur prælio navali 251.8
Conditionibus pacis juratus ab Anglia decedit 252.17
Morte Regis Johannis audita à Dovera recedit 243.62
Municipium de Hertford ei redditur 244.6
Caſtellum de Berchameſtede obſidet *ib.*16
Capit *ib.*44
Ab Abbate S Albani homagium quærit *ib.*46
Negatur *ib.*47
Pacificatur *ib.*50
Recuſat Normanniam Henrico Anglo reddere, cur 266.4 & 267.34
A Tholoſa ignominioſè recedit 260.50
In Regem Franciæ coronatur 267.33
Pictaviam ſubjugat 269.53
Regulam fruſtra obſidet 273.12
Crucem ſumit contra Tholoſanos 279.26
Cladem patitur apud Avinionem 281.19
Potionatus moritur *ib.*54
Sepelitur *ib* 61
Ludovicus nonus, ſive ſanctus Galliæ Rex, coronatur 282.41
Ejus copias comes Tholoſanus vincit 294.60
Hodum capit, & Barones eum deſerunt 308.29
Concordes fiunt 309.41
Treugas init cum Henrico Anglo 311.45
Contra eum (matris causà) inſurgunt Barones ſui 363.42
Pacificantur 364 46
Britanniæ comitatum in manus ſuas capit 343.20
Bellum contra Tholoſanum movet 473.60
Filia ei nata 474.17
Richardum Cornubienſem honorificè recipit 479.19
Collectas Papales jubet detineri 482.59
Crucem & Coronam Domini populo ſpectandas exhibet 491.15
Habet Chriſti chlamydem, lanceam, & ſpongiam *ib.*40
Magnanimum ejus dictum de reſiſtendis Tartaris 496.50
Dat Pictaviæ comitatum fratri Amphulſo 503.33
In hoc vel Regi Angliæ vel Richardo abſenti injurioſus *ib.*35
Claſſem contra Anglos inſtruit 516.56
Item alia bello neceſſaria præparat 518.28
Verſus Pictaviam movet *ib.*33
Militum numerus *ib.*35
Mercatorum Anglicorum corpora & bona in Francia capi jubet 519.18
Nuncios bellum ſibi indicentes recipit 520.41
Rem totam eis explanat *ib.*46

Offert

Offert humilem pacis formam ib.65
Ejus ſynceritas 521.23
Continuat obſidionem caſtri de Frontenay ib.32
Expugnat ib.38
A morte filium comitis de Marchia ſervat ib.
Plura caſtra occupat ib.46
Ei caſtrum de Mouvent conditionaliter redditur ib.60
A Tailleburga fugat Henricum Anglum 523.5
Victoriâ aliâ potitur ib.22
Caſtra comitis Marchiæ intercipit ib.37,&c.
Comitem ipſum ſub duris conditionibus recipit ib.61,&c.
Pictaviam ferè totam recipit 525
Infirmus treugas cum Anglo facit 526.54
Ab Eccleſiaſticis pecunias extorquet 527.3
Contra Tholoſanos Albigenſes exercitum parat ib.6
Claſſe Anglos vexat 530.1
Treugas quinquennales cum Anglo paciſcitur 531.10
Vult ut qui poſſeſſiones in Anglia habent, eas relinquant 543.16
Venit ad capitulum Ciſtercienſium 571.29
A morbo miraculosè convaleſcens ſe crucesignat 573.22
Colloquium ejus cum Papa, Cluniaci 598.44
Matiſconenſem comitatum recipit ib.60
Et Provinciam 599.11 & 605.26
Cum eo multi crucesignantur 600.37
Cruces aſſuit nobilium veſtibus cum pia fraude 604.27
Treugas cum Anglo prorogari poſtulat 605.38
Cauſæ ob quas Papa non conſentit, ut invadat Angliam inſtiganti ib.12
Imperatorem Papæ reconciliare conatur 610.5
Jurat ſe peregrinaturum in terram ſanctam 632.50
Breve ejus in favorem Norwegiæ Regis peregrinaturi 644.15
Reſumit crucem 645.64
Iter arripit 650.34
Vellet Normanniam, &c. reſtituere, ſi ſui paterentur 663.40
Eum expectant Saraceni ib.57
Superatur & capitur 686.6
Pro Damiata liberatur 688.5
Remittit fratres in Galliam 690.61
Quantum pro redemptione Saracenis ſolvit 698.5
Suis vileſcit ib.53 & 719.34
Ab eo Soldanus poſtulat pacem 720.25
Quam ille concedit 727.9,22
Colloquium cum Soldano de Chriſtianitate ib.30
In Franciam redit 766.54
De infortuniis contriſtatur 770.3
Henricum Regem regaliter recipit 772.1 & 773.774
Vellet Normanniam ei reſtituere, ſi ſui paterentur 774.37,55 & 820.2
Filius ejus Caſtellæ Regis filiam ducit 782.28
Parliamentum generaliſſimum habet 792.57 & 822.42
Pacem reformat cum Flandrenſibus 796.18
Ob electionem Richardi Cornubienſis, confinia ſua & Normanniam perluſtrat 808.53 & 813.62 & 816.31
De pace cum Anglo firmanda ſolicitus 837.56
Ejus filius Philippus Arragoniæ Rex filiam ducit 842.34
Pax ejus ſperata cum Anglis impeditur 846.17
Componit cum Anglo pro Normannia,&c. 848.1
Arbiter inter Regem & proceres Angliæ conſtitutus, proviſiones Oxoniæ ſolvit 850.41,&c.
Edwardum Anglum, ut ſecum transfretaret, ſolicitat 861.37
Secundò versùs terram ſanctam proficiſcitur 862.23
Moritur ib.56
Lugdunenſe concilium convocatum 576.45
Ejus initium 582.11
Acta ſingularum dierum 583,&c.
Excommunicatur Imperator 586
Statuta ibidem de ſuccurſu terræ ſanctæ 589.55
Canones 591,&c.
Clerus & cives Papæ in faciem reſiſtunt 578.50
Lues pecudum mirabilis 730.59
Lunæ quinque in cœlo 172.65

M

Machometi genealogia 357.24
Quibus artibus crevit ib.30
Adulterium & libido 358.27
Uxores ib.40
Magnam Chartam ſe obſervaturum jurat Hen.3. & forma juramenti 742.20
Excommunicantur horribili more eam infringentes ib. & 746.30
Magnates aliquot Angliæ Hieroſolymam proficiſcuntur 490.60
Angliæ Regem Johannem deſerendo diſſidiis ſequentibus occaſionem dederunt 175.46 & 178.44 & 195.3 & 200.58
Conſpirant contra eum 197.24 & 202.47 & 212.53
Libertates Angliæ ab eo petunt 213.17
Eorum nomina ib.39
Exercitum conſlant 214.7
Londinum intrant ib.19
Extorquent duas chartas ab eo 215.12 & 218.17
Vide plura in Barones.
Commotio contra Hen.3. 394.56
Armati ad colloquium veniunt 395.53
Ægre ferunt ſe jure patronatûs Eccleſiarum privari 460.30
Conjurant propoſitum iter arripere 467.21
Contra Hen.3. ſtant 514.9
Opem ferunt Regi apud Pictaviam 519.26
Contra Hen.3. confœderantur 830.55 & 832.54 & 833.12
Quæ petierunt ab eo 832.64,&c.
Portus maris claudunt ib.56
Repetunt caſtra è manibus regalium 833.29
Conſtituunt Juſtitiarium ib.40
Eis conſentiunt Londinenſes 835.14
Deponunt Theſaurarium Reg. & alium ſubſtituunt 839.9
Deponunt officiales alios ib.53
Mittunt nuntios ad Parliamentum magnum in Gallia ib.47
Timent ne redeat Richardus Alemanniæ Rex 841.65
Petunt ab eo cauſam reditûs 842.52
Oxonii iterum confœderantur 860.20
Mandant firmariis Romanorum in Anglia, ne dominis reditus ſolvant 862.34
Eorum Legatio ad Regem ib.57
Cauſam ſubmittunt Gallo, qui contra eos ſtatuit 850.45
Articuli pacis cum Rege 851.38
Eorum literæ ad Regem, & eos diffiduciat 852.31,42,54
Exhæredati prædationibus vacant 856.23
Elienſem inſulam capiunt 857.48
Propoſitionibus Ottoboni quid reſponderint 860.5 &c.
Vincuntur 860.51
Majeſtatis titulus Papæ attributus 612.49
Malcolmus Rex Scotorum 4.18
Margaretam ducit ib.26
Filii ib.29
Anglos profugos recipit ib.56
Angliam invadit ib.58
W. Ruſo homagium facit 13.18
Magnanimitas ib.30
Clementia ib.40
In Anglia cum filio interficitur 14.32
Davidi ſuccedit 72.16
Homagium Hen.2. facit 84.6
Ejus oſſa reperta 815.50
Malgerus Wigornienſis Epiſcopus proſcriptus moritur 194.46
Manfredum Apuli in Regem eligunt 768.55
Legitimatur 772.8 & 799.22
Papales vincit 778
Apuli pro eo ſtant 788.34 & 799.31
Ejus victoria ib.34
Creat Epiſcopos ſine conſenſu Papæ 840.5
Coronatur 848.37
Florentinos ſubjugat 860.12
Occiditur 859.5
Manniæ Rex baltheo cinctus militari 617.47 & 703.26
Manjuetus Nuncius Papalis venit in Angliam 825.1
Marchiæ comes Andephulſo recalcitrat 514.4
Titulum Richardi fratris ad Pictaviæ comitatum ei urget ib.10
Incendit domum Andephulſi ib.14
Regem Angliæ vocat in Pictaviam ib.24
Pœnitet incœpti 522.1
Chartam ſuam juramento negat ib.53
Incipit conflictum cum Gallis 523.20
Ludovico Gallo reconciliatur 523
Ad duellam provocatus vix certamen evadit 533.50,&c.
Margareta ſoror Eadgaris Malcolmi uxor 4.26
Comitiſſa Flandriæ impudica, cladis maximæ cauſa 762,765
Mariæ Virginis canticum Anglicum 100.18
Genitricis imago 176.44
Soldano cæco viſum reddit 177.44
Mariæ Magdalenæ corpus Nizeliaci quieſcit 133.5
Maria Thomæ Cant. ſoror Abbatiſſa Berkingenſis 106.35
Mariæ de Arcubus Lond. Eccleſia comburitur 152.32
Marianus Scotus finit chronicon 9.24
Maris fluctus per tres menſes ceſſat 627.7
Maris inſolita commotio 691.23
Mareſchallus Angliæ de jure vendicat equum Regis Scotiæ, quando eum Rex Angliæ militem facit 710.32
Gilebertus infortunio moritur 503.1

Sepelitur ib.8
Mareſchallorum Comitum familia extincta 600.60
Tumuli eorum ubi ib.58 & 601.54
De extinctione familiæ matris vaticinium ib.36
Et Epiſcopi Hybernici 602.16
Willielmus comes excommunicatus obit 601.62
Obſervatio de ejus cadavere 602.26
Mareſchallus aulæ regiæ virgam præferebat magno Mareſchallo 680.34
Vide 341.21 & 324.15
Marleberwe Statuta 862.14
Marra urbs à Cruciferis capitur 37.16
Martinus Legatus Papalis pecuniis emulget Angliam 542.25 & 564.65
Propoſitio ejus coram Prælatis, cum eorum reſponſione 566.50,59 & 567.9
Ejus extorſiones 568.8
Plures 578.17
Meticuloſe ab Anglia fugit 579.30
Sed vices ſuas Philippo relinquens ib.62
Papæ conqueritur 580.11
Martis dies Thomæ Cant. ominoſus 97.6
Martyrium mentale ib.23
Martyrizatus eſt puer Woodſtockiæ 114.39
Ad *maritandas* filias Regum ſcutagia conceſſa 566.26
Carucagia ib.36
Matildis mors & ſepultura 9.28
Matilda Malcolmi Scotiæ Regis filia Hen. 1. nubit invita 48.53
Ejus pietas in leproſos 51.50
Peperit filium Willielmum 55.35
Moritur & ſepelitur 56.15
Hoſpitium ib.18
Matildi Hen. 1. filiæ fidelitas jurata 59.17
Matildis Imperatrix parit filium Gaufridum 61.16
In Angliam revertitur 65.4
Ab Anglis in Dominam recipitur ib.59
Exercitus diſſipatur 66.3
Albis induta veſtibus Thameſin tranſiens fallit hoſtes ib.33
Mortua in Abbatia de Feverſham humatur 71.12
Matildis Imperatricis ac matris Hen. 2. mors 120.10
Epitaphium ib.13
Matildis Hen. 2. filia moritur 127.2
Matrimonia Saracenorum 360.13
Richardi comitis Gloverniæ cum Margareta Huberti filia 369.14
Matthæus Pariſienſis 697.8,22 & 714.46 & 721.17 & 729.43,45.48 & 738.38 & 744.51 & 748.38 & 754.61 & 764.58 & 807.55 & 811.45 & 643.64 & 654.8 & 656.22 655.62 & 678.32 & 680.19 & 206.4 & 698.52 & 642.7,17 & 712.33
Matutinas quotidie audiebant nobiles 4.45
Mauritius Epiſcopus Lond. 10.47
Moritur 53.11
Mediolanum hæreticorum ſeminarium 366.1
Armis Imperatorem oppugnat ib.31
Mediolanenſes Imperatorem formidant ib.26
Per Papam animati in eum arma capiunt ib
Audaciores per adventum Nuncii Anglici fiunt ib.37
Reprimuntur pro tunc ib.43
Caſtella Regis capiunt, & milites occidunt ib.60
In exercitum Imperialem irruunt 375.35
Utrinque pugnatum eſt fortiter ib.44
Tandem ſe Imperatori ſubdunt 376.4
Mediolanum ab Imperatore obſidetur 399.40
Mediolanenſes Imperatori ſe reconciliari cupiunt 400.60
Hæreticos ſuos comburunt 483.53
Eis pax conceſſa à Frederico 633.5
De *Melun* vicecomes moriturus Baronibus Francorum proditionem exprimit 241.38
Menſura per Angliam ejuſdem quantitatis 160.62
Et pondera emendantur 290.23
Mentiri Hen 3. dicit Legriæ comes 722.20
Et Comes Mareſchallus 788.16
Merlini prophetia 72.36
Altera 108.50
Alia 126.30
Prophetia de Alienora exponitur 127.28
Meſſanenſis Archiepiſcopus in Angliam à Papa mittitur ad extorquendas pecunias 810.64
Miles quibus ceremoniis creatus 640.64 & 642.2,&c.
Milites tyrones in torneamentis vires experiebantur 643.26,&c. & 658.58
Milites creandi qui quindecim libratas terræ habuerunt 796.15 *Vide* 804.4
Milites Bachelarii 666.27
Milites pro Deo patriâque pugnantes, ſi occubuerint, abſolvuntur ab omni pœna peccati 64.19
Milites Templi omnes interfecti 61.13
Militare ſervitium ab Anglis voluit Papa extorquere 613.62
Soli Regi & regni principibus debetur ib.64
Minores regulantur 2[illegible]
Recipi quomodo debeant [illegible]
Quomodo vivere debeant 289.9.&c.
Minores Altariolum Lapideum benedictum ſecum portant 353.63
Miſſas clandeſtinas celebrant ib.
Presbyteris infeſti, parochialium animos ab eis alliciendo ib.65
Minorum fratrum inſolentia ib.60
Supprimitur 354.12
Minores & Prædicatores ſe Regibus inſinuant 465.3
Crucesignatos à juramento abſolvunt 470.37
Eorum conteſtatio 540.53
Eorum habitus ib.61
Doctrina eorum à Pariſienſibus reprobata 541.31
Ordo eorum correctus 544.18
Sunt exactores Papales 617.43
Minores in Angliam à Papa miſſi ad pecuniam extorquendam 630.18
Eorum inſolentia ib.
Telonarii Papæ 634.5 & 662.27
Piſcatores nummorum 639.59
Intercedendo pro Judæis dant ſcandalum 792.32
Intrudunt ſe in S. Edmundiburgum 830.22
Miracula ad tumbam Thomæ Becketti 105.2
Miracula 169.24,54,63
Miracula Euſtachii Abbatis de Flai 169.8
Hugonis Epiſcopi Lincoln. 170.60
De lacte virginis incarnato 176.41,48
De claudo ſanata 348.7
Miraculorum S. Edmundi Cant. teſtimonium 553
Miracula 567.56 & 747.33 & 748.37 & 754.50 & 757.55 & 777.3 & 778.50 & 812.32 & 817.3 & 831.61
Miſſam in navi celebratam quando primo viderunt Angli 637.51
O quàm proſperè vixit iſte, nunquam tamen Miſſam audivit 206.26
Moina inſula 71.14
Ejus Epiſcopus ſecundus Johannes ib.
Primus Wimundus ib.
Eboracenſi ſubjacet ib.15
Monachorum Ciceſtrenſium origo 59.46
Ne novi ordines inſtituerentur ſtatutum 572.23
Ordo novus 810.32 & 815.23
Eorum habitus ib.
Monachos & Monachas viſitat Epiſcopus 704.60
Monaſterias & Eccleſias prophanantium vel vaſtantium fatum 67.19,&c.
Monetæ corruptores puniti 58.26
Moneta nova in Anglia 116.54
Noſtra jubetur currere in Hybernia 193.36
Materia ſub Hen. 3. mutata 639.17
Niſi rotunda & juſti ponderis non currat 648.56
De ea Regis proviſio 649.30,51
Novæ Hen. 3. forma ib.32
Moniales annulo, habitu, & velo decorabantur 598.28
Montis Caſſini Monachi querelam de Imperatore Papæ deferunt 413.26
Montforel caſtrum obſidetur 246.63
Liberatur 247.53
Morbos ſanat infans 725.40
Mortuus abſolvitur 601.62
Aliàs in cineres non revertitur 602.26
Mulier per Crucis prædicationem ſanata 347.63
Mures comitem devorant 18.47
Mumelinus ſecum dat 24 Romanos beneficiandos 481.67

N

Nabazardan Ironicum coci nomen 397.4
Nanus tripedalis 666.19
Narratio de duobus clericis confœderatis 6.17
Natalitii dies quomodo celebrati 29.41
Diebus Chriſti veſtes & dona data à Regibus 697.51 & 758.12
Naves peregrinæ applicant in Anglia 759.18
Navis maxima triginta nautis inſtructa 764.61
Neceſſitati regiæ ignoſcendum eſt potiùs quàm derogandum 147.50
Neſtoriana hæreſis ubi hæret 373
Opiniones præcipuæ ib.
Nicæa à Crucesignatis obſidetur 24.53
A Turcis defenditur 25.17
Traditur 26.10
Alexio Imperatori reddita ib.[illegible]
S. *Nicholai* tranſlatio 10.[illegible]
Anglus de S. Albani territorio Papa 77.1[illegible]

De Fulii Epiſcopus Dunelmenſis 173.43
Thuſculanus Epiſcopus Legatus Papæ in Angliam venit 207.25
Huic corona Angliæ & Hyberniæ reſignatur ib.54
Eccleſias vacantes ſuis diſtribuit ſine patronorum conſenſu 208.26
Relaxat interdictum 210.7
De Fernham Epiſcopatum Ceſtriæ in ſe ſuſcipere negat 414.50
Nigellus Epiſcopus Elienſis conſtitutus 61.15
Proſcribitur 65.21
Nilus quando creſcere incipit & deſinit 258.57
Nithing Nequam Latine ſonat, Anglis vile vocabulum 12.34
Nivernia Comes à Rege Johanne corruptus, à caſtro de Windleſhores obſidione removet 241.10
Nix maxima 111.38
Nobe civitas vulgariter Betonoble 61.2
Non obſtante clauſula deteſtabilis 700.58 & 706.46 & 736.21 & 753.25
Normannus Prior fundator Eccleſiæ Chriſti Lond. 53.12
Canonicos ſub Auguſtinianis collocat ib.
Barbas radebant 152.14
Poſſeſſionibus in Anglia privantur 543.15
Normannia quo jure ad Anglos devenit 848.6
Ut Gallo in poſterum remaneat, paciſcitur Rex H.3. ib.10
De Normannia, & abjudicatione Johannis Regis ab ea, diſſertatio 238.23 & 239,240
Normanniam,&c. juravit Lodowic. Gallus reddere Hen.3. 251.59
Cavillationes ne fidem poſtea ſervaret 266.4 & 267.36
Ob quas cauſas retinet Gallus 642.35
Normanniam,&c. Anglo reſtituere offert Rex Lodovicus, ſed contradicunt Galli ib.57 & 719.36
Normannici ducatus coronâ deſcribitur 165.25
Norwicenſis villa 7.42
Caſtellum ib.55
Eccleſia fundatur 24.39
A civibus cremata 864.37
Norwicum ab Henrico juniori captum 108.5
Noradinus Turcorum Princeps Chriſtianos vincit 87.61
Notarii publici in Anglia non fuerunt 384.4.14
Novum Caſtrum ſuper Tinam combuſtum 653.58
Nucheram obſident Romani fruſtra 772.31
Nummus ait, pro me nubit Cornubia Romæ 808.15
Nuncii diverſi Papales in Anglia 828.36
Quinque extranei ſimul in Curia Regia 111.2
Nunciorum Franciæ objectiones contra Regem Johannem per Papam refelluntur 238.239,240
Nundinæ Weſtmonaſterienſes in feſto S.Edwardi inſtitutæ 734.1,43,&c.
Nuptiæ Frederici Imperatoris cum Iſabella 350.5
Conſummatio 351.31
Item Hen.3. 354.45
Nuptiæ inter Regem Scotiæ & filiam Hen.3. 716.8

O

Objectiones Hen.3. contra Epiſcopum Winton. Willielmum 559.58
Reſponſiones 560.19
Francorum contra Johannem Angliæ Regem in curia Rom. 238,239,240
Obligationis Caurſinorum forma 352.59
Obligationes Senenæ & Northwallenſium Hen.3. 550.52,&c.
Frederici 2. ut ſtaret judicio Papæ 554.46
Obſidio caſtri de Mountſorel diſſolvitur 247.54
Alia in Lincoln. intercepta eſt à rebellibus ib.60
Octaviani ſchiſma cum Alexandro de Papatu 81.39
Odo conqueſtoris frater proditor 9.8
Ob proditionem incarceratus ib.
Factus Epiſcopus Bajocenſis bellum movet Ruſo 11.55
Fit comes Cantiæ ib.
A Rege deſcivit ib.57
Regios fiſcos vaſtat ib.65
Incarceratur 12.6,25
Secundò captus Angliam abjuravit ib.37
Odo Hoſtienſis conſtituitur Papa, & vocatur Urbanus ib.44
Oenus Hybernus miles pœnitentiâ ductus 72.60
Intrat Purgatorium S. Patritii 73.40
Pro *Offa* Rege conſtitutio in cœnobio Sanct-Albanenſi 796.33
Ditionis ejus termini ib.47
Oleum Mariæ imaginis incarnatum 176.40
Ejuſdem miracula ib.48
Oleum de Tumba B.Willielmi apud Eboracum prorupit 267.27
Oratio Regis Hen.1. ad Anglos 52.4
Rodulphi Dunelmenſis ante prælium 64.4
Legati Anglici coram Papa contra Thomam Beckettum 86.19
Becketti pro ſe coram Papa 87.10
Reſponſio Papæ ib.30
Cant in coronatione Regis Johannis 165
Papæ in concilio Conſtantiano 228.60
Cujuſdam civis ad rebellantes Mediolanenſes 366.45
Willielmi Rale ad populum in Parliamento ib.42
Frederici ad conſiliarios 375.28
Epiſcopi Wigornienſis ad Ottonem de pluribus beneficiis 378.31
Soldani ad ſuos ante prælium 685.58
Ordines ſacri quando conferendi 18.34
In Synodo Lond. celebrantur 64.50
Suſcepturi examinandi 380.17
Ordinandi præcipuè de Sacramentis examinentur 379.49
Organa melodica 350.61
Origo Monachorum de Fontibus 59.50
Ciſtercienſium ib.46
Origines rerum variarum, Jacobitæ & eorum mores habituſq; 161.14
Minorum ordo 186.39
Ut die Sabbathi (ſive Saturni) poſt tertiam pomeridianam ferietur 169.40
Aulæa in pavimentis ſtrata 782.18 & 783.33
In partibus Angliæ ubi Publici Notarii non exiſtunt 384.4.14
Quoniam Tabellionum uſus in regno Angliæ non habetur, ſcil. Anno 1237, ſtatuimus, ut ſigillum habeant non ſolùm Archiepiſcopi & Epiſcopi, ſed etiam eorum Officiales. Item Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi, & eorum Officiales; Decani rurales, necnon & Eccleſiarum Cathedralium capitula, & cætera quoque collegia & conventus cum ſuis Rectoribus, &c.
Origines Commendæ 812.41 & 819.47
Ordo fratrum Bethlehemitarum 812.50 & 815.20
Ut Abbates exempti Romæ conſecrarentur 817.6 & 820.36
Regis filius primogenitus Dominus Walliæ dictus 765.57 & 805.4
Siciliæ Reges incipiunt geſtare arma Regis Franciæ 848.60
Orontes fluvius Farfar dictus 27.39 & 36.48
Crucefignati eum tranſeunt ib.31
S. *Oſwini* reliquiæ transferuntur in Baſilicam Mariæ apud Tinemutham 54.16
Osbernus Danus à Conqueſtore victus 5.34
Otho in Regem Alemanniæ coronatur 161.9 & 166.45
Fit Imperator ib.
In Angliam venit 186.37
Pecunias ei mittit Rex Johannes 191.24
Excommunicatur 193.3
Johanni Regi ſuppetias fert 210.62
Vincitur, & ſtrenuitas ejus 211,212
Otto Romanus Legatus Papæ Gallias venit 277.27
Bituricenſi concilio præſes eſt ib.51
Procuratoribus dat decedendi licentiam ib.54
Duas Præbendas Papæ dandas exigit 278.7
Commovet populum in Comitem Tholoſanum 279.12
Eumque excommunicat, & terram ejus interdicto ſupponit 280.53
Perjurio Avionem intrat 282
Otto Papalis Nuntius in Angliam venit 274.31
Vacuus ab Anglia decedit 278.56
Otto Legatus in Anglia ſe ſapienter geſſit 374.10
Sibi diffidentes Angliæ magnates pacificat ib.15
Clam dona recipit 376.48
Synodum apud Londonias vocat 377.28
Ejus apparatus ib.
Ob venti violentiam tremore occupatur ib.41
Controverſiam inter Archipræſules de prioritate ingenioſe ſopit 378.4.&c.
Ne quid contra Regis coronam & dignitatem ſtatuat, inhibetur ib.15
Statuta ejus in Synodo 379
Licet non ſacerdos, Edwardum Regis filium baptizat 413.55
Scotiam ingreditur 422.44
Apud S.Albani capitulum Imperatorem excommunicat ib.60
Romam revocatus non redit 394.12
Studuit pacem reformare inter Reges & Magnates 395.44
Oxoniam adventat 396.48
Ejus frater cocus à Wallenſi ſcholari occiditur 397.4
Ad Regem querens properat ib.22
Oxoniam ſub interdicto ponit ib.29
Excubiis cuſtoditur Londini ib.36
Reconciliatur Oxoniæ Epiſcopis mediantibus ib.44
Pœnam ſcholaribus imponit ib.52

Oxoniam ab interdicto liberat *ib.*56
Priorem Cant. deponit 400.3
Citat coram ſe Abbates nigri ordinis 401.54
Statuta eis proponit *ib.*58
Epiſcopos omnes convocat 409.28
Revocatus manet in Anglia procurante Rege 409.42 & 411.13
Sæpe monitus repatriare non vult 469.43
Indefeſſus nummorum collector *ib.*51
Ex parte Papæ quintam partem bonorum ſolvendam ab Epiſcopis exigit 570.56
Infinitam pecuniam Papæ mittit 476.49
Epiſcopos ad Northamptonam convocat 477.15
Item Rectores Eccleſiarum in Bercſhyre *ib.*47
Diſſidium inter Rectores excitat 478.64
Ad Romanam curiam vocatur 481.46
Propter treugas cum Imperatore Papæ iraſcitur 482.40
In Francia magnam pecuniam colligit *ib.*57
Clerum Angliæ de pecuniis colligendis Lond. convocat 483.5
Procurationes exigit a Monachis Ciſtercienſibus 488.49
Romam redit 489.33
Ottobonus Legatus Papalis 856.62
Excommunicat Regi adverſantes 858.31
Propoſitionibus ſuis quid reſponderint Barones exhæredati 860.33
Synodum pro reformatione Eccleſiæ habet 861.21
Oxonia à Stephano obſeſſa cum caſtello redditur 63.8
Diſcordia inter ſcholares & cives 365.9
Diſſentio inter ſcholares & cives 470.17
Vacua ſtudentibus 191.63
Ingreſſus Regibus Angliæ olim periculoſus habebatur 54.50
Academiam protegit Rex Henricus tertius contra Epiſcopum Lincoln. 811.55, *&c.* & 812.54
Erat ſecunda ſchola Eccleſiæ *ib.*63
Diſcordia inter ſcholares 841.15
Alia 845.58
Univerſitatis laus 740.13

P

Pandulphus ad Johannem à Papa miſſus eſt 195.51
Legationis ſuæ tenor 197.18
Pecuniam ei oblatam conculcat 199.46
Omnibus compoſitis, ad Gallias Regem Francorum à propoſito divertendi causâ venit *ib.*57
Johannem Regem excuſat, Prælatos coram Papa accuſat 208.50
A Johanne mittitur ad curiam Romanam 222.38
Legatione ceſſante Romam revertit 263.53
Pandulphi Norwicenſis Epiſcopi mors 283.27
Pannis aſſiſa per Angliam generalis 175.9
De *Pannis* laneis, & eorum venditoribus, ſtatuta Richardi Regis 160.64
Papa Imperatorem deponens, tanquam reus læſæ majeſtatis judicatur 9.42
Actu deponitur ab Imperatore & Romanis *ib.*40
Alexander imperat mari & ventis 113.16
Papæ Hen. 2. voluit renuntiare, niſi Angliæ conſuetudines velit defendere 90.31
De Papa conqueruntur Angli 231.10
Ad Papam non pertinet ordinatio rerum laicarum 234.28
Per orbem univerſum exigit exactiones indebitas 274.48
Excommunicat Imperatorem, quod non iverat in terram ſanctam, & adverſus eum nihilominus bellum movet; licèt & poſtquam ille terram ſanctam armis recuperâſſet 304.56, 57
Papa Hæreticus ad internecionem perſequendus 464.43
Non debet pecunias exigere, & quare 477.26
Reſtitutionem terræ ſanctæ impedit 682.21
Superbia, heu heu, quanta mala nobis parturivit! 690.24
Curia proſtibulum unum ex tota civitate faciebat 707.50
Hereſeôs arguit Robertus Groſſeteſt 753.16
Et quod meritò dicendus ſit Antichriſtus 753.22, 24
Simoniæ &c. eum incuſant Græci 767.38
Nullus ante Alexandr. 4. dignabatur petere preces Eccleſiæ 772.2 & 787.20
Nolunt Principes offendere 792.7
Angariis Anglos affligunt 706.49
Eos filios iniquitatis author vocat *ib.*52
Rebellionem homines deteſtantur 670.31
Paphus civitas terræ motu abſorpta 558.57
Pares 12 Franciæ 808.59
Pariſienſis Univerſitas à Prædicatoribus fratribus perturbatur 757.11 & 781.37 & 787.46 & 806.48 & 818.47
Parliamentum Pedredæ 18.3
Londini 53.2 & 60.10
Clarindonæ 84.14
Apud Weſtmonaſterium [illegible]
Apud Clerkenwell ſub Hen. 2. [illegible]
Populus eo vocatus [illegible]
Sub Richardo Rege [illegible]
Oxoniæ ſub Johanne [illegible]
Londini ſub Hen. 3. [illegible]
Apud Northamptonam 269.64
Weſtmonaſterii 272.18
Oxoniæ 283.46
Weſtmonaſterii 310.16
Aliud ibidem 314.23
Lambethæ 318.52
Weſtmonaſterii 328.6
Apud Weſtmonaſterium 335.10
Apud Meretonam 356.2
Londini 362.40
Weſtmonaſterii 367.39
Eboraci 377.4
Londini 514.47 & 515
Weſtmonaſterii 563.7 & 566.14 & 572.41
Londini 606.64 & 609.1
Wintoniæ 620.7
Londini, Magnatum tantùm & Archidiaconorum 627.63
Oxonii 636.34
Londini 646.7
Prorogatur *ib.*57
Vide 649.57
Londinenſe, de negotio decimarum Hen. 3. à Papa conceſſarum 734.62
Solvitur cum indignatione 735.21 & 736.7
Parliamenta 703.61 & 720.8, 40 & 732, *&c.* & 745.44 & 758.44 & 763.9 & 777.57 & 785.29 & 796.28, 37 & 812.53 & 826.63 & 832.49 & 844.9 & 851.59 & 856.17 & 859.10 & 862.13
Ad Parliamentum omnes vocati qui ad regnum Angliæ ſpectarent, & qui illi tunc erant 363.34, 37
Parliamenti generaliſſimi membra ſub Hen. 3. 609.3 & 619.31 & 514.45 & 515.58
Ad Parliamentum aliquando Milites, Nobiles, Priores, & Clerici conveniebant 646.9
In Parliamentis Angliæ ſederunt Archiepiſcopi exteri 813.42
Ad Parliamentum vocati Barones recuſant venire 325.50
Et iterum 326.5
Parliamentarii proceres vellent Cancellarium, Juſtitiarium, & Theſaurarium regni conſtituere 646.47 & 663.62
Sed Hen. 3. id non patitur 650.4
Parliamentum magnum (ſive Diæta) apud Cambrey, pro negotiis Alemanniæ, Galliæ, & Angliæ 839.46
Parricida ſepulchro non dignatus 776.57
Parma obſeſſa ab Imperatore 640.22
Liberata 648.10
Paſchalis Urbano in cathedra Rom. ſuccedit 47.51
Diſpenſat cum Epiſcopis & Abbatibus per *Hen.* 1. inveſtitis 49.41
Paſtorum turbæ in Galliis crucesignatæ 710.20
Numerus & vexillum *ib.*50
Arma, deliria 711
Quid fecerint Academicis Aurelianenſibus *ib.*31
Apud Biturim ſeductor eorum occiditur *ib.*56
A Burdegali eos propellit Legriæ comes *ib.*63
Ruſticos quamplures in Anglia colligunt 712.14
Excommunicati diſſipantur *ib.*22
Patericus filius Thomæ Scotus immaniter combuſtus moritur 519.64
Pater iniquorum hæreſis 632.18 & 538
Patriarcha Antiochiæ à Crucesignatis conſtituitur 36.37
Et Hieroſolymis 42.3
S. *Patricii* Purgatorium 73.4
Paulus Abbas S. Albani & ejus ſtructuræ 8.46
S. *Pauli* Eccleſia Lond. fundata à Mauritio Epiſcopo & Eadgaro 53.11
Dedicatur 527.16
Pax inter Fredericum Imperatorem & Papam 111.19
Item inter Anglorum & Francorum Reges *ib.*21
Hæc continuatur 116.16
Inter Rich. 1. & Regem Francorum 131.7
Inter eoſdem 151.52
Inter Richardum & Rothomagenſem Epiſcopum 159.51
Inter Johannem Angliæ Regem & Franciæ Regem 173.50
Inter Flandrenſes & Gallos 796.18
Pacis formam inter Hen. 3. & Lodovicum 251.36, *&c.*
Pacis articuli inter Hen. 2. & Scotiæ Regem 109.51, *&c.*
Pactum concordiæ inter Hen. 2. & Lodovicum Gallum 111.22
Aliud 116.17
Aliud 151.8
Peregrini ab Achon ad Damiatam progrediuntur 253.5
Plures apud Damiatam adveniunt 255.26

Invaduntur à Saracenis ib.36
Inundante Nilo damnificantur ib.45
Peſtilentia in eos graſſatur ib.58
Damiatam obſident 256.16
Tres impetus Saracenorum ſubeunt 257.6.&c.
Quidam ab obſidione Damiatæ recedunt 258.34
Eam capiunt 259.34
Spolia dividunt ib.56
Perticenſis comes ſui ipſius deditionem renuens occiditur 249.29
Peſtis magna 14.48 & 49.44
Peccata eorum Papa remittit, qui vellent pro eo pugnare contra Imperatorem 665.34
Penſio annua denarii B. Petro 82.10
Petra dedit Petro, Petrus diadema Radulpho 8.62
Petrus Heremita Hieroſolymam pervenit 20.3
Ibi revelationem ei factam Urbano narrat ib.28
Principes excitat ib.30
Militiæ ſacræ ſe jungit ib.34
Secundam expeditionem ducit ib.58
Magnam ſuorum ſtragem patitur 21.22
Principibus occurit 24.48
Petro de Provincia revelatur lancea dominica 34.51
Qui per ignem cum ea illæſus tranſivit 37.47
Moritur ib.
Petri Lombardi hæreſin damnat Papa 115.18
Contra eum ſcribit Abbas Joachim ib.30
Petrus Heremita Eboracenſis incarceratur 195.22
Ejus prophetia ib.15
Cum filio ſuo ſuſpenditur 119.53
Petrus de Rupibus fit Winton. Epiſcopus 178.29
Fit Protector Hen.3. Regis 260.53
Ex terra ſancta revertitur 311.47
Maximæ authoritatis apud Regem 324.13
Ex aula Anglos expellit ib.
Pictavenſes ſuos introducit 325.45
Plura de eo vide ibidem & 327
Comites Ceſtriæ & Lincolniæ pecuniis corrumpit 326.56 & 335.1
Ei negotia regia abdicantur 335.23
Citatur coram Rege 341.37
Cum Petro de Rivalis in Eccleſia Cathedrali Winton. latitat ib.44
Opera & laudes 399.15
Petrus de Rivalis Angliæ Theſaurarius 324.25
Deponitur, & in turrim detruditur 342.17
Reconciliatur Regi 364.16
E curia extruſus & officio ſimul 335.25
Coram Rege citatus latet 341.43
Coram Rege apparet ib.61
Privilegium Clerici requirit 342.13
Laicis poſſeſſionibus orbatus ib.16
In turrim Lond. miſſus, ſtatim liberatur ib.23
Petrus de Egueblanche Epiſcopus Hereford. matrimonium à comite Provinciæ cum Cincia Richardo poſtulat 517.20
Projector, ejus peſſima fraus ad depauperandas Eccleſias 784.44
Literæ Papales quas impetravit 786.14
Petrus Saracenus offert Imperatori magnam ſummam pecuniæ pro ſua redemptione 409.56
Petrus de Rubeis exactor Papalis in Anglia 476.54
Petrus de Sabaudia in Angliam venit 489.49
Capit torneamentum adverſus comitem Bigod 490.36
Repatriare diſponit 513.50
Philippus de Albeneio Hieruſalem peregrinans venit proſperè 254.2
Inde Ranulpho de Damiatæ amiſſione ſcribit ib.5
Iterum à Martefa ib.35
Et Johannes Mareſchallus habent cuſtodiam ſemitarum maris 250.60
Philippus de Brauſia proditor exhæredatur 54.11
Philippus Epiſcopus Dunelmenſis 161.6
Philippus comes Flandrenſis ſine liberis obiit 136.24
Opem militarem à Johanne Rege petit 200.22
Philippus primus Rex Franciæ collo diſlocato obiit 60.21
Philippus Auguſtus Franciæ Rex coronatur 116.7
Uxorem ducit 117.26
Magnanimiter minitanti Cardinali reſpondet 125.2
Caſtella Regis Angli ſubjugat, ipſumque e Cœnomannia fugat; Turonum capit, Anglumque ad pacem cogit 125.22 & 126.12
Petit ut Richardus Rex cum eo tranſfretaret 130.16
Tranſfretat 131.7
Diſcordiæ cum Anglo cauſæ 134.38
Verſus Hieruſalem tendit 136.2
Odii cauſa in Richardum Anglum 134.38
Præ invidia domum redit 137.22
Pariſiis receptus 140.26
Recuſat duellum cum Richardo 148.39
Normanniam occupat 146.62
A Rothomago per comitem Leiceſtriæ pellitur 147.3
Ingelburgam nuper ductam repudiat ib.7
A Vernolio recedens caſtellulum dictum Fontes ſubvertit
Richardum circumvenire tentat ib.30
Robertum Legeceſtrenſem comitem captivat 148.40
Pacem cum Anglo init, ſed pactis non ſtat 149.60,61
Inde bella recrudeſcunt 160.28
In anguſtiis poſitus jurat ſua Anglo reſtituere, ſed à pactis reſilit ib.29.&c.
Victus à Richardo fugit 162.55
Et iterum 163.5
Mediante Papa cum eo paciſcitur in quinquennium ib.62
Colloquium ejus cum Johanne Rege 166.16
Ubi diſcordes fiunt ib.
Pacem non ſervat 173
Pro Arthuro Britanno ſtat contra Anglum 174.1,&c.
Caſtella ejus capit 175.37,&c.
Rationes quas Caſtellanis Johannis prætendit ut ſe reciperent 167.13
Johannis Angliæ Regis territoria infeſtat 175.37
Normanniæ totius, &c. dominium habet 178.20
Ferè omnia Regis Johannis in poteſtatem ſuam recipit ib.19
Inducias paciſcitur biennales 180.31
Dat comitatum Bononiæ filio ſuo Philippo 194.13
Imperat ei Papa, ut Johannem Regem deturbaret 195.43
Exercitum conſcribit 196.19 & 197.16
Flandriam invadit 200.15
Claſſe ejus ab Anglis deſtructâ revertitur ib.48
Filius ejus Lodovicus à Johanne fugit, & Johannes ab illo 210.52
Exercitum in Pictaviam dirigit 211.1
Inopinatâ potitur victoriâ 212.7
Inducias cum Johanne paciſcitur quinquennales ib.30
Moritur 267.30
Moriens fatetur ſe injuſtè terras à Johanne detinuiſſe 351.50
Sepulturæ locus 269.5
Pictavienſes ſtimulant Regem & Richardum tranſfretare 514.44
Et Gaſcones ſe contra Francos feliciter muniunt 519.3
Perfidi 623.5
Ventilogio comparantur 534.12
Ingrati ib.20
Miſeriæ ſub jugo Francorum 602.59
Proditores 769.12,&c.
Hen.3. fratres fugiunt à Parliamento 833.34
Recedunt ab Anglia 834.46
Eos perſequitur Henricus Legriæ comitis filius ib.60
Theſaurus eorum interceptus 835.13 & 837.49
Redeunt in Pictaviam 836.61
Exulant communi concilio regni 843.3
Redeuntes in Angliam regnum opprimunt 848.41
Ejiciuntur 849.28
Piſcium in mari pugna prodigioſa 488.33
Placita comitatûs tenebant vicecomites 8.22
Plantagenet familia unde 59.33 & 60.54
Pons bellicus in obſidionibus uſitatus 49.43
In *Pontificalibus* Epiſcopi ſepulti 312.23
Populus ad Parliamentum vocatus aliquando 119.29
Potionati Nobiles Angliæ per Pictavienſes 834.52 & 835.33,58 & 836.15 & 841.4 & 842.14 & 847
Prædicat Imperator Fredericus 304.32
Prædicatores fratres Academiam Pariſienſem perturbant 757.12 & 781.37 & 787.40
Eos oderunt Galli 806.63 & 818.48
Et Minorum conteſtatio 540.54
In utroſque declamatio 541.3
Ordo eorum correctus 544.17
Inſolentia, & privilegium Papale 607.3
Urgent populum ad ſibi confitendum 608.2
Inde peccata creſcebant, & contemnuntur Parochi ib.15
Telonarii Papæ 634.5
Fratres ſe in Duneſtapliam intruſerunt 845.31
Fratrum capitulum generale 677.52
Prædones quidam decapitantur 471.13
Prælatorum altercatio de prioritate in Eccleſia 71.35
Effectus ib.36
Angliæ Romam proficiſcuntur 486.55
Ad concilium vocati per Papam ab Henrico capiuntur 522
Neapolim ducuntur incarcerandi 501.30
Prælium apud Haſtingas inter Anglos & Normannos 3.13
Inter Anglos & Francos 57.14.32
Apud Lincolniam inter Regem & Barones rebelles 249.1
Navale inter Anglos & Francos 251.10
In partibus Scotiæ 363.11
Inter Scotos & Anglos 64.23.55
Inter Fredericum & Mediolanenſes 375.35

Inter Anglos & Gallos apud Xantonas 523.18
Inter Fredericales & Landegravium 633.31
Cum Saracenis, in quo captus eſt Lodovicus Rex, deſcriptio 688.33, *&c.*
Præſulatus omnes (tribus exceptis) tempore Hen.3. vacaverunt 376.35
Presbyteri toti facie & utroque labio raſi 2, *&c.*
Pretium 8 modiorum tritici 2 ſolidi 574.36
Principis omnia ſunt, non dominio & proprietate, ſed curâ & ſolicitudine 477.60
Sibi timent ab authoritate nimia Papali 596.61
Prior Thetfordiæ à Monacho jugulatur 652.64
Privilegia Papalia Prædicatoribus conceſſa 607.16,40
Patronis Anglis, ut beneficia ſua quibus velint conferant 609.10,33.41
Ejuſdem eiſdem privilegia alia *ib.*20 & 54
Privilegia priorum Paparum, nullos defendunt contra exactiones poſteriorum 635.49
Privilegium Weſtmonaſterii 764.46
Proceſſionis ſolennitas 941.14
Procurationes in viſitationibus ſolutæ 677.38
Epiſcopis viſitantibus debitæ 603.50
Procuratores cauſarum 383.40
Profeſſio vocalis canonicæ ſubjectionis ad Metropoliticam Eccleſiam, & Archiepiſcopum in conſecratione Epiſcopi 502.42
Prognoſticon Walteri Pruz de vento venturo 377.35
Prohibitio regalis ne Epiſcopus viſitet 625.21
Prophetia contra Romanam Curiam 53.29
Iterum 264.64
Impletio 285.9
Merlini 72.37 & 108.50 & 126 31 & 127.28
Item Godrici Heremitæ 129.39
Propheta Richardo Regi nuntiat, ſe non capturum Hieruſalem 141.50
Proteſtatio Stephani Cant. contra reſignationem coronæ à Rege Johanne Papæ factam 312.63
Protoforeſtarius Angliæ 162.45
Provincia olim tenebat de Imperio 473.25
Carolo Lodovici Regis fratri collata 616.22
Comes occurrit comiti Richardo 479.34
Proviſio Baronum ſub Hen.3. de libertatibus regni 564.28
Proviſiones Oxonienſes 832.55 & 833 & 849.4
Juſtitiarii Regis Hertfordiæ non admiſſi, quòd Rex eos non obſerviſſet 849.8 *Vide* 850.45
Puella quædam Burgundienſis de ordine Minorum 274.50
Tentatur 275.6,34.43
Altera Legre-Ceſtrenſis per ſeptennium non comedit 276.1
Ex *Puerperio* ſurgentes mulieres convivia celebrabant
Purgatorii pœnæ deſcribuntur 155, *&c.*
Viſio 181.1
Deſcriptio *ib.*63, *&c.*

Q

Quadrageſima jejunium 18.32
Quadrageſima mobilium pars Regi conceſſa 318.54
Querela Parliamenti contra Hen.3. 515, *&c.*
Anglorum contra Rom. Curiam 549.33, *&c.*
Gallicanæ Eccleſiæ contra Papam 628.15
Anglicanæ 629.9, *&c.*
Quinquagenæ viceſimæ quintæ eventus per mundum præcipui recenſentur 695.30, *&c.*
Quinque Portus latrocinantur per mare 522.9
Opem implorant 529 63
Quintena jocus equeſtris

R

Radingi Eccleſia fundata 58.3
Conſecrata 85.56
Ibi ſtudent quidam Oxonienſes 191.62
Radulphus Gubium S. Albani Abbas 67.50
Infirmus procuratorem ſuum eligit 69.65
Moritur 71.10
Radulphus Burgundus Imperator 8.60
Interficitur 9.19
De Nevilla Ciceſtrenſis fit Epiſcopus 266.45 & 271.30
In Archiepiſcopatum Cant. electus 312.45
A Papa rejicitur *ib.*55
Ramiſiæ Eccleſia dedicata 407.10
Ranulphus donatur Epiſcopatu Dunelmenſi 44.56
Incarceratur 47.34
Robertum in Hen. 1. incendit *ib.*
Moritur 60.5
Ranulphus comes Ceſtrenſis à Lincolnia Regem Stephanum arcet 65.28
Incarceratur 67.37
Potionatur [illegible].41
Ranulphus alius Ceſtrenſis, bello ſacro relicto repatriat [illegible].34
Hubertum ſervat à morte [illegible].44
Ranulphus Ciceſtrenſis Epiſcopus moritur 266.44
Ranulphus Brito incarceratur 415.24
Liberatur *ib.*32
Rapinæ Papales in Gallia 620.37
In Anglia 621.13, *&c.* & *ſæpè*, & 625.28
Reconciliatio Eccleſiæ prophanatæ 71.44
Reditus annuus regni Angliæ 579.7 & 740.56
Regni Scotici 715.58
Principis Angliæ Edwardi 776.20
Annuus militis Angliæ 800.43
Redemptio Regis Richardi quanti conſtitit 145.47
Reginaldus Bathonienſis Epiſcopus 106.16
In Cant. electus moritur 140.23
Per Monachos Cant. eligitur Archiepiſcopus 178.51
Comes Bononiæ de comitatu expulſus in Angliam venit 194.19
Crocus interfectus ſepelitur 249.50
Regula S. Franciſci ſive Minorum 288.31
Reimundus Pictavienſium comes, Conſtantiam ducens, efficitur Princeps Antiochenus 61.3
Reimundus comes Tholoſanus Cruceſignatus 23.49
Avaritia ejus 37.62
Juramentum Imperatori negat *ib.*64
Abbaram capit 37.8
Reimundus Provinciæ comes per Tholoſanum comitem opprimitur 495.13
Obiit 599.6
Ejus relicta Beatrix Gallo tradit Provinciam 605.26
Reimundus Antiochenus Princeps à Norandino Turci interficitur 69.40
Reimundus comes Tripolitanus ab aſſiſinis interficitur 70.3
Reimundus de Burgo ſubmergitur 309.60
Reinelmus ad Epiſcopum Herefordenſem electus, Præſulatum Regi reddit 49.26
Conſecratur tandem 53.9
Religio in Anglia refrigeſcit poſt Conqueſtum 4.41
Eruditio *ib.*46
Religioſi quidam ordinem ſuum mutant 510.26
Reliquiæ S. Amphibali in S. Albani Baſilicam tranſlatæ 113.56
Remenſis concilii ſtatuta 56.50
Remigius Fiſcamnus Præſul Dorkeceſtriæ 10.3
Qualis fuit *ib.*9
Eccleſiam Lincolnienſem conſtruxit *ib.*6
Controverſia ejus cum Eboracenſi Archiepiſcopo 13.49
Reſcriptum de Banco de hæreditate devoluta ad ſorores 471.17
Reſidere in Eccleſiis ſuis vicarii debent 380.49
Et Rectores 381.43
Niſi ob pluralitatem cum iis diſpenſetur *ib.*46
Reſponſiones Cleri contra exactiones Papales 477.52
Reſus Princeps Demetiæ ſeu auſtralium Wallenſium 84.7
Rex ſine Baronum concenſu regnum ſuum dare non poteſt 236.1
Non poteſt per pares regni ad mortem judicari 238.27
Per ſucceſſionem excellentior Rege per electionem 464.62
Legato Papali inhibet, ne quid contra regiam ſuam coronam aut dignitatem aliquid in Synodo ſua ſtatuere attentaret 378.16
Angliæ & Franciæ cum Imperatore contendentes in Papatûs diſpoſitione palmam obtinent 81.42
In manu ſua non debent Eccleſias vacantes retinere 62.34
Angliæ inter Sanctos relati 811.51
Aſſenſum in Epiſcopis faciendis non requirit Papa 581.6
Miniſtri ipſo inconſulto olim non excommunicandi 673.17
De ea re confirmatio Papalis *ib.*21
Omnia ſunt quoad tuitionem, non quoad fruitionem vel appropriationem; quoad defenſionem, non diſperſionem 790.56
Tuitione, non deſtructione 829.60
*Rich.*1. Rex à patre deficit 106.6
Xantonicam occupat 107.54
Fidelitatem patri præſtat 129.9
Caſtrum Taileburum intercipit 116.48
Iterum à patre alienatus 122.10
Terras ejus infeſtat 124.17
Quare à patre receſſit *ib.*62
Cardinalem ferè interemit 125.8
Cruceſignatus 121.55
Homagium Gallo facit 125.18
Patrem fugat & perſequitur *ib.*35
Britones cum Pictavenſibus ei confœderati 126.9
Pater coactus turpiſſimam cum eo pacem init *ib.*16
Illo ſuperveniente ſanguis ex mortui patris naribus erumpit *ib.*54
Normanniæ ducatum accipit 127.10
Johanni fratri terras à patre datas confirmat *ib.*15

Ga[illegible]

Gaufrido fratri Archiepiſcopatum Eboracenſem dat ib.15
Matrem Alienoram è carcere liberat ib.24
Johannem fratrem honoribus in Anglia decorat ib.48
Coronatus eſt 128
Dat Johanni fratri comitat. de Somerſet & Dorceſtre 130.13
Cum Rege Francorum Hieruſalem petere jurat ib.25
Regnum inter 4 cuſtodes dividit ib.36
Fingit ſigillum amiſiſſe ib.59
Iter incipit 131.25
Navigii rectores ſtatuit 132.53
Et in tranſgreſſores leges ib.59
Peram & baculum recipit 133.6
Papam Simoniæ accuſat ib.28
Arthurum nepotem ſuum hæredem ſibi conſtituit ib.39
Meſſanam milites ſuos violenter intrare jubet 134.33
Munitiones quaſdam ſibi ſubjugat ib 43
Xenia à Salaadino ſubdolè accipit 135.23
Curſac Cypri Regem vincit 136.10
Deſponſat Beringariam Regis Navarræ filiam ib.21
Achon munit 137.46
Omnem regionem maritimam ſubjugat ib.56
Achon triumphans redit ib.61
Henrico nepoti ſuo regnum Hieruſalem dat 138.20
Sanctæ terræ reliquias redimit captas ib.50
Darum capit 140.27
Item 7000 camelos opibus onuſtos ib.40
A Syra religioſa animatur 14.1
Ei datur crux de ligno Domini ib.49
A Joppe Salaadinum fugat 142.21
Ibidem denuo cum paucis 62000 Paganos ſuperat ib.55
De peregrinatione redit 143.42
Inimicorum inſidiis liberatus ib.61 & 144.29
A Duce Auſtriæ incarceratur ib.50
Venditur Henrico Imperatori Rom. ib.62
In Trivallis retruditur ib.65
Variis ab Imperatore objectis reſpondet 145.33
Redimitur ib.55,&c.
In Angliam venit 147.18
Omnes adverſarios in Anglia ſubigit ib.51
A Vernotio Francos fugat 148.5
Caſtrum de Luches capit ib.14
De finibus Turoniæ Francorum Regem abigit ib.23
Per Angliam torneamenta ſtatuit ib.44
De Duce Auſtriæ ipſum captivante ad Papam queritur ib.53
Eo inſtante Dux idem excommunicatur 149.12
Ejus parabola de Vitali & Sylvano 150.53
Normannia interdicitur 152.50
Nuntios mittit contra Epiſcopum Rothomagenſem 159.37
Comitem Flandrenſem & alios ſibi obligat 160.33
Statuta ib.60
Apud Vernonem Regem Francorum cum 20 militibus capit 162.55
Moritur 164.22
Sepelitur ib.35
Epitaphium 164.39,50
Richardus Angliæ Rex è Purgatorio liberatus; de ea re fabula longa; Regis patientia, &c. 314,&c.
Et ejus encomium ib.47 & 315.45
Richardus Hen.3. frater in Waſconiam miſſus gratanter ſuſcipitur 272.50
Eſt comes Pictavienſis ib.59
Waſconienſes ei contradicentes, ſubjugat ib.63
Fit comes Cornubiæ & Pictaviæ ib.59
Redit in Angliam 284.15
Uxorem ducit 310.41
Nolunt eum magnates extra regnum periclitari 356.10
Fratris prodigalitatem increpat 376.30
Manerium de Berchameſtude à fratre H.3. requirit 284.23
Ad arbitrium magnatum iſtac de re fugit ib.40
Hinc inter fratres contentio ib.51
Ei Nobiles quidam adhærent ib.43
Propter ſororis matrimonium clandeſtinum in fratrem Regem inſurgit 394.62
Cum ſuis Cruceſignatis valedicit Epiſcopis 471.2
Cant. Archiepiſcopo cauſam deceſſûs exponit ib.5
Ejus transfretatio 479.9
Eum magno honore afficit Rex Franciæ ib.17
Ægidium viſitat ib.39
Per Papam transfretare prohibetur ib.44
Nihilominus navim aſcendit cum ſuis ib.59
Proſperè in terra ſancta applicat 486 2
Ei invident Principes, & treugas clam faciunt 488.16
Richardus comes interfectorum Chriſtianorum oſſa ſepeliri curat 505.23
Captivos plurimos redimit ib.27
Applicat in Sicilia in portu Trapenſi ib.31
Gratanter ab Imperatore recipitur ib.53
Ad Romam per Imperatorem mittitur 506.5
A Romanis & Papa neglectus & laceſſitus recedit ib.12
Providet Francis 510.61
Pacem Eccleſiæ per totam Imperatoris ditionem proclamatam acquirit ib.63
Doveram attingens fratrem ſuum Regem amplectitur 514.38
Venit Londinum ib.40
Cum Rege Pictaviam navigat 517.50
Treugas diurnas pro fratre Rege à Gallo obtinet 522.61
Fratrem in Pictavia deſerit 527.44
Ducit Cinceam 536.38
Pacem conciliat inter Angliæ & Scotiæ Reges 568.30
Infamatur 599.50,59
Excuſatur ib.60
Garcionem eum Templarii vocant 610.62
A Cruceſignatis nummos extorquet 639.62
Scilicet ab iis qui volebant vota redimere 664.10,12
Offert ad tumbam S. Edmundi 642.50
Obtinet monetæ novæ percuſſionem 649.46
Filius Edmundus ei natus 669.5
Transfretat ib.45
Cum Papa prandet 673.33.
Redit ib.48
Emit Prioratum de Hurſt, & deturbat Monachos ib.61
Opiniones variæ de ejus cum Papa familiaritate ib.53 & 675.25
Quomodo ſe geſſerit apud S. Paulum & S. Bartholomæum ib.&c.
Fundat Eccleſiam de Hales 714.35
Ei Rex frater concedit Gaſconiam, & revocat 722.32,&c.
Regnum Apuliæ reſpuit 738.32
Recuſat fratrem pecuniis ſuis juvare 785.34
Et pecunias accommodare Papæ 786.33
In Regem Alemanniæ eligitur 807.22
Conſentit ib.53
Exploratores mittit in Alemanniam 808.27
Ejus theſaurus 809.18
Alemanni quidam hic ei faciunt homagium 813.54
Recedit ab Anglia 814.18
Coronatur 817.41
Quid reſponderit minis Hiſpani 822.5
Confœderatur Italis 826.41
Alemannorum gratiam acquirit 832.40 & 833.50
Ei favet Papa ib.61
Cupit redire in Angliam 841.64
Vultuoſe reſpondet magnatum nunciis, cauſam reditûs ſui quærentes 843.10
Applicat apud Doveram ib.35
Jurat cum magnatibus in reformationem regni ib.47
Minoratur fama ejus apud Alemannos ib.65
Ei ſternit viam Papa ad Imperium 846.39
Perturbat pacem Regis cum Baronibus 853.10
Capitur ib.47
Ejus filius Henricus occiditur 863.26
Ipſe comes moritur ib.40
Richardus filius Regis Johannis nothus caput Euſtachii amputat 251.30
Richardus de Strigoil obiit 110.38
Richardus Sward cum complicibus prædis intendunt 332.37 & 340.20
Eſt conſiliarius Regis 241.23
Richardus Gloverniæ comes Hen.3. neptem deſponſat 743.4
Transfretat ad nubendum ib.63
Richardus Herefordenſis mortuus 59.38
Richardus Epiſcopus Lincolnienſis obiit 58 16
Richardus Epiſcopus Wintonienſis 106.14
Obiit 114.38
Richardus de Mariſco Epiſcopus Dunelmenſis 255.64
Ejus cum Monachis Dunelmenſibus contentio 261.63
Subitò moritur 279.57
Contra Monachos Romam petiit 262.52
Richardus Londinenſis conſecratur 59.29
Moritur 82.32
Richardus Epiſcopus Londinenſis 129.19
Richardus Bangorenſis Epiſcopus excommunicat David Walliæ principem 506.22
Regem Angliæ adit de eo querens ib.23
Richardus Mareſchallus ad colloquium cum Rege venire declinat 326.36
In Walliam cum confœderatis ſuis venit ib.38
A comitibus Ceſtriæ & Lincolniæ relinquitur ib.57
Leolino confœderatur ib.60
Caſtellum ſuum recuperat 328.5
Baldewinum de Giſnes proſternit 329 42
Agnello totam rei veritatem exponit 330.20
Objectis obviat reſponſis 331.22
Hoſtes in Wallia vaſtat 332.31
Leolino junctus terras Regis Salopeſburum ſpeciatim incendit ib.52

In eum proditio machinatur 333.6
Procerum Hyberniæ conjuratio ib.26
Ejus avitum cognomen Stranghowe 335.50
In Hyberniam veniens proditur 335.44
Ad proditorem ſuum oratio 336.58
Ad milites ſuos alia 337.9
Ab infidelibus in prælio deſeritur ib.15
Lethaliter vulneratur ib.39
Capitur ib.43
Revaleſcit admodum 340.11
Incidens in febrem moritur ib.15
Sepelitur ib.18
Richardus Cant. Archiepiſcopus electus 106.20
A Roma pallium primatumque reportat 109.16
Confirmatur ib.18
Obiit 318.4
Richardus fit Archiepiſcopus Cant. 299.63
Conſecratur 306.25
Ejus mors & ſepultura 312.21
Hic & alii Epiſcopi ſcutagium negant 310.22
Queritur de Huberto ib.28
Excommunicat omnes invaſores terrarum comitis Gilberti ib.37
Romam proficiſcitur ib.38
Coram Papa de multis queritur 312.2
Cum Pontificalibus ſepelitur 312.23
Richardus de Exaquio Abbas S. Albani 29.36
Eam ampliat ib.38
Richardus ultimus de Cantabregge Abbas 53.51
Richardus de Albeneio Abbas S. Albani moritur
Richemenens caſtellum ſinus Armoricus 108.50
Ab Armoricis principibus quondam poſſeſſum ib.52
Rivorum exſuperantia atque aeris intemperies 407.50
Robertus filius Willielmi primi in patrem bellum movet 8.9
Maledicitur ib.13
Falſus Rex interficitur 9.19
Philippum Franciæ Regem contra Willielmum excitat 10.25
Adoptatur in regnum Angliæ 11.47
Captus à Rufo incarceratur 15.34
Crucefignatus agmen ducit ad Hieroſolymam 24.29
Imperatori Conſtantinopolitano jurans ad Nicæam præterit ib.65
Milites fugituros moratur 26.41
Tres Turcorum Reges proſternit ib.43
Antenam capit 27.13
Robertus Normanniæ dux in patriam revertit 43.13 & 47.30
Inſtigatur à Ranulpho in Henricum fratrem ib.41
Robertus Conqueſtoris filius redit in Normanniam ib.31
Angliæ coronam vendicat ib.43
Cum fratre in gratiam redit 48.64
Ei 3000 marcas annuas condonat 49.43
Inter eos nova diſcordia 50.26
Ad fratrem venit 51.56
Capitur 52.34
Oculis privatur ib.60
Stomachabundus obſtinatà inedia moritur 61.41
Sepelitur Gloverniæ ib.43
Roberti de Beleaſmo fuga 52.35
Robertus Prior primò Meretonam habitat 56.10
Robertus de Mellent comes Regem deſerit 58.19
Normanniam intrat ib.41
Robertus cognominatus Peccatum Ceſtr. Epiſcopus obiit 60.57
Robertus Gloverniæ comes nothus Hen 1. 63.55
Ledes & Briſtollum occupat ib.
Robertus Marmium Monachos Coventrenſes expellit, & in caſtellum Monaſterium convertit 67.18
Excommunicatus ante ipſum perimitur ib.23
Robertus de Chaiſneio Epiſcopus Lincolnienſis 69.32
Robertus de Gorrham Abbas S. Albani 71.7
Mors 88.28
Roberti de Monte S. Michaelis chronicorum finis 81.22
Robertus Lincoln. Epiſcopus obiit 88.30
Robertus [illegible]fordenſis Epiſcopus 106.17
Robertus Legriæ comes cum ſuis captus 107.30
Robertus quidam apud S. Albani burgum habitans vidit S. Albanum 111.49
Colloquium ib.
Ei ſepulchrum & reliquiæ Amphibali deteguntur 112.12
Aliis revelat ib.36
Robertus de Bingeham conſecratur Epiſcopus Sariſberienſis 306.13
Robertus de Londino clericus Johannis mores Admiralio narrans remuneratur ib.62
Datur ei cuſtodia Abbatiæ S. Albani ib.62
Matthæo Lorum ſcriptori colloquia inter Admiralium & ſeipſum revelat 206.7
Robertus de Thinge excommunicatus Romam abſolvendus properat 317.5
Ad recuperandum Eccleſiæ patronatûs jus Romam adiit 460.22,34
Robertus Northumbriæ comes Malcolmum Scotorum Regem vincit à Rufo incarceratus 15.26,34
Robertus Gloverniæ comes Stephano conditionale facit homagium 62.56
Bellum ei movet 65.8
Comitem Andegavenſem in Angliam excitat 66.16
Fugatur 67.34
Robertus de Molbraio Eccleſiam S. Oſwini de Tinemutha reſtaurat 13.44
Dat eam cum appendicibus Paulo S. Albani Abbati ib.53
Robertus de Ferrariis comes de Derby nec Regi fidus nec Baronibus incarceratur 851.6
Robertus comes Flandrenſis Cruciger obiit 54.56
Robertus de Gaugi caſtellum de Newerc cum villa Epiſcopo Lincoln. reddere non vult 252.50
Robertus Fitzwaters proditionis accuſatur 198.50
Odit eum Johannes Rex 206.12
Fit Dux Baronum rebellium 214.6
Sub Lodovico militans per Eſſexiam Suffolciámque graſſatur 237.58
Alia loca deprædatur 247.15
Capitur 249.44
Crucefignatur 255.32
Moritur 354.23
Robertus Pariſienſis à Turco occiditur 26.47
Robertus Bugre inquiſitor hæretici pravitatis perpetuo carceri mancipatur 407.57
Robertus Paſſeleue Scaccarii cancellarius 324.24
Ad latibulum divertit 341.47
Regi reconciliatur 345.60
Conſilium dat cruentum Regi de occupatione foreſtarum 573.61
In Epiſcopum Cicestrenſem electus caſſatur 574.11
Foreſtarum tranſgreſſores vexat 581.17
Fit ſacerdos 666.60
Robertus Ros & Johannes Baillol Scoti, cuſtodes regni Scotiæ, accuſantur coram Rege Angliæ 780.2
Citantur reſpondere in curia Regis 781.27
Robertus Ros ſpoſpondit ſe in curia Regis Angliæ Domini ſui reſpondere ib.34
Rex terras ejus ſeiſiri facit ib.
Johannes Baillol pacem ſua pecunia redimit ib.48
Robertus Ros de ſcelere eo appellatus de vita periclitatur 788.13
Juſſu regio diripiuntur ejus bona in Anglia 798.31
Robertus Groſſeteſt Teſtamentum 12 Patriarcharum Latinè vertit 528.31
In Abbatem Bardenaiæ ſævit 532.13
Hinc à Monachis Cant. excommunicatur ib.45
Cum eis litigat in Curia Romana & ſuperior evadit 535.20
Non curat ut Monachi pro ſe orent 532.50
Tranſalpinat 571.17
Lis ejus cum Weſtmonaſterienſi Abbate 507.5
Et cum Rege ib.12
Ambæ ſedantur ib.51
Cum Capitulo ſuo ib.62
Privilegium Papale contra eos obtinet 603.11
Monachis vix amicus 669.40
Neque Templariis aut Hoſpitalariis ib.58
Nec curiæ Rom. 670.4
Excommunicat contumacem vicecomitem 673.14
Ut vacet Deo, mundanis ſe exuit curis 694.4
Viſitat Monaſteria 704.59
Et diœceſin ſuam 713.6
Literæ ad Papam 749.59
Illum excuſant, laudant Cardinales; ſed inſanit Papa 750.47, &c.
Excommunicat infractores Magnæ Chartæ 752.47
Papam eſſe hæreticum probat ib.63
Et meritò dicendum Antichriſtum 753.22
Moritur 754.41
Laus & miracula in ejus obitu ib.
Noctu apparet Papæ 755
Robertus Sariſberienſis Epiſcopus transfertur ad Epiſcopatum Dunelmenſem 290.54
Robertus de Sigillo Epiſcopus Lond. 66.11
Robertus Exon. Epiſcopus 79.43
Robertus fit Wigorn. Epiſcopus 138.63
Robertus de Bingham Epiſcopus Sariſberienſis 290.19
Robertus S. Albani Abbas obiit 88.29
S. Roberti tumba medicinale oleum ebulliens 408.26
Robertus Bacon prædicator curialis 325.55
Rodoam Halapiæ Princeps Boamundum perimit 60.56
Fugatur ib.39
Rodulphi conſpiratio in Regem Willielmum 7.44
Complices ejus Rogerus & Weltheofus ib.46

Ro-

Rodulphus Epiſcopus Roffenſis fit Archiepiſcopus 55.10
Pallium à Papa ſuſcipit ib.42
Roffenſis Epiſcopatuum Angliæ pauperrimus 717.48
Rogationum tempora 638.24 & 664.6
Rogerus de Molbraio ab Hen. 2. deficiens caſtellum Axiholm capit 107.50
Rogerus de Thony moritur 290.27
Moriturum Radulphus frater clamore excitat ib.33
Rogerus Bigod fit Mareſchallus Angliæ 616.58
Capit comitem de Giſnes 667.2
Reaccipit uxorem ſuam 748.8
Legatur in Gallias 819.65
Rogerus Epiſcopus Coventr. 60.59
Rogerus Sarisber. Epiſcopus 53.8
Rogerus Ceſtr. Epiſcopus moritur 67.52
Rogerus Ebor. Archiepiſcopus perjurans ad officium reſtituitur 105.15
Parliamentum adire non vult 109.47
Mortuus eſt 116.61
Opes 117.2
Rogerus Niger fit Epiſcopus Lond. 297.44
Conſecratur 306.28
Caurſinos excommunicat, ſed fruſtra 353.48
Rokesburc caſtellum à Scoto conceſſum Hen.2. 109.62 *Sed vide* 130.10
Rokam apud Saracenos ſecundus à Soldano 681.42
Rolandi cantus ante prælium 3.24
Romæ album vel rubeum intercedit 49.40
Romani à Papali excommunicatione jure antiquo exempti 344.60
Item civitas eorum ab interdicto ib.61
Senatores ab Eccleſia tributum per Papam ſolutum olim receperunt 345.2
In Papam rebellant ib.16
Viterbium ſpoliant ſpoliati ib.25
Ex eis magna ſtrages ib.30
Habent privilegium, quòd nequit Papa eos excommunicare; comminantur Papam 823.13,58
Soli nôrunt dignè tractare Papam ib.
Papam contemnunt 840.31
Peremptoriè revocant Papam
Clerici plures redditus habent in Anglia quàm ipſe Rex 579.7
Clericorum in Anglia inſolentia proceres provocat ad ultionem 313.8 & 314.4
Inquiſitio de ea violentia 316.55
Curia meretrici ſimilis 493.55
De curia querela Angliæ 549.32
Et Regis 550.22
Curiæ infamia 576.42 & 578.31 & 579.14
In eam querelæ Anglorum ib.13
Curiæ vitia Imperatorem juvant 662.22
Inſtar barathri omnia abſorbet 669.42
In curiam exclamatio authoris 779.45
Ruffinus & Rubeus de Scotia 3000 librarum ſecum afferunt in Papæ uſum 481.55
Rumor Regis Stephani mortis ipſum regnum perturbat 63.4
Rumores lugubres de terra ſancta 619.53
Runningmede, colloquium ibi inter Johannem Regem & Barones 214.50
Ruſtandus Papalis Nuntius in Angliam venit 785.18
Prædicat crucem aſſumendam contra Manfredum, cogit Synodum Lond. ad extorquendas pecunias 786.37
Reſiſtitur 787.6
Fingit Manfredum eſſe potionatum 788.6
Iterum congregat Prælatos ib.42
Contra eum mutire non audent Prælati 790.60
Sed poſtea contradicunt 794.23
Ut & Ciſtercienſes ib.33
Transfretat 796.9
Accuſatur coram Papa 819.24 & 826.7
Literæ ſive poteſtas quas à Papa obtinuit ad expilandos Anglos 801.60
Redit in Angliam 824.32

S

Sabaudiæ comes homagium Anglorum Regi facit 617.25
Sabbato (vel Saturni die) poſt horam tertiam feriandum 169.40
Ejus tranſgreſſio quomodo punita ib.54
Sacerdotibus uxores interdictæ primùm 7.21
Quæ inde mala ib.27
Concubinarii excommunicati 49.13
Focariæ interdicuntur 60.10
Technæ, ut uxores cum beneficiis retinere poſſint 381.62
Uxorati removendi 382.4
Eorum concubinæ removendæ ib.16
Sacramentorum effectus non pendet à bonitate Miniſtri 7.27
Laici miniſtrant ib.32
Principalia ſeptem 379.44
Gratis adminiſtranda 380.3, &c.
Saerus de Quinci comes Wintoniæ moritur 261.28
Sagittarii equitum ordinibus permixti in præliis Anglorum 64.28
Saladinus Hieruſalem depopulatur 120.50
Abigitur 124.3
Moritur 143.54 & 146.6
Sancti novi in Anglia exoriuntur 567.56
Animæ morientium commendatæ 242.15
Sanguinem in Cœna ſumpsêre Laici 3.19 & 7.24
Chriſti portio Hen.3. miſſa 641.6
Proceſſio ſolenniſſima in ejus receptione ib.15, &c.
Proprios conjuratores commiſcent combibúntque 363.23
E mortui naribus erumpit ſuperveniente interfectore, quaſi ad Deum clamans 126.51
E terra ebulliens apud Fiſchamſtedam 42.45 & 44.58
Apud Berckſyre in Humeſtede 46.36
Romæ pluit 267.28
Et in Anglia 162.24
Saphadinus ſuccedit patri Saladino 146.6
Aſiæ uſurpator mortuus eſt 255.3
Saraceni Chriſtianos invadentes ignominiosè recedunt 118.21
Apud Achona Chriſtianorum machinas comburunt 132.41
Chriſtianos quoſdam donis corrumpentes caſtella concremant ib.45
Strages in Hiſpania 410.59
Chriſtianis multa damna inferunt 465.14
Sorte inquirunt fata 483.33
Offerant terram ſanctam Gallo 667.45 & 672.13
Inſurgunt in Soldanum, quòd Lodovicum Regem dimiſiſſet 688.20
Aliqui Baptizantur 759.12
Matrimonia, ſuperſtitio, &c. 360.13, &c.
Soldani diſcordes ob Lodovicum Gallum liberatum 698.47
Sariberienſis Eccleſia ædificata 370.49
Santeriæ Eccleſia dedicatio 407.9
Scaccarium Northamptonam à Lond. amotum 191.31
Secretum & ſigillum 342.43
Barones duo electi 564.53
Schiſma in Papatu 5.7.9,40,44 & 56.14 & 58.1 & 81.39
Inter Græcam & Romanam Eccleſias 386.30
Origo ejuſdem 393.20,25
A quo ortum 546.12
Scotorum Rex homo Ligius Regis Angliæ in perpetuum 109.53
Fugitivos ab Anglia nè receptet ib.61
Caſtella de Berwick & Rokesburc dat Regibus Angliæ ib.62
Rex & Regina in Angliam veniunt 799.45
Rex & Regina in Angliam accerſiti ab Hen.3. 844.56
Rex filiam Engilrami de Cuſcy deſponſat 411.10
Northumbriam invadentes pelluntur 64.34
11000 occiduntur ib.41
Legatum Papalem non admittunt 377.10
Rex & proceres homagium & ligiantiam de regno Scotiæ faciunt Hen.2. ut Domino ſpeciali 109.51
Vide plura ib.
Sed relaxat Richardus 130.10
Nobilium nomina plura 568.41, &c.
Inſigne bellicum Albanus 64.24
Reginæ dotariæ tertiam regni proventuum partem pro dote retinent 715.59
Ejus regni proventus annuus ad 12000 (vel amplius) marcas aſcendit ib.
Rex homagium facit Hen.3. de Laudiano 716.20
Regis equus, quando à Rege Angliæ fit miles, debetur Mareſchallo Angliæ ib.32
Rex flexis genibus apud Regem Angliæ intercedit 717.5
Regni cuſtodes coram Rege Angliæ accuſantur 780.3
Accuſatorem veneno interficiunt ib.23
Vide plura in voce Robertus Ros.
Scriptum mirabile 413.38
Duo prognoſtica 417.14
Scutagium Regi conceſſum ad maritandam filiam 566.13
Sedes Legati in Synodis ſuper gradus elata 377.62
Seditio pedum ſive manuum truncatione punitur 266.14
Senator triennalis primùm Romæ factus 741.37
Senena Griffini uxor obligat ſe pro viro ſuo Regi Hen.3. 550.53
Senſabolus Auxiani filius excitat Corboraninum in Cruciferos 32.60
Sepulchrum Dominicum decruſtatum 138.34
Sepultura ante altaria 707.34
Sequelam Tenentium quantulorumcunque tenementorum ad curiam dominorum, quis introduxit 792.20

Sergius Monachus apoſtata & hæreticus, Alchorani dictator 255.18
Serio Lond. civitatis Maior 265.48
Serpens gratus gemmam adfert liberatori 151.29
Serpentulos Papa Reges vocat, Imperatorem verò draconem 528.16
Serpentum vaſa fictilia plena in hoſtes jacienda 136.56
De *Servitio* ſeculari ſingulorum Tenentium inquiſitio 83.54
Shoꝛt red, gmd red, ſlea yee the Biſhop 8.30
Siciliæ regnum Papa offert Hen. 3. 767.47
Sifredus fit Ciceſtrenſis Epiſcopus 58.59
Sigillum Magnum Regni clavis 678.38
Minus Regis Angliæ 764.19
Majus ibat cum Rege extra regnum *ib.*
Imperatoris Fredr. 2. forma 301.65
Fœminæ nobiles habebant 551.23
Quando primùm Epiſcopis & Collegiis permiſſa 384.14
Imperatoris aurea 385.7
Signabant Epiſcopi châr tas cum cruce & incauſto 502.45
In cœlo viſum 324.61
Ejus delineatio 325.1
Sigifredus Archiepiſcopus Maguntinus Rodolphum in Regem benedicit 8.63
Simon S. Albani Abbas 90.9 & 103.15
Humaniter Thomam Cant. accipit *ib.*15
Ejus gratiâ ad Regem venit, ſed fruſtra *ib.*19
Invitans ad feſtum celebrandum, invitatur ad martyrium patiendum 103.38
Mors 117.45
Simon de Apulia Epiſcopus Exon. moritur 269.10
Simon de Langetona eligitur in Archiepiſcopum Ebor. 227.61
Cui adverſatur Rex Johannes, & Papa à Johanne inſtigatus 225.5
Ejus electio caſſatur 230.4
Excommunicatur à Legato 237.31
Simon de Monte Forti terris ſuis deprivatur 206.34
Sororem Regis deſponſat 393.38
Clanculo transfretat 396.11
Ad curiam Rom. ſe confert 396.21
Petito à Papa potitur *ib.*25
In Angliam redit 401.51
Ei naſcitur filius 407.25
Regis incurrit diſplacentiam 409.5
Ad partes aquilonares ſecedit *ib.*13
Ei comitatus Legriæ datur *ib.*19
Cum Regis indignatione recedit
Accingit ſe itineri Hieroſolymitano 470.11
Invidet comiti Britanniæ 474.23
Strenuè ſe gerit in prælio apud Xantonas 523.25
Moratur cum Rege in Gaſconia 528.12.20
Eſt in Parliamento Anglicano 563.20
Crucesignatur 645.10
Mutat votum 665.9
Victoriæ ejus in Gaſconia 657.20,&c.
Plures 665.12 & 671.38
Redit inglorius de Gaſconia 700.13
Ejus fortia facta in Gaſconia *ib.*32
Redit *ib.*44 & 703.57
De Gaſconibus triumphat 713.3
Redit in Angliam 714.50
Regi accuſatur 718.33
Gaſcones domat *ib.*58
Adverſitates 720.56
Accuſatur 721.26,&c.
Dicit Angliæ Regem mentiri 722.20
Cauſæ odii regii in eum *ib.*30
Reſponſio 723.48
In Gaſconiam redit 728.39
Vincit Gaſconenſes acri prælio 729.29
Magnates Angliæ illum coram Rege accuſant 735.58
[illegible] Gaſconiæ cuſtodiam 743.31
Honoratur in Francia *ib.*50 & 745.21
Poſtulatur à Gallis in ſuum ſeneſchallum 756.56
Auxiliatur Regi Henrico in Gaſconia 757.8
Lis inter eum & Regis fratres 815.58
Et cum Epiſcopo 827.20
Quid comminatus eſt Regis fratribus 833.28
Filius ejus eos perſequitur 834.60
Eum quantum Rex formidarit 835.56
Lis cum comite Gloverniæ 845.64 & 846.19
Deprædatur terras Rogeri de Mortuo Mari 851.4
Et regalium *ib.*20
Simon Legriæ comes ordinat exercitum 853.33
Vincit capitque duos Reges *ib.*50
Caſtra regni diſponit 854.23
Diſcordia inter eum & Gilbertum de Clara *ib.*52,&c.
Occiditur 855.48
Laus *ib.*54,&c.
Filius ejus Regi reconciliatur 857.33
Filiorum ejus acta 858.40
Simon Normannus à concilio Regis ejicitur 465.32
Simon Paſſeleue à Rege miſſus ut circumveniat Abbates 228.54
Simon de Thurnai arrogans infatuatur 173.37
Simon de Welles Epiſcopus Ciceſtrenſis 177.64
Simon fit Wigornienſis Epiſcopus 58.58
Siville hebdomadarium tributum Regi 651.16 & 706.30
Sol nothus collateralis juxta Solem 355.64
Soldanus Yconenſis Conradi exercitum vincit 68.43
Baptizandus in lege Chriſtiana inſtrui cupit 94.3
Soldanus potentiſſimus moritur 398.12
Ab Imperatore lugetur *ib.*17
Soldanus terram ſanctam offert Lodovico Gallo 667.46 & 672.12
Moritur *ib.*46
Succeſſor ejus pacem negat *ib.*51
Sediterum offert 682.13
Somnium Falcaſii 731.44
Sonus mirabilis multis in locis Angliæ auditur
Solymannus Nicæam obſceſſam adjuvans fugatur 25.30
Ejus uxor cum filiis duobus capti ſunt 26.4
Infeliciter pugnat *ib.*61
Splendor cœleſtis juxta Solem 147.21
Sponſalia initiantur inter filium & filiam Scotiæ & Angliæ Regum 517.60
Stannum in Alemannia copioſiùs quàm in Anglia repertum 507.1
Statuta nova Hen. 3. contra judices ſpirituales 634.28
Stella juxta Solem 8.51
Innumeræ de cœlo cadunt 15.42 & 533.6
Stephanus Bleſenſis ducit Adalam tertiam Conqueſtoris filiam 10.33
Stephanus Camotenſis & Bleſenſis comes 49.49
Cecidit 50.49
Stephanus Rex Matildi jurat fidelitatem 59.18
Nepos Hen. 1. 62.16
Mater ejus Adala, pater Theobaldus Bononiæ comes *ib.*16
Regnum contra juramentum uſurpat *ib.*19
Legum emendationem promittit *ib.*20
In Regem conſecratur *ib.*22
Coronatur *ib.*30
Juramentum ejus Oxoniæ confirmatum *ib.*32
Perjurium *ib.*43
Avunculi theſaurum occupat *ib.*49
Robertum Gloverniæ comitem veretur *ib.*54
Movet contra Scotorum Regem exercitum *ib.*61
Concordatus eſt cum eo *ib.*
Mortuus fertur 63.4
Normannis proditoribus reſiſtit *ib.*7
Obſidet Oxoniam, & capit cum caſtello *ib.*8
Non erat niſi frater junior *ib.*34
Venando apud Brantonam votum violat *ib.*13
Apud Normanniam rebelles reprimit *ib.*27
Concordat cum Francorum Rege *ib.*29
Caſtrum Bedefordenſe obſidet *ib.*43
Exercitum in Scotiam promovet *ib.*51
Auſtrales Scotiæ partes cremavit *ib.*53
A quibuſdam Anglis Nobilibus opponitur, quos punit *ib.*60
Caſtella quædam in Anglia capit 64.60
Captionem Epiſcoporum in Synodo Winton. machinatur 65.17
Nigellum Epiſcopum Elienſem proſcribit *ib.*21
Lincolniam obſidet *ib.*27
Strenuitas ejus & fortitudo: capitur *ib.*51,56
Liberatur 66.5
Cogitur in fugam, & Winton. caſtellum firmat *ib.*23
Matildam in caſtello Oxon. obſidet *ib.*30
Willielmum de Mandevilla capit *ib.*47
Fruſtra Lincolniam obſidet 67.16
Eccleſiam S. Albani viſitat *ib.*50 & 71.4
Henrici jus in regnum agnoſcit 72.31
Ruinæ ejus prognoſtica 65.37
Adoptat Henricum in filium 72.38
Moritur & ſepelitur 77.23,&c.
Stephanus comes Burgundenſis 49.49
Ad Ramulam cecidit 50.49
Stephanus de Langeton Cardinalis Cant. Archiepiſcopus conſecratur 186.50
Celebrare divina permittitur 191.26
Cum aliis Romam profectus de Rege queritur 195.33
Ad Angliam redit 196.12
Suſpenditur ab officio 228.36
Suſpenſus, & Romam profectus accuſatur 229.44
Ejus ſuſpenſio à Papa confirmatur *ib.*58
Confirmatio eadem apud S. Albanum publicatur, & aliis 230.22

A ſuſpenſione conditionatè ſolvitur 235.4
Moritur 295.3
Stephanus de Seagrave Simoniaco pacto ſibi Decimas Papales obtinet 305.29
Proto-Juſtitiarius Angliæ 317.44
Coram Rege citatus in Eccleſia Leceſtrienſi ſe abſcondit 341.45
Apparet 342.24
Cum Rege pacificatur 345.59
Vice-Juſtitiarius 327.65 & 328.22
Deponitur 342.24
Reconciliatur Regi 364.16
Stephanus Papæ Nuntius ab Henrico Decimas requirit 304.62,24
Solvere renuentes excommunicare minatur 305.51
Sterilitatis tres anni ſucceſſivi 343.25
Quid inde accidit blado quinquennali Walteri Eboracenſis ib.43
Exemplum aliud de alio ſacerdote avaro ib.60
Aliud de ruſticis de Albo ſeſlea 344.26
In Anglia, Gallia, & Gaſconia pluviis autumnalibus procurata 345.37
Stigandus Archiepiſcopus Cant. à Papa ſuſpenſus 16.65
Stylus Hen.3. 568.44
Strages Tartarorum Chriſtianos invadentium 468.10
Chriſtianorum in partibus Damaſcenis 474.19
In Flandria 747.64
Strangbowe cognomen Richardi Comitis Mareſchalli 375.50
Pro *ſtrenis* veſtes a Regibus datæ 604.26
De *Succeſſione* ad coronam Angliæ, depoſito Johanne Rege diſſertatio 239.23
Sultani exercitus contra Crucesignatos debellatur 42.65
De *Summitibus* manerium Eccleſiæ S. Pauli adjudicatur 266.58
Suſpenſiones tormenta Papalia ad extorquendas pecunias 568.14
Swanus Danorum Regis filius Crucifer à Turcis interficitur 28.36
Synodus Weſtmonaſterii an.1075 17.10
Apud Petredam 18.3
Londini 60.10
Apud Wintoniam 65.15
Diſſolvitur ib.20
Synodi apud Londinum habitæ conſtituta 66.42
Apud Weſtmonaſterium ſub Richardo Cant. 109.44
Alia ſub Willielmo Elienſi 134.53
Legatina Redingæ 180.28
Cant. ſub Stephano Langtono 265.17
Oxonii ſub eodem 266.38
Sub Ottone Legato Canones 379.&c.
Legatina ſub Ottone 377.378
In ea Legati habitus, ſedes, Evangelium ſelectum, collectæ & hymnus ib.
Solennitas in concluſione 385.2
Apud Oxoniam 836.5
Provinciæ Cant. 815.25
Lond. ſub Ottobono 861.20
Aliquando Magnates intererant 3.53
Presbyterorum Epiſcopum excommunicat 472.45
Synodi tormenta Papalia ad extorquendas pecunias 786.36
Mantuana 5.8
Generalis Rhemis 60.42

T

Tabula rotunda ſive haſtiludium Waldenæ 729.63
Tameſis exſiccatur, & mare ad 12 milliaria per duos dies 55.37
Tancredus Tiberiadem & totam Galileam à Godefrido habet 43.20
Antiochenus Princeps fit ib.24
Appamiam capit 51.9
Obiit 55.5
Taphnis fluvius & caſtellum 260.11,12,&c.
Tartari partes ſeptentrionales devaſtant 398.37
Eorum mores ib.42
Eruptio in orientalium fines 487.17
Mores & religio ib.28,37,&c.
Boreales & Aquilonares Chriſtianorum partes vaſtant 496.6
Mores 538.30
Hungariam invadentes pelluntur 545.64
Verſus orientem diſcurrunt 546.15
Origo, mores 570
Armeniam & Antiochiam tributarias faciunt 616.46
Nuncios mittunt ad Innocent.4. 654.30
De eorum Rege converſo ad Chriſtianiſmum rumores 667.30
Victoriæ in oriente 821.17.24
Taxatio graviſſima per totam Angliam Regis cauſa 307.60
Templariorum ordo & origo 56.20
Habitus ib.30
Numerus ib.31
Poſſeſſiones ib.36
Ratio nominis ib.39
Degeneratio ib.42
Milites omnes interfecti 61.13
Et Hoſpitalarii Imperatori proditionem intendunt 302.25
Eorum proditio revelatur ib.41
Circa Antiochiam occiduntur 374.27
Papæ avaritiam admirantes ejus curiæ indignantur 365.50
Hoſpitalariis infeſti 534.60
Eorum ſuperba religio 546.60
Quot maneria habuerunt in Chriſtianitate 544.6
Et Hoſpitalariorum pugna 846.23
Capitula tenebant noctu 773.37
Tenebræ horribiles cum pluviis 713.28
Et cum tonitru horrendo 715.5
Tentorium Corboranni ex ſerico ingens 36.26
Terminantur hîc Matthæi chronica 697.22
Terræ motus cum mugitu 9.22
Cum tenebris 61.7
In Elye, Norfolke, & Suffolke 87.64
In Ciſtria Angliæ 697.33
Alibi in Anglia 631.24 & 656.45
Per univerſum orbem 112.36
In Sabaudia 652.30
Occidenti innaturalis 631.24
Rarior in Anglia ib. & 54
Effectus ib.
Eo civitates abſorptæ 558.57
Terra S. Frederico Imperatori reſtituitur 300.40
Eam Chriſtiani intrant 302.3
Terræ Sanctæ jucundi rumores 484.11
Anguſtia captivorum ibidem 487.61
De reparatione concilii Lugdunenſis ſtatuta. 589.55.
A Choroſminis populata 546.30 & 556.24.&c.
Pecunias in ejus ſublevationem in regno ſuo colligi non patitur Hen.3. 600.15
Ob diſcordiam inter Saracenos paululum reſpirat 614.11
A Choroſminis ferè occupata 619.53
Liberatio efficaciſſimum Papæ argumentum ad extorquendas pecunias ib.60
Ne Lodovico Gallo tota reſtitueretur, primò obfuit comes Attrebatenſis 667.47 & 672.19
Ac poſtea Legatus Papalis ex mandato Papæ 682.20
Teſtamentum Fred.2. Imperatoris 702.20
Duodecim Patriarcharum è Græcia allata, & Latinum verſum 721.3
Ut pro omni tenemento ſequela præſtetur curiæ Domini 792.20
Thadæi corpus Edeſſæ humatum 66.63
Thaddæus de Sueſſa Frederici procurator, quæ pro eo alligârit in Synodo Lugdunenſi 582.53 & 583.50 & 584,585 & 589.51
Theobaldus junior comes Bleſenſis 62.17
Cum Stephano pactum 63.34
Theobaldus in Archiepiſcopum Cant. eligitur 64.50
Pallium Romæ a Papa Innocentio ſuſcipit ib.53
Theotford Epiſcopatus Norwicum tranſlatus 15.17
Theſaurus Archiepiſcopi Eboracenſis 117.2
Hen.2. quantus, Wintoniæ ſervatus 127.45
Thomas Aquinas floret 856.50
Thomas Becket Cancellarius Angliæ fit Archiepiſcopus Cant. 82.37,&c.
Vita ejus ib.48,&c.
Oſculo à Rege ſuſceptus 83.32
Sigillum Regis reſignat 82.47
Cauſæ Regis in eum indignationis 83.44,&c.
Concilio Turonenſi intererat 84.4
Clarendonæ ſtatutis jurat, & pœnitet 85.23
Abſolutus per Papam à juramento ib.31
Ex Anglia diſcedit 86.14
Bona ejus confiſcantur 87.3
Tota cognatio ejus proſcribitur ib.
Ne orandum quidem eſt pro eo ib.7
Oratio coram Papa 87.10
Excommunicat diſſidii autores 88.5
Literæ ad Regem Hen.2. ib.32
Gilebertum Lond. Epiſcopum excommunicat 92.35
Quæ ei die Martis accidunt 97.5
Ei Chriſtus apparuit ib.14
Petitio ejus ad Regem Hen.2. ib.42
Pacem init 101.63
In Angliam redit 102.25
Epiſcopos multos ſuſpendit ib.42
Eos abſolvere non vult ib.
Abbas S. Albani adit Thomam 103.14
Oc-

Occiditur in Eccleſia 104.8
Sepelitur ib.27
Ejus interfectorum nomina 103.50
A Papa excommunicantur 104.57
In Charesburc Regis caſtello latent ib.60
Papâ jubente eſt invocandus 106.25
Tranſlatio 261.18
Ratio ejus quia noluit ſacerdotem à laicis judicari 653.8
Thomas comes Flandriæ in Angliam venit 462.22 & 473.3
Thomas Regis capellanus Archiepiſcopus Ebor. 53.14
Conſecratur ib.48
Moritur 55.11
Thomas Hugonis de Burgo frater, à Lodovico comprehenditur 240.20
Thomas de Muletuna peccatum & mors 480.22
Tholoſanus comes vincit Provinciæ comitem, Francóſque rebelles ſibi mancipat 294.52 & 473.40
Contra eum Rex Francorum bellum movet ib.60
Imperatorem excuſat 474.15
Hereſeôs ſuſpectus 527.7
Tholoſani Albigenenſium hæreſi polluti comminantur 203.60
Thurſtanus fit Ebor. Epiſcopus 55.11
Contendit cum Ranulpho de prioritate ib.12,47
Tynemua (Tinmouth) circa eam concordia inter Dunelmenſem & Abbatem S.Albani 633.1 & 634.37 & 647.53
Cella fundata 13.54
Tonitrua generalia in Anglia, Francia, & Hybernia 105.30
Per 15 dies 322.7
Hyemalia 62.46 & 355.63 & 697.47 & 266.17 & 295.25 & 393 48 & 715.3
Hyemale triſte præſagium 840.38
Plus lugendum quàm amici mors 329.5
Mortalitatem,&c. ſignificat ib.
Topazio literas ſignabant Imperatores 610.26
Torneamentorum bravium 222.62
Apud Blie inter Auſtrales & Norenſes fatale 374.19
Præparatur inter Anglos & alienigenas 490.36
A Rege prohibetur ib 49
Apud Roſſam inter Anglos & alienigenas 715.34
Apud Hertfordiam 502.49
Aliud in partibus aquilonaribus 519.56
Francigena Gaufridum de Mandevilla vulnerat 235.50
In concilio Lateranenſi prohibita 115.9
In eis occiſi ſepulturâ careant Chriſtiani ib.
Tamen ea poſtea exercuit Richardus Rex 148.43 & 222.62
Ut & alii 519.56
In concilio Lugdunenſi in triennium prohibita 591.30
Tranſlatio reliquarum Edmundi Cant. 638.45
Altera 664.44
Treugæ inter Chriſtianos & Paganos conſtituuntur 143.22
Inter Regem Angliæ & Lodovicum 246.19
Inter fideles terræ ſanctæ & Saracenos 244.57
Inter Reges Franciæ & Angliæ* 246.16
Expirantur 342.45
Inter Hen.3. & Mareſchallum 333.57
Decennales inter Fredericum & Soldanum 346.55
Quinquennales inter Hen.3. & Lodovic.9. 531.10
Triceſima Hen.3. conceſſa 368 28
Modus collectionis ib.33
Et alia 376.24
Tu es Petrus, & ſuper hanc,&c. exponitur 477.63
Tumulationis mos 277.21
Tunica Chriſti inconſutilis inventa 80.20
Eccleſiæ Dolenſis ſubjecta 167
Tunis à Chriſtianis capta 863.11
Fit Siciliæ tributaria ib.
Turci dederunt præſidium Antiochiæ 36.30
Turonenſe concilium 84.2
Turris Lond. fortificatur 411.40
Turſtinus Ebor. Archiepiſcopus Boreales Proceres in Scotos excitat 63.64
Pugnæ intereſſe voluit 64.3
Moritur 65.25
Contendit cum Johanne Cant. de prioritate cathedrarum 58.60
Quadam limitatione datâ obtinet veniam ad concilium Remenſe adeundi 56.50
Accipiens conſecrationem à Papa Archiepiſcopatu privatur
Turſtinus Abbas Glaſtonienſis ſceleratus 9.9

V

Valentia ab Arragonum Rege arctatur 407.6
Capitur
Vaſallum ſuum Papa vocat Regem Angliæ 650.45
Veneti Imperatori infeſti 495.20
Vegeſſini Galliæ tractus limites 166.29
Venationis furti pœna 314.55
Venia tot dierum de injuncta pœnitentia
Veronica eſt effigies vultûs Domini in ſudario 244.29 & 566.9
Tranſverſa portentoſa ib.
Vicarius non fit, qui non eſt Diaconus 380.48
Debet reſidere ib.
Vicarias emendat Robertus Groſſeteſt 724.56
Vicecancellarius Angliæ 630.64
Vicecomites tenebant placita comitatûs 8.22
Omnes à Richardo Rege depoſiti 129.25
Et ab Hen.3. 362.54
Northamptoniæ enorme facinus 800.41
Amerciati à Rege 803.60
Pars officii eorum ib.55 & 804.1
Northamptoniæ alterius oppreſſiones 838.30
Eorum rapacitas refrænata 839.37
Credo hæreditarium erat officium 129.25 & 362.54
Victoria Rich.1. in Francos 162.60
Johannis Regis in Francos Flandriam invadentes 200 42
Hen.3. contra Lodovicum apud Lincolniam 249,&c.
Alia navalis contra eundem 251.22
Comitis Tholoſani in Francos 294.53
Victoriâ urbs ædificata 640.26
Deleta 648.43
Vide an tunica filii tui ſit, annon? 153.30
Viſio Monachi Eveſhamenſis de Purgatorio & de cœlo 153,&c. ad 159
Nocturna de ruina mæniorum juxta turrim Londinenſem 491.57
Corruunt 492.9
Viſitatio generalis religioſarum 322.12,&c.
Bonifacii Cant. 675.55,&c.
Eccleſiæ S.Albani 713.32
Et aliorum Monaſteriorum ib.46
Viſitari recuſant Epiſcopi Abbates & Priores ab Archiepiſc. 676.14,26 & 677.41 & 694 13
De *Vitali* & Sylvano hiſtoria 150.53
Ulfrici vita & miracula 77.50,&c.
Ulſtanus Wigornienſis Epiſcopus 16.26
Parentes ib.30
Reprehenditur à Wlſio recluſo ib.60
Epiſcopatum reſignat 17.16
Deponendus quia Gallicè non noverat ib.14
Virgam paſtoralem ſilici impreſſit ib.34
Reſtituitur ib.42
Moritur 18.16
Unctionis regiæ forma 128.32
Votum crucis pecuniâ datâ ſolvitur 502 26,30
Urbanus Epiſcopus Clammorgunenſis 53.9
Urbani apud Clarum Montem conſtitutiones 18.22
Hildebrandi decreta renovat ib.50
Philippum excommunicat ib.
Oratio ejus ad populum de Hieroſolymis ſuccurrendis ib.55
Moritur 47.51
Urbanus Papa Rom. Lucio ſuccedit 119.52
Urbanus 4. Papa 848.56
Fugat Manfredi exercitum ib.57
Siciliam Gallo confert ib.59
Mittit Legatum ad excommunicandos pacis turbatores 854.49
Moritur 856.43
Urinator qui navem perforavit 118.39 & 136.60
Urſus ſylveſtris Godefridum Ballonium ſauciat 29.23
Uſurarii quæſtum faciunt de Papæ exactione 305.60
Excommunicatur 306.63
Uſurarum & pœnarum ſumma, in qua Papalibus uſurariis obligatus erat Hen.3. 805.54
Uterpendragon Rex Britonum 167.8
Uxores ſacerdotibus interdictæ. 7.21
Uxoratus Archiepiſcopus Bonifacius 676.57
Sacerdos 678.28

W

Waldemarus Daciæ Rex centenarius obiit 491.48
Ejus filius item moritur primogenitus ib.47
Walkelinus Wintonienſis Epiſcopus legit electionem Anſelmi 15.3
Moritur 37.23
Walkelinus Doveriæ caſtellanus 63.60
Walo Papalis Legatus ad iter Lodowici in Angliam impediendum mittitur 235.53
Argumenta ejus pro Johanne profligantur 236.12
Legatus milites regios hortatur ad pugnam 248.24
Lodowicum excommunicat & complices ſuos ib.27
Lodowicum in Angliam ſequitur 217.15

Gio-

Rodulphus Epiſcopus Roffenſis fit Archiepiſcopus 55.10
Pallium à Papa ſuſcipit *ib.*42
Roffenſis Epiſcopatuum Angliæ pauperrimus 717.48
Rogationum tempora 638.24 & 664.6
Rogerus de Molbraio ab Hen. 2. deficiens caſtellum Axiholm capit 107.50
Rogerus de Thony moritur 290.27
Moriturum Radulphus frater clamore excitat *ib.*33
Rogerus Bigod fit Mareſchallus Angliæ 616.58
Capit comitem de [illegible]ſnes 667.2
Reaccipit uxorem ſuam 748.8
Legatur in Gallias 819.65
Rogerus Epiſcopus Coventr. 60.59
Rogerus Sarisber. Epiſcopus 53.8
Rogerus Ceſtr. Epiſcopus moritur 67.52
Rogerus Ebor. Archiepiſcopus perjurans ad officium reſtituitur 105.15
Parliamentum adire non vult 109.47
Mortuus eſt 116.61
Opes 117.2
Rogerus Niger fit Epiſcopus Lond. 297.44
Conſecratur 306.28
Caurſinos excommunicat, ſed fruſtra 353.48
Rokeſburc caſtellum à Scoto conceſſum Hen. 2. 109.62 *Sed vide* 130.10
Rokum apud Saracenos ſecundus à Soldano 681.42
Rolandi cantus ante prælium 3.24
Romæ album vel rubeum intercedit 49.40
Romani à Papali excommunicatione jure antiquo exempti 344.60
Item civitas eorum ab interdicto *ib.*61
Senatores ab Eccleſia tributum per Papam ſolutum olim receperunt 345.2
In Papam rebellant *ib.*16
Viterbium ſpoliant ſpoliati *ib.*25
Ex eis magna ſtrages *ib.*30
Habent privilegium, quòd nequit Papa eos excommunicare; comminantur Papam 823.13,58
Soli nôrunt digne tractare Papam *ib.*
Papam contemnunt 840.31
Peremptorie revocant Papam
Clerici plures redditus habent in Anglia quàm ipſe Rex 579.7
Clericorum in Anglia inſolentia proceres provocat ad ultionem 313.8 & 314.4
Inquiſitio de ea violentia 316.55
Curia meretrici ſimilis 493.55
De curia querela Angliæ 549.32
Et Regis 550.22
Curiæ infamia 576.42 & 578.31 & 579.14
In eâm querelæ Anglorum *ib.*13
Curiæ vitia Imperatorem juvant 662.22
Inſtar barathri omnia abſorbet 669.42
In curiam exclamatio authoris 779.45
Ruffinus & Rubeus de Scotia 3000 librarum ſecum afferunt in Papæ uſum 481.55
Rumor Regis Stephani mortis ipſum regnum perturbat 63.4
Rumores lugubres de terra ſancta 619.53
Runningmede, colloquium ibi inter Johannem Regem & Barones 214.50
Ruſtandus Papalis Nuntius in Angliam venit 785.18
Prædicat crucem aſſumendam contra Manfredum, cogit Synodum Lond. ad extorquendas pecunias 786.37
Reſiſtitur 787.6
Fingit Manfredum eſſe potionatum 788.6
Iterum congregat Prælatos *ib.*42
Contra eum mutire non audent Prælati 790.60
Sed poſtea contradicunt 794.23
Ut & Ciſtercienſes *ib.*33
Transfretat 796.9
Accuſatur coram Papa 819.24 & 826.7
Literæ ſive poteſtas quas à Papa obtinuit ad expilandos Anglos 801.60
Redit in Angliam 824.32

S

Sabaudiæ comes homagium Anglorum Regi facit 617.25
Sabbato (vel Saturni die) poſt horam tertiam feriandum 169.40
Ejus tranſgreſſio quomodo punita *ib.*54
Sacerdotibus uxores interdictæ primum 7.21
Quæ inde mala *ib.*27
Concubinarii excommunicati 49.13
Focariæ interdicuntur 60.10
Technæ, ut uxores cum beneficiis retinere poſſint 381.62
Uxorati removendi 382.4
Eorum concubinæ removendæ *ib.*16
Sacramentorum effectus non pendet à bonitate Miniſtri 7.27
Laici miniſtrant *ib.*32
Principalia ſeptem 379.44
Gratis adminiſtranda 380.3, &c.
Saerus de Quinci comes Wintoniæ moritur 261.28
Sagittarii equitum ordinibus permixti in præliis Anglorum 64.28
Saladinus Hieruſalem depopulatur 120.50
Abigitur 124.3
Moritur 143.54 & 146.6
Sancti novi in Anglia exoriuntur 567.56
Animæ morientium commendatæ 242.15
Sanguinem in Cœna ſumpsêre Laici 3.19 & 7.24
Chriſti portio Hen. 3. miſſa 641.6
Proceſſio ſolenniſſima in ejus receptione *ib.*15, &c.
Proprios conjuratores commiſcent combibûntque 363.23
E mortui naribus erumpit ſuperveniente interfectore, quaſi ad Deum clamans 126.51
E terra ebulliens apud Fiſchamſe lam 42.45 & 44.58
Apud Berekſyre in Humelhede 46.36
Romæ pluit 267.28
Et in Anglia 162.24
Saphadinus ſuccedit patri Saladino 146.6
Aſiæ uſurpator mortuus eſt 255.3
Saraceni Chriſtianos invadentes ignominioſè recedunt 118.21
Apud Achona Chriſtianorum machinas comburunt 132.41
Chriſtianos quoſdam donis corrumpentes caſtella concremant *ib.*45
Strages in Hiſpania 410.59
Chriſtianis multa damna inferunt 465.14
Sorte inquirunt fata 483.33
Offerant terram ſanctam Gallo 667.45 & 672.13
Inſurgunt in Soldanum, quòd Lodovicum Regem dimiſiſſet 688.20
Aliqui Baptizantur 759.12
Matrimonia, ſuperſtitio, &c. 360.13, &c.
Soldani diſcordes ob Lodovicum Gallum liberatum 698.47
Sariberienſis Eccleſia ædificata 370.49
Sauteriæ Eccleſia dedicatio 407.9
Scaccarium Northamptonam à Lond. amotum 191.31
Secretum & ſigillum 342.43
Barones duo electi 564.53
Schiſma in Papatu 5.7,9.40,44 & 56.14 & 58.1 & 81.39
Inter Græcam & Romanam Eccleſias 386.30
Origo ejuſdem 393.20,25
A quo ortum 546.12
Scotorum Rex homo Ligius Regis Angliæ in perpetuum 109.53
Fugitivos ab Anglia nè receptet *ib.*61
Caſtella de Berwick & Rokesburc dat Regibus Angliæ *ib.*62
Rex & Regina in Angliam veniunt 799.45
Rex & Regina in Angliam accerſiti ab Hen. 3. 844.56
Rex filiam Engilrami de Cuſcy deſponſat 411.10
Northumbriam invadentes pelluntur 64.34
11000 occ[i]duntur *ib.*41
Legatum Papalem non admittunt 377.10
Rex & proceres homagium & ligiantiam de regno Scotiæ faciunt Hen. 2. ut Domino ſpeciali 109.51
Vide plura ib.
Sed relaxat Richardus 130.10
Nobilium nomina plura 568.41, &c.
Inſigne bellicum Albanus 64.24
Reginæ dotariæ tertiam regni proventuum partem pro dote retinent 715.59
Ejus regni proventus annuus ad 12000 (vel amplius) marcas aſcendit *ib.*
Rex homagium facit Hen. 3. de Laudiano 716.20
Regis equus, quando à Rege Angliæ fit miles, debetur Mareſchallo Angliæ *ib.*32
Rex flexis genibus apud Regem Angliæ intercedit 717.5
Regni cuſtodes coram Rege Angliæ accuſantur 780.3
Accuſatorem veneno interficiunt *ib.*23
Vide plura in voce Robertus Ros.
Scriptum mirabile 413.38
Duo prognoſtica 417.14
Scutagium Regi conceſſum ad maritandam filiam 56[6].13
Sedes Legati in Synodis ſuper gradus elata 37[7].62
Seditio pedum ſive manuum truncatione punitur 266.14
Senator triennalis primùm Romæ factus 741.37
Senena Griffini uxor obligat ſe pro viro ſuo Regi Hen. 3. 550.53
Senſabolus Auxiani filius excitat Corborannum in Cruciferos 32.60
Sepulchrum Dominicum decruſtatum 138.34
Sepultura ante altaria 707.34
Sequelam Tenentium quantulorumcunque tenementorum ad curiam dominorum, quis introduxit 792.20

Sergius Monachus apoſtata & hæreticus, Alchorani dictator 255.[illegible]
Serio Lond. civitatis Maior 265.48
Serpens gratus gemmam adfert liberatori 151.29
Serpentulos Papa Reges vocat, Imperatorem vero draconem 528.16
Serpentum vaſa fictilia plena in hoſtes jacienda 136.56
De *Servitio* ſeculari ſingulorum Tenentium inquiſitio 83.54
Shoꝛt red, god red, ſlea yee the Biſhop 8.30
Sicilia regnum Papa offert Hen.3. 767.47
Sifredus fit Ciceſtrenſis Epiſcopus 58.59
Sigillum Magnum Regni clavis 678.38
Minus Regis Angliæ 764.19
Majus ibat cum Rege extra regnum *ib.*
Imperatoris Fredr.2. forma 301.65
Fœminæ nobiles habebant 551.23
Quando primùm Epiſcopis & Collegiis permiſſa 384.14
Imperatoris aurea 385.7
Signabant Epiſcopi chartas cum cruce & incauſto 502.45
In cœlo viſum 324.01
Ejus delineatio 325.1
Sigifredus Archiepiſcopus Maguntinus Rodolphum in Regem benedicit 8.63
Simon S.Albani Abbas 90.9 & 103.15
Humaniter Thomam Cant. accipit *ib.*15
Ejus gratia ad Regem venit, ſed fruſtra *ib.*19
Invitans ad feſtum celebrandum, invitatur ad martyrium patiendum 103.38
Mors 117.45
Simon de Apulia Epiſcopus Exon. moritur 269.[illegible]
Simon de Langetona eligitur in Archiepiſcopum Ebor. 227.61
Cui adverſatur Rex Johannes, & Papa à Johanne inſtigatus 22[illegible]
Ejus electio caſſatur 23[illegible]
Excommunicatur à Legato 23[illegible]
Simon de Monte Forti terris ſuis deprivatur 20[illegible]
Sororem Regis deſponſat 393.[illegible]
Clanculo tranſfretat 39[illegible]
Ad curiam Rom. ſe confert 395.21
Petito à Papa potitur *ib.*25
In Angliam redit 401.51
Ei naſcitur filius 407.25
Regis incurrit diſplacentiam 409.5
Ad partes aquilonares ſecedit *ib.*13
Ei comitatus Legriæ datur *ib.*19
Cum Regis indignatione recedit
Accingit ſe itineri Hieroſolymitano 470.11
Invidet comiti Britanniæ 474.23
Strenue ſe gerit in prælio apud Xantonas 523.25
Moratur cum Rege in Gaſconia 528.12,20
Eſt in Parliamento Anglicano 563.20
Cruceſignatur 645.10
Mutat votum 665.9
Victoriæ ejus in Gaſconia 657.20,&c.
Plures 665.12 & 671.38
Rediit ingloriꝰ de Gaſconia 700.13
Ejus fortia facta in Gaſconia *ib.*32
Redit *ib.*44 & 703.57
De Gaſconibus triumphat 713.3
Redit in Angliam 714.50
Regi accuſatur 718.33
Gaſcones domat *ib.*58
Adverſitates 720.56
Accuſatur 721.26,&c.
Dicit Angliæ Regem mentiri 722.20
Cauſæ odii regii in eum *ib.*30
Reſponſio 723.48
In Gaſconiam redit 728.39
Vincit Gaſconenſes acri prælio 729.29
Magnates Angliæ illum coram Rege accuſant 735.58
Reſignat Gaſconiæ cuſtodiam 743.31
Honoratur in Francia *ib.*50 & 745.21
Poſtulatur à Gallis in ſuum ſeneſchallum 756.56
Auxiliatur Regi Henrico in Gaſconia 757.8
Lis inter eum & Regis fratres 815.58
Et cum Epiſcopo 827.20
Quid comminatus eſt Regis fratribus 833.28
Filius ejus eos perſequitur 834.60
Eum quantum Rex formidârit 835.56
Lis cum comite Gloverniæ 845.64 & 846.19
Deprædatur terras Rogeri de Mortuo Mari 851.4
Et regalium *ib.*20
Simon Legriæ comes ordinat exercitum 853.33
Vincit capitque duos Reges *ib.*50
Caſtra regni diſponit 854.23
Diſcordia inter eum & Gilbertum de Clara *ib.*52,&c.
Occiditur 855.48
Laus *ib.*54,&c.
Filius ejus Regi reconciliatur 857.33
Filiorum ejus acta 858.40
Simon Normannus à concilio Regis ejicitur 465.32
Simon Paſſeleue à Rege miſſus ut circumveniat Abbates 228.54
Simon de Thurnai arrogans infatuatur 173.37
Simon de Welles Epiſcopus Ciceſtrenſis 177.64
Simon fit Wigornienſis Epiſcopus 58.58
Sivilla hebdomadarium tributum Regi 651.16 & 706.30
Sol nothus collateralis juxta Solem 355.64
Soldanus Yconenſis Conradi exercitum vincit 68.43
Baptizandus in lege Chriſtiana inſtrui cupit 94.3
Soldanus potentiſſimus moritur 398.12
Ab Imperatore lugetur *ib.*17
Soldanus terram ſanctam offert Lodovico Gallo 667.46 & 672.12
Moritur *ib.*46
Succeſſor ejus pacem negat *ib.*51
Sed iterum offert 682.13
Somnium Falcaſii 73[illegible]
Sonus mirabilis multis in locis Angliæ auditur
Solymannus Nicæam obſeſſam adjuvans fugatur 25.30
Ejus uxor cum filiis duobus capti ſunt 26.4
Infeliciter pugnat *ib.*61
Splendor cœleſtis juxta Solem 147.21
Sponſalia initiantur inter filium & filiam Scotiæ & Angliæ Regum 517.60
Stannum in Alemannia copioſiùs quàm in Anglia repertum 507.1
Statuta nova Hen.3. contra judices ſpirituales 634.28
Stella juxta Solem 8.51
Innumeræ de cœlo cadunt 15.42 & 533.6
Stephanus Bleſenſis ducit Adalam tertiam Conqueſtoris filiam 10.33
Stephanus Carnotenſis & Bleſenſis comes 49.49
Cecidit 50.49
Stephanus Rex Matildi jurat fidelitatem 59.18
Nepos Hen.1. 62.16
Mater ejus Adala, pater Theobaldus Bononiæ comes *ib.*16
Regnum contra juramentum uſurpat *ib.*19
Legum emendationem promittit *ib.*20
In Regem conſecratur *ib.*22
Coronatur *ib.*30
Juramentum ejus Oxoniæ confirmatum *ib.*32
Perjurium *ib.*43
Avunculi theſaurum occupat *ib.*49
Robertum Gloverniæ comitem veretur *ib.*54
Movet contra Scotorum Regem exercitum *ib.*61
Concordatus eſt cum eo *ib.*
Mortuus fertur 63.4
Normannis proditoribus reſiſtit *ib.*7
Obſidet Oxoniam, & capit cum caſtello *ib.*8
Non erat niſi frater junior *ib.*34
Venando apud Brantonam votum violat *ib.*13
Apud Normanniam rebelles reprimit *ib.*27
Concordat cum Francorum Rege *ib.*29
Caſtrum Bedefordenſe obſidet *ib.*43
Exercitum in Scotiam promovet *ib.*51
Auſtrales Scotiæ partes cremavit *ib.*53
A quibuſdam Anglis Nobilibus opponitur, quos punit *ib.*60
Caſtella quædam in Anglia capit 64.60
Captionem Epiſcoporum in Synodo Winton. machinatur 65.17
Nigellum Epiſcopum Elienſem proſcribit *ib.*21
Lincolniam obſidet *ib.*27
Strenuitas ejus & fortitudo: capitur *ib.*51,56
Liberatur 66.5
Cogitur in fugam, & Winton. caſtellum firmat *ib.*23
Matildam in caſtello Oxon. obſidet *ib.*30
Willielmum de Mandevilla capit *ib.*47
Fruſtra Lincolniam obſidet 67.16
Eccleſiam S.Albani viſitat *ib.*50 & 71.4
Henrici jus in regnum agnoſcit 72.31
Ruinæ ejus prognoſtica 65.37
Adoptat Henricum in filium 72.38
Moritur & ſepelitur 77.23,&c.
Stephanus comes Burgundenſis 49.49
Ad Ramulam cecidit 50.49
Stephanus de Langeton Cardinalis Cant. Archiepiſcopus conſecratur 186.50
Celebrare divina permittitur 191.26
Cum aliis Romam profectus de Rege queritur 195.33
Ad Angliam redit 196.12
Suſpenditur ab officio 228.36
Suſpenſus, & Romam profectus accuſatur 229.44
Ejus ſuſpenſio à Papa confirmatur *ib.*58
Confirmatio eadem apud S.Albanum publicatur, & alibi 230.22

A ſuſpenſione conditionatè ſolvitur 235.4
Moritur 295.3
Stephanus de Seagrave Simoniaco pacto ſibi Decimas Papales obtinet 305.29
Proto-Juſtitiarius Angliæ 317.44
Coram Rege citatus in Eccleſia Leceſtrienſi ſe abſcondit 341.45
Apparet 342.24
Cum Rege pacificatur 345.59
Vice-Juſtitiarius 327.65 & 328.22
Deponitur 342.24
Reconciliatur Regi 364.16
Stephanus Papæ Nuntius ab Henrico Decimas requirit 304.62,24
Solvere renuentes excommunicare minatur 305.51
Sterilitatis tres anni ſucceſſivi 343.25
Quid inde accidit blado quinquennii Walteri Eboracenſis ib.43
Exemplum aliud de alio ſacerdote avaro ib.60
Aliud de ruſticis de Albo ſeſtea 344.26
In Anglia, Gallia, & Gaſconia pluviis autumnalibus procurata 345.37
Stigandus Archiepiſcopus Cant. à Papa ſuſpenſus 16.65
Stylus Hen.3. 568.44
Strages Tartarorum Chriſtianos invadentium 468.10
Chriſtianorum in partibus Damaſcenis 474.19
In Flandria 747.64
Stranghowe cognomen Richardi Comitis Mareſchalli 335.50
Pro *Strenis* veſtes à Regibus datæ 604.26
De *Succeſſione* ad coronam Angliæ, depoſito Johanne Rege diſſertatio 239.23
Sultani exercitus contra Cruceſignatos debellatur 42.65
De *Sumnibus* manerium Eccleſiæ S. Pauli adjudicatur 266.58
Suſpenſiones tormenta Papalia ad extorquendas pecunias 568.14
Sweinus Danorum Regis filius Crucifer à Turcis interficitur 28.36
Synodus Weſtmonaſterii an. 1075 17.10
Apud Petredam 18.3
Londini 60.10
Apud Wintoniam 65.15
Diſſolvitur ib.20
Synodi apud Londinum habitæ conſtituta 66.42
Apud Weſtmonaſterium ſub Richardo Cant. 109.44
Alia ſub Willielmo Elienſi 134.53
Legatina Redingæ 180.28
Cant. ſub Stephano Langtono 265.17
Oxonii ſub eodem 266.38
Sub Ottone Legato Canones 379.&c.
Legatina ſub Ottone 377.378
In ea Legati habitus, ſedes, Euangelium ſelectum, collectæ, & hymnus ib.
Solennitas in concluſione 385.2
Apud Oxoniam 836.5
Provinciæ Cant. 815.25
Lond. ſub Ottobono 861.20
Aliquando Magnates intererant 3.53
Presbyterorum Epiſcoporum excommunicat 432.45
Synodi tormenta Papalia ad extorquendas pecunias 786.36
Mantuana 5.8
Generalis Rhemis 60.42

T

Tabula rotunda ſive haſtiludium Waldenæ 729.63
Tameſis exſiccatur, & mare ad 12 milliaria per duos dies 55.37
Tancredus Tiberiadem & totam Galileam à Godefrido habet 43.20
Antiochenus Princeps fit ib.24
Appamiam capit 51.9
Obiit 55.5
Taphnis fluvius & caſtellum 250.11,12,&c.
Tartari partes ſeptentrionales devaſtant 398.37
Eorum mores ib.42
Eruptio in orientalium fines 487.17
Mores & religio ib.28,37,&c.
Boreales & Aquilonares Chriſtianorum partes vaſtant 496.6
Mores 538.30
Hungariam invadentes pelluntur 545.64
Verſus orientem diſcurrunt 546.15
Origo, mores 570
Armeniam & Antiochiam tributarias faciunt 616.46
Nuncios mittunt ad Innocent. 4. 654.30
De eorum Rege converſo ad Chriſtianiſmum rumores 667.30
Victoriæ in oriente 821.17.24
Taxatio graviſſima per totam Angliam Regis cauſâ 307.60
Templariorum ordo & origo 56.20
Habitus ib.30
Numerus ib.31
Poſſeſſiones ib.36
Ratio nominis ib.39
Degeneratio ib.42
Milites omnes interfecti 61.13
Et Hoſpitalarii Imperatori proditionem intendunt 302.25
Eorum proditio revelatur ib.41
Circa Antiochiam occiduntur 374.27
Papæ avaritiam admirantes ejus curiæ indignantur 365.50
Hoſpitalariis infeſti 534.60
Eorum ſuperba religio 546.60
Quot maneria habuerunt in Chriſtianitate 544.6
Et Hoſpitalariorum pugna 846.23
Capitula tenebant noctu 773.37
Tenebræ horribiles cum pluviis 713.28
Et cum tonitru horrendo 715.5
Tentorium Corbonanni ex ſerico ingens 36.26
Terminantur hîc Matthæi chronica 697.22
Terræ motus cum mugitu 9.22
Cum tenebris 61.7
In Elye, Norfolke, & Suffolke 67.64
In Ciſtria Angliæ 697.33
Alibi in Anglia 631.24 & 656.45
Per univerſum orbem 112.36
In Sabaudia 652.30
Occidenti innaturalis 631.24
Rarior in Anglia ib. & 54
Effectus ib.
Eo civitates abſorptæ 558.57
Terra S. Frederico Imperatori reſtituitur 300.40
Eam Chriſtiani intrant 302.3
Terræ Sanctæ jucundi rumores 484.11
Anguſtia captivorum ibidem 487.61
De reparatione concilii Lugdunenſis ſtatuta 569.55
A Choroſminis populata 546.30 & 556.24.&c.
Pecunias in ejus ſublevationem in regno ſuo colligi non patitur Hen.3. 600.15
Ob diſcordiam inter Saracenos paululum reſpirat 614.11
A Choroſminis fere occupata 619.53
Liberatio efficaciſſimum Papæ argumentum ad extorquendas pecunias ib.60
Ne Lodovico Gallo tota reſtitueretur, primò obſuit comes Attrebatenſis 667.47 & 672.19
Ac poſtea Legatus Papalis ex mandato Papæ 682.20
Teſtamentum Fred.2. Imperatoris 702.20
Duodecim Patriarcharum e Græcia allata, & Latinum verſum 721.3
Ut pro omni tenemento ſequela præſtetur curiæ Domini 792.20
Thadai corpus Edeſſæ humatum 66.63
Thaddæus de Sueſſa Frederici procurator, quæ pro eo alligârit in Synodo Lugdunenſi 582.53 & 583.50 & 584,585 & 589.51
Theobaldus junior comes Bleſenſis 62.17
Cum Stephano pactum 63.34
Theobaldus in Archiepiſcopum Cant. eligitur 64.50
Pallium Romæ à Papa Innocentio ſuſcipit ib.53
Theotford Epiſcopatus Norwicum tranſlatus 15.17
Theſaurus Archiepiſcopi Eboracenſis 117.2
Hen.2. quantus, Wintoniæ ſervatus 107.45
Thomas Aquinas floret 846.50
Thomas Becket Cancellarius Angliæ fit Archiepiſcopus Cant. 82.57.&c.
Vita ejus ib.48,&c.
Oſculo à Rege ſuſceptus 85.32
Sigillum Regis reſignat 82.47
Cauſæ Regis in eum indignationis 83.44,&c.
Concilio Turonenſi intererat 84.4
Clarendonæ ſtatutis jurat, & pœnitet 85.23
Abſolutus per Papam à juramento ib.31
Ex Anglia diſcedit 86.14
Bona ejus confiſcantur 87.3
Tota cognatio ejus proſcribitur ib.
Ne orandum quidem eſt pro eo ib.7
Oratio coram Papa 87.10
Excommunicat diſſidii autores 88.5
Literæ ad Regem Hen.2. ib.32
Gilebertum Lond. Epiſcopum excommunicat 92.35
Quæ ei die Martis accidunt 97.5
Ei Chriſtus apparuit ib.14
Petitio ejus ad Regem Hen.2. ib.42
Pacem init 101.63
In Angliam redit 102.25
Epiſcopos multos ſuſpendit ib.42
Eos abſolvere non vult ib.
Abbas S. Albani adit Thomam 103.14

Occiditur in Eccleſia 104.8
Sepelitur ib.27
Ejus interfectorum nomina 103.50
A Papa excommunicantur 104.57.
In Cnaresburc Regis caſtello latent ib.60
Papà jubente eſt invocandus 106.25
Tranſlatio 261.18
Ratio ejus quia noluit ſacerdotem à laicis judicari 653.8
Thomas comes Flandriæ in Angliam venit 462.22 & 473.3
Thomas Regis capellanus Archiepiſcopus Ebor. 53.14
Conſecratur ib.48
Moritur 55.11
Thomas Hugonis de Burgo frater, à Lodovico comprehenditur 240.20
Thomæ de Muletuna peccatum & mors 480.22
Tholoſanus comes vincit Provinciæ comitem, Francóſque rebelles ſibi mancipat 294.52 & 473.40
Contra eum Rex Francorum bellum movet ib.60
Imperatorem excuſat 474.15
Hereſéos ſuſpectus 527.7
Tholoſani Albigenenſium hæreſi polluti comminantur 203.60
Thurſtanus fit Ebor. Epiſcopus 55.11
Contendit cum Radulpho de prioritate ib.12,47
Thynemus (Tinmouth) circa eam concordia inter Dunelmenſem & Abbatem S.Albani 633.1 & 634.37 & 647.53
Cella fundata 13.54
Tonitrua generalia in Anglia, Francia, & Hybernia 105.30
Per 15 dies 322.7
Hyemalia 62.46 & 355.63 & 697.47 & 266.17 & 295.25 & 393.48 & 715.3
Hyemale triſte præſagium 840.38
Plus lugendum quàm amici mors 329.5
Mortalitatem.&c. ſignificat ib.
Topazio literas ſignabant Imperatores 610.26
Torneamentorum bravium 222.62
Apud Blie inter Auſtrales & Norenſes fatale 374.19
Præparatur inter Anglos & alienigenas 490.36
A Rege prohibetur ib.49
Apud Roffam inter Anglos & alienigenas 715.34
Apud Hertfordiam 502.49
Aliud in partibus aquilonaribus 519.56
Francigena Gaufridum de Mandevilla vulnerat 235.50
In concilio Lateranenſi prohibita 115.9
In eis occiſi ſepulturâ careant Chriſtiani ib.
Tamen ea poſtea exercuit Richardus Rex 148.43 & 222.62
Ut & alii 519.56
In concilio Lugdunenſi in triennium prohibita 591.30
Tranſlatio reliquarum Edmundi Cant. 638.45
Altera 664.44
Treugæ inter Chriſtianos & Paganos conſtituuntur 143.22
Inter Regem Angliæ & Lodovicum 246.19
Inter fideles terræ ſanctæ & Saracenos 244.57
Inter Reges Franciæ & Angliæ 246.16
Expirantur 342.45
Inter Hen.3. & Mareſchallum 333.57
Decennales inter Fredericum & Soldanum 346.55
Quinquennales inter Hen.3. & Lodovic.9. 531.10
Triceſima Hen.3. conceſſa 368.28
Modus collectionis ib.33
Et alia 376.24
Tu es Petrus, & ſuper hanc,&c. exponitur 477.63
Tumulationis mos 277.21
Tunica Chriſti inconſutilis inventa 80.20
Eccleſiæ Dolenſis ſubjecta 167
Tunis à Chriſtianis capta 863.11
Fit Siciliæ tributaria ib.
Turci dederunt præſidium Antiochiæ 36.30
Turonenſe concilium 84.2
Turris Lond. fortificatur 411.40
Turſtanus Ebor. Archiepiſcopus Boreales Proceres in Scotos excitat 63.64
Pugnæ intereſſe voluit 64.3
Moritur 65.25
Contendit cum Johanne Cant. de prioritate cathedrarum 58.60
Quadam limitatione datâ obtinet veniam ad concilium Remenſe adeundi 56.50
Accipiens conſecrationem à Papa Archiepiſcopatu privatur
Turſtinus Abbas Glaſtonienſis ſceleratus 9.9

V

Valentia ab Arragonum Rege arctatur 407.6
Capitur
Vaſallum ſuum Papa vocat Regem Angliæ 650.45
Veneti Imperatori infeſti 495.20
Vegeſini Galliæ tractus limites 166.29
Venationis furti pœna 314.55
Venia tot dierum de injuncta pœnitentia
Veronica eſt effigies vultûs Domini in ſudario 244.29 & 666.9
Tranſverſa portentoſa ib.
Vicarius non fit, qui non eſt Diaconus 380.48
Debet reſidere ib.
Vicarios emendat Robertus Groſſeteſt 724.56
Vicecancellarius Angliæ 630.64
Vicecomites tenebant placita comitatûs 8.22
Omnes a Richardo Rege depoſiti 129.25
Et ab Hen.3. 362.54
Northamptoniæ enorme facinus 800.41
Amerciati à Rege 803.60
Pars officii eorum ib.55 & 804.1
Northamptoniæ alterius oppreſſiones 838.39
Eorum rapacitas refrænata 839.37
Credo hæreditarium erat officium 129.29 & 362.54
Victoria Rich.1. in Francos 162.60
Johannis Regis in Francos Flandriam invadentes 200.41
Hen.3. contra Lodovicum apud Lincolniam 249,&c.
Alia navalis contra eundem 251.22
Comitis Tholoſani in Francos 294.53
Victoriâ urbs ædificata 640.26
Deleta 648.43
Vide an tunica filii tui ſit, annon? 153.30
Viſio Monachi Eveſhamenſis de Purgatorio & de cœlo 153,&c. ad 159
Nocturna de ruina mœniorum juxta turrim Londinenſem 491.57
Corruunt 492.9
Viſitatio generalis religioſarum 322.12,&c.
Boniſacii Cant. 675.55,&c.
Eccleſiæ S.Albani 713.32
Et aliorum Monaſteriorum ib.46
Viſitari recuſant Epiſcopi Abbates & Priores ab Archiepiſc, 676.14,26 & 677.41 & 694.13
De *Vitali* & Sylvano hiſtoria 150.53
Ulfrici vita & miracula 77.50,&c.
Ulstanus Wigornienſis Epiſcopus 16.26
Parentes ib.30
Reprehenditur à Wlſio recluſo ib.60
Epiſcopatum reſignat 17.16
Deponendus quia Gallicè non noverat ib.14
Virgam paſtoralem ſilici impreſſit ib.34
Reſtituitur ib.42
Moritur 18.16
Unctionis regiæ forma 128.32
Votum crucis pecuniâ datâ ſolvitur 502.26,30
Urbanus Epiſcopus Clammorgunenſis 53.9
Urbani apud Clarum Montem conſtitutiones 18.22
Hildebrandi decreta renovat ib.50
Philippum excommunicat ib.
Oratio ejus ad populum de Hieroſolymis ſuccurrendis ib.55
Moritur 47.51
Urbanus Papa Rom. Lucio ſuccedit 119.52
Urbanus 4. Papa 848.56
Fugat Manfredi exercitum ib.57
Siciliam Gallo confert ib.59
Mittit Legatum ad excommunicandos pacis turbatores 854.49
Moritur 856.43
Urinator qui navem perforavit 118.39 & 136.60
Urſus ſylveſtris Godefridum Ballonium ſauciat 29.23
Uſurarii quæſtum faciunt de Papæ exactione 305.60
Excommunicatur 306.63
Uſurarum & pœnarum ſumma, in qua Papalibus uſurariis obligatus erat Hen.3. 805.54
Uterpendragon Rex Britonum 167.8
Uxores ſacerdotibus interdictæ 7.21
Uxoratus Archiepiſcopus Boniſacius 676.57
Sacerdos 678.28

W

Waldemarus Daciæ Rex centenarius obiit 491.48
Ejus filius item moritur primogenitus ib.47
Walkelinus Wintonienſis Epiſcopus legit electionem Anſelmi 15.3
Moritur 37.23
Walkelinus Doveriæ caſtellanus 63.60
Walo Papalis Legatus ad iter Lodowici in Angliam impediendum mittitur 235.53
Argumenta ejus pro Johanne profligantur 236.12
Legatus milites regios hortatur ad pugnam 248.24
Lodowicum excommunicat & complices ſuos ib.27
Lodowicum in Angliam ſequitur 237.26

Glo-

Richardus Mareſchallus 322.4 : 324.39 : 326.9,37,41,55 *ſæpe* : 328.29 : 329.7,20 : 330.1 : 332.26,49 : 335.31,36,38 : 335.64 : 336.6,&c. *ſæpe* : 340.10
Walterus Mareſchallus 508.41,50,63 : 527.42 : 563.20
Frater quoque ejus Anſelmus obierunt, in quibus familia extincta eſt 600.60
Gilebertus Mareſchallus 341.16 : 352.35 : 364.24 : 365.28 : 378.26 : 395.6 : 408.57 : 463.23 : 490.44 : 502.48 : 508.41
Willielmus de Valentia 791.60 : 853.32 : 855.9 : 859.5
Alienora comitiſſa 393.38 : 395.3
Margareta 573.4

De Redvers.

Baldwinus 638.12

Richmondiæ.

Petrus de Sabaudia 489.50 : 490.36 : 513.55 : 516.37 : 564.8 : 630.13 : 646.15 : 805.40 : 818.65 : 822.31 : 825.62 : 845.24

De Ripariis.

Comitiſſa 731.34

De Ros.

Willielmus 152.13

Salopesbariæ.

Hugo de Beleaſmo 37.25
Robertus de Beleaſmo *ib.*

Sariburiæ.

Willielmus de Longa Spata 194.28 : 197.54 : 199.29 : 200.23 : 211.37 : 215.4 : 233.62 : 237.21 : 246.24 : 272.47,60,63 : 274.11 : 276.9 : 277.10 : 328.3 : 479.14 : 523.25 : 528.12 : 737.5 : 795.33 : 809.47 : 810.28 : 812.45

De Strigoil.

Richardus 110.38

Surriæ & Suthſexiæ.

Johannes de Warenna 853.32 : 855.9 : 861.58

Vellæ.

Baldwinus de Ripariis 468.39

Warenna.

Simon 65.45 : 202.44
Willielmus 197.56 : 199.30 : 215.4,20 : 221.34 : 237.20 : 246.24 : 273.22 : 284.49 : 322.4 : 355.31 : 368.29 : 397.25 : 516.13 : 791.60
Johannes 638.14 : 646.14 : 746.27 : 783.48 : 833.4,20 : 852.22 : 853.32 : 859.15 : 861.58
Ælesia comitiſſa 793.58

Warwick.

Gimdreda comitiſſa 72.24
Willielmus 284.50 : 368.25 : 471.15 : 518.19 : 769.12

Wintoniæ.

Saerus de Quincy 199.30 : 220.20 : 221.34 : 248.45 : 249.42 : 255.31 : 261.29 : 736.54 : 791.60
Rogerus de Quincy 363.37 : 527.20 : 613.5 : 620.58 : 646.13 : 658.45 : 791.60
Comitum plurium familiæ extinctæ 601
Plurium ſimul 646.10

BARONES.

Willielmus de Albeneto 65.6
Willielmus Briwer 791.61
Willielmus de Cantelupo *ib.*
Eadwinus 5.61
Willielmus Fitz-Gerold 791.61
Robertus Fitz-Walter 255.32
Walterus Giffard 47.22 : 202.45
Radulphus de la Hay 109.2
Herewardus 5.65
Radulphus de Hernigande 853.56
W. de Huntunthfeild 791.61
Willielmus Luvell 63.57
Robertus de Medlent 58.41 : 65.44
Rogerus de Monte Forti 47.22
Robertus de Monte Forti 202.45
Morcardus 4.20
Warinus de Montchemſil 780.54
Alanus de Nevilla 92.3
Henricus de Nevilla 791.61
Patricius 838.52,61
Rodulphus 7.38 : 24.35
Rogerus 7.46 : 24.34
Willielmus de Sey 763.64
Siwardus 5.61
Willielmus Tallebot 63.55 : 192.21
Willielmus de Tankervilla 106.40
R. de Ver
Waltheofus 5.26 : 7.46,&c. *ſæpè.*

Index Archiepiſcoporum & Epiſcoporum totius ANGLIÆ.

Cantuarienſes.

1 Stigandus 5.46,61
2 Lanfrancus 5.54 : 7.2 : 8.46 : 11.43 : 12.60 : 17 *ſæpè*
3 Anſelmus 14.23 : 15.2,46, &c. 45.43,51 : 47. 29 : 48.41 : 49.11,28 : 52.51 : 53.3,9,15,22,25
4 Radolphus 55.10,41 : 58.5
5 Willielmus de Corbolio 58.18,37 : 59.30,60 : 62.21 : 63.24
6 Theobaldus 64.50 : 65.14 : 69.34 : 77.40 : 81.56
7 Thomas de Becket 82.37
Conſule Indicem Rerum & Verborum.
8 Richardus 106.20 : 107.48 : 109.16
9 Baldwinus 118.8 : 119.55 : 131.24 : 134.16
10 Hubertus Walteri 147.10 : 162.21,29 : 176.30 : 178.47
11 Stephanus de Langetona 187.15 : 206.12 : 214.65 : 221.12
12 Richardus 299.63 : 306.25,55 : 310.27 : 312.1,36
13 S. Eadmundus 325.38 : 334.7 : 335.6 : 340.40 : 345. 55 : 393.30 : 399.60 : 409.11 : 410.27 : 413.57 : 486. 10,33
14 Bonifacius, *Vide Indicem Rerum & Verborum* 732.53 : 740.3 : 745.43 : 792.26 : 793.3 : 815.25
15 Robertus de Kilewarby 864.24, &c.

Eboracenſes.

1 Aldredus 4.3
2 Thomas 7.3 : 13.60 : 14.26 : 15.7
3 Gerardus 47 48 : 49.25 : 53.14
4 Thomas 53.14 : 55.11
5 Thurſtanus 55.11 : 58.60 : 59.30 : 60.11 : 63.65 : 65.25
6 Henricus Mordac 67.54 : 72.12 : 77.7
7 Willielmus 65.25
8 Rogerus 82.40 : 84.5 : 101.45 : 109.46
9 Gaufridus Plantagenet 127.15 : 129.18 : 189.47 : 194. 40 : 196.10
10 Walterus de Gray 194.40 : 230.10 : 261.58 : 343.35 : 371.20 : 517.42 : 745.47 : 765.16 : 778.29 : 789.20 : 827.50
11 Sewalus 784.17 : 786 3,19 : 298.49 : 803.18 : 820. 57 : 831.21
12 Godefridus de Kninton 834.33 : 839.6 : 840.52
13 Walterus 859.7

Epiſcopi Cantuarienſis Provinciæ.

Londinenſes.

1 Mauritius 10.47 : 46.33 : 47.20 : 53.11
2 Richardus de Beaumeis 53.22,45 : 58.39 : 72.10
3 Gilebertus univerſalis 59.30 : 61.19 : 66.10
4 Robertus de Sigillo 66 11
5 Richardus de Bemneis 82.32
6 Gilebertus Foliot 83.37 : 89.48 : 90.10 : 121.51
7 Richardus 129.19 : 130.64
8 Willielmus 165 30 : 176.26 : 189.62 : 221.13 : 263 49
9 Euſtachius de Faucumberge 297.43
10 Rogerus Niger 297.44 : 314.17 : 324.6 : 327.7 : 335. 6 : 353.40 : 511.55 : 640.34
11 Fulco Baſſet 512.9 : 571.63 : 597.20 : 618.29,49 : 625.34 : 652.7 : 669.48 : 675.19 : 677.30 : 732.33 : 746. 21 : 786.55 : 787.13 : 812.62 : 820.13 : 835.42 : 846.50
12 Henricus de Sandwich 853.6 : 858.33 : 860.33

Wintonienſes.

1 Stigandus 5.51
2 Walkinlinus 15.3 : 37.23
3 Willielmus Gifford 49.24 : 53.46 : 47.21 : 58.38 : 60.6
4 Henricus de Bloys 60.17 : 62.51 : 64.49 : 67.10 : 79.44
5 Richardus 106.15 : 108.8 : 114 38
6 Gaufridus de Lucy 129.18 : 130.48 : 178.28
7 Petrus de Rupibus 178.29 : 194.30 : 221.33 : 243.3 : 285.41 : 316.47 : 317.23 : 319.8 : 324.13,47 : 341 31,37 : 345.20 : 346.47 : 367.5 : 371.22 : 374.16 : 395.44 : 399.3,9

8 Willielmus de Rale 400.34 : 409.38 : 498.48 : 536. 50 : 542.43 : 544.63 : 558.60 : 559.5,48,58 : 560.20 : 562.36 : 618.47 : 627.57 : 636.45 : 645.6 : 652.6 : 675. 21 : 692.1
9 Ethalmarus 842.38
Vide Indicem Rerum & Verborum.
10 Johannes Gervaſii 858.33 : 861.13
11 Nicholaus de Ely 862.15

Elienſes.

1 Hervæus 53.47
2 Nigellus 61.12 : 65.21
3 Gaufridus 106.15 : 127.53
4 Willielmus de Longo Campo 129.19 : 130.37,40,64 : 145.15 : 159.39
5 Euſtachius 162.20 : 189.62 : 195.34 : 212.65 : 221.13
6 Johannes de Fontibus 260.60 : 273.14
7 Gaufridus de Burgo 273.15 : 197.47
8 Hugo Norwold 297.50 : 306.29 : 577.51 : 652.7,21 : 731.21 : 733.48 : 746.28 : 758.17 : 767.6
9 Willielmus de Kilkein 769.58 : 782.2 : 758.53 : 803.50
10 Hugo Balſam 812.9,16 : 816.12 : 857.50

Lincolnienſes.

1 Alexander 5.47
2 Remigius 13.59
3 Robertus Bloet 14.24 : 55.55
4 Alexander 58.17 : 64.60 : 69.33
5 Robertus de Chaiſneio 69.32 : 82.64 : 88.30 : 90.8
6 Gaufridus 106.16 : 109.19 : 117.32
7 Walterus de Conſtantiis 117.41 : 118.2
8 S. Hugo 119.63
9 Willielmus 176.24 : 180.33
10 Hugo de Velles 191.64 : 221.14 : 252.24 : 276.4 : 345.51
11 Robertus Groſſeteſt 345.54 : 407.10 : 507.5 : 528. 30 : 540.55 : 603.6 : 625.16 : 641.62 : 669.35,48,58, &c. 673.7. &c. 675.21 : 693.63 : 704.59, &c. 713.6. &c. 719. 24 : 720.63 : 724.53 : 732.21 : 740.51 : 746.21,64 : 749. 57 : 751.20 : 752 : 753 : 789.21
12 Henricus de Lexintona 758.22 : 760.51 : 763.49 : 837.39
13 Benedictus de Graveſend 839.52

Ceſtrenſes.

1 Robertus Peccatum 10.48 : 60.57
2 Rogerus 60.59 : 67.52
3 Walterus 67.54
4 Richardus 83.3
5 Girardus Puella 118.1
6 Hugo de Nunant 120.48 : 121.56 : 139.16 : 146.1 161.23
7 Gaufridus de Muſchamp 162.17 : 189.54
8 Walterus de Gray 193.57
9 Willielmus de Cornhull 231.23 : 269.11
10 Alexander de Stavensby 271.28 : 299.27 : 306.15 : 333.60 : 409.31
11 Hugo de Pateſhulle 414.55 : 468.44 : 475.56 : 512.15
12 Rogerus de Weſcham 580.48 : 581.5 : 617.61 : 618. 49 : 746.23 : 803.53 : 810.37 : 818.37
13 Rogerus de Molend 810.39 : 824.38

Sariſburienſes.

1 Oſmundus 44.57
2 Rogerus 53.8 : 54.34 : 55.58 : 62.48 : 64.63 : 65.22
3 Jocelinus 83.2 : 118.18
4 Hubertus Walterus 129.19 : 130.48 : 134.16 : 135.16
5 Herebertus Pauper 148.7
6 Robertus de Bingeham 290.20 : 306.13 : 467.64 : 626.58
7 Willielmus de Eboraco 627.11 : 745.52,64 : 746.22 : 789.29 : 792.16
8 Ægidius de Bridelesforde 796.1 : 810.8 : 812.40
9 Walterus de la Wyle
10 Robertus de Wikhamptona *ib.*

Ba-

Bathonienſes.

1 Johannes 14.37 : 58.7
2 Godefridus 58.19
3 Robertus
4 Reginaldus 106.16
5 Savaricus 144.8
6 Jocelinus 180.34 : 221.14 : 243.3 : 528.44 : 791.37
7 Rogerus de Weſeham 543.7 : 571.22 : 646.16
8 Walterus Giffard 859.8
9 Willielmus de Buttone ib.8 : 864.34

Exonienſes.

1 Willielmus 53.9 : 63.24
2 Robertus 79.44
3 Bartholomæus 81.58 : 83.2 : 105.26
4 Johannes 121.1
5 Henricus Mareſchallus 148.41
6 Simon de Apulia 269.10
7 Willielmus Bruere 271.29 : 285.41 : 350.25 : 351.26 : 573.7
8 Richardus 600.55 : 746.31 : 811.31
9 Walterus 824.39

Helmhamenſis.

Stigandus 5.51

Norwicenſes.

1 Willielmus 10.48
2 Herebertus 53.46 : 57.40
3 Willielmus 83.2
4 Johannes 110.18 : 134.20 : 145.56
5 Johannes de Gray 172.62 : 194.30 : 196.63 : 212.20
6 Pandulphus 283.27
7 Thomas de Blundevilla ib. 315.12 : 367.10
8 Willielmus de Rale 411.29 : 414.6 : 462.36 : 475.50 : 535.40 : 536.1 : 746.21
9 Walterus de Sufeild 536.3 : 568.2 : 618.45,47 : 636.45 : 641.34 : 654.14 : 665.58 : 731.22 : 766.21 : 817.2
10 Simon de Wanton 819.45 : 824.38 : 836.7

Wigornienſes.

1 Britheous
2 Ulſtanus 16.26 : 17.5, &c. 18, &c.
3 Sampſon 29.33
4 Theophilus 55.43 : 58.44
5 Simon 58.58
6 Rogerus 114.37
7 Baldwinus Fordenſis 117.30
8 Willielmus de Norhale 119.64 : 135.56
9 Robertus 138.64
10 Henricus 149.62
11 Johannes de Conſtantiis 152.44
12 Maugerus 172.62 : 189.62 : 194.44
13 Walterus de Gray 212.42 : 215.1,16
14 Sylveſter 243.3
15 Willielmus 306.15 : 365.12 : 367.10 : 369.61
16 Walterus de Cantelupo 369.63 : 378.30 : 410.36.61 : 542.55 : 544.61 : 574.50 : 618.49 : 620.25 : 638.22 : 652.7 : 669.48 : 720.8 : 732.34 : 746.30 : 786.57 : 819.63 : 839.49 : 851.48 : 853.7,13 : 858.33
17 Nicholaus de Ely 858.35

Herefordenſes.

1 Robertus de Loſinga 18.17
2 Girardus 47.21
3 Reinelmus 49.5,25 : 53.8
4 Richardus 59.38
5 Robertus 60.17
6 Gilebertus 67.53 : 69.51
7 Robertus 106.17
8 Willielmus de Ver 119.57
9 Gilo de Beauſe 172.61 : 190.35 : 221.13
10 Hugo de Maneport 260.34
11 Hugo Foliot 260.35,61 : 261.4 : 345.35
12 Robertus de Maidenſtan 345.36 : 354.43
13 Petrus de Egeblancke 480.4 : 483.28 : 486.61 : 512.11 : 542.55 : 544.61 : 617.27 : 670.20 : 746.30 : 558.25 : 782.41 : 783.12 : 785.43 : 803.37 : 813.7 : 819.17

Ciceſtrenſes.

1 Radulphus 53.6
2 Sifredus 58.59
3 Hilarius 83.3
4 Johannes 106.17 : 116.54
5 Richardus 212.42 : 231.23
6 Ranulphus 266.43
7 Radulphus de Novilla 266.44 : 271.31 : 319.34 : 328.57 : 333.31 : 363.4 : 399.32 : 400.48 : 543.11
8 Richardus de Witz 562.18 : 574.19 : 581.4 : 720.9 : 732.33 : 744.43 : 747.33 : 842.36
9 Johannes Clipping 747.38
10 Stephanus 858.34 : 860.33

Roffenſes.

1 Hernoſtus 13.1
2 Gundulphus ib.4 : 15.62 : 17.37
3 Radulphus 53.46 : 55.38
4 Ernulphus 58.45
5 Johannes ib.58 : 63.24
6 Aſcelinus 67.51
7 Walterus 67.52 : 81.59 : 82.39 : 116.54
8 Gilebertus de Glanvilla 119.50 : 176.26
9 Benedictus 215.2,18 : 231.24 : 283.27
10 Henricus de Sanford 283.27 : 299.28 : 306.26 : 314.38 : 345.62 : 367.11
11 Richardus de Wendene 345.63 : 396.20 : 617.54 : 691.59
12 Laurentius de S. Martino 693.60 : 705.13 : 717.42 : 746.31 : 811.16 : 815.37 : 824.23 : 864.46.50

Menevenſes.

1 Barnardus 55.43
2 Anſelmus 642.60 : 644.59
3 Thomas 642.61

Landavenſes.

1 Urbanus 53.9 : 61.18
2 Willielmus de Burgo 731.22 : 748.5

Bangorenſes.

1 Hervæus 53.47
2 Richardus 506.22 : 642.58 : 645.21 : 761.1 : 807.55 : 809.36

Aſaphenſes.

1 Gaufridus Arthurus 71.17 : 83.4 : 87.54
2 Howellus 552.29 : 642.58

Epiſcopi Eboracenſis Provinciæ.

Dunelmenſis.

1 Agelricus 5.20
2 Egelwinus 522.6,16
3 Walterus 8.15
4 Willielmus 11.64
5 Ranulphus 44.56 : 47.34 : 53.47 : 60.5 : 64.3
6 Gaufridus
7 Willielmus de S. Barbara 67.44
8 Hugo de Puſat 77.40 : 83.3 : 129.28 : 149.61
9 Philippus 161.6 : 189.56 : 194.30
10 Richardus de Mariſco 255.64 : 261.63 : 279.60
11 Richardus Pauper 370.43 : 396.6
12 Nicholaus de Fernham 490.4 : 502.35 : 554.25 : 658.43 : 701.16 : 820.5
13 Walterus de Kirkeham 666.33 : 820.11 : 746.30 : 778.40 : 787.32 : 826.54

Carleolenſes.

1 Athelulphus 60.51
2 Walterus Malus 267.25 : 324.16 : 327.3 : 342.37 : 352.36 : 413.55 : 414.5 : 621.6
3 Sylveſter 622.30 : 627.14 : 642.19 : 652.77 : 745.52 : 746.1 : 760.55
4 Thomas de Veteri Ponte 767.24 : 803.46
5 Robertus de Chauſe 827.44

Moinæ.

1 Wimundus 71.14
2 Johannes ib.13

Candidæ Caſæ.

Johannes 131.61

INDEX

Cognominum ſive Familiarum.

A

Willielmus de Abendune 398.26
Johannes de Actona 471.14
Agnellus 330.2
W. Agoilun 220.35
Willielmus filius Alani 63.59
Johannes filius Alani 213.45 : 233.30
Philippus de Albenio 243.15 : 248.17 : 365.37
Willielmus de Albenio 328.59
Willielmus de Albineto 214.35 : 220.25
Philippus de Albineto 214.38
Ordinellus de Albineto 227.10
Nicholaus de Albineto 231.30
Jacobus de Aldelia 820.54
Conſtantinus filius Alulphi 521.29
Alwinus 15.18
Jacobus de Andeliaco 854.36
Johannes de Anſard 490.61
Simon de Apulia 269.10
Philippus de Arci 701.38
Richardus de Argentomio 627.19
Reginaldus de Argentomio 374.50
Robertus de Argentomio 627.19
Robertus de Arundel 618.10
Gerardus de Atie 194.36
Engelargus de Athie 261.40 : 269.46
Walterus de Avenis 246.37
Johannes de Avennes 817.53

B

Robertus Bacon 325.61
Robertus Bacun 649.2 : 744.50
Hugo de Bailel 194.33 : 240.33
Johannes de Bailliol 363.38 : 563.21
Henricus de Bailoil 627.20
Stephanus Bancan 818.61
Willielmus de Sancta Barbara 67.43
Willielmus Bardolf 853.53
Johannes de Barres 474.25
Robertus de Barthona 677.20
Johannes de Baſingburne 194.35 : 214.37
Johannes de Baſingſtokes 720.61
Alanus Baſſet 215.5 : 222.31
Thomas Baſſet 194.37 : 214.36 : 220.31 : 248.16
Warinus Baſſet 327.1
Gilebertus Baſſet 326.41 : 329.60 : 334.61 : 496.51
Fulco Baſſet 490.55 : 512.9
Philippus Baſſet 701.57 : 852.11 : 853.54 : 865.51
Girardus Bat 415.20 : 492.19
Henricus de Bathonia 480.44 : 701.27 : 801.42 : 825.63
Reginaldus de Bathonia 780.10
Stephanus Bauzan 717.34
Andreas de Beauchamp 220.33
Mattheus de Bealvere 823.18
Alan. de Becoles 299.8 : 479.3 : 536.35
Thomas de Becket 82.47
Robertus de Boloigno 37.25 : 48.62
Michael Belet 355.33
Willielmus de Bello Campo 213.43 : 249.45 : 271.27
328.59 : 355.34 : 741.2 : 794.50 : 855.52
Johannes de Bello Loco 513.11
Richardus de Benmeis
Hugo de Beneval 220.32
R. de Berkele 233.32
Richardus de Berking 266.42
Adam de Bern 635.59
Willielmus Binard 54.12
Rogerus Bertram 518.18
Rogerus Bertrandi 852.14
Baldwinus de Betun 513.10
Richardus de Beaumund 474.25
Johannes de Beylondia 481.31
Hugo Bigod 12.12
Rogerus Bigod 47.22
Hugo Bigod 247.45 : 258.58 : 490.37 : 825.62 : 833.41

Walterus de Billeſdona 756.8
Robertus de Bingeham 290.19
Margareta Biſeth 401.35 : 519.50
Johannes Biſet 490.41, 56 : 513.7
Walterus Biſet 519.57
A. de Bleccler
Robertus Bloet 14.24
Henricus de Bloys 60.16
Osbertus de Bobi 213.49 : 227.10 : 233.36
Hugo de Boclando 46.38
Henricus Bohun 249.42
Iſabella de Bolebec 575.31
Willielmus Boncoque 794.65
Ernaldus de Boſco 747.28 : 776.6 : 789.26
Rogerus Botevelein 852.16
Hugo de Boum 414.7
Richardus de Boxe 481.29
Thomas de Blundevilla 283.28
Johannes Blundus 297.8 : 318.48 : 325.25
Johannes Blundus 655.31
Willielmus Blundus 853.56
R. de Brackeſle 213.46.
Walterus de Bradel 789.35
Robertus de Braibrock 194.34
Henricus de Braibrock 214.36 : 233.31 : 247.4 : 270.22
Petrus Branche 838.47
Philippus de Brauſia 54.11
Reginaldus de Brauſia 262.60
Willielmus de Brauſia 295.49
Gilo de Brauſe 172.61
Falcaſius de Brente, *vide* Falcaſium
W. de Brente 270.23
Johannes Bretaſche 627.35
Ægidius de Bridelesford 706.1 : 810.22 : 812.40
Ranulphus Brito 317.37 : 415.17 : 627.29
Johannes Brito 653.36, 43
W. Brivere 194.37 : 199.31 : 267.2 : 271.29
Petrus de Bruis 213.40 : 513.8
Roiſia de Bruis 574.44
Robertus de Brus 675.46
Petrus de Buſſera 364.50
Andreas Bukerel 319.7
Johannes de Bulum 582.18 : 635.58 : 768.61 : 826.2
Hubertus de Burch 215.6 : 220.29
Thomas de Burgo 240.21
Gaufridus de Burgo 273.15
Hubertus de Burgo *Vide Indicem Rerum & Verborum.*
Reimundus de Burgo 309.57 : 308.65 : 333.11 : 519.29, 43
Johannes de Burgo 523.25
Richardus de Burgo 528.26 : 638.5 : 644.62
Willielmus de Burgo 635.5
Richardus de Buteille 481.30
Willielmus de Buttone 859.8

C

Walterus de Cantelupo 248.16 : 369.62
Fulo de Cantelu 188.12
W. de Cantelu 214.37 : 269.47
Rogerus de Cantelu 310.40 : 333.64
Willielmus de Cantelupo 564.8 : 579.23 : 704.26 : 717.
25 : 769.42 : 810.27
Willielmus Carpentarius 33.31
Fulco de Caſtro Novo 631.41
Jeremias de Caxtona
Philippus de Ceſtria 809.37
Johannes de Cella 205.65
Robertus Chandos 707.3
Galfridus de Chandelers 490.52
Hugo de Charneles 231.31
Robertus de Chaiſneio 69.32
Robertus de Chaurni 227.11
Robertus de Chauſe 827.44
Radulphus Cheinduit 249.47 : 536.19
Stephanus Cheinduit 80.54
Galfridus de Childewike 480.37, 46, &c. 706.59

Odo

Odo de Cilkenni 635.5
W. de Cirent 220.35
Gilbertus de Clare *ib.*21
Gilbertus de Clara 853.35.44
Simon de Claro Monte
Henricus Clemens 352.31
Walterus de Clyfford 326.50: 669.20
Rogerus de Clyfford 850.63: 852.10: 854.56: 855.20
Johannes Clippinge 747.38
W. de Coleville 233.35: 245.64: 249.46
Willielmus de Colingeham 237.43
Walterus de Conſtantiis 117.41
Willielmus de Corbolio 58.18
Henricus de Cornhelle 188.12: 214.37: 761.4
Willielmus de Cornehull 231.23: 269.11
Johannes Crachale 754.61: 839.30
God. de Cracumbe 220.36: 229.44: 319.48: 517.45
Robertus de Creiſſi 213.42: 249.46
Walterus de Crepinge 855.51
Reginaldus Crocus 249.50
Richardus de Crokeſſe 627.42
Willielmus Crul 527.41
Willielmus de Culeworthe 320.63
Simon de Curle Vache
Engelranus de Cuſci 715.27

D

Nicholaus Danne 627.34
Elias de Derham 578.61
Johannes de Derlintona 793.21
Galfridus Diſpenſator 709.64
Hugo Diſpenſator 820.53
Hugo de Diſpenſariis 855.50
Willielmus de Diva 252.60
Henricus Doili 220.28
Philippus de Drieby 852.17
Willielmus de Drouhedale
Willielmus de Dunelmo 299.9: 668.51
Walterus de Duneſtaple 220.33
Richardus de Duneſtaple 266.53

E

Willielmus de Eboraco 480.43: 627.11: 855.51
Willielmus de S. Edwardo 794.1
W. de Ely 266.50
Nicholaus de Ely 858.35: 862.15
Willielmus de Emeford 227.9
Walterus Eſpec. 64.1
Hamo le Eſtrange 650.63: 854.36
Rogerus de Eyberne 850.63: 852.10: 854.35
Johrunes Eymle 860.62

F

Falcaſius 244.3: 248.16: 271.52
Euſtachius de Faucumberg 263.50: 297.43
Faukes 220.34
Johannes de Fereby 233.35
Nicholans de Fernham 299.8: 414.18: 490.4
Willielmus de Ferrariis 852.13
Richardus de Fiſhakele 649.3
Rogerus Filius Bernardi 220.36
Radulphus Filius Fulconis 481.2
Johannes Filius Galfridi 368.25: 378.14: 579.22
Warinus Filius Geroldi 199.31: 215.5: 220.31
Mauritius Filius Geroldi 336.37: 471.15
Johannes Filius Galfridi 826.33: 840.47
Rogerus Fitz-John 668.48
Fulco Fitz-Warin 579.27
Walterus Folioth 220.33
W. de Foreſt 261.33
Galfridus Focarius 348.16
Johannes de Fontibus 260.60
Simon de Fornelle 481.2
Willielmus de Fortibus 490.60
Johannes de Fortuna 567.57
Johannes Francigena 635.5
Johannes Franciſcus
G. de Furnival 214.36
Giraldus Furnivans 513.11

G

Alanus de Galeweia 214.36: 363.13: 620.56
Mauritius de Gaunt 213.46: 233.31: 508.8
Gilebertus de Gaunt 213.45: 240.25: 518.17
Henricus de Gaunt 719.27
David de Carpenvilla 480.59
Johannes de Gates 354.38
Johannes de Gatedſdene 574.41: 780.35: 810.21
Robertus de Gaugi 194.36: 247.1: 252.50
Hugo Gervaſii filius 58.42
Johannes Gervaſii 858.33
Willielmus Giffard 47.26
Walterus Giffard *ib.*22
Osbert Giffard 227.10: 233.36
Richardus Giffard 227.12
Walterus Giffard 859.57
Gilbertus de Glanvilla 119.50
Walterus de Godardvilla 244.3: 311.14
Willielmus Goimerus 415.20
Robertus de Gareham 71.7
Willielmus de Goreham 480.38: 707.12
Walterus de Gray 193.57: 194.40
Johannes de Gray 193.33: 705.9: 709.23
Richardus de Gray 720.12
Walterus de Gray 765.16: 835.10
Hugo de Grauntemenill 12.12
Ro. Creſſei 213.47
Robertus Groſſeteſt 345.54
Hugo Gubion 852.17
Adam Gurdun 858.47

H

Willielmus de Hacholt 769.62
Robertus de Hailes 617.64
Johannes Hanfard 759.47
Willielmus Hardel 397.62
Willielmus de Harecourt 195.21
Oliverus de Harecourt 249.46: 255.33
Robertus de Hartford 811.27
Henricus de Haſtings 523.32: 669.46: 690.50
Rodulphus de la Hay 220.30
Willielmus Haverulle 475.59: 730.44: 733.32: 789.30
Petrus filius Hereberti 194.37
Matthæus Fitz-Hereberti 215.22: 220.29
Conanus filius Neliæ 213.50
Walterus de Hemelham 295.6
Hereward 6.3
Thomas Herdintonus 204.32
Johannes de Hertfordia 346.13
Ulfricus de Heſelberga 77.50
Willielmus Hierun 823.33
Alexander de Hiltuna 490.62
Robertus de la Ho 737.58
Rogerus de Holdene 582.18
W. de Hobrug 213.45
Willielmus de Holewere 340.23
Henricus de Holewell 481.2
Willielmus de Holewell 481.3
Rogerus de Holderneſſe 784.18: 840.56
Willielmus de Hortuna 793.64: 844.46
Thomas de Hoſtelee 855.52
Johannes de Hotoſp 618.2
Johannes de Houtona 299.28
Petrus filius Huberti 214.35
Johannes filius Hugonis 214.37
Philippus de Hulecotes 240.34
Willielmus de Humeto 266.41
Gilbertus de Hunfravilla 577.63
Thomas de Hundintona 229.43
Willielmus de Huntingfeild 213.47: 233.33
Willielmus de Huntundune 768.61: 826.4
Radulphus Hurdell 826.52
Rogerus Huſcarlus 220.29
Johannes de Hybernia 751.17

I

Briennus de Inſula 194.32: 214.36: 247.1: 248.16: 269.46
Richardus de Inſula 323.65
J. Euſtachius filius Johannis 63.58
Petrus filius Johannis 213.48
Johannes filius Johannis 233.32: 513.10

K

Robertus de Karrebrag 567.59
Robertus de Kile 864.24
Willielmus de Kilkenni 678.38: 769.58
Simon de Kime 213.43
Philippus de Kime 516.18
Godefridus de Kimeton 834.33
Walterus de Kirkeham 666.33

L

Guiſcardus Laidet 513.9
W. de Lancaſter 227.9
Stephanus de Langetona 187.9: 266.38
Simon de Langetuna 494.39
Ganfridus de Langeleia 346.17: 348.16: 680.24: 718.45: 736.28: 805.2

W. de Lanvalei 213.46 : 233.32
Gilbertus de Laſci 64.1
Johannes de Laſci 231.45
Walterus de Laſci 308.63 : 333.11 : 491.54 : 513.3
Hugo de Laſci 269.17 : 333.10 : 363.13 : 528.28 : 765.18
Edmundus de Laſci
G. de Laval 213.45 : 220.22
Willielmus Leaſete 695.4
Simon de Legro 335.9
Rogerus de Lemburne 730.6
Nicholaus de Len 346.16
Euſtachius de Lea 702.36
Rogerus de Lewes 347.62
Johannes de Lexintona 400.54 : 625.39 : 747.29 : 748.39 : 784.39
Robertus de Lexintona 680.49
Henricus Lexintona 758.22
Willielmus de Lichefelde 677.21 : 695.4
Robertus de Lincolnia 63.58
Thomas de Lincolne 227.12
Adam de Lincolnia 233.32
Simon de Londino 507.16
Walterus de Londino 761.4
Willielmus de Longa Spata 638.22 : 809.47
Willielmus de Longo Campo 129.20
Herebertus de Loſinga 15.18
Robertus de Loſinga 18.16
Galfridus de Lucy 129.18 : 194.32 : 214.36 : 248.17 : 415.25 : 511.60 : 638.22 : 670.21
Paganellus Ludehlaw 63.57
Willielmus Lupus 756.11 : 778.56
Willielmus Luvell 63.57
Philippus Luvell 714.22 : 716.61 : 838.9 : 842.28

M

Radulphus de Maidenſton 299.9
Robertus de Maidenſton 345.36
Willielmus Malet 54.12 : 213.43 : 220.23
Robertus Malet 474.25
Petrus de Malo Lacu 414.8 : 460.60 : 513.8
Petrus de Malo Leone 261.40 : 269.46
Walterus Malus 267.25
Gaufridus de Mandevilla 66.11 : 67.22
Ranulphus de Mandevilla 67.25,37 : 233.32
Willielmus de Mandevilla 811.31 : 855.51
Willielmus Mandim 769.26
Willielmus Manduit 213.44 : 233.31 : 249.46
Hugo de Maneport 260.34
Johannes Manſel 397.61,64 : 507.14 : 706.64
Thomas Maunſel 852.16
Philippus Marci 194.35 : 247.1 : 269.46
Henricus de la Mare 620.10 : 812.4
Henricus Mareſchallus 148.41
Johannes Mareſchallus 214.38 : 215.7 : 220.34 : 243.16 : 248.15
Willielmus Mareſchallus junior 213.44
Richardus de Mariſco 194.30 : 255.63 : 261.63
Gaufridus de Mariſco 308.62 : 333.11
Willielmus de Mariſco 401.41 : 518.38
Robertus de Mariſco 694.5
Adam de Mariſco 812.20
Robertus de Marmium 67.18
Robertus Marmium 513.8
Philippus Marmium 769.25
Willielmus Martel 66.24
Hubertus filius Matthæi 523.26
Herebertus filius Matthæi 575.61 : 576.12
Petrus de Maulei 194.36
Robertus de Medlent 58.41
Thomas de Meritona 266.53
G. de Meutum 213.48 : 233.34
Godefridus de Millers 653.36
Willielmus de Molum 63.57
Rogerus de Molend 810.39
Nicholaus de Molis
Johannes de Monemua 707.4
Warinus de Mont Cheinſil 253.26
W. de Monte Acuto 213.43
Rogerus de Monte Alto 551.32
Robertus de Monte Begonis 213.44
Robertus de Monte Forti 47.22
Hugo de Monte Forti 58.42
Simon de Monte Forti 364.29 : 378.27 : 393.38
Petrus de Monte Forti 852.13 : 855.50
Henricus Mordac 67.54
Hugo de Mortuo Mari 79.45 : 778.54
Rogerus de Mortuo Mari 851.1 : 854.35 : 855.19 : 858.8
Reginaldus de Moum
Rogerus de Muhalt 736.31 ; 670.13 : 562.11
Thomas de Mulutona 213.49 : 227.10 : 233.37 : 270.4
Lamb. de Muletuna 480.22
Willielmus de Mumbray 213.41 : 220.24 : 249.45
Johannes de Munemue 325.11 : 328.65 : 322.24
Thomas de Munemuhe 562.11
Richardus de Muniitchet 213.46 : 220.24 : 233.34 : 249.45 : 563.21
Guarinus de Muntchemſil 780.54 : 783.57
Hernaldus de Munteinni 730.19
Robertus Muſegros 789.35
Gaufridus de Muſchamp 162.17
Robertus de Muſchamp 690.49
Richardus Muſchet 481.3
Radulphus Muſgad 220.32

N

Robertus de Neuburg ib.30
Hugo de Nevilla 194.31 : 214.38 : 262.23
Johannes de Nevilla 581.19 : 620.59
Robertus de Newinton 852.16
Radulphus filius Nicholai 204.33 : 350.25 : 363.1 : 517.45 : 523.26 : 564.8 : 811.30
Rogerus Niger 297.44
Robertus Noriſcus 579.43 : 717.23 : 818.61
Willielmus Norhale 119.64
Radulphus de Normanville 220.34
Simon Normannus 400.56 : 411.20 : 414.8 : 465.33 : 483.60 : 668.34
Walterus de Nortuna 233.30
Simon de Norwico 708.63
Hugo de Norwold 297.50
Adam de Novo Mercato 852.14
Hugo de Nunant 120.48

O

Willielmus de Odingeſelles 666.31
Johannes de Offintuna 706.3
Richardus de Oxhaie 752.22

P

Willielmus Papa 660.32
Willielmus de Parci 220.35
Robertus de Paſſelew 328.23 : 334.59 : 341.38,48 : 345.60 : 724.40
Simon Paſſelew 828.57
Martinus de Pateſhull 270.4
Simon de Pateſhull 342.39
Hugo de Pateſhull 342.39 : 414.54
Herebertus Pauper 148.6
Robertus Peccatum 10.48 : 60.57
Haymo Peccatum 513.10
Richardus de Percy 213.39 : 220.23 : 368.5
Henricus de Percy 852.11 : 853.54
Willielmus de Perepund 279.46
Gaufridus filius Petri 198.58
Henricus Peverell 79.40
Reginaldus Phyſicus 346.17 : 348.14
Robertus de Pinkeni 220.29
Paulus Piper 544.54 : 709.12
J. de Plexeto 720.12
Johannes de Pleyreir 769.12
Nicholaus de Plumtuna 751.17
Alexander de Pointuna 213.48 : 233.33
Henricus de Ponte Audemarti 220.32
Willielmus de Powerick 579.24 : 617.52
Willielmus de Powic 620.10
Engerus de Prateſt 220.35
P. Gilbertus de Preſtuna 480.44
Walterus Pruz 377.35
Girardus Puella 117.65
Hugo de Puſat 77.10

Q

Robertus de Quincy 363.37 : 670.21 : 809.47
Saerus de Quincy 206.11 : 261.28

R

Willielmus de Rale 367.40 : 378.15 : 411.29
Baldwinus de Redvers 63.8,12
Reinerius 67.28
R. Willielmus Revel 481.1
Richardus de Riparis 220.31
Baldwinus de Riparis 468.39
Margareta de Riparlis 731.34
Petrus de Rivallis 317.40 : 324.21 : 333.1 : 335.23 : 341.43,61 : 364.16
Ranulphus filius Roberti 213.42
Johannes filius Roberti ib.4 : 488.20
Willielmus de Rodune 324.14
Ebelinus de Rocheford 490.61

Wil-

Willielmus de Rokelant 220.31
Robertus de Roppeleia vel de Ropeſle 215.6 : 220 33 : 233.31 : 249.47
Robertus de Ros 213.40 : 220.23
Willielmus de Ros 249.47 : 527.31 : 528.3
Rogerus de Roulee 55.52
Petrus de Rupibus 178.29 : 326.55 : 333.1 : 335.22
Galfridus Rufus 678.23

S

Almarus de Sancto Amando 414.8
Willielmus de Sancto Leodegario 481.3
Laurentius de Sancto Martino 544.57 : 625.39 : 691.60
Henricus de Sanford 284.17
Richardus de Sanford 284.15 : 299.28 : 345.61
Nicholaus Sanford 701.53 : 717.53
Jordanus de Saukville 220.32
Walterus de Scotenia 841.5 : 844.18
Stephanus de Segrave 305.27 : 317.44 : 324.24 : 330.8 : 334.62 : 341.37.44 : 345.60 : 364.16 : 409.21 : 415.39 : 511.44
Willielmus de Segrave 769 13
Nicholaus de Segrave 853.36
Johannes de Seldeforde 776.60
Laurentius Seneſchallus 206.5
Serlo
Gaufridus de Say 220.24
Robertus de Sai 503.9
Willielmus de Sey 523.28 : 763.64
Richardus Sibſleuvaſt 220.33
Robertus de Sigillo 66.11
Willielmus de Snintiohan 220.31
Robertus de Sothingdona 751.1 : 693.28 : 818.1
Alanus de Sonche 861.57
Hugo de Stanbrige 635.4
Nicholaus de Stanevile 233.36
Alexander de Stavensby 271.28 : 299.27
Willielmus de Stodham 231.30
Nicholaus de Stutevilla 213.40
Euſtachius de Stutevilla 513.9
Richardus de Stutevilla 568.40
Alexander de Suereford 627 21
Walterus de Sofeild 536.3
Robertus de Sumercote 469.41 : 472.11 : 484.9 : 510.48 : 511.36
Rogerus de Sumerico 354.24
Adam de Sumery
Henricus de Sumerey 853.53
Henricus de Suſa 542.60 : 560.9, &c.
Alexander de Sutuna 213.49
Richardus Sward 326.49 : 329.60 : 332.37 : 334.61 : 362.64 : 364.26 : 463.26 : 645.26

T

Willielmus Talebot 63.55
Willielmus de Tankervilla 58.43
Robertus de Tateſhale 797.17 : 853.53
Galfridus Templarius 400.54 : 415.3 : 465.40
Johannes Templarius 490.49
Petrus de Thaly 481.1
Petrus de Thaneo 320.63
Robertus de Thinge 316.38,64
Radulphus de Thomeo 414.11
Rogerus de Thony 290.27
Richardus de Thony 724.22
Willielmus de Thorleghe 481.2
Rogerus de Thurkeby 486.44 : 669.47 : 675.45 : 700.64 : 729.44
Radulphus de Tohom 468.2
Johannes de Toleto 561.1
Johannes Travers 319.7
Robertus de Tregor 855.52
Henricus de Trublevilla 397.61 : 723.37
Henricus & Everardus de Trumpintona 701.37
Tryvet 864.44
Robertus de Twinge 479.58
Willielmus de Tuintuna 233.33
Hugo de Turbervile 854.36
Turſtinus 9.9
Walterus Tyrell 44.63
Trubleville Rad. de Hen. 601.25, 27.

V

Willielmus de Ver 119.56
Robertus de Ver 213.42 : 664.52 : 685.3
Baldwinus de Ver 367.3
Johannes Vallerannus 810.15
Johannes de Vallibus 850.63 : 852.10
Hugo de Velles 191.63
Euſtachius de Veſcy 213.39
Willielmus de Veſcy 755.36
Robertus de Veteri Ponte 214.35 : 247.1 : 248.16 : 269.45
Thomas de Veteri Ponte 767.24
Philippus de Uletotes 194.35
Gilebertus Univerſalis 59.30

W

Hugo de Wac vel de Wake 513.8
Baldwinus Wake 518.18 : 852.13
Nicholaus Wake 852.16
Johannes de Wadentona 481.30
Robertus Walerannus 782.52 : 801.43
Hubertus Walterus 129.19 : 147.9
Robertus filius Walteri 205.19 : 213.39 : 249.45 : 248.45 : 354.23
Simon de Wanton 819.45
Willielmus de Warenaſt 49.31 : 50.35
Johannes de Warenna 765.17
Fulco filius Warini 213.42 : 853.55
Beringarius de Watervilla 852.15
Alanus de Watſand 809.47
Thomas de Wauz 841.5
Petrus de Welles 481.3
Richardus de Wendene 345.63
Johannes de Wedone 675.44,48
Richardus de Wendovre 724.44
Rogerus de Weſeham 580.47 : 543.7
Robertus de Weſhuna 226.18
Rogerus de Wicham 838.36
Adam filius Willielmi 536.36
Willielmus de Wilton 853.55
Henricus de Wingeham 775.30 : 812.28 : 816.21
Willielmus Witham 316.37.64
Richardus de Witz 562.18 : 744.44
Willielmus de Wootham 194.31

Z

Rogerus de Zucha 220.36
Alanus de Zucha 705.9

FINIS.

00030922

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 01 June, 2019